Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
2
F
12
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



ANTVERPIÆ, APVD IACOBVM MEVRSIVM. ANNO M. DC. LXXI.

Cum priuilegio Cæſareo, et Regis Hispaniarum.

Digitized by Google

VIRGINI DEIPARÆ ÆTERNÆ SAPIENTIÆ GENITRICI VOTVM.

TVvm, ô Virgo, opus tibi offero, imo refero. Tu enim omnis lucubrationis meæ, ſed huius prę-ſertim, incentrix mihi & ſuggeſtrix extitiſti. Te enim vbique canit hic Salomon, Tibi ille Tuoque filio pręluſit: nam *pluſquam Salomon hic*, rex pacificus, & pax noſtra. Vtrique ille quadriformem hanc & Cherubicam ſapientiæ ſuæ quadrigam adornauit. Quem enim alium viuis coloribus depingit, niſi Te Tuumque IESVM? dum Prou. 8. cæleſti voce detonat: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes graui mole conſtiterant: ante omnes colles ego parturiebar,* &c. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Cuius verò, niſi Tui Tuique filii ænigma eſt illud cap. 30. v. 18.? *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia*; Hebr. *baalma*, id eſt, *in virgine.* & illud cap. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* Salomonis verò Cantica quid aliud ſunt, quàm epithalamium Verbi cum natura humana, quam Tu Virgo eidem dediſti? Quis enim corpus humanum communicauit Verbo, niſi Tu Deipara? quis Incarnationis eiuſdem fuit organum, mediatrix & cauſa, niſi Tu alma Dei geni-

trix? Imò verò Tuum quoque hoc eſt epithalamium connubij illius, quo Te Deus Pater in ſponſam elegit, ac Spiritus ſanctus te ſibi deſpondit, vt ex te naſceretur ſanctus qui vocaretur & reuera eſſet Filius Dei. Cui verò flammei iſti cæleſteſque Cantici amores ardoreſque congruunt, niſi tibi, quæ plena Deo, plena Verbo, charitatem ipſam corporaſti, tuo vtero nouem menſibus geſtaſti, & in ſalutem hominum peperiſti? *Omnia flumina*, ait Salomon Eccleſ. 1. 7. *intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Mare ſapientiæ & gratiæ es tu, ô Maria mater noſtra: ad te ergo flumina ſapientiæ, quæ in nos effudiſti, regrediantur, vt iterum fluant. Tu magnum illum Gregorium miraculorum thaumaturgum, ſui æui Moſen, ſapientiam docuiſti, ne in errores Origenis magiſtri ſui impingeret, quando eidem S. Ioannem, filium tibi à Chriſto in cruce ſurrogatum, doctorem aſſignaſti, qui ei Symbolum orthodoxæ fidei & ſapientiæ tradidit. Tu eumdem S. Ioannem Ioanni Antiocheno magiſtrum tribuiſti, qui eidem librum S. Scripturæ in manus dedit, atque hoc ipſo eum magnum eiuſdem interpretem, æquè ac Chryſoſtomum, hoc eſt aurei oris præconem Euangelij, effecit & auctorauit. Tu Alberto Magno poſtulanti Philoſophiam inſpiraſti, qui proinde Philoſophorum ſui ſæculi prodigium & portentum extitit. Tu Ruperto Abbati Tuitienſi diuinarum litterarum cognitionem tantam indidiſti, vt eo tempore nullus ei par vel ſimilis in orbe reperiretur. Denique quotquot ſapientes, quotquot ſancti, quotquot inclyti euaſerunt, per te euaſerunt: *Quia Deus totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ adſcendit delicijs affluens. Tolle corpus hoc ſolare quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc ſtellam maris, quid niſi caligo inuoluens & vmbra mortis relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam,* ait mellifluus Bernardus; cui pariter mella hæc ſua lacteo tuo, ô Virgo, imbre inſtillaſti. Vnde & ſubiicit. *Fons Sapientiæ, Verbum Patris in excelſis; hoc Verbum mediante Te caro fiet*, & iam factum eſt: vt per te carnemque ex te aſſumptam, ſuam nobis ſapientiam communicaret, & abſcondita à conſtitutione mundi in ſinu Patris, diuinitatis arcana eructaret. Sexcentis penè annis antè, idipſum Spiritu Dei reuelante præuidens Ieremias cap. 31. exultans exclamauit: *Creauit Deus nouum ſuper terram: Femina circumdabit virum.* Et multò anteriùs Iſaias cap. 7. 14. *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* At quis hic? explicat cap. 9. 6. *Vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*, hoc eſt Verbum infans, puer ſapiens,

Serm. de aquæductu.

Digitized by Google

piens,Deus lactens. Tu igitur,ô Deipara, es thronus Salomonis; genitrix creatoris, mater admirabilis. Tu hortus concluſus, fons ſignatus,puteus aquarum viuentium. Tu inaudito ſæculorum omnium miraculo,Dei æterni ſimul es filia,ſponſa,parens. Tu fons lucis, ianua cæli; mater pulchræ dilectionis, agnitionis & ſanctæ ſpei. Tu fœderis arca,templum Domini,ſacrarium Spiritus ſancti. Tu ſedes ſapientiæ,ſtella matutina,mulier amicta ſole. Tu gloria Ieruſalem,lætitia Iſrael,tu honorificentia populi noſtri. Doce nos in hiſce tui Salomonis Prouerbijs, omnem virtutem agnoſcere & colere: in Eccleſiaſte, vanitatem vanitatum mundi ſpeculari & ſpernere: in Canticis,vni Deo ſponſo vniri & ſociari. Suſcipe ergo,ô Virgo ſapiens & benedicta,hæc mea,imò tua, in tripartitam Sapientis ſapientiam commentaria, vt eodem alueo ad largitorem ſapientiæ ſapientia redeat,ex quo effluxit. Offer ea dilecto tuo Ieſu puriſſimis tuis manibus,quæ candidiſſima ſunt lilia; nec cauſabitur liliorum amator,inter lilia non inuentum,quod inter liliatas virgineæ matris ſuæ manus inuenerit. Impetra ab eo,quæſo, omnibus hæc lecturis lumen & gratiam, vt ex ijs diſcant veram ſapientiam & pacem,qua agnoſcant ſapientiæ paciſque fontes Ieſum & Mariam, vt per eos recto tramite dirigantur, tendant & perueniant ad eſſentialem & increatam ſapientiam & pacem,quæ eſt ipſa S. Trinitas,trina felicitas, felix ÆTERNITAS, Amen.

MVTIVS VITELLESCVS, SOC. IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm *Commentarios in librum Prouerbiorum Salomonis P. Cornelij à Lapide noſtræ Societatis*, tres eiuſdem Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 23. die Maij anno 1633.

locus † *ſigilli.* MVTIVS VITELLESCVS.

Imprimatur. Fr. NICOLAVS RICCARDVS Sacri palatij Magiſter.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
PER FLANDRO-BELGIVM.

EGo infraſcriptus Societatis IESV per Flandro-belgium Præpoſitus Prouincialis, poteſtâte ad hoc mihi factâ ab Admodum R.P. Noſtro Mutio Vitelleſco Societatis eiuſdem Præpoſito Generali, do facultatem Iacobo Meurſio typographo Antuerpienſi typis mandandi Commentaria R.P. Cornelij Cornelij à Lapide, eiuſdem Societatis Sacerdotis in Prouerbia Salomonis. In quorum fidem has manu mea ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi Antuerpiæ 28. Iunij, anno 1644.

Andreas Iudoci.

APPROBATIO CENSORIS.

C*Ommentarios R*^di^ *admodum P. Cornelij à Lapide Societatis* IESV *Theologi in Prouerbia Salomonis*, Reipubl. Chriſtianæ vtiliſſimos fore cenſeo: in iis enim talis ſententiarum ſanctorumque Patrum vbertas, & tam inuſitata rerum varietas elucet, vt tanto viro, tanta induſtria, tanto denique ingenio digni cenſeantur. Optandum vt omnium Theologorum ac Iuriſperitorum, & tam eorum qui regunt quàm qui parent manibus terantur. Ac inſuper ijs qui in ſacra ſalutis animarum palæſtra pro concione deſudant, adminicula non pauca ſubminiſtrabunt. Actum Antuerpiæ die 12. menſis Ianuarij, anno 1635.

Gaſpar Eſtrix S. Theol. Licent. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, ac librorum Cenſor.

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV PRO SACRO ROMANO IMPERIO.

CVm ex mandato Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, atque alijs quibuſcumque librariam negotiationem exercentibus, ſeriò ſtrictèque inhibeatur, ne quis libros vllos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut edendos in poſterum, intra Sacri Rom. Imperij, regnorumq; & dominiorum Sacræ Cæſareæ Maieſt. hereditariorum fines, ſimili alióve charactere aut formâ, ſiue in toto, ſiue in parte, excudere vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos inuehere, vendere, aut diſtrahere clàm, ſeu palàm, citra ſupradictorum Patrum conſenſum audeat vel præſumat; ego Andreas Iudoci Societatis IESV *per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpoſitus Prouincialis, concedo Iacobo Meurſio Typographo Antuerpienſi facultatem excudendi R.P. Cornelij Cornelij à Lapide Societatis noſtræ Theologi Commentaria in Prouerbia Salomonis, ab eiuſdem Societatis Theologis examinata & approbata. In cuius rei fidem litteras manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi. Antuerpiæ anno* 1644. *die* 28. *Iunij.*

Andreas Iudoci Præpoſitus
Prouincialis,

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarum &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Commentaria in Prouerbia Salomonis auctore* R. P. Cornelio Cornelij à Lapide *Societatis* IESV, *in Collegio Romano Sacrarum litterarum Profeſſore, præter Iacobi Meurſij Typographi Antuerpienſis voluntatem, vllo modo in Belgio intra decem annos proximos imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & pro ſingulis exemplaribus peregrinis huc illatis triginta florenorum penſione multabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ anno* M. DC. LXI. *die* XVIII. *Octobris.*

Signat

LOYENS.

COMMENTARIA IN PROVERBIA SALOMONIS.

ARGVMENTVM.

A Siracide, congruo tam materiæ quã diſciplinę ordine trãſeo ad Salomonem, hoc eſt, à riuo ad fontem, à ſcintilla ad rogum, à radio ad ſolem. Vterque enim idẽ moralis ſapientiæ de moribus & virtutibus tractat argumentum; ſed Salomon vti prior, ita & ſapientior longè fuit Siracide, ceteriſque mortalibus, adeoque ſapientum omnium magiſter & princeps. Quocirca hic prolegomena nulla, vel pauca præmittã: quæ enim præmiſi Siracidi, ſeruiunt & Salomoni. Rem ergo aggredior, quia opus vaſtum, & tempus breue; ſcilicet magnum hic æquor arandum; ſi priùs tribus verbis libri argumentum, partitionem, methodum, inſcriptionem, auctorem vſum, ſcopum, parallela & Commentatores indicaro. S. Hieronym. notat Auctorem tribus nominibus fuiſſe inſignitum: vocatus enim fuit Primò, *Salomon*, id eſt pacificus; Secundò, *Cohelet*, id eſt Eccleſiaſten; Tertiò *Ididia*, id eſt amabilis Domino: atque iuxta hæc tria ſui nomina, tria pariter edidiſſe volumina, ſcilicet Prouerbia, in quibus ferè inſtruit incipientes in ſapientiæ & virtutis ſtudio; Eccleſiaſten, in quo proficientes; & Canticum Canticorum, in quo perfectos informat. Idem tradit B. Gregorius Nyſſen. homil. 1. in Cantic. Audi ipſummet S. Hieron. epiſt. ad Paulinum de omnibus S. Script. libris: *Salomon pacificus, & amabilis Domini, mores corrigit, naturã docet, Eccleſiam iungit & Chriſtum, ſanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.* Plenius verò initio comment. in Eccleſiaſten: *Tribus nominibus vocatum fuiſſe Salomonem Scripturæ manifeſtiſſimè docent: Pacificum, id eſt,* שלמה *Salomonem: &* ידידיה *Idida, hoc eſt dilectum Domini: & quod nunc dicitur* קהלת *Cohelet, id eſt Eccleſiaſten: ἐκκλησιαστὴς autẽ Græco ſermone appellatur, qui cœtum, id eſt eccleſiam, congregat: quẽ nos nuncupare poſſumus concionatorem, eò quod loquatur ad populum, & ſermo eius non ſpecialiter ad vnum ſed ad vniuerſos generaliter dirigatur. Porrò pacificus & dilectus Domini, ab eo quod in regno eius pax fuerit, & eum Dominus dilexerit, appellatus eſt.* Et mox: *Is itaque iuxta numerum vocabulorum tria volumina edidit, Prouerbia, Eccleſiaſten & Canticum Canticorum. In Prouerbijs paruulũ docens, & quaſi de officijs per ſententias erudiens; vnde & ad filium eius ſermo crebrò repetitur. In Eccleſiaſte vero maturæ virum ætatis inſtituens ne quidquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & breuia vniuerſa, quæ cernimus. Ad extremum, iam conſummatum virum & calcato ſeculo præparatum, in Cantico Canticorum ſponſi iungit amplexibus. Niſi enim priùs reliquerimus vitia, & pompis ſæculi renuntiantes, expeditos nos ad aduentum Chriſti parauerimus, non poſſumus dicere: Oſculetur me oſculo oris ſui. Haud procul ab hoc ordine doctrinarum & philoſophi ſectatores ſuos erudiunt; vt primum Ethicam doceant, deinde Phyſicam interpretentur: & quem in his profeciſſe perſpexerunt, ad Theologiam vſque perducant.* Subdit S. Hieron. idipſum ſignificare Salomonem titulis, quos ſibi diuerſos initio librorum indit. *In Prouerbijs enim notatur: Prouerbia Salomonis, filij Dauid, regis Iſrael. In Eccleſiaſte verò: Verba Eccleſiaſtæ, filij Dauid, regis Ieruſalem: ſuperfluum quippe eſt hic Iſrael, quod malè in Græcis & Latinis codicibus inuenitur. In Cãtico autẽ Canticorum, nec filius Dauid, nec rex Iſrael, ſiue Ieruſalẽ, preſcribitur, ſed tantùm Canticum Canticorum Salomonis: ſicut enim Prouerbia quaſi rudis inſtitutio, ad duodecim tribus, & ad totũ pertinent Iſrael, & quomodo contemptus mundi non niſi metropolitis conuenit, hoc eſt habitatoribus Ieruſalem; ita Canticum Canticorum ad eos propriè facit mentionem, qui tantùm ſuperna deſiderant. Ad incipientes & proficientes, & paterna dignitas, & regni proprij meritò indicatur auctoritas: ad perfectos verò, vbi non timore eruditur diſcipulus, ſed amore filius, proprium nomen ſufficit, & æqualis magiſter eſt, & neſcit eſſe ſe regem.* Denique addit allegoriam de Chriſto: *Ceterùm, inquit, ſecundùm intelligentiã ſpiritualem pacificus, & dilectus Dei Patris, & Eccleſiaſtes noſter eſt Chriſtus, qui medio pariete deſtructo, & inimicitias in carne euacuans, fecit vtraque vnum, dicens: Pacẽ meam do vobis, & pacem meã relinquo vobis, de quo Pater ad diſcipulos: Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite; qui eſt caput omnis Eccleſiæ: nequaquam ad Synagogam Iudæorum, ſed ad Gentium multitudinem loquens, ex lerua ſẽm, viuis lapidibus extructæ.* Simili modo Paphnutius Abbas apud Caſſian. collat. 3. c. 6. hoſce tres Salomonis libros triplici Abrenuntiationi gradatim accommodat.

Proverbiorũ argumentum.

Salomon trinomius tres trinos libros.

Præterit S. Hieronym. librum Sapientiæ, quia de eius auctore æquè ac auctoritate, an ſcilicet canonica ſit Scriptura, dubitauit: de quo proinde ſuo loco accuratiùs agendum.

Porrò

Auctoritas Prouerb. Canonica.

Porrò tres libros iam citatos eſſe Salomonis, dictatos illi a Spiritu ſancto, ac conſequenter eos continere veritatem diuinam, atque obtinere canonicam S. Script. auctoritatem, apud omnes tam Hebræos, quàm Græcos & Latinos orthodoxos, quin & cacodoxos ac hæreticos in confeſſo eſt. S. Hieronymo aſtipulantur S. Baſilius, Olympiodorus & alij. Audi S. Baſilium in principium Prouerbiorum: *Inprimis*, inquit, *Prouerbiorum liber, inſtructio morum eſt quædam, nec non animi perturbationum correctio: denique vitæ in vniuerſum documentū, frequentes ac breues eorum quæ ſunt agenda, continès præceptiones. Eccleſiaſtes verò phyſiologiā attingit, nobiſq; in hac vita vanitatē palàm oſtendit, vt in ijs, quæ citò prætereunt, minimè ſit homini inuigilandum, neq; item animi curas in rebus vanis collocādum. Cantica Canticorum animæ perfectionis modum demonſtrant: ſponſi namque ac ſponſæ concordiam continent, hoc eſt, animæ cum Dei verbo familiaritatem.* Docet ibidē S. Baſil. Salomonem in Prouerbijs de ſingulis virtutibus, nullâ prætermiſsâ, exactè diſſerere, ideoque tradere non ſolùm Ethicam propriè dictam, ſed & Oeconomicam ac Politicam, quę ſunt Ethices genericè ſumptę tres partes & ſpecies. Inſtruit enim hic Salomō non tantùm priuatum, qua ratione ſeipſum; ſed & patrem familias, qua ratione familiam; ac principē, qua ratione remp. gerere regereque debeat. Aliæ enim virtutes decent priuatum, aliæ patremfamilias, aliæ principē. Vnus extitit Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus (qui primò ſolitariæ ac monaſticę vitę cum S. Chryſoſt. cultor & collega, lapſus deinde in cœnum luxuriæ eſt, ex quo fruſtra eum extrahere ſategit S. Chryſoſt. epiſt. ad Theodorum lapſum: hic enim fuit Mopſueſtenus, vt Baron. anno Chriſt. 428. & alij tradunt, idq; liquet ex Heſychio Hieroſol. in Synodo V. act. 5. Vnde vlteriùs in hęreſes varias prolapſus, factus eſt Neſtorij magiſter. Quare cùm vitæ licentiori ſe dederet, non tulit graues haſce Salomonis ſententias & correptiones, præſertim luxuriæ, quas cap. 6. 7. & deinceps ſæpiùs interſerit,) qui dicere non eſt veritus, Salomonem, cùm Prouerbia & Eccleſiaſten ſcriberet, prophetiæ gratiā non accepiſſe, ſed tantùm prudentia humana ea dictaſſe, vti refertur & damnatur in Synodo V. Conſtant. act. 4. Ex qua damnatione infertur, Salomonem verè cùm hęc ſcriberet, prophetiæ gratiam accepiſſe, fuiſſeque Prophetam, idque liquebit c. 30. v. 1.

Negat eam Theodor. Mopſueſtenus.

Porrò Hebræi nonnulli, & Thalmudici cēſent Prouerbia à Salomone viua voce fuiſſe dicta, eaque vulgi ore celebrata & trita, tandem ab Iſaia poſt ducentos annos fuiſſe cōſcripta, & poſteritati tradita, qua de re quid ſentiendum ſit, dicam ca. 25. 1.

Adhæc Lyran, Vatabl. & alij nonnulli cenſent has ſententias à Salomone dictas & dictatas, ſed vario & promiſcuo ordine: quocirca eas ab alio quopiam in vnum hac ſerie & ordine, qua iam in hoc libro extant, eſſe congeſtas & digeſtas. Cęterùm verius eſt contrarium, ſcilicet haſce gnomas hoc ordine, quo nunc extant, ab ipſo Salomone eſſe cōſcriptas. Id enim rerum & ſententiarum inter ſe connexio, & quaſi conſeſſeratio exigere videtur, ſaltem ab initio libri vſque ad cap. 10. nam poſt cap. 10. non cernitur ille nexus & ordo, vnde conſtat quaſdam illarum non à Salomone, ſed à poſteris huc eſſe traductas, ſuoque ordine diſpoſitas. Id patet ex titulo ca. 25. & ſeqq. vbi dicitur: *Hæ quoq; parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt* (Vatabl. *huc retulerunt*) *viri Ezechiæ regis Iuda.* Vbi τὸ *quoque* innuit, alias Salomonis ſententias, quæ ca. 25. antecedunt, non à Salomone, ſed ab alijs pariter eſſe collectas, & ſuo ordine digeſtas. Verùm potiùs τὸ *quoq;* referas ad ipſas parabolas, non ad earum ordinem. q. d. Huculque fuere parabolæ Salomonis, quæ ſequuntur, eiuſdem ſunt; at non ab ipſo Salomone, ſed à viris Ezechię huc ordine eo, quē cernis, traductæ & diſpoſitæ.

Idem clarè patet ex c. 24. iuxta editionem Sept. à Romanis correctam. Ibi enim valdè diuerſus eſt ordo ab eo, qui eſt in vulgato interprete Latino. Nam initio capitis ponuntur ea, quę habet Vulgatus eodem c. 24. vſque ad v. 23. vti annotauit quoque Schollaſtes ibidem; deinde nonnullæ ſententiæ adduntur, quæ in Vulgato non extant. Poſt eas ſubiunguntur ea quæ in Vulgato extant ca. 30. & initium c. 31. vſq; ad v. 10. *Mulierem fortem quis inueniet?* Deinde c. 25. habentur eadē quę apud Vulgatum eodem cap. vſque ad finem libri leguntur. Rurſum τὸ *mulierem fortem quis inueniet?* aliqui codices Gręci ponunt c. 24. alij 31. Quamquam Vulgato interpreti quoad ordinem, per omnia cōſentiunt Græci Complut. Vatabl. & alij, quin & ipſe textus originalis Hebræus.

Partitio.

Duæ ſunt primariæ huius libri partes. Prior à cap. 1. vſque ad cap. 9. continet parænesin ad ſapientiam. Ad eam enim omnes adhortatur Salomon, proponendo eius dignitatem, naturam, & cauſas omnes, putà materialem, formalem, efficientem, & finalem; ac effectus, ſiue ingentes fructus & commoda, quæ ſui ſtudioſis plena manu confert ſapientia.

Poſterior à cap. 9. ad finem libri, continet ipſa dogmata & pręcepta ſapientiæ. Nam c. 9. ſapientia inſtituit ſacrificium, indeq; ſacrum epulum, quod rectè conuiuium ſapientię nuncuparis; ac mox inducit Salomonē ſapientiſſimum velut in hoc conuiuio Pręſidem, modo Imperatorem, ſapiētię dogmata per varias, graues, acutas & elegantes gnomas ediſſerentem, & ritu conuiuiali omnibus hominibus ad hoc conuiuium inuitatis enuntiantem. Vnde hoc ſapientię & Salomonis conuiuium imitatus eſt Plato in Cōuiuio, Plutarchus in Sympoſio; vbi ſeptem Græciæ ſapientes ſuper menſam ſapienter interloquentes inducit: Athenæus in Cœnis ſapientum, & alij paſſim. Quocirca Clemens Alex. lib. 1. Stromat. aſſeuerat platonem ex Prouerbijs & Eccleſiaſte Salomonis multa mutuatum vel ſuffuratum eſſe. De hoc conuiuio plura dicam cap. 9.

Poſterior autem hæc pars in binas, vel ternas ſubdiuidi poteſt. Prima enim eius pars eſt à ca. 9. vſque ad 25. vbi interruptè loquitur, ſuaque Prouerbia quaſi oracula promit Salomon. Secunda eſt à cap. 25. vſque ad 30. vbi ponuntur parabolæ Salomonis cōgeſtæ, & digeſtæ à viris Ezechiæ regis Iuda, vti dicitur c. 25. 1. Tertia à ca. 30. ad finem, complectitur ænigmata & ſententias *Congregantis filij Vomentis*, hoc eſt, vt hebr. eſt, gnomas *Agur filij Iakeh*, ac *Lamuelis* regis. Quocirca noſter Salazar cenſet, Salomonem in hoc ſapientię conuiuio tres inducere interlocutores, nimirum ipſum Salomonem, Agur & Lamuelem, ideoque in verſione Septuag. verba Agur & Lamuelis, ſtatim poni poſt c. 24. quaſi hi interloquantur, eiſq; ſuas loquendi vices det Salomon: quibus abſolutis ipſe ſuas reſumat,

mat ſermonemque proſequatur vſque ad finem libri. qua de re ſuis locis diſſeram. Sic Salomonem imitati Plato, Plutarch. Athenæus, alij in ſuis Dialogis conuiualibus, Socratem, Protagoram, Alcibiadem, Homerum, alioſque ſapientes quaſi interlocutores inducunt. Verùm enimuerò omnia quę hoc libro continentur, etiam verba Samuelis c. 31. eſſe ipſius Salomonis omnes conſentiunt; etſi Salomon ibidē, vti & aliàs ſubinde, matrem loquentem & ſe puerum docentem inducat. De ſolo c. 30. dubitari poſſet an ſit Agur, an Salomonis. Nec Agur ibidem vt interlocutor velut in dialogo, ſed vt celebris illo æuo ſapientiæ per ænigmata doctor introducitur. Denique in Aguri perſona loquitur ipſe Salomon, vti oſtendam c. 30.

Methodus.

Hinc ſequitur, in prouerbialibus hiſce gnomis fruſtra quęri ordinem & connexionem earum inter ſe, cum ſæpè nulla talis inueniri & aſſignari queat. Etſi enim ſubinde de eodem argumento, & de eadē virtute, duas vel tręs coaceruet ſententias, tamen ijs abſolutis ilicò ad aliud prorſus thema digreditur. Veteres enim ſapientes ſuam Ethicam tradebant per breues gnomas, eaſque diuerſas & diſparatas, ſine vllo connexionis ordiniſue ſtudio, vti oſtendi proœmio in Eccleſiaſticum: pręſertim autem id faciebant in ſermonibus menſalibus, putà in conuiuijs. in illis enim mens conuiuarum epulis intenta, non fert ſermonem nimis ſerium & cōnexum, vt illi moroſè attendere & intendere debeat, ſed ſententiarū elegantium varietate gaudet, ſeque paſcit & oblectat. Vnde Plutarch. in Quęſt. conuiu. 1. *Oportet*, inquit *eſſe quæſtiones faciliores, propoſitiones claras, ſuccinctas interrogationes, ne rudiores abſterreant & defatigent*. Ita cenſent huius libri commentatores ad vnum omnes.

Porrò Salomon ſcripſit Prouerbia ſtylo ethico & ſuaſorio, non prophetico. Vnde S. Cyril. lib. 7. contra Iulian. aſſerit *Salomonem non vocari Prophetam à Chriſtianis*: hinc & Prouerbia olim in ſynagoga decantabantur voce ad ſuadendum compoſita. Audi Zamoram lib. 1. Grammat. c. 4. *Pentateuchus*, inquit *& libri hiſtorici cantabantur modo plano & leni: libri prophetales modo ſeuero & ſatyrico: Pſalterium modo contemplatiuo & graui: Prouerbia modo plano & ſuaſiuo: Cantica modo alacri & iucundo: Eccleſiaſtes autem modo ſeuero, ſed ad hoc intelligēdum opus eſſet experientia viua vocis illorum*. Salomon tamen veras aliquas hic miſcet prophetias, vt patebit ca. 30. 1. & ſeq. imò Cantica Canticorum continua ſunt prophetia de Chriſto & Eccleſia c. 1. v. 1. Quare Salomon vocatur, & verè fuit Propheta, etſi inferior Dauide patre ſuo. Vnde S. Grego. Thaumaturgus in Eccleſiaſtis ca. 1. v. 1. *Salomon*, ait, *Dauidis & Prophetæ filius, item mortalium omnium clariſſimus, & Propheta ſapientiſſimus*. Et S. Auguſt. li. 17 de Ciuit. 20. *In Prouerbijs*, inquit, *Eccleſiaſte, & Cāticis reperitur Salomon propheta ſſe de Chriſto & Eccleſia*. Idem in pſalm. 126. *Per Salomonē ſalubria monita, & diuina Sacramenta Spiritum ſanctum operatum* aſſerit. Neque Neocęſarienſis ſolū, verùm & Hilarius canon. 5. in Matthæum vocat *Prophetam magnum, & merito dilectæ ſapientiæ Deo charum*; itemque Ambroſ. lib. de Salomone, ſiue in fragmēto enarrationis c. 30. Prouerbiorum, non ſolùm communi aliorum Prophetarū appellatione, ſed præ cęteris excellēti Salomonem dignatur. *Ante aduentum*, inquit, *Chriſti Prophetæ multi, concepto Spiritu ſancto, futura nunciarunt: inter quos & Salomon loco ſuo & ordine pro temporibus numeratur; ſed inter alios & ipſum eſt aliqua diſtantia: videoque cęteri ſolo ſpiritu locuti ſunt, Salomon autem ſpiritu & adiuncta ſapientia eſt locutus*. Iſidorus etiam lib. de Vita & morte Sanctorum c. 34. *Salomon*, inquit, *Sacramenta Eccleſiæ reuelauit*. Eodem honoris titulo condecorant Salomonem Proſper par. 2. de Prædiction. ca. 27. & Rupertus prologo in librum Pſalmorum c. 1. S. Antonius quoq; in Hiſtor. paſſim appellat Prophetam. Denique Franc. Georgius tom. 5. Problem. qui eſt de Septem ſapientum doctrina, ſect. 1. problem. 2. aſſerit *ideo fuiſſe Salomonem vnctū à Nathan Propheta, vt innueretur ipſum habiturum chriſma prophetici ſpiritus, quo nonnulla futura prędiceret, & multa recondita quamuis ænigmaticè patefaceret: ad quorum quodlibet exigitur ſpiritus propheticus*.

Salomon Propheta.

Inſcriptio.

Inſcribitur hic liber hebraicè משלי *miſle*, græcè à Septuag. παροιμίαι, latinè *Prouerbia* vel *Parabolæ Salomonis*: quia continet ſententias graues, & quaſi ethica axiomata tantæ auctoritatis, veritatis & certitudinis, vt eis contradici nequeat, inquit S. Athanaſ. in Synopſi S. Script. cap. 14. quæ hominem quouis caſu vel occurſu ad ſapienter agendum, vitamque prudenter inſtituendam erudiant & dirigant. Quare inter eas aliæ ſunt prouerbia ſiue adagia, aliæ parabolæ ſiue comparationes & ſimilitudines, aliæ apophthegmata, aliæ ſtrophæ & ænigmata, de quibus plura dicam c. 1. v. 1. Ad hæc ſententię aliæ ſunt ethicę, aliæ œconomicæ, aliæ politicæ, aliæ denique theologicæ. Inſuper quædam ſunt didaſcalicæ & doctrinales, quædam conſolatoriæ, aliæ practicæ & adhortatoriæ. Audi S. Baſilium in initium Prou. *Prouerbiorum nomen*, inquit, *de eo quod vulgariter dicitur, apud externos compoſitum eſt, & de illis plerumque quæ in triuijs dicuntur. Oemus enim apud illos via dicitur. Vnde paræmia definitur verbum iuxta viam, vſu multorū tritum, & quod à paucis ad plura ſimilia transferri poteſt. Apud nos verò prouerbium eſt ſermo vtilis ſub vmbra figuraq; idonea expreſſus, multum & vſus & grauitatis complectēs, in receſſu quòque multum aliæ ſententiæ contegens. Ex quo Dominus: Hæc, inquit, in paræmijs locutus ſum vobis. Tēpus venit, vt non iā in paræmijs, ſed palàm vobis loquar, quaſi ſermo prouerbialis apertam, ac liberam dicendi viam nō habeat, ſed operimento quodā & ænigmate, ac verbis alijs mentem atque ſententiam narret*. Verùm enim verò diligēter hîc aduertendum, prouerbiales haſce ſententias non eſſe veras in hoc quòd ſemper ita accidat: ſignificāt enim non quid ſemper, ſed quid plerumque fiat, vel faciendum ſit: ſubinde etiam notant dumtaxat euentum licet rarum: ſignificant enim quid ex tali vel tali facto boni vel mali ſequi, ac ſperari, vel timeri poſſit, quidque ſubinde accidat; vt, *Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius*. Prouerb. 16. 10. Similia ſunt c. 10. 22. c. 18. 12. Idipſum pluribus exemplis oſtendi canon. 7. in Eccleſiaſticum.

Prouerbia notant quid ſæpè fiat, non quod ſemper.

Porrò verſioni Latinę Vulgatæ addam verſionem Septuag. Aquilæ, Symmach. Theodotionis, Chaldæi, Syri, Arabici & aliorum. Vbi Nota, Septuag. hîc, vti & alibi ſæpè, diſſidere ab Hebræo & Vulgato Latino; quia, vt ſolerter aduertit S. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euang. c. 66. Septuag. Dei ſpiritu acti ſæpè non tantū interpretes, ſed & paraphraſtæ ſunt. Accedit, quòd Septuag. quędam aliter legerunt in Hebræo, quàm Noſter, præſertim cū affines ſunt literę: tunc enim facilè vnā pro alia ſubſtituunt, indeq; variant ſcriptores & codices. Sic pro literę ד ſubinde in ſuis codicibus habuerūt &

legerunt literam ר, pro ב legerunt כ, vti ſuis locis oſtendam. Denique in verſionem Septuag. per tot ſæculorum interualla multi irrepere potuerunt, & de facto non pauci irrepſerunt errores.

Deniq; auctor libri eſt Salomon, filius Dauidis, rex Iſrael, qui in Ethica, æquè ac in omni ſapientia & ſcientia, excelluit, fuitque Dei dono & iudicio mortalium omnium ſapientiſſimus. Locutus eſt enim tria millia parabolarum, & quinque millia carminum, quorum nonnulla, eaque meliora huic libro inſerta ſunt. 3. Reg. 43. 2.

Chronologia Salomonis.

Quocirca Salomon vti ætate & antiquitate, ſic & ſapientia longè ſuperauit ſeptem Græciæ ſapientes, cæteroſque omnes: Salomon enim regnare cœpit à creatione mundi anno 2929. à diluuio anno 1272. à natiuitate Abrahę anno 980. ab exitu Hebręorum ex Ægypto anno 475. poſt captá Troiam anno 144. ante Olympiades anno 239. ante Romam conditam anno 262. ante monarchiam Perſarum, ſiue ante Cyrum, ſub quo floruere ſeptem Græciæ ſapientes, anno 482. ante Alexandrū Magnum, ſub quo floruere Socrates, Plato & Ariſtoteles, anno 679. ante Chriſti natalem anno 1013. Vide tabulam chronologicam, quá præfixi Pentateucho. Eodem tempore regnabat in Tyro Suron rex, in Ægypto Vaphres, cuius filiam in vxorem accepit Salomon, teſte Eupolemo & Euſebio libr. 9. Prępar. Euangel. Apud Lacedęmonios rex erat Stratis, apud Corinthios Ion, apud Athenienſes Archippus, apud Latinos Alba Syluius filius Æneæ Syluij: in Aſia dominabantur Amazones, in Æthiopia regina Saba. Sub idem tempus floruere Homerus & Heſiodus teſte Euſeb. Vnde & Cyrill. lib. 9. contra Iulianum, Homerum facit coæuū Salomoni: natus eſt enim Homerus anno regni Salomonis 20. vixitque 104. annos, vti multis probat noſter Salianus tomo 3. & 4. Annal. quare Homerus potuit audire ſapientiam Salomonis, eamque diſcere.

Sapientia Salom. diuina.

Sapientia verò Salomonis diuina fuit, non humana vtpote ei indita non ab homine, ſed à Deo: *Dedi tibi* (ait Deus Salomoni 3. Reg. 3. 12.) *cor ſapiens & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Et cap. 4. verſ. 29. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientaliū & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus: ſapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Darda, filijs Mahol: & erat nominatus in vniuerſis gentibus per circuitum. Locutus eſt quoq; Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque & mille.* S. Hieron. in Quęſt. Hebr. in libr. 3. Regum, cenſet tria hæc millia parabolarum hoc Prouerbiorum libro contineri: *In Prouerbijs enim*, inquit, ipſe, *verſus nongēti quindecim continentur, in quibus etiam continentur tria millia parabolæ*: intellige ſynecdochicè, ſcilicet partem maiorem trium millium contineri, non tota tria millia: præſertim quia Ioſephus lib. 8. Antiq. c. 2. narrat à Salomone compoſitos parabolarum atque ſimilitudinum libros ad tria millia. Adde, Quęſtiones illas in li. Regum, nō videri eſſe S. Hieronym. nam ſtylo ab eo diſcrepant, nec S. Hieron. earum meminit lib. de Script. Eccleſ. vbi tamen meminit Quęſtionum in Geneſin, vti ſolerter aduertit Bellar. lib. de Script. Eccleſ. in S. Hieronym. Sed audi Ioſephum: *Compoſuit etiam libros odarum & carminum quinque ſupra*

A *mille, ac parabolarum & ſimilitudinum libros ter millia: cuilibet enim ſpeciei plantarum ſuam adhibuit parabolam ab hyſſopo vſque ad cedrum: idem fecit de pecoribus, & cæteris terreſtribus animantibus, natatilibuſq; & quæ per aërem feruntur.*

Porrò Origenes prologo in Cantic. *Prouerbia Salomonis*, ait, *ſuccinctis breuibuſq; ſententijs ingentes & perfectos continent ſenſus.* Quin & ipſe Salomon Sapient. 8. 2. *Hanc* (ſapientiam) inquit, *amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatē illius glorificat, contubernium habens Dei* (græcè, *illi conuictus cum Deo*) *ſed & omnium Dominus dilexit illā. Doctrix* (græcè μύστις id eſt *myſtis*, initiatrix, ſacerdotiſſa. Sicut enim ſacerdos diuina pro dignitate tractat, ſic & ſapiens per ſapientiam dignè Deum

B colit, & ſanctè tractat ſancta) *enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix* (græcè, *ſectatrix*; alij, *inuentrix*; alij *ponderatrix*) *operum illius.* Vide ſequentia. Hac de cauſa Remigius in illud Coloſſ. 2. verſ. 9. *Inhabitat in ipſo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Habitauit enim*, inquit, *in Salomone per ſapientiam, in Daniele per caſtitatem, in Prophetis per ſanctitatem, in Moyſe per manſuetudinem, in Chriſto verò per omnem virtutem & innocentiam.* Sic Triſmegiſtus ad Tatium filium de heroibus & principibus, ait; quòd *mentem conſecuti immortales habentur, intelligentia cuncta complexi*, iuxta id, quod paulò antè dixi è Script. Salomonem habuiſſe *latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris*, hoc eſt, vt explicat Vatabl. dedit illi Deus capaciſſimum animum, multa comprehendentem ſua intelligentia. q. d. Dedit ei tam amplam mentem, quàm amplum locum occupat arena quæ eſt iuxta mare. Hinc Nazianz. in carm.

C de Virginitate, Salomonem vocat *Sophiæ verticem*. Quin & Abulenſis in 3. Reg. 3. q. 11. Salomonem in ſapiētia pręfert Adamo, licet illum eidem poſtponant Pererius lib. 3. in Geneſ. qu. 3. Valentia to. 1. diſp. 7. q. 2. puncto 1. & Pineda lib. 3. de Salom. c. 11. num. 12.

Porrò quia in Prouerbijs Salomō omnem ſuam ſapientiam expromit, hinc Prouerbia à Patribus vocantur Sapientia Salomonis. Audi Euſebium li. 4. Hiſtor. 22. *Porrò non hic ſolus* (Egeſippus) *ſed Irenæus, & tota veterum turba Prouerbia Salomonis ſapiētiam πανάρετον, id eſt, omni virtute refertam* (vel, vt alij ad verbum vertunt, *cunctivirtuoſam*, aut *omni ſtudioſam*) *affirmabant.* Et ca. 10. ex Melitone, *Salomonis Prouerbia*, inquit, *ſiue ſapientia.* Clemens Roman. lib. 1. Conſtit. c. 7. cùm integrum ferè cap. 7. Pro-

D uerb. de muliere praua recitat: *Audiamus*, inquit, *quid in Sapientia præcipiat ſanctus ſermo: Fili ſerua ſermones meos, &c. Dic ſapientiam ſororem tuam eſſe.* Et cap. 8. iterum citans locum Prouer. 31. de muliere forti: *Maritum tuum de te Sapientia laudet, cùm per Salomonem ait. Mulierem fortem quis inueniet?* & iterum cap. 10. *Verbum quod in Sapientia Domini ſcriptum eſt: Melius eſt habitare in ſolitudine, quam cum loquace & pugnace muliere, &c.* quod eſt ex ca. 21. Prouerb. Ac ne quis arbitretur fortuitum aliquē in Clemente memoriæ lapſum, ſciat non ſolum librum Prouerb. ſed prætereà omnes Salomonis libros eo *Sapientiæ* nomine indigitari: nam in epiſtola ad Iacobum fratrem Domini, Cantica item appellat *Sapientiam: Dei*, inquit, *dilectio morti comparatur, dicente Sapientia: Valida eſt dilectio vt mors. &c.* De quo videndus omnino noſter Turrianus in explanationibus Clementis c. 7. Atque adeò etiam S. Cyprianus

13. Teſtim. ad Quirin. c. 16. quod eſt de bono martyrij *In Sapientia*, inquit, *Salomonis: Liberat de malis animam teſtis fidelis*, quæ verba petita ſunt ex c. 14. Prouerb. Et c. 56. affert locum Prouerb. 15. *In Sapientia*, inquit, *Salomonis: In omni loco ſpeculantur oculi Dei bonos & malos*. Vbi videndus Pamelius ſuper c. 16. n. 40. exiſtimãs certò omnes Salomonis libros, ac non ſolùm Prouerbia, titulo *ſapientiæ* inſcribi à Cypriano. Deniq; Eccleſia hoſce libros vocat ſapientiales, & ſapientiam Salomonis. Vnde cùm in Miſſa vel officio Eccleſ. quidquam ex hiſce libris recitat, ex libro Sapiẽtiæ id ſe depromere affirmat.

Ex dictis liquet Primò, falli eos, qui cenſent Salomonem nonnulla ſua dogmata hauſiſſe à Gentilium philoſophis & ſapientibus; aut ad Gentilium ritus, dicta & facta alludere (vnde & ex illis ipſum explicant) tum quia omnium prior, æquè ac ſapientior fuit Salomon, adeò vt ipſe nullius fuerit diſcipulus, ſed omnium magiſter: tum quia Hebræi nullam cum Gentilibus voluerunt habere communionem, tanquam populus ſanctus, à Gẽtilibus ſeparatus, & vni Deo conſecratus; quare potiùs Gentiles ſua à Salomone & Hebræis hauſerunt, quàm Hebræi à Gentilibus, vti docent Euſeb. paſſim de Præparat. Euang. S. Auguſt. de Ciuit. dei Theod. & alij: tum denique, quia ſapientia Salomonis fuit diuina, & à Deo infuſa; longè ergo omnia Gentilium dicta dogmataque tranſcendit. Vnde & cum Gentilium dogmatibus, moribus & ritibus eam comparare indignum eſt, & Deo iniurium; perinde ac indignum & iniurium eſt heræ vel dominæ, eam cum ancilla componere: omnes enim ſcientiæ Gẽtilium ſapientiæ diuinæ velut ancillæ ſeruiunt & ancillantur.

Parabolarum dignitas & vtilitas.

Liquet Secundò, quanta ſit parabolarum Salomonis antiquitas, dignitas, maieſtas, vtilitas. Quocirca S. Hier. epiſt. 7. ad Lætam Albini coniugem, de Paulæ filiæ inſtitutione, monet vt eam à teneris imbuant hiſce parabolis: *Diſcat*, inquit, *primò Pſalterium, his ſe canticis auocet, & in Prouerbijs Salomonis erudiatur ad vitam*. Pulcherrimæ enim hic traduntur ſententiæ, quibus in omni loco, greſſu (vnde & vocantur Parœmiæ, quaſi viatorum itinerariæ, quòd viã & iter, id eſt, greſſus & actiones omnes, dirigant) ſermone & operatione vtamur ad rectè gradiendum, loquendum, & operandum. Qua de cauſa ſeparatim à cæteris S. Script. libris ſententiæ Salomonis & Siracidis cuſæ extant, exiguoque libello continentur, vt per vias à quolibet deferri, legi & teri poſſint, accipiq; quaſi aſſiduus viæ comes, imò dux, &, vt ille ait, *vade mecum*. Ita Illuſtriſ. & Reuerendiſ. Matthias Houius piæ memoriæ, nuper cum in Belgio agerem, Archiepiſcopus Mechlinienſis, libellum hunc Salomonis & Siracidæ gnomas continentem, aſſiduè ſecum etiam per vias & itinera deferebat; cumque in curru & hoſpitijs (inſtar magni illius Staniſlai Hoſij Cardinalis, qui Concilio Tridentino præfuit) diligenter legebat & relegebat: vnde eius ſententias, quæ particularem in rebus quibuſque prudentiam, tam humanam, quàm diuinam docent & præſcribunt, ad vnguem callebat, atque ex earum præſcripto & dictamine actus omnes ſuos, tum priuatos, tũ publicos moderabatur & dirigebat; ideoque Archiepiſcopatum adeò probè & ſanctè gubernauit, vt præſentibus ingẽs ſui deſiderium, diſcipulis exemplum, poſteris formam perfecti Paſtoris & Epiſcopi, cum fama poſthuma reliquerit & expreſſerit.

A Hac de cauſa inter elogia Salomonis illud imprimis celebrat Siracides dicens: *Et repleſti in comparationibus ænigmata: ad inſulas longè diuulgatum eſt nomẽ tuũ, & dilectus es in pace tua. In cantilenis, & prouerbijs, & cõparationibus, & interpretationibus miratæ ſunt terræ*. Eccli. 47. 17. Vide ibi dicta & Ioſephum 8. Antiq. c. 2. Deniq; S. Hier. in c. 12. Eccleſ. ad illa v. 9. *Et inueſtigans compoſuit* (Salomon) *parabolas multas: Aliud*, inquit, *in medulla habentes, aliud in ſuperficie pollicentes. Prouerbia quippe non hoc ſonare quod ſcriptum eſt, etiam in Euangelijs edocemur; quòd Dominus populo in prouerbijs & parabolis ſit locutus; ſecretò autem Apoſtolis diſſoluerit ea. Matth. 13. Ex quo manifeſtum eſt, & Prouerbiorum librum, non, vt ſimplices arbitrantur, patentia habere præcepta; ſed, quaſi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirſutis caſtanearum operculis abſconditus fructus inquiritur: ita in eis diuinum ſenſum altiùs perſcrutandum.*

B Scopus & finis horum Prouerbiorum eſt, cuiq; ætati, ſexui, ſtatui & generi hominum, in quouis rerum occurſu leges rectè agendi, normamque honeſtæ vitæ præſcribere, qua Deo placeant, vt ab illo poſt modicos breuis huius æui labores æterna felicitate & felici Æternitate donentur, ac ad eamdem ſibi ſubditos, ſiue in domo & familia, ſiue in republ. & regno perducant. Hunc finem initio libri indicat Auctor dicens: *Parabolæ Salomonis, ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem*. Quocirca vix alius inter S. Script. libros eſt hoc noſtro ad dicendum, ad cõcionandum, ad perſuadendum, ad mores hominum formandos, reformandoſque aptior: qua de cauſa eius ſententijs crebrò vtitur S. Gregorius, C qui optimus morum & virtutum eſt magiſter. Atque hac de cauſa ſicut Eccleſiaſticus, ſic potiori iure hic liber vocetur πανάρετος, id eſt, omniũ virtutum præceptor, ac παναίρετος, id eſt, præ omnibus eligendus & legendus. Quocirca Baſilius Imp. ad imperium inſtruens Leonem filium cognomẽto Philoſophum, hoc vltimum ei dat præceptum: *Veterũ ſapientum ſententias reuolue, vt mores tuos omni ex parte excolas: multa enim in illis præcepta valdè vtilia reperies, præſertim in operibus Salomonis, & ſcriptis Iſocratis: adde etiam, ſi vis, Ieſu Sirach documenta, è quibus multum ciuilis & regiæ prudentiæ haurire poteris*. Extat in fine tomi 5 Biblioth. SS. Patrum. Hinc in Biblijs Arabicis huic libro hic datur titulus: *Prouerbia Salomonis ſapientis, id eſt, conciones eius, qui regnauit in filijs Iſrael*. In Syriacis verò: *Liber Prouerbiorum Salomonis, filij Dauid, regis Iſrael.*

Scopus.

D Diuidunt Hebræi vetus Teſtamentum in tres partes, ſcilicet in Legem ſiue Pentateuchum, Prophetas, & Hagiographa. Hagiographis accenſent Prouerbia, cæteroſque libros Salomonis. S. Auguſtin. tamen libr. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8. diuidens Scripturam veterem in hiſtorialem & prophetalem, prophetali libros Salomonis annumerat: præſertim quia, vti ipſe oſtendit lib. 17. de Ciuit. 20. in hoc libro veræ & propriè dictæ prophetiæ de Chriſto & Eccleſia cõtinentur, quod veriſſimum eſſe ſuis locis oſtendam. Autumant Rabbini, Salomonem primò ſcripſiſſe Canticum Canticorum, cùm adhuc eſſet iuuenis, Prouerbia in virili ætate, Eccleſiaſten in ſenio. Verùm ordo graduſque materiarum contrarium indicat, ſcilicet eum primò ſcripſiſſe Prouerbia, deinde Eccleſiaſten, denique Canticum, atque hoc ordine in Biblijs hi libri ponun-

nuntur. In Prouerbijs enim incipientes erudit; in Eccleſiaſte, proficientes; in Cantico, perfectos: vti dixi initio ex S. Hier.

Vertunt hunc librum ex Hebræo S. Hier. eiuſque verſio eſt ea quàm habemus in Latina vulgata. Verùm, quia tunc vſitata, & toto orbe recepta erat verſio LXX. interpretum, hinc, ne eam prorſus mutare velle videretur S. Hieron. in eamdem, etſi ab Hebræo diſcrepantem, ſæpè declinat: qua de cauſa noſtra verſio non per omnia exactè & ad amuſſim reſpondet Hebræo, ſed ab eo ſubinde in Græcum deflectit, &, vt ita dicam, deuiat. Vbi Nota. Septuag. ſubinde nonnulla addere, quę modò non ſunt in Hebręo, ſiue quia illorum ætate ea extabant in Hebræo, ſiue quòd ipſi explicationis gratia nonnulla addiderint, vti addiderunt *τὸ ne attendas fallaciæ mulieris* ca. 5. 2. hoc enim tacitè in ſequentibus intelligitur, ſiue quòd ipſi non tãtùm interpretes fuerint, ſed & ſcriptores hagiographi, vti docet *S.* Auguſt. lib. 4. de Doctr. Chriſt. ca. 7. & li. 1. de Conſenſu Euang. c. 66. Afflati ergo Spiritu ſancto, potuerunt eius inſtinctu dictare ſententias nonnullas, quæ in Hebræo non habentur, ideòque auctoritatem habent Canonicę Scriptur. atque vt tales eas recepit & probauit Eccleſia. Tum deniq; quòd ſententię nonnullæ ex vno loco in alium tranſlatæ ſint, ſiue ab ipſis Septua. ſiue ab eorumdem collectoribus. Sic Prouerb. 4. v. vlt. addiderunt: *Vias enim, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſę verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autẽ tua in pace producet;* nihil enim horum eſt in Hebręo, nec in Chaldęo. Porrò à cap. 10. vſque ad finem Prouerb. facile eſt diſcernere in editione Vulgatá, quæ ſententiæ extent in Hebręo, quæ non: illæ enim quibus ſigillatim numerus in margine, ad indicandum ordinem verſus, præponitur, extant in Hebræo; illę verò quibus numerus non præponitur, ſed numero verſus præcedentis aſcribuntur, non extant in Hebræo: vt c. 10. verſus annexus verſui 4. *Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos,* non extat in Hebręo, quia caret numero. Ca. 22. verſus annexus verſui 11. *Qui ſuauis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam,* nõ extat in Hebræo. Cap. 14. verſus annexus v. 15. *Filio doloſo nihil erit boni, &c.* non extat in Hebręo, æquè ac annexus v. 21. *Qui credit in Domino, miſericordiam diligit.* Pari modo, vt cæteros omnes recenſeam, non extant in Hebręo verſus annexus v. 5. & 27, c. 15. Item annexus v. 5. c. 16. item annexi v. 16. c. 17. & v. 8. & 22. c. 18. & v. 9. cap. 22. & v. 7. cap. 23. & v. 10. & 20. (vbi duo ſunt) cap. 25. & v. 10. cap. 27. & v. 27. c. 29. Igitur verſum, cui proprius nõ præfigitur numerus, ſcito non extare in Hebræo. Nam Septuag. interpretes ſequitur Noſter: ipſe enim ea quæ non inuenit in Hebræo, ſed in Septuag. ex ijs deſcripſit, ne quid minus ijs haberemus. Vnde colligas verſionẽ Vulgatam *S.* Hier. non eſſe puram putàm ex Hebręo, ſed nonnulla ex Gręcis addita, ſiue ab ipſo *S.* Hier. ſiue aliquo alio.

Porrò verſio Septuag. vbi pura eſt & ſincera, olim Vulgata fuit, ideoq; Canonica Scrip. ac proinde etiamnum talis eſt: at eamdem ſubinde minùs puram & ſinceram eſſe, ex varietate lectionum quæ in eâ reperitur, liquet. Quare velle eam ſemper cum Hebręo & Vulgata moderna conciliare, ſuperuacuum eſt, imò impoſſibile. Vbi conciliatio facilis erit & prona, indicabo; vbi difficilis & violenta, prætcribo. Vulgatam enim modernam, velut genuinam *S.* Script. ab Eccleſia auctoratam, explicare deſtino. Sept. ferè ſequitur Syrus Interpres, Moſes Bar Cepha vetus auctor. & ipſe Syrus, li. de Paradiſo parte 1. pag. 307. *Sciendum eſt*, inquit, *Vetus Teſtamentum pluribus tranſlationibus ex Hebræa lingua in Græcam eſſe tranſpoſitum: Syriè verò redditum eſſe, vna quidem interpretatione ex ipſo Hebræo, altera verò ex Græco.* Verùm Syra verſio quæ modo extat, ex Græco traducta videtur: paſſim enim cum eo conſentit, paucis exceptis.

Deniq; vt ad oculũm videatur, quàm Salomon hiſce libris ſit accuratus ſapientiæ Ethicæq; magiſter, quamque eius dogmata ſecuti ſint poſteri ſapiẽtes, præſertim *S*iracides auctor Eccleſiaſtici qui Salomone 540 annis fuit poſterior; ponam hic ex ordine gnomas *S*iracidæ illuſtriores, quas ipſe ex Salomone partim quoad rem & ſenſum, partim verbotenus deprõpſit & mutuatus eſt, vti ſequentia vtriuſq; parallela oſtendent: quâ ex re mira pariter videbitur Siracidis cum Salomone in doctrina harmonia & conſonantia.

P A R A L L E L A.

	Ieſu filij Sirach in Eccleſiaſtico.	*& Salomonis in Prouerbijs, Eccleſiaſte, Sapientia.*	
Cap. 1. v. 1.	1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.*	1. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.*	Prou. c. 8. v. 22.
v. 4.	2. *Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.*	2. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis; antequam terra fieret.*	v. 23.
v. 10.	3. *Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem.*	3. *Quando præparabat cælos, aderam, &c. Cum eo eram cuncta componens, &c. & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.*	v. 27. v. 30.
v. 16.	4. *Initium ſapientiæ timor Domini.*	4. *Timor Domini principium ſapientiæ.*	Cap. 17.
Cap. 2. 5.	5. *In igne probatur aurum & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis.*	5. *Tamquam aurum in fornace probauit eos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Sap. 3. 6.	
Cap. 4. 22	6. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*	6. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.*	Cap. 25. 27.
Cap. 5. 10	7. *Noli anxius eſſe in diuitijs iniuſtis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.*	7. *Qui confidit in diuitijs ſuis, corruet: iuſti autem quaſi virens folium germinabunt.*	Cap. 11. 28.
Cap. 8. 19	8. *Cum iracundo non facies rixam, & cum audace non eas in deſertum.*	8. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo.*	Cap. 22. 24.

9. Ne

Ieſu filij Sirach in Eccleſiaſtico.

Cap.99. 9. *Ne des fornicarijs animam tuam in vllo, ne per-*
9. *das te & hereditatem tuam.*

Cap.12.2 10. *Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius.*

v.28. 11. *Seruo ſenſato liberi ſeruient.*

v.30. 12. *Melior eſt qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane.*

Cap.11.8 13. *Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum.*

v.18. 14. *Eſt qui locupletatur parcè agendo, &c. Et neſcit quod tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquet omnia alijs, & morietur.*

Cap.12.9 15. *In bonis viri, inimici illius in triſtitia: & in malitia (afflictione) illius, amicus agnitus eſt.*

v.11. 16. *Et ſi humiliatus vadat curuus, adijce animam tuam, & cuſtodi te ab illo.*

Cap.13.4 17. *Diues iniuſtè egit, & fremet: pauper autem læſus, tacebit.*

v.25. 18. *Diues commotus confirmatur ab amicis ſuis: humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis.*

Cap.14. 19. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam*
27. *non eſt apud inferos inuenire cibum.*

v.22. & 20. *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, &c. qui*
24. *reſpicit per feneſtras illius, & in ianuis illius audiens.*

Cap.15.7 21. *Longè abeſt à ſuperbia & dolo,*

v.11. 22. *Non dixeris: Per Deum abeſt: quæ enim odit, ne feceris.*

v.18. 23. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum quod placuerit ei, dabitur illi.*

Cap.17. 24. *A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis*
26. *viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum.*

Cap.19.1 25. *Operarius ebrioſus non locupletabitur: & qui ſpernit modica, paulatim decidet.*

Cap.20. 26. *Qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam:*
v.8. *& qui poteſtatem ſibi ſumit iniuſtè, odietur.*

v.22. 27. *Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo.*

v.31. 28. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum.*

Cap.21. 29. *Scientia ſapientis tanquam inundatio abunda-*
16. *bit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet.*

v.23. 30. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.*

Cap.22. 31. *Arenam, & ſalem, & maſſam ferri facilius eſt*
18. *ferre, quàm hominem imprudentem.*

Cap.24.5 32. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.*

v.14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.*

v.6.& 7. 33 *Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens: gyrum cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti.*

v.26. 34. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.*

Salomonis in Prouerbijs.

9. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos cru-* Prouerb.
deli: ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores Cap.5. 9.
tui ſint in domo aliena.

10. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, om-* Cap.29.
nes miniſtros habet impios. 12.

11. *Seruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis, & in-* Cap.17.2.
ter fratres hereditatem diuidet.

12. *Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorio-* Cap.12.9.
ſus & indigens pane.

13. *Qui priùs reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe* Cap.18.
demonſtrat, & confuſione dignum. 13.

14. *Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laborare non ceſſat, &c. nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Eccleſiaſtæ 4.8.

15. *Omni tempore diligit qui amicus eſt, frater in* Cap.17.
anguſtijs comprobatur. 17.

16. *Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei:* Cap.26.
quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. 25.

17. *Cum obſecrationibus loquetur pauper, & diues* Cap.18.
effabitur rigidè. 23.

18. *Diuitiæ addunt amicos plurimos: à paupere au-* Cap.19.
tem & hi, quos habuit, ſeparantur. 4.& 7.

Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper & amici procul receſſerunt ab eo.

19. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccleſ.c.9.10.

20. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fo-* Cap.8.34
res meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.

21. *Arrogantiam, & ſuperbiam, & viam prauam,* v.13.
& os bilingue deteſtor.

22. *Inſipientia hominis violat, vel vaſtat vias eius:* Cap.19.3
Deum autem cauſatur, vel accuſat, in corde ſuo, quę verba ex Prouerb. iuxta Septuag. citat S. Auguſtin. de Gratia & liber. arbitr. c.2.

33. *Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.* Deuter. 30.15.

24. *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, &c. Viuens viuens ipſe cõfitebitur tibi.* Iſaię 38.18

25. *Vacantes poculis, & dantes ſymbola conſumen-* Cap.23.
tur, & veſtietur pannis dormitatio. v.12.

26. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem* Cap.10.
moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. 19.

27. *Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias:* Cap.26.
ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola. 7.

28. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Exodi 23.8.

29. *Torrens redundans fons ſapientiæ.* Cap.18.4
Fons vitæ eruditio poſſidentis. Cap.16.

30. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic* 22.
riſus ſtulti. Eccleſ.7.7.

31. *Graue eſt ſaxum, & onéroſa arena: ſed ira ſtulti* Cap.27.
vtroque grauior. v.3.

32. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum,* Cap 8.
antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno or- v.22.
dinata ſum.

33. *Quando præparabat cælos, aderam: quando certa* v.27.
lege & gyro vallabat abyſſos, &c. quando appendebat fundamenta terræ.

34. *Nunc ergo filij audite me: Beati qui cuſtodiunt* v.32.
vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes. Beatus homo, qui audit me, &c. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.

	Ieſu filij Sirach in Eccleſiaſtico.	*& Salomonis in Prouerbijs, &c.*	
Cap.26. 19.	35. *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata.*	35. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum.* Septuag. *inuenit* χάριτας, id eſt *gratias.*	Cap.18. 22.
Cap.27. 19.	36. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum ſuum.*	36. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt animi, amici celat commiſſum.*	Cap.11. 13.
v.28.	37. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.*	37. *Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.*	Cap.26. 27.
v.29.	*Qui foueam fodit, incidet in eam.*		
Cap.33. 13.	38. *Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud & diſponere, &c. Sic homo in manu illius qui ſe fecit.*	38. *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael.* Ierem.18.6.	
Cap.34. 19.	39. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius.*	39. *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit.*	Cap.28.1
v.23.	40. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum.*	40. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iuſtorum placabilia.*	Cap.15.8
Cap.35.6	41. *Non apparebis ante conſpectũ Domini vacuus.*	41. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Exodi 23.15.	
Cap.36. 28.	42. *Qui credit ei qui non habet nidum, & deflectens vbicumque obſcurauerit?*	42. *Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum.*	Prouerb. 27.8.
Cap.40. v.11.	43. *Omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur, & omnes aquæ in mare reuertentur.*	43. *Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Eccleſ.1.7	
v.13.	44. *Subſtantia iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum pluuia perſonabunt.*	44. *Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum.*	Cap.10. 25.
v.15.	45. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ ſuper cacumen petræ ſonant.*	45. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentũ collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur,* Sap.4.3.	
Cap.41. v.15.	46. *Curã habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni.*	46. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: ſuper argentum & aurum gratia bona,* vt ſcilicet ſis in gratia & beneuolentia aliorum.	Prouerb. 22.1.

Cetera quæ à c.44. vſque ad finem libri tradit Siracides, elogia ſunt Salomonis, Dauidis Môſis, Patriarcharum & Prophetarum, quæ ex proprio cuiuſque libro, hiſtoria vel prophetia petitas eſſe, adeoque illorum eſſe compendia, cuiuis ea inſpicienti liquet.

Porrò adeò Siracides Salomonis fuit aſſecla, diſcipulus & æmulus, vt Patres plerique, æquè ac recentiores librum Eccleſiaſtici Salomoni aſcribãt; quaſi Salomon ſententiarum eius ſit auctor, *Siracides* verò earumdem dumtaxat collector & deſcriptor. Quocirca *S. Auguſt.* ceterique Patres Eccleſiaſticum *Salomonis* nomine indigitant citantque, vti multis oſtendi proœmio in Eccleſiaſticum.

Quapropter vno hoc tomo, ſi fieri poſſit, totam ſapientiam *Salomonis*, putà Prouerbia, Eccleſiaſten, *Sapientiam*, & forte Canticũ Canticorum, complecti deſtinò; perinde ac totam *Siracidis* ſapientiam vno tomo complexus ſum: præſertim quia multas *Salomonis* ſententias iam in *Siracide*, qui eas à *Salomone* mutuatus eſt, expoſui. Quare illas eòdem remittam, ne iam dictum dicam, & actum agam.

Denique ſubinde ſimiles *Siracidis* & aliorum ſapientium, etiam Philoſophorum, ſententias citabo, quæ *Salomonicis* ſui ſimilibus vel lucem vel decus afferunt; tum vt riuos ſuo fonti reſtituam: à *Salomone* enim ſinguli ſua hauſerunt: tum vt oſtendam, quanta ſapientiæ, id eſt veritatis & virtutis, ſit vis, vtpote quam etiam infideles, putà idololatræ & hæretici, ſubinde negare non ſint auſi, eſto in alijs multis cæcutierint, turpiterque errarint. Id ipſum enim doctori orthodoxo faciendum eſſe præclarè docet *S. Auguſt.* lib.2. de Doctrina Chriſtiana cap.40. *Philoſophi autem, inquit, qui vocantur,*

A *ſi qua fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerint, maximè Platonici, non ſolùm formidãda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non ſolùm idola habebant, & onera grauia, quæ populus Iſrael deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Ægypto ſibi potiùs, tanquã ad vſum meliorem clanculo vendicauit, non auctoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptijs neſciẽter commodantibus ea, quibus non bene vtebãtur: ſic doctrinæ omnes Gentiliũ non ſolùm ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, grauesque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quæ vnuſquiſque noſtrum duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens debet abominari atque deuitare; ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quędã morũ præcepta vtiliſſima continent, deque ipſo vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquã*
B *aurum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentia, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt, & quo peruerſè atque iniurioſè ad obſequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorũ miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij.* Actor.7 Plura hac de re dixi proœmio in Eccleſiaſticum. Porrò in hac re cauenda eſt nimia licentia, qua nonnulli in Gentilium libris verſati, *S.* Scripturam ad Gentilium hiſtorias, ritus & mores, quos mente præconceperunt, accommodant, imò explicant; cùm potiùs hæc omnia *S.* Scripturam velut pediſſequæ dominam, vt ait *S. Auguſt.* ſubſequi, illique ſubſeruire debeant. Idem olim vitio datum fuit Arnobio, qui grandior a gentiliſmo ad chriſtianiſmum conuerſus in ſcriptis ſubinde gentilizat, eò quòd non alijs quàm gentilium literis imbutus, non aliud ſapere, nec eloqui poſſet, quàm quæ tot annis in Gentilibus legerat & didicerat. *S*ed venia ei danda, quòd

vix

vix catechumenus pro Chriſtianis dira perſecutione vexatis, de Chriſtiana religione, quam necdum plenè nouerat, Apologiam ſcripſerit. Quid enim mirum ſi Gentilis adhuc Gentilitios illi uquos inſperſerit. Qui ergo in S. Scripturam ſcribere deſtinant, maturiùs & citiùs à politiori litteratura ad ſacram ſe transferant, eaque planè mentem imbuant oportet.

COMMENTATORES.

Scripſit S. Ambroſ. librum de Salomone (extat tomo 2. operum eius) in quo non aliud tractat quàm parabolam, vel ænigma illud Prou. 30. 18. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartũ penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* Subdit deinde explicationem totius capitis 31. Prouer. de muliere forti.

Extat tomo VIII. S. Hieron. Commentarius in Prouerbia: ſed certum eſt illum ex officina S. Hieronymi non prodijſſe: tum quia ſtylus planè diſcrepat ab eo; tum quia in c. 30. citatur nominatim S. Hieronymus, ac in cap. 21. & 31. citatur S. Gregorius Papa, qui ducentis penè annis S. Hieronymo fuit poſterior: tum quia idem Commentarius planè ad verbum extat inter opera Bedæ, Bedæ ergo eſt, eiuſque ſtylum redolet, vti Bellarm. & alij notarunt, quare Bedæ nomine eum citabo. Scripſit S. Baſilius homiliam XII. *In principium Prouerbiorum* (vnde ſubiungitur illa homilijs de ira & inuidia) in qua primas ſententias primi capitis Prouer. explicat. Sed nonnulli viri eruditi, qui acrem habent criſin, dubitant, imò negant hoc opus eſſe Baſilij. S. Auguſt. in c. 31. Prouerb. de muliere forti ſcripſit ſerm. 217. & 218 de Tempore. In libros Salomonis ſcripſit Honorius (excuſus eſt Coloniæ anno Domini 1544.) Auguſtodunenſis presbyter, qui claruit anno Domini 1220. teſte Trithemio. Rurſum in caput 31. Prouerb. de mulieri forti ingens volumen ſcripſit Albertus Magnus, in quo totum illud caput partim phyſicè, partim ethicè, partim myſticè explicat.

Myſticè quoque Prouerbia & Eccleſiaſtica, ſed breuiter & punctim, explicat Salonius Epiſcopus Viennenſis (extat tomo 5. Biblior. *SS.* Patrum) cui Eucherius Lugdunẽſis dedicauit & inſcripſit ſuos Commentarios in Geneſin & in lib. Regum. imò Salonium hunc fuiſſe filium Eucherij, genitum ab eo ante epiſcopatum, docet Baron. anno Chriſti 441. qui tam patrem quàm filium à doctrina & ſanctitate dilaudat.

Caput 8. Prouer. contra Arrianos explicat Fauſtinus presbyter (vulgò Gregorius Bæticus Epiſc. Elibertinus) li. 6. de Fide contra Arrianos ad Gallam Placidiam Auguſtã, tempore Theodoſij Imp. Sed liber hic paruæ eſt auctoritatis, eò quòd auctor fuerit ſchiſmaticus: fouit enim cum Marcellino presbytero ſchiſma Vrſicini cõtra B. Damaſum Papam, tempore S. Hieronymi. Extat tomo 4. Biblioth. *SS.* Patrum.

Extat Romæ in Biblioth. Sfortiana & alijs, Catena in Prouerbia Græcorũ Patrum numero quindecim, nimirum Apollinaris, Baſilij, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexãd. Didymi, Diodori, Epiphanij, Euagrij, Euſebij, Euſtachij, Hippolyti, Iuliani, Origenis, Olympiodori, Polychronij: quam è Græco in Latinum conuertit noſter Theodorus Peltanus, editaque eſt Antuerpiæ anno Domini 1614. quam crebrò citabò.

Poſteriori æuo ſcripſit in Prouerbia Robertus Holcot, ſed miſcellanea cõtinet et varia eruditionis, quæ concionatores illius æui ad conciones ſuas venabãtur. Sunt tamen qui putent illud opus non eſſe Roberti Holcot, ſed Thomæ Anglici Galenſis, vti in fronte libri prænotatum legimus. Lectiones in Prouerbia ſcripſit Guilielmus Pariſienſis, Lyra. Hugo, Dionyſ. Carthuſ. ſcripſere in Prouerbia, æquè ac ceteros omnes S. Script. libros.

Antonius Giggeius Doctor collegij Ambroſiani Mediolan. edidit Catenam trium Hebræorum Rabbinorum, ſcilicet Salomonis, qui à patre cognominatur *Iſacides*, quia Iſaaci filius; à patria *Iarhi*, vel potiùs *Iarchi*, id eſt, Lunæus vel Lunenſis, ab oppido Aquitaniæ quod *Lunel* appellatur: nam à יָרֵחַ *iareach*, id eſt, *luna*, dictus videtur יַרְחִי *iarchi*; id eſt Lunenſis. Hic inter Rabbinos percelebris eſt, eumque ſæpè citat & ſequitur Lyranus. Hic ergo primus eſt, in Catena, duo reliqui ſunt R. Abraham Ben Ezra, & R. Leui Ben Gherſom. Porrò Giggeius Catenam ex Hebræo in Latinum conuertit, addiditq; verſionem Chaldaicam & Syriacã, quas crebrò citabo. Qui hactenus in Prouerbia ſcripſerunt, nec hanc Hebræorum, nec illam Græcorum Catenam, vti nec Syram, nec alios nonnullos iã citatos videntur vidiſſe. Veritas vbiuis gẽtium reperiatur, colenda eſt, ac dicendum ſubinde cum Virgilio Ennium legente: *Gemmas è ſtercore colligo.*

E recentioribus, & noſtro hoc ſæculo ſcripſere Hieron. Oſorius, & è Societate noſtra Theodorus Peltanus, quorum vterque Prouerbia eleganti paraphraſi illuſtrauit: Conſtantinus Fontius, Petrus Nannius, Sixtus Senenſis in Sophias monoteſſaro, Michael Sidonius, Petrus Scarga è Societate noſtra, Robertus Baynus, Ioannes Arboreus, Thomas de Vio Cardin. Caietan. Cornelius Ianſenius more ſuo ſolidè & profundè, ac plures alij, ſed poſt omnes & præ omnibus fusè & eruditè noſter Ferdinandus à Salazar, qui multam non ſolùm ſacram, ſed & profanam eruditionem continet, atque liberaliùs ad conceptus elegantes & morales, etiam à Gentilibus petitos, digreditur.

Paulò fuſior hîc ero. Tum quia Salomonem quaſi ſapientiæ fontem hîc explico, qui Ethicam tradit per gnomas breues & conciſas, quæ ſingulæ ſæpè virtutem integram explicãt, quam Ariſtot. S. Auguſt. S. Thom. ceterique philoſophi & Theologi pluribus fere capitibus & quæſtionibus pertractant. Tum quia liber hic totus moralis eſt: materia autem de moribus ampla eſt & perutilis tum legentibus, tum docentibus, tum concionantibus, tum cuique hominum generi. Quare ſingulorum Patrum & interpretum ſenſus & ſententias, eaſque ſæpè verbatim affero, ſed breuitatis ſtudio ſucciſas, & in pauca contractas, ad rerum copiam, vtque lector nihil iure deſideret: ſed vnũ hunc Commentarium legens, in eo omnes intueatur & legat, magno ſui & temporis, & laboris, & expenſarum com-

compendio: multis enim non eſt otium, nec animus & vires ad tot tamq; vaſtos & prolixos commentarios euoluendos. Id ego in eorum gratiam præſtiti, qui iam à 37. annis ſacram Script. publicè docendo, omnes omnium ſacrarum librorum interpretes euolui; quin & è Patribus omnibus, Græcis, Syris, Latinis, atque Scholiaſticis, cæteriſq; claſſicis auctoribus loca S. Script. ſparſim ab ijs pertractata ſtudioſè collegi. Aliorum expoſitiones & ſententias, præſertim probabiles, ingenioſas & ſymbolicas, licèt non omnes probem, non tamen improbo & reijcio: tum ne de viris doctis & eminentibus cenſoriam virgulam mihi arrogem, tum vt lectorũ iudicio æquè ac viſui eos permittam & reſignem, vti ſe feciſſe profitetur S. Hiero. Quare varios ſenſus refero: ſed magis genuinum indico ſemper & præfero. Hic enim eſt verus propriuſque S. Script. ſenſus, quem Spiritus ſanctus earum auctor côcepit, & hiſce gnomis ſignificare intẽdit. Ea de cauſa illum velut germanam Spiritus ſancti mentem vndequaq; ſcrutor & venor, nec meo ingenio ingenioſiſq; conceptibus indulgeo. Hunc enim genuini ſenſus à Spiritu ſancto côcepti ſcopum mihi ita præfixi, vt irretortis mentis oculis in eum, iugiter intendam, nec vel pilum ab eo me dimoueri patiar; eſto alij magis ingenioſi & plauſibiles occurrãt. Hi enim ſæpè non ſunt litterales & germani, vnde curioſorum aures titillant, at animum veritatis auidum non ſatiant, nec explent. Hic enim euenit idem quod videmus in intellectibus hominum, alij enim ſunt ſubtiles, acutoque pollent ingenio, at paruo ſunt iudicio: alij viciſſim ſunt prudentes, acrique pollent iudicio, at exiguo ſunt ingenio; nimirũ id accidit, tum ex Dei dono, qui ita chariſmata ſua partitur; tum ex temperie diuerſa & contraria. Ingenium enim & inueniendi acuta A ſubtilitas in calore, feruore & æſtu; iudicium verò in frigore & quiete mentis ſedatę conſiſtit; qua de cauſa ſenes, ob frigidas ſedataſque paſſiones, valere conſilio & iudicio, iuuenes verò ob feruorem ſanguinis præcellere ingenio & acumine, experimur. Ita pariter in ſcientijs, ac præſertim in expoſitione S. Scrip. nimis acuta ſunt parum genuina, quę plus habent ſubtilitatis, minus habent ſoliditatis; quæ multum habent ingenij, exiguum habent iudicij: quia S. Spiritus Script. nõ ſubtili & acuto, ſed ſimplici, candido, planoque ſtylo, vtpote ad omnium, etiam rudium, captum accommodato, & ad diſciplinam moreſque conformandos appoſito dictauit; ita tamen vt illi, ne vileſcat, ſua inſit obſcuritas & difficultas, quæ lectorum ſtudium æquè ac reuerentiam exacuit, vti cap. 1. pluribus oſtendam. Scitum eſt illud Philoſophi: *Chryſippi acumen in ſe-*
B *ipſa refrangitur.* Nimia enim rerum acumina, dum in minimas earum ſubtilitates, velut in atomos indiuiſibiles, ideoq; inuiſibiles diſſecantur, ſui tenuitate diſſoluuntur, vt mentis aciem fugiant, & euaneſcant.

Denique addam ſæpius apologos & gnomas aliorum ſapientum Salomonicis antiſtrophas, quæ magnam eis venuſtatem æquè ac lucem afferent, ac præſertim Cyrilli, quos nemo interpretũ hactenus vidit, excepto vno Dionyſio Carthuſiano, qui illos frequẽter citat. Titulus libri eſt: *Apologi morales S. Cyrilli in quatuor libros diſtributi.* Reperti ſunt in celebri illa Budenſi bibliotheca Mathiæ Coruini regis Hungariæ, manuſcripti; edidit eos noſter P. Balthaſar Corderius Viennę Auſtrię anno Domini 1630. in hiſce Cyrillus multa Salomonis æquè ac Eccleſiaſtici Prouerbia luculenter, doctè, piè, eleganter, & ſapienter explicat; vti intuenti patebit. Plura de ijs dixi initio Eccleſiaſtici.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, proponit finem & ſcopum horum prouerbiorum, ſiue parabolarum, qui eſt docere ſapientiam practicam, quæ in rectè operando conſiſtit, cuius proinde initium eſt timor Domini. Inde Secundò, v. 8. hortatur omnes ad ſtudiū ſapientiæ, vtq́, caueant ab illecebris & inſidijs inſipientium, putà impiorum. Tertiò, v. 28. ipſam ſapientiam prædicantem, omneſq́; ad ſe inuitantem inducit, venientibus ad ſe ingentia præmia promittendo, reſpuentibus pœnas comminando.

1. PArabolæ Salomonis, filij Dauid, regis Iſrael. 2. Ad ſciendam ſapien-
tiam, & diſciplinam: 3. ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſci-
piendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem:
4. vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus. 5. Au-
diens ſapiens, ſapientior erit: & intelligens, gubernacula poſſidebit. 6. Animad-
uertet parabolam, & interpretationem, verba ſapientum, & ænigmata eorum. 7. Ti-
mor Domini, principium ſapientiæ. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.
8. Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ. 9. vt ad-
datur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. 10. Fili mi, ſi te lactauerint peccato-
res, ne acquieſcas eis. 11. Si dixerint: Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcon-
damus tendiculas contra inſontem fruſtrà: 12. Deglutiamus eum ſicut infernus
viuentem; & integrum quaſi deſcendentem in lacum. 13. Omnem pretioſam ſub-
ſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs. 14. Sortem mitte nobi-
ſcum, marſupium vnum ſit omnium noſtrum. 15 Fili mi, ne ambules cum eis,
prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. 16. Pedes enim illorum ad malum cur-
runt, & feſtinant vt effundant ſanguinem. 17. Fruſtrà autem iacitur rete ante o-
culos pennatorum. 18. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & mo-
liuntur fraudes contra animas ſuas. 19. Sic ſemitæ omnis auari, animas poſſiden-
tium rapiunt. 20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam: 21. In
capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: 22. Vſ-
quequò paruuli diligitis infantiam & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & impru-
dentes odibunt ſcientiam? 23. Conuertimini ad correptionem meam: en profe-
ram vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. 24. Quia vocaui, & re-
nuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. 25. Deſpexiſtis omne
conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. 26. Ego quoque in interitu
veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. 27 Cùm
irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit
ſuper vos tribulatio, & anguſtia: 28. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè
conſurgent, & non inuenient me: 29. eò quòd exoſam habuerint diſciplinam,
& timorem Domini non ſuſceperint, 30. nec acquieuerint conſilio meo, & detra-
xerint vniuerſæ correptioni meæ. 31. Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque
conſilijs ſaturabuntur 32. Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtul-
torum perdet illos. 33. Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abun-
dantia perfruetur, timore malorum ſublato.

VERS. 1. PARABOLÆ SALOMONIS, FILII DAVID, REGIS ISRAEL.] Eſt hic titulus, ſimul & initium libri, indicās eius argumētum, putà quòd contineat parabolas; æquè ac auctorem, ſcilicet quòd auctor eius ſit Salomon rex, Dauidis filius. Vnde omnino videtur hic titulus non à collectore parabolarum, vt vult Lyran. & alij, ſed ab ipſo Salomone ſuo huic libro præfixus: ſequētia enim verba, quę Salomonis eſſe conſtat, nimirū *ad ſciendam ſapientiam*, &c. ab hoc titulo pendent & reguntur: alioqui enim illa verba carerent ſuppoſito, æquè ac ſenſu. Quis enim ita librū inchoa- A ret: *Ad ſciendam ſcientiam*; niſi præmitteret, vel ſubderet, *Scriptus eſt hic liber à Salomone*, vel quid ſimile? Salomon ergo primus fuit, qui libro huic ſuo nomen ſuum præfixit: id enim nō fecit Moſes, Ioſue, Dauid, & auctores lib. Iudicum, Regum, Paralipom. &c. Salomonem ſecutus eſt Iſaias, qui ita inchoat: *Viſio Iſaiæ*, ceterique Prophetæ. Addit nomen patris, ſcilicet quòd Dauidis ſit filius; quia hoc cognomine à ceteris, qui nomen habebant Salomonis, ſecernitur, & magnam libro ſibique dignitatem conciliat, quòd ſcilicet ſapientis regis ſapiens ſit filius & rex, ait S. Baſil. Hoc enim fidem & auctoritatem magnam ipſi tribuit.

Quare

Quare improbabiliter Scholia Vatablo aſcripta A cenſent non tantùm titulum hunc, ſed & ſequentia, totumque procemium non à Salomone, ſed ab eo qui eius ſententias collegit, eſſe additum, operique præfixum.

Pro *parabola* hebr. eſt מִשְׁלֵי *miſle*; chald. מַתְלֵי *mitle*. Chaldæi enim Hebræum ש, mutant in ת puta s in T: vt pro *miſle* dicant *mitle*: ſic pro *ſcelas*, id eſt tria, dicunt *telas*: ſic pro *ſekel*, id eſt ſiclus, dicunt *tekel*, &c. perinde ac Flandri Germanicum s mutant in T, vt pro *waſſer* dicūt *water*, id eſt aqua: pro *vas* dicunt *vat*, id eſt vas: pro *laſſen* dicunt *laten*, id eſt relinquere. Grecè vocantur παροιμίαι id eſt, parœmiæ. Noſter vertit *parabolæ*; Tigurina vertit *ſententiæ*; Vatab. *apophthegmata & gnomæ*. Hæc omnia ergo vnum idemque ſignificant. Igitur hę ſententiæ vocantur, Primò, hebr. מְשָׁלִים *meſcalim*, & in regimine מִשְׁלֵי *miſle* (à rad. מָשַׁל *maſcal*, id eſt dominatus eſt, regnauit, præfuit, dominationem & poteſtatem habuit, præcelluit: (id eſt, illuſtres ſententiæ, quaſi prędominantes & excellentiores ceteris, axiomata, adagia, gnomæ; ſiue illæ prouerbia ſint, ſiue parabolæ, ſiue ænigmata, ſiue quid aliud; quo factum eſt, vt in Script. ſæpè hæ voces parabola, prouerbium, parœmia confundantur, & pro eodem ſumantur, vt ſcilicet ſententiam, ſiue ratiocinationem aliquam inſignem & eminentem ſignificent. *Miſle* ergo ſignificat ſententias plenas ſapientiæ, difficultatis, grauitatis, vtilitatis, acuminis, auctoritatis, & quaſi poteſtatis: hæ enim ceteris prædominantur & excellunt.

Parabolæ ſunt miſle, *id eſt illuſtres.*

Rurſum מָשָׁל *maſcal*, per tranſlationem ſignificat aſſimilare, axiomata dictare, parabolizare, parabolam, ænigma, prouerbium, adagia, ſententias & ſcitè dicta eloqui. Hinc *miſle* ſignificant parabolas, ſimilitudines, comparationes, adagia, C ænigmata, ſcitè dicta. Vnde R. Leui מָשָׁל *maſcal*, inquit, id eſt prouerbium, vel parabola, eſt res quædam per ſimilitudinem pronuntiata, vt animo exhibeatur forma rei de qua loquimur, vt eam faciliùs imaginari, comprehendere & intelligere queat.

Vel miſle, *id eſt ſimilitudines.*

Secundò, græcè vocantur παροιμίαι, quaſi ſententiæ, quæ in via & triuio dicuntur (οἶμος, enim eſt via) puta ſententiæ triuiales, vulgoque vſurpatę & tritę, vt & per viam recitentur & decantentur. Adeò enim dignę, vtiles & neceſſarię ſunt ad mores formandos, & vitam hominis quaquauerſum inſtruendā & dirigendam, vt vbilibet, etiam in vijs & compitis, legi, cani, iterari, & continuè corde oreque verſari, teríque debeant. Ita Heſychius in D Lexico, παροιμίαν dictam putat ἀπὸ τοῦ οἶμος, id eſt ὁδὸς, hoc eſt via, quaſi παρόδιον. Iulius Scaliger tamen libr. 3 Poëtices cap. 84. valdè congruè cenſet παροιμίαν dici παρὰ τὸ οἶμον, quod nō modò viam, ſed & verbum ſignificat, vt παροιμία idem ſit, quod præter vel iuxta primum verbum, q. d. A primo verbo eiuſq; ſenſu alterum verbum & ſenſus alter. Eſt enim propriè parœmia oratio allegorica & metaphorica, vel alludens, aliudque innuens. Adde, etiamſi οἶμος accipias pro via, parœmiam idem ſignificare, nimirum ſententiam quæ præter viam, id eſt præter communem loquendi modum (hunc enim ſignificat Hebr. דֶּרֶךְ *derech*, id eſt via) dicitur, ſiue quę licet vulgò trita ſit, tamen vulgaram loquendi conſuetudinem tranſcendit, quia ſcilicet figurata eſt, recondita, eminens & illuſtris. Parœmia igitur eſt ſermo ſubobſcurus, etſi interim per quędam manifeſta vim ſuam non omninò diſſimulet: vel certè eſt ſermo eiuſmodi, qui primâ quidem fronte facilem ſenſum offerre videtur, at in receſſu quiddam reconditum atque abſtruſum continet.

Parœmia, id eſt triuialia.

vel aliud innuens.

Vſus eſt autem Salomon hoc obſcuro orationis genere, ne hæc doctrina morum quaſi facilis ab ignaris contemneretur, aut profanorum hominum inſidijs & ſannis temerè exponeretur, atque ad acuendum in ſtudioſis earum ſtudium & inueſtigationem. Ita Olympiod. in Catena Gręcorum: *Scriptores profani*, inquit, *parœmium ſermonem popularem & quaſi triuialem definiunt: cuiuſmodi is dici haberique poteſt, quem iter facientes inter ſe conferunt. Siquidem* οἶμος *hominibus Græcis idem ſonat, quod Latinis via. Apud eos autem, qui ſacra tractant, parœmia vel prouerbium eſt ſermo, qui ſub modica verborum obſcuri-* B *tate grauem aliquam ſententiam complectitur, eaque ratione legentibus vel audientibus vſum adfert non vulgarem. Atque illud Chriſtus diſertè confirmat: Hæc in* Ioan. 16. *prouerbijs locutus ſum vobis: venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam. Prouerbialis itaque ſermo non directè & perſpicuè, quò tendit, aperit, ſed obliquè & ſubobſcurè, vt cùm dicitur: Dulce inexpertis bellum: Auxilium poſt conflictum: Stilla aſſiduo lapſu cauat lapidem.* Etymi cauſam dat Didymus in eadem Catena: *Prouerbialis ſermo alio nomine Parœmia vocatur*, inquit, *Nam cùm initio viæ in milliaria (vt Romani appellant) necdum eſſent diſtinctæ, priſcæ ætatis homines per certa itinerum interualla ſigna defigebant, iiſdemque aliquod problema vel apophthegma, vel illuſtre aliquod dictum aſcribi curabant. Faciebant id autem duplici de cauſa: Harum vna erat, vt viator hinc intellige-* C *ret, quantum viæ ſpatium emenſus eſſet: altera verò, vt eiuſmodi ſententiam animo verſans, eiuſdemq; interpretationi inter proficiſcendum inſiſtens, melior doctiorq; euaderet, ſimulq; itinerii moleſtiā falleret.* Additque: *Parœmia eſt oratio occulto modo veritatem oſtendens.* Ac mox tertiam cauſam ſubdit. *Etenim*, inquit, *cùm veritatis rationē non omnes curarent, ad illorum vtilitatem vitæq; inſtitutionem, qui iter faciebant, grauem aliquam ſententiam publicis viarum indicibus veteres ſapientes adſcribebant, quo vel obiter prętereuntes ſenſum illorum inueſtigarent, inueſtigandoque & hauriendo eruditiores & ſanctiores euaderent:* οἶμος *namque græcè idem ſignificat, quod latine via. Sunt qui Parœmiam hunc in modum definiant. Parœmia eſt dictum triuiale, quod ab vna aliqua notione ad plura transferri poteſt.* Sublimiorem cauſam dat Hippolytus ibidem: *Parœmiæ*, inquit, *ſunt ſermones exhortatorij ad omnē vitæ viam rectè in-* D *ſtituendam commodi; ſiquidem ijs qui mētis affectum recta ad Deum tendunt, iter oſtendunt. Habent ſe enim inſtar viarum indicum, qui itineris moleſtia & longitudine defatigatos recreant non nihil & refocillant.* Verùm, vt dixi, parœmia extenditur ad ſignificandum quoduis prouerbium, & quamuis grauem ſententiam. Vnde Donatus: *Parœmia*, inquit, *eſt accommodatum rebus temporibuſq; prouerbium.* Et Diomedes: *Parœmia eſt prouerbij vulgaris vſurpatio, rebus temporibuſque accommodata.*

Tertiò, à Latino noſtro Interprete Gręca voce vocantur *parabolę*, id eſt ſimilitudines, à παραβάλλω, id eſt, aſſimilo, comparo, quaſi rerum diſſimilium comparationes. Vnde Donatus. *Parabola*, inquit, *eſt rerum genere diſſimilium comparatio.* Inde extenditur parabola ad ſignificandum exemplum, typum, figuram, fabulam, ænigma, omnemque ſententiam illuſtrem, vt oſtendi Hebr. 11. v. 19. ad illud

Parabola quid?

illud: *Vnde eum* (Iſaac) *& in parabolam accepit.* Ita S. Chryſoſt. in Catena Græcor. *Parabola.* inquit, *eſt enim ſermo ſapiens.* Ex *parabola* Itali & Galli per cralin formarunt ſuum *parola.* Nam Hiſpani qui multa incorruptiùs ſeruarunt, dicunt *palabra* per metatheſin, pro *parabla:* ex quo fit *parlare & parler,* Quin etiam loquacem Itali vocant parabolanum, ait Angelus Caninius in Helleniſmis pag. 8.

Quinque earum ſpecies.

Ex dictis colligitur varios prouerbialium harum gnomarum eſſe modos & ſpecies. S. Athanaſius in Synopſi S. Script. c. 14. in lib. Prou eas ad quatuor redigit ſpecies: Primò enim inter eas ſunt

Prima parœmiæ.

parœmiæ, id eſt ſententiæ faciles & triuiales, quæ licet acutæ, tamen ita planæ ſunt & claræ, vt etiam à plebeiis & rudibus intelligantur & vſurpentur.

Secunda ſtrophæ.

Secundò, ſunt ſtrophæ, quæ aliud in cortice litteræ ſonant, ſed per illud aliud ſignificant, qualia ſunt Symbola Pythagoræ, Hori Apollinis, & Ægyptiorum. Exemplum dat S. Athanaſius illud cap. 23 1. *Quando ſederis vt comedas cum principe,* &c. *ſtatue cultrum in gutture tuo.* Et illud c. 27. 25. *Aperta ſunt prata, & apparuerũt herbæ virides, & collecta ſunt fœna de montibus. Agni ad veſtimentum tuum, & hædi ad agri pretium.* Tale quoque eſt illud cap. 5 v. 15. *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras.* Et c 1. 17. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Priſci enim Hebræi ſua dogmata inuolucris quibuſdam, vt parabolis, ænigmatibus, ſtrophis, inuoluebant, tum ad eorum dignitatem & venerationem; tum ad acuendum diſcipulorum ad ea perſcrutanda ſtudium. Ab Hebræis idem mos manauit ad Ægyptios, qui ſuam ſapientiam celabant ſuis hieroglyphicis: ab Ægyptiis tranſiit ad Græcos. vnde Pythagoras ſua dogmata tradidit per ſymbola. A Græcis denique manauit ad Latinos.

Tertia parabola.

Tertiò, ſunt parabolæ. id eſt ſententiæ comparatæ, ſiue ſimilitudines. Et his crebrò vtitur Salomon more Hebræo. vnde vulgò vocantur & inſcribuntur Parabolæ: permultæ enim Salomonis gnomæ vel expreſſam, vel tacitã, continent vnius rei ethicæ cum alia re ethica, vel phyſica, comparationem: qua de cauſa acumen æquè ac elegantiam & difficultatẽ continent: difficile enim ſæpè eſt peruidere, in quo conſiſtat vnius rei cum alia comparatio & ſimilitudo, His addi poſſunt antitheſes: ſæpè enim vna ſententia hîc alteri componitur per antitheſin, hoc eſt ei opponitur: in qua oppoſitione acumen æquè ac lepos inſignis elucet. Exemplum parabolarum dat S. Athanaſ. illud c. 25. 13 *Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Similes ſunt eodem cap. v. 24. 16, 18. 19. 20 23. 25. &c.

Quarta gryphi.

Quartò, ſunt gryphi & ænigmata. Exemplum dat S. Athanaſ. illud c. 30. 15. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod numquam dicit, Sufficit.* Tale eſt c 9. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas,* &c.

Symbola Pythagoræ.

Ex hiſce & ſimilibus ſua ſymbola & ænigmata deprompſit Pythagoras, quæ veteres adeò celebrarunt, ac inprimis S. Cyrill. lib. 9. contra Iulian. c. 2. *Pythagoras.* inquit, *ænigmaticam manifeſtationem magni facit. Erat autem & aliud genus ſymbolorum tale: Stateram ne tranſeas, id eſt, ne auarus ſis. Ne ignem gladio fodias, id eſt, impudentem & iratum animum aſperis verbis non moueas. Coronam ne vellices, hoc eſt ne offendas. Nam ciuitatum coronæ ſcilicet erant. Ne cor edas, hoc eſt, nec conſicias teipſum curis. Ne ſuper chœnicẽ, vel modium ſedeas, hoc eſt, ne ignauiter viuas. Nõ ſuſcipiendas hirundines in domum, hoc eſt, loquaces & impotentis linguæ homines non eſſe faciendos contubernales. Onus portantibus imponendũ, non autem ſimul deponendũ, hoc eſt, cooperari alteri ad laborem & virtutẽ, non ad vitium & ignauiam. Deorũ imagines in annulis ne feras, hoc eſt, ſententiã & ſermonẽ de diis ne facilè manifeſtes & diuulges.*

Quinta apologi.

Quintò, his addi poſſunt apologi, quibus animalia loquentia vel docentia in ſcenam vel ſcholam inducuntur, vti ea inducit Æſopus. Talis eſt c 6. 5 *Vade ad formicam ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principẽ, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Et c. 30. 15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes: Affer, affer.* & v. 18. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* & v. 24. *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: Formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe, cibum ſibi: lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuũ: regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas: ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis,* & v. 29. *Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter: leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum: gallus ſuccinctus lumbos: & aries: nec eſt rex qui reſiſtat ei.*

Hæc omnia enim Hebræi vocant מִשְׁלֵי *miſle,* id eſt ſententias prædominantes, principes & regias; tum quia inter ſententias ſunt id, quod rex inter plebeios, ſicut enim rex excellit plebeiis: ſic hæ præcellunt ceteris. Tum quia ſicut rex regit ſubditos, iiſq; dominatur, ſic hæ ſententiæ dominantur aliis, quæ ex iiſdem velut concluſiones è ſuis principiis educuntur. Quomodo Ariſtot. Analyt. poſter. lib. 1. c 9 principia ſcientiarũ vocat ἀξιώματα, id eſt dignitates, quia reliquis digniora ſunt, & in ceteras concluſiones, velut proles ex ſe genitas, principantur, ac dominatum exercent: ſimili enim modo hæ gnomæ non tantùm ſuis concluſionibus & particularibus gnomis, quæ à vulgo multæ ex eis educuntur; ſed & moribus vitæque hominũ quaſi leges dominantur & imperant. Tum denique quia reges, qualis erat Salomon, tales decent Nã vt ille ait: *Principis verba oportet eſſe pauca, digna, ſublimia & planè regia.* Eâdem de cauſa illæ ipſæ græcè vocantur παροίμιαι; quod παρ' οἶμον, id eſt præter viam, hoc eſt morem loquendi communem, vel præter verbum commune efferantur, ac aliquid ſingulare & eximiũ contineant, ideoq; omnium ore, etiam in viis & triuiis celebrentur. Quocirca qui iuxta eas mores ſuos dirigit, vitamque inſtituit, is verè ſapiens & probus, ceteris mortalibus longè ſupereminet. Nam vt ait Plato in Protagora: *Probus vir & Philoſophus magis præſtat inter alios homines, quàm rex inclytus inter plebeios.*

Eâdem de cauſa vocantur parabolæ, quia facilem, planum & vulgatum loquendi modum ſuperant, ac ſæpè aliquid parabolici, id eſt aliquã ſimilitudinem, comparationem, alluſionem, metaphoram, allegoriam, ſimilemue figuram continent. Hinc & vocantur prouerbia, quaſi verba procul petita, putà ab antiquitate, vel re arcana, aut è cęlo accepta. Quocirca Dion. Chryſoſt. prouerbia vocat cana verba. Sicut enim ſenectus homini, ſic & prouerbiis affert ſuam auctoritatem & pondus. Aut planiùs vocantur *prouerbia,* quaſi communia omnium verba, quæ præ foribus & in

ore omnium verſantur. Tantam enim fidem & auctoritatem continent, vt vno omnium ſapientum ac inſipientum ore velut veriſſima, certiſſima & prudentiſſima celebrẽtur. Vide Ouid. 5. Faſtor.

Hac quoque de cauſa, ſi te prouerbia tangunt
Menſe malas Maio nubere, vulgus ait.

Et Cicero de Senectute: *Pares enim cum paribus, veteri prouerbio, facillimè congregantur.* Itẽ de Amicitia: *Præpoſteris vtimur cõſiliis & acta agimus, quæ vetamur veteri prouerbio.* Eſt igitur prouerbium commune & antiquũ aliquod dictũ omnium voce celebratum.

Adagia vnde? Denique vocantur adagia, vel priſcè adagiones, quaſi ad agendum apta, ait Feſtus. Et Donatus in Eunuchum: *Et dicta,* inquit, *& prouerbia, & adagiones, quod rem agant factis hominibus aſcribuntur.* Vnde Plautus in Amphitr. *Vetus eſt adagium: Fames & mora bilem in naſum conciunt.* Et Auſonius in præfat. Monoſyll. *Vt quod per adagionem cœpimus, prouerbio finiamus.*

Idem ergo non tantùm re & ſenſu; ſed & connotato ac etymo ſunt omnes hæ voces: Hebraica *miſle*, Græcæ παροιμίαι & παραβολαί, Latinæ *prouerbia & adagia.*

Porrò hæc omnia & ſingula varij variè definiunt. Græci: *Parœmia,* inquiunt, id eſt *prouerbiũ, eſt ſermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata quadam obſcuritate multam in ſeſe continens vtilitatẽ.* Alij: *Prouerbium eſt ſermo rem manifeſtam obſcuritate tegens.* Etſi enim non omnia ſint obſcura & figurata, pleraque tamen talia ſunt, eaque cenſentur optima, quæ vti tranſlationis pigmento delectant, ita ſententiæ vtilitate proſunt. Alij generaliùs: *Parœmia eſt celebre dictum, ſcita quapiam nouitate inſigne.* Hinc

Scita quæ? & *ſcita* vocantur, eò quod rem ſcitu dignã contineant, quæ antiquitate, æquè ac eruditione, gratia & elegantia commendetur, quæque è ſapientum dictis ſit deprompta.

Prouerbia Salomonis ſunt oracula. Noſtra verò hæc Salomonis inſuper ſunt oracula, quia ore Spiritus ſancti ipſi velut regi ſapientiſſimo dictata. Vnde amplam, arcanam, ſublimem, imò diuinam, de moribus & virtutibus, vitaq; rectè ſecundùm Deum & felicitatem inſtituenda, ſapientiam continent; idq; cum variarum parabolarum, ænigmatum, ſchematum & figurarum ſale, acumine & ornatu. Siquidem vt non mediocris eſt artificij gemmulam, putà adamantem, includere annulo, & aurum purpuræ intexere: ita non eſt cuiuſuis parœmiam aptè decenterque adinuenire, eamque orationi inſerere; ſed hoc eſt opus ſapientum, quorum parens, fons & origo eſt Spiritus ſanctus. Omnia ergo hæc Prouerbia ſunt lumina & oracula, non è tripode Apollinis, ſed è mente Spiritus ſancti deprompta, ideoque eius ſunt axiomata & apophthegmata, vt proinde numquam ab ore fidelium, numquam à corde excidere debeant.

Denique ſicut neruus pondusq; parœmiæ, ſiue prouerbij conſiſtit in certa eius fide, veritate & auctoritate: ſic eiuſdẽ venuſtas & gratia elucet in apta ſcitaq; vnius rei cum alia ſimili, vel diſſimili,

Lepos prouerb. eſt in comparatione. comparatione: cõparatio enim fit nunc per ſimilis ſyntheſin & comparationem, nunc per diſſimilis antitheſin & compoſitionem; ſiue ea realis ſit, ſiue verbalis, ſiue potiùs realis & verbalis ſimul, quales ſunt hæ: *Virgo non virgo extitit Dina. Elcanæ cũ Anna & Phenenna nuptiæ fuere non nuptiæ. Impiorum infelix eſt felicitas, piorum felix eſt infelicitas. Hoſtium dona nõ dona. Sanctus dicit, Portans non porto, habens non habeo, videns non video, audiens non audio. Iniquorum non metuendus metus. Non bellum bellum. Ornatus inornatus. Ingrata gratia. Elinguis loquacitas. Inopes ſunt opes. Humilis eſt μωρόσοφος, id eſt ſtultè ſapiẽs. Amicus eſt γλυκύπικρος, id eſt dulciter amarus.* Sic enim teſte Plutarcho, ſuum affectũ vocant amantes ea voluptate & dolore mixtum; ita vt libenter contabeſcant.

Comparatio ab animalibus. Comparatio autem petitur nunc ab animantibus, qualis eſt illa Luciani: *Iracũdiores catellis, timidiores leporibus, adulantiores ſimiis, libidinoſiores aſinis, rapaciores felibus, contentioſiores gallis gallinaceis.* Item *Coruo viuacior: Graculo loquacior: Luſcinia vocalior: Vipera virulentior: Vulpe doloſior: Echino aſperior: Anguilla magis lubricus: Lepore timidior: Limace tardior: Delphino laſciuior: Phœnice rarior: Vulture edacior; Glire ſomniculoſior: Sue indoctior, Aſello ſtolidior: Dama pauidior: Hirundine bibacior.*

à perſonis. Nunc à perſonis, vt David fuit Moſe mitior, Salomone ſapientior, Samſone fortior, Machabæis animoſior. Item: Alter eſt hic Nabuchodoſor, nouus Goliath, noſter hic Iudas: Chriſtianorum hæc Suſanna; Sara, Rebecca.

ab inanimis. Nunc à rebus inanimis, vt Caſtus eſt niue candior, melle dulcior, oleo tranquillior, auro purior. Acedus eſt plumbo ſtupidior, ſtipite tardior. Ebrioſus eſt ſpongia bibacior, Adria iracundior, pumice ſiccior. Beatus eſt ſtella lucidior, ſole ſplendidior. Tales ſunt illæ Tertulliani l. 1. contra Marcionem c. 1. *Nihil tam barbarum ac triſte apud Pontum, quàm quòd illic Marcion natus eſt. Scytha tetrior, Hamaxobio inſtabilior, Meſſageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obſcurior, hieme frigidior, gelu fragilior, Iſtro fallacior, Caucaſo abruptior, &c. Quis enim tam caſtrator carnis caſtor, quàm qui nuptias abſtulit? Quis tam comeſor mus Ponticus, quàm qui Euangelia corroſit?*

Iuuat Prouerbiorum elegantiam, carmen vel rhythmus, qualis ſæpè eſt in hiſce Salomonis, præſertim in Hebræo, vbi multa ſunt ὁμοιοτέλευτα, id eſt ſimiliter cadentia & deſinentia.

Chriſti dicta ſunt miſle. Allegoricè, Chriſti dogmata & ſententiæ ſunt משלי *miſle, parœmia & parabola*; tum quia Chriſtus more gentis ſuæ, putà more Syrorum, crebris vtebatur parabolis & comparationibus, iuxta illud: *Sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur, quod dictum eſt: Aperiam in parabolis os meum,* Matth. 13. 35. tum quia ſententiæ & dogmata Chriſti planè ſublimia & regia ſunt. Vnde S. Chryſoſt. orat. 10 ex vltimis tom. 5. *Chriſtus,* inquit, *Euangelium regni, ceu regium quiddam toti orbi promulgauit.* Chriſti enim dogmata omnia Philoſophorum placita tantum ſuperant, quantum rex ſuperat populum. Tum quia ex Euangelio quaſi ex principio principiante, cetera fidei morumque dogmata deriuantur. Tum quia Euangelium dominatur mentibus hominum, eaſque redigit in captiuitatem & obſequium fidei, 2. Corinth. 10. v. 5. Tum denique τὸ *parabola* ſignificat in hiſce ſententiis, ſub litterali ſenſu multos latere myſticos & parabolicos, qui ſublimius quiddam & ſpiritualius menti ingerant, ſpiritumque fidelium paſcant & accendant.

AD SCIENTIAM, SAPIENTIAM ET DISCIPLINAM, &c.] Subaudi, conſcriptæ ſunt, q. d. Hæ ſunt parabolæ Salomonis, ab eo dictatæ, vel conſcriptæ & editæ, vt eas legentes diſcant ſciantq; ſapientiam &c. Vnde Vatab. vertit: *ſententia Salomonis, filij Dauidis, regis Iſrael, vnde diſci poteſt ſapientia & caſtigatio, ad intelligendum verba prudentiæ, & percipi eruditio prudenter agendi, iuſtitia denique, iudicium & æquitates.* Eaque ſic explicat: *Diſcere ſapientiam,* inquit, *eſt diſcere noſſe Deum. Scire diſciplinam, eruditionem,*

vel

vel caſtigationem, eſt mortificare carnem. Ad capiendam A *diſciplinam prudentiæ, id eſt, vt colligatur verbum Dei, Iuſtitia eſt fides iuſtificans. Iudicium eſt condemnatio ſui. Æquitas eſt id quod æquum & rectum eſt; quando ſcilicet omnia tribuimus Deo.* Hæc ipſe.

Sapientia quæ? Prima ſent.

Quæres Primò quænam hîc intelligatur *ſapientia*, & quomodo diſtinguatur à *diſciplina?* Primò, nonnulli per *ſapientiam* accipiunt philoſophiam. Ariſtoteles enim habitus intellectus ait eſſe quinque, nimirum ſapientiam, ſcientiam, intellectum, artem & prudentiam: *Sapientia autem*, inquit, *eſt rerum altiſsimarum cognitio: ſiue eſt rerum diuinarum humanarumq́; ſcientia.* ita ipſe lib. 6. Ethicorum c. 3. Sic Olympiodorus in Catena Græcorum: *Sapientia*, inquit, *ex diuinis operibus hauritur: diſciplina verò certis legibus & regulis deſcripta continetur. Rurſum ſapientia eſt corporum & corporis exortium, & prouidentiæ quæ in iis ſpectatur cognitio. Doctrina vel diſciplina eſt animæ moderatio circa patibilem, rationiſq́; expertem eiuſdem animæ partem.*

Accedit R. Leui Ben. Gerſom *Sapientia*, inquit, *eſt rei cognitio per proprias & intrinſecas cauſas.*

Secundo.

Secundò, Hugo & Dionyſ. per *ſapientiam* accipiunt fidem. Hæc enim altiſſima S. Trinitatis, Incarnationis, Beatitudinis, Reſurrectionis, & cetera myſteria credit & comprehendit.

Tertia.

Tertiò, Lyran. & alij per *ſapientiam* accipiunt contemplationem, per *diſciplinam* actionem. Sic & Salonius hîc: *Sapientia*, ait *eſt diuinarum rerum cognitio, ſiue fides. Diſciplina eſt ſancta & pura vitæ conuerſatio.* Verùm hos ſenſus non eſſe literales, nec genuinos, patet ex dictis. Idem liquet ex decurſu totius libri: in eo enim pauca, & vix vlla inuenies dogmata ſapientiæ philoſophicæ, fidei vel con- C templationis, præſertim S. Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, &c.

Quarta & genuina eſſe Ethicam.

Quartò ergo & genuinè, *ſapientiam* hîc non ſpeculatiuam, ſed practicam accipe, quæ eſt cognitio Dei & vltimi finis ac mediorum eò ducentiũ, putà legum diuinarum, earumdemq; deſiderium, pius affectus & amor. Vnde eam ita definit Caietan. *Sapientia eſt ratio & norma humanarum actionum recta ſecundùm altiſsimam cauſam, quæ eſt Deus.* Et S. Baſil. hom. in principium Prouerb. *ad dandam ſapientiam illam*, inquit, *ſcilicet dignam* (nobilem, *pretioſam*(cùm Gentilium & Philoſophorum ſapientia ſit vilis & triobolaris, vt ait S. Chryſoſt. hom. 21. in epiſt. ad Epheſ.) *& veram, quæ tota in moribus ſita eſt.* Sic & Socrates ac Philoſophi priſci philoſophiæ nomen ſoli dabant Ethicæ, quæ in moribus formandis conſiſtit. Plura de hac ſapien- D tia dixi Eccli. 1. ſub initium. Quocirca Salomon in hiſce prouerbiis ſæpè inculcat Dei attributa, putà prouidentiam, potentiam, gloriam, &c. quæ homines ad Dei cultum inducunt. Vnde c. 15 3. ait: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Et eius operationem energiamq; in creando orbe per Verbum, puta Filium, qui eſt Sapientia Patris, vt c. 8 *Quando præparabat cælos aderam, &c.* Item acrem perſpicaciam, directionem ac iudicium, vt cùm ait c. 15. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iuſtorum placabilia. Abominatio eſt Domino vita impij: qui ſequitur iuſtitiã, diligitur ab eo.*

Diſciplina verò vocatur paſſionum vitiorumque correctio & caſtigatio. Hãc enim ſignificat Hebr. מוסר *muſar*, à rad. יסר *iaſar*, id eſt corrigere, caſtigare. Septuag. vertunt παιδείαν, quia παισὶ, id eſt pueris, qui ſenſu & concupiſcentia aguntur, non ratione, propriè competit diſciplina, vt laſciuientes in eis ſenſualitatis motus refrænet & corrigat. Chald. vertit מרדותא *marduta*, id eſt *eruditionem*, Syrus, *correptionem*; Tigur. *caſtigationem*; Vatabl. *mortificationem carnis.*

Quocirca *diſciplina* propriè competit incipientibus: horum enim eſt cupiditates ſuas domare & frangere, vt ad ſapientiam & virtutẽ perueniant: *ſapientia* verò competit prouectis & perfectis; qui edomitis paſſionibus per ſapientiam, velut faciem legis diuinæ, ilicò vident quid in qualibet re faciendum vel non faciendum ſit. Senſus ergo eſt, q.d. Parabolæ hæ docent tam incipientes quàm prouectos, tam inſipientes quàm ſapientes: illos enim docent *diſciplinam*, id eſt paſſionum mortificationem; hos verò *ſapientiam* plenamque virtutem. Sic Zeno Stoicorum princeps, vt ad ſuam B ſcholam & ſectam plures pelliceret, dictabat *in Stoa*(ita vocabatur Schola à qua dicti ſunt Stoici) *maturos iam fructus ſaporem nonnum accipere, immaturos verò præcoces fieri.* q.d. In Stoa & rudes diſcunt ſapientiam, & docti in eadem proficiunt & perficiuntur; ideoque & iuuenes in ea ſeneſcunt; & ſenes in ea iuueneſcunt.

Symbolicè, Lyran. & alij paſſim (eſto nonnulli putent id eſſe litterale) per *ſapientiam* accipiunt vitam contemplatiuam, per *diſciplinam* vitam actiuam: hæ enim ſunt duæ partes & ſpecies ad æquatæ virtutis vitæq; honeſtæ, quam docet philoſophia, id eſt Ethica Chriſtiana, vti tradit S. Greg. Nazian. orat. 15. *Hæ enim* vt idem ait orat. de fuga ſua *ſunt duæ alæ, quibus in altum ad Deum euolamus*; quas S. Baſilio affulſiſſe idem teſtatur orat. 20 quę eſt de laudibus eiuſdem, vbi & eos, qui actionem iungunt contemplationi, vocat ambidextros. Senſus ergo eſt q.d. Salomon: Ecce hæ ſunt parabolæ ſapientiæ, ad quas omnes cohortor & inuito; quia illæ ſuos ſtudioſos facient ambidextros, alatos & duplici oculo bene oculatos: duo enim oculi ſunt actio & contemplatio, ait Nicetas in Tetraſticha Nazianz ita noſter Salazar. In vtroque conſiſtit perfectio: perfectus enim eſt is, cuius contemplatio dirigit actionem, ac viciſſim actio roborat & perficit contemplationem: otioſa enim & ſterilis eſt contemplatio, quæ actionem non parit, viciſſim actio languida eſt & inefficax, quæ contemplatione non animatur, dirigitur & roboratur. Ita Olympiod. in Catena Græc. *Sapientia*, inquit, *eſt quidam diuinæ virtutis & ſapientiæ afflatus, aut purus quidã diuinæ gloriæ & maieſtatis defluxus. Neque enim quidquam omnino obſcurum aut caliginoſum in illam cadit. Eſt namque ſplendor æternæ lucis, & impollutum diuinæ virtutis ſpeculũ, expreſſaq́; diuinæ bonitatis imago. Qui igitur verã ſapientia imbutus eſt, hæc omnia exploratè cognoſcit. Iſthæc autem comperta habere, haud aliud eſt quàm diuinæ dilectionis Filium, eamq; ſapientiam, quæ Chriſtus eſt noſſe: Chriſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia eſt. Illud verò myſterium non reuelatur à carne & ſanguine, ſed à cæleſti Patre.*

Symbolicè, ſapientia eſt contemplatio, diſciplina eſt actio.

Ad intelligenda verba prudentiæ Vers. 3. (Syrus, *intelligentiæ* & Symmachus, *ad percipiendum eloquia intelligentiæ plena*) et ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ] Aquila, *ſcientiæ*; Symmach. *prudentiæ*; Syrus, *ad ſuſcipiendã eruditionem & timorem*; Arabic. *ſcito* (ſi ſcieueris) *ſapientiam & diſciplinam, intelliges ſermones: ſuſcipe cauſas ſermonum*, vel *feſtũ* aut *celebritatem ſermonum*: hanc enim ſignificat Arabicum הגה quod tam voce quàm ſignifi-

cato reſpondet חגג *chagac*, id eſt diem feſtum egit, ſolennitatem celebrauit. panegyrim habuit. Vnde videtur Salomon diebus feſtis hæc concionatus ad populum, vti nunc in feſtis concionantur præcones verbi Dei, ſuaſque ad populum turmatim in templum feſti cauſa concurrentem habent panegyricas.

Prudentia & doctrina qui differant? Reſpondeo Primò.

Quæritur hic Secundò, quænam ſint *verba prudentiæ*, quæ docentur hiſce parabolis, & quomodo diſtinguátur ab *eruditione doctrinæ*. Primò, Dionyſ. per *prudentiam* accipit diſcretionem ſpirituum, per *eruditionem* doctrinæ docilitatem. q. d. Parabolæ hæ valent ad diſcendam diſcretionem ſpirituum, & ad acquirendam docilitatem, vt ſcilicet libenter alios audias ſinaſque te doceri.

Secundò.

Secundò, Lyran. per *verba prudentiæ* accipit verba Ethica, quæ dirigunt agenda: per *eruditionem* verò *doctrinæ* accipit Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, &c. Verùm frigida eſt hæc expoſitio. Nam has ſcientias non tradit hic Salomon.

Tertiò.

Tertiò, R. Leui ben Gherſom: Sapientia, inquit, eſt cognitio rei per proprias & intrinſecas cauſas: בִּינָה *bina* verò (quod Noſter vertit *prudentia*) eſt cognitio rei per cauſas extrinſecas; vt cùm dicimus ſolem calefacere, lunam refrigerare, cùm hæc tum calore tum frigore careant.

Quartò.

Quartò, Hugo: *Prudentia*, inquit, eſt quæ præcauet inſidias, *doctrina* quæ alios docet & erudit.

Quintò. genuinè.

Quintò genuinè, *verba prudentiæ* vocantur verba, quæ docent prudentiam, vt ſciat quiſque quid in quauis rerum periſtaſi & circumſtãtia prudenter, iuxta dictamen rectæ rationis, putà iuxta normam virtutis, legemque Dei, agere vel non agere debeat: quam enim priùs vocauit *ſapientiam*, hic vocat *prudentiam*, & quam priùs vocauit *diſciplinam*, hic vocat *eruditionē doctrinæ*: hebr. enim vtrobique idem eſt verbũ מוּסָר *muſar*. Explicat enim quod dixit ad *ſciendum ſapientiam*, per τὸ *ad intelligenda verba prudentiæ*, & *ad ſciendam diſciplinam*, explicat per τὸ *ad ſuſcipiendā conditionē doctrinæ*, vt rectè aduertit Ianſenius. Vnde pro *prudentia* hebr. eſt בִּינָה *bina*, id eſt diſcretionis, qua ſcilicet prudenter diſcernat בין *bin*, id eſt, inter bonum & malum, inter licitum & illicitũ, inter vtile & noxium, inter verum & falſum, inter bonum, melius & optimum. Nam, vt ait S. Baſil. in princip. Prouerb. *Vera hominis conſulti prudentia diſcretio eſt rerum, quæ faciendæ ſunt & non faciendæ, & velut probus nummularius, quod probum eſt retinet, & ab omni mali ſpecie cauet.* Sicut enim nummularius partim viſu, partim tactu, partim pondere, partim ſono monetam probam à falſa examinat & ſecernit: ſic pariter prudens actiones bonas à prauis iudicio rationis & legis diuinæ diiudicat & diſcernit.

Eruditio verò *doctrinæ* eſt diſciplina, quæ docet mores corrigere & formare iuxta legem Dei: vnde hebr. eſt מוּסָר *muſar ſechel*, id eſt, *diſciplina intelligendi*, id eſt, *prudenter agendi*; vt vertit Vatabl. qua ſcilicet homo ſuas paſſiones caſtigat, rectéque viuendi leges ſibi præfigit: hæc enim eſt præclariſſima & ſanctiſſima diſciplina. Septuag. pro *ad ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ*, vertunt, *ad ſuſcipiendas ſtrophas*, id eſt inuolucra, id eſt parœmias, ait Olympiod. S. Hieron. in c. 16. Ezech. *ſtrophas* vertit. *verſutias ſermonum, & ſolutiones ænigmatum*: tũ quia illæ docent *muſar ſechel*, id eſt diſciplinam intelligendi & prudenter agendi: tum quia Hebr. exercebant & acuebant ſuos diſcipulos, & quoſlibet iuniores proponendo eis ſtrophas & ænigmata; vt iis exercitati idonei accederent ad ipſam S. Scripturam. Vnde, hanc vocabant iuniorum logicam, ſiue rationalem doctrinam, ſiquidem, vt ait Baſil. in Catena Græc. qui verborum ſtropha; id eſt, flexu & inuerſione, vtitur, eos quibuſcum agit decipit, atque, vt vulpes & leones eludere ſolent canes, eos eludit; ſiquidem hi aliò tendunt & aliò ſe tendere confingunt. Solertia ergo & ſolerti logica opus eſt ad eam retegendam, aut vt ſtropham conuertat in anaſtropham, inquit Greg. in Catena Græc. Audi Euſeb. lib. 11. de Præpar. Euang c. 3. Hebræorum in parabolis exercitationem deſcribentem *Hæc rationali doctrina*, ait, *ab ineunte ætate, ſacrarum rerum, & vtiliſſimarum narratione hiſtoriarum, cantuum, epodarumq; exercitio, compoſitione ænigmatum, & ſpeculationis allegoricæ diſerta elegantiq; oratione ſuos erudiebant. Itaque primariarum diſciplinarum Deuterotas (ſic enim litterarum ſuarum interpretes appellant) quoſdam habuere, qui res ænigmatibus adumbratas, non vulgò quidem omnibus, ſed iis tamen qui ad illarum intelligentiam idonei cenſerentur, illuſtriori explicatione reſeruarent. Hoc planè ſecutus ſapientiſſimus apud eos Salomon, inde quoque Prouerbiorum ſui operis ſecit initium, hac fere de cauſa ad hoc ſcribendi genus ſe adductum eſſe declarans, cùm di ſertis conceptiſq; verbis oportere ait, quemlibet hominem ſcire ſapientiam & diligentiam.*

Allegor. Epiphanius in Catena Græc. *Quæ circa Chriſtum*, inquit, *acciderunt, eas ſermonum ſtrophas aut inuerſiones hoc loco vocat. Nam, & carnis expers incarnatur, & inſpectabilis ſub aſpectum venit, & impatibilis carne patitur, & immortalis noſtri cauſa moritur: nempe quo immortalitatem nobis largiretur. Eiuſmodi autem rerum rationumq; inuerſiones, omnes qui in Chriſtum credunt, ſimpliciter citra vllam prorſus curioſitatem aut hæſitationem admittant oportet: quo bene edocti, Dei Filium verum per hanc iuſtitiam adminiſtraſſe, verumq; iudicium exercuiſſe intelligant.*

IVSTITIAM ET IVDICIVM, ET ÆQVITATEM] Repete *ad intelligendum*, vel potiùs, *ad ſuſcipiendam iuſtitiam*, &c.

Iuſtitia, iudicium, æquitas qui differant? Reſp. Primò.

Quæres Tertiò, quid hæc tria ſignificent, & qua ratione inter ſe differant.

Primò, R. Salomon per *iuſtitiam* accipit eleēmoſynam: ſic enim accipitur pſal. 111. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia*, id eſt eleēmoſyna, *eius manet in ſæculum ſæculi*, & alibi. Per *iudicium* ſinceritatem iudicandi, vt ad veritatis normam iudicet: per *iudicium* æquam compoſitionem, vt diſſidentes & litigantes ex æquo & bono componat & pacificet.

Secundò.

Secundò, Aben Eſra per *iuſtitiam* intelligit cultum Dei, & omne opus bonum; per *iudicium*, vt rectè iudicet inter verum & falſum, & recta in iudicio proloquatur.

Tertiò.

Tertiò, Caiet. *iuſtitiam* propriè dictam accipit, quæ cuique tribuit ius ſuum, & quod ex iure ei debetur: per *iudicium* accipit eruditionem iudiciorum diuinorum, quibus diuerſis modis homines affliguntur: hæc enim homines ad Dei metũ cultumque impellunt: per *æquitates*, ſiue rectitudines, accipit virtutes, quæ hominē in ſeipſo rectè componunt; vt ſignificentur hæc tria, quæ hominem rectè cũ Deo, cum proximo, & cum ſeipſo ordinant. Nam iuſtitia ordinat & componit hominem cum proximo, iudicium cum Deo, æquitas, ſiue rectitudo cum ſeipſo. quo fit *vt ſobriè, iuſtè & piè viuamus*

uamus in hoc ſæculo, vt mónet Apoſtolus ad Titũ 2. 12. *ſobriè* quoad nos, *iuſtè* quoad proximos, *piè* quoad Deum: nobis enim debemus ſobrietatem & continentiam, proximo iuſtitiam, Deo pietatem.

Quartò. Quartò, Vatabl. *Iuſtitia*, inquit, eſt fides iuſtificans *Iudicium* eſt condemnatio ſui. Hoc enim iudicium facit ſibi anima in tribunali mentis ſuæ. quo ſua errata & malafacta iudicat & condemnat de quo Apoſtolus: *Teſtimonium reddente illis cõſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*, Rom. 2. 15. Vide ibi dicta & Micheæ 6. 8. Per *æquitatem*. id quod æquum & rectum eſt, quãdo ſcilicet omnia tribuimus Deo.

Quintò. Quintò, Beda, Hugo & Dionyſ. per *iuſtitiam* accipiunt bona opera, per *iudicium* diſcretionem, per *æquitatem*, vel, vt in Hebræo eſt, rectitudinem, rectam & ſinceram intentionem.

Sextò. Sextò, S. Ambroſ. ad illud: *Feci iudicium & iuſtitiam*, ſerm. 16. in pſal. 118. *Iudicij*, inquit, *finis eſt iuſtitia: in iudicio eſt veritatis cuſtodia, in iuſtitia fructus æquitatis*. Et, S. Auguſt. in pſal. 105. ſupra illud: *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Amat*, inquit, *Scriptura illa duo ſimul ponere: Et fortaſſe propter vicinitatem ſignificationis etiam alterum pro altero poni poteſt, vel iudicium pro iuſtitia, vel iuſtitia pro iudicio, tamen ſi propriè dicantur, aliquid intereſſe non dubito, vt iudicium cuſtodire dicatur, qui rectè iudicat; iuſtitiam verò facere, qui agit.*

Septimò genuinè. Septimò, planè ad literam & genuinè: Hæc tria, *iuſtitia, iudicium, æquitas*, in re idem ſignificant, nimirum officium virtutis, ſiue id quod iuſtum, æquum & rectũ eſt, qui eſt fructus & finis eruditionis & doctrinæ, quam præmiſit; ſed accumulantur per exaggerationem, vt virtutis perfectio ſignificetur, vtpote quæ hæc tria in ſe includat & comprehendat. Senſus ergo eſt, q. d. Hæ parabolæ erudient vos, tradentque doctrinam, quæ doceat quid in omnibus iuſtitia, iudicium & æquitas dictent: ſiue quid in omnibus iuſtum, recto iudicio conſonum & æquum ſit, quid ſcilicet in qualibet re iuſtè & cum iudicio, hoc eſt, cùm iuſta ratione & diſcretione, atque cum æquitate fieri debeat. Quare iuſtitiam hîc non particularem accipe, ſed generalem, quæ eſt complexio omnium virtutum, haſce enim docet Salomon hiſce Prouerbiis. Idem ergo hæc tria ſignificant, ſcilicet officium & præſcriptum cuiuſlibet virtutis, ſed connotato & etymo differunt. Dicitur enim *iuſtitia* reſpectu rei & obiecti, quod in ſe iuſtum eſt. Dicitur *iudicium* reſpectu rectæ rationis & iudicij, quæ hoc iuſtum eſſe dictat & iudicat, adeò vt Deus & quilibet æquus iudex id iuſtum eſſe definiat. & contrarium facientes iudicet & cõdemnet. Dicitur *æquitas*, vel, vt hebr. eſt מֵשָׁרִים *meſcarim*, id eſt *rectitudines*, quia ſuæ normæ & regulæ, putà legi æternæ & diuinæ, conforme, ideóque rectum eſt, non prauum, non obliquum & diſtortum. Vnde Syrus pro *æquitatem* vertit, *rectitudinem*, Chaldæus, *directionem*, Septuag. verò *meſcarim*, id eſt, *rectitudines*, nectendo cum מִשְׁפָּט *miſpat*, id eſt iudicio, pro tribus iam dictis hæc duo tantùm aſſignant: *ad intelligendam iuſtitiam veram* (non falſam, non fictam & hypocriticam) *& iudicium dirigendũ*, vel *corrigendum*, vti vertit S. Hieron. in cap. 18. Ezech. vt ſcilicet iudicium per omnia ſit directũ, correctum & rectum. Alludit enim Salomon ad morem Dauidis patris ſui, qui in Pſalmis identidem tam regi & iudici, quàm priuato cuique commendat hæc duo, iudi-

A cium ſcilicet & iuſtitiam, vt patet pſalm. 9. v. 5. 8. 9. pſal. 16. 2. pſal 17. 23. pſal. 36 6. pſal. 71. 2. pſal. 88. 15. Vbi ait: *Iuſtitia & iudicium præparatio*, id eſt, baſis, columen & fulcrum, *ſedis tuæ*. q. d. Iudicium, quo punis ò Domine, reos; iuſtitia, qua innocentes abſoluis, protegis & vindicas, ſunt baſes regni tui, iudicij enim, quod exercet rex & iudex, duæ ſunt partes, vna, reum damnare; hanc ſignificat *iudicium*: altera, inſontem abſoluere & vindicare; hanc ſignificat *iuſtitia*. Iam per catachreſin idem transfert ad priuatum quemque: huius enim officium in qualibet re eſt duplex: vnum, vitium damnare & declinare, quod ſignificat *iudicium*: alterum, virtutem colere & exequi, quod ſignificat *iuſtitia*, iuxta illud: *Declina à malo, & fac bonum*, pſal. 36. 27. Vitium enim in omni iudicio tam diuino quàm

B humano eſt reum, virtus verò eſt innocens, imò ipſa innocentia, iuſtitia & ſanctitas. Hæ ergo ſunt duæ Chriſtianę iuſtitiæ, ſiue officij & virtutis partes, putà timere & fugere malum, ac amare & proſequi bonũ: hoc enim ſi facias, tam tibi quàm cæteris omnibus eris officioſus, & nulli iniurioſus. Hoc igitur eſt facere iudicium & iuſtitiam. ita noſter Prado in Ezech. 18. 4. Addit Salomon tertium, ſcilicet *æquitatem*, hebr. *rectitudines*: vt ſignificet iuſtitiam & iudicium eſſe æquiſſima & rectiſſima, adeóque eſſe ipſam æquitatem & rectitudinem moralem, quæ non eſt aliud quàm ipſum virtutis præſcriptum & officium, vt iam dixi, virtus enim eſt rectitudo & æquitas; vitium eſt obliquitas & iniquitas.

Huic accedit expoſitio noſtri Salazar, qui per *iuſtitiam* accipit probitatem & honeſtatem in genere: per *iudicium* prudentiam, quæ ſingulis virtu-

C tibus, in quibus probitas ſita eſt, leges iuraque pręſcribit per *æquitatem*, vel rectitudines, ipſas ſingulares virtutes, vel virtutum actiones, quas cum iudicio prudentiæ exequitur vir probus.

Accedit quoque expoſitio Ianſenij: Omnis enim virtus, inquit, iuſtitia eſt, iudicium & æquitas; quæ nomina eòdem recidunt, congeruntur autem pro Hebræorum more ad perfectionem indicandam. *Iuſtitia* enim eſt omne opus bonum, quia hoc iuſtum eſt fieri. Idem eſt *iudicium*, quia illud recta ratio & lex diuina faciendum decernit. *Æquitas* eſt & rectitudo; quia rectæ rationi conſonum. Coniunguntur frequenter in Scripturis duo illa, *iuſtitia & iudicium*; per quæ quid ſignificetur, hîc inſinuatur, dum addunt, *æquitatem*, vel, vt habent Hebræa, pluraliter *rectitudines*, hoc eſt

D ea quæ recta ſunt. Ceterùm illorum duorum alterum eſt mentis, decernentis quod iuſtum eſt; alterum eſt voluntatis, conformantis ſe in operatione cum recto iudicio mentis.

Itaque hæc duo coniuncta ſignificant, nec ſatis eſſe rectè iudicare, nec ſatis eſſe quod rectum eſt agere; ſed neceſſum eſſe, vt & quod rectè iudicamus, rectè agamus; & quod rectum eſt, cum iudicio agamus. Idem, non aliud, voluère S. Ambroſ. & S. Auguſt. paulò antè citati.

Denique huc accedit Didymus in Catena Gręcorum: *Iuſtitia*, inquit, *primus gradus eſt, vt vnicuique quod ſuum eſt integrè tribuatur, maximè verò vt Deo, quod Dei eſt. Hinc illa: Dominum ex iuſtis laboribus honora. Regem obſerua. Parentibus quod æquum præſta, & ceteris deniq; omnibus quod æquitatis ratio poſtulat, impertiri cura. Secundus vt anima eo ſtudio ſe in omni moderatione & æquabilitate conſeruet, vt nulla ſui parte ad*

iniquitatem, aut aliquam omnino inæqualitatem inſlecti ſe ſinat. Iudicium autem eſt, vt vnusquiſque ſeipſum iudicare ſciat, omneq; conſilium & votum ſimul ad bonum honeſtum dirigat.

Verſ. 4. VT DETVR PARVVLIS ASTVTIA, VT ADOLESCENTI SCIENTIA ET INTELLECTVS] Septuag. *vt det innocentibus aſtutiam, puero autem nouo ſenſum & cogitationem*; Tigur. *quæ tradunt ſimplicibus ſolertiam, & imperitis ſcientiam & proſpicientiam*; Vatabl. *quæ dant ductilibus calliditatem, & iuueni intelligentiam, & conſilium.* Pro *paruulis* hebr. eſt פְּתָאיִם *petaim*, à rad. פָּתָה *pata*: vnde Græcum πείθω, id eſt blandis verbis ſuadeo, pellicio, perſuadeo; inde פְּתִי *peti* (vnde Gallicum *petit*) vocatur paruulus, ſimplex, perſuaſibilis, cui facilè quiduis perſuadeas qui eſt ſequaci credulitate ac blāditiis citò ineſcatur & decipitur. Vnde pro *petaim*, Septuag. vertunt ἀκάκοις, id eſt *malitia carentibus, innocentibus*; Symmachus νηπίοις, id eſt *paruulis*; Aquila, θελγομένοις, id eſt *iis, qui facile palpari & lactari ſinunt*; Theodot. ἀπατωμένοις, id eſt *deceptis*; Chaldæus & Syrus *inſipientibus*; Tigur. *ſimplicibus*. *Peti* ergo hîc vocatur paruulus, tum ætate, tum ſenſu & prudentia, pura ſimplex, qui facilè quiduis primò oblatum & abblandiens credit & amplectitur, itaque ſeducitur & in fraudem impellitur. Tales enim ſolent eſſe pueri & paruuli, tum quia ductiles & faciles, tum quia fraudum inexperti.

Pro *aſtutia* hebr. eſt עָרְמָה *orma*, id eſt aſtutia, attentio, prouidentia, cautio, circumſpectio. Vnde עָרוּם *arum* vocatur attentus, prouidus, aſtutus, callidus, cautus, vafer, ſolers. Rurſum *arum*, id eſt, congregatus, accumulatus, conuolutus: hinc ſerpens Geneſ. 3. 1. decipiens Euam vocatur *arum*, id eſt, ſuis dolis æquè ac ſpiris & gyris circūplicatus & inuolutus: hæ enim ſpiræ indices erant internæ ſerpentis aſtutiæ, qua Euam implicauit & circumuenit. Tales quoque ſunt ſtrophæ & parabolæ hæ Salomonis, ſed in bonū, quia arcana conſilia, quibus res magnæ perficiuntur, tegunt, implicant, & inuoluunt, Eò ergo alludit *orma*. Septuag. vertunt πανουργίαν, id eſt, vafriciem, calliditatem; eſtq; vox media, quæ tam in bonam partem pro ſolertia, quàm in malam pro fraude, dolo, malitia accipi poteſt, vt πανουργία idem ſit, quòd κακουργία, ait Didymus in Catena Græcorum. Vnde πανοῦργος propriè ſignificat eum, qui in omnibus tribus verſatus eſt, à πᾶν & ἔργον, quaſi ὁ πᾶσιν ἐπιβάλλων, qui ſcilicet omnibus rebus ſeſe immiſcet, Verùm, quia talis ſolet eſſe callidus & vafer, hinc πανοῦργος vocatur prudens, ſolers, callidus: item fraudulentus, verſipellis, ardelio, maleficus, impoſtor. Id facit ſimilitudo vitij & virtutis, ait S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 3. ad 1. Hîc in bonum capitur. Vnde S. Baſil. in initium Prouerb. ait, πανουργίαν, aliam eſſe vituperio dignam, aliam verò laudabilē. *Eſt enim πανουργία*, inquit, *actio animi cum attentione quadam & arte, & ſtudio laudabili rerum omnium agendarum.* Dat exempla Hebræorum, qui aſtutè petendo mutuo vaſa aurea Ægyptiorum, ſpoliarunt Ægyptum, Exodi 12. 35 & obſtetricum, quæ aſtutè ſeruarunt infantes Hebræorum, quas Pharao iuſſerat necari, Exodi 1. 19 & Rebeccæ, quæ aſtutè fecit, vt Iacob benedictionem, & ius primogenituræ, Eſau fratri præriperet, Geneſ. 27. 15. Ac diſtinguens deinde πανουργίαν, ſiue aſtutiam, bonam à mala: *Aſtuti appellatio*, inquit, *duo ſignificat: Improbus quidem ſenſu & arte in alienos vtitur damnis: laudabilis verò citò & ſolerter bonum proprium veſtigans, dolos & inſidias alienas rectè cognoſcit, atque cauet.* Addit S. Baſilius: *Vir aſtutus thronus eſt ſenſus.* q. d. In viro aſtuto quaſi in throno ſedet *aſtutia*, id eſt prudentia, ratio & ſolertia, quæ quaſi regina omnibus ſenſibus, animique & corporis moribus prudenter & ſolerter imperat, vt à malo declinent, & ad bonum omne prouehantur.

Aſtutia duplex, bona & mala.

Igitur Salomon ait ſe hæc Prouerbia ſcribere, vt per ea detur paruulis & ſimplicibus *aſtutia*, id eſt prudētia, cautio, circumſpectio. Vnde S. Greg. Nazianz. orat. 11. Prouerbia Salomonis indigitat *ſapientiam pedagogicam*, id eſt pueros & rudes inſtituentem inſtar pædagogi: ſicut Clemens Alexand. ſuos libros de moribus componendis inſcripſit *pædagogum*. *In pueris* enim, ait Ariſtot. 3. Ethic. c. 1. *tacet ratio, & appetitus regit omnia.* iis ergo, vtpote incautis, neceſſaria eſt cautio, quaſi imperitis neceſſaria eſt peritia, quaſi cupidis neceſſaria eſt prudens cupiditatum moderatio & refrænatio. Idque non tantùm vt diaboli, mundi & carnis inſidias illecebraſque effugiant, vti volunt Beda, Lyran. Hugo & Dionyſ. ſed etiam ad proſequendum bonum virtutis, præſertim celſum & ſublime, vti docet hîc S. Baſil. Qui enim ſolers eſt, paruo labore magna ſibi parat virtutum merita & incrementa, v. g. multi magnas ſubeunt pœnitentias, & parum in aliis virtutibus proficiunt: at qui mortificat paſſiones ſuas, & qui in charitate aſſiduè ſe exercet, omniaque ſua facit ex amore Dei; hic breui perfectus euadet.

Hac aſtutia vſus videtur Apoſtolus dicens *Cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* 2. Corinth. 12. 16. Eamdem commendat Salomō Prouerb. 13. 16. *Aſtutus*, inquit, *omnia agit cum conſilio.* Et c. 14. 15. *Aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* Et Eccleſ. c. 1. 6. *Aſtutiam illius quis agnouit?* Eamdem Chriſtianis præcepit Chriſtus Dominus: *Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpētes, & ſimplices ſicut columbæ*, Matth. 10. v. 16. q. d. Serpens eſt aſtutus & prudens, Primò, quia pro capite totum corpus objicit fuſtibus & gladiis: ita & tu, ô Chriſtiane, pro animæ ſalute totū corpus, opes & famam objice. Secundò, ſerpens ne voces incantatorum audiat, iiſque ineſcetur & incantetur, aurem vnam terræ affigit, alteram cauda occludit: ita & tu, ô Chriſtiane, ne voces adulatorum, Sirenum, meretricum, aliorumque tibi in tuam perniciem abblandientium audias, aures inſtar Vlyſſis claude & obtura. Tertiò, ſerpens, inquit S. Baſil. hom. 9. Hexamer. lippientibus oculis fœniculi ſucco medetur: ita & tu ô fidelis veræ prudentiæ & circumſpectionis pharmaco diſcute omnes incogitantiæ & inconſiderationis, ex qua omne malū naſcitur, nebulas & caligines. Quartò, ſerpens per anguſtum foramen gliſcendo pellem veterem ſibi detrahit, vt nouam inducat: ita & tu, ô philothee, mortificatione renoua tuos mores & vitam: *Via enim in cælum anguſta eſt, & virtute ſemper innouanda*, ait S. Auguſt. lib. 2. de Doctr. Chriſtiana c. 16. Quintò, ſerpens hoſtem ſe fortiorem per inſidias aggreditur, & occultè mordendo necat: ita & tu, ô Chriſtiane, diaboli vires ſupera conſilio & prouida ſolertia. Aſtutia hæc & ſolertia in bellis tum corporalibus, tū ſpiritualibus eſt ſummi momenti, illa enim bellū conficit, & victoriā obtinet. Vnde Vegetius de Re milit. *Dux belli*, inquit, *callidior ſit quàm fortior.* Sic Gedeon cum trecētis militibus aſtutè cōplodens lagenas, & tubis perſonans, turba-

Eſto aſtutus vt ſerpens. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò.

turbauit & cecidit tota caſtra Madian, Iudic. 7. 20. Similia ſtratagemata paſſim in hiſtoriis legimus, quibus pauci imbelles ingentes hoſtium fortiſſimorum copias proſtrauerunt, Quocirca Hannibal *norat aſtus adiungere ferro*, id eſt, ex arte dimicare, ait Silius lib. 1. Et Statius lib. 1. Achilleid.

Tu tantùm prouidus aſtu
Tende animum vigilem, fœcundumq́ue erige pectus.

Tales erant Athenienſes, præſertim incolæ Aſtu oppidi eis ſubditi: vnde ab ἄστυ hoc eorum oppido dictus eſt aſtus, aſtutus & aſtutia, aiunt Lexicographi. Hinc illud Lyſandri: *Vbi quod vis non aſſequeris per leonis exuuium, ibi vulpinum applicandum eſt*. q. d. Quod robore & viribus nequis, conſilio & aſtutia perfice.

Parua animalia aſtutiora.

Symbolicè, cùm paruulis congruè opponitur & componitur aſtutia; quia eam rebus paruis indidit Deus, iuxta illud: *Ingenio pollet, cui vim natura negauit*. Hinc parua vulpes aſtutior eſt magno leone, paruus canis ſagacior magno aſino, parua ſimia ſolertior eſt magno boue, paruæ viuerræ magnos lepores ex antris ſuis abigunt, & in venatorum manus adigunt: paruæ aues aſtutiores ſunt magnis, parui homines acutiores ſunt magnis. Denique quid prudentior formicis & apibus exiguis animalculis? *Vidimus*, inquit S. Nilus apud Antonium in Meliſſa, *ſerpentem exigui corporis magnum aliquod animal deuoraſſe, quod quidem ita facit: oſſa & neruos paulatim conterit, & contrita exugit: ſic etiam parua prudentia magnas ſæpè deuorauit difficultates, atque digeſſit paulatim mordendo*: carpendo enim vnā, mox alteram, tandem totam capit & tollit.

Vera aſtutia eſt humilitas.

Notum eſt emblema ſcarabæi apud Alciatum, qui abſcondens ſe alis aquilæ, eius oua perforauit, atque pullos ſuſtulit. Hoc ſymbolo tropologicè monemur in paruitate, id eſt humilitate, ſummam conſiſtere prudentiam & ſapientiam, hæc enim vincit iras, offenſas, lites, bella, ceteraſque difficultates, aliàs inuincibiles. Vnde S. Antonius, teſte S. Athanaſio in eius Vita, in raptu videns totum mundum laqueis dæmonum plenum roganſque: *Domine quis hos laqueos effugere poterit?* audiuit: *Humilis & humilitas*. Igitur vera prudentia & aſtutia eſt humilitas, quæ proinde omnia inſuperabilia tranſſcendit & ſuperat. Huc faciunt Sapientum gnomæ: *Non eſt ſapiens, qui ſe ſapientem exiſtimat. Maximè ſcias ſapientem, qui talem ſe negat. Abſque liuore, abſque pompa qui ſapit, tutò ſapit. Quo quis ſapit minùs, hoc magis ſe venditat: quæ quò ſapit magis, hoc minùs ſe venditat*. Exemplo tibi ſit noſter Salomon, qui licet Dei iudicio eſſet omnium mortalium ſapientiſſimus, tamen humiliter de ſe profitetur: *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum eſt mecum*, Prouerb. 30. 2.

ADOLESCENTI SCIENTIA ET INTELLECTVS] More Hebræo explicat quod dixit *Vt detur paruulis aſtutia*. Hebræi enim in rhythmis & carminibus vti videre eſt in Pſalmis, poſteriore hemiſtichio explicant prius. Aſtutia ergo eſt *ſcientia & intellectus*. Vnde pro *intellectus* hebr. eſt מְזִמָּה *mezimma*, id eſt cogitatio tacita, vafricies, aſtutia, machinatio, ſtratagema, tamque in bonam quàm in malam partem capitur. Radix enim זָמַם *zaman* ſignificat tacitè cogitare, excogitare, concipere, machinari, formare aliquid in animo. Hinc Theodotion vertit συλλογισμὸν, id eſt *ratiocinationem*; Symmachus, αἴσθησιν, id eſt *ſenſum*; Septuag. ἔννοιαν, id eſt *cogitationem*; Syrus, *conſilium*, R. Salomon, *cogitationem conſilij*; Tigurina, *proſpicientiam*. Omnia hæc eòdem redeunt. Senſus ergo, eſt, q. d. Parabolæ hæ dabunt paruulis aſtutiam, & adoleſcentibus *ſcientiam*, id eſt, vt Septuag. ſenſum, & *intellectum*, vt ſcilicet diſcant in rebus omnibus ſenſatè & intelligenter, id eſt prudenter, cautè & circumſpectè, agere, ne quid per imprudentiam, ignorantiam, vel inexperientiam peccent. Nam vt ait vir ſapiens: *Quatuor reddunt adoleſcentiam omnium ætatum perículoſiſſimam.*

Scientia & intellectus quid?

1. *Quia facillima ad malum.*
2. *Quia ſequentis totius vitæ fundamentum.*
3. *Quia difficillimè corrigitur.*
4. *Quia inconſtantiſſima in bono.*

Hinc pariter *Quadruplex eſt adoleſcentum ſapientia,*

1. *A pueritia ſtatim pietati aſſueſcere,*
2. *Statum vitæ præſentis diligenter perpendere.*
3. *Promptè Deo vocanti obedire.*
3. *Conſtanter in bonis cœptis perſeuerare.*

Quatuor adoleſcentum theſauri incomparabiles.

1. *Virginitas corporis, à natiuitate accepta.*
2. *Innocentia mentis in baptiſmo data.*
3. *Ætas maximè virtuti opportuna.*
4. *Morum modeſtia & verecundia.*

Salomonem de more ſecutus Plato, & poſt eum Ariſtoteles, hæc de ſcientia & doctrina dedit partim dogmata, partim axiomata. *Tria dicebat pueris neceſſaria, ingenium, exercitationē, diſciplinam. Aſpectus à circumfuſo aëre lumen accipit, animus verò à liberalibus diſciplinis. Studiorum radices amaræ, fructus autem ſuaues, rogatus, quo differrent docti ab indoctis? Quo inquit viuentes à mortuis. Eruditionem dicebat inter proſpera eſſe ornamentum, inter aduerſa refugium: parentes qui liberos erudiendos curaſſent, longè honorabiliores eſſe his qui ſolùm genuiſſent: eos enim viuendo tantùm, illos etiam bene beateq́ue viuendi auctores eſſe. Rogatus quid ex philoſophia lucratus eſſet? Hoc inquit, vt iniuſſus faciam ea, quæ pleriq́ue per legum metum faciunt. Interroganti, quopacto diſcipuli egregiè proficerent, reſpondit: Si excellentiores proſequentes, tardiores non morentur.* Hæc omnia Ariſtoteli tribuit Laërtius in eius Vita l. 5.

Reſp. primo aliorum.

Paulò aliter hæc alij explicant & diſtinguunt. Primò S. Baſil. in princ. Prouerb. verſionem Septuag quæ habet: *Vt detur puero nouus ſenſus & cogitatio*, ſic explicat q. d. Vt puero detur ſenſus, id eſt cognitio præſentium; & cogitatio, id eſt, cognitio futurorum. Sic & Polychron. in Catena Græcorum: Aut ſenſus, inquit, hoc eſt, vt omnes corporis vires ad animæ vires transferantur, ſeruiantq́ue menti, prudentiæ, legi Dei & virtuti. Didymus verò in Catena Græcorum, Senſus, inquit, eſt cognitio hiſtoriarum, intellectus eſt cognitio allegoriarum.

Secundò.

Secundò, ſagaciter noſter Salazar: Ariſtot, inquit, l. 6. Ethicor. c. 12. & magnorum Moral. lib. 2. c. 54. tamquam prudentiæ partes enumerat induſtriam, & ingenium ſeu intellectum. Induſtria pertinet ad electionem & deliberationem, ingenium ad executionem. Induſtrius (inquit Ariſtoteles) eſt qui facultate conſultandi eſt præditus & rectè iudicare ac videre aliquid poteſt. Itaque induſtriæ munus eſt meliorum efficaciam omnino perſpectam habere, atque media ipſa ordinare, & bonam in ſeriem redigere, vt electio ſit prudens. Ingenium verò ſequitur electionem, ſpectatque ad executionem. *Eſt*, inquit Philoſophus, *vis quædam, quam ingenium dicunt, quæ einſmodi eſt, vt efficere poſſit, & adipiſci ea, quæ ad pro-*

poſitum finem pertinent Subdit Ariſtot. *Ingenium non eſt prudentia ſed eſt habitus prudentiæ, quaſi oculo animi innatus*: dirigit enim prudentiam, quaſi oculus, ad executionem, vt quod illa prudenter concepit, hoc ipſa expeditè & ſolerter exequatur: vnde ſine ea prudentia eſt luſca vel monocula, quia executio eſt cæca; eſto conceptio & electio fuerint oculata. A

Tertia. Tertiò, Lyran. *intellectum* accipit more philoſophico pro cognitione principiorum, *ſcientiam* pro cognitione concluſionum non tam ſpeculatiuarum quàm practicarum, qualis eſt Ethica, de qua hic agitur.

Quarta. Quartò, Dionyſ. Hæc duo, inquit, ſunt dona Spiritus ſancti, nimirum donum ſiue ſpiritus ſcientiæ & intellectus de quibus multa dixi Iſaiæ 11. v. 1. & 2.

B Nota. Salomon æquè ac Siracides, ſuam hanc ſapientiam ſiue Ethicam copiæ cauſa nunc vocat *ſcientiam*, nunc *intellectum*, nunc *prudentiam*, nunc *diſciplinam*, nunc *eruditionem*, nunc *peritiam*, nunc *doctrinam*, nunc *aſtutiam*, nunc *calliditatem*, nunc *conſilium*, nunc *iudicium*, nunc *veritatem* nunc *æquitatem*, nunc *iuſtitiam*, quæ omnia in re idem ſignificant, nimirum ſiue Ethicam, ſiue cognitionem agendorum, etymo tamen & propria nominis ſignificatione differunt, vt patet etymon cuiuſque intuenti vel veſtiganti. Adde, Ethicam ſiue prudentiam, multas in ſe complecti partes, multoſque actus conſultationis ſiue conſilij, electionis, diſciplinæ, ſcientiæ, intellectus, &c. qui aliquando propriè & ſpeciatim hiſce nominibus, ſignificantur, aliquando verò generatim per ea totum genus prudentiæ intelligitur per ſynecdochen. C

VERS. 5. AVDIENS SAPIENS, SAPIENTIOR ERIT (hebr. *addet ſapientiam*, id eſt, vt R. Leui *cumulabitur ſapientia*) ET INTELLIGENS, GVBERNACVLA POSSIDEBIT] *Audiens*, ſcilicet has meas parabolas, eaſque ruminans (& in praxin deducens, per eas euadet ſapientior. Vnde Septuag. vertunt, *hæc enim audiens ſapiens, ſapientior erit*; Vatabl. *quas* (parabolas ſiue ſententias haſce) *qui audit ſapiens, cognitione promouebit*. q. d, Dixi hæc mea Prouerbia valere; vt paruulos & ſimplices doceant prudentiam, tunc addo ea quoque profutura ſapientibus, vt in ſapientia proficiant. Propriè ergo Salomon loquitur de ſuis hiſce prouerbiis, vt rectè notat S. Baſil. à pari tamen vel ſimili idem vult extendi ad dicta cuiuſlibet ſapientis, vti extendit, Beda, Hugo & Lyran. Vnde Noſter indefinitè vertit, *audiens ſapiens*. q. d. Quicumque ſapiens, etiam infidelis & Gentilis, qui vel hæc mea, vel cuiuſlibet alterius ſapientis dogmata audierit, iiſque obedierit, euadet ſapientior, vt ſe & familiam, quin & rempub. prudenter gubernare valeat. D

Via ſapientiæ eſt auiditas audiendi. Nota τὸ *audiens*: ſignificat enim modum pertingendi ad ſapientiam eſſe, auidè & humiliter eam audire. Nam, vt Ariſtot. *auditus eſt ſenſus diſciplinæ*: ſuperbi enim, qui ſe ſapere putant, nolunt alios audire, ab iiſque diſcere, ideoque in ſua ſuperbia remanent inſipientia.

Significat hîc Primò Salomõ, ſe huius ſuæ Ethicæ diſcipulum requirere attentum & audiẽdi auidum. Nam vt ait Iſidor. Peluſiota. l. 3. epiſt. 343. *Auris auditoris deſiderium eſt ſapientis. Neque enim multos labores magiſtro exhibet: ſiquidem ad cultum & ſegetem ingenij ſagacitas ſufficit.* Nam vt ait Philoſophus: *Animus in ipſis hoſpitatur auribus. Audire ac tacere rerum eſt omnium arduiſſimum.*

A Secundò, ſapientis eſſe libenter audire & diſcere, atque audire plus, minus loqui, nimirum in Seneca epiſt. 77. *Tamdiu audiendum & diſcendum eſt quamdiu neſcias, & ſi prouerbio credimus, quamdiu viuas.* Et in Prouerb. aſſerit. *eumdem finem eſſe, diſcendi atque viuendi.* Et alius: *Nulla ætas videri ſera ad diſcendũ poteſt. Literas Græcas ſenex didicit Cato. Nulli fuit pudori diſcere quidquam à barbaris. Tamdiu cuique eſt diſcendum, quamdiu quid neſciat Admitte in aures cuncta, & diſce ab omnibus. Alios quod es doctus: antè diſ ito. Diſcunt facillimè qui libenter audiunt. Multa indies addiſcentes ſeneſcimus. Quotidie aliquod addiſcens fit ſenex Solon.* *Gnom.*

Alfonſus Aragonum rex audiens regem quemdam dixiſſe, principi non conuenire audire & diſcere; iratus exclamauit: *Bouis, non hominis, illa vox*, ita Lipſius Monit. polit. l. 2. c 7. *Exempla.*

B Carolus IV. Imperator ad quatuor horas magiſtros in ſcholis Pragenſibus audiuit; cùm id purpurati ægrè ferrent, ſuggererentque horam cœnæ effluxiſſe: *Mihi*, inquit, *minimè effluxit: nam cœna hæc mea eſt*. ita Æneas Syluius lib. 4. Geſtorum Alfonſi. Hoc eſt quod Dauid rex ait pſal. 50 *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.*

Et S. Auguſt. pſalm. 47. *Qui vis audiri, prior te audi, & dic illud* pſal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus. Qualis ergo ego, qui non audio quid in me loquitur, & volo vt alij audiant, quod per me loquitur*, &c, *Admonet illum vt audiat, non vt deponat prædicationem ſed vt aſſumat obedientiam.* Quinimò S. Auguſt. iam Epiſcopus à quolibet, ac præſertim à S. Hieronymo, audire, edoceri, & diſcere cupiuit & poſtu-
C lauit, vt patet epiſt ad eumdem 12. & 15. in qua ait: *Lædes me, ſi mihi tacueris errorem meum, quem fortè inueneris in factis, vel in dictis meis.* Et epiſt. 28. *Quamquam te multò*, inquit, *quàm ego ſum ætate maiorem, tamen ipſe etiam iam ſenex conſulo: ſed ad diſcendum quod opus eſt, nulla mihi ætas ſera videri poteſt; quia etſi ſenes magis decet docere quàm diſcere, magis tamen diſcere quàm quid doceant ignorare.* B. quoque Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Ioannem cap. 2. *Canes*, inquit, *venaticos imitatur ſapiens huc illuc feram quærentes. Ipſe enim non intellectam rem ſæpè ac multùm inueſtigans, interroganſq; tandem aſſequitur.* Denique S. Iacobus cap. 1. 19. *Sit*, inquit, *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Vide ibi dicta.

Huius ſententiæ elegans extat vulpis & corui apologus, neruoſis ſcitiſque gnomis interſtinctus,
D apud Cyrillum lib. 1. Apol. moral. c. 1. cuius titulus eſt: *Semper diſce, & in extremis horis ſapientiæ magis ſtude.* ubi ſic ait: *Vulpes decrepita ardens cupidine plus ſciendi, quærebat magiſtrum. Huic ſenectutis quidem infirmitate prægrauatæ, auiditate tamen ſciendi peragili, cùm coruus aſtutior occurriſſet, peracto mutuo ſalutationis officio ſatis læta ſubiungit: Verè voluntas Dei fuit, vt citò mihi occurreres quod volebam. Te namque, qui cæli cardines perambulas, & multa conſideras, vt me diſciplinæ ſitibundam inſtrueres perquirebam. Cui ille reſpondit: O antiqua calliditatis magiſtra, quid amplius quæris ſcire? Hoc certè tantùm tibi reſtat, vt peccatum tuum finem habeat. Ad hæc diſcipula facta doctrix, ita dicitur reſpondiſſe: Numquid frater à mi ſcriptum à Salomone eſt* (Prouerb. 1. 5.) *Audiens ſapiens ſapientiã, ſapientior erit? & quare hoc dixit, niſi quod ſapientiæ non eſt numerus?* Ex quibus deinde colligit alteram tituli gnomen: *Vnde ſemper oportet addiſcere, & in extremis horis ſtudium ſapientiæ deſiderabiliùs indagare. Finis enim prudentis,* *Semper diſce. Apologus.*

dentis ſapientia eſt: & ob hoc quantò huic fini viciniores ſumus, tantò maiore impetu ad amplectendum eum auidiores, cum natura curramus, virtutis enim motus naturalis in fine fortior eſt; & cùm viſus ſenio ingroſſatur aſpectus ex parte rationis acuitur. Dignum ergo eſt, vt quando plus viget mentis iudicium, diſciplinæ tunc plus operam impendamus. Nam dum hîc viuimus numquam in eodem ſtatu manemus. Quare ſi non proficimus, mox deficimus, Sic enim perſpicimus etiam accidere in mutabilibus rebus: quoniam ſ. l, cùm vltra non procedit, reuertitur, & ſtatim dies diminuitur, dum non creſcit. Similiter cùm non magis protenditur ætatis curſus, mox in ſenium inclinatur. Igitur donec in ſenium fueris, ſemper diſce, nec vmquam putaueris ſatis eſſe: quia ſi ſteteris, retrocedis. Nihil nimirum organorum noſtrorum natura pòſt ſed antè tantùm compoſuit: vt in virtutis actibus nõ retrocedentes imò ſemper procedentes creſcamus. Plures enim ſenſuum noſtrorum antè ſitua-i ſunt, vbi etiam ſunt manus & pedes. Quo dicto diſceſſit.

ET INTELLIGENS GVBERNACVLA POSSIDEBIT] Pro *gubernacula* Septuag. vertunt κυβέρνησιν, quod Complut. vertunt ad verbum, *gubernationem*: Romani, *rationem gubernandi*. Hebr. eſt תַּחְבּוּלוֹת *tachbulot*. quod Primò, ſignificat *conſilia*, quibus ſcilicet ſe & alios gubernet. Vnde Vatabl. vertit, *& qui iudicio pollet, induſtria conſilia conſequetur*. Secundò propriè ſignificat gubernationem & gubernacula, vt vertit Noſter & Septuag. Radix enim חָבַל *chabal* ſignificat colligare & funibus conſtringere חֶבֶל *chebel* enim eſt funis. inde חִבֵּל *chibbel* vocatur malus ſiue arbor nauis, à funibus dicta, quibus circumquaque in ſummitate colligatur, vt illis retineatur dirigaturque, per quos חוֹבֵל *chobel*, id eſt nauclerus vel gubernator, nauem gubernat. Inde תַּחְבּוּלָה *tachbula* à nauis gubernatione ad quamlibet aliam publicam gubernationem transfertur, quæ conſilio, induſtria, experientia & prudentia regenda eſt. *Tachbula* ergo non ſignificat funes, nec funambulos, ſed gubernacula & *βουλάς*, id eſt conſilia, quibus gubernacula diriguntur, vt paſſim vertunt S. Hieron. Septuag. Chald. & Rabbini: eſto à funibus ſumpta ſit tranſlatio & metaphora, eò quòd funibus velum mali, quo dirigitur nauis, gubernetur. Quia ergo *tachbulot* duo ſignificat, ſcilicet conſilia & gubernacula, quæ vtraque inſtar funium inter ſe connexa & implexa ſunt: hinc duplex eſt hic verſio duplexque ſenſus. Prior R. Leui & Aben Ezra, quos ſequitur Vatabl. q. d. Salomon: Qui haſce meas parabolas attentè audierit, ſi ſit ſapiens, id eſt ſapientiæ ſtudioſus & inchoatè ſapiens, euadet ſapientior: qui verò eas penitiùs intellexerit & perſpexerit, hic *tachbulot*, id eſt conſilium, ſolerſque ingenium acquiret. Secundò, & potiùs, *tachbulot* ſignificat gubernacula naucleri, indeque ſapientis. Sicut enim nauclerus malo & clauo regit nauem, ſic ſapiens prudentiâ & conſilio regit rempub. illi per omnia bene conſulens, eamque rectè dirigens & promouens.

Senſus ergo eſt, q. d. Qui hæc mea aliave aliorum ſapientum prouerbia audit & intelligit, is addiſcet magnam prudentiam, multaq; conſilia & praxes, quibus non tantùm ſe, ſed & domum, collegium, congregationem, ciuitatem & remp. ſapienter regere queat ideoq; cùm perſpecta fuerit eius hæc prudentia & ſapientia, facilè gubernaculis collegij vel reipub. admouebitur, eique gubernator ad eam moderandam præficietur. Ita videmus in Repub. ad magiſtratus & præfecturas promoueri eos, qui ſapientia & prudentia regendi pollent, quique in Ethica & Politica verſati ſunt. ita S. Baſil. Beda, Hugo, & alij.

Audi S. Baſil. *Prudens nauarchus*, inquit, *eſt qui de recto ac firmo naturæ propoſito iis vtitur quæ accidunt. nec elatus in proſperis, nec rurſus in calamitatibus demiſſus*, nimirum quia *tachbulot*, id eſt prudentiam & ſana conſilia mentis ſuæ, quæ hoc libro traduntur, velut funes mali, quibus regenda eſt manus publica vel priuata, conſtanter tenet, vt iis ſe & ſuos in hoc mari procelloſo tueatur, & dirigat ad portum ſalutis

Vnde S. Baſil. hoc loco, ſcilicet hom. 12. triplex aſſignat mare myſticum, in quo nauis humanæ vitæ à prudentia regitur, & ad portum dirigitur: Primum eſt hoc ſeculum, in quo fortunæ luſus dominatur, dum hos extollit, illos deprimit: in hoc ergo mari nauis eſt quilibet homo, & hominis ſors proſpera vel aduerſa. Secundum mare eſt cor, quod variis paſſionibus, cogitationibus & deſideriis velut maris æſtibus aſſiduè agitatur & fluctuatur: in hoc mari nauis eſt ipſa mens & voluntas. Tertium eſt vitæ curſus viaque, qua pergimus in cælum, quàm obſident dæmones quaſi piratæ, vt nauim cum mercibus id eſt animam cum bonis operibus, prædentur vel mergant. Idcirco ait in plurali, *intelligens*, id eſt prudens, lectitans hunc librum, vel legi audiens: *tachbulot*, id eſt *gubernacula*, *poſſidebit*: quia multiplici prudentia quaſi gubernaculo opus eſt, vt triplex hoc mare illæſi ſulcemus, & ad portum ſalua naue & mercibus appellamus. Hinc rurſum non ait Habebit, nec tenebit, ſed *poſſidebit*, quia continua prudentia opus eſt, vt numquam conſiliorum funes è manu dimittere, ſed eos firmiter & iugiter vſurpare, ac quaſi hæreditatem poſſidere debeamus.

Triplex mare myſticum.

Adde quartum mare, quod eſt prouinciarum cœtuumque hominum in mundo varietas, quæ variis populorum nutibus & moribus agitatur & fluctuat quaſi mare. In hoc mari nauis eſt quælibet reſpubl. vti docet Plutarch. in Polit. Plato l. 2. de Legib. S. Chryſoſt. hom. 6. ad pop. & alij: quare nauarcho indiget, id eſt gubernatore ſolerti & prudenti, qui eam velut ingentem populorum nauem aptè moderetur & regat, vt ſcilicet inter ciues pax & concordia conſtet, vt vicini & amici ſint vel ſubditi, vt ſchiſmata, ſeditiones, coniurationes, hæreſes, praui mores caueantur vel extirpentur. In hac autem naui anchora eſt religio, funes ſunt leges, vela ſunt ſortes & opes ciuium, quę vento ſecundo, id eſt fortunæ fauenti, pandenda ſunt, aduerſo conſtringenda.

Quartum mare eſt reſpub.

Igitur docet hic Salomon, gubernatorem reipublicæ debere imitari nauclerum. Primò, ſicut nauclerus ſedet ad gubernaculum, putà ad clauum nauis, vt eum poſſidere videatur; ita gubernator reipub. ſedeat & poſſideat iuſtitiam, vt eam tueatur, & cuique administret: hæc enim eſt in repub. id quod clauus in naui. Sicut enim clauus rectà in portum dirigit nauem, ita rectitudo iuſtitiæ dirigit rempub. ad pacem & proſperitatem. Vnde Sigiſmundus Imp. *Velut is qui in puppi*, inquit, *ſedens flectit gubernacula, ſimul nauem ipſam flectit reflectitq;, ita ad reip. clauum cõſtitutus, eam regit dirigitq;*. Cumque quiſpiam magiſtratibus præferret tribunos militum, excandeſcens: *Tace*, inquit, *ô Thraſo: nulla nobis militia foret opus, ſi ſuas quiſq; ciuitates & imperia iuſtè*

Rector imitatur nauclerũ. Primò.

iuſtè rectéq; gubernaret. Notum eſt illud : *Sat probè gubernator, clauum rectum ſi tenet.* A

Secundò. Secundò, nauclerus ſedens ad clauum circumſpicit totam nauim, omnibuſque & ſingulis tam perſonis quàm rebus proſpicit prouidetque : ita gubernator reip, omnia & ſingula in rep. luſtret & circumſpiciat, tam bona quàm mala & pericula, ne quid eum lateat ; vt bona promoueat, mala auertat. Vnde ſumma lex gubernatorum eſt, *poſſe ſomnum vincere.*

Tertiò. Tertiò, nauclerus multos habet nautas adminiſtros, ſibique ſubordinatos & ſubſeruientes, ac maximè peritos ſeduloſque ſibi ſeligit, quibus pro cuiuſque talento iniungit & partitur nauigandi officia. Vnde illud: *Optimos gubernatores iuuat remigum manus.* Idem faciat gubernator reip. vt incorruptos, ſapientes & fortes deligat officiales, quibuſcum curas & officia gubernandi partiatur pro cuiuſque aptitudine. *Nauarchus*, inquit Plutarch. in Politicis, *optimos quærit nautas, ita princeps eos aſciſcat amicos, qui ad remp adminiſtrandam ſint idonei.* Atque hæc eſt potiſſima ratio & modus bene gubernandi. Cùm enim princeps ſolus per ſe non poſſit obire omnia reip. munia & officia, neceſſum eſt vt ea obeat per alios: quare deligat oportet viros fidos, ſtrenuos, magni iudicij & ſpiritus. Quòd ſi his neglectis conſanguineos vel amicos minus aptos, aut adulatores, officiis admoueat, illi vel expilabunt remp. vel ſua ſuperbia, imprudentia, libidine eam perdent. Ita faciebat Mediolani S. Carolus Borromæus Archiepiſcopus, ac proinde optimè tantam rexit Eccleſiam. Ita faciebat Romæ Gregor. XIII. qui quatuor viros integros ſpectatæ prudentiæ, virtutis & zeli totius Eccleſiæ Romanæ regimini præfecit, inter eos operas & officia pro cuiuſque talento partitus, ac per eos tanta quanta legimus, imò conſpicimus, effecit. Vtinam omnes reges principes, Pontifices & Prælati officiales gnauos fidoſque, qui nõ ſua, ſed quæ boni ſunt communis ſpectant, quærerent! ſanè inuenirent: quos ſi adhiberent gubernaculis, & ſuæ conſcientiæ, & Deo, & reip. ſatis facerent, optimeque eam regerent. Ita fecit Moſes ſecutus conſilium Iethro iuſſu Dei, Exod. 18. 24. atq; hac ratione tot milliones Iudæorum adeò durorum & præfractorum, tanta facilitate & felicitate gubernauit. Scitũ eſt illud : *Imperare vis ſecurè? iudices ſtatue optimos.* Tales ferè ſunt qui magiſtratum detrectant. Quocirca Alexander Seuerus Imp ambientes magiſtratu arcebat: dicens: *Inuiti non ambientes, in repub. collocandi ſunt.* ita Lamprid. in Alexandro. Nam *bene imperat, qui non libenter imperat.*

Quartò. Quartò, nauclerus maximè attendit nauis clauo & velo : inde enim pendet tota nauis directio & ſalus : clauum per ſe regit, velum per nautas, qui per nauticos funes velum ad ventum quemlibet continua tranſlatione obuertunt, nuncque illud planè explicant, nunc contrahunt & ſinuant, nunc planè ſtringunt & cõplicant: ita gubernator reip. ad clauum ſedens ſua circumſpectione & vigilantia omnia dirigat, ac officiales iubeat velum accommodare vento, id eſt, conſilia modumque regendi, & officia ſua obeundi, accommodare occaſioni & tempori. Alia enim gubernatio inſtituenda eſt tempore pacis, alia tempore belli; alia apud ciues beneuolos, alia apud maleuolos, &c. Hinc nauis paſſis velis ſulcans mare, eſt quaſi auis paſſis alis ſulcans aëra, & qua facilitate id facit auis, eadem facit & nauis, ſi vela ritè pendantur. Vnde Poëtæ vocant *remigium alarum.* Talis planè, tamque facilis & felix eſt, prudens gubernatio reip.

Quintò. Quintò, nauclerus eminus prouidet & proſpicit venientes, tempeſtates, piratas & fluctus, atque prudenter nunc ſe eis opponit, ac vi ſuperat, nunc cedit & declinat. Idem faciat gubernator reipub. Tritum eſt illud: *Maximè ars gubernatoris tempeſtate cernitur.* Et: *Regnare neſcit, odia qui nimium timet. Peritus nauclerus, etiam ſciſſo velo nauigat.*

Sextò. Sextò, nauclerus non ſuum, ſed vectorum ſpectat commodum, ideoq; naui dirigendæ incumbit. Idem faciat rex, princeps, Epiſcopus, &c. vt non ſuum, ſed reip. ſpectet bonum, ideoque eius regimini totus inuigilet, totumque ſe eius ſaluti deuoueat. Nam vt ait Damaſcenus in Hiſtoria Barlaam & Ioſaphat cap. 36. *Sicut in nauigantibus quando nauta fallit, modicam vectorum affert læſionem;* B *quando verò gubernator, totius nauis efficit ruinam : ſic in republ. ſi quis priuatus delinquit, non tam populo, quàm ſibimet nocet ſi verò rex, omnis operatur conuerſationis detrimentum.*

Septimò. Septimò, nauclerus licet non ſequatur iuſſa, vel placita vectorum, ſcitum enim eſt illud : *Vectoribus nauclere ſi pares, peris;* cuique tamen pro ſua capacitate reſpondet, & ſatis facit: ſic rector non ſequatur regendorum cupiditates; ſed tamen quemque pro ſua indole & inclinatione gubernet, eique quoad poteſt ſe accommodet. Prudenter noſter B. Franciſcus Borja: *Qui ceteris,* inquit, *præeſſe volunt, non vnâ omnes, qui parent, regula metiri oportet; ſed bonos milites imitari, qui pro fiſtulæ captu machinam bellicam ſulphureo puluere implent,* ita Ribadener. l. 4. Vitæ eius c. 8.

C Hinc illud Titinnij apud Nonium : *Sapientiâ nauclerus nauem torquet, non valentiâ.* Et illa vulgò celebrata: *Si diu imperare quæris, leniter impera amore, non metu. Quiſquis imperat recenter, non bene imperat. Non regit nauim magiſter vi mera, ſed leni manu. Qui vult amari, languida regnet manu. Regendi inhabile eſt, quidquid excedit modum. Iuuenem faciliùs, quàm ſeniorem rexeris.* Hinc illud S. Pauli monitum ad Timotheum epiſt. 1. c. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem; iuuenes, vt fratres; anus, vt matres; iuuenculas, vt ſorores in omni caſtitate.*

Octauò. Octauò. nauclerus optimus eſt, qui alteri perito priùs ſeruiuit, ab eoque nauim regere didicit. Item qui nauarcho totius claſſis promptè obtemperat, ac ſeipſum flectere & regere nouit. Sic D prorſus ſe res habet in gubernatore reip. vel Eccleſiæ. Nam vt ait S. Greg. in Paſtor. *Ars artium eſt regimen animarum:* longo ergo vſu & labore diſcatur oportet. Hinc illa regendi præcepta omnium ore vulgata. *Non poteſt bene imperare, qui malè antè ſeruiit. Neſcit imperare, qui imperium alterius ferre nequit. Tam malum eſt regnare multos, quàm regnare neminem. Alios regit feliciter; qui ipſe ſe regit. Sibi imperare maximum imperium omnium eſt. Qui ſe rexerit, totum orbem rexerit. Regere poteſt nemo, niſi qui poteſt regi. Regi poteſt nemo, niſi regere qui poteſt. Nemo fert ſe regi ab vllo, qui ſeipſum regere nequit. Qui modeſtè paret, dignus eſt qui aliquando imperet. Expertus vtrumque regi quàm regere mauult. Promptiùs pauca & parua, quàm multa & magna regas.*

Nonò. Nonò, nauclerus ſæpè in tempeſtate ; ventis & procellis ad cælum & ſtellas, præſertim polares, reſpicit, vt diſcat vbi terrarum ſit, ac iuxta eas curſum dirigat. Ita qui gubernat remp. vel Eccleſiam, cre-

A crebrò præſertim in difficultatibus, Deum inuocet, ab eoque conſilium & auxilium ad bene regendum flagitet. *Nam omnium optimè gubernat, cui gubernator eſt Deus.* Quin & Homerus cenſuit, neminem rectè gubernare niſi ex Deo. hinc & reges bonos vocat διοτρεφέες, id eſt *à Ioue enutritos. Qui ergo optimè gubernet qui vim habet numinis.*

VERS. 6. Quocirca Symbol. Origenes in Catena hoc loco, per *gubernacula* accipit peculiarē Dei gubernationem. *Hanc enim,* inquit, *ſi ſapiens ſemel nactus fuerit, nihil ampliùs graue patietur. Talis enim homo rectà nauigat ad Deum, tutoq́ ad volūtatis illius portum appellet. Qui autem ita comparatus non eſt is vtique naufragium patietur, aut circa ſpem, aut circa charitatem, aliamue virtutem, vt iure exclamet: Ad maris profunda deueni, tempeſtas demerſit me,* pſal. 68.

B ANIMADVERTET PARABOLAM, ET INTERPRETATIONEM VERBA SAPIENTVM, ET ÆNIGMATA EORVM] Explicat quod dixit. v. præced. *Audiens ſapiens, ſapientior erit:* quia ſcilicet haſce meas ſentētias & dogmata audiendo. *animaduertet.* id eſt cognoſcet, *parabolā, verba ſapientū,* &c. Vnde pro *animaduertet* hebr. eſt יָבִין lehabin, id eſt ad intelligendum *parabolam,* hebr. *maſcal,* id eſt grauem & ſapientem quamlibet ſententiam, vti dixi v. 1. vnde *parabolam* explicans ſubdit: *Verba ſapientum.* Et *interpretationem,* vt ſcilicet parabolas & verba tam mea, quàm aliorum ſapientum, ac præſertim *ænigmata* ſcitè & acutè interpretari valeat. Nam ſicut τὸ *parabolam* refert & explicat pe *verba ſapientum,* ſic τὸ *interpretationem* refert & explicat maximè per *ænigmata:* hæc enim quia inuoluta

C & obſcura, acrē requirūt interpretandi vim. Vnde Septuag. pro *interpretationem,* vertunt, σκοτεινὸν λόγον, id eſt obſcurum ſermonem: huius enim fit interpretatio: ea enim clarus ſermo non indiget. Interpretatio ergo connotat & euoluit obſcurum ſermonem. Hinc pro *interpretationem* hebraicè eſt מְלִיצָה *melitſa,* quod à מָלַץ *malats* ſignificante in niphal *dulceſcere,* deriuatur: quia ſicut dulcis cibus, vt mel, ori ſuauiter ſapit, ſic menti ſapit, dulcis & iucunda eſt *melitſa,* id eſt interpretatio ænigmatis & rei obſcuræ. Alij deriuant à לִיץ *lits,* id eſt riſit, deriſit, vnde aliqui vertunt *cauillos.* q. d. Sapiens adeò facilè res obſcuras interpretabitur, vt quaſi ridens per luſum & iocum id faciat, vtque proponentes ænigmata irrideat & deludat *Melitſa* enim, id eſt *interpretationem,* ad ænigmata pertinere, patet ex illo Habacuc. 26. *Numquid non omnes iſti ſuper*

D *eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius?* Nam pro *loquelam* hebr. eſt *melitſa. Melitſa* ergo tam obſcuram loquelam, vt vertunt Septuag. & Noſter ibidem: vnde & Symmach. vertit *problema;* quam interpretationem eius, vti Noſter & Aquila vertunt hoc loco (vnde Vatabl. vertit *eloquentiam*) ſignificat. Hinc Heraclitus vocatus eſt σκοτεινός, id eſt obſcurus, tenebroſus, quod in dictis & ſcriptis ſuis affectaret obſcuritatem.

Verè S. Auguſtinus in pſalm. 105. concione 2. *Quod difficiliùs quæritur,* inquit, *ſolet dulciùs inueniri, nec putetis iſta vobis obſcuritate ſubtracta, ſed difficultate condita.* Ab obſcuritate ſententiæ ergo naſcitur dulcedo interpretationis, cùm mentis dentibus voluitur teriturque. Dulciùs enim ſapit, quòd labore ceu ſale conditur: ſub labore ergo & difficultate deliteſcunt deliciæ, ſicut diſtracta nuce guſtatur nuclei ſuauitas. Vnde S. Hieron. epiſt. 13. ad Paulin. *Totum,* ait, *quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, ſed dulciùs in medulla eſt.* Et S. Greg. hom. 6. in Ezech. *Magnæ,* ait, *vtilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſū, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat quod capere non poteſt otioſus. Habet adhuc quoque aliud maius, quia S. Script. intelligentia, ſi in cunctis eſſet aperta, vileſceret. In quibuſdā locis obſcurioribus tanto maiore dulcedine inuenta reficit, quanto maiore labore fatigat animum quæſita.* Obſcuritas parit dulcedinem.

Porrò priſci ſapientes gaudebant ænigmatibus, tum vt iis arcanam ſapientiam velarent, tū vt ſuū acumē oſtenderent, tū vt ſuorū ingeniū exercerēt.

Talia ſunt illa Auſonij, pia æquè ac grauia, & acuta præ ceteris: Ænigmata rara Auſonij?

Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.
Id eſt: Quod optimum? animus bene ſibi cōſcius.

B *Pernicies homini quæ maxima? ſolus homo alter.*
Id eſt: Homo homini lupus & dæmon.

Quis diues? qui nil cupiat. Quis pauper? auarus.
Diues eſt non qui multa habet, ſed ſorte ſua contentus. Auarus omnis pauper, qui omnia quæ habet, non habet.

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.
Mulier indotata etiam, ſatis dotata eſt, ſi caſta eſt.

Quæ caſta eſt? de qua mentiri fama veretur.
Caſta ſæpè nō eſt, de qua fama turpiter loquitur.

Quod prudentis opus? cùm poſſit, nolle nocere.
Proprium prudentis eſt, cùm poſſit, nolle tamen vlciſci.

Quod ſtulti proprium? non poſſe & velle nocere,
Malus etiam cùm non poſſit, optat tamen lædere.

Et illa Thaletis. Thales enim rogatus: *Quid eſſet* & Thaletis

C *omnium vetuſtiſſimum?* reſpondit, *Deus.* Cur ita? ὅτι ἀγέννητος, hoc eſt, quia ingenitus. numquam eſſe cœpit. *Quid eſſet pulcherrimum?* ait, *Mundus:* eſt enim opus Dei, quo nihil pulchrius: *Quid maximum? Locus:* capit enim omnia. *Quid velociſſimum? Mens:* diſcurrit enim per vniuerſa hominis cogitatio. *Quid robuſtiſſimum? Neceſſitas,* ſiue fatum: ſuperat enim omnia, cui ne Dii quidem reſiſtunt. *Quid ſapientiſſimum? Tempus* nam inuenit omnia, & in lucem profert.

TIMOR DOMINI (Arabicus, *Dei*) PRINCIPIVM SAPIENTIÆ. SAPIENTIAM ATQVE DOCTRINAM STVLTI DESPICIVNT] Procedit Salomon VERS. 7. ordine diſciplinæ, qui eſt vt in tradendis ſcientiis incipiatur ab eius principiis: aſſignat hîc ergo principia ſapientiæ. Pro *principium* hebr. eſt רֵאשִׁית *reſcit,* quod tam principium, quàm caput (radix

D enim ראשׁ *ros* ſignificat caput) & principatum ſignificat. Vnde vertas *principatus ſapientiæ eſt timor Domini,* q. d. In ſapientia primas & principatum obtinet timor Domini, qui cetera ſapientiæ dogmata edocet & imperat. Sic *principium* ſumitur pro principatu pſalm. 109. *Tecum principium,* id eſt principatus (hunc enim ſignificat Hebr. נְדָבוֹת *nedabot*) *in die virtutis tuæ.* Igitur aliqui *principium* hîc propriè capiunt pro initio. Et hi per *timorem* accipiunt ſeruilem, vel initialē: timor enim Dei vindicis eſt principium ſapientiæ, id eſt iuſtificationis, ita S. Greg. Nazianz. orat. 28. vbi & quædam addit, quæ in textu non habentur, ſic enim habet: *Vnam hanc ſapientiam ſcio, quæ in timore Dei ſita eſt. Nam & principiū ſapientiæ timor Domini. & finis ſermonis, omnia audi, Deum time. Hæc ſapientiſſimi illius Salomonis verba ſunt.* Et S. Auguſt. in epiſt. S. Ioannis tract. 9. *Cœpit,* inquit, *aliquis credere diem iudicij; ſi cœpit credere, cœpit & timere; ſed quia adhuc nondum habet* Timor Dei principium ſapientiæ. Quis? Primò ſeruilis.

habet fiduciam in die iudicij, nondum eſt in illo perfecta charitas. Numquid tamen deſperandum eſt? In quo vides initium, cur deſperes finem? Quod initium? Audi Script. Initium ſapientiæ timor Domini. Cœpit ergo timere diē iudicij, timendo corrigit ſe, vigilat adverſus hoſtes ſuos id eſt peccata ſua, incepit reuiuiſcere interiùs, & mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram. Sic quoque hunc locum de timore ſeruili, S. Auguſt. de more ſecutus explicat S. Proſper l. 1. de Vocat Gentium c. 27. & S. Gregor lib. 1. in Ezech. hom 19. S. Bernard. hom. 23. in Cantic Magiſter cum Scholaſticis in 3 diſtinct 34.

Secundò: filialis, qui eſt charitas. Alij *principium* capiunt pro principatu. Et hi *timorem* intelligunt filialem & perfectum, qui non eſt aliud quàm charitas. Hæc enim quia ſummè amat Deum, hinc ſummè timet eum offendere. Charitas ergo obtinet principium, id eſt principatum, in regno ſapientiæ, id eſt iuſtitiæ & virtutis. Septuag. explicationis gratia, ne quis putet hic agi de ſapientia ſpeculatiua, ex pſal. 110. 10. addunt: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum* q. d. Illi verè intelligētes & ſapientes ſunt, qui ſapientiam hanc non tantùm mente concipiunt & intelligunt, ſed & voluntate ac opere perficiunt & exequuntur. Deinde quis timor hic ſignificetur, explicant addendo: *Pietas autem eſt principium ſenſus* Pro *pietas*, græcè eſt εὐσέβεια, id eſt religio. Vnde Clemens l. 2 Stromat. legit, *ſapientiæ ergo initium eſt religio.* Et S Baſil. hom. 1 Hexam. *Principium ſapientiæ timor Domini: Eſt enim,* inquit, *hic reuerentia erga Deum timor ad perfectionem contendenti velut fundamentum.* Et Tertull. *Principium,* ait, *ſapientiæ metus in Deum.* Hinc & Vatablus ſic explicat, q. d. Qui ſapientes ac docti verè ſunt, timent Dominum. Alij: Fundamentum & baſis veræ ſcientiæ eſt timor Domini. Aut. Prima & præcipua ſcientia eſt timor Domini. Hanc ergo ſententiam *Timor Domini principium ſapientiæ*, Septuag explicant per duas quas adiungunt. Prior eſt: *Intellectus bonus omnibus faciētibus eum.* Poſterior. *Pietas autem eſt principium ſenſus,* Cetera quæ ad explicationem huius ſententiæ pertinent, recenſui Eccl. 1. v. 16. Vbi pariter oſtendi, quòd timor hic ſit amor & charitas ac proindè quòd ipſe ſit principium, medium & culmen, ſiue perfectio ſapientiæ, id eſt virtutis.

Porrò Olympiodorus in Catena Græcorum: *Sicut timor Domini,* inquit, *initium eſt ſapientiæ, ſic pietas in Deum initium eſt ſenſus, id eſt iudicij ſecundùm intellectum. Exercet ea enim ſe ſuum organa ad diſcretionem. vel quia ſenſuum appetitioni dominatur, eoſdemq́; ſecundùm ſpiritum viuere compellit.*

Tropol & Anagog Georgius in eâdem Catena: *Agit hîc,* inquit, *de interioris hominis ſenſu, ſecundū quem & veram illam lucē cernimus, & abdita Dei eloquia audimus, & vitali eſca paſcimur, & frangrantiæ Chriſti participes efficimur, & verbum vitæ apprehendimus. Huiuſce autem guſtus vel ſenſus radix & cauſa, eſt, pietas in Deum.* Et Euagrius. *Quemadmodum,* ait, *mēs per ſenſus fertur in ſenſilia, ita per virtutes in eorum cōtemplationem, quæ ſoli intellectui ſunt obuia; cuiuſmodi ſunt cæleſtia & ſpiritualia: eapropter ſapiens Salomon illorum quoque ſenſuum rationem habere nos voluit. Porrò pietatem in Deum illius ſenſus cauſam vel initium aſſerit, qui eſt ſecundùm intimum hominem, per quem omnia videmus quæ ſubintelligentiam veniunt, & vitæ adhæc verbum attingimus.*

SAPIENTIAM ATQVE DOCTRINAM STVLTI DESPICIVNT] Aptè ſubiungit hoc præcedenti ſententiæ. Eius enim eſt antitheſis. q. d. Quia timor Dei eſt initium ſapientiæ, hinc pij & timentes Deum reuerentur ſapientiam, eique ſe addicunt, ſtulti verò, id eſt impij, quia timore Dei deſtituti, deſpiciunt ſapientiam, cuius initium, imò eſſentia, eſt ipſe Dei timor. Vnde pro *doctrinam*, Syrus vertit. *correptionem*, Septuag. & Chald. *diſciplinam.* Pro *ſtulti* Symmachus, Aquila & Theodor. vertūt, ἄφρονες, id eſt, *inſipientes*, id eſt, vt Septuag. vertunt, ἀσεβεῖς, id eſt *impij*. Clemens Alexandr. legit ἄθεοι. id eſt *athei*, ſine Deo. Atheiſmus enim eſt centrum impietatis & peccati: ſumma enim inſipientia & ſtultitia eſt impietas ac peccatum. Ita Olympiod. *Pij homines,* inquit, *diſciplinam & ſapientiam auide conſectantur: qui autem Dei timore (qui interioris ſenſus radix & cauſa eſt) deſtituuntur illi nullā diſciplinæ aut ſapientiæ guſtum hauriunt, quin potiùs ſtudio vtraque auerſantur.*

Pro *deſpiciunt* hebr. eſt בזו *bazu*, id eſt ſpernunt, contemnunt, auerſantur. Et ita legunt Septuag. Noſter, Chald Syrus ac paſſim Græci & Latini. hoc enim ſignificat radix בזה *Baza*. Verùm aliqui qui aliis punctis legunt בזו *bazzu*, id eſt deprædantur, à rad. בזז *bazaz*, id eſt ſpoliauit, rapuit, prædatus eſt, huncque dant ſenſum, q d. Stulti, id eſt impij & athei, non tantùm ſpernunt, ſed & ſpoliant ac deprædantur ſapientiam, quia virtutem, eiuſque arma & iura & vires denudant, exarmant, & inermes reddunt iuxta illud Leonis Imp. *Iura exarmat impietas.* Verùm legendum eſt בזו *bazu* non בזו *bazzu*, vti iam oſtendi.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Quâ hortatur ad ſtudium ſapientiæ, & ad fugam inſipientum puta impiorum.

AVDI, FILI MI, DISCIPLINAM PATRIS TVI, ET NE DIMITTAS LEGEM (Vatabl. *directionem*) MATRIS TVÆ] Pro *diſciplinam*, Syrus vertit, *legem* Chald. *eruditionem*. Pro *ne dimittas*, Syrus vertit, *ne obliuiſcaris*; Chald *ne erres*; Septuag. *ne repellas ſtatuta matris tuæ*; aliqui vertunt, *ne euellas legem matris tuæ*. Verùm Hebr תטש *natas* non ſignificat euellere (quod ſignificat נתש *na. tas* per ת) ſed dimittere non curare, relinquere, abiicere, vti vertit S. Hieron. Septuag. Vatabl. & Hebræi. VERS. 8.

Poſtquam aſſignauit principium ſapientiæ, putà timorem Dei, nunc vtriuſque dogmata & præcepta tradere incipit. Inter quæ primum ſancit obedientiam, vt ſcilicet filius monita ſana honeſti patris & matris reuerenter audiat, iiſque humiliter obediat: idque Primò, quia pietati in Deum proxima eſt pietas in parētes. Vnde & in Decalogo poſt tria præcepta primæ tabulæ, quæ ſpectāt pietatem in Deum, ilicò primum ſecundæ tabulæ præceptū ſubiungitur de pietate in parentes: quia parentes ſunt viua imago Dei, qui eſt pater omnium: *Ex quo* proinde *omnis paternitas in cælo & in terra nominatur,* Epheſ. 3. 15. Porrò aptè patri tribuit *diſciplinā*, quia patris educatio eſt ſeuerior; matri *legem*, quia matris educatio eſt lenior & blandior, matres enim amant filios dulciùs, ſed patres fortiùs, ait Ariſt. in Oeconom. Hinc Cicero tres Officiorū libros filio dicauit. Totidem Conſilio- *Lex prima de honorandis parentibus: cur?*

rum

rum libros Leo Imp. filio ſcripſit & inſcripſit. Ex S. Aug. de matre ſua S. Monica loquens in Confeſſion. *Præcepta*, inquit, *vitæ quæ in animo plantauerat verbo, rigabat lacrymis, alebat exemplis*. Salomonē ſequitur Siracides, qui ethica ſua præcepta ita orditur: *Filij ſapientiæ, eccleſia iuſtorū: & natio illorū obedientia & dilectio. Iudicium patris audite filij, & ſic facite vt ſalui ſitis*, &c. Eccli. 3. 1. Vide ibi dicta.

Secundò, quia prima optimaque ratio bonis & honeſtis moribus ſeipſum imbuendi eſt, ſi à puero quis ſuſcipiat diſciplinā à patris & matris, cùm ſcilicet pater & mater fideles ſunt, & probis moribus; aut certè ſatagunt filios ad omnē probitatem erudire, quales erant in Iſrael. Alludit Salomō ad Dauidem patrem ſuū, qui cùm eſſet ſanctus & ſapiens, ſanctè & ſapienter educauit Salomonem, ceteroſque ſuos filios. Idem fecit Bethſabee mater Salomonis. Alludit quoq; ad Roboam ceteroſq; filios ſuos, quos ipſe in diſciplina & Dei timore educauit. Verùm ſub nomine patris & matris ſymbolicè Salomon hic intelligit ſeipſum, qui cùm velit hîc iuuenes erudire, eoſque docere timorem Dei & ſapientiam; nunc perſonam patris filium erudientis, nunc perſonam pædagogi & doctoris filium docentis & dirigentis induit. Vnde v. 10. & ſequ. ſæpè lectorem & diſcipulum blandè nomine filij compellat, vti ſolent facere benigni præceptores diſcipulorum amantes.

Senſus ergo eſt, q. d. Me parœmiaſten modò quidem fidi parentis & pædagogi perſonam ſuſtinentē, modò rurſus ſedulum virtutis & ſapientiæ doctorem agentem attentè audite, præceptaq; & documenta, quæ trado, à ſapientia mihi cælitus indita quaſi à matre profecta, auidè haurite, vti filij ſolent haurire monita matris dilectiſſimæ: ita fiet vt gratia quaſi corona addatur capiti veſtro. Sic Paulus ait Galatis c. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio* (quaſi mater dolore, quia amore veſtri plena) *donec formetur Chriſtus in vobis*. Et S. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 7. *Dulciùs*, ait, *ac vehementiùs ſimul vos diligo quos Euangelio genui, quàm ſi coniugio ſuſcepiſſem: nam vehementior ac dulcior eſt ad amorem gratia quàm natura*. ita Vatabl. Ianſen. Baynus, Peltanus, & alij. Porrò B. Antiochus homil. de inobedientia, hanc gnomen ſic legit: *Filius ſolers obedit patri ſuo, filius autem inobediens in perditione erit*; ſubditque: *Videmus iſtius inobedientiæ perniciem. Quid enim ad te reſilit emolumenti, ſi virginitatem quidem indelibatam conſeruaſti corporis, at animam dæmoni per inobedientiam proſtituiſti*.

Myſticè Didymus in Catena Græc. Beda, Hugo, Lyran. per patrem accipiunt Deum, qui pater eſt vniuerſorū; per matrem Eccleſiam, cuius ſponſus eſt Chriſtus; ſtatuta verò & leges eius ſunt Apoſtolicæ diatypoſes & cōſtitutiones: Eccleſia enim inſtar matris nos regenerauit, & nutricis lacte nos potat, cæleſtique doctrina & diuinis præceptis paſcit molliterque enutrit. Idem faciant Superiores Religionum, Paſtores, confeſſarij, prædicatores, qui fidelium ſunt patres & matres ſpirituales.

Vers. 9. VT ADDATVR GRATIA CAPITI TVO, ET TORQVES COLLO TVO] Hebr. גַרְגְּרֹתֶיךָ *gargerotecha*, id eſt gutturibus tuis; quia guttur multis annulis quaſi anulis conſtat, ait R. Salomon. Pro *gratia*, Syrus vertit, *decori enim ſunt*: Chald. *decor gratiæ*; hebr. eſt לִוְיַת חֵן *liuiat chen*, id eſt, *additio* vel *copulatio gratiæ*. q. d. Lex patris & matris, ſi eam audieris & feceris, comparabit & copulabit gratiam capiti

A tuo: quia lex inſtruit intellectum, vt concipiat ea, quæ intelligere oportet æquè ac eloqui, ait R. Leui. Et Aben Eſra: Ita, inquit, lex & diſciplina apta erunt capitis tui ornamenta, ac ſi aliquid gratiam concilians copulatum eſſet capiti tuo. Optimè Septuag. *liuiat chen* vertunt, *coronam gratiarum*, quia in corona annulus annulo, flos flori nectitur, copulatur, intexitur & implectitur: ſic enim habent, *coronam enim charitum*, id eſt *gratiarum*, *recipies capiti tuo, & torquem aureum circa collum tuum*; Aquila, *quoniam acceſſio gratiæ ſunt capiti tuo, &* περιτραχήλια, id eſt, *ornamenta colli tui*; Vatabl. *ea enim gratiam addent capiti tuo, & vice torquis erunt collo tuo*. q. d. Si haſce meas leges & monita ſuſceperis, opereque exercueris, illa te condecorabunt & exornabunt, perinde ac corona ſolet caput, & torques

B aureus collum exornare. Sicut enim corona ex nexu florum vel circulorum, torques ex nexu annulorum plectitur & contexitur: ſic & obedientiæ ac virtutum coronis, decor & perfectio ex varia & continua earumdem operatione & exercitatione plectitur & contexitur. Igitur extat ſapienti gloriæ corona; extant rurſum voluptatis & deliciarum ſerta: extat tandem iuſtitiæ diadema. Gratiarum corona nihil aliud eſt, quàm virtutum catenę. Enimvero cùm quis virtutem quāpiam perfectè adeptus eſt, à reliquis immunis eſſe omnino non poteſt; adeoq; ex omnibus quaſi vnam coronam texit, hoc autem ſerto interioris hominis vertex induitur. Ita Diodor. & Chryſoſt. virtutum orbem (quòd hæ ſibi mutuò cohærere ſoleant) gratiarum coronam appellat. Quin variis

C quoque donis & chariſmatis ornati ſint oportet, qui ſalute certè potiri volunt. ita auctor Catenæ Græcorum.

Nota. Idem eſt *addere gratiam capiti*, quòd addere torquem collo: eſt enim parœmia, ſignificans gratiam obedientiæ ita ornare obedientem, perinde ac corona ornat caput & torques collum: poſteriori enim hemiſtichio aliis verbis, & alia ſimilitudine more Hebræo idem ſignificatur, quod priori. Symbolicè tamen Diodorus, *Per verticem & collum*, inquit, *mentem deſignat, per torquem verò aureum notitiam ſpiritualemq; animi ornatum. Aut certè torques aureus obedientiam, quam Deo debemus, denotat, aut illud præſidium quod ex ſacris eloquiis peti conſueuit*. Et Euſebius: *Quemadmodum mens per verticem & ceruicem*, inquit, *ita diuinarum rerum notitia per coronam & torquem exprimi ſolet*.

Porrò multiplex gratia & corona gratiarum *Multiplex corona obedientiæ.*

D hoc loco obedientiæ, & obedienti promittitur. Prima eſt, gratia Dei & hominum. q. d. Si hiſce meis diſciplinis obedieris; conciliabis tibi primò *Primò.* gratiam, id eſt magnum decorem & pulchritudinem; ob eamque gratiam & fauorem Dei, angelorum & hominum tibi acceſſes.

Secunda eſt corona gratiarum, id eſt virtutum *Secundò.* omnium: has enim vel imperat, vel ſuadet & conſulit obedientia: illa enim imperat actum nunc religionis, nunc ſobrietatis, nunc ieiunij, nunc pœnitentiæ, nunc modeſtiæ, nunc humilitatis, nunc eleēmoſynæ, nunc charitatis, nunc ceterarum virtutum, Quare qui obedientiæ ſtudet, continuam ex omnium virtutum exercitio ſibi plectit coronam & torquem intorquet. Torques enim eſt indeficiens virtutum operatio, & continua earum cōnexio, cùm ſcilicet vna alteri innectitur & intorquetur aſſiduè. Ita Beda ex S. Gregor. *Sola*, inquit,

virtus eſt obedientia, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertaſq; cuſtodit. Ita Iohannes Abbas moriturus rogatus à fratribus, quænam eſſet compendioſa ad perfectionem via, qua ipſe ad illam perueniſſet? reſpondit: *Numquã feci voluntatem propriam, nec aliquem docui quidquam, quod ego priùs ipſe non fecerim,* vti refert Caſſian lib. 5. Inſtit. c. 28. Ita Paulus Simplex, diſcipulus S. Antonij, ſimplici obedientia ad culmen virtutum omnium euaſit. Vnde & plura ac potentiora per eũ miracula operabatur Deus, quàm per S. Antonium, ipſe enim Deo erat in deliciis. Quocirca S. Antonius eum omnibus proponebat in exemplum, vt diſcerent voluntatem propriam abnegare, & ſtuderent alacri obedientiæ, ſi citò ad perfectionem peruenire ſatagerent. ita Ruffinus in Vitis Patr. l. 2, c. 51. in Vita Pauli Simplicis.

Tertiò. Tertia corona, eſt copia & plenitudo (corona enim ſignificat complementum) gratiarum, quam Deus obedientiæ remunerator obedienti infundit: illum enim omnibus ſuis donis gratiis & influxibus cumulare ſolet. Inſuper filios parentibus obedientes donat longa vita, ſanitate, opulentia, bona fama, omniq; proſperitate, vti inferiùs docebit: & patet Eccli. 3. 9. *In omni,* inquit, *opere & ſermone honora patrem tuum, vt ſuperveniat tibi benedictio ab eo.* Vnde in Vitis Patrum lib. 5. libello 14. de obedientia Numer. Abbas Hyperichius ait: *Miniſterium monachi eſt obedientia, quam qui poſſidet, quod poſcit exaudietur, & cum fiducia crucifixo adſtabit: etenim Dominus ſic venit ad crucem, factus ſcilicet obediens vſque ad mortem.* Ita hanc Salomonis coronam fusè explicat Eccleſiaſticus c. 1. v. 11. & c. 3. v. 1. vſque ad 19. vide ibi dicta.

Quartò. Quarta eſt corona triumphi & regni cæleſtis, de qua dicitur: *Vir obediens loquetur victoriam.* Prou. 21. v. 28. & Sapient. 5. *Accipient regnũ decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Ita de P. Petro Fabro, qui primus fuit S. Ignatij de Loyola diſcipulus, ac deinde ſocius, narrat in Vita eius lib. 2. c. 28. Orlãdinus, quòd poſt mortem cuidam religioſo apparuerit redimitus corona obedientiæ, eò quòd ipſe tam in vita, quàm in morte victima extitiſſet obedientiæ. Mortuus enim eſt, eò quòd Romam vocatus in ſummis æſtatis caloribus, illam iiſdem ingreſſus ſit, cùm ſciret ſe certum adire vitæ periculum, malens vitam perdere quàm obedientiã, vti perdidit Chriſtus ſuã. Quocirca in Vitis Pat. lib. 5. libello 14. de obedientia n. 19. narratur quemdã vidiſſe quatuor ordines in cęlo, Primum, infirmorum & gratias agentiũ Deo; Secundum hoſpitalitatem ſectãtium, Tertium, in ſolitudine conuerſantium, Quartum, obedientium: *Vtebatur autem,* inquit, *ordo obedientium torque aurea & corona, & maiorem quàm alij gloriam habebat: quia alij faciunt ſua ſecundùm propriam voluntatem; obediens autẽ omnes voluntates ſuas abiiciens pendet ad Deum, & ad iuſſionem patris ſpiritualis: propterea & maiorem gloriam alijs habet.* Vnde cohortando concludit: *Obedientia ſalus eſt omnium fidelium. Obedientia eſt genitrix omniũ virtutum. Obedientia regni cælorum inuentrix eſt. Obedientia cælos aperit, & homines de terra eleuat. Obedientia cohabitatrix angelorum eſt. Obedientia Sanctorum omniũ cibus eſt. Ex hac enim ablactati ſunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.* Dignum ſanè eſt vt caput, quod obediens ſubmiſit obedientiæ, exaltetur, ac corona & torque condecoretur.

Quocirca Beda putat hic alludi ad coronas & torques, quę victoribus in agone certãtibus dona-

A bantur. q. d. Filius qui patri & matri per omnia obedit, tamquam pugil in certamine victor, corona & torque donabitur. Et noſter Salazar fusè hic cẽſet alludi ad agones & coronas pueris agonem obeuntibus propoſitas, de quibus Plinius li. 34. cap. 8. & Plutarch. in Eumene: *Ablata eſt,* inquit, *pueris pentathlis corona propoſita.* Quin & Clem. Alex. lib. 7. Strom. *Sicut in certaminibus gymnicis,* inquit, *ſic & in Eccleſia ſunt coronæ virorum ac puerorũ.* Sanè obediens magnam ſubit luctam, vt voluntatem & iudicium ſuum domet, ac Superiori ſubſternat. *Hinc eſt enim,* ait S. Gregor. *quòd potenter dimicantibus in munere torques datur: vt quia ſigna virtutum geſtant, maiora ſemper exerceant, & debilitatis crimen incurrere metuant, dum in ſemetipſis iam fortitudinis eſt præmium, quod oſtentant. Vnde rectè in laude ſapientiæ auditori cuilibet per Salomonem dicitur: Coronam*

B *gratiarum accipies capiti tuo, & torquem auream collo tuo.* ita ipſe 31. Moral. c. 11.

Hinc nonnullis illuſtrioribus Martyribus, qui obedientia, diſciplina, fortitudine & charitate precelluerunt, hanc gratiam datam legimus, vt caput reciſum à ceruicibus manibus geſtarent, aut illud ipſum pro ſanguine lac funderet. Qua de cauſa? an vt caput teſtaretur ſe in vita obedientiæ & legis Dei fuiſſe ſtudioſiſſimũ? an vt caput velut martyrij victimam & holocauſtum Deo offerrent? an vt caput velut poſt mortem, imò in ipſa morte rediuiuum, quaſi victoria de hoſtibus deq; ipſa morte trophæum, in ſignum triumphi geſtarent? Ita S. Dionyſius Areopagita plexus capite, *ſe erexit,* inquit Hilduinus in eius Vita, *ſanctaque manu caput à corpore truncatum, angelico ductu greſſum regente, & luce cæleſti circumfulgente pendulis cœpit brachiis vecti-*

C *tare. Et facta eſt comes multitudo cæleſtis exercitus examini eius corpori caput proprium, ab ipſo monte* (qui inde dictũs eſt Mons Martyrum) *vbi fuerat decollatus, per duo ferè milliaria deportanti vſque in locum in quo nunc Dei diſpoſitione, & ſua electione requieſcit humatum, ſine ceſſatione hymnus dulciſonis Deum laudans. Sed & cælos potentiæ diuinorum ſpirituum innumerabilia agmina ſunt audita, canore inæſtimabilis ſuauitatis alternis choris modulantia, Gloria tibi Domine: adiuncto frequenter Halleluia. Quod videntes & audientes innumeri populi, & multi etiam perſecutorum, in Dominum crediderunt: non credentes autem nimio terrore perculſi, quique in ſuas partes fugerunt.* An non fuit hic cæleſtis S. Dionyſij triumphus? an non hic addita fuit gratia & gloria capiti eius?

S. Dionyſij aſſecla B. Seuerinus Boëtius ſenatus

D Romani princeps, eiuſque ac fidei orthodoxæ acerrimus propugnator, à Theodorico rege Arriano capite mulctatus, caput ſuum abſciſſum vtrãq; manu ſuſtulit, rogatuſq; à quonam foret percuſſus? reſpondit. Ab impiis: cumque in vicinum templum veniſſet, & flexis genibus ſacram ſynaxim ſumpſiſſet, expirauit, ita habet eius Vita, & ex ea Baronius ad annum Domini 526.

S. Vrcisinus medicus, ad martyrium corroboratus à S. Vitali, caput præciſum ſuis manibus detulit ad locum ſepulturæ. Ferunt nonnulli, tres palmæ ramos ex eius collo exortos, ſicque à S. Vrſicino Epiſcopo cum capite in manibus, ac tribus ramis ex collo orientibus, prout viderat, depictum fuiſſe, ita Hieron. Rubeus libr. 1. Hiſtor. Rauennatis, qui hæc ex monumentis eiuſdem Eccleſiæ accepit.

S. Domneo Bergomas nobilis, cùm Maximiano

Imp. crudelitatem in Chriſtianos, & impietatem in Deum per litteras grauiſſimè exprobraſſet, ab eodem capite plexus eſt. Ferunt Bergomates illum caput ſuum propriis manibus acceptum vſque ad eum locum, iuxta quem eccleſia S. Andreæ extructa eſt geſtaſſe: in qua eccleſia corpus eius conditum aſſeruatur, ita ex Officio Eccleſ. Bergom. Philippus Ferrarius in Catal. Sanct. Italiæ ad diem 16. Iulij.

S. Donninus cubicularius eiuſdem Maximiani Imp. ab eodem ob Chriſti fidem decollatus apud Iuliam in agro Parmenſi (quod nunc Burgum S. Donnini nominatur) caput ſuum manibus trans Siſteronē amnem ad iactum lapidis geſtauit, poſt multū temporis aperto tumulo caput intra vlnas tenens, ſuauemq; ſpirans odorem, repertus eſt per miraculum ſplendoris cœleſtis, ita Surius & Philippus Ferrarius ad diem 9. Octobris. Qui pariter ad diem 5. Febr. narrat S. Gemulum Martyrem apud Gannam in agro Mediolan. caput ſibi amputatū ſuſtuliſſe, eoq; ceruici aptato ad Epiſcopum (cuius nepos erat) perueniſſe, ab eoque fuiſſe ſepultum. Sic & caput ſuum ſuſtuliſſe narrat S. Proculum Martyrem Bononienſem, & S. Regulum Epiſcopum & Martyrem Populoniæ ſub Totila.

S. Emygdius, Epiſcopus Aſculanus in Piceno creatus à S. Marcello Papa ſub Diocletiano Imp. capite plexus quòd multos ad Chriſtum conuertiſſet, caput ſuum manibus ſublatum ad trecentos paſſus in proximum montem geſtauit, ibiq; conditus eſt Nonis Auguſti, ita ex monum. Eccleſ. Aſculanæ Philip. Ferrar. ad diem 5. Auguſti.

Porrò caput S. Pauli, à Nerone præciſum pro ſanguine lac fudit, ac tres in terra dedit ſaltus, quibus tres fontes elicuit, qui etiamnum perennant, & magno aduenarum ſtudio viſuntur, qua de re plura dixi in prooemio epiſt. S. Pauli c. 6.

S. Secundina virgo & Martyr Anagniæ ſub Decio Imp. cùm acriter cæderetur, in ſymbolum innocentiæ & virginitatis pro ſanguine lac fudit, & odorem ſuauiſſimum exhalauit, quo viſo populus virginem rogauit, vt pro ipſis apud Deum intercederet; cumque virgo oraret, tonitruo ingenti perſonante ſpiritum Deo reddidit: cuius animam virgineam angeli concinentes, *Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum*, cum triumpho deduxerunt in cælum, ita ex monum. Eccleſ. Anagninæ Philip. Ferrar. ad diem 15. Ianuarij.

S. Æmilianus Epiſcopus Trębiæ & Martyr ſub Diocletiano, poſt ſuperatas ardentes faces, eculeum, feras, ſaxa & rotas, capite truncatus eſt. Ex cuius corpore lac pro ſanguine fluxiſſe, arboreſq; flores & fructus emiſiſſe ferunt, ita ex monum. Eccleſiæ Spoletinæ & Trebiatis Philip. Ferrar. ad diem 29. Ianuarij.

Denique S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 13. narrat S. Herculanum Peruſij Epiſcopum, à Totila capite truncatum, quadrageſimo die à morte & ſepultura inuentum fuiſſe integrum & incorruptum. *Et quod*, inquit, *eſt magna admiratione venerandum, caput eius vnitum erat corpori, ac ſi nequaquam fuiſſet abſciſſum, ſic videlicet, vt nulla ſectionis veſtigia apparerent. Cùmque & hoc in terga verterent, exquirentes ſi quod ſignum vel de alia monſtrari inciſione potuiſſet, ita ſanum atque intemeratum omne corpus inuentum eſt, ac ſi nulla hoc inciſio ferri tetigiſſet.*

Claudant agmen SS. Vrſus & Victor cum ſociis è Thebæorum legione, qui capita ſibi præciſa manibus geſtarunt vſque ad locum ſepulturæ, ibique flexis genibus orantes ea depoſuerunt, quaſi reipſa dicerent: *Hæc requies noſtra in ſæculum ſæculi.* Vnde eodem in loco eccleſia in ipſorum honorem fabricata eſt, ita Surius tomo 7. ad diem 30. Septembris, qui & addit: *Venienteſq; ſurdi, cæci, claudi, paralytici, & quacumque infirmitate detenti, tangebant corpora Sanctorum, & ſubitam recipiebant ſanitatem, æquè ac energumeni. Et vſque hodie, ſi fides petentium non titubet, per Dei gratiam curantur.*

Annon horum omnium capiti inſignis addita fuit gratia & gloria?

Simpliciùs & congruentiùs alij cenſent hanc coronam & torquem præmium eſſe ingenuæ & probæ indolis, ſapientiæ, virtutis & obedientiæ filialis. De ea enim hic agitur, nō de fortitudine agoniſtica athletarum, nam nihil magis probam indolē pueri oſtendit & decorat, quàm obedientia erga parentes. Vnde Maximus ſerm. 23. ex Euripide: *Suos*, inquit, *colens parentes eſt Deo gratus, viuus ſimul & mortuus. Nihil enim eſt quod magis decorum & ingenuum ſit liberis, quàm ſi à patre bono nati ſint, & ipſi genitoribus dignam referant gratiam.*

Porrò quòd corona & torques olim fuerint præmium ſapientiæ, liquet Daniel. 5. 16. vbi Baltaſar expoſitionē manus in pariete ſcribentis, *Mane, tekel, phares*, à Daniele repoſcens, hæc ei præmia promittit: *Purpura veſtieris, & torquem auream circa collum tuū habebis, & tertius in regno meo princeps eris.* Et 3. Eſdræ 3. v. 5. tres pueri diſputātes de eo quod eſſet fortiſſimum; primus enim dicebat: *Forte eſt vinum.* Secundus: *Fortior eſt rex.* Tertius: *Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autē vincit veritas*; vincenti hæc præmia ſtatuunt: *Cuiuſcumque*, inquiunt, *apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi Darius dona magna, & purpurá cooperiri, & in auro bibere, & ſuper aurum dormire, & currum aureo fræno, & cidarim byſſinā & torquem circa collum: & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darij vocabitur.*

Hinc etiamnum viris doctis, cùm in academiis creantur Doctores, datur pileus caput coronare, & torques aureus collum ornās. Vnde Lyran. Antiquitùs, inquit, ſapientes vtebantur torque aurea, & bulla ad pectus demiſſa in ſapientiæ ſymbolū, quæ in pectore claudi exſtimatur. Sic & S. Greg. Nyſſen. hom. in Cantic. *Audi fili leges patris tui, &c. Vt infans*, inquit, *prompto & alacri animo attendat parentibus, pollicetur ex diſciplinis ei ornamenta fore puerilia. Eſt enim ornamentum puerile torques aureus in collo reſpondens, & quæ iucundis ex floribus corona nectitur.* *Coronantur Doctores cur?*

Significat ergo hic Salomon, iuuenes ingenuos, præſertim nobiles & regios, diſciplina, obedientia & virtute eximios, corona & torq; donari ſolitos. Idem ſectati ſunt Græci, hi enim pueros elegantes & optimis moribus præditos coronabant, vti de Lyſi teſtis eſt plato in Lyſi. Sic & Pythagoram ob inſignem ſapientiā aurea corona redimiri ſolitum, eamque publico ſuffragio illi decretam, narrat Ælianus lib. 12. Var. hiſt. c. 32. Idem pluribus confirmat Carolus Paſchalius lib. 5. Coronis c. 9. & lib. 6. c. 29. Cùm enim ſapienti & probo datur corona, ipſa ſapientia & probitas coronatur. Vnde Apocal. 4. ſeniores 24. ob ſapientiam & virtutem coronis aureis coronantur.

Hinc Secundò, appoſitè Lyran. Vt addatur, inquit, corona, ſcilicet pontificia, aut regalis aut ducalis, capiti tuo. q. d. Ob ſapientiam, quàm obe-

diendo, diſces à me, mereberis creari pontifex, rex, dux aut princeps: vox enim לוית *liniath*, id eſt additio, corona, alludit ad nomen *Leui*, id eſt additus vel auctus: ſic enim eum vocauit mater Lia, eò quòd iã tres filios peperiſſet, & marito addidiſſet, Geneſ. 29. 34. In tribu enim Leui fuit corona ſapientiæ & pontificatus q. d. Si parentum diſciplinę obedieris, vocaberis, eriſque Leui, id eſt additus auctuſque corona doctori & pontifici debita. Sic Ioſeph obediendo parentibus meruit donari ſapientia & dono prophetiæ, ob quam creatus eſt à Pharaone princeps Ægypti. Pharao enim ob prę-uiſam ſeptem annorum ſterilitatem & fertilitatem, coronã capiti eius impoſuit, & torque aurea collum eius exornauit, Geneſ. 41. v. 42. Corona enim poteſtatis & principatus, torques ſapientiæ eſt inſigne. Cùm ergo poteſtati copulatur ſapientia, tunc iure ei datur corona cum torque.

Addunt aliqui coronam annorum & longæuitatis hîc accipi, qua pueri apud Græcos, triennes & ſeptennes coronabantur, quòd iam diſcrimina mortis euaſiſſent. Verùm hæc corona Gentilium fuit, non Hebræorum; naturæ, non virtutis & gratiæ, vt patet ex Philoſtrato in Heroicis in Proteſilao.

Denique pro *gratia* Septuag. vertunt στέφανον χαρίτων, id eſt, *coronam charitum*, ſiue *gratiarum*, q. d. Omnes gratiæ & Charites Dei, ſuis gratiis & donis te condecorabunt. Hinc finxerunt Gentiles tres eſſe Charites ſiue Gratias, Iouis & Veneris filias, putà Aglaiam, Thaliam & Euphroſynen, quæ gratiam gratiæ adderent, imò rependerent. Sic iidem, ait Tertull. libr. de Corona militis, finxerunt Pandoram (q. d. Omne donum) eſſe mulierem gratioſiſſimam ac deam, cui ceteri dij & deæ dona dederint, nimirum Pallas ſapientiam, Mars fortitudinem, Diana caſtitatem, Mercurius eloquentiam, Venus pulchritudinem. Ergo Charitum ſiue Gratiarum corona, eſt omnium virtutum & dotum, putà iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, pulchritudinis, eloquentiæ, &c. confluxus & conuentus.

Porrò Ariſtophanes Pandoram ait eſſe ſymbolum terræ, eò quòd terra omnia ad vitam neceſſaria nobis ſuppeditet ac donet. Veriùs Pandoram dixeris eſſe B. Virginem, vtpote cui Deus omnia angelorum & hominũ dona contulerit adeoque in qua ornanda certarit S. Trinitas: Deus enim Pater ei contulit ſuam paternitatem, vt vnigenito ſuo eſſet tam vice patris quàm matris. Filius eam acceptauit in matrem, Spiritus ſanctus in ſponſam, ac vt ſponſam omnibus ſuis chariſmatibus eam honeſtauit. Ipſa enim S. Trinitatis, æquè ac parentum ſuorum, diſciplinæ & legibus per omnia obediuit & ſecundauit.

B. Virgo eſt Pandora.

Verſ. 10. Fili mi, si te lactaverint (Caiet. vertit, *incitauerint*; Syrus *adulando deceperint*; Chald. *blandi fuerint*) peccatores, ne acquiescas eis] Syrus, *ne obedias eis*; Septuag. *fili ne te ſeducant viri impij, neque velis*; Vatabl. *fili ſi te decipere ſtudeant peccatores, ne conſentias*, ita vt eorum conſilia ne quidem in mentem & voluntatem admittas, imò nec in aures, nedum in manus & opera. Congruè hoc monitum ſubnectit præcedenti de audienda diſciplina patris & matris, q. d. Iuſſi te audire & obedire monitis patris & matris, eaque quaſi lac maternum haurire, vt eo enutriaris ad omne robur virtutis: quocirca nunc te hortor, vt caueas à blan-

A ditiis impiorum, quibus ipſi fraudulenter quaſi lacte fallaci te ineſcare, & ad omnem impietatem pellicere ſatagunt. Parentibus opponit non extraneos, ſed peccatores: quia præſupponit parentes eſſe bonos, ac fungi officio parentum rectè inſtituendo filium, ait Caietan. Pro *lactauerint* hebr. eſt יפתוך *iephattu*, id eſt allicere, pellicere, decipere, ſeducere. Vnde פתי *peti* vocatur paruulus, qui facilè pellicitur, illicitur & decipitur: quem proinde hîc præmonet Salomon, vt blanditias haſce deuitet. Noſter appoſitè vertit *lactare*, quia alludit ad lac diſciplinæ maternæ, quia *lactare* per metaphoram idem eſt, quod blanditiis & promiſſis velut lacte aliquem ineſcare, allicere & decipere. Vnde Comicus: *Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres*. Et: *Imperitos rerum in fraudem illicis ſollicitando, & pollicitando eorum animos lactas*. Dicit ergo: Lactet te mater pia, non verò te lactent impii.

B Suſcipe cum lacte phyſica lac morale doctrinæ maternæ, non adulterinæ prædonum: lac enim eſt ſanguis concoctus, & primum infantis nutrimentum. Quocirca *adnata ſunt lac & genitura*, ait Ariſtot. libr. 3. Hiſtor. animal. cap. 20. imo *lac quibuſdam pro genitura eſt, vt piſcibus, quæ vero lac habent, omnia mammis id continent. Mammæ autem datæ iis ſunt, quæ animal & intra ſe concipiunt, & in lucẽ edunt* &c. *At quæ oua pariunt, hæc & mammis carent & lacte, vt piſces & aues. Lac tenuiſſimum cameli eſt, mox equæ, tum aſinæ: craſſiſſimum bubulum eſt*. Idem lib. 4 cap. 10. *Leo minùs lacte abundat: cibum enim quem rarò aſſumit, quoniam carniuorus eſt, in corpus abſumit*. Quale ergo lac puer haurit, talis & indole & moribus euadit. Hinc Tartari nonnulli ſuos infantes lactant lacte canino, vt euadant feri, pugnaces, rixoſi inſtar canum.

C Lac igitur maternum eſt ſymbolum puræ, ſinceræ, vtilis & commodæ doctrinæ: hæc enim nutrit animam, ſicut lac carnem. Lac tale eſt doctrina legis diuinæ, quam olim docuit Moſes, deinde Chriſtus. Quocirca S. Auguſt. in pſal. 30. conc. 1. *Chriſtus*, inquit, *ſapiẽtiam ſuam vt lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos*. Idem in pſalm. 67. *Lac*, inquit, *ſignificat gratiã: manat quippe ex abundantia viſcerũ maternorum, & miſericordia delectabili paruulis gratis infunditur*. Et in pſal. 130. *Dominus*, inquit, *noſter Ieſus Chriſtus panis, ſe fecit nobis lac incarnatus, & apparens mortalis, vt in eo finiretur mors, & non aberraremus à verbo, credentes in carnẽ, quod factum eſt Verbum. Hinc creſcamus, ipſo lacte nutriamur: antequam validiſſimus ad capiendũ verbum, non recedamus à fide lactis noſtri*. Et inferiùs: *Sic nos Deus vult nutriri lacte, vt non ibi remaneamus: ſed creſcendo per lac ad ſolidũ cibum perueniamus*. Idem lib. de Quantitate animæ cap. 33. tom. 1. oſtendens, quàm vtile ſit lac Apoſtolicæ doctrinæ, quam Apoſtolus Paulus paruulis ſe potum dediſſe prædicauit 1. Cor. 3. *Quod alimentum*, inquit, *accipere, cùm quis à matre nutritur, vtiliſſimum eſt; cùm iam grandis eſt, pudendum; reſpuere, cùm opus eſt miſerandum: reprehendere aliquando aut odiſſe, ſceleris & impietatis; tractare autem ac diſpenſare commodè, laudis & charitatis pleniſſimum eſt*.

Lac ſymbolum doctrinæ.

D Hoc ergo lac doctrinæ legalis & Euangelicæ, auidè paruulo hauriendum à parentibus, tũ corporalibus, tum ſpiritalibus. Ex aduerſo lac peccatorum illi contrarium, vtpote veneno peccati infectum, omnino declinandum eſt, ac cane peius & angue fugiendum. Sicut enim venenum lacti immiſtum perniciosiſſimum eſt, planeque lethale,

tum

tùm quia cum lacte facilè citóque permeat per totum corpus; tum quia lac, vtpote liquidum & molle, totam veneni vim imbibit, ipſumque fit venenũ: ſic prorſus, ſi blanditiis & lenociniis ſuis virus peccati occultè miſceant impij, illudq; propinent iuueni inexperto, & blanditiarũ auido, virus hoc planè in totam iuuenis animam penetrat, illamq; inficit & occidit: putat enim ſe lac quod videt, quodque ambit haurire, non virus, quod non videt. Quocirca S. Auguſtin. de verbis Dom. ſecundùm Matth. hom. 19. in fine: *Maiorem prædam*, inquit, *à viduabus blandimenta eliciunt quàm tormenta*: ferè enim omnes virgines & viduæ, quæ naufragiũ caſtitatis faciunt, id faciunt illectæ blanditiis; cùm tormentis multæ vſque ad mortem reſtiterint, & etiamnum reſiſtant. Et S. Gregor. libr. 4. Moral. c. 25. explicans illud Iobi: *Cur lactatus vberibus? Emeritus animus*, inquit, *ad quædam ſe ſolatia falſæ conſolationis inclinat. Vnde fit, vt inceſſanter creſcat culpa fauoribus nutrita. Curari autem vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur. Vnde bene per Salomonem dicitur: Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Peccatores etenim lactant, cùm vel perpetrãda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata fauoribus extollunt. An non lactatur, de quo per Pſalmiſtam dicitur: Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & qui iniqua gerit benedicitur. Difficile enim emendatur peccatum quod linguis prauorum nutritur.*

Vnde S. Bernard. epiſt. 2. ad Fulconem: *Annuncius*, inquit, *tuum quærit animam tuam, qui iam perdidit ſuã: verba oris eius iniquitas & dolus, &c. Blanditur, ſed ſub lingua eius labor & dolor. Lacrymatur, ſed inſidiatur. Sperne blandimenta, contemne promiſſiones. Promittit magna, ſed ego maiora. Offert plura, ſed ego plurima. Dimittes ergo pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus æterna.* Et epiſt. 78 ad Suggerium: *Blanda, ſed periculoſa laus, cùm laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Et inferiùs: *Veri iſti ſunt laudatores, qui ita bona laudare ſoleant, vt lactare in malis non nouerint. Sunt enim ficti laudatores, veri autẽ detractores, quos Scriptura commemorat dicens: Vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Hi planè ſunt deuitandi, iuxta conſilium Sapientis dicentis: Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Habent ergo & lac & oleum peccatores, ſuaue quidem, ſed venenoſum, ſed mortiferum. Molliti ſunt, inquit, ſermones eius, hoc eſt adulatoris, ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Habet oleum & iuſtus, ſed miſericordiæ, ſed ſanctificationis, ſed lætitiæ ſpiritualis.* Et poſt nonnulla: *Quærant ſibi iam in paruulis Babylonis dulces, ſed truces matres, quibus lac mortis emulgeant, quos blandis mulceant fauoribus, ac flammis nutriant ſempiternis. Nam Eccleſiæ alumnus ex vberibus ſapientiæ lactis melioris expertus dulcedinem, iam in eo cœpit creſcere in ſalutem, iam & ita ſatiatus eructat dicens: Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis. Et hoc ad matrem. Verùm item guſtato ac probato quàm ſuauis eſt Dominus, vt verè patrem dulciſſimum, ait ad ipſum: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!*

Porrò duobus modis, ait Beda, lactant peccatores eos quos decipiunt, quia aut ad facienda ſcelera blandimentis alliciunt, aut facta iam fauoribus quaſi laudabiliter acta ſuſtollunt. Iſtæ ſunt lamiæ, de quibus myſticè dicitur Thren. 4: *Sed & lamiæ, nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos*, vti ibidem exponit S. Hieron.

Verſ. 11 SI DIXERINT: VENI NOBISCVM, INSIDIE- A MVR SANGVINI, ABSCONDAMVS TENDICVLAS CONTRA INSONTEM FRVSTRA] Sic & Aquila, Symmach. & Theodor. Verum Septuag. *ſi adhortauerint te dicentes: Veni nobiſcum, particeps eſto ſanguinis, abſcondamus autem in terram virum iuſtum iniuſtè*; Vatabl. *ſi dixerint: I nobiſcum, inſidias ſtruemus ſanguini, abſconditi latitabimus contra inſontem abſque cauſa*; Chald. *abſcondamur*; Pagninus, *abſcondamus nos contra innocentem gratis*; Syrus, *abſcondamus inſti contritionem & perniciem*; R. Leui, *in latebris abdamus & occultemus*; *quod virum*, inquit, *quantumuis inſontem è medio tollant, licet in eos vel alios nullam intulerit noxam.*

Dat exemplum clarum & obuium prædonum; in quo ad oculũ oſtendit, quibus artibus & lenociniis impij lactent & decipiant ſimplices. Solent B enim adoleſcentes cùm ſua luxurioſè abligurierunt, fieri fures & prædones, vt more ſolito licenter & delicioſè viuere queant. ita R. Leui. Eſt mimeſis: prædonum enim voces & geſtus imitatur & repræſentat, quibus illi in ſuam ſocietatem pellicere ſtudent adoleſcentes, proponendo eis multas prædandi illecebras. Prima eſt: *Veni nobiſcum.* q. d. Non primus, non ſolus prædam inuades, nos tibi duces erimus, tu nos duntaxat ſequeris aut comitaberis, ideoque ſub alis noſtris latitabis: nos enim & viribus & armis & animis præualidi, te contra omnes viatorum incurſus tutabimur. Ita nobiſcum ages vitam liberam & licentioſam, ages quidquid volueris, delicatè viues, non ex labore duro, ſed ex rapto & obuio. Nos enim viuimus vitam libertinam, omnis iugi legiſque expertem, ideoque felicem.

C Secunda eſt: *Inſidiemur ſanguini*, id eſt vitæ: hæc enim conſiſtit in ſanguine: vel *ſanguini*, id eſt ad ſanguinem effundendũ, ait R. Salomon. q. d. Non aperto marte, indicto bello vel duello, viatores aggrediemur: hoc enim nobis durũ & periculoſum foret, nec ſine noſtrorum ſanguine cæde & præda potiremur; ſed in ſiluis, vel antris anguliſque latitantes ex inſidiis incautos, imparatos & inermes adoriemur, itaque certò eos conficiemus ſine vlla noſtrorum clade, vel ſtrage. Vnde idipſum iterant & exaggerant, addentes: *Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra.* Vox *tendiculas* non eſt in Hebræo, ſed ſubintelligitur in verbo *abſcondamus*. Tendicula enim eſt laqueus, quem auibus & feris tendunt & abſcondunt venatores, vt eas illaqueent & capiant. Simili modo hi prædones *tendiculas*, id eſt laqueos & inſidias, ſtruunt viatori- D bus. Sic Cicero pro Cæcinna ait: *Tum aucupia verborum, & litterarum tendiculas in inuidiam vocant.* Efficaciores erunt hæ prędonum illecebræ, ſi verba omnia ex Hebræo cum Vatablo vertas per futurum: *Inſidiabimur ſanguini, abſcondemus tendiculas, deglutiemus viuum, &c.*

Magna ergo illecebra facinoris ſunt inſidiæ & latebræ, quæ ſcelus quaſi velant & contegunt, vt videatur non eſſe. Quod enim ſecretum eſt populo, videtur non eſſe. *Vitia*, inquit Syneſius, *lucem fugiunt, tenebras amant, & vt ſecuriùs lateant, ſub terras ire ſolent.* Hinc latro dicitur quòd à latere adoriatur; vel à latendo, quòd latenter inſidietur, ait Feſtus. Sic & fur à furuo, id eſt ab atris tenebris, quas ſectatur, nomen accepit.

Tertiam illecebram ſuggerit *fruſtra*, quod Primò, Vatabl. Ianſenius & alij paſſim vertunt, *ſine ſua culpa*, ſcilicet ſine inſontis noxa & merito.

Vnde Septuag. vertunt *ἀδίκως*, id eſt *iniuſtè*. Verùm hic ſenſus illecebram non ponit; ſed elidit & infringit. Innocentia enim & innoxia vita viatoris, arcet homines, etiam barbaros, à nocendo. Quocirca Emmanuel Sà reſpondet τὸ *fruſtra* nō à prædonibus dici, ſed à Salomone interloquente eſſe additum. Multò magis impertinens eſt aliorum expoſitio, q. d. Abſcondemus illi tendiculas, ſed fruſtra: Dei enim tutela & ope eas euadet is, qui inſons eſt & innoxius.

Secundò appoſitè Caietan. q. d. Inuademus inſontem *fruſtra*, hebr. *gratis*, id eſt abſque vlla cauſa, abſque vllo litigio vel irritatione: itaque eum occidemus improuiſū antequam ſe defendere queat, imò antequam ſciat ſe ſuamque vitam peti.

Tertiò, planior & neruoſior erit illecebra, ſi τὸ *fruſtra* referas ad *innocentem*, cui cohæret. q. d. Ne dicas inſidias has tendi *contra inſontem*, Deumque eſſe innocētiæ vindicem; nos tibi aſſerimus ipſum eſſe inſontem *fruſtra*, id eſt, ipſum fruſtra ſtudere innocentiæ: Deum enim non curare an quis nocens ſit vel innocens; ſed omnia permittere fortunæ & naturæ, qua fit, vt qui fortior & ſagacior eſt, vti nos ſumus, infirmiorem & ſimpliciorem ſuperet & deuoret. Quare ſtatuimus Deum non defenſurum inſontem, nec eius innocentiam remuneraturum, imo permiſſurum vt in manus noſtras cadat & pereat. Nec ergo innocentia, nec Deus eum tutabitur à noſtris viribus, adeò armatis & inſidioſis.

Quartò, noſter Salazar τὸ *fruſtra* exponit fraudulenter, doloſè: ſic enim dicimus fruſtrari hominem pro decipere & fallere, q. d. Abſcondamus tendiculas fruſtra, id eſt fraudulenter & doloſè. Verùm hebr. eſt חִנָּם *chinnam*, id eſt gratis, ſine cauſa, quod procul abeſt à τῷ *doloſè*.

Porrò minùs aptè Caietan. cenſet hos latrones verè non intendere, ſed ſimulare tantùm cædem, vtpote ingens ſcelus, quod iuuenis ſtatim exhorreret, igitur dicere, ſe minaturos dumtaxat necem viatori, ad hoc vt eum liberiùs ſpolient, ab eoque aurum extorqueant. Nam τὸ *inſidiemur ſanguini*, clarè ſignificat, eos meditari effuſionem ſanguinis, id eſt necem, ſed per inſidias, volunt enim eum ſpoliare bonis, ſed ſecretò, vt nemo factum reſciſcat, ideoque eum occidere deſtinant. Si enim viuum dimitterent, is dimiſſus ſcelus & ſceleſtos proderet, imò reos apud iudices peragerct: vt igitur hoc caueant prædones, eum primò occidunt, deinde ſpoliant. Scelus ergo, quia ſecretum, nihil æſtimant, & ludum iocumque laniſtarum vocant, ac ſanguinem quaſi aquam affundere ſe dictitant, imò iactitant.

VERS. 12. DEGLVTIAMVS EVM SICVT INFERNVS VIVENTEM, ET INTEGRVM (Chaldæus & Syrus, *immaculatum*: hunc enim ſignificat quoque Hebr. תְּמִימִים *tamim*) QVASI DESCENDENTEM IN LACVM] Syrus, *in foueam*; Vatabl. *in voraginem*. Hebr. eſt *iorede bor*, tritum de planè pereuntibus, imò perditis. Aliqui pro *infernus* vertunt, *ſepulcrum*. q. d. Deglutiamus eum ſicut ſepulcrū deglutit corpus nuper viuentis, iam mortui. Tigurina, Lyran. & alij vertunt, *barathrum* eodē ſenſu. Verùm Hebr. שְׁאוֹל *ſcheol* propriè *infernum* ſignificat, itaque hîc conſtanter vertunt Septuag. Chald. Noſter Vatabl. Pagnin. & alij paſſim. Vide Delrio adagio 197. Et maior eſt energia in deuoratione inferni quàm ſepulcri: nam *infernus inſatiabiliter caua guttura pandens*, innumeA ros homines abſorbet, & tamen perinde ſemper hiat ac ſi nullum abſorpſiſſet.

Alludit ad Core, Dathan & Abiron, qui viui deſcenderunt in infernū, Numer. 16. Ad quos pariter Dauid, quem ſequitur hic Salomon, alludit pſal. 123. 3. dicens: *Forte viuos deglutiſſent nos*. q. d. Sicut hoſce tres viuos abſorpſit infernus, iique integri deſcenderunt in lacum infernalem, ita pariter nos hunc deglutiamus viuum & integrum, vt noſtram ſceleris gulā humano ſanguine expleamus.

Nota, τὸ *deglutiamus* notat Primò auiditatem & voracitatem. q. d. Eſurimus & ſitimus inſontis ſanguinem, vitam & opes adeò auidè, vt optemus eum viuum & integrum glutire, ſicut lupus integras viuaſque gallinas deglutit. Vnde S. Chryſoſt. hom. 9. in 1. ad Corinth. ingluuiem latronum deB ſcribens, *Horum ora ferarum ſunt*, inquit, *vel potiùs ſeuiora quam ferarum: auidiùs deuorant, crudeliùs laniant, virulentius mordent*.

Secundò, notat facilitatem ſceleris patrandi. q. d. Tam facile eum conficiemus, quàm facilè infernus conficit homines. Ita Ianſen. Vnde pro *deglutiamus* hebr. eſt נִבְלָעֵם *niblaem*, id eſt, *deglutiemus eos* ſubitò & facillimè.

Tertiò, notat occultationem ſceleris. Solet enim pudor iuuenes à ſcelere deterrere. Hunc ergo abſtergunt dicendo, ſcelus fore occultū: ſe enim inſontē quoad corpus ſepulturos in ſepulcro, quoad animam eum tranſmiſſuros in infernum, ita vt nulla eius pars, mentio aut memoria, quæ ſceleris ſit indicium, extet. Vnde Septuag. vertunt, *deglutiamus eum ſicut infernus viuentem, & tollamus eius memoriam de terra*. ita Lyran. Eſt hæc ergo quarta C peccati illecebra, quam impij proponunt iuueni, vt eum ad ſui ſocietatem pertrahant.

Eſt catachreſis: *deglutire* enim ponitur pro planè perdere & occidere. Occiſor enim morali æſtimatione, vſuq; loquendi videtur ob auiditatem iræ, inuidiæ vel auaritiæ, haurire & glutire ſanguinem & vitam occiſi, ſicut cetus glutiuit Ionam viuum & integrum. Vnde illæ phraſes in Script. *Gladius deuorabit carnes, percuſſit eos in ore gladij* (os enim gladij eſt os occidentis gladio:) *de cruore occiſorum bibet*. Ita Olympiod. in Catena Græc. Phraſi Script. ait, deglutire vel abſorbere idem eſt quod funditus abolere, prorſuſque deiicere & ſuperare. Qui & myſticè ſic exponit, q. d. impij; Deglutiamus virum iuſtum, id eſt, eum deiectum, debellatumque in noſtros amores transferamus, ita vt perinde ac nos aliud nihil ſapiat, aliud nihil ſectetur, aliud nihil ambiat, niſi terrena & tartarea, idque viuus, id D eſt ſciens & volens. Sic poſſeſſionem eius, id eſt omnes quos Chriſto lucrifecerat, pellumdabimus. Sic & Euagrius & Polychrun. ibidem.

Eſt quoque metonymia: deglutiri enim dicuntur homines cùm eorum opes, fruges & cibi, ex quibus pendebat eorum vita, deglutiuntur. Vnde parabolicè, inquit Ianſenius, notantur hîc perſides monopolæ, vſurarij & ſimiles, qui ſuis artibus & fraudibus remp. & miſeros ciues expilant per monopolia, vſuras, iniquos contractus, &c. qui quò ſint fortiores, in ſuam ſocietatem multos pertrahere ſtudent. Hinc illud pſalm. 13. 4. *Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis*. Et Ierem. 2. 3. *Omnes qui deuorant eum*. Et Marci 12. 40. *Qui deuorant domos viduarum*.

Nota τὸ quod aiunt impij, *Sicut infernus*: cùm potuiſſent dicere, *Sicut lupus, ſicut cetus*. Quid enim homi-

homines ſceleſti & infernales aliud, quàm ſcelus & infernum cogitent, loquantur, operentur? Iure ergo ſe inferno comparant, vtpote quorum tanta eſt cum inferno vicinitas & cognatio, eoque tacitè nominantur ſe in infernum ituros, vtpote quem ſuis ſceleribus deberi non ignorant. Tanta eſt vis conſcientiæ, etiam impiæ.

Denique hæc maximè ad Iudæos occiſores Chriſti, qui inſontium fuit innocentiſſimus, (eius enim ſanguinem vitamque ſitierunt, & glutierunt quaſi lupi & leones infernales) pertinere, de eiſque propheticè eſſe dicta & prædicta cenſet S. Auguſt. lib. 27. de Ciuit. c. 20. S. Hieron. Beda, Hugo, Ianſen. & alij paſſim. Vnde Septuag. & Noſter vertunt in ſingulari, *deglutiamus eum*, eſto in Hebræo ſit plurale *eos*. Simile eſt Sapient. 2. 12. quod citat quoque & de Chriſto explicat S. Auguſt. loco iam citato.

Vers. 13. OMNEM PRETIOSAM SVBSTANTIAM (Symmachus, *πλοῦτον*, id eſt *diuitias*; Septuag. *κτῆσιν*, id eſt *poſſeſſionem*) REPERIEMVS, IMPLEBIMVS DOMOS NOSTRAS SPOLIIS] Eſt hæc quinta, eaque ſumma peccati illecebra. q. d. Occiſo hero inuademus eius armaria & ſarcinas; in eis ſine labore ilicò reperiemus aurum, argentum, gemmas & quaſlibet res pretioſas, quibus quaſi ſpoliis domos noſtras replebimus. Hebr. enim מלא *male* ſignificat implere dumtaxat, non euacuare vel euertere, vti norunt omnes hebraicè periti. *Omnem*, id eſt omnis generis, vt vertit Vatab. eſt enim diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, quam vocant logici. Efficacius vertunt Septuag. *omnem poſſeſſionem pretioſam καταλαβώμεθα*, id eſt, *accupemus*, vel *recipiamus*; *impleamus domos noſtras ſpoliis*. q. d. In promptu eſt opima præda, qua nos noſtroſque ſine labore ditemus, tantùm eam recipere & occupare oportet, vltrò nobis offertur, ſponte nobis in manum ſe dat, imò in ſinum noſtrum incurrit; aperiamus eum, ac tantas opes acceptemus. Singula verba habent pondus & emphaſim. q. d. Non aliquam, ſed omnem; non qualem qualem, ſed pretioſam; non tranſeuntem, ſed ſolidam ſubſtantiam; non magno labore vel pretio comparabimus, ſed vltrò oblatam reperiemus: eaque tanta eſt, vt non ſolùm nos, ſed & liberos, vxores, domoſque noſtras illa ſimus, non ornaturi, ſed prorſus repleturi.

Similem illecebræ fucum peccatori obiicit dæmon, caro & mundus, cùm eum ad ſuperbiam, auaritiam, gulam, aliudue ſcelus ſollicitat: quidquid enim in peccato ſpecioſum eſt, & ſenſibus gratum, homini obiicit; quidquid verò in eo deforme eſt, periculoſum & noxium, vt periculum infamiæ, carceris, vitæ, gehennæ, &c. ſubticet & occultat.

Vers. 14. SORTEM MITTE NOBISCVM, MARSVPIVM VNVM SIT OMNIVM NOSTRVM] Hebr. *ſortem tuam cadere fac in medio noſtri: loculus vnus erit omnibus nobis*; Tigur. *ſortire nobiſcum*; Vatabl. *conſors noſter ſis*; Septuag. *ſortem mitte in nobis, & marſupium vnum ſit nobis*. ita Complut. Addunt Roman. *communem crumenam poſſideamus omnes*. Verùm, vt iidem notant, hæc verba videntur eſſe altera interpretatio ſententiæ iam poſitæ: *Marſupium vnum ſit nobis*. Sic Iudas commune cum Iudæis marſupium habuit, Act. 1. 18. inquit Euagrius in Catena Græcor. Qui & myſticè addit, impios cum dæmonibus habere fœdus, & commune marſupium iniquitatis, ideoque & commune marſupium damnationis in gehenna cum eis habituros. Sic & Georgius ibidem: Sors, inquit, eſt recta voluntatis electio iuſtaque actio, q. d. Miſsâ ſanctâ & piâ illâ conuerſatione, qua vſus es hactenus, conſpira nobiſcum ad liberam & licentioſam. Verùm hæc myſtica ſunt.

Ad literam ergo Primò, ſenſus eſt q. d. Subi nobiſcum communē fortunæ aleam, ſors tua ſit ſors noſtra, vt & vnum nobis omnibus ſit marſupium, in quod iniiciamus quidquid prædati fuerimus. q. d. Communis tibi nobiſcum erit omnis præda, commune omne lucrum. ita Ianſenius. Vnde alii qui ſic vertunt, *ſortem tuam deiicies*, vel *mittes, inter nos*, id eſt, particeps eris omnium quæ nobis prædando comparabimus.

Secundò, q. d. *Tuam ſortem*, id eſt, tuas opes commiſce cum noſtris, vt communes ſint omnium fortunæ & loculi. Hoc enim exigit lex ſocietatis arctæ, qualis eſt inter prædones fœderatos.

Eſt hæc ſexta ſceleris illecebra, munerum communio prædæ & opum, quas habent ſocij prædones. Vbi rectè notat noſter Salazar, verba hæc videri ſpecioſa, ſed dolum continere. Sæui enim & doloſi iſti latrones, iuuenem ſimplicem ſatagentes bonis ſpoliare, ſuadent, vt ea, quæ habet, in commune conferat, vt cùm primùm contulerit, ipſi abripiant. Rurſum ex communione loculorum tacitè inducunt ad communionē ſcelerum: ex illa enim hæc ſequitur, imò illa ob hanc fit & initur. Quare hic verum eſt illud elegans Hebræorum prouerbium בכיס בכוס בכעס *backis baccos baccaas*, id eſt in loculis, in poculis, & in flāmulis, ſiue in ira; ſupple, cognoſcitur indoles & ingenium hominis: Hebræum enim כיס *kis*, quo vtitur hic Salomon, ſignificat loculos, crumenam, marſupium, ſacculum, in quem pecuniæ quælibet iniiciuntur, vt aſſeruentur & cuſtodiantur. Igitur qui communem cum prædonibus habet burſam, is omnium prædationum & ſcelerum, quæ ipſi per hanc burſam communem committunt, fit reus & particeps: perinde ac primi Chriſtiani olim, & Religioſi nunc omnia ſua in commune conferentes, participes fiunt omnium bonorum operum, quæ per hanc communionem opum, vitamque communem & ſocialem efficiuntur. Plus enim valet efficitque nummus, æquè ac homo, ſiue pius, ſiue impius, in ſocietate multorum ſibi ſimilium, quàm ſi ſolus ſit: perinde ac ciphra ô ſola nil valet, ſed ſi eam ſubnectas vnitati, facit decem; ſi denario, facit centum; ſi centenario, facit mille, & ita conſequenter, iuxta illud Eccleſ. 49. *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, &c.* Vide noſtrum Hieron. Platum lib. 1. de Bono ſtatus Relig. c. 27.

Aliter Baynus. q. d. Captâ prædâ ſortes iaciemus, & quod ſorte obtigerit tibi, id dabimus. Sin aliter mauis, *marſupium vnum ſit omnibus nobis*, id eſt omnia in commune conferamus, vt communes ſint loculi, communis menſa, communes expenſæ, communis vita; ita vt altero alter nihil magis habeat, ait R. Leui. Sic & R. Salomon Iſacides, q. d. Si voles, nobiſcum ſpolia partieris; ſi etiam magis placebit, ſociali communique marſupio nobiſcum viues.

Apologus prædonum. Porrò dementiam eorum qui ſociis armantur ad ſcelus, appoſito piſcium duorum apologo repræſentat Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. c. 17. cui titulus

tulus: *Contra ſuperbientes ex amicorum multitudine, quibus etiam animantur in malum. Piſcis quidam ſeptem ordinibus dentium armatus, cùm vidiſſet alium piſcem gladiati oris armatura munitum, dixit O vtinam naturæ illius mirabilis ars, quæ tam diſparibus formis, vená ſapientiæ cuncta fudit, mihi ſatis intus dentibus armato, hanc etiam deforis fortitudinem addidiſſet! Cui alius: Quid, inquit, ageres eo gladiolo? mox ille, Illud quod cum meo dente facio. Quo audito, alte ſubiunxit: Poſtquam certè velles eo vti in ſuperbiã, & ad prædam, carere tibi eo eſt melius, quàm habere. Præſtat enim priuari bono, quàm vti in malũ bono. Malæ enim voluntati, licentia iniquitas eſt. Complet enim huiuſmodi habita tantò iniquitatem celeriùs, quantò hanc agere ſperabat auidiùs. Et propter hoc ſulphur rogo, & gladius fatuo & iniquo, quid expectatur inde, niſi ira, ſæuitia, violentia atq; præda?* Deinde idipſum nouo vrſi & bouis apologo cõfirmat: *Dicam ergo (ne turberis chariſſime) illud quod olim bos vrſo dixit cornua appetenti: Amice bona ſunt cornua, ſed non tibi. Quin imò longè melius eſſet tibi poſtquam naturalibus armis abuteris, vt omnino dẽtibus priuareris. Cùm enim tuũ cor ſæuiret iracundia, vires deficerent; & cùm ſanguinẽ durus venter appeteret, dens nequitiæ deeſſet, & ſic facultatis orbatio aut iniquitatem corrigeret, aut ſopiret. Quin etiam poteſtatis ſubtractio ſæpe iram in manſuetudinem verteret, & in virtutem quidem neceſſitatẽ mutaret. Attamen cordi peſſimo debet deeſſe organum tã armatum. Poteſtas enim ſuperbiendi ſuſcitat auſum inuadendi, & mox quemlibet actum præparat nocendi, & quantum poteſt complet effectum malè faciendi. O certè miſerũ, cui peccare licebit, quia ad facinus ſe armat! vah, qui amicitiam vel potentiam omnia vincentem trahit in ſuperbiam, aut prædam, aut violentiam! Hinc profectò bonum malum eſt, & amicitia fit inimicitia, lux tenebræ, poteſtas clementia, & dira calamitas fit fortuna. Quibus elucidatis receſſit.*

Alius.

Vers. 15. Fili mi ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum a semitis eorum] R. Leui, *ne vel vna vice tantùm*, inquit, *cum illis iter habeas, ne illorum ſcelerata exempla in animum dimittas.* q.d. Adeò noxium & peſtilens eſt prædonum commercium, vt non tantùm cauenda ſit ſocietas cum eis, & ſors communis iam dicta; ſed ne quidem ambulandum ſit cum eis, nec commune iter cum eis habendum; idque Primò, quia iter eorum tendit ad latrocinia & rapinas: qui ergo iter cum eis init, pergit cum eis ad latrocinia & rapinas: imò eſto ipſe id neſcit, tamen data occaſione facilè prædationis vel rapinæ alicuius fit particeps, qua ineſcatus diſcet furari & prædari, habitumque furandi & prædandi induet, quem poſtea dediſcere & deponere nequibit: inhæret enim & ſerpit inſtar gangrænæ furandi conſuetudo, vti docet B. Antiochus homil. 41. Hanc rationem innuit Salomon cùm ſubdit: *Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem.* Huius rei rarum eſt naturę exemplum & ſymbolum in lupo, cuius rapiendi & nocendi tanta eſt vis & noxa, vt ſcribit Plinius lib. 28. c. 10. veſtigia lupi ab equo calcata, illi afferre torporem & noxam: perinde ac torpedo piſciculus manum piſcatoris torpidam efficit. Tanta eſt ſocietatis vis & contagio.

Secundò, quia cum eis verſari & ambulare, eſt infame & probroſum. Audit enim cum eis verſans ſocius furum, comes latronum, id eſt fur & latro.

Tertiò, quia cum prædonibus ambulans in perpetuo verſatur metu & periculo, ne aut ab iis ipſis ob auaritiam, iram vel vindictam occidatur; aut certè à iudicibus, cæteriſque, qui prædones inſectantur, capiatur, & publico ſupplicio quaſi fur & latro afficiatur, vti in Belgio ſubinde factum vidimus. Hinc ſumpſit gnomen ſuam Ben Sira alphabeto 1. litera *phe*: *Auerte faciem tuam à ſociis malis, ne habeto cum eis iter. Cohibe pedem tuum ab eis, ne capiaris reti ipſorum.*

Vers. 16. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant vt effundant sanguinem] Syrus, *feſtinant ad oppreſſionem. Malum* accipe, Primò culpæ. Vnde Septuag. vertunt, *malitiam.* q.d. Prædones currunt ad latrocinia & rapinas quaſi ad opima ſpolia.

Secundò, accipi poteſt malum pœnæ. q.d. Prædones prædando ruunt in ſuam perniciẽ, currunt ad malam crucem: hæc enim eos expectat. Ita R. Salomon Iſacides: *Decurrunt illi*, inquit, *vt ſui exitij ſint artifices, adeoq; in rerum ignoratione verſantur, vt id non animaduertant.* Prior ſenſus magis genuinus eſt; ſequitur enim: *Et feſtinant vt effundant ſanguinẽ*, ſcil. *alienum*: eſto Salazar explicet ſuum, q.d. Ipſi occaſionem præbent, ut ſanguis ipſorum effundatur per iudices, quorum eſt plectere fures & latrones. Hinc rurſum ſumpſit gnomen ſuam Ben Sira alph. 2. lit. *reſch*: *Procul recede à vicinis malis, & ne annumereris ſocietati eorum. Nam pedes eorum ad malum currunt, & properant effundere ſanguinem.*

Vers. 17. Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum] Syrus, *ante aues*; Chald. *ante volucrem pennatam*; Arabicus, *retia non extenduntur alatis tyrannicè*, vel *cũ tyrannide*. Aues enim non aduertunt ad quid retia ſint expanſa; vnde nihil formidant ſed ad eſcam, quæ iuxta retia iacet, auidè aduolant, inquit R. Salomon Iſacides: ita impij quod abripiunt, intuentur, cùm inquiunt, Omnem ſubſtantiam pretioſam reperiemus: verùm retia, quibus inambulant, non peruident iuxta illud: *Immiſit in rete pedes ſuos*, Iob 18. 8. Hinc dicitur fruſtra iaci, reſpectu auium & impiorum; quia ipſi licet videant rete ſibi iaci, illud tamen non cauent, nec fugiunt: fruſtra ergo iacitur illis, cùm nullum ex eius vſu commodum, ſed ingens damnum percipiant.

Porro hæc ſententia à variis variè exponitur. Primò, Caietanus & noſter Mariana, q.d. Sicut rete videntibus auibus fruſtra expanditur, nam continuò auolant: ſic plerumque artes nocendi, & inſidiæ furandi prædandique deteguntur: tum quia diuites eas indagant, ut ſe ſuaque tueantur; tum quia Deus pios protegit, ut euadant incolumes. Dei ergo protectio, æquè ac iuſtorum virtus & iuſtitia, iuſtis pro pennis eſt. *Fruſtra iacitur rete pennatis. Primò.*

Secundò, R. Leui: *Fruſtra*, inquit, id eſt ſine culpâ & noxâ auium tenditur eis rete. q.d. Sicut aucupes innoxiis auibus tendunt retia: ſic prædones illi innocentibus ſtruunt inſidias. *Secundò.*

Tertiò, noſter Salaſar tres ingenioſas affert expoſitiones. Prima eſt: *Fruſtra*, inquit, id eſt doloſè, tenditur auibus rete: ſic prædones doloſè inſontibus tendunt inſidias. Verùm Hebræum *chinnam* ſignificat gratis, fruſtra, immeritò, non, doloſè. Et latinè, licet apud priſcos nonnullos *fruſtra habere*, ſit idem quod fruſtrari & decipere: tamen nullum ſcio claſſicum ſcriptorem, qui *fruſtra* nudum pro doloſè vſurpet. Secunda eſt, ſententiam hanc legendam eſſe per interrogationẽ, hoc modo: Fruſtràne iacitur rete ante oculos pennatorum? q.d. Minimè verò. Nam quantumuis liberè per aëra *Tertiò.*

pen-

pennatæ aues ferantur, aliquando tamen ſeſe ad terram demittunt, & caſſibus implicantur. Cùm igitur aues liberæ aucupum dolis captari ſoleant, haud ſperant illi fures & prædones ſe euaſuros, quantumuis liberi ſibi videantur; tandem enim inſtar auium capientur & ſtrangulabuntur. Verùm Latini codices omnes, æquè ac Græci & Hebræi, hanc ſententiã legunt aſſertiuè ſine nota interrogationis, idque exigit τὸ *autem*, quod habent Latini, & τὸ γάρ, id eſt *enim* quod habent Græci. Tertia, quam ceteris præfert, eſt: opes quas prædones abripiunt, hîc comparari auibus pennatis. q.d. Fruſtra prędones ſperent ſe opibus furtò raptis ditandos, aut ſe iis diu fruituros; quia opes malè partæ ſunt quaſi aues alatæ, quæ ab iniuſto poſſeſſore auolant, eumque eludunt, iuxta illud c. 23. 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere*, ſcilicet iuſtè: *quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cælum.* Hic ſenſus ſanè ingenioſus & ſubtilis eſt, ideoque magis ſymbolicus quàm literalis videtur, præſertim quia ad literam videntur hîc homines comparari auibus, non opes.

Quartò. Quartò, Beda, Lyran. Hugo, Dionyſ. Ianſen. & alij paſſim hanc ſententiam & parœmiam ad præcedentia referentes, ſic planè & clarè explicant, q.d. Fili caue prædonum illecebras, imitare aues, quæ videntes rete ſibi tendi, illicò auolant, iuxta illud Ouidij: *Quæque nimis patent retia, vitat auis.* Ita ergò & tu hiſce meis monitis inſtructus, ſtatim eorum retibus te expedi & auola, præſertim alis cæleſtibus, ſcilicet timore & amore Dei in cælum.

Pennati ſunt Sancti. Vnde S. Gregor. libr. 16. Moral. cap. 10. in fine: *Fruſtra*, inquit, *iacitur rete ante oculos pennatorũ. Pennati quippe ſunt bonorum ſpiritus, qui dum ad altiora per ſpem veritatis euolant, appoſita prauorum hominum deceptionis retiacula declinant.* Et Salonius: *Fruſtra*, inquit, *rete, id eſt laqueus diaboli, obiicitur ſanctis & electis viris: quia facilè ſuperare poſſunt inſidias diaboli, qui ſuam conuerſationem habent in cælis.* Audi & Lyranũ: *Fruſtra*, inquit, *laqueus perſecutionis aut mortis tenditur electis, qui pennas habent ſpei, charitatis, & aliarũ virtutum, quibus & cæleſtia, dum viuunt, deſiderent, & poſt mortem contingant. Habent & oculos mentis, quibus mala, quæ patiũtur, trãſitura; & bona, quæ merentur, manſura in æternum prouideant: & reproborum ſuperbiam finiendam, tormenta verò in æternum manſurã.* Nimirum viri ſpiritales ſunt myſticæ quædam aues oculos conſiderationis habentes, quibus retia dæmonum videant; & pennas auxiliorum cæleſtium, & cooperationis propriæ, quibus longiùs aufugiant. Quare fruſtra dæmon ante illas laqueos obtendit, quos reſiſtentes ſuæ nequitiæ non poteſt ad ſe pertrahere. Vnde S. Bernard. ſerm. 52. in Cantic. per pennates accipit cõtemplatiuos & extaticos.

& contemplatiui. *Fruſtra*, inquit, *iacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidatur luxuria, vbi nec vita ſentitur. Excedente quippe animâ* (in extaſi) *etſi non vita, certè vitæ ſenſu, neceſſe eſt etiam vt nec vitæ tentatio ſentiatur. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Hic ſenſus vti communis, ita planus & probabilis eſt. Tantùm illi obſtat quòd pleræque aues non fugiant retia, imò retibus capiantur ab aucupe, vt paſſim fieri videmus.

Quintus ſenſus. Quocirca quintus, & quarto ferè contrarius ſenſus, iſq; profundior & inuolutior, ſed conformior Hebræo & Græco, eſt Hebræorũ, qui hanc parœmiam non ad præcedentia, ſed ad ſequentia referunt: Hebræum enim כי, *ki* id eſt quoniam, autẽ

A porrò, verùm, enimuerò, ſignificat hîc nouã incipere orationem, ſimilitudinem & parabolam, quæ applicatur & explicatur verſibus ſequent. 18. & 19. Nam pro *ipſi quoque* Hebr. eſt והם *vehem*, id eſt *ſic ipſi* (ו enim ſæpè copulat ſimilia, idem valet quòd ſic) vbi clarum eſt eſſe redditionem, ſiue explicationem ſimilitudinis de reti & auibus, paulò antè propoſitæ. Rurſum *Et ſic ſemitæ*, &c. eſt poſtparabola, quæ parabolam retis & pennatorum, clarè ipſis prædonibus applicat & explicat: ſolet enim Script. & Chriſtus in Euangeliis, parabolas & ſimilitudines à ſe propoſitas mox applicare & explicare in poſtparabola: vti parabolam inuitatorum applicat & explicat ſubnectendo: *Sic omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*, Lucæ 14. 11. Et parabolã operariorum vocato-

B rum ad vineam applicat, dicens: *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. 16. Idẽ videre eſt in parabola paſtoris requirentis ouem perditam, Matth. 18. 14. & ſerui nolentis dimittere debitum conſeruo, ibidem v. 35. & ſeminantis ac ſeminis, Matth. 13. v. 19. & 37. Senſus igitur eſt, q. d. fili mi caue ab iſtis prædonibus, quia ipſi in ſuam & tuam perniciem ſcientes volentes ruunt. Ipſi enim tendunt quidem aliis retia & inſidias, ſed Deus illa ipſa retia ipſiſmet tendit, eaque conuertit in perniciem ipſorum, vt iis quaſi aues rapaces (hiſce enim, vtpote noxiis maximè tendi ſolent retia, æquè ac feris noxiis, vt apris, lupis, &c.) capiantur. Sicut enim fruſtra tenditur rete auibus fruſtra, inquam, quoad aues, licet non fruſtra quoad aucupes, eò quòd aues ita ſtolidæ ſint, vt licet retia expanſa videant,

C tamen non cogitent ea ſibi tendi; ideoque ad eſcam iuxta rete ſparſam aduolent, itaque reti inuoluantur & capiantur: ſic pariter prædones iſti, etſi videant ſua furta, prædas & cædes paſſim detegi, ac periculum eſſe, ne ob ea à iudice, vel à vicinis oppidanis, vel à viatoribus capiantur & plectãtur; tamen ipſi ita inſipientes & ſtolidi ſunt, vt id non curent, ſed cõtinuè furari & prædari pergant: quo fit, vt ſcientes & volentes in ſua prædarum retia ruant, atque ob illas capiantur & ſuſpendantur. Sic explicat R. Salomon, Iſacides initio citatus, & noſter Emmanuel Sà. Senſus eſt, inquit q.d. *Vt aues in rete cadunt ante ipſas expanſum, ſic iſti videntes perniciem pereunt.* Sic dicimus vulgò, Fruſtra gladium vel furcam minaris latroni, quia ipſe eã non curat, nec ob eam prædari ceſſat, rete enim hîc eſt quaſi furca auium. Hoc volunt Septuag. ideoque

D uertunt negatiuè, vt explicent vim vocis Hebrææ *chinnam*, quæ ambigua eſt, & nunc priuationem fructus vel effectus, nunc priuationem culpæ ſignificat: ideoque nunc idem eſt quod fruſtra, ſinè fructu vel effectu; nunc idem quod ſine culpa, immeritò, iniuſtè. Noſter prius ſignificatum ſecutus, vertit, *fruſtra*. Eſtque pulchra antitheſis ad id quod dixit v. 11. *Abſcondamus tendiculas contra inſontẽ fruſtra*, q.d. Prædones iſti cenſent, dicuntque, iuſtum fruſtra & ſine ſpe mercedis colere iuſtitiam. At errant, quin verò ipſimet potiùs fruſtra ſunt iniuſti; ipſi fruſtra iniuſtas prædas & cędes exercent: quia nullum ex iis fructum capiunt, niſi rete, quo capiantur; & laqueum, quo ſuſpendantur. Septuag. verò vtrumq; ſignificatũ complexi ſunt. Vtrumque enim ſignificat ἀδίκως. q.d. Sicut auibus rapacibus ἀδίκως, id eſt fruſtra, oſtenditur rete, quia ipſæ illud nõ curant, nec cauent; ita non ἀδίκως, id

eſt non iniuſtè, non ſine culpa, quia ipſę ſuis furtis & rapinis meruerunt laqueum: ſic pariter prædonibus iſtis ἀδίκως, hoc eſt, fruſtra, oſtenditur prædarum rete, id eſt ſupplicium & furca, quia ipſi eâ non curant, nec cauent; at non ἀδίκως, id eſt non immeritò, non iniuſtè, quia ipſi ſuis prędationibus eam meruerunt. Igitur quod ait: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum*, eſt prouerbium ſignificans fruſtra impiis oſtendi ſupplicium, fruſtra furibus quem comminari carcerem & patibulum. Sic enim illud explicat Salomon dum ſubdit:

Vers. 18. Ipsi qvoqve (hebr. *& ipſi*, id eſt *ſic ipſi*) contra sangvinem svvm (minùs rectè Tigurina, Aben Ezra, & R. Leui pro *ſuum* vertunt *illarũ*, ſcilicet auium) insidiantvr, quia inſidiæ eorum ducunt eos ad necem, & ſanguinis vitæque effuſionem, dum propter eas ſæpe temporalem, ſemper æternam mortem incurrunt. Vnde explicans addit: et molivntvr fravdes contra animas svas] q. d. Fraudes, quas moliuntur aliis, recidunt in ipſorummet animas, dum eis periculum mortis præſentis & æternæ creant: Τὸ enim *moliuntur* ſignificat non intentionem prædonum: non enim intendunt procurare ſibi crucem; ſed effectum & conſecutionem, putà ſupplicium, quod ex ſcelere eorum ſequi natum. Et mox:

Vers. 19. Sic semitæ omnis avari animas possidentivm rapivnt] Eſt epiphonema, & poſt parabola ſiue applicatio parabolæ, q. d. Sicut aues aduolantes ad eſcam in reti propoſitam eo implicantur & capiuntur: ſic *ſemitæ*, id eſt actiones, putà furta & prædæ, quas auari iſti prædones committunt, animas eorumdem, qui illis poſſident, capiunt & rapiunt, dum propter illas rapiuntur ad carcerẽ, indeq; ad patibulum. *Auaritia* ergo *occidit animam*, *& ſæpè corpus auari*. Vnde pulchrè Aben Ezra: *quæ rapina ſublata ſunt*, inquit, *raptorem ipſum rapiunt*. Hinc Syrus & Chald. vertunt, *ſic ſunt viæ operantium iniquitatem, & animas dominorum ſuorũ capiunt*. Furta ergo ſunt retia, quæ ipſoſmet fures illaqueant, & iudici capiendos offerunt. Ita Vatabl. Sicut, inquit, aues tametſi ſparſum rete ante ſe videant, non propterea auolant, & periculum effugiunt, eſcæ nimirum attentæ, illiſque eſt exitio ea eſca: ſic pecunia ei ſolet eſſe auctor necis, qui furto aut rapto eſt eam conſecutus.

Confirmat hunc ſenſum experientia, qua videmus aucupes non fruſtra tendere retia auibus: nã eo plurimas capiunt; aues enim pleræq; exceptis paſſeribus, cùm ſint ſimplices & ſtolidæ, neſciunt rete ſibi in laqueum parari, vnde ad illud ſecurè aduolant. Itidem prædones aduolant ad ſuas prædas, quibus capiuntur. Dices, Aues cùm vident ante ſe iaci rete, auolant, eſto cùm iam iactum eſt, ad prædam reuolent. Reſp. auolant non ob rete, ſed ob motum & ſonitum, quem facit auceps iaciendo rete, quemque aues vident & audiunt, ſicut auolant ſi quis alium quemuis ſtrepitum motumue excitet. Rurſum, quæ propinquæ ſunt auolant, non quæ remotæ. Denique hebr. non eſt præſens זֹרָה *zara*, id eſt *iacitur*, ſed præteritum מְזֹרָה *mezora*, id eſt *iactum*, vel *expanſum* eſt rete. Porrò aptè prædones comparat cum auibus pennatis, hebr. בַּעַל כָּנָף *baal kanaph*, id eſt dominis alæ, vel pollentibus ala, hoc eſt, egregiè alatis, ac in volando velocibus & ſtrenuis, quales ſunt aues rapaces, quę idcirco aduncos habent pedes, æquè ac roſtrum, ad prædam comprehendendam. Hæ enim partim natura, partim continuo vſu & exercitio velociſſimè & fortiſſimè in prædam inuolant. Idem faciunt prædones.

Quocirca Auctor Catenæ Græc. cum Septuag. legens: *Haud enim fruſtra retia alatis tenduntur*, ſic explicat. q. d. Non iniuria, inquit, ſempiterni ignis ſupplicium præparatum eſt illis, ſed æquiſſima ratione: vtpote omnis generis malorum & flagitiorum magiſtris, & ducibus peſſimiſque conſultoribus. Retis nomine multiplex animarum pœna ad alarum, hoc eſt iuſtorũ male enatorum, interitum & exuſtionem ordinata denotatur. Pennatorum autem voce inſinuantur homines animi faſtu aliſque ſuperbiæ vſque ad nubes volantes: vel certè homines, qui alis ſublatis ab impiorum conſortio, ſi velint, ſeiungere ſeſe poſſunt. Hæc ipſe.

Igitur deterret Salomon iuuenem à ſocietate prædonum, eò quòd eorum inſidiæ diu latere nequeant, ſed tandem prodantur, itáque eos illaqueent & perdant: quare ſtultos eſſe, qui hiſce laqueis ſeſe ingerunt. Et hoc ſignificat adagiũ: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum*. q. d. Fruſtra furaci & ſtolido prædoni minaris crucem ſi furetur, fruſtra ei oſtentas patibulum: ipſe enim ita prędæ eſt auidus & aſſuetus, vt impotenter & ſtolidè in periculum crucis & patibuli ſeſe coniiciat, inſerat & inferat. Similes parœmię ſunt hæ: *Turdus viſcum ſibi egerit*, ex excrementis enim turdi fit viſcus, quo ipſe capitur, *Captantes capti ſunt. Sibi parat malum, qui alteri parat. Nemo læditur niſi à ſeipſo. Sibi malum reperit. Fæcem bibat, qui vinum. Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet: & plaga doloſi diuidet vulnera. Et qui foueam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.* Eccli. 27. 28. vide ibi dicta.

Hanc gnomen iuxta communem plurium expoſitionem paulò antè recenſitam, apologo corui & vulpis feſtiuè illuſtrat, & quaſi exhilarat Cyrillus lib. 1. Apolog. mor. c. 5. cuius titulus eſt: *Dũ mortalis es, time vbique & ſemper*. Coruum famelicum, inquit, circumcirca volitantem vulpes ęquè famelica in antro latitans contemplata, vt eum ad ſe roſtro feriendum alliceret caperetque, pedibus extenſis procubuit quaſi mortua: at coruus dolum metuens aſtutè pectus vulpis aſpiciens, ex eius reſpiratione & motu deprehendit in vulpe vitam, & fraudem. Quare *ore ſumpto lapillo ipſum ſuper aurem iacentis proiiciens, dixit. Scito non minùs vidiſſe coruinũ oculum, quàm vulpinum. Nam ſi tuus ſubtiliter comperit famem meam, & meus oculus rimatus eſt fraudem tuam: ſed vt amplius dicam, pluries oculum fodi ſic iacentis. Ad hæc vulpes reſpondens ait: Egoq; ſæpiùs læta collum tenui deſcenderis. Tunc coruus ſubiunxit: Vt quid hæc facere voluiſti? an putabas minùs me tolerare poſſe eſuriẽ, cùm & magis ſobrietas me releuet? nam crapula grauat, ſobrietas tollit mentẽ, & vt magis te arguam, nimia offuſcat prudentiam fraus furibunda. At illa querulo dixit: Dudum hoc didici, ſed plus noui, vt quandoque bonus dormitat Homerus, id eſt Philoſophus. Nã non ſemper ingenium rutilat, nec pari modo mentis eſt validitas ſemper apta. Siquidem ſcientia præditi periére quàm plurimi, & paruum gnaris ſæpè diligentia ſaluti fuit. Sic ſerpens callidus negligentiâ perit, & mus vigilantiâ vngulam murilegi aſtutioris effugit, ac fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum* (Prouerb. 1. 17.) *Sed ſi ſcire volueris quare tibi fraudis laqueos tetenderim, diſce quoniam inter fures, cùm poſſibilitas aderit, non eſt fides.*

Apologus vigilantiæ

Vade

Vade igitur, & donec mortalis es ſemper time, & vbique timens circumſpectius attendas. Quo dicto, diuiſi ſunt.

TERTIA PARS CAPITIS.

Sapientia omnes ad ſe inuitat, venientibus magna præmia, recuſantibus ingentes pœnas intentando.

VERS. 20. SAPIENTIA FORIS (Septuag. *in exitibus*) PRÆDICAT, IN PLATEIS DAT (Syrus, *exaltat*) VOCEM SVAM] Septuag. *παῤῥησίαν ἄγει*. quod Complut. vertunt, *audaciam ſermonis habet*; Roman. *cum libertate agit*, liberam ſcilicet emittit vocem.

VERS. 21. IN CAPITE TVRBARVM (Pagnin. *tumultuantium*) CLAMITAT, IN FORIBVS PORTARVM VRBIS PROFERT VERBA SVA] Pro *ſapientia* hebr. eſt חָכְמוֹת *chachmot*, id eſt *ſapientiæ* in plurali, quia licet ſapientia complexè ſit vna, euoluta tamen eſt multiplex: multas enim continet partes, dogmata & precepta. Ob amplitudinem ergo, æquè ac maieſtatem, ſapientia vſurpat nomen plurale, perinde ac Deus hebr. in plurali vocatur *Adonai*, id eſt Domini; quia ipſe eſt Rex regum, & Dominus dominantium; & *elohim*, id eſt iudices, vel gubernatores, quia ipſe eſt iudex iudicium & gubernator gubernatorum. Imò per *ſapientiam* hic accipi poteſt ipſe Deus ſapientiſſimus, vt mox dicam. Sic Iob 40. v. 10. & 20. elephas ob vaſtitatem corporis, vocatur pluraliter *behemot*, id eſt beſtiæ, quia inſtar multarum beſtiarum eſt. Addit Vatabl. Vtitur, inquit, plurali, eò quòd ſapientia à multis doceatur, ſcilicet à Moſe & Prophetis.

To foris opponitur voci inſipientium & impiorum, qui in angulis & domibus ſecretò ſua venena ſpargunt, dicentes: *Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini*, v. 11. inſipientia enim & impietas malè ſibi conſciæ fugiunt lucem, quærunt latebras; ſapientia verò & ſapientes veritate confiſi & audaces, liberè & publicè aperta fronte & clara voce in plateis prædicant. *Foris* ergo & *in plateis*, id eſt palam, vbique & apud omnes prędicat. Hebr. enim רְחוֹב *rechob*, & Græcum & Latinum platea, à latitudine dicitur, idemque eſt quod lata. Vnde myſticè Salonius: Sapientia, inquit, id eſt Chriſtus, prædicat in plateis, id eſt in latitudine orbis, gentiumque omnium. Arctiùs R. Salomon: Foris, inquit, id eſt in ſcholis.

Pro *prædicat* hebr. eſt תָּרֹנָּה *taronna*, id eſt iubilat. Iubilus ſignificat tum lætitiam, tum ſuauitatem, tum claritatem prædicationis ſapientię. Vnde Vatabl. vertit, *voce perſtrepit*; R. Leui, *vocem ſuam extollit*; Aben Ezra, *clamat, & vt præco inſonat*; alij, *elata ſublimiq; voce vocat*. Radix enim רָנַן *ranan* ſignificat exclamare ex lætitia, ouare, acclamare, gratulandi cauſa vociferari. Septuag. vertunt *ὑμνεῖται*, quod cùm ſit verbum medium, tam actiuè vertas *hymnizat*, id eſt canit, laudat, quàm paſſiuè *hymnizatur*, id eſt canitur, laudatur. Olim enim parœmiæ ſolebant à vulgo decantari in viis & plateis. Vnde Syrus vertit, *ſapientia in plateis laudatur*. Sic & S. Hilar. & Tertull. mox citandi. Meliùs vertas actiuè: ipſa enim ſapientia hic hymnizat, id eſt quaſi cantillando ſuauiter prędicat & concionatur. Vnde Chald. vertit, *ſapientia vicatim cantat*.

A Per *ſapientiam* accipi poteſt Primò, increata, quæ eſt ipſe Deus: hic enim per prædicatores, per angelos, perque omnes creaturas, quin & per inſpirationes internas, putà per illuminationes intellectui inditas, & impulſus voluntati immiſſos, potenter hominibus prædicat ſui timorem & amorem. Vnde hebr. eſt חָכְמוֹת *chacmot*, id eſt ſapientię, in plurali; quia omnes ſcientiæ & ſapientiæ incluſæ ſunt in eminentiſſima & ſimpliciſſima Dei ſapientia. Vnde R. Leui: Hæc omnia, inquit, eò ſpectant, vt diuina ſapientia in rebus creatis pateſiat mirabili quadam euidentia, cùm animaduertetur incredibilis ſapientiæ ratio, qua in rebus condendis eſt uſus, hæc enim in omnium oculos & mentes ſtatim incurrit.

Secundò poſt Verbi incarnationem accipi poteſt B Sapientia incarnata, quæ eſt ipſe Chriſtus. Chriſtus enim circuiuit vicos, pagos & caſtella, prædicans vbiq; regnum Dei. Hanc enim ſapientiam incarnandam tempore Salomonis præuidit Spiritus ſanctus & per eum ipſe Salomõ. Vide dicta Eccli. 11. ita Beda. Et S. Hilar. in pſ. 118. litera *daleth*, in fine, ad illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum. Via ad vitam*, inquit, *eſt anguſta & tribulata, quia per multas tribulationes aditur. Sed ſapientia in exitibus canitur, in plateis cum libertate agit. Ergo ſapientia, quæ Chriſtus eſt, in via, illa in qua nobis ex multis egreſſus eſt, canitur; in latitudinibus autem cum libertate agit: in quibus non ſolùm habitare, ſed etiam deambulaturam ſe eſſe promiſit. Ergo viã Domini Propheta liberè currit, poſteaquam dilatato corde eſſe cœpit. Non enim antè potuit viam Dei currere, quàm ipſe illa digna & ampla Deo efficeretur habitatio.* Et C Tertullianus in Scorpiaco c. 7. hæc explicans de Martyribus, intrepidè Chriſtum coram populis & iudicibus prædicantibus: *Sophia* inquit, *in exitibus canitur hymnis. Cantatur enim & exitus Martyrum. Sophia in plateis conſtantiam agit, bene enim filios ſuos iugulat. Super ſummos autem muros confiſa dicit, cùm quis ſecundùm Iſaiam hic exclamat: Ego Dei ſum. Et hic vociferatur: In nomine Iacob. Et alius: In nomine Iſraelis. O bonam matrem! Opto & ipſe in filios eius redigi, vt ab ea occidar. Opto occidi, vt filius fiam.*

Porrò Saluianus lib. 4. ad Eccleſ. Cathol. *Sapientia*, inquit, *in exitu canitur, cur eam non dixit cani in pueritia, non in iuuentute, non in ſtatu rerum incolumiũ, non in proſperitatibus ſecundorum? ſcilicet, quia in his omnibus quidquid laudatur incertum eſt. Quamdiu enim quis ſubiacet mutationi, non poteſt cum ſecuritate laudari, & ideo ait: Sapientia in exitu canitur. Exiens enim* D *quis de incertis periculorum, certum merebitur euaſa omni rerum varietate ſuffragium: quia tunc ſtabilis & firma laus eſt, quando meritum non poterit iam perire laudati. Sapientia, inquit, in exitu canitur. Quid eſt quæſo ſapientia Chriſtiani? Quid, niſi timor & amor Chriſti; Initium enim, inquit, ſapientiæ, timor Domini. Et alibi: Perfecta, inquit, dilectio foras mittit timorem. Ergo vt videmus, initium ſapientiæ eſt in timore Chriſti, perfectio in amore. Itaque ſi ſapientia Chriſtiani timor eſt atque amor Domini, ita demum verè ſapientes ſumus, ſi Deum ſemper ac ſuper omnia diligamus: & hoc cùm omni tempore, tum præcipuè in exitu noſtro, quia ſapientia in exitu canitur.*

Tertiò, cum Lyrano, Ianſen. Salazar & aliis plane accipi poteſt ſapientia creata, putà ipſa prudentia, honeſtas & virtus, vt ſit proſopopœia: Salomon enim hic inducit ſapientiam quaſi perſonam ſubſiſtentem, imò quaſi doctricem con-

ciona-

cionatricem toto mundo prædicantem. Simile eſt cap.9.v.1.

Porrò ſapientia tempore Salomonis prædicabat in vicis & ſynagogis, ad quas conueniebant turbę populorum, per Leuitas, Sacerdotes, Pontifices, Scribas & legis doctores: vti Eſdras ſcriba legit & prædicauit Dei Legem publicè in platea, ante portam aquarum per ſeptem dies, 2. Eſdræ 8. v.3.& 18. Tempore Chriſti verò ipſe Chriſtus & Apoſtoli virique Apoſtolici prædicarunt in compitis, vicis, foris, tribunalibus, vti prædicauit Paulus coram Felice Præſide Actor 24.& S.Malachias Archiep. Hiberniæ teſte S.Bernardo in eius Vita, S. Dominicus, S.Franciſcus; ac idipſum Patribus Dominicanis & Franciſcanis indulſit Benedictus vndecimus Extrau. *Inter cunctas*, de priuileg. & Sixtus IV. in Compend. priuileg.

Hic ergo modus prædicandi in plateis & compitis eſt priſcus & Apoſtolicus, quem proinde hoc ſæculo Romæ, in Hiſpania, Luſitania, India, &c. à viris Religioſis renouatum & reuocatum magno cum fructu cernimus. Vide Franciſc. Suarez tomo 4. de Religione lib. 9. de Societ. Ieſu cap.1. num.25.

IN CAPITE TVRBARVM CLAMITAT] Aquila, Symmach. & Theodotion, *dabit vocem ſuam. Caput turbarum* vocat locum, quò *caput*, id eſt præcipuum & quaſi ſumma populi & turbarum confluit, qui proinde turbarum eſt quaſi caput. *Caput* ergo eſt locus capitalis, id eſt primus & præcipuus populi, qualis eſt forum, nundinæ, compita, ſynagoga, templum, palatia principum, &c. Eſt climax ſiue gradatio, q.d. Sapientia non tantùm in plateis, ſed & in foris, nundinis, populiſque cœtibus præconis voce & more proclamat ſua dogmata.

Secundò & preſſius, *caput turbarum* eſt locus altior, vti caput membris eminet, ex quo præco vel orator ad turbam ſubiectam verba facit, vti Romę erant roſtra, apud Iudæos & Chriſtianos ſunt pulpita, cathedræ, ſuggeſtus. Vnde è locis editis præconizant, vt ab omnibus exaudiantur. Hinc & præcones verbi Dei è pulpitis & cathedris cócionantur. Ac S.Franciſcus rogatus quis eſſet, reſpódit: *Præco ſum magni Dei.* Septuag. pro הומיות *homiot*, id eſt *turbarum* legentes חומות *chomot*, id eſt *murorum*, vertunt, *ſuper ſummos muros clamitat inſtar præconis*: hoc enim eſt κηρύσσεται. Hinc & Chaldæus vertit, *in capite artium præconizat*; Syrus, *in vicorum principiis concionatur.*

IN FORIBVS PORTARVM VRBIS PROFERT VERBA SVA] Syrus, *in aditu portarum arcium*; Chald. *in introitu portarum per vrbes*, quo ſcilicet confluit omnis turba ruſticorum & viatorum, æquè ac ciuium. Olim enim iudicia fiebant in portis, vt exteri & aduenæ liberè ad ea accederent. Iudices ergo ſedebant in portis, quaſi loco publico, libero, & omnibus tam aduenis quàm indigenis obuio. Ita S.Hieronym. in Amos c.5. qui & cauſam addit: *Vt nec agricola*, inquit, *ad cauſam veniens, frequentia ciuitatis, & nouo terreretur aſpectu; nec vrbis habitator longè ab vrbe properaret, & ſubuectionẽ quæreret iumentorum.* Vnde Septuag. Complut. vertunt, *in portis ciuitatis confidens dicit*; Septu. verò Romæ correcti addunt, *Et in portis dynaſtarum aſſidet*: vt ſit vnius ſententiæ Hebrææ duplex verſio quod & alibi ſubinde factum videmus. Myſticè S. Hieron. in Amos cap.5. per *portas* accipit virtutes: hæ

A enim ſunt portæ animæ credentis, per quas ad credentes Chriſtus ingreditur.

Tropol. Polychron. in Catena Græcor. *Hæc*, inquit, *ſummatim indicant ſapientiã vbique præſtare, vbique vim ſuam exercere, nec non omne hominũ genus ad ſui communionem & ſocietatem inuitare. Significant ad hæc ſapientiam in anima à malitia immuni percelebrem reddi; in ea porro anima ſedem adeptam, quæ omni virtutum genere ornata & exculta eſt, admirabilia planeq́; ſtupenda operari, idq́; magna cum audacia & libertate. Tertiò inſinuatur ſapientiam, dum apud ſapientem abdita latet, iuſta laude fruſtrari; exitum autẽ per orationem ſapientis ſortitam, mirificè commendari, magnaq́; operari: ſiquidem per exitus & plateas illius ſplendor & nobilitas denotatur; per muros autem eiuſdem vtilitas, & ad omnem vitæ vſum vis & energia; ſimiliter per dynaſtas ſignificantur doctores verbo opereque potentes.*

VSQVEQVO PARVVLI DILIGITIS INFANTIAM, Vers.22.
B ET STVLTI EA, QVÆ SIBI SVNT NOXIA, CVPIENT, ET IMPRVDENTES ODIBVNT SCIENTIAM?] Chald. & Syrus, *vſquequo inſipientes diligitis inſipientiam?* &c. R. Salomon, R. Leui & Aben Ezra, *vſquequò ſimplices ſeducti ab impoſtoribus diligitis infantiam*, id eſt, *vos abire ſeduci placido animo fertis?* In Hebræo eſt elegans & efficax paronomaſia: nam pro *paruuli* hebr. eſt פתאים *petaim*, pro *infantia* eſt פתי *peti* q.d. Vſquequo paruuli diligitis paruitatem? vſquequo paruuli vultis eſſe & manere ſemper paruuli? vſquequo infantes non vultis auelli ab infantia & nugis infantilibus? vſquequo ſimplices non excutitis veſtram ſimplicitatem, dum per fraudulentorum lactationes, adulationes & fraudes ſinitis vos decipi, ac in fraudem & ruinam induci inſtar puerorum? Infantes enim & pueri prorſus nolunt auelli à matris vberibus & lacte, cui aſſue-
C uerunt. Vnde matres vbera oblinunt ſinapi, vt pueri acorem ſapientes, vbera faſtidiant, diſcantq; vti ſolidiore cibo, itaque viribus & animo corroborentur & creſcant. Pari modo homines carnales & pueriles nolunt à ſua vita carnali & puerili auelli, donec per tribulationes Deus eam ipſis faciat moleſtam & exoſam. *Carnales ſunt pueri. Primò.*

Secundò, pueri amant ſuas nuces & crepundia, eaque præponunt nummis aureis & argenteis: quia illas comedere poſſunt, ſentiuntque ſuaues, nummos verò guſtare nequeunt, omnis enim ſapientia puerorum eſt in ore & ſapore. Ita carnalis homo non ſapit quæ ſpiritus ſunt, ſed quę carnis, donec guſtato ſpiritu deſipiat illi caro. Certum & determinatum eſt tempus infantiæ, in quo infan-
D tibus nugas tractare & infantire permittitur, donec diſciplinæ capaces fiant; cùm ſcilicet firmiore ſunt corpore & cerebro, quo facto, pueriles nugæ eis adimuntur, & ad ſeria traducuntur. Ita pariter nonnulla tironibus in Eccleſia & monaſteriis permittuntur, quæ maturioribus vetantur, vti docet Apoſt. Hebr.5.13. *Secundò.*

Tertiò, pueri amant libertatem & luſum: *Ludere par impar, equitare in arundine longa*, fabricare domos luteas, ex aqua & ſmigmate per fiſtulam ſufflando bullas excitare, quę mox tenues vaneſcant in auras. Vnde impius Lyſander apud Plutarch. in Apophth. dicit: *Iureiurando viros, talis pueros oportet fallere.* Ita maior pars hominum ludicras & pueriles nugas amat. Quid enim ſunt opes, deliciæ, honores huius mundi, ſi cum cæleſtibus & æternis comparentur, niſi luſus & nugæ puerorum? Meritò ergo Salomon patrem Dauidem pſal.4. ſecutus, *Tertiò.*

ſus, admirans eorum ſimplicitatem & ſtoliditatem, commiſerando exclamat: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Diligis ſpecioſas domos, feminas, menſas? diligis vanitatem. Mentitur femina ſe eſſe ſpecioſam, cum intus ſit latrina ſtercorum & ſordium. Mentitur honor ſe coli, & eſſe in pretio, cùm honoratus à paucis, à multis vilipendatur, & probris afficiatur. Mentitur vinum ſe oblectare gulam, cùm mox ſtomachum degrauet, caput affligat, hominemque ad omnia, quæ hominis ſunt, ineptum faciat. Vſque quo ergò ô pueri diligitis infantiam, infantiles nugas, vmbras, fraudes & mendacia?

Quartò. Quartò, pueri cupiunt ſibi noxia, v.g. mel, ſaccharum, poma, quæ in cruditates & vermes vertuntur, ideoque eis ſtomachi dolores & morbos conciliant. Rurſum pueri arſenicum, quia timide, pro ſaccharo comedunt, itaque eo, vtpote veneno, ſe enecant: ſic oleum hauriunt pro melle, vinum pro lacte, itaque illo ſtomachum, hoc caput inebriant & deſtruunt: ſimili modo carnales amant pueriles voluptates, quæ noxam corpori & animę tum præſentem, tum æternam creant. Hinc illa trita: *Puer glaciem: puero gladium.*

Quintò. Quintò, pueri oderunt ſcholas & ſcientiam, ne cogantur manum ferulæ, oculos libro, mentem diſciplinæ ſubiicere & alligare. Nota, eſt aſtutia pueri, qui iuſſus à magiſtro præeunte recitare alphabetum, ac dicere A, B, C, numquam magiſtrum ſubſequi voluit, nec dicere A, B, C. Rogatus cauſam, cur rem tam facilem detrectaret? reſpondit: *Nolo dicere, ne cogar diſcere.* Ita carnales nolunt ſubiicere ſe ſeueræ diſciplinæ virtutis & legis diuinæ, ſed viuere liberrimè & ad libitum, in quos conuenit illud: *Bis pueri ſenes.* Hinc & apud Gentiles verâ Dei fide deſtitutos, ſapientia ſemper fuit infans. Quocirca per *infantiam* Lyran. & Hugo accipiunt *bona delectabilia*. Ianſenius *bona fortunæ*, Salaſar *leuitatem morum, ſtudia ludicra, irriſiones & ludibria*, quæ pueris familiaria eſſe ſolent, Vnde pro eo, quod nos habemus: *& ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient*, hebr. eſt, *& deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi*. Inſipientes enim, æquè ac pueri, ſunt ridiculi, amantque deriſiones, id eſt, res ridiculas & nugaces, quæ ipſis ſunt noxiæ; vnde eas ipſimet in alijs derident. Quocirca Vatabl. vertit, *quouſque ſtolidi ſtoliditatem diligitis, & illuſores ſibi illuſione placent* (gaudent illudi, imò ſibi ipſis illudere) *& ſtulti ſcientiam odio habent?* Pagninus, *vſquequo ſimplices diligetis ſimplicitatem*, &c. Porrò Septuag. τὸ *petaim* vertunt *ſimplices*, id eſt innocentes, ideoque iuſtos, ac *peti* vertunt *innocentiam*, id eſt iuſtitiam: ſic enim habent, *quanto tempore innocentes inhæſerint iuſtitiæ non erubeſcent*, τὸ *non erubeſcent* non eſt in Hebræo, ſed Septuag. ad explēdum ſenſum ſuum id ſubaudiri cenſuerunt. Hæc verſio licet prima fronte aliò abire videatur, tamen in fine eodē quò Noſtra Latina redit. q.d. Pueri, qui ſuis nænijs puerilibus ſemper inhærent, confuſionem & probrum ſubeūt; igitur fiant *petaim*, id eſt ſimplices, ſed alio ſenſu, ſcilicet fiant innocentes & iuſti: ſic enim nunquam probro & cōfuſioni ſubiacebunt, ſed omnis probri expertem vitam agent: innocentia enim & iuſtitia probro vacat, laude abundat.

Huius ſententiæ veritatem feſtiuo ſanguiſugæ & formicæ apologo pulchris exemplis corroborato, demonſtrat Cyrillus lib. 3. Apol. moral. c. 16. *Membris infirmi corruptis humoribus aggrauati, ſitibunda ſanguinis appoſita ſanguiſuga ſibi gratulari cœpit, quòd ad fontem venarum veniſſet à ſe diutius exoptatū. Cùm igitur acumen oris per cutis poros, theſauri viuifici venam attigiſſet, & totis niſibus delicioſa auiditate id quod ſitiuerat affatim biberet, arte mirabili nociuum ab vtili ſequeſtratum, natura diligenti ſagacitate promanante, malis malè cupida plenè facta eſt. Cùm autem lethalis hauſtus in ipſum totam perfuſum virus inciperet ebullire, ac quantocyus pararet virus mortem venenatam cum ingenti dolore accerſere, cœpit cum ingenti clamore diſrumpens ſingultire. Ad cuius dolentis vocem mox accurrit formicula granum trahens, quæ dixit: Quid eſt quod accidit tibi? Cui illa: Amatum quippe ſanguinis potum alimentum, & exhauſi venenum: cupidam enim decepit me propinator auarus, qui retinens ſibi commodū, ſugentis in perniciem dedit virus. Tunc formica ſubiunxit: Bene video, quod ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupiunt.* (Prouerb. 1. 22.) *Et adiungens ait. Neſciuiſti quod qui aliorum ſanguinem ſugit, propriam perditionem ſumit? Et dum malè, quod cupiuerat, rapit, hoc lethaliter poſtmodum euomit, & ſe ſibi chariſſimum perdit?* Deinde idipſum exemplo draconis, crocodilj, & raptorum euincit: *Hac etiam draco callidus peſte cupiditatis illuditur, qui, vt naturales tradunt, dum hoſtiliter cōceptum elephantis ſanguinem auidiùs ſugit, eodem ſe perimit, & non tam iucundè bibit, quàm doloroſè ſe extinguit. Totū enim quod rapitur, raptori virus eſt. An ignoras, quòd auarus raptor, dum lupinis dentibus & crocodilico morſu alienam rem deuorat, propriam alienat, totum ſe diſſipat, & cor vaſtat? quoniam quod malè congregat, raptoribus parat. Sic Chaldæus Aſſyrium, Perſa Chaldæum, Græcus Perſam, ac prædonē Græcum prædo expoliauit Romanus; Gaudeo igitur quòd nullius ſanguinem ſugo, ſed res meas prouidentia curo, diligentia quæro, iuſtitia congrego, ſapientia ſeruo. Quo dicto ſanguiſuga ſimul cum vita cruorem raptum euomuit.*

Apologus quòd cupiditas ſe perimat.

Similia.

CONVERTIMINI AD CORREPTIONEM (Pagnin. & Vatabl. *increpationem*) MEAM: EN PROFERAM VOBIS SPIRITVM MEVM, ET OSTENDAM VOBIS VERBA MEA] Pro *proferam* hebr. eſt אַבִּיעָה *abbia*, id eſt *eructabo, emanabo, ſcaturire faciam*. Aquila & Theodot. ἀναβλύσω, id eſt *effundā*; Septuag. προήσομαι, id eſt *promittam vobis ſpiritus mei dictionem*; Tigurina, *en efflo vobis ſpiritum meum*; Vatablus, *en depromo mentem meam*. Senſus ergo eſt, ait R. Leui & Aben Ezra, quaſi dicat, Filij hominum relinquite nugas pueriles, ſat infantiæ datum, conuertite vos ad meam diſciplinam & meliorem frugem, date vos ſeueriori vitæ, abdicate carnales voluptates, ſectamini ſpirituales. En vobis impendam cordis & influxus mei ſcaturiginem præſtabo vt ſpiritus meus in vos affluenter deriuetur, vt vobis perennes ſapientiæ & virtutis influxus inde dimanent, ad eum modum, quo è fonte aquæ ſcaturiunt.

Igitur *proferam vobis ſpiritum meum*, id eſt, vt ſequitur, *oſtendam verba mea*, quæ mente concepi, nimirum eloquar ſpiritus, id eſt mentis meæ ſenſa, ita clarè, ſincerè, copioſè ac liberè, perinde ac è fonte aqua clara, limpida, copioſa & libera emanat, ita vt nulla vi aut obturatione ſiſti vel inhiberi queat; imo quo magis obturatur, eo maiore vi & conatu erumpit. Talis enim debet eſſe doctor & præco ſapientiæ, vt nullis blanditijs vel minis eius libertas docendi veritatem, arguendi vitia, monendi & exhortandi impediatur; ſed

contraria omnia obſtacula fortiùs eluctetur & erumpat.

Inſuper Beda *per ſpiritum* accipit iram & vindictam: irati enim iras ſpirant & naribus efflant. q.d. Niſi conuertamini, depromam in vos ſpiritum, id eſt indignationem & vindictam meam, atq; *oſtendam*, id eſt, reipſa exhibebo, & opere cōplebo minas meas, quas verbis meis vobis ſæpè comminatus ſum. De vindicta enim proximè ſermonem ſubnectit. *Spiritus* enim ſignificat vim, impetum, æſtuſque animi nunc miſerantis, nunc indignantis, nunc dolentis, nunc lætantis, quales fuere in Elihu dicente: *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod laguncnlas nouas diſrumpit. Loquar, & reſpirabo paululum: aperiam labia mea, & reſpondebo*, Iob 32.18. Hoſce affectus hic induit ſapientia, ideoque ingenti ſpiritu concionatur. Nunc enim miſeratur hominum infantiam & ſtoliditatem, nunc indignatur, nunc blanditur, nunc comminatur, vt oſtendat verba ſua eſſe vera: ſalutaria, neceſſaria ad felicitatem. Eoſdem induat concionator & ſapientiæ præco, vt magno ſpiritu & efficacia concionetur, ac auditores in omnes partes quaquàuerſum exagitet, donec eorum corda contundat, molliat, & flectat ad timorem & amorem Dei.

VERS. 24. QVIA VOCAVI, ET RENVISTIS: EXTENDI MANVM MEAM, ET NON FVIT QVI ASPICERET] Hebr. *qui attenderet*; Septuag. *quoniam vocabam, & non obediſtis: & extendebam verba, & non attendiſtis*, Syrus & Chald. *quia vocaui, & non credidiſtis; eleuaui manus meas* (Syrus, *extuli vocem meam, & non auſcultaſtis*; Arabicus, *quia vocaui vos, & non obediſtis mihi: garriui* (viſus ſum garrire vobis) *multos ſermones, & non auſcultaſtis eis.* Alloquitur impœnitentes, qui in ſua infantia & inſipientia, putà concupiſcentia & peccatis, perſiſtere volunt. Hiſce enim indignatur, quòd tuam vocationem, opem & conſilium deſpiciant; ideoque eis minatur miſerias præſentes & æternas.

Porrò vocat Deus; tum exteriùs per verba S. Script. per doctores & prędicatores, per pręceptores & viros pios, &c. tum interius & præcipuè per gratiam excitantem, putà obijciendo intellectui ſtatum periculoſum, in quo peccator verſatur, damna peccati, gehennæ tormenta impijs parata ac gaudia cæli pijs decreta. Igitur hinc liquet Deum peccatores vocatione & gratia ſua excitante præuenire, vt reſipiſcant & conuertantur: ſed in peccatorum libero arbitrio ſitum eſſe, vt vocationi & gratiæ Dei conſentiant vel diſſentiant pro libito, vti ex S. Aug. docet Concil. Trident. ſeſſ. 6.

Iam vocare proprium eſt verbi & vocis: hinc appropriatur Verbo, id eſt filio Dei, qui ante incarnationem per verba mentibus hominum immiſſa, eos vocabat ad pœnitentiam & ſalutem, hęc enim verba creata manant à Verbo increato, eiuſque formam gerunt, & ab eo vim ſuam accipiunt, vti docet S. Augu. tract. 1. in Ioan Poſt incarnationem verò, per os & vocem humanā à ſe aſſumpta, prædicando omnes vocauit ad ſe & ad ſalutem, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11.28. Apoſtolos vero viroſq; Apoſtolicos vocauit, & etiamnum vocat ad apoſtolatum, dicens. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, Matth. 4, 19.

Mundus, inquit S. Bernard. vocat & lactat, vt inficiat: diabolus verò, vt etiam interficiat, ac tamquam lupus mactet & perdat; ego autem cur, niſi vt reficiam? Reficiā enim vos interno paſto, qui veſtra ſatiet deſideria, qui ſitim extinguat, qui requieſcere vos faciat, vt non ſit vltrà quod cupiatis, in me enim ſunt paſcua vitæ, in me veriſſima & grauiſſima mentis refectio.

Deus extendit manus multis de cauſis.

Primò.

Iam extenſio manus multa hic ſubindicat: illa enim multis de cauſis fieri ſolet. Primò ergo Caieta. cenſet hic quatuor gratiæ Dei beneficia quatuor hiſce membris denotari. In vocatione beneficium excitādi: in extenſione manus oblationem auxilij: in conſilio inſtructionem ad eligendum bona: in increpatione monitionem ad fugiendum mala, vt enim à mala vita cōuertamur, bene viuamus & ſaluemur, neceſſe eſt Primò, vt à Deo ad veteris vitæ deteſtationem, & nouæ deſiderium excitemur; Secundò, vt ab eodem ad id perficiendum, per crebras excitationes & gratiās corroboremur & adiuuemur; Tertiò, vt conuerſi ad malum non recidamus; Quartò, vt bona opera ſtudioſè exerceamus, in ijſque perſeueremus vſque ad finem vitæ. Hinc verbum Dei in Script. vocatur *brachium*, quia ita vocat & ſuadet, vt ſimul & brachio manuq; potenter iuuet ad id quod iuſſit exequendum, vt inexcuſabilis ſit homo, ſi Dei vocationem non acceptet, & manum Dei ad opitulandum extenſam non arripiat. Hoc eſt quod ait Iſaias c. 52.10. *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum, in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.*

Secundò.

Secundò, Lyran. cenſet Deum manum extendere, vt peccatorem in barathro peccatorum demerſum & ſepultum potenter extrahat, & ad lucem gratiæ ac iuſtitię educat: ſic enim ei, qui in foueam profundam lapſus eſt, manum porrigimus, vt eum ex illa extrahamus.

Tertiò.

Tertiò, R. Salomon & Baynus cenſent ſapientiam extendere manus, vt hoc ſigno omnes ad ſe aduocet, ad hoc, vt in diſciplinam ſuam, imò in ſinum maternum ſe tradant. Sic enim mater exporrecta manu aduocat & attrahit ad ſe filiolum, vt eum in ſinum & ad vbera recondat. Vnde Septuag. & Syrus vertunt, *extendi verba & vocem meam.*

Quartò.

Quartò, Ianſenius cenſet Deum manum extendere, vt indicet viam ſalutis, quæ eſt lex Dei. Sic enim extenta manu & digito viatori ignaro viam demonſtramus.

Quintò.

Quintò, Vatabl. cenſet Deum manum extendere, vt hoc ſigno ſilentium indicet, vt ſcilicet omnes ſilenter ſapientiam loquentem audiant.

Sextò.

Sextò, Martinus de Roa li. 1. Singular. c. 3. Manus, inquit, ſignum eſt, quo Deus & ſapientia ſuos ad militiam euocat, iuxta illud Iſaiæ 49.22. *Leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum* (vexillum militare) *meum.* Hinc & olim inter Romana ſigna erant quædā in formam crucis, & ſupra eam manus extenſa: manus enim eſt ſymbolū amicitiæ, æquè ac pugnæ & belli pro amico. Deus enim cùm adhuc in alienis caſtris ſub hoſtili principe & ſigno ſtipendia faceremus, ſumma cum benignitate nos vocauit, venientes cum maiore recepit. Huc referri poteſt illud Prouerb. 1. *Extendi manum, & non fuit qui aſpiceret.* Queritur enim quòd, cùm multos ad ſe veluti ſublato ſigno euocaſſet, nemo nomen illi dederit. hæc Roa. Huc

per-

pertinet quòd manus extendere ſit paciſci & reconciliari volẽtis, q.d. Deus: Ego iniuriarum mihi à vobis illatarum oblitus, prior extendi dexteram inuitans vos ad meam reconciliationem, vtque vos viciſſim in ſignum reuocati fœderis dexteram veſtram meæ conſecretis: at vos me extendentem manum reſpuiſtis, veſtramque retraxiſtis.

Septimo. Septimò, Beda: Extendere manum, inquit, eſt beneficia offerre & conferre, imò incogitanti ea ingerere & obtrudere. Iuxta hanc phraſin ait Eccleſ. c. 4. 36. *Non ſit porrecta manus tua ad accipiendũ, & ad dandum collecta.* Hinc Artaxerxes Longimanus teſte Plutarch in Apoph. regum, dicebat, ſibi quaſi principi (qui eſt Dei imago in terra) manum ad dandum, putà dexteram, eſſe longiſſimam alteram verò ad detrahendum, putà ſiniſtram, contractam eſſe & breuiſſimam. *Regalius enim eſſe addere, quàm adimere.* Sic Deus ad dandum eſt longimanus, ad accipiendum verò breuimanus, imò nullimanus. Quocirca S. Paulus celebrat hanc Chriſti ſententiam: *Beatius eſt magis dare quàm accipere.* Actor. 20. 35. vide ibi dicta.

Octauo. Octauò, extenſio manus ſignum eſt comminantis: Sapientia enim minatur iis, qui ſe vocantem reſpuunt, pœnas grauiſſimas, vti mox audiemus.

Nono. Denique extenſio manus ſignum eſt ſummi amoris & deſiderij, quo Deus & ſapientia homines omnes expanſis charitatis brachijs complecti, ſtringere, ſibique agglutinare ſatagunt. Hac de cauſa Chriſtus in cruce brachia extendit, vt ijs totum mundum amantiſſimè complecteretur, imò extendit manus quaſi rogans & obſecrans, vt ad eum accedamus. Extendimus enim manus cùm Deum oramus & obſecramus, vti multis oſtendi 1. Timoth. 2. 8. Hoc eſt quod queritur Chriſtus Iſaiæ 65. 2. & Roman. 10. 21. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.*

Nota. Hęc primò & propriè ad primã vocationẽ, qua peccator ex peccato euocatur ad ſapientiã, id eſt iuſtitiam & virtutem, pertinent: quia enim hanc reſpuunt impij ſuis cupidijs addicti, idcirco eis perditionem cõminatur. Secundariò tamen & conſequenter poſſunt adaptari ſecundæ vocationi, qua quis ex minori iuſtitia vocatur ad maiorẽ, v.g. ad perfectionẽ, vel ad vitam Religioſam. Hęc enim vocatio licet non ſit pręceptum, ſed conſilium; tamen quia à Deo manat, nullo modo reſpuenda eſt, ne eius ſapientiam, bonitatem & maieſtatem ſpernere & deſpicere videamur, quod ſanè Deo eſt iniurium. Spernitur enim eius ſapientia, cùm eius vocantis ad ſe conſilio poſthabito mundi conſilium ſequimur. Spernitur eius bonitas, cùm eius gratiæ, quam tam liberaliter vocato offert, bona ſæculi caduca anteferimus. Spernitur maieſtas, cùm ei parentes anteponimus. Quocirca Deus hanc ſui iniuriam ſolet grauiter punire & vlciſci, pœnis tam pręſentibus quàm æternis.

Vltio neglectæ vocationis. Memorabile & huic loco proprium eſt, quod narrat S. Antoninus 3. p. tit 24. c. 6. §. 7. Cùm quidam aliquando Franciſcani Ordinis votum ſuſcepiſſet, poſteà verò mutato conſilio factus eſſet Canonicus, poſt paucos menſes incidit in morbum lethalem: quam ob cauſam admonitus à ſuis de anima per confeſſionem expianda, reſpondit nil eſſe opus, quoniam oſtenſum ſibi eſſet ſe eſſe dãnatum; quare ne ampliùs ſibi moleſti eſſent, quia non poſſet confiteri. Apparuit enim mihi, inquit,

A Dominus iratus, dicens; *Vocaui, & renuiſti; ideo vade ad pœnas inferni*: quo dicto expirauit. Simile eſt quod in Vita S. Bernardi legimus de fratre eius Gerardo: hic enim cùm Bernardi monita de ſęculo deſerendo, iuuentutis, nouæque iuſtitię feruore calidus obſtinatè reſpueret; Bernardus prophetico ſpiritu iam tum impulſus, digito in eius latus intento: *Veniet*, inquit, *dies, & citò veniet, cùm lancea huic tuo lateri infixa pectus aperiet ſalutaribus conſilijs, quibus nunc eſt clauſum.* Quod vt dixit, ita euenit: paucos enim poſt dies eo ipſo loco vulneratus in pugna, captus etiam ab hoſtibus, cùm recordatus eſſet fraternæ prædictionis, clamare cœpit ſe monachum eſſe Ciſtercienſem. Plura recenſet P. Platus lib. 3. de Bono ſtatus Relig. c. vlt.

Denique Lucas Abbas S. Cornelij (extat tom. 1. Biblioth. SS. Patrum) in Summariolis ad Comment. Aponij in Cant. hanc gnomen ſic legit: *Cla-*
B *mabam, & non exaudiebatis: extendebam verba mea, & non intendebatis. Itaque & ego veſtram perditionem ridebo. Hæc terribilis* (pergit Lucas) *locutio, quæ liquefaciet animam contemnentem Dei præcepta, lacrymabiliter demonſtrat, qualia perpeſſa ſit, eò quòd pulſanti Chriſto aperire contempſerit.*

Despexistis omne consilivm mevm, et increpationes meas neglexistis] Vers. 25. Grauis eſt hæc querela ſapientiæ & Dei, de ſui deſpectu. Deſpicere enim plus eſt quàm ſpernere vel contemnere: deſpicere enim eſt quaſi infra ſe, & ad pedes ſuos proiectum aſpicere & aſpernari: ex aduerſo ſuſpicere eſt ſursũ aſpicere & venerari, quaſi ſupra nos aſpiciamus aliquem eſſe collocatum, quem revereamur. Vnde pro *deſpexiſtis* hebr. eſt תפרעו *tiphreu*, id eſt, *euacuatis*, *otioſum & irritum feciſtis*, Septua. *ἀκύρους ἐποιεῖτε*, id eſt *exauctorata feciſtis*, auctoritatem eis ademiſtis, irrita & caſſa feci-
C ſtis, vt ſcilicet apud vos nullum pondus, nullam vim obtinerent; Symmachus & Theodotion, *diſſipaſtis*; R. Salomon, *aboleuiſtis*; Pagninus, *ceſſare feciſtis*; Tigur. *negligitis*; Chald. *commutaſtis*. Pro *neglexiſtis*, hebr. eſt לא אביתם *lo abitem*, id eſt, *non voluiſtis*; Septuag. *rebelles fuiſtis*; Complut. *non intendiſtis*. Omnia hęc eòdem redeunt, q.d. Deſpexiſtis conſilia ſana, quæ ego vobis in veſtrum bonum & ſalutem ſuggeſſi, & pro eis amplexi eſtis conſilia noxia, quæ vos in ruinam agunt, vt rebus friuolis vacaretis, atque ſomno & deſidiæ veſtræ indulgeretis, ne in obtinenda ſapientia aliquid laboris impenderetis; atque vt id videremini ratione & iure agere, commutaſtis nomina ſapientiæ & inſipientiæ, putà virtutum & vitiorum; vt virtutes, quas ego ſuggeſſi vobis, diceretis eſſe vi-
D tia; ex aduerſo vitia, quæ amabatis, virtutum nomine palliaretis & decoraretis. Sic enim mundani *fortem*, inquit Nazianz. orat. 20. *appellant temerarium; prudentem & circumſpectum, timidum; temperantem, agreſtem & inhumanum; iuſtum aſperum.* Sic humilem vocat puſillanimem & abiectum; prodigum vocant, liberalem; auarum, frugalem; iracundum, magnanimum; guloſum, ioualem; dicacem, eloquentem; ſuperbum, excelſum. Ex aduerſo, *Quidam*, inquit S Hieron. ad Demetriadem, *ſuperbiam libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate ſuſcipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, & ſtultitię ſimplicitatis nomen imponunt, ac demum fallaci & peſſima ſimilitudine decepti vitijs pro virtutibus gloriantur. Nõnne hi aureos nummos cum adulterinis commutant?*

VERS. 26. EGO QVOQVE IN INTERITV VESTRO RIDEBO, ET SVBSANNABO, CVM VOBIS ID, QVOD TIMEBATIS, ADVENERIT] Hebr. *cùm venerit*, פַּחְדְּכֶם *pachdechem*, id eſt, *pauor, horror, ſtupor veſter*, id eſt, cùm venerit terribilis clades, quam pauebatis, horrebatis, & cuius vehementiam obſtupeſcitis. Pro *in interitu* heb. eſt בְּאֵידְכֶם *beedechem*, id eſt, *confractione* vel *contritione veſtra*; Aquila, *in inundatione*; Septuag. *in perditione*; Symm. *in collocatione*; Arabicus, *propterea ridebo exitium veſtrum*; Tigurina, *ego ad veſtri perniciem ridebo*; Vatabl. *in calamitate veſtra*; S. Auguſt. tract. 33. in Ioannem legit *ſuperridebo*, id eſt, effusè, ridebo. *Inter deſperationem*, ait, *& ſpem fluctuat animus. Metuendum eſt ne occidat ſpes, & cùm multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Metuendum eſt rurſus ne te occidat deſperatio, & cùm putas iam tibi non ignoſci, quia grauia commiſiſti, non agas pœnitẽtiam, & incurras in iudicem ſapientiam, quæ dicit: Et ego veſtræ perditioni ſuperridebo.* Sic quoque legit S. Cyprian. libr. de Singularit. cleric. ſub initium. Pro *ſubſannabo*, Septuag. vertunt, *gaudebo*; Lucifer Calar. Apolog. pro S. Athanaſio & S. Cyprian. legunt, *gratulabor aduerſum vos*; B. Antiochus homil. 38. de inobedientia legit, *quia vocaui, & non obediuiſtis, ſed irrita feciſtis conſilia mea, igitur & ego veſtræ perditioni inſultabo*; Syrus, *exultabo cùm venerit ſuper vos vaſtitas & perditio repentina*; Hebr. eſt אֶלְעַג *elac*, id eſt, *ſubſannabo*, vel *balbutiendo & blæsè loquendo, vos irridebo*: לַעַג *laac* enim ſignificat blęſitatem & balbutiem, indeque irriſionem, quæ per ea fieri ſolet. vide dicta Iſaię 28. v. 11. Porrò *ſubſannare* eſt ſannas, irriſiones & probra velut ſtulto irrogare. Vnde Cęlius Rhodigin. libr. 8. Antiq. lect. cap. 43. *Apud Gratianum*, inquit, *ſannas fatuum ſignificat. Vnde & ſanna verbum Latinis frequens, puto defluxit; etiamſi à narium ſonitu Grammatici opinentur dictum.* Sanna enim eſt ſolutus riſus & deriſus. Vnde *ſannio* vocatur, qui ſoluto riſu & contortis corporis totius partibus, immoderatam quamdam alios deridendi formam effingit, & alios mores inepto quodam geſtu per contemptum exprimit, vt ſtultus propemodum videatur ac ridiculus. Vnde Cicero lib. 2. de Oratore: *Quid enim*, ait, *poteſt eſſe tam ridiculum quàm ſannio eſt: ſed ore, vultu imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipſo.* Loquitur anthropopathῶs, ſiue humano more: nec enim riſus, qui fit deducto ore; nec ſannæ, quæ fiunt cõtracto naſo, nec ira vllaue paſſio cadit in Deum qui incorporeus eſt & immutabilis. Tu enim Domine *potẽtiſſime & iuſtiſſime*, ait S. Auguſt. 1. Confeſſ. cap. 4. *ſtabilis & immutabilis es: amas, nec æſtuas; zelas, & ſecurus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es.* Igitur hic riſus & ſubſannatio, ſignificat Dei graue iuſtumque odium, quo auerſatur & acriter plectit impios ſui contemptores; non quòd Deus delectetur tortura impiorum, ſed quòd delectetur iuſtitia, iuſtaque vindicta, qua iuſtè plectuntur ſcelerati. Ita S. Bernard. ſerm. 9. in pſalm. *Qui habitat*, citatis hiſce Salomonis verbis, *Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Quid ergo*, inquit, *in inſipientium interitu ſapientiæ credimus placiturum, niſi iuſtiſſimam ſuam diſpoſitionem, & irreprehenſibilem ordinem rerum? ſanè quod ſapientiæ tunc placebit ſapientibus quoq; placeat neceſſe eſt vniuerſis.* Vnde Symmach. vertit, *ridebo in collocatione veſtra.* Deus enim, ait ibidem S. Bernard. gaudet cùm res quæque ſuo loco collocatur, vt ſit ordo congruus rerũ in toto vniuerſo. Locus autem piorum eſt cælum, locus impiorum eſt infernus.

A Gaudet ergo cùm quiſque piorum in cælo, & quiſque impiorum in inferno, loco & gradu ſuo pro meritis vel demeritis collocatur; gaudet enim ordine rerum. Ordo enim eſt commune bonum totius vniuerſi, & conſequenter ſingularum eius partium.

Senſus ergo eſt q. d. Vti honto homini ſe offendenti offenſus, eũ, dum in graui miſeria conſtitutus eſt, ſuã opem implorantẽ ridere dicitur, cùm eius preces ſpernit, imò ridet, illiq; ſuam ingratitudinẽ & ſcelera exprobrat, ac in eius miſeria gaudet: ita & ego gaudebo in iuſta veſtri punitione, & interitu, tum pręſenti, tum æterno, ac vos in ea perpetuò deſeram, & crimina veſtra vobis in faciem per ipſammet veſtram conſcientiam perpetim vobis occlamantem, per parentes, ſocios, ceteroſque vobiſcum damnatos, perque ipſos dæmones inſultantes B obiectabo. Alludit Salomon ad illud Dauidis patris ſui: *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos*, pſal. 2.

Et ſarcaſmos ſiue hoſtilis irriſio. Ridet enim Deus impios, qui ſua monita riſerant: congrua iuſtaque punitionis menſura, riſus riſui, ſubſannatio ſubſannationi reſpondet. Mitiùs minuſque plenè explicat S. Gregor. 9 Moral. cap. 20. in hunc modum: *Ridere Dei eſt humanæ nolle afflictioni miſereri, quare ego quoque in interitu veſtro ridebo, hoc eſt, afflictioni veſtræ nulla pietate compatiar.* Sed adhuc amplius innuitur hoc loco, nimirum quòd Deus peccatoribus par pari referat, vt apertè ſignificatur in illo *quoque*, ac ſi dicat: Idem quoque vobis reddam in morte, quod in vita mihi præſtitiſtis ſcilicet riſum, ſubſannationem & æternum contemptum veſtri. Audietis enim: *Amen dico vobis, neſcio vos*, non vos eſtis ex ouibus meis. Porrò Beda exponens C hunc locum de Chriſto & Apoſtolis: *Tale*, inquit, *eſt pſal. 2. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Non quia bucca Dominus irrideat, aut naſo ſubſannet: ſed ea vis deſignata eſt tali verbo, quam dedit Apoſtolis, vt prauiderent nihil prorſus impios contra eum ſupra quàm ipſe permitteret inſidijs eſſe acturos; quin potiùs illorum cœpta omnia euacuanda, eius verò gloriam poſt paſſionem per orbem terrarum eſſe dilatandam prænoſcerent, ideoq; ſuperbiam eorum, etiam cùm maximè valere conſpicerent, pro nihilo contemnerent.*

Igitur ridet & ſubſannat Deus ſceleratos ſui, ſuæque vocationis contemptores, iocis riſibuſque vacantes. Primò, dum eos hoſtiliter, ſed iuſtè pro meritis acriter punit, omnibuſque irridendos & ſubſannandos obijcit. Secundò, cùm eis ſua ſcelera exprobrat, vti immiſericordiam exprobrabit impijs à ſe in iudicij die damnandis. Tertiò, dum de eorum iuſta pœna gaudet, facitque vt omnes an- D geli & Sancti gaudeant, vti gauiſuros de excidio Babylonis docet S. Ioan. Apocal. 18. 20. *Exulta*, inquit, *ſuper eam cælum & ſancti Apoſtoli & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa.* Quartò, dum eos hoſtibus, pręſertim dæmonibus, tradit, qui eos necando & cruciando rideant & ſubſannent.

Deus ridet ſui irriſores.
Primò.
Secundò.
Tertiò.
Quartò.

Exempla ſunt. Primum in Antiocho ſacrilego, cuius interitum Deus riſit. *Orabat*, inquit Script. *ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiã conſecuturus*, 2. Machab. 9. 13. In Eſau, qui *reprobatus non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Hebr. 12. 17. In Iudęis occiſoribus Chriſti, quibus hæc applicat Beda, quos Romani ſub Tito vaſtantes illuſerunt, & quaſi mancipia tractarunt

Exempla.

runt & mactarunt. In excidio Babylonis & Baltaſar regis, cui Deus ridens inſultat per Iſaiam toto c. 13. & 14. In excidio Tyri, cui Deus inſultat per Ezechielem toto c. 28. In excidio Pharaonis & Ægypti, cui Deus inſultat Ezech. 29. 30. & ſequ.

Porrò irriſiones & ſubſannationes dæmonum, quibus hominibus damnatis inſultat, videre eſt in Vita Vdonis Archiep. Marpurgenſis, qui cùm vocem Dei monētis: *Vdo, Vdo ceſſa à ludo, luſum ſatis Vdo*, negligeret, ad tribunal Chriſti citatus, & capite plexus miſſus fuit in tartara, vti narrat Nauclerus volum. 3. generat 43. Fulgoſius lib. 9. ca. 12. & noſter Caninus lib. 5. operis Mariani c. 20.

Vers. 27. CVM IRRVERIT REPENTINA CALAMITAS, ET INTERITVS QVASI TEMPESTAS INGRVERIT: QVANDO VENERIT SVPER VOS TRIBVLATIO ET ANGVSTIA] Hebr. *cùm venerit ſicut deſolatio pauor veſter* (id quod timebatis & pauebatis, putà mors: hanc enim ſolam timent impij, qui futuræ vitæ bona & mala non credunt) *& exitium veſtrum*; Pagnin. *contritio veſtri ſicut turbo*; Septuag. *cùm venerit vobis ſubitò tumultus, & ſubuerſio ſimilis procella* (Aquila, ζυσσεισμῷ [sic], id eſt concuſſioni, terræmotui) *affuerit, & venerit vobis tribulatio & oppreſſio*, vel vt Complut. *obſidio ſiue obſeſſio*. hanc enim propriè ſignificat Græcū πολιορκίας; Aquila, ἐπίχυσις, id eſt *ſuperfuſio*; Theodor. καταιγισμὸς [sic], id eſt, *conturbatio, præcipitatio*; S. Cypr. de Singul. cleric. *preſſura & expugnatio*. Pro *repentina*
B *calamitas* hebr. eſt בְּשׁוֹאָה *keſcoa*, quod R. Leui & R. Salomon vertunt, *ſicut nubes, quæ repentino motu tecitur, ac ingenti ſtrepitu ac fragore detonat*. Propriè *ſchoa* eſt tumultus, impetus, tempeſtas, graſſatio repentina cum fragore. Radix enim שָׁאָה *ſcaa* ſignificat repentè irruere, impreſſionem facere, irrumpere, præcipitanter ingruere, obruere cum magna vi, impetu & ſtrepitu, vti fit cùm hoſtes vi occupant vrbem, cùm domus terræmotu quaſſata magno fragore corruit, cùm tempeſtas naues ſorbet, cùm grando ſegetes ſternit, cùm flumina exundant & agros obruunt. Simili enim modo Deus impios ſuæ vocationis contemptores ſubita, inexpectata, vehementi & horrida ſtrage plectit & obruit; vti Sodomam ſiderauit igne cæleſti, orbem vniuerſum tēpore Noë perdidit diluuio, Pharaonem cum toto exercitu proſtrauit in mari rubro, Madianitas ſub Gedeone mutua cede trucidauit, Iudic. 7. v. 20.

Simili plaga plectet Antichriſtum cum ſuis aſſeclis, iuxta illud 2. Theſſal. 5. *Cùm dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient*. Maximè verò ita plectet impios in die iudicij, inquit Beda: nunc enim ira & vindicta Dei eos inuadet vehemens, horrida, efficax & ineffugibilis velut procella, turbo, tempeſtas, & deſolatio extrema: tunc inuadet eos *tribulatio & anguſtia*, hebr. צוּקָה *tuka*, id eſt coarctatio & preſſura, vt in arctis poſiti, & vndique malis obſeſſi euadere nequeant, ſed torculari iræ Dei & gehennæ preſſi & oppreſſi inconſolabiles effundant gemitus, comprobationes & lamenta (vnde Aquila vertit, *ſupereffuſio*: erit enim diluuium malorum; Theodor. *præcipitatio*; quia præcipitabuntur in gehennam) quibus Deus & Sancti irrideant & ſubſannent. Quocirca malis obruti deſperabundi dicent *montibus: Cadite ſuper nos: & collibus: Operite nos*, Apocal. 6. Impij ergo hæc præcogitent ſi ſapiunt, ac Deo obſecundent, vt tantùm ma-
A lorum agmen euadant. Audiant & paueant Ioëlem cap. 2. 1. deronantem: *Canite tuba in Sion, vlulate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini, quia propè eſt dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis*, &c. *Ante faciem eius ignis vorans: & poſt eum exurens flamma. Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient: ſicut ſonitus flammæ ignis deuorātis ſtipulam. A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam*, putà præ pauore & cruciatu palleſcent, & nigreſcent inſtar ollæ.

Porrò Caietan. hæc omnia explicat de morte, quam ſolam timent impij, futurorum improuidi. Declarat, inquit, qualis eſt mors iſtorum, quæ appellata eſt timor & fractio eorum. Declarat autem tripliciter, Primò, quòd venit ſicut deſolatio, deinde quòd venit ſicut turbo, & demum quòd venit
B cum tribulatione & anguſtia. Oportuit autem à ſapientia declarari iſtas conditiones mortis iniquorum, ad manifeſtandum quòd mors non eſt huius vitæ priuatio tantùm, ſed annexa habet multò peiora futuræ vitæ mala. Propterea enim deſcribitur quòd veniet ſicut deſolatio, priuans deſolatū omni bono extrinſeco, & ſimiliter deſcribitur veniens vt ventus vehemens, propellens ad extranea, vt intelligamus quòd peccator moriens remanet viuus ſecundùm ſpiritum. Propterea enim deſcribitur miſer tanquam deſolatus, & tanquam propulſus à vento vehementi: nam & deſolatus viuit, & propulſus à vehementi vento viuit. Vnde & demum miſeria eius deſcribitur ex multiplicatis vndique anguſtijs: viuit enim, qui vndiq; anguſtiatur. In ta-
C li itaque miſeria peccatorum, dicit ſapientia, quòd ridebit & ſubſannabit, deriſibiles & ſubſannabiles reddendo eos.

TVNC INVOCABVNT ME, ET NON EXAVDIAM (Hebr. *non reſpondebo*:) MANE CONSVRGENT (Septuag. *quærent me mali*) ET NON INVENIENT ME] Nota *τὸ tunc*: magnam enim habet emphaſim & antitheſin. q. d. Nunc ipſi nolunt audire me vocantem, idcirco tunc, cùm ſcilicet imminebit eis vndique anguſtia, pari modo non audiam eos inuocantes me: reddam par paris ſurdis me ſurdum præbebo. Tunc ergo pœna aperiet oculos, quos nunc culpa & voluptas tenet clauſos. Vers. 28.

Dices: Ergóne in hora mortis ſera eſt inuocatio Dei, & peccatoris pœnitentia? Reſp. Nunquam ſera eſt in hac vita, ſi vera; ſed rarò vera, quæ ſera.
D Hi enim impij inuocant Deum, poſtulantque remiſſionem non culpæ, ſed pœnæ, vt ſcilicet mortem euadant. Idcirco non exaudiuntur, nec dimittitur eis culpa, vtpote cùm id non petant, ſintque impœnitentes: nec pœna, vtpote quæ remanente culpâ, certò & inexorabiliter à Deo eis impœnitentibus eſt decreta: ſed, etſi pœniterent, ſeria contritione, & vero emendandi ſe propoſito obtinerent quidē remiſſionem culpæ, at non ſtatim pœnæ ſaltem totius. *Manè* ergo, id eſt ilico vt ſe malis circumdatos viderint, ſurgent vt Deum pro liberatione à morte & interitu inuocent: at non inuenient, quia Deus in pœna inexorabilis eſt, aureſque impœnitentibus claudet, quia ipſi ſuas Deo vocanti priùs clauſere.

Secundò, ſi *τὸ tunc* cum Beda & Tyran. accipias de die iudicij, clarum eſt tunc irritam fore pœnitentiam, vtpote quæ fit poſt mortem omnium & ſingulorum, poſt hanc enim ſequetur manè illud

vltimum iudicij extremi, quo Deus inexorabiliter pijs pręmia impijs gehennā & ſupplicia decernet: iuxta illud, quod canimus in hymno ad Laudes ſabbathi: *Et manè illud vltimum, quod præſtolamur cernuus, in lucem nobis effluat.* Multo magis impij non exaudientur in inferno, vti diues Epulo poſtulans ab Abraham mitti ad ſe & ad ſuos Lazarum, exauditus non eſt, Lucæ 16.25.

Vers.29. Eò QVOD EXOSAM HABVERINT DISCIPLINAM (Hebr. *ſcientiam.*) ET TIMOREM DOMINI NON SVSCEPERINT] Hebr. *non elegerunt.* Pro *timorem* Septuag. Complut. rectè legunt φόβον, quòd Scholiaſtes interpretatur θεοσέβειαν, id eſt pietatem, vel Dei cultum, Vaticani vero legunt λόγον, id eſt verbum vel ſermonem. Vnde & S. Cyprian. libr. 1. contra Iudæos legit, *ſermonem autem Domini non acceperunt.*

Vers.30. NEC ACQVIEVERINT CONSILIO MEO] Hebr. *noluerunt conſilium meum*; Septuag. *neque volebant meis attendere conſilijs*; Aquila, Symmach. & Theodot. *non receperunt conſilia mea.*

ET DETRAXERINT VNIVERSÆ CORREPTIONI MEÆ] Hebr. *ſpreuerunt*; Sept. *ſubſannabāt*, Symmach. & Theodot. *irritauerunt*; Vatabl. *execrati ſunt.*

Dat cauſam cur impij Deum inuocantes non exaudiantur, quia ſcilicet perſeuerarunt in quatuor hiſce membris, quæ quatuor continent iniurias ſapientiæ per gradationem, qua à minore gradatim aſcenditur ad maiorem. Prima enim eſt, quòd oderunt diſciplinam, & conſequenter ſapientiam: hæc enim diſciplinam ſancit & imperat. Secunda, quòd timorem Domini non ſuſceperunt. Eſt hęc maior iniuria, quia in Deum proximè redundat: qui enim ſpernit timorem Dei, ſpernit Deum terribilem & timendum. Vnde Septuag. Romani lēgunt, *eò quòd verbum Domini non aſſumpſerunt*, id eſt, non ad ſe ſumpſerunt, non ſibi, ſed alijs applicarunt: ſic enim ſolent impij, cùm conciones audiunt, ea quæ de vitijs dicuntur & carpuntur, non ſibi, ſed alijs applicare. Tertia magis aſſurgit, quòd noluerunt admittere conſilium Dei, ſaluberrimè illis conſulentis: hæc enim maior eſt indignitas. Quarta & ſumma eſt, quòd detraxerunt vniuerſæ correptioni meæ: peius enim eſt detrahere quàm negligere. Septuag. *ſubſannabant meas redargutiones.* Græcè ἐμυκτήριζον, id eſt ſuſpenſo naſo irridebāt: μυκτὴρ enim eſt naſus: naſus autem olim ſubdolæ irriſioni dicatus erat, teſte Plinio lib. 11. c. 32. vnde illud Horatij: *Naſo ſuſpendis adunco.* & Martial. *Naſutus ſis vſq; licet ſis denique naſus.* Hinc myčteriſmus vocatur ſanna, irriſio.

Vers.31. COMEDENT IGITVR FRVCTVS VIÆ SVÆ, SVISQVE CONSILIIS SATVRABVNTVR] Septuag. *ſua ipſorum impietate implebuntur*; Lucifer Calar. pro S. Athanaſ. *ſaturabunt animas ſuas*; S. Cyprian. de Singul. cleric. *ſua impietate ſaturabuntur.* Eſt parœmia, ſignificans impios, ſiue iuuenes ſint, ſiue ſenes, recepturos pœnam & vindictam ſuis demeritis cōgruam & cōmenſam, iuxta illud Galat. 6.8. *Quę ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et: *Comede quod inueniſti.* Similes ſunt Iſaię 59.4. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis earum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum.*

Alludit ad illud Dauidis: *Labores manuum tuarum quia manducabis*, pſal. 127.2. Id facit Deus Primò, cùm efficit vt voluptates & dignitates, quas ambiuerunt impij, vertantur illis in nauſeam, luctum

A & tormentum; ſicut concupiſcentia coturnicum verſa fuit Hebræis in nauſeam, numer. 11.20. idque per ſaturitatem & plethoram, ſiue nimiam repletionem. Vnde illud; *Omnis ſaturitas mala, panis autem peſſima.* Sic iuuenes, qui vacarunt gulæ & libidini, Deus punit, dum facit vt in ſenectute laborent podagra, aſthmate, calculo, morbo Gallico, &c.

Secundò, cùm efficit, vt ſtudia & conſilia impiorum infelices habeant ſucceſſus, & in ipſorum perniciem recidant. Vnde Vatabl. ſic exponit: *Vſque ad ſaturitatem vtentur conſilijs ſuis: Deus enim deſeret eos, vt ſuo ſe conſilio regant.* Qui enim nolunt regi à prudentia Dei, neceſſe eſt vt regantur ab imprudentia ſua, ac in multos labantur errores, pericula & damna.

B Tertiò, cùm impietatem eorum ſecundùm demerita caſtigat & punit; ſicut puniuit gulam Hebręorum remittendo in eos plagam mortis. vnde locus vocatus eſt Sepulcra concupiſcentiæ, Num. 11, verſ. 33. Simili modo Deus iuſta vindicta, cuilibet hominum concupiſcentiæ ſuum deſtinat ſupplicium & ſepulcrum. Peccator ergo per peccata ſibi ipſi plectit virgas & flagella. Ac ſicut ſibi quiſque ſuæ fortunæ eſt faber, ita ipſe ſibi ſuæ miſeriæ & infelicitatis eſt figulus & faber, vti docet Iſaias c. 50, v. vltimo.

Denique alij ſic exponunt: Impij ſua impietate, id eſt ſua impia viuendi conſuetudine, replebuntur, id eſt replebunt ſe continuis ſuis vitijs & ſceleribus. Hęc enim magna eſt corū ſtultitia, æquè ac pœna, pręſertim quia continuò magnis augmentis damnationem eorum auget & aggrauat. Hoc eſt quod dicitur Iob 20.11. *Oſſa eius implebuntur vitijs*
C *adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Vitia enim iuuentutis comitantur hominem vſque ad ſenium, nec eum ante mortem deſerunt.

AVERSIO PARVVLORVM (rudium, ſimplicium, inſipientium) INTERFICIET EOS, ET PROSPERITAS STVLTORVM PERDET ILLOS] Perperam aliqui pro *auerſio* legunt *aduerſio*; Arabicus, *quoniam pro eo quod opprimebant pueros, occidentur.* Eſt concluſio & epiphonema, paucis complectēs cauſam ruinæ impiorum. Quæres, quænā hæc *auerſio*? Primò, Chaldæus, Pagnin. Vatabl. Baynus & noſter Salazar cēſent eſſe quietem & proſperitatem: rebus enim ſecundis ſtulti ſolent perdi, vt τὸ *auerſio paruulorum interficiet eos*, explicetur per id, quod ſubdit, *Et proſperitas ſtultorum perdet eos.* Sic enim Hebræi in carmine & rhythmo prius hemiſtichium expli-
D cant per poſterius. Vnde Syrus pro *auerſio* vertit, *conuerſio inſipientium.* Vers.32.

Secundò & propriè, *auerſio*, vel, vt Tigurina, *defectio*, intelligitur à ratione, à recto, à ſapientia, à Deo. Igitur *auerſionem* intelligit quadruplicem, quam deſcripſit v. 29. dicens: *Eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorē Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ.* Eò enim reſpicit, ſeſeque refert. Quare *auerſio* hæc eſt à diſciplina, à timore Domini, à conſilio, à correptione ſapientiæ. Notat enim hoc verſu duos terminos peccati, vnum à quo, alterum ad quem. In omni enim peccato eſt auerſio à Deo Deiq; lege, & conuerſio ad proſperitatem & commoda bonorum temporalium. Vnde S. Thomas & Scholiaſt. peccatum ſic definiunt: *Peccatum eſt auerſio à bono ſummo & increato, ac conuerſio ad bonum caducum & creatum. Qui enim à Deo auerti-*

tur

tur & proſperatur, tanto perditiom ſit propinquior, quãto à zelo diſciplinæ inuenitur alienus, inquit hunc locum explicans S. Gregor. lib. 1. in Ezech. hom. 12. Vnde R. Leui מְשׁוּבָה *meſcubà*, inquit, eſt receſſus, quo peccator eò quòd minùs propoſiti ſit tenax, modo in hoc, modo in oppoſitum ſe conuertit, prout mentis æſtu abripitur. Hinc impij, licet grãdæui, vocãtur paruuli, quia inſtar paruulorum cupidinibus ſuis aguntur & rapiuntur, iuxta illud Senecæ ad Lucilium: *Auctoritatem habemus ſenum ſed vitia puerorum*, imò infantium.

Porrò *auerſio* hæc tum paſſiuè, qua ſcilicet impij auertuntur à Deo iuxta ſenſum iam datum; tum actiuè, qua ſcilicet ipſi paruulos ſeducunt, & à Deo auertunt, accipi poteſt. Actiuam accipiunt Septuag. vnde vertunt, *pro eo quod iniuriam inferebant paruulis, occidentur*; & Lucifer pro S. Athanaſ. *nam quia decipiebant paruulos, occidentur*.

Et prosperitas stvltorvm perdet illos] Pro *proſperitas* hebr. eſt שַׁלְוַת *ſcaluat*, quod Aquila, Symmach. Noſter, Pagnin. & Vatabl. propriè vertunt, *proſperitas*; Chald. *error*; Septuag. verò, ἐξετασμὸς, id eſt, *inquiſitio, examinatio*; hinc Arabicus vertit, *inueſtigatio*, putà exquiſitum iudicium, quo à Deo, Chriſto & Sanctis, præſertim quos afflixerunt, examinabuntur, iudicabuntur & damnabuntur in die iudicij. Aut potiùs examinatio eſt ipſa proſperitas: hæc enim hominis indolem, virtutem & vitium patefecit. Nam vt ait S. Anſelm. in Sẽtentijs: *Tribulatio probat vnam patientiam, proſperitas verò omnes virtutes examinat*. Porrò Aben Ezra de culpa hæc explicat, q. d. Stulti, id eſt impij, ſua quiete perdũtur, interimunturq; improuidi: cùm enim alta pace perfruantur, ſceleribus ſeſe obſtringunt. Conſequenter pari modo de pœna explices. q. d. Impij ſua proſperitate inſoleſcentes prouocant iram Dei & hominum, qua fit vt perdantur & opprimantur; vti perijt Sodoma, iuxta illud Ezech. 16. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium*. Ob hæc enim in tanta ſcelera prolapſa eſt, vt cæleſti igne deflagrãrit. Proſperitas ergo impiorum in magnam calamitatem deſinit, ideoque eſt proſpera aduerſitas, & felix infelicitas.

Præclarè S. Bernard. ſerm. 3. in Domin. Palmarum, notat dici, *proſperitas*, non omnium, ſed *ſtultorum perdet illos*; quia ſapientes norunt proſperitate vti modeſtè ad ſuum commodum & profectum. Idem tamen libr. 2. de Conſider. cap. 12. docet ſapienti maius eſſe periculum à proſperis quàm ab aduerſis. *Proſperitas* enim *incautis*, inquit, *eſt hoc ad diſciplinam, quod ignis ad ceram, quod Solis radius ad niuem vel glaciem. Sapiens Dauid, ſapiens Salomon fuit: ſed blandientibus nimis ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Magnus, qui incidens in aduerſa, non excidit vel parum à ſapientia; nec minor, cui præſens felicitas, ſi arriſit, non irriſit. Quamquam faciliùs inuenerim, qui ſapientiam retinuerunt contraria ſibi fortuna, quàm qui propitia non perdiderunt.* Idem ſerm. 39. in Cant. *Luxuriæ currus quadriga voluitur, quatuor rotis vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otij ſoporiſq; reſolutione. Trahitur equis æquè duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præſident duo, ignauiæ torpor, & infida ſecuritas: quia & copia in ignauiam ſoluit, & ſecundum Scripturam, Proſperitas ſtultorum perdet illos: non ſanè ob aliud, niſi quoniam mali ſecuros reddit. Cùm autem dixerint, Pax & ſecuritas, tunc ſubitaneus ſu-*

Magis timenda proſperitas quàm aduerſitas.

A *perueniet eis interitus* 1. Theſſalonic. 5. 3.

Moraliter ergo diſce, magis timenda eſſe proſpera quàm aduerſa, maiuſque pectus requiri ad illa quàm ad hæc moderanda. Sapienter Saluianus lib. 6. de Gubernat. *Tanta*, inquit, *rerum ſecundarum proſperitate corrumpimur, tanta morum inſolentiam prauitate vitiamur, vt & Dei penitus obliuiſcamur & noſtri, &c. ad hoc tantùm data à Deo quiete vtimur, vt in ebrietate, vt in luxuria, vt in flagitijs, vt in rapinis, vt in omni ſcelere atque improbitate viuamus: quaſi verò beneficium datæ pacis ſit vacatio probroſitatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus, vt licentiùs ſecuriuſque peccemus. Indigni itaque cæleſtibus donis ſumus.*

Quocirca ſapienter monet Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 255. *Da operam*, inquit, *vir optime, ne te*
B *tanquam vnum è vulgo mutet rerum ſecundarum aura. Verùm firmum & conſtantem amicis ſeruet philoſophia, cum qua es educatus. Illud enim imperitis ac gregarijs contingere ſolet; hoc autem ijs qui inſigni ſapientia præditi ſunt.* Nam vt ait Auſonius de Capua: *Freta ſecundis Neſtimit ſeruare modum.* Et Plautus in Pſeudolo.

Quaſi ſolſtitialis herba paulisper fui.
Repentè exortus ſum, repentè occidi. Et alius:
Fortunam reuerenter habe, nam vitrea tota eſt;
Cumq; nihil ſtatuis firmius eſſe, ruit.
Res vt læta redit, mens ebria ſurgit in altum,
Optima ſors hominis peſſima corda facit.

S. Ambroſ. dum ad domum diuitis cuiuſdam diuertiſſet, qui ſibi omnia ex voto toto vitæ tempore euenisse gloriabatur, è veſtigio receſſit: Rogatus à comite, cur fugeret tam liberalem hoſpitem? Ne, inquit, *vnà cum eo perpetua proſperitate vſo*
C *malè peream.* Neque id vanum omen; vix enim domo receſſerat, dum ea cum omnibus eam incolentibus terræ hiatu fuit abſorpta, ita Paulinus in Vita S. Ambroſ. Nam, vt ait ille: *Ira numinis procul dubio abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt.* Et: *Plerumque ſecundis rebus præter meritum vti ſtolidis hominibus maiorum calamitatum initiũ præbet. Res enim proſperæ iudicium ſæpè deprauant.* Quocirca orat ille: *O numẽ meis admiſce proſperis quiddam mali. Fragilitatis enim humanæ nimia in proſperis eſt obliuio. Res ſecũdas hinc ſuperbia inde ambit laſcinia. Aduerſa firmant, proſpera animos efferunt. Rariſſima in re proſpera prudentia eſt. Tumidus ſecundis, timidus eſt idem in malis.*

Qvi avtem me (ſapientiam, quæ à v. 20. huc- Vers. 33.
uſque loquitur & concionatur) avdierit, abſque terrore reqviescet, et abvndan-
D tia perfrvetvr, timore malorvm svblato] Vatabl. & Pagnin. *qui autem mihi obtemperat, intus* (hebr. *in ſpe*, vel *fiducia*, id eſt fiducialiter) *habitabit, & ſecurus erit à malorum metu*; Syrus, *ſecurus erit à multitudine iniquitatum*. Nota τὸ *habitabit*: impij enim magnas ſpes concipiunt, ſed in illis non habitant; quia ijs excidunt, adeoque illæ ſæpè vertuntur in deſperationem: iuſti autem in ſpe, quaſi in domo propria, perpetuò, ſecurè & fidenter habitant; quia certi ſunt de Dei ope, & obedientiæ ac iuſtitiæ ſuæ remuneratione. Porrò Ianſenius, Baynus & Salazar hæc accipiunt de bonis præſentis vitæ: hæc enim à Deo promiſſa erant Iudæis illius æui. q. d. Qui meæ diſciplinæ ſtuduerit & obedierit, bonis cunctis affluet, vel proſperè aget, id eſt, non variam, ſed conſtantem experietur fortunam, adeò vt metu vacet *timore malorum ſublato*, id eſt infortuniorum, quæ ſolent felicitatem

commutare, iuxta illud à Deo promiſſum: *Ieruſalē habitabit confidenter*, Ierem. 33. 16. *Et comedetis panē veſtrum in ſecuritate, & abſq; pauore habitabitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat*, Leuit. 26. 5. vnde Chald. hoc loco vertit, *proſperitas, qua ſtulti ſuperbiunt, ad bonos vertitur.*

Verùm ſub bonis temporalibus, quæ Deus promiſit Iudæis, myſticè hîc & alibi in Script. intelliguntur bona ſpiritualia promiſſa Chriſtianis; illa enim, vtpote caduca & exigua, erant veteris; hæc ſunt noui teſtamenti, quia cęleſtia, diuina & æterna. Iuſtus ergo Chriſtianus, qui piè vult viuere, etſi cruces expectet. *Omnes enim, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*, 2. Timot. 3. 12. tamen inter cruces velut inter roſas & delicias ſtabit impauidus, imò lætus & alacer: quia abūdantia cęleſtis fortitudinis, fiduciæ & cōſolationis, quam ei Spiritus ſanctus ſuggeret, faciet eum omnibus ſuperiorem, vt in cælo & Deo mente, defixus omnia terrena bona & mala deſpiciat, imò in malis exultet & glorietur, quòd ea pro Deo toleret, dicatque cum Paulo: *Gloriamur in tribulationibus*, &c *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctū qui datus eſt nobis*, Rom. 5. 3. Summa ergo dictorum eſt, ſolam ſapientiam præſtare trāquillitatem lætitiamque animæ, & omnem mali metum excludere; vt ſapientes, id eſt iuſti, perpetuum agant ſabbathum in timore Domini.

An timor ſit in cælo, & quis

Anagogicè, hæc omnia perfectiſſimè implebūtur in cælo. Ibi enim fugiet dolor & timor: ibi erit abundantia gaudiorum & bonorum omnium. Quærit D. Thomas 2. 2 q. 19. ar. 11. an in cęlo aberit omnis omnino timor? ac reſpondet. Primò, ibi nullius mali fore timorem; quia Beati erunt ſecuri de ſua felicitate, quòd in æternum eis firma permanebit. Secundò, fore in cælo Dei timorem non ſeruilem, ſed filialem, qui idem eſt cum charitate: ita tamen vt primus & proprius timoris actus, qui eſt timere, trepidare, angi, ſollicitum eſſe, ceſſet, ſitq; tantùm ſecundarius eius actus, qui eſt Deum reuereri, admirari, & cauere omnem etiam minimā eius offenſam. Erit ergo ibi timor ſecurus. Ita S. Greg. 17. Moral. c. 15. exponens illud Iob. 26. *Columnæ cęli cōtremiſcunt, & pauent ante nutū eius. Ipſe*, inquit, *virtutes cæleſtiū, quæ hunc ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa contemplatione contremiſcunt: ſed idem tremor, ne eis pœnalis ſit, non timoris eſt, ſed admirationis; quia ſcilicet admirantur Deum, vt ſupra ſe exiſtentem, & eis incomprehenſibilem.* Et S. Augu. 14. de Ciuit. ca. 9. dubitans an in Beatis ſit timor. *Timor*, inquit, *ille caſtus permanens in ſęculū ſęculi: ſi erit in futuro ſæculo, non erit timor exiēs à malo, quod accidere poteſt: ſed tenens in bono, quod amitti non poteſt: vbi enim boni adepti amor immutabilis eſt, profectò, ſi dici poteſt, mali cauendi timor ſecurus eſt. Timoris quippe caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare, & non ſollicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, ſed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Aut ſi nullius omnino generis timor ibi eſſe poterit, ita fortaſſe in ſæculum ſæculi dictus eſt permanens, quia id permanebit, quò timor ipſe perducit.*

Moraliter diſce hîc ſapientem, id eſt iuſtum, in omnibus etiam aduerſis eſſe ſecurum & intrepidum, tum ob fiduciam bonæ conſcientiæ, tum ob animi fortitudinem, tum quia ſcit ſe Deo eſſe curę & cordi. Vnde Saluianus li. 1. de Gubernat. *Nemo*, inquit, *aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo: & ideò non poſſunt cuiuſdam iudicio falſo eſſe miſeri, qui ſunt verè ſua conſcientia beati. Nulli enim, vt opinor, beatiores ſunt, quàm qui ex ſententia ſua atque voto agunt. Humiles ſunt Religioſi? hoc volunt: pauperes ſunt? paupertate delectantur: ſine ambitione ſunt? ambitum reſpuunt: inhonori ſunt? honorem reſpuunt: lugent? lugere geſtiunt: infirmi ſunt? infirmitate lætantur. Cùm enim, inquit Apoſtolus infirmor, tunc potens ſum.* Et mox: *Labor itaque, & ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas nō omnibus ſunt oneroſa, ſed tolerare nolentibus: ſiue enim grauia hæc, ſiue leuia, animus tolerantis facit.* S. Auguſt. in pſal. 31. *Quomodo mala conſciētia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe.* S. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Roman. *Animi tranquillitatem & lętitiā*, inquit, *non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potētiæ timor, non corporis fortitudo, nec quid aliud, ſed ſola parit conſcientia bona: quam certè qui puram habet, vt pannoſus ſit, vt cum fame luctetur, tamen trāquillior beatiorq; eſt ijs, qui inter delicias degunt; ſicut & qui ſibi malè conſcius eſt, vt omnium bona poſſideat, omnium eſt miſerrimus.* Illius exemplum dat S. Paulum, huius Achab regem. Cauſam dat S. Gregor. in pſalm. 143. *Nulla*, ait, *eſt maior afflictio, quàm conſcientia delictorum.* Cùm enim exteriùs patitur homo, ad Deum confugit. Quòd ſi malæ conſcientiæ tribulationem perferens, *in arcano cordis Deum non inuenit, quid facturus eſt homo? vbi conſolationem inueniet? vbi requiem perquiret?* Iuſtus autem licet afflictus, in arcano tamen cordis inueniens Deum, in eo lætatur & conquieſcit. Ita S. Tiburtius Martyr tyranno minanti dira. *Omnis*, inquit, *nobis vilis eſt pœna, vbi pura comes eſt conſcientia.* Ex aduerſo, *Peruerſi trepidant, & ad omnia fulgura pallent.* Igitur *negligit calumniam omnem recta conſcientia. Vacat timore quieta conſcientia. Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa*, &c. *hic murus aheneus eſto.* Talis ergo quouis rerum euentu ſecurus, atque medios inter hoſtes, pericula & terricula Deo, cui ſe curæ eſſe ſcit, nixus, intrepidus ait cum Dauide: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo*, pſalm. 26. Idem viderunt philoſophi, ſed per vmbram. Vnde Horatius lib. 3. ode 3.

Iuſtum, inquit, *& tenacem propoſiti virum,*
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

POſt acrem ſapientiæ concionem ſapiens ipſe Salomon orationem reſumit, docetq́; quâ ratione ſapientia acquiri poßit, nimirum eius inuocatione, ſtudio & auditu: ac v. 10. quis eius acquiſitæ fructus, nimirum Dei gratia, & cuſtodia ab omni malo, præſertim ab homine impio, & ab adultera, quæ ſapientiæ, id eſt caſtitati, ſanctitati, & felicitati, inſidiatur. Igitur docet cum ſapientia omnia Dei dona venire, omniaq́; mala auerti, & ſine ea vbique errari.

1. FIli mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, 2. vt
audiat ſapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam.
3. Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: 4. ſi quæ-
ſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam: 5. tunc intelliges timo-
rem Domini, & ſcientiam Dei inuenies: 6. quia Dominus dat ſapientiam: & ex ore
eius prudentia, & ſcientia. 7. Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes
ſimpliciter, 8. Seruans ſemitas iuſtitiæ, & vias ſanctorum cuſtodiens. 9. Tunc in-
telliges inſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam. 10. Si in-
trauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit: 11. conſilium cuſtodiet
te, & prudentia ſeruabit te, 12. vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruerſa lo-
quitur: 13. qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: 14. qui
lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: 15. quorum viæ peruerſæ
ſunt, & infames greſſus eorum, 16. Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea quæ
mollit ſermones ſuos; 17. & relinquit ducem pubertatis ſuæ, 18. & pacti Dei ſui
oblita eſt, inclinata eſt enim ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius.
19. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas
vitæ 20. Vt ambules in via bona: & calles iuſtorum cuſtodias. 21. Qui enim re-
cti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea. 22. Impij verò de ter-
ra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.

CApud hoc eſt facile & clarum. Idem argumentum tractauit Eccleſiaſticus c. 1. v. 11. & ſeq. c. 39. v. 1. & ſeq. c. 51. v. 25. & ſeq. quocirca hîc breuis ero. Videat lector quæ locis citatis annotaui.

Vers. 1. FILI MI, SI SVSCEPERIS SERMONES MEOS, ET MANDATA MEA ABSCONDERIS PENES TE; Syrus, *in corde tuo*, VT AVDIAT SAPIEN-
Vers. 2. TIAM AVRIS TVA: INCLINA COR TVVM AD COGNOSCENDAM PRVDENTIAM] Arabicus, *ſi audieris ſapientiam auris tua, tradidiſti cor tuum ad intelligendum*, Tò *fili* ſignificat non eſſe verba ſapientię, vt vult Baynus; ſed ipſius ſapientis, ſcilicet Salomonis. q.d. Filius meus eris, ſi ſermonibus meis auſcultaueris, ait R. Leui. Salomō enim paſſim hîc diſcipulum inſtruit, eumq́ue vocat filium. Id patet ex v. ſeq. vbi ait: *Si enim ſapientiam inuocaueris*, &c. Si enim ſapientia loqueretur, diceret vtique: *Si me inuocaueris.*

Noſtra verſio difficultatem habet: quomodo enim cohęrent. *Si ſuſceperis ſermones meos*, &c. cum τῷ *inclina cor tuum*? Qui enim ſuſcepit ſermones ſapientiæ, vtique iam ad eam inclinauit cor ſuum. Viderunt hoc Septuag. ideoq́ue clarè vertunt, *fili ſi ſuſcipiens eloquium mandati mei abſconderis penes te, obediet ſapientiæ auris tua* (minùs rectè aliqui codices habent, *obediat ſapientia auri tuæ*; Aquila, Symmach. & Theodot. vertunt, *ad attendendum ſapientiæ*,) *& adÿcies cor tuum ad intellectum.* Adduntq; inſuper: *Adÿcies autem ipſum in admonitionem filio tuo*, quod non eſt in Hebræo: vnde videtur aliunde irrepſiſſe: ac cōgruum habere poteſt ſenſum, q.d. Si me, ô fili, te quaſi patrem docentem monentemq́ue audieris, promitto tibi fore, vt & te filius tuus docentem arguentemq́ue audiat & obediat: ſin mea monita ſpreueris, tua quoque ſpernet filius tuus. Iuſta enim eſt hæc lex talionis ſancita à iuſto iudice Deo, vt quod quis tribuit patri, hoc recipiat à filio ſuo. Aut, vt explicat auctor Catenę Græcorum. q.d. Si acer impigerq́ue ſapientiæ auditor fueris, eos propediem progreſſus in ea facies, vt alteri quoque, quaſi filio & diſcipulo tuo, doctrinam, quam hauſiſti, impertiri valeas. Eumdem ſenſum habere poſſet noſtra verſio Latina, ſi pro *inclina* legas *inclinabis*, vti legit Baynus, Pagninus & alij.

Secundò, Vatablus cenſet ſententiam horum duorum verſuum pendere, ac poſt verſum 3 & 4. qui per parentheſin interſeruntur, expleri demum, verſ. 5. Vnde ſic vertit, *fili mi ſi acceperis verba mea, & pręcepta mea penes te repoſueris, vt ſapiētiæ aures tuas accommodes, & cor tuum inclines inſtitutioni*, &c. *tunc intelliges timorem Domini.* Sic quoque hæc legit & nectit S. Hilarius in pſal. 127. initio: *Si enim*, inquit, *ſapientiam inuoces, & intellectui des vocem tuam, & exquiras eam tanquam argentum, & tanquam theſauros inueſtiges eam, tunc intelliges timorem Domini.*

Tertiò, Noſtra obſcuriùs, ſed profundiùs & germaniùs vertit, *inclina.* Docet enim hîc Salomon viam & modum acquirendi ſapientiam, quî eſt inclinare cor ſuum ad ſapientiam, eique totum cordis ſinum magna attentione, humilitate & auiditate expandere. Id patebit ex ſeqq. Senſus ergo genuinus eſt, q.d. Si ſuſciperis (hebr. *ſi ſuſcipies*) id eſt, ſi ſuſcipere volueris ſermones meos, & ſi mandata

data mea abſconderis (hebr. *ſi abſcondes*) id eſt, ſi abſcondere volueris apud te in ſinu mentis tuę, ſi inquam, hoc agere cupis & deſtinas, inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam, ſic vt auris tua audiat ſapientiam: quòd enim propendet cor, eò ipſum inclinat & aurem. τὸ enim *vt audiat ſapientiam*, referendum eſt ad id, quod ſequitur: *inclina cor*. Vnde Baynus ex Hebręo ſic vertit, *vt attentam præbeas ſapientiæ aurem tuam inclinabis cor tuum ad intelligentiam.* Idem enim, vt iam ſępius monui; hæc ſunt *prudentia, ſententia, intelligentia*: hiſce enim pluribuſque alijs nominibus copiæ & amplitudinis cauſa, vocatur ſapientia practica, ſiue ethica, quæ mores ad honeſtatem conformat. Ratio eſt, quòd verba Hebręorum ſæpè ſignificant actum non realem, ſed mentalem, vel verbalem, vt *ſuſceperis* ſit idem quod ſi volueris ſuſcipere, non autem ſi actu pręterito iam ſuſceperis. Sic Deus ait Ieremię cap. 1. 10. *Conſtitui te hodie ſuper Gentes, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas*, id eſt, vt prophetes & prędices Gentes fore euellendas, deſtruendas & diſperdendas. Nec enim actu reali, ſed mentali, vel potiùs verbali & prophetico Ieremias Gentes euulſit, deſtruxit & diſperdidit. Vide ibi dicta. Rurſum verba Hebręorum ſignificant ſępè actum inchoatum & mente deſtinatum, non cōpletum & opere perfectum: ſic hìc *ſi ſuſceperis*, id eſt, ſi ſuſcipere deſtinaueris & inchoaueris.

Significatur ergo, ait Ianſenius, neceſſe eſſe ſapientię ſtudioſo, vt cor ſuum abſtractum ab amore rerum terrenarum (ad quas ex natura ſua corrupta ſemper inclinatur & propendet) inclinet, atque totum addicat prudentiæ cognoſcendæ, ſeriò hoc ipſum & ex animo deſiderans, ſic vt non dedignetur auribus ſuis ſapientiam ex alijs percipere, ſed aures ſuas accommodet attentè ſapientum dictis percipiendis. Niſi enim cordis ad ſapientiam propenſitas & deſiderium pręceſſerit, fruſtra aure corporali ſapientia ex ore auditur ſapientum. Inclinabis ergo cor tuum prudentię, ſic vt audiat auris tua ſapientiam: vel inclinabis cor tuum prudentiæ ad hoc, vt cum fructu & attentè auris tua audiat ſapientiam. Serium enim deſiderium requiri ad comparandam ſapientiam, docet in ſequentib. Vox enim *abſconderis* ſignificat ſapientiam eſſe rem pretioſam, & cimelium ſummè deſiderandum, & in arca, non argenti, ſed mentis, ſtudioſè recondendum, iuxta illud pſal. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua*, ne ſcilicet volucres cęli, id eſt aëreæ poteſtates, ea diripiant & deuorent iuxta parabolam ſeminis, quam proponit Chriſtus Matth. 13. 19. Hinc pro *vt audiat*, hebr. eſt לְהַקְשִׁיב *lehaſcib*, id eſt, vt attendat, vt auſcultet, vt attentè intendat: verbum enim קָשַׁב *kaſcab* ſignificat magnam attentionem mentis, quæ fit cum geſtu, putà cum aurium arrectione; vnde in Script. paſſim auribus tribuitur. In verbis ergo Hebraicis *vt audias & inclina*, eſt aliquid energię, inquit Baynus, quam Latinus ſermo nō aſſequitur, qua magnum ſtudium & ſedulitas in audiendo commendatur, & humilitas cordis, dum aurem inclinat. Si audieris, inquit, ſic vt attendere facias aurem tuam ſapientiæ. Hoc eſt quod Chriſtus toties repetit: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Valde difficile eſt iuuenibus oblectare ſeſe rebus ſerijs, habere aurem attentam ſapientię pręceptis, habere cor inclinatum ad intelligentiam ſcilicet eorum quæ ſapientia docet. Vel potiùs, inclinare cor ad intelligentiam, eſt applicare animū

A ad res, quę mente & intelligentia percipiūtur. q. d. Remoue cor & deſiderium tuum à rebus, quas vides, quas audis, & quæ reliquis ſenſibus hauriuntur; & attentum habe ad res cęleſtes, quæ cogitatione comprehenduntur & intelligentia, vſque adeò id difficile eſt, vt humanas quodammodo ſuperet vires; & proinde ad preces confugiendum eſt, iuxta id quod ſequitur.

Igitur vt ſapientię fias compos, aures & cor ipſi dede, cor totum ad illam inclina, aure tota illi auſculta. Cor enim eſt centrum animæ, & pondus horologij noſtri interni, iuxta illud S. Auguſt. *Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror.* Amor enim eſt actus & affectio cordis, quę facit vt volūtas rem amatam toto affectu proſequatur, vt intellectus eius pulchritudinem iugiter conſideret, vt memoria eius ſemper recordetur. Huc faciunt illa B vulgò trita.

Si cupidus es diſcendi, diſces plurima.
Doceri velle, ſumma eſt eruditio.
Vbi deeſt mens, diſciplina nil iuuat.
Nunquam diſcitur ſatis, nunquā nimis quod diſcitur.
Amor, magiſter optimus diſcentium.

Denique cor eſt mens; & voluntas cordata: hinc cor ſymbolum & iuxta Galenum, ſedes eſt ſapientiæ, iuxta illud:

Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Vide quę de corde fuſe dixi Ezech. 36. v. 6.

SI ENIM SAPIENTIAM INVOCAVERIS, ET Vers. 3.
INCLINAVERIS COR TVVM PRVDENTIÆ] Syrus, *ſi ad intelligentiam vocem tuam extuleris.* Nonnulli codices Gręci addunt: *Senſum autem quæſieris magna voce.* Sed ceteri ea delent: vnde in Vaticano C ad marginem ſunt adſcripta; in alio autem notata ſunt aſteriſco: videntur ergo ex alia verſione in textum irrepſiſſe. Dat cauſam cur dixerit; *Inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam.* Τὸ *inuocaueris* tripliciter exponi poteſt. Primò, S. Hilarius in pſal. 127. *Antè enim*, inquit, *inuocanda eſt ſapientia, id eſt omne legendi officium intellectui eſt deputandum.* q. d. Sapientiam inuocare, eſt eam legendo inquirere; legenti enim lectio ipſa muta voce reſpondet, & ſapientiam, quam liber continet, oculis mentique imprimit.

Secundò, Baynus: *Si inuocaueris*, inquit, id eſt, ſi elegeris. Sic enim Iſrael vocatur מְקוֹרָא *mecora*. id eſt *vocatus*, hoc eſt, electus Dei, Iſaiæ 48. v. 12. & 15. & S. Paulus hoc titulo gloriatur, quòd ſit *vocatus*, id eſt electus, *Apoſtolus*, Rom. 1. 1.

Tertiò, ſimpliciter & planè: *ſi inuocaueris* hebr. D *ſi vocaueris*, vel clamaueris, ſcilicet ad ſapientiam ſuſpirando, & ardentibus precibus à Deo eam efflāgitando, ita vt totum cordis tui ſinum ad eam poſtulandam, æquè ac acceptandā expandas. Chald. *ſi matrem intelligentiam vocaueris.* Significat ingenti deſiderio & precibus, ęquè ac labore & ſtudio parandam ſapientiam. Sic Salomonem ſecutus Siracides explicat, dicens c. 39. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, &c. cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Vide ibi dicta.

Huc pertinet expoſitio Aben Ezræ, q. d. Si ita exclamaueris ad ſapientiam accerſendam, ſicut quis amicum, cuius deſiderio angitur, vocare ſolet. Porrò Salonius: *Ille*, inquit, *inclinat cor ſuū ad cognoſcendū prudentiam, qui humiliat ſe, & emundat animū à peccatis, vt dignus fiat ad percipiēda myſteria diuinitatis.*

Tunc

Tunc ergo inuocas ſapientiam, cùm cognitionem pulchritudinis & valoris veræ virtutis ad te oratione vocas, & eam à Deo inſtanter petis. Túc inclinas cor tuum prudentiæ, cùm in oratione poſitus non tantùm Deum alloqueris, verùm etiam eius vocem reuerenter auſcultas, vt ipſe te prudẽtiam doceat, & de natura ac pretio virtutis erudiat. Si ita virtutis notionem poſtulaueris, dabitur tibi tam profunda & efficax, vt in corde tuo magnum deſiderium virtutis exſuſcitet, & ad ſequelam eius inſtiget. Huc pertinet illud Senecæ in Prouerbijs: *Orationem te putes, ſi tibi ipſi quod oportet perſuaſeris.* Et illud Sapientis: *Prudentia non calliditate, ſed conſilio tuetur prudentem.*

VERS. 4. SI QVÆSIERIS EAM QVASI PECVNIAM (Hebr. *ſicut argentum*; Syrus, *ſicut theſaurum*) ET SICVT THESAVROS EFFODERIS ILLAM] Hebr. תַּחְפְּשֶׂנָּה *tachpeſenna*, id eſt *ſcrutatus fueris*; Septu. *inueſtiges eam.* Pro *theſauros*, Symmachus & Theodot. vertunt, ἀπόκρυφα, id eſt abſcondita, occulta, recõdita; tales ſunt theſauri; θησαυρὸς enim græcè dicitur quaſi θέμενος εἰς αὔριον, id eſt repoſitus in craſtinum, putà reconditus in longum tempus. Et Hebr. מַטְמוֹן *matmon* (vnde Chaldæum, Syrum, Græcum & Latinum *mammon* vel *mammona*) dicitur à טָמַן *taman*, id eſt *recondere*: opes enim & theſauri arctè reconduntur.

Sapientia eſt theſaurus. Primò. Comparat ergo ſapientiam theſauro. Primò, quòd ſicut theſaurus arcanus & abſconditus eſt, ſic & ſapientia.

Secundò, Secundò, ſicut theſaurus magna auiditate à cupidis quæritur, ſic & ſapientia à ſui ſtudioſis. Vnde S. Chryſoſt. in Catena Græcorum: *Sicut*, inquit, *auari quærunt argentum, ita tu ſapientiam.* Quocirca huc alluſit Chriſtus in parabola theſauri, dicens: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Matth. 13. 44.

Tertiò, Tertiò, ſicut theſaurus magno & inuicto labore quæritur, magnaque voluptate inuenitur & effoditur, ſic & ſapientia: labori enim reſpõdet fructus; & quod quis aſſiduè quærit, hoc tandem inuenit, nimirum

Omnia vincit Labor.

Cælites ſudore cuncta fœnerant mortalibus:
Serua ſunt, & obſequuntur cuncta diligentiæ:
Vincit naturam alta diligentia,

Clemens Alexand. lib. 4. Strom. ex Heſiodo aſſerit, quòd ſudor ante virtutem ſit poſitus:

Via longa eſt, inquit, *atque accliuis ad ipſam.*
Ardua namque priùs, ſed cùm ad faſtigia ventum,
Fit facilis.

Et ex Simonide: *Fertur*, inquit, *virtus habitare in rupibus aditu difficilibus, nunc autem eam celerem caſtum locum tenere, & quæ nec aſpici poſſit omnium mortalium oculis, ſed ab eo demum, ad quem ſudor venerit, qui medetur iracundiæ, & proceſſerit ad ſummam animi magnitudinem.*

Hinc myſticæ philoſophiæ interpretes, ait Pierius in hierogl. cordis & ſagittæ, aiunt Plutonis cor ab Herculea ſagitta vulneratum, eoque ſignificari, nihil eſſe tam abditum in rerum natura, quò non peruenerit philoſophiæ ſtudium. Sic S. Gregor. Nazian. orat. 20. ait S. Baſilium ſuo ſtudio philoſophiæ latebras omnes penetraſſe.

Quocirca myſticè S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 5. per ſapientiam & diſciplinam intelligit mortificationem, explicans illud Iob c. 3. *Quaſi effodientes theſaurum. Omnes namq;*, inquit, *qui fodiendo theſaurum quærunt, cùm fodere altiùs cœperint, ad laborem inſtantiùs inardeſcunt: quia quo ſe theſauro abſcondito iam tamq; appropinquare æſtimant, eo in effodiendo enixius laborant. Qui igitur plenè mortificationem ſuam appetunt, quaſi effodientes theſaurum quærunt: quia quanto ſiunt viciniores ad finem, tanto ſe exhibent ardentiores in opere.* Et inferiùs aliter idipſum explicans: *Quia enim perfectè mori mundo non poſſumus, niſi intra mẽtis noſtræ inuiſibilia à viſibilibus abſcondamur; rectè hi, qui mortificationem ſuam appetunt, theſaurum effodientibus comparantur. Mundo enim per inuiſibilem ſapientiam morimur, de qua per Salomonem dicitur: Si quæſieris illam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis eam. Sapientia quippe in rerum ſuperficie non iacet, quia in inuiſibilibus latet. Et tunc mortificationem noſtram contingentes ſapientiam apprehendimus, ſi relictis viſibilibus in inuiſibilibus abſcondamur: ſi ſic hanc cor effodientes quærimus, vt omne, quod terrenum mens cogitat, à ſemetipſa manu ſanctæ diſcretionis eijciat, & theſaurum virtutis, qui ſe latebat, agnoſcat. Facilè enim in ſe theſaurum quæſitum inuenit, ſi eam, quæ ſe malè preſſerat, molem à ſe terrenæ cogitationis repellat.*

Vrget Beda τὸ *effoderis*: multi enim fodiunt, ſed non effodiunt. *Qui theſauros effodit*, inquit, *eijcit terræ rudera, efficit in altum foueam, & ſedulus inſiſtit labori, donec theſauros, quos inquirit, attingat. Et qui theſauros ſapientiæ inuenire deſiderat, quidquid ſibi terrenum ineſſe compererit, expurget, carnales illecebras abſcindat, foſſam humilitatis faciat, nec quieſcat ab agendo priùs, quàm ſe venam veritatis inueniſſe cognoscat.*

Rurſum τὸ *effoderis* ſignificat totum ſapientiæ theſaurum, quoad licet, exhauriendum eſſe. Nam ſicut ij, qui inuenere theſaurum, non contenti partem eius effodiſſe, aſſiduo labore pergunt effodere, donec totum exhauriant: ſic pariter ſapientiæ & virtutis auidus, non contentus partem eius acquiſiuiſſe, indefeſsè pergit, donec eam totam, eiuſque perfectionem & culmen poſſideat. Hinc verum eſt illud: *Qui conatur, iuuatur. Fatum adiuuat conatum, Tonans conantem.*

TVNC INTELLIGES TIMOREM DOMINI, ET SCIENTIAM DEI (Chald. *à facie Dei*) INVENIES) VERS. 5. Quæres, quis hic *timor Domini*, & quid faciat ad ſapientiam, quæ hîc eius ſtudioſo à Sapiente promittitur? Primò, Caietan. *timorem* accipit metonymicè pro obiecto timoris, putà pro retinendo reſpectu Dei. q. d. Tunc intelliges timendo à ſummo Deo, quæ coram eo verè ſint timenda. Diſcernes enim metuenda à non metuendis relatiuè ad fontẽ eſſendi (hunc enim ſignificat Hebr. *Iehoua*) nec timebis quę mundani timent, nimirum timebis peccatum, iudicium & gehennam, quæ Deus minatur peccatori, ideoque verè ſunt terribilia & ſummè metuenda; non autem timebis paupertatem, ignobilitatem, irriſiones; quæ mundani minantur & timent quaſi res terribiles, cùm ſint ludicræ, caducæ, & parui momenti. *Et ſcientiã Dei inuenies*; Hebr. *Elohim*; q. d. *Et inuenies ſcire ſecundum Elohim*, id eſt iudicem vniuerſorum, vt ſcilicet ſcias ſummè eum eſſe metuendum, cauendaque peccata, quæ ipſe iudicaturus eſt, & igne æterno puniturus.

Verùm alij paſſim propriè hîc accipiunt *timorem Domini* pro eius metu, cultu, religione & amore. Iam cũ duplex ſit hic timor, ſcilicet ſeruilis & filialis, dupliciter pariter hunc locum exponas: Primò, de ſeruili. q. d. Si quæſieris ſapientiam,

eiuſq;

A eiuſque præceptis cor inclinaueris, tunc intelliges timorē Domini id eſt, tunc incipies timere Deum, quaſi ſummum inſipientiæ & peccati iudicem ac vindicem, & ſic ad ſapientiam & virtutem peruenies, huius enim initium eſt timor Domini, vti dixit c. 1. v. 7. Alludit ad ſcrutinium theſaurorum: hos enim periti ſcrutari ſolent per ſigna & indicia quibus repertis recta via pergunt ad inueniendum theſaurum. Talia ſigna olim erant carbones & cineres: hos enim ſolebant terræ inſpergere ij, qui theſaurum abſcondebant, vt ijs quaſi indicijs noſſent locum, quo requirendus eſſet, ne eius obliuiſcerentur, itaque eum perderent. Porrò carbones & cineres ſunt reliquiæ ignis, ac conſequenter ſymbolum incendij gehennæ, quod eſt obiectum timoris ſeruilis.

Secundò, pleniùs exponas de timore filiali. q. d. B Si toto corde quæſieris ſapientiam, eiuſque præcepta, vtique obſequeris timorem Domini, qui eſt ipſiſſima ſapientia ac ſcientia Dei, quam Sapient. 10. 10. vocat *ſcientiam ſanctorum*, iuxta illud Iob 28. 28. *Timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia.* Hic enim timor eſt Dei amor & charitas; amore eum ſtringit & complectitur Deum, quaſi ſummum bonum, timore cauet ne tantum bonū perdat vel offendat. Sicut ergo veteres finxere aurifodinas & theſauros cuſtodiri à gryphibus & draconibus: ſic ſapientiæ, virtutis & charitatis cuſtos eſt timor caſtus & filialis. Ita S. Hilar. in pſ. 127. citato hoc loco: *Nobis*, inquit, *timor Domini omnis in amore eſt, metumq́ eius dilectio perfecta conſummat. Dilectionis autē noſtræ in eum hoc proprium officium eſt parere monitis, ſtatutis obtemperare, pollicitis confidere.* Sic & Beda, Hugo & Ianſen. qui & ſapienter annotat: Non eſt autem, ait, illud ſic inC telligendum quaſi priùs non habeatur Dei timor, aut aliquid ſapientiæ diuinæ. Nam ex Dei timore & ſapientia procedit, vt qui pro ſapientia precetur, eamq́ue ardenti deſiderio quærat. Sed dicit tunc timorē Dei intelligendum, & ſcientiam Dei inueniendam: quia tunc in homine firmabitur, perficietur, eiq́ue placere & dulceſcere incipiet, dabiturq́ue, quo adhuc indigebat, iuxta illud Euangelicum. *Omni habenti dabitur.* Et Dionyſ. *Tunc intelliges timorem Domini)* id eſt, inquit, verè experimentaliterq́; cognoſces, atque inuenies filialem Dei timorem. Quanto namq́ue intentiùs ſtudueris deſuper illuſtrari, & dono ſapientiæ perfici, tanto ampliùs formidabis ſummi Dei Patris aſpectū offendere, & coram eo intimoratè te gerere: ipſaq́ue infuſa ſapientia te docebit iſtum timorem caſtum & ſanctum, oſtendendo tibi quàm infinitè D & incomparabiliter Deus altiſſimus ſit ſincerè timendus, honorandus ac diligendus; ſicq́ue ingeret tibi ſapientialem pudorem, vt vbique erubeſcas coram diuini vultus præſentia inhoneſtè, negligenter aut turpiter te habere. Ad quod etiam Seneca admonens ait: Non aliter te habeas in ſecreto, aliter in publico. *Et ſcientiam Dei inuenies*, id eſt ſapientiam, eiuſq́ue profectum & perfectionem obtinebis à Domino. De quo Pſalmiſta pſ. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* De qua ſciētia dicit Dominus in Oſee cap. 6. *Scientiam Dei volo plus quàm holocauſta.* Apoſtolus quoque Philip. 3. 8. *Exiſtimo*, inquit, *omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei.* hæc Dionyſ.

Similiter hunc locum explicat S. Ambroſ. in A pſal. 118. octon. 5. ad illud: *Statue ſeruo tuo eloquium tuum*; qui & cauſam aſſignat: *Etenim*, inquit, *vera ſapientia à timore Dei incipit, nec eſt ſapientia ſpiritalis ſine timore Dei: ita timor ſine ſapientia eſſe nō debet. Baſis quædam verbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulacrum aliquod in baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiā cùm in baſi ſtatua fuerit collocata ſtandiq́ accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore ſancto melius ſtatuitur, fortius radicatur in pectore timentis Dominū, ne labatur verbum de corde viri, ne veniāt volucres, & auferant illud de incurioſi & diſſimulātis affectu.* Et mox: *Timor ergo verbi eſt locus, ſicut in pace locus eius. Timor quædam ſtatio verbi, verbum timoris eſt diſciplina. Plenus enim diſciplinæ timor non nutat ad lapſum.* Et inferiùs: *Timor informatur per ſapientiam, inſtruitur per intellectum, conſilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur.*

B QVIA DOMINVS DAT SAPIENTIAM: ET EX ORE EIVS PRVDENTIA, ET SCIENTIA] Syrus, Sept. & Chald. *& à facie eius cognitiô & intelligentia*, Vers. 6. *τὸ quia* dat cauſam eius, quod dixit v. 3. *Si enim ſapientiam inuocaueris*, &c. *inuenies*. q. d. Non ſolo auditu & ſtudio, ſed & oratione & inuocatione cōparanda eſt ſapientia: quia ipſa eſt donū Dei: Dominus enim dat ſapientiam hanc & ſcientiam ſanctorum. Sapientiam enim humanam diſces ex Ariſtotele, Platone, &c. ſed diuinam hanc non niſi à Deo, iuxta illud Eccli. 39. 8. *Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum.* Et Iacobi 1. 5. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Hinc Thalaſſius Hecatontade 2. *Quod lux*, inquit, *eſt videntibus & viſis, hoc Deus eſt intelligentibus & intellectis. Solus Deus natura bonus eſt, & ſapiens: fit autem & mens participatione talis, modo ſtudioſa ſit.*

C Quod ſequitur, *Et ex ore eius prudentia, & ſcientia*, ſignificat Primò, ſapientiam hanc prouenire ex Dei reuelatione, facta Prophetis & Apoſtolis in S. Scripturis, quas populo exponunt & prædicant Doctores & prædicatores. Secundò, hanc reuelationem & prædicationem non ſufficere ad percipiendam hanc ſapientiam: ſed inſuper opus eſſe interna Dei illuminatione, qua Deus menti perſuadeat illa, quæ foris audit & legit, iuxta illud Chriſti Ioan. 6. 45. *Erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Cum igitur*, ait S. Aug. l. 1. ad Simplician. q. 2. *prædicatur Euangelium, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt prædicatori forinſecus ſonanti, intus à Patre audiunt & diſcunt: qui autem non credunt, forinſecus audiunt, intus autem non audiunt, neque diſcunt.*

D Nota, ſapientiam ita eſſe donum Dei, vt tamen ſit opus quoque hominis, homo enim illam ſibi parare debet partim ſtudio, partim oratione, ſimili modo virtus, v. g. caſtitas, eſt donum Dei, & ſimul opus hominis eam liberè amplectentis, ac pro ea contra vitia decertantis, vti fusè dixi 1. Corinth. 7. 7. Sic opera gratiæ ſunt opera tum gratiæ quaſi cauſæ principalis, tum liberi arbitrij quaſi cooperantis.

Porrò idem eſt ſapientia, ſcientia, prudentia, vti ſæpiùs monui; etſi Lyran. & Baynus ea diſtinguant hoc modo, quòd ſapientia ſit cognitio rerum cæleſtium, ſcientia ſit rerum neceſſariarum in hac vita, prudentia ſiue intelligentia ſpectet ad mores & integritatem conuerſationis inter homines.

Symbolicè Beda: Verbum, inquit, quod eſt Sapientia,

pientia proceſſit ab ore Patris, cùm à mente eius A
conceptum fuit, dictum & genitum ab æterno. Rurſum ex ore eius fluit ſcientia & ſapientia quia os hominis, niſi ab eo ſanctificatum & conſecratum fuerit, ſapientiam eloqui nequit.

VERS. 7. CVSTODIET RECTORVM SALVTEM, ET PROTEGET GRADIENTES SIMPLICITER] Hebraicè, *abſcondet rectis ſalutem, ſcutum* (clypeus) eſt *ambulantibus in perfectione*; Septuag. *theſaurizat rectè agentibus* (S. Auguſt. lib. 1. Contra aduerſ. legis & Proph. cap. 17. legit; *diligentibus ſe*) *ſalutem, proteget greſſus eorum*; Tigurina, *reponit iuſtis eſſentiam* (id eſt ait Vatabl. *is ſeruat iuſtis doctrinam veram*) *protegit innocenter ambulantes*; Chaldæus, *abſcondet iuſtis incolumitatem, & auxiliabitur his qui ambulant abſque macula*, Syrus, *ſeruat rectis ſpem, & adiuuabit ambulantes ſine macula*.

B Nota. Pro *cuſtodiet*, hebr. eſt יִצְפֹּן *iitſpon*, id eſt abſcondet, reponet, aſſeruabit quaſi theſaurum. Theſaurus enim duo includit, Primò, rem eſſe pretioſam, Secundò, eſſe arcanam & reconditam.

Tuſcia hebr. quid ? Pro *ſalutem*, hebr. eſt תּוּשִׁיָּה *tuſcita*, quod Pagnin. Tigurina, & alij vertunt *ὀυσίαν*, id eſt eſſentiam, exiſtentiam, ſubſtantiam, à rad. יֵשׁ *ies*, id eſt *eſt*. Hebræum enim *ies* in omnes linguas tranſiit. Vnde R. Leui, *reſeruabit rectis id quod eſt*, Chald. *incolumitatem*; Noſter & Septuag. vertunt, *ſalutem*, quaſi *tuſcia* per alluſionem & commutationem vnius literæ reſpiciat ad יֶשַׁע *ieſca*, id eſt ſalus, & תּוֹשִׁיעַ *toſcia*, id eſt *ſaluabit*; R. Moſes vertit, *legem*; alij, *formam, præſcriptum, & quidquid ſtabile eſt ac ſolidum*; alij *fortunam, ſucceſſum*; alij meliùs vertunt, *ſapientiam*, quia ſapientia eſt nobiliſſima ſolidiſſimaque res & eſſentia; vt hunc locum explicat Iſaias C
cap. 33. 6. vbi Septuag. ſic vertunt, *in theſauris eſt ſalus noſtra*: quam explicant ſedentes: *Sapientia & ſcientia & pietas in Deum, iſti ſunt theſauri ſapientiæ*. Omnes hæ verſiones eòdem recidunt: *tuſcia* enim propriè ſignificat *eſſentiam*; inde *ſapientiam*, quia hæc eſt quaſi anima & vita eſſentiæ hominis: inde *legem*, quia ſapientia conſiſtit in obſeruatione legis, vel, vt R. Dauid: Lex, inquit, dicitur *tuſcia*, id eſt eſſentia, quia cùm cetera ſint caduca & vana, ſola lex perpetuò durat; inde *ſalutem*, quia hanc tribuit ſapientia, & ita de cæteris. Vnde Aben Ezra: *Sapientia* inquit, *eſſentiæ appellationem ſortitur, quòd ſit, atque ad omnem æternitatem duret. Hæc porrò à Deo iuſtis reſeruatur, vt eius ope ſeruent iuſtitiæ tramitem, hoc eſt præcepta diuina.*

D Igitur Primò. Lyran. ſic exponit, q. d. Deus rectis & iuſtis pro præmio iuſtitiæ dabit ſalutem, id eſt ſanitatem mentis & corporis. Secundò Ianſenius, q. d. Deus apud ſe recondit ſapientiam & ſalutem quaſi ingentem theſaurum, eumque non omnibus, nec ſemper, ſed ſolis rectis & iuſtis erogabit tempore à ſe decreto. Tertiò, Caietan. & Salazar hunc verſum referunt ad id quod dixit v. 4. *Si ſicut theſauros effoderis eam*, ſcilicet ſapientiam, vtique *inuenies eam: quaſi hic eius dicti det rationem, quia ſcilicet Deus cuſtodit, reponit, occultat, theſaurizat* (*omnia in idem recidunt*) *ſalutem, ſapientiam videlicet veram, quæ eſt iuſtitia ipſa & ſalus animi. Si enim Deus theſauri adinſtar ſapientiam abſcondit, rectè ſequitur theſauri in modum effodiendam eſſe. Dicitur autem abſcondere vel theſaurizare rectis, vel rectè agentibus, hebraicè, ieſarim, id eſt ſedulis; Auguſt. diligentibus ſe: quia locuplex iſte theſaurus, quem ſic latere Deus voluit, niſi à ſedulis & accuratam diligentiam nauantibus non eruitur*. Hæc ipſi.

A Hæ omnes expoſitiones veræ ſunt & coincidunt: ſtudioſis enim ſapientiæ loco præmij promiſit dandã ipſis à Deo ſapientiam: nunc verò quantum id ſit præmium quantoſque fructus, bona & commoda afferat explicat, dicens quòd Deus per ſapientiam cuſtodiat rectorum ſalutem, dum facit vt inter medias mundi tentationes, pericula & naufragia, quibus inſipientes & impij cadunt & pereunt, ſapienter incedant, ne vllam peccati grauioris labem contrahant, ſed rectà & feliciter ad portum ſalutis æternæ euadant. Congruum hoc eſt præmium, dum obſeruantes Deum Deique legem viciſſim ſeruantur & obſeruantur à Deo.

Vnde nonnulli ſic exponunt: Deus cuſtodiet
B *tuſcia*, id eſt eſſentiam, hoc eſt ſoliditatem, & conſtantem in bono perſeuerantiam iuſtorum, quæ ingens eſt theſaurus, rectè enim ducit ad gloriam cæleſtem: perſeuerantia enim ſummum eſt Dei donum. Nam vt ait S. Bernard. (vel quiſquis eſt Auctor) ſerm. de virtute obedientiæ: *Perſeuerantia eſt ſingularis filia ſummi regis*, quam qui duxerit, dotis nomine cælum accipit. Et ſubdit: *Finis virtutum eſt, earumque conſummatio eſt, totiuſque boni repoſitorium*. Ecce hoc eſt quod hîc dicitur: *Reponit iuſtis eſſentiam*. Igitur magnum perſeuerantiæ donum in manu ſolius eſt Dei, quod iuſtus mereri de condigno nequit, ſed tantùm ſupplicibus precibus ab eo flagitare & impetrare. Quocirca ſaluberrima eſt hæc precatio: Domine da mihi perſeuerantiam, da mihi aſſiduè gratiam, quam præuides mihi fore congruam; dirige me per eas vias, officia, ſtatus, actiones, quæ peccati non habent ſcandalum, quibus præuides me certò & infallibiliter perſeueraturum, ac peruenturum ad felicitatem æternam. *Oratio ſaluberrima quæ ?*

C Anagogicè ergo Pagninus in Theſauro linguæ Hebr. in voce *tuſcia*, id eſt *eſſentia*: Deus, inquit, reſeruat & theſaurizat iuſtis eſſentiam ſuam, vt ſcilicet eamdem illis clarè videndam offerat in cælos: hanc ergo illis quaſi theſaurum recondit: hinc Chriſtus eamdem comparat theſauro, *quem qui inuenit homo, præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum*, Matth. 13. 44. Sic & ex Pagnino Ianſenius & Salazar.

Allegoricè, Rabbini nonnulli hæc referunt ad Chriſti incarnationem: Chriſtus enim eſt Sapient. ex ore Patris procedens, quæ os noſtrum carnemque aſſumpſit, vt nos veram ſapientiam, viamque
D ad ſalutem Iudæis occultam edoceret. In *Midras* enim, id eſt in expoſitione lamentationum Ieremiæ, dicitur: *Deus ſanctus erit ſedens, & exponens coram iuſtis ſenſum legis per manus Meſſiæ, ſicut dictum eſt Prou. 2. Reuelat vel occultat rectis legem, clypeus ambulantibus ſimpliciter, vel perfectè. Dixit R. Abraham Aben Ezra, celat rectis legem: quia occultat ab eis verbum ſapientiæ, donec veniat tempus, & exponat eam ore ſuo coram magiſtris*. ita Galatin. lib. 3. c. 19. de Arcanis fidei.

ET PROTEGET GRADIENTES SIMPLICITER] Hebr. *clypeus eſt ambulantibus in ſimplicitate*, id eſt, in innocentia & perfectione. q. d. inſtar clypei defendet innocentes & perfectos. Hæc verba nectenda ſunt ſequentibus hoc modo: *Proteget gradientes ſimpliciter*.

SERVANS SEMITAS IVSTITIÆ, ET VIAM SANCTORVM CVSTODIENS] *Seruans*, id eſt ſeruare faciens hebr. enim eſt לִנְצֹר *limſor*, id eſt, ad VERS. 8.

ſeruandum, vt ſcilicet iuſti ſeruent, Deo eos ſeruante ſemitas iuſtitiæ. Vel eſt hypallage, q.d. Deus ſeruat in iuſtis ſemitas iuſtitiæ, hoc eſt, Deus ſeruat iuſtos in ſemitis iuſtitiæ, vt ab eis non declinent ad dexteram vel ſiniſtrā. Senſus eſt, q.d. Deus protegit iuſtos per ſapientiam & gratiam ſuam, aſſiduè ſeruans mentem illorum, vt inter tot errandi & labendi præcipitia teneant firmiter ſemitas iuſtitiæ, vt per eas iugiter incedant, itaque viam ſanctorum cuſtodit, dirigit & perducit ad metam, putà ad cæleſtem felicitatem. Vnde Septuag. clarè vertunt, *protegit autem greſſum eorum ad cuſtodiendas vias iuſtificationum, & viam reuerentium ſe cuſtodit*; Syrus, *vias piorum ſuorum cuſtodiet*. Sic Deus promiſit Abrahæ iuſtitiæ & obedientiæ præmium dicens: *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum* (hebr. *ego ſcutum tuum ſum*) *& merces tua magna nimis*. Geneſ. 15. 1. vide ibi dicta. Hoc eſt, quod orat Pſaltes: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea*, pſal. 16. 5. Alludit, imò citat illud Annæ matris Samuelis. 1. Reg 2. 9. *Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent*, pro quo Salomon hîc v. 13. habet *Ambulant per vias tenebroſas*.

Vers. 9. TVNC INTELLIGES IVSTITIAM, ET IVDICIVM, ET ÆQVITATEM, ET OMNEM SEMITAM BONAM] *Tunc* reſpicit præcedentia, q. d. Cùm præſtiteris ea, quæ dixi de inuocatione & inueſtigatione ſapientiæ: aut, cùm dederit Deus ſapientiam, *tunc intelliges iuſtitiam, iudicium, & æquitatem*, hoc eſt omnem ſemitam bonam: in hiſce enim tribus ſita eſt ſapientia. An & quomodo hæc tria diſtinguantur dixi cap. 1. v. 3. Præclarè Thalaſſius Hecatontade 1. *Ieſum amans*, inquit, *liberabitur à malitia, & ipſum ſequendo veram videbit ſcientiam. Mens à perturbationibus libera, videt ſubtiliùs; Menti in ſummum purificatæ anguſta ſunt omnia quæ ſunt, ſemperque eſſe cupit extra omnia, quæ ſunt facta. Vis ſemel ab omnibus affectionibus liberari? aſſuefacito te charitati, continentiæ & precibus. Mens apud Deum moram faciens precando, affectiuas animæ vires à paſſionibus liberat.*

Via virtutis eſt ſemita ob quatuor analogias. Nota viam ſapientiæ & virtutis vocari *ſemitam*. Primò, quia arcta eſt, cùm reliqua via, per quam currus incedunt, ſit lata & larga. ita S. Auguſt. in pſal. 121. Secundò, quia compendioſa & breuis eſt ad perfectionem & felicitatem: ſic enim ſcientiæ ſunt breuiores viæ. Tertiò, quia directa eſt, vti ſemita. Quartò, quia ſemitæ ſunt viatoribus per montes & rupes, quos currus circumeunt. ſimiliter enim via virtutis eſt ardua & excelſa, ita Lyranus.

Pro *ſemitam* hebr. eſt מַעְגָּל *magal*, id eſt orbita, rotunda, per quam currus, putà rotunditas rotarum currilium incedit: עָגֹל *agol* enim eſt teres & rotundum: vnde Aquila vertit, καμπὰς, id eſt *flexus*; Symmach. ἐπικυλισμὸς, id eſt *inuolutiones*, gyros, flexus; Septuag. vertunt, ἄξονας, id eſt *axes*, *orbitas*, *tramites* ſemitas. Vnde ſic habent in Catena Græc. *Tunc iuſtitiam & iudicium intelliges, omneſq; honeſtatis orbitas proſperè abſolues*. Orbitæ & axes rotarum, inquit auctor Catenæ, appoſitè ad animum transferuntur: vt enim axes, quibus rotæ inſeruntur, in quadam æquabilitate perpetuò illas continent, ita iuſtitia animam, eiuſdemque vires, præcipuè inferiores (hæ enim per rotas hoc loco inſinuantur) firmat, iugiterque in officio continet. Poſſunt quoque per rotas præcepta Dei, quæ ad Deum ducunt, animamque ad eiuſdem cognitionem dirigunt, accipi. Hæc auctor. Orbitæ ergo Primò ſignificant æqualitatem ſapientiæ & virtutis; Secundò, facilitatem, quam parat ipſa exercitatio: licet enim virtus initio incipienti, ob contrarias concupiſcentias, ſit difficilis, exercitio tamen eas ſuperante fit facilis. Vnde S. Auguſt. in illud pſal 30. *Poſuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, quærens quomodo ſpatioſum ſimul & anguſtum eſt virtutis iter? punctim rem acu tangens reſpondet: *Certè anguſta via eſt: laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt*: Tertiò, orbitæ ſignificant iter virtutis eſſe apertum, publicum, tritum & regium: talis enim eſt orbita curruum. Quartò, eſſe perfectum: circularis enim figura, qualis eſt orbitarum, eſt completa & perfectiſſima.

Flexus verò & gyri, vt vertunt Aquila & Symmach. ſignificant Primò, virtutis iter eſſe arduum & præceps, quod prinde nunc flectendo declinare & gyrare, nunc generosè ſuperare & tranſcendere oporteat.

Secundò, ſapientiam & virtutem eſſe flexilem, quia in omnibus ſinit ſe flecti, gyrari & regyrari fræno rationis, legis & voluntatis diuinæ. Sic hoc fræno regendam eſſe linguam docet S. Iacobus c. 3. v. 3. de quo ibidem multa dixi.

Tertiò, Beda cenſet hominem triplici motu cieri, nimirum per iuſtitiam Deo ſatisfacere, per æquitatem proximo, per iudicium ſibi ipſi. Simili modo in angelis, vt docet S. Dionyſ. c. 4. de Diuin. nom. (& pari modo in animabus ſanctis) ſunt tres motus, nimirum reflexus, rectus & circularis: *Triplex angeli & animæ motus.* Reflexus eſt, cùm angelus vel anima à creaturis reflectitur, & reſilit ad creatorem, eum in omnibus agnoſcens, amans & laudans. Rectus eſt, cùm recta ad proximos tendit, illiſque præſtat, quod ex rectitudine iuſtitiæ vel charitatis debet. *Recta linea*, ait Dionyſ. *mouetur anima ad ea, quæ circa ſe ſunt, prodiens*. Circularis eſt, cùm anima ſe recolligit, & in ſe ipſam redit ſuæ conſcientiæ quieti, & coniunctioni cum Deo conſulens. Tunc enim, ait S. Dionyſ. *circa identitatis auctorem pulchrum & bonum indefinentèr choream ducunt*. Aptè ergo ait Salomon: *Tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem*, Deo videlicet famulans, tibi conſulens, proximo prouidens, videlicet omnem ſemitam bonam, omnes flexus bonos, & omnes gyros bonos; ſic omnes motus differentias ſpiritualiter exprimes. ita Salazar.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Docet quis ſit fructus ſapientiæ, nimirum cum illa venire omnia bona, & mala omnia auerti.

Vers. 10. SI INTRAVERIT SAPIENTIA COR TVVM (Septuag. *ſi venerit in tuam mentem*) ET SCIENTIA ANIMÆ TVÆ PLACVERIT (Idem eſt *ſcientia* quod ſapientia:)
Vers. 11. CONSILIVM CVSTODIET TE, ET PRVDENTIA SERVABIT TE] Septuag. *cogitatio ſancta ſeruabit te*. Pro *placuerit* hebr. eſt יִנְעָם *iinam*, quod Septuag. vertunt, *pulchra eſſe videbitur*; Aquila, ὡραιωθήσεται, id eſt *decora & venuſta erit*; Pagnin. *ſi dulcuerit*; alij, *ſi amæna, iucunda, ſuauis fuerit*; alij ad ver-

A verbum, *ſi ſcientia pulchreſcet animæ tuæ, vt videaris* tibi pulcher ex pulchritudine ſcientię, quam ſuſpicis & admiraris; Vatabl. *ſi ſapientia cor tuum inuaſerit, & ſcientia animum tuum delectauerit, proſpicientia cuſtodiet te, & intelligentia inſtitutio te ſeruabit*. Idem aliis & aliis verbis repetit, exaggerat & inculcat, vt ſapientiæ honeſtatem & decus diſcipulo commendet, illumq; in eius velut ſponſæ pulcherrimæ & caſtiſſimæ amorem accendat. Senſus eſt q. d. Si ſapientiam in animæ tuæ penetralia admiſeris, eiuſq; decorē perſpexeris & complexus fueris conſilium quod ipſa tibi ſuggeret, quoque res tuas omnes ſapienter & decore moderabitur, cuſtodiet te (hebr. *ſuper te*, q.d. Super te excubabit circumquaque, ſicut vigil excubat ſuper caſtra) & prudētia quam te docebit, ſeruabit te ab omni malo,

B necubi per imprudentiam labaris: nimirum vt eruaris Primò, à via mala, & ab homine qui peruerſa loquitur. Secūdò, vt eruaris à muliere extranea. Tertiò, vt ambules in via bona, vti ſequitur: non enim ſufficit declinare à malo, niſi & facias bonū. Huc facit quod S. Chryſ. hom. 63. ad Popul. docet tantam eſſe virtutis ſuauitatem, vt cætera omnia, quæ in mundo ſuauia ſunt, illi comparata, amara, & fellea eſſe videantur, imò vt omnes labores, dolores, cruces ſua ſuauitate condiat, dulcoret & ſuaues efficiat.

Sic ſapientia, virtus, & charitas dulces effecit ignes S. Laurentio, leones S. Ignatio, ſagittas S. Sebaſtiano, eculeos S. Vincentio, carbones S. Tiburtio. Sic S. Lucia Virgo ſapiens ad rogum, quaſi ad epulas inuitata, læta & exultans proceſſit. Sic & S. Agnes, S. Cæcilia, ceteræque virgines & Martyres.

C Hinc de S. Stephano canit Eccleſia: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt: ipſum ſequuntur omnes animæ iuſtæ.*

Virtus eſt pulchra Noëmi.

Igitur ſapientia & virtus eſt pulchra Noëmi (à *ſinam* enim & *naam*, id eſt *pulchra fuit*, dicta eſt Noëmi) de qua dicitur Ruth. 1. 20 *Hæc eſt illa Noëmi* decora & ſpecioſa, quæ omnium oculos in ſui ſpeciē & admirationem rapit. Nam ut ait S. Auguſt. epiſt. 222 ad Conſentium: *Quid eſt aliud iuſtitia & virtus nobis, quàm interioris hominis pulchritudo?* Et Philo l. de Vita Moſis, ex Platone in Conuiuio: *Virtus, inquit, non pulchra tantùm, ſed ipſius pulchri idea eſt*, nimirum pulchritudinis, quæ in creaturis eſt, exemplar & ſpeculum. Ratio eſt, quia ſapientia & virtus eſt ſumma participatio Dei: Deus autem in ſe pulcher eſt, adeoq; ipſa increata, eſſentialis & immenſa pulchritudo, quam qui videt, non poteſt non ſummè adamare, vt patet in Beatis, qui toti in eamdem rapiuntur & abſorbentur. Deus ergo ſa-

D pientiæ & virtuti ſuam pulchritudinem præ ceteris rebus communicauit & indidit, atque in ea ſuā ſpeciem & decorem oſtendit: præſertim in Verbo incarnato, putà in Chriſto, qui omnis virtutis fuit ſpeculum, de quo proinde dicitur pſal. 44 *Specioſus forma præ filiis hominum*; quin & in paſſione ſanguine ſuo purpuratus ſpecioſus inceſſit, vt eius ſpeciem admirantes angeli exclamarint: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctus veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*, Iſaiæ 63. 1.

Vnde S. Auguſt. in pſal. 44. poſt initium: *Chriſtus, inquit, pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro.* Et cauſā ſubdit: *Summa & vera pulchritudo, iuſtitia eſt. Si vbique iuſtus, vbique decorus.* Hinc & Martyres in ſua fortitudine pulchreſcunt, pulchramque petunt per vulnera mortem: quocirca purpurati in cælis incedunt, palmis & laureis coronati, Apoc. 7. Id adeò verum eſt, vt Gentiles in ſui admirationē rapuerit hæc ſapientiæ & virtutis pulchritudo. Vnde Lyricus in hymno de laudibus virtutis exclamat: *O virtus ardua laborioſaq; hominibus pulcherrima vitæ inuentio. Tuam, ô virgo ob venuſtatem etiam mori, optabilis in Græcia habetur mors, atque labores vehementes & indefeſſos perpeti. Tua ergo gratia Hercules Ioue ſatus, Ledæq; filij ſuis factis, quid poſſent, declarauerunt.* Dictum eſt veterum; *Solus ſapiens decorus, omnis nequam turpis.* Et

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus, ait Horat. lib. 3. Carm.

VT ERVARIS A VIA MALA (ex Hebr, vertas *mali*, id eſt quæ ducit ad malum; Syrus, *liberabit te ſapientia à via mala* ET AB HOMINE, QVI PERVERSA LOQVITVR. Vers. 12.

QVI RELINQVVNT ITER RECTVM, ET AMBVLANT PER VIAS TENEBROSAS [Hebr. *qui relinquunt ſemitas rectitudinis, vt ambulent per vias caliginis.* Vers. 13.

QVI LÆTANTVR CVM MALE FECERINT, ET EXVLTANT IN REBVS PESSIMIS] Chald. *exultant in peruerſione malitiæ.* Vers. 14.

Septuag. hæc patheticè efferunt, miſcentque exclamationem: ſic enim habent: *Vt eruat* (ſapientia & cogitatio ſancta) *te à via mala, & à viro nihil loquente πιστόν,* id eſt fidele, vel nihil fide dignum, cui credi debeat, ſed omnia fucata, fallacia, pernicioſa & venenata. *O qui dereliquiſtis vias rectas abeundo in vias tenebrarum, qui lætamini in malis & gaudetis in euerſione mala.* Pendent hæc à verſu præced. *conſilium cuſtodiet te, &c. vt eruaris à via mala*; q. d. Duæ ſunt viæ, id eſt viuendi rationes & modi, vna mala; altera bona: ſapientia cuſtodiet te à mala, & deducet ad bonam, vt ſcilicet omne peccatum ducens ad gehennam cane peius & angue fugias, ac omnem virtutem ducentem ad cælum toto pectore proſequaris. Pro *qui peruerſa loquitur*, alij vertunt efficacius, *qui peruertentia loquitur*; Caietan *qui loquitur verſutias*, id eſt ſtrophas, flexus & verſutias verborum, quibus verſutus alios in errorem, fraudem & malum inducit. Hebr. enim תהפכות *tahapuchot* ſignificat peruerſitates, quibus quis alium à vero & virtute auertit, ac in fraudem vitiumque conuertit, itaque in ruinam agit, euertit & ſubuertit: atque alludit ad פוך *puch*, id eſt *fucus*, quia tales fucum aliis faciunt, & fucata ſapientiæ virtutiſque ſimulatione in errorem vitiaque abducunt.

Ait ergo Salomon, ſapientiam docere maximè cauendos eſſe prauos & peruerſos, qui non tantùm praua agunt, ſed & eadem alios docent vel ſuadent, idque callidè per fraudes & illecebras: has enim detegit & patefacit ſapientia. Porrò, quia tales permulti ſunt, hinc mutato per enallagen numero ſingulari in plurarem, eos deſcribens ait Primò, *Qui relinquunt iter rectum*: tale enim eſt iter ſapientiæ & virtutis. Secundò, *Ambulant per vias tenebrarum & caliginis*, q.d. Viuunt in cæcitate & erroribus, ſaltem practicis, ac in operibus inhoneſtis, quæ quærunt tenebras, ac ſimillima ſunt tenebris, atque ducunt in tenebras æternas. Quocirca Nazianz. orat. ad 150. Epiſc. tales aptè comparat ſepiis: *Illi enim, inquit, ſermones ſicut & ſepiæ atramentum,*

tum contra ſeipſos expunnt, quò eſſugiant venantes, & A latitent indagantes. Tertiò quòd inſuper lætentur cùm malè fecerint, & exultent in rebus peſſimis. Eſt climax, ſiue gradatio. Per gradus enim creſcit oratio declarans malitiam creſcentem impiorum. Eò enim creſcit illa ſenſim, vt in peccatis rideant, gaudeant & exultent, ſed riſus hic eſt caninus & Sardonicus, qui dolorem & mortem conciliat: ridendo enim exteriùs, interna malorum conſciētia cruciantur, ait S. Auguſt. ſerm. 24 de Tempora, atque ridendo moriuntur, de quo Euſebius Emiſſen. homil. de S. Epiphoro & Alexand. *Exultant*, inquit, *in rebus peſſimis, & de ſui perditione lætantur ſimiles illis, qui forte ſumentes exitiales herbarum ſuccos, cum riſu perire dicuntur.*

Pro *exultant* hebr. eſt יגילו *gilu*, id eſt cantant, ſaltant, tripudiant: גיל *gol* enim notat tripudium, B exultationem & voluptationem externā, qua quis internum cordis gaudium externis geſtibus aperit & pandit, vt cùm ſaltat, gyros facit, & volutat ſeſe circuitionibus & circumrotationibus. Vnde non multùm diſſonat à Græco ἀγαλλίαν. Sic S. Ioannes Baptiſta auditā ſalutatione B. Virginis exultauit, id eſt præ gaudio exiliit, & ſubſiliit in vtero matris, Lucæ 1. 41.

Tales ergo ſimiles ſunt illis, quos in Apulia videmus morſos à tarantulis cōtinuò ſaltare & tripudiare, ac ſaltando & tripudiando emori. S. Ambroſ. libr. 1. epiſt. 6. eos comparat cicadis, quæ canendo, id eſt ſtrependo, moriuntur: *qui ſub ardore*, inquit, *feruentium cupiditatum ſe mulcent cantu ſibi noxio, ſtatimq́; occidunt.* Sic turcæ in honorum ſui Mahomet ſolent ſe in orbem gyrare & rotare (quod propriè notat Hebr. *gol*) donec deficiente ſpiritu & mente cadant & corruant, illamque vocant C choream angelorum, quibus rectè aptes illud, *In circuitu impij ambulant*, pſal. 11. 9 Hi ergo vti *bibunt ſicut aquam iniquitatem*, teſte S. Iob. c. 15. ita viciſſim ridendo & exultando pergunt tamquam vituli ad macellum, tanquam ebrij ad furcam, tanquam phrenetici (ait S. Gregor. citans hunc locum hom. 4. in Ezech) ad exitium, de quibus Iſaias c. 3. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala*, ait S. Bernard. ſerm. 16. in Cant.

VERS. 15. QVORVM VIÆ PERVERSÆ SVNT, ET INFAMES GRESSVS EORVM] Septuag. *quorum ſemitæ prauæ* (Symmach. σκαμβαὶ, id eſt *curuæ*, obliquè incedentes more cancrorum; Theodotion, στρεβλαὶ, id eſt *tortuoſæ*, intortæ inſtar ſtrabonum, qui oculos diſtortos & intortos habent: item va- D fræ, callidæ, verſutæ, ſinuoſæ inſtar ſerpentium) *& flexuoſi curſus eorum*; Aquila, *& iactant ſe in flexuris ſuis, & ſubſannāt in inuolutionibus* vel *gyris ſuis*; Tigur. *qui vias ſuas deprauant, & propudioſi ſūt in orbitis ſuis*; Vatabl. *quorum ſemitæ ſunt obliquæ, & qui peruerſi ſunt in ſemitis ſuis*: vel, *quorum rationes vitæ à recto aberrant & peruerſitates ſunt in viis ipſorum.* Sic & Pagninus & alij, *recedentes* vel *retrogredientes in ſemitis ſuis*, vt cancri. Addunt Septuag. *ad longè faciendum te à via recta & alienum à ſententia.*

Impij incedūt vt cancri. Igitur impiorum greſſus & actiones ſunt obliquæ & ſinuoſæ inſtar cancrorum & ſerpentum. Cancri enim, teſte Ariſtot. & Plinio, vel retrorſū incedunt, vel obliq; ad latus, præſertim ſiniſtrum, quod ſymbolum eſt prauitatis, ſicut dextrum eſt virtutis & bonitatis. *Cancri*, inquit Plinius l. 9. c. 31. *in pauore etiam retrorſum pari velocitate redeunt.*

A Quocirca S. Ambroſ. in pſal. 36. ſic legit & explicat *Fluxuoſus curſus eorum, ſicut lubricus & fluxuoſus actor eorum*, putà diabolus ſerpens antiquus. Vnde S. Ephrem agens de choreis & turpi ſaltatione ait: *Choream non Petrus, non Ioannes, ſed draco antiquus ſuis voluminibus docuit.* Huc quoque alludens Nazianz. in carmine de Virginit. ita impios pingit.

At velut obliquo gradientes tramite cancri.
Aut velut oblongi ſinuosè membra trahentes
Angues, vinctis depreſſi pondere carnis.

Sic enim impij inſtar cancrorum, non quà oculi aſpiciunt, id eſt non quò ratio & lex Dei dictat, ſed retrorſum, quaſi auerſi à lege Deo incedunt, ac ſiniſtra dextris, falſa veris, caduca æternis præferunt: nam, vt ait S. Ambroſ. lib de Abraham: *Bona huius ſæculi inſtabilia ſunt, & rotarum in morem cū* B *ipſo ſæculo voluuntur.* Rurſum inſtar ſerpentum in mille vitiorum orbes ſe ſinuant & gyrant, dum ab vno ſcelere mox in aliud & aliud labuntur, donec vniuerſum ſcelerum circulum confecerint, quo confecto rurſus à principio in orbem redeūt: quare meritò infames ſunt apud Deum, angelos & homines.

VT ERVARIS A MVLIERE ALIENA, ET AB EXTRANEA, QVÆ MOLLIT SERMONES SVOS] VERS. 16. Vatabl. *quæ verbis ſuis blanditur*, vel blanditiis allicit; Symmach. *cuius verba ſunt lubrica*; Chald. *cuius verba ſunt lenia*; Baynus, *quæ verba ſua polit*; *cuius cātu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem*, ait S. Cyprian. de ſingular. cleric. Mulier enim inſtar Sirenis mentem etiam ſapientiū incantat & excantat, vti patuit in ipſomet noſtro Salomone, Samſone, Dauide. Lege vitam S. Martiniani apud Surium 13. Febr & mira huius rei exempla inuenies.

C *Alienam & externam* vocat adulteram, quæ alterius viri vxor alios ambit amaſios; licet alij per *extraneam* accipiant alienigenam, id eſt non Iudæam, ſed Gentilem. Verùm ſimpliciter Hebræi mulierem exteram vocant meretricem. Pendet hic verſus à v. 11. ſic enim cum eo hic nectendus eſt: *Conſilium ſapientiæ ſeruabit te, vt eruaris à muliere*, &c. Vnde Septuag. hoc loco paraphraſticè vertūt: *fili, ne te comprehendat malum conſilium* (mulieris, *quæ dereliquit doctrinam adoleſcentiæ*, &c.

Monuit cauendum à conſortio & colloquio improborum, nunc monet cauendum à muliere illice & impudica; nihil enim ita contrarium ſapientiæ, ac mulier illex. ita Beda. Cuius cauſa Theologica eſt, quòd Spiritus ſanctus auctor ſapientiæ, cùm ſit puriſſimus ſpiritus derelinquat & D fugiat homines luxurioſos, vtpote carni & ventri ſuo immerſos. *Libido maximè contraria ſapientiæ cur? Cauſa. Theologica.*

Cauſa ethica eſt, quòd inter concupiſcentias vehementiſſima ſit libido: concupiſcentia autem rationi, ideoque ſapientiæ è diametro aduerſatur. Vnde libido dicta eſt ab eo quòd libeat, ait Caſſian collat. 12. c. 2. Quocirca S. Wolſtanus Epiſc. Wigornienſis appetitus ad libidinem à nobili matrona, facto ſigno crucis: *fuge*, ait, *comes laſciniæ, mortis filia, vas ſatanæ.* eique alapam ſummo niſu inflixit, & ſic velut alter Ioſeph mulieris lenocinia compreſſit, ita Surius tom. 1. in eius Vita. Sic & S. Agnes ad præfecti filium *Diſcede à me*, inquit, *pabulum mortis, fomes peccati.* *Ethica.*

Nam ruit in vetitum damni ſecura libido.

Et: *Mulier blanda & bella etiam ſilicem emollit virū.*
Corporis robur vireſque animi libido effeminat.

Cauſa phyſica eſt prima, quòd libido ſua vehementia *Phyſica.*

mentia omnes ſenſus, mentem, totamque animam ad ſe rapiat, vt luxurioſi aliud præter ipſam ſentire, ſapere, cogitare nequeant, multò minùs cogitare cœleſtia & diuina, quæ ſuggerit ſapientia. Secunda, quòd in libidinis actu cum ſemine excernantur plurimi & nobiliſſimi ſpiritus, quibus mens indiget ad cogitandum, & ſpeculandum. Rurſum ſemen eſt nobiliſſimus ſanguis. exhauſto ergo ſemine exhauritur & ſanguis, in quo vitæ mentiſque robur conſiſtit. Vnde videmus libidinoſos robore corporis & vigore mentis deſtitui, vt ea, quæ ſapientiæ & prudentiæ ſunt, non capiant, imò ſubinde in delirium, amentiam, epilepſiam, apoplexiam incidere. Ita Galenus libr. 14. part. c. 10. ait nimiam venerem ſpaſmum inducere. Quocirca nonnulli (quod non rectè Platoni, vtpote Græco, tribuitur) Venus, inquiunt, dicta eſt à *ve*, id eſt ſine, & νοῦς, id eſt mens, q. d. Sine mente, quòd rationem & mentem homini eripiat. Sicut *vecors* idem eſt quod *ve*, id eſt ſine corde. Verùm hæc ingenioſa eſt alluſio, non genuinum etymon: Venus enim eſt vox Latina, non Græca: Venus, inquit Giraldus ſyntagm. 13. ex Cicerone libr. 2. de Natura deorum, dicta quòd ad omnes res veniat, vel quòd per eam omnia proueniant. Varro verò libr. 4. de Lingua Latina: *Venus dicitur*, inquit, *non quòd vincere velit, ſed quòd vincire, & vinciri ipſa. Viere eſt vincire, à quo eſt in Aſoto Ennij: Ibant malam viere Veneriam corollam.* Et mox? *Poëta*, inquit, *de cælo, quòd ſemen igneum cecidiſſe dicunt in mare, ac natam è ſpumis Venerem coniunctione ignis & humoris, quam habuerunt, vim ſignificantes Veneris, à qua vi natis dicta vita*, iuxta illud Lucilij: *Vis eſt vita, vides, quæ nos facere omnia cogit.* Venus ergo vel à veniendo vel à viendo, id eſt vinciendo, vel à vi dicta. Hoc vltimum ſecutus S. Iſidor. lib. 8. Origen. ſub finem: *Venerem*, ait, *exinde dicunt, quòd ſine vi femina eſſe virgo non deſinat.* Græcis Venus dicta ἀφροδίτη ab ἀφρὸς, id eſt ſpuma, quòd ex maris ſpuma dicatur enata, teſte Heſiodo in Theogon. vel, vt Ariſtotel. quòd ſemen ſit ſpumoſum. Sunt qui παρὰ τὸ ἀφραίνειν, id eſt inſanire, dictam putent. Vnde Euripides: *Nam ſtulta proxima venus mortalibus.* Hinc Venus pingitur ardentem facem pectore geſtans cum Gratiis & Pitho, id eſt, Suadela, quòd ignitum amorem intuenti inſtigat, eique omnia, quæ vult, perſuadeat. Euripides verò in Hecuba Venerem dictam cenſet Aphroditen quaſi ἀφροσύνην, id eſt imprudentiam, & inſipientiam: hanc enim Venus inducit. vnde ipſam vocat deam inſipientiæ.

Veneris etymon varia.

Porrò ſapientia, vt eruaris à muliere aliena, ſita eſt non in fortitudine colluctationis, ſed in prudentia fugiendi aſpectum & conſortium eiuſdem. Ita S. Cyprian. de Singular. clerico. *Videte*, ait, *nunc prudentiam in iſto bello, non fidem nobis datam eſſe victricem, quæ nos timiditatis remedio liberaſſet: & contemplamini quæ ſunt modò arma ſumenda ſi vultis habere legis auxilia. Eſtote timidi, vt ſitis intrepidi: & licet timor in certamine infirmitas eſſe videatur, tamen ſecundùm verbum Apoſtoli, virtus in infirmitate perficitur. Separamini, deprecor, ſeparamini à contagione peſtifera.* De illecebra mulierum tract. Eccleſ. c. 25. 29. & c. 4. 26. Vidi ibi dicta.

Symbolicè meretrix hæreſis: Symbol. per mulierem hanc adulteram tam hìc, quàm c. 7. 19. c. 9. 13 & alibi ſignificatur hæreſis vel falſa doctrina: hæc enim adulterat & corrumpit veram Dei fidem & ſapientiam. imò ad litteram hæreſin hìc ſignificari cenſet Vatablus, cum R. Salom. & Hebræis. Audi Bedam: *Poteſt per mulierem extraneam hæreticorum prauitas intelligi, à Chriſti & Eccleſiæ membris aliena, quæ mollitia diſertitudinis, & blandimentis linguæ corda decipere innocentium ſolet. Vnde Pſalmiſta pſal. 45. Mollierunt ſermones ſuos ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.*

Porro R. Leui & alij per mulierem hanc accipiunt concupiſcentiam quamlibet, rationi & ſapientiæ repugnantem in homine. Hæc enim inſtar adulteræ vaga eſt, petulca, infida, inſtabilis, cupidinibus æſtuans, omnium peccatorum & malorum mater. Vnde Thalaſſius Hecatontade 2. *Sicut concupiſcentia*, inquit, *& iræ multiplicant peccata, ita continentia & humilitas eadem exinaniuit. Animam purificari, eſt eam ab affectionibus liberari. Hæc autem libertas charitatem Dei nobis parit. Occaſus ſpiritales, ſunt animæ perturbationibus inquietæ: ſol enim iuſtitiæ illis occidit*, Et Hecant. 3. *Mens, cui affectiones imperant, cogitat quæ non decent. Quales autem cogitationes ſint, produnt ſermones & opera. Malæ cogitationis dux eſt affectio, affectionis auctor ſenſus: quo vt malè vtamur, in cauſa eſt mens. Magna equidem mens, quæ ab affectionibus libera eſt & ſequeſtrata ab his quæ ſunt, ac in Deo verſatur.* Et Hecatont. 4. *Sicut abſurdum eſt bonum dominum ſubeſſe improbo ſeruo, ita & abſurdum corruptibilis corporis mancipium eſſe rationalem mentem. Impera & tu Euæ, & à ſerpente caue, ne deluſa tibi quoque de ligno præbeat. Monachum verum agit mens, quæ ſenſibus ita renuntiauit, vt ne videre quidem ſerat cogitationem voluptatis. Mens affectionibus imperans, extra periculum & timorem eſt. Exſpectatio futurorum bonorum mentem bonis expectatis coniungit, quibus immorando præſentium obliuiſcitur.*

& concupiſcentia.

Quin & Architas Tarentinus teſte Cicerone lib. de Seneċt. dictitabat, *nullam peſtem in mundo capitaliorem eſſe, quàm concupiſcentiam & voluptatem.* Hinc enim patriæ proditiones, hinc rerumpubl. euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina fœdera naſci: nullum denique ſcelus, nullumque flagitiũ eſſe, ad quod ſuſcipiendum libido voluptatis non impellat. Et Socrates apud Laërtium lib. 2. admonebat iuuenes, *vt voluptates fugerent quaſi Sirenes*, ſi virtutẽ quaſi patriam aſpicere vellent inſtar Vlyſſis, qui cera obturatis auribus præternauigauit Sirenes, vt Ithacæ fumum ſubſilientem cerneret. Et Seneca: *Sapiens*, ait, *hoc vnum concupiſcit, nihil concupiſcere.* Celebre eſt illud monachi Ægyptij apud Nicephor. lib. 11. cap. 43. qui rogatus. *Cur toties voluptates ſibi ſubtraheret?* reſpondit: *Ideo ſubtraho, vt iræ cauſam & occaſionem præcidam. Scio enim illam ſemper de voluptatibus belligerari, mentemque meam perturbare, & cognitionem ipſam fugare.* Et illud Marci Eremitæ tract. de Lege ſpiritali? *Cor voluptatis amans, carcer & catena eſt animæ in tempore egreſſionis* (mortis:) *at idem laboris ſtudioſum, ianua eſt aperta.*

ET RELINQVIT DVCEM PVBERTATIS SVÆ, ET PACTI (Syrus, *teſtamenti* ſeu *promiſſionis*) DEI SVI OBLITA EST.] Pro *ducem* hebr. eſt אַלּוּף *alluph*, quod Theodot. Pagnin. & alij cum Noſtro propriè vertunt, ἡγούμενον, id eſt *ducem*, *rectorem*, hoc eſt, vt Syrus, *nutri tium*; Tigurina, *maritum pubertatis*, id eſt iuuentutis, vel *adoleſcentiæ ſuæ*, vt habent Hebr. tunc enim cœpit eſſe pubes & apta coniugio; Chald. *quæ reliquit ducatum*; Septuag. verò reſpicientes ad rad. אָלַף *alaph*, id eſt didicit, vertunt, διδασκαλίαν, id eſt *doctrinam*; & Symmach. μάθησιν, id eſt *diſciplinam*; alij, *aſſuefactionem* vel *manſuefactionem* (hanc enim propriè ſignificat *alaph*) Vers. 17. & 18.

qua ſcilicet puella priùs aſſuefacta diſciplinæ patris vel mariti,ſinebat ſe ab ea regi. Itaque hæ verſiones omnes eòdem recidunt.

Senſus eſt,q.d, Sapientia faciet vt eruaris ſicut ab homine improbo,ſic & à muliere adultera,quæ reliquit maritum, cui in adoleſcentia, cùm pubeſcere cœpit, ſe deſpondit, eumque accepit quaſi ducem & gubernatorem ſuæ iuuentis. Hoc ſenſu liquet eſſe ſermonem de adultera. ita Beda, Baynus,Ianſen.& alij. Poſſet tamen eſſe ſenſus de fornicaria: hæc enim relinquit ducem pubertatis ſuæ, id eſt patrem vel tutorem, qui eſt cuſtos adoleſcẽtiæ & virginitatis ſuæ. In adoleſcentia enim virgines cùm pubeſcunt, maximas patiuntur tentationes,æquè ac inſidias caſtitatis; vnde tunc maximè indigent cuſtodia parentum & tutorum. Verùm de adultera potiùs agi patet ex eo quod adiungit: *Et pacti Dei ſui oblita eſt*, q.d. Oblita eſt ſacramenti & ſponſionis nuptialis à Deo inſtitutæ,violauit pacta & iura coniugij à Deo ſancita, Geneſ.2.24. Addit Aben Ezra quid ſubtile: Sacroſanctum,inquit, nomen ſuum Deus inter virum vxoremque interpoſuit,illud ſi demas, nihil aliud relinquetur niſi ignis, & incendium. Nam Hebr. אִישׁ *iſch* eſt vir אִשָּׁה *iſſcha* eſt vxor: deme ex illis יָה *ia*, quod eſt nomen Dei, nil, remanet niſi אֵשׁ וְאֵשׁ *es vaes*, id eſt ignis & ignis.

Damna adulterij. *Primò.* Vxor ergo æquè ac maritus horreant adulteriũ, Horrebunt,ſi eius turpitudinem, quot quantaque mala in ſe contineat,peruideant. Nam Primò,coiux adulterans fallit fidem coniugalem,quæ ſumma eſt,datam alteri coniugi. *Secundò.* Secundò, violat matrimonium,quod vnum cum vna eſſe voluit natura,ipſeque naturæ auctor Deus,Geneſ. 2.24. *Tertiò.* Tertiò, violat Sacramentum: iam enim in lege noua matrimonium per Chriſtum factum eſt ingens Sacramentum, ideoque ſanctè colendum. Epheſ. 5. *Quartò.* 32. Quartò,iniuriam facit proli, tum natæ ex coniugio,vtpote cui fratres & hęredes adulterinos iniuſtè aſſciſcit; tum naſcituræ ex adulterio, vtpote quam facit ſpuriam, adulterinam & hæreditatis *Quintò.* incapacem Quintò, iniuriam facit reip.quam lædit ſuo ſcandalo & iniuſtitia. Quocirca iniuria hæc in Deum redundat. Vnde Septuag. vertunt, *teſtamenti diuini oblita eſt*. Hac de cauſa Deus adulterij ſeuerus ſolet eſſe vindex & vltor,vt patet ex hiſtoriis tam ſacris quàm profanis.

Porrò τὸ *pubertatis* notat tres cauſas, ob quas puella indiget duce & cuſtode. Prima eſt, quòd pubertas ſit ætatis mediæ inter infantiã & iuuentutem: in infantia eſt carentia rationis & iudicij,ac proinde ſecuritas à peccato: in iuuentute vtriuſq; eſt maturitas: in pubertate & adoleſcentia vtriuſque eſt inchoatio. Quocirca ſi tunc puella ritè dirigatur & inſtruatur,ſapiens ſanctaque euadet,ſin ſibi & procis inſidiantibus permittatur,ſiet impudica & meretrix. ergo tunc eget duce & cuſtode, vel parente, vel tutore,vel ſponſo. Secunda, quòd pubertas hæc ſit in ſexu femineo, id eſt molli, debili & lubrico,ac ob inexperientiam & imprudẽtiam incauto & flexili,qui proinde à viris facilè ſeducetur,niſi à duce cuſtodiatur. Tertia,quòd pubertas cum maturitate generandi afferat ſtimulos carnis,& incentiua lididinis,quibus puellæ eorum hactenus inexpertæ reſiſtere neſciunt. Vnde ne eos ſequantur, duce, monitore & cuſtode indigent. Quocirca Eccleſ.c.42.v 9 *Filia patris*,inquit,*abſcõdita eſt,vigilia,& ſollicitudo eius auſert ſomnum,ne fortè in adoleſcentia ſua adultera efficiatur*. Vide ibi dicta; Igitur auget puellæ crimen,iniuriam, & ſtoliditatem, quòd relicto duce adoleſcentiæ ſuæ, quem tam fidum, prudentem, cautum & amantem experta eſt,ſequatur adulterum, infidum,imprudentem, incautum, inimicum. Vnde.

Tropol. Anima Deo in baptiſmo vel iuſtificatione deſponſa,concupiſcentiis illecta, dum eis conſentit, relinquit Deum ſponſum & ducem pubertatis ſuæ, cuius amore & timore enutrita fuerat,cũ per hæreſim,vel etiam aliud quoduis peccatum oblita pacti cum Deo initi, fidem in baptiſmo Deo datam infringit, nouamque concipit opinionem, amorem & fœtũ illicitæ delectationis. Vnde Deus de hac ſui iniuria & contemptu conquerens, animamque vagam ad ſe reuocans Ierem. 3 1. *Tu*,inquit, *fornicata es cum amatoribus mul is: tamen reuertere ad me*, &c *Ergo ſaltem amodo voca me; Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*, vti ibidem expoſui.

INCLINATA EST AD MORTEM DOMVS EIVS, ET AD INFEROS SEMITÆ IPSIVS] Septuag. *poſuit* (Symmach. ὥρισεν, id eſt,*terminauit*) *enim iuxta mortem domum ſuam, & penes infernum cum terrigenis orbitas ſuas*; Aquila,*flexus ſuos*; Symmach.*gyros ſuos*, de quibus dixi v. 14. Chald *quoniam in fouea mortis eſt domus eius, & ad gigantes itinera ſemitarum ipſius*; Syrus, *oblita eſt liminis domus ſuæ, & itinerum ſemitarum ipſius* Huc reſpexit S. Ambroſ.lib.1.de Cain cap. 5 dicens: *Viæ inferorum domus eius; deducentes in ſeceſſum mortis*.q.d. Domus adulteræ vel meretricis eſt quaſi vallis quædam inclinata, ducens & propendens ad ſibi vicinum barathrum mortis & gehennæ. VERS.18.

Pro *inclinata eſt*, hebr. eſt שָׁחָה *ſcacha*,id eſt *incurnata eſt*;eſtque pulchra paronomaſia inter שָׁכְחָה *ſcaccha*,id eſt *oblita eſt*,& *ſcacha*, id eſt *incurnata eſt*. q d. Obliuio, id eſt peccatum & adulterium eius, eam priùs erectam inclinauit, incuruauit & depreſſit vſque ad mortem,imò vſque ad gehennam, Pro *inferos* hebr.eſt רְפָאִים *rephaim*,id eſt gigantes; ſic vocantur dæmones & damnati apud inferos, tum ob ſuperbiam giganteam,tum quòd mergantur abyſſo inferni,ſicut gigantes merſi ſunt abyſſo diluuij Geneſ 6.2.& 7. Rectè comparat domos & fornices meretricum domibus gigantum, quia vtræque erant depreſſæ & quaſi foueæ ſubterraneæ. Vnde illud Virg. 3. Æneid.

Nam qualis quantùſque cauo Polyphemus in antro.

Et anteriùs, Enceladum gigantem ait ſub Ætna degere, eamque concutere:

Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemque inſuper Aetnam
Impoſitam ruptis flammam expirare caminis;
Et feſſum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum ſubtexere fumo.

Frigidiùs R. Salomon Iſacides *Rephaim* interpretatur נִרְפִּים *nirpim*, id eſt, debilitatos & imbecilles, qui nimirum à rectò tramite aberrant & vacillant, ac tandem in gehennam miſerè decident. Et Aben Ezra: *Rephaim*,inquit,ſignificat mortuos quaſi *nirpim*,id eſt debilitatos; quòd eorum vires à mulieribus eneruatæ ſint, iuxta illud: *Homo nudabitur & debilitabitur*.

Alludit ergo hic Salomon ad lupanaria, quæ fiebant in ſpecubus, locis ſubterraneis,& fornicibus; vnde & *fornicari* dictum. q.d. Domus, putà fornix fornicariæ,depreſſa & ſubterranea, inclinat & vergit ad ſepulcra & inferos, vt hoc ſuo ſitu teſte-

teſtetur illam, eiuſque amaſios vergere in mortẽ & gehennam. Rurſum lupæ hæ viliores ſolebant extra vrbes degere in ſepulcris & monumentis, Vnde Ierem. 2. v. 23. Septuag dicunt de meretrice: *Vide vias tuas in ſepulcro multitudinis.* Hinc & illud Martial. lib. 1.

Abſcondunt ſpurcas & monumenta lupas.

Hinc & Venus cognominata eſt Libitina, eò quòd præeſſet mortuorum feretris & ſepulcris, in cuius proinde templo vendebantur & locabantur ea, quæ ad ſepulturam pertinent, teſte Plutarcho in Problem, *A libendo Libentina eſt dicta*, ait Varro, ita Giraldus in Sintagm. Denique S. Chryſoſt. hom. in pſ 50. *Quid eſt*, inquit, *mulier ſpecioſa? Eſt ſepulcrum dealbatum.*

Senſus ergo eſt, q. d. Meretricum habitacula ſunt in fornicibus & monumentis atris, imis, ſpurcis, fœtidis, vt hoc ipſo repræſentent mortem & gehennam, ad quam ipſæ cum ſuis procis rectà vergunt & pergunt. Ob libidines enim multi incurrerunt mortem præſentem, adeoque pleræque gentes adulterium puniunt morte, vti oſtendi Geneſ. 38. 24. Rurſum quot cædes fiunt ob amaſias & adulteras? Porrò omnes incurrunt reatũ mortis æternæ & gehennæ, adeoque viri graues cenſent longè maiorem partem hominum damnari ob libidines. Infernus ergo eſt domus & eculeus libidinoſorum. Hoc eſt quod de adulterio & libidine ait Iob cap. 31. 12. *Ignis eſt vſque ad perditionẽ deuorans, & omnia eradicans genimina.* Vbi S. Gregor. *Quid*, inquit, *eſt libido, niſi ignis? Et quid de carne & mente exortæ virtutes, niſi flores? Quid item turpes cogitationes, niſi paleæ? Quis etiam neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguatur, ex parua ſcintilla omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenue[illegible] ſcintillam nunquam poſſit ardere.* Quia ergo libido eſt ignis, idcirco punitur igne gehennæ, & ad eum ducit.

Quocirca S. Chryſoſt. homil. 21. ex variis in S. Matth. locis, hiſce coloribus & epithetis mulierem illicem pingit: *Quid eſt aliud mulier*, inquit, *niſi amicitiæ inimica, & ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni decore depicta?*

Denique poſſet quis ſuſpicari alludi hîc ad *Gehen Ennom* (vnde dicta eſt gehenna) id eſt ad vallem filij Ennom, in qua parentes filios viuos cremabant idolo Moloch. Veriſimile enim eſt in eadem valle fuiſſe fornices & antra luparum: Gentiles enim ſuos deos, id eſt dæmones, colebant non tantùm ſacrificiis, ſed & comeſſationibus ac libidinibus, præſertim Beelphegor, ſiue Priapum, quẽ Caietan. cenſet eumdem eſſe cum Moloch, Patent hæc Oſee 4. 14. & 3. Reg. 15. v. 12. & 13. Sicut ergo in hac valle Ennom inclinatæ & depreſſæ erant domus meretricum, adeoque erant in ipſa gehenna Moloch; ſic pariter eædem inclinatæ erãt ad gehennam Luciferi: ex illa enim gehenna in hanc directum erat iter, certuſque poſt mortem tranſitus. Vnde S. Auguſt. libidinem vocat æterni ignis æmulam.

Vers. 19. OMNES QVI INGREDIVNTVR AD EAM, NON REVERTENTVR, NEC APPREHENDENT SEMITAS VITÆ] Septuag. has *ſemitas* dupliciter explicant: ſic enim habent: *omnes euntes in eam non reuertentur, neque apprehendent ſemitas rectas; non enim apprehenduntur ab annis vitæ*; Chald. *omnes qui ingrediuntur, non reuertentur in pace neque capient* (Syrus; *nec recordantur*) *ſemitas vitæ*; Vatabl. *quotquot ad eam ingrediuntur, non redeunt, neque apprehendunt vias vitæ. Tò ad eam* Beda refert ad mortem, q. d. Caue à muliere extranea, quia illa te ducet ad mortem, quam ſi ſemel incurreris, nunquam redibis ad vitam. Alij neruoſiùs referunt ad mulierem, q. d: Caue à muliere extranea, noli ad eam ingredi, id eſt noli cum ea rem habere, quia ſi ad eam ingreſſus fueris, incurres mortem, incideſque in barathrum libidinis & gehennæ, ex quo redire & emergere non poteris, perinde vt à morte & inferno non datur regreſſus ad vitam. Id verum eſt: tum quia per ſe & viribus naturæ nemo poteſt à peccato mortali, quale eſt adulterium & fornicatio, reſurgere ad vitam gratiæ: tum quia qui ſemel implicitus eſt amoribus adulterarum & meretricum, ita cum iis intricatur, vt difficillimè ſe iis expedire poſſit, etſi cõmunes habeat gratiæ menſuras, quas Deus peccatoribus ad reſurgendum largiri ſolet.

Non reuerti ergo, eſt rarò difficulterque deſerere ardentes inſanaſque mulierum illecebroſarum libidines, quæ excæcant corda fornicatorum, & quaſi viſco ea alligant mulieribus, vt non niſi magna & rara gratia reſipiſcant. Sic myſticè ex hæreſi vera & formata, pauci redeunt ad fidem orthodoxam.

Luxurioſi ægrè ſanantur? Cauſa prima. Cauſæ ſunt multæ. Prima eſt, infirmitas lapſæ naturæ contracta ex peccato Adæ: hæc enim ingens eſt in appetitu concupiſcibili. In eo enim magna eſt procliuitas ad res ſenſibiles & carnales, cui ſi indulgeas & ſeruias, eam tibi dominam, teque eius mancipium conſtituis, vt in ea aſſiduè te volutare gaudeas. Quare ſicut ferrum ad ſe rapit magnes, ſic carnalem ad ſe ſua trahit Agnes vti docet S. Baſil. de Virgin. *Secunda.* Secunda, quòd inſatiabilis ſit cupiditas, atque inde inſatiabilitas, peccatorum, ait Caietan. *Tertia.* Tertia, quòd meretrices mille norint artes blandiendi & deuinciendi ſibi amaſios, vt eorum opes emungant. *Quarta.* Quarta, quòd diabolus lapſo retricet ſpecies voluptatis præteritæ, & ad eam iteratò captandam aſſiduè impellat, per peccatum enim in peccatores ius & dominium acquirit: vnde eos ita exagitat, vt videantur energumeni & à dæmone poſſeſſi. Quocirca S. Chryſoſtom libidinem vocat *dæmonem voluntarium* & homil. 23. ad Populum ait, Tam difficile eſt libidinoſum caſtitati, quàm mortuum vitæ reſtituere. *Quinta.* Quinta, quòd libido hominem dementet faciatque animalem & brutum. Videre hoc eſt in meretricibus, quæ ſubinde per prædicatores Deique inſtinctus compunguntur & pœnitent, ſed ilico vt amaſium vident, in priſtinos amores relabuntur, ac quaſi cerebro & mente carerent, ruunt in ſceleratos amplexus. Hoc eſt quod ait Oſee cap 4. v. 11. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* Et cap. 5. 4. *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum quia ſpiritus fornicationum in medio eorũ.* Vide vtrobique dicta. Quocirca Clemens Alexandr. l. 2. Pedag. c. vlt. *Paruam*, inquit *epilepſiam dicebat ſophiſta Abderitanus eſſe venerem, exiſtimans morbum immedicabilem.* Sic & Alexander Magnus vſum veneris comparabat morbo caduco, ex eoque ſeſe eſſe hominem, non deorum aliquem, clarè perſpicere aſſerebat. Addit Clemens: *Voluptas carnis tripliciter lædit*: quia carnalẽ triplici vita per tripli-

plicem mortem priuat, nimirum vita gratiæ per A peccatum, vita naturæ per citam mortem, vita gloriæ per mortem gehennæ æternam. Et hoc voluere Septuag. vertentes, *non comprehendentur ab annis vitæ*. Sapiens ergo ſollicitatus à Thaide quapiam, ingens poſcente veneris pretium, dicat cum Demoſthene *Ego tanti pœnitere non emo.* Ego tam breuis & ſpurcæ voluptatis compendium, tanto trium vitarum, & æternitatis diſpendio non mercor. Chald. vertit, *non reuertentur in pace*, id eſt ad pacem & proſperitatem: quia ſcilicet implicabuntur mille conſcientiæ angoribus, morbis, moleſtiis, curis, ſollicitudinibus, &c. vt viuant inquieti, triſtes, miſeri, pauperes, ærumnoſi. Exemplum illuſtre eſt in S. Auguſtin. qui quàm ægrè & violento gratiæ motu ſeſe concubinæ amoribus expedierit, fusè narrat lib. 8. Confeſſ. c. 7. & ſequent. Et in Salomone, qui mulieribus ſuis adhæſit in ſenio vſq; B ad mortem, vnde hoc nomine valdè dubia redditur eius ſalus æterna.

Vers. 20. VT AMBVLES IN VIA BONA (Hebr. & Chald. *in via bonorum*) ET CALLES IVSTORVM CVSTODIAS] Pendet hæc ſententia à v. 11. *Prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via mala* &c atque *vt ambules in via bona*. Duos enim fructus & officia ſapientiæ ac prudentię aſſignat, nimirum declinare à malo, & facere bonum: non enim ſufficit ad iuſtitiam & ſalutem mala non agere, ſed requiritur vt & bonis operibus inſiſtatur. τὸ *calles* ſignificat vitam iuſtorum eſſe anguſtam, arduam & excelſā. Nam *callis eſt iter pecudum inter montes anguſtum & tritum, à callo pecudis vocatum, quaſi callo pecudum præduratum*, ait S. Iſidor. lib 15. Origen. c. vlt.

Porrò Septuag. ſic vertunt, *nam ſi ambulaſſent ſemitas bonas* (Caſſian *rectas*) *inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ leues*: Semita enim virtutis ambulatione in C ea, exercitio, vſuque fit leuis. Sic quoque legit S. Hieronym. vel potiùs S. Paulinus epiſt. ad Celantiam: *Aſperam*, inquit, *nobis & inſuauem virtutum viā nimia fecit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in alteram partē transferatur: inuenietur, ſicut Script. dicit, ſemita iuſtitiæ leuis*. Sic & legit Caſſianus collat. c. 4. c. 24. vbi docet legem Dei & virtutis eſſe in ſe leuem, ſed concupiſcentia & vitio noſtro fieri grauem: *Hos*, inquit, *nos eſſe manifeſtum eſt, qui ſemitas Domini rectas ac leues prauis duriſq; deſideriorum cantibus aſperamus*, &c *dum præſentium oblectationum illecebris occæcati, per obſcuros impeditoſq; vitiorum ſentibus calles, laceratis cruribus & dirupta illa nuptiali veſte repeamus, non modò acutiſſimis veprium aculeis configendi, ſed etiam virulentorum ſerpentum vel ſcorpionum illic latitan-* D *tium ictibus proſternendi*.

Via virtutis leuis tribus de cauſis. Primò.

Sic & S. Auguſt. de Natura & grat. c. 69. Vbi docet amantibus legem ſapientiæ & charitatis eſſe leuem, timentibus verò grauem. *Omnia quippe*, inquit, *fiunt facilia charitati, cui Chriſti ſarcina leuis eſt; aut ea vna eſt ſarcina ipſa quæ leuis eſt*. Et inferiùs *Secundùm hoc & illud dictum eſt: Si ambularent ſemitas bonas, inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ leues*. Obiicit deinde: *quomodo* ergo dicitur pſal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras? niſi quia vtrūq; verū eſt, Duræ ſunt timori, leues amori, charitas ergo inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt*. Rurſū via iuſtitiæ leuis eſt, quia expedita & libera ab amore rerum temporalium, quarum cupiditate & onere impij degrauantur. Tertiò leuis quia alis gratiæ Dei ſuſtollitur & vehitur. Vnde Chriſtus Matth. 11. v. 28. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Secundò.

Tertiò.

QVI ENIM RECTI SVNT, HABITABVNT IN TERRA, ET SIMPLICES PERMANEBVNT IN EA. IMPII VERO DE TERRA PERDENTVR: ET QVI INIQVE AGVNT, AVFERENTVR EX EA] Pro *habitabunt*, Symmach. vertit, *hereditabunt*; Arabicus, *& via impiorū peribit de terra, & qui tranſgrediuntur legem, eiicientur ab ea*. Pro *ſimplices* hebr. eſt תְּמִימִים *temimim*, id eſt *perfecti*; Septuag *ſancti*; Pagnin. *immaculati*; Vatabl. *integri*. Pro *perdentur*, hebr. eſt יִכָּרֵתוּ *iccaretu*, id eſt *exſcindentur*. Pro *auferentur*; hebr. eſt יִסְּחוּ *iiſſechu*, id eſt *euerrentur, eradentur*; Chald. *direptores eradicabuntur ex ea*; Vatabl. *funditus euellentur*; Syrus, *radicitus extrahentur*. Vers. 21 Vers. 22

Per *terram* accipe terrenam opulentiam & felicitatem putà longam, pacificam, proſperam & opulentam vitam in terra: hæc enim Iudæis illo æuo à Deo promiſſa erat, ſi pietatem colerent. Deuteron. 11.

Angogicè & maximè ſub terra præſenti intelligitur terra viuentiū, ſanctis & electis à Deo promiſſa & parata in cælo: ſic enim, vt nuper dixi, hæ promiſſiones felicitatis terrenæ ad literam accipiendæ ſunt, quatenus factæ ſunt Iudæis; ſed ſub his ſpiritales adumbratæ ſunt quatenus dirigūtur ad Chriſtianos. Ita S. Auguſt. l. de Ciuit. cap. 33. *Hoc*, ait, *eſt ſacramentum veteris teſtamenti, vbi occultum erat nouum, quòd illic promiſſa & dona terrena ſunt intelligentibus*, &c. *& quæ illis temporalibus ſignificaretur æternitas, & in quibus Dei donis eſſet vera felicitas*. Nā bona temporalia, vt idem ait in pſal. 105. *ideo nemini conſeruant veram felicitatem, quia non extinguunt in ſatiabilem cupiditatem. Qui enim biberit*, inquit, *ex hac aqua ſitiet iterum*, Ioan. 4. Vnde Beda & Hugo per *terram* accipiunt Eccleſiam tum militantem, tum beatam & triumphantem. Porrò nouè auctor Catenæ Græcor. per *terram* accipit ætherem, in quo quaſi in terra poſt mortē mites & ſancti habitant, vt inde in die iudicij transferantur in cælum ad videndum Deum: *In illa namque*, ait, *manſueti velut in tabernaculis ætatem agunt, in ipſum cælum deinde aliquando aſſumendi, vt appareant vultui Dei*. Videtur ergo auctor hîc ſentire animas iuſtorū poſt mortē quieſcere in æthere, nec videre Deum ante diem iudicij, quo transferentur in cælum. Verùm hic eſt error accedens ad errorem Chiliaſtarum, qui cenſebant Sanctos in hoc mundo regnaturos cum Chriſto per mille annos, ac deinde transferendos in cælum, de quo dixi Apocal. 204. Peiùs Aben Ezra: Pij, inquit terræ hereditatem adpiſcentur in futuro ſæculo. Hæc enim eſt fides & ſpes iudaizātium, qui ſub ſuo Meſſia non niſi terræ bona expectant, cæleſtium ignari.

Impij inique occupāt terrā.

Nota τὸ *hereditabunt* ex Symmacho: ſignificat enim terram tum præſentem, tum futurā in cęlis, ſolis iuſtis & ſanctis deberi iure quaſi hereditario, vtpote filiis Dei, cuius eſt terra, & plenitudo eius. Vnde illud: *Fideli totus mundus diuitiarum eſt*. Impij ergo dum terram occupant iure non ſuo, etſi non iniuſtè, certè iniquè eam occupant: inuadunt enim hereditatem Dei & filiorum Dei, cuius ipſi ſunt inimici & hoſtes: quocirca quaſi iniqui poſſeſſores ipſi ex ea non tantùm auferentur, ſed ſtirpitus exſcin-

ſcindentur, & eradicabuntur, vt nulla eorum ſuperſit proſapia, fama vel memoria. Hoc apud Iudæos Deus faciebat communiter; apud Chriſtianos verò permittit impios ad tempus terra frui, in fine vitæ eos omnino ab ea abradit, & in tartara deturbat. Rurſum *tò abradentur & exſcindentur* ſignificat impios inuitos, & magno dolore ac cruciatu à terra auferri & auelli, vtpote illi toto corde affixos, nec habentes cæleſtium ſpem; cùm ex aduerſo Sanctis terra ſit exilium, cælum patria, ideoque è terra in cælum migrare deſiderent. Alludit ad Iob 18.17. *Memoria illius pereat de terra, &c. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum. Non erit ſemen eius, neque progenies in populo ſuo, nec vllæ reliquiæ in regionibus eius.*

Quod de iniuſta vel iniqua impiorum poſſeſſione terræ dixi, intellige ethicè & moraliter, non iuridicè & ciuiliter. Iuridicè enim impij æquè & iuſtè ſua poſſident. Quocirca meritò in Concil. A Conſtantienſi ſeſſ. 8 inter alios errores Ioannis Wiclef damnatur iſte ordine 15. *Nullus eſt dominus ciuilis dum eſt in peccato mortali.* Deus enim impiis hoc ius & dominium concedit; eſto ipſi id non mereantur. Vnde ethicè verum eſt iſtud: *Diuitiæ & opes ſunt patrimonium virtutis*, quia virtus idipſum meretur, & ſæpè reipſa acquirit, vt ritè illud adminiſtret & diſtribuat. Ratio à priori eſt, quòd dominij & iuriſdictionis fundamentum ſit, non gratia diuina, quæ per peccatum mortale tollitur, ſed ius naturæ & gentium, atque conſenſus hominum reſpiciens bonum reip. politicum, qui ſæpè dominium, imò principatum, hominibus impiis, etiam infidelibus attribuit. Si enim impij eius eſſent incapaces, magna ſequeretur reip. confuſio & perturbatio per bella & ſeditiones. Vide inter alios Gregor. de Valentia 2.2. tractat. de Iuſtitia diſp 5. quæſt. 4. puncto 2.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Primò, quòd ſapientia vitam prolonget, gratiamq́; Dei & hominum conciliet. Secundò, v.5. ſperandum eſſe in Deo, eumq́; colendum, ac patienter ferendam eius caſtigationem. Tertiò, v.13. laudat ſapientiam à pretio pulchritudine, longæuitate, opibus, potentia, efficientia, pace & ſecuritate. Quartò, v.27. æmulandos eſſe docet pios in beneficentia, non impios in prauitate; eò quòd impios ſequatur perditio, pios verò benedictio.

1 Fili mi, ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat, 2. longi-
tudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi 3. Miſericordia
& veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui:
4. & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. 5. Habe
fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. 6. In omnibus
viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. 7. Ne ſis ſapiens apud temetipſum:
time Deum, & recede à malo: 8. ſanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium
tuorum. 9. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum
tuarum da ei: 10. & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua re-
dundabunt: 11. Diſciplinam Domini, fili mi, ne abiicias: nec deficias cùm ab eo cor-
riperis: 12. quem enim diligit Dominus, corripit: & quaſi pater in filio complacet
ſibi. 13. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: 14. melior
eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi & puriſſimi fructus eius: 15. pre-
tioſior eſt cunctis opibus: & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari.
16. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria; 17. Viæ
eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ; 18. Lignum vitæ eſt his, qui ap-
prehenderint eam; & qui tenuerit eam, beatus; 19. Dominus ſapientiâ fundauit ter-
ram, ſtabiliuit cælos prudentiâ; 20. Sapientiâ illius eruperunt abyſſi, & nubes rore
concreſcunt; 21. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Cuſtodi legem atque conſi-
lium: 22. & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. 23. tunc ambulabis fiducia-
liter in via tua, & pes tuus non impinget: 24. ſi dormieris, non timebis: quieſces, &
ſuauis erit ſomnus tuus. 25. ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias
impiorum. 26. Dominus enim erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris.
27. Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt: ſi vales, & ipſe benefac. 28. Ne dicas
amico tuo: Vade, & reuertere: cras dabo tibi: cùm ſtatim poſſis dare. 29. Ne moliaris
amico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam. 30. Ne contendas aduerſus homi-
nem fruſtrà, cùm ipſe tibi nihil mali fecerit. 31 Ne æmuleris hominem iniuſtum, nec
imiteris vias eius: 32. quia abominatio Domini eſt omnis illuſor; & cum ſimplicibus
ſermocinatio eius: 33. Egeſtas à Domino in domo impij: habitacula autem iuſtorum
benedicentur. 34. Ipſe deludet illuſores; & manſuetis dabit gratiam. 35. Gloriam
ſapientes poſſidebunt: ſtultorum exaltatio, ignominia.

Mul-

MVlta rurſum ex hoc capite mutuatus eſt Eccleſiaſticus c. 1. c. 3. c. 15. quæ ibidem explicui. Quare hic breuis ero.

A

VERS. 1. FILI MI NE OBLIVISCARIS LEGIS MEÆ, ET PRÆCEPTA MEA COR TVVM CVSTODIAT,

VERS. 2. LONGITVDINEM ENIM DIERVM (Septuag. *ætatis*) ET ANNOS VITÆ, ET PACEM APPONENT TIBI] Sunt verba non Dei, vt vult Lyran. nec patris cuiuſlibet, vt vult Caietan. ſed ipſius Salomonis, qui diſcipulum inſtruit, eumque docet veram ſapientiam & virtutem: Salomon enim ſapientiæ & virtutis præcepta diſcipulo traditurus, eum excitat ad eorum cupiditatem, & ſtudium, proponendo ei præmia, nimirum vitam longam, pacificam & proſperam,

Per *annos vitæ* Primo, accipe longæuitatem, Secundò, ſanitatem & rectam valetudinem. Nam anni languoris ſunt potiùs anni mortis, quàm vitę ait Lyran. Tertiò, noſter Salazar per *annos vitæ* accipit integram vitæ humanæ periodum. q. d. Viues 70. annos vitæ humanæ à Deo præſcripto pſalm, 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.* Quartò, Ianſen. & Baynus *longitudinem dierum* referunt ad præſentem vitam, *annos* verò *vitæ* ad futuram & æternam, ne per tautologiam idem repeti videatur. Vnde ex Hebræo vertas, *annos vitarũ*, putà annos vitæ tam naturalis quam ſupernaturalis, tam præſentis quàm æternæ, tam gratiæ quàm gloriæ. Perperam R. Leui ſic explicat, q. d. Si legi obedieris, diutiùs viues quàm tibi ab aſtris fuerat conſtitutum: nec enim longæuitas ab aſtris, ſed à Deo decernitur & tribuitur. Per *pacem* accipe, Primo, tranquillitatem; Secundò, lætitiam; Tertiò, proſpera omnia, hæc enim Hebr. ſignificat *pax*. Quartò, Ianſen. & Baynus accipiunt pacem conſcientiæ, quæ illam Deo amicam efficit, ideoque exuperat omnem ſenſum, itaque omnis pacis, omniſque boni eſt cauſa. Hæc quarta pax magis ad Chriſtianos pertinet, tres primæ ad Iudæos: Iudæis enim bona temporalia promiſſa ſunt, Chriſtianis ſpiritalia & æterna.

VERS. 3. MISERICORDIA ET VERITAS TE NON DESERANT] Chald. *benignitas & veritas ne dimittant te*, Vatabl. *beneficentia & fides ne deſtituant te*, Sept. *eleëmoſynæ & fides ne deſerant te*. S. Chryſ. argumento in epiſtol. ad Philippenſes, poſt hanc ſententiam addit & iſtam: *Miſericordia & fides ſit tibi vera.*

Miſericordia & veritas quid? Reſp. Primò. Quæres, quænam virtutes ſint *miſericordia & veritas*? Primò, S. Chryſoſt. verbis iam citatis per *miſericordiam* accipit eleëmoſynam, per *veritatem* veram fidem in Deum. vnde Arabicus vertit *eleëmoſynæ & fidelitates non deficient à conſpectu tuo.*

Secundò. Secundo, Beda: *Miſericordia*, inquit, *in operibus, veritas elucet in verbis.*

Tertiò. Tertiò, Lyran. *Miſericordia*, inquit, eſt erga pauperes, *veritas* erga omnes.

Quartò. Quartò, Hugo: *Miſericordia*, inquit, eſt erga proximos, *veritas* erga ſeipſum.

Quintò. Quintò, noſter Salazar: *Miſericordia*, inquit, ſpectat proximum, *veritas* Deum notatque verum eius cultum. Alij è conuerſo חֶסֶד *cheſed*, id eſt pietas, quod Noſter vertit *Miſericordia*, referunt ad Deum, pietas enim propriè & Primò, reſpicit Deum; Secundo, patriam & parentes, Tertiò, quoſlibet pauperes & afflictos.

Sextò. Sextò, auctor Catenæ Græcorum per *Miſericordiam*, accipit charitatis officia, piaque opera, per fidem autem ſanum de rebus ſacris iudicium, veramque in ceteris omnibus prudentiam.

Septimò. Septimò, Dionyſ. *veritas*, inquit, eſt triplex, ſcilicet vitæ, doctrinæ, & iuſtitiæ: vitæ, qua verè, id eſt rectè viuimus; doctrinæ, qua vera docemus & loquimur; iuſtitiæ, qua cuique ſuum ius, quod ei verè debetur, tribuimus. Alij, veritas, inquiunt, eſt triplex, cordis, oris, & operis: cordis, qua verè de agibilibus ſentimus & iudicamus; oris, qua id quod verè ſentimus, eloquimur; operis, qua verè id quod legi & virtuti conforme eſt, operamur.

Octauò genuinè. Octauò & maximè genuinè: *Miſericordia*, ſignificat opera virtutis indebita, quæ gratis & liberaliter præſtantur; *veritas* ſiue fides, fidelitas & iuſtitia, ſignificat opera virtutis debita, quæ ex obligatione iuſtitiæ, fidelitatis, ſimiliſue virtutis facienda

B

ſunt. Hiſce ergo duobus S. Script. complectitur omne officium virtutis (omne enim vel debitũ eſt, vel indebitum, & liberale:) quod proinde quaſi primum & vniuerſale ſapientiæ & virtutis præceptum, primo loco aſſignat hic Salomon, ex eo deinde particularia ſingularum virtutum officia eliciturus. ita Ianſen. Baynus Dionyſ. & Caiet. qui ait; miſericordia, hebr. *cheſed*, eſt gratia, qua ex libero noſtro animo benefacimus proximo, non ex debito; veritas eſt, quâ excluſà omni fictione adæquamus facta dictis, verba cordi, cor debitis.

TE NON DESERANT] Primò, per hypallagen ſiue conuerſionem ſic exponas, q. d. Tu ô fili, ne deſeras miſericordiam & veritatem: ſic enim nec ipſæ deſerent te. Sicut enim Deus, ſic & ſapientia virtuſq; neminem deſerit, niſi priùs ab eo deſeratur, vt ait Concil. Trident ex S. Auguſt. ſeſſ. 6. Vna de Vatab. *ni te non deſerant* exponit, *ſint tibi familiariſsimæ*. Nam vt ait ſapiens: *Fugax eſt natura boni*. Ita

C

S. Chryſ. loco iam citato, explicans hæc verba de perſeuerentia, ſic ait: *Eleëmoſynæ ac fides ne deſerant te. Non ait: Semel facias, neque ſecundò, neque tertiò, neque decies, neque centies, ſed, perpetuò non deſerant te, inquit. Et non dicit, Ne deſeras illas, ſed, Ipſæ ne deſerant te. Oſtendens nos illarum, non illas noſtro adiumento opus habere, docenſque eò ſatagendum nobis eſſe, vt illas apud nos contineamus, Adapta, inquit, illas collo tuo.*

Præclarè S. Laurent. Iuſtin. cap. 2. de perſeuerantia, ſhæc eidem dat elogia: *Perſeuerantia eſt ſingularis filia ſummi regis, finis virtutum, earumque conſummatio, ſine qua neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix eſt ad præmium, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia, charitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle*

D

hanc, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola eſt, cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit, &c. Incaſſum enim bonum agitur, ſi ante vitæ terminum relinquatur. Et inferiùs pluribus interiectis: *Solum non perſeueraſſe, eſt amiſiſſe coronam attolite oculos ad cælum, intuemini ipſum certaſſe & viciſſe, ac certantes fortiter adiuuare exhortationibus, exemplo, verbis, promiſsis & donis. Nulla debet eſſe trepidationis ignauia in tantis fauoribus. Currite ad montem Dei, ad gloriam ipſius contemplandam, ad perfectionem virtutum, ad cacumen perſeuerantiæ.*

Secundò propriè, q. d. Miſericordia & veritas tibi, ô fili, non ſunt à natura inſitæ, nec connaturales, ſed extrinſecæ & aduentitiæ: ſunt enim quaſi angeli è cælo ad te demiſſi, vt te in cælum deducant. Vide ergo vt eos obſerues, eis obſequaris, eos detineas tua bonitate & obedientia: ne, ſi eos

per

per inobedientiam aliudue peccatum offendat, illi à te aufugiant, ac te deſerant, nudumque & miſerum relinquant. Sic enim S. Baſil. de Virgin. ait: *Sicut apes fumo, ita angeli libidine & peccatis fugantur.*

Virtutes quaſi angeli è cælo miſſi.

Eſt proſopopœia: Miſericordia enim & veritas hic quaſi perſonæ, imò quaſi angeli ad ſapientię diſcipulum accedentes & recedentes inducuntur; ac velut pædagogi eius, qui ſtudet ſapientiæ & virtuti. Sic Gentiles finxerunt Gratias eſſe deas alatas, vel angelos, qui ad homines eucharites & gratioſos è cælo aduolarent, acharites verò & ingratos refugerent, & reuolarent in cælum: virtutes enim ſunt gratiæ gratis à Deo homini immiſſæ.

Exempla.

Sic eleëmoſyna ſpecie virginis pulcherrimæ, oleagina corona in capite redimitæ, apparuit S. Ioanni Eleëmoſynario dormienti, teſte Leontio in eius Vita, eumque ſomno excitans, dixit: *Sum prima e filiabus magni regis: ſi tu me tibi amicam paraueris, potero te ei efficere familiarem. Nulli enim maior, eſt apud eum, quàm mihi fiducia, quoniam ei vt è cælo deſcenderet in terram, & carnem acciperet humanam, ego perſuaſi.* Quocirca S. Ioannes totum ſe eleëmoſynis dedens, poſt mortem viſus eſt à Sabino eremita, ab eadem virgine deduci ad thronum ſummi regis. Porrò ex hac viſione adeò factus eſt beneficus, vt, cùm quadam die nullus ab eo poſtulaſſet beneficium, mœſtus gemenſque dixerit: *Hodie miſerandus Ioannes nullam ab aliquo accepit mercedem, nec vllum vel minimum potuit offerre piaculum Chriſto pro multis & magnis ſuis delictis. Quid hoc minus, niſi etiam maius dixeris illo Titi Imp. Hodie non regnauimus, quoniam neminem affecimus beneficio.* Hæc Leontius.

Simili modo ſapientia & caſtitas quaſi duæ ſpecioſæ virgines & ſorores, per viſum apparuerunt S. Gregor. Nazianzeno, vti ſuperiùs dixi. Ex aduerſo virtutes fugiunt infames & ſceleratos. Sic Aſtræa, id eſt iuſtitia, à Poëtis dicitur vitiis creſcentibus indignata, euolaſſe in cælum, ibique in ſignum libræ eſſe conuerſa. Vnde Ouid. 1. Metam.

Et virgo cæde madentes
Vltima cæleſtûm, terras Aſtræa reliquit.

Et Seneca in Octau.

Neglecta terras fugit & mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus.

Oportet ergo nos ſapientiam & virtutes colere, venerari, diligere, eique ſtudere & obſequi; ſic illam nobis amicam & familiarem efficiemus: amantes enim & colentes ſe ipſa redamat, ex aduerſo negligentes & ſpernentes viciſſim ipſa ſpernit, fugit & auerſatur. Hoc eſt quod ait Iſaias cap. 59. 14. *Conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longè ſtetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Hinc Filius Dei de cælo deſcendit, vt ad miſericordiam & iuſtitiam exulantes & profugas reduceret.

Tertiò, Ianſen. hæc accepit non vt officia hominis, ſed vt præmia à Deo leges ſuas obſeruanti danda. q. d. Si Dei præcepta cuſtodieris, numquam te deſeret Dei miſericordia & veritas. Hebr. enim eſt אַל־יַעַזְבֻךָ *al iaazbucha*, id eſt non *deſerent te*, in futuro (licet futurum Hebræi ſæpè capiant pro imperatiuo, vel optatiuo, vnde Noſter & alij aptè vertunt, *te non deſerant*) Hoc ſenſu vertit Syrus, *longitudo enim dierum & annorum vitæ addetur tibi; & pax & benignitas, & veritas non relinquent te.* Et Aben Ezra ſic explicat, q. d. Si cor tuum præcepta mea cuſtodierit, Deus emittet veritatem & miſeri-

A diā, vt ab iis ſerueris, ita vt numquam à te diuellantur: quam obrem liga eas. &c. hoc eſt, ne vmquam hæc obliuioni tradas. Et R. Leui. Verba inquit, nihil aliud inſinuant, quàm veritatis pietatiſque parentem & auctorem eſſe Deum.

CIRCVMDA EAS GVTTVRI TVO] Septuag. & Aquila, *Alliga eas ſuper collum tuum*; Syrus & Chald. *liga eas in collo tuo*; S. Chryſoſt. argumēto in epiſt. de Philip. *adapta eas collo tuo. Sicut*, inquit, *diuitum liberi circa collum bullam habent auream, illamq; numquam deponunt, vtpote quam tanquam nobilitatis ſuæ inſigne geſtant; ita & nos eleëmoſyna ſemper amiciendi ſumus, vt oſtendamus nos miſericordis ac benigni patris eſſe filios, qui ſolem ſuum exoriri facit ſuper bonos & malos.* Et inferiùs: *Circumdemus nobis iſtum ornatum Torquem faciamus auream (eleëmoſynam dico) donec hic fuerimus. Quamprimum enim hæc ætas tranſierit, nullus ampliùs*
B *erit eius vſus.* Vide quæ de torq; dixi cap. 1. v. 9.

Simili modo Plato in Cratylo; ἀρετὴ, inquit, id eſt virtus, dicitur, quaſi αἱρετὴ, quia *eligenda* præ omnibus quaſi bonum præſtantiſſimum Aut quaſi ἀεὶ ῥέον, id eſt quòd ſine vllo impedimento æquabili quadam, & conſentanea *ſemper* ratione *fluat.*

Ita in Viſis Patr. lib. 7. c. 44 in Meditationibus duodecim Anachoretarum, ordine vndecimus hunc ſibi quotidie virtutis ſtimulum adhibebat: *Imaginor*, inquit, *virtutes eſſe perſonatas, quæ me vndique circumcingant & circumuallent, vt poſt mortem teſtentur coram Deo quòd requiem inuenerint in me,*

Secundò. Dionyſ. *Circumda eas gutturi tuo*, hoc eſt, inquit, aliis quoque eas prædica, ut & ipſi nequaquam miſericordiam & veritatem relinquant,
C & quantum ad hoc *quaſi tuba exalta vocem tuam*, vt ait Iſaias c. 58. 1 & vt Oſee c. 8. 1. *In gutture tuo ſit tuba*, vt poſſis dicere cum S. Iob. c. 31. *Non dedi ad peccandum guttur meum.*

Tertiò planè & genuinè Ianſen. *Circumda eas gutturi*, hoc eſt, inquit, firmiter & vndique tibi adſint, ſemperque tibi ſint præ oculis; velut id, quod circumdatur collo, & à collo dependet, vndique, hominem cingit, ſemperque ob oculos verſatur.

Accedit Caietan. *Liga eas ſuper colla tua*, hoc eſt, iugiter habe ea præ oculis inſtar alligantis pendulum aliquid ex vtraque parte colli, vt ſemper habeatur præ oculis. Sicut enim, inquit, collum iungit corpus capiti, ita humanum ſtudium iungit corpus actionum humanarum capiti, quod eſt lu-
D men rectæ rationis. Alligandę virtutes pręcipiuntur collis, hoc eſt humanis ſtudiis, humaniſque conatibus, vt non deſerant hominem, vt non ſubterfugiant exercitationem. Circumda ergo illas collo tuo, id eſt, arctiſſimè illas cōplectere, illis te cinge & orna, vt velut familiares tibi ſemper & vbique obſeruentur, teque honorent & ornent. Alludit ad Deuter. 6. 8 *Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua eruntque & mouebuntur inter oculos tuos.*

Torques notat ſex dotes ſapientiæ. Primò. Secundò. Tertiò.

Igitur torques Primò ſignificat, miſericordiam & veritatem nobis debere eſſe familiariſſimas, & coniunctiſſimas inſtar veſtis. Secundò, iis nos ornari, ſicut torque aureo ornatur collū. Tertiò, eas nos facere ingenuos, liberales & nobiles: torques enim ſymbolū eſt ingenuitatis & nobilitatis. Vnde S. Gregor. in Decretal §. *Prudentes*, tit. 24 de donationibus: *Hanc ſibi*, ait, *quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere ſe, quod ſponte tribuit, exiſtimet, & niſi in beneficiis ſuis eſuerit, nihil ſe præſtitiſſe putet.*

Quartò.

Quartò, torqui olim inerant amuleta contra

venena

eſſe, vt nihil in eo ſit mancum, incongruum, indecens, immodicum, quod carpi aut reprehendi poſſit: vt inſtar imaginis perfectæ ſit, quæ omnibus ſuis lineamentis ita quaquauerſum adæquata, & exactè conformata eſt, vt nihil in ea deſit vel ſuperſit, ac proinde nil in ea notari aut vituperari queat. Sic ergo in quolibet opere omnia luſtra, & inſtar Argi centum oculis circumluſtra, ac ſingula ita concinnè compone, vt cum Apelle dicere queas: *Pingo æternitati: viuo, operor æternitati.*

SECVNDA PARS CAPITIS.

De fiducia, honore & cultu Dei.

A theſi deſcendit ad hypotheſin, nimirum poſt generale præceptum miſericordiæ & iuſtitiæ tranſit ad particularia virtutum pręcepta, quę ex primo illo generali velut concluſiones è ſuo principio educuntur. Incipit autem à religione & cultu Dei, quia hæc eſt prima virtus, ceterarum fons & mater: & quia à Deo vbique eſt inchoandum, præſertim in Ethica, iuxta illud Nazianz. *A te principium, tibi deſinet.* Et illud S. Auguſt. 1. Confeſſ. 15. *Ecce tu Domine rex meus & Deus meus, tibi ſeruiat quidquid vtile didici: tibi ſeruiat quod loquor, & ſcribo, & numero.*

Verſ. 5. HABE FIDVCIAM (Syrus & Chald. *ſpera*) IN DOMINO EX TOTO CORDE TVO, ET NE INNITARIS PRVDENTIÆ TVÆ] Syrus, *ſapientiæ animi tui*, ſed Dei gratiæ; Septuag. *eſto confidens in toto corde ſuper Deo, in tua autem ſapientia ne extollaris*; Roman. *ne exalteris*; Arabicus, *ne eleueris*; Symmach. *ne ſis confidens.* q.d. Innitere Deo, illique totus incumbe, non tuæ prudentiæ, ait Aben Ezra; ac Dei prouidentiæ; non tuæ, omnia aſſigna & accepta refer, ait R. Leui, Vatabl. & Pagnin. *Fide*, ait, *Domino ex toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne innitaris*; alij, *ne prudentiæ tuæ velut baculo incumbas & innitaris* (hoc enim propriè ſignificat Hebr. תִּשָּׁעֵן *tiſſaen* (ſicut pater Scipionis ſeneſcens filio quaſi ſcipioni innitebatur; vnde filius vocatus eſt Scipio. q. d. Scipio ſit tibi non tuum ingenium, non tuum conſilium, ſed ſpes in Deum; ſi enim Deo velut ſcipioni incumbas; firmus in omni actione conſiſtes: cetera enim ſunt baculus arundineus, vti ait Iſaias c. 36. 6. & Ezechiel c. 29.

Eſt ſententia generalis docens in qualibet re, actione, tribulatione, expectatione, periculo, metu, &c. vt felix ſit ſucceſſus vel exitus, ſpem omnem collocandam in Deo, idque ex toto corde, & non innitendum eſſe prudentiæ propriæ; ita ſcilicet vt putes illam ſolam tibi ſufficere, aut præcipuas rei conficiendæ partes & momenta in ea colloces: hæc enim collocanda ſunt in Deo. Itaque vetaris hic ita fidere tibi, tuoque ingenio & conſilio, vt diffidas vel minùs fidas Deo. Alioqui prudentis eſt ita fidere Deo, vt tamen & mentem conſilio, & manum operi admoueat: hoc enim iubet Deus & natura ac gratia.

Moral. de ſpe tota in Deũ transferenda. Prudentia enim eſt oculus & rector animæ, omniumque eius motuum & actionum. Vnde *prudens* dicitur quaſi *porrò* vel *procul videns*, & *prudentia* quaſi *proculuidentia*, ſiue *prouidentia*, ait ex Iſidoro & Boëtio S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 1. & q. 49. art. 6.

A Huc facit illud S. Gregorij Nazianz. in Diſtichis: *Deo dante nihil poteſt liuor, eodem abnuente nihil poteſt labor.* Et illud S. Baſil. in Conſtit. monaſt. c. 16. *Ad perfectum virtutis cumulum coniuncta ſimul eſſe vtraq; hæc oportet, & humanum ſtudium, & auxilium cæleſte fidei operâ aſcitum & comparatum.* Et c. 17. *Cauſas cur illa ſic fiant, Domino aſſignare debet animus, neque omnino eſſe quidquam exiſtimare, quod ſuarum virium facultate aſſequi poſſit*, &c. *Porrò humilitas tutiſſimus eſt virtutum omniũ theſaurus.* Maximè tamen hæc ſententia locum habet in obtinenda ſapientia & virtute. Hæc enim cùm ſit donum Dei, idq; in fidelibus & ſanctis ſupernaturale, vtique vires & prudẽtiam hominis tranſcendit. Vnde à Deo ſperanda & poſtulanda eſt, ita tamen vt Deo operanti coopereris & collabores. Quocirca Salonius & Beda cenſent hæc dici à Salomone ad erigendam puſil- B lanimitatem & diffidentiam diſcipuli. q. d. Ne exiſtimes hæc mea ſapientiæ & virtutis præcepta, quæ mox daturus ſum, vires tuas ſuperare, nec diffidas te ſapientiam & virtutem, vtpote arduam & cæleſtem, poſſe conſequi: ſpera dumtaxat in Deo, ab eoq; toto corde illam efflagita, ipſe tibi eam elargietur: quare ne innitaris prudentiæ tuæ, quaſi per eam tuis viribus & conſilijs illam parare debeas: Deus illius eſt largitor, ipſe eam poſcentibus & ſibi collaborantibus vltrò illam donabit. Impia ergo & ſuperbia fuit philoſophi vox de Deo:

Det vires, det opes, animum æquum mi ipſe parabo.

Deus enim eſt qui mentem illuminat, voluntatem eleuat, vires aſpirat, ac perinde vt ventus naui aſpirans feliciter eam in portũ ſalutis impellit, vti pulchrè docet S. Chryſoſt. hom. 34. in epiſt. ad He- C bræos. Et S. Baſil. hom. de Spiritu ſancto. *Da mihi*, inquit, *nauim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia diſpoſita, & nuſquam eſſe ſpiritum venti; nónne ceſſat omnis qualiſcumque apparatus, ſi deſit operatio ſpiritus? Ita licet ſit ampla ſermonis ſupellex, mens profunda, & eloquentia, & intelligentia; ſi nõ adſit Spiritus ſanctus, qui vim ſuppeditat, otioſa ſunt omnia.* Idẽ orat. 7. de virtute & vitio: *Beatus*, inquit, *qui omni ſpe rerum huius mundi ſeipſum orbauit* (nam vt idem ait ep. 19. ad Gregor. Nazianz. *Spes mortalium ſunt ſomnia vigilantium*) *ac in ſolo Deo omnem ſpem fixit atque locauit ſuam. Sicut enim execrabilis eſt, qui ſpem ponit in homine; ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet. Spes enim, quæ in Deo collocatur, non ſinit ſe in alio conſtituere, neque ſibi auxilium ferri vult*, &c. *ſed oportet verè in Dei auxilio acquieſcere.* Idem orat. 20. *Sicut* D *nulli alij nos præterquam Deo ſoli cultum tribuere par eſt, ſic etiam in nulla alia re ſpem noſtram conſtituere debemus, quàm in Deo omnium rerum domino.*

Idem homil. 8. Hexam. ſpei exemplum dat halcyonem, vel halcedinem auem, cui in media hieme ouis iuxta littus maris incubanti Deus tranquillat mare & ventos. *Sileſcunt*, inquit, *& conſopiuntur tum omnes venti, quieſcunt undæ, tumida æquora placantur ſeptem totis diebus, cùm ouis incubat halcedo. Id omnes nautæ ſciunt, & halcyonides dies illos appellant. Quid ergo à Deo etiã præter omnium ſpem tui cauſa non fueris exorabile, quem ad imaginem ipſe ſuam creauit, cùm alitis tam exiguæ gratiâ mare tam vaſtum tam terribile ſæuumq; tranquillum eſſe media bruma iuſſum detinetur atque quieſcit?* Hoc eſt quod ait Ieremias c. 17. 7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius*, &c. Vide ibi dicta. Denique τὸ *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, S. Dorotheus ſer. 5. attribuit Religioſis, docetque eos ſinere debere ſe regi

à Deo per ſuos Superiores in omnibus, & per omnia.

Verſ. 6. IN OMNIBVS VIIS TVIS COGITA ILLVM, ET IPSE DIRIGET GRESSVS TVOS] Pro *cogita* hebr. eſt דעהו *daehu*, id eſt *ſcito*, vel *cognoſce illum*. Sic & Syrus, & Chald. Vatabl. *in omnibus negotijs agnoſcito illum*, eius ſcilicet præſentiam, potentiam, maieſtatem, prouidentiam, bonitatem, iuſtitiam, vindictã, &c. Eſt metalepſis: ex cogitatione enim intelligitur reuerentia, obedientia, ſpes & amor: hæc enim parit attenta Dei, ſiue numinis, cogitatio & meditatio. *Cogita* igitur, id eſt cogitando ſpera, reuerere, cole & dilige vt creatorem, gubernatorem, dominum, iudicem vbique præſentem, omneſque tuos actus intuentem. Cogita, inquam, Deum vbique & ſemper, vel actu, vel virtute, ita vt vi huius cogitationis arcearis à malo, & cogaris ad omne bonum præſertim ad Dei metum, ſpem & amorem: de ijs enim ſermo præceſſit. Ergo *cogita*, id eſt Primò, frequenter (*cogito* enim eſt verbum frequentatiuum à *cogo*, ait Feſtus) menti tuæ obijce, ſpera & inuoca Deum: hoc enim ſi feceris, ipſe diriget greſſus tuos.

Cogita quintupliciter. Primò.

Secundò. Secundò, *cogita*, id eſt time & reuerere Deum vbique præſentem, ne quid committas quod oculos tantæ maieſtatis offendat; ſed potiùs fac omnia, quæ illos oblectant. Vnde Boëtius: *Magna nobis indicta eſt neceſſitas probitatis, cùm omnia agamus in oculis Dei cuncta cernentis.* Cogito enim dicitur à cogo. *Cogendo enim animum reminiſci; quod in ea repoſitum eſt, dicitur cogitatio*, ait Iſid. l. 1. Sentent. c. 15. *cogo* autem dicitur quaſi *coago*, id eſt in vnum ago. Cogitatio enim numinis præſentis cogit nos ad eius metum & cultum, cogitatio enim eſt rei præſentis, memoria abſentis. Ita S. Iſidor. de Different. cogitat. mentis & memoriæ c. 1. *Memoria*, inquit, *præterita reuocat, mens futura præſentit, cogitatio præſentia complectitur.*

Tertiò. Tertiò, *cogita*, id eſt intende in omnibus actibus Deum, vt ad illum quaſi ad ſcopum & finem omnes referas, & in omnibus illi placere contendas. Ita Lyran. & Caiet. cenſent hìc præcipi rectam in omnibus intentionem: hæc enim in rectum finem dirigit greſſus noſtros.

Quartò. Quartò, *cogita* eum, id eſt eius operationem & gratiam, vt illi quaſi omnium largitori omnia bona accepta referas, nil tibi arroges. Ita Hugo. Vnde S. Hier. dial. 3. contra Pelag. hinc probat neceſſitatem gratię. Vnde Arabicus vertit, *agnoſce ſapientiam, vt dirigat vias tuas.*

Quintò. Quintò, *cogita*, id eſt repręſenta tibi Deum, Deique voluntatem, vitam & legem, quaſi normam tuarum actionum, cui ad amuſſim omnes conformare debeas; atque ſic Deus quaſi norma & regula, rectiſſimè diriget omnes greſſus actuſque tuos. Ita cogitabat Deum vbique Dauid dicens pſal. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Idem præceptum Tobias moriturus dedit filio c. 4. 6. *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Sic & Elias ac Eliſeus: *Viuit*, inquiunt, *Dominus, in cuius conſpectu ſto*, 3. Reg. 17. 1. & 4. Reg. 3. 14. ac S. Iob c. 31. *Nonne Deus conſiderat vias meas & cunctos greſſus meos dinumerat?* Aſſidua enim cogitatio diuinæ præſentiæ maximè ſtabilit mentem in Deo.

Hoc fuit olim, & etiamnum eſt, præcipuum

A Aſcetarum & Religioſorum officium & exercitium, vt ſemper & vbique Deum cogitarent, cum eoque quaſi præſente verſarentur & colloquerentur. Vnde Abbas Allois in Vitis Patr. l. 5. libello 11. n. 5. *Niſi*, inquit, *dixerit homo in corde ſuo: Ego ſolus & Deus ſumus in hoc mundo, requiem non habebit.* Et rurſum: *Si vult homo, in vna die vſque ad veſperam, peruenit ad menſurã diuinitatis.* Ibidem Abbas Beſſarion: *Monachus*, inquit, *debet totus eſſe oculus, ſicut Cherubim & Seraphim*, qui iugiter intuentur, amant & glorificant Deum. Et Abbas Daniel: *Quis enim auſert à nobis Deum? nam & foris Deus eſt modo, & iterum in cella Deus eſt.* Et Abbas Theonas n. 12. *Quia impeditur mens noſtra & reuocatur à contemplatione Dei; propterea captiui ducimur in carnalibus paſsionibus.* Et Abbas Ioannes: *Sicut dum pluit, arbores producunt ramos; ſic quando Spiritus ſanctus deſcendit in corda Sanctorum, vireſcunt quodammodo & innouantur, & proferunt folia in timore Dei.* Vnde idem operans non intendebat operi, quia mens eius abſorpta erat in contemplatione Dei. Ibidem n. 31. Abbas Serapion. *Sicut*, ait, *milites Imperatoris, cùm ante ipſum ſtant, non debent dexterâ aut ſiniſtrâ reſpicere; ita & monachus cùm ſtat in conſpectu Dei, & intentus eſt omni hora in timore eius, nihil eſt quod eum de aduerſarij malis terrere poſſit.* Ibidem n. 35. Abbas Hyperichius: *Cogitatio tua*, inquit, *ſemper ſit in regno cælorum, & citò in hereditatem accipies illud.* Et: *Vita monachi iuxta imitationem angelorum ſiat, comburens atq; conſumens peccata.* Et alius n. 42. *Sicut nemo poteſt lædere eum, qui eſt ad latus Imperatoris; ſic Satanas nequit nobis nocere ſi anima noſtra inhæſerit Deo:* ſcriptum eſt enim Zachar. 1. *Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis,* Plura de hac re dixi Geneſ. 17. 1. & ſeq.

Mos de iugi præſentia Dei.

B

ET IPSE DIRIGET GRESSVS TVOS] τὸ & notat Primò, ſimilitudinem & viciſſitudinem. q. d. Cogita de Deo, & ipſe viciſſim ſimiliter cogitabit de te, vt dirigat greſſus tuos ad omnem proſperitatem, ſanctitatem & felicitatem, iuxta illud quod Chriſtus dixit S. Catharinæ Senenſi: *Filia cogita ſemper de me, & ego cogitabo de te.* Tu, vt mihi obedias & ſeruias: ego, vt te dirigam, protegam, & in omni gratia & gloria promoueam. Secundò, notat mercedem & præmium quaſi ex promiſſione & pacto. Deus enim hìc & alibi quaſi pactum init nobiſcũ quo promittit, ſeque quaſi obligat ad dirigendum omnes actiones noſtras, vt felicem & ſanctum ſortiantur effectum, ſi nos cogitemus de eo proponentes illi per omnia placere & obſequi, ſequentes patrem fidei noſtræ Abraham, cui Deus dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus*, Gen. 17. 1. Idem filium monuit Tobias c. 4. 20. *Omni tempore*, inquit, *benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.*

C

D Ita Sancti in omnibus rogant, impetrantque, vt dirigantur à Deo, vt Deum habeant aurigam pręſidentem animę ſuę, omneſque eius motus & actus aurigantem. Ita Dauid, ad quem alludit hìc filius Salomon, pſal. 118. *Greſſus meos dirige ſecundũ eloquium tuum.* Idemq; crebrò eodem pſalmo iterat. Et pſal. 22. *Dominus*, inquit, *regit me*, ſicut paſtor ouem, vnde hebr. eſt, *Deus paſcit me*; vel, *Deus eſt paſtor meus*: hinc *nihil mihi deerit: nam in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Quæ verba citans Philo l. de Agric. *Impoſſibile*, ait, *eſt deeſſe commodum aliquod, vbi Deus præſidet, ſolitus plena perfectaq; bona largiri rebus omnibus.* Ita S. Auguſt. l. 11. Confeſſ. c. 2. *Quando*, inquit, *ſufficio calamo linguæ enuntiare omnia hortamenta tua,*

A *& omnes terrores tuos, & cõſolationes & gubernationes, quibus me perduxiſti*, &c. Ita S. Antonius apud S. Athanaſ. *Vnica*, inquit, *eſt ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritalis, & animæ Dominum ſemper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quaſi fumũ expellit.* Et: *Securitas animæ, præſentis maieſtatis indicium eſt.* Hinc docent Theologi, ad benè agendum non ſufficere iuſto habitus gratiæ & virtutum infuſos vel acquiſitos, ſed inſuper eum egere actuali motione, influxu, auxilio, & directione Dei, præſertim in actibus difficilibus & heroicis, ac ad ſuperandum graues tentationes. Imò cenſent iuſtum in omni actu meritorio egere actuali motione Spiritus ſancti, eò quòd in Concilio Palæſtino, quod ſæpè citat S. Auguſt. contra Pelagium definitum ſit, *gratiam ad ſingulos actus dari*; & Apoſtolus dicat: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex* B *nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* 2. Corinth. 3. Ita Dionyſ.

Vers. 7. NE SIS SAPIENS APVD TEMETIPSVM] Heb. *in oculis tuis*, vt ſcilicet in ijs, & in vana opinione tua videaris tibi præ alijs ſapere. Hæc enim eſt philautia, ſuperba præſumptio, & nimia ſui æſtimatio. Arabicus, *ne ſis apud animam tuam intelligens*: Septuag. *ne ſis prudens apud temetipſum*: quos ſecutus Apoſtolus Roman. 12. 16. *Nolite*, ait, *eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Vbi quatuor expoſitiones recenſui. Ita Ianſen. Lyranus & Baynus exponunt. q. d. *Ne te ſapientem eſſe aut prudentem vana elatione perſuaſum habeas*; Hugo, *ne nouas opiniones inuenias, eaſq; alienis anteponas*; Caiet. *ne tu ipſe de tua ſapientia iudicium feras*; Vatabl. *ne reputes te ſapientem.* Accedit R. Salomon Iacides: *Ne ſis*, inquit, *ſapiens apud te, vt verba illorum à quibus reprehenſus es, negligas*, Aben Ezra, *vt iactabundus dicas. Sapientia mea* C *duce rectum iter capiam*; R. Leui, *vt inertiæ te dedas, & ſapientiæ ſtudium omittas, quòd tibi ſat ſapere videare.* Porrò Beda: *Videtur hoc idem eſſe mandatum cum eo, quod præmiſſũ eſt: Ne innitaris prudentiæ tuæ; ſed multum diſtat. Innititur enim prudentiæ ſuæ, qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, patrum decretis præponit. Sapiens verò apud ſemetipſum eſt is, qui in illis quæ ex patrum magiſterio potuit rectè cognoſcere, ſeſe præ cæteris quaſi doctior extollit.* Caiet. verò: *Hoc*, inquit, *ad iudicium, illud verò ad fiduciam ſpectat.*

Hic eſt fons omniũ errorum & hęreſum, quòd ſcilicet eorum auctores videantur ſibi præ alijs ſapere, ideoq; nolint Eccleſiæ & Doctorum ſententiæ cedere & credere, de quibus Iſaias c. 5. v. 21. *Væ*, inquit, *qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Verè Climacus gradu 3. *In his*, D *ait, qui ſibi credunt, dæmon ſæpè propheta fit.*

Quocirca vera ſapientia, ait S. Iacobus c. 3. 17. modeſta & humilis eſt, ac ſeipſam ignorat, quia non aſpicit, nec reflectit ad ſe, iuxta illud Pauli 1. Cor. 3. 18. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe; ſtultus fiat vt ſit ſapiens.* Quin & Plutarch. *Quo magis profeceris in philoſophia, eo minùs turgebis faſtu.*

TIME DEVM, ET RECEDE A MALO] Pertinent hæc verba Primò, ad *τὸ habe fiduciã in Domino*, quod præceſſit v. 5. Spei enim ſubnectendus eſt timor, ait Beda, vt, quantum ſpes animum eleuat, tantum timor deprimat, itaque anima conſiſtat in recto virtutis æquilibrio inſtar molæ, in qua lapis molaris ſuperior inferiori incumbat, ab eoque fulcitur; lapis enim ſuperior repræſentat ſpem, inferior timorem. Secundò, hæc verba pertinent ad id, quod proximè anteceſſit: *Ne ſis ſapiens apud temetipſum*; quia ſuperbiam, & arrogantem ſapientiæ præſumptionem nihil ita coërcet & deprimit ac timor Dei, qui ſuperbos humiliat, & humiles exaltat. Vnde Apoſtolus Rom. 11. 20. *Noli altum ſapere, ſed time.* Et Eccl. c. 25. 14. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Vide ibi dicta.

Vers. 8. SANITAS QVIPPE ERAT VMBILICO TVO (Syrus, *carni tuæ*) ET IRRIGATIO OSSIVM TVORVM] *Irrigatio*, id eſt medulla, ait R. Salomon, iuxta illud Iob 21. 24. *Medullis oſſa illius irrigantur.* Septuag. *& erit ſanitas corpori tuo, & curatio oſſibus tuis.* Pro *irrigatio* Syrus & Symmach. vertit. πιότης, id eſt *pinguedo*, putà medulla; Theod. καταβρεχὴ, id eſt *perfuſio*; Aquila, ποτισμὸς, id eſt *irrigatio* vel *potio*; & hoc propriè ſignificat Hebr. שקוי *ſiccui*: Septuag. ἐπιμέλεια, id eſt curatio, item *corporis cura & exercitatio*, v. g. quia athletæ corpus ad robur & luctam exercebant. Vnde ex τοῦ ἐπιμέλεια naſcitur ἐμμέλεια, id eſt concinnitas. Hinc aptè, inquit S. Greg. Nazian. orat. 20. mater S. Baſilij vocata fuit Emmelia, quia moribus ita erat compoſita, vt ipſa cõcinnitas videretur, eamque filio S. Baſilio cum lacte indidit. Senſus ergo eſt. q. d. Totum corpus tuum ſanum erit. Corporis enim ſanitas maximè pendet ex ſanitate tum teneriorum partium oſſe carentium, ſcilicet vitalium, putà cordis, hepatis, ſplenis, viſcerum, quæ ſunt iuxta vmbilicum, & ipſius vmbilici; tum duriorũ, putà oſſium, quæ ſunt quaſi baſes & columnæ noſtræ domus & microcoſmi. Oſſium autem ſanitas medullæ pinguetudine irrigatur, fouetur, alitur & roboratur: vnde eâ deficiente oſſa areſcunt, ex quo ſequitur tabes & corruptio hominis. Quocirca Galenus oſſa vocat fundamenta corporis, eaque in homine numerat pluſquam trecenta: oſſium verò nutrimentum proprium aſſerit eſſe medullam: hinc omnia animalia habere oſſa concaua pro medulla continenda excepto leone, qui oſſa habet ſolida, ita vt nullam vel exiguam habeant medullam. Inter oſſa aſſerit eminere ſpinam dorſi; medullæ autem ſpinalis, æquè ac neruorum principium eſſe cerebrum: ex medulla enim ſpinali oriri triginta paria neruorum, indeque vires in inferioribus partibus. Vmbilicus verò ſuperiora membra cum inferioribus connectit. Rurſum fœtus in vtero matris per vmbilicum nutrimentũ attrahit & ſugit, eoque alitur. Vnde de vmbilico hæc ſunt Galeni pronuntiata: *Vmbilicus ad amuſſim eſt in medio hominis. Vmbilicus fœtus vmbilico matris continuatur. In vmbilico fœtus ligatur, & per eumdem nutritur. Ad vmbilicum eſt quatuor vaſorum coniugium: ad vmbilicum enim iungũtur duæ venæ & duæ arteriæ primariæ. Per vmbilicum fœtus in vtero reddit lotium.* Hiſce de cauſis vmbilicus ſymbolum eſt totius corporis, illudque repræſentat, cuius baſes & columnæ ſunt oſſa. Ad literam ergo grammaticè ſignificatur, totum corpus totumque hominem fore ſanum, vegetum & robuſtum; ſed per hoc ſymbolicè repræſentatur, totam animam, omneſque eius partes fore ſanas, vegetas & validas. Eſt enim parœmia, in qua timor Domini comparatur ſanitati vmbilici & medullæ oſſium.

Vmbilici vſus.

Senſus ergo eſt q. d. Sicut ſi ſanus ſit vmbilicus, & ſana medulla oſſium, totum corpus ſanum & forte erit cum omnibus ſuis membris: ſic pariter, ſi in te ſit ſanus & integer timor Dei, efficiet vt tota anima tua ſana & valida ſit, omneſque eius partes, tam nobiles quàm ignobiles, tam debiles

F 2 quàm

quàm fortes, ac præſertim appetitum tuum, qui eſt quaſi vmbilicus animæ; & rationem, mentem & ſpiritum, quæ ſunt quaſi oſſa animæ eam ſuſtentantia, ſanabit, fouebit, roborabit, perficiet. Sicut enim per vmbilicum fœtus coniungitur matri, ab eaque ſugit alimentum; ſic pariter anima per timorem Dei coniungitur Deo, ab eoque omnem gratiam, ſanitatem & robur ſugit & haurit. Ita R. Leui & Ianſen. Vnde illud de Behemoth Iob 40. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.* Et irrigatione oſſium per medullarum pinguedinem ſignificatur in Iob bona hominis valetudo: *Viſcera,* inquit, *eius plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur.* (*Iob 21.*) Contra per ariditatẽ oſſium mala valetudo deſignatur apud eumdem: *Cutis,* inquit, *mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate.* (*Iob 30.*) Et Pſalmiſta: *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* (*Pſal. 101.*) Eſt enim medulla oſſium fomẽtum & firmamentum. Metaphoricè ergo hac ſententia ſignificatur eum, qui prædicta fecerit, bona fore conſtitutione, potiſſimum ſecundum animam & mentem, omneſque eius animæ vires firmas fore & ſanas, vt quæ Dei gratia & ſanabuntur & firmabuntur, ac adipe & pinguedine cæleſtium chariſmatum irrigatæ recreabuntur, iuxta illud: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* (*Pſal. 62.*) Quidam nõ malè ſic explicant: Per timorem Dei eſt vmbilico ſanitas, quia per illum refrænantur prauæ cupiditates & libido, quæ in vmbilico & circa illum viget; & eſt irrigatio oſſium, quia per illum omnia corporis membra, omneſque animæ vires redduntur aptæ & agiles ad virtutum opera. Similis tropus, quod attinet ad irrigationem oſſium, eſt Eccleſiaſtici 26. *Gratia mulieris ſedula delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit.* Et Prouerbiorum 15. *Fama bona impinguat oſſa.* Ita Ianſen. & Hugo. Vmbilicus enim, ſiue lumbi, ſicut origo ſunt ſeminis, ita concupiſcentiæ ſunt ſymbolum, ait Pierius hierogl. 34. c. 34. Vide illud Ezech. 16. 4. *Non eſt præciſus vmbilicus tuus.* Vide ibi dicta. Quare appoſitè per *vmbilicum* intelligas vim animæ concupiſcibilem, per *oſſa* iraſcibilem, in qua eſt fortitudo, quam repræſentant oſſa: vtramque enim ſanat, vegetat & dirigit timor Dei.

Vmbilicus eſt conſcientia. Secundò, ſpeciatim per vmbilicum accipi poteſt ſtomachus: hic enim vmbilico adiacet, vel ſubiacet; ac per ſtomachum conſcientia. Sano enim ſtomacho bona fit cibi concoctio, qua ritè alitur & roboratur totũ corpus. Sic pariter, ſi per timorem Dei ſana ſit cõſcientia, ipſa verbum Dei, quod eſt cibus animæ, ruminando concoquet, vt in illo alat omnes ſuas vires & potentias. Rurſum ſicut catapotijs, ſiue pilulis acribus & mordacibus, expurgãtur è ſtomacho & viſceribus pituitoſi, bilioſi ceteriq; noxij humores, quibus expulſis corpus ſanum conſiſtit: ſic pariter per timorem gehennæ & vindictæ Dei, qui acer eſt & mordax, expelluntur è conſcientia omnes noxiæ cupiditates, quibus eiectis anima reſtat ſana & integra. Quocirca cuique orandum eſt cum Pſalte: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Hoc eſt quod ait Theod. lib. 1. de Curandis Græcorum affect. *Timor Dei medicamentum eſt optimum, quod ex malis conficitur, ſicut in theriacis accidit,* theriaca enim conficitur ex veneno, putà ex vipera. Nam, vt ait Iſaias cap. 26. 18. iuxta Septuag. *Per timorem tuum Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.*

Vmbilicus eſt mediocritas. Tertiò, vmbilicus ſignificat medium, eò quòd vmbilicus ſit medium in homine. Vnde vmbilicus dictus eſt ab vmbone, quæ eſt media pars clypei. vmbilicus enim eſt ligamentum inteſtinorum, quod mediam fere planitiem ventris obtinet; ad hoc factum, vt per eum fœtus in vtero matris nutriatur. Hinc Reate vocatur vmbilicus, id eſt medium, Italiæ. Et Cicero Act. 6. in Verrem: *Et raptã,* ait, *eſſe Liberam, quam eamdem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore, qui locus, quòd in media inſula eſt ſitus vmbilicus Siciliæ nuncupatur.* Et Liuius libr. 5. Ætoliam vocat vmbilicum Græciæ. Vmbilicus ergo ſignificat mediocritatem in actionibus omnibus ſeruandam, ac medium, in quo conſiſtit virtus, à quo ſi declines ad extrema, incides in vitium. Senſus ergo eſt. q. d. Si timeas Deum, & recedas à malo, putà à vitio, erit ſanitas vmbilico tuo, id eſt, erit ſana & omnibus numeris abſoluta actio virtuſque tua, quæ fugiens extrema vitiorum in vmbilico, id eſt in medio, conſiſtit.

& vis generandi. Quartò, vmbilicus ob vicinos lumbos, ventrem & genitalia, repræſentat *ſanitatem ſpiritualiter generandi,* inquit Hugo, *per verbi prædicationem, qua pollent doctores; quam ſanam futuram eſſe dicit, quia ſana erit eorum doctrina atque zelus ardens.* Vnde de ſponſa dicitur Cant. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis: id eſt alij, quibus alget ſtomachus & venter, opus habent vini potione vt calorem afferat; non ſic tibi, cuius in corde tantopere exardet & æſtuat charitas & zelus.*

Porrò aptè vmbilicum componit & comparat oſſibus; quia ſicut reliquum corpus oſſibus & neruis compingitur, ita venter vmbilico quaſi nodo & catena colligatur. Vnde ruptura illius letalis eſt. Hinc & hebr. vocatur שׁוֹרֵר *ſchorar,* id eſt nodus concatenatus.

Myſticè. Myſticè Primò, Lyran. Sanitas vmbilici, inquit, eſt bona animi diſpoſitio, putà moderatio in proſperis: medulla oſſium, eſt robur & conſtantia in aduerſis. Secundò, Beda: *Infirmitas,* ait, *operum adumbrata vmbilico, ad ſtatum perfectionis per timorem Dei conualeſcit. Per eumdem irrigantur oſſa, id eſt animi vires & robur recreantur & firmantur,* ad ſuperãdos omnes labores, tentationes & difficultates ſine laſſitudine: laſſis enim & nimio labore fractis medulla oſſium minui, & ſenſim conſumi ſolet. Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 20. S. Baſilium comparat Achilli quem fingunt Poëtæ educatũ à Chrone centauro ab eoq; enutritum medullis leonum & ceruorum. Longè enim meliùs ſanctiuſque educatus fuit S. Baſilius à timore Dei quaſi pędagogo, ab eoque & ſanctam audaciam leonum, & pium pauorem ceruorum hauſit & ſuxit. Ita Nicetas ibidẽ, & ex eo noſter Salazar. Tertiò, auctor Catenæ Græcorũ. Animę oſſa, inquit, ſunt robuſtiores firmioreſque illius vires, quæ ſingulæ, vt ſuo munere probè fungãtur, ſingulari cura & diligentia egent. Ad memoriam pertinet illud: *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Ad mentem & contemplatiuam animæ partem illud: *Conſideraui opera tua Domine, & obſtupui.* Ad appetentem verò eiuſdem portionem illud: *Coram te Domine omne deſiderium meum.* Ad ratiocinantem tandem illud: *Conſideraui dies antiquos,* & quæ ſequuntur. Porrò autem per corpus, vniuerſam omnium animæ facultatum congeriem accipere licet: *Omnia oſſa mea* (inquit Propheta) *dicent, Domine, Domine quis ſimilis tibi?* Cura proinde & ſtudium virtutum, integram ſanamque vitæ tuæ [illegible] conuer-

conuerſationem conſeruabit; gratia autem & benignitas Dei corpori tuo ſanitatem impertiet. Anagogicè, corpora noſtra in præſenti vita ſunt infirma & vlceroſa: nam & caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus viciſſim pugnat aduerſus carnem, at cùm illud quod in corruptione ſatum fuerat, ex terræ puluere ſemel ſurrexerit, integrè mox ſanitati reſtituetur. Curatio autem perfecta tum demum humanis oſſibus continget, quando os coibit ad os, & articulus ad articulum, & compago ad compagem. Tunc enim, iuxta Prophetæ prædictionem, oſſa noſtra florebunt ſicut herbæ campi. Aliter: Tunc, inquit, corpus tuum perfectæ iuſtitiæ actionem ſortietur, florente nimirum iam tum illo, lætoque virtutum colore & venuſtate admirabiliter ſplendente. Et cogitationibus tuis, quæ oſſium more animam intus cõſtringunt, plena à Deo curatio obueniet. Hæc ille.

Vers. 9. HONORA (Chald. *glorifica* DOMINVM DE TVA SVBSTANTIA, ET DE PRIMITIIS OMNIVM FRVGVM (Syrus, *fructuum*) TVARVM DA EI] ita Roman. & Hebr. Verùm Beda, Lyran. & alij legunt, *de pauperibus*; Septuag. *honora Dominum de iuſtis tuis laboribus* (Chald. *de tuo mammona*; Syrus, *de tua poſſeſſione*; Vatabl. *de tuis opibus*; Pagnin. *diuitijs tuis*) *& primitias da ei de tuis fructibus iuſtitiæ*; Aquila, Symmach. & Theodot. *de germine tuo*; Hebr. *de prouentu tuo*; S. Auguſt. ſerm. 1. de decimis, *deliba ei de tuis laboribus.*

Primò, Beda, Lyran. Hugo, Dionyſ. hæc accipiunt de eleëmoſyna. q.d. Da eleëmoſynam, non tam vt ſubuenias pauperi, quàm vt Deum per eam honores, ſcilicet faciendo eam pura intentione placendi vni Deo, eumque honorandi: ideoque fac eam animo hilari, largo & liberali, ac de primis & melioribus fructibus, vti præcepit Deus Num. 18. 19. *Da ei*, id eſt, da pauperibus propter amorem & honorem Dei: honor enim diuinæ maieſtatis exigit, vt meliora & maiora ei dentur, non ex rapinâ, ſed ex bonis iuſto labore partis, idque animo læto & liberali. Deniq; Dei honor eſt, quod diuites, quos ipſe ſui vicarios conſtituit, prouideant pauperibus: Dei enim eſt omnibus prouidere de neceſſarijs: ſed partem ſuæ prouidentiæ tranſſcripſit in diuites, ideoque illis diuitias dedit, vt ipſi per eas vice verſa ſuccurrant pauperibus. Quare cùm id diuites præſtant, conſulunt honori diuinæ prouidentiæ, faciuntq; vt pauperes eam agnoſcant & glorificent. Hoc eſt quod ait Apoſtolus: *Miniſterium huius officij* (eleemoſynæ) *non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem miniſterij huius glorificantes Deum*, &c. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius*, 2. Corinth. 9. 12. Ita hunc locum explicat S. Auguſt. (ſi tamen is eſt auctor) lib. de Vita Chriſtiana c. 12. *Melius eſt*, ait, *te non facere eleëmoſynam, quàm vnde paucos tegis, inde plurimos denudare. Illam eleëmoſynam Deus comprobat, quæ de iuſtis laboribus miniſtratur, ſicut ſcriptum eſt: Honora Deũ de tuis iuſtis laboribus, & deliba ei de tuæ iuſtitiæ fructibus. Nam illam eleëmoſynam abominatur & reprobat, quæ de lacrymis præſtatur alienis.*

Secundò, alij hæc accipiunt de oblationibus, victimis, decimis & primitijs iuxta legem Deo offerendis: dum enim hæc offerebant Iudæi Deo, hoc ipſo proteſtabantur ſe hæc à Deo accepiſſe, idcoq; illi accepta referre. Vnde primitias dabant quaſi primos & meliores fructus, decimas quaſi

A frugum complementum: vt teſtarentur, tam prima quàm media & vltima, adeoque omnia, ſe à Deo accepiſſe. Primitiæ, inquit Vatabl. ſignificant inchoationem à Deo, decimę verò perfectionem: Deus enim dat incrementum & perficit. Hac ergo proteſtatione honorabant & glorificabant Deum. Ita S. Hieron. in c. 45. Ezech. Cyrill. l. 2. in Ioannem c. 92. S. Greg. l. 7. Regiſtri epiſt. 111. *Quidquid*, inquit, *in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat. Hinc ſcriptum eſt: Honora Dominum de tuis iuſtis laboribus.* Sic & Caietan. Baynus, Ianſen. R. Salomon, R. Leui & alij.

Hic ſenſus hoc loco magis proprius & genuinus eſt: tum quia per vota, ſacrificia, decimas & primitias propriè honoratur Deus. Illorum enim oblatio eſt actus religionis; cuius actus elicitus eſt

B Deo debitum honorem & cultum tribuere: eleëmoſyna verò eſt actus elicitus à miſericordia, qui ſubinde dumtaxat imperatur à charitate, vel religione. Tum quia hæc omnia propriè ſpectant, Deum, docentq; actus, quibus eum colere debeamus, nimirum ſperando, reuerendo, honorando illum per oblationes lege præſcriptas.

Allegor. Allegor. S. Cyrill. l. 2. in Ioan. c. 92. Chriſtiani, inquit, in lege noua offerunt Deo fructus iuſtitiæ, cùm non corruptibili & exteriori materia, ſicut Iudæi, ſed vt veri adoratores adorant Deũ in ſpiritu & veritate, vti ſanxit Chriſtus Ioan. 4. 23. Sic & auctor Catenæ Græcorum, qui & addit: Allegoricè autem is Deo primitias offert, qui omnẽ rectè factorum cauſam & laudem illi, tamquã primario auctori humiliter ſubmiſſoque animo tribuit: ſibi verò ex omnibus nihil quidquam pro-

C prium adſcribit, aut qui ex quouis ſtudioſæ actionis genere aliquid illi tamquam primogenitum offert. Exempli cauſa, manè dũ à ſomno exurgit, primitiarum loco defert illi orationem & gratiarum actionem; ex verbis autem tamquam primitiuam offert illi pſalmodiam: idemque in reliquis omnibus operibus & actionibus, ex quibus iuſta oblatio fieri poteſt, obſeruare curat. Tum ſi omnem curam & cogitationẽ à primo exortu vſque ad ſeram noctem ab omni vitio puram incontaminatamque retinere ſtudet, omneque voluntatis ſuæ momentum Deo aſſignat. In ſumma, iubemur hîc omnes bonorum operum fructus Deo fideliter offerre. Per horrea autem & torcularia ſenſilis appetitus vires inſinuat: per frumẽtum verò mo-

D rumq; præcepta diuinæque ſapientiæ decreta, nec non reconditos ſacrarum Scripturarum ſenſus: per cellas tandem facultates animæ, quæ rationi obſtinatè repugnant: has enim omnes ijs rebus impleri oportet, quas quiſq; ex myſtica ſua meſſe aut ſpiritali vindemia collegerit. Hæc ille.

ET IMPLEBVNTVR HORREA (Aquila, *apotheca*) TVA SATVRITATE, ET VINO TORCVLARIA TVA REDVNDABVNT] Syrus, *vinum ſcaturient.* q.d. Si honores Deum dando eleëmoſynam pauperibus, vel potiùs dando oblationes, decimas & primitias lege præſcriptas Deo; Deus viciſſim dabit tibi copioſam meſſem frumenti, & vuarum vindemiam, ex quibus multa vini dolia exprimas ea copia, vt vinum redundet & ſuperfluat. Per *ſaturitatem* enim intelligitur abundantia frumenti & frugum, quæ heros cum familijs affatim exſaturent. Eſt metalepſis vel metonymia: ponitur enim effectus pro cauſa, putà ſaturitas pro fru-

frumento. Vnde Septuag. vertunt, *vt impleantur cellaria tua ſaturitate frumenti, vino autem torcularia tua redundent*, vel *ſuperfluant*; Vatabl. & Pagnin. *vino torcularia tua ſe rumpent*. Hoc enim propriè ſignificat Hebr. יִפְרֹצוּ *iprotſu*. q. d. Tanta erit vini copia, vt torcularia ipſa diſrumpantur, ait Aben Ezra S. Hieron. in c. 45. Ezech. legit, *implebuntur horrea tua frumento*, S. Auguſt. ſerm. 1. de decimis, *replebuntur areæ frumento*. Additque: *Et non erunt in eis neque morbi, neque caſus* q. d. Erunt fruges tuę vti multæ; ita ſanæ & integræ, ſine vitio, vel infortunio vllo. S. Iſidorus legit, *implebuntur horrea tua vbertate*, quæ vox ducta eſt ab vberibus lactę fœcundis. Sicut enim hæc quo plus lactis emanant, eo plus noui admittunt & recipiunt: ſic opes quo magis in eleēmoſynas & oblationes Dei erogantur, eo magis affluunt. Vnde Clemens Alexand. l. 3. Pædag. c. 1. *Largitio*, ait, *bonus eſt ſinus benignitatis, & potum ſitientibus cōmunicans rurſus augetur & repletur; ſicut ad vbera, quæ ſuguntur vel mulgentur, ſolet lac copioſius accedere.*

Eleēmoſyna ditat, ... — B

Ratio eſt prima, quia idipſum hoc loco & alijs, quaſi congruam pietatis mercedem & præmium Deus promiſit. Vnde Eccl. c. 35. 11. *Sanctifica*, ait, *decimas tuas, da Altiſſimo ſecundùm datum eius*, &c. *quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi*. Vide ibi dicta.

Cauſa Prima.

Secunda. Secunda, quia qui opes erogant in opera pia, hi rectè eis vtuntur: quare merentur earum eſſe diſpenſatores & domini. Quocirca illis eas credit & committit Deus, æquè ac homines prudētes & pij, qui ſua optimè erogare & vtiliſſimè collocare cupiunt. Vnde Hebræi elegāti ſed vera paronomaſia dicunt, *eſar, aſtar*, id eſt *decima ditat*: nimirum ſi des decimas Deo, ipſe te ditabit. Auaris verò qui opes recondunt; aut prodigis, qui eas inutiliter profundunt vel abliguriunt, tam Deus quàm homines opes negant, imò ſubtrahunt. Vnde S. Auguſt. hom. 1. de decimis: *Hæc*, inquit, *eſt Dei iuſta conſuetudo, vt ſi illi decimam non dederis, tu ad decimam reuerteris, ſcilicet nouem opum partibus detractis*. Ita Cain, qui auarè pecora dabat Deo, Deus viciſſim in os regerit: *Non dabit tibi terra fructus ſuos*, Geneſ. 4. — C

Tertia. Tertia, quia hoc poſcit natura frugum & opū, vt ſcilicet expendantur in id, ad quod a Deo creatæ ſunt, ſcilicet ad honorem Dei, & alimentum egentium: hic enim eſt finis, & quaſi beatitudo earum. Vnde χρήματα, id eſt pecuniæ, græcè dicuntur ἀπὸ τοῦ χρᾶσθαι, id eſt ab vtendo, quòd ſcilicet eis benè vti, ſanctèque eas expendere oporteat. Quare fruges ſi loqui poſſent, clamarent; vel, ſi alas haberent, vtique auolarent ad viros pios, qui illis piè vtuntur, eaſque in Dei honorem erogant. — D

Quarta. Quarta, quia id cōgruit Deo, nimirum Dei ſapientiæ, iuſtitię & ſanctitati, vt ſua dona ſapienter, iuſtè & ſanctè effundat in eos, qui eiſdem ſapienter, iuſtè & ſanctè ſunt vſuri ad Dei gloriam, & pauperum alimoniam. Vnde ipſe Malach. 3. *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc; ſi non aperuero cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam*. Quā de re ibidem plura dixi.

Myſticè. Myſticè, vir pius Deum ſanctis operibus colēs, omneique ſuas dotes mentis & corporis, quas à Deo accepit, ad eiuſdem honorem referens, ad eiuſq; laudem & gloriam expendens, implet horrea mentis ſuæ ſapientia, gratia & virtute. Ita R. Leui. Quare in eo impletur ſpiritaliter, quod corporaliter præſtitum eſt Iudæis ſub Ezechia, quorum hæc eſt vox 2. Paral. 31. 10. *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima, eò quòd benedixerit Dominus populo ſuo.* Audi S. Cyrillum l. 16. in Leuit. Iuſtus manducans replet animam ſuam non cibo corporali: hic enim iuſtis ſæpè defuit & deeſt; ſed cibo cæleſti, qui eſt verbum Dei & ſapientia eius quo ſemper paſcuntur iuſti.

DISCIPLINAM DOMINI, FILI MI, NE ABIICIAS: NEC DEFICIAS (Aquila, *ne reprobes*; Chald. *ne execreris*; Theod. *ne reprehendas, neque faſtidias*; Chald. *ne nauſeas*; Syrus, *ne tædio afficiaris*) CVM AB EO CORRIPERIS] Septuag. *fili ne paruipendas diſciplinam Domini, neque fatigeris* (græcè μὴ ἐκλύου, id eſt ne diſſoluaris, ne enerueris, ne cadas animo) *ab eo correptus*; S. Hieron in c. 20. Ezech. legit, *fili ne contriſteris ad diſciplinam, neque deficias quando ab eo argueris*. S. Cyprian. l. de Habitu virg. *fili ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus*; Pagninus, *correctionem Domini, fili mi, ne abiicias, & ne tædio afficiaris propter increpationem eius*; Tigurina, *caſtigationem Domini fili ne auerſeris, neque faſtidias*; Vatabl. *ne moleſtè feras ad increpationem eius*. Quocirca ait R. Salomon Iſacides: Si Deus ærumnis, quibus corrigaris, angi te velit, eas inprimis vt ſingulare Dei munus gratas habeto: ſicut enim pater, qui filio vnicè dilecto benefacere ſtudet, poſtquam illum flagello percuſſerit, mox eumdem blanditijs delinit, ita iucundiora tibi bona videbuntur poſtquam vapularis. Vers. 11.

QVEM ENIM DILIGIT DOMINVS, CORRIPIT (Septuag. *arguit*;) ET QVASI PATER IN FILIO COMPLACET SIBI] Hebr. *& tamquam pater filium volet*; vel, *& tamquam pater filium* (caſtigando) *delectatur*; Chald. *& ſicut pater qui corripit* (Syrus, *erudit*) *filium ſuum*; Vatabl. *quem enim Dominus amat, obiurgat* (Pagnin. *increpat*) *& tamquam pater filium* (corripit quem) *amat vnicè*; Septuag. verò alijs punctis legentes vertunt, *quem enim diligit Dominus, arguit: flagellat autem omnem filium, quem ſuſcipit.* Vers. 12.

Per *diſciplinam* ergo accipe correptionem Dei, tum eam, quæ fit per verba Dei vel vicariorum eius, putà rectorum, concionatorum, confeſſariorum, magiſtrorum, &c. tum eam quæ fit per flagella & tribulationes à Deo immiſſas vel permiſſas, ſiue ad culparū commiſſarum caſtigationem, ſiue ad committendarum præſeruationem, dū videlicet ad patientiæ & virtutis incrementū Deus innocentem & immeritum affligit, vti afflixit S. Iob. Error enim damnatus à Pontif. eſt hic: *Omnes iuſtorum tribulationes ſunt pœnæ peccatorum*. De verbali caſtigatione hunc locum explicat Chriſtus Apoc. 3. 19. dicens: *Ego quos amo, arguo & caſtigo*. De reali per verbera & flagella explicat S. Paulus ad Hebræos 12. 5. Vbi ex Septuag. ſic ait, *Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Septuag. enim, & ex ijs S. Paulus, alijs punctis in Hebræo legerunt כְּאֵב *kieb*, id eſt *affligit*, flagellat, cruciat, dolere facit; pro quo Noſter & alij legunt כְּאָב *keab*, id eſt, *ſicut pater*. Eſto noſter Ribera in Heb. 12. v. 5. cenſeat Septuag. legiſſe iiſdem penè punctis quibus Noſter, ſcilicet כָּאָב *kaab*: hoc enim Primò, ſignificat *ſicut pater*; Secundò, *flagellat*, legendo כָּאַב per *patach* ſub aleph (& fortè tempore Septuag. *cametz* charactere non differebat à *patach*) vt *cal* ponatur

pro *piel* vel *hiphil*, ſcilicet *kaab* pro *kieb* vel *hikiph*. A Rurſum Baynus ſubaudit τὸ *caſtigat*; vnde ijſdem punctis legens ſic vertit, *quem enim diliget Dominus, caſtigabit, & vt pater filium* (caſtigat) *cui bene vult.* Fuſe hunc locum tractat S. Paulus Hebr. 12.5. & ſequ. ac ego ibidem, quare hic plura non addam, vt ad vlteriora, quæ multa ſuperſunt, pergam.

Deus caſtigat ſuos quatuor de cauſis. Summa eſt, per *diſciplinam* ſignificatur hic tum morum caſtigatio, tum ſeuera educatio. Deus enim ſuos filios non educat blandè vt mater, ne eos faciat molles & ignauos, juxta illud:

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos;

Prima. ſed durè vt pater: idque Primò, vt puerilem lenitatem deponant, fiantque maturi & viri. *Secunda.* Secundò, vt vitia pueritiæ & naturæ innata reſecent. Cùm corriperis ergo *ne deficias*, id eſt, ne puſillanimis fias, ne ob id te abiicias, vt ſerui facere ſolent; ſed potiùs gloriare, & excellentem te reputa: tunc enim, vt pulchrè ait Nazianzenus de plaga grandinis: *Recepiſti monile ingenuorum.* Vnde rationem correptionis ſubit, dicens: *Et quaſi pater in filio complacet ſibi.* q. d. Quia Deus pro ſingulari amore filiorum in illis ſibi complacet, idcirco nequit in eis aliquid tolerare, quod ſibi diſpliceat: hinc illos caſtigat, vt illud tollat. Quare ſicut medicus vrens & ſecans non iraſcitur ægro, ſed ægritudini: ſic Deus caſtigans non iraſcitur filijs vitioſis, ſed ipſis vitijs, adeoque pro filijs pugnat contra vitia. S. Auguſt. in pſalm. 21. *Intellige*, ait, *homo medicum eſſe Deum, tribulationem eſſe medicamentum ad ſalutem; non pœnam ad damnationem.* Vnde Apoſtolus hanc Dei diſciplinam ait eſſe conſolationis, non deſolationis Hebr. 12.5.

Tertia. Tertiò, vt euadent duri & fortes tam corpore quàm animo, quaſi athletæ ad ſubeundos quoſuis labores & agones. Vnde Seneca l. de Prouidentia: *Deus*, inquit, *bonos vt ſeueri patres duriùs educat, vultque eos doloribus ac damnis colligere robur.* Et Gloſſa: *Tanto minùs*, ait, *de flagello, quo caſtigamur, murmurare debemus, quanto certius in eo pignus paternæ dilectionis tenemus.* Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c. 6. 21. *Quàm aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus, quaſi lapidis virtus probatio erit in illis.* Vide ibi dicta. Et Iſidorus Peluſiota: *Vir patiens*, inquit, *laborũ exploratio eſt, & quaſi lapis δοκιμῆς, id eſt probationis.* Sicut ergo lapide lydio probatur bonitas auri, ſic labore & dolore probatur bonitas patientiæ & patientis. Nam vt ait Nazianz. in carm. de virtut. & vitijs: *Patientia moleſtiarum eſt decoctio.* Sicut ergo bonus ſtomachus concoquit cibos quantumuis duros, ſic valida patientia decoquit aduerſitates quantumuis graues. Ex aduerſo ſicut imbecillis ſtomachus carnem ſalſam concoquere non poteſt, ſic infirma D & debilis patientia acria verba & verbera digerere nequit. Vnde S. Chryſoſt. homil. 2. ad Popul. *Quod*, inquit, *de voluptate dixi eam non in ciborum apparatu, ſed in comedentium affectu ſitam eſſe, idem de contumelia vel moleſtia dico, eam non à contumeliantiũ ſententia, ſed à patientium affectu conſiſtere vel deſtrui.* Hoc eſt quod ait ſapiens, *Contumeliæ dolorem non in ſe, ſed in ſenſu ſentientis ſentiri.*

Quarta. Deniq; Sanctos crucibus exercet Deus, vt mereantur gloriam æternam, ad quam eos deſtinat & præparat. Ita S. Aug. in pſalm. 93. *Duos filios*, inquit, *habet homo: alterum caſtigat, alterũ dimittit: facit vnus male, & non corripitur à patre; alter mox vt ſe mouerit, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur? niſi quia huic caſto hereditas ſeruatur; ille autem dimiſſus exheredatus eſt: videt eum non habere ſpem, & dimittit eum, vt faciat quod vult.* Plura hâc de re dixi Iacobi 1. 2. Apoc. 3. 19. Eccl. 2. v. 1. & ſeq. Dum ergo, ô athleta Chriſti, affligeris, vexaris, tribularis; cogita, non ab homine, ſed à Deo tibi hæc quaſi diſciplinam immitti, ideoque eo amore, quo Deus quaſi pater tibi ea immittit, eodem quaſi filius tanti patris ea ſuſcipe, ac brachijs voluntatis extenſis amplexare, dicendo: Hæc crux, hæc ærumna mihi à te, ô Pater, ab æterno deſtinata eſt: amplector eã ex toto corde, quia ſic placitum ante te. Et cum S. Andrea: *O crux amabilis diu deſiderata, concupiſcenti animo præparata. Gaudens ad te venio. Suſcipiat me per te, qui pro me pependit in te, & per te me redemit.*

Nota. Hic finit Salomon præcepta de cultu Dei, quæ numero ſunt quinque. Primum eſt de ſpe, quod aſſignauit v. 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Secundum de reuerentiâ v. 6. B *In omnibus vijs tuis cogita illum.* Tertium de timore v. 7. *Time Deum, & recede à malo.* Quartum de religione v. 9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Quintum de patientiâ v. 11. *Diſciplinam Domini ne abijcias.*

Moral. diſce hîc, quantum bonum ſit diſciplina & caſtigatio Dei. *Moral. de bono caſtigationis.* *Diſciplina*, inquit S. Auguſt. tract. de Bono diſciplinæ tomo 9. *magiſtra eſt religionis, magiſtra veræ pietatis, quæ nec ideo increpat vt lædat, nec ideo caſtigat vt noceat. Denique mores hominum iratus corrigit, inflammata cuſtodit, ita Salomone dicente: Fili ne deficias à diſciplina Domini, neque fatigeris cùm ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Nihil profectò eſt quod non diſciplina aut emendet, aut ſaluum faciat. Quam ſi quis ſapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit.* Idem de Viſitat. infirm. citato hoc loco: *Vis ſcire quia in-* C *firmitas corporis ſalutem animæ pariat, audi Dominum Apoſtolo reſpondentem: Virtus in infirmitate perficitur; ac ſi dicat: Complectere quam pateris infirmitatem, quoniam ita proficies de virtute in virtutem, ſi in infirmitate virtus augmentatur. Virtus autem eſt ſalus animæ, infirmitas corporis: quandoquidem per virtutem anima parit ſalutem, donum Dei eſt: non enim eſt aliunde niſi ex Deo ſalus animæ. Flagellum ergo Dei ne contemnas, ſed flagellatus dic, Deo gratias. Dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem. Non in furore, non in ira, ſed in miſericordia aperi pulſanti, deuotus eſto vocanti, gratias age miſeranti, redi ad te, cogita parumper, cogita de Deo penſa ſi potes, quoniam ſuper omnia opera ſua ipſius miſerationes. Ipſe Deus eſt, ipſe iudex eſt, nec te vult damnari, nec vult te male iudicari, vult tui miſereri, flagellat in te miſericorditer, quæ in eum deliquiſti pertinaciter.*

Hinc S. Auguſt. lib. 1. de ſer. Domini in monte (& habetur 23. quæſt. 4. cap. 51. *ea vindicta*) docet Superiores debere imitari Deum, vt quaſi patres caſtigent ſuos ex amore, nõ ex odio vel vindicta. Rurſum Deus, inquit S. Cyprian. libr. de Habitu virginum, corripit vt emendet per diſciplinam, ac conſequenter docet, ſingulos, etiam ſacerdotes, debere amare, non odiſſe diſciplinam, ac eos qui ſe de erratis admonent & corripiunt. *Diſciplina*, inquit, *cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ad nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo viuere, ad promiſſa cæleſtia & diuina præmia peruenire. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & auerſari ac negligere letale. Fili ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus,* &c. Cauſam ſubdit: *Conſiderantes quòd templa*

Dei ſint membra noſtra, ab omni fæce contagionis antiquæ lauacri vitalis ſanctificatione purgata: nec violari illa aut pollui fas eſt, quando qui violat & ipſe violatur. Eorum nos templorum cultores & antiſtites ſumus; ſeruiamus illi, cuius eſſe iam cœpimus.

TERTIA PARS CAPITIS.

De dignitate, vſu & pretio ſapientiæ.

Idem argumentum tractat Eccleſiaſticus cap. 1. cap. 15. cap. 39. Vide ibi dicta.

VERS. 13. BEATVS HOMO QVI INVENIT SAPIENTIAM, ET QVI AFFLVIT PRVDENTIA] Syrus, *qui inuenit prudentiam*; Chald. *qui profert* vel *eructat intelligentiam*; Septuag. *& mortalis* (S. Auguſt. contra Adimantum c. 19. legit *immortalis*) *qui vidit* (Scholiaſt. *qui tenuit*) *prudentiam*; Tigurina, *ô felicem hominem qui inuenit ſapientiam* (id eſt cognitionem Dei, quæ fit per diſciplinam & tribulationem, ait Vatabl. *& qui haurit* vel *eruit prudentiam*; Pagnin. *beatus homo qui inuenit ſapientiam, & homo qui eduxerit eam in lucem.* Hebr. eſt יָפִיק, *iaphic*, quod Aben Ezra exponit. q.d. Beatus homo, qui poſtquam ſapientiâ imbutus fuerit, eam in vulgus prodit. Et R. Salomon: *iaphic*, inquit, id eſt educit, q.d. Beatus eſt qui alios ſapientiâ imbuit, qui ſcilicet illam corde ſuo concluſam & latentem, ore ſuo depromit, & alijs communicat.

Beda, Aben Ezra, Dionyſ. Salazar & alij hæc nectunt præcedentibus, *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias*, vt cauſam ſubdat dicens: *Beatus homo qui inuenit ſapientiam.* q. d. Diſciplinam & caſtigationem Dei amplectere, imò beatum te æſtima, quia per eam peruenies ad veram ſapientiam & virtutem, in qua vera beatitudo conſiſtit, iuxta illud Iob 5. 17. *Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.* Dei ergo παθήματα ſunt μαθήματα, imò μακαρισμοί, nimirum paſſiones & cruces à Deo immiſſæ ſunt diſciplinæ & doctrinæ, imò beatitudines, atque vt ait S. Pacianus Epiſc. Barcin. in Paræneſi ad pœnitentiam: *Tribulatio eſt repertoriũ diuinorum, & inuentariũ cognitionis Dei.* In cruce enim inuenitur Deus, iuxta illud Pſaltis: *Cum ipſo ſum in tribulatione.*

Verùm generalis eſt hæc ſententia, nec arctanda ad ſolas cruces: redit enim de more Salomon ad laudes ſapientiæ. Plenus ergo ſenſus eſt. q. d. Beatus ille qui ſiue per orationem, ſiue per ſtudiũ, ſiue per tribulationem, ſiue quo alio modo inuenit & acquirit ſapientiam: beatior eſt, qui in ea ſenſim ita creſcit, vt tandem affluat & abundet ſapientia, ita vt & in alios eam eructet & effundat. Vnde S. Bernard. de Conuerſ. ad Clericos: *Si corde*, inquit, *habueris ſapientiam, ore affluet prudentia; ſed affluere, non effluere cura*, nimirum eſto concha, non canalis: concha enim priùs ſe ipſam implet aqua antequam quidquam emittat, canalis verò omnẽ emittit aquam quam recipit, nec quidquam in ſe retinet. Priùs ergo te imple ſapientia, deinde eam in alios effunde: inſipientes enim, qui ſtatim vt aliquid ſciunt, volunt eſſe doctores, totam ſapientiam effundunt, & nil eius in ſe retinent, vti idem ait ſerm. 18. in Cant. *Quamobrem ſi ſapis*, inquit, *concham te exhibebis, & non canalem*, &c. *Verùm canales multos habemus hodie in Eccleſia, conchas verò perpaucas.*

Huc facit illud S. Chryſoſt. orat. 4. contra Iudæos: *Sicut*, inquit, *in pecunijs, qui duos lucratus eſt aureos, procliuis eſt ad decem, & ad viginti colligendos & congregandos: ſic vſu venit in virtute, qui fecerit bonum opus, officiumue præſtiterit, exſtimulationem & exhortationem ſumit, vt quoquo modo benefacta cumulet.* Nam vt aiebat S. Dominicus Loricatus, rogatus quomodo ad tantam vitæ auſteritatem perueniſſet: *Sicut ſomnus ſomnum adeſcat, ſic vigiliæ vigilias pariunt, labor laborem, pœnitentia pœnitentiã allicit & inuitat*, vt ſi vnam feceris, ſecundam, tertiam, quartam, &c. facere geſtias, itaque in ea creſcas, adeò vt tandem nulla tibi dura vel difficilis videatur, vti videre eſt in priſcis illis Aſcetis & Anachoretis. Simili modo aiunt Hebræi: *Peccatum trahit peccatum, & præceptum trahit præceptum.* q. d. Sicut peccatum vnum allicit ad alterum, ita obſeruatio præcepti vnius allicit ad obſeruationem alterius, vt, ſi vnum impleas, cupias implere & alterum.

VERS. 14. MELIOR EST ACQVISITIO EIVS NEGOTIATIONE ARGENTI, ET AVRI PRIMI ET PVRISSIMI FRVCTVS EIVS] Ianſenius & alij legunt, *& auro puriſſimo fructus eius*; Complut. *& auro primo fructus eius*; Syrus, *auro purgato* vel *probatiſſimo pretioſiores fructus eius.* Sic ergo Noſtra verſio nectenda & exponenda eſt, vt τὸ *melior eſt negotiatione* repetatur in poſteriore membro, hoc modo: Melior eſt acquiſitio ſapientiæ negotiatione argenti, & fructus eius melior eſt negotiatione auri primi & puriſſimi. Hunc eſſe ſenſum patet ex Hebræo, qui ſic habet: *Quia melior eſt negotiatio eius negotiatione argenti, & auro melior eſt prouentus eius.* Ita Pagnin. & Chald. Septuag. *Melius eſt*, inquiunt, *illam mercari, quàm auri & argenti theſauros*; Tigurina, *quia potior eſt merx illius merce argenti, & prouentus eius auro puro puto.* q. d. Studium ſapientiæ longè antecellit ſtudium diuitiarum, ait Vatabl.

Mercatura virtutis præſtantiſſima.

Iá quia in negotiatione ſunt duo, ſcilicet merx, quæ emitur; & pretium, quo illa emitur; hinc duplex hîc dari poteſt ſenſus. Prior, q.d. Sapientia, eſt merx pretioſior omni auro & argento, ideoque præ omni auro comparanda. Poſterior. q.d. Melius eſt ſapientiâ quaſi pretio mercari & emere ſalutem, omneque bonum, quàm auro mercari & emere merces quaſlibet etiam pretioſiſſimas: prouentus ergo & fructus, quem profert paritque ſapientia, melior & præſtantior eſt quodlibet auro & prouentu auri. Ex quo inferendum relinquit, beatum eſſe eum qui inuenit & acquirit ſapientiã, hoc enim præceſſit, idque hic probat, ſcilicet beatum eſſe ſapientem, eò quòd ſapientiæ pretium ſit inæſtimabile. Igitur ſignificat duo: Primum, mercaturam optimam eſſe ſpiritalem, qua mercamur ſapientiam & virtutem: mercamur autem eam oratione, ſtudio, rerum terrenarum contemptu, exercitio, & aduerſitatum patientia, quare mercaturam hanc longè meliorem, id eſt digniorem æquè ac vtiliorem eſſe mercatura qua comparatur aurum & argentum; quia ijs longè præſtat, longeque dignior & fructuoſior eſt ſapientia, quo tacitè innuit præ ſapientia cætera omnia parui vel nullius eſſe momenti. Secundum, longè meliùs nos per ſapientiã mercari & comparare Dei gratiam & gloriam, quàm mercatores per aurum & argentum mercentur & emant merces corporales

etiam

etiam præſtantiſſimas; quare huic vni ſapientiæ mercaturæ nobis eſſe incumbendum præ omni mercatura auri & argenti, tum vt eam comparemus, tum vt per eam acquiramus felicitatem æternam. Ipſa ergo pretiotior eſt omni pretio & re pretioſa, ait Euſtachius in Catena Græcor. Igitur ſicut mercatores laborant aſſiduè, vt accumulent aurum, ſic ſapiens laboret noctes & dies, vt augeat & accumulet ſapientiam & virtutem, putà opera bona & merita, quibus immenſos gloriæ theſauros ſibi in cælis comparet. Addit R. Salomon meliorem eſſe negotiationem ſapientiæ, quàm ſit auri & mercium; quia in hac, qui illas vendit, eaſdem perdit & emptori reſignat: in ſapientiâ verò, qui eam alijs communicat, eamdem ſibi reſeruat, immò adauget perinde ac qui lumine candelæ ſuæ candelam alterius accendit, lumen ſuum non perdit, ſed auget & multiplicat. Huc facit prouerbium Arabicum alibi à me citatum: *Acquire tibi aurum cum menſura, & ſcientiam ſine menſura.* q. d. Opibus quantum vitæ ſat eſt, at ſapientiæ & virtuti infinitum ſtude.

Verſ. 15. PRETIOSIOR EST CVNCTIS OPIBVS: ET OMNIA, QVÆ DESIDERANTVR, HVIC NON VALENT COMPARARI] Pagnin. & Vatabl. *gemmis hæc eſt pretioſior, & omnia quæ expetere potes, ei æquari* vel *æquiparari non poſſunt.* Pro *opibus* heb. eſt פְּנִינִים *peninim*: quod Caiet. Pagnin. Tigurina, & alij vertunt, *margaritis*; Noſter c. 20. 15. vertit, *gemmis*; Syrus, *lapidibus pretioſis, & nihil eſt quod comparetur ei*; aliqui, *adamantibus*. Vnde Septuag. quos ſequitur S. Aug. contra Adimantum c. 19. paraphraſticè nonnulla addentes ſic vertunt, *nónne reſiſtet illi vllum malum? bene nota eſt omnibus appropinquantibus ei: omne autem pretioſum non eſt illa dignum.* Significat ſapientiam adeò eſſe pretioſam, vt dignitate & pretio ſuperet omnes res pretioſiſſimas, vti gemmas, adamantes, margaritas; quæ olim, cùm magna earum erat raritas itinere in Indias nondum patefacto, ſummi erant pretij. *Principium culmenq́; omnium rerum pretij margaritæ tenent*, ait Plinius l. 9. c. 35. Huc alludens Chriſtus, ait S. Chryſoſt. in Catenâ, ait Matth. 13: 45. *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuentâ autem vnâ pretioſâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Vide tredecim analogias inter margaritas & ſapientiam ſiue virtutem, præſertim heroicam & Apoſtolicam, quas recenſui Apocal. 21. 21. quare hic plura non addam.

Hic igitur verũ eſt illud Tertull. in Scorpiaco c. 4. *Si tanti vitreum quanti verum margaritum*: id eſt, ſi vitreæ & fucatæ opes & honores ita alliciunt animas mundanorum, vt pro eis labores omnes, dolores & vitam inſumant; quàm fideles excitare debent opes & gloria cæleſtes, quas parit ſapientia & virtus, vt pro eis vltrò capeſſant labores omnes, ac probra, tormenta & martyria quælibet forti & alacri animo ſuſtineant.

Secundò, ſignificat ſapientiam ſuperare omne deſiderabile, ideoque ſolam cordis noſtri deſiderium implere & exæquare; quia ſcilicet ipſa ſapientia creata eſt diuina, increata verò eſt ipſe Deus, qui ſolus replet immenſam animæ noſtræ capacitatem & ſitim; vt *plena ſit voluptas dum non ſtimulatur auiditas*, ait Ambroſiaſter in 1. Cor. 1. v. 12. Deus enim immenſum eſt bonum, quod animã ita implet, ſatiat & inebriat, vt nil vlteriùs deſiderare vel capere queat. Vnde Nazianz. in carm. de Beatitu.

Felix qui Chriſtum fortunis omnibus emit.
Felix qui pectus tradidit omne Deo.

Tertiò, docet ſapientiam & virtutem pretioſiorem eſſe cunctis gemmis & adamantibus, qui ferro, malleis & igni reſiſtunt, imò fiunt duriores, ſimili enim modo virtus ſolida ſuperat omnia aduerſa. Vnde Septuag. vertunt, *non reſiſtet illi vllum malum*: imò *creſcit aduerſis agitata virtus*, eſt ergo fortior adamante. Audi S. Chryſoſt. hom. 4. in Geneſ. *Adamantibus ſolidiores Dei gratia nos efficit, & ſi volumus, omninò inuictos. Itaque ſicut qui adamantem tundit, nihil illi nocet, ſed ſeipſum fatigat & robur ſuum imminuit: in hunc modum ſe habent res noſtræ cũ ſalutis noſtræ aduerſario, ſi armis, quæ nobis Spiritus ſancti gratia exhibet, nos muniamus.* Addit Plinius l. 37. c. 4. & ex eo S. Hieron. & Amos c. 7. *Adamas*, inquit, *venena irrita facit, lymphationes abigit, metuſq́; vanos expellit à mente, & ob id quidam eum Anachitem vocauere.* Idem multò magis facit ſapientia & virtus. Virtus ut adamas. Primò. Secundò.

Tertiò, S. Iſidorus (cui conſentit S. Auguſt. 22. Ciuit. c. 4) l. 16. Origin. c. 13. *Adamas*, inquit, *diſſidet cum magnete lapide in tantum, vt iuxtà poſitus ferrum non patiatur abſtrahi à magnete, aut ſi admotus magnes comprehenderit, rapiat atque auferat.* Ita Martyrum virtus minas, tormenta & terrores tyrannorũ non tantùm contempſit & irriſit, ſed & ambiuit, atque ad ſe attraxit. Audi S. Ambr. l. 7. epiſt. 53. quâ narrat S. Paulum ſibi apparuiſſe & reuelaſſe corpora, æquè ac martyrium SS. Geruaſij & Protaſij: *Aſtaſius*, inquit, *iuſſit B. Geruaſium* (eò quòd idola muta irriſiſſet) *tamdiu plumbatis tundi, quamdiu exhalaret ſpiritum. Quo remoto iuſſit ſibi adſtare Protaſium. Cui & dixit: Miſer vel tu viuere ſtude, & noli βιοθάνατος* (violenta morte) *interire ſicut & frater tuus Geruaſius. Cui B. Protaſius reſpondens ait: Quis eſt miſer, ego, qui te non timeo, an tu, qui me timere probaris? Aſtaſius dixit: Ego te miſer homo quomodo timeo? B. Protaſius dixit: In hoc probaris timere me & lædi, ſi non ſacrificauero dijs tuis* (Perſuaſerant enim idolorũ ſacerdotes Aſtaſio, illum in bello non habiturum victoriam, niſi cogeret Geruaſium & Protaſium ſacrificare dijs iratis.) *Si enim non timeres te lædi à me, ad ſacrificium idolorum non me compelleres. Ego autem te non timens contemno minas tuas, & omnia idola tua vt ſtercora reputans Deum ſolum, qui regnat in cælo, adoro, &c. Age ergo quod cœpiſti* (in me excruciãdo) *vt mihi poſſit occurrere cum meo fratre Geruaſio hodie benignitas Saluatoris noſtri. Tunc Aſtaſius iuſſit eum capite cædi.* Tertiò.

Plura de adamante ac virtute Chriſti & Martyrum, quam repræſentat, dixi Amos 7. 7. Idem per vmbram viderunt philoſophi. Vnde Stoicorum dogma erat: *nihil eſſe expetendum præter virtutem, nihil fugiendum præter vitium.* Antiſthenes apud Laërtium libr. 6. c. 1. aſſerit, *virtutem ſibi ſufficere ad felicitatem, nec vlla re opus habere niſi robore Socratico: Virtutem eſſe armaturam, quæ detrahi non poſſit. Enſis enim & clypeus excutiuntur: ſapiens autem ac virtute præditus numquam non armatus eſt, eoq́; vinci non poteſt.* Phocion: *Vnica virtus*, inquit, *potens eſt, reliqua cuncta nugæ.*

LONGITVDO DIERVM IN DEXTERA EIVS, ET IN SINISTRA ILLIVS DIVITIÆ ET GLORIA] Verſ. 16.
Septuag. *longitudo enim ætatis & anni vitæ in dextera eius*, &c. Arabicus, *quia in dextera eius longitudo ætatis, & in ſiniſtra eius diuitiæ, honor & nobilitas*, Tigur. *ad dexteram eius vitæ eſt diuturnitas*, &c. quod Vatabl. ſic explicat, q. d. *In poteſtate ſapientiæ eſt longa vita, opes & gloria.*

A Eſt proſopopœia. Sapientia enim hîc more poëtico & comico deſcribitur vt cæleſtis virgo. Imò regina, dexterâ & ſiniſtrâ præmia ſui ſtudioſis & aſſeclis oſtentans. Dextera autem in Script. eſt dignior & potior ſiniſtrâ, ſicut dextra manus in homine potior & fortior eſt ſiniſtrâ, dextræque partes animalis ſunt potiores ſiniſtris. Vnde motus animalium incipit à dextera; ideoque baiuli onera imponunt ſiniſtræ: *Cùm enim dextera mouere, ſiniſtra moueri apta ſit, ob eam rem onera non parti mouenti, ſed mobili imponi debent*, ait Ariſtot. l. de Greſſu animal. Hinc & dextera pugnant athletæ & milites, ideoq; dextera eſt ſymbolum defenſionis & tutelæ: eſto apud profanos an dextera, an ſiniſtra fuerit potior, dubitent nonnulli. Fuit enim variarum ætatum & gentium varius hâc in re mos & cõſuetudo. Vnde Cyrus apud Xenophontem li. 8. Pædiæ B conuiuas ſuos, quos honoratiore loco excipere volebat, ad ſiniſtram collocare ſolebat, eamque partem velut cordi viciniorem, digniorem dixit. Idem probat Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. c. 27. ex Euſebio lib. 1. de Vita Conſtantini, ideoq; S. Paulum aſſerit in priſcis imaginibus pingi ad dexteram S. Petri, non quaſi ipſo digniorem, ſed quaſi eius ſtipatorem & ſatellitem, vt ſcilicet gladio ſuo eum defendat: qui enim à dextris alicuius eſt, eius quaſi latero eſt & hyperaſpiſtes. Ita Nebriſſenſis in Quinquag. c. 39. Plura vide apud Bellarm. Baron. Lipſium, &c. Verùm apud Iudæos dextera potior & honoratior erat ſiniſtrâ. Nam in Script. boni & bona ponuntur ad dexteram, mali & mala ad ſiniſtram, vt patet in electis & reprobis Matt. 25. 33. Gaudet autem Salomon vſu C & comparatione dexteræ cum ſiniſtra, vt patet c. 4. 27. *Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt.* Et c. 27. 16. *Oleum dexteræ ſuæ vocabit.* Et Eccl. 10. 2. *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtro illius.* Et Cãt. 2. 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Igitur longitudinem dierum ponit in dextera ſapientiæ, quia in homine nil melius eſt vita vitæq; conſeruatione & continuatione. Vita enim eſt baſis & fundamentum opum, gloriæ, cęterorumque bonorum omnium. Hinc licet æternitas in rebus inanimis, vt cælis & elementis, ſit dumtaxat eſſentiæ æternitas; in animatis tamen, vt in angelis & hominibus, eſt vitæ perpetuitas & æuiternitas. Vnde Iſidor. Peluſ. l. 3. epiſt. 149. ἡ ἀιδιότης, inquit, οἷον ἀειζωότης, id eſt, æternitas eſt quaſi æuiternitas, vel æternæuitas, id eſt æternæ vitæ conti- D nuatio, indeque eam propriè ſoli Deo, vtpote qui ſolus ortus expers ab æterno vixerit, & in æternũ victurus ſit, congruere aſſeuerat.

Porrò Antonius Nebriſſenſis in Quinquagena c. 16. citato hoc Salomonis loco: Quamuis, inquit, per *longitudinem dierum* intelligatur interminabilis vitæ iucunda poſſeſſio; reſpicit tamẽ ad illud quòd qui pertingebat annum vitæ centeſimum, incipiebat in *dextra* manu computare, cùm in *ſiniſtra* ſuperiores numeraſſet: vt de Neſtore, qui apud Ouidium dixerat: *Vixi*

Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas;

Iuuenalis ait:

Felix nimirum qui per tot ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos iam dextera computat annos.

Et S. Hieron. l. 1. contra Iouin. *Centeſimus numerus*, inquit, *de ſiniſtra transfertur ad dexteram.* Modum computandi veterum per digitos dexteræ & ſiniſtræ explicat ibidem Nebriſſenſis. Huc facit quod ſcribit Plinius libr. 34. c. 7. *Ianus geminus à Numa rege dicatus, qui pacis belliq; argumento colitur, digitis ita figuratis, vt CCCLXV. dierum nota, per ſignificationem anni temporis & æui ſe deum indicaret.* Ianus enim eſt ſol, cuius annuum curſum totidem dies conficiũt. Accedit, quòd in dextera ſit religio. Vnde Plinius l. 11. c. 45. *Ineſt*, inquit, *& alijs partibus religio: ſicut dextera oſculis auerſa appetitur, in fide porrigitur.* Per dexteram enim datam fides datur ſanciturque: quocirca eâ porrectâ ſalus denotatur. Hinc cùm Marius in Romanos graſſaretur, quos ſaluos volebat, ſublata exporrectaque dextera denotabat, teſte Plutarcho & Appiano in eius Vita. Dextrum etiam dicitur quod chariſſimum, vt Gen. ſ. 35. 18. Beniamin dicitur filius dexterę, quia patri Iacobo B in delicijs. Denique fœtus maſculos in dextris gigni, feminas in ſiniſtris docet Plinius libr. 7. c. 4. Hippoc. Aphor. 5. c. 48. & Galenus lib. 14. de Vſu partium.

Symbola dextera & ſiniſtra.

Ad literam ergo oſtentat in dextera promittitque ſapientia ſuis diſcipulis longæuitatem: quia Deus Iudæis (quibus, vtpote popularibus ſibi coæuis, primò & proximè ſcribit hæc Salomon) per Moſen Leu. 26. & alibi promiſerat longam & felicem vitam in hoc ſæculo, ſi ſua, id eſt ſapientiæ, præcepta ſeruarent, ac deinde opes & gloriam, putà abundantiã vini, olei, frumenti, victoriam de hoſtibus, &c. Porrò per hæc temporalia bona promiſſa Iudæis, promittit ſimilia ſpiritalia Chriſtianis, ęquè ac Iudęis: qui non Iudaico & carnali ſenſu, ſed ſpiritali & Chriſtiano charitatis ſpiritu le- C gem implebant, quales erant Moſes & Prophetæ, alijq; Sancti veteris teſtamenti. Quocirca ſapientia hîc Chriſtianis promittit vitam longam, id eſt æternam, in qua noſtra beatitudo conſiſtit; ſimiliter gloriam & opes ſpiritales, quæ ſunt virtutes, gratia & dotes gloriæ cæleſtis. Sapientia ergo magis hęc dona à ſe promiſſa confert Chriſtianis, quàm Iudæis. Confert enim Chriſtianis vitam æternam, inquit Ianſenius, quæ hîc in ſpiritu incipit, & in futura perficitur vita. Confert & veras diuitias veramq; gloriam, quia animam replet multis gratiarum chariſmatibus, & filios Dei efficit, eoſq; reges ac ſacerdotes creat; & in futura vita omnis boni abundantiam & æternam gloriã pręſtat. Huc facit illud Catonis: *Magiſter artium eſt honor & gloria.* Honos enim alit artes.

Symbolicè, multi per longitudinem dierum D accipiunt æternam beatitudinem, per opes verò & gloriam temporalium bonorum copiam & felicitatem. q. d. Sapientia confert bona tam ſpiritalia & æterna, quàm corporalia & temporalia; ſed ſpiritalia in dextera, id eſt per ſe & primariò, temporalia vero in ſiniſtra, id eſt comitanter & acceſſoriè. Rectè enim iſta per dexteram, quia omnibus commoda & felicia ſunt; hęc verò per ſiniſtram, quia multis ſiniſtra & infelicia ſunt, vti fuere ipſimet Salomoni, adumbrãtur. Vnde R. Leui & Lyran. per dexteram & ſiniſtram accipiunt primariã & ſecundariam intentionem. q. d. Sapientia & Deus ſui cultoribus primariò promittit & confert bona ſpiritalia & æterna, ſecundariò verò quaſi mantiſſæ loco adijcit opes & gloriam, iuxta illud Chriſti: *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, Matt. 6. 33. Æterna enim ſunt fida & certa (dextera enim fidelitatis eſt ſymbolum, ait Rhodiginus libr. 4. Antiq. cap. 3.

Vnde

Vnde in pactis, quibus vnus alteri fidem ſuam obligat dexteram dexteræ illius commiſcet) temporalia verò infida, inſtabilia & mendacia, quia hominem ſæpè deſerunt. Sic & S. Gregor. in pſal. 5. Pœnitent. *Conſtat*, inquit, *qui per multiplicitatem dierum, perennis vita accipitur: per paucitatem verò curſus iſtius ſæculi deſignatur: ſcriptum quippe eſt, Longitudo dierum in dextera eius. Quid enim per dexteram, niſi perpetua vita deſignatur? Quia ergo Sanctorum requies nullo clauditur termino, rectè in dextera Dei dierum dicitur eſſe longitudo.* Idem 3. p. Paſtor. c. 27. citans illud Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Siniſtram Dei*, inquit, *proſperitatem videlicet vitæ præſentis, quaſi ſub capite poſuit, quam intentione ſummi amoris premit: dextera verò Dei eam amplectitur; quia ſub æterna eius beatitudine tota deuotione continetur. Hinc rurſum per Salomonem dicitur: Longitudo dierum in dextera eius, in ſiniſtra verò illius diuitiæ & gloria. Diuitiæ itaque & gloria qualiter ſint habendæ docuit, quæ poſita in ſiniſtra memorauit.* Sic & S. Ambr. in pſ. 118. octon. 14. ad illud: *Anima mea in manibus tuis ſemper*, citato hoc loco: *Bonis*, inquit, *manus vtraque dotata eſt dotibus. In eo tamen habent varietatem ſui muneris, quòd & præſentia & futura tempora comprehendunt, vt læua præſentium remuneratrix, dextera futurorum ſit.*

Siniſtra ſunt præſentia bona, dextera futura in cælo.

Præclariùs verò S. Auguſt. in pſal. 120. *Sponſa*, inquit, *dicit de ſponſo, de Chriſto Eccleſia in amplexu pietatis & caſtitatis. Quid ait? Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera eius complectetur me. Quid autem quia ſurſū erat dextera, deorſum ſiniſtra; & ſic complectebatur ſponſus ſponſam, ſupponens ſiniſtram ad conſolationem, imponens dexteram ad protectionem? ſiniſtra*, inquit, *eius ſub capite meo. Deus illam dat, ideo ſiniſtra eius, quia omnia iſta temporalia Deus dat.* Et paulò pòſt: *Ergo ſi eſt ſiniſtra, ſit ſiniſtra ſed ſub capite ſit. Supra illam ſit caput tuū, id eſt, ſupra illam ſit fides tua, vbi habitat Chriſtus. Noli temporalia præponere fidei tuæ, & non erit ſiniſtra ſuper caput tuum: ſed omnia temporalia ſubde fidei tuæ, & fidem tuam præpone omnibus temporalibus, & erit ſiniſtra ſub capite tuo, & rectè dextera eius complectetur te. Audi hoc ipſum exponi in Prouerbijs, quid eſt ſiniſtra ipſa, quid eſt dextra, cùm de ſapientia diceret: Longitudo*, inquit, *dierum & anni vitæ tuæ in dextera eius, in ſiniſtra autem eius diuitiæ & gloria. Longitudo illa dierum æternitas eſt. Hoc enim proprio modo dicit Scriptura longum, quod æternum eſt. Nam quidquid finem habet, breue eſt. Alio loco: Longitudine, inquit, dierum replebo eum.* Et mox: *Sed longæuum pro æternitate illa poſitū eſt. Longa vita eſt in dextera eius. At verò diuitiæ & gloria, id eſt, ſufficientia vitæ huius, ea quæ bona exiſtimantur ab hominibus, ſiniſtra eſt. Neſcio quis venit, & vult tibi percutere dexteram, id eſt, tollere tibi fidem tuam. Tu accepiſti alapam in dexteram, præbe ſiniſtram, id eſt, vt illud tollat, quod temporale eſt, & non ea quæ æterna habes. Audite Paulum Apoſtolum hoc facientem. Homines perſequebantur in eo quod Chriſtianus erat: percutitur illi dextera, ille ſiniſtram opponebat: ciuis Romanus ſum, ait, Dexteram contemnebant illi, & ille de ſiniſtra terrebat; quia illi dexteram eius timere non poterant; nondū enim Chriſto crediderant.*

Denique Alchymiſtæ ex eo, quòd hîc dicuntur eſſe opes in ſiniſtra ſapientiæ, colligunt ſapientiam inueniſſe alchymiam, id eſt artem ex ære alioue metallo vt lapidis philoſophici faciendi aurum vel argentum; adeoque huius artis auctorem fuiſſe Salomonem. Verùm hęc friuola ſunt & nugę. Vide Pinedam l. 4. de Rebus Salom. c. 21. n. 1. & ſeq.

A Meliùs Didymus in Catena Græcorum: *Per ſapientiæ dexteram*, inquit, *perfectorum hominum virtus & energia ſignificatur; per ſiniſtram bonorum huius vitæ affluentia. Per dexteram diuinarum rerum cognitio, ex qua immortalitatis vita oritur; per ſiniſtram humanarū rerum notitia, ex qua gloria & opum abundantia naſcitur.*

Aliter R. Salomon Iſacides. q.d. Qui dextrè in ſapientia verſantur, laboribuſque ritè funguntur, hi diuturnitatē vitæ, & comitanter opes gloriamq; obtinebunt. Qui verò ſiniſtro calle gradiuntur, cùm labores obeant, haud tamen ad eiuſdem nomen ac dignitatem pertingent, ab eâdem nihilominùs diuitias gloriamque reportabunt.

Porrò cauſæ cur ſapientia & virtus vitam prolonget, ſunt quinque. Prima, quia ſapientia ſapienter prouidet tam commoda quàm incommoda B ſanitati & vitæ: incommoda cauet, commoda accerſit.

Virtus prolongat vitam quintupliciter. Primò.

Secunda, quia ſapientia moderatur iræ & triſtitiæ, ceteriſque animi paſſionibus, quæ vires, ſpiritus & vitam conſumere ſolent; facitque hominem pacificum, lętum, hilarem, ideoq; longęuum: nam *animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa.*

Secundò.

Tertia, quia ſapientia docet prudentiam & tēperantiam in cibo & potu, quæ eſt mater ſanitatis & longęuitatis. Hinc legimus in Vitis Patr. S. Paulum, S. Antonium. S. Macarium, S. Romualdum, &c. vixiſſe, imò ſuperaſſe centeſimum annum. Sic etiamnum in monaſterijs videmus moniales, vtpote curis vacuas, ſobrias, contentas, hilares, viuere 90. vel centum annos.

Tertiò.

C Quarta, quia virtus non eſt aliud quàm honeſtas & rectitudo vitæ, quæ longitudinem vitæ meretur & efficit: iuſtum enim eſt, vt qui rectè vitam exigit, eam longam & longæuam ſortiatur.

Quartò.

Quinta, quia lex Dei eſt: *Honora patrem tuū & matrem, &c. vt longo viuas tempore*, Deuter. 5. v. 16. congruum enim præmium eſt, vt ei vita ſeruetur, qui vitæ cognoſcit & honorat auctorem: Deus autem & ſapientia eſt auctor & pater vitæ noſtræ. Quare ſi eam honoremus, eique obediamus, ipſa vitam, quam dedit, conſeruabit & prolongabit.

Quintò.

Porrò Septuag. hoc loco ſubnectunt aliam ſententiam, quæ nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec in Latino habetur, ſcilicet hanc: *Ex ore eius procedit iuſtitia, legem autem & miſericordiam in lingua portat.* In quæ verba Olympiodorus in Catena Græcor. *Antè*, inquit, *annorum vitæ, dexteræ itidem & ſiniſtræ* D *ſapientiæ meminerat Sapiens; hîc verò eiuſdē linguæ & oris mentionem facit, adeoq; totius corporis effigiem, totāq; illius compagem & ſymmetriam deſcribit, & per quamdam proſopopœiam ob oculos nobis ponit.*

Senſus ergo eſt. q.d. Sapientia ore promit, docet & iubet ea, quæ iuſta & ſancta ſunt, nimirum quæ legi Dei æternæ, ac miſericordiæ & pietati ſunt conformia. Ita S. Aug. l. Contra aduerſ. legis & Prophet. c. 11. *Qui* (Deus) inquit, *nos æquo animo iniurias ſuſtinere & donare præcepit*, &c. *Et hoc video, quia de ſapientia Dei dictum eſt, quod legem & miſericordiam in lingua portes. Nec per miſericordiam debita debitoribus noſtris ſcienter dimitteremus, niſi per legem ipſa debita diſcerneremus.*

Secundò, idem S. Auguſt. lib. de Gratia & lib. arbit. c. 18. to. 7. *Cùm dicitur*, inquit, *Diligamus inuicem lex eſt cùm dicitur. Quia dilectio ex Deo eſt, gratia eſt. Sapientia quippe Dei legem & miſericordiam in lin-*

gua portat. Vnde ſcriptum eſt in pſal. 83. Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit. q.d. Sapientia ore edicit ſancitque legem, ſed eodem ore promittit miſericordiam, id eſt gratiam, qua legem impleas, iuxta illud S. Leonis: *Iuſtè inſtat præcepto, qui præuenit auxilio.*

Tertiò, noſter Salazar exponit, q. d. Sapientia præcepti duritiem mitigat dulcedine premij. Nam eodem ore quo fert præceptum, affert & miſericordiam, id eſt, præmium liberale & munificum, quod grauitatem præcepti edulcoret.

Sapientia quaſi ſponſa dotes & membra.

Denique S. Greg. Nyſſen. notat per proſopopœiam induci hic ſapientiam quaſi ſponſam regiam, quæ ab omni ornatu ſe ipſam lectori commendet: Dicit enim, inquit, *In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Deinde oris quoque eius dicit redolentiam, ſpirantem bonum odorem iuſtitiæ, dicens. Ex ore egreditur iuſtitia. In eius autem labris pro rubore naturali legem florere dicit & miſericordiã. Et vt huius ſponſæ inueniatur omni ex parte perfecta pulchritudo, laudatur quoque eius inceſſus, dicit enim: In vijs iuſtitiæ ambulat. Eius quoque pulchritudinis laudibus nec deeſt quidem magnitudo, cum eius incrementum excurrerit tamquam planta aliqua bene germinans. Vt autem intelligas cui plantæ aſſimiletur eius altitudo; Ipſa, inquit, eſt lignum vitæ, quod eſt quidem nutrimentum ijs qui eam apprehendunt; ijs autem qui innituntur, columna firma ac ſtabilis, & quæ non poteſt labefieri. Per vtrumque autem intelligo Dominum: ipſe enim eſt vita & fulcrum ac firmamentum. Ita autem habet dictionis contextus. Lignum eſt vita omnibus, qui apprehendunt eam. Comprehenditur autem cum cæteris eius quoque laudibus potentia, vt per omnia bona impleatur laus pulchritudinis ſapientiæ. Deus enim, inquit, ſapientia fundauit terram.* Et paulò inferiùs: *Poſt hæc autem incipit tamquam paranymphus deducere iuuenem ad eiuſmodi cohabitationem, ad diuinum thalamum iam iubens intueri. Dicit enim: Ne dimittas eam, & retinebit te: dilige eam, & cuſtodiet te: circumualla eam, & te in altum euehet: honora eam, vt te amplectatur, vt det tuo capiti coronam gratiarum; corona autem deliciarum te proteget. Cùm his nuptialibus coronis eam iam tamquã ſponſam ornaſſet, iubet ab ea numquam ſeparari, dicens: Quando ambulas duc eam, & ſit tecum cùm dormies, vt cuſtodiat, vt tecum experrecto colloquatur.*

Vers. 17. VIÆ EIVS VIÆ PVLCHRÆ, ET OMNES SEMITÆ ILLIVS PACIFICÆ] q.d. Viæ, per quas ſapientia incedit & præcedit, quaſque nobis calcandas & ſequendas proponit, ſunt elegantes, pacemque & proſperitatem rerum omnium afferunt, iuxta illud Cant. 7. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis!* Pro *pulchri* heb. eſt נעם *noam*, id eſt, pulchritudo, decor, venuſtas, elegantia. q.d. Viæ ſapientiæ & virtutis ſunt viæ pulchritudinis, decoris & elegantiæ. Virtus enim eſt vera Noemi, vera ſcilicet pulchritudo, verus decor, vera venuſtas animæ, & actionum totiuſque hominis. Vnde S. Auguſt. in biuio virtutis & vitij conſtitutus, cùm hinc blanditiæ libidinis eum ad ſe pellicerent, inde decor caſtitatis; eo victus libidines omnes diſcuſſit: *Aperiebatur enim,* inquit, *ea parte quo intenderam faciem, & quò tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris; honeſtè blandiens vt venirem neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus: & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de*

A *marito te Domine. Et irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac nõ in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet vt cadas. Proijce te ſecurus excipiet te & ſanabit te.* Ita S. Auguſt. l. 8. Confeſſ. c. 11.

Porrò Hebræa ad verbum ſic habent, *& omnes viæ eius viæ pulchritudinis, & omnes ſemitæ eius pax,* id eſt, plenæ pace, adeò vt ipſa pax vocari poſſint; Septuag. *viæ eius viæ bonæ, & omnes ſemitæ eius in pace;* Syrus & Chald. *viæ eius viæ ſuauitatis, & omnia itinera eius pacifica;* Vatabl. *viæ eius ſunt viæ amœnæ,* Pagnin. *delectabiles;* Aben Ezra, *quæ voluptate ambulantem in eis perfundunt) & omnes ſemitæ eius pacatæ.* Arabicus verò, *de ore eius procedit iuſtitia, & ſuper linguam ſuam portat legem & miſericordiam: viæ eius viæ bonitatis, & curſus eius in pace.*

B Pro *via* Septuag. vertunt ἄξονες. quod Primò, ſignificat axes curruum; Secundò, tabulas in quibus leges cũ ſuis pœnis & præmijs deſcriptæ ſunt; Tertiò, tabulas in quibus militum nomina exarata ſunt; Quartò, vias & ſemitas. Quæ omnia rectè adaptari poſſunt ſapientiæ. Verùm hoc loco ἄξονες non niſi vias & ſemitas ſignificare, patet ex Hebræo נתיבות *netiboth*, quod omnes ad vnũ vertunt *vias* vel *ſemitas*. Senſus ergo eſt, ſapientiæ ſiue virtutis vias, id eſt modos & rationes agendi, eſſe pulchras & elegantes, itaque decorè compoſitas, vt omnes in ſui ſpeciem & amorem rapiant (cùm ex aduerſo vitiorum praxes ſint turpes, infames, exoſæ, execrabiles) ac ſimul adducere pacem, id eſt ſerenitatem & lætitiam conſcientiæ: hæc enim
C conſiſtit in victoria paſſionum, quam parit virtus. Item adducere pacem cum Deo, quin & cum hominibus, quantum eſt ex parte virtutis. Hæc enim cuique ius ſuum tribuit, imò & charitatem exhibet, quæ mater eſt pacis. Denique adducere pacem, id eſt, omnem proſperitatem, omnéque bonum. Verùm ſicut inter diſſidentes ſæpè lite vel bello pax paranda eſt: ita & virtus, quia è diametro à concupiſcentia diſſidet, iugi cum ea colluctatione & bello victoriam & pacem ſibi parere oportet, quo facto dicit cum Pſalte pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* In Deo enim & Chriſto, qui eſt pax noſtra, ſecura lætaque dormit & conquieſcit. Vnde Beda, qui hæc omnia accepit de Sapientia incarnata, putà de Chriſto: *Viæ,* inquit, *id eſt, actiones Chriſti & doctrina, quæ in Euangelijs continentur, pulchræ ſunt, quia diuinæ, ac puri hominis
D modum longè tranſgreſſæ, & omnia eius iuſſa ad pacem ducunt æternam: omnia quæ in carne geſſit, ad reconciliandũ Deo mortales, ad pacificandũ cum angelis genus humanum, ad demonſtranda ſuis ſeruanda ad inuicem pacis & dilectionis exẽpla pertinent.* Addit auctor Catenæ Græcor. vias Chriſti pacificas eſſe, *quia ipſe nobis inhibuit ne percuſſi percuteremus. Aut iniuria appetiti reſiſteremus, aut iniuſtè criminati recriminaremur, aut habiti ludibrio viciſſim haberemus.* Ad hanc Salomonis gnomen pertinet illa S. Laurentij Iuſtiniani: *Vitanda ſunt quæ multis obſtaculis impediuntur; quia opera Spiritus ſancti facilia ſunt & æquabilia, diaboli verò aſpera & plena ſentibus.* Ita habet Vita eius c. 9.

Vers. 18. LIGNVM VITÆ EST HIS, QVI APPREHENDERINT EAM: ET QVI TENVERIT EAM, BEATVS] Septuag. *lignum vitæ eſt omnibus, qui complectuntur eam;* S. Auguſt. in pſal. 32. *omnibus poſſidentibus eam;* S. Hieron. in Iſaiæ 65. *omnibus qui accedunt*

dunt ad eam: idem in Ezech. 47. *omnibus credentibus in eam*. Poſſet quoque propriè verti, *omnibus roborantibus eam*, id eſt, omnibus, qui fortiter & robuſtè eam amplectuntur, eamque tuentur, propagant & propugnant. Arabicus, *ipſa eſt lignum vitæ, cuſtodiens omnes qui ea proſequuntur; & qui nituntur ei, tamquam ille qui nititur Domino*. Eſt catachreſis, q. d. Sapientia affert ſui ſtudioſis immortalem & ſuauiſſimam vitam, vti faciebat fructus ligni vitæ in paradiſo, imò præ illo multò magis. Vnde noſter Pineda in Eccleſ. 2. v. 5. nu. 9. ſic exponit, q. d. Non ideo erat beatus Adamus, quia edere poterat de ligno vitæ, cuius fructus nullo manuum illius labore conſtabat: ſed ideo beatus homo, qui labore & niſu manuum ita apprehenderit ſanctitatem, & honeſtum virtutis laborem, vt videatur ſanctitas in illius manibus atque laboribus radices figere, ex quibus pullulet velut arbor vitæ, cuius fructus eſt beatitudo.

Eleganti metaphora comparat ſapientiam ligno vitæ. q. d. Qui ita firmiter ſapientiam, id eſt virtutem, tenet, vt in manibus illius quaſi radices egiſſe videatur, nihiloque faciliùs ex illis euelli poſſit quàm antiqua arbor ex terra, in qua altiſſimas radices egit; fiet ſanè in illius manibus lignum vitæ, id eſt, arbor, quæ vitalem fructum ferat illi, qui in paradiſo proueniebat, ſimilem itaque fructum manuum ſuarum comedet. Nam ſicut paradiſus tropologicè ſignificabat animam ſanctam, perpetua lætitia virtutumque flore & fructu vernantem; ſic arbor vitæ repræſentabat ſapientiam, ſiue virtutem in genere, quatuor verò flumina, quæ iuxta eam è medio paradiſi ſcaturiebant, repræſentabant quatuor virtutes cardinales, nimirum Ganges prudentiam, Nilus temperantiam, Tigris fortitudinem, Euphrates iuſtitiam. ita S. Ambroſ. lib. de Paradiſo c. 1. S. Auguſt. 13. Ciuit. 21. Origen. in Geneſ. 2. Philo lib. de Allegorijs. Vide dicta Gen. 2. v. 8. & 9.

Sapientia eſt lignum vitæ. Primo. Sapientia ergo dicitur *lignum vitæ*, vel, vt ex Hebræo vertas, *vitarum*. Primò, quia vitam tam naturalem animæ, quàm ſupernaturalem gratiæ procurat, conſeruat, prolongat.

Secundò. Secundò, quia ſicut lignum vitæ vigorem vitæ, putà humidum radicale & calorem naturalem per defectum ſenectutis labaſcentem reſtaurabat, & priſtinæ integritati reſtituebat: ſic pariter ſapientia ſiue virtus vires animæ & gratiæ, vitio concupiſcētiæ arroſas & ſeneſcentes priſtino vigori reſtituit, imò roborat & adauget. ita Caietan. iuxta illud Iſaiæ 65. 22. *Secundùm dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt*. Reſpicit enim ad id quod dixit v. 16. *Longitudo dierum in dextera eius*. Vnde S. Hieron. citans hunc locum Iſaiæ 65. *Iuſtus*, inquit, *vt palma florebit quotidie triumphans de aduerſarijs, & inſigne victoriæ præferens*.

Tertiò. Tertiò, ſicut fructus ligni vitæ erat ſuauiſſimus, eratque quaſi nectar & ambroſia hominis innocentis & ſancti, iam inchoantis felicitatem: ſic pariter eſt & ſapientia ac virtus, iuxta illud pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potabis eos*. ita Ianſenius.

Quartò. Quartò, ſicut lignum vitæ præſeruabat hominem à morte, faciebatque vt homo viuus ab hac vita transferretur ad cæleſtem & beatam: ſic & ſapientia transfert hominem à vita gratiæ ad vitam gloriæ, inquit Lyran.

Quintò. Quintò & maximè, lignum in paradiſo repræſentabat viſionem Dei, qua in cælo fruuntur Sancti, ideoque immortales & beati redduntur per omnem æternitatem: hanc enim aſſequuntur merito ſapientiæ & virtutis; ita S. Hieron. in Ezech. 47. S. Aug. in pſal. 32. & alij. Idque ita eſſe patet ex Apoc. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*. Et c. 22. 1. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ*. Vide quæ vtrobique annotaui. Significat ergo Salomon, vſum & eſum ligni vitæ, Adæ peccato deperditum, per ſapientiam reſtitui, ac conſequenter reſtitui & immortalitatem, quam hoc lignum afferebat. ita S. Hier. in Iſaiæ 65. Huc facit vulgatum illud, ait Aben Ezra: *A ſapientia viro, qui eſt paruus quidam mundus, vitam afferri*.

Alleg. S. Hier. in Iſaiæ 65. per *lignum vitæ*, accipit Chriſtum, qui in medio paradiſi, id eſt Eccleſiæ, quaſi arbor vitalis, vitam omnibus in ſe credentibus largiens, erigitur. Sic & S. Greg. 12. Moral. c. 4. S. Aug. l. 1. Contra aduerſ. legis & Proph. c. 15. & Beda, quem audi. Sicut lignum vitæ viuificabat Adamum: *ita per ſapientiam Dei, id eſt, Chriſtum*, inquit, *viuificatur Eccleſia: cuius & nunc Sacramentis ac ſanguine pignus vitæ accipit, & in futuro præſenti beatificatur aſpectu*. Lignum vitæ ergo inter alia repræſentabat Euchariſtiam, quæ vitam gratiæ conſeruat, & cuius vi reſurgemus ad vitam immortalem, vti docet Chriſtus Ioan. 6. 55. Sic & Dionyſ. *Chriſtus*, inquit, *vocatur lignum vitæ, quia multiplici alimonia reficit ac ſuſtentat fideles, quouſque de vita gratiæ ad vitam gloriæ eleuentur, videlicet pane lacrymarum, vigore operationum bonarum, donis gratiæ, virtutum conſolatione, & ſpe futurorum, imo ſeipſo, ſuique corporis ac ſanguinis Sacramento*. *Allegoria.*

Porrò Polychronius in Catena Græcorum per *lignum vitæ* accipit crucem, in qua Chriſtus quaſi fructus in arbore pependit, vt nos ſua redemptione, ſanguine & gratia cibaret & paſceret, ac immortalitati reſtitueret. *Per lignum vitæ*, inquit, *crucem denotat: qui enim Chriſto ſyncerè ſolideque adhæret, illi è ligno illo dimanat incorrupta vita. Qui vero baſi illius ſeſe adiungunt, ijs fundamentum, cui inconcuſſe inſiſtant, poſitum eſt prævalidum. Sunt enim perinde ferè comparati atque illi qui pedem in tuto fixerunt. Sapientia omnibus eſt lignum vitæ, qui gnauiter illam ſectantur pijs porrò firmum eſt munimentum, qui ſecurè illi innituntur. Nam & in Deo requieſcit, & ſuper dilectum ſuum, amore languida ſuauiter incumbit*.

Et qvi tenverit eam, beatvs] qui ſcilicet conſtanter eam tenuerit, anxia cura etiam minima eius monita perpendens, ait R. Leui, & obſeruans: quique in ea firmiter perſeuerauerit vſque ad finem vitæ, hic vtique beatus eſt: quia mox à morte æterna beatitudine donabitur. Hebr. eſt תּוֹמְכֶיהָ *tomecha*, id eſt, *ſuſtinentes eam*: תָּמַךְ *tamach* enim eſt deſuper ſuſtinere, ne quid cadat aut pereat: virtus enim, quia in alto & arduo ſita eſt, ſurſum eſt ſuſtinenda aſſiduo labore & niſu, ne ex fragilitate & concupiſcentia deorſum ad voluptates ſenſiles & carnales decidat & defluat. Vnde Chald. vertit, *qui negotiantur* vel *occupantur in ea*; S. Auguſt. *poſſidentibus eam*; S. Hieron. *qui reclinantur ſuper eam*, non quaſi ſuper mollem & delicatum lectum, ſed quaſi ſuper fortem columnam & infrangibile fulcrum (hoc enim ſignificat Hebr. תָּמַךְ *tamach*: & tale erat lignum vitæ;) & alibi, *credentibus in eam*; Pagninus, *qui fulciunt eam*; ita vt viciſſim ab ea ſul-

ſulciantur & ſuſtententur; Septuag. *qui incumbunt in eam ſicut in Domino ſecura.* q. d. Sapientia iis, qui ſibi innituntur & incumbunt, eſt ἀσφαλὴς, id eſt tuta, fida, ſecura, perinde ac ſi ipſi Domino incumberent & inniterentur, vti reuera ipſi incumbunt & innituntur. Sapientia enim Deum adducit, imò Dei indiuidua comes eſt, ſocia & filia: Hebr. enim מאשר *meuſſar* tam ſignificat ſecurum, quàm beatum; radix enim אשר *iſſcher* in *piel* ſignificat tam recta incedere, recta firmare greſſus, hoc eſt, ſecurè incedere, quàm beatè & beatum facere. Vnde S. Hilar. in pſal. 1. omiſſo τοῦ *ſecura* ſic clarè legit, *lignum vitæ eſt omnibus qui complectuntur eam & qui incumbunt in eam ſicut in Domino,* S. Hieron. verò in Iſaiæ 65. legit, *& qui innituntur ſuper illam, quaſi ſuper Dominum firmitas,* ſupple, erit, vel accedet eis. Et S. Auguſt. in pſal. 32. ex hoc loco docet Deum nobis eſſe ſecuram poſſeſſionem. *Dicat,* inquit, *anima omnino ſecura, dicat, Deus meus es tu, qui dicit animæ noſtræ; Salus tua ego ſum; dicat ſecura, dicat: non faciat iniuriam cùm hoc dixerit, imò faciet ſi non dixerit. Arbores volebas habere, quibus beatus eſſes. Audi Scripturam dicentem de ſapientia: Lignum vitæ eſt omnibus poſſidentibus eam: ecce poſſeſſionem noſtram dixit eſſe ſapientiam, ſed ne putes ipſam ſapientiam, quia poſſeſſionem tuam dixit Scriptura, aliquid eſſe quod ſit te inferius, ſequitur & adiungit: Et incumbentibus in eam velut in domo tua. Ecce Dominus tuus eſt tibi baculus: ſecurus homo incumbit, quia ille non ſuccumbit. Dic ergo ſecurus. Poſſeſſio tua eſt, poſſidentibus eam Scriptura dixit: impleuit fiduciam, remouit dubitationem. Dic ſecurus, ama ſecurus, ſpera ſecurus. Tua etiam illa verba ſint in pſalmo; Dominus pars hæreditatis meæ. Ergo vnde beati erimus? Deum poſſidendo.*

Inſuper auctor Catenæ Græcor. ſic legit: *lignum vitæ eſt omnibus qui adhærent illi, quiq; firmiter illi tamquam ipſimet Domino innituntur;* quod explicans Didymus. *Si Dei ſapientia,* inquit, *eſt lignum vitæ non iniuria Adamus ab illo abſtinere iuſſus eſt. Siquidem in maleuolam animam non introibit ſapientia. Quia verò arbor vitæ oritur ex iuſtitiæ fructibus, non inueniens cui rei comparet illum, qui ad lignum illud vitæ anhelat orationem in ſeipſum transferens, ait. Ita conſtitutus eſt, qui in me fidit, ac ſi in Dominum ipſum ſpem ſuam reijceret.* Denique Salomonem de more imitatus Siracides cap. 15. 3. *Cibabit,* inquit, *illum,* (ſapientia diſcipulum) *pane ſapientiæ & intellectus* (quaſi ligno vitæ) *& aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, & non flectetur: continebit illum, & non confundetur,* quæ verba ibidem expoſui.

VERS. 19. DOMINVS SAPIENTIA FVNDAVIT (Syrus, *poſuit fundamenta*) TERRAM, STABILIVIT (Syrus, *ordinauit*) CÆLOS PRVDENTIA] Terra enim in medio mundi ſine vllo fulcro pendula hæret, & firma immobiliſque conſiſtit, nulli innixa niſi Deo Deique ſapientiæ, quæ eam ita fundauit; & fundatam continet, vti dixi Geneſ. 1. 1. Similiter cælos, eorumque molem, numerum, ordines, motus, lucem, ſtellas, &c. in inani hoc & vacuo antea ſpatio ita ſtabiliuit, vt perpetim eodem tenore ſubſiſtant. Ipſe ergo quaſi Atlas eos ſuſtinet & firmat. Septuag. pro *ſtabiliuit* vertunt ἡτοίμασεν, id eſt, *ſubito expediuit,* vel *citra laborem produxit,* inquit auctor Catenæ Græcorum. Hebræum enim כונן *conen,* id eſt, præparare, idem eſt quod creare, facere firmare, ſtabilire. Hoc eſt quod ait Pſaltes: *Etenim firmauit* (Hebr. *con* vel *conen*) *orbem terræ, qui non commouebitur,* pſal. 92. 1. Fundauit enim terram quaſi mundi centrum, baſin & fulcrum, idque miratur Iob c. 38. v. 4. *Vbi eras,* inquit, *quando ponebam fundamenta terræ? Quis poſuit menſuras eius? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt?* Hæc dicit, vt oſtendat quanta ſit ſapientiæ celſitudo, vtpote qua Deus vſus ſit & vtatur in ſummis operibus, putà in creatione & gubernatione totius vniuerſi.

Pro *ſapientiam* accipe tum eſſentialem, quæ communis eſt toti S. Trinitati, tum notionalem ſiue perſonalem, quæ eſt Verbum ſiue Filius Dei. Vnde Didymus in Catena Græc. *Et hæc quoque,* inquit, *in Dei Patris Filium aptè conueniunt, vt qui vera illa & ſempiterna ſcientia & ſapientia ſit, per quem omnia facta ſunt. Fundauit terram. Quin cuiuſque fidelis anima terra quoque appellari poteſt, vt quæ centeſimum fructum proferre nata eſt. Hæc enim ea eſt, quæ de diuinæ ſapientiæ pinguedine ſapiens efficitur, Deo Patre ipſam in ea fundante & conſtituente.* Quod ergo R. Salomon & neoterici Rabbini per *ſapientiam* accipiunt legem Moſi, aſſeruntque per eam condita eſſe vniuerſa, inſulſum eſt & fabuloſum.

VERS. 20. SAPIENTIA ILLIVS ERVPERVNT ABYSSI, ET NVBES RORE CONCRESCVNT] Hebr. *manans* vel *ſtillant rorem,* id eſt, pluuiam; vel *ex rore ſtillant,* ſupple pluuiam: nubes enim concreſcunt, & denſantur, dum reſoluuntur in rorem & pluuiam, idque fit ſapientia Dei, vt ſcilicet per pluuiam nutriantur plantæ, germina & animalia. Hebræa ſic habent ad verbum, *ſcientia* (Septuag. *in ſenſu*) *eius abyſſi ſciſſæ* vel *ruptæ ſunt* (Vatabl. *dehiſcunt*) *& æthera rorem diſtillant.* ita & Syrus. Per *abyſſum* Primò, accipi poteſt abyſſus, id eſt, immenſa illa vorago aquarum creata initio mundi, ex qua cætera deinde formata ſunt, Geneſ. 1. 2. Secundò, *abyſſi* ſunt fontes & fluuij, qui ſub terra & è terra Dei ſapientia varijs in locis ſcaturiunt, inquit Vatabl. Lyran. Ianſen. & alij. Tertiò propriè ruptæ ſunt abyſſi & cataractæ cæli in diluuio, cùm depluerunt in terram aquam, quæ totam terram obruit tempore Noë. Gen. 7. v. 11. ita Beda & Caiet. Secunda expoſitio maximè videtur genuina: comparat enim abyſſos, id eſt fontes, cum nubibus & rore quaſi res ſtabiles & perennantes; fontes autem & fluuij dicuntur findi vel diuidi & diſſecari, tum quia terram aridam diſſecando quaſi diuidunt, tum quia diuerſis & velut diſſectis locis erumpunt.

Abyſſus triplex.

Quæres, quomodo hæc nectantur præcedentibus? quid enim facit ſapientia phyſica, quæ creauit terram & cælos, ad ethicam, de qua hoc cap. & toto libro agitur? Reſp. Variæ ſunt cauſæ, ob quas hanc illi ſubiungit Salomon. Primò, quòd ipſe hoc capite, vti & cap. 8. & eum ſecutus Siracides Eccleſ. c. 24. & c. 42. & 43. laudet ſapientiam genericè ſiue in communi, prout complectitur tam creatam quàm increatam, tam phyſicam quàm ethycam.

Secundò, quòd in Deo vtraque ſit vnum quid, quin & vna ita connexa ſit cum altera, vt vna viciſſim exigat alteram, & ſit quaſi origo alterius. Quia enim Deus ſapientiſſimam habet prouidentiam & omnipotentiam phyſicam, qua creauit cælos & terram, & omnia quæ in eis ſunt; hinc pariter habet ſapientiſſimam prouidentiam & omnipotentiam ethicam, qua creaturas rationales, quæ in cælo & terra ſunt, quaſi eius partes & membra, putà angelos & homines, ethicè gubernet, doceatque rectè & ſanctè viuere, proponens ad hoc magna

magna id ſacientibus præmia, & non ſacientibus ſupplicia. Vice verſa Deus ac Dei ſapientia ſanctitas, qua gubernat rationalia, quamque communicat & aſpirat hominibus & angelis, poſcit omnipotentiam ad creandam terram, in qua degant homines quaſi in loco certaminis & luctæ, ac cælos, quaſi locum angelorum, & quaſi præmium recti certaminis hominum ſanctorum, vt ſcilicet eos cælo donet & beet.

Tertiò, quia Deus in creatione vniuerſi, non tantùm oſtendit ſapientiam phyſicam, ſed & ethicam. Deus enim, vt ait Pſaltes *ſanctus eſt in omnibus operibus ſuis.* Nimirum inter alia Deus in creatione cæli, terræ, &c, oſtendit ſuam bonitatem, qua ſe ſuaque bona dignatus eſt communicare creaturis præſertim homini & angelo, propter quos & ad quorum vſum creauit omnia. Quocirca S. Hieron. in Ezech. 1. *Vnaquæque res*, inquit, *fulgurat Dei cognitionem*, & conſequenter Dei reuerentiam, cultum, & amorem. Mundus enim, eiuſque creatio, conſeruatio & gubernatio eſt opus diuinitatis, Deoque proprium: quare in eo clarè reſplendet diuinitas, & conſequenter Dei maieſtas, ſapientia, ſanctitas, &c. hæc enim omnia in ſe includit diuinitas. Quocirca *ſtabiliuit cælos prudentia*, quia magna Dei prudentia fuit tales, tot, tantoſque cælos creare, hominibuſque & angelis ſpectandos obijcere, vt ex eorum ſpecie Dei maieſtatem, ſapientiam & ſanctitatem agnoſcerent, colerent, amarent, qua in re, verà eorum ſapientia, virtus & ſanctitas conſiſtit.

Quartò & propriè, hæc pertinent ad longitudinem dierum, opes, pacem, firmitatem, gloriam &c, quæ paulò antè dixit ſuis ſtudioſis afferre ſapientiam. Eſtque argumentum à maiori ad minus, q.d. Ne mireris quod dixerim ſapientiam hæc omnia præſtare; ipſa enim multò maiora præſtitit & præſtat, dum creauit, & etiamnum creat, id eſt, conſeruat, cælos, terram, & omnia quæ in eis ſunt: ſi enim hæc poteſt, quæ longè maiora ſunt, vtique & illa, quæ minora ſunt, poterit. Addit noſter Salazar hæc dici, vt doceat ſapientiam non eſſe inertem & otioſam, ſed operatricem & negotioſam; ideoque homines debere laborare aſſiduè in exercitio ſapientiæ & virtutum, ſicut Deus & Dei ſapientia aſſiduè operatur, dum conſeruat, mouet, gubernat cælos & terram, ac omnia quæ in eis ſunt.

Myſticè Dionyſ. Cæli, inquit, repræſentant Eccleſiam triumphantem, terra militantem, nubes Prophetas & Apoſtolos, ros eorum doctrinam & gratiam, qua irrigarunt & fœcundarunt hominum mentes, vt ſapientiam & virtutem eos docerent. Sic ferè & Beda. Hinc ſicut terra pendet à cælo, ſic Eccleſia militans pendet à triumphante, vtpote à qua nubes & rorem, id eſt, viros Apoſtolicos, doctrinam & gratiam recipit.

Rurſum auctor Catenæ Græc. Nubes, inquit, ſignificant inexhauſtam iudiciorum Dei profunditatem.

Vers. 21. FILI MI NE EFFLVANT HÆC AB OCVLIS TVIS: CVSTODI LEGEM ATQVE CONSILIVM] *Oculos* non tam corporis quàm mentis intellige. q.d. Caue ne hæc mea præcepta & monita à mente & memoria tua, per occupationem aliarum rerum & ſpecierum, tibi excidant; ſed alijs omnibus omiſſis, & eorum quaſi oblitus, his ſolis intende, hæc vnica, iugiter menti & memoriæ tuæ obuerſentur, vt ea

A opere expleas, itaque ſapienter & ſanctè viuas, vt felicitatem æternam conſequaris. Alludit ad pueros ſcholares, qui ob humidius cerebrum, & ob mobilitatem ætatis, vti facilè quid diſcunt, ita facilè alijs ſpeciebus occurrentibus effluere ſinunt & obliuiſcuntur; cùm ſenes qui ſiccius habent cerebrum, quod ſemel didicerunt hoc conſtanter retineant; quocirca magiſtri pueros identidem monent, vt quæ audiunt in mente conſeruent. Appoſitè S. Greg. Nazianz. orat. 19. *Quod*, ait, *in tranquillis vndis euenire cernimus, cùm eiectus lapillus centrum effecerit, alius ſuper alium circulus excitetur, continenter aquæ in ſuperficiem agitatus extremum circulum ſemper diſſoluat. Id mihi planè hîc quoque accidit; aliud enim in mentem venit, aliud ſuperuenit, aliud ſeſe ſubduxit: atque in delectu laboro dum id quod priùs arripui, ei quod poſteà in animum influit, loco cedit & effluit.*

B Septuag. vertunt, *fili ne* παραρρυῇς, id eſt, *effluas vel diffluas*: quò alludens S. Paulus Hebr. 2. 1. *Propterea*, inquit, *abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus ne fortè* παραρρυῶμεν, id eſt, *pereffluamus vel ſupereffluamus.* Vbi fusè hunc locum expoſuit quare hîc ea non repetam.

CVSTODI LEGEM ATQVE CONSILIVM] Hebr. *cuſtodi eſſentiam meam & cogitationem.* Lex vocatur *eſſentia* vel ſubſiſtētia, tum quia eſt æterna ſemperque ſubſiſtit; tum quia ſui obſeruatores facit æternos, immortales & beatos; tum denique quia legis & virtutis bonum ſolidum & ſtabile eſt, reliqua omnia caduca & euanida, niſi legi & virtuti ſeruiant; vide dicta cap. 2. 7. Vnde Septuag. vertunt, *cuſtodi meum conſilium & ſententiam*; Tigurina, *obſerua eſſentiam & proſpicientiam*, id eſt, vt Vatabl. *ſanam doctrinam & prudentiam.* Huc facit illud Iſo-

C cratis apud Maximum ſerm. 17. de eruditione: *Diligentiùs verborum, quæ à ſapientibus audire licuit, quàm pecuniarum depoſita ſeruanda ſunt.*

ET ERIT VITA ANIMÆ TVÆ, ET GRATIA FAVCIBVS TVIS] *Vita*, ſcilicet gratiæ & gloriæ. Vnde ex Hebr. vertas, *vitæ* in plurali: nam חיים *chaiim* in hac ſignificatione Hebræis dumtaxat eſt plurale, ideoque tam vitam quàm vitas ſignificat: nimirum ſapienti eſt lignum vitæ, ſiue arbor vitalis, vti dixit v. 18. Septuag. *vt viuat anima tua, & gratia ſit circa collum tuum*; Syrus, *ſit collo tuo charitas*, ſeu *pietas*; Pagnin. *& erunt* (mea præcepta) *vita animæ tuæ, & gratia gutturi tuo.* q.d. Si mea hæc præcepta obſerues, conſequêris vitam gratiæ in hoc ſæculo, & gloriæ in futuro, iuxta illud Baruch. 4. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt* Vers. 22.

D *eam, in mortem.* Inſuper hæc mea præcepta erunt *gratia faucibus tuis*, id eſt, gratiam Dei & hominum tibi conciliabunt, teque ornabunt, ſicut torques aureus ſolet fauces & collum ornare, iuxta illud c. 1. v. 9. *Et addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*; quod hîc repetunt Septuag. vide ibi dicta. Secundò Beda q.d. Hæc præcepta dabunt tibi guſtum & ſaporem diuinorum (guſtus enim eſt in faucibus) vt dicas cum Pſalte: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Et: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Tertiò, Baſilius in Catena Græcor. & Dionyſ. q.d. Temperantiæ virtus donabitur guſtui tuo ad comedendum moderatè: hanc enim docet & confert ſapientia, ſicut prudentia. Quartò, Lyran. Caiet. & Hugo q.d. Dabitur tibi gratia ſermocinandi, docendi, prædicandi, perſuadendi, vt ſcilicet ex faucibus, id eſt, ex imo pectoris ſenſu,

à Deo per ſuos Superiores in omnibus, & per omnia.

Vers. 6. IN OMNIBVS VIIS TVIS COGITA ILLVM, ET IPSE DIRIGET GRESSVS TVOS] Pro *cogita* hebr. eſt דעהו *daehu*, id eſt *ſcito*, vel *cognoſce illum*. Sic & Syrus, & Chald. Vatabl. *in omnibus negotijs agnoſcito illum*, eius ſcilicet præſentiam, potentiam, maieſtatem, prouidentiam, bonitatem, iuſtitiam, vindictã, &c. Eſt metalepſis: ex cogitatione enim intelligitur reuerentia, obedientia, ſpes & amor: hæc enim parit attenta Dei, ſiue numinis, cogitatio & meditatio. *Cogita* igitur, id eſt cogitando ſpera, reuerere, cole & dilige vt creatorem, gubernatorem, dominum, iudicem vbique præſentem, omneſque tuos actus intuentem. Cogita, inquam, Deum vbique & ſemper, vel actu, vel virtute, ita vt vi huius cogitationis arcearis à malo, & cogaris ad omne bonum præſertim ad Dei metum, ſpem & amorem: de ipſe enim ſermo præceſſit. Ergo *cogita*, id eſt Primò, frequenter (*cogito* enim eſt verbum frequentatiuum à *cogo*, ait Feſtus) menti tuæ obijce, ſpera & inuoca Deum: hoc enim ſi feceris, ipſe diriget greſſus tuos.

Cogita quintupliciter. Primò.

Secundò. Secundò, *cogita*, id eſt time & reuerere Deum vbique præſentem, ne quid committas quod oculos tantæ maieſtatis offendat; ſed potiùs fac omnia, quæ illos oblectant. Vnde Boëtius: *Magna nobis indicta eſt neceſſitas probitatis, cùm omnia agamus in oculis Dei cuncta cernentis.* Cogito enim dicitur à cogo. *Cogendo enim animum reminiſci; quod in ea repoſitum eſt, dicitur cogitatio*, ait Iſid. l. 1. Sentent. c. 15. *cogo* autem dicitur quaſi *coago*, id eſt in vnum ago. Cogitatio enim numinis præſentis cogit nos ad eius metum & cultum, cogitatio enim eſt rei præſentis, memoria abſentis. Ita S. Iſidor. de Different. cogitat. mentis & memoriæ c. 1. *Memoria*, inquit, *præterita reuocat, mens futura præſentit, cogitatio præſentia complectitur.*

Tertiò. Tertiò, *cogita*, id eſt intende in omnibus actibus Deum, vt ad illum quaſi ad ſcopum & finem omnes referas, & in omnibus illi placere contendas. Ita Lyran. & Caiet. cenſent hic præcipi rectam in omnibus intentionem: hæc enim in rectum finem dirigit greſſus noſtros.

Quartò. Quartò, *cogita* eum, id eſt eius operationem & gratiam, vt illi quaſi omnium largitori omnia bona accepta referas, nil tibi arroges. Ita Hugo. Vnde S. Hier. dial. 3. contra Pelag. hinc probat neceſſitatem gratię. Vnde Arabicus vertit, *agnoſce ſapientiam, vt dirigat vias tuas.*

Quintò. Quintò, *cogita*, id eſt repręſenta tibi Deum, Deique voluntatem, vitam & legem, quaſi normam tuarum actionum, cui ad amuſſim omnes conformare debeas; atque ſic Deus quaſi norma & regula, rectiſſimè diriget omnes greſſus actuſque tuos. Ita cogitabat Deum vbique Dauid dicens pſal. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Idem præceptum Tobias moriturus dedit filio c. 4. 6. *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Sic & Elias ac Eliſeus: *Viuit*, inquiunt, *Dominus, in cuius conſpectu ſto*, 3. Reg. 17. 1. & 4. Reg. 3. 14. ac S. Iob c. 31. *Nonne Deus conſiderat vias meas & cunctos greſſus meos dinumerat?* Aſſidua enim cogitatio diuinæ præſentiæ maximè ſtabilit mentem in Deo.

Hoc fuit olim, & etiamnum eſt, præcipuum Aſcetarum & Religioſorum officium & exercitium, vt ſemper & vbique Deum cogitarent, cum eoque quaſi præſente verſarentur & colloquerentur. Vnde Abbas Allois in Vitis Patr. l. 5. libello 11. n. 5. *Niſi*, inquit, *dixerit homo in corde ſuo: Ego ſolus & Deus ſumus in hoc mundo, requiem non habebit.* Et rurſum: *Si vult homo, in vna die vſque ad veſperam, peruenit ad menſurã diuinitatis.* Ibidem Abbas Beſſarion: *Monachus*, inquit, *debet totus eſſe oculus, ſicut Cherubim & Seraphim*, qui iugiter intuentur, amant & glorificant Deum. Et Abbas Daniel: *Quis enim auſert à nobis Deum? nam & foris Deus eſt modo, & iterum in cella Deus eſt.* Et Abbas Theonas n. 12. *Quia impeditur mens noſtra & reuocatur à contemplatione Dei; propterea captiui ducimur in carnalibus paſſionibus.* Et Abbas Ioannes: *Sicut dum pluit, arbores producunt ramos; ſic quando Spiritus ſanctus deſcendit in corda Sanctorum, vireſcunt quodammodo & innouantur, & proferunt folia in timore Dei.* Vnde idem operans non intendebat operi, quia mens eius abſorpta erat in contemplatione Dei. Ibidem n. 31. Abbas Serapion. *Sicut*, ait, *milites Imperatoris, cùm ante ipſum ſtant, non debent dexterâ aut ſiniſtrâ reſpicere; ita & monachus cùm ſtat in conſpectu Dei, & intentus eſt omni hora in timore eius, nihil eſt quod eum de aduerſarij malis terrere poſſit.* Ibidem n. 35. Abbas Hyperichius: *Cogitatio tua*, inquit, *ſemper ſit in regno cælorum, & cito in hereditatem accipies illud.* Et: *Vita monachi iuxta imitationem angelorum fiat, comburens atq; conſumens peccata.* Et alius n. 42. *Sicut nemo poteſt lædere eum, qui eſt ad latus Imperatoris; ſic Satanas nequit nobis nocere ſi anima noſtra inhæſerit Deo:* ſcriptum eſt enim Zachar. 1. *Appropinquare mihi, & appropinquabo vobis*, Plura de hac re dixi Genel. 17. 1. & ſeq.

Mem. de iugi præſentia Dei.

ET IPSE DIRIGET GRESSVS TVOS] τὸ *&* notat Primò, ſimilitudinem & viciſſitudinem. q. d. Cogita de Deo, & ipſe viciſſim ſimiliter cogitabit de te, vt dirigat greſſus tuos ad omnem proſperitatem, ſanctitatem & felicitatem, iuxta illud quod Chriſtus dixit S. Catharinæ Senenſi: *Filia cogita ſemper de me, & ego cogitabo de te.* Tu, vt mihi obedias & ſeruias: ego, vt te dirigam, protegam, & in omni gratia & gloria promoueam. Secundò, notat mercedem & præmium quaſi ex promiſſione & pacto. Deus enim hic & alibi quaſi pactum init nobiſcũ quo promittit, ſeque quaſi obligat ad dirigendum omnes actiones noſtras, vt felicem & ſanctum ſortiantur effectum, ſi nos cogitemus de eo proponentes illi per omnia placere & obſequi, ſequentes patrem fidei noſtræ Abraham, cui Deus dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus*, Gen. 17. 1. Idem filium monuit Tobias c. 4. 20. *Omni tempore*, inquit, *benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.*

Ita Sancti in omnibus rogant, impetrantque, vt dirigantur à Deo, vt Deum habeant aurigam præſidentem animę ſuę, omneſque eius motus & actus aurigantem. Ita Dauid, ad quem alludit hic filius Salomon, pſal. 118. *Greſſus meos dirige ſecundũ eloquium tuum.* Idemq; crebrò eodem pſalmo iterat. Et pſal. 22. *Dominus*, inquit, *regit me*, ſicut paſtor ouem, vnde hebr. eſt, *Deus paſcit me*; vel, *Deus eſt paſtor meus*: hinc *nihil mihi deerit: nam in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Quæ verba citans Philo l. de Agric. *Impoſſibile*, ait, *eſt deeſſe commodum aliquod, vbi Deus præſidet, ſolitus plena perfectaq; bona largiri rebus omnibus.* Ita S. Auguſt. l. 11. Confeſſ. c. 2. *Quando*, inquit, *ſufficio calami lingua enuntiare omnia hortamenta tua,*

& omnes terrores tuos, & cõſolationes & gubernationes, quibus me perduxiſti, &c. Ita S. Antonius apud S. Athanaſ. *Vnica*, inquit, *eſt ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritalis, & animæ Dominum ſemper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quaſi fumũ expellit.* Et: *Securitas animæ, præſentis maieſtatis indutum eſt.* Hinc docent Theologi, ad benè agendum non ſufficere iuſto habitus gratiæ & virtutum infuſos vel acquiſitos, ſed inſuper eum egere actuali motione, influxu, auxilio, & directione Dei, præſertim in actibus difficilibus & heroicis, ac ad ſuperandum graues tentationes. Imò cenſent iuſtum in omni actu meritorio egere actuali motione Spiritus ſancti, eò quòd in Concilio Palæſtino, quod ſæpè citat S. Auguſt. contra Pelagium definitum ſit, *gratiam ad ſingulos actus dari*; & Apoſtolus dicat: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* 2. Corinth. 3. Ita Dionyſ.

Vers. 7. Ne sis sapiens apvd temetipsvm] Heb. *in oculis tuis*, vt ſcilicet in ijs, & in vana opinione tua videaris tibi præ alijs ſapere. Hæc enim eſt philautia, ſuperba præſumptio, & nimia ſui æſtimatio. Arabicus, *ne ſis apud animam tuam intelligens*: Septuag. *ne ſis prudens apud temetipſum*: quos ſecutus Apoſtolus Roman. 12. 16. *Nolite*, ait, *eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Vbi quatuor expoſitiones recenſui. Ita Ianſen. Lyranus & Baynus exponunt. q. d. *Ne te ſapientem eſſe aut prudentem vana elatione perſuaſum habeas*; Hugo, *ne nouas opiniones inuenias, eaſq; alienis anteponas*; Caiet. *ne tu ipſe de tua ſapientia iudicium feras*; Vatabl. *ne reputes te ſapientem.* Accedit R. Salomon Iarchides: *Ne ſis*, inquit, *ſapiens apud te, vt verba illorum à quibus reprehenſus es, negligas*; Aben Ezra, *vt iactabundus dicas. Sapientia mea duce rectum iter capiam*; R. Leui, *vt inertiæ te dedas, & ſapientiæ ſtudium omittas, quòd tibi ſat ſapere videare.* Porrò Beda: *Videtur hoc idem eſſe mandatum cum eo, quod præmiſſũ eſt: Ne innitaris prudentiæ tuæ; ſed multum diſtat. Innititur enim prudentiæ ſuæ, qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, patrum decretis præponit. Sapiens verò apud ſemetipſum eſt is, qui in illis quæ ex patrum magiſterio potuit rectè cognoſcere, ſeſe præ cæteris quaſi doctior extollit.* Caiet. verò: *Hoc*, inquit, *ad iudicium, illud verò ad fiduciam ſpectat.*

Hic eſt fons omniũ errorum & hęreſum, quòd ſcilicet eorum auctores videantur ſibi præ alijs ſapere, ideoq; nolint Eccleſiæ & Doctorum ſententiæ cedere & credere, de quibus Iſaias c. 5. v. 21. *Væ*, inquit, *qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Verè Climacus gradu 3. *In his*, ait, *qui ſibi credunt, dæmon ſæpè propheta fit.*

Quocirca vera ſapientia, ait S. Iacobus c. 3. 17. modeſta & humilis eſt, ac ſeipſam ignorat, quia non aſpicit, nec reflectit ad ſe, iuxta illud Pauli 1. Cor. 3. 18. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe; ſtultus fiat vt ſit ſapiens.* Quin & Plutarch. *Quo magis profeceris in philoſophia, eo minùs turgebis faſtu.*

Time Devm, et recede a malo] Pertinent hæc verba Primò, ad *tò habe fiduciã in Domino*, quod præceſſit v. 5. Spei enim ſubnectendus eſt timor, ait Beda, vt, quantum ſpes animum eleuat, tantum timor deprimat, itaque anima conſiſtat in recto virtutis æquilibrio inſtar molæ, in qua lapis molaris ſuperior inferiori incumbat, ab eoque fulcitur; lapis enim ſuperior repræſentat ſpem, inferior timorem. Secundò, hæc verba pertinent ad id, quod proximè anteceſſit: *Ne ſis ſapiens apud temetipſum*; quia ſuperbiam, & arrogantem ſapientiæ præſumptionem nihil ita coërcet & deprimit ac timor Dei, qui ſuperbos humiliat, & humiles exaltat. Vnde Apoſtolus Rom. 11. 20. *Noli altum ſapere, ſed time.* Et Eccl. c. 25. 14. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Vide ibi dicta.

Vers. 8. Sanitas qvippe erat vmbilico tvo (Syrus, *carni tuæ*) et irrigatio ossivm tvorvm] *Irrigatio*, id eſt medulla, ait R. Salomon, iuxta illud Iob 21. 24. *Medullis oſſa illius irrigantur.* Septuag. *& erit ſanitas corpori tuo, & curatio oſſibus tuis.* Pro *irrigatio* Syrus & Symmach. vertit. πιότης, id eſt *pinguedo*, putà medullæ; Theod. καταβροχὴ, id eſt *perfuſio*; Aquila, ποτισμὸς, id eſt *irrigatio* vel *potio*; & hoc propriè ſignificat Hebr. שקוי *ſiccui*: Septuag. ἐπιμέλεια, id eſt curatio, item *corporis cura & exercitatio*, v. g. quia athletæ corpus ad robur & luctam exercebant. Vnde ex τῷ ἐπιμέλεια naſcitur ἐμμέλεια, id eſt concinnitas. Hinc aptè, inquit S. Greg. Nazian. orat. 20. mater S. Baſilij vocata fuit Emmelia, quia moribus ita erat compoſita, vt ipſa cõcinnitas videretur, eamque filio S. Baſilio cum lacte indidit. Senſus ergo eſt. q. d. Totum corpus tuum ſanum erit. Corporis enim ſanitas maximè pendet ex ſanitate tum teneriorum partium oſſe carentium, ſcilicet vitalium, putà cordis, hepatis, ſplenis, viſcerum, quæ ſunt iuxta vmbilicum, & ipſius vmbilici; tum duriorũ, putà oſſium, quæ ſunt quaſi baſes & columnæ noſtræ domus & microcoſmi. Oſſium autem ſanitas medullæ pinguetudine irrigatur, fouetur, alitur & roboratur: vnde eâ deficiente oſſa areſcunt, ex quo ſequitur tabes & corruptio hominis. Quocirca Galenus oſſa vocat fundamenta corporis, eaque in homine numerat pluſquam trecenta: oſſium verò nutrimentum proprium aſſerit eſſe medullam; hinc omnia animalia habere oſſa concaua pro medulla continenda excepto leone, qui oſſa habet ſolida, ita vt nullam vel exiguam habeant medullam. Inter oſſa aſſerit eminere ſpinam dorſi; medullæ autem ſpinalis, æquè ac neruorum principium eſſe cerebrum: ex medulla enim ſpinali oriri triginta paria neruorum, indeque vires in inferioribus partibus. Vmbilicus verò ſuperiora membra cum inferioribus connectit. Rurſum fœtus in vtero matris per vmbilicum nutrimentũ attrahit & ſugit, eoque alitur. Vnde de vmbilico hæc ſunt Galeni pronuntiata: *Vmbilicus ad amuſſim eſt in medio hominis. Vmbilicus fœtus vmbilico matris continuatur. In vmbilico fœtus ligatur, & per eumdem nutritur. Ad vmbilicum eſt quatuor vaſorum coniugium: ad vmbilicum enim iungũtur duæ venæ & duæ arteriæ primariæ. Per vmbilicum fœtus in vtero reddit lotium.* Hiſce de cauſis vmbilicus ſymbolum eſt totius corporis, illudque repræſentat, cuius baſes & columnæ ſunt oſſa. Ad literam ergo grammaticè ſignificatur, totum corpus totumque hominem fore ſanum, vegetum & robuſtum; ſed per hoc ſymbolicè repræſentatur, totam animam, omneſque eius partes fore ſanas, vegetas & validas. Eſt enim parœmia, in qua timor Domini comparatur ſanitati vmbilici & medullæ oſſium. — *Vmbilici vſus.*

Senſus ergo eſt q. d. Sicut ſi ſanus ſit vmbilicus, & ſana medulla oſſium, totum corpus ſanum & forte erit cum omnibus ſuis membris: ſic pariter, ſi in te ſit ſanus & integer timor Dei, efficiet vt tota anima tua ſana & valida ſit, omneſque eius partes, tam nobiles quàm ignobiles, tam debiles

quàm fortes, ac præſertim appetitum tuum, qui eſt quaſi vmbilicus animæ; & rationem, mentem & ſpiritum, quæ ſunt quaſi oſſa animæ eam ſuſtentantia, ſanabit, fouebit, roborabit, perficiet. Sicut enim per vmbilicum fœtus coniungitur matri, ab eaque ſugit alimentum; ſic pariter anima per timorem Dei coniungitur Deo, ab eoque omnem gratiam, ſanitatem & robur ſugit & haurit. Ita R. Leui & Ianſen. Vnde illud de Behemoth Iob 40. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.* Et irrigatione oſſium per medullarum pinguedinem ſignificatur in Iob bona hominis valetudo: *Viſcera*, inquit, *eius plena ſunt adipe,*
Iob 21. *& medullis oſſa illius irrigantur.* Contra per ariditaté oſſium mala valetudo deſignatur apud eumdem:
Iob 30. *Cutis*, inquit, *mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate.* Et Pſalmiſta: *Oſſa mea ſicut*
Pſal. 101. *cremium aruerunt.* Eſt enim medulla oſſium fomentum & firmamentum. Metaphoricè ergo hac ſententia ſignificatur eum, qui prædicta fecerit, bona fore conſtitutione, potiſſimum ſecundùm animam & mentem, omneſque eius animæ vires firmas fore & ſanas, vt quæ Dei gratia & ſanabuntur & firmabuntur, ac adipe & pinguedine cæleſtium cha-
Pſal. 61. riſmatum irrigatæ recreabuntur, iuxta illud: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Quidam nô malè ſic explicant: Per timorem Dei eſt vmbilico ſanitas, quia per illum refrænantur prauæ cupiditates & libido, quæ in vmbilico & circa illum viget; & eſt irrigatio oſſium, quia per illum omnia corporis membra, omneſque animæ vires redduntur aptæ & agiles ad virtutum opera. Similis tropus, quod attinet ad irrigationem oſſium, eſt Eccleſiaſtici 26. *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit.* Et Prouerbiorum 15. *Fama bona impinguat oſſa.* Ita Ianſen. & Hugo. Vmbilicus enim, ſiue lumbi, ſicut origo ſunt ſeminis, ita concupiſcentiæ ſunt ſymbolum, ait Pierius hierogl. 34. c. 34. Vide illud Ezech. 16. 4. *Non eſt præciſus vmbilicus tuus.* Vide ibi dicta. Quare appoſitè per *vmbilicum* intelligas vim animæ concupiſcibilem, per *oſſa* iraſcibilem, in qua eſt fortitudo, quam repræſentant oſſa: vtramque enim ſanat, vegetat & dirigit timor Dei.

Vmbilicus eſt conſcientia.

Secundò, ſpeciatim per vmbilicum accipi poteſt ſtomachus: hic enim vmbilico adiacet, vel ſubiacet; ac per ſtomachum conſcientia. Sano enim ſtomacho bona fit cibi concoctio, qua ritè alitur & roboratur totũ corpus. Sic pariter, ſi per timorem Dei ſana ſit cõſcientia, ipſa verbum Dei, quod eſt cibus animæ, ruminando concoquet, vt in illo alat omnes ſuas vires & potentias. Rurſum ſicut catapotijs, ſiue pilulis acribus & mordacibus, expurgátur è ſtomacho & viſceribus pituitoſi, bilioſi ceteriq; noxij humores, quibus expulſis corpus ſanum conſiſtit: ſic pariter per timorem gehennæ & vindictæ Dei, qui acer eſt & mordax, expelluntur è conſcientia omnes noxiæ cupiditates, quibus eiectis anima reſtat ſana & integra. Quocirca cuique orandum eſt cum Pſalte: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Hoc eſt quod ait Theod. lib. 1. de Curandis Græcorum affect. *Timor Dei medicamentum eſt optimum, quod ex malis conficitur, ſicut in theriacis accidit*, theriaca enim conficitur ex veneno, putà ex vipera. Nam, vt ait Iſaias cap. 26. 18. iuxta Septuag. *Per timorem tuum Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.*

Vmbilicus eſt mediocritas.

Tertiò, vmbilicus ſignificat medium, eò quòd vmbilicus ſit medium in homine. Vnde vmbilicus dictus eſt ab vmbone, quæ eſt media pars clypei. vmbilicus enim eſt ligamentum inteſtinorum, quod mediam ferè planitiem ventris obtinet; ad hoc factum, vt per eum fœtus in vtero matris nutriatur. Hinc Reate vocatur vmbilicus, id eſt medium, Italiæ. Et Cicero Act. 6. in Verrem: *Et raptã*, ait, *eſſe Liberam, quam eamdem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore, qui locus, quòd in media inſula eſt ſitus, vmbilicus Siciliæ nuncupatur.* Et Liuius libr. 5. Ætoliam vocat vmbilicum Græciæ. Vmbilicus ergo ſignificat mediocritatem in actionibus omnibus ſeruandam, ac medium, in quo conſiſtit virtus, à quo ſi declines ad extrema, incides in vitium. Senſus ergo eſt, q. d. Si timeas Deum, & recedas à malo, putà à vitio, erit ſanitas vmbilico tuo, id eſt, erit ſana & omnibus numeris abſoluta actio virtuſque tua, quæ fugiens extrema vitiorum in vmbilico, id eſt in medio, conſiſtit.

& vis generandi.

Quartò, vmbilicus ob vicinos lumbos, ventrem & genitalia, repræſentat *facultatem ſpiritualiter generandi*, inquit Hugo, *per verbi prædicationem, qua pollent doctores; quam ſanam futuram eſſe dicit, quia ſana erit eorum doctrina atque zelus ardens.* Vnde de ſponſa dicitur Cant. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis: id eſt alij, quibus alget ſtomachus & venter, opus habent vini potione vt calorem afferat; non ſic tibi, cuius in corde tantopere exardet & æſtuat charitas & zelus.*

Porrò aptè vmbilicum componit & comparat oſſibus; quia ſicut reliquum corpus oſſibus & neruis compingitur, ita venter vmbilico quaſi nodo & catena colligatur. Vnde ruptura illius letalis eſt. Hinc & hebr. vocatur שורר *ſchorar*, id eſt nodus concatenatus.

Myſticè.

Myſticè Primò, Lyran. Sanitas vmbilici, inquit, eſt bona animi diſpoſitio, putà moderatio in proſperis: medulla oſſium, eſt robur & conſtantia in aduerſis. Secundò, Beda: *Infirmitas*, ait, *operum adumbrata vmbilico, ad ſtatum perfectionis per timorem Dei conualeſcit. Per eumdem irrigantur oſſa, id eſt animi vires & robur recreantur & firmantur*, ad ſuperãdos omnes labores, tentationes & difficultates ſine laſſitudine: laſſis enim & nimio labore fractis medulla oſſium minui, & ſenſim conſumi ſolet. Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 20. S. Baſilium comparat Achilli quem fingunt Poëtæ educatũ à Chrone centauro ab eoq; enutritum medullis leonum & ceruorum. Longè enim meliùs ſanctiuſque educatus fuit S. Baſilius à timore Dei quaſi pędagogo, ab eoque & ſanctam audaciam leonum, & pium pauorem ceruorum hauſit & ſuxit. Ita Nicetas ibidẽ; & ex eo noſter Salazar. Tertiò, auctor Catenæ Græcorũ. Animę oſſa, inquit, ſunt robuſtiores firmioreſque illius vires, quæ ſingulæ, vt ſuo munere probè fungãtur, ſingulari cura & diligentia egent. Ad memoriam pertinet illud: *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Ad mentem & contemplatiuam animæ partem illud: *Conſideraui opera tua Domine, & obſtupui.* Ad appetentem verò eiuſdem portionem illud: *Coram te Domine omne deſiderium meum.* Ad ratiocinantem tandem illud: *Conſideraui dies antiquos*, & quæ ſequuntur. Porrò autem per corpus, vniuerſam omnium animæ facultatum congeriem accipere licet: *Omnia oſſa mea* (inquit Propheta) *dicent, Domine, Domine quis ſimilis tibi?* Cura proinde & ſtudium virtutum, integram ſanamque vitæ tuæ ... conuer-

conuerſationem conſeruabit ; gratia autem & benignitas Dei corpori tuo ſanitatem impertiet. Anagogicè, corpora noſtra in præſenti vita ſunt infirma & vlceroſa : nam & caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus viciſſim pugnat aduerſus carnem, at cùm illud quod in corruptione ſatum fuerat, ex terræ puluere ſemel ſurrexerit, integrè mox ſanitati reſtituetur. Curatio autem perfecta tum demum humanis oſſibus continget, quando os coibit ad os, & articulus ad articulum, & compago ad compagem. Tunc enim, iuxta Prophetæ prædictionem, oſſa noſtra florebunt ſicut herbæ campi. Aliter: Tunc, inquit, corpus tuum perfectæ iuſtitiæ actionem ſortietur, florente nimirum iam tum illo, lætoque virtutum colore & venuſtate admirabiliter ſplendente. Et cogitationibus tuis, quæ oſſium more animam intus cõſtringunt, plena à Deo curatio obueniet. Hæc ille.

Vers. 9. HONORA (Chald. *glorifica* DOMINVM DE TVA SVBSTANTIA, ET DE PRIMITIIS OMNIVM FRVGVM (Syrus, *fructuum*) TVARVM DA EI] ita Roman. & Hebr. Verùm Beda, Lyran. & alij legunt, *de pauperibus*; Septuag. *honora Dominum de iuſtis tuis laboribus* (Chald. *de tuo mammona*; Syrus, *de tua poſſeſſione*; Vatabl. *de tuis opibus*; Pagnin. *diuitijs tuis*) *& primitias da ei de tuis fructibus iuſtitiæ*; Aquila, Symmach. & Theodot. *de germine tuo*; Hebr. *de prouentu tuo*; S. Auguſt. ſerm. 1. de decimis, *deliba ei de tuis laboribus.*

Primò, Beda, Lyran. Hugo, Dionyſ. hæc accipiunt de eleēmoſyna. q.d. Da eleēmoſynam, non tam vt ſubuenias pauperi, quàm vt Deum per eam honores, ſcilicet faciendo eam pura intentione placendi vni Deo, eumque honorandi : ideoque fac eam animo hilari, largo & liberali, ac de primis & melioribus fructibus, vti præcepit Deus Num. 18. 19. *Da ei*, id eſt, da pauperibus propter amorem & honorem Dei : honor enim diuinæ maieſtatis exigit, vt meliora & maiora ei dentur, non ex rapinâ, ſed ex bonis iuſto labore partis, idque animo læto & liberali. Deniq; Dei honor eſt, quod diuites, quos ipſe ſui vicarios conſtituit, prouideant pauperibus; Dei enim eſt omnibus prouidere de neceſſarijs : ſed partem ſuæ prouidentiæ tranſcripſit in diuites, ideoque illis diuitias dedit, vt ipſi per eas vice verſa ſuccurrant pauperibus. Quare cùm id diuites præſtant, conſulunt honori diuinæ prouidentiæ, faciuntq; vt pauperes eam agnoſcant & glorificent. Hoc eſt quod ait Apoſtolus: *Miniſterium huius officij* (eleemoſynæ) *non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem miniſterij huius glorificantes Deum*, &c. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius*, 2. Corinth. 9. 12. Ita hunc locum explicat S. Auguſt. (ſi tamen is eſt auctor) lib. de Vita Chriſtiana c. 12. *Melius eſt*, ait, *te non facere eleēmoſynam, quàm vnde paucos tegis, inde plurimos denudare. Illam eleēmoſynam Deus comprobat, quæ de iuſtis laboribus miniſtratur, ſicut ſcriptum eſt: Honora Deũ de tuis iuſtis laboribus, & deliba ei de tuæ iuſtitiæ fructibus. Nam illam eleēmoſynam abominatur & reprobat, quæ de lacrymis præſtatur alienis.*

Secundò, alij hæc accipiunt de oblationibus, victimis, decimis & primitijs iuxta legem Deo offerendis : dum enim hæc offerebant Iudæi Deo, hoc ipſo proteſtabantur ſe hæc à Deo accepiſſe, ideoq; illi accepta referre. Vnde primitias dabant quaſi primos & meliores fructus, decimas quaſi frugum complementum : vt teſtarentur, tam prima quàm media & vltima, adeoque omnia, ſe à Deo accepiſſe. Primitiæ, inquit Vatabl. ſignificant inchoationem à Deo, decimæ verò perfectionem : Deus enim dat incrementum & perficit. Hac ergo proteſtatione honorabant & glorificabant Deum. Ita S. Hieron. in c. 45. Ezech. Cyrill. l. 2. in Ioannem c. 92. S. Greg. l. 7. Regiſtri epiſt. 111. *Quidquid*, inquit, *in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat. Hinc ſcriptum eſt : Honora Dominum de tuis iuſtis laboribus.* Sic & Caietan. Baynus, Ianſen. R. Salomon, R. Leui & alij.

Hic ſenſus hoc loco magis proprius & genuinus eſt : tum quia per vota, ſacrificia, decimas & primitias propriè honoratur Deus. Illorum enim oblatio eſt actus religionis; cuius actus elicitus eſt Deo debitum honorem & cultum tribuere : eleēmoſyna verò eſt actus elicitus à miſericordia, qui ſubinde dumtaxat imperatur à charitate, vel religione. Tum quia hæc omnia propriè ſpectant, Deum, docentq; actus, quibus eum colere debeamus, nimirum ſperando, reuerendo, honorando illum per oblationes lege præſcriptas.

Allegor. S. Cyrill. l. 2. in Ioan. c. 92. Chriſtiani, inquit, in lege noua offerunt Deo fructus iuſtitiæ, cùm non corruptibili & exteriori materia, ſicut Iudæi, ſed vt veri adoratores adorant Deũ in ſpiritu & veritate, vti ſanxit Chriſtus Ioan. 4. 23. Sic & auctor Catenæ Græcorum, qui & addit : Allegoricẽs autem is Deo primitias offert, qui omnẽ rectè factorum cauſam & laudem illi, tamquã primario auctori humiliter ſubmiſſoque animo tribuit : ſibi verò ex omnibus nihil quidquam proprium adſcribit, aut qui ex quouis ſtudioſæ actionis genere aliquid illi tamquam primogenitum offert. Exempli cauſa, manè dũ à ſomno exurgit, primitiarum loco defert illi orationem & gratiarum actionem; ex verbis autem tamquam primitiuam offert illi pſalmodiam : idemque in reliquis omnibus operibus & actionibus, ex quibus iuſta oblatio fieri poteſt, obſeruare curat. Tum ſi omnem curam & cogitationẽ à primo exortu vſque ad ſeram noctem ab omni vitio puram incontaminatamque retinere ſtudet, omneque voluntatis ſuæ momentum Deo aſſignat. In ſumma, iubemur hic omnes bonorum operum fructus Deo fideliter offerre. Per horrea autem & torcularia ſenſilis appetitus vires inſinuat : per frumẽtum verò morum præcepta diuinæque ſapientiæ decreta, nec non reconditos ſacrarum Scripturarum ſenſus : per cellas tandem facultates animæ, quæ rationi obſtinatè repugnant : has enim omnes ijs rebus impleri oportet, quas quiſq; ex myſtica ſua meſſe aut ſpiritali vindemia collegerit. Hæc ille. *Allegor.*

ET IMPLEBVNTVR HORREA (Aquila, *apothecæ*) TVA SATVRITATE, ET VINO TORCVLARIA TVA REDVNDABVNT] Syrus, *vinum ſcaturient.* q.d. Si honores Deum dando eleēmoſynam pauperibus, vel potiùs dando oblationes, decimas & primitias lege præſcriptas Deo ; Deus viciſſim dabit tibi copioſam meſſem frumenti, & vuarum vindemiam, ex quibus multa vini doſia exprimas ea copia, vt vinum redundet & ſuperfluat. Per *ſaturitatem* enim intelligitur abundantia frumenti & frugum, quæ heros cum familijs affatim exſaturent. Eſt metalepſis vel metonymia: ponitur enim effectus pro cauſa, putà ſaturitas pro fru-

frumento. Vnde Septuag. vertunt, *vt impleantur cellaria tua ſaturitate frumenti, vino autem torcularia tua retundent, vel ſuperfluant*; Vatabl. & Pagnin. *vino torcularia tua ſe rumpent*. Hoc enim propriè ſignificat Hebr. יִפְרֹצוּ *ifrotſu*. q. d. Tanta erit vini copia, vt torcularia ipſa diſrumpantur, ait Aben Ezra. S. Hieron. in c. 45. Ezech. legit, *implebuntur horrea tua frumento*, S. Auguſt. ſerm. 5. de decimis, *replebuntur areæ frumento*. Additque: *Et non erunt in eis neque morbi, neque caſus*. q. d. Erunt fruges tuæ vti multæ; ita ſanæ & integræ, ſine vitio, vel infortunio vllo. S. Iſidorus legit, *implebuntur horrea tua vbertate*, quæ vox ducta eſt ab vberibus lacte fœcundis. Sicut enim hæc quo plus lactis emanant, eo plus noui admittunt & recipiunt: ſic opes quo magis in eleēmoſynas & oblationes Dei erogantur, eo magis affluunt. Vnde Clemens Alexand. l. 3. Pædag. c. 1. *Largitio*, ait, *bonus eſt ſinus benignitatis, & potum ſitientibus cōmunicans rurſus augetur & repletur; ſicut ad vbera, quæ ſuguntur vel mulgentur, ſolet lac copioſius accedere*.

Eleēmoſyna ditat.

Cauſa Prima. Ratio eſt prima, quia idipſum hoc loco & alijs, quaſi congruam pietatis mercedem & præmium Deus promiſit. Vnde Eccl. c. 35. 11. *Sanctifica*, ait, *decimas tuas, da Altiſſimo ſecundùm datum eius*, &c. *quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties, tantum reddet tibi*. Vide ibi dicta.

Secunda. Secunda, quia qui opes erogant in opera pia, hi rectè eis vtuntur: quare merentur earum eſſe diſpenſatores & domini. Quocirca illis eas credit & committit Deus, æquè ac homines prudētes & pij, qui ſua optimè erogare & vtiliſſimè collocare cupiunt. Vnde Hebræi elegāti ſed vera paronomaſia dicunt, *eſar, aſtar*, id eſt *decima ditat*: nimirum ſi des decimas Deo, ipſe te ditabit. Auaris verò qui opes recondunt; aut prodigis, qui eas inutiliter profundunt vel abliguriunt, tam Deus quàm homines opes negant, imò ſubtrahunt. Vnde S. Auguſt. hom. 1. de decimis: *Hæc*, inquit, *eſt Dei iuſta conſuetudo, vt ſi illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris, ſcilicet nouem opum partibus detractis*. Ita Cain, qui auarè pecora dabat Deo, Deus viciſſim in os regerit: *Non dabit tibi terra fructus ſuos*, Geneſ. 4.

Tertia. Tertia, quia hoc poſcit natura frugum & opū, vt ſcilicet expendantur in id, ad quod a Deo creatæ ſunt, ſcilicet ad honorem Dei, & alimentum egentium: hic enim eſt finis, & quaſi beatitudo earum. Vnde χρήματα, id eſt pecuniæ, græcè dicuntur ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι, id eſt ab vtendo, quod ſcilicet eis bene vti, ſancteque eas expendere oporteat. Quare fruges ſi loqui poſſent, clamarent; vel, ſi alas haberent, vtique auolarent ad viros pios, qui illis piè vtuntur, eaſque in Dei honorem erogant.

Quarta. Quarta, quia id cōgruit Deo, nimirum Dei ſapientiæ, iuſtitiæ & ſanctitati, vt ſua dona ſapienter, iuſtè & ſanctè effundat in eos, qui eiſdem ſapienter, iuſtè & ſanctè ſunt vſuri ad Dei gloriam, & pauperum alimoniam. Vnde ipſe Malach. 3. *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc; ſi non aperuero cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam*. Quà de re ibidem plura dixi.

Myſticè. Myſtice, vir pius Deum ſanctis operibus colēs, omneſque ſuas dotes mentis & corporis, quas à Deo accepit, ad eiuſdem honorem referens, ad eiuſq; laudem & gloriam expendens, implet horrea mentis ſuæ ſapientia, gratia & virtute. Ita R. Leui. Quare in eo impletur ſpiritaliter, quod corporaliter præſtitum eſt Iudæis ſub Ezechia, quorum hæc eſt vox 2. Paral. 31. 10. *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima, eò quòd benedixerit Dominus populo ſuo*. Audi S. Cyrillum l. 16. in Leuit. Iuſtus manducans replet animam ſuam non cibo corporali: hic enim iuſtis ſæpè defuit & deeſt; ſed cibo cæleſti, qui eſt verbum Dei & ſapientia eius quo ſemper paſcuntur iuſti.

Vers. 11. DISCIPLINAM DOMINI, FILI MI, NE ABIICIAS: NEC DEFICIAS (Aquila, *ne reprobes*; Chald. *ne execreris*; Theod. *ne reprehendas, neque faſtidias*; Chald. *ne nauſeas*; Syrus, *ne tædio afficiaris*) CVM AB EO CORRIPERIS] Septuag. *fili ne paruipendas diſciplinam Domini, neque fatigeris* (græcè μὴ ἐκλύου, id eſt ne diſſoluaris, ne enerueris, ne cadas animo) *ab eo correptus*; S. Hieron. in c. 20. Ezech. legit, *fili ne contriſteris ad diſciplinam, neque deficias quando ab eo argueris*; S. Cyprian. l. de Habitu virg. *fili ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus*; Pagninus, *correctionem Domini, fili mi, ne abiicias, & ne tædio afficiaris propter increpationem eius*; Tigurina, *caſtigationem Domini fili ne auerſeris, neque faſtidias*; Vatabl. *ne moleſtè feras ad increpationem eius*. Quocirca ait R. Salomon Iſacides: Si Deus ærumnis, quibus corrigaris, augi te velit, eas inprimis vt ſingulare Dei munus gratas habeto: ſicut enim pater, qui filio vnicè dilecto benefacere ſtudet, poſtquam illum flagello percuſſerit, mox eumdem blanditijs delinit, ita iucundiora tibi bona videbuntur poſtquam vapularis.

Vers. 12. QVEM ENIM DILIGIT DOMINVS, CORRIPIT (Septuag. *arguit*:) ET QVASI PATER IN FILIO COMPLACET SIBI] Hebr. *& tamquam pater filium volet*; vel, *& tamquam pater filium* (caſtigando) *delectatur*; Chald. *& ſicut pater qui corripit* (Syrus, *erudit*) *filium ſuum*; Vatabl. *quem enim Dominus amat, obiurgat* (Pagnin. *increpat*) *& tamquam pater filium* (corripit quem) *amat vnicè*; Septuag. verò alijs punctis legentes vertunt, *quem enim diligit Dominus, arguit: flagellat autem omnem filium, quem ſuſcipit*.

Per *diſciplinam* ergo accipe correptionem Dei, tum eam, quæ fit per verba Dei vel vicariorum eius, putà rectorum, concionatorum, confeſſariorum, magiſtrorum, &c. tum eam quæ fit per flagella & tribulationes à Deo immiſſas vel permiſſas, ſiue ad culparū commiſſarum caſtigationem, ſiue ad committendarum præſeruationem, dū videlicet ad patientiæ & virtutis incrementū Deus innocentem & immeritum affligit, vti afflixit S. Iob. Error enim damnatus à Pontif. eſt hic: *Omnes iuſtorum tribulationes ſunt pœnæ peccatorum*. De verbali caſtigatione hunc locum explicat Chriſtus Apoc. 3. 19. dicens: *Ego quos amo, arguo & caſtigo*. De reali per verbera & flagella explicat S. Paulus ad Hebræos 12. 5. Vbi ex Septuag. ſic ait, *Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit*. Septuag. enim, & ex ijs S. Paulus, alijs punctis in Hebræo legerunt כְּאֵב *kieb*, id eſt *affligit*, flagellat, cruciat, dolere facit; pro quo Noſter & alij legunt כְּאָב *keab*, id eſt, *ſicut pater*. Eſto noſter Ribera in Heb. 12. v. 5. cenſeat Septuag. legiſſe ijſdem penè punctis quibus Noſter, ſcilicet כָּאָב *kaab*: hoc enim Primò ſignificat *ſicut pater*; Secundò, *flagellat*, legendo כַּאַב per *patach* ſub aleph (& fortè tempore Septuag. *cametz* charactere non differebat à *patach*) vt *cal* ponatur

pro

pro piel vel hiphil, ſcilicet kaab pro kieb vel hikiph. Rurſum Baynus ſubaudit τὸ *caſtigat*; vnde iiſdem punctis legens ſic vertit, *quem enim diliget Dominus, caſtigabit, & vt pater filium* (caſtigat) *cui bene vult*. Fuſe hunc locum tractat S. Paulus Hebr. 12.5. & ſequ. ac ego ibidem, quare hic plura non addam, vt ad vlteriora, quæ multa ſuperſunt, pergam.

Deus caſtigat ſuos quatuor de cauſis. Summa eſt, per *diſciplinam* ſignificatur hic tum morum caſtigatio, tum ſeuera educatio. Deus enim ſuos filios non educat blandè vt mater, ne eos faciat molles & ignauos, iuxta illud:

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos;

Prima. Secunda. ſed durè vt pater: idque Primò, vt puerilem lenitatem deponant, fiantque maturi & viri. Secundò, vt vitia pueritiæ & naturæ innata reſecent. Cùm corripieris ergo *ne deficias*, id eſt, ne puſillanimis fias, ne ob id te abiicias, vt ſerui facere ſolent; ſed potiùs gloriare, & excellentem te reputa: tunc enim, vt pulchrè ait Nazianzenus de plaga grandinis: *Recepiſti monile ingenuorum*. Vnde rationem correptionis ſubit, dicens: *Et quaſi pater in filio complacet ſibi*. q. d. Quia Deus pro ſingulari amore filiorum in illis ſibi complacet, idcirco nequit in eis aliquid tolerare, quod ſibi diſpliceat: hinc illos caſtigat, vt illud tollat. Quare ſicut medicus vrens & ſecans non iraſcitur ægro, ſed ægritudini: ſic Deus caſtigans non iraſcitur filijs vitioſis, ſed ipſis vitijs, adeoque pro filijs pugnat contra vitia. S. Auguſt. in pſalm. 21. *Intellige*, ait, *homo medicum eſſe Deum, tribulationem eſſe medicamentum ad ſalutem; non pœnam ad damnationem*. Vnde Apoſtolus hanc Dei diſciplinam ait eſſe conſolationis, non deſolationis Hebr. 12.5.

Tertia. Tertiò, vt euadent duri & fortes tam corpore quàm animo, quaſi athletæ ad ſubeundos quoſuis labores & agones. Vnde Seneca l. de Prouidentia: *Deus*, inquit, *bonos vt ſeueri patres duriùs educat, vultq́ eos doloribus ac damnis colligere robur*. Et Gloſſa: *Tanto minùs*, ait, *de flagello, quo caſtigamur, murmurare debemus, quanto certius in eo pignus paternæ dilectionis tenemus*. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c. 6.21. *Quàm aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus, quaſi lapidis virtus probatio erit in illis*. Vide ibi dicta. Et Iſidorus Peluſiota: *Vir patiens*, inquit, *laborũ exploratio eſt, & quaſi lapis βάσανος, id eſt probationis*. Sicut ergo lapide lydio probatur bonitas auri, ſic labore & dolore probatur bonitas patientiæ & patientis. Nam vt ait Nazianz. in carm. de virtut. & vitijs: *Patientia moleſtiarum eſt decoctio*. Sicut ergo bonus ſtomachus concoquit cibos quantumuis duros, ſic valida patientia decoquit aduerſitates quantumuis graues. Ex aduerſo ſicut imbecillis ſtomachus carnem ſalſam concoquere non poteſt, ſic infirma & debilis patientia acria verba & verbera digerere nequit. Vnde S. Chryſoſt. homil. 2. ad Popul. *Quod*, inquit, *de voluptate dixi eam non in ciborum apparatu, ſed in comedentium affectu ſitam eſſe, idem de contumelia vel moleſtia dico, eam non à contumeliantium ſententia, ſed à patientium affectu conſtitui vel deſtrui*. Hoc eſt quod ait ſapiens, *Contumeliæ dolorem non in ſe, ſed in ſenſu ſentientis ſentiri*.

Quarta. Deniq; Sanctos crucibus exercet Deus, vt mereantur gloriam æternam, ad quam eos deſtinat & præparat. Ita S. Aug. in pſalm. 93. *Duos filios*, inquit, *habet homo: alterum caſtigat, alterũ dimittit: facit vnus male, & non corripitur à patre; alter mox vt ſe mouerit, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur? niſi quia huic caſto hereditas ſeruatur: ille autem dimiſſus exheredatus eſt: videt eum non habere ſpem, & dimittit eum, vt faciat quod vult*. Plura hac de re dixi Iacobi 1.2. Apoc. 3.19. Eccl. 2. v. 1. & ſeq. Dum ergo, ô athleta Chriſti, affligeris, vexaris, tribularis; cogita, non ab homine, ſed à Deo tibi hæc quaſi diſciplinam immitti, ideoque eo amore, quo Deus quaſi pater tibi ea immittit, eodem quaſi filius tanti patris ea ſuſcipe, ac brachijs voluntatis extenſis amplexare, dicendo: Hæc crux, hæc ærumna mihi à te, ô Pater, ab æterno deſtinata eſt: amplector eã ex toto corde, quia ſic placitum ante te. Et cum S. Andrea: *O crux amabilis diu deſiderata, concupiſcenti animo præparata. Gaudens ad te venio. Suſcipiat me per te, qui pro me pependit in te, & per te me redemit.*

Nota. Hic finit Salomon præcepta de cultu Dei, quæ numero ſunt quinque. Primum eſt de ſpe, quod aſſignauit v. 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo*. Secundum de reuerentiã v. 6. *In omnibus vijs tuis cogita illum*. Tertium de timore v. 7. *Time Deum, & recede à malo*. Quartum de religione v. 9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia*. Quintum de patientiã v. 11. *Diſciplinam Domini ne abijcias*.

Moral. diſce hic, quantum bonum ſit diſciplina & caſtigatio Dei. *Moral. de bono caſtigationis.* *Diſciplina*, inquit S. Auguſt. tract. de Bono diſciplinæ tomo 9. *magiſtra eſt religionis, magiſtra veræ pietatis, quæ nec ideo increpat vt lædat, nec ideo caſtigat vt noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata cuſtodit, ita Salomone dicente: Fili ne deficias à diſciplina Domini, neque fatigeris cùm ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Nihil profectò eſt quod non diſciplina aut emendet, aut ſaluum faciat. Quam ſi quis ſapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit*. Idem de Viſitat. infirm. citato hoc loco: *Vis ſcire quia infirmitas corporis ſalutem animæ parturit, audi Dominum Apoſtolo reſpondentem: Virtus in infirmitate perficitur; ac ſi dicat: Complectere quam pateris infirmitatem, quoniam ita proficies de virtute in virtutem, ſi in infirmitate virtus augmentatur. Virtus autem eſt ſalus animæ, infirmitas corporis: quandoquidem per virtutem animæ patet ſalutem, donum Dei eſt: non enim eſt aliunde niſi ex Deo ſalus animæ. Flagellum ergo Dei ne contemnas, ſed flagellatus dic, Deo gratias. Dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentum. Non in furore, non in ira, ſed in miſericordia aperi pulſanti, deuotus eſto vocanti, gratias age miſeranti, redi ad te, cogita parumper, cogita de Deo penſa ſi potes, quoniam ſuper omnia opera ſua ipſius miſerationes. Ipſe Deus eſt, ipſe iudex eſt, nec te vult damnari, nec vult te male iudicari, vult tui miſereri, flagellat in te miſericorditer, quæ in eum deliquiſti pertinaciter.*

Hinc S. Auguſt. lib. 1. de ſer. Domini in monte (& habetur 23. quæſt. 4. cap. 51. *ea vindicta*) docet Superiores debere imitari Deum, vt quaſi patres caſtigent ſuos ex amore, nõ ex odio vel vindicta. Rurſum Deus, inquit S. Cyprian. libr. de Habitu virginum, corripit vt emendet per diſciplinam, ac conſequenter docet, ſingulos, etiam ſacerdotes, debere amare, non odiſſe diſciplinam, ac eos qui ſe de erratis admonent & corripiunt. *Diſciplina*, inquit, *cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ad nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo viuere, ad promiſſa cæleſtia & diuina præmia peruenire. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & auerſari ac negligere letale. Fili ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus*, &c. Cauſam ſubdit: *Conſiderantes quòd templa*

Dei ſint membra noſtra, ab omni fæce contagionis antiquæ lauacri vitalis ſanctificatione purgata: nec violari illa aut pollui fas eſt, quandoqui violat & ipſe violatur. Eorum nos templorum cultores & antiſtites ſumus: ſeruiamus illi, cuius eſſe iam cœpimus. A

TERTIA PARS CAPITIS.

De dignitate, vſu & pretio ſapientiæ.

Idem argumentum tractat Eccleſiaſticus cap. 1. cap. 15. cap. 39. Vide ibi dicta.

VERS. 13. BEATVS HOMO QVI INVENIT SAPIENTIAM, ET QVI AFFLVIT PRVDENTIA] Syrus, *qui inuenit prudentiam*; Chald. *qui profert vel eructat intelligentiam*; Septuag. *& mortalis* (S. Auguſt. contra Adimantum c. 19. legit *immortalis*) *qui vidit* (Scholiaſt. *qui tenuit*) *prudentiam*; Tigurina, *ô felicem hominem qui inuenit ſapientiam* (id eſt cognitionem Dei, quæ fit per diſciplinam & tribulationem, ait Vatabl. *& qui haurit* vel *eruit prudentiam*; Pagnin. *beatus homo qui inuenit ſapientiam, & homo qui eduxerit eam in lucem.* Hebr. eſt יפיק *iaphic*, quod Aben Ezra exponit. q. d. Beatus homo, qui poſtquam ſapientiâ imbutus fuerit, eam in vulgus prodit. Et R. Salomon: *iaphic*, inquit, id eſt educit, q. d. Beatus eſt qui alios ſapientiâ imbuit, qui ſcilicet illam corde ſuo concluſam & latentem, ore ſuo depromit, & alijs communicat.

Beda, Aben Ezra, Dionyſ. Salazar & alij hæc nectunt præcedentibus, *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias*, vt cauſam ſubdat dicens: *Beatus homo qui inuenit ſapientiam.* q. d. Diſciplinam & caſtigationem Dei amplectere, imò beatum te æſtima, quia per eam peruenies ad veram ſapientiam & virtutem, in qua vera beatitudo conſiſtit, iuxta illud Iob 5. 17. *Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.* Dei ergo παθήματα ſunt μαθήματα, imò μακαρισμοί, nimirum paſſiones & cruces à Deo immiſſæ ſunt diſciplinæ & doctrinæ, imò beatitudines, atque vt ait S. Pacianus Epiſc. Barcin. in Paræneſi ad pœnitentiam: *Tribulatio eſt repertoriũ diuinorum, & inuentariũ cognitionis Dei.* In cruce enim inuenitur Deus, iuxta illud Pſaltis: *Cum ipſo ſum in tribulatione.*

Verùm generalis eſt hæc ſententia, nec arctanda ad ſolas cruces: redit enim de more Salomon ad laudes ſapientiæ. Plenus ergo ſenſus eſt. q. d. Beatus ille qui ſiue per orationem, ſiue per ſtudiũ, ſiue per tribulationem, ſiue quo alio modo inuenit & acquirit ſapientiam: beatior eſt, qui in ea ſenſim ita creſcit, vt tandem affluat & abundet ſapientia, ita vt & in alios eam eructet & effundat. Vnde S. Bernard. de Conuerſ. ad Clericos: *Si corde*, inquit, *habueris ſapientiam, ore affines prudentia; ſed affluere, non effluere cura*, nimirum eſto concha, non canalis: concha enim priùs ſe ipſam implet aqua antequam quidquam emittat, canalis verò omnẽ emittit aquam quam recipit, nec quidquam in ſe retinet. Priùs ergo te imple ſapientia, deinde eam in alios effunde: inſipientes enim, qui ſtatim vt aliquid ſciunt, volunt eſſe doctores, totam ſapientiam effundunt, & nil eius in ſe retinent, vti idem ait ſerm. 18. in Cant. *Quamobrem ſi ſapis*, inquit, *concham te exhibebis, & non canalem*, &c. *Verùm canales multos habemus hodie in Eccleſia, conchas verò perpaucas.*

Huc facit illud S. Chryſoſt. orat. 4. contra Iudæos: *Sicut*, inquit, *in pecunijs, qui duos lucratus eſt aureos, procliuis eſt ad decem, & ad viginti colligendos & congregandos: ſic vſu venit in virtute, qui feceris bonum opus, officiumue præſtiteris, exſtimulationem & exhortationem ſumit, vt quoquo modo benefacta cumulet.* Nam vt aiebat S. Dominicus Loricatus, rogatus quomodo ad tantam vitæ auſteritatem perueniſſet: *Sicut ſomnus ſomnum adeſtat, ſic vigiliæ vigilias pariunt, labor laborem, pœnitentia pœnitentiã allicit & inuitat*, vt ſi vnam feceris, ſecundam, tertiam, quartam, &c. facere geſtias, itaque in ea creſcas, adeò vt tandem nulla tibi dura vel difficilis videatur, vti videre eſt in priſcis illis Aſcetis & Anachoretis. Similí modo aiunt Hebræi: *Peccatum trahit peccatum, & præceptum trahit præceptum.* q. d. Sicut peccatum vnum allicit ad alterum, ita obſeruatio præcepti vnius allicit ad obſeruationem alterius, vt, ſi vnum impleas, cupias implere & alterum.

MELIOR EST ACQVISITIO EIVS NEGOTIATIONE ARGENTI, ET AVRI PRIMI ET PVRISSIMI FRVCTVS EIVS] VERS. 14. Ianſenius & alij legunt, *& auro puriſſimo fructus eius*; Complut. *& auro primo fructus eius*; Syrus, *auro purgato* vel *probatiſſimo pretioſiores fructus eius.* Sic ergo Noſtra verſio nectenda & exponenda eſt, vt τὸ *melior eſt negotiatione* repetatur in poſteriore membro, hoc modo: Melior eſt acquiſitio ſapientiæ negotiatione argenti, & fructus eius melior eſt negotiatione auri primi & puriſſimi. Hunc eſſe ſenſum patet ex Hebræo, qui ſic habet: *Quia melior eſt negotiatio eius negotiatione argenti, & auro melior eſt prouentus eius.* Ita Pagnin. & Chald. Septuag. *Melius eſt*, inquiunt, *illam mercari, quàm auri & argenti theſauros*; Tigurina, *quia potior eſt merx illius merce argenti, & prouentus eius auro puro puto.* q. d. Studium ſapientiæ longè antecellit ſtudium diuitiarum, ait Vatabl.

Iã quia in negotiatione ſunt duo, ſcilicet merx, quæ emitur; & pretium, quo illa emitur: hinc duplex hîc dari poteſt ſenſus. Prior, q. d. Sapientia, eſt merx pretioſior omni auro & argento, ideoque præ omni auro comparanda. Poſterior. q. d. Melius eſt ſapientiâ quaſi pretio mercari & emere ſalutem, omnéque bonum, quàm auro mercari & emere merces quaſlibet etiam pretioſiſſimas: prouentus ergo & fructus, quem profert paritque ſapientia, melior & præſtantior eſt quodlibet auro & prouentu auri. Ex quo inferendum relinquit, beatum eſſe eum qui inuenit & acquirit ſapientiã, hoc enim præceſſit, idque hic probat, ſcilicet beatum eſſe ſapientem, eò quòd ſapientiæ pretium ſit inæſtimabile. Igitur ſignificat duo: Primum, mercaturam optimam eſſe ſpiritalem, qua mercamur ſapientiam & virtutem: mercamur autem eam oratione, ſtudio, rerum terrenarum contemptu, exercitio, & aduerſitatum patientia, quare mercaturam hanc longè meliorem, id eſt digniorem æquè ac vtiliorem eſſe mercatura qua comparatur aurum & argentum; quia ijs longè præſtat, longeque dignior & fructuoſior eſt ſapientia, quo tacitè innuit præ ſapientia cætera omnia parui vel nullius eſſe momenti. Secundum, longè meliùs nos per ſapientiã mercari & comparare Dei gratiam & gloriam, quàm mercatores per aurum & argentum mercentur & emant merces corporales

Mercatura virtutis præſtantiſſima.

etiam

etiam præſtantiſſimas; quare huic vni ſapientiæ mercaturæ nobis eſſe incumbendum præ omni mercatura auri & argenti, tum vt eam comparemus, tum vt per eam acquiramus felicitatem æternam. Ipſa ergo pretioſior eſt omni pretio & re pretioſa, ait Euſtachius in Catena Græcor. Igitur ſicut mercatores laborant aſſiduè, vt accumulent aurum, ſic ſapiens laboret noctes & dies, vt augeat & accumulet ſapientiam & virtutem, putà opera bona & merita, quibus immenſos gloriæ theſauros ſibi in cælis comparet. Addit R. Salomon meliorem eſſe negotiationem ſapientiæ, quàm ſit auri & mercium; quia in hac, qui illas vendit, eaſdem perdit & emptori reſignat: in ſapientiâ verò, qui eam alijs communicat, eamdem ſibi reſeruat, imò adauget; perinde ac qui lumine candelæ ſuæ candelam alterius accendit, lumen ſuum non perdit, ſed auget & multiplicat. Huc facit prouerbium Arabicum alibi à me citatum: *Acquire tibi aurum cum menſura, & ſcientiam ſine menſura.* q. d. Opibus quantum vitæ ſat eſt, at ſapientiæ & virtuti infinitum ſtude.

Vers. 15. PRETIOSIOR EST CVNCTIS OPIBVS: ET OMNIA, QVÆ DESIDERANTVR, HVIC NON VALENT COMPARARI] Pagnin. & Vatabl. *gemmis hæc eſt pretioſior, & omnia quæ expetere potes, ei æquari* vel *æquiparari non poſſunt.* Pro *opibus* heb. eſt פְּנִינִים *peninim*: quod Caiet. Pagnin. Tigurina, & alij vertunt, *margaritis*; Noſter c. 20. 15. vertit, *gemmis*; Syrus, *lapidibus pretioſis, & nihil eſt quod comparetur ei*; aliqui, *adamantibus*. Vnde Septuag. quos ſequitur S. Aug. contra Adimantum c. 19. paraphraſticè nonnulla addentes ſic vertunt, *nónne reſiſtet illi vllum malum? bene nota eſt omnibus appropinquantibus ei: omne autem pretioſum non eſt illa dignum.* Significat ſapientiam adeò eſſe pretioſam, vt dignitate & pretio ſuperet omnes res pretioſiſſimas, vti gemmas, adamantes, margaritas; quæ olim, cùm magna earum erat raritas itinere in Indias nondum patefacto, ſummi erant pretij. *Principium culmenq́; omnium rerum pretij margaritæ tenent,* ait Plinius l. 9. c. 35. Huc alludens Chriſtus, ait S. Chryſoſt. in Catenâ, ait Matth. 13. 45. *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuentâ autem vnâ pretioſâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Vide tredecim analogias inter margaritas & ſapientiam ſiue virtutem, præſertim heroicam & Apoſtolicam, quas recenſui Apocal. 21. 21. quare hîc plura non addam.

Hîc igitur verû eſt illud Tertull. in Scorpiaco c. 4. *Si tanti vitrum quanti verum margaritum*: id eſt, ſi vitreæ & fucatæ opes & honores ita alliciunt animas mundanorum, vt pro eis labores omnes, dolores & vitam inſumant; quàm fideles excitare debent opes & gloria cæleſtes, quas parit ſapientia & virtus, vt pro eis vltrò capeſſant labores omnes, ac probra, tormenta & martyria quælibet forti & alacri animo ſuſtineant.

Secundò, ſignificat ſapientiam ſuperare omne deſiderabile; ideoque ſolam cordis noſtri deſiderium implere & exæquare; quia ſcilicet ipſa ſapientia creata eſt diuina, increata verò eſt ipſe Deus; qui ſolus replet immenſam animæ noſtræ capacitatem & ſitim; vt *plena ſit voluptas dum non ſtimulatur auiditas,* ait Ambroſiaſter in 1. Cor. 1. v. 12. Deus enim immenſum eſt bonum, quod animã ita implet, ſatiat & inebriat, vt nil vlteriùs deſiderare vel capere queat. Vnde Nazianz. in carm. de Beatitu.

Felix qui Chriſtum fortunis omnibus emit.
Felix qui pectus tradidit omne Deo.

Virtus & adamas. Primò. Tertiò, docet ſapientiam & virtutem pretioſiorem eſſe cunctis gemmis & adamantibus, qui ferro, malleis & igni reſiſtunt, imò fiunt duriores; ſimili enim modo virtus ſolida ſuperat omnia aduerſa. Vnde Septuag. vertunt, *non reſiſtet illi vllum malum*: imò *creſcit aduerſis agitata virtus*, eſt ergo fortior adamante. Audi S. Chryſoſt. hom. 4. in Geneſ. *Adamantibus ſolidiores Dei gratia nos efficit, & ſi volumus, omninò inuictos. Itaque ſicut qui adamantem tundit, nihil illi nocet, ſed ſeipſum fatigat & robur ſuum imminuit: in hunc modum ſe habent res noſtræ cũ ſalutis noſtræ aduerſario, ſi armis, quæ nobis Spiritus ſancti gratia exhibet, nos muniamus.* Addit Plinius l. 37. c. 4. & ex eo S. Hieron. & Amos c. 7. *Adamas*, inquit, *venena irrita facit, lymphationes abigit, metuſq; vanos expellit à mente, & ob id quidam eum Anachitem vocauere.* Idem multò magis facit ſapientia & virtus. — Secundò.

Tertiò. Tertiò, S. Iſidorus (cui conſentit S. Auguſt. 22. Ciuit. c. 4) l. 16. Origin. c. 13. *Adamas*, inquit, *diſſidet cum magnete lapide in tantum, vt iuxtà poſitus ferrum non patiatur abſtrahi à magnete, aut ſi admotus magnes comprehenderit, rapiat atque auferat.* Ita Martyrum virtus minas, tormenta & terrores tyrannorũ non tantùm contempſit & irriſit, ſed & ambiuit, atque ad ſe attraxit. Audi S. Ambr. l. 7. epiſt. 53. quâ narrat S. Paulum ſibi apparuiſſe & reuelaſſe corpora, æquè ac martyrium SS. Geruaſij & Protaſij: *Aſtaſius*, inquit, *iuſſit B. Geruaſium* (eò quòd idola mura irriſiſſet) *tamdiu plumbatis tundi, quamdiu exhalaret ſpiritum. Quo remoto iuſſit ſibi adſtare Protaſium. Cui & dixit: Miſer vel tu viuere ſtude, & noli* βιοθάνατος (violenta morte) *interire ſicut & frater tuus Geruaſius. Cui B. Protaſius reſpondens ait: Quis eſt miſer, ego, qui te non timeo, an tu, qui me timere probaris? Aſtaſius dixit: Ego te miſer homo quomodo timeo? B. Protaſius dixit: In hoc probaris timere me & lædi, ſi non ſacrificauero dijs tuis* (Perſuaſerant enim idolorũ ſacerdotes Aſtaſio, illum in bello non habiturum victoriam, niſi cogeret Geruaſium & Protaſium ſacrificare dijs iratis.) *Si enim non timeres te lædi à me, ad ſacrificium idolorum non me compelleres. Ego autem te non timens contemno minas tuas, & omnia idola tua vt ſtercorà reputans Deum ſolum, qui regnat in cælo, adoro, &c. Age ergo quod cœpiſti* (in me excruciãdo) *vt mihi poſſit occurrere cum meo fratre Geruaſio hodie benignitas Saluatoris noſtri. Tunc Aſtaſius iuſſit eum capite cædi.*

Plura de adamante ac virtute Chriſti & Martyrum, quam repræſentat, dixi Amos 7. 7. Idem per vmbram viderunt philoſophi. Vnde Stoicorum dogma erat: *nihil eſſe expetendum præter virtutem, nihil fugiendum præter vitium.* Antiſthenes apud Laërtium libr. 6. c. 1. aſſeriſt, *virtutem ſibi ſufficere ad felicitatem, nec vlla re opus habere niſi robore Socratico: Virtutem eſſe armaturam, quæ detrahi non poſſit. Enſis enim & clypeus excutiuntur: ſapiens autem ac virtute præditus numquam non armatus eſt, eoq; vinci non poteſt.* Phocion: *Vnica virtus*, inquit, *potens eſt, reliqua cuncta nugæ.*

LONGITVDO DIERVM IN DEXTERA EIVS, ET IN SINISTRA ILLIVS DIVITIÆ ET GLORIA] Vers. 16. Septuag. *longitudo enim ætatis & anni vitæ in dextera eius*, &c. Arabicus, *quia in dextera eius longitudo ætatis, & in ſiniſtra eius diuitiæ, honor & nobilitas,* Tigur. *ad dexteram eius vitæ eſt diuturnitas*, &c. quod Vatabl. ſic explicat, q. d. *In poteſtate ſapientiæ eſt longa vita, opes & gloria,*

Eſt proſopopœia. Sapientia enim hîc more poëtico & comico deſcribitur vt cæleſtis virgo. Imò regina, dexterâ & ſiniſtrâ præmia ſui ſtudioſis & aſſeclis oſtentans. Dextera autem in Script. eſt dignior & potior ſiniſtrâ, ſicut dextra manus in homine potior & fortior eſt ſiniſtrâ, dextræque partes animalis ſunt potiores ſiniſtris. Vnde motus animalium incipit à dextera; ideoque baiuli onera imponunt ſiniſtræ: *Cùm enim dextera mouere, ſiniſtra moueri apta ſit, ob eam rem onera non parti mouenti, ſed mobili imponi debent*, ait Ariſtot. l. de Greſſu animal. Hinc & dextera pugnant athletæ & milites, ideoq; dextera eſt ſymbolum defenſionis & tutelæ: etſi apud profanos an dextera, an ſiniſtra fuerit potior, dubitent nonnulli. Fuit enim variarum ætatum & gentium varius hâc in re mos & cõſuetudo. Vnde Cyrus apud Xenophontem li. 8. Pædiæ conuiuas ſuos, quos honoratiore loco excipere volebat, ad ſiniſtram collocare ſolebat, eamque partem velut cordi viciniorem, digniorem dixit. Idem probat Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. c. 27. ex Euſebio lib. 1. de Vita Conſtantini, ideoq; S. Paulum aſſerit in priſcis imaginibus pingi ad dexteram S. Petri, non quaſi ipſo digniorem, ſed quaſi eius ſtipatorem & ſatellitem, vt ſcilicet gladio ſuo eum defendat: qui enim à dextris alicuius eſt, eius quaſi latero eſt & hyperaſpiſtes. Ita Nebriſſenſis in Quinquag. c. 39. Plura vide apud Bellarm. Baron. Lipſium, &c. Verùm apud Iudæos dextera potior & honoratior erat ſiniſtrâ. Nam in Script. boni & bona ponuntur ad dexteram, mali & mala ad ſiniſtram, vt patet in electis & reprobis Matt. 25. 33. Gaudet autem Salomon vſu & comparatione dexteræ cum ſiniſtra, vt patet c. 4. 27. *Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt.* Et c. 27. 16. *Oleum dexteræ ſuæ vocabit.* Et Eccl. 10. 2. *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtro illius.* Et Cãt. 2. 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Igitur longitudinem dierum ponit in dextera ſapientiæ, quia in homine nil melius eſt vita vitæq; conſeruatione & continuatione. Vita enim eſt baſis & fundamentum opum, gloriæ, cæterorumque bonorum omnium. Hinc licet æternitas in rebus inanimis, vt cælis & elementis, ſit dumtaxat eſſentiæ æternitas; in animatis tamen, vt in angelis & hominibus, eſt vitæ perpetuitas & æuiternitas. Vnde Iſidor. Peluſ. l. 3. epiſt. 149. ἡ ἀιδιότης, inquit, οἷον ἀειζωότης, id eſt, æternitas eſt quaſi æuiternitas, vel æternæuitas, id eſt æternæ vitæ continuatio, indeque eam propriè ſoli Deo, vtpote qui ſolus ortus expers ab æterno vixerit, & in æternũ victurus ſit, congruere aſſeuerat.

Porrò Antonius Nebriſſenſis in Quinquagena c. 16. citato hoc Salomonis loco: Quamuis, inquit, per *longitudinem dierum* intelligatur interminabilis vitæ iucunda poſſeſſio; reſpicit tamẽ ad illud quòd qui pertingebat annum vitæ centeſimum, incipiebat in *dextra* manu computare, cùm in *ſiniſtra* ſuperiores numeraſſet: vt de Neſtore, qui apud Ouidium dixerat: *Vixi*

Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas;

Iuuenalis ait:

Felix nimirum qui per tot ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos iam dextera computat annos.

Et S. Hieron. l. 1. contra Iouin. *Centeſimus numerus*, inquit, *de ſiniſtra transfertur ad dexteram.* Modum computandi veterum per digitos dexteræ & ſiniſtræ explicat ibidem Nebriſſenſis. Huc facit quod ſcribit Plinius libr. 34. c. 7. *Ianus geminus à Numa rege dicatus, qui pacis belliq; argumento colitur, digitis ita figuratis, vt CCCLXV. dierum nota, per ſignificationem anni temporis & æui ſe deum indicaret.* Ianus enim eſt ſol, cuius annuum curſum totidem dies conficiũt. Accedit, quòd in dextera ſit religio. Vnde Plinius l. 11. c. 45. *Ineſt*, inquit, *& alijs partibus religio: ſicut dextera oſculis auerſa appetitur, in fide porrigitur.* Per dexteram enim datam fides datur ſanciturque: quocirca eâ porrectâ ſalus denotatur. Hinc cùm Marius in Romanos graſſaretur, quos ſaluos volebat, ſublata exporrectaque dextera denotabat, teſte Plutarcho & Appiano in eius Vita. Dextrum etiam dicitur quod chariſſimum, vt Gen. 35. 18. Beniamin dicitur filius dexteræ, quia patri Iacobo in delicijs. Denique fœtus maſculos in dextris gigni, feminas in ſiniſtris docet Plinius libr. 7. c. 4. Hippoc. Aphor. 5. c. 48. & Galenus lib. 14. de Vſu partium.

Symbola dextera & ſiniſtra. Ad literam ergo oſtentat in dextera promittitque ſapientia ſuis diſcipulis longæuitatem: quia Deus Iudæis (quibus, vtpote popularibus ſibi coæuis, primò & proximè ſcribit hæc Salomon) per Moſen Leu. 26. & alibi promiſerat longam & felicem vitam in hoc ſæculo, ſi ſua, id eſt ſapientiæ, præcepta ſeruarent, ac deinde opes & gloriam, putà abundantiã vini, olei, frumenti, victoriam de hoſtibus, &c. Porrò per hæc temporalia bona promiſſa Iudæis, promittit ſimilia ſpiritalia Chriſtianis, æquè ac Iudæis: qui non Iudaico & carnali ſenſu, ſed ſpiritali & Chriſtiano charitatis ſpiritu legem implebant, quales erant Moſes & Prophetæ, alijq; Sancti veteris teſtamenti. Quocirca ſapientia hîc Chriſtianis promittit vitam longam, id eſt æternam, in qua noſtra beatitudo conſiſtit; ſimiliter gloriam & opes ſpiritales, quæ ſunt virtutes, gratia & dotes gloriæ cæleſtis. Sapientia ergo magis hæc dona à ſe promiſſa confert Chriſtianis, quàm Iudæis. Confert enim Chriſtianis vitam æternam, inquit Ianſenius, quæ hîc in ſpiritu incipit, & in futura perficitur vita. Confert & veras diuitias veramq; gloriam, quia animam replet multis gratiarum chariſmatibus, & filios Dei efficit, eoſq; reges ac ſacerdotes creat; & in futura vita omnis boni abundantiam & æternam gloriã præſtat. Huc facit illud Catonis: *Magiſter artium eſt honor & gloria.* Honos enim alit artes.

Symbolicè, multi per longitudinem dierum accipiunt æternam beatitudinem, per opes verò & gloriam temporalium bonorum copiam & felicitatem. q. d. Sapientia confert bona tam ſpiritalia & æterna, quàm corporalia & temporalia; ſed ſpiritalia in dextera, id eſt per ſe & primariò, temporalia vero in ſiniſtra, id eſt comitanter & acceſſoriè. Rectè enim iſta per dexteram, quia omnibus commoda & felicia ſunt; hæc verò per ſiniſtram, quia multis ſiniſtra & infelicia ſunt, vti fuere ipſimet Salomoni, adumbrãtur. Vnde R. Leui & Lyran. per dexteram & ſiniſtram accipiunt primariã & ſecundariam intentionem. q. d. Sapientia & Deus ſui cultoribus primariò promittit & confert bona ſpiritalia & æterna, ſecundariò verò quaſi mantiſſæ loco adijcit opes & gloriam, iuxta illud Chriſti: *Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, Matt. 6. 33. Æterna enim ſunt fida & certa (dextera enim fidelitatis eſt ſymbolum, ait Rhodiginus libr. 4. Antiq. cap. 3.

Vnde

Vnde in pactis, quibus vnus alteri fidem ſuam obligat dexteram dexteræ illius commiſcet) temporalia verò infida, inſtabilia & mendacia, quia hominem ſæpè deſerunt. Sic & S. Gregor. in pſal. 5. Pœnitent. *Conſtat*, inquit, *qui per multiplicitatem dierum, perennis vita accipitur: per paucitatem verò curſus iſtius ſæculi deſignatur: ſcriptum quippe eſt, Longitudo dierum in dextera eius. Quid enim per dexteram, niſi perpetua vita deſignatur? Quia ergo Sanctorum requies nullo clauditur termino, rectè in dextera Dei dierum dicitur eſſe longitudo.* Idem 3. p. Paſtor. c. 27. citans illud Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Siniſtram Dei*, inquit, *proſperitatem videlicet vitæ præſentis, quaſi ſub capite poſuit, quam intentione ſummi amoris premit: dextera verò Dei eam amplectitur; quia ſub æterna eius beatitudine tota deuotione continetur. Hinc rurſum per Salomonem dicitur: Longitudo dierum in dextera eius, in ſiniſtra verò illius diuitiæ & gloria. Diuitiæ itaque & gloria qualiter ſint habendæ docuit, quæ poſita in ſiniſtra memorauit.* Sic & S. Ambr. in pſ. 118. octon. 14. ad illud: *Anima mea in manibus tuis ſemper*, citato hoc loco: *Bonis*, inquit, *manus vtraque dotata eſt dotibus. In eo tamen habent varietatem ſui muneris, quòd & præſentia & futura tempora comprehendunt, vt læua præſentium remuneratrix, dextera futurorum ſit.*

Siniſtra ſunt præſentia bona, dextera futura in cœlo.

Præclariùs verò S. Auguſt. in pſal. 120. *Sponſa*, inquit, *dicit de ſponſo, de Chriſto Eccleſia in amplexu pietatis & caſtitatis. Quid ait? Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera eius complectetur me. Quid autem quia ſurſũ erat dextera, deorſum ſiniſtra; & ſic complectebatur ſponſus ſponſam, ſupponens ſiniſtram ad conſolationem, imponens dexteram ad protectionem? ſiniſtra, inquit, eius ſub capite meo. Deus illam dat, ideo ſiniſtra eius, quia omnia iſta temporalia Deus dat.* Et paulò poſt: *Ergo ſi eſt ſiniſtra, ſit ſiniſtra, ſed ſub capite ſit. Supra illam ſit caput tuũ, id eſt, ſupra illam ſit fides tua, vbi habitat Chriſtus. Noli temporalia præponere fidei tuæ, & non erit ſiniſtra ſuper caput tuum: ſed omnia temporalia ſubde fidei tuæ, & fidem tuam præpone omnibus temporalibus, & erit ſiniſtra ſub capite tuo, & rectè dextera eius complectetur te. Audi hoc ipſum exponi in Prouerbijs, quid eſt ſiniſtra ipſa, quid eſt dextra, cùm de ſapientia diceret: Longitudo, inquit, dierum & anni vitæ tuæ in dextera eius, in ſiniſtra autem eius diuitiæ & gloria. Longitudo illa dierum æternitas eſt. Hoc enim proprio modo dicit Scriptura longum, quod æternum eſt. Nam quidquid finem habet, breue eſt. Alio loco: Longitudine, inquit, dierum replebo eum.* Et mox: *Sed longæuum pro æternitate illa poſitũ eſt. Longa vita eſt in dextera eius. At verò diuitiæ & gloria, id eſt, ſufficientia vitæ huius, ea quæ bona exiſtimantur ab hominibus, ſiniſtra eſt. Neſcio quis venit, & vult tibi percutere dexteram, id eſt, tollere tibi fidem tuam. Tu accepiſti alapam in dexteram, præbe ſiniſtram, id eſt, vt illud tollat, quod temporale eſt, & non ea quæ æterna habes. Audite Paulum Apoſtolum hoc facientem. Homines perſequebantur in eo quòd Chriſtianus erat: percutitur illi dextera, ille ſiniſtram opponebat: ciuis Romanus ſum, ait, Dexteram contemnebant illi, & ille de ſiniſtra terrebat; quia illi dexteram eius timere non poterant; nondũ enim Chriſto crediderant.*

Denique Alchymiſtæ ex eo, quòd hîc dicuntur eſſe opes in ſiniſtra ſapientiæ, colligunt ſapientiam inueniſſe alchymiam, id eſt artem ex ære alióue metallo vt lapidis philoſophici faciendi aurum vel argentum, adeoque huius artis auctorem fuiſſe Salomonem. Verum hęc friuola ſunt & nugę. Vide Pinedam l. 4. de Rebus Salom. c. 21. n. 1. & ſeq.

A Meliùs Didymus in Catena Græcorum: *Per ſapientiæ dexteram*, inquit, *perfectorum hominum virtus & energia ſignificatur; per ſiniſtram bonorum huius vitæ affluentia. Per dexteram diuinarum rerum cognitio, ex qua immortalitatis vita oritur; per ſiniſtram humanarũ rerum notitia, ex qua gloria & opum abundantia naſcitur.*

Aliter R. Salomon Iſacides. q.d. Qui dextrè in ſapientia verſantur, laboribuſque ritè funguntur, hi diuturnitatẽ vitæ, & comitanter opes gloriamq; obtinebunt. Qui verò ſiniſtro calle gradiuntur, cùm labores obeant, haud tamen ad eiuſdem nomen ac dignitatem pertingent, ab eâdem nihilominùs diuitias gloriamque reportabunt.

Virtus prolongat vitam quintupliciter.

Porrò cauſæ cur ſapientia & virtus vitam prolonget, ſunt quinque. Prima, quia ſapientia ſapienter prouidet tam commoda quàm incommoda B ſanitati & vitæ: incommoda cauet, commoda accerſit. *Primò.*

Secunda, quia ſapientia moderatur iræ & triſtitiæ, ceteriſque animi paſſionibus, quæ vires, ſpiritus & vitam conſumere ſolent; facitque hominem pacificum, lętum, hilarem, ideoq; longęuum: nam *animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa.* *Secundò.*

Tertia, quia ſapientia docet prudentiam & tẽperantiam in cibo & potu, quæ eſt mater ſanitatis & longęuitatis. Hinc legimus in Vitis Patr. S. Paulum, S. Antonium, S. Macarium, S. Romualdum, &c. vixiſſe, imò ſuperaſſe centeſimum annum. Sic etiamnum in monaſterijs videmus moniales, vtpote curis vacuas, ſobrias, contentas, hilares, viuere 90. vel centum annos. *Tertiò.*

C Quarta, quia virtus non eſt aliud quàm honeſtas & rectitudo vitæ, quæ longitudinem vitæ meretur & efficit: iuſtum enim eſt, vt qui rectè vitam exigit, eam longam & longæuam ſortiatur. *Quartò.*

Quinta, quia lex Dei eſt: *Honora patrem tuũ & matrem, &c. vt longo viuas tempore*, Deuter. 5. v. 16. congruum enim præmium eſt, vt ei vita ſeruetur, qui vitæ cognoſcit & honorat auctorem: Deus autem & ſapientia eſt auctor & pater vitæ noſtræ. Quare ſi eam honoremus, eique obediamus, ipſa vitam, quam dedit, conſeruabit & prolongabit. *Quintò.*

Porrò Septuag. hoc loco ſubnectunt aliam ſententiam, quæ nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec in Latino habetur, ſcilicet hanc: *Ex ore eius procedit iuſtitia, legem autem & miſericordiam in lingua portat.* In quæ verba Olympiodorus in Catena Græcor. *Antè*, inquit, *annorum vitæ, dexteræ itidem & ſiniſtræ* D *ſapientiæ meminerat Sapiens; hîc verò eiuſdẽ linguæ & oris mentionem facit, adeoq; totius corporis effigiem, totãq; illius compagem & ſymmetriam deſcribit, & per quamdam proſopopœiam ob oculos nobis ponit.*

Senſus ergo eſt. q.d. Sapientia ore promit, docet & iubet ea, quæ iuſta & ſancta ſunt, nimirum quæ legi Dei æternæ, ac miſericordiæ & pietati ſunt conformia. Ita S. Aug. l. Contra aduerſ. legis & Prophet. c. 11. *Qui* (Deus) inquit, *nos æquo animo iniurias ſuſtinere & donare præcepit*, &c. *Et hoc video, quia de ſapientia Dei dictum eſt, quod legem & miſericordiam in lingua portet. Nec per miſericordiam debita debitoribus noſtris ſcienter dimitteremus, niſi per legem ipſa debita diſcerneremus.*

Secundò, idem S. Auguſt. lib. de Gratia & lib. arbit. c. 18. to. 7. *Cùm dicitur*, inquit, *Diligamus inuicem; lex eſt: cùm dicitur. Quia dilectio ex Deo eſt; gratia eſt. Sapientia quippe Dei legem & miſericordiam in lin-*

gua

gua portas. Vnde ſcriptum eſt in pſal. 83. Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit. q.d. Sapientia ore edicit ſancitque legem, ſed eodem ore promittit miſericordiam, id eſt gratiam, qua legem impleas, iuxta illud S. Leonis: *Iuſtè inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

Tertiò, noſter Salazar exponit, q. d. Sapientia præcepti duritiem mitigat dulcedine pręmij. Nam eodem ore quo fert præceptum, affert & miſericordiam, id eſt, præmium liberale & munificum, quod grauitatem præcepti edulcoret.

Sapientia quaſi perſonæ dotes & membra.

Denique S. Greg. Nyſſen. notat per proſopopœiam induci hîc ſapientiam quaſi ſponſam regiam, quæ ab omni ornatu ſe ipſam lectori commendet: Dicit enim, inquit, *In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Deinde oris quoque eius dicit redolentiam, ſpirantem bonum odorem iuſtitiæ, dicens. Ex ore egreditur iuſtitia. In eius autem labris pro rubore naturali legem florere dicit & miſericordiã. Et vt huius ſponſæ inueniatur omni ex parte perfecta pulchritudo, laudatur quoque eius inceſſus, dicit enim: In vijs iuſtitiæ ambulat. Eius quoque pulchritudinis laudibus nec deeſt quidem magnitudo, cum eius incrementum excurrerit tamquam planta aliqua bene germinans. Vt autem intelligas cui plantæ aſſimiletur eius altitudo; Ipſa, inquit, eſt lignum vitæ, quod eſt quidem nutrimentum ijs qui eam apprehendunt; ijs autem qui innituntur, columna firma ac ſtabilis, & quæ non poteſt labefieri. Per vtrumque autem intelligo Dominum: ipſe enim eſt vita & fulcrum ac firmamentum. Ita autem habet dictionis contextus. Lignum eſt vitæ omnibus, qui apprehendunt eam. Comprehenditur autem cum cæteris eius quoque laudibus potentia, vt per omnia bona impleatur laus pulchritudinis ſapientiæ. Deus enim, inquit, ſapientia fundauit terram.* Et paulò inferiùs: *Poſt hæc autem incipit tamquam paranymphus deducere iuuenem ad eiuſmodi cohabitationem, ad diuinum thalamum iam iubens intueri. Dicit enim: Ne dimittas eam, & retinebit te: dilige eam, & cuſtodiet te: circumualla eam, & te in altum euehet: honora eam, vt te amplectatur, vt det tuo capiti coronam gratiarum; corona autem deliciarum te proteget. Cùm his nuptialibus coronis eam iam tamquã ſponſam ornaſſet, iubet ab ea numquam ſeparari, dicens: Quando ambulas duc eam, & ſit tecum cùm dormies, te cuſtodiat, vt tecum experrecto colloquatur.*

Vers. 17.

VIÆ EIVS VIÆ PVLCHRÆ, ET OMNES SEMITÆ ILLIVS PACIFICÆ] q.d. Viæ, per quas ſapientia incedit & præcedit, quaſque nobis calcandas & ſequendas proponit, ſunt elegantes, pacemque & proſperitatem rerum omnium afferunt, iuxta illud Cant. 7. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis!* Pro *pulchri* heb. eſt נעם *noam*, id eſt, pulchritudo, decor, venuſtas, elegantia. q.d. Viæ ſapientiæ & virtutis ſunt viæ pulchritudinis, decoris & elegantiæ. Virtus enim eſt vera Noemi, vera ſcilicet pulchritudo, verus decor, vera venuſtas animæ, & actionum totiuſque hominis. Vnde S. Auguſt. in biuio virtutis & vitij conſtitutus, cùm hinc blanditię libidinis eum ad ſe pellicerent, inde decor caſtitatis; eo victus libidines omnes diſcuſſit: *Aperiebatur enim*, inquit, *ea parte quo intenderam faciem, & quò tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris; honeſtè blandiens vt venirem neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus: & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac nõ in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet vt cadas. Proijce te, ſecurus excipiet te & ſaluabit te.* Ita S. Auguſt. l. 8. Confeſſ. c. 11.

Porrò Hebræa ad verbum ſic habent, *& omnes viæ eius viæ pulchritudinis, & omnes ſemitæ eius pax*, id eſt, plenæ pace, adeò vt ipſa pax vocari poſſint; Septuag. *viæ eius viæ bonæ, & omnes ſemitæ eius in pace*; Syrus & Chald. *viæ eius viæ ſuauitatis, & omnia itinera eius pacifica*; Vatabl. *viæ eius ſunt viæ amœnæ*. Pagnin. *delectabiles*; Aben Ezra, *quæ voluptate ambulantem in eis perfundunt*) *& omnes ſemitæ eius pacatæ*. Arabicus verò, *de ore eius procedit iuſtitia, & ſuper linguam ſuam portat legem & miſericordiam: viæ eius viæ bonitatis, & curſus eius in pace.*

Pro *viæ* Septuag. vertunt ἄξονες. quod Primò, ſignificat axes curruum; Secundò, tabulas in quibus leges cũ ſuis pœnis & præmijs deſcriptæ ſunt; Tertiò, tabulas in quibus militum nomina exarata ſunt; Quartò, vias & ſemitas. Quæ omnia rectè adaptari poſſunt ſapientiæ. Verùm hoc loco ἄξονες non niſi vias & ſemitas ſignificare, patet ex Hebræo נתיבות *netibot*, quod omnes ad vnũ vertunt *vias* vel *ſemitas*. Senſus ergo eſt, ſapientiæ ſiue virtutis vias, id eſt modos & rationes agendi, eſſe pulchras & elegantes, itaque decorè compoſitas, vt omnes in ſui ſpeciem & amorem rapiant (cùm ex aduerſo vitiorum praxes ſint turpes, infames, exoſæ, execrabiles) ac ſimul adducere pacem, id eſt ſerenitatem & lætitiam conſcientiæ: hæc enim conſiſtit in victoria paſſionum, quam parit virtus. Item adducere pacem cum Deo, quin & cum hominibus, quantum eſt ex parte virtutis. Hæc enim cuique ius ſuum tribuit, imò & charitatem exhibet, quæ mater eſt pacis. Denique adducere pacem, id eſt, omnem proſperitatem, omneque bonum. Verùm ſicut inter diſſidentes ſæpè lite vel bello pax paranda eſt: ita & virtus, quia è diametro à concupiſcentia diſſidet, iugi cum ea colluctatione & bello victoriam & pacem ſibi paret oportet, quo facto dicit cum Pſalte pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* In Deo enim & Chriſto, qui eſt pax noſtra, ſecura lætaque dormit & conquieſcit. Vnde Beda, qui hæc omnia accepit de Sapientia incarnata, putà de Chriſto: *Viæ*, inquit, *id eſt, actiones Chriſti & doctrinæ, quæ in Euangelijs continentur, pulchra ſunt, quia diuinæ, ac puri hominis modum longè tranſgreſſæ, & omnia eius iuſſa ad pacem ducunt æternam: omnia quæ in carne geſſit, ad reconciliandũ Deo mortales, ad pacificandũ cum angelis genus humanum, ad demonſtranda ſuis ſeruanda ad inuicem pacis & dilectionis exẽpla pertinent.* Addit auctor Catenæ Græcor. vias Chriſti pacificas eſſe, *quia ipſe nobis inhibuit ne percuſſi percuteremus. Aut iniuria appetiti reſiſteremus, aut iniuſtè criminati recriminaremur, aut habiti ludibrio viciſſim haberemus.* Ad hanc Salomonis gnomen pertinet illa S. Laurentij Iuſtiniani: *Vitanda ſunt quæ multis obſtaculis impediuntur; quia opera Spiritus ſancti facilia ſunt & æquabilia, diaboli verò aſpera & plena ſentibus.* Ita habet Vita eius c. 9.

LIGNVM VITÆ EST HIS, QVI APPREHENDERINT EAM: ET QVI TENVERIT EAM, BEATVS] *Vers. 18.* Septuag. *lignum vitæ eſt omnibus, qui complectuntur eam*; S. Auguſt. in pſal. 32. *omnibus poſſidentibus eam*; S. Hieron. in Iſaiæ 65. *omnibus qui acce-*

dunt

dunt ad eam: idem in Ezech. 47. *omnibus credentibus in eam*. Poſſet quoque propriè verti, *omnibus roborantibus eam*, id eſt, omnibus, qui fortiter & robuſtè eam amplectuntur, eamque tuentur, propagant & propugnant. Arabicus, *ipſa eſt lignum vitæ, cuſtodiens omnes qui ea proteguntur; & qui nituntur ei, tamquam ille qui nititur Domino*. Eſt catachreſis, q. d. Sapientia affert ſui ſtudioſis immortalem & ſuauiſſimam vitam, vti faciebat fructus ligni vitæ in paradiſo, imò præ illo multò magis. Vnde noſter Pineda in Eccleſ. 2. v. 5. nu. 9. ſic exponit, q. d. Non ideo erat beatus Adamus, quia edere poterat de ligno vitæ, cuius fructus nullo manuum illius labore conſtabat: ſed ideo beatus homo, qui labore & niſu manuum ita apprehenderit ſanctitatem, & honeſtum virtutis laborem, vt videatur ſanctitas in illius manibus atque laboribus radices figere, ex quibus pullulet velut arbor vitæ, cuius fructus eſt beatitudo.

Eleganti metaphora comparat ſapientiam ligno vitæ. q. d. Qui ita firmiter ſapientiam, id eſt virtutem, tenet, vt in manibus illius quaſi radices egiſſe videatur, nihiloque faciliùs ex illis euelli poſſit quàm antiqua arbor ex terra, in qua altiſſimas radices egit; fiet ſanè in illius manibus lignum vitæ, id eſt, arbor, quæ vitalem fructum ferat illi, qui in paradiſo proueniebat, ſimilem itaque fructum manuum ſuarum comedet. Nam ſicut paradiſus tropologicè ſignificabat animam ſanctam, perpetua lętitia virtutumque flore & fructu vernantem; ſic arbor vitæ repræſentabat ſapientiam, ſiue virtutem in genere, quatuor verò flumina, quæ iuxta eam è medio paradiſi ſcaturiebant, repræſentabant quatuor virtutes cardinales, nimirum Ganges prudentiam, Nilus temperantiam, Tigris fortitudinem, Euphrates iuſtitiam. ita S. Ambroſ. lib. de Paradiſo c. 1. S. Auguſt. 13. Ciuit. 21. Origen. in Geneſ. 2. Philo lib. de Allegorijs. Vide dicta Gen. 2. v. 8. & 9.

Sapientia eſt lignum vitæ. Sapientia ergo dicitur *lignum vitæ*, vel, vt ex Hebræo vertas, *vitarum*.
Primo. Primo, quia vitam tam naturalem animæ, quàm ſupernaturalem gratiæ procurat, conſeruat, prolongat.

Secundò. Secundò, quia ſicut lignum vitæ vigorem vitæ, putà humidum radicale & calorem naturalem per defectum ſenectutis labaſcentem reſtaurabat, & priſtinæ integritati reſtituebat: ſic pariter ſapientia ſiue virtus vires animæ & gratiæ, vitio concupiſcētiæ arroſas & ſeneſcentes priſtino vigori reſtituit, imò roborat & adauget. ita Caietan. iuxta illud Iſaiæ 65. 22. *Secundùm dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt*. Reſpicit enim ad id quod dixit v. 16. *Longitudo dierum in dextera eius*. Vnde S. Hieron. citans hunc locum Iſaiæ 65. *Iuſtus*, inquit, *vt palma florebit quotidie triumphans de aduerſarijs, & inſigne victoriæ præferens*,

Tertiò. Tertiò, ſicut fructus ligni vitæ erat ſuauiſſimus, eratque quaſi nectar & ambroſia hominis innocentis & ſancti, iam inchoantis felicitatem: ſic pariter eſt & ſapientia ac virtus, iuxta illud pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potabis eos*. ita Ianſenius.

Quartò. Quartò, ſicut lignum vitæ præſeruabat hominem à morte, faciebatque vt homo viuus ab hac vita tranſferretur ad cæleſtem & beatam: ſic & ſapientia transfert hominem à vita gratiæ ad vitam gloriæ, inquit Lyran.

Quintò. Quintò & maximè, lignum in paradiſo repræſentabat viſionem Dei, qua in cælo fruuntur Sancti, ideoque immortales & beati redduntur per omnem æternitatem: hanc enim aſſequuntur merito ſapientiæ & virtutis; ita S. Hieron. in Ezech. 47. S. Aug. in pſal. 32. & alij. Idque ita eſſe patet ex Apoc. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*. Et c. 22. 1. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam criſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ*. Vide quæ vtrobique annotaui. Significat ergo Salomon, vſum & eſum ligni vitæ, Adæ peccato deperditum, per ſapientiam reſtitui, ac conſequenter reſtitui & immortalitatem, quam hoc lignum afferebat. ita S. Hier. in Iſaiæ 65. Huc facit vulgatum illud, ait Aben Ezra: *A ſapientia viro, qui eſt paruus quidam mundus, vitam afferri*.

Alleg. S. Hier. in Iſaiæ 65. per *lignum vitæ*, accipit Chriſtum, qui in medio paradiſi, id eſt Eccleſiæ, quaſi arbor vitalis, vitam omnibus in ſe credentibus largiens, erigitur. Sic & S. Greg. 12 Moral. c. 4. S. Aug. l. 1. Contra aduerſ. legis & Proph. c. 15. & Beda, quem audi. Sicut lignum vitæ viuificabat Adamum: *ita per ſapientiam Dei, id eſt, Chriſtum*, inquit, *viuificatur Eccleſia: cuius & nunc Sacramentis ac ſanguine pignus vitæ accipit, & in futuro præſenti beatificatur aſpectu*. Lignum vitæ ergo inter alia repræſentabat Euchariſtiam, quæ vitam gratiæ conſeruat, & cuius vi reſurgemus ad vitam immortalem, vti docet Chriſtus Ioan. 6. 55. Sic & Dionyſ. *Chriſtus*, inquit, *vocatur lignum vitæ, quia multiplici alimonia reficit ac ſuſtentat fideles, quouſque de vita gratiæ ad vitam gloriæ eleuentur, videlicet pane lacrymarum, vigore operationum bonarum, donis gratiæ, virtutum conſolatione, & ſpe futurorum, imo ſeipſo, ſuique corporis ac ſanguinis Sacramento*. Allegoria.

Porrò Polychronius in Catena Græcorum per *lignum vitæ* accipit crucem, in qua Chriſtus quaſi fructus in arbore pependit, vt nos ſua redemptione, ſanguine & gratia cibaret & paſceret, ac immortalitati reſtitueret. *Per lignum vitæ*, inquit, *crucem denotat: qui enim Chriſto ſyncere ſolideque adhæret, illi è ligno illo dimanat incorrupta vita. Qui vero baſi illius ſeſe adiungunt, ijs fundamentum, cui inconcuſſe inſiſtant, poſitum eſt prævalidum. Sunt enim perinde ferè comparati atque illi qui pedem in tuto fixerunt. Sapientia omnibus eſt lignum vitæ, qui grauiter illam ſectantur pijs porrò firmum eſt munimentum, qui ſecurè illi innituntur. Nam & in Deo requieſcit, & ſuper dilectum ſuum, amore languida ſuauiter incumbit*.

ET QVI TENVERIT EAM, BEATVS] qui ſcilicet conſtanter eam tenuerit, anxia cura etiam minima eius monita perpendens, ait R. Leui, & obſeruans: quique in ea firmiter perſeuerauerit vſque ad finem vitæ, hic vtique beatus eſt: quia mox à morte æterna beatitudine donabitur. Hebr. eſt תֹּמְכֶיהָ *tomecha*, id eſt, *ſuſtinentes eam*: תָּמַךְ *tamach* enim eſt deſuper ſuſtinere, ne quid cadat aut pereat: virtus enim, quia in alto & arduo ſita eſt, ſurſum eſt ſuſtinenda aſſiduo labore & niſu, ne ex fragilitate & concupiſcentia deorſum ad voluptates ſenſiles & carnales decidat & defluat. Vnde Chald. vertit, *qui negotiantur* vel *occupantur in ea*; S. Auguſt. *poſſidentibus eam*; S. Hieron. *qui reclinantur ſuper eam*, non quaſi ſuper mollem & delicatum lectum, ſed quaſi ſuper fortem columnam & infrangibile fulcrum (hoc enim ſignificat Hebr. תָּמַךְ *tamach*: & tale erat lignum vitæ;) & alibi, *credentibus in eam*; Pagninus; *qui fulciunt eam*; ita vt viciſſim ab ea

A fulciantur & ſuſtenteutur; Septuag. *qui incumbunt in eam ſicut in Domino ſecura.* q. d. Sapientia iјs, qui ſibi innituntur & incumbunt, eſt ἀσφαλὴς, id eſt tuta, fida, ſecura, perinde ac ſi ipſi Domino incumberent & inniterentur, vti reuera ipſi incumbunt & innituntur. Sapientia enim Deum adducit, imò Dei indiuidua comes eſt, ſocia & filia: Hebr. enim מְאֻשָּׁר *meuſſar* tam ſignificat ſecurum, quàm beatum; radix enim אִשֵּׁר *iſſcher* in *piel* ſignificat tam recta incedere, recta firmare greſſus, hoc eſt, ſecurè incedere, quàm beatè & beatum facere. Vnde S. Hilar. in pſal. 1. omiſſo τῷ *ſecura* ſic clarè legit, *lignum vitæ eſt omnibus qui complectuntur eam & qui incumbunt in eam ſicut in Domino*, S. Hieron. verò in Iſaiæ 65. legit, *& qui innituntur ſuper illam, quaſi ſuper Dominum firmitas*, ſupple, erit, vel accedet eis.
B Et S. Auguſt. in pſal. 32. ex hoc loco docet Deum nobis eſſe ſecuram poſſeſſionem. *Dicat*, inquit, *anima omnino ſecura, dicat, Deus meus es tu, qui dicit animæ noſtræ; Salus tua ego ſum; dicat ſecura, dicat: non faciat iniuriam cùm hoc dixerit, imò faciet ſi non dixerit. Arbores volebas habere, quibus beatus eſſes. Audi Scripturam dicentem de ſapientia: Lignum vitæ eſt omnibus poſſidentibus eam: ecce poſſeſſionem noſtram dixit eſſe ſapientiam, ſed ne putes ipſam ſapientiam, quia poſſeſſionem tuam dixit Scriptura, aliquid eſſe quod ſit te inferius, ſequitur & adiungit: Et incumbentibus in eam velut in domo tua. Ecce Dominus tuus eſt tibi baculus: ſecurus homo incumbit, quia ille non ſuccumbit. Dic ergo ſecurus. Poſſeſſio tua eſt, poſſidentibus eam Scriptura dixit: impleuit fiduciam, remouit dubitationem. Dic ſecurus, ama ſecurus, ſpera ſecurus. Tua etiam illa verba ſint in pſalmo; Dominus pars hæreditatis meæ. Ergo unde beati erimus? Deum poſſidendo.*

C Inſuper auctor Catenæ Græcor. ſic legit: *lignum vitæ eſt omnibus qui adhærent illi, quiq; firmiter illi tamquam ipſimet Domino innituntur*; quod explicans Didymus. *Si Dei ſapientia*, inquit, *eſt lignum vitæ non iniuria Adamus ab illo abſtinere iuſſus eſt. Siquidem in maleuolam animam non introibit ſapientia. Quia verò arbor vitæ oritur ex iuſtitiæ fructibus, non inueniens cui rei compareт illum, qui ad lignum illud vitæ anhelat orationem in ſeipſum transferens, ait. Ita conſtitutus eſt, qui in me fidit, ac ſi in Dominum ipſum ſpem ſuam reijceret.* Denique Salomonem de more imitatus Siracides cap. 15. 3. *Cibabit*, inquit, *illum*, (ſapientia diſcipulum) *pane ſapientiæ & intellectus* (quaſi ligno vitæ) *& aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, & non flectetur: continebit illum, & non confundetur*, quæ verba ibidem expoſui.

Vers. 19 D DOMINVS SAPIENTIA FVNDAVIT (Syrus, *poſuit fundamenta*) TERRAM, STABILIVIT (Syrus, *ordinauit*) CÆLOS PRVDENTIA] Terra enim in medio mundi ſine vllo fulcro pendula hæret, & firma immobiliſque conſiſtit, nulli innixa niſi Deo Deique ſapientiæ, quæ eam ita fundauit; & fundatam continet, vti dixit Geneſ. 1. 1. Similiter cælos, eorumque molem, numerùm, ordines, motus, lucem, ſtellas, &c. in inani hoc & vacuo antea ſpatio ita ſtabiliuit, vt perpetim eodem tenore ſubſiſtant. Ipſe ergo quaſi Atlas eos ſuſtinet & firmat. Septuag. pro *ſtabiliuit* vertunt ἡτοίμασεν, id eſt, *ſubito expediuit*, vel *citra laborem produxit*, inquit auctor Catenæ Græcorum. Hebræum enim כּוֹנֵן *conen*, id eſt, præparare, idem eſt quod creare, facere firmare, ſtabilire. Hoc eſt quod ait Pſaltes: *Etenim firmauit* (Hebr. *con* vel *conen*) *orbem terræ, qui non commouebitur*, pſal. 92. 1. Fundauit enim terram A quaſi mundi centrum, baſin & fulcrum, idque miratur Iob c. 38. v. 4. *Vbi eras*, inquit, *quando ponebam fundamenta terræ? Quis poſuit menſuras eius? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt?* Hæc dicit, vt oſtendat quanta ſit ſapientiæ celſitudo, vtpote qua Deus vſus ſit & vtatur in ſummis operibus, putà in creatione & gubernatione totius vniuerſi.

Pro *ſapientiam* accipe tum eſſentialem, quæ communis eſt toti S. Trinitati, tum notionalem ſiue perſonalem, quæ eſt Verbum ſiue Filius Dei. Vnde Didymus in Catena Græc. *Et hæc quoque*, inquit, *in Dei Patris Filium aptè conueniunt, vt qui vera illa & ſempiterna ſcientia & ſapientia ſit, per quem omnia facta ſunt. Fundauit terram. Quin cuiuſque fidelis anima terra quoque appellari poteſt, vt quæ centeſimum*
B *fructum proferre nata eſt. Hæc enim ea eſt, quæ de diuina ſapientiæ pinguedine ſapiens efficitur, Deo Patre ipſam in ea fundante & conſtituente.* Quod ergo R. Salomon & neoterici Rabbini per *ſapientiam* accipiunt legem Moſi, aſſeruntque per eam condita eſſe vniuerſa, inſulſum eſt & fabuloſum.

SAPIENTIA ILLIVS ERVPVERVNT ABYSSI, ET NVBES RORE CONCRESCVNT] Hebr. *manant* vel *ſtillant rorem*, id eſt, pluuiam; vel *ex rore ſtillant*, ſupple pluuiam: nubes enim concreſcunt, & denſantur, dum reſoluuntur in rorem & pluuiam, idque fit ſapientia Dei, vt ſcilicet per pluuiam nutriantur plantæ, germina & animalia. Hebræa ſic habent ad verbum, *ſcientia* (Septuag. *in ſenſu*) *eius abyſſi ſciſſæ* vel *ruptæ ſunt* (Vatabl. *dehiſcunt*) *& æthera rorem diſtillant*. ita & Syrus. Per *abyſſum* Primò, accipi poteſt abyſſus, id eſt, immenſa illa vorago aquarum creata initio mundi, ex qua cætera deinde
C formata ſunt, Geneſ. 1. 2. Secundò, *abyſſi* ſunt fontes & fluuij, qui ſub terra & è terra Dei ſapientia varijs in locis ſcaturiunt, inquit Vatabl. Lyran. Ianſen. & alij. Tertiò propriè ruptæ ſunt abyſſi & cataractæ cæli in diluuio, cùm depluerunt in terram aquam, quæ totam terram obruit tempore Noë. Gen. 7. v. 11. ita Beda & Caiet. Secunda expoſitio maximè videtur genuina: comparat enim abyſſos, id eſt fontes, cum nubibus & rore quaſi res ſtabiles & perennantes; fontes autem & fluuij dicuntur findi vel diuidi & diſſecari, tum quia terram aridam diſſecando quaſi diuidunt, tum quia diuerſis & velut diſſectis locis erumpunt.

Abyſſus triplex.

Quæres, quomodo hæc nectantur præcedentibus? quid enim facit ſapientia phyſica, quæ creauit terram & cælos, ad ethicam, de qua hoc cap. &
D toto libro agitur? Reſp. Variæ ſunt cauſæ, ob quas hanc illi ſubiungit Salomon. Primò, quòd ipſe hoc capite, vti & cap. 8. & eum ſecutus Siracides Eccleſ. c. 24. & c. 42. & 43. laudet ſapientiam genericè ſiue in communi, prout complectitur tam creatam quàm increatam, tam phyſicam quàm ethycam.

Secundò, quòd in Deo vtraque ſit vnum quid, quin & vna ita connexa ſit cum altera, vt vna viciſſim exigat alteram, & ſit quaſi origo alterius. Quia enim Deus ſapientiſſimam habet prouidentiam & omnipotentiam phyſicam, qua creauit cælos & terram, & omnia quæ in eis ſunt; hinc pariter habet ſapientiſſimam prouidentiam & omnipotentiam ethicam, qua creaturas rationales, quæ in cælo & terra ſunt, quaſi eius partes & membra, putà angelos & homines, ethicè gubernet, doceatque rectè & ſanctè viuere, proponens ad hoc

magna

magna id facientibus præmia, & non facientibus ſupplicia. Vice verſa Deus ac Dei ſapientia ſanctitas, qua gubernat rationalia, quamque communicat & aſpirat hominibus & angelis, poſcit omnipotentiam ad creandam terram, in qua degant homines quaſi in loco certaminis & luctæ, ac cælos, quaſi locum angelorum, & quaſi præmium recti certaminis hominum ſanctorum, vt ſcilicet eos cælo donet & beet.

Tertiò, quia Deus in creatione vniuerſi, non tantùm oſtendit ſapientiam phyſicam, ſed & ethicam. Deus enim, vt ait Pſaltes *ſanctus eſt in omnibus operibus ſuis*. Nimirum inter alia Deus in creatione cæli, terræ, &c. oſtendit ſuam bonitatem, qua ſe ſuaque bona dignatus eſt communicare creaturis præſertim homini & angelo, propter quos & ad quorum vſum creauit omnia. Quocirca S. Hieron. in Ezech. 1. *Vnaquæque res*, inquit, *fulgurat Dei cognitionem*, & conſequenter Dei reuerentiam, cultum, & amorem. Mundus enim, eiuſque creatio, conſeruatio & gubernatio eſt opus diuinitatis, Deoque proprium: quare in eo clarè reſplendet diuinitas, & conſequenter Dei maieſtas, ſapientia, ſanctitas, &c. hæc enim omnia in ſe includit diuinitas. Quocirca *ſtabiliuit cælos prudentia*, quia magna Dei prudentia fuit tales, tot, tantoſque cælos creare, hominibuſque & angelis ſpectandos obijcere, vt ex eorum ſpecie Dei maieſtatem, ſapientiam & ſanctitatem agnoſcerent, colerent, amarent, qua in re, verà eorum ſapientia, virtus & ſanctitas conſiſtit.

Quartò & propriè, hæc pertinent ad longitudinem dierum, opes, pacem, firmitatem, gloriam, &c. quæ paulò antè dixit ſuis ſtudioſis afferre ſapientiam. Eſtque argumentum à maiori ad minus, q.d. Ne mireris quod dixerim ſapientiam hæc omnia præſtare; ipſa enim multò maiora præſtitit & præſtat, dum creauit, & etiamnum creat, id eſt, conſeruat, cælos, terram, & omnia quæ in eis ſunt: ſi enim hæc poteſt, quæ longè maiora ſunt, vtique & illa, quæ minora ſunt, poterit. Addit noſter Salazar hæc dici, vt doceat ſapientiam non eſſe inertem & otioſam, ſed operatricem & negotioſam; ideoque homines debere laborare aſſiduè in exercitio ſapientiæ & virtutum, ſicut Deus & Dei ſapientia aſſiduè operatur, dum conſeruat, mouet, gubernat cælos & terram, ac omnia quæ in eis ſunt.

Myſticè Dionyſ. Cæli, inquit, repræſentant Eccleſiam triumphantem, terra militantem, nubes Prophetas & Apoſtolos, ros eorum doctrinam & gratiam, qua irrigarunt & fœcundarunt hominum mentes, vt ſapientiam & virtutem eos docerent. Sic ferè & Beda. Hinc ſicut terra pendet à cælo, ſic Eccleſia militans pendet à triumphante, vtpote à qua nubes & rorem, id eſt, viros Apoſtolicos, doctrinam & gratiam recipit.

Rurſum auctor Catenæ Græc. Nubes, inquit, ſignificant inexhauſtam iudiciorum Dei profunditatem.

Vers. 21. FILI MI NE EFFLVANT HÆC AB OCVLIS TVIS: CVSTODI LEGEM ATQVE CONSILIVM] *Oculos* non tam corporis quàm mentis intellige. q.d. Caue ne hæc mea præcepta & monita à mente & memoria tua, per occurſationem aliarum rerum & ſpecierum, tibi excidant; ſed alijs omnibus omiſſis, & eorum quaſi oblitus, his ſolis intende, hæc vnica, iugiter menti & memoriæ tuæ obuerſentur, vt ea

A opere expleas, itaque ſapienter & ſanctè viuas, vt felicitatem æternam conſequaris. Alludit ad pueros ſcholares, qui ob humidius cerebrum, & ob mobilitatem ætatis, vti facilè quid diſcunt, ita facilè alijs ſpeciebus occurrentibus effluere ſinunt & obliuiſcuntur; cùm ſenes qui ſiccius habent cerebrum, quod ſemel didicerunt hoc conſtanter retineant; quocirca magiſtri pueros identidem monent, vt quæ audiunt in mente conſeruent. Appoſitè S. Greg. Nazianz. orat. 19. *Quod*, ait, *in tranquillis vndis euenire cernimus, cùm eiectus lapillus centrum effecerit, alius ſuper alium circulus excitetur, continenterq; in ſuperficiem agitatus extremum circulum ſemper diſſoluat. Id mihi planè hic quoque accidit; aliud enim in mentem venit, aliud ſuperuenit, aliud ſeſe ſubduxit: atque ita delectu laboro dum id quod priùs arripui, ei quod*

B *poſteà in animum influit, loco cedit & effluit.*

Septuag. vertunt, *fili ne* παραῤῥυῇς, id eſt, *effluas* vel *diffluas*: quò alludens S. Paulus Hebr. 2. 1. *Propterea*, inquit, *abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus ne fortè* παραῤῥυῶμεν, id eſt, *pereffluamus* vel *ſupereffluamus*. Vbi fusè hunc locum expoſuit quare hic ea non repetam.

CVSTODI LEGEM ATQVE CONSILIVM] Hebr. *cuſtodi eſſentiam meam & cogitationem*. Lex vocatur *eſſentia* vel ſubſiſtētia, tum quia eſt æterna ſemperque ſubſiſtit; tum quia ſui obſeruatores facit æternos, immortales & beatos; tum denique quia legis & virtutis bonum ſolidum & ſtabile eſt, reliqua omnia caduca & euanida, niſi legi & virtuti ſeruiant; vide dicta cap. 2. 7. Vnde Septuag. vertunt, *cuſtodi meum conſilium & ſententiam*; Tigurina, *obſerua eſſentiam & proſpicientiam*, id eſt, vt Vatabl. *ſanam doctrinam & prudentiam*. Huc facit illud Iſo-

C cratis apud Maximum ſerm. 17. de eruditione: *Diligentiùs verborum, quæ à ſapientibus audire licuit, quàm pecuniarum depoſita ſeruanda ſunt.*

ET ERIT VITA ANIMÆ TVÆ, ET GRATIA FAVCIBVS TVIS] *Vita*, ſcilicet gratiæ & gloriæ. Vnde ex Hebr. vertas, *vitæ* in plurali: nam חיים *chaiim* in hac ſignificatione Hebræis dumtaxat eſt plurale, ideoque tam vitam quàm vitas ſignificat: nimirum ſapienti eſt lignum vitæ, ſiue arbor vitalis, vti dixit v. 18. Septuag. *vt viuat anima tua, & gratia ſit circa collum tuum*; Syrus, *ſit collo tuo charitas*, ſeu *pietas*; Pagnin. *& erunt* (mea præcepta) *vitæ animæ tuæ, & gratia gutturi tuo*. q.d. Si mea hæc præcepta obſerues, conſequêris vitam gratiæ in hoc ſæculo, & gloriæ in futuro, iuxta illud Baruch. 4. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem*. Inſuper hæc mea præcepta e- Vers. 22.

D runt *gratia faucibus tuis*, id eſt, gratiam Dei & hominum tibi conciliabunt, teque ornabunt, ſicut torques aureus ſolet fauces & collum ornare, iuxta illud c. 1. v. 9. *Et addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*; quod hic repetunt Septuag. vide ibi dicta. Secundò Beda q.d. Hæc præcepta dabunt tibi guſtum & ſaporem diuinorum (guſtus enim eſt in faucibus) vt dicas cum Pſalte: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Et: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*. Tertiò, Baſilius in Catena Græcor. & Dionyſ. q.d. Temperantiæ virtus donabitur guſtui tuo ad comedendum moderatè: hanc enim docet & confert ſapientia, ſicut prudentia. Quartò, Lyran. Caiet. & Hugo q.d. Dabitur tibi gratia ſermocinandi, docendi, prædicandi, perſuadendi, vt ſcilicet ex faucibus, id eſt, ex imo pectoris ſenſu, arden-

ardentia & efficacia verba depromas, quibus ſapientiam & virtutem, qua plenus es, in alios effundas. Noſter Salazar cenſet Salomonem alludere ad ſapphirum, in quo legem Moſi datam à Deo inſcriptam fuiſſe tradunt Hebræi, teſte Lyrano & Abulenſi Exodi 24. v. 12. ac Suidas in verbo *Moyſes*, S. Epiph. lib. de 12. gemmis, & Anaſtaſius Nicen. quæſt. 38. in Script. Sapphirus enim pueris è collo pendere ſolebat tum ornâtus cauſa, tum ad amoliendum faſcinum, inquit Plinius lib. 37. c. 9. q. d. Lex olim in ſapphiro inſcripta magis ornabit collum tuum, gratiamque Dei & hominum tibi conciliabit, ac amolietur omne faſcinum carnis & mundi, quàm tuus ille gemmeus ſapphirus, quo de more collum redimire ſoles. Adde, ſapphirum ob ſuum ſplendorem, præſentiæ & maieſtatis Dei eſſe ſymbolũ. Vide quæ de ſapphiro notaui. Exodi 24. 10. & Apoc. 21. 19. Vbi inter alia dixi, olim Pontifices quaſi antiſtites ſapientiæ, è collo geſtaſſe ſapphirum, cui inſcripta erat veritas.

Vers. 23. TVNC AMBVLABIS FIDVCIALITER IN VIA, ET PES TVVS NON IMPINGET] Pagnin. *non percutiet*; Septuag. *vt ambules fidens in pace omnes vias tuas, & pes tuus non impingat* iuxta illud c. 15. 19. *Via iuſtorum abſque offendiculo*; Chald. *tunc ambulabis in ſpe* (Syrus, *cùm ſpe*) *in vijs tuis, & pes tuus non offendet.* q. d. Via ſapientiæ & virtutis plana eſt, carens ſcandalis & offendiculis: quare ſi per eam incedas, ſecurus incedes ſine timore anxio, quia nuſquam impinges, offendes, vel corrues, in nullam culpam vel pœnam incurres: ſi quæ tribulatio accidat prudenter eam declinabis, vel fortiter tranſcendes & ſuperabis *Ratiocinantis enim naturæ offenſio, vel eſt immunda cogitatio, aut mendax falſaue opinio*, ait Baſil. Rurſum *ambulabis*, id eſt, confides in via Dei & virtutis; & perficiendo confides in Domino, conſcientiam quoque bonam habendo eris vir bonæ ſpei, ait Dionyſ. Nam & Philoſophus aſſerit quòd hi, qui in diuinis bene ſe habent, melioris ſunt ſpei. *Et pes tuus non impinget*, id eſt, affectus tuus ſeu operatio, qua tendis ad finem tuum, non ceſpitabit recedendo à via virtutum ac medio rationis. Prudentia enim diriget te, vt cum Pſalte, pſal. 25. dicas: *Pes meus ſtetit in directo*. Et cum S. Iob. c. 23. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus.* Alludit ad illud Leuit. 26. 3. *Si in præceptis meis ambulaueritis, &c. abſque pauore habitabitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat.* Denique Beda pulchrè & piè explicat: *Fiducialiter*, inquit, *in via noſtra incedimus, cùm Dei gratia confiſi profectum in bona noſtra conuerſatione ſuſcipimus. Si ergo eius imperijs humiliter ſubdimur, & guſtum superni amoris ſuauibus ſaucibus mentis attingemus, & operationis bonæ augmentum ſemper obtinebimus; ſed & in tentationibus, ne deficiamus, ipſo iuuante defendemur.*

Vers. 24. SI DORMIERIS, NON TIMEBIS: QVIESCES, ET SVAVIS ERIT SOMNVS TVVS] q. d. Sicut in ambulatione & motu promiſi te fore ſecurum, ſic pariter te fore ſecurum in quiete & ſomno promitto: tam ergo in motu, quàm in quiete; tam in vigilia, quàm in ſomno; tam per diem, quàm per noctem ſemper & vbique ſecurus eris, intrepidus, lætus & alacer viues. Vnde Septuag. *ſi enim ſederis, ſine timore eris: ſi verò dormieris, ſuauiter dormies*; Vatabl. *cùm quieſces, non pauebis: cùm recumbes, iucundus erit ſomnus tuus*; tum quia ſuauis eſt ſomnus poſt laborem; tum quia virtus læta lætum parit ſomnum. Sicut enim triſtitia occurrens vigilanti animo inordinato per diem, naturali quaſi phantaſiæ mentiſque reſonantia recurrit in ſomnis, facitque ſomnum triſtem & moleſtum: ſic viciſſim lætitia, quam ordinato animo parit operatio virtutis exercitæ per diem, naturali ſympathia recurret phantaſiæ per noctem, facietque ſomnum ſuauem & iucundum. Alludit ad Deut. 28. 66. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, &c. Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Et ad pſ. 90. *Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano: Cadent à latere tuo mille*, &c.

Anagog. *ſuauiter dormies*, id eſt, ſuauiter morieris; *ſuauis erit ſomnus tuus*, id eſt, ſuauis erit mors tua. Nam, vt Poëta ait:

Stulte quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago?

imò mortis frater, ait Homerus; adeoque mors inchoata & dimidiata. Vnde Hebr. עָרְבָה, *areba*, id eſt, *ſuauis erit*, nonnulli vertunt, *oppignoratus erit ſomnus tuus*. q. d. Somnus tuus ſuauis, erit pignus ſuauis futuræ mortis, ob ſpem beatæ reſurrectionis, qua è morte quaſi è ſomno euigilabis ad vitam æternam. Vnde ab Hebræo *araba* & *arabon* deducitur Græcum ἀῤῥαβών, & Latinum *arra* ſeu *arrhabo*, id eſt, pignus, quod dari ſolet creditori donec ſoluatur debitum. Hinc qualis eſt ſomnus, talis ſolet eſſe mors: ſi ille ſerenus, quietus, lætus, mors pariter ſerena, quieta, læta accidet ob fiduciam virtutis & bonæ conſcientiæ: ſi ille turbidus, inquietus, triſtis, mors quoque turbida, inquieta & triſtis obueniet ob ſcelera & pauorem malæ conſcientiæ.

Denique auctor Catenæ Græcor. ſic explicat: *Lege cautum apud Iudæos extabat, vt ſiue domi reſiderent ſiue manè è ſtrato ſurgerent, ſiue quid aliud agerent, diuina eloquia animo ſemper pertractarent. Si nos ergo circa diurnarum rerum meditationem ſic occupati fuerimus, ab hoſtili metu immunes erimus, pacemque & animi à prauis cogitationibus tranquillitatem obtinebimus, & ſententia denique incerta minimè fluctuabimus. Si inquam, ſapientia probè muniti fuerimus, neque domi ſedentes metu concutiemur, neque noctu dormientes phantaſmatis turbabimur, neque malarum cogitationum inſidijs, quæ ab externo hoſte inferuntur, perterreſiemus, neque impij tandem & ſcelerati homines (qui vt vim noſtram frangant, boniſque naturæ nos ſpolient, non abſque impetu hinc inde irruere nonnumquam ſolent) facili negotio nos deijcient. Siquidem Dominus ita nos defendet, greſſuſque noſtros ad eum modum firmabit, vt vbique immoti perſiſtamus. Vel ad hunc modum hæc accipe: Siue in terra ætatem egeris, timoris expers viues: ſiue per mortem hinc euoceris, cum gaudio è vita excedes, neque hoſtes, qui ſub aſpectum non veniunt, formidabis, ſiue illi opera tua ad examen adduxerint, ſiue ſancti angeli.*

Idem per vmbram videre Philoſophi, qui docent iuſtum ſomniare honeſta & tranquilla, ſceleratum inhoneſta & turbulenta, adeoque ex ſomno licere colligere profectum in virtute. Ita Ariſtot. 1. Ethic. *Meliora*, ait, *ſunt ſomnia ſtudioſi*. Et plutarch. *quomodo quis ſuos in virtute profectus ſentire poſſit*, inter alia ſigna dat ſomnium, ſi quis ſcilicet non turpia ſed honeſta ſomniet. *Siquidem vt equi iugales*, inquit, *recta currere inſtructi, non deſerunt viam etiam dormiente auriga, ita bruti affectus domiti nec in ſomnis facilè recalcitrant.* In carnalibus verò & impijs, *ſomnus eſt cogitationum mare, inquinationum fluctus, tertius ventris filius*, ait Nicetas in orat. 3. Nazianz.

NE PAVEAS REPENTINO TERRORE, ET IRRVEN- Vers. 25.

IRRVENTES TIBI POTENTIAS IMPIORVM] Primò, multi hoc nectunt præcedentibus, quaſi partem præmij ſtudioſi virtutis. q. d. Ambulabis fiducialiter & requieſces, ne paueas, id eſt, ita vt non paueas, vel non pauebis: ſic enim ex Hebræo vertas. Vnde Septuag. *non timebis pauorem ſuperuenientem, neque impetus impiorum ingruentes;* Chald. *non timebis à repentino terrore, & repentino caſu, & à deſolatione,* vel *calamitate impiorum, cùm venerit;* Syrus *non pauebis à timore repentino, & ab impetu peccatorum.*

Secundò, hæc accipi poſſunt vt præceptum vel monitum; vnde Scholiaſtes vertit, *ſi animo percellaris ne timueris.* q.d. Si quod periculum, ſi quis terror te inopinatò inualerit, ne cedas, ne timeas, quia Deum habes à latere tuo. Meliùs tamen hæc non vt præceptum, ſed vt præmium accipias. Nam promittitur hîc ſtudioſo ſapientiæ & virtutis ſecuritas ab omni terrore, tam dæmonum, quàm hominum, etiam qui ſubitò & ex inopinato magna vi & potentia irruit, ideoque homines auxilij & conſilij inopes percellere & conſternare, imò obruere & opprimere ſolet, iuxta illud Pſaltis pſalm. 26. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.* Pro *potentias* hebr. eſt שׁאה *ſchoa*, id eſt, deſolatio & calamitas impiorum, quæ dupliciter accipi poteſt. Primò actiuè, q. d. Calamitas, quam impij infligunt alijs tibi vicinis, te non comprehendet, ſi voces ſapientiæ & Deo, ita Noſter. Secundò paſſiuè, q. d. Si viuas ex virtute, calamitas publica, quæ alios impios obruit, te non inuoluet quia Deus te ab illa proteget & eximet. ita Chaldæus. Sic in fine mundi erunt horrendæ eclipſes ſolis & lunæ, ſiderum caſus, terræ motus, fremitus maris, & omnium rerum pauendæ mutationes, adeò vt homines areſcant præ timore & expectatione eorum, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. At Sancti tunc non pauebunt, ſed gaudebunt. *His autem fieri incipientibus* inquit Chriſtus Lucæ 21. 18. *reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra, Leuate capita, id eſt exhilarate corda,* ait S. Greg. hom. 1. in Euang. *quia dum finitur mundus, cuius amici non eſtis, prope fit redemptio, quam quæſiſtis.*

VERS. 26. DOMINVS ENIM ERIT IN LATERE TVO] ſicut ſatellites & ſtipatores ſunt à latere principis, vt eum contra omnes inſultus tueantur, ideoque laterani & latrones ſunt dicti, teſte Iſidoro & Varrone, iuxta illud Dauidis pſal. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.* Pro *latere* hebr. eſt כסל *keſel*, quod propriè ſignificat ſtultitiam, inconſtantiam, mutabilitatem. Vnde *keſilim* paſſim vocantur inconſtantes & vertumni, id eſt, ſtulti. Inde כסיל *keſil* vocatur Orion, ſidus ita dictum ab inconſtantia, quòd eo tempore, quo oritur (quod fit circa Nouembrem) in mari & terra tempeſtates concitet, iuxta illud Virgilij; *Fluctus nimboſus Orion.* Alij *keſil* ſtellas eſſe cenſent, quæ *hyades* dicuntur ἀπὸ τοῦ ὕειν, id eſt, à pluendo, quod pluuias adducant. Eædem dicuntur *ſuculæ*, non à ſuibus, ſed ab Hebræo *keſil* per metatheſim inuerſo, vti nonnulli viri docti autumant. Hinc & *Caſleu* vocatur menſis Nouembris, à cæli intemperie & inconſtantia. Igitur ſic propriè ex Hebræo vertas, *quoniam Deus erit in inconſtantia, mutabilitate & mobilitate tua,* ſcilicet te fulciens, confirmans, & ſuſtentans ne nutes, labaſcas & corruas. Vnde explicans ſubdit: *Cuſtodiet pedem tuum ne capiaris.* Hinc & R. Salomon ſic vertit & explicat, q.d. *Dominus erit tibi præſto in ijs, in quibus deſipere videberis.*

Secundò, *keſel* per antiphraſin ſignificat contrarium eius, quod iam dixi, ſcilicet firmitudinem, immobilitatem animi, fiduciam, conſtantiam, qua quis ſibi conſtat, vt patet Leuit. 3. 4. & ſeq. Iob 15. 27. pſalm. 77. v. 7. *Vt ponant in Deo ſpem ſuam;* hebr. כסלם *kiſlam*. Sic כסל *keſel* per metatheſin eſt quaſi idem quod שׂכל *ſechel*, id eſt, intelligentia, prudentia, conſtantia. Iuxta hoc ſignificatum vertas, *Dominus erit tibi in conſtantiam, fiduciam & immobilitatem,* vt ſcilicet te in lubrico, ancipiti & periculoſo ſuſtentet, ne cadas, faciatque conſtantem & immobilem. Vnde Septuag. vertunt, *Dominus erit ſuper vias tuas,* quaſi earum præſes, director & tutor; vel *in omnibus vijs tuis,* quaſi tecum ambulans, ducens & protegens, vt nec feræ, nec latrones, nec quis alius vel aliud tibi nocere valeat; Pagninus, & Baynus, *quia Dominus erit fiducia tua,* R. Leui, *in ijs quæ ſperaueris aſpirabit tibi Deus.* q.d. Aderit tibi Deus tuebiturque in ijs, quibus eidem fiſus & fretus fueris, quæque ab eodem ſperaueris; ac cauebit ne vllis calamitatibus impliceris.

Tertiò, *ſekel* ſignificat ilia, lumbos, vertebram, ſpondylum. Vnde vertas, *Deus erit in lumbis* vel *ilijs tuis,* vel ad lumbos, ilia & ſpondylum tuum, id eſt, ad latus tuum, vt vertit Noſter. Cauſam dat Marinus in Lexico Hebr. quòd illis attribuatur ſtultitia & inconſtantia, ſicut renibus doctrina. Hoc ſignificato vertit Tigurina. *Dominus* inquit, *aderit lateri tuo,* vt ſcilicet lumbos & ilia, putà partes teneriores & vitales, ideoque transfoſſioni, vulneri & neci magis obnoxias, ac conſequenter totum corpus, ipſamque vitam tueatur & confortet, ne vllo telo, noxa aut malo lędatur; Chald. *Dominus erit in adiutorium tuum;* Syrus, *tecum.*

ET CVSTODIET PEDEM TVVM NE CAPIARIS] Syrus, *ne venatione capiaris;* vti capiuntur feræ laqueo; Septuag. *firmabit* (Scholiaſtes, *ſeruabit*) *pedem tuum, ne commouearis;* Complut. *ne quatiaris* vel *concutiaris.* q. d. In inſidijs, in via lubrica, in ſcopulis & ſcandalis Deus cuſtodiet te & pedes tuos ne capiaris, ne vacilles, ne impingas & cadas, iuxta illud pſ. 65. *Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.* Symbol. S. Greg. 31. Moral. c. 17. per *pedem* progreſſum in anteriora virtutis, per *latus* circumſpectionem & cautelam inſidiarum accipit: vnum enim ſine altero non ſufficit. *Bene ergo dicitur,* inquit, *Dominus erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum, ne capiaris; quia miles Dei Diuinæ gratiæ clypeo protectus, & quæ ex latere poſſint prodire circumſpiciendo conſiderat, & greſſum ante faciem ferre proficiendo non ceſſat.* Rurſum, *ne capiaris,* intellige vel à malo temporali, vel à tentatione, tentatio enim intellectum boni delectabilis oſtenſione allicit, & affectum vetiti amore deuincit: Domini verò protectio hos duos animæ pedes à laqueo liberat, ſi eam ſuis iuſſis obſequentem inueniat. Illuſtrat ille intellectum iuſtorum, qui ſuam voluntatem explere contendunt. Scriptum eſt enim; *Intellectus bonus omnibus facientibus eum,* pſal. 110. 10.

Moral. virtus aufert timorem.

Moral. hinc diſce fructum ſapientiæ & virtutis eſſe, ſecuritatem & immunitatem à timore, qui ſanè homini valdè moleſtus eſt, eumque affligit & cruciat: Vnde Seneca: *Heu,* inquit, *quam miſerum eſt* me-

metuendo fieri ſenem! Hinc quo magis creſcit virtus, eo magis creſcit & ſecuritas. Quocirca nonnulli ita perfecti euadunt, vt occurrente re terribili vel formidoloſa, nec primos repentinæ formidinis motus ſentiant, quod ſignum eſt magnæ virtutis, fidei & ſpei in Deum. Ita Pſaltes pſal. 26. 1. *Dominus*, inquit, *illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Ita in Vitis Patr. legimus de Abbate Theodoro, quòd cū à quodam rogaretur: *Si fiat ſtrepitus aut ſonitus magnus ex improuiſo timéſne?* reſponderit: *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* Etiamſi fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ; petierat enim à Domino, vt auferret à ſe timorem, ac impetrarat. Et de S. Pachomio legimus, quòd ſerpentes & ſcorpiones in via occurrentes calcabat illæſus, quin & flumina vectus crocodilo tranabat ſecurus, quia perfecta ſpes & charitas foras mittit timorem, 1. Ioan. 4. 18. Et de Abbate Macario, quòd cùm caſu in ſepulchro Paganorum cubaret, ac cadauer mortui vice ceruicalis capitis ſuppoſuiſſet, dæmones, ad eum terrendum, cadauere & circa cadauer voces edere & colloqui cœperint. Tumque Macarius nil metuens, ſed capite cadauer tundens, diabolo fidenter dixerit: *Surge vade quò potes.* Ex aduerſo nonnulli adeò imperfecti & pauidi ſunt, vt dum ſoli ſunt, præſertim noctu, omnes, ſibilos, ſtrepitus & vmbras formident, qui ſanè miſeri ſunt: vincant ergo timorem audacia, fiducia, & oratione, recitentque pſalmum 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi in protectione Dei cæli commorabitur*, &c. quem propterea ab Eccleſiaſticis omnibus in Completorio ſub noctem recitari iubet Eccleſia.

QVARTA PARS CAPITIS.

Æmulandos eſſe bonos in beneficentia, non malos in prauitate, eò quòd Deus bonis bona, malis mala retribuat.

Vers. 27. NOLI PROHIBERE BENEFACERE EVM, QVI POTEST: SI VALES, ET IPSE BENEFAC] Poſt ſapientiæ encomium redit ad particularia eius præcepta. Igitur ſicut v. 5. primum ſapientiæ præceptum aſſignauit de cultu Dei; ſic hic ſecundum aſſignat de beneficentia in proximum. Hebr. ad verbum habent, *ne prohibeas bonum ab heris* vel *dominis ſuis, cùm eſt robur manui tuæ ad faciendum*, id eſt cùm poteſt facere. Quod varij variè explicant. Noſter enim per heros vel dominos accipit diuites & potentes, quibus ſuppetit facultas benefaciendi: deinde τὸ *noli prohibere* cenſuit repetendum in poſteriore hemiſtichio q. d. Ne prohibeas diuites benefacere egentibus, ſed & tu, cùm potes idem facere, ne prohibeas teipſum tuamque manum ab opere bono. Salomoni ſuffragatur Ben Sira dicens: *Eſto bonus, & manum tuam à bono ne prohibeas. Vir bonus*, ait, Cicero, *eſt qui prodeſt quibus poteſt, nocet autem nemini.*

Alij verò per dominos intelligunt egentes & pauperes his enim non ex iuſtitia, ſed ex charitate debetur beneficium & eleēmoſyna. Vnde ſuperflua diuitum, eſſe bona pauperum aſſerit S. Chryſoſt. S. Auguſt. S. Bernard. & alij. *Quid ergo indignaris cùm pauperes aliquid à te petunt? paterna requirunt, non tua* ait S. Chryſoſt. apud Antonium in Meliſſa cap. 7. Hinc & S. Ioannes Eleēmoſynarius pauperes vocabat dominos ſuos. ita Vatabl. *Ne arce*, inquit, *beneficium à domino ſuo, id eſt, ab eo qui tali beneficio eſt dignus.* Alij *à domino*, id eſt, à paupere, qui eo opus habet. Ita R. Leui & Aben Ezra: Dominus beneficij, inquit, eſt tum pauper, tum ipſe beneficus; hic enim pecuniæ ſuæ eſt dominus, cuius auarus eſt ſeruus. Nam vt ait Seneca: *Pecunia ſi vti ſcias* (benefaciendo) *ancilla eſt, ſi neſcias, domina.* Vnde Septuag. *ne abſtineas benefacere egeno, quandocumque habueris manu tua auxiliari.*

Rurſum Caiet. cenſet hîc præcipi reſtitutionem, q. d. Redde bonum, quod iuſtè vel iniuſtè poſſides, heris & dominis ſuis. Verùm alij paſſim cēſent hic agi de beneficentia. Vnde Chald. *ne deſinas facere bonum dum valet manus tua ad faciendum*; Syrus, *ne te cohibeas à benefaciendo, dum id manus tua præſtare poteſt.* Paulò aliter R. Salomon. q. d. Si amicum indigentibus beneficio proſequendis intentum videris, ne illum prohibeto, nec aliò diuertito, cùm fuerit facultas tua, ad faciendum, id eſt, quando in poteſtate tua eſt vt illum prohibeas & remoueas à benefaciendo. Summa, Noſter optimè vertit. Vult enim Sapiens neminem prohibendum à beneficentia; quin & benefaciendum cuique ſi poſſit.

Cauſam dat P. Syrus in Sententijs: *Beneficium*, inquit, *dando accepit, qui digno dedit.* Et: *Beneficium dignis vbi das, omnes obligas.* Nam *beneficium qui accipit, libertatem vendit*, Ex aduerſo, vt ait Antonius in Meliſſa cap. 27. & 29. Beneficentia ex Photio: *Qui multa dant indignis, tria committunt abſurda: nam & ipſi iacturam faciunt eius, quod dant, &, malos roborant materia vitiorum ſuppeditata, & in bonos contumelioſi ſunt.* Quare charis, id eſt gratia, datur בְּעָלָיו *bealau*, id eſt, domino ſiue marito ſuo, cùm datur digno: illi enim debet dari, ideoque illi quaſi coniugio obligata eſt; vnde Horemus Paſitean: primam Charitum ſiue Gratiarum, dixit coniugio copulatam, quia ſcilicet dignos reſpicit, illiſque velut vxor obſtricta & debita eſt. Præclariùs S. Chryſoſt. apud Anton. in Meliſſa c. 29. *Non benefecit*, inquit, *qui benefacit, ſed beneficium ipſe accipit potiùs quàm dat. Maiora enim accepit quàm largiatur: quoniam Deo mutuum dat, non hominibus: auget opes, non minuit; minuit autem ſi nihil demas, ſi nihil elargiatur.* Porrò ſicut Primus beneficentiæ gradus eſt, benefacientes non impedire; Secùndus, eos ad benefaciendum hortari & adiuuare: *virtutibus enim multis abundat, qui alienas amat*, ait ſapiens; Tertius, per ſe benefacere: ſic ex aduerſo Primus maleficentiæ gradus eſt, nolle benefacere; Secundus benefacientes dehortari, & impedire; Tertius, malefacientes adiuuare & incitare; Quartus, per ſe malefacere.

NE DICAS AMICO TVO: VADE, ET REVERTERE: CRAS DABO TIBI: CVM STATIM POSSIS DARE] Chald. *ſi habes apud te*; Septuag. addunt: *Non enim ſcis quid pariat ſequens dies*; vel, vt legit S. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum: *non enim ſcis quid contingat ſequenti die.* Hęc prima eſt cauſa cur ſtatim dandum ſit beneficium, ne, ſi differatur in ſequentem diem, impedimentum aliquod donationem impediens ſuperueniat. ita Nazianz. orat. 16. cuius verba mox citabo. Secunda, quia qui citò dat, citò leuat neceſſitatem proximi; qui tardè, ſinit eum in illa affligi & in cruciatu durare. Tertia, quia qui citò dat, cum dono dat promptum & liberalem Vers. 28.

Citò da donum, quinque de cauſis

Primò;

Secundò

Tertiò

animum

animum, qui potior eſt beneficio. Ex aduerſo *qui* A
Senec. *tarde fecit, diu noluit*, ait Seneca. Quarta: *Bis dat qui citò dat*, ait S. Hieron. & alijs; tum quia citò ſuccurrit indigentiæ & voto petentis; tum quia celeritas ſæpè ſortem duplicat; tum quia qui citò dat, poteſt ſecundò dare: vna enim beneficentia inuitat & prouocat aliam. Præclarè Seneca: *Omnis*, inquit, *benignitas properat, & proprium facientis, citò facere, ſi de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit. Itaque duas res maximas perdidit, & gratiam, & tempus.*
Quinta, ſi differs, cogis petentem reuerti ſæpiùs, itaque facere iacturam temporis, negotiorum & lucri, quæ pluris ſubinde illi eſt quàm tuum beneficium: quare non raro eum pœnitet petijſſe beneficium: carò enim illi ſtat, quod tot precibus, itineribus, laboribus, damnis emit. Verè ſapiens: *Fit duplex bonitas, ſi acceſſerit celeritas.* Et Auſonius:

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt:
B
Quæ fieri properat, gratia grata magis.

Et Democritus apud Antonium in Meliſſa c.29 de Benefic. *Si benefacturus es, ſtatim facito. Tarditas enim vitioſum reddit munus. Parua potiùs largire quàm magna promitte, Hoc enim periculo vacat, & qui accepit re, non verbis indiget.* Præclariùs idem Antonius in Meliſſa c.27. ex S. Gregor. Nazianz. *Gratitudinis ſpecimen*, inquit, *Deo exhibeas quid te fecerit vnum illorum, qui beneficia præſtare poſſunt, non autem qui opus habent accipere: & quòd non inſpiciendæ tibi ſint alienæ manus, ſed alijs tuæ. Diues eſto non ſolum opibus, ſed etiam pietate; non ſolum auri, ſed inſuper virtutis poſſeſſione; alios antecellas exhibendo te probiorem & benigniorem. Deus eſto calamitoſis, Dei miſericordiam imitando: nihil enim beneficentia diuinius in hominem cadit. Miſericordiam tuam ne nox quidem intercipiat: ne dixeris. Abiàs redi, & in craſtinum dabo; ne quid fortè accidat inter propoſitum tuum & beneficium, vnde impediatur.* C
Idipſum præſtitit Iob dicens c.31. *Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Huius præcepti formam & ſpeculum exhibet Deus, cùm amiciſſimos ſuos aliquid à ſe poſtulantes vacuos non dimittit, ſed plenos bonorum, quæ petunt, ac lætos & exultantes apud ſe detinet. Ita Anna Samuelis mater ſterilis ad templum oratura venit, & tanti filij futura mater abijt, 1. Reg. 1. Ita Sara à probro interfectricis maritorum per orationem ilicò Dei ope liberata eſt, Tobiæ 3. Ita Iudith oratione magis quàm gladio armata, Deo duce Holofernem occidit, Aſſyriorum exercitum confudit, & Iſraelem liberauit, Iudith. 13.

Vers. 29. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam] Hebr. *ne ares*, vel *fabrices, ſuper ſocium tuum malum, &* (id eſt cùm) *ipſe ſedens in fiducia tecum*; Chald. *ne cogites contra proximum tuum malum, cùm ipſe habitet tecum in pace*; Syrus, *qui ſedet tecum in quiete*; Septuag. *ne fabrices in tuum amicum mala propè habitantem & confidentem in te.* D
Ita Complut. & auctor Catenæ Græcor. licet Roman. pro *amicum* legant contrariè *inimicum*; Tigur. *ne machineris proximo tuo malum, cùm ille ſecurus tecum habitet*; Vatabl. *cùm ipſe ſibi à te nihil tale metuat.* Pro *moliaris* hebr. eſt תחרש *tacharos*, quod tam arare quàm fabricare ſignificat: ſicut enim, qui arat, præparat terram ſementi: ſic qui machinatur malum, quærit & parat modos arteſque fallendi & ſupplantandi proximum. ita R. Salomon. Idem fabricatur rem in ſpecie bonam & amicam, ſed interiùs inimicam & noxiam: ſicut Græci fabricarunt equum Palladis, quæ eſt patrona miſericordiæ, ſed doloſè ei impoſuerunt milites, qui equo à Troianis in vrbem inducto noctu egreſſi vrbem Græcis prodiderunt.

Sententia clara eſt: poſt beneficentiam enim laudatam, vituperat maleficentiam, præſertim in amicos. Hæc enim duplicem continet malitiam; primam, amicitiæ violationem, quòd amicum lædat; ſecundam, perfidiam, quòd eum ſpecie amicitiæ doloſè & perfidè ſupplantet. Quare tales amici ficti peiores ſunt inimicis publicis: ab his enim vtpote notis tibi caues: illos, quia ignoras, imò amicos ſe ſimulant, cauere nequis. Illi ergo ſunt peſtes omnis cœtus, ſocietatis & conuictus humani, qui fide & amore conſtringitur & compaginatur. Vnde Seneca. *Peiora ſunt tecta odia quàm aperta: grauior eſt inimicus, qui latet ſub pectore*, de quo plura cap. 11.

Ne contendas (hebr. *ne litiges*) adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit] Septuag. poſteriorem partem aliter vertunt: habent enim, *noli inimicitias exercere aduerſus hominem ſine cauſa, ne quod tibi operetur* (Hebr. *retribuat*) *malum*; Vatabl. *ne tibi malum rependat*; Tigur. *ne temerè litem cum quoquam ſuſcipias, ſi tibi nihil malefecit*; Syrus, *ne litiges cum homine abſque cauſa.* Omnis enim lis eſt noxia, ſed maximè quæ inſonti intentatur: inſontis enim tutor & vindex eſt iudex, aut certè Deus. Hinc Seneca in Prouerbijs: *Cum pari contendere, anceps eſt, cum ſuperiore, furioſum, cum inferiore, ſordidum.* Vers. 30.

Ne æmuleris hominem iniustum (hebr. איש חמס *is chamas*, id eſt, vt Vatabl. *virum iniuſtitiæ* vel *rapinæ*; Tigur. *violentum*; Chald. *raptorem*; Syrus *iniquum*) nec imiteris (hebr. *eligas*) vias eius] Syrus *nec placeant tibi omnes viæ eius*. Pro *æmuleris* heb. eſt תקנא *tekanne*, quod quando cum *lamed* conſtruitur, ſignificat zelare, zelo feruere, vehementer aliquid ambire: quando verò cum *beth* conſtruitur, vti hic fit, ſignificat iraſci & inuidere. Senſus ergo eſt q.d. Ne iraſcaris quòd videas iniuſtos vi & fraude alios opprimere, ſeque ditare & exaltare, neúe eorum proſperitati indigneris & inuideas, vt ad eam tibi accerſendam velis imitari eorum vias, putà actiones & rapinas. Alludit ad pſal. 36.1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* Vbi pro *æmulari* hebr. eſt תתחר *titchar*, id eſt, ne iraſcaris, ne ſuccenſeas: pro *zelaueris* eſt idem verbum quod hic ſcilicet *tekanne*. Vers. 31.
Hinc Secundò, aliqui τὸ *ne æmuleris*, exponunt *ne imiteris*. ita Tigur. Vnde & Septuag. vertunt, *ne acquiras malorum virorum opprobria*, imitando ſcilicet eorum fraudes, rapinas & ſcelera, vt te inſtar illorum dites & locupletes. Eſt enim hæc, & fuit olim, communis piorum tentatio, quòd videant impios proſperari, ſe verò deprimi & aduerſis exagitari. Hac enim de re queritur, & quaſi expoſtulat cum Deo Ieremias c. 12. v. 1. & ſeq. Iob cap. 21. 7. Habacuc c. 1. v. 13 & Dauid pſ. 72. toto. Verùm viri in fide & virtute ſolidi hac re non turbantur, quia cæleſtia ſperant, terrena paruipendunt. Vnde S. Chryſoſt. hom. 8. in 2. ad Timoth. *Ne æmuleris*, inquit, *virum iniuſtum: ſi nullus malus ſupplicio afficeretur, nemo putaret Deo humanarum rerum curam imminere: ſi omnes punirentur, nullus ſperaret reſurrectionem futuram, quòd quaſi merces hîc omnibus redderetur; idcirco hîc punit quoſdam, pleroſque non punit.* Inferiùs verò aliam ſuggerit cauſam. *Sunt plerique boni qui mali aliquid habent admixtum, quod hîc deponit* (nimirum pœ-

nis

nis exſolutis)& mali item, qui bonorum aliquid operum habeant, quorum hic recipiunt vices, vt illic æternè puniantur. Si hæc omnia nobiſcum reputauerimus, nihil nos lædere poterit aut perturbare, nihil ad æmulationem aut zelum prouocare. Tertiam cauſam dat S. Auguſt. epiſt. 70. *Hæc bona*, inquit, *ne putentur mala, dantur & bonis: ac rurſus ne putentur ſumma, dantur & malis. Itemq́, auferuntur iſta bonis, vt probentur; & malis, vt crucientur.*

Verſ. 23. QVIA ABOMINATIO DOMINI EST OMNIS ILLVSOR, ET CVM SIMPLICIBVS SERMOCINATIO EIVS] Pro *illuſor* Noſter videtur legiſſe נָלוֹץ *nalots*, per *tſade*, iam legunt נָלוֹז *naloz* per *zain*, id eſt, *prauus peruerſus*; R. Salomon, *qui per denta tranſuerſus agitur*, R. Leui, *qui à recta via deuiat, & flexuoſum iter ingreditur*, id eſt improbus. Improbus ergo vocatur *illuſor*; tum quia ſeipſum & alios deludit ſpecie illecebroſa voluptatis, qua ſibi peccatum, indeque damnationem accerſit: tum potius quia valdè improbi, vt impij & athei, non tantùm monitores & monita contemnunt, ſed & omnia humana & diuina derident (qui eſt ſummus impietatis gradus) & hi propriè in Script. vocantur לֵצִים *letſim*, id eſt deriſores vel illuſores vt patet pſal. 1. 1. vbi primus peccatorum gradus ſtatuitur: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum.* Secundus: *Et in via peccatorum non ſtetit.* Tertius & ſummus: *Et in cathedra peſtilentiæ* (hebr. *letſim*, id eſt deriſorum) *non ſedit.* Audi B. Antiochum hom. de obedientia & inobedientia. *Quis eſt illuſor? illuſor eſt, qui verba Dei peruersè intelligendo, & dicendo, corrumpit. Illuſor eſt, qui ſuos proximos ſimplices & pauperes inſultando contemnit. Illuſor eſt, qui magna Dei promiſſa quaſi parua deſpicit, pœnam æternæ damnationis quaſi tolerabilem ſpernit.*

Quocirca illuſori Salomon hic opponit ſimplices, hebr. יְשָׁרִים *ieſcarim*, id eſt, rectos, probos, iuſtos. Vnde Septuag. vertunt, *immundus enim coram Domino omnis iniquus, in iuſtis autem non ſacit conſilium*; vel, *nec in iuſtorum cœtu ſedem* (iudicalem ad vindicandum) *capit.* q.d. Deus iudicat & condemnat omnem iniquum, vel impurum & immundum at cum iuſtis non agit in concilio, quaſi pro tribunali & longo ſubſellio, ſed amicè & familiariter. Et vt Hebr. habent *cum rectis*, סוֹדוֹ *ſodo*, id eſt, *ſecretum*, colloquium, familiaris ſermocinatio Dei eſt; Chald. *quoniam amandatur à Deo omnis iniquitas, & cum rectis colloquium eius.* Hæc clara eſt antitheſis. q.d. Deus à ſe elongat iniquitatem & iniquos, ſibi verò approximat æquos & iuſtos, Syrus, *quia pollutus eſt iniquus coram Deo, & cum iuſtis confabulatio eius*; Pagnin. *quia abominatio Domini eſt omnis peruerſus, & cum rectis ſecretum eius.*

Sancti ſunt ſecretarij Dei. Hebr. ergo *ſodo* propriè ſignificat ſecretum, arcanum. q.d. ait Aben Ezra: Deus probis arcana ſua, conſiliaque patefacit, v. g. qua calamitate impium vexare ſtatuerit. Porrò *τὸ quia* dat cauſam cur iniuſti qui proſperantur, non ſint æmulandi, nec imitandi; ſed iuſti & pij, qui vexantur & tribulantur: quia ſcilicet iniuſti ſunt abominabiles Deo, iuſti verò amabiles, imò amici & ſecretarij, vtpote quibus Deus ſua arcana iudicia & conſilia pandit, tum quæ in S. Script. reuelauit, præſertim de præmijs cæleſtibus, quæ Deus iuſtis, qui hic vexantur, præparauit; tum quæ per internas inſpirationes, conſolationes, illuſtrationes illis ſuggerit, quibus eos ita roborat & exhilarat, vt & omnia mundi proſpera generosè calcent, ac nulla eius aduerſa formident, iuxta illud pſal. 24. 14. *Firmamentum eſt Dominus omnibus timentibus eum, & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis* pro quo S. Hier. vertit, *ſecretum Domini omnibus timentibus eum, & pactum ſuum oſtendit illis.* Hebraicè eſt idem nomen quod hic, ſcilicet סוֹד *ſod*, quod propriè ſignificat ſecretum: ſed Septuag. per aphæreſim *ſod* acceperunt pro יְסוֹד *ieſod*. id eſt, firmamentum vel fundamentum. Quare ex ijs ſimili modo hic vertas, *& cum rectis* vel *ſimplicibus firmamentum eius.* q.d. Deus firmat rectos, eoſque facit firmamentum ceterorum.

Exempla. Quàm hæc ſententia ſit vera liquet ex vita Abrahæ, Iſaac, Iacob, Moſis, Dauidis, Iſaiæ, ceterorumque Prophetarum & Apoſtolorum, quibus Deus ſua ſecreta patefecit, iuxta illud Chriſti Ioan. 15. 16. *Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Idem liquet ex vita S. Antonij, S. Hilarionis, S. Pachomij, aliorumque Anachoretarum, quibus Deus multa occulta & futura reuelauit. Vnde Abbas Anuph. Apud Palladium in Lauſiaca c. 58. ait: *Nullius rei cupiditas in cor meum deſcendit, præter quam ſolius Dei: Nihil ex rebus terrenis occultauit mihi Deus, quod non ſignificarit & oſtenderit meis oculis. Non interdiu ſomnum cæpi, non noctu requieui Deum quærens: vnà mihi ſemper aſtitit angelus mundi oſtendens poteſtates: omnem petitionem accepi à Deo protinus. Vidi Deo ſæpè aſſiſtentes myriadas, vidi choros iuſtorum, vidi Martyrum congeriem, vidi monachorum vitæ inſtitutionem.* Et c. 43. Ioannes Abbas, qui Theodoſio Imp. prædixit victoriam. *Oportet*, inquit, *mentem eorum, qui Deum quærunt, otium agere ab alijs omnibus. Vacate enim & cognoſcite, inquit, quòd ego ſum Deus.* pſal. 45. *Qui ergo Dei cognitionem ex parte eſt conſecutus (vniuerſam enim nemo poteſt accipere) conſequitur quoq; aliorum omnium cognitionem, & videt myſteria Dei illa oſtendentis, & præuidet futura, & contemplatur reuelationes, quales Sancti, & efficit virtutes, & obtinet à Deo omnem petitionem.* Et c. 26. Abbas Macarius ſibi dicit: *Habes Angelos, Archangelos omnes ſupernas Poteſtates, Cherubim & Seraphim, Deum horum effectorem. Illic verſare: ne ſub cælos deſcenderis, ne incideris in mundanas cogitationes.* Idem patet ex Vita S. Mechtildis, S. Lydwinæ, S. Mariæ Oigniacenſis, S. Catharinæ Senenſis, cum qua Chriſtus ita familiariter verſabatur, vt eã doceret legere, pſallere & Horas recitare, &c.

Memorabile eſt quod in Vita B. Hermanni Ioſephi Ordinis Præmonſtratenſium legimus, eum à puero puerili ſimplicitate & candore ſolitum in eccleſia viſere imaginem B. Virginis cum puero Ieſu, cum eaque familiariter colloqui, cibos & fructus offerre, ac, dũ ei ſemel obtuliſſet pomum B. Virginem porrectâ manu illud acceptaſſe. Creuit cum ætate hæc Hermanni cum B. Virgine & Ieſu familiaritas, adeò vt ipſa ſingulis ſubinde diebus eum viſitaret, cum eo quaſi cum fratre colloqueretur, pecunias ad victum & veſtitum procuraret, morbos depelleret, tentationes & aduerſitates quaſlibet diſcuteret: quin & eum in ſponſum acciperet, nomenque ſponſi ſui, ſcilicet Ioſeph, ei imponeret. Cùm enim quadam nocte de more in oratione pernoctaret, vidit in medio chori virginẽ inenarrabilis pulchritudinis, regali ſchemate inſignitam; eique duo aſſiſtebant dextera læuaque angeli, ſpecie formoſiſſimorum iuuenum, quorum vnus dixit: *Cuinam deſponſabimus hanc virginem?* Reſpondit

ſpondit alter: *Cui tandem niſi fratri hic præſenti.* Tum alter: *Veniat ergo* inquit. Vocatus acceſſit ſanè pudibundus. Poſtquam autem vſque ad reginam peruenit, alter angelus ei locutus eſt: *Oportet hanc illuſtriſſimam puellam tibi deſponderi.* Ille humilis & pudicus, tanta ſponſa ſe indignum proclamauit. Cumque reluctando moras necteret, angelus dexteram eius apprehendit, & manui B. Virginis copulauit, hiſque verbis eam illi deſpondit. *Hanc ego virginem tibi trado ſponſam, ſicut olim fuit deſponſata Ioſeph, vt nomen ſponſi pariter cum ſponſa accipias, & de cætero Ioſeph voceris.* Hinc perpetua ei cum B. Virgine, velut ſponſa, familiaritas: à qua tandem in cæleſtem thalamum euocatus eſt anno Domini 1236. Hæc & plura habet Vita eius apud Surium die 7. Aprilis, quam eius familiaris vir grauis conſcripſit. Cito vltimam Surij editionem Colonienſem, quæ valdè adaucta eſt à Moſandro.

Huc facit quod ex Officio Eccleſiæ Placentinę Romæ approbato, ſcribit Philippus Ferrarius ad diem 4. Feb. in Catalogo Sanctorum Italiæ S. Gelaſius, inquit, puer Placentinus, cùm S. Opilium fraterculum ſuum in cubiculo orantem inueniſſet angelorum multitudinem cum eo colloquentem proprijs oculis conſpexit, vocemque audiuit: *Sinite paruulos venire ad me; talium eſt enim regnum cælorum.* Vixitque vterque ſub annum Domini 420.

Vnde Beda hoc loco; *Sermonicatio Domini*, ait, *cum ſimplicibus eſt, quia illos ſapientiæ cæleſtis ſecretis illuſtrat, quos terreni faſtus ac duplicitatis nihil habere conſiderat. Hinc etenim dicit: Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*, Matth. 11. Hauſit hoc Beda ex S. Greg. 3. parte Paſtor. admon. 12. vbi ſic ait: *Cum ſimplicibus Deus ſermocinari dicitur, quia de ſupernis myſterijs illorum mentes radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obſcurat.* Igitur *ſimplices* hic vocantur recti, vt habent Hebræa, & iuſti, quia hi ſimplices ſunt in agendo & loquendo, cùm praui & peccatores ſæpè ſint duplices & ficti, aliud ore dicentes, aliud corde cogitantes, aliud opere agentes.

Alium ſenſum affert Lyran. & Dion. vt τὸ *eius* referatur ad illuſorem. q. d. Illuſor ſolet ſermocinari cum ſimplice, vt eum decipiat; non cum aſtuto, qui nouit eius dolos. Nam vt ait Nazian. *parum cauta eſt ſimplicitas. Minimè enim ſuſpicatur improbitatem, cuius animus ab improbitate liber eſt purus.* Et S. Ambroſ. 3. Offic. 10. loquens de Gabaonitis, qui fefellerunt Ioſue: *Ioſue*, inquit, *citò credidit, adeò ſancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui ceteros de ſuo affectu æſtimant? & quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant; fallere quid ſit ignorant; libenter credunt, quod ipſi ſunt; nec poſſunt ſuſpectum habere, quod non ſunt.* Verùm prior expoſitio communis eſt & genuina, vt τὸ *eius* reſpiciat, Deum, non illuſorem.

VERS. 33. EGESTAS A DOMINO IN DOMO IMPII: HABITACVLA AVTEM IVSTORVM BENEDICENTVR] id eſt, bonis affluent. Primò temporalibus: hæc enim, vti Iudæis promiſit Deus Leuit. 26. Deuter. 28. & alibi, ſic & reipſa præſtitit; impijs verò vti minatus eſt egeſtatem, ſic & reipſa inflixit. ita Lyran. Caietan. Ianſen. & alij. Sic etiamnum meretrices, quantaſcumque à ſuis amatoribus opes emungant & corrogent, ſemper tamen ſunt pauperes. Sic & mechanici & mercatores, qui per fraudes & iniuſtitias ſe ditare ſatagunt, depauperantur.

A Idem videre eſt in furibus, prædonibus ſimiliſque farinæ hominibus.

Secundò, ſpiritualibus, putà dotibus gratiæ & virtutibus in hac vita, ac dotibus gloriæ in futura. ita Beda & Hugo. Id ſemper verum: eſto enim nūc ſæpè pij egeſtate temporali premantur, ſpiritalibus tamen opibus abundant. Vice verſa eſto impij temporalibus abundent, in ſumma tamen ſpiritalium bonorum egeſtate degunt. Cauſam addit dicens, *à Domino*, q. d. Ideò pij ſunt diuites, impij pauperes, quia Deus pijs, vtpote amicis & filijs, benedicit, id eſt, benefacit (Dei enim dicere eſt efficax, ideoque idem quod facere;) impijs verò, vtpote inimicis, maledicit & malefecit, eoſque bonis priuat, punit & caſtigat. Vnde Hebr. habent, *maledictio Dei in domibus impiorum; domus autem iuſtorum benedicet*; Septuag. *execratio Dei in domibus impiorum; tuguria autem iuſtorum benedicuntur.*

B Eſt hæc ſecunda ratio, qua probat id, quod dixit v. 31. *Ne æmuleris hominem iniuſtum, nec imiteris vias eius.* Prima enim ratio fuit v. 32. *Quia abominatio Domini eſt omnis illuſor* (Hebr. *peruerſus*) *& cum ſimplicibus* (Hebr. *cum rectis*) *ſermocinatio eius.* Secunda priori connexa eſt hæc, quòd Deus pios abundantia præmiet, impios egeſtate puniat. Porrò Auctor Catenæ Græc. vertente noſtro Peltano, ſic habet: *in impiorum domibus moratur Domini maledictio, iuſtorum autem caſæ benedictione cumulantur.* Quod Olympiodor. ibidem ſic explicat: *Res impiorum*, inquit, *etſi ſplendidæ magnificæq; hominibus videantur, apud Deum tamen ſunt viles & execrabiles. Contrà verò res iuſtorum, licet abiectæ & tenues cernantur, diuina tamen benedictione copioſè locupletantur. Sublimiori autem ſenſu per domum intelligentes animæ facultates*

C *deſignantur, per caſas verò vel ſtabula iraſcentes & concupiſcentes eiuſdem vires: in illis enim brutæ rationiſque exortes perturbationes & animi paſſiones graſſantur lateque dominantur.* Et Baſil. ibidem: *Domus impij quæ tugurio vel caſæ, quaſi hominum domicilium, anteponitur, præſtantiorq; habetur, ſortitur maledictionem: iuſtorum autem ſtabulum, quod domui, velut iumentorum receptaculum, poſtponitur viliuſq; cenſetur, benedictione impletur; myſticè verò iuſtorum caſæ vel ſtabula accipi poſſunt pro externis illorum actionibus: domus autem pro contemplatrice animæ virtute. Aut caſæ vel ſtabula ſunt rudes, qui ad iuſtos tamquam ad bonarum diſciplinarum officinas adducuntur: domus verò diſcipuli iam perfecti & eruditi. Quòd ſi iuſtorum caſæ benedicuntur, multò magis illorum domus diuina benedictione locupletabuntur. Et hæc quidem apud eos, qui pietati & religioni dediti ſunt, ita habent: apud impios autem contraria obtinent.* Et alius anonymus ibidem: *Immundorum ſpirituum diuerſa ſunt domus; vna namque eorum domus ſunt ſuper-*

D *bi, alia eorumdem domus ſunt omnes inuidi, alia itidem omnes fœdis voluptatibus mancipati, alia rurſum omnes ambitioſi, alia tandem omnes hypocritæ: & in omnibus hiſce domibus æterna ſæuit punitio. Caſæ autem iuſtorum ſunt Sanctorum manſiones, quæ Dei benedictione affatim cumulantur.* Hæc Patres in Catena Græcor.

IPSE DELVDET ILLVSORES (Hebr. *deridebit deriſores*) ET MANSVETIS DABIT GRATIAM] Tertia eſt hæc ratio. q. d. Noli imitari vias illuſorum, id eſt impiorum, qui pios derident, eoſque fraude & iniuſtitia quaſi ludendo diuexant; quia Deus eos viciſſim deridebit, iuxta id quod dixit cap. 1. v. 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo*: ideoque eos hominibus & dæmonibus ridendos exhibebit. Hæc eſt enim iuſta lex talionis, vt Deus illu- VERS. 34.

ſoribus

A ſcribus illudat. Deriſiſti alium, derideberis ab alio. Fraudaſti proximum, fraudaberis à proximo. Rapuiſti terrena, vana & caduca, priuaberis cæleſtibus, veris & ſolidis, ac ſæpè etiam terrenis. Ita enim, inquit Caſſiodor. libr. 5. epiſt. *exigit, ſagittas fraudis redire in doloſum verticem ſagittantis.* Quocirca appoſitè S. Aug. in pſal. 122. *Ferto, inquit, inſultantem, & videbis poſtea gementem.* Simili modo animalia generoſa non ferunt deriſores. Plinius, & ex eo Pierius Hierogl. lib. 1. cap. 10. docet leonem febri correptum, etiamſi ad furorem exæſtuet, ſimiæ paſtione liberari: tanta enim indignatione ſimiam fert leo, vt nullum animal auidius perdere deſideret. Cauſa eſt, animalis ridiculi petulantia, leonem indigniſſimis modis exagitantis. Nam ſimul ac vel ex arbore aliqua, vel ex tuto latentique loco nacta fuerit occaſionem in leonem inſiliendi, pro magno habet negotio caudæ eius ſe applicare, natibuſque affigere, atque ita quibuſcumque poteſt modis regi ſuo illudere: quod cum impatienter ferat leo, impotenter admodum in huiuſmodi animal efferaſcit.

Poſtrò Septuag. vertunt, *Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et rectè: quia illuſores ſunt ſuperbi, & manſueti ſunt humiles Septuag. ſequitur & citat S. Petrus epiſt. 1. c. 5. v. 5. & S. Iacobus cap. 4. 6. vbi fusè hunc locum explicui, quare plura hic non addam, nec actum agam. Denique Syrus vertit, *ipſe illuſores deturbabit & perdet* (Chald. *propellet*) *& in ſapientes miſericors erit.* R. Leui ſic explicat q. d. *Deus efficit vt, qui ceteros ludibrio habent ac ſannis excipiunt, à ceteris derideantur, cùm in exitium ruent: humilibus autem, qui ceteros honore proſequuntur & colunt, ſeipſoſq; demittunt, gratiam beneuolentiamq; apud mortales conciliabit.*

Vers. 35. GLORIAM SAPIENTES POSSIDEBVNT: STVLTORVM EXALTATIO (ita lege cum Roman. Græcis & Hebræis, non *exultatio*, vti aliqui legunt) IGNOMINIA] Eſt hæc quarta ratio, cur imitandæ ſint viæ piorum, non impiorum. q. d. Sapientes & pij acquirunt gloriam præſentem & æternam, tum apud Deum & angelos, tum apud homines: ſtultorum autem, id eſt impiorum, modica exaltatio & gloria vertetur in ignominiam præſentem & æternam in gehenna.

Noſter in Hebræo legiſſe videtur מָרוֹם *marom*, id eſt, *exaltatio*, celſitudo: iam legunt מֵרִים *merim*, id eſt, *exaltans*. q. d. Stultorum quiſque exaltat ignominiam, hoc eſt, impius quantumcumque nitatur ad alta, tamen altiſſimæ & maximæ ignominiæ ſe exponit. Quo enim altiùs aſcendit, eo profundus cadet, iuxta illud Claudiani.

Tolluntur in altum, Vt lapſu grauiore ruant.

Vnde Septuag. vertunt, *gloriam ſapientes hæreditabunt, ac impij exaltabunt ignominiam;* S. Hieron. Apogol. contra Ruffin. legit, *impij exaltant contumeliam;* Chald. *ſtulti ſuſcipient tribulationem;* Syrus, *hæreditabunt dolorem;* Pagnin. *at ſtultus exaltat quod eſt ignominioſum;* Tigurina, *ſapientes gloriam, ſtulti autem ignominiam, dum euehuntur, hereditate acquirunt;* Vatab. *gloriam ſapientes iure hereditario aſſequentur, & vnuſquiſque ſtultorum ſuſtinet ignominiam, id eſt, inquit, ſtulti afficiuntur ignominia;* Aben Ezra, *maledictio, id eſt egeſtas in domo impij à Deo, &c. Ipſe deriſores per interpretem alloquetur (id eſt deridebit) manſuetis (id eſt ijs, qui quòd ſannis excepti deriſique ſint, abiecti videantur) dabit gratiam. Gloriam ſapientes hereditabunt, ſtulti eleuant extolluntq; ludibrium,* vel *ſtulti extollunt & honore proſequuntur virum ignominioſum;* R. Leui, *probrum ſtulto, ſuſcipit & euehit.*

Pro *poſſidebunt* hebr. eſt יַנְחִלוּ *inchalu*, id eſt, hereditabunt, ſiue hereditario quaſi iure poſſidebunt. q. d. Ex adoleſcentiæ pijs ſtudijs atque laboribus deuoluitur in viros ſapientes & ætate prouectos, tamquam prioris ætatis fructus & hereditas, honor & gloria: ſicut enim vitij indiuiduus comes & aſſecla eſt probrum & dedecus: ſic viciſſim virtutis aſſiduus & fidus achates eſt honor & decus. Ex aduerſo impiorum *exaltatio*, id eſt, poſſeſſio ſeparata, hereditas, pars illis peculiariter attributa, eſt *ignominia*. Opponitur enim *exaltatio*, poſſeſſioni: Hebr. enim רוּם *rum* in *hiphil*, id eſt exaltare, idem eſt, quod exaltando vel leuando ſeparare ſibi, & B ſecernere aliquid peculiare, quod in poſſeſſionem ſuam cadat. Sic de Dauide dicit Deus pſal. 88. 20. *Exaltaui electum de plebe mea;* Chald. *ſecreui iuuenem de populo.* Fuit enim Dauid quaſi peculium & cimelium Dei. Vnde de eo ait Eccleſ. c. 47. 2. *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſrael. Exaltatio* ergo idem eſt quod gloria. q. d. Gloria eſt propria dos & laus piorum, ſi dicas: Etiam impij ſubinde exaltantur & adipiſcuntur gloriam: reſpondet gloriam hanc non tam eſſe gloriam, quàm ignominiam: tum quia impium non decet gloria, nec eum decorat, ſed dedecorat: impius enim in gloria, eſt idem quod ſimia in purpura, tum quia gloria hæc mox vertenda eſt in ignominiam. Et ſic liquet antitheſis poſterioris hemiſtichij cum priore. Veritas huius ſententiæ patet in Ioſeph, Aman, Mardochæo, Saule, Dauide, &c.

Secundò, R. Leui: Stulti, inquit, exaltabunt ignominiam, id eſt, alta & magna erit eorum C ignominia, qua ob ſuam vecordiam notabuntur, vt propter eam amandentur, abiganturque ab illa ſede, in qua omnibus noti clarique erant. Tertiò, impij exaltant, id eſt, attollunt, & quaſi ingens onus leuãt, vt capiti ſuo imponant gloriam mox vertẽdam in ignominiam, quod ipſorum elatas ceruices grauabit, & deprimet vſque ad terram, imò vſque ad abyſſum & infernum. Igitur gloriam ſapientes poſſidebunt, vtpote quorum Deus pater eſt, quorum fratres angeli ſunt, quorum occupatio nobiliſſima eſt, ſcilicet ſapere & ſeruire Deo: quos Deus vt chariſſimos filios amat, B. Virgo vt natos pulcherrimos diligit, S. Eccleſia vt pretioſiſſimas gemmas, quibus illuſtris & ſplendida procedit, cordi habet.

Eſto ergo quid pij in hac vita ſæpè apud mundanos ſint inglorij & inhonorati, impij verò D glorioſi & honorati; tamen apud viros ſapientes, qui norunt res iuxta ſuum cuiuſque pretium æſtimare, pij ſunt glorioſi, impij inglorij, præſertim quia pij honores recuſant & fugiunt. Nam vt ait Ariſtot. *Magna dignitas eſt non vti honoribus, ſed efficere vt ijs dignus ſis.* Et S. Chryſ. hom. 1. in 1. ad Corinth. *Altus, inquit, eſt, qui nullis indiget, ſed omnia deſpicit, & à ſeipſo habet magnitudinem.* Quocirca talem donabit Deus gloria æterna, imò in illa extollet, & cæteris altiorem faciet. Cauſam dat auctor Catenæ Græcor. *Deus, inquit, quatenus eſt ipſamet iuſtitia per eſſentiam, obſiſtit iniuſtis; quatenus autem prima veritas, mendacibus, & falſis; quatenus ſummè manſuetus & humilis eſt, obſiſtit ſuperbis,* recipit verò & amplectitur humiles quatenus ſapientia eſt, ſtultos abominatur, ſapientes honorat & glorificat.

Quocirca S. Greg. libr. 1. epiſt. 5. loquens de ſe vitam monaſticam ante Pontificatum agente: *Nihil,*

Nihil, inquit, *in hoc mundo appetens, nil pertimeſcens, videbar mihi in quodam rerum vertice ſtare, ita vt in me plenè impletum crederem illud* Iſaiæ 58. *Suſtollam te ſuper altitudinem terræ. Super enim altitudinem terræ ſuſtollitur, qui & ipſa, quæ alta & glorioſa præſentis videntur ſæculi, per mentis deſpectum calcat.* Et S. Cyprian. de Orat. Dominic. *Qui renuntiauit iam ſæcu-*

A *lo, maior eſt honoribus eius & regno: & ideo qui Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cæleſtia regna deſiderat.* Sic Moſes glorioſior fuit Pharaone, cuius gloria merſa eſt in mari Rubro; Elias Achabo rege, Eliſeus Ioramo, Ioannes Baptiſta Herode, S. Athanaſius Conſtantio, S. Ambroſius Theodoſio, S. Baſilius Iuliano.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit diſcipulum hortari & incitare ad ſtudium ſapientiæ & virtutis tam ſuo exemplo, tum ſapientiæ commoda recenſendo. Secundò, v. 14. docet viam impiorum quaſi tenebroſam declinandam, iuſtorum verò viam quaſi ſplendentem capeſſendam. Tertiò, v. 23. agit de cuſtodia cordis, oris, oculorum & greſſuum.

1. Audite filij diſciplinam patris, & attendite vt ſciatis prudentiam. 2. Donum
bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. 3. Nam & ego filius
fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea: 4. & docebat me, atque di-
cebat: Suſcipiat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues: 5. Poſſide ſa-
pientiam, poſſide prudentiam: ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei. 6. Ne
dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſeruabit te: 7. Principium ſapientiæ,
poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua, acquire prudentiam: 8. arripe illam,
& exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. 9. dabit capiti tuo
argumenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. 10. Audi fili mi, & ſuſcipe
verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ; 11. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, du-
cam te per ſemitas æquitatis: 12. quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſ-
ſus tui, & currens non habebis offendiculum. 13. Tene diſciplinam, ne dimittas eas:
cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua, 14. Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec ti-
bi placeat malorum via: 15. Fuge ab ea, nec tranſeas per illam: declina, & deſere
eam; 16. non enim dormiunt niſi maleſecerint: & rapitur ſomnus ab eis niſi ſup-
plantauerint. 17. comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. 18. Iu-
ſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam
diem. 19. Via impiorum tenebroſa: neſciunt vbi corruant; 20. Fili mi, auſculta
ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam; 21. ne recedant ab oculis
tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui: 22. vita enim ſunt inuenientibus ea, & vniuer-
ſæ carni ſanitas. 23. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit: 24.
Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te. 25 Oculi tui recta
videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. 26. Dirige ſemitam pedibus tuis,
& omnes viæ tuæ ſtabilientur. 27. Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram: a-
uerte pedem tuum a malo, vias enim, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruer-
ſæ verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem
tua in pace producet.

VERS. 1. AVDITE FILII DISCIPLINAM PATRIS (Vatabl. *caſtigationem paternam*) ET ATTENDITE (attento & intento animo hæc mea dogmata excipite) VT SCIATIS PRVDENTIAM] Hebr. *vt ſciatis intelligentiam*; Septuag. *vt ſciatis cogitationem*; Aquila *intellectum*; vt ſcilicet pendentiæ dictamina de virtute probiſque moribus in opus conferatis & reipſa exequamini. *Diſciplinam* Hebr. מוּסָר *muſar*, id eſt, caſtigationem, eruditionem, diſciplinam, qua puerorum leuitas caſtigatur & coercetur. Vnde Septuag. vertunt, *ἀκούσατε παῖδες παιδείαν*, id eſt, *audite pueri puerilem inſtructionem.* Quocirca quia hæc diſciplina pueris, & grandæuis cupiditates ſuas more puerorum ſequentibus (*Parui enim refert an ætate an moribus puer ſis*, ait Philoſop.) moleſta eſt; hinc identidem illos ad eam amplectendam hor-

B tatur, proponendo eis fructus & commoda, *Patris*, id eſt mei ipſius, qui hîc me gero vt pater filios ſuos ſeuerè, ſed verè & probè inſtituens. Salomonem hîc loqui patet ex eo quod ſubdit: *Nam & ego filius fui patris mei.* Minùs rectè ergo Hugo, Beda & alij cenſent hæc eſſe verba Dei.

Senſus eſt q.d. O filij, ô diſcipuli, audite meam diſciplinam de moribus caſtigandis, & ad virtutis normam efformandis, quæ carni quidem oneroſa & ingrata accidit, ſed ſpiritui vtilis eſt & neceſſaria; ideoque me quaſi patre veſtro paterno affectu & amore vobis traditur, vt vos non tam meos quàm ſapientiæ filios efficiam, vt ſcilicet ſciatis prudentiam: prudentia enim non tam in audiendo, quàm in agendo & audita faciendo conſiſtit. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed*

ſed factores legis iuſtificabuntur, Rom.2.13. Audite A ergo me qui Deo iubente, hæc edico, & quaſi os diuinum Dei iuſſa proloquor.

VERS. 2. DONVM BONVM TRIBVAM VOBIS LEGEM MEAM NE DERELINQVATIS] Sic & Septuag. Verùm Vatabl. & Paghin. vertunt, *doctrinam enim bonam propono vobis: legem meam ne relinquites.* Galatinus lib. 2. de Arcan. fidei cap.5. *documentum bonum dedi vobis*, id eſt, legem inquit, nam non eſt bonum niſi lex: R.Leui, *poſſeſſionem, bonam dedi vobis.* Hebr. enim לֶקַח *lecach*, à rad. לָקַח *lacach*, id eſt accepit, propriè eſt res accepta vel accipiẽda, putà donum quod accipitur; & quia inter dona primas obtinet lex & doctrina, hinc paſſim pro ea ſumitur. *Donum* ergo *bonum* eſt, doctrina legis diuinæ iam tradita, & deinceps tradenda, quæ tamquam eximium donum & bonum neutiquam eſt derelinquenda. Quocirca *dijs, parentibus & præceptoribus reddi æquale nequit*, ait Ariſt. quia ſcilicet parentes naturam, ceteri doctrinam contulerunt. B Pro *tribuam* hebr. eſt נָתַתִּי *natatti*, id eſt, dedi, tradidi: ſed Hebræi præteritum crebrò ſumunt pro quolibet tempore. *Natatti* ergo idem eſt quod dedi, do, & dabo. q.d. Si leges & monita mea ſuſcipiatis, ruminetis & opere perficiatis, ſentietis quantum illa ſint donum, quantum ſapientiæ contineant, quantos fructus pariant.

VERS. 3. & 4. NAM ET EGO FILIVS FVI PATRIS MEI, TENELLVS, ET VNIGENITVS CORAM MATRE MEA: ET DOCEBAT ME ATQVE DICEBAT] Hebr. *tener & vnicus ad faciem matris meæ*; Septuag. *dilectus in facie matris meæ.* Hebræa de לִפְנֵי *liphne*, id eſt, in facie vel ad faciem, in margine habent לִבְנֵי *libne*, id eſt in filijs, & ita legendum vult Galatin. lib.2. cap 5. q. d. Fui vnicus in filijs, vel inter filios matris meæ. C *Et docebat me* non mater; hebr. enim eſt verbum maſculinum יֹרֵנִי *iereni*, id eſt, docebat me vir, putà pater meus; ſed ſub patre per ſylleſin intellige & matrem. Vnde Septuag. vertunt, *qui* (pater & mater) *ducebant & docebant me*, Aquila, *illuminabant me*; Chald, *& docebant me; & dixit mihi Dominus.*

Moraliter, S.Ambr. in c.1 S. Lucæ docet proprium eſſe eorum qui nobili genere nati ſunt, pietatem pariter cum ſanguine ducere, vt appareat in eis *tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas. Sic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris dereliquit.* In virtutibus & vitijs certa eſt hereditas, ait Chryſol. ſerm. 111. *Parentis vitium filiorum exitium. Numquid non in ſemine tota arbor? vitium ergo ſeminis vitium eſt totius arboris.* Et contrà arguit S. Paulus: *Si delibatio ſancta eſt, & maſſa; & radix ſancta, & rami*, id eſt, vt explicat Theoph. certa res eſt vt maſſa ſimilis fermento euadat, rami radici, filij parentibus Rom. 11. D

Salomon vocatur tener, cur? Reſp. Primo.

Quæritur hic Primò, quo ſenſu, & qua de cauſa Salomon vocetur רך *rach*, id eſt, tener vel *tenellus*? Reſpondeo Primò, eò quòd ætatis eſſet paruæ & teneræ. q.d. Pater meus Dauid, rex ſapiens & ſanctus, me Salomonem à teneris inſtruxit, docuitque ſapientiam, putà Deum timere & colere. Igitur & vos ô parẽtes, veſtros filios à puero inſtruite, eoſque docete timorem Dei; ac vos ô filij eumdem à puero imbibite & diſcite ſapere. ita Lyran. Caietan. & alij. Addit Caietan. & alij nonnulli Salomonem fuiſſe puerum moriente Dauide patre. q.d. Patrem meum Dauidem non niſi tener & iunior audiui & attigi; obijt enim antequam adoleſcerem, & tamen præcepta, quæ mihi puero inſtillauit, grandæuus retineo. Hoc enim magnæ eſt virtutis: ſæpè enim pueri demortuo patre, cuius diſciplina coercebantur, ſapientiam abijciunt, ſeque dant ſuis cupiditatibus. Fauet S. Hieron. epiſt. ad Vitalem, vbi aſſerit Salomonem genuiſſe Roboam anno ætatis vndecimo, & cœpiſſe regnare duodecimo. Ergo iam tunc vita functus erat Dauid pater. Et S.Ignatius epiſt. 8. ad Magneſian. vbi ait Salomonem peregiſſe iudicium meretricum cùm adhuc eſſet puer. Verùm contrarium longè verius eſt, ſcilicet Salomonem cœpiſſe regnare ſub annum ætatis vigeſimum, ac proinde viginti ferè annis conuixiſſe patri, ab eoque eruditum, vti ex Abulenſi, Pineda, Saliano, imò ex ipſa S.Script. oſtendi Eccli.47. ſub initium. Porrò Dauidem non tantùm in vita; ſed & in morte acria dediſſe Salomoni monita ſapientiæ & ſalutis, patet 3. Reg. 2.

Secundo. Secundò, alij Salomonem cenſent vocari *tenellum*, id eſt, tenerè in delicijs enutritum. Vnde Chald. vertit, *filius fui patris mei delicatus.* q. d. Eſto in delicijs regijs fuerim educatus, tamen ſapientiæ & virtuti ſtudui. Magna enim lis eſt virtuti cum voluptate, æquè ac caſtitati cum pulchritudine, iuxta illud:

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Tertiò. Tertiò alij *tenellum* exponunt rudem inexpertum, indoctum. *Nihil enim*, ait Beda, *magis ad ſpem percipiendæ ſapientiæ mentes erigit quàm cùm eos, qui in ſapientia iam clarere miramur, aliquando paruulos & indoctos fuiſſe meminimus.* Hoc ſenſu ait Dauid 2 Reg.3.39. *Ego adhuc delicatus & vnctus rex*, id eſt, tener, inſuetus labori longioris gubernationis. Et Roboam vocatur *rudis & pauido corde*; hebr. *puer & tener corde.*

Quartò. Quartò, Pineda per teneritudinem hanc accipit educationem teneram, plenam curæ ac ſollicitudinis, ita ipſe lib.3. de Rebus Salom.c.4. Adde teneram & delicatam corporis complexionem. Fuit enim Salomon delicato & optimo corporis temperamento indeque docilis & capax ſapientiæ. Nam vt ait Ariſtot. lib.2. de Anima textu 49. *Duri carne ſecundùm intellectum ſunt inepti, molles verò*, id eſt teneri; *bene apti.*

Quintò. Quintò rectè *tenellum* interpreteris mollem, flexilem, ductilem, docilem, ſicut cera mollis, quæ citò poteſt informari; ait Hugo Talis enim fuit Salomon, tum ob bonum animum & indolem, quam à Deo ſortitum ſe dicit Sapient.8.19. tum ob formationem Dauidis, tum ob exercitationem & ſtudium Sapientiæ, ideoque ad eius culmen citò peruenit. Sunt enim ex aduerſo quidam pueri ita naturæ duræ refractariæ, hebetis, indocilis, vt nihil addiſcere velint aut poſſint, vt parentes & magiſtri in ijs docendis oleum & operam perdere videantur. Vnde Septuag. vertunt. *filius enim ego fui patri obediens.* Huc facit illud Poëtæ:

Dum tener eſt natus, generoſos inſtrue mores.

Hinc & B.Antiochus homil. de Obedientia legit, *filius fui & ego patri obediens, &* (ideoque) *dilectus in conſpectu matris meæ*: matres enim diligunt filios obedientes.

A puero ſtudendum virtuti. Hinc S.Baſil. in Regulis fuſiùs explic. interrog. 15. ſapienter docet parentes & magiſtros debere docere & formare pueros à teneris, cùm inſtar ceræ molles ſunt, formamque ſibi impreſſam facillimè

limè recipiunt & retinent. Quocirca pleroſque eximios Sanctos legimus à puero cœpiſſe operam dare ſanctitati: plura eorum exempla recenſui 2. Timoth. 3. 14. Idem cenſuere Gentiles, vt Plato lib. 6. de Legibus. Ariſtot. apud Laërtium l. 5. c. 1. vbi aſſerit pueros doctos ab indoctis differre, ſicut viui differunt à mortuis. Rurſum, viſum lumen accipere à circumfuſo aëre, animum autem à diſciplinis. Cleanthes apud Laërtium lib. 6. c. 6. ait pueros & homines imperitos ſola forma differre à beſtiis. Demades apud Anton. in Meliſſa p. 1. ſer. 50. aſſerit doctos ab in doctis tantũ differre, quantũ deos ab hominibus. Præclarè Seneca epiſt. 69. *Vt dij immortales*, inquit, *nullam didicere virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorũ eſt eſſe bonos, ita quidam iuuenes egregiam ſortiti indolem, in ea, quæ tradi ſolent, perueniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complectuntur cùm primùm audiunt.* Præclarius S. Bernard. tract. de Ordine vitæ, ſiue de doctrina puerorum, poſt medium: *Pueri*, inquit *à puritate dicti ſunt, & decet vt regnet in eis ſimplicitas & innocentia & puritas, hoc eſt virginitas; cùm his creſcant, & in his perſeuerent, vt mereantur ſequi Agnum quocumque ierit.* Idem ſer. 3. de Epiphan. *Pueris*, inquit, *ſimplicitas naturalis, & cognata virginibus verecundia eſt.*

Salomon cur vnigenitus?

Quæritur Secundò, quo ſenſu & qua de cauſa Salomon vocetur *vnigenitus*: Scriptura enim contrarium videtur dicere. Nam. 1. Paral. 3. 5. præter Salomonem numerat tres alios Dauidis ex Bethſabee filios, ſcilicet Simmaa, Sobab, & Nathan. Dicendum breuiter, inquit noſter Salianus tomo 3 Annal. anno mundi 2989 n. 3. probabile videri Simmaa & Sobab & Nathan filios fuiſſe Bethſabee ex Vria, priore marito. Ita cenſent Abulenſ. in c. 3. 1. Paral. Lyranus, & Vatablus, Torniellus loco citato, Hugo Cardin. in c. 5. 2. Reg. nec diſplicet Salmeroni tract. 28. in tom 3. Probatur autem; quia, ſi Dauid multos ex Bethſabee liberos ſuſcepiſſet, cùm primus eorum, omiſſo paruulo innominato qui ex adulterio natus eſt, fuerit Salomõ, tam naturæ ordine, vt conſtat ex 2. Reg. 12. v. 24. quàm regiæ ſucceſſionis dignitate, primus vtique nominatus fuiſſet in filiis Bethſabee, non poſtremus. Ordinem enim natiuitatis à Scriptura ſeruari ex vtroque loco 2. Reg. 3. 2. & 1. Paral. 3. 1. in quo numerantur filij Dauidis, intelligi poteſt: vtrobique enim Amnon tamquam primogenitus primus cenſetur, tum Daniel ſiue Cheleab, tertius Abſaſon, & ita deinceps. Cùm ergo tres illi priore loco nominentur, priores nati fuerunt: non ex Dauide, qui ex Bethſabee primùm ſuſcepit infantulum illum innominatum, tum Salomonẽ: ergo ex Vria, cuius filios propterea Dauid adoptione fecit ſuos, quòd ſic reparabat iniuriam factam patri. Cùm enim eius vxore corrupta filium ei affingere ſtuduiſſet ignaro, ipſe ſciens prodenſque eius filios ſibi per adoptionem attribuit: reparauit & factam filiis iniuriam, quibus patrem ſuſtuliſſet, dando illis pro priuato homine parentem regem. Denique ſic plurimum dilectæ Bethſabee gratificabatur, cuius Salomon dicitur *vnigenitus*.

Poſt natura.

Probabilior nihilominus eſt ſententia, tres illos, & inſuper Salomonem, à Dauide & Bethſabee genitos fuiſſe. Clariſſima eſt enim Scripturæ id affirmantis oratio 1 Paral. 3. 5. *Porrò in Ieruſalem*, inquit, *nati ſunt ei*. Dauidi ſcilicet, *filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethſabee filia Ammiel.* Quomodo nati ſunt Dauidi quatuor, ſi tres eorũ nati ſunt Vriæ? magna profectò vocum abuſio admitteretur, ſi pro vno, qui natus eſſet reuera Dauidi, quatuor ei nati dicerentur. Retentâ igitur ſimplici ſignificatione verborum, nec violenta interpretatione obſcuratâ, dicendi ſunt omnes filij Dauidis naturales, ab eoque geniti. Deinde ſi Nathan non fuit verus Dauidis filius, ſed adoptiuus, verus autem Vriæ; non rectè vtique à D. Luca per ipſum Nathan generatio Chriſti ad Dauidem duceretur, quippe qui Dauidis non fuerit, ſed Vriæ. Hanc ſententiam probant quicumque volunt Nathan fuiſſe fratrem naturalem Salomonis; quorum plurimos numerat Pineda l. 1. c. 8. n. 3 & l. 7. c. 26. Eadem eſt enim ceterorum duorum ratio, & qui volunt natum Salomonem quadriennio poſt adulterium Dauidis. Eiuſdem ſententiæ ſectatores ſunt Theodoretus & Procop. in 1. Paral. & ille idem Pineda, Salaz. Baynus, Arboreus, Ianſenius, Caietanus hoc loco, ac Clictouæus in Damaſcenum l. 4. c. 15. Salmeron tract. 28. tom. 3. Barradius tom. 1. l. 5. c. 9. addunt & Annij Philonem biblicum, & ſi quos alios.

Dicitur tamen vnigenitus. Primò. quia vnicè dilectus.

Igitur Salomon vocatur *vnigenitus*, hebr. *vnicus*, id eſt, vnicè à matre dilectus. Vnde hebr. latinè & græcè non eſt vnicus matris vel matri ſuæ, ſed *vnicus coram matre ſua*, id eſt, vt Septuag. vertunt, *dilectus in facie matris ſuæ*, id eſt, vnicus per ſingularẽ amorem, curam, ſolicitudinem, perinde ac ſi eſſet ſolus & vnigenitus. Significatur ergo Salomonem placidiſſimi & quietiſſimi fuiſſe ingenij, qui inſtar Iacob domi cum matre verſaretur, quæ inſtillabat amorem & præcepta ſapientiæ, non autem inſtar Eſau in agris venaretur. Rurſum eum matris, & viciſſim matri fuiſſe amantiſſimum. *Vnigenitus* ergo *coram matre ſua*, id eſt, tamquam vnigenitus longè dilectiſſimus, non alieno, ſed proprio matris lacte enutritus, ſemper in brachiis, in gremio, in oculis matris verſatus. Vnde ait ad eum mater c. 31. 2. *Quid dilecte mi? quid dilecte vteri mei? quid dilecte votorum meorum?* Sic pſal. 85. 11. dicitur: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Pro quo Hieroym. & Chald. propriè legerunt, *vni cor meum, vt timeat nomen tuum.* Quod alij ad effectum precandi & efflagitandi reuocant: *Hoc vnum tribue cordi meo, vt te timeat*; alij ad timoris magnitudinem, & perfectionem. *vnicè te timeat cor meum*; alij ad coniunctionem intimam cordis cum diuino timore, *vni cor meum timore tuo.* Sed meliùs *vni*, id eſt collige omnes cordis mei vires, vt te diligam ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, vt tuo timori ac dilectioni vnicè inuigilem, nihil mihi extra te ſit in cælo & ſine te nihil velim ſuper terram hęc vna mea ſit cura & ſolicitudo. Sic pſal. 21. 21. dicitur: *De manu canis vnicam meam.* q. d. Vnius me vitæ amor & ſolicitudo pungit, hoc mihi ſolum ſupereſt, ſcilicet vita: hanc tu etiam ablatis ceteris rebus tuere & conſerua. Sic dicit Salomon ſe vnicum coram matre, in quo vno & oculos & animum mater defigebat, vnicum amabat atque curabat: ita Pineda lib. 1. de Rebus Salomon c. 8. Sic Cantic. 6. dicitur: *Vna eſt matris ſuæ*, (id eſt *dilecta*, *& electa genitrici ſuæ.*

Secundò. quia heres regni.

Secundò, idem Pineda: *Vnicus*, inquit, cùm de filio regis dicitur, videtur reſpicere ad ſucceſſionẽ regni, vt qui præ multis fratribus ſucceſſione & hereditate regni vnicus ſit. Sic Geneſ. 22. 2. τὸ *Tolle filium tuum vnigenitum*, Septuag. perinde exiſtimarunt, ac ſi diceret: *Tolle filium tuum dilectum*; D. Ambroſ.

broſ. *tolle dilectum*; Symmachus, *vnicum tuum*. Sed cùm haberet præterea Iſmaelem, non intelligit *vnicum* genitum; ſed ſucceſſione & deſtinatione ad genus & principatum. Sicut ipſe Dauid exponere videtur dicens 1. Paralip. 29. 1. *Salomonem filium meum vnum* (Septuag. *vnicum*) *elegit Deus, adhuc puerum & tenellum*: q.d. Quod ad regni ſucceſſionem attinet, non habeo alium, qui regnandi particeps eſſe debeat.

Tertiò, quia primogenitus.

Tertio, noſter Salazar & Franc. Suarez 3. p. to. 2. q. 27. diſp. 2. ſect. 3. *vnigenitum* interpretantur primogenitum. q.d. Cùm filij primogeniti amore & indulgentia parentum abuti ac proteruire ſoleant, ego tamen ita diſciplinæ me ſubdidi, vt ſtarem quaſi puer *coram matre mea*, ab eáque me doceri, regi, flecti & formari ſinerem, illi per omnia me ſubiiciens & ab eius nutu pendens. Licet enim prior Salomone filius fuerit infans ex adulterio Dauidis cum Bethſabee conceptus; tamen ille illico vt lucem vidit expirauit, ideoq; quaſi non natus in computum non venit, ait ex Gloſſa S. Tho. 3. p. q. 27. art. 2. ad 3.

Si obiicias, Salomonem non videri primogenitum Dauidis ex Bethſabee, eò quòd tres ante illũ filij nominentur, ipſeque ſit quartus & vltimus, 1. Paral. 3. 5. Reſp. ſæpè in Script. in recenſendis filiis non ſeruari ordinem temporis & generationis. Sic Geneſ. 11. 27. dicitur: *Thare genuit Abram, Nachor & Aran*, & tamen Aran ſenior fuit Abramo, nam Abram filiam Aran in vxorem duxit.

Salomon dilectus quia filius pœnitentiæ.

Addunt nonnulli Salomonem fuiſſe filium pœnitentiæ, putà genitum à Dauide & Bethſabee de adulterio pœnitentibus, ideoque præ ceteris dilectum, quaſi qui pignus eſſet diuinæ reconciliationis, & fructus gratiæ à Deo acceptæ. Audi noſtrũ Lorinum in c. 1. Eccleſ. v. 1. Fortaſſe etiam Salomon, qui poſt mortem infantis ex adulterio geniti ſuſceptus eſt per legitimũ matrimonium, & ſecuta in vtroq; parente pœnitentia, ideò maximè dilectus eſt, atque vel à matre ipſa nutritus, vel corã ipſa, cùm alij extra domũ & à nutricibus, ac proinde Dauid eumdem ſummoperè dilexit, vtpote recuperata iam gratia ab ſe genitum, regni ſucceſſorem, ac de quo prolixè tam multa Deus promiſerat, & viciſſim Salomon gloriabatur hoc nomine, quòd Dauid filius & eſſet & diceretur.

Allegor. de Chriſto.

Myſticè, ſiue allegoricè, Salomon hic repræſentat Chriſtũ, qui fuit tener & vnigenitus Patris æterni, ac virginis Mariæ Deiparæ, ei vnicè dilectus & ſubiectus, Lucæ 2. 51. Ita Galatinus l. 2. de Arcan. fid. c. 5 & lib. 3. cap. 22. qui putat hunc eſſe ſenſum litteralem, ſed ex dictis liquet eſſe myſticum. Porrò Chriſtus propriè fuit vnicus Patri cœleſti, quia ex eo ſolo genitus, quà Deus & Verbũ; atque vnicus matri ſuæ, quia quà homo ex ea ſola ſine opera viri ex Spiritu ſancto conceptus: vnde ſicut in cælis eſt ἀμήτωρ, id eſt, ſine matre; ſic in terris eſt ἀπάτωρ, id eſt, ſine patre. Atque hæc fuit cauſa vnici & ſingularis amoris reciproci, tũ Virginis in Chriſtum, tum Chriſti in virginem matrem: amor enim filiorum ſolet diuidi in patrem & matrem, ideoque in ſingulos minui: at in Chriſto fuit indiuiſus & collectus amor filialis: vnicus enim & totus tetendit in ſolam matrem, quaſi ipſa ſibi pater eſſet & mater: fuit ergo ingens & ardens. Viciſſim virgo Deipara amorem ſuum in filium non diuiſit cum marito, vtpote qui nihil ei contulit, ſed totum ſola poſſedit. Fuit ergo & ille magnus & eximius, quia amore materno & paterno quaſi mater & pater dilexit eum, eum inquam quem ſciebat Deum eſſe æquè ac hominem, ideoque immenſo amore redamandum. Chriſtus ergo fuit tener corpore, quia molle optimumque habuit corporis temperamentum, indeque tenerum & flexilem animum, ideoque bene diſciplinabilem, ait Galatin. & omnis ſapientiæ capaciſſimum. Rurſum Chriſtus dicitur tener, quia in eo fuit ineffabilis pietatis teneritudo, & in trunco humanitatis clementiſſimæ diuinitatis inſertio, ac fructuoſa plantatio. Ipſe denique legem dedit Iudæis per Moſen, Chriſtianis per ſeipſum, de eaq; dixit: *Hoc fac & viues*, Lucæ 10.

Vers. 4. SVSCIPIAT VERBA MEA COR TVVM; CVSTODI PRÆCEPTA MEA, ET VIVES] Pagnin. ad verbum Hebræa vertit, *fulciat* vel *ſuſtentet eloquia mea cor tuum*: quod Baynus per hypallagen ſic explicat. q.d. Eloquia mea fulciant cor tuum tenerum & fluctuans; Septuag. *firmetur noſter ſermo in tuo corde*; Chald. *apprehendat* (Symmach. *teneat*) *verba mea cor tuum*; Syrus, *reſideant verba mea in corde tuo*.

Sunt verba nõ Dei, vt vult Chald. & Beda, quaſi alludat ad colloquium Dei cum Salomone habitũ 3. Reg. 3. 5. ſed Dauidis ad Salomonem, vt patet ex dictis. q.d. O fili ſuſcipe monita mea auribus non tantùm corporis, ſed & mentis, nec tantùm ſuſcipe, ſed & firma, vt numquam excidant, nulla tentatione elidantur. Solent enim puerorum phantaſiæ & mentes eſſe vagæ & fluidæ, ideoque quod audiunt, facilè effluere & excidere ſinunt. *Inquieta eſt ac mobilis iuuenum mens, & animus ſemper fluctuat*, ait Ariſtot. 2. Politic. Firmare ergo eam iubet anchora conſtantiæ, conſtantiſque amoris & timoris Dei, vt hæc patris & ſapientiæ documenta conſtanter retineat, eaque contra paraſitos & ſeductores fulciat, id eſt, tueatur & propugnet, ne ab iis ſe ſeduci & in vitia abduci patiatur.

CVSTODI PRÆCEPTA MEA, ET VIVES] q.d. Si cuſtodieris mea præcepta, longæuus eris tum vita naturæ, tum vita gratiæ, tum vita gloriæ in æternum. Vnde Syrus vertit, *cuſtodi præcepta mea & vitam & legem ſicut pupillam oculi*. q.d. Quantum amas vitam tuam, tantum ama cuſtodiam præceptorum meorum: quantum amas animam tuam, tantum ama diſciplinam meam: quantum amas & cuſtodis pupillam oculi tui, tantum ama & cuſtodi legem meam: quia hæc eſt vita, anima & pupilla oculi tui.

Vers. 5. POSSIDE SAPIENTIAM, POSSIDE PRVDENTIAM: NE OBLIVISCARIS, NEQVE DECLINES A VERBIS ORIS MEI] Hebr. קְנֵה *kene* Primò, ſignificat *eme, compara, acquire*: Secundò, *poſſide*, quia emendo acquiritur rei poſſeſſio, & quod emimus hoc poſſidemus. Vnde Vatabl. vertit, *compara ſapientiam, compara intelligentiam*; Pagninus, *eme ſapientiam eme intelligentiam*. Senſus ergo eſt: Compara tibi ſapientiam practicam, ſiue prudentiam & virtutem, omnium opum pretio, & omnium rerum diſpendio: ipſa enim omne pretium, omnemque iacturã longè ſuperat. Ac cùm comparaueris, firmiter eam retine, & poſſide, ut nullis blanditiis, promiſſis, minis, terroribus ſinas eam tibi eripi, iuxta illud c. 23. 23. *Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam*: omnia enim hæc ſpectant ad perſeuerantiam & conſtantiam in ſapientia & virtute, ideoque Noſter optimè vertit, *poſſide*: *poſſide* enim per meta-

metalepſin. Primò, idem eſt quod eme, acquire, iuxta illud Euæ Geneſ. 4. 1. *Poſſedi*, id eſt acquiſiui, *hominem* (Cain filium) *per Deum*. Secundò, *poſſide* propriè idem eſt quod emendo occupa, detine, poſſide. q. d. Omni ſtudio cura vt acquiras & poſſideas ſapientiam tamquam rem ſummi pretij, perinde ac mercator ſatagit emere & poſſidere merces pretioſas.

Moral. hîc diſce, parentes debere filiis magis prouidere de ſapientia & virtute, quàm de opibus & prædiis. Mundani faciunt contrarium, ideoque errant, & filiis peſſimè conſulunt. Quid enim proſunt opes homini, qui neſcit eis bene vti; imò cui ſunt inſtrumenta ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ? Quid hoc eſt aliud quàm dare gladium inſipienti & furenti, quo in aliorum & ſuam ipſius necem ruat? Vnde in præpoſteram hanc parentum curam grauiter inuehitur D. Baſil. Proſper & alij.

VERS. 6. NE DIMITTAS EAM, ET CVSTODIET TE DILIGE EAM, ET CONSERVABIT TE.] Septuag. *& adhærebit tibi*; Chald. *& proteget te*, Syrus, *vt liberet te*; D. Hieron. epiſt. 2. ad Nepotian. *& apprehendet te*; idem in c. 18. Ezech. ſic legit *ama illam, & amplexabitur te; dilige illam, & cuſtodiet te*; Arabicus, *concupiſce illam, & tutabitur te*. Dauid quaſi ſollicitus pater idem identidem repetit, aliiſque & aliis verbis inculcat filio, quaſi rem ſummi momenti, in quo eius felicitas omneq; bonum ſitum ſit. q. d. Sapientiam quaſi ſponſam indiſſolubili matrimonij vinculo tibi ô fili copula, nec des ei libellum repudij; vt eam dimittas: ita viciſſim ipſa tibi fida erit firmiterque adhærebit, imò ab omnibus malis culpæ & pœnæ proteget, & in omni bono conſeruabit te. Secus faciunt ſponſæ hominum, quæ ſæpè ſponſos deſerunt, & ad adulteros tranſeunt: aut ſi in fide perſtent, ſponſos non alunt nec cuſtodiunt, ſed ab iis aluntur & cuſtodiuntur.

VERS. 7. PRINCIPIVM SAPIENTIÆ, POSSIDE (Baynus, *poſſidere*, & ſic verti poteſt ex Hebræo) SAPIENTIAM; ET IN OMNI POSSESSIONE TVA, ACQVIRE PRVDENTIAM.] Hæc verba in ſpeciem videntur eſſe contraria & continere antitheſin: poſſeſſio enim ſapientiæ non eſt principium, ſed finis & complementum ſapientiæ. Quocirca Tigur. ex Hebræo ſic vertit, *ante omnem cognitionem compara ſapientiam*, Vatabl. *principium ſapientiæ compara ſapientiam*, Syrus & Chald. *initio ſapientiæ compara ſapientiam*. Hebr. ad verbum habent, *principiũ ſapientiæ eme, vel poſſide intelligentiam*.

Igitur Primò, τὸ *poſſide*, poteſt accipi in actu inchoato, vel deſtinato q. d. Principium ſapientiæ eſt poſſidere, id eſt comparare, ſapientiam, putà illam emere, illi ſtudere, illam audire, meditari, vt ſic eam acquiras & poſſideas, iuxta illud Sapient. 6. v. 18. *Initium illius* (ſapientiæ) *veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia*. q. d. Tunc ſapere incipies, cùm eam amare & proſequi, illique vacare & ſtudere cœperis. Sic enim ſe explicat ſubdens: *Et in omni poſſeſſione tua, acquire* (hebr. eſt idem verbum קְנֵה *kene*, quod paulò ante Noſter vertit, *poſſide*) *prudentiam*. q. d. Principium, via & modus acquirendi ſapientiam & veritatem eſt, ſi omni ſtudio, omni conatu, omni pretio, etiamſi omnes tuas opes impendere deberes, ſtudeas eam tibi comparare, Sic ait Seneca: *Magna pars boni eſt velle fieri bonum*. Ita Dionyſ. Ianſen. Hugo, Caiet. & alij. Senſus ergo eſt, q. d. Principium ſapientiæ non eſt arida ſpeculatio & contemplatio ſapientiæ, ſed ſapida vo-

A luntas & ſtudioſus conatus ad ſapientiam, vt ſcilicet timore Domini, qui etiam principium eſt ſapientiæ, commoti, omni via & modo enitamur ad ſapientiam acquirendam.

Secundò, alij, q. d. Dauid ad Salomonem: Principium ſapientiæ eſt eam mente concipere, comprehendere & poſſidere: inde enim fiet, vt ſuo tempore eam opere exerceat. Tu ergo ô fili iam nunc à teneris eam menti imprime, vt grandior & rex factus eam exequi, ac iuxta eam viuere & gubernare queas. Aut, vt Baynus: Senſus, inquit, prouerbij eſt Sapientiæ primam curam habe, & non, vt inquit ille, *quærenda pecunia primum, virtus poſt nummos. Et in omni poſſeſſione acquire prudentiam*, vt nihil vel poſſidere velis, vel diſcere, quod à prudentia fuerit alienum. Aut, vt idem. q. d. In principio ſapientiæ poſſide & diſce ſapientiam ab aliis, iuxta illud Iacobi 1. *Sit autẽ omnis homo velox ad audiendũ*. B Et poſtea eris magis idoneus, vt res omnes cum intelligentia & prudenter tractes, & tuopte ingenio intelligentiam augebis.

Tertiò, noſter Salazar ſic exponit: *poſſide* vel eme *ſapientiam*, hoc eſt, coniugio tibi copula ſapientiã. Olim enim nuptiæ fiebant coëmptione, quia ſponſus ſponſam cum parentibus certo pretio coëmebat, vti Oſee emit Gomer c. 3. 2. *Fodi*, inquit, id eſt emi, *eam mihi quindecim argenteis*, Iam coniugio copula, id eſt, arctiſſimè tibi adſtringe ſapientiam & virtutem, vt ab ea diuelli te non ſinas. Vnde S. Auguſt. hoc ſpiritale coniugium repræſentatum in connubio Adæ cum Eua cenſet lib. 2. de Geneſi contra Manich. c. 13. de illa enim dictũ eſt Geneſ. 2. *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Os* C *de oſſibus*, inquit, *fortaſſe propter fortitudinem, & caro de carne propter temperantiam. Hæ namque duæ virtutes ad inferiorem animi partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere*.

Quartò, pro *principium* hebr. eſt רֵאשִׁית *reſcit*; græcè ἀρχὴ, quod tam ſummam, caput, principatum, quàm principium ſignificat. q. d. Principatus ſapientiæ ſitus eſt in poſſeſſione ſapientiæ: primas in ſapientia tenebis, ſi cures vt eam poſſideas; ſumma, perfectio & complementum ſapientiæ conſiſtit in eius poſſeſſione.

Quintò, q. d. Sapientia, virtus ſita eſt non in eius lectione, auditione, ſpeculatione, ſed in eiuſdem occupatione & poſſeſſione: ſi ergo eam cœperis poſſidere, habes principium ſapientiæ: ſi in poſſeſſione eius progreſſus fueris, eamque dilataueris, quantum in poſſeſſione, tantum quoque in D ſapientia progredieris; ſi eam plenè poſſederis, habebis pariter plenam & perfectam ſapientiam. Porrò, hæc poſſeſſio ſita eſt in vſu & praxi ſapientiæ, ſiue virtutis. Is enim habet & poſſidet virtutem, qui eam exercet, ac ea vtitur: virtus enim ſita eſt in eius vſu, praxi & exercitio.

Summa, ſeu ſcopus eſt, q. d. Virtus non conſiſtit in eius cognitione vel ſpeculatione, ſed in eius exercitio & praxi: quantum enim eam exercueris, tantum eius poſſidebis. Simili phraſi quis dicat: Principium opulentiæ eſt poſſidere opes. Principium honoris eſt poſſidere honores. Sic ergo hæc ſententia conſentit, & in re eadem eſt cum illa c. 1. 7. *Timor Domini principiũ ſapientiæ*: quia timor Dei inſtigat, vt compares & poſſideas ſapientiam, id eſt virtutem. Quare initium timoris eſt initiũ ſapientiæ & virtutis; profectus timoris eſt profectus ſapientiæ & virtutis: cõplementum timoris eſt com-

plementum ſapientiæ & virtutis. Vide dicta c. 1. A verſ. 7.

Denique Hebræa ad verbum ſic habent: *Principium chochma*, id eſt *ſapientiæ, eme*, vel *poſſide bina*, id eſt, *intelligentiam* vel *prudentiam*: & ſic legunt aliqui codices Latinæ Vulgatæ editionis manuſcripti. quod ſi exponas: ſi vis adipiſci veram ſapientiam, non ſpeculatiuam, ſed practicam, cōpara tibi prudentiam agendorum; hæc enim eſt vera, imò ipſiſſima ſapientia, quam hic deprædico. Hic ſenſus æquè ac primus, quartus, & quintus præ ceteris videntur literales & genuini.

Tropol. Baynus, q.d. Priuſquam ſtudio ſapientiæ indulgeas & contemplationi, da operam vt ſapientiam illam, quæ in moribus & integritate vitæ conſiſtit, acquiras: Martha enim ducit ad Mariam, vita actiua ad contemplatiuam. Qui enim illi- B co inire volunt contemplatiuam, ante ſedatas paſſiones per labores vitæ actiuæ, perinde faciunt, vt qui Rhetoricam diſcere volunt non præmiſsâ Grammaticâ vnde S. Sabas: *Sicut*, inquit, *flos fructũ antecedit, ita vita cœnobitica anachoreticam*. ita refert Cyrillus in Vita S. Ioannis Silentiarij.

Anagog. Lyran. Principium, inquit, ſapientiæ poſſidendæ in patria cæleſti eſt poſſeſſio ſapientiæ in via, putà in hac vita.

Symbolicè aliqui. q.d. Principium ſapientiæ eſt poſſidere vel comparare ſapientiam, id eſt, doctorem ſapientiæ & magiſtrum, qui te erudiat & doceat, ſine quo numquam ſapientiæ ſiue virtutis & perfectionis peritus euades: ars enim hæc ſublimis & diuina ſine doctore non diſcitur.

Vers. 8. ARRIPE ILLAM, ET EXALTABIT TE: GLORIFICABERIS AB EA, CVM EAM FVERIS AMPLEXATVS] C id eſt, cùm eā intra vlnas tuas & gremiũ ſtrictiore tenebis complexu. ait S. Hieron. in Eccleſ. c. 3. Pro *arripe illam* hebr. eſt סַלְסְלֶהָ *ſalſeleha* quod propriè ſignificat ſterne illi viam, aggeſto aggere ſiue terræ cumulo viam illi eleua & complana, eleua & exalta illam: inde enim סוֹלְלָה *ſolela* vocatur agger, vallum, terra aggeſta in cumulum. vnde pſal. 67. v. 5. סֹלּוּ לָרֹכֵב בָּעֲרָבוֹת *ſollu larocheb baarabot*: quod noſter vertit, *iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*; R. Abraham, Marinus, & alij vertunt, *eleuate* vel *ſternite viam equitanti in cælos*. Septuag. hoc loco vertunt, περιχαράκωσον αὐτήν, id eſt, *aggeribus circumda* vel *circumualla illam*, id eſt, firmiſſimè illam retine & communi. Hinc Maximus Cent. 5. cap. Oeconom. c. 83. legit, *obſide eam & exaltabit te*. Sicut enim milites obſidendo D vrbem, eam capiunt, eiuſque ſpoliis ditantur: ſic pariter qui obſident ſapientiam, eius opibus locupletantur & exaltantur. Symmach. *porta eam*; Aquila, ἀνάλαβε, id eſt, *ſuſcipe, arripe*, vel *retine eam*; Chald. *dilige eam*; Pagnin. *exalta illam, & exaltabit te*; alij, *aggera & contumula illam*; Tigur. *euehito ipſam, & euehet te*; R. Abraham, *lauda illam*; alij, *calca illam*, id eſt, aſſiduè illam tere, preme & verſa: סָלָה *ſala* enim ſignificat calcare: à *ſala* autem, סָלַל *ſalal* (vnde סֹלּוּ *ſollu*) ſubinde ſua tempora mutuatur.

Hinc & R. Leui ſic exponit: Si iter facias ſapiētiæ, & incedas aſſiduè in lege, honorem tibi conciliabit. Et R. Salomon: Perſcrutare illam, inquit, diuturnoq; ſtudio in illa immorare, vt minutiſſima quæque penſites; ſicut cùm quis vindemiæ reliquias veſtigans, hinc indeque diſcurrit ad racemos prætermiſſos aſportandos. Apud Thalmudiſtas *ſalſel* ſignificat crines diſcernere & examinare. Baynus verò explicat, vt ſint hæc verba Dauidis ad Salomonem. q.d. Sterne iter ſapientiæ, & fac ei expeditam & ſublimem viam, vt poſſit facilè vagari per regnũ tuum, & ipſa exaltabit te: Hebræum enim *ſalſeleha* ſignificat viam ſapientiæ & virtutis eſſe arduam & excelſam, ac proinde ſternendam illi cum labore, eleuatione & contentione corporis & animi. Loquitur de ſapientia quaſi de ſponſa nobili, imò regina, cui proinde via ſit ſternenda & complananda, vt per illam curru vehatur & deducatur in domum ſponſi putà eius, qui eam amat & ambit.

Noſter non ad verbum, ſed ad ſenſum vertit, *Arripe*: vt Primò, ſignificet magno deſiderio & ſtudio proſequendam eſſe ſapientiam, vt non tam rogetur quàm rapiatur. Secundò, vt ſignificet eam arctè menti copulandam eſſe: arripere enim eſt ad ſe rapere. Tertiò, vt ſignificet eam firmiter tenendam & cuſtodiendā: quod enim rapimus, hoc firmiter ſtringimus, ne quis æmulus vel hoſtis nobis eripiat. Itaque τὸ *arripe ſapientiam* in re idem eſt cũ eo, quod præceſſit, *poſſide ſapientiam*: ſed modũ poſſidendi ſuggerit, ſcilicet raptum: ſicut Romani Sabinas virgines rapuerunt in vxores. Vnde Quartò, τὸ *arripe* ſignificat vim adhibendā ad conſequendam ſapientiam & virtutem ob concupiſcentias noſtras, quæ illi reluctantur, iuxta illud Chriſti: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. Vnde Hugo: Arripe illā, inquit, hoc eſt, ad te rape inſtar rapacis auis, putà accipitris, quæ in prædam nobiliſſimam totis viribus inuolat eamque inuadit, vt comprehendat; aut tamquam prædo violenta manu illam capta. Quintò, τὸ *arripe* ſignificat velocitatem. q.d. Feſtina ad illam, procurre ad illam, inuola ad illam, ita Lyran. Adeò amari & ambiri vult ſapientia.

Porrò verſionem Septuag. ſic explicat auctor Catenæ Græcorum: *Circumda illam aggeribus*, ait, *hoc eſt, iugi diuinarum Scripturarum vſu & meditatione illam confirma: nec enim vt ſapiens ſis ſat eſt ſapientiam amare, aut obiter illam deguſtaſſe, ſed magna prætereà opus eſt cuſtodia & cura, ne, quam comparaſti, denuo amittas. Aggerem autem ſeu vallum, morales virtutes hoc loco vocat: illæ enim ſunt quæ mentem ad Dei cognitionem ſubleuant, eamdemq; ab omni aduerſitate propugnāt.* Vnde ex hoc loco S. Iſidorus lib. 3. Sentent. c. 9, docet ſapientiæ ſtudioſo neceſſariam eſſe aſſiduā S. Script. lectionem: *Nemo*, inquit, *poteſt ſenſum S. Script. cognoſcere niſi legendi familiaritate*: idque toto capite variis rationibus & ſimilitudinibus demonſtrat.

ET EXALTABIT TE] tum in præſenti vita, vti exaltauit Salomon; tum in futura. Vnde Gloſſa quædam Hebræorum paraphraſticè ſic explicat; *Et deducet te equitantem in cælos.*

GLORIFICABERIS AB EA, CVM EAM FVERIS AMPLEXATVS] Septuag. *honora eam, vt te amplexetur*; Chald. *amplexare eam, vt glorificet te*; Syrus, *vt te honore excolat*. Eſt enim reciproca ſapientiæ & ſtudioſi amplexatio, æquè ac glorificatio: ſponſus enim ſua bona in connubio communicat ſponſæ, & ſponſa viciſſim ſua communicat ſponſo. Quare ſi amplexeris ſapientiam, illa viciſſim amplexabitur te: ſi eā glorifices, illa viciſſim glorificabit te; *cùm eam fueris amplexatus duobus brachiis actionis & contemplationis*, ait Hugo. Idipſũ ſibi exoptat S. Hieron. præfat. in 2. lib. Comment. in Amos ad

Pammachium: *Pammachi*, inquit, *cano iam mecum capite impetra mihi à Domino, vt comitem mihi habere merear ſapientiam, de qua ſcriptum eſt: Ama illam, & ſeruabit te: honora illam, & amplexabitur te, vt ipſa adiuuante & ſocia cœptum in Amos opus expleam.* Idem nos quoque optamus & oramus.

Vers. 9. Dabit capiti tvo avgmenta gratiarvm, et corona inclyta proteget te] inſtar ſcuti vel potiùs galeæ. Hebr. *dabit tibi copulam gratiæ* (Caietan. *ſocietatem gratiæ*) *& diademate decoris cinget te*; Septuag. *vt det capiti tuo coronã gratiarum, corona autem deliciarum* (Aquila, *gloriationis*; Symmach. *gloriæ*; Theodot. *decoris*) *proteget te*; Chald. *ponet in capite tuo pulchritudinẽ gratiæ, corona decoris erit ſuper te*; Syrus, *ponet in capite tuo pulchritudinem charitatis, & in corona laudis ſaturabit te*: D. Hier. in c. 44. Ezech, legit, *coronam gratiarum ſuſcipiet vertex tuus*: per eamque intelligit cidarim ſacerdotalem: Tigur. *dabit capiti tuo additamentum* (Pagnin. *coniunctionem*) *gratiæ*; Vatabl. *ſertũ elegans, & muniet te magnificè corona*: Salomonem ſecuti Arabes, *ſcientia*, inquiunt, *eſt diadema puero, & intellectus torques aureus*. Per *coronam gratiarum*, inquit auctor Catenæ Græc. virtutũ catenam diuinorumque chariſmatum congeriem accipe: per voluptatis autem diadema diuinæ cognitionis ornatum: licet alij hæc duo pro eodem accipiant, vt τὸ & ſignificet, *id eſt*, de quo mox.

Senſus eſt q. d. Si ſapientiam amplexatus fueris, illa dabit tibi cumulos gratiarum, iiſque quaſi corona ornabit, æquè ac proteget te contra omnes tentationes & hominum inſultus: conciliabit enim tibi gratiam non tantùm hominũ ſed & Dei, ab eoque impetrabit omnem gratiam & virtutẽ, quibus quaſi corona pulcherrima redimitus, gratioſus ſis & ſpecioſus, æquè ac robuſtus & inclytus in conſpectu Dei, angelorum & hominum, tũ per gratiam in hoc ſæculo, tum per gloriã in futuro. Igitur לִוְיַת חֵן *liuiat chen*, id eſt, copula gratiæ (quod Noſter vertit, *augmenta gratiarum*) accipi poteſt, vt ſit idem quod diadema decoris, ſiue *corona inclyta*: quia ſicut in corona annulus annulo, flos flori, aurum auro copulatur & innectitur; ſic & in ſapientia ac virtute vna lex alteri, vna virtus alteri, vna actio honeſta alteri continua ſerie copulatur & innectitur, vt faciant coronam & catenam, imò coronidem omnium virtutum. Rurſum faciet ſapiẽtia, vt in virtutibus quotidie augearis & creſcas, itaque coronam hanc tuam augeas, expolias, perplectas, eiuſque orbem conſummes.

Quinque coronas dat ſapientia. Porrò corona hæc erit multiplex. Primò enim dabitur tibi quaſi ſapientiæ doctori laurea doctoralis. Secundò, quaſi eximio in omni virtute dabitur tibi laurea virtutis. Tertiò, quaſi victori paſſionum tuarum dabitur tibi corona triũphalis. Quartò, quaſi ſponſo, qui ſapientiam quaſi ſponſam tibi deſpondiſti, dabitur tibi corona nuptialis. Olim enim ſponſi & ſponſæ coronabantur (vt etiamnum fit) iuxta illud Iſaiæ 61. verſ. 10. *Quaſi ſponſum decoratum corona.* Et Cantic. 3 v. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Quintò, dabitur tibi corona regni, vt quaſi rex per ſapientiam non tantùm te, ſed & totum regnum piè & ſapiẽter adminiſtres. Has omnes coronas per ſapientiam adeptus eſt Salomon, ac adipiſcitur quilibet ſapientiæ & virtutis ſtudioſus. Rex enim euadit, etiamſi priuatus & pauper ſit, tum quia regit regnum animæ ſuæ, tum quia alios dirigere nouit, tum quia regnum æternum adipiſcetur per illam. Ita mendicus ille ſapiens apud Taulerum interrogatus: quis eſſet? reſpondit; *Rex ſum*: Vbi eſt regnum tuum? *In anima mea. Sic enim externos & internos ſenſus meos regere noui, vt cũctæ vires animæ meæ mihi ſubditæ ſint. Quod profectò regnum cunctis mundi huius regnis præſtantius eſſe nullus ambigit.* Fusè hoc eius colloquium enarraui Rom. 12. 2. in fine. Plura de hac corona dixi c. 1. 9. & Eccl. 11. 22. & c 6. 32.

Moral. diſce hîc quanta ſit ſapientiæ & virtutis præſtantia, quæ ſui ſtudioſis honorem pluſquam regium & imperatorium pollicetur. Nam, vt ait noſter Aluarez de Paz de dignit. perfect. l. 4. p. 3. cap. 32. Mundana nobilitas hominem ad tempus, ſanctitas in æternum exaltat. Nobilitas amicum regum: perfectio Dei amicum, & angelis parem conſtituit. Illa ſe amplectentes curis & negotiis laborioſis onerat: hæc quia ſine onere magnos facit, ſe complexantes glorificat. Illa capiti, id eſt menti, nobilium ſolet per occaſionem addere augmentum vitiorũ; nam ex nobilitate ſuperbiunt, & in omnia illa vitia impingunt, quorũ eſt ſuperbia principium: hæc perfectorum mentibus addit quotidie augmentum donorum, ac ſpiritualium gratiarum, quia ex perfectione ſe dejiciunt, & illas virtutes aſſequuntur, quæ humilitati ſemper adhærent. Nobilitas denique corona inſidiante circumdat; quia multi nobilibus inuident, multi proſperitati eorum ac diuitiis inſidiantur: at perfectio cingit capita perfectorum corona protegente: omnes enim perfecto famulantur, & neceſſaria ſubminiſtrant: & tantum abeſt vt eum lædant, quòd ad ipſum vt ad aſylum confugiunt, & ſui ipſorum adiutorem profitentur. Idipſum præclarè docet S. Baſil. præfat in Aſcetica.

Avdi fili mi, et ſvſcipe (Chald *ſuſcipe à me*, qui ſum rex & doctor ſapientiſſimus) verba mea, vt mvltiplicentvr tibi anni vitæ] Vers. 10.
Hucuſq; fuerunt verba Dauidis ad Salomonem, nunc Salomon eadem ſapientiæ ſtudioſo ſuis verbis confirmat & inculcat. *Annos vitæ* intellige tum præſentis Iudæis promiſſæ, tum æternæ fidelibus ſapientibus, id eſt Sanctis, præparatæ. Vide dicta c 3. 16. Præclarè S. Aug. ſer. 90 de Temp. tres aſſignat vias ad vitã & cælum, ſcil. *bonum cogitare, bonũ dicere & bonum facere*: tres pariter ad mortẽ & gehennam, ſcil *malum cogitare, malum dicere, & malum facere* Et S. Amb. ſer 74. de Natal. Martyr. *Notas* ait, *mihi fecit Dominus vias vitæ, cùm me docuit fidem, miſericordiã, iuſtitiã, caſtitatem: his enim itineribus peruenitur ad ſalutem.* Vnde Sept. hîc addunt: *Vt fiant tibi multæ viæ vitæ*, id eſt multæ honeſtæ actiones, quæ ad veram Dei cognitionem vitæque immortalitatem ducunt, inquit auctor Catenæ Græc. qui & addit: Vita, inquit, tria ſignificat, nempe vitæ tempus, vitæ inſtitutum, vitæ alimentum.

Viam ſapientiæ monſtrabo tibi (Sept. *doceo te*; Aquila, *deduxi te*; Tigurin *dirigam te*; Vatabl. *docebo te per viam iuſtitiæ incedere*) dvcam te per ſemitas æqvitatis] Hebr. *incedere te faciam in orbitis rectitudinis*; Septuag. *rectis*; Aquila, *in tramitibus rectitudinis*. *Viæ* ſiue ſemitæ & tramites, *ſunt ad virtutem aditus quorum principium ſit ſapientiæ acquiſitio*, ait Nyſſenus orat. 2. contra Eunomium, Chald & Symmach. *in ſemita recta*, Pagnin. *calcare te feci ſemitas rectas*. *Semitæ* ergo *æquitatis* ſunt ſemitæ Vers. 11.

tæ æquabiles,planæ,rectæ,ſine ſcopulis & lapidibus;vt ſcilicet nuſquam impingas. Tales ſunt ſemitæ ſapientiæ & virtutis. Vide dicta Iſaiæ. 26.7.

Porrò auctor Catenæ Græcor. Sapientiæ orbitæ,inquit,ſunt viæ,quæ de vno bono honeſtoque opere deducunt ad aliud: vnum enim opus viam ſternit & inuitat ad aliud,vna virtus ad aliam.q.d. Oſtendam tibi quomodo in via virtutis nunquam conſiſtere, ſed continuos progreſſus facere debeas.

VERS.12. QVAS CVM INGRESSVS FVERIS, NON ARCTABVNTVR (Syrus, *non mutabunt*; Symmach. *non tribulabuntur*, alij, *non ſtringentur*) GRESSVS TVI, ET CVRRENS NON HABEBIS OFFENDICVLVM] Septuag. *non concludentur tui greſſus: ſi autem cucurreris, non laborabis*, vel *non fatigaberis*; Aquila, *non ſcandalizaberis*: Syrus, *non offendes*; alij, *non impinges, non corrues*. Explicat ſapientiæ ſiue virtutis ſemitas ęquitatis,id eſt,planas & ęquabiles q.d. Adeò plana & expanſa eſt virtutis planities, vt in ea pedes & greſſus tui arctari, vel in ſaxa impingere nequeant, ſed per eam velut æquor porrectum totis viribus procurrere poſſis,ſine vllo offendiculi metu vel periculo: qui enim greſſus ſuos ob arctã aut ſcopuloſam viam protendere nequit, parum abeſt quin cadat, ait R. Salomon. Licet enim incipienti ſit arcta ſalutis & virtutis via, vt ait Chriſtus Matth. 7.14. ſi nimirum libertatem carnis & concupiſcentiæ ſpectes: hanc enim virtus ſtringit & arctat: tamen ſi in ea progrediaris & conſtanter pergas,ſenties eam complanari & exporrigi,nec in ea arctabuntur greſſus tui, ita vt arctando collidantur, impingant aut lædantur; ſed ad maxima commoda,ac ad veram libertatem conſcientiæ & gloriæ lætus alacerque recta & velociter decurres, dilatatus & corroboratus tum per aſſiduum virtutis exercitium, & bonam bene agendi conſuetudinem, quæ quaſi in naturã vertitur;tum per ſuauitatem gratiæ,& flabra conſolationum, quas tibi aſpirabit Spiritus ſanctus.vide dicta c.2.v.9. quare cum Pſalte canes *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* pſ.118.v.32.Igitur exercitiũ virtutis vires ſpiritui maiores continuò addit,putà habitum & gratiam, indeq; facilitatem maiorem, quibus fit vt is non delaſſetur, ſed nouum maiuſque currendi in via Domini robur capiat: ſecus eſt in curſu corporali, quo nerui & arteriæ, quibus fit motus & curſus, luxantur, debilitantur & delaſſantur, ideoque minor vis ad procurrendum reſtat. Idem fit in curſu vitiorum, de quo impij dicunt Sapient. 5.7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis,ambulauimus vias difficiles,& viam Domini ignorauimus*: cùm ex aduerſo de virtutis ſtudioſis,quibus feruor vires addit, ſicut torpor minuit, clarè pronunties Iſaias c.40.31. *Qui autem ſperant in Domino,mutabunt fortitudinem,aſſument pennas ſicut aquilæ: current,& non laborabunt; ambulabunt,& non deficient.* Vide quæ ibidem annotaui.

Virtus non laſſat,ſed vires auget. In virtute ergo verum eſt hoc paradoxum: *Labor non delaſſat,ſed roborat: quies non roborat, ſed delaſſat: labor vires auget,otium minuit. Labor laborem parit, quies quietem: ſomnus ſomnum adeſcat, languor languorem,torpor torporem: vigilias verò vigiliæ pariunt,virtus virtutem*, vt aiebat S. Dominicus Loricatus. Adde, virtutem propriè in actu voluntatis conſiſtere, quæ agendo & volendo non laſſatur,ſed intenditur & roboratur. *Gnome.* *Ambulas*, inquit S. Auguſtinus (vel quiſquis eſt auctor) de Cantico nouo cap.3. *ſi amas. Non enim ad Deum paſſibus; ſed affectibus currimus. Via ergo iſta noſtra ambulantes quærit: tria ſunt hominum genera, quæ odit, remanentem, retro redeuntem, aberrantem.* Virtus enim continuum curſum mentis requirit, quia finem & terminum non habet, ſed inſtar flammæ creſcit in immenſum. Quocirca Barlaam ad Ioſaphat apud Damaſcen. in Hiſtor. c.19. *Procliuis*,inquit, *ac facilis via eſt in cælum; atque etiamſi ob corporis afflictionem arcta & anguſta dicta eſt,tamen ob futurorum ſuorum ſpem iis recta & clara eſt,qui non ſtultè ambulant, verùm Dei voluntatem exactè intelligunt, atque ad dimicandum aduerſus diaboli verſutias ipſius armaturam induunt,& in oratione atque obſecratione cum patientia & ſpe in hoc ipſum inuigilant.* Nam,vt ait Abb. ille in Vitis Patr. l.5. libello 7. de patientia n.22. *A patiente Deus auſert bellum tentationis.* Vnde ibidem n.25. Aſceta ille. *Totus labor*, inquit, *quem hîc ſuſtineo nequit comparari cum vna die tormentorum quæ peccatoribus in futuro ſæculo præparantur.* Et n.47. alteri grauiter tentato, & cogitanti diſceſſum nocte apparuit gratia Dei ſpecie virginis, dicens: *Nuſquam vadas, ſed ſede hic mecum: nihil enim mali fiet ex iis quæ audiſti. Qui credens verbis eius ibi ſedit, & ſtatim ſanatum eſt cor eius.* Huc facit apophthegma R. Nechoniæ filij Akana in *Pirke auoth*, id eſt in Sententiis patrum c.3. *Quicumque legis iugo colla ſubmittit, ille liberat ſe altero,ſed duriori, humani imperij iugo: & qui excutit iugum legis à ceruicibus ſuis, paret eas iugo mundi & imperij, vtique difficiliori.*

TENE DISCIPLINAM, NE DIMITTAS EAM: CVSTODI ILLAM, QVIA IPSA EST VITA TVA] VERS.13. tum formalis, quia actus virtutis eſt vita, id eſt, actus vitalis vel naturalis, vel ſupernaturalis;tum cauſalis, quia virtus eſt cauſa vitæ longæuæ, vti dixit cap.3.16. Eadem eſt cauſa vitæ ſanctæ per gratiam,& vitæ beatæ per gloriam,quam confert. Vnde Hebræa habent, *apprehende eruditionem, ne langueſcas; cuſtodi eã,quia ipſa eſt vitæ tuæ*,id eſt multas vitas tibi conferet; Septuag. *cuſtodi eam tibi ipſi in vitam tuam*; Syrus, *conſtanter perſeuera in disciplina*,alij, *robuſtus eſto in diſciplina*,vel *robora te, & inualeſce in diſciplina* retinenda, peragenda,tuenda & propaganda, ſicut pugil in ſtadio,& miles in prælio ſe roborat,omneſque vires colligit, vt hoſtem ſuperet & victor euadat.

Libertas noxia. Huius ſententię veritatẽ eleganti ouis & cerui apologo ſpecioſis exemplis inſtructo, demonſtrat Cyril. l.3. Apolog.mor. c.9. cuius titulus: *Cõtra appetitũ ſuperbæ libertatis.* *Apologus.* *Ouis*,inquit,*auida propriæ libertatis ſociali grege relicto dominiũ ſui paſtoris effugit. Cumq; per ſolitudinẽ errabundã ceruus vagã & profugã inueniſſet,cœpit pius quærere ipſius ſolitudinis & erroris occaſionẽ. Cui mox illa reſpondit: Dudum certè ſeruile iugũ duriſſimum paſſa,nunc frui volo ſicut & vos libertate cunctis gratiſſima,atque patronum duriorem effugere, qui non ſolùm me vſq; ad ſanguinem emulgebat; verum etiã ſingulis annis ab oportuno vellere ſpoliabat. Tunc ceruus illi compatiens: Satis,inquit, chariſſima doleo de errabundo itinere tuo, ſed multò magis de erroneo cõſilio, Nimirum libertas dulcis eſt, & theſaurus incomparabilis,ſed non communiter vniuerſis.* Mox idem exemplo *Exempla* populi,corporis,nauis,formicæ planum facit. *Plura enim ſunt,quibus pax,vita, ſecuritaſq; ſalutis tantùm ex debita ſubiectione contingit, & propter hoc non eſt aliud libertas eis, quàm ſalutaris perditio libertatis. Nam libertas populi, quem regna non coërcent, libertate perit. Sic corpus etiam animæ ſubiectum viuit,& mox cùm ab*

ea

ea liberatur, extinguitur. Nauis ſubiecta nautis ſeruatur à fluctibus, à quibus ſi libera fuerit ſtatim naufragio diſſoluetur. Formica quoque alis librata, cùm de ſouea ſurſum erigitur, ſimili miſeria captiuatur. Hæc ergo libertas, certa eſt perditionis captiuitas. Hoc modo, mea chariſſima, crede rem etiam tecum ſe habere. Nam attende quo*modo & qualiter nunc incedas ſine duce, paſcualis itineris neſcia, ſine tutore nulla propria validitate armata; inter inimicos ſoliuaga atque in miſeriis te circumuallantibus deſtituta. Nimirum via tibi error eſt, præcipitium ductor, eſuries paſcua, pernicies ſocius, & tui tandem crudelis interitus ſunt extrema. Ego certè cornu, pede, magnitudine* Dionyſ. *& agilitate munitus, vix à feris huius ſolitudinis ſum ſecurus.* Deinde idipſum hoc dilemmate euincit, & ſole clariùs oſtendit: *Ex quo autem naturaliter te delectas libertas, dic, amabo, ſiad bene vel ad malè faciendum? quippe ſi intendis benefacere, hoc tantum eſt, quod à te exigit paſtor tuus, cur ergo refugis eum? ſi ſine ratione agere cupis, ipſa erit tibi libertas, exitialis ſeruitutis captiuitas. Nā malæ voluntati libertas peccādi eſt cauſa, qua quidem iniquitas eius conſumatur, ſed mox captiuitas ſequitur. Sic mala voluntas quanto liberior eſt, tanto ſeruilior; quanto potentior, tanto infirmior; & quāto ſublimior, tanto humilior. Audi igitur conſiliū meum. & quantocius ad dominum tuum reuertaris, ne liberè pereas, & teipſam lupis deuorandam impendas. Nam ſi dominus tuus te mulget aut tondet, ab eo ſumis hæc ipſa quæ tribuis, quia te cuſtodit & paſcit: eligibilius quippe eſt lac dare & vellera, quàm cum omnibus perdere vitam. Quibus auditis ouis gaudenter ad paſtorem rediit.*

SECVNDA PARS CAPITIS.

Viam impiorum, vtpote tenebroſam, declinandam, piorum vero quaſi ſplendidam capeſſendam eſſe docet.

VERS. 14. NE DELECTERIS IN SEMITIS IMPIORVM, NEC TIBI PLACEAT MAIORVM VIA] Pro *delecteris* Noſter legit תָּבֹא *tobe*, id eſt, *velis acquieſcas.* vt vertit cap. 1. 10. concupiſcas, delecteris. Iam aliis punctis legunt תָּבֹא *tabo*, id eſt, *ingrediaris.* Vnde Septuag. *vias impiorum ne intres*; Chald *in via impiorum ne ambules* Iam ſenſus eſt, inquit Dionyſ. q. d. Ne delecteris impiorum actibus vitioſis, item ſpectaculis, torneamentis, haſtiludiis, choreis, & ſimilibus vanitatibus, quæ vanæ ſunt, & ſæpè cum peccato coniunctæ, aut occaſiones peccatorum.

Rurſum pro *placeat* hebr. eſt תְּאַשֵּׁר *teaſſer*, quod propriè ſignificat, *ne te bees* vel *beatifices*, id eſt, ne te beatum reputes in via impiorum. ita Aquila, Theodot. & Vatab. Pagninus verò, *ne beatifices malos in via ſua.* Abuſiuè tamen idem verbum ſignificat incedere, dirigere, ducere, ut אָשַׁר *aſcar* ſit idem quod יָשַׁר *iaſcar*: litteræ enim אהוי *eheui*, putà א & י inter ſe commutantur. Vnde Pagnin. vertit, *ne gradiaris in via malorum*; Septuag. *ne æmuleris vias iniquorum*; alij, *ne pedem* vel *greſſum obfirmes in via impiorum*, ſcilicet ne firmiter in eorum via incedas, neu putes te firmo apud eos loco conſiſtere, quia citò eos procella quæpiam ſternet & deiiciet. Feſtiuè Hugo: *Ne tibi placeat via malorum: quia*, inquit, *lutoſa eſt in luxurioſis, tenebroſa in ordinadis; ſpinoſa in auaris, petroſa in detractoribus, cauernoſa in ſimulatoribus, montoſa in ſuperbis.* Pulchriùs & piètiùs S Bernard. in Sentent. *Viæ* inquit, *quæ ducunt ad mortem, triſaria ratione diuiduntur. Alia ærumnoſa, alia laborioſa, alia delicioſa. Ærumnoſa eſt in pauperibus ſuperbis, laborioſa in cupidis & auaris, delicioſa in diuitibus delicioſis. Via quoque, quæ ducit ad vitā, ſimili ratione diſtinguitur. Eſt enim alia ſanguinea, alia purpurea, alia lactea. Sāguinea in Martyribus, qui in ſanguine Agni ſuorum corporum indumenta lauerunt, & per iter martyrij triumphales altitudinis ſolium attigerunt. Purpurea eſt in confeſſoribus, qui in ſua carnē veſtigia Dominicæ paſsionis per abſtinentiam expreſſerunt, & in ſuis corporibus vulnerum Chriſti ſtigmata portauerunt. Lactea in Virginibus, quæ in ſeipſis puritatis angelicæ candidatum* (candorem) *& virtutes ſanctimoniæ conſecrauerunt, & per viam munditiæ ad amplexus & thalamos veri ſponſi virtutum pennis feliciter euolarunt.*

FVGE AB EA, NEC TRANSEAS PER ILLAM DECLINA, ET DESERE EAM] Pro *fuge ab ea* hebr. eſt פְּרָעֵהוּ *perahu.* quod varij variè vertunt Pagnin. *elongare vel ceſſa ab ea*; Vatabl *deſere eam*; Chald. *recede ne tranſeas cum eis*; Baynus, *abominare vel execrare eam*; Septu. *in quocumque loco caſtra metati fuerint, ne superuenias illuc.* R. Salomon, *auerſare, & flocci facito eam*; R. Leui, *abole & irritam fac eam* q. d. Si vires ſufficiant, eorum conſiliis obuiam ito, eaque diſſipa, ne ſcelus, quod moliti ſunt, expleant. Pro *nec tranſeat per illam*; Syrus vertit, *ne tranſeas per locum, quem illi habitarint*; Chald. *nec tranſeas cum eis.* Pro *declina & deſere eam*; hebr. eſt. *recede ab ea & tranſi*; Chald. *declina & tranſi ab eis*; Septuag. *declina ab eis & abſcede*; Lucifer in Apolog. *eos deuita*; Aquila, Symmach. & Theodot. *tranſi.* Hæc omnia penè ſynonyma iungit Salomon, vt oſtendat quàm cauendum ſit conſortium cum impiis, adeò vt nec cum illis communem viam, multò minùs vocem habere ſuſtineamus: *Ne pes contagium trahat*, ait S. Auguſt. in pſal. 76 ne ſcilicet à communi via ad conſortium, à conſortio ad colloquium, à colloquio ad vitij communionem trahamur. Singula tamen ita diſtribuit & ſecernit Hugo: *Fuge ab ea, ſcilicet opere, & ne tranſeas per illam cogitationis delectatione declina occaſiones, deſere locum.* quorum duo priora, myſtica ſunt, duo poſteriora literalia. Sic & Caietan. cenſet hìc præcipi fugiendā eſſe viā impiorum ob occaſionem & periculum peccati. Scribit Plinius lib. 28 c. 10. veſtigia lupi obſtupe facere equos. *Tanta vis eſt animalis* (lupi) inquit, *vt veſtigia eius calcata equis afferant torporem.* Maiorem torporē & noxam afferūt veſtigia & conſortiā impiorum. Exemplum ad literam formidabile extat 3. Reg. 13. vbi Propheta à Deo iuſſus ire in Bethel, & arguere cultores vituli aurei, iuſſus eſt pariter nec cibum cum idololatris ſumere, nec communi impiorum via, ſed alia reuerti, & quia deceptus ab alio Propheta cibum in Bethel ſumpſit, idcirco rediens à leone occiſus eſt.

Myſticè, per vias impiorum & impietatis accipe cogitationes & ſuggeſtiones improbas & impuras per has enim quaſi vias impietas in animā ingreditur, eamque perdit & occidit, quare illas omnino fugere & fugare oportet: ipſæ enim ſunt ignita diaboli iacula, quibus ille animæ paſſiones ad malum ſuccendit, ita auctor Catenæ Græcor.

VERS. 16. NON ENIM DORMIVNT NISI (Syrus, *donec*) MALEFECERINT: ET RAPITVR (perperam Complut. & Dionyſ. legunt, *capitur*) SOMNVS AB EIS,

NISI SVPPLANTAVERINT] Septuag. *non enim ſomnum capiunt niſi malefecerint: ablatus eſt ſomnus eorum, & non dormiunt;* Chald. *dimiditur ſomnus eorum donec ponant ſcandalum;* Syrus, *donec voluntatem ſuam expleant,* Tigurina, *fugit ſomnus ab eis ni ruinam aliquam dederint;* Vatabl. *niſi impingere fecerint.* q.d. Adeò auidi ſunt ſcelerum, adeò iis inuigilant & inhiant, vt ſomnum non capiant, niſi mala patrarint, ideoque ſæpè in multam imò totam noctem peruigilant, vt ſuas nequitias & inſidias, quas machinantur, expleant, atque ex prædis cœnas inſtruant, in quibus lautè comedant panem impietatis, & vinum iniquitatis bibant. vt ſequitur. Hi ſimiles ſunt ſerpentibus illis; de quibus Plin. lib. 8. c. 29 *Qui tota æſtate inſomnes ſunt, quamdiu venenum viget: poſtea verò ex algore veneno orbati, dormiunt totã hiemem.* Rurſum τὸ *non dormiunt* notat eos noctu ſuas fraudes, dolos & ſcelera machinari & exequi, vtpote filios tenebrarum, qui oderunt lucem, iuxta illud Poëtæ :

Nox, & amor, vinumq́ nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat. Liber amorq́ metu.

Ita R. Leui: Nec etiã nocte, inquit, quietè ſomno frui poſſunt, niſi ſcelus aliquod perpetrent aliquẽ ſupplantantes Hi ſimiles ſunt hyenis & lupis veſpertinis ſiue nocturnis, qui noctu prædantur & graſſantur, de quibus dixi Habacuc 28. Opponit enim hoſce impios noctambulones piis, quorum *lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectã diem.*

Nota. Aliqui codices pro *rapitur* legunt cõtrariè, *non rapitur:* cenſent enim in Hebræo negationem, quæ in priori membro *non dormiunt* præceſſit, in poſteriori *& rapitur* eſſe repetendam, ſicut repetenda eſt c. 30. 3. cùm ait: *Non didici ſapientiã, & noui* (id eſt *non noui*) *ſcientiam ſanctorum.* Senſus verò iſtius, (ait Franc. Lucas in Notis hic) *Et non rapitur ſomnus eorum,* ſeu *ab eis,* idem eſt, qui præcedẽtis partis *& non dormiunt* : mutato enim dicendi genere idem dicitur iterum. Amplius tamen aliquid hac repetitione ſignificatur, nimirum quod cùm etiam proſtrauerint aut circumuenerint aliquem impij, ſomnum non tam capiant quàm rapiant. Rapiunt verò ſomnum, quia aut interdiu dormiunt, noctu inſontibus perniciem machinati, aut breuem, & quaſi furtiuum dormiunt ſomnũ, vt quamprimùm ad ſua negotia redire poſſint: Non enim ſibi ſomno vacandum putant, quibus ea ſunt aſſidua ſtudia, quæ & dies facilè deſiderent & noctes; dies, vt conſilia capiantur; noctes, vt capta conſilia perficiantur. Porrò quando ſine negatione legitur. *Et rapitur ſomnus ab eis,* non tam ſignificari videtur, quòd ipſi ſomnum rapiant (nam id fortaſſe ſignificari poſſet) quàm quòd ſomnus ipſis violenter abripiatur præ eo, quo feruent, malè agendi deſiderio. Etſi autem iſta lectio, *Et non rapitur ſomnus ab eis,* commodè poſſit & intelligi, & ex Hebræo transferri; non ideo tamen in Vulgatæ editionis textum recipienda eſt, quippe quæ quod fide digniores loquuntur codices, non Vulgati Interpretis ſcriptura ſit.

Porrò ſi tanta eſt impiorum auiditas ad malũ, quanta debet eſſe piorum ad bonum, vt non dormiant niſi inſigniter benefecerint; &, ſi quando ſecùs accidat, dicant cum Tito Imp. & cum S. Ioan. Eleëmoſynario: *Diem perdidi:* imò cum muliere illa forti Prou. 31. 15. quę *de nocte ſurrexit, deditq́ prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* ſi id non præſtiterint, dicant: *Noctem perdidi.* Tales erant olim monachi dicti Acœmetæ, id eſt non dormientes, ſiue inſomnes & vigilantes, quòd noctu æquè ac die vigiles in Dei laudibus & bonis operibus perſiſterent. Eſſæi verò diem orationi, labori & ſtudio dedicantes, noctu modicum cibi & ſomni ſumebant, teſte Euſebio, Philone & aliis.

COMEDVNT PANEM IMPIETATIS, ET VINVM INIQVITATIS BIBVNT] Chald. *quoniam cibus eorum cibus eſt impiorum;* Lucifer Calar. in Apol. *vtebantur cibis impietatis.* Dat cauſam & finem cur impij non dormiant, niſi malefecerint; quia ſcilicet ex prædis & maleficiis ſuis cœnas inſtruunt, dormire autem nolunt, niſi lautè cœnarint. Ita videmus prædones in ſiluis tota die latitare & inſidiari viatoribus, ac noctu egredi ad hoſpitia ſemota ſibi nota ibique ſplendidè cœnare & perpotare, ac cũ ebrios in ſomnum ruere. Viuunt enim ex rapto; Comedunt ergo *panem impietatis*, ſcilicet panem, id eſt cibum, impietate & ſcelere comparatum, ac bibunt *vinum iniquitatis*, hebr. חֲמָסִים *chamaſim*, id eſt, rapinarum & violentiæ, id eſt raptum & vi extortum Vnde Vatablus vertit, *victitant enim cibo impiè quæſito, & bibunt vinum vi extortum;* alij, *vinum oppreſſionis,* Symmach. & Aquila, *iniuſtitiarũ,* Chald. *vinum raptorum bibunt.* R. Leui, Cibi, inquit, illorũ & potus criminibus & rapina cõſtant: quæ illis ita iucunda accidunt & delicioſa, vt nulla re alia, qua veſcantur, indigeant. Verùm paruo tempore hiſce ſuis prædijs fruuntur. Nam vt dicitur Iob 20. 25. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus,* Sept. *diuitiæ iniuſtè partæ euomentur;* Vnde Nazianz. orat 9 & ibi Nicetas: *Qui noxium,* ait, *cibum ſumpſit, vnà cum eo probos etiam euomit: ſic qui iniquè congerendis opibus ſtudet, non ſolum ipſas, ſed quas prius iure poſſidebat, plerumque amittit.*

Secundò, Beda, Hugo & Ianſen. ſic exponunt per hypallagen: comedunt auidè impietatem quaſi panem, & iniquitatem: ſicut vini poculum pleno ore exhauriunt. ita enim cupiunt & ſitiunt malefacere, vt ſitim hanc explere nequeant, ſed malefaciendo magis acuant: vna enim impietas excitat ſitim & deſiderium alterius, quã perpetratã nouã ſiti ſitiunt aliam & aliam, ſicut bibones quo plus potant eo plus ſitiunt & potare geſtiunt donec ſe planè inebrient. Vnde Sept. vertunt, *vino autem iniquo inebriabuntur.* Vnde S. Chryſoſt. pulchrè impios ebriis aſſimilantem hom lib. 64. in Geneſ. & hom. 13. in epiſt. ad Roman. Alludit ad Iob. 15. 16. *Qui bibit quaſi aquam iniquitatem.*

Myſticè Hugo hæc adaptat indignè communicantibus: hi enim comedunt panem Euchariſtię impiè, & vinum ſacroſanctum iniquè bibunt: iis ergo Euchariſtia eſt panis impietatis & vinum iniquitatis, quia ipſi impiè & ſacrilegè ea abutuntur, camque profanant & polluunt, ideoque iudicium ſibi manducant & bibunt, non dijudicantes corpus Domini. 1. Cor. 1. 29.

IVSTORVM AVTEM SEMITA, QVASI LVX SPLENDENS, PROCEDIT, ET CRESCIT VSQVE AD PERFECTAM DIEM] τὸ *autem* notat antitheſin inter viam piorum & impiorum, quòd ſcilicet piorum via ſit lucida & lux, impiorum verò tenebroſa & caligo, vt ſequitur. Hebr. *ſemita iuſtorum velut lux ſplendens vadit, & lucet* vel *illuminat vſq; ad formatum*, vel *roboratum & firmatum diem.* Eſt pulchra paronomaſia inter ארח *orach*, id eſt ſemitam, & אור *or*, id eſt lucem. q.d. *Orach* iuſtorum eſt *or*, via & lex vitæ iuſtorum eſt lux. Tigur. *via autem iuſtorum*

ſtorum inclareſcit, quæ ſubinde fit illuſtrior vſq; ad perfectum diem: Vatabl. *via iuſtorum promouet & ſplendeſcit vſque ad perfectionem diei*, id eſt, vſque ad meridiem: Septuag. *viæ iuſtorum ſimiliter vt lux fulgent procedunt & illuminant, donec dirigat* (Lucifer *corrigat*) *ſe dies*, Theodot. *tãquã lux ſplendens, vadens & illuminans vſque ad ſtabilitatem diei*: Aquila. *ad paratum*, id eſt, formatum & firmatum, *diem*: Symmach, *ad ſtabilem diem*: Arabicus, *viæ autem iuſtorum hac forma* (vel *imagine*) *ſplendeſcunt lumine, & illuceſcent donec dirigatur dies*, vel *fiat dies perfectus*; Syrus, *procedit lux donec ſtabiliatur dies*: Auctor Catenæ Græcor. *procedunt iuſti & lucent donec dies hæc feliciter abſoluatur*. idq; ſic explicat: Præſens vita, inquit, erroribus, periculis & tẽtationibus plena nox potiùs eſt quàm vita: quare in hiſce eius tenebris Deus iuſtos poſuit quaſi lumina, qui eam illuminent, donec omnium tentationum nox penitus abſoluatur. vt huc alludat S. Paulus Philip. 2. 15. *Vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* Senſus eſt q. d. *Semita*, id eſt, vita & conuerſatio ſancta, iuſtorũ eſt quaſi aurora, vel lucifer lucens mundumq́ue illuminãs: ſicut enim lux auroræ ſenſim intenditur & creſcit vſque ad perfectum diem, id eſt, vſque ad meridiem, in qua diſcuſſis omnibus nebulis & tenebris aurea, clara, plenaq́ue lux toto hemiſphærio reſplendet: ſic pariter & iuſtorum iuſtitia & ſanctitas ſenſim creſcit, donec diſſipatis omnibus, ignorantiæ & concupiſcentiæ nebulis, ipſa pura plenaque refulgeat, quod inchoatè fit in hac vita, perfectè verò fiet in cælo, vbi ampliùs creſcere non poterit, cùm in hac vita ſemper creſcat. Vnde Beda ſic explicat, q. d. *Iuſtorum opera in luce ſcientiæ peraguntur, & æternam ducunt ad vitam, quæ eſt perfecta dies.* Pleniùs Dionyſ. Semita iuſtorum, inquit, eſt conuerſatio bonorum & contemplatio virtuoſorum, in qua lux gratiæ, ſplendor ſapientiæ, puritas cordis relucent. Hæc creſcit ſpiritali profectu vſque ad perfectum diem, id eſt, vſque ad ſummum gradum doni ſapientiæ ac virtutum, & vſque ad diem æternitatis, de quo Cant. 2 v. 17. *Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ.* & pſ. 83 *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* hoc eſt, de fide tranſit ad ſpem, de ſpe ad comprehenſionem, de charitate ad beatificam fruitionem. Et Iſaias cap 30. 21. *Hæc eſt via ambulate in ea.* Sic & D. Greg. hom. 5. in Ezech. & citatur de pœnitent. diſtinct. 2. ca. 10. *Non reuertebantur: Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens*, &c. *In eorum enim animis*, inquit, *bonum deſiderium atque intellectus lucis intimæ iam pars diei eſt: ſed cùm vſque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cæleſtia regna perducti in eam lucem, quam deſiderant, iam minus aliquid non habebunt.* Vide eumdem lib. 29. Moral. c. 2. vbi docet auroram Eccleſiæ & Sanctorum eſſe in terra, meridiem fore in cælo.

Ex hoc loco refutatur error Iouiniani dicentis, iuſtum vnum alio non eſſe iuſtiorem, nec poſſe in iuſtitia creſcere, eò quòd virtutes omnes ſint pares æquè ac vitia paria, vti cenſebãt Stoici. Et Lutheri, qui docet poſſe quidem iuſtum creſcere in virtute, at non in iuſtitia; eò quòd hæc non ſit inhærens, ſed extrinſeca, putà imputatio iuſtitiæ Chriſti, quæ in omnibus iuſtis eſt par & æqualis. Verùm vtriuſque error iugulatur hîc à Salomone dicente, quòd ſemita iuſtorum, quæ vtique non eſt

A alia quàm iuſtitia & actiones iuſtę iuſtorum creſcat inſtar lucis & auroræ vſque ad perfectum diem & meridiem: atqui lux creſcit & intenditur, atque ex minore fit maior, donec ſit maxima in meridie: ergo pari modo intenditur & creſcit iuſtitia & ſanctitas iuſtorum. Vnde Bellarm. lib. 3. de iuſtificat. c. 16.

Moral. Nota iuſtos rectè comparari auroræ. *Iuſti ſunt auroræ.* Primò, quia aurora lucem ſuam mutuatur à ſole; *Primò.* ſic iuſti ſuam iuſtitiã hauriunt à Chriſto, qui proinde vocatur ſol iuſtitiæ, Malach. 4. 2. Hinc Poëtæ finxerunt auroram Titanis, id eſt Solis, & terræ filiam Nam ex ſole procedit illa claritas cæli, quam auroram vocamus, eademq́ue intuentibus videtur è terra prodire. Hoc eſt, quod ait Pſaltes de Deo pſal. 36. 6. *Educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem.*

B Secundò, aurora ſenſim creſcit, ſed ita vt paucis horis euadat in meridiem: *Secundò.* ſic & iuſtus ſenſim creſcit, ac per heroicos actus citò enititur ad perfectionem, vt illi applicari poſſit illud Chriſti: *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, &c. *nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, pſal. 18. v. 6. Dum ergo manè auroram & ſolem naſcentem & creſcentem intuemur, cogitemus nos totidem paſſibus tamquam veloci motu ad apicem virtutis eniti & contendere debere. Sol enim oriens in aurora tacitè nos ſalutans occlamat: Surgite mortales, ſomnum excutite, nox tranſiit, dies illuceſcit; ite ad opus & labores honeſtos, actus virtutum exercete, creſcite in ſapientia & ſanctitate. En ego vobis iter præeo, imo facem præfero, & præluceo, me ſequimini, me imitamini. Ita S. Furſeus raptus in extaſin audiuit angelos ſibi occinentes: *Ibunt de*
C *virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Siõ*, vti refert Beda lib. 3. Hiſtor. Anglic. c. 19. Dicat ergo ſibi virtutis ſtudioſus: Ego ſum ſol decora facie & pulcher aſpectu, qui ſilentij grauitate, conuerſationis modeſtia, verborum & actionum mearum rectitudine, ac zelo, monendo, docendo, prædicando, celebrando, confeſſiones audiendo, conſulendo, neminem lædere; omnes autem ædificare, illuminare & accendere teneor. Vide noſtrum Aluarez de Paz de natura perfect. lib. 3 c. 28.

Tertiò, ſol in aurora per nubes radios tranſmittens, pulcherrimus apparet. *Tertiò.* vnde à Poëtis vocatur auricomus, & à Græcis ῥοδοδάκτυλος, id eſt, ro-
D ſeos habens digitos, id eſt radios. Sic pariter mira eſt pulchritudo animæ iuſtæ & ſanctæ, quæ charitate quaſi aurea luce & igne reſplendet. *Lux*, inquit D. Aug. *regina oculorum eſt, dies imago vitæ, nox verò mortis.* Hinc de ſole, & myſticè de Chriſto dicitur pſal. 18. 6. *Ipſe tamquàm ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Hinc Arabes luciferum vocant *azohora*, à ſplendore & pulchritudine, radix enim זהר *zahar* hebraicè chaldaicè & arabicè ſignificat ſplendere, effulgere, clareſcere, Et fortè ab *azohora* Latini acceperunt nomen *aurora*.

Quartò, aurora nil eſt aliud niſi aër obſcurus & tenebroſus, qui poſt noctem illuceſcentis Solis lumine colluſtratus, tenebras abiicit, & luce ſenſim effulget, licet exigua, ſimulque cum modica luce in ſolem reſoluitur: ita anima iuſti, dum è tenebris vitiorum ſe cõuertit ad virtutẽ duce gratiæ colluſtratur; ſed ita, vt admiſtas habeat tenebras errorum & vitiorũ, quæ ſenſim creſcẽte luce gratiæ diſpelluntur. Vnde S. Gregor. 16. Moral. c. 25. *Quintò.*

Mens

Mens iuſti, inquit, *aurora dicitur, quæ peccati ſui tenebras deſerens, ad lucem iam ei rumpit æternitatis.*

Quintò. Quintò, aurora vapores reſoluens ex iis rorem omnibus optatum & gratum, quo herbæ & plãtæ fœcundãtur, producit. Vnde dicitur aurora, quaſi auro rorãs: aut quaſi aurea hora, quòd lux cùm ſit alba, in aurora miſta vaporibus & nubibus atris: per eaſque transparens & velut commiſta, videatur aurea. Sic pariter pœnitentia & contritio, qua peccator fit iuſtus, quæque ei adducit iuſtitiã, adducit pariter rorem doloris & lacrymarum; item rorem, id eſt, fœcunditatem bonorum operum. Ita D Gregor. Cantic. 6. 9. Eccleſia, inquit, in incipientibus eſt aurora, quia è tenebris peccatorum luce ſanctæ operationis ſplendere incipiunt. Rurſum aurora eſt aurea hora, quia poſt longas noctis tenebras accidit optatiſſima & gratiſſima, vtpote B afferens lucem & diem, eamque ſenſim creſcentẽ. Vnde qui in aurora naſcuntur peculiarem ſortiũtur eius influxum qua vegeti, vitales, robuſti, ingenioſi & vt nonnulli volunt, felices efficiuntur. Similem, imò præſtantiorem afluxum gratiæ ſentit peccator, dum ad iuſtitiam traducitur, qua anima vitæ, vigori, ſaluti & felicitati reſtituitur, atque aurea charitate donatur.

Sextò. Sextò, aurora pedetentim & grauiter incedere videtur, ac primò ſibi ſoli lucere, deinde creſcente luce alia & alia ſenſim illuſtrare, ſuaque luce perfundere. Vnde Caiet. legit. *creſcit vſque ad directionem diei*, id eſt, *vſquequo perueniat ad hoc, vt dirigat omnia claritate luminis ſui.* Nam quo magis progreditur, magiſq; nobis approximat, eo pulchrior apparet & micantior, eoque plura, ac tandem omnia illuminat: ita iuſtus ſenſim ſine ſenſu creſcit iu- C ſtitia, vt & alios luce ſuæ doctrinæ, vitæ & ſpiritus illuminet, imò ſubinde integras vrbes, prouincias & regna conuertat. Porrò ſicut ſol hanc lucẽ ſpargit, & intendit vehementi & cõtinuo motu: ſic & iuſtus, vt lucem ſapientiæ & virtutum ſpargat, ingenti labore & contentione vtatur oportet. Audi S. Gregor. lib. 7. Regiſtri epiſt. 125. ad Claudium: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectũ diem. Nam enim cùm lux nobis veritatis infulget, cùm ſeſe regni cæleſtis ſuauitas mentibus aperit, iam quidem dies eſt, ſed adhuc perfectus non eſt. Tũc autem dies perfectus erit, quando iam quidquam de nocte peccati in mente noſtra non erit. Vos autem vſque ad perfectum diem creſcite: vt, quouſque patria æterna videatur, bonorum hîc operum augmenta dilatentur: quatenus tanto pòſt in retributione maior ſit fructus muneris, quanto nunc ſtudium creuerit laboris.*

Septimò. Septimò, aurora vehit ſolem: vnde à Poëtis vocatur currus Solis. Rurſum lucifer, ſiue Venus, pa- D rens auroræ, iugis eſt comes & aſſecla Solis. Nam manè orientem ſolem præcedit, facitque auroram; veſpere occidentem ſolem ſequitur, & vocatur Heſperus. Sic iuſti aſſiduæ ad Deum & Chriſtum, per fidem, ſpem, charitatem, rectam intentionem & orationem reſpiciunt, atque cum eo inſtar Noë & Henoch ambulant iugiterque verſantur: indeque ab eo ſuam lucem omneque lucis incrementum & complementum hauriunt, vt iam non in terris, ſed in cælis cum Deo & angelis conuerſentur. *Sol* enim *viſibile eſt Dei hieroglyphicum*, ait Horus Apollo lib. 1. Hierogl. c. 6. & S. Gregor. Nazianz orat. de S. Athanaſio: *Quod ſol eſt ſenſibus*, inquit, *id intelligentibus eſt Deus*. Quocirca idem Nazianz. nomine Nicobuli ſcribẽs ad eius filium, tri- A plicemque aſſignans viam: vnam terrenam, tenebroſam & nocti ſimilem, per quam incedunt mũdani & impij: ſecundam mediam, partim terrenã, partim cæleſtem, per quam ambulãt qui à peccato ad iuſtitiam conuertuntur: tertiam cæleſtem, puram & lucidam ſine vmbris, per quam aſcendunt Sancti, donec ad præſtantiſſimum lumen perueniant; hanc tertiam ita deſcribit. *Hac præclara via*, inquit, *ij omnes incedunt, quibus iam vita minimè in terra eſt. Ter certè quaterq; beati homines in terra ſubliniorem terra vitam agentes, cælibes, mundi contẽptores, cælipetæ, pauperes, triſtes, humi cubantes.* Et poſt nonnulla: *Hos ego deorſum vergens pertimeſco, ac velut Deũ ipſum, cùm ad homines accedit, perhorreſco, vt qui longè ſupra mortales omnes aſſurrexerint.* Quin & Seneca epiſt. 41. *Radij Solis*, ait, *contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt vnde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer & in hoc demiſſus, vt propriùs diuina noſcamus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ.*

Octauò. Octauò, aurora tandem in ſolem deſinit, ac in eius perfectam lucem & meridiem tranſit & conuertitur: ita & Sancti per plenam ſapientiam gratiam & gloriam in Chriſtum & Deum quaſi trãſformantur, vt videantur eſſe parelij, & dij quidam creati. Ita D. Dionyſ. lib 4. Diuin. nomin. docet Sãctos indies maiori luce gratiæ à Deo perfundi, adeò vt tandem fiant toti lucidi & Dei formes. Et Chriſtus ait: *iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*, Mat. 13. 43. Et Pſaltes pſal. 109. 3. *In ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te*: pro quo Hebr habent, *ex vtero auroræ tibi* (ô Chriſte) *ros pueritiæ tuæ*. Quod ad literam de perſonali Chriſti generatione, myſticè de ſpiritali, qua ipſe per C gratiam in animis iuſtorum naſcitur, & creſcit ad plenam lucem, accipias. Splendores enim ſanctorum perſonales Chriſto, qua Deus eſt, eſt ſplendidiſſima gloria ſanctiſſimæ diuinitatis, omniumq; eius attributionum: qua verò homo eſt, ſunt ſplendores glorioſæ Chriſti reſurrectionis, aſcenſionis in cælum ſeſſionis ad dexteram Patris, miſſionis Spiritus ſancti, & conuerſionis Gentium: qua verò Chriſtus publica eſt perſona, & pater iuſtorum, ſplendores eius ſunt gloriæ Apoſtolorum, Virginum, Martyrum, ceterorumque Sanctorum, quibus decorabitur *in die virtutis*, id eſt, in die iudicij, qua potentiam ſuam toti orbi oſtendet. ita D. Auguſt. & Theodor. ibidem. Senſus ergo eſt Primò, de deitate Chriſti. q. d. Ante luciferum ô Chriſte, eras in rore & flore adoleſcentiæ tuæ, id eſt, ab æterno genitus es Deus & verbum diuinũ, ideoque glorioſum. Secundò, de humanitate Chriſti. q. d. Ex vtero Virginis tibi, ô Chriſte, erit ros pue- D ritiæ tuæ, id eſt, naſceris puer ex vtero Virginis ſine opera viri ex illapſu Spiritus Sancti, ſicut ros è cælo in terrã deſcendit quaſi ex vtero auroræ. Vel ros, id eſt, plenitudo gratiæ, erit tibi, ô Chriſte ab vtero auroræ, id eſt, à primo inſtanti conceptionis tuæ, quo quaſi diuinus lucifer terræ orieris ex alto, ita S. Aug. in pſal. 109. & Tertull. lib. 5. contra Marc. c. 9. Tertiò Maldon. & alij de Chriſto patre fidelium & iuſtorum exponunt, q d. Ex vtero, id eſt, in baptiſmo, tibi, ô Chriſte, naſcitur ros pueritiæ, id eſt, multitudo ſanctorum puerorum & iuuenum: ros enim eſt minutiſſima pluuia, & frequentiſſimè ac creberrimè cadit. Vel ros id eſt gratia progeniei tuæ, id eſt, filiorum tuorum Chriſtianorũ. q. d. Generatio tua & poſteritas ô Chriſte, non carnalis erit, ſed ſpiritalis, qualis eſt roris:

qui

qui in terra per gratiam, in cælo per gloriam fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, Daniel. 12. 3. Quid autem ſunt ſtellæ, niſi oculi, gemmæ, pyropi & faces cæli?

Huc reſpexit S. Petrus ſcribens epiſt. 2. c. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris* vide ibi dicta. Denique huc facit illud Cantic. 6. 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol?* Vbi D. Gregor docet Eccleſiam in incipientibus progredi vt auroram, in proficientibus pulchreſcere vt lunam, in perfectis electam eſſe vt ſolem. *Anima*, inquit, *quæ priùs erat in tenebris, nunc quaſi aurora ſplendens apparet. Eadem, dum peccantibus bona exempla præbet, quaſi luna in nocte lucet. Dum verò magis ac magis creſcit, & de die in diem per conſuetudinem operis lumen iuſtitiæ tã perfectè accipit, vt etiam bonis exempla imitationis præbeat, profectò iam luna ſol efficitur, quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifeſtat.*

Rupertus verò & Hugo de D. Victore in Inſtitut. Monaſt. ſerm. 34. idipſum applicantes B. Virgini, quæ primiceria, imò mater eſt iuſtorum: B. Virgo Maria, inquiũt, fuit aurora Eccleſiæ, quia præcedentis temporis, putà iudaiſmi & gentiliſmi, quod quaſi nox fuerat, finis extitit; & veræ lucis, putà ſalutis & chriſtianiſmi, initium: fuit enim ipſa Solis iuſtitiæ, putà Chriſti, qui ex ipſa genitus eſt, præuentrix, ſiduſque antelucanum. Rupertus autem aſſerit B. Virginem extitiſſe auroram in natiuitate, lunam in conceptione filij, ſolem in aſſũptione ad cælum.

Vers. 19. Via impiorvm tenebrosa: nescivnt vbi corrvant] Hebr. neruoſiùs habent, *via impiorum caligo; neſciunt in quod impingant*; Chald *in quo offendant*; Septuag. *quomodo offendunt*; Complut. habent vtrumque ἐν τίνι πῶς, id eſt, *in quo quomodo offendunt*; Symmach. *in quo infirmabuntur*. Opponit viam & vitam impiorum viæ & vitæ piorum, quòd hæc ſit lux, & vt aurora creſcat ad perfectum diem; illa verò ſit tenebræ & veſper, cuius caligo creſcit vſque ad perfectam noctem. Caligo hæc ſita eſt. Primò, in errore practico, quo peccatores dum peccant iudicant hîc & nunc peccatum præferendum eſſe virtuti. Guloſus enim tibi dicit in menſa delicata: Hic melius mihi eſt explere meam gulam, & ventrem cibis ſaburrare, quàm iis temperare, geniumque fraudare. Iratus dicit; Satius eſt mihi & iucundius vindicare meam iniuriam, eumque, qui me læſit, ferire quàm parcere & noxam condonare. Secundò, in imprudentia, quia qui paſſionis æſtu agitur, non conſiderat locum, tempus, perſonas, aliaſque circumſtantias, quæ eum metu & pudore allicere, ac à peccato reuocare poſſent. Tertiò, in improuidentia, quia non proſpicit finem, ac pericula & damna ipſi ex peccato obuentura, v. g. periculum ſanitatis, vitæ & gehennæ, quod ſibi accerſit. Auiditas enim & paſſio gulæ, veneris, honoris eum excæcat & obtenebrat, vt iſta non conſideret, non videat, quo fit vt perinde ac homo in nocte & tenebris ambulans, in lapides & ſcopulos tum culpæ, tũ pœnarum impingat & corruat, & quandoque præceps in foſſam & necem ruat: ſubinde anceps hæreat & neſciat quò pergere debeat, ſed, vt ait S. Petrus palpans & manu tentans viam perquirat. Porrò hæ tenebræ per continuos peccatorum actus creſcunt, donec hominem totum excæcent, vt vltrò ruat in ſuam perniciem & gehenam. Vnde S. Auguſt. in pſal. 138. *Cùm peccant*, inquit, *tenebræ ſunt: & cùm inſuper non confitentur peccata, ſed ea defendunt, tenebrant tenebras ſuas.*

Caligo peccatorum. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

Has tenebras repræſentauit plaga tenebrarum Ægypti quæ tantæ fuere, vt eſſent palpabiles, de quibus dixi Exodi 10. 22.

Denique analogias plures lucis & virtutis, ac tenebrarum & peccatorum recenſui in epiſt. 1. S. Ioan c. 2. v. 8. & ſequ.

Vers. 20. Fili mi, avscvlta sermones meos, et ad eloqvia mea inclina avrem tvam] Septuag. *Appone aurem tuam*. Salomon inſtar magiſtri identidem auditorem, quaſi puerum oſcitantem, ad attentionem excitat, tum quia diſciplina morũ moleſta eſt, tum quia pueri mente vagari ſolent; vnde crebrò excitandi ſunt, vt eam ad dicta magiſtri reuocent. Rurſum τὸ *inclina* notat humilitatem diſcipulo vtilem & neceſſariam. q. d. Sicut dum ſonum v. g. muſicam audire concupiſcis, aurem inclinas, vt ſonus per aures demiſſas aſcendat, perq; ſinuoſos aurium meatus ſurrepat ad ipſum auditus organum, itaq; ſuauiorem in auribus harmoniam excitet; ſonus enim natura ſua fertur ſurſum, ſic pariter tu aures corporis & cordis humiliter inclina dictis meis, ita ſuauiora tibi accident. *Sinuatio interiorum aurium*, ait D. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 9. *modulandi quemdã numerum præſtat & diſciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rhythmus efficitur, & modulis quibuſdam ingreſſæ ſonus vocis exprimitur*. Huc facit Lacedæmonũ ſtatua Apollinis: illi enim dabant quatuor aures totidemque manus, vt ſignificarent ſapientiam (huius enim ſymbolum eſt Apollo) multarum rerum auditione & manuum operatione comparari, teſte Pierio lib. 33. Hierogl. c. 25.

Vers. 21. Ne recedant (Vatabl. *excidant*; Baynus, *effluant*) ab ocvlis tvis, cvstodi ea in medio cordis tvi] *Oculos* tum corporis accipe, q. d. Iugiter ea aſpice & lege in hoc S. Scripturæ libro deſcripta tum mentis. q. d. Iugiter ea menti tuæ obuerſentur, iugiter ea intuere & contemplare; tum voluntatis. q. d. Iugiter ea ama, volue & verſa: oculi enim ſunt indices amoris: *vbi enim oculus, ibi amor: vbi manus, ibi dolor*. Vnde Theodot. vertit, *ne ſubſannentur ab oculis tuis*; *cuſtodi* (Vatabl. *aſſerua*) *ea in medio*, id eſt, in intimo, imò in ipſo cẽtro, *cordis tui*, quaſi rem ſummè pretioſam ſummeque dilectam. Ita explicant S. Baſil. & Theod. illud pſal. 39. 9. *Et legem tuam in medio cordis mei*. q. d. Legem Dei mei in intimo cordis aſſeruo, amo, rumino, cetera vel extra cor, vel ad extima eius amãdo. Alludit ad fimbrias & frontalia, quibus Iudæi inſcribebant legem Dei, vt iugiter oculis obuerſaretur, de quibus dixi Exodi 13. v. 16. Miraberis Septuag. pro *oculis* vertere *fontes*: ſed ſcito Hebr. עין *en* & oculum & fontem ſignificare: fons enim eſt quaſi oculus terræ, & viciſſim oculus hominis eſt fons lacrymarũ. Vertunt itaque, *ne derelinquant te fontes tui, cuſtodi eos in corde*. per fontes primò, accipias oculos; vt ſic Septuag. concilies & adæques Noſtro iuxta analogiam iam dictam. Secundo auctor Catenæ Græcor. per fontes accipit virtutes: hæ enim ſunt fontes è quibus fluunt bonæ actiones, atque vt fluxus non intercidatur, cuſtodiendæ ſunt in corde, vt ex eo iugiter manent. Tertiò, appoſitè

poſita noſter Salazar per fontes accepit prima hęc documenta ſapientiæ, quæ tradit Salomon. q. d. Hæc mea dogmata ſunt quaſi fontes & principia ceterorum quæ deinceps traditurus ſum; quare ea iugiter oculis tuis propone, ideoq; ea in cordis meditullio aſſerua Alludit ad fontes, qui in medio vrbis erigi ſolent, vt omnibus ciuibus circumcirca habitantibus ex æquo inſeruiant, tum ad potum, tum ad incendium, ſi quod oriatur, reſtinguendum Senſus ergo eſt. q. d. Vt hæc prima documēta mea, ex quibus reliqua fluunt tamquam è fontibus, à te longius non abeant; *Cuſtodi ea in medio cordis tui*, vt omnes animi & corporis facultates hoſce fontes in promptu habeant, ex iiſque ſua hauriant officia & exercitia ad vulgarem vſum bonorum operum; ac rurſum vt, quando ignis exarſerit concupiſcentiæ, iræ, vel alterius paſſionis, è B proximo ſuppetat vnda ad extinguendam flammam, id eſt, bona conſilia ad temperandos animi ardores atque motus.

VERS. 22. VITA ENIM SVNT INVENIENTIBVS EA, ET VNIVERSÆ CARNI SANITAS] Hebr. *Medicina* vel *medela*, Septuag. ad fontes referunt. vnde vertunt, *vita enim eſt inuenientibus eos*. Alludunt ad fontes medicos, vti ſunt Spadani in Ardenna, qui inde bibentes à calculo aliiſq; morbis ſanant & curant, ſimili enim modo animæ calculos & morbos curant hæc dogmata ſapientiæ. Ipſa ergo ſunt vita tam formalis, qui a virtutes actuales ſunt vitales actus voluntatis, quam cauſalis, quia vitam animæ tum naturalem, tum moralem, tum ſupernaturalem conferunt, curant, roborant, adaugent. Vide dicta c. 3. 8.

Hinc eadem ſunt *vniuerſæ carni*, id eſt, toti homini, *ſanitas*. q. d. Totum hominem perſanant, & C in ſanitate conſeruant. Sic enim per ſynecdochen ſæpè *caro* ſumitur pro toto homine, vt *Verbum caro factum eſt*: *caro*, id eſt, homo. *Videbit omnis caro* (id eſt homo) *ſalutare Dei*.

Secundò, metonymicè *caro* ſumitur pro anima & concupiſcentia, quæ reſidet in carne quaſi in ſua materia, officina & figulina: concupiſcentiā enim ſopit & ſanat ſapientia & virtus. Sic dicitur: *Caro & ſanguis*, id eſt homo carnalis, & concupiſcens) *regnum Dei poſſidere non poſſunt* 1. Corinth. 15. 50. Vide S. Auguſt. epiſt. 146. & S. Cyprianum in prologo de Cardin. operib. Chriſti.

Tertiò, propriè *carni* ſunt *ſanitas*, quia virtutes ipſum corpus ſanant, roborant & vegetant. Vnde D. Ambroſ. in pſal. 45. legens iuxta Septua. *Fons eſt*, inquit, *vt aquæ ſuperefluant requirentibus, quò & vniuerſa carnis vel flagitia diluantur, vel incendia extinguantur.*

D

TERTIA PARS CAPITIS.

De cuſtodia cordis, oris, oculorum & greſſuum.

VERS. 23. OMNI CVSTODIA SERVA COR TVVM, QVIA EX IPSO VITA PROCEDIT], Arabic. *quia ex ipſo proceſſus vitæ*. Hebr. eſt מכל משמר *miccol miſmar*; quod Primò, cum Aben Ezra, Bayno & aliis

A vertas, *præ omni cuſtodia ſerua vel cuſtodi cor tuum.* q. d. Cuſtodi cor tuum diligentius & fortiùs quàm cuſtodias tuam domum, tuos agros, tuos theſauros, tuam vxorem, tuos filios, tuas arces & vrbes: quia nil tam tuum tibique tam charum & pretioſum quàm cor, ex quo tua vita procedit & pendet; iuxta illud. *Omni cuſtodia cuſtodi cor. Primò.*

Omnia ſi perdas, animam ſeruare memento.

Chald. vertit, *omni monitione*; Syrus, *omni cautione ſerua cor tuum* q. d. Non ceſſes omni cura cor tuum admonere, vt à vitiis caueat & virtuti ſtudeat, ac cauere ne quod vitioſum ſemen in illud irrepat. Vnde Vatabl. *omni cura muni pectus tuum*: nam domus, arcæ, opes &c exteriori tantùm egent cuſtodia, at cor tam interiori eget quàm exteriori. Nā ex ipſo corde velut è terra vdoſa ebulliunt ſtirpes malarum cogitationum, & deſideriorum, quod vt non fiat, præmuniendum eſt cor ſanctis cogitationibus & deſideriis; aut ſi id factum eſt, illicò malæ illæ cogitationes ex corde extirpandæ ſunt.

Secundo, cum Symmacho, Aquila, Caietano & aliis vertas, *ex omni cuſtodia ſerua* vel *muni cor tuum*; Noſter *omni cuſtodia, &c. omni*, id eſt, maxima: vel propriè *omni*. q. d. Omnem omnino cuſtodiam, quàm aliis quibuſuis rebus adhibes, adhibe cordi tuo. Sicut enim cor naturale à natura, inquit Plinius lib. 11. c. 37. *firmo opertum eſt membranæ inuolucro, munitum coſtarum & pectoris muro, vt pariat præcipuam vitæ cauſam & originem* quem cordis murum luxatum eſſe, imò apertum per coſtam vnā à Deo ſublatā, ex qua formata eſt mulier Eua, quæ ſymbolum eſt voluptatis, eleganter docet D. Cyril. lib. de Adoratione. Sic multo magis cor rationale, id eſt, mens & voluntas munienda & cuſtodienda eſt omni munimine & cuſtodia, quia ex ipſa vita virtutum, gratiæ & gloriæ procedit. Cuſtodiis ergo, quibus cuſtodis opes, famam, filios, vxorem, parētes tuos, iiſdem, imò pluribus & maioribus, cuſtodi cor tuū. Vnde Beda: *Sunt*, inquit, *qui rectè viuere videntur hominibus, ſed quia recta intentione non faciunt, à Deo, qui cor reſpicit prauum, vita eorum reprobatur, quæ credebatur bona: omni ergo diligentia cordis munditiem ſerua, quia ad eius examen modus æſtimabitur vitæ*. Et Dionyſ. *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, id eſt, cum ſumma & ingi diligentia præſerua mentē tuam ab omni cogitatione immunda, ab omni affectione iniquā, ab omni omiſſione culpabili: & inſuper exerce eam aſſiduè in meditationibus & affectionibus ſanctis, & verbis actibuſq; virtutum, quia ex ipſo vita procedit, id eſt, ex cordis puritate vita gratiæ deriuatur in actu omni exteriori: & niſi cor cuſtodiatur, reliqua bona fiunt inaniter. Imò quēadmodū ex corporeo corde dependet & oritur vita naturæ: ita à corde ſpirituali, quod eſt mens, pendet ac pullulat vita gratiæ, ac profectus in ea. Ideo ait Saluator: Beati mundo corde, quoniā ipſi Deū videbunt. Et in Deuter. Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſollicitè. Inuiſibiles namque hoſtes ipſum cor tamquam pretioſiſſimum obſident caſtrum. idcirco intentiſſima cuſtodia eſt neceſſaria homini euadere cupienti.* Hinc ait Euſebius Emiſſenus: *Quid eſt quòd nos vigiliis laboribuſq; conficimus, & ea quæ Deus maximè in nobis eſſe deſiderat, atq; requirit (hoc eſt cor mundum à quotidianis culpis ac negligentiis iſtis: quas qui non vitat, paulatim deficit, & ad grauiora perlabitur) nō habemus*, Itemq; *Hæc eſt* (inquit) *ſpiritualium bonorum ratio, vt, cùm ea ſummo labore conſtet acquiri, tam facilè pereant, vt vix poſſit intelligi. Et inde eſt quòd interdum nos ſanctos putamus, quoniam lucra de laboribus æſtimamus, & detrimenta ſubſequentia non penſa-*

Secundò.

penſamus. Itaque (iuxta doctrinam Climaci) ponamus in ianua cordis portarium & cuſtodem, ipſum Dei timorē, qui nihil illicitum permittat intrare, aut intus manere, & ſit cor noſtrum ſemper in Domino. Nam quod amat, in eo ſe figere ſolet. Propter quod ſanctus teſtatur Hieron. Guloſus cor habet in ventre, laſciuus in lumbis, ſuperbus in eminentia, auarus in pecunia. Et S. Auguſt. ſerm. 90. de Temp. *Faciamus illud quod ſcriptum eſt. Omni cuſtodia ſerua cor tuum. Conſideremus cum Dei adiutorio, & cuſtodiamus corda ſimul & conſcientias noſtras: & ſi eſt quiſquam in nobis, cui cogitationem malam inimicus eliciat, quantum poteſt laboret, vel vt in ſermone non peccet; vt ſi ei diabolus vnum diem rapuit, & conuertit in noctem, vel ſecundum diem in illo obtinere non poſſit. Si verò & hoc ſubtilitate callidiſſima potuerit obtinere, vt malum & corde cogitemus & ore loquamur, ſi iā duos dies perdidimus, vel vnum diem cum Dei adiutorio conſeruemus, ne etiam nos vſque ad opera mala poſſit nequitia inimici ſubuertere. Si verò & hoc factum eſt, non tamen de miſericordia deſperemus, ſed citò per pœnitentiam de lutoſacis pedes animæ noſtræ excutere feſtinemus: non enim vult Dominus mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.*

Denique τὸ *omni cuſtodia ſerua cor tuum*, intellige eodem modo, quo illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto* vel *omni corde tuo*, quod fusè explicat Deuter. 6. v. 5.

Tertiò. Tertiò, Hebr. מִשְׁמָר *miſmar* & *aſmora* ſignificat cuſtodiam, id eſt vigiliam militarem: Romani enim diem æque ac noctē in quatuor vigilias diſtribuerant, ita vt quælibet contineret tres horas, atque in initio cuiuſlibet vigiliæ mutabant excubitores. Vnde ſic exponas: ſicut milites omni cuſtodia, id eſt, qualibet diei & noctis vigilia, cuſtodiunt vrbē & caſtra, ſic tu qualibet hora, imò momento diei & noctis, cuſtodi cor tuum, iuxta illud pſal. 129. 6. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem.* ita Auctor Catenæ Græc. Hebræi verò noctem diuidebant non in quatuor, ſed in tres viligilias, vt colligitur Iudic. 7. 19. in Hebræo, & Lucæ 12. 38 *Et ſi in tertia vigilia venerit*, &c. Idem fecere priſci Græci. vnde Homerus Iliade x, *Præteriyt*, inquit, *nox plus duabus partibus, tertia autē adhuc pars reliqua eſt.* Ita S. Bernard. ſer. *de triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis*, primā vigiliam & cuſtodiam debere eſſet docet manus, id eſt, operum: ſecundam linguæ, id eſt, verborum: tertiam, eamque ſummam, cordis, loquens enim de aduentu Domini: *Si*, inquit, *in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſūt ſerui illi. Quod nequaquam de prima, ſed nec de ſecunda dictum quidem reperies. Eſt autem vigilia hæc ſuper cor, cui ſanè omnem iam cuſtodiam exhibere Sapiens monet: nimirum quia ex ipſo vita procedit. Ego tamen etiam hanc conſtare arbitror ſpecialiter in duobus: vt videlicet ſuper affectionum pariter & cogitationum ſuarum greges mens ſolicita vigilanter intendat. Et bene huic datur omnis cuſtodia, à quo ceteras quoque duas procedere conſtat: niſi fortè (quod abſit) ſimulationis gerantur ſtudio, & pietatis habeant ſpeciem, non virtutem. Sicut enim fontis vena ſcaturiens, niſi foſſas antè impleuerit adiacentes, nec reſtuere, nec ſedare, nec in altum ſeſe tollere præualebit, quòd videlicet aliàs occupetur: ſic humanus animus donec eas quas prædiximus manus linguæ cuſtodias ſolerter impleat, nec ad perfectam hanc ſui ipſius poterit reflecti curam, nec iucunda deuotionis tranquillitate frui, nec in ſublimem diuinæ contemplationis proficere gradum.*

Quartò. Quartò, idem S. Bernard. ſer. 46. inter paruos: *Omni cuſtodia*, id eſt, ab omni parte, ab omni poſitionum differētia, putà ab antè & retrô, à dexteris & ſiniſtris, à ſurſum & deorſum, cuſtodi cor tuum, quia vndique ſunt hoſtes qui cor tuum obſident, eique inſidiantur vel oppugnant. *Omni cuſtodia*, inquit, *ſerua cor tuum. Solent dicere homines huius ſæculi: Bonum caſtellum cuſtodit, qui corpus ſuum cuſtodit, nos autem non ſic: Sed ſtercquilinium vile cuſtodit, qui cuſtodit corpus ſuum; Apoſtolo teſte: Quoniam qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui verò, inquit, in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Ac ſi dicat colendum & cuſtodiendum magis animæ caſtrum, quoniam æterna ex ipſo vita procedit. Sed caſtrū iſtud in terra inimicorū ſitum vndiq. impugnatur: & idcircò omni cuſtodia, id eſt, ex omni parte vigilāti ſolicitudine eſt muniendum, inferiùs, ſuperiùs ante & retrò, à dextris & à ſiniſtris. Inferiùs impugnat concupiſcentia carnis, quæ militat aduerſus animā, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritū. Superiùs imminet iudicium Dei: Horrendū eſt enim incidere in manus Dei viuentis.* Hebr. 10. *Solicitè ſatis hac parte cor ſuum cuſtodierat qui dicebat: Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deū.* Iob 31. *Retro mortifera delectatio eſt, quæ oritur ex recordatione præteritorū peccatorū. Antè inſtantia tentationū. A ſiniſtris verò arrogantium fratrum & murmurantium inquietudo. A dextris obedientium fratrum deuotio. Poſſunt enim ii quoque (niſi caueatur) duobus nocere modis: aut bonis eorum actibus inuidendo, aut ſingularem gratiam æmulando.* Deinde vigiles & cuſtodes ſingulorum recenſens ſubdit: *Vigilet ergo aduerſus carnem rigor diſciplinæ: contra iudicium Dei iudicium propriæ confeſſionis, & hoc ſit duplex: manifeſtum de manifeſtis, occultum de occultis. Vnde ait Apoſtolus: Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* 1. Cor. 11. *Contra delectationem, quæ procedit de recordatione præteritorum peccatorum, frequentia lectionis. Contra inſtantiam tentationis, inſtantia ſupplicis orationis. Contra fratrum inquietudinem, patientia & compaſſio. Aduerſus obedientium fratrum feruorem, congratulatio & diſcretio: congratulatio enim expellit inuidiam, diſcretio nimiam æmulationem.*

Quintò, Hebr. מִשְׁמָר *miſmar*, id eſt *cuſtodia*, metonymicè ſignificat ſtationem & ſpeculam, è qua vigiles & excubitores ſolent ſpeculari & luſtrare omnia circumcirca, nequà hoſtis irrumpat. Quintò. Sic ait Habacuc c. 2. v. 1. *Super cuſtodiam meam ſtabo.* Et Iſaias c. 21. 8. *Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per diem: & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.* Sic ſenſus erit q. d. Ex omni mentis ſpecula excuba, & cuſtodi cor tuum, ne qua aliqua cogitatio, delectatio, ſuggeſtio hominis vel dæmonis irrepat, quæ cor tuum inuadat, occupet & vincet. Porrò mentis ſpeculæ ſunt prudentia, circumſpectio, prouidentia, cuius variæ ſunt ſpecies & modi. ita S. Greg. 31. Mor. c. 20. Vnde S. Bernard. ſerm. de tripl. genere cogitationum noſtrarum, docet cor cuſtodiendum à triplici cogitatione, Primò, otioſa & vana; Secundò, carnali de cibo & potu; Tertiò, obſcæna & immunda. *Admonet*, inquit, *nos S. Benedict.* (fratres) *ſolicitos eſſe circa cogitationes noſtras. Sapientis vtiq. conſiliū ſequens, qui omni cuſtodia cor cuſtodire ſuadet: quoniam ex ipſo vita procedit. Tria igitur occurrunt genera cogitationum, à quibus multa ſolicitudine cauere neceſſe ſit eos, qui conuertuntur ad cor, & dignum Deo in ſemetipſis templū exhibere feſtinant.* Ac deinde triplicem iam dictam cogitationem explicans concludit: *Oportet enim, ſi mundas conſeruare volumus animas noſtras, adhuc longè agentibus cogitationibus huiuſcemodi multa cū indignatione occurrere, & exſufflare à nobis, vt nullus eis detur acceſſus.*

Et primum quidem genus cogitationum, otioſarum ſcilicet, ad rem non pertinentiũ, lutum eſt, ſed lutum ſimplex, id eſt, non inhærens, nec fœtens, niſi fortè diutiùs immoretur in nobis, & per incuriam ac negligentiam noſtram in alterum genus cogitationum vertatur. Quod quotidie experimur: dum enim otioſa tanquam minima ſpernimus, ad turpia atque inhoneſta dilabimur. Secundum verò cogitationum genus non lutum ſimplex, ſed, vt iam diximus, viſcoſum ac limoſum eſt. Nam tertium quidem ſic cauendum eſt non tamquam lutum aut limus, ſed tamquam immundiſſimum ac fœtidiſſimum cœnum.

Sexto. Sextò, *miſmar* hebr. ſignificat carcerem vel locum ſimilem, in quo cuſtodiuntur rei vel periculoſi, vt virgines & filij regum, iuueneſq; proterui: idemque ſignificat Latinũ *cuſtodia*. Cor ergo petulans & vagum carceris & cuſtodiæ mentis mancipandum eſt, ne quod ſcelus admittat, cuſtodiendum eſt vt virgo, ne à procis ſeducatur: ſeruandũ B vt filij regum ne quis eos tyrannus inuadat & occidat. Quocirca Caſſian. l. 6. de Inſtit. renunt. c. 2. ſingulare remedium contra tentationes fornicationis aſſignat cordis cuſtodiã. *Principaliter*, inquit, *virtutis huius correctio de cordis perfectione deſcẽdit, ex quo etiam huius morbi virus Domini voce prodire ſignatur:*
Matth. 15. *De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, &c. Illud ergo eſt primitus expiandum, vnde fons vitæ & mortis manare cognoſcitur, dicente Salomone: Omni cuſtodia ſerua cor tuum: ex his enim ſunt exitus vitæ. Caro enim eius arbitrio atque imperio famulatur, & ideirco ſummo ſtudio parſimonia ieiuniorum ſectanda eſt, ne eſcarum abundantia refectaque caro, præceptis animæ ſalutaribus aduerſata, rectorem ſuum ſpiritum deijciat inſoleſcens. Ceterum ſi omnem ſummã in caſtigatione tantùm corporis* C *collocemus, anima non ſimiliter à ceteris vitijs ieiunante, nec meditatione diuina & ſpiritualibus ſtudijs occupata, nequaquam ad illud ſublimiſſimum veræ integritatis faſtigium poterimus aſcendere, illo, quod in nobis eſt principale, puritatem corporis infeſtante. Oportet ergo nos mundare priùs iuxta ſententiam Domini id quod intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat & id, quod deforis eſt mundũ.*

In Vita S. Ægidij vnius è primis S. Franciſci ſociis, quæ extat apud Surium tomo 7. narratur quòd, cùm quæreretur, qua ratione malæ & immundæ cogitationes ſuperandæ eſſent; variique varios modos ſuggererent. B. Iuniperus dixerit: *Ego cùm procul aduentantem hunc inimicum proſpicio, portas animi bonis deſiderijs, ſanctiſſimiſq; cogitationibus occludo, & interiùs ſublatâ voce: Procul, procul, exclamo, occupatus eſt diuerſorij locus. Tunc Ægidius: Ego, inquit, arma Iuniperi mihi aſſumo.* D

Porrò S. Auguſt. lib. de Cuſtodia mulier. c. 5. notat non dicit *ſerua* corpus ſed *cor tuum*, quia eſto corpore ſis caſtus, tamen, ſi cor turpi cogitatione delectetur, impurus & adulter es: iuxta illud Chriſti: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Matth. 5. 28. quare cuſtodiendi ſunt oculi, aures ceterique ſenſus, ne cor inficiant. *Voluntas enim prona faciendi*, inquit, *reputatur pro opere facti: ac ſi dum aliquis mulierem libidinoſo oculo conſiderat, per feneſtras corporis ſui in ſecretum mentis venenum mortis inſtillat.*

Inſuper S. Bernard. in Meditat. c. 9. pulchrè explicans inſtabilitatem cordis humani, quod ſtatim euagatur & voluitur inſtar molendini, *dum ab amore cæleſtium elongatur, & in amore terreſtrium occupatur. Cumq; elabitur*, inquit *illis, & inuoluitur in iſtis, vanitas illud recipit, curioſitas deducit, cupiditas allicit, voluptas ſeducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia, ſicq; miſeris caſibus ſubmergitur omnibus vitiis, quoniam vnum Deum (qui ei ſufficere poterat) dimiſit. Per multa diſpergitur, & huc illucq; quærit vbi requieſcere poſſit; & nihil inuenit quod ei ſufficiat, donec ad ipſum redeat. A cogitatione in cogitationem ducitur, & per varias occupationes & affectiones variatur, vt ſaltem varietate ipſarum rerum impleatur, quarum qualitate ſatiari non poteſt. Sic labitur cordis miſeria, ſubtracta diuina gratia.*

Singulare ergo remedium ad cuſtodiendum cor eſt, ſi illud vniamus Deo, & occupemus diuinis cogitationibus ſanctiſque deſideriis: hæc enim excludent omnes motus prauos iræ, ſuperbiæ, inuidiæ, gulæ, acediæ, libidinis, &c. Vnde S. Bernar. in Meditat. c. 6. *Omne tempus*, inquit, *in quo de Deo non cogitas, hoc computes te perdidiſſe. Quocumq; loco conſiſtis, cogitationes tuas iacta in Deum, & aliquod ſalutare in animo tuo verſa: mens namque ſapientis ſemper apud Deum eſt. Illum ſemper ante oculos habere debemus, per quem ſumus, viuimus & ſapimus. Templum enim ſanctũ eſt Deo mens pia, & altare optimum cor eius.* Idem (vel quiſquis eſt auctor) lib. de Paſſione Domini cap. 2. docet cor noſtrum vniendum cordi Ieſu Chriſti: ipſe enim quaſi Nazaræus נצר *narſar*, id eſt, ſeruabit & cuſtodiet cor noſtrum. *O quàm bonum*, inquit, *& quàm iucundum habitare in corde hoc? Bonus theſaurus, bona margarita, cor tuum bone Ieſu, quem foſſo agro tui corporis inuenimus. Quis hanc margaritam abijciat? quin potiùs dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illã mihi, iactans omnem cogitationem meam in cor Domini Ieſu, & ſine fallacia illud me enutriet.* Idem remedium aſſignat S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſput. interrogat. 5. *De cohibenda mentis ad futiles cogitationes euagatione. Omni cuſtodia*, inquit, *cuſtodiendum fuerit cor noſtrum neque patiendum, vt aſſidua de Deo cogitatio ex animis noſtris elabatur, neue eorum, quæ mirabiliter ab eo facta ſunt, memoria contaminetur per futiles & euanidas cogitationes: contraq; illud agendum aſſiduè, vt ex perpetua ac puriſſima recordatione impreſſam in animis noſtris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod ſignũ circumferamus. Siquidem hæc eſt ratio, per quam erga Deum acquiri charitas conſueuit, quæ ſimul cùm ad conficienda ipſa Dei mandata nos excitet, tum viciſſim quoque ab iiſdem ipſa ad perpetuitatem ſtabilis conſeruetur. Quod ita eſſe docet Dominus ipſe, qui quidem modò dicit: Si diligitis me, mandata mea ſeruate; modo verò: Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. Et quod efficaciùs etiam poſſit commouere: Sicut ego mandata Patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione.*

Docet deinde S. Baſil. animam cor ſuum cuſtodituram, ſi omnia ſua opera ex mente & voluntate Dei agere ſtudeat: idque probat ſimilitudine fabri. *Vt enim faber ferrarius, verbi gratia quandocumque dolabrã ſiue aſciam cudit, ſi aſſiduè illius memor ſit, vnde inſtrumentũ illud faciendum ex pacto acceperit, & præſcriptam ſibi ab illo formam & magnitudinẽ animo verſat, & ad voluntatẽ eius, qui condixit opus, dirigit quod facit: alioqui ſi eius memoriam menti ſibi patiatur excedere, prorſus aut aliud quippiã omninò, aut longè diſſimile efficiet ab eo, quod facere inſtituerat: ſic Chriſtianus quoque, ſi actiones ſuas omnes, ſiue minores, ſiue maiores ad Dei voluntatẽ direxerit; is ſine controuerſia & egregiè opus illud perficit, & ſimul aſſiduam illius in animo ſibi memoriã conſeruat, à quo id iuſſus eſt facere: vereq; illud dicere poterit: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.*

iccmq;

itemq́ præcepto illi Pauli ſatisfaciet, Siue manducatis ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Quòd ſi quis in eo, dum opus adminiſtrat, à perfecta illa præſcripti mandati norma deſciſcat, hæc perfectum eſt delulem Dei memoriam retinere.

A linum, qui à corde procedunt. Quocirca nullum animal viuens præditum ſanguine eſt ſine corde & iecore, atque cor in ſenium & mortem vergens ſenſim imminuitur. Hinc malum omen datum Iulio Cæſari, quòd eo die, quo primùm in ſella aurea ſedit, & cum purpurea veſte proceſſit, in victima bouis opimi cor inuentum non fuerit. Vnde conſternatus Spurina aruſpex aiebat, vereri ſe ne conſilium & vita Cæſarem deficerent, quorum vtrumque ex corde proficiſcitur, itaque contigit, vti narrat Suetonius in Vita Iulij c. 81. Sic & eo die, quo occiſus eſt Heluius Pertinax Imp. in hoſtia non eſt inuentum cor. In corde *mens habitat*, ait Plinius lib. 11. c. 37. *Ex hoc fonte duæ grandes venæ in pectora & terga diſcurrunt, ſparſæq́; ramorum ſerie per alias minores omnibus membris vitalem ſanguinem rigant. Solum hoc viſcerum vitiis non maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit, læſumq́; mortem ilico affert. Ceteris corruptis vitalitas in corde durat.*

Moral. hîc diſce quàm Religioſus, ſacerdos, imò fidelis, & homo quilibet debeat cuſtodire ſuum cor, id eſt, mentem à cogitatione vana, & voluntatem à delectatione illecebrosa. Fuit hoc olim ſtudium ſingulare Aſcetarum & monachorum. Ita ſenex ille apud Ioan. Moſchum in Prato ſpirit. c. 110. *Eſto*, inquit, *ianitor cordis tui, ne intret peregrinus, dicens: Noſter es an aduerſariorum?* Magnus ille Ioannes Abbas apud Ruffin. in Vitis Patr. c. 1. hoc ſuis dabat documentum: *Cordi noſtro & cogitationibus præcipua adhibenda eſt cura: obſeruandum namque eſt, ne qua cupiditas, ne qua voluntas praua, ne quod deſiderium, & quod non eſt ſecundùm Deum, radices in corde noſtro defigat. Ex iis enim pullulãt vanæ & inutiles cogitationes, & in tantum moleſtæ, vt nec orantibus nobis ceſſent, ſed rapiant à nobis captiuam mentem.* Et paulò interiùs: *Quæ ergo hæc obſeruat mens, Spiritui ſanctô aperit in ſe locum, qui cùm ingreſſus fuerit & illuminauerit eam, ſemper ibi gaudia, ſemper lætitia, ſemper charitas, patientia, longanimitas, bonitas, & omnis fructus Spiritus oriuntur. Et hoc eſt, quod dicebat Dominus Matth. 7. Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Et poſt nonnulla: *Si ergo mundo corde aſtiterimus ante Deũ, & liberi ab omnibus vitiis & paſſionibus, poterimus etiam, in quantum poſſibile eſt, videre Deum, & orantes oculum cordis noſtri in ipſum dirigere, & videre inuiſibilem mente, non corpore. Maximè verò cuſtodiendũ eſt cor manè, cùm è ſomno expergiſcimur.* Nam vt ait Climacus gradu 26. *Eſt è ſpiritibus* (dæmonibus) *vnus, qui præcurſor dicitur, qui nos è ſomno ſurgentes protinus excipit, primumq́, noſtrum cogitatum protinus inquinare nititur. Da Domine primitias diei tuæ, erit enim tota eius qui prior occupauerit. Memorabile verbum operarius quidam optimus locutus eſt. Ab ipſo*, inquit, *matutino tempore curſum meum totius diei ſcio.* Idem Climacus gradu 29. docet hanc cuſtodiam parere tranquillitatem cordis, quæ eſt paradiſus huius vitæ. *Nihil enim aliud eiuſmodi tranquillitatem eſſe reor*, ait, *niſi mentis intimum cælum verſutias dæmonum ludibria iam æſtimans. Ille igitur propriè tranquillus eſt, qui carnem quidem omni corruptionis labe purgauit; mentem verò ſupra creaturam omnem eleuans, omnes illi ſubiicit ſenſus, atque vultui Domini animam ſiſtens, ſupra virium ſuarum modum in illum ſe ſemper extendit.*

Exempla cuſtodiæ cordis.

Domini præcepta matutina, quæ?

B

Denique audi S. Bernard. ſerm. 46. inter paruos, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Duobus autem modis vita à corde procedit. Aut quia corde creditur ad iuſtitiam, & iuſtus ex fide viuit, & fide mundatur cor, & mundo corde Deus videtur, id eſt, agnoſcitur: & hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: aut quia Chriſtus vita noſtra, qui nunc per fidem habitat in cordibus noſtris, et tũc cùm apparebit, & nos cum ipſo apparebimus in gloria: & qui nunc latet in corde, tunc quaſi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Vnde & aliùs Apoſtolus ait? Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus*, 1. Ioan. 3.

Rom. 10.

Matth. 5. Ioan. 17.

C

Symbolicè per cor accipe charitatem: quod enim eſt cor in corpore naturali, hoc eſt charitas in corpore ſpiritali, putà in cõplexione virtutum. Quare charitas omni cuſtodia ſeruanda & cuſtodienda eſt: tanta enim eſt eius dignitas, vtilitas & neceſſitas, vt omnem cuſtodiam expoſcat. Audi S. Laurent. Iuſtinian. in Ligno vitæ de charitate c. 13. *De ipſa charitate hoc ſentiendum eſt, quòd ſit recta voluntas, & ab omnibus terrenis ac præſentibus prorſus auerſa, iuncta Deo inſeparaliter, & vnita igne quodam ſancti Spiritus, à quo eſt, & ad quem refertur incenſa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis neſcia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, ſuper omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelſa: affectionum omnium potiſſima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus ſemper inuicta: ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cæleſtium præceptorum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, ſanctarum mentium arma, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum: ſine qua nullus Deo placuit, cum qua (ſi inquam illa perſeueret) nullus vnquam grauiter peccare poterit: fructuoſa in pœnitentibus, læta in proficientibus, glorioſa in perſeuerantibus, victorioſa in Martyribus, operoſa omnino in omnibus fidelibus, ex qua quidquid eſt boni operis viuit.* Plura vide apud noſtrum Aluarez de Paz de natura perfectionis ſpirit. lib. 3. parte 2. c. 17.

Encomia charitatis.

D

Cor principium vitæ triplicis.

QVIA EX ILLO VITA PROCEDIT] Cor enim naturale eſt cauſa vitæ naturalis; & cor morale, putà mens & voluntas, eſt cauſa vitæ moralis, putà virtutis, gratiæ & gloriæ. Cor enim purificat ſanguinem, & ex eo gignit ſpiritus vitales, eoſq́. diffundit per totum corpus; hi autem ſpiritus ſunt cauſa motus, ſenſationis omniſque operationis vitalis. Cor enim eſt animæ receptaculum, voluntatis fons, conſilium & rerum agendarũ radicem continens. Igitur cor ſiue mens eſt tamquam rex in mortalium corpore, ait Aben Ezra. Hinc cor in homine eſt primum viuens, & vltimum moriens. *Os primùm mori tradunt, cor nouiſſimè*, ait Plin. l. 11. c. 37. Vnde pro eo quod habemus: *Ex ipſo vita procedit*; Hebr. habent, *ex ipſo exitus vitæ procedunt.* Quod aliqui explicant de morte, q. d. Conſerua cor; quia ſi illud moriatur, exibit cum illo & anima vitaque tua. Verùm genuinè per *exitus vitæ* accipias emanationem vitæ, putà ſpirituum vita-

Ita cor & charitatem omni cuſtodia cuſtodiebat S. Maria Oigniacenſis, de qua ſcribit Cardin. Vitriaco (apud Surium die 23 Iunij extat) l. 1. Vitæ eius c. 6. *quòd ab exiguis & venialibus culpis ita ſibi caueret, vt crebrò ad dies quindecim nec vnam inordinatam cogitationem in ſuo poſſet pectore reperire.* Et mox: *Tanta puritate cor ſuum cuſtodire nitebatur, ſemper illud præ oculis habens: Qui modica negligit, paulatim decidit, vt ne verbum quidem vllum aut affectum inordinatum,*

Exemplum.

nec inhoneſtum corporis habitum, nec riſum immoderatum, nec indecentem vel indecorum corporis geſtum, in ea vnquam, aut certè id, aduertere potuerimus.

REMOVE A TE OS PRAVVM (Aquila & Theodot. *oris obliquitatem* vel *peruerſitatem*) ET DETRAHENTIA (Septuag. *iniuſtas* alij, *infamia*: ſic enim vertit Noſter cap. 2. 15. LABIA SINT PROCVL A TE] Poſt cordis cuſtodiam præcipit oris cuſtodiam: nam hæc æquè ac illa perdifficilis eſt: *Linguã enim nullus hominũ domare poteſt*, ait S. Iacob. c. 3. 8.

Per *os prauum* Rabbini accipiunt irriſionem: irriſores enim os deprauant & intorquent. Vnde R. Salomon ſic explicat, q. d. Ne illud facias, cuius gratia mortales de te obloquantur, atque in te ora obtorqueant. Aben Ezra verò q. d. Ea caue à quibus in falſas opiniones detrudaris, quæ mentem ſuis vinculis implicent.

Meliùs alij per *os prauum* accipiunt os detractoris, q. d. Procul fuge à detrahente famæ proximi, ne audias eius detractionem; illa enim velut peſtis & lepra vicinis audientibus contagiũ ſuum affricat, eoſq; inficit & interficit, vti docet S. Bernard. ſerm. 24. in Cant. Optimè hæc accipias planè vt ſonant. q. d. Noli os tuum deprauare, eoque aliis detrahere: poſterius enim hemiſtichium explicat prius, ſcilicet *os prauum* explicant *labia detrahentia*. Sicut enim cordis proprij cuſtodiam præcepit, ſic & oris proprij cuſtodiã præcipit: magna enim eſt cordis & oris ſympathia & cõnexio: vnde ſicut mors naturalis incipit ab ore, indeq; ſenſim proſerpit ad cor, vt dixi v. præced. ſic & mors moralis, ab ore & verbis proſerpit ad cor & voluntatem.

Quare per *os prauum* plenè & planè accipias omnem ſermonem prauum. ſiue is mendacium ſit, ſiue blaſphemia, ſiue irriſio, ſiue calumnia, ſiue detractio, ſiue quid aliud. Verè S. Bernard. *Detractor*, inquit, *& libens auditor, vterque diabolum in lingua portat.* Et Eccleſ. c. 10. 11. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Vide quæ de malo detractionis dixi Eccleſiaſt. 3. 16. & c. 28. 15. & Iacobi 3 v. 5. & ſeq.

VERS. 25. OCVLI TVI RECTA VIDEANT, ET PALPEBRÆ TVÆ PRÆCEDANT GRESSVS TVOS] *Rectà* potius eſt aduerbium quàm nomen. q. d. Directè antrorſum reſpice, non retrorſum, nec dextrorſum vel ſiniſtrorſum. Nam Hebr. נכח *nochah* idem eſt quod coràm, antè, è regione, putà rectà ſiue in directum. Hebr. eſt ergo, *oculi tui in directum aſpiciant, & palpebræ tuæ dirigãt* (Chald. *dirigantur*) *corã te*; Pagnin. *palpebræ tuæ dirigant viam coram te*; Septuag. *palpebræ tuæ annuant iuſta*, id eſt nutu & nictu oculorum innuant honeſta: nam ex aduerſo *impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius*, ait S. Auguſt. epiſt. 109. Vnde auctor Catenæ Græc. vertit, *& palpebræ tuæ ſpectent ad iuſta*, id eſt, inquit, nutibus ad nequitiam ne vtaris, ſed quilibet ſenſus ad honeſta tantùm tibi obſequiũ præſtet; Tigur. *oculi tui ad ea ſint intenti, quæ coram te ſunt, & palpebræ tuæ rectà inſpiciant in ea quæ ante te ſunt*; vt iter tuum rectà dirigant, ait Vatabl. Hebr. enim יישרו *iaiſciru* tam rectum facere quàm dirigere ſignificat.

Poſt cordis & oris cuſtodiam ſancit cuſtodiam oculorum: oculi enim in amore (virtutis aut vitij) ſunt duces: atque vt cuſtodias cor, opus eſt præ ceteris ſenſibus & mẽbris cuſtodire oculos, æquè ac linguam. Senſus ergo eſt q. d. Oculos coërce, nec ſinas eos circumcirca oberrare & vagari, ne hauriant formas aut ſpecies illecebroſas, quæ prauas in corde cupiditates excitent: quare oculos tuos rege, vt tantùm aſpiciant rectà, id eſt, coram, ſiue ante ſe, ad hoc vt pedes & greſſus hominis, necubi offendat vel erret, dirigant: ad hoc enim dati ſunt oculi, vt viam prælustrent, per eamq; dirigant iter totius corporis; quare ulteriùs non ſunt iaciendi. Vnde explicans ſubdit: *Et palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* q. d. *Palpebræ*, id eſt oculi tui, ita vibrentur, vt viam præcipiant, per eamq; inoffenſè dirigant pedes tuos, vlteriùs non ferantur: idcirco enim Deus eis dedit palpebras, vt eis coërceantur, ne aliorsũ iaciantur. Magna enim eſt vis oculorum ad cor & mentem vulnerandã: ſpecies enim viſa per oculos tranſit ad cor & mentem, illique ſuã formam & conſequenter amorẽ vel odium imprimit, quæ ſpecies hæret in corde etiam poſtquam res viſa abierit. Ita explicat S. Baſil. lib. de S. Virgin. Vnde ibidem docet virginẽ in neminem debere defigere oculos & obtutũ: *Oculi tui*, inquit, *rectà videant, & palpebræ tuæ innuant iuſta, neque te palpebræ rapiant, neque capiaris oculis tuis. Quòd ſi iuxta naturæ rationem tactus quidam eſt oculorum ad corpora iactus: & ſicuti cùm in eos, qui morbo tenẽtur, oculorum obtutus diutiùs figimus, morbi ipſius conſortes efficimur, contraq; cùm his, quæ aciem naturaliter iuuant* (vti color viridis, ſpeculum, aquæ limpidæ, &c.) *infigimus luminum radios, ſecretiſſima naturæ vi inde proficit noſter intuitus: ita profectò & cùm in voluptatis indicia iniicimus oculos, animus voluptatis morbo fit ſaucius: ſicut etiam cùm viris bonis intendimus, magna in anima per oculos emolumenta ſuſcipimus.* Ac deinde: *Dux enim & pranius ac pronubus oculorum iactus eſt eius, cuius miniſtræ ſunt manus, tactus.*

Myſticè & analogicè hæc paſſim accipiunt de oculis mentis. q. d. Sicut oculos corporis, ſic multò magis oculos cordis, rationis & mentis coërce, vt rectà duntaxat aſpiciant ad ea, quæ recta ratio facienda vel omittenda dictat, non obliquè ad ea quæ cupiditas ſuggerit. ita Beda, Caietan. Baynus, Ianſen. & alij. Vnde R. Salomon expouit, q. d. Veritatem & rectitudinem oculi tui inſpicere ſtudeant. Et R. Leui: Oculi tui diſpiciant quod rectũ verumq; ſit. Quin & S. Greg. 3. p. Paſtor. admonit. 16. in fine: *Palpebræ*, inquit: *greſſus præcedũt cùm operationem noſtram conſilia recta præueniunt: qui enim negligit conſiderãdo præuidere quod facit, greſſus tendit, oculos claudit, pergẽdo iter conficit, ſed præuidẽdo ſibi metipſi nõ antecedit; atque idcirco citiùs corruit, quia quo pedem operis ponere debeat per palpebrã cõſilij nõ attendit.*

Et S. Ambroſ. lib. de Bono mortis c. 9. *Oculi tui rectà videant*, &c. *Quod non eſſet dictum*, inquit, *niſi frequenter errarent. Vidiſti meretricem, captus es vultu eius, & formã decoram putaſti: errauerunt oculi tui, peruerſa viderunt, aliena nuntiauerunt. Nam ſi verè vidiſſent, vidiſſent deformem meretricis affectum, inhorrentem procaciam, indecentem impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluuionem, animæ vulnera, conſcientiæ cicatrices.* Cauſam erroris ſubdit, dicens: *Errat igitur oculus, vbi errat affectus. Affectus ergo deceptio, eſt deceptio viſus.* Denique Beda: *Palpebræ præcedant greſſus tuos: id eſt, inquit, Iter iuſtitiæ, quo ingredi debeas, diligenter ediſce, & in cunctis, quæ agere diſponis, ſollicitus ad quem ſint ventura finem prævide.*

DIRIGE SEMITAM PEDIBVS TVIS ET OMNES VIÆ TVÆ STABILIENTVR] Chald. *dirigentur*. *Dirige*, Hebr. פלס *palles*, id eſt, *libra*, & ad libellam rectæ rationis adæqua ſemitam pedibus tuis, vt ſcil. rectæ rationis, legis, prudentiæ & virtutis orbita ince- VERS. 26

incedas; non deflectas ad dextram vel ſiniſtram. Vnde Septuag. vertunt, *rectas orbitas fac pedibus tuis* (Aquila *cura* vel *muni viã pedum tuorũ*; Symmach. *obſerua* vel *caue pedibus tuis*) *& vias tuas dirige*; Aquila, Symmach. & Theodot. ἑτοίμαζε, id eſt, *para* vel *firma*. Ita ſe explicat Salomon ſubdens *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram* Pagnin. *Pondera ſemitam pedum tuorum, & omnes viæ tuæ ſtabilientur*; alii, *regula* vel *trutina & æquilibra ſemitas pedum tuorum*; S. Auguſt. epiſt. 47 *rectos curſus fac pedibus tuis*. Citat hunc locum S. Paulus iuxta Septuag. Hebr. 12. 13. *Greſſus* (græcè eſt τροχιὰς, eadem vox quæ hîc, id eſt orbitas, ſemitas, greſſus) *rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret.* Eſt metaphora à ſtratoribus viarum: hi enim æquè vt fabricatores domorum, vt vias rectè ſternant & complanent, illas ad libellam dimetiuntur, ſternunt & fabricãt: nullo enim pacto erigi poſſunt fabricæ vel viæ, niſi facierum angulorumq; rectitudo per perpendiculorum indaginem exploretur: eaq; præcipua eſt obſeruatio in ædificiis, æquè ac pauimentis moliendis, vt ſtructuræ omnes perpendiculo reſpondeant, neque proclinationes, vt ait Vitruuius lib. 6. c. 11. & lib. 7. c. 3. in vllam partem habeant. Simili modo ſtructura virtutum in fabrica animæ debet fieri ad perpendiculum, putà ad rectitudinem rationis & prudentiæ, qua virtutes ſingulæ per ſe, & comparatæ cum aliis, rectum teneant ordinem & commenſurationem, quam præſcribit lex & recta ratio, nec in alterutram partem lateralem propendeant aut deuergant. Sic enim opus erit appenſum linea rationis libratumque.

R. Salomon Hebr. *palles* exponit, q. d. Pondera diuini præcepti violationem cum mercede & præmio, pœnas item ſcelerũ & præmia compara: tunc enim rectè eliges honeſtum, & ſpernes peccatum.

Porrò S. Auguſt. epiſt. 47. cuius verba recitabo v. ſeq. cenſet hîc alludi, imò probari liberum arbitrium, q. d. *Libra ſemitam pedibus tuis*, hoc eſt accipe libram vel libellam liberi arbitrij, in eaque greſſus & actiones tuas trutina, vt in æquilibrio rectæ rationis conſiſtant, nec in alterutram partem earum bilances diuergant. q. Vide quomodo viuas, recta regiaque ſapientiæ & virtutis via incedito. Quòd ſi id feceris, viæ, id eſt actiones tuæ ſtabilientur, vt ſtabiles & firmæ in virtute perſeuerẽt: ac dirigentur à Domino, vt proſperos habeant ſucceſſus: hi enim pendent à Deo: Deus enim eſt cauſa omnis ſortis & fortunæ noſtræ, adeoque ipſe eſt fortuna fortunans, qui hoſce fortunat, illos non, vti oſtendi Geneſ. 31. 27. & ſeq.

Myſticè, pedes ſunt affectus animi; hi per ſapientiam regulandi ſunt, vt ad bonum tendant. ita auctor Catenæ Græc. Rectas ſemitas, inquit, appellat animæ vires, quibus nixa in virtutibus progreditur, deq; vno opere bono ad aliud prouehitur. At verò animæ pedes eiuſdem ſunt impetus, per quos de hoc in illud fertur.

VERS. 27. NE DECLINES AD DEXTERAM, NEQVE AD SINISTRAM: AVERTE PEDEM TVVM A MALO] Chald. *transfer pedem tuum à malo.* Senſus literalis eſt clarus, q. d. Dirige greſſus tuos iuxta regulam rectæ rationis, legis & voluntatis diuinæ, vt ab ea in neutram partem, putà nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declines; iuxta illud Iſaiæ 30. 22. *Hæc eſt via ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*

Symbolicè S. Auguſt. in Deuter. q. 48. & alij per *dexteram* accipiunt proſpera, & per *ſiniſtram* aduerſa. Baynus per *dexteram* accipit amicos, per *ſiniſtram*, inimicos. q. d. Nec amore proſperorum & amicorum, nec timore aduerſorum & inimicorum deflectas à recta virtutis via. Olympiod. verò in Catena Græc. per *dexteram* accipit honorem & gloriam, per *ſiniſtram* crucem & ignominiam. q. d. Si propter vitæ integritatem honoreris, ne efferaris animo: ſi vilipendaris, ne animum deſpondeas, aut ab officio deſiſtas. Rurſum S. Auguſt. l. 2. de Peccat. mer. c. 35 *Non declines*, inquit, *in dexteram ſuperba præſumptione iuſtitiæ, nec in ſiniſtram ſecura delectatione peccati.*

Moraliter ex hoc loco S. Greg. Nazianz. orat. 26. docet nimium zelum æquè cauendum ac torporem, temeritatẽ æquè ac pigritiam. *Æquè enim*, inquit, *inutiles ſunt iners ac ſupina ſegnities, & imperitus feruor: ille ad bonum minimè accedens, hic autem vlteriùs cadens, ac dextro dexterius aliquid efficiens. Atq; id probè cognitum exploratum habens Salomon: Ne declines, inquit, ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ne per contrarium inæquale malum, hoc eſt, in peccatum, incidas.* Et Caſſianus l. 11. de Inſtit. renũt. c. 4. *Ne diuertaris ad dexteram, neque ad ſiniſtram, id eſt, ne tibi de virtutibus blandiaris, & dextris ſucceſſibus ac ſpiritualibus extollaris, nec deflectens ad ſiniſtrum tramitem vitiorum, ſecundùm Apoſtolum, gloriam tibi ex eis in tua confuſione conquiras. Nam cui ſub ſpecie ſuccinctæ veſtis ac nitidæ cenodoxiam non potuit diabolus generare, pro ſqualida & inculta ac viliore conatur inſerere, quem non potuit per honorem deiicere, humilitate ſupplantat, quem ſcientiæ & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate taciturnitatis elidit. Si ieiunet palàm, vanitatis gloria pulſatur: ſi illud contemnendæ gloriæ cauſa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur.*

VIAS ENIM, QVÆ A DEXTRIS SVNT, NOVIT DOMINVS: PERVERSÆ VERO SVNT, QVÆ A SINISTRIS SVNT] Hic verſus non eſt in Hebræo, nec in Chaldæo, nec in Complutenſi, vel Regia Latina, nec in Caietano, nec in manuſcriptis nonnullis vetuſtis, eſt tamẽ in Septuag. ex quibus eam Noſter tranſcripſit. Vnde colligas noſtram Vulgatam verſionem non per omnia puram putam eſſe S. Hieronymi, quàm ſcilicet ipſe concinnauit ex Hebræo, cùm nonnulla ex Septuag. ſint addita, quæ non extant in Hebræo. Ex Septuag. eamdem legunt S. Greg. Nazianz. S. Hieron. S. Aug. S. Cyprian. Beda locis iam citandis. Perperam ergo Lyran. & Caietan. cenſent eam ex gloſſa aliqua in textum vitio ſcriptorum irrepſiſſe.

Dextrum vocatur bonũ & felix: cur Ratio prima.

Nota. *Dextrum* ſignificat bonum & felix, *ſiniſtrum* malum & infelix: Primò, quia Gentiles illas voces ſic vſurpabant, & verò ita cenſebant. Vnde Græci dextra fulmina cenſebant boni & felicis ominis, ſiniſtra, verò mali & infelicis. *Secunda.* Secundò, quia dextra pars animalis potior & robuſtior eſt ſiniſtrâ, quæ infirmior, eſt deficiens & quaſi manca. vnde quæ ſiniſtra manu fiunt, minùs rectè fiunt. *Tertia.* Tertiò quia motus principium eſt à dextra parte. In homine enim & animalibus mutatio loci à dextra proficiſcitur, eò quòd ad impulſum expeditior ſit ob calorem hepatis, & ſolidiorem eius partis ac firmiorem muſculorum naturam, vti docet Ariſtot. l. 3. de Part. animal. c. 4. & Galenus 7. Aphoriſm. 44. Hinc & phyſici Orientem, à quo cælum moueri incipit, vocant dextram cæli par-

partem. Quartò, quia veteres in iudicio de moribus virtutes & virtute præditos collocabant à dextris, vitia & vitioſos à ſiniſtris. Quocirca Lactantius diſputans de Y littera Pythagoræ, indice virtutis & vitij lib. 6 de Vero cultu c. 5. *Quid enim* inquit, *opus eſt Y littera in rebus contrariis atque diuerſis: ſed altera illa melior conuerſa eſt in Solis ortum, altera illa deterior ad occaſum: quoniam qui veritatem ac iuſtitiam ſequitur, is accepto immortalitatis præmio, perenni luce potiretur; qui autem ab illo malo duce illectus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, neceſſe eſt ad occaſum & tenebras deferatur* Accedit Ariſtot lib. 2. de Cælo c. 2. qui de Pythagoricis loquens ait: Via virtutis propterea, inquiunt, dextera dicitur, quia ad orientem ſolem tendit, id eſt ad lucem atque ſplendorem; via verò vitij ſiniſtra, quia occidentem verſus, id eſt, in noctem tenebraſque defertur. Hinc *dexter* idem eſt quod proſper & propitius. vt Quintil. lib 4 *Adſit Domitianus dexter ac volens.* Et Virgil 8. Æneid.

Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

Senſus ergo eſt, q. d. Vias, quæ à dextris ſunt, id eſt, actiones bonas & laudabiles, ideoque felices, quæ nos conſtituent ad dexteram Chriſti in die iudicij inter electos & beatos, *nouit*, id eſt, approbat, amat, promouet, proſperat & beat. Dominus: odit verò, deſtruit, & punit eas, quæ à ſiniſtris ſunt, putà malas & probroſas, ideoque infelices, quæ impios conſtituent in die iudicij à ſiniſtris Chriſti inter damnatos & reprobos. Accedit S. Auguſt. quæſt. 48. in Deuter, vbi per vias dextras accepit cæleſtia, per ſiniſtras terrena.

Verùm difficultas eſt in nexu contextus: videtur enim hîc eſſe amphibolia, imò contradictio; ac poſterior pars repugnare priori. Quomodo enim conſentit τὸ *ne declines ad dexteram* cum eo, quod ſubdit. *Vias quæ à dextris ſunt nouit*, id eſt probat, *Dominus*? ſi enim eas probat, ergo illæ non declinandæ. ſed ſequendæ & ambiendæ ſunt.

Primò, S. Auguſt. epiſt. 47. ad Valentinum hinc probat neceſſitatē gratiæ æquè ac liberi arbitrij: *Quia*, inquit, *ſi non eſſet liberum arbitrium, non diceretur: Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige: ne declines in dexteram, neque in ſiniſtram. Et tamen ſine Dei gratia ſi poſſet hoc fieri, non poſtea diceretur: Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet.* Et mox: *Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus, quomodo intelligendum eſt, niſi quia ipſe fecit vias dextras, id eſt, vias iuſtorum, quæ ſunt opera bona, quæ vtique præparauit Dominus (ſicut dicit Apoſtolus) vt in illis ambulemus? vias autē ſiniſtras, peruerſas, id eſt vias impiorum, non vtique nouit, quia non eas ipſe fecit in homine, ſed homo ſibi.* Obijcit deinde ſibi Auguſtinus, cur ergo dixit: *Ne declines in dexteram neque in ſiniſtram, cùm potiùs dicere debuiſſe videatur: Tene dexteram, & ne declines ad ſiniſtram?* At reſpondet, *declinare in dexteram, qui bona ipſa opera quæ ad vias dextras pertinent, ſibi vult aſſignare, non Deo. In ſiniſtram verò*, qui omnia gratiæ tribuens, & nihil libero arbitrio, dicit: *Faciamus mala vt veniant bona.* q. d. *Non ſic defendatis liberū arbitrium, vt ei bona opera ſine Dei gratia tribuatis; nec ſic defendatis gratiam; vt quaſi de illa ſecuri mala opera diligatis.*

Secundò, S. Chryſoſt. ex variis in S. Matth. locis homil. 8. cenſet hîc ludi in nomine dextrum & ſiniſtrum, aliterque accipi quàm paulò antè. Hîc enim per dextras vias, vel, vt ipſe legit, partes, accipit iuſtos; per ſiniſtras, peccatores: quia Chriſtus in die iudicij iuſtos & electos ſtatuet à dextris, peccatores & reprobos à ſiniſtris, Matth. 25. Et ſic explicat illud Matth. 6. v. 3. *Te faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*, q. d. Cum dextera das eleemoſynam, noli te apud ſiniſtram, id eſt, apud auaros & peccatores, iactitare.

Tertio, S. Auguſt. lib. 2. de Peccat. merit & remiſſ. cap. 35. *In dexteram declinare*, inquit, *eſt ſeipſum decipere, dicendo ſe eſſe ſine peccato: in ſiniſtram autem, propter neſcio quam peruerſam atque prauam ſecuritatem, ſe tamquam impunè dare peccatis. Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit Dominus* (Chriſtus) *qui ſolus ſine peccato eſt, & noſtra poteſt delere peccata; peruerſæ autem ſunt quæ à ſiniſtris ſunt amicitiæ cum peccatis.*

Verùm hæc videntur myſtica potiùs quàm litteralia, nec dubium lectoris animum explent. Dico ergo hanc ſententiam: *Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus*, &c. cohærere cum proximè præcedenti; *Auerte pedem tuum à malo* (ſcilicet capeſſendo vias quæ à dextris non autem illas quæ à ſiniſtris ſunt) non autem cum illa remotiore: *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* In Prouerbiis enim, vti ſæpiùs monui, ſunt multæ ſententiæ diſparatæ, nec inter ſe connexæ: per tales enim gnomas priſci tradebant ſuā ſapientiam. Fortè etiam ex alio loco eam huc tranſtulerunt Septuag. nam hoc loco non extant in fonte Hebræo Sic enim aliæ ſententiæ nonnullæ ex vno loco in alium traductæ ſunt à collectoribus earumdem, vt oſtendi Prooemio in Eccleſiaſticum.

Porrò vna ſententia alteri non eſt contraria, ſed vna cum altera rectè conſentit: nam cùm ait vias à dextris noſci & probari à Domino peruerſas verò eſſe ſiniſtras; tunc dextrum & ſiniſtrum inter ſe ſola comparantur ac per dextrum ſignificatur via virtutis, quia hæc coram Deo eſt dextera, id eſt, proba & felix; per ſiniſtrum ſignificatur via vitij, quia hæc coram Deo eſt ſiniſtra, id eſt reproba & infelix. Cùm verò ait: *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram*; tunc dextrum & ſiniſtrū non inter ſe, ſed cum media virtutis via comparat, ideoque dextrum & ſiniſtrum ſignificant vitia vtrimque virtuti, quæ in medio eſt, per exceſſum vel defectum oppoſita. Virtus enim eſt in medio, à quo declinat vitium oppoſitum in dextrum per exceſſum, in ſiniſtrum per defectum. Via ergo virtutis media eſt dextera, à qua ſi declines ad dexteram vel ſiniſtram, aberras & peccas. Itaque vis eſt in τῷ *ne declines*: hæc enim particula mutat phraſim & appellationem, vt loquuntur Logici. Nam via dextera eſt via virtutis; declinare verò ab hac dextera eſt vitium, ſiue declines dextrorſum, ſiue ſiniſtrorſum: omnis enim declinatio & receſſus à medio, quod præſcribit virtus; eſt vitium. *Non ergo dexteram viam ambulare, ſed ad dexteram declinare prohibemur*, ait Beda.

Ita acutè explicat S. Gregor. Nazianz. orat. 26 *Ne declines*, inquit, *ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ne per contraria in æquale malum, hoc eſt peccatum, incidas. Quamquam alioqui quod natura dextrum eſt, his verbis laudat, Vias dextras nouit Deus, peruerſæ autem ſunt ſiniſtræ. Vnî fit igitur, vt qui dextrum laudat, idem rurſum à dextro nos abducat? Intelligit profectò quod dextri ſpeciem habet, cùm reuera*

tale

Eccleſ. 7. *tale non ſit. Quod etiam ſpectans alio loco inquit : Ne magnopere iuſtus ſis, nec ſupra modum ſapiens. Par enim iuſtitiæ atque ſapientiæ detrimentum affert acris, tam in actione, quàm in ſermone animi impetus, à bono nempe, & à virtute propter exceſſum excidens. Hanc enim defectus & exceſſus peræque labefactant, non ſecùs ac regulam additio aliqua aut ſubtractio.* Rom. 12. *Nemo igitur ſapientior ſit quàm conueniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior, nec norma rectior, nec præcepto diuino ſplendidior. Id verò qua tandem ratione conſequemur? Nempe ſi modeſti & compoſiti eſſe curemus, naturæ leges comprobemus, rationem ducem ſequamur, ordinem & diſciplinam non aſpernemur.*

Et S. Hieron. in c. 12. Zachar. *Deuorabunt,* inquit, *duces Iudæ & tribuni ad dexteram & ad ſiniſtram eos, qui in medio itinere incedere noluerunt, neſcierunt* Num. 20. *ὑπερβολὰς εἶναι κακίας. Vnde Dei populus pollicetur :* B *Nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinabimus: via regia gradiemur. Via dextra parcitas eſt, quam Græci φειδωλίαν vocant : ſiniſtra, luxuries : media rectaque, frugalitas. Omnes igitur qui ſunt in via dextra, quibus dicitur : Ne ſis iuſtus nimis : & in ſiniſtra, qui audiunt: Viæ, quæ ad ſiniſtram ſunt, peruerſæ ſunt, deuorans flam-* Eccleſ. 7. *ma conſumet.* Idem in Eccleſiaſtæ cap. 10. explicans Matth. 6. illud : *Cor ſapientis in dextera,* &c. *Et in Euangelio,* inquit, *præcipitur, vt neſciat ſiniſtra quid faciat dexte-* Ibid. 5. *ra ſapientis. Et quando percutimur in maxillam dexteram, non iubemur ſiniſtram genam præbere percutienti, ſed alteram dexteram : iuſtus enim ſiniſtram in ſe non habet ſed totum in eo dextrum eſt. Et cùm ad iudicandum Saluator venerit, agni à dextris, hœdi verò à ſini-* Matth. 25. *ſtris erunt. Et in Prouerbiis ſcribitur. Dextras vias nouit Dominus? quæ autem peruerſæ ſunt, à ſiniſtris ſunt. Qui ergo ſapiens eſt, ſemper de futuro ſæculo cogitat, quod ducit ad dexteram: qui verò inſipiens eſt, de præſenti, quod poſitum eſt in ſiniſtra. Quæ quidem ſecutus idem philoſophus & poëta ait :*

Dextera quæ magni Ditis ſub mœnia ducit.
Hac iter Elyſium nobis, at læua malorum.
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

C *Firmianus quoque noſter in præclaro Inſtitutionum ſuarum opere Y litteræ meminit, & de dextris ac ſiniſtris, hoc eſt de virtutibus & vitiis, pleniſſimè diſputauit. Nec putamus huic ſententiolæ illud eſſe contrarium in quo dicitur : Ne declines in dexteram neque in ſiniſtram : hic enim pars dextera in bono accipitur, ibi verò non tam dextera, quàm declinatio dexteræ accuſatur: ne plus ſapiamus quàm ſapere nos neceſſe eſt: quia virtutes in medio ſunt, & nimietas omnis in vitio eſt.*

Accedit & S. Auguſt. epiſt. 47. *Auerte,* inquit, A *pedem tuum à via mala, hoc eſt à ſiniſtra. Quod manifeſtat in conſequentibus dicens : Vias enim, quæ à dextris ſunt nouit Dominus Deus, peruerſa verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Eas vtique vias ambulare debemus, quas nouit Dominus Deus, de quibus in pſalmo legitur : Nouit Dominus viam iuſtorum, & via impiorum peribit: hanc enim non nouit Dominus, quia ſiniſtra eſt. Sicut dicturus eſt etiam illis ad ſiniſtram conſtitutis: Non noui vos. Quid autem quod ille non nouit, qui vtique nouit omnia, ſiue bona hominum, ſiue mala: Sed quid eſt, Non vos noui: niſi tales vos ego non feci? Quemadmodum illud quod dictum eſt de ipſo Domino Ieſu Chriſto : Quia non nouerat peccatum: quid eſt (Non nouerat) niſi quia non fecerat? Ac hoc quòd dictum eſt, Vias, quæ à dextris ſunt, nouit Dominus, quomodo intelligendum eſt, niſi quia ipſe fecit vias dextras, id eſt vias iuſtorum, quæ ſunt vtique opera bo-* B *na, quæ præparauit Deus (ſicut dicit Apoſtolus) vt in illis ambulemus : vias autem ſiniſtras peruerſas, id eſt vias impiorum, non vtique nouit, quia non eas ipſe fecit in homine qui fecit hominem, ſed homo ſibi. Propter quod dicit : Odi autem ego peruerſas vias malorum, ipſæ ſunt à ſiniſtris.*

IPSE AVTEM RECTOS FACIET CVRSVS TVOS. ITINERA AVTEM TVA IN PACE PRODVCET] q. d. Si ingreſſus fueris vias quæ à dexteris ſunt, id eſt, vias probas & honeſtas, Deus, qui illas nouit, id eſt probat & proſperat, rectos faciet, id eſt diriget, curſus vitæ tuæ, vt in illis feliciter & animoſè progrediaris per plures annos vitæ, quos tibi pacificus dabit, facietque vt tandem moriens in pace expectans felicitatem æternam obdormias & conquieſcas. Vnde Polychron. in Catena. Græcor. *Tu,* inquit, *Abſtine ab omni malo & peccato : ille interim viam tuam ad bona diriget, tuoſque inimicos euertet. Indicat per hæc autem, complurium rerum euentus in noſtra poteſtate poſitos non eſſe, ſed in Dei* C *voluntate. Is enim eſt qui hominum ſtudia in terris, ceteraque omnia quæ ad æterna illa bona, quæ in cælis repoſita habemus ſpectant, rectè, prouideque adminiſtrat.* Præclarè Seneca : *Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduerſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, ex æquo deos, non ſubibit te veneratio eius? non dices : Iſta res maior eſt altiorque quàm vt credi ſimilis huic, in quo eſt corpuſculo, poſſit? vis iſtuc diuina deſcendit, animum excellentem, moderatum omnia tamquam minora tranſeuntem, quidquid timemus optamuſque ridentem, cæleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare. Itaque maiori ſui parte illic eſt, vnde deſcendit.*

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet fugiendam eſſe meretricem vt peſtem. Remedium fugæ ſuggerit v. 15. dilectionem vxoris propriæ: ſic enim vitabitur aliena; amor enim caſtus pellit inceſtum, vxor meretricem.

1. Filii mi, attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam,
2. vt cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſeruent. Ne attendas
fallaciæ mulieris; 3. fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur
eius, 4. nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius bi-
ceps. 5. Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant.
6. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles. 7. Nunc
ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei. 8. Longè fac ab ea viam tuam,
& ne appropinques foribus domus eius. 9. Ne des alienis honorem tuum, & annos
tuos crudeli. 10. ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in
domo aliena, 11. & gemas in nouiſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas & cor-
pus tuum, & dicas: 12. Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non
acquieuit cor meum, 13. nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non in-
clinaui aurem meam? 14. Pænè fui in omni malo, in medio eccleſiæ & ſynago-
gæ. 15. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: 16. deriuentur fontes
tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, 17. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni parti-
cipes tui. 18. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ:
19. cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tem-
pore, in amore eius delectare iugiter. 20. Quare ſeduceris fili ab aliena, & fouê-
ris in ſinu alterius? 21. Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius con-
ſiderat. 22. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum con-
ſtringitur. 23. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtul-
titiæ ſuæ decipietur.

VERS. 1. FILI MI, ATTENDE AD SAPIENTIAM MEAM (Septuag. *ſermonibus meis appone aurem tuam*) ET PRVDENTIÆ MEÆ INCLINA AVREM TVAM] Salomon nouum ſapientiæ documentum de fuga meretricis daturus, more ſuo diſcipuli attentionem excitat, vt ille aduertat & ponderet quanti illud ſit momenti. Dicit ergo illi: Silens ſtudioſè attende & intende meis ſermonibus. Nam ſilentium diſcipuli, diſciplinæ cuſtodia eſt. Vnde Pythagoras ſuis diſcipulis ſilentium quinquennale indicebat.

VERS. 2. VT CVSTODIAS COGITATIONES, ET DISCIPLINAM LABIA TVA CONSERVENT] Septuag. *vt cuſtodias cogitationem bonam* (Aquila, Symmach. & Thedor. *ſcientiam bonam*) *ſenſus autem labiorum meorum mandat tibi.* q.d. Labia mea enuntiant internam meæ ſapientiæ cogitationem, eiuſque ſenſum, ac mandant vt illum ſimpliciter, vti enuntiatur, accipias, menti imprimas & opere exequaris. Alij legunt *ſenſum labiorum meorum mando tibi. Cogitationes* ergo hic non diſcipuli, ſed ſapientiæ & Salomonis accipe, q.d. Attende vt cuſtodias meos conceptus, meas cautiones, mea conſilia, vt vertit Vatablus. Vnde Chald. vertit, *vt admonitus ſis in conſilio*; Syrus, *vt cautus ſit in cogitatione*; R. Leui, *vt cuſtodias cogitationes, quibus inſtituaris ad prudentiam.* Sic & Aben Ezra. Conſequenter tamen cogitationes quoque diſcipuli accipe: qui enim cuſtodit A cogitationes ſapientiæ, hic vtique & ſuas cuſtodit. Nam hanc ſuarum cuſtodiam docent & præſcribunt cogitationes & conſilia ſapientiæ. Vnde S. Greg. 3. p. Paſtor. admon. 15. *Vt cuſtodias cogitationes tuas: Nihil quippe*, inquit, *in nobis eſt corde fugacius, quod à nobis toties recedit, quoties per prauas cogitationes defluit. Cùm ergo cogitatio per cuſtodiam reſtringitur, cor quod fugere conſueuit, inuenitur.*

NE ATTENDAS FALLACIÆ MVLIERIS] Hæc verba non ſunt in Hebr. expreſſè, ſed tacitè ſubintelliguntur. vnde Septuag. & ex iis Noſter ea expreſſerunt. Quocirca hæc verba pendent ab iis quæ ſequuntur: *Fauus enim diſtillans labia meretricis.* &c. ex iis enim hæc concluſio deducitur: *Ergo ne* B *attendas fallaciæ mulieris.* Igitur per *fallaciam* intelligit blanditias, mollitiem & elegantiam verborum, pulchritudinem, ornatum veſtium, faciei fucum, fictiones, artes & fraudes, quibus meretrices amaſios ad ſe pellicere, ineſcare & peruertere ſolent. Vnde Septuag. habent, *ne intendas* φαύλῃ, id eſt malæ, prauæ, peruerſæ, *fallaci mulieri*; S. Hieron. in c. 23. Iſaiæ, *ne attendas peſſimam* (S. Cyrill. lib. 15. de Adorat. *improbam*) *mulierem*: quare mirum eſt Arabicum vertere, *ne auſcultes mulieri bonæ.* S. Chryſoſt. hom. 14. ad Popul. legit, *ne diſcas pulchritudinẽ alienam, & ne occurras mulieri fornicanti: mel enim* &c. quaſi hæc pertineant ad oculos; ac ſi dicas: Noli aſpicere faciẽ pulchram meretricis fucatæ & com-

pta

ptæ; quia hæc pulchritudo *aliena* eſt, id eſt alienæ A mulieris, quæ tua non eſt vxor. Rurſum *aliena*, quia pulchritudo hæc ſæpè non eſt naturalis, ſed fucata & aliunde, putà à ſtibio, purpuriſſo & fuco, atque à veſtibus & gemmis mutuata. Maximè enim mulier ferit & vulnerat aſpicientē per pulchram faciem & oculos, inſtar ſerpentis & baſiliſci. Magis tamen hoc loco reſpicit ad verba blanda & fallacia meretricum, vt patet ex ſequ. Hiſce enim multos decipiunt & dementant, præſertim accedente fuco faciei & oculorum. Vnde de eis canit Codrus:

Sidera non tot habet cælum, non flumina piſces,
Quot ſcelerata gerit femina mente dolos.

Cùm enim mulier nec viribus, nec ingenio, nec conſilio polleat; hinc ad dolos ſe conuertit, vt quod illis non poteſt, hiſce obtineat & perficiat: B ſicut animalia imbellia eâdem de cauſa doloſa ſunt, vt vulpes, ſimiæ, feles, &c. cùm ex aduerſo leones, tigrides, lupi non doloſi, ſed violenti ſint: quia cùm viribus & robore ſua exequantur, dolo non indigent. Adde, mulierem quid ſerpentinum, habere. Videtur ſerpens Euam ſeducens, illi totique ſexui ſuam indolem & fraudes inhalaſſe. Adde & meretricum malitiam ſtudiumque fallendi, imò continuum exercitium, quo nouas indies decipiendi artes excogitant, vt non aliud cogitare, non aliud ſomniare, ac totæ ex fraudibus conſutæ videantur. Idem argumentum tractat. Eccleſiaſt. cap. 25. v. 22. vbi plura hac de re dixi. Quare hic breuis ero.

Præclarè S. Hieron lib. 1. contra Iouin. ſub finem: *Amor formæ rationis oblinio eſt, & inſaniæ proximus, fœdum, minimeq; conueniens animo ſoſpiti vitium; turbat conſilia; altos & generoſos ſpiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blandos, omnibus inutiles, ipſi nouiſſimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate inſatiabilis flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lachrymis, conqueſtionibus perdit; odium ſui facit, & ipſi nouiſſimè ſibi odio eſt.* Et poſt nonnulla: C *Doctiſſimi viri vox eſt, pudicitiam inprimis eſſe retinēdam: quâ omiſſâ omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus eſt, hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram: bene meretur de maioribus, quorum ſanguinem furtiua ſobole non vitiat.*

Quocirca S. Auguſt. lib. de Honeſt. mulier. c. 2. *Inter alia*, ait, *certamina Chriſtianorum ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Grauem namque ſortita eſt caſtitas inimicum, cui* D *quotidie reſiſtitur & ſemper timetur.* Et S. Ephrem ſerm. aduerſus improbas mulieres: *Quid enim eſt mulier?* inquit, *Laqueus comptus, & homines in voluptates illiciens, quæ ſplendida quidem ſpecie & excelſo collo oculis annuit, & genis arridet, lingua verò dulciter canēs vxe alios decipit, & ſermone pellicit,* &c. *Quid eſt mulier? naufragium ſuper terrā, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ & malitiæ, mortifera conuerſatio atq; confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum, iuuenum perditio, ſceptrum inferni, & concupiſcentiæ præceps. Quid eſt mulier? cauſa diaboli, requies ſerpentis, diaboli conſolatio, dolor inconſolabilis, caminus ſuccenſus, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hoſpitium laſciniorum & officina dæmonum,* &c. Hac de cauſa S. Hieron. ad Nepotianum de vita clericorum & ſacerdotum: *Hoſpitiolum*, ait, *tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites: nec in præterita caſtitate cōfidas, Nec ſanctior Dauide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quòd paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit.*

Ars fallendi mulierum.

Porrò inter alias meretricum fallacias eſt hæc vna è præcipuis, quòd ita fugiūt, vt velint videri; ita pugnant, vt velint vinci; ita odia exercent, vt tunc ament maximè. Ita de Cleopatra ſcribit Plutarch. in Antonio: *Dabat operam, vt ſæpè lachrymans videretur, ſtatim autem lacrymas abſtergebat, occultabatq; quaſi vellet Antonium latere.* Audi S. Hieron. epiſt. 47. *Palliolum interdum cadit, vt candidos nudet humeros, & quaſi videri noluerit, celat feſtina, quod volens detexerat.* Quocirca adoleſcens rogatus à meretrice cur nolit ſe audire, nec attingere, apud Plautum in Bacch. reſpondet.

Quia iſthæc lepida ſunt memoratui,
Eadem in vſu, atq; vbi periculū facias, aculeata ſunt
Animum ſauciant, bona diſtimulant, facta & famam
ſauciant.
Apage à me, apage.

S. Nilus in Sententia c. de fornicatione: *Mulierum*, inquit, *cœtus fuge, vt primùm eas conueneris, depreſſa humi facie leniter ac ſedatè loquuntur, atque eiuſmodi lacrymas edunt, quæ commiſerationem redoleant: modeſteq; ſeſe componunt, & frequenter ingemiſcunt: de caſtitate percunctantur, & ſtudioſè ac diligenter audiunt. Si eas proſpexeris, paulisper caput attollunt. Poſt etiam defixioribus oculis te intuentur, ac ſubrident, imò perfuſum & diſſolutum riſum edunt, ac denique omnes meretricios hamos & præſtigiarum illectamenta* (imò philtra & veneficia) *atque omnis generis caſſes, quibus anima obſidetur, expediunt.* Et mox: *Viret*, inquit, *herba, quæ aquis propinqua eſt, & libidinis affectus in muliebri colloquio. Forma fucata intemperantium exitium, & naufragium eſt.* Quamobrem S. Gregor. Nazianz. in præceptis ad virgines:

Virgo, inquit, *ſis oculis, virgo ſis auribus atque*
Lingua; nam tribus his facile eſt decedere recto.

Diogenes duas mulierculas inter ſe colloquentes conſpicatus: *Aſpis*, inquit, *à vipera venenum mutuatur*, ita Antonius in Meliſſa p. 2. cap. 34. Secundus Philoſophus rogatus ab Adriano Imp. *quid eſſet mulier?* reſpondit, *Viri naufragium, domus tempeſtas, vitæ captiuitas, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum neceſſarium.* ita Maximus ſerm. 19. Vbi & citat S. Baſilium dicentem: *Inſipientiſſimæ mulieres naturali pulchritudine carentes ad colores confugiunt, & ſunt, vt ita dicam ornatæ ad ſpectaculum, per ornatum inornatæ, & per dedecus ac turpitudinem turpiores.* Plura vide apud auctores iam citatos, & Tiraquellum in leg. ex. connubial.

Mulieris deſcriptio.

Moral. de voluptate.

Myſticè, omnia quæ hic de meretrice dicuntur, Olympiodorus & Polychron. in Catena Græcor. ac S. Hieron. in c. 6. Ezech. & alij adaptant hęreſi; Lyran. idololatriæ, tu adapta voluntati & concupiſcentiæ, de qua ſcitè ait Damaſcen. lib. 3. Parall. c. 28. ex S. Chryſoſt. *Cani ſimilis eſt voluptas ô homo: ſi eam propellas, fugit; ſi alas, remanet. Malorum omnium metropolis eſt voluptas.* S. Baſil. exhort. ad baptiſmum, *Voluptas*, ait, *diaboli hamus eſt ad exitium trahens. Voluptas peccati mater eſt; voluptas ſempiterni vermis nutrix: quæ eum, qui ſe fruitur, ad aliquod tempus delinit, poſt autem felle amariùs digeritur.* S. Gregor. Nazianz. in Tetraſtichis: *Omnis vitij eſca eſt voluptas electa, ad exitij hamum auidiores animos facilè attrahens.* Quocirca voluptatem quaſi meretricem

tricem ita pingit Claudian. lib. 2. in Laudes Stilichonis: A

Blanda quidem vultu, ſed qua non tetrior vlla
Interiùs fucata genas, & amicta dol ſis
Illecebris, tornos auro circumligât hydros, putà ſerpentes.

Igitur *ſperne voluntatẽ, nocet empta dolore voluptas*

Quæcumque ergo de meretrice iam dicta, & deinceps dicenda ſunt, mutato nomine concupiſcentiæ attribue.

Rurſum Beda, Cyrill. Alexandr. l. 15. de Adorat. & Cyrill. Hieroſol. de decem dogmat. catecheſi 4. & S. Hieron in c. 65. Iſaiæ per meretricem accipiunt ſapientiam humanam quæ inſtar meretricis fucata, & pigmentis eloquentiæ illita, melle dulciores, oleo nitidiores effundit ſermones.

VERS. 3. FAVVS ENIM DISTILANS LABIA MERETRICIS, ET NITIDIVS OLEO GVTTVR EIVS] Hebr. *quia fauum diſtillant labia extraneæ, & lenius oleo palatum eius.* ita Pagninus & Vatablus: qui pro *lenius* vertit, *blandius*; alij, *lubricius*; alij, *leuigatum pro oleo guttur eius*; Arabicus, *quoniam mel diſtillat ex duobus labiis mulieris meretricis, vt tamen breui tempore oblinet* mellitis & oleatis verbis; Septuag *mel enim diſtillat à labiis fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces tuas* Hebr. enim חלק *chalac*, idem eſt quod mollis, tener, læuis, lenis, lubricus; talia autem ſolent eſſe pinguia. Fortè etiam Septuag. pro *chalac* legerunt חלב *cheleb*, id eſt, adeps, pinguedo. *Impinguat* ergo id eſt, pingui blanditiarum oleo delinit, mulcet, infarcit, ineſcat. Vnde Syrus vertit, *molliora oleo verba eius*; Chald. *lenius oleo guttur eius*. Appoſitè Hugo Victorin. lib de Carnal. nuptiis vitandis. *In fauo mellis*, inquit, *duo ſunt, ſcilicet mel & cera. In facie meretricis ſimiliter duo ſunt, ſcilicet decor & gratia, hoc eſt, pulchritudo oris, & dulcedo ſermonis. Cera ſuccendit ignem, mel præbet dulcedinem; ſic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis ſermonis ſubuertit mentem: ſtillat mel ex cera, dum meretrix verba ſua mollit & facit dulcia.*

Rurſum amoris emblema eſt alueolus apum ex quo prodit abſinthium, hoc eſt, *ex dulci amaritudo:*

Vidi illi alueolis ſi fortè abſinthia naſci:
Sic ſpecie dulci torquet amarus amor.

S. Chryſoſt. hom. 14. ad Populum, *fauum* labiorum refert ad oſcula blanda meretricum, nitidũ guttur præ oleo ad ſermones blandos earumdem? Hugo verò Cardin, *oleum* refert ad earum vnguenta, quibus ſe inungũt vt gratum odorem redoleãt, & ſpargant *Meretrix* enim ait Chryſoſt. *amare neſcit, ſed inſidiatur tantùm, venenum habet illius oſculum, & toxicum os pernicioſũ. Si verò non ſtatim appareret, propterea magis ipſam fugere oportet, quoniam obtegit perniciem, & mortem habet celatam, nec à primordiis manifeſtam aparere permittit. Itaque ſi quis voluptatem ſectatur, & vitam lætitiæ plenam, fornicantium conſortia mulierum fugiat: bellis enim innumeris & tumultibus amatorum animos implent, & continuas ipſis pugnas contentionesq; concitant per verba, per opera omnia* Et S. Baſil. de Virgin. *Formoſorum*, inquit, *oſcula cauere oportet, non ſecùs ac venenatorum animalium morſus: diffunditur enim virus ex oſculo in omne corpus.*

Meliùs alij paſſim vtrumque referunt ad verba meretricum: hæc enim ipſæ ita edulcorant, vt mel ſtillare (vnde Diogenes ea vocabat *mellitum laqueum*) ita emolliunt, vt oleo molliora videantur ac efficaciſſima ſunt ad animos quantumlibet viriles deliniendos & emolliendos: inſtar olei enim lubricant & influunt in animos, eoſq; emolliunt, eneruant & effeminant: ſunt enim voces & cantus Sirenum. Vnde Vlyſſes, id eſt vir ſapiens, obturat aures & fugit, ne iis dementetur & perdatur. Audi S. Fulgentium l. 2. Mythologiæ: *Sirenes*, inquit, *græcè tractoriæ dicuntur: tribus enim modis illecebra amoris trahitur, aut cantu, aut viſu, aut conſuetudine. Amantur enim quædam ſpeciei venuſtate, quædã etiam lenocinante conſuetudine. Quas Vlyſſis ſocij obturatis auribus tranſeunt: ipſe verò religatus tranſit: Vlyſſes enim græcè quaſi ὅλων ξένος, id eſt, omnium peregrinus dicitur. Et quia ſapientia ab omnibus mundi rebus peregrina eſt, ideo aſtutior Vlyſſes dictus eſt. Denique Sirenes, id eſt delectationum illecebras & audiuit & vidit, id eſt, agnouit & iudicauit, & tamen tranſit nihilominus. Ideo quia audita ſunt, mortuæ ſunt, in ſenſu enim ſapientis, omnis volup tatis affectus moritur. Ideo volatiles quia mentes amantium permeant celeriter. Inde gallinaceos habent pedes, quia libidinis affectus omnia, quæ habet, aſpergit. Denique & Sirenes dictæ ſunt σύρω, enim græcè traho dicitur.*

Quocirca S. Cyprian. de Singulat. cleric. *Nunc*, inquit, *blanditias exhibet meretrix, nunc verba mollia: & quod venenoſius eſt ſuper cuncta pſallere delectatur, cuius cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem.* Quocirca S. Hieron. ad Gaudentium, *Vocis dulcedines*, inquit, *per aures animam vulnerantes fugiat*. Denique S. Ambroſ. l. 2. de Abraham. c. 11. docet omnes ſenſus cuſtodiendos eſſe caſtitatis ſtudioſo *Quia & viſus prouocator*, inquit, *habet crimen*, & ideo ſcriptum eſt: *Noli intendere fallaci mulieri, neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Et in ipſo auditu crimen eſt, ſi ſeducat meretrix, & multo blandimento ſermonis, & laqueis labiorum ſuorum te alliget.*

Porrò verba blanda & fallacia rectè comparantur oleo. Primò, ob ſimilem lubricitatem; Secundò, quia oleum vim maximam habet interiùs penetrandi: eamdem habent verba mellita; Tertiò, quia oleum auctore Galeno lib. 11. de Simplic. medicament facult. c. 7, mordenti pariter ac lenienti facultate præditum eſt. *Nam quòd oculos*, inquit, *mordicet, quòd guttur exaſperet, ſiue ad tuſſim prouocet, quòd ventrem radat, atque ſeceſſus ſanguinolentos efficiat, abundè magna teſtimonia ſunt, mordacem illi ineſſe facultatem. At quòd vlcera dolore liberet, & ventris mordicationes, aut irrigatum, aut infuſum omnino ſanet, quæq; morſu irritantur mitiget; cùm & ipſa non parua ſint contrariæ ipſius facultatis indicia, planè omiſſa ſunt.* Hæc ille. Rectè igitur verba lenia, ſed quæ aculeos in animum defigant, cum oleo comparantur; quod (vt eſt apud Galenum) cutem lenit, interiora mordet. Inde os ſublinire idem eſt, quod adulando & blandiendo decipere.

Tres analogiæ olei & blandimenti.

Myſticè, S. Ephrem tract. de Abſtinendo à cupiditatibus, hæc accipit de voluptate carnis ſiue concupiſcentiæ: *Meminerimus*, inquit, *illius, quod ait Paræmiaſtes: Fauus diſtillans labia meretricis, dulcedinẽ concupiſcentiæ fauus ſignificauit, quoq; infert dicens: Quæ ad tempus nitidum guttur efficit; poſtea verò bile amarius inuenies, & acutius ancipiti gladio.* Idem in illud: *Attende tibi*, c. 3. *Reſiſte*, inquit, *venti concupiſcentiæ, vt flammam, quæ nunquã extinguetur, effugere queas. Nam ſi nos perturbationes ſuperarint, non recedent à nobis, quin & magis aduerſum nos inſoleſcent. Audi enim, qui ait: Mel diſtillat à labiis mulieris fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces ſuas, poſtea verò felle amariorem inuenies, & acutam magis gladio ancipiti.* Præclarè Bo-

Boëtius lib. 3 de Conſolat. ante medium.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes;
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Huic ſimile eſt emblem Sabini:

Cùm puer alueolo furatur mella Cupido:
Furanti digitum cuſpide fixit apis:
Sic etiam nobis breuis eſt & peritura voluptas,
Quam petimus; triſti mixta dolore nocet.

Quocirca rectè ait Salomon *fauus diſtillans*, quia voluptas tantùm dat ſtillam mellis, mox datura mare fellis: ex aduerſo virtus dat ſtillam fellis, mox datura mare mellis.

B Idipſum pulchrè repræſentat Barlaam Ioſaphat regi apud Damaſcen. in Hiſtor. c. 13. per parabolam hominis fugientis vnicornem, ac apprehendentis arborem, ex qua ſtillabat mel, quo inescatus homo periit: nam duobus muribus rodentibus ſenſim arborem, illa tandem cum homine corruit in ſubiectum barathrum: vnicornis enim eſt mors, arbor vita, mel voluptas, duo mures ſunt dies & nox ſibi continuè ſuccedentes vitamque conſumentes, barathrum eſt gehenna.

VERS. 4. NOVISSIMA AVTEM ILLIVS AMARA QVASI ABSINTHIVM, ET ACVTA QVASI GLADIVS BICEPS] Syrus, *quaſi gladius duplicis aciei*, qui ſcilicet vtrinque acutus eſt habetque aciem, qua vtrimque ſcindat & ſecet. Septuag. *poſtea verò amariorem felle inuenies, & acutam pluſquam enſem ancipitem*; Arabicus, *nouiſſimè autem amaritudo eius amarior abſinthio, & acuet multò magis quàm gladius habens duo ora*, id eſt, duas acies.

C Pro *abſinthium* hebr. eſt לַעֲנָה *laana*, quod nonnulli vertunt, amaritudo, toxicum vel venenum: communiter tamen vertunt *abſinthium*. Significat ergo mel ſermonum meretricis in fel dolorum cõuerti: dolorum, inquam, qui tam acuti & letiferi ſunt, ac ſi gladio bicipiti inflicti fuiſſent; perinde ac mel omniaque dulcia à ſtomacho in fel & bilem amaram & doloroſam conuertuntur, vti docent Galenus & medici. Sicut enim gladius biceps corpus diſſecat, ſic ſermones cantuſque meretricum per aures in animam penetrantia, eam ſuo acumine tranſuerberant & diſſecant. Amaritudo huius abſinthij & acumen huius gladij ſentitur à fornicariis. *Sex damna fornicatorum.* Primò, in ſordibus, nauſea & morbis, præſertim in lue Neapolitana, quibus Deus fornicationem caſtigat. Secundò, in damnis bonorum D fortunæ; meretrices enim emungunt opes. Tertiò, in infamia. Quartò, in litibus, rixis & pugnis cum meretrice, quæ impudentior cane virus omne in amatium euomit. Quintò, in reatu peccati & iræ Dei: ac deniq; in morte præſenti & æterna, quam adducit. Sextò, quia hominem priuat ingenio, iudicio, fortitudine tam mentis quàm corporis, facitque hominem quaſi irrationalem & brutum. Vnde nonnulli nomen *Venus* deriuant à *væ*, & νοῦς, quaſi dicas *ſine mente, amens*, quia hominē dementat & quaſi excerebrat. Vera eſt hæc alluſio at nō verum etymon: nam venus à vinculo eſt dicta, putà à viere, id eſt ligare, ait Varro; quòd amantem amaſiæ colliget & conſtringat. Idem notauit Plautus in Truculento: *In melle*, ait *ſunt hæ linguæ veſtræ* (meretrices alloquitur) *atque orationes lacteæ, corda in felle ſunt ſita atque acerbo aceto. Elinguis dulcia*

A *dicta datis, corde amara facitis.* Verùm ſicut abſinthij amaritudo tollitur per acetum, ſi ſcilicet illud aceto maceres, ſic & noxa auditus vulnerati cantu meretricio, tollitur compunctione & pœnitentia. Audi Bedam: *Nouiſſima eius*, inquit, *quaſi abſinthium. Cùm ergo expertus eſt abſinthij amaritudinem, adhibeat pœnitentiæ dolorem, Nam dolor ille hoc dolore corrigitur ac ſoluitur.* Porrò nota eſt abſinthij amaritudo vel ex ipſo nomine; Græcis enim dicitur ἀψίνθιον ab ἀψίνθω, id eſt, à tangendo, quòd nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat. Veteres Græci Comici *apinthion*, id eſt impotabile vocarunt, quòd hanc vix vllus ob inſignem amarorem poſſit ebibere. Tam amara eſt luxuria, vtpote quę vires corporis debilitat, templa Spiritus ſancti, vt ait Paulus, profanat, & in lupanar B conuertit turpitudinis. Hæc praua cupiditas pulchritudinem tollit, ſalutem eripit, putidiſſimas ægritudines infert, celerem ſenectutem affert, famam eripit, & omnem corporis florem, ac optimam diſpoſitionem diripit. Luxuria famam denigrat, ingenium hebetat, voluntatem captiuat, appetitum illigat, ſenſum infatuat, & hominem rationis compotem quodammodo in brutum conuertit. Eius initia blanda quidem ſunt & quaſi melle illita, ſed nouiſſima amara quaſi abſinthiū, & acuta quaſi gladius biceps: media autem tot periculis, tot moleſtiis, tot inquietudinibus plena, vt impudicus etiam in hac vita pro breuiſſima voluptate, dolorem centuplicatum recipiat.

Denique Ioſaphat rex apud Damaſc. in Hiſtor. c. 24 ad hunc locum alludens, imò eum citans & explicans de mundi pompis ac deliciis: *Quid ergo*, inquit, *perdite* (patrem regem Abenner alloquitur) C *atque inſane gloriam eam retines & amplecteris, quæ inſtar recentium florum marceſcit atque delentur, & execrandas ac fœtidas delicias, ventriſq; & corū quæ infra ventrem ſunt affectiones, quæ quidem ad aliquod tempus ſtultorum ſenſus oblectant; ceterùm amariùs felle poſtea digeruntur, tum maximè cùm vmbræ iſtæ, atque inanis huiuſce vitæ inſomnia præterierint, atq; in perpetuo ignis nunquam extinguendi ac tenebroſi cruciatu earum amatores & qui iniquitati operam dant, pronoluentur, vbi inſomnis vermis abſque vllo fine ipſos corrodet, ac perpetuus ignis in infinita ſæcula eos concremabit?*

Quocirca S. Ephrem tract. aduerſus improbas mulieres, hoc remedium contra mulierū ſpeciem & illecebras ſuggerit: *Et non reſpicias in mulieris ſpeciem, ſed auerte ab ea oculos, & non permaneas in loco eius. Quando enim videris mulierem formoſam, atque il-* D *luſtrem fulgentibus oculis, præclara forma, genis nitentibus, aſpectu ſuo eximiam quamdam ſpeciem præſeferentem, vt exardeſcat animus, libido augeatur; cogita terram eſſe quod miraris, cineremq; quod incendit & comprimetur inſana tua cupiditas. Explica quoque faciei pellem cogitatione, & cernes tunc omnem eius pulchritudinis vilitatem. Nihil enim niſi oſſa, neruos, fœtoreſq; reperies: Cogita etiam tandem ſeneſcentem, comminutam, morientem, totumq; illum euaneſcentem pulchritudinis florem. Cogita quid admireris, & erubeſce. Erubeſcēs reſipiſce, & pœnitentiam age.* Id reipſa præſtitit S. Ephre. Quadam enim vice ingreſſurus ciuitatē rogauit Deum vt ei occurreret quippiam bonæ ædificationis. Et ecce occurrit ei meretrix, quæ in eum intuens, ab eo increpata reſpondit: *Me decet te intueri, te verò terram quia Eua ex adamo facta eſt, Adam verò putà vir, ex adama, id eſt ex terra. Tu ergo inſpice matrē tuā*, ita habet Vita S. Ephrem. Plura vide apud Iſidorum

rum Peluſiotam lib 4.epiſt.129 vbi tractans illud 1.Cor.6. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat*, decem illius loci expoſitiones, & totidem damna ſcortationis recenſet. Vide S. Chryſoſt. hom.24 in epiſt.ad Rom.& hom 5.in 1.Theſſal.

Vers. 5. Pedes eius deſcendunt in mortem, et ad inferos greſſus illius penetrant] Pro *penetrant* Hebr.eſt יִתְמֹכוּ *itmochu*, id eſt, ſuſtentabunt, fulcient, fouebunt, roborabunt infernum, ſicut ſuſtentatur paries fulcro, ne cadat & pereat. Simili enim modo meretrices ſuſtentant infernum, quia maior pars hominum damnatur propter libidinem, q d. Vacuaretur, & quaſi caderet infernus, niſi libidinoſi eum implerent & ſuſtentarent, ait Caiet.& R. Leui: *Greſſus eius*, inquit, *mortem fouent & firmant, hoc eſt, ſummopere conferunt vt mors admirabili prorſus ratione inferatur, velut ſi mortis manus fulcirent, etſiq; ad vitam auferendam robur ſuppeditarent.* Libido ergo eſt fulcrum & baſis inferni Tigur. *inceſſus eius ad inferos trahit*, Pagnin. *infernum greſſus eius tenebunt*. Septuag. *imprudentiæ* (vel inſipientiæ) *enim pedes ducunt vtentes ea cum morte* (Scholiaſtes, *cum dolore*) *in infernum. Imprudentiæ*, id eſt, imprudentis & inſolentis meretricis pedes ducunt eos, qui illa impurè vtuntur ad mortē & infernum. Aut *imprudentiæ*, id eſt, imprudentiū hominum, qui inſipienter meretricem adeunt, pedes ducunt ipſoſmet vtentes ea ad mortem & infernum. Eſt proſopopœia ſignificans ſummam fornicariorum imprudentiam, adeò vt videantur ab ipſa imprudentia & inſipientia regi, agiq; in mortem & gehennam. *Mortem* intellige tum præſentem, tum æternam: libido enim ſpiritus & ſanguinem exhaurit & inficit, itaq; mortem aduocat & accelerat, non vnam, ſed plures. Vnde S. Cyprian. de Singular, cleric. in fine. *Per infinita dedecora*, inquit, *multiplices mortes inuehit in perniciem perditorū.* Id veteres repræſentarunt per Scyllam & Charybdim, quas finxerunt feminas in fretum Siculū præcipitatas in ſcopulū & voraginem fuiſſe conuerſas, inter quas cùm nauigant nautæ, aquarum arctarum vorticibus abrepti vel ad ſcopulum colliduntur, vel à voragine cum mercibus ſorbentur. Vnde Scylla dicta eſt à σκύλμα, id eſt, confuſio, ait S. Fulgent. lib.2: Mythol. vel, vt alij, à σκυλᾶν, id eſt, à ſpoliando; aut à σκύλλειν, id eſt vexando; Charybdis vero à χάσκειν, id eſt, ab hiando & ῥοιβδῶ, id eſt ſorbeo. Per Scyllam ergo & Charybdim repræſentarunt duos maximè periculoſos humanæ vitæ ſcopulos, in quo maior pars hominum impingit & colliditur, ſcilicet iram & libidinem. Ira enim hominem facit amentem, in furorem agit, & in rixas, cædes & ignes protendit. libido verò eſt quoddam animi delirium, quod hominis opes, nobilitatem, famam, ſanitatem, vitam animam, æternitatem haurit & abſorbet. Facit enim amor, vt turpia videantur honeſta, ac deformia pulchra, damnoſa vtilia, triſtia læta, funeſta auguſta ſtultè amanti appareant, vt ob vilem meretricē opes, famam & vitam prodigat & præcipitet. ita S. Fulgent. loco citato, & fuſiùs Natalis Comes lib.8. Mythol.c.23.

Vers. 6. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus eius, et inveſtigabiles]. Septuag. *vias vitæ non ingreditur: lubricæ autem orbitæ* (Aquila, *flexus*; Symmach. *gyri*) *eius, & non bene veſtigabiles*. Ita habent Roman. licet Complut. deſiāt *vias vitæ non ingreditur*. Pro *lubricæ*, græcè eſt

A σφαλεραί, id eſt, fallaces, infidæ, dubiæ, periculoſæ, pernicioſæ, item lubricæ: σφαλερὸς enim vocatur, qui in lubrico non poteſt conſiſtere, titubans, vacillans fallente veſtigio Syrus, *error ſunt ſemitæ eius & ignorat*; Chald. *inſtabiles ſunt ſemitæ eius, & ignorat* Hebr. ad verbū habent, *viam vitæ forte libras* (hoc enim eſt Hebr. תְּפַלֵּס *tepalles*: malè ergo vertit Caiet. *ne forte exponderes*, id eſt, inquit, ne minimè ponderes viam vitæ) *& expendis? vagi*, vel *mobiles greſſus eius, vt non cognoſcas*, id eſt, vt ſint tibi incognoſcibiles & imperueſtigabiles. q d. Si quæris viam vitæ, quæ ducit ſcilicet ad vitam, hîc ſanam & proſperam, in cælis verò beatam & æternam, noli ſequi pedes & greſſus meretricū: quia ipſæ per viam vitæ non ambulāt, ſed vagæ ſunt, & æſtibus libidinum ita variè iactantur, vti imperueſtigabi- B les ſint viæ earū, deſideria & actiones. Amor enim vagus facit cor vagum, cor vagum facit phantaſiam vagā, phantaſia vaga facit vagari pedes, manus, totumque corpus. Noſter Salazar τὸ *non ſcies*, vel *cognoſces*, exponit, q. d. Si fortè te pœniteat ingreſſus in domum & antrum meretricis; ac referre pedem velis, nō ſcies iter, quà reuerti debeas: quia antra hæc ſunt extra communem ſemitam, ideoq; carent veſtigiis hominum, vt videantur eſſe antra mortis & inferni. à quo non eſt reditus ad vitam. quo ſignificat, eos qui ſemel implicuerunt ſe amoribus meretriciis, ægrè ac vix redire ad frugem & caſtitatem, quaſi in foſſa & inferno Cupidinis depreſſi & demerſi eſſent, nec inde ſurſum aſcendere valerent. Aliter R. Salomon. Non ſcies, ait, tibi cauere, niſi quando quatieris & corrues. Hoc verſu & præced. alludit ad lupanaria, fornices & C antra meretricum. quæ ſpeciem mortis & inferni referunt, imò olim ſubinde erant in ipſis mortuorum ſepulchris, iuxta illud Martial.lib.1.

Abſcondunt ſpurcas hæc monumenta lupas.

Alludit enim ad id quod dixit c.2 v.18. & 19 *inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius: omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Vide ibi dicta.

Porrò ſtolida eſt rabbinorum apud R. Salomonem expoſitio, qui ſic explicant, q.d. Deus patere noluit iis, qui ſingula præcepta obſeruant, certa ſingulorum præmia, ne mortales animaduertentes, cui mandato maior merces propoſita eſſet, illud amplecterentur, ceteris neglectis. His ergo ait: Ne libres legis ſemitas, quænam amplectenda, quæue deſerenda; nam vagi ſunt greſſus eius, amouit nempe Deus explicationem ſemitæ legis, nec eius cognitionem conceſſit. Stolida, inquam, imò impia: quid enim legi cum meretrice, D de qua hic agitur?

Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recedas a verbis oris mei] Septuag. *ne ἀκύρους*, id eſt, *antiquatos & irritos, facias ſermones meos*. Solent enim iuuenes amoribus impliciti ſapientum monita, quaſi ſenum deliria ſpernere & irrita facere. Auctor Catenæ Græcor. notat τὸ *nunc* trifariam accipi. Vox hæc *nunc*, inquit, quandoque aduerbij temporis notionem obtinet, vt: *Ex hoc nunc & vſque ad ſeculum*. Nonnumquam temporis momentum denotat, vt: *Nunc turbata eſt anima mea.* Interdum verò rei ſtatum & qualitatem indicat; atque hoc ſenſu hic vſurpatur. Quia, inquit, ita comparatus es, vt ad impoſtricem & doloſam illam muliérculam diuertere velle videaris; doctrinam meam exprime atque confirma opere, quod Vers. 7.

vtique

vtiq; futurũ eſt, ſi virtutem conſectatus ab improbitate procul receſſeris. hæc ipſe. Quartò, & genuinè, τὸ *nunc* more Hebr. poſt recenſita damna meretricis aptè ſubiungitur, quaſi particula cõcludentis & adhortantis ad eius fugam. q. d. Dixi meretricem eſſe amariorem abſinthio, acutiorem gladio ancipite, ducere ad mortem & infernum, &c. *Nunc ergo fili mi &c. longè fac ab ea viam tuam* : ne turpi & modica voluptate tanta damna inſipienter tibi accerſas. Simile *nunc* eſt Ioſue 24. 14. vbi Ioſue recenſitis Dei in Iſraelem beneficiis, adhortans ad eiuſdem cultũ concludit, dicens: *Nunc ergo timete Dominũ, & ſeruite ei perfecto corde*. Et Deuter. 10. 12. vbi Moſes præmiſſis Dei præceptis & promiſſis, adhortans concludit : *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum ?* Simile eſt *nunc* Samuelis 1. Reg. 12, 7.

Longe fac ab ea viam tvam, et ne appropinqves foribvs domvs eivs] Totum enim remediũ fornicationis, tota ſalus ſita eſt in receſſu, in fuga meretricum & occaſionum, vti neruosè & eleganter docet S. Cyprian. toto tract. de Singular. cleric. quem genuinum eſſe S. Cypriani partum docet Card. Baronius to. 2. Annal. in Cypriano. Imò Apoſtolus 1. Corinth. 6. 18. *Fugite*, inquit, *fornicationem*. Nam meretricis fores attingere & vel leuiter manu pulſare, poteſt & ſolet eſſe impuræ fornicationis exordium.

Myſticè, leuiſſima meretrix eſt leuitas mentis, cuius fores, id eſt primos ingreſſus, vir religioſus vitare ac fugitare debet, niſi velit maioribus vitiis fœdari : leuitas enim mentis, ſcurrilitates, detractiones & ſubſannationes generat, iras in his qui deluſi ſunt, atque indignationes exſuſcitat, & in apertas contumelias vltrò citroq; iactatas nõ ſemel prorumpit. Hæc inimica eſt compunctionis, hoſtis deuotionis, mater autẽ ineptæ lętitiæ, quæ ſolet ſępè in triſtitiam ac dolorẽ deſinere. Quia ſcriptũ eſt: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Vers. 9. Ne des alienis honorem tvvm, et annos tvos crvdeli] Pro *honorem* hebr. eſt הוד *hod*, id eſt, celebritas, dignitas, honor, gloria, maieſtas; à qua aliquis celebratur, & quæ celebrem & glorioſum reddit.

Igitur hoc loco per *honorẽ* Primò, accipe integritatis caſtitatiſque decus & famam. q. d. Ne honorẽ & decus caſtitatis perdas per dedecus fornicationis, imò decus hoc prodigas tradaſq; alienis, ſcilicet infamibus meretricibus & lenonibus. Vnde Chald. vertit, *vt non des aliis virtutẽ tuã* ita Ianſen.

Secundò, per *honorem* accipe honores publicos, vt magiſtratus, pręfecturas, prælaturas &c. q. d. Vide ne honorem & dignitatem officij tui, quod geris commacules infamia libidinis. Rurſum ne ad maiores dignitates, quas ſperas vel ambis, per dedecus fornicationis tibi aditũ præcludas, ita Baynus. Nam, vt diuinè ait Caſſiodor. lib. 4. Variar. epiſt. 12. *Magiſtratus eſſe debet innocentiæ templum, temperantiæ ſacrariũ, ara iuſtitiæ. Abſit à iudiciariis mentibus aliquid profanum. Pro principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.* Meretrices enim magiſtratibus tempus, vires, conſilium, mentem eripiunt, eiuſq; dominantur: vt vna meretrix ſæpè regat principẽ, princeps rempub, itaque reſpubl. tota à meretrice regatur proteruè, auarè, turpiter, iniuſtè & tyrannicè.

Tertiò, per *honorem* accipe rerum præclarè geſtarum duces & gloriam : hæc enim obſcuratur per conuerſationem cũ meretricibus. Vnde Symmach. vertit, *ne fortè des alteri gloriam tuam*, Sic Salomon dedit maculam in gloriam ſuam, eamque offuſcauit per tot concubinas.

Quarto, per *honorem* accipe florem iuuentutis, eiuſque decorem & robur: hæc enim eſt & vocatur honor iuuentutis, iuxta illud Virgil. *Oculiſq; afflauit honorem* q. d. Ne fornicando perdas decorem & robur iuuentutis, tibique celerem ſenectam, imò mortem concilies : venus enim vires & ſanguinem exhaurit, facitque hominem debilem, luridum, rugoſum, canum, vt mortis ſimulacrum eſſe videatur. Vnde Septuag. vertunt, vt non *proiiciat* (alij, *prodat*) *aliis vitam tuam*; Vatabl. *ne des aliis decus tuum*. Vnde explicans ſubdit: *Et annos tuos crudeli.* Sępè enim hîc, æquè ac in Pſalmis, poſterius hemiſtichium explicat prius, vt *Deus in adiutorium meum intende*, explicatur per id, quod ſubditur: *Domine, ad adiuuandum me feſtina*. hæc enim eſt ſynonymia, & elegentia metri & rhythmi Chald. *vt non des aliis virtutem tuam*: Chald. enim eſt חֵילָךְ *chelach*, id eſt, tuum vigorem, ſtrenuitatem, fortitudinem, & robur tam animi quàm corporis.

Alludit ad Samſonem, qui honorem ſuum tradidit alienigenæ, putà ſuæ Dalilę Philiſthææ, cùm illi reuelauit ſuum fortitudinis ſecretum, ſcilicet ſuum robur, decus & honorem conſiſtere in crinibus : illis enim ab ea detonſis quaſi eneruatus, captus à Philiſthæis, cum robore portentoſa perdidit decus & vitam, Iudic. 16. Huc alluſit Eccleſ. c. 9. 6. dicens: *Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te & hereditatem tuam.* Vide ibi dicta.

Et annos tvos crvdeli] Septuag. *ætatem tuam immitibus*; Syrus, *immiſericordibus*. Per *crudelem* nonnulli accipiunt carnificem; Baynus maritum adulteræ, q. d. Caue ne ob adulterium perdas annos vitæ, & plectaris capite à iudice per carnificem, vel occidaris à marito adulteræ, cuius thorũ violaſti. Pleræque enim gentes, etiam hæreticæ & infideles, adulterium quaſi reipubl. peſtem puniunt morte, vti alibi oſtendi.

Melius alij per *crudelem* accipiunt meretricem. Hæc enim crudelis eſt, quia opes, famam & vitam multorum crudeliter aufert : licet enim Hebr. אַכְזָרִי *achzari* ſit maſculinum, tamen comprehendit & femininũ, vt Thren. 4. 3. *Filia populi mei crudelis*, hebr. *achzar*; Ierem. 30. 14. *Percuſſi te caſtigatione crudeli*, hebr. *achzari*. Vnde Eccleſ. eam comparat ſerpenti c. 25. 22. *Nõ eſt caput nequius ſuper caput colubri : & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequã.* vide ibi dicta Et Apoc. 17. 6. meretrix Babylonia crudelis perhibetur. *Et vidi*, inquit, *mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & ſanguine Martyrum Ieſu.* Hic autẽ propriè dicitur *crudelis*, quòd annos vitę & ſanitatis eneruet, debilitet, abbreuiet, ſuccidat.

Aut, quod eòdem redit, per *crudelem* accipe libidinem, hæc enim crudeliter ſæuit in totum corpus vitamq; hominis, quin & in mentem & animam, quam mille curis, zelotypiis, angoribus, remorſibus, peccatis, pœnis, ac tandem tormentis gehennæ excruciat. Vide S. Chryſoſt. hom. de decollatione S. Ioannis Baptiſtæ, hom. de muliere & pulchritudine, & ſæpè alibi egregiè hanc libidinis crudelitatem depingentem. Extat de meretricum crudelitate emblema hoc titulo :

Meretricis facies.

Sphingis, an hæc potiùs vera eſt meretricis imago,
Quæ fera crura leæ, virginis ora gerit ;

Semper vt inducat blandos quæ callida vultus,
Seuitiæ pi abet poſt monumenta ſuæ.

Peccator dat annos ſuos diabolo.

Tropol. myſticè. Lyran. *ne des honorem tuum,* id eſt Dei cultum (qui tuus dicitur, quia honor eſt in honorante) *alienis,* putà diis & idolis : *& annos tuos crudeli,* id eſt, dæmoni, qui in ſui cultores crudelis, eſt, ſæuitque vt tyrannus, ideoque eis ſæpe ſanitatem & annos vitæ extorquet. Hauſit hoc Lyran. more ſuo ex R. Salomone, qui ſic explicat: *Ne des alienis honorem tuum,* id eſt, inquit, ne fortè ad deos alienos conuertaris, vt eis gloriam, laudem decuſque tuum impendas : *& annos tuos crudeli* principi gehennæ, id eſt, dæmoni *ne fortè impleantur extranei viribus tuis,* id eſt, ne idolorum ſacrificuli artibus ſuis & fraudibus pecunias tibi ſubducant; *& labores tui,* id eſt, opes labore tuo partæ, ſint in idolio, vel in domo ſacrificuli. Porrò Midras per *crudelem,* accipit angelum mortis.

Rurſum peccator quolibet peccato dat honorem ſuum, putà gratiam & adoptionem in filium & heredem Dei, alienis, ſcilicet dæmonibus. & annos vitæ ſuæ crudeli, ſcilicet Lucifero, cui vitæ labores annoſque impendit. Ita Salonius, qui ſic explicat. q d *Spatia vitæ, quæ tibi dedit Deus malè viuēdo ne tradas diabolo.* Et S. Gregor. 3 p. Paſtor. admon. 13. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli : Qui namq;* inquit *alieni à nobis ſunt, niſi malignι ſpiritus, quià cæleſtis ſunt patriæ ſorte ſeparati? Quis verò honor noſter eſt, niſi quia in luteis corporibus cōditi, ad conditoris tamen noſtri ſumus imaginem & ſimilitudinem creati? vel quis alius crudelis eſt, niſi ille angelus apoſtata, qui & ſemetipſum pœna mortis ſuperbiendo perculit, & inferre mortem humano generi etiã perditus non pepercit? Honorem itaque ſuum alienis dat qui ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditus, vitæ ſuæ tempora malignorum ſpirituũ voluntatibus adminiſtrat. Annos etiam ſuos crudeli tradit, qui ad voluntatem malè dominantis aduerſarÿ accepta viuendi ſpatia expendit.*

Peccatum eſt carnifex.

Itaque peccatũ, æquè ac diabolus, eſt crudeliſſimus peccatoris hoſtis, tyrannus & carnifex. Audi S. Chryſoſt. hom vnic. de Pœnitentia: *Concepit dolorē, inquit, peperit iniquitatem. Concipit peccator delicti dolorem, &, ſi non pœnituerit, parit ſibi mortem. Paruulus antequã prodeat ex vtero, dolor eſt matri: poſtquam verò editus fuerit, venit ei gaudium. Peccatum verò conceptũ, coluber eſt in præcordiis hominis, parit mortem, niſi fuerit pœnitudine expiatum. Peccati conceptio, ſerpens eſt in præcordiis latens. Conſummatum, venenum ſpirat, & letiferum generat morbum. Qui peccatum parit, in iudiciũ cadit: & ſi neglexerit, in ipſo manebit. Naturâ filium mulier libenter perlactat, natum verò peccatum facit exitium nutrienti.* Idem hom. 30. ad Popul. *Vides,* inquit, *quòd dæmone peius eſt peccatum?* Et hom. 40. *Grauis,* inquit, *grauis paralyſis eſt peccatum.* Idem homil. 2. in pſal. 50. peccatum vocat feram immanem, quæ in Dauidem inſiliit, eumque alliſit. Et in pſalm. 139. ſub initium. *Nihil,* inquit, *eſt quod lædat hominem, niſi ſolum peccatum, eo autem ſublato omnia ſunt facilia, explicata ac tranquilla: ſicut, ſi id adſit, ſunt omnia ſcopuli, tempeſtates & naufragia.* Vnde concludit, *vitioſum hominem eſſe fera improbiorem.* Idem hom. 33 in Matth. *Magnus,* inquit, *Dæmon peccatum eſt: quod ſi abs te abieceris, maior tu eris mihi crede quàm qui dæmonia eiiciunt.* Et hom. 5. de Pœnitentia: *Malorum omnium cauſam conſtat eſſe peccatum : ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atq; omnes quotquot nos premunt paſſiones.*

Vers. 10. NE FORTE IMPLEANTVR EXTRANEI VIRIBVS TVIS, ET LABORES TVI SINT IN DOMO ALIENA] Septuag. *& labores tui in domum alienã veniant;* Chald. *& laborem tuum introducas in domum alienam.* Iam *τὸ viribus* Ianſenius & alij propriè accipiunt : has enim fornicando effundit fornicarius, ad explendam fornicariæ libidinem. Per effuſionem enim crebram ſeminis, & ſubinde ſanguinis effunduntur pariter multi ſpiritus vitales, quibus effuſis exhauritur corpus & debilitatur. Viribus ergo extranei implentur, cùm per eas impudicarum mulierum ſatisfit deſiderio, quas conſeruare oportuiſſet in procreationem prolium legitimarum ex legitimo & moderato vxoris vſu. Vnde medici docent, & experientia conſtat, eos, qui ante matrimonium luxurioſè vixerunt, vireſque ſuas effuderunt, poſtea inito matrimonio quaſi enerues & euiratos, inhabiles & impotentes eſſe ad generandũ; Deo ſimul caſtigante priorem libidinem per ſequentem ſterilitatem.

Verùm quia meretrices propriè non implentur viribus fornicariorum, imò potiùs æquè vt fornicarij, fornicando vires ſuas debilitant, & eneruant corpus ſuũ ; & quia Hebr. habent, *ne fortè ſaturentur alieni robore tuo;* hinc potiùs per robur & vires accipias opes : hiſce enim ſaturantur meretrices. Vnde & Chald. vertit חֵילָךְ *chelach :* חַיִל *chail* autem hebr. & Chald. ſignificat Primò, robur & vires; Secundò, facultates & opes ;quia in his robur & potentia diuitum conſiſtit. Vnde Vatabl. vertit, *ne fortè ſatientur alieni tu qua viribus tuis parauiſti, & labores tui ſint in domo aliena.* Senſus ergo eſt q. d. Ne meretrices emungant tuas crumenas & opes, itaque labores, id eſt diuitiæ labore tuo partæ, tranſeant in domum vilis & abominandæ meretricis. Poſterius enim hemiſtichium more metri explicat prius: ſic *vires, virtutes, robur,* vocantur diuitiæ Iob 31.24. *Si putaui aurum robur meum.* Pſalm. 48.7. *Qui confidunt in virtute ſua, &* (id eſt, *in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.* Sic S. Paulus Hebr. 6.5. *virtutes venturi ſæculi* vocat opes ſpirituales, putà gratias & chariſmata, quæ erunt in futuro ſæculo. Prouerb. 10.15. *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* ita Ioannes Alba Electorum c. 87. Caietan. & Salazar hic : Meretrices enim non iuuenes, ſed iuuenum crumenas & opes ambiunt, ac numquam donis ſatiantur, donec omnia exhauriant, iuueneſque diſpolient, itaque nudos & pauperes omnibus ridendos exponant. Quocirca S. Chryſoſt. hom. 63 ad Popul *meretrices* vocat *patrimoniarum ſyrtes & ſcopulos;* alij, *Scyllas & Charybdes,* vti dixi v. 5. Sic filius prodigus totum patrimoniũ in meretrices exhauſit, vt præ inopia coactus ſit paſcere porcos, Lucæ 15.17.

ET GEMAS IN NOVISSIMIS, QVANDO CONSVMPSERIS CARNES TVAS ET CORPVS TVVM] Vers. 11. Pro *gemas,* hebr. eſt נָהַמְתָּ *nahamta,* id eſt, rugias inſtar leonis famelici, aut vulnerati & cum morte luctantis: ſic enim & rugit, id eſt, inconſolabiliter & miſerabiliter luget & eiulat iuuenis, cùm fornicando conſumptis omnibus tam viribus, quàm opibus, *in nouiſſimis,* id eſt, demum vel tandem, inuenit ſe opibus exhauſtum, viribus & carnibus conſumptum, idque irrecuperabiliter. Tò enim *in nouiſſimis* idem eſt quod poſteà, ſequenti tempore, tandem : hoc enim ſignificat Hebr. אַחֲרִית *acharit.* Alij, *in nouiſſimis,* id eſt, inquiunt, cùm ad nouiſſimam, id eſt extremam paupertatem & miſeriam fueris redactus. Septuag. pro נָהַמְתָּ

נָהַמְתָּ *nahamta* legentes נִחַמְתָּ *nachamta* vertunt, *& pœniteas in nouiſſimis, quando contritæ fuerint carnes corporis tui.*

Emblemata eius varia. Quàm amor viſcera amantis exedat docet emblema ollæ bullientis, in qua incluſus liquor vel caro ſubiecto igne conſumitur, de qua carmen:

Exta velut clauſis feruor conſumit in ollis:
Sic mea conſumit viſcera cæcus amor.

Aliud emblemata eſt tedæ, quæ igne quo ardet, conſumitur.

Vt quæ nutritur pinguedine teda tabeſcit,
Qua viuo, hac morior, quàm per eo, hac pereo.

Rurſum ſicut culices aduolant ad flammam, qua comburuntur, ſic amantes ad amicas.

Libido vires exhaurit cur? Cauſa prima. Porrò libido totum corpus emaciat, ſingulorumque membrorum vigorem & carnes exhaurit. Primò quia ſanguinem & ſpiritus vitales, quibus aluntur & vegetantur omnes corporis partes, effundit. *Secunda.* Secundò, quia lædit partes vitales; putà cerebrũ, cor, iecur, & ſtomachum, quæ ceteris partibus nutrimentum dãt & robur. Ex cerebro enim decidi ſemen docet Galenus in comment. lib. 3. Epidemion. Vnde libidinoſi laborãt cerebro putà morbo comitiali, fiuntque epileptici, vti experientiâ conſtat. Quare *libidinem* non aliud eſſe quàm *paruam epilepſiam*, dixit ſophiſta Abderites apud Clementem Alexand. lib. 2. Pædag. 10. eò quòd totus homo per exinanitionem concubitus abſtrahatur. Et Alexander Magnus, cùm Deus à multis prædicaretur, ſe, quòd mortalis eſſet, deprehendere dicebat ſomno & cõcubitu. Somnus enim mortis imago, concubitus ſpecies eſt morbi comitialis ita Plutarch. in Alexand. *Tertia.* Tertiò, quia ſemen à ſingulis corporis membris & partibus deciditur, vt ſingulas embryonis partes & membra membris parentis conformia efformare queat. Alia enim vis ſeminalis requiritur ad formandum caput, alia ad ſtomachum, alia ad cor, alia ad brachia, alia ad pedes embryonis efformandos. Igitur per ſemen crebrò effuſum ſingula membra vacuantur & attenuantur, imò ſingulorum membrorum melior & nobilior portio, ac radicalis vitę ſubſtantia, & medulla effunditur. Hoc eſt, quod ait S. Auguſt. de Vera relig. c. 40. *Aliud* (ſemen) *totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem, ſiue continentia duorum corporum, ſiue tali aliquo phantaſmate commotum, per genitales vias ab ipſo vertice defluit in infima voluptate.* Plura vide apud Tiraquellum leg. 15. connubiali n. 45 & ſeq.

Myſticè, omnia quæ hîc dicuntur de fornicatione, accommodes cuilibet peccato & peccatori: hic enim vires bene operandi & merendi, ac opes ſpiritales, putà gratiam virtutes, ac ius ad hereditatem cæleſtem exhaurit, eaſque, quas dare debuerat Deo, tradit peccato & diabolo: quocirca hanc ſuam ſtultitiam incuſabit ſerò ardens in gehenna, factus dæmonum domicilium & ludibrium. Ita Polychron in Catena Græc. *Quod hîc carnium* inquit, *detritionem vocat, hoc paulò antè virium conſumptionem appellauerat; aut per corporis carnes concupiſcẽdi vim accipe, per carnes autem ſpiritus virtutem & energiam.* Ibid. Baſil. *Ne,* inquit, *in nouiſſimis tui te pœniteat, & doleas quãdo nimirum exactor accedet, corpuſq́; quod magno antè ſtudio curaueras, in terræ puluerẽ vertendũ deſeres. In inferno enim quis confitebitur tibi?* Ibi. Georg. *Per carniũ contritionẽ,* ait, *quamdam labem & corruptionẽ in carne infixam hîc exprimit. Ceterùm propter improba & ſcelerata opera permulti carnem Chriſti ſacrilegè conterunt, ſanguinemq́; eiuſdem precioſum fœdè conſumunt, communem nimirum illum ducentes.* Clariùs & præclarius S. Gregor. 3. parte Paſtor. admon. 13. *Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena. Quiſquis enim,* inquit, *per acceptam valetudinem corporis, per tributam ſibi ſapientiam mentis, non exercendis virtutibus, ſed perpetrandis vitiis elaborat nequaquam ſuis viribus ſuam domum: ſed extraneorum habitacula, id eſt, immundorũ ſpirituũ facta multiplicat, nimirum vel luxuriando vel ſuperbiendo agens, vt etiam ſe addito perditorum numerus creſcat. Bene autem ſubditur: Et gemas in nouiſſimis, quando conſumpſeris carnem & corpus tuum. Plerumque enim accepta ſalus carnis per vitia expenditur: ſed cùm repentè ſubtrahuntur, cùm moleſtiis caro atteritur, cùm iam egredi anima vrgetur, diu malè habita quaſi ad bene viuendum ſalus amiſſa requiritur. Et tunc gemunt homines, quòd Deo ſeruire noluerunt, quando damna negligentiæ ſuæ recuperare ſeruiendo nequaquam poſſunt.*

Harum luxuriæ noxarum veritatem pulchro viperæ & elephantis apologo, pulchris epithetis inſperſo repræſentat Cyrillus l. 4. Apolog. moral. c. 9. *Apologus luxuriæ.* *Furibundæ viperæ,* ait, *ad coitum properanti, elephas obuius quæſiuit ab ea & dixit: Quo ſic effrenato paſſu, tam effuſo deſiderij impetu, cupiditatis abruptiſſimo curſu ardenter, mi chariſſima, properas & feſtinas? At illa vix percepto eloquio mox reſpondit; nimirum frater, anhelo venereæ ſuauitatis ad gaudium, accelero ad inconſummatæ delicioſitatis ſolatium, feſtino gaudioſæ felicitatis ad actũ. Quo audito caſtus & prudens elephas eius non minùs deceptioni, quàm læthiferæ furioſitati compaſſus, ilicò ſic locutus eſt dicens: Scio certè, quòd furibunda luxuria oculos non habeat, & ob hoc nequit videre quò ruat. Nimirum ad occaſum amantiſſimæ vitæ tendis, ad baſium mortis amariſſimæ proficiſceris, ad morſum cruentæ libidinis cæca animaris, duce furore.* Deinde eius damna ita conglomerat. *Eius damna.* *Quid enim eſt coitus, niſi delicioſa pernicies, mors latens, venenoſitas blandiens, dulcis effuſio vitam perdens, amplexus deſtructionẽ moliens, & ſuauitas dirè fallens: Te ſiquidem dilectione contenebrat, ac vita priuat: canes ad morſus acutiſſimos inſtigat, equum infatuat, cattum furore tormentat; ſtultum paſſerem ſuauiter euacuat, oculos occæcat, fœtore commaculat, rationem obſcurat, beatiſſimam virginitatem violat, & vitæ horã decurtat.* Cauſam deinde delectationis venereæ ſubiicit: *Causa.* *Ad hæc,* inquit, *vipera dixit: Si hæc venus, vt aſſeris, nocuit, vt quid in coitu natura tantam delectationem infudit? Natura enim æquitate dominica neminem decipit, neq́; vnquam ſapientiâ eam gubernante errauit. Cui ille: Fateor, inquit, quod dixiſti, attamen exceſſiuum venereorum ſolatium, læſionis eorum eſt euidens argumentum. Et nimiùm ipſa venere corporis valetudo contunditur, & niſi tanta veneris delectatio traheret, ad hoc natura vltra ſuperfluum nullatenus moueretur. Venus enim per mille vlulatus agitur, & ad ſcholæ ferulam ducit, quæ puero ſuo mater blanditur. Quo dicto receſſit.*

Et dicas: Cvr detestatvs svm disciplinam, et increpationibvs non acqvievit cor mevm, Vers. 12.
nec avdivi vocem docentivm me, et magistris non Vers. 13.
inclinavi avrem meam?] Verba ſunt clara: ſignificant enim ingentem, ſed ſerum & inutilem dolorem & pœnitentiam vitæ in libidinibus conſumptæ, quando luxurioſus nudus, miſer & æger exclamabit, & miſeris inutilibuſque querelis cuncta pulſabit. Vnde Chald. vertit, *quomodo odi diſciplinam, & eruditionem execratum eſt cor meum?* Syrus, *& correctionem abominatum cor meum?* Similis

eſt, ſed magis pathetica impiorum vox Sapient.5. v.6. *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra*, &c.

Pro *non acquieuit*, Septuag. vertunt, *deliquit*, hebr. eſt נאץ *naats*, id eſt, *ſpreuit*; Theodor. *exacerbauit.* Sunt hi quatuor gradus contemnentiũ correptionem. Primò enim tales cupidinibus impliciti, ſi moneantur de earum turpitudine, periculis & damnis, victi à voluptate non acquieſcunt monitioni & monenti. Secundò, eum declinant & fugiunt, ne moleſtam ſibi cantilenam denuo audire cogantur. Tertiò, eum ſpernunt. Quartò, eumdem exacerbant, dum aſperis verbis, riſibus & probris eum afficiunt, eique pro beneficentia maledicta regerunt & rependunt.

Pro *docentium me* hebr. eſt מורי *morai* quòd Aquila, Symmach. & Theodor. vertunt, *illuminantium me*. propriè ad verbum vertas, *impluentium mihi*. Doctor enim & monitor ſuam doctrinam & monitionem, velut pluuiam diſtillat & impluit in aures & animum diſcipuli, vt reſtinguat ardores concupiſcentiæ & libidinis, iuxta illud Moſis Deuter. 32. 2. *Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.*

VERS.14. PENE FVI IN OMNI MALO, IN MEDIO ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ] Vatablus *parum abfuit quin lapſus ſim in malum contubernium, & cœtum omnis mali.* Per *malum* ergo cum Vatablo Primò, accipe malum culpæ: libido enim eſt origo & cauſa omnis mali, id eſt, omnis culpæ & peccati, ait S. Chryſoſt. q.d. ait Aben Ezra: Penè totum me in criminibus volutaui, idque in medio Eccleſiæ & ſynagogæ. Et Ianſenius: *Propemodum*, inquit, *incidi in omne malum in medio eccleſiæ & ſynagogæ.* Quod dupliciter accipi poteſt. Primò, vt ſit ſenſus. Propemodum incidi in omne vitiorum genus, cùm conuerſarer in cœtu impiorum & carnalium hominum; vt per *eccleſiam & ſynagogam* intelligatur cœtus malorum. Neque enim vocabula illa hîc accipiuntur, vt diſtinguuntur aliquando, ſed ſignificant ex ſua natura cœtum, qui *eccleſia* dicitur, quaſi conuocatio; & *ſynagoga*, quaſi congregatio. Hoc enim ea nomina ſignificant, & nonnumquã pro malorum cœtu accipiuntur: vt, *Odiui eccleſiam malignantium.* Et *Exarſit ignis in ſynagoga eorum.* Itaque ſecundùm hunc ſenſum verba hæc ſunt pœnitentis, & ſerò agnoſcentis vitia, in quæ prolapſus eſt exemplis & ſocietate corruptæ multitudinis. Sic & Origenes in Catena Græc. qui tamen cautè legendus eſt, dum ait in damnatis in inferno manere ſemina virtutum, & ſic miſericordiam ſuccurrendi fratribus manſiſſe in diuite Epulone iam damnato.

Pſalm. 25. & 105.

Secundò, per *malum* accipe malum pœnæ, q.d. Pene omnia mala, hoc eſt calamitates omnes, me obruerunt propemodum: infeliciſſimus factus ſum omnium hominum; idque in conſpectu totius multitudinis: hoc enim aggrauat infelicitatem hominis, quòd ea conſpicua ſit multitudini, & pauperem, debilem & inglorium reſpublica videat, quem priùs viderat diuitem, ſanum & boni nominis ac famæ.

Tertiò, Polychronius in Catena Græcor. per *omne malum* accipit omnem infamiam, qua ſcilicet fornicarius infamis fit, coram eccleſia, id eſt, cœtu perfectorum; & coram ſynagoga, id eſt, cœtu infirmorum & imperfectorum. Præclarè S. Cyprian. de Singular. cleric. *Reſpicite*, inquit, *quanta mala conuerſatio pluralitatis huius acquirat, quæ non niſi corruptionem ſeminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, zelum concitat, porrigit furiam, laſciuiam paſcit, petulantiam nutrit, caſus exaltat, ruinas ædificat, rapinas excipit, præcipitia inſtruit, periculis nauigat, naufragiis veliſicat, perditione gaudet, interitum fouet, confuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & catenatim ſemel in faſcem glomerans numeroſas indagines captionum, per infinita dedecorum multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum.*

Quartò, alij per *malum* accipiunt dæmonem, iuxta illud: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*, id eſt, à dæmone, vti exponit S. Chryſoſt. & Tertull. Vt ſenſus ſit q. d. Dum inter ſcorta & ſcortatores verſarer, verſabar quaſi inter dęmones impuros & ſceleſtos, qui non niſi tartareum ignẽ, cui ſimilis eſt libido, exhalant: videbar mihi viuus inter dæmones agere, & inferno defoſſus.

Quintò, per *omne malum* accipe gehennã. Sicut enim in cælo eſt omne bonũ, ſic in inferno omne malum; in terra verò inter vtrumque media participatio vtriuſq; eſt, ac mixtio mali & boni, vt ſenſus ſit. q.d. Per libidines pene prolapſus ſum in gehennam; paſſus tantùm inter me & gehennam interfuit, ait R. Salomon. Pœnitens ergo dicat cum S. Maria Ægyptiaca: *Miſericordias Domini in æternũ cantabo*; quia, niſi manus Domini tenuiſſet me, lapſus fuiſſem in gehennam, in quam libidine actus vltrò ruebam, ſed dextra Dei ruentem tenuit & ſtitit. Et cum Iſai. c. 19 *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Hoc eſt, quod ait S. Aug. in pſal. 102. *Amores turpes quantas moleſtias habent! quantas ſollicitudines hic in iſta vita! omitto gehennam, Vide ne iam ipſe tibi gehenna ſis in hac vita.*

SECVNDA PARS CAPITIS.

Suffocandum eſſe amorem meretricis per amorem vxoris.

BIBE AQVAM DE CISTERNA TVA, ET FLVENTA PVTEI TVI] Hebr. *& fluenta de medio putei tui*; Syrus, *& fluenta ex fonte tuo.* in puteis enim eſt fons & ſcaturigo aquæ viuæ: Septuag. *bibe aquas de tuis vaſis, & de tuorum puteorum fonte*; S. Hieronym. in Ezech. 32. legit, *bibe aquam de tuis aquis, & de puteorum tuorum fontibus*; Vatabl. *aquam è puteis tuis bibe, & fluenta ex fontibus tuis*; Arabicus, *bibe aquas de vaſis tuis, & de puteis fontis tui.* VERS.15.

Notæ ſunt ciſternæ, in quas colliguntur, aquæ, præſertim deciduę & pluuiæ. Per *ciſternam* & *puteũ* R. Salomon accipit legem Moſi, de qua & ſequentes verſus vſque ad v. 20. intelligit; R. Leui accipit mentem ſiue intellectum & rationem; alij paſſim ſapientiam, q.d. Hauri aquam, id eſt, ſanam doctrinam morum, ex lege Moſis, dictamine mentis & rationis, atque à ſapientia quam tradit S. Scriptura. Verùm hæc myſtica ſunt, de quo mox plura.

Igitur

Igitur ad literam Primò, Caiet. per *ciſternam* & *puteum* accipit fundos & facultates. q.d. Viue iucundè cum vxore tua è tuis facultatibus. *Deriuentur fontes tui foras*, & ex facultatibus tuis largas diſperge eleëmoſynas. *Habeto eas ſolus* cum vxore tua, *ne ſint alieni participes tui*, id eſt, ne eas profunde in meretrices & lenones, de quibus ſermo præceſſit. Sic & S. Baſil in pſal. 14. *Bibe igitur miſer*, inquit, *de tuis vaſis aquam, vt ait Salomon: hoc eſt, proprias conſidera facultates & ſubſidia vitæ: non ad alienos fontes propera, ſed ex proprij fontis ſcaturigine tibi vitæ ſolatia collige.*

Fauent Septuag. qui pro *habeto eas ſolus*, vertūt, ἔστω σοι μόνῳ ὑπάρχοντα, id eſt, *ſint tibi ſoli exiſtentia*, id eſt, facultates. Verum ὑπάρχοντα, id eſt, *exiſtentia*, accipe potiùs ſic q.d. Tibi ſoli exiſtant aquæ ciſternæ tuæ, vt exteri eas non occupent. Vnde Romani vertunt, *ſint tibi ſoli poſſeſſa*. Adde, toto hoc loco non de facultatibus, ſed de mulieribus eſſe ſermonem; atque cùm hactenùs egerit de odio & fuga meretricum, iam ad idipſum remedium ſuggerit amorem vxoris propriæ. Sed quia carnalis & lubrica hæc materia caſtis auribus eſt exoſa, hinc per parœmias & parabolas honeſta quaſi periphraſi eam circumſcribit; quas deinde in poſtparabola explicat dicens v. 18. *Lætare cū muliere adoleſcentiæ tuæ*, q.d. Hæ omnes parabolæ ciſternæ, putei, fontium à me hucuſque allatæ, non aliud ſignificant, niſi vt diligas vxorem, quam in adoleſcentia virginem tibi deſpondiſti, cum eaque te exhilares: ſic enim fiet, vt non quæras illicitas voluptates & amores meretricum.

Secundò ergo & genuinè, per *ciſternam & puteum* accipe vxorem, ex quo marito hauritur aqua pura, id eſt, caſta voluptas matrimonij & procreationis liberorum. Alludit ad etymon Hebræum: hebr. enim femina dicitur נקבה *nekeba* quaſi מקבת *mackebet*, id eſt ciſterna. Vnde Iſaias c. 51. 1. *Attendite*, ait, *ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci* (hebr. *mackebet*, id eſt ciſternam) *de qua præciſi eſtis.* quam parabolam explicat ſubdens: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Sarā quæ peperit vos*, Hæ ergo ſententiæ: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, &c.* ſunt prouerbia, ſiue parœmiæ & parabolæ, quæ ſenſu parabolico ad litteram non aliud ſignificant, nec aliud caſtis auribus ſonant quàm, dilige vxorem tuam, ea vtere honeſtè in timore Dei, cum ea lætare, vt per illam reſtinguas ſitim concupiſcentiæ, & multos egregioſque liberos procrees. Ergo voluptatem coniugij caſtā, puram & fœcundam hauri de vxore tua, quæ tibi ſit inſtar ciſternæ puræ, carentis luto fornicationis, moroſitatis, zelotypiæ, &c. talis enim quærenda vel formanda eſt vxor, ſcilicet caſta morigera, hilaris, non moroſa non zelotypa. ita Beda, Hugo, Ianſen. Vatabl. Baynus, imò S. Hieron. in c. 3. Malachiæ, & S. Chryſoſt. in c. 1. Matth. Quocirca huic ſententiæ Salomonis antiſtrophe reſpondet illa Ben Syra alphabeto 1. littera *mē*. *Aquæ mulieris quæ virgo iuuenis eſt, dulces ſunt. & augēt vires; ſed aquæ mulieris vetulæ amaræ ſunt vt abſinthium, & debilitant vires, vt ciſterna, quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo abſorpſit.* Deus enim ad ſedandum ignem & ſitim libidinis inſtituit matrimonium, eique gratiam ſuam addixit, vt coniuges caſtè hoc ſuo ſtatu & vocatione, ad quam à Deo vocat ſunt, viuant, præſertim in nouo teſtamento, vbi Chriſtus matrimonium effecit Sacramentum, quod coniugibus gratiam ad caſtè & ſocialiter viuendum ex

A opere operato confert: Hanc gratiam cæleſtem innuit vox *ciſterna*, quæ aqua pluuiæ è cælis defluēte impletur. Hinc fit vt vſus vxoris reſtinguat cupiditatem libidinis, non verò vſus meretricis, qui magis eam accendit: libido enim vaga & intemperans ſimilis eſt hydropi, qui in hydropicis continuam excitat ſitim, vt quo plus bibunt eo plus ſitiant, vt docet S. Auguſt. de Geneſ. ad litter lib. 9. c. 10 & Eccleſ. c. 26. 15. *Sicut viator ſitiens*, inquit, *ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet.*

Plura phyſica & medica dici poſſunt de analogia ciſternæ & putei cum femina, ſed caſtis auribus parco, ſequorque Apoſtolum monentem: *Non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Rom. 12. 3. ſufficiat, quòd, ſicut aqua è puteo & fonte hauritur, ſic ab vxore iucunditas & numeroſitas B filiorum fideliū & proborum. Hinc Iacob, Iſaac. Abraham cum Rachele, Rebecca. Sara fuere, velut *fontes quidam generis humani*, ait S. Ambroſ. lib. de Iſaac c. 4. *& ſpecialiter deuotionis ac fidei. Quid enim eſt puteus aquæ viuæ, niſi profunda altitudo doctrinæ? Vnde & Agar ad puteum angelum vidit*, Geneſ 16. *& Iacob ad puteum Rachelem ſibi inuenit vxorem*, Geneſ. 29, *Moſes quoque ſicut puteum futuri locauit merita primæ coniugij* Exodi 2. hæc S Ambroſ. Idem vxoris & coniugij remedium ad vitandam fornicationem ſuggerit Apoſtolus Hebr 13. 4. dicens: *Honorabile connubium, & thorus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Et 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque virum ſuum.*

C Iam hanc ſententiam Patres myſticè, ſed variè admodum exponunt, variiſque accommodant. *Fontes myſtici Primò, SS Trinitas.* Primò, Origen. homil. 12. in Numer. ad illa verba, *De puteorū tuorū fonte: Vnus*, inquit, *puteus eſt ſcientia Patris, alius puteus cognitio Filij, tertius puteus cognitio Spiritus ſancti. Sed horum puteorū vnus eſt fons: vna enim ſubſtantia eſt. & vna Trinitas.* de hoc fonte ait Dominus Ieremiæ 2. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Secundò, S. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. c. 14. *Secundo Spiritus ſanctus.* per *puteum & fontem* accipit Spiritum ſanctum, per aquam dona Spiritus ſancti, quæ participant ſoli fideles & ſancti, nō hæretici & impij. *Huius*, inquit, *fontis largo atque inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatem ſuā, de qua Propheta prædixit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ad hunc enim fontem nullus extraneus, quia nullus niſi vitæ æternæ dignus accedit. Hic* D *eſt proprius Eccleſiæ Chriſti, cui tanto ante prophetatum eſt: Fons aquæ tuæ ſit ſibi proprius, & nemo alienus communicet tibi De hac enim Eccleſia, & de iſto fonte dicitur & in Cantico Canticorum: Hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ.* Idem tract. 6. in epiſt. S. Ioan. *Quid eſt*, inquit; *de fonte alieno ne biberis? Spiritui alieno ne credideris.* Simili modo S. Ambroſ. l. 1. de Spiritu ſancto c. 20. per fontem accipit Filium Dei, puta Chriſtum: *Quis dubitet*, inquit, *flumen eſſe vita Dei filium, de quo æternæ vitæ flumina profluebant? Bona ergo aqua, ſpiritalis gratia. Quis hunc fontem dabit pectori meo? in me ſaliat, in me fluat vitæ largitor æternæ: ſupereffluat in nobis fons iſte, non effluat. Dicit enim Sapiētia: Bibe aquam de tuis vaſis & de puteorum tuorum fontibus, inq; plateis tuis ſuperfluant aquæ tuæ. Quomodo hanc tenebo aquam ne effluat, ne qua penetrans rima peccati æternæ vitæ diſtillet humorem? Duce nos Domine Ieſu, duce ſicut docuiſti tuos Apoſtolos, dicens: Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra.*

Tertius, ethica. Tertiò S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 4. per *puteum* & *fontem* accipit ſapientiam & moralem doctrinam, quæ medetur libidini & concupiſcentiæ. *Eò quod aduerſus tentamenta mundi*, inquit, *remedium nobis vera ſapientia ſit, moralis quoq; doctrina quæ imaginem mundanæ voluptatis meretricis quibuſdam illitã fucis irriguo ſuo diluat, & fluento ſui fontis abſtergat.* Sic & Patres Græci in Catena, vt Olympiod. *Bibe aquas* inquit, *hoc eſt, ſalutaria vitæ documenta ex ſacris & diuinis literis hauri, & pietatis potum ex diuinæ cognitionis puteis, quæ iam inde ab initio familiariter nobis cohabitauit, fontiſque nomen accepit. Ex quo fonte proſcaturiunt pocula, quæ mentem refocillant, animumq; recreant ac ſeſe in plateas, in quibus ſapientia liberè concionatur, copiosè diffundunt. Nõ ſinit tamen fontis noſtri aquas ea vbertate diffundi, vt concedãt ad alienos: ſiquidè veneranda fidei myſteria ab iis, qui ſuo more turpem vitam agunt, vult nos abſcondere, & ob id paulò infrà ſubiungit: Nullus externus tecum communicet; ſed illi ſolùm qui eiuſdem tecum ſunt doctrinæ & fidei. Vxor autem pubertatis; cuius paulo poſt fit mentio, myſticè doctrinam, cui à puero familiariter aſſueuimus, denotat. Oblectamentum autem ex illa capit coniux eius, quando ſecundùm theoricam notitiam, quàm nactus eſt, operatur.* Deinde Didymus: *Diuinarum rerum cognitio*, inquit, *& puteus & fons eſt illis, qui ad virtutis ſtudiũ primùm accedunt, puteus eſt: fons verò iis qui ad illius faſtigium iam peruenerunt, Atq; ita Chriſtus ſaluator noſter ſuper fontem ſediſſe ſcribitur; Samaritana verò fontem illũ puteum nominabat: aiebat enim: Neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt. Eadem diuinorum myſteriorũ intelligentia & mater quoque & vxor, & ſoror nonnunquam appellatur. Mater quidem, quia à Chriſto doctore per illam geniti ſumus; vxor verò, quia dum illa familiariter nobiſcum degit, paris virtutes rectaq; fidei dogmata; ſoror autem, quia hæc æquè ac nos ex Deo Patre orta eſt. Et ſapientiam, inquit, ſororem meam dixi. Poteſt aliter quoque ſententia hæc exponi: per hoc enim quòd diuinorum myſteriorum cognitionem fontem vocat, rerum quas continet, copiã oſtendit: per id verò quòd ipſi ſoli vſum illius concedit, ſingularem voluptatem, quæ inde percipitur, exprimit.* Mox Polychron. *Denuntiat vxor, vt illi viri adhæreat, cui primò ad nuptias tradita fuerat. Deinde ad maritum reuerſus, ait, Fons aquæ tuæ tibi ſit proprius: hoc eſt ſana illa caſtaq; doctrina, quam à puero hauſiſti, tecum in vita perſeueret.*

Quartus, eſt gratia. Quartò, S. Ambroſ. l. 3. Hexam. c. 12. initio, per *ciſternam* & *puteum* accipit gratiam & ſanctitatem internam. *In teipſo*, inquit, *ſuauitatis tuæ gratia eſt, ex te pullulat, in te manet: intus, id eſt in teipſo, quærenda iucunditas tua eſt conſcientiæ. Ideo ait: Bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus.* Sic & Chriſtus Ioan. 7. 37. clamabat: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Quintus, eſt mens bona. Quintò, alij phyſicè per *ciſternam* & *fontem* accipiunt mentem bonam, ex qua emanant & ebulliunt cogitationes ſanctæ, quibus anima irrigatur & fœcundatur ad omne opus bonum. Ita S. Gregor. Nyſſen. hom. 9. in Cant. ad illud: *Hortus concluſus, fons ſignatus: Fons*, inquit, *eſt cogitatiua noſtræ animæ facultas, quæ omnis generis ratiocinationes in nobis facit ſcatere & emanare; ſed tunc noſter fit motus cogitationis, quando omnis noſtra mouetur operatio ad ea, quæ ſunt nobis conducibilia, & bonorum exhibent procreationem. Quando autem quis conuerterit cogitationem ad excogitandum vitium, tunc in alienos conſumitur fluentum: adeò vt bene alatur quidem ſpinoſa vita irrigata opem alarum cogitationum, exſiccetur autem & marceſcat melior planta, nullo humore bonarum cogitationum nutriente radicem.*

Huc pertinet expoſitio S. Hieron. in Malach. cap 3. qui per vxorem ciſterna & puteo ſignificatam, accipit legem naturalem, quam Deus mentibus omniũ inſeruit. *Vxorem adoleſcentiæ*, inquit, *naturalem dicam intelligentiam, & legem in corde præſcriptam, quæ omnibus hominibus inſita eſt. Et de hac coniuge prædicatur à Deo: coniungi ut vxor viro; & iubemur, vt de noſtris aquis potemus & fontibus*, &c. Huc quoque ſpectat explicatio S. Ambroſ. l. 3. Offic. c. 1. vbi per *ciſternam* & *fontem* accipit cor proprium, ad quod poſt negotia redire, illudque conſulere, & ab eo edoceri debemus. *Dauid propheta*, inquit, *docuit nos tanquam in ampla domo, deambulare in corde noſtro, & conuerſari cum eo tanquam cum bono contubernali: vt ipſe ſibi diceret, & loqueretur ſecum vt eſt illud, Dixi, Cuſtodiam vias meas. Salomõ quoq; filius eius ait: Bibe aquã de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus, hoc eſt, tuo conſilio vtere. Aqua enim alta, conſiliũ in corde viri. Nemo, inquit, alienus particeps ſit tibi. Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius: & iucundare cũ tua vxore quæ eſt tibi à iuuentute. Ceruus amicitiæ & pullus gratiarũ conſabulentur tecum. Non ergo primus Scipio ſciuit ſolum non eſſe cùm ſolus eſſet, nec minus otioſus, cùm otioſus eſſet: ſciuit ante ipſum Moyſes, qui cùm taceret, clamabat; cùm otioſus ſtaret, præliabatur: nec ſolùm præliabatur, ſed etiam de hoſtibus, quos non contigerat, triumphabat.*

Sextus, eſt S. Script. Sextò, Salonius hic, & S. Hieronym. in cap. 22. Ezech. & in c. 4. Amos, per *ciſternam* & *fontem* accipiunt S. Scripturam, cuius interpres & cuſtos eſt S. Eccleſia, à qua haurire oportet ſanam doctrinã, non autem à ſpurcis lacubus hæreticorum. *Ciſternam*, inquit Salonius, *vocat Catholicam, id eſt veteris & noui teſtamenti doctrinam; puteum verò profunditatẽ & altitudinem eiuſdem; aquam, ſcientiam; fluenta, copiã & abundantiam ſcientiæ, id eſt, varios S. Script. appellat intellectus. Docet enim his verbis cauere à doctrina hæreticorum, & attendere lectionibus S. Script. Et eſt ſenſus: Bibe aquam de ciſterna tua, id eſt, ſerua & opere imple doctrinam, quam aliis prædicas. Et fluenta putei tui, id eſt, abundantia ſermonis tui, ſeu ſcientiæ affluenter in te redundet in operibus bonis.*

Vers. 16. Derivantvr fontes tvi foras, et in plateis aqvas tvas divide] Hebr. *diuiſiones* vel *riuuli aquarum in plateas promanent*. ita Vatab. Sept. *effundantur tibi aquæ ex fonte tuo: in tuas autem plateas tranſeant aquæ tuæ*. ita legunt Complut. quibus conſentit S. Ambroſ. ſuperiùs citatus, qui legit, *in plateis ſuperfluant aquæ tuæ*: licet Romani addentes negationẽ μὴ, contrariè legant, *non ſupereffundantur tibi aquæ extra tuum fontẽ*. Romanis conſentit Origen. homil. 12. in Numer. & Clemens Alexandr. libr. 2. Strom. & Aquila qui vertit, *ne diſpergantur fontes tui extra*; Chald. conſentit Hebrææ & Complut. ac noſtro, vertitque affirmatiuè, *redundent aquæ tuæ foras, & in plateis riui aquarum*; Syrus, *abundent aquæ tuæ in plateis tuis, & in plateis fluant*. Pro *deriuentur* hebr. eſt יפוצו *iaphutſu*, id eſt, *diſpergantur*, longè lateque ſpargantur; græcè ὑπερεκχείσθω, id eſt; *ſupereffundantur*, id eſt, vt habet verſio Catenæ Græcor. *magna vbertate profundantur*, vt redundent & ſupereffluant.

Senſus eſt, q. d. Ex te & vxore tua velut è copioſis puriſque fontibus procreentur, & promanent multæ legitimæ, pulchræ & bene moratæ proles,

quæ

quæ diſcurrant per plateas, quaſi riui limpidiſſimi: A quorum aquis, id eſt ſanctis moribus, cùm vicinia tota, tùm etiam reip. horti ac viridaria feliciter irrigentur qui proinde tibi ac toti ciuitati ſint ornamento, æquè ac voluptati & vtilitati. ita Beda, Ianſen. Baynus & alij. Significat finem & fructum coniugij eſſe bonum prolis, & ſobolis copioſæ & honoratæ, hocque debere ſpectare & quærere côiuges: cùm ex aduerſo fornicarij & adulteri in fornicatione quærant dumtaxat voluptatem, non ſobolem, imò eã non rarò impediant ne côcipiatur, aut conceptam præfocent & enecent, ne crimen in vulgus emanet, neue prolem alere teneantur. Quòd ſi qui prolem quærant & alant, illa vt ſpuria & adulterina, ideoque malè educata & morata, parétibus eſt dedecori, & ciuitati noxia. Spurij enim non rarò à matre meretrice leuitatem, & mores meretricios hauriunt & induunt: qua de cauſa dignitatibus publicis arcétur, & ab beneficia B Eccleſiaſtica inhabiles Iure Canonico cenſentur.

Porrò *fontes* vocat vxores, quia illo æuo Iudæis permiſſa erat polygamia, ſiue pluralitas vxorũ: ſicut Abraham habuit duas, Saram & Agar; Iacob quatuor, ſcilicet Rachelem, Liam, Balam & Zelpham. Vt tamen oſtendat monogamiã longè præferendam eſſe polygamiæ, ob pacem, & ob meliorem educationem filiorum; identidem vxorem in ſingulari vocat venam, ciſternam, puteum, ceruam, hinnulum.

ET IN PLATEIS AQVAS TVAS DIVIDE] q.d. Sicut è puteo vel fonte aquæ per canales & aquæ ductus deriuantur & diuiduntur per plateas, fora & compita ad magnum ciuitatis ornamentum & commodum; ſic pariter tu filios & filias, quas ex vxore ſuſcepiſti, diuide per connubia in C varias domos & familias. Rurſum in varia officia, vel opificia, gradus & ſtatus reipubl. ad tuum æq; ac ciuitatis decus, voluptatem & vtilitatem. Notat affinitates, dignitates & honores, quos per filios & filias è legitimo thoro ſuſceptas, ſibi ſuæque familiæ conciliabit; præſertim quia filij & filiæ honeſtè à patre & matre in coniugio educati, nô tantùm dignos talibus muniis ſe præſtabunt, ſed & parentum conſilium ductumque ſequentur: nam bene educati & morigeri filij & filiæ ſinunt ſe à parentibus regi, ducique ad illa connubia, gradus & ſtatus, ſicut aquæ ſinunt ſe duci flectique ad arbitrium artificis, qui eas per canales, quocumque vult, ducit & flectit.

Pudicitiæ elogia. Præclarè S. Cypria. de Bono pudicitiæ: *Pudicitia*, inquit, *eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput.* Idem de Singul. cleric *Caſtitas*, inquit, *munimen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas & laſciniæ petulantis infirmitas, probitatis præſidium & improbitatis excidium, animæ victoria & corporis præda; vbertas gloriarum & ſterilitas criminum, pronuba ſanctitatis & repudium turpitudinis, ſinceritatis indicium & abolitio ſcandalorum.*

Myſticè, ſapientiæ & virtutis noſtræ fontes foras deriuamus, cum alios docemus, bene conſulimus, monemus, & in omni ſanctitate formamus & perficimus: aquas diuidimus, cùm congregationes cœtuſque pios variis in locis erigimus, iuxta illud Sapient. 7.13. *Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* ita Patres paulò antè citati.

Porrò ſapientiam aliis communicare debemus largè & liberaliter inſtar fontium, qui tantũ aquæ emittunt, quantùm recipiunt; tantum enim aquæ exiis effluit, quantum affluit. Sic doctor, prædicator, monitor, &c tantùm ſapientiæ in proximos effundat, quantum à Deo accepit, tantumdem rurſus & continuè à Deo recepturus. Quocirca ὑπερεκχείσθω, id eſt, ſupereffluant aquæ ſapientiæ ex ore doctorum, vt inſtar torrentium magno ſpiritu largiſſimè & efficaciſſimè eructent & egurgitent magnalia Dei & monita ſalutis, vti fecit S. Petrus & Apoſtoli recepto Spiritu ſancto in Pentecoſte, Actor.

HABETO EAS SOLVS, NEC SINT ALIENI PARTICIPES TVI] Hebr. *ſint tibi ſoli tibi, & non alienis tecum* ita Vatabl. Septuag *ſint tibi ſoli poſſeſſio & nemo alienus particeps ſit tibi*; Chald. *erunt tibi ſoli, & alieni non participabunt tecum.* S. Chryſoſt. in pſal. 9. exponit, q.d. Cuſtodi aquas, id eſt, fontem, id eſt, vxorem tuam, ne cum aliis conſuetudinem habeat; ſed tu ſolus ea vtaris, ne dubitare incipias an filij ſint tui, an adulterorum. Verùm meliùs hæc non tam de filiis, quàm de vxore accipias cum Hugone, Ianſenio, Bayno & aliis, q.d *Habeto* id eſt habebis has aquas putà proles legitimas, *ſolus*, ſi è ſola vxore eas ſuſcipias: nec alieni, ſcilicet adulteri & fornicatores partem earum ſibi vendicabunt, ſicut vendicare poterunt, ſi eas ex meretrice vel adultera ſuſcipias: meretrix enim ſicut vaga eſt & multis ſe proſtituit, ſic & ſæpè non tuos, ſed nothos & ſpurios, quos ex alio concepit, tibi ſupponet, aut certè communes procreabit filios, in quibus ſcilicet partem aliquam obtineas tu, partem aliam alij, qui cum eâdem fornicati ſunt. Rurſum alieni erunt participes tui; quia ſpurij; quos tibi quaſi tuos ſubſtituet meretrix partem hæreditatis tuæ adibunt, eaq; genuini tui filij fraudabuntur. Hinc ſimilis eſt illa gnome Ben Sira alphabeto. I. litera ſamech: *Scriba doceus alios ducat virginem, & ne ducat eam quæ virum experta eſt: nam aquæ virginis tibi ſoli erunt, aquas verò eius quæ virum experta eſt antea, alius præter te hauſit.* (Vers. 17.)

Myſticè S. Gregor. l. 1. in Ezech. hom. 12. & ex eo Beda ac Salonius hîc per *fontes* accipit ſapientiã quam pura & ſincera intentione promouendi Dei gloriam, & ſalutem animarum, prædicare debemus; ne, ſi vanæ gloriæ, ſimiliſue cupiditatis cauſa prædicemus alieni, id eſt dæmones, partem in noſtro labore ſibi vendicent. Obiicit enim ſibi D. Gregor. quòd poſterior pars huius verſus priori aduerſari videatur. *Quomodo enim* inquit, *aquam ſitientiæ ſolus habere poterit, ſi hanc in plateis diuidit?* D Ac reſpondet: *Sed cum prædicamus populis, nimirum in plateis aquas diuidimus quia in auditorum multitudinem ſcientiæ verba dilatamus. Cùm verò nos adiuuante diuinâ gratiâ intrinſecus cuſtodimus, & ne maligni ſpiritus, qui iure à nobis alieni ſunt, quia fortè beatitudinis perdi erunt, nobis in elatione ſubripiant, ſollicitudine cauta circumſpicimus; ſoli habemus aquas quas in plateis diuidimus, vt à nobis alieni in eis participes non ſint. Hi nimirum de quibus ſcriptum eſt: Alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam. Aquas ergo & in plateis diuidit & ſolus habet, qui per hoc, quod multis prædicat, ſe in cogitatione temporalis gloriæ non exaltat. Tunc enim poſſidet homo quod docet, quando ſe non gaudet innoteſcere ſed prodeſſe.*

Rurſum S Bernard. l. 1 de Conſider. c. 5. ex hoc loco monet Eugenium Pontif. vt inter tot Pôtifi-

catus negotia ſubinde redeat ad fontem cordis ſui, in eoque ſe recolligat. *Omnes, inquit, pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & ſeorſum ſitiens ſtabis? ſi maledictus qui partem ſuã facit deteriorem, quid ille qui ſe penitus reddit expertem? Sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines & iumenta & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas; ſed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus? cui non alienus: tibi es? Denique qui ſibi nequam, cui bonus? Memento proinde non dico ſemper, non dico ſæpè, ſed vel interdum reddere teipſum tibi.*

Vers. 18. SIT VENA TVA BENEDICTA, ET LÆTARE CVM MVLIERE Hebr. *de vxore*, vel *cum vxore*) ADOLESCENTIÆ TVÆ [Septuag. *fons aquæ tuæ ſit tibi proprius, & iucundare cum vxore, quæ à iuuentute tua*, quã iuuenem iuuenis duxiſti. Syrus, *fons tuus ſit benedictus*; Vatabl. *ſit vena tua benedicta & gaudium, quod de vxore capis, quæ tibi in iuuentute deſponſa eſt.* repete, *ſit benedictum.* Hoc enim gaudium honeſtum eſt & caſtum iuxta leges coniugij & timoris Dei, ideoque Deo placitum, ab eoque benedictum, vt inge ſit, cumulatum & fœcundum.

Iam primò, Caietan. & alij citati v. 15. per *venam* ſiue fontem accipiunt facultates q. d. Fac vt opes tuæ velut fontes deriuentur in pauperes; ſic fiet vt ipſæ benedicantur tum a pauperibus, tum à Deo, qui, vt ait Paulus 2. Cor. 9. 10. *multiplicabit incrementa frugum* iis, qui in egenos profuſi ſunt. Sic & Ianſenius. Vnde Septuag. habent, ἔςω σοι μόνῳ ὑπάρχοντα, id eſt, *ſint tibi ſoli exiſtentia*; alij vertunt, *ſint tibi ſoli facultates*. Sed qua ratione hi fontes foras corriuandi ſunt, diuidendi in pauperes, & tamen ſolus illos dominus debet habere, nec alieni participes eſſe debent aquarum illarum? Adde, quod S. Auguſt. legit lib. 2. contra Creſcon. c. 14. *Fons aquæ ſit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi.* Contradicere enim ſibi videtur, dum has aquas effundi vult & retineri. Nimirum, quia nunc bene retinemus, quando effundimus. Et ex eo quod effundimus, quaſi perenni recurſu diuinarum benedictionum, nihil amiſiſſe videmur; non ſecus ac ſi nihil effudiſſemus, nec alieni ex noſtris opibus partem aliquã accepiſſent, ſufficiente Deo ſemper eamdem, quam effundimus, materiam benignè ſatis, imò multò largiorem. Nam verba Septuag. *ſint tibi ſoli facultates*, interpretari poſſumus, exiſtima te ſolum diuitem: tot enim tantaq; Deus in te largitus eſt, vt ſolus facultates poſſidere poſſis opinari.

Verùm quia ſequentia & præcedentia ad vxorem & proles ſpectant, non ad opes; hinc Secundò, meliùs Hugo per *venam* accipit filios. q. d. Si ex vxore ſola caſtè liberos ſuſceperis, faciet Deus vt illi viciſſim felix & fauſtum ſortiantur coniugium ex quo pari modo filios procreent, quibus quaſi aquis multiplicatis vrbem irrigent & ciuibus locupletent.

Meritò & optimè, per *venam* accipias vxorem. hanc enim paulò antè vocauit *puteum*, id eſt, venam & fontem aquarum, id eſt liberorum, q. d. Fac vt vxor tua fœcunda ſit & benedicta à Deo, ac benedictionibus vteri felix. Id efficies, ſi eius amore & legitimo vſu contentus, vires corporis non exhaurias vaga & aliena libidine; & per amorem Dei vitia declines. Sic enim vxor tua benedicetur à Deo, multoſque inſignes, validos æquè ac probos filios tibi procreabit, iuxta illud pſal. 127.

A *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.* Idem promiſit Deus Iudæis Deuter. 28. 4. & alibi. ita Vatabl. Baynus Ianſen. & alij, & patet ex eo quod explicans ſubdit:

ET LÆTARE CVM MVLIERE ADOLESCENTIÆ TVÆ] Hæc eſt poſtparabola, ſiue applicatio & explicatio parabolæ præcedentis de vſu ciſternæ, putei & venæ. q. d. Quod dixi: *bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui*, &c. *Sit vena tua benedicta*, nunc explico dicens: *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ*, nimirum per haſce parabolas nihil aliud caſtis auribus ingero, quàm vt caueant alienos amores meretricum, ſolaque vxore, quam virginem in adoleſcentia dilexerunt & duxerunt,
B contenti, ea quaſi ſibi à Deo data honeſtè vtantur, ac cum ea lætentur & iucundè viuant: præſertim cùm illa à Deo benedicta dabit marito egregios proboſq; liberos, indeq; lætam & longæuã ſenectam; cùm ex aduerſo meretricum amor, vti inhoneſtus & adulterinus, ita infauſtus ſit, breuis & illiberis, ac in rixas, triſtitias, odia & damna grauia deſinat.

Ita lætabatur S. Ioachim cum S. Anna, præſertim quando oraculo angeli poſt longam ſterilitatem, miraculo Deiparam Virginem Mariam ex ea genuit. Vnde B. Damaſcenus orat. de Natiuit. B. Mariæ, eam ſic lætantem inducit: *Meritò igitur: Anna diuino Spiritu plena, læto hilariq; animo perſonat: Congaudete mecum, quæ promiſſionis germen ex ſterili ventre peperi, ac benedictionis fructum vberibus meis, vt optaueram, nutrio. Sterilitatis mœſtitiam exui, ac lætam fœcunditatis veſtem indui.* Et poſt pauca: *Dicant item matres omnes hac fœcunditate præditæ: Benedictus*
C *qui orantibus id, quod optabant, largitus eſt, & fœcunditatem ſterili dedit, ac feliciſſimum illud Virginis germen conceſſit, quæ mater Dei ſecundùm carnem fuit, cuius venter cælum eſt, in qua habitauit is qui nullo loco capi poteſt.*

CERVA CHARISSIMA, ET GRATISSIMVS HINNVLVS: VBERA EIVS INEBRIENT TE IN OMNI TEMPORE, IN AMORE EIVS DELECTARE IVGITER] Vers. 19. Hebr. *cerua amorum, & hinnulus gratiæ* (gratioſus) &c. *in amore eius oberra ſemper.* Septuag. *cerua* (vel *ceruus*) *amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur* vel *conuerſetur tecum. Ac propria* Scholaſt. pro ἰδία, id eſt, *propria*, legit φιλία, id eſt, *dilectio amicitia*: ſic quoque legit S. Ambroſ. l. de Iacob. c. 7. *præeſt te, & adſit tibi & omni tempore: in huius enim amicitia conuerſatus diuturnus eris.* Græcè πῶλος, id eſt, *pullus*, ſignificat pullum equi, & ita vertunt Complut. & S. Ambroſ. lib. de Ia-
D cob. cap. 7. extenditur tamen ad fœtus ceruorum, & aliorum animalium. Vnde Noſter vertit, *hinnulus*; Symmach. & Theodot. repetunt nomen *ceruus*, vertuntque *ceruus gratiæ*: Pagnin. & Rabbin. *ibex gratiæ*, Vatabl. *ſit hæc velut amata cerua, & caprea gratioſa*; Syrus, *cerua amoris & dama amoris*; Arabicus, *hinnula gratiæ tuæ*; alij vertunt, *rupicapra gratioſa*: hæc enim, inquiunt, vocatur יַעֲלָה *iaala* ab עָלָה *ala*, id eſt, aſcendit; quod montes & rupes aſcendat. Vnde Martial.

Pendentem ſummo capram de rupe videbis
Caſuram ſperes: deſpicit illa canes.

Repete ex verſ. 18. verbũ *ſit*, q. d. Sit tibi vxor chara & grata, ſicut heris grata & chara eſt cerua ſpecioſa, mitis & placida, imo ſicut hinnulus ſpecioſus,

cioſus gratioſus, obſequens & amabilis. Quare minus genuinè Rabbini exponunt q. d. Sicut cerua amorum inuenit gratiam apud hinnulum, ita vxor maritum ex corde diligens viciſſim à marito reclamari debet. vxor enim hic tam comparatur hinnulo, quàm ceruæ. *Hinnulus* vocatur fœtus, ſiuè pullus capreolarum, caprarum, damarum, ceruarum, qui ſua ſpecie, paruitate, gratia, motu, celeritate, cornutatione, ſaltu, ludicris geſtibus mirè recreat intuentes, eiſque eſt in deliciis, Vnde Cantic. 2. v. 9. ait Sponſa: *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum.* Hinc & ceruæ hinnulique ab homine cicurantur, hominemq; ſe alentem quaſi filij comitantur & ſequuntur, imò ſubinde nutriũt: ſicut cerua perpetua comes & aſſecla fuit D. Ægydij, eumq́ue ſuo lacte per plures annos enutriuit, vti habet eius Vita apud Surium die 1. Septembr. Similia de ceruis in Vitis aliorum Sanctorum legimus. S. Priſco Epiſcopo Nucerino cum ſociis fame afflictis ceruam accurrentem lac præbuiſſe, eoque celebrante angelos concinuiſſe, ac ſorores ſepulcas ei defuncto medium in ſepulcro locum ceſſiſſe, ſcribit Paulus Regius Epiſcopus Equen. libr. de Sanctis regni. Neapol. part. 2 & ex eo Philip. Ferrar in Catal. Sanctorum Italiæ, qui & addit S. Gerontio Epiſcopo Phicoclenſi iubente, ceruam comitibus ſibi laborantibus lac præbuiſſe: floruit ſub Symmacho Papa. Item Simeonem Armenum monachum in eremo cum duobus diſcipulis degentem, dum ob niues cibus haberi non poſſet, ad orationem confugiſſe, atque ilicò ceruum affuiſſe, qui ſe occidendum comedendumq́ue præbuit.

Innocens, ait D. Ambroſ. *eſt natura ceruorum. Cerua* ergo *amorum* ſignificat, vxorem, quam puellam & virginem duxit maritus, moribuſque ſuis aſſuefecit, pudicam, obſequentem, domeſticam, pulchram, gratioſam, amabilem eſſe marito, ac amorem tum mariti, tum domeſticorũ ſibi conciliare, atque efficere vt in familia ſit pax, inuicemque omnes ament, iuuent, tolerent. Hic tamen amor eſt coniugalis, id eſt, honeſtus, & moderatus; non adulterinus, id eſt, inhoneſtus, & immodicus. Nam Sixtus Pythagoreus, & ex eo D. Hieron. ait lib. 1. contra Iouin. *Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis, in ſua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu.* Et inferiùs: *Nihil eſt fœdius quàm vxorem amare quaſi adulteram.*

VERBA EIVS INEBRIENT TE (*vbera* ſignificant amores. vnde Vatab. vertit, *amores eius perpetuò te reficiant.* nam Hebr. דודים *dodim* ſignificat amores, דדים *daddaim* vbera, quia vbera ſunt illices amoris; & quia cor, quod amoris eſt ſedes, vberibus quaſi ſtipatur & continetur. Vnde explicãs ſubdit) IN AMORE EIVS DELECTARE IVGITER] Sic & ſponſa ait ſponſo Cantic. 1. *Meliora ſunt vbera tua vino.* Et, *Memores vberum tuorum: vberum*, id eſt amorum, gratiarum & beneficiorum, quæ à te in nos diſtillant, ſicut lac ex vbere diſtento; conſtat enim ſponſum non habere vbera, ſed ſponſam. Sic *vbera* accipiuntur pro amore inferiùs cap. 7. 18. Oſee 2. 2. Ezech. 23. 17. & alibi.

Senſus ergo eſt, q. d. Amor, gratia, officia & obſequia vxoris tuæ, quibus te paſcit, veſtit, recreat, diligit; & per omnia coniugij officia obſequitur, inſtar vberum tibi ſit ô marite dulciſſimus: itaque tè inebriet, id eſt, tuam cupiditatem expleat & ſatiet, vt alienæ meretricis amores & voluptates non requiras: ſed in vnius vxoris amore & officiis delecteris iugiter. Hic tamen amor moderatus ſit oportet, vt rectæ rationis & honeſtatis dictamen metaſque non excedat. Vnde Chaldæus addit, *Rationem diſce in omni tempore.* q. d. Tuus amor ſit rationabilis, honeſtus, ratione & honeſtate definitus. Sic enim viciſſim prouocabis amorem vxoris erga te, vt tibi fida ſit, teque ſui amantem redamet quaſi cerua amorum, idque iugiter. Magnes enim amoris eſt amor, nimirum honeſtus & coniugalis; qui idcirco ſtabilis eſt; cùm amor inhoneſtus & meretricius ilicò dilabatur, imò in odium & rixas conuertatur. Et ſic exponas τὸ *delectare* per futurũ, vt ſignificet fructus amoris, q. d. Hoc modo delectaberis in amore eius iugiter, iuges habebis coniugij tui delicias. Sept. vertunt, *in huius enim amicitia conuerſatus*, vel *circumductus* πολλοστὸς ἔσῃ quod Complut vertunt *multiplicabilis eris*; Romani, *diuturnius eris*; auctor Catenæ Græcor. *multeſimus eris.* Senſus eſt q. d. In caſto amore vxoris tuæ viues vitam lætam, ideoque diuturnam, & accedes ad felicitatem primorum patrum ante diluuium, qui ferè mille annos vixerunt; tu enim pro mille annis, mille commodis, & gaudiis multis annis perfrueris. Vnde S. Ambroſ. mox citandus legit, *plurimus eris.*

Porrò coniuges delectationem copulæ moderari debere, eaque non propter ſe, ſed ad generationem prolis, vti pulchro paſſeris & turturis apologo docet Cyrillus l. 4. Apolog. moral. cap. 10. *Libidinoſum paſſerem immoderatiſſimè coitu ſeſe effundentem turtur proſpiciens, mox ad eũ venit & dixit. Vt quid mi frater, in tãto libidinoſo impetu, & libidinis impetuoſo feruore conſumeris, ac tui prodigus temetipſũ effundis? an ignoras quòd animalia multùm coëuntia non diu viuant? Parce tibi, quieſce, & cuncta cum moderatione age. Cui ille reſpondit: ſi noſti delectationem veneream, quid miraris? dulcis eſca trahit ad hamum, & morſus vnus guſtatus ſuauiter rapit morſum aliũ. Ad hæc turtur intelligens ipſũ ſola delectatione adduci, adiunxit: Scio certè quòd generationis amore non duceris, ſed delectationis venereæ cupidine ventilaris. Attamen quid eſt quod effundis? nonne digeſtiſſimã medullã, nonne vitæ amabilis ſementiuã, & humanæ naturæ radicalis carnis ſubſtantiã, & diuitiarũ generatiuæ theſaurizan venam?* Deinde, quòd hoc bono proprio, æquè ac ordini naturæ repugnet, neruosè edocet. *Attẽde igitur quid tui prodigus deſtruas, quid inſanus diſpergas, quid ingratus in nihilũ proiicias, & iniquus depoſitarius naturæ chariſſimum theſaurũ tibi commodatum, inimicæ vanitati impendas. Profectò ſubuerſor es ordinis mundialis, & naturalis legis tranſgreſſor. Mundi enim ordo & lex naturæ hæc eſt, vt tanta naturæ delectatio dirigatur in prolem. Tu autem pro emptã & neglectã prole, auctor peruerſitatis, in delectationem volubilem & tranſitiuam, prolificum ſemen fundis. Quid plura? ſtultiſſimus quippe eſt, qui delectabiliter ſe deſtruit. & tanto dementius quanto libentiùs ſe perdit. Quibus dictis, quieuit.*

Apologus libidinis coniugum.

Eius noxa.

Nota ex iis, quæ ante plures annos annotaui in cap. 5 epiſt S. Pauli ad Epheſios ſub finem, amores & officia coniugum optimè repræſentari per ceruas & ceruos. Nam, vt docent Ariſtot. Ælianus, Plinius & Oppianus, Primò, cerui ceruæque amor eſt ſingularis. Secundò, cerua amabilis eſt, & in deliciis homini. Tertiò, ceruus & cerua carent felle: pari modo in connubiis olim Iunoni pronubæ ſacrificantes fel eximebant & abiiciebant, ad charitatem

Quatuordecim analogia ceruæ & vxoris. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*

ritatem coniugum deſignandam, ait Plutarchus. *Quarta.* Quartò, ceruus & cerua caſtè, nec niſi ſecretò congrediuntur. *Quinta.* Quintò, velociſſimi ſunt ad inuicem opitulandum. *Sexta.* Sextò, ceruorum in ceruas amor vti ardentiſſimus, ita & fortiſſimus eſt. vnde de iis canit Seneca:

Si coniugio timuere ſuo.
Poſcunt timidi prælia cerui,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris.

Septima. Septimò, ceruæ mari ſuo fidæ ſunt donec is ab alio ceruo duellatore victus ſuccumbat; vnde Nemeſianus. *Cerua marem ſequitur.* *Octaua.* Octauò, ceruus mox à congreſſu in ſcrobem ſe abdit quaſi libidinis cū pudeat, donec pluuia ablutus, quaſi purificatus in paſcua redeat. *Nona.* Nonò, ceruus & cerua poſt conceptum congreſſu abſtinent. q.d. Sapiens: Tale ſit tibi, ò homo, coniugium, talis vxor, qualem iam ceruam deſcripſi, ſcilicet amabilis, vnica, ſincera, blanda, caſta, collaborans, ardens, fortis, fida, verecunda, ita Ven. Beda.

Decima. Quibus adde decimò, ceruos & ceruas inuicem ſuccollare & mutua capitum onera ferre, vt doceant idem facere coniuges, ac implere illud Apoſtoli Galat. 6. *Alter alterius onera portate.* quod omnibus quidem hominibus, ſed maximè coniugibus iugiter inuicem conuiuentibus faciendum eſt. Ita D. Auguſt. quæſt. 71. inter 83. *Cerui*, inquit, *cùm fretum ad inſulam tranſeunt paſcuorum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorū, quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia neceſſe eſt vnum eſſe qui ceteros præcedens, nō ante ſe habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: vt laſſatus ſui capitis onere ille qui præcedit poſt omnes redeat, & ei ſuccedat, cuius ferebat caput, cùm ipſe præiret. Ita inuicē onera ſua portantes fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Iſtā fortaſſe ceruorum naturam intenderat Salomon, cùm ait: Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.*

C

Vndecima. Vndecimò. ceruæ ob vterum arctiorem difficillimè pariunt; hinc ad faciliorèm partum ſeſeli herba vtuntur, teſte Plinio lib. 8 cap. 32. Deus etiam eas adiuuat per tonitru, iuxta illud pſalm. 28. *Vox Domini præparantis ceruos*; D. Hieron. *obſtetricās ceruos*; Aquila & Symmach *parturiens*; Chald. *parturire faciens ceruos*: ceruæ enim matricem habent anguſtā, quæ pauore tonitrui dilatatur, vt faciliùs pariant. Hinc fit vt ceruæ ament intimè ſuos fœtus, vtpote quos tanto dolore & niſu enixæ ſunt. Idem faciat vxor, cuius pariter difficillimus eſt partus, vt filios, quos per nouem menſes vtero geſtauit tantoq́ue dolore peperit, diligat, educet, inſtruat, formet ad omne bonum proſequendum, & ad omne malum cauendum, ad quod opus eſt magna induſtria. Audi Ariſtot. lib. 6. de Hiſtor animal. cap. 29 *Ceruæ parere iuxta vias ſolent metu belluarum. Incrementum hinnuli celere, &c. ducere ſuum hinnulum ad ſtabula conſueuit: quem locum ſibi habet refugium, petra abrupta eſt vno aditu. vnde defendere ſe repugnareq́; ſolet iis qui inuadunt.* Addit Plinius lib. 8. c. 32. *Editos partus exercent curſu, & fugam meditari docent, & ad prærupta ducunt, ſaltumq́; demonſtrant.* Simili modo probæ matres filios ſollicitè ac ſolerter educant & inſtruunt, monent, exercent in omni virtute & fuga vitiorum.

D

Duodecima. Duodecimò, cerua ſerpentes inſequitur & deuorat; ſic vxor bona inſectatur ſcortatores. *Et gratiſſimus hinnulus*, id eſt, filius ex ea natus, ait Beda & Hugo, caſtitatis amator, ad bona agilis, & viſu fidei perſpicax, tibi iucundiſſimus erit. Hinc à Grecis ceruus vocatur ἔλαφος quaſi ἐλῶν ὄφεις, id eſt, extrahens ſerpentes, vel, quaſi ἐλαφρὸς, id eſt, leuis, agilis. Ceruos narium ſpiritu è cauernis extrahere ſerpentes, docet Lucretius lib. 6. Addit Plinius loco iam citato, ceruos ſuo halitu vrere ſerpentes. Hinc & ſingulare abigendis ſerpentibus remediū eſt ceruini cornu ſuffitus, ait Nicander.

Decima tertia. Decimotertiò, ceruæ, quia frigidæ, timidæ ſunt. Vnde illud Chabriæ, & poſteà Philippi patris Alexandri Magni: *Melior eſt exercitus ceruorum duce leone, quàm leonum duce ceruo.* Et illud Tertulliani: *In pace leones, in prælio cerui.* Sed contra inſidias hoſtium Deus ceruas dotauit acri auditu & circumſpectione, cùm enim aures arrigunt, audiunt acertimè & inſidias præſentiunt, fugiendoq́; euadunt, ait Ariſtot. Sic vxores timidæ ſunt: timor hic eas vti & cetera animalia timida, docet circumſpectionem & prudentiam, præſertim vt audiendo vocē mariti, eiq́; obediendo, pericula cuncta & damna deuitent. Rurſum biſida vngula ceruæ notat diſcretionem & examen agendorum, vt vxores ſint diſcretæ, caueantq́; ea quæ maritum vel familiam turbare vel exacerbare valerent. Inſuper prudētiā cerui (nam cerua cornibus caret) notat, quòd cornua poſiturus ſecretum petit, ne inermis deprehēdatur. Vnde prouerbium: *Vbi cornua ponunt cerui*, id eſt, loco incognito & inaceſſo. Denique Ariſtot. lib. 1. Hiſtor. animal c. 1. *Cerui*, inquit, *ingenioſi ſunt & timidi*, Vide eumdem lib. 9. c. 5,

Decima quarta. Denique ceruæ, quia carent felle, ſunt viuaces ac diutiſſimè viuunt. ita Ariſtot. loco iam citato. Et Plinius lib 8. cap. 32. *Vita ceruis*, inquit, *in confeſſo longa eſt: poſt centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat. Febrium morbos non ſentit hoc animal; quin & medetur huic timori.* Pari modo Salomon hic promittit coniugibus longæuitatem, ſi caſtam, honeſtam, & cōcordem vitam agant in timore Dei. Sunt qui trecentos annos vitæ dent ceruæ, alij plures, alij pauciores.

Myſticè, ſicut per venam, fontem, ciſternam, adumbrantes vxorem pudicam; ſic & per ceruam & hinnulum accipe ſapientiam & virtutem: hæc enim nobis omni hinnulo ſpecioſior, charior & gratior eſſe debet, quaſi ſponſa optatiſſima. Cui proinde omnes ceruæ dotes iam recenſitas facilè accommodes, ob quas illa ſummo amore & ſtudio digniſſima eſt. Vnde Chald. vertit: *cerua amorum & exultatio gratiæ. Rationem diſce in omni tempore in amorem eius incumbe ſemper*; Vatab. *in dilectione eius perpetuo ſis implicitus*; Syrus, *vias eius diſce omni tempore, & amorem eius cogita.* Sapientia ergo & virtus eſt cerua amorum, quia amorem ſui excitat; & quia homines amat, ac ab iis amari cupit, idq́ue vehementer & ardenter.

Allegoricè, ceruus & cerua repræſentant connubium Dei cum anima ſancta & religioſa in quo omnia plena ſunt amoris, voluptatis gratiarum, laudum & iubilorum. Vnde Hugo Victorinus lib. 1. de Vanit. mundi, & ex eo noſter Aluarez de Paz tract. de Incitamentis Religioſ. lib. 1. p. 3. c. 25. ſub finé per *ceruam & vbera* accipit animam Religioſam, Chriſto per tria Religionis vota deſponſam. Eſt ergo, inquit, anima Religioſa ſponſa Dei,

&

& Deus ſponſus eſt animæ ſibi per hunc felicem ſtatum conſecratæ; ſiquidem hoc inter illos arctũ vinculum intercedit. Quos ſponſos dulciſſimos præterire non poſſum, niſi priùs lætiſſimo corde illis congratuler: O Domine Deus meus, ô ſponſe chariſſime ſit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus. Vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter. Hæc ſponſa tua, ſicut aquarum vena effundit aquas, ita ſanctorum affectuum filios tibi profundat. Tam pulchra & decora ſit, vt gaudij ac lætitiæ occaſiones ſingulis momẽtis ſibi præbeat. Tam fidelis, vt, quemadmodum cerui maria tranantes ſe inuicem iuuant, anteriore caput ſequentis ſuſtinente: ſic tuę domus curam, & tuorum ſeruorum ſollicitudinem non inuita ſuſtineat. Tam amabilis, vt hinnuli, qui in deliciis habetur, gerat imaginem, eiuſque conuictu delecteris. Vbera eius Domine, quæ ſeruus tuus Bernardus congratulationem & compaſſionem vocat, ita tibi ſatisfaciant, vt gaudio eius de profectu bonorum, & compaſſione eius de caſibus puſillorũ, veluti inebrieris, eique vicem rependens in ſuis bonis gaudeas, & ſuas infirmitates diſſimules. Amor deniq; eius erga te ſic purus & ardens, ſic à priuato amore alienus inueniatur, vt ex eo tamquam ex amore ſponſę dulciſſimæ capias voluptatem. Sic quoque S. Ambroſ. lib. de Iacob & vita beata c.7. totum hunc locũ explicat de viro perfecto, qui vni Deo adhærens & ſeruiens beatus eſt: *Quid enim requirat*, inquit, *qui inferiora deſpicit? Præſtantiſſimo autem inhæreat: ſicut ſcriptum eſt: Ceruus amicitiæ, & pullus equi gratiarum conuerſetur tecum. Amicitia autem præcedam te, & vnà ſit tecum in omni tempore. Bona enim virtutũ amicitia, & ſũmi boni charitas. Nihil itaque aliud quærit perfectus ille, niſi ſolũ & præclarum bonum, vnde & dicit: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationem Domini. Neque verò eum tamquam anguſtum inopemque faſtidias, quia vnius hominis velut ſolitaria ſocietate contentus ſit. Huius enim amicitia circumdatus, plurimus erit: Abundant enim huiuſmodi viro ad beatitudinem & ad poſſeſſionem boni, & ideo nihil aliud deſiderat. Nihil enim quaſi nouum expetit, qui omnia habet. Nihil eſt enim boni, quod non habeat; nec ſuperfluis delectatur, ſed neceſſariis, & eo ipſo neceſſario, quod non ſibi, ſed carni adhærenti ſibi neceſſariũ ſit idque indulget, quòd ab interioris hominis propoſito non diſcrepet, quòd faciat vtraque vnum, & reconciliet exteriorem hominem iuxtà atque interiorem Deo, vt fiat in vtroque vnus ſpiritus. Huius igitur propoſiti vir nec diſpendijs minuitur, nec aduerſis frangitur, nec repagulis inhibetur, nec ſuorum amiſſionibus contriſtatur.*

Accedit Pierius Hierogl.7.c.16. vbi per *pullum gratiarum* (vt vertunt Septuag.) accipit pullum columbinum, per quem intelligit Spiritum ſanctum, qui gratiarum eſt diſtributor. Itaque ſignificari hic, vt ſemper Chriſti & Spiritus ſancti ſolatia requiramus. Verùm Hebr. יעלה *iaala* pullum equi vel cerui non columbæ ſignificat. Vnde Noſter vertit *hinnulus*.

Chriſtus eſt pullus gratiarum.

Symbolicè S. Ambroſ. in pſal. 41. initio, per *ceruum amorum & pullum gratiarum* accipit Chriſtum, qui eſt amor amorum & gratia gratiarum. *Ceruus amicitiæ*, inquit, *& pullus gratiarum confabuletur tibi: veras enim Dei filius in ſemetipſo naturam, quam animantibus ipſe donauit, expreſſit, qui in hunc mundum tamquam ceruus aduenit: & cum his ſe mira ſimplicitate iungebat, à quibus ei parabantur inſidiæ. Fertur enim huiuſmodi ceruorum eſſe ſimplicitas, vt, cùm ſe exagitari viderint, his ſeſe equitibus adiungant, qui miniſterio fraudis appoſiti, fugæ ſpecie ac ſimulatione ſocietatis inductos ad retia vſque deducant. Ita ergo Dominus tamquã ignarus periculi atque improuidus, Iudæis dolum ſibi ſtruentibus admiſcebatur, & ſocietatem Iudæ proditoris ſui ſibi adſciuit, cuius ſimulatione funeſta vſque ad crucis laqueos & paſſionis retia peruenit.* Et poſt nonnulla: *Similis eſt*, inquit, *conſobrinus meus capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel. Bonus ceruus, cuius mons eſt domus Dei, in quam tanta celeritate currebat, vt ſponſæ vota & deſideria præueniret. Denique quem de longinquo venientẽ viderat, repentè ſibi adeſſe cognouit. Vnde & ait: Ecce hic ſtat poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, eminens per retia.* Et paulò pòſt ordiens pſal. 41. *Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Cerui ſimilitudinẽ ſuſcipit etiam Chriſtus, quia veniens in terras ſerpentem illum diabolum ſine vlla ſui offenſione protriuit: cui calcaneum ſuum obtulit, ſed eius venena non ſenſit. Vnde dictum eſt ei: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis. Simus ergo & nos cerui, vt ſuper ſerpentes ambulare poſſimus. Erimus cerui, ſi vocem Chriſti ſequamur, quæ nos & præparat ceruos, & facit morſus ſerpentiũ non timere: at ſi qui fortè fuerint vulnerati, aufert eorum dolorem, ſoluendo delictum. De his ceruis dicit Dominus ad Iob: Obſeruaſti partus ceruarum, numeraſti autem menſes earum plenos partus: Dolores autem earum ſoluiſti, enutriſti filios earũ vt non timeas?* Et mox: *Meritò ergo ceruus ſanctus eſt Dominus, vt tales ſibi ceruos Domini vox præpararet, de quibus ait: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Tollebant enim ſerpentes, cùm ſpiritu oris ſui ſancti Apoſtoli de latebris corporum eruerẽt nequitias ſpiritales, nec venena mortifera ſentiebant. Denique cùm exiliens de ſarmentis Paulum vipera momordiſſet, videntes Barbari pendentem viperã de manu eius, putabant repentè moriturum. At ille ſtabat intrepidus, nec vulnere mouebatur, nec veneno infundebatur. Vnde videntes eum non tamquam hominis conditione genitum, ſed tamquam Dei gratia editum, ſupra hominem eſſe arbitrabantur. Vide ceruum viperam de latebris eruentem ſpiritu diuino qui erat in naribus eius, ſicut dixit Dominus ad Iob.*

Hinnuli Apoſtoli & doctores.

Tropol. S. Hieron. in Iſai. c.34. ſub finem docet, ceruos & hinnulos gratiarum eſſe Apoſtolos & ſanctos doctores, qui quaſi hinnuli celerrimè diſcurrerunt & diſcurrunt per orbem, eumq; magnis laboribus & doloribus conuerterunt & conuertunt ad Chriſtum: de quibus ait Iob. c.39. *Numquid, &c. parturientes ceruas conſideraſti? Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.* Vide rugitus S. Pauli & Apoſtolorum graphicè deſcripentem S. Gregor. eodem loco. Porrò dotes tredecim ceruæ paulò antè recenſitas facilè adaptabis Apoſtolis, doctoribus & prædicatoribus.

Rurſum Beda: *Cerua chariſſima*, inquit, *ſiue gratiſſima, vt quidam codices legunt, eſt S. Eccleſia, quæ ſerpentinam odio habere ſolet & conterere doctrinam. Gratiſſimus hinnulus populus eſt eius virtutem varietate delectabilis, & eadem caſtæ ſemper fidei æmulatione ſuccenſus. Cuius vberibus inebriamur, cùm vtriuſque teſtamenti paginis contra hæreticorum fraudes inſtruimur, cuius pace & amore iugiter delectari, magna eſt exercendarum occaſio virtutum.*

Denique S. Auguſt. ſerm. 21 de Verbis Apoſtoli per ceruum accipit amicum, qui amici onera portat,

A tat ſicut cerui alter alterius cornua dorſo viciſſim excipiunt, dum mare tranfretant, *Ceruus amicitiæ,* inquit, *& pullus gratiarum colloquatur tecum. Nihil enim ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio:* iuxta illud, *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti,* Galat.

VERS. 20. QVARE SEDVCERIS FILI MI AB ALIENA ET FOVERIS IN SINV ALTERIVS?] Eſt concluſio q. d. Cùm ex dictis, ò fili, ô diſcipule, clarè perſpicias quanta ſint commoda honeſtæ vxoris & coniugij, ac quanta damna inhoneſtæ meretricis & fornicationis, eriſne adhuc tam demens & vecors, vt ab aliena meretrice te ſeduci & foueri ſinas in tuam perniciem & ruinam? Vnde Hebr. habent, *vt quid errabis fili mi, in aliena, & amplexaberis ſinum extraneæ* amor enim eſt error, & amantes ſunt quaſi amentes; Septuag. *ne multus ſis ad alienam, neque contineatis vlnis non propriæ;* vbi πολὺς, id eſt, *multus,* **B** opponitur τῷ πολλοστός, id eſt, *multeſimus,* quod præceſſit. q. d. Cùm deliciis vxoris tuæ abundes ſiſque quaſi multeſimus in gaudiis ſolidis; cur iis relictis & eorum vice ſtolidè ſis multus & multeſimus in ſumptibus, curis & doloribus in meretricem exhauriendis; Cum enim illa multis aſſueuerit, & à multis multa corroget; ſi tu ea potiri velis, oportet, vt tu vnus multorum vices ſubeas, fiaſque ex vno multiplex, vt eius cupiditati, ornatui & auaritiæ inexplebili ſatisfacias; vtque tu vnus præſtes ei quæcumque multi præſtiterunt.

VERS. 21 RESPICIT DOMINVS VIAS HOMINIS, ET OMNES GRESSVS EIVS CONSIDERAT] Hebr. *coram oculis Domini viæ hominis, & omnes ſemitas eius ad amuſſim librat* vel *ponderat,* Syrus & Chald. *quoniam in conſpectu oculorũ Dei viæ viri, & omnes ſemitæ manifeſtæ ſunt coram Deo.* **C** Eſt hæc noua & efficax ratio ad diſſuadendam fornicationem & conſuetudinem cum aliena, quòd cùm fornicatores quærant tenebras & fornices, in quibus lateant, quaſi à nemine videantur; Deus tamen clariſſimè eorum turpitudinem & ſcelera intueatur, eaque ſit publico iudicio ad lancem & trutinam expenſurus, condemnaturus & puniturus. Ipſe enim *omnes eius greſſus,* id eſt actiones, ad libellam librat, examinat & ponderat, an bonæ ſint an malæ; rurſum quam bonæ vel quàm malæ ſint, ac quantum præmium vel pœnam mereantur. Vnde Septuag. addunt cauſale *enim,* vt oſtendant hîc nouam rationem, & cauſam dari ad vitandam meretricem, ſic enim habent, *ſunt enim coram oculis Dei viæ viri, & in omnes eius orbitas* (Aquila, *flexus*; Symmach. *gyros*) *ſpeculatur.* Expreſſiùs Vatab. hæc nectit verſui præcedenti, prorogando hucuſque notam interrogationis, hoc **D** modo: *Cur enim, mi fili, alienæ eſſes implicitus? cur in gremio alienæ adhæreſceres? quando viæ hominis oculis Domini ſunt expoſitæ, & omnium itinera æqua lance expendit?* Eumdẽ lucidiſſimum Dei oculum fornicariis intorquet, & multis intentat Eccleſiaſticus c. 23. 25. *Omnis homo,* inquit, *qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam, & dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? delictorũ meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, &c. quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Vbi plura de hac re dixi: quare ea hîc non repetam.

VERS. 22. INIQVITATES SVÆ CAPIVNT IMPIVM, ET FVNIBVS (S. Iren. lib. 3 c. 10. legit, *reſtibus*) PECCATORVM SVORVM CONSTRINGITVR] Symmach. *comprehenditur;* Arabicus, *ligatur;* Vatabl. *irretitur;* Pagnin. *tenetur;* Hebr. יִתָּמֵךְ *ittamech,* id eſt, *fulcitur, tenetur in alto ne cadat.* Vnde R. Salomon interpretatur. *ſuſpenditur,* Suſpenſus enim, inquit ipſe, funibus laqueiſque fulcitur, à quibus pendet. Sic & R. Leui, qui pro *capiunt* vertens, *illaqueant,* & pro *conſtringitur* vertens, *fulcietur;* hoc eſt, inquit, retibus peccatorum funibuſque fulcietur firmabiturque laqueus, quo perditus conſtringatur, quod planè flagitioſis accidiſſe conſtat, qui ſibi ipſis fuere artifices exitij. Septuag. *iniquitates virum capiunt & catenis peccatorum ſuorum implicatur;* vel *ligatur:* Chald. *peccata ſua comprehendunt impium,* quaſi lictores & tortores reum.

Quæritur Primò, quorſum hoc dicat Salomon, & quid hoc faciat ad præcedentia & ſequentia? Reſpondeo Primò, rectè hic verſus connectitur præcedenti. q. d. Deus iudex & vindex reſpicit fornicationes & peccata cuiuſque, vt ea libret, iudicet & puniat, nec eius manus quiſquam euadere poterit. Etſi enim ad tempus peccata diſſimulet, & peccatorem ſuæ libertati relinquat; tamen is iam funibus peccatorum ſuorum conſtrictus tenetur, vt quaſi reus ſuo tempore ſiſtatur iudici & plectatur.

Secundò, rectè quoque cohæret cum v. ſequ. hoc ſenſu, vt ſit occupatio, q. d. Fornicatores & peccatores fatentur ſe malè agere, & coram Deo reos eſſe; ſed ſibi perſuadent, quòd in ſenio refrigeſcentes ætate & concupiſcentia, ſe amoribus meretriciis facilè expedient, pœnitentiam agent, & ſaluti ſuæ cõſulent. Verùm errant, quia vitia præſertim libido, conſuetudine roborata ſunt quaſi funes è multis actibus quaſi filis implexi & contorti, qui ita validè ligant animam, vt ab iis etiam in ſenio ſe expedire non poſſint, iuxta illud Iob 20. 11. *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Quare iuuenis fornicari aſſuetus, etiam in ſenio fornicabitur vel realiter, vel mentaliter per memoriam & delectationes moroſas præteritarum fornicationum: itaque in peccato ſuo morietur, nam vt ait D. Auguſtin. idipſum in ſe expertus lib. 6. Confeſſ. cap. 12. & ſequ. *Dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

Quæres Secundò, qui ſint *funes peccatorum,* qui ligant impium? Reſpondeo Primò, eſt culpa ſiue macula peccati, quæ poſt actum remanet: *Funes peccatorum qui? Resp. Primò.*

Secundò, eſt ipſe reatus maculæ annexus, quo peccator reus tenetur & obnoxius iræ & vindictæ Dei: peccata enim tranſeunt actu, manent reatu. *Secundò.*

Tertiò, eſt ipſa ſeruitus diaboli, à quo peccator quaſi mancipium captiuus tenetur, iuxta illud D. Petri epiſt. 2. c. 2. 19. *Cùm ipſi ſerui ſint corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Vnde D. Iſidor. lib. 2. de Summo bono cap. 39. *Principaliter his duobus vitiis,* inquit, *diabolus humano generi dominatur, id eſt, ſuperbia mentis & luxuria carnis.* Et D. Paulus 2. Timoth. 2. 26. *Reſipiſcãt à diaboli laqueis à quo captiui tenẽtur ad ipſius voluntatem.* Vnde Dionyſ. peccator, inquit, eſt equus diaboli: ſicut enim eques agit equum quò libet, ſic & diabolus agit peccatorem. Reatus ergo peccati eſt quaſi funis lictorum obligans animam Deo, peccato dæmoni vt tortori; morti & inferno vt carceri, eculeo & ſup- *Tertiò.*

ſupplicijs. ita S. Hieron. in cap. 4. Ezech. *Alia*, inquit, *ſunt Domini vincula quibus in ſalutem ligamur, alia diaboli quibus decem & octo annis ligauerat mulierem in Euangelio.* Lucæ 13. 16. *Vnde & funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.*

Quartò. Quartò, *funes peccatorum* ſunt peccandi habitus & conſuetudines, quæ ita peccantē ligant & quaſi neceſſitant, vt ijs ſe extricare nequeat, niſi per ſingulare robur & gratiam cælitus à Deo immiſſam, quale habuit Dauid dicens pſ. 115. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Ita S. Hilar. in pſ. 118. lit. *chet*: *Modo funis*, inquit, *ex pluribus minimis creſcentis in multum, peccata tanquam longo fune tenduntur. Sunt etiam hæc delictorum vincula, de quibus in Prouerbijs ſcriptum eſt: Faſcijs peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur ſtringit enim nos atque alligat, & his vitiorum funibus implicat diabolus, in omni vitæ noſtræ curſu laqueos prætendens.*

Quintò. Quintò, *funes peccatorum* ſunt connexio & colligatio peccatorum: vnum enim peccatum trahit ad aliud, & hoc ad aliud, vt gula trahit ad libidinē, libido ad furtum, furtum ad homicidium, &c. ex quibus omnibus fit funis tam implexus & craſſus, vt rudentibus nauticis vel curulibus æquari poſſit. *De luxuria* ait S. Gregor. 31. Moral. 31. *cæcitas mētis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror autem vel deſperatio futuri generantur;* iuxta illud Iſaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Vbi multa hac de re dixi. Ita Beda, *Impij*, inquit, *funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur, cùm inceſſabili argumento ſuæ prauitatis interemnt. Qui enim funem facit, torquendo ſemper, & inuoluendo filis fila adauget. Talis eſt fortitudo malorum operum, tales libri hæreticorum. In quibus prius praua nectentes, non aliud ſcribendo, quàm quo ſe arctius obligent, agunt.*

Porrò S. Iſidorus pro *funibus* legit *crinibus*; per quos accipit intonſam comam & barbam, quæ olim erant pœnæ & ſymbola pœnitentium. Audi eum de Offic. Eccl. lib. 2. 16. *Qui pœnitentiā agunt, & capillos & barbam nutriunt, vt demonſtrent abundantiam criniũ, quibus caput peccatoris grauatur: ſicut ſcriptum eſt: Crinibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Vir quippe ſi comam nutriat, vt ait Ap. 1. Cor. 11. ignominia eſt, illam ergo ignominiam ſuſcipiunt pœnitentes pro merito peccatorum.*

Igitur per *funes* poſſunt accipi pœnæ & pœnitentiæ peccatorum: hæ enim peccatorem ligant, cruciant & affligunt. Vnde S. Auguſt. in Sententijs ſent. 75. *Corpus*, inquit, *carnis noſtræ ornamentum fuit, peccauimus & compedes inde accepimus, vt vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum curſus præpediretur.* Et S. Ephrem per *funes peccatorum* accipit pœnas gehennæ; ſic enim ait tract. de Varijs tormentis inferni: *Hic e ſuppliciorum locis diſtribuuntur miſeri, quiſque pro peccatorum ſuorum modo vehementiùs minuſue, ſicut ſcriptum eſt: Quia funibus peccatorum ſuorũ conſtringitur vnuſquiſque.* De iiſdem dicitur pſal. 17. 6. *Dolores inferni circumdederunt me.* Vbi pro *dolores* hebr. eſt חֶבְלֵי *cheble*, id eſt *funes*, vt vertit S. Hiero. quia dolores atroces, ceu funes, hominem ſtringunt & coarctant, vt patet in parturientibus.

Vers. 23. IPSE MORIETVR, QVIA NON HABVIT DISCIPLINAM, ET IN MVLTITVDINE STVLTITIÆ SVÆ DECIPIETVR] Hebr. *errabit*; Symmach. *& ſtultitia illius errabit*; Septuag. *is moritur cum his qui non habent diſciplinam, & de multitudine vitæ ſuæ de-*

A *iectus eſt, & perijt propter imprudentiam*, vel *inſipientiam.* Pro *vita* græcè eſt βιότητος, quod Complut. vertunt, *violentia.* Sed minùs rectè: nam βία eſt violentia, βιοτὴς verò eſt vita; Chald. *ipſe morietur abſque diſciplina.*

Ex dictis v. præced. liquet quis ſit ſenſus, nimirum, q. d. Aſſiduitas fornicandi & peccandi, quæ quaſi funis ligat iuuenem ſcortatorem, adiget eum ad mortem præſentem & æternam; quia diſciplinam inſtitutionemque non admiſit, eique obedire noluit. Vnde ob multam ſuam ſtultitiam decipietur, quia cùm ſperabit longam adhuc vitam, ſubita peſte vel lue correptus, aut gladio, telo, ſimiliue caſu ictus morietur. Rurſum ſperabit ſe in ſenio vitam mutaturum, & pœnitentiam acturum; ſed decipietur, quia in ſenio vitia iuuentutis ſibi inhærentia & agglutinata, imò molita reperiet: quare

B ijs adhæreſcens immorietur, peribit & damnabitur. *Iuſto enim Dei iudicio fit, vt peccator, qui in vita oblitus eſt Dei, in morte obliuiſcatur & ſui*, ait S. Aug. Vnde Vatabl. vertit, *ipſe morietur abſque diſciplina, in multitudine ſtultitiæ ſuæ implicabitur.*

Nota ſunt exempla Chryſaorij in morte clamantis: *Inducias vel vſque manè*, eaſque non obtinentis, apud S Greg. 4. Dialog. c. 38. & aliorum ſimilium apud eundem, & apud Ven. Bedam in Hiſtor. Angl. Palladius in Lauſiaca cap. 26. ſcribit S. Pachomium optaſſe ferarum dētibus laniari, eò quòd 40. annorum ſolitudine, ieiuniorum, aliarumque rerum aſperitate, non potuerit hunc hoſtem expugnare, licet nunquam hoſti ſuccubuiſſet. Deinde & B. Moſen ex latrone eremitam, cuius vita quondam parum continens fuerat, nulla

C ieiunij ſecuritate potuiſſe laſciuiam carnis domare: imò cùm poſt ſexennium ieiunio vigilias diuturnas, longas preces, multaſque lacrymas iunxiſſet; nihil tamen obtinuiſſe, donec tandem poſt exantlatos multos alios labores benedictione Patris ſui ſpiritualis quietem aliquam, fremente licet ſatana, meruiſſet. Quibus exemplis Deus videtur oſtendere voluiſſe, quàm ſit arduum, initum ſemel cum luxuria fœdus diſſoluere.

Quocirca ingens eſt ſtultitia quòd peccator ſemper longiorem vitam ſibi promittat, nec peccandi finem faciat, cùm tamen hic à Salomone præmonitus debeat citam mortem expectare, imò ſubitam & inopinatam, iuxta illud Chriſti: *Et vos eſtote parati, quia qua hora nō putatis, Filius hominis veniet*, Lucæ 12. 40. Stultitiam hanc promouet dæ-

D mon, dum quolibet anno ſuggerit homini: Tu adhuc validus es, hoc ſaltem anno nō morieris: facilè ad vnum annũ vitam prorogabis, hoc ergo anno licebit frui ſolitis voluptatibus, ſequenti pœnitentiam ages. Hunc autem ſenſum & ſuggeſtionē quolibet anno renouat: quo fit, vt, dum annus ipſe mortis adeſt, ſibi idem perſuadeant quod alijs annis, nimirum. Facilè hunc annũ ſuperabis, interim decipiuntur, quia illo anno moriuntur, & imparati moriuntur, quia putauerunt ſe illo anno non morituros. Hic eſt ergo paralogiſmus dæmonis, quo multos decipit & implicat vt malè viuant, & malè moriantur. Tu ſingulis annis prudenter potes ſperare adhuc annũ vitæ. Atqui inter ſingulos annos eſt annus mortis, quo ſcilicet Deus decreuit vt moriaris. Ergo illo anno potes ſperare, tibiq; perſuadere, te non moriturum, cùm tamen Deus certò decreuerit te illo moriturũ. An non hæc manifeſta eſt fraus & deceptio? Proinde audiunt tales, Paralogiſmus dæmonis. quod

quod dictum eſt diuiti illi promittenti ſibi plures annos vitę ſplendidę: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autē paraſti, cuius erunt?* Lucę 12.20. Et illud Iob. 21.13. *Ducūt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcēdunt* gaudentes, epulantes, dormientes. Audiant ergo peccatores ſapiens S. Aug. conſilium in Sententijs ſent. 71. *Remedia conuerſionis ad Deū nullis cunctationibus ſunt differenda, ne tempus cor-* A *rectionis pereat tarditate. Qui enim pœnitēti promiſit indulgentiā diſſimulanti diem craſtinam non ſpopondit.* Et ſent. 138. *Animus malè ſibi conſcius, dū videtur ſibi nullam pœnam pati, credit quia non iudicet Deus; cùm abuti patientia Dei, & non intelligere parcentis benignitatem, iam ſit magna damnatio.* Et ſent. 235. *Nullus in Deo locus eſt, nec eſt quò fugiatur ab ipſo niſi ad ipſum. Qui vult euadere offenſum, confugiat ad placatum.*

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet ſponſori ſatagendum eſſe, vt ilicò ſponſione ſe liberet. Mox v.6. pigrum formicæ exemplo ad laborem excitat. Ad hæc v.12. deſcribit apoſtatam, & ſeptem vitia, quæ Deus odit. Deinde v.20. Exhortatur ad cuſtodiam legis, reditq́ ad inculcandum fugam meretricis & adulteræ.

1. Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, 2. illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. 3. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: 4. ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. 5. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis, 6. Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: 7. quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, 8. parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. 9. Vſquequò piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? 10. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, vt dormias: 11. & veniet tibi quaſi viator, egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te. 12. Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, 13. annuit oculis, terit pede, digito loquitur. 14. prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. 15. Huic extemplò veniet perditio ſua, & ſubitò conteretur, nec habebit vltrà medicinam. 16. Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: 17. Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, 18. cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, 19. proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. 20. Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. 21. Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. 22. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris, cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis. 23. quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ: 24. vt cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. 25. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius: 26. pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit. 27. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? 28. aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? 29. ſic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cum tetigerit eam. 30. Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt eſurientem impleat animam. 31. deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet. 32. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: 33. turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur: 34. quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, 35. nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

VERS. 1. FILI MI, SI SPOPONDERIS PRO AMICO TVO, DEFIXISTI APVD EXTRANEVM MANVM
VERS. 2. TVAM, ILLAQVEATVS ES VERBIS ORIS TVI, ET CAPTVS PROPRIIS SERMONIBVS] Docuit iuuenem cauere à meretrice, ne cum ea opes ſuas dilapidet, nunc eundē docet cauere à temeraria (nam rata & prudens, honeſta eſt, opuſque beneficentię & charitatis) fideiuſſione, quæ pari modo opes ſæpè exhaurit. Sunt enim iuuenes improuidi, qui pro quolibet amico ilicò fideiubent, ideoque eo defi- B ciente debitum præſtare coguntur, quo fit vt ſe & familiam ſæpè in magnas anguſtias conijciant, & ad extremam pauperiem, quin & carcerem redigant. Idem fideiuſſionis argumentum fuſiùs tractauit Eccl. cap. 29. 19. & ſeq. & ego ibidem: quare hìc cum Salomone breuis ero.

Senſus eſt. q. d. Si pro crimine vel debito alterius fidem tuam & teipſum obligaris, ſcil. te curaturū, vt reus crimen purget, vel pro eo ſatisfaciat, adeoque pœnam ſtatam luat, aut quaſi debitor debitum exſol-

exoluat; *defixiſti*, id eſt, ſtipulatione & defixione manus tuę in manum creditoris obligaſti teipſum. Vnde Chald. vertit clarè, *promiſiſti ſoluere extraneo manu tua*; Syrus, *porrexiſti manum tuam extraneo*; Septuag. *trades manum tuam inimico tuo*; Scholiaſtes; *infixiſti in catenā manum tuam*. Hinc noſter Martin. de Roa lib. 1. Singul. cap. 4. ſic exponit *defixiſti manum tuam apud extraneum*, id eſt, ius & poteſtatem extraneo feciſti, vt te manu prehendat, & quaſi debitorem ſuum apud iudicem vocet, ac quæ ſpopondiſti repetat. Inſuper *illaqueatus es verbis oris tui*, quia ore tuo promiſiſti te ſoluturum debitum, vel luiturum crimen amici, pro quo fideiuſſiſti: & *captus es verbis oris tui*, id eſt, ſponſione tua te obligaſti, & quaſi captiuum tradidiſti te creditori vel iudici, vt te capere & in carcerem conijcere poſſit, ſi deficiente debitore debitum eius non exoluas. Vnde Septuag. vertunt, *laqueus enim fortis viro propria labia, & capitur verbis oris ſui*.

B

Idem ſuaſère Philoſophi. Celebre eſt illud Thaletis: *Sponde, noxa præſto eſt*. Vnde addit Auſonius in dicto Thaletis:

Per mille poſſum currere exempla, vt probem
Prædes vadeſque pœnitudinis reos.

Et illud Chilonis; *Sponſioni non deeſt iactura*. Vnde Plinius lib. 7. c. 32. *Morales*, inquit, *oraculorum ſocietatem dedère Chiloni: tria eius præcepta Delphis conſecrando aureis literis, quæ ſunt hæc: Noſſe ſe quemque: & nihil nimium cupere: comitemq; æris alieni atq; litis eſſe miſeriā*. Cherſias apud Plutarch. in Conuiuio Platonis, refert fabulam Homeri de Ate, quæ quòd adfuerit Iouis ſponſioni de natiuitate Herculis, ab eo præcipitata eſt in terram.

Christus ſponſor noſter. Symbolicè hęc aliqui adaptant Chriſto, qui pro debitis & peccatis noſtris vadimonium ſubijt, ſeq; vadem & prædem Deo Patri quaſi creditori exhibuit, dū reipſa ſoluit debita luitque crimina noſtra, quando manus ſuas in cruce defigi permiſit.

C

& Prelati, Myſticè hęc referas ad Paſtores, Epiſcopos, principes & reges, qui ſe Deo obligant, ſpondentq; ſe ſubditorum ſalutem curaturos: quare ſi ſubditi ipſorū negligentia pereant, Deus ſanguinem eorum de manu ipſorum requiret. Vnde Septua. vertunt, *fili ſi ſpoponderis amicum tuum*; Aquila *ſodalem*; Symmach. & Theod. *proximum tuum*, ſcilicet ſiturum te Deo ſaluumq; exhibiturum. ita Beda & S. Bernard. *Deus*, ait, *amicus eſt in ſponſione, ſed extraneus in exigenda ratione*. Audi S. Grego. 3. parte Paſtor. admon. 5. *Spondere pro amico, eſt alienam animam in periculo ſuæ conuerſationis accipere. Vnde & apud extraneū manus defigitur, quia apud curam ſollicitudinis, quæ antè deerat, mens ligatur. Verbis verò oris ſui illaqueatus eſt, ac proprijs ſermonibus captus: quia dum commiſſis ſibi cogitur bona dicere, ipſum priùs neceſſe eſt, quæ dixerit, cuſtodire. Illaqueatur igitur verbis oris ſui, dū ratione exigēte conſtringitur, ne eius vita ad aliud, quā admonet, relaxetur. Vnde apud diſtrictum iudicem cogitur tanta in opere exoluere, quanta eum conſtat alijs voce præcepiſſe.* In die enim iudicij Chriſtus iudex Epiſcopo Paſtori, Superiori dicet illud Ierem. 13. 20. *Vbi eſt grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuū? Quid dices cùm viſitauerit te? tu enim docuiſti eos aduerſum te, & erudiſti in caput tuum*, dando mala vitę exempla, contraria ijs quæ ore docebas. *Nunquid non dolores apprehendent te, quaſi mulierem parturientem?* Vnde S. Thomas in c. 13. ad Hebr. lect. 3. τὸ *Defixiſti manum, & illaqueatus es verbis oris tui*, ſic explicat q. d. O paſtor obligaſti te Deo, vt pro grege tuo impendas manū & os tuum, vt quidquid ore potes prologui & quidquid manu potes operari pro ſalute gregis tui, hoc ex ſponſione tua tenearis præſtare, nimirum paſcere gregem tuum omnis virtutis exemplo, & perenni doctrinæ eloquio.

A

Rurſum alij hæc accommodant ad vota, præſertim Religioſa. q. d. Si voueris Deo caſtitatem, paupertatem, obedientiam, pro amico, id eſt, pro anima tua ſaluanda, votis tuis obſtrictus teneris apud Deum. Diſcurre ergo, feſtina, ne des ſomnum oculis tuis, omnes curas intende, vt Deo reddas vota, quę diſtinxerunt labia tua. Diſcurris, ſi internis mētis oculis pericula, violandi vota perluſtres. Diſcurris, ſi media ea adimplendi exquiras. Diſcurris, ſi in diuerſas partes curras, & omnia dona, quæ habes, in auxilium acceſſas. Diſcurris, ſi eas de virtute in virtutem, de caſtitate in caſtitatem, de paupertate in paupertatem, de obedientia in obedientiam. Verùm hic ſenſus eſt accommodatitius, non enim agitur hîc de voto, ſed de fideiuſſione: hanc enim ſignificat Hebr. ערב *arab*, niſi dicas vota eſſe fideiuſſionem pro triplicis concupiſcentiæ debito & reatu, quo anima cuiuſque hominis rea & obligata tenetur: pro concupiſcentia enim carnis fideiubet & ſpondet votum caſtitatis; pro concupiſcentia oculorum ſiue auaritia ſpondet votum paupertatis: pro ſuperbia vitæ ſpondet votum obedientiæ. Vnde R. Leui per amicum myſticè accipit concupiſcentiam.

Denique Baſilius in Catena Græc. per *amicum* myſticè accipit corpus, per *ſponſionem* emendationis propoſitum. *Laqueus fortis*, inquit, *eſt pœnitentiæ & continentiæ dilatio: qui enim nimium differt, ille prauis ſuis operibus quaſi proprijs laqueis miſerè tandem capitur*. Et mox: *Caue*, inquit, *ignauus aut diſſolutus ſis: caue animo concidas, aut fortitudinis moleſtias ſubterfugias. Corpus quia Deo oppignoraſti edoma, & ad præceptorum, quæ ille propoſuit, obſeruationem ſubinde excita. Ne fracto ſis animo: amicum pro quo ſpopondiſti exacue identidem & excita; Carnem tuam laboribus aſſuefacias*, inquit, *moleſtiſque rebus eamdem exerce: tam enim corporis exercitationem, incitationem hoc loco appellat*. Et inferiùs: *Vult autem Sapiens eum, qui virtutibus ex propoſito incumbit, animi proſperitate valere, ſupraq; aduerſariorum laqueos fortiter ſeſe offerre, virtutum nimirum alis in altum ſublatum.*

FAC ERGO QVOD DICO FILI MI: ET TEMETIPSVM LIBERA: QVIA INCIDISTI IN MANVM PROXIMI TVI. DISCVRRE, FESTINA, SVSCITA AMICVM TVVM: NE DEDERIS SOMNVM OCVLIS TVIS, NEC DORMITENT PALPEBRÆ TVÆ] *Temetipſum libera* ab obligatione ſponſionis, qua te pro amici debito debitorem, pro crimine reum creditori vel iudici effeciſti; vt ipſe iam in te tuaſque facultates, libertatem & vitam ius habeat, poſſitque te bonis priuare, carceri mancipare, imò neci tradere. *Quia veniſti in manum proximi tui*: tum creditoris vel iudicis, apud quem fideiuſſiſti. ita Vatabl. q. d. Tametſi amicus & proximus ſit creditor, in cuius manus incidiſti, properè tamen libera te ab ea obligatione: quantò magis tibi feſtinandum eſſet, ſi incidiſſes in manus alieni, tum tui amici, pro quo fideiuſſiſti: pendes enim ab eius manu, vt ſi ille fugiat, vel piger & incurius nolit laborare, vt pro debito creditori ſatisfaciat, ſed illud in te reijciat, tu illud præſtare debeas; nam paulò antè amicum pro quo quis ſpopondit, vocauit proximum, creditorem verò vocauit Vers. 3. Vers. 4.

D

cauit extraneum. Sicut enim amicus fuit negligens ante ſpõſionem, ſic poſt eam negligentior fiet ad ſoluendum debitum, confiſus de tua ope & opibus. Vnde Septuag. vertunt, *quia veniſti in manus malorum propter amicum tuum*; Syrus, *quia propter amicum tuum incidiſti in manus inimici tui*. Quid ergo facto opus? Remedium ſuggerit dicens: *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum*, tum eum, pro quo ſpopondiſti, vt ille creditori ſatisfaciat, itaque te fideiuſſione tua liberet. Vnde S. Ambroſ. lib. de Tobia cap. 23. legit. *ſtimula ciuem tuum, quem ſpopondiſti*; Syrus, *ſuſcita igitur amicum, cuius cauſa fideiuſſiſti*; Symmach. & Theodot. *incita ciuem tuum*. tum alios amicos, vt curent debitum vel iudici exolui, aut ab eo remitti, aut te ſpõſione tua liberari. Vnde hebr. eſt *robora* (adhortatione tua) vel *ſuſcita*; alij, *multiplica amicos tuos* in plurali: hoc enim ſignificat רֵעֶיךָ reecha cum iod: licet iod hic vt paragogicum & ſuperfluum accipiant Noſter, Septuag, Aquila, Symmach. & Theodot. qui vertunt in ſingulari, *ſuſcita amicum tuum*; Pagninus, *vade, calcare fac te, & robora* (Tigur. *urge*) *amicum tuum*; Clarius, *vade proſterne te, &c.* Vatabl. *abi humilia te ante eum, cui promiſeris, e q; quaſi calcandum te præbe*, vt te obligatione fideiuſſionis tuæ liberet, ſic & R. Leui & Aben Ezra; alij, *vade calca te*, id eſt quaſi calcaribus ſtimula te, *roborare amicis tuis*; Septuag. *eſto non remiſſus; ſtimula autem amicum tuum, quem ſpopondiſti*. Pro *ſtimula* græcè eſt παρόξυνε, id eſt, *exacue & ſtimula*; Symmach. & Theodot. παρόρμησον, id eſt, *incita, impelle*. Summa, hæ omnes verſiones ſignificant, ſponſori omni ſtudio & ſollicitudine eſſe laborandum, vt ſe obligatione fideiuſſionis liberet, vnde addit: *Ne dederis ſomnum oculis tuis*; Symmach. & Theodot. *ne des dormitionem oculis tuis, neque indormites palpebris tuis*. q. d. Ne ſis ſomnolentus & tardus, ſed vigil & acer, vt hoc onus excutias.

Magis vigiles & acres eſſe debent ſponſores, ſiue ſuſceptores, in baptiſmo & Confirmatione, vt baptizatum & confirmatum, pro quo ſpoponderunt, inſtruant, moneant, & dirigant in viam virtutis & perfectionis Chriſtianæ. Maximè autem tales eſſe debent Paſtores, qui curam animarum ſuſceperunt, de quibus S. Gregor. 3. parte Paſtor. admon. 5. *Quiſquis*, inquit, *ad viuendum alijs in exemplum proponitur, non ſolum vt ipſe vigilet, ſed etiam vt amicũ ſuſcitet, admonetur. Ei namq; vigilare benè viuendo non ſufficit, ſi non & illum, cui præeſt, à peccati corpore diſiungit. Bene autem dicitur: Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Somnũ quippe oculis dare, eſt intentione ceſſante ſubditorum curam omnino negligere. Palpebræ verò dormitant, cùm cogitationes noſtræ ea, quæ in ſubditis arguenda cognoſcunt, pigredine deprimente diſſimulant. Plenè enim dormire, eſt commiſſorum acta nec ſcire, nec corrigere. Non autem dormire, ſed dormitare eſt, quæ quidem reprehendenda ſunt cognoſcere, ſed tamen propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendare.*

Dices, Quid ergo mihi facto opus? *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum*. Plutarch. lib. de Sera numinis vindicta: Eryngium, inquit, herba eſt, quæ ſi in capræ vel capri præeuntis os immittatur, grex totus ſiſtit: Sic, ait, ſi Superiores ſiſtant, grex totus conſiſtit; & quidquid ipſi præſtiterint, ſubditi æmulabuntur, Vt igitur ſubditi non conſiſtant, diſcurrat Superior, feſtinet, ſuſcitet inſtigetq; eos verbo & exẽplo ad magnos virtutum progreſſus.

ERVERE QVASI DAMVLA DE MANV, ET QVASI AVIS DE MANV AVCVPIS] Vers. 5. Septuag. *vt ſalueris tamquam damula è laqueis, & ſicut auis de manu aucupis*: Syrus, *vt libereris velut dama à retibus, & velut auis à laqueo*, *Damæ* ſunt capreæ, capreoli ſunt capreæ ſilueſtres, quæ quia timidæ, cauent ſibi à venatoribus & laqueis; & quia veloces, celerrimè aufugiunt: de quibus Martial. lib. 13.

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum,
Imbelles damæ quid niſi præda ſumus?

Senſus ergo eſt, q. d. Sicut damula timida & ſuſpicax celerrime effugit, eripitque ſe è manu venatoris eam capere conantis; ac ſicut auis volatu liberat ſe ab inſidijs aucupis: ita & tu ſatage, vt ilicò è manu & iure creditoris te liberes, ne te tuaque capiat & in ſuum ius transſcribat. Vnde Tig. *elabere velut caprea è manu, & vt auicula è manu aucupis*. Paruæ enim aues timidiores ſunt, ideoque viſo aucupe ſtatim auolant. Rurſum capreæ cum timore acerrimæ ſunt viſus; vnde græcè vocantur δορκάδες à δέρκειν, id eſt videndo: hinc eminus venatores & canes vident, ſtatimque fuga ſe proripiunt.

VADE AD FORMICAM, Ô PIGER, ET CONSIDERA VIAS EIVS ET DISCE SAPIENTIAM] Vers. 6. Syrus, *diſce hanc non habere meſſem*; Septuag. *æmulare vias eius, & eſto illâ ſapientior*: Chald. *ſimilis eſto formicæ, &c.* Syrus, *aſſimilare formicæ & conſidera vias eius*; Arabicus, *ô impotens vade ad formicam, & cùm perſpexeris eam, aſſimilare vijs illius*.

QVÆ CVM NON HABEAT DVCEM, NEC PRÆCEPTOREM, NEC PRINCIPEM] Vers. 7. Chald. *quæ non habet meſſem, nec ducem neque dominatorem*, Septuag. *nam cùm non ſit ei agellus, nec habeat qui cogat* (Aquila & Theodot. *qui extorqueat*; Chald. *cum à quo cogatur*) *nec ſub dominio ſit*; Syrus, *& diſce quod non habeat meſſem, & non habet ſupra ſe dominatorem, neque qui incurnet eam*, vt ſibi ſubijciat.

PARAT IN ÆSTATE CIBVM SIBI, ET CONGREGAT IN MESSE QVOD COMEDAT] Vers. 8. Septuag. *parat in meſſe alimentum* (Hebr. *panem*) *& multam in meſſe facit aceruationem*; Scholiaſt. *coaceruat in meſſe eſcas ſuas*; Symmach. *neceſſaria ſua*; Vatabl. *in meſſe alimentum ſuum comportat*; Syrus, *in horreum colligit*. Chald. *coaceruat*. Huc facit prouerbium Arabum cent. 1. n. 30. *Eſto in diebus æſtatis formica*, id eſt, labora & congrega fruges in æſtate, quibus viuas in hieme, operare in iuuentute, vt lucreris ea quibus viuas in ſenectute, collige merita in terra, quæ te alant & beent in cælo.

A fideiuſſione temeraria cauenda, ne per eam familia & res familiaris patiatur, congrue tranſit ad fugam inertiæ, & ſtudium laboris ac diligentię, vt per illa quiſque ſibi & ſuę familię de victu, veſtitu, rebuſque neceſſarijs prouideat. Adducit verò ſtimulum aptiſſimum, nimirum formicæ, quæ adeò eſt prouida, operoſa & laborioſa, vt ſtudio à Deo creata videatur ad hoc, vt hominibus prębeat exemplum prouidentiæ, laboris & diligentiæ, de qua proinde Horatius lib. 1. Satyr. 1.

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit quodcumque poteſt, atque addit aceruo.

Formica docet hominẽ imitanda. *Primò.* Porrò prouidentia, ſolertia & diligentia formicarum multimoda eſt, multaſque habet partes, & actus nobis imitandos. Primò enim formica faciendo frumentationem prouidet ſibi cibum in æſtate, vt eodem viuat in hieme. Ita S. Baſil. hom. 9. Hexam. *Non tute, ait, eamdem, ô homo, diligentiam adhi-*

adhibebis? non hoc tempore præſenti fruges tibi recondes formicæ exemplo? formica temporis hiberni pabulum æſtate ſedulò ſibi condit, & non, quòd hiemis incommoda nondum adſunt, otioſa tempus traducit: ſed ineffabili quodam intentoq́; ſtudio legendi ſemina tantiſper incumbit, dum ſufficiens alimentum in cellulis ſibi recondat. Neque id incuria facit, ſed ſapienti quadam prouidentia, vt quàm plurimo tempore pabulum ſibi perſiſtere conſeruariq́; poſſit. Secat enim vngiculis fructus medios, arroſoſq́; condit, ne rurſus in fruges exeant è terra, atque inutiles inde ſibi ad alimoniam fiant. Cùm ſenſerit eos madefactos imbre, profert atque exſiccat. Nec omni tempore id agit, ſed cùm præſenſerit aërem ſerena in ſtatione teneri, ſereniſſimumq́; cælum. Etenim nunquam ex nubibus imbrem defluxiſſe conſpexeris, quanto tempore à formicis expoſitum eſt frumentum.

Secundò. Secundò formica frumentum defert in ſua antra quaſi in cellas & apothecas, ibique recondit & aſſeruat. Vnde formica dicitur quaſi ferens, vel forans micas, id eſt, perforans, ait Iſidorus & Aldrouandus lib. 5. de Inſectis, in Formica. Idem nobis faciendum, nimirum labore iuuentutis paranda ſunt alimenta ſenectutis, ac ſudore temporis præmia æternitatis. Ita Cyrill. Hieroſol. catech. 6. *Videns*, inquit, *formicam in æſtate ſibi theſaurizantem cibos imitare, & theſauriza tibi ipſi fructus bonorum operum in futura ſæcula.* Porrò Angelus Caninius in Helleniſmis: A Græco μύρμηξ, inquit, dicitur *formica*: m enim mutatur in litteram b, b verò in f. Sic ex ὕπνος fit ſomnus pro ſonus: ex Hebr. *bacar* & Punico *baccara* fit vacca: ex βίος fit vita. Iam à μύρμηξ eſt prouerbium, *bonorum myrmecia*, ſiue formicaria, ſignificans ſummam opulentiam: hanc enim laborando parant formicæ. Myrmecia etiam ſunt gymnaſia; in quibus diſcipulorum frequentia ſapientiæ dant operam.

Tertiò. Tertiò, formica grana indidit, & arrodit oculos ſeminis exedens, ait R. Leui, ne germinent & putreſcant. Vnde heb. vocatur נְמָלָה *nemala*, id eſt, incidens, circumcidens, à מול *mol*, id eſt, circumcidit. Ita & nos bona opera circumcidere debemus à vanitate, ne in vanam gloriam erumpant & corrumpantur.

Quartò. Quartò, formica grana meliora ſelegit: ita & tu, ô Chriſtiane, meliorum virtutum, quales ſunt charitas & humilitas, actus exerce. Hinc Cicero de Natur. deorum li. 3. *In formica*, ait, *non modò ſenſum, verùm etiam mentem, rationem atque memoriam eſſe ſentimus.* Pythagorici quoque formicæ dabant mentem & rationem.

Quintò. Quintò, formica præſentit ſerenitatem, tumque grana aëri exponit; & pluuiam, tumque grana in antra recondit. Ita & fidelis in pace publicè ſuã doctrinam actuſque virtutum exponit, in tentatione verò & perſecutione eoſdem abſcondat. Audi B. Petrum Damiani lib. 2. epiſt. 18. ad Cardin. *Quis, quæſo*, ait, *formicam ad hoc triturandi genus inſtituit, vt ſegetum grana diſcernat, & ignobilia reſpuens elegantioris frugum generis eligat? Aceruũ quippe ſegetum diligenter explorat, & hordeum quidem tamquam iumentorum pabula, quaſi faſtidiens aſpernatur: vbi verò triticum reperit, granum libenter amplectitur. Hæc etiam venturæ ſerenitatis tempus quibuſdam deprehendit indiciis, & cum cellaria ſua aërio cernit humore madeſcere, propriis humeris repoſitas victui ſuo fruges exportat, & damna domeſtica præcauens torrentibus eas radiis Solis exſiccat: & tamquam non ſufficiat, eadem ore proprio grana præcidit, ne videlicet per hiemalis incle-*

A *mentiam imbris iterum turgeant, & negatã ſibi victus in herbas erumpant.*

Sextò, Plinius lib. 30. cap. 11. *Formicæ*, inquit, *vt apes communicant labores; ſed apes vtiles faciunt cibos, hæ condunt, & ſi quis comparat onera corporibus earum, fatebatur nulla portione vires eſſe maiores; gerunt ea morſu; maiora auerſæ poſtremis pedibus moliuntur humeris obnixæ. Eſt iis reipublicæ ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra, maiora ad introitum diuidunt, madefacta imbre proferunt atque ſiccant. Operantur & nocte plena luna, eadem interlunio ceſſant. Iam in opere qui labor, quæ ſedulitas?* *Sextò.*

Quocirca formicæ in commune aſſiduè & feruidè laborantes repræſentant agmina Religioſorum, in commune feruentium & deſudantium. Vnde hoc formicarum ſtudioſè laborantium intuitu compunctus & permotus fuit S. Malchus, vt profugus cum vitæ periculo ad monaſterium rediret. *Monaſteria ſunt formicaria.*

B Audi eum in vita, quam ſcripſit S. Hieron. *aſpicio*, inquit, *formicarum gregem anguſto calle feruere, ferre maiora onera quàm corpora. Aliæ herbarum quædam ſemina forcipe oris trahebant; aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant. Illæ venturæ hiemis memores, ne madefacta humus in herbã horrea verteret, illata ſemina præcidebant; hæ luctu funebri corpora defuncta deportabant: quodq́; magis mirum eſt in tanto agmine egrediẽs non obſtabat intrantis; quin potiùs, ſi quàm vidiſſent ſub faſce & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris adiuuabant. Quid multa? pulchrum mihi ſpectaculum dies præbuit: vnde recordatus Salomonis ad formicarum ſolertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo ſuſcitantis, cœpit tædere captiuitatis, & monaſterii cellulas quærere, ac formicarum illarum ſimilitudinem deſiderare, vbi laboratur in medium, cumq́; nihil cuiuſquam proprium ſit, omnium omnia ſunt*, &c.

C Porrò tantæ ſolertiæ cauſa eſt, quòd formica temperamento ſit ſicca, mens autem ſicca eſt ſapientiſſima. Rurſum, quòd loco ſanguinis habeat humorem tenuiorem, ſapientiora enim ſunt animalia, quæ habent ſanguinem tenuem & mundũ, probèque temperatum. Hanc cauſam dat Ariſtot. lib. 2. de Part. animal. c. 4.

Septimò, formica quod viribus inquit, hoc conſilio & continuatione perficit. Vnde aſſiduè laborando excauat ſemitas, ſaxa & rupes: eâdem enim ſemita, eaque regia & ſecura ſemper incedit. Ita & tu, ô Philothee, regia partum via ingreditor: noli nouos nouantium calles dubios & periculoſos ingredi: certoque tibi perſuade nihil eſſe tam difficile, quod non continuato labore per Dei gratiam euincas. Audi Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animal. cap. 38. *Inſectorum officioſiſſimum præ ceteris om-* *Septimò.*

D *nibus animalibus genus formicarum & apum eſt*, &c. *Eâdem ſemita ſemper ambulant, & cibaria recondunt, & cellas promptuarias faciunt; nec interdiu ſolum, ſed etiam noctibus plena luna laborem exercẽt.* Præclarius S. Ambroſ li. 6. Hexam. c. 4. *Eſt*, inquit, *in natura quadrupedum, quod imitari nos ſermo adhortatur propheticus, quo exemplo caueamus deſidiam, exiguitate vel infirmitate corporis à virtutis ſtudio non reflectamur, neque renocemur ab vllius propoſiti magnitudine. Exigua eſt enim formica, quæ maiora ſuis audet viribus: neque ſeruitio ad operandum cogitur, ſed ſpontaneæ propoſito proſpicientiæ futura alimentorum ſubſidia ſibi præſtruit. Cuius vt imiteris induſtriam, Scriptura commonet te, dicens: Confer te ad formicam ô piger, & æmulare vias eius, & eſto illâ ſapientior. Illa enim nullam culturam poſſidet, neque eum, qui ſe cogat, habens, neque ſub domino exiſtens, quemad-*

modum præparat eſcam, quæ de tuis laboribus ſibi meſſem recondit: & cùm tu plerumq; egeas, illa non indiget. Et interiùs: *Nigro conuectatur agmine præda per campos, ſeruent ſemitæ comitatu viantium, & quæ comprehendi anguſto ore non poſſunt, humeris grandia frumenta traduntur. Spectat hæc dominus meſſis, & erubeſcit tam parca piæ induſtriæ negare compendia.*

Octauo. Octauò, Plinius lib 37.10 & lib.11.cap 31. ait formicas grandes in India eruere aurum ex arena. Additque: *Erutum hoc ab eis tempore hiberno Indi furantur æſtiuo ardore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis, quæ tamen odore ſollicitatæ prouolant, crebroque lacerant quamuis præuelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas feritaſq; eſt cum amore auri.* Solinus aliud addit penè miraculum, dum formicis iſtis pedes tribuit leoninos. *In Polyhiſt. cap. 33.* *Formicæ,* inquit, *ibi ad formam canis maximi arenas aureas pedibus eruunt, quos leoninos habent, quas cuſtodiunt ne quis auferat, captanteſque ad necem proſequuntur.* Ælianus lib. 3.ca.4. eaſdem formicas auri cuſtodes nuncupat. Sic labore & ſtudio philomuſorum, quaſi formicarum rationalium, eruitur aurum ſapientiæ & charitatis, cui tantum quiſque ſibi accumulat, quantum in eruendo laborat. Hinc in Iſthmo Soli immolabatur formica: quia ſicut ſol omnia quotidie terrarum opera viſitatione colluſtrat: ita pari diligentia formica omnia deprehendit, quæ quiſquam accuratiſſimè occultauerit. Formicæ ergo laborando immenſas corrogant opes. Vnde prouerbium, ἀγαθῶν μυρμηκιά, id eſt, *bonorum myrmecia,* pro theſauris maximis, μύρμηξ enim eſt formica.

Nono. Nonò, licet Cardanus lib.9. de Subtil. ſcribat formicas carere oculis, ac pro eis vti cornibus ad prætentandam viam; tamen Albertus Magnus & ex eo Vlyſſes Aldrouandus lib.5. de Inſectis, aſſeuerant contrarium; nec enim poſſent tanta itinera & opera peragere ſine oculis. Formicæ ergo geminos habent oculos, qui corpus regunt, & iter dirigunt. Si quæ oculis orbetur, hęc formicam oculis pollentem fortiſſimè amplectitur, nec dimittit niſi domum reducta: magnus enim inter eas eſt amor mutuus, pax, concordia, auxilium. Vnde Plinius lib.11.c.30. *Et quoniam,* inquit, *ex diuerſo conuehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concurſatio? quàm diligens cum obuijs quædam collocutio atq; percontatio? Silices itinere earum attritos videmus. Sepeliuntur inter ſe viuentium ſolæ præter hominem.* Oculus nobis ſit ratio & conſideratio, vt nihil ſine ratione & conſilio vmquam agamus; ita numquam facti nos pœnitebit. Quin & cum S. Iob oculus ſimus cæco, pes claudo, & inopes conſilio dirigamus & adiuuemus.

Decimo. Decimò, formicę, quamuis viuant in grege, non tamen habent regem, ducem vel præceptorem. Rurſum licet duce careant, tamen ſibi mutuo beneuolè obſecundant & obtemperant. Domum ſiue ciuitatem ſimul conſtruunt, quàm habitaculis varijs diſtinctam plantarum tegunt particulis. Vnde Ariſtot. lib 1. Hiſtor. animal. cap. 1. *Ciuilis,* inquit, *generis eſt homo apis, veſpa, formica, grus: quarum aliæ ſub duce degunt, vt grues & apes: aliæ nulli ſubditæ imperio ſunt, vt formicæ. Habent tamē formicæ ſuos ductores,* non veros duces. Ita Ælianus lib.2.cap.25. *Seniores,* inquit, *formicas conſtituunt exploratores, quæ ipſis præſint, & adducant in meliora pabula; non duces, quorum imperio ſubdantur.* Hęc ciuilia & ſocialia vi-

A tæ communis officia imitentur quicumque in eàdem republ. ciuitate, monaſterio, domo, vitam agunt. Audi Bedam hic. *Si tantillum,* inquit, *animal principe carens, & rationis expers, natura duce ſibi prouidet in poſterum; multò magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam eius gloriam vocatus, doctorum magiſterio adiutus, ipſum conditorem habens ducem, debes in præſenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternū viuas in futuro. Hæc etenim vita in eo meſſi comparatur & æſtati, quod nunc inter ardentes tentationum tempus eſt colligendi futurorum merita præmiorum. At dies iudicij, hiemis ſimilatur rigoribus: quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi, ſed tantùm cogitur quiſque de horreo priſcæ actionis, quod recondidit, proferre.*

Vndecimò, formicæ res fœtidas, vt origanum, ſulphur, cornu aduſtum adeò oderunt, vt, ſi eorum fumus aut cineres ſuper earum domos ſpargantur, ex ijs aliò emigrent. Ita fidelis non tantùm res fœdas, ſed & fœdam famam, putà infamiam & malum nomen deuitet. *Vndecimo.* B

Duodecimò, formicæ omnes circa ventrem ſtrictæ, & quaſi tinctæ ſunt, in ſenio more auium aſſumptis alis volant. Nam vt ait Cardanus loco citato, & ex eo Aldrouandus, conſolatur illorum imbecillitatem natura volatu addito: ſed ab editis alis parum ſuperuiuunt. Ita philomuſus ventrem ſtringat per temperantiam & abſtinentiam: ac ſeneſcens vacationem à negotijs ſibi indicat, otiumque quietis & contemplationis ſectetur, quo ſe ad euolandum in cælum comparet. *Duodecimo.*

Decimotertiò, philomelæ formicas & earum oua auidè quęrunt & comedunt, quia ex his conualeſcunt ægrotæ, & ſonoræ efficiuntur. Ita virgines quærunt prudentiam & operationem inſtar C formicarum, quibus à morbo acediæ curantur, & ſonoræ ad laudandum tum Deum, tum laborem & induſtriam efficiuntur. Vnde in cælo cantabunt canticum nouum, Apocal. 14. *Decimotertio.*

Decimoquartò, myrmicoleon, ſiue formicaleo, cibum formicarum rapit, comeditque in hieme, quia in æſtate improuidus ſibi de cibo non prouidit. Ita otioſi & hypocritæ inſidiantur opibus laborantium & ſtrenuorum, eaſq; per vim vel fraudem diripiunt. Vnde Chryſoſt. in pſalm. 48. *Sapiens,* inquit, *oſtendit vel formicis eſſe deteriorem virum pigrum & deſidem, & otio languentem, cùm illuc mittit, vt diſcat eſſe laborioſus & induſtrius: Vade, dicens, ad formicam, ô piger, & imitare vias eius.* Rurſus myrmicoleon eſt dæmon, qui virtutes & virtute præditos deuorare ſatagit: ſi eum timeas, ſæuiet vt leo; ſi contemnas, timidior & infirmior erit formica. Ita S. Gregor. explicans illud Iob. 4.11. *Tigris perijt eò* D *quod non haberet prædā;* vbi Septuag. & ex ijs S. Gregor. pro *tigris* legit, *myrmicoleon,* id eſt, formicarius leo. Sic de Modeſto Valentis Imp. præfecto conante S. Baſilium pertrahere ad arrianiſmum, canit Cyrus Theodorus: *Modeſte Baſilio Magno ſubes. Formica ſanè es, fugias licet vt leo.* *Decimoquarto.*

Decimoquintò, formicis proprium eſt, quòd in maiori ſua ætate virtute creſcunt. Auctor de Natura rerum li. 1. de Temp. c. 9. & ex eo Aldrouandus, aſſerit, ſolam formicam inter animalia ſenio fortificari & creſcere. Ita ſapientes & ſancti eunt de virtute in virtutem, adeóque in ſenio maximè ſapiunt. *Decimoquinto.*

Decimoſextò, formicæ arte multiplici onera reddunt faciliora portatu, quia illa diuidunt & in *Decimoſexto.*

plures

plures partiuntur, aut plures eidem oneri ſuccollant, aut illud inflectunt aptéque componunt, illudque nunc pedibus, nunc ore gerũt, aut protrudunt. Sic ſapientes omnia licet difficilia facilia efficiunt conſilio & ſolertia, præſertim cùm alios rei peritos ſocios operi adhibent.

Decimoſeptimò. Decimoſeptimò, formicæ hieme quieſcunt, & cibo fruuntur æſtate collecto. *Sic vnuſquiſque Chriſtianus in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate & tribulationibus, quæ hiemis nomine notantur, habeat vnde ſpecialiter viuat,* ait S. Aug. lib. Contra Adiman. c. 24.

Decimooctauò. Decimooctauò, formicæ à vino cauent, quia ſi illud guſtent ſubitò inebriantur. Ita ſapientes cauẽt à vino, in quo eſt luxuria, quæ mentem homini eripit facitque amentem.

Decimononò. Decimononò, formicę ſunt prænuntiæ mortis, ita eamdem prænuntiauere Cimoni, teſte Plut. in eius Vita; & Neroni: cùm enim is ſomniaſſet ſe pennatarum formicarum multitudine oppleri, cõcitatâ in ſe multitudine, mortem paulò pòſt ſibi conſciuit, teſte Suetonio in Nerone. Cauſam dat Aldrouandus: Formicas, inquit, eſſe mortis indicium aſſerunt, quòd terræ filiæ ſint, & in ſubterraneis caueis habitent, quò identidem mortuorum cadauera inferuntur. Ita ſapiens ſemper proſpicit imminentem mortem, ſibique quotidie dicit: *Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.* Hinc Plato, *Philoſophia* (Ethica) inquit, *non eſt aliud quàm meditatio mortis.* Hinc & Ægyptijs formica erat hieroglyphicum trium illuſtrium dotum. Per eam enim Primò, denotabant diligentiſſimam inueſtigationem rerum quæ ad vſum vitæ facerent; Secundò, prouidentiam ſolertem; Tertiò, indefeſſam laboris perſeuerantiam. Affirmabat Pythagoras laborem omnem, licet grauem, ſi paulatim à primordijs vitæ ei nos dedamus, vti formica facit, dulcem & facilem fieri toleratu: vnde ipſe ſuis aliud non inculcabat quàm vt otium, vtpote omnium malorum cauſam, fugerent, ac laborem indefeſſum quaſi omnis virtutis & boni parentem, amplecterentur.

Extat apologus Aphthonij ſophiſtæ, qui talis eſt, Cicadæ olim æſtate aſſiduis cantibus indulgebant; formicę verò hiemis memores laboribus fructibuſque colligendis operam dabant. Verùm cùm hiems aduenisset, formicæ ijs, quæ collegerant, paſcebantur: cicadas autem delectatio illa & canendi voluptas eò indigentiæ miſeriæque perduxit, vt eſurirent omnes & fame conficerentur. Sic iuuentus laborem fugitans malè habet in ſenectute. Legitur hic idem apologus inter fabulas Gabriæ Græci, & ſic latinè redditur:

Petebat à formica cicada cibum;
Sed formica ait: Quid æſtate faciebas?
Quòd acutè æſtate caneres, dixit:
Hieme ſalta, inquit, nec ama cibum.

Vigeſimò. Vigeſimò, formicis laboris & agilitatis ſtimulus eſt bilis. Nam *& formicis ſua bilis ineſt*, qua eos, qui antra illarum ingrediantur, turmatim inuadunt, mordent & ſępè enecant. Ita hominibus natura dedit bilem, quaſi cotem virtutis: illa ergo vt cote, non vindictæ, ſed virtutis, vtantur. Iraſcere ergo tuę puſillanimitati & acedię, ſi vis fieri magnanimus. Iraſcere tuæ gulæ illiúsque caput amputa, vt fias ſobrius. Iraſcere tuæ iræ, & cum Nazianz. Iambico 21. aduerſus iram dicito: *Iraſtor ira, dæmoni tatus condito.*

A *Vigeſimoprimò.* Vigeſimoprimò, formicæ rectas ſequuntur ſemitas: quærunt enim viarum compendia; ſed tamen viam ſuam obliquant diſcurſu implicito. Ita ſapiens rectum virtutis iter capeſſat rectamque ad perfectionem viam, quę eſt crux, opórtéque multa pati pro Chriſto; ſed tamen odia & perſecutiones obliquando deuitet.

Denique fabulati ſunt veteres Myrmidones (populi nomen eſt in Gręcia) prognatos eſſe ex myrmecibus, id eſt formicis, vel ex Ioue in formicam tranſmutato, vti refert & ridet Clemens Alexand. Adhortat. ad Gentes pagina 11. ſiue folio 6. Verùm acutiùs Ouidius, & ex eo Aldrouandus, cenſet Myrmidones ita vocatos, quòd formicarum inſtar ſeduli eſſent, & indefeſſi in tolerando labore.

Myrmidonaſq; voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidiſti, mores quos antè gerebant,
B *Nunc quoque habent: parcum genus eſt patienſque laborum,*
Quæſitique tenax, & quod quæſita reſeruet.

Myrmidones Religioſi. Myrmidones ergo ſint Religioſi, ſacerdotes, omneſque fideles in ſtudio virtutum & bonorum operum, ac præſertim in zelo animarum: quocirca inſtar formicarum non ſpectent præterita vel præſentia, ſed futura, vt eorum habeant prouidentiam, ſibique de annona proſpiciant. Plura de formicis vide apud Vlyſſen Aldrouandum lib. 5. de Inſectis, in Formica; Pierium Hieroglyph. 8. Scripſit & in hanc Salomonis ſententiam librum, cui titulus Formicarium, Ioannes Nider S. Theol. Doctor ex ordine S. Dominici tempore Concilij Conſtantienſis, in quo ex Ariſtot. Plinio, Æliano, C Alberto Magno & alijs, ſexaginta duas conditiones & dotes formicarum recenſet, eaſque myſticè & piè adaptat fidelibus, vt ex ijs diſcant ſapientiam, vitamque honeſtè & ſanctè inſtituant.

Formica eſt ſanctus ſecul. Myſticè noſter Aluarez de Paz lib. 1. de extinct. vitior. part. 2. Formica, inquit, hominem prouidũ, & in negotijs gerendis ſtrenuum Ægyptijs ſignificat. Et apud Hieronymum, aut Bedam potiùs in Prouerb. diligentem operarium ſignificat, qui in præſenti vita velut in æſtate fructus iuſtitiæ, quos in æternum recipiat, ſibi recondit. Iuxta quam interpretationem formica duce, præceptore ac principe carens virum mihi ſæcularem indicat (& ego aliquos tales vidi) qui ſine directione ſpiritalis magiſtri, & ſine magnis adiumentis, quibus nos in vita Religioſa perfruimur, vitam ſpiritualis conuerſationis arripuit. Hic quia ſolerter vitijs extirD pandis & virtutibus inſerendis intendit, citò proficit, & non ſemel viros Religioſos excedit. Si huiuſmodi hominem apud te habes, & fortè habes, & ei tanquam magiſter rationem procedendi præſcribis; illius vitam attentè conſidera, & videbis quàm acriter tuam ſegnitiem reprehendat. Ipſe quidem in corde ſuo omnium ſe minimum reputat, ore tibi omnia ſua interiora pandit, & te velut præceptorem interrogat, ſignis ex corde profectis tibi vitam Religioſam profitenti ſe ſubmittit. At vita eius clamat, & te acriter increpat, & dicit: *Vſquequo piger dormies? quando conſurges de ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, vt dormias: & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus,*

Poſt hunc verſum de formicis, adiungitur ſimilis de apibus apud Septuaginta in editione Romana, eſtque hic: *Aut vade ad apem, & diſce quomodo operaria eſt: operationem quoque, quam vene-*

 ra-

uenerabilem facit (Scholiaſt. ἐμπορεύεται, id eſt, *mercatur*, vti legit S. Ambroſ. lib. 5. Hexamer. c. 21.) *cuius labores reges & idiotæ*, id eſt priuati, *ad ſanitatem aſſerunt. Appetibilis autem omnibus eſt & clara: etiam cùm ſit robore infirma, ſapientiam honorans euecta eſt.* S. Hier. c. 3. Ezech. legit, *vade ad apem, diſce quomodo operatrix ſit, & opus ſuum caſtum faciat: cuius laboribus reges & imperiti pro ſalute abutuntur*, id eſt vtuntur. S. Ambroſ. loco iam citato legit, *cuius labores reges & mediocres ad ſalutem ſumunt.* Noſter Peltanus in Catena Græcor. clarè vertit. *Aut vade ad apem & diſce cuiuſmodi ſit: quamq; admirandum opus conficiat. Cuius quidem labores tùm reges, tum priuati quique ad ſanitatem depromunt. Et quamuis viribus inualida atque imbecilla eſt, apud omnes tamen inclyta apprimeq; grata habetur: vtpote ad ſapientiam commendandum & excolendam in lucem edita.*

E Latinis eumdem verſum citant S. Ambroſ. & Hieron. locis iam citatis, ac S. Paulinus epiſt. 21. ad Amandum. Commodè enim formicæ annectitur apis, quia vtraque laborioſa; ſed formica ſibi ſoli, apis ſibi & alijs laborat. Vnde docet homines facere eleëmoſynam & beneficentiam, vti docent S. Ambroſ. & S. Baſil. iam citati. Igitur pro, *quomodo operaria eſt*, græcè eſt, ὡς ἐργάτις ἐστί, quod alij vertût, *quã operatrix eſt*, S. Baſil. *quomodo ſapiens operatrix eſt*; alij, *quàm argumentoſa eſt.* Vnde illud in Officio Eccl. S. Cæciliæ: *Cæcilia tibi, Domine, quaſi apis argumentoſa*, id eſt, gnaua, induſtria, ſedula, *deſeruit.*

Pro *operationem quoque venerabilem facit*, græcè eſt σεμνὴν, id eſt grauem, caſtam, pudicam, innocentem; ſplendidam, religioſam, auguſtam, ſeriam, colendam, reuerendam, venerandam: quia apes ſunt caſtæ & virgines, neſciuntque concubitum, & tamen maximum examen filiorum producunt; & quia ex rore cæleſti conficiunt mel & ceram, ex qua fiunt cerei, quos accendimus in honorem Dei & Sanctorum. *Digna*, ait S. Ambr. l. 1. de Virgin. *Virginitas, quæ apibus comparetur; ſit laborioſa, ſit pudica, ſit continens. Rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella componit.* vnde repræſentat B. Virginem parientem Chriſtum, caſtitatis fontem. *Eſt enim apis animal mundiſſimum.* ait Ariſtot. l. 9. Hiſtor. anim. c. 4. Vnde Columella lib. 9. c. 5. *Maximè cauendum eſt*, inquit, *curatori, qui apes nutrit, vt pridie caſtus ſit à rebus venereis.* Et Ælian. lib. 5. c. 11. *A complexu venereo recentem agnoſcunt, atque illum ſicut hoſtem inſequuntur.*

Pro *clara*, alij vertunt, *illuſtris*; alij, *glorioſa.* Pro *etiam cùm ſit robore infirma, ſapientiam honorans euecta eſt*, S. Ambr. legit, *itaq; cùm ipſa ſit infirma robore, valida eſt vigore ſapientiæ & amore virtutis.* S. Chryſoſt. hom. 2. in Iſaiam: *Eſt quædam*, ait, *apis ſuper apes, & quomodo inter apes rex quidam eſt, qui nominatur eſſe rex; ſic princeps apum Dominus meus eſt Ieſus Chriſtus, ad quem mittit me ſpiritus, vt comedã mel, bonum eſt enim, & fauus eius, vt indulcentur fauces meæ. Et fortè ſubtiliores literæ faui erunt, mel verò eſt qui in his eſt intellectus. Atqui licet ſit imbecilla viribus, vt quæ ſapientiam honorarit, prouecta eſt.*

Igitur Septuag. proponunt hîc exemplum & ſtimulum laboris, apem: apis enim aſſidua eſt in opere, nec patitur quampiam otiari: vnde inertes fucos expellit, iuxta illud: *Ignauum, fucos, pecus à præſepibus arcet.* Rurſum modus operandi apum eſt mirabilis: operantur enim in communi, ſuumque habent regem & rempubl. quaſi monarchicam. Vnde repræſentant Religioſos, eorumque monaſteria, ait S. Aldhelmus lib. 2. de Laudibus virginũ cap. 2. Quocirca Plutarch. ciuibus dans exemplum vitæ ciuicæ, apes: *Aliæ*, inquit, *ceras ſternere, aliæ mel coquere, aliæ fauos polire, aliæ flores libare, aliæ denique aquare ab initio diſtinxit.* Quid mirabilius, quàm videre fauos apum tanta proportione & pulchritudine in ſexangulas formas compoſitos, in ijſque cellas, in quibus mel & ceram condant, tam affabrè concinnatas? quid mirabilius, quàm videre apes ſingulas tanto ordine laborare, quaſi partitis inter ſe ex condicto operis, examina noua procreare, fouere, animare, educere? Quocirca hæc admirans Virgil. in Georg. lib. 4. ait: *Apis diuina.*

> *Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus*
> *Æthereos dixere.*

Quin & Ariſtot. lib. 3. de Gener. animal. cap. 10. *Nihil*, inquit, *habent* (crabrones) *diuinitatis, vt habent apes.*

Porrò opus apis, putà mel, vſurpari ad ſanitatem docent medici. Mel enim ſobriè ſumptum ſalubre eſt, conditque cibos omnes, quin & à corruptione corpora præſeruat, &c. Vnde Plinius lib. 11. ca. 14. *Solis radijs*, inquit, *medicamenta, non mella, gignuntur, oculis, vlceribus, internisq; viſceribus dona cæleſtia.* q. d. Mella non tam ſunt mella, quàm medicamenta & dona cæleſtia. Igitur in apibus hæc præ ceteris nobis admiranda & imitanda à Deo proponuntur. *In apibus imitanda.*

Apibus omnibus communis eſt labor: nullus, cùm per cælum licuerit, otio perit dies.

Communis eſt omnium cibus: neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis & cibi fiat, & temporis.

Pax inter eas præcipua,

Apes, quæ aculeum perdunt, mella de cetero facere non poſſunt.

Sunt & inter apes diuerſa officia. Aliæ ſtruunt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ diſtribuunt ex eo quod allatũ eſt. Videres omnes certare de munere. Videres alias inuigilare quærendæ annonæ. Videres de caſtris alias eſſe ſollicitas, eaque cuſtodire. In apibus totius virtutis inſigne reperies, & quæ in alijs animalibus ſigillatim ſparſæ videntur, in iſtis natura mater propenſiori beneficio cõgregauit. Quibus eſt adoleſcentia ad opera exeunt, ſeniores intus operantur. Integritas eſt cunctis apibus corporis virginalis, & tamen maximum filiorum examen emittunt. Non ſolùm ab odoriferis, quibus delectantur, ſed etiam à fœtidis mel ſugunt. Mira munditia in eis. Pariter aggregatæ ſuauiter cantant. Habent priuatim conſilia. Tempora prænoſcunt: prædiuinant enim imbres ventoſque, & tunc ſe continent tectis. Si dies futurus eſt mitis, prouolant vniuerſæ. Hilaritate & nitore ſanitas apum æſtimatur. Vita apum longiſſima ſeptennis: nunquam autem vltra decem annos perdurant. Hieme latent, & tunc veſcuntur melle, quod æſtate congregarunt. Veſpæ perſequuntur apes & impugnant. Iuniores diſciplina quadam matribus ſubditæ ſunt; nec agunt quidquam ſine maiorum imperio. Denique, vt ait Virgil.

> *Ingentes animos anguſto in corpore verſant.*

Quocirca S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum monachum, & habetur de conſecr. diſt. 5. can. 32. *Nunquã non facito*, inquit, *aliquid operis, vt ſemper te diabolus inueniat occupatum*, &c. *vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum plecte viminibus, ſarriatur humus, areolæ æquo limite diuidantur*, &c. *Apum fabricare aluearia, ad quas*

ſe

te mittunt Salomonis prouerbia, & monaſteriorum ordinem, ac regiam diſciplinam in paruis diſce corporibus. Plura de apibus vide apud Ariſtot. Plinium, Ælianum, Aldrouandum, ac apud Thomam Cantiprat. qui Apiarium, ſicut Ioannes Nider Formicarium conſcripſit: putà libros duos apum: in quibus octoginta duas apum proprietates doteſque recenſet, quas ingenioſè & piè fidelibus & Religioſis adaptat.

Myſticè, Didymus in Catena Græcor. *Verſandum, ait, nobis eſt in S. Script. vt apes in campis floridis, vt ex illis oportuna libantes, mellis, id eſt ſapientiæ, fauos nobis conficiamus, eos denique dextrè in mentis aluearí recondamus.*

Alius ibidem per apem accipit S. Eccleſiam, quę apum labores & ſtudia imitatur. Vnde lautam doctrinæ, Sacramentorum & exemplorum menſam familiæ ſuę proponit, vt ex ea ſaginati fideles matrem ſuam imitentur, ſintque ſtrenui & aſſidui in opere virtutum.

Denique S. Chryſoſt. ibidem: *Apis*, inquit, *diligens & operoſa erat Paulus, vtpote à legis floribus, eiuſdē vmbris & typis prædulces mellis fauos colligens, ſapientiæque ſtudium præ ceteris omnibus in honore habens. Cuius quidam mellis dulcedine & reges & idiotæ, hoc eſt, illi qui ex Iſrael, & illi rurſum qui ex Gētibus conuerſi erant, ad ſanitatem vſi ſunt. Idem ille licet viribus parum firmus eſſet, vt ipſe fatetur, in Chriſto tamen robuſtus erat. Ego,* inquit, *in infirmitate & tremore: ſed omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

Poſt formicá apis. quid

Porrò S. Ephrem ſerm. aſcetico ad Fratres, formicam cum ape combinat, indeque hoc efficit prouerbium: *Poſt formicam apis*, hoc eſt, poſt laborem requies, poſt amaritiem dulcedo, poſt tribulationem conſolatio, poſt certamina corona & gloria. *Acerbitatem laboris*, inquit, *dulcedo quietis excipit, & aſperitatem vitæ gaudium.* Additque, ſicut Salomon nos iubet imitari formicam & apem, ſic Chriſtus ſerpentem & columbam, dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Serpens enim, inquit, analogus eſt formicæ, columba api. Vnde ſubdit: *Niſi odio habiti fuerimus ſicut ſerpentes, non reddemur amabiles quaſi columbæ. Niſi viles & abiecti extiterimus inſtar formicarum, non erimus induſtrij vt apes.*

Vers. 9. VSQVEQVO PIGER DORMIES? QVANDO CONSVRGES E SOMNO TVO] Pro *dormies* hebr. eſt *iacebis*: ſolent enim dormituri iacere. Pro *conſurges* Septuag. vertunt, *excitaberis.* Eſt acris increpatio acediæ & acedorum, quos paulò antè extimulauit exemplo formicæ & apis. Per *ſomnum* intellige inertiam & pigritiam, item ſomnum propriè dictum: ſolent enim inertes & pigri eſſe ſomnolenti, & noctes dieſque dormire. q.d. Vſquequò inertiæ, otio & ſomno indulges, ô ignaue? Vſquequo ſtertis, & Endymionis ſomnum dormis, vt non tam viuere quàm lethargo laborare & mori videaris? quando ſoporem hunc, qui eſt viua mors, animo excuties? Expergiſcere tandem: ſat ſomno mortique datum: euigila, age, ſatage, viue, laborem cum alacritate capeſſe.

Vers. 10. PAVLVLVM DORMIES, PAVLVLVM DORMITABIS, PAVLVLVM CONSERES MANVS, VT DORMIAS] Hebr. *parum ſomnorum, parum dormitationum, parum connexionis manuum ad dormiendum.* Hebr. תְּנוּמוֹת *tenumot* ſignificat dormitationes, id eſt, propenſiones in ſomnum, cùm homo dormiturit, & incipit nictare & dormire. q.d. Dices

A mihi ô piger: Sinas, quæſo, ô ergodiocta, operumque exactor; me parum dormire; aut, ſi hoc nolis, ſaltem dormitare: ego enim dormiturio. Cui reſpondet, Non tantùm ex profundo longoque ſomno, ſed etiam ex crebra hac dormitatione, cui aſſueuit, ſecuturum egeſtatem. *Et veniet,* inquit, *tibi quaſi viator egeſtas*, &c. Septuag. *paulum quidem dormis paulum autem ſedes, parum autem dormitas, paulum autem amplecteris manibus pectora.* Deſides enim nunc iacent dormituri, nūc ſedent otiaturi, & vtrumlibet facturi inertes manus inerti applicant pectori. Vnde Syrus vertit, *pones manus, ſuper pectus tuum.*

ET VENIET TIBI QVASI VIATOR, EGESTAS, ET PAVPERIES QVASI VIR ARMATVS] Vers. 11. Hebr. *quaſi vir clypei*, id eſt, vir clypeo armatus. ita Symmach. Theodot. *tamquam vir haſtifer*; Syrus: *ſicut vir ſcutatus*; Septuag. *deinde ſuperuenit tibi*
B *tamquam malus viator paupertas, & egeſtas tamquam bonus curſor.*

Iam Primò, R. Leui, Iſidorus Clarius & Baynus ſic exponunt. q.d. Si parum dormias, & irruerit egeſtas, illa non durabit, ſed velut viator pertranſibit, & vt vir armatus, qui non manet, ſed ſemper procedit, donec perueniat ad belli aciem. Verùm hic ſenſus frigidus eſt, & eneruat vim mentemque ſententiæ, quæ ſuadet laborem, diſſuadet inertiam incommodo egeſtatis ante oculos poſito.

Secundò ergo & genuinè. q.d. Si ſomno inertiæ te dedas, imò ſi dormites dumtaxat, veniet tibi ſubita & inopinata egeſtas inſtar viatoris ſeu curſoris, ac paupertas adeò valida, vt illi reſiſtere nequeas: inſiliet enim illa ſeu vir armatus in te iner-
C mem & deſidem, teque profligabit & proſternet. Vnde Aben Ezra: *Ad te*, inquit, *diuertit egeſtas tamquam peregrinus, cuius aduētus, donec adſit, ignoratur; & pauperias tamquam qui clypeo munitus ad alium expugnandum accedit.* Septuag. per malum viatorem intelligunt inſidiatorem & prædonem: q.d. Egeſtas inſtar prædonis inuadet & prædabitur te, teque nudum & egenum efficiet. Per bonum curſorem accipiunt velocem, qui velociter currit ad prædam & ſpolia, vti faciunt milites expugnata vrbe vel caſtris hoſtium. q.d. Simili modo ſpoliabit te paupertas, & ob inertiam ad extrema te rediget. ita paſſim interpretes.

Tertiò magis genuinè & neruoſè noſter Mart. de Roa lib. 3. Sing. cap. 2. per *viatorem* accipit non eum qui iter agit, ſed lictorem vel apparitorem.
D *Viatores enim*, inquit, *olim ij dicebantur, qui magiſtratibus aderant, & ciues, vt ſe ſiſterent, euocabāt, aut etiam prehendebant, qui nunc alguaziles ó porteros.* Vnde Cicero de Senect. *A villa*, inquit, *in ſenatum, arceſſebantur Curius & ceteri ſenes: ex quo, qui eos arceſſebant, viatores nominati ſunt.* Idem in Vatin. *Miſeriſne viatorem, qui M. Bibulum vi domo extraheret.* Viatores etiā in ludis Circenſibus dicebantur, qui huc illuc curſitabant, agitatorum iuſſu; ſi qua fortè re egerent. In ſacris autem Litteris curſores ſiue emiſſarij dicuntur regum iudicumque miniſtri, qui ſemper illis adſunt parati ad accipienda & pręſtāda mandata, 1. Reg. 22 Vide igitur quid miles in capta vrbe, quid apparitor in oppignorata domo, aut nexa & obærata efficiat. Idem enim paupertas efficiet: vbi ingruerit, nec aurum, nec argentum factum infectumúe relinquitur, pretioſa vaſa & aulæa venduntur, nec in agro villa, nec in vrbe ædes, nec in ædibus lectus, nec veſtis in corpore remanet

net, cuncta vel pereunt, vel nectuntur, aut pignoribus opponuntur. Ea verò, quę proximè ſequuntur dicta confirmant. hæc Roa.

Moral. de fuga otij.

Moral. diſce hic quàm fugiendum ſit otium & inertia tum corporalis, tum ſpiritalis: vtraque enim cauſat egeſtatem, corporalis corporalem, ſpiritalis ſpiritalem. Quocirca Auſonius epigr. 110.

Sanus piger, inquit, febriente multò eſt nequior.
Potat duplum, dapeſq; duplices deuorat.

Et alius:

Aſſecla pigris ſemper indigentia eſt:
Se pigra virtus nunquam aſtris extulit.

Iſocrates in Areopagitico, *Priſci Athenienſes,* inquit, *tenuiores ad agriculturam & negotiationes deducebant dictitantes inopiæ cauſam eſſe pigritiam, & ad rapinas cædeſque inopiâ pleroſque impelli. Quare fonte malorum ſublato, etiam cetera delicta, quæ inde velut ebullirent, auferri,* Vnde Cato:

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto.
Nam diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat.

Porrò paupertatē ex pigritia naſci docet Salomon c. 10. v. 4. & 5. c. 24. 30. & ſeq. & Eccl. c. 4. 5. & c. 10. 18. Et Poëta:

Spinam qui timet, non carpet roſam.
Otium viui eſt hominis ſepultura.
Ante mortem viua ſe ſepulcro infert inertia.
Deſtruit rem, deſtruitque dignitatem inertia.
Vita pro ſale vt ſui (porco) *ſic & data eſt inertibus.*

S. Iſidorus Peluſ. lib. 2. epiſt. 197. *Solertia,* inquit, *oblectamento roborata, ipſius quoque naturæ obliuionem quaſi affert, atque extra ipſius terminos iaculatur. Quid ſi quis ſocordiam extinxerit, rectas cogitationes, quæ & ius & iudicium confirment, pullulantes conſpiciet.*

S. Petrus Chryſol. ſerm. 106. *Infructuoſa arbor intricat ceſpitem, necat ſpatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno afficit tædio poſſidentem: ac ſic excidere iſtam lucrum eſt, eſt iſtam commodum non habere. Sic homo vtique, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam ſenſus, iudicium mentis, artis induſtriam, culturæ bonum per ſteriles atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat: ſicut arbor è terra, ſic iſte è vita meretur excidi. Et ſicut infœcunda arbor, ſi fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus vmbram, inimica non ſibi ſoli, ſed etiam palmitibus ſit fœcundis: ita homo deſes & ignauus ſi præſit populis, nō ſibi ſoli ſit noxius, ſed multis, dum ſequentes ſe ſuo vitiat & perdit exemplo.*

Denique S. Bernard. de Modo bene viuendi c. 51. *Qui Deum,* inquit, *tota mente diligit, propter Deum otium poſtponit. Regnum Dei non dabitur otioſis, ſed in ſeruitio Dei ſtudioſis. Regnum Dei non dabitur vagantibus, ſed pro ſeruitio Dei dignè laborantibus.* Cogita illud S. Franciſci: *Modicus labor, gloria immenſa. Modica voluptas, pœna æterna.*

Myſticè S. Chryſoſt. in Catena Græc. Somnus animę, inquit, eſt prauarum cogitationum nequitia, earumdemque ignoratio. Dormitatio eſt in eaſdem inclinatio conſenſu quodam imperfecto. Inde ſequitur egeſtas & defectus ſanctarum cogitationum, deſideriorum, illuſtrationum, gratiæ, virtutis omniſque boni.

Si vero impiger fueris, veniet vt fons messis tua, et egestas longe fugiet a te] Septuag. addunt, *Tamquam malus curſor.* Eſt antitheſis impigri ad pigrum, q. d. Piger pigritiâ ſibi parit egeſtatem, impiger verò & ſedulus per laborem & diligentiam parat ſibi copioſam meſſem bonorum, quę ita exuberet, ſicut fons

A exuberat aquis. Hic verſus non eſt in Hebræo, Chaldęo, Syro, nec in Septuag. Complut. ſed extat in Septuag. Romæ emendatis, atque ex ijs in Latinum Vulgatum tranſlatus eſt: aptè enim apponitur & opponitur verſui præcedenti, q. d. Si pigreſcas, egeſtas velut miles armatus te inermem inuadet & ſternet, omniaque tua auferet; ſin impigrè labores, tu vice verſa velut miles armatus egeſtatem inermem propulſes, & longè fugabis à te, ac eius loco opes & diuitiæ domum tuam inſtar fontis numquam ſiſtentis, bonorum omnium abundantia complebunt. Nam, vt canit Poëta:

Impiger parat ſudore, quod vir fortis ſanguine.
Impiger inuenit, vt poſt, ſi velit, piger ſit.
Optima homini induſtria eſt, vt peſſima eſt ignauia.
Fortuna lapſa eſt, ſublenes induſtria.
Natura præſtat arti, vtrique induſtria.
B *Præſtantior violentiâ eſt induſtria.*
Cuncta perficit tentando multiplex ſolertia.

& alius:

Aſſiduus labor & ſolers induſtria quid non
Edomat? huic cedent omnia, dura licet.

Denique *bonorum laborum glorioſus eſt fructus*, Sapient. c. 3. 15.

Moraliter Dionyſ. Carthuſ. Ex his docemur, inquit, in Dei obſequio omnem pigritiam ſomnolētiamque vitare, atque viriliter aggredi opera bona. Et certè pigris valdè eſt ponderandum ac formidandum, quod in Apoc. c. 3. 16. ait Altiſſimus: *Vtinam frigidus eſſes aut calidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Deniq; pigri in diuinis in præſenti & in futuro ſuſtinent detrimentū, quia idipſum boni quod agunt, faciunt cum labore & tædio, ſine cōſolatione & guſtu, propterquod aut parum aut nihil merentur. Feruentes verò & agi-
C les Deo ſeruiunt cum gaudio, & delectabile eſt eis exercere diuina. Ideoque in præmio creſcunt præcipuè, & ſunt Deo chari & complacentes. Pigritia ex charitatis defectu, & inconſideratione diuinæ maieſtatis ac nouiſſimorum procedit. Ideo ait S. Bernard. Pigri ſi diu in ſuo corpore permanſerint, aut opprimuntur ſub onere, & ſuccumbunt, aut quodammodo in inferno ſunt, vt numquam ad plenum reſpirent in lucem miſerationum Domini, nec in libertatem ſpiritus, quæ ſola facit iugum ſuaue & onus leue. Inde autem tam pernicioſa emanat tepiditas, quia voluntas eorum nondum purgata eſt, nec ſic volunt ac diligunt bonum, ſicut nouerunt, à propria concupiſcentia abſtracti & illecti: amant enim in carne ſua terrenas conſolatiunculas ſiue in verbo, ſiue in ſigno, ſiue in facto.
D Et hęc aliquando interrumpunt, non tamen penitus rumpunt. Inde eſt quòd rarò dirigunt affectiones ſuas in Deum, & compunctio eorum non continua, ſed horaria eſt.

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso] Arabicus, *vir diues tranſgrediens legem, decurrit viam non rectam.* Vers. 12.

Annuit oculis, terit pede, digito loquitur] Arabicus, *hic enim oculis ſuis annuit, & induat pedibus ſuis, & docet nutibus digitorum ſuorum.* Vers. 13.

Pravo corde machinatur malum, et omni tempore iurgia seminat] Aptè & congruo ordine ab otio & pigritia tranſit ad impietatem & ſcelera, quæ ex otio naſcuntur: otioſi enim ſunt garruli, rapaces, machinatores malo- Vers. 14.

tioſi enim ſunt garruli, rapaces, machinatores malorum, ſuſurrones, &c. *Nam multam malitiam docuit otioſitas.* Otioſus ergo, vel eſt, vel fit apoſtata.

Belial quid. Pro *apoſtata* hebr. eſt בְּלִיַּעַל *belial*, quod aliqui deriuant à בְּלִי *beli* & עָלָה *ala*, q.d. *Non aſcendit*, ſed deſcendit; ſicut Lucifer ſuperbè volens aſcendere in cælum, miſerè deſcendit in tartara. Meliùs R. Dauid deriuat à *beli*, id eſt ſine, & יַעַל *iaal*, id eſt vtilitate, q.d. Inutilis. Eò hìc alluditur, ait enim, *Homo apoſtata, vir inutilis.*

Tertiò & optimè, deriues à *beli* & עוֹל *ol*, id eſt, *ſine iugo*: ita enim vertere ſolet alibi S. Hieronym. & Aquila. Hinc *belial* ſignificat Primò, inobedientiam, rebellionem, impietatem; Secundò, inobedientes, rebelles, impios; Tertiò, diabolum, qui princeps fuit omnis apoſtaſiæ & inobedientiæ, quique primus apoſtata, legis, fidei & obedientię Dei iugum excuſſit. Hinc *viri* vel *filij Belial* vocantur apoſtatæ. q.d. Filij diaboli, vel filij inobedientiæ, rebellionis, impietatis, hoc eſt, improbiſſimi & impijſſimi. ita Vatabl. Belial, inquit, eſt qui omni ratione, humanitate, religione, pietate & omni probitate deſtitutus eſt; vel homo nihili, impius & inutilis, aut apoſtata, & ſui inſtituti deſertor qui nihil promouet. Chald. *belial* vertit, *calumniator*. Igitur per *apoſtatam* hìc non tantùm apoſtatam à fide vel religione, de quo hunc locum explicat S. Thomas 2.2.q.12.art.1.ad 2. tales enim pauci erant ęuo Salomonis; ſed generatim impium, qui à Deo Deiq; lege deſciſcit, accipe, iuxta illud Eccli. 10.14. *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo; quoniam ab eo, qui fecit eum, receſſit cor eius.* Et Eccli. 19.2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Vnde Septuag. & Syrus pro *homo apoſtata* vertunt, *vir inſipiens & iniquus*, inſipiens enim in hoc libro ſignificat iniquum & impium: hic enim ſummè eſt inſipiens. Iſidorus Clarius vertit, *homo impius*: Hebr. enim *belial* ſignificat hominem inſigniter impiũ, putà ſuperbum, contumacem, violentum, turbatorem pacis, factioſum, ſeditioſum. Quocirca S. Bernard. loco mox citando per *apoſtatam* accipit ſuperbum; R. Leui mendacem; Chald. calumniatorem; S. Greg. verò eum qui ſeminat diſcordias: vnde & in Hebræo reliqua apoſtatæ epitheta, vt *terit pede*, *annuit oculis*, *digito loquitur*, &c. efferuntur per participiũ; vltimum verò, ſcilicet *iurgia ſeminat*, effertur per verbum, quaſi hoc ſit proprium apoſtatæ vitium & officium. Et in ſeq. v. 16. *Sex ſunt quæ odit Dominus*; vbi ſex, imò ſeptem, apoſtatæ vitia & officia recenſentur, vltimum & penè præcipuum, quod proinde Deus deteſtatur, eſt, *ſeminat inter fratres diſcordias*. Id magis patebit v. 16. ex verſione Septuag. Hinc rurſum *belial*, ſiue apoſtatæ, datur epithetum אִישׁ אָוֶן *is auen*, id eſt, *vir iniquitatis*, id eſt, iniquus, ſceleratus, de quo mox. Quocirca apoſtaſiæ vitium hìc non vnum eſt, ſed multiplex. Apoſtaſia enim vocatur impietas, & apoſtata homo inſigniter impius, cuius ſeptem vitia hìc & v. 16. enumerat.

Apoſtatæ qualitates. Prima. Apoſtatam ergo hiſce moribus quaſi coloribus pingit. Primò, quòd ſit *vir inutilis*, id eſt, noxius. Eſt mioſis: parũ enim dicitur & plus ſignificatur. Sic pſal. 13. dicitur: *Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt.* Et Iob 15.16. *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquã iniquitatem.* Vnde hebr. eſt אִישׁ אָוֶן *is auen*, id eſt, vir iniquitatis, vanitatis, cupiditatis, mendacij, idoli, nihili, laboris, afflictionis; Septuag. *vir iniquus*; Tigur. *vir vanus*. Porrò S. Thomas 2.2.q.12.a.1. hæc explicans de apoſtata propriè dicto: Apoſtata, inquit, dicitur vir inutilis, quia nihil facere poteſt boni, quod placeat Deo, eò quòd careat fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Hebr. 6. Sic peccator & reprobus eſt vir inutilis, quia fruſtra natus in mundo, fruſtra accumulat opes, honores, filios; fruſtra ſtudet, negotiatur, laborat. Quid enim ſunt reprobi, niſi folles & fomenta gehennæ?

Secundò, quòd *graditur ore peruerſo*; Septuag. *ambulat in peruerſitate* (Symmach. *in peruerſitatibus*) *oris*: quia è corde peruerſo peruerſum habet os, dum peruerſa, id eſt fraudulenta, loquitur, quibus alios decipiat & in fraudem deducat; dum ore amicitiam ſimulat corde odium gerit. Rurſum *os peruerſum* eſt os procax, impudens, ſcurrile, mendax, &c. Syrus, *vir ſtultus, vir iniquus obliquè graditur*; R. Salomon, *graditur labijs diſtortis*, id eſt, inquit, in alios ora diducit. *Secundò.*

Tertiò, quòd *annuit oculo*; Septuag. *innuit oculo*; Aquila & Theodor. *carpit oculo*. *Tertiò.*

Quartò, quòd *terit pede*; Septuag. *ſignificat pede*; Symmach. *proterit pede*; Pagnin. *loquitur pedibus*; Vatabl. *indecorè pedes ſuos ſuccutit*, vel feriendo terram, vel premendo pedem ſocij. Vnde R. Salomon, *pedibus calcat pedem*. *Quartò.*

Quintò, quòd *digito loquitur*; Septuag. *docet nutibus digitorum*; Symmach. *digitis demonſtrans*; Chald. *indicans*. Syrus, *annuit digitis*. *Quintò.*

Quæres, quidnam, & quoſnam hi geſtus denotant? Primò, Vatab. hæc refert ad immodeſtos & inconditos geſtus & geſticulationes impij, quibus affectat grauitatem & auctoritatem. q.d. Homo vanus, ſuperbus, impius componit oculos ad ea quæ dicit, & geſticulatione quadã manuum & pedum vtitur, vti ſolent pſeudoprophetæ; ſcilicet componit ſeſe totum, fingit vultum, plodit pede, quaſi auctoritatem habens, &c. vt faciliùs imponat. Sic S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum taxans Grũnium, id eſt Ruffinum, faſtus: *Cùm menſa poſitâ*, inquit, *librorum expoſuiſſet ſtruem adducto ſupercilio, contractiſq́; naribus, ac fronte rugatâ, duobus digitulis côcrepabat, hoc ſigno per ſummam oſtentationem ad audiendum diſcipulos prouocans.* Et S. Bernardus tract. de Gradib. humil. *Primus*, inquit, *ſuperbiæ gradus eſt curioſitas. Hanc autem talibus indicijs deprehendes: ſi videris monachum, de quo priùs bene confidebas, vbicumque ſtat, ambulat, ſedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare ſuſpenſas, è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoſcas. Vir quippe peruerſus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, & ex inſolenti corporis motu recens animæ morbus deprehẽditur, quam, dum à ſui circumſpectione torpeſcis, incuria ſui curioſam in alios facit.* *Geſtus hi Primò, notant immodeſtiam.*

Secundò, alij hæc referunt ad ſimulationem & hypocriſin. q.d. Impius & hypocrita fraudulenter agit, nutuque oculorum quaſi annictando amicitiam ſimulat, ſolent enim amici amicis oculis annictare. Plodit pede, vt ſimulet ſe admirari dicta & facta amici. Digito loquitur, vt extento digito eandem admirationem ſimulet, ac interim corde machinatur eidem malum. *Secundò, hypocriſin.*

Tertiò, alij hęc referunt ad irriſionem. q.d. Impius, vt quempiam irrideat, alijs annictat oculo, quaſi notans alterius dicta factaq; eſſe ridicula riſuque digna. Eâdem de cauſa plodit pede, & digitum extendit, quaſi alium pede proterendum, & digito *Tertiò, irriſionem.*

digito ſubſannandum indicant. Hinc ſimile eſt prouerbium: *Medium oſtendere digitum.* Medio enim digito porrecto ſummum contemptum ſignificabant. Vnde ſatyricus.

Mandaret laqueum, mediumq́; oſtenderet vnguem.

Sic Diogenes apud Laërtium hoſpitibus quibuſdam Demoſthenem videre cupientibus, non indice digito, ſed medio porrecto demonſtrauit, dicens: *Hic eſt vobis ille Athenienſium concionator.* Simul ſignificans Demoſthenem & gloriæ auidum & effeminatum.

Quartò. fraudem. Quartò, aptiùs alij hæc referunt ad fraudes & machinationem mali q.d. Improbus, fraudulentus & veterator, dum ore blando amicè cum quopiam colloquitur, cui corde machinatur malum, tunc ſimul per interualla latenter, cùm ſe ab amico videri non putat, ſocijs & complicibus ſuis annuit, &, vt Septuag. annuit oculis, ſignificans quid facto ſit opus, vt amicum fraudulenter impetant, eumque affligant. Eâdem de cauſa plodit pede, & digito loquitur, ſignificans ſocijs, qui geſtus eius ex condicto intelligunt, qua arte & fraude amicum circumuenire debeant. Sic olim heri, crepitantibus digitis indicabant ſeruis, quid fieri vellent. Vnde illud Martial. l. 3. Epigram. 40.

Digiti crepitantis, ſigna nouit eunuchus.

Huc ſpectat illud Eccl. 27. 25. *Annuēs oculo fabricat iniqua.* Nictatio enim oculorum, ſi ſit naturalis, ſignum eſt timiditatis, ait Plinius lib. 11. 37. ſin autem ſponte ſit aſſumpta, ſignum eſt amoris, veſaniæ, fraudis, adulationis, machinationis mali.

Denique S. Iſidorus li. 1. Orig. cap. 25. *Sunt*, ait, *quædam & digitorum notæ, ſunt & oculorum, quibus ſecum taciti procul, diſtantes colloquuntur. Sic mos eſt militaris, vt quoties conſentiat exercitus, quia voce non poteſt, manu promittat: alij quia voce non poſſunt, gladiorum motu ſalutant. Ennius de quadam impudica: Quaſi in choro pila ludens datatim* (fortè legendum *datatim*) *dat ſeſe, & communem facit. Alium tenet, alij adnutat, alibi manus eſt occupata, alij peruellit pedem, alij dat annulum ſpectandum, & à labris alium inuocat, cum alio cantat, at tamen alijs dat digito literas. Et Salomon: Annuit oculo, terit pede, digito loquitur.*

Sexta. Sexta nota & vitium apoſtatæ, id eſt hominis improbi & belial, id eſt diabolici, eſt: *Prauo corde machinatur malum*; hebr. *fabricat malum*; S. Ephrem tract. Contra impudicos legit, vti Noſter, *machinatur malum: Sicut enim*, inquit, *ex latebris multitudo venenatarum beſtiarum egreditur, ſic ex corde ſimilium hominum multitudo peſſimarum cogitationum procedit.* Cor enim malitia deprauatum quid cogitare, velle & eructare poteſt, niſi mala praua & peruerſa? ſicut fons amarus non niſi amaram aquam fundere potens eſt. Vnde Hebr. ſic planiùs habent, *peruerſitas in corde eius, fabricatur malum*; Vatabl. *concinnat malum omni tempore*; Septuag. *peruerſum cor arbitrattur mala.*

Septima. Septima eſt: *Et omni tempore iurgia ſeminat*; Hebr. *contentiones ſpargit* Chald. *iurgia iacit*; Syrus *inter duos conturbat*; Septua. *in omni tempore, qui talis eſt, turbationes affert ciuitati*; Vatabl. *immittit occaſiones contentionum.*

Hoc eſt vltimum & peſſimum, ſummeque noxium apoſtatę vitium, in quo excellunt apoſtatę à fide vel Religione, in quos hæc omnia imprimis quadrant. Quantum ſit hoc vitium, quantaque reip. peſtis, ex hoc loco docet S. Gregor. 3. parte

A Paſtor. admon. 24. *Ecce*, inquit, *quem ſeminantē iurgia dicere voluit, prius apoſtatam nominauit, quia niſi more ſuperbientis angeli, à conſpectu Conditoris prius intus auerſione mentis caderet, foras poſtmodum vſque ad ſeminanda iurgia non veniret. Qui rectè deſcribitur, quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior namque eſt cuſtodia, quæ ordinatè ſeruat exteriùs membra. Qui ergo ſtatum mentis perdidit, ſubſequenter foras inconſtantiâ motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interiùs radice ſubſiſtat. Audiant iurgiorum ſeminatores, quod ſcriptum eſt: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Atque è diuerſo colligant, quia ſi filij Dei vocantur qui pacem faciunt, procul dubio ſatanæ ſunt filij qui confundunt.*

Vers. 15. HVIC EXTEMPLO (Syrus, *ideo extemplo*) VENIET PERDITIO SVA, ET SVBITÒ CONTERETVR (Hebr. *confringetur*) NEC HABEBIT VLTRA MEDICINAM] Vatabl. *ſubitoq́; ſic conteretur, vt mederi*
B *nemo queat.* q.d. Plaga eius erit inſanabilis & immedicabilis, conteretur vt vas figuli, quod reparari nequit, ſed in minutiſſimas partes diſſilit, & in puluerem contunditur.

Quàm hoc verum ſit, docet experientia: ita enim ſæpè videmus homines improbos, machinatores malorum, & turbatores publicę pacis, repentinis, inopinatis & ineuitabilibus aduerſitatibus obrui, quæ non rarò eis mortem afferunt præſentem & æternam: iuſta enim & congrua eſt pœna, vt, qui aliorum pacem & amicitiam (cuius lęſio ſępè eſt irreparabilis) diſciderunt & lacerarunt, ipſorum quoque ſanitas & ſalus irreparabiliter diſcindatur & laceretur. Breuis ergo eſt impiorum vita & malitia, ſin autem quandoque paulo prolixior ſit, vtique cedit eis ad pœnæ augmentum; Deus
C enim tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. Adde, Hebr. פתאם *pitom*, propriè ſignificare inopinatam, improuiſam, ſubitaneam ruinam: vt, cùm in flore & culmine ſunt bonorum & voluptatum, & exultant in rebus peſſimis, tunc ſubitò & improuisò à Deo elidantur & confringantur, vt ilicò ab extremo ad extremum, puta à ſummo gaudio ad ſummum dolorem tranſeant, quæ res pœnam, & doloris ſenſum valdè adauget.

Vers. 16. SEX SVNT, QVÆ ODIT DOMINVS, ET SEPTIMVM DETESTATVR (Syrus, *execratur*) ANIMA
Vers. 17. EIVS (Hebr. *& ſeptem abominatio animæ eius*) OCVLOS SVBLIMES, LINGVAM MENDACEM, MA-
Vers. 18. NVS EFFVNDENTES INNOXIVM SANGVINEM: COR MACHINANS (Syrus, *excogitans*) COGITA-
Vers. 19. TIONES PESSIMAS, PEDES VELOCES AD CVRRENDVM IN MALVM, PROFERENTEM MENDACIA TESTEM FALLACEM, ET EVM QVI SEMI-
D NAT INTER FRATRES DISCORDIAS] Cùm paulò antè deſcripſerit belial, id eſt apoſtatam, eiuſque mores & ſcelera, in quæ per otium & deſidiam ſolent homines decidere, ideoque eum graues clades & exitium ſibi accerſere: nunc catalogum grauiſſimorum criminum ſubijcit, quæ Deo ſummè exoſa ſunt, in quæ diſſidia ſolet apoſtatas ſiue belial, id eſt homines improbos deducere. Porrò hæc crimina ſimilia, & penè eadem ſunt cum antè recenſitis in apoſtata v. 12. Ad apoſtatam enim hęc omnia pertinere patet, tum quia illi mox hęc ſubijcit, tum ex Septuag. qui clarè hęc cum eo connectunt, eique attribuunt, dum pro eo, quod Noſter & Hebręa habent, *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius*; ipſi vertunt, *quoniam gaudet* (belial, id eſt apoſtata, qui præceſſit) *omnibus*

A *bus quæ odit Deus: contereretur autem propter immunditiam animæ*, quam explicant per ſeptem vitia, quæ ſequuntur.

Idem colligas ex eo, quòd ſeptem hæc vitia, ſeptem recenſitis in apoſtata quaſi ex æquo, imò nõnulla ad verbum reſpondeant. Nam Primò, *Tῷ oculos ſublimes* reſpondet *Tò annuit oculis*; Secundò, *Tῷ linguam mendacem* reſpondet *τò graditur ore peruerſo*; Tertiò, *Tῷ manus effundentes innoxium ſanguinem* reſpondet *τò vir inutilis*, Hebr. איש און *is auen*, id eſt, vir iniquitatis; Quartò, *Tῷ cor machinans cogitationes peſſimas* reſpondet *τò corde machinatur malum*, Quintò, *Tῷ pedes veloces ad currendum in malum* reſpondet *τò terit pede*, vt currat ad malum, proximumque pellumdet & proterat; Sextò, *Tῷ proferentem mendacia teſtem fallacem* reſpondet *τò digito loquitur*; dum digito indicat mendacia, fraudes, inſidias: digito enim ſocijs inſidiantibus ſignum dat modumque innuit ſceleris exequendi, Septimò *Tῷ qui ſeminat inter fratres diſcordias*, reſpondet *τῷ & omni tempore iurgia ſeminat*. Igitur recenſet hîc Salomon ſeptem flagitia, in quæ viri belial, ſiue apoſtatæ, id eſt, homines inertes & improbi, prolabi ſolent, non quidem ſimul in omnia, ſed nunc in hoc, nunc in illud, & tandem in omnia.

Suſurratio grauiſſimũ ſcelus.

Quæritur, quomodo ſeminare inter fratres diſcordias, hoc loco ponatur ſeptimum & grauiſſimum peccatum, de eoque dicatur: *Et ſeptimum deteſtatur anima eius.* q. d. Septem iam recẽſenda ſunt, quę Deus abominatur. Aut q. d. Vbi ad ſex priora accedet ſeptimum, omnia reddet prorſus execranda. ita R. Salomon. vnde Vatabl. vertit, *ſex ſunt quæ odit Dominus, imò ſeptem ſunt quæ abominatur*; & Aquila, Symmach. Theodor. *ſeptem ſunt abominationes animæ eius.*

Verùm hæc non ſatisfaciunt noſtræ verſioni Vulgarę, quę habet: *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur*, id eſt execratur, *anima eius*: plus enim eſt deteſtari vel execrari aliquid, quàm ſimpliciter odiſſe. Cùm ergo Deus execretur ſuſurrationem ſiue ſeminationem diſcordiarum, reliqua verò ſex dicatur tantum odiſſe, ſequitur ſuſurrationem ceteris ſex eſſe grauiorem, eſſeque ſcelus grauiſſimum. Sic etiam vertit Tigur. *hæc ſex*, inquit, *odit Dominus; ſeptimũ autem ex animo deteſtatur.* Sæpè enim Hebręi numerum cardinalem accipiunt pro ordinali, putà *ſeptem* pro *ſeptimum*. Sic *vna ſabbatorum* vocatur prima ſabbatorum, ſiue dierum, putà Dominica, prima dies ſeptimanæ. Similia videbimus cap. 30. v. 15. 18. 21. 29. & amos 1. 3. Huc alludens S. Paulus Roman. 1. 29. vocat *ſuſurrones, Deo odibiles.*

Grauior homicidio, Primò.

D Dico ergo, licet homicidium per ſe ſit grauius ſuſurratione, quia hæc tollit amicitiam, illud vitam; tamen ex adiunctis & effectis, quorum ſuſurratio eſt cauſa vel occaſio, ipſa homicidio & ceteris quinque vitijs hîc recenſitis eſt grauior Deoq; magis exoſa & deteſtabilis. ita docet D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. ad 1. & 2. Ratio eſt. Prima, quia ſuſurratio ſæpè tollit fraternum amorem & charitatem, eamque quaſi occidit & interimit inter fratres. Grauius eſt autem adimere & quaſi occidere charitatem, quàm vitam naturalem per homicidium: charitas enim longè præſtantior eſt vita, Audi S. Gregor. 3. p. Paſtor. admon. 24. *Omnes*, inquit, *qui per diſcordiam ſeparantur, à viriditate dilectionis areſcũt. Qui etſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferunt, profectò nulli ſunt; quia non ex vnitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant ſeminantes iurgia quàm multipliciter peccant, qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas ſimul virtutes eradicãt. In vno enim malo innumera peragunt: quia ſeminando diſcordiã, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater eſt, extinguunt. Quia autẽ nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nil eſt delectabilius diabolo extinctione charitatis. Quiſque ergo ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiariùs ſeruit: quia quã ille amiſſã occidit, hanc iſte vulneratis cordibus ſubtrahens, eis iter aſcenſionis abſcidit.*

Secundò,

Secunda, quia ex ſuſurratione ſequuntur ſępè cædes, non vna, ſed multæ. Quot prælia inter reges & principes amicos, cùm multorum millium ſtrage, regnorum & rerum publ. euerſione, ſuſcitarunt ſuſurrones & etiamnum ſuſcitant! Quocirca S. Clemens epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini: *Homicidiorum*, inquit, *tria genera dicebat eſſe S. Petrus,*
B *& pœnã earum parilem fore aſſerebat. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores quoq; eorum, eoſq; odientes homicidas eſſe manifeſtabit.* Et S. Auguſt. vt habetur 11. q. 3. c. *Nemo*: *Nemo*, inquit, *peruorũ aut prudentium putet, quod minus periculum ſit in verbis linguæ mẽtiendo, quam manibus ſanguinem fundendo.* Qua de cauſa paſſim in Script. ſuſurronum & detractorum lingua comparatur gladio, nouaculæ acutæ, armis & ſagittis. Denique S. Bernardus ſerm. 3. in Cant. *Proditores ſunt*, inquit, *quia in hoc Domini caſtrum inimicos eius introducere moliuntur, quales ſunt vtique detractores Deo odibiles, qui diſcordias ſeminant, nutriunt ſcandala inter fratres.*

Tertiò.

Tertia, quia ex ſuſurratione oriuntur plurima peccata, puta odia, calumniæ, lites, rixæ, cædes, rapinæ, incendia, vaſtationes vrbium & regnorum, milleque alia ſcelera. Vnde Eccleſ. c. 28. 15. *Suſurro* inquit, *& bilinguis maledictus: multos enim turbabit*
C *pacem habentes. Lingua tertia multos cõmouit, & diſperſit illos de gente in gentem. Ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos ingratorum effodit: virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit.* &c. Vide ibi dicta.

Quartò.

Quarta, quia ſuſurratio per ſe euertit ciuitatẽ, remp. collegium, monaſterium, Ordinem. Tollit enim vnionem ciuium, Religioſorum, domeſticorum, &c. ac ciuitatem Ordinemque lacerat & diſcindit. Facit enim ſchiſma, id eſt ſciſſionem, reip. Legimus ſchiſmata Eccleſiæ, ac vidimus quot quantaſque clades pepererint; indeque didicimus nullam maiorem eſſe Eccleſię peſtem quàm ſchiſma, quia ipſum ſolum totam Eccleſiam dilacerat, & quãtum eſt in ſe, euertit. Facit enim, vt vna pars in aliam inſurgat, cum eaque confligat, itaque mu-
D tuis odijs & gladijs ſeſe inuicem cõficiant. Vide S. Cyprian. li. 1. epiſt. 6. ad Magnum, perſtringentem ſchiſma Nouatiani, & epiſt. 8. ad plebem. Vide ea quæ dixi in epiſt. S. Iudæ v. 19.

Denique S. Thom. 2. 2. q. 74. a. 2. in corp. *Suſurratio*, inquit, *maius eſt peccatum quam detractio, etiam quàm contumelia, quia amicus* (quem aufert ſuſurro) *eſt melior quàm honor, & amari quàm honorari, vti 8. Ethic. c. 8. Philoſophus dicit.* Et in reſpõſ. ad 3. *Hoc peccatum* (ſuſurrationis) inquit, *maximè contra Deum eſt, quia Deus dilectio eſt, vt dicitur 1. Ioan. 4. & propter hoc dicitur Prouerb. 6. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: & hoc ſeptimum ponit eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Sic & Hugo, Dion. Ianſen. & alij.

Appoſitè obſeruat Ianſen. quòd in hiſce ſeptem

vitijs priora quinque referuntur tamquam vitia particularium partium hominis, incipiendo ab oculis, qui in ſuprema hominis parte collocantur, & deinde procedẽdo ſecundùm ordinem quem habent partes in corpore humano vſque ad pedes: duo verò reliqua vitia referuntur tanquam perſonarum vitia, non autem partium hominis. Et videri poteſt quinque illa vitia, quæ partibus corporis tribuit, conſideraſſe tanquam per quæ à partibus ſuis vitietur & lædatur totus homo; duo verò reliquæ, quæ perſonarum ſunt, tanquam per quæ lædatur, communitas & reſpublica, cuius perſonæ illæ ſunt partes. Multùm enim communitatem lædunt teſtis fallax, qui iudicium corrumpit, iudicem que iniquè iudicare facit cum oppreſſione innocentium; & qui ſeminat diſcordias inter eos, quos maximè conueniebat eſſe concordes.

Iam primum inter ſeptem ſcelera Deo prę cęteris exoſa, recenſet *oculos ſublimes*; Vatabl. *elatos*; Syrus, *ſuperbos*: per quos Primò, aliqui accipiunt impudentiam & luxuriam. Nam, vt ait Eccleſiaſt. c. 26.12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorũ.* Vnde R. Leui accipit *eos, qui perfrictâ fronte oculos ſuperbè attollunt.* Additque: *Recenſet Salomon ſingula membra ex ordine: orditur à ſublimiori, & deſinit in infimum.*

Secundò, alij paſſim accipiunt ſuperbiam & faſtum, indeq; aliorum contemptum & deſpectum: ſuperbus enim elatos habet oculos, iiſque quaſi ex alto deſpicit & vilipendit alios, quaſi ſe longè inferiores, viles & abiectos. Vnde Septuag. vertunt, *oculos contumelioſi*; vel, vt Lucifer Calar. Apol. pro S. Athanaſ. legit, *oculus contumelioſus.* Deſpicere enim eſt ex alto deorsũ aſpicere, & quaſi ſub ſe poſita ſpernere: ita Beda. Hugo, Lyran. Ianſen. Caiet. quin & S. Hier. in c. 2. Nahum: *Vt autem ſciamus,* inquit, *quomodo iniu ia oculis fiat, Salomon teſtis eſt dicẽs: Oculus contumelioſus, lingua iniqua.* Faſtus enim, æquè ac contumelia, maximè ſe prodit in oculis elatis & deſpicientibus. Hinc orat Eccleſiaſt. c. 23. 5. *Excellentiã oculorum*, inquit, *ne dederis mihi.* Et Iob c. 41. 25. de diabolo ſub figura leuiathan, id eſt ceti, ait: *Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Et Iſaias ca. 2. 11. *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt.* Et c. 5. 15. *Humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur.*

Secundum vitium Deo exoſum aſſignat *linguam mendacem*, id eſt *fallacem*, vt vertit Pagnin. Septuag. vertunt, *lingua iniuſta*; S. Hieron. Apocal. 2. contra Ruffin. legit *lingua iniqua.* Triplex enim eſt mendacium, ſcilicet otioſum, iocoſum & pernicioſum: tertium ſolum eſt peccatum mortiferum Deoque exoſum reliqua duo venialia ſunt. Loquitur ergo hîc de mendacio pernicioſo, ait R. Leui, quod Deo & hominibus valdè eſt inuiſum: tum quia directè aduerſatur Dei veritati & fidelitati: tum quia iniurium eſt proximo, illique graue damnum iniuſtè infert: tum quia euertit omnia hominum commercia, contractus & ſocietates, ideoque toti reipubl. eſt exitiale. Quis enim contractum ineat, negotietur, tractet cum eo qui mentitur & fallit; qui quod dicit, non præſtat; qui promittit, nec facit? lingua enim homini data eſt tum ad Deum laudandum, tum ad vitam ſocialem, vt quiſque quod corde concipit, hoc ore alijs enunciet, itaque contractus, fœdera, connubia, &c. ineat. Quòd ſi id non facit, ſed fraudulenter aliud dicit ore, aliud ſeruat in corde; hinc lingua ſua abutitur ad noxam proximi & quantum in ſe eſt omnem ciuilem conuerſationem euertit.

Sic *Mendacium* in Script. ſæpè ſumitur pro fraudè, fallacia, iniuſtitia. Vt Oſee 4. 2. *Maledictum, & mendacium & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Et c. 7. 1. *Reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium: & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris.* Et Apoc. 22. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Et c. 21. 27. *Non intrabit in eam* (Ieruſalem cæleſtem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.*

Tertium aſſignat *manus effundentes ſanguinem innoxium*; Hebr. נקי *naki*, id eſt, *innocentis*; Septuag. *ſanguinem iuſtum.* Homicidium enim ſummum eſt ſcelus ſecundæ tabulæ ſpectantis proximum, aufert enim vitam homini, quæ longè præſtat fama, vxore, opibus ceteriſque eius bonis. Vnde in Script. *effuſio ſanguinis* per antonomaſiam & catachreſin ſignificat quodlibet ſcelus enorme. Vide dicta Geneſ. 9. 6.

Myſticè Baſil. in Catena Græcor. *Hominis flagitioſi oculus,* inquit, *& lingua iniuſta, & externæ hominis partes, quæ ordine hîc exponuntur, ſignificant vires animæ: hæ enim per corporis membra ad malum feruntur. Nam quod in corpore eſt oculus, & lingua, & manus; hæc in anima ſunt ratio, appetitus & iudicium. Inter ceteros autem illi effundunt ſanguinem iuſtum, qui fœdis operibus contaminati ſanguinem Domini bibunt.*

Quartum aſſignat *cor machinans cogitationes peſſimas*; Hebr. *cor fabricans cogitationes iniquitatis*; tum cuiuſlibet, tum præſertim eius quæ iniuria eſt proximo, qua ſcilicet quis machinatur proximo eripere fortunas, famam, dignitatem, vitam, &c. omnia enim hæc ſeptem vitia ſpectant noxam proximi. Notat appoſitè Ianſenius, *cor machinans mala* medio loco poni, id eſt, quartum inter ſeptem vitia; quia cor ceterorum eſt fons & ſcaturigo. Idem notat Polychron. in Catena Græcor. qui & addit dæmonem obſeruare externos corporis motus, vt ex illis internos cordis affectus rimetur & deprehendat. Porrò rectè dicitur, *cor fabricans*; quia ſicut faber fabricat domum, vnum laterem alteri, vnam trabem alteri, vnum parietem alteri iungendo & ſuperædificando, nunc rectà, nunc obliquè, nunc angulariter, nunc tranſuerſim, &c. ſic pariter cor quod machinatur alteri malum vnam fraudem alteri, vnam calumniam alteri, vnam rationem alteri innectit & implectit, nunc directè, nunc indirectè, &c. vt ſuam mali fabricam exſtruat & perficiat.

Quintum aſſignat *pedes veloces ad currendum in malum*; Septuag. *pedes feſtinantes ad malè faciendum.* Velocitas hæc notat inexplebilem ſceleris auiditatem, & deſtinatum ſtudium. Nam ex ſubita cholera, vel caſu ſanguinem fundere, nõ ita graue eſt; at deſtinato ſtudio, quaſi ſiti ſanguinis, cum tanta alacritate fundere graue eſt, & Deo abominabile: ſceleratis enim pruriunt pedes ad currendum, & manus ad infligendum vulnera. Alludit ad illud pſal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

Sextum aſſignat, *proferentem mendacia teſtem fallacem*; Hebr. *efflabit, conflabit, inflabit mendacia teſtis falſitatis. Inflabit.* Sicut enim bullæ flatu puerorum inflantur, ſic & mendacia flatu oris impiorum, qui pluſquam pueri ſunt: ac ſicut bullæ, ſic & mendacia vacua & inania ſunt. Rurſum ſicut tubicen magno conatu & ſpiritu inflat tubam prælij: ſic impij inflant tubam mendacij, vim enim ingentem ſibi

ſibi inferunt, vt contra conſcientiam,veritatem & A famam mendax & falſum teſtimonium proferant. Vnde Seneca: *Mendacia proferentes*, inquit, *ſtrangulari ſolent, & per ſingula verba hæſitare.* Ita videmus teſtes mendaces,dum teſtimonium falſum coram iudice proferunt,expalleſcere, titubare, tremere, vt vix effari queant,ac ingenti oris, vultus, totiuſque corporis confuſione prodere internum cordis ſui ſcelus,oriſque fallaciam. *Conflabit*: quia ſicut faber vitrarius ingenti oris flatu conflat vitrum;ſic teſtis mendax eodem conflat calumniam & mendacium,quod fragile eſt vt vitrum,ac inſtar vitri eluceſcente veritate frangitur & rumpitur. *Efflabit* quia ſicut fornax accenſa efflat ſcintillas,quæ ſæpè ſegetes,imò domos ſuccendunt; ſic mendax efflat falſa teſtimonia, quæ inſtar ignis homines, familias,ciuitates & regna accendunt & perdunt. Hoc propriè ſignificat Hebr. יָפִיחַ *iaphiach*. vnde פִּיחַ B *piach* vocatur fauilla,quæ facili flatu excitatur, & è fornace efflatur:& פֶּחָם *pecham* vocatur carbo,qui flatu accenditur & igneſcit. Vnde Septuag. vertunt, ἐκκαίει ψευδῆ μάρτυς ἄδικος, quod Complut.vertunt, *exurit mendacem teſtis iniuſtus*, quia videlicet teſtis iniuſtus mendacem actorem ſuo mendaci teſtimonio roborans, excitat & accendit ad proſequendam cauſam & litem iniuſtā, qua comburat & perdat innocentem. Auctor Catenę Gręc. τὸ ψευδῆ ſumit paſſiuè,nempe pro eo qui mendacijs impetitur & oneratur, non pro mendace qui impetit & onerat. Mendax enim eum, quem impetit calumnijs,exurit,id eſt,affligit,cruciat & perdit. Meliùs τὸ ψευδῆ accipias non vt maſculinum, ſed vt neutrum ſignificans mendacia, non mendacem. Vnde Romani & alij vertunt, *accendit falſa teſtis iniuſtus*. q.d. Teſtis falſus excitat mendacia, C ſtruitque falſa teſtimonia, quibus accendantur & perdantur innocentes. Falſum enim teſtimonium eſt quaſi ignis ſuſcitatus flabello linguę teſtis mendacis, qui innocentes afflat & exurit, vt condemnentur à iudice,perdantque opes ſuas, quin & famam ſæpè ac vitam. Imo teſtis fallax & mendax eſt quaſi fornax, quæ iugiter exhalat fauillas & ſcintillas mendaciorum, fraudum, calumniarum, &c.

Septimum aſſignat *eum*, *qui ſeminat inter fratres diſcordias*; Septuag. κρίσεις, id eſt *iudicia immittit in medio fratrum*. Hebr.enim מְדָנִים *medanim* deriuatum à דִּין *dun*,id eſt,iudicare,litigare, contendere, ſignificat iudicia, contentiones, lites,rixas. Vnde Scholiaſt. κρίσεις,vertit, ἀντιδικίας,id eſt,lites, iurgia,diſcordias.Iidem Septuag.v.14. *medanim* deriuantes à מְדִינָה *medina*,id eſt,regio,prouincia, ſiue colonia iuri ac iudicijs alicuius regni vel reip.ſubiecta,vertunt, *qui ciuitatibus affert diſſidia*, vel *turbationes*,vt ponat בֵּין *ben*,id eſt, inter, vel interſtitium & diſſidium inter fratres.

Quantum ſit hoc malum dixi v.14.& 16. Sic & Amos c.1.9.excidium intentat Tyrijs,quòd *non ſint recordati fœderis fratrum*, quòd ſcilicet Idumæos ex Eſau prognatos, ideoque fratres Iacobi & Iudæorum, ſuſcitarint ad bellum Iudæis inferendum,vti exponit Vatabl. Et v.11. idem intentat Idumæis eamdem ob cauſam.vide ibi dicta.

Pręclarè S.Cyrillus Hieroſ.catecheſi 15. *Fraternum*, inquit, *odium locum dabit Antichriſto. Præparat diabolus ſchiſmata populorum,vt tanto faciliùs hoſtis recipiatur.* Sicut enim fraterna charitas domum præparat toti S.Trinitati,iuxta illud Ioan.14. *Ad illum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* ita diabolo & Antichriſto nihil aptiorem pręparat locum quàm odium, lites, ſchiſmata, ac præſertim ſeminatores eorumdem.

SECVNDA PARS CAPITIS.

De cuſtodia legis, & fuga meretricis.

Conserva, fili mi, præcepta patris tvi, et ne dimittas legem matris tvæ] Septuag. *& ne expelles iura matris tuæ*; Syrus & Chald. *ne aberres à lege matris tuæ*. Redit de more ad inculcandam cuſtodiam diſciplinę & legis diuinę, quam ipſe quaſi pater filijs inculcauit,ſinguliq; patres & matres probę filijs inculcare debent & ſolēt. Quare cùm hęc ſententia eadem ſit cum illa ca. 1. v. 8. ibique ſit explicata,hic plura non addam. Vers. 20.

Quantum verò valeat in filijs inſtitutio parentum,liquet hodie in Iaponia,vbi parentes Chriſtiani paruulos ita efformant vt ambiant martyrium: quare pueri læti & alacres carnificibus iugulandos vltrò ſe offerunt,ac viros virtute ſuperant. Patheticum eſt quod narrat Victor Vticenſ.libr.2.de Wandal. perſecut. de matre filiolum incitante & protrahente,vt Cōfeſſoribus damnatis ad exilium comitē paſſionis & martyrij ſe adderet:ſic enim eū compellabat, imò compellebat: *Curre domine mi, vides vniuerſos ſanctos, quomodo pergūt & feſtinant hilares ad coronas? Quam nos cùm increparemus, quòd importuna videretur, aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari, reſpondit: Benedicite & orate pro me, & pro iſto nepote paruulo meo: quia etſi peccatrix, filia ſum quōdam Zuritanæ ciuitatis Epiſcopi. Cui nos: Et quare ita abiectè ambulas, & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonſtraris? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo ad exiliū pergo, ne inueniat eum ſolum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti, nihil elicere valuimus niſi vt voluntas fieret Dei.* Idem Victor.libr.3.narrat duodecim pueros in fide orthodoxa & pietate probè à parentibus educatos, Arrianis mira conſtantia reſtitiſſe: *Indignantur*, inquit, *ob hoc grauiter Arriani, & ſe ſuperatos à pueris erubeſcunt. Vnde acceſſi ſubdi fuſtibus iubent, quos iam ante pauciſſimos dies varijs verberibus diſſipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rursū pœna reſtaurata* D *crudeſcit. Factū eſt Domino confortante, vt nec ætas minor deficeret in dolore, & magis animus creſceret roboratus in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quaſi duodecim Apoſtolorum chorum conſpicit puerorū. Vnà degunt, ſimul veſcuntur, pariter pſallunt, ſimul in Domino gloriantur.* Et ſub finem libri Maximum puerū ita celebrat: *Vnum tamen vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, cupiebant auctores malorum a Sanctorum conſortio ſeparare, dicentes: Infantule quid feſtinas ad mortem? dimitte eos, inſaniunt, & audi conſilium noſtrum, vt poſsis inuenire vitæ remedium, & tanti regis adire palatium. Tunc ille ætate quidem puerili ſenili tamen maturitate clamabat: Nemo me ſeparat à ſancto Patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis qui me in monaſterio nutrierūt. Cum ipſis ſum in timore Dei cōuerſatus, cum ipſis deſidero paſſionē ſuſcipere, cum quibus credo me & futuram gloriam inuenire. Nolite*

Vis inſtitutionis filiorum.

liſe putare, quia poteſtis ſeducere pueritiam meam. Simul nos Dominus ſeptem voluit congregare, dignabitur omnes vno martyrio coronare. Quomodo nemo perire potuit de ſeptenario illo numero felicium Machabæorum, ita etenim ſeptenus noſtrę congregationis numerus nullũ inueniet detrimentum. Denique ſicut Salome mater ſeptem Machabæorum eos enutriuit & erudiuit ad tantam in tormentis fortitudinem: ſic pariter S. Symphoroſa ſeptem filios, ac S. Felicitas totidem ſuos educauit ad lauream martyrij, quorum triumphos quotannis celebrat Eccleſia.

VERS.21. LIGA (Syrus, *firmiter fige*; R. Salomon, *circumliga*) EA DE CORDE TVO IVGITER, TE CIRCVMDA GVTTVRI TVO] Septuag. *liga ea ſuper animam tuam ſemper, & quaſi torquem circumda* (Symmach. *ſtringe*) *circa collum tuum*; Chald. *alliga in collo tuo.* Vatabl. exponit, q.d. Sint ſemper in corde tuo, & in ore tuo, quod per *gutture* intelligitur; ſcilicet ſemper corde ea rumina, & ore ea proloquere, vt alijs æquè ac tibi ea commendes & inculces. Alij. q.d. Inſcribe vel notis breuibus inſculpe ea in bulla appenſa ſuper cor tuum, vt ea iugiter cordi & oculis tuis obuerſentur. Similiter inſcribe ea in ſimbrijs oculi tui, vel in torque qui ex collo tuo dependet. Aut ſint tibi pro bulla cordis tui, & pro torque colli tui, hoc eſt, ſummè ſint tibi cordi & curæ. Hæc ſententia pari modo quo prior, eadem eſt cum illa cap.3. *Circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui.* Vide ibi dicta.

VERS.22. CVM AMBVLAVERIS, GRADIANTVR TECVM: CVM DORMIERIS, CVSTODIANT TE, ET EVIGILANS LOQVERE CVM EIS] Tria hìc tempora memorandæ diſciplinę & legis commendat, quæ cetera omnia complectuntur, nimirũ Primò, tempus ambulandi, quo totum diem complectitur: dies enim eſt tempus ambulandi & negotiandi: Secundò, tempus dormitionis, puta noctem: Tertiò, tempus euigilandi, putà manè quo ſignificat ea per diem ita iugiter eſſe mente voluenda, vt eadem noctu dormiẽti per ſomnium recurrant, de ijſq; ſomnietur, ac manè euigilanti primò ſeſe obijciant. De Primo ait: *Cùm ambulaueris, gradiantur tecum.* Hebr. eſt תַּנְחֶה *tanhe*, quod tam eſt ſecundæ, quàm tertiæ perſonæ. vnde tam vertas, *deduc tecum* legem, quàm, *ipſa* (lex) *deducat te*, vti vertunt Aquila, Symmach. Theodor. & Chald. Vtrumque eòdem redit, & vtrumq; ſignificauit Noſter vertens, *gradiantur tecum*; ita ſcilicet, vt tu ea tecum adducas, & ipſa viciſſim deducant te recta virtutis via, necubi impingas vel ceſpites; Syrus, *tibi ea aſtare curato, tecumque ſint.*

De Secundò ait: *Cùm dormieris, cuſtodiant te*; Hebr. *cuſtodiant ſuper te*; Vatabl. *vt ſuper dormientem excubent*; Syrus, *cuſtodi ea, vt cuſtodiant te*, q.d. Ale & foue per diem memoriam legis, vt ipſa noctu te dormientem cuſtodiat ab omni illuſione & inſidijs dęmonum, æquè ac hominum: ſi enim per diem illi ſtudueris, ipſa viciſſim noctu inſtar excubitoris excubabit & cuſtodiet te perinde ac famuli & milites, quos princeps alit per diem, noctu pro eodem vigilant & excubant, eumque ſecurum reddunt, vt tutò quieſcere & dormire queat.

Moraliter hic diſce, optimum remedium contra nocturnas illuſiones eſſe ſanctas cogitationes & orationes, vt quis iturus cubitum illas animo verſet, illiſque indormiat; illæ enim quaſi vigiles ſepiunt implentque mentem, ne ſopita diabolicis illuſionibus pateat. Hoc remedium ſuggerit S. Bernardus tract. de Vita ſolitaria.

De Tertio ait: *Euigilans loquere cum eis*; Hebr. *cùm euigilaueris ipſa* (lex) *te alloquatur* Sic & Septua. Syrus verò, *& quando excitatus fueris, hæc tibi ſunt meditatio*; Chald. *ſi euigilaueris, ipſa ſint locutio tua.* Significat ita aſſiduè mente reſoluendam eſſe legem, vt ipſa & dormienti & euigilanti prima occurrat: ex primordijs enim cogitationum manè pendet & deriuantur cogitationes totius diei. Vnde diabolus id ſciens euigilanti conatur obijcere primò cogitationes fœdas, mundanas & vanas, vti ex Climaco ſuperiùs dixi, vide & dicta Deuter.6. v.8. Senſus ergo omnium eſt, q.d. Ambulans, ſedens, cubans, ſurgens, aut aliud quiduis agens ſemper legem Dei animo pertractes, aſſiduoq; in illa meditare. Ita Polychron. in Catena Græc. *Senſus*, inquit, *eſt quandocumque aliquid meditaberis, aut loqueris aut operaberis; omnia ſemper ſecundùm legem à Chriſto præfinitam facito & operare. Ambulationis enim vox, horum omnium vim & rationem in ſe continet. Qui enim legis myſteria ſtudioſè rimatur, vniuerſam legem lumen quoddam eſſe deprehẽdit.* Eſt proſopopœia: nam ſapientia, ſiue diſciplina & lex, inducitur vt perſona ſui ſtudioſum comitans, deducens, protegens, viam prælucens, deque omnibus admonens & pręmonens.

Anagog. Beda & R. Salomon; Cùm ambulaueris, inquit, id eſt, cùm vitam deges, lex tecum gradietur, id eſt, tecum aſſueſcet, teque deducet: cùm dormieris, id eſt, cùm in ſepulchro reconditus fueris, cuſtodiet te: cùm expergefactus fueris, te alloquetur, id eſt, quãdo mortui ad vitam reuocabuntur, vt iudicium ſubeant, ſacra lex te alloquetur, id eſt, patrocinium tuum ſuſcipiet.

Denique huic ſententiæ ſimilis eſt illa c.3. 21. *Cuſtodi legem, &c. tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: ſi dormieris, non timebis.* Vide ibi dicta.

QVIA MANDATVM LVCERNA EST, ET LEX LVX, ET VIA VITÆ INCREPATIO DISCIPLINÆ] Septuag. *quia lucerna mandatum legis, & lumen viæ vitæ, & correptio & diſciplina*; Aquila, Symmach. & Theodot. *increpationes diſciplinæ*; Syrus, *increpatio & eruditio.* Dat cauſam cur tam ſtudioſè amplectenda ſit lex & diſciplina, curque eam ita cõmendet & inculcet, nimirum eò quòd ipſa ſit lucerna præiens, illuminans & dirigens omnes actus noſtros, ad virtutem & felicitatem. Quare eadem eſt lux pellens ignorantiæ tenebras, & demonſtrans quid faciendum ſit, ſicut lux demonſtrat quà ſit eundem, iuxta illud pſalm. 18.9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Nec tantùm lux eſt, ſed & *via vitæ*, id eſt, via ad vitam. Nam *increpatio diſciplinæ* vel *eruditionis*, eſt increpatio redarguens & caſtigans prauos hominum mores: quæ non eſt aliud quàm lex nos increpans & caſtigãs, aut humana patris & Superioris redargutio iuxta Dei legem. q.d. Si huic meæ diſciplinę & legi Dei parueris, per obedientiam hãc quaſi viam, peruenies ad vitam longæuam & felicem in hoc ſæculo, ac ad æternam & feliciſſimam in futuro. Id innuit Hebræum תּוֹרָה *thora*, id eſt, lex quæ vox deducitur à יָרָה *iara*, id eſt, ſagittare, emittere iaculum vel ſpeculum. Sic enim pater vel Superior, qui legis eſt cuſtos, ſua increpatio- VERS.23.

ne

ne & caſtigatione quaſi ſpiculo & ſtimulo legem A imprimit ſubditis, iuxta illud Eccleſiaſtæ 12. v. 11. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno.*

Alludit, imò citat Salomon illud Dauidis patris ſui pſal. 118. verſ. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* Vbi S. Auguſt. cenſet eſſe repetitionem: poſteriori enim membro idem dici & repeti, quod dictum eſt priori: vt idem ſit *lucerna*, quod *lumen*; & *ſemitæ*, quod *pedes*. Idem enim verbum, id eſt mandatum Dei, dicitur eſſe *lucerna pedibus*, & *lumen ſemitis*; lucerna enim dicitur à luce, quia lucem ſuam per lumen diffundit & ſpargit. Elegantiæ ergo, rhythmi & variæ ſynonymiæ cauſa, mandatum, ſiue lex, dicitur *lucerna* & *lux*. Lucerna, quia, vt ait S. Ambroſ. in pſalm. 118. v. 105. *nobis in hac mundi nocte B prælucet, ne, ſicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus veſtigiis, & viam veram inuenire nequeamus.* Lux, quia per diem ambulantibus viam virtutis præmonſtrat. Ita S. Hilar. in eundem pſalm. 118. verſ. 105. *Scit*, inquit, *ſe niſi in verbo Dei illuminatum has corporum tenebras, & hanc ſæculi noctem ferre non poſſe. Scit vbique adeſſe lapides offenſionum, laqueos funium, ſcrobes fouearum: vt enim quis nocte egreſſus lucernam antefert, & quo pedem inferat contuetur, atque ad ſingulos greſſus lumine præeunte ſollicitus eſt: ita vnuſquiſque noſtrûm manens in ſe verbum Dei, in omnes operum proceſſus tanquam lucernam prætendet. Omnis etenim doctrina cæleſtis dux nobis ad iter vitæ eſt, quæ lucernæ modo in hac nocte ſæculi præferenda eſt, cùm aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur.* Et inferius: *Ad omnem igitur animæ noſtræ pedem vtamur Dei verbo vt lucerna, ſed lucerna ſemper ardente, ſemper in officium ſuum per noſtram prudentiam præparata. Verbum autem, quod pedibus lucerna eſt, ipſum illud & ſemitis lumen eſt. Senſim enim & domeſticè ingredientibus lucerna opus eſt, peregrinum autem & publicum iter ingredientibus lumen potiùs neceſſarium eſt, ne latro inſidietur, ne ambiguæ viæ error occurrat. Per incrementa enim à minori ad maius acceditur; vt cui verbum Dei primum lucerna ſit pedibus, id ipſum verbum ei fiat lumen in ſemitis.*

Sic & S. Hieronym. ibidem. Et Caſſiodorus: *Idem verbum*, inquit, *eſt lucerna pedibus in nocte diuerſis offenſionibus irretita, & lumen ſemitis per ipſum ſiquidem dum ad vitæ bonæ curſum inſtruimur, clarificati corde directis greſſibus ambulamus.* Quin & Baruch ca. 4. v. 2. loquens de lege data Iudæis, illi dat lumen & ſplendorem: *Conuertere*, inquit, *Iacob, & apprehende D eam: ambula per viam ad ſplendorem eius contra lumen eius.*

Lychnis ſymbolum legis. Huius lucernæ ſymbolum eſt gemma dicta lychnis, vel lychnites, id eſt, lucernula, vel lucernalis. *Lychnis*, inquit Iſidor. libr. 16. Origin. c. 13. *ex genere ardentium lapillorum eſt, appellata à lucernarum fragrantia: gignitur in multis locis, ſed apud Indos probatiſſima. Eſt huius duplex facies, vna quæ purpura radiat, altera quæ cocci rubore. Sculpturis reſiſtit.* Sic clara & ardens eſt ſapientia & lex, & tum cæleſti purpura radians, & tum cocci rubore accenſa. Eadem omnibus fortunæ telis reſiſtit, nuſquam ſe deformari patiens. ita noſter Cauſinus lib. 11. Parab. hiſtor. capit. 43.

Lex eſt lucerna & lux. Primo. Myſticè S. Ambroſ. in pſal. 118. Lex, inquit, imperfectis eſt lucerna, eadem perfectis eſt lux & ſol, A quia imperfectis rudiora, perfectis ſublimiora oſtendit. *Mihi lucerna eſt*, inquit S. Ambroſius, *angelis lux eſt. Petro lux erat, quando aſtitit ei angelus in carcere, & lumen refulſit ei. Paulo lux erat, quando euntem ad perſequendum populum Chriſtianum circumfulſit eum lux de cælo, & audiuit dicentem ſibi: Saule, Saule quid me perſequeris?* Et mox: *Oleum tuum humilitas eſt, quo ceruices noſtræ dura molleſcunt. Oleum tuum miſericordia tua eſt, quo etiam colliſa ſcopulis peccatorum fouentur corpora.* Et ſub finem: *Pedibus*, inquit, *lucerna ſatis ad ambulandum, ſed ſemitis non ſatis eſt ad illuminandum: idem verbum tamen & pedibus lucerna eſt, & ſemitis lux eſt: quia idem vnigenitus Dei Filius & delinquentibus aduocatus, & remunerator eſt fortibus: peccatorum remiſſor, præmiorum largitor. Itaq; cui lucerna fuerit verbum Dei, hunc quocumque pergis, lucent ſemitæ, B ſicut lucebat ſancto Dauid, & ideo quaſi in lumine ambulans dicit: Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.*

Secundò, S. Baſil. & Theodor. in eundem verſ. 105. pſal. 118. Lex vetus, inquit, fuit lucerna, quia vnam gentem illuminauit. vnde & Ioannes Baptiſta, qui fuit terminus legis, dictus eſt *lucerna ardens & lucens*. Euangelium vero eſt lumen, quia totum orbem illuminat; hinc Chriſtus fuit ſol iuſtitiæ, & Apoſtoli lux mundi. *Secundò.*

Tertiò, S. Auguſt. in eundem pſal. Verbum increatum, inquit, eſt lumen, imò lux, verbum creatū eſt lucerna. *Tertiò.*

Quartò, alij, Lex inquiunt, iuſtis poſtea caſuris & reprobandis prælucet vt lucerna ad modicum tempus; nam mox extinguitur: iuſtis verò perſeueraturis & ſaluandis prælucet vt lux Solis, quæ ſemper C ſui ſimilis permanet. Alij aliter, quæ omnia ſtrictim ſed exactè more ſuo complexus eſt noſter Lorinus: Lucernæ munus, inquit, ad diſpellendas noctis tenebras magis videtur pertinere, luminis ad ambulandum de die. *Quartò.*

Quod per myſticum ſenſum referri poteſt ad res aduerſas & proſperas: ad præcepta & cōſilia: ad legem veterem, quæ præceſſit ſolem nouæ, & ad ipſam nouam: ad Iudæorum ſub modio lucernam, & ad Gentilium fidelium ſuper candelabrum: ad exemplorum propoſitionem, & ad præcepta viuēdi, quæ per illa comprobantur & illuſtrantur: ad inæquale in diuerſis gratiæ lumen, ſicut eſt quoq; gloriæ: ad exiguum & ſubobſcurum lumen viæ, & ad clarius patriæ: ad lumen pedibus prædicatoris neceſſarium, & ad ſingulas eiuſdem, vel aliorum priuatorum actiones eodem dirigendas: ad Chriſti D diuinitatem velut in laterna incluſam, ſeu in teſtea Gedeonica lagena, vel in candela ſiue teda, face, cereo, & ad eandem ſecundùm ſe, atque vt à Patre luminum procedentem. *Quintò.* *Iudic. 7. 16.*

ET LEX LVX] Tum quia lex clara eſt & lucida intellectui, tum potiùs quia lex intellecta & cognita dirigit hominem in operando. Perperam ergo ex hoc loco hæretici colligere contendunt, quòd S. Scriptura tota ſit clara & legenti perſpicua. Nec enim omnis S. Scriptura eſt lex, cùm præter leges contineat hiſtorias, prophetias, multaque alia. Nec rurſum omnis lex per ſe, niſi explicetur eſt cuilibet clara & perſpicua; vnde non ſolùm Chriſtiani, ſed & Iudæi ſuos habebant Scribas & Doctores, qui eam populo explanarent. Nota elegantem aptamque alluſionem inter *lex* & *lux*. Similis paronomaſia eſt in vocibus Hebrai-

cis תּוֹרָה *thora*, id eſt lex ; & אוֹר *or*, id eſt lux. Lex enim dicitur *thora* ab הוֹרָה *hora*, id eſt, docuit, docet enim & illuminat ſubditos circa ea quæ agenda ſunt. Sic lex græcè dicitur νόμος à νέμειν, id eſt, paſcere & inſtruere, vti notat noſter Azor. par. 1. lib. 5. quæſtio 1. & Salas p. 2. tract. 24. diſput. 1. ſect. 3. n. 8. Hinc & iuxta Iſidorum l. 2. Etymol. c. 10. *lex* dicitur à *legendo*, eò quòd edatur & ſcribatur, vt legi poſſit, vel vt ſæpius legatur ad inſtructionem & illuſtrationem mentium, iuxta illud pſal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Cicero verò libr. 1. de Legibus legem deriuat à *deligendo*, eò quòd lex doceat quænam deligenda & eligenda ſint. Sic & Dom. Soto libr. 1. de Iuſtit. q. 1. art. 1. Cæterùm D. Thomas 1. 2. q. 90. a. 1. legē deriuat à *ligando*, quòd homines liget & obliget ad aliquid præſtandum vel omittendum. Vnde & lex dicitur *iugum* vel *vinculum* iuxta illud pſal. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.*

Lex ergò eſt lux, quia ipſa eſt radius lucis æternæ manans à ſole increato; qui eſt ipſe Deus. Lex enim creata eſt participatio legis æternæ & increatæ, quę eſt in mente Dei, quam Deus hominibus indidit ad rectè, ſanctè & feliciter viuendum, iuxta illud pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hominibus dico, ſed præcipuè principibus & magiſtratibus, tum ſæcularibus, tum Eccleſiaſticis. Horum enim officium eſt legem Dei populo proponere, tueri & vendicare; ac per pœnas & præmia populum cogere ad illam obſeruandam; quin & leges humanas condere, quæ iuuent ad legis diuinæ cuſtodiam. Quare ipſi populo ſunt animata & viua lex, præcipuè cùm ipſi primi legem obſeruant, populoque viam obedientiæ & virtutis præeunt.

Imperatori & Patriarchis præferebatur lampas, cur. Hac de cauſa olim quinque Patriarchis, qui vt dignitate, ita ſapientia & ſanctitate ceteris antecellere debent, putà Romano, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, ac ipſi Imperatori præferri ſolet lampas, teſte Theodoro Balſamone in Melete, ſiue diſceptatione, de hoc ritu, & Curopalate de officijs Eccleſiæ & aulæ Conſtantinop. cap. 6. num. 37. quem audi: *Imperator*, inquit, *crucem in dextera ſemper portat, in ſiniſtra verò inuolucrum codici ſimile, ligatum mantili, habetq; intus canitatem, & vocatur Acacia* (id eſt ſine malitia, innocentia) *quaſi dicat illud: Imperatorem humilem eſſe vt mortalem, neq; propter imperij ſublimitatem efferri, neque inſolenter ſe iactare. Per mantile ſignificatur inconſtantia eiuſdem imperij, & mos ab vno ad alium tranſeundi. Lampadem præferunt Imperatori propter illud Chriſti dictum: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrē veſtrum qui in cælis eſt.* Porrò lampadis huius ſupremæ partes, vt idem ait num. 7. ſanctis crucibus coccineis, cinnabari & bractea erant ornatæ. Inſuper Patriarcha in feſto Epiphaniæ lampadem dabat Imperatori, vt idem ait c. 8. num. 2. Ad hęc Imperator, inquit idem c. 10. n. 3. *Palmarum feſto nihil aliud fert, niſi ſtemma & ſaccum, dextera portans crucem, ſiniſtra mantile cum acacia, vt moris eſt, & lampadem.* Idem cum facere feria quintâ magnæ hebdomodæ, & in Paſchate narrat in ſeqq. Sic & olim regibus Chaldæorum & Perſarum ignis præferebatur, vt dixi Ierem. 1. 13.

VERS. 24. VT CVSTODIANT TE A MVLIERE MALA, A ET A BLANDA LINGVA (Hebr. & Chald. *à leuitate*; Syrus, *à criminatione*) EXTRANEÆ] Hæc verba pendent à præcedentibus, finemque & vſum legis ac diſciplinæ ſignificant. q. d. Gradiantur tecum lex, quæ eſt lux, ac increpatio diſciplinæ, *vt cuſtodiant te à muliere mala*, id eſt, vt Symmach. *à meretrice*; Aquila, *à muliere ſodalitij tui*. Meretrix enim *mala*, imò peſſima, eſt *mulier*, ſiue ſpectes malitiam fornicationis, ſiue impudentiæ, ſiue rixarum, ſiue conſumptionis opum, ſiue damnorum omnium. Eadem vocatur *extranea*, quia nō eſt vxor propria, ſed vaga, & commune omnium proſtibulum, imò non rarò alterius viri vxor, ideoque adultera. Vnde Septuag. vertunt, *correptio & diſciplina ad conſeruādum te à muliere nupta, & à calumnia linguæ alienę.* Identidem redit & inculcat fugam fornicationis, meretricis & adulteræ: quia hic eſt laqueus, quem dæmon tendit omni hominum generi, præſertim iuuentuti; eòque maiorem hominum partem capit, illaqueat, dementat & occidit. Nihil ergò ita contrarium ſapientiæ & virtuti, vti venus & meretrix. Vide dicta cap. 2. v. 16. & c. 5. v. 3.

NON CONCVPISCAT PVLCHRITVDINEM EIVS COR TVVM, NEC CAPIARIS NVTIBVS ILLIVS] Nota *nō concupiſcat*: inde enim liquet contra Phariſæos & Rabbinos nonnullos, lege veteri non ſolùm vetitum fuiſſe opus externum fornicationis, ſed & internam eius concupiſcentiam ab opere ſemotam; illa enim prohibita eſt nono & decimo Decalogi præcepto: *Non concupiſces.* Ita enim contra eos hoc præceptum explicat Chriſtus dicens: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, Matth. 5. 28. Vide dicta Roman. 7. 7. Vnde Septuag. vertunt, *non te vincat formæ concupiſcentia*; S. Hieron. in c. 27. C Ezech. *non te decipiat pulchritudinis deſiderium, ne capiaris oculis tuis*: Aquila, Symmach. & Theodot. clarè, *ne concupieris pulchritudinem eius in corde tuo.* Nam vt S. Auguſt. ſerm. 83. de Tempor. *prima adulterij oculorum tela ſunt, ſecunda verborum*: nihil enim illecebroſius eſt formoſo vultu comptoque habitu mulieris. Vnde S. Ambroſ. lib. 1. de Pœnitent. c. 14. *Ne te vincat*, inquit, *concupiſcentia formæ. Si non vis vinci, non congrediare, ne de te vitia coronentur.* Idem lib. 1. de Abel & Cain cap. 5. *Ne vincat te formæ deſiderium, adulterina eſt fucis illita, nequaquam ſincero fulgens decore.* S. Chryſoſt. homil. 3. de verbis Iſaiæ legit, *Ne cognoſcas pulchritudinem alienam*; ſicque exponit q. d. *Ne ſtudio animaduertas, ne curioſè intueare, ne vitioſæ contemplationi immoreris, quæ ab animo corrupto, & concupiſcentia proficiſcitur. Sed quid* (inquit aliquis) *mali hinc poſſit oriri? ex hoc amor velut ignis excitatur. Vt enim ignis vbi fœnum aliquod* D *arripuerit nihil moratur, ſed ſimul vt attigit materiam lucidam, accendit flammam. Itidem & ignis concupiſcentiæ, quæ eſt in nobis, ſimul atque per oculorum intuitum elegantem ac venuſtam attigerit formam, protinus exurit animam.* Vnde concludit Chryſoſt. *Proinde ne ſpectes temporaneam illam, quæ ex aſpectu proficiſcitur voluptatem: nam illa inflicto vulnere plerumque celeriter auolat, at vulnus nō auolat, ſed plerumque manet & interficit. Et quemadmodum cerua confixa iaculo in vitali corporis parte, etiamſi venatorum effugerit manus, nihil inde fert lucri: ſic & anima accepto concupiſcentiæ iaculo è laſciuo curioſoq; aſpectu, etiamſi cum iaculo permittatur abire ſine opere, tamen ipſa per ſe corrumpitur ac perit.*

Salo-

Salomonem ſecutus Siracides cap. 25. 28. *Ne reſpicias*, inquit, *in mulieris ſpeciem, & non concupiſcas mulierem in ſpecie.* Vbi multa hac de re dixi, æquè ac hic ca. 5. verſ. 3. & 4. quare hic plura non addam. Remedium eſt, auertere oculos ne videant vanitatem, & vanam pulchritudinem mulieris; ac dicere cũ S. Iob c. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Si inaduertenti illa obijciatur; ilicò ad ſe meis oculos reuocet, ac interalia cogitet ſpecioſam mulierem non eſſe aliud quàm ſepulchrum dealbatum, foris ſpecioſum, intus ſordibus deforme & abominatione plenum. Quocirca Religioſus ille in Vitis Patr. lib. 5. libello 50. de fornicat. nu. 24. cùm memoria cuiuſdam pulchræ mulieris illi recurreret, illumque affligeret, iuit ad ſepulchrum eius (erat enim iam mortua) ac cruorem putredinis eius mirè fœtentem admouens naribus, *Ecce*, inquit, *deſiderium, quod quærebas, ſatiare ex eo*; itaque ardorem concupiſcentiæ fœtore graueolentiæ reſtinxit.

Ne capiaris nutibus illius] Hebr. *& non capiat te pupillis ſuis*; Septuag. *neque capiaris oculis tuis, neque abripiaris ab eius palpebris*; Pagnin. *& non capiat te ſplendoribus ſuis*; Chald. *ne ſeducat te palpebris ſuis.* Hebr. vox עַפְעַפֶּיהָ *aphappaim*, id eſt, *palpebris*, geminata eſt à rad. עוף *oph*, id eſt, volauit, vibrauit, celerrimè mouit & iecit, ſicut ſol celerrimè vibrat radios, & ſicut nubes vibrant fulgura. Simili enim modo volant palpebræ, & oculi in palpebris, quaſi auiculæ bellæ in alis expanſis, quæ ſui decore & ſpecie rapiunt ad ſe intuentes. Sicut ergo inyx auicula, quæ à colli verſura vertilla & torquilla dicitur, de qua Ariſtot. libr. 2. de Hiſtor. animal. c. 12. fertur intuentes in ſui amorem rapere, & quaſi dementare, teſte Pierio Hierogl. lib. 25. cap. 51. Rurſum ſicut ſol vibrat radios, iiſque homines ad ſe rapit: ſic mulier vibrat radios oculorum, quibus quot iactus, tot ſagittas amoris iaculatur in aſpicientes. Denique nutus ictuſque palpebrarum eius ſunt totidem fulgetra, quibus perſtringit oculos intuentium, & quaſi obſtupefacit, vt ab eorum intuitu auelli, alioque ſe conuertere nequeant, vti docet S. Ambroſ. lib. 1. de Abel c. 4. Iis ergo mulier cepit ſapientiſſimum Salomonem, ſanctiſſimum Dauidem, fortiſſimum Samſonem, vt nemo ſibi perſuadeat ſe eos ſuſtinere & eludere poſſe.

Vt oculi fœminei.

Audiui in Belgio matronam ſapientem & ſanctam monentem cõfeſſarios, etiam Religioſos & ſanctos, vt cauerent ſibi ab aſpectu & colloquiis fœminarum pœnitentium. Quia, inquiebat illa, adeò illices ſunt oculi earum, vt, ſi in virum quempiam illos defigant, illum ſui amore planè illaqueent & irretiant. Addebat: Certa ſum non eſſe virum adeò grauem & conſtantem, qui, ſi fixè eum reciprocè per quadrantem intuita fuero, non perſuaſerim quidquid voluero.

Oculi ergo fœminarum faſcinum quoddam continent, quo faſcinant & quaſi reti illaqueant intuentes. Vide S. Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. ca. 14. legens iuxta Septuag. *Neque capiaris oculis tuis: Ipſi*, inquit, *nobis oculi retia ſunt, & ideò ſcriptum eſt: Neque capiaris oculis tuis. Ipſi ergo nobis tendimus retia, quibus inuoluimur & implicamur: ipſi nobis vincula nectimus, ſicut legimus: quia vinculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Et inferius: *Multa retia tenduntur à diabolo, multa retia ſunt: oculus meretricis laqueus amatoris eſt.* Hinc Syrus vertit, *ne ſis præda venationis oculorum eius, & palpebris ſuis captiuum te faciat.* Salomoni ſuccenturiatur Ben Sira alphabeto 2. littera *he: abſconde*, inquit, *oculos tuos à muliere gratioſa, ne capiaris reti eius*, id eſt forma & nutibus nictibuſque eius: hoc enim eſt rete fœminarum, quo potentiſſimos & ſapientiſſimos quoſque capiunt. Et litera *vau: Væ ei qui vadit poſt oculos ſuos, quos nouit eſſe filios ſcortatorum*, id eſt, ſcortationi addictos.

Hanc gnomen appoſita & eleganti araneæ & muſcæ apologo, bellis dogmatibus decorato, illuſtrat Cyrillus lib. 1. Apolog. moral. c. 6. cui titulus: *Vide pedem, cui tribuas, & in ſecuritatibus dubita.* Sic enim ait: *Texenti aranea retiaculum artis ſuæ, muſca volitans coram ea poſita dixit: Vt quid concludis fallaci reti ſemitas liberioris naturæ? quonã iure vſurpas publicum, & denſis retiaculis apertiſſimum claudis gradiendi modum? At illa reſpondit: Nimirum naturæ auctoritate hæc facio, quia doctrix effecta, ſcholas meas in ſemitis maximè apertis extendo. Tunc muſca ſubiunxit: Si ita eſt, diſciplinæ tuæ regulas pande. Cui illa libenter annuens, Scito, inquit, quòd mortalium vita non minùs pendet ab oculorum rectitudine, quàm à corde. Quod vt panderet quidem ſapientiã natura repleta, multum ſibi inuicem cor & oculum conformauit; videlicet in agilitate motus, in copioſitate ſpiritus, & in vnitate cõductus. Propter hoc maxima diligentia gubernandis adhibenda eſt oculis, ne, ſi erraueris, vitam perdas. Nunquam pariter ambos claudas, ſed quieſcente vno vigilans alius te gubernet. Lucerna enim corporis tui eſt oculus tuus* (Matth. 6. 22.) *& idcirco ambos vnà ſi clauſeris, ſtatim ductus in tenebras offendiculis confunderis.* Ex hiſce deinde tria inſignia ſapientiæ ad oculum æquè ac pedem regendum dogmata, ſiue regulas colligit. Prima eſt: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum*, Prouerb. 4. 23. *& diligentia vigili oculum tuum. Secunda, vide vt non ſis prodiga de pedibus tuis: nunquam enim des alicui ſimul pedes tuos, ne fortè porrectis in malum, perditionis cauſa ſis eorum. Pes enim ſapientis eſt prudens, & fatuorum ſtolidus.* Eccleſ. 21. 25. Prouer. 4. 25. *Palpebræ igitur tuæ præcedant greſſus tuos, nec pes vnquam ducem oculum antecedat. Tertia autem finalis regula mea eſt, vt ibi ſemper plus timeas, vbi tibi plus arridet ſecuritas: ac ibi minùs ſperes, vbi ſpei plus appares. Quod enim quæres in certo, aliquando reperies in incerto; & quia dubitabis in ſolidis hinc nimirum in dubiis tutus eris. Sapiens enim timet & declinat: ſtultus autem tranſilit & confidit. Doceo igitur te quieſcere, moneo te cum cautela procedere, & pedem tuum ad præuiſum paſſum tantùm extendere.* Cõfirmat deinde dicta infauſto ſtolidæ muſcæ exemplo & caſu: *His*, inquit, *cum admiratione auditis muſca ſic inquit: Certè valdè magna ſunt quæ inſtruis. Mox illa reſpondit: Verum eſt, ſi hæc facis: nam intellectus bonus omnibus faciẽtibus eum. Muſca deinde regularum & monitionis oblita, quietis impatiens & incauta, cùm in araneæ laqueum incidiſſet, rea cœpit lamentari de iudice, quòd captum fraudulentiâ decepiſſet. Cui illa reſpondit: Arte capere peſtilentem, puto non eſſe dolum fraudis, ſed diligentiam æquitatis. Olim dixi tibi: quieſce, aut cautè perge, & non audiſti. Diſcant ergo alii in malo tuo, quòd neglexiſti incauta bonum tuum. Et hoc dicto, damnauit eam.*

Apologus regendi oculi.

Tria dogmata.

Exemplum.

Pretium enim scorti vix est vnius panis (S. Auguſt. mox citandus legit, *vix eſt dimidium panis*:) mulier autem viri pretiosam animam capit] Hebr. *pro ſcorto vſque ad fruſtum panis, mulier autem viri pretioſam animam venatur.* Quod Primò, Tigur. ſic vertit & explicat: *Nã propter meretricem adigitur quiſpiam ad cibum panis,* Vers. 26.

nis. q.d. Caue à meretrice, quia illa tibi loculos emunget, redigetque te ad inopiam, vt arido pane famem explere cogaris. Huc etiam trahi poſſet verſio Vulgata, q.d. Pretium; quod domi habet meretrix, vix eſt vnius panis. Sic & Caietan. & Vatabl. Meretrix, inquit, decoquet omnia vſque ad buccellam panis: atque interim animam inſuper capit, rapit & perdit: Sic & R. Leui & R. Salomon vertunt, *propter ſcortum ad monetam panis, id eſt, ad egeſtatem rerumq́; inopiam redigeris, iuxta tritum illud: Qui paſcit meretrices, facultates ſuas profligat.* Sic & AbenEzra, *propter meretricem ad pretium panis*, id eſt, inquit, *Propter ſcorta tantum profunditur, ita vt cogatur ab alijs ſtipem vnius panis emendicare.* Rurſum Caiet. & Baynus per *ſcortum* accipiunt meretricem; per *mulierem viri*, adulteram, quę, inquit Caiet. *animam*, id eſt vitam, viro eripit, quia ſolent adulteri capite plecti. Aut, vt Baynus, *animam*, id eſt mentem & ſapientiam viro adimit. Verùm meliùs per *ſcortum* & *mulierem viri* accipias eandem meretricem, ſiue ea innupta ſit, ſiue nupta, ideoque adultera.

Secundò, Chald. vertit, *quia ſermo meretricis ſimilis eſt placentæ panis, ſed pretioſam viri animam venatur.* Syrus, *ſimilis eſt enim meretrix tortæ panis*, &c. q.d. Sicut aucupes & venatores per eſcam, putà per grana & fruſta panis, venantur aues & feras: ſic meretrix ſermone blando & melleo velut placẽta mellita ineſcat, venatur, capit & perdit animas virorum. Ita S. Cyprian. lib. de Singular. cleric. *Quanti, ait, & quales Epiſcopi, & Clerici ſimul & laici, poſt confeſſionum victoriarumq́; calcata certamina, poſt magnalia & ſigna noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cùm volunt in naui fragili nauigare! Quantos leones domuit vna mulieris infirmitas delicata, quæ, cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam! quod Salomon loquitur dicens: Pretium mulieris tantùm eſt vnius panis: mulier autem pretioſas animas captat.*

Tertiò & genuinè, q.d. Res viliſſima eſt ſcortum: pretium enim eius vix eſt vnius panis: ſi eam pretio æſtimes, inuenies eam vix vno pane licitari & æſtimari. Quod ergo hebr. eſt, *pro ſcorto vſque ad fruſtum* vel *tortam panis*, ſic expone: *pro ſcorto*, id eſt, pretium ſcorti, *vſque*, id eſt ſummum eſt, *pretium panis*; vt, ſi pretium eius extendas & exaltes quoad potes, vix perventurum ſit vſque ad pretium panis. Hunc ſenſum poſcit verſio Vulgata, & Septu. qui ſic habent, *pretium enim mulieris meretricis quantum eſt vnius panis, mulier autem virorum pretioſas animas capit.* *Panem* accipe non minutum conuiuij, qui ſingulis ſingulus apponitur, ideoq; exigui eſt pretij, ſed magnum familię, qui multis in locis plures pendit libras, ideoque maioris eſt pretij, ac ſępè æquat pretium ſcortationis.

Senſus ergo eſt q.d. Scortum viliſſimum capit rem pretioſiſſimam, putà *animam viri*, tum quia eam dementat, tum quia eam gehennæ ream facit. Satagit enim Salomon oſtendere indignitatem ſcorti & ſcortationis ex eius vilitate, quæ tamen rem pretioſiſſimam perdit, atque eius obiectu adoleſcentem ab illa auocare. Ita S. Ambroſ. in Apol. Dauid. ca. 3. *Vilis*, inquit, *tibi videtur mulier ad pretium, ſed fortis eſt ad vitium, quia virorum pretioſos animos capit*: quia nobiles virorum mentes ad æternam felicitatem à Deo creatas, Chriſti ſanguine emptas, ad ſummæ S. Trinitatis ſimilitudinem effigiatas, donis gratiæ decoratas, imò Spiritus ſancti domos & templa, diabolo, peccato & gehennæ mancipat. Anima viri dicitur *pretioſa*, inquit AbenEzra, quòd à diuina luce ſumpta eſt. Eſt enim diuinę particula auræ, vt ait Poëta, & quaſi participatio diuinitatis. Anima enim viri magis quàm anima feminæ participat nobilitatem, dominium, ſapientiam & eminentiam Dei ac diuinæ mentis.

Porrò *pretium ſcorti* accipi poteſt Primò propriè, quia ſcorta ſcortatione ſunt viliſſima, fœtore & lue venerea putidiſſima, infamia famoſiſſima, loquacitate dicaciſſima, inopia ſordidiſſima. Quid enim eſt ſcortum niſi viliſſimum veneris proſtibulum, publicum impudentiæ propudium, iuuentutis peſtis, latrina ſordium: totius reip. dedecus & probrum? Quare ſapienter monet Martial.

Subdola famoſæ moneo fuge retia mœchæ;
Abſcondunt ſpurcas hæc monumenta lupas.

Secundò, *pretium ſcorti* accipi poteſt metonymicè pro pretio ſcortationis, ſiue congreſſus cum ſcorto, hoc enim paruum & vile eſſe ſolet, præſertim ſi meretrix ſit publica & omnibus expoſita. q.d. Diſce ex vili libidinis pretio quàm vilis ſit ipſa libido; communi enim hominum iudicio vile ei ſtatutum eſt pretium. Qua de cauſa meretrices videmus eſſe pauperrimas, & communiter vix habere panem domi, quem comedant. Hinc etiam olim panis dabatur meretrici pro mercede fornicationis, vt patet ex Athenæo lib. 3. idque ſignificat hîc Salomon dicens: *Pretium ſcorti vix vnius panis*, ita Dionyſ. Salazar & alij. Sanè meretrix non meretur panem, quem comedit, ſatiuſque foret eam veneno emori, quàm pane veſci, eoque vitam tam turpem & noxiam prorogare.

Symbol. & moral. *Pretium meretricis vix eſt vnius panis*, id eſt, meretricię fornicationis turpitudo exiguo breuis & modicę voluptatis pretio emitur. Ita Beda, *Recordare*, inquit, *quia breuis voluptas eſt fornicationis, & perpetua pœna fornicatoris. Sicut enim vnus panis diurnã ſolùm effugat eſuriem, & nihilominus poſtmodum eſurit qui comeſto pane ſatur abſceſſerat: ſic qui intrat ad ſcortum, ad horam quidem euaporat libidinem, ſed poſt paululum ardentior redit.* Sic & S. Aug. hom. 25. de Tem. *Pretium meretricis*, inquit, *vix dimidium panis, mulier autem pretioſam viri animam capit. Et quanta iniquitas, & quàm lugenda peruerſitas, ita vt animam, quam Chriſtus ſanguine ſuo redemit, luxurioſus quiſque propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat. Verè enim nimiùm plangenda & miſera conditio eſt, vbi citò præterit quod delectat, & per diabolũ in cruce manet ſine fine quod cruciat: ſub momento enim libidinis impetus tranſit, & opprobrium infelicis animæ permanet.*

Eamdem habet tract. de Honeſt. mulier. c. 3. Quocirca S. Chryſoſt. hom. 29. ad Popul. *Quid*, inquit, *luxuria correptus à dæmoniaco differt?* &c. *Quo fit, vt nunquam in ſe ipſo, ſed in ſepulcris verſetur. Sepulcra ſunt meretricum diuerſoria, cum multo fœtore, multa putredine ſunt repleta.*

Myſticè hæc omnia quæ dicuntur de meretrice, mutato nomine applices hæreſi & cuiuis concupiſcentiæ. Hæc enim res viliſſima eſt, & interim æternis animas pretioſas pœnis addicit. Hæc ignis eſt, quo conflagrant opes, fama, ſanitas, vita, fœlicitas, æternitas. Idem monui cap. 5.

NVNQVID POTEST HOMO ABSCONDERE Vers. 27.
IGNEM IN SINV SVO, VT VESTIMENTA ILLIVS NON ARDEANT; Aquila, Symmach. & Theodot. *nunquid ſubagitabit homo ignem in ſinu ſuo*, &c. AVT AMBVLARE SVPER PRVNAS (Syrus, Vers. 28.
ſuper prunas & ignem,) VT NON COMBVRANTVR

PLAN-

Verſ. 29. PLANTÆ EIVS? SIC QVI INGREDITVR AD MVLIEREM PROXIMI SVI (Septuag. *ad mulierem nuptam*) NON ERIT MVNDVS CVM TETIGERIT EAM] Hinc ſumpſit gnomen ſuam Ben Sira alphabeto I. littera *daleth*: *Abſtrahe carnem tuam à muliere gratioſa, tanquam à carne prunarum*, id eſt tanquam à corpore vel aceruo & congerie prunarum. Aut potiùs caro mulieris vocatur *caro prunarum*, quia inſtar prunarum ſiuales eius accendit & adurit. Alludit ad nomen Hebræum mulieris. q. d. אשה *iſſcha*, id eſt mulier, eſt אש *eſch*, id eſt ignis, quia caro eius non tam caro eſt, quam prunæ ardentes, ipſa ergo eſt ignis carneus & caro ignita. Huc facit emblema Amoris, quo pingitur ipſe quaſi teda cerea, quæ admoto igne torretur, remoto liquatur, ſubiecto hoc carmine quaſi lemmate:

Proxima fax igni flagrat, atque remota liqueſcit:
Me procul ipſe, liquat, me propè torret Amor.

Ignis in ſinu quis.

Iam difficile eſt parabolam concinnè adaptare poſt parabolæ. Quid enim habet vſtio ſinus, veſtium & plantarum facta per ignem, cum immunditie facta per tactum & ingreſſum ad vxorem proximi? Primò, S. Ambroſ. per ignem in ſinu accipit cogitationem ardentis libidinis in ſinu mentis, quæ inſtar ignis exurit, & exurendo denigrat totam animam & corpus. Sic enim ſcribit in pſal. 1. *Alligabit quis ignem in ſinu, veſtimenta autem eius non comburentur? Etenim qui ſemel in ſinu mentis flagitij flammam feruentis adoleuerit, citò corporis ſui veſtimēta comburet. Et in ſtipulam ignis exiliens inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit abſumat: ita vel exigua ſcintilla peccati, ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat. Noli ergo flare in peccato.* Idem lib. 1. de Pœnit. cap. 23. *Bonum, inquit, eſt nubere quàm vri, eſt enim flamma quæ interna vrit. Vnde hunc ignem non alligemus in ſinu mētis & receſſu pectoris, ne interiora noſtri vramus exuuias, & forenſe hoc noſtræ animæ veſtimentum, velamenque carnale, edax libidinis flamma conſumat; ſed tranſeamus per ignē. Et ſi quis incidit in amoris incendium, tranſiliat, & non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationū, nullos ſibi nodos aſſiduæ nexu meditationis aſtringat, non intendat ſæpius in formam mulieris meretricis, nec adoleſcentula ad vultum iuuenis oculos leuet. Et ſi fortuitu aſpexit, & capta eſt; quanto magis capietur, ſi curioſa aſpexerit?*

Reſp. Primò. eſt cogitatio turpis.

Et inferiùs remedium ſuggerens: *Verùm eſto, inquit, inciderit oculus, ſed non intendat affectus. Videt carnalis oculus, ſed premat cordis oculos mentis verecundia.* Et poſt nonnullas *Et ſi videris caro ignem, non alligemus in ſinu, hoc eſt in ſecreto mentis animique arcano. Non implicemus ignem hunc oſſibus, non ipſi nobis nodos iniciamus, non iniciamus ſermonem aliquem cum huiuſmodi, vnde exæſtuet ignis. Adulterinus ſermo iuuencula nodus adoleſcentium eſt: verba adoleſcentis vincula ſunt amoris. Vidit hunc ignem Ioſeph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta eſt: voluit eum capere ſermone, miſit laqueos labiorum ſuorum, ſed pudicum virum ligare non potuit. Soluit enim vincula mulieris vox pudoris: ſermo grauitatis, habena cautelæ, fidei cuſtodia, caſtimoniæ diſciplina. Capere igitur eum retibus ſuis impudica non potuit: miſit manum, & apprehendit veſtem eius, vt nodum ſtringeret. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia ſunt, manus eius amoris nodus eſt. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excuſſa veſte, ſolutus eſt nodus: & ideo quia non alligauit ignem in ſinu mētis ſuę, non combuſſit corpus ſuum.* Et c. 14. docet viro mulieris ſpeciem planè animo eſſe excutiendam. *Tranſi-*

A *liamus ergo eam, ne nobis ducatur? Ambulate in igne flammæ veſtræ, quam accendiſtis: quoniam ſicut ille, qui alligat ignem in ſinu, veſtimenta comburet: ſic qui ambulat per ignem, pedes comburat neceſſe eſt, quoniam ſcriptum eſt: Ambulabit quis ſuper carbones ignis, pedes autem non comburet? Grauis ignis eſt, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Paſcitur libido conuiuio, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flāmatur. Grauiora his ſunt fomenta verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ vitis mentem inebriant.* Idem in pſal. 118. octon. 1. *Quomodo, ait, te in lupanari non vidit Chriſtus, quando te vidit, qui adulterando in corde tuo te ipſum lupanar effeciſti.*

Secundò eſt forma mulieris.

Secundò, S. Auguſtin. ſerm. 250. de Temp. per *ignem in ſinu* accipit aſpectum libidinoſum, putà ſpeciem pulchræ mulieris ardentem in oculis aſpicientis, eoſque ſui amore incendentem. De oculis
B enim hiſce ſermo præceſſit: *Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Iiſdem ergo oculis hęc annectit S. Auguſt. *Quando enim, inquit, ſi aliquis carbones ignis apprehēdat, ſi eos citò proiecerit, nihil nocebunt; ſi verò diutius tenere voluerit, ſine vulnere eos iactare non poterit: ita & ille, qui ad concupiſcendū oculos defixerit, & libidinis malum in corde ſuſcipiens, moras in ſuis cogitationibus habere permiſerit, excutere à ſe ſine animę occiſione vel plaga non poterit. Et ideò cum Propheta iugiter clamemus: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos, &c.* Baſilius verò, ſiue is Magnus ſit, ſiue Seleucienſis, ſiue quis alius, in Catena Græcor. per ignem in ſinu accipit ſermonem obſcœnum. *Fouet, inquit, ignem ille ſinu, illigatq; in eo, qui immundum ſermonem auidè haurit, aut fœdam cogitationem in corde ſuo immorari ſinit. Ambulat autem ſuperincenſos carbones, qui*
C *per opus peccati, aut conſenſum in peccatum animam ſuam perdit.*

Tertiò, eſt adulterium.

Tertiò, Chald. Hugo, Caietan, Dionyſ. Ianſen. Baynus, & alij paſſim, hæc accipiunt de ipſo adulterio: hoc enim eſſe ignem in ſinu, qui totum corpus cum veſte exurat. Ingredi enim ad vxorem proximi phraſi Script. idem eſt quod eam cognoſcere, & cum ea adulterium committere. Sed τὸ *non erit mundus*, applicāt & explicant diuerſimodè. Primò, Hugo & Caietan. explicant de immunditie peccati & culpæ. q. d. Sicut qui ſinu gerit ignem, veſtes adurit; & qui ambulat ſuper carbones, plantas vſtulat; ſic qui vxorem proximi adulterio vitiat, igne libidinis conſcientiam inurit, decolorat & maculat. Secundò, Ianſen. & Baynus exponunt de immunditie famæ, putà de infamia, quàm ſibi conſciſcit adulter. q. d. Sicut ignis in ſinu, & prunæ
D calcatæ pedibus regi celarique nequeunt, quia fumus & nidor ſinus & pedum, ignem latentem & proſerpentem produnt: ſic pariter adulterium licet ſecretò commiſſum latere nequit, quin per colloquia, geſtus, aliaque indicia erumpat, itaque ingenti infamia adulterium aſpergat & maculat. Tertiò, R. Leui & Ianſen. τὸ *non erit mundus*; Hebr. נקי *naki*, id eſt, inſons, innocens, innoxius, explicans, *non erit impunitus*. Sic enim hæc phraſis accipitur Exodi 20. 7. *Nec enim habebit inſontem* (id eſt, non ſinet impunitum) *Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Et alibi ſæpè. Vnde S. Cyrill. legit, *non erit immunis*; Septuag. enim vertunt, οὐ ἀθῳωθήσεται. quod Primò, vertas, *non erit innocens*; Secundò, *non erit indemnis & impunitus*: vterq; enim vocatur ἀθῷος. Sic ſenſus erit. q. d. Sicut qui ignem gerit ſinu, inde ſentit noxam, dū veſtis eius ignitur:

igintur, atque qui pedibus premit prunas, ijs aduritur: ſic pariter, qui adulterium committit, ſentiet noxã & pœnam, quia vel à marito adulteræ, vel à iudice vita mulctabitur & occidetur. Imò adulteri olim igne cremabantur. Vnde Iudas Thamar quaſi adulteram rogo adiudicauit, Geneſ. 38. 24. Scribit Lucianus in Apolog. *pro mercede conductis*, Salethum Crotonienſem principem legem tuliſſe, vt adulteri viui cremarentur. Atque cùm ipſe fratris vxorem deinde commaculaſſet, deprehenſus atq; ſe excuſans dum cauſam diceret, quòd amore captus feciſſet, *Voluntarius* (vt Lucianus ait) *& nihil reluctans in ignem animo magno inſiluit*. Opilus etiam Macrinus Imp. adulterij reos ſemper viuos ſimul incendit iunctis corporibus.

Quarta. eſt familiaritas mulieris.

Quartò, Patres paſſim accipiunt hæc non de ipſo adulterio, ſed de familiaritate, colloquijs, tactu ſimplici, conuerſatione cum feminis & vxoribus proximorum. B Nam *Ingredi ad vxorem proximi*, hic non ſignificat cum ea rem habere, ſed cum ea colloqui verſari. Vnde Syrus vertit, *ſic qui ingreditur ad vxorem proximi, & ad illam propè fit*. Sic Gabriel Archangelus ingreſſus dicitur ad B. Virginem cum ei nuntium incarnationis Chriſti detulit Lucę 1. Salomon enim hic poſtquam monuit claudendas eſſe aures ſermonibus atq; cantilenis, atque oculos formæ illecebroſæ mulierum; nunc generatim monet omnem cum eis familiaritatem eſſe cauendam, ac præſertim ne eas adeamus, manuſque aut veſtes earum tangamus; eò quòd, ſicut ignis in ſinu adurit veſtes, ſic tactus & conuerſatio mulieris adurit, ſuique amore incendit corpus tangentis, ac per corpus quaſi per veſtem trãſit ad ipſam animam, illamq; fœdo concupiſcentiæ incendio & tartareo libidinis igne inflammat, denigrat, maculat. C Et ſicut is, qui pedibus nudis ambulat & calcat carbones accenſos, plantas vſtulat: ſic qui conuerſatur cum muliere, etiamſi obiter quaſi ambulando dumtaxat, igne concupiſcentiæ afflabitur, ac vſtulabit pedes, manus, oculos, aures, omneſque ſenſus ſuos; quin & proſerpente hoc igne vſtulabit phantaſiam, memoriam, ipſamque mentem & voluntatem, vt aliud cogitare, memorare, amare, concupiſcere nequeat quàm amoris hunc ignem; quo accenſus ſenſim totus concrematur & ardet. Igitur familiaritas mulierum, & leues vel aſpectus vel contactus, vel confabulationes & riſus, famam conuerſantis infamia, animam verò etiam neſcientem & non aduertentem, vanis & illecebroſis concupiſcentijs inquinant, atque ad fornicationem vel adulterium incitant.

In hunc locum explicat S. Cypr. tract. de Singular. cleric. paulo poſt initium. D Diſſuadens enim clericis habitationem & conſortia feminarum, *Incerta*, inquit, *victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare. Et impoſſibilis liberatio eſt flammis circumdari, nec ardere; quod Salomon non negat dicens: Quis alligabit in ſinu ſuo ignem, veſtimenta autem ſua non comburet? Aut quis ambulabit ſuper carbones ignis, pedes verò non comburet? Sic qui introierit ad vxorem proximi ſui, non erit immunis neque omnis qui tangit eam. Credite, quæſo vos, credite diuinæ fidei, quinimò plus quàm noſtræ; quia omne quidquid pollicetur, non poteſt fallere, dicente Domino: Facilius eſt, inquit, cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Vnde pluribus interiectis concludit. *Amputanda ſunt omnia nobis, quæcumque igniferi ſemitis ſulphurantibus flammis ſcatens fornax exæſtuantis carnis exæſtuat, ne vel tenuis quædã ſcintilla*

A *ſeruata maiora conflet incendia*. Sic & S. Auguſt. ſerm. 250. *Non ſolùm*, inquit, *ab extranearum familiaritate, ſed etiam ancillarum noſtrarum, vel quarumcumq; vicinarum, aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ vnuſquiſq; familiaritatem, vel ſecretam collocutionem vitare contendat: quia quanto earum vicinior conditio, tanto facilior ruina eſt. De familiaritate enim talium Salomon nos admonet dicens: Nunquid alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta eius non ardebunt? aut ambulabit quis ſuper prunas, & non comburentur plantæ eius?*

S. Chryſoſt. epiſt. 7. ad Olympiam: *Salomon*, inquit, *qui valde bene nouerat quam periculoſum eſſet virũ mulieri propinquare, dicebat: Alligabit quis in ſinum ignem, & veſtimenta non combures? &c. Hoc eſt autem quod dicit: Sicut eſt impoſſibile coniunctum igni non incendi, ita qui accedit ad mulierem, non poteſt illud effugere.* S. Baſil. tract. de Virgin. *Ac veluti ſtupa*, inquit, *ſi ſtupam contigerit, ignisq́; rurſus ignem, fumum ex ſe* B *minimè excitãt: ſtupa verò ſi ignem odorata fuerit, protinus inflammata ſuccenditur, ita & femineum corpus maſculum tangens non multo labore, nec inflammatione ad cõcubitum opus habet ſed cùm naturali ad ſe inuicem rapiantur ardore, ſimul ac ſe contingunt ſcintillam voluptatis fumantem intrinſecus ſentiunt. Vnde ſcriptum eſt: Alligabit quiſpiam ignem, &c.*

Quocirca S. Franc. Xauerius monebat confeſſarios, vt cauerent à feminis: illas enim adiri minori fructu, maiori periculo vel famæ, vel continentiæ, vel vtriuſque: ex fumo enim flamma. Hinc S. Hieron. ep. ad Euſtochium de cuſtodia virg. hiſce Salomonis verbis acriter perſtringit agapetas, hoc eſt feminas, quæ quaſi ſpiritales ſpiritualibus viris cohabitabant, amorem caſtum foris præ ſe ferentes, ſed intus ardentes cupiditate luxuriæ. *Vnde*, inquit, *in Eccleſias agapetarum peſtis introijt? unde nuptijs* C *aliud nomen vxorum? imò vnde nomen concubinarum genus? Plus inferã vnde meretrices vniuiræ, eâdem domo, vno cubiculo, ſæpè vno tenentur & lectulo: & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid extimemus* (ita legunt veteres codices, ab extimo: minus rectè ergo Eraſmus correxit *exiſtimamus*) *Frater ſororem virginem deſerit, cælibem ſpernit virgo germanũ, fratrem quærit extraneum; & cùm in eodẽ propoſito eſſe ſe ſimulent, quærunt alienorum ſpiritale ſolatiũ, vt domi habeant carnale commercium. Iſtiuſmodi homines Salomon in Prouerbijs ſpernit, dicens: Alligabit quis in ſinu ignem, & veſtimenta eius non comburentur?* Eaſdem agapetas pari acrimonia inſectantur S. Baſil. Nazianz. Chryſoſt. ceterique Patres. Agapetæ græcè idem ſunt quòd latinè charæ, dilectæ, vti etiamnum à nonnullis vocitantur, & pari loco, vel pari ſuſpicione, & periculo habentur.

D Seuera, ſed vera eſt ſententia S. Bernardi ſerm. 65. in Cant. *Cum femina ſemper eſſe, & non cognoſcere feminam, nónne plus eſt quàm mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt non potes; & quod maius eſt, vis vt credam tibi?* Verè quoque Comicus: *Omnis amans, amens.*

Moral. hinc diſce, quàm cauenda ſit conuerſatio cum muliere: vox enim eius, oculi, vultus, totumque corpus feminę eſt quaſi ignis, intuentem, colloquentem, conuerſantem tartareis libidinis flammis tacitè & neſcium ſuccendens. Senſim enim hic ignis ab oculis & ſenſibus ad phantaſiam prorepit, inde ad cor, mentem & voluntatem proſerpit, nec ceſſat donec totum hominem inflammet. Hoc eſt quod ait Iob 31. v. 12. *Ignis eſt* (libido) *vſq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.* In quæ verba commentans S. Gregor. *Quid eſt,*

eſt, inquit, *libido, niſi ignis? & quid de carne & mente exortæ virtutes, niſi flores? quid item turpes cogitationes, niſi paleæ? Quis etiam neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parua ſcintilla omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenuem ſcintillam numquam poſſit ardere.*

Quocirca S. Chryſoſt. epiſt. 7. ad Olympiam, agens de Ioſeph ſollicitato ab hera ſua, aſſerit tentationem hanc fuiſſe peiorem fornace Babylonia, & lacu leonum, in quem coniectus fuit Daniel, & ventre ceti, quo ſorptus fuit Ionas. *Et ſicut*, inquit, *Babyloniam fornacem manus illa Perſicæ tum multo ſtudio ſuccendebant, abundantiorem eſcam ignibus ſuggerentes, & porrigentes flammæ diuerſa fomenta: ſic tunc miſera hæc atque miſeranda mulier accendit ignem illa fornace maiorem, vnguentis oblita, fucamentis genarum, picturis oculorum, voce confracta, motibus & greſſibus diſſolutis, mollibus veſtimentis, auri circulis & infinitis eiuſmodi machinamentis, quaſi per magica quædam turpitudinum volens illicere inſontem.* Et poſt multa igneam tentationis huius vim repræſentans: *Sed tamen in tantis retibus conſtitutus, & tam vrbanam feram videns ad ſemetipſum accedere, omni eum ex parte percutere requirentem, per tactum, per vocem, per oculos, per colores, per ſtibium, per aurum, per vnguenta, per veſtimentum, per affectum, per verba, per circumpoſitum ornamentum, per ſecretum, per ſolitudinem, per hoc quod poterat latere, per diuitias, per potentiam, & quæ habebat in eo ſecum ſacietia, cum his omnibus quæ ſupra commemoraui, ætatem, ſeruitutem, peregrinationem: vicit omne illud incendium.* S. Nilus orat. 20. aduerſus vitia, *Ad ignem potiùs ardentem*, ait, *quàm ad mulierem appropinqua. Nam ſi ad ignem acceſſeris, dolore affectus reſilies: at ſi feminæ deſiderio incenſus fueris, haud ita facilè recedes. Eſt enim mira huius ignis natura, qui dum delectat, vrit; ſed abeunte delectatione, manet liuor & plaga.* Hinc ſcortum, ſiue maſculum, ſiue femineum, vocatur à Poëtis ignis. Ita Virgil. ecloga 3.

At mihi ſeſe offert vltro meus ignis Amyntas.

Ouidius lib. 2. Amorum:

At meus ignis abeſt, verbo peccauimus vno.

Nemeſ. 4. eclog. *Lyridæ crinitus Iopas ignis erat.* Terent. Eunuch. *Accede ad ignem hunc* (ad meretricem) *iam caleſces plus ſatis.* Apul. l. 2. *Diſcede miſelle quam procul à me, diſcede; nam ſi te vel modicè meus ignis afflauerit vreris intimè.*

Dices, quid remedij contra hunc ignem? Reſpondet Salomon: Noli ad eum appropinquare, & non afflabit te: fuge ab eo quantum potes, fuge omnem eius cogitationem, quia hæc illecebroſa eſt, ac placendo diſplicens & diſplicendo placens, aſſiduè blandiendo ex ſenſu facit cōſenſum, mentemque ſibi ſubiugat. Quocirca Religioſus ille in Vitis Patr. lib. 5. libello 4. de continentia num. 68. matrem ſenem per fluuium tranſlaturus, priùs illam pallio inuoluit, ne eam contingeret, ſicque inuolutam tranſtulit. Rogatus ab ea cauſam dixit, *Quia corpus mulieris ignis eſt; Et ex eo ipſo, quo te contingebam, veniebat mihi in mente recordatio aliarum feminarum.* Alius ibidem libello 5. de fornicatione num. 37. tentatus à meretrice, vt flammam tentationis reſtingueret, digitum vnum, mox ſecundum & tertium, ceteroſque ex ordine in lucernam ardentem immiſit, itaque igne lucernæ extinxit ignem concupiſcentiæ.

Ignem libidinis quem corporis reſtinxerunt Sancti. Exempla.

Memorabile eſt quod de S. Franciſco ſcribit L. Waddingus in Annal. Minor. anno Domini 1222. Barij in Apulia, inquit, Fridericus II. Imp. meretricem ſubmiſit, quæ tentaret caſtitatem S. Franciſci. At ille lectum igneum ei propoſuit, in eoque decumbens meretricem ad ſecum decumbendum inuitans, illam in fugam coniecit. Idque per rimam ſpectans videnſque Imperator, exclamauit: *Surge vir Dei, quia Deus tecum eſt tuam, vt video, nec vlla ignis eſt in te, nec vis incendij tibi moleſtiæ quidquā intulit. Tuum eſt Deo gratias agere, qui virtutem dedit vt non timeres à timore nocturno, nec veneris aut ignis flammam ſentires.* Idem alia vice eundem tentationis ignem frigore niuis, eam in gelida hieme amplexādo, reſtinxit, perinde ac in Vita S. Malachiæ, de rege Mumoniæ, eius diſcipulo, ſcribit S. Bernard. *Quotidiano*, inquit, *aquæ frigidæ balneo, malè calentem extinguebat in carne libidinem.*

Similis fuit tentatio, ſimiliſque per ignis contactum victoria alterius, qui proinde dæmones victi quaſi victori acclamarunt: *Fuiſti, viciſti, quia in igne fuiſti, & non arſiſti*, vti alibi fuſiùs enarraui. Sanè qui ignem mulierum vicit, vincet ignem tortorum, dicetque cum S. Laurentio in craticula vſtulato; *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Quòd enim S. Laurentius ignem Valeriani vicerit, id heroycis eius virtutibus, ac præcipuè angelicæ eius caſtitati, qua ignem concupiſcentiæ vicerat, tribuendum eſt: perinde ac quòd trium puerorum corpora in fornace Babylonia manſerint illæſa, virginitati eorum attribuit Damaſcen. li. 4. de Fide c. 25. Vide hiſtoriam Daniel. 3. 50. vbi plura hac de re dixi.

Myſticè, mulier eſt hæreſis & concupiſcentia; quare ſi libros hæreticorum vel obſcenos videas & legas, ſenſim ſine ſenſu ad hæreſin & obſcenitatem incitaris. Quare meritò Patres Concil. Trident. vtroſque ſub grauibus pœnis vetuerunt, & vulcano mancipandos cenſuerunt. Igitur inſipienter & perperam faciunt, qui ob elegantiam ſtyli & phraſis eos legunt: nam pro exili vanoque fructu longè maiora damna, igneſque præſentes & æternos ſibi accerſunt. Non deſunt alij probi caſtique, qui elegantiam cum honeſtate, imò pietate, doceant; vt quid ergo eam à cœnoſis & venenatis auctoribus, cum tanto conſcientiæ periculo haurire malunt.

Rurſum Auctor Catenæ Græcor. *Mulier nupta*, inquit, *myſticè eſt malitia, cui vir eſt diabolus, qui vnà cum illa generat iniquitatis filios. Quicumque tetigerit illam, inquinabitur: hoc eſt quicumque colloquiis illius fretus, aut familiaritate eiuſdem vſus fuerit, eſto quòd prauū opus attinet, mundus euadat, intra ſe tamen inquinabitur.* Denique S. Cyrill. catecheſi 2. per ignem hic propriè accipit peccatum. *Vrit enim*, inquit, *peccatum neruos animæ, & conterit oſſa mentis ſpiritalia, & lumen cordis obtenebrat.* Porrò ipſe ſic legit: *Inuoluat quis ignem in ſinu, & veſtes eius non vrantur?*

Vers. 30.

NON GRANDIS EST CVLPA, CVM QVIS FVRATVS FVERIT: FVRATVR ENIM VT ESVRIENTEM IMPLEAT ANIMAM] Componit & anteponit adulterium furto in noxa & ſcelere. Dices, Furtum rei notabilis eſt peccatum mortiferum, &, vt quidam ait, furtum eſt panis diaboli: quomodo ergo hic dicitur *non grandis* eſſe *culpa*? Reſpondet S. Chryſoſt. homil. 10. ad Popul. ſenſum Salomonis eſſe q. d. *Grauis quidem res etiam fur, ſed non tam grauis quàm adulter. Ille enim etſi frigidam cauſam habet, tamen ex pauperie neceſſitatem prætendere poteſt: hic verò nulla ipſum cogente neceſſitate, præ dementia*

mentia ſola in peccati voraginem corruit. ¶ *Hoc & de iurantibus dicere licet: nec enim iſti illum habent quē prę mittant prætextum, ſed contemptum ſolum.* Eadem fuſiùs habet ſcribens in pſal. 49. ad illud. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* S. Thomas verò 2.b.q.66.art.6.ad 1. *Furtum*, inquit, *ducitur non eſſe grandis culpa duplici ratione. Primo quidem propter neceſſitatem inducētem ad furandū, quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam, vt patebit art. 7. Furatur enim vt eſurientem impleat animam. Secundo per comparationem adulterij, quod punitur morte. Vnde ſubditur de fure, quòd deprehenſus reddet ſeptuplum: qui autem adulter eſt, perdet animam ſuam.* Hebr. Symmach & Aquila habent, *non ſpernent furem cùm furatus fuerit, ad implendam animam ſuam cum eſurierit:* Chald. *non vitio vertitur furi, &c.* Vatabl. *non reputant probro furi,* Syrus, *non mirum eſt.* q. d. Minus probrum eſſe furari quàm adulterari. Noſter cauſam probri & infamię aſſignauit vertens, *non grandis eſt culpa,* ex culpa enim naſcitur infamia & probrum.

VERS. 31. DEPREHENSVS QVOQVE REDDET SEPTVPLVM; ET OMNEM SVBSTANTIAM DOMVS SVÆ TRADET] quia ſcilicet fur tenuis fortunæ & ſubſtantiæ eſſe ſolet. Quare ſi rem magni pretij furatus ſit, cogaturque reddere ſeptulum, omnem ſubſtantiam ſuam reſtitutione impendet; imò ſi ea non ſufficiat, impendet ſe ipſum, iuxta legē Exodi 22. 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipſe venumdabitur.* Sed quo iure *reddit ſeptuplum?* Nam iure diuino Iudęis ſancitur Exodi 22.1. vt qui furatus eſt ouem, reddat quatuor; qui verò bouem, reddat quinque boues, non autem ſeptem. Reſpondet Hugo, fortè apud alias nonnullas gentes furi indictam mulctam in ſeptuplum. Verùm hoc eſt coniectare: hucuſque non legi vllas gentes id feciſſe: Quare planiùs & certiùs Ianſenius & alij ſic explicant: *Reddet ſeptuplum,* id eſt, reddet *multuplum,* putà quadruplum, vel quintuplum. q. d. Cogetur abundè & copioſè reſtituere, ac ſarcire damnum, quod furando intulit. Sic dicitur Iob 5. 19. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* Eſt poëticus hebraiſmus, q. d. Licet ſepties, id eſt pluries & omnimodè, in tribulationes incidas; ſemper Deus ex ijs eruet te. Sic *ſeptupla,* id eſt multiplex, *vltio datur de Cain,* Geneſ. 4.24. Sic dicitur Eccli. 7.3. *Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum,* id eſt multipliciter. Similia ſunt Leuit. 26.28. Ierem. 15.v.9. Amos 1.3. Prouerb. 30.15. & alibi.

Aliter reſpondet Aben Ezra & Vatabl. Sapientem loqui copulatim: copulaſſe enim duas taxas duobus caſibus furi præſcriptas. Nam Exodi 22. v.1. & 4. præſcribitur, vt, ſi furtum inueniatur in manu furis, reddat duplum; ſin vendiderit vel occiderit, reddat quintuplum: copula duplum & quintuplum, habebis ſeptuplum.

Senſus eſt, q. d. Fur damnum quod domino intulit abundè reſarcit: adulter autem non poteſt reſtituere marito iniuriam & noxam, quam illi vxorem eius violando intulit. Ergo adulterium grauius & nocentius eſt furto, cùm huius damnum ſit reparabile, illius irreparabile, nec niſi ſanguine adulteri expiabile. Vnde Septuag. vertunt, *ſi autem deprehenſus* (fur) *reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ dans liberabit ſeipſum.*

VERS. 32. QVI AVTEM ADVLTER EST, PROPTER CORDIS INOPIAM PERDET ANIMAM SVAM] Hebr. *adulter eſt deficiens corde, corrumpens animam ſuam, ipſe facit illud;* Chald. *qui quærit perdere animam ſuam, ipſe facit illud;* Septuag. *mœchus propter inopiam mentium perditionem animę ſuę acquirit;* Tigurina, *qui adulterium committit cum muliere, excors eſt; & qui hoc facit, animam ſuam perdit,* Senſus eſt q. d. Fur furando perdit opes ſuas: at adulter adulterando perdit mentem, item animam ſuam. Ergo adulterium deterius eſt furto. Per *animam* Primò, intellige vitam: adultèr enim iure gentium omnium morte mulctatur, vt oſtendi Geneſ. 38.24. Secundò, ſalutem animæ: hanc enim prodigit adulter, animamque deuouet diabolo & gehennæ.

Quæres, quænam ſit *inopia cordis* adulteri, qua perdit animam ſuam? Reſp. Primò, aliqui per *inopiam mentis* accipiunt concupiſcentiam libidinis: hæc enim mente & ratione deſtituitur, ſoloque irrationalis & brutę voluptatis œſtro agitur, agitque adulterum in ſcelus & exitium: ſicut enim venter non habet aures, ſic concupiſcentia non habet mentem; imò mentem non audit, ſed ea quæ ſuggerit libido. *Inopia mentis adulteri, quæ? Reſp. Primò,*

Secundò, *inopia mentis* eſt inopia animi, putà mollities, imbecillitas & infirmatas roboris & virium mentis. Adulter enim conſtantia & robore animi deſtituitur: ſinitque ſe molliter & effeminatè capi, ducique ab adultera quaſi bos ad victimam: De quo plura cap. ſequ. *Secundò,*

Tertiò, *inopia mentis* eſt inopia iudicij quia libido iudicium euertit, hominemq; dementat, vt videatur eſſe demens & inſanus imò delira & inſana faciat pro amore ſuæ pellicis & adulterę: vti experientia ſæpè fieri videmus. Amans ergo eſt amens. Vnde Chald. vertit, *indiget intellectu.* *Tertiò,*

Quartò, *inopia mentis* eſt inopia rationis. Adulterium enim ratione hominem priuat, eumque efficit brutum, imò peiorem bruto. Multa enim bruta ſurantur alimenta ſua, aut alienam feminam non inuadunt, ſed caſtum cum conſorte colunt connubium, vti faciunt cerui, elephantes, leones, turtures, columbæ, &c. Hiſce ergo peior eſt adulter violans iura & ſanctitatem coniugij, quæ iam in lege noua longè maior eſt, vtpote euecta ad dignitatem Sacramenti: coniugium enim eſt ſeptimum legis nouæ Sacramentum, ideoque prorſus inſolubile, ſanctum & inuiolabile. *Quartò,*

Ex aduerſo venenata animalia cum alienis commiſcentur, vt vipera, quæ exitialis eſt, cum murena congreditur, ſed ita vt prius venenū euomat, inquit S. Baſil. hom. 7. Hexam. Adulteri ergo viperæ ſunt, imò viperis peiores; quia venenum adulteri, retinent. Audi S. Ambroſ. libr. 5. Hexam. cap. 7. *Iuſſit Deus ambos* (Adam & Euam) *eſſe in vno corpore & in vno ſpiritu: quòd vnū ſeparas corpus, vnum diuidis ſpiritum, naturæ adulteriū eſt. Sed hoc docet murenę & viperę non iure generis, ſed ardore libidinis expetitus amplexus. Diſcite ô viri, qui alienam permolere quæris vxorem, cuius ſerpenti ſibi adſciſcere cupias contubernium, cui etiam comparandus ipſe ſerpens ſit.*

Propria adultero eaque inſignis mentis inopia & inſipientia eſt, quod, cùm poſſit eamdem, imò maiorem voluptatem haurire ex muliere ſoluta, v.g. ex meretricibus formoſiſſimam ſibi deligere, vbi minor eſt culpa, minor infamia, minus periculum, imò omnis apud homines impunitas; ipſe amore cæcus malit coniugatā, vbi longè maior eſt culpa & infamia, & certum periculum, vt vel à marito, vel à cognatis, vel à iudice deprehendatur

&

& capite plectatur. Et hanc ſignificat Salomon, dum ſubdit: *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ.* Quæ ergo tua, ô adulter, eſt phreneſis & veſania, vt ſine neceſſitate, ſine cauſa, ex mera libidine te in hæc diſcrimina conijcias? In perpetuo verſaris metu, anxietate, ſuſpicione, ne res emanet, ne maritus reſciſcat, ne ad iudicem deferaris. Hi metus & angores omnem tuam in adulterio voluptatem diluunt, imò ſuffocant & extinguunt.

Audi S. Chryſoſt. homil. 3. de verbis Iſaiæ, hanc adulteri inopiam mentis citantem & explicantem: *Nam quæ poteſt eſſe voluptas, vbi metus, vbi diſcrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorũ expectatio, vbi tribunalia, vbi accuſationes, vbi iudicis ira, vbi ruina, vbi gladius & carnifex, vbi barathrum ac deportatio? Quin potiùs, ſi voles, tollantur hæc omnia. Ponamus nulli notum eſſe flagitium præterquam ipſi viro & mulieri quam adulterauit. Quomodo feret conſcientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accuſationem vbique ſecum ferens? Quemadmodùm enim ſeipſum nemo poteſt fugere: ita nec illam eius curiæ ſententiam: hoc enim tribunal nõ pecunia corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eò quòd diuinum eſt, & à Deo noſtris impoſitum mentibus. Verè adulter per inopiam ſenſus exitium ſuæ ipſius animæ conciliat.* Sed, vt ait vir ſapiens: *Furibunda luxuria oculos non habet, idcirco caſum & barathrum, in quod ruit, nequit intueri.* Hac de cauſa S. Baſil. epiſt. 3. canonica ad Amphilochium, inter canones pœnitentiales can. 58. adulteris duplam, fornicatoribus ſimplam pœnitentiam iniungit. *Qui adulterauit*, inquit, *in quindecim annis Sacramentis nõ communicauerit. In his autem quindecim annis ſic quoque diſpenſabitur. Quatuor annis erit deflens* (ſtans extra fores eccleſiæ confitens ſcelus ſuum, & fideles ingredientes rogans vt pro ſe deprecentur, vt ait can. 56.) *quinque audiens* (lectiones ſacras & conciones) *quatuor ſubſtratus, in duobus conſiſtens ſine communione. Fornicator ſeptem annis non communicabit, duobus deflens, & in duobus audiens, & in vno ſolo conſiſtens. Octauo autem ad communionem admittetur.*

Vers. 33. TVRPITVDINEM ET IGNOMINIAM CONGREGAT SIBI, ET OPPROBRIVM ILLIVS NON DELEBITVR] Verba ſunt clara. Clarum enim eſt adulterium apud omnes gentes eſſe infame, haberique quaſi probrum & peſtem reipubl. Vnde aliæ adulteros mutilant auribus, aliæ naribus, aliæ verendis, aliæ publico ludibrio eos exponunt, ac tandem capite mulctant. Eſto enim culpa adulterij per pœnitentiam adultero condonetur à Deo; manet tamen apud homines memoria & infamia perpetrati ſceleris, ac quamdiu durat memoria, durat & infamia: quin & ſi quos ex adulterio liberos ſuſcipiat, illi ipſi etiam poſt mortem exſtabunt ad ignominiam monumenta, ait S. Chryſoſt. homil. de carnis concupiſcentia.

Perperam ergo ex hoc loco Tertull. l. de Pudicitia cap. 18. contendit probare, ex eo quod hic dicitur, *Opprobrium non delebitur*, culpam adulterij eſſe indelebilem & irremiſſibilem. Aliud enim eſt culpa, aliud opprobrium, vti iam dixi. Adde, non rarò per pœnitentiam inſignem deletâ culpâ deleri & infamiam; vti contigit Dauidi. Sed audi Tertull. *Nam & in Prouerbijs Salomon ſpecialiter de mœcho inexpiabili: Mœchus autem*, inquit, *per indigentiam ſenſuum perditionem animæ ſuæ acquirit, dolores & dehoneſtationes ſuſtinet. Ignominia autem eius non abolebitur in æuum. Plena enim zeli indignatio viri non parcet in die iudicij.* Verùm quòd mœchia ſit inexpiabilis, id eſt irremiſſibilis, iam eſt exploratus error. Nimirum Tertullianus nimio pudicitiæ amore in hæreſin lapſus, librum de Pudicitia contra Pſychicos, id eſt, animales Catholicos, ſcripſit pro hęreſi Montani, de non recipiendis Pœnitentibus, ſaltem mœchis & fornicatoribus, maximè cùm culmen criminum teneant mœchia & fornicatio, vti ipſe initio libri profitetur. Vnde & cap. 5. mœchiam idololatriæ & homicidio comparat, & quaſi æquiparat. Sed, vt dixi, ipſe vti nimius fuit caſtitatis amator, ita nimius fuit adulterij oſor, nimiſque illud eleuat & aggrauat.

Pro *turpitudinem* heb. eſt נגע *nega*, id eſt, *plagam*; Septuag. *dolores & ignominias ſuſtinet*; Chald. *plaga & ignominia accedet ei*; Symmach. *plagam & contumeliã inueniet*; Syrus, *ipſe facit, vt ad eum accedat calamitas, & ipſum deprehendant, & ignominia non recedat.* Per *plagam* ergo Primò, cum Noſtro & Syro accipe ſceleris publicationem, infamiam & ignominiam. Secundò, cum Septuag. accipe dolores; tum corporis quos parit luxuria, item verberationes, fuſtigationes, aliaſq; pœnas eidem à iudice infligendas; tum cruciatus & angores mentis & conſcientiæ, quos graphicè depingit S. Chryſ. hom. 1. de Lazaro: *Etenim*, inquit, *qui adulterium committit, etiamſi millies fuerit diues, etiamſi nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen ſeipſum accuſare: & voluptas quidem temporaria eſt, dolor verò perpetuus, timor vndique ac tremor; ſuſpicio & anxietas: angulos metuit, vmbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos conſcios, inſcios, illam ipſam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia: obambulat amarum accuſatorem circumferens conſcientiã, cùm ſit ſuo ipſius iudicio condemnatus, nec vel ad breue tempus poſſit reſpirare. Nam & in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipſis frequenter ſomnijs hæc iniquitatis ſimulacra videt, ipſiuſq; Cain vitam agit, gemens ac tremens ſuper terram, cùm nemo ſciat, intus tamen habet ignem implicitum.*

Porrò quanta fornicationis & mœchiæ ſit turpitudo & ignominia, apta ſimilitudine explicat Iſidorus Clarius orat. 35. tom. 1. *Si quis virginem*, inquit, *condemnaſſet, vt animalibus ratione carentibus permiſceretur, deinde illa permixtione delectaretur: nónne ob hanc cauſam maximè lacrymis eſſet digna, quòd ab hoc morbo liberari non poſſet, ex eo quòd ne morbum quidem eſſe intelligeret? Hoc prorſus eſt manifeſtum. Quòd ſi illud res moleſtiſſima eſt; hoc nihilo eſt inferius. Nam à domeſticis contumelia affici miſerabilius eſt, quàm ab alienis. Hos homicidis ego deteriores iudico: nam mori præſtat quàm ita ignominioſè viuere. Homicida enim à corpore animam diuellit: hic verò animam ſimul cum corpore perdit, & quodcumque peccatum dixeris, nihil huic ſceleri æquale reperies. Si enim de ſcortatione differens Paulus dixit: Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem ſcortatur, in proprium corpus peccat; quid de hac inſania furoreq; dicamus, quæ tanto ſcortatione deterior eſt, quantum ne dici quidem poteſt? Neque enim ſolùm dicendum eſt, quòd qui hæc patitur ſit mulier, ſed quòd perdit etiam eſſe virum, & neque in alteram mutatus eſt naturam, & quam habet non ſeruauit; ſed communis vtriuſque proditor effectus eſt, dignuſq; qui à viris & mulieribus expellatur, vt qui vtrumque genus affecerit iniuria. Atque vt diſcas, quantum hoc ſit: ſi quis accedens polliceretur efficere, vt canis euaderes, nónne vt corruptorem illum caueres? Tu vero ipſe te ex homine non canem feciſti, ſed rem multò ignominioſiorem. Nam canis res vſui apta eſt, hic verò nulli rei vtilis.* Audi & Plinium l. 8. c. 27. *Panthera ſic auida eſt extrementorũ hominis, v*

in vaſe ſuſpendantur altiùs, quàm vt poſſit attingere, enecet ſeſe defatigati porrectu corporis: ita nonnullis quod eſt fœdiſſimum, id dulciſſimum eſt. Cogita quàm horridum ſit tangere leproſos, putidos, moribundos, ſanie & tabe fluentes: idemq; attribue meretrici: ipſa enim ſordibus & fœtoribus plenior eſt, quàm ſit leproſus & moribundus.

Apologus ſpurcitiæ. Igitur adulter qui in fœdis libidinibus volutatur, ſimilis eſt porco, qui luto & cœnoſis aquis paſcitur: porcus enim eſt ſpurcus, & ipſa quaſi ſpurcities. Habet hâc de re inſignem apologum porci & felis Cyrillus l. 4. Apolog. moral. c. 1. *Stabat*, inquit, *felis in ſplendido prato lingua ſua pellem lingens, vt adhærentem ei puluerem expiaret. E contra verò porcus in vicino cœno fœtido ſeſe volutans, cutem turpiſſima iactatione huiuſmodi ſordidabat, dicens: O quàm amœniſſimus mihi lectus, & ſtratus dulciſſimus hîc eſt: ô quàm mihi delectabiliſſimus ſenſus! ô quàm ſuaue balneū carnis meæ! quàm dulcis hæc aqua refrigerij! quàm nobilis hæc ſtilla roris tranſcendens Libani latices, Damaſci fontes, & Panormitana balnea ſoſpitate!* At cattus hæc audiens indignans dixit: *Quid eſt hoc vbi iaces? Tum ille reſpondit; Lutum & cœnum. Tunc cattus increpando adiunxit: Meritò es porcus, quia delectaris in fœtidis, impinguaris in ſordidis & lætaris in rebus peſſimis. Cui porcus impatiens dixit: Vade iudica mures tuos, quid mihi & tibi? At ille: Rectè, vt video, Salomon dixit* (Prouerb. 9. 8.) *Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Attamē peſtilenti muri iudex auctoritate naturæ ſum conſtitutus, & tibi immūdo, ſi percipis, ab eadem natura in moribus corrector ſum præfectus. Te namq; lingendo lingua, vitare ſordes doceo, ſi attendis: atque illum iudico, cùm in maleficijs eum iudicialis vngula comprehendit.* *& caſtitatis.* Deinde caſtitatem comparans cælo, animæ, floribus & gemmis, eius pulchritudinem oſtendit. *Vide quàm chara ſit Deo grataq; munditia, tam animæ, quàm naturæ. Ille enim cælum in ſempiternum ſibi parauit mundiſſimum, & repleuit clariſſima luce mundum: animam de candidato ſemine generat, & de puro ſanguine membrum cibat. Mira quidem rutilantia flores germinant, ac ſplendenti plumā, ſquamā & pellicula carnes ornat, natura quoque pretioſiſſimas gemmas gignit puriſſimas, & metalla puritate ſplendentia parit, & condit ſuo diuerſo modo digeſta. Vt quid ergo in immunditijs delectaris? Neſcis quòd expulſiua virtute diſſoluta, retentis fœditatibus caro perit: Ideò ſi vitam tantùm diligis, ſordes fuge, & ad purgatiuum lauacrum mox aſcende. Quo dicto requieuit.*

Vers. 34. Qvia zelvs et fvror viri non parcet in die vindictæ] Septuag. *plenus enim zeli furor viri eius non parcet in die iudicij.* Apud Iudæos enim maritus per ſe adulterum occidere nō poterat, ſed debebat eum accuſare apud iudicem, à quo condemnabatur ad lapidationem. Apud alias tamen gentes, quin & apud Romanos iure Cæſareo, permittitur marito impune occidere adulterū, in adulterio cum ſua vxore deprehenſum: hoc enim conceditur iuſto eius dolori, qui tantus eſt, vt maritum agat in zelum & furorem, qui vix retineri poſſit quin manus in verbera & cædem erumpant. Vnde Chald. vertit, *quia zelus eſt ira viri*; Vatabl. *maritus enim zelotypiæ impatientia accenſus, cùm ei vindicandi occaſio offertur, non parcit.* Impunè dico apud homines, non apud Deum. Apud Deū enim occidens adulterum priuata auctoritate, homicidij reus eſt.

Vers. 35. Nec acqviescet cviuſqvam precibvs, nec svscipiet pro redemptione dona plvrima] quia iniuria thori maxima eſt, nec vllis donis compenſari poteſt, ideoque maritum qui læſus eſt, facit implacabilem & inexorabilem. Loquitur de eo, quod fit vt plurimum. Mariti enim quidam adeò viles ſunt, vt ob pecuniam noxam adultero condonent: alij adeò modeſti & pij, vt ei iniuriam remittant. Hinc colligendum relinquit: ſi maritus adeò vlciſcitur adulterium, quomodo illud vlciſcetur Deus, qui matrimoniū ſanxit & inſtituit? Quocirca ipſum nullis legis veteris hoſtijs poterat expiari: vnde nec vllæ ad eius expiationem in Leuitico fuere præſcriptæ. Heb. eſt, *non ſuſcipiet facies omnis* כֹּפֶר *copher*, id eſt, *propitiationis*, vel expiationis aut ſatisfactionis; *& non volet cū multiplicaueris munus*; Sept. *non commutabit vlla redemptione inimicitiam, neque diſſoluetur multis donis*; Aquila, *munerum oblatione*; Theodot. *non accipiet perſonam vllius ſanctificationis*; Vatabl. *vllius interceſſoris*; Pagnin. *non accipiet perſonam omnis pretij*, &c. Nam, vt ait S. Hier. in c. 6. Amos: *Libentiùs audit maritus vxorem interfici, quàm pollui.*

Vxores occidentes maritos adulteros. Similis & reciprocus eſt zelus vxorum in maritos, fidem ſibi datam per adulterium violantes. Illę enim implacabiles rugiunt, & ſæuiunt ſicut leænæ raptis catulis, ac ſæpè maritos obtruncant. Ita ſcribit Cicero l. 2. Offic. Alexandrum Pheræū à Thebe vxore interfectum propter pellicatus ſuſpicionem. Et Iuſtinus l. 26. narrat Demetrium Antonij regis filium iuſſu Arſinoës vxoris interemptum, quod cum Berenice ſocru ſtupri conſuetudinem haberet. Alter Demetrius cognomento Nicator à Cleopatra vxore occiſus eſt, ob zelum Rhodogunæ Phraatis regis ſororis, vt tradit Appianus in Syriaco. Clytemneſtra audiens Agamemnonem maritum deperire Chryſeidem, & ſe adulterio cū Ægiſtho polluit, & maritum ipſum morte mulctauit. Sed inſtar multorum ſit, quod ſcribit Apollonius Rhodius l. 1. Argonauticōn. Lemnias mulieres zelotypia incenſas, quòd mariti captiuas quaſdam feminas adamarent, maritos ſuos omnes & pręterea vniuerſum genus maſculinum obtruncaſſe. Denique Seneca in Medea ita canit:

Nulla vis flammæ, tumidiq; venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cùm coniux viduata tædis
Ardet & odit.

Plura congeſſit Tiraquellus in leg. 13. connub. n. 28. & ſeq.

Myſticè, adulterium eſt hęreſis, & quoduis peccatum mortiferum: per hoc enim anima Deo deſponſa, eo ſpreto adulteratur cum carne, mundo & dæmone: vnde peccator dolores & ignominiam ſibi congregat, & opprobriū illius non delebitur: quia zelus & furor viri, putà Dei, non parcet in die vindictæ, id eſt, in die mortis & iudicij. Ita Beda: *Dominus*, inquit, *qui nunc parcit reprobis, non parcet in die mortis: nec acquieſcet precibus ſerò clamantium ad ſe, nec dona, quorum non eſt ibi tempus vel facultas, ſuſcipiet: zelatur enim ſi quis ſponſam ſuam; id eſt, Eccleſiam, ſiue animam quamque fidelem, corrumpere præſumit.* Et S. Hier. loquens de die iudicij) epiſt. ad Heliodorum: *Tunc*, ait, *ad vocem tubæ pauebit terra cum populis: tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubrè mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentiſſimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis: Ariſtotelis argumenta non proderunt. Tunc tu ruſticanus & pauper exultabis, & dices: Ecce iudex, qui inuolutus pannis in præſepio vagijt*, &c. Plura in hanc rem dixi Ioëlis 2. v. 31.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VT ea, quæ de meretrice & fornicatione dixit, magis confirmet & illuſtret, producit in ſcenam meretricem, ſiue mœcham, ſuis verborum & fucorum lenocinijs iuuenem illicientem & ſeducentem: ac deinde v. 22. eius inſipientiam oſtendit, quòd ad victimam, laqueum, animæq́ exitium ducatur.

1. FIli mi, cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili. 2. Serua
mandata mea, & viues: & legem meam quaſi pupillam oculi tui: 3. liga eam
in digitis tuis, ſcribe illam in tabulis cordis tui. 4. Dic ſapientiæ Soror mea es: &
prudentiam voca amicam tuam, 5. vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena,
quæ verba ſua dulcia facit. 6. De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi,
7. & video paruulos, conſidero vecordem iuuenem, 8. qui tranſit per plateam iux-
ta angulum, & prope viam domus illius, graditur, 9. in obſcuro, aduesperaſcente
die, in noctis tenebris, & caligine. 10. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretri-
cio, præparata ad capiendas animas: garrula & vaga, 11. quietis impatiens, nec va-
lens in domo conſiſtere pedibus ſuis, 12. nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta
angulos inſidians. 13. Apprehenſumque deoſculatur iuuenem, & procaci vultu
blanditur, dicens: 14. Victimas pro ſalute voui, hodie reddidi vota mea. 15. Id-
circo egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre, & reperi. 16. Intexui fu-
nibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, 17. aſperſi cubile meum
myrrha, & aloë, & cinnamomo. 18. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis
amplexibus, donec illuceſcat dies, 19. non eſt enim vir in domo ſua, abijt via lon-
giſſima. 20. ſacculum pecuniæ ſecum tulit: in die plenæ lunæ reuerſurus eſt in do-
mum ſuam. 21. Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit il-
lum. 22. Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciui-
ens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur, 23. donec transfigat ſagitta ie-
cur eius: velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quòd de periculo animæ illius
agitur. 24. Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verba oris mei. 25. Ne abſtra-
hatur in vijs illius mens tua: neque decipiaris ſemitis eius, 26. multos enim vulne-
ratos deiicit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. 27. Viæ inferi domus eius,
penetrantes in interiora mortis.

MVltis ex his iam cap. præced. explicata ſunt, A alia caſtis auribus minus grata: quare omnia paucis expediam.

Vers. 1. FILI MI, CVSTODI SERMONES MEOS, ET PRÆCEPTA MEA RECVNDES TIBI] velut theſaurum pretioſum, qui vitam animamque tibi ſeruabit. *reconde*, inquam, in arca mentis tuæ, vt ex ea tempore oportuno ad aliorum ſalutem illa liberaliter depromas. Vnde Syrus vertit, *abſconde in corde tuo*. De more nouum orſurus ſermonem excitat diſcipulum ad attentionem, proponendo dogmatum ſuorum præſtantiam. Septuag. huic ſententiæ ſubnectunt aliam, quæ nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec in Latino habetur, nec huic loco eſt oportuna: vnde ex alio loco huc traducta & inſer- B ta videtur. Eſt autem hæc: *Fili mi honora Dominum, & valebis, & præter eum ne timueris alium*. Eamq; legunt Complut. Roman. Lucifer Calar. Apol. pro S. Athanaſio, S. Ephrem tract. Contra impudicos, qui pro *alium* vertit *alienum*. *Valebis*, id eſt, bona eris corporis mentiſque, Deo dante, valetudine, inquiunt aliqui. Verùm græcè eſt ἰσχύσεις, id eſt, potens & validus eris ad quiduis aggrediendum, & ad malis omnibus reſiſtendum. Vnde S. Hier. in c. 6. ad Epheſ. legit: *Fili honora Dominum, & confortaberis*. q. d. Si Deum, vt decet, honores & colas, Deus te faciet omnibus malis & hoſtibus validio- A rem: quare præter eum neminem alium, nec dæmonem, nec hominem, nec deum fictitiū timeas, id eſt, reuerearis, metuas & colas, iuxta illud Iſaiæ 8. 12. *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis: Dominum exercituum ipſum ſanctificate; ipſe pauor veſter; & ipſe terror veſter*. Et illud Chriſti: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*, Matth. 10. 28.

FILI, SERVA MANDATA MEA, ET VIVES Vers. 2. (Hebr. Aquila, Symmach. & Theodot. *& viue*, id eſt certò viues, tum in hac vita vitam longæuam & felicem, tum in futura æternam & beatam) ET LEGEM MEAM QVASI PVPILLAM OCVLI TVI] Hebr. כְּאִישׁוֹן *keiſcon*, id eſt, *ſicut virunculum oculi*: ab אִישׁ *iſch* enim, id eſt, *vir*, deriuatur diminutiuum אִישׁוֹן *iſchon*, id eſt, *virunculus*: ita dicitur pupilla, quòd in ea virunculi imago reſplendeat. *Pupillæ etymon Latinum, Græcum & Hebræum.* B Sic Græci pupillas vocant κόρας, vt vertunt Septuag. q. d. Virgines & nymphas, quòd virginis imago appareat in pupilla. Vnde Plutarch. ſcribit oratorem quemdam acutè, ſed falsè, dixiſſe de impudente quodam, quòd in oculis haberet non κόρας, ſed πόρνας, id eſt, non virgines, ſed meretrices. Sic & Latini pupillam vel pupelam vocant quaſi paruam pupam, id eſt paruam puellam. Vnde Manil. l. 4. *Paruula ſit totum perſuaſit pupula cælum.*

Mirum eſt quod ſcribit Plinius libr. 28. c. 26.

Augurium ex homine ipſo eſt non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant. Inde etiam vox pupillus, quaſi pupus & pupa. Alij cenſent pupillam dici *iſchon*, id eſt caliginem vel nigredinem, quòd ipſa tenebroſus & nigerrimus ſit orbiculus oculorum: ex quo tamen elucet virtus viſiua & ſcintilla luminis. Nam ſicut Deus ex tenebris produxit lucem mundi Geneſ. 1.2. dicendo, *Fiat lux*: ita ex illa oculi caligine mirè produxit lucem corporis. Quò alludens Apoſtolus 2. Corinth. 4.6. *Deus*, inquit, *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu.*

Porrò Ariſtot. l. 5. de Gener. animal. c. 1. docet vim viſus in aqueo humore conſiſtere: nigredinem autem ſignum eſſe copiæ humoris aquei. Idem l. 1. de Hiſtor. animal. c. 1. *Candidum oculi*, inquit, *magna ex parte ſimile in omnibus eſt. At quod nigrum dicitur variat: alijs enim atrum, alijs admodum cæſium, alijs fuluum; alijs caprinum, quod morum optimorum indicium eſt, & ad cernendi claritatem primatum obtinet.* Nigredo enim neceſſaria eſt ad cõgregandos colores, qui videndi ſunt, quia lux & color lucidus, putà albus, viſum diſgregat & diſpergit.

Senſus ergo eſt. q.d. Tam tibi cordi & curæ ſit mea lex & diſciplina, quàm eſt pupilla oculi, quã vt teneram pupulam & virgunculam ſummè diligis & cuſtodis: quamque eſt ipſe orbiculus niger pupillæ, in quo acumen viſus conſiſtit: eſto enim in lege quædã ſint atra, id eſt, obſcura & difficilia; tamen in ijs vis mentis, rationis & virtutis conſiſtit. Multò ergo magis ea cuſtodi, quàm tutor cuſtodit pupillũ & res pupilli: magis enim diligitur pupilla oculi quàm pupillus mortui.

Lex cuſtodienda vt pupilla. Primò. Igitur ſicut pupilla, inquit S. Baſilius hom. 11. Hexamer. à natura tribus quaſi propugnaculis munitur & cuſtoditur, nimirũ Primò, quadruplici tunica, ſcilicet ſpeculari, reticulata, cryſtallina & cornea, Secundò, palpebris & ciliis contra muſcas, arenas & pulueres; Tertiò, ſupercilijs, ſub quibus in cauo quaſi antro deliteſcit, ne lædi queat; vtque ipſa aciem viſuſq; potentię rectà intendant ac moderentur. Supercilia ergo ſunt quaſi oculi domicilium & propugnaculum: ipſa enim ſunt quaſi tectum tegens oculos, ne capitis frontiſq; ſudor in eos, ſed potiùs in tempora genaſq; defluat. Vide S. Baſil. loco citato.

Secundò. Secundò, ſicut pupilla eſt quaſi fax, ſtella, & paruus ſol totum hominem illuminans, prælucens, dirigens, vt omnes vias & actiones clarè & rectè obire poſſit: nam ſine luce pupillæ homo cæcus eſſet, nihilq; peragere poſſet, ſed in mille lapides & ſcopulos impingeret: ſic pariter lex eſt lux hominem dirigens ad honeſtè recteque operandum in quouis rerum cõcurſu. Vnde Chriſtus: *Lucerna*, inquit, *corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*, Matth. 6.22.

Tertiò. Tertiò, ſicut pupilla licet parua, in ſe res omnes, quin & cælum mundumq; continet & comprehendit: ſic lex & diſciplina licet in rebus paruis ſita videatur, tamen in ſe continet omnem honeſtatem, omnem virtutem, omne bonum, quin & cælum ac beatam æternitatem, perennemque felicitatem.

Hæc ergo verba ſibi repræſentet Religioſus &

A fidelis quiſque, eaque ſibi occini putet à Spiritu ſancto: Fili mi cuſtodi ſermones meos, &c. ſicut pupillam oculi, nimirum exactiſſimè, ſummo ſtudio, amore, conatu, perfectione. Fugata ergo procul ſocordiâ ad perfecta, magna, celſa enitere, quæ tibi ſtatus & vocatio tua ſuggerunt. Si hæc quotidie audis, nec obedis: ſi quotidie illis monearis, nec moueris: excitaris, & non aſſurgis, nihil perfectũ, nihil tua vocatione dignum aggrederis, vtique inuiſus es illi, cuius adhortationes ſpernis, & a cuius perfectione degeneras.

Porrò ſi cuſtodiuerimus legem Dei vt pupillã oculi, ipſe Deus viciſſim cuſtodiet & diliget nos vt pupillã oculi ſui, iuxta illud Zachar. 2.8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quæ ſanè res eſt miræ conſolationis & ſpei, gaudijq; inæſtimabilis. Quocirca pro ea inſtanter orat Dauid pſal. 16.8.
B *Cuſtodi me vt pupillam oculi*; Hebr. *quaſi pupillam filiã oculi*; Chald. *vt pupillam orbicularem, quæ eſt in medio oculi.* Pupilla enim videtur eſſe filia oculi, quia in eo & quaſi ex eo enata imaginem filiolæ ſiue virgunculæ, vti paulò antè dixi repræſentat.

LIGA EAM IN DIGITIS TVIS (Syrus *in collo tuo*) SCRIBE ILLAM IN TABVLIS CORDIS TVI] *Vers. 3.* Septuag. *circumpone eam digitis tuis, inſcribe eam ſuper latitudinem cordis tui*: vt ſcilicet eam iugiter in corde & pectore velut inciſam & inſculptam geras: *vt ſemper animæ tuæ molitionibus aſtet*, ait R. Leui. De quo plura dixi c. 33. Alludit ad illud Moſis Deuter. 6.8. Exodi 13.16. *Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq́, & mouebũtur inter oculos tuos*, quod Iudæi craſsè ad literam, vt ſonat, accipientes legem decalogi membranulis inſcriptam brachio, fronti
C & fimbrijs affigebant & alligabant. Eaque vocabant phylacteria. q.d. Conſeruatoria legis, vt patet Matth. 23 5.

Meliùs noſter Salazar hæc accipit de annulis digitorum. q.d. Legis à me tibi traditę obſeruationem perfectam vice annuli digitis inſere, atque id tibi pro arrhabone & pignore ad nuptias ſapientiæ erit: exinde enim licebit tibi ſapientiã & prudentiam ſororem tuã, id eſt, ſponſam coniugemq; pleno ore nũcupare. Solet enim in nuptijs à ſponſo digito ſponſæ inſeri annulus nuptiarum pignus & arrhabo: atque in annulo ſolebat olim incidi effigies ſponſi, vel amici, ſiue adamatę. Annulus hîc *digito quarto inſeritur, quia in eo vena quædam ſanguinis ad cor vſque peruenit*, ait Iſidor. l. de Offic. c. 15. Igitur annulus hic ſymbolum eſt amoris cõ-
D iugalis, quòd ſcilicet ſponſa ſponſum non tantùm in annulo & digito, ſed & in corde gerat, omnemque amorem in illum defigat.

Verùm, quia non dicitur hîc: *Incide eam annulo*, vel *per annulum inſere ea digito*: ſed *liga ea ſuper digitos tuos*, vt habent Heb. Aquila, Symmach. & Theodot. ac Noſter; Septuag. *circumpone eam digitis tuis*: hinc ſimpliciùs & planiùs accipias hoc vt parœmiam, quæ non aliud ſignificat, quàm q. d. Habeto legem iugiter præ oculis, habeto eam ſemper in mente, ſemper eius recordare, perinde ac ſi illa digitis tuis alligata foret: ſolemus enim cùm alicuius recordari volumus, illudque præ oculis habere, digito filum vel quid ſimile alligare, vt illud rei, cuius recordari volumus, memoriam & quaſi pręſentiam ſui, oculis mentique obijciat & ſiſtat. Eſſe enim parœmiam & ſimilitudinem patet ex nota ſimilitudinis *quaſi*, cùm ait Moſes: *Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua*: eò enim alludit hîc Salomon

quòd

Quòd ſi quis religioſior legis memoriam, filio, charta, ſimiliue re digitis alligare velit, oculiſq; obijcere, is planè ad litteram monitum Moſis & Salomonis ſeruabit. Ita faciebant Iudæi per ſua phylacteria, qui non ob ea carpuntur à Chriſto, ſed quòd in phylacterijs dumtaxat geſtarent legem, non in corde, nec opere eam exequerentur. Omitto nugas & ſuperſtitiones, quas poſteriores Iudæi phylacterijs addidere.

Secundò, Baynus appoſitè ſic explicat. q. d. Lex oculis mentiſq; tuæ ſemper obuerſetur, perinde ac eiſdem digiti obuerſantur. Rurſum decem ſunt decalogi præcepta, totidem tibi Deus dedit digitos. Cuiq; ergo digito per imaginationem & memoriam affige vnum præceptum, primo primum, ſecundo ſecundum, &c. vt, quoties digitos tuos, intueris, toties in illis Dei præcepta quaſi alligata intuearis, vti faciunt Rhetores, & qui artem memoriæ docent. Hi enim partes orationis, vel rei recordandæ, digitis cogitatione affigunt, per eoſq; ordine diſtribuunt, vt ita eorum intuitu ſingulorum ex ordine recordentur, cùm ſingula memoriæ referant, reddantque fideliter digiti quaſi pignora ſibi commiſſa & concredita.

Tropol. liga legem in manu & digitis, id eſt, iiſdem illam exequere & operare. Ita Beda: *In digitis*, inquit, *in actibus dicit: In tabulis cordis, in latitudine cogitationis. Vnde & alia tranſlatio dicit: Deſcribe eam in latitudine cordis tui.* Sic & Lyran. Addit Dionyſ. per digitos notari diſcretionem: ſunt enim digiti ab inuicem diſcreti. q. d. *Liga legem in digitis, id eſt, operibus eam cùm diſcretione aſſocia. Sicut enim in manu vis operatiua, ita in digitis vis diſcretiua myſticè deſignatur. Vnde Pſalmiſta: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum*, pſal. 143. 1. Denique auctor Catenæ Græcor. *Per manum*, inquit, *plena ſuiſq; numeris & partibus abſoluta operatio deſignatur; per digitum autem ſimplex minuſq; perfecta. Ait ergo, Meis verbis, mea doctrina obſecutus, cor ad virtutum ſuſceptionem diffuſum, capaxq; & facile exhibeto.*

Vers. 4. DIC SAPIENTIÆ, SOROR MEA ES (ita Hebr. & Roman. malè ergo aliqui legunt, *eſt*;) ET PRVDENTIAM VOCA AMICAM TVAM] Septuag. *dic ſapientiæ ſororem tuam eſſe, & prudentiam notã* (Chald. *cognatam*) *redde tibi*; Aquila & Theodot. *& notam intelligentiam vocabis*; R. Salomon & Aben Ezra, *ſapientiam tamquam propinquam & affinem ſemper habeto.*

Senſus eſt q. d. Sapientiam dilige & adama intimè vt ſororem vnicam, omni decore ornatam, illamq; *ſororia tibi dilectione coniunge*, ait Beda. Sic & R. Leui: *Dic*, inquit, *ſapientiæ, Soror mea es ob amorem, quo illam complecteris. Et prudentiam voca amicam tuam*, hebr. מודע *moda, id eſt, bene notam & propinquam; ita vt ſemper cum prudentia & ſapientia, coniunctionem habeas.*

Sapientia eſt ſoror. Primò. Sapientia rectè vocatur *ſoror*. Primò, ob puritatem amoris, qua nos diligit, & viciſſim à nobis diligitur, cùm ſponſa apud homines innuat carnalẽ complexum.

Secundò. Secundò, quia ſapientia nobis quaſi congenita & connaturalis eſt: illius enim ſemina & quaſi rudimenta inſeuit nobis & ingenerauit Deus & natura. Ita Caiet. Rurſum ſapientia filia eſt primogenita Dei patris, cuius pariter filius eſt homo, æquè ac angelus.

Tertiò. Tertiò, quia ſapientia ſoror eſt mentis & rationis: homo autem eſt animal mentis & rationis compos. Nam ſapientia ſiue virtus non eſt aliud, quàm perfectio rationis, ſiue amor boni rationalis, quod ſcilicet recta ratio amat ac dictat, iudicatque ab omnibus eſſe amandum. Rurſum ſapientia naturalis eſt ſoror ſpiritus, ſiue hominis baptiſmo & ſpiritu Dei renati, ac euecti ad ſtatum ſupernaturalem filiationis & hereditatis Dei. Huc alluſit Chriſtus dicens: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*, Matth. 12. 50.

Rurſum per *ſororem* accipe ſponſam & vxorem; vt enim iuuenem auocet à meretrice, offert illi ſapientiam ſponſam. q. d. Si ſponſam ambis, ambi ſapientiam, ambi virtutem: ſiue enim ſapientiã quæras, illa ſapientiſſima eſt: ſiue nobilitatem, illa nobiliſſima eſt: ſiue diuitias, illa opulentiſſima eſt: ſiue ſpeciem, illa ſpecioſiſſima eſt. Illam ergo vti ſponſam ama & complectere, cum eaq; diſſuauiare, vt eius amoribus occupatus, implicitus, omnes ſpurcos meretricum, velut ſtultarum, infamium, pauperum, deformium, amores faſtidias & deuites. Sic ſponſa in Canticis vocatur à ſponſo *ſoror*. Primæ enim ſponſæ & ſponſi fuere ſorores & fratres, vtpote filiæ & filij eiuſdẽ patris Adæ. Hoc eſt quod ait Salomon Sapient. 8. *Hanc amaui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.*

Sapientia ſoror caſtitatis. Phyſicè ſimul & ethicè diſce hic, ſtudium ſapientiæ eſſe optimum remedium ad fugiendam libidinem, & ſeruandam caſtitatem: tum quia mens occupata ſtudio non cogitat de venere: tum quia ſapientia ex diametro opponitur veneri, perinde ac ſpiritus carni, cælum terræ, angelus bruto planè aduerſatur. Audi noſtrum Aluarum de Paz de caſtitate l. 5. c. 75. *Litterarum ſtudia, præſertim ſacrarum, optima ſunt caſtitatis inſtrumenta, & iuuenibus valdè accommodata; quibus & neceſſaria ſibi, & alijs diſcunt, & ſapientes euadunt, & impudicitiæ cogitationes auertunt. Quapropter Sapiens huius vtilis laboris meminit, vt iuuenem ad caſtitatem incitaret: Dic ſapientiæ, Soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit. Si pulchritudinis, inquit, amator es, ſi verborum ſuauitate delectaris, oſtendam tibi pulcherrimam ſponſam, cuius amplexibus ſatieris, oſtendam ſororem fideliſſimam & ſuauiſſimam, cuius alloquio miram percipias ſuauitatem. Sapientia tibi in ſponſam data eſt. Nam quidam tui ſimilis ſum ego, qui & alio loco dixi: Quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Erit, inquam, ſponſa tua perpetuo vinculo tibi coniuncta, propter quam habebis claritatem ad turbas, & filios ex ea ſcilicet veriſſimos rerum ſenſus accipies. Eſt etiam ſoror tua ex eodem Deo patre progenita. Hanc ergo ſororem voca, & amicam appella, ſeu (vt clariùs loquar) in locum ſponſæ, ſororis & amicæ habe. Si ita feceris, illa te à concupiſcentia carnis liberabit, & eius dolos ac fallacias, quibus te illaqueare nititur, deteget & diſpellet.*

Notum eſt exemplum S. Gregorij Nazianzenĩ, cui per viſionem ſeſe quaſi amicas obtulerunt ſapientia & caſtitas, ſpecie duarum virginum ſororum, eò quòd ipſe caſtitatis æquè ac ſapientiæ eſſet ſtudioſus; quod ſuperiùs recitaui. Sic hodie in monaſterijs, vbi viget ſtudium litterarum & ſapientiæ, viget pariter caſtitas & diſciplina Religioſa: vbi iacet illud, iacent & hæc.

Anagog. Polychron. in Catena Græcor. per ſapientiam accipit contemplationem & vitam con-

templatiuam, quam repræſentat Magdalena: huic enim dicit Martha, id eſt, vita actiua: Soror mea es, quia duæ hæ vitæ quaſi ſorores, ab eodem Chriſto quaſi patre procreatæ & inſtitutæ, ad eandem in cælis hereditatem cernendam ducunt, atque vtralibet ab altera quaſi ſoror à ſorore iuuetur & fulciatur oportet: actio enim eget directione contemplationis, contemplatio viciſſim indiget labore & fructu actionis.

Vers. 5. VT CVSTODIAT TE A MVLIERE EXTRANEA (meretrice & mœcha) ET AB ALIENA, QVÆ VERBA SVA DVLCIA FACIT] Hebr. *quæ ſermones ſuos leniſicat*; Vatabl. *quæ verbis ſuis blanda eſt*; Symmach. & Theodot. *cuius verba lubrica & mollia*; Syrus, *cuius verba blanditudo decipiunt*, Septuag. *quæ te ſermonibus adoritur gratioſis*; vti legit S. Ambroſ. l. 1. de Cain. c. 4. Qui myſticè hæc exponens: *Duæ enim mulieres*, inquit, *vnicuique noſtrum cohabitant, inimicitijs ac diſcordijs diſſidentes, velut quibuſdam zelotypiæ contentionibus noſtræ replentes animæ domum. Vna carũ nobis ſuauitati & amori eſt, blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas. Hanc nobis opinamur ſociam ac domeſticam; illam alteram immitem, aſperam, feram credimus, cui nomen virtus eſt. Illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias inceſſu, natantibus oculis & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus pretioſas iuuenum animas capit (oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris) quemcumq; viderit ſenſu indignum prætereuntem in angulo, in tranſitu domus ſuæ, ſermonibus adoritur gratioſis, faciens iuuenum volare corda, domi inquieta in plateis vaga, oſculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genis picta. Etenim quia verum decorem naturæ habere non poteſt adulterinis fucis affectata pulchritudinis lenocinatur ſpeciem, non veritatem.*

Myſticè quoque R. Leui: Sapientia, inquit, cuſtodiet te à muliere aliena, ne ſcilicet obſequaris animæ concupiſcenti.

Vers. 6. DE FENESTRA ENIM DOMVS MEÆ PER CANCELLOS PROSPEXI] Quia exempla delectando magis mouent quàm præcepta, hinc Salomon exemplo (ſiue verè id geſtum ſit, ſiue, vt volunt Vatabl. Ianſen. & alij, arte compoſitum & comicè confictum ad rem illuſtrandam) quod frequenter accidit, in medium adducit quo oſtendit quantum ſit iuuenibus à meretrice periculum; ac ſimul graphicè meretricis mores, modoſq; illiciendi & ſeducendi deſcribit. Ait ergo, *Per cancellos proſpexi*. Cancelli anguſti & reticulati eſſe ſolent, quo fit, vt qui per eos proſpicit, alios videat, ſed ab ijs non videatur. Salomon ergo, vt mores iuuenum ſpecularetur, per cancellos proſpicit, vt eos conſpiciens ab ijs non conſpiceretur. Sic enim præceptor per cancellos in ſcholam & diſcipulos intuetur, vt ipſi neſcientes ſe videri liberè agant, indolemque & mores ſuos prodant, quos deinde ipſe formet, corrigat vel dirigat. Idem faciant Superiores, vt ſubinde ſecretò aduertant mores indolemque ſubditorum, cùm ipſi ſe liberos & à nemine cerni putant. At ſint memores iſtius dicti: *Ne quid nimis*, ne ſubditi aduertentes omnia ſua curioſè notari ab eis alienentur, fiantque diffidentes & puſillanimes, aut ficti & hypocritæ, aut iracundi & effrontes. Idem facit Deus; ipſe enim omnia videt, & tamen à nemine videtur, niſi à viris timoratis & perfectis, qui illuminato mentis oculo ſciunt cogitantque ſe vbique à Deo videri, ideoque omnia ſua honeſtè ſanctèque agunt, ne qua in re oculos tantæ maieſtatis offendant. Viri ergo illuminati cancellos hoſce retegunt, ipſumque Deum cominus ſemper intuentur.

Audi S. Bernard. in Formula honeſtæ vitæ, inter decẽ profectus ſpiritalis documenta hoc nono loco aſſignantem: *Nonum*, inquit, *eſt vt quiſquis quibuſcumque negotijs implicetur, Deum in corde memoriter ſtudeat habere, & ſemper honorem Dei omnibus anteponat; ſed ad hoc præcipuè nitatur, vt ſic ſemper Deum præſentem intelligat, ac ſi ipſum, qui præſens eſt in ſua eſſentia, videret: ſicq; eum timeat & reuereatur, & intenſo amore in eum feratur, eoq; prout poteſt in via fruatur, & in ipſo non in alio requieſcat.* — *Stimulus virtutis præſentia Dei.*

Septuag. pro prima perſona ſubſtituũt tertiam, itaque proſpectum hunc non Salomoni tribuunt, ſed meretrici & mœchæ, de qua ſermo præceſſit. Sic enim habent: *De feneſtra enim è domo ſua in plateas proſpiciens, quemcumque viderit ſtultorum filiorum adoleſcentem inopem cordis*, &c. Vbi cancellorum non fit mentio, & pro *proſpiciens* græcè eſt παρακύπτουσα, id eſt, prono, totoque quaſi corpore inclinata, per feneſtram circumquaque proſpectans, meretrices enim fugiunt cancellos, quia cupiunt videre, vt videantur & ipſæ. Prima enim illecebra earum eſt; proſpiciendo per feneſtras oſtentare ſe, & quaſi offerre tranſeuntibus. Vnde S. Ambr. myſticè per meretricem accipiens quamlibet voluptatem & concupiſcentiam, quæ hominem ad peccatum illicit & ſollicitat lib. 1. de Cain c. 4. *Nam quid*, inquit, *tam meretricium, quàm ſæcularis voluptas, quæ à feneſtra domus ſuæ incipit oculis prima tentamenta præludens, & penetrat citò ſenſum in plateas proſpiciens, id eſt, ne publicas tranſeuntiũ vias, non autem in legis interna myſteria obtutum mentis intendens.*

Vers. 7. ET VIDEO PARVVLOS, CONSIDERO VECORDEM IVVENEM] Pro *paruulos* hebr. eſt פְּתָאִים *pethaim*, id eſt, vt Chald. *inſipientes*; Septuag. *ſtultos*, Tigur. *ſtupidos*; Vatablus *ſimplices*, imperitos, inexpertos.

Senſus eſt. q. d. Ego per cancellos proſpiciens vidi multos per plateam inambulantes iuuenes, incautos, imprudentes, inexpertos: atque inter eos vnum præ cæteris *vecordem*; Hebr. *carentem corde*; Chald. *deficientem intellectu*; Septuag. *inopem mentis*; S. Ambroſ. *indignum* (ita Roman. malè ergo alij legunt *indignum*) *ſenſu*. Hanc iuuenum vecordiam ſcitè repræſentat vetus emblema. Nam veteres iuuentutem pingebant quaſi adoleſcentem nudum, velo quodam obductos oculos habentem, cuius dextra poſt tergum vincta erat, læua ſoluta: hunc inſequebatur tempus multas occaſiones ſubminiſtrans, ſingulis verò diebus filum vnum de velo, quo facies illius operiebatur, detrahebat. Cuius picturæ hæc eſt explicatio. Primò, nudus adoleſcens ſignificabat, quòd ætas illa iudicio & ratione caret, & de malis, quæ geſſit, gloriatur, tantum abeſt vt erubeſcat. Secundò, velatos habet oculos, quia numquã cæcus per ſingula ſæpè momenta offendit, & in vitia præceps fertur, non habens alium ductorem quàm prauos ſuos affectus. Tertiò, dextram habet ligatam, & ſiniſtram ſolutam; quia nihil dextrè & conſideratè agit, ſed omnia ſiniſtrè, inconſideratè, perturbatè, prout prauo affectu ducitur. Quartò, hunc perſequitur tempus ad mortem. Quintò, tempus filum vnum de velo, quo eius clauduntur oculi quotidie detrahit, quia eius vita ſenſim per ſingulos dies minuitur, & quo plura detrahuntur fila, eo clariùs animaduertit, quàm prauè incedat, quotque prauis affectibus — *Emblema iuuentutis.*

quaſi

quaſi tyrannis vinctus teneatur: & experientia diſcit matureſcente ſenſim ætate, quò miſer tendat, quamquam plurimi ſint, qui nec affecta iam ætate à prauis adoleſcentiæ moribus recedant: ſed in morte videntes ſuam vanitatem & ſtultitiam, ac pericula æternitatis, ſapiunt, ſed ſerò. Vide exemplum Chryſaorij clamantis, *Inducias vſque manè*, apud S.Gregor.4.Dialog.c.38. Porrò ſagaces ſunt meretrices, vt iuuenem vecordem dignoſcant & adoriantur, non cordatum & caſtum; idq; dignoſcunt ex habitu & vultu, ſed maximè ex oculis. Cùm enim vident oculos vagos, laſciuos, curioſos, agnoſcunt vecordiam; cùm verò vident oculos graues, modeſtos, conſtantes, agnoſcunt illos eſſe ſapientis, eumq; fugiunt. Vnde Palladius in Vita S.Chryſoſt. *Infelicia*, inquit, *ſcorta ex ipſo oculorũ motu pudicos agnoſcunt ac fugiunt viros; non ſecùs atque infirmus oculus Solis iubar, & vultur vnguentum*; ſcilicet *fur furem, lupa lupum, ac viciſſim agnus agnum, leo leonem*, vt vulgò dicitur.

Vers. 8. QVI TRANSIT PER PLATEAM IVXTA ANGVLVM, ET PROPE VIAM DOMVS ILLIVS] Sic enim ſolent proci & riuales amicarum domus noctu obire & ambire, ac iuxta angulos inambulare, vt in iis vel abſcondere ſe, vel per diuerticula elabi queant, ſi quis eos inſequatur.

Vers. 9. GRADITVR IN OBSCVRO, ADVESPERASCENTE DIE; IN NOCTE TENEBRIS ET CALIGINE] Hebr. *in crepuſculo, in veſpera diei, in nigredine noctis & obſcuritate*. Libido enim lucifuga eſt, & tenebras quærit, vtpote malè ſibi conſcia, pudenda & infamis.

Vers. 10. ET ECCE OCCVRRIT ILLI MVLIER ORNATV MERETRICIO (Hebr. *habitu meretricis*; Septuag. *ſpeciem habens meretriciam*) PRÆPARATA AD CAPIENDAS ANIMAS: GARRVLA ET VAGA] Pro *Præparata ad capiendas animas*, hebr. eſt נְצֻרַת לֵב *netſurath leb*, id eſt, *cuſtodia*, *reſeruata corde*, id eſt, vafra, callida, inſidioſa, illecebroſa, vt capiat animas iuuenum. Aut *obſeruata corde*, id eſt, quæ cor habet quod obſeruat iuuenes, eiſque inſidiatur, vt decipiat; Pagnin. *anxia corde*; Vatablus *cauta corde*; Caietan. *imminuta corde*; R. Salomon, *munita corde*. Sicut enim ciuitas circumdatur munitionibus, ita meretricis cor calliditate & ſtultitia circummunitur. Alij per antiphraſin vertunt, *incuſtodita corde*; quæ ſcilicet cor habet liberum, impudens, vagum, violatum æquè ac oculos & manus. Vnde & tales facit oculos & corda iuuenum ſe ſic allectantium. Quocirca Syrus & Septuag. vertunt, *quæ facit iuuenum volare corda*, vt volaticam volatici ſequantur: fortè Syrus & Septuag. pro נְצֻרַת *netſurath* legerunt נֹצֶצֶת *notſetſath*, id eſt *auolare faciens*: נוּץ *nots* enim eſt auolare; inde נֹצֵץ *notſes in poel* eſt auolare facere, idq; cum impetu & rapacitate quaſi ad prædam: inde enim à rapacitate accipiter dicitur נֵץ *nets*, vnde aliqui niſum auem rapacem dictum putant. Sic enim meretrix iuuenes quaſi niſos ad ſe velut prædam allicit, & auolare facit. Denique Baynus vertit, *anxia corde*, vel *ligata corde*, hoc eſt, anxietate cordis amorem ſimulans: vt *netſurath* ſit à verbo צוּר *tſur*, id eſt, coarctare, non à נָצַר *natſar*, id eſt ſeruare. Poſſunt hæc verba *netſurath leb*, id eſt corde ligata ſiue anxia, referri ad cordis ſecreta, & diſſimulationem. Ego, ait Baynus, mallem referre ad habitum corporis & ornatum, quem laxum & laſciuum geſtabat, ſed circa præcordia ſtrictum &

A colligatum, vt corporis elegantiam oſtentaret. Chaldæus alio ſenſu vocem Hebræam *netſurath* interpretatur, nempe pro fortitudine, vt ſit ſenſus: Fuit habitu meretricio diſſoluta, & effeminata, ſed corde robuſto & virili, vtpote inuerecunda & impauida. Poteſt denique exponi *deſolata* ſiue *deſtituta corde*, hoc eſt ſine intellectu, iuxta illud Iſaiæ 1.8. *Sicut ciuitas quæ vaſtatur*; Hebr. *netſura*, id eſt, *deſolatur*. R. Leui Ben Gerſom ad habitum ſiue ornatum meretricium refert. q.d. Erat nudo collo & pectore corde tenus, quod veſtitum & tectum habebat. Et hunc ſenſum ex Chaldæo licet intelligere, cùm vox Chaldæa vtrumque ſignificet, fortitudinem & abſconſionem. Dauid Kimhi vertit, *obſeruata corde*, à verbo *natſar*, vt ſit ſenſus. Erat cauta, quæ cùm alios deciperet, ipſa decipi non potuit. Hæc Baynus.

Deſcribit illecebras meretricis. Prima eſt, habitus & ornatus meretricius. *Illecebræ meretricis. Prima.* B Nam lege & vſu Romanorum aliarumq; gentium, meretrices incedunt habitu ab honeſtis matronis diuerſo. Vide Alexãdrum ab Alex.l.5. Genial.c.18. Rurſum meretrices ornant ſe ſupra opes & ſtatum: atque ornatus earum eſt leuis, illecebroſus, ſpirans amorem. Qua de cauſa multæ rubra vel coccinea tunica incedunt: cùm matronarum etiam nobilium & diuitum ornatus ſit grauis, caſtus, & ſæpè pullus aterque. Eſto enim ſub noctem oberrare dicat meretricem, tamen ſubluſtrem noctem notat, cùm ſat adhuc ornatus conſpici poteſt. Adde, eam per diem ornare ſe, ac ornatam ſe exhibere in oſtijs & feneſtris iuuenibus tranſeuntibus conſpiciendam. Vnde S.Cyprian. lib. de Habitu virginum. *Ornamentorum*, inquit, *ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum non niſi proſtitutis & impudicis feminis con-* C *gruunt: & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt. In Apocal.c.17. deſcribitur meretrix illa perdita, cum qua fornicati ſunt reges terræ, amicta pallio purpureo & coccineo. &c.* Multa de hoc ornatu dixi Iſaiæ 3.v.26. & 1.Petri 3.3. Notat noſter Pineda in Salomone præuio lib.7.c.8. Hebr. שִׁית *ſhit*, id eſt, ornatus, poſſe verti ſpinam aut vepres. Sic enim vertit Noſter Iſaiæ c.4.v.6. & c.10.v.17. & 27.v.4. Et eadem vox cum leui punctorum mutatione pſal.72.6. ſumitur pro operimento, vel ornamento iniquorum: *Operti ſunt iniquitate & impietate ſua*. q.d. Etiã ſpinis ornantur, quæ alios pungant, & inſtar hami alicuius rapiant quidquid ipſis applicitum fuerit. Vbi Chald. legit *coronam imponent capiti ſuo de rapina ſua*. Itaque ornatus meretricis eſt ſpina, eſt hamus pungens oculos libidino- D ſorum. Cùm enim videant, quod concupiſcunt, ſed frequenter frui non poſſunt, neceſſarium eſt frequentiſſimè dolere, &, vt S.Petrus dicebat, habere oculos plenos adulterij & inceſſabilis delicti cum deſiderio, quod excruciet animum. Sic Alexander Magnus dicebat, Darij filias eſſe dolores oculorum, erant enim ſpecioſæ.

Secunda eſt, quòd *præparata* ſit *ad animas capiendas*, quòd ſcil. mille norit, milleque alias indies cogitet artes & fucos, quibus incautos illiciat & ſeducat. *Secunda.*

Tertia eſt, quòd *garrula* ſit *& vaga*; Pagnin. *tumultuoſa & peruerſa*; alij, *clamoſa & proterua*, vel, vt Chald. *præuaricatrix*; Vatabl. *ſtrepera & inconſtans*; Syrus, *rebellis & comeſſatrix*; Septuag. ἀνεπτερωμένη καὶ ἄσωτος quod Complut. vertunt, *eleuata eſt (ſuperba) & luxurioſa*; Roman. *vaga eſt & luxurioſa*; alij *Tertia.*

alij propriè, *volatica* ſiue *alata eſt & infrunita*; Aquila, χελαίζουσα, id eſt, *vacans eſt otioq; diffluens*; alius, *tumultuoſa* eſt inſtar frementium fluctuum, *latratrix* inſtar canum, *perſonans* inſtar vrſorum, *tumultuans* inſtar ebriorum vel populi furentis.

Porrò mulier hæc dicitur *vaga* quaſi *vana*, quòd ſine negotio temerè huc illucque diſcurrat. Ita Perottus, aut *vaga* quaſi *vana agens*, vel *vadendo agens*. Ita Papias: *Vagus*, inquit, *dicitur erraticus, diſcurrens, vadendo agens. Vagatur, diſcurrit, vagus & diſſolutus: diſperſus eſt, errat: vanus agit.* aut *vaga* quaſi *vi acta*: agitur enim æſtu cupiditatis, vti vaccæ aguntur œſtro.

Ex aduerſo matrona honeſta & virgo Primò, ornat ſe modeſtè. Secundò, præparat ſe, vt alias ad modeſtiam & verecundiam adducat. Tertiò, pauciloqua eſt & οἰκουρός, id eſt, domus cuſtos, vti ait Apoſtolus Tit. c. 2. v. 5. vbi dixi eius ſymbolum eſſe teſtudinem, quæ ſemper eſt domi quia domiporta domum ſuam ſecum defert: quæ enim vagatur inſtar Dinæ, ſæpè *Penelope venit, abit Helene*, vt ait Poët. Ita de S. Bernardo, qui virginum fuit flos & decus, ſcribit auctor Vitæ eius l. 3. c. 2. *Inceſſus eius, & habitus omnis modeſtus & diſciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reuerentiam, ſolo viſu lætificans & ædificans intuentes.*

Vers. 11. QVIETIS IMPATIENS, NEC VALENS IN DOMO CONSISTERE PEDIBVS SVIS] Hebr. *in domo non habitant* (Septuag. *non quieſcunt*, Chald. *non morantur*) *pedes eius*.

Vers. 12. NVNC FORIS, NVNC IN PLATEIS, NVNC IVXTA ANGVLOS INSIDIANS] Chald. *& contra omnem angulum oportuna.*

Quarta. Quarta eſt hæc conditio & illecebra meretricis, quòd, cùm ardeat libidine & ſtudio alliciendi amaſios, ſit inſtabilis & nequeat domi conſiſtere; ſed nunc ad oſtium, nunc in plateis, nunc in angulis ſeſe oſtentet, & impudicè inſidietur pudicitiæ iuuenum, cui tam ardenter inhiat. Τὸ *nunc foris; nunc in plateis*, idem eſt. q. d. Nunc foras ante ædes, nunc longiùs in plateā progreſſa. Ita Baynus & Ianſen. Aut, vt noſter Salazar: Foris, inquit, id eſt, in limine domus atque veſtibulo: is enim ſolet ſubeſſe ſenſus illi particulæ *foris*. Cantic. 8. *Vt inueniam te foris*, id eſt, in limine. Et S. Matth. c. 26. v. 69. de Petro ait: *Sedebat foris*: Lucas verò locum expreſſiùs ſignificans habet, *Sedebat ad oſtium foris*, id eſt, in veſtibulo domus. Ergo cùm hæc mulier domi pedes coërcere non poſſet ſuos, nunc foris erat, id eſt, in limine domus ſedebat; nunc in plateis (creſcit oratio) iuxta angulos inſidians.

Porrò hæc mentis pedumque inſtabilitas, euagatio & diſcurſatio euidens eſt ſignum meretricis. Vnde Tiraquellus in legem 10. connubialem n. 34. ex hoc loco, & ex leg. 11. *quæ illuſtris*, docet quòd ea meretrix præſumitur, quæ alienas domos, nunc hanc, nunc aliam intrare conſueuit. Hinc & meretrices vocabantur peregrinæ. Vnde Comicus in Andria: *Adeòne*, inquit, *es demens in peregrina? id eſt, in meretrice*, inquit ibidem Donatus: *Mulieres enim peregrinæ, inhoneſtæ & meretrices habebantur.* Ex in Eunucho Parmeno, cùm Thais dixiſſet matrem ſuam Samiam fuiſſe, & habitaſſe Rhodi, tacere ſe poſſe reſpondit, quoniam videlicet veriſimile eſſet, poſſe meretricem naſci ex peregrinā & ipſa meretrice: dixerat enim Parmeno taciturum ſe, quæ vera à Thaide dicerentur.

Vers. 13. APPREHENSVMQVE DEOSCVLATVR IVVENEM, ET PROCACI VVLTV BLANDITVR, DICENS] Pro *procaci*, hebr. eſt *fortis facie*, id eſt, vt Chald. Septuag. & Tigur. *impudenti facie*; Theodot. *impudenter egit in vultu ſuo*; Symmach. *audacia obdurauit faciem ſuam*; Syrus, *fronte perfricata inquit illi.* Huc pertinet prouerbium Arabicum: *Homo ſine pœnitentia eſt tamquā fluuius ſine aqua, & mulier ſine verecundia eſt tamquam lampas ſine lumine.*

Quinta eſt hęc conditio & illecebra meretricis, quā manifeſtè prodit ſuam impudentiam & libidinem per impura oſcula, blanditias & verba: ſicut enim manus vſu & exercitio callo obdureſcunt; ſic & frons vſu ſcelerum perfricta impudentiæ callum induit.

Sapienter S. Baſil. tract. de Virgin. docet cauenda eſſe oſcula etiam fratrum & ſororum: *Sufficit enim*, inquit, *peccatum, & per tactum fraternæ manus, & per pacis ac dilectionis oſculum, ſenſum carnis ad ſua molienda opera latenter excitare, & concupiſcentiæ oculos, ſicuti Adæ, poſt voluptatis guſtum ampliùs ad malum aperire.* Citat philoſophum dicentem: *Oſcula cauere oportet, non ſecùs, quàm animalium venenatorum morſus: diffunditur enim venenum ex oſculo per omne corpus*, &c. *Eſt enim grauis, ac vehemens inſita maſculinis corporibus aduerſus feminas flagrantis concupiſcentiæ vis, inſtar ſtuppæ, quæ ſi ignem odorata fuerit, protinus inflammata ſuccenditur.*

Audi & auctorem Catenæ Græc. hic: Oſculum, inquit, inſani diabolicíq; amoris eſt argumentum, incenſuſq; & libidinoſus animi ſenſus ad obſcenum turpeq; veneris commercium, data opera inuitans hominemq; prouocans. Cùm autem dicit: *Victima pacifica eſt mihi*; apertè mentitur; ſiquidem malitia nihil habet verè pacatum, eademq; vultum noſtrum rubore magis perfundere, quàm ſincera dilectione recreare ſatagit. Quare externa perſona aſſumpta multa, quæ ad fraudem & impoſturā faciant, comminiſcitur. Hæc ille.

Memorabile eſt quod in Vita Gregorij VII. Pontif. legimus, eum gratia compunctionis fuiſſe priuatum, eò quòd monile neptis ſuæ manu tractaſſet. Et in Vita S. Apollinaris ſcribit noſter Raderus, eam virili veſtitu inter monachos vitam egiſſe: cui ægrotanti cùm infirmarius aſſiſteret, identidem illum ſenſiſſe tentationes libidinis, ideoque exclamaſſe: *Monachus hic, aut diabolus eſt, aut femina.* Denique S. Ephrem aduerſus improbas mulieres: *O malum*, inquit, *malorum peſſimum mala mulier! laqueus comptus, naufragium ſuper terram, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ, mortifera conuerſatio, multorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum, ſceptrum inferni, concupiſcentiæ præceps, cauſa diaboli, requies ſerpentis, diaboli conſolatio, dolor inconſolabilis, caminus incenſus, eorum qui ſaluantur offenſio, malitia incurabilis, officina dæmonum, amor flagitioſus, beſtia impudens, incontinentiſſimus impetus, effrenatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magiſtra, inſatiabilis concupiſcentia nequitia, æterni ſupplicij conciliatrix, prudentia terrena, viri ſocordia, vipera veſtita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diuerſorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors.* Mulieris epitheta. Vnde contra eam hoc remedium ſuggerit: *Cogita terram eſſe quod miraris; cinerem, quo incenditur & comprimetur inſana tua cupiditas. Explica quoque faciei pellem cogitatione, & cernes tunc omnem eius pulchritudinem eſſe vilitatem: nihil enim niſi oſſa, neruos fœtoreſq; reperies.*

peries. Erubeſce quid mireris. Erubeſcens reſipiſce, & pœnitentiam age.

Vers. 14. VICTIMAS PRO SALVTE VOVI, HODIE REDDIDI VOTA MEA] Hebr. *victimæ pacificorum ſuper me.* Syrus, *ſacrificia pacifica ſunt hæc*; Septuag. *ſacrificium mihi eſt hodie, reddo vota mea.*

Vers. 15 IDCIRCO EGRESSA SVM IN OCCVRSVM TVVM DESIDERANS TE VIDERE, ET REPERI] Septuag. *deſiderans faciem tuam te inueni*; Chald. *propterea egreſſa ſum in occurſum tuum, quippe me vertens ad quærendam ſocietatem; quod dixeram me te adducturam*, vel *te à me repertum iri.*

Primò, Baynus ex Hebræo ſic explicat. q. d. Nunc obligata ſum reddere victimas pacificas in gratiarum actionem (quas homines ſolent reddere dum votorum compotes fiunt) poſteaquam te adeò deſideratum & quæſitum inuenerim. Iam dudum votum feceram de victimis pacificis ſoluendis, quàm primùm tui compos fierem: ecce iam compos facta, ſoluam quæ voui: hodie mihi occurriſti, hodie reddam & ſoluam vota. Verùm Noſter vertit, *reddidi* in præterito, non *reddam* in futuro.

Secundò, alij q. d. Victimas pro ſalute voui & obtuli, hâc de causâ egreſſa vt te reperirem, ecce ilicò te reperi. Hic enim eſt fructus votorum & victimarum mearum, quæ vtique tantum bonum meruerunt & impetrarunt. Quo dicto meretrix impudenter ſe ſuaque Deo placere mentitur, ac Deum in partem ſui ſceleris trahit, quaſi Deus faueat & cooperetur eius lenocinijs, ideoq; iuueni de ſcelere nô eſſe erubeſcendum, vtpote quod ſecundet & proſperet Deus. Quæ ſanè ingens eſt blaſphemia in Deum: ſed ad eam cæcos agit libido.

Tertiò & genuinè. q. d. Ecce voui Deo victimas pacificas pro tua meaque ſalute: tanti enim mihi eſt ſalus tua, quanti mea: atque hodie eas obtuli, ex eiſque de more conuiuium opiparum (hoſtia enim pacifica maiori ex parte cedebat offerenti, qui ex eâ ſuis epulum apparabat, vti dixi Leuit. 3.) tibi inſtruxi: idcircò egreſſa ſum, vt te ad illud inuitem, & deducam: & ecce, quæ bona eſt vtriuſq; noſtrûm ſors ilicò te reperi. Eamus ergo, epulemur, vt in bonis ducamus diem hunc, tam nobis fauentem & fortunatum. Ita Hugo, Caiet. R. Salom. R. Leui. Ianſen. & alij.

Sexta illecebra. Sexta eſt hæc meretricis & mœchæ illecebra, ſcilicet ſacrificium ſimul & epulum, ad quod iuuenem inuitat, vt ad luxuriam perducat: venter enim cibo meroq; æſtuans deſpumat in libidines, vt ait S. Hier. Et S. Paulus 1. Timoth. 5. 6. loquens de vidua. *Quæ*, inquit, *in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* q. d. Corpus delicioſum eſt caſtitatis ſepulcrum. Addit S. Chryſoſt. homil 2. de Lazaro, ipſum eſſe mentis & animæ ſepulcrum: *Mortuus eſt*, inquit, *diues & ſepultus eſt, nimirum anima illius in corpore tamquam in monumento defoſſa, ac ſepulcrum circumferente, nempe carnem. Non ſecùs enim ille, quàm ſi catena quadam temulentia ac ventris ingluuie, vinctus eſſet, ſic otioſam illam ac mortuam reddiderat.* Alludit ad illud Platonis in Cratylo: *σῶμα* dicitur *σῆμα*, quòd corpus ſit quaſi ſepulcrum animæ.

Vers. 16 INTEXVI FVNIBVS LECTVLVM MEVM, STRAVI TAPETIBVS PICTIS EX ÆGYPTO] q. d. Vt molliùs cubes, non tabulis ligneis ideoq; duris, ſed funibus lineis vel laneis, ideoque mollibus inſtraui & contexui lectum meum. Septuag. Roman. pro

A *funibus* habent, *inſtitis.* Inſtita erat tenuiſſima faſciola, quæ ſtolæ extremitatem ambibat eique ſubſuebatur, qua matronæ honeſtæ vtebantur. Vnde Aquila & Theodot. vertunt, *periſtromatis circumſtraui.* Verùm meliùs Complut. Græcum *κειρίαις τέτακα τὴν κλίνην μου*, vertunt, *funibus tetendi lectũ meum*, quod planè conſentit cum Noſtro, ac cum Hebræo & Chaldæo, qui habent, *ſtragulis*, putà funibus ſubſtratis, *ſtraui lectum meum.* Idem ſignificant inſtitæ, putà funes delicatiores, quibus quaſi faſcijs ſubſtratus erat lectus ad molliter cubandum. Syrus, *ſtramentis lectum meum ſtraui, & ornamentis lecti Ægyptijs illum ornaui.* Porrò ſtramenta vel ſtragula hæc pretioſa fuiſſe patet ex Hebræo *marbaddim*, quod Noſter c. 31. 22. vertit, *ſtragulatam veſtem.*

STRAVI TAPETIBVS PICTIS EX ÆGYPTO] Sic & Septuag. & Chald. atque Hebr. חטבות *cha-*

B *tuboth*, id eſt, *inciſa*, ſignificat tapetes; quia hi varijs florum, hominum, animalium figuris, inciduntur & inſculpuntur. Addit Aben Ezra: Tapetes hi erant *chatuboth*, id eſt, inciſi in modum anguli ad ſimilitudinem templi. Porrò vox Hebr. *etbun* hîc tantùm reperitur, quam Chald. Vatablus & alij vertunt, *funem*, Septuag. & Noſter (quibus, vtpote antiquioribus & eruditioribus, magis credendum eſt) vertunt *pictis.* Tapetes enim omnes varias continent picturas, atque in picturarum elegantia eorum ornatus cõſiſtit. Vnde & Theodot. vertit, *deſcripſi picturam Ægypti.* Aliqui per tapetes pictos accipiunt delicatiſſimas eaſdemq; variegatas ſindones: hæ enim fiebant ex lino præſtantiſſimo Ægypti.

Quare longiùs abit Vatabl. qui ſic vertit & explicat: *Tapetibus adornaui lectum meum, qui conſtat*

C *chatuboth, id eſt, lignis cælatis & funibus Ægyptijs. Cælata ligna*, inquit, *vocat aſſerens inciſos & elaboratos, qui intexti erant lino Ægyptio quod eſt in ſummo pretio*; & Baynus *ornamentis ornaui lectum meum, trabibus cælatis, funibus Ægypti*; & Paguinus, *tapetibus adornaui lectum meum inciſis fune Ægyptio*: & Caiet. *pauimentis pauimentaui lectum meum eleuatis funibus*; & R. Leui, *Lectulus*, inquit, *confectus eſt ex inciſione cedrorũ: funes verò per eum extenſi ſunt reticulati ex cannabe Ægyptio, id eſt, confecti ex cannabe puriſſimo Ægyptio; cùm ibidem ſit ſericum præſtantiſſimum: ſericũ*, id eſt, byſſus, putà linum, vti oſtendi Exod. 25. 4. Vbi videas in quam varia quaſi augurando abeant, qui à Vulgata & à Septuag. recedunt. Quare hiſce inuicem conſentientibus, non illis, aſſentiendum eſſe æquus prudenſque lector cenſebit.

Moral. diſce hîc, lecti mollitiem eſſe puluinar diaboli: incitat enim ad laſciuiam & libidinem.

D Vnde Amos c. 6. v. 4. Illi væ æternæ maledictionis intentat. *Væ*, inquit, *qui opulenti eſtis in Sion*, &c. *qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris*, &c. *bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Talis fuit diues epulo, qui propterea ſepultus fuit in inferno. Quocirca S. Chryſoſt. homil. 1. de Lazaro, docet fideli imitandum eſſe Dauidem eiuſque lectum regalem: *En*, inquit, *oſtendo tibi lectum B. Dauid. Qualis igitur erat ille? non argento & auro, ſed vndique lacrymis & confeſſione erat exornatus. Hæc ipſe fatetur ita loquens pſal. 6. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meũ rigabo. Itaque vice margaritarum vndique lacrymis erat diſtinctus.* Et inferiùs: *Vis tibi alium commonſtrem lectum Iacob? ſolum habebat ſubſtratum, & lapidem capiti ſuppoſitum*

poſitum, eoq́; vidit illum intelligibilem lapidem, eaſq́; ſcalas, per quas aſcendebant & deſcendebant angeli. Geneſ. 28. *Huiuſmodi lectos excogitemus, vt eiuſmodi videamus inſomnia.*

Myſticè, meretrix eſt quæuis cupiditas, ac ſpeciatim hæreſis, cui hæc omnia adaptant Beda ac Baſilius, Gregor. & Olympiodor. in Catena Græcor. Hæreſis enim eſt ſuperba, tumultuoſa, clamoſa, inſtabilis, ac quod vno die aſſerit, ſequenti negat, indieſque noua dogmata figit & refigit, imò fingit & refingit. Notat autem Baſil. voluptatem eſſe cauſam hæreſis, vti hic innuitur: vt enim homines voluptati ſine metu numinis indulgeant, negant fidem & numen, iuxta illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, pſ. 13. 1.

Vers. 17. ASPERSI CVBILE (hebr. מִשְׁכָּבִי *miſcabi*, id eſt, lectum) MEVM MYRRHA, ET ALOE, ET CINNAMOMO] Vatabl. *cubile meum odoratum reddidi myrrha*, &c. Aliqui hæc accipiunt de liquore vel ſuffitu. Vnde Pagnin. vertit, *ſuffiui*; alij, *perfudi*. Planiùs B hæc accipias de ipſis aromatibus vel eorum floribus; ijs enim meretrices ſolere ſuos lectos aſpergere, patet 2. Paral. 16. 14. vbi de Aſa rege defuncto dicitur: *Poſuerunt eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte compoſita*. Vnde Theodot. vertit, *cubile meum myrrha ἐκόσμησα*, id eſt, *ornaui, compſi*, Septuag. verò, *aſperſi cubile meum croco, & domum meam cinnamomo.*

Myrrham odoratam eſſe, eaque aſpergi ſolere veſtes & lectos patet pſal. 44. 9. De aloë vide Plinium lib. 27. c. 4. & fuſiùs Dioſcoridem l. 3. c. 22. vbi tradit aloën florem album germinare, qui gratum odorem expiret. De cinnamomo quàm odoratum ſit, præſertim ſi diſtilletur, experientia conſtat, & docet Plinius lib. 15. c. 7.

Septima illecebra odorum. C Septima eſt hæc aromatum & odorũ illecebra, quæ corpus mentemq́; ſua ſuauitate emollit & effeminat: *Voluptas enim eſt eſca malorũ*, ait Plato, & ex eo Cicero in Catone Maiore. Quocirca Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. c. 8. docet Chriſtiano fugiendos eſſe delicioſos odores & vnguenta. Primò, quia excitant mollitiem & libidinem. Secundò, quòd S. Magdalena pœnitens eos obtulerit Chriſto vngens eius pedes. *Eo*, inquit, *quod apud ſe pulcherrimum eſſe exiſtimabat, nempe vnguento, honorauit Dominum, atque etiam ornamento corporis, nempe capillis ſuis, abſterſit vnguentum quod redundabat, libans Domino lachrymas pœnitentiæ: propterea eius peccata remiſſa ſunt.* Tertiò, quòd Apoſtolorum & fidelium ſit fragrare virtutibus, non aromatibus, ac cum ſponſa dicere Chriſto ſponſo: *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. Vnde D Apoſtol. 2. Corinth. 2. 14. *Deo gratias*, inquit, *qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo*, &c. Vnde cõcludit Clemens: *Oportet viros in primis apud nos vnguenta non olere, ſed vitæ probitatem. Spiret autem fœmina Chriſtum, qui eſt regalis vnctio, non vnguenta, & diapaſmata, diuina autem ſemper vngatur pudicitiæ vnctione, ſancto delectata vnguento, nempe ſpiritu. Hanc ſuauis odoris vnctionem hominibus notis ſuis Chriſtus comparat, ex aromatibus cæleſtibus hoc vnguentum componens. Hoc autem vnguento ipſe quoque Dominus vngitur, ſicut per Dauid meminit pſalm.* 44. *Proptereà vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Myrrha, & ſtacte, & caſia à veſtimentis tuis.* Et poſt nonnulla: *Suauis autẽ odoris ſtudium eſt*

Vnguentum pudicitiæ.

A *eſca otij & mollitiei, quæ ad libidinoſam & intemperantem cupiditatem paulatim attrahit. Et ſicut boues* (& bubali per nares) *annulis & funibus, ita etiam intemperans ſuffitibus & vnguentis & ſuaue olentibus coronarum odoribus trahitur.* Et inferiùs: *Deſipientes autem mulieres, quæ canos quidem tingunt, capillos autem vngunt, celeriùs caneſcunt propter aromata deſiccatoria. Quocirca ſunt etiam, qui vnguntur, ſicciores: facit autem ſiccitas caniores: ſiue enim canities eſt pilorum exſiccatio, ſiue calidi defectus; ſiccitate proprium pilorum nutrimentum ebibente humidum, & efficiente canos, quomodo vnguenta adhuc amauerimus, propter quæ cani fiunt qui canos fugiunt? Quemadmodum autem, qui naribus ſunt ſagacibus canes, feras odore inueſtigant: ita ex nimis curioſa vnguentorum fragrantia, qui moderati ſunt & temperantes, venantur intemperantes*, ideoq́; malè olentes & putidos agnoſcunt. Idcirco enim meretrices odorifera circumferunt, vt ſuum fœtorem contegant, quia ipſæ putent & peſſimè olent, iuxta illud Poëtæ:

Vnguenta creant citò canitiem.

Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet.

Subdit Clemens valdè odorata nocere corporibus: *Nux*, inquit, *emittit ſpiritum, qui corporem & veternum immittit, vt vel ipſa oſtendit nominis etymologia.* (Nux enim græcè dicitur καρύα ἀπὸ τοῦ κάρου, hoc eſt, à torpedine, aut grauedine) *narciſſus verò flos eſt grauis odoris: id autem arguit nominis appellatio, vt qui neruis νάρκην, hoc eſt torporem, afferat.* Clementi aſtipulatur Plinius l. 15. 22. *Caryon*, inquit, *à capitis grauedine propter odoris grauitatẽ connexum dictum.* Sic & *nux* Latinis dicitur à nocendo, quaſi noxa. Vnde Ouidius epigram. de Nuce.

Odorata nocent.

Quoniam ſata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

Nux enim generale eſt nomen fructuum omnium qui duro clauduntur cortice, ſicut *pomum* omniũ qui molli ſunt cortice. Vnde ſunt nuces myriſticæ & odoratæ; quin & ex nucibus vulgaribus fit oleũ & vnguentum, multò magis ex nucibus pineis, cedrinis, cypreſſinis, &c.

Clementi conſonat S. Ambroſ. libr. 1. de Cain c. 4. *Spargit*, inquit, *odores ſuos voluptas, quia Chriſti odorem non habet.* Et S. Chryſoſt. homil. 1. de Lazaro: *Miles es ſpiritualis*, inquit. *Talis autem miles nõ dormit in lecto eburneo, ſed humi: non oblinitur vnguentis: nam iſta cura eſt meretricijs amoribus implicatorum ac perditorum, ſcenicorum, mentiſq́; deploratæ hominum. Te verò non oportet olere vnguentum, ſed ſpirare virtutem: nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac veſtium fragrantia arguit intus latere animum graueolentem & immundum. Quã enim diabolus aggreſſus delicijs eneruauerit animam, omniq́; vitiorum genere complenerit, tum & in corpore ſuæ corruptionis lectum oblinit vnguentis. Nec ſecùs atque hi qui pituita naſi catharroq́; perpetuo laborant, & veſtes & manus & faciem contaminant, eò quòd ſubinde narium profluuium abſtergunt: anima quoque iſtius praui profluuij malitiam in corpus abſtergit. Quis enim præclarum aliquid, aut bonæ frugis, opinabitur de eo qui ſpirat vnguenta?*

Horribile hâc de re narrat exemplũ B. Petrus Damiani Cardinalis epiſt. ad Blancam Comitiſſam cap. 11. & ex eo Baron. tomo 10. anno Chriſti 998. n. 20. de vxore Ducis Venetiarum, quæ ita delicatè viuebat, vt aquas communes dedignata, rore cæli à famulis vndique collecto ſeſe ablueret. Eius porrò cubiculum tot thymiamatum aromatumque generibus redolebat, vt pudor ſit referre.

ferre. Hæc enim, vlciſcente hanc mollitiem numine, toto corpore computruit, adeò vt nemo famulorum eius fœtorem ferre poſſet. Senſim ergo computreſcens, doloribus putidis miſerabiliter cruciata diem clauſit extremum.

Sapientior fuit magnus Arſenius, de quo hæc legimus apud Surium die 19. Iulij. Aqua, qua palmarum ramos madefaciebat, vt fierent molliores, numquam ab illo mutabatur; ſed ſic diu manebat, vt tandem corrumperetur, maleq; oleret, & aſpectu tetra eſſet: adeò vt quidam ex Patribus ſenem rogarent cur hoc faceret? & ei exprobrarent ſocordiam. Is verò, *Cùm*, inquit, *ſuaueolentia & aromatibus priùs vſus ſim, odoratus damnum modo corrigo contrarijs.*

Vers. 18. VENI INEBRIEMVR VBERIBVS, FRVAMVR CVPITIS AMPLEXIBVS, DONEC ILLVCESCAT DIES] Solent enim luxurioſi vario vberum contactu explere ſuas libidines. Vnde Hebr. vox דודים *dodim*, tam *amores*, quàm *vbera* ſignificat. Quocirca Septuag. vertunt, *veni, & fruamur amicitia* (Syrus *fruamur amore*) *vſque ad diluculum: veni & colluctemur cupidine*; Aquila, Symmach. & Theod. *circumplicemur in amoribus*; Chald. *veni, delectemur amoribus vſque manè, & mutuò adhæreamus deſiderijs*; Tigur. *ades, amoris indulgebimus in craſtinum vſque: amore nos exhilarabimus.*

Nota τὸ *inebriemur*, id eſt, ſatiemur, expleamus ad ſatiem noſtram libidinem. Sed & verè libido mentem inebriat, id eſt, dementat, vt luxurioſus inſtar ebrij dicat & faciat infanda, quæ ſobrius & ſanæ mentis compos non auderet dicere vel facere, imò nec cogitare, vti docet S. Chryſoſt. homil. 5. contra Iudæos.

Octaua illecebra amplexuũ. Octaua eſt hæc illecebra vberum & amplexuũ, eaque vti impudentiſſima & patentiſſima, ſic & ſummè illecebroſa ac potentiſſima: amplexus enim luxurioſi ſunt proxima diſpoſitio ad concubitum, eiuſq; initium & inchoatio. Porrò quàm ignitus & venenatus ſit amplexus, imò tactus mulieris, liquet ex eo quod ſcribit S. Greg. l. 4. Dial. c. 11. de Vrſino presbytero, qui animã agens, cùm mulier, olim eius vxor, naribus eius aurem admoueret, vt ſentiret an adhuc ei vitale ſpiramen ineſſet collecto ſpiritu & voce exclamauit: *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleã tolle.* Et ex eo quod ſcribit Iacobus de Vitriaco Card. in Vita S. Mariæ de Oignies l. 2. c. 5. nimirum cùm quidam amicus eius, vir ſpiritualis ex deuotione manum eius ſtringeret, indeq; ſentiret primos carnis motus inſurgere, audiuit vocem quaſi è cælo lapſam: *Noli me tangere.* Et ex eo quod ſcribit Chronicon Hirſaug. Ioan. Trithemij ad annum Domini 1091. nimirum brachium Gebhardi Abbatis miraculosè ſanatum, cùm is illud feminæ deuotæ oſculandum præbuiſſet, turſum obriguiſſe; atq; Wilhelmum Abbatẽ ſanctum ei dixiſſe: *Hæc eſt pœna temeritatis tuæ, frater, qui manum Deo conſecratam, ipſiuſq; miſeratione ſanatam, feminæ, gloria tactus inani, præbuiſti oſculandam.* Simile eſt quod narrat S. Gregor. de Andrea Fundano Epiſc. l. 3. Dialog. c. 7. Et aliud quod narrat Ioannes Moſchus in Prato ſpirit. c. 19.

Denique quàm potens ſit hic amor, docet emblema in quo Cupido pingitur inſidere leoni, eumq; domare & regere, cum hoc lemmate:

Vidi ego qui durum poſſit frænare leonem:
Vidi ego qui ſolus corda domaret amor.
Omnia vincit amor.

A Hinc amoris hieroglyphicum eſt ſalamandra, quę creditur igne viuere & ali, quo cetera conſumuntur.

Te nutriunt ſalamandra ignes, qui cetera perdunt:
Alterius nobis viuere morte datum eſt.

Vers. 19. NON EST ENIM VIR IN DOMO SVA: ABIIT VIA LONGISSIMA: Vers. 20. SACCVLVM PECVNIÆ SECVM TVLIT: IN DIE PLENÆ LVNÆ REVERSVRVS EST IN DOMVM SVAM] Nona eſt hæc mœchæ illecebra, qua iuueni omnem eximit metum. *Nona illecebra ſecuritatis.* Dicit ergo impunè eum ſecum poſſe comeſſari & luxuriari, eò quòd maritus domo abſit. Ne verò iuuenis reditum eius metuat; aſſerit eum abijſſe via longiſſima, ideoque ſacculum pecuniæ pro viatico ſecum tuliſſe. Denique eum non reuerſurum ante plenilunium, putà ante medium menſis lunaris, quali vtebantur Hebræi: quare vſque B ad illum diem impunè eos poſſe agere quodlibet. Poterat diem ſcire mœcha, tum ex mariti dictis, tum ex eius negotijs. Vnde Pagnin. vertit, *in die ſtatuti temporis*; Caietan. *ſupputato tempore*, Tigur. *certo die.*

Pro *in die plenæ lunæ*, hebr. eſt ליום הכסא *leiom kekeſe*, id eſt, ad diem obtectionis, ſcilicet lunæ, putà ad plenilunium, cùm luna planè lumine ſolari tegitur & obducitur. Septuaginta verò accipiunt neomeniam ſiue nouilunium, quia tunc luna lumine deſtituta obtegitur, agitque quaſi in tenebris. Ita Aben Ezra, R. Leui, Baynus & Vatabl.

Symbolicè S. Ambroſ. l. 1. de Cain. c. 4. *Abſentiam viri*, inquit, *hoc eſt, iniuriam legis, obtexit: lex enim abſens peccantibus eſt: nam ſi adeſſet, non delinqueretur.* C *Et ideò ait: Non adeſt vir meus: abijt autem viam longinquam inuolucro pecuniæ accepto in manu. Quid hoc eſſe dicam, niſi fortè quia diuites putant nihil eſſe quod non cedat ſuæ pecuniæ, & in gratiam ſui legem velint eſſe venalem?*

Myſticè, Hugo per virum ſiue maritum accipit Chriſtum. *Non eſt vir*, id eſt, Chriſtus, inquit, *in domo ſua*, id eſt, in mundo viſibili ſpecie: *abijt via longinqua*, putà aſcendit in cælum: *ſacculum pecuniæ ſecum tulit*, id eſt corpus, ex quo ſanguis diuinus redemptionis noſtræ pretium fluxit: *in die plenæ lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam*, hoc eſt, in die iudicij, cùm plena erit Eccleſia ſanctis virtutibus & meritis, redibit in mundum, vt bonos præmiet & beet, malos puniat & damnet. Hinc peccatores ſibi licere putant impunè peccare vſque ad diem mortis & iudicij, quaſi tunc pœnitentiam acturi ſanctèq; D victuri. Atq; interim repentina vel inopinata morte obruti, ſceleribus pleni trahuntur ad igneum Chriſti tribunal. Quocirca præmonuit omnes Chriſtus dicens: *Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*, Matth. 24. 42.

IRRETIVIT EVM MVLTIS SERMONIBVS, ET BLANDITIIS LABIORVM PROTRAXIT ILLVM] Vers. 21. Pro *irretiuit* hebr. eſt הטתהו *hittahu*, id eſt, *declinare fecit illum*, Septuag. *ſeduxit*: Tigur. *flexit*. Pro *multis ſermonibus* hebr. eſt ברב לקחה *berob lickcha*; quod Theodot. vertit, *in multitudine donorum*: לקח *leeach* enim, & ſermonem, qui accipitur à loquente, & donũ, quod accipitur à donante, ſignificat. Radix enim לקח *lacach* ſignificat accipere in genere. Vnde illud: *Accepiſti dona in hominibus*, pſ. 67. v. 19. *Accepiſti*, id eſt, dediſti, vti explicat Apoſtol. Epheſ. 4. 8. vide ibi dicta. Meretrices enim dona exigua ſolent dare vel promittere, vt maiora impetrent.

Pro *protraxit illum* hebr. eſt תַּדִּיחֶנּוּ *taddichennu*, quod Aquila, Symmachus & Theodotion vertunt, *pepulit illum*, Baynus *impulit*; Tigurina, *perpulit*; Pagnin. *expulit*; Syrus, *abripuit eum*; Septuag. *laqueis labiorum ſuorum alligans domum adusque attraxit*. Græcè eſt ἐξώκειλεν, quod Complut. vertunt, *impegit illum*; Romani & S. Ambroſ. *attraxit illũ*. Significat blanda & captioſa meretricis verba ita ineſcare, ligare & dementare animũ & concupiſcentiam iuuenis, vt eum quaſi funibus attrahant, & violenter propellant ad eius cupidines explendas. *Theſauros*, inquit S. Ambroſ. l. 1. de Cain c. 4. *demonſtrat, regna promittit, amores ſpondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, ſine pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones, vitam ſine ſollicitudine, mollem ſomnum, inexplebilem cupiditatẽ. Seducens eum inquit, multo blandimento ſermonum, & laqueis labiorum ſuorum alligans domum adusque attraxit.* Formulam verborum, ſchemaque meretricis (myſticè voluptatis) ſubijcit S. Ambroſ. *Ipſa*, ait, *in medio ſtans: Bibite*, inquit, *& inebriamini, vt cadat vnuſquiſq; & non reſurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditiſſimus. Ille meus eſt, qui ſuus non eſt, ille mihi gratior, qui ſibi nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnem terram à vino meo biberunt omnes gentes. Qui eſt ergo inſipientior diuertat à me, & indigentibus ſapientia præcipio dicens: Panibus abſconditis ſuauiter vtimini, & aquam furti dulciorem bibite. Manducemus & bibamus. Cras enim moriemur*, &c.

Iuuenis ſollicitatus à femina quid agat?

Quare iuuenes à meretricibus ſollicitati, ilicò animos colligant, eoſque in caſtitate obfirment, ac imitentur S. Wolſtanum Epiſcopum Wigornienſem in Anglia, qui à nobili pulchraq; femina ad turpitudinem prouocatus facto ſigno crucis dixit: *Euge fomes laſciuiæ mortis filia, vas ſatanæ*; & ſimul alapam mulierculæ tanto niſu impegit, vt crepitus illiſæ palmæ tota domo audiretur: ita eam procul à ſe abegit. Ita habet eius Vita apud Surium die 29. Ianuarij. Simile feciſſe legimus S. Edmundum Cantuarienſem Epiſcopum, qui illectus à femina, illam ad facinus nudatam ita virgis cecidit, vt omnem ab ea tentationem diſpulerit, vtiq; per opem B. Virginis, cui ipſe virginitatem vouerat, ideoq; in annulo inſculptam geſtabat Salutationem angelicam. Nullum enim remedium contra carnis tentationes præſentius cultu & inuocatione Deiparæ. Illa enim eſt virgo virginum, caſtitatis aſylum, puritatis antiſtes, acerrima virginitatis cuſtos & vindex, vt ex omnium ſæculorum hiſtoria notum eſt.

Meretrix eſt ſphinx cur?

Appoſitè Plutarch. tract. *quòd amor non ſit indicium*, docet amoris ænigma & ſymbolũ eſſe ſphingem. Sicut enim ſpinx erat Thebanum monſtrum ex varijs animalibus commiſtum, imò confictum; ſic & amor ex varijs tum amati ideis, tum amantis imaginationibus conflatur & confingitur. Sphinx enim vultu & manibus ſimilis erat puellæ ſpecioſæ, corpore cani, alis aui, vnguibus leoni, cauda draconi, voce homini: quæ homines prætereuntes difficilibus & inextricabilibus quæſtionibus remorari ferebatur. Ita Pierius Hierogl. 1. & 7. Vnde Auſonius in Grypho ternario:

Illa etiam thalamos, inquit, *per trina ænigmata quærens.*
Qui bipes & quadrupes foret, & tripes, omnia ſolus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis,
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sic mulier hæc illecebroſa habet vultũ ſpecioſum puellæ, ſed corpore procax eſt, impudens & luxurioſa vt canis: alas habet auis, quia per fora & cõpita ad cœtus iuuenum non tam currit, quàm volat: vngues leonis, quia amaſios ſuos lacerat, caudam draconis, quia eoſdẽ in fine implectit, perdit, occidit, deuorat vt draco. Vnde implexum ænigma huius ſphingis, putà meretricis, proponit Plutarch. loco citato. *Sed quinam*, inquit, *amoris vngues ac dentes ſunt? ſuſpicio, zelotypia. At habet quidpiam illex ac floridum? Sphinx etiam varietatem alarum illecebroſam habuit, & ad Solis radios conuerſæ aureus erat beſtiæ color: aduerſus nubes autem cæruleus, quale iubar iridis relucet. Sic etiam amor habet quiddam gratioſum, nec inelegans, ſed blandum & iucundum. Rapit autem hominum vitas familiasq; & nuptias, & imperatores; non ænigmata proponẽs, ſed ipſemet ænigma inuentu ſolutuq; difficile exiſtens. Vt ſi quis huiuſmodi ænigma componat: Quid ſit quod oderit ſimul & amet, fugiat & perſequatur minetur & ſupplicet, iraſcatur & miſereatur, deſinere velit ac nolit, eâdem re maximè tum gaudeat tum triſtetur.* Ac deinde illud ſic exponit: *amantium autem affectus, veri ſunt: amant, oderunt: eumdem abſentem deſiderant, præſentem metuunt: adulantur, conuitia dicunt, pro amato moriuntur, occidunt, optant non amare, abſtinere amore nolunt: emendant, & obiectant: docent, ac perdunt: imperare volunt, & ſeruitutem tolerant. Hæc eſt cauſa cur hic affectus maximè pro inſania reputetur. Hinc amatorius vir Euripides inquit, Amabam: amor autem hominibus furor eſt.* Hinc ſphinx dicta ab effectu quòd homines ſuis verbis & quæſtionibus ita ſtringat, vt ſe expedire non poſſint. Nam σφίγγειν eſt conſtringere, vel vincire. Vnde Luctatius in l. 1. Thebaidos ſcribit, ſphinga monſtrum fuiſſe alas & vngues habens in ſimilitudinem Harpyiarum, quod inſidens ſcopulo viæ imminenti inſolubilia ænigmata tranſeuntibus proponebat: quæ cùm ſoluere non poſſent, ex improuiſo veniens alis & vnguibus ad ſe in rupem trahebat. Ita amaſios implicat meretrix, à qua ad ſe rapit, perdit & necat. Quid ergo implicatius ſphinge? meretrix. Quid rapacius Harpya? meretrix. Sphinx filia erat Chimeræ & Orci canis. Quæ maior Chimera quàm meretrix? quis canis tam impudens quàm meretrix?

SECVNDA PARS CAPITIS

Qua oſtendit iuuenis amore cæci inſipientiam, quòd à meretrice ſinat ſe duci ad laqueum & exitium, quaſi bos ad victimam.

Verſ. 22.

Statim eam seqvitvr qvasi bos dvctvs ad victimam, et qvasi agnvs lasciviens et ignorans qvod ad vincvla stvltvs trahatvr] Deſcribitur hic iuuenis illecebris meretricis capti veſania. Primò, cùm ait: *Statim eam ſequitur*: quia foris illecebra meretricis, intus concupiſcentia eiuſdem ſtimulatur. Externa ergo cupiditas internæ occurrens illam exoſculatur, ſibique illigat, ducitque quò vult. Qua ratione enim iuuenis amore æſtuans amores meretricis oblatos, imò ſtimulantes & penè cogentes reſpuat? Septuag. vertunt, *ipſe autem ſecutus eſt eam* κεπφωθεὶς, quod Complut. vertunt, *elatus*;

elatus; Roman. *infatuatus*, S. Ambroſ. *circumuentus*; aly, *deceptus*. Reſpōdet enim hæc vox Hebr. פתאם *pitom*; quam noſter vertit, *ſtatim*; Septuag. verò ex ſua radice פתא *patha*, id eſt, ſeductus eſt (vnde *peti* vocatur paruulus, inſipiens, qui facilè credit & decipitur) vertūt, κεπφωθεὶς, quod eſt participium à κεπφόω. κέπφος autem eſt ſpecies auis marinę leuiſſimæ, quæ facilè à quouis vento circumagitur, quæque facilè decipitur & capitur, inquit Heſych. ideoque inſipiens & ſtolida. Vnde κέπφος prouerbialiter ſumitur pro decepto & ſtolido. Hinc κέπφος ἀπὸ τῆς κουφότητος, id eſt, à leuitate dicitur, inquit Oppianus. Inde κεπφοῦσθαι, idē eſt quòd efferri, & leuiter circumagi in modum τοῦ κέπφου. Vnde κεπφωθεὶς à Suida interpretatur elatus, irritatus, celeriter actus, ineſcatus, deceptus, in fraudem impulſus. Addit Suidas: *Cepphus genus eſt auis, quæ larus vocatur. Eſt autē leuis & innatans vndis. O cepphe, id eſt ô vilisſime & loquax. Cepphum enim talem eſſe dicunt. Dicitur autem hoc prouerbium de viris incōſideratis. Cepphus enim ſpumam marinam comedit. Piſcatorum verò ſily primùm eminus ſpumam proyciunt, deinde proximè, denique manu tenent, itaque cepphum ſpumæ inhiantem decipiunt & capiunt.* Hęc Suidas. Idem docet Ariſt. Gaza cepphum putat eſſe ſulicam, alij larum: Aldrouandus cenſet eſſe auem laro congenerem, cuius formam ipſe depictam exhibet Ornithol. to. 3. pag 89. Cepphus ergo vocatur homo inconſtans, leuis fatuus. Vnde Pierius Hierogl. 23. cepphum aſſerit eſſe hieroglyphicum fatuitatis & ſtuporis, quo auis hæc egregiè laborat.

Adagiographus verò: *Cepphus latus*, inquit, eſt prouerbium dici ſolitum in garrulum ac vecordem, pręcipuè qui cuiuſuis rei cupiditate deceptus capitur: ab auis ingenio ſumptum, quam ſpuma marina gaudere & capi tradūt. Appoſitè ergo noſter hic iuuenis ineſcatus à meretrice, ſtolideq; ſequens ſpumam Veneris à Septuag. vocatur κεπφωθεὶς, id eſt, vecors inſtar cepphi. Audi Polychronium & Didymum in Catena Græcor. κέπφος, inquit Polychro. *larus vel ſulica, auis eſt ſtolida & clamoſa, ſpuma victitans, & ad libidinem admodum propenſa. Ab hoc autem nomine deductum eſt verbum κεπφόω, quo hoc loco vſi ſunt Septuaginta interpretes. Cùm huius autem auis natura & qualitate nonnullam affinitatē habet meretricorum ſermo: videtur is enim propter apparentem compoſitionis ſplendorem & venuſtatē, vacuus candidus & virilis; verum reipſa eſt ſtolidus, viribusque deſtitutus, atque ideo captu perquam facilis.* Et Didymus, *Aſſignātur*, inquit, *tres erodiorum ſeu fulicarum ſpecies, nimirū cepphus, leucus & aſterias, hoc eſt, fulica ſeu larus, ardea vel ardeola, & ſtellaris. Pręceteris autem ad coitum propenſa eſt fulica vel larus; interim congreſſus ſortitur admodum difficiles. Vociferatur namq; & vſque dum ſanguinem per oculos mittat conatur; iacetq; nonnunquam quaſi ſenſu deſtituta; ita vt laqueo, vel manu quoque facillimè capiatur, & parit tandem magna cum difficultate. Tali itaque aui propter libidinis ardorem Sapiens hoc loco comparat illum qui meretrices ſectatur, iis denique obſequitur.*

Primò ergo iuuenis hic vecors comparatur ceppho; Secundò, boui. Vnde ait: *Sequitur* (meretricem & mœcham) *quaſi bos ductus ad victimam*; Hebr. *ad lanienam*; Septuag. *ad mactationem*; Chald. *ſicut bos ad macellum*; Tertull. *ſicut taurus ad victimam*. Cùm enim laniones tauros feroces ducere volunt ad macellum, pręmittunt vaccas, quarum libidine actus taurus ſtolidè ſequitur, itaque decipitur, ligatur & mactatur. Simili prorſus modo iuuenis hic meretricem ſequens, ab ea decipitur, verbiſque eius illecebroſis quaſi funibus ligatur, & in exitium corporis ſimul & animæ ducitur. Notum eſt boues eſſe ſtolidos, adeoque ſymbolum ſtoliditatis. Extat emblema bouis arantis, qui fatigatus & ſeneſcens fruſtra detrectat iugum, quod ipſe iuuenis ſubijt. Ergo

Ne iuuenile actum doleas ætate ſenecta.
Quid facias iuuenis, tu prior ipſe vide.
Serò detrectat onus qui ſubijt.

Tertiò, comparat iuuenem luxurioſum agno. *Et quaſi agnus*, inquit, *laſciuiens*. Primò, quia agni ſimplices ſunt & ſtolidi, talis eſt & hic iuuenis. Sanè Columella libr. 7. de Re ruſtica ca. 3 ait agnos tam eſſe ſtolidos, vt recens editi matrem propriam non agnoſcant, ſed oues primò obuias, quin & ſubinde vulpes lupoſque, quaſi matres ſequantur: ita iuuenis hic lupas, id eſt meretrices, quaſi matres, imò ſpōſas ſequitur, vt ab ijs deuoretur. *Agni ſtolidi.* Secundò, agni cùm laſciuire & in agnas inſilire incipiunt, ducuntur ad macellum & iugulantur: tunc enim habentur agni perfecti, ac caro eorum ſolida eſt aptaque ad eſum, imò multis in locis ad delicias expetita. ſic & iuuenis hic laſciuire incipiens cum meretrice, aptus eſt macello ſatanę & gehennę. Porrò Ariſt. lib. 5 de Hiſtor. anim. cap. 14. *Oues & capræ*, inquit, *anniculæ coëūt*, putà cùm ſunt agni vnius anni. Tertiò, agni grandiores, putà arietes, valdè in venerem propenſi ſunt ac laſciuiunt, imò furunt. Addit Ariſt. lib. 6. de Hiſtor. animal. c. 19. *Coëunt*, inquit, *tam oues quàm capræ quamdiu viuunt*: ita & iuuenis hic ad inſaniam vſq, laſciuit, ruens ad necem animæ & corporis; laſciuit, inquam, per omnem vitam; quæ proinde ei breuis eſt, æquè ac oculus. Nam, vt ibidem ait Ariſtot. *Vita capris ad octonos cùm plurimum annos, ouibus ad denos, ſed magna ex parte ad pauciores.*

Hęc comparatio agni laſciuientis non eſt in Hebræo, ſed hoc loco appoſita. Fortè noſter Interpres prò עכס *eches*, id eſt *compes*, legit כבש *kebes*, id eſt, *agnus*, ſicut Septua. pro eo videntur legiſſe כלב *keleb*, id eſt, *canis*. Vnde vertunt, *& ſicut canis*, inquiunt, *ad vincula*, ſic & Syrus ac Chald. Canis enim valdè luxurioſus eſt & impudens. Vnde Diogenes cognominatus eſt Cynicus, quòd publicè inſtar canum venerem exerceret. Vnde & diſcipuli eius dicti ſunt Cynici, quaſi canini, ob impudentem mordacitatem & libidinem. ita Laërtius in Vita Diogenis, Lactant. libr. 3. c. 15. S. Chryſoſt. hom. 34. in Matth. & S. Aug. 14. Ciuit. 20. Sicut ergo canis mas petulans laſciuit, omniaque miſcet & turbat, pręſertim dum œſtro libidinis agitur caneſque feminas inſequitur; quare neceſſe eſt eum vinculis alligare, ac ſubinde ſuffocare, ſuſpēdere, vel in flumen demergere: ſic prorſus laſciuit hic iuuenis, ideoque à Deo vinculis malorum illigatur & aſtringitur. Hinc *canis* in prouerbium abijt, notatq; impudentem & luxurioſum; pluraque à cane ſunt prouerbia, vt illud Theocriti: *Periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe.* q.d: Qui ſemel cum ſcorto peccauit, difficulter ab eo abſtinet: illecebram eius velut auctoramentum libidinis deguſtauit. *Canis maſculi infinita cubilia.* q.d. Luxurioſus vna non contentus, paſſim per aliena cubilia volutatur. *Canum vincula* q.d, Luxurioſus ſeipſum dat in ſeruitutem meretrici: ſicut canes vltrò ſeipſos heris præbent vinciendos cibi lenocinio.

Quartò iuuenis hic *ignorans* eſt, *quòd ad vincula ſtultus trahatur*, Symmach. *exultans ſuper vinculo ſtulti*; Pagnin. *& ſicut compes ad caſtigationem ſtulti*; Vatabl. *ceu dum compes ſtulto ad caſtigationem adhibetur.* q.d. Iuuenis ſequitur meretricem, vt cum ea liberè laſciuiat, at neſcit quòd ab ea ad vincula trahatur: meretrix enim ei erit compes: ſuis enim lenocinijs, dolis & fraudibus ita eum ſibi illigabit, vt ſe ab ea auellere, expedire & extricare nequeat. Erit ergo ſemper eius quaſi ſeruus & mancipium, vinculis meretricijs adſtrictus & compeditus. Pro *compes* hebr. eſt עכס *eches*, quod R. Salomon vertit, *venenum. Et ſicut venenum*, inquit, *ad caſtigationem ſtulti.* Melius alij vertunt, *tintinnabulum* vel *crepitaculum*, quod olim puellæ leuiores, præſertim meretrices, calceis applicabant, vt eius ſono iuuenes ad ſe intuendum excitarent, & in ſui amorem prouocarent, vt patet Iſaiæ 3.16.& 19. Dicit ergo: Iuuenis hic videt, auditque hoc crepitaculum, capiturque inceſſu & forma meretricis: vnde eam ſequitur; ſed ignorat quòd hoc crepitaculum erit ei compes, qua pedes eius aſtringentur, vt quaſi vinctus & captiuus à meretrice teneatur, ſac quidquid ei libuerit, agere & exequi debeat. Igitur ſicut ſtulti & inſani vinciuntur compedibus, ne ſibi aliiſque noceant: ſic & ipſe ſimilis ſponte ſibi compedes induit. Rurſum tintinnabula ſolent geſtare ſtulti, indeque ſtulti dignoſcuntur. q.d. Iuuenis hic captus tintinnabulo calceorum meretricis ſtulteſcit: vnde dignus eſt, vt quaſi ſtultus tintinnabula geſtet, ipſque caſtigetur & notetur infamia. q.d. Iuuenis hic infamis eſt, omniumque riſibus & ſibilis exponitur, quaſi ſtultus, qui in ſignum ſtultitiæ geſtat tintinnabula. Sic videmus verè ſtultos ſubinde cum feminis ſtultis & amentibus tintinnabulatos incedere.

Aliter alij: cenſent enim hîc alludi ad tintinnabulum, quod olim geſtabant rei capite mulctandi, vt eius ſonitu populus ad ſupplicium concurreret, ſiue ne quis ad eos approximans contaminaretur; vti ex Zonara & alijs docet Turnebus lib. 11. Aduerſar. c. 21.& lib. 23. c. 11. Sic ſenſus foret. q.d. Iuuenis ille mœcham ſequens ſimilis eſt reo, qui ad necem ducitur, ideoque tintinnabulum geſtat. Simili enim modo ipſe quaſi ad necem damnatus, vltrò ad eam pergit & properat.

Verùm prior explicatio videtur ſimplicior & planior, ideoque germanior, præſertim quia illa compedum ſimilitudo priſcis fuit vſitata. Simili enim modo *aureas compedes* per prouerbium vocarunt ſeruitutem ſplendidam & amabilem, qualis eſt amantium & aulicorum vita. Vnde Diogenes ſcripſit Ariſtippum in aula regia aureis teneri cõpedibus, ne poſſet auolare. Seneca in dialogo quodam affectus & rationis: *Stulti eſt*, inquit, *compedes ſuas quamuis aureas amare.* Loquitur de vxore formoſa. Sic & Horat. de amica ſpecioſa: *Tenetq́; grata compede vinctum.* Igitur Salomon, vt iuuenis luxurioſi vecordiam & amentiam repræſentet, comparat eum Primò, ceppho ſiue laro; Secundò, boui ducto ad victimam; Tertiò, agno laſciuienti; Quartò cõpedibus inſanis; Quintò, ceruo ſagitta transfixo iecur; Sextò, aui laqueo captæ; vti ex Septuag. audiemus v. ſequ.

VERS. 23. DONEC TRANSFIGAT SAGITTA IECVR EIVS: VELVT SI AVIS FESTINET AD LAQVEVM, ET NESCIT QVOD DE PERICVLO ANIMÆ ILLIVS AGITVR] Syrus, *& neſcit ſe ad mortem ſuam pergere*: Septuag. addunt nomen *ceruus*, *Et tanquàm ceruus*, inquiunt, *ſagitta vulneratus in iecore* (Syrus, *ſicut ceruus, cuius hepar ſagitta transfoderit*) *feſtinat autem tanquam auis in laqueum, neſciens quia pro anima currit.*

A B C D (marg.)

Duplici ſagitta iuuenis hic transfigitur, primâ amoris meretricij, quæ iecur eius ſauciat. Iecur enim ſedes eſt amoris & concupiſcentiæ, iuxta illud celebre:

Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Secundâ doloris, quem parit amor. q.d. Iuuenis hic ſauciatur ſagitta amoris, ideoque ſauciabitur mox ſagitta doloris. Alludit ad ceruos, qui ardent amore ceruarum, eoque capiuntur & ſagittis transfiguntur. Nam vt tradit Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animal. cap. 5. venatores vt ceruos capiant, ceruarum laſciuientium vocem imitantur: ad illam ilicò accurrunt cerui: mox illos, inter arbuſta latentes venatores ſagittis configunt. q.d. Simili modo iuuenis mœchæ blanditijs illectus eam ſequitur, & ecce à marito mœchæ, qui ſcelus odoratus in inſidijs latet, cõfoditur, aut à iudice, vel certè à Deo punitur & plectitur. Vnde Iſidor. Clarus ſic exponit: *Non quieſcit miſer, nec abſtinet à ſcorto, donec maritus ſcorti ſpiculo configat iecur eius.* Priorem ſagittã amoris magis notare videntur Septuag. dum vertunt, *& tanquam ceruus vulneratus in iecore*, ſcilicet ſagitta amoris ſequitur meretricem. Poſteriorem ſagittam doloris magis notat Noſter, dum vertit, *donec transfigat ſagitta iecur eius*: & Chald. *ſicut ceruus in cuius hepar ſagitta volat*: quamquam & prior ſagitta amoris hiſce verbis accipi queat. q.d. Iuuenis voce & ſpecie meretricis illectus eam ſequitur, donec ſagitta amoris planè trãsfigat iecur eius, id eſt, donec meretrix irremediabiliter & immedicabiliter ſauciet eius appetitum (cuius ſymbolum eſt iecur) concupiſcentia ſui. Sicut ergo ceruus ſagitta ictus fugit, ſed mortem nõ effugit, quin potiùs currendo vulnus auget & aggrauat, mortemque ſibi accelerat: ſic qui ſagitta amoris in corde ictus eſt, huc illuc diſcurrit, & vulnus amoris mortiſq; adauget. Nam ex vulnere amoris ilicò ſequitur vulnus doloris: ſine dolore enim nõ viuitur in amore. Doloris, inquam, tum remorſus & angoris conſcientiæ, vt intelligit Iauſen. tum morborum, litium, paupertatis, infamiæ, periculorum, milleque miſeriarum, quæ libidines & adulteria ſequi ſolent; tum mortis, quæ illi vel à marito eiuſque cognatis, vel à iudice paratur; tum gehennæ & damnationis æternæ, qua illum Deus configet.

Denique de ceruo ita ſcribit Plinius lib. 8. c. 32. *Animal ſimplex eſt, in tantum vt hominem iuxtà venãtem non cernat; aut ſi cernat, arcum ipſum ſagittaſq; miretur.* Quo quid opportunius ad exponendam hominis ſtoliditatem, feminæ ſpeciem, id eſt arcum ipſum, & ſagittas quibus transfigitur, demirantis? Addit Plinius, *paſtoralis fiſtula & cantu mulceri.* Addit Ariſtot. lib. 5 de Hiſtor. animal. cap. 5. ita ſibilo & cantu venantium allici, vt altero venantium cãtante alteri liceat clàm à tergo ferire. Quod ex Ariſtot. repetunt Xenophon, Varro, Ælianus, & ex Ægyptiorum diſciplina Horus lib. 2. Hieroglyph. cap. 87. illi enim hominem adulatione deceptum ſignificabant picto ceruo cum tubicine. Quo quid ſimilius ad exponendam tum vim muliebris cantus, tum ſtoliditatem ceruinam adoleſcentis, quem petulans femina *protraxit, & irretiuit multis ſermonibus,*

Cerui ſtoliditas.

nibus donec transfigat ſagitta cor eius, & pereat in efficacia vocis?

Amantis iecur transfigitur. Pro *iecur* metonymicè intelligit vitalia, putà cor, hepar, cæteraſque partes hominis vitales: dicit tamen transfigi *iecur* potiùs quàm cor, pectus aut ventrem. *Primò.* Primò quia, vt dixi, iecur ſedes eſt amoris: vbi ergo iuuenis peccauit amore, ibi transfigitur & dolore. *Secundò.* Secundò, quia iecur eſt fons ſanguinis, & conſequenter ſeminis; ſemen enim non eſt aliud quàm ſanguis puriſſimus: quia ergo iecore effundit ſemen, hinc eodem effundet ſanguinem, atque plaga hæc immedicabilis & letifera, quia in ſanguine conſiſtit hominis vita. *Tertiò.* Tertiò, quia dũ ſagitta iecur transfigitur, ſubinde fit, ait Ariſtot. l. 3. de Part. animal. ca. 10. vt homo rideat, & ridendo moriatur: ita mœchi & mœchę ſępè ridendo, dum ſcilicet amori indulgent, imò ſubinde in ipſo flagranti adulterio occidũtur, vel à marito, vel à cognatis, vel ab corriualibus, vel ab ipſo Deo. *Quartò.* Quartò, quia iecur ſymbolum eſt voluptatis, felicitatis & gloriæ, iuxta illud Thren. 2. 11. *Effuſum eſt in terra iecur meum*, vide ibi dicta. Dum ergo iecur transfigi dicitur, hęc omnia transfigi & perimi ſignificantur. *Quintò.* Quintò, quia transfixo iecore ilico homo concidit & moritur: ita mœchi & mœchæ ſæpè ſubita morte plectuntur. Vnde S. Ambroſ. mox citandus legit: *Et ſicut ceruus ſagittarius in iecore hæret ſaucius.* Ceruus enim in armo aut capite ſaucius currere non ceſſat; at ſaucius in iecore hęret, cadit & moritur. *Sextò.* Sextò, quia ſępè mors mœcho infertur à mœcha, & vice verſa. Ita amor occidit amorem, amans amantem, cuius ſymbolum eſt iecur. Horribile exemplum recenſet Nauclerus col. 2. Chronog gen. 20 anno 574. de Roſimunda vxore Alboini regis Longobardorũ, quę Helmechildum adulterum adamauit, eumque ad necem mariti impulit; ſed poſtea Longinum adamans, cùm Helmechildo venenum propinaſſet, iſq; vim eius perſentiſceret, ab eo ſtricto gladio coacta reliquũ veneni ebibere, tam ſeipſam quàm adulterum veneno ſuſtulit.

Denique ipſe concubitus ſolaque venus multos occidit. Galenus l. 1. de Spermate, ſcribit animales partes non ſolùm ſeminaria humiditate deſtitui ex ſuperfluo coitu, ſed etiam vitali ſpiritu, qui ex arterijs euacuatur cum ſpermatica humiditate. Quocirca non mirandum, ſi imbecilliores efficiantur multùm vtentes venere, vtpote re puriſſima ab vniuerſo corpore exeunte, & accedente inſuper delectatione, quæ per ſe poteſt vitale robur exſoluere. Ex quo factum, vt quidam immoderatè delectati mortui ſint; hęc ferè Galenus. Et profecto plerią; aut quia nimiũ delectati ſunt in opere venereo (vt ille dicit) ſiue etiam, quia immoderatè commixti ſunt, in ipſo concubitu occubuiſſe leguntur. Nam, vt refert Plin. lib. 7. cap. 53. Cornelius Balbus prętorius & Q. Herenius eques Romanus in venere obiere. Cuius etiam rei meminit Valerius lib. 9. cap. 12. Tradit etiam Petr. Damianus quemdam principem Tarentinum, dum cum meretrice congrederetur, animam emiſiſſe. Iouianus quoque Pontanus in libro de Obedientia, ſcribit ſe compertum habere Beltrandum quemdam cognomento Ferrerium, in venere expiraſſe. Obſeruatum quoque eſt in Gręcorum monumẽtis, idem Pindaro illi nouem Lyricorum (vt Fabio placuit) principi accidiſſe: licet aliter ſentiat Valerius Maximus libr. 9. cap. 12. Et id quoque

A contigiſſe Speuſippo Platonico, prodit Tertull. in Apologetico. Hæc & plura Tiraquellus in leg. 15 connub. n. 27. Hinc Venus Libitina, quaſi mortis & ſepulturę preſes, colebatur in æde Libitinę, teſte Plutarcho in Numa. Eadem cognominata eſt ἀνδροφόνος, id eſt, homicida.

Myſticè, Ceruus ſagitta ictus dictamum herbam comedens, ſagittam excutit. Vnde Plinius lib. 8. cap. 27. *Dictamnum herbam*, inquit, *extrahendis ſagittis cerui mõſtrauere percuſſi eo telo paſtuą; eius herba eiecto: Chelidoniam viſui ſalubrem hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes*, Ita iuuenis ſagitta amoris ictus illam excutiat per pœnitentiam & mortificationem; huius enim ſymbolum eſt dictamus. Dictamus enim ait Dioſcorides li. 3. cap. 31. eſt herba acris, mordax, pulegio ſimilis, purgandi vim habens, ſerpentibus inimica, ac vulneribus

B corporum medetur. Talis prorſus animæ & conſcientiæ eſt pœnitentia. Vnde Tertull. lib. de Pœnitentia ſub finem: *Ceruus*, inquit, *ſagitta transfixus, vt ferrum & irremeabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamo medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos rurſus oculare de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſin ſciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna reſtituit?*

Huc facit S. Ambroſ. lib. 1. de Cain cap. 5. qui per mœcham myſticè accipiens voluptatem, eius remedium aſſignat virtutem. Inter virtutes enim ſola pœnitentia & mortificatio propriè & ex diametro opponitur voluptati, eamque perimit. *His auditis*, inquit Ambroſ. *velut ceruus ſagittatus in iecore hæret ſaucius: quem miſerans virtus, & caſurum cito videns, improuiſa occurris, verita ne inter moras illecebris demulcentibus, mens concidat humana.*

C Noſter Salazar per dictamum accipit virginitatem, ac amorem & inuocationem B. Virginis quæ, vt ſuperiùs dixi ſingulare eſt remedium aduerſus tentationes carnis. Affert rationem, quia dictamus, inquit, græcè παρθένιον, latinè *virginale*, dicitur; vel quia nullo ſemine ſato adoleſcit, vel quia comeſtum venerem enecat. Verùm nihil tale habet Plinius, Theophraſtus, Dioſcorides, Ruellius ac ſimiles, qui de plantis herbiſque ſcripſere, quin potiùs Diſcor. l. 3. cap. 31. æquè ac cæteri, planè dictamum à parthenio, quod matricariam vocant, diſtinguunt.

Hinc Salomonis gnomę antiſtropha eſt illa Syrorum: *Ne pandas feneſtras, vt excipias ſagittas, quibus feriatur cor tuum*: hoc eſt, ne aperias oculos & aures, vt excipias ſpecies & cantilenas feminarum, quibus ſaucietur cor tuum amore illebroſo, indeque dolore ſalebroſo.

D VELVT SI AVIS FESTINET AD LAQVEVM] Eſt hæc ſexta & vltima comparatio. q. d. Sicut auis aduolat ad eſcam ibique capitur ab aucupe, ſic iuuenis hic incautè ſectans illecebram meretricis & mœchæ, eâdem capitur, illaqueatur & perimitur.

Rurſum ſicut auis femina ligata ab aucupe iuxta retia, ſua voce & cantu alias ad ſe aduocat, præſertim mares ſibi congeneres, quæ ad eam aduolantes reti implicantur & capiuntur: ita mœcha hæc illiciens iuuenem, ducit eum ad laqueum & necem. Vide in Belgio anates paleutrias, ſiue illices & ſeductrices, ab aucupe cicuratas, quæ ad anates ſilueſtres aduolantes, eas turmatim poſt ſe ad retia ducebant, magna ſpectantium voluptate & aucupum lucro. Chald. vertit, *& feſtinat ſicut paſſeres*

ces ad laqueum. Paſſeres enim ſalaces ſunt: vnde mas feminæ amore in retia & laqueum ſe dat.

ET NESCIT QVOD DE PERICVLO ANIMÆ ILLIVS AGITVR] *To neſcit* Ianſenius refert ad auem, bouem, agnum, ceruum, &c. magis genuinè ex Hebręo refertur ad iuuenem, cum alluſione tamen ad auem, bouem, &c. Vt ſit epiphonema, q.d. O inſignem iuuenis ſtoliditatem, qui ſequitur mœcham, & neſcit quòd ſequendo eam conijcit ſe in certum animæ, id eſt, vitæ, tum præſentis, tum æternę periculum, quę ſanè magna & miſeranda eſt eius ſecordia. Sicut enim bos ſequitur vaccam, & neſcit, ſe ſequendo eam à lanione duci ad macellum, & ſicut auis inhiat eſcæ, & neſcit ſe accedere ad laqueum, &c. ſic prorſus iuuenis hic ſtolidus ſequitur mœcham, & neſcit, id eſt, non cogitat, non aduertit quòd ſequendo eam incurrat præſens & æternum vitæ diſcrimen. Vnde Chald. vertit, *& neſcit quòd tendat ad mortem animæ ſuæ.*

VERS. 24. NVNC ERGO FILI MI, AVDI ME, ET ATTENDE VERBIS ORIS MEI] Hebr. habent in plurali, *nunc ergo filij obaudite mihi, & animum aduertite verbis oris mei.* ita Vatabl.

VERS. 25. NE ABSTRAHATVR IN VIIS ILLIVS MENS TVA: NEQVE DECIPIARIS SEMITIS EIVS] Hebr. *ne declinet ad vias eius cor tuum; neque erres in ſemitis eius.* Vt ſcilicet à vera virtutis & caſtitatis via aberres, eaſque in deuios vitij & libidinis labyrinthos, ac præſertim ne deſerta caſtrorum ſocietate & contubernio deflectas & deuies ad oberrandum per vias, quæ ducunt ad domum meretricis, à qua iuueni omnes mali originem fontemque extitiſſe audiuimus.

Nominat *ſemitas*, quia meretrices, præſertim ſecretæ, quæ publicè honeſtæ haberi volunt, ſolent in receſſibus, antris & luſtris habitare. Vnde a via regia turpitudinis pudore ſeſe elongant; ideoque per ſemitas ſecretas ad eas tenditur, quin & quę publicè pudorem ſuum proſtituunt, in ſemitis cõſident, vt tranſeuntes aucupentur; indeque *ſemitariæ* ſunt dictæ.

VERS. 26. MVLTOS ENIM VVLNERATOS DEIECIT, ET FORTISSIMI QVIQVE INTERFECTI SVNT AB EA] Septuag. *multos enim vulnerans deiecit, & innumerabiles ſunt, quos trucidauit* (ita legit S. Ambroſ.) Hebr. *& fortes omnes* (qui ſcilicet eam ſecuti ſunt) *interfecti eius*, id eſt, ab ea. Hoc dicit, vt nemo ſuis viribus, ſuę preteritæ caſtitati prefidat? quia mulier fortes, annoſos, caſtos per omnem vitam in ſenecta deiecit, corrupit, perdidit. Ita *filiæ hominum*, id eſt, filiæ Caini, ſua ſpecie illexerunt & corruperunt *filios Dei*, putà filios Seth; indeque orti ſunt impij gigantes, ob quos Deus totum orbem perdidit diluuio, Geneſ. 6. Quis Hectorem, Troiam, totumque Aſiæ regnum perdidit? vna Helena. Quis fortiſſimum Samſonem Philiſthæis tradidit? Dalila. Quis ſanctiſſimum Dauidem ad adulterium & homicidium impulit? ſpecies Bethſabeæ. Quis ſapientiſſimum Salomonem dementauit? concubinæ.

Quanti & quales Epiſcopi, ait S. Cyprian. tract. de Singul. cleric. *clerici ſimul & laici, poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina poſt magnalia & mirabilia & ſigna vſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe! Quãtos leones domuit vna mulieris infirmitas delicata, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prędam!* Igitur Martyres, qui tormenta vicerant, à feminis deinde victi ſunt. Confeſſores qui tentamenta quęlibet ſuperarunt, à muliere ſuperati ſunt. Quis ergo tam demens ſit, vt tot tanto-

A rumque heroum exemplo non ſapiat? vt ſe vnicũ cæteris omnibus fortiorem æſtimet? vt in igne illęſum ſe fore confidat? *Ignis, mare, mulier, mala tria*, ait Menander, imò malum vnicum. Mulier enim eſt ignis & mare, quod plurimos & validiſſimos hauſit ſorbetque.

VERS. 27. VIÆ INFERI DOMVS EIVS, PENETRANTES IN INTERIORA (manuſcripti legunt, *interiora*) MORTIS] Syrus & Pagninus, *ad cubicula mortis*, alij, *ad penetralia mortis*; Septuag. *deducentes in promptuaria mortis.* More rhythmi Hebræi idem dicit poſteriori hemiſtichio, quod dixit priori. Igitur idem eſt: *Via inferi domus eius*, quod *penetrãtes in interiora mortis.* In inferno enim mors ſuum intimũ habet cubile, ſuum penetrale, ſuum thronum & regiam. Si ergo quæras: Quid eſt infernus? aptè reſpondebo: B *Infernus eſt penetrale & regia mortis*: quia in eo mors æterna pleno iure in omnes damnatos, tam dæmones quàm homines dominatur, & in perpetuum dominabitur. Reprobi ergo in hac vita ſunt quaſi in atrio mortis, in inferno verò erunt in ipſis penetralibus & viſceribus mortis. Sicut vice verſa electi in hoc mundo ſunt quaſi in atrio vitę: in cęlo verò erunt in ipſis penetralibus vitæ, vbi vita dominatur & regnat perpetim. Senſus ergo eſt. q.d. Meretrix ornauit cubile ſuum, aſperſitque aloë & myrrha? ſed hæc non tam conuiuij & voluptatis, quàm mortis & ſepulturæ ſunt indicia & prænuntia: ijs enim inungi ſolent corpora defunctorum. Scias itaque certò, ò iuuenis, cùm adis domum meretricis, te ire ad domum mortis & gehennæ; quia fornicando & adulterando vitam abbreuias, incurriſque certa pericula vitæ, & ilicò poſt mortem detruderis in tartara. Quare domus C meretricis, ait Aben Ezra, eſt infernus quidam, quia ipſa inferni eſt via & initium. Idem minatus eſt Salomon ca. 2. v. 18, vide ibi dicta. Dicit *viæ* in plurali, ait Vatab. non *via*; quòd multis rationibus cadant, qui ſequuntur eam.

Tropol. meretrix & mœcha eſt concupiſcentia ac hæreſis: hæc omnibus inſidiatur, & omnes, qui illam ſequuntur, occidit: hæc quoque rectà ducit ad inferos. Ita Polichron, in Catena Græcor. *Innumeri*, inquit, *hoc loco dicuntur, qui per latam viam incedunt, ſiquidem tales non ſunt digni, qui aliquo numero aut loco habeantur: ſunt itidem permultæ vitiorum & flagitiorum ſpecies, quæ flagitioſos ad inferos præcipites trahunt.*

Inferni atroces pœnæ. Porrò quàm formidabilis ſit infernus, & iudicium, graphicè depingit S. Cyrill. Alexandr. orat. D de exitu animæ, & de ſecundo aduentu. *Metuo mortem*, inquit, *quoniam acerba mihi eſt. Metuo gehennam, quia æterna eſt. Metuo tartarum, quia nihil habet caloris. Metuo tenebras, quia nihil habent lucis. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus eſt. Metuo genios iudicio præſidendo, quoniam ſunt immiſericordes. Metuo cùm cogito illius diei terribile & muneribus inexpugnabile concilium, tribunal horribile & iudicẽ incorruptũ. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementiſſimamq; flammã, torrentem & acutos enſes. Metuo ſeueriſſimas pœnas, Metuo ſupplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, ſtridorem dentium, fletum inconſolabilem.* Et S. Ephrem tract. de Varijs inferni tormentis: *Hanc diem*, inquit, *mente voluentes ſancti Dei martyres, non ſunt miſerati ſua corpora, ſed omne tormenti genus ſubierunt, ſpe coronarum gaudentes. Alij in ſolitudinibus & montibus atque ſpeluncis, in ieiunio*

nio & virginitate decertarunt;ac iam quidē contendunt non tantùm viri, ſed & mulieres, pars debilior; ac per angustam portam arctamq́; viam incedentes, regnum cæleſte rapiunt. Quis ergo patiatur ſe illo rubore ſuffundi, vt A *cùm mulieres illa hora coronentur, multi autem viri condemnentur? non enim eſt ibi maſculus & femina: ſed vnuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundùm proprium laborem.*

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite præced. in ſcenam produxit mulierem meretricem ſuis lenocinijs, fucis & fraudibus omnes ad ſe allicientem & perdentem. Iam vt ab ea omnes auocet, hoc cap. in ſcenam ducit feminam, imò reginam, & quaſi deam caſtiſſimam & ſapientiſſimam, putà ipſam ſapientiam, quæ meretricis æmula & antagoniſta ab ea omnes ad ſe aduocat, promittendo eis. Primò, ſe docturam veritatem, iuſtitiam, ſcientiam, timorem Dei, prudentiam & fortitudinem. Secundò, v. 15. promittendo regnum, opes & gloriam: quæ omnia aſſerit eſſe ſua, & à ſe ſuis diſcipulis donari. Tertiò, v. 22. altius aſſurgens aſſerit ſe eſſe Deo coæternam, Deumq́; per ſe creaſſe & compoſuiſſe cælum & terram, omniaq́; quæ in eis ſunt. Quartò, v. 31. concludendo hortatur omnes, vt ſeſe audiant, itaque hauriant à Domino vitam & ſalutem: ſi enim ſe ſpernant, minatur æternam mortem & miſeriam.

1. NVmquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? 2. In ſum-
mis excelſiſque verticibus ſupra viam, in medijs ſemitis ſtans, 3. iuxta por-
tas ciuitatis in ipſis foribus loquitur, dicens: 4. O viri, ad vos clamito, & vox mea
ad filios hominum. 5. Intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite.
6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum: & aperientur labia mea, vt recta
prædicent. 7. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur
impium. 8. Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque per-
uerſum. 9. recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam. 10. Acci-
pite diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite.
11. Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non po-
teſt comparari. 12. Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogita-
tionibus. 13. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & ſuperbiam, & viam pra-
uam, & os bilingue deteſtor. 14. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt pru-
dentia, mea eſt fortitudo. 15. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta de-
cernunt: 16. per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. 17. Ego
diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, inuenient me. 18. Mecum ſunt
diuitiæ, gloria, opes ſuperbæ, iuſtitia. 19. Melior eſt enim fructus meus auro,
& lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. 20. In vijs iuſtitiæ ambulo in
medio ſemitarum iudicij, 21. vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.
22. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à
principio. 23. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.
24. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eru-
perant: 25. necdum montes graui mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar.
26. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. 27. Quando
præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: 28. quando
æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: 29. quando circumdabat mari
terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat
fundamenta terræ. 30. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos
dies ludens coram eo omni tempore; 31. ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, eſſe
cum filijs hominum. 32. Nunc ergo filij audite me: Beati, qui cuſtodiunt vias meas.
33. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abijcere eam. 34. Beatus homo
qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.
35. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: 36. qui autem
in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

NOta Primò, ſapientiam hic per proſopopœiam poëticam & comicam induci vt perſonam, quæ humani corporis organa, geſtus, vocem, concionem vſurpat. Idem factum eſt cap. 1. & Eccleſ. c. 24. & Sapient. ca. 7. Sic enim elegantior æquè ac efficacior eſt concio, cùm ipſa ſapientia, B id eſt, ipſa honeſtas & virtus, ſuam pulchritudinem, fructus & dona oſtentans, omneſque ad ſe inuitans, in ſcénam inducitur, vt ſinguli eam vidētes, & loquentem audientes, diuina eius ſpecie & oratione illecti, protinus eam ſequantur. ita Nazianz. orat. 39.

Nota Secundò ſapientiam, ſiue prudentiam & virtutem, hoc loco vti & paſſim in libris ſapientialibus, ſuum in genere, prout abſtrahit, aut prout cōmunis eſt increatę & creatæ, ſiue ſapientiam hîc ſignificare tā creatam, q̄uàm increatam, quę ſcipſa idem eſt cum deitate & Deo, quatenus ipſa communicat ſe ſapientię creatę & creaturis. Vnde quędam hîc dicuntur quę magis conueniunt creatæ: vt quod v. 22. dicitur iuxta Septua. *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum:* quędam magis competunt ſapientiæ increatæ, vt quod ibidem dicitur: *Ab æterno ordinata ſum ante omnem creaturam.* ita Nazianz. orat. 39. Tertull. Scorpiaci cap. 7. Caietan. Ianſen. & alij Hinc rurſum S. Athanaſ. Cyrill. Hilar. & alij paſſim diſputantes contra Arrianos, hæc literali ſenſu accipiunt de ſapientia incarnata, putà de Chriſto, indeque probant Chriſtum eſſe Deum, de quo plura v. 22. ſapientia enim incarnata, partim creata eſt, partim increata; Chriſtus enim vt homo creatus eſt, vt Deus verò increatus.

Salomonem ſecutus Siracides Eccleſ. toto c. 24. ſapientiam ſimilia, imò eadem, de ſe prædicantem inducit: quare ibi pleraque quę hoc cap. dicuntur explicui.

Vers. 1. NVMQVID NON SAPIENTIA CLAMITAT, ET PRVDENTIA (Theodot. *intelligentia*) DAT (Chald. *eleuat*) VOCEM SVAM?] Simile audiuimus cap. 1. 20. *Sapientia*, inquit, *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam.* Vide ibi dicta. Syrus, *ideo* (vt ſcilicet auocet te à meretrice, cuius a mula eſt) *ſapiētia prædicat, & prudentia reſpondebit tibi.*

Mirum eſt Septuag. aliter planè vertere, ſic enim habent: *Tu ſapientiam prædicabis* (græcè κηρύξεις, id eſt, præconizabis, promulgabis eam vt pręco) *vt prudentia tibi obediat.* Sapientia in re idem eſt quod prudentia: ſapientia enim hîc non ſpeculatiua, ſed practica accipitur, quæ ſcilicet actiones & mores dirigit, quod eſt officium prudentiæ. Porrò huius verſionis Septuag. varij varios dant ſenſus. Primus eſt, q.d. Si ſapientiam præconizabis, id eſt, magna voce (qualis ſolet eſſe vox præconis) euocabis & inuocabis, illa votis tuis obediens aduolabit ad te, tecumque habitabit, ac te ſapientem efficiet, omneſque actiones tuas diriget ſapienter, & ad beatum finem perducet. Sapientia enim ſubmiſſas preces & exilia vo a non audit, magnas poſcit, contentis votis vult euocari.

Secundus, q.d. Si ſapientiam eiuſque præcepta tuę animæ & menti magna voce inſtar præconis inclames, vt illa feriant, penetrent, & ſibi ſubiugent omnes animæ tuæ vires; tunc ſapientia ſiue prudentia obediet tibi, id eſt, tunc tu obedies prudentiæ, vt ſit hypallage, q.d. Sapientiæ & gratiæ Dei eſt efficere, vt eius dogmata audiamus & capiamus, eiſque obediamus. ita noſter Salazar.

Tertius planior, q.d. Si ſapientiam animæ tuæ prædices & perſuadeas, vt illi obediat, ſeſeque dedat viciſſim ipſa ſapientia obediet, ſeſeque dedet tibi, Sapientia enim & Deus colentes ſe colit, honorantes ſe honorat, obedientibus ſibi obedit, iuxta illud v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Eſt illud Dei per Samuelem ad Heli, *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* 2. Reg. 2. 30. Et illud: *Voluntatem timentium ſe faciet.* Sic Ioſue obediens Deo per miraculū ſtitit ſolem, *obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael*, Ioſue 10. 14. Hæc enim eſt lex amicitiæ; qualis eſt inter iuſtos & Deum, vt ami-

A cus faciat id, quod vult petitque amicus, eiuſque deſiderijs obſequatur, hæc eſt dignitas iuſti, hæc dignatio Dei noſtri. Rurſum, ſi ſapientię & virtuti obedias, vtique illa quoque tibi obediet, facietque quod vis: quia quod ipſa vult, idipſum tu vis, nimirum bonum honeſtum amplecti, & voluntatem legemque Dei implere.

Quartus, q.d. Si ſapientiam, id eſt, fidem & virtutem, magno & Apoſtolico ſpiritu quaſi præco Dei prædicabis, vtique illa tuum præconium ſecundabit, illique obſequetur & obediet: faciet enim vt populi, quibus ita prædicas, tuæ prædicationi ſe ſubdant & obediant. q.d. Sapientia dabit prædicationi tuæ vocem virtutis, vt efficaciter auditoribus perſuadeas quod prædicas, iuxta illud: *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa.* B pſal. 67. 12. Ita Chriſtus qui eſt Dei ſapientia, duodecim Apoſtolis eum prędicantibus affuit, eiſque ſubiecit & obedientem fecit totum quaſi orbem. Idem hodie facit viris Apoſtolicis, qui Indos, Iapones, Sinas conuertunt.

IN SVMMIS EXCELSISQVE VERTICIBVS SVPRA VIAM (Syrus, *iuxta vias*) IN MEDIIS SEMITIS STANS] Hebr. *in capite excelſorum ſupra viam in loco ſemitarum conſtituta*; Septuag. *ſuper excelſas ſummitates & inter medium ſemitarum ſtetit*; Chald. *in capite collium eſt ſapientia*, &c. Vers. 2.

IVXTA PORTAS CIVITATIS IN IPSIS FORIBVS LOQVITVR, DICENS] Hebr. *ad os ciuitatis, ad ingreſſum oſtiorum præconizabit*, vel *iubilabit*, id eſt, iubilando prædicabit. hoc enim ſignificat Hebr. תָּרֹנָּה *taronna*, Septuag. *apud portas enim potentium aſſidet, & in introitibus canitur.* de qua phraſi dixi cap. 1, v. 20. & 21. Chald. *in foribus iuxta portas in introitu ciuitatis*; Syrus, *in aditu portarum laudat &* C *dicit.* Vers. 3.

Hæc omnia generatim ſignificant ſapientiam vbique, tam in locis excelſis quàm humilibus, tam in vijs & triuijs quàm in portis & foris, vbi eſt hominum concurſus, prædicare, nec formidare iudicum, qui in portis olim ſedebant, iudicia; ſed omnes, tam nobiles quàm plebeios, tam principes quàm ſubditos, ad virtutem & Dei cultum adhortari; tum per homines probos & feruentes, quos quouis ſubmittit; tum per angelos & ſanctas inſpirationes; tum per ipſas creaturas, quæ ſingulæ ſapientiam Dei repræſentant, & ad eius cultum & amorem nos inuitant; vt ſapientia & virtus, ac via ad beatitudinem iure omnibus cognita eſſe debeat; cùm omnes vocem eius audiant, nemoque ſe excuſare poſſit dicendo ſe eam non audiſſe.

D Particulatim verò ſignificat Primò, Deum è ſummo cælorum vertice ſapientiæ ſuæ leges & dogmata, putà ſui timorem & amorem dictare, & prædicare toti mundo, tum per fabricam, gubernationem, ac pulchritudinem cęlorum, iuxta illud pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Vnde S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. c. 6. *Cœlum & terra* inquit, *& omnia quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt amem te, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles.* Et Marcianus anachoreta apud Theodoret. in Hiſtoria SS. Patrum ca. 3. viſitantibus eum Epiſcopis, verbumque ædificationis poſtulantibus, ingemiſcens, *Deus*, inquit, *vniuerſorum quotidie loquitur per creaturas, & per diuinas Scripturas diſſerit & mouet ea, quæ oportet, & inducit ea quæ ſunt vtilia, terret q; minis, & adhortatur promiſſis: & ex his nullam capimus vtilitatem. Quomodo ergo loquens profuerit Marianus, qui tantam*

tam

rem vtilitatem amittis cum alijs, & commodum non vult ex eis capere?

Secundò ſapientia putà Deus, legem dedit Moſi & Hebræis in vertice montis Sina, Exodi 19. & 20 Sic & Chriſtus in monte promulgauit legem nouam, altiſſimaque perfectionis dogmata, ac præſertim octo beatitudines ibidem edidit, Matth. 5. 1 & ſequ. vt oſtenderet fidelem in montem, id eſt ad excelſa, vocari, ac Chriſtianos celſiorem terris debere agere vitam, putà cæleſtem & diuinam.

Tertiò, ſapientia prædicauit aſſiduè in templo, quod erat in monte Sion, per ſacerdotes & Scribas. Ibidem Chriſtus & Apoſtoli promulgarunt & prædicarunt legem Euangelicam, iuxta illud Iſaiæ 2. 3. *De Sion exibit lex & verbum Domini de Ieruſalem.* Et illud pſal. 2. 6. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Idē in vijs & triuijs, in portis & tribunalibus publicè & intrepidè coram regibus & magiſtratibus, nihil veriti eorum minas, mortes & cruces, prędicabant fidem & ſapientiam veri Dei incarnati.

Quartò, Prophetæ, qui legem Dei prędicabant, degebant in montibus, vti Elias & Eliſeus, cum filijs Prophetarū agebant in monte Carmelo. Vnde Carmelitarum origo. Sic & in nouo teſtamento viri ſanctitate eximij in montibus, rupibus & columnis degentes, docuerunt mortales veram ſapientiam eſſe terrena deſpicere, amare cęleſtia. Talis fuit S. Antonius, Macarius, Hilarion. Talis Simeon Stilites, qui in columna 36. cubitos alta ſtetit vſque ad extremam ſenectam. Cuius hæc quotidie erat concio, teſte Theodoreto in Hiſtor. SS. Patrum c. 26. *Iubet*, inquit, *in cælum ſuſpicere, & euolare, & à terra diſcedere, & regnum, quod expectatur, viſione apprehendere, & gehennæ minas timere, & terrena contemnere, & futura expectare.*

Quintò, quia in eccleſijs ex locis editis, putà è pulpitis, prædicatores prædicant Dei verbum & ſapientiam, vt procul à toto populo audiri poſſint; ſicut pręcones è loco edito in foro contenta voce vt ab omnibus audiantur, ſolent promulgare leges & ſcita principes ac magiſtratus. Hoc eſt quod dixit cap. 1. 21. *In capite turbarum clamitat.*

Symbolicè, per *verticem* accipias lumen & dictamen rationis, quod in capite quaſi in arce & vertice poſuit Deus, vt toti corpori viam virtutis oſtendat, & iter felicitatis pręluceat. Vnde noſter Salazar ſic explicat q. d. *In ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam*, id eſt, ad eum modum, quo euenire ſolet viatoribus itineris inſolentibus, vti à paſtore vel alio quolibet, quem eminus è montis vertice in viam ſpectantem aſpexerint, ſtatim exquirant, rectáne in deſtinatum locum pergant, an deerrent & in auia ferantur: ſic & de illis, qui viam honeſtatis aggreſſi ſunt, decernere debemus. Semper enim illis præſtò eſt in arce mentis, quaſi è vertice montis in viam proſpectans ipſa ſapientia, id eſt, honeſtatis cognitio ſufficiens, à qua de rectitudine atque erroribus illius viæ optimè edocentur. Huius ſententię auctor mihi fuit Hebręus Philo in libro de Plantatione Noë, vbi ſic habet: *Et ſanè, qui viam carpit vitiorum, ſemper adeſt vel tenuis aliqua cogitatio boni in mente, velut ex ſcopulo in viam proſpectans paſtor, quæ illum à via mala reuocat, & ad virtutis iter adhortatur.*

Hic ſenſus oppoſitus eſt, ac nonnullis literalis, mihi potiùs ſymbolicus videtur, ſi cum præcedentibus iam recenſitis, quos literales eſſe liquet, comparetur.

Myſticè, per vertices Eccleſiæ & ſapientiæ accipias Apoſtolos & viros Apoſtolicos, qui quaſi homines cæleſtes & à Deo cælitus miſſi, eius ſapientiam & ſanctiſſima iuſſa deprædicant. Vnde S. Auguſt. in pſal. 96. *Annuntiauerunt cæli iuſtitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Qui cæli*, inquit, *annuntiauerunt? Cæli enarrant gloriam Dei. Qui ſunt cæli? qui facti ſunt ſedes ipſius. Quomodo enim in cælis ſedet Deus, ſic ſedet in Apoſtolis, ſic ſedet in prædicatoribus Euangelij. Et tu ſi vis, cælum eris. Si vis eſſe cęlum, purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiſcentias non habueris, & non fruſtra reſponderis ſurſum te habere cor, cælum eris. Si reſurrexiſtis cum Chriſto, fidelibus Apoſtolus loquitur, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, & non quæ ſuper terram. Capiſti ſapere quæ ſurſum ſunt, & non quę ſuper terram, & ſub terra ſunt, nónne factus es cælum? Carnem portas, & corde iam tecum eſt, cælum es. Conuerſatio enim tua in cælis erit.*

Myſticè rurſum Eccleſia hæc propriè adaptat B. Virgini: vnde hoc caput legit in lectionibus feſti B. Virginis ad Niues die v. Auguſti. Idque tum quia B. Virgo fuit, eſtque idea & exemplar ſapientiæ, id eſt, virtutis & ſanctitatis: tum quia ipſa eſt mater æternę Sapientiæ in ipſa incarnatæ: tum ob alia, quæ recenſui Eccleſiaſt. 24. initio capitis: tum deniq; quia Virgo Deipara illo ad Niues feſto Romæ ſe, ſuamque ſapientiam oſtendit & prędicauit in monte Eſquilino, dum illum in ſummis æſtatis caloribus niuibus cooperuit, locumq; templo in eo ædificādo Liberio Pontifici & Ioanni Patricio per viſum apparens, deſignauit, in quo tum Deus, Chriſtus & ipſa colerentur, tum Martyres, qui in eo mōte plurimi martyrij lauream conſecuti ſunt, honorarentur. Ideo enim montem eum ſibi præ ceteris delegit, eiuſque quaſi heres à Ioanne Patricio inſtitui voluit, vt inter Martyres quaſi Martyrum regina in martyrio, id eſt in templo, habitaret. Olim enim nō niſi ſuper ſepulcra Martyrum altaria & templa ædificabantur, quę inde vocabantur martyria, vti oſtendi Apocal. 6. 9. Quare Martyrum illorum ſanguis & corpora partim in eadem B. Virginis baſilica, partim in vicinis S. Praxedis, S. Pudentianæ, & S. Bibianæ ad Vrſum Pileatum templis ſepulta, à fidelibus religioſè viſuntur & coluntur. Igitur B. Virgo ex hoc monte & templo per ſe, perque concionatores prædicat, omneſque ad ſe vocat, commendans eis niueam ſuam puritatem, humilitatem, charitatem, Dei timorem & cultum, quæ vera eſt ſapientia. Vnde in hoc templo S. Gregor. homiliam octauam habuit ad populum in Natali Chriſti. & 21. in Paſchate, & 22. infra octauam eiuſdem; quę non niſi cęleſtem & virginalem ſapientiam ſpirant. Olim Mæcenas amicus Auguſti Cęſaris, in Eſquilijs habuerat hortos amœniſſimos: Nero deinde ibidem palatium extruxit, quod ipſe ab auri incaſtratura aureum indigitauit, atque ex eo ludibundè & exultans ſpectauit ſuum illud Romæ incendium. Verùm ceſſere hi Eſquiliarum montem Virgini Deiparæ, quæ eſt *hortus concluſus, fons ſignatus*, atque vnica Mæcenas noſtra, eáque beneficentiſſima, quæ pariter eſt domus aurea & niuea, reſtinguens Neronianos libidinis & crudelitatis ignes. In Eſquilijs pariter fuit nemus & templum Lucinæ, ſiue Dianæ, quæ à Gentilibus colebatur quaſi dea pudicitiæ, ac vijs

B Virginis in Eſquilijs cognum.

præeſſe credebatur. vnde eius ſimulacrum in biuijs & triuijs collocabant, vt iter agentibus viam demonſtraret. Sed falſam Dianam excluſit Deipara vera virginitatis antiſtes, veraque ſtella maris, ac fida viæ dux in cælum tendentibus. Ita Andreas Fuluius, inſignis antiquitatum Roman. inueſtigator libr. 2. cap. 6. cum dixiſſet in hoc monte fuiſſe lucum Dianę, ſubdit: *Eodem loco eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris ad præſepe viget, quæ felicioribus quàm Lucina auſpicijs, noſtris temporibus lucem & vitam largitur ijs qui naſcuntur.* Hæc ergo baſilica eſt omnium non ſolùm, quæ in Vrbe, ſed quę in orbe vniuerſo ſunt B. Virginis auguſtiſſima & ſanctiſſima; in qua ipſa in Eſquilijs quaſi in excubijs, pro fidelibus Vrbis & orbis excubat, eoſque docet, illuminat, protegit, opitulatur, ditat opibus tam ſpiritalibus quàm corporalibus; quare illi optimè adaptes ſequentia Salomonis elogia, ac præſertim illud verſ. 15. *Per me reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt, &c. Ego diligentes me diligo; & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia, &c.* Vti ex exemplis quę mox ſubijciam patebit. In hac baſilica conditum eſt præſepe Domini, cunæ, fœnum & panni, quibus inuolutũ fuit Verbũ infans, quę S. Hieronymum, S. Paulam & nobilitatem Romanam olim traxerunt in Bethlehem. Vnde ipſe epiſt. 17. ad Marcellam: *Illud præſepe,* inquit, *in quo infantulus vagiit, ſilentio magis quàm infimo ſermone honorandũ eſt.* Et mox: *Ecce in hoc paruo terrę foramine cælorum conditor natus eſt, hîc inuolutus pãnis, hîc viſus à paſtoribus, hîc demonſtratus à ſtella, hîc adoratus à Magis. Et hic puto locus eſt ſanctior Tarpeia rupe.* Tarpeia ergo rupe, putà Capitolio ſanctiores ſunt Eſquilię, quę quaſi poſthuma Bethlehem Domini pręſepe continent. Quocirca migrãte è Bethlehem Romam pręſepio Chriſti, eodem remigrauit & S. Hieronymus: illius enim reliquię in baſilica Virginis iuxta pręſepe Domini conditę ſunt, vt apud quod viuens deliciatus eſt, etiam mortuus in pace conquieſcat. In eâdem baſilica viſuntur reliquię S. Matthię, aliorumque Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum multorum, qui omnes muta voce adeuntibus & orantibus inhalant & inclamant veram ſapientiam; vt ſcilicet ipſorum heroicos virtutum actus & agones æmulemur. Sic pręſepe Chriſti omnibus inclamat Chriſti amorem, humilitatem, paupertatem, mundique contemptum.

Miracula B. Virginis Maioris.

Vis plura, eaque admiranda? accipe. In hac Virginis baſilica, vti narrant Carolus Sigonius libr. 1. de Regno Italiæ, noſter Caniſius libr. 5. Marialis c. 22. Pompeius Vgonius lib. 1. de Stationibus Roman. ſtatione 8. & alij, graſſante atroci illa peſte, quæ Romam afflixit & Pelagium Pontificem ſuſtulit, S. Gregorius Magnus tempore Paſchali ſupplicationem totius populi inſtituit, indeque cum litanijs proceſſit verſus baſilicam S. Petri, ad placandam Dei iram. *(Primum.)* In quo ſolemni pompa circumferebatur imago B. Virginis depicta à S. Luca: ac vbicumque imago hæc procedebat, ilicò peſtilenti cæli grauitate & caligine diſpulſa, ſuccedebat optata auræ claritas & ſalubritas. Quin & iuxta eam audita fuit melodia angelorum concinentium *Regina cæli lætare, Halleluia. Quia quem meruiſti portare, Halleluia; reſurrexit ſicut dixit, Halleluia.* Quibus ſuccinuit S. Gregorius: *Ora pro nobis Deũ, Halleluia.* Atque exinde hunc hymnum vſurpauit Eccleſia, quaſi Paſchalis lætitiæ argumentum, ad congratulandum B. Virgini glorioſam filij reſurrectionem. Porrò Ordo Romanus, & ex eo Baron. tom. 8. anno Chriſti 590. tradunt imaginem B. Virginis delatam fuiſſe ab ipſo S. Gregorio: dumque ille cum eâdẽ perueniſſet ad molem Hadriani Tiberi adiacentem, in ſignum reconciliati Numinis viſum fuiſſe angelum, qui nudatum gladium in vaginam reponeret, eoq; ſymbolo luem ceſſaſſe ſignificare voluiſſe; ſicut priùs eadem per ſagittas cęlitus lapſas fuerat pręmonſtrata, vti refert S. Gregor. libr. 4. Dialog. c. 36. Atque ob hanc angeli apparitionem, moles Hadriani deinde ſemper caſtellum S. Angeli nuncupata fuit.

Porrò maiora beneficia B. Virginem in hac eccleſia quàm in alijs, ſe colentibus & inuocantibus impertiri experientia conſtat.

Secundum. Memorabile eſt quod ſcribit B. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, S. Bernardo coæuus, li. 2. Mirac. cap. 30. nimirum Romanos ſolere in vigilia Aſſumptionis B. Virginis offerre eidem ingentes cereos, eoſque ſub veſperam accendere in hac eius baſilica; qui cùm totam noctem vſque ad ipſius feſti diei horam ſextam vel nonam arſerint, reperiũtur eiuſdem eſſe ponderis, quod habuerunt antequam accenderentur. Idque miraculum continuè per centum annos duraſſe, & etiamnum durare ipſe teſtatur. Id facit incorrupta & æterna virginitas Deiparæ, cuius ſymbolum eſt cereus albens & ardens, qui ab ape virgine conficitur.

Tertium. In hac baſilica Miſſam celebrans S. Martinus I. Pont. per B. Virginẽ miraculosè à morte ſeruatus eſt. Cùm enim Olympius Exarchus ſpatharium ſubmiſiſſet, qui eum gladio trãsfoderet; ſpatharius ad altare accedens à B. Virgine excęcatus fuit, vt refert Platina, Baron. & alij in Vita S. Martini.

Quartum. In eâdem ipſo Aſſumptionis B. Virginis feſto, publicas litanias peragẽs cum clero & populo Leo IV. Pontif. anno Domini 847. vrbem à peſtifero ſerpente eum necando liberauit, vti referunt Anaſtaſius Bibliothecarius, Baron. & alij.

Quintum. Illuſtre eſt quod ſcribit Ioannes Nauclerus vol. 2. generat. 34. de S. Henrico I. Imp. qui cum S. Cunegunde coniuge perpetuã ſeruauit virginitatem. *Fertur,* inquit, *Henrico hoc, quòd ſemper primam noctem ingrediẽs Vrbem, ſolitus fuerit orando pernoctare in eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris, contigit autẽ ſemel quòd, dum ſolitarius oraret, viſus ſit ſibi Chriſtus Pontificalibus indutus procedere Miſſam celebraturus: quem ſequebatur S. Laurentius, & loco Subdiaconi Vincentius; poſt hos Virgo Dei genitrix cum multitudine virginum & angelorum; dehinc Ioannes Baptiſta cũ Patriarchis & Prophetis; poſt hos Petrus & Ioannes cum ceteris Apoſtolis & Euangeliſtis, S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confeſſoribus, angeli inceperunt introitum: Suſcepimus Deus miſericordiam. Et dum cantaretur: Dextera tua plena eſt iuſtitia, omnes Chriſtum & Beatam Virginem imitãtes, extenderunt digitos in Henricum. Poſt Euangeliũ indicibili iubilo angelus librum deoſculatum à Chriſto præſentauit B. Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandum, demum annuit Beata Virgo angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad oſculandum, dicens: Prębe ei pacis oſculum, cuius mihi virginitas placet. Et cùm præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intẽdere, angelus ipſum in neruo tangens dicit. Hoc tibi erit ſignũ dilectionis Dei propter tuam caſtitatem & iuſtitiam: & exinde vſque ad mortem claudicabat: ex quo euentu vocatus eſt Henricus Claudus.*

Igitur B. Virgo deligens ſibi domum in vertice

Eſqui-

Eſquiliarum, inde clamitat omneſque ad ſe aduocat, vt ab ea ſapientiam diſcant, eiuſque beneficijs & gratijs potiantur.

Vers.4. O viri, ad vos clamito, et vox mea ad
Vers.5. filios hominum. Intelligite parvuli (id eſt, vt Septuag. *ſimplices*; Tigurina, *incauti*) astutiam, et insipientes animadvertite] Hebr. *inſipientes corde intelligite*; Septuag. *cor apponite*; Syrus, *ſtulti prudentes ſint in cordibus ſuis*. Pro *aſtutiam*, Tigur. vertit *ſolertiam*; Vatabl. *ſcientiam*, *aſtutia* ergo hic eſt cautio, prudentia & prouidentia, vti dixi c.1.v.4.

Caietan. per *viros* homines virilis ſexus, per *filios hominum* feminas notari autumat. q.d. Omnes tam viros quàm feminas appello, & ad ſapientiam *aduoco*. Melius noſter Salazar per *viros* accipit proceres & magnates, per *filios hominum* plebeios, qui cùm nomine familiæ non commendentur, *filij Adam*, in vniuerſum appellantur. Vnde Aben Eſra: Compellat, inquit, *viros*, id eſt diuites, & *filios hominum*, id eſt pauperes. Simpliciſſimè cum Ianſenio accipias eoſdem: ijdem enim ſunt *viri*, qui & *filij hominum*, præſertim quia viros hos mox vocat paruulos; & quia ſolet Salomon, æquè ac Dauid, in ſuis hiſce gnomis & quaſi rhythmis poſteriori hemiſtichio explicare prius. Vnde Septuag. vertunt, *vos ô homines aduoco, & profero vocem meã filijs hominum*. Sub viris & feminas more communi intellige. Senſus ergo eſt. q.d. O viri, ô inquam filij hominum, id eſt, ô homines vniuerſi, ad vos voce contenta ex corde ardenti clamito: clamoſa enim vox procedit ex ardenti cordis deſiderio: illam ergo audite eique obedite: Quicumque inter vos paruuli ſunt, non ætate, ſed ſenſu & prudentia; quales per naturę lapſæ infirmitatem, perque natiuitatem omnes ſunt; plerique etiam per inexperientiam & concupiſcentiam, cuius inſtinctum ſequuntur, tales euadunt; quicumque, inquam, paruuli ſenſu eſtis, intelligite & diſcite aſtutiam, id eſt, prudentiã & cautionem, vt cautè & prudenter vitam inſtituatis. *Et inſipientes animaduertite*, hebr. *apponite cor* præceptis hiſce monitiſque meis: ſic enim fiet, vt nihil per imprudentiam vel inconſiderationem peccetis.

Myſticè Beda notat, ſapientiam, id eſt virtutem, poſcere viros, non feminas, putà non effeminatos, ſed viriles animos; quia à viro dicta eſt virtus, quaſi virilitas: hæc enim requiritur ad reſiſtendum concupiſcentijs femineis, atque ad terrores & difficultates quaſlibet fortiter ſuperandum.

Vers.6. Avdite, qvoniam de rebvs magnis locvtvra svm: et aperientvr labia mea vt recta prædicent] Syrus, *aperit os meum rectitudo*. Pro *magnis* hebr. eſt נְגִידִים *negidim*, quod Septua. vertũt, *præclaris*; Syrus, *principalibus*; Vatabl. *nobilibus & eximijs*; Chald. *principe dignis*; Symmach. *ducalibus* quæ ſcilicet principes & duces decent & ornant, quæque Deo ſummum omnium principe & duce digna & decora ſunt. Vnde R. Salamon, *locutura ſum verba principum & grauiſſima*.

Attentionem ſibi conciliat ſapientia promittendo quòd dictura ſit res magnas & rectas. Magnas, tum quia agit de virtutibus, quibus ad æternam ſalutem, quę in Dei poſſeſſione conſiſtit, tendendum eſt, ac gehennæ tormenta vitanda ſunt. Verùm enim eſt illud: *Nullum bonum, niſi æternum; Nullum malum, niſi æternum*, tum quia non ſolùm Ethicam, ſed & Oeconomicam ac Politicam, qua

A magnę reſp. & regna adminiſtranda ſunt, docebit, qua de cauſa Ariſtot. triplicem hanc ſuam Ethicam, Magna moralia inſcripſit. Vnde Aben Ezra vertit, *locutura ſum ac ſi eſſem princeps & dux*. Rectas, quia tradet diſciplinam corrigẽdi mores prauos, eoſque rectos & honeſtos efficiendi. Hæc & ſequentia clara & perſpicua ſunt, nec magno commentario indigent. Antiſtropha Salomoni eſt Chriſti, veri Salomonis & Sapientiæ incarnatæ, vox: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi*, Matth.13.v.35. Chriſtus enim annuntiauit, imò fuit *magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prędicatum eſt Gentibus, creditũ eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*. 1. Timoth. 3. vltim. Quocirca Chriſtus ab Iſaia c.9. 6. iuxta Septuag.

B vocatur *magni conſilij angelus*, id eſt, nuntius & legatus.

Myſticè B. Virgo magna prędicauit, cùm cõcepto Dei Verbo cecinit: *Magnificat anima mea Dominũ & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt*, &c. Lucæ 1.

Veritatem meditabitvr gvttvr mevm, et labia mea detestabvntvr impivm] *Meditabitur*, id eſt, meditatò loquetur: hoc enim ſignificat Hebr. יֶהְגֶּה *iege*, iuxta illud: *Os iuſti meditabitur* (id eſt meditatam eloquetur) *ſapientiam*. vnde explicans ſubdit: *Et lingua eius loquetur iudicium*, pſalm.36.30. Eſt metonymia: ponitur enim cauſa pro effectu, antecedens pro conſequente, putà, meditatio pro locutione, quæ ex meditatione manat. Vers.7.

Senſus eſt q.d. Auſcultate me attentiſſimè: nam

C veritatem loquar, non ſpeculatiuam & otioſam, ſed practicam, quæ vos faciet beatos; loquar, inquam illam, nõ extemporaneè, quaſi promens quidquid in buccam venit, ſed diu meditatam, quam multo tempore, ſtudio & meditatione, mente verſaui, diſcuſſi, probaui, veramque & ſalutiferam per omnia iudicaui. Opponit ſe ſapientia & anteponit philoſophis, qui vera quædam docuerunt, ſed veris falſa miſcuerunt.

Et labia mea detestabvntvr impivm] id eſt, impietatem, vt habent Hebr. & Chald. *Impium* ergo hic eſt generis non maſculini ſed neutri, ſignificans id, quod impium eſt ſiue impietatem. q.d. Loquar vera, id eſt, honeſta pia, ſancta; ideoq; redarguam labia falſa & *mendacia*, vt vertunt Septuag & Syrus, putà inhoneſta, impia, ſcelerata. Veritas enim practica eſt ipſa honeſtas, pietas, ſancti-

D tas, ideoque falſitas practica illi oppoſita eſt inhoneſtas, impietas, prauitas. Conſequenter tamen ſapientia deteſtatur quoq; hominem impium quatenus impius eſt; quia non naturam, ſed impietatem eius deteſtatur: vnde ſæpè hoc libro redarguit inſipientes & impios. Aliter noſter Salazar, q. d. *Labia mea deteſtabuntur impium*, id eſt *impius deteſtabitur labia mea*, vt ſit hypallage. Impius enim odit veritatem, iuxta illud: *Veritas odium parit*, quia veritas moribus impiorum aduerſatur, eoſque culpat & reprehendit; de quo vide S. Auguſt. libr.10. Confeſſ.c.23.

Ivsti svnt omnes sermones mei, non est in eis pravvm qvid, neqve perversvm] Hebr. *in iuſtitia* (Septuag. *cum iuſtitia*) *ſunt omnia verba oris mei; nihil in eis implicatum & tortuoſum*.

Probat ſapientia ſe loqui veritatem, quia loquitur

tur iuſtitiam: veritas enim practica non eſt aliud quàm iuſtitia, &c. rectitudo actionum vitę & morum.

VERS. 9. RECTI SVNT INTELLIGENTIBVS, ET ÆQVI INVENIENTIBVS SCIENTIAM] q. d. Sermones mei *recti*, id eſt, iuſti & æqui, in ſe ſunt, taleſque videntur iis qui verè ſunt intelligentes, quique ſtudio & vſu inueniunt & acquirunt ſcientiam agibilium, hoc eſt, prudentiam. Vatabl. vertit, *rectos reddunt eos qui inueniunt ſcientiam.* Poteſt Secundò, rectitudo hîc accipi pro candore & ſinceritate, vt opponatur ſimulationi & hypocriſi, quæ verbis obliquis, implicatis, circumtortis ſuam nequitiã velat & obtegit. q. d. Loquar candidè, ſincerè, apertè, ſine fuco, quia nihil in me eſt prauum & peruerſum, id eſt, ſimulatum, fucatum & fictum. Tertiò, Hebr. נְכֹחִים *nechochim* non tantùm rectos, ſed & ante oculos poſitos, claros & perſpicuos ſignificat. Vnde Vatabl. vertit, *obuii ſunt intelligenti*; Septuag. *præſentes ſunt intelligentibus*; Chaldęus, *manifeſti ſunt viro intelligenti & comperti ei qui expetit ſcientiam*; Syrus, *manifeſti ſunt ei qui hæc ſcire deſiderat*. q. d. Sermones mei plani, faciles & euidentes ſunt iis, qui rationem & prudentiam, non verò erroneum concupiſcentię iudicium ſequuntur. Vnde auctor Catenæ Græcor. duas vltimas expoſitiones iungens ſic explicat. q. d. *Doctrina mea nihil continet ſophiſticum, nihil perplexum, nihil tortuoſum; omnia quæ tradit ſunt recta & plana: omnia ſana & manifeſta: nihil illa continet fucatum, nihil ſubdolum, nihil germana ſinceritate deſtitutum.*

Solent oratores in exordio orationis conciliare ſibi auditorum attentionem, docilitatem & beneuolentiam, ſiue eos facere attentos, dociles & beneuolos. Attentos, promittendo ſe dicturos de rebus magnis, raris, vtiliſſimis, imò neceſſariis. Dociles, promittendo ſe dicturos clarè, breuiter & methodicè, vt ab omnibus facilè capi & intelligi poſſint. Beneuolos, promittendo ſe dicturos pulchra, grata, iucunda. Ita Salomon hîc, ſiue ſapientia, attentionem ſibi conciliauit v. 6. pollicendo ſe de rebus magnis locuturum. Docilitatem hîc conciliat, pollicendo ſe clarè & perſpicuè dicturum & docturum. Beneuolentiam conciliat v. 11. dicens: *Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis.* Et v. 18. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia, &c.*

VERS. 10. ACCIPITE DISCIPLINAM (hebr. מוּסָר *muſar* id eſt, eruditionem & correptionem) MEAM, ET NON PECVNIAM: DOCTRINAM MAGIS QVAM AVRVM (codices antiqui habent, *quàm theſaurum*) ELIGITE] Hebr. *& ſcientiam præ auro electo*; Septuag. *& ſcientiam ſuper aurum probatum*; Chald. *conflatum*; Syrus *puriſſimum*. Senſus eſt q. d. Capeſſite mea hęc ſacræ Ethices dogmata, eaque præferte omni pecuniæ. Non ergo vetat omnino ſtudium pecunię congregandę: hoc enim habent reges, mercatores Chriſtiani & patresfamilias, quorum eſt theſaurizare filiis, vt ait Apoſtol. 2. Corinth. 12. 14. ſed confert tantùm & præfert diſciplinam pecuniæ. Vnde comparationem hanc explicans ſubdit: *Doctrinam magis quàm aurum eligite*. q. d. Studete magis colligendæ ſapientiæ & virtuti, quàm nummis & auro, virtus enim omne aurum ſuperat. Hebræi enim dum duas res inter ſe comparant, maiorem aſſerunt, minorem negant; quæ negatio comparatiuè accipiẽda eſt, vt ſignificet minorem rem poſtponendam maiori: vt cùm Dominus ait Oſee 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*; negatio hęc nõ ſignificat Deum nolle vel odiſſe ſacrificium; cùm ipſe illud ſanxerit in Leuitico, ſed tantùm notat Deum malle & pluris facere miſericordiam quàm ſacrificium. Negatio ergo hęc non negationẽ, ſed comparationem & poſtpoſitionẽ ſignificat. Cùm ergo maior pars hominum inhiet diuitiis, eiſque primum, imò ferè totum ſtudium impendat, dicatque illud: *O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm eſt, virtus poſt nummos*; Sapiens & ſapiẽtia prępoſterum hoc hominum iudicium corrigit, dicitque: *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, Matth. 6. 33.

Secundò, aliqui negationem hîc propriè accipiunt, quaſi ſapientia hîc dehortetur à ſtudio opum, & adhortetur ad ſtudium virtutum. q. d. Nolite ſtudere congerendis opibus, ſed virtutibus, qui enim ſtudent opibus, facilè propter illas feſta, iuſtitiam, aliaſque Dei leges violant. Hic ſenſus eſt verus, ſed prior magis ex phraſi & mente Script. Vnde ſequitur: *Melior eſt enim ſapientia cunctis opibus.*

Tertiò, noſter Pineda libr. 4. de Rebus Salom. c. 18 acutè notat *aurum* hoc loco hebr. vocari חָרוּץ *charuts*, id eſt, præciſum vel ſeparatum, id eſt, purgatiſſimum; quod Latini vocãt *obryzum*, quaſi ad obruſam examinatum & à ſcoria expurgatum; vt ſenſus ſit q. d. Sicut aurum ex etymo ſui nominis eligitur, ſecernitur & ſeparatur ab omni alia inutili & viliori materia: ſic multò maiori iure vos, ô veritatis amatores, veram & ſalutarem ſapientiam eligite, eamque ſecernite à doctrinis falſis & peregrinis, atque ab erroribus, quos ſuggerit mundus, caro & diabolus.

VERS. 11. MELIOR EST ENIM SAPIENTIA CVNCTIS PRETIOSISSIMIS (hebr. מִפְּנִינִים *mippeninim*, id eſt, *præ margaritis*; Symmach. *intimis*; R. Salomon, *præ gemmis & lapidibus pretioſis*) ET OMNE DESIDERABILE EI NON POTEST COMPARARI] quia ipſa eſt ordinis cæleſtis & diuini: ergo omne terræ, etiam totius pretium longè ſuperat. Vnde Septuag. *omne autem pretioſum non eſt illa dignum*; perinde ac non eſt dignum, imò indignum, lutum comparari cum auro; Syrus, *præſtantior enim eſt ſapientia auro puriſſimo & melior gemmis, & nihil eſt illi æquale.* Dicit ergo ſapientia & virtus: Ego ſum pretium, & quidẽ eximium, quo homines mortales ad immortalitatem perueniunt. Ego gemma pura & ſplendida, qua animę ſanctę exornantur. Ego theſaurus, cuius poſſeſſione omnes angeli & Sancti diteſcunt. Ego altitudo, ex qua tum cęleſtia, tum terreſtria conſpiciunt, & quale vnumquodque ſit manifeſtè cognoſcunt. Ego claritas è ſole iuſtitię ad mortales delapſa, ciuitas regis magni, & imago pulcherrima regni cęlorum. Per me homines antea inimici, ſe in Dei amicitiam ac familiaritatem inſinuant; & animę ſanctæ ad filiarum & ſponſarum Dei dignitatem aſcendunt, & felicitatem omnem huic mortali vitæ cognatam acquirunt. Ego inter vniuerſa Dei opera euidenter emineo, cuius poſſeſſionẽ ſolis chariſſimis ſcio eſſe conceſſam, qua templum Dei fiant, & omnis fœditatis impuritatem abiiciãt. Mecum ſunt diuitię & gloria, purę deliciæ & iuſtitia.

VERS. 12. EGO SAPIENTIA HABITO IN CONSILIO, ET ERVDITIS INTERSVM COGITATIONIBVS] *Eruditis*, id eſt, ſapientibus & prudentibus, putà, honeſtis, piis ſanctis. Nam, vt initio dixi, ſapientia,

id

id eſt, honeſtas & virtus, hoc libro nunc vocatur doctrina, nunc intellectus, nunc eruditio, nunc ſcientia, nunc diſcipiina, &c.

Commendauit hucuſque ſe ſapientia, ſuiq; deſiderium auditoribus excitauit, nunc deſiderantibus locum domumque ſuam oſtendit, vt ad eam tendant, ibique eius compotes fiant. Ait ergo: *Ego ſapientia habito in conſilio*; hebr. עָרְמָה, *orma*, id eſt, *in aſtutia*, vel *cum aſtutia*, vel *aſtutiam*, vt vertit Symmach. omnibus enim his modis verti poteſt. Per *aſtutiam* accipe cautionem, ſolertiam, conſilium, circumſpectionem, prouidentiam, vti dixi cap. 1. 4. Vnde Septuaginta vertunt, *ego ſapientia habitaui conſilium*; Pagnin. *ego habitaui cum aſtutia*; Tigurina, *ego cohabito ſolertiæ*. q. d. Numquam me deſerit ſolertia, inquit Vatabl. & Aben Ezra: Sapientia, inquit, opus habet ſolertia, ſine qua illa conſiſtere nequit. Aut q. d. Ego ſapientia calleo perſpectamque habeo calliditatem, ac ſi in illius meditullio ſtationem haberem: ipſa etiam deſcẽdo ad extremũ cognitionis omnis ſolertis cogitationis. Senſus ergo eſt; q. d. Quicumque me concupiſcitis, & quęritis locum habitationis meę, adite domum prudẽtiæ, ſiue ſolertiæ & conſilij: ibi me docentem audietis; ibi enim eſt thronus meus: ibi ſum præſens; imò ſedeo regina & præſes, vt omnia conſultè, ſolerter, circumſpectè & ſapienter dirigam & moderer. Vnde hoc ſuum officium explicans ſubdit: *Et eruditis interſum cogitationibus*. Interſum quaſi prǽſes, id eſt, prǽſum. Sic Seneca ait: *Cum præeſſe nobis Deum & intereſſe probaremus*. q. d. Ego ſum quę omnes ſapientes, honeſtas & ſanctas cogitationes, ſermones & actiones dirigo, imò ſuggero, ſuadeo & impero. Hebr. eſt, *ego ſcientiam cogitationum inuenio*, id eſt, vt Vatabl. ego ſola inuenio bonas & ſanctas cogitationes. Ego enim ſum omnis conſilij, omnis honeſtatis, omnis virtutis præſes, imò doctrix & dictatrix. Vnde Septuag. *ſcientiam & cogitationem ego inuocaui*, id eſt, euocaui, è mente mea elicui & produxi; & Syrus, *ego creaui aſtutiam, & cognitionem, & conſilium ego acquiro* Chald. *inuenio*, R. Salomon, *ego habito iuxta ſolertiam*. Cùm enim, inquit, legis cognitione quis præditus fuerit, erga res omnes ſolertia & acumine imbuitur. Habitat ergo ſapientia in conſilio, quia habitat in corde ſapientis & iuſti, vbi ſana & recta conſilia excogitantur; vt ea excitet atque promoueat.

Porrò auctor Catenæ Græcor. *Per conſilium ſanum*, inquit, *voluntatis circa piacula electionem hoc loco inſinuat: per cogitationem autem & cognitionem, accuratam circa cetera conſiderationem*. Et mox: *Siquidẽ hîc, nempe in cæleſtium rerũ meditatione, quaſi in propria ſede dego: ibiq; nimirum in rerũ externarum conſideratione quaſi in tabernaculis habito*. Antiſtropha Salomonis eſt Chriſti, qui eſt Sapientia incarnata, ſententias *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*; vt tractent Chriſtiana, honeſta, eaque quę Chriſti ſunt, *ibi ſum in medio eorum*, Matth. 18. 20. Et illa: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ioan. 14. 23.

Antiqui codices legunt, *ego habito in concilio*, quod eòdem redit: in concilio enim ſapientum ſęnatorum agitur vigetque conſilium. Vnde Cicero agens de ſenatu & ſenatuſconſulto libr. 3. de Legibus: *Senatori*, inquit, *tria iuſſa ſunt: vt adſit, nã grauitatem res habet, cum frequens ordo eſt: vt loco dicat, id*

A *eſt rogatus: vt modò, ne ſit infinitus*. R. Leui videtur hæc referre ad ſcholas & academias; ſic enim explicat: *Ego ſapientia in loca inhabito in quibus reperitur ſolertia, ſtudiorumq; rationes, ordines nimirum, qui à Logica præſcribuntur*. Aptiùs referas ad Synodos, ad collationes Patrum, &c.

Myſticè, hęc aptè congruunt B. Virgini. Primò, quia ipſa pręeſt in Concilijs & pijs congregationibus ipſius nomine & honore erectis: ex quibus admirabilis in totam Eccleſiam redundat fructus, adeoq; experientia docet, per hoſce cœtus multis in locis fidem orthodoxam reſtitutam, pietatem auitam reuocatam, accenſum bonorum omnium ſtudium & zelum. Id liquet ex ſodalitate Roſarij, quam iuſſu B. Virginis S. Dominicus Ordinis Prędicatorũ fundator inſtituit, per quem ipſe mira in
B omni hominum genere ad Dei gloriam effecit, & etiamnum per ſui Ordinis alumnos efficere pergit. Romæ in baſilica S. Mariæ Maioris præclariſſima ſodalitas, vulgò dicta *Confalonis*, eſt erecta, quæ ad S. Bonauenturam ſuam refert inſtitutionem, cuius induſtria Vrbs quorumdam ſtudio diu exata, ſuo ſplendore eſt reſtituta tempore Clementis VI anno Iubilei 1350. Plura de Sodalitium B. Virginis erectione, vſu, fructu, numero, ſplendore vide apud noſtrum P. Antonium Spinellum in Mariali cap. 40.

Secundò, B. Virgo pręeſt ſanctis cogitationibus & conſilijs de vita emendanda, de capeſſendo ſancto vitę ſtatu, de amplectendis conſilijs Euangelicis, de ineunda perfectionis via, de conſectandis heroicis virtutum actibus.

Oculatus huius rei ſum teſtis. Cùm enim ante
C viginti annos agerem Confeſſarium in æde B. Virginis Aſperi collis iuxta Louaniũ, ac confeſſiones peregrinorũ cò quotidie turmatim per centenos, imò millenos confluentium exciperem, multi ſua virtutis conſilia & vota per B. Virginẽ tranſigenda mecum communicarunt. Hic enim dictitabat ſe hanc peregrinationem ſuſcepiſſe, vt B. Virginem conſuleret de ſtatu vitæ capeſſendo. Ille, vt virginitatem ei offeret & dicaret. Ille, vt Religionem ingrederetur. Alius, vt remedium ſcrupulorum, aliarumque tentationum à B. Virgine poſceret. Alius, vt è ſalebris amorum & peccatorum emergeret. Alius, vt opus aliquod heroicum conficeret. Alius, vt lites rixaſque ope ductuque B. Virginis componeret, &c. ſe eam religioſè adire, ſuaque ei vota offerre affirmabãt. In Aſpero colle ergo quaſi è ſummo vertice, vti dixit v. 2. clamat Deipara, om-
D neſque ad ſe aduocat, vt ſana omnis honeſtatis conſilia doceat & ſuggerat. Vide noſtrum Hier. Platum lib. 1. de Bono ſtatus Religioſi cap. 24. vbi oſtendit B. Virginem primam omnium vitam Religioſam in paupertate, caſtitate & obedientia egiſſe, eiuſque exemplar poſteris dediſſe, atq; ideo illam tum Ordines omnes, tum Religioſos ſingulos peculiari cura & amore complecti, imò ipſam omnes Ordines excitaſſe: idque nominatim de Carthuſienſi, Carmelitano, Dominicano, Franciſcano, Oliuetano, Hieronymiano, ac Societate Ieſu ex ipſorum chronicis demonſtrat.

Tertiò, B. Virgo præeſt eruditis & eruditioni cuilibet. S. Gregorius Thaumaturgus Neocæſar. Epiſcopus, qui S. Macrinam, & per eã S. Baſilium, in fide & pietate inſtruxit, iuſſu B. Virginis edoctus fuit à S. Ioanne Apoſtolo, qui per viſum apparens tradidit ei Symbolum, cuius ope ipſe cum populo

populo ab omni Arrij aliorumque hæreticorum errore permanſit intactus, vti refert S. Gregorius Nyſſenus in eius Vita. Ipſa S. Cyrillum contra Neſtorium docentem B. Virginem eſſe Chriſtiparam, non Deiparam, non tantùm erudiuit, ſed & armauit, effecitque vt Neſtorij blaſphema lingua computreſceret, iſque miſerè infelicem animam exhalaret. Ipſa S. Ioannem Damaſcenum contra Copronymum, Leonem Iſaurum ceteroſq; iconoclaſtas ad eos debellãdos inſtruxit. Ipſa S. Dominicũ contra Albigenſes inſtituit, effecitque vt hæreſim per ſe & ſuos aboleret. Denique celebre illud Eccleſiæ in officio Deiparę elogium: *Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo.* Taceo Rupertum Abbatem Tuitienſem, Albertum Magnum, Hermannum Contractum Comitem, pluresque alios, qui cùm rudi eſſent ingenio, ope Virginis acumen mentis, quin & Philoſophię, S. Script. Theologię, aliarumque ſcientiarum peritiam inſignem ſunt adepti. Deniq; S. Ambroſ. libr. de Inſtitut. virg. cap. 7. loquens de Deipara: *Eadem*, inquit, *poſtea Ioanni Euangeliſtæ eſt tradita coniugium neſcienti. Vnde non mirũ prę ceteris locutum myſteria diuina, cui præſtò erat aula cæleſtium ſacramentorum.* Et Rupert. lib. 1. in Cant. *Horum*, inquit, *diſcernendorum vtique magiſtram te eſſe oportebat, ò B. Maria & magiſtra magiſtrorum, id eſt, Apoſtolorum, iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt in perpetuum de Libano.*

Quàm vtile pia voluere. Tropol. diſce hìc vtiliſſimum eſſe erudita, id eſt, honeſta ſanctaque, cogitare, legere, audire, loqui. Huic enim cogitationi, lectioni & collocutioni quaſi rerum ad ſe pertinentium, inſerit & immiſcet ſe ſapientia, putà, Deus ipſe, ideoque eam promouet, auget, perficit per lumina, quæ intellectui immittit, & per pios impulſus, quos voluntati afflat. Ita diſcipulis eũtibus in Emaus ac de Chriſti morte loquentibus Chriſtus ipſe ſe immiſcuit, ſuamque reſurrectionem & gloriam oſtendit, Lucæ 24. Ita S. Antonius audiẽs legi in eccleſia: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus?* illudque meditans mundo valedixit, Deoque totum ſe in vita monaſtica conſecrauit. *Exempla.* Eãdem ſententia eodem modo à ſæculari conuerſatione ad vitæ perfectæ ſtudium traductus eſt S. Frãciſcus. Ita viciſſim S. Auguſtinus audiens à Potitiano vitam S. Anton. ij, eamque ruminans, ſeſe ad continentiam, imò ad æmulationem S. Antonij conuertit, vti ipſe refert lib. 8. Confeſſ. cap. 6 & 7. Ita S. Simeon Stilites cogitans illud quod in Miſſa legi audiebat: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; non tantùm paupertatem Euangelicam amplexus eſt, ſed & columnam quaſi ad cælum conſcenſurus aſcendit. Ita S. Ioannes Columbinus legens trutinanſque vitam S. Mariæ Ægyptiacę, non tantùm vitę perfectæ ſe dedit, ſed & Ordinem Ieſuatorum inſtituit. Ita S. Ignatius fundator Societatis noſtræ, à ſæculo ad Deum conuerſus eſt lectitans in lecto, cùm è vulnere decumberet, animoque voluens vitas & geſta heroica Sanctorum.

VERS. 13. TIMOR DOMINI ODIT MALVM: ARROGANTIAM, ET SVPERBIAM, ET VIAM PRAVAM, ET OS BILINGVE (Syrus, *peruerſum*) DETESTOR] Tigur. *timor Domini odium mali eſt* (Vatabl. *odiſſe malum eſt*) *faſtum & arrogantiam, & os peruerſum ego odi*; Bayn9 *ſuperbiam & ſuperbum, & viam mali, & os verſutiarum deteſtor*; Pagnin. *& os loquens peruerſitates odiui.* Probat ſapientia ſe eruditis, id eſt, ſapientibus, honeſtis &, bonis, cogitationibus, ac conſequenter locutionibus & actionibus, quæ ex cogitationibus manant, intereſſe, imò pręeſſe, à contrario: quia ſcilicet timor Dei, quẽ ipſa habet, quemque ipſa dixit cap. 1. 7. eſſe principium ſapientiæ, odit omne malum, id eſt, omnem ineruditionem, ſiue omnem inſipientiam, inhoneſtatem, malitiam. Quocirca ego inprimis, inquit, deteſtor *arrogantiam & ſuperbiam*: hæc enim eſt origo omnis peccati, iuxta illud: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, Eccli. 10. 15.

Rurſum deteſtor omnem *viam*, id eſt, actionem & conſuetudinem, *prauam*; item *os bilingue*, id eſt, fraudulentum, mendax, detractorium; quod ore ſimulat amicitiã, cùm corde tegat inimicitiam. Dixit ſe odiſſe malum: id probat per ternas mali ſpecies, quas ipſa deteſtatur. Ait enim ſe deteſtari *arrogantiam* quę eſt in mente; prauitatem, quæ eſt in via, id eſt, actione; & dolum, qui eſt in ore. Huic ſimile eſt illud Eccli. c. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum, &c. Iracundia enim animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt.* Et cap. 15. 7. *Longè enim abeſt à ſuperbia & dolo*, conſule quæ illis locis dixi.

Apologus Satyri. Huc facit apologus hominis & Satyri apud Æſopum. Homo quidam, inquit, cum Satyro mira ſocietate, vnà cum eo comedebat. Hiems verò & frigus cùm foret, homo manus ſuas admotas ori afflabat. Rogãte autem Satyro, quam ob cauſam hoc faceret, ait: Manus meas calefacio propter frigus. Sed paulò pòſt edulio calido allato, homo admotũ ori inſufflabat in ipſum. Cõſulente rurſus quare id faceret, ait, Ferculum frigefacio. Suſcepto ſermone Satyrus, *Sed ego*, ait, *ex nunc renuntio tuæ amicitiæ: quia ex eodem ore & calidum emittis & frigidum.* Affabulatio. Fabula ſignificat, fugere nos amicitias oportere, quarum anceps eſt affectio.

Antiſtropha Salomoni eſt illa Chriſti ſententia: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris*, Matth. 11. & illa. *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum* Matt. 18 3. & illa: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Lucæ 14. 11.

B. Virgo odit ſuperbos. Myſticè, B. Virgo timore & amore Dei plena odit malum, ſed præſertim arrogantiam & ſuperbiam deteſtatur, eò quòd ipſa ſit humillima, ac humilitatem & humiles ſummè amet. Sciebat enim humilitatem eſſe virtutem, quæ propriè diuinæ debita eſt maieſtati, vt ait S. Bernard. Infinita enim illa creatoris celſitudo & maieſtas infinitam iure ſuo poſcit ſub ſe creaturæ inclinationẽ & humiliationem. Sciebat Euam per ſuperbiam diſplicuiſſe Deo, ideoque per humilitatem ſibi placendum eſſe Deo. Vnde S. Augu. tract. ſuper *Magnificat: Eua*, inquit, *propter ſuperbiam abiecta, Maria propter humilitatem electa: ſuperbam Deus deſpexit, & humilem aſpexit, id quod ſuperba perdidit, humilis recepit.* Et Ven. Beda hom. in 6. feria 4. tempor. Decemb. *Decebat*, inquit, *vt ſicut per ſuperbiam Euæ mors intrauit, ita per humilitatem Marię panderetur introitus vitę.* Sciebat filium ſuum per humilitatem ſummam reparaturum mundum, ideoque deitatem ſuam inclinaturum vſque ad carnem mortalem, imò vſque ad flagella, crucem & mortem. Huic ergo ipſa ſe adaptare, & quaſi præire viamque ſternere debuit præſertim quia, ſicut ſuperbæ matres filijs ingenerant ſuperbiam, altoſque ſpiritus; ſic humiles ſuis ingenerant ſpiritus placidos & ſubmiſſos.

Vnde

Vnde noſter Caniſius l.4. Marial. c.8. *Mater*, inquit, *a filio haudquaquam degenerauit, ſed filius potiùs matris indolem ac naturam expreſſit*. Solent enim infantes magis matrizare quàm patriſſare, id eſt, magis matrem referre & ſequi quàm patrem. Quocirca S. Ambroſ. *Humilem*, inquit, *& mitem paritura, humilitatem debuit ipſa præferre*. Sciebat ipſa diaboli caput, id eſt, ſuperbiam conterendam eſſe ſuâ humilitate, iuxta illud Gen. 3. 15. *Ipſa conteret caput tuum*. Vnde S. Ildephonſus ſer. 2 de Aſſumpt. *Ideo*, inquit, *Chriſtus humilis ad humilem Virginem venit, vt de tam profundâ humilitate triumphum extolleret ſalutis*. Denique ſciebat illud Eccleſiaſt. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*. Vnde S. Bernard. ſerm. in illud Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cælo: Cùm Maria*, inquit, *quanto maior erat humiliaret ſe in omnibus, certè humiliata eſt præ omnibus, quia maior omnibus extitit. Quapropter meritò facta eſt nouiſſima prima, quæ cùm prima eſſet omnium ſe nouiſſimam eſſiciebat: meritò facta eſt omnium domina, quæ ſe omnium exhibuit ancillam. Magna enim prorſus & rara virtus eſt humilitas honorata*: ait idem S. Bernard. ſer. 4. ſuper *miſſus eſt*; præſertim ſi illa ſumma ſit in ſummo honore, vt ſcilicet mater Dei ſentiat & dicat ſe ancillam, vt virgo ſtet inter corruptas, cum iiſque quaſi impura purificetur, vti B. Virgo fecit in feſto Purificationis; vt omnium prima faciat ſe omnium vltimam, vt ipſa fecit in conſeſſu fidelium in Pentecoſte, Act. 1. v. 14. vt in tot donis & prærogatiuis nihil ſibi tribuat, ſed totum Deo eiuſque gratiæ refundat, vti ipſa fecit dicendo: *Magnificat anima mea Dominum, &c. quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Reſpexit humilitatem* (græcè ταπείνωσιν, id eſt, abiectionem, vilitatem: verè enim humilis non vult humilis æſtimari, ſed vilis reputari) *ancillæ ſuæ*: vnde hâc humilitate meruit fieri mater Dei. Ipſa enim *humilitate concepit filium Dei, virginitate peperit*, ait S. Bernardus. Et S. Ildephonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. *B. Virgo*, inquit, *humiliat ſe in cunctis, vt totam ſuſcipiat in ſe gratiam conditoris: quia quod per partes alijs datum eſt, tota ſimul in eam venit gratiæ plenitudo, quia ſcilicet multum ſe humiliauit inter immenſa dona, inter diuinitatis commercia*.

Rurſum S. Bernard. ſerm. 1. ſuper *miſſus eſt*: *Nec mediocriter*, inquit, *Deo placet illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: ſed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitati exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem*: Idem ſer. 2. de Aduentu: *O Virgo*, inquit, *virga ſublimis, in quàm ſublime verticem ſanctum erigis! vſque ad ſedentem in throno, vſque ad Dominum maieſtatis: neque enim id mirum; quoniam in altũ mittis radices humilitatis*.

Mores B. Virginis.

Denique S. Ambroſ. paucis perſtringens humilis Virginis mores l. 2. de Virgin. *Virgo*, inquit, *erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendo parcior, legendi ſtudioſior, nõ in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere, nullũ lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem*. Et mox: *Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, nõ vox petulantior; vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis*. Et S. Aug. ſerm. 35. de Sanctis poſt medium: *O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradiſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O, inquam, verè glorioſa Mariæ humilitas, quæ porta paradiſi efficitur, ſcala cæli conſtituitur. Facta eſt certè humilitas Mariæ ſcala cæleſtis, per quam deſcendit Deus ad terras. Quia reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.

Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo] Caiet. *potentia*; S. Proſper *virtus*. Pro *æquitas*, hebr. eſt תּוּשִׁיָּה *tuſcia*; quod Septuag. vertunt, *ſecuritas*; S. Proſper. l. 1. de Vocat. Gentium c. 9. *tutela*; Aquila, εὐνομία, id eſt, *bona legum inſtitutio*; Syrus, *doctrina*; Chald. *cogitatio*; Tigur. *eſſentia*; Pagnin. & Baynus, *lex*; Caiet. *ſtatutum*; alij, *conſtantia*; alij, *ſapientia*; alij *fortuna*; alij *efficacia*. Vide quæ de *tuſcia* dixi c. 2. 7. vbi dixi *tuſcia* ſignificare eſſentiam, indeq; legem & æquitatem conformem ipſi naturæ rerum, ſiue ipſi eſſentiæ & iuſtitiæ: hinc addit: *Mea eſt prudentia*, hebr. אֲנִי בִינָה *ani bina*, id eſt, *ego ſum intelligentia* & ſapientia, ſcilicet, quæ omnia cum ratione ſapienter ordino, decerno, iubeo. Verſ. 14.

Redit ſapientia ad id, quod dixit v. 12. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus*: quia ſcilicet mei iuris, mei dominij eſt conſilium, ad me pertinet, imò ex me proficiſcitur & manat, ac conſequenter mea eſt æquitas, mea prudentia, mea fortitudo. Hæ enim conſilij & ſapientiæ ſunt comites, imò partes. Vera enim ſapientia & prudentia non eſt, niſi ſit æqua, & iuſtitiæ æquitatique coniuncta. Idem dicas de fortitudine. Sapientia enim nõ eſt temeritas, nec temerè agit, ſed conſultò & prudenter, ideoq; fortiter. Nihil enim agit niſi cuius rationes & modos ritè exequendi, remque perficiendi, optimè præuiderit & perſpexerit, indeque fortiter rem exequitur & perficit. Hinc de Romanis dicitur, quòd obtinuerunt & *poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientia*, 1. Machab. 8. 3. Adde, ſapientiam aſciſcere ſibi comitem fortitudinem: hæc enim illi neceſſaria eſt inſtar brachij, vt cum acrimonia comprimat vitia, & ſubditos in officio legum ſuarum contineat.

Myſticè, noſter Caniſius, & ex eo Salazar: *B. Virgini*, inquit, *competunt tria, quæ ſtulti Græci in ſua Minerua* (dea ſapientiæ) *velut eximia prædicant: ſcilicet virginitas, prudentia & fortitudo*. Et mox eam cõparat Pentheſileæ Amazonum ducíſſæ. *Hæc Virgo*, inquit, *Amazonum, id eſt ſine mammis mulierum, optimam ſe ducem præbet. Siquidem prima eſt quæ hanc virginitatis ſemitam ingreſſa fuit, quamq; innumerabiles puellarum verè Amazonum copiæ ſunt ſecutæ*.

Rurſum S. Bonauent. ſer. 1. de B. Virgine: *Virgo*, inquit, *fuit cælum, putà firmamentum, vniformiter ſemper motum per patientiæ firmitatem. Nam licet in ea aquæ inferiores, id eſt, vires ſenſitiuæ & ſenſibiles, fortiſſimè fuerint concuſſæ in filij paſſione; ſuperiores tamen à ſua non fuerunt pace commotæ. Et licet ſentina nauis, id eſt pars ſenſibilis, repleta fuerit aquis maris, pars tamen ſuperior nauis ſemper ventis proſperis nauigauit*.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Sapientia promittendo opes, gloriam, iuſtitiam, &c. omnes ad ſe inuitat.

Vers. 15. PER ME (Hebr. *in me*) REGES REGNANT, ET LEGVM CONDITORES (Hebr. *principes*; Vatabl. *conſiliarij*; alij, *gubernatores*) IVSTA DECERNVNT] Septuag. *& dynaſtæ ſcribunt iuſtitiã*; Aquila, Symmach. & Theodot. *decernunt iuſtitiam*; Chald. *& potentes vngo iuſtitia*.

Vers. 16. PER ME PRINCIPES IMPERANT, ET POTENTES (Syrus, *iudices iuſti*; Chald. *in rectitudine*) DECERNVNT IVSTITIAM] Pro *potentes* hebr. eſt נְדִיבִים *nedibim*, id eſt, benefici; ita vocantur principes; quia eos decet clementia & beneficentia. Hinc illud Chriſti: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur*, Luc. 22. Vnde Aquila & Symmach. vertunt, ἑκουσιαζόμενοι, id eſt, *magnifici, qui vltrò dant*, Septuag. *per me magnates magnificantur, & tyranni* (id eſt reges & principes) *per me tenent terram*; Pagnin. *per me principes habebunt principatum, & principes omnes iudicant terram*; Tigur. *per me domini dominantur, & omnes iudices terræ munifici ſunt & liberales*; Vatabl. *& nobiles & omnes iudices terræ*, repete, imperant & dominantur.

Sapientia hic ſibi arrogat ius in regna & imperia in reges, principes & magiſtratus omnes, atq; hoc ius educit ex eo quod dixi verſu 14. *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.* Hæ enim ſunt dotes principum & magiſtratuũ; adeoque qui ijs quatuor virtutibus præditi ſunt, digni ſunt magiſtratu & principatu, ac ſæpe ad eum euehuntur.

Igitur per ſapientiã regnant reges & principes. Primò, quia omnes à ſapientia prima & increata, putà, à Deo, ſuum regendi ius & regnũ accipiunt, iuxta illud Apoſt. Roman. 13. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Deus enim ſummum & infinitũ habet dominium, à quo homines & angeli omne ſuum partiale ius, dominium & regnum accipiunt & participant, non tantùm boni, ſed & mali. Audi S. Auguſt. de Natura boni contra Manich. c. 32. *Item quæ etiam nocentium poteſtas non eſt niſi à Deo, ſicut ſcriptum eſt, loquente ſapientia: Per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram. Dicit & Apoſtolus: Non eſt poteſtas niſi data à Deo. Dignè autem fieri in libro Iob ſcriptum eſt: Qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem propter peruerſitatem populi. Et de populo Iſrael dicit Deus: Dedi eis regem in ira mea.* (Oſee 13.) *Iniuſtum enim nõ eſt, vt improbis accipientibus nocendi poteſtatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Nam per poteſtatem diabolo datam & Iob probatus eſt, vt iuſtus appareret; & Petrus tentatus eſt, vt non de ſe præſumeret; & Paulus colaphizatus, ne ſe extolleret; & Iudas damnatus, vt ſe ſuſpenderet.*

Sapienter quoque noſter Suarez l. 3. de Legibus c. 4. n. 5. & 6. Hęc ſentẽtia, inquit, *per me reges regnant*, duo ſignificat. Primò, hanc poteſtatem ſecundùm ſe ſpectatam eſſe à Deo, & eſſe iuſtam & conformem diuinæ voluntati; Secundò, ſuppoſita tranſlatione huius poteſtatis in regem, iam eum gerere vicem Dei, & ius naturale ac diuinũ obligare, vt pareant illi. Electio huius perſonæ in regem non eſt immediatè à Deo, ſed mediantibus hominibus, ad quos ius eligendi pertinet.

Secundò, quia ſapientia reges illuminat & dirigit, vt regaliter, id eſt, ſapienter, iuſtè & ſanctè, non tyrannicè, id eſt, impotenter, iniuſtè, impiè ſubditos regant. Vnde hanc ſapientiam à Deo poſtulauit & impetrauit Salomon rex Iſrael, 3. Reg. 3. v. 6. Quocirca ſapienter Ariſtides tomo 2. orat. Rhodiaca: *Reges*, ait, *optimè res humanas adminiſtrant, cùm ſe vniuerſi Domino Deo reddunt ſimiles: ciuitates autem, ſi ad principum ſententiam accedant proximè, reguntur optimè.* Quocirca ex hac Salomonis gnome S. Thom. 1. 2. q. 93. art. 3. docet omnem legem regum & principum deriuari à lege æterna; hęc enim idem eſt cum ſapientiâ æternâ. Nam vt idem ait art. 1. ſicut Dei ſapientia, quatenus per eam cuncta ſunt creata, rationem habet exemplaris, vel artis, vel ideæ: ita eadem ſapientia mouens omnia ad debitum finem, habet rationem legis, quare lex æterna nil aliud eſt, quàm Dei ſapientia, ſecundùm quod eſt directiua omnium actionum & motionum.

Tertiò, quia viri ſapientes ſolent eligi & euehi ad gubernacula reip. ſapientia enim hic non tantùm Ethicam, ſed & Oeconomicam ac Politicam complectitur. Sicut enim Ethica ſapientia regit priuatum quemque, Oeconomica totam domum & familiam; ſic Politica remp. & regnum.

Tropol. auctor Catenæ Græcor. Reges, inquit, ſunt Sancti, qui per ſapientiam prauis animi affectionibus & perturbationibus dominantur. Reges rurſum & magnates ſunt, qui opere & ſermone potentes ſunt. Tyranni tandem, qui carnem laſciuoſque eiuſdem ſenſus acriter opprimunt & edomant.

Allegor. per ſapientiam incarnatam, putà per Chriſtum, etiam qua homo eſt, reges & principes imperant. Primò, quia Dauid, Salomon, ceterique reges Iuda propter Chriſtum ex eis naſciturum, à Deo euecti ſunt ad regnum, ac creati reges. Decebat enim Chriſtum Regem regum è regia ſtirpe naſci, ac continua regum propagine honorari. Ita Rupert. in c. 2. Cantic.

Secundò, Chriſtus Dominus, non ſolùm qua Deus, ſed & qua homo, habuit & habet abſolutum & directum dominium, non tantùm ſpirituale, ſed & temporale: nimirum habuit poteſtatem ſuper omnia regna mundi, per quam poſſet illa moderari, regere & mutare pro arbitrio. Ita docet D. Thom. l. 1. de Regim. princ. c. 22. Turrecremat. l. 2. Summæ Eccleſ. c. 116. S. Antoninus, Almainus & Nauarrus, quos citat & ſequitur Suarez 3 p. q. 22. art. 4. diſp. 48. ſect. 2. vbi docet Chriſtum habuiſſe per ſe & directè excellens & tranſcendens dominium, ac poteſtatem in res omnes creatas & ſuper omnes omnium hominum & angelorum actiones. (*Chriſtus vt homo præeſt angelis toti mundo.*) Hoc enim illi à primo inſtanti conceptionis ſuæ debitum fuiſſe, tum ratione vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, tum ratione redẽptionis & infiniti eius meriti, quo Chriſtus meruit ſummam exaltationem nominis ſui, ad quam pertinet, *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur*. Philip. 2. Quare hoc dominium & regnum Chriſti altioris erat ordinis, quàm ſit dominium regum & principum, adeoque inter illud & ſummum immenſumque Dei in omnia imperium erat quaſi medium. Probat id ex Script. (*Probatur.*) Nam Apoc. 1. Chriſtus vocatur *princeps regum terræ*: poterat ergo Auguſtum Cæſarem, Herodem, ceteroſque reges de thronis

thronis ſuis vt ſummus eorum princeps deponere, alioſque eis ſurrogare: ſed noluit in hac vita hoc ſuo iure vti, quia venerat daturus exemplũ humilitatis, paupertatis & contemptus mundi, ac ſua paſſione redempturus orbẽ. Apoc. 19. *Habet in femore*, id eſt, in humanitate, *ſcriptum: Rex regũ, & Dominus dominantium.* Vnde Apoſtolus Hebr. 2. attribuit Chriſto homini illud pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarũ.* Et 1. Corinth. 15. *Omnia*, inquit, *ſubiecta ſunt ei præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* Matth. vlt. ait Chriſtus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.*

Quocirca S. Cyrill. Alex. initio l. de Recta fide ad Theodoſ. Imp. *Tam pij*, inquit, *& præclari veſtri imperij ſummum præſidiũ eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Nam per illum reges regnant, & potentes ſcribunt iuſtitiam, ſicut ſcriptum eſt. Eſtq; illi potentiſſima voluntas, ſolus & nutus, boni omnis impletio. Diſtribuit autem promptè diligentibus ſe omnia quæ laudabilia, & admirabilia ac eximia. Adhæc quæ dixi demonſtranda ſufficiunt vel ea, quæ veſtræ maieſtati donata ſunt, & adhuc danda, vt credimus. Quòd autem glorioſa in Deum pietas, regijs honoribus immobile ſit fundamentum, etiam ex ipſa ſancta diuinaq; Scriptura docere attentabo, idq; quanta fieri poteſt breuitate.*

B. Virgo regina mundi. Causa Prima.

A Chriſto hoc regnandi & imperandi ius participauit B. Virgo tamquã eius mater. Regis enim mater regina ſit oportet, vti concludit S. Athanaſ. in ſerm. de Deipara. Idque Primò, quia mater in filium regem ius habet maternum, quo ei quaſi filio poteſt pręcipere & imperare: quare hoc quoque ius habuit B. Virgo in Chriſtum. Cùm enim filius naturaliter parentibus ſubiectus ſit, hinc fit vt quæcumque naturaliter habet filius, eadem quoque parentibus cedant & obueniant: Chriſtus autem naturaliter, putà ex vi vnionis hypoſtaticę, habuit dominium in omnia; ergo idem obuenit quoque eius matri. Vnde ipſa à S. Athanaſio, Ruperto, Ildephõſo, Anſelmo, Bernardo & alijs, imò à tota Eccleſia ſalutatur *Regina cæli & terræ, regina hominum & Angelorum.* Audi Damaſcenum orat. 2. de Aſſumptione: *Oportebat Dei matrem ea quæ filij erant, poſſidere, atque ab omnibus rebus conditis vt Dei matrem adorari. Quamquam etiam ſemper ita comparatum eſt, vt hereditas à parentibus ad filios deuoluatur; nunc autem (vt eruditi cuiuſdã viri verbis vtar) ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim filius matri res omnes conditas in ſeruitutem addixit.* Audi & Rupertum in Cant. 4. *Hæc in cælis regina Sanctorum, & in terris regina regnorum eſt: quandoquidem eſt mater regis coronati, quem conſtituit Dominus ſuper opera manuum ſuarum, ac proinde regina conſtituta totum in iure poſſidet filij regnum.*

Secunda.

Secundò, B. Virgo habet hoc omnium dominium, titulo Deiparæ. Tanta enim eſt dignitas & ſublimitas eſſe matrem Dei, vt poſcat dominium omnium quę in Dei ſunt poteſtate, & à Deo creata ſunt. Vnde S. Aug. ſer. 35. de Sanctis: *Quid dicã*, inquit, *pauper ingenio? cùm de te quidquid dixero, minor laus eſt quàm tua dignitas meretur. Si cælum te vocem: altior es. Si matrem gentium dicam: præcedis. Si formam Dei appellem: digna exiſtis. Si dominam angelorũ vocitem: per omnia te eſſe probaris.* Et S. Methodius ſerm. de Purificatione: *Euge*, inquit, *quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur: Deo enim vniuerſi debemus, tibi autem etiam ille debet.*

Tertia.

Tertiò, quia Chriſtus ſummè honorat matrem, ideoq; hoc dominium vltrò & liberaliter ei communicat. Ita Hippolytus orat. de ſanctificatione: *Qui dixit*, inquit, *Honora patrem & matrem, vt decretum à ſe promulgatum obſeruaret, omnem gratiam matri & honorem impertit.* Et S. Bernard. ſer. 2. ſuper *miſſus eſt*: *Deus*, inquit, *cui ſubditi ſunt angeli, Principatus & Poteſtates, ſubditus erat Mariæ & Ioſeph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid ampliùs mireris, ſiue filij Dei benigniſſimam dignationem, ſiue matris excellentiſſimã dignitatem. Vtrimque ſtupor, vtrimque miraculum: & quòd Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo, & quòd Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.* Pluribus hæc confirmat Salazar.

Quarta.

Quartò, quia fideles omnes hoc ius, hunc titulum deferunt vltrò Deiparæ. Vnde omnes gentes ſua lingua eam vocant & inuocant *Dominam*, idq; ſignificat nomen *Maria*, vti oſtendi Exodi 15. 20.

Conſtantinopolis B. Virgini dicata.

Quocirca Conſtantinus Imp. ædificatã vrbe Byzantio, quæ deinde ab eo Conſtantinopolis eſt dicta, illam per Epiſcopos eò conuocatos ſolemni ritu B. Virgini dedicauit. Ita Zonaras l. 3. Annal. & Nicephorus l. 8. c. 26. *Encænia*, inquit, *& conſecrationis feſtum diem celebrant, incruento ſacrificio operantur, precibus votiſq; vrbem abundè proſequuntur & firmant, eamdemq; Dei genitrici dedicant, nouam Romã imperantemq; Conſtantinopolim cognominantes, Alexandro tum Byzantij Eccleſiam regente.* Addit Gregor. Turon. de Gloria Mart. c. 9. in eius fabrica ope B. Virginis tres pueros in altum extuliſſe tres columnas, quæ præ magnitudine nulla vi, nullis machinis attolli poterant. Hinc & B. Virgo Conſtantinopolim quaſi ſuam ſæpè ab Hunnis, Auaribus, alijſque barbaris defendit.

Narſes Iuſtiniani Imp. dux militũ inclytus, qui Gothos ferociſſimos diuturnis victorijs inſolẽtes penitus profligauit, Italiamq; à periculo arrianiſmi, cui illi erant vehementer addicti, & ab eorum tyrannide libertatem aſſeruit anno Domini 553. Deiparæ virginis adeò ſtudioſus fuit, vt eius interceſſione ac peculiari diſtinctione in prælijs inſtructus, ingentes de hoſtibus retulerit victorias.

Ludouicus Pius Caroli Magni filius, templa in Virginis honorẽ conſtruxit; cui ita addictus fuit, vt ne venatum quidem proficiſceretur, niſi ſacram Deiparæ imaginem ſecum ferret vt coram illa in media ſolitudine ſuas funderet preces, auctore Crantzio l. 1. c. 10.

Hungaria regnum Virginis.

Hungaria adeò B. Virgini fuit deuota, vt ipſa *regnum virginis* vocata ſit. Nam S. Stephanus rex Hungariæ ſe ipſum regnumque ſuum, per votum & oblationem in Deiparæ tutelam aſſiduis precibus obtulit: eccleſiam in honorẽ Virginis in Alba regali magnificentiſſimam extruxit, & regia munificentia exornauit: Aſſumptionis feſtum Hungaris celeberrimum eſſe, & diem Dominæ ab ijſdẽ appellari voluit, quos Virgini deuotiſſimos ex inſtitutione S. Stephani & S. Gerardi Martyris Epiſcopi Canadienſis teſtatur Hungarorum capitis ſubmiſſa inclinatio ad nomen Virginis. Ita Bonfinius de Rebus Hungariæ, & noſter Caniſius l. 5. Marial. c. 28.

Ioannes Comnenus Imp. Conſtantinop. victorias inſignes, quas de Scythis alijſque hoſtibus retulit, Virgini Deiparæ acceptas tulit: vnde eidem vota perſoluit inſtituto feſto quod Pazzinacarum vocant, in rei geſtæ monumentum, & grati animi teſtimonium, quas victorias Deiparæ vt vnicæ victrici acceptas referens, eidem religioſum

ſum anno Domini 1123. parauit triumphum, qui à Niceta Choniate ita deſcribitur: *Currus gemmis pretioſiſſimis ornatus à quatuor equis candidiſſimis trahebatur: habenas viris potentiſſimis moderandas, & cognatis ſuis currum curandum dedit. In curru Dei genitricis imaginem collocauit, ipſe crucem manu geſtans currum ſequebatur, & ſanctæ Sophiæ templum ingreſſus, atque in conſpectu omnis populi ob ſucceſſus gratijs Deo actis, in palatium abijt.* Hæc Nicetas.

Idem ante eum fecerat Ioannes cognomento Zamilces, Imp. Conſtantinopolitanus, anno Domini 971. propter ingentem victoriam de Barbaris Deiparæ præſidio partam.

Henricus I. Imper. ſe ſuumque imperium B. Virgini ſubiecit.

India Virgini dicata. Sic Luſitani repertum à Vaſco Gama iter in Indiam, ipſamq; Indiam B. Virgini obtulere: Audi noſtrum Maffeium initio l. 2. Hiſtor. *Patefacta iam India, primùm omnium Emmanuel toto regno ſupplicationes indixit: dein Mariæ Virgini eius nauigationis præſidi extructam ab Henrico principe ædiculã, in ipſo aditu portus Oliſiponenſis miram in amplitudinem extulit, auxitq; Ad eius templi cuſtodiam & ceremonias, & naualis præſertim turbæ ducumq; animos ritè expiandos, eximia ſanctitate monachi acciti è Hieronymiana familia: locus ſumpto à Chriſti incunabilis nomine Bethlehem dictus, inprimis totius Hiſpaniæ, tum ſtructura, tum religione viſendus.* Hæc Maffeius.

Vers. 17. EGO DILIGENTES ME DILIGO (hebr. *diligam*) ET QVI MANE VIGILANT AD ME, INVENIENT ME] Roman. *& quærentes me inuenient*; at Complut. *inuenient gratiam*; S. Ignatius epiſt. ad Mariam Caſſabolitem, *inuenient pacem.*

Promiſit ſapientia ſuis multa & magna, imò regna & imperia, ſuique deſiderium accendit; nunc modum, quo obtineri poſſit, ſuggerit, nimirum dilectionem. Qui enim diligit ex corde ſapientiã & virtutem, ille omnem adhibet laborem & ſtudium ad eam conſequendam, ac difficultates omnes, quæ occurrunt in vincendis cupiditatibus, facilè ſuperat & tranſcendit. Nam *omnia vincit amor.* Et *amanti nihil difficile.*

Porrò ſi de ſapientia increata, vel incarnata, putà de Deo, vel de Chriſto, hæc accipias, clarum eſt illam diligentes ſe diligere; tum quia ipſe vult à nobis diligi, vt nos viciſſim magis diligat, ideoque dilectione & amore ſuo nos præuenit, vt cogat nos ad ſe redamandum, iuxta illud 1. Ioan. 4. *In hoc eſt charitas Dei: non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*, tum quia Deus per dilectionem & charitatem nos eleuat ad ſui amicitiã. Amicitiæ autem prima lex eſt, vt amicus diligat amicum, & viciſſim ab eo diligatur. *Magnes* enim *amoris eſt amor. Si vis amari, ama.*

Quocirca antiſtropha Salomoni eſt illi Chriſti ſententia Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Vnde S. Ignatius ep. ad Mariã Caſſabol. *Facit Deus, Maria,* inquit, *vt tui ſimilis ſim, quæ Ieſum filium Dei amas; quare & ipſe dicit tibi: Ego diligentes me diligo; & qui me quærunt, pacem inuenient.*

Porrò, hîc notanda ſunt amoris paradoxa & axiomata, quæ varijs locis tradit S. Aug. *Amando,* inquit, *non ambulando itur ad Deum. Amandus eſt Deus ea ratione, vt eius amore noſtri obliuiſcamur. Amare Deũ eſt diligere ſeipſum. Minùs Deum amat, qui cum eo aliquid amat, quod non propter ipſum amat. Quiſquis ſeipſum præ Deo amat, nec Deũ, nec ſeipſum amat. Non amatur Deus niſi de Deo. Amans Deum facilè quæ mundi ſunt deſerit. Amando bonũ, boni & meliores efficimur. Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror. Amor bonus vel malus facit affectiones bonas vel malas. Amator Dei mulierũ amore non vincitur. Fecerunt ciuitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui vſque ad contemptum Dei, cæleſtem vero amor Dei vſque ad contemptum ſui.* Ita ipſe l. 14. de Ciuit. c. 28.

ET QVI MANE VIGILANT AD ME, INVENIENT ME] *Manè*, id eſt, citò, maturè, tempeſtiuè, putà à prima ætate, à pueritia, à teneris. Pueri enim cùm ſint tabulæ raſæ, facilè diſcunt, & quod didicerunt vſque ad ſenium retinent, iuxta illud:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Rurſum *manè*, id eſt, diluculo: diluculo enim poſt ſomnum & quietem reſtauratis iam viribus & ſpiritibus, maximè viget mens hominis ad meditandum, ſtudendum, orandum, & ea, quæ virtutis ſunt, obeundum, vti pluribus oſtendi Eccli. 39. 6. & Deuter. 6. 7.

Tertiò, *manè*, id eſt, ſollicitè, per catachreſin. De quibus enim ſolliciti ſumus, illa primò experrectis occurrunt, illa manè cogitamus, machinamur & molimur. Audi S. Bernard. ſer. 69. in Cant. *Et qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. Vides quomodo non ſolùm de amore ſuo certum te reddat, ſed etiam de ſollicitudine ſua, quam pro te gerit, ſi tu ſenſeris ſollicitum ſui. Vigilas tu, vigilat & ille: conſurge in nocte, in principio vigiliarum, accelera quantum vis, etiã ipſas anticipa vigilias, inuenies eum, non præuenies. Temerè in tali negotio, vel prius aliquid tibi tribuis vel plus: nam ille te magis amat & antè.* Sic S. Magdalena amore Chriſti ebria, ſummo manè quærens Chriſtũ in ſepulcro, prima meruit eum videre reſurgentem, eiuſque pedes ſanctiſſimos deoſculari, Ioan. 20. 1. & 16. Vide eius amores, affectus & gemitus graphicè depingentem Origenem hom. de Magdalena.

Notat R. Salomon, pro *inuenient me*, heb. ſcribi יִמְצָאֻנְנִי *imtſaunni*, per duplex *nun*, quorum prius eſt paragogicũ. q. d. *nun*, id eſt, quinquaginta prudentiæ fores illos reperire curabo, qui me requirunt. *Nun* enim index eſt numeri quinquagenarij quem Rabbini partem eſſe volunt rationum quibus prudentia obtinetur. Verùm hoc friuolũ olet rabbiniſmum, & Cabaliſticum videtur.

Myſticè, B. Virgo diligẽtes ſe diligit, ſed longè maiori dilectione, idque Primò, quia ipſius charitas eſt ardentiſſima. Nam Spiritus ſanctus in eam ſuperueniens, *velut ignis ferrum totam decoxit, incanduit & ignivit, ita vt in ea Spiritus ſancti flamma tantùm videatur, nec ſentiatur niſi tantùm ignis amoris Dei & hominis,* ait S. Ildephonſus ſer. 1. de Aſſumpt. *B. Virgo merè nos amat: cuius Cauſa Prima.*

Secũdò, quia ipſa eſt mater Chriſti; quare quos Chriſtus ſummè dilexit, vt vitam pro eis daret, ipſa pariter ſummè diligit, quaſi Chriſti ſui filios, ſuoſque nepotes. *Secunda.* Vnde Origen. to. 1. in Ioan. in præfat. docet *Mariæ filium eſſe Dominum Ieſum Chriſtũ, & præterea omnem eum, qui eſt perfectè Chriſtianus: qui enim huiuſmodi eſt, nõ ampliùs viuit ipſe, ſed in ipſo viuit Chriſtus; & ideo de eo dici poteſt Mariæ: Ecce filius tuus Chriſtus.* B. Petrus Damiani ſer. 1. de Natiu. Virg. *Scio,* inquit, *domina quia benigniſſima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te & per te filius tuus & Deus tuus ſumma dilectione dilexit. Quis ſcit quoties refrigeras irã iudicis, cùm iuſtitiæ virtus à præſentia deitatis egreditur? In manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini, & ſola electa es cui tanta gratia conceditur.* Addit ſum-

ſummum amorem Virginis iunctum eſſe ſummæ potentiæ & efficaciæ: *Fecit*, inquit, *in te magna, qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Cauſam ſubdit: *Quomodo illa poteſtas tua potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non ſolum rogans, ſed imperans; Domina, non ancilla.*

Tertiò. Tertiò, quia vnus, idemque eſt habitus charitatis, quo diligitur Deus & proximus, teſte S. Thoma 2.2.q.25.art.1. Cùm ergo habitus charitatis, quo diligit Deum, ſit maximus in Deipara; ſequitur & habitum (ac conſequenter actum, qui habitui adæquatur) quo diligit homines, in eâdem eſſe maximum. Nos ergo diligimus eâ habitu & actu intenſo v.g. vt octo, illa autem nos diligit habitu & actu intenſo vt millio, ſiue vt millies milleſies, quantum ergo millio ſuperat octonarium, tantum dilectio Virginis ſuperat noſtram. B

Quartò. Quartò, quia Chriſtus Deiparam præfecit Eccleſiæ & fidelibus, vt eorum ſit regina, patrona & mater. Sicut ergo Chriſtus à S. Petro, dum eum præfecit Eccleſiæ, ſummum præ alijs Apoſtolis exegit amorem, vt oues ſuas eodem paſceret, dicens: *Simon Ioannis diligis me plus his?* ac accepto Petri reſponſo: *Domine tu ſcis, quia amo te*; ſubiungens: *Paſce agnos meos*, Ioan. 21. Sic pariter Deiparā præficiens Eccleſiæ, ſummū illi contulit amorem, vt omnes eodem regeret & paſceret quaſi regina & mater. Quocirca moriens S. Ioannem, & in eo fideles omnes, Virgini commendauit, dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Vnde S. Antoninus 4.p.tit.15.c.2. *Quia*, inquit, *Ioannes interpretatur, in quo eſt gratia, cuilibet etiam, qui Ioannes dicitur, & exiſtit, in quo ſcilicet eſt gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in matrem.* C

Quintò. Quintò, quia ipſa peperit Chriſtum, qui eſt amor Dei & hominum, eumq; quaſi carnem ſuam Deo in cruce obtulit pro ſalute totius mundi. Vnde S. Bern. ſer. 1. de Aſſumpt. *Aut dubitare*, inquit, *aliquis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt charitas, nouem menſibus corporaliter habitauit?* Et S. Antoninus affectum amoris Deiparæ erga genus humanum, quem ipſa in paſſione Chriſti præ ſe tulit, exprimens 4.p.tit.15 c.20.§.11. *Quod*, inquit, *dicitur Rom. 8. de Patre æterno Chriſti, id & de eius matre temporali dici poteſt. Proprio filio ſuo nō pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ſcilicet paſſum, voluntate & affectu: Et quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit pertinentia ad recreationem noſtram?* D

Deniq; magnitudinem amoris Virginis in homines teſtantur innumera & immenſa eius beneficia, ſæpè per miraculum hominibus præſtita, quibus plenæ ſunt hiſtoriæ & Vitæ Sanctorū. Vnde S. Bernard. ſer. 4. de Aſſumpt. *Sileat*, inquit, *miſericordiam tuam Virgo beata, ſi quis eſt qui inuocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.* Et infrà: *Quis ergo miſericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, latitudinem, ſublimitatem & profundum valeat inueſtigare?*

Porrò omnes quidem diligentes ſe diligit Deipara, ſed maximè eos qui manè ad eam vigilant, id eſt, pueros qui à teneris illi ſeruire incipiunt. Sicut enim Chriſtus paruulos præ ceteris amat, dicens: *Sinite paruulos venire ad me: talium eſt enim regnum cælorum*, Matth. 19. ſic eoſdē præ ceteris diligit Deipara: tum quia ipſa puriſſima eſt, ideoque pueros, id eſt puros, diligit, vt eos in puritate conſeruet: tum quia ipſa Chriſtum puerum tenerrimè dilexit, faſcijs inuoluit, lactauit, &c. ac in eo didicit amare & educare pueros: pueri enim ipſi Chriſtū puerum repræſentant, tum denique quia maior eſt Dei gloria, maiorque fructus curare & inſtituere pueros, quàm grandæuos vel ſenes. Pueri enim ſicut lanæ primam tincturam planè hauriunt, imbibunt & retinent: grandæui verò iam vitijs tincti difficilè nouam virtutis tincturam admittunt, aut receptam facilè abijciunt. Quocirca viri ſapientes & Religioſi maximè laborant in educanda iuuentute, atque in ea ſitam eſſe cenſent reformationem Eccleſiæ, ac bonum totius reip. Illius enim ſemen, radix & fundamentum eſt iuuentus: iuuenes enim fient viri, regentque Eccleſiam, vel remp. quiſque pro ſuo talento & gradu, ac quæ à puero didicerunt, alijs inſtillabunt verbo & exemplo, legibus, conſilijs, concionibus & moribus; itaque inſtar fermenti timore & amore Dei fermentabunt & imbuent omnes ſibi ſubditos, cognatos, amicos, vicinos. Id experimur in ſcholis Societatis noſtræ ac Sodalitatibus B. Virginis, quas in ijs inſtituimus, per quas integras vrbes & reſp. ab hæreſi purgamus, vitia inolita corrigimus, lapſos mores reformamus, & primitiuæ Apoſtolorū Eccleſiæ, quoad licet, reſtituere conamur, auſpicijs B. Virginis, ideoque proſpero vbique euentu, feliciique paſſim ſucceſſu.

MECVM (Septuag. *mihi*; Symmach. *à me*) SVNT DIVITIÆ, ET GLORIA, OPES SVPERBÆ, ET IVSTITIA] Pro *opes ſuperbæ* perperam Complut. legunt, *opes ſupernæ*. *Superbæ*, id eſt amplæ, magnificæ, ſplendidæ: ſic ſuperba palatia & templa vocantur magnifica. Hebr. eſt עתק הון *hon atec*, id eſt, *ſubſtantia antiqua*, vt vertit Theodot. antiqua enim habentur in pretio; Syrus, *opes antiquæ*; Aben Ezra, *opes ſublimes & validæ*; Aquila, *ſubſtantia cum pace*; Symmach. *vita antiqua*; Septuag. *poſſeſſio multorum*; Vatabl. & Iſidor. Clarius, *opes duraturæ*, R. Leui, *opes ſtabiles*. *Vers. 18.*

Dixit ſapientia v. 16. ſua eſſe regna principatus & regimen orbis, nūc pariter dicit ſuas eſſe opes, gloriam & iuſtitiam: per iuſtitiam enim ſubſiſtit reſp. & conſeruatur orbis. Nam per iniuſtas rapinas, fraudes, cædes, latrocinia, oppreſſiones & tyrannides euertuntur reſp. regna & imperia. Vnde Aben Ezra per *iuſtitiam* accipit felicitatem, iuxta illud pſal. 84.12. *Iuſtitia*, id eſt felicitas, *de cælo proſpexit*.

Porrò ſapientiam parare gloriam, opeſq; ſtabiles & durabiles, liquet experientia, qua videmus viros prudentes & ſolertes ſua prudentia & ſolertia fieri diuites, honoratos & glorioſos; cùm opes inſipientium, id eſt impiorum, quas ipſi parant per fraudes & ſcelera, ilicò data occaſione ab iniuſtis poſſeſſoribus auolent, iuxta illud: *De malè quæſitis non gaudet tertius heres.*

Hæc ſententia ſignificat non quid ſemper fiat, videmus enim multos ſapientes proboſque viros eſſe inglorios & pauperes: ſed quid ſæpè fiat, factumque ſit, præſertim in veteri teſtamento, vbi Deus Iudæis, ſi legi & virtuti ſtuderēt, promiſerat opes temporales, felicitatem & gloriam terrenam; quidque ex ſapientiâ natum ſit fieri, niſi quid extrinſecus impediat. In nouo verò teſtamento ſapientibus, id eſt probis, qui ſtudent mundi contemptui, paupertati & humilitati, Chriſtus promiſit opes ſpiritales, gloriamque æternam in cælis, eſto

eſto non rarò adijciat quoque gloriam opeſque terrenas, vti ipſe pollicitus eſt, Matth.6.33.

Exemplum ſit ipſe auctor Salomon, qui per ſapientiam factus eſt regum omniũ maximus, opulentiſſimus, glorioſiſſimus, iuſtiſſimus. Vnde ſapientia in ſuo ſapiente Salomone exiſtens tam de ipſo quam de ſe loquens ait: *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant* (Salomoni enim quaſi regi regum parebant, muneraq; deferebant *omnes reges Arabiæ, ducesq. & ſatrapæ terrarum.* 3 Reg.10.15. *& omnia regna Philiſtinorum,* 3 Reg. 4.21.) *& legum conditores iuſta decernunt, &c. Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Ita noſter Pineda l.5. de Rebus Salom. c.1. hæc cenſet de ipſo Salomone quaſi ſapientiæ, prætide dici.

Porrò ſpiritales gratiæ & virtutum opes, quæ ſolæ veræ, ſtabiles & frugiferę ſunt diuitię, ſemper ſecum affert ſapientia: illæ ſunt, quas pernicioſis auarorum gazis opponens Apoſtolus, recenſet 1. Timoth.6.11. *Tu autem,* inquit, *ò homo Dei hæc fuge: ſectare verò iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.* Sunt ergo hæ ſex: iuſtitia, quæ modum imponit habendi cupiditati, faciens vt his quæ vitæ ſunt ſatis, contentus qui viuat, aliena ne concupiſcat quidem: pietas, quæ dum Deũ verum colit, abijcit auaritiæ idololatriam; vel dum benignè alijs facit, nõ ſinit adhæreſcere cum crudelitate auaritiam: fides, quę meliora obijciens futura bona, præſentium facilè perſuadet contemptum: charitas, quæ facit, vt Deum diligens ipſius exequatur de dandis eleëmoſynis, deque amore fraterno præcepta: patientia, qua vel cum gaudio noſtra rapientes ſuſtineamus, non inopiam dumtaxat rerum: manſuetudo, vt aduerſus auiditatis irrequietem, & cupiditati permiſtum furorem, domes feros duroſque cum alijs mores.

Opes ſpirit. ſex.

Epheſ.5.5. Galat.5.20.

Hebr.10.34.

Nota. Gloria indiuidua eſt ſapientiæ, id eſt, virtutis, comes & aſſecla. Gloria enim, ait Cicero l.2. de Inuent. *eſt frequens de aliquo fama cum laude.* Et vt ait S. Auguſt. (vel quiſquis eſt auctor) l.83. quæſt. in 31. *Gloria eſt clara cum laude notitia.* Vnde *gloria* dicitur quaſi *claria* & claritas: ac *gloriari* idem eſt quod *clarificari,* ait S. Auguſt. tract.80. & 100. in Ioan. Hinc quanta eſt ſapientia & virtus, tanta eſt & gloria. Quare diuina ſapientia & virtus, quæ eſt ipſe Deus, cùm ſit immenſa, immenſam habet gloriam, ſcilicet in ſe & S. Trinitate. Vnde eſſentialiter Pater glorificat Filium & Spiritum ſanctum: & hi viciſſim Patrem infinita glorificatione. Notionaliter verò Verbum eſt gloria Patris, iuxta illud Hebr.1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Verbum enim clarè repræſentat & celebrat omnes virtutes & perfectiones Patris. Homines verò & angeli cùm creatã & exilem habeant notitiam, hinc creatè & exiliter laudant & glorificant Deum. Infinita enim reſtat in Deo dotum & perfectionum claritas & gloria, quam angeli & homines adæquare, imò aſſequi, nequeunt, cùm omnem creatam mentem & vim etiam Beatorum in immenſum tranſcendat. Iam ſicut Deus homini communicat particulam ſuę ſapientię & virtutis, ſic communicat & gloriæ. Primò ergo eam communicat Beatis: vnde hęc propriè à nobis vocatur gloria: & ad eam omnes aſpirare debemus, non quomodolibet, ſed ad eius culmen conniti. Fideli enim, præſertim Sacerdoti & Religioſo, ſufficere non debet, ſi ſaluet animam ſuam, & gloriam aſſequatur: hoc enim deſidis eſt & puſillanimis; ſed ad ſummos eius gradus, quos cum Dei gratia iuxta vocationem ſuam aſſequi poteſt, aſpirare debet, ac totis viribus contendere, vt ad Seraphinos, vel Cherubinos, vel Dominationes aſcendat, ait S. Chryſoſt. Secundò, communicat eã Sanctis in hac vita, qui virtuti & ſanctitati tum ſuæ, tum alienæ ſtudent, quiq; in omnibus Deum glorificare ſatagunt. Quare hoc ſingulis in qualibet actione propoſitum eſſe deberet, quod S. Ignatius fundator Soc. noſtræ nobis verbo & exemplo cõmendauit, ac ſcripto quaſi teſtamento reliquit: *Ad maiorem Dei gloriam.* Dicat ergo ſibi quiſque in quolibet opere. Volo hoc opus tam perfectè, tam intensè, tam heroicè perficere, vt ex eo quàm maximè fieri poteſt glorificetur Deus. Dei enim gloria eſt principium & finis gloriæ noſtrę: quare quo magis gloriam Dei propagamus, eo magis gloriã quoque noſtram adaugemus, tum in terris ad tempus, tum in cælis per omnem æternitatem. Quare quod boni operis hic negligimus, eius gloria priuamus non ſolùm nos, ſed & ipſum Deum per totam æternitatem. Quæ ſanè conſideratio quemq; ſtimulare debet, vt nihil boni operis, nihil virtutis & perfectionis, quod cum Dei gratia aſſequi poteſt, prætermittat. Quod enim hic per momentũ negligis, perdis in perpetuum. Quanta gloria eſt, eritq; in omne æuũ S. Pauli, S. Athanaſij, S. Auguſtini, S. Cæciliæ, S. Sebaſtiani, S. Thomæ, S. Ignatij, S. Franciſci Xauerij, cęterorumque Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum? Illam ambi, illam æmulare.

Gloria q. claria & claritas.

Gloria Beatorum.

& viatorum.

Myſticè, gloria inter puras creaturas eſt quaſi propria dos B. Virginis, tum quia ipſa vti gratia, ita & gloria eſt pleniſſima, omnemque omnium Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, hominum & angelorum gratiam & gloriam in ſe complectitur, ac multis paraſangis tranſcendit, tum quia eam copioſè fidelibus cõmunicat: *Quia hæc eſt voluntas eius* (Dei) *qui totum nos habere voluit per Mariam,* inquit S. Bernard. ſer. de Natiu. Vnde Patres immenſitatem gloriæ Virginis miris laudum præconijs celebrant. Andreas Cretenſis orat. de dorm. Virgin. *O ſancta,* inquit, *& ſanctis ſanctior, & omnis ſanctitatis ſanctiſſime theſaure.* Ad hunc gloriæ cumulum immenſum reſpiciens dicebat Ildefonſus ſerm.2. de Aſſumpt. *Sicut incomparabile eſt, quod geſſit; & ineffabile donum, quod percepit: ita inæſtimabile atque incomprehenſibile præmium & gloria, non dico inter ceteras ſacras virgines, verùm etiam vltra omnes Sanctos, quod promeruit.* S. Chryſoſtomus in Liturgia eam vocat, *incomparabiliterglorioſiorem, quàm Seraphim.* Petrus Damiani ſer. de Aſſumpt. oſtendit rationem cur Virgo dicatur, *pulchra vt luna: Virgo,* inquit, *inter animas Sanctorum & angelorum choros ſupereminens & euecta, merita ſingulorũ & omnium titulos antecedit, & quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant; luna tamen magnitudine præeminet & ſplendore: ſic vtramque naturam Virgo ſingularis exuperat immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum.* Deinde aſſert rationem cur dicatur *electa vt ſol: Quoniam ſol,* inquit, *lucidiùs incandeſcens ita ſibi ſiderum & lunæ rapit poſitionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint: ſimiliter & virga Ieſſe veri prævia luminis in illa inaceſſibili luce prælucens, ſic vtrimque ſpirituum hebetat dignitatem, vt ſint quaſi non ſint, & comparatione illius nec poſſint, nec debeant apparere.* Hoc ipſum priùs ſignificat S. Hier. in Prologo ad Sophoniam Prophetam,

Deipara gloria quanta.

phetam, vbi in commendationem mulierum cõmemoratis aliquibus ex veteri teſtamento: *Taceo*, inquit, *de Anna & Eliſabeth, & cæteris ſanctis mulieribus, quarum velut ſiderum igniculos clarum Mariæ lumẽ abſcondit*. Idem habet Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. de Annuntiat. *Virgo*, inquit, *vniuerſos Martyres pro ſplendore tantum excedit, quantum ſol reliqua aſtra.* S. Bernard. ſerm. *Signum magnum: Iure*, inquit, *Maria ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyſſum, vt, quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa. Illo nimirũ igne Prophetæ labia purgantur, & illo igne Seraphim accenduntur: longè vero aliter Maria meruit, non velut ſummatim tangi, ſed operiri magis vndique, & circumfundi, & tamquam ipſo igne concludi.* Bonauentura in Speculo B. Virginis cap. 6. *Ecce*, inquit, *quàm glorioſum gloriæ Mariæ priuilegium eſt, quod ipſa in gloria glorioſiſsima eſt poſt Deum glorioſum gloriæ Mariæ priuilegium eſt, quod quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria eſt, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt. Glorioſum omnino gloriæ Mariæ priuilegium eſt, quod quidquid poſt Deum maior gloria noſtra, maius noſtrum gaudium eſt, de Maria eſt. Vnde S. Bernardus: ſumma gloria eſt, o Maria poſt Dominum te videre.*

Gloria bellica Deiparæ. Porrò, vt alia taceam, bellicam victoriarum in prælijs gloriam, ac triumphos, ducibus & regibus ſibi deuotis largita eſt B. Virgo. Narſeti duci Iuſtiniani Imp. illuſtres contra Gothos numeroſos & præpotentes victorias ipſa conceſſit anno Domini 552. quando trucidato toto Gothorum exercitu Italiam ab eorum tyrannide liberauit. Audi Euagrium illius æui hiſtoricum l. 4. c. 26. *Commemoratum eſt*, inquit, *ab his qui vnà cum Narſete fuerũt, dum precibus & alijs pietatis officijs diuinum numen placaret, debitumq; cultum ei tribueret, ſanctam Virginem Deiparam ei apparuiſſe, planéque tempus præſcripſiſſe quo bellum cum hoſtibus gereret, atque vt non priùs ad prælium committendum ſe accingeret, quàm cælitus ſignum acciperet. Multa aliæ quoque res à Narſete valdè memorabiles geſtæ ſunt.*

Heraclium Imp. rebus Imperij quaſi deſperatis ſpem omnẽ poſt Deum in B. Virgine poſuiſſe, ac eius ope Coſrohem regem Perſarum profligaſſe, atque crucem Domini recepiſſe anno Domini 626. narrat Paulus Diaconus libr. 18. Hiſtor. & Theophanes in Annal. Græcorum in geſtis Heraclij.

Pelagius I. Hiſpan. rex, Saracenos Hiſpaniam occupantes anno Domini 718. inuocata Virginis ope cecidit, capto eorum duce Aleman, ac cæſis merſiſque 80. hoſtium millibus. Teſtes ſunt Lucas Tudenſis, Mariana & alij Hiſpanorum Hiſtorici.

Baſilius Imp. Conſtant. Saracenos Deiparæ & Chriſto inſultantes, eius auſpicijs ad internecionem penè cecidit anno Domini 867. teſte Curopalate.

Chriſtiani terram ſanctam ductu Virginis infidelibus extorſerunt, cùm mandatum eſſet omnibus, vt diebus ſingulis ſabbathi Officium B. Virginis recitarent. Nec irritæ fuere preces & vota: nam ipſi duce Godefrido Bullonio poſt varia cũ Saracenis prælia, Hieroſolymã expugnarunt anno Domini 1099. Ita Tyrius in Bello ſacro, Baron. & alij.

Anno Domini 1212. Alfonſus VIII. Caſtellæ rex, cum paucis immenſam Maurorum multitudinem præeunte ſigno crucis & regio vexillo, in quo erat imago B. Virginis cum filio, inuaſit, proſtrauit, perdidit, cæſis Maurorũ ducentis millibus, cùm è Chriſtianis vix 25. aut 30. occubuerint. Hęc victoria, qua nulla illuſtrior exſtitit in Hiſpania, ab Hiſpanis annuo feſto recolitur die 16. Iulij, ſub titulo Triumphi crucis.

Anno 1571. ſub Pio V. illuſtris de Turcis relata eſt Naualis victoria ope Virginis, quæ titulo S. Mariæ de Victoria die 7. Octob. annua gratulatione celebratur. Plura vide apud noſtrum Spinellum in Mariali tract. de Miraculis B. Virg. pagina 654. & ſeqq.

Melior est enim frvctvs mevs avro, et lapide pretioso, & genimina mea argento electo.] Pro *lapide pretioſo* hebr. eſt פז *paz*, quod Primò, ſignificat aurum præſtans & purificatum, quaſi iam ſoliditatem (radix enim פזז *pazaz* ſignificat *ſolidare, roborare*) adeptum, vt ampliùs diminui non poſſit. Aurum ergo *paz* eſt aurum *ophaz* per aphæreſin litteræ o, ſiue aurum ophir, putà aurum obrizum & optimum. Vnde Symmach. vertit, *præ auro ophaz*; Aquila, *præ auro obrizo*; Chald. *præ conflato & auro obrizo*. Hinc & Arabes aurum vocant *fes*. Vnde Ioannes Leo in Deſcr. Africæ l. 3. Feſſam Africæ vrbem dictam putat ex eo, quòd, cùm vrbis fundamenta iacerentur, *fes*, id eſt auri, cumulus inuentus ſit. Vers. 19.

Secundò *paz* ſignificat lapidem pretioſum, vti meliùs vertunt Septuag. & Noſter tam hîc quàm pſal. 18. 11. quia aurum immediatè præceſſit. Vnde pſal. 118. 127. Septuag. & S. Hieron. *paz* vertunt, *topazium*: de quo multa dixi Apoc. 21. 20. Marinus Brixianus in Lexico cenſet *paz* eſſe *adamantem*, quia adamas pretioſiſſimus, æquè ac fortiſſimus & ſolidiſſimus eſt.

τὸ *enim* non eſt in Hebræo, nec in Septuag. illudque nonnulli codices Latini omittunt, retinent tamen Romani & plures alij. Pro *fructus* hebr. eſt פרי *peri*, quod propriè ſignificat fructum arborũ, qui ſponte ſine labore & cultura hominis obuenit. Pro *genimina* verò eſt תבואה *tebua*, quod ſignificat fructus agrorum, vinearum, hortorum, &c. qui ex cultura & induſtria hominis proueniunt. Vnde priores repræſentant gratias præuenientes, quæ à ſolo Deo ſine libera hominis cooperatione ipſi immittuntur: poſteriores ſignificant actus virtutum, quos homo gratiæ præuenienti cõſentiendo & cooperando producit. Senſus eſt, q. d. Ne ex eo quod dixi: *Mecum ſunt diuitiæ & gloria*, cenſeas hæc dumtaxat mei eſſe iuris, vt cui velim ea diſtribuam, ac me nihil amplius vel excellentius habere, quo meos ditem; aſſero & pronuntio hęc tantùm eſſe externos & acceſſorios mihi fructus: interni enim & mihi proprij fructus & prouentus ſunt pretioſiores omni auro, & argẽto, & lapide pretioſo, ſunt enim altioris ordinis, imò ipſi ſunt fons & ſcaturigo bonorum omnium, ex quo proinde diuitiæ, gloria, ceteraque huiuſmodi velut riuuli dimanant & profluunt. Fructus & prouentus hi ſunt, cogitationes & actiones omnis honeſtatis & virtutis, præſertim eximiæ, heroicæ & diuinæ. Hæ enim ex ſapientia, id eſt ex virtute, velut fructus ex arbore, & ſeges ex meſſe, & vuæ è cultura vineæ, imò velut filiæ è matre prodeunt & gignuntur. Vnde ſapientiæ non tam officia, quam membra & partes eſſe videntur. Quocirca Septuag. vertunt,

melius eſt me pro fructu percipere ſuper aurum & lapidem pretioſum, & genimina mea argento electo. Fructus enim à fruendo dicitur: quare qui fruitur ſapientiæ officijs & actibus, hic eius fructus percipere, ipſaque ſapientia & virtute frui dicitur. Sic *genimina* dicuntur à gignendo vel generando: quare qui virtutis actus quaſi filias ex matre producit & gignit, hic eius genimina, quæ meliora ſunt auro & argento, percipit & guſtat.

Quocirca S. Cyrill. Alexand. l. de Recta fide ad Theodoſ. Imp. poſt initium: *Itaque*, inquit, *Indicæ gemmæ reuerenda veſtra adornant capita: animæ verò & mentis ſpiritualis ornatus ſit fides recta & inadulterata, quam ſeruaturos vos confiſus, offero librum quaſi mentis fundamentum, & animæ ſplendorem, & cordis coronam. Scriptum eſt enim: Melior eſt ſapientia lapidibus ſumptuoſis, & omne pretium non eſt illa dignum.*

Salomoni ſuccinit gnomic Syrorum & Arab. in cent. 2. n. 25. *Non eſt gloriatio in opibus & ſtemmate, ſed gloriatio in ſcientia & eruditione.* Et n. 29. *Acquire tibi aurum in menſura, & ſcientiam ſine menſura.* q. d. Non opibus, ſed ſcientiæ in infinitum ſtudendum eſt. Et cent. 1. n. 86. *Ditiſſimus diuitiarum intellectus eſt*, id eſt, diuitiarum omnium præſtantiſſimæ ſunt intellectus, ſeu eruditio.

Myſticè, fructus B. Virginis eſt Chriſtus, pretioſior omni auro & lapide pretioſo. Vnde de eo dixit Eliſabeth: imò dicit tota Eccleſia: *Benedictus fructus ventris tui.* In quæ verba ſcribens S. Bonau. *Melior*, inquit, *eſt fructus meus, fructus ventris mei (quẽ ego tamquã meum hominibus, & pro hominibus offero) auro & lapide pretioſo.* Quocirca Heſychius Hieroſolymitanus ait, vterum Virginis eſſe auri fodinã, ex qua Chriſtus, hoc eſt, diuinitatis aurum cum terra humanitatis noſtræ permiſtum effoſſum erutumq; eſt. Eleganter verò Damaſc. orat. 1. de Natiuit. Chriſtum margaritæ, B. Virginem conchæ comparans: *Lætetur*, inquit, *mundi mare: in ipſo enim concha gignitur, quæ cælitus ex diuinitatis fulgetro in vtero concipiet, & Chriſtũ ingentis pretij vnionem pariet.* Porrò virtutes topazij, quas recenſui Apocal. 21. 20. facilè eſt adaptare B. Virgini.

Hac de cauſa B. Virgo à Patribus vocatur mediatrix, & auctrix redemptionis ſalutiſque noſtræ: nõ quòd ipſa per ſe eius lytrum & pretium ſoluerit (hoc enim ſoli Chriſto competit;) ſed Primò, quod ipſa è carne ſua puriſſima cõceperit & pepererit Chriſtum, qui eſt pretium ſalutis noſtræ. Secundò, quòd B. Virgo aſtans cruci, Chriſti filij ſui vitam, dolores & mortem atrociſſimam Deo obtulerit ardentiſſima charitate in holocauſtum, & vt victimam pro peccatis totius mundi; ſicut Abraham obtulit Iſaac Deo in holocauſtum, Gen. 22. Quocirca S. Epiphan. ſer. de Laud. Virg. B. Virginem vocat ſacerdotem & altare. *O Virginem*, inquit, *ſtupendum Eccleſiæ theſaurum, qui adeptus eſt ingens myſterium! Virginem appello velut ſacerdotem pariter & altare, quæ quidem menſam ferens dedit nobis cæleſtem panem, Chriſtum, in remiſſionem peccatorũ.* Sicut ergo Chriſtus immolans ſe in cruce, pretium iuſtũ pro nobis Patri perſoluit: ſic B. Virgo eumdem ac ſeipſam cum eodem offerens Patri, quantum potuit, cooperata eſt Chriſti ſacrificio, & conſequenter redemptioni noſtræ. Chriſtus enim eſt res & peculium Virginis: Chriſtus enim ad Virginem pertinebat quaſi filius ad matrem, eratque pars matris, vtpote caro de carne eius, & os de oſſibus eius. Vnde S. Bonau. in illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, addit, & ait: *Sic ſcilicet Maria dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Fuſè & eruditè idipſum hic probat noſter Salazar, qui totum hoc caput piè & luculenter in ſenſu myſtico applicat B. Virgini.

B. Virgo ſacerdos & altare.

Porrò per Chriſtum B. Virgo innumerabiles in Chriſtianis toto orbe diffuſis tum gratiarum & virtutum, tum hominum ſanctorum, putà Virginum, Martyrum, Apoſtolorum, Doctorum, Epiſcoporum, Anachoretarum, fructus & genimina edidit, editque aſſiduè. Quocirca B. Petrus Chryſologus ſer. 140. *Quantus*, inquit, *ſit Deus ſatis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur: pauet cælum, tremunt angeli, creatura nõ ſuſtinet, natura non ſufficit, & vna puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, vt pacem terris, cælis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cæleſtibus parentelam, ipſius Dei cum carne commercium pro ipſa domus exigat penſione, pro ipſius vteri mercede conquirat, & impleat illud Prophetæ: Ecce hereditas Domini, filij: merces fructus ventris.* Ita Chryſologus. Plura in hanc rem attuli Eccli. 24. 16. ad illud: *Et in plenitudine ſanctorum detentio mea.*

IN VIIS IVSTITIÆ AMBVLO, IN MEDIO SEMITARVM IVDICII] ne à medio tramite ad ſiniſtram vel ad dexteram deflectam, ait Aben Ezra & R. Leui: virtus enim eſt in medio, imò ipſa eſt medium vitiorum. Septuag. *in vijs iuſtitiæ ambulo, inter ſemitas iuſtificationis verſor*: Pagnin. *in via iuſtitiæ ambulare faciam.* Hebr. enim אהלך *ahallech* cum ſit futurum *piel*, tam *ambulare faciam*, quàm *ambulabo* ſignificat. Vers. 20.

VT DITEM DILIGENTES ME, ET THESAVROS EORVM REPLEAM] Syrus, *magnifico diligentes, ſpem & horrea eorum impleo.* Quod enim ſpes ſperat, hoc orat, & orando impetrat: quare quantam habes ſpem, tantam habebis & rem: quantum enim ſperas, tantum impetrabis, vt alibi dixi ex S. Bernardo. Vers. 21.

Hebr. *vt hereditare faciam diligentes me* יש *ies*, id eſt, *eſſe*, ſiue *id quod eſt*, putà ſubſtantiam ſolidam & permanentem. Vnde Aben Ezra, *ies*, inquit: eſt ſubſtantia ad omnem æternitatem duratura, eſtque vox generica, quæ aurum, gemmas, omneſq; opes & theſauros complectitur. Hinc Pagnin. vertit, *vt hereditare faciam diligentes me eſſe perpetuũ*, hoc enim abſolutè eſt *ies* ſiue *ens*, quod ſcilicet ſemper eſt. Sapiens ergo amat *ies*, id eſt, rem exiſtentem & ſolidam, qualis eſt virtus: inſipiens amat vmbram rei, putà voluptates inanes & fugaces, quæ non habent eſſe ſolidum & ſtabile. Sapiens ambit Deum, qui eſt τὸ Ens: *Ego*, inquit, *ſum qui ſum*, Exodi 3. inſipiens ambit mundi vanam ſpeciem, quæ non eſt res vera, ſed apparens dumtaxat & ſpectrum.

Vnde Chald. *vt hereditare faciam diligentes me annos multos, cellaria eorum repleam*, vt ſcilicet donẽ eos longæuitate & rerum abundantia; Septuag. *vt diſtribuam amantibus me ſubſtantiam, & theſauros eorum impleam bonis.* Theſauri enim Primò, ſignificant cellas & apothecas, in quibus conduntur opes & theſauri: has ergo ſpondet ſapientia ſe bonis impleturam. Secundò, theſauri ſignificãt ipſaſmet opes pretioſas, quæ reconduntur. Et ſic quod Noſter vertit, *& theſauros eorum repleam*, accipi poteſt q. d. Vt plenas opes, plenos & cumulatos theſauros eis conferam. Implere enim Hebræis ſæpè idem eſt quod plenè dare.

Porrò

Porrò poſterius hemiſtichium de more explicat prius. Idem ergo eſt, *In vijs iuſtitiæ ambulo*; quod *in medio ſemitarum iudicij*, repete, *ambulo*: *iudicium* enim idem eſt quod *iuſtitia*, quæ hic generalis eſt virtus, omniaque ſua facit prudenter cum ratione æquoq; iudicio. Sic, *Vt ditem diligentes me*, explicat per id, quod ſubdit: *Et theſauros eorum repleam.*

Senſus eſt. q. d. Ego ſapientia verſor in vijs, id eſt, actionibus iuſtis, putà honeſtis, probis & ſanctis, quæ in medio vitiorum extremorũ iuxta dictamen rectæ rationis & iudicij verſantur: ijs oblector, ijs præſum & dominor, eas moderor & dirigo. Ne verò quis putet me inopem eſſe, meoſq; diſcipulos pauperes facere, aut relinquere, eò quòd ſolis actibus iuſtitiæ intendam, cetera videar negligere; addo, quod ſuperiùs dixi, meas quoq; eſſe opes & gloriam: hę enim ſunt ancillæ & quaſi pediſſequæ ſapientiæ: atq; ideo ita actibus iuſtitiæ intendo oculo dextro, vt tamen ſiniſtro reſpiciam quoque opes & gloriam: quare primariò mei ſtudioſos doceo formoq; in moribus ſanctis, ſecundariò tamen curam quoque opum habeo: *vt ditem diligentes me*, tum quia ipſi opibus digni ſunt, cùm inſipientes & improbi ijs indigni ſint. Vnde opes, ſi haberent ſenſum & rationem, aufugerent ab improbis quaſi indignis, & confugerent ad probos quaſi dignos, vtpote qui ijs ritè vtuntur ad Dei, qui eas dedit, voluntatem & gloriam, putà ad ſuum & aliorum commodum, tum: quia iuſti opes ſuas colligunt iuſtè, ideoq; illæ eis permanent & perdurant, iniuſti verò eas corradũt iniuſtè per fas & nefas, ideoque ipſi eis non diu gaudent, ſed mox in ſuam inopiam relabuntur: tum denique quia iuſti opibus ſuis, licet non ita magnis, cõtenti & ſecuri viuunt, iiſque lætè vtuntur in timore Dei; iniuſti verò quia auari, quo plus habent, eo plus deſiderant: vnde ſemper remanẽt pauperes: pauper enim eſt qui ſemper appetit, & plura deſiderat. Rurſum iniuſti, quia malè ſibi opes pepererunt, hinc malè ſibi conſcij ſemper metuunt, ne illæ ipſos delerant, atque ab eis auferantur. Itaque ad litteram diuitias hîc temporales accipio, ſub quibus myſticè ſpiritales intellige: ſapientia enim maximè ditat ſuos gratijs & virtutibus.

Septuag. verſui iam dicto hunc ſubnectunt: *Si annuntiauero vobis quæ in diẽ* (id eſt quotidie) *fiunt; memor ero, quæ à ſæculo, numerare*; qui non extat in Hebræo nec Latino. Aptè tamen Septuag. cum hic inſerunt paraphraſticè, vt ſequentia præcedentibus connectant. q. d. Hactenus annuntiaui & recenſui ea, quæ quotidie efficit præſtatque ſapientia, ſcilicet opes, gloriam, conſilium, iuſtitiam, &c. nunc maiora recenſebo, nimirum ea, quæ ipſa à ſæculo, putà ab initio mundi, fecit, putà quòd ipſa crearit cælos & terram totumque orbem. Vnde ſequitur:

TERTIA PARS CAPITIS.

Sapientia altiùs aſſurgens commendat ſe ſui ſtudioſis, aſſerendo ſe Deo coæternam, Deumq; per ſe cælos, totumq; vniuerſum condidiſſe & compoſuiſſe.

VERS. 22. DOMINVS (hebr. *Iehoua*, quod eſt nomen proprium Dei) POSSEDIT ME IN INITIO VIARVM SVARVM (hebr. *viæ ſuæ*) ANTEQVAM QVIDQVAM FACERET A PRINCIPIO] Hebr. *ex tunc*, id eſt, à principio; Syrus, *Dominus creauit me in initio creationis*. Sic & Chald. *Dominus*, inquit, בְּרָאַנִי *beraani*, id eſt, *creauit me*; & Septuag. *Dominus*, ἔκτισε, id eſt, *condidit vel creauit, me initium viarum ſuarum in opera ſua*; Syrus, *Dominus creauit me in principio creaturarum ſuarum*; Arabicus, *Dominus creauit me in principio viarum ſuarum in operibus ſuis.*

Pro *poſſedit me* hebr. eſt קָנָנִי *kanani*, id eſt, poſſedit vel acquiſiuit me; hîc tamen meliùs vertas, *poſſedit me*: quia ſapientia æterna eſt increata æquè ac ipſe Deus; ac proinde acquiſita non fuit, ſed ſemper extitit in Deo ipſi connaturalis & coæua. Laudauit enim huc uſq; ſapientia ſeipſam ab operibus creatis, quæ operatur in hominibus, nũc laudat ſe vt diuinam ab ijs quæ diuinè operata eſt in Deo & cum Deo, dando illi ideam rerum fabricandarum, putà cæli, terræ & totius vniuerſi; per quã Deus omnia condidit & creauit. Laudat ergo hîc ſe, quòd ipſam poſſederit Deus, & per ipſam cetera omnia: ac proinde quòd ipſa fuerit, & ſit tota poſſeſſio propriumque peculium Dei, in qua eminenter continentur & poſſidentur cetera omnia, non tantùm creata, ſed & ipſa attributa Dei, quæ increata ſunt. A mente enim & ſapientia manat voluntas & amor, indeq; rerum creatio & effectio, vti dixi Eccleſ. 1. 4. Vnde Aquila vertit, *Dominus poſſedit me ab initio opificiorum ſuorum*; Symmach. *Dominus poſſedit me principium viarum ſuarum ante opificium ſuum*; Theodot. *ante opificium eius à tunc & ex tunc ante ſæculum præparata ſum.* Senſus eſt quaſi dicat, Deus me ſapientiã poſſedit in initio operum ſuorum, cùm enim cœpit condere cælum & terram per me, tunc me vti cœpit, meamq; vim & energiam, quæ antea in Deo ſolo incluſa latebat, eratque quaſi otioſa, exerere & patefacere: vnde tunc cœpit quaſi me poſſidere, id eſt, poſſeſſione mea vti, poſſeſſionis meæ vim & fructum oſtendere, imò verò *antequam quidquam faceret à principio*, putà ab æterno, *poſſedit me*, ſed quaſi theſaurũ abſconditum & incognitum, ſoliq; Deo notum. Ab æterno ergo poſſedit me per modum habitus, in tempore verò quo per me creauit omnia, poſſedit me per modum vſus. Vnde Tertull. l. contra Hermog. c. 18. legens ex Septuag. *creauit* vel *condidit me*: *Sophia ipſius*, inquit, *exinde nata & condita eſt, ex quo in ſenſu Dei ad opera mundi diſponenda cœpit agitari*, cùm ſcilicet eam applicauit ad res creandas. Qui enim rem aliquam poſſidet otioſè, nec ea vtitur, videtur eam non poſſidere, nec habere, iuxta illud Chriſti: *Omni habenti* (id eſt vtenti talento ſuo, eiuſque lucrum afferenti) *dabitur* (plus talentorum;) *ei autem qui non habet* (id eſt qui non vtitur talento ſuo) *& quod videtur habere* (putà talentum, quod quia otioſum relinquebat, potiùs nõ habere quàm habere videbatur) *auferetur ab eo*, Matth. 25. 29. vſus ergo rei eſt eius viua poſſeſſio, ac habere & poſſidere rem eſt ea vti.

Porrò Septuag. qui ſolent conſentire Hebræo, nec diſſentire ab Aquila, Symmacho & Theod. videntur pari modo vertiſſe, *Dominus* ἔκτησε, id eſt, *poſſedit me*, à κτάω, id eſt, poſſideo, vt notat Bellar. lib. 1. de Chriſto c. 18. imò S. Hieron. l. 8. in Iſaiæ c. 26. Vnde leui mutatione vnius litteræ η in ι manauit ἔκτισε, id eſt, *creauit me*, à κτίζω, id eſt, condo, creo. Coniecturam hanc iuuat quòd ijdem Septuag. Geneſ. 4. 1. vbi idem eſt verbum: *Poſſedit hominem*

minem per Deum; ipſi pro *poſſedi* vertunt ἔκτησε per η. Iam tamen ἔκτισε per ι legunt omnes codices Græci & paſſim Patres; indéque tanta lis cũ Arrianis, qui ex hoc loco contendebant probare, Filiũ Dei (hic enim eſt Sapientia Patris) nõ eſſe Deum, ſed eſſe creaturam. Aut certè Septuag. ſecuti ſunt alterum ſignificatum קָנָה. *kana*, quod eſt *acquiſiuit me*, putà, cùm *creauit & condidit me*. Imò pro eodem accipitur *poſſedit me* per metalepſin. Sic enim Eua gignens filium vocauit eum *Cain*, id eſt, *poſſeſſio*, dicens, קָנִיתִי. *kaniti*, id eſt, *poſſedi*, id eſt, genui & gignendo poſſedi, *hominem per Deum*, eſt enim filius poſſeſſio & ſuppellex parentũ. Vnde iure naturæ eſt parentum in filios poteſtas.

Rurſum pro *in initio* Septuag. & Symmachus vertunt, *initium*. Sic & Pagnin. *Dominus*, inquit, *poſſedit me principium viæ ſuæ*, id eſt operum ſuorũ, inquit Vatab. & hoc propriè ſignificat Heb. רֵאשִׁית *reſcit*, id eſt, principium; ſed *reſcit* ſæpè ſumitur pro בְּרֵאשִׁית *bereſcit*, id eſt, in principio (præpoſitionẽ enim ב, id eſt *in*, Hebræi æquè ac Græci & Latini ſæpè ſubticent & ſubaudiunt) & ita accepit Noſter, Aquila, Tigur. & alij. Inſuper Heb *reſcit*, Græcum ἀρχὴ, & Latinum *principium* ſubinde ſignificant id, quod in aliqua re eſt præcipuum & princeps; iuxta illud de *behemot*, id eſt elephante: *Ipſe eſt principium viarum Dei*, Iob 40.14 q.d. Elephas eſt præcipuus inter animalia, eorumq́; quaſi princeps, ſiue magnitudinem, ſiue clementiam, ſiue robur ſpectes. Sic ſapientia eſt princeps operum Dei, & præcipuum, quod Deus in animo habuit, inquit Aben Ezra.

Quæres, quænam hîc ſapientia intelligitur? Ineptiunt Rabbini, qui per ſapientiam accipiunt legem Moſi, quam ipſi bis mille annos ante mundum à Deo creatam fabulantur. Vide Galatinum lib. 7. de Arcanis fidei c. 1. Igitur

Reſp. Primò, cum Tertull. iam citato, intelligitur hîc ſapientia increata, eaque eſſentialis, quæ communis eſt toti S. Trinitati, putà Patri, Filio & Spiritui ſancto: hanc enim poſſedit, id eſt habuit, Deus ab æterno, per eamq́; concepit, dixit & fecit, omnia: per illam enim velut ideam ſapientiſſimam & perfectiſſimam architectatus eſt cælum, terram, totumq́; vniuerſum. Hanc quoque iuxta Septuag. creauit, id eſt elicuit, Deus anthropopathos ſiue noſtro modo concipiendi. Cùm enim in nobis & angelis omnis ſapientia, ſapienſque rerum faciendarum conceptio, idea, diſpoſitio & ordo ſit actus à mente & intellectu elicitus (eſt enim ipſa rei intellectio & conceptio, quæ verbũ mentis dicitur) hinc & in Deo talem concipimus, quia ex noſtris actibus metimur & cõcipimus diuinos, ſicut ex rebus creatis concipimus creatorem. Eſto enim hic actus in Deo propriè non ſit elicitus, ſed ſubſtantialis, quia deitati intrinſecus, adeoq́; cum ea re ipſa vnum quid idemq́; tamen noſtro modo concipiendi (qui diuina vti in ſe ſunt concipere non poſſumus, ſed tantùm eo modo, quo videmus illa fieri in humanis) vocatur elicitus, quaſi manãs ab ipſâ ſubſtantiâ & perfectione deitatis; ſicut lux manat à ſole. Nam creandi verbum ab Hebræis ampliſſimè ſumitur pro facere, elicere, concipere; vt cùm ait Iſaias c. 45. 6. *Ego Dominus formans lucẽ, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum*, id eſt, faciens, eliciens malum & tenebras: hæ enim, cùm ſint mera priuatio, propriè creari nequeunt. Et pſal. 50. 12. *Cor mundum crea*, id eſt, effice, elice, *in me Deus*: nec enim cor iam creatum propriè creari poteſt, nec eius munditiES, cùm ſit merum accidens.

Secundò, accipi poteſt ſapientia increata, ſed notionalis, ſiue perſonalis, putà Filius Dei, qui eſt Sapientia genita & Verbum Patris, vti docet S. Aug. l. 7. de Trinit. c. 2. & Magiſter ſent. in 1. diſt. 28. lit. F. & ibid. Bonauent. ac D. Thom. in 1. diſt. 32. art. 2. Hanc enim poſſedit Pater ab æterno per generationem, tanquam prolem & imaginem ſuam. Vnde S. Hier. epiſt. ad Cyprianum: *Poſſeſſio*, inquit, ſignificat quòd *ſemper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit.* Vna enim perſona alteri eſt intima, eam occupans & poſſidens per mutuam περιχώρησιν, id eſt, circumminceſſionem, ait Damaſcen. de qua plura dixi initio 1. epiſt. S. Ioannis. Vnde in ea conſiſtit S. Trinitatis immenſa opulentia, felicitas & beatitudo. Hinc nonnulli cenſent, & innuit Beda S. Ioannem ex hoc loco accepiſſe initium Euangelij ſui: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hæc enim verba explicant τὸ *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Clariùs S. Epiphan. hæreſi 73. contra Semiarios: *Cùm*, inquit, *ſapientia dixerit, Creauit me principium viarum ſuarum, principium expoſuit* (S. Iohannes) *dum dixit, In principio erat Verbum; vt ne in prolatione, ſed in ſubſtantia ſolida paſſionis exortem, ex Patre Deum Verbum intelligamus.* Ibidem S. Epiph. docet S. Paulum verba Salomonis vſurpaſſe, ſed nonnihil tranſmutaſſe, dum de Chriſto dixit: *Primogenitus omnis creaturæ*, &: *In ipſo creata ſunt omnia*. Alludit Salomon ad Geneſ. 1. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vbi myſticè S. Aug. S. Amb. S. Baſil. *In principio*, inquiunt, id eſt, in Verbo & Filio. q. d. Per Verbum quaſi ideam & ſapientiam Pater creauit omnia. Hinc & à S. Paulo Chriſtus vocatur *principium & primogenitus omnis creaturæ*, id eſt, prior genitus ante omnem creaturam, Coloſſ. 1. v. 15. & 18. Hinc & Filius vocatur *brachium* Patris, quia Pater eo quaſi brachio potenti creauit, & perdita recreauit omnia, Iſaiæ 53. 1.

Filius dicitur creatus quo ſenſu.

Dices, Quomodo de Filio Dei dici poteſt: *Dominus creauit me*? Inde enim Arriani concludunt Filium Dei non eſſe Deum, ſed creatum & creaturam: hicque eſt eorum Achilles.

Reſp. Primò.

Reſpondet Primò, S. Baſilius l. 2. contra Eunom. S. Epiph. hæreſi 69. S. Hier. epiſt. ad Cypriã. in Hebræo non eſſe *creauit*, ſed *poſſedit*: creauit ergo idem eſt quod elicuit, genuit, & gignendo poſſedit.

Secundò.

Reſp. Secundò, ἔκτισε non tantùm ſignificat *creauit*, ſed & *condidit*, fecit, operatus eſt. Sic & Latinum *creauit* in Script. ſæpè idem eſt quod *fecit*: fecit autem vel condidit Deus Pater filium ſuum, quia illum genuit. Sic in Script. hæc tria *creare, facere, gignere*, ſæpè pro eodem ſumuntur: verbum enim *creo* ampliſſimè ſumitur, vti paulò antè oſtendi. Ita S. Athanaſ. ſer. 3. contra Arrian. & S. Cyrill. l. 5. Theſauri c. 6. qui idipſum probãt ex eo, quòd Filius Dei dicatur hîc creatus antequam Deus quidquã crearet & faceret, imò per ipſum creaſſe omnia. Filius ergo fuit ab æterno & increatus: quare cùm dicitur creatus, non aliud quàm genitus ſignificatur. Sic Latini dicunt creare & procreare liberos, progignere & generare. Vide noſtrum Alf. Salmeronem in epiſt. S. Pauli diſp. 21. p. 2. vbi varia verbi *creo* ſignificata recenſet.

Tertiò.

Reſp. Tertiò, cum Concilio Orientali apud

S. Hi-

S. Hilarium l. de Synodis paulò poſt initium, anathematiſmo 5. Filij Dei productio nunc dicitur *generatio*, quia eſt productio in eâdem ſubſtantiâ, puta in eâdem numero deitate: nunc dicitur *creatio* tantùm ad hoc, vt ſignificetur productio ſine mutatione creantis. Vox ergo *creauit* notat Patrem generaſſe Filium ſine paſſione, deciſione, immutatione gignentis; cùm in humanis pater generet filium cum magnâ paſſione & deciſione ſeminis. Audi S. Hilar. *Sapientia quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequenti ſe dixit & genitam, creationem referens ad paternæ indemutabile naturam, quæ extra humani partus ſpeciem & conſuetudinem, ſine imminutione aliqua ac demutatione ſui creauit ex ſeipſa quod genuit. Creantis enim opus non habet paſſionē aut permixtionis, aut partus. Eſſe enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro poteſtate quod condit: & eſt opus virtutis creatio, non naturæ ex naturâ gignente natiuitas. At verò natiuitas, legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus eſt. Ex naturâ enim generante naturam ſumpſit genita natura. Sed quia Dei filius non corporalis parturitudinis eſt genitus exemplo, ſed ex perfecto Deo perfectus Deus natus eſt, idcirco ait creatam ſe eſſe ſapientia, omnes in generatione ſua corporales paſſiones excludens.*

Igitur cùm nulla vox poſſit perfectè explicare quomodo procedat Filius a Patre, hinc pluribus vtitur Script. ac nunc dicit genitum, vt notet eum recipere ſubſtantiam Patris gignentis; nunc dicit creatum, vt ſine alteratione vel mutatione generantis eum gigni ſignificet. Vtrumque igitur dicitur, vt ex vtroque ſumatur quod eſt perfectionis, relinquatur verò quod eſt imperfectionis. Ita D. Thom. l. 4. contra Gentes c. 8.

Porrò S. Epiphan. hæreſi 69. pro *poſſedit & creauit* legit, *Dominus me vt pullum excluſit*: græcè enim habet ἐνόσσευσε, id eſt, nidificauit, & pullum in nido excluſit: νεοσσὸς enim eſt pullus. Videtur ipſe in Hebræo legiſſe קִנְּנָנִי *kinnenani*, id eſt, in nido me excluſit: קֵן *ken* enim eſt nidus. Filius Dei dicitur pullus, ſed Patri coæuus, & per omnia coæqualis, vt notetur ſublimis, cæleſtis, & diuina eius generatio, quòd quaſi aquila ab aquilâ ſit genitus, putà Deus de Deo.

Quartò. Reſp. Quartò. Hebr. ראשית *reſcit* non tantùm principium, ſed & principatum ſignificare, ſignificat enim quodlibet principium, ſiue temporis, ſiue dignitatis, quale eſt principatus: hinc Amos 6. 1. *reſcit goim* vocantur capita, ſiue principes populorum: vnde & Latina vox *principium* pro principatu ſumitur pſal. 109. cùm ait: *Tecum principium*, id eſt, principatus, *in die virtutis tuæ*. Itaq; ſic rectè vertas & exponas; *Dominus creauit me* vel *mihi*, *principatum viarum ſuarum*, hoc eſt, Dominus ab æterno in ſeipſo habuit & poſſedit me, ſed in tempore, quo creauit mundum, dedit mihi principatum operum ſuorum, primas operum mihi detulit, conſtituit me principem operum ſuorum; præfecit me omnibus operibus ſuis: omnia enim per me creauit, conſeruat & gubernat. Sic dicuntur creari reges, præſides, magiſtratus, cùm dignitas regalis, præfecturæ & magiſtratus eis confertur. Igitur Pater Verbum ſuum præfecit toti creaturæ, operique creationis, dum per illud omnia condidit. Rurſum Pater gignendo Filium ſuam creandi poteſtatem, ſuum in creaturas ius & dominium omne eidem cum eſſentiâ communicauit. Vnde S. Athanaſ. l. de decretis Nicenæ Synodi, pro *creauit* legens *præfecit*, ſic exponit: *Dominus præfecit me operibus ſuis incipiendis, rebuſq; inchoandis*, huncque maximè genuinum huius loci eſſe ſenſum cenſet noſter Salazar. Sic & Olympiodor. in Catena Græcor. ac ibidem Didymus, S. Cyrillus & alij.

Vnde ſolerter aduertit S. Cyrill. S. Athanaſ. & alij, non dici abſolutè, *Dominus creauit me principiū*, ſed *principium ad opera ſua*, vel, vt alij vertunt, *in opera ſua*, aut *propter opera ſua*. q. d. Deus conſtituit me principium & cauſam ad creandum & producendum opera ſua. Sic & Nazianz. orat. 4. de Theol. *Sapientia*, inquit, *dicitur creari, non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm progreſſum, quem ad creandū facit*. Vnde Euſebius Cæſar l. 3. ad Marcellum, ait ἔκτισε poſitum pro κατέταξε, vel κατέστησε, id eſt, ordinauit ſiue conſtituit, vt refert Socrates l. 2. Hiſt. c. 17.

Audi & S. Ambr. l. de Filij diuinitate c. 2. *Hæc*, inquit, *eſt illa ſapientia ineffabilis, quæ initium viarum Dei apud Salomonem vel condita, vel genita, vel creata deſcribitur, quam tamen ſic conditam dicit, vt ſemper eam cum Deo fuiſſe oſtendat. Quid enim Deo dabis, vt initium poſſis ſapientiæ ipſius conſignare? Non enim ita Deus ſapientiam ſuam condidit, quaſi aliquando ſine ſapientia fuerit. Sed cùm initium viarum ſuarum dicat, initium motus operis alterius oſtendit, vt hoc initium habeat ſapientia Dei, quod de Deo proceſſit ad creanda omnia, tam cæleſtia quàm terreſtria, non quo cœperit eſſe in Deo. Creata eſt ergo ſapientia, imo genita non ſibi, quæ ſemper erat, ſed his quæ ab ea fieri oportebat, vt, quia quanta & qualis eſſet, ſciri non poterat, de effectu operum ſuorū virtus eius & potentia noſceretur: vt quod de conditis æſtimamus, tunc magis timeremus, cùm facta miramur.*

Hinc & τὸ *creauit* accipi poteſt pro *creare me fecit*, poteſtatē creandi mihi dedit, vt ſit hebraiſmus, quo *cal* ponitur pro *hiphil*, qui in Script. eſt creber. Vnde S. Athanaſ. ſer. 3. contra Arrian. ſic exponit, q. d. ſapientiam creari non in ſe, ſed in ſuis exemplaribus, id eſt, creaturis: hæ enim exemplar ſapientiæ diuinæ referunt, quia ad illud & ex illo ſunt expreſſæ.

Reſp. Quintò, multi Patres cenſent notari hîc generationem Filij Dei, non diuinam, & æternā, ſed humanam & temporalem, qua *Verbum caro factū eſt*. Humanitas enim & caro Chriſti fuit creata & creatura, vti eſt caro ceterorum hominum. Nā paulò pòſt de eodem dicitur: *Ante omnes colles ego parturiebar*: quare hic notari geminam Chriſti naturam, diuinam, cùm dicitur, *parturiebar*; humanā, cùm dicit *creauit me*. Ita S. Athanaſ. Nazianz. Cyrill. Aug. & alij mox citandi. Quintò.

Audi S. Epiphan. hæreſi 69. contra Arrianos: *Dominus*, inquit, *creauit me, hoc eſt, ædificauit me in vtero Mariæ, principium viarum ſuarum in opera ſua. Principium enim viarum deſcenſus Chriſti in mundum, eſt corpus ex Maria, quod eſt aſſumptum in opere iuſtitiæ & ſalutis ipſius.*

Tertiò, ſapientia poteſt hîc accipi creata & participata: hanc enim ab æterno poſſedit Deus, quia ſcilicet ab æterno illam, vt deriuatam à ſua prima & increata ſapientia, ac deſtinato à ſe tempore creationi applicandam, & creaturis communicandam intellexit, ſuoque intellectui cognoſcendam & voluntati decernendam obiecit Deus. Hanc enim propriè in tempore ipſe creauit; ab æterno verò creauit, id eſt, creare decreuit & prædeſtinauit. Sic enim Hebræi ſæpè verba realia vſurpant pro mentalibus aut verbalibus, vt cùm Apoſtolus 2. Timoth. 1. 9. ait gratiam Chriſti ante tempora ſæcularia nobis eſſe datā, id eſt, dari decretam

cretam & prædeſtinatam. Et Ieremias c. 1. 10. ait ſe conſtitutum ſuper regna, vt ea euellat, deſtruat & diſperdat, id eſt euellenda, deſtruenda & diſperdenda prænuntiet, & quaſi vice Dei decernat. Huic etiam ſequentia ſatis apte conueniunt, quæ ſignificant res omnes à Deo creatas eſſe iuxta ſapientiæ normam, cuique propriam & conuenientem. Denique ad creatam ſapientiam capeſſendam propriè & primò hic inuitamur: nam increatam, quæ Deo eſt propria, aſſequi nequimus. Ita D. Tho. 1. p. q. 41. a. 3. Vnde noſter Hier. Prado in c. 2. Ezech. ſic exponit: *Dominus poſſedit*, vel *creauit*, *me in initio viarum ſuarũ*, id eſt, Dominus operi à ſe creato me inſculpſit, vti Phidias ſculptor clypeo Mineruæ à ſe ſculptæ vultum ſuum inſculpſit. Ex ſapientiâ enim, quæ lucet in creaturis, cognoſcitur ſapientia creatoris, quaſi eis inſculpta.

Quartò, accipi hoc loco poteſt ſapientia incarnata, quæ eſt Chriſtus homo. Hunc enim in tempore à ſe decreto creauit & poſſedit Deus, ab æterno verò creauit & poſſedit, id eſt, creare & poſſidere decreuit & prædeſtinauit: nam per vnionem hypoſtaticam diuinitas poſſedit humanitatem Chriſti, illamque effecit ſuam. Ita vt Chriſtus non tantùm qua Deus, ſed & qua homo, ſit & dicatur Filius Dei naturalis, vtque omnes actiones & paſſiones Chriſti hominis ſint actiones & paſſiones Dei. Vnde à S. Dionyſ. vocantur *theandricæ*, id eſt, *Deiuiriles*. Atque inde infinita vis merendi, ſatisfaciendi & redimendi in Chriſto proceſſit, putà à deitate infinita, cui humanitas hypoſtaticè erat coniuncta.

Rurſus S. Ambr. & S. Chryſoſt. ſerm. de Trinitate, τὸ *creauit* exponunt per futurum *creabit* q. d. Dominus in tempore incarnationis creabit me: prædicit enim futurum quaſi iam eſſet factum. Chriſto enim quà homo propriè competit eſſe creatum in tempore (hinc & Deus hîc non vocatur Pater ſcilicet Filij Dei, ſed Dominus, ſcilicet humanitatis eiuſdem. *Caro Dominum agnoſcit*, inquit S. Ambr. libr. 1. de F. de c. 7. *gloria Patrem ſignificat: creatura noſtra Dominum confitetur, charitas Patrem nouit.*) ſicut eidem, qua Deus eſt, competit genitũ eſſe ab æterno. Porrò Chriſtum hominem creauit & poſſedit Deus *in initio*, vel, vt Septuag. ἀρχὴν, id eſt, principium & principatum, *viarum*, id eſt, operum ſuorum. Primò, dignitate: quia Chriſtum fecit primum, principem, caput & ducem omnium Sanctorum, imò omnium angelorum & hominũ totiuſque vniuerſi. Secundò, tempore & cauſalitate: quia nonnulli Theologi cenſent Chriſtum per ſe primò à Deo prædeſtinatũ fuiſſe, ante præuiſionem Adę & peccati originalis, eò quòd Deus primò voluerit condere Chriſtum, & in eo oſtendere diuitias gloriæ & magnificentiæ ſuæ, ac deinde propter Chriſtũ voluerit condere angelos, Adamum, ceteroſque homines & creaturas vniuerſas. Atque id planè ſignificari volunt hoc loco: *Dominus creauit initium*, vel, vt alij legunt, *in initio viarum ſuarum*. Quare hanc ſententiam ſuæ opinionis faciunt baſin & fundamentũ. Ita Alexand. Alenſis, Scotus, Albertus, Claudius Taurinenſis, Catharinus, Pighius & alij, quos citat & ſequitur noſter Suarez 3 p. q. 1. art. 3. diſp. 5. ſect. 2. Verùm non ſatis efficaciter idipſum ex hoc loco probant, vti multis oſtendit hîc Salazar.

Chriſtus princeps operum Dei. Primò.

Secundò.

Alij ergo cum D. Thoma 3. p. q. 1. art. 3. ijque non minoris notæ & numeri, quos citat & ſequi-

A tur Gabr. Vaſquez 3. p. to. 1. diſp. 10. cenſent Chriſti incarnationem à Deo fuiſſe decretam & prædeſtinatam poſt lapſum Adæ, ad eius reparationẽ, & totius generis humani redemptionem. Hanc enim, non aliam, incarnationis Chriſti cauſam tradunt Script. & Patres paſſim. Et tunc decretum Dei de creatione mundi, angelorum & hominũ, ac de permittendo Adæ lapſu peccatoq́; originali, fuit prius decreto de incarnatione Chriſti in genere cauſæ materialis; eodẽ tamen fuit poſterius in genere cauſæ finalis, & quaſi formalis. Chriſti enim incarnatio fuit finis, decor, forma & complementum creationis angelorum & hominum, ac totius vniuerſi. Quocirca inter creationem mundi & incarnationem Verbi fuit mutua quædam contradependentia. Nec enim Deus decreuerat creare mundum, angelos, Adamum, eiuſque lapſum permittere, niſi ſimul decernendo Chriſti incarnationem ad reſtaurandum Adæ lapſum, & ad cō-
B plementum decoremque totius fabricæ ſuæ: nec viciſſim decreuerat incarnationem Chriſti, niſi ſimul decernendo creare mundum, ac permittere Adæ lapſum, vtpote in cuius remediũ decernebat Chriſtum incarnari. Vnde fit, vt decretum creationis mundi & permiſſionis lapſus Adæ, ſit quidem prius decreto incarnationis Verbi in genere cauſæ materialis; eo tamen ſit poſterius in genere cauſæ finalis, & quaſi formalis. In eo ergo Chriſti incarnatio fuit prior, ac principium omnium viarum, id eſt operum, Dei, vel, vt Septuag. vertunt, *ad opera ſua*, vt ſcilicet homines peccato Adæ perditos reſtauraret & reuocaret ad vitam.

Verùm quidquid ſit de ordine & prioritate in-
C carnationis Chriſti reſpectu naturæ, & ſtatus naturalis vniuerſi; certũ eſt reſpectu gratiæ, & ſtatus ſupernaturalis tum hominũ, tum, vt multi volunt, angelorum, Chriſtũ priorem fuiſſe: quia per Chriſtum eiuſq; merita Deus decreuit hominẽ lapſum redimere, ac Sanctis quibuſcumque, ſiue Martyribus, ſiue Virginibus, ſiue Apoſtolis, ſiue quibuſlibet alijs, quin &, vt multi volunt, angelis quoque omnibus ſuam dare gratiam & gloriam. Chriſtus ergo fuit principium, id eſt, cauſa meritoria, exemplaris & finalis, omnium viarum, id eſt, omnium operum ſupernaturalium Dei: quia Deus eum fecit principem & inſtitutorem ordinis huius ſupernaturalis, eiuſque primatum & principatum ipſi addixit, fecitque ipſum caput omnium ſuarum prædefinitionũ & prædeſtinationum, prædeſtinatorum, effectorum, donorum, gratiarum, virtu-
D tum, dotum gratiæ & gloriæ, quas ab illo & per illum in ceteros Sanctos, quaſi per influxum capitis in membra deriuat. Vnde S. Ambroſ. libr. 1. de Interpellatione Iob: *Soli Chriſto*, inquit, *ſeruabatur magnarum prærogatiua virtutum: quia ipſe eſt virtutũ principium, ſicut dixit: Dominus creauit me principium viarum ſuarum.* Et S. Baſilius Apolog. ad Cæſarianos: *Chriſtus*, inquit, *principium Euangelicarum viarum nominatur, quæ nos deducunt ad regnũ*, vt per nos ruinæ angelorum, æquè ac hominum inſtaurentur & reparentur. Sic quoque de Chriſto incarnato hunc locum accipiunt S. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrian. Nazianz. orat. 4. de Theologia, Cyrill. l. 5. Theſauri c. 4. S. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 12. Polychron. & Beda hîc, S. Hieron. in c. 4. Micheę, Hilar. l. 12. de Trinitat. ſub finem, S. Ignatius epiſt. ad Tarſenſes, Epiphan. hæreſi 69. S. Baſil. l. 4. contra Eunom. Damaſcen. libr. 4. de Fide c. 4. & alij plures,

Chriſtus princeps ſupernaturalium.

plures, quos fusè citat Gabr. Vaſquez 3.p.tom.1. diſp.10.n.10.

Chriſtus principium omnis virtutis.

Audi S. Ambroſ. lib. 3. de Fide c.4. hunc locum ſic literaliter, æquè ac moraliter explicantem. *Principium*, inquit, *noſtræ virtutis eſt Chriſtus. Principium integritatis, qui docuit virgines non viriles expectare concubitus; ſed integritatē mentis & corporis ſancto magis dicare Spiritui, quàm marito. Principium parſimoniæ Chriſtus, qui pauper factus eſt, cùm eſſet diues. Principium patientiæ Chriſtus, qui cùm malediceretur non remaledixit, cùm percuteretur non repercuſſit. Principiū humilitatis Chriſtus, qui formam ſerui accepit, cùm Patrem Deū maieſtate virtutis æquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquæque principium. Et ideo vt hæc virtutum genera diſceremus, Filius datus eſt nobis, cuius principium ſuper humeros eius. Principium illud crux Domini eſt, principium fortitudinis, quo via ſanctis eſt reſerata Martyribus ad ſacri certaminis paſſionem.*

Vbi Nota. Hebr. *reſcit* ſignificare Primò, initium, principium; Secundò, primitias frugum & fructuū, quæ ex lege Deo offerebantur; Tertiò, principatū; Quartò, originē, fontem & cauſam. Chriſtus ergo eſt *reſcit*, id eſt Primò, principium operum Dei, quia primus ſanctorum, electorum & prædeſtinatorum. Secundò, idem eſt primitiæ ſanctitatis, quas genus humanum peccato infectum Deo obtulit. Tertiò, idem eſt princeps omnium ſanctorum angelorum & hominum, quia ad triplex hoc *reſcit*, id eſt. principium, creauit & deſtinauit eum Deus. Quartò, idem eſt cauſa, fons & origo omnis ſanctitatis, omnis gratiæ & gloriæ omnium hominum, &, vt multi omnium angelorum. Ita Didymus in Catena Græcor. *Sapientia*, inquit, *quæ ab æterno fuit in Deo, facta eſt in tempore principium, id eſt, cauſa & effectrix operum Dei.*

Porrò S. Cyrillus lib.5. Theſauri c.5. per *vias* accipit leges & præcepta Dei: his enim quaſi viis imus in cælum, quorum principium ait fuiſſe Chriſtum, tum quia Chriſtus viam in cælum exemplo ſuo nobis præiuit, atq; eodem ingrediendi initium nobis donat præueniendo mentem per gratiam ſuam; tum quia lex vetus ultimos quaſi limites legum Dei dedit; Chriſtus verò earū principia, id eſt, præcipua & excellentiora edocuit. vt v.g. lex vetus dicit: *Diliges amicum tuum*; Chriſtus addit: *Diligite inimicos veſtros*. Sic in pluribus aliis Chriſtus legem euexit & perfecit, quæ recenſet. S. Matth. c.5. Audi S. Cyrillum lib.5. Theſauri c.4. *Dominus creauit me initium viarum: Vias* (inquit) *ſanctos viros, Prophetas ſcilicet & legiſlatores appellauit, quia poſſunt monendo ad eum ducere. Ergo creauit me, hoc eſt, fecit me ſuper legem, & Prophetas initium, id eſt, poteſtatem, vt non in illorum verbis ſiſtere faciam, ſed ad meliora documenta traducam.* Sic & S. Baſil. in Apol. Cæſarianos: *Principium*, inquit, *Euangelicarum viarum nominatur, quæ nos deducunt ad regnum: factus eſt enim ſecundùm diſpenſationem via noſtra.* Et S. Fulgentius: *Quod autem* (inquit) *initium viarum Domini creatus eſt Filius, quid eſt aliud, niſi quòd ipſe via nobis eſt factus, vt eo duce & rectore per adoptionis, quam recepimus, gratiam, ad virtutum nobis profectum pateret ingreſſus.*

Chriſtus noui ſæculi principium.

Denique Chriſtus fuit noui mundi principium; tum, quia nouam Eccleſiam, nouumque Chriſtianorum & Sanctorum populum inſtituit: tum quia reſurgendo à mortuis nouæ vitæ & beatæ ſuis dedit exordium, ac Beatorum cætum inchoauit. Vnde ab Iſaia cap.9.v.6. vocatur, *pater futuri ſæculi*: de quo Sybilla apud Virgil. ecloga 4.

Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primùm
Deſinet, & toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta faue Lucina.

B. Virgo princeps operum Dei.

Myſticè. Dominus creauit & poſſedit B. Virginem, vtpote Chriſti matrem, quaſi principium viarum, id eſt, operum ſuorum: quia, vt rectè notat Suarez 3.p.tom.2.q.27. diſp.1.ſect.3. mater à filio non fuit diſiuncta etiam in electione diuina. Quod videtur inſinuaſſe Andreas Cretēſ. ſerm. de Aſſumpt. dicens de B. Virgine: *Hæc eſt declaratio profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis: hic eſt ſcopus, qui excogitatus eſt ante ſæcula.* Pluribus congruis naturæ & gratiæ rationibus, idipſum probat ibidem Suarez. Quocirca S. Epiphan. contra Ariomanitas hæreſi 69. *Quandoquidem*, ait, *ipſa ſapientia ædificauit ſibi domum, fortaſſis à perſona humanæ ipſius naturæ piè dici poterit, vt præſentia ipſius in carne de ipſius deitate dicat: Dominus creauit me, id eſt, ædificauit me in vtero Mariæ, principium viarum ſuarū in opera ſua. Principium enim viarum deſcenſus Chriſti in mundum eſt corpus ex Maria, quod eſt aſſumptum in opere iuſtitiæ & ſalutis ipſius.* Inſuper B. Virgo in ipſo initio viarum, ipſoque momento conceptionis & vitæ, à Deo ſolo poſſeſſa fuit tamquam hereditas ampliſſima, mater vtique Dei dilectiſſima futura.

Igitur B. Virgo ab æterno prædeſtinata fuit, vt eſſet principium, id eſt, prima princeps & domina omnium operum Dei, putà omnium purarum creaturarum. *Primò.* Secundò, vt eſſet idea ſanctitatis, iuxta quā ſanctos Angelos, Apoſtolos, Martyres Virgines, Confeſſores, Religioſos efformaret. *Secundò.* Cùm ergo Deus B. Virginem mente concepit & prædeſtinauit, hos omnes adeoque fideles omnes prædeſtinauit. Tertiò, principatum gratiæ & gloriæ ei decreuit, principatum ſanctitatis æquè ac dominij ei addixit: deſtinauit enim eam, vt eſſet omnium creaturarum princeps, regina & domina. *Tertiò.* Quartò, Deus eam fecit primitias operum ſuorum. *Quartò.* Solebant Deo offerri primitiæ frugum, vt per eas ceteræ fruges cenſerentur Deo oblatæ & ſanctificatæ: ita mundus obtulit Deo B. Virginem quaſi primitias naturæ humanæ, per quam omnes homines totaque natura cenſeretur ei oblata, purificata & ſanctificata. Qua de cauſa pulchrè Rupert. in c.2. Cant. B. Virginem ita de ſe loquentem inducit: *Priuſquam naſcerer, Deo præſens aderam: antequam fierem, bene illi cognita fueram. Elegit me ante mundi conſtitutionem, vt eſſem ſancta & immaculata in conſpectu eius in charitate. Et ſi deliciæ eius eſſe cum filiis hominum, quanto magis deliciabatur cum iſta ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum?*

Petrus Damianus ſerm de Natiuit. Virginis agens de Deipara ſuper illud, *Non eſt factum ſimile opus in vniuerſis regnis*: *Nihil*, inquit, *verius, nihil ſublimius, nihil dulcius miſeræ mortalitati & mortali miſeriæ. Nā etſi multa magna facta ſunt in creaturis mundi, nihil tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur.* Germanus Patriarcha Cōſtantinopolitanus orat. de Zona Virg. *Omnia*, inquit, *in Virgine ſunt admirabilia, & naturæ vires excedentia, in qua Deus ſuam exeruit potentiam: fecit enim in me magna qui potens eſt.* S. Bernardus hom.1. ſuper *miſſus eſt: Et quid*, inquit, *mirum ſi Deus, qui mirabilis legitur & cernitur in ſanctis ſuis, mirabilem ſe exhibuit in matre ſua?* S. Bernardinus Senenſis tom.1. conc.61.

art.6.c.4.agens de dignitate Dei genetricis. *Vnde,* A inquit, *Propheta: Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus: magnificentia enim Dei dicta eſt virgo Maria.* Idem tom.3.ſerm.11.art.1.cap.2.eumdem pſalmi verſiculũ de Deipara explicans: *Singularis,* inquit, *magnificentia Dei fuit B. Virgo: quia in eius exaltatione plus magnificatur, & etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus ipſa magnificat Dominum, quàm omnis creatura alia ſimul ſumpta. Vnde meritò exaltata dicitur ſuper cælos, id eſt, ſuper angelos.* Sanè fecit in ea magna qui potens eſt: quin etiam maximum operum ſuorum, hoc eſt, Dominica incarnatio, in eius vtero eſt perfectum: meritò igitur *magnificentia Dei* dicitur. In Reuelat. S. Brigittæ in ſerm.angel.c.5. *Mũdo,* inquit, *creato adhuc vnus minor mundus, qui eſt Virgo Maria, coram Deo cum omni venuſtate nondum creatus aſtabat, à quo maior gloria Deo, & angelis maior* B *lætitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas, quàm de hoc maiori mundo prouenire debebat.* Et infrà ſermonẽ ad Virg. dirigens: *Florigeris,* inquit, *ac fructiferis arboribus comparari poſſent opera tua: nam charitate ea facitura eras, quæ plus omnium florum pulchritudine, & fructuum ſuauitate Deum atq; angelos delectare debebant; Deuſq; in te ante ſuam creationem plures virtutes præuidit, quàm in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum ſeu metallorum generibus, quæ inueniri poſſent in totius orbis amplitudine: vnde mirum nõ eſt ſi Deus in te, ô minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quàm de hoc maiori mundo:* hæc ibi. Et certè meritò

B Virgo microcoſmos gratiarum.

Virgo ſanctiſſima microcoſmos, ſeu minor mundus, in hac S. Brigittæ reuelatione appellatur, tũ quia Deum omnia continentẽ in ſe portauit, tum etiam, quia vt ait S. Bonauentura in Speculo B. Virginis c.6. *Quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius eſt in gloria, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt.* Quare Petrus Galatinus libr. 7. de Arcanis Catholicæ veritatis c.18. reddens rationem cur B. Virgo Ierem.17.dicatur *ſolium gloriæ Dei: Quia,* inquit, *ſicut ſedes ornata ac regio more parata, ſedentis magnificentiam ac maieſtatem indicat, ita Deus in B. Virgine oſtenſurus erat gloriam ſuam & claritatem.*

Conſonant veteres Rabbini, vt R. Haccados apud Galatin.lib.7.c.1. *Ideo,* inquit, *mundum Deus creauit, quia viderat ex Iſrael excidendam petram ſine manibus, puta B. Virgini, ex qua Meſſias proditurus erat iuxta illud: Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Et cap.2.citat R. Onkelos dicentem: *Propter ſapientiam creauit Deus cælum & terram; hoc eſt, amore intemeratæ Virginis, quæ eſt mundi ſapiẽtia, creauit Deus cælum & terrã: vel amore Meſſiæ filij ſui, cui in diuinis ſapientia attribuitur. Non ſolum amore Virginis cõditus eſt mundus, ſed etiam ſuſtentatur. Ob ſcelera enim innumera, quæ mundari committunt, nullo pacto conſiſtere poſſet; niſi ipſa glorioſa Virgo cum ſua miſericordia & clementia pro nobis orando ſuſtineret.* Et cap.4. docet

B Virgo primus homo.

Rabbinos matrem Meſſiæ vocare *primũ hominem,* cuius proinde ceteri homines filij nuncupari poſſint. Primum intellige non creatione & tempore; ſed tum dignitate, tum fine & ſcopo; tum in prædeſtinatione & decretis Dei, vti iam explicui. Vnde S. Bernard.ſerm.1.in *Salue Regina: De hac,* inquit, *& ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt: propter hanc totus mundus factus eſt: & hac gratia Dei plena eſt: & per hanc homo redemptus eſt, Verbũ Dei caro factum, Deus humilis, & homo ſublimis.* Idem ſerm.de B. Virgine, B. Virginem appellat mundũ ſpecialiſſimum: *Mariam,* inquit, *Deus tamquam mundum ſpecialiſſimũ ſibi condidit, quem in iuſtitia & ſanctitate fundauit,* Et S. Epiphan.ſerm.de Laudibus Virginis, eam *cæli terræq; myſterium* nuncupat: quia ſcilicet per lapſum hominis lapſæ ſunt pariter in deterius omnes creaturæ, propter hominem factæ & homini ſeruientes: per B. Virginẽ verò Chriſtum parientem homo priſtinæ virtuti reſtitutus eſt, & per hominem ceteræ creaturæ. Ergo B. Virgo fuit quaſi reparatrix totius mundi, vti docet Damaſc. orat.1.de Natiuit. Virg. S. Anſelm.li.de Excellentia Virginis c.10. Et S. Bonauent. in Pſalterio Virg. *Diſpoſitione tua,* inquit, *Virgo ſanctiſſima, perſeuerat mundus quẽ & tu cum Deo ab initio fundaſti:* quia ſcilicet propter B. Virginẽ & Chriſtum Deus fundauit mundũ: ipſa enim toto mundo longè eſt nobilior & præſtantior, imò ipſa eſt mundi decus & pulchritudo. Rurſum B. Virgo cælum diſſidens à terra ob peccatum Adæ, eidem per Chriſtum reconciliauit: atq; ſicut ipſa Chriſtum è cælo in terram ſua puritate & humilitate deuocauit; ſic pariter ipſa prima verbo & exemplo viam omnibus hominibus in cælum patefecit. Quocirca Chriſtus eam electis omnibus præfecit, voluitque vt nemo ſaluetur cælumque conſcendat, niſi ipſa conſentiente, imò adiuuante & dirigente. Qui ergo ſaluus eſſe cupit, & ſalutem ſuam aſſecurare, cultor ſit B. Virginis, ac in eius amore & deuotione quotidie creſcat & proficiat. Plura, ſi lubet, vide apud noſtrum Salazar hic, cuius præcipua laus eſt in laudibus Virginis.

C Denique ſicut Chriſtus, ſic & B. Virgo nouo Chriſtianorum ſæculo, ac nouo aureoque Virginum, Martyrum & Sanctorum omnium mundo dedit exordium, de quo Sibylla apud Virgil. ecloga 4.

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Tropol. ſapientiam, Chriſtum & Deiparam imitantur, qui per Dei electionem & gratiam faciunt ſe auctores magnorum & heroicorum operum, vt qui inſtituunt nouas Eccleſias, ſanctos Ordines, Religiones, Congregationes, &c. quales fuere Apoſtoli, S. Antonius, S. Baſilius, S. Auguſtinus, S. Benedictus, S. Romualdus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciſcus. Hi enim rectè dicant: *Dominus creauit* & conſtituit *me principium,* imò principem *viarum* & operum ſuorum, vt ſcilicet me faceret fundatorem nouæ gentis & Eccleſiæ, aut D ſancti Ordinis, quo quaſi via omnes mei aſſeclæ recto itinere contenderent ad culmen perfectionis, ad vitam Apoſtolicam, ad excelſam in cælis gloriæ lauream. Hi enim nõ tantùm habent meritum & laudem propriæ vitæ, ſed & omnium ſui aſſeclarum etiam poſt mortem, quamdiu durabit Ordo ſanctus ab ipſis fundatus. v.g. S. Dominico tribuitur laus ſanctitatis & ſapientiæ S. Thomæ Aquinatis, S. Vincentij Fererij, S. Catharinæ Senenſis, ceterorumque omnium, qui ex eius inſtitutione & diſciplina religioſè & ſanctè vixerunt, viuunt & viuent. Quare eius laus & laurea creſcit & creſcet vſq; ad diem iudicij: atque in cælis omnes S. Dominicani S. Dominicum vt parentem, vt magiſtrum, vt ducem, vt cauſam ſuæ ſanctitatis & gloriæ coleñt diligent, laudabunt & celebrabunt per omnem æternitatem. Quæ ſanè magna eſt laus

laus & gloria. Hi enim ſunt noui Ordinis, quaſi nouæ Eccleſiæ, & noui mundi ſancti conditores. hi ſunt veræ ſapientiæ doctores, præcones & fundatores. Hoſce notauit Daniel cap. 12. dicens: *Qui docti fuerint, fulgebunt vt ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, vbi Petrus,* inquit S. Gregor. homil. 17. in Euangel. *cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectum ſui Iudicis conuerſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt.*

Rurſum hæc gnome monet initia actionum per ſapientiam eſſe ordinanda: ex initiis enim pendent media & finis: qualia enim ſunt initia, tales ſolent eſſe & fines actionum. Vnde ſymbolum eſt Pithagoræ: *Egredienti introëuntiq; valuas eſſe exoſculandas, hoc eſt, initia, & fines actionum & inſtitutorum ſapienter eſſe diſponenda & complectenda.*

Vers. 23. AB ÆTERNO ORDINATA SVM, ET EX ANTIQVIS ANTEQVAM TERRA FIERET] Hebr. *à capite, ab ante terram,* Tigur. & Pagnin. *ab initio ante terram;* Syrus, *ab æterno ante omnia opera;* Arabicus *ante ſeculum fundauit me in principio.* Pro *ordinata ſum* hebr. eſt נִסַּכְתִּי *niſſachti*, id eſt, *principatum habui*, princeps extiti. ita Pagninus; Baynus, *coronata ſũ,* Vatabl. *princeps facta ſum:* nam ſapientia, inquit, poteſtatem habet in omnia quæ facta ſunt; Chald. *ante ſeculum præparata ſum;* Aben Ezra, *electa fui;* R. Leui, *donata ſum fortitudine, poteſtate dominandi & præſtanti ſublimitate,* Septuag. *ante ſeculum fundauit me* (vel *fundata ſum*) *in principio antequã terram facerer.* Sic & Syrus, *ante ſeculum,* inquit, *ſtabiliuit me, & à principio antequam formaret terram;* Marinus in Lexico, *ego meipſã inauguraui.* Hebr. enim נסך *naſach* propriè ſignificat fundere, effundere, libare, ſignificare: in libatione enim effundebatur oleum vel vinum Deo. Hinc *naſach* ſignificat regem vel principem, ſiue laicum, ſiue ſacrum, ordinare, inaugurare, inauctorare, hoc enim fiebat fuſo in principem oleo. Vnde pſal. 2. vbi noſter vertit, *ego autem conſtitutus ſum rex ſuper Sion* hebr. eſt *niſſachti,* vel, vt iam legunt, *naſachti:* quod Chald. vertit *ego autem inauctoraui* (alij, *ordinaui*) *regem meum.* Quare Noſter optimè cum Tigur. & aliis vertit, *ordinata ſum.* Vnde mirum eſt interpretem doctum id negare, ideoque pro *niſſachti* legere נִסַּסְתִּי *naſaſti*, id eſt, vexillaui, inſtar vexilli militum me ordinaui. Nam omnes codices Hebræi habent *niſſachti,* non *naſaſti.*

Igitur τὸ *ordinata ſum* ſignificat Primò, ſapientiam à Deo ordinatam & conſtitutam, eſſe principem rerum creandarum. Secundò, eamdem ordinatam eſſe ſacerdotē (*naſach* enim ſignificat libare & ſacrificare, quod eſt ſacerdotum) ſapientia enim Dei ſancta eſt ſanctificans omnia, Deoque offerens, conſecrans & quaſi ſacrificans res à ſe conditas, quo pertinet illud Triſmegiſti; *Mundus hic eſt pulcherrimum Dei templum,* in quo ſcilicet ſapientia eſt ſacerdos, victimæ ſunt res creatæ, quæ muta voce laudant Deum, eique ſe offerunt, obediunt & ſeruiunt, atque homines & angelos ad Dei creatoris ſui laudem cultumque inuitant & incitant. Tertiò, τὸ *ordinata ſum* ſignificat ſapientiam in ſe eſſe ordinatiſſimam, reſque omnes creatas optimo ordine diſponere, collocare & guberna-

Sapientia eſt ſacerdos Dei.

A re. Ordo enim eſt ſummum vniuerſi bonum: prouidentia enim & bonum vniuerſi conſiſtit in congruo partium ſingularum ordine, mutuaque ad inuicem coordinatione & diſpoſitione. Hæc enim ſi ſeruetur, erit vbique pax; ſin turbatur, ilicò oriuntur diſſidia & bella etiam inter cælos & elementa vt patet in vacuo, in hiatibus, in terræ motibus, in fulminibus & tonitruis, in ventis & turbinibus, in procellis & tempeſtatibus. Vide Nazianz. orat. 26. Hinc diſcant principes, regimen ſapientiæ conſiſtere in ordine, vt quamque rem & perſonam ſuo ordine, loco & gradu collocent, dicant, faciant. Sic enim regent ordinatiſſimè, ideoque ſapientiſſimè & optimè.

Ordo ſapientia Dei.

Igitur Primò, ſapientia increata eſſentialia ordinat in Deo omnia eius attributa, omnes perſonarum diuinarũ proceſſiones, vt ſcilicet priùs origine (B) Pater generet Filium, deinde poſteriùs origine cũ Filio ſpiret Spiritum ſanctum. Ad hęc ordinat omnia Dei decreta, omnes actiones, omnes rerum faciendarum ideas: ideæ enim in Deo ſunt ordinantiſſimæ, ideoque cùm iuxta eas res creat, conſeruat & gubernat, ordinatiſſimè & ſapientiſſimè creat, conſeruat & gubernat. Hinc ex Hebræo vertas, *ab æterno ordinans fui,* vel *ordinaui, omnia:* נִסַּכְתִּי *neſſachti* enim tam eſt coniugationis *piel* actiuæ, quam *niphal* paſſiuæ. In *piel* ergo ſignificat *ordinaui;* in *niphal, ordinata ſum.* Sapientia enim ab æterno ordinauit omnes mundi ordines, omnes ætatum, legum, temporum, regnorum, regum, Eccleſiarum, Prælatorum, Pontificum, &c. viciſſitudines & ſucceſſiones.

Secundò, ſapientia increata notionalis, quæ eſt Verbum ſiue Filius Dei, ordinatiſſima eſt: (C) tũ quia ab æterno ordinata eſt, vt per omnia Patri genitori ſuo aſſimiletur, eiuſque ſit viua imago & character, tum quia in S. Trinitate Filius ſecundum, ideoque medium, obtinet locum, qui locus eſt ei debitus, eſtque locus ordinis: medium enim eſt ordo extremorum: quia ea in ſe ordinat & vnit. Quare Filius vocari poteſt ordo Patris & Spiritus ſancti: quia cùm ipſe medius ſit, & à Patre genitus, efficit vt Pater in S. Trinitate ſit primus, ipſe verò ſit ſecundus, ac Spiritus ſanctus ſit tertius, qui eſt congruus & debitus perſonarum S. Trinitatis ordo. Rurſum dum ipſe cum Patre producit Spiritum ſanctum, vnit Spiritum ſanctum tam ſibi quàm Patri.

Tertiò, ſapientia incarnata ordinata eſt, quia humanitas ſubordinata eſt diuinitati: vnio enim hypoſtatica fecit, vt illa huic optimo & decentiſſimo ordine ſit copulata & deuincta. Rurſum (D) Chriſti potentiæ, cogitationes, verba & actiones omnes fuere ordinatiſſimæ. Denique Chriſtus quaſi princeps ordinatiſſimè diſpoſuit, regitque Eccleſiam & fideles ſingulos, dando cuique eum gratiarum ordinem, quē ſapientia ei dictat. Chriſtus ergo ordinatus eſt rex Eccleſiæ, iuxta illud: *Ego autem conſtitutus ſum* (hebr. *neſſachti*) *rex ſuper Sion,* pſal. 2. Idem ordinatus eſt pontifex Eccleſiæ, iuxta illud: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,* pſal. 109.

Quartò, ſapientia creata ordinata eſt, quia manat ab increata. Hæc enim ordinatiſſimè creauit cælum ſurſum, terram quaſi centrũ deorſum in medio cetera elementa, quodque in ordine & ſtatione ſua. Eadē cælis, ſtellis, ſoli & lunæ ſuum dedit ordinem, motumque ordinatiſſimum. De-

niqueipſa res omnes per ſapientiam & ordinem cuique inditum ſapientiſſimè & ordinatiſſimè diſpoſuit, mouet, regit & gubernat, iuxta illud: *Omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti*, Sapient. 11.21. Quocirca omnes angeli, homines & creaturæ quælibet in ſua ſtatione adeò appoſitè à ſapientia ſunt collocati, vt videantur eſſe caſtrorum acies ordinata, à qua Deus vocatur *Dominus ſabaoth*, id eſt, exercituum: hi enim exercitus non ſunt alij quàm ordines & acies angelorum, hominum & creaturarum omnium.

Multi *Io ordinata* accipiunt pro *prœordinata ſum*, illudque exponunt. q.d. *Prædeſtinata ſum ab æterno*. Sed minùs genuinè: hebr. enim *niſſachti* non ſignificat prædeſtinare, ſed ordinare & regere; ſicut rex ordinat rempubl. magiſter diſcipulos, pater filios, dux milites.

Septuag. vertunt, *fundata ſum*: quæ enim ordinata ſunt, hæc & fundata firmiterque ſolidata ſunt. Ordo enim dat ſtabilitatem rebus, vt patet in fabricis domorum & templorum: in hiſce enim ſi omnia debito ordine fundamento ſuperædificentur, fabrica conſurgit fortis & ſolida. Vnde S. Fulgent. in Reſponſ. ad obiect. Arrian. reſponſ. 3. idipſum explicans de Chriſto docet, voce *fundata ſum*, ſignificari, quòd Verbum, quod eſt Sapientia Patris, per aſſumptionem humanitatis non ſit mutatum; quia firmiter retinet ſuam diuinam naturam æquè ac perſonam, quæ inde hypoſtaſis, id eſt ſubſiſtentia, dicitur, quòd in ea fundatum ſit, firmiterq; conſiſtat & ſubſiſtat. *Ante ſæcula*, inquit, *ſapientia fundatam ſe dicit, vt natiuitatem ſuam, quæ de Patre nata eſt, immutabilem eſſe monſtraret. Quod enim fundatum dicitur, nulla ratione conuellitur: quod autem conuellitur, non mutatur.* Et Polychron. in Catena Græcor. *ſignificat*, inquit, *Verbum menti paternæ, non vt reliqua, ſed inſtar firmamenti firmiſſimè adiunctum eſſe. Aut q.d. Totius vniuerſi principium fundamentum me conſtituit.*

Hinc conſequenter Chriſtus quà homo fundatus eſt, quia humanitas in hypoſtaſi Verbi fundata eſt, & hypoſtaticè ſubſiſtit. Vnde S. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrianos: *Quantum ad humanitatē*, inquit, *fundatur, vt nos ſuper illum velut pretioſi lapides inædificemur, efficiamurque templum habitantis in nobis Spiritus ſancti*, iuxta illud: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarū, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctū in Domino*, Epheſ. 2. 20. Senſus ergo τοῦ *fundata ſum*, eſt q.d. Deus ab æterno conſtituit, vt ego Chriſtus in carnem venturus eſſem fundamentum Eccleſiæ, cui omnes fideles inædificarentur. Architectus enim ante fabricā præconcipit fundamentum, idque ſolidum, vt, ſi machina rimam patiatur, poſſit ex ſoliditate fundamenti reſtaurari. Ita S. Cyrill. lib. 6. Theſauri cap. 8. *Præfundatur*, ait, *ante nos Chriſtus, & in ipſo nos omnes ſuperædificamur, idq; ante initium mundi in præſcientia Dei*, &c. *vt, ſi præuaricatione caderemus, in ipſo rurſus renouaremur.*

Denique per ſapientiam accipi poſſunt ſapientiæ obiecta & dictamina, qualia ſunt, Deum eſſe colendum, honorandos eſſe parentes, cuiq; ſuum ius eſſe tribuendum, proximo eſſe benefaciendum, &c. Hæc enim toto hoc libro tradit Salomon: atque hæc ab æterno in mente Dei ordinata & decreta ſunt, vt in tempore crearentur, ac communicarentur angelis & hominibus, ceteriſ-

A que creaturis pro earum capacitate & modulo.

Myſticè, hæc omnia adaptes B. Virgini. Ipſa enim ab æterno ordinata fuit: quia ipſa eſt opus magnificum, & fabrica diuina, non vnius horæ, menſis, anni aut ſæculi, ſed ſæculorum omnium. Ab æterno eam ordinauit Deus, ab initio mundi eā in variis figuris, archetypis, exemplaribus per ſæcula omnia delineauit: ita eius virginitatem delineauit & præluſit in angelis, charitatem in Seraphinis, ſapientiam in Cherubinis, integritatem in cælis, ſplendorem in ſtellis, in pratis gratiam, in arboribus fructum, in animalibus ſpirandi agendiq; virtutem: adeoque omnium iuſtorum virtutes nō niſi vmbratilia quædam præludia extiterunt, in quibus Deus delineando prima tantæ fabricæ rudimenta præludebat. Quocirca ipſa à S. Bernardo

B appoſitè vocatur *negotium omnium ſæculorum*. Et Ven. Beda: *O Virgo*, inquit *beatiſſima in te ſola rex ille dites & prædites exinanitus eſt*. Igitur ipſa ab æterno in Dei prædeſtinatione fuit ordinata & conſtituta à Deo princeps & regina cæli & terræ, angelorum & hominum, vti dixi v. præced.

Secundò, ipſa fuit ordinata & conſtituta ſacerdos myſtica, vt Chriſtum ſuum in holocauſtum & victimam pro peccato offerret Deo, ad redemptionem totius generis humani.

Tertiò, ipſa fuit ordinatiſſima, ideoque ſanctiſſima in omnibus ſuis cogitationibus, ſermonibus & actionibus, quas particulatim deſcribit S. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 18. & fuſiùs lib. 2. de Virgin. initio. Hinc pariter ipſa ordinat & diſponit congregationes ſibi addictas, Ordines, Religiones, item

C Virgines, Martyres, Confeſſores, Doctores, quos opportunè Eccleſiæ ſubmittit ad eius vel reſtaurationem vel incrementum, vti S. Dominicum & S. Franciſcum Chriſto volenti mundum ſceleratum perdere, ad eius renouationem ſuggeſſit & obtulit. Vide P. Platum lib. 1. de Bono ſtatus Relig. ca. 34. Audi Damaſcen. orat. de Natiuit. Virg. quàm miro virtutum ordine & cōcentu ordinata & ornata fuerit Deipara, particulatim & eleganter depingentem: *Cupiditatem omnem ad id, quod ſolum expetendum & amandum eſt, intentam habes: iram verò aduerſus peccatum dumtaxat, illiuſq; parentem. Appetitus tum in hoc ſitus eſt, vt diuinis ſermonibus nutriaris, hiſq; ſagineris: ſanctam omnem & cum animæ vtilitate coniunctam cogitationem habes; contrà, ſuperuacaneam & animo exitioſam, antequam guſtes eiicis: oculi ſemper ad Dominū, perenne & inacceſſum lumen intuentes: aures diuinum ſermonem audiunt; ac ſpiritus cithara oblectantur, per quos Verbum carnem aſſumpturum ingreſ-*

D *ſum eſt: nares vnguentorum ſponſi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum eſt ſponte exhauſtum, atque humanitatem ſuam vngens: porrò labia tibi ſunt Dominum laudantia, ipſiuſq; labris adhærentia: lingua & fauces Dei verba diſcernentes: cor purum ac labis expers: venter, in quo habitauit is qui nullo loco capitur: lacteis vbera, quæ puerum Ieſum aluerunt: manus Deum geſtantes: genua thronus Cherubinis ſublimior: pedes Dei lege tamquam lucerna deducti: tota denique Spiritus thalamus es, gratiarum pelagus.*

Quàm ordinata omnes ſenſus & actiones B. Virginis.

Hinc ipſa vocatur *caſtrorum acies ordinata*, Cant. 6.9. quia ipſa Sanctorum aciem inſtruit ad debellandum diabolum, mundum, carnem, ad eradicandam libidinem, ſimoniam, ceteraque ſcelera.

Ipſa quoque ordinata fuit conſanguinea S. Trinitatis. Peperit enim Chriſtum, qui non tantùm quà Deus, ſed & quà homo, eſt Filius Dei Patris natu-

naturalis. Chriſtus ergo qua homo, eſt filius naturalis ita Deiparę, quàm Dei Patris. Quare Deo Patri conſanguinea eſt Deipara: quia eumdẽ genuit Filium, quem & Deus Pater, eumque naturalem, non adoptiuum. Ruſum ipſa eſt ſponſa Spiritus ſancti, quia eius ope & opera ſine viro virgo manens concepit & peperit Chriſtum. Vnde Poëta: *Salue Virgo, Dei filia, ſponſa, parens*. Fuit enim ipſa filia Dei Patris, ſponſa Spiritus ſancti, parens Dei Filij.

Ipſa denique ordinauit & coniunxit hominem Deo: tum quia genuit Chriſtum Deum & hominem; tum quia per Chriſtum Deum hominibus, & homines Deo reconciliauit. Vnde omnes ſeculorum ordines, ſucceſſiones & ſtatus optarunt videre Virginem concipi & naſci: &, vt ait Damaſcen ſerm. 1. de Natiuit. Virg. *Certabant ſæcula quodnam maximè ortu tuo gloriaretur. Verùm eorum concertationem præfinitum Dei, à quo facta ſunt ſæcula, conſilium ſuperauit, & poſtrema prima facta ſunt, dum ipſis feliciſſima natiuitas tua obtigit.*

Deipara mater omnium quadrupliciter. Quocirca Albertus Magnus ſuper *miſſus eſt*, & ex eo S. Antonius 4. p. tit. 15. c. 14. §. 3. docet Virginem eſſe matrem omnium, quatuor de cauſis. *Primò*, inquit, *quia genuit omnes ſanctos ſpiritualiter. Secundò, propter curam, quam gerit omnium. Tertiò, dignitate: quia eſt primogenita ante omnem creaturam, & eſt excellentiſſima creaturarum. Quartò, prioritate prædeſtinationis: ipſa enim ante ſæcula prædeſtinata eſt, vt eſſet, ex quo recreandum fuit omne creatum. Et ſic dicitur de ea Prouerb. 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum id eſt in principio operum ſuorum, vt ſim prima omnium, quæ puræ creaturæ ſunt.*

Ab æterno ergo ordinata es ô Virgo ſanctiſſima & antequã terra fieret, vt ad te oculos attolleret, quem culpa premeret, deprimeret afflictio, peccati reus, ſalutis incertus, & ab omnibus derelictus vt in te & per te inveniret reus veniam, afflictus conſolationem, derelictus aſylum, inſipiens ſapientiam, peccator iuſtitiam, nullus perſeuerantiam. Vrbs verè refugij, portus naufragantium, & ſolatium omnium in te ſperantium. Tu ſtella maris, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius fulgor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Tu, inquam, es præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſario ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis.

Moral. de ordinandis moribus. Moral. ſapientiæ, æquè ac Deiparæ diſcipulus & filius eſt, qui motus omnes animæ ordinat, regit & componit, vt eius anima poſſit dicere: Ab æterno ordinata ſum in mente Dei, in tempore verò ordinata ſum in mẽte mea. Atq; hic facilè alios ordinabit & reget, iuxta illud: *Rex eris, ſi reges te ipſũ. Qui ſe regit, alios rexerit*. Ex ordine enim oritur pax, vnio, concordia & amor, nõ tantũ hominis in ſeipſo, ſed & cum Deo, cum angelis, cũ ceteris hominibus & creaturis vniuerſis, vti patuit in Adamo in ſtatu innocẽtiæ, cùm corpus ſenſui, ſenſus rationi, ratio menti, mẽs Deo ſubordinata eſſet, ac ſubiecta obediret. Nam vt ait S. Bernard. ex S. Augu. ſerm. 3. inter paruos: *Pax corporis eſt ordinata temperantia partium. Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, cogitationis actioniſq; conſenſio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis ac Dei, ordinata in fide ſub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia: Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis ſimilis eſt. Pax cæleſtis ciuitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & viuendi in eo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo eſt partium diſparium rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio.*

Idem in Octo punctis vitæ ſpiritalis, hoc ſeptimum aſſignat. *Diſcretum, moderatum & ordinatum te in omnibus exhibeas: quia Deo numquam placuit aliquid immoderatum, inſtabile confuſum, inordinatum: ſuper humilem autem & quietum requieſcit Spiritus Domini.* Hoc verò octauum: *Diſcas tibi ipſi præeſſe & teipſum regere, non alios: propriam vitam ordina, mores tuos compone, teipſum iudica, apud teipſum accuſa & condemna, nec impunitum dimitte exceſſum. Tibi ipſi eſto durus, numquam aliis.*

Idem lib. 3. de Conſider. ſub finem agens de clericis, eorumque inordinato & indecenti veſtitu: *Pellicula diſcolor*, inquit, *ſuorum ordinem decolorat. Quid ſibi vult quòd clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? Id quidẽ minus caſtum minuſq; ſincerum. Nempe habitu milites, quæſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant vt milites, neque vt clerus euangelizant, Cuius ordinis ſunt? Cùm vtriuſque eſſe cupiunt, vtrumq; deſerunt, vtrumque confundunt. Vnuſquiſq; in ſuo ordine reſurget. Iſti in quo? An qui ſine ordine peccauerunt, ſine ordine peribunt? Aut ſi ſummè ſapiens Deus veraciter creditur, à ſummo vſque deorſum nihil inordinatum relinquere, vereor iſtos non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. O miſerandam ſponſam talibus creditam paranymphis, qui adſignata cultui eius proprio retinere quæſtui non verentur. Non amici profectò ſponſi, ſed æmuli ſunt.*

NONDVM ERANT ABYSSI, ET EGO IAM CONCEPTA (Pagnin. & Tigur. *formata*) ERAM; Septuag. *antequam abyſſos faceret*; Arabicus, *antequam abyſſos faceret*. *Abyſſos* intellige immenſas voragines & profunditates aquarum creatas initio mundi, de quibus dixi Geneſ. 1. 2. NECDVM FONTES AQVARVM ERVPERANT] Hebr. *in non fontes graues*, vel *grauidi aquis*; Pagnin. *adhuc non erant fontes aggrauati aquis*; fontes enim videntur quaſi grauidi & prægnantes aquis, vt eas parturiant, & effundant. Septuag. *priuſquam procederent* (Arabicus, *emitterentur*) *fontes aquarum*; Chaldæus, *antequam eſſent fontes moles aquarum*; Vatablus, *necdum fontes aquis redundabant*. VERS. 24.

NECDVM MONTES GRAVI MOLE CONSTITERANT] Hebr. *antequam montes eſſent immerſi*, demerſi, infixi; Pagnin. *fundati*; Tigur. *antequam montes mergerentur*, ſcilicet aquis primigeniæ abyſſi, Geneſ. 1. 2. Aut potiùs *terræ immergerentur* & infigerentur, inquit Vatabl. Radices enim montium videntur terræ immerſæ & infixæ, perinde ac fundamenta domorum & templorum terræ immerguntur, id eſt, profundè eidem infiguntur, in eaque fundantur & ſolidantur. VERS. 25.

ANTE COLLES EGO PARTVRIEBAR] Hebr. eſt חוללתי *cholalti*, quod Noſter vertit, *concepta eram*; Vatabl. *formata ſum*; Aquila & Theodor. *ὠδινήθην*, *per partum erupi*; Symmach. *quaſi obſtetricis opera conformata ſum*; Sept. *ante omnes colles gignit me*; S. Cyprian. *genuit me*. Sic & S. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 12. *Ante omnes*, inquit, *colles genuit me, id eſt, ante omnes altitudines creaturarum.*

Explicat hîc quod dixit v. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, &c. Ab æterno ordinata ſum* dicendo quòd ante abyſſos, ante fontes, mõtes & colles, id eſt, ante creationem mundi, ab æterno, à

Deo concepta & formata ſit. Eſt meioſis: minus enim dicit, ſed plus ſignificat: ſignificat enim ſapientiam ita fuiſſe in mente Dei ab æterno, vt illi ideã dederit abyſſorum, fontium, montium, collium, omniumq; rerum in tempore creandarum; atque in tempore creationem Dei direxerit ad illa ſapienter creanda & efformanda. Ideo enim dicit: *Necdũ erant abyſſi fontes & montes*; quia ſcilicet hi per ſapientiã creati ſunt, & ſine ea creari non poterant.

Sapientia hîc intelligitur eſſentialis, communis toti S. Trinitati. Hæc enim in mente Dei cõcepta fuit ab æterno, & per hanc in tempore Deus creauit omnia. Poteſt & accipi notionalis, putà Verbum ſiue Filius Dei, hic enim genitus eſt à Patre, ac per eum pariter facta ſunt ſæcula, Hebr. 1. 2. Ita de æterna Filij generatione hunc locum accipiũt S. Cyrill. S. Hilar. S. Epiphan. S. Fulgent. & alij ſcribentes cõtra Arrianos, quos citaui v. 22. vt ſenſus ſit, q. d. *Necdum erant abyſſi, & ego iam concepta eram*, puta à Patre per intellectum, & quia conceptio illa perfectiſſima ſemper atque integra fuit, vtpote indiuiſibilis, & tota ſimul, ſubiungit: *Ante omnes colles parturiebar.* Eſt enim conceptio in eadem natura diuina, ideoque generatio & partus, ait D. Tho. 1. p. q. 27. art. 1. ad 2. Vnde Mercurius Triſmegiſtus loquens de diuina Verbi generatione: *Intelligentia illa Deus*, inquit, *cùm maris ac feminæ vim haberet, & vita & lumen eſſet, genuit verbum, alteram ſcilicet mentem opificem*, &c. Et Poëtæ finxerunt Mineruam deam ſapientiæ ex cerebro Iouis natam, vt ſignificarent ſapientiam & Verbum genitum à ſolo Patre, eſſe ideam eius primariam, ad quam ipſe omnia architectatus eſt. Deniq; poſſet hîc accipi ſapientia incarnata, putà Chriſtus homo; ſed tum τὸ *concepta eram & parturiebar* accipiendum eſt non realiter, ſed mentaliter, ſiue in mente & prædeſtinatione Dei. ita Hugo.

τὸ parturiebar quatuor ſignificat. Primò. Secundò.

Verbum *parturiebar* ſignificat Primò, ſapientiam quaſi ab æterno ſtimulaſſe Deum ad pariendum & creandum res in tempore. Sic enim mulier, cùm parturit, ſtimulatur ad enitendum fœtum. Secundò, ſapientiam eiuſque opera eſſe res arduas & operoſas, quæ in ſe requirant parturitionem, id eſt longam meditationem, molitionem & operationem; licet Deo ſint plana & facilia ob infinitam eius potentiam, qua in momento ſolo iuſſu, nutuque creauit cælum & terram. Atq; hac de cauſa Deus rerum creationem molitus eſt perfecitque per ſex primos mundi dies, vt ſignificaret quàm molitio hæc in ſe eſſet ardua & difficilis, licet ſibi vtpote omnipotenti eſſet facillima. Tertiò, τὸ *parturiebar* ſignificat mentẽ Dei ſapientia quaſi grauidam & prægnantem ab æterno in tempore eam peperiſſe; cùm ſcilicet eius opera, putà cælum & terram creauit & quaſi peperit. Quartò τὸ *parturiebar* idem eſt quod pariebar & partu enixa eram, gignebar & genita eram. Vtrumque enim ſignificat Hebr. *cholalti*, quod eſt temporis præteriti. Significat ergo in Deo idem eſſe gignere & genuiſſe, gigni & genitum eſſe. Vnde Filius in eodem inſtanti æternitatis ſemper & gignitur & genitus eſt, ſemper naſcitur & natus eſt. In diuinis enim & æternis idem eſt fieri & factũ eſſe: æternitas enim eſt quaſi punctum indiuiſibile, ſemper durans vnum idemque: ac proinde ſine vlla ſui mutatione coëxiſtit tempori præterito, præſenti & futuro. Quia enim hæc ſucceſſiuè coëxiſtunt eidem inſtanti æternitatis ſemper manenti & conſtanti, hinc iuxta illa dicitur, Pater genuiſſe, gignere & geniturus ſemper Filium, cùm propriè dumtaxat ſemper gignat Filium, ac ſemper Filius ab eo ſit genitus. Ita clarè docet S. Hilar. lib. 7. de Trinit. poſt medium, clariùs S. Aug. in pſalm. 2. clariſſimè Origen. hom. 6. in Ierem. *Filius*, ait, *continuo eſſe ſuũ accipit & manat à Patre, ſicut ſplendor à ſole.* Vnde Tropol. addit *nos etiã, qui fratres ſumus Chriſti, ſemper à Deo generari per ſingulos intellectus, per ſingula opera & verba ſanctaſi ſemen, id eſt gratiam eius ſuſcipiamus, eiq; cooperemur.*

Tertiò. *Quartò.* *Filius ſemper gignitur & genitus eſt.*

Hinc S. Tho. l. 4 Contra Gentes c. 11. docet in partu corporali, eò quòd fiat cũ motu & ſucceſſione, Primò, eſſe conceptionẽ; Secundò, parturitionem; Tertiò, partum, Quartò, præſentiam rei partæ ipſi parienti: at in Deo qui caret motu & ſucceſſione, partũ ab æterno fuiſſe plenum atque perfectum, ideoque ſimul fuiſſe Verbi conceptionem, parturitionem, partum & præſentiam patri parienti, hoc eſt gignenti: atq; vt hoc ſignificaret Salomon, cùm dixiſſet: *Ante omnes colles parturiebar*, ne quis parturitionem præceſſiſſe partum exiſtimaret, ilicò ſubiunxiſſe: *Quando præparabat cælos, aderam.* q. d. Ab æterno parturiebar, ſed plenè & perfectè, vt eodem inſtanti perfectè exiſterem, eſſemque præſens Patri gignenti, cum eo moliens cælos totumque vniuerſum.

Conceptio Virginis principium operum ſupernaturalium Dei.

Myſticè hæc adaptes B. Virgini. Vnde Eccleſia hæc pro Epiſtola legit in ſacrificio Miſſæ Conceptionis & Natiuitatis eiuſdem. Conceptio enim & natiuitas Deiparæ fuit principium operum Dei circa redemptionem hominum, in quo magnum pietatis Sacramentum, putà incarnatio Verbi mox peragenda & celebranda erat. Ipſa enim eſt thalamus & thronus veri Salomonis noſtri, in quo Deus ſuam omnipotentiam & magnificentiam oſtendere voluit: *Et magnum magni Numinis illud opus.* Quare fecit B. Virginem in ſui conceptu & ortu nobiliorem & pulchriorẽ omnibus angelis, etiam Seraphinis, imò fecit eam ideam perfectionis, virtutis & ſanctitatis, vt ipſa eſſet exẽplar decoris & gratiæ tam angelorum quàm hominum, quin & creaturarum omnium; imò fecit, vt ipſa eſſet imago diuinitatis, in qua Deus præ ceteris puris creaturis ſuam ſapientiam, amorem, virtutes & decus omne, quoad fas erat exprimeret & mundo repræſentaret. Ipſa ergo eſt oceanus pulcbritudinis, fons paradiſi, templum & ſacrarium Dei, *Abyſſus humilitatis, gratiæ & ſapientiæ*, vti eam vocant S. Ildephonſus & S. Bernard. imò *abyſſus miraculorum*, ait Damaſcen. orat. 1. de Natiuit. Ipſa pariter præ omnibus collibus fuit mons in vertice montium: quia *vt ad conceptionem Verbi pertingeret, meritorum verticem ſuper omnes angelorum choros vſq; ad ſolium deitatis erexit*, ait S. Gregor. in lib. 1. Reg. c. 1. Idcirco ante colles & montes ab æterno concepta fuit in mente & prædeſtinatione Dei, quæ ex tunc illam parturiit quaſi geſtiens illam eniti & parere, ideoque tempore à ſe decreto illam quaſi enixa eſt & peperit. B. Virgo enim ab æterno prædeſtinata fuit à Deo, non tantùm vt eſſet ſancta, ſed & vt eſſet mater Sanctorum, imò idea ſanctitatis, vt ſcilicet iuxta eã reliquos ſanctos Apoſtolos, Martyres, Virgines, Confeſſores efformaret. Habet enim ipſa puriorem virginitatem quàm habeant ceteræ virgines: maiorem ſcientiam quàm habeant Doctores: fortiorem patientiam quàm Martyres: clariùs lumen propheticum quàm Prophetæ: ardentiorem zelum quàm Apoſtoli: deni-

B. Virgo abyſſus miraculorum.

que ſanctitatem quamcumque maiorem quàm habuerit vllus Sanctorum. *Tot tibi ſunt dotes, Virgo, quot ſidera cælo. Ceteris*, inquit S. Ildephonſus & Bernard. *datur gratia per partes, Mariæ verò tota gratiarum plenitudo.* Cùm ergo Virginis conceptionem & natiuitatem celebramus, noſtram quoque celebramus, nam in ipſa quaſi in matre filij nos concepti & nati ſumus. Porrò concepta eſt B. Virgo quindecim annis ante partum & natiuitatem Chriſti: Chriſtum enim peperit anno ætatis 15. Quare cùm Chriſtus natus ſit anno Auguſti Cæſaris 42. ſi retro 15. annos Virginis computes, incides in annum Auguſti 27. illo ergo anno concepta fuit B. Virgo, quo & Auguſtus Cæſar, vti narrat Ioſeph. lib. 1. Belli c. 15. & 16. Dei inſtinctu, licet arcani neſcius, præter morem in Syriam profectus, vt prouinciam luſtraret, Herodem regem Iudææ magnis honoribus affecit, & nouis prouinciis præficiens exaltauit: Herodes verò in gratiarum actionem vrbem magnificam exædificauit, quam à Cæſare Cæſaream appellauit; quin & iuxta fontes Iordanis inſigne templum ex marmore candido Cæſari exſtruxit. Nimirum quia in Syria & Iudæa tunc concipiebatur Virgo, quæ fonte purior & marmore candidior erat Dei templum ac viua poſſeſſio, cui proinde Auguſtus veniendo in Syriam, honorem detulit, & dominatum ac imperium quaſi reſignauit.

VERS. 26. ADHVC TERRAM NON FECERAT, ET FLVMINA, CARDINES ORBIS TERRÆ] Hebr. *adhuc terram non fecerat & plateas* (vel *ea quæ extra ſunt*, ita Tigurina) *& caput puluerum orbis*. Vnde Primò, Hebræi cenſent hic tria notari elementa, putà per *terram* globum terræ; per *ea quæ extra ſunt*, aërem, qui extra terram arctam ſurſum ſpatioſè lateque expanditur; per *caput puluerum terræ* notari ignem, qui eſt caput & princeps terræ ceterorumque elementorum. q. d. Ego ſapientia fui ante omnia elementa. Nam de quarto aquæ elemento mox ſubdit, dicens ſe fuiſſe ante abyſſos.

Secundò, Septuag. vertunt, *Dominus fecit regiones, & inhabitabiles & ſummitates habitatas eius, quæ ſub cælo eſt*; S. Hilar. li. 12. de Trinit. *& cacumina quæ habitantur ſub cælo*. q. d. Deus fecit terram, eamque diſpeſcuit in regiones habitabiles & inhabitabiles. Inhabitabiles ſunt, quæ teguntur mari; habitabiles, quæ è mari extant & eminent, quæ vocantur *caput puluerum orbis*; quia ſunt puluerulentæ, & ſiccitate ſua vbique puluerem creant.

Tertiò, Noſter optimè per חוצות *chutſot*, id eſt *plateas*, vel *ea quæ extra ſunt*, accipit *flumina*; quia flumina ſunt quaſi plana in terra, vel extra terram ſiccam plateæ, quæ eodem itinere placido ſemper tenore & æquore fluunt. Nec enim de plateis vrbium hic ſermo eſſe poteſt, cùm initio mundi nullæ fuerint vrbes. Vnde Aquila & Symmach. vertunt, ἐξόδους, id eſt, *exitus*, quales ſunt effluxus fluminum.

Porrò per *caput puluerum terræ*, licet Chald. accipiat *verticem terræ*, & Septuag. *ſummitates habitatas terræ*; Noſter tamen optimè vertit; *cardines orbis terræ*. Cardines enim continent puluerem terræ friabilem & ſolutum ne diffluat, itaque terra findatur & hiet. Porrò per *cardines terræ*, Ianſen. accipit quatuor mundi limites, ſcilicet Orientē, Occidentem, Meridiem & Septemtrionem, quibus quaſi columnis ſuſtinetur & conſiſtit mundus. Sic & Aben Ezra *τὸ puluerum* interpretatur *plagarum*

A Alij accipiunt polos mundi circa quos cęlum vertitur. Noſter Pineda in Eccleſ. c. 3. v. 20. n. 3. cēſet alludi hîc ad creationem hominis & animalium è puluere terræ. *Igitur caput puluerum terræ* vocari pulueres, qui ſunt principium, & velut fundamentum hominis, & brutorum animalium, quæ terram calcant. Meliùs accipias cum noſtro Salaſar centrum terræ: ad hoc enim quaſi ad caput reuocantur omnes lineæ, à circumferentia terræ per medium eius ad alteram circumferentiam ductæ. Centrum enim propriè continet & coërcet puluerem terræ, vt non dilabatur & diffluat, ſed ſuo loco immobilis conſiſtat: Vnde centrum eſt quaſi baſis & fundamentum terræ, iuxta illud Iob 38. 4. *Vbi eras, quando ponebā fundamentum terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam.* Poſſent quoque per *caput*, id eſt capita, *pulueris* accipi aggeres arenarum, qui
B in littoribus mare continent & coërcent, ne exūdet & terram obruat. Sic enim promontoria in mari eminent, eiuſque impetus refringunt. Vnde & *capita* vocantur; vt promontorium Bonæ ſpei vocatur caput bonæ ſpei: ſic & cetera in littore maris Arabici & Indici eminentia, vocantur capita. Atque ſic *τὸ caput* acceperunt Sept. & Chald. Quare ſic Noſtrum cum Septuag. conciliabis, ſi per *flumina* accipias tam fluuios quàm æquora ſiue maria, quæ Septuag. vocarunt regiones inhabitabiles: ac tunc ſummitates habitatæ, vti vertunt Septuag. erunt aggeres maris monteſque, qui mare in ſuo alueo coërcent, ne terram montibus ſubiectam & habitatam obruat. Vnde hebr. vocantur *capita*, à Noſtro vocantur *cardines terræ*, quia terram fulciunt & muniunt contra mare, ne ab illo
C exundante mergatur. Meminit montiū, collium, fluminum abyſſi & fontium; quia hi omnes ſtabiles ſunt, vel ſitu vt mōtes, vel fluxu vt fontes. Vnde vocantur fontes perennes, quia ſuo perēni fluxu æternitatem repræſentant. q. d. Sapientia magis ſtabilis, magis antiqua & æterna eſt, quàm ſint montes, mare & fontes, quæ apud homines habentur maximè ſtabilia & perennaria. Eamdem mox cælis conferet & anteferet, dicendo: *Quando præparabas cælos, aderam.* Gradatim enim ab inferioribus ad ſuperiora conſcendit.

QVANDO PRÆPARABAT CÆLOS, ADERAM (Syrus, *cum eo fui*:) QVANDO CERTA LEGE ET GYRO VALLABAT ABYSSOS] Sept. *cùm pararet cælos, aderam illi*; Hebr. *in parando illum cælos, ibi ego, in deſcribendo ipſum circulum ſuper faciem abyſſi*; Pagnin. *quando deſcribebat circino faciem voraginis*; Tigur. *cùm conſtitueret globum ſuper faciem abyſſi*; Syrus, *quando fecit circulum ſuper faciem abyſſi*; Chald. *cùm gyrum circum-* VERS. 27.
D *duxit in faciem abyſſi*. Quod explicans Vatabl. Primò, per *abyſſum* accipit centrum terræ, quia profundiſſimum. q. d. Ego ſapientia aderam Deo, cùm ipſe globum & peripheriam terræ quaſi circino circumſcriberet circa centrum eiuſdem, hoc eſt, dum ipſe collocaret centrum terræ in medio mundi, & circa illud terræ circulum, cælorumque orbes rotundos efformaret, ac quaſi circino circumſcriberet. Sic & Aben Ezra & R. Leui per *abyſſos* accipiunt terram, quæ eſt centrum cælorum & ſphærarum cæleſtium. *Abyſſi quid? Reſ. Primò.*

Secundò. Secundò, Caiet. per *abyſſos* accipit cælos, ſicque vertit, *quando circino ſculpebat ſuper facies abyſſi*; hoc eſt, inquit, quando cælum vnum velut circino in rotunditate elaboratum alteri cælo ſupponebat; vnde cælum dicitur quaſi cælatum.

Tertiò. Tertiò, alij per *abyſſos* accipiunt maria; ſed variè explicant. Primo, aliqui ſic: gyro vallare abyſſos eſt idem, quod circumdare mari terminum ſuum, putà terram in circuitu maris eleuare, eaque ratione quaſi vallum mari opponere, ne tranſgrediatur. Ita Ludouicus Molina tract. de Opere ſex dierum diſput. 11. Accedit Lyran. R. Salomon & Hugo, qui per *abyſſos* accipiunt maria, quæ Deus certa lege & gyro metatus eſt, vt appareret arida. Secundò, alij, q.d. Gyro vallare abyſſos, eſt facere globum aquæ rotundum. Vnde Melchior Canus & alij cenſent aquam per ſe eſſe rotundã, ac facere globum ſeparatum à globo terræ. Verùm hoc rectè refutat noſter Clauius in Sphæra, & Ludouicus Molina loco iam citato. Tertiò, alij, qui cenſent aquam & terram vnum globum efficere, ſic exponunt gyro vallare abyſſos eſt efficere, vt aquæ terræ commiſtæ vnum cum ea globum efficiant, ac vtramque vno gyro & circulo complecti.

Quartò. Quartò, Ianſen. per *abyſſos* accipit aërem omniaque elementa, quæ ſubiacent ſphæris cæleſtibus. q.d. Deus gyro, id eſt, circulo cæleſtium ſphærarum, omnia elementaria corpora concluſit.

Quintò. genuinè. Quintò, alij meliùs per *abyſſos* accipiunt aquas, quæ ſunt ſuper firmamentum, de quibus dixi Geneſ. 1. 2. & 6. Agit enim hic de cælis & abyſſis cęleſtibus, poſtea acturus de mari & abyſſis terrenis. Initio enim mundi, vt oſtendi Geneſ. 1. 1. & ſeqq. Deus creauit tantùm cælum empyreum ſurſum & terram deorſum, ac totum ſpatium intermedium repleuit abyſſo, id eſt, immenſa vi aquarum, ex quibus deinde cælos, aërem & cetera omnia efformauit. Quare primo die mundi ſupernè vallauit abyſſum hanc gyro cæli empyrei, vt illud non excederet, imò nec ingrederetur; inferiùs verò vallauit eamdem circulo terræ, vt vltra illum ſeſe non extenderet. Rurſum quando Deus ex hac abyſſo formauit firmamentum diuidens aquas ſuperas ab inferis, abyſſum hanc ſupernam, putà aquas, quę ſunt ſupra cælos ſidereos, ſupernè vallauit eodẽ gyro cæli empyrei, infernè verò vallauit eas gyro primi cæli ſiderei ſiue primi mobilis, vt nec ſupernè, nec infernè hoſce gyri ſui limites tráſgredi poſſent. Quocirca noſter Salazar cenſet haſce aquas inter cælum empyreum & cælos ſidereos præter alias rationes hac etiam de cauſa ibidẽ poſitas eſſe, ne primum mobile ſuo motu ſecũ raperet cælum empyreum. Hoc enim, vtpote Dei & Beatorũ ſedem, voluit Deus eſſe immobile: quare Deus noluit illi cælos ſidereos, qui mouentur, eſſe contiguos, ne illi empyreum ſecum raperent, ideoque medias interiecit aquas, quæ vim impetumque primi mobilis eludant & hebetent, ne ad cælum empyreum perueniat. Hoc videtur voluiſſe Sept. dum vertunt, *cùm ſecerneret ſedem ſuam*; Aquila & Symmach. *turrim ſuam* (Addunt Septua. *ſuper ventos.* Sed hoc ad ſequentia pertinet) q. d. Cùm Deus cælum empyreum velut ſedem glorię ſuæ altiorem faceret aquis ſupercæleſtibus, illamque ab eis ſecerneret & eleuaret, tũ vt eſſet thronus Dei & Beatorum, tum vt aquis ſupercæleſtes ſuo circulo definiret, circumſcriberet & quaſi circino exornaret, ego ſapientia aderam Deo, omnia dirigens & moderans.

Hucuſque æternitatem ſuam oſtendit ſapientia, dicens ſe ante montes & fontes ab æterno conditam & poſſeſſam à Deo; nunc oſtendit quid

A in tempore per eam operatus ſit Deus, nimirum cælos & abyſſos cæleſtes per ſe produxiſſe, limitaſſe, & quaſi circulo eleganti circũſcripſiſſe. Vnde auctor Catenæ Græcor. ſic explicat: *Quãdo præparabat, hoc eſt cælum ſtellis ornabat, vnà aderam: non dicit παρήμην, ſed συμπαρήμην, nempe quò per hoc indicet in gloria & maieſtatis ſolio ſe Patri aſſidere, eiuſdemq́; virtutis, honoris & poteſtatis cum illo eſſe: quando ἀφώριζε ſeorſumq́; ab aliis ſedem ſuam ponebat, aderam, operamq́; conferebam: egebat namque latio illa ad ſumma rerum faſtigia, poteſtate virtuteque Deo digna.* Hebr. enim הָכִין *hachin* ſignificat præparare, parare, ornare, ſolidare & ſtabilire. Vnde Aben Ezra vertit, *quando firmabat cælos*; R. Leui, *quando diſponebat cælos ad illum numerum, conſtitutionem, latitudinem, magnitudinem qua conſtant; item ſidera in eis*
B *defixa; tunc aderat ſapientia hæc omnia diſponens & ordinans.*

Myſticè, B. Virgo aderat Deo cælos & aquas cæleſtes formanti, quia quidquid in eis pulchrè condebat Deus, id totum vel literaliter, vel ſpiritualiter pulchriùs deſtinabat indere B. Virgini, quia ipſa futura erat cęlum animatum, in quo plenitudo diuinitatis inhabitatura erat corporaliter. *B. Virgo cælum animatum.* Vnde Damaſc. orat. 1. de Natiuit. Virginis; *Hodie,* inquit, *ex terrena natura cælum in terra condidit ille, qui olim firmamentum ex aquis finxerat, atque in altum extulerat. At ſanè illo longe diuinius eſt: nã qui in illo ſolem effecerat, in hoc iuſtitiæ ſol ortus eſt.* Porrò non vnum dumtaxat, ſed quintuplex cælum fuit B. Virgo, inquit S. Bonau. ſerm. 1. de Laudibus Virg. to. 3. *Idq; quintuplex.* *Domina noſtra,* ait, *fuit cælum aereum per puritatem omnimodam: cælum igneum per ardentiſſimam charitatem: cælum ſidereum per patientiæ firmitatem: cælum*
C *aqueum per frigidiſſimam caſtitatem: cælum empyreum per totius ſapientiæ claritatem.* Iam abyſſum aquarum ſpiritualiũ Virginis accipe ex S. Bernard. ſerm. de B. Maria: *Dominus altiſſimus eam quaſi mundum ſpecialiſſimum creauit, quam in iuſtitia & ſanctitate corã ipſo fundaret, & fluentis ſapientiæ irrigaret, & cæleſtibus deſideriis inſtar aeris ſublimaret, & igne dilectionis accẽdendo illuſtraret. Hinc in eius mente tamquam in quodã firmamento ſolem poſuit rationis, & lunam ſcientiæ, & virtutes tamquam ſtellas ſpeciei omnimodæ,* &c.

In Reuelationibus S. Brigittæ in ſerm. angel. c. 5. *B. Virgo eſt minor mundus.* *Mundo,* inquit, *creato adhuc vnus minor mundus, Virgo Maria, coram Deo cum omni venuſtate nondũ creatus, aſtabat, à quo maior gloria Deo & angelis, maior lætitia, atq; omni homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas, quàm de hoc maiori mundo prouenire debebat.* Et
D infra ſermonem ad Virgin. dirigens: *Florigeris,* inquit, *ac fructiferis arboribus cõparari poſſent opera tua: nam charitate ea facture eras, quod plus omnium florũ pulchritudine & fructuum ſuauitate, Deum atque angelos delectare debebant.* Additque, *Scimus Deum in te ante ſuam creationem plures virtutes prævidiſſe, quàm in omnibus herbarum, florum, arborum fructuum, lapidum, gemmarum ſeu metallorum generibus, quæ inueniri poſſent in totius orbis amplitudine: vnde mirum non eſt, ſi Deus in te, ô minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quàm de hoc maiori mundo.*

QVANDO ÆTHERA FIRMABAT SVRSVM ET LIBRABAT FONTES AQVARVM] Pro *æthera* hebr. eſt שְׁחָקִים *ſcechakim*, id eſt, cæli, æther, aër leuiſſimus. Radix enim שָׁחַק *ſcachac* ſignificat contundere, molere, leuificare. Vnde שַׁחַק *ſcachac*, vocatur puluis contuſus & minutiſſimus, momentum, cælum, æther; quia leues & ſubtiles ſunt: licet VERS. 28.

Caba-

Cabaliſtæ ita cælos dictos putent, eò quòd iuſtis molant manna, vti fecere Hebræis in deſerto. Vnde Syrus & Chaldæus vertit, *nubes. Quando*, inquit, *roborabat* (Chald. *condenſabat*) *nubes*, Septuag. *ventos & nubes. Cùm validas*, inquiunt, *faceret ſuper ventos nubes*; Aquila vertit, *momenta*; S. Athanaſ. in Synopſi cap. 14 legit, *quando ſegregabat thronum ſuum ſuper ventos*; Vatabl. *cælos*: *Quando firmabat*, inquit, *cælos deſuper*. Caietan. accipit cælum empyreum; R. Leui firmamentum quod Deus ex aquis fluidis formauit, denſauit & firmauit. Verùm de cælis iam egit ſapientia, quare Noſter cum Symmach, Pagnino & Tigur. optimè vertit, *æther*. Deſcendit enim Salomon à cælis & abyſſo ad æthera, & inde ad aquas, ab aquis ad terram, quæ ima eſt. Per *ætherem* accipe aërem, & cum Lyrano ignis elementum, ſi quod eſt ſuper aërem. Adde etiam ſi vis orbes planetarum, præſertim Lunæ, Martis & Veneris, qui Soli ſubiacent, quos multi cenſent eſſe ſimiles aëri puriſſimo, ideoque vocari *ætherem*. Igitur Deus ætherem firmauit, quia aërem (& cetera iam dicta) licet fluidum & ſecabilem ita ſtabiliuit, vt ſemper perduret, ac nubes aqua grauidas ſuſtineat & ſuſpendat, atque validos ventos in terram emittat.

Æther quid.

Pro *librabat* hebr. eſt עזוז *iaazoz*, id eſt, *ſacrificabat*. Vnde Chald. & Syrus, *cùm roboraret fontes abyſſi*; Septuag. *cùm confirmatos* (Tertull. *firmos*) *ponebat fontes eius, quæ ſub cælo*; Tigurina, *cùm æthera ſupernè figeret, fonteſq; abyſſi firmaret*; Aquila & Theodor. *in ſtatuendo gyrum ſuper faciem abyſſi*.

Per *fontes* Ianſen. accipit nubes, quæ inſtar fontium aquam pluuiam ex æthere effundunt. Hos enim ita librat Deus, vt in aëre ſuſpenſi hæreant, iuxta illud Iob 26. 8. *Qui ligat aquas in nubibus*. Vnde S. Athanaſ. in Synopſi cap. 14. legit: *Quando firmabat ea quæ ſuper nubes ſunt, eram cum eo cuncta componens.*

Librare aquas quid? Reſp. primò. Meliùs accipias fontes, qui in terra ſunt. Hos enim, inquit Molina loco ſuperiùs citato, Deus librauit, id eſt, quaſi libra & trutina per terram aptiſſimis ſpatiis diuiſit, diſtribuit & dimenſus eſt.

Secundò. Rurſum, vt noſter Salazar, librare aquas dicuntur, qui illas per ſuos canales & aquæductus dirigunt, & altitudinem metiuntur, ad quam aſcendere poſſunt; non enim altiùs deduci poſſunt, quàm ſit earum origo & ſcaturigo. Vnde in Iure libratores & libellatores vocantur. Deus ergo per ſapientiã *librauit fontes aquarũ*, id eſt, per ſecretos terræ meatus direxit & diſpertit fontes, vt opportunis locis erumpant, locorum altitudinem & depreſſionem quaſi ad libellam examinans, vt per illas aquæ ſecundùm natiuam conditionem decurrant, & in nouas ſcaturigines deducantur, ibique in fontes emanent. Hebr. eſt *cum roboraret fontes abyſſi*: quia Deus initio mundi abyſſum, id eſt, aquarum vaſtitatem, quæ totam terrã operiebat, à terra deduxit & ſeparauit (vt terra poſſet habitari ab hominibus & animalibus eamq; partim in maria & flumina diſtribuit; partim per venas in ſingulas terræ regiones ita æquè ac appoſitè quaſi ad libellam, libramque iuſtitiæ diſpertiit, vt nulla queri poſſit ſe aquis deſtitui. Vnde experientia docet quocũque ferè loco ſi fodiatur, reperiri aquam; vt patet in puteis, qui vbiuis ferè locorum effodiuntur. Sicut ergo ex hepate ſanguis per venas diſtribuitur in totum corpus ſingulaſq; eius partes, ad illud humectandum, calefaciendum & alendum, miro naturæ artificio & beneficio; ita pariter mirabili arte & ſapientia Deus aquas abyſſi per venas in omnes terræ regiones librauit, id eſt, æqualiter diuiſit, & quaſi ad libellam diſtribuit, vt omnes poſſint producere, gramina, herbas, plantas, arbores, &c. vtq; ſuis locis in fontes & flumina erumpant ad potandum homines & animalia, & ad alios quoſlibet eorum vſus. Quod ſanè magnum & mirabile eſt ſapientiæ diuinæ opus. Inſuper librat Deus fontes abyſſi, dum facit vt ex mari tantum aquarum effluat in flumina, in vapores & nubes, quantum aliunde ex fluminibus & pluuiis influit, vt alludat ad illud Eccleſ. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

Tertiò, poteſt τὸ *librabat* accipi pro librare, id eſt eiaculari, faciebat. Sicut enim milites librant, id eſt, eiaculantur, magnaque vi intorquent tela, ſaxa, baliſtas, tormenta: ſic pariter Dei nutu fontes magna copia & impetu vibrant & eiaculantur aquas. *Tertiò.*

Quartò, *librabat*, id eſt, graues faciebat, fontes, vt ſcilicet è montibus lociſque editis in planitiem terræ decurrerent ad hominum & animalium vſum. Sic Plinius li. 11. c. 10. *Apes*, inquit, *ſi cooriatur procella, apprehenſi pondusculo lapilli librant ſe*, id eſt, graues ſe faciunt, ne vi procellæ abripiantur. Et Cicero 5. Tuſcul. *Vnde terra, & quibus librata ponderibus, quibus cauernis maria ſuſtineat.* Hinc pondera vocantur libramenta. *Quartò.*

Et hoc ſignificat Hebr. עזוז *iaazoz*, id eſt, *roboraret*. Roborauit enim Deus fontes, dum eos perennes effecit, vt magno robore continuò aquam largiter effundant & eiaculentur. Rurſum roborat & graues facit aquas, vt deorſum ad hominum vſum decurrant, ne inſtar lenis aëris & nubium, ventis & procellis hinc inde difflentur & diſpergantur.

Simili modo ſapientia ab aquarum copia fluxu & ordine ſeſe dilaudat Eccli. 24. 40. *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuiꝫ dioryx, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo.* Vide quæ ibidem annotaui.

Myſticè, B. Virgo eſt æther, id eſt, aër & aura cæleſtis, æquè ac fons & aquæductus gratiarum, oſtendi Eccli. 24. 40. Vnde illud viri ſancti: *Quoties ſuſpiro & reſpiro, toties ad te ſuſpiro Ieſu Maria.*

Tropol. Olympiod. in Catena Græcor. per *æthera*, id eſt, ventos & nubes, accipit angelos, qui homines cæleſti doctrina perfundunt: per *fontes*, diuinos doctores & magiſtros. Horum enim mater eſt ſapientia, per quos homines erudit.

QVANDO CIRCVMDABAT MARI TERMINVM SVVM, ET LEGEM PONEBAT AQVIS, NE TRANSIRENT FINES SVOS] Hebr. *quando ponebat mari ſtatutum ſuum* (ſtatum terminum) *ne tranſiret os ſuum*, id eſt, vt Pagninus, oram & littus ſuum. Aliter Vatabl. *ne tranſiret*, inquit, *os eius*, id eſt, iuſſum Dei ſtatuentis ſibi littus in terminum. Sic & Syrus: *Mari*, inquit, *legem ponebat & aquæ non prætergrediuntur os eius.*) Alludit ad Iob 38. 10. *Circumdedi illud terminis ſuis, & poſui vectem & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* VERS. 29.

Termini maris ſunt eminentiora terræ & moles arenarum, quæ ſua ſiccitate mare æſtuans ſorbent, ac ſua quantitate & denſitate coërcent, ne tranſgrediatur & terram obruat. Eoſdem appellat

lat *oſtia*, quibus quaſi repagulis clauditur mare, ne egrediatur; ac *vectes* propter firmitatem & ſoliditatem, præſertim rupium & montium mari adiacentium, illudque continentium & reuerberantium ne exundet. Hic verſus deeſt in Septuag. Romaniſ; in Complut. tamen ſic extat: *In ponendo mari præſcriptionem ſuam* (terminum à ſe præſcriptum) *& aquæ non tranſibunt os ſuum*, id eſt, littus ſuum.

Symbolicè, Deus fluctibus maris, id eſt, tentationibus & tribulationibus ſæculi, limites ponit, cùm ob Chriſti merita earum impetum imminuit & reprimit, ac fideles ita corroborat, vt illi reſiſtendo ſint; cumque facit, vt non diu durent, ne ſua longitudine tædio afficiant, & deiiciant pugilem Chriſti, ac tandem poſt conflictum optatam animæ tranquillitatem pacemque impertitur.

Myſticè, Deus initio mundi mare circumdans ſuo alueo quaſi aluo, ſuiſque littoribus quaſi terminis reſpexit in hoc typo ad antitypum, putà ad B. Virginem, quam facturus erat Deiparam, ita vt illa ſimili modo ſuis viſceribus conciperet & concluderet Dei Verbū quod eſt mare & abyſſus ſapientiæ, potentiæ, virtutis omniſque entis & boni iuxta illud Iob 38.8. *Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens: cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?* Hinc nomen ei inditum *Maria*; quod hebr. Primò ſignificat amaritudinem maris à מַר *mar*, id eſt, amaritudo, & יָם *iam*, id eſt, maris: quia ipſa mare iam dictum ambiit, putà Chriſtum, qui omnem amaritiem generis humani dulcorauit, imò in meram dulcedinem conuertit. Ita S. Ambr. lib. de Inſtitut. virg. c. 5. *Specialè*, inquit, *Maria Domini hoc nomen inuenit, quod ſignificat Deus ex genere meo. Dictæ ſunt & ante Mariæ multæ: nam & Maria ſoror Aaron dicta fuit; ſed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem humanæ fragilitatis, vt conditionis amaritudo dulceſceret verbi cæleſtis ſuauitate & gratia temperata. Hoc ſignificauit fons Mara per lignum dulcoratus*, Exodi 15. *eò quòd populus nationum amarus ante peccatis, vel caro noſtra temperamento Dominicæ paſſionis in vſus alteros mutaretur. Egregia igitur Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ virginitatis pium Chriſto vexillum leuauit.*

Maria primò idem quod amaritudo maris.

Vbi Nota S. Ambroſium cenſere nomen *Mariæ*, vel, vt Hebræi dicunt, *Mariam*, per craſin dici quaſi מֵרֶחֶם יָהּ *merechem ia*, id eſt, *ex vtero Deus*: quia ſcilicet ipſa ex vtero concepit & genuit Deum.

Maria idem quod myrrha maris.

Secundò, S. Epiphan. nomen *Maria* autumat dici quaſi מוֹר יָם *mor iam*, id eſt, myrrha maris; quia ſcilicet ipſa myrrham maris paſſionum Chriſti aſſiſtens cruci, pectore ſuo ſuſtinuit & concluſit, iuxta illud Cant. 1.12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*. Itaque magnum fuit mare dolorum ipſius, maius fuit mare amoris eiuſdem in Deum & homines. Quocirca mare amoris in ſe concluſit & quaſi abſorpſit mare doloris.

& doctrix maris.

Tertiò, alij *Mariam* deriuant à יָרָה *iara* quod in *hiphil* הוֹרָה *hora* idem eſt quod oſtendere, docere, dirigere. Vnde מוֹרֶה *more* eſt doctor, hinc *Mariam* eſt doctrix vel illuminatrix maris, quia ipſa omnes in hoc ſæculo velut mari procelloſo ſe inuocantes docet, illuminat, & ad portum ſalutis æternæ dirigit.

A Quarto. alij *Mariam* interpretantur *pluuiam maris*: מוֹרֶה *more* enim etiam pluuiam ſignificat: quia ipſa gratiarum copiam & quaſi mare è cælo à Deo ſuis precibus elicit, & in homines depluit.

& pluuia maris,

Quintò, multi *Mariam* exponunt, vt idem ſit, quod domina maris. *Mara* enim ſyriacè eſt domina (vnde *maran ata* idem eſt, quod *Dominus noſter venit* 1. Corinth. 16.22.) *iam* eſt mare: quia ipſa maris, terræ, totiuſque mundi eſt princeps & domina.

& domina maris,

Sexto, alij *Mariam* interpretantur per anagramma quaſi רָם יָם *rum iam*, id eſt *celſitudo maris*; vel רָמָה מַיִם *rama miam*, id eſt *excelſior mari*: quia ipſa omnes huius ſæculi ærumnas, perſecutionem, tribulationes, mortes, &c. longè ſuperat & tranſcendit. Quare ipſa ſicut puritate eſt virgo, & pietate

& celſitu maris.

B mater omnium viuentium verius quàm Eua, ſic pariter omnium dolores & afflictiones ipſa in ſe concipit, concludit, abſorbet, dum eos ad ſe ſuſpirantes ſolatur, curat, ſanat, exhilarat, viuificat, corroborat.

QVANDO APPENDEBAT FVNDAMENTA TERRÆ] Pro *appendebat* hebr. eſt חוּקוֹ *chuko*, id eſt, decernebat, delineabat, ſtatuebat, conſtituebat. Chald. *ponebat*; Syrus, *faciebat*, Septuag. *fortia faciebat*; Pagnin. *deſcribebat*; Caiet. & Marinus *ſculpebat*; S. Hieron. *aptabat & ſtabiliebat*.

Noſter Salazar per *fundamenta* accipit iam dictos maris terminos, putà littorum aggeres, quibus quaſi vallis ſe munit, fundat & ſtabilit terra contra æſtus maris ne iis obruatur. Verùm de terminis maris iam egit Salomon, nec ſatis aptè ij appendi dicuntur vt fundamenta. Quocirca Lyran.

C Hugo, Baynus, Caiet. Ianſen. & alij paſſim per *fundamenta terræ* accipiunt centrum terræ: hoc eſt enim quaſi baſis & fundamentum terræ. Aut ſimpliciùs per *fundamenta terræ* intelligunt ipſam terram cum ſuis partibus in imo fundatam. q. d. Ego ſapientia aderam Deo, illique ſuggerebam ideam, iuxta quam fundaret & locaret terrā in ima parte mundi, vt ipſa eſſet centrum quaſi ſuſtinens totum vniuerſum. Deus enim ſingulis terræ partibus grauitatem indidit, qua fit, vt omnes deorſum vergant ad infimum mundi locum, ibique conſtipatæ firmam terræ molem conſtituant: quo fit, vt terra firma conſiſtat, perinde ac ſi robuſtiſſimis ſaxorum fundamentis innixa foret. Eſt catachreſis: terra enim propriè nulla habet fundamenta, ſed in ſeipſa ſuiſque partibus conglobata & fundata conſiſtit.

D Alludit ad illud Iob 38.4. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? &c. Quis poſuit mēſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eā lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius?* Magnum enim ſapientiæ diuinæ opus fuit, quod terrā ſine fulcro ſola ſua potentia ſuſtineat, itaque firmet, vt ipſa non modò firmiſſima conſiſtat, ſed & totam vniuerſi molem, velut atlas humeris ſuis ſuſtineat. Vnde Noſter ſolerter vertit, *quando appendebat*. Primò, vt ſignificet Dei nutu terram quaſi palam pendulam hærere in mundi medio, firmarique in vacuo. Centrum enim terræ natura ſua non magis exigebat hunc ſitum & locum, in quo re ipſa à Deo locatum eſt, quàm aliū quelibet: poterat enim Deus illud locare in cælo vel ſupra cælos: &, ſi ibidem locatū à Deo fuiſſet, tam firmiter ibi conſiſteret, & totus mundus circa illud,

illud; quàm nunc ſuo loco ſibi à Deo decreto conſiſtit. Ipſe ergo Deus per ſe centri mundique totius eſt centrum, qui ſcilicet ſua vi centrum mundumque ſuſtinet, firmat & ſtabilit. Vide dicta Geneſ.1.1. Hinc illud Poëtæ 1. Metamorph. de chao ante terræ mundique creationem:

Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis.

Secundò, *Tò appendebat* iuxta nonnullos innuit terram quaſi in libra ſuſpenſam, libra & motu librationis moueri, eò quòd ipſa ob montes, maria & valles hinc inde ſibi inſerta, aliud habeat centrum magnitudinis, aliud grauitatis: ac proinde, cùm terra vna ſui parte noua impoſita mole vrbium, templorum, palatiorum, nauium, exercituũ, tormentorum prægrauatur, illam centrum grauitatis mutare, ideoque librare & trepidare: ſed quia in tanta terræ vaſtitate hæ moles impoſitę exiguæ ſunt, hinc quoque motus librationis inde conſequens exiguus & inſenſibilis eſt, eademque de cauſa centrum magnitudinis à centro grauitatis non multum diſtat, ſed vnum alteri vicinum eſt. Sed de hoc plura Eccleſ.1.4.

Myſticè, idipſum rectè adaptes B. Virgini, in qua Deus, qui eſt centrum magnitudinis, ideoque centrum creaturarum omnium, vt ait Triſmegiſtus, ſociauit ſe terræ & humanitati noſtræ quaſi centro grauitatis, cum ipſa deitatem Verbi corporauit, ſuaque carne induit & veſtiuit. Mirum enim hoc fuit ſapientiæ opus, quæ ita deitatem cũ humanitate temperauit ac librauit, vt humanitati accedat dignitas deitatis, & tamen deitati ſuus maneat honor & maieſtas. Ipſa viciſſim eſt centrum, ad quod confluunt omnes creaturarũ perfectiones, omnes angelorum & hominum prærogatiuæ ac dotes: item omnes hominum preces, ærumnæ, tentationes, afflictiones, vt ipſa eas ſuſtentet, ſubleuet, curet & ſanet.

Vers.30. CVM EO ERAM CVNCTA COMPONENS] Hebr. אמון *amon*, quod Primò, Aquila & Chald. vertunt, *eram in latere eius nutrita*; R.Salomon, *apud eum nutriebar.* q.d. Ego ſapientia quaſi filia Dei alebar diuinis eius opibus & operibus, earum pulchra compoſitione, ſpecie & artificio me paſcens & oblectans, vt ſequitur.

Secundò, R.Leui: *Eram*, inquit, *apud Deum qui alit, amplificat, & præparat quæ ad prudentiam pertinent*; & Vatabl. *cum eo ſum velut alumnus, velut is qui alit iſta inferiora.*

Tertiò, Pagnin. vertit actiuè, *eram apud eum velut nutritius.* q.d. Sicut proceres procreatis liberis, ſolent eos nutricibus & præceptoribus alendos formandoſque tradere; ita Deus rebus à ſe creatis nutricem aſſignauit ſapientiam, vt eas gubernet, alat & quamque ad ſuum finem dirigat. Hinc Sapient. 16.25. ſapientia Dei dicitur *nutrix*, id eſt altrix omnium tamquam mater indulgentiſſima. Sicut enim principes filiis lactatrices procurant, ita Deus ſuæ ſapientiæ & prouidentiæ commiſit homines & res alias, vt ab ea benignè alantur, foueantur & perficiantur.

Quartò, Tigurina vertit, *fida illi aderam*, quaſi fida œconoma res omnes Dei fideliter diſponens, ordinans, diſpenſans,

Quintò, Symmach. & Theodot. *eram apud illum firmata*, vt ſcilicet perpetuò Deo adeſſem, eiuſque opera perpetim gubernarem & firmarem.

Sextò, alij vertunt, *aderam illi quaſi artifex*, vel *ar-*

A *chitectus.* Sic enim אמן *aman* artificem ſignificat Cant.7.1. q.d. Ego ſapientia in opere creationis fui quaſi architectus Dei, qui totam vniuerſi molem quaſi vnam Dei fabricam & domum, architectonica arte optimè & elegantiſſimè diſpoſui & compoſui.

Septimò, Septuag. vertunt, ἤμην παρ' αὐτῷ ἁρμόζουσα, quod Complut. vertunt, *eram apud eum componens*; Roman. *diſponens*, Tertul. *modulans*; alij *compingens, compaginans, conſocians, coaptans*: ἁρμόζω enim idem eſt quod compono, adapto, coniungo conglutino, compagino; vnde tribuitur cõiugibus de quibus ait Apoſt. *Deſpondi* (græcè ἡρμοσάμην) *vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto* 2. Cor. 11. Simili enim modo ſapientia omnes res aptiſſima ἁρμονίᾳ, id eſt coagmentatione, compoſitione, iuncturâ, concordiâ & quaſi coniugio inter ſe copulauit, perinde ac ſi harmoniaco & muſico

B concentu moderata & modulata forent. Vnde illud: *Concentum* (hebr. *nabla*) *cæli quis dormire faciet?* Iob 38.37. quod Pythagorici, imo S. Aug. epiſt. 28. ad S. Hieron. & Leo Caſtrius in Iſaiæ 40. 26. ac G.or. Venetus in ſua harmonia, propriè de muſica muſicoq; concentu accipiunt. Cenſent enim cælos tam appoſitè coordinatos eſſe, vt ſuo motu ſuauiſſimum efficiant ſonum & cõcentum. Verum certum eſt hunc concentum non eſſe muſicum, ſed myſticum, nihilque aliud ſignificare quam ordinatiſſimam cælorum harmoniam, diſpoſitionẽ, motum & circulationem, quæ contemplantium non auribus, ſed mentibus iucundiſſimum ingerit concentum. Vnde præmiſit Iob loco citato: *Quis enarrabit cælorum rationem?* putà ordinem, diſpoſitionem, circulationem. Quocirca Plato in Timæo aſſerit, ideò maximè nobis à natura datos

Concentus cæli myſticus non muſicus.

C eſſe oculos, vt circuitus, qui in cælo ordinatiſſimè peraguntur intuentes, ad vitæ diſciplinam traduceremur, & erraticos animi motus cælorum adinſtar moderaremur & componeremus.

Huc alludens, imò hæc citans S. Dionyſ. de Diuin. nom c.7. *Hæc* (Dei ſapientia) inquit, *vt ſcripta diuina tradunt, omnium eſt artifex, & ſemper omnia componit, eſtq; cauſa indiſſolubilis cohærentiæ & ordinis omnium: fineſq; priorum cum ſequentium principiis ſemper connectit, & vnam vniuerſi conſpirationem concentumque pulcherrimè efficit.*

Myſticè, hæc omnia adaptes B. Virgini. Ipſa enim quaſi peculiaris & propria filia Dei, apud illũ in omni ſapientia & ſanctitate enutrita fuit: ipſa viciſſim in iiſdem omnes homines enutrit, cõponit, promouet, efficitque vt tota Eccleſia imò anima cuiuſlibet fidelis & ſancti, ſit ἁρμόζουσα, id eſt harmonicè & ordinatiſſimè coaptata inſtar cithа-

D ræ ſuauiſſimè modulantis, vt ait Damaſc. orat. de Natiuit. Virg. adeoque inſtar cæli & mundi, qui à ſui ſpecie græcè κόσμος, id eſt ornatus & pulchritudo, nuncupatur. Fuit enim ipſa cælum animatũ, & mundus quidam ſupramundanus ac diuinus. Multis idipſum hic ingenioſè & piè proſequitur & confirmat noſter Salazar. Ego actum non agam, & breuitati ſtudens ad vlteriora pergo.

Vers.31. ET DELECTABAR PER SINGVLOS DIES, LVDENS CORAM EO OMNI TEMPORE; LVDENS IN ORBE TERRARVM: ET DELICIÆ MEÆ, ESSE CVM FILIIS HOMINVM] Senſus eſt, q.d. Ego ſapientia cum Deo omnia moliens, creans, conſeruans, propagans, gubernans, tum in ipſa rerum adeò pulchrarum creatione, tum poſt eam

orbe

orbe perfecto, vt habent Septuag. conſiderans ſcilicet iugiter omnium rerum per me conditarum perfectionem, decorem & ordinem, delectabar in hoc intuitu & contemplatione per ſingulos dies, id eſt perpetim: quia perpetim ea intuebar cum gaudio, & ſine vlla ſatie aut faſtidio, quod hominibus obuenire ſolet, etiam in rerum pulcherrimarum continuo longoque aſpectu. Vnde etiam *ludens* coram Deo omni tempore : *ludens*, id eſt, *gaudens*, inquit Beda, & Salonius qui & cauſam addit: *Ludebat enim*, inquit, *per ſingulos dies Filius, id eſt gaudebat ſe eſſe vnum, id eſt, vnius ſubſtantiæ cum Patre à principio ex diebus æternitatis.* Alludit ad pueros, quorum mox vt nati ſunt, proprium opus eſt ludere : vnde παῖς, id eſt puer, dicitur à παίζω, id eſt ludo, vti dixi Eccl. 30. v. 9.

Rurſum eram *ludens*, quia creationem, conſeruationem, propagationem & gubernationem tam facilè & iucundè peregi & perago, ac ſi luderem, & ludendo id egiſſem & agerem. Porrò, luſum hunc maximè perago *in orbe terrarum*, vbi continuè produco noua animalia, nouos piſces, nouas aues, noua ſaxa, nouas arbores, nouos fœtus tam artis quàm naturę. Sed tamen deliciæ meæ eſſe cũ filiis hominum. q. d. In aliis ludo, ſed cũ hominibus delicior, imò ſingulares habeo delicias, ideóque cum illis habito, præſertim in templo, vbi cũ eis diſſuauior. Vnde Deus templum vocat ſuas delicias, ſuam voluptatem, iuxta illud pſalmi 26. 4. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, &c. vt videã voluptatem Domini & viſitem templum eius.* Hinc Deus Deuter. 33. 12. dicitur in eo *moraturus tota die quaſi in thalamo*, qui eſt ſedes ſponſalitij amoris & amplexuum. q. d. Deus ſemper in templo celebrabit nuptias, & perpetua charitate complectetur accedentes ad ſe. Ibi ergo *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*. q. d. In templo quaſi in domo mea lætiſſimè ago cum filiis meis, quibus ſtipatum me video, ſicut Iob felicem ſe æſtimabat dicens c. 29. 5. *In circuitu meo pueri mei.* Denique per Iſaiam c. 56. 7. ſancit & promittit : *Adducam eos in montem ſanctum meum & lætificabo eos in domo orationis meæ.*

Nota Primò. Pro *delectabar*, hebr. eſt שַׁעֲשֻׁעִים *ſcaaſcuim*, id eſt, *& deliciæ de die in diem*, quod tam actiuè, quàm paſſiuè accipi poteſt. Paſſiuè accepit Noſter vertens, *delectabar*. q. d. Ego verſabar in aſſiduis deliciis, adeò iis plena, vt viderer non aliud eſſe quàm meræ deliciæ. Actiuè. q. d. Ego eram Deo in deliciis, ego oblectabam Deum. Vnde Septuag. vertunt. *Ego eram cui adgaudebat ipſe.* q. d. Deus me oblectatus mihi adgaudebat, congratulabatur, arridebat & applaudebat de tam ſapienti & pulchra rerum creatione, ordinatione, gubernatione. Deus enim magis adgaudet ſuis attributis, quę in ſe habet (qualis eſt ſapientia) vtpote immenſis & diuinis, quàm ipſis creaturis. Vnde Septuag. vtramq; ſignificationem iungentes ſic totum hunc locum reddunt: *Ego eram cui adgaudebat: Quotidie autem iucundabar in facie eius, in omni tempore cùm lætaretur orbe perfecto, & lætaretur in filiis hominum.* Interpres Catenæ Græcor. vertit, *ego eram cui blandè arridebat*, id eſt inquit, *cui abblandiebatur*, vel *cum quo iucundè lætabatur*, idque *orbe perfecto*. Cernens enim Adamũ & Euam, ſimul videbat & cognoſcebat omnes Sanctos, qui olim ex illis naſcituri erant, videndoq; oblectabatur, hæc auctor Catenæ S. Ignatius epiſt. 7. ad Tarſenſes intelligit de Chriſto Deo, legitque : *Quando faciebat cælos,*

A *vnà ipſi aderam, & illi aderam ibi coaptans ſingula & congratulabatur mihi quotidie congaudebatq;*. Tertull. lib. contra Hermog. c. 18. legit, *ego eram ad quam gaudebat: quotidie autẽ oblectabar in perſona eius. Quando oblectabatur cùm perfeciſſet orbem, & inoblectatur in filiis hominum.* S. Athanaſ. in Synopſi c. 14. *ego eram in qua lætabatur, ſingulis diebus in conſpectu eius deliciabatur*: πρόσωπον enim & conſpectum ſiue faciem, & perſonam ſignificat S. Cyrill. lib. 2. contra Iulian. *Gaudere Deum*, inquit, in ſuis operibus, patet ex diuina Script. *Ego eram cum qua lætabatur, in conſpectu eius in omni tempore.*

Porrò Hebr. שַׁעֲשֻׁעִים *ſcaaſcuim* eſt nomen gemmatum, cuius ſimplex eſt שָׁעָה *ſcaa*, id eſt aſpexit blandè, cùm voluptate intuitus eſt : vnde *ſcaaſcuim* ſignificat oblectationes ex rei pulchræ
B intuitu, iucunditates, delicias, ludos qui fiunt cum applauſu & blando amplexu, qualia ſunt blanda oſcula, ſuaues complexus. Alludit ad illud Geneſ. 1. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erãt valdè bona*, ideoque iis quaſi bonis adgaudebat, approbabat, oblectabatur, quod proinde per ſingulos creationis dies, ad quælibet Dei opera Geneſ. 1. repetitur.

Nota Secundò. Pro *ludens* hebr. eſt מְשַׂחֶקֶת *meſacheket*, quod Vatabl. vertit, *ludo ridens*; Baynus *ridere faciens*. Sic & R. Leui, *Sapientia*, inquit, *per res à ſe conditas & ſubminiſtratas lætitia voluptateq; perfundit mortales.* Itaque ludus hic ſapientiæ & Dei ſignificat Primò, eius oblectationem in rerum adeò pulchrarum tam ſapienti creatione, conſeruatione, propagatione, & gubernatione. Secundò, facilitatem, quòd quaſi ludens & iocans ſine labore res creet, conſeruet, propaget, gubernet.
C Tertiò, rerum viciſſitudinem, qualis eſt in ludo taxillorum, latrunculorum, alearum, &c. Quartò, rerum ordinem, pacem, conſonantiam, & quaſi concentum muſicum. Luſit ergo & aſſiduè ludit Deus in muſica quaſi harmonia, & gyratione orbium cæleſtium, atque in aptiſſima diſpoſitione, motu, progreſſione tot ſtellarum & ſiderum. *Ludit Deus quadrupliciter.*

Rurſum ludit in cælis per eclipſes, per hiatus, per maculas ſolis & lunæ, per aſtra innumera viæ lacteæ inſtar lactis candida & ſplendentia. Ludit in æthere per fulmina, tonitrua, halones, parelios, cometas, dracones, ceteráque phænomena, ac per ventos, procellas, turbines, niues, grandines, &c. Quid enim aliud videtur eſſe tonitruum, niſi vaſtorum Dei globorum colliſio & ludus? Quid parelij, niſi radiorum intermicantium ſpectra? quid fulgetra, quid coruſcationes, niſi ignium arte fa-
D ctorum ludicra & ioci? Ludit magis in terra & aquis per monſtra marina & terreſtria per æſtus & fluctus, qui ſeſe videntur attollere vſque ad ſidera, per terræ motus, per ignes Ætnæ, Veſuuij, Heclæ, &c. per foſſilia & mineralia, vti ſunt aurũ, argentum, æs, ſulphur, vitriolum, &c. Ludit in plantis, arboribus, herbis tot ac tantis, quæ tã pulchros & varios pariunt fructus & effectus. Ludit in animalibus adeò ſpecioſis & multiplicibus. Ludit in agnis, hœdis, catellis, capreolis; ſed maximè ludit in hominibus, tam varias eis indens indoles, voces & vultus; vt nullus alteri per omnia ſit ſimilis: per dotes naturæ & gratiæ tam magnas & diuerſas, per ſtatus tam difformes & vniformes.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Ludit hunc exaltando, illum deprimendo : hunc ditando, illum depauperando : hunc occidendo, illũ viuificando. *Etenim nos quaſi pilæ ſumus in manu Dei*

Dei, ait Comicus. Hoc eſt, quod ait Philo in libr. A quòd Deus ſit immutabilis, ſub finem: *Verbum diuinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat:* quia ſcilicet quaſi ludendo facit, vt res ſingulæ velut in chorea in orbem eant, ac numquam ſint ſtabiles, ſed ſemper mobiles, nuncque ſurſum quaſi exiliant, mox deorſum reſiliant: iuxta illud Daniel. 2. v. 21. *Ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit.* Vnde S. Cyprian. tract. de Vanit. idolorum: *Regna*, ait, *non meritò accedunt, ſed ſorte variantur, & acceptum tempus certo fine cuſtodiunt.*

Deliciatur Deus cum hominibus. Primò.

Nota Tertiò. Ludit Deus in ceteris creaturis, ſed eius deliciæ ſingulares ſunt cum filijs hominum. Primò, quia peculiarem omnium & ſingulorum curam gerit, vtpote propter quos cetera omnia crearit. Homines enim amat tamquam viuas ſui imagines, ad ſuum exemplar creatas & expreſſas. *Secundò.* Secundò, quia ſapientia ſolos homines cupit informare, ac docere ſapientiam ethicam, quâ ratione videlicet honeſtè & ſanctè Deo ſeruire debeant, vt ab eo beentur. *Tertiò.* Tertiò, & maximè, quia Verbum ſiue Filius, qui eſt ſapientia Patris, hominum amore homo fieri voluit, vt eos ſaluaret, ac veram ſapientiam verbo & exemplo doceret. *Quartò.* Quartò, *quia Chriſtus ſummè deſiderat*, ait Beda, *in animis noſtris quieſcere, in iiſq; quaſi in templo & ſacrario ſuo habitare*, vt in ijs ſuas virtutes, merita, operaque bona inſerat & producat, quibus nos ad ſe videndum fruendumque perducat. Idcirco dedit ſeipſum nobis quaſi cibum vitalem in Euchariſtia, in quâ verè deliciamur cum Chriſto, & Chriſtus nobiſcum. Vnde pro *deliciæ* hebr. eſt שַׁעֲשֻׁעִים *ſcaaſuim*, id eſt applauſus, amplexus, oſcula, baſia, vti paulò antè dixi.

Deliciæ ſpirituales Chriſti cum S. Gertrude.

Lege Vitam S. Gertrudis, & miraberis delicias C Chriſti cum ea. Inter alia l. 3. c. 5. cùm quâdam vice illa diceret: *Domine offero me tibi, ac parata ſum pati quiduis, quo tu lauderis;* audijt ab eo: *Meus amor adeò intrinſecè tibi coniungitur, vt nolim ſine te beatè viuere: quia ex quo in te meum amorem collocaui, ſuſtinere nequeo, vt à te ſeparer.* Et cap. 26. *Ego*, ait, *Deus, qui ſum purus & merus amor, cùm te mihi elegerim, ita deſidero vt vniaris mihi indiſſolubili vnione, ſicut homo deſiderat retinere halitum & ſpiritum ſuum, ſine quo nequit viuere.* Lege illud caput, vbi narrat ſe vnitam cordi Chriſti, ab eo ſuxiſſe omnem conſolationem, gratiam & benedictionem. Et l. 4. c. 3. nocte Natiuitatis Chriſti audijt ab eo: *Collocaui te in ſinu paternæ meæ benignitatis, vt iugiter impetres à me quidquid deſiderat anima tua.* Vidit tum pariter Chriſtum infantem, vnigenitum Patris, mira auiditate ſugere & rapi ad cor Virginis matris: quo viſo intellexit quòd, ſicut humanitas Chriſti paſcebatur lacte D Virginis, ſic diuinitas eiuſdem mirè deliciabatur frui corde illo innocentiſſimo & dilectiſſimo. Et l. 1. c. 4. ait Chriſtus: *Ego totus ſum illius* (Gertrudis) *quia toto affectu inter brachia eius velut in carcere me incluſi, ac tali amore diuinitatis meæ illi ſum inſeparabiliter vnitus, quali in eodem metallo conflata vi ignis vniuntur aurum & argentum.* Et inferiùs: *Iſta eſt columba mea fellis expers; iſta eſt lilium electum, quo mirè delector illudq; manibus geſto; iſta eſt roſa mea, quam feci ſuauiſſimam.* Et poſt nonnulla: *Cùm ſceleribus hominum offendor, offenſas iraſq; meas in ipſa conquieſcens remitto, placor, & amore ipſius condono peccata innumeræ hominum multitudini.* Et l. 4. c. 55. narrat Chriſtum delicias amoris ſui erga S. Gertrudem oſtendiſſe ſanctis angelis, eoſq; illis mirè exhilaratos, viciſſim ſua Gertrudi obſequia detuliſſe. Similia legas in Vita S. Lutgardis apud Surium 16. Iunij, quam ſcripſit Thomas Cantiprat. Doctor illuſtris Ordinis S. Dominici, vbi inter cetera ait: *Quâdam die audiente alia moniali eiuſmodi vox ſuper illam inſonuit: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum*, quam vocem rei euentus comprobauit.

Myſticè, Sapientia incarnata luſit ab æterno apud Patrem, cum ſua ſpecie oblectans: iuxta illud pſal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te;* Hebr. *ex vtero ab aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ;* Aquila, *pueritiæ tuæ.* Filius enim, ex vi æternæ productionis ſuæ appellatur adoleſcens, imò puer in ipſo primæuo ætatis rore & flore coram Patre ludens. Idem ante incarnationem ab origine mundi B luſit in orbe terrarum: quia per creationem hominis & mundi, per tot ſui figuras, oracula, ceremonias, ſacrificia, &c. præluſit ſuæ incarnationi, eamque quaſi in ludo quodam myſtico repræſentauit. Deliciæ verò eius fuere cum filijs hominum, quando humanam naturam induit, hominumq; frater & filius effici voluit. Hæc eſt philanthropia Dei noſtri, de quâ Paulus ad Titum 3. 4. itaque in Chriſto amoris magnitudo omne naturæ & miſeriæ humanæ fel in mel, omnes dolores & cruces in delicias conuertit. Hæc ergo ſententia veriſſima eſt in Sapientia incarnata, quæ, vt ex immenſa dilectione ſe communicaret hominibus, cum iiſque deliciaretur, eorum ærumnas omnes, excepto peccato, in ſe ſuſcepit, vt ijs ſua bona rependeret. Quocirca amor hic & deliciæ Chriſti erga nos effecerunt, vt pariter ipſi in delicijs forent noſtra fames, ſitis, labor, dolor, mors, & cruces vniuerſæ. Nam, vt ait S. Bernard. homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*: C *Videas ſi attendas* (in Chriſto) *triſtari lætitiam, pauere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed, quod nõ minùs mirandum eſt, ipſa ibi cernitur triſtitia lætificans, pauor confortans, paſſio ſaluans, mors viuificans, infirmitas roborans.* Noſtræ ergo miſeriæ fuere deliciæ Chriſti, vt eius felicitates fierent deliciæ noſtræ. Clariùs S. Petrus Chryſologus ſer. 150. *Chriſtus*, inquit, *venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, præſtare diuina: accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſuauitates: quia medicus, qui nõ fert infirmitates, curare neſcit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.* Vnde iure obſtupeſcens hunc Chriſti amoré exclamat S. Bernard. ſerm. 64. in Cant. *O ſuauitatem, ô gratiam, ô amoris vim! ſummus omnium factus eſt omnium. Quis hoc fecit? amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor?* vt & de nobis triumphet, cogatque nos par pari reddere, vt nos totos demus amori Chriſti, ſicut ipſe ſe totum dedit amori noſtri.

Quare Chriſti deliciæ potiùs fuere cum hominibus, quàm cum angelis: tum quia hominum, nõ angelorum naturã aſſumpſit: tum quia homines, quibus ob naturæ corruptionem ardua & difficilis eſt virtus, ſuis conſolationibus roborat, mulcet & detinet, vt virtus eis facilis & ſuauis videatur. Ita effecit vt in delicijs eſſet S. Petro crux, S. Laurentio craticula, S. Sebaſtiano ſagittæ, S. Vincentio eculeus, S. Agneti rogus, S. Franciſco ſacra ſtigmata, &c. Porrò cum Sanctis nonnullis eximijs, vt cum S. Paulo, cum S. Antonio, cum S. Catharina

Senenſi, ceteriſq; Virginibus & Martyribus quantæ fuere Chriſti deliciæ: Denique deliciæ hæ tantæ fuerunt in Chriſto, vt ipſum nectare amoris ebrium effecerint. An non amore ebrius fuit Chriſtus, quando propter homines è cælo in vterum Virginis deſcendit, ex vtero ad præſepium, è præſepio ad crucem? An non quaſi ebrius curſitabat per villas & caſtella, per vrbes & pagos, prædicans regnum Dei, patiens famem & ſitim, æſtus & frigora, probra & maledicta, irriſiones & blaſphemias amore hominũ? An non in cruce non tam dolore quàm amore ebrius, infamis, irriſus, nudus & quaſi ſcurra, imò latro, pependit, & animam exhalauit? Quocirca Chriſtus viciſſim propinans Chriſtianis eximijs hoc amoris ſui nectar, eos pariter ebrios, imò amentes effecit. Amor enim eximius, teſte S. Dionyſ. parit extaſin & amentiam. An non amore Chriſti non tam amans quàm amens erat Paulus, cùm diceret: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Et: *Siue mente excedimus* (alij vertunt, *ſiue inſanimus*) *Deo: ſiue ſobrij ſumus, vobis?* 2. Corinth. 5. 13. Et: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, Galat. 6. Et: *Spectaculum facti ſumus mũdo & angelis & hominibus: nos ſtulti propter Chriſtũ*, 1. Cor. 4. 9. An non amore ebria, imò quaſi exanimis erat ſponſa, quando à ſponſo ducta in cellam vinariam ſuſpirans dicebat: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo?* An non amore ebria erat S. Monica, quando ſumpta S. Synaxi exclamabat: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: volemus in cælum?* An non amore ebrius, imò amens erat S. Franciſcus, quando ſe fecit mundi ludibriũ, dicens ſe eſſe *fatuellum Chriſti*? Extat eius Amoris Canticum italicè ſcriptum, ſed latinè redditum apud Lucam Waddingum in Opuſc. S. Franciſci l. 3. in quo inter cetera ita cum Chriſto diſſuauiatur & deliciatur:

Christus amore ebrius.

Suos inebriat & quaſi amentes facit.

Canticum Amoris S. Franciſci.

A

Vrit amor, me torquet amor, ſum factus amori
Alter amor: noſtri eſt victor amoris amor.
Hunc mihi non vndæ, nõ flamma, nec auferet enſis.

Et inferiùs alloquens Chriſtum ait, eum ſibi furatum eſſe cor & mentem per amorem, imò ſe eſſe *impazzito*, id eſt delirum & ſtultum effectum à Chriſto:

Cor mihi furatus, cogis habere modum?
In te mutato quid ſupereſſe poteſt?
Quid mens, quid facias non potis ipſa ſui?
Si te Chriſte refert mens mea, facta tua,
Culpa tua eſt, quidquid victus amore gero.
Deſipio? per te ſum rationis egens.
Mentis inops? amor eſt, qui facit eſſe inopem.

Et poſt nonnulla:

Tu vulneratus ipſe
Amoris es ſagittis.
Te deuocauit æthre,
Terriſq; collocauit
Nudumque pauperemque.
Ardes amore viuens,
Et occidens amore.
Ibas amore victus
Ceu ebrius per orbem.

Et nonnullis interiectis:

Ergo ſi facit ebrium,
Si mentis facit impotem,
Si vires amor eripit,
Amor te quoque perdidit,
Qui me deſipere impulit,

Hic mentem eripuit tibi.

Summa: *Da Domine vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

Myſticè quoque hæc attribuas Virgini Deiparæ, ſapientia enim Dei ſimili modo luſit & præluſit in figuris, quibus adumbrata fuit B. Virgo, in Eua, in arca Noë, in arca teſtamenti, in rubo ardente & incombuſto, in virga Aaron frondente, &c. Rurſum Deiparæ deliciæ ſunt eſſe cum Deo, vtpote filio ſuo, & cum filijs hominum, quibus filium hunc genuit: vnde Cantic. 8. dicitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* In quæ verba B. Petrus Damiani ſerm. de Annuntiat. *Non eſt locus voluptatis*, inquit, *niſi vterus Virginis.* Hinc ipſa à nobis & à tota Eccleſia quotidie ſalutatur & inuocatur, *Salue regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalue.*

B

QVARTA PARS CAPITIS.

Eſt concluſio, qua ſapientia poſt recenſitas ſui dotes & fructus, ſtimulat omnes ad ſui ſtudium & obſequium.

NVNC ERGO FILII AVDITE ME (mihi obedite:) BEATI, QVI CVSTODIVNT VIAS MEAS. AVDITE DISCIPLINAM, ET ESTOTE SAPIENTES, ET NOLITE ABIICERE EAM] Pro *abijcere* hebr. eſt תִּפְרָעוּ *tiphrau*, quod Septuaginta vertunt μὴ ἀποφραγῆτε, id eſt, ne *obſtruamini*, vel *ne obturemini*; Chald. *ne conculcetis eam*; Syrus, *ne erretis*; Vatabl. *ne ſitis ignaui*; Pagnin. *ne poſtponatis eam*; alij, *ne feriamini*, id eſt, nolite ferias & otium agere, ſed ſtudete & laborate, ac labore & ſudore parate vobis ſapientiam, partamque conſeruate, augete & promouete. Quare τὸ *ne feriamini*, non ſignificat, ne percutiamini, ne pœnas detis, à verbo ferio & ferire, ſed à ferior feriari; idem eſt, quod, *ne otiemini*, ne pigri & remiſſi ſitis, vt ob laboris diutini tædium ſapientiæ ſtudium abijciatis. Hoc enim ſignificat Hebr. פָּרַע *para*, & Septuag. vertentes, *ne obſtruamini*. q. d. Ne pigritiæ & acediæ torpore ac ſopore aures animumque obſtruatis, vt nullum detis aditum audiendæ & percipiendæ ſapientiæ. Sic enim indociles & incapaces omnis diſciplinæ in veſtra inſipientia, & concupiſcentijs, ac vitijs indormietis & immoriemini. Notat iuuenes effrænes, qui ſuis cupidinibus addicti obturant aures, ne audiant monita & correptiones parentum, magiſtrorum, concionatorum, vt ſuis voluptatibus liberè & impunè fruantur.

Vers. 32.

C

Vers. 33.

D

BEATVS HOMO QVI AVDIT ME, ET QVI VIGILAT AD FORES MEAS QVOTIDIE, ET OBSERVAT AD POSTES OSTII MEI] Hebr. *cuſtodit poſtes oſtiorum meorum*; Septuag. *ſeruans limina meorum introituum.* Eſt metalepſis, vel metaphora petita à diſcipulis diligentibus, ac ſummo manè aduolantibus ad ſcholas magiſtri, qui ibi peruigiles præſtolantur, dum oſtia reſerentur, vt in ſcholas ingrediantur. q. d. Beatus eſt, qui inſtar diſcipuli diligentis feſtinat ad ſcholas meas, id eſt, ad me. Ita R. Salomon: *Beatus*, inquit, *qui vigilat ad fores meas, ut primus ſcholas ſynagogamq; ingrediatur, & exeat*

Vers. 34.

exterat poſtremus. Vigilat ergo, id eſt ardenter me amat ideoq; ad fores meas peruigilat. Nam vt habet gnome Arabum: *Amans dormire nequit: amor enim amanti ſomnum interdicit.*

Alij per *fores* domus accipiunt oſtia Eccleſiæ. Beda accipit S. Script. & doctores. Hi enim ſunt quaſi ianitores ſapientiæ, qui eius ſcholam & diſciplinam auditoribus referant. Salomoni ſuccinit Siracides Eccli. 6. 36. *Si videris ſenſatum*, inquit, *euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.*

Vers. 35. QVI ME INVENERIT, INVENIET VITAM, tum naturæ, tum gratiæ, tum gloriæ (vnde heb. eſt חַיִּים *chaiim*, id eſt, *vitas* in plurali) ET HAVRIET SALVTEM A DOMINO] Pro *ſalutem* hebr. eſt רָצוֹן *ratſon*, id eſt voluntatem, beneplacitum, beneuolentiam. Vnde Chald. vertit, *habebit beneplacitum à facie Dei*; Aben Ezra, *beneuolentiam conditoris ſui ſibi comparabit*; Pagnin. *educet quod voluerit, à Domino*; Caiet. *quidquid voluerit, à Deo facilè obtinebit*; Tigur. *proliciet fauorem Domini*; Vatabl. *hauriet voluntatem à Domino*, id eſt, *aſſequetur quidquid volet, à Domino*, putà ſalutem animæ & corporis rerumque omnium. Vnde Symmach. Aquila, Theodot. vertunt. *ſalutem*, æquè ac Noſter, ſalus enim omne bonum optabile complectitur. τὸ *hauriet* ſignificat tum facilitatem, tum copiam. q.d. Tam facilè & copiosè hauriet vitam & omne bonum ad vitam ſpectans, à Deo, quàm facilè & copiosè hauritur aqua è fonte vel fluuio.

Porrò Septuag. vertunt; *egreſſiones meæ egreſſiones vitæ: & præparatur voluntas à Domino.* Legerũt ipſi pro יָפֵק *iaphec*, id eſt, educit, alijs punctis in *hophal* יֻפַק *iuphac*, id eſt, educitur, excitatur, præparatur. Et Syrus, *quoniam proceſſiones meæ vitæ ſunt proceſſiones, & procedit complacentia à Deo.* Quod Primò, ſic accipi poteſt, vt *voluntas* ſit idem quod beneplacitum, fauor, beneuolentia, &, vt Syrus vertit, *complacentia Dei*; hoc enim paſſim in Script. ſignificat hebr. *ratſon*, pro quo Sept. alibi vertunt, εὐδοκία. Et ſic ſenſus erit, quem alij iam recenſiti aſſignarunt, q.d. Qui me inuenerint, inuenient vitam, ac ſimul præparabitur eis fauor ac beneuolentia Dei, ex qua hauriant omne bonũ. Vnde aliqui vertunt, *depromit beneuolentiam à Deo.* q.d. Deus erit ei velut penu & promptuarium diues, ex quo depromat quidquid ei placuerit.

Secundò, *voluntas* θέλησις, non Dei, ſed hominis hic accipi poteſt q. d. Sapientiæ ſtudioſi ab ea hauriunt vitam, & omnia bona recenſita: ne verò ea ſibi, ſuoque ſtudio arrogent, indeq; ſuperbiant, ſciant, voluntatem hanc ſuam ſtudendi ſapientiæ, & vacandi virtuti, originem habere non à ſeipſa, ſed à Deo. Deus enim ſua gratia præueniente præparat, allicit, impellit voluntatem noſtram ad vacandum ſapientiæ & virtuti. Vnde R. Emmanuel ſic vertit & explicat: *Educet voluntatem à Domino, id eſt, Deo illuminante cognoſcit quid ei gratum ſit & beneplacitum.*

Sic hunc locum accipit S. Auguſt. ſcribens cõtra Pelagianos, ex eoque probat initium ſalutis & bonæ voluntatis eſſe à gratia præueniente, non à libero arbitrio. Ita ipſe epiſt. 107. & paſſim alibi, ac ex eo Concil. Arauſic. II. can. 4. S. Proſper & Fulgentius. Et ſic quoq; accipi poteſt verſio noſtra, *hauriet ſalutem à Domino.* q.d. Hauriet à Domino gratiam bene operandi; in quo ſalus noſtra cõſiſtit. Porrò τὸ *præparatur* vniuerſum, puta de omni præparatione vtili ad ſalutem, explicat Concil. Arauſic. can 4. S. Auguſt. Enchir. 32. & optimè l. 6. de Gratia & l. arbitr. c. 16. & 17. Vnde ſicut ex diuerſa præparatione tum ſeminis, tum terræ ſemen recipientis, varij & diſpares generantur fructus: ſic ex diuerſa præparatione, tum gratiæ tum voluntatis varij & diſpares proueniunt virtutum actus, vti pulchrè docet S. Proſper l. 2. de Vocat. Gentium c. 3.

Huic ſententiæ objiciebant Pelagiani illud Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & illud Prouerb. 16. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Reſpondet S. Aug. lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. & lib. de Gratia & libero arbitr. c. 5. commendari in his ſententijs liberum arbitrium, ſed non excludi gratiam præuenientem: quemadmodum in illis, *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter*; & *Præparatur voluntas à Domino*; commendatur gratia præueniens, ſed non excluditur arbitrij cooperatio. Si enim ſolus Deus iſta faceret, fruſtra diceretur hominibus, *Conuertimini*; & ſi homines ſoli ad hoc ſufficerẽt fruſtra diceretur Deo, *Conuerte nos*: & ſi Deus ſine nobis nos præpararet, falſum eſſet hominem præparare animã; & ſi abſque Deo nos corda noſtra præpararemus, falſum eſſet præparari voluntatem à Domino. Vnde cõcludit S. Aug. c. 8. iam citato: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Primi enim impulſus voluntatis ad bonum amandum, & illuminationes intellectus ad bonum cognoſcendum, ſunt à ſolo Deo: ſunt enim actus à Deo eliciti, ideoq; neceſſarij, non liberi: voluntas enim impellitur & neceſſitatur (vt ita dicam) à Deo vt vitaliter eos eliciat, ideoq; neceſſariò, non liberè: conſenſus verò & cooperatio libera voluntatis partim eſt ab arbitrio hominis, partim à gratia Dei, quæ prius erat præueniens & operans, iam eſt comitãs & cooperans.

Myſticè, qui quærit & inuocat opem B. Virginis, illam ilicò inuenit & aſſequitur, atq; ex S. Maria quaſi ex mari haurit copiam bonorum omnium: ſi eam ergo corde inuoces, ore hauries, iuxta illud pſal. 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritũ.* Exemplum tibi ſit S. Eliſabeth, quæ ſalutans B. Virginem ſe viſitantem, ac ab ea re ſalutata, illicò cum prole S. Ioanne Baptiſta repleta eſt Spiritu ſancto. *Vt facta eſt*, inquit, *vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*, Luc. 1. 44. Quæ verb. expẽdens Guerric. ſer. de Ioanne Baptiſta: *Vox*, inquit, *Mariæ dum in auribus Eliſabeth ſonat, ad cor Ioannis penetrat, ſpiritum eius animat, gaudioq; ſalutari vegetat.* Imò, vt ait Concil. Baſileenſe inſtituens feſtũ Viſitationis Deiparæ: *Ipſa non ſolum ſupplicantes exaudiet, ſed, ſicut ex ſua clementia cõſueuit, etiam ſupplicare volentiũ preces præueniet.* Cauſam dat S. Anſelm. l. de Excellentia Virginis: *Velocior eſt*, inquit, *nonnumquam ſalus memorato nomine eius, quàm inuocato nomine Ieſu vnici filij ſui. Et id quidem non ideo fit, quòd ipſa maior & potentior eo ſit (neq; enim ille magnus eſt & potens per eam, ſed illa per ipſum.) Dicã quod ſentio: Filius eius Dominus eſt, & iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum, dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus non exaudit, iuſtè quidem facit: inuocato autem nomine matris, etſi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen matris intercedunt vt exaudiatur.* Salomonem ſequitur Siracides Eccli. 24. 26. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, &*

à generationibus meis implemini: ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, &c. *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Vide ibi dicta.

VERS.36. QVI AVTEM IN ME PECCAVERIT, LÆDET ANIMAM SVAM. OMNES QVI ME ODERVNT, DILIGVNT MORTEM] non formaliter, ſed materialiter: quia ſcilicet oderunt virtutem,& amant cupiditates ac vitia, quæ ducunt ad mortem præſentem & æternam. Pro *lædet* hebr. eſt חמס *chomes*, id eſt iniurius eſt animæ ſuæ, illi violentus, tyrannus & raptor eſt: quia eam eripit ſapientiæ, ſibi ac Deo, tradítq; peccato, diabolo & gehennæ. Vnde ſibi ipſi eſt tortor & carnifex: ſpoliat ſe enim gratia, pace, gloria, omniq; bono; & vltrò acceſſit ſibi peccati fœditatem, angores conſcientiæ, iram Dei, ignem æternum, omneq; malum, idque in æternum. Vnde Chald. vertit, *diſperdet animam ſuam*; Septuag. *impiè agunt in ſuas ipſorum animas*; Aquila & Symmachus, ἀδικεῖ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, id eſt, iniuria afficit, offendit, iniquè opprimit animam ſuam; Pagnin. *ſpoliat animam ſuam*, Caiet. *torquet animam ſuã*; quia eam vi à bono diſtorquet ad malum, à cælo in infernum, à Deo ad diabolum. Salomoni ſuccinit Tobias c.12.10. *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Porrò τὸ *in me peccauerit* idem eſt, quod *me ſpreuerit*, audire noluerit, dereliquerit, &, vt ait Aben Ezra, *peccauerit*, id eſt; *in me contumax fuerit*, vel à me auerſus; quia animum ad cupiditates, quas ego veto, applicat & conuertit. τὸ enim *peccauerit*, opponit τῷ *qui audit me, & qui vigilat ad fores meas*, v. 34. Senſus eſt. q.d. Terque quaterque beati illi, qui me audiunt, mihiq; obediunt: terque quaterque miſeri, qui me audire, mihique obedire nolunt, vel per ignauiam, vel per concupiſcentiam, vel per malitiam.

Myſticè: ſicut ſignum prædeſtinationis eſt cultus & deuotio erga Deiparam; ita ſignum reprobationis, & cauſa damnationis eſt irreuerentia & inobedientia erga eamdem: vt patet in Neſtorio, Heluidio, Conſtantino Copronymo, Iuliano Apoſtata. Qui enim Deiparam colit, Chriſtum Deũ eius filium colit: qui in illam peccat, in Chriſtum peccat. Quocirca ſicut Chriſtus in Eccleſia, quaſi in familia ſua eſt tamquam paterfamilias: ſic in eâdem B. Virgo eſt quaſi materfamilias, ex dono & voluntate Chriſti. Eccleſiam accipio tam triumphantem, quàm militantem. Quocirca Germanus Conſtant. Patriarcha orat de Deipara: *Sicut*, inquit, *continua reſpiratio non ſolum eſt ſignum vitæ, ſed etiam cauſa; ſic ſanctiſſimum Mariæ nomen, quod in Dei ſeruorum ore aſſiduè verſatur, ſimul argumentum eſt, quòd verâ vitâ viuant: ſimul hanc ipſam vitam efficit & conſeruat, omnemq́; eis lætitiam & opem ad omnia impertitur.* Vnde addit: *Nemo ſaluatur niſi per te, ô Virgo ſanctiſſima.* Et S Bonauent. in Pſalterio Virginis: *Quem vis*, inquit, *ſaluus erit: & à quo auertis faciem tuam, ibit in interitum.* Et rurſum: *Qui dignè coluerit illam, iuſtificabitur: & qui neglexerit illam, morietur in peccatis ſuis.* Quocirca exclamat Damaſcen. orat. de Natiuit. Virg. *Donum omnium donorum præſtantiſſimum eſt Maria virgo, quæ ſola creatore digna erat, viuum cælum, cælis ipſis latius.*

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Parabolicè deſcribitur domus & conuiuium ſapientiæ, ad quod ipſa ſimplices inuitat. Nam deriſores aſſerit eſſe incapaces correctionis & ſapientiæ. Deinde ſapientia v.13. inducit, depingitq́; ſui æmulam mulierem ſtultam; quæ vecordes ſeducit, imò ſecum ad tartara ducit.

1. Sapientia ædificauit ſibi domum, excîdit columnas ſeptem. 2. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. 3. Miſit ancillas ſuas
vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: 4. Si quis eſt paruulus, veniat ad me.
Et inſipientibus locuta eſt: 5. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod
miſcui vobis. 6. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.
7. Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi maculam
generat. 8. Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & diliget te.
9. Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia. Doce iuſtum, & feſtinabit accipere. 10. Principium ſapientiæ, timor Domini, & ſcientia ſanctorum, prudentia. 11.
Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. 12. Si ſapiens
fueris, tibimetipſi eris: ſi autem illuſor, ſolus portabis malum. 13. Mulier ſtulta &
clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, 14. ſedet in foribus domus ſuæ
ſuper ſellam in excelſo vrbis loco, 15. vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes
itinere ſuo. 16. Qui eſt paruulus, declinet ad me. Et vecordi locuta eſt: 17. Aquæ
furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. 18. Et ignorauit quòd ibi ſint
gigantes, & in profundis conuiuæ eius.

VERS.1. SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMVM, EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM] Pro *ſapientia* heb. eſt חָכְמוֹת *chochmot*, id eſt *ſapientiæ* in plurali; vt ſignificetur ſapientiæ dignitas, maieſtas & amplitudo, quòd ſcilicet ipſa in ſe vna ſit inſtar multorum, pluraque comprehendat, adeoque ipſa ſit omnium ſapientiarum, conſiliorum, intelligentiarum, prudentiarum, &c. complexio & mater. Pro *excidit*, Septuag. vertunt, *ſubdidit*; Syrus, *erexit*; S. Ambroſ. libr.1 de Fide c.7. *ſuſtulit*; S. Athanaſ. in diſput. contra Arrium, *ſtabiliuit*; Chald. *ſtatuit in ea columnas*; Arabicus, *fecit eam inniti ſeptem columnis.* Hæ ergo columnæ ſunt fulcra & baſes, quibus ſapientia domum ſuperædificat, perinde ac Romæ baſili-

A baſilicas S. Petri, S. Pauli, S. Laurentij, S. Ioannis Lateranenſis, B. Virginis Maioris, S. Cæciliæ, &c. columnis è marmore exciſis, iiſque plurimis & magnificis inſiſtentes & inædificatas videmus. *Excidit* ergo, id eſt è rupe ſuccidit, dolauit, poliuit, erexit, ſtabiliuit quaſi baſes domus ſapientiæ. Ita Galatin. l. 3 de Arcanis fidei c. 3. & Aben Ezra. Eſt catachreſis & metalepſis.

Domus & conuiuium ſapientiæ quid? Quæres: quænam hæc domus & fabrica ſapientiæ? Nota hîc eſſe quaſi continuam allegoriam vel parabolam, ideoq; Salomonem hîc loqui parabolicè & ænigmaticè, vti & ſæpiùs alibi in hiſce Prouerbijs. Hæc enim ipſe contexuit ex grauibus, inſignibus, elegantibus, obſcuris, acutis, & præſertim parabolicis gnomis: vnde omne genus ſententiarum huic libro inſeruit & immiſcuit. Igitur quia c. 7. 14. propoſuit illecebras & domum conuiuij à meretrice apparati, ad quod ipſa iuuenem inuitat, vt eum perdat & peruertat; idcirco hoc loco ei componit, opponit & anteponit domum conuiuij à ſapientia exſtructam, veris delicijs inſtructam, ad quam iuuenem inuitat, vt eum à meretrice auellat, & ad ſui ſtudium animæq; ſalutem traducat. Hîc igitur proponit & exponit ei ſuas delicias, de quibus dixit c. præced. v. 31. *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.*

Grammaticè ergo & in cortice litteræ, domus hîc conuiuij à ſapientia inſtructi, ſiue triclinium, accipitur, in quo ipſa ſua ſapientiæ ſcilicet, fercula, dogmata, monitaque ſalutis proponit. Alludit ad primas ſapientum cœnas, in quibus ſapientes quaſi ſymbola ſapientiæ cōferebant, ac promebant ſententias acutas, graues, obſcuras, parabolas, ænigmata, &c. vt patet ex Athenæo de Cœnis ſapientum, Platone, Macrobio, Plutarcho, imò ex Siracide Eccl. 32. c. 4. vti ibidem docui.

Huc facit quod de œconomica, ſiue de ſapienti domus conſtitutione cenſuere ſeptem Græciæ ſapientes apud Plutarch. in eorumdem conuiuio. Primus enim Solon: *Ea, inquit, mihi optima videtur domus, vbi res eſt neque iniuſtè parta, neque in ea vel cōſeruanda diffidentiæ, vel in ſumenda pœnitentiæ eſt locus. Bias: in qua dominus ſua ſponte talem ſe gerit, qualem foris propter leges. Thales: in qua plurimum otij domino conceditur. Cleobulus: in qua plures ſunt qui diligant, quàm qui metuant dominum. Pittacus: vbi neque requiruntur ſuperuacanea, neq; deſiderantur neceſſaria. Chilon: maximè oportet domū vrbi, quæ ſub rege eſt, ſimilem eſſe: adiecitq́; Lycurgum cuidam qui populare imperium Spartæ inſtituere ipſum iuberet, reſpondiſſe: Priùs tu hoc domus tuæ facito.*

eſt templum & Synagoga. Parabolicè verò ſub hoc cortice grammatico per domum intelligit templum, templique Synagogam. Hoc enim ædificauit Salomon ſapientiæ præſes & princeps quaſi domum ſapientiæ: id eſt Dei. 3. Reg. 6. 1. & c. 7. 1. & hoc ſuffulciebatur & ornabatur ſeptem, id eſt multis, columnis. In eo quoq; erat menſa, id eſt altare, in quo victimę Deo mactabantur, cum libamine, id eſt miſtione & effuſione vini, item menſa panum propoſitionis. Atq; in eo docebatur ſapientia, id eſt vera fides, lex, virtus, prudentia, religio & cultus Dei, à ſacerdotibus, Scribis & Phariſæis. Porrò per templū accipe Synagogam & Eccleſiam, quæ congregabatur in templo ad audiendos cultores & doctores ſapientiæ, tam enim Synagoga quàm templum erant typus, ac typicè repræſentabant Eccleſiam, quam ſapientiſſimus Salomon, putà Chriſtus, conſtruxit & inhabitat, ibique velut in ſchola docet per ſuos magiſtros, ſacerdotes & doctores Chriſtianam ſapientiam & virtutem, de quo mox plura. Sapientia ergo, Dei, ſiue Deus per ſapientiam, ædificauit templum & Synagogam, id eſt domum ſuam, in qua coleretur, ac per ſuos ſacerdotes & doctores doceret Iudæos & proſelytos ſapientiam, id eſt veram Dei cognitionem, amorem, cultum, omnemq; honeſtatem & virtutem. Ita per domum & menſam hanc templum Salomonicum accipiunt Hebræi, & noſter Hier. Prado in Ezech. c. 5. n. 7. eiuſque aſſecla Vilalpando in Ezech. c. 40. tom. 2. part. 2. l. 3. c. 20. Vbi docet, præter plurimas columnas, quibus fulciebatur templum, præcisè ſeptem fuiſſe columnas porticuū templi, id eſt atrij. Atrium enim erat templum populi; nec enim B populus, ſed ſoli ſacerdotes ingredi poterant Sanctum, & ſolus pontifex Sanctum ſanctorum. Pro ſingulis ergo atrij porticibus docet ſeptenas fuiſſe columnas hinc & hinc, hoc eſt, vniuerſim quatuordecim, iiſque repræſentatas fuiſſe tres teſſeradecades genealogiæ Chriſti, Matth. 1. 17. Sed audi Vilalpandum: *Bini ſunt in porticibus ſingulis columnarum ordines: ordo ſeptenis conſtat columnis: tres huiuſmodi porticus domum Dei, Sanctumq́, ſanctorum complectuntur medium. Quid ſi huc forte reſpexit S. Matthæus c. 1. 17. vniuerſam Chriſti genealogiam in tres partitur teſſeradecades, quot columnis extrinſecus Dei Domus cingebatur?* Tres enim erant porticus & quæque habebat teſſeradecadem columnarum, puta ſeptenas columnas in vno ordine, & ſeptenas in altero illi oppoſito: tres ergo erant columnarum, æquè ac gene- C nealogiarum Chriſti teſſeradecades. Similiter modo Siracides poſt elogia ſapientiæ, ait eam domum fixiſſe in Sion & Synagoga Hebræorum. *Et ſic,* inquit, *in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea*, Eccli. 24. v. 15.

Rurſum noſter Pineda l. 3. de Rebus Salomonis c. 28. & Ioannes de Cartagena l. 10. hom. 10. de B. Virgine inueniente Ieſum in templo, per domum accipiunt academiam. Sapientia ergo ædificauit ſibi domum, hoc eſt, inquiunt, Salomon ſapientiſſimus ſapientiæ nomine in monte Sion iuxta regiam & iuxta templum, imò in atrio templi, ædificauit academiam, in qua doctores docerent ſapientiam. Vnde & Romæ academia & gymnaſium, in quo docentur omnes facultates, vocatur *ſapientia. Excidit columnas ſeptem*, id eſt, ſeptem artiū D liberalium ſuggeſta, ſiue altas cathedras è marmore elaboratas, e quibus doctores docerent. Vnde hebr. vocantur עמודים *ammudim*, à rad. עמד *amad*, id eſt, ſtetit. q. d. *Status*, ſtationes, in quibus ſcilicet ſtabant doctores. *& academia.*

Septem ergo columnæ ſunt ſeptem gymnaſia, in quibus totidem erant cathedræ, è quibus doctores profitebantur omnes artes liberales, quiſque ſuam. Quā de re audi Optatum Mileuit. l. 3. contra Parmen. ad illud Iſaię 22. *Onus vallis viſionis: Non ait, in Sion, ſed in vna eius valle: non in illo monte Sion, quem in Syria Paleſtinæ à muris Ieruſalem paruus diſterminat riuus, in cuius vertice eſt non magna planities: in qua fuerunt ſeptem Synagogæ, vbi Iudæorū populus conueniens, legem per Moyſen datam diſcere potuiſſet, vbi nulla lex audita eſt, nec ab aliquo celebratū iudicium, nec aliqua eſt illic ab aliquo iudice lata ſententia: quia locus erat doctrinæ, non controuerſiæ.* Poſt doctrinam, ſi quod agendum erat intra muros Ieruſalem age-

agebatur. Inde ſcriptum eſt in Iſaia propheta c.2. *De Sion exibit lex , & verbum Domini de Ieruſalem.* Hinc & Aben Ezra per ſeptem columnas accipit ſeptẽ artes liberales. *Scientiæ enim,* inquit R. Leui, *ſunt columnæ prudentiæ & ſapientiæ.*

Ancillæ à ſapientia miſſæ vt vocarent ad arcem, id eſt ad academiam in arce Sionis erectam, diuerſæ ſunt facultates, quæ in academia tradebantur. Hæ enim ſui obiectu & ſpecie, alliciebant & inuitabant omnes Hieroſolymitas & Iudæos quin & proſelytos exteroſq; ad adeundam & audiendam hanc ſcholam ſapientiæ. Vnde Iuſtinus in dialogo contra Tryphonem aſſerit, antiquos Mithræ, id eſt Solis, ſacerdotes, imitatos fuiſſe Hebræos in ſaxorum Sionis ſublimitate docẽtes, quippe qui ſimili modo in ſaxea ſpelunca diſcipulos ſuos Mithræ ſacris imbuerent. Idem affirmat Tertull. l. de Coronâ militis ſub finem, & l. de Præſcript. contra hæret. c.40.

Porrò ſunt, qui in porta templi Orientali locum academiæ fuiſſe commemorent. Ita Arias Montanus in Apparatu, & S. Antoninus p.1. tit.5. c.1. §.5. Eumdem notauit Paulus dicens Actor.24.12. *Neque in templo inuenerũt me cum aliquo diſputantem,* putà in gymnaſio, quod in atrio templi erat. Hanc academiam Chriſtus præſentiâ ſuâ & auctoritate honorare & auctorare voluit, cùm, vt ait S. Lucas c.2. parentes inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum. Addit Pineda l.3. de Rebus Salom. c.28. hanc Salomonis academiam fuiſſe matricem ceterarum, ex quâ proinde prodierit Pythagoras, teſte S. Ambroſ. libr.1. epiſt.6. Plato, Socrates, Ariſtoteles, &c. Hoſce enim ceteroſq; Gentium Philoſophos ſua dogmata à Salomone & Hebræis hauſiſſe, docet Euſeb. l.3. de Præpar.

Salomon docuit in ſua academia.

c.13. Clemens Alex. l.1. Strom. & alij. Quare in hâc ſuâ academiâ docuiſſe ipſummet Salomonem, vtpote auctoratum à Deo ſapientiæ doctorem, atque has aliaſq; parabolas dictaſſe, iuxta illud: *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille. Et diſputauit ſuper lignis,* &c. 3. Reg.4.32. Hinc conſequenter inferũt Salomonem hæc dictaſſe poſt ædificatum templum & domum ſuam, ſub annum regni ſui 26. Nam quarto anno regni ſui cœpit ædificare templum, illudq; poſt ſeptem annos abſoluit, ac deinde ædificauit domum ſuam per tredecim annos, 3. Reg.7.1. Quòd ſi omnes hos annos in vnum conflес, inuenies 25. poſt quos in gymnaſio iuxta templum ædificato primus ipſe docere cœpit, cùm priuatim domi ſuos docuiſſet. Vnde ex varijs eius ſententijs, diuerſis temporibus ab eo pronuntiatis, vel etiam repetitis, collectus & concinnatus eſt hic Prouerbiorum liber, vt patet ex c.24. v.23. & ex c.25. v.1.

Allegor. domus eſt Eccleſia.

Allegoricè, domus ſapientiæ, putà vetus Iudæorum templum, academia & Synagoga, repræſentabat Eccleſiam Chriſti. Hãc enim Chriſtus, qui eſt Sapientia increata & incarnata, ædificauit, id eſt erexit & inchoauit, in eodem Sionis templo docens & prædicans. Vnde in eodem Apoſtoli in Pentecoſte receperunt Spiritum ſanctum, & linguis igneis ibidem promulgarunt legem nouam. Ita S. Ambroſ. l.1. de Fide c.7. Cæſarius Arelat. hom.7. de Paſcha, Anaſtaſ. Nicen. q.40. in Script. S. Athanaſ. orat.5. contra Arrianos, S. Iſidor. l.8. Etymol. c.1. S. Thomas 3. p. q.32. art.1. ad 3. & auctor Quæſt. veteris & noui teſtam. apud S. Aug. tom.4. q.52. *Domus Chriſti eſt Eccleſia,* inquit, *quam ædificauit ſibi ſanguine ſuo.*

Audi S. Greg. 33. Moral. c.15. *Domus ſapientiæ,* inquit, *Eccleſia vocatur: quæ ſeptẽ ſibi columnas excidit: quia ab amore præſentis ſæculi disiunctas, ad portandam eiuſdem Eccleſiæ fabricam, mentes prædicantium erexit. Quæ pro eo quòd perfectionis virtute ſubnixæ ſunt, ſeptenario numero deſignantur. Immolauit victimas: quia vitam prædicantium mactari in perſecutione permiſit. Vinum miſcuit: quia diuinitatis & humanitatis ſuæ nobis pariter arcana prædicauit. Menſam quoque propoſuit: quia Scripturæ ſacræ nobis pabula aperiendo præparauit. Ancillas etiam ſuas miſit, quæ ad arcem nos atque ciuitatis mœnia vocarunt: quia prædicatores infirmos abiectoſq; habere ſtuduit, qui fideles populos ad ſpiritalis patriæ ædificia ſuperna colligerent.*

Septem columnæ quæ? Prob. Primò,

Quæres, quænam ſunt ſeptem Eccleſiæ columnæ? Reſpondet Primò, S. Auguſt. l.7. Ciuit. c.4. & S. Greg. 23. Moral. eſſe ſingulas particulares Eccleſias, è quibus Eccleſia vniuerſalis conflatur & conſiſtit. Septenarius enim eſt ſymbolum plenitudinis & vniuerſitatis: ſeptem ergo columnæ ſunt omnes Eccleſiæ particulares, quæ conflant Eccleſiam vniuerſalem. *Per ſeptenarium numerum,* ait S. Aug. *eſt vniuerſa Eccleſiæ ſignificata perfectio.* Huius rei ſymbolo S. Ioannes Apocalypſim ita inſcribit: *Ioannes ſeptem Eccleſijs:* quia, vt ait S. Greg. *Ioannes ſeptem Eccleſijs ſcribit, vt vnam Catholicam ſeptiformis gratiæ ſpiritu plenam deſignaret.*

Secundò,

Secundò, auctor Catenæ Græcor. & Lyran. per ſeptem columnas accipiunt ſeptem Sacramenta Eccleſiæ Chriſtianæ, quibus quaſi columnis illa fulcitur.

Tertiò,

Tertiò, auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chryſoſt. hom.50. per ſeptem columnas accipit ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus ipſe ſuffulſit Eccleſiam, Iſaiæ 11.2. Hi enim ſpiritus ſunt robuſti imò robur Eccleſiæ: roborant enim tã Prælatos quàm fideles ſingulos contra omnes inimicos, putà contra hæreticos, infideles, atheos, politicos, & quoſlibet impios, imò contra dæmones, totamq; inferni potentiam.

Quartò,

Quartò, S. Ambroſius (vel quiſquis eſt auctor. nam idem Comment. inter opera Bedæ inuenitur) in Apocal. c.1. ante finẽ, per ſeptem columnas accipit vniuerſitatem prædicatorum, quos Deus per ſeptem, id eſt omnes, mundi ætates illi ſubmiſit. *Sapientia,* inquit, *ædificauit ſibi domum, quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus ab initio mundi vſque ad finem eius, ex numeroſitate electorum Eccleſiam ſibi conſtruxit & conſtituit. Excidit columnas ſeptem, quando ijs ſeptem temporibus prædicatores, qui ſingulis temporibus conuenirent, in Eccleſia ſua ſtatuit, qui & monitis ſalutaribus, & bonorum operum exemplis eam ſuſtentarent.*

Quintò,

Quintò, Salonius per ſeptem columnas accipit omnes Eccleſiæ doctores: hi enim velut columnæ eam ſuffulciunt. Vnde Paulus Gal.2.9. Petrum, Iacobum & Ioannem vocat columnas Eccleſiæ. Audi Salonium: *Columnæ domus huius ſunt ſancti doctores: quæ columnæ benè ſeptem eſſe dicuntur, quia ſancti doctores repleti ſunt ſeptiformi gratia Spiritus ſancti. Quomodo ergo excidit ſapientia has columnas: quia mentes prædicatorum ab amore præſentis ſæculi velut à ſua lapidicina ſeparauit, & ad portandam eiuſdem Eccleſiæ fabricam erexit.*

Symbol. humanitas eſt domus Verbi.

Symbolicè: Sapientia increata, putà Filius Dei, ædificauit ſibi domum, id eſt, corpus humanum in incarnatione, in quâ inhabitauit plenitudo diuinitatis

tatis

tatis corporaliter, columnæ ſeptem ſunt, ſeptem A dona Spiritus ſancti, quibus plena & ſuffulta fuit Chriſti humanitas, Iſaiæ 11. 2. menſa eſt menſa Euchariſtiæ, in qua Chriſtus nobis ſuam carnem comedendam, & ſuum ſanguinem bibendum proponit, de quâ mox. Ita S. Athanaſ. in diſp. contra Arrium in Concil. Niceno. *Sapientia*, inquit, *id eſt Verbum ſiue Filius Dei, cùm eſſet incorporeus ob noſtram ſalutem ædificauit ſibi domum in vtero Deiparæ Mariæ ſine commercio virili, & homo factus eſt, & ſeipſum exhibuit exemplar omnis virtutis: vt qui illũ ſequi vellent, quaſi in diuino itinere haberent veſtigia, ad quæ ſimiles facti, diuinæ naturæ participes redderentur.* Domus ergo Chriſti eſt corpus, per quod Chriſtus, ait S. Athanaſ. nobis σύσσωμος, id eſt concorpor, effectus eſt. Sic & S. Gregor. Nyſſenus orat. 2. contra Eunomium: Sapientia ædificauit ſibi domum, hoc eſt carnem, inquit, quam aſſumpſit. q.d. *Verbum caro factum eſt*. Et S. Auguſtinus l. 17. Ciuit. c. 20. vbi B totum hunc locum ſic explicat: *Hic certè agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt Verbum Patri coæternum, in vtero virginali domũ ſibi ædificaſſe corpus humanum, & huic tamquam capiti membra Eccleſiam ſubiunxiſſe, Martyrũ victimas immolaſſe, menſam in vino & panibus præparaſſe; vbi apparet etiam ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech inſipientes & inopes ſenſu vocaſſe, quia, ſicut dicit Apoſtolus: Infirma huius mundi elegit Deus, vt confunderet fortia.* Sic & Anaſtaſius Nicenus in Quæſt. S. Script. q. 40. *Sapientia*, inquit, *ædificauit ſibi domum cùm Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: Parauit menſam, ſcilicet diuinæ carnis & ſanguinis in Euchariſtia: *miſcuit vinum ſuum, vt qui ſuam diuinitatem carni vniuit tamquam vinum merum*. Sic & Cæſarius Arelat. ho. 4. de Paſchâ, S. Ambr. l. 1. de Fide c. 7. & l. 3. de Spiritu ſancto c. 8. & S. Gregor. 33. Moral. c. 15. *Sapientia*, inquit, *domum ſibi condidit, cùm* C *vnigenitus Dei filius in ſemetipſo, intra vterum Virginis mediante anima humanum ſibi corpus creauit. Sic quippè corpus vnigeniti domus Dei dicitur, ſicut etiam templum vocatur; ita verò, vt vnus idemq́; Dei atque hominis filius ipſe ſit qui inhabitat, ipſe qui inhabitatur.* Quocirca grauiter more ſuo S. Leo epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam: *Sacramentum*, inquit, *reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum, nulle implebant figuræ, &c. vt & intra intemerata viſcera ædificante ſibi ſapientiâ domum, Verbum caro fieret, & formâ Dei ac formâ ſerui in vnam conueniente perſonam, creator temporum naſceretur in tempore; & per quẽ facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur.* Sic & S. Thomas 3. p. q. 32. art. 1. ad 3.

& Euchariſtia. Porrò de triclinio & conuiuio Euchariſtiæ hũc locum accipiunt S. Chryſoſt. in pſal. 22. S. Ambr. l. 1. de Fide c. 7. S. Cyprian. l. 2. epiſt. 3. ad Cæciliũ, Anaſtaſius Nicen. q. 40. in Script. Beda, Hugo, & alij hìc; quin & Eccleſia in Officio Ven. Sacramenti, quod compoſuit S. Thomas, in quo prima Antiphona ad Laudes eſt hæc: *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam. Halleluia.*

Phyſicè, domus Dei eſt mundus. Phyſicè, Hebræi in Sanedrim apud Galatinum l. 3. de Arcanis fidei c. 3. ſic exponunt: *Sapientia ædificauit domum ſuam, id eſt, Deus per ſapientiam creauit mundum. Dolauit columnas eius ſeptem, id eſt, ordinauit ſeptem dies primordiales creationis mundi, quibus omnia creauit, formauit, & ſuis locis ordinibuſq́; quaſi per columnas diſtinxit. Immolauit victimam ſuam, vel coxit victimam ſuam, vel decoctionem ſuam: per hoc intelliguntur maria, flumina, & omnia mũdi neceſſaria. Miſit* A *puellas ſuas, vt vocarent, hi ſunt Adam & Eua.* Hæc Hebræi in Sanedrim, & R. Salomon hic. Potho Prumienſis presbyter ſub annum Domini 1152. ſcripſit tract. de Magnâ domo ſapientiæ, qui extat tom. 12. Biblioth. SS. Patrum editionis Colonienſis recentiſſimæ parte 1. pag. 642. In quo per domum ſapientiæ ſymbolicè accipit hoc vniuerſum; per ſeptem columnas, ſeptem dies creationis mũdi; item ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ deinde per ſingulos dies proſequitur, & cuique diei ſuum donum adaptat, iuxta illud: *Dominus ſapientiâ fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentia*, Prouerb. 3. 19. Allegoricè verò domum ſapientiæ interpretatur vterum B. Virginis, in quo Deus homo factus nouem menſibus habitauit; vnde ornatum & dedicationem templi Salomonis eidem myſticè accommodat.

Tropol. ſapientia, id eſt Chriſtus, per gratiam *Tropolog. domus Dei eſt anima fidelis.* ædificat domum, id eſt templum in animâ fidelis, B cùm eam ſanctificat. Tunc enim in ipſa erigitur templum virtutis & ſanctitatis, in quo S. Trinitas inhabitat, imò cœnat, iuxta illud Apocal. 3. 20. *Si quis audierit vocem meã, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Et illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ita S. Athanaſ. in orat. 5. contra Arrian. & in diſp. cõtra Arrium in Cõcil. Niceno, & auctor Imperfecti hom. 29. in Matth.

Audi S. Bernard. ſer. 3. de Aduentu: *Beatus, apud quem manſionem facies Domine Ieſu. Beatus, in quo ſapientia ædificat ſibi domum, excidens columnas ſeptem. Beata anima, quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quænam eſt illa? Anima vtique iuſti. Meritò planè; quia iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Quis in vobis eſt fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illi ſerica, quæ tapetia, quod puluinar oporteat præparari. Iuſtitia* C *inquit, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Iuſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt vnicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ ſua ſunt. Redde ſuperiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, & dignè celebras aduentum Chriſti, parans ei in iuſtitia ſedem ſuam. Redde, inquam, reuerentiam Prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis eſt.* Vbi & ſeptem domus huius ſpiritalis columnas aſſignat, nimirum ſui, ſibique commiſſorum cuſtodiam & diſciplinam, erga Prælatos reuerentiam & obedientiam, erga fratres conſiliũ & auxilium; ac ſeptimum aſſignat iudicium, quo nos coram Deo iudicemus & humiliemus. *Hæc planè*, inquit, *eſt digna ſedis præparatio Domino maieſtatis, vt & iuſtitiæ mandata ſtudeat obſeruare, & ſemper indignum ſeſe & inutilem arbitretur.*

D Porrò S. Bonauent. tract. de Septem donis Spiritus ſancti, ſeptem ſapientiæ columnas aſſignat ex illo S. Iacobi c. 3. *Sapientia, quæ de ſurſum eſt, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione.* Itaque ſeptem columnas ſic conſtruit & erigit: *Prima columna eſt pudicitia in carne, ſecunda ſimplicitas in mente, tertia modeſtia in ſermone, quarta ſuadibilitas in affectu, quinta liberalitas in effectu, ſexta maturitas in iudicio, ſeptima ſanctitas in intentione.*

Præſertim verò domus ſapientiæ eſt anima di- *& dignè communicantis.* gnè communicantis. Hæc enim cum Zachæo ſuſcipit Chriſtum in domum ſuam, ab eoque meretur benedici, & omni cæleſti benedictione cumulari. Ita ex S. Athanaſ. Salazar. Talis ergo anima

ma eſt triclinium ſapientiæ, quia tribus lectis, totidemque conuiuis ornatum & inſtratum, nimirum memoria, voluntate & intellectu. In memoria epulatur gratiarum actio iuxta illud pſal. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* In voluntate quaſi conuiua accumbit & epulatur charitas, iuxta illud eodem pſal. *Initium ſapientiæ timor Domini:* hic enim timor eſt filialis, ait S. Auguſt. ideoque charitas. In intellectu conuiua eſt & epulatur Dei cognitio & contemplatio, iuxta illud eodem pſal. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum,* qui animum extimulat ad omnem virtutem, operaq; heroica iuſtitiæ, ac præſertim ad perennem Dei laudem & iubilum. Vnde ſequitur: *Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.* Rurſum hoc triclinium, eiuſque triplices delicias ita pingit S. Thomas, & ex eo Eccleſia in Officio Ven. Sacram. ad ſecundas Veſp. *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* Multò magis ſapientia ædificat ſibi domum, cùm ſanctum quempiam vitæ ſtatum, v.g. Religionem, vel Ordinem, inſtituit, præſertim in quo docetur omnigena ſapientia, qualis nūc eſt Societatis Ieſu, & olim fuere plerique alij Ordines. Vide quæ de hac myſtica virtutum ordinumque fabrica dixi in fine Aggæi Prophetæ.

Myſticè domus Verbi eſt vterus Virginis.

Myſticè: Sapientia, id eſt Filius Dei, ædificauit ſibi, id eſt in proprium ſuum vſum, domum ſe dignam, ſcilicet vterum Virginis Deiparæ, cùm illum ſibi in habitaculum elegit: ideoque vt eſſet diuinum ac dignum Deo, præ Angelis, Cherubinis & Seraphinis, ſummis id gratijs adaptauit & adornauit, putà ſeptem columnis, id eſt robuſtiſſimis virtutibus, putà tribus theologicis, robuſtâ fide, ſpe & charitate; ac quatuor cardinalibus, robuſtâ, prudētiâ, iuſtitiâ, fortitudine & temperantiâ. Audi Bernardum ſerm. 9. inter paruos: *Hæc itaque ſapientia quæ Dei erat, & Deus erat de ſinu Patris ad nos veniens, ædificauit ſibi domum, ipſam ſcilicet matrem ſuam Virginē Mariam, in qua ſeptem columnas excîdit. Quid eſt in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam dignum ſibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem, propter ſanctam Trinitatem: quaternarius pertinet ad mores, propter quatuor principales virtutes. Quòd autem in beata Maria ſancta Trinitas fuerit (fuerit dico, per præſentiā maieſtatis) vbi ſolus Filius erat per ſuſceptionē humanitatis, teſtatur nuntius cæleſtis, qui ea arcana myſteria reſerans ait: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Et poſt pauca: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altiſſimi, habes Spiritum ſanctum, habes Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.* Et inferiùs: *Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, iuſta in confeſſione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis, exſtruxit in ea ſibi domum ſapientia cæleſtis: adeò mentem eius repleuit, vt de plenitudine mentis fœcundaretur & caro; ac Virgo ſingulari gratia eamdem ipſam ſapientiam carne tectam pareret, quā priùs mente pura conceperat. Nos quoque, ſi eiuſdem ſapientiæ fieri domus volumus, neceſſe eſt vt eiſdem ſeptem columnis exſtruamur, id eſt, vt fide & moribus ei præparemur. Et in moribus quidem ſolam puto ſufficere iuſtitiam, ceteris tamen virtutibus circumfultam. Itaq; ne errore fallatur ignorantiæ, ſit ei prævia prudentia. Sint hinc inde temperantia atque fortitudo, ne fortè labatur, vel in dexteram, vel in ſiniſtram partem declinando.* Vide Franc. Suarez 3. p. q. 27. a. 3. diſp. 4. ſect. 2. vbi docet Deum B. Virgini in conceptione primaq; eius ſanctificatione indidiſſe omnes habitus virtutum omniaque dona Spiritus ſancti. Vnde S. Athanaſ. ſerm. de ſanctiſſima Deipara, illi applicans illud Pſaltis: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus,* aſſerit in ipſam deſcendiſſe Spiritum ſanctum cum omnibus ſuis virtutibus eſſētialibus. Et S. Bonau. in Pſalterio Virginis, loco *Te Deum laudamus. Tu,* inquit, *ſponſa & mater regis æterni: tu templum & ſacrarium Spiritus ſancti, totius beatiſſimæ Trinitatis nobile triclinium.* Audi B. Petrum Chryſol. ſer. 141. *Quantus ſit Deus ſatis ignorat, qui huius Virginis mentē nō ſtupet, animū non miratur: pauet cælum, tremunt angeli, natura nō ſufficit, & vna puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, vt pacem terris, cælis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cæleſtibus parentelam, ipſius Dei cum carne commercium pro ipſa domus exigat penſione, vt impleatur illud Prophetæ: Ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris.*

Quocirca per domum ſapientiæ accipiunt vterum B. Virginis S. Ignat. epiſt. ad Philippenſes: *Sapientia,* inquit, *ædificauit ſibi domum, & factus eſt ſicut homo Deus cum corpore, quod ſuſcepit ex Virgine, non ex collocutione ſcilicet, aut ſemine viri. Virgo enim,* inquit Iſaias c. 7. *in vtero concipiet & pariet filium.* Et S. Hieron. in c. 7. Iſaiæ ad illud: *Ecce virgo concipiet.* De Deipara quoque explicat S. Ildephonſus l. de Virginitate Deiparæ, & ſer. 3. de Aſſumpt. & Bernardus ſer. 9. ex paruis: *Quid eſt,* inquit, *in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam ſibi dignum habitaculum fide & operibus præparare?* Petrus Damianus ſer. de Natiuit. ſimiliter de Virgine exponit, quam dicit eſſe domum columnis ſeptem ſuffultam, ſeptem ſcilicet donis Spiritus ſancti dotatam. S. Hieronymus in Iſaiæ c. 3. & l. contra Heluidium, vterum Deiparæ vocat *ſacri ventris hoſpitium, cuius nouem menſibus habitator fuit Ieſus.* Andreas Cretenſis orat. in Salutat. angel. *conſecratum* vocat *regis palatium; vnicum illius, qui nuſquam capitur, habitaculum.* Georgius Nicom. orat. de oblat. *domum glorioſam* vocat. Similiter Bonauent. in Speculo c. 8. de ea vult dici illud pſal. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Et patriarcha Iacob Geneſ. 28. de eâdem myſticè pronuntiauit: *Non eſt hîc aliud, niſi Domus Dei & porta cæli.* Denique S. Epiphan. hæreſi 37. Pro *Verbum caro factum eſt,* inquit Salomon, *Sapientia ædificauit ſibi domum.*

Anagog. domus Dei eſt corpus glorioſum.

Anagogicè: ſapientia ædificat ſibi domum, cùm ſuis diſcipulis & filijs, putà ſapientibus, qui iuxta ſapientiam & virtutem vixerunt, poſt mortem dat corpus glorioſum, iuxta illud Chriſti Ioan. 2. v. 19. *Soluite templum hoc, in tribus diebus excitabo illud.* q.d. Crucifigite me, & corpus meum occidite, atque ego illud tertia die à morte ad vitam glorioſum ſuſcitabo. Vnde ſubdit S. Ioannes: *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Rurſum cùm eis dat domum & thronum in cælo, iuxta illud S. Pauli 2. Corinth. 5. 1. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.*

Verſ. 2.

IMMOLAVIT VICTIMAS SVAS (Arabicus, *holocauſta ſua*) MISCVIT VINVM, ET PROPOSVIT MENSAM SVAM] Septuag. *mactauit* (S. Ambroſ. l. 1. de Fide c. 7. *interfecit*) *hoſtias ſuas, miſcuit in cratere vinum ſuum, & menſam ſuam parauit;* Chald. *ordinauit;* Syrus *præparauit;* Aquila, *diſpoſuit;* Arabicus, *poſuit;* Symmach. *appoſuit;* Theodot. *ſtipauit;* Vatabl. *inſtruxit*

inſtruxit menſam ſuam; Caiet. *laniauit laniationem ſuā*; Tertullian. mox citandus, *ſophia iugulauit filios ſuos.* Pro θύματα, id eſt *victimas*, legit υἱοὺς id eſt *filios.* Pro *miſcuit* Caietan. vertit, *colauit*, id eſt, purgauit, defæcauit vinum. q.d. Purum & limpidum merum appoſuit. Verùm Hebr. מָסְכָה *maſach* ſignificat *miſcuit*, non *colauit*. Et ſolebant veteres tum ſanitatis, tum ſobrietatis ſtudio vinum aquâ miſcere & diluere, ne caput feriret, hepar accenderet, & bilem acueret; itaq; conciret ardores & febres. Adde, dilutum faciliùs concoqui, & ad cor deferri quàm merum. Ita Hippocrates & Galenus, ac ex ijs Cornelius Celſus l. 1. de Medic. c. 4. Vnde Aben Ezra hìc; Vinum, inquit, aqua temperatum ita prodeſt potanti, ſicut concoctio veſcenti.

Myſticè vinum ſapientiæ quod? Myſticè, Primò, Anaſtaſius Nicenus quæſt. 40. in Script. *Chriſtus*, inquit *ſuam diuinitatem carni vniuit, tamquam vinum merum aqua diluens.* Et S. Hieron. in c. 2. Eccleſiaſtæ: *Sapientia*, inquit, *in cratere miſſo prætereuntes ad ſe conuocat. Corpus Domini craterem magnum debemus accipere, in quo non meraca diuinitas, vt in cæleſtibus, fuit, ſed propter nos humanitate media temperata eſt, & per Apoſtolos in minora κυλίκια, ſcyphos paruulos & crateres, in toto orbe credētibus effuſa ſapientia eſt.* Secundò, τὸ *miſcuit* ſignificat miſtionem aquæ cum vino in Euchariſtia, de quo mox. Tertiò, quòd Chriſtus præceptorum ſuorum poculum ex narratione hiſtorica, & intelligentia ſpiritali contemperarit, ait S. Gregor. mox citandus. Quartò, quòd ex Iudæis quaſi ex more, & ex Gētibus quaſi ex aqua vnam Eccleſiam commiſcuerit, ait Cæſarius Arelat. homil. 7. de Paſcha. Quintò, aqua miſta vino ſignificat Deum aduerſa proſperjs miſcere ſuis fidelibus.

Menſa & victima ſapientiæ quæ? Quæres: quænam hîc menſa, quę victimę, quod vinum ad literam intelligitur? Doctus Interpres cenſet, hæc omnia nihil ſignificare, ſed tantùm, per ethopœiam ad ornatum parabolæ adhiberi: parabolam autem conuiuij ſapientiæ non aliud ſignificare, quàm ſermonem & doctrinam ſapientiæ, eò quòd olim ſapientes in conuiuijs ſuam ſapientiam depromere & docere ſolerent. Verùm cùm hæc omnia parabolę, putà conuiuij ſapientiæ neceſſariæ ſint partes, videntur neceſſariò aliquid repræſentare, & parabolicè ſignificare, æquè ac ipſa parabola. Vnde ceteri interpretes ſingula hæc explicant & adaptant. Quocirca

Nota Primò. Menſa tum in Script. tum apud profanos eſt ſymbolum alimoniæ, deliciarū, omniumque bonorum. Talis maximè fuit menſa Solis apud Ægyptios; omnibus epulis quotidie inſtructiſſima, & cuiuis accedere volenti ſemper parata, de qua Herodot. l. 3. Similis, imò longè opimior & præclarior, eſt hæc menſa ſapientiæ.

Nota Secundò. Veteres inter epulas ſacrificabant, imò ſacrificium epulo ſacro claudebant. De Iudæis, patet Exodi 12. De Chriſto & Chriſtianis patet in vltima Chriſti cœna, vbi poſt ſacrificium & epulum agni inſtituit ſacrificium & epulum Euchariſtiæ, ac deinde ardentem illum de ſapientia, id eſt charitate, habuit ſermonem, Ioann. 13. & ſequent. De Gentilibus liquet ex Macrobio, Virgilio, Homero, Athenæo, qui victimis ſubiungunt epulas, imò ſacrificia vocant quaſi ſacras epulas.

Nota Tertiò. Alluditur hîc ad menſas veterū, quæ non minus ſapientia, & eruditis ac ſapientibus colloquijs, diſputationibus, lectionibus, quàm dapibus & vino condiebantur, vti pulchrè docet Plutarch. l. 1. Sympoſ. problem. 1. Macrob. l. 7. Saturn. c. 1. Gellius l. 6. c. 13. Athenæus l. 15. Dipnoſophiſt. (id eſt cœnarum ſapientum) c. 21. Tales fuere menſæ & cœnæ Chriſti Lucæ 11. 38. & c. 22. 15. ac Chriſtianorum primorum teſte Tertull. Apolog. c. 39. adhibita etiam lectione S. Script. vti docet S. Auguſt. libr. de Communi vita ſacerdotum; & epiſt. 109. Simile hîc inſtruitur conuiuium ſapientiæ.

Reſpondeo ergo: Per menſam hanc & conuiuium accipitur ſacrificium, & eo peracto agape ſiue conuiuium, quod offerentes & ſacrificantes in atrio templi inſtruebant ex victimis Deo ſacrificatis: harum enim pars magna in victima pacifica cedebat offerentibus, vti dixi Leuit. 3. Sapientia ergo inuitans ſuos ad hanc menſam, tacitè inuitat ad offerendum Deo ſacrificium. Hic enim eſt primus actus religionis, ſummuſq; Dei cultus, quem præſcribit ſapientia: vtque eum cum voluptate obeant, ſimul eos inuitat ad epulum ſacrum ex victimis Deo oblatis, quod ipſa per ſacerdotes & Leuitas, perq; pios offerentes, & conuiuas, condiebat ſermonibus doctis & pijs, preſertim ſententijs ex Script. petitis, quæ omnia hic nomine menſæ & conuiuij ſignificantur. Atque hæc menſa optimè repræſentat allegoricè menſam Euchariſtiæ, eiuſque agapes, de qua paſſim Patres hunc locum accipiunt, vti mox oſtendam. Quocirca partialiter S. Gregor. citatus v. 1. & ex eo Beda per menſam accipit S. Scripturam: *quæ feſſos*, inquit, *atque à ſæculi oneribus venientes pane verbi reficit.* Et Anaſtaſius Nicenus: *Parauit*, inquit, *menſam ſuam, ſcilicet Trinitatis cognitionem.* In menſa enim exponebantur codices, v.g. Biblia, vt à quolibet legerentur, iuxta illud, *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum: menſa*, id eſt S. Script. inquit Origen. S. Hier. Hilarius, Euthym. Anſelm. Caietan. & alij. q.d. Quia Iudæi ex Script. nolunt agnoſcere Chriſtum, hinc fiat vt ex Script. mortem & excæcationem petant, ex quâ vitam & lumen captabant. Vnde ſequitur: *Obſcurentur oculi eorum.*

Menſa eſt altare.

Igitur ſapientia parauit menſam, victimas & vinum, cùm in Leuitico ſanxit ritum colendi Deum per varia ſacrificiorum, libaminum, rituum & ceremoniarum genera (in victimis enim quaſi cibis adhibebatur vinum quaſi potus, qui libabatur, id eſt effundebatur Deo:) vt ijs Iudæos piè ſemper ac iucundè in Dei cultu occupatos detineret, ne ad Gentium idola & vitia deflecterent: præſertim quia inter ſacrificia ſacerdotes & Leuitæ canebant Dei laudes & pſalmos, tum voce, tum muſicis inſtrumentis; legebant Moſen & Prophetas, eoſque populo explicabant docendo & concionando, vti iam fit in templis Chriſtianorum ſub miſſarum ſolennia. Menſa ergo hic eſt altare: altare enim eſt menſa Dei, in qua ipſe cum hominibus conuiuatur. Vnde in Script. altare vocatur menſa, vti dixi initio Leuitici. Porrò vt eò alliciat Iudęos, illecebram adhibet menſæ conuiualis, quam poſt ſacrificium fieri ſanxit in atrio templi, quam ſimul ſacris ſermonibus condiri inſtituit. Huc ergo omnes inuitat ſapiētia, vt ad Dei cultum omnemque virtutem traducat. Vetus eſt Comici dictum, *Numquā ſatis ornatur nauis & mulier.* adde tertium, *nec menſa principis.* Quocirca hæc ſapientiæ menſa, æquè ac nauis & ſponſa, tot ferculorum, rerumque iam dictarum varietate ac elegan-

elegantia ornata eſt, vt ampliùs ornari nequeat, perinde ac decet menſam Dei.

Menſa academica. Rurſum noſter Pineda l.3. de Rebus Salom.c.28.ſicut per domum ſapientiæ accepit academiam à Salomone erectam in monte Sion iuxta templum, ſic per menſam accipit menſam academiæ, in quâ doctores accumbebant cum diſcipulis, vt eos docerent temperantiam æquè ac ſapientiam. Sic menſa Mineruæ conſecrata celebris eſt, & menſa Ægyptia quæ in ſchola Ægyptia proponebatur. Athenæus quoque l. 5. poſt initium, illas Philoſophorum Athenienſium conuiuiales delicias celebrat, quibus pecuniam Theophraſtus legauit, non vt in eo congreſſu laſciuè & impudenter proteruirent, ſed, vt, quos haberent in conuiuio ſermones, temperanter & doctè perſequerentur. Sed illud ſubijcit, Philoſophis etiam curæ fuiſſe cum iuuenibus ad ſe coactis ſtatâ quâdam lege conuiuari, quam Xenocrates in Academia ſua, itidemq; Ariſtotel. in Lyceo moderandis conuiuijs tulerunt. Ac nihil notius, quàm cœna philoſophica. Et diſcipulos illos Mithræ panis oblatione initiari docuit Iuſtinus in Apolog. ad Antonium Pium, & Tertullianus de Præſcript.c.40. Vbi videndus Pammel. numer. 244. S. Hieron. ſuper Amos prophetam, idemque epiſt. ad Paulinum ſcribit Apollonium de Tantali fonte potaſſe, id eſt, vt Philoſtratus l.3. de Vita Appollonij c. 10. ſcribit, de illa potione quæ non tam amicitiæ vulgaris, quàm mutui conſenſus inter ſapientes firmandi cauſa apud Indos inuenta eſt. Erat autem (vt idem Philoſtratus c.7. narrat) eo loco, vbi Iarchas cum Apollonio coram alijs ſapientibus colloquebatur, ſtatua Tantali ſubſcriptione notata, ſimilis propinanti phialam, quæ plena ſitienti cuipiam abundè potum ſufficeret: in qua humor diſtillabat incorruptibilis potionis, quæ phialã menſurâ numquam excedit. Exiſtimare enim opus eſt, Tantalum dicendi facultate non caruiſſe, cumque ipſam hominibus communicaret, increpitum à poëtis fuiſſe, quòd nectar hominibus bibendum dediſſet. Hæc Pineda.

Menſa crucis. Allegor. hæc de menſa à Chriſto incarnato propoſita in Eccleſia tum in cruce, tum potiùs in Euchariſtia, paſſim accipiunt Patres & interpretes indeque probant Euchariſtiam eſſe ſacrificium ſimul & Sacramentum: victimæ enim notant ſacrificium, menſa, id eſt altare, notat tam ſacrificium quàm Sacramentum. De menſa, id eſt altari crucis, explicat S.Greg. & ex eo Beda, Lyran. & alij. q.d. Sapientia immolauit victimas, id eſt Chriſtus immolauit ſeipsũ in cruce. Audi S.Greg. l.17. Moral. c.17. *Immolauit Dominus victimas, ſeipſum offerendo pro nobis. Miſcuit vinum, præceptorum ſuorum poculum ex narratione hiſtorica, & intelligentia ſpiritali contemperans. Vnde aliàs dictum eſt: Calix in manu Domini vini meri, plenus eſt mixto. Et poſuit menſam, id eſt Scripturam ſacram: quæ feſſos ad ſe, atque à ſæculi oneribus venientes pane verbi nos reficit, & contra aduerſarios ſuâ refectione nos roborat. Vnde & aliàs ab Eccleſia dicitur: Poſuiſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Miſit ancillas ſuas, Apoſtolorum videlicet animas in ipſo ſuo initio infirmas, vt vocarent ad arcem & mœnia ciuitatis: quia dum æternam vitam denuntiant, ad alta nos mœnia ſupernæ ciuitatis leuant, quæ profectò mœnia niſi humiles non aſcendunt. Vnde illic ab eadem ſapientia ſubditur: Si quis eſt paruulus, veniat ad me, ac ſi apertè dicat: Quiſquis ſe apud ſe magnum æſtimat, aditũ ſibi mei acceſſus anguſtat: quia tanto ad me altiùs pertingitur, quanto vniuſcuiuſque mens apud ſe veriùs humiliatur.*

Dices, Chriſtus vnicam obtulit victimam, id eſt ſeipſum: hic autem ſapientia dicitur obtuliſſe victimas in plurali. *Reſp.* Chriſti victima omnes victimarum ſpecies complexa eſt: ipſa enim fuit holocauſtum, ſacrificium pro peccato, & victima pacifica ita Lyran. imò S. Aug 17. Ciuit. 20. Addit Beda Chriſtum non vnam, ſed multas ſuſtinuiſſe mortes, ac inſtar multarũ fuiſſe victimarum; quia plurima tormenta ſuſtinuit, quorum quodlibet ſufficiebat ad eum occidendum. Denique in Hebræo non eſt *victimas*, *ſed victimam* in ſingulari. Accedit auctor Catenæ Græcor. *Miſcuit in cratere vinum*, inquit: *Nam primò Chriſtus Dominus ſeipſum Deo Patri in hoſtiam & ſacrificium pro omnibus obtulit. Mox Apoſtolos, alioſq; & alios mortis ſuæ imitatores fecit. Per craterem autem Eccleſiam accipere licet: hæc enim ſanguinem, qui pro ea effuſus eſt, in vſum ſuſcepit, ſanctéque cuſtodit, atque diſtribuit. Quem etiam ſanguinem arcaniori quadam ratione vinum hoc loco appellat, ſicut menſam in ipſa inſtructam paratamq; Dominici corporis eſcam. Poſſunt etiam per hæc, vaſa ad myſticam oblationem deputata, vt ſunt altaria, calices, aliaq; eiuſmodi, accipi.*

Menſa Euchariſtia. De menſa Euchariſtiæ accipiunt alij paſſim. Vnde & hic vtriuſque ſpeciei, ſcilicet panis & vini, fit mentio ac victimæ carnis & ſanguinis Chriſti: atque in celebratione Euchariſtiæ canuntur Deo laudes, recitantur prophetiæ, Epiſtolæ, Euangelia, fiunt conciones & exhortationes. Denique poſt eam olim celebrabatur agape, id eſt conuiuiũ ſacrum, in ſymbolum charitatis, vti dixi 1. Corinth. 11. v.21. & 33. & c.14. v.26. Alludit ad menſam panum propoſitionis, quæ erat typus Euchariſtiæ & eleëmoſynæ, de qua dixi Exod. 25.23. Alludit quoque ad illud pſalm. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me.* Ita S. Aug. 17. Ciuit. 20. & S. Athanaſ. in diſput. contra Arrium in Concil. Niceno: *Sapientia*, inquit *poſuit menſã ſacri altaris, in quo panis, id eſt ſacroſanctum Chriſti corpus & ſanguis, edendus & bibendus proponitur.* Et S. Cyprian. l.2. epiſt. ad Cæcilium (quę in alia editione ordine eſt 63) *Per Salomonem*, inquit, *Spiritus ſanctus typũ Dominici ſacrificij antè præmonſtrat immolatæ hoſtiæ, & panis & vini, ſed & altaris & Apoſtolorum faciens mẽtionem: Sapientia, inquit, ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem, mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit menſam ſuam, &c.* Atque ex τῷ *miſcuit*, probat in calice Euchariſtiæ vinum eſſe aquâ miſcendum. *Vinum mixtum*, inquit, *declaratur, id eſt calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce denuntiat, vt appareat in paſſione Dominica* (in vltima Chriſti ad paſſionem euntis cœna) *id eſſe geſtũ quod fuerat antè prænuntiatum.* Simili modo ex τῷ *miſcuit*, aquam vino eſſe miſcendum in Euchariſtia, colligit R. Samuel Marochianus l. de Aduentu Meſſiæ c. 20. qui extat. tom. 5. Biblioth. SS. Patrum. Sic & S. Iſidor. de Vocat. Gentium c. 26. *Dei*, inquit, *ſapientia conſtituit ſibi domum S. Eccleſiã, in qua mactauit ſui corporis hoſtias, in qua miſcuit vinũ ſui ſanguinis in calice Sacramenti diuini, & præparauit menſam, id eſt altare Domini, cùm mittens ſeruos ſuos Apoſtolos atque doctores ad inſipientes, id eſt ad omnes gentes verum Deum ignorantes, ait: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.*

Sic & S. Hier. in Iſaiæ 55. v. 1. *Emite abſque argento,*

gento, &c. vinum & lac: Spreto, inquit, *illo argento, & pecunijs, quibus aquas Domini emere non poſſumus, pergemus ad eum, qui calicem tenens Sacramenti diſcipulis loquebatur: Accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quod vinum miſcuit & ſapientia in cratere ſuo, omnes ſtultos ſæculi, mundiq́ ſapientiam nõ habentes, prouocans ad bibendum.* Denique ita hunc locum accipit Eccleſia in Officio Ven. Sacramenti. Vide Adrianum Finũ in Flagello Iudæor. l. 8. c. 11.

Quocirca ad hoc ſapientiæ conuiuium alluſit Chriſtus in parabola inuitatorum ad nuptias, mittens enim ſeruos ait: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata; venite ad nuptias*, Matth. 22. 4. Nam Primò, nuptiæ, id eſt nuptiale conuiuium, quod rex, id eſt Deus, fecit filio ſuo, eſt menſa Euangelicæ doctrinæ & Sacramentorum, maximè Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutæ. Ita Orig. Euthymius & auctor Imperfecti ibidem. Secundò, filius regis ſponſus eſt Chriſtus incarnatus, cuius ſponſa eſt Eccleſia. Ita Origen. Hilar. S. Hieron. S. Gregor. ibidem huius nuptiæ quaſi ſponſalia inchoata ſunt in incarnatione, & conſummabuntur in cęlo. Tertiò, inuitati ſunt Iudæi, tum ante, tum poſt incarnationem Chriſti, vt eam vel futuram, vel factam crederent. Ita ijdem: inuitati inquam per legem Moyſi, deinde vocati per ſeruos, id eſt Prophetas & Apoſtolos. Quartò, tauri & altilia ſignificant conuiuium opiparè eſſe inſtructum. Ita S. Hier. & Euthym. Itaque idem eſt, *Tauri mei & altilia occiſa ſunt*, cum eo, quod de ſapientia hic dicitur, *Immolauit victimas. Altilia* enim non ſunt alites, id eſt volucres, ſiue aues: ſed vituli, boues, oues, &c. ita dicti ab alendo. Hoc enim ſignificat Græcum σιτιστά, id eſt altilia ſaginata, vti vituli ſaginantur ad ſplendidum conuiuium.

Menſa diuinæ prouidentiæ.

Phyſicè & ethicè: ſicut per fabricam domus ſapientiæ Hebræi in Sanedrin accipiunt creationem mundi, ſic conſequenter S. Dionyſ. Areop. epiſt. 9. ad Titum Pontif. per menſam accipit menſam diuinæ prouidentiæ, quâ mortalibus de omnibus affatim prouidet, dupliceſque cibos, ſolidos ſcilicet & liquidos, proponit. *Calix autem*, inquit, *cùm rotundus ſit, & patente apertoq́ ore, patentem, & omnia obeuntem omnium prouidentiam, quæ principio & fine caret, ſignificat.* Accedit R. Salomon: Propoſuit menſam ſuam, hoc eſt, inquit, rerum omnium naturam ſicco & humido conſtare voluit. Vide Theodoretum & alios lib. de Prouidentia & Numine.

Menſa doctrinæ & ſanctorum exemplorũ.

Tropolog. menſa ſanctorum dogmatum & exemplorum in Eccleſia proponitur, & ad eam quiſque fidelis inuitatur, iuxta illud Eccli. 15. *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Vnde auctor Catenæ Græcor. *Per victimas*, inquit, *diuina myſteria, ſecretaq́, eorum ſenſa, nec non ſanam ſinceramq́ S. Litterarum interpretationem notat.* Huc facit, quod, vt notat Pineda, à ſponſo Chriſto dictum eſt Eccleſiæ Cant. 7. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis:* pertinet enim tum venter, qui eſt mentis ſymbolum, vbi cibus doctrinæ concoquitur, tum crater & poculum ad ſapientiæ ſignificationem, ſic exponente S. Ambroſio ſuper Exod. 16. *Eſt enim*, inquit, *in omni doctrina tornatus, & potus ſpiritualis non deficiens plenitudine, & cæleſtium ſecretorum cognitione.* Et fortè colludit cum hac ipſa cæremonia illud Iſaiæ 28. 9. *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*; id eſt à poculis quæ vberum figuram habebant, in quibus, initiandis ſapientiæ diſcipulis vaſe in modum femineæ mammæ lac propinabatur apud Ægyptios, vti Apuleius auctor eſt. Hoc eſt quod ait Chriſtus Matth. 22. 4. *Ecce*, inquit, *prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.* Vbi auctor Imperfecti apud S. Chryſoſt. hom. 41. per menſam accipiens S. Script. per tauros exempla Prophetarum, ſacerdotum & Martyrum in S. Script. nobis ad exemplum propoſita: *Quidquid*, inquit, *iam quæritur ad ſalutem, totum iam adimpletum eſt in Scripturis. Qui ignarus eſt, inueniet ibi quod diſcat. Qui contumax eſt & peccator, inueniet ibi futuri iudicij flagella, quæ timeat. Qui laborat, inueniet ibi glorias & promiſſiones vitæ perpetuæ, quæ manducando excitetur ampliùs ad opus. Qui puſillanimis eſt & infirmus, inueniet ibi mediocres iuſtitiæ cibos, qui etſi pinguem animam non faciant, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus eſt & fidelis, inueniet ibi ſpiritales eſcas continentioris vitæ, quæ perducant eum propè ad angelorum naturam. Qui percuſſus à diabolo, & vulneratus eſt in peccatis, inueniet ibi medicinales cibos, qui eum per pœnitentiam reuocent ad ſalutem. Vt quid ibi ſcriptum eſt: Achar propter furtum laminæ aureæ lapidatus, niſi vt habeant fures quod timeant? vt quid ibi filij Iſrael, qui fornicati ſunt cum filiabus Moabitarum, percuſſi refugerunt in Beelphegor, niſi vt habeant fornicatores, quod perhorreſcant? vt quid concupitores carnis caſtigati ſunt in deſerto, niſi vt nemo delicias concupiſcat? vt quid Dauid arguit Nathan & ſuſcepit, niſi vt adulteri & homicidæ pœnitentiæ remedium nõ deſperent? Raab meretrix ſanctificata eſt, vt meretricibus ſpes daretur. Nihil ergo minus eſt in hoc conuiuio, quàm quod neceſſarium habet ſalus humana.*

Huc facit quod ſcribit B. Petrus Damiani in Vita S. Bonifacij Camaldulenſis monachi, deinde Archiepiſcopi ac Martyris, nimirum eum, cùm Othoni III. Imp. eſſet conſanguineus, itaque charus, vt ab eo non alio nomine vocaretur niſi *anima mea*, ingreſſum in eccleſiam S. Bonifacio Martyri cognomini ſuo dicatam, imitationis illius & martyrij deſiderio accenſum dixiſſe: *Et ego Bonifacius vocor: cur ergo etiam ipſe Martyr eſſe non debeo?* Quocirca ingreſſus Ordinem S. Romualdi, indeq; creatus Archiepiſcopus, & Apoſtolus Ruſſiæ, eam cum ſuo rege tum prædicatione, tum miraculo, ſcilicet per medium ignem tranſeundo illęſus, conuertit, ideoque à regis fratre occiſus Martyr occubuit. Sic & Cornelius Muſius, teſte Miræo, aſſiduè à S. Cornelio Pontifice & Martyre ſibi cognomine poſtulauit, vt ei tam ſanguine, quàm nomine aſſimilaretur, ac impetrauit, nam anno Domini 1572. captus in Hollandia, ſanguinẽ pro Chriſto dedit.

Stimulus S. Bonifacij.

Magis appoſitè & propriè S. Auguſt. 17. Ciuit. 20. & Anaſtaſius Nicenus qu. 40. in Script. victimas, quas ſapientia immolauit, accipiunt Martyres, quos ſibi ipſi Deus quaſi victimauit. Sic & Tertull. lib. contra Gnoſticos c. 7. *Sophia*, inquit, *iugulauit filios ſuos: ſapienter vtique iugulauit, dum in vitam; rationaliter, dum in gloriam. O bonam matrem! Opto & ipſe in filios eius redigi, vt ab ea occidar. Opto occidi, vt filius fiam.* Rurſum victima eſt mortificatio, & quia crebrò & quotidie oportet mortificare ſe Deo; hinc ait *victimas* in plurali, quæ tamen cõdiendæ ſunt vino orationis & deuotionis: ſicut enim amari cibi melle condiuntur, vt guſtui ſuaues dulceſque

ceſque euadant; ſic & mortificatio oratione condienda, vt Deo hominique dulceſcat.

Menſa regni cæleſtis. Anagog. Hugo menſam accipit æternæ refectionis & beatitudinis, de quâ Chriſtus Lucæ 22. v. 29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.*

Menſa B. Virginis. Myſticè B. Virgo menſam nobis inſtruxit & propoſuit, cùm Chriſtum panem animarum verum nobis peperit & dedit. Ita S. Epiphan. ſerm. de laud. Virg. *Ipſa eſt,* inquit, *fidei menſa intellectualis, quæ vitæ panẽ mundo ſuppeditauit.* Et poſt pauca: *Locuples eſt, chariſſima, & virtutibus plena, menſa virginea, optimis quibuſque cibis abundans, quibus terra fruatur. O candelabrum virgineum,* &c. Et Andreas Cretenſis homil. 2. de dormit. Virginis: *Oſtendit,* inquit, *ſuam ſanctiſſimam menſam, vtpote quæ ipſum totum viuificum panem Dominum noſtrum Ieſum, qui eſt vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicæ conſperſionis panem factum in vtero geſtauit œconomicè: qui eos qui ſanctè ad eum accedunt, reducit ad vitam recentiorem, & reddit in Deo perfectos. Quo quidem modo eos quoque expurgat, & reddit immortales, qui participatione noua illius & pulchræ eius communionis ei coniunguntur, fiuntq; familiares.* Eadem miſcet vinũ aquæ, cùm lites & ſchiſmata ſopit, cùm homines & gentes diuerſas, imò aduerſas, commiſcet, vinculoq; pacis & charitatis in vnum conſociat. Vnde Synodus Conſtantinopol. epiſt. ad Hormiſdam Pontif. *Ecce,* inquit, *interceſſione ſanctiſſimæ Virginis olim quæ fuerant membra diuiſa, per Spiritus ſancti gratiam ad vnitatem & charitatem perfectam ſunt reducta.* Deniq; ipſa quaſi ſophia iugulauit filios ſuos, vt legit Tertull. putà Chriſtum Dominũ & Martyres, quos aſtans cruci Deo immolauit, & indies immolat & offert. Vnde S. Ephrem de Laudibus Virginis: *Virginem,* inquit, *appello, velut ſacerdotem pariter & altare, quæ quidem menſam ferens, dedit nobis cæleſtem panem in remiſſionem peccatorum.* Et B. Petrus Damiani ſerm. de Natiuit. *Cibum,* inquit, *Eua tradidit* (alij legunt, *comedit*) *per quem nos æterni conuiuij fame mulctauit: cibum Maria dedit, qui nobis cæleſtis conuiuij aditum patefecit.* Porrò noſter Fernandez in Geneſ. c. 3. n. 7. rectè expendit τὸ *miſcuis vinum.* Quid, quæſo, ait, immiſcuiſti ô Dei mater ſanguini filij tui, quem potamus? Anne lympidiſſimam aquã lacrymarum, quas in circumciſione, & quas ſtans iuxta crucem Ieſu mater eius, ex oculis iſtis virgineis copioſiſſimè & dolentiſſimè profudiſti, viſaque fuit iſta commiſtio ſanguinis filij & lacrymarum matris? ô ſi mihi flueret torrens iſte voluptatis, quo anima mea perfunderetur! Iure optimo D. Epiphan. vocat Virginem Dei matrem, *menſam fidei.* Nimirum in Virgine ſua matre digniſſima propoſuit Deus omnia, quæ diuinus amor excogitauit epularum, ac ciborum, & condimentorum, & liquorum genera, quibus animæ piorum & impiorum etiam paſci, nutriri confirmarique poſſent. Venite (inquit) bibite vinum, quod miſcui vobis. An iſtud verbum miſcere vſitatum in poculis amatorijs, à Virgine matre ſimiliter vſurpatur? Quod ſi ita eſt, ſignificatur planè in diuina Euchariſtia vis quædam admirabilis, & velut amatoria, quam piorum animæ ſentiunt, cùm ritè communicantes corpus & ſanguinem Domini, ſoluuntur in lacrymas, ardent amoris ignibus, humana omnia faſtidiunt, diuinis inhiant, ſuique prorſus immemores, ac priore vita depo-

A ſita ſeſe in Deum ſuum transmutant. Hæc Fernandez.

MISIT ANCILLAS SVAS, VT VOCARENT AD ARCEM, ET AD MOENIA CIVITATIS.] Pro *ancillas* hebr. eſt נערות *naaroth,* id eſt puellas, iuuenculas, adoleſcentulas, vt vertit Theodot. Aquila & Symmach. Septuag. verò & Syrus vertunt, *ſeruos ſuos.* Sic ergo habent Septuag. *miſit ſeruos ſuos, conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem;* Syrus, *miſit ſeruos ſuos ad vocandum ſuper excelſa.* Sic & Arabicus: vterque enim ſolet ſequi Septuag. *Vers. 3.*

Quæres Primò: quænam ſint *ancillæ* ſapientię ab ea miſſæ ad euocandum, & inuitandum omnes ad ipſius conuiuium? Caiet. accipit virtutes omnes, quæ ſapientiæ ancillantur, hominesq; ad virtutem & cælum inuitant: alij accipiunt angelos; omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium B miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis, Hebr. 1. R. Salomon accipit Adamum & Euam, item Moſen & Aaronem.

Ancillæ ſunt prædicatores. Verùm dico, per *ancillas* accipi prædicatores, doctores, Prophetas & Apoſtolos. Hi enim olim ante Chriſtum omnes vocabant ad Synagogam & Dei cultum, poſt Chriſtum vocant omnes ad Eccleſiam & chriſtianiſmum. Hi vocantur *ancillæ,* id eſt ſerui, vt vertit Syrus & Septuag. quia ſapientia hic inducitur vt matrona & domina, quæ in ſui obſequium poſcit ancillas potiùs, quàm ſeruos, putà fœminas potiùs, quàm viros. Hoc enim exigit decor & venuſtas parabolæ.

Tropol. addit Hugo, Prophetas & Apoſtolos vocari *ancillas* ob vilitatẽ & humilitatem, & quia, inquit, molles erant & tractabiles ad infirmitatem C proximi ſubleuandam. Sic enim ancillæ ad infima & duriſſima quæque ſeſe demittunt, vt heræ ſuæ obſequantur. Quocirca ſicut oculi ancillarum ſemper in heram reſpiciunt, ſic oculi Apoſtolorum & Doctorum in Chriſtum, vt eius nutus obſeruent, ab eo gratiam poſtulent, illi ſe totos mancipent: iuxta illud, *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri,* pſal. 122. 2. Ita S. Gregor. cuius locum & verba ſuperiùs recitaui, atque ex eo Beda & Hugo. Sic & S. Athanaſ. in diſput. contra Arrium in Concil. Niceno: *Poſt igitur illius* (Chriſti) *paſſionem,* inquit, *& reſurrectionem emiſit ſapientia, virtus, Verbum, Deus Apoſtolos ad omnes ſtultos, brutos ſcilicet Gentiles, Deiq; ignaros, propoſitâ menſâ, nimirum ſacro altari: & in eo panem cæleſtem, & incorruptibi-* D *lem, & omnibus vitam donantem qui inde participarent, ſanctum videlicet & ſacroſanctum ſuum ipſius corpus, exhibuit, vinumq; exhilarans mentem, quod ſobrietatem facit in cuiuſque animo qui inde deguſtant, quaſi in cratere ſuum ipſius ſanguinem miſcet, aduocans ſibi prædeſtinatos atque electos per Apoſtolos ſuos. Atque ita omnis quidem ſtultitia omittitur: regni autem cælorum ciues efficiuntur, qui illos audiunt.* Denique Honorius Auguſtodunenſis presbyter Comment. breuem ſcripſit in Prouerbia Salom. qui extat tom. 12. Biblioth. SS. Patrum edit. Colonienſis, vbi per *ancillas* accipit Apoſtolos: hos enim vocari ait ancillas, *propter inſipientiam, infirmitatem & paupertatem: quia idiotas, infirmos, pauperes & deſpectos elegit Chriſtus Apoſtolos, quos ad prædicandum miſit in mundum, vt fideles populos vocarent ad arcam æternæ beatitudinis, & ad mœnia Ieruſalem cæleſtis,* hęc Honorius. Eadem ad verbum habet Salonius, qui longè anterior fuit Honorio.

Tropol.

Tropol. & myſticè, per *ancillas* accipe eloquentiam, ſcientiam, miracula, virtutes Sanctorum fidelium verè ſapientum: per hæc enim quaſi per ancillas ſapientia & Deus homines ad ſe allicit & aduocat, vt patet ex Actis Apoſtolorum & Vitis Sanctorum. Vnde D. Thomas 1. p. q. 1. art. 5. Sapientia inquit, eſt Theologia, ancillæ ſunt aliæ ſcientiæ, quæ Theologiæ, ſiue ſcientiæ rerum diuinarum, ancillantur & inſeruiunt.

Quæres Secundò: quęnam ſit *arx & mœnia ciuitatis, ſupra* quam, vt Hebr. *& ad* quam, vt habet Noſter, ancillæ ſapientiæ omnes ad eius conuiuiū euocant? Nota. Hebr. ad verbum eſt: *Vocauit ſuper*, vel *ad pinnacula* (vel *faſtigia*) *excelſorum vrbis.* Nam גפי *gappe*, quod Noſter vertit, *arx*, ſignificat *pinnas, faſtigia*, & *ſummitates* domorum & murorum: vnde Pagnin. vertit, *vocauit ad ſummitates excelſorum ciuitatis*; R. Leui, *vocauit ſuper alas altiorum partium ciuitatis*; Chald. *vocauit in altitudine collium validorum*; Syrus, *ſuper excelſa*; Vatabl. *miſit puellas ſuas inuitatum ad ſummam vrbis arcem.* Hoc poſito

B

Reſp. quam v. 1. vocauit *domum ſapientiæ* propter amorem & vnionem, hîc propter munitionem & amplitudinem vocat *arcem & mœnia ciuitatis*, id eſt, arcem & ciuitatem mœnibus munitiſſimam, qualis erat arx Sion, quæ & ciuitas Dauid dicta eſt, in qua erat Salomonis regia & templum. Simili de cauſa Eccleſia triumphans vocatur ciuitas Ieruſalem, Apoc. 21. 2.

Arx eſt templum & Eccleſia.

Arx ergo eſt templum & Synagoga in arce Sion ædificata; ac Eccleſia Chriſtiana, quæ prædicante Chriſto & Apoſtolis in eodem loco inchoata eſt. Dicitur *arx*, quia erat loco edito, & muris circumdatis munitiſſima inſtar arcis, vt in omnium eſſet oculis & conſpectu; vtque inde vocum tubarumque ſono longè lateque reſonante omnes ad eam euocarentur. ita noſter Pineda lib. 3. de Rebus Salom. cap. 28. Porrò, inquit, quod ſubditur. *Et ad mœnia ciuitatis*, proculdubio deſignatur ciuitas ipſa Dauid, vel arx Iebuſæi: hæc enim arcis nomine appellatur frequenter in Scripturis 1. Paralip. 11. 4. 5. 7. 2. Reg. 5. 7. 9. & Ioſephus paſſim pręſertim 7. Antiqu. cap. 3. Porrò quod ſubditur. *Et ad mœnia ciuitatis*, indicat murum & mœnia munitiſſima quibus ſuam ciuitatem, id eſt arcem Sion, cinxit Dauid, 2. Reg. 5. quem arcis murum vetuſtiſſimum & fortiſſimum appellat Ioſeph. cap. 6. & videtur quidem peculiaris aliqua turris, eaque pręcelſa & fortiſſima, in Sione à Dauide exædificata, vt indicatur Cant. 4. 4. Quæ cùm propter altitudinem opportuniſſima eſſet ad circumſpiciendum & ſpeculandum, opportunum etiam erat ſapientiæ atque doctrinarum ſymbolum; quare ſapientiſſimè eo loci domum doctrinæ conſtituit Salomon, & ad hanc ipſam rem alludens dixit ad ſponſam: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea.* Quod Theodoreto exponente hunc habet ſenſum: Habet collum tuum, quod caput tuum & faciem ſuſtinet, omnes aliorum doctrinas, quibus tanquam iaculis cunctos aduerſarios transfigis. Habet etiam clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hoſtis tela extinguis. Munita enim es ſpiritus armatura, & facilè hoſtes vulneras, cùm omnibus fortium ſagittis abundes: eoſque modò per Prophetas, modò per Apoſtolos redarguis, atque ipſorum retegis imbecillitatem.

Tropol. arx ſignificat Eccleſiam eſſe munitam

A

inſtar arcis, quia vndique à dęmonibus, carne & mundo obſidetur & impugnatur: quare fideles ideò euocati ad conuiuium ſapientiæ in arce, vt eius victimis & vino roborati, illique obſtricti & deuincti, acriter arcem hanc propugnent, ac decertent contra omnes concupiſcentię motus, alioſque Eccleſiæ & fidelium hoſtes. Sciant ergo, hoc eſſe conuiuium militare, quod ad pręliandum, nō ad quieſcendum inſtruitur, iuxta illud: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me*, pſ. 22. Solent enim duces milites pręliaturos conuiuio excipere, aut vinum potumque eis propinare, tum vt eos ſibi deuinciant, tum vt eos ad pugnam cibo vinoque corroborent. Tale eſt conuiuium Euchariſtiæ, quo quaſi militari paſcimur, vt contra omnes mundi dęmonumque phalanges quaſi pugiles Chriſti generosè decertemus, iuxta illud S. Chryſoſt. hom. 61. ad Popul. *Tamquam leones igitur ignem ſpirātes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum reuoluentes, & charitatē quam nobis exhibuit.* Vnde notant nonnulli hanc menſam adumbratam fuiſſe per menſam panum propoſitionis, quam cingebat *corona interraſilis* pro qua Septuag. vertunt ςεφάνη παλαιςῶ, quod Complut. vertunt, *corona pugilis*; ſed perperam: vertendum enim eſt cum Romanis, *corona palmi*; hunc enim ſignificat Hebr. טפח *tophach*, quę eſt menſura quatuor digitorum, ſiue palmus, vt vertit Noſter, & Chald. παλαιςὴς ergo, vnde eſt genitiuus παλαιςῦ, hoc loco non ſignificat pugilem, vti putarunt Complut. ſed palmum: Hebr, enim *tophach* palmum ſignificat, non pugilem.

C

Secundò, *arx*, vel, vt hebr. eſt, *ſummitates & pinna excelſorum vrbis*, putà Sionis, notant Eccleſię altiſſima & tutiſſima loca, vti eſt ſtatus perfectionis, qualis cernitur in Ordinibus & Religionibus; vbi viget diſciplina. Sapientia enim omnes vocat non tantùm ad Eccleſiam & chriſtianiſmum, ſed etiam ad chriſtianiſmi perfectionem & apicem, pręſertim omnes ſacerdotes, Religioſos, doctores, pręedicatores, qui ſunt ſal terræ & lux mundi. Hi enim in arce, id eſt, in celſitudine ſapientiæ & virtutum, conſiſtere debent, vt alios eòdem magis vitâ & exemplo quàm verbo vocent. Vnde Caiet. vertit, *vocauit ſuper humeros excelſorum vrbis*; ſicque explicat, q. d. Ancillæ, id eſt virtutes, à ſapientia miſſæ ad inuitandum omnes idipſum præſtant, ac re ipſa omnes inuitant & aduocant, ſi non ore, ſed humeris portentur, id eſt, ſi nō verbis, ſed rebus & factis ſuſtentētur & proponantur per *excelſos ciuitatis*, id eſt per eos, qui excellunt ſtatu, conditione & officio: horum enim eſt ſicut ſtatu & gradu, ſic & virtute & meritis excellere, & reliquis antecellere. Sic enim erit excelſa eorum prædicatio, vt vertunt Septuag. Talis fuit hoc ſęculo S. Carolus Borromæus, qui in excelſo virtutum omnium culmine conſiſtens poſt ſe traxit Mediolanenſem Eccleſiam, quam moribus adeò ſanctis imbuit & decorauit, vt videretur eſſe paradiſus terreſtris.

D

Igitur ſtatus perfectionis & Religio eſt arx Eccleſiæ, quæ eſt Sion ciuitas Dauid, putà Chriſti. Primò, quia inſtar arcis munita eſt legibus, orationibus, pœnitentijs, exemplis, exhortationibus, &c. Vnde S. Bernard. ſerm. 4. de Dedic. Eccleſ. Religionem vocat arcem Dei, & quidem munitiſſimā. *Optimum, inquit, certè caſtrum tuliſti Chriſto, ſi inimicis eius tradideris Claram vallem.* Et S. Hieron. ad Hedibiam epiſt. 150. *Vis, inquit, eſſe perfecta, & in primo ſtare*

Arx eccleſiæ eſt ſtatus Religionis. *Primò,*

ſtare faſtigio dignitatis? fac quod fecerunt Apoſtoli, vende quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Saluatorem, & nudam ſolamq; crucem virtute nudâ ſequaris. Et S. Cyprian. de Orat. Domin. *Qui renuntiauit iam ſæculo, maior eſt honoribus eius & regno: & ideo, qui ſe Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cæleſtia regna deſiderat.* Nam quaſi aquila in arduis poſuit nidum ſuum. Iob 39.27.

Secundo, Secundò, quia inſtar arcis excelſa eſt. Vnde Apoc. 21.2. Ieruſalē cæleſtis vocatur, quia ſc licet è cælis à Deo vocata eſt, & ad cęlum nos ducit. Quocirca S. Bernard. ad Fratres de monte Dei agens de Religioſis: *Quos*, inquit, *quo nomine digniùs appellem neſcio, homines cæleſtes, an angelos terreſtres, degentes in terris, ſed conuerſationem habentes in cælis.* Et Climacus gradu 4. monaſterium ait eſſe cælum quoddam terrenum: & ideo quo affectu ac reuerentia credimus angelos miniſtrare Deo, eodem nos etiam fratribus noſtris miniſtrare debere.

Tertio, Tertiò, quia ipſa eſt Sion, id eſt ſpecula: tum quia cæleſtia ſpeculatur, tum quia omnia terrena reſpicit & deſpicit, tum quia ex alto omnes hoſtiū inſidias circumſpicit & auertit, tum quia ipſa eſt ſpecula, in quā omnium oculi conuerſi ſunt. Quocirca pręclarè S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulian. Religioſos viuis hiſce coloribus pingit: *Videſne*, inquit, *hos pauperes victu ac tecto carentes, hos humiles & terrenos, & ſupra terrena: qui inter homines verſantur, & rebus humanis ſunt ſuperiores: qui vinculis preſſi, & liberi ſunt: retenti, & teneri non poſſunt: qui nihil in mūdo habent, & omnia habent: qui mundo ſuperiores ſunt. hos inquam propter mortificationem immortales, propter ſolutionem Deo coniunctos: qui ab amore alieni, ſed diuino amore ardentes; quorum fons lucis, & quorum iam radij, ſplendoriſq; traiectiones; quorum angelus pſalmorum cātus, & pernox ſtatio, & mentis ad Deum exceſſio ante mortem in cælum ſe rapientis: quorum purgatio, & tamen purgantur; quippe nullum aſcenſus & deificationis modum ſibi conſtituentes: quorum eſt conteri & abijci, & quorum ſimul eſt ſuper thronos ſedere: qui & nudi ſunt, & incorruptibili veſtiuntur indumēto: qui in ſolitudine huius ſæculi, alterius ſæculi frequentiâ ac celebritate fruuntur: qui voluptates abijciunt, & tamen perpetuam atque inexplicabilem animorum oblectationem habent: quorum lacrymæ peccati diluuium ſunt, & mundi expiamentum, quorum extenſio manuum flammas extinguit.* S. Gregorij comes S. Baſilius ſer. de Monachi inſtitut. illum ait, qui ſæculo nuntium remiſit, hoc in primis cogitare, ſemperque animo verſare debere, ſe iam vltra humanæ naturę fines proceſſiſſe, ſeq; ipſum ei inſtitutæ tradidiſſe, quod ſit quàm maximè à corpore ſeiunctum, ac propterea angelorum conuerſationem imitandam ſuſcepiſſe: ſiquidem hoc angelicæ naturæ proprium eſt, liberum eſſe à vinculis terrenis, nec omnino diſtrahi ad aliam vllam pulchritudinem contemplandā, ſed oculos in Dei vultum aſſiduè defixos habere. Id expertus alter S. Gregorius, cognomento & rerū geſtarum gloria Magnus, mirè luget ſuum è monaſterio lapſum, vel potiùs raptum ad pontificatū, vti patet l. 7. Regiſtri epiſt. 126. ad Leandrum. Et lib. 5. epiſt. 5. ad Theoctiſten ſororem Imp. *Alta*, inquit, *quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens aſcendiſſe exteriùs videor: vnde me à cōditoris mei facie longè expulſum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantaſmata corporis ab oculis mentis abigens, ſuperna gaudia incorporaliter videre: & non ſolis vocibus, ſed totis medullis cordis ad Dei ſpeciem anhelans dicebam: Tibi dixit cor meum, quæſiui vultum ſuum, & vultum tuum Domine requiram. Nil autem in hoc mūdo appetens, nil pertimeſcens, videbar mihi in quodam rerum vertice ſtare, ita vt in me penè crederem impletum, quod pollicente Domino ex Propheta didiciſſem: Sustollam te ſuper altitudines terræ.*

Myſticè: B. Virgo mittit ancillas, id eſt animas ſibi deuotas, vt alios aduocent ad eius conuiuium, quod ipſa apparauit tum in generatione & educatione Chriſti, tum totâ vita ſuâ, ſplendidiſſimum omnium virtutum exemplar nobis ad imitandum proponens, idque in Sion, vbi ipſa poſt aſcenſionem Chriſti in cælum habitauit. Inuitat enim ipſa omnes ad arcem Sionis, id eſt ad vitam excelſam & contemplatiuam. Vnde experientia docet omnes penè Religiones eius inſtinctu & ope inſtitutas, atque in particulari, quicumque ad eas euocantur, ipſius ferè auxilio & quaſi voce euocari. Ita videmus viros B. Virgini deuotos, ac pręſertim congregationum eiuſdem Sodales zelo animarum feruere, ideoque B. Virginem per eos in omnibus orbis prouincijs mira & magna operari, nimirum infideles & hæreticos conuertere, vrbes antiquæ virtuti & pietati reſtituere, multos vtr uſque ſexus ad vitam cęlibem, imò angelicam traducere, ſiue domi, ſiue in varijs Religioſorum Ordinibus. Vide noſtrum Spinellum de Deipara c. 40.

B. Virgo ergo vocat ad craterem, cum excelſa prædicatione, quia ipſa fuit crater continens & propinans nobis carnem & ſanguinē Chriſti, iuxta illud Cant. 7. *Vmbilicus tuus cra ter tornatilis nunquam indigens poculis.* De quo S. Ambr. l. de Inſtit. virg. c. 14. *Verè*, inquit, *aluus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat ſapientia, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum, indeficientem cognitionis pię gratiam diuinitatis ſuæ plenitudine ſubminiſtrans. In quo Virginis vtero ſimul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat: quoniam & granū tritici germinabat & lilium.* Et S. Ildephonſus ſer. 1. de Aſſump. eadem mutuatus ex S. Ambroſio: *Verè*, inquit, *aluus Mariæ tornatilis fuit, quia in eo ſapientia ſe influxit, quæ in cratere illo vinum miſcuit.* Sic Ildephonſus, quem citat Vincentius Beluacenſis in Speculo hiſtoriali l. 7. c. 121.

SI QVIS EST PARVVLVS VENIAT AD ME. ET Vers. 4.
INSIPIENTIBVS LOCVTA EST: VENITE, COME- Vers. 5.
DITE PANEM MEVM, ET BIBITE VINVM QVOD MISCVI VOBIS] Pro *paruulus* hebr. eſt פתי *peti*, id eſt paruulus, cui facile quiduis perſuadetur; Septuag. Chald. & Syrus. *inſipiens*; S. Cyprian. li. 2. Teſtimon. contra Iud. nu. 2. *inſciens*; alij; *ſimplex*, de quo plura ca. 1. 4. Pro *inſipientibus* hebr. eſt חסר לב *thaſar leb*, id eſt ei, qui deficit corde putà inopi cordis, & cui deeſt cor; Septuag. *egenti ſenſus* Chald. *indigentibus intellectu*; alij, *carenti mente*. Idem ergo eſt *paruulus* quod *inſipiens*, putà homo, qui ſenſu & carne tantùm ducitur: poſterior enim pars de more explicat priorem S. Greg. tamen ſymbolicè per paruulum accipit humilem: humilis enim capax eſt ſapientię: *Qui enim*, inquit, *necdum ſemetipſum deſpicit, humilem Dei ſapientiam non apprehendit, iuxta illud Chriſti: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*, Matth. 11.

Sunt hęc verba ſapientiæ inuitantis ad ſe ſuaſq; epulas. Vnde ſubauditur τὸ *dicens*, quod proinde ſupplent Septuag. hoc modo, *Dicens, Si quis paruulus, veniat ad me.* Per panem & vinū accipit agapen, ſiue conuiuium ſacrum ex victimis Deo immolatis,

molatis, quòd ſacris lectionibus & ſermonibus A condiebatur, vt dixi v. 2. Sub quo allegoricè intellige epulum Euchariſtiæ, quod comedendum eſt ore & ſtomacho tum corporali, tum ſpiritali, puta attenta meditatione, oratione, deſiderio, amore, humilitate, animique vnione cum Chriſto ſumendum & ruminandum. Omnes ergo ad S. Synaxim hic inuitat ſapientia, id eſt Chriſtus, vti hiſce verbis Eccleſia omnes ad illud euocat in Feſto Ven. Sacramenti; & S. Gaudentius in ſerm. 19. ad Neophytos: *Contendite*, inquit, *pulli generoſi ad ſacram offam, in qua eſt vita, & ex cæleſti illo cibo mica non cadat.* Nam, vt ait S. Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 2. *Bonæ aquilæ circa altare: vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare eſt, & corpus Christi eſt in altari: aquilæ vos eſtis.* Atque Zacharias cap. 9. v. 17. *Quid enim*, inquit, *bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Vbi multa de fructu ſanctæ communionis dixi, æquè B ac Exodi 16. v. 35. Vbi fusè egi de manna, quod erat panis cæli, & panis angelorum, omne delectamentum in ſe habens, omnemque ſaporis ſuauitatem: quo ſolo paſti Hebræi in deſerto ſani vegetique ad continuam peregrinationem, ac robuſti ad bella contra Amalec, Og, & Baſan conficienda euaſerunt. Atque idcirco manna expreſſus erat typus Euchariſtiæ, qui eſt panis cæleſtis ſanitatem, delicias & immortalitatem tam animæ quàm corpori conferens, iuxta illud Chriſti: *Hic eſt panis de cælo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur, &c. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, Ioan. 6. 51.

• Ex hoc loco paruulos eſſe docendos & formandos ad virtutem, docet Ioannes Gerſon part. 2. tract. de Paruulis trahendis ad Chriſtum, vbi laboris C huius fructum & meritum exaggerat, ac ſeipſum in exemplum proponit. Ipſe enim cùm eſſet Cancellarius Pariſienſis; & ſummis academiæ negotijs diſtrictus, pueris tamen erudiendis, eorumque confeſſionibus audiendis aſſiduè vacabat, ſecutus exemplum Chriſti, qui ait: *Sinite paruulos venire ad me, talium enim eſt regnum cælorum.* Matth. 19. 14. ideoque & paruulos iudicio maturos illicò ad S. Synaxim hortabatur.

Vers. 6. Relinqvite infantiam, et vivite, et ambvlate per vias prvdentiæ] q. d. Relinquite pueriles & infantiles nugas, errores, deſideria, concupiſcentias, *& viuite*, id eſt, & ſic viuetis vitam humanam & rationalem, ſequentes ductum rationis & honeſtatis, cùm antea more puerorum vixeritis vitam animalem, qualem agunt beſtiæ rationis expertes, quæ ſola phantaſia & ſenſu aguntur: *& ambulate*, id eſt ſic relinquendo in- D fantiam ambulabitis *per vias prudentiæ*, vel *&*, id eſt idcirco, *ambulate per vias prudentiæ*. Si enim per vias prudentiæ ambuletis, vtique relinquetis infantiam & imprudentiam, ac vitam homine dignam capeſſetis, quæ vos ducet ad vitam beatam & æternam. Vnde Chald. vertit, *amandate à vobis inſipientes vecordiam* (Syrus, *ſtultitiam*) *ſiue indigentiam intellectus veſtri, & viuite*; Septuag. Complut. *relinquite inſipientiam, & viuetis; & quærite prudentiam, vt viuatis*; Romani verò, *relinquite ſtultitiam, vt in ſæculum regnetis, & quærite prudentiam.*

Pro *ambulate per vias prudentiæ*, hebr. eſt, *dirigite in via intelligentiæ*, vel *rectâ facite viam prudentiæ*, hoc eſt, per viam rectam prudentiæ incedite, ac iuxta eius dictamen opera veſtra dirigite. Vnde Aquila & Symmach. *rectè ite in via intelligentiæ*; Septuag. *corrigite ſcientiam & intelligentiam*; S. Cyprian. lib. 2. Teſtim. 2. legit, *corrigite ſcientiam & intelligentiam*; Syrus, *vias rectas cogitate.*

Qvi ervdit derisorem, ipse inivriam sibi facit: et qvi argvit impivm, sibi macvlam generat] Syrus, *qui corripit flagitioſum, capiet ſibi ignominiam.* Dat cauſam, cur paruulos & ſimplices, qui facilè monenti cedunt & credunt, aduocarit, non verſutos, puta deriſores & impios, in ſua impietate obſtinatos (hos enim opponit paruulis & inſipientibus) quia ſcilicet deriſor, vtpote ſuperbus & tumidus, deridet monita & monitores. ita Beda, Caietan. Ianſen. & alij. Quare qui eum monet, *iniuriam ſibi facit* (Heb. & Septuag. *accipit ignominiam*) Primò, quia exponit ſe ſuaque riſui & ludibrio deriſoris. Vers. 7.

Secundò, quia imprudentiæ notam ſibi acceſſit, quòd ſine fructu, imò cum damno, deriſorem corripiat. Facit enim contra illud Sapientis Eccli. 32. 6. *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* Et contra illud Chriſti Matth. 7. 6. *Nolite ſanctum dare canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis.* Vbi Nota Primò, per *ſanctum* & *margaritas* ſignificari doctrinam Euangelij & veritatis, per *canes & porcos*, peruerſos & obſtinatos, idque propter immunditiam & rebellem oblatrationem. Vetat incorrigibiles ergo docere & corripere, quia, ait, illi velut porci ſermones ſuis appetitibus & immunditijs contrarios contemnunt & calcant, deinde vero acuuntur in ſermonis auctorem, eumque vel verbis vel verberibus lacerāt. Nota Secundò, hoc intelligendum per ſe: nam per accidens Chriſtus, S. Stephanus, Paulus & alij peruerſiſſimis Iudæis prædicarunt, eorumque incredulitatem acriter corripuerunt, tum vt publicum perhiberent teſtimonium veritati & gloriæ Dei, tū ad conteſtationem inexcuſabilis impietatis improborum, tum propter aliorum aſtantium vtilitatem, & vitandum ſcandalum. Tunc enim ſancta non dantur porcis, ſed potiùs Deo & electis eius.

Tertiò, quia cauſa vel occaſio eſt, vt deriſor grauiùs peccet, dum peccatum ſuum tueri ſatagit, in eoque ſe obfirmat, ac monenti detrahit, obmurmurat, eumque deridet. Vnde Plutarch. *Pertinacem*, inquit, *in delicto monere perinde eſt, ac ſpeculum cæco obijcere*, qui putans ſe ſuamque cæcitatem rideri, obijcienti indignatur, in eumque ſæuit & furit.

Quartò, quia irritat deriſorem, vt reddat talionem, vt ſcil. eadem vel ſimilia vitia in corripientem retorqueat, & petulanti linguâ probra in eum reciprocet, vt ita ſua tegat vel propugnet. Vnde S. Greg. li. 8. Moral. c. 24. *Scirpus in flore*, inquit, *eſt hypocrita in laude. In flore ſuo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita poſitus, ne hunc quiſquam corripere audiat, aſperitate ſuâ protinus vitam corripientis ſecat. Sanctus namque eſſe non appetit, ſed vocari: & cùm fortaſſe corripitur, quaſi in opinionis gloria detruncatur. Deprehenſum ſe in prauitate iraſcitur, loqui ſibi redarguentem prohibet, quia quaſi in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æſtimari, & paratior eſt mori quàm corripi.*

Ex dictis liquet perperam Aben Ezra, pro *deriſorem* vertere in nominatiuo *deriſor.* Deriſor, inquit, qui arguit alium, ipſe ſibi ignominiam acceſſit. Quando enim, qui alium arguit, deridet, oſtentatque riſum & cachinnum; tunc ſibi conflat decus,

decus. Correptio enim facienda eſt graui maturoque vultu, non irriſorio. Perperam inquam: nam omnes alij vertunt, *deriſorem* in accuſatiuo æquè ac *impium*, de quo ſequitur.

Ibidem de cauſis, *qui arguit impium, ſibi maculam generat*, præſertim, quia impius in impietate obſtinatus inſuper conatur alios, ipſumque arguentem ad ſuam impietatem pertrahere, eiuſque culpâ, vel ſuſpicione maculare. Hebr. eſt, *& qui increpat impium, macula eius*, ſcilicet ſibi attrahit, vel adauget & multiplicat; Chald. *& correptio impij macula eſt ipſi*, tum impio, tum corripienti; Septuag. *arguens impium, maculauit ſeipſum.* Nonnulli codices addunt: *Correptiones enim impij liuores ſibi.* q.d. Si corripias impium, quot verba, tot liuores & dolores liuidos viuidoſque ei infligis, qui proinde liuorem indignationis, maledicentiæ & vindictæ ſtillare non ceſſant, vt monentem vel verbo, vel verbere reuerberet, illique dolores & liuores pariles tum in corpore, tum in animo viciſſim impingat.

VERS. 8. NOLI ARGVERE DERISOREM (Septuag. *malos*; Syrus, *ſceleſtum*) NE ODERIT TE. ARGVE SAPIENTEM, ET DILIGET TE] Eſt antitheſis correptionis deriſoris & ſapientis: quòd illa creet odium, hæc dilectionem, ideoque hæc ſit amplectenda, illa omittenda: vtpote quæ tam corripienti quàm correpto, quem ad odium, aliaque peccata excitat, & quaſi irritat, eſt damnoſa. Per *ſapientem* intellige ſapientiæ, id eſt virtutis, ſtudioſum; vel etiam in ſapientia & virtute perfectum: nam perfectio huius vitæ mixta eſt cum imperfectione: nemo enim tam perfectus eſt, qui non habeat nonnulla vitia, quæ corrigat. Vnde S. Greg. loco iam citato: *Redargutione*, inquit, *deterior redditur, quia quaſi diræ percuſſionis æſtimat iaculum puritatis verbum. Vnde exaſperatus protinus in contumelias ſurgit, & quæ mala exaggeret, contra vitam correptoris inquirit. Demonſtrare longè incomparabiliter reum reprehenſorem ſuum deſiderat, vt innocentem ſe non ſuis actibus, ſed alienis criminibus, oſtendat: ita vt ſæpè homo redargutionis aliquid ſe dixiſſe pœniteat, & quaſi à carpentis manu, ſic à corripientis animo quidam, vt ita dixerim, ſanguis mœroris currat. Vnde bene per Salomonem dicitur: Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Neque enim iuſto timendum eſt ne deriſor, cùm corripitur, contumelias inferat, ſed ne tractus ad odium peior fiat.*

Sapientes verò & ſancti diligunt corripientes & correptionem, quia per hanc diriguntur ad morum emendationem & vitę perfectionem. Sapiens ergo diligit correctionem, quia diligit veritatem & virtutem, virtus enim eſt veritas. Quid enim aliud ſunt dictamina virtutum, niſi lumina veritatis? Impij verò amant vitium, ideoq; mendacium. Quid enim eſt vitium niſi mendacium practicum, quo malum pro bono appetitur & laudatur? in illo ergo verum eſt illud Comici: *Obſequium amicos, veritas odium parit:* ideoque correctionis medicina ei vertitur in venenum. Igitur ſicut ſol ceram liquefacit, lutum indurat; ſic correctio & veritas à ſapiente blandè, à ſtulto & impio durè accipitur; ac in illo amorem, in hoc odium parit. Audi Pacianum Parænesi ad pœnitentiam: *Vt canum ſolet tunc maximè fœtere, cùm moues; & incendium tunc maximè ardere, ſi vertas; & rabies tunc maximè ſæuire, ſi prouoces: ita illi obiurgationis neceſſariæ ſtimulos contrario calce fregerunt, non ſine ſuo quidem malo & vulnere repugnantes. Nam à Domino dictum: Argue ſtultum, & odio te habebit.* Rurſum, ſicut vinum melli infuſum melleſcit, felli verò mixtum felleſcit: & ſicut aqua infuſa vino vineſcit, aceto verò mixta aceſcit, imò illa in vinum, hæc in acetum tranſit. Inſuper ſicut terra lapidoſa & lenticoſa omnem humorem & pluuiam in lapides, ſentes & vepres commutat; terra verò mollis & pinguis pluuiam in herbas & flores transfert. Denique ſicut ſtomachus bonus cibum in bonum ſuccum & ſanguinem conuertit, ſtomachus verò biliosus cibum in bilem vertit, nō vitio cibi, qui bonus & ſuauis eſt, ſed vitio ſtomachi, qui auarus & bilioſus eſt: ſic pariter ſapiens correptionem in amorem, impius eamdem in bilem & odium traducit, non vitio correptionis, quę bona eſt; ſed vitio impij, qui cor habet ſuperbia & ita infectum.

Moraliter hic Nota, correptionem ſapienti eſſe amandam & ambiendam, ſicut amatur ſal, licet ſalſum, ad condiendas carnes: & pilulę, licet amaræ, ad expurgandos malos humores: & lixiuium, licet acre & mordax, ad detergendum ſordes capitis: vt pari modo per correptionem anima ſuo nitori reſtituatur, imò ad illuſtrem ſanctimoniam & perfectionem aſſurgat. Quocirca parentes liberorum, magiſtri diſcipulorum, Superiores ſubditorum, Prælati Religioſorum amantes, crebrò eos monere & corrigere ſolent, vt ita næuos omnes deponant, ac obedientiæ & humilitati aſſuefacti, magnis continuæ mortificationis paſſibus ad perfectionem contendant. Iuſtis ergo necdum perfectis dicitur tamquam ſtudioſis ſapientiæ diſcipulis: *Audite filij diſciplinam patris, & attendite, vt ſciatis prudentiam:* iuſtis verò perfectis tamquam magiſtris illud etiam Salomonis iniungitur: *Argue ſapientem, & diliget te: da ſapienti*, id eſt diſcipulo, ſapientiæ *occaſionem, & addetur ei ſapientia. Doce iuſtum, & feſtinabit accipere.* Ad hos namque omnes pertinet imperfectiones arguere, occaſionem proficiendi dare, & veram virtutem docere, non tam ſermones quàm opere, & puriſſimę ſanctitatis actione.

DA SAPIENTI OCCASIONEM, ET ADDETVR EI SAPIENTIA (Hebr. *& ſapiens erit amplius*,) DOCE IVSTVM, ET FESTINABIT ACCIPERE] ſcilicet doctrinam, quam doces. *Occaſionem*, ſapientiæ ſcilicet & diſcendi. Vnde Chald. *doce ſapientem, & ſapientior erit adhuc: oſtende iuſto, & addet ſcientiam.* hebr. tantùm eſt, *da ſapienti*. ſcilicet *doctrinam & conſilium*, inquit Caietan.

Significatur hac parœmiâ ſapienti porrigendam eſſe occaſionem ſapientiæ & virtutis, eò quòd ſapiens illius auidus occaſionem ſibi datam ilicò arripiat, vt, quod optat & quærit, in ſapientia proficiat: nam in omnibus ſui profectum veſtigat. Vnde hęc ſentētia varijs aptari, & variè explicari poteſt. VERS. 9.

Primò, vt per *occaſionem* cum Caietano accipiamus doctrinam & conſilium. q.d. Da ſapienti ſanam doctrinam & conſilium; nam ipſe ilicò illud amplectetur & exequetur; itaque fiet ſapientior, &, vt ita dicam, virtuoſior. Vnde explicans ſubdit: *Doce iuſtum & feſtinabit accipere.* Poſterior enim pars rhythmi explicat priorem.

Secundò, per *occaſionem* accipias correptionem, de qua ſermo præceſſit: correptio enim ſapienti eſt occaſio proficiendi, ſuoſque defectus corrigendi. Vnde S. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium, ex hoc loco docet, Donatiſtas, alioſque hæreticos in hæreſi ſordeſcentes non tantùm verbo Dei inſtruendos, ſed & vi pœniſque cogendos eſſe ad orthodoxam

doxam fidem, eò quòd pœnę ſint illis occaſio ſapiendi, idque probat experientia multorum, qui pœnis reducti ſunt ad ſanam fidem. Vnde concludit, *His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges ſeruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus, ſed Deo gratias qui nobis occaſionem præbuit iam faciendi, & dilationum morulas amputauit.*

Tertiò, ſignificat ſapienti dumtaxat ſuggerendam eſſe occaſionem proficiendi: ex illa enim ille vlteriùs ſe prouehet. Vnde illud, *Sapiens nutu, ſtultus fuſte monendus eſt*, ita S. Antonius epiſt. 2. ad Fratres Arſenoitas, *Erant*, inquit, *& alia multa, quæ velim docere, ſed ſi dedero occaſionem ſapienti, ſapientior erit.* q. d. Multa ſcripturiebam, ſed ex paucis quæ ſcripſi, cetera colligetis. Sapiens enim ex dictis non dicta, ac ſtulto expreſsè dicenda, per ſe rimatur & colligit. Vel ſi *dedero occaſionem*, id eſt ſpatium & tempus cogitandi diſcendique. Vnde

Quartò, Syrus per *occaſionem* accipit tempus opportunum, q.d. Noli tempore importuno, ſed opportuno docere, corrigere, exhortari & ſtimulare ſapientem ad meliora. Sapiens enim ſi importuno tempore moueatur, v. g. cùm eſt alijs occupatus, cùm mœſtitiâ deprimitur, cùm mente obnubilatur, ex monitione affligetur vel exacerbabitur: ſin opportuno, cùm v. g. ſerenus eſt, docilis, hilaris, optimè accipiet monitionem. Sic ergo Syrus vertit, *da tempus ſapienti, vt iterum ſapientiâ imbuatur.* Senſim enim diſcitur ſapientia & virtus, atque qui hodie infirmi & inualidi ſunt ad opus aliquod heroicum, cras vel perendie robuſtiores facti ad illud fortes erunt & validi. Infirmis ergo æquè ac pueris danda ſunt temporis ſpatia, quibus ſe ſuamque infirmitatem ſuperent & vincant. Sic Chriſtus ad tempus Apoſtolorum vitia & infirmitates tolerauit, allegans inter cetera, *vtres vetuſtos nouum vinum facilè ferre non poſſe*, Matth. 9. 17.

Quintò, ſignificat Sapiens parentes, magiſtros & Superiores debere ſubinde filijs, diſcipulis & ſubditis dare occaſionem proficiendi in ſapientia & virtute, eius exercendę occaſiones ſuggerendo & obijciendo. Sic magiſtri obſcuras quęſtiones diſcipulis proponunt, vt earum ſolutionem inueſtigent, ſicque ingenium acuat. Sic B. Aloyſius Gonzaga agens cum Patribus & doctoribus, vt ſermonem de rebus ſpiritualibus induceret, proponebat eis quęſtiones de virtutum & vitiorum actibus, de ſenſu certarum ſententiarum S. Scripturę, de officijs Religioſi, &c. quaſi cupiens ab eis edoceri. Sic ſenex ille in Vitis Patr. dicebat Superiores debere nouitijs & ſubditis opportunè ſuggerere occaſiones exercendæ nunc patientiæ, nunc humilitatis, nunc obedientię, nunc reſignationis, nunc charitatis, &c. ideoque verbis acrioribus ſubinde eos pungere, ſtimulare & mortificare: atque eum, qui id facere negligat eſſe in ſuos crudelem, & panem filijs debitum ſubtrahere: ſicut enim pane alitur corpus, ſic occaſionibus & ſtimulis alitur virtus, & acuitur ſpiritus. Hac de cauſa Deus quaſi peritus magiſter nobis obijcit nunc tribulationes, vt diſcamus patientiam; nunc contemptus, vt diſcamus humilitatem; nunc afflictos & pauperes, vt diſcamus beneficentiam, &c. iuxta illud Apoſtoli: *Creati in operibus bonis* (id eſt, ad opera bona) *quæ præparauit Deus vt in ijs ambulemus*, Epheſ. 2. 10.

Deniq; ſignificat ſapientem occaſiones diſcendi non perdere, ſed ex omnibus profectum capere,

A ac iuſtum, ſi anſam ampliùs ſe iuſtificandi nactus ſit, eam non omittere, ſed inſtar aucupis aues haſce cæleſtes aucupari & capere. Occaſio enim inſtar auis prætervolat, ni ſtatim vt ſe offert, prehendatur: iuxta illud,

Fronte capillata eſt, à tergo occaſio calua.

vt cùm pertranſijt, prehendi nequeat. E contrario, inſipientes & impij infinitas bene agendi occaſiones pręterire ſinunt, quas ſeriò ſed ſerò quęrent, ac occaſiones malè agendi obuijs manibus amplectuntur: vnde in æternum eos pœnitebit, iuxta illud Sapien. 5. 6. *Errauimus à via veritatis, &c. laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, &c. & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.*

PRINCIPIVM SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI: ET SCIENTIA SANCTORVM (Syrus *iuſtorum*) PRV- Vers. 10.
B DENTIA] Quod Sapiens ſapientiæ ſtatuit principium c. 1. v. 7. idem ſtatuit hic ipſa ſapientia, ſcilicet timorem Dei: in hoc enim ſapientiæ huius, imò ſumma conſiſtit. Pro *principium* hoc loco hebr. eſt תחלת *techillat*, quod non niſi principium ſignificat, cùm cap. 1. 7. ſit ראשית *reſit*, quod etiam primas, primitias & principatum ſignificat, vt ibidem dixi. Probat principium ſapientiæ eſſe timorem Domini ex eo, quòd ſcientia ſanctorum ſit prudentia: prudentia enim idem eſt quod ſapientia; cum ergo hęc ſit ſcientia ſanctorum, id eſt eorum, quæ ſancta, honeſta & pia ſunt, quæque ſui ſtudioſos faciunt ſanctos: ſequitur eamdem eſſe timorem Dei, quia hic in ſe ſanctus eſt, & ſui ſtudioſos facit ſanctos. Significatur ergo, inquit Ianſenius, de ea ſapientia hic eſſe ſermonem, quæ incipit in nobis eſſe & creſcere ex concepto Dei timore;
C ſicque paruulos & inſipientes poſſe ad ſapientiam peruenire, ſi Dei timorem concipiant: quem quia omnino abiecerunt impij & deriſores, ob id ſapientiam non poſſe percipere. Ad indicandam expreſſiùs differentiam inter hanc ſapientiam & eam, à qua iuxta mundum quidam dicuntur ſapientes, ſubditur; *Et ſcientia ſanctorum prudentia*: hoc eſt ſcientia & cognitio rerum ſanctarum, quales ſcilicet Scriptura docet, & ſapientia quam habent ſancti homines, illa ſola eſt vera prudentia vel intelligentia. Poteſt enim *τὸ ſanctorum* exponi, vt vel ad res, vel ad homines referatur; & poteſt in Hebræo repeti in ſecundo membro *principium*, vt ſic vertatur, *& ſcientia ſanctorum eſt principium prudentię.* Vnde L. Salomon: *Radix prudentiæ eſt ſcientia ſanctorum*, ſeu ſacrorum, putà Dei & angelorum, ait Aben Ezra; ac cæli & beatarum mentium, ait R.
D Leui. Aut vice verſa cum Vatablo vertas, *principium ſcientiæ eſt ſanctorum intelligentia*, quę vtique non eſt alia quàm timor Domini. Omnis enim prudentia, & intelligentia, & ſapientia ſanctorum, id eſt rerum ſanctarum, quamque habent homines ſancti, cõſiſtit in timore, id eſt cultu, reuerentia, obedientia & amore Dei. Vnde alius vertit, *ſummum in prudentia eſt, noſſe diuina*; Septuag. vertunt, *conſilium ſanctorum intelligentia*; adduntque explicationis gratia: *Cognoſcere enim legem mentis eſt bonæ.* q. d. Vera intelligentia & ſapientia eſt conſulere ea, quę ſancta ſunt, ipſoſque Sanctos ſancta operantes: quia hi cùm ſint mentis bonæ, cognoſcunt non ſpeculatiuè tantùm, ſed & practicè, Dei timorē & cultum ſitum eſſe in obſeruatione legis diuinę: illam enim opere explent, ideoque habent timorem Dei

Dei, ac conſequenter veram ſapientiam & prudentiam, quę in Dei timore & ſanctitate conſiſtit. Idem ergo in re, vel quaſi idem, ſunt timor Dei, ſcientia ſanctorum, ſapientia, prudentia, intelligentia, ſanctitas, ſcientia & cognitio practica, id eſt cuſtodia legis diuinæ. Timor enim Dei ſtimulat cogitque hominem, vt cuſtodiat Dei legem, imò plenè timere Deum eſt cuſtodire Dei legem, quod eſt eſſe ſanctum. Hic ergo eſt Sorites, qui in orbem circulumque vadit: vbi eſt ſapientia, ibi eſt timor Dei: vbi eſt timor Dei, ibi eſt ſcientia ſanctorum & ſanctitas: vbi eſt ſanctitas, ibi eſt prudentia: vbi eſt prudentia, ibi eſt cognitio, id eſt obſeruatio legis diuinæ. Ergo à primo ad vltimũ, vbi eſt ſapientia, ibi eſt obſeruatio legis diuinę, in eaque omnis ſapientia conſiſtit, iuxta illud Eccleſ. 12. 13. *Finem loquendi pariter omnes audiunt. Deum time & mandata eius obſerua; hoc eſt enim omnis homo.* Prudentia ergo eſt virtutum princeps, regina, oculus & lux, quæ, vt ait Iamblicus epiſt. ad Amphalum, *ſingulorum vitam ad exemplar diuinum referens, quã poteſt optimã ſimilitudine depingit, ideoq; ſui poſſeſſores Deo ſimiles facit.*

Apologus prudentia. Porrò S. Chryſoſt. in Catena Græc. *Nihil aliud ferè*, inquit, *eſt ſanctorum conſilium, quàm prudens & ſagax de rebus, quæ in praxim veniunt, iudicium. Sed & nihil quoque æquè ſtudent & deſiderant iidem illi prudẽtes & ſancti, atque diuinam cognoſcere voluntatem*, practicè ſcilicet, id eſt cognitam exequi. *Nam Spiritus ſanctus eſt vita animæ.* huc uſque S. Chryſoſt.

Ratio à priori. Huius gnomes appoſitus extat apologus apud Cyrillum li. 1. Apolog. moral. c. 3. cuius titulus eſt: *Prudentia vera eſt quæ ſimplicitatis innocentia decoratur*, Animalia, inquit, inter ſe quæſierunt quodnam ex ipſis eſſet prudentius, ac volatilia propoſuerunt coruum, terreſtria vulpem, acceſſit ſimia dixitque, tam coruum, quàm vulpem eſſe aſtutos ac doloſos, at non prudentes; idque hac ratione euicit: *Aſtutia nocendi, coniuncta eſt cum ignorantia virtuosè agendi: prudentia autem vera, eſt ars præclariſſima rectè viuendi, cum ſimplicitate, neſcia quemquam lædendi. Quę itaque minùs prouida ſunt, arte quidem armata, calliditate & ſtimulis nocendi malitioſiora fore dicam, ſed non prudentia. Nam is tantùm prudens eſt, qui ratione recta in omnibus gubernatur. Verùm recta ratio naturę rationalis illa eſt, quæ ſuum finem vt optimum intendit, & omne quod impedit ad hunc finem conſequendum, effugit; & cuncta quæ expediunt ad illum finem, agit & quærit; & in his omnibus quouſque ad illum finem perueniat, firmâ conſtantiâ permanet. Finis autem naturæ rationalis eſt, ſine omni malo, gaudere omni vero bono, & cum perpetuitate ſecuritatis, & ſecuritate veritatis lætari. Ad hunc capeſſendum cuncta impeditiua ſunt vitia, & omnes virtutes opportunæ. Quo definito, vnuſquiſque ſociorum ſeceſſit in ſua.*

VERS. 11. PER ME ENIM MVLTIPLICABVNTVR DIES TVI, ET ADDENTVR TIBI ANNI VITÆ] Septuag. *hoc enim modo multo viues tempore, & adiicientur tibi anni vitæ.* τὸ *enim* dat cauſam non tantùm verſus præcedentis, ſed & v. 5. & ſequentium, putà dat cauſam totius orationis, & inuitationis ſapientiæ. q. d. Inuitaui, & aſſiduè omnes ad me, putà ad ſapientiam, & ad timorem Dei, inuito; tunc venientibus magna promitto præmia. Ego enim ſum, quæ mei ſtudioſis porrigo vitam ſanam & felicem per multos annos in hoc ſęculo, & per omnem æternitatem in futuro. Vide dicta cap 3. 8.

VERS. 12. SI SAPIENS FVERIS, TIBIMETIPSI ERIS: SI AVTEM ILLVSOR (Syrus, *improbus*) SOLVS PORTABIS MALVM] Eſt hic alter ſtimulus, quo ſapientia pungit omnes ad ſui ſequelam. q. d. Si ô fili meis ſapientibus monitis parueris & ſapienter vitam inſtitueris, tibimetipſi, id eſt ad tuum, non ad meum vel alterius, commodum & pręmium id feceris; ſi autem ea ſpreueris & deriſeris, tu ſolus pœnam lues. q.d. Tibi, non mihi, ſeritur & metitur, ne putes mea me lucra ſpectare, meque ad meum honorem diſcipulos aucupari: ego nec diſcipulis nec honore indigeo, ſat mihi docta, ſat honorata ſum: tuam vtilitatem, tuum honorem quæro: tibi conſulo, & vt tute tibi ipſi conſulas, ſuadeo: ſi enim mihi parueris, vt ſapias tibi ipſi, gloriam, vitam & felicitatem promereberis; ſin me deluſeris, teipſum deludes, tibique mortem & gehennam acceſſes, *Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.* Galat. 6. 5. Septuag. addunt, *Tibi & proximus*; Syrus, *ſibi & amicis tuis*. *Si*, inquiunt, *ſapiens fueris, tibi eris & proximis; ſi autem malus euaſeris, ſolus vtique hauries* (grecè ἀντλήσεις. q.d. Exantlabis magno labore, dolore & angore) *mala*; Symmach. *ſi autem peſtilens fueris portabis mala*; Septuag. ſecutus S. Ambroſ. in pſal. 35. v. 1. hoc diſcrimen inter iuſtum & iniuſtum conſtituit, quòd hic inutilis mundo ſit, ille vtilis, & proficuus. *Iniuſtus*, inquit, *& alijs inutilis, & ſibi noxius: iuſti autem vita fructuoſa alijs, ſibi dulcis. Dicit enim Salomon: Fili ſi ſapiens eris, tibi ſapiens eris & proximis: ſi autem malus euaſeris, ſolus hauries mala. Aduertimus ergo, quia iuſtitia alijs potiùs eſt nata, quàm ſibi: communię commodum, non ſuum ſpectat, & alienum bonum pro ſuo ducit emolumento. Beata eſt præclara iuſtitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex vno plerumque proficiſcitur, atque ad omnes prouenit.*

Quocirca idem S. Ambroſ. in pſal. 118. octon. 10 ad illa: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*, docet iuſtum ſolo aſpectu alijs prodeſſe, ſuamque afflare iuſtitiam. *Prophetas*, inquit, *totum orbem replendum eſſe timore diuino, & ideo quaſi timentes Deum Sanctorum dicit cognitione lætari. Qui enim videt iuſtum & gaudet, etiam ipſe vult eſſe iuſtus. Pulchrum eſt enim, vt eo in alijs delectetur, quod vult ipſe in ſe ſeruare, ſi poſſit. Eſt enim inſitum bonis, vt caſtum pudicus, prudentem ſapiens affectu pio diligat, miſericors liberalem, & virtutes ſuas in alijs amet. Pleriſque enim iuſti aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribus verò lætitia eſt. Quàm pulchrum ergo, vt videaris & proſis? Bonum ergo vir iuſtus.* Probat id exemplo auis, quæ vocatur icterus, quòd ictero, id eſt morbo regio, laborantes ſanet: de qua Plinius li. 30. c. 11. *Auis icterus*, inquit, *vocatur à colore, quæ, ſi ſpectetur, ſanari id malum tradunt.* Ad quæ verba alludens S. Ambr. *Nam ſi eſt tanta vis*, inquit, *in naturalibus, vt animal viſum proſit ictericis, ita vt mortui quoq; eius animantis corpus prodeſſe dicatur, ſi fuerit demonſtratum iis qui huiuſmodi inciderint paſſionem; dubitare poſſumus, quòd iuſti ſanet aſpectus? Nonne vel ipſi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre deſiderant?* Subdit S. Ambr. contrarium euenire impijs: *Sed quemadmodum*, inquit, *iuſtus lætificat cor innocentium cùm videtur, ita & improbi iuſtorum cognitione torquẽtur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet caſtitas incontinentiam, auaritiam liberalitas, impietatem fides.*

Poſt hunc verſum nonnulli codices Græci ſubiiciunt iſta: *Filius diſciplinam nactus ſapiens erit, imprudente autem miniſtro vtetur.* Addunt Romani & S. Cyprian. in Concil. Carthagin. ac Syrus ſequentia:

dat: Qui fidens eſt in falſis, hic paſcit ventos: idem autem ipſe ſequetur aues volantes: deſeruit enim vias vineæ ſuæ, ſemitas verò agelli ſui errauit: ingreditur autem per auia loca atque arida, & terram deſtinatam in ſitim: contrahit autem manibus infructuoſa; vel, vt clarius habet Syrus, *etiam ipſe nihil congregauit.* Verùm hæc omnia non ſunt in Hebræo, nec in Latina Vulgata, nec in Græcis Complut. & pleraque habentur cap. ſeq. vnde ex eo huc tranſlata videntur.

SECVNDA PARS CAPITIS.

Producit ſchema mulieris ſtultæ, quæ iuuenes ſeducit, ſecumq; ad tartara ducit.

VERS. 13. MVLIER STVLTA ET CLAMOSA (Syrus, *deceptrix blandiendo*) PLENAQVE ILLECEBRIS, ET NIHIL OMNINO SCIENS] Sapientiæ, quaſi reginæ inuitanti omnes ad regium virtutis epulum, opponit mulierem inſipientem, quæ ad ſuas delicias cunctos pellicit: vt illius honeſtas & pulchritudo, huius inhoneſtas & turpitudo ex mutua collatione clariùs appareat, vtque inuitati huius fraudes & illecebras exitiales agnoſcant & caueant, illius verò honoratum veritatis probitatiſque epulum ſectentur & ambiant. Salomonem de more ſecutus Plato & philoſophi ſimilia narrant de Hercule. *Is enim*, vt ex iiſdem narrat S. Baſil. hom. 24. de legẽdis libris Gentilium, *cùm quadam die an ſequenda eſſet via voluptatis, an virtutis, ambigeret; aſtiterunt illi duæ feminæ, quarum conditionem ſtatim ex ipſo habitu agnouit. Altera, inquit, forma conſpicua, molliore facie, laſciuis oculis, ſermone blando, omnia fauſta faciliaq; & ad veræ ſolatia tendentia per otium pollicendo, Herculem ad ſe trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, ſqualẽti mæſtoq; ore, magnam fiduciam atque conſtantiam præ ſe ferens, nihil iucundum, nihil amænum oſtendebat, laboreſq; immenſos terra mariq; ſubeundos.* *Herculis biuium.*

Quæres, quænam eſt hæc mulier ſtulta? Reſp. eamdem eſſe, quæ deſcripta eſt cap. 7. 10. quam enim ibi depinxit ſapiens, eamdem hic depingit ipſa ſapientia, quaſi ſui æmulam, corriualem & antagoniſtam. Grammaticè ergo mulier hęc eſt meretrix: nihil enim ita contrarium ſapientiæ, quæ pudica eſt, ſpiritalis, angelica & diuina, ac meretrix & libido, quæ impudica eſt, carnalis, diabolica & tartarea. ita S. Ambroſ. lib. 1. de Cain c. 4. & S. Hieron, in Oſee cap. 13. & Clemens li. 3. Pędag. cap. 12. Beda, Ianſen. auctor Catenæ Græcor. & alij hîc.

Parabolicè verò per meretricem repræſentatur ipſa inſipientia, putà cupiditas, ſiue concupiſcentia, ac praua doctrina, pręſertim hæreſis. Vnde S. Ambroſ. cenſet, per duas haſce mulieres deſcribi virtutem & voluptatem ſibi inuicem aduerſantes, quarum quælibet omnes ad ſe inuitat. S. Auguſt. verò, S. Hier. Polychron. Euagr. & alij accipiunt hæreſin: hęc enim eſt falſa ſapientia, quę veræ ſapientiæ ex diametro opponitur. Audi Philonem (cuius verba recitat S. Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel c. 4.) lib. de Merced. meretr. non accipienda in ſacrarium, graphicè hoc Annæ & Phenennæ, vel potiùs Saræ & Oollæ, id eſt, virtutis & voluptatis, litigium & illicium depingentem. *Duas*, inquit, *noſtrûm quiſque vxores habet in ſuo contubernio, eoſq; inſenſas ſibi inuicem, & animæ domum replẽtes contentionibus zelotypis. Harum alteram diligimus, quaſi amicam blandam & familiarem, quæ voluptas dicitur; alteram odio proſequimur, vt immitem ac tetricam, & nobis minime beneuolam: hæc virtus nominatur.* Deinde antequam earum iurgia exponat, vtriuſque habitum depingit. *Illa, inquit, ad nos accedit ornatu meretricio, fracto inceſſu præ mollitie, obtutu laſciuo inneſcans animas iuuenũ, temeritatem & imprũdentiam præferẽs in oculis, elata ceruice ſupra natiuam ſtaturam aſſurgens, ridens cachinnabundaque, calamiſtrata & cincinnatula, fucata faciem, pictis ſuperciliis, recens lota, purpuriſſata, pretioſo floridoq; amicta palliolo, aureis gemmatiſque armillis ſuperba, & muricatulis munduque muliebri cetera; ſpirans vnguenta fragrantiſſima; non tam domum ſuam, quàm fora compitaq; diligens, petulans, ſuæ formæ prodiga, aſtitiæ verò auida. Et cum ea pediſſequæ domeſticæ, vafritia, iniuſtitia, nequitia, quibus ſtipata more principis ſui pertentat animum.* Hic prolixum ſubnectit ſermonem, quo voluptas in aduerſariam ſibi virtutem inuehitur, & ſuos ad ſe allicit amatores. Deinde ad virtutem ſimiliter depingendam tranſit. *Altera, inquit, in abdito ſtans, verita, ne fortè illa mariti communis animum ad ſe ſolam pertraheret, corruptum donis, vel oblatis, vel oſtentatis; néue pretioſo aſpectu emollitum deciperet: quando aſcititio cultu & magicis eum allectari demulcerique animaduertebat præſtigiis, repentè ſuperuenit, ingenua, matronalique inceſſu grauis, vultu ſerena, genuino quodam pudoris colore ſuffuſa, ſimplex moribus, vitæ integra, mente ſemper ſui ſimilis, verbis haud blanda, ſanam mentem veraciter exprimentibus, decora natiuo habitu, moderata veſtitu modica, ornata non auro, ſed longè pretioſioribus ornamentis. Comites eam ſequebantur, pietas, ſanctitas, veritas.* Hic deinde inſignem ſubtexit orationem, qua virtus cum æmula ſibi voluptate expoſtulat; & qua miſeros homines voluptatis nexibus implicatos, ad beatam ipſius virtutis euocat libertatem. *Idea voluptatis.* *Idea virtutis.*

Igitur tam meretrix, quàm concupiſcentia & hæreſis, Primò, eſt *ſtulta*, hebr. אֵשֶׁת כְּסִילוּת *eſcet keſiluth*, id eſt, *mulier ſtultitia*, q. d. Eſt ipſa ſtultitia perſonata, & habitu muliebri veſtita: tum quia meretrix libidine & auaritiâ ebria mentem & rationem perdidit, ac quaſi dementata & veſana non niſi ſordes & luxurias cogitat: tum quia meretrix ſymbolum eſt ſtultitiæ, putà cupiditatis & hæreſis quæ ipſiſſima eſt ſtultitia. Quocirca S. Iſidorus lib. 8. Orig. c. 11. *Venus*, inquit, *vocatur Cupido propter amorem. Eſt enim dæmon fornicationis. Qui ideo alatus pingitur, quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur. Puer pingitur, quia ſtultus & irrationabilis amor. Sagittam & facem tenere fingitur: Sagittam, quia amor cor vulnerat; facem, quia inflammat.* Hinc Poëtæ Venerem Vulcano nupſiſſe ferunt, vt ſignificent, amorem ardore incendi. Ruſſus eam ſtrabam pingunt, quia prauus eſt amor. *Meretrix, & myſticè, cupiditas, ac hæreſis, Primò, eſt ſtulta.*

Secunda meretricis, & concupiſcentiæ, ac hæreſis conditio eſt, quòd ſit *clamoſa*, hebr. הוֹמִיָּה *bemia*, id eſt *tumultuoſa*, vel *tumultuans*, vt vertit Origen. Vatabl. & Pagnin. *mulier ſtulta*, inquit, *tumultuatur*; Septuag. *audax*. Quàm ſint clamoſæ & tumultuoſę meretrices, liquet experiẽtia, quæ docet pleraſque lites, rixas & cædes excitari per vel propter meretrices. Idem ex eâdem liquet de cupiditate & hęreſi, quæ tot tumultus, bella & incendia noſtro hoc ſęculo excitauit in Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, totaq; Europa, vt per eam paſſim tem- *Secunda clamoſa.*

pla & monaſteria concremata, vrbes euerſas, prouincias vaſtatas, innumera hominum millia trucidata cernamus. Addit S. Ambr. lib. 1. de Cain c. 4. *Illic comeſſantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, contentus canentium, ſaltãtium ſtrepitus, ridentium cachinnus, laſciuientium plauſus, confuſa omnia.* Et cap. 5. *Illa vini ebrietas: fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viſcera, animus igneſcit, animus exuritur. Sequus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, auferſ conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, vſuq; accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis ſcelerum ſitis, niſi morte amantis extingui non poteſt.* Similes tumultus oſtendit in cupiditate auaritiæ, ſiue æris libidine. *Omnibus,* inquit, *inuida, ſibi vilis, in ſummis diuitijs inops, affectu extenuat, quod cenſu abundat. Nullus rapiendi modus, vbi nulla menſura cupiendi. Sic inflammat, ſic igne ſuo paſcit animum, vt hoc ſolo diſtet, quòd illa formarum adultera ſit, iſta terrarum. Elementa concutit, mare ſulcat, terram effodit, nec ſereno grata nec nubilo, condemnat prouentus annuos, fœtuſq; terrarum arguit.*

Tertiò plena illecebris. Tertia, quòd ſit *plena illecebris*. hebr. פְּתַיּוּת *petaiuth*: quod Primò, Caietan. & Pagnin. vertunt, *ſimplicitatis*; Marinus, *ſtoliditatis*, q.d. *Mulier ſimplex*; Vatabl. *imperita*; Marinus, *ſtolida*: פְּתִי *peti* enim eſt paruulus, ſimplex, rudis, imperitus. Secundò, Septuag. vertunt, *indiga panis*: vnde auctor Catenæ Græc. legit: *& ad fruſtuli panis inopiam redigitur*; vt *petaiuth* deriuetur à פַּת *path*, id eſt fruſtum, buccella panis. q.d. *Buccellaria*: quales ſæpè ſunt meretrices, quia omnia dilapidant, ideoq; vt ait S. Chryſoſtom. homil. 63. ad Populum ſimiles ſunt dolio perforato. Tertiò, optimè Noſter vertit, *plena illecebris*. Radix enim פָּתָה *patha* ſignificat ſuadere, illicere, decipere, ſeducere. Vnde Tigurin. vertit, *perſuaſiones habet*, q.d. Pitho eſt, ſiue Suada, vel Suadela. Pitho enim Gentilibus fuit dea ſuaſionis perſuadens quidquid volebat, de qua Horatius lib. 1. epiſt. 6.

Ac bene nummatum decorat ſuadela venuſq;.

Idea meretricis & hæreſis. Et Cicero de Claris Orator. πειθώ, inquit, *quam Græci vocant, cuius effector eſt orator, hanc Suadam appellauit Ennius: eius autem Cethegum medullam fuiſſe vult, vt quam deam in Periclis labijs ſcripſit Eupolis ſeſſitauiſſe, huius hic medullam noſtrum oratorem fuiſſe dixerit.* Talis ſuada eſt meretrix, æquè ac voluptas, de qua S. Ambroſ. lib. 1. de Cain cap. 4. *Illa*, inquit, *meretricio procax motu, infracto per delicias inceſſu, nutantibus oculis, & ludẽtibus iaculans palpebris retia, quibus pretioſas iuuenum animas capit (oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris) quemcumque viderit ſenſu indigum prætereuntem in angulo, in tranſitu domus ſuæ ſermonibus adoritur gratioſis, faciẽs iuuenum volare corda: domi inquieta, in plateis vaga, oſculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genas picta. Etenim, quia verum decorẽ naturæ habere non poteſt, adulterinis fucis affectata pulchritudini lenocinatur ſpeciem, non veritatem. Vitiorum ſuccincta comitatu, & quodam nequitiarum choro circumfuſa, dux criminum, talibus verborũ machinis murum mentis aggreditur humanæ.* Et inferiùs: *Theſauros demonſtrat, regna promittit, amores ſpõdet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, ſine pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones, vitam ſine ſollicitudine, mollem ſomnum, inexplebilem cupiditatem.*

Has illiciendi artes egregiè callebat Anna Bolena, quæ cùm eſſet meretrix, & à Gallis vocaretur Equa Anglicana, Henrico VIII. Angliæ regi eius congreſſum expetenti, aſſeruit ſe eſſe virginem, neminique ſe virginitatis florem, niſi viro ſuo dedicaturam. Colloqui, colludere, ſimul etiam cum rege ſaltare, nunquam à ſua modeſtia alienum iudicauit, tantùm à concubitu abhorrere ſe finxit. Quibus artibus ita regem ineſcauit, vt iam ei fixum eſſet repudiatâ Catharinâ, tam ſanctam virginem in vxorem ducere. Duxit, perijt, Angliamque perdidit vſque in præſentem diem. ita Sanderus lib. 1. de Schiſm. Anglic.

Quartò nihil ſciens. Quarta eſt, *nihil omnino ſciens* præter ſuos amores & libidines, ac illiciendi nummoſque emungendi artes: hiſce enim totam mentem intendit & expendit, vt nihil aliud ſcire vel cogitare poſſe videatur. Vnde Septuag. ſenſum reddentes vertunt, *quæ non nouit pudorem*, quia tota impudens eſt, vt ad impudicitiam ſuam iuuenes pelliceat. Sicut enim virginitatis & caſtitatis paranymphus eſt pudor, ſic impudicitiæ pronuba eſt impudentia. Vide S. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. Chald. vertit, *neſcit bonum*; Syrus, *neſcit vtilia*.

Sedet in foribvs domvs svæ svper sellam in excelso vrbis loco] Syrus, *ſedet ſuper thronum excelſum*: tum quia ſuperba eſt, ait Aben Ezra, tum vt ſuam pulchritudinem oſtentet, omneſque ad ſuos mores inuitet. Hic enim eſt mos meretricium: imò nonnullæ curant ſe geſtari per vrbem ſellis vndique paruulis, quaſi veneres quaſdam vt ſuam formam venditent & nundinentur, ideoque poſt ſe trahunt greges iuuenum, vti faciebat S. Pelagia primò peccatrix, deinde conuerſa à B. Nonno, pœnitens & ſancta, cuius Vita extat apud Surium die 8. Octobr. Hinc illud Ierem. 3. 3. *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Magnum ſanè illicium eſt in oculis feminarum. Quocirca S. Lucia (non celebris illa heroïna Syracuſana, ſed alia, quæ proinde quaſi patrona inuocatur ab ijs qui oculis laborant, & à nonnullis vocatur Luciſſa) ſentiens ob oculorum pulchritudinem ſe expeti à tyranno, oculos ſibi eruit, eoſq; ad tyrannum miſit, hoc dicto: *Scito nihil amplius in me ſupereſſe, quo à te mihi timeam iniuriam*; verè implens illud Euãgelij: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* ita Sabell. lib. 4. Exempl. ca. 8. Simile exemplum recenſet Iſidor. Peluſ. lib. 2. ep. 53. vide eum. Simile habet Iohannes Moſchus in Prato ſpirit. c. 60. Vers. 14.

Vt vocaret transevntes per viam, et pergentes itinere svo] Hebr. *qui dirigunt ſemitas ſuas*; Septuag. *qui recta pergunt in vijs ſuis*; Syrus & Chald. *quorum viæ rectæ ſunt.* Vers. 15.

Qvi est parvvlvs, declinet ad me. Et vecordi (Hebr. *carenti corde*) locvta est] Eadem in Hebræo ſunt verba quæ v. 4. ſapientiæ attribuit. Vnde Septuag. vertunt, *qui eſt veſtrûm inſipientiſſimus, diuertat ad me, & indigentibus ſapientiâ præcipio dicens*; Clemens Alexandr. lib. 3. Pædagogi c. 12. *quiſquis eſt veſtrum ſtultiſſimus, ad me declinet: ei autem qui eget prudentiâ, præcipit dicens.* Solent enim meretrices inſidiari viatoribus, eoſque incautos aggredi, & ad ſe pellicere. Vnde in ſemitis deſident, qua eis tranſeundum eſt, indeque *ſemitariæ* ſunt appellatæ. Porrò Septuag. vertunt, *inſipientiſſimus*; Chald. *mente captus*: quia ſumma inſipientia eſt, ſequi ſtultam & clamoſam meretricem. Vnde anonymus Rabbinus in Gloſſa magna Hebr. ſic paraphraſticè vertit, *& columba ſeducta non habenti* Vers. 16.

cor verba hæc fecit. Columbæ enim amant aquas, cumque ex eis bibunt, colla non reſupinant, teſte Plinio lib. 10. cap. 30. vti reſupinant aliæ aues, eò quòd fauces habeant arctiores, & quia timent inſidias & laqueos, quos eis iuxta aquas tendere ſolent aucupes: columbæ vero ſtolidæ pronæ bibunt, & pleno ſe proluunt ore, ideoque inſidias aucupum non circumſpicientes ijs facilè capiuntur. Tales ſunt adoleſcentes ſtolidi, qui blanditijs meretricum ſeduci ſe ſinunt, & aquis earum furtiuis, id eſt meretricijs voluptatibus, totos ſe immergunt & ſubmergunt S. Ambr. l. 1. de Cain. c. 4. hæc ita paraphraſticè exponit: *Ipſa in medio ſtans: Bibite,* inquit, *& inebriamini, vt cadat vnuſquiſque, & non reſurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditiſſimus. Ille meus eſt, qui ſuus non eſt: ille mihi gratior, qui ſibi nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea inebriãs omnem terram, à vino meo biberunt omnes gentes. Qui eſt ergo inſipientior, diuertat ad me, & indigentibus ſapientia præcipio, dicens: Panibus abſconditis ſuauiter vtimini, & aquam furti dulciorem bibite. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.*

Aqvæ fvrtivæ dvlciores svnt, et panis absconditvs (Hebr. *panis abſconditorum vel abſconſionum*) svavior] Septuag. *panes occultos libenter attingite; & aquam furti dulcem;* S. Ambr. lib. 1. de Cain c. 4. *panibus abſconditis ſuauiter vtimini, & aquam furti dulciorem bibite;* S. Hieron. in Oſee 13 *& aquæ furtiuam dulcedinem;* Pagnin. *aquæ furatæ dulciores ſunt, & panis in abſcondito comeſtus magis ſapit.* Pro *furtiuæ*, hebr. eſt גנובים *genuuim*, id eſt furto ſubductę (vnde גנב *gannab* eſt fur, & גנבה *geneba* furtum,) ideoque clandeſtinæ, ſecretæ & abſconditæ, ac proinde quæ ſecretam, nec paſſim notam, continent, aut continere putantur, ſuauitatem. Idem enim ſunt aquæ furtiuæ, quod panis abſconditus: fures enim clanculum furantur, furtumque abſcondunt.

Nota. Meretrix hæc ſtulta imitatur ſapientiam inuitando omnes, æquè ac ipſa fecit, ad ſuum conuiuium; ſed longè impar & diſpar. Sapientia enim ad vinum vocat, inquit Ianſenius, meretrix ad aquas: quia aqueum, id eſt inſipidum, exuccum & frigidum eſt, quidquid mundus aut caro oſtentat. Illa menſam ſuam bene inſtructam palàm proponit. hæc ſuam menſam occultam eſſe inſinuat, illa ad ſuum panem vocat, dicens, *Venite, comedite panem meum*; hæc ad aquas furtiuas, dicens, *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus*, hoc eſt, qui in abſcondito editur, quia ſcilicet furtiuus, *ſuauior* eſt. Videtur autem ab hac muliere deſumpta hęc ſententia ex vulgaris prouerbijs, vt vulgatum prouerbium ſuo accommodarit propoſito. Et ſic eſſe, vt prouerbium ſignificat, res ipſa docet.

Igitur *aquæ furtiuæ, & panis abſconditus* ſunt clandeſtina & furtiua ſcortationis & adulterij voluptas, quam velut cibum & menſam ſuam meretrix hæc proponit & opponit conuiuio ſapientiæ v. 5. Sicut enim famuli ex dolio aquæ aut vini, quod herus recondit, ſibique ſoli ſeruat, ardent furtim aliquid haurire, &, ſi epiſtomium deſit, terebrato dolio per fiſtulam vinum ſorbillando exugunt, qua in re miram ſentiunt delectationem, eſto vinum in ſe vulgare ſit, minuſque ſapidum. Sic pariter mœchi & ſcortatores ardent furtiuâ libidine alienæ vxoris vel meretricis, eſto illa minùs pulchra & compta ſit. Vnde noſter Salazar per *panem abſconditum*, ſiue furtiuum, accipit furfureum, qui ſit ex furfuribus, qui datur porcis & panibus, item hominibus vilibus, quales ſunt mancipia & ſcorta. Hos enim qui porcos & canes fœditate & impudenti libidine imitantur, porcinis & caninis ſiliquis cum filio prodigo, Lucæ 15. v. 16. ali par eſt. Nam furfures à furando dicti videntur, quòd eos cribrum, vel excerniculum, tranſmiſſa farina ſubtiliori in ſe retineat atque effuretur, vti & pauperes qui diuitum panes pinſunt, eoſdem ſibi non rarò ſeruant & furantur. Vnde Terentius in Eunucho aſſerit, meretrices *panem atrum* (qualis eſt furfureus) *vorare iure heſterno madefactum.*

Porrò in omnibus quidem rebus furtiuæ delectationes ſunt maiores, ſed maximè in venere. Vnde paſſim Poëtæ, qui tractant de amoribus, celebrant amorem furtiuum, id eſt clandeſtinè, & quaſi furto acceptum, & ſcortatores & lenones maximè quærunt puellas furtiuas, id eſt aliundè abductas, vel raptas, iuxta illud Plauti in Curcul. *Qui ſuas mercari furtiuas, atque ingenuas virgines.* Et in Perſa:

Adduxit ſimul
Forma expetendam mulierem
Furtiuam, adductam ex Arabia penitiſſima.

Imò ipſum adulterium vocatur *furtum*, quia eſt furtum vxoris alienę, quod vtique maius eſt, quàm furtum bouis vel equi. Vnde Tibullus:

Celari vult ſua furta Venus,

id eſt adulteria. Et Ouidius 2. Metamorph.

Hoc certè furtum coniux mea neſciet, inquit.

Et puer conceptus furto vocatur conceptus ex adulterio. Ita Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 12. *Dulcem furti aquam*, inquit, *furtiuam dicit venerem. Hinc adiutus* Bœotius Pindarus: *Dulce quid inquit, furtiua cura veneris.*

Porrò cur furtiua ſint ſuauiora furentibus, cauſa eſt, quod furtiuorum maius ſit deſiderium & concupiſcentia, idque ob multas rationes. Prima eſt, quam dat S. Hieron. in c. 13. Oſee: *Quidquid enim non licet, magis deſideratur.* Nam *nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.* Vetatio ergo acuit rei veticæ concupiſcentiam, ſicut frigus circumſtans calorem exacuit per antiperiſtaſin. *Cur furtiua ſuauiora. Cauſa. Prima.*

Secundam addit idem, quia *quod raritate dulce eſt, aſſiduitate in amaritudinem vertitur.* Obuia enim, velut quæ habemus in manibus, parui facimus: at ſecreta, recluſa & abſcondita, velut noua, rara & curioſa, ambimus. ita S. Auguſtin. cuius verba mox recitabo. Curioſa enim præ ceteris eſt venus & libido: vnde nouas ſemper quærit pellices, nouos amores, nouos libidinis modos & artes. Quocirca Plutarch. li. de Curioſitate, adulterium ait non eſſe aliud, quàm curioſitatẽ alienæ voluptatis. Libido enim, quia inſatiabilis, vna ſatiari nequit; vnde alias & alias aſſiduè quærit, vt ſe exſatiet, nec ſatiem inuenit, quia, vt dixi, inſatiabilis eſt, perinde vt hydropicus aliam & aliam appetit aquam, quia eius ſitis inſatiabilis eſt. *Secunda.*

Tertia, quia puellæ furtiuæ, v. g. bello captæ, aut vi raptæ, aut fraude abductæ, vel ſeductæ, ſępè ſunt pudicæ & virgines, quę magis à ſcortatoribus expetuntur. Hi enim meretrices velut viles & ſordidas faſtidiunt, atque virgines velut honeſtas & nobiles ambiunt. Viciſſim virgines, quia inexpertæ, putant in libidine arcanam & miram latere voluptatem, hinc acriùs eâ tentantur. Ita S. Hieron. epiſt. de vitando ſuſpecto contubernio: *Inter illecebras voluptatum,* inquit, *etiam ferreas mentes domat libido,* *Tertia.*

bido, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne, quod neſcit. Libidinoſa mens, quod non licet, dulcius ſuſpicatur.

Quarta.

Quarta, quia furtiua adipiſci difficilius eſt: difficultas autem rei cupitæ deſiderium adauget. Ita Quintil. declamat. 14. *Vt in furorem,* inquit, *charitas aliqua conualeſcat, opus eſt difficultatibus: breuis de conceſsis, & ſtatim ſatietati vicinus affectus eſt.*

Quinta.

Quinta, quia in furtiuis delectat ipſa ars fallendi & furandi, quæ ſæpè valdè ingenioſa eſt, magnamque continet ſolertiam: ideoque valdè delectat tum illa, tum quod per illam quid adipiſcitur. Vnde Poëtæ Mercurium faciunt Deum, quòd ipſe artis & fallaciarum, ac doli fraudiſque inuentor & concinnator ſit, ideoque illi dant cognomentum κλέπτης, id eſt fur quò alludens Horat. lib. 1. ode 10.

Candidum, inquit, *quidquid placuit ioco ſo*
Condere furto

Ita S. Auguſt. lib. 3. Confeſſ. 4. & ſeq. narrat ſe cum ſocijs furatum pira non ob pira, ſed ob artem & fallaciam, quæ eſt in furto. *Et ego,* inquit, *furtum facere volui, & feci, nullâ compulſus egeſtate, nec penuriâ, ſed faſtidio iuſtitiæ & ſagina iniquitatis,* &c. *non ad noſtras epulas, ſed vt fieret à nobis, quod eo liberet quo non liceret.* Et in fine cap. 6. *An libuit facere contra legem ſaltem fallacia, quia potentatu non poteram, vt mancam libertatem captiuus imitarer faciendo impunè quod non liceret, tenebroſa omnipotentiæ ſimilitudine?* Et c. 9. *Riſus erat, quaſi titillato corde quòd fallebamus eos, qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant,* &c. *cùm dicitur, Eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.* Simile exemplum monachi furantis panem, quo non indigebat, recenſet Caſſian. collat. 2. c. 11. Similia plura audiunt Confeſſarij, qui excipiunt confeſſiones furunculorum.

Denique dæmon, vt homines ad furta & furtiuas libidines pertrahat, eis perſuadet illas voluptatibus coniugij, alijſque licitis eſſe ſuauiores. Quare in eorum imaginatione pingit & fingit chimeram voluptatis illicitæ tamquam ſuauiſſimæ, vt imaginentur ſibiq; perſuadeant, nihil eſſe ſuauius meretrice, cùm à parte rei ſæpè nihil eâ ſit deformius, ſordidius, putidius. Vnde pro *ſuauior* hebr. eſt נָעֵם *inam,* id eſt *pulchreſcit,* id eſt pulcher videtur, ſuauis apparet.

Myſticè aquæ furtiuæ ſunt artes vetitæ.

Myſticè: *aquæ furtiuæ* ſunt prauæ artes & ſcientiæ, quæ clanculum docentur, vti eſt ars magica, ſortilega, diuinatoria, aſtrologia iudiciaria, ac præſertim hæreſis. Ita S. Auguſtin. tract. 97. in Ioannem: *Cauete,* inquit, *timendo & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, vbi mulier inſipiens, & audax, inops panis effecta conuocat prætereuntes dicens: Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinē. Hæc enim mulier vanitas eſt impiorum, cùm ſint inſipientiſſimi aliquid ſe ſcire opinantium, ſicut de iſta muliere dictū eſt, inops panis efficitur. Quæ cùm ſit inops panis, promittit panes, id eſt, cùm ſit ignara veritatis, promittit ſcientiā veritatis: occultos tamen panes promittit, quos tamen dicit libenter attingi, & aquæ furtiuæ dulcedinem: vt ea ſcilicet libentiùs & dulciùs audiantur & agātur, quæ palàm in Eccleſia dici crediq; prohibentur.* Cauſam ſubdit, quam paulò antè ſecundo loco aſſignaui: *Ipſa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarij doctores ſua venena curioſis, vt ideo ſe exiſtiment aliquid diſcere magnum, quia merentur habere ſecretum: & ſuauius hauriant inſipientiam, quam putant ſcientiam, cuius prohibitam quodammodo furantur audaciam. Hinc & nefarios ritus ſuis hominibus ſacrilegâ curioſitate deceptis, vel decipiendis, magicarū artium doctrina commendat. Hinc illæ illicitæ diuinationes inſpectis pecudum viſceribus occiſarum, aut vocibus & volatibus auium, aut ſignis multiformibus dæmoniorum inſuſurrant auribus hominum perituorum,* (aliàs *imperitorum*) *per colloquia perditorū. Propter hæc illicita atq; punienda ſecreta mulier illa non ſolùm inſipiens, verùm audax etiam nuncupatur. Sed hæc non ſolùm re ipſâ, verùm & à nomine noſtræ religionis aliena ſunt. Quid? quod mulier hæc inſipiens & audax, ſub Chriſtiano vocabulo tot ſceleſtas hæreſes condidit, tot nefandas fabulas finxit.*

Audi & S. Greg. 23. Moral. ca. 26. *Sunt,* inquit, *nonnullæ hæreſes, quæ apertè metuunt prædicare quod ſentiūt, & apud infirmorum mentes verba ſua tanto magis condiunt, quāto quaſi amplius reuerenter abſcondunt: miſeris enim cordibus occulta hæreticorum verba eo magis ſapiunt, quo cum reliquis communiter non habentur.* Idem cap. ſequ. 27. iſtam aquam furtiuam, & panem abſconditum præſentis vitæ delectationem vocat. Tantùm verò ſolet eſſe irritamētum in voluptate, bonoque alio huiuſmodi terreno, vbi primùm non conceditur, ſed negatur, aut ſaltem difficulter habetur, vt eo artificio ſæpiùs vtatur diabolus: quod in Pharaone paleas negante, & nihilominus Hebræos ad opera luti cogente mirabiliter expreſſum eſt. Exodi 5. dicitur: *Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres.* Vbi egregiè Procopius ita diſſerit: *In hunc modum ſollicitat diabolus eos, qui Deo operam dare ſtudent, difficilem præbet malitiā, ne eius ſatietas faſtidium pariat ſuo cultori; nitimur enim in vetitum ſemper, cupimuſque negata, & quo magis inhibemur, eo magis cupidine ardemus.* Hæc Procopius.

Sic viris Religioſis dæmon ſæpè immittit tædium continuæ obedientiæ, ac immittit deſiderium vitę ſeparatę, quà quis ſibi & Deo quaſi beatus viuat. Quod Abbati Carnotenſi contigit, qui Prælati vitam onuſque faſtidiens cogitabat Hieroſolymam, vt ibi priuatam & beatam ageret vitam. Ad quem S. Bernardus epiſt. 82. *Sed dices,* ait, *Vnde ergo mihi tantum deſiderium, ſi ex Deo non eſt? pace tuâ dixerim, quod ſentio. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & huiuſmodi (vt ita loquar) abſinthio amariorem dulcedinem ab angelo ſatanæ, ſub prætextu angeli lucis ſitienti cordi tuo infundi non dubitat, quiſquis eius aſtutias nō ignorat. Siquidem is cuius inuidiâ mors intrauit in orbem terrarū, etiam nunc bonis, quæ te facere videt, inuidet: & cum ſit mendax ab initio, mentitur, & nunc meliora pollicens, quæ non vides; falſum mel cum vero felle permiſcens, dum promittit dubia pro certis, immittit etiam vera pro falſis, non vt conferat, quod fruſtra ſperas; ſed vt auferat quod fructuosè tenes. Sed confido quòd nullis maligni verſutijs abduci vel ſeduci poteris, ſpe incerti boni certum inire malum, & æquè certum deſerere bonum.* Hæc Bern. ſparſim illa epiſtola.

Denique aquæ furtiuæ ſunt cupiditates, quæ quia fœdæ & turpes, latibula quærunt, & furtim explentur; cùm virtus, vtpote honeſta, lucem ambiat, nulliuſq; oculos vereatur. Huic præeſt Deus, qui fons eſt omnis boni; illi diabolus, qui vmbras dumtaxat boni promittit & præſtat. Vnde iure queritur Deus Ierem. 2. 13. dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

ET IGNORAVIT, QVOD IBI SINT GIGANTES, ET IN PROFVNDIS INFERNI CONVIVÆ EIVS] *Ignorauit,* non meretrix, ſed iuuenis ab ea illectus Vers. 18.

lectus. Nam hebr. eſt verbum maſculinum לא ידע lo iada, id eſt *non ſciuit*, ſcilicet paruulus, & vecors iuuenis inuitatus & ſeductus à meretrice q.d. Rudis & vecors adoleſcens neſcit in domo meretricis dominari gigantes, eiuſque conuiuas cum ipſa ad infernum deſcendere. Vnde improuidus & ſine metu gigantum ac inferni, quaſi bos ductus ad victimas ſequitur meretricem, ibique incidit in manus gigantum, à quibus ducitur ad tartara: hęc enim ſupplenda eſſe patet ex c.7.v.22. Pro *gigantes* hebr. eſt רפאים *rephaim*, Septuag. γηγενεῖς, id eſt *terrigenæ*; ſiue geniti è terra ac terræ filij. Sic enim vocati gigantes, vtpote terrenorum auidi, cæleſtium inanes. Scholiaſtes vertit θεομάχοι, id eſt *pugnantes cum Deo*; Tigur. & R. Leui, *mortui*; alij vertunt, *manes, inferi*. Per *gigantes* ſignificantur dæmones & damnati: hi enim gigantibus vti ſcelere, ita & damnatione ſunt ſimiles, ac cum Deo bella & odia æterna gerunt. Alludit ad gigantes, qui ex luxuria nati ſunt. Geneſ.6.2. Iob 26.5. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis*. Sicut enim gigantes merſi ſunt diluuio tempore Noë, & inde in tartara deturbati: ſic & dæmones ac damnati. Abyſſus enim inferni ſubiacet abyſſo aquæ. Vnde S. Script. gigantes paſſim quaſi damnatos ob inſignem ſuperbiam & impietatem, collocat in inferno, atque infernum vocat domum gigantum, Prou.2.18. & c.21.16. Sapient.14,6. Iſaię 26,14. Imò Gentiles, teſte Macrobio lib.1. Saturn.ca.20. gigantes Poëtarum aiebant ſignificare impiam gentem deos contemnentem & negantem; ideoque draconum pedes eis affinxerunt, vt repræſentarent nihil eos rectum cogitaſſe, totius vitę eorum greſſu atque proceſſu in inferna tendente. Igitur ſignificat gigantes, id eſt dęmones, dominari in domo meretricis, vt tam ipſam quàm amaſios eius ad libidinem, omneque nefas incitent. Vnde S. Chryſoſt. homil.2. in Matth. cubiculum meretricis vocat officinam diaboli. Idem in pſalm.41. *Sicut, inquit, vbi eſt cœnum, eò porci concurrunt: ita vbi ſunt meretrices, & meretricia cantica illic congregantur dæmones*. Et S. Ephrem in tract. Contra improbas mulieres: *Quid, ait, eſt meretrix? Cauſa diaboli, diaboli conſolatio, arma diaboli, triumphus tenebrarum, dux delictorum*. Aliter vertunt Septuag. *ipſe*, inquiunt, *neſciuit, quòd gigantes apud eam pereunt*; Chald. *& non nouit, quòd ibi deijciuntur gigantes*; Tigur. *& non nouit, quòd mortui illic ſunt*; Syrus, *neſcit fortes apud eam perire*. q.d. Iuuenis audax præfiſus ſuis viribus animi & corporis, nihil ſibi mali àquoquam timet in domo meretricis; ſed neſcit in eâdem deiectos periiſſe gigantes, id eſt homines viribus, ſapientiâ, imò & ſanctitate potentes & pręſtantes, vti fuere Samſones, Dauides, Salomones; quare multò magis ipſe in eadem deijcietur & peribit, tum corpore per luxum & libidinem mortem ſibi accelerando; tum animâ, obligando eam dæmoni & gehennæ. *Fortiſſimos viros libido domuit, & violentos vnius feminæ congreſſus impulit in ruinã*, ait Baſil. de S. Virgil. *Etenim via, inquit, quæ ad domum eius ducit, rectà ad infernum, mortiſq; barathrum tendit: at ille interim luxu obcæcatus, carniq; & gulo deditus, haud conſiderat non modò pygmæos, ſed gigantes quoque apud illam perire, Siquidem qui illius moribus atque conſilijs obſequuntur, prorſus terreni atque carnales efficiuntur, totiq; in carnem verſi ad ſempiternum tandem interitum abducuntur*. Clemens Alexand. lib.3. Pædag. c.12. pro *gigantes* vertit, *ſerpentes*: *Miſer autem neſcit*, inquit, *quòd ſerpentes apud ipſam habitent*; ſed per *ſerpentes* accipit gigantes: quia teſte Macrobio 1. Saturn.20. & S. Greg. Nazianz. orat.2. contra Iulianum, veteres pingebant gigantes ſupernè homines, infernè ſerpentes, ſiue cum ſpiris ſerpentum, vt ſignificarent, eos potentiam miſcuiſſe calliditati & fallaciæ, vt quod viribus non poterant, id fraudibus perficerent. Tam ergo ſerpentes quàm gigantes repræſentant dæmones: ſed ſerpentes notant eorum vafritiem & dolos, gigantes robur & ferociam: Alludit ad diabolum, qui ſpecie ſerpentis decepit Euam, & per Euam Adamum, Gen.3. Simili enim modo indies per mulieres & meretrices ſeducit & perdit maiorem hominum numerum. Hinc conſequenter per *ſerpentes* accipi poteſt ipſa meretrix, eiuſque ſociæ & lenę. Hæ enim ſerpentes halitu quaſi afflatę ſerpentinos hauſere mores, dolos & fraudes, quibus mille lenocinijs & artibus, quaſi ſpiris, ita amaſios inuoluunt & implicant, vt ſeſe expedire nequeant, iuxta illud Eccli.25. v.22. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris*, &c. Vide ibi dicta.

Gigantes ſunt dæmones & damnati.

Extat inter apologos Gabriæ vltimus de ſerpente & agricola. *Agricola*, inquit, *ſerpentem frigore penè congelatum ſinu ſuo condidit: at ſerpens calore ſinus incaleſcens agricolam momordit, & occidit*. Sic mali tractant benefactores; ſic ſcilicet meretrices tractant ſuos amaſios; nónne ergo ſerpentes ſunt? Quid igitur eſt meretrix? Reſpondet S. Ephrem tract. Contra improbas mulieres, eſt *expetita rabies, vipera veſtita*: & Anaſtaſ. Nicenus q.63. in Script. *eſt quies ſerpentis, diaboli ſolatium, officina dæmonum*. Idem dicas de cupiditate quauis: hęc enim myſtica eſt meretrix. Porrò gigantes hi, putà dæmones, à Scholiaſte vocantur θεομάχοι, id eſt pugnantes contra Deum, quia dæmones, cùm in Deum, vtpote gehennæ ignibus ſe crucianteṁ, ardeant irâ & vindictâ, nec ipſi tamen Deo nocere poſſint, ſæuiunt in homines, tanquam in viuas Dei imagines, in eoſque iras ſuas effundunt, quare ſollicitant eos ad libidines & ſcortationes, vt ijs in ſe imaginem Dei deturpent, profanent & perdant. Nam vt ait S. Ambroſ. epiſt.82. *Virginitas fons eſt, in quo maximè imago Dei lucet ac ſplendet*. Adde dęmonem ex libidine, ad alia ſcelera gradum facere, imò per illam ad hæc viam ſternere: cùm enim caſtitatem hominis expugnauit, facilè eum ad quælibet crimina, ipſamque hæreſim pertrahit. Vnde Balaam hoc conſilium impium dedit Balac regi Moab ad perdendum Moſen & Hebræos: Submitte, inquit, in caſtra Hebræorum ſpecioſas puellas Moabitides, quæ illos ad ſui amorem illiciant, nec tamen ſui copiam faciant priùs quàm Hebręi adorarint ſuum idolum Beelphegor. Et conſilio reſpondit euentus. Vide hiſtoriam Nu.25. vbi eam pertractaui. Sic hodie Luthero, Caluino, ceteriſque apoſtatis libido fuit & eſt origo cauſaque apoſtaſiæ & hæreſis.

ET IN PROFVNDIS INFERNI CONVIVÆ EIVS] Hebr. Aquila, Symmach. & Theodot. *inuitati eius*. q.d. Meretrix hęc ſuos conuiuas & amaſios interficit, mittitque ad orcum & tartara, vt ſicut hîc conuiuæ eius fuerunt in ſcelere & ardore libidinis, ita ibidem eius conuiuæ ſint in ardore gehennæ. Dicat ergo ipſa ſuis amaſijs illud Leonidæ: *Prãdete hîc mecum commilitones, apud inferos cœnaturi*. Vnde Septuag. vertunt, *& in profunditatem inferni occur-*

occurrit; S. Hieron in c. 13. Oſee, *terrigenæ apud eam pereunt, & in profundum inferni occurrunt:* auctor Catenæ Græc. πεταυρου, id eſt *profundum*, vertit quoque *rete* vel *laqueum:* meretrix enim eſt rete diaboli, & laqueus inferni: qui ergo illum effugere cupit, fugiat à meretrice, ſicut aues auolant à reti.

Quare Salonius hic: *Qui verba meretricis libenter audit*, inquit, *& oſcula eius delectabiliter ſuſcipit, quaſi ianuam pulſat inferni.* Nam, vt ait S. Greg. *Ex quo luxuria mentem alicuius occupauit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim deſideria viſcoſa; ex conſenſu oritur operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio.* Vide dicta c. 2. v. 18. & c. 5. 5. Fornicatoribus ergo inculcetur illud Iſaiæ c. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Vide ibi dicta. Porrò S. Ephrem tract. de Varijs tormentis inferni: B *Illud*, inquit, *in profundo inferni, declarat quoſdam quidem eſſe apud inferos, ſed non in profundo, ſeu ima parte inferni, qui longè mitiùs puniuntur.* Luxurioſi ergo qui in profundo inferni ſunt, ceteris damnatis grauiùs puniuntur.

Audi S. Cyrillum Alex. orat. de exitu animi, & de ſecundo aduentu tom. 4. pœnas inferni recenſentem & graphicè oculis ſubijcientem: *Væ ſontibus*, inquit, *cum ex aula nuptiarum exigentur: heu quæ tum pœnitentia, quæ afflictatio, quis angor, quæ iactatio futura eſt? Graue eſt à Sanctis ſeparari: durius à Deo ſeparari, ignominioſum eſt pedibus manibuſq; colligari, & in ignem conijci; moleſtum eſt in imas detrudi tenebras; tetrum dentibus ſtridere atque tabeſcere; odioſum nullo fine cruciari; malum linguam inflammari funeſtam, aquæ guttam petere, neque obtinere; acerbum in igne eſſe, &* C *clamare, neque ſubueniri: inſuperabiles fauces, immenſus gurges, vbi incluſus quis & detentus euadere aut aufugere nequeat: inſuperabilis cuſtodiæ murus: immites cuſtodes: tenebricoſus carcer: infracta vincula: inconuulſa catena: diri ferique flammæ illius miniſtri: graues illæ quæ ad ſupplicium adhibentur ſcutica: firmi vngues & infracti: duri nerui: turbida pix atque torrens: fœtens ſulphur: ignea illa cubicula: inextincta pyra: putidus viroſuſq; vermis: inexorabile concilium: inuictus gratia index: inexcuſabi-*

A *lis defenſio? notis compuncti magnatum vultus: exoleti optimates: mendici reges: imperiti ſapientes; fatui & reiectitij oratores: dementes diuites: non auditæ falſa ſcribentium aſſentationes: manifeſtæ malitioſorum verſutiæ: perſpicuæ fraudatorum calliditates: viroſus auarorum odor; aperta perſonarum ſimulatio: verberones, impoſtores: omnia apud illos nuda atque patefacta. Væ improbis: profani, ſcelerati, & impuri ſunt in Dei conſpectu.*

Adijciunt Septuag. Romani hanc gnomen: *Sed reſili, ne moreris in loco, neque inijcias oculum tuum ad eam: ita enim tranſibis aquam alienam.* Quod ita explicat Clemens Alex. 3. Pædag. c. 2. *Ne ad alienum fluuium accedamus, nobis ſuadet pædagogus, per alienum fluuium alienam vxorem libidini deditam* (& inſtar fluuij ſecum rapientem, & abſorbentem amaſios) *allegoricè ſignificans: vt quæ ad omnes dimanet, & per meretriciam intemperantiam omnium voluptati effundatur.* B Sicut ergo ne à torrente rapido abripiaris, procul ab eo fugis; ſic ne torrẽte libidinis abripiaris, procul fuge à meretrice. Myſticè, idem Clemens lib. 1. Strom. hiſce verbis ſignificari ait, cauendum eſſe ab hæreticorum baptiſmo.

Inſuper addunt Septuag. Rom. *Ab aqua autem aliena abſtine te, & de fonte alieno ne biberis, vt longum viuas tempus, adijciantur etiam tibi anni vitæ.* Hęc etiã legit Syrus, & Conc. Carthagin. apud S. Cyprian. vbi Nemeſianus ex ijs probare contendit, cauendum eſſe hęreticorum baptiſma, adeoq; illud eſſe inualidum & irritum, qui fuit error S. Cypriani & totius illius Concilij. Clemens verò l. 3. Pędag. c. 2. ad literam de meretrice exponit: *Ab aliena*, inquit, *aqua abſtine, & ex fonte alieno ne biberis, ſtillãtis ſenſum delectationis fluentum nos vitare admonens, vt viuamus* C *longo tempore: adaugeantur autem nobis anni vitæ, ſiue alienam voluptatẽ non venantibus, ſiue etiam hęreſes declinantibus.* Hinc notat auctor Catenæ Gręcor. Sicut, inquit, apud Deum eſt fons vitę, ita apud diabolum eſt vena vel fons mortis. Rurſum, vt fons Dei eſt virtutis & agnitionis, ita fons diaboli eſt nequitiæ & inſcitiæ. Verùm hæc omnia abſunt ab Hebræo, Latina Vulgata, & Græca Complut. Quare certam S. Scripturæ fidem non obtinent.

SECVNDA PARS LIBRI.

HVcuſque porrigit ſe encomium & parænesis, ſiue exhortatio ad ſapientiam, quo Salomon laudes, dotes & fructus ſapientiæ, recenſendo, inculcando & exaggerando, omnes ad eam inuitauit, & incitauit. Poſito ergo hoc quaſi Prooemio nunc ipſas Parabolas, id eſt, gnomas & dogmata ſapientiæ, ſiue Ethicæ, tradere aggreditur. Igitur hæc ſecunda pars inſcribitur hebr. מִשְׁלֵי *miſle*, id eſt *Parabolæ*, id eſt gnomæ, & ſententiæ practicæ Salomonis, quæ in Hebræo velut carmina & rhythmi perelegantes ſunt, tum antithetis, tum paronomaſiis, tum homioptotis, ſiue ſimiliter cadentibus, aliiſque ſchematibus, ac ſæpè poſterius hemiſtichium oppoſitio eſt prioris: licet ſubinde tacitè dumtaxat & obſcurè per metonomiam, quâ ex cauſa effectum; & metalepſin, quâ ex antecedente conſequens oppoſitum, aut vice verſâ ex conſequente antecedens, vel comitans, oppoſitum ſubintelligendum lectori relinquit. Exempla da-

A bo c. 10. v. 6. 8. 9. 13. 14. & ſeq. Crebrò enim opponit ſapientem ſtulto, iuſtum impio, ſtrenuum pigro, diuitem pauperi, ac generatim virtutem vitio, virtuti ſua præmia, vitio ſuas pœnas annectens. Sunt tamen nonnullæ gnomæ meræ parabolæ, id eſt ſimilitudines, quibus vnam rem, v. g. virtutem, alteri comparat & aſſimilat: quædam etiam ſunt non tam de moribus quàm de euentis huius vitæ, quæ ſcilicet certos ſtatus, officia, actiones in hac vita comitari, vel ſubſequi ſolent, ſiue frequenter, ſiue nonnumquam. Inſuper nonnullæ ſunt comminatoriæ, aliæ promiſſoriæ, quædam ethicæ, aliæ œconomicæ, aliæ politicæ, vt dixi in Prologo. Denique gnomæ hæ miſtim & diſparatæ ſine ordine proponuntur & commiſcentur, vti fit in diſtichis Catonis, P. Syri, aliorumque veterum Gnomologorum. Vnde Hugo ad cap. 10. Hoc caput, inquit, æquè ac ſequentia vſque ad cap. 25. tot habet partes quot parabolas; quare hîc connexio non eſt quærenda, nec capita in certas ſectiones diuidi queunt.

PARABOLÆ SALOMONIS.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ALternat ſermonem de filio ſapiente & ſtulto, id eſt probo & improbo, operante & otioſo ſimplici & prauo, de charitate & odio, ac præſertim de lingua bono, eiuſq; malo, eorumq; pœnis & præmiis.

1. FIlius ſapiens lætificat patrem: filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris
ſuæ. 2. Nil proderunt theſauri impietatis: iuſtitia verò liberabit à
morte. 3. Non affliget Dominus fame animam iuſti, & inſidias im-
piorum ſubuertet. 4. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus
autem fortium diuitias parat. Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos;
idem autem ipſe ſequitur aues volantes. 5. Qui congregat in meſſe; filius ſapiens
eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis. 6. Benedictio Domini ſuper caput
iuſti: os autem impiorum operit iniquitas. 7. Memoria iuſti cum laudibus: & nomen
impiorum putreſcet. 8. Sapiens corde præcepta ſuſcipit: ſtultus cæditur labiis.
9. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias ſuas, ma-
nifeſtus erit. 10. Qui annuit oculo dabit dolorem, & ſtultus labiis verberabitur.
11. Uena vitæ, os iuſti: & os impiorum operit iniquitatem. 12. Odium ſuſcitat rixas:
& vniuerſa delicta operit charitas. 13. In labiis ſapientis inuenitur ſapientia: &
virga in dorſo eius qui indiget corde. 14. Sapientes abſcondunt ſcientiam: os au-
tem ſtulti confuſioni proximum eſt. 15. Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius:
pauor pauperum, egeſtas eorum. 16. Opus iuſti ad vitam: fructus autem impij ad
peccatum. 17. Via vitæ, cuſtodienti diſciplinam: qui autem increpationes relinquit,
errat. 18. Abſcondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, inſipiens
eſt. 19. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua, pru-
dentiſſimus eſt. 20. Argentum electum, lingua iuſti: cor autem impiorum pro ni-
hilo. 21. Labia iuſti erudiunt plurimos: qui autem indocti ſunt, in cordis egeſtate
morientur. 22. Benedictio Domini diuites facit, nec ſociabitur eis afflictio. 23. Qua-

ſi per riſum ſtultus operatur ſcelus: ſapientia autem eſt viro prudentia. 24. Quod timet impius, veniet ſuper eum: deſiderium ſuum iuſtis dabitur. 25. Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum. 26. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum. 27. Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breuiabuntur. 28. Expectatio iuſtorum lætitia: ſpes autem impiorum peribit. 29. Fortitudo ſimplicis via Domini: & pauor his, qui operantur malum. 30. Iuſtus in æternum non commouebitur: impij autem non habitabunt ſuper terram. 31. Os iuſti parturiet ſapientiam: lingua prauorum peribit. 32. Labia iuſti conſiderant placita: & impiorum peruerſa.

VERS. 1. FILIVS SAPIENS LÆTIFICAT PATREM: FILIVS VERO STVLTVS MOESTITIA (Syrus, *confuſio*) EST MATRIS SVÆ] Arabicus, *contriſtat*, vel *mœſtam facit matrem ſuam. Filius ſapiens* eſt probus, modeſtus, obediens: *ſtultus* eſt improbus, petulans, contumax. Ita paſſim hoc libro ſapiens vocatur probus; ſtultus verò improbus: quia vera ſapientia eſt ipſa virtus & probitas, ac viciſſim ſumma inſipientia eſt vitium & improbitas. Dicit ergo, quòd filij probitas patri ſit gaudio, improbitas verò matri ſit mœrori: quia filius eſt pars, caro & ſanguis parentum: filij ergo virtus & vitium in parentes proximè redundat, eiſque vel lætitiam, vel triſtitiam conciliat. Sub patre intellige & matrem, ac viciſſim ſub matre intellige & patrem. Tribuit tamen lætitiam patri, mœſtitiam matri; Primò, copiæ cauſa; Secundò, quòd patres, vtpote ſanguinei, proniores ſint ad lætitiam; matres verò, vtpote phlegmaticæ, & melancholicæ, ad triſtitiam. Tertiò, quia patres ſeueriùs educant caſtigantque filios; quo fit, vt filij bonos induant mores, quibus patrem lætificant: matres verò blandiùs & conniuentiùs tractant filios; quo fit vt filij euandant vitioſi, petulantes, contumaces; itaque mœrorem matri afferant, eo magis, quo ipſa per nimiam indulgentiam cauſa vel occaſio fuit, vt tales euaderent filij. Mœret ergò, quia ipſa mœroris anſam dedit. Ita Baynus. Verè Quintilianus: *Mollis*, inquit, *illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit.* Quartò, quia filius ſapiens ad publicos euehitur honores, officia & cathedras, quæ ſpectat pater, ideoque lætatur: ſtultus verò priuatim cum matre viuit vitam ignauam & voluptuariam, matrique grauis eſt & rebellis: quare ipſa occulta hæc dedecora & probra filij ſpectans, aſſiduè luget & mœret. Ita R. Salomon, R. Leui & Aben Ezra. Denique matres teneriùs amant filios quàm patres, tum quia feminæ ſunt, tum quia certiores ſunt illos ſuos eſſe filios, quàm patres, tum quia plus filiis conferunt quàm patres: nam, vt alia taceam, nouem menſibus in vtero alunt geſtantque eos cum magnis doloribus, faſtidiis & angoribus: deinde pariunt eos cum ingenti cruciatu & periculo vitæ: denique iam natos lacte ſuo alunt nutriuntque per plures annos. Hinc fit, vt magis anxiæ ſint de filiorum vita & moribus, magiſque doleant & mœreant, ſi praui euadant, quos tantis impendiis, laboribus & doloribus genuerunt & educarunt. Accedit, quòd filij ob rationes iam dictas magis imitentur indolem matris, quàm patris: quare matri culpæ & probro datur magis, quàm patri; ſi filius euadat inſolens & improbus. Igitur mœret ipſa probrum & culpam tum filij, tum ſuam. Huc facit illud Menandri: *Lætitia patris filius patiens.* Vice verſa Valer. Max. lib. 1. cap. 2. hanc dat rationem, cur Dionyſius tyrannus ſcelerum pœnas viuens non dederit: *Dedecore*, inquit, *filij mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat.*

Porrò, hanc gnomen primò loco collocat Salomon, vt moneat tum parentes honeſtè filios educare, eorumque vitia caſtigare, vt illis ſint gaudio, non mœrori; tum filios, vt probè ſe gerant, parentibuſque ſint obſequentes, ſic enim fore, vt eos exhilarent, non contriſtent. Solent enim filij amore & reuerentiâ parentum tangi, adeoque hic ſummus eſt eis ad virtutem ſtimulus, quem proinde eis hîc adhibet Salomon. Ita S. Auguſtinus ſuâ hæreſi & ſcortatione mœrori fuit S. Monicæ matri ſuæ, cuius dolores & lacrymas, quibus eum ſecundò quaſi parturiit, fusè ipſe recenſet in libris Confeſſ. Ita Blanca regina ſancta, magnâ ſollicitudine educauit S. Ludouicum regem Francorum filium ſuum, ac cauſa fuit ſanctitatis eiuſdem. Identidem ei occinebat illud: *Fili mallem te aſpicere mortuum, quàm committentem aliquod peccatum mortale, quo Dei offenſam odiumq; incurreres.* Ita non rarò filij improbi ſua improbitate matres ingenti mœrore afficiunt, imò conficiunt & enecant: quare veri ſunt parricidæ & matricidæ.

Myſticè *filius ſapiens* eſt fidelis probus, præſertim peccator pœnitens; hic *lætificat patrem*, id eſt Chriſtum, qui eum ſanguine ſuo genuit; & matrem, id eſt Eccleſiam, quæ eum vtero baptiſmi peperit: improbus verò eoſdem contriſtat. Typus huius mœroris exſtat in matre vidua vrbis Naim, lugente filium vnicum iam mortuum, quem Chriſtus matris lacrymis commotus ad vitam reuocauit, Lucæ 7. v. 11. vt ibidem explicant S. Ambroſ. S. Gregor. S. Auguſt. Beda & alij.

Rurſum filij ſapientes ſunt diſcipuli, ſubditi, pœnitentes: hi enim ſi bene ſe gerant, lætificant ſuos magiſtros, Superiores, confeſſarios, &c. ſin malè, eos magno mœrore afficiunt: quia, vt ait Sixtus philoſ. in Sentent. num. 164. *Peccata diſcentium, opprobria ſunt doctorum.* Nam iidem erga ſubditos affectum habent tam matris, quàm patris. Vnde ille dicebat Prælato:

Verbera patris habes, vbera matris habe.

Dicant ergo cum Ieremia cap. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.*

VERS. 2. NIL PRODERVNT THESAVRI IMPIETATIS: IVSTITIA VERO LIBERABIT A MORTE] Primo, aliqui cum Hugone hæc accipiunt generatim de quibuſuis theſauris & opibus, etiam iuſtè licitéque partis: omnes enim opes dicuntur *impietatis*, id eſt impiæ, eo ſenſu quo à Chriſto vocatur *mammona iniqui-*

iniquitatis, Lucæ 16.9. ſcilicet Primò, quia opes ſæpè per iniuſtitias conquiruntur. Vnde illud; *Diues aut iniquus, aut iniqui hæres.* Secundò, *iniquitatis*, quia diuitiæ ſunt occaſio, materia & ſtimulus omnis peccati præſertim iniuſtitiæ. Tertiò, *iniquitatis*, id eſt iniquæ, id eſt infidæ, fallaces, caducæ, vanæ & mendaces, non veræ, non fideles & ſtabiles, vti explicat Chriſtus ibidem v.11. eodem cap. Quartò, addit S. Auguſt. ſer.15. de Verbis Domini, *iniquitatis*, quia iniqui ſolas eas putant eſſe diuitias: non enim norunt ſpiritales, cæleſtes & æternas, quæ à nemine eripi poſſunt. Vnde pro *theſauri impietatis* hoc loco aliqui vertunt, *theſauri inquietudinis, turbationis, motus, ſeditionis*: hæc enim omnia ſignificat Hebr. רשע *reſca*. Sic ergo ſenſus erit. q.d. Theſauri quantumuis magni non proſunt, ſed potiùs obſunt, quia animo afferunt perpetuam inquietudinem, turbationem & quaſi ſeditionem paſſionum, vt nunc metus eas amittendi confligat cum cupiditate eas retinendi, nunc ſpes eas augendi confligat cum timore eas minuendi, nunc anxietas eas conſeruandi confligat cum obligatione & dolore eas reſtituendi, vel erogãdi in amicos aut egenos. Hac de cauſa Chriſtus opes vocat ſpinas, quæ tangentem pungunt & lacerant, Matth. 13.22. Vnde S. Gregor. & S. Bernardus docent eas non eſſe amandas; vtpote *quæ amatæ inquinant, poſſeſſæ onerant, amiſſæ cruciant.* Quocirca Clemens Alex. l.3. Pædag. c.6. *Diuitiæ*, inquit, *ſerpenti ſimiles, quem ſi quis neſcit innoffensè eminus accipere, beſtiã ſine periculo ſummâ caudâ apprehendens, ea manui circumplicabitur & mordebit. Ita & diuitiæ, ſi ab imperito viro apprehenduntur, inhærent & mordent. Sed ſi quis ſe magnificũ præbens, rectè & ſcienter eis vtatur, illæſus permanebit.* Vide S. Chryſoſt. hom.82. in Matth. vbi auarum dæmoniaco, & illum æquè ac hunc mille æſtibus agitari, furere & inſanire multis demonſtrat.

Secundò, propriè & genuinè *theſauri impietatis* vocantur opes *impietate acquiſitæ*, vt vertit Pagnin. ſiue per impietatem partæ, vel conſeruatæ, v.g. per vſuras, rapinas, iniuſtos contractus, per immiſericordiam, per violationem feſtorum, aliarumque legum diuinarum, vel humanarum. Hi enim licet ad modicum tempus prodeſſe videantur, quo eis fruitur diues impius, tamen tandem non proſunt ei, ſed obſunt: tum quia *malè parta, malè dilabuntur*; tum quia, etſi apud homines ſubinde proſint, apud Deum tamen non proſunt: Deus enim impietatem eius puniet ſæpè in hac vita, & ſemper in futura: Deus enim auro corrumpi nequit, vti corrumpuntur iudices & principes, tum deniq; quia in hora mortis non liberabunt diuitem impium à morte tam præſenti, quàm æterna: illius enim reus eſt impius, iuxta illud Chriſti Matth.16. *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* At contrà *iuſtitia liberabit à morte*, quia, etſi nonnumquam apud homines, inquit Ianſen. ob iuſtitiam iuſti occidantur; apud Deum tamen iuſtitia hominis frequenter efficit, vt communē aliquam euadat vltionem diuinam, atque humanam perſecutionem; vt patuit in Daniele & tribus pueris; ſemper autem efficit, vt à perpetua morte (quæ ſola vera mors eſt) liberetur homo, pro qua euadenda nihil proderunt theſauri impij. In hac autem parte ſatis inſinuatur, theſauros iuſtè partos & diſtributos prodeſſe, iuxta illud: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Ceterùm vt prior ſententia adhortatoria eſt ad ſapientiam, vt per quam parentes exhilarantur: ita hæc ad iuſtitiam, vt quà certiùs quis aſſequitur, quod impij per diuitias ſuas aſſequi conantur.

Significat ergo Salomon ſtudendum eſſe potiùs iuſtitiæ, quàm opibus corrogandis; quòd illa proſit, hæ obſint: eſtque antitheſis inter impietatem impioſque theſauros, & iuſtitiam iuſtoſque theſauros; quòd hi liberent à morte, illi nequaquã, imò cauſa ſint mortis. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c.40. *Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt.* Et Chriſtus: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Luc.12.20. Et Abraham ad diuitem Epulonē in inferno poſitum: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris*, Lucæ 16.25. Ita diuites in inferno ſerò ſapientes gemunt eiulantq;: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra.* Sapient.5 8.

Porrò Septuag. vertunt, *non proderunt theſauri* ἀνόμοις, id eſt *exlegibus* legem præuaricantibus. Alludunt ad νόμισμα, id eſt numiſma, quod à νόμῳ, id eſt à *lege*, dicitur. q. d. Νόμισμα non proderit ἀνόμοις, numus non proderit exlegibus: quia cùm numus à lege dicatur, non niſi legis ſtudioſis conuenit & prodeſt; exlegibus autem non conuenit & obeſt. Numiſma enim dicitur à νόμῳ, & numus quaſi νόμος addito υ, vt fiat νοῦμος, primâ productâ, eò quòd depoſitâ veteri rem cum re permutandi conſuetudine lege ſignatus ſit numus, eique pretium impoſitum. Vnde numus dictus moneta, quòd ſigno numiſmatis monerentur homines, cuius pretij eſſet. ita Feſtus Pompeius, Ambroſ. Calepinus, & Nicolaus Perottus in epigramma 4. & 40. Martialis: licet Iſidorus lib.16. Etymolog. c.17. *Numi*, inquit, *à Numa Pompilio ſecundo rege Romano vocati ſunt, qui eos primùm apud Latinos imaginibus notauit, & titulo nominis ſui præſcripſit. Hinc & numiſma dicitur, quod nominibus principum effigiebuſq; ſignabatur.* Addit Petrus Gregor. de Republ. & ex eo noſter Salazar, numos à νόμῳ; id eſt lege, dici, quòd iuxta leges & iuſtitiæ canones parandi & expendendi ſunt. Quare cùm impij eos illegitimè contra ius & fas conflent, vel aſſeruent, hinc quaſi iniqui poſſeſſores à Deo iis ſpoliabuntur; quin & vita mulctabuntur, ſicut vita mulctantur, qui illegitimos & adulterinos numos cudunt. Vnde S. Ephrem tract. Contra diuites: *Si*, inquit, *adulterantes pecunias contra leges lex punit, Deus etiam eos, qui contra iura ſua adulterinas opes ſibi parant, meritò ſpoliat.* Quin & Plutarch. in Moral. *Qui*, inquit, *malo viro addit opes & gloriam, is febricitanti miniſtrat vinum, bilioſo mel, cœliacis obſonia, quæ morbum animi; hoc eſt ſtultitiam, augeant.*

Numus dictus quaſi νόμος, id eſt, lex.

Myſticè, auctor Catenæ Græc. Theſauri impietatis, inquit, ſunt artes, eloquentię & ſcientiæ quas magno ſtudio ſibi comparant tum hæretici, tum homines vani & ambitioſi. Verùm hæ omnes nihil proderunt, nec liberabunt eos à morte præſenti & æterna. Præclarè noſter Thomas Theodidactos de Imitat. Chriſti lib.1. c.3. *Adueniente*, inquit, *die iudicij non quæretur à nobis quid legimus, ſed quid fecimus, nec quàm benè diximus ſed quàm religioſè viximus.* Et lib.3. c.48 *Veniet tempus quando apparebit magiſter magiſtrorum, Chriſtus Dominus angelorum, cunctorũ auditurus lectiones, hoc eſt, ſingulorum examinaturus*

ſcrutaturus conſcientias; & tunc ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis, & manifeſta erunt abſcondita tenebrarum, tacebuntq́; argumenta linguarum.

Iuſtitia quintuplex. *Primò.* *Secundò.*

IVSTITIA VERO LIBERABIT A MORTE] Quænam hæc *iuſtitia?* Primò, Vatabl. intelligit ſapientiam. Sapientia, inquit, quæ gignit iuſtitiam, liberat à morte. Secundo, R. Salomon & R. Leui intelligunt eleemoſynam, iuxta illud pſal. 111. v. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia* (id eſt eleēmoſyna) *eius manet in ſæculum ſæculi.* Et illud Tobiæ ad filium c. 4. 11. *Eleēmoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* *Tertiò.* Tertiò, Lyran. accipit iuſtitiam propriè dictam, quæ eſt virtus ius ſuum cuique tribuens, hæc enim opponitur iniuſtitiæ, & opibus iniuſtè partis. *Quartò.* Quartò, auctor Catenæ Græcor. per *iuſtitiam* accipit pœnitentiam: hac enim pœnitens iuſtè puniens peccatum, liberat ſe à morte animæ. *Quintò.* Quintò, & optimè *iuſtitiam* hîc accipias vniuerſaliter, prout generalis eſt virtus ſiue complexio omnium virtutum faciens hominem iuſtum, pium & ſanctum: opponitur enim impietati & opibus impiè, id eſt improbè, partis. Hæc iuſtum ſæpè liberat à morte præſenti (vti liberauit Noë à diluuio, Lot ab incendio Sodomæ, tres pueros à camino ignis ardentis, Danielem à leonibus, Ionam è ventre ceti) ſemper ab æterna.

VERS. 3. NON AFFLIGET DOMINVS FAME (Chald. *non facit eſurire*) ANIMAM IVSTI, ET INSIDIAS IMPIORVM, SVBVERTET] Iuſſit Deus Iudæos affligere animas ſuas per ieiunia, ſed ieiunium eſt ſanitas animæ & corporis. *Non affliget fame* ergo, ſcilicet coactâ & noxiâ, vt eos inuitos fame cõficiat. Vnde Septuag. vertunt, *non occidet Dominus fame animam iuſtam,* S. Hieron. in Iſai. 65. *non interficiet;* Symmach. & Theodot. *ὐλιμαγχονήσει*, id eſt, *non ſuffocabit fame quaſi angina iuſtum*: fames enim inſtar anginæ fauces conſtringit, itaque ſuffocat famentem. Senſus ergo eſt, q. d. Deus non ſinet affligi fame iuſtum, ita vt anima, id eſt vita illi eripiatur, & quaſi ſtranguletur; ſed potiùs cibos illi ſubmittet mira nouaque prouidentia, ſicut Danielem aluit in lacu leonum per angelum rapientem Habacuc, Eliam aluit per coruos, Hebræorum tres milliones in deſerto aluit mannâ per quadraginta annos. Ex aduerſo Deus impiis Iudæis comminatus eſt & immiſit famem, vt cùm tempore Eliæ clauſit cælum, ne plueret per tres annos. Rurſum cùm Iudæos, qui Chriſtianos bonis ſpoliarant teſte Apoſtolo Hebr. 10. 14. ad tantam famem redegit, vt matres comederent ſuos filios, ac multa eorum millia fame quaſi anginâ ſtrangulauit. Audi Hegeſippum lib. 5. de Excidio Ieruſalem c. 24. *Intercluſis iam faucium meatibus ſtrangulabantur, obriguerant interiora viſcerum, obſtructi erant ductus ciborum, aruerant iecoris venæ, quæ cibos attrahunt: perierat vſus, & auiditas cumulabatur: virtus defecerat, & appetentia manebat.*

Igitur hæc ſententia coërcet auaritiam & errorem mundanorum, qui ne egeſtatem & famem patiantur, per fas & nefas opes corrogant. Decipiuntur enim, & per hoc ad famem rediguntur.

Dices. Numquid ſubinde videmus iuſtos affligi fame? Nónne legimus plures Martyres in carceribus cruciatos, imò enectos fame? Reſp. Hæ ſententiæ ſignificant non quid ſemper, ſed quid ſæpè eueniat. In veteri autem teſtamento ordinariè Deus non permittebat Iudæos iuſtos fame affligi, A quia promiſerat eis opum frugumq́ue abundantiam, ſi legem ſuam obſeruarent. In nouo autem teſtamento Chriſtianis iuſtis opum non tam temporalium, quàm ſpiritualium copiam promiſit. Quare cùm Deus iuſtos famere ſinit, copiam alimoniæ ſpiritalis, putà gratiæ & conſolationum cæleſtium, eis ſubminiſtrat, eâque animam paſcit, roborat, lætificat, impinguat. Promiſſis enim ſtat, qui pro re parua, v. g. denario quem promiſit, dat maiorem, v. g. aureum. Igitur Deus promittens temporalia, ſi pro eis ſubſtituat ſpiritalia, quæ longè maioris ſunt momenti, vtique promiſſis ſtetiſſe dicendus eſt. Porrò Deus etiam in lege noua rarò iuſtos (excipio Martyres: in his enim fames eſt pars Martyrij & triumphi) permittit fame cõfici; imò ſæpè per miraculũ eos alit, vti aluit S. Mag- B dalenam in Balma raptu cantuq́ue angelico; ac S. Paulum primum Eremitam in deſerto per coruum, qui per 60. annos quotidie dimidium ei panem afferebat, adueniente verò S. Antonio duplicauit annonam, integrũmq; panem attulit. Sic plures Martyres in carceribus aluit per Angelos. Sic indies alit tot millia monacharũ & monachorum pauperum, præſertim mendicantium, vt miraculi ſit inſtar, quod in vno S. Franciſci Ordine Deus aſſiduè eleēmoſynis piorum alat pluſquam millionem, hoc eſt decies centena millia Religioſorum (hunc enim numerum adæquant, imo ſuperant, ſi numerentur omnes viri & feminæ, paupertatis S. Franciſci & S. Claræ aſſeclæ) qui nullũ habẽt cenſum, nullos reditus, ſed ſola paupertate ſunt diuites, ſolaq; benedictione S. Franciſci, qui hoc ſuis dabat pro viatico: *iacta cogitatum tuum in Domino & ipſe te enutriet.* Hic ergo impletur illud C Apoſt. 2. Corinth. 6. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Hoc eſt centuplum pauperibus ſpiritu promiſſum à Chriſto, Matth. 19. 29. Hæc eſt paupertatis Euangelicæ maieſtas, quæ ſcilicet totius mundi poſſeſſionem ſibi vendicat. *Fideli enim totus mundus diuitiarum eſt,* ait S. Bernard. ſerm. 21. in Cant.

Porrò iuſtum hîc quemlibet, ſed maximè eleēmoſynarium accipe, iuxta illud Chriſti promiſſum: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Vnde S. Cyprian. de Opere & eleēmoſyna: *Metuis,* inquit, *ne patrimonium tuum deficiat, ſi operari largiter cœperis? Quando factum eſt vt iuſto deeſſent ſubſidia vitæ, cùm ſcriptum ſit; Non occidet Dominus fame animam iuſti?* q. d. Impoſſibile eſt: vt Deus fame perire ſinat eum, qui famentes alit, vt Deus fame eripiat vitam illi, qui famelicorum vitam D fame pereuntium ſuſtentat.

Myſticè S. Baſil. in c. 1. Iſaiæ, Beda & Hugo hæc accipiunt de fame ſpiritali, hoc eſt, de defectu verbi Dei, gratiæ & Sacramentorum. Vnde notat S. Baſil. hîc dici. *Non affliget Dominus animam iuſti fame: Non enim loquitur,* ait, *hîc de fame corporis (vtique enim dixiſſet de corporibus iuſtorũ) ſed de inedia animarum,* Hugo verò accipit famem iuſtorũ. Quid eſt, inquit, luxuria niſi fames inſatiabilis voluptatis? Quid ſuperbia niſi fames inſatiabilis dignitatum? Quid auaritia, niſi fames inſatiabilis facultatum? Quæ quidem concinunt cum his quæ Ioannes dixit: *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Hinc S. Thomas opuſc. de Euchariſtia, ad eius frequentationem allicit hac ſententia: *Non affliget Dominus fame animã iuſti:* quia Euchariſtia famem vitiorum iam dictam ſedat: rurſum ſedat famem animæ ad

eam

eam anhelantis, ceteraque eius vota & deſideria; quin & non rarò famem corporis. Sic Iohannes Abbas apud Palladium in Lauſiaca c.61.per plures annos ſine cibo vixit, ſola ſe paſcens Euchariſtia in Dominica. S. Catharina Senenſis diu ſola Euchariſtia vixit, imò ea ſumpta ſaſtidiebat omnem cibum corporeum; cumque eum iuſſu confeſſarij accipere cogeretur, illicò illum ſtomacho reluctante reiiciebat.

Et insidias impiorvm svbvertet] Pro *inſidias* hebr. eſt הַוַּת *hannat*, pro quo Septuag. legentes חַיּוּת *ehanuat*, verterunt, vitam: *Vitam autem*, inquiunt, *impiorum euertet*. Verùm ceteri legunt *hannat*.id eſt vanitatem, prauitatem, inſidias, fractiones, contritiones. Vnde Tigur.vertit, *aſtutiam* (Vatabl.*calamitatem, damnum, perniciem*) *verò impiorum propellet*. Sicque eſt antitheſis cum hemiſtichio præcedenti inter iuſtitiam iuſtorum & inſidiam impiorum: illam enim tutatur alitque Deus, has euertit.q.d. Non ſinet Deus iuſtos proboſque ſpoliari bonis, & fame affligi; improbos verò, qui per fraudes & inſidias eos bonis ſpoliare & ad famem redigere conantur, impellet in eamdem perniciem, quam ipſi improbi machinati ſunt, vt ſuis dolis capiantur, ſuiſque artibus quaſi retibus illaqueentur; itaque eos ſubuertet. Vnde Pagnin. *& propter prauitatem impios Deus expellet.* Duplici ergo beneficio Deus iuſtum afficit, & quaſi duplici telo pro ipſo depugnat. Primò, quòd famem ab eo depellat; Secundò, quòd inſidias impiorum eum ad famem redigere conantium diſſipet & euertat, iuxta illud pſalm. 33.11. *Diuites eguerunt & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Porrò Dauid inſidias impiorum comparat inſidiis leonum prædæ inſidiantium, & in eam inuolantium. *Inſidiatur*, inquit, *in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua: inſidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum*, pſalm. 9.9. Sed Deus has inſidias leonum conterit. Vnde ſubdit v.15. *Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*

Denique *hannat* Chald. vertit קִנְיָנָא *kiniana*, id eſt *poſſeſſiones*, R. Saadia & Baynus, *ſubſtantiam & opes*. Vnde Syrus, *facultates impiorum perdet*; Chald. *poſſeſſiones impiorum expellet*, q.d. Deus opes piorum tuebitur, vt fame crucientur. Hebr. enim *hannat* deriuatur ab הָיָה *haia*, id eſt eſſe, ſubſiſtere; vnde ſubſtantiam, id eſt facultates, ſignificat, & alludit ad הוֹן *hon*, id eſt opes. Rurſum *hannat* vertas *eſſe*, hoc ſenſu, q.d. Deus euertet impiorum eſſe & viuere, id eſt vitam eis adimet, vti vertunt Septuag.

Egestatem operata est manvs remissa: manvs avtem fortivm divitias parat] Senſus eſt clarus, q.d. Labor parit opes, otium inopiam: diligentia ditat, negligentia depauperat: feruor eſt parens opulentiæ, torpor egeſtatis.

Vers. 5. Pro *egeſtatem* hebr. eſt רָאשׁ *ras*: quòd, ſi alio puncto legas רֹאשׁ *ros*, ſignificat toxicum, venenum; q. d. Pigritia eſt quaſi lentum venenum, quod ſenſim proſerpens totum hominem inficit, cumque torpore æquè ac fame conficit & enecat. Verum legendum eſt *ras*, id eſt egeſtatem, non *ros*, id eſt venenum. *ras* enim legunt Septuag. Noſter, Chald. & ceteri. Egeſtatem accipe ad literam pro inopia opum. Allegoricè, Beda accipit egeſtatem bonorum in cælo, q.d. Quicumque in vita remiſsè & pigrè vixit, hic bonis omnibus in futuro ſæculo carebit.

Pro *remiſſa* hebr. eſt רְמִיָּה *remia*, quod tam fraudulentam, quàm proiectam. id eſt remiſſam, inertem, pigram ſignificat. Pigri enim ſolent ex inertia manus torpidas exporrigere, imò proiicere: iidem quia nolunt laborare, fraudulenti euadunt & fures, vt victum ſibi comparent; vti videmus in pigris mendicis. Rurſum, qui fraudi innititur, remiſſus fit & iners; quia fraudem ſibi ad victum parandum ſufficere putat: ſed decipiuntur vtrique: quia tam fraus quàm pigritia cauſa eſt egeſtatis: Deus enim fraudulentos punit redigitque ad paupertatem, vti experientia conſtat. Vnde vertit Chald. *paupertas attenuat virum doloſum & manus recti ditat*; Syrus, *manus autem iuſtorum ditabitur*; Pagnin. *pauperem facit manus fraudulenta*; Tigurina, *qui operatur fraudulenta manu, egenus eſt*; Vatabl. pro *fraudulenta* vertit, vt Noſter, *remiſſa*, & vtrumque connectens ſic explicat. q.d. Qui malis artibus optat augere rem ſuam, vt faciunt otioſi, qui decipiunt alios vt viuant, ad egeſtatem redigetur. R. Salomon, R. Leui & Aben Ezra כַף רְמִיָּה *caph remia* (quod Noſter vertit, *manus remiſſa*; alij, *fraudulenta*) vertunt *bilance fraudulentiæ*. Vnde ſic transferunt: *egenus erit, quiſquis bilances habet fraudulentas*, vt iuſtum non det mercium pondus, cùm eas vendit; & plus iuſto ponderet eas, cùm emit. Septuag. vertunt, *paupertas virum humiliat*, id eſt facit, vt manu ſit proiecta & abiecta, vti ſolent eſſe viles & humiles; Septuag. de more ſecutus Arabicus vertit, *paupertas depriinit hominem*; *manus audacium ditabuntur*.

Aliqui per *manum remiſſam*, ſcilicet ad dandum, accipiunt manum auaram, q. d. כַּף *caph*, id eſt curua & clauſa manus, auara, & bonorum tenax egeſtatem & penuriam adducet: contrà verò *manus fortium*, id eſt adaperta, id eſt liberalis, & in eleëmoſynas effuſa, diuitias & fortunas cumulat. Vnde Eccleſ.cap.4.36. *Non ſit*, inquit, *porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Nam vt ille ait: *Plures opum condi, promi pauciſſimi.* Verùm hic ſenſus arctior eſt: atque *manus remiſſa* propriè non eſt auara, ſed aceda & pigra; ſicut *manus fortium* non eſt liberalis, ſed laborioſa, ſedula, induſtria.

Pro *fortium* hebr. eſt חָרוּצִים *charutſim*, quod Syrus vertit *iuſtorum*; Chald. *rectorum*; Septuag. ἀνδρείων, id eſt *virilium*, qui viriliter agunt. Tigurin *ſedulorum*; Baynus, *ſollicitorum*, quales ſolent eſſe mercatores ad rem attenti: vnde Pagnin. vertit, *& manus mercatorum ſollicitorum ditabit illos.* Propriè *charutſim* ſignificat viros acres, qui quod cogitant & inchoant, ſtrenuè proſequuntur, nec deſiſtunt, donec ad deſtinatum finem perducant. Radix enim חָרַץ *charats* ſignificat acuere, exacuere, exertare vim & virtutem ſuam, acriter, & alacriter agere, vrgere, ad finem rem perducere. Alij *charutſim* vertunt, *inciſos, conciſos, præciſos*; quales ſunt attenti ad rem, qui præciſè ad obolum vel momentum ſua exigunt, vel diſponunt. Vnde mercatores hoc habent axioma: Si vis diteſcere, attentus eſto ad omnia etiam minima, nihil negligas, nullam occaſionem lucri etiam exigui prætermittas; quia ex multis exiguis quid fit magnum & eximium. Noſter vertit, *fortium*, id eſt ſedulorum, ſtrenuorum. Qui enim fortis eſt, rem ſtrenuè vrget, & ad finem vſque perurget. Pro *diuitias parat* hebr. eſt תַּעֲשִׁיר *taſcir*:

quod ſi alio puncto ſiniſtro legas מַעְשִׂיר *taſir*, id eſt *decimat*, ſenſus erit, q d. Labor ſtrenuus ſedulorum ex vno lucratur decem, ſortemque decuplat: ſicut terra fœcunda ex vno grano ſeminato producit decem, imò 30. 60. & centum.

Porrò hæc ſententia in opibus tam ſpiritualibus, putà ſapientia & virtute, quàm temporalibus locũ habet Virtutũ enim ſtudioſus magnos earum cumulos & theſauros cõgregabit, negligens verò & piger earũ inops manebit: nimirũ vt ait Comicus,

Cælites ſudore cuncta fœnerant mortalibus,
Quidquid eſt in vrbe fermè omne diligentiæ,
Labore virtus creſcit ac pecunia.

Mal. de vitanda ſocordia.

Sicut ergo mercatores intenti opibus quotidie lucrũ adiiciunt lucro, denarium denario, aureum aureo: ſic multò magis mercator meritorum quotidie virtutem virtuti, actum actui, gradum gradui adiiciat, ac diem ſibi periiſſe putet, quo nihil in virtute promouit, quo nulli eleemoſynam corporalem aut ſpiritalem contulit, quo in re quapiam ſe ipſum non vicit, quocirca deſidiam & otium vt peſtem fugiat De S. Antonio ſcribit Sozomenus lib. 1. hiſtor. c. 13. *Neque ipſe otiari aliquando in animum induxit, & qui præclarè vitam eſſet acturus ad laborandum hortatus eſt*. Et S. Athanaſ. ait eum inſtar apis collegiſſe mel virtutũ ex Sanctorum conuerſatione: ab vno enim qui in humilitate excellebat, didiciſſe humilitatem, ab alio patientiam, à tertio charitatem, à quarto aliam virtutem in qua eminebat. S Ephrem in Cant. ſpirit. *Qui amat otium*, inquit, *nunquam proſperabitur*. S. Ambroſ. lib. 1 de Cain c. 4. *Non dormientibus*, inquit, *non otiantibus, ſed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata eſt*. S. Leo: *Non dormientibus prouenit regnum cælorũ, nec otio & deſidia torpẽtibus, beatitudo æterna ingeritur*. S. Hieron. vel quiſquis eſt auctor epiſt ad Demetriadem: *Excitandus eſt*, inquit, *ſpiritualibus ſtimulis ſemper animus, & maiore quotidie ardore renouandus. Orationis inſtantia, illuminatio, lectio, ſollicitudo vigiliarum, diurna & nocturna eius incitamenta ſunt. Nihil enim in hoc propoſito otio deterius eſt, quod non ſolummodo non acquirit noua, ſed etiam parata conſumit: ſanctæ vitæ ratio proceſſu gaudet & creſcit, ceſſatione torpeſcit & deficit*. S. Bernard. lib. 2. de Conſid. ad Eugen. c. 13. *Si rectè*, ait, *Sapiens hortatur ſapientiã in otio ſcribẽdi; cauendũ & in otio otium eſt. Fugienda proindè otioſitas, mater nugarum, nouerca virtutũ*. S. Baſil. in Conſtit. Monaſt. c. 5. *Quid Apoſtoli, nónne ipſi quoq; Dominũ ſunt imitati? nónne aſſidui in laboribus erãt? Animaduerte Paulum indiuulsè laborantem*. De B. Alcuino, qui tẽpore Caroli Magni in Gallia laude doctrinæ floruit, ſcribit auctor Vitæ eius: *Fugiebat modis omnibus otioſitatem. Nam aut legebat, aut ſcribebat, aut diſcipulos erudiebat, aut orationi vacabat, aut pſalmorum decantationi ineuitabilibus tantummodo corporis indulgens neceſſitatibus*. S. Bonauent. in Regula Nouit. c. 8. *Per tria iſta tota vita tua decurrat, vt ſemper ores, aut legas, aut ſeruias & potiſſimùm ſenibus, forenſibus & infirmis: & factis ſeruitiis non ſtes cum fratribus otioſus, ſed ſtatim vade ad cellam, & ibi ores aut legas*.

Hoc olim fuit vnicum ſtudium Religioſorum & Anachoretarum, qui inde Aſcetæ, id eſt exercitatores, ſunt dicti, quòd in continua vitiorũ lucta & victoria, ac in perpetuo virtutum contrariarum vſu ſeſe exercerẽt. Talis fuit Barlaam, qui Ioſaphat diſcipulum ad eamdem aſceſim exhortans, inter alia ait, *virtutis eſſe ſcalas cæli*: quare ſicut cælũ ingenti altitudinis ſpatio à nobis elongatum diſtat; ita multis magniſque per virtutum ſcalas paſſibus eò contendendum & conſcendendum eſt. Vide Damaſc. in Hiſtor. c. 11. & ſequent. Quòd ſi quotidie in charitate, humilitate & patientia creſceremus; ſi quotidie tres eis gradus adiiceremus; totidem quaſi paſſibus in cælũ aſcenderemus, ac poſt annum, imò poſt decem vel viginti annos, quàm altè nos aſcendiſſe, quantos virtutũ meritorumq; cumulos coaceruaſſe cerneremus & gauderemus! Æternitatem cogita, Breuis eſt vita, viue, patere, labora, mercare æternitati. Abbas Athanaſius, ait Ioannes Moſchus in Prato ſpirit. c. 230. raptus in extaſin vidit choros laudantium Deum, cumque auerет ad eos ingredi, audiuit, *Nemo hic ingreditur negligens: abite, certate, contemnite vanitates ſæculi*. Sic itur ad aſtra Et c. 105 angelus ait ad Chriſtophorum; *Ora vt accendamus candelam tuam*. Tum ille ad ſe: *Chriſtophore*, inquit, *maiori labore opus eſt*.

QVI NITITVR MENDACIIS, HIC PASCIT VENTOS: IDEM AVTEM IPSE SEQVITVR AVES VOLANTES] Hæc ſententia iam deeſt in Hebræo, Chaldæo, nonnullis Latinis ac Septuag Complut. licet in Roman. eadem habeatur, non hoc loco ſed cap. præced. poſt v. 12. Habent tamen eam Latini Romani, illamque legit S. Auguſt. libr. 3. contra Creſcon. c. 9, Clemens Alexand. l 1. Strom. Antonius in Meliſſa ſer. 22 & alij. Quare videtur olim extitiſſe in Hebræo, & habere auctoritatẽ canonicam S Script. Huic affine eſt prouerbium Arabum: *Mendaciũ infirmitas eſt, & veritas ſanitas. Mendacium vilitas eſt, & veritas magnificẽtia* ſiue *nobilitas*.

Per *mendacia* Primò, accipe opes per fraudes & mendacia comparatas, vt pertineat hæc gnome ad eam, quæ præceſſit: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa*, pro quo alij vertũt, *fraudulenta*, quaſi dicat: Qui per mendacia & fraudes ſatagit diteſcere, hic paſcit ventos, id eſt vanè & fruſtra laborat, perinde ac ſi paſceret ventos; vel, vt vulgò dicitur, reti venaretur ventos: mox enim per illud erumpunt venti: ſimili enim modo diuitiæ, quas per fraudes auarus quærit, inſtar venti & auium volantium auolabunt ab eo, ſequetur eas, nec aſſequetur. Vnde præclarè S. Greg. Nazianz. *Quid*, inquit, *opus eſt multas opes reponere temporum mutationibus, quæ aliàs in alios ventilant inſtabilem opulentiam*. Idem ad ciues timore perculſos: *Magis*, inquit, *ventis aut litteris in aquis deſcriptis fidendum eſt, quàm diuitiis*. Et in orat. ad Iulianum tributorum exæquatorem: *Vt puluis* (inquit) *à turbine, ſic opes ab aliis ad alios ſubindè ventilantur atque iactantur, & ſicut fumus dilabuntur, & inſomnij more homines deludunt, vmbræq; inſtar manibus teneri nequaquam poſſunt, nec deſperatæ carentibus, nec ſatis certæ poſſidentibus*. Idem ad Seleucum Iambico 3. opes aſſerit *mentes auaras ludere*, ac imitari

Meretricis aſtus, quæ procos fallax ſuos,
Hunc hoc, & illum diſpari ludit modo.

Rurſum eas

Similes eſſe fluctibus, motu leui
Quos ferri in altum cernimus, labi & citò.

Vnde Septuag. Romani cap. 9. 12. poſt *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos*, haſce duas gnomas ſubiungunt: *Deſeruit enim vias vineæ ſuæ: in ſemitis verò agelli ſui errauit: ingreditur per loca auia atque arida, & terram deſtinatam ad ſitim; contrahit autem manibus infructuoſa*. Quibus verbis nitentem mendaciis ſicut Primò, comparauit paſcenti ventos; Secundò, ſequenti aues volantes: ita Tertiò, comparat ſtolido agricolæ, qui deſerit vineam ſuam, & per

agrum ſuum (ex quo æquè ac ex vinea, ſi vtrumque coleret, magnos vini ac frumenti fructus perciperet) oberrans tranſit ad loca auia, arida & ſiccitate ſiticuloſa, ex quibus nullum poteſt ſperare fructum; vnde *congregat manibus infructuoſa*; vel vt vertit interpres Clementis Alexand. lib. 3. Strom. *colligens manibus ſterilitatem fructuum*. q. d. Vice fructus & meſſis nil reportat niſi *ἀκαρπίαν* & ſterilitatem. Vnde Clemens hæc omnia adaptans mendaci hæreſi & hæreticis lib. 3 Strom. *Qui* inquit, *falſis innititur, is paſcit ventos, & inſequitur aues pennatas. Non intelligit verbum hîc philoſophiam, cùm hæc in multis probabiliter argumentetur, & probabiliter loquatur: ſed hæreſes inſectatur. Infert itaque: Reliquit enim vias vineæ ſuæ, in ſemitis autem propriæ agriculturæ ſuæ errauit. Hæ autē ſunt, quæ Eccleſiam relinquunt ab initio, Iā verò qui cecidit in hæreſim, tranſit per ſolitudinem ſine aqua inhabitabilem, ſitibundam terram peruadens, colligens manibus ſterilitatem fructuum.*

Secundò, per *mendacia* accipe mendaces & fallaces ſpes, quas relicto Deo homines reponunt in amicis, cognatis, principibus; item in ſuis opibus, viribus, ingenio, ſapientia, vt beneficium, dignitatem, opes, prælaturam, gloriam, &c. aſſequantur. Hic enim paſcit vētos, id eſt inaniter laborat; quia vel id, quod ambit, non aſſequitur; vel, ſi aſſequatur, non inueniet in eo quietem & gaudium, quod quærebat; ſed moleſtias, tædia, angores, inuidias, milleque ſimiles ærumnas, vt eum facti pœniteat, optetque & dicat: Vtinam numquam hanc dignitatem ambiuiſſem, vtinam numquam eam aſſecutus fuiſſem!

Tertiò, per *mendacia* accipe falſas rationes, errores, paralogiſmos, fallacias, quibus hæretici, ſophiſtæ & doctores, ſuperbi ſua dagmata tueri & fulcire nituntur. Hi enim paſcunt ventos, quia patefacta rationum falſitate ruunt eorum dogmata, honor & auctoritas, quæ ab eis fugiunt inſtar auium volantium. Ita S. Aug. l. 3 contra Creſcon. c. 9. qui hanc gnomen applicat Creſconio & Donatiſtis, ac per ventos accipit dæmones, qui ſunt ſpiritus inflati & inflantes vt venti: *Qui fidit in falſis*, inquit, *hic paſcit ventos, id eſt fit eſca ſpiritibus malis*. Verùm hoc myſticum eſt, non literale.

Quartò, per *mendacia* accipe quælibet mendaciter dicta & facta, quibus mendaces ſua vitia excuſare & tegere, aut quippiam obtinere nituntur. Qui enim iis nititur, paſcit ventos: nam detecto mendacio & fraude nihil conſequetur, niſi nomen mendacis & fraudulenti.

Paſcere ventos quid? Quid ſit *paſcere ventos*. explicui Oſee 12. 1. vbi de Iſraele ponente ſpes ſuas in Aſſyriis, & Ægyptiis, ſed fallaces; eò quòd per ipſos à manu Nabuchodonoſor Chaldæi non fuerit liberatus, ait: *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum*. Vbi dixi *τὸ paſcit* poſſe Primò, accipi paſſiuè, q. d. Ephraim paſcit, id eſt comedit ventos; viuit & paſcitur vento. Sic ſuperbi paſcuntur honore, & tumida ſui opinione quaſi vento, quo inflati & turgidi incedunt, ſicut chamæleontes paſcuntur vento: ſed ſicut chamæleon vento viuens exuccus eſt & exanguis, ideoque colores mutat, & rei cui applicatur colorem induit: ſic & ambitioſus ambitione exuccus, & metu honoris perdendi exanguis, nunc rubicundus eſt & lætus, nunc pallidus & mœſtus; nunc felix, nunc miſer; quare beatus eſſe nequit. ita Ariſtot. lib. 1. Magnor. moral. c. 3.

Secundò, *τὸ paſcit* poſſe accipi actiuè, vt *paſcit ventos* idem ſit, quod cibat ventos, putà ſeipſum dat in cibum ventis; vt venti, putà aſſyrij, in quibus confidit, eum deuorent. Aut *paſcit*, id eſt regit, & ad paſcua ducit ventos, ſicut paſtor regit & pabulatum ducit boues, oues, capras, &c. Hoc enim propriè ſignificat Hebr. רעה *raa*, iuxta illud pſal. 22. 1. *Dominus regit*, hebr. *raa*, id eſt paſcit quaſi paſtor oues) *me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit*. Stultum enim & impoſſibile eſt ventos, quaſi oues regere, & ducere ad paſcua: eſto per magiam magi ſubinde videantur paſcere ventos. Nam Methonenſes, ait Pauſanias in Corint. vento ſæuienti offerunt gallum gallinaceum, eoque lacerato & ſub vitibus defoſſo ſedāt noxios Africi flatus. *Magi paſcunt ventos.* Eunapius & Suidas, atque ex eis Sigonius lib 4. Imperij. Occident. narrant Conſtantinum Magnum capite mulctaſſe Sopatrum philoſophum, quòd incantationibus ſuis ventos retinuiſſet, ne naues frumenta deueherent Conſtantinopolim fame afflictā. Finni & Lapones Septemtrionales populi mercatoribus ventos venales exhibebant, tres nodos magicā arte ſacratos à loro pendentes eis offerentes. quorum primo ſoluto placidos, ſecundo vehementiores, tertio vehementiſſimos eſſent habituri. ita Olaus l. 3. c. 16. ex Saxone Grammatico. Ea arte vtuntur in nauigantes ex arbitrio, ita vt his fauere, vel minùs viſum fuerit; ſic ſiſtunt & mouent flamina & flumina, inquit Zieglerus in Scandia. Plura vide apud Alexandrum ab Alex. l. 3. Genial. c. 12. Verùm hæc ſuperſtitioſa ſunt & magica, ac proinde ſummè noxia. Magi enim ſuas, ſeq; conſulentium animas & corpora diabolo pro vento oppignerant. Omiſſis magicis accipe phyſicum. Cùm aliquando Eteſiæ ita vehementer flarent, vt fruges læderent, Empedocles iuſſit aſinos excoriari & vtres fieri, eoſque in promontoriis extendi, vt ventum exciperent: quo ſopito appellatus fuit *κωλυσανέμας*, id eſt prohibitor ventorum, ait Suidas, penes quem ſit fides. Nam & hoc difficile eſt creditu; & eſto verum ſit, hoc non eſt paſcere, id eſt ad libitum regere, ventos, nec pabulum eis præbere. Solus enim Deus eſt, qui ventos vti creat, ita paſcit & regit, atque in eo ſitam magnificentiam & omnipotentiam oſtendit. Hinc dicitur ambulare, imò volare ſuper pennas ventorum, pſal. 17. 11. ac venti ſunt angeli, id eſt nuntij Dei, iuxta illud a *Qui facis angelos tuos ſpiritus*, id eſt ventos, pſal. 103. 4 & Iob. c. 28. 25. *Qui fecit*, inquit, *ventis pondus, & aquas appendit in menſura*. Et Amos 4. 13. vocatur Deus *formans montes, & creans ventum*. vbi plura hac de re dixi. Hinc Theodoſio Imp. pugnante pro Deo, venti Dei pugnarunt pro Theodoſio contra Eugenium, cùm tela hoſtium in ipſoſmet hoſtes retorſerunt, ita vt Theodoſius ventos pauiſſe, & viciſſim venti Theodoſium dici poſſint; de quo Claudian. in Panegyr.

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther.
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Mendacium ſimile vento. Nota. Rectè mendacium comparatur vento & paſtori ventorum. Primò, quia, vti ventus fluidus eſt, leuis & euanidus, ſtatimque tenues vaneſcit in auras: ſic & mendacium inſtar venti & fumi diſſipatur & euaneſcit. *Quæ decipiunt*, inquit Seneca epiſt. 8. *nihil habent ſoliditenue eſt mendacium, ſi diligenter inſpexeris.*

Secundò, ſicut ventus non hæret, ſed celerrimè pertranſit, ſic & mendacium. Vnde eleganter Petrarcha

trarcha lib. 2. de Vita ſolitar. mendacium cum vrinatore, qui ſub aquis degit, conferens: *Simulata*, inquit, *illicò pateſcunt, ſuccus ſudore diluitur & argentum etiam mendacium vero cedit, coramq́; preſſius intuente diaphanum eſt. Nemo ſub aqua diu viuit, erumpat neceſſe eſt, ac frontem quam celabat, apertat vt ventus ac molli aura paſcatur.*

Tertiò. Tertiò, ſicut ex vno vento plures generantur, iique contrarij, qui inter ſe cõfligunt & colluctãtur: ſic ex vno mendacio plura naſcuntur, eaque ſibi inuicem contraria & colluctantia.

Quartò. Quartò, ventus licet ſit tenuis & inanis, vtres tamen diſtendit: & mendaces turgent vento vanitatis & ſuperbiæ. Rurſum ventus canoras facit aues; nam cycni fauonio afflati canunt ſuauiùs. Erigitur enim alarũ denſitas: fidium neruos temperatos referens, & plectrum ſtatim zephyrus ſuggerit. Inſuper ſicut organa ſunt hydraulica, quæ aquâ aguntur: ſic ſunt anemaulica, quæ vento arte excepto harmonicè perſonant. Talia vidi Tuſculi, in quibus philomelæ aliæq; aues arte factæ inſtar viuarum philomelarum & auium, miro venti artificio canebant & modulabantur. Simili modo ventus vanitatis & oſtentationis agit mendaces, vt artificioſè & eleganter ſua mendacia concinnent atq; decantent: ſed ſicut in illis præter ſonum nullus eſt fructus, ſic & in his. Mendaces enim ſunt velut æs ſonans & cymbalum tinniens.

Quintò. Quintò, S. Baſil, hom. 6. Hexam. Vultures, inquit, & galli in aërias ſubuecti plagas ſolo ventorum flatu hauſtuque concipiunt oua, quæ quia ex vento ſunt, ideo irrita & inania ac ſubuentanea vocantur. Sic mendaces ex vento, id eſt ex diabolo, qui eſt pater mendacij, concipiunt mendacia, fraudes & dolos, quæ exteriùs ſpecioſa, intus inania ſunt, & in fumum euaneſcunt; quæ nullum paſcunt niſi diabolum, cuius ſunt oua & fœtus. Vnde D. Auguſt. l. 3. contra Creſcon. c. 9. *Porrò*, inquit, *ſi maledictus, qui ſpem ſuã poſuit in homine, quantò magis qui ſpem ſuam ponit in falſitate opinionis humanæ? vt in illud aliud incidat quod ſcriptum eſt: Qui fidit in falſis, hic paſcit vẽtos, id eſt, fit eſca ſpiritibus malignis.* De talibus ait Oſee. c. 10. 13. *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij: quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.*

Sextò. Sextò, ventus licet ſubtilis, ſubinde ita validus eſt, vt arbores, turres, domos ſternat & euertat: ſic mendacium, licet in ſe inane, tamen ſubinde fucis & fraudibus ita palliatur & armatur, vt inter reges & populos bella internecina concitet, ac vrbes, regna & imperia euertat.

Tropol. ventoſi ſunt & ventos paſcunt, qui vulgi opiniones & rumores conſectantur: & qui adulationibus propriis ac detractionibus aliorũ gaudent: hiſce enim multa permiſcentur mendacia. Nam vt ait Ierem. c. 9. 3. *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij.* Quare tales paſcunt ventos, & inſtar canum ſtolidorũ ſequuntur aues volantes, donec ſuam ſtoliditatem aduertentes ſero pœniteant eamque rideant & damnent. ita Hugo. Denique qui creaturis potiùs fidunt quàm creatori. Omnes enim creaturæ ventus & vmbra ſunt, ſi cum creatore conferantur. Vnde Pſaltes pſal. 4. 3. cõmiſerans exclamat: *Filij hominum vſquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Iſaias cap. 28. 15. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus, &c. Subuertet grando ſpem mendacij.* Et Ierem. c. 13, 25. *Hæc ſors tua parsq; menſuræ tuæ à me dicit Dominus, quia oblita es mei, & confiſa es in mendacio.* Et c. 16. 19. *Verè mẽdaciũ poſſederũ patres noſtri, vanitatẽ, quæ eis nõ profuit.*

Poſt gnomen iam explicatam Septuag. hoc loco ſubnectunt aliam, quæ nec in Hebræo, nec in Latina Vulgata extat, eſtque hæc: *Filius eruditus ſapiens erit, imprudente autem vtetur miniſtro*; eamque legit S. Auguſt. l. 16. de Ciuit. c. 2. & ſic explicat: *Solent impij pacem perturbare Sanctorũ; ſed hæc in vſũ cedunt proficientium, iuxta illud Apoſtoli: Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis. Vnde etiã ſcriptum eſt: Filius eruditus ſapiens erit, imprudente autem miniſtro vtetur* q. d. Dei prouidentia fit, vt impij, v. g. hæretici, exagitent fideles & pios, ad eorum probationem; vt ſcilicet creſcant in fide & virtute: quocirca imprudentes, id eſt impij eſto videantur dominari piis, reuera tamen miniſtrant & ſeruiunt: quia Deus eis quaſi miniſtris vtitur ad acuendam piorum virtutem & gloriam. Rurſum q. d. Filius in diſciplina eruditus & moribus compoſitus eſt ſapiens; ſæpè tamen Deo diſponente fit, vt miniſtrum habeat imprudentem, vt is exerceat, tum eius patientiam, tum prudentiam, vtque imprudens miniſter à prudente hero prudenter regatur, diſcatque prudentiam. Ad hæc ſerui, quia ſeruili ſunt ingenio, hinc ſi herum ſapientem, id eſt modeſtum piumque, nacti ſint, inſoleſcunt, eique moleſti ſunt: ſin durum & imperioſum, ceruices ſubmittunt. Sapiens ergo ſeruilia ingenia ſeruiliter tractet, vſurpetque illud Melaniæ apud Palladium in Lauſiaca c. 117. *Contra ſtolidas animi elatione, velut cane & accipitre vtendum eſt.*

Tertiò, & valdè oppoſitè ſic exponas, vt ſignificetur hic ſapientiæ vis, poteſtas, dignitas & maieſtas, quæ tanta eſt, vt etiam inſipientibus imperet & dominetur. q. d. Filius eruditus & prudens non tantùm ſibi ſapiens erit, ſed & alios regere poterit, imò imprudentibus & inſipientibus tamquam miniſtris uti nouerit: ſua enim ſapientia ſciet, quomodo domandi & regendi ſint, quibuſque miniſteriis applicandi, vt ſibi ſapere, aliis prodeſſe diſcant. Hoc eſt quod Salomonem ſecutus Eccleſiaſticus ait c. 10. 28. *Seruo ſenſato liberi ſeruient.* Vide ibi dicta.

QVI CONGREGAT IN MESSE (Chald. *qui operatur in æſtate*) FILIVS SAPIENS EST: QVI AVTEM STERTIT ÆSTATE (Chald. *in meſſe*) FILIVS CONFVSIONIS (Hebr. *filius confundens*, tam ſe, quàm ſuos parentes, domum & familiam. Eſt hoc præceptum vel monitum prudẽtiæ œconomicæ. Igitur grammaticè ad literã ſignificat, in meſſe æſtate laborandum eſſe agricolæ (quales fuere priſci patres, & plerique hominum primis mundi ſæculis) ex præcepto Dei Geneſ. 2. 15. & c. 3. 17. vt paret ſibi ſuiſque alimenta in hiemen: nam ſi otietur & ſtertat, ſinatque præterire meſſem, in hieme famebit, & mendicare cogetur, vel fame conficietur; quod ipſi ingens erit damnum, æquè ac confuſio & probrum. Huic gnomæ parallela eſt illa Ben Siræ alphabeto 2. litera. *lamet*: *Ne dormias in iuuentute tua, & in ſenectute tua ne ducas vetulam.* Nam quatuor ſunt ætates ſecundùm totidem partes anni. Pueritia eſt ver, æſtas iuuentus, autumnus ætas prouectior, hiems ſenectus. Atque ſicut æſtas apta eſt colligendis frugibus in hiemem, ſic iuuentus idonea eſt comparando viatico in reliquam vitam: quod non poteſt facere qui dormit & ſtertit, qui otioſus eſt & deſes, quo ſenſu dici-
Vers. 5.

dicimus: *Ius vigilantibus ſcriptum eſſe, non dormientibus.*

Æſtas ſymbolum iuuentutis.

Symbolicè ergo ſub cortice litteræ & parabolæ ſignificatur, Primò, laborandum eſſe in adoleſcentia, vt parentur alimenta ſenectuti. Rurſum in adoleſcentia ſtudendum ſapientiæ & virtuti, vt in ea fruamur in ſenectute. Adoleſcentia enim rectè vocatur æſtas & meſſis, quia vegeta, animoſa, feruida, ſtudio & laboribus apta, docilis, ingenioſa; ſicut enim formatur & aſſueſcit animus corpuſque ſiue virtuti vel vitio, ſiue labori vel otio in adoleſcentia; ſic durat & perſeuerat ferè per reliquum vitæ. Vnde Sept. vertunt, *incolumis* (legerunt ipſi pro אגר *oger*, id eſt congregans, aliis punctis אָגֻר *agur*, id eſt collectus, ſeruatus, incolumis) *euaſit ab æſtu filius intelligens, correptus autẽ à vento fit in meſſe filius iniquus.* q.d. Iuuenis ſapiens in adoleſcentia, quando ebullire ſolet ardor ſanguinis & concupiſcentiæ, ab eo immunis euadit: quia ardorem hunc reſtinguit domando & mortificando ſuas paſſiones: inſipiens verò, qui à vento ardente, ſiue vredine concupiſcentiæ, in adoleſcentia abripi ſe ſinit, *fit filius iniquus in meſſe*, id eſt in ſenectute, in qua homines metere ſolent id, quod ſeminarunt & didicerunt in iuuentute. Virtutes enim & vitia adoleſcentiæ adhærent homini vſque ad ſenium & mortẽ. Vredo eſt ventus vrens, qui ſiccat frumenta, putà ſpicas, vt inanes ſint, nec dent farinam: ita concupiſcentia ſiccat omnem virorem & medullam virtutis, facitque hominem inanem, omnique bono & virtute vacuum. Auctor verò Catenæ Græcor. verſionem Septuag. ſic explicat: q. d. Cruces & calamitates patienti animo acceptę vitam, impatienti autem mortem adferunt. *Vir intelligens*, inquit, *qui per cruces & calamitates non ſecùs excoctus & probatus eſt, atque aurum per incenſam fornacem probari ſolet, lætos iuſtitiæ fructus edit: contrariò vir iniquus ab iis etiam rebus, per quas melior alioqui euadere debebat, ſæpè corrumpitur & deprauatur, & omnino etiam perditur.* Dydim. ibidem: *Qui naturali* ait, *ſapientiâ & intelligentiâ valet, illum neque ſol exuriet per diem, neque luna per noctem. Per ardorem, vitæ huius curas & moleſtias deſignat. Illos verò qui propter iſtiuſmodi res deijciuntur & quaſi deficiunt, fœnum vocat. Chriſtus ſeruator noſter afflictiones & perſecutiones illas quæ propter Dei verbum interdum eueniunt, in Euangelica parabola æſtum appellat.*

& occaſionis rem bene gerendi.

Secundò, *æſtas* & *meſſis* eſt ſymbolum occaſionis, ſiue temporis idonei ad rem bene gerendam. q.d. Qui arripit occaſionem rei conficiendæ, dum illa ſeſe offert, ille ſapit: qui negligit, deſipit: nam *fronte capillata, eſt à tergo occaſio calua.*

& præſentis vitæ.

Tertiò, *æſtas* ſymbolum eſt pręſentis vitæ, hiems mortis & ſtatus futuri ſæculi, vbi nullum eſt laborandi & metendi tempus. q. d. Qui laborando congregat ſibi in hac vita merita bonorum operum, vt ex iis colligat præmia æternitatis, ille demum ſapiens eſt: qui verò in hac vita ea negligit, ac corpori, gulæ & luxuriæ inhiat & indormit, ille inſipiens eſt, & confundetur in die iudicij: quia tunc videbit ſe ob neglectum hoc tempus damnari, & cruciari in gehenna flammis æternis. Vnde ſapienter monet Eccleſiaſt. c. 9. 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quocirca D. Greg. Nazianz. in Teraſtichis, vitam præſentem ait eſſe nundinas; in quibus omnia mercari liceat, poſt eas nihil:

Hanc eſſe vitam nundinas credas velim,
Negotiari ſi ſcias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus,
Poſt tempus iſtud alterum non ſuppetet.

Hæc Nazianz.

Myſticè æſtus ſunt tribulationes.

Myſticè Hugo, Tribulationes, inquit & labores, quibus aſſiduè homines affligantur in hac vita, ſunt æſtus & æſtas, in qua magnum humilitatis, patientiæ, charitatis, ceterarumque virtutum meſſem colligere licet, qui ergo ſapit, tempus hoc captat: qui autem deſipit, impatientia, inertia & acedia ſua præterfluere ſinit & perdit. Huc facit exemplum formicæ propoſitum à Salomone c. 6. 6. *Qui parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Vbi multas formicæ & diligentiæ analogias recenſui.

BENEDICTIO DOMINI SVPER CAPVT IVSTI: OS AVTEM IMPIORVM OPERIT INIQVITAS] Vers. 6. Complut. & alij nonnulli legunt, *iniquitatem*; Hebr. *benedictiones ſuper caput* (vel *capiti*) *iuſtorum: os autem impiorum operit iniquitas*, vel *iniquitatem*, vt vertit Symmachus & Aquila; Theodot. *rapinam*; Vatabl. *iniuriam.*

Iam Primò, Vatabl. hunc dat ſenſum, q. d. Solet iuſtus benedici; impius autem ſemper cogitat malum, vt ſcilicet aliis inferat iniuriam, calumniam rapinam. Verùm hîc nulla apparet antitheſis inter iuſtum & impium.

Secundò, Caiet. q. d. Iuſti indoles & ingenium eſt aliis benedicere, id eſt bene præcari & benefacere, ſi poſſit: at *os impiorum operit iniquitas*, vel, vt ipſe vertit, *operitur iniquitate*: quia plenum eſt maledictionibus, calumniis, probris, &c. Hic clara eſt antitheſis inter benedictionem pij, & maledictionem impij.

Tertiò, aliqui *τὸ ſuper caput*, exponunt, *aperto capite, & ore iactat, Benedictio Domini ſuper caput, iuſti*, id eſt, inquiunt, iuſtus, quæ iuſtè peperit, & honeſtâ induſtriâ quæſiuit, oſtentat venditatq; palàm. Sic enim infrà dicitur: *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Et Actor. 20. v. 34. S. Paulus gloriabundus dicebat: *Ipſi ſcitis, quoniam mihi, & his qui mecum sũt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Contrà verò *Os impiorum operit iniquitatem*, vel, rapinam, vel iniuſtitiam (omnia in idem recidunt) id eſt, celat abſconditque lucra, nec audet palàm exponere artes & fraudes quibus ditatus eſt: fraudes enim & ſcelera, quia pudenda, lucem fugiunt, tenebras amant.

Quartò, q.d, *Benedictio*, id eſt gratia Dei, operit caput iuſti: at iniquitas & ſcelus operit os & caput impij. q.d. Gratia & peccatum, ſecernunt iuſtum ab impio: iuſto enim propria eſt gratia, impio peccatum. Quocircà opera iuſti ſunt opera gratiæ & virtutum: opera verò impij ſunt rapinę fraudes & ſcelera. Vnde Chald. vertit, *in ore impiorum operitur rapina.* Et R. Leui: *In iuſti*, inquit *caput benedictiones defluunt, nimirum vt ſit cordatus: iugiter enim verſabitur in cogitatione bonorum, vel etiam vox capitis innuit rei primordia: in exordio enim iuſtus patefacit benedictiones, quibus cumulatus incedit: impius verò iniquitatem, quam machinatur, occultat; ne, ſi detegat, explere vetetur. Significat ergo iuſtum, cùm aliquid aggreditur ſemper benedictione ſe auctum experiri: tum etiam cumulari ſe bonis, auxiliumq; præberi, vt optato fine fruatur; cùm nihil præter honeſta, vtq; aliis benefaciat, in votis habeat. Quare in negotij exordio ſperandum eſt ei benedictiones impenſum iri: ſi enim ceteri conſcij ſint cogitationis illius, libentiſſimè ſuppetias ferent. Impijs autẽ ſe-*

cùs

A *cùs contingit. Verentur enim ſemper, ne potiantur iis; quæ vehementer appetunt, ſi alij id perſpectum habeant: quamobrem occultum aliis eſſe crimen volunt, quod præſtare nefariè moliuntur. Quæ in re par pari illis refertur, cùm memoria iuſti ſit in benedictione,* &c.

Quintò, & genuinè, q.d. *Benedictio,* id eſt affluentia bonorum omnium, defluet, & quaſi è cælo depluet in caput iuſti: os autem & caput impiorum operiet iniquitas, id eſt pœna iniquitatis, quę quia iuſta, ita os eorum obturabit, vt ne mutire quidem, vel hiſcere, contra Deum vel homines audeant, iuxta illud pſal. 106. 42. *Videbunt recti, & lætabuntur; & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.* Impios ergo operiet confuſio, condemnatio & ſupplicium fraudum, mendaciorum, iniuriarum, aliarumque iniquitatum, quas ore & capite (ibi enim eſt ratio & voluntas) commiſerunt.

B Vbi Nota Primò, per *os* accipi caput & vultum ſynecdochicè; ſed dicit *os*: quia impij pleraſque fraudes iniuſtitias & ſcelera ore perpetrant. Secundò, *iniquitas* metonymicè ſumitur pro pœna iniquitatis tã hîc quàm alibi ſæpè. Vnde Septuag. vertunt, *os autem impiorum operiet luctum intempeſtiuum,* græcè πένθος ἄωρον, quod interpres Catenæ Græc vertit in nominatiuo, *planctus & luctus intẽpeſtiuus.* Vnde Origen ibidem hoc explicat: *Iuſto prudenti & ornato res quoque difficiles & afflictæ faciles euadunt: ſed aliter affecto etiam lenia & conſolationem quamdam habentia, difficiles videntur.* Senſus ergo Septuag. eſt, q.d. Citò impij, & ante tẽpus ab ipſis præcogitatum punientur, ideoque lugebunt; eſto ſubinde per confuſionem luctum ſuum celare, & vultum lætum præ ſe ferendo operire tegereque conentur. Rurſum erit hic planctus intẽpeſtiuus,
C id eſt ante tempus iudicij extremi & gehennæ; vt hic luctus ſit præludium planctus æterni. Tertiò, per *iuſtum* accipe quemlibet, ſed maximè miſericordem & eleëmoſynarium, hic enim peculiariter in Script. vocatur iuſtus: & his, vtpote beneficus, ſolet benedici à Deo & hominibus. Vnde huic aptè opponitur חָמָס *chamas,* id eſt violentia, iniuria & iniquitas, quam aliis inferre ſolet impius, ideoque in pœnam & ſupplicium incurrere, iuxta illud pſal. 108. 17. *Perſecutus eſt hominem inopem, & compunctum corde mortificare; dilexit maledictionem & veniet ei,* Quocirca noſter Salazar ſic exponit, q.d. *Benedictio Domini ſuper caput iuſti,* id eſt affluentia bonorum omnium miſericordi continget: *os autẽ impiorum operit iniquitas,* hoc eſt, iniquitatis pœna, putà Dei maledictio, inopia & egeſtas, incumbet
D immiſericordi & auaro, præſertim cùm in die iudicij cum ſui ſimilibus immiſericordibus audiet à Chriſto iudice: *Ite maledicti in ignem æternum. Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare;* cùm ex aduerſo miſericordes audient: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi, Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,* Matt. 25. Vnde S. Chryſoſt. hom. *quòd eleëmoſyna ſit ars omnium quæſtuoſiſſima: Eleëmoſyna,* inquit, *veſtis eſt, quæ cum homine reſurget: his veſtibus fulgebunt qui tunc audient: Eſurientem me vidiſtis,* &c.

Exemplum huius ſententiæ illuſtre extat in Ioſeph. Gen. 49. 25. quò hîc alludit Salomon: Iacob enim pater moriturus benedixit filio ſuo Ioſeph, iuſto & ſancto, dicẽs: *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus vberum & vuluæ,* &c. Vide ibi dicta.

VERS. 7. MEMORIA IVSTI CVM LAVDIBVS: ET NOMEN IMPIORVM PVTRESCET] Heb. *memoria iuſti*
A *in* (vel *ad*) *benedictionem;* Septuag. *memoria iuſti cum encomio, nomen verò iniuſti extinguitur;* Chald. *memoria iuſti benedictio;* Syrus, *in benedictione;* Tigurin. *memoria iuſti laudem habet* (Vatabl. *celebris eſt & plauſibilis*) *impiorum verò nomen ſordet;* Vatabl. *exoleſcet, putreſcet.* Senſus eſt, q.d. Iuſti memoria grata, ſuauis & honorata eſt, vt tam Deus quàm homines cordati cùm eius mentionem faciunt, eum benedicant, laudent, celebrent: impiorum verò nomen fama, exiſtimatio, laus, gloria ſenſim corrumpitur, ſordet, abiicitur & aboletur. Sic Abraham, Noë, Moſen, Aaronem, Dauidem, aliosq; iuſtos veteris teſtamenti laudat Eccleſiaſtic. c. 44. & ſequ. ac Apoſtolus Hebr. 11. Rurſum Aben Ezra ſic vertit & explicat: *Memoria iuſti cum benedictione,* hoc eſt recordabitur iuſti Deus ob benedictionem, quâ illum cumulabit, iuxta illud pſal. 113. 12. *Dominus me-*
B *mor fuit noſtri, & benedixit nobis.* Iuſti ergo recordabitur, eumdemque benedictione proſequetur, Nomen autem improborum putreſcet, id eſt obliuioni tradetur tamquam arbor putrefacta, quæ non ſuccreſcit. Et Baynus: Fieri poteſt, inquit, vt improbus dum ſcelus occultat, iuſti & probi viri fama aliquamdiu fruatur: ſed vt flos marceſcit paulatim; & caro putreſcit, quæ ſale non conditur: ſic fama impij carens fructu virtutis, & diuinæ ſapientiæ ſale, marceſcit & corrumpitur.

Eſt metalepſis *putreſcet,* id eſt, vti res putrida putebit & fœtebit. q.d. Impij erunt infames, iuxta illud Exodi 5. 21. *Fœtere feciſti odorem noſtrum coram Pharaone,* id eſt, inuiſos & abominabiles nos feciſti Pharaoni: *Habent enim mores ſuos colores, habent & odores colorem in conſcientia, odorem in fama,* ait S. Ber-
C nard. ſer. 7. in Cant. Itaque ex putredine intelligitur corruptio, ex corruptione fœtor, ex fœtore abominatio, & infamia infamiſque execratio. Fama ergo & gloria temporanea impiorum ſenſim atteritur, corrumpitur & putreſcit, vt omnes cordati cùm eorum meminerunt, eos vituperent, lacerent & abominentur, iuxta illud Mathatiæ de Antiocho: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt,* 1. Machab. 2. 62.

Aptè infamia impiorum comparatur putredini. *Infamia & putredo.*
Primò, quia putrefactio, fit cùm in toto pars aliqua corrumpitur, quæ ſenſim alias inficit & corrumpit. Sic unum vitium ſerpit ad aliud, & conſequenter vna infamia ad aliam, quæ ſenſim totum hominem inficit & maculat. *Primò.*

Secundò putrefactio fit, cùm partes putreſcentes ſeparantur à ſanis & integris; ſic infamia ori- *Secundò.*
D tur cùm vitia à virtutibus ſeparantur, cumque quis à conſortio proborum ſe ſeparat; & improbis ſociatur: hi enim ipſi ſuam improbitatem affricant, & infamiam afflant.

Tertiò, putreſcunt primò humida, deinde ſicca, cùm ſcilicet partes quæ corrumpuntur, ſegregant ſe à natura, ac à naturali ſua temperie caloris & frigidi, humidi & ſicci. *Quapropter & putreſcunt alia omnia excepto igne: etenim terra & aqua & aër putreſcunt* (quin & ligna & lapides ac metalla) *omnia enim hæc ſunt materia ignis,* ait Ariſtot. lib. 4. Meteorol. c. 2. Sic cùm quis à ſuo officio deſciſcit, putà ab ea moderatione quam requirit eius ſtatus & gradus, tunc vitium contrahit & infamiam. *Tertiò.*

Quartò, Ariſtot. ibidem putredinem ex ſuis principiis & cauſis ita definit: *Putrefactio,* inquit, *eſt corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriè, & ſecundùm naturam; caliditatis, ab aliena caliditate: hæc* *Quartò.*

autem

autem eſt, quæ ambientis. Quare, quoniam ſecundùm indigentiam patitur calidi, qua autem indigens tali virtute frigidum omne, ambæ vtique cauſæ erunt, & putrefactio communis paſſio, frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ. Propter hoc enim & ſicciora fiunt, quæ putreſcunt omnia, & tandem terra & fimus. Exeunte enim proprio calido, euaporat quod ſecundùm naturam humidum, & inducens humiditatem non eſt ampliùs: inducit enim trahens propria caliditas. Pari modo putreſcit anima ex frigore interno & calore externo, cùm ſcilicet in ea refrigeſcit amor Dei, & accenditur amor mundi, putà opum, honorum, voluptatum: per illum enim ſenſum euaporat omnis vitalis charitatis & virtutum ſuccus, eiuſque loco ſuccedet concupiſcentiæ tabes & corruptio.

Quin. Quintò, Ariſtot. ex dictis colligit res putrefieri faciliùs in æſtate quàm in hieme, in tepore quàm in feruore, in quiete quàm in motu. *Et in frigoribus* inquit, *minùs putreſcunt quàm in æſtu: in hieme enim paucum eſt in ambiente aëre & aqua calidum, quare nihil poteſt: in æſtate autem ampliùs. Et neque quod congelatum: magis enim frigidum quàm aër calidus, non igitur vincitur; mouens autem dominatur. Neque feruens aut calidum. Minor enim quæ in aëre caliditas ea quæ in re; quare non dominatur, neque facit tranſmutationem vllam. Similiter autem & quod mouetur & fluit, minùs putreſcit, quàm quod non mouetur: debilior enim fit motus, qui ab ea quæ in aëre caliditate quàm qui in re præexiſtit: quare nihil facit permutari. Eadem autem cauſa, & quare multum minùs quàm paucum putreſcat: in maiori enim amplior eſt ignis proprius, & frigidum, quàm vt dominentur, quæ in circumſtante, virtutes. Quapropter & mare ſecundùm partem quidē diuiſum cito putreſcit; totum autem non. Et alia aqua eodem modo.* Simili modo in æſtate, id eſt in proſperitate, faciliùs putreſcit virtus & fama per vitia quàm in hieme, id eſt in aduerſitate: ſimiliter in tepore potiùs quàm in feruore, atque in quiete potiùs quàm in motu, quo fertur ad bona opera. Hic enim motus calorem virtutis & claritatis acuit, qui omnem putredinem vitiorum excludit, æquè ac ſocietas iuſtorum, quæ eſt quaſi mare ſanctitatis, à quo ſi quis ſeſe ſeparat, facilè corrumpitur & putreſcit, vti videre eſt in apoſtatis Religionum.

Sexto. Sextò, ex putredine naſcuntur vermes & ſerpentes. Vnde illud Ouidij 15, Metamorph.

Sunt qui, cùm clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Porrò putidiora, magiſque fœda & horrida eſſe cadauera & vermes eorum, qui vacarunt delicijs, ventri, & veneri, quàm ſobriorum & caſtorum, docet ratio & experientia. Simili modo infames ob vitia generant ſerpentes, putà filios, nepotes, amicos, ſocios ſerpentinis moribus: hos enim verbo & exemplo ipſi docuerunt. Sic fama poſthuma & putida Arij, Lutheri, Caluini, Machiauelli etiamnum parit Arrianos, Lutheranos, Caluiniſtas, Machiauelliſtas, præſertim quia eorum diſcipuli & libri ſuperſunt qui eorum ſectam aſſiduè proſeminant. Nihil enim virulentius & peſtilentius libris hæreticis, magicis, amatoriis, ex hiſce enim multi hæreſin, magiam, amores condiſcunt & imbibunt.

Septimò. Septimò, Plinius remedium putredinis aſſignat mel. Sic enim ait lib. 32. c. 24. *Mellis talis natura eſt, vt putreſcere corpora non ſinat iucundo ſapore atque non aſpero, alia quàm ſalis natura.* Sicut ergo ſal ſuà ſalſedine, ſic mel ſuà dulcedine corpora à putredine præſeruat. Mel ſymbolum eſt bonitatis, benignitatis, affabilitatis, beneficentiæ: hæc enim homini optimam famam conciliat, omnemque infamiam dulcorat & emendat. Hinc de Ioſia dicitur Eccleſiaſt. c. 49. 1. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij, In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria.* Vide ibi dicta. Rurſum cedrus medetur putredini: nam, vt ait Plinius lib. 24. 5. *defuncta corpora incorrupta æuis ſeruat, viuentia corrumpit, mira differentiâ, cùm vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit.* Hinc cedro digna, vocantur digna æternitate: cedrus enim quia incorruptibilis, immortalitatis & æternitatis eſt ſymbolum. Cedrus autem ſymbolum eſt ſapientiæ, integritatis & roboris, vti fusè oſtendi Eccli. 24. 17. Inſuper balſamum medetur putredini, quia ſuccum odoratum fortemque ſuggerit, quo corpora quaſi alantur & ſeruetur. Balſamum ſymbolum eſt odoratarum & ſanctarum actionum, quibus alitur fama & gloria nè putreſcat. Vnde Plutarch. in Moral. *Delicatum,* inquit, *nauigium dum ſubinde ſarcitur & reconcinnatur: perpetuum in multa ſæcula redditur: ſic famæ ſemper aliquid addendum eſt, ne putreſcat.*

SAPIENS CORDE PRÆCEPTA SVSCIPIT: STVLTVS CÆDITVR LABIIS] *τὸ corde* cohæret cum *ſapiens*, non cum *præcepta*, vt patet ex regimine Hebræo. Pro *cæditur* hebr. eſt ילבט *illabet*, quod Septuag. vertūt, *ſupplantabitur*; Chald. *capietur*. Theodot. φυράσεται, id eſt *fermentabitur*, inſtar fermenti ſubigetur & macerabitur; Aquila, *vapulabit*; Symmach. *torquebitur*: Baynus, *corruet*, R. Ioſeph. *claudicabit*; R. Salomon, *fatigabitur*; Tigur. *in varia incurrit*, Marinus, Vatabl. & alij paſſim, *impingit, offendit*. Omnes hæ verſiones eòdem redeunt. Vers. 8.

Primò ergo ſenſus planus eſt, q. d. Is qui *corde*, id eſt verè ſapit; admittit Superiorum & magiſtrorum præcepta libenter, patitur ſe ab eis doceri & moueri: at ſtultus cæditur labiis docentis & corripientis, quia moleſtè eſt ei audire docentem, ſuoſque delictus redarguentem: quare quot verbis corripitur, tot quaſi flagellis cæditur & caſtigatur, ita Beda, Lyran. Ianſen. Baynus & alij, atque hoc ſenſu clara eſt antitheſis ſapientis & ſtulti.

Secundò, *ſtultus cæditur labiis* propriis, &, vt Chald. vertit, *labiis ſuis capitur*, quia ſcilicet temerè multa effutiens, Superiori obmurmurans, detrahens, minans, facilè à circumſtantibus mendacij, vel ſeditionis, fraudis, calumniæ, maledicentiæ &c. arguitur: imò non rarò pœnas dat; itaq; labiis ſuis petulantibus cæditur, id eſt, ſibi ictus, plagas & verbera accerſit. Vnde Pagnin. vertit, *propter labia punietur*. Opponit ergo ſapientem ſtultò, quòd ille doctrinam, monita, leges, edicta Superiorum, tacens, patiens libenterque excipiat, hic verò garrulus & tumultuoſus iis obſtrepat, obmurmuret, multaque in Prælatos & Superiores deblateret (vti videmus fieri cùm nouæ leges conduntur & promulgantur) ob quæ punitur, grauiaq; ſibi damna accerſit. Horum enim ſtultitiam perſtringit hic Sapiens. Hic ſenſus valdè eſt appoſitus.

Tertiò, *τὸ labiis* ex Hebræo necti poteſt cum *ſtultus*, nō cum *cæditur*, vt ſit antitheſis inter ſapientem corde & ſtultum labiis, vel vt Caietan. vertit, *ſtultum labiorum*. Vnde Septuag. vertunt, *qui non eſt tectus* (malè aliqui legūt *rectus*, pro *tectus*; hoc enim eſt ἄστεγος) *labiis obliquans ſupplantabitur. Stultus labiis* vel *labiorum* dicitur, qui temerè loquitur, & quidquid in buccam venit effutit, qui nil celare, nil diſſimulare poteſt ſed iram, odium, æſtuſq; animi verbis

verbis prodit, qui præceps eſt ad loquendum, vt priùs velit docere quàm diſcere; vt ſenſus ſit,q.d. Qui corde ſapit,non temerè ore loquetur, quod corde ſentit, non ſubitò ad docendum proſiliet; ſed potiùs malet alios audire, & ab eis præcepta vitæ ſuſcipere. At qui ſtultus eſt, tam corde quàm ore & labiis, temerè proſiliens ad eloquendum quidlibet, ad docendum potiùs quam ad diſcendum; hic impinget & offendet tum ad culpam prauiloquij, tum ad eius pœnam:nam nunc offendet veritatem per mendacium, nunc charitatem per detractionem, nunc reuerentiam per nimiam libertatem, nunc pacem per lites & diſſidia, &c. ac conſequenter offendet, id eſt, pœnas dabit harum culparum,vt nunc mendacij redarguatur,nūc vt calumniator puniatur,nunc vt ſeditioſus capite plectatur. Vnde Arabum eſt prouerbium: *Caue vt ſeriat lingua tua collum tuum.* Non rarò enim homines ob linguæ incontinentiam capite mulctantur. Quocirca monet D. Iacobus c.1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum,tardus autem ad loquendum.*

Porrò,quod Theodot. vertit,*ſtultus labiis fermentabitur*, notat qualitates fermenti competere ſtulto:ſcilicet ſtultum,dum labiis monitorum corripitur,inſtar maſſæ fermentatæ vi fermēti,id eſt correptionis, Primò, ira inſlammari,& ſuperbia intumeſcere; Secundò, in acorem & amaritudinem verti, vt in corripientem inſurgat,eumque litibus & probris laceret; Tertiò, hanc ſuam amaritudinem per totam maſſam, id eſt totum populi cœtum,ſpargere. Quartò,& genuinè, τὸ *fermentabitur* notat eum inſtar maſſæ fermentatæ pinſentium manibus ſubigi,id eſt verbis & verberibus cædi, confundi,macerari,cruciari; vti vertit Noſter & ceteri omnes. Addunt aliqui fermentum hic accipi pro malitia,q.d. Sapiens præcepta virtutis auidè excipit & haurit:at ſtultus gaudet labiis,quæ fermentum,id eſt malitiam, putà amores, impudicitiam,obſcœnitatem, rixas, rebelliones ſuggerunt. Vnde iis ilicò fermentatur,id eſt inficitur,polluitur, corrumpitur: iuxta illud, *Quia inflammatum*, aut,vt alij vertunt,*fermentatum eſt cor meum, & ego ad nihilum redactus ſum,& neſciui*.pſalm.72.21. Quæ verba D. Auguſt.& alij accipiunt de ardore libidinis,qui renes vrit.

Rurſum,quod R. Ioſeph vertit,*ſtultus labiis claudicabit*,ſignificat Primò, ſtulti ſermones claudicare, id eſt deficere ac defectibus ſcatere, eſſeque mancos & mutilos, ſcilicet veris falſa miſcere,honeſtis turpia,prudentibus imprudētia,aptis inepta. Secundò, eos opere non exequi, quod ore docent. Claudicat enim oratio,cùm ei ex æquo non reſpondet operatio: oratio enim & operatio ſunt velut duo pedes doctoris & concionatoris,vti docet D.Chryſoſt.hom.26.ad Popul.

Denique Septuag. vertunt ὁ δὲ ἄστεγος χείλεσι σκολιάζων ὑποσκελισθήσεται, id eſt, *qui autem non tectum eſt labijs obliquans*(Roman.*peruersè agens*) *ſupplantabitur.* στέγος enim eſt tectum; nam στέγω idem eſt quod tego, celo,ſuffero, patior, tolero. Vnde ἄστεγος idem eſt, quod carens tecto, peregrinus, impatiens,qui nil,licet ſecretum,celare,nil ſufferre valet, intolerabilis. Garrulus ergo eſt ἄστεγος.quia eſt inſtar domus habentis oſtium (os enim eſt oſtium) ſed carentis tecto, ideoque omnibus aëris iniuriis obnoxiæ: ſic enim garrulus omnium riſibus probris & ſannis exponitur. Vnde Plutarch. in Moral. *Sicut ædium*,inquit,*oſtio carentium nulla eſt vtilitas,ita multò magis oris clauſtro carentis nullus eſt vſus.* Senſus ergo eſt q.d. Loquax ſimilis eſt peregrino,qui carens tecto & domo per vias & regiones incognitas oberrat,ſæpiuſque à via aberrat & obliquas carpit ſemitas, quibus in auia fertur, ac ſubinde in lapides impingit, in foſſas, rupes & præcipitia rapitur. Simili enim modo loquax de rebus incognitis, in quibus hoſpes & peregrinus eſt, ſermocinatur linguaque oberrat. Vnde neceſſe eſt eum ſæpè à vero, recto,honeſto & prudenti aberrare, ac in falſa,torta,turpia, inſulſa & inepta impingere, ob quæ verbis & verberibus vapulabit. Vt verbo ergo rem omnem complectar. *Qui temerè quiduis effundit,ſemper ferè impingit.* Nam lingua alios flagellans,ſibi ipſi maximum eſt flagellum. Vide quæ de damnis linguæ dixi Iacobi. 3.5.& Eccli. 28.v.16.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit. Septuag. *qui ambulat ſimpliciter*(Aquila & Symmach. *in ſimplicitate*) *ambulat fidens, qui autem diſtorquet vias ſuas, cognoſcetur.* Aliqui pro *cognoſcetur* vertunt, *contereretur*,quaſi ידע *tada*, id eſt *cognouit*, per commutationem literæ ד cum affini ר, aut potiùs per catachreſin, ſit idem quod ירע *tara*, id eſt *contriuit*; ſic enim Iudic.8.16. cognoſcere aliquem in ſpinis, hebraiſmo ſignificat aliquem ſpinis flagellare & conterere, ita R.Salomon, Aben Ezra, Pagnin. & Caiet. Verùm ceteri omnes vertunt,*cognoſcetur*, non *contereretur*,*iada* enim propriè ſignificat cognoſcere. Hugo τὸ *ſimpliciter* exponit *humiliter*,q.d.Qui ambulat in humilitate ſuique contemptu,hic fidenter ambulat: quia cùm ſe imo collocet loco, nō habet quò vlteriùs cadat & deſcendat; quare non timet depreſſionem & honoris iacturam,quam ſuperbi ſummè metuunt. Aut,inquit, *ſimpliciter ambulat*,qui vnâ tantùm viâ quæ eſt Chriſtus,ambulat, ſcilicet qui Chriſti vitā & virtutes ſequitur. Verùm dico *qui ambulat*,id eſt viuit,agit,conuerſatur, *ſimpliciter*, id eſt innocenter, candidè, ſine fictione & dolo,integrè, perfectè; hic *ambulat confidenter*, id eſt intrepidè, tutò, ſecurè,animosè fidenter. Vnde hebr. eſt. *ambulans in integritate* (Chald. *qui ambulat in perfectione*, Pagnin. *perfectè*) *ambulat in ſpe*. Ratio eſt, quia innocentia,cādor & integritas nihil timet, nullius oculos veretur; ſed apertâ fronte, vultuque ſereno & intrepido,vtpote bene ſibi conſcia, palàm,coram Deo,angelis & hominibus incedit: optat enim ſua omnibus patere,quia laude digna ſunt; nec quidquam agit, cuius eum pudere aut pœnitere debeat. Nec ergo puniri,nec confundi, nec in fictione & fraude deprehendi metuit. Ita D.Greg. 3.p. Paſtor.c.12. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat cōfidenter. Fiducia quippe*,inquit, *magnæ ſecuritatis, eſt ſimplicitas actionis.* Incedit igitur confidenter, id eſt Primò,intrepidè; Secundò, apertâ fronte, & palàm coram omnibus; Tertiò, fidenter, & vt vertit Syrus, *in ſpe*; quia fidit de Dei ope & protectione, quòd ſcilicet Deus eius innocentiā tutabitur contra omnes hoſtium calumnias & inſidias: dicitq; cum Pſalte pſal.26.1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea,quem timebo?* quodq; Deus omnia aduerſa ei in bonum & ſalutem conuertet,iuxta illud: *Diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum*,Rom. 8. Et *Quis eſt qui vobis noceat,ſi boni æmulatores fueritis?* 1.Pet.3.13. Vnde Beda: *Facilè*, inquit, *ſpernit aduerſa qui ſe per iſthæc ad gaudia æterna venturum ſperat,dicens*

VERS. 9.

eum Propheta: *Dominus deſenſor vitæ meæ, à quo trepidabo?* Ex aduerſo, *qui deprauat vias ſuas*, id eſt, qui prauè agit, ac præſertim qui fraudulenter & fictè operatur, *hic manifeſtus erit:* fictio enim & prauitas diu latere nequeunt, quin ſe indicio aliquo prodant & deprehendantur: quare tunc homini pudorem & pauorem, inſuper & noxam pœnamque afferũt. Eſt hic, vti & in alijs prouerbijs, antitheſis, ſed tecta metalepſi, quâ côſequens ex antecedente; & metonymia, quâ effectus ex cauſa, & vice verſa intelligitur. Igitur *hic manifeſtus erit* opponitur τῷ *confidenter ambulat*: quia prauè ambulans cùm metuat ſuę prauitatis & fraudis manifeſtationem, ſemper incedit pauidus; poſtquam verò illa manifeſtata fuerit, incedit confuſus & anxius: cùm iuſtus incedat confidens, id eſt impauidus, liber, interritus, *Semper enim præſumit ſæua perturbata conſciẽtia*, Sapien. 17. Et vt ait Iob c. 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus eius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Non credit quòd reuerti poſſit de tenebris*, Quocirca verè S. Cypr. epiſt. 3. li. 1. ad S. Corneliũ Pontif. de fraudibus Fortunati: *Hæc eſt*, inquit, *frater, vera dementia, non cognoſcere & neſcire, quòd fallacia non diu fallunt. Nox eſt tamdiu, quamdiu eluceſcit Dies: clarificato autem die & ſole eborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur latrocinia, ceſſare neceſſe eſt.*

Iuſtus eſt intrepidus.

Moral. diſce hic quanta ſit vis & robur ſimplicitatis, candoris & innocentiæ, vtpote quæ faciat hominem metus expertem, in periculis lætum, in aduerſitate fidentem, denique caſibus omnibus, ipſaque morte ſuperiorem & celſiorem. Vnde auctor Operis imperfecti apud S. Chryſoſt. hom. 25. in Matth. *Sicut*, inquit, *ſi breuẽ ſcintillam in magnum deieceris profundum, ſtatim extinxeris: itidem & omnis triſtitia ſuperabundantia in bonam miſſa conſcientiam, extinguitur facilè.* Et Plutarch. in Moral. *Vt nepenthes herba*, inquit, *ab Homero prædicata, addita poculis omnem triſtitiam diſcutit* vnde græcè dicitur *nepenthes*, quaſi νὴ πένθος, id eſt *ſine dolore*) *ita bona mens inſita nobis omnem vitæ ſollicitudinem abolet.* Denique S. Gregor. li. 12. Moral. *Nihil eſt*, inquit, *quod pati ab alijs ſimplex formidet: habet enim quaſi artem quamdam ſuam ſimplicitatem, nec ſuſpectus eſt pati, quod ſe feciſſe non meminit. At contrà mens praua ſemper in laboribus eſt, quia aut molitur mala quæ inferat: aut metuit, ne ſibi hæc ab alijs inferantur.*

Exempla.

Exempla ſunt in Vitis Patr. Abbas Theodorus dicebat: *Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* Popoſcerat enim precibus à Deo, vt auferret ab eo formidinem. Abbas Siſois orans pro diſcipulo à dæmone correpto: *Deus*, inquit, *vis non vis, non dimitto niſi curaueris eum*; & curatus eſt. Alius ſenior ingreſſus ſpeluncam leonis frementis: *Quid anguſtiaris*, inquit, *ô leo? eſt locus qui capiat te & me, ſi verò non vis, egredere hinc.* Leo autem non ferens, egreſſus eſt inde foras. Sic S. Antonius confidens in Deum, riſit omnia dæmonum ſpectra, & S. Athanaſius omnes Arrianorum perſecutiones. S. Pachomius fiducia in Deum ſerpentes calcabat, & crocodilos domabat. Æneas Syluius narrat Alfonſum regem rogatum quiſnam foret liber? reſpondiſſe.

Sapiens, ſibique imperioſus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

Celebre eſt illud P. Syri: *Nocens precatur, innocens iraſcitur.* Hinc innocentiæ ſymbolum eſt ſalamandra in ignibus illæſa, de quo Poëta:

Ambulat in medios ſalamandra illæſa per ignes,
Nempe illæſa manet ſemper & integritas.

Et echinus in pilam conuolutus contra canes, de quo Poëta:

Integritas virtuſq; ſuo munimine tuta,
Non patet aduerſis morſibus inuidiæ.

Vnde pingitur innocentia intrepida hoc lemmate: *Nil fulgura terrent.*

Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri,
Fortunæ inſultus deſpicit integritas.

Sic S. Petrus innocens, poſtero die capite plectendus ſecutus dormiebat in carcere: Actor. 12. & Daniel in lacu leonum. *Inuicta vis ſemper ſua innocentia eſt.* Memorabile eſt quod ſcribit Oſorius lib. 8. de Geſtis Emmanuelis. Albuquercium Proregem Indiæ rerum geſtarũ gloria inclytum, in graui tempeſtate arrepto puero dixiſſe: *Huius innocentia fretus, confido me Chriſti benignitate è fluctibus emerſurum.* Audijt Chriſtus adfuit & emerſit. Tanta eſt aliena apud Deum innocẽtia, quanti ergo propria? nimirum *ſecuritatis mater innocentia eſt. Nam vera innocentia ne quidem inimico nocet.*

Qvi annvit ocvlo, dabit dolorem: et stvltvs labiis verberabitvr] id eſt punietur, cruciabitur tum in hac vita, tum in futura. Vnde Salonius: *Verberabitur*, inquit, id eſt *cõdemnabitur, propter verba iniqua quæ locutus eſt.* Vers. 10.

Difficile eſt videre connexionem prioris partis cum poſteriore. Dico breuiter, ea nectenda eſſe partim per antitheſin hoc modo, q. d. Qui petulanter annuit oculo, dat alijs dolorem; at ſtultus, qui petulanter loquitur, labijs dat ſibi ipſi dolorem, quia ab ijs, quos verbis læſit, verberabitur. Comparat enim linguam effrẹnem & petulantem cum oculo effrẹni & petulanti, quòd hic alijs, ille ſibi dolores & plagas conciliet. Partim per ſimilitudinem hoc modo, q. d. Qui annuit oculo ſimilis eſt ſtulto labijs. Sicut enim annuens oculo tibi, æquè ac alijs affert dolorem & plagas, dum ob ſuos nutus & nictationes plectitur & verberatur: ſic pariter & ſtultus labijs tam ſibi, quàm alijs parit dolores & plagas. Nam ſicut alios lingua verberat, ſic viciſſim ab eis & verbis & plagis caſtigatur ac verberatur. Igitur ſicut v. 8. ſtultum labijs oppoſuit ſapienti corde; ſic nunc eumdem componit & comparat cum annuente oculis: pluribus enim ſententijs hic vitium & petulantiam linguę inſectatur. Porrò, aptè comparat ſtultum labijs annuenti oculis: quia ſtulti, id eſt impij, ſcelus, quod palàm eloqui non audent, innuunt oculorum nictu: vnde vt idipſum labijs inter ſuos, ſic nutibus oculorum apud alios eloquuntur: tam ergo oculis, quàm labijs ſermocinantur.

Porrò, annuere oculis ſolent homines varijs de cauſis. Primò, ex laſciuia & libidine: ſic enim iuuenes puellas ad ſe pelliciunt nictatione oculorũ. Primi enim amoris indices & illices ſunt iactus oculorum. Hi dant dolorem tum marito vxoris, cui annuunt, quia mouẽt ei zelotypiam, tum ipſi vxori, quæ idcirco à marito vapulat: tum ſibi ipſi, quia exponit ſe periculo, ne à marito velut adulter occidatur. Ita exponit Clemens Alexandr. lib. 3. Pędag. *Laſciuus*, inquit, *aſpectus, & verſatilibus, & tamquam conniuentibus oculis intueri, nihil eſt aliud, quàm oculis mœchari, cũ per oculos cupiditas ineat prima pugnæ prœludia. Annuens enim oculo cum dolo, viris congregat mœrores. Talem vtique effeminatum Sardanapalum regem*

gem Aſſyriorum in lecto pedibus ſurſum ſublatis purpurā carpentem, & albuginem oculorum verſantem pingunt. Quæ hæc exercent mulieres, ſuo motu ſui ipſarum len ę ſunt.

Secundò, annuunt oculis adulatores, ijdem ſunt ſtulti labijs: quia eiſdem cęduntur. ita noſter Salazar. q. d. Adulator annuendo oculis, & probando vitia aliorum, ijs, quibus adulatur, dolorem infert: quia cauſa eſt, vt ipſi vitia vitijs adijciant, ob quę deinde in graues dolores & pœnas incurrunt: vnde idem quaſi ſtultus labijs verberabitur: quia ab eo cui adulatus eſt, cuique cauſa fuit dolorum, tandem reportabit plagas & vulnera. Quocirca Plutarch. in Moral. *Vt pictura*, inquit, *eſt tacita poëſis, ita ſilentio ſæpè laudat adulator, ſcilicet vultu, nutu & obſequijs.* Et maximus ſerm. 11. *Vt corui*, ait, *inuolantes cadauerum oculos effodiunt, ſic adulatores ſuis adulationibus oculos, rationem ſcilicet & mentem corrumpunt* κόλαξ ergo eſt κόραξ, id eſt *adulator eſt coruus*. Vnde illud, κρεῖττον εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν id eſt, *ſatius eſt in coruos, quā in adulatores incidere.* Hos cauendos monet Eccleſiaſtes c. 7. 6. *Melius eſt*, inquit, *à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Nam vt ait S. Auguſt. in pſ. 59. *Plus perſequitur lingua adulatoris, quàm gladius perſecutoris.* Adulator ergo eſt ſimilis polypo, ait S. Baſil. hom. de legend. libris. Gentil. *Nam quod iuſtum eſt*, inquit, *apud eos qui iuſti rationē habent, laudat apud iniquos, ſtatim vituperat more polypi, qui colorem terræ quem attigerit, reddit.* Vide Plutarch. in Compar. adulatoris & amici.

Tertiò, annuunt oculis irriſores. Hi enim dolorem dant irriſo, & ſæpè ſibi ipſis. Qui enim irrident alios, viciſſim irridentur ab ipſis, & irritiones ſuas ſimili irriſione, aut etiam plagis & verberibus luunt: irriſor ergo annuens oculis dat dolorem aliis, ideoque viciſſim ipſe quaſi ſtultus labijs ſuis verberatur, dum ob labia ſua irriſoria verbis & verberibus mulctatur, ita Aben Ezra, Beda & Caieta. Vnde Hebr. קרץ *carats* propriè ſignificat excidere, incidere, indeque per metaphoram annuere oculis: quia nictans, oculos quaſi incidit & palpebras in illa crebra & ſępiùs repetita nictatione, eoque ſigno videtur pariter incidere honorem illius, quem nictando irridet. ita Marinus in Lexico.

Quartò, fures, proditores, latrones, alijque facinoroſi oculis annuunt ſocijs, vt ijs ſecretò innuāt, modum & tempus perficiendi furti, proditionis, cædis, ſimiliſve ſceleris, in quod antè occulta fœderatione conſpirarunt. ita R. Salomon, R. Leui & Baynus.

Quintò, & maximè appoſitè, annuunt oculis ficti, ſimulati, doloſi hypocritę, qui ſimulant ſe amicos, & data occaſione inimicitiam, quam corde fouent, exerunt, amicumque incautum ſupplantant. Vnde Septuag. vertunt, *qui annuit oculo cum dolo* (Syrus, *cum fraude*) *congregat viris triſtitias.* Sic enim in Script. præſertim apud Salomonem annuere oculis dicuntur doloſi & fraudulenti, vt cā. 6. 12. *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, &c. prauo corde machinatur malū.* Alludit ad illud Dauidis patris ſui pſa. 34. 19. *Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis:* quod explicans ſubdit: *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terrę loquentes, dolos cogitabant.* Accedit Tigur. quæ ſic vertit, *qui annuit oculo, negotium faceſſet: ſtultus autem labijs ſuis in varia incurrit*, id eſt, inquit Va-

A tabl. *qui fucatus eſt, multumq́; fingit, grauiter lædet: qui autem ſtultè loquitur, parum lædit, quia ſtatim deprehenditur.*

Denique ſic Salomonem interpretatur eius de more aſſecla Eccleſiaſticus c. 27. 25. dicens: *Annuēs oculo fabricat iniqua, & nemo eum abijciet: in conſpectu oculorum tuorum condulcabit os ſuum, & ſuper ſermones tuos admirabitur: nouiſſimè autem peruertet os ſuum, & in verbis tuis dabit ſcandalum,* & conſequenter *dolorem*, vt ait hîc Salomon.

Porrò Septuag. pro ילבט *illabet*, id eſt *verberabitur*, legentes ישלם *ieſcallem*, id eſt *pacificabit*, vertunt, *qui annuit oculo, cum dolo congregat viris triſtitias: qui autem arguit cum libertate, pacificat.* Septuag. B d. more ſequitur Syrus, *Qui*, inquit, *annuit oculo cum fraude, colligit mærores: qui manifeſtè reprehendit, pacem conciliat.* q. d. Qui occultè annuens oculo, doloſè vitia alterius ſubſannat, aut ei malum machinatur, hic illum mœrore afficit: tum quia illum irridet, aut malum molitur; tum quia occultè & doloſè id facit: at qui vitia alterius manifeſtè redarguit, hic pacem conciliat, quia redargutione ſua facit, vt correptus corrigat vitia, quæ erant cauſa odiorum & litium; itaque redeat pax priſtina inter amicos, ſocios & ciues. Aut, vt auctor Catenæ Græcor. q. d. Sapiens per liberam vitiorum increpationem ſępè peccatorem ad pœnitentiam & frugem adducet: at fraudulentus nihil ſerij, niſi dolorem & inimicitiam.

Vers. 11. VENA VITÆ OS IVSTI: ET OS IMPIORVM OPERIT INIQVITATEM. Aliqui legunt, *iniquitas*. Vnde Syrus, *& os impiorū tegit iniquitas:* Arabicus *fons vitæ in manu iuſti, & os impij obturat pernicies*. *Venam vitæ* nonnulli accipiunt venam ſanguinis: in ſanguine enim conſiſtit anima & vita. q. d. C Sicut vena iugiter continet ſanguinem vitalem, eumq; per corpus diſpergens illi dat vitam: ſic pariter os iuſti manat verba ſanguinea, id eſt vitalia, quæ vitam animabus audientium afferant. Verùm *vena vitæ* hic vocatur *fons vitæ*, vt vertunt Septuag. Chald, Aquila, Symmach. & ſic vertit Noſter pſal. 35. 10. *Quoniam apud te eſt fons vitę*, iā *fons vitæ* dicitur, qui iugiter aquas viuas, id eſt fluidas, limpidas, dulces & ſalutiferas, effundit: aquę enim mortuæ viuis oppoſitæ vocantur aquæ quietæ, quæ non fluunt ideoque putent, amaræ ſunt & ſalſæ, ac noxā afferunt, quales ſunt in ſtagnis & paludibus. Vnde & mare mortuum vocatur lacus Aſphaltites, tum quia ſtagnat, tum quia nec piſcem, nec vllum viuens alit. Senſus ergo eſt. q. d. Os iuſti eſt vena & fons vitæ: quia iugiter eructat verba vitalia, quæ ſcilicet audientibus aſpirant vitam gratiæ, docet D enim eos rectè viuere, vt à Deo vitam beatam & æternam cōſequantur. E contrario *os impiorum in ſe operit* & concludit *iniquitatem*, ita vt ſit quaſi vena & fons iniquitatis, quæ iugiter ebullit verba iniqua, luxurioſa, detractoria, blaſphema, fraudulenta, iniuſta, impia, quæ audientibus perniciem & mortem afferūt. Vnde hebr. eſt, *os impiorum operiet rapinam*; Tigur. *violentiam*; Chald. *iniuriam.* Ita Aben Ezra, *Os iuſti*, ait, *eſt tanquam fons vitam aſſerens ijs, qui ab illius ore diſciplinam hauſerint. Igitur ab eo vita emanat, cùm alios morum inſtitutione conformat.*

Os ergo impiorum eſt quaſi ſtagnū aquis mortuis, id eſt rebus verbiſq; putidis, inhoneſtis, noxijs & peſtiferis, quæ in alios effundit, reſtagnans: imo os impij eſt quaſi mare mortuū omnia mortifi-

tificans, & iugiter ſulphureos vapores,id eſt infernales concupiſcentias & paſſiones,exhalans. Illud ergo *operit iniquitatem*,vel *iniquitas*. Primò,quia ita plenum eſt iniquitate,vt ipſa iniquitas quaſi exundans reſtagnet & operiat os eius. Secundò, quia operit & celat ore iniquitatem,quam machinatur & premit corde. Tertiò,quia iniquitas, id eſt iniquitatis pœna, in eius velut auctoris os redit, ipſumque confuſione & dolore cooperit. Nota,ſub ore intelligi & cor. Cor enim propriè eſt vena & fons vitæ & mortis, id eſt ſermonum vitalium & lethalium,ſed cor ita annexum eſt ori,& viciſſim os cordi, vt vnum idemque in homine eſſe videantur. Accedit Hugo,qui ſic exponit,q.d.Os iuſti eſt quaſi purus fons aquę, quia cādidè ſui cordis ſenſa promit, nihil fingit, nihil celat,at os impiorum operit & celat iniquitatem,quam corde machinatur,vt ſuo tempore eam operetur in aliorum perniciem.

Rurſum Lyran. hæc adaptat confeſſioni peccatorum.q.d. Os iuſti verè pœnitentis emanat vitales aquas puræ & ſinceræ confeſſionis peccatorum, per quam veniam vitamque gratiæ conſequitur,at os impœnitentis & impij operit ſua ſcelera; itaque manet in morte & peccato mortali. Fusè & eleganter hæc confeſſioni accommodat noſter Salazar. Verùm hæc arctior eſt explicatio:Sapiens enim generatim loquitur,magiſque agit de verbis ſalutiferis doctorum, monitorum, confeſſariorum,concionatorum,quibus audientes ad virtutem vitamque gratiæ excitent: hi ergo ſunt venę & elices vitalia verba in omnes emanantes. Adde confeſſionem ſacramentalem tempore Salomonis necdum fuiſſe inſtitutam: ac peccatorem confitentem necdum poſſe vocari *os iuſti*, ſed pœnitentis.

Myſticè, Hugo: Vena vitæ eſt os iuſti, id eſt Chriſti,inquit,qui eſt iuſtus antonomaſticè: quia Sanctus ſanctorum: nam Chriſti verbo multæ animæ à morte peccati ad vitam gratiæ, ac multa corpora à morte naturæ ad vitam humanam reuocata ſunt.

Porrò Septuag.vertunt,*fons vitæ in manu iuſti: os autem impij operiet perditio*; quod noſter Salazar fusè & eleganter more ſuo explicat de eleēmoſyna, q.d. Eleēmoſyna in manu iuſti eſt quaſi *fons vitæ*,id eſt fons vitalis & perēnis,qui iugiter fundit, imò eructat aquas beneficentię & largitionum:os autem impiorum, id eſt orificium fontis, putà liberalitatis impiorum,operit perditio,putà perdita cupiditas & auaritia,quâ omnia corradere,nil elargiri volunt. Et ſic S.Baſil.hom.in diteſcentes auaros,& S.Chryſoſto.hom,55.ad Populum,docent beneficentiam eſſe quaſi fontem ex quo iugiter bona & dona omnia ſcaturiant:quia quantum ſupernè exhauriunt dando, tantùm infernè ſcaturit recipiendo: vti fit in puteis & fontibus. Verùm priorem ſenſum exigunt Hebræa, Chald. Syrus, Aquila, Symmach. & Noſter, agitur enim hîc de ore & verbis,non de manu & eleēmoſyna. Quare Septua. ne à textu originali cæteriſque interpretibus diſſentiant,ſic exponendi ſunt,q.d. Fons vitę eſt in manu, id eſt in poteſtate, putà in ore iuſti, quo ad libitum promit verba vitalia. Vnde per antitheſin ei opponunt: *Os autem impiorū operiet perditio*. q. d. Ora autem impiorum iugiter promunt verba perdita,noxia,peſtifera: hęc enim,non alia, in ſe continent,operiunt & cōtegunt. Vnde auctor Catenæ Græcor.ſic exponit Septua.q.d. Actiones iuſti pariunt ſalutem & vitam æternam:impiorum autem ſermones aliud nihil progignunt & promerentur, quàm ſupplicium & pœnam: quia enim pleręque actiones fiunt manu,hinc manus ſignificat actiones quaſlibet, etiam locutiones, quæ ore fiunt. ita Salonius.

Vers. 12. ODIVM SVSCITAT RIXAS: ET VNIVERSA DELICTA OPERIET CHARITAS] Arabicus, *eleēmoſyna*; Septuag. *odium ſuſcitabit contentionem* (Symmach.& Theodor. *pugnas*) *ſuper omnes autē non contendentes operiet amicitia*, Scholiaſtes, *omnes autem iniuriam facientes operit amor*; S.Athanaſ. in Synopſi S.Script.c.14. pro νεῖκος, id eſt *contentionem*, legit νῖκος, id eſt *victoria* vnde ſic habet: *Odium excitat victoria* (victoria enim excitat æmulationem,inuidiā & odium, Vnde & Arabicus vertit, *odium eleuat dominium*, vel *ſuperioritas*, vel *victoria*) *omnes verò qui contentioſi non ſunt, contegit amicitia*. Sed vera lectio Septuag.eſt νεῖκος, vt patet ex Hebręo, Symmach. Theodot.& Latina Vulgata. Syrus aliò abit. *Odiū*, inquit, *excitat iudicium, & ſuper omnes iniquos operiet confuſio*; Tigur. *odium excitat occaſiones contentionum, ſed dilectio omnes præuaricationes obtegit*; Vatabl. *charitas condonat alijs omnia delicta*.

Senſus eſt.q.d. Odium facit vt eo laborans captet occaſionem carpendi eum,quem odio proſequitur, cum eoque contendendi & rixandi, etiam vbi nulla eſt culpa,vel delictum. At amor & charitas adeò fugit lites & rixas,vt etiam culpas & delicta,quæ rixarum poſſent eſſe cauſa, operiat, celet & abſcondat, Vnde auctor Catenę Gręcor.exponens verſionem Septuag. *Odium*, inquit, *& ſimultas mouent pugnas & contentiones: pacis autem ſtudium generat gratiam & amicitiam*.

Lyranus hæc arctat ad correptionem. *Sicut*, inquit, *odium per rixam manifeſtat defectus aliorum: ſic charitas celat, niſi quantum correctio fraterna requirit*; imò & correctio hæc primò ſecretò facienda eſt, iuxta præceptum Chriſti Matth.18.15. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum*. In quæ verba ſcribens S.Augu.cauſam dat: *Nam ſi ſolus*, inquit, *noſti, & vis coram omnibus arguere, non es corrector, ſed proditor*.

Verùm generalis eſt hęc ſententia,nec ad ſolam correctionem arctanda. Vnde S.Petrus eam citās epiſt.1.c.4.8. ad omnia charitatis officia eam extendit. *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum*. & S.Iacobus c.5.20. *Qui conuerti*, inquit, *fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Vide vtrobique dicta. Nam.1. Petr.4. amplè hęc explicui: oſtendique charitatem operire peccata tam propria quàm aliena, tam præterita quàm pręſentia & futura. Quare hic verbum non addam,nec actum agam.

Vers. 13. IN LABIIS SAPIENTIS INVENITVR SAPIENTIA: ET VIRGA IN DORSO EIVS QVI INDIGET CORDE] id eſt inſipiētis. Hebr. *virga ſuper cor eius qui minutus eſt corde*. Primò, Septuag. ſic vertunt & explicant, *Qui ex labijs profert ſapientiam, virgā percutit virum vecordem*. q. d. Sapientia inuenitur in labijs ſapientis, at ſtultus, quia per eamdem videt detegi corrigique ſuam ſtultitiam & vitia, hinc eam horret vt virgam,quâ flagellatur. Vnde aliqui ſic vertunt, *in labijs ſapientis reperitur ſapientia, & eadem virga eſt in corpore eius qui indiget corde*.

Secundò, Baynus q.d. Si quis quærit ſapientiam, inueniet eam in labijs ſapientis; verùm quia inſipiens eam ſibi non quærit, idcirco tandem inuenietur in dorſo eius virga, & dabit vexatio intellectum ei, qui doceri noluit.

Tertiò, Caiet. q.d. Sapiens ſponte vltroque ſapientiam proloquitur: at ſtultus non niſi virga compulſus, vt, niſi flagro eum adegeris, nec micam ſapientiæ ab eius ore ſis eliciturus.

Quartò, aptiùs alij, q.d. Sapiens ſponte libenſque ſapientiam eructat: at ſtultus, qui quaſi aſinus virgâ impelli debet ad ſapientiam, vt ſcilicet eam non tam doceat, quàm diſcat & agat, ad idipſum adigi debet correptione acrique ſtimulo ſapientis, q.d. Sapiens abundat ſapientia: at ſtultus caret ſapientiâ, & abundat inſipientiâ, ideoque indiget virgâ, vt ea compulſus diſcat ſapere.

Quintò, appoſitè, noſter Salazar: In labijs ſapientis inuenitur ſapientia, id eſt, ſapientis ſapientiam teſtantur verba, quibus vtitur: inſipientis verò & excordis ſtultitiam & fatuitatem verbera & flagra, quibus tunditur: verberum inquam vibices, atque plagarum liuores, qui impreſſi remanent. Id ſibi volunt illa verba. *Et virga in dorſo eius qui indiget corde*, ſupple, inuenitur, id eſt virgæ veſtigia. Compendiò dixerim: Sapientiam intelligentis verba; fatui verò ſtultitiam verbera teſtantur.

B Sextò, planiùs & planiùs Ianſenius: Indicat, inquit, quod per ſapientiam fit, vt in labijs ſapientis inueniatur ſapientia, quæ ſapienter eum loqui multa facit, quod ad ipſius ſapientis facit decorem & gloriam. At per inſipientiam fit, vt in dorſo ſtulti inueniatur virga, hoc eſt, vt propter multa quæ inſipienter & agit & dicit, grauiter ipſum caſtigari & puniri contingat cum multo ipſius dedecore. Significat ergo ſapientiam ſuum poſſeſſorem apud homines decorare, inſipientiam dedecorare: & quòd, ſicut in labijs ſapientis inuenitur decus eius, ita in dorſo ſtulti dedecus eius. Hæ tres vltimæ expoſitiones genuinæ ſunt, & eodem ferè redeunt. Igitur clara eſt antitheſis, quòd ſapiens decus ſapientiæ gerat in ore, ſtultus dedecus inſipientiæ portet in dorſo, putà vibices flagrorum, quibus adactus eſt, vt aliquid bene & ſapienter agat, diſcat & dicat. Eandem notat alluſio & antitheſis vocem Hebr. שִׂפְתֵי *ſiphte*, id eſt *labia*, & שֵׁבֶט *ſcebet*, id eſt virga. q.d. Sapiens decus ſuum gerit in *ſiphte*, id eſt labijs ſapientiæ: ſtultus verò ſuum dedecus & probrum portat in *ſcebet*, id eſt in virga, id eſt vibicibus virgæ in dorſo eius.

C Moraliter notat Hugo & Salazar ſapientiam inueniri in labijs ſapientis, quaſi theſaurum abſconditum in agro. Igitur ſicut olim theſaurus quæri ſolebat indicio carbonum, vel fragmentorum vitri, aut vrticarum (hiſce enim ſignis olim notabant locum theſauri, quem defodiebant) ſic pariter, qui quærit ſapientiam & ſapientem, labia quædam diligenter veſtiget, quæ verba incorrupta præ ſe ferant inſtar carbonum denigrantia, inſtar vitri fragminum vulnerantia & ſanguinem effundentia; vrticarum in morem pungentia & lancinantia. Labia inquam veſtiget, quę vitia carpant, ſcelera incuſent, peccata redarguant, & quæ nullis adulationibus emolleſcant.

D Myſticè Beda: *virga in dorſo*, inquit, *eſt vindicta in poſterioribus, id eſt in ſequenti vita. Qui ergo non vult virgam portare in dorſo, portet in labijs ſapientiam, loquatur laudes Chriſti, & præcepta prædicet.*

Vers. 14. SAPIENTES ABSCONDVNT SCIENTIAM: OS AVTEM STVLTI CONFVSIONI PROXIMVM EST] Septuag. *ſapientes occultabunt ſenſum; os autem temerarij*, græcè προπετοῦς, id eſt præcipitis, procacis) *appropinquat contritioni*. Pro *confuſioni* hebr. eſt מְחִתָּה *mechitta*, id eſt contritio, fractura, ſiue corporis, ſiue animi, qualis eſt animi conſternatio, confuſio. Vnde Syrus vertit, *os feſtinū proximum eſt fractioni*, Chald. *os ſtultorum conſumptio proxima*; Tigur. *ſapientes diſſimulant ſcientiam: os verò ſtulti terrorem accerſit*; Pagnin. *os ſtulti eſt contritio propinqua*; alij, *os ſtulti eſt proſtratio ſibi ipſi*; Baynus, *os ſtulti fracturæ vicinum*; Vatabl. *os ſtulti eſt pernicies* (clades) *propinqua*. Aliqua cum R. Leui accipiunt contritionem & perniciem actiuam, q. d. Stultus ſua garrulitate, petulantia, dicacitate & mendacijs omnia turbat, rixas concitat, multiſque contritionem & perniciem affert. Meliùs alij accipiunt contritionem paſſiuam: vnde Noſter vertit, *confuſioni proximum eſt*. Senſus ergo eſt, q. d. Sapiens arroganter non oſtentat ſapientiam, ſed eam ſapienter & modeſtè abſcondit & celat: vt tempore opportuno eam depromat & eloquatur; quare nihil dicit niſi bene expenſum & mente ruminatum: at ſtultus neſcit celare id quod ſcit, vel ſcire ſe putat; ſed inſtar muſti ebullientis, quidquid habet in mente, temerè ore eructat: quo fit vt multa dicat inſulſa, arrogantia, ſeditioſa, maledica, ob quæ redarguitur, ideoq; confunditur, & pudore ac ignominiâ afficitur; imò conteritur, ac plagis & verberibus afficitur, ac ſubinde lingua aliòue membro, quin & vita mulctatur. Hinc R. Salomon: Sapientes, inquit ſapientiam abſcondunt, id eſt imo corde reponunt: ne vllo vnquam tempore aboleatur, iuxta illud: *Abſcondi in corde meo eloquia tua*. Sic & R. Leui & Aben Ezra.

Quòd ſi aliquando os ſtulti non confundatur, cauſa eſt vel eius improbitas & impudentia, vel quòd inter eius verba & irriſionem audientium interiacet cortina ſimulationis. Coràm enim eo riſum diſſimulant, vel etiam adulando eum laudant; ſed in corde, eo præſente, eoque abſente, inter ſe palàm inſulſa eius dicta ſubſannant. Parallelæ huic ſententiæ ſunt Philoſophorum gnomę. Zenonis: *Ob id binas aures habemus, & os vnum, vt plurima audiamus, loquamur autem pauciſſima. Quare loquacibus aures linguam defluxere*. ita refert Laërtius lib. 7. cap. 1. Euripidis: *Infrænis oris & illegitimæ ſtultitiæ finis, eſt infortunium & dentifragium*. Apollonij: *Loquacitas multos habet errores, ſilentium autem tutum eſt*, Catonis: *Gnoma de pauciloquio.*

Nam nunquam tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

Demoſthenis: *Si tam multa ſapuiſſes, nunquam tā multa locutus fuiſſes*. Democratis: *Auaritia eſt, omnia velle dicere, & nihil audire*. Theocriti in Anaximenem verboſum. *Incipit verborum flumen, mentis gutta*, indicans eum multum habere verborum, parum mentis & ſapientiæ: Theophraſti: *Magis fidendum eſt equo effrænato quàm verbo incompoſito*. Denique Arabum eſt prouerbium: *Os linguæ carcer eſt*.

Moral. diſce ſapientes celare ſuam ſapientiam & virtutem, quia vni Deo eam probare ſatagunt; quare hominum oculos laudeſque non aucupantur, dicuntque cum Apoſtolo: *Modò enim hominibus ſuadeo an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*, Galat. 1. 10. Tales fuere primi Chriſtiani, de quibus idem Apoſtol.

Apoſtol. Coloſſ. 3.3. *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo*; vbi multa in hanc rem dixi. Horum primiceria fuit B. Virgo, quæ ſecreti amans abſcondit ſe in templo vſque ad angeli de Verbo pariendo nuntium, *intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere*, ait S. Ambroſ. initio lib. 2. de Virgin. Euam imitati Eſſæi, ac deinde tot examina Aſcetarum, vt S. Antonius, S. Hilarion, qui, vt ait S. Hieron. in eius vita, *crebrò locum mutabat, honorem fugiens & importunitatem: ſemper enim ſilentium & vitam ignobilem deſiderabat*; S. Paulus, S. Macharius, S. Pachomius, S. Romualdus, alijque innumeri. Iſt quot hodie ſunt in Religionibus viri & feminæ ſapientiâ & virtute præſtantes, qui vt mundi gloriam calcent, ſoliq; Deo & animarum ſaluti vacent, dicunt cum Pſalte: *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Hi Deo cogniti, mundo incogniti, calentes Deo pro orbe vniuerſo offerunt lacrymas. vnde horum meritis precibuſque ſtat mundus. Horum hoc eſt axioma: *Viue ſibi, imò viue Deo. & longè nomina magna fuge. Benè vixit, qui bene latuit*: λάθε βιώσας, λάθε ἀποβιώσας, *latenter viue, latenter morere*, vt in magno illo & decretorio ſæculi die, qui erit horizon temporis & æternitatis pro ſpreta mundi pompa cęlitum choris, gloriaque Sanctorum ſempiterna, à Chriſto iudice donari beatique merearis.

Apologus glorioſi pauonis. Hanc gnomen illuſtri pauonis & erinacij apologo feſtiuis rerū parabolis inſignito, oculis quaſi ſpectandam exhibet Cyrillus libr. 2. Apolog. moral. c. 21. cui titulus: *Contra vanè glorioſos & nolentes apparere. Pauo*, inquit, *erinaceo occurrens, vt coram eo propriam gloriam oſtentaret, ipſumq́; de ſpinoſa cute confunderet: mox ſublimata à caudâ, & quaſi purpureâ varietate, mirabili ſtellari ſpecie pennis aureis ordine ſituatis, effuſè volitans hinc inde offerebat ſe luminibus intuentis. Verùm ille nutu prudentiæ pauonem vanâ gloriâ efferri comprehendens, ipſam vt perderet, ſub globo collecti corpuſculi & recondita facie, ſpinas vndique tantùm præbuit. Quo quidem facto, cùm pauo ſe illuſum cerneret, ſtatim ira correptus, lamentatiuis eloquijs illum aggreſſus dixit: Quamquam homo pulchras res mirabili admiratione ſemper cernere delectetur, tu tamen occultatis oculis non ſolum eam pulchritudinem videre ſpreuiſti, imò te ipſum mihi horrendum ſpinarum globum, deformemq́ formulam tribuiſti. Cui ille reſpondit: Nemini certè facit iniuriam, qui vtitur re ſua. Attamen quæſo vt pacificè dicas mihi, quid pluris tibi ſit videri, an eſſe? nimirum ſi dicis eſſe, quid tibi cū oculis meis? nam ſine his non minùs exiſtis. Sed ſi videri plus appetis, iam pompa factus es vmbratilis, & pupillare ſpeculum quæris. Memento quod baſiliſci oculus occidit. Quin etiam pace tua rectè dixero tibi, quod olim ſimiæ ſibi ante ſpeculum gratulanti vulpes dixit: Gaude ſoror magis quod es, & nequaquam quòd in luce ſimilitudinis ſpecularis appares. Nempe quia es, habes ſubſtantiam ſeritatis; ſed in quantum in ſimilitudine ſpeculi appares, tantùm vmbra efficeris vanitatis.* Deinde

Similia. idipſum varijs parabolis tigridis, fumi, feminis, lepræ, aromatum, caſtaneæ demonſtrat: *Non audiſti quod tigris velociſſima raptos catulos perdidit, quia fixo per viam in ſpeculum oculo mentitam ſui ſimilitudinem admirata, iā eos ſe inueniſſe putauit, & ſic ob vanam apparentiam amatam filiorum ſubſtantiam amiſit. Quid ergo vaniloquio pompoſitatis effunderis, & tantùm in ſuperficie id, quod foris eſt, quæris? Recordare quod fumus euaneſcit cùm ſpargitur. Et tellus non pullulat, niſi immiſſum ſemen viſceribus ſuis recondat. Albedo extrinſeca nubilat oculum, & lepra per cutem ſparſa contaminat membrum. Occultata verò forma micat lucidiùs, & res aromatica cùm eſt abſcondita plus delectat olfactum. Sic etiam caſtanea ſub ſpinoſo cortice reconditur, vt ſpretâ vanâ apparentia, ſub vera exiſtentia medullaris dulcedo requiratur. Hoc modo igitur ego ſpinis vallor exteriùs, vt in ſubſtantia ſim tutus. Sic* (Exodi 34.33.) *Moyſi facies luminoſo velamine conditur, &* (Exod. 36.14.19.) *ſanctuarium Dei multiplici vndique operimento velatur.* Denique apologo formicæ & chamæleontis concludens hoc epimythium aſſignat: *Si audiſti formicæ conſilium, datum camæleonti de colore aureo glorianti & iactanti, hoc ipſum tibi dictum puta, ſcilicet claude oculum, & eris in vera gloria ſtabilitus. Nam duobus ſuperciliis, vt clauſura firmiori ſeruetur, oculus clauditur, & vna tantùm, vt rarò ſit ſuſpenſa palpebra, aperitur. Quo dicto pauoni ſe admirabiliorem reddens, ipſum reliquit.* Apologus chamæleontis.

B SVBSTANTIA DIVITIS VRBS FORTITVDINIS EIVS: PAVOR PAVPERVM, EGESTAS EORVM] VERS. 15.
Chald. *poſſeſſio diuitis ciuitas eſt diuitiarum eius*. (Syrus *ciuitates munita*) *& pauor pauperū, neceſſitas eorum*. R. Salomon, *egeſtas pauperū eſt ſumma calamitas eorum*; Aben Ezra, *pauperes*, id eſt excordes, *à ſuamet egeſtate profligabuntur*. Senſus eſt, q. d. Diuitiæ, diuitem muniunt, vallant & roborant contra paupertatem, perſecutiones, calumnias, ceteraſq; huius vitæ calamitates, perinde ac vrbs fortis munit & defendit ciues cōtra omnes hoſtiū incurſus, rapinas, cædes, &c. Quare diues in diuitijs quaſi in vrbe munita confidens, animoſus habitat: at pauper ob egeſtatē omnium iniurijs patet, quia non habet opes, quibus ſe redimat & defendat: ideoq; incedit timidus & pauidus, perinde ac frigidi & ægri, quibus deeſt ſanguis & calor, incedunt pallidi & pauidi: *nam opes homini pro ſanguine ſunt*, inquit Sapiens. Vnde C Tigur. vertit, *opibus velut vrbe fortiſſima fidit locuples: pauperes verò ſuę ipſorū pauperies timidos reddit*; Vatab. *conſternatio inopum eſt egeſtas eorum, id eſt, diffidūt pauperes propter inopiam ſuam*. Ita videmus diuites incedere erectos, fidentes, animoſos, impauidos; pauperes verò contractos, abiectos, puſillanimes, pauidos.

Pro *pauor* hebr. eſt מחתה *mechitta*, id eſt cōſternatio, *contritio*, vt vertit Pagnin. *fractura* vel *fractio* vt Syrus. ita Beda: *Diuites ait, confidunt in diuitijs, quaſi in ciuitate munita. Pauperes ideo pauent, ne deficiant, quia ſe norunt egenos.* Hinc dicitur pauper à paruo ære vel lare, ac πτωχὸς græcè à πτώξ, id eſt pauidus, formidoloſus. Pauper à paruo ære. Vnde πτωχεύειν, id eſt inopem degere & mendicare, eſt πτωκάζειν, id eſt formidare, pauere, metu percelli. Et Lyran. *Diues*, inquit, *confidit in magnitudine diuitiarum ſuarum, ſicut* D *obſeſſus in fortitudine murorum, pauor pauperum egeſtas eorum: quia homines mali non formidant pauperibus iniuriari.* Nam vt ait Eccleſiaſtes c. 7. 13. *Sicut protegit ſapientia ſic protegit pecunia.* Significat ergo Salomō magna eſſe diuitiarum commoda, ſi quis eis rectè vtatur: paupertatem autem ex ſe eſſe incommodam, niſi altiore ſpiritu, putà Euāgelico, fulciatur, & quaſi animetur. Vnde & Ariſtot. 1. Ethic. c. 10. docet opes eſſe inſtrumentum ad acquirendam felicitatem aptiſſimum, eaſdemque materiam præbere virtuti.

Porrò hæc ſententia, cùm ſit parœmia, indefinita & generalis, varijs rebus & finibus aptari poteſt. Hugo, Caietan. & noſter Salazar putant eam dici contra diuites & diuitias, quòd hæ ſuperbiam &

& audaciam pariant; ac contra pauperes & paupertatem, quòd hæc hominem abijciat, ideoque tacitè commendari auream mediocritatem: hanc enim expetijt Salomon cap 30. dicens: *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria.* Nam vt ait Poëta:

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Sic & noſter Fernandez in Gen. c. 17. ſub finem: *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius*, q.d. Clauſum, inquit, circumſeptum, egregiè communitum, denique fortem & inuictum, imò & victorem ſe tenet diues intra ſuas opes, vel aduerſus ipſam legum & iudicum iuſtitiam & poteſtatem. Enimuerò inexpugnabilis ſolet eſſe pecunioſi aut illuſtris viri cauſa, licet execrandis nobilitata flagitijs. Quid plura? Tam verè quàm eleganter ſcripſit S. Cyprian. epiſt. ad Donatũ: *Nullus de legibus metus eſt: de quæſitore, de iudice pauor nullus: quod poteſt redimi, non timetur. Eſſe tam inter nocentes innoxium* (adde tu & pauperem & ignobilem) *crimen eſt.* Sic ille. Quem videris abſolui, time ne diues ſit; quem damnari videris, pauperculum ſcias. Iſte hodie mundus eſt. hæc Fernandez.

Huc faciunt Senarij Menandri apud Stobæum ſerm. 89. quibus non alios ſe deos agnoſcere canit, quàm argentum & aurum, qui omnia poſſunt:

Ego vtiles deos verò eſſe arbitror
Noſtros, & argentum, & aurum maximè:
Iſtos quidem ſi dedices tua in domo,
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,
Ager domus, ſeruiq; & argyromata (argentea vaſa)
Teſtes, amici, iudices: tandem dato,
Ipſos habebis, vel miniſtrantes deos.

Meliùs Baynus, Ianſen. & alij referunt ad laborem & fugam otij, de qua dixit v. 4. & 5. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autẽ fortium diuitias parat.* Senſus ergo eſt, q.d. Eſto ſedulus in opere & labore, vt tibi pares opes ſufficientes ad commodam vitam: hę enim te munient inſtar vrbis fortiſſimę: ſi enim ex pigritia vaces otio, incides in egeſtatem, quę te faciet pauidum, vtpote omnium iniurijs obnoxium. Fauent Septuag. dum vertunt, *poſſeſſio diuitum ciuitas munita, contritio impiorum paupertas.* Vbi cùm diuites opponant impijs, videntur per *diuites* accipere impigros & ſedulos, per *impios* verò pigros deſideſque, ideoque fraudulentos & furaces. q.d. Impigri ſuo labore parant ſibi poſſeſſiones, quæ ipſis ſunt præſidio, quaſi ciuitas munita; at pigri & impij ſuo torpore creant ſibi paupertatem, quæ ipſos conterit, redigitque ad anguſtias famis, inediæ & mortis.

Hinc Tropol. ſignificatur labore parandas eſſe opes virtutum: hæ enim ſunt quaſi vrbs inexpugnabilis, quę hominem cõtra omnia aduerſa protegant & communiunt. Vnde Hugo: *Hæc affluentia eſt vrbs electorũ*, inquit, *cuius vallum eſt contemptus terrenorum, murus ſpes, antemurale patiẽtia, turris humilitas, fons turrim muniẽs luctus, riuulus huius fontis aqua lacrymarum, ſpeculator prudentia, ianitor obedientia, rex charitas; cuſtodes milites iuſtitia, temperantia, & fortitudo.* Verè Lyricus: *Sunt veræ opes, quæ ferniunt virtutibus. Summas opes, ſummam virtutem exiſtimes.*

Anagog. ſignificatur laborandum hic eſſe, vt per bona opera magnas gloriæ opes comparemus in cæleſti Ieruſalem, quę erit nobis vrbs inuicta &

A fortiſſima. Vnde auctor Catenæ Græcor. ſic explicat. q.d. *Homines virtutibus dediti, qui bonis operibus abundant, cæleſtem Ieruſalem, quæ eſt ciuitas præ ceteris munita, per virtutem ſibi comparant, impij vero qui nullum bonum opus poſſident, ſempiterni ſupplicij reatu ſeſe obligãt. Nam per contritionis nomen hoc deſignauit, ſicut per bonorum operum penuriam mortem ipſam.* Et Bedæ *Qui in Deum*, inquit, *diues eſt per bona opera, confidit in illo quaſi in vrbe inexpugnabili, quia à nullo hoſte poſſit ſuperari. At qui virtutum inopia coanguſtantur, ideo cæleſtibus egent diuitijs, quia noxio pauore timent duros pro Domino tolerare labores.* Vbi aduerte Bedam τὸ *pauor* accipere actiuè, q.d. Pauor pigrorum, putà pauor horrorque laboris eſt cauſa egeſtatis eorum; ſicut ex diuerſo fortitudo, id eſt labor fortis & ſtrenuus eſt cauſa ſubſtantiæ diuitis. Eſto magis genuinè ad literam *pauor* hic accipi debeat paſſiuè vt

B effectus, vt patet ex τῷ *vrbs fortitudinis*, quæ pauori opponitur, vt ſenſus ſit. q.d. Sicut ſubſtantia diuitis cauſat vrbem fortitudinis, id eſt confidentiam & ſecuritatem; qualem habent ciues in vrbe forti; ſic ex aduerſo egeſtas pauperum cauſat in eis pauorem.

Sed redeo ad ſenſum Bedæ. Cæleſtis Ieruſalem vocatur *vrbs fortitudinis.* Primò, quia per fortitudinem aditus in illam parandus eſt, nemoque niſi fortis in illam ingreditur. Vnde in Vitis Patr. in Vita Epicteti & Aſtionis Martyrum legimus, Vigilantium ab Aſtione miſſum ad parentes, vt eos de ſua morte ſolaretur, eis rogantibus, quænam eſſet illa regio paradiſi, in qua filium degere & viuere aſſeuerat, Vigilantius reſpondit: *Regio eſt robuſtorum ſeu virorum fortium, ciuitas Chriſticolis nũcupatur* *Cælum eſt vrbs fortitudinis. Primò,*

C *Ieruſalem cæleſtis, cuius murus ex auro puriſſimo eſt conſtructus, habens portas duodecim, & in ſingulis dependent margaritæ.* Hæc ciuitas & aula fortium Chriſti, adumbrata fuit per triginta fortiſſimos milites aulę Dauidis, 2. Reg. 23.

Secundò, quia in ſe fortiſſima eſt. Vnde de ea canit Iſaias c. 26. 1. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion: Saluator in ea ponetur murus & antemurale:* alij vertunt ex Hebræo, *vrbs fortitudinis in nobis eſt Sion: Deus ſalutẽ ponet ei in muros & propugnaculum*, q.d. Vis noſſe quàm fortis ſit illa Beatorum vrbs. Audi: ipſa ſalus ſuis muris & propugnaculis eam cinxit: Deus poſuit ſalutem ei pro muris & propugnaculis: ipſa ergo ſalus vrbem vndique cingit & propugnat. Nemo autem eſt, qui ipſi ſaluti & incolumitati nocere queat. *Secundò,*

D Porrò, S. Ambroſ. hæc accommodat eleẽmoſynæ, quæ non tam robore quàm liberalitate emit cælum: Martyres enim emunt cælum carò, quia ſanguine; eleẽmoſynarij autem vili pretio, putà argento & auro, id eſt alba & rubra terra. Sic enim ait S. Ambro. l. 3. epiſt. 25. ad Vercellenſem Eccleſiam longiuſculè ante finem: *Eſt ergo*, inquit, *& his materialibus diuitijs virtuti locus. Quaſi gubernatores eſtis in magno mari. Si quis bene gubernat ſuũ nauigium, cito tranſit fretum, vt perueniat ad portum: qui autè neſcit regere ſuum cenſum, onere ſuo mergitur. Ideo ſcriptum eſt. Poſſeſſio diuitum ciuitas firma. Quæ eſt iſta niſi Ieruſalem quæ in cęlo eſt, in qua regnũ Dei? Bona hæc poſſeſſio, quæ fructus perpetuos facit. Bona poſſeſſio, quæ non hic relinquitur, ſed illic poſſidetur. In hac poſſeſſione qui fuerit, dicit: Portio mea Dominus. Non dicit; Portio mea ab illis vſque ad illos porrecta & diffuſa terminos.*

OPVS IVSTI AD VITAM: FRVCTVS AVTEM IMPII AD PECCATVM] Pro *fructus* hebr. Vers. 16.

eſt

eſt תְּבוּאַת *tebua*, id eſt, *prouentus*: qualis eſt ſeges agrorum & vindemia vinearum. Vnde Aquila Symmach. & Theodot. vertunt *germina impiorum* Septua. *opera iuſtorum vitam faciunt: prouentus autem impiorum* ἁμαρτίαι, id eſt *peccata*, ſcilicet ſunt, vel, vt Complut. legunt, ἁμαρτίαις, id eſt *peccatis*, ſupple, ſeruiunt vel abundant.

Primò, R. Salomon ſic explicat, q. d. Salomon opus templi perfecit ad vitam Iſraelitarum, vt ſcilicet ibidem ſua crimina expiarent: fructus autem Manaſſis fuit ad peccatum, eò quòd in templum induxerit idolum. Verum hæc expoſitio vel myſtica eſt, vel per exemplum dumtaxat.

Secundò, alij per *opus* accipiunt opus hominis, per prouentus fructus terræ, vt *opus* ſit lucrum labore partum, *fructus* ſit cenſus & reditus illaboratus, qui terræ fœcunditate otioſo diuiti prouenit; vt Salomon hîc vitam laborioſam tenuium præferat otioſæ & inerti diuitum. q. d. Opus & labor, quo iuſtus tenuis fortunæ victum quærit melior, ſanctior & felicior eſt otio inerti diuitum, quibus ſponte terra vel cenſus annui opes ſubminiſtrant. Labor enim vitam corporis ſuſtentat, vitam gratiæ conſequitur, & vitam glorię promeretur. At verò otium iners, quo diues impius opibus luxuque diffluit, multorum peccatorum, vt ſuperbię, gulę, luxurię, &c. illi eſt cauſa. Hic ſenſus valdè eſt accommodus. Huic conſentit illud Lyrici. *Opum voluptas atque luxus aſſeclæ.*

Tertiò, Caiet. exponit, q. d. Iuſtus opera & labores ſuos refert ad tuendam vitam tam corporis quàm animę; at impius non tantùm labores, ſed & prouentus terræ refert ad peccatum: tam praua ſiquidem eſt eius intentio, vt bonis etiam, quæ natura ſponte profert, abutatur ad peccandum.

Quintò, ſimpliciter & plane Ianſen. Iuſtus, inquit, operatur & laborat, non vt habeat vnde luxurietur, & deſiderijs prauis ſatisfaciat; ſed vt viuat; at fructus, vel, vt habent Hebræa prouentus, qui impio prouenit ex laboribus ipſius, aut etiam citra eius operā, vſurpatur ab eo ad peccatum. Hoc eſt ergo differentię inter iuſtum & impium, quòd iuſtus quęrit opus, impius fructus & prouentus operum ſiue ſuorum, ſiue alienorum. Iuſtus quęrit ex opere ſuo vitam, impius vtitur ſuis bonis ad peccatum. Quocirca huic ſententiæ antiſtrophæ ſunt illæ ſapientum: *Vitam ad tuendam, non ad regendam, opes datæ. Opes oculatas efficit prudentia. Opes ſapienti ſeruiunt, ſtulto imperant. Opes ſapientis ſunt, inſipiens opum.*

Myſticè, ſub vita corporali intellige ſpiritalem gratiæ; q. d. Iuſtus omnia ſua facit, vt vitam gratiæ & gloriç adaugeat, vt ſcilicet per magna bonorum operum merita magnam in cælo gloriam conſequatur: at impius omni ſuo labore & prouentu abutitur ad peccatum, vt concupiſcentias ſuas expleat: itaque ſibi maiora indies tormenta in gehenna parat. Eſt clara antitheſis: nam iuſti opera ad vitam tendunt; impij verò ad peccatum, & conſequenter ad mortem præſentem & æternam. ita Lyran. Hugo, Ianſen. & alij. Porrò Dion. Fructus, inquit, impij, id eſt dilectatio eius, ſeu actio interior tendit ad peccatum: quia concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum, Iacobi 1. Cogitationes ergo, intentiones & molitiones iuſti feruntur ad bonum, putà ad virtutes, quæ homini conciliant vitam gratiæ & gloriæ: impij verò feruntur ad malum, putà ad peccata, quibus ſibi conciliant

A mortem & gehennam, guloſus enim non fertur niſi ad delicias, auarus ad opes, iratus ad rixas, ſuperbus ad faſtum, &c.

VIA VITÆ, CVSTODIENTI DISCIPLINAM: QVI AVTEM INCREPATIONES RELINQVIT (Syrus, *odit*) ERRAT] Hebr. מַתְעֶה *mate*, id eſt, *faciens errare*: quia non tantùm ipſe errat, ſed & in ſuum errorem alios adducit. Iam quia Hebræi carēt caſibus, hinc vario caſu hæc variè vertunt. Septuag. *viam vitæ cuſtodit diſciplina: diſciplina autē carens increpatione* (græcè ἀνεξέλεγκτος, quod auctor Catenæ Græcor. vertit, *quæ examinata & probata non eſt*) *errat*; Scholiaſtes, *via vitæ cuſtodit innocentes*, Symmach. *ſemita ad vitam cuſtodientium diſciplinam*; Pagnin. *ſemita ad vitam cuſtodiens correctionem*; Syrus & Chald. *via vitæ cuſtodit diſciplinam.* Vers. 17.

Pro *diſciplinam* hebr. eſt מוּסָר *muſar*, id eſt caſtigatio, correctio, increpatio, diſciplina, ſiue quæ ab B homine datur, ſiue quę à Deo, qualis eſt cùm morbos, famem, bella, aliaſque tribulationes immittit. Senſus ergo eſt, q. d. Via vitæ eſt cuſtodia diſciplinæ, ſiue qui cuſtodit diſciplinā vel increpationem, hic recta regiaque via graditur ad vitam ſanctam, felicem & æternam: qui verò increpationem reſpuit, hic aberrat à via vitæ, rectaque graditur ad mortem æternam. Docet ergo Salomon, ſapientem libenter ſe ſubijcere diſciplinæ & correctioni, tum hominum, tum Dei, cùm ſcilicet Deus nos corripit vel per S. Scripturam, vel per internas inſpirationes, vel per externa flagella & tribulationes, vt vitam mutemus; & vitia reſecemus; vel ad maiorem humilitatem, patientiam, mundi contemptum, ceteraſque virtutes aſcendamus. Cauſam à priori dat S. Chryſoſt. in pſal. 7. 10. *Infer*, ait, *ſupplicium, & ceſſare facies à vitio: quemadmodum enim* C *putrefactiones cedunt vſtulis & ſectionibus, ita & à ſupplicio arcetur improbitas. Qui ſcinditur & vritur, iter ad ſanitatem ingreditur.* Vnde Clemens Alexand. li. 1. Pædag. ca. 8. *Eſt*, inquit, *reprehenſio veluti quædam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem eſt probri inſimulatio, quæ reſoluit affectiones quæ iam occalluerunt, impudicaq; ac libidinoſæ vitæ ſordes expurgat, faſtuſq; ac ſuperbiæ carnes quæ excreuerūt exæquat. Iam verò admonitio eſt veluti quædam diæta ægrotantis animæ; quę ſunt ſumēda conſulit; & quæ non ſunt, prohibet.* Et pòſt paulo; *Beneuolentię*, inquit, *non odij ſignū eſt reprehendere; ambo enim probrum obijciunt & amicus & inimicus, ſed inimicus quidem irridēs, amicus verò beneuolens*, vt ſcilicet ad virtutem & ſalutem eum quem corripit, deducat. Igitur labores, correptiones & tribulationes ſunt *regia ad cælum via*, ait Nazianz. orat. de plaga grandinis: qui autem eas reij- D cit, hic à cælo aberrat, & deuius abit ad tartara. Hac ſcilicet viâ inceſſit Chriſtus rex noſter, ideoque ait: *Nónne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Lucę 24. Si ergo moleſtiam ſentis in diſciplina, in correptione & tribulatione, reſpice finem: illa enim te ducet ad cælum, ducet ad gloriam. *Non ergo aſpicias*, inquit S. Chryſoſtomus *quòd via eſt aſpera, ſed quò ducit: neque aliam, quod lata eſt, ſed vbi deſinat*: via enim arcta ducit ad cælum; lata ad infernum, ait Chriſtus Matth. 7. 13. Idem Chryſoſtomus hom. de eruditione diſciplinę to. 5. *Eruditio*, inquit, *diſciplinæ cuſtos eſt ſpei, & dux viæ ad vitā ferentis, & ſpiritualium magiſtra virtutum: ad cęleſtes repromiſſiones perducit, & ad diuina pręmia facit peruenire: hancq; nos ſectari oportet, ad vitam, & auerti ab omni malitia: dicit enim Pſal. Apprehēdite diſciplinam, nē*

quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.

Porrò cur Deus ſtatuerit, vt diſciplina, correctio & tribulatio, ſit via ad vitam, eius verò repudium ſit via ad mortem & gehennam, cauſa eſt innata nobis concupiſcentia: hæc enim, ne ſibi relicta luxuriet & exundet in vitia, diſciplinâ coërcenda eſt; ſicut virga coërcemus petulantiam puerorum. B. Ægidius ſocius S. Franciſci rogatus, cur S. Ioannes Baptiſta, cùm eſſet à peccato purus & innocens, in deſerto tam aſperam vitam egiſſet? aptè reſpondit: *Cur caro ſale perfricatur? vtique ne putreſcat: ſic & caro innocens ſale pœnitentiæ & aſperitatis perfricanda eſt, ne voluptate corrumpatur.* Hoc eſt paradoxum, quod quaſi principium ſuæ doctrinæ ſtatuit S. Iacobus initio epiſtolæ dicens: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: ſcientes, quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet*, vbi multis hac de re egi. Huc facit illud Poëtæ:

Quamlibet è medijs conſurgunt lilia ſpinis,
Sic virtus ipſis creſcit ouatq; malis.

Virtus enim, æquè ac farina, cribrata euadit puriſſima.

Denique notanda eſt verſio Septuag. *diſciplina verò carens increpatione, errat*: quia carens norma limaque increpationis temerè vagatur & aberrat, nec finem ſuum qui eſt morum correctio aſſequitur. Notent hoc Superiores & concionatores, qui nimis ſuaues ſunt & dulces, indeque diſcant dulcedini miſcere increpationes & obiurgationes, cùm opus eſt: ſine ijs enim vitia inoleta non reſecantur; ſicut ſordes inolitæ ſcutellis ſtãneis non eluuntur, niſi lixiuio acriore perfricentur: atque morbi grauiores non curantur, niſi ferri ſectione, vel vſtione cauterij. Audiant & diſcant tam ipſi, quàm audiẽtes & ſubditi, illud Apoſtoli: *Quòd ſi extra diſciplinã eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & nõ filij eſtis, &c. Omnis autem diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autẽ fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ*, Hebr. 12.8. Talis concionator fuit Chriſtus Dominus, qui ita exorſus eſt prædicare: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*, Matth. 4.17. Idẽ identidem væ maledictionis & damnationis æternæ Scribis & Phariſæis intentauit, vt patet toto cap. 23. Matth. Talis fuit Ioannes Baptiſta in Iudæos detonans: *Progenies* inquit, *viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, Matth. 3.7. Talis S. Petrus: *Pœnitemini*, inquit, *& conuertimini, vt deleantur peccata veſtra, vt, cùm venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, &c.* Act. 2. 19. Talis S. Paulus in Areopago. *Et*, inquit, *tempora quidẽ huius ignorãtiæ deſpiciẽs nunc Deus, annuntiat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitẽtiã agant, eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbẽ in æquitate*, Act. 17.20. Idem Elymam magum ita redarguit. *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus*, Act. 13. 10. Et Galatas c. 3. 1. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati?* Tales fuere ceteri Apoſtoli, quorum ex præcepto & exemplo Chriſti hæc erat perpetua concio: *Pœnitentiam agite.* Tales fuere omnes Prophetæ, vt liquet ex eorum libris & oraculis.

Denique huc ſpectat paradoxum Climaci gradu 4. quod eſt apex perfectionis Chriſtianæ, imo

A Religioſæ: *Bibe*, inquit, *ſumma alacritate obiurgationes & irriſiones à quouis homine tibi propinatas, nõ aliter quàm aquam vitæ.* Cur? quia hac ratione Primò, ſummè honoras Deum, offerſque ei vniones myſticos. Secundò, ſimillimus es Chriſto dicenti: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Tertiò, ſummè humilias te, pateris, vincis teipſum. Quartò, impetras magnam Dei gratiam. Quintò, aſſecuras tibi ſalutem. Sexto, in eo conſiſtit vera ſanctitas & apex perfectionis. Septimo, redimis pœnas inferni. Octauo, das alijs exemplum & ſpeculum heroicæ virtutis. In illis ergo exulta & iubila, vti faciebat Iuniperus ſocius S. Franciſci; qui probra in ſe iacientibus reſpondebat: *Amice proijce vniones hos in ſinum meum: haſce enim margaritas ambio.*

Abſcondvnt odivm (Syrus, *inimicitiam*) labia mendacia: qvi profert contvmeliam, Vers. 18.
B inſipiens eſt] Hebr. *proferens infamiam ipſe ſtultus*; Septuag. contrariè vertunt, *Operiunt inimicitiam labia iuſta: qui autẽ proferunt contumelias, inſipientiſſimi ſunt.* Verùm pro *labia* δίκαια, id eſt *iuſta*, videtur legendum ἄδικα, id eſt *iniuſta*, vti vertit Theodotion. Hebr. enim habent, *labia mendacij*; Aquila & Symmach. *labia mendacis.* Pro *contumelias* hebr. eſt דִּבָּה *dibba*, quod ſignificat rem infamem, ſcelus, probrum, contumeliam. Vnde Aquila & Symmach. vertunt, *vituperationes*, ſiue eæ in abſentem fiant per detractionem, ſiue in præſentem per contumeliam. Iam Primò, ex Hebræo Tigur. ſic vertit, & explicat per modum vnius ſententiæ bimembris: *Qui celat odium labijs mendacibus, & qui infamiam prodit, æquè ſtultus eſt.*

Hoc ſecutus Ianſenius. Vulgatam verſionem carpit: eâ enim recitatâ ſic ait: Ad hunc vel ſimilem modum omnes ferè vertunt, cùm nec ſenſus rectè
C conſtet, nec Hebræa ſic habeant. Non eſt enim verbum pluralis numeri, ſed ſingularis *abſcondens*, vel *operiens*; vt ad hunc modum vertendum videatur, *Abſcondens odium labijs mendacibus, & proferẽs infamiam ipſe ſtultus*, hoc eſt, vterque horum eſt ſtultus. Itaq; duo linguæ vitia inter ſeſe contraria hic deſcribuntur, quorum alterum eſt, tegere odium verbis falſis & ſermonibus amicitiam ſimulantibus ad decipiendum; alterum eſt, ex odio proferre alicuius infamiam & contumeliam. Ambo hæc, quantumuis ſint diuerſa & contraria, inſipientis ſunt & ſtulti: quia imprudenter fiunt & impiè. Noſtra litera, vt ad hunc ſenſum accedat, ſic eſt accipienda: Labia mendacia nonnumquam malignè abſcõdunt latens in corde odium, & tamen ſimul cum eo qui hoc agit, etiam eſt inſipiens qui odium
D non abſcondit, ſed ex odio alterius profert infamiam. hæc Ianſen. Verùm Vulgatæ verſioni conſentiunt Septuag. Syrus, Pagnin. & Chald. *inſidiatur*, inquit, *inimicus labijs mendacij, & qui profert detractionem ſtultus eſt.* Licet enim מְכַסֶּה *mecaſſe*, id eſt abſcondit, operit, tegit, ſit ſingularis numeri; tamen per enallagen Hebræis frequentem ſumitur pro plurali מְכַסִּים *mecaſſim*, id eſt abſcondunt præſertim quia ſequitur nomen ſingulare שִׂנְאָה *ſina*, id eſt odium, eſto cum eo non cohæreat: ac שִׂפְתֵי *ſiphte*, id eſt labia; cum quo cohæret, licet ſit duale, vſurpatur tamẽ tam pro plurali quàm pro duali & ſingulari: imò omnia nomina dualia & pluralia apud Hebræos, quæ carent ſingulari, vel potiùs vſitata ſunt in duali vel plurali, quàm ſingulari, quale eſt *ſiphte*, id eſt duo labia; tam ſingulare, quàm plurale

rale

rale vel duale ſignificant, putà tam vnum labium quàm duo, vel plura labia. Vnde verbum vel participium cum ijs coherens, tam in ſingulari, quàm in plurali ponere, æquè ac vertere licet; vt hoc loco tam vertas, *abſcondit labium.* quàm *abſcondunt labia.* Aut certè Noſter pro מְכַסֵּה *mecaſſe* in ſingulari legit מְכַסּוֹת *mecaſſot* in plurali feminino: *ſiphte* enim, id eſt labia, hebr. ſępè eſt feminini generis, ſubinde tamen eſt maſculini. Eſtq; elegans antitheſis inter mendacem abſcondentem odium & ſtultum proferentem contumeliam. q.d. Qui callidè abſcondit & celat odium, pręferens labijs amicitiam, hic tectus & fictus, putà hypocrita, mendax & fraudulentus eſt: at qui contumeliā & probrum alterius, quod ſecretò nouit, non celat & abſcondit, ſed in lucem profert & prodit, hic inſipiens eſt. Inſipiens, id eſt nequam, iniquus & impius: quia crimen & probrum proximi ſecretum, in lucem profert, ideoq; mortiferè peccat contra charitatem & iuſtitiam, vt docet D. Thom. 2.2.q.72.a.2.& q.73.a.2. & ibidem ceteri Theologi.

Rurſum inſipiens eſt propriè, Primò, quia prodit ſuam garrulitatem, imprudentiam, maledicentiam. Secundò, quia per eamdem prouocat eum cuius crimen prodit, vt ipſe viciſſim par pari referat, ſuaque occulta ſcelera pandat; itaque ſeipſum exponit periculo infamiæ. Tertiò, quia creat ſibi inimicitiam, iras, lites grauiaque mala, ac ſubinde mortem. Quartò, quia puerile & femineum eſt conuitiari. Inſipientes enim & imbelles pueri ac feminę, cùm manibus non poſſint ſe vlciſci, vlciſcūtur ore, iaciendo probra & plauſtra maledictorum in aduerſarium. Plura mala, proferens contumeliam, inſipienter ſibi creat, ſi crimen, quod alteri vel occultè per detractionem, vel publicè & palàm per contumeliam obijcit, non ſit verum, ſed falſum. Tunc enim ille cui detrahit vel conuitiatur, iuſtè poteſt eum arguere mendacij & falſitatis, eumque calumniæ in iudicio reum peragere, ac pœnam talionis ab eo depoſcere. Quòd ſi id ipſe, eò quòd probus & patiens ſit, non faciat, eo maior eius reſultat laus, ac viciſſim maius calumniatoris probrum & dedecus. Nam, vt ſapienter ait S. Auguſt. ſer. 15. de Reſurrect. *Maledictum patientiâ repercuſſum in ſuū redit auctorem, illæſo eo qui petebatur.* Vnde & Seneca epiſt. 77. *Æquo animo,* inquit, *audienda ſunt imperitorum conuitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus.*

Carpit ergo Salomon hîc duo vitia in ſpeciem oppoſita, ſed reipſa ſæpè conexa, & ex eâdem odij radice prodeuntia. Priùs eſt, abſcondere odium: ſatius enim eſt odium patefacere quàm abſcondere: patefactum enim exhalat & minuitur, vel euaneſcit, abſconditum verò ſeſe intendit, denſat & gliſcit: ſicut ignis abſconditus ſerpit, creſcit & gliſcit; in flammam verò erumpens, vel ſeipſo conſumitur, vel ab hominibus aquâ iniectâ reſtinguitur. Vnde Moſes, imò Deus Leuit. 19. 17. ſancit: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Quin & Seneca in Prou. *Grauior eſt,* ait, *inimicus, qui latet in pectore; grauius malum eſt omne quod ſub aſpectu latet. Nam eum qui palàm eſt aduerſarius, facilè cauendo vitare poſſis. Troianus equus ideo feſellit, quia formam miſericordiæ mentitus eſt.* Idem alibi: *Amari,* inquit, *& agnoſci amat, qui odium oſtendit.* Accedit, quòd hîc ſit duplex nequitia, ſcilicet Prima, odium; Secunda, hypocriſis: putà abſconſio odij, & ſimulatio amicitię.

A Atqui, vt ait Caſſiod. in pſal. 54. *Grauiſſimum inimicitiæ genus eſt eſſe corde aduerſarium, & linguâ ſe ſimulare deuotum.* Et Boëtius lib. 3. de Conſol. *Nulla,* inquit, *peſtis eſt efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Quocirca Ariſtot. in Ethicis docet, ſapientem & magnanimum eſſe apertum tam in amore quàm in odio, ac vtrumque palàm libereq; edicere & profiteri. Sic enim ait lib. 4. Ethic. cap. 3. *Neceſſe eſt etiam, vt apertè tam odium quàm amorem pręſe ferat magnanimus: latêre enim velle timentis hominis eſt; maioremq; veritatis curam quàm opinionis habeat dicatque & agat omnia apertè,*

Poſterius eſt, contumeliam proferre, quod ex priori oritur, putà ex odio: ideo enim odium ad tempus celatur, vt oportuno tempore in cōtumeliam & iniuriam erumpat. Quocirca remedium vtriuſque vitij eſt, ſuccidere radicem, putà deponere odium: ſic enim nec vt mendaces abſcondemus odium, nec vt ſtulti proferemus cōtumeliam. B Hoc fortè voluere Septua. dum vertunt, *labia iuſta aperiunt inimicitias,* id eſt eas abolent, delent, extinguunt (*charitas enim operit multitudinem peccatorum*) ne in contumeliam erumpant, fiantque irreconciliabilès, Nam vt ſapienter ait Plutarch. in Moral. *Amicitiæ poſt conuitia mutua & famę lacerationes inuicem datas, aut non coëunt, aut cicatricoſæ coëunt.* Vnde infert Beda: *Si ergo,* inquit, *verax & ſapiens eſſe deſideras; odium neque in abſcondito cordis contege, nec per oris contumeliam profer, ſed tuum & cor dilectione & os veritate repleatur.*

IN MVLTILOQVIO NON DEERIT PECCATVM QVI AVTEM MODERATVR LABIA SVA, PRVDENTISSIMVS EST] Hebr. *in multitudine verborum non* C *ceſſabit prauaricatio,* vel *tranſgreſſio: & qui cohibet* vel *prohibet labia ſua, intelligens* vel *prudens eſt;* Septuag. *ex multiloquio,* vel, vt legit S. Cyprian. *ex multiloquentia, non effugies peccatum* (Symmach. *vitium;*) *parcens autem labijs ſenſatus erit;* S. Iſidor. in Siloloquio. *multiloquium non effugiet culpam.* Vers. 19.

Quæres, quodnam vocetur hîc *multiloquium?* Nam & Chriſtus & Sancti multa ſanctè locuti ſunt & ſcripſerunt, vt patet ex Euangelijs & Patrum libris, in quibus proinde defuit peccatum. Primò, Clemens Alexand. l. 2. Pędagogi cap. 6. per *multiloquium* accipit verba inepta, otioſa & nugoſa. *Ineptæ etiam nugæ,* inquit, *ſunt ſilentio prætereundæ. Nā Scriptura ait: Ex multiloquio non effugies peccatum.* Hęc vera eſt, at non adæquata expoſitio. Huc accedit S. Bernard. qui per *multiloquium* accipit verba otioſa. Sic enim ſcribit. ſerm. de triplici cuſtodia, maD nus, linguæ & cordis: *Quàm vera,* inquit, *ſententia; fratres, in multiloquio non effugiendum peccatū. Vt enim prætercam cetera, ſi propterea eſt otioſum verbum, quòd nullam rationabilem cauſſam habeat; quam rationem de eo reddere poterimus, quod eſt præter rationem? Nemo noſtrûm, fratres, parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Siquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat Verbum irreuocabile, volat tempus irreuocabile, nec aduertit inſipiēs, quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prętereat hora, ô donec pertranſeat tempus, donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo diuinā tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hereditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.*

Multiloquium vitium quodd? Reſp. Primo.

Secun-

Secundò,

Secundò, Creſconius Grammaticus per *multiloquium* accipit eloquentiam, quaſi ars oratoria ſiue Rhetorica hîc notetur & damnetur, Vnde ipſe ſic legit: *Ex multa eloquentia non effugies peccatum.* Quem redarguit S. Auguſt. li. 1. contra Creſcon. c. 1. *Multiloquium* ita definit: *Dictum*, inquit, *non eſt. Ex multa eloquentia, ſed ex multiloquio. Multiloquium autem eſt ſuperflua locutio, vitium ſcilicet amore loquendi contractum. Plerumque autem loqui amant etiam qui neſciunt quid loquantur*, &c. *Eloquentia verò facultas dicendi eſt congruenter explicans quæ ſentimus: qua tunc vtendum eſt cùm rectà ſentimus. Hoc modo ea non vſi ſunt hæretici.* Vnde idem lib. 1. Retract. in Prologo cauſam ſcribendi libros Retractationũ hanc aſſignat: *Illud etiam quod ſcriptum eſt: Ex multiloquio non effugies peccatum; terret me plurimum, non quia multa ſcripſi, vel quia multa etiã, quæ dicta non ſunt, tamen à me dicta, conſcripta ſunt.* A *Abſit enim vt multiloquium deputem, quandò neceſſaria dicuntur, quantalibet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur. Sed iſtam ſententiam Scripturæ ſanctæ propterea timeo, quia de tam multis diſputationibus meis ſine dubio multa colligi poſſunt, quæ ſi non falſa, at certè videantur, ſine etiam conuincantur non neceſſaria. Quem verò Chriſtus fidelium ſuorum non terruit, vbi ait: Omne verbum otioſum, quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die iudicij?* Matth. 12. Idem libros ſuos de Trinitate hac prece ad Deum concludit: *Coram te eſt firmitas & infirmitas mea: illam ſerua, iſtam ſana. Coram te eſt ſcientia & ignorantia mea. Vbi mihi aperuiſti ſuſcipe intrantem: vbi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Scio ſcriptum eſſe: In multiloquio non effugietur peccatum. Sed vtinam prædicando verbum tuum, & laudando te tantummodo loquerer: non ſolum fugerem peccatum, ſed meritum bonum acquirerem, quamlibet multùm ſic loquerer.* C

Igitur *multiloquium* eſt vitium quo nimis geſtit homo loqui, ideoque locuturiens plura quam oportet proloquitur, ac verborum eſt prodigus: vti faciunt qui incontinentis & intemperantis ſunt linguæ, ac ſemper loqui auent, deque rebus omnibus miſcent ſermones, ac temerè ſuum de ſingulis proferunt iudicium & cenſuram. Hi enim facilè incidunt in peccata: quia labente lingua, & fallente memoria, ac rapiente prurigine loquendi, facilè veris immiſcent falſa, vtilibus noxia, neceſſarijs vana & otioſa; ac difficile, imò impoſſibile eſt, vt cautelam & circumſpectionem, quæ requiritur, omnibus ſuis dictis adhibeant. Quocirca imprudenter multa effutiunt, multoſq; offendunt ac, in detractiones, irriſiones, ſcommata, conuicia, deſultoria linguæ leuitate dilabuntur. Ita S. Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel c. 9. *Nos autem*, inquit, *claudamus oſtium, ne culpa intret, ne lapſus aliquis ſermonis exeat: intrat culpa ſi lapſus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum: exiuit multiloquium, peccatum intrauit: quia in multiloquio nequaquam, qui exit ſermo trutinatur, imprudenter labitur, licet ipſum vltra menſuram loqui, grande peccatum non ſit.* Et S. Gregor admonit. 15. 3. p. Paſtoral. *Admonendi* (inquit) *ſunt multiloquio vacantes vt vigilanter aſpiciant, à quanto rectitudinis ſtatu depereant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more circumcluſa ad ſuperiora colligitur: quia illud repetit vnde deſcendit, & relaxata deperit: quia ſe per infima inutiliter ſpargit. Quot enim ſupernacuis verbis à ſilentij ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot riuis extra ſe ducitur; vnde & redire interiùs ad ſui cognitionem non ſuffi-* A *cit: quia per multiloquium ſparſa, à ſecreto ſe intimæ conſiderationis excludit.* Hæc & plura S. Gregor.

Aliam cauſam cur multiloquium ſit cauſa peccatorum, dat S. Antiochus homil. 102. de ſilentio. *Immoderata*, inquit, *& effrenis verborum prolatio, quã periclitatur mentis tranquillitas, non ſolùm circa operationem ſpiritualem teneſcere facit eam, ac deſidere; ſed & moleſtiſſimo dæmoni acediæ mancipat illam ac dedit. Et quemadmodum exæſtuantis balnei fores continenter apertæ ſi ſint, intimum calorem ocyùs efflant, & expellunt in ea quæ ſunt extrinſecus: ita etiam anima*, &c. Conſentit S. Dorotheus doctrinâ 24. de compunctione: *A multiloquio*, inquit, *abſtine: hoc enim extinguit cordi aduenientes cogitationes rationales & cæleſtes*, datque ſimilitudinem furni (ſimile eſt in hypocauſtis) calentis, qui calorem ſeruat, quamdiu oſtium clauditur; at ſi illud reſeretur, calor exhalat. Simili enim B modo cor deuotionis calorem & ſpiritum conſeruat, quamdiu oſtium oris clauditur: at ſi illud reſeret, per verba exhalat ille calor & ſpiritus.

Tertiò, cum S. Chryſoſt. in pſal. 140. præcisè & rigidè: In quouis multiloquio, etiam pio, ſancto & neceſſario, non deeſt peccatum: quia impoſſibile eſt homini debili & caduco, ſingulis ſuis dictis adeò multis, illam circumſpectionem & moderationem adhibere, quæ requiritur, perinde ac impoſſibile eſt per plures dies aliquid agere & viuere ſine vitio & peccato, vti docet Franciſc. Suarez, imò Salomõ c. 24. 16. *Septies*, inquit, *in die cadet iuſtus.* Simile eſt in ſagittario, qui etſi peritiſſimus ſit ſagittandi, & ſcopum ſagittâ certò configit, quoties ei libuerit; tamen, ſi centies in ſcopum continuò iaculetur, impoſſibile eſt, vt ſemper eum configat & numquam aberret: quia humanæ mentis C attentio & contentio finita eſt ac caduca, poſtque plures actus elicitos molleſcit, & flacceſcit ac labitur. Quare præſtat breues facere conciones & ſermones ac crebros, vti fecit S. Leo, S. Ambroſius, S. Auguſt. S. Bernardus, & alij, quàm prolixos & raros. Peccant hac in re concionatores, qui horam in concionando excedunt; itaque ſuâ prolixitate auditoribus tædium, ſibi fatigationem & periculum malè loquendi creant. Mens enim velut arcus intentus, tanto tempore in hac attentione & intentione durare nequit, quin fatigetur & labatur: ad breues autem ſermones attentionem congruam præſtare valet, & in eodem mentis vigore ad modicum tempus durare ſufficit. *Alliga*, inquit S. Ambroſ. li. 1. de Offic. cap. 3. *ſermonem tuum, ne luxuriet & multiloquio peccata ſibi colligat: ſit reſtrictior, & ripis ſuis coërceatur, citò lutum colligit amnis exundans.* D

Remedium ergo hîc ſuggerit Salomon: *Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* Hebr. מַשְׂכִּיל *maskil*, id eſt *prudens* eſt, ſcilicet antonomaſticè per excellentiam, hoc eſt *prudentiſſimus eſt.* Pro *moderatur* hebr. eſt חוֹשֵׂךְ *choſech*, id eſt prohibet, inhibet: tum per ſilentium, quod eſt *tutum amoris aſylum*, ait S. Ambroſ. 1. Offic. tum conſequenter per moderatum & circumſpectum eloquium: vtrumque enim opponitur multiloquio, illudque corrigit. Porrò ſilentium docet præmeditari quid & quomodo dicas, itaque circumſpectè & prudenter loqui. Tacens ergo & parcè, loquens prudentiſſimus eſt; Primò, quia cauet damna linguæ exuberantis, quæ plurima & maxima ſunt. Rurſum quia regit linguam, quæ ob ſui lubricitatem difficillima eſt gubernatu. Itaque qui eam gubernare

Pauciloquus prudens: cur? Cauſa. Prima.

nare nouit, mirè prudens & perfectus eſt, vti docet S. Iacobus c. 3. v. 2.

Secundò: quia ſilentium eſt index & effectus animi maturi, collecti, diuini: qui enim tacet, ſecum & cum Deo loquitur. Vnde Solon dicebat: *Stultus tacere nequit: quare ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* Et Seneca: *Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientiâ eſt.* Quocirca S. Benedictus Religioſorum in Occidente Patriarcha in Regula cap. 6. de taciturnitate ita ſancit: *Faciamus*, inquit, *quod ait Propheta pſal. 38. Dixi, Cuſtodiam vias meas, vt non delinquã in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Hîc oſtendit Propheta, ſi à bonis colloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari. Ergo, quamuis de bonis & ſanctis ad ædificationem colloquijs, perfectis diſcipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia; quia ſcriptum eſt: In multiloquio non effugies peccatum.* Et Diadochus in aſceticis de Perfectione cap. 70. *Silentium*, inquit, *mater eſt ſapientiſsimarum cogitationum. Vt ſi balnei oſtium nimis frequenter aperias, calor abit: ſic nimis loquendo aperiens, deuotionem amittit.* Et S. Iſidorus: *Linguoſus homo imperitus eſt, ſapiens paucis vtitur verbis. Breuem ſermonem ſcientia facit.* (Hinc angeli quia pollent amplâ ſcientiâ, vno verbo tantum dicunt, quantum homines mille verbis, & Deus omniſcius vnico verbo omnia dicit:) *Loqui multum ſtultitia eſt. Vox enim inſipientis in multiplicatione ſermonis. Maneat igitur in verbo menſura, in ſermone ſtatera.*

Tertia. Tertiò: quia prudens loquela cùm tota dirigatur ad alios præ ceteris actionibus hominis magnã requirit circumſpectionem; ideoque qui illam habet, prudentiſſimus ſit oportet. Qui enim orat, ſibi & Deo orat; qui ieiunat, ſibi ieiunat: qui dat eleẽmoſynam, dat quod lubet: at qui loquitur debet præuidere, quid, vbi, quomodo, quando, coram his illiſue loquatur; vt omnes ædificet, neminem lædat vel offendat. Aliter enim coram Prælatis, aliter coram ſubditis; aliter coram doctis, aliter cum ruſticis; aliter cum iuſtis, aliter cum peccatoribus; aliter cum Hiſpanis, aliter cum Italis, &c. loquendum, quod enim phlegmatico v. g. prodeſt, hoc, cholerico obeſt. Vide S. Grego. 3. p. Paſtor. vbi fusè docet, quomodo admonendi ſint elati, puſillanimes, guloſi, iracundi, feruidi, torpidi, &c. quiſque pro ſua conditione accommodatè ad ſuam indolem. Hinc moderationis linguæ ſymbolum eſt elephas, qui cùm mole animalium ſit maximus, idemque prudentiſſimus, linguam tamen habet perexiguam, atque interiùs poſitam, vt penè oculos fugiat, teſte Ariſtot. libr. 2. de Animal. cap. 6. Ita generoſiſſimi quiq; & prudentiſſimi verbis ſunt parci, ſed factis efficaces. *Non credo auguribus, qui aures verbis diuitant*, ait Accius in Aſtyanacte. Salomonẽ ſecutus Siracides Eccleſiaſt. 28. 29. grauiter monet de cura & cuſtodia linguæ adhibenda: *Aurum tuũ*, inquit, *& argentum tuũ conſla, & verbis tuis facito ſtaterã, & frænos ori tuo rectos: & attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.* vbi plura hac de re dixi.

Exemplum memorabile eſt in lib. Sentent. ſiue Apophtheg. Patrum c. 45. Anachoreta, inquit, celebris vidit, cùm fratres de S. Script. rebuſque pijs loquerentur, angelos ſe eis miſcentes, hilari vultu exultantes. Cùm verò ad vana colloquia deflecterent, vidit angelos recedentes cum indignatione: dæmones verò ſpecie porcorum inter colloquentes ſe volutantes. Quare circumiens monaſteria monebat dicens: *Cohibete, fratres, à multiloquio, & ab otioſis verbis linguam, quia malus interitus animæ generatur, & non intelligimus, quoniam per hæc & Domino Deo, & ſanctis angelis odibiles ſumus. Dicit enim Script. diuina, Quia id multiloquio nõ effugies peccatum: hæc enim infirmam & vacuam efficiunt mentem atque animam noſtram.*

ARGENTVM ELECTVM, LINGVA IVSTI: COR AVTEM IMPIORVM PRO NIHILO] Vers. 20. Pro *electum* Septuaginta vertunt, πεπυρωμένον, id eſt ignitum, igne examinatum, igne defæcatum & purgatum tum à terra & ſcoria, tum à ſtanno, plumbo, alijſque metallis. Nam vt ait Plinius libr. 34. cap. 16. in eâdem vena naſcitur ſtannum, argentum & plumbum. Materia enim igne liquata primò fundit ſtannum, deinde argentum & plumbum. *Eius*, ait Plinius, *qui primus fluit in fornacibus liquor, ſtannum appellatur: qui ſecundus, argentum; quod remanſit in fornacibus, galena, quæ portio eſt tertia additæ venæ. Hæc rurſus conflata dat nigrum plumbum.* Magna enim eſt metallorum inter ſe vicinitas, ideoque argentum accedit ad aurum. Vnde vt idem ait libr. 33. 4. *Omni auro ineſt argentum vario pondere, alibi dena alibi nona, alibi octaua parte, &c. Vbicumque quinta argẽti portio eſt, electrum vocatur*; quod priſcis in pretio fuiſſe teſtatur.

Modum verò eruendi purgandique argenti idem deſcribit libr. 33. cap. 6. *Non niſi in puteis*, inquit, *reperitur, nullaque ſui ſpe naſcitur, nullis vt in auro lucentibus ſcintillis. Terra eſt alia rufa, alia cineracea. Excoqui nõ poteſt, niſi cum plumbo nigro, aut cũ vena plumbi, galenam vocant, quæ iuxta argenti venas plerumque reperitur: & eodem opere ignium deſcendit pars in plumbum: argentum autem supernè innatat, vt oleum aquis. Reperitur in omnibus penè prouincijs, ſed in Hiſpania laudatiſſimum.* Addit deinde originem argenti viui. *Eſt & lapis in his venis, cuius vomica liquoris æterni argentum viuum appellatur, venenum rerum omnium. Exeſt* (exedit) *ac perrumpit vaſa permanans tabe dira. Omnia ei innatant, præter aurum: id vnum ad ſe trahit: Ideo & optimè purgat, ceteras eius ſordes expuens crebro iactatu fictilibus in vaſis, ita vitijs abiectis, vt & ipſum ab auro diſcedat.*

Hinc argentum ob ſui puritatem in Script. ſignificat ſapientiam, legem, doctrinam & eloquia Dei, ait S. Auguſt. libr. 17. Ciuit. 5. & S. Gregor. 4. Moral. ca. 28. Et patet pſal. 11. *Eloquia Domini caſta* (ſicut) *argẽtum igne examinatum, probatum ſeptuplum*; *caſta*, id eſt pura, ſancta, irreprehenſibilia, &, vt ait ibidem S. Auguſt. *Eloquia Domini caſta ſine corruptione ſimulationis, probata peccatoribus per tribulationes: Purgatum ſeptuplum, per timorem Dei, per pietatem, per ſanctimoniam, per fortitudinẽ, per conſilium, per intellectum, per ſapientiam*, putà per ſeptem dona Spiritus ſancti. Ambroſiaſter verò in Apocal. 3. v. 18. *Septuplum*, inquit, *propter ſeptuplam purgationem, quæ fit per ſeptem virtutes vitijs capitalibus contrarias.* Nam ſuperbia purgatur per humilitatem, ira per manſuetudinem, luxuria per caſtitatem, gula per abſtinentiam, inuidia per amorem, acedia per feruorem, auaritia per liberalitatem.

Senſus ergo eſt, q. d. Lingua iuſti proloquitur ſapientia & ſancta, putà eloquia Dei, quæ pura & pretioſa ſunt inſtar argenti, quia manant ex ſapiẽti & ſancto corde. At cor impiorum, & conſequen-

ter eius lingua & verba, quia inſipientia & impura, idcirco nihili æſtimantur, & pro nihilo habentur. Oſtendit quod dixit v. præced. *Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt,* Quia ſcilicet lingua eius eſt quaſi argentum electum, q. d. ait Aben Ezra, Iuſti lingua eſt tamquam argentum probatiſſimum: illa enim effatur verba cum delectu & moderatione, quæ tamquam argentum purum, putum & probatum magna ſint in æſtimatione. R. Salomon verò: Lingua iuſti, illius ſcilicet, inquit, qui ea ad alios corrigendos ſcit vti, eſt quaſi argentum electum: cor autem impiorum pro nihilo, quòd nimirum iuſti reprehenſiones non admittat.

Lingua iuſti inſtar argenti. Nota quinque analogias argenti & linguæ ſermoniſque ſapientum & iuſtorum. Argenti enim dotes ſunt quinque. Prima, eſt candor & nitor; Secunda, pretium; Tertia, ſoliditas; Quarta, puritas; Quinta, ſonus. Eædem ſunt in lingua iuſti.

Primo. Igitur Primò, ſicut argentum præ auro ceteriſque metallis candet, nitet & ſplendet: ſic candent, nitent & ſplendent verba ſapientum, ſuntque inſtar fontis limpidiſſimi. de quo Poëta:

Fons erat illimis, nitidis argenteus vndis,

Verba ergo æquè ac cor ſapientis argentea ſunt, id eſt inſtar argenti nitentia & grata: verba verò æquè ac corda impiorum ſunt plumbea, ænea & ferrea, id eſt atra, tetra, grauia, dura, moleſta. Ita de S. Mechtilde legimus in eius Vita: *Silentium exactè ſeruabat: cùm verò loqueretur, loquebatur vt angelus; ita vt, ſi cum ea colloquereris, putares te loqui cum Angelo.*

Secundo. Secundò, ſicut argentum poſt aurum inter metalla eſt pretioſiſſimum: ſic & pretioſa ſunt verba ſapientum, & à cordatis auſcultantur, æſtimantur, magnoq; habentur in pretio. Hinc pretium commune rerum eſt argentum & moneta argentea, quæ ſucceſſit priſcæ rudi & æneę: ita pretium virtuti ponit ſapiens, vt quod ille dixerit & fecerit, id omnes honeſtum, ipſamque virtutem æſtiment: malus enim pondus & pretium addit virtuti vitâ & factis, quam ore & verbis. Audi Plinium lib. 33 c. 3. *Seruius rex primus ſignauit æs. Antea rudi vſum Romæ Remeus tradit. Signatum eſt notâ pecudum. Vnde & pecunia, appellata. Argentum ſignatum eſt anno Vrbis* DLXXXV. (corrigendum videtur CCCCLXXXV. primum enim bellum Punicum cœpit anno Vrbis CCCCXC.) *Q. Fabio Conſule, quinque annis ante primum bellum Punicum, Et placuit denarius pro decem libris æris.* Et mox: *Aureus nummus poſt annũ LXII. percuſſus eſt quàm argenteus.* Hinc Æſculanum fecere deum, quaſi præſidem æris; & Argentinum, quaſi præſidem argenti. Quod irridens S. Auguſt. lib. 4. de Ciuit. c. 21. Romani, inquit, commendabant ſe *Marti & Bellonæ, vt benè belligerarent: deæ Victoriæ, vt vincerent: deo Honorino, vt honorarentur: deæ pecuniæ, vt pecunioſi eſſent: deo Aeſculano & filio eius Argentino, vt haberent æream argenteamq́; pecuniã. Nam ideo patrem Argentini Aeſculanum poſuerunt, quia prius ærea pecunia in vſu eſſe cœpit, poſt argentea. Miror autem quod Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem deum iſti ſi haberent, ſicut Saturno Iouem, ſic & patri Argentino & auo Aeſculano Aurinum præponerent.* Verùm vir ſapiens & ſanctus eſt Argentinus: quia argentea, id eſt cæleſtia (nitor enim candorque, æquè ac valor argenti, repræſentat cęlum ſublime, præſtans, nitidum & candidum) & diuina argentinè loquitur.

Tertiò. Tertiò, argentum eſt ſolidæ naturæ, nec facilè labefactatur, ait R. Leui: ita ſolida ſunt dicta iuſtorum, tum quia benè expenſa & præmeditata, ideoque veracia & circumſpecta: tum quia manant ex dictamine iuſtitiæ & prudentiæ, æquè ac conſtantię: quia impauidè & cõſtanter veritatem proloquuntur, pro eaque ſtant fortes vſque ad mortem: ſicut argentum purum conſtans eſt, ignique reſiſtit. Ex ſoliditate enim probant argentarij argenti puritatem, cùm enim argentum igne extractum nihil amiſiſſe, ſed in bilance appenſum idem habere pondus, quod ante ignis examen habebat, cernunt, tunc purum putum eſſe iudicant.

Quartò. Quartò, argentum electum propriè eſt id, quod à fæcibus, ſcorijs, alijſque metallis, expurgatum eſt & ſelectum. Vnde Septuag. vertunt πεπυρωμένον, id eſt, ignitum & igne defęcatum. Similis eſt lingua iuſtorum: hæc enim ea quæ dicere cogitat, priùs expurgat ab omni miſtione falſitatis, vanitatis, adulationis, oſtentationis, obſcœnitatis, hypocriſis, fraudis: imò non niſi pauca cum magno delectu, ideoque rara & ſelecta loquitur.

Quæres: in qua fornace & igne ignitur & purgatur ſermo linguæ? Reſp. Primò, in igne conſiderationis, diſcretionis & iudicij: hoc enim quia acre & exactum, in Script. vocatur ignis, vt Daniel, c. 7. 9. vbi deſcribens iudicium Dei: *Thronus eius,* inquit, *flamma ignis: rotæ eius ignis accenſus. Fluuius igneus* (ignea iudicij ſententia) *rapiduſq́; egrediebatur à facie eius.* Igitur ſapiens in fornace diſcretionis examinat & expurgat ea, quæ dicturus eſt, iuxta illud S. Bernardi, *Verba prius bis ad limam veniant, quàm ſemel ad linguam.*

Secundò, ignis hic eſt gratia Chriſti ac charitas, eiuſq; auctor Spiritus ſanctus, qui corda iuſtorum purgat, regit, ignitque; vt nõ niſi recta, vera, ſancta & charitate ardentia loquantur. Hoc eſt quod de Chriſto prędixit Malachias cap. 3. 2. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflãs & emũdans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Vide ibi dicta. Hinc S. Auguſt. paulò antè citatus, ignem purgantem linguam aſſignat ſeptem dona ſpiritus ſancti.

Myſticè: hic ignis eſt tribulatio & perſecutio, quæ excoquit mentes & linguas Confeſſorum & Martyrum, eaſque ab omni leuitate, timore, concupiſcentia purgat, ac cõſtantiam, Deique ardentem amorem eis inſpirat, vt coram tyrannis & impijs fidem legemque; Dei intrepidè profiteantur, doceant & prædicent, dicantque cum S. Laurentio: *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas,* pſal. 16. 3. Pro quo S. Hieron. vertit, *probaſti cor meum, viſitaſti nocte: conflaſti me, & inueniſti cognitiones meas non tranſire os meum;* vt ex æquo veritas & profeſſio oris, reſpondeat cognitioni & confeſſioni cordis: nec alia proloquatur os, quàm cogitet cor. Igitur ſicut argentum ab igne non tantùm nõ conſumitur, ſed etiam purius & ſplendidius efficitur, inquit Baynus: ſic iuſti & ſapientis viri lingua tantum abeſt, vt vel oſoris mendacijs, vel ſtulti detractionibus inficiatur, aut maledictum rependat maledicto, conuitium conuitio, vt etiam iuxta Paulum benè precetur maledicentibus: à litibus ſeminandis inter fratres vſque adeò aliena, vt multos ad concordiam reducat, & eſurientes paſcat verbo vitæ, quo viuit homo non in ſolo pane. O pretioſam & electam linguam, cui nulla perſecutionis flamma ſilentium imponere poteſt, quo minùs

nùs fidem Chriſti reſonet, odium à corde & mẽdacium à lingua dulciſſimo ſono expellat. Talis erat Chriſti Ieſu lingua, in cuius ore non eſt inuẽtus dolus: qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur: cui Dominus dedit linguam eruditam, vt ſciret ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo. Quæ tamen lingua quãuis electa, cor improborum Iudæorum non penetrauit; nam valdè parum cordis & intelligentiæ habent improbi, & ob defectum cordis verbo vitæ, & pabulo huius linguæ non ſunt paſti, ſed vt ſtulti fame mortui ſunt.

Quintò, argentum præ auro, ſtanno, ære, aliiſque metallis argenteo, id eſt iucundo gratoque, ſono reſonat: vnde nummularij ſono ſolẽt explorare bonitatem & puritatem argenti. Hinc & Deus iuſſerat Moſi facere tubas ex argento, vt ijs tot millia, imò milliones populi conuocaret, Numer. 10. 2. tubę enim argẽteę præ corneis & æneis ſunt ſonoræ & iucundę. Vnde & nolis & cãpanis, dum B eas ex ære fundunt & conflant, ſolent miſcere argentum, & quo plus argenti miſcetur, eo pleniùs & ſuauiùs reſonant. Simili modo plenè & ſuauiter reſonant argenteæ igneæque voces, dictaque ſapientum & iuſtorum: quales fuere Apoſtoli, de quibus dicitur pſ. 18. 5. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Elias, de quo Eccli. 48. 1. *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Vbi plura dixi de hiſce linguis. Quocirca earũ ſymbolum eſt piſcis appellatus lucerna, de quo noſter Cauſinus lib. 8. Hiſtor. parabol. cap. 48. Subit, inquit, in ſumma maria piſcis ex argumento appelatus lucerna, linguaque ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet, ait Plinius lib. 9. c. 27. Ita ſapientes, quales erant Apoſtoli, ſunt lucerna mundi, qui orbem ſuâ luce colluſtrãt, & linguis igneis amore diuino, accendunt, C *ſolemq; nouum noua ſidera portant.*

Denique lingua ſapientis eſt inſtar hydrargyri, ſiue argenti viui, quod in omnem partem ſeſe librat & agitat, quodque efficaciter aurum expurgat: ſic enim lingua iuſti ſapiẽtia fulgentis, & charitate ardentis, ſeſe agitat in omnem partem, vt quidquid vitioſum eſt etiam in viris Religioſis, eradat & expurget. Memorabile eſt quod in Vita S. Antonij Patauini legimus, ipſum argenteâ & igneâ linguâ concionando, inſtar hydrargyri vbiuis gentium hęreſes, odia, libidines, uſuras, aleas, aliaque ſcelera ſuſtuliſſe, ideoque hoc præmium tuliſſe, vt poſt mortem reliquâ eius carne ſenſim conſumpta, lingua dumtaxat integra & illæſa perduraret, quàm proinde 32. poſt mortem eius anno S. Bonauentura religioſè viſitans, & cum lacrymis D exoſculans: *O lingua benedicta*, ait, *quæ ſemper laudaſti Deum, multiſq; eumdem laudandi cauſa extitiſti, nunc claro liquet, quanti apud eum ſis meriti & pretij, qui te ad tam ſublimè præconij ſui officium efformauit.*

Cor avtem impiorvm pro nihilo] Hebr. *cor impiorum ſicut modicum*; Aquila & Theodot. *ſicut parum*, Symmach. ὀλιγωρίας, id eſt *vile & nullius pretij*; Chald. *contritio*, Syrus, *rebellis*.

Iam Primò, Tigur. ſic vertit & explicat: *Lingua iuſti electum eſt argentum, quod cor impiorum parui pẽdit*; Hebr. *æſtimat vt parum*, vt rem modicam, q.d. Impij parui pendunt ſapientiam, quam lingua iuſtus proloquitur.

Secundò, Vatabl. *Cor*, inquit, *impiorum eſt velut pauxillum*, ſupple, argenti, q.d. Parui eſt pretij, par-A uo ære & argento æſtimandum. Accedit Pagnin. qui vertit, *cor verò impiorum parum eſt electum.*

Tertiò, Baynus, vertit: *cor impiorum vt exiguum*; quod referri poteſt, inquit, ad qualitatem, vel ad tempus. q.d. Paruo tempore durat intellectus improbi; vel parum boni ſenſus & cordis habent improbi.

Quartò, Aben Ezra. q.d. Per exiguum eſt quod diſcas ab impio. Aut cor, id eſt ſcientia, impiorum non multum probatur.

Quintò, R. Salomon. Cor impiorum pro nihilo, inquit, quia iuſtorum reprehenſiones non admittit.

Sextò, R. Leui. q.d. Impiorum animus & cor non niſi breuiſſimi temporis viuram in corpore habebit.

Septimò, Septuag. vertunt, *cor autẽ impiorum deficiet*; q.d. Cor & lingua iuſti inſtar argenti electi ſolida ſunt, ideoque durant & conſtantia ſunt; ac cor & lingua impij, putà eius ſenſa & eloquia, fragilia & caduca ſunt, ideoque citò deficient. Porrò naturale cordis augmentum) æquè ac decrementum ita deſcribit Plinius lib. 11. c. 37. *Augeri id* (cor) *per ſingulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquageſimum annum accedere; ab eo detrahi tantumdem, & ideo non viuere hominem vltra centum annos defectu cordis, Ægyptij exiſtimant*; vt ſcilicet poſt quinquageſimum annum cor quotannis deficiat & decreſcat ad duas drachmas; ſicut ante quinquageſimũ quotannis ad duas drachmas accreuit. Longè maius & velocius eſt decrementum cordis moralis, putà ſenſus & ſapientię inſipientis & impij: quia rapiente ſemper cupiditate, ad ſtultas ſtatim cupedias, nugaſque ſuas tranſit & abit. Hinc *ſtultus ſicut luna mutatur*, Eccli. 27. 12. Vnde Origen. in Catena Græco. totum hunc verſum ſic explicat: *Iuſtorum ſermo probatur* (vt argentum electum) *eò quòd rebus ipſis fidem faciat. Deficit autem cor ſtultorum, quia perpetuò mutatur & fluctuat.*

Octauò, ad verbum planè & plene vertit Noſter, *cor impiorum pro nihilo*, id eſt mens & ſenſus, ac conſequenter ſermo inde manans, impij parui, vel nullius eſt pretij & momenti: cùm ex aduerſo cor, id eſt mens & ſenſus, ac ſermo iuſti ſit pretioſus inſtar argenti.

Quęres: cur Salomon linguę iuſti opponit non linguam, ſed cor impij? Reſp. Sub corde intelligit os & linguam: quod enim ſentit cor, hoc os eloquitur: præſertim quia inſipientes & impij quidquid habent in corde, hoc ore effutiunt; iuxta illud Eccleſ. 21. 29. *In ore fatuorum cor illorũ: & in corde ſapientium os illorum.* Igitur inſipientes & impij ſicut res viles & nullius momenti, imò impuras, malas & noxias, corde ruminant; ſic eaſdem ore eructant. Sapientes verò & pij ſicut res ſublimes, ſanctas, cęleſtes & diuinas corde voluunt, ſic eaſdem ore profantur: horum ergo cor & os argentum eſt, illorum plumbeum, terreum & ſordidum.

Labia ivsti ervdivnt plvrimos: qvi avtem indocti svnt (hebr. אֱוִילִים *euilim*, id eſt inſipiẽtes, ſtulti. ita Chald, & Syrus) in cordis egestate morientvr] Pro *erudiunt*, hebr. eſt יִרְעוּ *iiru*, id eſt paſcent, vtique docendo, id eſt erudiendo: nec enim labia aliter paſcere poſſunt, iuxta illud Ierem. 3. *Et paſcent vos ſcientia & doctrina.* Iam ergo clara eſt ſententia, eiusque antitheſis. q.d. Iuſti adeò abundant ſapientia, vt non Vers. 21

tantùm ſe, ſed & plures alios erudiant, doceantque honeſtos & ſanctos mores, quibus ad vitam beatam peruenitur: at indocti & inſipientes, id eſt impij, adeo inopes ſunt ſapientiæ, vt ſeipſos (multo minùs alios) erudire & dirigere non ſciant: quare in cordis egeſtate, id eſt in ſua inopia mentis, & ſapientiæ, ſcilicet in ſua inſipientia, id eſt concupiſcentia & impietate, ſicut viuunt, ſic & morientur: ideoque iuſti erunt felices, tendentque ad vitam æternam; impij verò ob ſuam inſipientiam & impietatem erunt miſerrimi, ibuntque ad tartara: vbi perpetua eſurie mentis & ſapientię, ac morte ęternâ cruciabuntur. Nam in inſipientia hebraiſmo idem eſt, quod propter inſipientiam: eius enim demerito morte plectuntur, q. d. Impij ob ſuam imprudentiam & improbitatem perniciem mortemque ſibi accerſunt. ita R. Leui.

Rurſum cum Ianſenio ſic explices, vt non ſignificetur differentia inter effectus & cōditiones iuſtorum & ſtultorum, ſed tantùm deſcribatur efficacia eloquiorum iuſti, quę tamen non perueniat ad ſtultos, vt ſit ſenſus: Labia iuſti paſcunt quidem multos; at ſtulti, quoniam à iuſto paſci recuſant, propter defectum ſapientiæ moriuntur. Atque hunc ſenſum ſecutus videtur noſter Interpres, & ſic rectè conſtat noſtra verſio. Eſt enim ſenſus. Labia iuſti erudiunt multos: at qui ab eis ſe doceri non patiuntur, ſed indocti manent, moriuntur per cordis egeſtatem.

Hinc & vulgò dicitur ait Lyran; *Multum eſt pauper, qui eſt fatuus vel indoctus.* Septuag. pro litera ר legentes affinem ד aliaque puncta ſubſtituentes, pro יִרְעוּ רַבִּים *iru rabbim*, id eſt *erudiūt multos*, legerunt יֵדְעוּ רָמִים *iadeu ramim*, id eſt, *ſciunt excelſa*; vnde vertunt, *labia iuſtorum ſciunt excelſa*, ſcilicet ſpeculantur cæleſtia & diuina, quorum inops eſt mens & cor inſipientium & impiorum, ideoque moritur morte peccati & gehennę. Ita auctor Catenæ Gręcor. *Iuſti*, inquit, *rationem ſublimium rerum norunt: inſipientes autem nihil ſublime ſapiunt aut quærunt.* Chaldæus verò cum Syro יִרְעוּ *iru* accepit in ſignificatione Chaldaica & Syriaca, qua radix רָעָה *raa*, quæ Hebræis ſignificat paſcere, Chaldæis & Syris ſignificat cogitare, velle, amare, & amorem conciliare. Vnde Chaldæus vertit, *labia iuſti multos placant*; Syrus, *multum amant*, vel *amare faciunt.* Iuſtus enim poſſidet pacem & charitatem, ijsque plenus eadem alijs aſpirat & afflat etiam ſolo aſpectu. Vnde facilè ſedat lites, & pacem inter diſſidentes conciliat, ſecutus illam Chriſti beatitudinem. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, Matth. 5. Vnde S. Bernard. ſerm. 23. in Cant. *Tranquillus Deus*, inquit, *tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt.* Hanc Dei tranquillitatem participant Sancti, qui ſunt ſedes & thronus Dei, in quibus, vt idem ibidem ait, *non eſt ſenſus egens, nec cura pungens, nec culpa mordens.* Idem l. 5. de Conſider. cap. 5 in fine, *Deus*, inquit, *amat vt charitas, nouit vt veritas, ſedet vt æquitas, dominatur vt maieſtas, & regit vt principium, tuetur vt ſalus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, aſſiſtit vt pietas. Quæ omnia faciunt & angeli facimus & nos; ſed longè inferiori modo, non vtique bono quod ſumus, ſed quod participamus.* Quocirca S. Chryſoſt. homil. de manſuetudine tom. 5. *Si capitales*, inquit, *inter ſe inimici ſint, manſueti viri correptione placantur & manſueſcunt, etiam ſi naturâ in iram & furorem propenſi ſint. Qui vero per hunc conciliari nequeunt, intractabiles planè ſunt, nub-*

loque honore digni. Addit deinde: *Mox vt viderit, mitigat furibundo: neq; enim multis ei verbis vel admonitionibus opus eſt, ſed pacem priuſquam loquitur perſuadet. Quemadmodum Solis iubar, vt primùm apparet, fugat tenebras: ita benignus & iuſtus ſuâ præſentiâ res turbulentas componit, quietaſq; ac tranquillas reddit. Eſt autem & hoc dignum recenſeri, quòd Chriſtus ſolum pacificos filios Dei vocat. Et quare ſuum vocabulum pacificis communicat? Quia ſolus hic Filium Dei pro viribus imitatur, qui pacis & amicitiæ auctor alijs fit.* Et mox pacifico hæc dat ſimilia & analoga. *Porrò quod in corporibus noſtris nerui, hoc pacificus in domo, in Eccleſia, in ciuitate: Paulus enim more ſuo fratres vocat corpus, & membra inuicem. Vnde verum eſt illud, quòd pacificator eandem habet virtutem in domo, Eccleſia & vrbe, quam habent in corporibus nerui diſperſa & ſeparata cōiungentes & connectentes.*

BENEDICTIO DOMINI DIVITES FACIT (Hebr. *ipſa ditat*) NEC SOCIABITVR EIS AFFLICTIO] Vers. 22. Septuag. *benedictio Domini ſuper caput iuſti hæc ditat: & non adijcietur ei afflictio*, vel, *nec vllam adiunctam habet cordis triſtitiam*; Vatabl. *benedictio Domini locupletat, nec quidquam moleſtiæ ſecum affert.* Quare minùs rectè Caiet. per *afflictionem* vel dolorem accipit pœnitentiam, non hominis, ſed Dei, q. d. Non pœnitet Deum, quòd iuſtos ditarit: vnde diuitias eis ſemel datas non reuocat, nec aufert: *ſine pœnitentia enim ſunt dona Dei.* Roman. 11. v. 29. Pro *eis* hebr. eſt *ei*, ſcilicet benedictioni, q. d. Benedictio Dei mera eſt benedictio: quare ei ſociari nequit vllus dolor vel maledictio. Sed cùm hæc Dei benedictio recipiatur in diuitibus, putà iuſtis, quos Deus ditat, hinc rectè vertit Noſter *eis.* Senſus ergo eſt, q. d. Non caſus, non fortuna, non fraus, non vſura, non rapina, quibus diteſcere ſatagunt impij, non etiam induſtria vel labor proprius; ſed Dei fauor & benedictio, id eſt beneficentia, eſt propria & præcipua cauſa ditans homines iuſtos, quę pariter facit, vt eis non ſocietur afflictio, vel in acquirendo, vel in conſeruando, vel in expendendo opes ſibi à Deo datas: quia iuſti ſpem in Dei prouidentia & benedictione collocantes, illique magis quàm ſuo labori & induſtrię (etſi eum non negligant) confidentes, in ea ſecuri corq; ieſcunt, ſcientes ſe Deo eſſe curæ: quare laborant ſine anxietate, & fructum lucrumque laboris ſui Deo committunt, contenti illa lucri opumque menſura, quam Deus dederit: cùm ex aduerſo impij mille curis & angoribus crucientur, vt opes parent, augeant & conſeruent, nec vnquam eis ſint contenti, ſed plura ſemper deſiderent.

Per diuitias accipe temporales: hæ enim Salomoni & Iudæis promiſſæ fuere à Deo, ſub quibus myſticè intellige opes ſpiritales, putà ſapientiam, gratiam, virtutes &c. promiſſas Chriſtianis, iuxta illud Sapient. 7. 9. *Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur in conſpectu eius.* Et rurſum: *Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius*, ſed charitatem & gaudium.

Significat ergo Primò, Dei eſſe ditare, ac proinde volenti diteſcere Dei fauorem & benedictionem eſſe ambiendam, tum per iuſtam ſanctamque vitam, tum per orationem, & inuocationem.

Secundò, maledictionem Dei eſſe cauſam egeſtatis; ideoque videmus pauperes, qui per fraudes, furta,

furta, iniquos contractus ſatagunt diteſcere, Deo eis maledicente depauperari, ac omnes eorum labores & curas inanes reddi, & in fumum abire.

Tertiò, opes à Deo datas iuſtis ſecum afferre animi quietem, moderationem, lætitiam, gaudium: cùm opes à mundo datæ mille adueheant ſollicitudines, turbationes, lites, mœrores, quę omnem opum voluptatem obruunt & extinguunt: hoc enim mœrorum additamentum vice auctarij & fœnoris, donis ſuis omnibus miſcet adijcitque mundus.

Sic Deus benedicendo Abrahæ, Iſaac, Iacob, Dauidi, Salomoni, &c. eos ditauit, idque ipſimet agnouerunt, & eum gratiarum actione confeſſi ſunt, vt patet Geneſ. 12.2. & c. 18.18. & c. 22.17. & cap. 24.1. & ſequ. Sic de viris Religioſis & Apoſtolicis ait Apoſt. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes. Prouidentia enim Dei eſt cenſus pauperum*, ait S. Chryſoſt. iſque certus, perennis & inexhauſtus. Vnde S. Franciſcus ſuis non aliud dabat viaticum quàm hoc; *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Videmus quot quantoſque fundos & cenſus Dei benedictio dederit monaſterijs Ordinis S. Benedicti. Sanè ij tanti fuere, vt ſcribat Trithemius, ſi omnes in vnum colligerentur, facilè tertiam Europæ partem æquaturos. Vulgatum eſt illud regis Franciæ de S. Mauro. *Monachus hic plus acquiſiuit ſuo breuiario, quàm maiores mei gladio.* Cauſam dat S. Hieron. ſcilicet quòd Religioſus pro Deo relinquens omnia poſſideat Deum: Dei autem ſunt omnes opes. Sic enim ait epiſt. ad Pammach. *Religioſo Chriſtus eſt omnia, vt, qui omnia propter Chriſtum dimiſerit, vnum inueniat pro omnibus, & liberâ poſſit voce proclamare: Pars mea Dominus*, qui diues eſt in miſericordia, æquè ac opulentia.

VERS. 23. QVASI PER RISVM STVLTVS OPERATVR SCELVS; SAPIENTIA AVTEM EST VIRO PRVDENTIA] Noſter Salazar τὸ *quaſi* accipit non propriè, vt notam ſimilitudinis, ſed per catachreſin vt notam veritatis, ſicut accipitur Iohan. 1.14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Vnde Septuag. pro litera כ legentes affinem ב, putà pro כשחוק *kiſchoc* legentes בשחוק *biſchoc*, vertunt, *in riſu inſipiens agit malè*: Chald. *quando ridet ſtultus, operatur ſcelus.* Senſum ergo eſſe Primò, q.d. Stultus, id eſt improbus, dum ridet & arridet, dum ſe hilarem & iucundum oſtendit, machinatur ſcelus & noxam: *ſapientia autem viro eſt prudentia*, id eſt, prudenti ſapientia eſt cautio, ne ab improbo deludi aut circumſcribi ſe patiatur: prudens enim ex modo riſus indagat animum & machinationes inſipientis. Eſt enim, vt ait Seneca, *riſus, cachinni, arriſio, irriſio & ſubriſio. Rident ſinceri, cachinnos edunt ſtulti, arrident adulatores, irrident ſcurræ, ſubrident callidi & doloſi. Hæc prudentes viri perſpicuè diſcernunt.*

Secundò, q.d. In riſu, ſeu quando ridet, ſtultus operatur malum, id eſt riſu & ioci opportunitatem ſceleribus magnis præbent. Rationem dat Ariſtoteles lib. 4. Ethicor. cap. 8. Quia riſus licentiam & liberiorem quamdam facultatem miniſtrat, & inter riſus & iocos abit pudor, verecundia diſcedit. Et pſeudo-Auguſtinus ſer. 39. de Diuerſis, qui numeratur 97. de Tēpore: Riſus frequens, ait, corrumpit mores: relaxat enim neruos rigoris adſtrictos: ſeuerus autem vultus cuſtos eſt diſciplinæ. S. Chryſoſtomus homil. 62. ad Populum recēſet quædam loca vbi riſus liberior eſt, & in his maxima quæque delicta euenire docet; ſcilicet in theatris, in conuiuijs, atque eiuſmodi alijs. Senſum ergo eſſe, q.d. Riſus & ioci fluentes animi rigorem cauſa ſunt, vt animus diffluat in gulam, venerem, conuitia, aliaque ſcelera. At *ſapientia viro prudentia*, id eſt ipſamet ſapientia, quâ pollet vir prudens, iocis ac riſui modum imponit, leges præſcribit, ne fortè exceſſus peccandi licentiam & libertatem adducat, hæc appoſitè Salazar.

Verùm planiùs & ſimpliciùs alij paſſim τὸ *quaſi* accipiunt propriè vt notam ſimilitudinis: Hebræa enim ad verbum habent, *quaſi ridere eſt ſtulto facere ſcelus.* Et hoc voluere Septuag. vertentes, *in riſu*, id eſt inſtar riſus, per modum riſus, *inſipiens agit malū*, Vatabl. *iocus eſt ſtulto ſcelus deſignaſſe.* Senſus ergo planus clarusque eſt. q.d. Stultus, id eſt impius, quaſi ludendo & ridendo ſcelera etiam ingentia deſignat & perpetrat: at *ſapientia eſt viro prudentia*, id eſt, at ſapientia docet virum prudenter & ſeriò agere, ideoque ſceleri impij reſiſtere, omniaque agere ex præſcripto ſapientiæ, rationis & legis diuinæ.

Porrò τὸ *quaſi per riſum* multa innuit. Primò, facilitatē & pronitatem ſtulti ad ſcelera, q.d. Stultus tam facilis eſt ad ſcelus, quàm ad riſum. Vnde Ianſen. & Caiet. ſic exponunt, q.d. Quaſi riſus eſt ſtulto operari ſcelus, hoc eſt, putat rem eſſe ridiculam & iucundam: non magni facit peccare, ſed parui pendit, imò lætatur operando ſcelus, & ridet: *ſapientia autem eſt viro prudentia*, vel vt hebr. eſt, *intelligentia*, hoc eſt, adfert ei prudentiam & intelligentiam, quâ ſcilicet cognoſcat, quàm ſit res grauis & execrabilis operari ſcelus.

Secundò, recreationem; quòd ſcelere ſe oblectet. q.d. Stultus ſicut riſu, ſic & ſcelere ſe recreat & paſcit; vnde ſtudio & ex propoſito illud committit, imò captat, quærit & ambit, vti quærimus iocos & ludos. Si tamen inde pœna vel infamia ipſi immineat, ſeſe excuſat dicens: Iocatus ſum ludens dixi, ridens feci. ita Hugo. Quocirca hanc gnomen ſpectaculis obſcœnis & crudelibus adaptans S. Saluianus lib. 6. de Prouidentia: *Ludi publici*, inquit, *ludibria vitæ noſtræ. In theatris & circis deperimus, iuxta illud, Stultus per riſum operatur ſcelus.*

Tertiò, leuitatem, q.d. ait R. Salomon. Sicut ſtultus leuiter & quaſi per riſum operatur ſcelus: ſic ſapientia prudenti eſt leuis, dum quaſi per riſum pręſtat illa quæ ſapientia pręcipit. Et Aben Ezra: Sicut, inquit, leue eſt ſtulto ſcelus deſignare; ſic ſapienti viro prudentia, ſupple, leuis eſt, aut facilis propter aſſuetudinem.

Quartò, inconſtantiam, q.d. ait R. Leui: Stultus ſicut per mentis inconſtantiam fortuitò & temerè ad quiduis ſine cauſa, ſine deliberatione ridet & arridet: ſic & idem ſimili modo ſcelus admittit: nunc enim hoc patrat, nunc aliud & aliud, prout eum rapit occaſio & libido. At ſapiens agit omnia prudenter cum ratione & deſtinato conſilio: ideoque omnia quæ molitur felicem conſequuntur effectum.

Quintò, pro *ſcelus* hebr. eſt זמה *zimma*, quod verti poteſt *cogitationem*. q.d. Stultus nil facit grauiter & maturè, ſed omnia quæ cogitat, hæc ridiculè & iocosè operatur: at *ſapientia eſt viro prudentia*, id eſt, at ſapientia docet virum ea quæ cogitat prudenter, id eſt maturè, ſeriò & præuia deliberatione, tractare & exequi. Tales ſunt in aulis principum aſſentatores, qui vt principum cupidinibus indul-

A indulgeant, omnia eorum ſcelera per iocum & cachinnum excuſant, vel eludũt. Talis in aula Henrici VIII, regis Anglię fuit Frãciſcus Brianus, Eques auratus. Cùm enim rex amoribus Annæ Bolenæ captus, cogitaret eam in vxorem ducere, quam dictitabant eſſe ipſiuſmet regis filiam, eo quòd mater Annæ regis concubina extitiſſet; à Briano quæſiuit, inquit Sanderus lib. 1. de Schiſmate Anglic. *quale peccatum videretur matrem primùm, deinde filiam cognoſcere?* Cui Brianus: *Omnino*, inquit, *tale, ô rex, quale gallinam primùm, deinde pullum eius gallinaceum comedere.* Quod verbum cùm rex magno riſu accepiſſet, ad Brianum dixiſſe fertur: *Næ tu meritò meus es inferni vicarius*: Brianus enim iam priùs ob impietatem notiſſimam vocabatur inferni vicarius. Rex igitur cùm & matrem priùs, & poſtea filiam Mariam Bolenam pro concubina tenuiſſet, B demum ad alteram quoque filiam Annam Bolenam animum adijcere cœpit.

Sapientia est viro prvdentia] Hebr. *intelligentia*. Primò, Septua. ſic genuinè vertunt & explicant: *Sapientia viro parit prudentiam*; vnde Lyran. Sapientia, inquit, eſt cognitio de diuinis. Hęc virtuoſo parit prudentiam; quia per notitiam de diuinis procedit ad dirigendum humanos actus, circa quos propriè verſatur prudentia. Et S. Tho. 1. p. q. 1. art. 6 *Prudens*, inquit, *vocatur ſapiens, in quãtum ordinat humanos actus ad debitum finem. Vnde Prouerb. 10. dicitur: Sapiẽtia eſt viro prudentia.* Secundò, Chald. vertit, *ſapientia eſt viro prudẽtia*, vt per ſapiẽtiam ſcelus, quod ſtultus per riſum operatur, deuitet, & contra illud ſe tueatur. Tertiò, Tigur. *iocus*, inquit, *eſt ſtulto ſcelus deſignaſſe; id verò ſi quis animaduertit, ſapientia eſt.* Quartò Vatabl. *ſapientia eſt viro intelligentia*, id eſt ſapientia pollet vir intelligens. C Quintò, Ianſen. verba tranſponens: Prudentia, inquit, eſt viro ſapientia, id eſt, prudenter animaduertere & intelligere, quã ſeria res ſit operari ſcelus, & ad quantum malum perducat hominem, eſt viro magna ſapientia. Porrò iam ſępiùs monui ſapientiam & prudentiam hoc libro in re idem ſignificare, ſcilicet ethicam, ſiue ſcientiam practicã. Vnde ſignanter dicitur, *ſapientia eſt viro prudentia*, q. d. In rebus humanis ſapientia eſt prudentia, & ſapiens eſt vir prudens: quia prudenter ordinat actiones vitæ humanæ ad vltimum finem: nam alioqui ſapientia ſimpliciter ſumpta toto genere diſtat à prudentia, eſtque contemplatio rerum altiſſimarum: putà Dei, angelorum, rerumque cæleſtium. ita D. Tho. 2. 2. q. 47. ar. 2. ad 1.

Vers. 24. Qvod timet impivs, veniet svper evm: desiderivm svvm ivstis dabitvr] D Hebr. *formido impij ipſa eueniet ei*; Syrus, *impius ad perditionem trahetur*: *& iuſto quod ſperabat, dabitur*; Vatabl. *impijs accedunt, quæ metuunt: iuſtis verò datur, quod cupiunt*; Septuag. *in perditione impius circumfertur: deſiderium autem iuſti acceptabile.* Vel clariùs, vt vertit interpres Catena Gręcor. *in perditionis fouea voluatur impius: iuſti autem deſiderium Deo eſt gratum*, ſeu *acceptum*; idque ſic explicat. q. d. In perditione impius volutatur: ſiquidem tentatione aliqua ingruente abſque omni timore ſtatim peccato ſeſe dedit; cùm è diuerſo per patientiam & tolerantiã tentationi, quæ aduenerat, debuiſſet reſiſtere.

Hęc ſententia connexa eſt pręcedenti, eamque limitat & temperat per occupationẽ. Dicet enim quis: Si ſtultus per riſũ operatur ſuas cogitationes & ſcelera; ergo ſemper lætus eſt & alacer, agens vitam iucundam & beatam. Reſpondet, riſum A hunc magno timori permiſtum eſſe, adeoque exterius impium ridere, interiùs verò timere & trepidare. Dum enim ſcelus machinatur, patrauit aut patrat, ilicò conſcientia ſuggerit ei agmen pœnarum & malorum ſceleri & ſceleſto impendentiũ, quæ ipſum ingenti metu & angore concutiant. Nec enim timor hic inanis eſt & vanus, ſed realis & ſerius: quæ enim timet ab irato Deo, aduenient ei. Mala hęc ſunt tum futura in gehenna, tũ præſentia, putà infamia, ſi ſcelus prodatur; iactura bonorum; metus ne quod machinatur, infelicem habeat exitum, vt votis & ſpebus ſuis per ſcelus non potiatur; offenſa amicorum, vicinorum, omniumque ciuium; carcer denique ac mors ipſa: hęc enim omnia ipſum ſcelus meretur. Ex aduerſo iuſti, qui graui & ſeuero vultu prætendunt prudentiam, hi in corde celant ſuas ſpes & gaudia: B quia certò ſperãt ſe deſiderijs ſuis fruituros. Deus enim id eis hîc & alibi promiſit, vt pſalm. 144. 19. *Voluntatẽ timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos*; atque huius rei arrham & pignus dat ipſum deſiderium. Cùm enim Deus donum aliquod cuipiam vult elargiri, priùs eidem ingens illius deſiderium immittit: tum vt per hoc fiat capax, oretque pro dono, tum vt eò gratius ſit donum, quo magis & diutiùs fuit deſideratum, qua de cauſa ſolet Deus pariter differre rem deſideratam, vt dilatio augeat deſiderium & orationem, deſiderium cumulet gaudium cum re ipſa potietur. Igitur eſt hic vna, ſed virtute duplex antitheſis. q. d. Impio adueniet nõ id, quod ſperat ſed id quod timet: at è contrario iuſto accedet non quod timet, ſed quod ſperat. Ita videmus & experimur Deum implere in bonis deſideria ſeruorum C ſuorum, etiam in rebus domeſticis & paruis: imò ea præuenire & ſuperare, iuxta id, quod profitetur Eccleſia: *Deus qui merita ſupplicũ excedis & vota*, &c.

Legimus in Vita S. Hildegardis, multos ſe eius precibus commendare ſolitos, ac compotes voti factos ei gratias egiſſe; cumque illa miraretur, eò quòd ipſorum oblita pro eis non oraſſet, accepit à Deo reſponſum: Deum id eis pręſtitiſſe, nõ quòd actu pro eis oraſſet, ſed quòd orare deſtinaſſet: ipſum enim exaudire tacita & virtualia ſuorum vota, etſi in actum non exeant.

Porrò maximè implet Deus in ſeruis ſuis deſiderium maioris virtutis & perfectionis. Hoc enim deſiderium efficax eſt medium ad perfectionem oratione poſtulandam, & operatione procurandam. Quocirca vt ſapienter monet B. Laurentius D Iuſtin. lib. 1. de Diſcipl. & perfect. monaſt. cap. vlt. *Quicumque illius ſupernæ vitæ delicijs, diuitijs honoribuſque, abundare deſiderat, donec in carne viuit, quamdiu operari licet; virtutum ſemina ſpargere non deſiſtat: vt meritorũ manipulos in horreis cæleſtibus valeat aggregare, ſemper proficere ſtudeat; qualiter in via Dei creſcere poſſit, aſſiduè meditetur. Et nunquam eradicari de ſe permittat perfectionis deſiderium: quin potiùs quantumcumque profecerit, quamuis plurimis virtutibus locupletatus extiterit, continuè cum Apoſtolo dicat: Ego me non arbitror comprehendiſſe. Atque ex his æſtuantis amoris prouocatus ſtimulis, ſemper maiora appetat dona, & meliora ſpiritus charismata concupiſcat.* Deſideria itaque magni momenti ſunt ad perfectionem aſſequendam, pręſertim ardentia & efficacia: ea igitur augenda & acuenda ſunt.

Cùm ergo, ô homo Dei, tibi ſentis immitti à Deo deſiderium alicuius gratiæ, virtutis, conuerſionis animarũ, &c. ſcito Deum rem deſideratam

tibi

tibi efflagitanti reipſa daturum: ideò enim eius deſiderium tibi immittit, & quaſi prænuntium præmittit. Sicut enim, vt ait Alcuinus in Reſponſis ad Carolum Magnum Imp. timor, quo Deus impiorum mentes ante ſupplicium percellit, eſt *ira & vindictæ diuinæ fecialis*: ſic deſiderium, quo Deus lactat animas piorum ante donum, eſt *beneficentiæ diuinæ fecialis*. Sicut enim fecialis apud Romanos erat ſacerdos denuntians bellum hoſtibus: ſic timor prænuntiat ſupplicium impijs, ac deſiderium rem deſideratam prænuntiat pijs mox affore.

VERS. 25. QVASI TEMPESTAS TRANSIENS NON ERIT IMPIVS: IVSTVS AVTEM QVASI FVNDAMENTVM SEMPITERNVM] Hebr. *ſicut tranſit turbo, ſic non erit impius: iuſtus verò vt fundamentum mundi*, vel *ſæculi*. hoc eſt, ait Vatabl. *quàm citò præterit turbo, tam citò deſinet eſſe impius: iuſtus verò permanebit in vita, ſicut fundamentum mundi perſeuerat*; Chald. *ſicut tranſit turbo, ſic tranſibit impius*; Syrus, *velut turbo repente tranſit, ita profligabitur impius, & non reperietur: iuſtorum autem fundamēta in æternum ponentur*; Arabicus, *in tranſitu turbinis perit impius: iuſtus autem cùm declinauerit mala, ſeruabit ſe in æternum*. Septuag. rurſum pro כ legentes ב, putà pro כְּסוּפָה *keſupha*, id eſt *quaſi tempeſtas*, legentes בסופה *beſupha* id eſt in *tempeſtate*, vertunt, *prætereunte* vel *ingruente procellâ deletur* (vel *euaneſcit*) *impius: iuſtus autem inde declinans ſeruatur in ſæculum*, vel *in æternum*. Pro tēpeſtas hebr. eſt סופה *ſupha*, id eſt turbo, tempeſtas, procella, quaſi vaſtans, obruens, & finem alij æquè ac ſibi afferens. Radix enim סוף *ſuph* ſignificat ceſſare, deſinere, finire: & סוף *ſoph* eſt finis, terminus.

Iam in genere ſenſus adæquatus eſt, q.d. Sicut tempeſtas citò tranſit & deſinit, ſic & impius: iuſtus verò perdurat tum in hac vita, tum magis in futura & æterna. In ſpecie verò, ſiue in particulari magis hæc ſigillatim applicando, quia tēpeſtas dupliciter accipi poteſt, ſcilicet paſſiuè & actiuè: hinc duplex hic eſt ſenſus. Prior accipiēdo paſſiuè, q.d. Cùm quæ ingruit publica clades & calamitas, tentatio & tribulatio, illâ corripitur & abripitur impius: at iuſtus in ea manet firmus & inconcuſſus, vel quia prudenter eam declinat, vel quia à Deo protegitur, vel, ſi in eum ingruat, fortiter eam tolerat & ſuperat. ita Ianſen.

Huic expoſitioni fauent Septuag. quorum verba iam recitaui, & Tigur. dum vertit, *vbi tempeſtas præterit impius nuſquam eſt; at iuſti fundamentum perpetuum eſt*. Vnde Chriſtus iuſtum comparat domui fundatæ ſuper petram, quæ omni tempeſtati & procellæ reſiſtit; impium verò domui ædificatæ in arena, quæ procella ſternitur. Matt. 7.24. Simili modo Ieremias c.23.19. *Ecce turbo*, inquit, *Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet*. Et Nahum c.1.3. *Dominus in tempeſtate & turbine viæ eius*.

Poſterior accipiendo actiuè, q.d. Impius eſt ſimilis procellæ & turbini trāſeunti: quia etſi ad tēpus inſtar tempeſtatis terribilis ſit hominibus, nō diu tamen ſubſiſtit, ſed ritu procellæ prætereuntis ſubitò è vita tollitur: quæ quantumuis videatur longa hic eſſe, tamen ad æternitatem ſequentem, in qua æternùm moritur mortem, breuis eſt: iuſtus autem fundamento ſempiterno, hoc eſt diu duranti, comparatur: quia iuxta promiſſiones veteris teſtamenti diu in hac vita perſiſtit, aut, etiamſi hic non diu viuere detur, non tamen viuere deſi-

A nit; vt qui per mortem corporalem veram æternamque adipiſcatur vitam. Hunc ſenſum exigunt Hebræa, Chald. Syrus, & Noſter. Salomonem de more ſecutus Eccleſiaſticus c.40.13. *Subſtantia impiorum*, inquit, *ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt*. Vide ibi dicta.

Nota, impium rectè comparari procellæ & turbini. Primò, quia impij inſtar turbinis irruūt in iuſtos, eoſque affligunt & vexant: at iuſtus afflictiones hasce forti animo ſuſtinet, quaſi fundamentum firmum & inconcuſſum. *Impius eſt procella. Primò.*

Secundò, quia ſicut tempeſtas, ſic & graſſatio impiorum, ſæua eſt, violenta, confragoſa & horribilis, cùm reboant tonitrua, coruſcāt fulgura, perſtrepunt venti, cadunt fulgetra, torrentes imbrium depluunt, &c. iuxta illud Virgilij Æneid 5. *Secundò.*

B *Tempeſtas ſine more furit, tonitruq; tremiſcunt*
Ardua terrarum & campi, ruit æthere toto
Turbidus imber aquis, denſiſq; nigerrimus Auſtris.

Tertiò, vtraq; ſubita eſt & inopinata: ſubitò enim oritur, ac ſubitò pertranſit & occidit. Quocirca forti animo ſuſtinenda eſt, vtpote certa ſpe, quod ilicò trāſibit & euaneſcet. Ita Iulianus Apoſtata quaſi tempeſtas pertranſijt ſæuiendo in Chriſtianos: nam vix biennium regnauit. Vnde cùm S. Athanaſium Alexandria eijceret, ideoq; Chriſtiani illacrymarentur: *Bono animo*, inquit Athanaſius, *eſtote: nebula enim eſt, & breui euaneſcet*. Verus fuit vates: nam eodem anno in Perſide Iulianus occubuit. ita Sozomenus lib.5.c.14. *Tertiò.*

Quartò, quia vtraque ingentia ſæpè dat damna. Lege hiſtoriam decem perſecutionum primitiuæ Eccleſiæ, putà Primæ Neronis; Secundæ, Domitiani; Tertiæ, Traiani; Quartæ, Antonini; Quintæ, Seueri; Sextæ, Maximini; Septimæ, Decij; Octauæ, C Valeriani; Nonæ, Aureliani, Decimæ, Diocletiani; & videbis, quantas Chriſtianorū ediderint ſtrages. *Quartò.*

Quintò, quia vtraque ſemetipſam interimit, ac in ſemetipſa deſinit, ſtragemq; & interitum, quem alijs affert, eundem ſibi conciliat; ac ſicut bombyx glomo ſuo ſe inuoluit & emoritur. Impius ergo tēpeſtate ſua mergitur: at iuſtus eam ſuperat, vel per eam tranſit, & enauigat ad portum felicitatis & ſtabilitatis æternæ. Sic Nabuchodonoſor comparatur turbini & tempeſtati, Iere.4.13. *Ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi illius: væ nobis, quia vaſtati ſumus*. Et de Antiocho inuadente Ptolemeū Philometorem ait Daniel c.11.40. *Quaſi tēpeſtas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in claſſe magna*. Et de Cyro inuadente Babylonem ait Iſaias c. D 21.1. *Sicut turbines ab Africo veniūt, de deſerto venit, de terra horribili*. Similia ſunt c.28.2. c.29.6. c.66.15. & alibi. *Quintò.*

Porrò R. Leui ſic exponit: *Quaſi tempeſtas, &c.* q.d. *Quando procella & tēpeſtas ingruet, non niſi ad impium abolendum vrgebit, perinde ac ſi finis tempeſtatis eſſet ad iniquum exitio mulctandum*. Sic Ariſtot. in Meteor. ait Deū tonare, vt hoc fragore homines impios metu numinis percellat. Vnde & fulminibus nō rarò tanguntur peccatores, v.g. adulteri, ſcortatores, pæderaſtæ, cùm ſunt in flagrāti delicto: indignatur enim fremitq; aër tonādo & fulminādo in impios, qui aëre ad ſcelus abutūtur, ac creatori æq; ac creaturis ſunt iniurij: iuxta illud Sap.5.21. *Pugnabit cum illo orbis terrarū contra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulgurū, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient*.

Denique eleganter hunc locum explicat noſter Fernandez inGeneſ.c.31.lect.8.num.8. *Quaſi tempeſtas non erit impius.* Cælum, inquit, aliquando tenebris obducitur: dein maligno fulgore intermicant fulgura, roboat æther, immugiunt tonitrua, furit tempeſtas. Quid ergo? pauor horrorque in terris. Bene, ſed ſolutâ demum in pluuias nube tempeſtas ſilet, cælo redit ſerenitas, terras lux alma reuiſit. Quieuit tandem fragor, qui gentes terruerat; ſola in terris viſenda reſtant lutum ſordeſque. Sic habent filij huius mundi, dum viuunt, honorum dignitatumque nominibus ac titulis, pomparum vaniſſimarum ſtrepitu, auri argentiq; facti & infecti tinnitu reboant, audiuntur, ſciuntur, celebrantur, mortalibus ſunt admirationi ac terrori: tempeſtas eſt. Ceterùm mortis interuentu ſepultis illorum cadaueribus, pariter illorum ſuperbia & memoria ſepelitur. Optimè verò adiungit Sapiēs: *Iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum.* Impius quidem in oculis & in ore hominum eſt: iuſtus verò ſub humo latet infoſſus, vt parietis cæmenta: contemnitur, opprimitur. At quàm diſpar vtriuſque finis: illius anima ſempiternis deputatur incendijs, euaneſcit gloria, & in perpetuam obliuionem memoria tumulatur. At iuſto dicitur: Leua caput tuum, attolle ſurſum oculos, quia appropinquat redemptio tua: ſurge ab humo, & intra in gaudium Domini tui.

Moral. de iuſti conſtãtia.

Moraliter, iuſtus eſt fundamentum æternum: quia in Deo & cælo fixus, immotus inter aduerſa & proſpera conſiſtit, dicitque:

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Hinc Ariſtot. in Ethicis docet, virum virtute præditum eſſe ſimilem quadrato lapidi, qui in quodcumque latus voluatur, quadratè & firmè cōſiſtit, omnemque fortunæ aleam quadrato mentis vultuſq; ſitu excipit. Et Seneca definit virtutem eſſe æqualitatem & tenorem vitæ per omnia ſibi conſonantem. Atque in Cobetis tabulis vera diſciplina pingitur inſiſtens quadrato lapidi; fortuna verò globo volubili. Adde iuſtos eſſe fundamentum mundi: quia propter eos mundus eſt ſtabilis, qui alioqui ob ſcelera impiorum ſępè à Deo euerteretur. Vnde illud Ruffini præfat. in Vitaſp. *Quis dubitet mundum precibus ſtare Sanctorum?*

Eleganter S. Auguſt. in pſalm. 86. 1, *Fundamenta eius in montibus ſanctis. Nō fruſtra,* inquit, *de lignis quadratis ædificata eſt arca Noë, quæ nihilominus figuram geſtabat Eccleſiæ. Quid eſt enim quadrari? Attendite ſimilitudinem quadrati lapidis. Similis debet eſſe Chriſtianus, in omni tentatione ſua. Chriſtianus non cadit, & ſi impellitur, & ſi quà vertitur, non cadit: nam quadratum lapidem quacumq; verteris, ſtat: Cadere viſi ſunt Martyres, cùm percuterentur: ſed quid dixit quædam vox Cantici? Cùm ceciderit iuſtus, non conturbabitur: quoniã Dominus confirmat manus eius. Sic ergo conquadramini ad omnes tentationes parati; quidquid impulerit, non vos euertat: ſtantem te inueniat omnis caſus.*

Pręclarè S. Greg. Nazianz. orat. 28. *Eſt quædam in fabulis arbor,* inquit, *quæ cũ ceditur viret. & aduerſus ferrum certat, morte viuit, & ſectione pullulat, atque cùm abſumitur, creſcit. Talis planè eſſe vir philoſophus* (ſapiens) *videtur. Floret enim inter cruciatus, ac vitæ moleſtias virtutis ſegetem exiſtimat, atque in aduerſis geſtit & gloriatur.* Vnde poſt plura ſubijcit: *Duo hęc arripi & ſuperari nequeunt, Deus & angelus: tertium eſt philoſophus, in materia expers materiæ, in corpore incircū-*

A *ſcriptus, in terra cæleſtis in paſſionibus impatibilis, omnibus rebus ſe vinci facilè ferens, præterquam animi magnitudine, eo ipſo quòd vinci ſe patitur, eos qui ſuperiores ſibi videntur, deuincens.*

SICVT ACETVM DENTIBVS, ET FVMVS OCVLIS, SIC PIGER (Chald. *nuntius piger*) HIS QVI MISERVNT EVM] Acetum purgat quidem firmatque dentes, ſed tamen ſuo acore eis dolorem & ſtuporem affert, vt cibos mandere nequeant: aceto enim hebetantur & obſtupeſcunt dentes, fiuntque acidi, ait Lyran. Quare perperam Caietan. per *acetum* cōtendit vertendum eſſe *acre*: aeria enim, inquit, nocent dentibus, cùm acetum proſit ijſdem. Fumus verò oculos limpidos ſuâ caligine offuſcat, cruciat, elicitque lacrymas. Vnde extat ænigma fumi apud Sympoſium: VERS. 26.

Sunt mihi ſunt lacrymæ, ſed non eſt cauſa doloris.
B *Eſt iter ad cælum, ſed me grauis impedit aër;*
Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.

Iam ſenſus in genere adæquatus eſt. q.d. Sicut acetum moleſtiam noxamque affert dentibus, & fumus oculis: ſic pariter piger moleſtiam noxamque creat ijs, qui miſerunt eum. quia pigrè, remiſsè, imperfectè, negligenter peragit ea, ob quæ miſſus eſt, tardeque redit & renuntiat mittenti ea quæ geſſit.

In ſpecie verò Primò, Ianſen. ſic explicat: Monet, inquit, hæc ſententia diſpicere diligenter, quibus quis negotia ſua gerenda & curanda committat. Sicut, inquit, acetum eſt dētibus noxium, quos ob acredinem ſtupefacit, inidoneoſque reddit ad bene maſticandū. & ſicut fumus eſt noxius oculis, quos hebetat & pungit, ſic piger his qui miſe-
C runt illum, eſt noxius & moleſtus: quia dum cauſam eorum ſibi commiſſam malè curat per ſuam pigritiam, nocumentum ſimul & dolorem eis affert, facitque vt cauſam ſuam bene diſponere nequeant. Sic & R. Leui & Aben Ezra. His adde illud Auſonij epigram. 110.

Sanus piger febriente multò eſt nequior,
Potat duplum, dapeſque duplices deuorat.

Secundò, alij, q.d. Sicut fumus ante oculos abit in aëre & euaneſcit: ſic piger miſſus ab hero abit, nec redit; atque eum ſuſpenſum tenet. Rurſum ſicut aceto ſtupefacti dentes cibum mandere, & oculi fumo offuſcati rem præſentem cernere nequeunt: ſic herus auidus ſciendi, quid piger à ſe miſſus in re quam cordi habet geſſerit, dum ille tardat, nec cibum auet ſumere, nec quid iucundi videre: quia pigri reditus & reſponſum eum ſolli-
D citum tenet.

Tertiò, ſicut acetum acidos & acedos pigroſque ad mãducandum efficit dentes, ac fumus tardos pigroſq; ad cernendum facit oculos: ſic piger pigritiam ſuam afflat hero, vt ob eius tarditatem cogatur tardè, lentè & imperfectè rem acrem, quam mente deſtinarat, exequi.

Quartò, preſſiùs & neruoſiùs noſter Salazar cenſet hîc ſignificari, quòd piger hero ſua pigritia concitet iram, bilemque moueat. q.d. Sicut ex aceto dentium ſtupor; ex ſtupore ſtridor & colliſio accidit; itē ex fumo oculi obtenebraſcunt & perſtringuntur: ſic etiam ob pigrum miniſtrum tardè & cunctanter res ſibi demãdatas præſtantem eos, qui miſerunt aut demandarunt, tam vehemens & acerba ira nonnumquam corripit, vt illorum dentes bile excitata ſtupefacti ſtrideant & collidãtur, & oculi caligantes hebeteſcant præ furore, concep-
ptam

ptam verò iram atque furorem omnem in ſocordem illum miniſtrum tandem effundant. Hinc Ariſtoteles apud Stobæum ſerm. 18. *Vt fumus*, ait, *mordicans oculos non videre permittit, quæ pedibus adiacent: ſic iracundia oboriens rationem offuſcat, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo non ſinit ipſam iracundia ſine labore potiri ac moleſtia.* Huc facit illud Comici: *Nuntiorum plurimos ſua interemit tarditas.* Et tamen ſubinde ea vti prudentia ſuadet, iuxta illud eiuſdem: *Feſtinare noli deſtinatus nuntio.*

Symbolicè: piger & pigritia ſymbolum eſt iniquitatis & prauitatis, quæ animæ magis nocet quàm acetum dentibus & fumus oculis: tum quia pigritia, ſiue acedia, eſt vnũ è ſeptẽ vitijs capitalibus: tũ quia ipſa eſt fons & origo malorũ omnium *Multam enim malitiam docuit otioſitas*, Eccli. 33. 29. Vnde Sept. ſic vertũt, *ſicut vua acerba dentibus noxia eſt, & fumus oculis ſic iniquitas his qui eâ vtuntur* & Syrus de more ſequens Septuag. *Sicut vuæ acerbæ*, inquit, *dentes lædunt, ſic nocet iniquitas illam perpetrantis*; hoc eſt, vt explicat auctor Catenæ Græcor. *Iniquitas noxia eſt ſuis auctoribus: nam & ſenſum adimit, & mentem grauiter offendit, nec ſemel exorſa finem facilè facit.* Alludit ad illud Moſis Deut. 32. 32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi.* Huc viciſſim alludit Ezech. c. 18. 2. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.*

Porrò citant hanc verſionem Septuag. S. Hieron. in Ezech. 18. 2. S. Ambroſ. in pſal. 35. & S. Auguſt. in pſal. 48. vbi ſic eam legit & explicat: *Sicut vua acerba dẽtibus vexatio eſt, & fumus oculis: ita iniquitas vtentibus eâ. Qui manducauerit enim iniquitatem, id eſt qui libenter eam habuerit, non poterit manducare iuſtitiam. Panis enim iuſtitia eſt. Quis eſt panis? Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ipſe eſt panis cordis noſtri. Quomodo ergo qui manducat ore vuas acerbas, obrigeſcũt & obſtupeſcunt dentes eius, & minùs idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare quod videt, & manducare non poſſe. Sic is qui iniquitate vſus eſt, & paſtus peccatis, incipit non poſſe manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Vnde non facit? Quia cùm cœperit facere, laborat, quomodo ſentimus laborare dentes poſt vuas acerbas, cùm cœperimus manducare. Sed quid faciunt illi, quibus obſtupuerunt dentes? Temperant ſe aliquantulum ab vuis acerbis, & incumbunt pani: ſic & nos, ſi volumus manducare iuſtitiam, temperemus nobis ab iniquitatibus, & incumbamus iuſtitiæ, & naſcetur in corde non ſolùm delectatio laudandi iuſtitiam, ſed etiam facilitas manducandi, hoc eſt operandi.*

Iniquitas ſimilis aceto & vuæ acerbæ;

Porrò *iniquitas* rectè comparatur aceto & vuæ acerbæ: quia ſicut hæc acerba eſt dentibus, ſic iniquitas acerba eſt mentibus: illis enim creat ſtuporem, & dolores tam præſentes quàm æternos. Ruſum, ſicut vua acerba eſt immatura, quæ ante tempus maturitatis decerpitur & guſtatur: ſic iniquitas & iniquus voluptatem ambit guſtare ante tempus: ideoq; ex eius acerbitate dentes ipſius obſtupeſcunt: voluptatis enim tempus eſt in futura vita; laboris verò & crucis tẽpus eſt in præſenti. Inſuper iniquitas rectè aſſimilatur fumo; *& fumo, Primò.* Primò, quia inſtar fumi *ſæculari caligine aciem mentis obducet*, ait S. Ambroſ. lib. 2. de Cain & Abel cap. 1. Peccatum enim excæcat iudicium rationis, vt malum iudicet eſſe bonum, ac concupiſcentiam cenſeat eſſe prudentiam. *Secundò,* Secundò, ſicut fumus ciet lacrymas, ſic & iniquitas multos dolores, indeque lacrymas concitat. *Tertiò,* Tertiò, ſicut fumus mox euaneſcit, ſic & voluptas peccati ilicò tranſit, ſed infixum menti relinquit aculeum & reatum. Quartò, *Quartò.* S. Macar. homil. 16. *Velut domus*, ait, *fumo repleta effundit illum in aëra, ita peccatum abundans in anima redundat exteriùs.* Quintò, *Quintò.* ſicut flamma fumo proxima eſt, fumus enim oritur ex igne, & rurſum vertitur in ignem & flammam: ſic iniquitas oritur ex igne concupiſcentiæ, & viciſſim magis eum accẽdit & inflammat. *Sextò.* Sextò, *ſicut fumus apes fugat, ſic cuſtodem vitæ noſtræ angelum lacrymabile peccatum expellit*, ait S. Baſil. homil. de inuidia & liuore. *Septimò.* Septimò, idem S. Baſil. in Iſaiæ 14. *Natura fumi*, inquit, *neque ſubſtantialiter in ſe ſubſiſtit, neque corpore vllo conſtat.* Sic peccatum non eſt ſubſtantia, imò non eſt ens: omne enim ens eſt bonum. Peccatum ergo eſt tantùm priuatio entis & boni; & vt ait S. Auguſt. *Peccatum eſt non ens, peccatum eſt nihil.* Octauò, *Octauò.* S. Baſil. ibidem fumum ita definit: *Vapor eſt peracri ſapore ſollicitans guſtum, ſurſum verſus à latione ignis è ſuffumigante materia remiſſus.* Sic acris eſt ſapor peccati, illudque ab igne concupiſcentiæ exhalans tendit ſurſum per ſuperbiam, omnes trãſcendere ambiens & ſatagens. Nonò, *Nonò.* ſicut in fumo lux tenebris miſcetur; fumus enim vapores craſſos cùm tenuibus & pellucidis conuoluit: ſic in peccato vera falſis, bona malis miſcentur. Ita S. Baſil. ibidem, *Fumum hunc*, inquit, *nonnulli vocant dextrum, qui corruptum habent mentis iudicium, deq; rebus pronuntiant opiniones ſecum pugnantes ac permutatas, aſſerẽtes quod amarum eſt dulce, & quod dulce eſt amarum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Hi in fraudem & errores pellecti ab eo qui ſe transfigurat in angelum lucis, Aquilonem aſſerunt eſſe dextrum, cum qui ſiniſter ſit ac vitandus.* Denique ſicut fumus in ignem deſinit, ſic peccatum deſinit in ignem æternum gehennæ.

Myſticè & tropologicè Lyran. *Acetum*, inquit, *quod à vino degenerat: & fumus, qui ab igne aſcendens euaneſcit: hi ſunt, qui ab Eccleſiaſtica ſua vita & charitate per ſuperbiam vel ſocordiam recedunt, & etiam verbis impugnant, de quibus dicitur* 1. Iohan. 2. *A nobis exierũt, ſed ex nobis non erãt.* Et Salonius, *Piger*, inquit, *eſt malè viuens Catholicus, qui non laborat, nec operatur, vt ad æternam beatitudinem peruenire mereatur. Per acetum & fumum hæreticorum deſignatur perfidia: per oculos & dentes prædicatores ſanctæ Eccleſiæ: qui bene oculi dicuntur, quia recta itinera præuident: pulchrè etiam dentes; quoniam ſpiritualia alimenta fidelibus miniſtrare ſolent. Ergo ſicut acetum dentibus, & fumus oculis, id eſt ſicut perfidia hæreticorum eſt contraria bonis doctoribus: quia contriſtat eos, & moleſtiam illis gignit & lacrymas: ſic piger, id eſt Catholicus malus, grauis eſt eiſdem bonis doctoribus, qui miſerunt eum, hoc eſt qui ſuſſerunt vt fidem ſuam operibus impleret. Ideo grauis eſt, quia fidem ſuam prauis operibus deſtruit.*

TIMOR DOMINI APPONET DIES, ET ANNI IMPIORVM BREVIABVNTVR] Septuag. *minuentur*; Vatabl. *ſuccidentur*, iuxta illud: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*, pſalm. 54. 24 q. d. Impietas facit impios breuis æui: at timor Dei pios facit longæuos. Vide dicta cap. 3. 2. & Eccli. 1. 12. Hę ſententiæ ſignificant non quid ſemper, ſed quid ſæpè accidat, præſertim illo æuo iudaiſmi. Porrò, R. Leui ſic explicat: *Hic*, inquit, *viro diuturnius vitæ ſpatium cõcedit: nam cùm is in diuinæ prouidentiæ gremio iaceat, calamitates euadit, quibus preſſus ad mortem adigeretur ante naturæ ſeneſcentis ætatẽ: verum impiorum anni decidentur, neque ad conſtitutum* VERS. 27.

tempus deuenient: immatura enim eos morte praua illorum mulctabit deliberatio, putà intemperantia vel imprudentia, quâ ſe in mortis periculum temerè conijciunt; aut certè demerita, ob quæ Deus eos morte citâ punit. Denique S. Auguſt. in Quæſt. noui & vet. teſtam. q. 33. per impios accipit idololatras. *Cùm Salomon*, inquit, *dicat, Anni impiorum minuentur, quomodo ergo eſt quòd videamus impios aliquãtos longæuos? Dignum erat quidem omnes impios non ſolùm citiùs hac luce carere, verùm etiã nec vnius momenti temporis vitâ frui, qui conditoris ſui immemores, vitæ totius auctoritatem imputãt creaturæ. Sed Scriptura hos impios alloquitur, qui cùm ſub Dei lege agerent, propenſiores in idolis erant. Peiores enim ſunt ceteris impijs: ſcientes enim Deum, & contemnentes eum, obtemperant ſeruis. Et quòd de his dictum ſit probat Apoſtolus dicens: Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur: Gentiles autem non habentur in numero viuorum.*

Vers. 28. Expectatio iustorum lætitia: spes autem impiorum peribit] Pro *expectatio* heb. eſt תוחלת *tochelet*, id eſt ſpes, expectatio; Symmach. ὑπομονὴ, id eſt patientia, tolerantia, perſeuerantia in re moleſta cum expectatione melioris ſortis: putà patiens expectatio, qua ſpe præmij duramus in malis, & nos rebus melioribus ſeruamus. Theodot. vertit, προσδοκία eodem ſenſu; Aquila, καραδοκία, id eſt præſtolatio, quâ caput, finis & ſumma rei alicuius ſpectatur & expectatur: de qua ait Apoſtol. Roman. 8. 19. *Expectatio* (græcè ἀποκαραδοκία) *creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.* Septuag. *immoratur iuſtis lætitia.* Expectatio, ſiue ſpes. Primò, propriè ſumi poteſt, q. d. Spes iuſtorum eſt læta, & gaudet etiam in tribulationibus: quia certa eſt ex promiſſione Dei ſe re ſperata, v. g. beatitudine æterna, potituram. Vnde Syrus vertit, *ſpes iuſtorum in gaudio.* At ſpes impiorum nõ eſt lęta, ſed anxia & cruciãs: quia dubia timet, vel diffidit ſe rem ſperatam adepturam: nam ſi ſperat bona temporalia, illa ſæpè non conſequitur: ſi æterna, illis certò priuabitur. Hoc eſt quod ait Apoſtol. Rom. 12. 12. *Spe gaudentes*; ideoque ob hanc ſpem *in tribulatione patientes.* Et Hebr. 11. 1. fidem ſpei cõiunctam ita definit: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* vide ibi dicta. Hac de cauſa dicebat S. Franciſcus: *Tanta eſt gloria quam expecto, vt omnis me pœna delectet.* Hinc illa eiuſdem breuis, ſed efficax concio, aſſiduè meditanda: *Breuis voluptas, pœna æterna. Modicus labor, gloria immenſa. Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.*

Secundò, *expectatio* & ſpes ſumi poteſt metonymicè pro adeptione rei ſperatæ, cùm ſcilicet ſpes vertitur in rem. q. d. Felicitas, quam ſperant & expectant iuſti, certò eis obueniens magnam eis afferet lætitiam: cùm enim cernant ſe re adeò læta & tamdiu ſperata potiri; votiq; compotes factos, ac bonis omnibus circumfluere, lætabuntur mirificè, at impij ſpebus ſuis excidunt, ideoq; affliguntur & cruciãtur: tum quia ſpes eorum tota fixa eſt in rebus præſentibus, quæ vtpote fluxæ & euanidæ, citò tranſeunt & pereunt, ait auctor Catenæ Græcor. tum quia bona æterna, quæ primarium ſunt ſpei obiectum, non aſſequuntur.

Addit Hugo Tertiò: *Expectatio iuſtorum lætitia*, hoc eſt, inquit, ipſamet lætitia iuſtos expectat in cælo, eò quòd ab ipſis cælum honeſtãdum & decorandum ſit, ipſaque beatitudo quaſi nobilitanda: ipſius enim dignitas eſt, quòd non tribuatur impijs, ſed iuſtis, quorum virtus tantum præmium meretur, itaque iuſti ſicut beatitudine decorantur & glorificantur: ſic ipſi viciſſim beatitudini & cælo decorem ac ſplendorem afferunt. Tanta eſt iuſtorum dignitas, tantus iuſtitiæ decor, tantus gratiæ & ſanctitatis ſplendor. Pręclarè S. Bernar. in pſal. 90. ſer. 4. *Si expectatio*, inquit, *iuſtorum lætitia, & tanta lætitia, vt omne quod deſideratur in ſæculo, nõ valeat ei comparari, ipſum quod expectatur quid erit? Oculus non vidit, Deus abſq; te, quæ præparaſti diligentibus te*, Iſaiæ 64. Idem ſer. 67. in Cant. expectationem comparans odorationi, poſſeſſionem guſtationi, *Denique*, inquit, *expectatio iuſtorum lætitia: at peccator nihil expectat. Et inde peccator, quod bonis præſentibus non modo detentus, ſed & contentus nihil in futurum expectat, ſurdus ad vocem illam: Expecta me* (*dicit Dominus*) *in die reſurrectionis meæ in futurum.* Sophon. 3. *Et ideo iuſtus erat Simeon, quia expectabat & odorabat iam Chriſtum* Lucæ 2. *in ſpiritu, quem necdum in carne odorabat. Et beatus in expectatione ſua? quia per odorem expectationis peruenit ad guſtum contemplationis. Deniq; ait: Et viderunt oculi mei ſalutare tuum. Iuſtus quoque Abraham, qui & ipſe* Ioan. 8. *expectauit, vt videret diẽ Domini, & non eſt confuſus ab expectatione ſua: nam vidit & gauiſus eſt. Iuſti Apoſtoli cum audiebant: Et vos ſimiles hominibus expectantibus* Lucæ 12. *dominum ſuum: Quid ni iuſtus & Dauid, quãdo aiebat: Expectans expectaui Dominum?* Pſal. 39.

Vers. 29. Fortitudo simplicis via Domini: et pavor his qui operantur malum] Pro *ſimplicis* hebr. eſt לתום *lattom*, id eſt *integri*; Septua. *ſancti*; vel in datiuo, *integro, innocenti perfecto.* Pro *pauor* hebr. eſt מחתה *mechitta*, id eſt contritio, confractio ſiue corporis, ſiue animi, putà conſternatio & pauor.

Primò, Syrus ſic vertit & explicat, *roborat perfectos via Domini: & frangit operantes malum*; Chald. *& abſumptio his qui faciunt iniquitatem*; Sept. *munitio viri firmamentum, & robur viri ſancti eſt timor Domini: contritio autem operantibus mala.* Hebr. enim מעוז *maoz* & fortitudinem & locum fortem, putà munitionem & arcem, ſignificat. Vnde arx Antichriſti à munitione vocabitur *Moazim*, Daniel. 11. 39. Tigur. *via Domini integro robur eſt, facinoroſis autem pauor*; Vatabl. *animi conſternatio*, ſupple, *eſt via*, ſiue *mandatum Dei: quia ſolet frangere eius animum, qui operatur iniquitatem.* Huic enim lex minatur irã Dei & exitium: ſicut eam obſeruanti promittit Dei gratiam & gloriam. Lex ergo pium roborat, impium conſternat.

Senſus ergo eſt. q. d. *Via Domini*, id eſt lex legiſque cuſtodia putà, virtus, iuſtitia, probitas, ſanctitas, quâ iuſti ſciunt ſe placere Deo, ſeque illi eſſe curæ quaſi amicos & filios, à quo expectant hereditatem æternam, hęc inquam, ſanctitas ita roborat illos, vt nil aduerſi timeant; omneſque tribulationes & perſecutiones fortiter ſuperent: at eadem lex & ſanctitas percellit, conſternat, pauidoſque efficit eos, qui operantur malum: quia ea deſtituti ſciunt ſe Deo inuiſos & exoſos, ideoq; ab eo non niſi iram, ſupplicia & vindictam expectant: iure ergo pauent. Hic ſenſus connexus & profundus eſt, ideoq; genuinus. Similem gnomen audiemus cap. 21. 15.

Secundò, planiùs, q. d. Sicut *via Domini*, id eſt probitas, roborat, & animoſum facit ſimplicem, id eſt integrum & perfectum, ſic ex aduerſo via impiorum, qui operantur malum, id eſt eorum malitia

tia & improbitas eis tremorem & pauorem afferre: malè enim ſibi conſcij non niſi mala & pœnas expectãt. Cauſa eſt, quod via Domini ducit ad Dominum: ideoq; ab eo dirigitur, protegitur, munitur, roboratur. Igitur *fortitudo ſimplicis via Domini* in re idē eſt, quod fortitudo ſimplicis eſt ipſe Deus, iuxta illud pſal. 42. 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea*; hebr. *maozi*. 2. Reg. 22. 33. *Deus qui accinxit me fortitudine*, hebr. *maoz*. Prouerb. 18. 10. *Turris fortiſsima* (hebr. *oz*, idem quod *maoz*) *nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur*. Pſ. 36. 39. *Salus autem iuſtorum à Domino, & protector* (hebr. *maoz*, id eſt fortitudo, fortis defenſor) *eorum in tempore tribulationis*. Iam *ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* Roman. 8. & S. Auguſtin. *Quid*, ait, *times ô homo in ſinu Dei poſitus?* Quocirca inferiùs c. 28. 1. ait Salomon: *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit*. Quin & Cicero pro Milone. *Magna*, inquit, *eſt vis conſcientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiſerunt; & pœnam ſemper antè oculos verſari putent qui peccarunt*. Et Poëta:

Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ,

Innocens ergo ſecurus agit inter tot vitę pericula, nec vllus eſt tantus terror, qui illum commoueat. Eſt enim mente defixus in Deo, illique fidit vni, ac ſe ei nouit peculiari eſſe curę, cui ſcit parere vniuerſa. Ex aduerſo nocens & peccator vbique pauidus eſt & trepidat. *Sicut enim vmbræ corpora, ſic peccata ſequuntur animas, & manifeſtas facinorum repræſentant imagines*, ait S. Baſil. apud Anton. in Meliſſa parte 1. ſerm. 16. Et S. Chryſ. apud Maximum ſerm. 26. *Sicut*, inquit, *qui noctu ambulant tremunt, etiamſi nemo ſit qui terreat: ſic & qui peccant non poſſunt confidente animo eſſe, etiamſi nemo ſit qui redarguat*. Sequitur enim eos terribile ſpectrum & larua peccati. Idem homil. 22. de nequitia depulſa: *Sicut*, inquit, *qui carcerem habitant capitis damnati, damnationem operientes & mortem; velſi delicijs abundè fruantur, vitã longè agunt moleſtiorem & anxiam: ſic & qui improba conſcientia moleſtantur*. Item ſerm. de Iob & Abraham: *Tuta*, inquit, *armatura eſt timor Dei, inexpugnabile ſcutum*.

VERS. 30. IVSTVS IN ÆTERNVM NON COMMOVEBITVR: IMPII AVTEM NON HABITABVNT SVPER TERRAM] Pro *non commouebitur* hebr. eſt לא ימוט *lo iimmot*, id eſt *nõ mutabit*; Aquila, μὴ σφαλῇ, id eſt *non offendet*, vel *non ſuccumbet*. Vatabl. *non mouebitur loco*. Alludit Salomon ad illa Dauidis patris ſui: *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum*, pſal. 14. *Qui confidit in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum*, pſal. 124. *Iuſti autem hereditabunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam*, pſ. 36. Pro *in æternum* hebr. eſt לעולם *leolam*, id eſt in ſæculum, id eſt longo tempore, multis annis & ſęculis. Senſus ergo ad literam eſt, q. d. Iuſtus iuſtique familia, puta filij & nepotes, Deo protegente in vrbibus domibuſque ſuis tuti firmique degent multis annis & ſæculis, agentque vitam tranquillam & felicem: at impij diu nõ habitabunt in terra, ſed ex ea Deo vindice citò expellentur vel ab hoſte, vel à morte (ſic lex Iudæorum dicitur æterna, id eſt multis ſæculis vſq; ad Chriſtum duratura) Id enim Deus promiſerat Iudæis iuſtis, & iniuſtis comminatus erat, Leuit. 26. & alibi. Quòd ſi quando id reipſa non præſtabat, breuitatem & ærumnas huius vitæ æternitate & felicitate alterius in cælo penſabat. Vnde Caiet. cenſet hic promitti

A Iudæis firmam poſſeſſionē terræ ſanctæ, ſi in Dei cultu & iuſtitia perſiſterent: expulſionem verò ab ea, ſi à iuſtitiã deſciſcerent. R. Leui verò: Iuſtus, inquit, ſtabilis in ſua ſede permanet: at impij nõ niſi breuiſſimo tempore certum aliquem locum incolent: cùm enim ſceleratis actionibus aſſueuerint, complurimis inuiſi erunt.

Anagog. Chriſtianis iuſtis promiſſa eſt terra viuentium in cælis, à cuius poſſeſſione in æternum non dimouebuntur: impij autem eam non hereditabunt, ſed ſub cælo & ſub terra detrudentur in tartara, ait Hugo.

Tropol. iuſtus non commouebitur, eſto graui tribulatione vel tentatione pulſetur; ſed conſtans fortiſq; ſtabit, nec à Deo, lege & iuſtitia dimoueri ſe ſinet. Vnde Aquila vertit, *non offendet, non ſuccumbet*; Hebr. *non mutabit*; & R. Leui: *Iuſtus*, inquit, B *in ſæculum*, id eſt intra præſcriptum illi viuendi ſpatium, *non commouebitur*, iuxta illud Exodi 23. 26. *Et numerum dierum tuorum implebo*. Et auctor Catenæ Græcor. *Iuſtus ad eum modum in gratia Dei firmatus eſt, vt per viam vitæ incedens turbari, aut de bono in malum transmutari nequeat*.

OS IVSTI PARTVRIET SAPIENTIAM, LINGVA PRAVORVM PERIBIT] Pro *parturiet*, hebr. eſt ינוב *ianub*, id eſt *fructificabit*; Tigur. *propagabit*; Chald. *notum facit*; Syrus, *loquitur*. q. d. Sicut terra profert & parturit fructus ſuos, vt triticum, vuas, poma, nuces, &c. ſic os iuſti velut terra fœcũda profert, & parturit ſapientiã, quæ ſtabile quiddam æternumque eſt, ait R. Leui, eamque in alios propagat & diſſeminat: ideoque dignum eſt, vt os hoc maneat & perduret inſtar agri vel arboris fructiferæ: at lingua impiorum, quia profert inania, ſtulta, praua, impia, inſtar arboris ſterilis & noxiæ C meretur perire & exſcindi, ac de facto ſæpè perit & exſcinditur. Vnde hebr. eſt, *lingua prauitatum* vel *peruerſitatum excidetur*; Syrus, *amputabitur*. VERS. 31.

To parturiet notat Primò, iuſtum nil loqui niſi mente præconceptum, examinatum & præmeditatum, ideoque probum & perfectum inſtar fructus & fœtus bene efformati: *ſermo* enim *eſt fructus cogitationum*, ait Clemens Alexand. libr. 2. Pædag. c. 5. Secundò, ſermones iuſti eſſe quaſi eius proles & fœtus, quos ipſe magno niſu, labore & molimine parit, ſicut mulier magno niſu & dolore prolem parturit. Tertiò, iuſtum oportuno tempore loqui, ſicut terra ſtato tempore maturatos fructus producit. Tales ſunt ſermones concionatorum, confeſſariorum & ſimilium, qui animas magno labore, dolore & gemitu Chriſto pariunt inſtar ceruarum; vti fusè docet S. Gregor. in illud Iob 39. 1. D *Numquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas conſideraſti?* &c. *Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt*. Quartò, *parturiet* æquè ac Hebræum *ianub* notat vberem ſermonum iuſti fructum: à *ianub* enim fit תנובה *tenuba*, id eſt prouentus & copia fructuum, inquit Aben Ezra: labori enim reſpondet merces fructus: atque ſicut terra, ſic & mens linguaque iuſti pretioſos copioſosque ſui fœtus & fructus magno temporis & laboris molimine enititur & parturit.

Septuag. vertunt, *os iuſti* ἀποστάζει, id eſt *diſtillat ſapientiam*: *Tò diſtillat* ſignificat Primò pretium verborum iuſti. Sicut enim myrrha diſtillat ſtacten, quæ myrrha eſt pretioſiſſima; ſic os iuſti diſtillat eloquia ſancta, preſertim hortando peccatores ad pœnitentiam & mutationem vitę: iuxta illud Cantic. 5.

tic. 5. 13. *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam,* Secundò, paucos & parcos eſſe ſermones iuſti, ſicut ſtilla & reſina guttatim diſtillat. Tertiò, eoſdē eſſe bene expēſos & eliquatos, ſicut eliquatæ ſunt aquæ quæ è roſis & herbis ab aromatarijs diſtillantur. Quartò, iuſtum ſe accommodare ruditati & infantiæ diſcipulorum. Sicut enim præceptor pueris ſenſim inſtillat modum legendi & ſcribendi, ceteraque Grammatices præcepta, ne, ſi ſimul omnia eis tradat, eorum memoriam confundat & obruat; itidem facit ſapiens & iuſtus: rudes enim & pueri ſimiles ſunt vaſis anguſti oris, in quę proinde ſtillare; id eſt guttatim oportet liquorem infundere: ſi enim totum infundas, ſupereffluet & perdetur. Quintò, iuſtum multò plura in corde ſeruare quàm ore proferat. Vnde S. Chryſoſt. homil. 43. in Matth. *Ex verbis,* inquit, *veluti è riuis multo maiorem fontem eſſe conijce. Quod enim extrà profertur ex illo profluit, eiuſq́; ſuperfluum eſt quod intus eſt.* Et mox: *Pari etiam ratione proba verba multo probatiorem virtutem intus eſſe ſignificant.*

VERS. 32. LABIA IVSTI CONSIDERANT PLACITA, ET OS IMPIORVM PERVERSA] *Conſiderant,* id eſt conſideratò proferunt. Eſt metalepſis, qualis eſt illa: *Os iuſti meditabitur,* id eſt meditatio loquetur, *ſapientiam.* Pro *conſiderant* hebr. eſt ידעון *iedeun,* id eſt *ſciunt*; Aquila & Theodot. *cognoſcent*; Pagnin. *labia iuſti ſciunt, quod placitum eſt Deo, & os impiorum loquitur peruerſa*; Vatabl. *labia iuſti cognoſcunt beneplacitum* (Tigur. *grata*) hoc eſt inquit, *ſcitè & appoſitè loquuntur ea, quæ placent Deo & hominibus.*

Senſus eſt. q. d. Iuſtus conſiderat quæ Deo ac hominibus ſunt placita, eaque cum gratia, decorè & venuſtè proloquitur; ideoque omnibus placet, omneſque ei applaudunt: at os impij loquitur peruerſa, quæ Deo & hominibus diſplicent, ideoque ab omnibus exploditur. Vnde Septuag. pro ידעון *iedeun,* id eſt *ſciunt,* literis vicinis, ſed alijs punctis legentes יריף *iariph,* id eſt *diſtillans*; aut potiùs ידעון *iideun* in Piel, id eſt cognoſcere faciunt, erudiunt; vertūt, *labia virorum iuſtorum diſtillant gratias* (quaſi gemmas) *os autē impiorū καταςρέ*- A *φεται,* quod Complut. vertunt, *auertitur*; alij, *peruertitur, ſubuertitur*; meliùs Roman. *peruertit.* Quot ergo verba loquitur iuſtus, tot gratiæ, tot roſæ, tot margaritæ ex ore eius diſtillant, iuxta illud ſponſæ pſal. 44. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternū.* In Belgio celebris eſt Ioſcio Religioſus S. Bertini, qui ante 500. ferè annos quotidie ſalutans Deiparam quinque pſalmis, incipiētibus à totidem literis nominis *Maria*, poſt mortem inuentus eſt quinque roſas vultu & ore geſtare cum inſcriptione nominis *Maria.* Roſas ergo pſalmorum offerens Deiparę in vita, poſt mortem ab eâdem meruit totidem roſis cęleſtibus decorari. ita habent archiua monaſterij S. Bertini, S. Antonius & alij. Quoties ergo Salutationem angelicam Deiparæ deuotè recitas, totidem ei roſas ore tuo depromis; quam ſi iteres ad numerū pſalmorum, roſarium in modum pſalterij coronâ roſeâ, imò gemmeâ, præſtantius illi offeres.

B Porrò frigidè Caietan. ſic vertit & explicat, *Labia iuſti faciunt ſcire voluntatem,* id eſt, iuſtus voluntatem ſuam verbis explicat ſine fuco & fraude: at *os impiorum loquetur reuolutiones,* id eſt conſilia ſua fraudulentis verbis inuoluit. Meliùs R. Salomon: *Labia iuſti ſciunt* רצון *ratſon, id eſt beneuolentiam ſui conditoris ſibi comparare, eundemq́; delinire: rationem etiam perſpectam habent, quâ mortales ſibi deuinciant, amicitiaq́; inter eoſdem conſeruetur.* Et R. Leui: *Lingua iuſti ratſon, id eſt propenſionem mortalium, ſibi demereri ſcit, cùm eius verba conſentanea iucundaq́; accidant.* Et interpres Catenæ Gręcor. ſic ex Septuag. vertit & explicat: *Iuſtorum virorum labia gratam fundunt orationem: os autem Impiorum velut peruerſum, faſtidium mouet.* q. d. Iuſtorum ſermones ita ſunt apti & cōcinni, vt gratijs referti videantur: ita rurſum firmi, vt ſolui nequeant, impiorū autem oratio parit tædium & abominationem. Hoc eſt quod monet Apoſtol. Epheſ. 4. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et Coloſſ. 4. 6. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.*

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Varias habet gnomas de iuſtitia, æquitate, diuitijs, conſilio, ſecreto, beneficentia &c. ſed plurimas antitheſes de iuſtis & iniuſtis, quibus iuſtorum fructus & felicitatem poſt hanc vitam, iniuſtorum damna & felicitatem repræſentat.

1. STatera doloſa, abominatio eſt apud Dominum: & pōdus æquum, voluntas eius. 2. Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia. 3. Simplicitas iuſtorum diriget eos; & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos. 4. Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iuſtitia autem liberabit à morte. 5. Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius: & impietate ſua corruet impius. 6. Iuſtitia rectorum liberabit eos: & in inſidijs ſuis capientur iniqui. 7. Mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes: & expectatio ſollicitorum peribit. 8. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt: & tradetur impius pro eo. 9. Simulator ore decipit amicum ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia. 10. In bonis iuſtorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio. 11. Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum ſubuertetur. 12. Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt: vir autem prudens tacebit. 13. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis

fidelis eſt animi, celat amici commiſſum. 14. Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, vbi multa conſilia. 15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, ſecurus erit. 16. Mulier gratioſa inueniet gloriam: & robuſti habebunt diuitias. 17. Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abijcit. 18. Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis. 19. Clementia præparat vitam: & ſectatio malorum mortem. 20. Abominabile Domino cor prauum: & voluntas eius in ijs, qui ſimpliciter ambulant. 21. Manus in manu non erit innocens malus: ſemen autem iuſtorum ſaluabitur. 22. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. 23. Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt: præſtolatio impiorum furor. 24. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. 25. Anima, quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur. 26. Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium. 27. Bene conſurgit diluculo qui quærit bona: qui autem inueſtigator malorum eſt, opprimetur ab eis. 28. Qui confidit in diuitijs ſuis, corruet; iuſti autem quaſi virens folium germinabunt. 29. Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventos: & qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. 30. Fructus iuſti lignum vitæ, & qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt. 31. Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?

Vers. 1. STATERA DOLOSA (S. Ambr. lib 3. de Officijs cap. 9. legit *adultera*) ABOMINATIO EST APVD DOMINVM: ET PONDVS ÆQVVM, VOLVNTAS EIVS] *Voluntas*, id eſt volitum, beneplacitum, gratum Deo. Eſt metonymia: ponitur enim abſtractum pro concreto, potentia pro obiecto. Hebr. Aquila & Symmach. *bilances doli abominatio Domini: & lapis perfectus*, vel integer, *voluntas*, vel beneplacitum, *eius: lapis, id eſt pondus perfectum* vt vertit Aquila, *& plenum*, vt Symmach. Olim enim lapidibus vtebantur pro ponderibus, vti etiamnum nõnullis in locis faciunt. Extat Valentis Imp. lex, quâ iubet, vt publicæ menſuræ & pondera ſint ænea vel lapidea, ne facilè deterantur & minuantur: vnde iam paſſim ſunt ferrea vel ænea. Quocirca Septuag. clarè vertunt, *ſtateræ doloſæ abominatio Domini: & pondus iuſtum acceptum eſt ei*; Syrus, *pondera iuſta amas.*

Ad literam ſenſus eſt manifeſtus. Iubet enim vt in emendo, vendendo, omnique rerum permutatione, diſtributione, contractu, iuſta adhibeatur menſura; nec ei emptor aliquid addat, vel venditor demat. Ratio eſt, quia iuſtitia conſiſtit in æqualitate arithmetica & præciſa: quare medium iuſtitiæ conſiſtit in indiuiſibili, vt ſcilicet tantum præcisè des quantum ex iuſtitia debes, cùm in ceteris virtutibus medium ſuam habeat latitudinem; vt v.g. temperantia dictat, vt cibi libram plus minus comedas: eſto ergo paulò amplius, vel paulò minus ſumas, à medio virtutis temperantiæ non deflectis. Vnde Ariſtot. lib. 5. Ethic. 7. ait omnis iuris & iuſtitiæ eſſentiam in æquilibrio conſiſtere, ideoque ius & iuſtitiam apud omnes gentes eſſe eamdem; eſto leges & ſtatuta diuerſa ſint: ſicut apud omnes eadem eſt menſurandi & ponderandi ratio, eſto menſuræ (quibus leges aſſimilantur) ſint diuerſæ.

Porrò Deus identidem Iudæis præcepit ponderum & menſurarum æquitatem, grauibuſque pœnis vetuit earum per fraudem imminutionem & immutationem; vt per Moſen Deuter. 25. 14. per Amos c. 8. 5. per Oſee c. 12. 7. per Michæam c. 6. 11. per Ezechielem c. 45. 10. quia fraus in menſuris & ponderibus turbat contractus & commercia hominum, eorumque ſocietatem, vitam ciuilem &

A remp. euertit: hæc enim tota nititur iuſtitiâ, quæ proinde eſt baſis & columen reip. Cùm ergo iuſtitiam aufers è rep. ſolem aufers è mundo, eumque excæcas, confundis & perdis. Tolle iuſtitiam, & omne honeſtum, omne ſanctum ſuſtuleris. Hac de cauſa Romæ in Capitolio amphoræ, pedis, ceterarumque menſurarum & ponderum idea extat, ne quo dolo vitiari & imminui queant. Quocirca S. Auguſt. ſerm. 216. de Temp. *Ille verò*, inquit, *non ſolum Chriſtianus eſt, ſed & ipſe Chriſtus in illo habitat, qui ſtateras doloſas & menſuras duplices velut gladium diaboli pertimeſcit.* Et Concil. Moguntinum ſancit: *Vt quicumque iuſta pondera & menſuras lucri cauſa mutare auſus fuerit, per triginta ſolidos dies in pane & aqua tantùm pœniteat.*

Symbolicè, ſtatera ſymbolum eſt iuſtitiæ. Idem ergo ſancit hic Salomon, quod Pythagoras ſuo
B hieroglyphico: *Stateram ne tranſilias*, ait Clemens Alexandr. l. 2. Strom. nimirum vt in omnibus ſeruemus iuſtitiam, æquitatem & æqualitatem, ne in iudicio, diſtributione bonorum vel onerum, aliáve re ſimili amico cauſam adiudicemus, & inimicum ſuo iure priuemus; ne diuitem præferamus pauperi, nobilem ignobili, cognatum vel popularem extraneo, &c. Sic & Beda hunc ſenſum quaſi literalem affert: *Statera doloſa*, inquit, *non tantùm in menſuratione pecuniæ, ſed in iudiciaria diſcretione tenetur. Qui enim aliter cauſam pauperis, aliter potentis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtaterâ vtique librat iniquâ.* Imò in Iure Canon. 45. ca. 10. *Omnis*, ex S. Iſidoro li 3. Sentent. c. 52. ita ſancitur: *Omnis qui iuſtè iudicat, ſtateram in manu geſtat. In vtroque penſo* (in vtraque lance, purà in abſoluendo & condemnan-
C do) *iuſtitiam & miſericordiam portat; ſed per iuſtitiam reddit peccati ſententiam, per miſericordiam peccati temperat pœnam, vt iuſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædã verò per miſerationem indulgeat.* Hinc & iuſtitia pingitur quaſi virgo velatis oculis ſtateram manu geſtans, & penſa vtriuſque bilancis æquilibrans. *Iuſtitia decus.* Quocirca Pompeius Phraati Parthorum regi poſtulanti, vt Euphratem Romanæ ditionis limitem eſſe vellet: *Imò*, inquit, *illud magis poſtulandum, vt Romanorum fines à Parthorum regno iuſtitia dirimat*, teſte Plutarch. in Apopth. Rom. Et Traianus Imp. præfecto Vrbis ſtrictum enſem in con-

conſpectu omnium dedit, dicens: *Cape ferrum hoc, & ſi quidem rectè imperium geſſero, pro me ſin aliter, contra me hoc vtere.* ita Niceph. lib. 3. Hiſtor. c. 32. Alfonſus verò Aragon rex principes negligentes iuſtitiam aſſimulabat cadentibus morbo comitiali: *Nam cùm animæ*, inquit, *materia ſit ſola iuſtitia quâ tenditur ad vitam, quid reſtat principibus ſublata iuſtitia, quæ eſt vitæ quaſi nutrimentum & cibus?* ita Panorm. de dictis Alfonſi.

Tropol. Beda: *Sed & is*, inquit, *qui ſua bene geſta meliora quàm proximorum ſuaq; errata iudicat leniora, trutinâ ponderat doloſâ. Nec non & ille, qui onera importabilia imponit in humeros hominum: ipſe autem vno digito ſuo non vult ea tangere. Ille etiam qui in publico bona, & mala agit in occulto, pro iniquitate doloſæ libræ abominatur à Domino. At qui ſinceriter agit in omnibus, qui cauſam & cauſam æquâ lance diſcernit; is nimirum iuſti iudicis voluntati & actioni congruit.*

Statera myſtica. Primo. Hugo verò per ſtateram Primo, accipit iudiciũ rationis, quod rectum & ſincerum eſt, cùm in eo vera falſis, honeſta turpibus, ſancta profanis præponderant; iuxta illud Eccli. 21. *Verba prudentium ſtatera ponderabuntur*; doloſum verò & prauũ, cùm pluris æſtimat profana quàm ſancta, turpia quàm honeſta, falſa quàm vera. Sic & auctor Catenæ Græcor. *Statera*, ait, *ſublimiori ſenſu vis diſcernendi & iudicandi, quæ cùm à natura in nobis exiſtat, ab omni praua affectione, & animi perturbatione libera eſſe debet.*

Secundo. Secundò, inquit Hugo, eſt ſtatera amoris, in qua ſi recta ſit & ſincera bilanx amoris Dei, præponderat amori mundi: ſin doloſa & corrupta, amor mundi ſuperat amorem Dei. *Tertiò.* Tertiò, ſtatera eſt cor hominis, cuius vna bilance appẽditur, præſens felicitas & pœna æterna: in altera præſens tribulatio & æterna felicitas, iuxta illud Eccli. 15. *Appoſuit tibi aquam & ignem ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

Quartò. Quartò, eſt ſtatera S. Script. quæ recta eſt & fidem orthodoxam parit, ſi eam iuxta vnanimem Eccleſiæ ſanctorumque Patrum ſenſum accipias: doloſa verò, ſi eam ad hæreticorum vel philoſophorum errores detorqueas. Ita S. Aug. lib. 2. cap. 6. contra Donat. Et habetur 24. q. 1. c. *Non afferamus*, inquit, *ſtateras doloſas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro, dicentes, Hoc graue eſt, illud leue; ſed afferamus diuinam ſtateram de Scripturis ſanctis, & in illa quid ſit grauius appendamus; imò non appendamus, ſed appenſa à Domino cognoſcamus.* Et infra: *Video*, ait, *quid homines deteſtentur, quid horreant; verumtamen recurrens ad illam ſtateram, vbi non ex humano ſenſu, ſed ex auctoritate diuina omnia penſantur*, &c.

Quinto. Quintò, ſtatera eſt conſcientia, quæ recta eſt cùm Dei legem & rationes æternas ſequitur; doloſa verò, cũ fucatas carnis rationes, prætextus & fraudes affectatur. Vnde Apoſtolus ad hoc rectæ conſcientiæ tribunal Gentes, quæ lege carent, vocat & citat Roman. 2. 15. *Qui oſtendunt*, inquit, *opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum*: tum enim recta conſcientia in lucem prodibit, & doloſam damnabit. Vnde S. Iſidor. in Deuter. cap. 12. *Vetatur*, inquit, *ne in conſcientiæ noſtræ domo menſuras duplices habeamus, id eſt, ne ipſi quæ diſtrictionis regulam molliunt remiſſiore*, *indulgentiâ præſumentes, eos, quibus verbũ Dei prædicamus, diſtrictioribus præceptis & grauioribus, quàm ipſi perferre poſſimus, grauemus ponderibus.*

Sexto. Sextò, S. Ambroſ. libr. 3. epiſt. 19. ad Conſtantium: *Ponderet*, inquit, *vnuſquiſque ſermones ſuos non cum fraude & dolo. Statera fallax improbabilis apud Deum: non illam ſtateram dico, quæ mercem appendit alienam, & in vilibus quidem rebus rarò conſtat fallacia: ſed ſtatera verborum ipſa apud Deum eſt execrabilis, quæ prætendit pondus grauitatis ſobriæ, & ſubnectit verſutias fraudulentiæ. Hoc maximè condemnat Deus, ſi decipiat aliquis proximum ſuum promiſſorum benignitate, & ſubdola iniquitate defœneratum opprimat; nihil ſibi profuturus aſtutiæ ſuæ artibus.*

Septimò. Septimò, ſtatera eſt animus hominis, in quo bilances ſunt ratio & ſenſus, voluntas & concupiſcentia. Item ipſe homo, in quo bilances ſunt anima & corpus. Ita S. Baſil. in illud: *Attende tibi ipſi: Nã ſicut*, inquit, *in ſtateris contingit, vt, ſi vnam depreſſeris lancem, alteram illi oppoſitam eleuaris: ſimili modo aſſolet in animo & corpore contingere: vnius exuberans copia neceſſe eſt vt alterum imminuat.* Huc facit illud pſal. 61. 10. *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum*, id eſt, vt S. Hier. vertit, *verumtamen vanitas filij Adam mendacium filij viri, in ſtateris doloſis fraudulenter agunt ſimul*; & Theodot. *vapores ſunt filij hominum, mẽdacium filij viri, vt momentum ſtateræ, quod mox ſurſum, mox deorſum fertur.* In quæ verba S. Baſil. *Mendaces*, inquit, *homines corrupta habentes animæ iudicia, quos & Propheta miſeros prædicat, dicens: Vah dicentibus tenebras lucem & lucem tenebras, amarũ dulce, & dulce amarum. Mihi, inquis, præſentia dentur, quis nouit, futura? Mali libram expẽdis, mala pro bonis eligens, vana veris anteponẽs, momentanea perpetuis potiora ducens, tranſitoriam denique voluptatem pro lætitia nunquam deſitura ac perpeti præeligens: Mendaces ergo homines in ſtateris iniquitatis.* Et mox: *Nec enim in die illo iudicij tibi licuerit dicere. Quia neſciui quid eſſet bonum. Tibi namq; propria datur libra, quæ ſufficiens diſcrimen boni ac mali demonſtrat. Corporea namque pondera in libræ lancibus probamus: quæ verò ad inſtituendam vitã eligenda veniunt, per liberum arbitrium diſcernimus, quod & ſtateram nominauit, quod momentum æquale ad vtrumlibet* (lancem) *poſſit capere.*

Et in eundem pſalmum Ruffinus: *Sunt*, inquit, *mendaces filij hominum in ſtateris, id eſt in libra iuſtitiæ, in boni maliq; deliberatione, dum bonum malo præponderant. Dictum eſt hoc à ſimili eorũ, qui in ſtateris in quibus videtur eſſe iuſtitia, emptores decipiũt.* Et S. Hilar. *Mendaces*, inquit, *quia impietatis ſuæ ſenſu aut falluntur, aut fallunt: & in eo mẽdaces, vt decipiant in ſtateris, ſub iuſtitiæ ſcilicet nomine iniuſta peragẽtes.* Et Theodot. *Vanæ quidem*, ait, *omnes res humanæ ſunt, verumtamen plurimi confidunt rebus fluxis tanquam perennibus, qui æquitatem deſpiciunt: iniquæ autem mentis trutinã tenent, & iuſtitiam quidem contemnunt, iniuſtitia verò gaudent.* Et Caſſiodorus: *Mendaces filij hominũ in ſtateris: Sine illos tangit*, inquit, *qui ponderibus iniquis emptorum decipiunt ſimplicitatem, ſiue quòd homines ſibi placentes, iuſti atque immobiles videri volunt, cùm ſint deceptrici mutabilitate fallaces. In ſtateris enim hoc ſignificat, quaſi in libra iuſtitiæ collocati, non credunt amare fallaciam.* Et S. Ambroſ. in eumdem pſal. 61. *Mendaces filij hominum in ſtateris: Nam filij hominum*, inquit, *videntur ſibi ponderare æquitatem, & grauitate ſeuerioris iudicij examinare iuſtitiam, duri alijs, remiſſi operibus iniquis, ſermone cenſores. Vnde Salomon ait Prouerb. 20. Execrabile*

bile Domino duplex pondus, & ſtatera fallax non bona. In quo ſignificat eos qui rapinam inexplebili corde meditantur, & ſobrietatem fronte prætendunt. Tales Scribæ Iudæorum ſunt, qui onera grauia aliis obſeruantiæ durioris imponunt, non habentes rectum iugum animæ ſuæ, ſed propenſa iniquitate curuati.

Anagog. S. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 19. ad Conſtantium: *Pendet*, inquit, *per ſingulos noſtrorũ ſtatera meritorum, atque exiguis vel boni operis, vel degeneris flagitij momentis huc atque illuc ſæpè inclinatur: ſi mala vergant, heu me! ſi bona, præſtò eſt venia. Nemo enim à peccato immunis, ſed ubi propendunt bona, eleuantur peccata, obumbrantur, teguntur. Ergo in die iudicij aut noſtra opitulabuntur nobis opera, aut ipſa nos in profundum tamquã molari depreſſos lapide mergent. Grauis eſt enim, utpote talento plumbeo ſuffulta, iniquitas, intolerabilis auaritia, atque omnis ſuperbia, tetra fraudulentia.*

VERS. 2. VBI FVERIT SVPERBIA, IBI ERIT ET CONTVMELIA: VBI AVTEM EST HVMILITAS, IBI ET SAPIENTIA] Hebr. *venit ſuperbia, & venit ignominia*, q.d. Quocumque ingreſſa fuerit ſuperbia, ilicò eõdem ingreditur & ignominia, Sic dicimus. Venit fur, & venit carnifex: præcedit enim fur, ſequitur carnifex qui eum ſuſpendet. *Rarò enim antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo*: rarò ſuperbum deſerit ignominia. Chald. *ingrediente ſuperbiâ adeſt ignominia*. Septuag. pro *ſuperbia* vertunt, ὕβρις, id eſt *iniuria*; Syrus, *contemptus*. Sed ὕβρις hic veriùs ſuperbiam & arrogantiam deſignat, ait auctor Catenæ Græcor. ſic ergo habent Septuag. *in quemcunque inuadit ſuperbia, illum occupat & ignominia: os autẽ humilium meditatur ſapientiam*. Hebr. & Syrus, *cum modeſtis* vel *humilibus ſapientia*. Pro *humilibus* hebr. eſt צנועים *tſenuim*, quod Noſter Micheæ 6. 8. vertit, *ſollicitum*: *Sollicitum*, inquit, *ambulare cum Deo tuo*. Vbi multa de hac voce dixi. Hinc Symmach. vertit, *apud accuratos ſapientia*; Arabicus, *quò intrat faſtus ibi erit contemptio: & os humilium meditatur* (meditatò loquitur) *ſapientiam*.

Porrò ignominia hæc duplex eſt, paſſiua & actiua. Paſſiva, q.d. Superbia Deo & hominibus eſt exoſa: ideoque ſuperbi ab omnibus deſpiciuntur, vituperantur, deprimuntur, ignominiâ & probris afficiuntur: ex adverſo humilitas Deo & hominibus eſt grata & honorata, ideoque humilis verè ſapit: & vbi eſt humilitas, ibi eſt & ſapientia: quia vera ſapientia eſt Deo & hominibus per humilitatẽ placere. Rurſum q.d. Superbus læditur & affligitur ſui contemptu, ignominia & contumelia, quia cùm ambiat honorari, valdè dolet cùm contemnitur, irridetur, conuiciis afficitur: at verò humilis humiliter & ſapienter tolerat, vel diſſimulat ſui contemptum, irriſiones & probra; imò iis gaudet: gaudet enim ſui humiliatione, gaudet & tranquillitate paceque animi, quę nuſquam niſi in humilitate reperitur. Superbi ergo per ſuperbiam contumeliam ſibi accerſunt: humiles verò per ſapientem contuliæ tolerantiam, honorem & gloriam ſibi conciliant, Sicut ergo humilitas eſt vera ſapientia, & humilis eſt verè ſapiens, ideoque honoratus: ſic ex aduerſo ſuperbia eſt mera inſipientia, & ſuperbus eſt verè inſipiens, ideoque deſpectus. Eſt metalepſis, catachreſis & metonymia, in hiſce antitheſibus frequens: ex antecedente enim & cauſa intelligitur conſequens & effectus, ac vice verſâ ex effectu cauſa; putà ex ſuperbia inſipientia, ex inſipientia deſpectus: atque vice verſâ

A ex humilitate ſapientia, ex ſapientia decus & honor. Vnde S. Auguſt. in Pſal. 50. *Eſto*, inquit, *humilis in humili Deo tuo, vt ſis excelſus in glorificato Domino Deo tuo*. Et inferiùs: *Noſtis quia excelſus eſt: ſi te excelſũ feceris, longinquabit à te; ſi te humiliaueris, propinquabit ad te*, Idem tr. 104. in Ioan. *Humilitas*, inquit *claritatis eſt meritũ, claritas humilitatis eſt præmiũ*, Actiua eſt ſuperbi ignomina, q.d. Vbi eſt ſuperbia, ibi eſt & ſuperbus aliorum deſpectus, irriſio & contumelia. Superbi enim ex faſtu, quo præ ſe ceteros deſpiciunt, eoſdem contemnunt, irrident, probris afficiunt; perinde ac nubes vaporibus tumẽtes & grauidæ in grandines, tonitrua & fulmina diſſiliunt. Superbia ergo parit contemptum & contumeliã. at verò humiles nemini ſe anteponunt, ſed omnibus poſtponunt: ideoque verè ſapientes, id eſt humiles B & virtute præditi, cenſentur, atque ob hanc humilitatem & ſapientiam ab omnibus honorantur & amantur. ita Aben Ezra.

Hic ſenſus cohæret priori, eiuſque eſt cauſa.

Plenus ergo ſenſus erit, ſi actiuam ignominiam paſſiuæ iungas hoc modo, q.d. Superbus ob faſtum ab aliis deſpicitur, & contumeliis afficitur; ideoque viciſſim eos deſpicit, & cõtumeliis afficit, cum eiſque iurgatur & conuiciis certat, ut ſuperet; ita auctor Catenæ Græcor at verò humilis cùm deſpicitur, & probris vexatur; humiliter tacet, ſapienter diſſimulat, ac pro probris regerit verba ſapientiæ, quibus ſuam patientiam & charitatem patefacit, ac iratos & probra iacientes lenire, ſedare & in ſui amorem rapere, ac ad Dei timorem traducere ſatagit; quare nunc modeſtè monendo, nunc blandè compellando, nunc leniter conſolando, mitigat C eorum iras, auertit contumelias, impetrat amorem & beneuolentiam.

Nota, hîc ſuperbiam congruè puniri ignominiâ, humilitatem verò coronari gloriâ. quia par eſt vt qui ſe exaltant humilientur, & qui ſe humiliant exaltentur, vt ait Chriſtus. Quocirca Deus punire ſolet ſuperbos, aut errore in conſiliis, aut infelicitate euentuum, ait Ianſenius: humiles verò donare ſapientiâ qua prudenter ſe gerant, indeq; ſapientię nomen & gloriã ab hominibus conſequantur; cùm ex aduerſo ſuperbus mirabilia ſupra captum ſuum imprudenter aggrediatur, ideoque dum eis non valet ſatisfacere, ab aliis temeritatis ſtultitiæque damnatur. Incipit enim turrim, id eſt rem magnam, efficere ſumptibus neceſſariis minimè computatis, &, cùm eam perficere nequeat, omnes D qui vident, illudunt ei dicentes: *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare*. Sic de regibus ſuperbè volentibus prælio decernere cum Nabuchodonoſor. ait Habacuc c. 1. 10. *Tyranni ridiculi eius erunt*, id eſt, ſuperbos principes audentes ſecum congredi riſu & ſibilo explodet. Vnde S. Auguſt. in illud Pſ 37. *Computruerunt liuores mei* (ſic enim ipſe legit, pro quo nos legimus, *cicatrices meæ*) *à facie inſipientiæ meæ. Si fueris humilis*, inquit, *erigeris: ſi fueris elatus, curuaberis: nõ enim deerit Deo pondus, vnde te curuet. Illud erit pondus, faſcis peccatorũ tuorum: hoc replicabitur in caput tuum, & curuaberis*. Idem initio lib. 1. de Ciuit. Dei, docet ſuperbiam conſtituere ciuitatem diaboli, humilitatem verò ciuitatem Dei, ideoque eam omnium principum tranſcendere dignitates. *Nam ſcio*, inquit, *quibus viribus opus ſit, vt perſuadeatur ſuperbis, quanta ſit virtus humilitatis, quâ fit, vt omnia terrena cacumina temporali mobilitate*

Humili vicinus eſt Deus.

litate nutantia, non humano vſurpata faſtu, ſed diuina gratia donata celſitudo tranſcendat. Idque probat ex illo: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam,* Jacobi 4.6. & 1. Petri 5.5. Vide ibi dicta. Idem S. Auguſt. in Euang. ſecundùm Matth. ſerm. 10. explicans illud Chriſti: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Magnus eſſe vis,* inquit, *à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtituere celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* Altitudinis ergo & gloriæ fundamentum eſt humilitas. Cauſam dat hom. vlt. inter 50. *In rebus quippè viſibilibus,* inquit, *vt excelſa quiſq; contingat, in excelſum erigitur: Deus autem cùm omnium ſit excellentiſsimus, non elatione, ſed humilitate contingitur. Vnde per Prophetã dicitur: Propè eſt Dominus his qui attriuerunt cor. Et iterum: Excelſus eſt Dominus, & humilia reſpicit, & excelſa à longè cognoſcit. Excelſa ipſa poſuit pro ſuperbis. Illa ergo reſpicit, vt attollat: iſta cognoſcit, vt deprimat & deiiciat.* Idem ſer. 49. de Temp. *Melior eſt,* ait *peccator humilis, quàm iuſtus ſuperbus.* Et ſerm. 213. *Humilitatis,* inquit, *paſsibus ad cæli culmina conſcenditur, quia Deus excelſus non ſuperbia, ſed humilitate attingitur, &c. Diſcamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus; ſicut ipſe*

Matth. 11. *in Euangelio ait: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Per ſuperbiam mirabilis angelorum creatura cecidit de cælo, per humilitatem Dei fragilitas humanæ naturæ aſcendit ad*

Prou. 11. *cælum. Honeſta eſt enim inter homines humilitatis conſuetudo, ſicut Salomon ait: Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem humilitas, ibi & ſapientia. Item*

Eccli. 3. *alius ſapiens: Quanto, inquit, maior es, tanto humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Item Deus per Prophetam ait: Ad quem autem reſpiciam niſi ad humi-*

Iſaia 66. *lem & quietum, & trementem verba mea? Quicumque humilis & quietus non fuerit, non poteſt in eo habitare gratia Spiritus ſancti. Deus humilis factus eſt noſtræ ſalutis cauſa; erubeſcat homo ſuperbus eſſe. Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelſo. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria.*

VERS. 3. SIMPLICITAS IVSTORVM DIRIGET EOS ET SVPLANTATIO (id eſt fraus quâ alios circumueniunt & ſupplantant, ait Aben Ezra) PERVERSORVM VASTABIT EOS] *Simplicitas,* id eſt integritas, innocentia, perfectio; Septuag. *perfectio rectorum* (interpres Catenæ Græcor. vertit, *rectarum,* ſcilicet *virtutum,* inquit) *deducet eos, & ſupplantatio contemnentium* (Dei legem, ait auctor Catenæ Græcor.) *deprædabitur eos.* Ita paſſim videmus milites ſimileſque, qui prædas exercent, tandem aliis prædam fieri: ſicut piſces, qui minores prædantur, maioribus præda fiunt, ab eiſque deuorantur. *O piſcis prædam vis de paruo, præda efficieris maiori,* ait S. Auguſt. in pſal. 64. Chald. *ſimplicitas rectorum diriget eos, & peruertent direptores, tunc conteres eos.* Giggeius in Catena Hebr. ſuſpicatur interpretẽ in Bibliis Regiis erraſſe, & pro *direptores* vertendũ *deriſores.* Verùm eũ non erraſſe patet ex Chaldæo, qui habet בּוֹזְזֵי *bozaze,* id eſt *direptores,* non בּוֹזֵי *boze,* id eſt contemptores & irriſores. Syrus, *ſpes iuſtorũ ædificabitur, & ſuperbia iniquorum profligabitur.* Senſus eſt planus, q.d. Integritas iuſtorum diriget eos, vt in ſuis conatibus proſperum habeant ſucceſſum, ac impiorum fraudes, dolos & laqueos inoffenſi pertranſeant. At verò impiorum prauitas, quâ alios ſupplantare conantur, ipſoſmet vaſtabit: quia incident in laqueum, quem aliis tetenderunt, ſuiſque dolis & fraudibus capientur: peruerſitas, quam aliis machinati ſunt, in ipſorum caput recidet; ac in eandẽ, vel ſimilem perniciem Deo vlciſcente incurrent. Hoc eſt quod ait S. Hieron. epiſt. ad Pammach. *Simplices tuti ſunt inter dolones.* Dolones ſunt flagella intra quorum virgas latet pugio, inquit Seruius in 7. Æneid. Dolones dicti à fallendo, quòd decipiant ferro, cùm ligni ſpeciem præferant. Et S. Ambroſ. libr. 3. epiſt. 19. *Bona,* inquit, *puri ſermonis ſinceritas, & locuples apud Deum, etiam ſi inter laqueos ambulet.* Et S. Macar. homil. 40. *Anguis quidem lubricus inter ipſas elabitur manus, columba ſupernè volans retia deſpicit: ſimplex verò dolos & fraudes facilè deſugit.* q.d. Quàm facilè anguis ſuâ lubricitate è manibus elabitur, ac columba ſuperuolãs retia præteruolat, tam facilè juſtus dolos & fraudes ſibi ſtructas euadet: tum quia à Deo dirigitur, tum quia didicit & in praxim redegit illud Chriſti: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ,* Matth. 10. Denique Eccleſ. c. 27.28. *Plaga doloſa,* inquit, *doloſi diuidit vulnera & qui foueam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo;* vti Aman ſuſpenſus eſt in cruce, quam parabat Mardochæo. Vide ibi dicta. Præclarè S. Aug. in Pſal. 123. *Ideò,* inquit, *quærit te maior raptor, quia inuenit minorem raptorem: ideò te quærit maior aquila, quia prior cepiſti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris maiori.* Ita R. Salomon, R. Leui & Aben Ezra.

Denique videmus Deum ſimplices & ſinceros dirigere & tutari, ac fraudulentos ſæpè in laqueos, quos ſinceris poſuerunt, impingere. Cauſa eſt, quòd ſinceri proximè accedũt ad Deum, qui ſimpliciſſimus & ſinceriſſimus eſt: hinc & *rerum ſimplicitas veſtigium eſt Dei,* vti docet S. Auguſt. lib. de Vera relig. Idem lib. 11. de Ciuit. c. 10. *Eſt itaque,* inquit, *bonum ſolùm ſimplex, & ob hoc ſolùm incommutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia, ſed non ſimplicia, & ob hoc mutabilia. Creata ſanè, inquam, id eſt facta, non genita. Quod enim de ſimplici bono genitum eſt, pariter ſimplex eſt.* Et Mox: *Pater qui genuit ſimplex eſt, & Filius qui genitus eſt, pariter ſimplex eſt: ſed ideo ſimplex dicitur, quoniam quod habet hoc eſt, excepto quòd relatiuè quæque perſona ad alteram dicitur.* Et S. Bern. ſerm. 80. in Cantic. ſimplicitatem Dei ita deſcribit: *In ea & multa in vnum, & diuerſa in idẽ rediguntur, vt nec numeroſitate rerum ſumat pluralitatem, nec alterationem de varietate ſentiat. Loca omnia continet, & quæque ſuis ordinat locis, nuſquam contenta locorum. Tempora ſub ea tranſeunt, non ei. Futura non exſpectat, præterita nõ recogitat, præſentia non experitur.* Et ſer. 81. *Qui tribuit in ſimplicitate,* inquit, *diligitur à Deo, & ſimplicitas candor eſt: nam nęuus duplicitas. quid duplicitas niſi dolus?* Et mox: *Sponſus itaque & cùm ſit virtus, in virtutibus complacet ſibi: & cùm ſit lilium, inter lilia commoratur: & cùm ſit candor, delectatur candidis.* Et ſer. 82. *Manet in fundamento prorſus inconcuſſa ſimplicitas, ſed minimè apparet duplicitate operta humanæ doloſitatis.*

Myſticè, ſupplantatio peruerſorum; quâ videlicet mentem & rationem peruersè ſupplantant & ſubdunt concupiſcentiæ, perdet eos: quia rationẽ, quæ domina eſt, faciunt ſeruam; & concupiſcentiã, quæ ſerua eſt, faciunt dominam. Caput ergo habeat in pedibus, & pedes in capite.

Huc facit apologus aucupis & viperæ apud Apologus
Æſopum. *Auceps,* inquit, *viſco accepto & arundini-* aucupis.
bus, aucupatum egreſſus eſt: viſo autem turdo ſuper alta

arbore

arbore ſedente, & *arundinibus inter ſe in longitudinem coniunctis, ſurſum eum comprehenſurus ſuſpiciebat. Ceterùm ignarus viperam dormientem conculcauit. Hæc verò irata momordit ipſum. Ille iam agens animam dicebat: Me miſerum, alium enim capturus, ipſe ab alio captus ſum ad mortem. Aſſabulatio. Fabula ſignificat eos, qui proximis inſidiantur, ignaros ſæpè ab aliis in idipſum pati.*

Vers.4. NON PRODERVNT DIVITIÆ IN DIE VLTIONIS (Hebr. *iræ*, vel *indignationis*, ſupple, *Domini*) IVSTITIA AVTEM LIBERABIT A MORTE] Senſus eſt clarus. q. d. Cùm Deus vleiſcetur peccata, vel in hac vita, vel in die iudicij, vltionem hanc peccator redimere non poterit diuitiis: quia Deus iis non flectitur, nec indiget, cùm ſit earum dominus: ſed iuſtitia eſt, quæ vltionem hanc redimit, & à morte per eam intenta liberat, iuxta illud Danielis ad Nabuchodonoſor c.4. *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Sic iuſtitia liberauit Noë à diluuio vniuerſali, Lot ab incẽdio Sodomæ, Joſue & Caleb à morte, quâ ceteri omnes Hebræi ob murmur perierunt in deſerto, Num.14. Suſannam ab infamia & lapidatione, Daniel.13. Danielem à deuoratione leonum, Daniel. 6. Maximè autem in die iudicij diuitiæ non proderunt, ſed ſola juſtitia liberabit nos à ſententia damnationis & à morte gehennæ: juſtitia, inquam, tum propriè dicta, putà probitas & ſanctitas; tum impropriè accepta, putà beneficentia, ait auctor Catenæ Græc. & eleëmoſyna: ob hanc enim præſtitam Chriſtus electos adiudicabit cælo, & reprobos inferno ob eamdem neglectam, Matth 25. Vnde Chald. vertit, *non prodeſt mendacium* (mendaces & fallaces diuitiæ, in eiſque repoſitæ ſpes diuitum, *in die iræ: iuſtitia verò liberat à morte mala.*

Iuſtitia ergo *liberabit à morte*, quam juſtus venientem æquo animo exſpectat, accedentem ſuſtinet, & vt initium vitæ melioris admittit. Viuit ergo, cùm moritur, & ſecundùm exteriorem ſpeciem victus à morte, mortem ipſam vincit ac proterit, eamque conculcans, ac velut ſcabellum pedum ſuorum efficiens, immortalem vitam apprehendit; nec tãtùm ſe, ſed & alios liberat à morte Sic enim corpus Eliſei tangens mortuum, eum à morte ad vitam reuocauit, 4.Reg.13. Tam viua tam efficax eſt juſtitia. Huic ſententiæ ſimilis eſt gnome c.10. 2. *Nil proderunt theſauri impietatis.* Et illa Eccl.c.5. 10. *Noli anxius eſſe in diuitiis iniuſtis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.* Vide ibi dicta. Et illud Tobiæ c.12.9. *Eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.*

Græci codices hìc interſerunt aliam gnomen, quæ non eſt in Hebræo, nec in Latino, nimirum hanc: *Moriens iuſtus reliquit pœnitentiã* (malè Complut. legunt, *pœnitentem*) *facilis autem fit & iucundus impiorum interitus.* Quod ſic exponas, q d. Juſti in hac vita agunt pœnitentiam, at in morte ei valedicunt, quia propter eã tranſeunt ad gloriam: aut, vt Didymus in Catena Græcor. juſtus moriens mœrore & luctum aliis relinquit, quia alij de interitu eius lugent ac dolent: at impij qui in bonis ducunt dies ſuos, pœnitentiam ſeram inchoant in morte, ideoque eam continuabunt per omnem æternitatem: quare eorum pœnitentia & interitus jucundus accidit juſtis quos afflixerunt: juxta illud, *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam peccatoris.*

Vers.5. JVSTITIA SIMPLICIS DIRIGET VIAM EIVS: ET IN IMPIETATE SVA CORRVET IMPIVS] *Simplicis*, Hebr. תמים *tamim*, id eſt *integri, immaculati, perfecti*. Vnde Septuag. *iuſtitia immaculatas* (Complut. legunt, *ἀμώμου*, id eſt *immaculati*) *dirigit vias: impietas autem incidit in iniuſtitiam.* Quocirca Primò, ſic explices, q.d. Iuſtitia dirigit, id eſt, vt Chald. *facit rectam*, juſtam & probam, viam vitamque immaculatorum; ex aduerſo impietas impiorum detorquet viam impiorum, eamque facit curuam, prauam, improbam, iniuſtam. Rurſum impij in Deum facilè labuntur in iniuſtitiam, fiuntque iniuſti in proximum. Qui enim fidem Deo datam non ſeruat, multò minus ſeruabit fidem datam vel debitam homini.

Secundò, & genuinè, q.d, Juſtitia vias, id eſt actiones, juſtorum dirigit, id eſt fortunat & proſperat, vt inoffenſi per omnia pericula incedant, ac felices rerum ſuarum Deo ſecundante ſortiantur ſucceſſus: at verò impius ob impietatem ſuam in multa impinget adverſa & damna, corruetque in multa infortunia, vt videãtur omnia in tibias eius, vt vulgò dicitur, reſilire. Sic *dirigere* pro fortunare & proſperare ſumitur Pſal.139.12. *Vir linguoſus non dirigetur*, id eſt non proſperabitur, *in terra*. Et alibi ſæpè, præſertim in Pſalmis. ita R. Leui, Hugo, Ianſen. & alij.

Porrò, *iuſtitiam* hìc rurſus propriè & amplè accipio, quia ei opponitur impietas. Baynus tamen & noſter Salazar per *iuſtitiam*, accipiunt ſolam eleëmoſynam, q.d. Eleëmoſyna eleëmoſynarium proſperat, rectaq; via dirigit in cælum: at impietas, id eſt auaritia, quâ quis impius eſt in pauperes, facit vt impius corruat in mala ipſamque gehennam. Vnde S. Chryſoſt. hom.9 de pœnit. rectã regiamque viam in cælum docet eſſe eleëmoſynam. *Eleemoſyna*, inquit, *regia via, quæ homines celerrimè in cælorũ axes adducit. Magna res eſt eleëmoſyna* (*vide quàm recta in cælum pergat*) *præcedit aërem, tranſit lunam, ſolis radios excedit, ad ipſum venit cælorum culmen, ipſos pertranſiens cælos, & angelorum populos decurrens, Archangelorumq; choros & omnes ſuperiores poteſtates, ipſi aſſiſtit regali throno.* Et S. Auguſt. ſer.25. de verbis Domini: *Via cæli*, inquit, *eſt pauper, per quam venitur ad Patrem. Incipe ergo erogare, ſi non vis errare. Patrimonij tui quo es ligatus compedem ſolue, ut liber ad cælum poſſis aſcendere.*

JVSTITIA RECTORVM LIBERABIT EOS: ET IN INSIDIIS SVIS CAPIENTVR INIQVI] Similis eſt hæc ſententia præcedentis: ſed ibi dixit juſtitiam conciliare bona, hìc verò eandem liberare à malis. Pro *inſidiis*, Hebr. eſt הות *hauuat*, quod Pagnin. vertit, *in prauitate*: Vatabl. *ob improbitatem*, vel *ob oppreſſionem* qua alios ſolent opprimere; Syrus, *in iniquitatibus ſuis*, Septuag. Roman. *ἐν ἀπωλείᾳ*, id eſt *in perditione*; Complut. verò, *ἐν ἀβουλίᾳ*, id eſt *in inopia conſilij*, vel *in temeritate ſua*; Procopius, *ἐν ἀσεβείᾳ*, id eſt, *in impietate ſua*; Aquila, Symmach. & Theodot. *in iniuſtitia iniuſtè agentes capientur.* Iuſtitiam rurſus generatim accipe pro probitate: licet Baynus & noſter Salazar more ſuo ſpeciatim accipiant eleëmoſynam. Vtraque liberat à malis tum præſentis vitæ, tum futuræ. Vnde Caiet. accipit liberationem à carcere & vinculis, juxta illud S.Chryſoſt. hom.7. de pœnitentia: *Eleëmoſyna vincula diſrumpit, tenebras ſoluit, extinguit ignem, carcerem aperit.* Idem homil. de diuitiis & paupert. docet eleëmoſynam liberare ab amore diuitiarum, quo quaſi vinculo alligantur auari, vt diuſ- Vers.6.

diuitiis ſuis quaſi mancipia aſtricti & concatenati videantur. Vnde noſter Salazar. τὸ *& inſidiis ſuis capientur iniqui*, ſic exponit, q. d. Auari & iniuſti pecuniarum aſſeruatores in inſidiis ſuis, hoc eſt ſuiſmet ipſorum opibus iniuſtè & iniquè partis, captiuabuntur; quæ ſanè pecuniarum ſeruitus & captiuitas maior eſt, quàm ſit vinculorum ferreorum, Vnde S. Chryſoſt. hom. 13. in 1. ad Corint. *Quando diuitiis*, inquit, *fuerimus alligati, quomodo aduerſarios vincemus? ſunt enim vinculum graue his qui uti neſciunt, ſæuus tyrannus & inhumanus, omnia imperans in perniciem illorum qui illi ſeruiunt: ſed ſi voluerimus, hæc vincula, & acerbam hanc tyrannidem de ſede detrubabimus. Quomodo autem id fiet? ſi diuitias omnibus diſtribuerimus: quando enim Plutus fuerit ſolus aduerſus ſolos, ſicut latro quidam in ſolitudine omnia facit mala. cùm autem in medium eum adduxerimus, non ampliùs nos ſuperabit, omnibus enim vndique alligantibus.* Hic ſenſus ſubtilis eſt & pius, ſed arctior, & ſymbolicus potiùs quàm litteralis: nam ad literam ſicut quamuis iuſtitiam rectorum, ſic & quaſuis inſidias impiorum accipe.

VERS. 7. MORTVO HOMINI IMPIO, NVLLA ERIT VLTRA SPES: ET EXSPECTATIO SOLLICITORVM PERIBIT] Pro *ſollicitorum* hebr. eſt אונים *onim*, quod Vatabl. vertit, *violentorum*; R. Salomon, *fortitudinum*; Chald & Syrus, *iniquorum*; Septuag. *impiorum*; Pagnin. *diuitiarum*; alij, *mendacium*; alij, *vanitatum*, alij, *cupiditatum* vel *cupidorum*, alij, *dolentium*. alij, *raptorum*; Noſter optimè vertit, *ſollicitorum* ſiue anxiorum, qui ſcilicet ſollicitè, anxiè & cum dolore cupiditati opum, voluptatum & honorum huius mundi ſe dedunt, imò inhiant. Hi enim vt cupiditatem ſuam per fas & nefas expleant, laborant, ſatagunt, ſolliciti ſunt & anguntur. Hæc eſt mala cupiditatis ſollicitudo: nam eſt & bona ſollicitudo, de qua S. Bernard. lib. de Conſider. ad Eugen. *Sollicitudo*, inquit, *officium Prælati eſt, non celſitudo. Nec locus eſt otio, vbi ſedula vrget ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Et ſerm. 1. ad Fratres: *Eſto magis ſollicitus*, ait, *vt ſcias quid deſit tibi: vtinam ſic eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodũ ſæculares homines pecuniæ temporalis.* Et ſer. 96. in Cant. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Nec dubitat ſe amari qui amat. Ita eſt. Amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio intentam facit, ſollicitudoq́; ſollicitam.* quæ efficit vt ſollicitè ambulet cum Deo ſuo, Michee 6.

Copula *&* vel eſt nota ſimilitudinis copulans ſimilia, idem valens quòd *ſic*; vel eſt exegetica & explicatiua, idem valens quod *hoc eſt*. Priori acceptione ſenſus eſt, q. d. Sicut in morte perit omnis impij ſpes vitæ tum præſentis, ad quam redire nequit: tum æternę, à qua excluditur: ſic pariter omnis ſpes & exſpectatio hominum ſollicitorum, id eſt anxiè & ſollicitè cupiditati opum & honorum inhiantium, in morte, imò ſæpè ante mortem, interibit.

Poſteriori modo ſenſus eſt, q. d. Cùm moritur, aut cùm mortuus eſt homo impius, nulla reſtat ei ſpes, *&*, id eſt *hoc eſt*, exſpectatio ſollicitorum, qui auarè & cupidè bonis mundi contra vel præter Dei legem inhiarunt, peribit. In morte enim perit vita, & cum vita omnis ſpes impiorum, qui in hac vita ſolliciti ſunt ad accumulandas opes, quaſi in æternum hîc victuri. Significatur ergo, inquit Janſenius, impio per mortem intercipi & auferri irreparabiliter; quod ſperare & deſiderare ſolitus fuit, diuitias ſcilicet, gloriam, & omnem vitę huius

A felicitatem, ut idem hic ſignificetur quod per Prophetam: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Et: *Non deſcendet cum eo gloria eius.* Et alibi: *Sunt reliquiæ homini pacifico. Iniuſti autem diſperibunt ſimul, reliquiæ impiorum interibunt*; quia poſt mortem nihil eſt ei reliquum. Secundum ſpiritualem intelligentiam ſignificari etiam hic rectè intelligitur, impio poſt mortem nullam eſſe ſpem veniæ, quia in inferno nulla eſt redemptio. R. Salomon verò: *Expectatio ſollicitorum*, hebr. אונים *onim*. *id eſt filiorum ſpes*, inquit, *qui ſunt illorum robur & diuitiæ, peribit & irrita fiet: nam ob parentum demerita haud bonis vllis gaudebunt. Cùm autem iuſtus vita functus fuerit, illius ſoboles habebit quod ſperet, ob parentum iuſtitiam.* Aben Ezra: *Expectatio iniquorum*, inquit, *qua ſe ſperabant iniqua* Pſal. 75. Pſal. 49. Pſal. 36.

B *geſturos, irrita fiet*; R. Leui, q. d. *Impius penè totus moritur; ſpes etiam quam in inſigni ſuo robore & vi collocabit, euaneſcet. Aut q. d. Mortuo impio ceſſabit ſpes, quâ illius amici ab eius viribus & facultatibus certum munimen ſibi deſpondebant. Exſpectatio etiam, quâ eidem fidebant futurum vt opem præſentem afferre poſſet, irrita corruet: eodem enim vita functo, vis omnis & robur diſperibit.*

Alludit ad Beniamin, quem mater Rachel in partu cupidè enixa, dolore emoriens vocauit *Benoni*, id eſt filium doloris mei; pater verò Jacob vocauit eum *Beniamin*, id eſt filium dexterę. q. d. Sicut Rachel filiorum cupidiſſima, hanc ſuam cupiditatem luit morte: nã partu Beniamin interiit, indéque vocauit eum *Benoni*: ſic pariter exſpectatio *onim*, id eſt ſollicitorũ, id eſt cupiditatibus inhiantium, ideoque dolentium & ſuſpirantium, peribit;

C imò ipſoſmet enecabit: quod enim appetitur ſollicitè ex amore, hoc acquiritur cum dolore, & amittitur cum mœrore, qui ſæpè hominem ita affligit & cruciat, vt vitam ei adimat.

Porrò Septuag. ſi tamen in codices eorum non irrepſit error, contrariè vertunt, ut latentē hîc antitheſin exprimant: ſic enim habent: *Vbi iuſtus mortuus fuerit ſpem non amittet, impiorũ verò iactantia & gloriatio poſt mortem interit*, q. d. Juſtus moriens ſpem melioris vitæ non amittit, ſed præmittit per bona opera, quæ in vita fecit: hæc enim eum poſt mortem in cælo excipient ac beabunt: at impij ſpes omnes, quas in opibus. amicis & dignitate ſita repoſitas habebat, ac de quibus ſe jactabat & gloriabatur, in morte cũ ipſa vita, in quâ fundatæ erant; euaneſcent. Vnde auctor Catenę Gręcor. per exempla ſic exponit: *Sperabat iuſtus venuſtam ex legiti-*

D *ma vxore prolem ſe ſuſcepturum, & ecce ſuſcipit: ſperabat ſuſceptam magnis honoribus, multiſq́; opibus potituram, & ecce potitur. Idem ſi unam de ceteris ſimilibus. Quin ad futuram quoque vitam & reſurrectionem ſermo hîc transferri poteſt: ſubindicat enim iuſtũ bonis omnibus hîc vſum, futurorum quoque bonorum ſpe neutiquam fruſtratum iri: aut poſt mortem non modò in ſe, ſed in ſuis quoque liberis glorioſum & celebrem futurum. At impiorum gloriam, qua inaniter ſæpè gloriati fuerant, & in qua finem ſuum tantùm non collocauerant, vanam & momentaneam fore.*

JVSTVS DE ANGVSTIA LIBERATVS EST: ET TRADETVR (perperam aliqui legunt, *trudetur*) IMPIVS PRO EO] Hebr. *& veniet impius pro eo*, quod Hugo exponit, *propter eum*, q. d. Impius propter iuſtum à ſe afflictum veniet & ſubibit in eius anguſtias. Planiùs alij τὸ *pro eo* exponunt *in locum eius*, puta *in anguſtiam eius*. Vnde Vatabl. *Iuſtus*, in- VERS. 8.

quis,

quit, *ex adverſitate eripitur, ſed impius ſuccedit illi*; Syrus, *ſubibit impius pro eo.*

Dupliciter hæc ſententia exponi poteſt. Primò, preſsè, q. d. Deus juſtum liberat ſæpè à malo, quod illi impius ſtruit, facitque vt impius pœnam talionis luat, ac in malum, quod juſto ſtruxit, incurrat. Vti Aman incurrit in furcam quã ſtruxerat Mardochæo; inimici Danielis incurrerunt in fauces leonum, quos Danieli appararant; ſenes adulteri inciderunt in lapidationem, quam machinati erant Suſannæ, Daniel. 13.

Secundò, amplè, q. d. Juſtus ad tempus modicum in hac vita affligitur & anguſtiatur, at mox Deus afflictioni finem imponit, eumque liberat: impios verò ad modicum tempus gaudere & dominari permittit, at mox gaudio eorum finem imponit, facitque vt in anguſtias juſti ſuccedant. Hæ enim propriè competunt & debentur impio, vt cum eo quaſi reo ſibi ſubdito, proprioque ſubiecto ſemper perdurent. Id ſæpè fit in vita, ſemper in morte, cùm juſti anguſtiis huius vitæ liberati euolant in paradiſum: impij verò in eas ſubintrant, perpetuò cruciandi in gehenna.

Septuag. vertunt, *juſtus ἀπὸ θήρας*, id eſt, *à venatione* vel *captura, liberatus eſt: pro eo autem tradetur iniquus* q. d. Diues venatur pauperem juſtum: at juſtus ab eius laqueis inſidiiſque à Deo eripitur, & in eaſdem recidit diues, dum alius potentior eum venatur & deuorat, juxta illud Eccli. 13. 23. *Venatio leonis, onager in eremo: ſic & paſcua diuitum ſunt pauperes.* Vnde auctor Catenæ Græcor. legit, *juſtus ne prædatorum præda fiat liberatur; pro eo autē in captionem tradetur impius.* Vbi Didymus: Juſtus, inquit, diuinam legem animo ſemper verſans, ſeſeque in illa oblectans, & à mortis laqueis eripitur, & à venatoribus dæmonumque inſidiis liberatur, & ab omni tandem ſeditioſo & turbulento ſermone cuſtoditur. Traditur autem & coniicitur in illa incommoda impius. Quòd ſi vir juſtus vt homo quandoque conciderit, ſtatim rurſus conſurgit atque emergit. Et inferiùs: Aut ideò hoc dicitur, quia juſtus vt homo ſubiacebat quibuſuis noxiis, quæ impius per vexationem iniuſtè illatam in illo punit, & quaſi extinguit: adeoque juſtum à pœna, quam in altero ſæculo ſubiturus erat liberat; ſeipſum verò propter iniquam vexationem certæ pœnæ reatu obſtringit: obiicitur autem huic pœnæ impius non ab alio quàm à ſeipſo, ſuaque propria malitia, vt qui jam antè in reprobum ſenſum ſponte ſeipſum conieciſſet.

Vers. 9. Simulator ore decipit amicum (Hebr. רֵעֵהוּ *reehu*, id eſt, *proximum*) ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia] Pro *decipit* hebr. eſt יַשְׁחִית *iaſcit*, id eſt *corrumpit*. Vnde Aquila, Symmach. & Theodot. *in ore hypocritarum corrumpet amicū ſuum*, ſupple, impius qui præceſſit; Chald. *ore doloſus nocet amico ſuo. Simulator* eſt tum adulator, tum quiuis hypocrita, deceptor & impoſtor, quaſi dicat, Fallax adulator & hypocrita decipit, id eſt decipere & perdere conatur (& actu incautos ſæpè decipit) proximum ſuum: at juſti ſuâ ſcientiâ haſce eius fraudes dignoſcent, euitabunt & diſcutient. Itaque *ſcientia iuſti* opponitur ori ſimulatoris: illius enim hypocriſin & dolos deprehendit & deuitat. *Scientiam* accipe tum cognitionem S. Scripturæ, rerumque diuinarum, tum prudentiam & cautionem. Hæc ſententia clara eſt in hæreticis, qui ſimulant ſe doctores veritatis, cùm ſint præcones falſitatis, quorum impoſturas detegit ſcientia, id eſt vera fides & Theologia. Ita Beda, Hugo, Janſen. & alij.

Septuag. vertunt, *in ore impiorum laqueus eſt ciuibus; ſenſus autem iuſtorum proſperè procedens*; vel, *iuſtorum autem ſenſus felix fauſtuſq; exiſtit.* Idem reipsâ dicunt quod Vulgata: laqueus enim oris impiorum non eſt alius quàm ſimulatio, hypocriſis & adulatio; ſed laqueos hoſce juſti ſenſu & ſapientia præditi proſperè & feliciter vel euadunt, vel diſſipant.

In bonis iuſtorum exultabit (malè aliqui legunt, *exaltabitur*) ciuitas: et in perditione impiorum erit laudatio] Hebr. *in bonitate*, vel *in bono*, id eſt in proſperitate & felicitate, q. d. Cùm proſperè juſtis omnia ſuccedunt cùm bonis vel temporalibus vel ſpiritalibus affluunt, tunc exultat ciuitas: tum quia juſtitia & virtus omnibus eſt amabilis & veneranda, tum quia ipſa in totius vrbis exemplum & commodum redundat. Si enim juſti abundent, ipſi bona ſua cum aliis totaq; ciuitate communicant. at *in perditione impiorum erit laudatio*; hebr. רִנָּה *rinna*, id eſt jubilatio, ouatio, communis lætitia & exultatio: tum quia omnes laudabunt Dei juſtitiã, quæ impios perdidit, morteque merita mulctauit: tum quia exultabunt omnes, quòd ab impiorum vexatione, rapinis, ſcandalis, &c ſint liberati. Porrò non parua eſt hæc virtutis commendatio, & vitij vituperium, quòd virtuti omnes applaudant, vitio omnes inſultent: vox enim populi, eſt vox Dei. Vnde Ariſt. l. 5. Moral. cap. 1. docet vocem populi firmam continere veritatem, ſimilem illi quam habent oracula. Vers. 10.

Pro *exultat* Symmach. vertit, *ἀγαλλιάσονται πόλεις*, id eſt, *exultabunt ciuitates*; Theodot. *εὐφρανθήσονται*, id eſt, *lætabuntur*, Syrus, *roborabitur ciuitas*; Septuag. *κατώρθωσε*, quod Complut. vertunt, *recta geſſit ciuitas*: quia ſcilicet exemplum virtutis iuſtorum imitata eſt; Roman. *bene ſe geſſit*; auctor Catenæ Græco. clarè, *in proſpero iuſtorum ſucceſſu ciuitas promouet & floret: in impiorū autem interitu exultatio & plauſus excitatur.* Sic & Complut. ac Chaldæus: Tigur. *cùm bene eſt iuſtis, exultat ciuitas; & cùm pereūt impij, ouat.* Eſt ergo antitheſis obiecti lætitiæ & exultationis; quòd ſcilicet ciuitas exultet de bonis piorum, & de malis eorum doleat: at de bonis impiorum doleat, & de malis eorum exultet. Caiet. pro *erit laudatio* vertit. *erit cantus*: nimirum vita iuſtorum eſt quaſi cantus, qui omnes recreat, atque ad ſimile virtutis ſtudium feſtiuo plauſu excitat: at improbus dum viuit, omnes offendit; ideoque dum moritur, ſic omnes eius luctus & funebria iuſta recreant, vt illa cantibus, & ſæpè compoſitis ad publica gaudia carminibus concelebrent.

Benedictione iuſtorum (Hebr. *rectorum*) exaltabitur (Vatabl. *euehitur & floret*) ciuitas: et ore impiorum ſubuertetur] Aquila, Symmach. & Theodot. *deiicietur*. Pro *ciuitas* Chald. vertit, *prouincia*. Vers. 11.

Hic verſus dat cauſam præcedentis; cur ſcilicet in bonis iuſti exultet ciuitas, & in perditione impiorum iubilet: quia nimirum per benedictionem iuſtorum exaltatur, & per os impiorum ſubuertitur.

Quæres, quænam ſit *benedictio iuſtorum*? Reſp. Primò, *benedictio* hìc vti alibi ſæpè accipi poteſt pro rerum affluentia & opulentia, iuſti enim cùm ſint opulenti, in ciues ſunt benefici, & ciuitatem colle-

collegiis,monaſteriis,templis,aliiſque fabricis magnificis ornant & exaltant; vt *benedictio* ſit idem quod bona iuſtorum, in quibus exultare ciuitatẽ dixit v. præced. ita auctor Catenæ Græcor. q.d. Opulentia iuſtorum ciues & ciuitatem exaltat, facitque ſplendidam & magnificam: at verò verba impiorum eamdem ſubuertunt. Opponit *os* opulentiæ:quia tam peruerſum eſt os impiorum,vt æquipolleat; imò præpolleat, opulentiæ iuſtorum: plus enim illud deſtruit quàm hæc ædificet. Adde opulentos ferè eligi in magiſtratũ, ac ciuitati præeſſe,eamq́ue regere:quare cùm iuſti ſunt opulenti, eliguntur in magiſtratum,tumq́ue iuſtis ſuis ſaniſque conſiliis & legibus exaltant ciuitatem:at verò *os*, id eſt imperium impiorum eam ſubuertit: quia dũ in ea imperant impij, impiis ſuis decretis,exactionibus, rapinis eam ſubuertunt. *Os* enim ſæpè ſignificat juſſum & imperium; vt cùm Prophetæ toties ingeminant: *Os Domini locutum eſt*,id eſt,Dominus hoc quod dicimus imperauit.

Secundò, *benedictio* idem eſt quod beneficentia: dicere enim Dei & Sanctorum eſt efficax,ideoq́ue idem quod facere: quòd enim dicunt hoc faciunt. Sic ſenſus erit, q.d. Iuſti ſuâ beneficentiâ & eleẽmoſynis ſuſtentant & magnificant ciuitatem: at impij ſuo ore,id eſt ſuâ maledicentiâ æquè ac maleficentia eam euertunt.

Tertiò, magis propriè & genuinè *benedictio* eſt boni precatio,& benedicere eſt bene precari, q d. Cùm iuſti bene precantur ciuitati, Deus preces eorum exaudit,ac civitati bene facit, eamque exaltat: at impij ore ſuo, maledicentes tam Deum quàm ciues,merentur ut Deus eam ſubuertat. Sic impij ciues Sodomæ meruerunt eam incendio ſubuerti: at Lot fugiens è Sodomis in Segor,eamdem ab incendio, cui pariter deſtinata erat, ſuâ oratione & benedictione liberauit, Geneſ.19.21. Sic Jacob Geneſ.49.&Moſes Deuter.33.morituri benedicentes Iſraëli, eum bonis cumularunt. Sic Deus ſeruauit Jeruſalem ab excidio Sennacherib, ob preces Iſaiæ & Ezechiæ, Iſaiæ c. 37. ac Salomoni & Judæis benedixit propter Dauidem, juxta illud: *Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui*, Pſal.131. 10. Sic S. Gregor. litaniis ſuis vrbem gravi peſte liberauit. Hoc eſt quod ait Sapiens cap.6.26. *Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.*

Quartò pleniùs, *benedictio iuſtorum* ſunt bona eorum conſilia, monita,eloquia, exempla, quibus ignorantes docent,mœſtos conſolantur, errantes corrigunt,omneſque ad virtutem & ad Deum traducere ſatagunt. Hiſce enim exaltatur ciuitas: cũ *impiorum ore*,id eſt malis conſiliis,litibus, rixis, ſeditionibus,dolis,&c.euertatur,juxta illud Plutarchi in Moral. *Vnius linguæ dolo & proditione vrbes conciderunt,regna, reſpublicæ.* Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c.28. 16. *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit.* Vide ibi dicta.

Addit Hugo, per *benedictionem* accipi eloquentiam & efficaciam dicendi, quam habent Sancti, per quã ſubinde vrbes & regna ab exitio liberant. Sic S.Leo ſuâ dicendi facundiâ & grauitate Attilam compeſcuit, ne Romam vaſtaret; & Genſerico jam Romam occupanti perſuaſit,vt ab eiuſdem incendio, ignominiis & cædibus temperaret. Ita S.Gregorius ſuâ modeſtâ humilique ſuauiloquentiâ Mauricium Imp.alioſque principes ſibi & Vr-

A bi offenſos reconciliauit.Ita S.Bernardus in ſchiſmate Petri Leonis, ſuâ dicendi agendique gratiâ regem Angliæ alioſque magnates Innocentio II. legitimo Pontifici, eiuſque Eccleſiæ aſtrinxit, ac ſchiſma ſuſtulit.Simili modo ſuos Ordines & monaſteria celebrarunt & exaltarunt Religioſi ſapiẽtiâ & eloquentiâ præſtantes; vti Ordinem S. Benedicti celebrarunt Gregor. VII.Leò IX. Victor. II. Vrbanus II. aliique permulti, qui ex eo ob ſapientiam & virtutem euecti ſunt ad Pontificatum. Ordinem Ciſtercienſium celebrauit S.Bernardus, Dominicanum S.Thomas Aquinas,S.Vincentius Ferrerius,Petrus Tarantaſius,qui creatus Pontifex dictus eſt Benedictus XI.& alij, Franciſcanum S. Bonauentura, Alexander Alenſis, Joannes Duns Scotus, & alij.

B QVI DESPICIT AMICVM SVVM, INDIGENS CORDE EST: VIR AVTEM PRVDENS TACEBIT] Pro *deſpicit* hebr.eſt בָּז *baz*, id eſt *ſpoliat* ſcilicet ſuo honore & æſtimatione per contemptũ & deſpectum. Vnde *baz* per opocopen idem eſt quod בָּזָה *baza*, id eſt contempſit, deſpexit ex alto, alto ſupercilio dedignatus eſt Septuag. *ſubſannat ciues indigens corde.* *Deſpicit* ergo non tantùm corde ſed & ore: opponitur enim τῷ *tacebit.* Itaque *deſpicit*, id eſt deſpectè & contemptim,vti ſentit, ſic & loquitur de amico ſuo. VERS.12.

Senſus ergo eſt, q.d. *Qui corde deſpicit amicum*,id eſt, ut Hebr. proximum ſuum, eò quòd in eo aliquod vitium aut defectum notet,ideoque ore deſpicatius de eo loquitur, vilipẽdit, deprimit,ridet; hic *indiget corde*, id eſt intellectu, judicio & ſapientiâ,hoc eſt, inſipiens & *vecors* eſt,vt vertit Vatabl. C tum,quia proximum irritat & prouocat,vt viciſſim eum deſpiciat,& contemptim de eo loquatur. tum quia ſapientia dictat vitia eſſe celanda,virtutes autem propalandas: tum quia juſto Dei judicio fit, vt quâ menſurâ menſi fuerimus,remetiatur nobis, juxta illud Iſaiæ 33.v.1. *Væ qui ſpernis: nónne & ipſe ſpernêris*:tum quia hic deſpectus oritur ex ſuperbia quâ ſe ſapientem,alium dementem æſtimat,ait R. Leui:ſuperbia autem eſt inſipientia. Addit Hugo eum indigere corde, id eſt cordis commiſeratione,compaſſione & lenitate, quæ aliorum vitia celanda,& ſecreta ſuauique correctione curanda eſſe docet. Galat 6.1.

VIR AVTEM PRVDENS TACEBIT] Hebr. *vir intelligentiarum* vel *prudentiarum*,id eſt valdè intelligens & prudens,*tacebit*;Septuag. *vir autem prudens* D *ſilentium ducit*;Syrus, *in ſilentio habitat*,quaſi in cella cordis, pacis & tranquillitatis ſuæ, q.d. Vecors propalat vitia proximi, eum deſpicit, ridet, probris laceſſit: at vir prudens vitia proximi diſſimulat,imò cùm à vecordi deſpicitur & probris laceſſitur,probra non regerit, ſed ſuffert & tacet. Qui hoc facit, ſanè *vir prudentiarum*, id eſt multæ prudentiæ, & quaſi ſapientiæ miraculum eſt: tum quia amici pacem, modeſtiam & magnitudinem, quæ probra omnia deſpicit,oſtendit:tum quia ſua modeſtia deſpicientem redarguit,confundit,compeſcit. Nam qui exprobranti probra regerit, is ea magis accendit,vt plura audiat; qui ad ea tacet, ſuo ſilentio ea ſopit: perinde ac qui latranti cani oblatrat,eum irritat vt magis latret: at qui tacitus tranſit, latratum inhibet. Vnde S.Baſil. homil.de ira,eos comparat echo. Sicut enim ſi vocem emittas, reſpondebit eâdem voce echo, & quo magis vociferaris,eo magis vociferabitur echo: ſic pariter

ter qui voce probra iacit, ſimilia ſibi ab alio quaſi A ab echo, reſponderi iaciq; audiet. Quocirca concludens ſanum hoc ſuggerit conſilium: *Noli ergo,* inquit, *malam ferre gratiam, neque mali mutui reſtitutor eſſe. Contumeliam intulit iratus, vince amoueq; ſilentio malum. Tu verò contrà facis, qui velut vndam fluentem illius iram in cordis penetralia ſuſcipiens, ventos imitaris contra flatibus aduerſis reſiſtentes. Noli tuo aduerſario pro magiſtro vti, nec quem odio perſequeris, hunc æmulari, nec fieri veluti ſpeculum irati vultus, illius formam in te ipſo repræſentans. Rubicundus eſt ille ob iram? Tu minimè ruborem præferas: illi ſanguinei oculi: tui quietè & cum grauitate aſpiciant, vox illi aſpera? tibi mitis & blanda, imò potiùs nulla.* Audi & Bedam in Collectaneis tom. 3. *Cùm verò,* inquit, *linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter ſunt per omnia tolerādi. Sæ-* B *pè verò cùm de vita proximorum conquerimur, mutare locum conamur, ſecretū vitæ remotioris eligere; videlicet ignorantes, quia ſi deſit ſpiritus, non adiuuet locus. Tolerandi ſunt ergo vbiq; proximi: quia Abel fieri non valet quem Cain malitia non exercet.* Sic Saul initio regni ſapienter ſe ſuoſq; regens, ad contumelias ſuorum obticuit. Audi Script. 1. Reg. 10. 27. *Filij verò Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò diſſimulat ſe audire.* Verum eſt enim illud: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* Porrò R. Leui generaliùs hæc accipit: Prudens, inquit, ſocium ſuum non deludit & contemnit, ſed ſilet dum alter loquitur, attenteque illius ſermones audit: licet autem is in medium proferat ea, quæ ipſe perſpecta habet, auſcultat tamen eius dignitati fauens, licet nihil inde percipiat emolumenti.

Salomonem ſecutus Rabbi Simeon in Pirke a- C uoth: *Per omnem vitam,* inquit, *educatus ſui inter ſapientes, nec inueni quidquam corpori ſalubrius ſilentio.* Et Ben Sira in Sèntent. *Vidiſti aſinum nigrum? neque nigrum, neque album,* hoc eſt, ut eius Scholiaſtes exponit: *Doce linguam tuam, ut ſemper dicat Neſcio, ne quando in reſponſo capiaris.* Sic ceteri Hebræorum Rabbini negationem in reſpondendo vel ſilentium commendant. Vnde anonymus: *Doce linguam tuam dicere Neſcio, quod æquilibre eſt auro & argento.* Huc facit gnome Arabum cent. 2. n. 52. *Sæpenumerò ſilentium eſt reſponſum, vt quis reſpondeat omittendo reſponſum.* Nimirum multorum accuſationes, querelæ & calumniæ manifeſtam ſæpè habent falſitatē, nec reſponſum aut apologiam merentur: vnde ad eorum criminationes ſilere, ſufficienter reſpondere & ſe purgare eſt. Et cent. 1. n. 98. *Taciturnitas con-* D *ciliat ſuis amorem. Pœnitentia ſuper ſilentio melior eſt pœnitentia ſuper ſermone;* hoc eſt, præſtat pœnitere taciturnitatis, quàm ſilentij: *Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum,* in Cato. Pergunt Arabes: *Taciturnitas ſapientia eſt, ſed rarus eſt agens eam.* Huc pertinet diſtichon Catonis:

Demiſſos animo, ac tacitos vitare memento.
Qua flumen placidum eſt, forſan latet altiùs vnda.

Ita S. Maurillius Epiſcopus Andegau. *erat ſermone ſilens, & ſilentio loquens,* ait Fortunatus in eius Vita.

VERS. 13. QVI AMBVLAT FRAVDVLENTER, REVELAT ARCANA: QVI AVTEM FIDELIS EST ANIMI, CELAT AMICI COMMISSVM] Hebr. *ambulans delator reuelat ſecretum: fidelis ſpiritu aperiens verbum;* Chald. *qui accuſator* (Syrus, *calumniator*) *eſt aperit ſecretum: & qui fidelis eſt in ſpiritu, celat ſecretum;* Septuag. *vir bilinguis reuelat conſilia in conſeſſu; fidelis autem ſpiritu abſcondit res;* Symmach. *cuſtodit verba.*

A Pro *qui ambulat fraudulenter*, hebr. eſt רכיל *rachil,* id eſt, *negotiator*, indeque delator, detractor, calumniator. Eſt pulchra metaphora. Detractor enim vocatur *rachil*, id eſt mercator, ſiue negotiator: quia ſicut hic merces comparat non pro ſe, ſed vt eas diſtrahat & diuendat: ſic delator verba & geſta aliorum veſtigat & conquirit, vt illa ad alios deferat, & per circulos quaſi venum circumferat, vt inde lucrum aliquod reportet. Vnde *rachil* vti literis ita & ſignificatione alludit ad רגל *ragal*, id eſt ire, ambulare, deferre. Ita Pagninus in Lexico: Vt negotiator, inquit, multas habet ſpecies mercium, quas ab aliquibus emit, & aliis vendit: itidem detractor verba hinc & inde collecta & audita aliis refert. Conſonat R. Abraham, qui ita ſcribit: B Sicut mercator quod ab uno emit, alteri vendit: ita detractor, quod ab aliquo audiuit, alteri reuelat. *Rachil* ergo eſt, qui explorat aliorum ſecreta, vel vitia, vel conſilia, eaque deinde aliis enuntiat. Vnde Caietan. vertit, *explorator reuelat ſecretum, & fidelis ſpiritus tegit;* S. Hieron. in Iſaiæ c. 39. *qui fidelis eſt ſpiritus, abſcondit negotia.*

Senſus ergo eſt, quaſi dicat explorator, qui fictè & fraudulenter cum amico ſimulans ſe amicum conuerſatur, itaque expiſcatur amici mentem, eiuſque arcana conſilia & ſecreta, hic eadem mox reuelat aliis: qui autem fidelis eſt animi & ſpiritus, hic celat amici *commiſſum*, id eſt ſecretum, quod ſibi commiſit & concredidit. Rurſum *commiſſum*, id eſt admiſſum ſiue perpetratum aliquod delictum. Ita Dalila expiſcans Samſonis viri ſui ſecretum, fortitudinem ſcilicet eius conſiſtere in capillis, illud prodidit Philiſtæis, & Samſonem per- C didit Judic. 16. 17. Huc facit Prouerbium Arabū centur 2. n. 54. *Arcanum tuum de ſanguine tuo eſt: ſæpè aperuiſti illud, & eſt cauſa mortis tuæ.* Et cent. 2. n. 61. *Secretum eſt fides, hoc eſt, commendatum fidei alterius.* q. d. Qui ſeruat ſecretum, pro fideli habetur: qui diuulgat, pro infideli. Ibid. n. 65. *Arcanum tuum eſt captiuus tuus, ſi cuſtodieris illud: tu autem captiuus es, ſi manifeſtetur*. Et n. 59. *Pectus tuum dilata ſecreto tuo,* hoc eſt, *ne detege illud illi. Poſſidet homo animam ſuam* (vel *ſeipſum*) *qui occultat ſecretum ſuum ab amico ſuo.* Et n. 36. *Ne aperi ſecretum tuum ſimiis, id eſt, ne detege arcanum tuum deriſoribus:* Simiæ enim omnia quę vident imitantur & iterant, itaque agentes deridere videntur. Et cent. 1. n. 74. *Os linguæ carcer eſt. Caue vt ferias lingua tua collum tuum.* Huc facit gnome Hebræorum: *Intrat vinum, exit arcanum.* Quod enim latet in animo ſobrij, hoc natat in lingua e- D brij. Similis eſt gnome Poëtæ:

Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus:
At contrà gravis eſt culpa, tacenda loqui.

Et illa Thaletis: *Vide ne te in ius vocet ſermo contra coniunctos tibi ac ſocios dictus*, q. d. Ne fidas amicis, vt eis committas arcana, vt inde illa effutiant, magnâ tuâ infamiâ & ignorantiâ. Ita Laërt. lib. 1. c. 1. Et illa Ariſtionis: *venti nobis moleſtiſſimi ſunt, qui abſtrahunt pallia: nam his contra ventos munimur: ita grauiſſimè lædunt amici, qui expiſcantur arcana.* Et illa Tiberij Imper. apud Dionem: *Principis animum, aut nemini aut paucis cognitum eſſe oportet.* Et illa Metelli Macedonici, qui rogatus, quidnam acturus eſt poſt ſubactos Arbachos, reſpondit: *Tunicam meam exurerem, ſi eam conſiliū meum ſcire exiſtimarem.* Et illa Bedæ in Collect. *Imperiti ſicut loqui neſciunt, ſic tacere nō poſſunt. Amicum ſecretò admone, ſed palàm lauda.* Plura de reuelatione ſecretorum dixi Eccleſiaſt. 27. 17.

Gnoma de celando ſecreto.

A Pro *fidelis animi* Aquila & Theodot. vertunt, πιστὸς πνεύματι. quod cum Roman. vertas *fidelis ſpiritu*, vt πνεύματι reſpondeat Latino ablatiuo, quo Græci carent: noſter tamen Salazar propriè accipiens in datiuo vertit, *fidelis ſpiritui*, ſicque exponit: *Fidelis ſpiritui*, id eſt animo ſuo, dicitur qui arcana ſeruat, quia ea quæ in animo tutò latent, palàm dicere, & in vulgus ſpargere, quoddam eſt proditionis genus aduerſus animum: animus enim non ſecùs ore aperto proditur, quàm vrbs aliqua oſtio reſerato. Vel aliter: Qui ſecreta non violat, fidelis ſpiritui dicitur, id eſt Spiritui ſancto: quaſi verò è contrà is, qui arcana amicorum palam facit, Spiritui ſancto infidelis ſit.

Cauſas duas ſubdit. Prior eſt quia Spiritui ſan- B cto, qui primus & notionalis eſt amor, tribuitur omnis honeſta beneuolentia, omniſque amicitia eius operâ copulatur. Nihil autem æquè amicorum concordiam diſtrahit, ſicut arcanorum & ſecretorum reuelatio. Poſterior, quòd ſecretorum reuelatio ex amore proficiſcatur: iure ergo optimo eidem reuelatio ſecretorum tribuitur, cui dilectio etiam accommodatur, putà Spiritui ſancto, qui eſt amor formalis & cauſalis: vbique enim amorem & amicitiam aſtringit & copulat. Verùm hæc myſtica, vel accommodatitia ſunt: vera enim verſio eſt, *fidelis ſpiritu*, vt habent Septuag. Chald. Noſter, & alij paſſim. Ita tacitum apud ſe ſeruabat ſecretum amicorum S. Ambroſius, vt ne quidem fratri dilectiſſimo Satyro illud cõmunicaret. Vnde de Obitu Satyri: *Cùm omnia*, inquit, *nobis eſſent noſtra communia, indiuiduus ſpiritus, indiuiduus affectus, ſolum ta-* C *men commune non erat ſecretum amicorum: non quod conferendi periculum vereremur, ſed tenendi ſeruaremus fidem, &c. Erat enim fidele indicium extraneo non eſſe proditum, quod non eſſet cum fratre collatum.*

VBI NON EST GVBERNATOR, POPVLVS CORRVET: SALVS (Syrus, *liberatio*) AVTEM VBI MVLTA CONSILIA] Pro *gubernator* Hebraicè eſt תַּחְבֻּלוֹת *tachbuloth*, de quâ voce fusè dixi c. 1. 5. docuique ſignificare gubernacula nauis indeq́; reipubl. ac conſequenter conſilia, induſtriam, ſolertiam quibus gubernatur nauis, æquè ac reſp. Vnde Hebræa ad verbum habent, *vbi non ſunt conſilia & conſulta gubernacula* (Caiet. *ingenia*) *corruet populus: & ſalus in multitudine conſiliarij*, id eſt conſiliariorum; Theodot. *in incogitantia corruit populus: ſalus autem in homine multi conſilij*; Septuag. *quibus non eſt gubernatio, cadent tamquam folia* (legerunt עָלִים *alim*, D id eſt folia, pro עָם *am*, id eſt populus) *ſalus autem in multo conſilio*; Chald. *in multitudine conſilij*. Rectè populus comparatur foliis arborum, tum ob copiam; tum ob viciſſitudinem, quâ aliis cadentibus alia ſubnaſcuntur; tum ob decorem: ſicut enim folia decorant arborem, ſic populus ritè compoſitus rempubl. Vatabl. *vbi non conſilia, cadit populus: vbi autem ſatis conſiliariorum eſt, conſeruatur.* Ita & Caſſianus collat. 2. de diſcretione cap. 4. legit, *quibus non eſt gubernatio, id eſt conſilium & diſcretio*, inquit, *cadunt vt folia.* Eſt metalepſis: ex conſiliis enim intelligitur gubernatio bona, conſulta & prudens: ex gubernatione ipſe gubernator, vt vertit Noſter. Senſus eſt q. d. Vbi non eſt gubernator ſapientiâ & prudentiâ gubernandi præditus, ibi in multa pericula & damna corruet populus: at vbi is adeſt, & conſilio vel proprio pollet, vel alieno vtitur, ibi populus ſaluus, & à malis omnibus immunis ſecuruſque conſiſtit.

A Vox ergo תַּחְבֻּלוֹת *tachbuloth* pluralis ſignificat Primò, multis magniſque conſiliis modiſque regendi opus eſſe rectori reip. vtpote qui ad varias variorum hominum & populorum conditiones, indoles, appetitus ſeſe attemperare debeat, vt quemque conformiter ad ſuum ingenium regat. Huius apologum vel exemplum Poëtæ dant Proteum, qui in mille formas ſeſe vertebat, vt cuique ſeſe aſſimilaret, eiuſque indoli & moribus ſeſe conformaret. Accedit quod ait Salluſt. in Iugurt. *Vulgus ingenio ſeditioſum atque diſcordioſum, cupidũ nouarum rerum, quieti & otio aduerſum.* Et vt idem ait in orat. Marcij, *impigræ linguæ, ignaui animi.* Et Liuius l. 23. *Hæc*, ait, *eſt natura multitudinis, aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur. Libertatẽ, quæ media eſt, nec ſper-* B *nere modicè, nec habere ſciunt.* Philo lib. de Ioſeph: *Sicut*, ait, *gubernator pro ratione ventorum mutat nauigationis ſubſidia, non vno modo nauem dirigens: ſic reipublicæ moderator debet eſſe multiformis ac multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter ſe paucis, aliter multis opponens aduerſariis*, &c. Aſtipulatur S. Gregor. Nazianz. in orat. 1. Apolog. *Nam profectò*, inquit, *ars quædam artium & ſcientiarum mihi eſſe videtur, hominem regere, animal maximè varium & multiplex; id eſt ars, vna eſt plures artes coërcens.* Et poſt pauca: *Quemadmodum*, inquit, *ſi quis belluam variam & multiplicem, ex multis belluis magnis iuxtà paruiſq́; feris mitibuſq́; compactam, curare ac ducere aggrediatur; huic in natura adeò varia & prodigioſa gubernanda, maximus vtique labor ſubeundus ſit, magnũq́; certamen: quippe nec vetibus eiſdem, nec alimẽtis, nec manus attrectationibus ac ſibilis, nec reliquis delectetur; ſed alij aliis, pro ſua quiq́; natura & conſuetu-* C *dine, vel gaudeant, vel offendantur; vt qui eiuſmodi belluæ curam ſuſceperit eum varia omnino & multiplici ſcientiâ ornatum eſſe oporteat. Haud diſſimili modo communi huic Eccleſiæ corpori, inſtar compoſitæ cuiuſdã & inæqualis belluæ, ex pluribus variiſq́; moribus & ſermonibus coagmentato, ſummopere quoque neceſſe eſt, Antiſtitem ſcilicet ſimul & ſimplicem eſſe quantum ad eam, quam ad res omnes adhibere debet animi integritatem; & quàm maximè varium & multiplicem, quantum ad id attinet, vt vniuſcuiuſq́; beneuolentiam ſibi conciliet.*

Hebr. tachbuloth quid ſignificet. Primò.

Secundò, *tachbuloth* ſignificat, gubernatorem reip. debere imitari gubernatorem navis, de quo multa Plato in dialogo de Regno, & l 8. de Repub. & Plutarch. in Moral. vbi inter cetera ait: *Vt in magnis tempeſtatibus validiſſimo clauo, optimo gubernatore, & pluribus fulturis opus eſt: ſic magnas & turbulentas res adminiſtranti ſummâ ſapientiâ opus eſt; quã cùm gu-* D *bernator non habeat ex ſe, à probis conſiliariis mutuetur & diſcat oportet.* Vnde Veget. l. 3. *Fieri*, inquit, *quid debeat, cum multis tracta: quid facturus ſis, cum pauciſſimis, vel potiùs ipſe tecum.* Vide dicta c. 1. v. 5.

Secundò.

Quocirca Pius II. ſapiens & generoſus Pontifex lib. 1. epiſt. 387. ad Ludouicum Galliæ regem: *Scriptura*, inquit, *quæ ait, vbi multa conſilia, ibi ſalus conſiliorum multitudinem non requirit, ſed maturitatem & digeſtionem: quæ res in paucis quam in multis facilius reperitur: neque enim honeſtas aut iuſtitia multitudine facilè ſuadetur, quæ variis affectionibus agitata ad prona frequenter inclinat confuſioni: ſubita eſt conſulentium multitudo, neq́; bene res ſe habet vbi ſuffragia numerantur, non ponderantur; ſæpè enim fit vt maior pars meliorem vincat.* Iuſtinianus edixit quoq; hoc modo: *Sed neque ex multitudine auctorũ quod melius & æquius eſt iudicatote, cum poſſit vnius forſan & deterioris ſententia multos & maiores aliqua in parte ſuperare.* Teſtis Cicero, *Q. Scæuolam iuris peritiſſimum, cùm de iure prædiorum*

Conſilia non numero, ſed maturitate æſtimanda.

C. de veteri iur. enucl. lib. 1.

In Corneliana.

rum conſuleretur, ſuos interdum conſultores ad Furium & Caſellium prædicatores reieciſſe. Et conſtat Bartolum ad judicium mercatorum & opificum pleraque ſua elucubraſſe. Nam vt idem tradit M. Tullius: *Aſſiduus vſus vni rei deditus, & ingenium & artem ſæpè vincit.*

Ita Seuerus Imper. nil ſtatuit vnquam abſque plurimorum Juriſconſultorum, aliorumq; peritorum corona. Auguſtus ad conſilium etiam priuatum adhibebat Mæcenatem & Agrippam, ſicut Julius Cæſar. Q. Pedium & Cornelium Balbum. Et Auguſtus poſt mortem illorum, ſi quid, cuius eum pœniteret, accidiſſet, exclamabat: *Horum nihil inibi accidiſſet, ſi aut Agrippa aut Mæcenas vixiſſet.*

Tertiò, *tachbuloth* notat ſalutem reip. conſiſtere tum in ſapientia gubernatorum, tũ in obedientia ciuium, ſicut ſalus nauis pendet à nauclero, chori à chorago, orbis à ſole. Quod enim eſt ſol in mundo, choragus in choro, nauclerus in naui hoc eſt ſapiens rex vel princeps in republ. Hinc rurſum Hebræi conſilium vocant סוד *ſod* à יָסַד *iaſad*, id eſt fundauit, quod enim fundamentum eſt in domo, hoc conſilium eſt in re agenda, vt eo ſtante ſtet, ruente ruat. Audi S. Chryſoſt homil 34. in epiſt. ad Hebr. *Magiſtratum ducemq; & rectorem non habere, malum eſt, & eſt argumentum multarum calamitatum; & principiũ defectus ordinis, & perturbationis & confuſionis. Nam ſicut ſi choriphæum à choro & ducem ſuſtuleris, nõ erit ampliùs chorus modo congruus & ordinatus; & ſi à phalange exercitus amoueris imperatorẽ, non erit ampliùs numeroſa & ordinata acies, & ſi à nauigio depuleris gubernatorem, nauẽ demerges: ita etiam ſi à populo rectorem abſtuleris omnia euertiſti & deleuiſti.* Deinde de his qui principẽ habent, non tamen illi parent, hæc annectit: *Atq; malum equidem eſt magiſtratus & rectoris defectus, occaſio ſcilicet euerſionis: non minùs autem malum eſt inobedientia ſubditorũ. Populus enim non parens rectori nec magiſtratui, eſt ſimilis ei qui non habet, & fortè etiam deterior: nam his qui rectore carent, datur venia, ſi ordo atque moderatio non ſeruetur: his autem non ita, ſed pœnâ digni ſunt.*

Idem fuit ſenſus Philoſophorum. Ariſtotelis Rhetor ad Alexandr. *Conſiliari*, inquit, *eorum, quæ inter homines, diuiniſſimum.* Platonis: *Quiddam ſacrum profectò conſultatio eſt.* Nam conſilio ſtant regna, vrbes, domus. Saluſtius ad Cæſar. *Ego*, inquit, *ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Vbicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, paullò poſt imminutæ opes, deinde adeptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt.* Omniũ ſuffragio damnatur ipſe Julius Cæſar, nec in dictatura, nec in conſulatu conſilio ſenatus vſus, ait Sueton. vnde & ſe & rempubl. perdidit. Idem fecit Nero, qui ſenatum capitaliter oderat, ait Sueton. Similis fuit Hieronymus Siciliæ rex, qui nulla de re conuocauit vel conſuluit publicum conſilium, teſte Liuio lib. 4. belli Punici ſecundi. Fusè hoc argumentum tract. Cardin. Palæotus lib. de Sacri Conſiſtorij conſultationibus, & Martinus Laudenſis tract. de Conſiliariis, & Boëtius de Auctoritate magni conſilij. Huc facit quòd omnes reges & principes ſuos habeant conſiliarios, ſenatorès, parlamentum, &c. Porrò, *conſiliorum gubernaculum lex diuina ſit*, ait S. Cyprian.

Tropol. S. Dorotheus ex hoc loco docet, fidelem virtutis ſtudioſum egere ductore & gubernatore. *Cauere*, inquit, *nos admonet ne noſmetipſos informemus, ne nos ſciolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum. Opus enim nobis eſt auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nihil quod citiùs expugnari queat his, qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei. Ait enim: Quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia. Folium à principio ſemper virens, ſemper germinans, ſemper delectabile eſt: non multò poſt areſcit & languet, & cadens conteritur & conculcatur. Talis homo eſt, qui à nemine regitur. A principio feruentiſſimus ad ieiunia, ad vigilias, ad quietẽ ad obedientiam, & ad quæcumque cetera bona. Paullo poſt extincto eo feruore, ſi nullum habuerit ſuum gubernatorem aut fotorem, qui extinctum ignem ſuſcitet & accendat, deſiccatur & cadit, ac demum deſtitutus ab hoſtibus ſuis captiuus trahitur, qui vt voluerint in ipſum graſſantur.* Hæc ille & optimè.

Hanc gnomen illuſtri apologo vulpis & formicæ feſtiuis parabolis ceu filis ſericis phrygionicè acupicto, exornat Cyril. l. 1. Apolog. moral. c. 10. cuius titulus: *Vbi multa conſilia ſunt, ibi ſalus. Vulpeculæ*, inquit, *vt ſuper terram ſibi domum conſtrueret, materiam congreganti formica obuiauit, & ſalute dictâ, quid eſſet quod faceret, exquiſiuit. At illa reſpondit: In obſcuris terræ latibulis hactenus habitaui, modo fert animus in luce cunctis grati ſſima mihi nidum conſtruere. Cui formica mox dixit: Fuitne tibi fortè vnquam moleſtum primum illud habitaculum? Cui illa: Numquam certè, ſed tutiſſimum & quietum: attamen ad voluntatem hanc dulcedine lucis inclinor. Tũ formica ſubiunxit: Nimirum dulce eſt lumen, & delectabile oculis videre ſolem, ſed lõgè magis ſapit vita, & delectabilior eſt ſecura quies. Quamobrem ſoror, licet non ſim tanti, vt conſiliaria ſim prudentiæ tuæ, hoc tamen tibi in memoriã reuoco, & in hac nouitate verũ eſt, quòd gallinariis & pellionibus nimis es modicũ odioſa: illis quidem, propter zelum gallinarum; iſtis verò, pellium cupiditate tuarum. Suadeo itaque, vt in nouo negotio conſilium antiquorum requiras: nam conſilium cuſtodiet te, & prudẽtia te ſeruabit. Ad hæc vulpes inconſultè reſpondit: Minimùm quidẽ ſoror hoc attendo: nam egere tuo conſilio me minimè puto. Cui formica prudenter reſpondit: Principia quidem rerum mole minima, virtute ſunt maxima. Nã ex paruo ſemine ingens palma naſcitur. Quare in minimis exordiis maxima ſunt conſilia agenda. Quoniã paruus error in principio, maximus eſt in fine. Sic modica radicis corruptio in totũ arboris corpus effunditur, eò quòd in ſuo principio totius realitas continetur. Adde, quòd, ſi minima negligas, paulatim defluas in maiora* (Eccli. 19. v. 1.) *Propter quod Salomon in Prouerbio dixit: Audi conſilium, & ſuſcipe doctrinam, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis* (Prou. 19. 20.) *Nam & cognitiones conſilij roborantur. Ad hæc vulpes victa ratione reſpondit: Etſi in hoc ipſo, quod paro, conſilio vti ſit opus; tamen ſatis mihi à natura conſilij eſt domi. Cui prudenter formica: Conſcriptum eſt, inquit* (Prou. 3. 7.) *Ne ſis ſapiens apud temetipſum, & ne innitaris prudentiæ tuæ; quia dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Idipſum deinde ſimilitudine oculorum, radiorum & nautarum confirmans, ſubdit: *Nónne plura vident quatuor oculi quàm duo? & multiplicati radij plus illuſtrant: maior certè facultas eſt plurium, & ratis pluribus nautis ſecuriùs gubernatur. Veruntamen cuius eſt conſilium? nónne eſt ſapientiæ: nimirum hæc quæ abſcondit vni, reuelat alteri: & humilitatis amatrix vt plurimum, rectum de agendis conſilium docet per alienum. Quòd ſi benè iudicaſti, teſte conſiliario addito, certior eris, & rectè in meliùs dirigeris. Quanto igitur conſiliũ eſt ex pluribus, tanto ſalubrius exiſtit. Quoniam vbi multa conſilia, ibi ſalus. Sic audiens ſapiens, ſapientior erit, & intelli-*

Apologus conſilij.

Simile.

intelligens gubernacula poſſidebit (Proverb. 15.) *Ad hæc vulpecula dixit: Scio quòd prouidæs; doce quæſo, cuius ſit conſilium audiendum. Tunc illa: Sapientis, inquit, prudentis, ſcientis, experti, amici fidelis, magnanimi, Deumq; timentis. Quibus dictis, provida callidam à ſe eruditam vale dicto dimiſit.*

VERS. 15. AFFLIGETVR MALO, QVI FIDEM FACIT PRO EXTRANEO: QVI AVTEM CAVET LAQVEOS, SECVRVS ERIT] q.d. Qui fideiubet pro alio, affligitur multis moleſtiis, & ſubinde damnis: cogetur enim debitum debitoris, ſi is ſoluendo non ſit, aut ſoluere nolit, ex ſuo ære dependere & præſtare: qui autem cauet laqueos obligationũ, qui in ſponſione & fideiuſſione latẽt, ab hiſce moleſtiis & damnis immunis & ſecurus erit. Vide dicta c. 6. v. 1. & ſeq. & Eccl. 29. 4. & ſeq. Hic ſenſus patet ex Hebræo, qui ſic habet: *Contritione conteretur homo cùm fideiuſſerit pro extraneo: & qui odit defigentes* (ſtipulantes & fideiubentes defigiendo & conferẽdo manum manui creditoris) *confidit*; Symmach. *qui autem odit captiones* (laqueos cautionum & ſponſionum) *confidit*; Theodot. *odio habens laqueis implicari confidet*, id eſt, confidenter & ſecurè aget, non timens lites & damna, quæ ex fideiuſſione ſequuntur. Septuag. verò ſic vertunt, *malus malè facit cùm commiſtus* (Hebr. enim ערב *arab* propriè miſcere, indeq; ſtipulari & ſpondere ſignificat) *fuerit iuſto: odit autem ſonum ſecuritatis*. Hebr. enim תקע *taka* & defigere, & ſonare tubáque clangere ſignificat. Poteſt hæc Sept. verſio ad Vulgatam adaptari, q.d. Malus, id eſt auarus creditor, affligit iuſtum, qui ex charitate pro debitore ſpopondit. Hinc iuſtus odit ſonum, quem in ſtipulatione fideiuſſionis vel aſſecurationis manu conſerta edere ſolet, q.d. Odit complodionem manus ſuæ cum manu creditoris, hoc eſt, odit fideiuſſionem. Si tamen ea amplè vt ſonant accipias, ſignificant iuſto periculoſum eſſe omne cum malo ſiue impio commercium: periculum enim eſt, ne ab eo fraudetur, intricetur aut ſeducatur. Vnde auctor Catenę Gręcor. ſic Septuag. clarè vertit & explicat: *Improbi inter iuſtos immiſti faciunt improbè, ſermonẽq; de ſalute & ſecuritate* (doctrinam ſalutis) *inſtitutũ aſpernantur*. Et Syrus de more affectans Septuag. *Improbus*, inquit, *malè facit, cùm occurrerit iuſto, quòd oderit ſpei compotes*. Chald. verò, *Malus*, inquit, *malè agit contra iuſtum, eò quòd fideiuſſor ſtetit pro extraneo, & odit eos qui ſpem ſuam collocant in Deo*. Caſſianus denique collat. 1. c. 20. *Malignus*, inquit, *nocet cùm ſe commiſcuerit iuſto, id eſt diabolus decipit cùm fuerit colore ſanctitatis obtectus: odit autem ſonum tutelæ, id eſt diſcretionis vim, quæ de ſeniorum verbis ac monitione procedit*.

VERS. 16. MVLIER GRATIOSA INVENIET GLORIAM: ET ROBVSTI HABEBVNT DIVITIAS] Pro *robuſti* Hebr. eſt עריצים *aritſim*, id eſt, fortes, prævalidi, valentiores, potentiores, qui aliis prævalent, putà qui animo ſunt infracto, omniſque laboris patientes. Vnde ſæpè in malum ſumitur, ſignificatq; tyrannos & prædones, qui vi & armis alios ſubiugant, ſpoliant, confringunt. Vnde Theodot. vertit, *& irrumpentes apprehendent diuitias*. quidã Hebræi vertunt, *formidabiles ditantur*; quia talibus ceteri ex metu munera deferunt, ait Aben Ezra. Hinc R. Salomon myſticè, ſed judaicè, ſic exponit: *Mulier gratioſa, id eſt Iſraelitica Synagoga, ad diuinam gloriam proximè accedet & ad eius legem: robuſti autẽ, id eſt filij Eſau, diuitias per furtum rapinamq; auferenti ſe addicent.*

Mulier gratioſa, vel, vt hebr. eſt, *gratiæ*, Primò, eſt mulier pulchra & venuſta; Secundò, gratioſa in verbis & factis; Tertio, honeſta, pudica, obſequens marito, ſedula, omnique virtute prædita. Vnde aliqui vertunt, *mulier virtuoſa ſuſtentat honorem, & prævalidi diuitias*; Chald. *mulier benigna dimdit gloriam, & robuſti currunt poſt diuitias*; Symmach. *mulier bona aſſequetur gloriam*; Vatabl. *mulier modeſta aſſequetur gloriam*, id eſt, mulier quæ obſequens erit marito, commendabitur: ſeueri autem vel rigidi aſſequentur diuitias.

Iam Primò Baynus ſic exponit, q.d. Mulier gratiæ, id eſt vxor pulchra, gloriam ſuæ pulchritudinis viro in dotem affert: vnde & feminæ valdè pulchræ ſine dote nubunt, quia dos earum eſt forma & pulchritudo. At עריצים *aritſim*, id eſt viri robuſti, ſollicit, & ad rem attenti, pulchritudini anteferunt opes, & cum coniuge opulentam dotem quærunt, plus gloriæ ex opibus quàm ex pulchritudine ſperantes. Verùm hæc expoſitio multa addit, ac alienior videtur, alioque detorta.

Secundò, meliùs noſter Salazar, q.d. Sicut decor mulieri parit gloriam, id eſt diues & nobile matrimonium, putà ſplendidum & copioſum maritum, ſic labor viro parit opulentiam. q.d. Feminis quidem opes & magnam dotem pulchritudo & forma; viro autem fortunas & facultates ſua tantummodò induſtria parit: atque adeò feminæ ſedentariã, ſocordem & mollem vitam agere fortaſſe licet; viro autem non item, ſed labore & ſollicitudine impigra opus eſt. Sic *gloria* pro opibus ſumitur Geneſ. 31. 1. in Hebræo. Ita Aben Ezra.

Tertiò, Caiet. q.d. Sicut viri fortes & ſtrenui fulciunt ſuas opes & familias ſuâ fortitudine & ſtrenuitate, ſic vxor gratioſa, id eſt caſta & bene morata, ſuſtentat portatque honorem & gloriam tam ſuam, quàm mariti: nam viri honor & gloria conſiſtit in vxoris caſtitate & probitate. Accedit R. Leui: Gratia, inquit, feminæ dignitatem fulcit & conſeruat, perinde ac ſi columna fulcrumque eſſet, cui gloria inniteretur: ſicut robuſti conſeruant diuitias, & ſunt tanquam columnæ quædam quæ illas à prædonibus vaſtatoribuſque tuentur. Hebr. enim תמך *tamach*, quod noſter vertit, *inueniet & habebunt*, propriè ſignificat fulcire, ſuſtentare, vti domum fulciunt columnæ.

Quartò, ſimpliciter & genuinè Ianſenius: Hebraicè, inquit, ad verbũ habetur: *Mulier gratiæ apprehendet gloriam, & fortes apprehendunt diuitias*. Eſt autem mulier gratiæ, mulier gratæ venuſtatis & probitatis. Vnde Noſter vertit, *mulier gratioſa*: alij *mulier venuſta*, ſignificaturque quòd, quemadmodum mulier ſuâ pulchritudine & gratiâ morumque probitate obtinet gloriam apud homines, ita viri ſuâ fortitudine conſequi debent diuitias: ut intelligamus, quòd, quemadmodum gloria viri eſt mulier venuſta, ita familiæ opes pendent ex fortitudine & ſedulitate viri. Docet ergo in mulieribus maximè requiri formam & morum gratiam, in viris induſtriam & laborem.

Porrò quantã decor (animæ magis quàm corporis) feminæ gloriam conciliet, pulchrè docet S. Baſil. tr. de Virg. *Talem ſe*, inquit, *habitu, inceſſu & toto corporis geſtu femina exhibebit, ut, qui illi fortè obuij fuerint, quaſi viuum Dei ſimulacrum aſpicientes, faciem ad reverentiam atque admirationem ſanctitatis inclinent, venerentur inquam, aſpectum illius, atq; ut dixi, tanquã diuinæ imagini reuerenter de via decedant*. Talis fuit Iudith, cuius gloria fuit forma, ſed magis pudicitia,

dicitia, virtus & fortitudo, quâ Holofernem occidit, & Iſraelem liberauit. Vnde ei victrici populus acclamavit: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*, Judith 15. 10. Talis fuit Eſther, quæ ſuâ formâ & gratiâ gloriam regni, thorumque Aſſueri aſſecuta, Aman ſuſpendit, Hebræos ſeruauit.

Porrò Septuag interiiciendo unam ſententiam hanc gnomen aliter efferunt per bimembrem antitheſin: *Mulier gratioſa*, inquiunt, *ſuſcitat viro gloriã: thronus autem ignominiæ mulier odio habens iuſta*, id eſt, improbæ, imprudenti, peruerſæ mulieri ignominia inſidet quaſi throno ſuo: nuſquam enim magis dedecus & ignominia cernitur, quàm in femina improba, laſciua & peruerſa. Pergunt Septuag. *diuitiarum indigẽtes ſunt pigri, fortes verò nituntur diuitiis*. Septuag. more ſuo ſequitur Syrus: *Mulier pia*, inquit, *viro adipiſcitur laudem; ſedes autem ignominiæ mulier quæ veritatem odit. Inertes etiam in diuitiis ſunt indigentes, fortes autem obtinent ſcientiam.*

Symbolicè & myſticè, auctor Catenæ Græcor. *Mulier benigna & gratioſa*, ait ſublimiori ſenſu eſt ſententia mitis grataque auribus, cuius vir eſt mens vel animus: thronus autem ignominiæ, eſt vis vel poteſtas infamiæ. Nam ut homo, in quo peccatum regnat, & veluti rex in ſolio ſuo ſedet, vocatur ſedes iniquitatis: ita homo probro & ignominia coopertus appellatur *ſedes ignominiæ*. Ignominia autem naſcitur ex malitia, hæc autem ex peccato. Quod autem ex aliquo natum eſt, hoc pars illius eſt, vt lapis ex ſaxo, & ceſpes ex terra, aliaque ſimilia: atque ideò ignominia eſt ſpecies vel proles peccati. *Pigri opum inopes euadunt, robuſti autem & impigri diuitiis cumulantur*. Vir fortis & animoſus edomat & ſubiugat corpus ſuum, laſciuus autem & intemperans vnà cum anima ipſum quoque corpus corrumpit & perdit. Aliter: Vir bonus & fortis corporis illecebras fortiter contemnit: totus autem in eo eſt, vt animæ ſuæ bene ſit: qui verò alio modo affectus eſt, is præterquàm quòd animæ ſuæ non parcit, ſuum quoque corpus corrumpit & interimit. hæc ille.

VERS. 17. BENEFACIT ANIMÆ SVÆ VIR MISERICORS: QVI AVTEM CRVDELIS EST, ETIAM PROPINQVOS ABIICIT] Hebr eſt עכר *ocher*, id eſt turbat, conturbat. Pro *propinquos*, hebr. eſt שארו *ſcero*, id eſt carnem ſuam, ſed quia propinqui ſunt conſanguinei & concarnei, vt ita dicam, vtpote ex eâdem carne parentum progeniti; hinc caro in Scriptura ſignificat propinquos, vt Geneſ. 37. v. 27. Iudas ait de Ioſeph; *Frater & caro noſtra eſt*. Pro *benefacit* hebr. eſt גומל *gomel*, quod Primò, ſignificat ablactare; Secundò, retribuere & benefacere.

Primò, ergo Vatabl. ſic vertit & explicat: *Ablactat animã ſuã*, id eſt, defraudat ſuum genium & deſiderium vir pius, vt in alios ſit miſericors: immiſericors autem omnia abligurit & deuorat, ideóq; etiam in propinquos crudelis eſt. Alij q. d. Miſericordia miſericordiam ablactat à prauis deſideriis, & à nimio ſuorum amore, vt in verè pauperes ſit miſericors, opeſque ſuas effundat.

Secundò, Septuag. vertunt, *vir miſericors animæ ſuæ benignè facit: at immiſericors quoque corpus ſuum perdit*. Quod Ianſen ſic explicat, q. d. Vir miſericors animæ ſuæ, id eſt ſibi ipſi, benefacit: at crudelis non modò alios, ſed etiam carnem ſuam, id eſt ſeipſum, lædit. Alij, q. d. Vir beneficus utitur bonis ſuis, ſibique ex iis benefacit: at auarus ſemetipſum defraudat & inedia conficit. Sic enim juſtè punit Deus auaros, vt, quia opes ſuas in alios non erogant, ſibi ipſis quoq; vitæ alimenta ex auaritia derogent & negent. Auctor verò Catenæ Græcor. ſic q. d. Vir benignus & liberalis ex inſtituto deditus eſt animæ; auarus autem & tenax nec animæ, nec corpori parcit; quippe quod non nutrit, nec tractat vt oportebat, aut certè immodicè crudelis & parcus eſt: ſic enim immodicè ſaturans, in adverſam valetudinem & paupertatem deflectit, & tandem omnino perit. Hæc ille.

Tertiò, meliùs Noſter per *carnem* accipit propinquos, & vti Vatabl. & alij. Vnde ſic explicant Lyran Hugo & Dionyſ. q. d. Vir miſericors dum aliis benefacit: animæ ſuæ benefacit: at crudelis etiam in propinquos, & conſequenter in carnẽ & animam ſuam, immiſericors eſt. Ratio eſt Primò, quia miſericors in alios, tot ſibi patronos ante Deum numerat, quot ſuis ſubſidiis ſubleuat. Secundò, quia Deum ſibi debitorem facit. Deus enim promiſit: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Matth. 5. Tertiò, quia ſola miſericordia poſt mortem defunctos comitatur, ut agat eorum cauſam in tribunali Chriſti, inquit ex S. Auguſt. Lyran. Vnde pro *benefacit*, Aquila & Theodot. vertunt, *retribuit animæ ſuæ*; Syrus, *vir pius*, inquit, *iacit ſibi pignora bona*. Huc accedit expoſitio Caietani: Vir miſericors, inquit, non modò aliis, ſed & animæ ſuæ benefacit: quia rependit illi quod debet, ſcilicet actum virtutis: virtus enim animo debetur ex eo quòd animus ſuoptè inſtinctu ad virtutem impellitur, eamque poſtulat & deſiderat.

Quartò, noſter Salazar ſic antitheſin profundiùs concinnat, q. d. Qui verè & ex animo miſericors eſt, is quidem benefacit animæ ſuæ, id eſt non ex effectu carnis beneficia & eleemoſynas collocat ſuas: ſed ita expendit vt animæ ſuæ proſint, id eſt non proximis ſolùm & conſanguineis, quos plerumque ex affectu humano fouere ſolemus, ſed etiam alienis diſtribuit bona ſua. Contrà verò, *qui crudelis eſt etiam propinquos abiicit*: ille ſcilicet, qui propter auaritiam miſericordiam exuit, & ſæuitiam induit, non ſolùm alienis non ſuccurrit; ſed etiam in conſanguineos & carnis cognatione coniunctos impius exiſtit.

Quintò, planè & ſimpliciter, q. d. Vir miſericors liberaliter ſua expendit, ideoque in primis animæ ſuæ, id eſt ſibi ipſi, benefacit, deinde ſuperflua in alios egentes benefaciendo diſpertit: at crudelis, id eſt auarus & immiſericors, primò externos, deinde propinquos, tertiò ſeipſum tandem vitæ neceſſariis defraudat. Multa enim per apoſiopeſin ſubticet Salomon, quæ lectori ſubaudienda relinquit. Gnomæ enim hæ breuitate ſua elegantes & acutæ, lectoris ingenium exercent, & acuunt. Aut clariùs, q. d. Vir miſericors benefacit animæ ſuæ, id eſt ſibi ipſi, ſuæque familiæ & propinquis: immiſericors autem non tantùm in extraneos, ſed & in propinquos ſuamque familiam, & conſequenter in ſeipſum & animam ſuam crudelis eſt. Vnde Symmach. vertit, *turbat ſuas ipſius domos*; Chald. *retribuit bonum vir benignus: qui perdit corpus ſuum, crudelis eſt*. R. Salomon: Miſericors, inquit, & pius animæ ſuæ, id eſt propinquis (quos amat vt animam ſuam) beneficia impendit: crudelis autem

pro

propinquos ſuos cõturbat & abiicit. Per homœoſin enim ſimile ex ſimili, vicinum ex vicino, coniunctum ex eo cui jungitur, v.g. amicus ex amico, propinquus ex anima propinqui intelligitur.

Myſticè, ſignificatur viri pij primum & propriũ opus eſſe, ut conſulat animæ ſuæ, eiuſque ſaluti æternæ per ſtudium virtutum & bonorum operum: ſcit enim nihil ſibi vicinius & charius eſſe animâ quam ſi perdat, omnia perdit: vnicam enim tantùm habet, non duas; non tres: ſi vnicam ergo perdit, omnes & omnia perdit, idque irreparabiliter per omnem æternitatem. Vnde monet Sapiens: *Omnia ſi perdas, animam ſeruare memento.* Hoc eſt quod inculcat Eccleſiaſt c. 30. 24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* vide ibi dicta.

Denique notat S. Thomas 2 2. q. 159. ar. 1. ad 3. crudelitatem hic ſumi pro immiſericordia, quæ propinquis beneficia ſubtrahit: nam alioqui crudelitas, inquit, propriè opponitur clementiæ, eſtque atrocitas animi in exigendis pœnis, ſicut clementia eſt lenitas animi ad facilè eas remittendum & condonandum. Dicitur enim crudelitas à cruditate: nam ſicut ea quæ ſunt cocta & digeſta, ſuauem habent ſaporem; ita ex adverſo illa quæ ſunt cruda & indigeſta, aſperum crudumque habent ſaporem. Simili modo clementia eſt lenitas & ſuauitas, crudelitas verò aſperitas in exigendis pœnis: illa ſuavis & ſapida, hæc auſtera & aſpera. ita D. Thomas.

Apologus beneficentiæ.

Hanc gnomen pulchro bombycis & araneæ apologo, bellis gnomarum roſis florido, illuſtrat Cyrill. lib. 3. Apolog. moral. c. 18. cuius titulus: *Quæ differentia ſit inter avarum & liberalẽ*, *Bombyci*, inquit *dixit aranea: Vt quid frater mi ſic temetipſum torquens euiſceras te pro non tuo: At ille: Tu autẽ te, vt quid: Tum illa; Ego, inquit, laboro pro meo. Mox ille: Quid eſt tuum? cui aranea dixit: Bonum meum eſt præda, quam capio in hoc retiaculum incidentem. Ad hæc ille: Quænã eſt prædictum illa: Præda mea eſt muſca. Quibus auditis vermis locutus eſt dicens: Certè ſoror deteſtanda mihi videtur ars fraudulentiæ, caſſus labor dementiæ, ac repudianda præda miſeriæ. Nondum noſti, vt video, quid ſit verum propriũ bonum; hoc eſt intrinſecum, nõ extrinſecum. Tantum nempè illud eſt verum proprium bonũ, quòd, niſi poſſeſſor eius ſponte ipſum reliquerit, eſt inuictus: is namque veraciter vincitur, qui à bono proprio ſpoliatur. Bonum autem extrinſecum eſt, quod nolente etiã poſſeſſore abripitur. Sic enim bonum proprium virtus ſola dignoſcitur, quæ nimirũ te, niſi eã reliqueris, non relinquet.* Idipſum ſibi bombyx applicans ſubiungit. *Igitur bonum meum eſt veriſſima liberalitatis virtus, quã cùm communico propria, mihi hæc ipſa magis approprio, quàm cùm aliena poſſideo:*

Exempla.

& cùm diſtribuero, colligo. & dũ expendo, recondo. Propterea nimirum, vt cunctis proficiat cælũ curſu rapidiſſimo voluitur, & ſidera lumen diffundunt, aër roridus concreſcit in pluuiã, & vbique tam commoda germinat terra. Sic etiam non ſibi, ſed aliis, natura gemmificat, & liberalis metalla progenerat; ſcaturiunt fontes, fructificãt arbores, mellificant apes, & chara vellera gerunt oues. Tota igitur naturæ ars labor & ſtudium, ad beneficium exhibendum ex virtute liberalitatis concurrunt. Hoc igitur agendo ſequor eam, & ex medullis charioribus beneficia impendere conor. Quibus auditis, liberalis aranea à doctore liberalitatis confuſa obmutuit.

Vers. 18. Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis] Perperam aliqui vertunt, *ſeminanti in iuſtitia*, huncque dant ſenſum, q.d. Impij opus, v.g. agricul-

A tura, eſt inſtabile; Hebr. *eſt mendacium*; quia ſcilicet meſſem copioſam, quam labor exigebat & promittebat, non præſtat: at juſtus qui ſeminat in & cum juſtitia, laboris & agriculturæ ſuæ, Deo illi benedicente; copioſam mercedem meſſemque percipit Perperam inquam: nam Hebr. ad verbum habent, *impius facit opus mendacij*, id eſt mendax, inſtabile & fallax: *ſeminanti autẽ iuſtitiam merces veritatis*, id eſt *vera, fidelis, ſtabilis*: Septuag. *impius facit opera iniuſta: ſemen autem iuſtorum merces veritatis*; Chald. *impius facit opus iniquitatis* (Syrus, *oppreſſionis*) *& qui ſeminat in iuſtitia, veritas merces eius erit, Veritas*, id eſt ſtabilitas, ſoliditas. q.d. Merces eius erit ſtabilis & ſolida: ſic enim Hebræi id quod certũ, ſolidum & firmum eſt, vocant verum & veritatem: quod verò fallax eſt, inſtabile & euanidum, vocant mendax & mendacium. Rurſum *veritas*;
B quia verè meſſis & merces reſpondebit ſuo ſemini, putà gloria gratiæ, quies labori, beata ęternitas paſſioni temporariæ: veritas enim meſſis in eo ſita eſt, ut ſuum ſemen referat & reddat, ſed nouum & multiplicatum.

Eſt antitheſis inter impium facientem impia, & pium, ſiue juſtum, facientem pia & juſta, quòd pij opus, id eſt merces & fructus operis ſit verus, id eſt certus, ſtabilis, fidelis: impij verò merces & fructus operis ſit mendax, id eſt euanidus: quia nõ perdurabit, nec fructũ & mercedem quam ſperabat aſſequetur. Similis ergo eſt impius araneæ, quæ ſe euiſcerat, vt telam texat, cuius nullus eſt vſus vel fructus, niſi ut capiat muſcas. Quid enim aliud sũt opes, honores, deliciæ, pro quibus laborat & ſudat impius, niſi titillantes moleſtæque muſcæ? juxta illud Iſaiæ 59. 5. *Telas araneæ texuerunt.* Et Oſeæ 8. 6. *In aranearũ telas erit vitulus Samariæ.* Juſtus
C verò ſimilis eſt api, quæ ceram & mel quaſi nectar cæleſte conficit. Hoc eſt quod ait S. Paulus Gal. 6. 7. *Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et David: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient, cum exultatione, portantes manipulos ſuos*, Pſal. 125. 6.

Iuſtitiam hic, vti & ſuperiùs, generatim accipio pro quouis opere juſto, & impietatem pro quouis opere impio & iniuſto: R. Salomon tamen & noſter Salazar juſtitiam arctant ad eleẽmoſynam, & impietatem ad auaritiam, q.d. Impius, id eſt auarus, facit opus inſtabile, id eſt colligit ac comparat opes inſtabiles ac mendaces; quæ nimirùm numquam diu apud aliquem durant, ſed ocyùs deferentes ad alium dimigrant, quæ fallaces ſunt & inanes: *ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis.* No-
D mine *iuſtitiæ* eleẽmoſynã aliquando intelligi aliàs animadverti. Itaque ait: qui facultates atque opes ſuas ſeminis inſtar ſpargit in pauperes, fidelem, conſtantem & minimè fallacem mercedem auferet. Eleẽmoſynam verò ſemini conferri ſolitam nemo ignorat. Hic ſenſus eſt accommodus, ſed arctior: prior ergo plenus eſt & adæquatus. Vnde Vatabl. clarè vertit, *impius facit opus fallax* (irritum, mendax:) *qui verò ſerit iuſtitiam, ſolidam mercedem recipiet.*

Clementia præparat vitam, et sectatio malorum mortem] Hic verſus explicat præcedentem, eiuſque dat cauſam, q.d. Opus juſti eſt ſtabile, impij verò inſtabile: quia juſtitia ducet ad vitam, impietas verò quæ mala ſectatur, ſæpè præſentem, ſemper æternam affert mortem. Vers. 19.

Pro

A Pro *clementia* enim hebr. eſt *iuſtitia*. Vnde Hebr. ad verbum ſic habent, *ſicut iuſtitia ad vitas, ſic perſequẽs malum ad mortem ſuam*, Septuag. *vir iuſtus progignitur in vitam: perſecutio autem impij tendit ad mortem*; Aquila & Symmach. *& ſectator mali ad mortem ſuam*; Chald. *ſicut qui facit iuſtitiam ſeruatur ad vitam: ſic qui ſequitur malum, ſeruatur ad mortem*; Syrus, *filius iuſtitiæ ad vitam, qui facit malum ad mortem*; Vatab. *ſummum quid eſt iuſtitia ad vitam: qui autem malitiam ſectatur, mortem ſibi accerſit*. Ex his patet juſtitiam hîc amplè ſumi, opponique cuiuis malitiæ & ſceleri. Noſter tamen pro *iuſtitia* vertit *clementia*; tum quia ponit ſpeciem pro genere, & exemplum pro regula generali: tum quia inter opera juſtitiæ excellit clementia & eleẽmoſyna: vnde in Script. per *iuſtitiam* ſæpè ſignificatur eleẽmoſyna; vt Pſal. 111. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia* (id eſt eleẽmoſyna) *eius manet in ſæculum ſæculi*.

B Quocirca noſter Salazar hoc loco pariter *iuſtitiam*, vti eſt in Hebræo, accipit pro eleẽmoſyna, ideoque cenſet Noſtrum vertiſſe *clementia*. Vnde ſic exponit. q. d. *Clementia præparat vitam* & beatitudinem: *& ſectatio malorum* id eſt, auara diuitiarum diſquiſitio & ſordida aſſeruatio *mortem*, ſupple, præparat. Fortè etiam Noſter in Hebræo pro צְדָקָה *tſedaka*, id eſt juſtitia: legit חֶסֶד *cheſed*, id eſt pietas, clementia: vnde חֲסִידָה *chaſida*, eſt ciconia, auis pia in parentes. Vt vt eſt, verius videtur quod ait Janſenius, per *clementiam* ſynecdochicè intelligi quamlibet juſtitiam (opponitur enim *ſectationi malorum*, id eſt iniquitati & iniuſtitiæ) quia ex clementia omnis bonitas, juſtitia & ſanctitas, velut riuus è fonte promanat. Nam vt ait S. Ambr. de Obitu Satyri fratris: *Si libido atque iracundia reliquorum vitiorum educatrices ſunt, iure caſtitatem atque clementiam dixerim quaſdam virtutes parentes: quamquam pietas quoque vt omnium principium bonorum, ita etiam virtutum ſeminarium eſt ceterarum*. Hinc clemens dicitur qui non iraſcitur, quaſi colens mentem, nec iraſcendo vexans aut turbans, ait Donatus. Mens enim clemens, lenis, quieta, placida & benigna, vti paſſionum turbationes excludit, ita virtutum omnium capacem ſe reddit. Vnde Poëta:

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Atque animos faciles mens generoſa capit.

Et Comicus:

Proximè Deo propinquat, qui vtitur clementia.
A beſtiis nos ſeparat clementia.
Clementia omnes, ſed magis reges decet.
Clementia vna homines pares facit diis.

Deniq; Chriſtus apicem juſtitiæ & virtutis Chriſtianæ poſuit in clementia & manſuetudine: *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris*, Matth. 11. Et Dei prima dos, nomenque proprium, quod ſibi indidit, eſt *clemens & miſericors*, vt patet Exod. 33. 19. & c. 34. 6. Jonæ 4. 2.

Vers. 20. ABOMINABILE DOMINO COR PRAVVM: ET VOLVNTAS EIVS IN IIS QVI SIMPLICITER AMBVLANT] Hebr. *Abominatio Domino peruerſi cordis* (ita Aquila & Symmach.) *& beneplacitum eius perfecti*, vel *integri via*, Septuag. *abominatio Domini viæ peruerſæ: accepti autem ei omnes immaculati in viis ſuis*, hoc eſt, vt clarè vertit Vatabl. *abominatur Dominus prauos corde: integris verò conuerſatione delectatur*, & Syrus, *amat* (Chald. *vult*) *qui ſine macula ſunt in via eius*. Ratio eſt clara, quia Deus eſt ipſa bonitas, integritas, ſinceritas, ſanctitas, cui proinde extremè contraria & exoſa eſt omnis malitia, prauitas, duplicitas, iniquitas. Peculiariter autem ei exoſa eſt fraus, fictio & ſimulatio, quia monſtri ſimile eſt, ait noſter Salazar, duplex in vno homine homo; vt alius homo ſe oſtendat in ore, alius lateat in corde: vt aliud proloquatur, aliud cogitet & ſentiat. Sapientia enim æterna, putà Deus, eſt ipſa veritas, ſinceritas, *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*, Sapient. 7.

Talis fuit Satyrus frater S. Ambroſij, de quo ipſe ſcribit in orat. funebri de Obitu eius: *Quàm plaudebam mihi quòd tali me Dominus fratre donauerat, tam pudico, tam efficaci, tam innocenti, tam ſimplici? vt cùm tuam innocentiam cogitarem, efficaciam deſperarem: cum efficaciam, innocentiam. Sed vtrumque mirâ quadam virtute iungebas*. Et interiùs: *Tantæ ſimplicitatis erat, vt conuerſus in puerum, ſimplicitate illius ætatis innoxia, perfecta virtutum effigie, & quodam innocentium morum ſpeculo reluceret. Intrauit igitur in regnum cælorum quoniam credidit Dei verbo, quoniam ſicut puer artem repulit adulandi, iniuriæ dolorem clementer abſorbuit, quam clementiùs vindicauit, querelæ quàm dolo promptior, ſatisfactioni facilis, difficilis ambitioni, ſanctus pudori, vt frequenter in eo ſuperfluam magis verecundiam prædicares, quàm neceſſariam quæreres*. Et poſt pauca: *Etenim intemerata ſacri baptiſmatis dona ſeruauit, mundus corpore, purior corde: non minùs adulterini ſermonis opprobrium quàm corporis perhorreſcens, non minorem ratus pudicitiæ reuerentiam deferendam integritate verborum, quàm corporis caſtitate*.

Vers. 21. MANVS IN MANV NON ERIT INNOCENS MALVS: SEMEN AVTEM IVSTORVM SALVABITVR] Syrus & Chaldæus hæc accipiunt de violenta iniectione manuum in alios, deque pugnis & verberibus: ſic enim vertunt, *qui extendit manum ſuam* C *contra ſocium, non erit immunis à malo*. Accedunt Septuag. *manui manus iniiciens iniuſtè, non erit impunitus: qui autem ſeminat iuſtitiam, accipiet mercedem fidelem*; Symmach. *manus manui conferens*; S. Hieron. contra Ruffinum, *manus inferens*; Hebr. *manus ad manum non erit inſons impius*; Arabic. *qui iniicit manum in oppreſſione, non erit ſine ſupplicio: & qui ſeminat iuſtitiam, præmium fidele*, ſcilicet recipiet.

Prouerbium hoc videtur ænigma: quare obſcuritas eius varias & perplures peperit expoſitiones. Eas ad nouem redegit Joannes Baptiſta Nauarettus in Thren. 3. Prima eſt: in Hebræo eſt *manus ad manum*, id eſt plaga ſuper plagam, & adhuc impius non eſt innocens, ſed in ſua perſeuerat malitia, vti fecit Pharao. Quæ verba etiam repetuntur c. 16. *Abominatio Domini eſt omnis arrogans: etiamſi manus ad manum fuerit, non eſt innocens*. Sumpta metaphora à linteaminibus ſordidis, quę ſemel atque D iterum ſapone lauantur & non dealbantur. *Nouem expoſitiones. Prima.*

Secundus ſenſus huius loci eſt: Quidquid conetur malus, licet ambas congerat manus, abundet opibus & fauore, non expiabit peccatũ ſuum, niſi pœnitentiæ pharmacum ſumpſerit. *Secunda.*

Tertius: Licet peccator ſuum diſſimulet peccatum, quemadmodum una manu poſita ſuper aliam pecuniam tegimus: ſic licet ſua velit occultare crimina, non effugiet ſupplicium Dei. *Tertia.*

Quartus ſenſus eſt: in Hebræo eſt *manus ad manum*. Loquitur Salomon de homine fraudulento; & ideo dixerat: *Abominabile eſt Domino cor prauum, & voluntas eius in iis qui ambulant ſimpliciter*. & ſtatim ſubiungit, *Manus in manu*; hoc eſt, licet fraudulentus tribuat propria manu tibi munera, atque ea *Quarta.*

in manu tua reponat; ne te illi committas, neque ei fidas; quia non intendit benefacere; ſed decipere. *Semen autem iuſtorum ſaluabitur*; id eſt à fraude, & dolo, quem impij machinantur, liberabit Deus juſtum.

Quinta. Quintus ſenſus eſt Joannis Arborei. Septuag. legunt, *manui manum iniiciens*, ſeu conferens, *non erit innocens impius*, id eſt, licet impius manum manui jungat, & ad horam à prauo opere manum retrahat, nilque mali exteriùs operetur, non retinet cordis innocentiam: malum enim corde machinatur interiùs alit monſtrum, & ſic exponit D. Gregor. lib. 25. Moral. c. 3 & Beda.

Sexta. Sextus ſenſus. *Manus in manu*, hoc eſt, citiſſimè & repentè ſuperueniet vltio impio. Itali ſolent dicere, *à mano à mano* pro ſtatim, & cùm res aliqua eſt juxta aliquem, ſolemus dicere, *res eſt ad manum*. *Non erit innocens*, eſt Hebraic. tropus; pro eo quod eſt, non erit impunitus. Ita 1. Reg. 26. *Quis extendet manum in Chriſtum Domini, & innocens erit?* hoc eſt, erit impunitus. Vel *manus ad manum*, id eſt ſubitò, celeriter, facillimè: nil enim faciliùs aut celeriùs facimus, quàm unam manum alteri jungere. q. d. Subitò iniquitas impij manifeſtabitur. Ita exponit Caietan. & legit *manu ad manum*, aſſeritque eſſe aliquorum Hebræorum ſenſum.

Septima. Septimus ſenſus: Etiam ſi conſpirent impij in vnum, & mutuo ſibi præſtent auxilia, & in ſignum huius conſpirationis manus ſibi dent, non euadent ſupplicia, licet multi ſint in ſcelere participes. Tali enim malorum factioni opponitur congregatio juſtorum, de qua dicit Salomon: *Semen autem iuſtorum ſaluabitur*. Ita exponit Janſen. Et ſic Pſ. 16. de impiis dicitur: *Adipem ſuum concluſerunt*; id eſt, omnes vires ſuas ſociauere ad perpetrandũ mala, & ſic addit Dauid: *Os eorum locutum eſt ſuperbiam*.

Octaua. Octauus ſenſus, qui eſt Bayni: Vbi manus filij ad manum patris additur ad malum, cùm filius & poſteri peccata maiorum ſequuntur, non erunt impuniti, & ſic ſequitur: *Semen autem iuſtorum ſaluabitur*. Ad mercedem iuſtorum multum valet parentum pietas quam ſequuntur.

Nona. Nonus ſenſus: Si manus Dei ad manum hominis accedat; hoc eſt, ſi Dei præcepta conferantur cum operibus quæ malus facit, cognoſcetur manifeſtè ſupplicij reus, nec poterit ſupplicium euadere. Chaldæus paraphraſtes ſupplet quædam dicens: *Qui extendit*, vel *mittit manum contra ſocium ſuum non eſt innocens à malo*.

Duas alias expoſitiones de auaritia & eleëmoſyna affert ceteriſque præfert noſter Salazar. Prior eſt: *Manus ad manum*, ſcilicet addita, ſignificat plures manus; ſicut dies ad diem, annus ad annum, ſcilicet additus, ſignificat plures dies & annos. Senſus ergo eſt. q. d. Auarus qui plures habet manus ad deprædandum aliena, eſtque inſtar Briarei gigantis centimanus, non erit innocens, id eſt impunitus; ſed ſuorum ſcelerum & rapinarum pœnas exoluet. *Semen autem iuſtorum ſaluabitur*, id eſt, filij autem miſericordium, qui aliena non rapiunt, ſed ſua in pauperes liberaliter elargiuntur, omnia euadent ſupplicia.

Poſterior: Olim, inquit, apud Romanos mos erat manus manui iniicere, aut conſerere, cùm lis alicui ſuper fortunis aut re familiari intendebatur. Vnde illud Tullij epiſt. ad Trebatium:

Non ex iure manu conſertum, ſed magè ferro

A *Rem repetunt.*

Quare juxta Septuag. ſic exponit: *Manus manui iniiciens*, aut conſerens iniuſtè, non erit impunitus, id eſt, qui iniuſtas pauperibus lites intendit, & manu conſertos in jus vocat, vt bonis ſuis per iniuriam eos ſpoliet, meritas ſui ſceleris pœnas dabit. Qui autem ſeminat juſtitiam, accipiet mercedem fidelem: *iuſtitia* ſumitur pro eleëmoſyna. q. d. Qui è conuerſo non ſpoliat pauperes, ſed liberalibus largitionibus illis ſuccurrit, & inopiam eorum ſubleuat, fidelem, hoc eſt certam & conſtantem, mercedem auferet. Verùm hic ritus conſerendi manum in lite, fuit Romanorum, non Hebræorum.

Igitur hoc prouerbio *manus ad manum*, Septuag. Syrus, Arabic. & Chald. cenſent ſignificari violentiam: alij otium & pigritiã, vt Salonius; alij cognatione; alij multitudinem, alij ſecretum; alij fraudẽ;
B alij conatum; alij celeritatẽ. Vnde Pagnin. vertit, *mox mox non erit impunis vir malus: ſemen autem piorum euaſit*. Et R. Leui ſic exponit: *Manus in manu*. id eſt, quando acerbiſſimæ calamitates quaſi de manu ad manum inopinatò ingruent, vniuerſique ob illas periclitabuntur, periculum dumtaxat ad juſtos pertinebit, noxa verò ad impios: impij enim iis punientur, juſti verò commune periculum ſine noxa euadent. Rurſum Euagrius in Catena Græcor. *Per iniuſtam*, inquit, *manum in manus iniectionem, munerum venationem, iure prohibitam hoc loco ſignificat. Qui igitur aliter affecti, hoc eſt à vitio illo alieni, ſeminant iuſtitiam, illi accipient mercedem fidelem, veram & certam, vt qui auaritiæ non attendant, vt illi. Quia verò qui iuſtitiam operatur, ex Deo natus eſt; Deus*
C *autem vita eſt, ſit vt ille iuſtitiam ſeminare rectè dicatur, qui de Dei cognitione virtutumq́, ſtudio alios inſtruit.*

Veriſimilis eſt hoc prouerbium *manus ad manum* ſignificare conſpirationem, ſocietatem, propaginem, poſteritatem. q. d. Licet malus ſiue impius multos habeat ſceleris ſocios, ſucceſſores & poſteros quaſi manus auxiliares, non tamen erit innocens, id eſt impunitus. Eſto manum filiorum & nepotum, amicorum & ſodalium quaſi exercitum in aciem educat; tamen hic eum tutari, vt potentiorem Dei vindicis manum euadat, non poterit. Ita Janſen. Senſus, inquit, eſt. q. d. Etiamſi inter ſeſe conſpirarint impij, non erunt tamen impuniti: at juſti eorumque poſteri impiorum conſpirationem, æquè ac punitionem euadent. Sic aptè conſtat antitheſis: opponitur enim ſemẽ juſtorum
D ſemini & poſteritati impiorum, quaſi congregatio congregationi, ſocietas ſocietati, ſucceſſio ſucceſſioni, poſteritas poſteritati. Juſti enim in ſe & in poſteris præmiantur, ſuntque felices: impij verò in ſe æquè ac in poſteris puniuntur, ſuntque infelices. Hunc ſenſum arguit repetitio huius ſententiæ c. 16. 5. Vbi de ſuperbo qui filiis ſociiſque ſtipatus glorioſus incedit, dicitùr: *Abominatio Domini eſt omnis arrogans: etiamſi manus ad manum fuerit, non erit innocens.* Rurſus eumdem arguit, quòd manus ſit ſymbolum ſocietatis, indeque potentiæ & roboris, juxta illud:

An neſcis longas regibus eſſe manus?

Et illud: *Multæ manus onus leuius reddunt*. Nam vt ait Heraclides: *Inualida pugna eſt vnicæ tantùm manus, quia vnus vir nullus vir*. Et illud Virgil. *Iuuenum manus emicat ardens*: eſt enim hæc militum manus copioſa, ideoque valida.

Moral. S. Gregor. 25. Moral. c. 3. *Ad Deum*, inquit, *quaſi tot greſſibus mens accedit, quod bonis motibus proficit.*

proficit. Et rurſum tot greſsibus longè fit, quot malis cogitationibus decreſcit. Vnde plerumque contingit, vt necdum procedat in opere motus mentis, & tamen perfecta iam culpa ſit ex ipſo reatu cogitationis, ſicut ſcriptum eſt: Manus in manu non erit innocens malus. Manus enim manui iungi ſolet, quando quieſcit in otio, & nullus eam vſus laboris exercet. Manus ergo in manu non erit innocens malus: ac ſi diceret: Et cùm manus ceſſat ab iniquo opere, malus tamen non eſt innocens per cogitationem,

VERS. 22. CIRCVLVS (Syrus, *ſicut circulus*) AVREVS IN NARIBVS SVIS, MVLIER PVLCHRA ET FATVA] Septuag. *inauris aurea in nare porcæ, ſic mulieri* κακόφρονι, id eſt *malè prudenti* (Complut. *ſtultæ* S. Hier. in 16. Ezech. *malè moratæ*) *pulchritudo*; Hebr. *quod inauris eſt in nare ſuis, hoc eſt mulier pulchra, & recedens à ſapore & ſenſu*, id eſt deficiens conſilio & ſapientia, inſulſa, vecors, ſtulta. Hebr. נֶזֶם *nezem* propriè ſignificat inaurem, id eſt ornamentum auriũ, ſiue monile ex aure pendulum: pari modo tamen ſignificat monile ex fronte vel naribus dependens, qualis eſt circulus aureus. Vnde Chald. vertit, *ſicut monile aureum in naribus ſuis, ſic mulier pulchra & fœtida ſenſu*; Syrus & Arabicus, *tanquam inauris auri in naribus porcæ, ſic pulchritudo in muliere fœtida guſtu*, id eſt quæ ore fœtet, ſiue cui fœtet anhelitus: aut potiùs quæ fœtet inſipientia: guſtus enim cibos diſcernens, ſymbolum eſt ſapientiæ virtutes à vitiis diſcernentis. q. d. Quæ corruptum habet palatum & judicium mentis, id eſt inſipiens & imprudens.

Primò, Janſenjus ſic exponit. q. d. Sicut aureus circulus non conuenit in naribus ſuis, nec ſuem ornat: ita nec pulchritudo, quæ per ſe res eſt præclara, non conuenit mulieri ſtultæ, ſed malè ibi videtur à natura collocata, ſicut poſtea dicitur: *Non decent ſtultum verba compoſita*. Et, *Non decent ſtultum deliciæ*. Sicut enim ſus circulo aureo naribus infixo non nouit bene vti, ita nec mulier ſtulta ſua pulchritudine. Deinde, quia, ſicut ſus circulo aureo non cohibetur à ſuffodienda terra, ſed nihilominùs ſe cœno immergit circulumque fœdat: ita & mulier vecors, cùm pulchritudine ſuâ gloriam ſibi comparare deberet, non eâ tamen retrahitur à voluptatum illecebris, ſed voluptatum cœno ſe immergit, ſicque pulchritudinem ſuâ inſipientiâ fœdat & obſcurat. Quocirca viro vxorem pulchram & fatuam habenti faciendum eſt, quod monet gnome Syrorum & Arabum: *Si habueris rete, trahe illud, ne fortè traharis ab ipſo: id eſt, ſi habueris vxorem, ſubiice illam tibi, ne ipſa te ſibi ſubiiciat, ac te ſecum perdat.*

Secundò & neruoſiùs, comparat mulierem pulchram, ſed ſtultam & impudicam immundæ ſui, ſiue porco; pulchritudinem verò eius circulo aureo in naribus. q. d. Sicut ſus naribus cœnum ſurſum deorſum verſans, aureum illum circuli ornatum corrumpit, planeque deformat: ſic mulier pulchra & impudica inquinat & deturpat pulchritudinem ſuâ immunditiâ, imò eâ abutitur ad libidinem, iuxta illud Poëtæ:

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Ita applicat auctor Catenæ Græcor. Beda, Lyran. Baynus, imò Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 11. *Quemadmodum*, inquit, *aurum polluitur immunditia ſuis, cœnum roſtro ſuo conturbantis; ita quæ ſunt paulò magis luxui deditæ mulieres, ſi nimiis copiis inuitentur ad libidinem & impudicitiam, probro ac dedecore afficiunt veram pulchritudinem, eam inquinamentis Veneris polluentes.* Sic & S. Chryſoſt. quem citat ibidem Scholiaſtes Clement. *Sicut porca*, inquit, *eâ maximè parte corporis ſui (id eſt nare) lutum ac cœnum vertens, aurum mundum vitiat atque inquinat; ſic & mulier ſuam ipſius commaculat bonam formam.*

Tertiò, noſter Salazar. q. d. Sicut aureo circulo naribus adacto ſus trahitur à quolibet quocumq; lubet: ſic mulier auro & donis trahitur à quolibet ad explendam eius libidinem. Similis eſt phraſis Job 40. 21. *Numquid pones circulum in naribus eius?* Septuag. *numquid circumpones capiſtrum circà naſum eius?* Verùm quia donorum hic non fit mentio, ſed tantùm fatuitatis & pulchritudinis, quæ comparantur circulo aureo, vt vertunt Septuag. hinc

Quartò, aptiſſimè & neruoſiſſimè mulier impudica comparatur *ſui*, fatuitas *circulo* narium, pulchritudo *aureo*: feminæ enim fatuitas, id eſt facilitas, quâ viris arridet, confabulatur, conſentit, putà vecors laſciuia & impudicitia eſt inſtar circuli, quo eam viri laſciui apprehendunt, & circumagunt ad ſuas quiſque libidines: pulchritudo verò eſt inſtar auri ſplendentis quod virorum oculos ferit rapitque, vt circulum hunc aureum, id eſt laſciuam pulchritudinem apprehendant, per eamque mulierem ſuæ concupiſcentiæ ſubiiciãt. Alludit notatque inaures & monilia, quibus ſe ornant feminæ, vt viros alliciant. Pulchritudo enim hîc tam naturalis quàm adſcititia, quâ ſe feminæ ſtibio fucant, & monilibus ornant, intelligitur. Hebr. enim נֶזֶם *nezem* ſignificat ornamentum ſeu monile, quod publicè vel in fronte, vel in naribus, vel in auribus proſtituitur cauſa merendi gratiam: vnde aliqui lexicographi *nezem* per duarum priorum litterarum metatheſin, adiecta litera *mem*, deriuant à זָנָה *zana*, id eſt fornicari, mereri, proſtituere ſe.

Dicit ergo, quòd pulchritudo hæc fœminarum tam naturalis, quàm adſcititia ex fuco & monilibus, ſit ſimilis circulo aureo ſuum, ſiue porcorum. Primò, quia, ſicut hic ornatus ſues non decet, nec decorat, ſed potiùs dedecorat: ſic & pulchritudo iſta mulieres fatuas & laſciuas nõ condecorat, ſed deturpat & infamat. Secundò, quia, ſicut ſues circulum aureum narium, dum naribus vertunt cœnum, luto commaculant: ſic feminæ laſciuæ ſuam formam fœdant, dum eam libidine inquinant. Tertiò, ſicut circulo aureo ſues trahuntur & circumaguntur à ſubulcis, ſic feminæ ſuâ formâ ab impudicis trahuntur & rapiuntur ad ſcelus. Quartò, naribus ſuis gratiùs & ſuauiùs olet cœnum quàm vnguentum, ait Lucret. lib. 6. ita meretrici ſuauiùs olent ſordes fornicationis quàm aromata & lilia caſtitatis.

Quod circulus ſui, hoc forma eſt laſciuæ.
Primò.
Secundò.
Tertiò.
Quartò.

Porrò feminæ vecordes & impuræ rectè adæquantur ſui. Primò, quia ſus eſt animal planè ſtolidum: vnde S. Auguſt. lib. 6. contra Fauſt. cap. 7. *Quod in rerum ſignis eſt porcus*, inquit, *hoc in rerum genere ſtultus.* Et Horus Apollo in Hieroglyphicis docet, Ægyptios ſapientem repræſentare per elephantum, ſtultum & ſtolidum per ſuem. Quod ergo eſt gladius in manu phrenetici hoc eſt pulchritudo in femina fatua & laſciua: ſicut enim ille gladio impotenter vtitur, multoſque ferit, ſic & laſciua ſuâ formâ verberat feritque multorum oculos & animos.

Laſciua ſimilis porco. Primò.

Secundò. ſues totos dies in cœno ſe volutant, eoque gaudent: ſic & feminæ laſciuæ non niſi laſciuiâ & impudicitia delectantur. *Porci*, ait auctor Imperfecti in Matth. hom. 17. *proprium eſt in cœno ſe*

Secundò.

ſe volutare, numquam in cælum aſpicere, nec quærere dominum ſuum: ſic & impudicæ in cœnum voluptatum proiectæ numquam in cælum aſpiciunt, numquam Deum Dominum vindicemque cogitant.

Tertiò. Tertiò, ſues ſunt pronæ admodum in venerem, teſte Ariſtot. lib. 6. Hiſt. animal. c. 18, ſic & feminæ laſciuæ. Rurſus ſus eſt animal fœdum, guloſum & immundum. Vnde Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Sus*, inquit, *quid habet præter eſcam? cui quidem ne putreſceret, animam pro ſale datam eſſe dicit Chryſippus.* Hac de cauſa ſuillæ carnis eſus vetitus fuit Judæis. Leuit. 11. v. 7. Vide ibi dicta.

Quartò. Quartò, ſus eſt animal impudens æquè ac indocile: tale eſt & femina impudica ſiue meretrix. Vnde Ariſtophanes Hypocratis filios ſuem reſipere dixit, quòd inſcij eſſent & moribus non admodum comptis. Et Pierius Hierogl. 9. c. 11. Sus, inquit, eſt hieroglyphicum indocilitatis: nam apud Phyſiognomos ſuilla frons, breuis quippè & hiſpida capillis ſurſum verſus erectis, indocilitatis indicium eſt manifeſtiſſimum. Eſt enim animal maximè brutum ſus, nullumque animalium magis indocile, cùm reliquæ omnes pecudes aliquid habeant in quo dum viuunt, vſus, vel induſtria, vel frugalitas proſit. Hinc prouerbiũ, *Sus Bœotica*, pro valde tardo & ſtupido. Hinc & porcus priſcis erat delirij piaculum, vt ibidem oſtendit Pierius c. 19.

Denique S. Chryſoſt. in Catena Græc. proponit quæſtionem. *Cur Deus naturæ auctor mulierem mente deſtitutam ſpecie effingit venuſtâ? Aut cur cùm venuſta condita eſſet, effecta eſt ſtulta.* Ac reſpondet: *Deus mulieribus naturâ ſtolidis formæ pulchritudine nonnumquam indulget, ne prudentes ſagaciq; ingenio præditæ liberalis formæ gratiam plus æquo mirentur; verùm prudentiam & intellectum formæ venuſtati anteponant, illudq; conſectentur quòd verè bonum & pulchrum: ſic fatuis quoque hominibus magnas quandoq; opes concedit & facultates; quò prudentes intellectus donum, quod ſtultis deeſt, conſiderantes & admirantes, propter opum penuriam animo non concidant, ſed illud, quòd verè bonum eſt, ſtudioſè proſequantur.*

Quocirca auctor Imperfecti hom. 45. in Matt. ſanum hoc iuuenibus dat conſilium. *Tu itaque iuuenis,* ait, *quando, vxorem ducere vis, noli quærere diuitem; ſed benè morigeratam, quia mores boni diuitias frequenter acquirunt, diuitiæ autem mores numquam fecerunt. Et glorioſior eſt paupertas fidelium, quàm diuitiæ peccatorum. Noli quærere ſpeciem, quia ſcriptum eſt: Sunt inaures aureæ in naribus porci, ita mulieris malè morigeratæ ſpecies. Quia in ſpecie meretrices placent; in moribus autem matronæ.*

Hanc gnomen eleganti pauonis & corui apologo explicat S. Cyrill. l. 2. Apolog. Moral. c. 25. cui titulus: *Contra eos, qui gloriantur in carnis ſpecie. Pauo,* inquit, *aureis pennis decoratus, ac plumea luce pompoſus coram coruo vanam ſeſe effundebat in gloriam, atque illum de pennæ nigredine confundebat. Cuius mox coruus dementiam deridens, Bene video, inquit, quòd in te regula phyſionomiæ non fallat. Nam quia paruum tanto corpori habes caput, ideò minoris es ſenſus. Vnde non miror, ſi in penna volatili, quæ à vento rapitur & defertur tuam vt leuis leuiter gloriam poſuiſti: Omnis enim caro fœnum* (Iſaiæ 40. 6.) *& omnis gloria eius quaſi flos agri, decor namque floris, pulchritudo eſt carnis. Formoſitate quippè materiæ rutilat, ſoliditate non durat, & leuitate quantocyus euolat. Amens ergo gloriaris in vmbra. Sed ſicut aureus circulus eſt in naribus ſordidæ ſuis, ſic & carnis luciditas cũ ignauia mentis. Quòd ſi igitur ex venuſtate corporis gloriaris, iam te tua luciditas denigrabit, tuaq; ſpecie deformabit. Nam forma carnis mentis pulchritudinem abſtulit, & lumen corporis ſplendorem animæ fugauit.* Oſtendit deinde hanc maiori deformitate obſcurari & obrui. *Te laudarem, ſi deformitatem in tuæ formæ ſubſtantia non viderem. Nam caput habes ſerpentinũ, ſonum pectoris vluloſum, cor maleuolum, pedem fœdum. Nunquid carnis vanæ laudanda ſpecies eſt, cùm ſubſtantialis formæ defectu mens ipſa deformis ſit? Abſit: nam anima quanto caro ſit pulchrior, tantò ſit ipſa deformior. Vera igitur ſpecies eſt, virtus mentis, & glorioſa formoſitas, claritas rationis. Quibus dictis, ex ſua ſpecie confutatum pauonem dimiſit triſtem.*

Tropol. Abbas Neſteros apud Caſſian. collat. 14. c. 16. hæc accipit de viris doctis, ſed turpiter viuentibus: *de iſtis ergo,* inquit, *qui imaginem quamdam ſcientiæ videntur acquirere, vel de his qui cùm ſacrorum voluminum lectioni, ac memoriæ Scripturarũ diligenter inſiſtunt, carnalia tamen vitia non relinquunt, in Prouerbiis eleganter exprimitur: Sicut inauris aurea in naribus ſuis, ita mulieri malè moratæ ſpecies. Quid enim prodeſt quempiam ornamentum eloquiorum cæleſtium, & illam pretioſiſſimam Scripturarum ſpeciem conſequi, ſi eam luculentis operibus vel ſenſibus inhærendo, quaſi immũdiſſimam terram ſubigendo confringat, aut cœnoſis libidinum ſuarum polluat volutabris?* ſic & S. Hieron. in Ezech. c. 16. ad illa: *Et dedi inaurem ſuper nares tuas. Quando viuimus,* inquit, *& de nobis dici poteſt: Non mortui laudabunt te Domine, ſed nos qui viuimus; tunc odoratur Deus odorem ſacrificij noſtri bonæ fragantiæ, & aureum circulum ſenſuum ac dogmatum diuinorum habemus in naribus. Quando verò mortui ſumus, & verſamur in cœno atque in ſordibus turpitudinum, habemus illam inaurem in naribus, de qua ſcripſit Salomon: ſicut inauris aurea in naribus porcæ, ſic mulieri malè moratæ pulchritudo.* Sic & Salonius: *Circulus aureus,* inquit, *eſt ſcientiæ ornamentum, quod inſtar ſuis cœno immergit, qui illud immundâ actione ſordidat. Huius enim anima pulchra eſt per ſcientiam, ſed fatua per actionem.*

Rurſum, mulier fatua & pulchra eſt anima fidelis, in baptiſmo vel pœnitentia à peccatis abluta & dealbata, quæ deinde priſtinis cupiditatibus illecta ad eas redit, cum eiſque quaſi amaſiis ſcortatur, ſicut ſues lotæ redeunt ad lutum, juxta illud S. Petri epiſt. 2. c. 2. 22. *Contigit enim eis illud veri prouerbij. Canis reuerſus ad ſuum vomitum; &, Sus lota in volutabro luti.* vbi multa hac de re dixi. In his enim circulus aureus, quo eos diabolus apprehendit, circumagit, & ad ſolita ſcelera reducit, eſt veterum amorum recordatio, viua voluptatum præteritarum repræſentatio, ac dulcedinis illecebroſæ memoria. Hanc enim excitat acuitque dæmon præſertim in agone mortis: quo fit vt multi tunc per delectationes moroſas peccent & damnentur. Qui ſapit ergo, dum viuit & viget, has ſpecies & illecebras è mente aboleat per contrarias imaginationes, orationes meditationes virtutum & rerum diuinarum, præſertim paſſionis Chriſti, quâ nihil eſt efficacius.

Huc facit apophthegma R. Joſue in *Pirke auoth*, id eſt in Capitulis patrum: *Quotidie vox quædam de monte Oreb exibat, non obſcurè intentans væ hominibus illis, per quos legi damnum infertur, aut iniuria: quia verè quicumque negligenter incumbit in ſtudium legis, is prorſus reprobus eſt & infelix, ſicut dicit Script. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.*

Deniq. Saluianus initio lib. 4. de Gubern. Dei: *Quid eſt aliud,* inquit, *principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? aut quid eſt digni-*

tas

tas in indigno, niſi ornamentum in luto? quid eſt aliud vocabulum ſanctum ſine merito, niſi ornamentum in luto? Circulus aureus, ait Sapiens, *in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. Et in nobis itaque Chriſtianum vocabulum, quaſi aureum decus eſt: quo ſi indignè vtimur, fit vt ſues cum ornamento eſſe videamur.*

VERS. 13. DESIDERIVM IVSTORVM OMNE BONVM EST: PRÆSTOLATIO IMPIORVM FVROR] Chald. *deſiderium iuſtorum ad bonum eſt, exſpectatio impiorum ad furorem*; Hebr. *iuſtorum deſiderium tantummodo bonum eſt: exſpectatio autem impiorum furor*, ſiue *ira penetrans*. Septuag. pro עֶבְרָה *hebra*, id eſt furor, aliis punctis legentes עָבְרָה *abera*, id eſt tranſiuit, vertunt, *ſpes autem impiorum tranſibit*, id eſt *peribit*; Scholiaſtes *abſcedet*. Eſt metonymia: *deſiderium* enim vocatur res deſiderata, ſiue id quod deſiderant iuſti: *præſtolatio impiorum* eſt id, quod præſtolantur & exſpectant impij.

Senſus eſt. q. d. Deſiderium juſtorum fertur ad *omne bonum*, id eſt ad omne honeſtum, ad omnem virtutem: juſti non deſiderant aliud quàm operari bonum. Ita Polychron. in Catena Græc. Impij verò præſtolantur & expectant, vt furiosè ſe gerere poſſint, vt iram & furorem ſuum in alios euomant: ira enim qua quis modum excedit, vocatur עֶבְרָה *hebra*, id eſt furor: quia limites rationis עָבַר *abar*, id eſt, tranſgreditur, ait Aben, Ezra. Aut; vt alij, quia omnia peruadit, inflammat, & vaſtat inſtar ignis. Vnde Baynus, & ex eo noſter Salazar vertunt, *cupiditas iuſtorum omnis bona eſt*; ſicque explicant: Iuſti nil concupiſcunt niſi benefacere, ac vbi poteſtas deeſt, cupiditas benefaciendi adeſt & acuitur: è contrario *impiorum præſtolatio*, id eſt exſpectatio & deſiderium, eſt *furor*, id eſt impiorum vota longè diuerſum eſt ſtudium: nam præſtolatio eorum furor. *Præſtolatio* hic ſumitur etiam pro deſiderio, nimirum impiorum vota ex furore & ira profecta aliorum perniciem auidiſſimè exoptant. Itaque quemadmodum pij ac iuſti homines plura bona conferre deſiderant quàm impendunt, & quod deeſt facultati, votis compenſant: ſic etiam impij plura mala inferre cupiunt quàm inferunt, & malefaciendi facultatem deſiderio nocendi longè ſuperant: atque ideo maioribus pœnis ſe ſubiiciunt, quàm illa ſunt quæ damnis illatis reſpondent. Hinc illud: *Tota vitæ iuſti eſt boni deſiderium*: quia non niſi bona agere deſiderant, non niſi bonum eſuriunt & ſitiunt, iuxta illud: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiã.* Matth. 5. Talis fuit Daniel, qui proindè vocatur *vir deſideriorum*: ideoque meruit intelligere 70. hebdomades aduentus Chriſti, Daniel. c. 9. 23. & c. 10. 19. Vide S. Bernard. ep. 10. vbi inter cetera ait: *Deſiderium peregrinationis in plenitudinem commutabitur dilectionis, &c. Sicut autem fides ducit ad plenam cognitionem, ſic deſiderium ad perfectam dilectionem.*

Praxis creſcendi in omni virtute per eius deſideria. Tropol. ex hac gnome diſce, praxim facilem creſcendi in omni virtute & merito eſſe, ſi crebra & ardentia earum deſideria concipias. Per hæc enim virtutem quamlibet, etiam quam exteriùs ob paupertatem, infirmitatem, aliumue defectum exercere non poſſumus, interiùs in animo concipimus, firmamus, augemus. Verbi gratia pauper habens efficax ingenſque deſiderium faciendi eleëmoſynam, ſi opes haberet, acquirit virtutem eleëmoſynæ, ac per illud tantum vel plus meretur, quantum diues, qui ex conſuetudine dat eleëmoſynam. Infirmus qui jeiunare vel cilicia ferre nequit, deſideret hoc facere. Religioſus certo officio ab obedientia alligatus, deſideret cetera omnia, quæ alij obeunt, obire: deſideret efficaciter concionari, docere, audire confeſſiones, viſitare infirmos, Indis prædicare, &c. ſi liceret, illaque Deo offerat: nam Deus hæc deſideria ita grata habebit, ac ſi ea opera compleret. Id ita eſſe docet S. Paulus 2. Cor. 8. 12. *Si enim*, inquit, *voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet*: his verbis nobis ſignificans, Deum magis promptam voluntatem, quàm donum ipſum ſpectare. Huius ratio eſt: quia eleëmoſynæ, & alterius cuiuſuis virtutis perfectio & meritum in voluntatis promptitudine, non item in multitudine operumque magnitudine conſiſtit. Vnde S. Aug. in Pſal. 105. *Bonam*, inquit, *Deus voluntatem coronat, quando non inuenit facultatem.* Et S. Bernard. ep. 77. Deus, ait, indubitanter tribuit bonæ voluntati, quod defuit facultati. Cauſam à priori dat S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 2. *Quia*, ait, *tota formalis bonitas operis exterioris pendet à bonitate actus interioris, qui à voluntate elicitur.* Vnde ſequitur, ſi Deo placere appetimus multumque promereri, frequenter pia deſideria concipiamus bona præſtandi opera, nec non bonas intentiones applicandi, non ſolùm operibus quæ facere intendimus, verùm etiam illis quæ facturi non ſumus, non quidem bonæ voluntatis, ſed facultatis defectu. Quo hæc bona voluntas promptior fuerit, eo vberiorem producet ſpiritualium prouentuum ſegetem, teſte D. Bernardo. Tantum mereris, quantum vis; & bonâ creſcente voluntate, creſcit pariter & meritum.

Sancti ſitiunt Deum. Symbolicè Lyranus. Juſtorum deſiderium eſt omne bonum, hoc eſt ipſe Deus, in quo eminenter eſt omne bonum, quique eſt bonus & bonum per eſſentiam. Vnde Chriſtus interpellatus à quodam dicente: *Magiſter bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* reſpondet: *Quid me interrogas de bono? vnus eſt bonus Deus.* Et David: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Pſal. 41. 2. S. Bernard. ſerm. 84. explicans illud Cant. 3. *In lectulo meo per noctes, quæſiui, quem diligit anima mea. Magnum bonum*, inquit, *quærere Deum. Ego hoc nulli in bonis animæ ſecundum exiſtimo. Primum in donis vltimum in profectibus eſt: virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat? quam nulla præcedit. Cui præcedat? quæ omnium magis conſummatio eſt: quæ enim virtus aſcribi poſſit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti Deum? Quærite, inquit, faciem eius ſemper. Exiſtimo, quia nec cùm inuentus fuerit, ceſſabitur à quærendo. Non pedum paſſibus, ſed deſideriis quæritur Deus. Et vtique non extundit deſiderium ſanctum felix inuentio, ſed extendit. Numquid conſummatio gaudij, deſiderij conſumptio eſt? oleum magis eſt illi: nam ipſum flamma. Sic eſt. Adimplebitur lætitia, ſed deſiderij nõ erit finis, ac per hoc nec quærendi.* Idem tract. de Diligendo Deo, agens de complexu ſponſi & ſponſæ, putà Chriſti & animæ ſanctæ. *Hinc*, inquit, *illa ſatietas ſine faſtidio. Hinc inſatiabilis illa ſine inquietudine curioſitas. Hinc æternum illud atq; inexplicabile deſideriũ neſciens egeſtatem. Hinc denique ſobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans: non madens vino, ſed ardens Deo.*

Anagog. deſiderium juſtorum tendit ad bonũ, putà

putà ad beatitudinem cæleſtem, quæ eſt complexio omnis boni. *Præſtolatio impiorũ furor*, id eſt, id quod præſtulantur impij, ſors quæ illis obuentura & expectanda, eſt furor, id eſt Dei ira & vindictà in gehenna, vſque ad intima non tantùm corporis, ſed & animæ penetrans, comburens & crucians. Ita R. Salomon, Hugo, Dionyſ. & alij.

Vnde S. Bernard. ſer. 5. in vigilia Nat. Domini: *Deſideria noſtra*, inquit, *in tribus maximè conſtituta videntur, quod decet, quod expedit, quod delectat.* putà triplex deſiderium eſt, boni honeſti, boni vtilis, boni delectabilis. Atque hoc docet in cælo dumtaxat implendum: ibi enim eſt *ſummum bonum*, inquit, *ſumma vtilitas, ſumma gloria, ſumma voluptas. Atque hæc quidem interim exſpectatio nobis noſtra eſt, & promiſſa nobis viſio maieſtatis, vt ſit Deus omnia in omnibus, omne iucundum, omne vtile, omne honeſtum.* Idem in Sententiis: *Triforme*, inquit, *eſt deſiderium electorum. Vnanimiter habitare in domo. vnde eſt: Vnam petij à Domino. Victoriam obtinere de mundo. vnde eſt; Quis me liberabit de corpore mortis huius? Præſentialiter frui Deo. vnde eſt & illud: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

VERS. 24. ALII DIVIDVNT PROPRIA, ET DITIORES FIVNT: ALII RAPIVNT NON SVA, ET SEMPER IN EGESTATE SVNT] Hebr. *eſt ſparſor & addetur adhuc: eſt prohibens à rectitudine, verumtamen ad defectum*; Vatabl. *eſt qui diſpergit rem, & augetur res eius magis; & qui parcit rei ſuæ plus æquo, ſed ad inopiam*, id eſt, ſed penuria & egeſtate opprimitur. Noſter τὸ *prohibens à rectitudine*, accipit pro eo qui *recedit à iuſtitia* facitque iniuſta, vt opes accumulet; vnde vertit, *alij rapiunt non ſua*; Septuag. *ſunt qui propria ſeminantes* (Aquila, Symmach. & Theodot. *diſpergentes*) *plura faciunt: ſunt autem qui congregantes* (*aliena*, addit auctor Catenæ Græcor.) *minuuntur*; Chald. *eſt qui diſpergit, & rurſus addetur ei: indigentia erit ei, qui recedit à rectitudine*; Syrus, *eſt qui ſeminat ſua, & multum introducet: eſt qui non ſua congregat, & modicum eſt illi.* Syrus ergo Noſtro conſentit.

Senſus eſt clarus. Opponit enim liberalem auaro: quòd liberalis ſua diſtribuat, in omnes ſit beneficus, multaſq; faciat eleëmoſynas, & tamen inde non fiat pauperior, ſed ditior: auarus verò recondens ſuas opes, eaſque augens & accumulans per fas & nefas, per fraudes, vſuras & iniuſtos contractus, quibus rapit aliena, inde tamen non euadat ditior, ſed pauperior. Rationem dat τὸ *ſeminantes*; vt vertunt Septuag. Eleëmoſyna enim & beneficentia eſt quaſi ſeminatio. Sicut enim agricola, qui jacit ſemen, pro vno grano vel modio recipit viginti, triginta, imò ſubinde ſexaginta & centum, dum copioſam colligit meſſem: ſic pariter beneficus ſpargens ſuas opes in egenos, jacit quaſi ſemina, ex quibus multiplicatis magnam cum egenti fœnore à Deo percipit bonorum tum temporalium, tum ſpiritualium abundantiam. Auarus verò ſimilis eſt hero, qui frumentum in granario recondit, vbi illud ſitu contrahitur, corrumpitur, à muribus corroditur, itaque ſenſim minuitur, nullumque dat fructum: ſic enim & auari opes reconditæ Deo maledicente ſenſim pereunt, minuuntur & conſumuntur. Hoc eſt quod docet S. Paulus 2. Corint. 9. 6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* &c. Vbi plura hac de re dixi. Vide & S. Chryſoſt. homil. *quòd eleëmoſyna ſit ars omnium quæſtuoſiſſima.* Exempla plura huius rei reperies apud Leontium in Vita S. Joannis Eleëmoſynarij Patriarchæ Alexandrini. Igitur hoc eſt fidelium paradoxum, ſed diuinum & veriſſimum: *Eleëmoſyna ditat, tenacitas depauperat: quod das, acquiris; quod retines, perdis: erogando opes accumulas, condendo imminuis.* Hæc ſententia, vti & aliæ, ſignificat, non quid ſemper, ſed quid ſæpè fiat, nam ſubinde videmus contrarium fieri, ſcilicet auaros ditari, liberales depauperari: ſed tunc Deus pauperiem temporalium vbertate ſpiritualium donorum compenſat. Ita Baſil. in Catena Græcor.

Huc raptorum veſanam infelicitatem graphicè hoc lupi & bouis apologo repræſentat Cyril. lib. 3. Apolog. mor. c. 15. *Apologus lupi & bouis.* *Vagabundus otio lupus rapax, cùm cerneret bouem poſt iugum laboris ac commodi, in cibum falce lingua herbas demetentem, mox ad eum veniens, dixit: Quid eſt hoc, quòd tam validum animal acutiſq; cornibus armatum, non ſolùm ab homine iugum toleras grauiſſimæ ſeruitutis, ſed, quod deterius eſt, poſt tam grauis laboris onus, viuis edulio vilitatis? Certè ſi ſupra artem doli, vigoremq; dentis, mihi tantam natura validitatem dediſſet; etiam ſine labore, ita bonis carnibus veſcerer, vt aſelli etiam eſum dedignarer. Ad hæc bos ruminatâ ſententiâ dicitur reſpondiſſe: O ſi innocentiæ bonum, manſuetudinis fructum, æquitatis commodum, paciſq; decus libra rationis appenderes, & hoſtilis rapacitatis reatum diligentiori circumſpectione librares; videres vtique, quantæ calamitatis ſit, ſæuire hoſtiliter, ac rapaciter viuere; cùm nequiſſima vita miſeræ iuuentutis ſit lues. Nam cùm male viuitur, virtutis nobilior vita vera perimitur; & ea quæ relinquitur vita, cùm in ea viuat vitialis calamitas, nequior mors efficitur, & ſic vera vita per ſemetipſam damnatur. Quid igitur gloriaris, quòd otioſæ rapacitatis viuis malitia?* Vnde concludens ſubiicit: *Rapinæ damna.* *Omnis namq; furis eſt mens immundiſſima, diſcordiæ amica, ſcelsta voluntas, ciuilitas æmula, ferociſſima vita. Ferre ergo iugum ſuauiſſimum onus virtutis eſt mihi, & tempeſtuoſa libertas in præiudicium aliorum, ac ſeruitus vitioſitatis ſit tibi. Sic nempè charius eſt mihi comedere fœnum de labore iuſtitiæ, quàm hœdum de ſcelere auaritiæ violentum. Quo audito, lupus confutatus diſceſſit.*

VERS. 25. ANIMA, QVÆ BENEDICIT, IMPINGVABITVR: ET QVI INEBRIAT, IPSE QVOQVE INEBRIABITVR] Hebr. *anima benedictionis impinguabitur: & irrigans etiam ipſe* יוֹרֶה *iore*, id eſt, *pluuia eſt*, id eſt, ipſe aliis benefaciendo pluuiam frugibus ſuis, vt lætiſſimæ & copioſiſſimæ euadant, inducit. Sua enim beneficentia meretur, ut Deus pluuiam ſuis frugibus impluat, omniaque eius bona fortunet, proſperet & multiplicet. Ratio eſt, quòd Deus det opes dignis: opibus autem dignus eſt, qui iis vti nouit: iis autem bene vti norunt, qui benefici ſunt, eaſque in egenos diſpenſant. Noſter, æquè ac alij apud Pagninum in Lexico, יוֹרֶה *iore* per metatheſin accipiunt pro יִרְוֶה *irue*, irrigabitur & inebriabitur: hoc enim ex æquo reſpondet τῷ מַרְוֶה *marue*, id eſt, qui irrigat & inebriat. *inebriat*, id eſt affluenter largitur eleëmoſynam: ſic ebrietas ſumitur pro ſatietate, copia & affluentia, Pſal. 35. v. 9. Cantic. 5. 1. Prouerb. 5. 19. Eſt metonymia: ponitur enim effectus pro cauſa: ex copia enim rerum ſequitur ebrietas. Vnde vertit, *& qui ſatiat pauperes, ipſe ſatiabitur*: quia ut dicitur cap. 19. 17. *Fœneratur Deo qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.*

Aliqui τὸ *benedicit* propriè accipiunt pro *bene precatur*. q. d. Qui aliis bona apprecatur, huic viciſſim alij bene precantur ac Deus ipſe benedicet.

Verùm

Verùm hoc arctius eſt *Benedicit* ergo, id eſt benefacit ſiue bene precando, ſiue ſua erogando, ſiue conſilio ſuggerendo, ſiue docendo, ſiue quo alio modo. Dat cauſam eius quod dixi v. præced. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt*, nimirum quia qui aliis benedicit, id eſt benefacit, hic à Deo impinguatur & ditatur bonis, tam ſpiritualibus quàm tẽporalibus: & qui alios ſuis opibus ſatiat & quaſi inebriat, hic viciſſim à Deo inebriabitur, id eſt abundè locupletabitur. Alludit ad fontes & flumina: quantum enim aquarum è fontibus infernè defluit, tantum ſupernè in eos influit: ac quantum apertis cataractis flumina depluunt, tantũ ſupernè in eadem impluit. Beneficus enim & eleëmoſynarius eſt inſtar fontis & putei, qui jugiter beneficia ſcaturit, ebullit & effundit, vti docet S. Baſil. in illud Luc. 12. *Deſtruam horrea mea.* Vnde Chryſoſt. homil. 23 in Acta: *Fontes*, inquit, *ex quibus irrigua ducitur aqua, in ſummis locis debent oriri, igitur ſimus & nos animo ſublimes, & ſtatim miſericordia diffluet. Non enim poteſt fieri ſummam animam & diuitias contemnentem non etiam miſericordem eſſe*: iuxta illud: *Surſum diuinorum fluminum fontes.* Aliam ſimilitudinem vberem adhibet Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. c. 7. Sicut, inquit, ad vbera, quæ ſuguntur vel mulgentur, lac ſolet confluere, ſic & opes confluunt ad eos qui erogant illas. Quocirca B. Petrus Chryſolog. ſerm. 104. *Eſto*, inquit, *diues in miſericordia, ſi ſemper eſſe vis diues. Et tunc erunt horrea tua maiora, tunc plena, ſi non fuerint largitate vacua, cupiditate incluſa.*

Porrò hæc gnome magis in ſpiritalibus quàm in temporalibus bonis locum habet, vt experientia docet. Vnde Chald pro *Qui inebriat, ipſe inebriabitur*; vertit, *qui docet, etiam ipſe addiſcet.* Ita videmus doctores, concionatores, confeſſarios, &c. qui ſua Spiritus S. chariſmata in alios liberaliter effundunt, copioſiùs iiſdem à Spiritu ſancto rigari & inebriari: ac quo ipſi in proximum Dei amore liberaliores ſunt, eo viciſſim Deum in ſe liberaliorem experiuntur. Vnde S. Greg. 3. Paſtor. c. 26. Tò *Anima quæ benedicit, ipſa impinguabitur*, ſic explicat: *Qui enim prædicando exteriùs benedicit, exteriùs augmẽti pinguedinem percipit: & dum vino eloquij auditorum mentem debriare non deſinit, potu multiplicati muneris debriatus excreſcit.* Huc facit Beda in Collectaneis, qui inter tria ænigmata hoc primum proponit: *Quæ eſt illa mulier quæ innumeris filiis vbera porrigit, quæ quantum ſucta fuerit, tantum inundat*: ac reſpondet: *Mulier iſta eſt ſapientia.* Secundum: *vbi eſt anima hominis, cùm dormiunt homines? In tribus locis, aut in corde, aut in ſanguine, aut in cerebro.* Tertium: *Qui ſunt tres amici & inimici, ſine quibus nemo viuere poteſt? Ignis, aqua & ferrum.*

Myſticè tò *benedicit* innuit eleëmoſynarium eſſe ſacerdotem myſticum, qui egenis benedicat ore, & magis manu. Sic Paulus docet 2. Corinth. 9. 12. eleëmoſynam eſſe ſacrificium, cuius victima ſint opes erogatæ, altare ſint pauperes, ſacerdos ſit eleëmoſynarius, immolatio ſit erogatio; diſtribuens eas, v.g. Paulus, ſit diaconus. Fuſiùs idem docet S. Chryſoſt. hom. 20. in epiſt. 2. ad Corinth.

Porrò Septuag. prorsùs aliò abeunt, planèque diſſident ab Hebræo, Chaldæo & Latino; ſic enim habent, *benedicta omnis anima ſimplex: vir autem animoſus non eſt formoſus*: vel, vt auctor Catenæ Græc. *vir autem iracundus eſt incompoſitus*; alij, *indecorus* vel *inhoneſtus*: hoc enim eſt Græcum ἀνὴρ δὲ ἀσχήμων, quod S. Chryſoſt. hom. 17. in Joan. ſic exponit. q. d. Anima ſincera, doli & ſimulationis expers æquè ac modeſta & mitis, eſt benedicta, charaque Deo: at vir animoſus, ſiue iracundus, non eſt formoſus, nec decorus: quia indecorum & turpem vultum, indecoros clamores, indecoras iræ actiones & geſtus induit. Turpitudinem hanc vultus in ira pulchrè repræſentat S. Baſil. homil. de ira. Denique Syrus per antitheſin vertit, *anima quæ benedicit, benedicetur: quæ maledicit, maledicetur.*

Vers. 26. QVI ABSCONDIT FRVMENTA MALEDICETVR IN POPVLIS: BENEDICTIO AVTEM SVPER CAPVT VENDENTIVM] Hebr. *prohibenti frumentum maledicet ei populus*, S. Ambr. lib. 3. Offic. c. 6. *captans pretia frumenti* S. Cyprian. (*captans annonam*) *maledictus in plebe eſt*; Aquila, *maledicent eum populi*, Symmach. & Theodot. *Maledictus à populo*; S. Chryſoſt. homil. 39. in epiſt. 1. ad Cor. *qui frumenti auget pretium, eſt populo execrandus*; Septuag. verò *qui continet frumentum, relinquat illud nationibus*, & Chald. *qui prohibet frumentum in neceſſitate, illud hoſtibus ſuis relinquet.* Solent auari tempore famis frumentum abſcondere, vel etiam coëmere, vt creſcente fame cariùs illud vendant: quo fit vt creſcat frumenti pretium, ac pauperes famem patiantur, & ſubinde fame enecentur. Quod ſanè eſt inhumanum, ac peccatum graue contra charitatem & juſtitiam legalem. Illud ergo hic inſectatur Salomon. Qui id faciunt, flagellatores annonæ, & Dardanarij vocantur, à Dardano quodam qui annonam ſupprimebat, vt cariùs venderet, contra quos Vlpianus in l. *Annonam*. de Extraord. criminibus. Et S. Greg. Nazian. orat. 15. *Quid ad hæc*, inquit, *dicemus, qui frumentum emimus, & vendimus, ac temporum difficultates obſeruamus, ut opes nobis comparemus, & in alienis calamitatibus delicias capiamus, atque non vt Ioſeph Ægyptiorum facultates maioris diſpenſationis cauſa (vtrumque enim norat, nimirum & rectè colligere, & rectè annonam tribuere, quemadmodum etiam & famem proſpicere, & eminus ei obſiſtere:) ſed vt tuti jus & conſcelerati popularium noſtrorum opes acquiramus?*

Et Iſidorus Peluſ. lib. 3 epiſt. 81. *Inexplebilem*, inquit, *quemdam ac ſæuum & crudelem dardanarium, hoc eſt frumenti cauponem, te eſſe nonnulli aiunt: vt qui tempora obſerues, ac de egeſtatibus occaſionem lucrandi arripias, & de calamitatibus meſſem colligas. Quamobrem hoc tecum reputans, alios non tam tua, quàm te Dei ope indigere, ſat te cognatio moueat.* Et Apollonius frumentariis epiſt. 85. *Terra*, ait, *mater eſt omnium. Iuſta enim eſt. At vos cùm iniuſti ſitis, veſtram duntaxat matrem eam effeciſtis; & niſi deſtiteritis, perficiam vt vobis in ea conſiſtere non liceat.*

Vberiùs & neruoſiùs S. Ambr. lib. 3. Offic. c. 6. vitij huius enormitatem exaggerat. *Cur*, inquit, *ad fraudem conuertis naturæ indulgentiam? cur inuides vſibus hominum publicos partus? cur populis minuis abundantiam? cur affectas inopiam? cur optare facis à pauperibus ſterilitatẽ? Cùm enim non ſentiant beneficia fœcunditatis te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potiùs nihil naſci quàm te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indulgentiam, alimentorum penuriam, vberes ſoli partus ingemiſcis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando ſterilior prouentus ſit, quando exilior partus: votis tuis gaudes arriſiſſe maledictum, vt nihil vſquam naſceretur. Tunc meſſem tuam veniſſe lætaris, tunc tibi de omnium miſeria congeris opes: & hanc tu induſtriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis verſutia, quæ aſtu-*

via fraudis eſt? & hoc tu remedium vocas, quod eſt commentum nequitiæ? latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viſcera hominũ durus inſidiator obrepas. Et inferiùs: *Rectè igitur Salomon: Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non heredibus: quoniam auaritiæ emolumentum ad ſucceſſorum iura non peruenit. Quod non legitimè acquiritur, quaſi ventis quibuſdã ita extraneis diripientibus diſſipatur. Et addidit: Captans annonam maledictus in plebe eſt: benedictio autẽ in capite eius qui participat. Vides ergo, quod largitorem frumenti eſſe deceat, non pretij captatorẽ. Non eſt igitur iſta vtilitas, in qua plus honeſtati detrahitur quàm vtilitati adiungitur.*

Memorabile eſt quod tradunt Trithemius, Cochlæus, Genebrardus, Munſterus, Demochares, & alij quos citat noſter Serarius l. 4. Moguntiac. rerum cap. 1. de Hattone Archiepiſcopo Moguntino ſub ann. Domini 970. eum ſcilicet auarè condidiſſe frumenta, ac pauperes vocitaſſe mures, eoſque quaſi mures fame perire permiſiſſe; ideoque juſta Dei vindicta à muribus inuaſum, ad turrim, quæ etiamnum in medio Rheni viſitur, & turris murum appellatur à multis, confugiſſe, ibique à muribus inſequentibus peremptum eſſe & deuoratum. Eſto Serarius ibidem contendat hiſtoriã hanc eſſe fabulam. A dardanariis Stratenſibus occiſus eſt anno Chriſti 1127. B. Carolus Comes Flandriç, filius S. Canuti regis Daniç & Martyris, eò quòd eorum auaritiæ obſiſteret, eoſque cogeret tempore famis frumenta diuendere: locus necis mihi oſtenſus eſt Brugis Flandrorum, vbi quaſi Martyr colitur: ſanctitatem enim eius Deus miraculis pluribus declarauit, & cæſores eius graui vltione mulctauit. ita Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij die 2. Martij, & Aimoinus lib. 5. de Geſtis Francor. c. 5. Extat Vita eius recens impreſſa Pariſiis anno Domini 1615.

Porrò dardanarios, quia communem victum occupando famem conciliant, velut ciuium peſtes populus execratur, & diris deuouet, ac non rarò tumultu facto deprædatur, imò occidit & diſcerpit. Notanda verſio Septuag. & Chald. *qui continet frumentum, relinquat* (Chald. & auctor Catenæ Græc. *relinquet* in futuro) *illud nationibus.* Quibus verbis Salomon optat, vel prædicit frumentum à auarè ſeruatum ab auaro, diſtributum iri in populos: hoc enim meretur auari auaritia, hoc pariter poſcit frumenti conditio: ad hoc enim illud condidit Deus, vt eo alantur populi & pauperes. Auctor Catenæ Græcor. legit, *qui frumentum detinet, gentibus & infidelibus illud relinquere cõpellitur;* ac per gentes accipit dæmones, qui auarorum ſunt heredes, eorumque bona inuadunt & diſſipant. Atque myſticè ſic exponit: *Frumentum eſt verbum Dei, quod dum Iudæi abdere contendunt, datũ eſt Gentibus facientibus iuſtitiam eius.* Ita reuera ſæpè accidit iuſtâ Dei vindictâ, vti docet S. Chryſoſt. homil. 39. in 1. ad Corinth. *Multi,* inquit, *etiam integra dolia exinanierunt, & nec acetum quidem dederunt gentibus: acetum autem ex vino factum totum humi iecerunt, & dolia ſua ſimul cum vino corruperunt. Alij autem rurſus cùm ne oſſa quidẽ eſurientem impertierint, integras frumenti capſas in fluuium proiecerunt: & quia Deum nõ audierunt iubentem dare egenis, iubente curculione vel inuiti quidquid erat intus, effuderunt ad exitium, & extremum interitũ: multum quidem riſum, & multas execrationes ſimul cum hoc damno in caput ſuum attrahentes. Ipſi autem nequaquam impunes abeunt.* Addit enim Chryſoſt. *Sicut enim iſti à curculione exeſum, & inutile redditum frumentum in fluuios iaciunt: ita eos qui hæc fecerunt, propter hoc ipſum factos inutiles proiiciet Deus in fluuium ignis. Sicut enim frumentum curculio & vermis, ita iſtorum animas exedit crudelitas & inhumanitas.* Curculio eſt animal paruum frumentum corrodens, eiuſque medullam exedens: dictum curculio quaſi gurgulio, eò quòd in eo nihil penè aliud videtur quàm guttur, ait Varro.

BENEDICTIO AVTEM SVPER CAPVT VENDENTIVM] Septuag. *in capite eius qui communicat;* S. Cyprian. *in capite eius qui participat,* id eſt in caput eius qui alios ſuarum opum participes efficit; auctor Catenæ Græc. *fauor autem & benedictio ſuper caput diſtribuentis.* q. d. Tempore famis diſtribuens frumentum, Dei & hominum gratiam, fauorem & benedictionem nanciſcitur: omnes enim ei benedicunt & applaudunt, omnes eum laudant & celebrant.

Myſticè S. Greg. 3. parte Paſtor. c. 26. *Frumenta abſcondere,* inquit, *eſt prædicationis ſanctæ apud ſe verba retinere: in populis autem talis quiſque maledicetur, quia in ſolius culpa ſilentij pro multorum, quos corrigere poterat, pœna damnabitur.* Ipſiſſima S. Gregorij verba tranſcribit Salonius, & adnectit: *Illi vendunt frumenta, qui verba vitæ ſuis auditoribus annuntiant. Quod pretium accipiunt ab eis? Pretiũ fidei & confeſſionis ſanctæ. Quomodo veniet benedictio ſuper eorum capita? Quia ſingulis eorum dicturus eſt Dominus, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* hæc Salonius. Eadem ad verbum habet Beda: vnde ex Beda hæc & alia nonnulla deſcripſiſſe videtur Salonius. Beda enim fuſior eſt, & Bedæ ſtylum hæc redolent. Quocirca Salonius hic non videtur eſſe ille priſcus, diſcipulus Saluiani, & filius S. Eucherij, qui poſtmodum creatus eſt Epiſcopus Lugdunenſis ſub annum Domini 440. nam Beda S. Eucherio fuit longè poſterior: floruit enim ſub annum Domini 730. Alius ergo hic Salonius ſit oportet.

BENE CONSVRGIT DILVCVLO QVI QVÆRIT BONA: QVI AVTEM INVESTIGATOR MALORVM EST, OPPRIMETVR AB EIS] Vers. 27. Pro *conſurgit diluculo,* hebr. eſt שׁוֹחֵר *ſcocher,* id eſt aurorans, diluculans, manicans, id eſt manè conſurgens, manè quærens, manè aliquid faciens: manè enim ſolent homines res ſuas requirere, ac negotia ſua peragere. Pro *bene* hebr. eſt טוֹב *tob,* id eſt *bonum* neutrè, vel *bonus* maſculinè, vt vertit Aquila, Aben Ezra, R. Salomon & R. Leui. Sed Noſter aduerbialiter accepit *tob* pro לְטוֹב *latob,* id eſt *ad bonum,* id eſt *benè;* vel ſimplicius *tob* accepit maſculinè, quaſi dicat, *Bonus aurorans eſt,* id eſt, *bene conſurgit diluculo, qui quærit bona.* Senſus ergo eſt, q. d. Qui manè dum ſurgit concipit, veſtigat, quærit & deſtinat opera bona, quæ per decurſum totius diei peragat; hic vtique bene conſurgit: quia ſibi parit & parat magna merita, quibus Dei hominumque gratiam ſibi conciliat: vnde Hebr. habent, *quærens manè bonum, quærit beneplacitum,* vel *bonam gratiam,* vt vertit Aquila & Septuag. *qui autem inueſtigator eſt malorum,* id eſt qui manè cogitat, machinatur, veſtigat mala quæ per diem operetur; hic vtique malè conſurgit, quia ad malum ſuum: nam mala quæ machinatur, in caput eius recident eumque oppriment: ſicut Saul quærens pythoniſſam, ab ea nuntium cladis & mortis accepit, ait Lyran. Vnde Aquila clarè vertit *matutina conſurrectio*

A *Etio boni quærit gratiam bonam.* q.d. Cùm vir bonus manè conſurgit, quærit operari bona, quibus gratiam Dei & hominum demereatur. & Chald. *qui conſurgit diluculo ad bonum, quærit beneplacitum: qui quærit malum, veniet ſuper eum,* Syrus, *qui quærit bonum, quærit beneplacitum;* Septuag. *fabricans bona, quærit bonam gratiam,* Dei & hominum: *exquirentem mala, comprehendent eum.* Quod explicans auctor Catenæ Græc. *Per eos,* inquit, *qui bona in corde fabricant, illos deſignat, qui ea ſuggerunt quæ ad bonum inducunt; & illos rurſum, qui diſciplina indigentes incitant, vt eam capeſſant: tales enim accipiunt gratiam à Domino.*

Porrò noſter Salazar hæc, vti & plura alia hoc capite, arctat ad eleēmoſynam & beneficentiam. vnde ſic explicat: *Benè conſurgit diluculo qui quærit gratiam,* ille ſcilicet, qui beneficiis ac donis liberalibus gratiam aliorum inire contendit: *bene,* id eſt
B non fruſtra, non in vanum, non gratis, aut ſine mercede, diluculo conſurgit ad beneficia collocanda. Manè autem ſurgere ad donandum, ad opportunitatem referendum eſt. Nam opportunitas beneficia atque munera auget plurimum; donum quippè citò ac tempeſtiuè collatum duplex quodammodo eſt (vt alibi diximus.) Contrà verò, *qui inueſtigator eſt malorum, opprimetur ab eis.* Hæc pars cum ſuperiori ſic conſuenda eſt: illi ſcilicet, qui non beneficia, ſed mala aliis inferre parat, ſecùs accidet: nam mala, quæ aliis intendit, in ipſum cumulatiùs redibunt.

Hæc expoſitio eſt appoſita, ſed arctior, nec adæquans mentem Salomonis: Salomon enim loquitur de quolibet bono & de qualibet virtute. Multi enim ſunt pauperes, qui eleēmoſynam facere nequeunt, & tamen hi bonum aliud manè de-
C ſtinare, ac per diē operari poſſunt & debent. Rurſum ſapientis eſt manè vacare non tam eleēmoſynæ, quàm ſapientiæ & Deo per orationem, meditationem & ſtudium, vti monuit Salomon c.8.34. & Moiſes Deuter.6.7 ac Dauid dicens: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo,* Pſal.62.2. Vnde Doctores manè docent, & diſcipuli diſcunt artes & ſcientias: manè enim maximè viget mens & ingenium. Quocirca Pagnin. vertit, *qui quærit bonum, quærit quod placitum eſt Deo: & qui quærit malum veniet ei.* Sic & Vatabl. Hinc & R. Salomon ſic vertit & explicat; *Vigilator bonus, qui in rectum iter mortales deducere ſtudet, eoſq́; arguit & inſtituit, hic quærit bona, id eſt beneuolentiam diuinam ſibi demereri expetit;* Tigurina ſic vertit, *qui maturè conſectatur bonum, inuenit quod deſiderat: qui autem malum quærit, eueniet ei.* R. Leui hoc modo explicat: *Benè conſurgit,* &c. hoc
D eſt: *Qui bonus eſt, bonumq́; ſtudioſè ſectatur, Deo acceptus eſt, vt bono fruatur: cùm enim à Deo ita homo ſit conſtitutus, vt bona anxiè appetat, ideò dubio procul optatis finis compos erit: qui autem inueſtigator malorum,* &c *hoc eſt, malo opprimetur, qui mala appetit. Secùs enim quàm decreuerat res male ſuccedent: quæ enim in alios machinabatur, in ipſum recident, atque implicabitur retibus, quæ in alios occultè pararat.*

Huc accedit Janſenius, qui pro *quærit bonum,* legens ex Hebræo, *quærit beneplacitum,* idipſum cū Tigurina accipit de eo quod placitum, gratum & jucundum eſt operanti. q.d. Quicumque manè conſurgit ad bonum ſectandum; is ſanè illud inquirit, quod cùm obtinuerit, ipſimet pergratum erit ac volupe: ſecùs ille, qui ex auiditate malefaciendi nouas ſcelerum rationes veſtigat: hic enim

A ob malum, quod tam auidè ſectatur, tunc cùm euenerit, dolebit maximè.

Vir ergo bonus & probus ex bonis propoſitis quæ manè concipit, ſemper quietus & jucundus eſt: quia bonum & ſanctum, ideoque jucundum & lætum in ſanctis operibus tranſigit diem: impius verò ex malis machinationibus malum & improbum, ideoque triſtem & anxium totum agit diem. Significat ergo Salomon, diluculo cùm ſurgimus, mentem ilicò eleuandam ad Deum, vt illi ſuggerat & inſpiret, quæ ipſi placita ſunt, ac mentem ex iis efformare debere bona propoſita virtutum, ait Lyran. v.g. beneficentiæ, humilitatis, mortificationis, patientiæ, &c. quæ per diem obeat: ac quærere modos & rationes, quibus magis placeat Deo, ideoque deſtinare aliqua heroica victoriæ ſui & perfectionis opera, quæ ad Dei gloriam illo

Manè deſtinanda bona per diem exercenda.

B die exerceat, quibus Deum valdè honoret & oblectet, ſeipſum ſanctificet, ac proximos ædificet. A propoſitis enim matutinis, ſi efficacia & ardentia ſint, pendet felix ſanctuſque totius diei decurſus. Vnde ſolent ſapientes & virtutis ſtudioſi, manè diſponere opera totius diei, quid ſcilicet ſingulis horis facturi ſint, modumque faciendi ſibi præſcribere, atque omnia deinde Deo offerre, vt illi ſint grata, ipſeque ea dirigat & proſperet. Ex aduerſo impij inſtigante diabolo manè machinantur & deſtinant fraudes & ſcelera, quæ per diem operaturi ſunt, quibus diabolus paſcatur, ipſi fiant ſceleratiores, ac alios in eadem ſcelera verbo & exemplo pertrahant, ſed horum finis eſt gehenna, illorum.

Vnde Gloſſa Anagog. ſic exponit: *Benè conſurgit diluculo, qui quærit bona,* &c. *id eſt; ad vitam conſurgit in tempore reſurrectionis, quia nunc bona agit in tempore*
C *operationis: qui autem mala quæ dicat vel agat inquirit, eorum pondere ab altioribus retardatur.* Quocirca Abbas Siluanus in Vitis Patr. lib.7.c.43 (ſequor editionem noſtri Heriberti Roſweydi) docebat manè de omni virtute eſſe cogitandum: *Surgens manè* inquit, *ſumat initium ſapientiæ in omni virtute, & in omni mandato Dei, in magna patientia & longanimitate, & charitate Dei, cum humilitate animæ & corporis, in oratione & deprecatione, cum gemitu, cū puritate cordis & oculorum, & cuſtodia linguæ,* &c. *Cogita omni die mortem vicinam eſſe, & quaſi iam clauſus in monumento nihil de hoc ſæculo cures. Inedia eſcarum, humilitas & luctus non recedant à te. Timor Domini omni hora permaneat in te. Hæc ergo, & ſi qua alia virtus eſt in his, proſpice.* Et lib 5 libello 1.n.8. Abbas Joannes: *Per ſingulos dies,* inquit, *ſurgens manè de omni virtute ſume principium, & mandatum Dei cuſtodi in magna patien-*
D *tia, cum timore & longanimitate, in tribulatione cordis & obſeruationis, in oratione multa & ſupplicationibus, cum gemitibus, in puritate & munditia linguæ, & cuſtodia oculorum. iniuriam patiens & non iraſcens pacificus & non reddens malum pro malo: non attendens ad vitia alterum, neque teipſum exaltans: ſed eſto ſubditus & humilior omni creaturæ: renuntiando omni materiæ corporali, & his quæ ſecundùm carnem ſunt, in cruciatu, in certamine, in humilitate ſpiritus, in ieiunio, in fletu in laboribus, includens te ſepulchro tanquam iam mortuus, vt videatur tibi eſſe proxima mors omni die.*

Gnoma Patrum.

QVI CONFIDIT IN DIVITIIS SVIS, CORRVET: IVSTI AVTEM QVASI VIRENS FOLIVM GERMINABVNT] τὸ *virens* non eſt in Hebræo, ſed id Noſter ſubintelligit. Septuag. vertunt, *qui autem inhæret iuſtis,* ἀναιτεῖ. quod Complut. vertūt, *erie-* VERS.28.

tur;

tur; Romani, *germinabit*; Vatabl. *iuſti velut arbor frondibus ornata florebunt*. Senſus eſt clarus q.d. Qui ſpes ſuas fidenter & arroganter collocat in ſuis diuitiis potiùs quàm in Deo, ob eaſque ſecurus & ſuperbus omnia præſumit; hic *corruet*; Hebr. *cadet*, ſcilicet vt folium aridum decidit ex arbore: tum quia diuitiæ inſtabiles ſunt, cadunt & pereunt, vt qui hodie eſt diues, cras ſit pauper; qui hodie eſt Cyrus, cras ſit Irus, Iroq; pauperior: tum quia diuitiæ multis ærumnis & tribulationibus, ac præſertim iræ & vindictæ Dei, reſiſtere nequeunt, juxta illud Eccli. 5. v. 10. *Noli anxius eſſe in diuitiis iniuſtis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.*

A

IVSTI AVTEM QVASI VIRENS FOLIVM GERMINABVNT] quia ſpes ſuas in Deo reponunt, qui facit vt opera eorum inſtar virentis folij germinent producantque fructus gratiæ & gloriæ, qui perennent in omne æuum: folium enim ſemper virens, quale eſt cedri, lauri, palmæ, refert ſpeciem vitæ immortalis & æternæ, ait S. Ambr. in Pſal. 1. Vnde Lyran. Iuſti, ait, ſicut foliū virens germinabunt, id eſt proficient de bono in melius, ſicut ex caudice folij germinat calyculus, ex calyculo flos, ex flore fructus, v.g. pomum, nux, pyrum. Vnde R. Leui: *Sicut*, inquit, *ſub folio germen enaſcitur, ita iuſti in germen ſe induent, ut proferant fructus, quos à Deo ſperauerant.* Et Caietan. Iuſtus, inquit, imitabitur arborem folia proferentem: quia ſicut arbor folia virentia, ſic ipſe innumerabiles filios ſuæ juſtitiæ imitatores & aſſeclas progignet. Iuſtum accipio in genere, pro quolibet juſto & ſancto: licet noſter Salazar more ſuo juſtum arctet ad eleēmoſynariū, cuius folium virens eſt ſpes beatæ immortalitatis: vt ſenſus ſit. q.d. Sicut arbor veris calore confota folia virentia progerminat: ſic liberalis & miſericors (hic enim nomine juſti notatur, vt ſæpè aliàs animaduerti) charitatis calore & miſericordiæ æſtu tepefactus, ſpem pullulabit virentibus foliis quaſi vernantem, S. Chryſoſt. in illud Apoſtoli: *Oportet ſemper hæreſes eſſe. Sicut radix*, inquit, *in pingui plantata ſolo ſingulis annis tempeſtiuos affert fructus & folia, ſic & pecunia in manibus pauperum plantata nō ſolùm in ſingulos annos, ſed etiā in ſingulos dies ſpirituales nobis fructus foliaq; producit: fidentiam ſcilicet in Deum, peccatorum abſceſſum, conſcientiam bonam, lætitiam ſpiritualem, ſpem iucundam, & bona, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hoc eſt quod ait Paulus 1. Timoth. c. 6. 17. *Diuitibus huius ſæculi præcipè non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, diuites fieri in bonis operibus, &c. theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam.* Vide quæ ibidem annotaui.

B

Alludit Salomon ad illud Dauidis patris ſui: *Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur*, Pſal. 91. 13. Et illud de juſto: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur*, Pſ. 1. 3. Huc viciſſim alluſit Iſaias c. 35. 1. *Lætabitur deſerta, &c. & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.*

C

Arbor virtutū qualis? Vbi Nota Primò. Homo eſt quaſi arbor inuerſa, cuius radix, id eſt caput, vergit ſurſum verſus cælum, à quo rationem & mentem accepit: rami, id eſt pedes, ſunt in terra. Secundò, impij ſunt arbores ſteriles ſine fronde, flore, fructu: juſti verò ſunt arbores fructiferæ, & ſemper virentes inſtar palmæ & oleæ. Tertiò, folia ſunt verbum Dei, ait S. Aug. in Pſal. 1. aut, vt S. Ambr. ibidem, ſunt virtutes morales Gentilium: fructus ſunt virtutes Chriſtianæ & diuinæ. Aut, vt Origen. fructus ſunt juſtitia & amor ſapientiæ, folia verò ſunt opes & cetera, quæ ad vſum vitæ pertinent. Aut, vt Theodor. in Pſal. 1. flores & folia ſunt ſpes beatitudinis, fructus verò eſt ipſa beatitudo. Simpliciùs, fructus ſunt opera bona charitatis & virtutum in hac vita: ac laudis, gloriæ & confeſſionis Deo in altera putà in cælo. Iuſti ergo velut palmæ ſemper virent foliis & frondibus, id eſt virore & vigore animi & operationis; atque modeſtia, gratia & decore externæ conuerſationis, quæ quaſi folia fructus, id eſt virtutes internas ornant, tegunt, fouent, tuentur, indieſq; nouas eliciunt & progignunt. Quartò, hæc omnia habet juſtus, quia velut arbor plantatus eſt juxta aquas & fluenta gratiæ, legis & verbi Dei, à quibus rigatur, & perennem ſuccum vitalem ſugit. Ita Theodor. & S. Athanaſ. ibidem. Hinc Quintò, proſperè ſemper agit: quia à Deo regitur & gubernatur. Ita Euſeb. ibidem.

Symbolicè, arbor vitæ eſt Chriſtus in cruce erectus, cuius rami ſunt Apoſtoli virique Apoſtolici; quin & fideles omnes: agricola eſt Deus pater: radix eſt fides & ſapientia: folia ſunt ſpes & oratio multiplex: fructus ſunt electi qui ſalui fiūt. vel fructus eſt ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluens, vt ſanguine martyrium, aqua baptiſmū à ſe inſtitutum repræſentaret. Fructus crucis floruit in Patriarchis, germinauit in Prophetis, dedit odorem in incarnatione, maturuit in paſſione, comeditur poſt reſurrectionem, ita S. Chryſoſt. in Pſal. 1. *Funus enim Chriſti verſum eſt in fœnus immortalitatis.* Quocirca Beda hūc Salomonis verſum ſic explicat. q.d. *Qui confidit in diuitiis, &c.* hoc eſt, *qui præſentibus bonis inhians futura non cogitat, utriſque in nouiſſimo carebit: qui autem ſpe futurorum præmiorum bona faciunt in præſenti, iuſtè quod ſperant accipiunt Virens quippè in arbore folium fructus, quos nondum oſtendere habet, ſignat affuturos; & iuſti quaſi virens folium germinant: quia ſpe ſalui facti, in fidei ac virtutum gratia proficere non ceſſant.*

D

QVI CONTVRBAT DOMVM SVAM, POSSIDEBIT (Hebr. *hereditabit*) VENTOS: ET QVI STVLTVS EST, SERVIET SAPIENTI] Hebr. *& ſeruus ſtultus ſapienti corde*; Septuag. *qui non conuerſatur domi hereditabit ventum: & ſeruiet imprudens prudenti*; græcè, *μὴ συμπεριφερόμενος*, quos alij aptiùs ad rem præſentem vertunt, *qui domi ſe facilem & comem non exhibet*, de quo mox. Nam συμπεριφέρεσθαι & conuerſari & facilem ſe præbere ſignificat. Poſterius ſignificatum hoc loco exigit. Hebr. עכר *ocher*, id eſt *perturbans domum ſuam*. VERS. 29.

Iam primò, Syrus ſic vertit & explicat: *Qui ædificat domum ſuam in oppreſſione, relinquit filiis ſuis ſuſpiria: qui non congregat in domo ſua, diuidit ventos filiis ſuis*. q.d. Pater qui opes per vſuras fraudes & rapinas colligit, aut eas dilapidat, huius patrimonium abibit in ventum, nec filiis aliam hereditatem relinquet quàm ventum, id eſt nihilum. *Varij ſenſus. Primus.*

Secundò, Tigur. vertit, *qui perturbat domum ſuam, ventum hereditate accipiet: & ſeruus ſtulti ad ſapientem corde trāſit*. q.d. Herus qui ſeruos & ancillas vexat, obiurgat, verberat, fame conficit; hic faciet eos fugaces, vt inſtar venti ab eo aufugiant, & tranſeant *Secundus.*

ad

ad herum prudentem, qui eos clementer & humaniter tractet.

Tertiò. Tertiò, Vatabl. q.d. *Qui perturbat domum*, id eſt qui dilapidat rem familiarem, tandem nihil eſt habiturus: *& ſtultus erit ſeruus ſapienti corde*, id eſt, quidquid ſtultus poſſidet habiturus eſt ſapiens: bona ſtulti quaſi ab indigno poſſeſſore auolabunt ad ſapientem, quaſi iuſtum ſui herum & dominũ. Accedit R. Leui: Vox ſerui, inquit, fortuitos caſus ſignificat. q.d. Opera laborque vecordis in ſapientis vtilitatem cedet, juxta illud: *Iniuſtus præparat, iuſtus autem induetur*.

Quartò. Quartò, Caiet. q.d. Pater crudelis ſæuiens in filios, priuat ſe poteſtate patriâ in filios, vel quia filij ab eo aufugiunt, vel quia princeps eos poteſtate tyrannicâ patris eximit: vice verſâ pater ſapiens filium inſipientem & proteruum humanitate ſuâ in ſuam redigit poteſtatem.

Quintò. Quintò, auctor Catenæ Græc. & Septuag. ſic vertit, *qui domui ſuæ ſe facilem commodumq; & comem non exhibet, ille poſſidebit ventos: qui autem mente caret, ſeruiet prudenti*. idque ſic explicat: *Qui de quolibet domeſtico incommodo incenditur* (ira excandeſcit, litigat, vociferatur, &c.) *extorris tandem à patria fiet, & ab auræ intemperie humiliabitur: debet autem commodus frugiq; paterfamilias omnibus, quoad eius fieri poteſt, ſeſe accommodare, debet exempli cauſa vxori tamquam vaſi infirmiori nonnulla indulgere, illiq; in quibus licitè valet, gratificari: debet, ne leui de cauſa filios in iram, aut animi triſtitiam conijciat, ſummopere cauere: debet fratres egeſtate preſſos ope & auxilio ſubleuare: debet ſeruis iuſtitiã & æqualitatem adminiſtrare: debet deniq; omnibus quod æquum & iuſtum eſt præſtare, enixeq; vt omnia hæc faciat, contendere. Per ventum autem accipere licet animi ægritudinem ex intempeſtiua ira natum. Stultus autem ſeruiet prudenti: nam prudentia valens dat operam, vt inſipientes ad ſe attrahat, & in ſuum vſum conuertat.*

Sextus genuinus. Sextò & genuinè. q.d. Inſipiens & ſtultus, qui domum, id eſt familiam, ſuam perturbat, ſiue litigiis & rixis malaque adminiſtratione eam vexando & diſſipando, ſiue gulâ & luxuriâ dilapidando rem familiarem, hic hereditabit ventum, id eſt, ad nihilum extremamque inopiam redigetur, ideoque ipſe quaſi ſtultus cogetur ſeruire ſapienti, qui res ſuas ac reditus fundoſque adminiſtret, vt eos in integrum vel ex toto, vel ex parte, reſtituat, juxta illud Eccl. 10.28. *Seruo ſenſato liberi ſeruient.*

Simili modo Ariſtot. 1. Polit. c. 3. & 4. aſſerit ſapientũm eſſe regere, inſipientum verò regi à ſapientibus. Et Philo lib. Quòd deterius poſter. inſid. *Sapiens*, inquit, *dicitur Deus inſipientis*, juxta illud Dei ad Moſen: *Conſtitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7.1. Et S. Greg. Nazianz. de ſapiente & fideli Epiſcopo: *Pronubus*, inquit, *animarum, &, vt ita dicam, Deus eſt, aliosq; deos efficit.*

Myſticè Gloſſa: Stultus ſeruit ſapienti, id eſt, inquit, impius viuit pio: ille damnatur, iſte accipit brauium, pro quo certabat.

Tropolog. Tropol. S. Greg. 20. Moral. cap. 19. *Dum iniuſti ſæuiunt*, inquit, *iuſti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando ſemper ad melius format. Vnde rectè quoque per Salomonem dicitur: Qui ſtultus eſt ſeruiet ſapienti. Et tamen ſæpè conſpicimus ſapientes ſubeſſe, ſtultos verò arcem dominij tenere: ſapientes ſeruiliter obſequi ſtultos tyrannicâ elatione dominari. Quomodo igitur definitione diuinæ ſententiæ ſapienti ſtultus ſeruit, dũ plerumq; hunc iure temporalis dominij comprimit? Sed ſciendum eſt quia contra ſapientis vitam, dum ſtultus præeminens terrorem poteſtatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumelijs lacerat, profectò hunc ab omni vitiorum rubigine vrendo purgat. Stultus ergo ſapienti etiam dominando ſeruit, quē ad meliorem ſtatum premēdo prouehit. Sic nonnumquam pupillis dominis ad diſciplinæ magiſteriũ ſerui præſunt, terrent, premunt, feriunt; & tamen eſſe ſerui nullo modo deſiſtunt: quia ad hoc ipſum ordinati ſunt, vt proficientibus dominis etiam ſeriendo famulentur. Quia igitur mala reproborum bonos dum cruciant, purgant, vtilitati iuſtorum militat etiam poteſtas iniquorum.* Sic & Beda, qui & inſuper addit, eum qui perturbat domum animæ ſuæ, paſcere ventos, id eſt oblectare dæmones. *Stultus*, inquit, *eſt peccator quilibet, qui dum vitã ſapientis, hoc eſt iuſti, inuidet, atque inuidendo perſequitur, ad probationem eius velut ignis auro deſeruit. Qui mentem ſuam tumultibus cogitatuum noxiorum conturbare non metuit, hanc vtique malignorum ſpirituum fluctibus, quibus obruatur, aperit. Et qui ſtultus eſt, ſapientem perſequitur. Per hoc ei etiam dominando ſeruiet: quia patientiam eius premendo probatiorem reddit, vt ſe videlicet damnato, ille brauium pro quo certabat accipiat.*

FRVCTVS IVSTI LIGNVM VITÆ: ET QVI SVSCIPIT ANIMAS SAPIENS EST] Chald. *& ſuſceptrix animarum eſt ſapientia*; Caiet. *& capiens animas eſt ſapientia*. *Lignum vitæ* eſt arbor vitæ, ſiue vitalis, qualis creata fuit in paradiſo ad prorogandam homini vitam, Geneſ. 2. 9. Jam *lignum* ſiue arbor *vitæ* ponitur pro fructu arboris vitæ. Sic enim verba aptè ordinãda ſunt q.d. Fructus juſti eſſe inſtar fructus ligni vitæ, quem ſcilicet proferebat arbor vitæ. Arbor enim vitæ myſticè eſt ipſa ſapientia & juſtitia, & conſequenter ipſe ſapiens & juſtus: fructus verò eius ſunt opera juſta & ſancta. Senſus ergo eſt. q.d. Juſtus eſt ſimilis arbori vitæ: ſicut enim hæc ſita in medio paradiſi ſuaues & gratos proferebat fructus, qui homini prorogaſſent vitam, & conciliaſſent immortalitatem, ex quibus cuilibet accipere licebat quantum volebat. Ipſa enim arbor omnibus erat expoſita, ac copia & ſuauitate fructuum omnes ad ſe inuitabat & alliciebat. Sic pariter juſtus ſua ſapiẽtia & virtute ſuaues & gratos edit juſtitiæ fructus, quibus tã ſibi quàm aliis, quos verbo & exemplo juſtitiam docet, conciliat vitam æternam & beatam immortalitatem, atque eos omnibus offert, iiſque omnes ad ſe allicit & inuitat. Quare juſtus qui *animas ſuſcipit*, hebr. לקח *lokeach*, id eſt *capit*, id eſt, vt Vatabl. *inſcat*, allicit ac trahit ad ſe, & ad Deum, hic vtique ſapiens eſt: ſapit enim non tantùm ſibi ſed & aliis, quos erudit, juſtificat, & rectâ ſemitâ ducit ad beatam æternitatem. Vnde Pagnin. vertit, *qui docet animas ſapiens eſt*: לקח *lacach*, enim ſubinde ſignificat docere: vnde לקח *lecach*, vocatur doctrina, quia eam diſcipulus ab ore doctoris excipit & ſuſcipit. Hoc eſt quod ait Daniel. c. 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Rurſum *ſuſcipere* in Script. eſt opitulari, dirigere, fouere, protegere, vti patet paſſim in Pſalmis. Suſcipere ergo animas, eſt eis auxiliari, eaſque omni ope & opera dirigere ad virtutem & ſalutem. VERS. 10.

Porrò quòd Septuag. additâ de more impiorum antitheſi, vertunt, *de fructu iuſtitiæ naſcitur arbor vitæ: auferentur autem intempeſtiuè animæ iniquorum*, & Syrus, *exterminabuntur animæ impiorum* & Arabicus,

bicus, *ex fructibus iuſtitiæ modificabitur arbor vitæ; & animæ declinantium à lege remouebuntur ante terminum ſuum*; ſimilem habet ſenſum. q.d. Ex juſtitia quaſi ex ſemine pullulat arbor vitæ, id eſt vitæ præſentis longæuitas & felicitas, ac futuræ beata æternitas, ſimilis illi, quam conferebat eſus pomi arboris vitæ: vice verſa iniqui citò & immaturè ante ſenectam, imò ante ætatem virilem ex hac vita auferentur. Cùm enim vita à Deo detur & prorogetur ad faciendam juſtitiam, qui eam non facit, ſed iniquè viuit, hic vtique vita meretur à Deo priuari. Similis fuit gnome c. 3. 18. vbi de ſapientia, id eſt juſtitia, dicitur: *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus.* Vide ibi dicta.

Noſter Salazar rurſum hæc arctat ad eleëmoſynam. q.d. Juſtus, id eſt miſericors, mercedis loco capiet arborem vitæ, id eſt, vitam non ſecùs producet quàm ſi fructu ligni vitæ veſceretur, ætatis indies labantis jacturas quotidie redimens. *Et qui ſuſcipiet animas, ſapiens eſt.* q.d. Quapropter qui ſuſcipit animas, id eſt qui multos pauperes ſubleuat, qui peregrinos excipit, & neceſſariis emolumentis donat, &c. hic verè & ex animo ſapit. Hæc expoſitio appoſita eſt, ſed arctior, nec adæquata, vt patet ex dictis.

Myſticè, auctor Catenæ Græc. per *lignum vitæ* accipit perfectam Dei notitiam quæ ex juſtitia naſcitur: *De prouentu iuſtitiæ naſcitur arbor vitæ*: hoc eſt, inquit *finis virtutum eſt iuſtitiæ fructus; harum autem perfectio eſt notitia Dei, quæ lignum vitæ interdum appellatur.* Vide quæ de ligno vitæ dixi c. 3. 18. Gen. 2. 9. Apoc. 2. 7. & c. 22. 2.

Sancti eſt ſuſcipere animas.

Moral. diſce hic ſapientis & ſancti eſſe ſuſcipere animas etiam peccatis oneratas, ærumnis afflictas, tentationibus oppreſſas, ignorantiâ cæcas, angoribus & ſcrupulis implicatas, &c. eaſque ſubleuare, conſolari, roborare, illuminare, expedire, Deoque ſaluti & cælo reſtituere. Anima enim etiam vnica viliſſimi ruſtici, Indi, vel barbari, pluris eſt, maioriſque pretij quàm ſit cælum & terra totumque vniuerſum. Ipſa enim eſt viua imago Dei & S. Trinitatis, creata ad eius gloriam, vt ipſum in æternum laudet & celebret: cùm anima quæ peccato perditur, perpetim Deum & Sanctos execretur & blaſphemet in gehenna. Ita animas quaſlibet ſuſcipiebat Chriſtus, quaſi verus earum paſtor. Vnde ipſe ait Ioan 10. *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Et S. Paulus Rom. 15. 7. *Propter quod ſuſcipite inuicem*, inquit, *ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.* Ita omnes ſuſcipiebat

Exemplum S. Ambroſij.

S. Ambroſ. uti habet eius Vita: *Facillimi*, inquit, *ad eum aditus, etiam infirmis; palàm omnibus eum alloqui cupientibus ſanctus vir propoſitus erat, nullus ingredi à ianitoribus vetabatur, imò nec aduentũ alicuius ſibi voluit nunciari: omnes ad ſe venientes benignè excipere, vniuſcuiuſque audire negotia, commodis & opportunitatibus omnium inſeruire, ſingulorum leuare moleſtias, & perferre miſerias & infirmitates conſueuit.* Et inferiùs: *Quotieſcumque illi aliquis ad promerendam pœnitentiam lapſus ſuos confitebatur, ita afficiebatur commiſeratione, vt flens aliena ſicut ſua peccata ad fletum pœnitentem etiam commoueret: & cauſas criminum quas illi confitebatur nulli niſi Domino apud quem intercedebat, loquebatur.* Hæc Paulinus in Vita S. Ambr. Ita ipſe ſuſcepit S. Auguſtinum tunc iuuenem Manichæum & concubinarium, dum eum ad fidem & caſtitatem conuertit. Ita ſuſcepit Theodoſium Imper. poſt cædem Theſſalonicenſium, dicens: *Qui ſecutus es errantem* (Dauidem) *ſequere pœnitentem.*

Mirus in hac re fuit Vitalius, qui quotidie laborando manibus pretium laboris impendebat in meretrices, vt eo fornicationem illarum redimeret. vti refert Leontius Neapolis in Cypro Epiſcopus in Vita S. Joannis Eleëmoſ. *Ingrediẽs*, inquit, *ciuitatẽ ſcribit omnes quæ notæ erant meretrices, & cæpit laborare opuſcula. & accipere per ſingulos dies ſiliquã vnam. Cùm ergo occumberet ſol, manducabat unius æreì lupinos. Et intrabat ad vnam meretricem, & dabat ei æreos nummos, & dicebat: Dona mihi noctem iſtam, & noli fornicari. Et manebat iuxta eam nocte illa obſeruans eam ne fornicaretur. Stabat ergo à veſpere in uno angulo cellulæ, vbi dormiebat mulier, pſallens & orans pro ea, & mittens genuflexiones vſque ad auroram, & exiens accipiebat verbum ab ea, quòd nulli diceret actionem eius.* Sic & S. Simeon cognomento *Salus*, ſcortationem meretricum dato eis pretio redimebat, vti refert idem Leontius in eius Vita: qui & addit, eum à Deo donum caſtitatis accepiſſe adeò eximium, vt etiam cum meretricibus conuerſans, omni prorſus libidinis ſenſu careret.

Vers. 31.

SI IVSTVS IN TERRA RECIPIT, QVANTO MAGIS IMPIVS ET PECCATOR | Aliqui hanc ſententiam exponunt de juſti præmiis, quaſi ea opponantur iniuſti ſuppliciis. q.d. Si Deus juſtos non tantùm in futura vita præmiat, ſed & in præſenti multis cumulat dònis; quanto magis impios non tantùm in gehenna puniet, ſed & in præſenti vita multis cruciabit afflictionibus? Vnde aliqui Hebræi ſic vertunt, *iuſtus pacem habebit in terra*, Hebr. enim שָׁלֵם *ſcilam* & pacare & retribuere ſignificat; Chald. *ecce iuſtus in terra roboratur: impij autem & peccatores de terra perdentur.*

Meliùs alij paſſim hæc accipiunt de tribulationibus juſtorum. q. d. Si juſti ob leues & veniales culpas in hac vita tot caſtigantur ærũnis, quomodo caſtigabuntur impij ob grauiſſima ſcelera non tam in hac vita quàm in gehenna? Vnde Septuag. quos ſequitur S. Petrus epiſt. 1. c. 4. 18. vertunt, *ſi iuſtus quidem vix ſaluatur, impius & peccator vbi parebunt*; Arabicus, *peccator vbi apparebit*; Caietan. *ecce iuſtus in terra emendabitur*; Syrus, *ſi iuſtus vix viuit, impius & peccator vbi reperietur*? q d. Si juſtus magno cũ labore per multas tribulationes ad ſalutẽ eluctando ægrè pertingit, quanta pro tot enormibus ſceleribus ſupplicia luent impij in gehenna? Hinc illa S. Hilar. tremebundi in morte ad animã vox: *Septuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto, & mortẽ times?* Ita S. Ambr. l. 2. Apologiæ Dauid c. 3. *Si iuſti*, inquit, *pœnæ attrocioris receperũt ſententiã, tu quemadmodũ tibi ſpem impunitatis proponis, cũ Scriptura dicat: Si iuſtus vix ſaluus ſit, peccator & impius vbi parebunt?* Et S. Aug. lib. 20. contra Fauſtum: *Quid enim iuſtius vnico* (Dei filio) *cui tamen Deus non pepercit? Et quid euidentius quòd nec iuſtis parcat, emendans eos varietate tribulationum? ideo de hac re apertè ſit dictũ: Et ſi iuſtus vix ſaluus erit.* Et S. Greg. 26. Moral. c. 17. *Peccata*, inquit, *nequaquã diuina ſeueritas inulta remanere permittet, ſed iram iudicij à noſtra* (iuſtorum) *hîc correptione incipit, vt in reprobatione damnatorum tamquam in fine motus conquieſcat*: ſicut lapis mouetur per aërẽ, ſed in terra quaſi in cẽtro conquieſcet. Fusè & exactè hanc ſententiã explicui, 1. Petr. 4. 18. quare hîc ea non repetam, nec actum agam. Porrò Lyran. per exempla ſic eam explicat: *Si Martyres*, inquit, *tanta patiun-*

patiuntur iniuſtè: quanta tormenta manent eorum torto-reſſi Iob, Tobias, & alij Dei electi tanta in hac vita paſſi ſunt, quid miramur ſi nos longè inferiores aliqua afflictio tangat? etſi enim impij non ſumus, certè ſi nos peccatores A *negamus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt,* 1. Ioan 1. Huc facit illud Catonis:

Quod meritò poteris, patienter ferre memento:
Cumq́; reus tibi ſis, ipſum te iudice damna.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

MOre ſuo proponit anthiteſes diligentis diſciplinam & eam odientis, impij & iuſti, operantis & otioſi, ſtulti & ſapientis, veracis & mendacis, fidelis & fraudulenti: ſæpius verò inculcat bona & mala linguæ, putà à v. 13. vſque ad 20. & à v. 22. vſque ad 24.

1. QUi diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit increpationes, inſipiens
eſt. 2. Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogi-
tationibus ſuis, impiè agit. 3. Non roborabitur homo ex impietate: & radix juſto-
rum non commouebitur. 4. Mulier diligens, corona eſt viro ſuo: & putredo in oſſi-
bus eius, quæ confuſione res dignas gerit. 5. Cogitationes juſtorum judicia: & con-
ſilia impiorum fraudulenta. 6. Verba impiorum inſidiantur ſanguini: os juſtorum
liberabit eos. 7. Verte impios, & non erunt: domus autem juſtorum permanebit.
8. Doctrina ſua noſcetur vir: qui autem vanus & excors eſt, patebit contemptui.
9. Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorioſus indigens pane. 10. Nouit
juſtus jumentorum ſuorum animas: viſcera autem impiorum crudelia. 11. Qui ope-
ratur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt. Qui
ſuauis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam.
12. Deſiderium impij munimentum eſt peſſimorum: radix autem juſtorum proficiet.
13. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem juſtus de angu-
ſtia. 14. De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis, juxta opera manuum
ſuarum retribuetur ei. 15. Via ſtulti recta in oculis eius: qui autem ſapiens eſt, audit
conſilia. 16. Fatuus ſtatim indicat iram ſuam: qui autem diſſimulat iniuriam, calli-
dus eſt. 17. Qui quod nouit loquitur; index juſtitiæ eſt: qui autem mentitur, teſtis
eſt fraudulentus. 18. Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientiæ: lingua
autem ſapientum ſanitas eſt. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui
autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacij. 20. Dolus in corde co-
gitantium mala: qui autem pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium. 21. Non
contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo. 22. Abo-
minatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. 23. Homo
verſutus celat ſcientiam: & cor inſipientium prouocat ſtultitiam. 24. Manus for-
tium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt tributis ſeruiet. 25. Mœror in corde viri
humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur. 26. Qui negligit damnum pro-
pter amicum, juſtus eſt: iter autem impiorum decipiet eos. 27. Non inueniet frau-
dulentus lucrum: & ſubſtantia hominis erit auri pretium. 28. In ſemita juſtitiæ, vita:
iter autem deuium ducit ad mortem.

Vers. 1. QVI DILIGIT DISCIPLINAM, DILIGIT SCIENTIAM (Septuag. *ſenſum:*) QVI AVTEM ODIT INCREPATIONES, INSIPIENS EST] Arabicus *qui amat diſciplinam, amat bonitatem,* vel *beneficium.* Pro *diſciplinam,* hebr. eſt מוסר *muſar,* id eſt caſtigationem, correptionem, increpationem. Vnde Tigur. *Qui diligit caſtigationem, diligit ſcientiam: qui verò caſtigationem odit, obbruteſcit,* id eſt fit bardus & brutus hoc enim eſt Hebr. בער *baar.* Per *ſcientiam* intellige practicam, putà morum conformationem, honeſtatem & virtutem.

Senſus ergo eſt: Qui amans eſt diſciplinæ, ac, cùm ab officio & à recto aberrat, ſinit ſe corrigi, libentique animo correptionem excipit; hic vtique amat ſcientiam morum, putà honeſtatem & virtutem, ac proinde verè ſapit, verè philoſophus, B id eſt, amator ſapientiæ eſt, qui autem odit increpationem, nec, cùm malè agit, patitur ſe corripi; hic vtique inſipiens eſt, idque Primò, quia oſtendit ſuam ſuperbiam & arrogantiam, quà putat ſe plus ceteris ſapere, ideoque ſua vitia & defectus ſtolidè & ſuperbè defendit. Secundò, quia in errore & vitiis pertinaciter perſiſtit, nec inſtrui & corrigi vult; ideoque incorrigibilis & inemendabilis eſt. Tertiam cauſam mox ſubiiciam ex Antiocho. Quare ſicut æger deſipit, qui ægritudinem non agnoſcit, nec ei cauterium aut pharmacum acrius admoueri patitur, itaque in ægritudine manet & moritur: & ſicut à via aberrans deſipit, ſi nolit in rectam viam reduci: & ſicut diſcipulus à veritate declinans deſipit, ſi nolit à magiſtro emendari & inſtrui: ſic prorſus deſipit, qui à virtute &

Odiens diſciplinam eſt inſipiens. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

 via,

via ſalutis aberrans non vult corrigi, inſtrui, dirigi, & in viam virtutis & ſalutis reponi. Ita S. Chryſoſt tom. 3 homil. de ferendis reprehenſ. *Qui*, inquit, *odit reprehenſiones, ait Salomon inſipiens eſt. Non dixit, ſic vel ſic redargui, ſed tantùm redargui: nam ſi quidem iuſtè arguit amicus, agit vt peccatum corrigatur: ſin abſq; ratione & immeritò, jam laudanda eſt voluntas eius, & probanda intentio mentis, agnoſcendumq́; & teſtandum amicitiæ beneficium. Non enim reprehenderet, niſi multum diligeret. Proinde ne ſtomachemur, nec ſuccenſeamus cùm arguimur.* Cauſam ſubdit: *In peccatis*, inquit, *id efficiunt reprehenſiones, quod in vulneribus remedia. Idcirco ſicut inſipiens eſt qui pharmaca reiicit, ita & ſtultus eſt qui non grato animo ſuſcipit reprehenſiones.* Addit ſimile ex ſole: *Quid lucidius ſole? Et tamen lux eius deficit. Et profectò ſicut lucidam illam lucem ſæpenumerò ſupervenientes tenebræ obtegunt, ita & intellectum noſtrum quaſi in meridie fulgentem & perſpicuum inconſiderantia obrepens tenebroſum reddit: & nonnunquam euenit, vt ſapiens non videat quod oportet, & minor & hebetior clarè & acutè illud perſpiciat.* Vnde concludit S. Chryſoſt. *Correptionem bene ferre, non vulgaris, ſed ſummæ philoſophiæ præconium & laus eſt.* Sic quoque explicat Antiochus hom. 68. *Homo*, inquit, *ſi quidem de ſe quàm modeſtiſſimè ſentit, ſeq́; pro abiecto habet & vili, multa cum animi voluptate & beneuolentia exoptat, quæ in ſe recidunt correptiones, aut quamlibet aſperam obiurgationem. Beatus monachus, qui ſe aliud eſſe cenſet nihil, quàm omnium peripſema.* Peripſema, inquit Scholiaſtes, eſt ramentum & limatura, quâ ſcilicet monachus omnium judiciis & cenſuris quaſi limis ſe corrigendum, radendum in humilitate omnique virtute expoliendum ſubiicit. Probat id Antiochus: *Qui odit increpationes, inſipiens eſt; quia ei impendet non ſimplex tribulatio: qui autem diligit eas, liquet hunc iam nullâ percelli animi perturbatione; ſed ſedato eſt animo. Quàm igitur profuerit benignè eos excipere qui nos ſuis exercent ſannis & ſcommatibus, quamlibet amarulentu præ illis qui nos adornant ſuis commentitiis laudibus, qui iuxta Script. differunt ab eo qui maledicit!*

Inſuper S. Auguſt. ſcripſit librum de Correptione & gratia, in quo obiicientibus Pelagianis neminem debere corripi, quòd corrigere vitia ſit opus gratiæ Dei; non liberi arbitrij & humanarũ virium, vti faciebat S. Auguſt. & Orthodoxi: reſpondet cap. 5. *Quicumque corripi non vis, ex eo, ſanè corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tua tibi vitia demonſtrari: non vis vt feriantur, fiatq́; tibi vtilis dolor quo medicũ quæras: non vis tibi tu ipſi oſtendi, vt, cùm deformem te vides, reformatorẽ deſideres, eiq́; ſupplices ne in illa remaneas fœditate.* Et poſt pauca: *Dolor quippe ille quo ſibi diſplicet, quãdo ſentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum, vt Deo miſerante, incremento caritatis adiutus, deſinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda & gratanda.*

His adde apophthegmata S. Aug. lib. de Correptione: *Melius eſt à iuſto miſericorditer corripi quàm fallaciter laudari*, ita ipſe in Pſal. 140. *Nemo corripitur & inſtruitur ſine labore & dolore: quia virtus in infirmitate perficitur.* In pſal 89. *Correptio ad emendationem pertinet, redargutio furoris, id eſt accuſatio ad damnationem.* In pſ. 6. *Quem non corrigunt verba, corrigent experimenta*, ſer. 50 de Tempor. *Non corrigimur niſi dono Dei.* Homil. 2. inter 50. *Veritas etiam per iniquos corripit peccatores.* Ibid. hom. 5. Huc facit prouerbium Sixti Philoſophi n. 237. *Qui ſapienti non obtemperat, nec Deo obtemperabit.*

A QVI BONVS EST, HAVRIET GRATIAM (Hebr. רצון *ratſon*, id eſt beneuolentiam, fauorem, gratiã) A DOMINO: QVI AVTEM CONFIDIT IN COGITATIONIBVS SVIS, IMPIE AGIT] Hebr. eſt ירשיע *iarſcia*, quod cùm ſit in *hiphil*, ſignificat Primò, valdè impiè agere, vt patet Daniel. 9. v. 5. & cap. 12. v. 10. Secundò, ſignificat impietatis reum agere & condemnare. Vnde Pagnin. vertit, *& malas habentem cogitationes condemnabit*; & Tigur. *ſceleſtus impietatis condemnabitur.*

Igitur ſenſus generalis & adæquatus eſt, q. d. Vir bonus, qui bonitati & bonis actionibus, quibus Deo placeat, aſſiduè intendit, hic hauriet à Deo gratiam, vt de bono in melius proficiat, juxta illud. *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*, Pſal. 83 8. *Qui autem confidit in cogitationibus*, B Hebr. *vir cogitationum*, vel machinationum & imaginationum. qui ſcilicet ſuas imaginationes ſequitur, iiſque totus innititur, non Deo Deique voluntati & legi; hic aſſiduè impiè aget, ac quotidie de vna impietate progredietur ad aliam, de minore ad maiorem; donec culmen impietatis conſcendat, fiatque totus impius, indeque cum Lucifero à Deo præcipitetur in tartara. Vnde Chald. vertit, *bonus eſt qui ſuſcipit voluntatem Dei: viri impij conſiliũ infringetur*; Syrus, *benefiet viro qui cuſtodit voluntatem Domini: impius condemnatur*: Aquila, *bonus* ὑπερεκχύσει, id eſt *ſupereffundit*, vel potiùs *abundè & affluentèr hauriet beneplacitum & gratiam à Domino.* Vnde Beda appoſitè & clarè ſic explicat: *Qui bonus eſt non confidit in cogitationibus ſuis, ſed Domini gratiam quærit, & quæſitam inuenit: per illam verò accipit, vt piè viuere poſſit. Qui autem in cogitationibus ſuis fidit, bonus eſſe* C *nequit: nam quia gratiam ſuperni adiutoris petere non curat, meritò in impia actione perdurat.*

Porrò, *bonus* hîc quilibet *iuſtus* intelligitur, ſed præſertim *humilis*, inquit Beda & Hugo, qui humiliter diſciplinam & correptionem, de qua præceſſit, excipit: hic enim directè opponitur ſuperbo, qui in ſuis cogitationibus confidens diſciplinam reſpuit. Humilis enim ſua humili ſubmiſſione, quâ ſe inſtruenti & corripienti ſubiicit, meretur inſignẽ à Deo gratiam, qua tum vitium de quo corripitur efficaciter corrigat, tum ſe in virtute oppoſita ceteriſq; valdè promoueat. Vnde Antiochus hom. 68. jam citata: *Vir humilis*, inquit, *incredibili lætitia perfunditur tacitus ſuper correptione priuata, & contemptu, magis quàm pro exhibito honore, & proprij celebritate nominis: vnde & talis à Deo prædicatur beatus, iuxta Iſaiæ teſtimonium: Sanctificate eum qui extenuat animam* D *ſuam: qui autem odit correptiones, imprudens.* Sicut enim hauriens aquam, eo puriorem & copioſiorem haurit, quo maior eſt putei profunditas, ex quo haurit: ſic & juſtus eo maiorem & copioſiorem Dei gratiã prolicit, quo maior eſt animi eius humilitas & demiſſio: ex hac enim velut è puteo haurienda eſt aqua vitæ, putà Dei gratia.

Denique Septuag. habent, *melior* (minùs rectè Complut. legunt, *melius*) *qui inuenit gratiam à Domino: vir autem iniquus tacebitur.* Quæ ſententia obſcura eſt & hiulca: vnde eam pleniùs & clariùs ſic effert Catena Græcor. *Melior vel præſtantior eſt, qui gratiam inuenit apud Dominum, quàm qui honoratur apud homines: vir autem iniquus legiſq; præuaricator ſilentio obruetur. Etenim*, vt ibidem ait Didymus, *comperiuntur quidam boni boniſq́; actionibus intenti, ſolò Deo noti. Hos autem illis præfert, qui apud homines honorantur, magniq; ſunt. Qui enim apud homines commendan-*

mendatur, ſæpenumero eiuſmodi laudem & commendationem in ſuperbiam vertunt: at qui ſoli Deo cogniti probatiq; ſunt, illi virtutem vſque ad finem incontaminatam conſeruant: nec iniuria. Verùm apud homines iniquos & improbos nihil eiuſmodi locum habet: quandoquidem apud illos omnia ſunt peruerſa & diſtorta.

Gnome philoſoph.

Huic ſententiæ Salomonis parallela eſt illa Platonis in Theæteto: *Deo nihil eſt ſimilius, quàm cùm ex hominibus aliquis iuſtiſſimus eſt. In hoc nimirum & vera hominis præſtantia & facultas verſatur, & quantum inde homo abſcedit, οὐδενία & ἀνανδρία, id eſt nullitas, & huiuſmodi quædam ignauia ſiue imbecillitas, vt hominis nomen amittat, ſanè exiſtit.* Et rurſum: *Philoſophia & vera ſapientia eſt, animi reditus è tenebroſa iſta vita, quæ potiùs nox quàm dies appellanda eſt, ad veram illã mentis lucẽ.* Et illa Pindari in Iſthmiis ode 6. *Si quis delectatus labore exercet à Deo ſtructas virtutes, ſimul Deus illi amabilem gloriam ſerit, iam ad vltimos felicitatis fines appellens anchoram iecit, diuinitus honoratus exiſtens.* Et illud Sixti non Pontificis, vt voluit Ruffinus, ſed Philoſophi Pythagorici n. 1. *Fidelis homo, electus homo eſt. electus homo, homo Dei eſt: homo Dei eſt, qui Deo dignus eſt: Deo dignus eſt, qui nihil indignè agit.*

Moral: de emenda correptione.

Moral. ex hoc verſu & præced. diſce, quàm fideles virtutis ſtudioſi, præſertim Religioſi, debeant faciles eſſe in admittenda diſciplina, correptione, obiurgatione & caſtigatione, imò eam amare deſiderare & ambire. Hæc enim eſt ſcala ad vitæ emendationem, ad humilitatem, ad patientiam omnemque virtutem & perfectionem. Quocirca Antiochus Abbas Lauræ S. Sabæ, qui ante mille annos floruit eo tempore, quo Heraclius Imp. ſanctam crucem reportauit Hieroſolymam ſub annum Domini 614. Antiochus inquam homil 68. jam citata: *Sanè*, inquit, *quàm eum par eſt magnum cenſeri & admirabilem, qui cùm increpatur acriùs, & ignominia non leni aſpergitur, perfert tamen, quemadmodum honeſta illa Chananitis, magniq; meriti, quæ quidem ſimul atque à Domino audiſſet, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere catellis; non modò indignata non eſt, ſed ex diuerſo ſeipſam extenuans reſpondit: Imò Domine; etenim catelli edunt de buccellis quæ cadunt de menſa dominorũ ſuorum. Hoc reſponſo in admirationẽ tantæ iſtius & humilitatis & fidei ſe ſurrigẽs Dominus, dixit: O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* B. Iſaias Abb. orat. 8. inter alia apophthegmata hoc habet: *Si quis reprehendit te propter rem aliquam quam feciſti, vel non feciſti, ſi taces, Ieſu te ſimilem præbes: ſin reſpondes: Quid, inquiens, feci? non ampliùs ei ſimilis es. At ſi par pari refers, es omnino diſſimilis.* B. Dorotheus doctrina 21. docet efficax remedium aduerſus quælibet peccata eſſe patientiam correptionis.

Verùm præ aliis ſublimiter & diuinè hoc argumentum tractat Joannes Climacus gradu 4. de obedientia. Accipe pauca è multis: *Sicut crudele eſt*, inquit, *ex ore famelici infantis manibus panem rapere, ita & ſeipſum & operarium lædit, qui animas ſuſcipit regendas, niſi illi coronas quantas illum ſuſtinere poſſe nouit, horis ſingulis prouidere ſatagat. ſiue per contumelias, ſiue per ignominias, ſiue per obiectiones, ſiue per ludibria. Tria enim maximè cauenda committit. Primum, quòd ipſe increpationis mercede priuatur. Secundum, quod aliis ex alterius virtute prodeſſe poſſet, id agere omiſit. Tertium verò eſt, quod eſt grauiſſimum, quòd ij nonnumquam qui videntur eſſe probatiſſimi, & laboris patientiſſimi, ſi ad tempus negligantur, atque iam vt virtutibus prælati non corripiantur, ſiue probris atque iniuriis non afficiantur, ea quæ in eis inerant modeſtiâ & tolerantiâ deſtituentur. Nam etſi bona & frugifera pinguiſq; terra eſt, conſueuit tamẽ aquæ, id eſt ignominiæ defectu, illam infructuoſam ac ſilueſtrem efficere, ſpinaſq; fornicationis & noxiæ ſecuritatis in ea germinare.*

Affert deinde inter alia exemplum Abbacyri, quem quotidie ab omnibus corripi & probris exagitari vidẽs, interrogauit. *Quid eſt*, inquit, *frater Abbacyre quòd te quotidie à menſa expelli video, ac nonnũquam dormire incœnatum? Qui ad hæc reſpondit: Crede mihi, pater, probant me patres mei, vtrum monachus eſſe cupiam: non autem verè id faciunt: quàm ego patris aliorumq; intentionẽ non ignorans, leuiſſimè ac ſine vlla moleſtia omnia tolero. Et ecce decimumquintum iam annum ego iſtud cogitans ſicut & ipſi quando monaſteriũ intraui, dixerunt mihi, quòd vſque ad trigeſimum annum renuntiantes probare ſolerent. Et rectè quidem pater Ioannes: ſine probatione enim aurum non perficitur. Hic igitur egregius Abbacyrus ſecundo anno poſtquam adueneram, migrauit ad Dominum in monaſterio hoc, patribus cùm deficeret, dicẽs: Gratias ago Domino & vobis, patres, quòd me ad ſalutem meam tentaſtis iugiter: hac enim ex cauſa immunis à tentatione dæmonum hactenus manſi.* Vnde hortãdo concludit; *Affige in animæ ligno, quam crucẽ dicimus, incudem, videlicet mentem, vt per alternos malleorum ictus & crepitus percuſſa ludibriis, & maledictis irriſionibuſq; laceſſita, iniuriis affecta, infracta & in nullo læſa ſeu diſſoluta perſeuerans, tota lenis & plana immobiliſq; perſiſtat. Exue te voluntatibus tuis, vt confuſionis amictu: atq; his nudus ſtadium pietatis ingredere: irriſiones horis ſingulis vt aquam viuam bibe.* Et pluribus interiectis ſubdit aureo hoc apophthegmate rem obſignans: *Is qui ad placidiſſimam animi quietem atque ad Deum currit, die omni quâ maledicta non ſuſtinet, ingens detrimentum ſe ſuſtinuiſſe arbitratur.*

Non roborabitur homo, ex impietate; et radix iustorum non commovebitur] Pro *non roborabitur* hebr. eſt לא יכון *lo iccon*, id eſt *non dirigetur*, vt habent Septuag. Complut. & Chald. item, *non firmabitur*, *non ſtabilietur*. Ita Aquila & Symmach. Septuag. Roman. *non proſperabitur homo ex iniquo: radices autem iuſtorum non auferentur*; Tigur. *nemo cum impietate firmus erit: radix autem iuſtorum non mouebitur*; Vatabl. *homo impius non perdurabit, ſed citò peribit.* Vers. 3.

Senſus generalis & adæquatus eſt, q. d. Impietas non proſperat, nec ſtabilem facit impium, ſed potiùs efficit, vt in aduerſa multa incidat, euertatur & euellatur; at verò juſtitia & probitas juſtos proſperat, ſtabilit & firmat; vt videantur eſſe inſtar arboris, quæ firmas in terra egit radices, ideoque nullâ ventorum vi euelli, aut loco moueri poteſt.

Iam ſub hoc generali ſenſu ad particulares deſcendere licet. Vnde Primò, Baynus hæc adaptat ad heredes & filios, q. d. Impius paucos, vel nullos, relinquit heredes & poſteros, eoſque miſeros & infelices, qui proinde eius domum & familiam propagare & exaltare nequeant: at verò juſtus inſtar arboris bene radicatæ, ideoque multos ex ſe ramos ſpargentis, numeroſam, felicẽ & ſplendidã progignet ſobolem, per quam ſuam familiam propagabit, copioſamq; & ſplendidam efficiet. Sic & Aben Ezra: *Radix*, inquit, *eſt ſymbolum poſteritatis, quam iuſti, cùm vitâ defunguntur, poſt ſe relinquunt.*

Secundò, noſter Salazar hæc more ſuo arctat ad diuitias, q. d. Ex impietate, id eſt ex opibus iniuſtè partis, nemo roboratur, hoc eſt, nemo robuſtam,

firmam & ſtabilem fortunam inde adipiſcitur. Nã cùm malè parta malè dilabantur, cùm his pariter fortuna hominis labitur & ruit. *Radix autem iuſtorum proficiet*, q.d. Facultates iuſtorum, id eſt juſtè partæ, tamquam arbor quæ altiores egit radices, nulla vi auellentur, vel auferentur, ſtabiles erunt & immotæ. Audi S. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. *Si vis filiis tradere diuitias, poſſide iuſtas, ſi vllæ ſint tales: hæ enim manent, ſtantq; firmæ & ſtabiles: quæ autem non ſunt eiuſmodi, citò pereunt & intereunt.*

Tertiò, Lyran. Radix juſtorum, inquit, eſt eorũ ſtabilitas in virtute & honore: vnde Dauid fuit ſtabilitus in regno pro ſe & pro ſua poſteritate.

Quarto, aliȷ hæc referunt ad actiones: has enim in juſtis proſperat Deus; in impiis verò infauſtas reddit. Ita auctor Catenæ Græcor. *Quamquam* inquit, *iuſtus è medio abeat, & moriatur, attamen radix eius manet firma. Nec ea tantùm, ſed bonæ quoq; laudabileſq; actiones ſanaq; conſilia, quæ inde prodierant*, &c. *Siquidem præter alia hoc iuſtis adhuc reſiduum eſt, quòd denuo ad vitam aliquando redituri ſunt.*

Tropol. Radix juſti eſt juſtitia, gratia & charitas, quæ nunquam excidet, cùm cetera omnia, etiam ſcientia & prophetia, peritura ſint, 1. Corinth. 13. 8. Gratia enim eſt radix & ſemen gloriæ: ſicut enim ex radice pullulat arbor; ſic ex gratia & charitate progignitur gloria æterna. Vnde Apoſtolus Epheſ. 3. 17. *In charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo & ſublimitas & profundum.*

Allegor. radix juſtorum eſt Deus & Chriſtus: quia enim juſti in Deo & cruce Chriſti, quaſi arbore vitali & immobili, radicati ſunt, hinc nullâ tentatione vel tribulatione concutiuntur aut cõmouentur, dicuntq; cum S. Paulo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames?* &c. *Certus ſum, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; altitudo, neq; fortitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Hinc Chriſtus vocatur *radix Dauid*, Apoc. 5. 5. & c. 22. 16. ac *radix Ieſſe*, Iſaiæ 11. 1.

C

Anag. radix juſtorum eſt æternitas: ſectantur enim bona æterna, in iiſque mentem ſpeſque omnes defigunt: quocirca nullis temporalibus bonis vel malis, vtpote caducis & euanidis, commouentur. Impij verò qui ſectantur bona præſentia, cum iis tranſeunt & euaneſcunt: quare firmi & ſtabiles eſſe nequeunt. Vnde S. Chryſoſt. hom. 2 in Geneſ. *Tale quiddam*, ait, *ſunt diuitiæ, tale quiddã vniuerſa huius vitæ proſperitas, nihil firmum habens, nihil ſubſiſtẽs, nihil fixum, nihil radicatum; ſed magis quàm fluminum fluenta prætercurrit. Atqui ſpiritualia non ſunt talia: ſunt enim firma & immobilia, viciſſitudinem non accipientia, ſed ad omne ſeculum ſe extendentia. Quantæ ergo ſit inſcitiæ nutantia cum immobilibus commutare?*

D

VERS. 3. MVLIER DILIGENS, CORONA EST VIRO SVO: ET PVTREDO IN OSSIBVS EIVS, QVÆ CONFVSIONE RES DIGNAS GERIT] Hebr. *quæ pudefacit*: Tigur. *mulier pudefaciens* (Vatabl. *dedecoroſa*) *eſt ceu tabes in oſſibus eius.* Huic ſimile eſt illud Sixti non Pontificis, vti voluit Ruffinus, ſed Philoſophi in Prouerbiis ſiue Sententiis quæ habentur in Biblioth. SS. Patrum n. 228. *Mulier pudica eſt viri gloria. Reuerentiam habens vxori, habebis eam reuerentem.*

Aliqui τὸ *diligens* accipiunt vt participium verbi *diligo*, ac interpretantur *amans maritum*; ſed perperam: nam hebr. eſt אשת חיל *eſcet chail*, id eſt *mulier*

A

virtutis, id eſt ſtrenua: ſedula, virilis, quæ ſtrenuè filios & familiam regit, continet promouet, ideoq; marito non tantùm eſt fida, pudica & caſta, ſed & laborum dolorumque eius omnium ſocia, ſolamen & remedium; cuius proinde dotes heroicas deſcribit toto c. 31. Vnde Theodot. vertit, *mulier fortitudinis*; Symmach. *abundantiæ*; Septuag. *mulier fortis*; Chald. *honeſta*; Syrus, *virilis*; Tigur. *virtutibus prædita*; Aben Ezra, *mulier, quæ diuitias congerit, eſt mariti corona: quia illius opera in pretio habetur & honoratur: ſicut diadema regium caput ceteris verendum reddit.*

Hæc viro ſuo eſt *corona*, id eſt inſtar coronę eum ornat, lætificat, tegit, roborat; ſanctitate, vigore, gaudio, omnique bono afficit & replet. Corona enim ſymbolum eſt perfectionis & cumuli, nihilq; notat niſi perfectum & ſuis numeris abſolutum, vti alibi dixi. Rurſum corona dicitur id quod decorum & glorioſum eſt. Alludit ad coronam nuptialem, quâ ſponſus & ſponſa coronari ſolent in ſignum amoris & concordiæ, gratulationis & gaudiȷ nuptialis, vti docet Carolus Paſchalius lib. 2. de Coronis c. 16 & 17. & Alexand. ab alex. lib. 2. Genial. c. 5. Vnde Claudianus in nuptiis Honoriȷ Imp. ita canit:

Corona ſymbola.

B

Primum.

Tu feſtas Hymenæe faces, tu gratia flores
Elige, tu geminas concordia necte coronas.

Rurſum corona hæc ſymbolum erat victoriæ, quòd ſcilicet coniuges coniugio viciſſent ſcortationem, adulterium, procos & mœchos, omnemque vagam & pudendam libidinem. Ita S. Chryſoſt homil. 9. in 1. ad Corinth. in morali: *idcirco*, ait, *coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicet antea libidini fuerint impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur, quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt. Quòd ſi libidine ſuperatus quiſpiam ſeipſum ſcortis addixerit, cuius jam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdè libidini colla ſubdiderit.* Tertiò, eadem ſignum erat laboris & ſtrenuitatis. Vnde moris fuit olim, vt noua nupta ianuam viri lana coronaret, quaſi quæ ſedula in lanificio futura, lineis laneiſque pannis virum & filios eſſet amictura, juxta illud c. 31. 13. *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Et v. 21. *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Quartò, corona hæc ſymbolum eſt regni: maritus enim eſt quaſi rex, cuius regnum eſt vxor & familia. Vnde S. Chryſoſt hom. in Pſal. 4. *Quoniam*, inquit, *Dauid mulierẽ* (Bethſabee vxorem Vriæ) *quæ in viri poteſtate erat, tamquam alienum regnum occupauerat (cuilibet enim viro regnum eſt propria coniux: & non ſic rex purpuram & diadema vt vir vxorẽ ſuam diligit) propterea qui ex vxore ei natus erat filius, inſurrexit tyrannus volens abripere regnũ patris: vi rapuit ipſe regnum alienum, & vim paſſus eſt circa propriũ; & qui clanculũ peccauerat, de eo triumphus palàm actus eſt.* Quintò, corona hæc ſymbolum eſt integritatis, virtutis & perfectionis, juxta illud Iſaiæ 61. 10. *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Sextò, corona hæc ſymbolum eſt filiorum multorum & inſignium, quæ vxor virilis parit & educat marito. Hi enim ſunt corona, id eſt decus & gloria, parentum, qui eos & in menſa & foris ſtipant, & circumdant inſtar coronæ. Vnde Apoſtolus 1. ad Theſſal. 2. 19. *Quæ eſt enim*, inquit, *noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos*, &c. Et illud

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Pſal.127.3. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*, q.d. Deo tibi benedicente, teq; Deo cooperante, ex vxore multos inſignes procreabis, & in omni virtute educabis filios, qui proinde quaſi corona te cingent & ornabunt.

Myſticè, mulier diligens & ſtrenua eſt Eccleſia, & quælibet anima ſancta, quæ Chriſtum ſponſum decorat & delectat quaſi corona, iuxta illud Cantic.3.11. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, putà in die incarnationis, quo Chriſtus carnem noſtrã ſibi diſpondit, & in ea ceteros homines fideles & ſanctos, vti explicant S. Athanaſ. S. Ambroſ. S. Gregor. S. Bernard. Caſſiodor. Philo Carpathius & alij ibidem. Et Iſaias c.26.2. *Erit*, inquit, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Porrò in Incarnatione corona Chriſti fuit caro & humanitas aſſumpta: hæc enim verbum cinxit & coronauit; in paſſione verò corona Chriſti fuit ſpinea, per quam meruit adipiſci in cælis roſeam & gemmeam. Atque ſpineam in hac vita communicat ſuis electis, vti communicauit realiter S. Catharinæ Senenſi. Spinea enim corona Chriſtus ſe exhibet regem patientium, afflictorum & tribulatorum, eoſque præcedit quaſi anteſignanus, vt per ſpinas, dolores & cruces ſuos deducat ad immarceſcibilem gloriæ coronam. *Pudeat*, inquit S. Bernard. ſerm.5 in feſto omnium Sanctorum, *ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.* Turpe cenſebant primi Chriſtiani coronari floribus ritu Gentilium, quòd Chriſtus ſpinis coronatus fuiſſet, ne Chriſto illudere & inſultare viderentur. Vnde Clemens Alexandr. lib.2 Pædag. c 8. *A ratione*, inquit, *alienum eſt, vt qui audierimus Dominum fuiſſe ſpinis coronatum, ipſi venerabili Domini paſſioni per ludum inſultantes, habeamus capita redimita floribus.* Idem docet Tertull. libr. de Corona militis. Addit S. Athanaſ. Chriſtum coronatũ fuiſſe ſpinis, ut omnes noſtrarum ſollicitudinum & angorum ſpinas in ſe ſuſcipiens, nos ſuâ ſecuritate & lætitiâ donaret, ſuoque patrocinio protegeret & coronaret. Vnde tract. de Paſſione & cruce ſic ait: *Chriſtus ſpineam coronam geſtauit, vt vitæ noſtræ curas* (quaſi ſpinas in ſe ſuſcipiens) *aboleret.*

Corona Chriſti & carnea & ſpinea.

Myſticè, S. Thomas ſerm. de S. Cæcilia hoc thema ſermonis proponit: *Mulier diligẽs corona eſt viro ſuo.* Fuit enim, inquit, S. Cæcilia diligens quintupliciter. Primò, in carnis maceratione; Secundò, in Dei dilectione; Tertiò, in deuota oratione; Quartò, in eleẽmoſynarum largitione; Quintò, in aliorum conuerſione. Eadem fuit corona viro ſuo: quia eumdem ad Chriſtum & ad caſtitatem conuertit: vnde cum eo meruit ab angelo coronâ liliorum donari. Eadem corona gemmea eſt viro ſuo in vita æterna. Idem S. Thom. in 1. Corinth.7. lect.2. hiſce nouem coronis S. Cæciliam condecorat. Primò, ſapientia in parte rationali; Secundò, munditia in parte concupiſcibili; Tertiò, conſtantia in parte iraſcibili; Quartò, modeſtia contra multiloquium; Quintò, veritate contra mendacium; Sextò, diſcretione contra ſtultiloquium; Septimò, ſanctimonia in facto; Octauò, verecundia in ſigno; Nonò, gratia in conuerſando.

Porrò auctor Catenæ Græc. per *mulierem virtutis*, myſticè accipit virtutem: per *rem confuſione dignam*, vitium & malitiam: *Senſus eſt*, inquit, *ſicut virA tus mentem exornat, ita malitia eamdem profanat & perdit, prauamq; & inſolentem conuiciatricem reddit. Rurſum, mulier virilis eſt anima illa: hæc enim viriliter contra vitia & animi perturbationes decertat: & vt quauis aduerſitate ſuperior euadat, ſtrenuè laborat.*

Et putredo in oſſibus eius, quæ confuſione res dignas gerit] Salonius, Beda, Lyran. & Hugo τὸ *eius* referunt ad mulierem. q. d. Mulier impudica ſua libidine conciliat ſibi morbos & putredines, vti patet in lue venerea, quibus & caro & oſſa eius putreſcunt & tabeſcunt, vti experientia docet meretrices & mœchas computreſcere. Verùm ex antitheſi, & ex Hebræo pronomine maſculino, liquet τὸ *eius* referri ad virum q.d. Sicut mulier pudica & ſtrenua inſtar coronæ
B virum ornat, lætificat, corroborat, viuificat: ita ex aduerſo mulier impudica, deſidioſa & pigra (huic enim opponitur *diligens* & ſedula. Ita R. Leui) rixoſa, ebrioſa, prodiga, aliiſque vitiis pudendis dedita, virum dedecorat, affligit, infamat, mœrore & moleſtiis conficit, adeò vt medulla oſſium ex triſtitia diffluat & conſumatur, itaque omne eius robur (quod eſt in oſſibus) & vigor intereat; ipſeque etiam ſenectam contrahat & emoriatur. Alludit ad illud Adæ de Eua: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, Geneſ.2. Vbi Anaſtaſius Sinaita, Os, ait, ad robur, caro ad voluptatẽ pertinet: quia vxor bona marito non tantùm voluptatem, ſed & robur ad ſuperandos omnes labores & familiæ difficultates affert. Additque: Vice verſâ vxor mala os, id eſt robur, mariti exedit & conſumit. Vnde Septuag. vertunt, *ſicut autem in ligno vermis,*
C *ſic virum diſperdit mulier malefica*: & Syrus more ſuo legens veſtigia Sept. *ſicut fungus & vermis in ligno, ita virum profligat mulier malum faciens*, q.d. Sicut teredo & tinea ſenſim lignum exedunt, erodunt & conſumunt: ſic mulier mala peruerſa vires viri erodit & abſumit. *Malefica* eſt maligna, item inceſta & mœcha, indeque propriè malefica & venefica. Solent enim mœchæ vt amaſiis mœchis fruantur, maritis ſecretò propinare venena, vel naturalia vel magica, quibus eum vel citò, vel ſenſim conficiant & enecent, iuxta illud Auſonij:

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito.

Et illud de maleficiato ad veneficam apud Athenæum lib 6. *Tu illum venenis tuis putrefeciſti, & velut lignum carie corruptum vitiaſti.* Cùm enim mulieres ſint timidæ & imbecilles, quod vi & robore nequeunt, hoc fraude & veneficiis peragunt, vt non
D aperto marte, ſed ex inſidiis inimicos appetant & perdant. Refert Diodorus lib 5. Hecaten feminam omnium primam aconitum inueniſſe, & ad venena mortifera conficienda ſummum ſtudium impendiſſe. Nota eſt Medea, Circe, & Theſſala mulier, id eſt venefica. Hinc tot ſagæ & veneficæ, cùm pauciores viri ſint ſagi & magi. Denique leges ciuiles mulieres adulteras & veneficas iungũt, velut quadam affinitate coniunctas: ſunt enim adulterium & veneficium proxima & cognata, vt mulier quæ impudica eſt, non rarò ſit venefica. Leges haſce citat Tiraquell. leg. connub. num.22. & ſeq. Huc facit Hebræorum initio Gemaræ adagium: *Quod erucæ ſeſamis id meretrix eſt in domo.* Sicut enim eruca ſeſama & olera, in quibus degit, depaſcitur & vaſtat: ſic meretrix domum, in qua habitat conſumit, & miſerum maritum deuorat. Hinc à Comico vocatur *limax*: limaces enim olera exedunt.

VERS. 5. COGITATIONES IVSTORVM IVDICIA: ET CONSILIA IMPIORVM FRAVDVLENTA] Hebr. *conſilia impiorum dolus*; Septuag. *gubernant impij dolos.* Hebr. enim תַּחְבֻּלוֹת *tachbulot* & conſilia & gubernacula ſignificat. Vnde cum Septuag. ſic ad verbū vertas. *gubernacula impiorum dolus*, q.d. Gubernacula quibus impij ſe ſuaque gubernant & promouent, ſunt fraudes & doli. Eſt metaphora à gubernaculo nauis; ſicut enim illo nauclerus regit nauē, illudque intra nauim abſconditur: ſic fraudulenti per dolos ſua peragunt, eoſque in corde celant & abſcondunt Chald. *ſolertia* (Syrus, *molitiones* vel *conuerſatio*) *impiorum fraus eſt*; Pagnin. *cogitationes iuſtorum ad faciendum iudicium, conſilia impiorum ad faciēdum dolum.*

Iudicia iuſtorum quæ? Reſp. Primo.

Quæres, quænam ſint *iudicia* quæ cogitant menteque verſant iuſti? Primò: auctor Catenæ Græc. reſpondet eſſe Dei iudicia, eiuſdemque præcepta. Hæc enim iuſti meditatione cordeque & animo iugiter pertractant, iiſque Numinis metum & cultum ſibi inducunt.

Secundò. Secundò, idem: *Iudicia*, inquit, *exercent, qui ſecundum rationis dictamen aſſiduè operantur.* Sic & S. Gregor. 19. Moral. 13. explicans illud Job 29. *Et diademate, iudicio meo: Iuſtorum iudicia*, inquit, *rectè diademati comparantur: quia per magni operis gloriam ad retributionis ducunt coronam. Quæ nimirum iudicia ſecum quotidie introrſus agunt: quid Deo, quid proximo debeant ſolerter aſpiciunt, atq; ad agenda bona ſe vehementer accendunt, & de perpetratis malis diſtrictè redarguunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur: Cogitationes iuſtorū iudicia. Iuſti quippe ab omni ſtrepitu ſæculari ad corda ſua redeunt, ibiq; aſcendunt tribunal mentis, atq; ante oculos ſe & proximum ſtatuunt, & deducunt ad mediam regulam teſtamenti, qua dicitur: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: Transferunt in ſe perſonam proximi, & ſollicitè attendunt, quid ſibi, ſi ita eſſent, fieri, vel non fieri iuſtè voluiſſent: ſicq; diſtrictè iure atque iudicio cauſam ſuam & proximi, iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant. Benè ergo dicitur: Cogitationes iuſtorum iudicia, quia ipſe eorum intimus motus cordis, quaſi quædam libra eſt iudiciariæ poteſtatis.*

Huius conſcientiæ tribunalis perſonas omnes aptè repræſentat S. Bernard. lib. de Inter. domo c. 14. *In domo propria*, inquit, *& in propria familia habeo accuſatores, teſtes, iudices & tortores. Accuſat me conſcientia, teſtis eſt memoria, ratio index, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentorum: quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dura in pœna. Nam inde punimur, unde delectamur.* Accedit Beda: *iuſti*, inquit, *ſua facta ſi Domino placeant, ſedulâ meditatione diiudicant: ne fortè ipſis minùs ſollicitis ſupernus arbiter contra eos inuiſibiliter aduerſa diſponat, iuxta illud Apoſtoli: Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur,* 1. Corinth. 11. *At reprobi diuini timoris obliti, de fraude quam faciunt ſua conſilia cogunt.*

Tertiò. Tertiò, S. Hieron. in c. 5. Amos per *iudicium* accipit mentis conſtantiam, q.d. Iuſti maturè deliberant; at vbi deliberarunt, in propoſito conſtantes ſunt: impij verò in horas mutant ſua conſilia & decreta. *Videtur*, inquit, *quaſi aqua iudicium peſſimorum: quia non ſtat in vna ſententia, ſed circumfertur omni vento doctrinæ. Quod probauerant improbant, & quod priùs laudauerant, putant eſſe pro nihilo.*

Quartò. Quartò, & genuinè, Vatabl. Janſen. Lyran. & alij per *iudicium* accipiunt jus & juſtitiam, q.d. Cogitationes iuſtorum ſunt *iudicia*, id eſt ſunt iuſtitię, hoc eſt, ſunt iuſtæ & æquæ, vt nulli faciant iniuriā, ſed cuique ius ſuum tribuant (eſt metonymia: ponitur enim abſtractum pro concreto, *iuſtitia* pro *iuſtæ*) At verò cogitationes, machinationes & *conſilia impiorum* ſunt de dolis & fraudibus. Non enim aliud cogitant, quàm qua ratione aliis fucum facere, eoſq; decipere ac rebus ſuis fraudare queant, vt per fraudes & dolos res ſuas augeant & promoueant.

Moraliter: cogitationes iuſtorum debent eſſe iudicia, vt, quemadmodum iudicium non inconſideratè agitur, ſed à iudice magna mentis attentione exercetur: ita mens iuſti, & ad perfectionem anhelantis cogitationes rationis iudicio ſelectas recipiat, & non indifferenter ex otioſitate aut curioſitate inſurgentes admittat. Comprimat eas timor Domini ſanctus, qui occulta etiam cordis noſtri & ſecreta rimatur: liget eas ſpes donorū cæleſtium, quę non inania cogitantibus, ſed pura & ſāncta conſiderantibus frequenter offertur.

Porrò tangit hîc Sapiens radicem omnis boni vel mali: hæc enim eſt bona vel mala cogitatio. Vnde Beda in Collectaneis: *Iſtis fomitibus*, inquit, *quaſi gradibus coaleſcit omne peccatum, Cogitatio namque praui delectationem parit, delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem.* Vice verſa cogitatio ſancta rei ſanctæ delectationem parit, delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, &c.

VERBA IMPIORVM INSIDIANTVR SANGVINI: OS IVSTORVM LIBERABIT EOS] Cohæret hæc ſententia præcedenti; eſtque gradatio, q.d. Impij non ſolùm ſtudent pios fraudare bonis, ſed & ſpoliare vitâ: tum vt faciliùs bona eorum occupent, tum quia oderunt eos eorumque pietatem & virtutem, quæ quaſi ſudes in oculis ipſorum impietatem aſſiduè pungit, cruciat & flagellat. Sic Jezabel per falſos teſtes ſuſtulit Naboth, vt eius vineam occuparet, 3. Reg. 21. VERS. 6.

AT OS IVSTORVM LIBERABIT EOS] Quos? eos ſcilicet, quorum ſanguini inſidiantur impij: ſicut Daniel liberauit Suſannam, cuius vitæ inſidiabantur ſenes inceſti, Daniel. 13. ita Lyran. Baynus & Caiet. Porrò Janſen. extendit etiam ad impios, q.d. Impij cupiunt alios perdere. at Juſti omnes tam pios quàm impios ſatagunt ſaluare. Noſter Salazar ad ſolos impios refert, q.d. Juſti non referunt par pari, ſed eos ipſos à quibus fraudulentis accuſationibus damnantur, eos inquam ipſi teſtimonio ſuo abſoluunt. Virtus enim non modò ſe ipſam, ſed & alios quoſlibet tuetur & ſaluat. *Enimverò virtus earum eſt virium, vt non modò ſeipſam adimet atque defendat, ſed alios propugnet, opemq; ope deſtitutis ferat*, inquit auctor Catenæ Græcor. Tanta & tam ampla eſt juſtorum charitas, vt omnes etiam inimicos brachiis amoris complectatur, ac vincat in bono malum, ex inimicis faciat amicos, juxta illud: *Inimicos æquè ac amicos amicat amor.*

Denique Decretum 5 quæſt. 5. cap. fin per *os iuſtorum* accipit os judicis impios caſtigantis, itaque eos ab impietate liberātis. *Aliud eſt*, inquit, *ex charitate illorum crimina deferre, vt quos ſecreta admonitione corrigere non poſſumus, conuictos iudicis ſententia corripiat: atq; aliud inſidiando falſa obiicere, vel inſultando vera facilè exprobrare. Illud verò charitatis, hoc autem impietatis eſt officium. Vnde in Prouerbiis dicitur: Verba impiorum inſidiantur ſanguini: os iuſtorum liberabit eos.*

VER-

VERS. 7. VERTE IMPIOS, ET NON ERVNT: DOMVS AVTEM IVSTORVM PERMANEBIT] Pro *verte* hebr. eſt הפך *haphoc*, quod tam eſt infinitiui modi quàm imperatiui; vnde tam *vertere* quàm *verte* ſignificat. Infinitiuus autē apud Hebræos pro omni tempore, modo, numero & perſona accipitur. Vnde Pagnin. vertit, *vertet Deus impios, & non erunt*, & Vatabl. *euertentur impij, vt nuſquam ſint*; & Chald. *ſubuertuntur impij, & non inueniuntur.* Hebræi enim cùm carent verbis compoſitis, ſimplex vſurpant pro compoſito: vnde הפך *haphac* ſignificat tam conuertere, euertere, ſubuertere, quàm vertere.

Verùm Noſter propriè & neruosè vertit in imperatiuo *verte*, ſed ſenſu difficili. Primò, Beda, exponit, q.d. Conuerte, ô Deus, impios, præſertim hæreticos & infideles, ad bonam frugem, & ſic deſinent eſſe impij, eruntque pij: deſint hæreſis & infidelitas, ac triumphabit vbique fides & pietas. Verte ergo illos, vt quod fuerant non ſint ampliùs impij, neque inimici, ſed euadant pij & amici. Sic & S. Gregor. homil. 32. in Euang. *Relinquamus*, inquit, *noſmetipſos quales peccando nos fecimus, & maneamus noſmetipſi, quales per gratiam facti ſumus. Ecce etenim, qui ſuperbus fuit, ſi conuerſus ad Chriſtum humilis factus eſt, ſemetipſum relinquit. Si luxurioſus quiſq; ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit. Si auarus quiſq; ambire iam deſiit, & largiri didicit propria, qui priùs aliena rapiebat, proculdubio ſemetipſum reliquit: ipſe quidem eſt per naturā, ſed non eſt per malitiam. Hinc enim ſcriptum eſt: Verte impios, & non erunt. Conuerſi namq; impij nō erunt: non quia non erunt omnino in eſſentia, ſcilicet non erunt, in impietatis culpa. Tunc ergo noſmetipſos relinquimus, tunc nos ipſos abnegamus, cùm mutamus quod per vetuſtatem fuimus, & ad hoc nitimur, quod per nouitatem vocamur. Penſemus quomodo ſe Paulus abnegauerat qui dicebat: Viuo autem iam nō ego. Extinctus quippe fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cœperat pius prædicator.* Hinc ſenſus moralis eſt non literalis, vt patet ex antitheſi quæ ſequitur: *Domus autem iuſtorum permanebit.*

Secundò, Janſen. exponit: *verte*, id eſt euerte, ô Deus, vt ampliùs non ſint, nec pios opprimant.

Tertiò, alij, q.d. Adverte, ô homo, pauliſper te vultumq; tuum ab impiis: cumq; te rurſus ad eos conuerteris & reſpexeris, videbis eos non eſſe & periiſſe, juxta illud Pſ. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatū ſicut cedros Libani. Tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Verùm ſic dicendum eſſet: *Verte te ab impiis*, jam autem dicitur: *Verte impios, & non erunt.*

Quartò, noſter Salazar: *Verte*, inquit, id eſt circumage impium, aut in orbem gyra, vt ſenſus ſit: tam citò impius perit atque eſſe deſinit, quàm citò voluitur in gyrum, id eſt, non longiori ſpatio permanebit, quàm eſt id quo gyrus abſoluitur. Verte igitur in gyrum, & interim non erit. Ad id ſpectat illius Philoſophi facinus, qui rogatus, vt ſuam de vitæ humanę breuitate enuntiaret ſententiam, vertit ſemetipſum in orbē; innuens ſcilicet ſe vitę ſpatium vnius gyri duratione metiri. Huc alludit adagium Græcorum: κύκλος τὰ ἀνθρώπεια, id eſt, circulus aut orbis res humanæ, quod ego non ad viciſſitudinem, ſed potiùs ad durationem refero: id eſt, res humanæ ea velocitate abeunt & deficiunt, quâ circulus vel orbis conficitur à ſaltatore vel ab alio quouis, hæc ipſe.

Quintò, ſimpliciter & germanè: *verte*, id eſt, ſi vel modicum verteris impios, videbis eos euerti & non eſſe, q.d. Impij tenuiſſimam habent ſubſiſtentiam, quæ minima conuerſione, & vt ita dicam, flatu vno, inſtar bullæ difflatur, diſſipatur & euaneſcit, perinde ac in ludo ſcachiorum, alearum, taxillorum, verte ſcachium vel aleam vnam, & totum luſum, totam ludentis vincentiſque ſortem & fortunam euerteris. Quid enim eſt vita & ſors impij, niſi luſus fortunæ, niſi ludus aleæ? Vnde Sept. *quocumque ſe verterit impius, deletur*; & Caietanus, *verte impios*, id eſt, conuerte, ait, rotam fortunæ impiorum, vt conuerſâ rotâ impij, qui in culmine conſiſtebant, deorſum deuoluantur in imum; & videbis eos jam non eſſe, vtpote depreſſos, ac fortunis, honore, ſtatu & gradu, tandemque ipsâ vitâ priuatos & euerſos. Rurſum, *verte impios*, id eſt, volue impiorum ętatem & ſeculum, volue paucos annos vitæ ipſorum, & videbis eos morte conſumptos, juxta illud Eccleſ. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit.* Omnia enim hęc notant citum tranſitum, finem & interitum impiorum cum ſua ſobole, q.d. Verte nonnihil rotam temporum & ſæculorum iugiter rotantium ſibique ſuccedentium; videbis poſt paucos annos defeciſſe impios. Sicut enim in libro ſi vertas folium vnum, ſuccedit aliud quod prius operit & ſepelit: & ſicut ſi intuearis verti voluique aquam fluminis, cernes aquam quæ coram te eſt, ilicò labi & defluere, aliamque ſuccedere & affluere, quæ præcedentem extrudat: ita prorſus ſe habent impij, eorumque domus & familiæ paruâ conuerſione temporum: ſi poſt paucos annos eos requiras, videbis planè interiiſſe, nec reliquiſſe heredes, ſed è terra abraſos & æterna obliuione ſepultos: videbis alios ac ſæpè externos in eorum locum, domum, gradum, opes & prædia ſucceſſiſſe, imò illos ipſos excuſſiſſe, & deturbaſſe impios: at verò domus & familiæ juſtorum, quia fundatę in juſtitia, & in Dei patrocinio, permanent & perdurant per multa ſæcula.

Denique auctor Catenæ Græcor. ſic Septuag. vertit & explicat: *Quocumque impius cogitatione ſe vertit, omnis illius conatus & cogitatus omneq; ſtudium atq; conſilium fruſtraneum eſt. Per domus autem iuſtorum bonas cogitationes hoc loco exprimit, quandoquidem bonæ ſententiæ, bonaq; & ſalutaria cogitata, haud ſecùs ex illorum animo prodeunt, atque ex diuite quodam penu. Sunt hi enim, vt illorum quoq; domus ſupra petram ædificatæ.*

DOCTRINA SVA NOSCETVR VIR: QVI AVTEM VANVS ET EXCORS EST, PATEBIT CONTEMPTVI] VERS. 7. *Noſcetur*, id eſt publicè cognoſcetur, laudabitur & celebrabitur: hoc enim ſignificat Hebr. יהלל *ichullal*. hocque exigit antitheſis. Hebr. *ad os* (id eſt juxta quantitatem & menſuram) *intellectus laudabitur vir, & peruerſus corde erit in contemptum.* Septuag. *os intelligentis laudatur à viro: ſocors autem ſubſannatur*, vel vt vertit & explicat auctor Catenæ Græcor. *Viri prudentis os vulgò laudatur: qui autem hebetis ignauiq; cordis eſt ab omnibus ſubſannatur: vir operoſus boniſq; actionibus ex inſtituto deditus, tametſi rudis idiota ſit, melior honoratiorq; eſt ignauo diſertâ comptaq; oratione vtente.* Syrus, *os prudens laudant mortales: excors autem deſpicietur velut ſtultus*; Chald. *vir laudatur iuxta intellectum*; Symmach. *ſecundùm prudentiam ſuam laudabitur vir: qui autem corde diuaricat, pudefiet.* Nonnulli doctrinam hîc ſpeculatiuam accipiūt, q.d. Ex doctrina ſua noſcetur vir, an ſcilicet ſit philoſophus, an grammaticus, an medicus, an Juriſperitus, &c. Qui enim docet aut doctè differit de

de rebus philoſophicis, noſcitur eſſe philoſophus; qui de medicis, eſſe medicus; qui de juridicis; Juriſperitus, &c. Verùm hic ſenſus hoc loco eſt impertinens.

Alij per *doctrinam* accipiunt veritatem, q d. Qui veritatem loquitur, is noſcetur eſſe verax & cordatus: at vanus & excors, qui mendacia proloquitur, noſcetur eſſe mēdax; ideoq; patebit contēptui.

Verùm dico: *Doctrina* hic, vti & toto hoc libro, non ſpeculatiua, ſed practica intelligitur, idemq; eſt quod *prudentia* tam in loquendo quàm in agēdo. Senſus ergo eſt, q.d. Per doctrinam, id eſt prudentiam, *noſcetur*, Hebr. *laudabitur*, *vir*: quia quantum in dicendo & operando oſtenderit prudentiam, tantum pariter famam & laudem conſequetur: ex aduerſo qui vanus & excors eſt, Hebr. *qui curuus* vel *obliquus*, id eſt, prauus & peruerſus eſt *corde*, qui ſcilicet praua loquitur vel agit, hic erit contemptui, quia habebitur imprudens, inſipiens, prauus & peruerſus.

Porrò prudentia hæc requirit, vt quod dicimus & agimus, Primò, ſit verum & alienum ab omni falſitate & mendacio: Secundò, vt ſit ſincerum, & alienum à ſimulatione & hypocriſi; Tertiò, vt ſit graue ſeriumque, & alienum à leuitate & ludicro iocorum & nugarum; Quartò, vt ſit iuſtum, & alienū ab iniuria aliorum; Quintò, vt ſit vtile & alienum à damno & noxa, Sextò, vt ſit maturum & oportunum, nimirum perſonis, loco & tempori congruum: quæ enim importuno loco vel tempore dicuntur vel aguntur, hæc imprudentiam ſapiunt, ideoque dicentem & agentem velut imprudentem contemptui & ludibrio exponunt.

Exemplum ſit Ioſeph, qui & in carcere & in domo Putipharis ita prudenter ſe geſſit, vt omnium ore celebratus, à Pharaone præfectus fuerit Ægypto ac ſua prudentia fami, quæ Ægyptū & vicinas prouincias occupauerat, ſuccurrerit, iuxta illud pſal. 104.21. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principē omnis poſſeſſionis ſuæ; vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Et Dauid, de quo dicitur 1. Reg. 18. 5. *Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcunque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat.* Et v. vlt. *Prudentiùs ſe gerebat Dauid quàm omnes ſerui Saul, & celebre factum eſt nomen eius nimis.* Et Daniel, qui à Nabuchodonoſor ob eximiam prudentiam præpoſitus fuit toti monarchiæ Babyloniorum, Daniel. 2. 48. & c. 5. v. 12.

Sermo eſt ſpeculum mentis, Gnoma.

Porrò in ſermone illico cernitur prudentia vel imprudentia. Vnde Socrates aiebat: *Loquere adoleſcens vt te videam*: in ſermone enim velut in ſpeculo videtur indoles pectoris & mentis. Idem dictitabat: *Qualis homo eſt, talis etiam eius erit oratio: orationi autem facta ſimillima, factis vita.* Teſtis eſt Cicero Tuſcul. 5. Et de Scipione cauto in verbis & factis dicebat Cato:

Ille ſapit ſolus, violant alij velut vmbræ.

Maximus ſerm. 15. citat Romulum dicentem, *vaſa fictilia ſono & percuſſu, hominem verò ſermone explorandum eſſe.* Et Demonactem aſſerentē, *in ſpeculis vultus figuram, in colloquiis autem animi naturam & imaginem cerni poſſe: ſermonem enim quaſi figulum, animi formam effingere & proferre.* Et Solonem dictitantē, *orationem eſſe operum ſimulacrum*: ea quippè, quæ in opus proruunt, priùs animo concepta verbis indicantur. Democriti apud Stobæum hæc eſt vox: *In ſpeculo faciei figura, in verbis autem animi qualitas cuiuſq; hominis deprehenditur.*

Myſticè Beda: *Doctrina ſua*, inquit, *quiſq; vir eſſe noſcitur: quia ſi recta docet, & hæc operibus implet, ſanctus eſſe colligitur.*

MELIOR EST PAVPER ET SVFFICIENS SIBI, QVAM GLORIOSVS, ET INDIGENS PANE] Hebr. *melior eſt vilis* vel *ignobilis & ſeruus ſibi, quàm ſe glorificans & deficiens pane.* Pro *& ſeruus ſibi*, alij vertunt, *& ſeruus ipſi.* Vnde Chald. *melior eſt abiectus qui habet ſeruos*; Pagnin. *melior eſt qui ſi eci pendit ſe, & ſeruus eſt ei, quàm qui glorificat ſe, & caret pane*, & Vatabl. *præſtat abiectus qui ſeruos habet, id eſt diues eſt*, &c. q d. Pluris fit, & à pluribus colitur, qui abiectus plebeio veſtitu ſine pompa famulorum & equorum incedit, ac interim domi habet famulos, qui agros & vineas colant, aut merces comparent, quibus rem ipſius augeant; quàm glorioſus qui veſtibus ſericis aureiſq; amictus, multis ſtipatus famulis pomposè incedit, & tamen domi non habet alimenta quibus ſe ſuoſque alat. Sunt enim nonnulli, qui exteriùs ſuum ſplendorem oſtentant, omniaque ſua in externa ornamenta impendunt, quo fit vt domi egeant: malunt enim domi eſurire, & foris ſplendere, quàm domi abundare, & foris ſordere, in quos fusè inuehitur S. Chryſoſt. homil. 22. in Matth. Vers. 9.

Verùm Noſter melius vertit, *melior eſt pauper & ſeruiens*, id eſt *ſufficiens ſibi*: qui enim ſibi laborando ſeruit, nec ſeruilia opera detrectat, hic facilè ſibi ſufficientem victum & veſtitum comparat. Hic *melior eſt*, id eſt præſtantior & ſapientior judicatur, pluriſque fit, & à pluribus colitur, quàm glorioſus, qui quaſi nobilis magnificè incedit, ideoq; nō vult laborare, ſed gloriatur nobilitate auorum & atauorum, ac ſplendore veſtium & famulorum, atque interim domi vix panem habet quem comedat. Vnde Symmach. vertit, *melior eſt vir in vtilitate ſeruiens ſibi*; Syrus, *qui ſibi vſui eſt & ſeruit*; & Tigur. *obſcurus homo qui ſibi laborat, præſtat glorioſo qui pane indiget.* Sic & R. Salomon, Aben Ezra & R. Leui, *Præſtantior*, inquit, *eſt, qui abiectus ſibi ſeruit, agroſq; colit, itaq; ditatur, quàm qui honore excolitur, ſibiq; vult à ceteris ſeruitium exhiberi, cùm panis egeſtate laboret.* Clariſſimè verò Septuag. in Catena Græc. ſic habent, ſicq; explicantur à Baſil. & Chryſoſt. *Vir qui honore contempto commodis ſuis ſeruit, præſtat homini gloriam aucupanti, neque panem tamen quo veſcatur, habenti.* Baſil. *Satius*, inquit, *eſt ſuis commodis operam dare, etiamſi ea de cauſa contemptui apud nonnullos habeatur, quàm re ipſa egere, & velle nihilominus inter diuites cenſeri.* Chryſoſt. *Quandoquidem multi laborem detrectant, non ſolùm tamquam moleſtum, verùm etiam tamquam parum honeſtum, primùm quidem per exemplum à formicæ induſtria & labore petitum eximere ſtuduit (ad has enim pigros omnes ſuprà amandabat:) hîc verò alteram iſtam ſuſpicionem è medio ſubmouere contendit, quā quis imbutus dicere fortè poterit: Heus tu, quid de labore concionaris? laborare res vilis & probroſa eſt, vtpotè mancipiorū propria. Ad hæc autem ille: Et quanto ſatius eſt hoc qualecumq; probrum ſufferre, & lautè viuere, quàm fame tabeſcere? Qua, quæſo, de cauſa laborare dedecoroſum ducis? nec enim alteri ſeruis vt probrum deuites, ſed tibi ipſi, & id quidem ſponte. Niſi enim ipſum ab inediæ incommodo liberare velles, nullam penitus aliorum rationem haberes: ea propter tute ipſe es qui ex tali ſeruitute fructum capis, adeoq; non tam alteri quàm tibi ipſi ſeruis. Aduerte milites, nónne vnuſquiſque illorū ſibi ſeruit? Nónne qui manuum opera vitā tolerant, pari modo ſibi ipſi ſeruiunt? Ne igitur ob laborem ſuccenſeas: tu tui*

namq;

A *namq; ipſius dominus es, & non alius quiſpiam. Nónne cernis egenos qui victū oſtiatim quærunt nulli ſeruire? Ergo illi quoq; ſibi ſeruiunt. Qualis, obſecro, honor eſt illis, panē quo paſcantur egere?* Hucuſque S. Chryſoſt.

Porrò Septuag. eleganter opponunt ἀτιμίαν ſufficientis ſibi τιμῇ egentis pane. q.d. Præſtat ſufficiens ſibi inglorius, quàm infglorioſus egens pane, præſtat ignobilis ſatur nobili famelico.

Hinc diſce, diuitias præſtantiores eſſe nobilitate, juxta illud:

Et genus & formam regina pecunia donat.

indeq; laborem otio, ac pauperēm ſibi laborantem, ſuiſque licet paucis contentum, præſtare glorioſo, cui nihil ſufficit ad jactantiam, cùm omnia deſint ad vitam. Vnde Apoſtolus: *Eſt*, inquit, *quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*, græcè αὐταρκείας, id eſt animo ſuis contento. 1. Timoth. 6. 6. Salomoni ſuccinit Siracides: *Melior eſt*, inquit, *qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane*, Eccli. 10. 30. Vide ibi dicta. Succinunt & gnomæ Philoſophorum. Antonius in Meliſſa c. 37. citat Socratem dicentē, *ſatius eſſe ſe in paucis facultatibus continentem hilariter agere, quàm in magnis infeliciter. Quare ditiſſimum eſſe, qui pauciſſimis contentus eſt.* Epictetus rogatus *quis eſſet diues?* reſpondit, *Cui ſatis eſt quod habet.* Maximus ſerm. 12. citat Democritum, qui rogatus, *quomodo quis diues fieri poſſet?* reſpondit, *Si cupiditatum pauper erit: ſi inopi erit deſiderio. Quare eos qui naturalibus diuitiis contenti ſunt, ditiores eſſe iis, qui cùm multa poſſideant, plus tamen concupiſcunt: illis enim nihil deeſt, his plura quàm poſſident.* Plato interrogatus, *quantas opes habere conueniret?* dixit: *Quantæ poſſidenti neq; inſidias pariunt, neq; rerum neceſſariarū inopiam:* Cleanthes ſuam vitam laborioſam præferens otioſæ nobiliū: *Dum illi*, inquit, *pila ludunt, ego fodiens duram humum exerceo.* Sentit vir ſapiens hominem non ad otium, ſed ad laborem à Deo conditum eſſe, vt eo victum ſibi paret. Maximus ſerm. 32. citat Democritum, qui rogatus *quomodo laborioſi & induſtrij differrent à deſidioſis? Quo*, inquit, *impij à piis, ſpe nimirùm bonâ. Sperant quippè qui corpus laboribus exercent, opima laborum præmia, deſides autem præſentem inueniunt egeſtatem.* Probus Imp. non patiebatur militē eſſe otioſum, ſed multa opera manu militari perfecit, dicens, *annonam gratuitam militem comedere non debere.* Ita Flauius Vopiſcus in Vita Probi. Alfonſus Aragonum rex reprehenſus à quodam, quòd propriis manibus laboraſſet: *Nunquid*, inquit, *Deus & natura fruſtra regibus manus dederunt?* Rurſum: *Regum cibus eſt bonus*, inquit, *quem dij immortales non otio aut luxu, ſed improbis laboribus multiſq; ſudoribus hominibus vendunt.* Ita Panorm. de Geſtis Alfonſi.

Sui conten- tu ſuis.

Gnome.

Vera ergo nobilitas ſita eſt in labore non in otio: non in pompa, ſed in virtute: in factis & ſtemmatis non auorum, ſed cuique propriis: labore enim ſuſtentamur & viuimus, virtute gloriamur, factis celebramur. Præclarè Cicero orat. contra Salluſtium ſibi obiicientem generis ignobilitatem: *Satius eſt*, inquit, *meis geſtis florere, quàm maiorum opinione vti: & ita viuere, vt ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Et Poëta:

Labor & virtus propria nobilitant, non auorum. Gnome.

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Et Caſſianus collat. 2. c. 10 *nihil*, ait, *noſtrum eſt niſi hoc tantùm, quod corde poſſeſſum, atq; animæ noſtræ cohærens, à nemine prorſus poteſt auferri.* Igitur Nobilitas *ſola eſt atque vnica virtus. Nobiliſſimus Deo eſt, clariſſimus virtutibus. Aliena laudat, qui genus laudat ſuum.* Et Solon apud Auſonium: *Pulchrius multo paratur quàm creatur nobilis.* Vrbanus III. Pontifex obiicienti ſibi generis humilitatem: *Magni viri*, inquit, *non naſcuntur, ſed virtute fiunt.* Maximilianus Imp. cuidam oblato auro nobilitatem emere volenti: *Ditare quidem te poſſum*, inquit, *at nobilitare non niſi te propria virtus poteſt.* Nimirum: *Simia haud leæna fiat regio diplomate.* S. Greg. Nazianz orat. 19. de Gregorio patre ſuo: *Vnam nobilitatem*, inquit, *in pietate ſitam eſſe cenſebat, atque in eo vt, vnde ortum habuimus, & quò tandem peruenturi ſimus, intelligamus.* Aureè verò apud Prudentiū Periſtephanon, ſiue de Coronis, Romanus Martyr genere nobilis, ſed fide & effuſo ſanguine nobilior.

Poſtquam inter illos hymnum dixit plumbeos,
B *Erectus inſit: Abſit vt me nobilem*
Sanguis parentum præſtet, aut lex Curia:
Generoſa Chriſti ſecta nobilitat viros.

Et S. Agatha apud Quintianum Præſidem: *Multò præſtantior*, ait, *eſt Chriſtiana humilitas & ſeruitus, regum opibus ac ſuperbia.*

Myſticè Salonius: *Verè*, inquit, *melior eſt frater idiota & ſimplex, qui operatur bona quæ nouit, vnde vitam æternam mereatur habere in cælis, quàm glorioſus, id eſt clarus eruditione, vel comptus doctoris officio, qui indiget pane dilectionis, quia neque Dominum diligit neq; proximum. Vel certè ideò panè indiget, quia non operatur quæ intelligit aut docet.* v.g. Melior eſt S. Franciſcus Ariſtotele, & quouis philoſopho ac inani Theologo.

Hanc gnomen pulchro ſimiæ & vulpis apologo venuſtat Cyrill. libr. 3. Apol. moral. cap. 10. cuius titulus: *Quòd melius ſit minùs egere, quàm plus*
C *habere.* Cùm ſimia, inquit, iocoſa veſte induta & vana catenula irretita, jubilans exultaret, ſuamque opulentiam & felicitatem jactaret; retudit eam vulpes dicens, hæc non tam eſſe copiam, quàm inopiam, quòd veſtis indigentiæ, catenula captiuitatis ſit ſignum. *Nam paupertas eſt*, inquit, *indigere; fortunæ verò habere, hanc vnde ſuppleas indigentiā, auaritiæ verò ſemper plus cupere. Si amplius habes, aut eo indiges, aut non indiges: & ſi habes, aut his vteris, aut nō vteris. Si vteris luxuriando, fatua; ſi non vteris, es retinendo auara. Si verò egens habes, quàm artificialiter diues, naturâ tam pauper es. Vide igitur, quòd plus habere, aut ſine vitioſitate, aut ſine aliqua paupertate nemo poſſit: vanè igitur, quia plus habes gloriaris. Ego certè me minùs egere vnice glorior, & arte nudam eſſe, quia nec egeo, nec cupio*
D *veſtimentum, ditiorem me puto.* Nimirum, *qui minùs eget, is natura diues eſt, cùm ſit ipſe ſufficiens. Solam namque hanc, ni fallor, æſtimauerim eſſe veram opulentiam non aliunde mendicatā, ſed cupiditate abdicatam, natam habere ſufficientiam. Cupiditatis victor Diogenes, hoc ſe ditiorem putauit, quò minimis indigeret. Hinc cùm virum quemdam naturali vaſe manuum hauſtum ſumere vidiſſet, iam ſeipſo diues eius exemplo factus, potationis vaſculum confregit. Quare huiuſmodi diuitiæ, aut naturalis paupertatis opitulatiuum ſolatium, aut cupiditatis anxiæ iugum ſunt oneroſum. Diſce igitur, quòd melius ſit non egere, quàm indigentem, habere.*

NOVIT IVSTVS IVMENTORVM SVORVM ANIMAS: VISCERA AVTEM IMPIORVM CRVDELIA } Syrus, *impij autem claudunt viſcera ſua*; Chald. *miſerationes impiorum crudelitas.* Hebr. enim רחמים rachamim & miſerationes, & viſcera, quæ ſedes ſunt miſericordiæ, & miſeratione cōmouentur, ſignificat. Senſus ergo Chaldæi eſt, q.d. Miſeratio- Vers. 10.

ſerationes impiorum ſunt crudeles, adeoque non ſunt miſeratio, ſed crudelitas. Si quando enim miſericordiam aliquam præſtant, tot moris miſerum trahunt, ac tanta verborũ aſperitate & ſupercilio beneficia in odium adducunt, denique tot conditionum & vſurarum onere ea aggrauant & vendunt, vt non tam miſereri quàm feritatem & crudelitatem exercere videantur.

Senſus Vulgatæ verſionis eſt, q.d. Nouit iuſtus, quantos labores & dolores animæ jumentorum ſuorum patiantur: ideoque eos moderatur, mitigat, ſolatur & medetur. Rurſum nouit quid jumẽti anima appetat, illudque ei exhibet. Vnde Pagn. vertit, *cognouit iuſtus appetitum iumenti ſui.* Anima enim ſedes & ſymbolum eſt appetitus. *Nouit* ergo non ſpeculatiuè tantùm, ſed & practicè: *nouit*: id eſt attendit & curam gerit ſuorum jumentorum. Sic dicitur 2. Tim. 2. 19 *Cognouit Dominus qui ſunt eius*, id eſt amat, curat, protegit, promouet Deus ſuos electos. Et Pſal 1.6. *Nouit Dominus viam iuſtorum: nouit*, id eſt, diligit, dirigit, ſecundat, & proſperat. Vnde Septuag. vertunt, *iuſtus miſeratur animas iuſtorum ſuorum : viſcera autem impiorum immiſericordia.*

Jam per *iumenta* Primò, Lyran. accipit ſeruos & ancillas: *iumenta* enim dicuntur quaſi *iuuamenta*: ſerui autem juuant herum.

Secundò, Beda per *iumenta* accipit proximos rudes & hebetes inſtar jumentorum: hos enim juuare, & viciſſim ab iis juuari debemus lege naturæ & charitatis. *Iuſtus*, inquit, *compatitur, & miſeretur hebetudini & fragilitati proximorum ſibi commiſſorum.* Quam enim curam gerit bubulcus ſuorum boum & iumentorum, ac paſtor ſuarum ouium, eandem gerere debet rector ſubditorum.

Tertiò, propriè & genuinè Aben Ezra: Nouit, inquit, juſtus qua re indigeant ſua pecora, illamq; miſericorditer eis præſtat: quia juſtus non tantùm hominum, ſed & brutorum miſeretur; præſertim quia hæc miſericordia in ſuum commodũ redundat. Qui enim alit & impinguat bouem ſuum, ſeipſum alit & impinguat: bos enim arabit hero terram ſegeteſque producet, ac deinde cedet ei in cibum. Itaque eſto amicitia & charitas propriè non ſit inter nos & bruta, vt docet S. Thomas & Ariſtot. tamen ad illa quaſi per mantiſſam & auxeſin quamdam ſeſe extendit: eſtque hic amor non tam amicitiæ, quàm concupiſcentiæ, quia herus amat bouem non ob bonum bouis, ſed quia bos eſt jumentum, peculium & bonum ſuum. Ita S. Chryſoſt. hom. 29. in epiſt. ad Roman. *Sunt enim*, inquit, *Sanctorum animæ vehementer mites & hominum amantes, non ſolùm erga ſuos, ſed etiam alienos : ita vt hanc ſuam manſuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea & ſapiens quidam dixit: Iuſtus miſeretur animarum iumentorum ſuorum. Si ergo iumentorum, multo magis hominũ.* Idem Chryſoſt. plenius in Catena Græc. hunc locum ſic explicat: *Quid*, inquit, *audio? Numquid iuſtus iumentorum ſuorum animas miſeratur? Vtiq; erga illa quoq; magnam humanitatem & clementiam oſtendamus oportet, idq; cùm ob alia, tum ob id maximè, quòd ea ratione & occaſione illis compati & condolere diſcamus, qui eiuſdẽ nobiſcum ſunt generis. Nec enim Deus citra cauſam in lege præcepit, vt iumentum prolapſum erigamus, & errabundam ouem ad viam reducamus; neq; bouis triturantis os obligemus.. Vult itaq; vt magnam in bruta quoq; animantia miſericordiam exerceamus. Primò quidem propter nos ipſos, deinde verò*

A *vt quoad neceſſaria miniſteria obeunda magis ſint idonea: poſtremo autem vt curã & humanitatem in illa exercere aſſueti, quæ ſua nobis miniſteria præſtant, erga proximos paulatim benigni & miſericordes euadamus. Qui enim exterorum miſeretur, multò magis familiarium & domeſticorum miſerebitur: & qui miſericordiam exercet in iumentum, magis exercebit illam in fratrem conſanguineum. Sed dices forſan: Iumentum miniſterij vſum affert, frater autem nullum omnino. Imò verò magnum: conciliat enim tibi æternam apud Deum mercedem. Ecce qualem curam & ſeruitutem iumentis impendimus, vt bene ſit illis; neq; turpe aut ignominioſum hoc ducimus, & hominibus ſeruire turpe ducemus? Tropicè autem per iumenta indociles; & rationis luce penè deſtitutos diſcipulos hoc loco ſignificat.*

B Idcirco ergo Deus Judæis præceperat miſereri jumentorum, vt diſcerent miſereri proximorum ne, ſi in jumenta eſſent crudeles, diſcerent efferari in homines. Ita ſanxit: *Non arabis in boue ſimul & aſino.* Deut. 22.10. quia aſinus impar eſt boui: quare ſi idem cum boue jugum traheret, plus æquo grauaretur. Et: *Non coques hædũ in lacte matris ſuæ.* Exodi 25.19. quia crudele eſt, vt lac matris, quod hædo eſt alimentum vitæ, fiat eidem tormentum mortis. Et: *Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem; non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris.* Deuter. 22. 6. Ita ſanxit diem ſabbathi, vt in eo quies daretur tam jumentis, quàm hominibus, ab omni opere & labore, quo per ſeptimanam deſudant, Deuter. 5. 14 Hanc miſericordiam Deus ſanxit non tantùm ſuo verbo, ſed & exemplo. Ipſe enim jumentorum curam gerit. Vnde illud Pſal. 35. *Pietas iuſti in iumenta.*
C 7. *Homines & iumẽta ſaluabis Domine.* Et Chriſtus, ait S. Bern. in præſepio poſitus fuit inter bouem & aſinum, vt ſaluaret homines & iumenta. Et Pſal. 103.14. *Producens fœnum iumentis.* Et Pſ. 146.9. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Deum ergo Deique pietatem imitantur, qui in beſtias miſericordes ſunt.

Sic S. Anſelmus, vt habet eius Vita, effectu commiſerationis mouebatur erga beſtias, eaſque deflebat cùm laqueis venatorũ irretitas cerneret. *Exempla.* Gordianus ſenior Imp. teſte Capitolino, tãtę bonitatis erat, vt in ſcholis, ſi quis puerorum vapularet lacrymas non teneret.

Præ reliquis ſenſum hunc pietatis in beſtias oſtendit S. Franciſcus, de quo ita ſcribit S. Bonau. l. 1. Vitæ eius c. 8. *Conſideratione primæ originis omniũ,*
D *abundantiori pietate repletus, creaturas quantũlibet paruas fratris vel ſororis appellabat nominibus, pro eo quòd ſciebat eas vnũ ſecum habere principium. Illas tamen viſceroſiùs amplectebatur & dulciùs, quæ Chriſti manſuetudinẽ piam ſimilitudine naturali prætendunt, & Script. ſignificatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem; illius memor agni mitiſſimi, qui ad occiſionẽ duci voluit pro peccatoribus redimendis.* Narrat deinde eum ſui, ſiue porcę, quæ agnum occiderat, maledixiſſe, ac ſuem mox infirmari cœpiſſe, & intra triduum mortuã. Similiter eum aues & piſces captos libertate donaſſe: quocirca eas illi applauſiſſe, ac ab eo inuitatas cantu ſuo Deum laudaſſe. Mira ſunt quæ addit de cicada, phaſiano, falcone, & lupis à viro ſancto dilectis & protectis, atque ad Dei laudem inuitatis.

Myſticè R. Leui: Juſtus, inquit, nouit animam jumenti ſui, id eſt vitam corporis ſui (corpus enim eſt quaſi jumentum animæ) tuetur & curat, ideoque

que cauet ne corpus nimiùm labore affligat, ne nimia auſteritate vigiliarũ, inediæ, ciliciorum, diſciplinarum illud conficiat. *Viſcera autem impiorum crudelia*, quia dum gulæ, ibidem & vitiis intemperanter indulgent, crudeliter in ſeipſos ſæuiunt: nam & ſanitatem & robur lædunt; quin & vitam non rarò ſibi auferunt, aut certè decurtant.

Denique notanda hic collectio & dogma arcanum Caſſiani collat. 11. c. 10. *Iuſtus*, inquit, *miſeretur animus iumentorum ſuorum: viſcera autem impiorum ſine miſericordia. Ideoq; iiſdem vitiis ſubiacere monachum certiſſimum eſt, quæ in alio inclementi atque inhumana ſeueritate condemnat. Rex enim rigidus incurret in mala*, Prou. 13. juxta Septuag.

Vers. 11. QVI OPERATVR TERRAM SVAM, SATIABITVR PANIBVS: QVI AVTEM SECTATVR OTIVM STVLTISSIMVS EST] Hebr. *indiget corde*. Pro *otium* hebr. B eſt רֵקִים *rekim*, quod Aquila, Theodot. & Septuag. vertunt, *μάταια*, id eſt *vana*; Syrus, *qui feſtinat poſt vanitatem*; Chald. *vacua*; Pagnin. *vacuos*; Baynus, *inania*, Tigur. *perditos*. *Rekim* enim ſignificat homines ignauos, otioſos, inanes, perditos, quales ſunt ſcurræ & mendici validi: item res inanes, vanas, perditas. Qui enim cum ſcurris ignauis & otioſis verſatur, ſectatur ignauum, vanum, turpe & ſceleratum otium, fitque ſcurra, maledicus, fur, &c. Huc facit prouerb. Syrorum & Arabum cent. 2. n. 27. *Acquire diligentiam: ea enim eſt theſaurus magnus*. & n. 28. *Recede à pigritia, quia ipſa eſt plena damno*.

S. Chryſoſt in Catena Græcor. hæc ita præced. v. 9. & 10. connectit, q. d. *Non quia operandum & laborandum dixi, iniuſtè quoq; ditеſcendum dixi. Bona ſanè & honeſta eſt operatio ſed ea quæ cum iuſtitia eſt coniuncta, cuiuſmodi eſt agricultura. Ignauia enim malitiam* C *parit & fouet, non etiã rem familiarem auget*. Accedit S. Hieron. qui per *vana* accipit mercaturam, vtpote periculoſam & incertam, quaſi ab ea Sapiens auocet homines ad agriculturã. Explicans enim illud Iſaiæ. 23. de Tyro. *Operare terram tuam: etenim naues nequaquam venient de Charthagine. Profuit enim Tyro* (inquit Hieron.) *naues interire peregrinas, vt cogatur operari terram ſuam, de qua in Prouerbiis dicitur: Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus, &c. Vt nequaquam de incerto fluctuum naufragiorumq; diſcrimine, ſed operis ſui viuat frugibus*.

Verùm ſub agricultura hic quodlibet opus honeſtum, & quamlibet artem honeſtè diteſcendi accipit: hæc enim opponitur inerti otio proponit tamen agriculturam, tum quia ea eſt maximè neceſſaria tum quia ipſa eſt *ars innocentiſſima* (ait S. Au- D guſt. ſcribens contra Fauſtum Manichæum, eam damnantem homicidij, quòd plantas euellendo eis animam vitamque adimat) ideoque præcepta Adæ in paradiſo, rurſum poſt expulſionem è paradiſo, quam proinde primi Patriarchæ, ac deinde reges etiam & principes, vti Iob, Abraham, Moſes, Eſau, &c. exercuere. Quin & Diocletianus, teſte Eutropio, relicto imperio in ruſticatione conſenuit, atque Herculeo & Galerio eum ad imperium reſumendum inuitantibus: *Vtinam*, inquit, *Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta, profectò illud tentandum nunquã iudicaretis*. Fatraotes Indorum rex Apollonio de eius victu ſciſcitanti, *Ego*, ait, *palmarũ fructibus, aut oleribus paſcor, aut quæ præbent mihi arbores, quas ego his manibus colo*. Lyſander Lacedæmonius cùm ad Cyrum minorem Perſarum regẽ veniſſet, in hortum ductus, admiratus & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, Cyrum interrogauit, à quo eſſent arbores plantatæ, & cuius ſolertiã tam aptè dimenſæ? Cui reſpondens Cyrus ait: *Atqui ego ipſe ſum iſta dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio, mea enim manu ſunt ſatæ*. Tum Lyſander purpuram ornatumque perſicum multo auro ſplendentem intuens dixiſſe fertur: *Rectè Cyre te beatum ferunt homines, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt*. Ita Cicero in Catone.

Quæres, cur ſectans otium vocetur *ſtultiſſimus*, Reſp. Primò, quia otium inducit pauperiem & hominem ad famem necemque redigit. Quid autem ſtultius, quàm inerti otio ſibi famem mortemque conſciſcere? & quid aliud eſt otium, *quàm viui hominis ſepultura*? vt ait Philoſophus. *Otioſus ſtultiſſimus. Primo.*

Secundò, quia otium facit mentem ignauam hebeſcere & bruteſcere, ſicut hebeſcit & rubigine obducitur ferrum otioſum, vt gladius & culter, quo nemo vtitur. Vnde Caſſiodorus: *Natura humana*, inquit, *ſicut duris laboribus inſtruitur; ita per otia torpentia infatuatur*. Conſonat Plutarchus in Moralibus: *Ingenium*, ait, *hominis ceu cariem & ſenium in otio contrahit, propter obſcuritatem. & quies vitaq; ſedentaria non modò corporibus, verùm etiam animis maciem affert*. Et S. Chryſoſt. homil. 5. in 1. ad Corinth. *Eorum* (qui laborant) *ſunt animæ puriores*, inquit, *eorum ſunt mentes robuſtiores ac firmiores. Nam qui eſt otioſus, & multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & toto die nihil operatur torpore & veterno mentem repletam habet*. *Secundò.*

Tertiò, quia otium parit detractiones, calumnias, irriſiones, furta, eſtq; cauſa omnis mali: otioſi enim fiunt aleatores, compotores, ſcortatores, prædones, &c. Quocirca Diogenes teſte Laërtio lib 6. otioſorum negotium dicebat eſſe amorem; quòd hic affectus potiſſimùm occupet otio deditos. Ita enim, fit, dum otio vacant, in rem negotioſiſſimã incidant. Et Appius Claudius, teſte Valer. Maximo dictitabat populo Romano longè meliùs committi negotium quàm otium; quòd populus bellis excitetur ad virtutem, in pace defluat ad voluptates ac luxum, ex quibus naſcitur rerumpubl. ac regnorum exitium. *Tertiò.*

Myſticè, Polychron in Catena Græcorum, *Terram, inquit, hic vocat animam, in qua bonæ & malæ cogitationes generãtur, bonæ, ſi eam ſanctis cogitationibus & operationibus exerceas, malæ ſi eam otiari ſinas. Panes vocat diuini verbi pabulum: ſtultos autem eos dicit qui circa vanam doctrinam occupantur*. Sic & Beda: *Ille* inquit, *terram ſuam ſtrenuè operatur, qui arcana cordis ſui per quotidiana exercitia, per legis meditationem, per vigilantiam mentis, quaſi qui exercet agriculturam, inſtanter erudit, atque ſpiritualibus cibis velut panibus, ne fame ignorantiæ periclitetur, interioris hominis ſui ſenſũ reficere non deſiſtit. Qui exercet animam ſuam ſpiritualibus ſtudiis, & nunc virtutibus, & tunc dapibus ſaturabitur præmiorum: qui autem pro ſalute animæ ſuæ nunc laborare detrectat, tunc inter ſtultos reprobabitur: tametſi nunc vel diuina, vel mundana, ſapientia glorioſus videtur*. *Myſticè anima ut terra colenda.*

Rurſum B. Petrus Damiani per terram accipit corpus, quod laboribus & pœnitentiis ſubigendum eſt, vt continentiæ & beneficentiæ fructus proferat. Sic enim ait in epiſt. ad Fratres mandatorum tranſgreſſores: *Quiſquis deſiderat ſpiritualium ſegetum vbertate diteſcere, deſudet nunc agrum ſui corporis diſciplinæ ac continentiæ vomere continuo labore ſulcare*.

care, & tamquam noualium ſuorum glebas ſæculo ſapiente confringat: dum quidquid durum, quidquid inſæcundum in ſe deprehenderit, iugis pænitentiæ contuſionibus terat. Nec deſinat gula prurientes vrticas, atque inhorreſcentes carnalium deſideriorum vepres radicitus extirpare, quo vberes prouentus ſpiritualium ſegetum valeant ſui corporis rura proferre. Vnde Salomon ait: Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus. Vide quæ de agricultura literali & myſtica dixi Geneſ. 2.15.

Qvi svavis est in vini demorationibvs (perperam Beda & Lyran. legunt, *in vini moderationibus*) in svis mvnitionibvs relinqvit contvmeliam] Hic verſus deeſt in Hebræo, ſed eum habent Roman. & Græca, quæ ſic habent: *Qui intumlus in vini conuerſationibus* (ſimpoſiis) *immoratur, in munitionibus ſuis ignominiam relinquit.* Senſus eſt, q. d. Qui delectatur immorari ſympoſiis & vini compotationibus, hic *in ſuis munitionibus*, id eſt domibus, arcibus, vrbibus, locisque aliis quantumuis munitis relinquit infamiam & ignominiam: quia ebrietas multa ſecum affert probra, dedecora & damna, inter quæ Primum eſt quòd ebrius mente captus effutiat, quidquid in animo habet, omniaque ſua ſecreta prodat, ob quæ odia ſibi concitat, inſidias accerſit, fortunis, & ſæpè vita priuatur. Rurſum ebrius præ æſtu meri nudat corpus, eiuſque partes, quas honeſtas contegit. Sic Noë ebrius nudauit verenda ſua, quæ ſanè magna eſt ignominia, ideoque irriſus fuit à Cham filio ſuo, Geneſ. 9.22.

Probra crapulæ. Primum.

Secundum. Secundum, quòd, vbi mero incaluit multa dicat agatque ridicula, inſulſa, delira. Vnde S. Baſil. orat. de ebrietate: *Cùm multum*, inquit, *meri infuſum fuerit quaſi tyrannus quidam arcem petit, & à ſummo vertice ingentes tumultus animæ præbet, nulli rei ne principali quidem parcens, ſed ipſam primùm rationem in ſeruitutem captam adducit: deinde eam diſpoſitionem, ac ornatum qui doctrinæ partus eſt confundit ac perturbat riſu indecoro, voce horrendâ, irâ præcipiti, libidine effrænatâ, æſtro ac furore in omnem inhoneſtam voluptatem.*

Tertium. Tertium, quòd cœnaculum & cubiculum repleat vomitu, crapula, ſordibus, iuxta illud Iſaiæ 8. *Menſæ repletæ ſunt vomitu.* Et Ierem. 48.26. *Allidet manum Moab in vomitu ſuo, & erit in deriſum etiā ipſe.* Et illud Habacuc 2.16. *Repletus es ignominiâ: bibe tu quoque & conſopire: circumdabit te Calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriā tuam.*

Quartum. Quartum, quòd potando decoquat patrimonium, itaque ſe, filios & vxorem redigat ad inopiā & paupertatem. Nam vt ait D. Ambroſ. libr. de Elia & ieiunio cap. 12. *Ebrij vno die bibunt multorum dierum labores.*

Quintum. Quintum quòd ciuium & militum ebrietas det occaſionem hoſti inuadendi, capiendi & vaſtandi arces & vrbes ita auctor Catenæ Græcor. Sic Baltaſſar ſuâ compotatione perdidit vitam, Babylonem & monarchiam Babyloniorum, Daniel. 5.30. Sic Holofernes ebrietate ſuâ perdidit ſe totaque Aſſyriorum caſtra, Iudith 13.10. Quocirca vt ait S. Ambr. l. de Elia & ieiunio c. 9. *Vnius mulieris* (Iudith) *ieiunium innumeros ſtrauit exercitus ebriorum.* Sic Troia indulgens genio à Græcis capta eſt, iuxta illud Virg. 2. Æneid.

Inuadunt vrbem vino ſomnoq; ſepultam.

Verè Plato apud Stobæum ſerm. 18: *Gubernator ebrioſus*, inquit, *& quiuis cuicumq; rei præpoſitus omnia ſubuertit, ſiue nauigium, ſiue currum, ſiue exercitum, ſiue vrbem, ſiue quamcumq; rem fidei ſuæ commiſſam.* Quocirca idem plato dial. 3. de Republ. ita ſancit: *Non conceditur cuſtodi ut ebrietate grauatus, vbi terrarum ſit neſciat, nempè ridiculum eſſet cuſtode indigere cuſtodem.*

Denique probra & damna ebrietatis deſcribit S. Ambroſ. lib. de Elia & ieiunio c. 16. *Ebrietas*, inquit, *fomentum libidinis, ebrietas incentiuum inſaniæ, ebrietas venenum ſapientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati cohibere ſe non queunt, & in beſtiales libidines excitantur, vt nullum tempus præſcriptum habeant, quod doceat indulgere concubitui: vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt. Hinc phreneſis periculoſa, hinc calculi grauis pœna; hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequēs ſemeſas epulas cum internorum viſcerum cruore fundentium.* Et nonnullis interiectis: *Hinc enim vanæ imagines, incerti viſus, inſtabilis greſſus: vmbras ſæpè trāſiliunt ſicut foueas. Nutat his cum facie terra, ſubitò erigi & inclinari videtur; & quaſi vertatur, timentes in faciē ruunt, & ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi. Murmur in auribus tamquā maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alij riſu ſoluuntur incondito, alij inconſolabili mœrore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes ſomniant; dormientes litigant. Vita his ſomnium eſt, ſomnus his mors eſt: excitari nullis vocibus poſſunt quantolibet ſtimulando impulſu petas; niſi reſipuerint, euigilare non poſſunt. Vnde bene Ieremias huiuſmodi hominem tamquam ſuperfluam creaturam deflendum putat. Quid eſt homo ebrius, niſi ſuperflua creatura.*

Desiderivm impii mvnimentvm est pessimorvm: radix avtem ivstorvm proficiet] Vers. 12.

Perperam Beda, Lyran. & Complut. pro *munimentum* legunt *monumentum*, ſicque exponunt; q. d. Deſiderant impij, gaudentque dum impij ſibi ſimiles vigent in hominum memoria, dumque eis ſplendida ſepulcra & monumenta eriguntur. Perperam inquam: nam Hebr. מצוד *metſod* ſignificat arcem & munimentum, non monumentum: ſignificat quoque rete & venationem. Vnde R. Salomon vertens, *venatio*, ſic explicat, q. d. *Impij hoc maximè optant, vt iis veſcantur, vitamq; ſuſtentent, quæ ſcelerati per fraudem & rapinam venati fuerint.* Meliùs Chald. vertit, *deſiderat impius retia mali*; Syrus, *ad malum præſtandum*; Caiet. *deſiderium impij laqueus malorum*, q. d. Impius optat & quærit modos, artes & dolos, quibus quaſi retibus iuſtos illaqueet & perdat, at verò iuſti Deo protegente illos euadent: *radix enim iuſtorum proficiet*; Syrus, *germinabit*; Chald. *permanebit*; Tygur. vertit, *qui impietatē deſiderat, malum venatur: at radix iuſtorum ferax eſt*; Vatabl. *optat impius rete malorum, id eſt optat ſibi dari artes malorum; vel munitionem & præſidium malorum, quo ſcilicet poſſit tutò alios lædere.* Hæc verſio plana eſt & facilis, ad eamq; Vulgata accommodari poteſt. Planior tamen vulgatæ verſionis ſenſus eſt, q. d. Deſiderant impij muniri & roborari peſſimos vt eorum ſocietate & robore ſe ſuamque impietatem communiant & ſtabiliant contra viros principeſque pios & probos. Sic hæretici vnius vrbis vel regni deſiderant hæreticos aliarum vrbium & regnorum roborari, ac potiri victoriis contra principes orthodoxos, vt per eos ſe ſuamque hæreſin ſtabiliant, ac fidem orthodoxam cum principibus eam propugnantibus peſſumdent & euertant. At

incaſſum laborant. Nam Deo impietatis vindice fidem fideleſque ſuos protegente, *radix iuſtorum proficiet*: vt ſcilicet iuſtitia & iuſti firmiores agant radices id eſt magis confirmentur, roborentur, ac magis magiſq; creſcant & proficiant: ex aduerſo impietas cum impiis ſenſim infirmetur, decreſcat & euaneſcat, vti nūc hæreſim decreſcere cernimus & gratulamur. Quocirca auctor Catenæ Græcor. ex Septu. ſic vertit & ſimplicat. *Deſideria impiorum ſunt improba, at piorū radices quaſi vallo cinctæ ſunt firmæ.* Et Paulus quoq; Apoſtolus pietatē & charitatem radicem & fundamentum appellat: *In charitate*, ſcribit, *fundati & radicati.* Sunt autē eiuſmodi in tuto collocati, ſiquidem pietas ab omni aduerſitate liberat. Aut ob id certè iſtud dicitur: quia illorum ſententiæ & cogitatus ſupra petram, quæ Chriſtus eſt, fundati ſunt, hactenus auctor.

Rurſum noſter Salazar Septu. ex Complut. & Rom. ſic ad verbū vertit, *cupiditates impiorum malæ: radix autem iuſtorum in munitionibus.* Idq; tripliciter explicat. Primò. q.d. Impiorum cupiditates & ſtudia rebus malis, id eſt caducis & terrenis, affixa ſunt, nihil ſublime & cæleſte cogitanti: contrà verò radices iuſtorum, id eſt eorum affectiones & ſtudia in munitionibus. q.d. Iuſti altiora & ſublimiora affectant, cæleſtia meditantur, in hiſque figunt deſideria ſua. Vel aliter: Impij quidē voluntas & mens exarmata eſt atque imbellis, atque adeò illam innumeræ cupiditates & prauæ affectiones inuadunt. At verò *radix iuſtorum*, id eſt eorumdem voluntas animuſque, *in munitionibus*, id eſt ſeptus vndique ac munitus eſt, ne ſcilicet prauæ cupiditates illum adoriantur & debellent. Aut denique, quod ſatius reor, nomen *radicis* ex familiari Scripturæ loquendi modo diuitias & fortunas ſonat. Atque adeò ſenſus eſt: Cupiditates impiorum malæ, id eſt ad malum inferendum pronæ: iuſtos enim & probos circumuenire, & bonis ſuis ſpoliare cupidiſſimè deſiderant. Radix verò piorum, id eſt eorum facultates, in munitionibus, hoc eſt tutæ atque ſecuræ ſunt ab eorum inſidiis, quaſi muris ſeptæ ac præcinctæ forent. Hæc ipſe more ſuo eleganter & ingenioſè.

Vers. 13. PROPTER PECCATA LABIORVM RVINA PROXIMAT MALO: EFFVGIET AVTEM IVSTVS DE ANGVSTIA] *To malo* eſt generis maſculini, non neutri. q.d. Homini malo, non rei malæ, vel ad rem malam. Pro *ruina* hebr. eſt מוקש *mokes*, id eſt laqueus, qui homines & aues ducit in ruinā & mortem. Vnde ex Hebræo vertas, *in præuaricatione labiorū laqueus malo*, id eſt homini impio, ſupple approximat. Alij vertunt, *laqueus malus*. q.d. Impius fraude quam labiis concinnat, malum aliis ſtruit laqueum. Verùm prior verſio eſt aptior. Vnde Sept. vertunt, *propter labiorum lapſum peccator incidit in laqueos* (Chald. *corruit malus*; Syrus, *capietur*) *iuſtus autem eiuſmodi laqueos facile declinat*; Vatabl. *ſermone ſuo irritetur malus: iuſtus autem ex anguſtiis euadit.*

Senſus eſt. q.d. Impius intemperantis eſt linguæ, ſuaq; garrulitate & dicacitate imprudenter parat ſibi laqueum & ruinā: quia propter eam in multas incidit lites & calamitates. At iuſtus effugiet de anguſtia: tū quia cauet à garrulitate, quæ parit laqueos & anguſtias: tū quia iuſtus ita ſapiens eſt & cautus, vt, ſi quando in aliquam anguſtiā incidat, ſuā loquendi agendique prudentiā & ſagacitate, nouit ſe ex ea expedire, & laqueum effugere. Ita Dauid accuſatus apud Achis regē Palæſtinæ;

A quòd eſſet proditor à Saule ad eum perdendum ſubmiſſus, calumniam hanc effugit prudenter ſimulando ſe ſtultum & delirum. 1. Reg. 21. 13. Sic Abigail excidium domui ſuæ ob duritiem Nabal mariti ſui imminens à Dauide, prudenti & humili ſermone iras Dauidis ſedando, diſcuſſit & effugit, 1. Reg. 25. 23. & ſequent.

Myſticè, S. Thom. ſerm. de decollat. S. Ioannis Baptiſtæ, hanc ſententiam eidem adaptat, eamque quaſi thema ſermonis proponit: Baptiſta, inquit, hodie decollatus ab Herode liberatus fuit à triplici anguſtiā, ſcilicet carceris, corporis & ſæculi, &c. quia ſcilicet tranſiit in libertatem gloriæ filiorum Dei: iuit enim ad limbum patrum, nuntians eis Chriſtum aduenisse. Vnde & Chriſtus ſequenti anno crucifixus & mortuus, ad limbum deſcendens, eidem cum ceteris patribus gloriam beatitu-
B dinis contulit, eumq; glorioſum in cælum aſcendens ſecum cum triumpho deduxit.

Poſt hunc verſum Septuag. in editione Romana hanc gnomē, quæ nec in Hebræo, nec in Græco, nec in Vulgata Latina extat, interſerunt. *Qui videt leuia, miſericordia dignus habebitur: qui autē occurrit in portis, vexabit animas*, hoc eſt, inquit Scholiaſtes: *Qui videt leuia*, id eſt probus, modeſtus & non curioſus, miſericordia dignus eſt: *at qui occurrit in portis*, id eſt curioſus, & qui ſe intrudit in negotia, vexabit multos. Auctor verò Catenæ Græcor. hunc verſum ſic enuntiat, ſicque explicat: *Qui placido miſericordiq; oculo intuetur, & ipſe miſericordiā conſequetur: qui autem in portis ſe obuiam fert, animas exterit. Placide cernentem eum vocare videtur, qui nulla neque inuidia, neque auaritia laborat, neque quid diſcretio exigat, ignorat: per eum autem, qui in portis occur-*
C *rit, auarum deſignat, aut illum ſanè, qui proximo inſidias parat, eidemue aduerſatur: aut hominem eiuſmodi, qui illis qui controuerſiarum cauſa in tribunal ingrediuntur, in ipſo ſtatim introitu ſeſe obiectat: aut eum denique, qui à* [illegible] *quæ ad vitam ducunt, ad malas ſemitas eos abducere conatur, quibus mala machinatur.* Et Olympiod. *Qui non videt aſperè, hoc eſt, qui rectā placidāq; mente ornatus eſt, is (vtpote nihil aſperitatis ex peccato reliquū habens) Deum videbit. Qui autem in portis occurrit, eſt auarus: ſiquidem quærens quem exterat & conſumat, quaſi in portis, vbi olim ius dicebatur, occurrere & inſidiari dicitur.*

DE FRVCTV ORIS SVI VNVSQVISQVE REPLEBITVR (Hebr. *ſaturabitur*) BONIS. ET IVXTA OPERA MANVVM SVARVM RETRIBVETVR EI] Vers. 14. Ita Hebr. Aquila, Chald. & Symmach. licet Sept. pro *manuum*, habeant, *labiorum*. *Et retributio labiorum eius*,
D inquiunt, *dabitur illi.* Perperam Caietan. à citatis interpretibus recedēs, vertit, *de fructu oris viri ſaturabitur bono*, ſcilicet auditor, *& iuxta operæ manuum ſuarum retribuetur ei*, ſicque explicat, quaſi hic ponatur diſcrimen fructus ſermonum & operum; quòd ſcilicet fructum ſermonum percipiat, non loquens, ſed audiens: fructum verò, id eſt mercedem, operum percipiat ipſe operans. Contrarium enim hîc dicit Salomon, ſcilicet tam oris quàm operis fructum ad ſuum pertinere ac redire auctorem. Vnde Vatabl. ſic explicat. q.d. Verba & opera accipient à Deo retributionē. Sic & S. Chryſoſt. in Catena Græcor. *Ne arbitreris*, inquit, *in operibus tantùm virtutem conſiſtere, nam perſæpè quoque conſiſtit in verbis. Quare ſubdit, Retributio labiorum eius tribuetur illi. Atque huc quoque ſpectat illud Domini. Ex ore tuo iudico te ſerue nequā.* Alius ibidem: *Virilis anima*

ma ſermo ad virtutem tendit: & quidem bonus bonos generat fructus ſicut è diuerſo malus malos. Dominus autem tāquam benignus & liberalis dator liberalem mercedem perſoluit bonis, ſupplicia autem ex inſtituto non irrogat, verùm mali ſibi ipſi illa adſciſcunt.

Maximè verò ſignificat hic lapis, eos, qui blādis verbis æquè ac eleēmoſy nis mœſtos, ægros & afflictos ſolantur, lætificant & exhilarant; ſimili modo, ac pari, imò maiori menſura (vt innuunt Sept.) à Deo & ab aliis lætificandos fore & exhilarandos iuxta illud S. Greg. *Et gaudia tribuens, vnde es lætificandus, accipies.* Et illud: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Et illud Chriſti: *Beati miſericordes, quoniā ipſi miſericordiam conſequentur.* Matt. 5.

Vers. 15. Via stvlti recta in ocvlis eivs: qvi avtem sapiens est, avdit consilia] Pagnin. *obtemperat conſiliis*; Symmach. inuertit, *qui vero audit conſilia*, inquit, *ſapiens erit*: quia ex conſilio quod ſuſcepit, proficiet in ſapientia. Senſus eſt, q. d. Stultus, qui eſt inſipiēs & imprudens, id quod concepit & iudicat, vel concupiſcit & amat, oculis mentis ſuæ, cenſet eſſe æquum & rectū: vnde ſibi præfidens alios conſulere negligit, at ſapiens ſuo iudicio diffidens alios conſulit, eorumq; conſilia libens amplectitur & ſequitur. Ratio eſt Prima; quòd ſtulti ſunt ſuperbi, putantque ſe plus aliis, imò ſe ſolos ſapere. Rurſum, *dum docti & ſapientes magis putari quàm eſſe concupiſcunt, ideo alios audire detrectant* ait S. Auguſt. epiſt. 174. At ſapiētes ſunt humiles, ſciuntq; in propriis facilè quēlibet falli, nec ambiunt haberi, ſed eſſe ſapientes: idcirco libenter alios audiunt, imò cōſulunt. Alij enim ſinceriùs de nobis rebuſq; noſtris iudicāt, quàm nos ipſi. Nos enim in noſtris excæcat amor proprius.

Cur ſtulti ſibi præfidant? Ratio Prima.

Secunda. Secunda, quia ſtulti amant ſuas cupiditates, iiſque ita affixi ſunt, vt ab eis auelli nolint; quare cauent alios conſulere, ne praua eorum deſideria & iudicia arguantur, eademque relinquere & mutare vi veritatis cogantur. Sapientes verò ſequuntur iudicium rationis, virtutis & legis diuinæ, quæ ſuadet, vt in proprijs alios conſulamus, ne latens amor cupiditatis alicuius iudicium offuſcet, ac cupiditatem pro ratione ſubſtituat.

Tertia. Tertia, quòd ſtulti duri ſint cerebri, pertinaces & obſtinati in eo quod ſemel ſibi perſuaſerunt: at ſapientes ſinant ſe duci & flecti quocumque eos ratio & veritas conſiliorum, quæ ab aliis ſuggeruntur, ducit. Sic Moſes licet aſſiduè cū Deo colloquens, Iethro tamē ſoceri ſui conſilium de partiendo in alios regiminis onere libēs admiſit, magno ſui & totius populi commodo, Exodi 18. Sic S. Petrus; licet caput Eccleſiæ, Pauli licet inferioris conſilium, imò correptionem, de non iudaizando humiliter audiuit & ſuſcepit, Galat. 2.

S. Aug. ſua ſubijcit cenſura Hieron. Eminuit hac in re S. Auguſt. qui cùm ingenio eſſet acutiſſimo, & doctrina eminenti, tamē alios, ac inprimis S. Hieronym. de dubiis S. Scripturæ conſulere ſolitus fuit, vt patet ex epiſtol. eius 8. ad S. Hieron. in cuius fine ait: *Sanè idem frater aliqua ſcripta noſtra fert ſecum, quibus legendis ſi dignationem adhibueris, etiam ſinceram atque fraternam ſeueritatem adhibeas quæſo. Non enim aliter intelligo quod ſcriptum eſt: Emendabit me iuſtus in miſericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: niſi quia magis amat obiurgator ſanans, quàm adulator vngens caput. Ego autem difficillimè bonus iudex lego quod ſcripſerim, ſed aut timidior recto, aut cupidior. Video etiam interdū vitia mea, ſed hæc malo audire à melioribus, ne, cùm me rectè fortaſſe reprehēdero, rurſus mihi blandiar, & meticuloſam potiùs mihi videar in me quàm iuſtam tuliſſe ſententiam.* Item S. Ambroſ. qui ſcribens ad Sabinum, illius licet ſe eruditione inferioris cenſuræ ſcripta ſua ſubijcit, cautamq; addit: *Neſcio enim quomodo præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, vnumquemq; fallunt ſua ſcripta; atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores etiam ſermones ſui palpant.* *& S. Ambroſ. Sabini.*

Denique parallela Salomon eſt illa Siracidis gnome: *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis* Eccli. 32. 24. Et illa Tobiæ ad filium c. 4. 19. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.*

Patvvs statim indicat iram svam] Hebr. *ſtulti in die cognoſcetur ira eius*, id eſt vt Septu. & Syrus, *imprudens eadem die enuntiat iram ſuam*; S. Cyprian. *patefacit furorem ſuum*; Chald. *ſtultus importune iram ſuam oſtendit.* Vers. 16.

Qvi avtem dissimvlat inivriam, callidvs est] Hebr. *tegens ignominiam, callidus eſt*; Vatabl. *cautus eſt*; Sept. *abſcondit* (Beda, *occultat*) *autem ignominiam vir aſtutus.* Callidus ergo hic idem eſt quod prudens & aſtutus, ita auctor Catenæ Græcor. Significat in offenſa & ira maximè dignoſci ſapientem à ſtulto: quòd ſtultus ilicò iram prodat, ſapiens eam tegat, celet & diſſimulet. Hinc illud elegans Hebræorum prouerbium בְּכוֹס בְּכִיס בְּכַעַס *bachis bachos bacaas*, id eſt *in crumena, in calice, in ira* maximè cognoſcitur indoles & ingenium hominis: in crumena enim cognoſcitur eius auaritia, vel liberalitas: in calice eius ſobrietas, vel ebrietas: in ira eius prudētia diſſimulandi, vel prudentia indignandi vel vleiſcendi.

Triplex ergo hic innuitur diſcrimen, quo in ira ſapiens à ſtulto ſecernitur. Primum eſt. Stultus ſi verbo aſperiore, multò magis ſi verbere pungatur, ilicò ira corripitur & excandeſcit; quia paſſione, non ratione agitur. At ſapiens licet ſcommate, alioue verbo, aut facto duriore appetatur, mentē cohibet ne iraſcatur, quia illam habet placidam, eo quòd iram mortificarit, iræque potens ſit & dominus. Quocirca in ſapiente *ira rationi ſicut canis paſtori obedit*, vt ait S. Baſil. homil. de ira, vt ſcilicet inſtar canis nunc immittatur in gregem, nunc reuocetur à ratione ad eius libitum. *Triplex diſcrimen ſtulti & ſapientis in ira. Primum.*

Secundum. Stultus ira correptus illi interiùs in animo indulget. Dum enim iniuriam ſibi factam iugiter recogitat & exaggerat, animum irâ grauidum magis accendit & inflammat: non enim ſtuduit mortificationi, ſed inſtar bruti iras & appetitus ſuos ſequitur, illiſq; indulget: quo fit, vt ex ira incidat in indignationem & furorem. At verò ſapiens, eſto aliquando ira ſubita corripiatur, tamen illam ſtatim in animo refrenat & compeſcit. Ilicò enim iudicium mentis aduocat, quod multas illi rationes iræ reprimendę ſuggerit. Rurſum ſapiens nouit illud Sixti philoſophi n. 275. *Magnam ſcito eſſe ſapientiam, per quam ferre potes ineruditorum inſipientiam.* Et n. 283 *Domeſticorum indignationes ferre ſapientis eſt.* Præclarè S. Ambr. in c. 6. S. Lucæ ad illud *Beati pauperes*: *Mitiga*, inquit, *affectum tuum, vt non iraſcaris, aut certè iratus ne peccaueris, iuxta quod ſcriptum eſt: Iraſcimini & nolite peccare. Præclarum eſt enim motum temperare conſilio, nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam, quàm omnino non iraſci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æſtimetur.* *Secundum.*

Tertium. Stultus iram animo conceptam exteriùs prodit per vultum iracundum, per verba indigna- *Tertium.*

dignationis plena, per geſtus minaces, &c. Clamat enim, vociferatur, minatur, complodit manus, pedibus pulſat terram, conuitia iactat, &c. Sicut enim ſcintilla ignis iniecta in ſtipulas, niſi reſtinguatur, ſerpit, gliſcitque, nec deſinit donec interiùs totam domum peruaſerit; quo facto foras per feneſtras & tecta erũpit, ſic prorſus res ſe habet in ira, cui ſtultus non reſiſtit, ſed eam ſequitur, fouet & auget. At verò ſapiens iram etiam iuſtè animo conceptam premit & tegit, ne foras erumpat. Sapienter enim cogitat, ſi eam prodat, ſe tam alios, quàm ſeipſum, magis ira accenſurum, lites & rixas concitaturum, nilque boni ſed multum mali effecturũ, iuxta illud Apoſtoli: *Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiã veſtram*, Epheſ. 4. 26. vide ibi dicta. *Iniurias enim qui vlciſcitur, exaggerat*, inquit Ariſtot. Prudenter ergo irã quaſi feram animo cohibet, ne, ſi leo hic furens foras exiliat, in noxam & cædem multorum ruat: quare expectat dum ſedatâ irâ, ratione rem ſuam agat, ac iniuriam ſibi illatam vel corripiendo oſtendentẽ, vel iuridicè cauſam ſuam agendo, vel potiùs eam cõdonando deleat & obliteret. Ita Caſſianus collat. 16. cap. 27. *Stultus eâdem ipsâ horâ pronuntiat iram ſuam: occultat autem ignominiam ſuam aſtutus. Non enim*, inquit, *ignominioſam iracundiæ paſſionẽ ita à ſapientibus occultari debere decernit, vt iracundiæ velocitatem culpans, non prohibeat tarditatẽ, quam vtique, ſi per neceſſitatem humanæ infirmitatis irruerit, ideo cenſuit occultandã, vt, dum ad præſens ſapienter obtegitur, in perpetuum deleatur. Hæc enim natura eſt iræ, vt dilata langueſcat & pereat, prolata verò magis magiſq; conflagret. Dilatanda ergo atque amplianda ſunt pectora, ne anguſtijs puſillanimitatis arctata, ita iracundiæ turbulentis æſtibus oppleantur, vt recipere ſecundum Prophetam illud nimis latum mandatum Dei anguſto corde nequeamus, nec dicere cum Propheta; Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatares cor meum.*

Igitur ſapiens iudicat ſatius eſſe ignominiam ſibi illatam occultare & condonare, quàm commemorando renouare & augere: ſcit enim hac ratione plus virtutis & gloriæ ſibi acceſſurũ, quàm ſi iram minando vel vindicando proderet. Nam, vt ait S. Baſil. homil. de ira: *Si nihil moueris, integer es animo & ſanus. Si verò aliquid animo pateris, ſaltem in te conde triſtitiam. In me turbatum eſt cor meum (inquit Propheta) id eſt, non extra perturbationem animi oſtendi, ſed veluti quamdam intra littus abruptam vndã retinui.* Et mox: *Sedabis igitur mentem latrantem & exacerbatam.* Modum ſuggerit. *Tecum in tui cordis receſſu rationis tribunal verebere, ſicut pueri immodeſtum aliquid agentes viri venerabilis præſentiam vereri ſolent.* Ita Saul iam rex creatus diſſimulabat ſuorum ſcommata & obloquia, iramque & vindictam continebat, 1. Reg. 10. 27. *Qui enim neſcit diſſimulare, neſcit regnare.*

Varios iræ ſedandæ modos recenſui Epheſ. 4. v. 26. & 31. ſed nullus ferè efficacior eſt cõſideratione Chriſti crucifixi, ſi eius paſſiones æquè ac patientiã intuearis & rumines. Nam vt ait S. Ambroſ. tract. de Conflictu virtutum & vitiorum: *Si paſſio Redemptoris ad memoriam reducatur, nihil tã durum, quod non æquo animo toleretur.* Ita S. Elzearius Comes Arriani iram domuit meditatione paſſionis Chriſti, adeò vt iã iræ expers & ἀπαθὴς videretur. Quoties enim aliquid iniuriorum ſibi dici vel fieri ſentiebat, ilicò confugiebat ad Chriſti paſſionem, nec ab eius conſideratione ceſſabat, donec

A tantæ patientiæ exemplo, motus iræ ſubſideret, rediretque priſtina animi placidi tranquillitas.

Huc faciunt prudentiæ axiomata, ſiue doctrina, S. Seuerini Epiſcopi in Biblioth. SS. Patrum tom. 15. ſiue in Supplemẽto recenter à Theologis Colonienſibus edito: *Nemini opprobriũ dixeris: nullum contemnas: de nullo malum loquaris: ſimultates odio habe: inimicos noli exaſperare: vtilius eſt enim cos amicos facere: quàm inimicos habere: cum nullo litiges; inimicitias diſſolue: ſectare ſilentium, quia abſque pœnitentia eſt; tumultum pœnitentia ſubſequitur: concupiſcentias animi tui vince. Iuſtitiæ opera ſunt, ſemper Deo gratias agere, Dei cultores amare, nemini nocere, nec contriſtare quemquam, pudicè viuere, miſericordẽ eſſe, proximum ſicut ſeipſum diligerẽ, eſurientes ſaturare, &c. Sicut lucerna ardens ita eſto, & angelus Dei vocaberis. Abſentem*
B *noli condemnare, præſentem iuſtè accipe. Ex argumentis noli condemnare, ne & tu condemneris. Miſero noli exprobrare, ne tu exprobrabilis efficiaris: circa omnes enim iudicium Dei eſt, & vt iuſtum eſt iudicat. Facies ſeniorum ſemper inquire, vt inſtruaris verbis eorum. Sapientum enim ſenſus pleni ſunt fructibus vitæ. Ducem vitæ tuæ, vt Deum habe: à Deo enim tibi miſſus eſt vt ſalueris.* Qui hæc ſeruat, facilè iram cohibet, & offenſam diſſimulat ac condonat.

Talis ſit ſacerdos oportet, inquit S. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 25. ad Vercellenſem Eccleſiã, *vt ſit promptus ad miſericordiam, promiſſũ non remordeat, lapſum reuocet, compatiatur dolori, manſuetudinem teneat, pietatem diligat, iram depellat vel decoquat: ſit quidam lituus plebis excitandæ ad deuotionem, mitificandæ ad tranquillitatem. Vetus dictum eſt: Aſſueſce vnus eſſe; vt vita tua quamdam picturam exprimat; eamdem ſeruans ſemper*
C *imaginem quam acceperit. Quomodo poteſt vnus eſſe, qui nunc iracundia inflãmatur, nunc indignatione graui exæſtuat, nũc vultu excãdeſcit, nunc pallore immutatur per momẽta varius & diſcolor? Sed eſto ſit naturæ iraſci, aut plerumq; cauſæ: hominis eſt tamen temperare iracundiã non leonino raptari furore: non noris aſſueſcere clamori, non ferere, nec acerbare familiare iurgium. Scriptum eſt enim: Vir iracundus effodit peccatum*, Prouerb. 15.

QVI QVOD NOVIT LOQVITVR, INDEX (perperam Complut. Hugo, & alij legunt, *index*) IVSTI- Vers. 17.
TIÆ EST: QVI AVTEM MENTITVR, TESTIS EST FRAVDVLENTVS] Hebr. *efflans veritatem annuntiabit iuſtitiam: teſtis falſitatum dolum*, repete annuntiabit vel efflabit; Septuag. *plenam fidem annuntiabit iuſtus; teſtis autem iniuſtorum doloſus*; Symmach. *qui patefacit fidem* (id eſt rem veram & certam) *annuntiat iuſtitiam: teſtis falſi dolus*; Chald. *loquetur fideliter & annuntiabit iuſtitiam: teſtimonium falſum doloſum*:
D vel, *qui atteſtatur veritatem, narrat iuſtitiam*, &c. Syrus, *veritatem eorũm quæ videntur iuſtus eloquitur: teſtis fallax fraudulentus eſt*; Vatabl. *qui loquitur veritatem nuntiat iuſtitiam, & teſtis mendaciorum eſt fraudulentus*: hoc eſt, inquit ipſe, *qui verax eſt, loquitur quæ iuſta ſunt: mendax verò eſt fraudulentus.*

Senſus planus & genuinus Vulgatæ verſionis eſt, quaſi dicat, Qui id quod certò cognouit, vtpote quia vidit, vel à viris fide dignis audiuit, eloquitur, ſiue in iudicio, ſiue extra illud; hic indicat id quod æquum & iuſtum eſt: quod enim verum eſt & bona fide dictum, hoc pariter æquũ & iuſtum eſt: veritas enim eſt iuſta, imò veritas eſt iuſtitia: *qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus*, tam in iudicio quàm extra: quia fraudem facit, & in fraudem iudices alioſque inducit, perſuadendo eis mendacium; ideoque iniuſtitiam facit:

tum quia mentiendo fallit, tum quia mendacium falſumque crimen alteri affingendo cauſa eſt, vt alter iniuſtè de crimine, quod non fecit, condemnetur. Huc accedit R. Salomon, qui ſic explicat: In iudicio verax vera deponit, vt iuſtum demonſtret inſontem. Et Aben Ezra: Qui, inquit, ſermone ſuo iuſta veraque profert, ac ritè aſſueuit, cùm in teſtem aduocatur, procul dubio veritatis integer erit aſſertor, neque ab æquitatis norma recedet: fraudator autem mentiendo aſſuetus, quando ad teſtimonium ferendum depoſcitur, iniquitatis & mendacij amore inflammatus falſa teſtabitur. Accedit & Baynus, qui ſic explicat. q.d. Qui ſolet loqui quod nouit, id eſt qui ſolet loqui veritatē, hic *index eſt iuſtitiæ*, id eſt ſolet adeò ei in teſtem veritatis, vt in iudicio teſtetur id, quod verum & iuſtum eſt: *qui autem mentitur*, id eſt, qui ſolet mentiri, hic vt mendax & fraudulentus a teſtimonio ferendo in iudicio repellitur. Iure enim præſumit vel metuit iudex eum, qui extra iudicium ſolet mentiri, etiam mentiturum in iudicio.

Porrò Hebræum, *efflans veritatem annuntiabit iuſtitiam*, & Septuag. *plenam fidem annuntiabit iuſtus*; ſic appoſitè explicat noſter Salazar: *Efflans veritatē*, id eſt, qui confidenter, qui pleno ſpiritu rem enuntiat, qui cùm dicit teſtimonium, non promit vocem tremulam: & veluti ſuffurato ſpiritu ſtrangulatam (vt mos eſt mendacibus) is quidem *index iuſtitiæ eſt*: ipſo enim dicendi ac proferendi modo ſatis innuit, ſe vera & ſibi cōſtantia loqui. *Qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus*, id eſt qui hæſitat, titubat, vt hi ſolent qui mendacia proferunt, hic falſidicum teſtem ſe eſſe prodit. Hoc ſibi vult Hebr. lectio, *teſtis falſitatum dolū*, ſupple, dictione ipſa præ ſe fert. S. Chryſoſt. tamen in Catena Græcor. ſic Septuag. explicat, vt ſenſus ſit: *Quidquid vir iuſtus & fidelis aſſerit, id ſtatim tamquā verum recipitur: & iuſtus ea tantùm narrat, quæ certò explorata habet: at homo doloſus, qui mendacium texere, aut iniuſtitiam perſuadere nititur: fidem haud temerè inuenit; iniuſtorū autem nomine deſignat hoc loco hæreticos: nam licet hi contra veritatem armati inſurgant, & falſitatem vrgeant, fidem tamen apud ſapientes nullam obtinent. Doloſi quoque dicuntur ijdem, quia nihil recti aut ſani in pectore egerunt*, hæc S. Chryſoſt.

VERS. 18. EST QVI PROMITTIT, ET QVASI GLADIO PVNGITVR CONSCIENTIÆ; LINGVA AVTEM SAPIENTIVM SANITAS EST] Syrus, *ſanat*. Pro *eſt qui promittit*, hebr. eſt בּוֹטֶה *bote*, id eſt qui temerè aliquid effutit aut iurat, promittit & vouet. Vnde ex Hebræo ſic vertas, *eſt effutiens velut tranſfoſsiones* vel *compunctione gladij*. Minùs rectè Theodot. & Symmach. pro בּוֹטֶה *bote* legentes בּוֹטֵחַ *botech* vel *boteach*, id eſt, ſperans, confidens; vertunt, *eſt fidens in punctione gladij*; Symmach. *vt punctio gladij*.

Igitur Hebræa Primò, ſic aptè reddunt Sept. *ſunt qui loquentes vulnerant vt enſes*: vel, vt habet auctor Catenæ Græcor. *ſunt qui oratione ſua non ſecùs vulnerant quàm enſe: linguæ autem ſapientiū ſanitatem afferunt*, idque ſic explicat. q.d. Imprudentes dum aliquem carpunt, ita acerbè, imprudenter & barbarè id faciunt, vt verba eorum videantur eſſe enſes transfodientes animam: at verò prudentium reprehenſio ſanat potiùs quàm vulnerat: licet enim gladio acutiùs ferire videatur, attamen myſtica illa ſectio vitam veriùs quàm mortem affert. Huc accedit verſio Tigur. *temerè effutire perinde eſt atque gladio perfodere: at ſapientum lingua ſalubris eſt.*

Secundò, Aben Ezra hæc refert ad periurium. q.d. Periurus temerè peierans ſuo falſo teſtimonio ita lædit proximum, ac ſi enſe eum tranſuerberaret: at linguæ ſapientum, qui ad amuſſim hæc teſtimonia examinant, eorumque falſitatem deprehendunt & coarguunt, medentur huic vulneri, quod teſtis periurus inflixerat.

Tertiò R. Leui, Caiet. & Ianſen. hæc referunt ad falſas criminationes & calumnias, q.d. Calumniator qui falſum alteri crimen impingit, perinde eſt, ac ſi gladio eum confoderet: quia nō rarò ob crimen falsò impactum innocens morti adiudicatur. Vnde Chald. vertit, *ſunt qui dicant quaſi gladios tumultuoſos*: at lingua ſapientum non niſi honeſta, iuſta, honorifica eloquitur, quæ animos etiam exulceratos ſolantur & ſanant.

Quartò, Noſter aptè τὸ *bote* retulit ad votum & promiſſionem, vti & Aben Ezra: *Pertinent*, inquit, *hæc ad eos qui grauia difficiliaq; vouent*.

Rurſum *gladio conſcientiæ*, idem eſt quod *ſcientiæ quaſi gladio*. Eſt hypallage ſimilis illi pſal. 5. *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ* (hoc eſt bona voluntate tua vt ſcuto) *coronaſti nos*, Vnde Beda legit *cor ſcientiæ* in nominatiuo.

Senſus ergo eſt. q.d. Qui temerè aliquid promittit aut vouet, cuius poſtea eū pœnitet, vel quia rem illicitam aut indecentem promiſit, vti Iephte vouit ſe immolaturum id quod primò ſibi è domo ſua occurreret, ſi victor rediret: occurrit autē primò filia: quocirca voti eum pœnituit, Iudic. 11. 35. vel quia promiſſum aut votum eſt difficile, & arduū, ideoq; illud prǣſtare nequit, aut non vult, in perpetuo animi dolore & conſcientiæ remorſu, quaſi gladio compungitur, ſibiq; dicit: Cur me voto, vel promiſſione, adeò difficili obſtrinxi? Cur temerè ad rem tam arduam prǣſtandam me obligaui? Quomodo hoc voti onus mihi tam durum excutiam? Ita Beda: *Promittunt*, inquit, *nōnulli diuinæ obedire voluntati: ſed vbi tentatio terrens ſiue blandiens impedimentum prætulerit, deſerunt quidem cœpta, ſed tamen conſcientiâ promiſſi quaſi gladio pungantur*. Huc pertinent vota & iuramenta iratorum, vt cùm parentes irati vouent vel iurant, ſe filium petulātem verberaturos, mutilaturos, exhæredaturos, cuius poſtea eos pœnitet, cùm ira deferbuit. At lingua ſapientum, quæ nihil niſi bene conſideratum & præmeditatum promittit & vouet; ſanat omnes dolores animique ægritudines, quæ ex promiſſione & voto oriri poſſunt. Haſce enim omnes ſapiens ante promiſſionem præuidit, & animo prǣcōcepit, ac pariter de remedio ſingulis afferendo eaſque perſanando proſpexit.

Rurſum lingua ſapientum non tantùm proprios, ſed & alienos ſanat dolores, putà odia lites, rixas, ceteraſque animorum ægritudines: nouit enim prudentibus conſiliis dulcibuſque verbis eos lenire, mulcere, &, vt ita dicā, excantare. Talis fuit lingua noſtri R. P. Petri Caniſii, de qua illud vulgò ferebatur: *Lingua Caniſii eſt lingua canis*: quia vti canis lingendo vlcera ſanat, ſic & Caniſius ſua ſapientia & ſuaueloquētia odia, lites, diſſidia, omneſque animorum ægritudines perſanabat. Ita refert P. Sacchinus Secretarius Societatis Ieſu in Vita Caniſij. Sic videmus hodie viros ſanctos vnico verbo ſubinde lenire afflictorum mœrores, eorūque timores, ſcrupulos & angores diſſipare.

Hoc eſt, quod monet Salomon Eccleſ. 5. 1. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum*

ferendum ſermonem coram Deo, &c. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, ſed quodcumque voueris redde: multoq; melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa nō reddere. Huc facit illud Sixti, ſiue Sexti, Pythagorici in Sentent. c.187. *Age magna, non magna pollicens*: inſipientes enim magna pollicentur; ſed parua præſtant.

Labivm veritatis firmvm erit in perpe-
Vers. 19. tvvm: qvi avtem testis est repentinvs, concinnat lingvam mendacii] Hebræa more ſuo ſunt conciſa & ambigua, ac pro עד *ed*, id eſt *teſtis*, iam legunt עד *ad*, id eſt *vſque*. Rurſum ארגיעה *argia* ſignificat momentum, citum: radix enim רגע *raga* ſignificat concitatum eſſe, commotum, conturbatum ſubito: vnde aptè Noſter vertit, *repentinus*.

Igitur ex Hebræo ſic Primò, vertunt Septuag. *labia veraca dirigunt teſtimonium: teſtis autem citus* (Scholiaſt. θυμώδης, id eſt, *iracundus*) *linguam habet iniuſtam*, q.d. Teſtis conſideratus & verax rectum & verax perhibet teſtimoniū: at teſtis inconſideratus & præceps falſum ſæpè & iniuſtū eloquitur ac teſtatur. Vnde auctor Catenæ Græcor. ſic vertit, ſicque explicat: *Labia veracia ritè moderantur teſtimonium: teſtis autem præceps iniuſtam habet linguam. Hic planiùs & accuratiùs exponit, veracis hominis linguā veritati patrocinari, ſuoq; teſtimonio fidem facere, & veritatis ſtudioſos dirigere: at verò præcipitis incontinentiſq; linguæ hominem veritati adeò non fauere, vt contra veritatem quoque linguam ſuam armare non dubitet.* S. Chryſoſt. ibidem. *Vtrobique*, ait, *eſt lingua: ſed ibi vulnera, hic pharmaca. Quid hoc autem adferri poteſt admirabilius? Cernis hic linguam ſuâ naturâ non eſſe malam: ſiquidem vſus illius ad oppoſita ſeſe extendit, nempe ad bonum & malum.*

Secundò, Chald. *labium veritatis dirigetur in ſæculum: & feſtinus linguæ teſtis falſitatis eſt*; & Syrus, *Labia veracia recta ſunt, iniqua eſt lingua teſtis repentini.*

Tertiò, Pagnin. Caiet. & Vatab. *labium veracis firmum erit in perpetuum, & ad momentum lingua mēdacis*, q.d. Veritas eſt ſtabilis & æterna, ſed falſitas labilis & momentanea, nimirum ſtatim prodit ſe lingua mendax, eiuſque mendacium deprehenditur & diſſipatur: at veritas linguaque verax firma & inconcuſſa perdurant. Ita R. Salomon: Labium verax, inquit, ſolidæ baſi nititur, atque ad æternitatem durabit: teſtis fallax verò temporis momēto breuique durabit, nec vllum progreſſum faciet; cum, vt aiunt, mendacia pedibus trunca ſint. Et R. Leui: Mendax, inquit, aliquando caſu veritatem dicit, ſed ad momentum: nam ilicò falſa veris miſcens, ad ſua mendacia relabitur.

Quartò, Aben Ezra Hebr. ארגיעה *argia* id eſt *repentinus*, accipiens vt futurum à verbo רגע *raga* vertit, *ceſſare faciam, & abolebo linguam fallacem.*

Quintò, optimè vertit Noſter, *labium veritatis*, &c. q.d. Verax qui meditatò veritatem eloquitur, ſemper ſui ſimilis, firmus in veritate conſiſtit, idēque ſemper obfirmatè aſſeuerat, nec vlla in re ſibi contradicit, ac viciſſim ei iure contradici nequit: quia verum non contrariatur vero, ſed falſo: vnde veritas eſt inuicta, ideoque ferrea & adamantina. Quare S. Ephrem tract. de Veritate eam cum ſilice comparat: quia veritas, inquit, inſtar ſilicis Primò, robuſta eſt & firma; Secūdò, argumentis icta clariùs elucet & reſplēdet; Tertiò, ſcintillas excutit, quæ ſi mentem ſemel corripiunt, totum animum colluſtrant & accendunt.

At verò teſtis repentinus, hebr. *argia*, id eſt concitatus, qui leuitate vel odio, aliâue paſſione concitatur & conturbatur, temerè ad teſtimonium ferendum proſilit, ideoq; impræmeditatè & præcipitanter teſtatur & dicit, quod illi cupiditas, vel ira, vel leuitas ſuggerit, hic concinnat linguā mendacij: quia non veritatem ſpectat, ſed ſuam cupiditatē & leuitatem, quæ ſæpè veritati eſt contraria. itaq; facilè mentitur: atque dum vnum mendaciū dixit, vt illud tueatur, neceſſe eſt, vt plura alia cōcinnet & effingat: quo fit vt facilè variet, & in contradictoria impingat, ſibique contradicat, ne cum veritate famam præcipitet, habeaturque fallax & mendax. Veritas enim ſoli falſitati opponitur: ac falſitas vna non tantùm veritati, ſed & alteri falſitati, eiq; multiplici opponitur & contradicit. Vnde Tigur. vertit, *verax labium firmum eſt ſemper: mendax verò lingua in momēto variat*, hoc eſt, ait Beda: *doctrina ſacra dum à veritate non deuias, in æternum firma perſiſtit.* Sed hoc myſticum eſt. Hinc notat Lyran. non dici *labia* in plurali, ſed *labium* in ſingulari: quia veritas vna eſt & ſingularis, nec variatur de vno in aliud, ſed quaſi vno tantùm ore & labio loquatur, vna ſemper eademq; perſeueret, quod certum eſt veritatis argumentum. Nam, vt rectè Tertull. libr. de Præſcript. c.28. *Quod*, inquit, *apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum.*

Eſt metalepſis Salomoni hic frequens & aſſidua: Ex antecedenti enim ſubintelligit connexa & conſequentia, quæ per antitheſin priori parti opponuntur. Senſus ergo eſt, q.d. Homo verax maturè & prudenter veſtigat veritatē, nec antequam eam certò compererit, eloquitur: quocirca in ea iam comperta conſtans eſt & firmus: at leuis & mendax impræmeditatè loquitur quod ei in buccam venit, indeq; multa falſa effutit, quæ proinde infirma & inſtabilia ſunt, ac inſtar fumi diſſipantur & euaneſcunt. Igitur *teſtis repentinus*, id eſt impræmeditatus, temerarius, concitatus, facilè mendacium aliquod ſuæ loquacitati quâ prurit, ſuoq; teſtimonio quod effutit immiſcet: quod deinde pluribus aliis à ſe confictis mendaciis tueri cogitur: nimirum vt concinnè & conſequenter loquatur fucum, dolos & ſimulationes dictis ſuis immiſcet: nam veritas quæ ſimplex eſt & ſolida, fucum omnem aſcititiumque ornatum reiicit, & ſimplici oratione aſſertioneq; ſe tuetur. Huc facit prouerbium Hebr. אמת *emeth*, id eſt *veritas, quadratos & ſtabiles habet pedes: at* שקר *ſceker*, id eſt *mendacium, acutos & debiles.*

Vers. 20. Dolvs in corde cogitantivm mala: qvi avtem pacis inevnt consilia, seqvitvr eos gavdivm] Pro *cogitantium* hebr. eſt חורשי *choreſce*, id eſt fabricantium, vt vertunt Septuag. ac, vt Aquila, Symmach. & Theodot. *machinantium mala.* Sicut enim faber cudendo fabricat gladium, ſic impius cogitando fabricat dolos & fraudes. Rurſum pro *qui pacis ineunt conſilia*, hebr. eſt ליעצי *leioatſe*, id eſt *conſiliarios pacis*, vel eos qui conſulunt pacem, *ſequitur gaudium.*

Iam Primò, R. Leui cenſet, propriè & præciſè hic dolum impiorum opponi gaudio piorū. Eſt, inquit, calliditas qua quis verſutus fiat, vt aliis aſtutè perniciem inferre poſſit: ſed enim fraus, quā in

is molitur in pacis conſilia ineuntes, hoc eſt probos, quorum ſpolia & conſilia ad pacem, rectéq; agendum ſpectant, in eorumdem gaudium & voluptatem redundabit: nec enim detrimentum vllum accipient ex nefariis machinationibus impiorum, in quorum caput huiuſmodi ſcelus recidet, Deo iuſtos in eorum poteſtatem venire prohibente: qua de cauſa iuſtis gaudium continget, gaudium, inquam, ad æternitatem duraturum; ex quo fiet, vt profligati exitium ſubeant. Ea etiam erit horum ſententia, mentem nefaria machinantium aſſiduè cum fraude doloque detineri ad malum inferendum; in animo autem conſulentium pacem ſemper gaudium reſidere; quam ob rem in ſceleſti animo fraus, in iuſti autem mente lætitia ſtationem ſemper habet. ita ipſe.

Secundò, aptiùs alij cenſent per metalepſin gaudium pacificorum opponi dolo, id eſt dolori quem parit dolus machinantium mala: cùm enim cogitationes fraudis plenas aſſiduè verſent, nullâ lætitiâ voluptatéque perfunduntur, ait R. Salomon, vt è contra pacis conſilia ineuntes gaudio perfruuntur. Sicut enim parturientes fœtum ingenti dolore exagitantur, ſic & parturientes dolum mille timoribus, curis & angoribus excruciantur, iuxta illud Iob 15. v. 35. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & venter eius præparat dolos.* Et illud pſal. 7. 15. *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Et illud Iſaiæ 59. 4. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* Vide ibi dicta. Hinc און auen, id eſt iniquitas, contractum in און *on*, idem eſt quod dolor: quia ex iniquitate naſcitur & contrahitur dolor, ſicut ex ouo naſcitur pullus: quare ſi pullum doloris auerſeris, tolle ouum iniquitatis: ex illo enim non alius, quàm doloris pullus progignitur.

Porrò omnes probos, ſed maximè pacificos, qui pacem conſulunt & conficiunt, ſequetur gaudium: quia pax præ ceteris ingens & diuinum eſt donum, Deo gratum, angelis iucundum, hominibus exoptatum, vti alibi ſæpiùs oſtendi.

Vers. 21. NON CONTRISTABIT IVSTVM QVIDQVID EI ACCIDERIT: IMPII AVTEM REPLEBVNTVR MALO. Pro *contriſtabit* hebr. eſt יְאֻנֶּה *iennne*, quod Primò, ſignificat *occurret*; Secundò, *contriſtabit*: radix enim אָנָה *ana* ſignificat occurrere & lugere. Rurſum pro *quidquid ei acciderit*; hebr. eſt כל און *kol auen*, quod Primò vertas, *omnis iniquitas*; Secundò, *omnis dolor*. Prius ſignificatum ſecuti Sept. vertunt, *non placebit iuſto quidquam iniuſtum: impij autem replebuntur malo*; & Syrus, *non eſt bonum iuſto aliquid iniuſtum*; & Chald. *non decet iuſtum aliquid iniquum*; Pagnin. *non cauſabitur à iuſto omnis iniquitas*; Tigur. *iuſto nulla impendet iniquitas*, quod Vatabl. ſic explicat. q. d. *Nulla iniquitas hominis iniuſti poterit lædere virum iuſtum: at impij pleni ſunt malitia*, q. d. *Impij non ſolum læduntur à malitia quæ exteriùs aduenit, ſed etiam à ſua, quâ pleni ſunt nequitia.*

S. Chryſ. verò in Catena Græcor. ſic Septuag. explicat, *Quemadmodum quod iniuſtum eſt, iuſto non placet: ita nec iniuſto quoque iuſtum. Non prouenit hoc autem ex rerum natura; aut inde certe non tantùm, verùm à diuerſa eorum opinione & iudicio, qui de iiſdem aliter & aliter ſtatuunt & ſentiunt. Quamobrē ne dixeris mihi: Iſte vel ille veritate offenditur: iſte rurſum vel ille veritati non credit. Ab ipſis enim iudicibus vitium hoc naſcitur, non à rebus quæ iudicantur. Vt enim ſol hic corporeus nullam radiis ſuis vtilitatem aut ſuauitatem illis adfert, qui oculorum infirmitate laborant, ſed damnum potiùs & pœnam: ita manifeſta quoque veritas nullam peruerſæ animæ commodum aut gaudium parit.* Alius in Catena Græcor. *Dat*, ait, *cauſam cur iuſto nulla placeat iniquitas. Quia inquit, virtutes omnes ſunt cōnexæ, omneſq; ſibi cohærent, & in vnū ſcopum tendunt.* Adde, bonum oriri ex integra cauſa, & è complemento totius: malum verò ex ſingularibus defectibus. Quare vt quis iuſtus ſit, requiritur vt omni iuſtitia & virtute polleat: vt quis verò ſit iniuſtus, ſufficit ſi vnum ſcelus admittat, v. g. vt ſit raptor, vel adulter, vel homicida.

Secundò; meliùs Noſter vertit, *non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit*, id eſt vllus dolor, putà vlla res triſtis, quæ ei dolorem concitet: *impij autē replebuntur malo*, puta multiplici ærumnâ & dolore. Sic & R. Leui: *Non cōtinget iuſto*, inquit, *res vlla pernitioſa, Deo illum ſubducente à calamitate, quam illi inferre ſcelerati cogitabant, ne ſcilicet ratione aliqua lædatur. Eoſdem etiam illæſos ſeruabit Deus à morum prauitate & opinionum ob peculiarē prouidentiam*; cum impios permittat, imò curet, multis affici plectique afflictionibus. Notat Hugo, τὸ *acciderit*: *Accidens*, inquit, *adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem, ita præſens proſperitas & tribulatio viro iuſto adeſt & abeſt præter eius contriſtationem & conturbationem.*

Huc facit apologus piſcatorum apud Æſopum, *Piſcatores*, inquit, *trahebant verriculum, quod cùm graue foret gaudebant & exultabant, multum ineſſe prædæ exiſtimantes: ſed cùm in littus ipſum traxiſſent, piſceſq; paucos quidem, ſed lapidem in eo permagnū inueniſſent, triſtari & mœrere cœperunt, non tā piſcium paucitate, quàm quod contraria antè animo præſumpſerant, quidam autem inter eos natu grandior dixit, Ne triſtemur ô ſocij: nam voluptati, vt videtur ſoror eſt triſtitia: & nos igitur oportebat tantum antè lætatos, omnino aliqua in re etiam triſtari. Affabulatio. Fabula ſignificat non oportere triſtari fruſtratâ ſpe.* *Apologus piſcatorum.*

Porrò non dicit, *Iuſto nil accidet mali*: contrarium enim ſæpè videmus, ſcilicet Tobiam affici, affligique cæcitate, Iobum morbis variis, Lazarum vlceribus, Dauidem perſecutionibus, Danielē leonibus, Suſannam calumniâ, &c. Sed dicit: *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit*: quia iuſtus tribulationes quaſlibet ſiue à Deo, ſiue à dæmone, ſiue ab homine, ſiue à natura obuenientes, patienti, forti, hilarique animo patitur & ſuſtinet: quo fit vt nullâ ærumnâ turbetur, nullâ afflictione concidat, animumque deſpondeat, ſed placidus fidenſq; & imperturbatus in omni aduerſitate conſiſtat. Nam vt ait P. Syrus: *Medicina calamitatis eſt æquanimitas.* Et Sixtus Philoſ. in Sentent. *Præpara & apta animam tuam ad tribulationes, & beatus eris. Tyrannus beatitudinem non aufert.* Quocirca S. Tho. 3. p. 15. art. 6. docet, in Chriſto & iuſtis fuiſſe triſtitiam, quæ apprehenderet & ſentiret mala, non quę perturbaret rationem.

Cauſæ, cur iuſtus nulla re contriſtetur & turbetur, ſunt variæ, Prima, quòd res omnes huius mūdi, quæ turbationem afferre poſſunt, parui æſtimet, ideóque eas non amet: quare ſi illæ ipſi auferantur, nō dolet, quia illas non curat. Vnde Sixtus philoſophus in Sententiis cap. 14. *Omnia*, inquit, *auferenti à te cede præter libertatem: Sapiens vir & pecuniæ contemptor ſimilis eſt Deo.* Et Iſocrates ad Demoni- *Iuſtus imperturbabilis, cur? Cauſa Prima.*

monicum: *Exiſtima, ait, nihil humanum eſſe ſtabile; ſic enim neque fortunatus eris præter modum lætus, neque infortunatus præter modum triſtis.*

Secunda. Secunda, quia iuſtus refrænat ſuas cupiditates, quæ ſunt cauſę peccatorum, & conſequenter perturbationum ac tumultuum, iuxta illud Thren. 1. 8. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt;* vbi multa hac de re dixi. Quocirca Tertull. lib. de Patientia c. 7. *Quod noſtrum,* inquit, *videtur, alienum eſt: nihil enim noſtrum, quoniam Dei omnia, cuius ipſi quoque nos. Ita ſi damno affecti impatienter ſenſerimus, non de noſtro amiſſum dolentes; affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cùm alienū amiſſum dolentes ægrè ſuſtinemus. Qui damni impatientiâ concitatur, terrena cæleſtibus anteponendo, de proximo in Deū peccat: ſpiritum enim quem à Domino ſumpſit, ſæcularis rei gratia concutit. Libentes ergo terrena amittamus, cæleſtia tueamur. Totum licet ſæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.* B

Tertia. Tertia, quia iuſtus pacem & quietem animi rebus omnibus anteponit, ideoque eum quarumuis rerum diſpendio emit aut redimit, iuxta illud S. Pauli ad Coloſ. 3. 15. *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Et illud Philip. 4. 7. *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, in Chriſto Ieſu.*

Quarta. Quarta, quia iuſtus ſcit ſe ſuaque Deo eſſe curæ: quare in paterna vigiliaque eius prouidentia ſuauiter conquieſcit, dicitque cum Pſalte pſ. 22. 1. *Dominus regit me, &* (idcirco) *nihil mihi deerit.* Auditque illud Apoſtoli Philipp. 4. 6. *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione, &c. petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Et illud Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Huc facit illud C Pindari in Iſthmis ode 3. *Tempus, dum voluuntur, dies, aliàs aliam affert rerum viciſſitudinem; ſed tamen inuulnerabiles filij deorum.*

Quinta. Quinta, quia mentem habet in Deo fixam, cum eoque ita ſe vnit, vt vnus cū eo ſpiritus efficiatur. Quare Deus cùm ſit immutabilis, & conſequenter imperturbabilis, iuſtos quoq; qui ſibi agglutinati ſunt, facit quaſi immutabiles & imperturbabiles. Vnde Sixtus, non Pontifex, ſed philoſophus, in Prouerbiis, ſiuè Sententiis, c. 136. *Semper apud Deū,* inquit, *eſt mens ſapientis. Sapientis mentem Deus inhabitat. Sapiens ſemper ſimilis eſt ſibi.* Et c. 36. *Deum honora, vt ipſe dominetur tui. Si autem dominatū tui gerit Deus, ita demum tu dominaberis omnibus.* Et c. 40. *Templum ſanctum eſt Deo mens pij, & altare optimū eſt ei cor mundum & ſine peccato.* Denique S. Chryſoſt. hom. 1. in 2. ad Corinth. *Nihil aliud,* inquit, *tam moleſtum eſt quàm Deum habere offenſum. Id ſi abſit, non afflictio, non inſidiæ, non alia res vlla moleſtiam afferre poteſt rectè ſapienti: ſed quemadmodum exiguā ſcintillam, ſi in profundam aquam immergas, extinxeris; ita quamuis magna animi deiectio, ſi in bonam incidit conſcientiam, perit facileq; euaneſcit.* Idem alibi ſæpè hoc argumentum præclarè tractat, vt orat. *Quod nemo læditur niſi à ſeipſo,* & in epiſtolis ad Olympiadem. D

Moraliter hic diſce, iuſtitiæ fructum eſſe animi imperturbati quietem & tranquillitatem, quæ ſummum penè huius vitæ eſt bonum, etiam Philoſophorum communi voce & teſtimonio. Vnde Syneſius Epiſcopus Ptolemaidis, qui ſanctitate & doctrina admirandus floruit ſub annum Domini 420. coæuus S. Ambroſio, Auguſtino & Hieronymo, hymno primo, qui extat tomo S. Biblioth. SS. Patrum, ſic canit:

A
Alius equos ſcitè agitet,
Alius arcum bene tendat,
Alius aceruos opum cuſtodiat,
Celebris admodum alius ſit:
At mihi tranquillam liceat
Vitam, cæteris ignotam, ſed Deo notam ducere.

Et Pentadius:

Non eſt, falleris, hæc beata vita,
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus grauare menſas:
Sed nullos trepidum timere caſus,
Nec vano populi fauore tangi.

Et Comicus:

Continentis ac patientis vita tranquilliſſima eſt:
Beata vita perpes eſt tranquillitas:
B
Gymnaſium ſapientiæ eſt tranquillitas:
Vis dolere, vis gaudere parciùs? viue tibi.

Et Lyricus:

Eſt mihi rus paruum, fœnus ſine crimine paruum;
Sed facit hæc nobis vtraque magna, quies.
Caſtra alios operoſa vocent ſellæq; curules,
Et quidquid vanâ gaudia mente mouet,
Pars ego ſim plebis nullo conſpectus honore,
Dum viuam dominus temporis ipſe mei.

Et Epigrammatographus:

Vt qui præcelſæ rupis ſtat vertice tutus,
Irati videt vimque minaſque maris;
Sic animus ſe pace tenens, rerum vndique circum
Latrantes fluctus deſpicit impauidus.

Hæc imperturbati animi quies maximè cernitur in Vita Religioſa & monaſtica, de qua inter alios Simon Iunior egregiè in Capp. moralibus c. C vltim. *Quies monaſtica,* inquit, *eſt imperturbatus animi ſtatus, liberæ & exultantis animæ ſerenitas, baſis quędā cordis, nullis agitata turbis, nullis inundata fluctibus, contemplatio luminis, myſtica Dei cognitio: ſermo ſapientiæ, abyſſus conſiliorum Dei, raptus mentis, pura cū Deo conuerſatio, oculus peruigil, intellectualis adoratio, vnio & copulatio cum Deo, terminus, deificatio, & in magnis aſceticæ vitæ laboribus ſine labore requies.* Cauſam dat c. 52. *Qui in vno* (Deo) *per vnum videt, & ſeipſum & omnia videt: & in eo abſconditus, nihil omnium videt,* q. d. Religioſus vnum Deum videt & amat, ac per eum cetera omnia: at præter Deum nihil videt, nihil curat, nihil amat: in Deo ergo fixus, immotus & imperturbatus conſiſtit.

ABOMINATIO EST DOMINO LABIA MENDACIA: QVI AVTEM FIDELITER AGVNT, PLACENT EI] VERS. 22.
Hebr. *factores veritatis* vel *fidelitatis* רצונו *retſono,* id eſt *beneplacitum eius.* ita Aquila, Symmach. & D Theodot. At Septu. *qui facit fides* (id eſt *qui bona fide agit,* vt vertit auctor Catenæ Græcor. qui ſcilicet vbique fidelis fidem datam præſtat) *acceptus eſt;* Pagnin. *& in facientibus veritatem eſt voluntas eius;* Tigur. *labia mendacia abominatur Dominus: qui autem veritati ſtudet, fauorem habet eius.*

Per *labia mendacia* intellige fraudulenta, quæ alios decipiunt, aut per mendacia noxā inferunt, qualia ſunt falſi teſtis, qui per calumniam falſum crimen alteri impingit; itaque cauſa eſt, vt innocens in iudicio condemnetur, ita Aben Ezra. Hęc enim execratur Deus: vnde eis opponit factores fidelitatis vel veritatis, qui ſcilicet veritatē enunciant, quique fidem aliis datam nec verbò, nec factò falluut, ſed reipſà preſtant: item qui teſtes in iudicio ſincerum veritati teſtimonium perhibent, vt innocens abſoluatur, nocens condemnetur. hi

 enim

enim patroni & defenſores ſunt fidei, æquè ac iuſtitiæ & innocentiæ, ideoque Deo pergrati.

Vers. 23. HOMO VERSVTVS CELAT SCIENTIAM : ET COR INSIPIENTIVM PROVOCAT STVLTITIAM] Pro *verſutus* hebr. eſt עָרוּם *arum*, id eſt aſtutus, cautus, prudens, vt vertunt Sept. opponitur enim inſipienti, id eſt imprudenti. Pro *prouocat* hebr. eſt יִקְרָא *icra*, id eſt vocat, prouocat, euocat, ſcilicet è corde ad os & linguam, hoc eſt profert, eloquitur, prædicat, iactat, oſtentat. Rurſum *prouocat*, id eſt ambit & quærit occaſiones euulgandi ſuam ſtultitiam, prodendo arcana ſibi commiſſa. Vnde Chald. *ſtultus autem repetit ſcientiam*, hoc eſt iterum iterumq; ſecretũ quod nouit, aliis & aliis datâ occaſione enũtiat & prodit: quia mẽte & ore prurit, vt ſecretum in mente reconditum pãdat, & velut fœtum parturiat, ac in lucem producat. Addit Dionyſ. Stultus, inquit, ſuo ſtultiloquio prouocat audientes ad ineptam lætitiam, riſus, cachinnos, quin & ad libidines aliaſq; ſcelera. Quocirca clarè Vatabl. vertit, *vir cautus diſſimulat ſcientiam : at cor ſtultorum deprædicat ſtultitiam*. Senſus ergo eſt, q.d. Vir cautus & prudens non iactat, ſed celat ſcientiam, id eſt arcanum quod ſcit & nouit, quodque corde & mente clauſum gerit, idque Primò, ſtudio ſecreti, prudentię, humilitatis & modeſtię; Secundò, ſtudio quietis, ne cogatur arcanum quod ſcit, palam enuntiare; Tertiò, ad vitandam æmulorum & imperitorum inuidiam: contentiones, lites & rixas; Quartò, vt ſua ſcientia, eiuſque fructu & lucro maiore fruatur. Sic cauti artifices dum in arte ſua nouam aliquam rem, aut arcanam praxim valdè vtilem inueniunt, eam celant, ex eaque ingentes opes ſibi comparant; cùm ſoli eá norint & exerceant. Sic verſuti luſores aleæ, ſcachiorum, pilæ, &c. diſſimulant ſe illius luſus peritos, vt alios ad ludendũ prouocent, ſuperent, lucrentur & ditentur. Ex aduerſo inſipiẽtes cùm quid excogitarunt, didicerunt, audierunt, aliòue modo ſciunt, ſcientiam hanc ſiue arcanum quod norunt, celare nequeunt, ſed inſtar gallinarum dum oua ponunt, vociferantur, eamque plenis buccis iactant & deprædicant; quo fit vt non tam ſcientiam quàm ſtultitiam ſuam iactent, omnibuſque pandant. Idque Primò, ex ſuperbia, vt ſuam ſcientiam oſtentent; Secundò, quia garruli ſunt & clamoſi, ac ſecreti & quietis impatientes; Tertiò, quia gaudent contentione, litibus & rixis; Quartò, quia imprudentes ſunt, nec vident ex hac ſententię oſtẽtatione eius fructum & lucrum ſibi imminutum iri. Quare imitantur coruum, qui inuento cadauere quaſi epulo crocitat; itaque alios aduocat, qui epuli partem ipſi eripiant, de quo Poëta:

Nam tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minùs, inuidiæq́.

Denique prudens, ait R. Leui, celat id quod ſcit, id eſt, quod audiuit, vel aliunde didicit, donec planè certus ſit id eſſe verum, ne, ſi dubium ſit aut falſum, ignominiam ſibi conſciſcat: at ſtultus ilico quod audiuit aut ſcit, etiamſi dubium, eloquitur: vnde ſi id falſum deprehendatur, omnium riſibus exponitur.

Porrò Septuag. pro כֹּסֶה *choſe*, id eſt tegit, operit, *celat* aliis punctis legentes כִּסֵּא *kiſſe*, id eſt ſedes, thronus, ſoliũ, vertunt *vir prudens ſenſus ſiue intelligentiæ thronus exiſtit: cor autem inſipientis exectationibus obnoxiũ erit*. Quod Olympiodorus & S. Chryſoſt. in Catena Græcor. ſic exponunt. Olympiod. *Vniuerſus enim illius ſenſus propter prudentiã qua pollet, in eo acquieſcit, Aut ob virum prudentem ſenſus, iudicij, vel intelligentiæ thronum vocat, quia ſenſuum omnium regina & quaſi caput eſt prudentia. Deniq; vt is qui plenus eſt malitia aut inſcitia, ſedes malitiæ vel inſcitiæ appellari ſolet: ita qui omnia nouit, rectè ſenſuum vel ſcientiæ ſedes vocatur. Vocatur quoque prudentia principium ſenſus, quia imperium obtinet in illo.* S. Chryſoſt. *Vir prudens thronus vel ſedes ob id dicitur ſenſus, quia eſt ſapiẽtiæ cathedra, ſenſuſq́ atque iudicium ad eum modum in illo quieſcunt, vt numquam inde recedant. Cor autem inſipientibus execrationibus, &c. Vnde hoc? quia vt quidam ex ſapientibus dixit, viam perſequitur quæ maledictioni & execrationi ſubiacet; ſed & omnis quoq; iniquus apud Dominum execrabilis eſt: ſicut omnis etiam inſipiens propter iniquitatem ſuam deteſtabilis eſt.*

Huc facit prouerbium Sixti Pythagorei in Sentent. n. 54. *Bona mens chorus eſt Dei, mala mens chorus eſt dæmonum.* Et nu. 40. *Mens pij templum eſt ſanctum Deo.* Huc quoque facit emblema ſerpentis: ſerpens enim hebr. vocatur עָרוּם *arum*, id eſt aſtutus, verſutus, cautus, quia ſe ſuaque celat, ne voce & ſibilo ſuo prodatur & ab hominibus necetur: quare ſilet nec ſibilat niſi in pugna, aut magnâ tempeſtate iã iam ingruente. Idem facit vir prudens: ne enim vox ſibi exitio ſit ſilet, niſi quæ neceſſitas loqui cogat. Vnde Iſocrates ad Demonicum, tempus loquendi & tacendi hiſce cancellis definit & circũſcribit: *Duas fac occaſiones loquendi, vel de quibus ſcis clarè, vel de quibus neceſſe eſt loqui: in his enim ſolis ſermo ſilentio eſt melior, in aliis autem melius eſt tacere quàm loqui.* Et Thales Mileſius apud Laërtium lib. 1. c. 1. *Sapiens*, inquit, *non niſi cùm res poſtulauerit loquetur, & paucis ſuam abſoluet ſententiam: ſtultus autem non habitâ ratione loci, temporis, perſonarum, &c. ſuâ loquacitate omnia effutiet.* Nam vt aiebat Solon: *Stultus ſilere nequit.*

Vers. 24. MANVS FORTIVM DOMINABITVR : QVÆ AVTEM REMISSA EST, TRIBVTIS SERVIET] Pro *fortium* hebr. eſt חָרוּצִים *charutſim*, id eſt præciſorum, acrium, ſtrenuorum, ſedulorum, ſollicitorum; Theodot. ἀνδρείων, id eſt *virilium*; Aquila, συντεμνόντων, id eſt *abbreuiantium*, qui breui, id eſt celeriter & citò, negotia ſua expediunt; Septuag. ἐκλεκτῶν, id eſt *electorum*; Pagnin. *manus mercatorum ſollicitorum dominabitur*; Tigur. *ſedulorum manus primas obtinet*: Vatabl. *qui ſtrenuè obeunt munia ſua, ſolent eſſe domini aliorum, contrà ceſſatores erunt tributarij iuſtorum, id eſt ſeruient iuſtis.* Porrò ne quis difficultatem ſtrenuitati obtendat. Septuag. eam tollunt addendo *facilè*: *Electorum manus*, inquiunt, *facilè, vel citra difficultatem, rerum potietur.* Pro *remiſſa* hebr. eſt רְמִיָּה *remia*, id eſt remiſſa, tarda, pigra: hæc enim directè opponitur *manui fortium*, id eſt, forti & ſtrenuæ.

Senſus eſt clarus. q.d. Fortes, diligentes & ſtrenui ſua virtute & ſtrenuitate parant ſibi opes, dominium & imperium: at verò ignaui, remiſſi & pigri à fortibus & ſtrenuis ſub iugum mittuntur, fiuntq; eis tributarij, quo fit vt ſtrenui poſt laborem in opibus ſibi partis conquieſcant, viuantque quietè ex aliorum, quos ſibi ſubiecerũt, laboribus & tributis: pigri verò per deſidiã à ſtrenuis ſubacti, poſt otium & inertiã laborem, quem fugerant, amplecti cogãtur, vt cẽſus & tributa ſtrenuis perſoluant. Nimirũ hæc eſt iuſta merces laboris, hæc pari-

pariter congrua pœna otij & inertiæ, vt ſcilicet A ſtrenui donentur quiete, otioſi damnentur ad labores. Sic Romani ſua fortitudine acquiſierunt imperium, maioriq; orbis parti dominati ſunt. Sic & Græci, Aſſyrij, Perſæ & Germani, qui deinde degenerantes in delicias, luxum & ſegnitiem, ab alijs ſpoliati ſunt dominatu, ac ſub iugum & tributum miſſi, vti Sardanapalus, ob luxum & ignauiam ſpoliatus fuit imperio Aſſyriorum, quod fortitudine ſua obtinuerat Ninus. Baltaſſar compotatione ſua perdidit monarchiam Babyloniorum, quam ſtrenuitate ſua erexerat Nabuchodonoſor, Darius ignauo luxu perdidit monarchiam Perſarũ, quàm virtute ſua fundarat Cyrus. Chilpericus deſidia ſua perdidit regnum Francorum, quod vigore ſuo inchorat Pharamundus.

Secundò tamen רְמִיָּה *remia* idem eſt quod doloſa, fraudulenta; ita Syrus. Vnde Septuag. *doloſi* B *autem erunt in direptionem*; Aquila & Symmach. *in tributum*: hoc eſt, vt vulgata, *tributis ſeruiet*; Pagnin. *manus doloſa erit tributaria*. *Manus* enim *doloſa* indirectè opponitur manui forti, quia manus fortis eſt laborioſa, doloſa verò eſt otioſa: quod enim laborioſa obtinet per laborem, hoc doloſa obtinere ſatagit per dolos & fraudes. Sed fallitur & ſpe ſua fruſtratur: quia Deus benedicit laborioſis, maledicit doloſis, facitq; vt patefactis dolis, bonis quæ per dolos corraſerunt, ſpolientur vel per iudices, vel per milites & prędones. Vnde Caiet. vertit, *& dolus erit ad liquefactionem*: quia ſicut niues æſtu liquantur & euaneſcunt, ſic opes fraude partæ eâ detecta auferuntur & pereunt. Deniq; hæc gnome affinis eſt illi c. 10. 4. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortium diuitias parat.*

Myſticè hæc ſententia verior eſt in dominio & C ſeruitute ſpiritali, q.d. ait Dionyſ. Qui fortes ſunt in operatione virtutũ, hi ſolent præfici fratribus, ac præeſſe ſenſitiuo quoq; appetitui, eiuſque paſſionibus imperare. Vnde Seneca: *Vis*, inquit, *habere honorem? dabo tibi magnum imperium: impera tibi*. Qui verò ad opera virtutum pigri ſunt & remiſſi, hi implentur peccatis, & principi tenebrarum, putà dæmoni, ſeruiunt, cuius exactioni ſeu tentationi dant aſſiduè pro tributo conſenſum in malo: quocirca cum illo tandem mittentur in carcerem infernalem, vbi ei perenne laborum & dolorum omnium tributum pendent.

Igitur manus remiſſa egeſtatem ſibi parit & ſeruitutem: quia ſuâ operandi negligentia vitia ex tepiditate manantia fouendo, bonos mores priùs acquiſitos attenuat; & quæ antea virtutibus fulta dominabatur, nunc vinculis ſocordiæ ligatâ virtute, hoſtibus ſuis, ſcilicet vitiis, ſubiicitur. Vnde ſapienter de rege voluptatibus corrupto canit Proſper epigramm. 53.

Licet amplo
Vtatur regno, ſat miſer eſt famulus.
Cùm mens, carnali nimiùm dominante tyranno,
Tot ſeruit ſceptris ſubdita, quot vitiis.

Opera ergo tepidè & remiſsè facta hæc damna creant. Primò, Deum non placant; Secundò, angelis & Sanctis ſtomachum mouent; Tertiò, dæmones ad riſum & contemptum prouocant; Quartò, operantem non perficiunt; Quintò, maiorem indies difficultatem bene operandi inducunt; Sextò, tempus ſine fructu conſumunt, ita Aluarez de Paz libr. 5. p. 3. de documentis perfect. cap. 31.

MOEROR IN CORDE VIRI HVMILIAVIT ILLVM, ET SERMONE BONO LÆTIFICABITVR] Pro *mœror* hebr. eſt דְּאָגָה *deaga*, id eſt ſollicitudo, ſollicitus metus & pauor, cuius comes, imò filius, eſt mœror. Pro *humiliabit illum* hebr. eſt יַשְׁחֶנָּה *iaſchennu*, id eſt incuruabit illum, & quaſi in שַׁחַת *ſcathat*, id eſt foueã, deiiciet. Senſus ergo planus eſt, q.d. Sollicitudo, indeq; angor & mœror, viri, quantumuis fortis & magnanimi, cor animumque deiicit, ſternit, & quaſi in foueam puſillanimitatis, diffidentię & deſperationis præcipitat: at ſermo bonus, id eſt ſuauis, iucundus, hilaris, illud in ſpem melioris fortunæ erigit, animat, lætificat, viuificat. Vers. 25.

Porrò quia hic mœror ſæpè oritur ex triſtiore nuntio, aut ex acriori increpatione vel comminatione, quæ directè opponitur ſermoni bono, id eſt ſuaui, læto & blando, eoque curatur & ſanatur; hinc Septuag. vertunt, *terribilis ſermo turbat cor viri: nuntiatio autem bona lætificat eum*; & Chald. *verbũ timoris in corde viri terrorem gignit*; Syrus, *formidoloſi ſermo cor viri perturbat*. q.d. Sicut formidoloſi ſermo audienti formidinem iniicit, ſic tam diſiicit ſermo animoſi, qui audienti animos, fiduciam & lætitiam ingerit. Rurſum ſermo terribilis eſt verbum acre, mordax, minax, præſertim Superioris, principis, Prælati, quod turbat ſternitque cor viri, præſertim ſubditi, adeò vt aliquando ei mentem eripiat, eumq; faciat amentem & delirum, vti experientiâ conſtat: at remediũ eſt, ſi idem vel quis alius, verbis formidoloſis vel acribus turbato ſuggerat verba animoſa, lenia, blanda, iucunda, quæ formidinem vel acrimoniam priorum obliterent, ſuperent & extundant, perinde ac canis vulnus, quod mordendo inflixit, lingendo ſanat: atque viperæ morſus eiuſdem carne, puta theriaca (hæc enim fit ex carne viperæ) curatur. Vnde Theodor. de Curand. Græcor. affect. *Verborum affectus*, inquit, *vt accidit in theriacis, verbis curantur: & quæ ſermo attulit damna, ſermo redimit*. Contraria enim contrariis curantur, putà iracundus & mordax ſermo curatur ſermone miti & leni.

Deniq; auctor Catenæ Græcor. per ſermonem terribilem metonymia in Scriptur. vſitata accipit rem terribilem, qualis eſt labor. q.d. Labor hominem deiicit, merces excitat. Vnde ſic & Septuag. vertit ſicque explicat: *Sermo terribilis conturbat cor hominis: at fama vel ſponſio bona lætificat illud. Qui vitam circa actionem occupatam primò aggrediuntur, illos moleſtiæ, quæ paſſim occurrunt, earumdemq; commemoratio nonnihil conturbant: interim promiſſorum bonorũ merces eorum animos denuo ſolatur & excitat. Siquidem* D *perfectè iuſtus non timebit ab auditione mala: munitus eſt enim timore Domini, qui ſuperat hæc omnia.*

QVI NEGLIGIT DAMNVM PROPTER AMICVM, IVSTVS EST: ITER AVTEM IMPIORVM DECIPIET EOS] Hebr. *errare faciet eos*. Pro *qui negligit damnum*, hebr. eſt יָתֵר *iather*, id eſt reliquus, ſuperſtes, excellens, præſtans, abundans. Vnde Primò, Aquila vertit, *abundans pre proximo ſuo iuſtus*, id eſt, vt Pagnin. *abundantior eſt amico ſuo iuſtus*, q. d. Iuſtus qui non niſi per iuſtos contractus, modos & praxes rem ſuam adauget, fit ditior ſocio qui non eſt iuſtus, ait Vatabl. ideoque per fas & nefas, putà per fraudes, vſuras & iniquos contractus ſe locupletare ſatagit: opes enim iure partæ Dei benedictione augentur & ſtabiliuntur: opes verò per iniuriam acquiſitæ Deo maledicente imminuuntur & diſpereunt. Ita Aben Ezra: Senſus, inquit, Vers. 26.

quit, eſt q. d. *Maior eſt iuſto opum copia quàm ſit eius ſocio.*

Secundò, Chald. vertit, *melior eſt iuſtus ſocio ſuo: melior*, tum ethicè, hoc eſt iuſtior: vnde Syrus vertit, *iuſtus dat hominis conſilium amico ſuo*, tum phyſicè *melior*, id eſt excellentior, vnde Tigur. *præſtantior eſt iuſtus proximo ſuo*, q. d. Iuſtus honore & gloria antecellit ceteris ſociis ſuis, eſto diuitibus, honoratis & nobilibus, quia iuſtitiæ decus & ſplendor omnem opum & honorum ſplendorē tranſcendit & ſuperat. Summa enim eſt iuſtitiæ gloria & maieſtas, adeò vt omnis externa gloria illi comparata ingloria, omneque decus dedecus eſſe videatur, ait S. Chryſoſt. in pſ. 34.

Tertiò, R. Leui: Iuſtus, inquit, יתר *iather*, id eſt, proficit ex amico ſuo, hoc eſt, iuſtus arripit ab amico præſtantiam, cùm ab eo præſtantiſſima addiſcat, quibus in omni virtute perficiatur: ſecùs accidit in ſceleſtis, qui à ſociis non niſi vitia & ſcelera, quæ intuentur & audiunt, addiſcunt.

Quartò, R. Salomon: Iuſtus, inquit יתר *iather*, id eſt condonat proximo. q. d. Vir probus prauis amici moribus parcit, erroreſque condonat.

Quintò, Septuag. Complut. vertunt, *ſapiens iuſtus ſui ipſius amicus erit*; Roman. *cognitor iuſtus ſuiipſius amicus erit: eos autem qui peccant, perſequentur mala, & via impiorum ſeducet eos*. In nonnullis libris additur: *Sententiæ autem eorum immites.* Verùm auctor Catenæ Græcor. pleniùs Septuag. ſic vertit, ſicq; explicat: *Iuſtus cordatus & ſui ipſius, & proximi quoque amicus eſt. At impiorum via in errorē deducunt illos. Obſerua hic quòd iuſtus ad vtramq; fortunam commodum & beneuolum ſe præbeat. Etenim ſi quid boni de proximo audit, non dolet, nec inuidet, ſed ex animo gaudet: contrà verò ſi quid mali illi accidiſſe intellexerit, animo conturbatur & contriſtatur. Veruntamen tam dolor quàm gaudium illius ſunt moderata. Apud impios autē diuerſa affectio obtinet: nam vbi eos ob terrificas comminationes, meritò formidare & conterreri oportebat, ibi lætantur & aſpernantur. Contrà vbi propter bona, quæ alicui obuenerunt, gaudere debebant, ibi propter inuidiam tabeſcunt, oppoſita nimirum affectione ducti & incitati.* Alius anonymus in eadem Catena: *Qui*, ait, *ſecundum Dei imaginem ſeſe conditum agnoſcit, ille ſecum habitat modeſteq; de ſe ipſo ſentit: nec non, ne aliquid quod ad inimicitiam vel malitiam faciat, deſignet, diligenter cauet, neque bonorum tandem cogitationes perturbat, aut pia ſtudia infeſtat.* Alius: *Vir*, ait, *prudentia & iuſtitia excellens amici commoda perpetuò ſpectat & curat, obſeruatq; quonam modo ſingula ritè adminiſtret. Et ſi quod erratum amicum committere contigerit, illud diſſimulat & ignoſcit: impij autem contrarium planè iter ingreſſi, omnia in deteriorem partem rapiunt.*

Sextò, Noſter Latinus interpres profundè & germanè Hebr. יתר *iather*, vertit, *qui relinquit*, vel *negligit damnum ſuum*: radix enim יתר *iathar* ſignificat ſupereſſe, reſtare, relinquere, quaſi dicat, Qui relinquit, ſcilicet ſua lucra, hoc eſt qui negligit damnum ſuum. Senſus ergo eſt, quaſi dicat, Qui non tantùm alios non defraudat, ſed & damna ſua negligit, vt proximorū commodis conſulat, hic demum antonomaſticè & per excellentiā iuſtus, id eſt æquus, honeſtus, probus eſt, ac charitate præditus, ideoque Deo charus, & hominibus honoratus: qui proinde damnum quod Dei & virtutis amore ſubiit, abundè rependent, facientque vt ceteris ditior euadat cū ex aduerſo impij, qui per fraudes diteſcere ſatagunt, & ſua commoda aliorum damnis redimunt, inde non ditentur, ſed depauperentur: quare *iter eorum ſeducet eos*, *iter*, id eſt via ratio & modus agendi, putà diteſcendi per fraudes & damna aliorum, decipiet eos, quia ab opibus ſperatis deducet eos ad inopiam. Vnde ſequitur. *Non inueniet fraudulentus lucrum ſuum.*

Sic Abraham ceſſit meliorem regionem Pentapolis nepoti ſuo Lot; ſed Deus vicem illi rependit in Chananæa, vbi eum bonis omnibus ditauit. Vice verſâ Lot præripiens Abrahæ Pentapolim, opes omnes, quas in ea congeſſerat, eius incendio conflagrantes perdidit, Geneſ. 13. c. 9. & ſeq. & c. 19. Sic Iſaac puteos à ſe effoſſos inuidentibus Geraritis vltrò conceſſit: ſed Deus ei vicē rependit, dum opes ingentes ac nominatim alium puteum, quē ob copiam aquarum vocauit *abundantiam* (vnde vrbs quæ iuxta eum deinde ædificata eſt, dicta eſt Berſabee id eſt puteus abundantiæ) illi attribuit, Geneſ. 26. 21. & 33. Sic Iacob cedens Laban ſocero ſuo meliorem ouium fœturam maiorem à Deo accepit, Geneſ. 31. & ſeq. 7.

Memorabile eſt quod in Annalibus Societatis Ieſu legimus. P. Ioannē Baptiſtam Romanum in naufragio arreptam tabulam Iudæo cuidam ceſſiſſe eà lege, vt, ſi enataret, Chriſtianus fieret, enatauit vterque Iudæus tabulæ incubans, Baptiſta mari, aut potiùs Deo: itaque ſibi temporalem magna meriti lætitia cumulatam, Iudæo tam temporalem quàm ſpiritalem vitam impertiit: Iudæus enim tantæ charitatis exemplo victus, manus nomenque Chriſto dedit, ac baptiſmo regeneratus Chriſtiano deinceps ritu vixit. *Rarum charitatis exemplum.*

Denique S. Tho. 2. 2. q. 26. art. 4. ad 2. docet ex hac Salomonis ſententia, ex charitate negligi poſſe bona temporalia ob maius bonum amicitiæ, non verò ſpiritalia: magis enim debeo vitare peccatum meūm quàm proximi, magiſque curare ſalutem meam quàm alienam. *Amici morientes pro amico.*

Hinc conſequenter inferunt Theologi, per charitatem licere amico vitam pro tuenda amici vita periculo obiicere, vti apud Gentiles fecerunt Pylades & Oreſtes, Niſus & Euryalus, Damō & Pythias, alijque quos recenſet Valer. Maxim. libr. 4. c. 7. quos à tam generoſo amicitiæ actu laudant Patres, vt S. Ambroſ. lib. 3. Offic. cap. 12. aſſeritque Dionyſium tyrannum viſâ Damonis & Pythiæ amicitiâ, qua alter pro altero vadem ſe morti offerebat, optaſſe eos ſibi in amicitiam aſciſcere. Eoſdem laudat S. Aug. 4. Confeſſ. ca. 6. & S. Hieron. in c. 7. Michææ. Quin & Ariſtot. 9. Ethic. c. 8. *Qui*, inquit, *pro alijs mortem oppetere conſueuerunt, eligunt magnū quoddam honeſtum ſibi ipſis.* Generoſus enim & perfectus amicitiæ & magnanimitatis actus eſt, mori pro amicitia & amico. Denique Chriſtus Ioann. 15. *Maiorem*, inquit, *dilectionem nemo habet, quàm vt animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Pluribus rationibus idipſum confirmat Suarez 2. 2. q. 26. ar. 4. contra Palud. & Durand. Si licet vitā ponere pro vita amici, multò magis licet pro eius pudicitia, aliáve virtute defendenda. Sic S. Didymus vitam expoſuit pro vita & caſtitate S. Theodoræ, dum mutatis cum ea veſtibus pro ea in lupanari remanſit: vnde poſteà cum eâdem martyrio laureatus eſt. Celebratur eorum natalis dies in Martyrol. die 28. Aprilis. Eoſdem dilaudat S. Ambroſ. libr. 2. de Virgin. Sic S. Alexander S. Antoninam mutatis cum ea veſtibus è proſtibulo liberauit, ac deinde ſimul cum ea martyrium igne conſummauit, *& pro caſtitate amici.*

uit, vt habent Martyrol. die 3. Maij, extat eorum Vita apud Surium. Idem præſtitiſſe quemdam virgini Corinthiæ narrat Palladius in Lauſiac. c.54. Sic & matronæ Lacænæ maritos carceri mancipatos mutato cum eis habitu, & carcere & morte liberarunt, vt refert Valer. Maxim. libr.4. de amore coniug. c.6.

Vers.27. NON INVENIET FRAVDVLENTVS LVCRVM: ET SVBSTANTIA HOMINIS ERIT AVRI PRETIVM] Hebr. לֹא יַחֲרֹךְ *lo iacharoc*, id eſt *non aduret*, vel *non aſſabit doloſus venationem ſuam*, id eſt, non comedet feram vel prædam, quam venatur per dolos & fraudes, ita R. Salomon, R. Leui, Aben Ezra, R. Dauid; Pagnin. Vatabl. & alij paſſim. Alius, *non perforabit aucupium ſuum*, id eſt perforando non capiet, non aſſabit, non comedet id quod aucupatur alius, *non obſepiet prædam ſuam*, vt ſcilicet diu illa fruatur: nam illa citò illi eripietur vel elabetur: inde enim חֲרַכִּים *charakim* vocantur *capelli*, quia rem obſepiunt, quia perforati ſunt.

Idem omnium eſt ſenſus. Eſt enim prouerbium Hebræis, imò & aliis gentibus, vſitatum, *Fraudulentus non aſſabit prædam ſuam*, id eſt non potietur, non veſcetur & fruetur præda ſua; quia eam quam per fraudes aucupatur, vel non aſſequetur; vnde Chald. vertit, *non fiet obuiam venatio viro doloſo*; vel, ſi aſſequatur, illa ei eripietur, vt eam aſſare, eaque veſci & frui nequeat. Vnde noſter clarè vim prouerbij expreſſit vertendo, *non inueniet fraudulentus lucrum ſuum*, quod fraude & dolo venatur; & Septuag. οὐκ ἐπιτεύξεται, id eſt, vt Roman. *non conſequetur*; Complut. *non fabricabit venationes ſuas*. Nimirum: *Malè parta malè dilabuntur*. Et

De malè quæſitis non gaudet tertius heres.

Eſt metalepſis. Ex aſſatione enim prædæ intelligitur tam præcedens eius veſtigatio & comprehenſio, quàm conſequens comeſtio & epulatio.

ET SVBSTANTIA HOMINIS ERIT AVRI PRETIVM] Legit יְקָר *iekar*, id eſt *pretium*; iam aliis punctis legunt יָקָר *iakar*, id eſt pretioſus. Rurſum חָרוּץ *charus*, id eſt præciſum, ſignificat tam hominem ſtrenuum, ſedulum, acrem, quàm aurum. Vnde Primo, Pagnin. vertit, *& diuitiæ hominis pretioſa, ſollicitudo*, vel ſtrenuitas & ſedulitas: quia per ſtrenuitatem parantur opes & imperia, tam temporalia quam ſpiritalia, vt dixit v. præced. & R. Salomon, *ſubſtantia viri ſolliciti*, (& negotiationi incumbentis, ait Aben Ezra) *eſt pretioſa & honorifica*; & Vatabl. *ſubſtantia hominis ſeduli pretioſa eſt*; alij, *ſubſtantia hominis pretioſa, eſt ſedulitas*, q.d. Pretioſiſſimum quod in opibus hominis, eſt diligentia & ſedulitas, ita R. Dauid.

Secundò, Chald. vertit, *ſubſtantia hominis erit aurum pretioſum*: quæ verſio eumdem cum Vulgata reddit ſenſum.

Tertiò, R. Leui *ſubſtantia viri pretioſi & glorioſi*, puta iuſti, *erit aurum*, quod omnium facultatum eſt præſtantiſſimum.

Quartò, Hebræus apud Pagnin. in Lexico, *ſubſtantia quæ per ſollicitudinem paratur, pretioſa*, id eſt rara eſt & chara; & Baynus, *diuitiæ pretioſæ hominis ſolliciti*, q.d. Opes hereditate relictæ ſunt charæ, at chariores ſunt, quæ proprio labore & ſollicitudine parantur: quare eſto illas ſubinde quis prodigat, has tamen, quaſi laboris ſui fructus & præmium, ſtudioſè tuetur & ſeruat.

Quintò, Septuag. vertunt, *poſſeſſio autem pretioſa* A *vir mundus*, qui ſcilicet ab omni ſcoria peccati, auaritiæ & fraudum inſtar auri igne defæcati expurgatus eſt, hoc enim ſignificat Hebr. חָרוּץ *charus*. Vnde auctor Catenæ Græc. vertit, *vir autem ſincerus ſceleriſque purus, pretioſum eſt peculium*. Sic & Syrus more ſuo legens veſtigia Sept. *Subſtantia pretioſa*, inquit, *homo electus*. Quid enim pretioſius ſinceritate, puritate, iuſtitia, ſanctitate? Audi S. Ambroſ. lib.1. Offic. c.3. *Denique pretioſa poſſeſſio homo mundus. Sepi ergo hanc poſſeſſionem & circumuallato cogitationibus, munito pijs ſollicitudinibus, ne in eum irruant & captiuam ducant irrationales corporis paſſiones, ne incurſent motus graues, ne diripiant vindemiam eius tranſeuntes viam. Cuſtodi interiorem hominem tuum. Noli eum quaſi vilem negligere ac faſtidire, quia pretioſa poſſeſſio eſt. Et meritò pretioſa, cuius fructus non caducus & temporalis, ſed ſtabilis atque æternæ ſalutis eſt. Cole* B *ergo poſſeſſionem, vt ſint tibi agri.*

Sextò, Noſter legens יְקָר *iekar*, id eſt pretium, optimè vertit, *ſubſtantia hominis erit auri pretiū, Hominis*, ſcilicet veracis, ſerij & ſtrenui: hic enim ſolus dignus eſt nomine hominis, vereque eſt homo: & hunc intelligi ſuadet, imò cogit antitheſis. Senſus ergo eſt, q.d. Opes quas fraudulentus per fraudes congerit, illū non paſcent, nec ditabunt ſed ab eo velut à prædone ad alios auolabunt: at verò opes iuſti & ſinceri, quas ipſe ſuo labore & ſedulitate ſibi parat, erunt *auri pretium*, id eſt, erunt ſtabiles & pretioſæ, ac auri pretio æſtimabuntur, hoc eſt, magnæ multæque erunt: quod enim auro admetimur, hoc magnum & pretioſum eſt.

Anagogicè Beda: *Non inueniet fraudulentus lucrum, &c. fraude namque acquiſita pecunia plus in anima damni, quàm lucri addit in arcā: & qui propriam pro* C *Domino ſubſtantiam nouit diſpenſare, remunerante ipſo pro terrenis cæleſtia dona recipiet. Aliter* Non inueniet *fraudulentus lucrū, & ſubſtantia hominis erit auri pretium*, q.d. *Qui fraudulenta mente ſimulat ſe eſſe bonum nequiter viuens in occulto, non inueniet bona vitæ ſequētis. Qui autem ſubſtantiam virtutum ſpiritualium veraciter acquirit, mercabitur ex ea claritatē regni perennis, quod verbis ſequentibus apertius dicit: In ſemita iuſtitiæ vita, &c. In ſemita enim iuſtitiæ ſubſtantiam acquirit virtutum, virtutibus æternæ vitæ claritas auro pretioſior emitur. Iter autem prauum, quo fraudulentus incedit, perdito lucro temporali quod appetit, ad mortem, quàm præuidere noluit, tendit ſempiternam.*

IN SEMITA IVSTITIÆ, VITA: ITER AVTEM DEVIVM DVCIT AD MORTEM] Pro *iter deuium*, hebr. eſt *iter ſemitæ eius*, hoc eſt, iter per aliam nouamque ſemitam, deuians à regia via & communi ſemita iuſtitiæ. q.d. Iuſtitia eſt quaſi via regia, quæ ducit ad vitam, & in vitam deſinit: *iter* autem *deuium*, putà actio & conuerſatio à iuſtitiæ norma deflectens & deuians, ducit ad mortem præſentem & æternam. Vers.28.

D Porrò Septu. *iter ſemita* referunt & arctant ad iniuriarum memoriam: quia per eam quaſi ſemitam aſſiduè it reditque iracundus, & vindictæ appetens. *In vijs*, inquiunt, *iuſtitiæ vita: viæ autē eorum, qui memores ſunt iniuriarum, in mortem*: nam ex iniuriarum memoria accenditur vindictæ cupido, quæ in necem aliorum & ſui ipſius ruit: Chald. *iter ſemitæ* interpretatur *iter patrum noſtrorum*, putà impietatem tritam à patribus impiis.

Recentiores pro אֶל מָוֶת *el maueth*, id eſt *ad mortem*, legentes alio puncto אַל מָוֶת *al maueth*, id eſt *non*

non mors, planè aliter vertunt, *in ſemita iuſtitia vita eſt, & hac ipſa nequaquam ad mortem ducit.* ita Tigur. Pagnin. R. Leui, R. Salomon, & alij. Verùm hæc lectio obſcuriùs & exiliùs repetit id, quòd clarè & ſublimiter iam aſſeruit: atque caret ſua antitheſi, quam Vulgata & Septu. exhibent. Illorum ergo lectio vera & germana eſt.

Hæc gnome eſt ſtimulus acer ad ſectandam iuſtitiam virtutemque, ac fugiendam iniuſtitiam & vitium. Quid enim optabilius homini quàm vita A eaque beata & æterna? Quid execrabilius quàm mors, eaq; cumulata æternis gehennæ incendiis? Quocirca eamdem vſurpauere Philoſophi, ac inprimis Plato ſæpiùs eâdem ſtimulat ſuos ad omnem honeſtatem. Et Sixtus philoſ. in Sentent. nu. 11. hoc quaſi vitæ honeſtæ principium conſtituit: *Immortales crede te manere in iudicio honores & pœnas*, nimirum: In gehenna *æternum quod cruciat, momentaneum quod hic delectat: in cælo æternum quod delectat, momentaneum quod hic cruciat. Elige.*

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

GNomæ de filio ſapiente, de oris cuſtodia & inconſiderato ad loquendum: de paupere diuite; & diuite paupere; de lucerna impiorum, ſubſtantia feſtinata, dilatione ſpei: de nuntio impio & fideli, de noualibus patrum: omnia cum conſilio agenda, & cum ſapientibus conuerſandum; de parcente virgæ, & ventre impiorum inſaturabili.

1 Filius ſapiens, doctrina patris: qui autem illuſor eſt, non audit cùm arguitur.
2. De fructu oris ſui homo ſatiabitur bonis: anima autem præuaricatorum iniqua. 3. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, qui autem inconſideratus eſt
ad loquendum, ſentiet mala. 4. Vult & non vult piger: anima autem operantium
impinguabitur. 5. Verbum mendax iuſtus deteſtabitur: impius autem confundit,
& contundetur. 6. Iuſtitia cuſtodit innocentis viam; impietas autem peccatorem
ſupplantat. 7. Eſt quaſi diues, cùm nihil habeat; & eſt quaſi pauper, cùm in multis
diuitiis ſit. 8. Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet. 9. Lux iuſtorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur. 10. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſilio,
reguntur ſapientia. 11. Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paullatim colligitur manu, multiplicabitur. 12. Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ
deſiderium veniens. 13. Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat: qui autem
timet præceptum, in pace verſabitur. Animæ doloſæ errant in peccatis: iuſti autem
miſericordes ſunt, & miſerantur. 14. Lex ſapientis fons vitæ, vt declinet à ruina
mortis. 15. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago.
16. Aſtutus omnia agit cum conſilio: qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam. 17. Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, ſanitas. 18. Egeſtas, & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur. 19. Deſiderium ſi compleatur, delectat animam: deteſtantur ſtulti eos, qui fugiunt mala.
20. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.
21. Peccatores perſequitur malum: & iuſtis retribuentur bona. 22. Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris. 23. Multi
cibi in noualibus patrum: & aliis congregantur abſque iudicio. 24. Qui parcit virgæ,
odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit. 25. Iuſtus comedit, & replet animam ſuam; venter autem impiorum inſaturabilis.

VERS. 1. FILIVS SAPIENS, DOCTRINA PATRIS: QVI AVTEM ILLVSOR EST, NON AVDIT CVM ARGVITVR] Pro *doctrina* hebr. eſt מוּסָר *muſar*, id eſt diſciplina, inſtitutio, eruditio. Hæc gnome acrem dat ſtimulum tum parentibus, vt filios in omni virtutis diſciplina inſtituant; tum filiis, vt eamdem tota mente capeſſant. Senſus ergo eſt, q. d. Filius ſapiens audit doctrinam patris, eique obedit: *qui autem illuſor* & deriſor *eſt*, id eſt inſipiens, qui monita patris ridet & ſpernit, hic non audit eum increpantem, cùm ab eo de vitiis ſuis arguitur. Ita Chald. *filius ſapiens*, inquit, *ſuſcipit doctrinam patris*; Syrus, *filius ſapiens patri ſuo auſcultat: at im-* B *probus, qui non recipit obiurgationem, peribit*; Septuag. *filius aſtutus* (cautus, prudens, *ſapiens*, vti vertit Aquila, Symmach. & Theodot.) *obedit patri, filius autem inobediens in perditione.*

Nota. Noſter ex Hebræo neruoſiùs vertit, *doctrina* quàm ceteri *doctrinam*, ſcilicet audit. Primò, quia filij propriū eſt erudiri doctrina patris, perinde ac lac ſugere à matre: patris enim doctrina in animum filij paternè, naturaliter & ſuauiter influit, eumque flectit quocumque libet, ac ſibi ſimilem efficit. Vnde Tigur. *ſapiens filius eſt diſciplina patris*, id eſt, ait Vatabl. *ex diſciplina patris euadit filius ſapiens.* Eſt metonymia: oſtenditur enim effe-

ctus paternæ diſciplinæ; ſcilicet quòd cauſet & producat in filio ſapientiam. Decus autem patris eſt filius ſapiens, ſicut dedecus eſt inſipiens. Huc facit gnome Sixti philoſophi in Sent. n.245. *Excrucient te liberi malè viuentes, magis quàm morientes.* Et n.164. *Peccata diſcentium, opprobria ſunt doctorum.*

Secundò, preſſiùs & ſignificantiùs, *filius ſapiens eſt doctrina patris*: quia non tantùm eam ſuſcipit, ſed & refert ac repræſentat, ſicut imago repræſentat ſuum exemplar. Sicut ergo forma & figura, v. g. Alexandri, in eius imagine repræſentatur, & cernitur, vt viſa imagine dicamus: Hic eſt Alexander: ſic pariter pater, & doctrina patris, in filio ſapiente & obediente, quaſi in viua ſui imagine repræſentatur & reſplendet, vt viſo filio dicere poſſis: Hic eſt pater, hic eſt doctrina patris: quia ſcilicet filius viuum eſt ſpeculum paternæ virtutis & ſapientiæ. *Doctrina* ergo hìc potiùs & neruoſiùs accipitur vt nominatiui caſus quàm ablatiui; quamquam & in ablatiuo accipi poſſit. q. d. Filius ſapiens fit, vel euadit, doctrinâ patris, id eſt per doctrinam patris, ſignificantiùs tamen in nominatiuo, filius ſapiens dicitur *doctrina patris* metonymicè, id eſt, effectus doctrinæ patris; viuum ſimulacrum, in quo intuearis doctrinam & virtutem patris; viuus liber, in quo expreſſam legas ſapientiam patris, vt de eo dicas: En hic eſt ſapientia patris. Hinc filius hebr. vocatur בֵּן *ben*, quaſi fabrica ad patris effigiē exſculpta: radix enim בָּנָה *bana* ſignificat ædificare & fabricare & græcè τέκνον, quaſi genitura patris; & latinè natus, à naſcendo; ac filius quaſi φίλος, id eſt amor patris, inquit Sipontinus. Vnde Cicero l.2. de Finibus: *Effigies probitatis paternæ, filius.* Idem Cæcinnæ: *Imago animi & corporis, filius.* Hinc Filius Dei Patris vocatur Patris imago, character, ſapientia, *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ*, Hebr. 1.3. Hunc Dei filium filij hominum imitentur, vt patris, & præſertim Dei, qui ſummus omnium eſt parens, ſapientiam & virtutem referant & repræſentent.

Porrò filius ſuſcipiens doctrinam patris, vocatur eſtque ſapiens: quia per ſuſceptionem doctrinæ paternæ nanciſcitur Primò, ſapientiam; Secundò, nomen & famam ſapientiæ; Tertiò, hereditatem patris ampliorem. Pater enim filio obedienti & ſapienti plus bonorum relinquet, quàm inobedienti & inſipienti.

Tertiò, propriè & præcisè Beda: Filius ſapiens eſt doctrina patris, id eſt docet patrem: *Tantum*, inquit, *inter ſapientē diſtat & ſtultum, vt hic aliquando profectu eruditionis ad eum, qui ſe docuerat, docendum perueniat: ille nec cùm arguerit, nouerit audire.* Sic filij, id eſt famuli, Naaman docuerunt ipſum obedire Eliſeo, ſcilicet lauari in Iordane: quo facto à lepra curatus eſt, 4. Reg. 5.13. Sic S. Franciſcus Xauerius per filios Indorum à ſe inſtructos, inſtruebat & conuertebat eorum parentes. Idem crebrò eſt videre in ſcholis noſtris, in quibus diſcipuli ea quæ didicerunt docent ſuos parentes.

Vers. 2. DE FRVCTV ORIS SVI HOMO SATIABITVR BONIS: ANIMA AVTEM PRÆVARICATORVM INIQVA] Pro *bonis* hebr. eſt טוֹב *tob*, id eſt bonum neutrè, & bonus maſculinè. Iam quia Hebræi carent caſibus, hinc pro *oris* alij vertunt, *os boni*, vel iuſti. Inſuper quia hæ ſententiæ parabolicæ ſunt, hinc acutę pariter ſunt & conciſę, ac multa lectori veſtiganda & ſupplenda relinquunt. Vnde Primò, Septuag. ſubaudientes τὸ *iuſtitiæ* (fructus enim boni & iuſti non eſt alius, quàm fructus iuſtitiæ & operum iuſtorum) vertunt, *de fructibus iuſtitiæ comedet bonus*, putà *os boni*; *animæ autem iniquorum peribūt immaturæ*. q.d. Iuſtus ob opera iuſta fruetur longæuitate ſanctâ & iucundâ, ac fructus iuuentutis iuſtè tranſactæ percipiet in bona ſenecta, nimirum ſapientiam, gaudium, conſilium, honorem, auctoritatem, ſpem vitæ futuræ & beatæ, filios & nepotes prudentes, graues & honoratos: at impij per crapulas, libidines, aliaque ſcelera abbreuiant ſibi vitam, aut à Deo celeri morte puniuntur, vt præmaturè moriantur, nec ad ſenectam pertingāt, vel eam infelicem & ærumnoſam ſortiantur, ſicut ergo fructus immaturi acerbi ſunt, ſic eis acerba eſt vita & ſenecta: vice verſa ſicut fructus maturi ſuaues & ſapidi ſunt, ſic iuſtis ſuauis & ſapida accidit ætas & ſenecta. Vnde S. Hier. ad Nepotian. *Senectus*, inquit, *eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, ætate fit doctior, vſu certior, proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulces atque maturos fructus metit.*

Secundò, Pagnin. repetens τὸ *de fructu*, ſic vertit, *de fructu oris viri comedit vir: & de fructu anima præuaricatorum comedet vir iniquus.*

Tertiò, Caiet. vertit, *de fructu os viri* (boni) *comedet bonum, & anima mentientium iniquum*, ſicq; explicat: In genere, inquit, hìc dicitur, quod Paulus in ſpecie dixit: *Chriſti bonus odor ſumus, alijs odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem.* Ex vno ſiquidem eodemque fructu legis, fidei, iuſtitiæ & doctrinæ diuerſos, imò contrarios cibos comedunt homines diuerſimodè diſpoſiti. Nam *os* (id eſt mens) viri nullâ prauâ affectione infectum comedet bonum, & anima mentientium iniquitatibus ſuis Deo, comedet iniquum, interpretando fructum ſiue fidei, ſiue iuſtitiæ, ſiue doctrinæ, in malam partem.

Quartò, Hebræa ſic planè vertas, *de fructu oris ſui quiſque bonum comedit: anima autem peccatorum violentiam*, quod Vatabl. explicat. q.d. *Præuaricatores afficientur iniuriâ.* Sicut enim ipſi in alios fuerunt violenti & iniurij, ſic pariter lege talionis Deoque iuſtè diſponente, ipſi alios in ſe violentos experientur, & iniurios ſentient: & Chald. *vnuſquiſque de fructu oris ſui ſatiabitur bono: anima autem prædonum deiectione*, repete, ſaturabuntur; Syrus, *diſperdentur.* Idem voluit Noſter vertens, *de fructu oris homo ſatiabitur bonis: anima autem præuaricatorū iniqua*; Hebr. *iniquitate*, repete *ſaturabitur*. q.d. Sicut anima bona ſatiatur fructu boni ſui eloquij, quo alios docuit bona, dū propter illud gaudebit ſe id boni præſtitiſſe, eoque alios profeciſſe, atque idcirco vel ab hominibus, vel certè à Deo, magnis præmijs afficietur: ſic ex aduerſo anima præuaricatorum, qui ſcilicet Dei legem & iuſtitiam præuaricantur, ac alios præuaricari docent, iniqua eſt, id eſt alijs iniuria & violenta: ideoque iniquitas hæc, ſiue vis & violentia, in caput eorum recidet, vt ob eam violenter multa dura pati & deuorare cogantur. Sicut ergo anima eorū iniqua fuit in vi & culpa, ſic pariter iniqua erit in violenta pœna; quâ iniquitas eorum & violentia iuſtè caſtigabitur, quamque ipſi ſubire compellentur: pœna enim aliàs (putà ante peccatum) iniqua, poſt peccatum fit æqua & iuſta, adeoque iniquitas pœnæ iniquitati culpæ directè reſpondet, proprieque congruit & debetur. Anima enim quæ iniquè tra-

ctauit Deum Deique legem meretur iniquè, indignè & tyrannice tractari à tortoribus & carnificibus, præſertim dæmonibus, iuxta illud Oſee 10.13. *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij.* Et illud Pſaltis de Deo pſ. 17.26. *Cum ſancto ſanctus eris,* &c. *& cum peruerſo peruerteris.* q.d. Tu, ô Deus, ſanctis te ſanctum, innocentem, bonum & benignum exhibebis: at cum vafris & peruerſis non benignè, ſed prauè & peruersè, id eſt ſeuerè & vafrè ages, ac morem tibi proprium, qui eſt miſereri & benefacere, inuertes: quia ipſi ab ijs qui eſſe deberét, inuerſi & peruerſi ſunt. Ita S. Hier. ibidem. Vnde Chald. vertit, *cum Abraham, Iſaac, Iacob pijs multiplicaſti pietatem: cum Pharaone & Ægyptijs, qui cogitauerunt cogitationes malas aduerſus populum tuum, conturbatos reddidiſti eos in cogitationibus ſuis.*

Vers.3. QVI CVSTODIT OS SVVM, CVSTODIT ANIMAM SVAM: QVI AVTEM INCONSIDERATVS EST AD LOQVENDVM, SENTIET MALA] Chald. *qui tegit os ſuũ, tuetur animæ ſuæ: & qui aperit labia ſua, terror imminet ei;* Arabicus, *& audax in labijs trepidare faciet animam ſuam;* Syrus, *faciet contritionem animæ ſuæ; cuſtodit animam ſuam*: Primò, ab omni angore & mœrore. Secundò, à multis peccatis, quæ ore committuntur. Tertiò, à periculis, hoſtibus & inſidijs. Vnde Vatabl. *cuſtodit animam,* hoc eſt, inquit, *vitam ſuam.* Nam, vt ait Plinius: *Sæpè vox temerè emiſſa redit per iugulum.* Crebrò inculcat cuſtodiam oris & linguę, quòd illa tam vel magis cuſtodienda ſit, quàm vrbs hoſtibus cincta: vnde ſicut vrbs munitur muris portis & ſeris, ſic natura & Deus muniuit & ſepſit linguam palato, dentibus & labijs. Rurſum, ſicut in portis vrbium excubat vigil, ne qua hoſtis irrumpat vel irrepat; ſic ſupra portas oris excubat mens & ratio, ne quid ex ore exeat, vel introeat, quod homini malum creet. Quocirca Eccleſiaſt. c.28.29. *Aurum,* inquit, *& argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.* Vide ibi dicta.

Pro *ſentiet mala,* hebr. eſt מְחִתָּה לוֹ *mechitta lo,* quod Primò, vertas cum Pagnin. & Vatabl. *aperienti labia contritio eſt illi;* Syrus, *confractionem efficit ſibi.* q.d. Qui inconſideratè loquitur, conteretur, confringetur & perdetur, imò ſuâ inconſideratione loquendi conteret, confringet & perdet ſeipſum. Secundò, *terror eſt illi;* Chald. *terror imminet ei;* Theodot. *confuſio;* Septuag. *& qui temerarijs eſt labijs terrebit ſeipſum.* q.d. Accerſet ſibi multos angores & terrores: terribilibus enim malis & moleſtijs ſeipſum exponit. Hac de cauſa inſtanter orat Pſaltes: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis,* pſal. 140.3.

Vers.4. VVLT ET NON VVLT PIGER: ANIMA AVTEM OPERANTIVM IMPINGVABITVR] Hebr. conciſè habent, *concupiſcit, & non, anima,* vel *anima pigri.* Quod Primò, ſic explet & exponit Chaldæus: *Deſiderat anima pigri aliquid, & non obuenit ei;* Syrus, *omni tempore in concupiſcentijs iacet homo qui non operatur;* ſic & Arabicus: & Pagninus, *concupiſcit anima pigri, & non eſt ei quod optat: anima autem ſollicitorum impinguabitur;* Tigur. *animus ignauorum auet, & nil habet: anima autem ſedulorum impinguabitur.* Vatabl. *deſiderat, & non fit voti compos anima pigri.* q.d. Multa concupiſcit piger, ſed ea non obtinet, quia non vult laborare, nec labore ſibi parare ea, quæ concupiſcit. Otium enim facit eum multa deſiderare, ſed inertia prohibet eum illa conſequi: quia hæret ſemper in otioſis deſiderijs, nec vltrà progreditur, vt manum adhibeat operi & labori, quo ea quæ deſiderat adipiſcatur. Huic expoſitioni aptè reſpondet ſequens antitheſis: *Anima autẽ operantium impinguabitur:* quia ſcilicet opus & laborẽ non refugit, ſed eo parat ſibi ea quæ concupiſcit. Piger ergo eſt *neuolus* (nolens) *ideoq́, multiuolus:* nam nil vult habere laborando, ſed omnia vult habere otiando: hinc eius volũtati & cupiditati nihil ſufficit: plenus enim eſt deſiderijs, iiſq; æſtuat, cùm nil aliud agat quàm concupiſcere: quare ipſe non aliud eſſe videtur quàm cupiditas, ipſaq; cupido: vbi enim non eſt labor opulentiæ, ibi omnia implet ventus iners concupiſcentiæ.

Secundò, Noſter Hebr. ſic explet & explicat: *Concupiſcit,* vel *vult, & non,* ſupple & repete, *vult anima pigri.* Idq; neruoſius eſt: prior enim expoſitio iam data tetigit finem & effectum mali, hæc verò eius radicem tangit, & cauſam aſſignat. q.d. Cauſa acediæ & pigritiæ, omniſque mali quod ex ea ſequitur, eſt, quòd acedi & pigri voluntas ſit languida & torpida, adeò vt neſcias, imò ipſemet neſciat, an velit, an nolit: quia enim languida eſt, hinc vix ſentitur, ac minimo motu & ſuggeſtu euariat, vt quod nũc vult, mox nolit. Hinc fit, vt ſit irreſoluta & pendula, nec quidquam aggrediatur, ſed in perpetua conſultatione & deliberatione verſetur, nec quidquam concludat; atque inſtar bilancum in libra nunc aſſurgat volendo, nunc deprimatur nolendo. Rurſum piger vult, id eſt optat inefficaciter opes, ſapientiam, virtutes: at non vult abſolutè & efficaciter: quare in eo eſt velleitas duntaxat, non abſoluta voluntas: vult enim, id eſt, vellet finem; at non vult abſolutè adhibere media, putà laborem ad finem aſſequendum neceſſarium. Vnde aliqui ex Hebræo ad verbum ſic vertunt, *vult & non eſt animus pigro,* quod Itali ſignificanter dicunt, *Non gli baſta l'animo,* id eſt non ſufficit ei animus: quod Noſter clarè reddit, *vult & non vult piger.* q.d. Piger vult remiſsè, & non vult efficaciter, hinc ſecum luctatur nunc volendo, nunc nolendo: atq; in hac inani voluntatis libratione & lucta tempus omne conſumit, nec vltrà ad rei volitæ proſecutionem progreditur; quocirca eam nõ adipiſcitur: at verò anima operantium operando rem deſideratam proſequitur & aſſequitur, itaque ea fruitur & impinguatur. Ratio eſt, quòd ſit reſoluta, & efficaciter velit id quod vult, ideoque laborem omnem ad rem conſequendam oportunum adhibet, præſertim quia ſapientia & virtus quam concupiſcit, propriè ſita eſt in voluntate efficaci. Virtus enim non aliud eſt, quàm amor & cupido boni honeſti. Qui ergo vult reſolutè eſſe humilis, patiens, fortis, temperans, &c. hoc ipſo ſaltem inchoatè fit humilis, patiens, fortis, temperans, &c. taliſque coram Deo cenſetur.

Tertiò, Septuag. ſic explent: *Concupiſcit, & non,* ſupple, *aliud facit anima pigri.* q.d. Nil facit niſi concupiſcere. Vnde vertunt, *in deſiderijs eſt* (vel, vt auctor Catenæ Græc. *agitatur, iactatur, & fluctuat* inſtar fluctus & æſtus marini) *omnis otioſus: omnis* propriè; & *omnis,* id eſt totus. q. d. Otioſus & piger omne ſuum otium impendit in nuda aridaq; deſideria, in ijs ſuas vires, ſuum tempus inſumit & conſumit, quare nil ei reſtat, quod operi & labori ad rem deſideratam conſequendã neceſſario impen-

pen-

pendat. Sic & Syrus, *In omni tempore*, inquit, *in deſiderijs iacet qui opera non facit*; & S. Hier. in Ezech. c. 16. 49. ad illa: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium. In deſiderijs*, inquit, *eſt omnis anima otioſi: quod videlicet ſemper aliquid agendū ſit, ne ager pectoris noſtri ceſſante manu, malarum cogitationum ſenſibus oppleatur.*

Denique pro *vult* hebr. eſt מִתְאַוָּה *mitauue*, à rad. אָוָה *aua*, id eſt concupiſcere, velle, deſiderare. *Mitauue* autem eſt participium coniugationis *hitpael*, quæ ſignificat actionem reflexam, cùm ſcilicet idem eſt agens & patiens, ſiue cùm agens agit in ſeipſum, ſuamque actionem in ſe reflectit. *Mitauue* ergo idem eſt quod concupiſcens, in ſeipſo excitans deſiderium & concupiſcentiam, in ſeipſo volens: qui ſcilicet nil agit exteriùs, ſed totam concupiſcendi & volendi actionem interiùs in ſeipſum reflectit, nihilque aliud agit quàm

B

velle & concupiſcere, putà velleitatum & concupiſcentiarum æſtus fluctuſque in ſeipſo ciere & fouere. Acedi enim & pigri pleni ſunt deſiderijs & concupiſcentijs, ſicut folles pleni ſunt vento: vnde operis alteriuſue rei ſolidæ non ſunt capaces.

Anima avtem operantivm (hebr. חָרֻצִים *charutſim*, id eſt ſollicitorum, ſedulorum, ſtrenuorum, vti dixi c. 12. 14. Vnde Chald. vertit, *anima fortium*; Syrus, *validorum*; Septuag. *manus autem fortium in ſedulitate*) impingvabitvr] q. d. Strenui & ſeduli, cùm opes, ſapientiam & virtutes volunt & concupiſcunt, non diu deliberant quid facto ſit opus ſed ilicò manum operi admouent, ac ſtrenuè laborando parant ſibi opes & virtutes concupitas, quare ijs impinguantur, id eſt implentur, ſaturantur & abundant. Aliter Arabicus, *& manus*

C

audacium, inquit, *in ſollicitudine eſt.*

Audi Bedam, & ex eo Gloſſam: *Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo: delectant præmia cùm pollicentur, deterrent*

Iacob. 1. b. *certamina cùm iubentur, de quo Iacobus ait: Vir duplex*

Eccleſ. 2. c. *animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. Et filius Sirach: Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs: qui autem iuſſa operantur Domini, ideo faciunt, quia anima illorum perfecta ſupernorum dulcedine reficitur, iuxta eum qui*

Pſal. 62. b. *Dominū obſecrat, dicens: Sicut adipe pinguedinis repleatur anima mea. Vel certè anima operantium impinguabitur: quia qui pij pro Domino laboribus inſudant, cæleſti & immarceſcibili poſt labores coronâ donabuntur.* Præclarè angelus in Vitis Patr. contra laboris tædium, iucūdam occupationis alternationem ſuggerit, quam Poëta ſic carmine reddidit:

D

Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora:
Sic erit hora breuis, & labor ipſe leuis.

Quocirca S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum, eum monet vt otium quaſi peſtem fugiat: *Facito*, inquit, *aliquid operis, vt ſemper te diabolus inueniat occupatum.* Et inferiùs: *Scribantur & libri, vt & manus operetur cibum, & anima ſaturetur lectione. In deſiderijs enim eſt omnis otioſus. Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent; vt nullum abſque opere & labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagetur pernicioſis cogitationibus mens, & ad inſtar fornicantis Ieruſalem omni tranſeunti diuaricet pedes ſuos.* Vnde Abbas Abraham apud Caſſian. collat. 24. c. 2. quibuſdam ei ſuam tentationem de reuiſendis ſpecie pietatis parentibus, pandentibus reſpondit: *Deſidiam cordis veſtri deſideriorum veſtrorū peruagatio proteſtatur*, &c. *ideoq. vos illa otij ægritudine ſentio laborare, quæ in Prouerbijs ita notatur: In deſiderijs eſt omnis otioſus.* Vide eumdem l. 10. de ſpiritu acediæ c. 21. Quin & Pharao deſiderium Hebræorum exeundi ex Ægypto, adſcripſit eorum otio & deſidiæ: *Vacant*, inquit, *& idcirco vociferantur, dicentes: Eamus*, &c. Vnde cauſam ſuccidens: *Opprimantur*, ait, *operibus & expleant ea*, Exodi 5. 8.

Verbvm mendax ivstvs detestabitvr: Verſ. 5.
impivs avtem confvndit, et confvndetvr] Hebr. *impius autem fœtere faciet, & pudore afficiet*; Chald. *impius faciet putreſcere & vituperare.* Noſter Hebr. יַבְאִישׁ pro *iachpir* in *hiphil*, id eſt pudore & rubore afficiet, legit in *cal* יֶחְפַּר *iachpar*, id eſt erubeſcet, confundetur, pudefiet; vel certè *hiphil* accepit quaſi poſitum pro *cal*, vti ſubinde fit apud Hebræos. Sic & Septuag. qui proinde vertunt, *impius autem confundetur, & non habebit libertatem loquendi*; & Syrus, *confundetur & erubeſcet*; Pagninus, *verbum mendax odio habebit iuſtus: impius autem putreſcere faciet opera ſua, & pudore afficiet animum ſuum*; Arabicus denique, *verbum oppreſſionis odit iuſtus: & impius relaxabitur, & non habebit fiduciam.*

Pro *verbum mendax* Septuag vertunt, *verbum iniuſtum odit iuſtus*, quod Primo, per metonymiam in Script. vſitatam accipias pro re ſiue opere iniuſto. q. d. Iuſtus opus iniquum, quod videt, vel audit, ab alio patrari, odit, illudque reprehendit & coarguit: at impius diſſimulat & conniuet: itaque facit vt malum putreſcat, id eſt iterando in deterius vergat, ac tamquam res putris infamiam ex ſe ſpargat, quæ vituperium, pudorem & confuſionem creet.

Secundò, propriè *verbum mendax* accipias mendacem calumniam, vel detractionem, qua falſum crimen alteri impingitur. Hanc enim execratur iuſtus: impius vero eam concinnat, vel fouet & laudat, ideoque alios confundit & fœtere facit, id eſt pudore quaſi pedore famæ afficit, ſed tandem veritate compertâ ipſemet velut mendax & calūniator confundetur, pudore afficietur & explodetur. Hinc S. Chryſoſt. hom. 32 ad Pop. detractionem comparat cœno porcorum: *Non cernitis*, inquit, *porcos cœnum edentes ac voluentes? ſic & iſti detractores. Quid enim fœtidius verbis, quæ contumelioſè loquuntur?* Imò eam comparat ſtercori hom. 5. *Si quis*, inquit, *te prætereunte ſtercus commoueat, nónne hoc facientem contumelia & conuitio afficias? Hoc fac & circa detractorem: non enim ſic commotum ſtercus, illum fœtorem ſuſcipientem cartilaginem* (narium) *percellit: ſicut aliena peccata excuſſa & commota, atque vita aliorum impura prodita audientium animos contriſtare & perturbare ſolet.*

Tertiò, per *verbum mendax* accipias mendacem laudem & adulationem, qua falſa virtus, vel dos, alicui aſſentando tribuitur. Hæc enim cōfundit & pudore afficit eum qui laudatur, cùm ei tribuitur falsò quod non habet: ac proinde adulatione cōpertâ ipſe adulator pudefiet & confundetur.

Denique per *verbum mendax* quoduis mendacium, dolum, falſitatem accipias, præſertim quæ Deo iniuria eſt, aut proximo noxia. Hæc enim eſt peccatum mortiferum, ideoque eam execratur iuſtus, vtpote amator & filius veritatis & virtutis; quapropter magnum honorem & laudem apud Deum & homines meretur & obtinet: impius verò amat mendacia, dolos & fallacias, quia oſor eſt veritatis & iuſtitiæ, ideoque pudorem & probrum meretur, ſibique conſciſcit.

Gnoma de mendacio. Salomoni aſtipulantur Philoſophi. Sixti, ſiue Sexti, Pythagorei in Prouerbijs, ſiue Sententijs n. 155. hæc eſt vox veridica: *Melius eſt vinci vera dicentem, quàm vincere mentientem.* Et n. 158. *Nihil tã vernaculum ſapientiæ quàm veritas.* Et n. 20. *Optimam purificationem putato, nocere nemini.* Et n. 33. *Reuereatur vitam tuã mundus: nihil admittas quod tibi inurebat notam.* Ariſtoteles rogatus. *Quid lucriſacerent mendaces? Vt vera loquentibus,* inquit, *non credatur.* Ita refert Laërtius l. 5. c. 1. Cyri gnome fuit: *Omninò non eſt mentiendum. Apertum enim mendaciũ maximè impedimento eſt ad veram conſequendam.* Ita refert Xenophon l. 2. Pædiæ. Epænetus, teſte Plutarcho in Lacon. dictitabat mendaces omnium ſcelerum & iniuriarum auctores eſſe. Denique paſſim ſapientes & Philoſophi & Chriſtiani explodunt illud Platonis paradoxum: *Mendacio quandoque vtendum* B *eſt tamquam elleboro. Mendacium concedendum eſt medicis, alijs verò minimè.* Tritum eſt iſtud: *Oſtende mihi mendacem, oſtendam tibi furem.*

Vers. 6. IVSTITIA CVSTODIT INNOCENTIS VIAM: IMPIETAS AVTEM PECCATORVM SVPPLANTAT] Hebr. *iuſtitia cuſtodit integrum via, impietas autem deflectit,* vel *detorquet,* vel *obliquum facit,* vel *peruertit* (hæc omnia enim ſignificat סלף *ſalaph*) *peccatum;* Tigu. *iuſtitia obſeruat viam integram: impietas autem deflectit ad peccandum;* Vatabl. *impietas autem euertit peccatorem,* hoc eſt inquit, *cum voto ſuo fruſtratur;* Pagnin. *iuſtitia cuſtodit perfectum via: impietas autem peruertet viã peccantis;* Septuag. *iuſtitia cuſtodit innocentes via: at impios, malos* (prauos, peruerſos) *facit peccatum;* Symmach. neruosè, *iniuſtitia vero attrahet peccatum;* Chald. *iniuſtus autem inſtabilis erit propter* C *peccatum;* Syrus, *iuſtitia cuſtodit eum qui innocens eſt in via: peccator autem à ſuis criminibus perditur.* Omnia hæc eòdem redeunt, ſed rem ſenſumque exaggerant. Senſus ergo eſt. q. d. Iuſtitia cuſtodit iuſtũ, vt rectâ ſemper iuſtitiæ ſemitâ incedat, ideoque eum ab omni malo tum culpæ, tum pœnæ, tutatur & cuſtodit: at impietas errans & vaga, à rationis & iuſtitiæ ſemita obliquat & deflectit, ideoque impius eam ſequens ex vna labitur in aliam & aliam, vt indies fiat deterior, maiorique culpæ & pœnæ obnoxius: quare *impietas peccatorũ,* quæ ſcilicet facit, vt impius ex vno peccato continuè labatur in aliud, nec niſi peccata ſibi accumulet (τὸ enim *peccatorum* genitiuus eſt à nominatiuo *peccatum,* vt patet ex Heb. חטאת *chattat,* non *peccator*) impiũ *ſupplantat,* id eſt pedibus calcat & premit quaſi omnis D culpæ maliq; reum. Rurſum R. Salomon: Peccator, inquit, vocatur *chattat,* id eſt peccatum, ob ingentem impietatem, ſicut inſigniter ſceleſtum vocamus *ſcelus.* Impietas ergo peccatorem *ſupplantat,* id eſt eum ſurſque deque vertit, deturbat, tranſuerſum agit, vt vndique impingat, ac inſtar ſuis in cœno turpitudinũ voluetur. Et Aben Ezra: Impietas, inquit, peccatum, id eſt peccato obſtrictũ, ſupplantat, eumque in obliquum trahit. Et R. Leui: Conſuetudo, ait, cui vir probus iuſtè viuẽdo aſſueuit, ei conſeruabit vitæ rectitudinem, quam in ſingulis rebus expoſcit: ille enim integritatis ſemitã terit propter iuſtitiæ morem, cuius eſt tenaciſſimus. Secùs verò ſe habet qui impietati aſſueuit: ab illa enim ſupplantatur, & tranſuersũ agitur ab ijs ad quæ tendebat; ita vt animo deſtinata præſtare nequeat. Sic videmus peccatores auditis cõcionibus, vel monitionibus, ſubinde compungi, vitæq; emendationem proponere, ſed ab inolita peccãdi

A conſuetudine, mox vt illecebræ offeruntur, illicò ad eas rapi velut equi ad pabulũ. Eſt enim catena virtutum, æquè ac vitiorum, ſicut enim in catena annulus prior trahit ſequentem, ſic & virtus trahit virtutem, & impietas trahit aliã impietatem. Hoc eſt quod ait Origen. hom. 23. in Num. *Ex iuſtitia generatur iuſtitia, & ex caſtitate caſtitas. Si quis enim primò tenuiter caſtus eſſe cœperit, accepto caſtitatis fermẽto quotidie caſtior efficitur.* Vnde S. Dominicus cognomento Loricatus à lorica ferrea, quam ad nudã carnem geſtabat, rogatus qua ratione tantas pœnitentias diſciplinarum (quas per integra pſalteria quotidie faciebat) ciliciorum, ieiuniorũ peragere poſſet? reſpondit ſe ſenſim à minoribus ad maiores gradum feciſſe, ac proinde eas iam ſibi faciles eſſe. Et as: *Somnus enim ſomnum adeſcat,* inquit, *vigiliæ vigilias pariunt, & in quo corpus humanum ſenſim conteritur, in eo per incrementa poſtmodum roboratur.*

S. Baſil. in c. 9. Iſaiæ affert ſimilitudinem graminis. Sicut enim gramen demeſſum, vel comeſtum ab equis recreſcit, aliudque & aliud ſubnaſcitur: *Sic vnum peccatum,* ait, *aliud velut congenitum per gradus excipit, ceu fornicatio fornicationem, & ipſa aſſuefactio mendacij mater fit mendacij; & qui mentem diu exercuit ad furandum, nullo iam negotio aggreditur iniquitatem. Quod enim prauertit illum occupare peccatum, hoc illi fit occaſio alterius peccati.*

Aliud ſimile magnetis affert Beda ſer. de Natiuit. *Sicut magnes ferrum,* inquit, *ſic peccatũ ad ſe trahit.* Item vt ferri annulus magneti adhærens alium leuat, & ſic rurſus alium, donec catena ſit, ſic peccata alia ex alijs pendent.

Tertium ſimile eſt lini, fili, & funis. Sicut enim C linum trahit linum, vna pars fili & funis trahit & implectit aliam: ſic pariter vna virtus innectit trahitque aliam, atque vnum vitium implectit aliud, illudque ad ſe *attrahit,* vt vertit Symmach. iuxta illud Iſaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Vbi plura hac de re dixi.

EST QVASI DIVES, CVM NIHIL HABEAT: ET EST QVASI PAVPER, CVM IN MVLTIS DIVITIIS SIT] Hebr. *eſt ditans ſe, & nihil ei: eſt depauperans ſe, & ſubſtantia multa;* Septuag. *ſunt qui ditant ſe nihil habentes, & ſunt qui ſe humiliant in multis diuitijs;* Symmach. *mendicantes;* Theodot. πτωχοφανής, id eſt, *qui apparet mendicus, qui mendici ſpeciem præbet;* Chald. *eſt qui diuitem facit ſemetipſum, & nihil habet; eſt qui pauperem facit animam ſuam, & multam habet ſubſtantiam;* Syrus, *ſunt qui ſeipſos ditant, & nihil* D *habent: ſunt qui ſe pauperes faciunt, & multum poſſident.*

Primò, R. Salomon, Aben Ezra, & Caietan. ſic exponunt. q. d. Eſt qui ſuâ induſtriâ, vel fortunâ, euadat diues cùm priùs nihil haberet: & eſt qui ſuâ inertiâ, imprudentiâ, vel infortunio in pauperiem incidat, cùm multas habeat poſſeſſiones & diuitias.

Secundò, idem R. Salomon. q. d. Eſt qui diteſcat furto à pauperibus bona ſubducens, qui tandem diuitijs omnibus ſpoliatus in priſtinam pauperiem recidet.

Tertiò, Hugo & alij. q. d. Opulentus ſuis opibus non contentus, ſed plura inſatiabiliter appetens, eſt quaſi diues, id eſt videtur diues; ſed reuera diues non eſt, cùm nihil habeat, id eſt, nihil vel parum habere ſe putet: aut nihil habet, quia non habet animi quietem, vt ſit ſua ſorte contentus: qui enim eam non habet, nihil habet: vice versâ pau-

per

per ſua tenui ſorte contentus, eſt in multis diuitijs: diuitem enim non opes faciunt, ſed animus, cui ſua ſufficiunt, ſuaq; ſorte quietus & lætus, iuxta illud Poëtæ:

Quis diues? qui nil cupit. Et quis pauper? auarus.

Vnde S. Ambroſ. l. 3. epiſt. 25. ad Eccleſiam Vercell. *Sed vultis*, inquit, *diuites eſſe? eſtote pauperes. Tunc eritis per omnia diuites, ſi fueritis pauperes ſpiritu. Non cenſus diuitem, ſed animus facit. Sunt qui ſe humiliant in multis diuitijs, & vestè ac prudėter. Satis enim diues omnibus naturæ lex eſt, cui citò inuenias quod abundet. Cupiditatibus autē omnis diuitiarum abundantia, inopia eſt. Denique nemo pauper naſcitur, ſed fit. Non ergo natura paupertas, ſed opinionis eſt: ideoq; citò inuenitur diues naturæ, difficile cupiditati: etenim quo plus vnuſquiſq; acquiſierit, plus ſitit, & quaſi quadam inardeſcit ebrietate cupiditatum ſuarū.* Idipſum deinde fusè proſequitur ac oſtendit, verè diuitem dumtaxat eſſe iuſtum & ſanctum, qui dicere poteſt. *Portio mea Dominus.*

Apologus quod cupidi ſint pauperes. Hanc gnomen appoſito crocodili & auiculę apologo, bellis ſimilitudinibus variegato, venuſtat Cyrill. l. 3. Apol. moral. c. 3. cui titulus: *Quòd cupidi quantumcumq; habeant, ſint pauperes.* Auicula quædā, inquit, per os crocodili ingreſſa eius viſcera laniauit, cumque lethaliter ſauciauit: egreſſa deinde auolanſq; crocodilo, de iniuria eam accuſanti reſpondit: *Si communis eſt omnibus amica iuſtitia, iuſtè certè reus eſt cunctis qui aliquibus nocuit. Tu autē inſatiabilis cupiditatis deprauatum exemplar, totum te voragini tribuiſti, dum nō obſtructo ore, ſed aperto, quaſi numquam ſatiatus dormis; & latiore rictu, ſtipante te tuorū dentium ſerie, & vnguium immanitate armaris, cùm tamen vorabilia tibi nō deficiant: quia dummodo repleatur tua voracitas, qualia rapueris non diſcernis. Ideò propter cupiditatem iuſtè vitalia tua perdis, vt quemadmodū prauæ actionis formam dediſti, ita & portes eam. Sic nimirū cupidus magis euomit, quàm exhaurit. Nullus enim plus perdit, quàm qui ſeipſum amittit. Quid enim eſt, quod poſſides, quando auaritia te abſorbet? Ignis numquam dicit Sufficit, neque cupiditati ſatis fuit vmquam. Quare deſtructio cordis, eſt auaritia, & omnes deuorat poſſeſſiones. Stomachus exinanitus appetit, & incendio naturali membrū areſactum fameſcit. Locus euacuatus attrahit & ardorē pectus febricitantis magis ſitit.* Vnde concludens hoc epimythium ſubdit: *Igitur cupiditas, mentis eſt egeſtas, ac tantò maior, quantò fuit auidior eius flamma. Diogenes nihil extra ſeipſum cupiens, mundum ſpreuit: Alexander verò omnia poſſidens, amplius concupiſcit, quis ergo ditior; nónne qui ſpreuit? nimis enim plenus venter eructat, & tunc flumen extra diffunditur, cùm exundat. Vides igitur quòd plus cupere infelix paupertas ſit, nihil verò deſiderare opulentia ſumma ſit? Quo dicto, cum crocodili vita finiuerunt verba.*

Rurſum diues qui nihil habet, eſt opulentus, qui amplum habet dominium, ſed nullum vel paruum eius vſum & fructum, vel quia eſt minorennis & pupillus, vel quia prodigus, vel quia obærata ſunt eius prædia, ſimiliue de cauſa: pauper verò multas habens diuitias eſt, qui parum habet dominij, ſed multorum vſum, vti ſunt Religioſi *nihil habentes & omnia poſſidentes.* Sic expoſitum hoc prouerbium habet ſpeciem ænigmatis.

Quartò, alij teſte Vatablo vertunt, ſunt qui in penuria rerum omniū diuites eſſe ſciunt, ſunt qui cùm immenſis opibus abundent, ſciunt eſſe frugales & pauperes. Et ad hunc ſenſum, qui valdè appoſitus eſt, exponi poteſt verſio Vulgata. Magnæ enim prudentiæ eſt ſuo tempore oſtendere ſuas opes & liberalitatem; ac viciſſim cùm tempus exigit, ſumptibus parcere ſuamque oſtendere parſimoniam. Talis erat Paulus qui ait: *Scio & humiliari, ſcio & abundare (vbique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati,* Philip. 4. 12. Sapiens ergo ſcit vbi ſe gerat vt pauperem, vbi vt diuitem.

Quintò & genuinè q. d. Sunt qui diuites ſe ſimulant, cùm nihil habeant: ſunt vice verſâ qui ſimulant ſe pauperes cum diuitijs abundent. Hunc eſſe ſenſum liquet Primò, ex *τοῦ quaſi*, quod ſimulationem & apparentiam externam ſignificat. Secundò, quia heb. eſt מִתְעַשֵּׁר *mitaſſer*, id eſt, qui facit, fingit, ſimulat ſe diuitem, & מִתְרוֹשֵׁשׁ *mitroſeſ*, id eſt qui facit, fingit, ſimulat ſe eſſe pauperem, cùm reuera talis non ſit, ſed diues. Vtrumq; enim eſt coniugationis *hitpael*, quæ ſæpè ſignificat fingere, ſimulare, præſeferre. Tertiò, quia ita vertunt Septuag. Chald. Syrus, Theodot. paulò antè citati, & Vatabl. Pagnin. R. Leui & alij.

Significat hæc gnome non facilè hominem iudicandū ex ſpecie externa, eò quòd illa ſæpè fallat, cùm diuites appareant foris qui domi ſunt pauperes, & vice verſâ. Diuites enim ſubinde ſe gerunt vt pauperes, & pauperes vt diuites, idque vel ex ſuperbia, vel ex auaritia, vel ex prudentia, vel ex humilitate & modeſtia, aliaue virtute.

Porrò hæc gnome vniuerſalis eſt, & varijs particularibus caſibus aptari poteſt. Primò, nobilibus & auaris. q. d. Sunt nobiles, qui vt nobilitatis ſuæ dignitatem tueantur, ſimulant ſe diuites, ideoque ſplendidis veſtibus famuliſque ſtipati forinſecus incedunt, cùm domi vix habeant panem quem comedant: vice verſâ ſunt diuites qui opibus abūdant, ſed quia auari, pauperes ſe ſimulant, ne cogantur ſplendidè viuere, eleēmoſynas erogare, magna tributa pendere, &c.

Secundò, principibus & plebeijs. q. d. Sunt reges & principes, qui vidētur diuites cùm nihil habeant, imò ſint in graui ære alieno, eò quòd opes ingentes quas habent in opera reip. ac præſertim in milites & exercitus impendant: vice verſâ ſunt plebeij, qui videntur pauperes, cùm opibus abundent. Ita hodie videmus reges & principes ærariū in bellis exhaurire, vt reuera pauperes ſint: vice verſâ plebeios opibus abundare, ac proportionaliter in ſtatu & gradu ſuo meliùs habere regibus, ijſque eſſe commodiores & opulentiores.

Tertiò, ſuperbis & humilibus, & hos maximè videtur notare hic Salomon. q. d. Sunt ſuperbi qui ſe ſuaque ſplendidè iactant & oſtentant, quaſi diuites ſint, cùm reuera nihil vel parum habeant: vice verſâ ſunt humiles & modeſti, qui cùm opibus abundent, eas tamen modeſtè tegunt, vt videantur eſſe pauperes. Pari ratione idem tribuas prudentibus & imprudentibus: prudentes enim celant ſuas opes, imprudentes eas oſtentant. Vnde

Tropol. hoc prouerbium intorqueas in arrogantes, qui ſcientiam vel virtutem quam non habent, ſibi arrogant. Aut in eos qui gloriantur quaſi diuites ſint, eò quòd polleant opibus, non virtutibus. Vnde Auctor l. de 12. abuſionibus tomo 9. S. Auguſtin. *Prima*, inquit, *abuſio eſt, ſapiens ſine operibus; Secunda, ſenex ſine religione; Tertia, adoleſcens ſine obedientia; Quarta, diues ſine eleēmoſyna; Quinta, femina ſine pudicitia; Sexta dominus ſine virtute; Septima, Chriſtianus contentioſus; Octaua, pauper ſuperbus; Nona, rex iniquus; Decima, Epiſcopus negligens; Vndecima,* *Abuſiones duodecim.*

ma, plebs ſine diſciplina; Duodecima, populus ſine lege. O- A
ctauo autem, putà pauperi ſuperbo, adaptat hanc
gnomen Salomonis: *Eſt quaſi diues cùm nihil habeat,
& eſt quaſi pauper cùm in multis diuitijs ſit. Quaſi pauper
ergo,* inquit, *in multis diuitijs, eſt diues humilis ſpiritu:
& nihil habens quaſi diues eſt pauper ſuperbus mentis
affectu. Nobilis ergo inopia eſt mentis humilitas, & inepta
diuitiæ ſunt animorum enormitas.*

Rurſum Beda myſticè hanc gnomen adaptat
ijs, qui ſunt diuites opibus, ſed pauperes bonis operibus,
qualis fuit diues Epulo; ac ijs qui ſunt pauperes
opibus, ſed diuites virtutibus, qualis fuit Lazarus.
Diues, inquit, *ille ſibi videbatur, qui induebatur
purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplēdide; ſed quia
Deum non habuit, cōperit in fine nihil fuiſſe quod habuit.
Vnde dictum eſt de talibus: Dormierunt ſomnum ſuum,
& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarū in manibus ſuis.
Pauper econtrà videbatur Lazarus, qui iacebat ad ianuā
eius vlceribus plenus: ſed in multis erat diuitijs, quia* B
*virtutem habuit humilitatis, quia conditorem omnium
diuitiarum, videlicet Deum, corde geſtabat.* Mutuatus
eſt hæc Beda ex S. Aug. ſer. 212. de Tempore, vbi
fusè hanc ſententiam & ſequentem pertractat, ac
inter cetera ait: *Sunt qui ſe diuites affectant cùm ſint
pauperes, id eſt iuſti videntur cùm ſint impij, &c. iuſtos ſe
volunt videri cùm in cella conſcientiæ non habeant aurū
iuſtitiæ. Et ſunt pleni tanto humiliores, quanto ditiores,
de quibus dictum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum
eſt regnum cælorum. Lucet aurum, ſed plus lucet fides.*
Et de his paulò antè dixit: *Sunt diuites in corde,
diuites pleni fortitudine, opimi pietate, abundantes charitate:
ſecum ſunt diuites, interiores ſunt diuites.* Atque
toto ſermone docet veras opes conſiſtere in copia
non auri, ſed fidei & virtutum. Vnde poſt initium
ait: *Morbus autem diuitiarum eſt ſuperbia magna. Nam
grandis animus eſt, qui inter diuitias iſto morbo non tentatur.* C
*Maior animus diuitijs ſuis, qui eas vincit non concupiſcendo,
ſed contemnendo. Magnus eſt ergo diues, qui
non ſe ideo magnum putat, quia diues eſt. Qui autem ideo
ſe magnum putat, ſuperbus & egenus eſt. In carne crepat,
in corde mendicat, inflatus eſt, non plenus.* Et inferiùs:
*Omnes ergo diuites boni fideles. Nemo ſe contemnat, pauper
in cella, diues in conſcientia. Diues quippe in conſcientia
ſecurior dormit in terra, quàm diues in purpura. Ibi
non excitat ſollicitudo maligna compuncto corde. Serua
diuitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas Domini
tui. Immò ipſum adhibe tibi cuſtodem: ne pereat de corde
quod dedit, ſeruet ipſe qui dedit. Omnes ergo diuites boni
fideles, ſed non diuites huius mundi. Denique diuitias ſuas
nec ipſi ſentiunt, ſentient poſtea.*

Verſ. 8. REDEMPTIO ANIMÆ VIRI, DIVITIÆ SVÆ:
QVI AVTEM PAVPER EST, INCREPATIONEM
NON SVSTINET] Pro *redemptio* hebraicè eſt כּוֹפֶר
copher, quod Caiet. vertit, *pretium*, ſenſumque dat. D
q. d. Diuitiæ hominis ſunt pretium eius: tanti appretiamur
hominem, quantum eſt opulentus: vulgus
enim omnem dignitatem ponit in opibus, &
iuxta opes quemque æſtimat: vice verſâ pauper
adeò abiectus eſt viliſque pretij, vt ne quidem admittatur
ad audiendam increpationem, ſed ab oculis
& alloquio hominum velut peripſema repellatur.
Verùm *copher* propriè non ſignificat pretium,
ſed redemptionem, expiationem, ſatisfactionem.
Vnde Symmach. & Theodot. vertunt, *propitiatio*;
Septuag. *redemptio*; Syrus, *ſalus viri diuitiæ eius.* Notat
S. Hier. in Ezech. c. 18. ſignificanter dici *diuitiæ
ſuæ*; Ne, inquit, *de rapinis & vſuris, & alieno malo
quæſitum panem vertamus in miſericordiam.*

A Igitur Primò, S. Auguſt. ſerm. 212. de Temp. ſic
exponit. q. d. Diuitiæ viro addunt animos & robur,
vt obluctetur quibuſuis aduerſitatibus in ſe
incurrentibus: ab ijs enim ſuis opibus ſe poteſt liberare
& redimere: at pauper puſilli eſt animi, &
quauis acriore increpatione percellitur; quare minanti
cedit, etiam vt ſceleri eius cooperetur: *Quando
illi,* inquit, *dictum fuerit ab aliquo potente. Dic hoc
verbum contra inimicum meum, dic falſum teſtimonium,
vt eum quem volo opprimam; & donum dat. Fortè negat
dicens: Non facio, non mihi adduco peccatum. Sed tantum
negatur, donec diues minari incipiat: nam pauper non
ſuffert minas,* ſed ijs cedit & ſuccumbit. Huc accedit
expoſitio S. Hier. in c. 22. Ezech. *Pauper,* inquit,
*non ſuſtinet increpationem, id eſt iniuriam vel malum ſibi
intentatum.* q. d. Pauper facilè iniurijs opprimitur,
& damnis intentatis proſternitur, &, vt vulgò dicitur:
Qui non habet in ære, luit in pelle.

B Secundò, alij ſic exponunt, quaſi hæc dicantur
in laudem diuitiarum. q. d. Diuitiæ diuitem à quolibet
malo incurrente liberant & redimunt: at
pauper non ſuſtinet increpationem: quia ante correptionem
ilicò vt accuſatur, damnatur, iuxta illud Poëtæ:

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Tertiò, Rabbini in *Midras agada*; Pertinet hæc,
inquiunt, ad dimidium ſiclum, qui in lege pro redemptione
animæ præceptus erat, Exodi 30. 12.
qui quidem pauperi æquè ac diuiti pari erat debito
ſoluendus, ne ſcilicet pauper conuitium increpationemq;
audiret à diuite, maiorem ſe partē in
communi omnium ſacrificio habere, iactante.

Quartò & genuinè, aſſignat hic Salomon commodum
diuitiarum & commodum paupertatis;
hocq; illi præfert. q. d. Diuitiæ hoc commodi afferunt
C diuiti, quòd, ſi fortè in periculū animæ, id eſt
capitis & vitæ incidat, facilè illud excutiat, ſeq; redimat
auro, iuxta illud Eccleſ. 7. *Sicut enim protegit
ſapientia, ſic protegit pecunia.* At pauper ſæpè ob hoc
dumtaxat increpationes, accuſationes & lites euadit,
quòd pauper ſit, quòd ſcilicet nō habeat opes,
quibus accuſatores inhiant, vt eas ſua criminatione
emungant. Reddit cauſam cur ſint, qui velint
videri diuites, & viciſſim qui velint videri pauperes,
vti dixit v. præced. nimirum diuites videri volunt,
vt periculum auro redimant: pauperes, vt periculum
ſua paupertate declinent & effugiant. Ita
Aben Ezra, Ianſenius, Vatabl. & alij. Hunc ſenſum
exigunt Hebræa quæ habent, *& pauper audit*; Syrus,
non recipit increpationem.

Audi S. Chryſoſt. in Catena Græc. *Quid dicis?
quid facis? cur pecunias vſque adeò extollis? Non quaſuis
pecunias, vel opes, eam vim habere dixit: ſed proprias, hoc
D eſt, iuſtis laboribus partas, non vi aut fraude raptas: hæ
enim non ſunt propriæ. Mendicus autem non ſuſtinet
minas. Numquid res mala eſt paupertas? an hoc forſan,
quod mox ſequitur, dicere voluit? Ecce egeſtas res vſque adeò
ſecura & tuta eſt, vt ne minari quidem ſpoliationem
quis pauperi valeat, nedum ſpoliare: illum enim qui nihil
omnino habet, quomodo quis exterrere queat? Huiuſmodi
enim vita, quod ad curas attinet, eſt prorſus ſecura & otioſa.
Poſſunt hæc ad ſuppliciorum quoq; metum referri: qui
enim aduerſâ fortunâ premuntur, ſuppliciorum interminationem
non formidant.* Huc facit illud Theodoret.
orat. 7. de Prouidentia: *Pauper non metuit ſtrepitum
fori, nec præconis vocē reformidat, nec iudicis torno vultu
& oculis ignem ſpirantibus terretur.* Et illud Poëtæ:

Sic reus ille ferè eſt, de quo victoria lucro.

Eſſe

Eſſe poteſt; inopis vindice facta carent.
Et illud:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Ita S. Hilarion. teſte S. Hier. in eius Vita, circumuentus à latronibus, ab eiſq; rogatus: *Quid*, inquiunt, *faceres, ſi latrones ad te venirent?* reſpondit: *Nudus latrones non timet.* Et illi: *Certè*, aiunt, *occidi potes. Poſſum*, inquit, *poſſum: & ideo latrones non timeo; quia mori paratus ſum.* Et S. Franciſcus à ſimilibus interrogatus quis eſſet? intrepidè reſpondit: *Præco ſum magni Dei.* Et S. Martinus captus à prædonibus aſſeruit, ſe nihil omnino metuere. *Scio enim*, inquit, *Deum in maioribus periculis magis eſſe præſtò, magiſq; opitulari confidentibus in ſe.* Ita Seuerus in eius Vita.

Myſticè. *Redemptio animæ viri ſunt diuitiæ eius*, id eſt diuitiæ propriæ, ideoq; non temporales: hæ enim ſunt alienæ & peregrinæ, non propriæ & domeſticæ; ſed ſpiritales, putà virtutes, de quibus ait S. Paulus: *Quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & ſcientia.* 1. Corinth. 1. 5. Ita S. Hier. epiſt. ad Lucinum: *Poſſumus quidem diuitias*, inquit, *intelligere quæ non de alieno, non de rapinis ſunt, iuxta illud: Honora Dñ̃ de tuis laboribus: ſed melior eſt intelligentia, vt proprias diuitias cognoſcamus theſauros* (virtutum & bonorum operum) *in cælo repoſitos, quos nec fur poſſit ſuffodere, nec latro violentus eripere.* Et Beda: *Quid autem veræ diuitiæ valeant, quid vera paupertas agat, ſubdendo manifeſtat: Redemptio animæ viri diuitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem nõ ſuſtinet. Qui ergo animam ſuã vult redimi à futura ira, congreget diuitias operum bonorũ. Qui enim eget huiuſmodi diuitijs, increpationem diſtricti iudicis ſuſtinere non valet, de qua Pſalmiſta poſtulat, dicens: Domine ne in ira tua arguas me; neque in furore tuo corripias me. Alioquin pauperes non ibi increpantur à Domino, ſed benedictionem æternæ hæreditatis percipiunt.*

Porrò præ ceteris operibus, eleëmoſynæ ſunt animæ redemptio. Vnde S. Chryſoſt. *Diues*, inquit, *in periculum animæ ſuæ recipit opes: quapropter cùm illas recondit, animæ ſuæ iacturam facit; cùm autem largitur egenis, animam ſuam liberat. Quia redemptio animæ propriæ diuitiæ.* Denique S. Hieron. in c. 2. ad Galat. *Pauper*, inquit, *non ſuſtinet comminationem. Non enim poteſt futurarum pœnarũ audire terrorem pauper in fide, pauper in gratia, non habens diuitias ſpirituales, &c.* Et S. Ambr. in Annot. Exodi c. 30. ad Iuſtum: *Eſt*, inquit, *redemptio animæ miſericordia. Redemptio enim animæ hominis diuitiæ eius ſunt, quibus vtique fit miſericordia, quæ ſumptu pauperes iuuat. Fides igitur gratia, gratia miſericordia, miſericordia redemptio eſt animæ, quæ drachma, hoc eſt integro pretio ſumma plenioris expenditur.* Hinc & illud Danielis conſilium datum Nabuchonoſori c. 4. *Peccata tua eleẽmoſynis redime.* Idẽ S. Ambr. l. 3. epiſt. 25. ad Eccleſiam Vercellenſem: *Redemptio animæ viri*, inquit, *diuitiæ eius, quoniam qui pauperi donat, redemit animam ſuam.*

Verſ. 9 LVX IVSTORVM LÆTIFICAT: LVCERNA AVTEM IMPIORVM EXTINGVETVR] Septuag. *lux iuſtis ſemper, lux autem impiorum extinguetur*; Chald. *lux iuſtorum exultabit*, id eſt exultare faciet tam ipſos quàm alios. Hebr. eſt יִשְׂמָח *iſmach* in *cal*, id eſt *lætabitur*, id eſt lætari faciet. Ponitur enim *iſmach* pro יְשַׂמַּח *ieſammach* in *piel*; & ſic fortè legit Noſter: eædem enim vtrobique ſunt litteræ mutatis duntaxat punctis.

Lux iuſti quæ? Reſp. Primò. Quæres, quænam hæc *lux*? Primò, Aben Ezra & Pagnin. accipiunt animã iuſti, quæ lux dicitur: quia ſapientia lucet & prælucet alijs. Vnde Pagnin. vertit, *anima iuſtorum quæ eſt velut lux lætabitur: anima impiorum, quæ eſt velut lucerna, extinguetur.* Nam anima iuſti ſimilis eſt luci ſolis exorientis, quę permanet, imò creſcit: impij vero lucernæ, quæ lucis firmitate caret & abſumitur, ait Aben Ezra.

Secundò, Vatabl. *Lux*, inquit, eſt intelligentia, de qua Chriſtus Ioan. 8. *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*: intelligentia autem impij extinguetur, iuxta illud Lucæ 8. *Quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo.* Iuſti enim lumen rationis & fidei, illud excolendo ac iuſtè viuendo, adaugent: at impij illud iniuſtè viuendo ſenſim imminuunt & extinguunt, iuxta illud S. Ambr. l. 1. de Abraham: *Lumen illud quod homini à Deo cum mente inditum fuit, ſuperbiæ flatus & voluptatis humor ſopit.*

Tertiò, *lux* ſymbolum eſt lætitiæ: ſol enim ſuâ luce exhilarat vniuerſos. Sic ſenſus erit: Vt ſol exortus ſuo lumine mundum exhilarat, ſic iuſtorum animi vultuſque hilares triſtitias huius mundi & moleſtias facilè diſcutiunt. q.d. Mens ſerena lætaque iuſtorum alios lætos efficiet; aut in ſuo lumine & pura conſcientia vnuſquiſque iuſtorum lætus erit: improborum verò lucerna, id eſt lætitia & gaudium vanum eſt & fallax, ideoq; citò occidit & euaneſcit. Ita auctor Catenæ Græc.

Quartò, *lux* ſymbolum eſt proſperitatis & felicitatis, ſicut tenebræ aduerſitatis & infelicitatis. q.d. Felicitas iuſtorum ſolida eſt & perdurat, quia fundata in iuſtitia, ideoque ſolidam liquidamque tam ſibi quàm alijs affert lætitiam: at lucerna, id eſt modica & breuis impiorum felicitas, ocyùs extinguitur & deperit, præſertim dum more ſuo eam oſtentant, itaque inuidiam & æmulationem ſibi concitant: inuidi enim & æmuli eam ſæpè extinguunt. Ita Lyran. Baynus, Salazar & alij. Hic ſenſus valdè appoſitus eſt.

Quintò, *lux* ſymbolum eſt famæ, claritatis & gloriæ. q.d. Fama & gloria piorum ſimilis eſt amplæ luci, quæ omnes illuſtrat, exhilarat, lætificat: at lucerna, id eſt breuis & exigua fama, impiorum illicò extinguitur, ideoque ſolidam claritatem & lætitiam afferre nequit.

Sextò, & ſublimiùs, *lux* ſymbolum eſt doctrinæ, iuſtitiæ, virtutis, gratiæ, quæ eſt lux cæleſtis & diuina, de qua Chriſtus Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* q.d. Iuſti ſuâ ſplendidâ doctrinâ & glorioſâ vitâ, ac præſertim ſuâ beneficentiâ & eleëmoſynis tam ſpiritalibus quàm corporalibus illuminant & lætificant cunctos. Vnde à Chriſto vocantur *lux mundi*, Matt. 5. At lucerna, id eſt modica doctrina, virtus & gloria impiorum, quæ in nocte huius vitę & ſęculi fulgere videtur, ſępè in ea, ſemper poſt eam, ſiue eâ tranſactâ, extinguetur, ac oriente die æternitatis gloriaq; cæleſti, velut ſtellæ oriente ſole occidet & euaneſcet. Alludit ad Iob 18. v. 5. *Nónne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flãma ignis eius? lux obtenebreſcet in tabernaculo eius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur.* Hunc ſenſum innuunt Septuag. dum poſt hunc verſum explicationis gratia ſubijciunt hũc, qui nõ eſt in Hebręo: *Animæ doloſæ errant in peccatis: iuſti autem miſerantur & miſerentur*, quem noſter ponit inferiùs & annectit verſui 13. ita anonymus in Catena Græc.

Nota. Sapientia, virtus, dignitas, lætitia & felicitas iuſtorum comparatur אור *or*, id eſt luci amplæ, qualis eſt ſolaris: quia ſolida eſt, ingens, iugis, ſtabilis,

ſtabilis & per omnes orbis partes ſeſe diffundit iuxta illud Prouerb. 4. 18. *Iuſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectã diem.* Vide ibi dicta. Talis fuit Chriſti, qui fuit ſol vniuerſi, de quo pſal. 18. 7. *Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Vnde Aben Ezra: *Lux iuſtorum*, ait, *ſimilis eſt lumini venturi ſæculi* (imò illud inchoat, & in illud deſinit, iuxta illud pſ. 35. 10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo*, putà in lumine gloriæ, *videbimus lumen*) aut ſalutis ſplendori, iuxta illud Iſaiæ 9. 2. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Deniq; *or* iuſtorum & אור *ur*, id eſt ignis, putà claritas & zelus, quo alios amore Dei inflammant. At verò ſapientia, virtus, lætitia & proſperitas impiorum comparatur lucernæ: quia inſtabilis eſt, modica, breuis, frigida, euanida, ac minimo aduerſitatis reflante vento extinguitur. A B

Nota Secundò antitheſin: nam τὸ *lætificat* per metalepſin opponitur τῷ *extinguitur*: lux enim iuſtorum, quia ſolidè perdurat, creſcit & augeſcit; hinc lætificat ipſos, & ceteros: lucerna verò impiorum, quia ilicò minuitur & extinguitur, hinc ſolidam lætitiã afferre nequit, ſed vmbraticam & fucatam, quæ euaneſcens in maiorem deinde luctũ & mœrorem deſinit & terminatur. Talis eſt lux, id eſt doctrina & ſplendor hæreticorum, hypocritarum, fraudulentorum, mendacium, &c. quæ detectà hæreſi, hypocriſi, fraude, mendacio ilicò euaneſcit. Rurſum lux iuſtorum *lætificat*, vel, vt heb. eſt *Lætatur*, id eſt læta eſt, ampla, clara; quia indies intenditur & magis clareſcit: lucerna verò impiorum quaſi mœſta langueſcit, & inſtar lucernæ deficiẽte oleo emoritur & extinguitur. Vnde noſter Salazar *Lux*, inquit, *iuſtorum lætificat*, id eſt augetur: lucerna verò impiorũ decreſcit & extinguitur: ſic *læta* ſeges vocatur magna, aucta & ampla. Sic Hebræi palmum magnum vocant palmum שוחק *ſhothec*, id eſt ridentem & lætum; palmum verò paruum vocant palmum עצב *atſeb* id eſt triſtem & mœſtũ. Sic c. 10. 1. dicitur: *Filius ſapiens lætificat patrem: lætificat*, id eſt, magnificat & magnum reddit. Lætitia enim rebus dat incrementum & vitam: mœſtitia verò decrementum & interitum. C

Moraliter noſter Aluarez de Paz l. 3. de Perfect. par. 2. c. 14. Lux, id eſt vita, inquit, & conuerſatio iuſtorum lætificat Deum, angelos & homines: Deum, cui illi puriſſimum honorem exhibẽt: angelos, quorum ſe diſcipulos & imitatores oſtendunt: homines, quos vitæ ſanctitatem & bonorum operum perfectionem docent. D Si viri perfecti orent, tanto ſpiritus feruore, tantà reuerentià & timore, tantà fiducià & amore orant, vt non tam homines fragiles, quàm terreſtres quidam angeli videantur. Si cogente neceſſitate aut charitate loquantur, tantà circumſpectione & modeſtià loquuntur, vt nihil otioſum, nihil mœſtum, nihil durum audientibus ex ore ſuo prodire permittant. Si corpus cibo & potu ſuſtentent, tantam abſtinentiam & ſobrietatem retinent, tantà diſtrictione appetitum cohibent, vt ſcientes ne in modico quidẽ excedant temperantiæ menſuram. Si quid aliud agant, ſic agunt vt bonæ ac perfectæ actionis circumſtantias non deſerant. Sunt enim veluti artifices virtutis periti ſſimi, & pictores ſapientiſſimi, qui ex ſuis manibus nullum opus impoſitum aut minùs decorum abire concedunt. Thomas enim Aquinas explicans qua ratione Deus omnia benè faciat, his penè verbis nos ad eius imitationem exhortatur: Similiter & nos diligentiam apponere debemus, vt ſingula opera noſtra, quantum vmquam meliùs poſſumus, faciamus ex omni virtute Domini Ieſu Chriſti, & cum omni deſiderio triumphantis & militantis Eccleſiæ, & ſub nomine Creatoris, quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & vniuerſitatis vtilitas ex vno opere dependeat, quaſi numquam ad id opus reuerſuri, neque opus aliud poſtmodum incepturi. Hæc ille.

Nota ad praxim.

INTER SVPERBOS SEMPER IVRGIA SVNT: QVI AVTEM AGVNT OMNIA CVM CONSILIO REGVNTVR SAPIENTIA.] Hebr. *tantùm in ſuperbia dabit* (ſuperbus) *litem: & cum conſultis ſapientia*; Septuag. *malus cum contumelia agit mala: qui autem ſunt ipſorum cognitores* (videntur legiſſe יודעים *iodeim*, id eſt cognitores, cùm Noſter & alij legant, נועצים *noatſim*, id eſt conſulti vel conſiliarij) *ſapientes.* Septuag. de more ſequitur Syrus, *vir improbus*, inquit, *cum contumelia malum operatur*; Aquila, Symmach. & Theodot. quos ſequitur Lucifer Calar. Apolog. pro S. Athanaſ. & S. Hier. contra Ruffin. *malus in ſuperbia dabit pugnam*; pergit Theodot. *& in ijs qui conſilium adhibent, ſapientia*; Chald. *attamen in ſuperbia venit contentio; & hi qui conſilium ineunt, ſapientes ſunt*; Tigur. *arrogans temeritas nihil quàm rixas excitat: at cum conſultis ſapientia*, id eſt, vt Vatabl. *peccare eſt ſuperbo excitare litem*, &c. Verſus 10.

Senſus eſt. q. d. Superbia facit vt ſuperbi iugiter litigent & rixentur: facit enim vt quiſque alium anteire, & præ eo ſapere ac honorari velit: quare in concilio ſuperbus vult ſuam ſententiam ceterorum omnium iudicio præferri, nec vlli etiam ſapientiori cedere ſuſtinet; hinc lites & iurgia. At verò *qui ſui ipſius cognitor*, vt vertunt Septuag. id eſt, ſuæ infirmitatis & ignorantiæ conſcius eſt, libenter audit aliorum conſilia, eaque ſuis antepoṅit, & ijs acquieſcit: quare nulla habet iurgia, nullas diſcordias, ſed pacem cum omnibus, ac prudenter & feliciter res gerit, ideoq; ſapiens eſt. Hinc videmus inter hæreticos tot eſſe iurgia, tot ſectas quot capita. Audi S. Aug. de paſtoribus in c. 34. Ezech. c. 10. *Alia ſecta*, inquit, *in Africa, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia verbi gratia: diuerſis locis ſunt diuerſæ: ſed vna mater ſuperbia omnes genuit, nec mirum ſi ſuperbia parit diſſenſionem: hæc enim eius germana ſoboles eſt.* Idem epiſt. 120. ad Honoratum explicans illud pſ. 21. *Et à cornibus vnicornium humilitatem meam: In vnicornibus*, inquit, *ſuperbi intelliguntur: quia ſuperbia odit omne conſortium.*

Antitheſis rurſum hîc eſt obſcura, clara eſſet ſi dixiſſet: *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia: inter humiles autem ſemper viget concordia & pax*; ſed more ſuo per metalepſin & metonymiam docere voluit, humilitatis comitem & effectum eſſe auditum & ſequelam conſilij, æquè ac concordiæ & pacis ſapientiam. Ideo enim inter ſuperbos ſunt iurgia, quia nolunt audire & ſequi ſana aliorum conſilia, ac vtraque de cauſa inſipientes ſunt: inſipientium enim eſt iurgari, æquè ac ſequi ſuperbum & inſipiens cerebrum proprium. E contrario inter humiles conſtat pax, quia hi libenter aliorum audiunt & ſequuntur iudicia, ac vtraque de cauſa ſapientes ſunt. Vera enim ſapientia eſt humilitas, ſuiq; cognitio & demiſſio. Vnde illud ſapientiſſimum Apollinis Delphici oraculum: γνῶθι σεαυτόν, id eſt *noſce teipſum*. Hinc rurſum vera ſapientia eſt,

non,

non niſi ſuo iudicio, ſed agere omnia cum ſapientum conſilio. Superbia ergo cauſa eſt iurgiorum, diſſenſionum, ſchiſmatum, hæreſum, litium, bellorum: humilitas verò cauſa eſt & mater concordiæ, pacis, vnionis, charitatis. Hoc ſignificant Hebræa, quæ habent, *verè*, vel *tantùm ſuperbia* (ſuperbus) *dabit litem: in ſuperbia*, id eſt, propter ſuperbiam: nam ob ſolam ſuperbiam & faſtum diſſenſio & rixa oritur, ait R. Salomon: cum ijs autem qui conſultò agunt ſapientia eſt: quia hæc in conſilio habitare ſe profitetur, Prou. 8. 12. *Ego ſapientia*, inquit, *habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus*. Sic & Aben Ezra: *Significat*, inquit, *à faſtu lites oriri: qui autem conſilium ineunt, ne ſuperbe ſe gerant, cum ijs ſapientiam eſſe*. Exempla ſunt in bellis ciuilibus Romanorum & Græcorum, quæ ab ambitione ortum duxerunt: qualia fuere Syllæ & Marij, Cæſaris & Pompeij, Auguſti & Antonij, Antiochorum & Seleucorum in poſteros continuâ ſerie propagata per 150. & ampliùs annos.

Verſ.11. SVBSTANTIA FESTINATA MINVETVR: QVÆ AVTEM PAVLATIM COLLIGITVR MANV, MVLTIPLICABITVR] Hebr. *diuitiæ ex vanitate minuentur, ſed colligens per manum augebit*, ſupple diuitias ſuas. Vnde Primò, R. Leui ſic exponit: diuitiæ quæ ex rebus vanis congeruntur, valdè minuentur: quia ſcilicet rés vanæ & fragiles, facilè franguntur & euaneſcunt. Vidi Louanij quemdam, qui opes ſuas ex pendebat in ſcyphis vaſiſque vitreis conflandis, vt ea alibi carò diuenderet, cumque ijs currum oneraſſet, is in itinere alliſus ad ſcopulum euerſuſque, omnia vitra ad ſaxa alliſit & confregit: ita ex diuite repentè factus eſt pauper.

Secundò, Caiet. τὸ *ex vanitate* refert ad *minuetur*, non ad *ſubſtantia*. q. d. Subſtantia quæ in res vanas expenditur, ex hac vanitate minuetur: quia ſcilicet herus vacat ſympoſijs, côuiuijs, ſplendidis veſtibus, equis, famulis, rhedis, cæteriſq; vanitatibus: at colligens per manum, id eſt qui opes ſuas aſſeruat, & manu laborãdo multiplicat, is augebit eas.

Tertiò, alij q. d. Subſtantia ex vanitate, id eſt quæ obiter & perfunctoriè colligitur, minuetur. Ita R. Salomon: Qui ſtudia ſua, inquit, congeſtim & deſultoriè agit, minuetur, hoc eſt ea paulatim obliuioni tradet.

Quartò, idem Caiet. & ex eo noſter Salazar: *Subſtantia*, inquit, *ex vanitate minuetur*; Symmach. *ex vacuitate*, id eſt quæ nullo labore aut induſtria conſtitit poſſeſſori ſuo: quia illam vel à maioribus accepit, vel ſubitâ aliquâ fortunâ nactus eſt. Et quidem hanc (ex mea ſententia) noſter Interpres vocauit *feſtinatam*, acceleratam, vel ſubitam *ſubſtantiam*, quam ſine induſtria ſua aut labore quis ſubitò percepit. Hæc igitur imminuetur: quia opes illas quas quis ſine labore obtinuit, minoris æſtimat atque adeò temerè profundit. Quæ autem paulatim manu colligitur, multiplicabitur: illa videlicet ſubſtantia, quæ longo tempore manu, id eſt, labore & propriâ induſtriâ, conquiritur, haud temerè expenditur: quin potiùs in dies amplificatur. Nam qui illam eo modo acquiſiuit, maximi quidem habet: atque adeò parcè inſumit, & cumulatiùs quotidie augere curat. Huc facit illud Threuiri: *Aër*, inquit, *qui ſummo manè præcociter eleuat nebulam & nubes, ferè affatim à prandio pluuiam mittit: ſic non ſolent retinere filij, quod congeſſerunt patres auarè*: nimirum decoquunt & profundunt patrimonia auarè à patribus congeſta.

Quintò, & genuinè, *ſubſtantia ex vanitate*, id eſt vanis prauiſque modis artibuſque, vt per magiam, vſuram, rapinam, fraudes, &c. acquiſita, minuetur: quia Deo vindice, ab iniuſto & violẽto poſſeſſore auolabit ad alium, vel iuſtum, vel minùs iniuſtum: quæ autem *per manum*, id eſt iuſto, ſtrenuo & cõtinuo manuum labore colligitur, multiplicabitur. Noſter vertit *feſtinata*, id eſt feſtinanter acquiſita: quia quæ ſic acquiritur, ferè illicitis modis per fas & nefas corraditur. Adde, videtur Noſter pro מֵהֶבֶל *mehebel*, id eſt *ex vanitate*, legiſſe מְבֹהָל *mebohal*, id eſt *feſtinata*, per metatheſin. Sic & Sept. qui tamen vtrumq; legiſſe videntur, nimirum eleganti paronomaſia hoc modo: הוֹן מֵהֶבֶל מְבֹהָל *hon mehebel mebohal*, id eſt, vt ipſi vertũt, *ſubſtantia* ἐπισπουδαζομένη μετ' ἀνομίας, id eſt *feſtinata cum iniquitate, minor fit: congregans autẽ cum pietate implebitur*. Addunt Sept. *Iuſtus miſeretur & commodat*; & Chaldæus, *opulentia iniquitate* (Syrus *ex iniquitate*) *poſſeſſoris acquiſita minuetur, & qui cõgregat & dat pauperi* (Syrus, *quæ autem iuſtè congeritur*) *multiplicabitur*. Accedit quòd τὸ *mebohal* non *mehebel* habeatur c. 20. 21. vbi penè eadem eſt ſententia: *Hereditas*, inquit, *ad quam feſtinatur* (hebr. *meboheles*) *in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*. Ita explicat Aben Ezra, auctor Catenæ Græc. Lyran. Ianſen. & alij. Aſtipulantur Philoſophi. Menander:

Numquam vir æquus, diues euaſit citò.

Huc reſpexit ille qui Syllæ iactanti ſeſe dixit: *Quomodo vir bonus eſſe potes qui tantas poſſideas opes, cum à patre nihil tibi ſit relictum?* ita Plutarch. in vita Syllæ. Gnome eſt Quintiliani l. 10. c. 3. *Nihil rerum ipſam naturam voluiſſe magnum citò effici, præpoſuiſſeq; pulcherrimo cuique operi difficultatem: quæ naſcendi hanc quoque fecerit legem, vt maiora animalia diutiùs viſceribus parentum continerentur.*

Porrò cauſa cur opes citò collectæ, citò diffluant: ſenſim autem cõgregatæ, perdurent, Prima eſt ea quam iam dixi, ſcilicet quòd opes citò collectæ ſæpè partæ ſint per vſuram, rapinam, fraudẽ, aliaue ſcelera. Malè autem parta malè dilabuntur. *Cur opes citò partæ citò diffluant? Cauſa Prima.*

Secunda, quòd opes quæ citò colligũtur, colliguntur præcipitanter & temerariè ſine conſideratione & prudentia. Vnde Hebr. *mebohal* ſignificat feſtinationẽ cum præcipitantia & temeritate: quæ autem temerè & imprudenter corraduntur, facilè alicui vectigali, tributo, hypothecæ, obligationi, alteriue oneri aut vitio ſunt obnoxia, quod poſtea cùm deprehenditur, opes ipſas imminuit vel aufert. Ruſum præcipitantia hæc facit, vt opes collectæ non ſatis prudenter firmentur & conſeruẽtur: quocirca facilè vel ab homine, vel a caſu aliquo eripiuntur aut ſubuertuntur. Qui autem ſenſim opes congregat, is prudenter id facit, ideoque eas ſibi firmas ſtabileſque efficit. *Secunda.*

Tertia, quòd opes citò facileq; collectæ largè & liberaliter expendãtur, imò prodigantur: qui verò opes ſenſim cũ labore parat, is eas parcè expendit, ac quotidie eis aliquid adijcere & accumulare ſatagit. Deniq; tritum eſt illud: *Quod citò fit, citò perit*. *Tertia.*

Porrò hæc gnome locum habet in opibus nõ tantùm tẽporalibus, ſed & ſpiritualibus. Sic enim videmus eos, qui feſtinatò ſatagũt euadere docti, ideoq; ſimul ſtudent Grammaticæ, Rhetoricæ, & Philoſophiæ (quod S. P. N. Ignatio initio conuerſionis ſuæ contigit) nihil vel parum proficere, tempuſque perdere. Rurſum videmus eos qui citò in virtute perfecti euadere volunt per immodicũ

feruorem, eam non aſſequi: quia feruor ille citò deferueſcit: vnde tales quod ſubitò amplexi ſunt; ſubitò derelinquunt. E cõtrario virtus & ſcientia, quæ moderato & continuato ſtudio, per humilitatem & exercitia ſcholaſtica ſenſim acquiritur, creſcit & perdurat. Vnde Græcum Ὕπαρξις ἀπὸ ματαιότητος ἐλαττωθήσεται aliqui vertunt *ſubſtantia eſſeruescens minuetur.* Nam vt aptè ait Plutarch. in Moral. præpropera & tumultuaria iſta opum, ſcientiarum & virtutum augmenta ſimilia ſunt lacti vel aquæ per ignem efferueſcenti & ebullienti, cuius maior pars in ſpumas & vapores abit, ac per cacabi labra dilabitur; reliquum mox, vt ab igne deponitur, ſubſidit, ac imminutum conſumptumque apparet: ſicut ergo lac præ ceteris liquoribus feruore attollitur, & eodem feruore conſumitur deprimiturque: ſic prorſus intempeſtiui Nouitiorũ feruores ipſos extollunt, ſed & debilitant ac conſumunt vires tam animi, quàm capitis & corporis, itaq; in maiorem animi deiectionem deprimunt & proſternunt: quo fit vt ſubitò tam fiant languidi & torpidi, quam paulò antè fuerant vegeti & feruidi.

Huius feruoris intempeſtiui typus & ſymbolũ eſt aſinus Mauruſius, cui, vt ſcribit Ælianus l. 14. de Animal. c. 10. initio curſus eſt velociſſimus: volare eum, non currere diceres; ſed hic feruor ilicò intepeſcit, & in maximam tarditatem degenerat celeritas. Simili modo in ardentibus principia ſæpè feruent, tepent media, vltima frigent: quo fit, vt qui ita ſe gerunt, numquam ad ſolidam ſapientiam & virtutem perueniant, cui perſeuerantia opus eſt vel maximè. Cauſam dat Lucretius lib. 4. Rerum natur. dicens:

Nam leniter quamuis quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen atque labaſcit.
Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Hinc illud tritum. *Feſtina lentè:* cuius ſymbolum eſt delphinus anchoræ implicatus, quod Auguſto & Tito Impp. pro inſigni fuit. Huc facit illud Accij in Chryſippo:

Minus pigraſſe quàm properaſſe eſt nefas.

Rurſum præmaturi incrementi ſymbolum eſt ſalix arbor, ita dicta, quòd eà celeritate in ramos & frondes accreſcat, vt ſalire videatur, ait Verrius (eſto Feſtus Pompeius aliud ſalici det etymon) ſed mox eâdem celeritate ſalix in autumno defrondeſcit, & rami amputantur. Ita Pierius hierog. 52. cap. 29.

Eiuſdem ſymbolum eſt cucurbita pinum complexa cum hoc lemmate: *Citò nata citò pereunt.* Et aquila inſiſtens teſtudini, de qua Poëta:

Et tardus nimis, & præceps nimis eſſe caueto.
Ille ſapit, medium qui inter vtrumque tenet.

Audi Thucydidem: *Duo ſunt aduerſiſſima rectæ menti, ira & celeritas.* Audi & Comicum:

Clariùs quo fulſit ignis, citiùs hoc extinguitur.
Eſſe non poteſt celebre, quod celeriter naſcitur.
Fructus eſſe idem diuturnus ac præcox nequit.
Non ferunt ætatem, adepta quæ ſtatim ſunt exitum.
Aliud celeritas, aliud eſt maturitas.
Natura magnum nil voluit fieri citò.
Cæcos parit catellos feſtinans canis.
Factum ſat is citò eſt, quod factum eſt bene.
Fortuna quem raptim effert, raptim deſtruit.
Obliuioſa, nec ſat ſui compos eſt feſtinatio.
Qui magis es feſtinus, hoc rem tardiùs perficis.

Præclarè Tacitus libr. 3. Annal. c. 66. *Feſtinatio*

A *multos bonos peſſumdedit, qui ſpretis, quæ tarda cum ſecuritate, præmatura vel cum exitio properant.* Huc facit apologus cucurbitæ citò, & oleæ tardè creſcentis. Olea enim mirabatur iuxta ſe natam breui tantum creuiſſe, vt ſe eſſet longè altior, quæ annos plures in eodem fuerat loco. Sed cùm aduentante hieme cucurbita exaruiſſet. *Minimè, inquit, olea citò creſcentibus eſt inuidendum, quibus tam cito paratus eſt interitus.* Apologus hic ſignificat nimis feſtinata non eſſe diuturna.

Similis cucurbitæ & palmæ apologus extat apud Cyrillum l. 3. Apolog. moral. c. 14. *Orta,* inquit, *cucurbita iuxta palmam, radicem habens minimè firmam, paucis diebus in altum elata, & antiquiſſimæ palmæ velocioribus incrementis adæquata, propoſuit dicens: Palma ſoror quantum temporis habes? cui illa: Centum vitæ annos. Tunc cucurbita magis maturè ſe creuiſſe* B *gaudens, grata naturæ dixit: Gratias tibi, quia pro anno mihi diem dediſti; nam quod palmæ annus, hoc mihi dies dedit. Mox ei palma, vt ſuperbiam eius deijceret, ita fertur dixiſſe: Rectè es cucurbita, cùm curuatum iudicium habeas. Nam ſi ſani ſentires, attenderes, quòd regularitate mirabili natura cuncta diſponens, iuxta modos augmentationis, menſuret periodos durationis.* Probat id ratione à priori, quam exemplo piſcis hemerobij, elephanti & torrentis confirmat: *Etenim quod maturè creſcit, citò decreſcit; & paulatim auctum, in longum eſt duratiuum. Hemerobius piſcis repentinis augmentis excreſcens, eo die, quo oritur, moritur: & elephas trecentenarium pertingit ad terminum, quia feſtinum nõ habuit incrementum. Torrens rapidus citò conſumitur ſed tardus paſſu moderaminis amplius antiquatur. Melius eſt ergo paulatim creſcere, & diutiſſimè viuere, quàm celeriùs ſuperireſcere, & quantociùs ariditate finiri.* Vnde ſeram C cucurbitæ pœnitentiam ſubijcit dicens: *Quibus nõ ſine tribulatione auditis, ſuſpirans cucurbita dixit: Quis te hoc docuit? cui illa: Tarditatis certè meæ antiquitas; nam in antiquis eſt ſapientia. Tunc illa mæſtitiâ abdità ſuboriente, eidem ſcientialibus in præiudicium ſuum, & commodum aliorum, erudita cucurbita cum lacrymis exclamauit, & dixit: O nimiùm infelicem rapacitatem cupidinis, ac violentæ radicis! O feliciſſimam moderantiam æquitatis! Quæ enim citò vorat violenta rapacitas, poſt modicum effunduntur; ſed quæ paulatim acquirit æquitas, numquam deficiunt; quia in ſempiternum manet iuſtitia fundamentum. Quibus dictis, conticuit.*

SPES, QVÆ DIFFERTVR, AFFLIGIT ANIMAM (Hebr. *ſpes protracta eſt languor, infirmitas,* vel *ægritudo cordis:*) LIGNVM VITÆ, DESIDERIVM VENI- D ENS] Primò, Baynus cenſet hic ſpem bonorum temporalium componi & opponi ſpei bonorum ſpiritalium & æternorum, quòd prior caduca ac vana ſemper differatur, & numquam veniat, itaque ſperantes deludat & cruciet. Poſterior verò ſtabilis & vera ilicò veniat: tum quia bona æterna quæ ſperamus, per certam ſpem quaſi manu tenentur; tum quia per rem breui manu tenenda & poſſidenda obuenient: quare hæc ſpes inſtar ligni vitæ animam paſcit & oblectat. Vnde S. Gregor. *Spes,* inquit, *in æternitatem animum erigit: idcirca nulla mala exteriùs, quæ tolerat, ſentit.* Et Origen. hom. 9 in Exod. *Futurorum ſpes laborantibus requiem & ſolatium parit, ſicut in agone poſitis dolorem vulnerum mitigat ſpes coronæ.* Id multis exemplis oſtendit Apoſtolus ad Hebræos toto c. 11. vti ibidẽ oſtendi. Dei ergo promiſſa, æquè ac dona, ſunt aurea & gemmea: ex aduerſo mundi promiſſa ſunt aurea, ſpes verò & res vitreæ: gemmam enim

Apologus citarum quam.

Exempla.

Verſ. 12.

enim pollicetur mundus, cùm vix præſtet cryſtallum.

Secundò, Septuag. Complut. hunc verſum ſic efferunt: *Iuſtus miſeretur, & commodat: bonum autem vel honeſtum, deſiderium eſt arbor vitæ:* quia ſicut ex arbore vitę naſcebantur fructus optimi, qui vitam longæuam homini prorogabant: ſic ex bono deſiderio naſcuntur opera bona, quibus iuſtus miſerendo & commodando alijs vitam impertit. Verùm Septuag. Romani ſic habent. *Melior eſt qui incipit auxiliari corde, illo qui promittit & in ſpem adducit: arbor vitæ deſiderium bonum;* & Syrus, *melior eſt qui iuuare incipit, quàm qui ſpem ſuſpendit;* & Chald. *melior eſt qui proijcit ſarculum ſuum, illo qui pendet in ſpe.* Sed arbitror, inquit Giggeius, eſſe errorem, ac pro דִּמְשַׁדֵּי *demiſde*, id eſt qui proijcit, legendum eſſe דִּמְשָׁרֵי *demiſre*, id eſt qui incipit. Vnde ſic vertas, *melior eſt incipiens* (auxiliari, vt vertunt Septuag. & Syrus) *illo qui pendet in ſpe.* Quare ex illis verſionem Vulgatam ſic explicat noſter Salazar: *Melior eſt qui incipit auxiliari corde*, id eſt, longè gratior accidet ille, qui ilicò & actutum ex corde incipit benefacere, & auxilia proximo impendere, quàm ille qui magna promittens longa ſpe torquet animum accipientis. Addit autem. *Arbor vitæ deſiderium veniens:* id eſt, res optata, non quidem dilata, ſed in manus optantis citò veniens, arbori vitæ aſſimilis eſt. Huc facit illud: *Qui citò dat, bis dat.* Et, *Beneficium inopi duplicat, qui confert celeriter.* Auctor verò Catenæ Græc. ſic clarè Septuag. vertit & explicat: *Melior eſt qui ex corde & reipſa iuuat, iuuareq́; incipit, quàm qui ſe adiuturum promittit, & in auxilij ſpem erigit. Pulchrũ eſt maturè virtutem auſpicari, neque de die in diem expectando ſpe vana Deum hominesq́; lactare. Qui enim ſperat cras ſe exordium facturum, quid craſtina lux adductura ſit prorſus ignorat. Hoc enim ſignificat dum ait: Qui incipit corde iuuare.* Hic ſenſus verus & appoſitus eſt, ſed arctior: nam non adæquat, nec explet totam ſententiæ vim. Vnde

Tertiò, plenè & adæquatè, *Spes*, ponitur metonymicè pro re qualibet ſperata, & *deſiderium* pro re qualibet deſiderata: vti & alibi ſæpè. Sic dicitur Rom. 8. 24. *Spes* (id eſt res ſperata) *quæ videtur, non eſt ſpes.* Vnde explicans ſubdit Apoſtol. *Nam quod videt quis, quid ſperat?* Itaque ſenſus eſt, ait Ianſenius: Cùm res quælibet quæ ſperatur ſiue ab homine, ſiue ab angelo, ſiue ab aëre, ſiue ab alia creatura, ſiue à Deo, differtur, hæc dilatio angit cruciatque mentem: cùm verò res diu, vel multùm, deſiderata aduenit deſideranti, tunc illum paſcit, oblectat, exhilarat, roborat inſtar ligni vitæ. Sicut enim fructus arboris vitæ cor roburque hominis ætate ſeneſcens, debilitatum & langueſcens recreaſſet, reſtauraſſet & priſtino vigori reſtituiſſet: ſic prorſus cùm quis potitur & fruitur re multùm deſiderata, cuius deſiderio langueſcit, ex ea recreatur, exhilaratur, conualeſcit & corroboratur. Vnde in Hebræo clarior eſt antitheſis: habet enim, *Spes protracta eſt languor & ægritudo cordis.* Infirmitati enim cordis appoſitè opponitur lignum vitę, inquit Ianſen. cuius eſt viuificare & ſanare eius infirmitatẽ. Significatur ergo ſpem protractam languidum facere cor animumque hominis, ita vt impediatur à pleriſque à ſuis functionibus, nec lubeat viuere: vice verſà ex rerum quæ deſiderantur præſentiâ cor animumque viuificari, confortari & exhilarari non ſecùs, quàm ſi ex pomo ligni vitæ, quod erat in paradiſo, quis comediſſet. Vnde clarè vertit Va-

A tabl. *expectatio dilata trucians cor: cùm verò venit id quod deſideratur, ceu lignum vitæ eſt;* Chald. *lignum vitæ* (qui) *deſiderium adducit.* q. d. Quàm gratum erat lignum vitæ, tam gratus eſt qui rem deſideratam adducit & exhibet.

Huic ſententiæ paralellæ ſunt gnomę Philoſophorum. P. Syri: *Etiam celeritas in deſiderio eſt mora.* Epicteti: *Quid eſt longiſſimum? Spes. Quid eſt ſpes? Vigilanti ſomnus, expectanti dubius euentus.* Senecæ: *Cùm expectatio longior eſt, conſeneſcit animus, & debilitatur mens.* Comici: *Deſideranti inuiſa eſt quæuis mora. Deſiderium acuit abſentis vicinitas. Poſt ſpem omne deſiderium impatientiſſimum eſt.* Nazarij orat. in Conſtantinum Imp. *Flagrantia ſunt animorum deſideria, cùm oculorum ſolatia perdiderunt.* Symmachi l. 3. epiſt. 46. *Grauis eſt ſitis bonarum rerum, cui ſola fruendi aſſiduitas medicinam facit.* Sic Iacob languebat præ deſiderio Rachelis, ſeruijtque pro ea Laban ſocero ſeptem annis, *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen. 29. 20. Sic ſponſa ſponſi amore & deſiderio languens: *Fulcite*, inquit, *me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.* *Gnoma de ſpe dilata & cruciante.*

B

Id experiuntur viri ſancti, qui anhelant ad cælum, vt Deo & Chriſto fruantur; de quibus Apoſtolus Roman. 8. 22. *Scimus*, ait, *quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes: & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Et c. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et Phil. 1. 23. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Vbi multa in hanc rem dixi.

C

Vnde Beda hunc locum de deſiderio cæleſtis gloriæ ſic explicat: *Spes quæ differtur affligit animã: lignum vitæ deſiderium veniens. Quia nimirum*, inquit, *quamdiu differtur ſpes æternorum, affligitur anima fidelium; vel pro dilatione videlicet bonorum quæ amat; vel pro illatione malorum quæ tolerat. At vbi venerit quod deſiderat, facilè obliuiſcitur quod ſuſtinuerat: quia in æternum viuere incipit cum ſuo Redemptore, quẽ tota intentione quærebat: ipſe eſt enim lignũ vitæ amplectẽtibus ſe.*

Sic B. Virgo inſatiabiliter deſiderabat migrare ex hac vita, vt Chriſto ſuo frueretur, atque hoc deſiderium eam languentem efficiebat, lenſimque conficiebat; ideoque illam non morbo, ſed hoc deſiderio mortuam eſſe cenſent Franc. Suarez, Ribadeneira, alijque Theologi.

D

Sic animæ patrum in limbo, at præſertim Adæ, Euæ, Seth, Enos, &c. quæ per tria annorum millia in limbo inferni expectabant aduentum Chriſti, qui eos inde liberaret, hac longa expectatione affligebantur. Vnde clamabant aſſiduè: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Iſaiæ 45. 8. Sic animæ in Purgatorio præter ignẽ & pœnam ſenſus, mirè torquentur pœnâ damni, putà deſiderio ſperatæ, ſed dilatæ beatitudinis viſioniſque Dei: adeoq; inter illas, ſunt nonnullæ quæ Purgatorium habent non ignis, nec alterius pœnæ ſenſibilis, ſed ſolius deſiderij & expectationis, quo languent & cruciantur: quia clarè cernunt quantum quamque deſiderabile ſit bonum, quod expectant, à quo ob culpam ſuam retardantur. Vnde ex apparitionibus animarum conſtat, hoc Purgatorio expectationis inter alias torqueri animas illas, quæ amantiores fuere vitæ præſentis, quæ ægriùs mortem exceperunt, quæ non ſatis deſiderarunt, nec anhelarunt ad tranſitum in cælum, &c.

Deni-

Denique S.Thom. 1.2.q.32. a. 3. docet ſpem A cauſare delectationem ex apprehenſione boni ſperati, & fiducia illud obtinendi. Obijcit deinde ſibi ſecundo loco hanc ſententiam : *Spes quæ differtur, affligit animam ; ergo ſpes cauſat afflictionem, non delectationem.* Reſpondet : *Nihil prohibet idem ſecundùm diuerſa eſſe cauſam contrariorum. Sic igitur ſpes in quantum habet præſentem æſtimationem boni futuri, delectationem cauſat : in quantum autem caret præſentia eius, cauſat afflictionem.*

Vers. 13. QVI DETRAHIT ALICVI REI, IPSE SE IN FVTVRVM OBLIGAT : QVI AVTEM TIMET PRÆCEPTVM, IN PACE VERSABITVR] Hebr. *qui contemnit verbum* יְחָבֶל לוֹ, *iechobel lo*, id eſt, *obligat* vel *oppignerat ſe*; Baynus, *perdit ſe* ; Vatabl. *damnum patietur* ; alij, *corrumpetur* : *Qui contemnit verbum*, inquiunt, *corrumpetur*, vel *corruptioni eſt ſibi.* Rurſum pro *in pace verſabitur*, hebr. eſt יְשֻׁלָּם, *ieſcullam* : quod Secundo, verti poteſt, *retribuetur.* Vnde Vatabl. vertit, *qui* B *rem contemnit, damnum capiet : qui præceptum timet, huic rependetur* ; Pagnin. verò, *contemnens aliquod, corrumpetur propter contemptum ipſum ; & timenti præceptum reddetur merces.*

Iam Primò, Aben Ezra ſic explicat. q. d. Qui contemnit verbum, id eſt correptionem & inſtitutionem, eius conſilia infelicem habebunt ſucceſſum & ruent : qui autem timet præceptum, id eſt qui Deum veretur, ideoque eius præcepta reueretur, hic ſedebit in pace, & tranquillitate fruetur.

Secundò, Hebræi ceteri. q. d. Qui contemnit verbum, id eſt decretum vel edictum principis, hic ab eo punietur, & capite plectetur.

Tertiò, meliùs R. Salomon, & alij paſſim per *verbum* accipiunt legem Dei; ſicque conſtat antitheſis, claraque eſt ſententia. q. d. Qui ſpernit legem Dei, ſe obligat, id eſt reum & obnoxium facit C iudicio, id eſt condemnationi & pœnæ tranſgreſſoribus ſtatutæ: qui autem timet, ideoq; obſeruat Dei præcepta, hic liber à pœna in pace, vtpote Deo charus, verſabitur. Vnde Chald. vertit, *qui contemnit verbum, detrimentum patietur ab eo* (Syrus, *deſtruetur ab eo* :) *qui autem timet præceptum, bonis compenſabitur* ; Syrus, *liberabitur.*

Verùm Hebræi ſæpè per *verbum* metonymicè accipiunt rem verbo ſignificatam, vt cùm dicitur Lucæ 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbũ*, id eſt vlla res. Sic *verbum* pro re accepit hîc Noſter, R. Leui, Vatabl. & alij.

Iam per *rem*, R. Leui accipit malum impendens q.d. Qui malum ſibi proximè impendens contemnit, neque conſilium de illo arcendo inire ſtudet, D idcircò exitium ſubibit, extremaque patietur : qui autem timet & obſeruat præcepta Dei, pace fruetur, impendentia ſibi mala contemnens, quòd in Deum ſpem ſuam coniecerit.

Secundò, Baynus per *rem* accipit rem familiarem. q.d. Qui negligit curam rei familiaris, hic eius iacturam patietur.

Tertiò & genuinè, per *rem* accipias rem bonam & honeſtam lege Dei præceptam vel probatam, putà opus honeſtum vel actum cuiuſlibet virtutis. Hoc enim exigit antitheſis. q. d. Qui contemnit vel detrahit rei bonæ à lege probatæ, putà virtuti, hic obligat ſe iudicio, id eſt condemnationi, iræ & vindictæ diuinæ: qui autem timet præceptum, reſque in eo præceptas obſeruat, in pace verſabitur. Et ſic hic ſenſus coincidit cum Hebræo iuxta tertium ſenſum paulò antè aſſignatum. Ita Baynus. A Senſus, ait, eſt. q.d. Qui rebus ſacris detrahit culpando quæ a Deo ſunt ordinata, vel qui detrahit & obloquitur bonis hominibus, mandatum Dei tranſgreſſus, & pacem diſſoluens inter homines, hic obnoxius & obligatus erit ad pœnam à lege, vel à Deo tranſgreſſoribus ſtatutam : è contrario qui ſeruans mandatum Dei amat proximum, omneque honeſtum; hic pacem habet cum Deo, & cum hominibus, iuxta illud pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.*

Huc facit auctor Catenæ Græcor. qui in Septuag. pro πρᾶγμα, id eſt res, legens τάγμα, id eſt ordo, ordinatio, præceptum, ſic vertit, *qui deſpicit mandatum, deſpicietur viciſſim ex eo : qui autem præceptum reueretur, hic mente præditus eſt ſana* ; ſicque explicat. q.d. *Qui virtutem contemnit, ac malitiæ patrocinatur, paria referet : quia viciſſim ab illa contemnetur : in ea autem intricabitur : nec iniuriâ ; res enim* B *natura hoc exigit.* q. d. Virtus ſe contemnentem contemnit : vice verſâ eadem ſe honorantem & obſeruantem honorat & obſeruat, ac pace, id eſt proſperitate, rerum abundantia, omnique bono, cumulat & beat.

Poteſt tamen hæc ſententia extendi quoq; ad rem malam, & intorqueri in detractores, qui vitia proximorum carpũt. Ita Lyran. *Qui*, inquit, *detrahit alicui rei eam vituperando, ipſe ſe in futurũ obligat ad non commendandum eam : quia ſit inhoneſtè veniret cõtra verbum ſuum. Qui autem timet præceptum, id eſt tranſgreſſionem præcepti diuini, in pace verſabitur, nimirum in pace triplici. Primò, in pace interna quoad conſcientiam; Secundò, in pace fraterna, quia cum proximo facit iuſtitiam; Tertiò, in pace ſuperna, quia finaliter venit ad gloriam.* Hæc Lyran. Et Ianſen. Qui de re qua- C piam, inquit, malè loquitur, ſiue bona ſit, ſiue mala, is ſe in futurum obligat : quia ſi malè loquitur de re bona, obnoxium ſe facit pœnæ & condemnationi: ſi autem de re mala, magis ſe obligat ad eius mali vitationem, ne quod in alio culpauit, poſtea ob id ipſum meritò reprehendatur, iuxta illud: *Qui prædicas non furandum, furaris*, &c. Ita ferè Beda exponit. At ſimplicius fuerit, & magis cõueniens poſteriori patri, vt intelligatur ſolùm de detractione rei bonæ, cui propriè dicitur detrahi : qui enim ei detrahit, ipſe ſe in futurum obligat ad pœnam, reprehenſionem aut defenſionem, qua obligatione ſe inijcit in magnam perplexitatem ac animi perturbationem. Contrà, qui timet præceptum diuinũ, quo & detractio prohibetur, & quid cuique faciendum ſit decernitur, is & hîc in pace D conſcientiæ animique tranquillitate verſabitur, & cum hominibus quoque pacem habebit, & in futuro ſæculo pacem aget æternam & inconcuſſam. Qui enim alienæ vitæ curioſi ſunt ſcrutatores & detractores, pacem mentis habere non poſſunt : atqui opus ſuum iuxta Apoſtoli præceptum probat, & ad Domini præcepta expendit, hic in ſemetipſo habet gloriam & pacem. Huc alluſit S. Iacobus c.4.11. dicens : *Qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi. Si autem iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex*, &c. Vbi varias illius loci explicationes recenſui.

ANIMÆ DOLOSÆ ERRANT IN PECCATIS : IVSTI AVTEM MISERICORDES SVNT, ET MISERANTVR] Hic verſus non eſt in Hebræo, ſed noſter eum tranſſcripſit ex Septuag. qui eum habent v. 9. vbi eum explicui : in Septuag. Roman. ponitur c. 14. 15. Septuag. de more ſecutus Syrus,

Vir-

Viro fraudulenta, inquit, *non erit bonum & viri ſapiẽtis eius opera recta ſunt, etiam via eius ponetur in capite*, id eſt, vt clarè ex Septua. vertit auctor Catenæ Gręcor. *Filio doloſo nullum obtinget bonum: prudenti autem famulo proſperæ ſuæ ſuccedẽt actiones, ac viæ eius feliciter dirigentur*, idque ſic explicat; *Filium doloſum*, inquit, *appellat hoc loco Iſraelem, ſapientem autem ſeruum, illos, qui ex Gentibus conuerſi in Chriſtum crediderunt, quorum ille viam tamquam fidelium ſoſpitat, riteq́; dirigit.* Verùm hic ſenſus ſymbolicus potiùs eſt & myſticus: nam litteralis eſt clarus, quem verba præ ſe ferunt.

Obiter hic aduerte, verſus illos, qui non ſunt in Hebræo, in Vulgata Latina editione non habere numerum proprium, ſed iungi verſui præcedenti, eiuſque numero aſſignari, idque vt ſciatur, qui verſus extent in Hebræo, qui non. Talis eſt hic.

Vers.14. LEX SAPIENTIS FONS VITÆ, VT DECLINET A RVINA MORTIS] Hebr. *lex ſapientis vena vitarum ad redùcendum, à laqueis mortis*; Septuag. *lex ſapientis fons vitæ: demẽs autem ſub laqueo morietur.* Minùs rectè aliqui pro *ſapientis* legunt *ſapienti* in datiuo, huncq́; dant ſenſum, q.d. Lex Dei ipſimet ſapienti eſt fons & origo vitæ rectè agendæ, ac moderandæ, ad vitanda & euadenda omnia mortis diſcrimina. Id videlicet intereſt ſapientem inter atque ſtultum, probum atque improbum; quòd ſapienti & probo lex vitę agendę initium eſt, à malo quidem auertens & ad bonum dirigens, ſtulto autem atque improbo eadem ruinarum cauſa exiſtit. Nam lex precipitia & lapſuum occaſiones offert, quas ſtultus declinare aut neſcit, aut non vult. Vnde fit vt ille, quem fortaſſe ante cognitionem legis ignoratio excuſaret à crimine, iam inde cognitâ C lege ſciens ac volens peccet.

Verùm Hebr. Græca & Latina habent, *Lex ſapientis* (nõ *ſapienti*) in genitiuo, putà lex quę manat à mente & ore ſapientis, ſiue quam docet ipſe ſapiens. Senſus ergo eſt, q.d. Lex quam docet & dictat ſapiens, affert vitam, vt tam ipſe quàm quiuis eius diſcipulus legem eius ſequens declinet euadatque laqueos & pericula mortis. Vnde Syrus vertit, *lex ſapientis fons vitæ ijs, qui declinant à laqueis mortis.* *Vitam* accipe tum temporalẽ, tum ſpiritualem gratię, tum glorię ęternam. Vnde hebr. eſt *fons vitarũ* in plurali. Ita R. Leui: *Lex ſapiẽtis*, inquit, *eſt fons vitę quod ex illa vitæ immortalitas dimanet, mortiſq́; ruina vitetur; præterquam quòd Deo ſapiens ob illã peculiari eſt curę.* Cauſa eſt, quòd ſapiens doceat prudentiam & virtutem, puta prudenter, iuſtè ſancteque viuere: prudentia autem, virtus & ſanctitas cauſa ſunt vi- D tæ pręſentis & æternæ: quia prudenter declinant pericula mortis, ſibique accerſunt vitę adminicula, atque à Deo pręmium vitę longioris in hoc ſęculo, & æternę in futuro emerentur & accipiunt. Ita lex vetus à Moſe ſapiente dictata Iudæis promiſit & præſtitit vitam longæuam & felicem, Leuit. 18. 5. lex verò noua à Chriſto dictata Chriſtianis affert vitam gratiæ & gloriæ æternam, Ioan. 5.24.

Sic leges & regulæ Aſcetis & Religioſis dictatæ à S. Antonio, Pachomio, Baſilio, Auguſtino, Benedicto, Dominico, Franciſco, aſſeclis ſuis conferunt vitã ſanctam, religioſam & glorioſam. Ex aduerſo leges & dogmata inſipientium, putà hęreticorum, politicorum, Saracenorum, Philoſophorum, afferunt mortem præſentem & æternam. Talia ſunt dogmata Epicuri: omne bonum & felicitatem hominis ſitum eſſe in voluptate: non eſſe numen & A prouidentiam Dei: animam poſt mortem non ſentire, ſed cum corpore interire. Et Stoicorum: omnia fieri fato & neceſſitate: miſericordiam eſſe animi imbecillitatem, ac proinde non eſſe miſerendum: ſapientem poſſe, imò debere, ſe occidere, ne miſerè viuat: omnes deos mortales eſſe excepto Ioue: non eſſe ignoſcendum reo qui offendit: pluraque ſimilia, quæ recenſui Actor. 17. v. 17.

DOCTRINA BONA DABIT GRATIAM: IN ITINERE CONTEMPTORVM VORAGO] Vers.15. Hebr. *intellectus bonus dabit gratiam, ſed via transgreſſorum dura.* Septuag. *intellectus bonus dat gratiam, noſcere autem legem, mentis eſt bonæ: viæ autem contemnẽtium in perditione*; Chald. *via fortis direptorum peribit*; Syrus, *iter impiorum ad perditionem*; Tiguri. *intellectus bonus conciliat gratiam* (Vatabl. *facit hominem gratum*) *at via præuaricatorũ dura eſt.* Pro *vorago* hebraicè eſt איתן B *ethan*: quod Primò, R. Salomon vertit, *difficultas*, q.d. Contemptorum via, id eſt conuerſatio, difficilis & grauis eſt, tum illis ipſis, tum ceteris. Secundò, Aben Ezra, Vatabl. Pagnin. vertunt, *dura*, q.d. Ita obſtinati ſunt contemptores, vt, licet ſapiens omnes artes ſapientiæ adhibeat, eos tamen à crimino ſa via reuocare nequeat. Tertiò, R. Leui vertit, *aſpera*, q.d. Via & doctrina prçuaricatorum eſt aſpera, perinde ac ſi ſentibus lapidibuſque eſſet obſita. Quartò, alij vertunt, *pertinax* & *inſtabilis*. Quintò, Marinus in Lexico vertit, *via præuaricantium fortitudo*, vel *vis & vehementia*, q.d. Robuſtæ, vehemẽtes & violentę ſunt actiones & mores pręuaricantium. Sextò, optimè Noſter vertit, *vorago*, ſcilicet exitij & perditionis, vt vertunt Septuag. Chald. & Syrus.

C Senſus eſt, q.d. *Doctrina bona*, id eſt ſapiens & prudẽs inſtitutio & diſciplina, init Dei hominumque gratiam, facitque tam docentem quàm diſcipulum Deo & hominibus acceptum, vt conſuetudinis eius ſuauitate illecti eius vitam doctrinamque capeſſant, imitentur, & moribus exprimant, ait R. Leui, itaque inſtar magiſtri, Dei & hominum gratiam ſibi concilient: at *iter*, id eſt vita & doctrina, *contemptorum*, id eſt qui ſanam doctrinam contemnunt, legemque Dei præuaricantur, eſt *vorago* perditionis & gehennę, in quam ipſi ſe ſuoſque diſcipulos præcipitant. Vnde Barlaam apud Damaſcenum in Hiſtoria ca. 12. Ioſaphat regi vanitatem & ſtultitiam peccatorum repræſentat per parabolam hominis ab arbore pendentis, qui ex ea modicum mellis deguſtat, ſed mox cum ea in ſubie- D ctam voraginem dilabitur, vbi à ſerpentibus, draconibus & ſcorpionibus deuoratur. Similem peccatorum voraginem per viſionem ſpectauit S. Carpus teſte S. Dionyſio Areopag. epiſt. 8. ad Demophilum. Via ergo impiorum eſt *ethan*, id eſt dura, inhumana, ſæua, alios deuorans, horrore concutiens: & inſtar voraginis abſorbens & perdens, ac in voraginem exitij & gehennæ pertrahens. Sic pſal. 73. 15. dicitur: *Tu ſiccaſti fluuios ethan*, id eſt fluuios fortes, putà profundos, voraginoſos & rapaces, qui in ſuam voraginem & abyſſum omnia abripiunt & demergunt. Et Amos 5. 24. *torrens fortis*, Hebr. *ethan*, vocatur rapidus, qui omnia in ſuam voraginem abripit & mergit.

Porrò alij aliter hęc explicant. Primò, Ianſenius ex mente Rabbinorum: Senſus, inquit, eſt, quaſi dicat, Bona inſtitutio dat hominibus gratiam, hoc eſt, efficit, vt ſint gratioſi, quia facit clementes & humanos: via autem contemnentium bonam

inſtitutionem efficit inhumanos, aſperos & intractabiles, ac ob id inuiſos & exoſos.

Secundò, Baynus, qui *ethan* vertit, *dura vel roborata per conſuetudinem.* Vita träſgreſſorum, inquit, qui tenebris errorum habentes obſcuratum oculũ mentis, vt malè decernunt, ſic malè agunt, fortis eſt & dura, difficillimè corrigitur; vt qui in vtroque errant, intellectu videlicet ſpeculatiuo, qui malè dicernit; & practico, actionibus ſcilicet ex errore manantibus, dum non intelligit cæleſtium & terrenarum rerum quàm latum ſit diſcrimen. Aliter: Intellectus bonus, vel qui bonus eſt ſuo intellectu & prudentia, dabit magnam gratiam alijs, & vt ipſi concipiant rectam fidem, & gratiam inueniant in oculis multorum: ſed contra viam, & conſuetudinem viuendi tranſgreſſorum, non prçualebit intellectus, quantumuis bonus, quantumuis magna doctrina: vbi obduratum fuerit cor eorum, ſiue viuendi modus conſuetudine indurerit, ad modum ſemitæ ſępiùs frequentatæ. Prouerbium docet intellectum & fidem integram in primis neceſſariam ad ſapientiam, hoc eſt ad probitatem vitæ; hæc Baynus.

Tertiò, Caiet vertit, *intellectus bonus dabit gratiam & via mentientium dura*: ſicque explicat, q.d. Qui bono intellectu docilique ingenio pollet, hic gratioſus eſt, id eſt, beneuolus & beneficus in alios: qui verò duro & hebeti eſt ingenio (quales hîc mentientes vocantur) ipſius via, id eſt vita & mores ſunt duri & aſperi.

Quartò, noſter Salazar: Bonus intellectus dabit gratiam, id eſt, inquit, facilitas ingenij ac morum mititas gratiam ac beneuolẽtiam omnium conciliat: at via, id eſt cõuerſatio contemnentium, id eſt hominum proteruorum & peruicacium, quorum mores difficiles & acerbi ſunt, eſt vorago, id eſt, in eorum conuerſatione ſubeſt magna & pręceps loquẽdi occaſio: qui enim cum aſpero & difficili homine conuerſantur, ſicut hi qui per aſperam viam iter agunt, ſæpiùs offendunt & concidunt. Porrò lenis & mitis appellatur vir *boni intellectus* vel ingenij: nam ſicut iraſci & furere in belluarum & ferarum naturam degenerat: ſic etiam miteſcere & manſuetum eſſe homines imprimis decet. Audi S. Chryſoſt. hom. 34. in Geneſim: vbi ſic ait: *Hoc enim certiſſimum ſignum, quo internoſcitur vir ratione & ingenio præditus, ſi manſuetus fuerit, ſi lenis, ſi mitis, ſi modeſtus & quietus, ſi non quaſi ſeruus ducatur & trahatur ab ira, aut ab alijs affectionibus: ſed ratione vincat internos illos incompoſitos motus, nobilemque ſuam generoſitatem ſeruet, ne in brutorum ferociam negligentiâ degeneret.*

Quintò idem Salazar, q.d. Sana & vera doctrina per ſemetipſam, abſque lenocinijs & pigmentis placet & grata eſt: at verò doctrina cõtemptorum, qui ſcilicet veritatem contemnunt, & fallacia dogmata tradunt, ſuſpecta eſt, nemoque ei fidit: ſemper enim ſubeſt ſuſpicio foueç aut voraginis, id eſt erroris alicuius latentis, in quem mens deduci vel prolabi poſſit. Verùm ſenſum initio datum expoſcit verſio Vulgata, Septuag. Chald. & Syrus.

Vers. 16. ASTVTVS OMNIA AGIT CVM CONSILIO: QVI AVTEM FATVVS EST, APERIT STVLTITIAM] Hebr. *omnis callidus res ſuas faciet cum ſcientia; ſtultus autem manifeſtabit*, vel *expandet, ſtultitiam*; Septua. *expandet ſuam nequitiam*; Aquila, Symmach. & Theodot. ἀφροσύνην, id eſt *inſipientiam. Aſtutus*, hebr. ערום, *arum*, id eſt prudens, cautus, diſcretus, callidus, Vnde Tigur. *cautus omnia ſcitè* (Vatabl. *cum ſcientia, id eſt diſcretione*, putà diſcretè) *facit: ſtultus autem ſtultitiã prodit*, hoc eſt, ait Vatabl. *ineptus eſt is, qui quid deceat non animaduertit, velut ſi quis apud imperitam plebeculam diſputet de obſcuris quæſtionibus, omiſſa interim timoris Dei ac fidei doctrinâ*; Chald. *omnis aſtuti opus eſt ſcientia: ſtultus autem ſibi expandit ſtultitiam ſuam.* Syrus, *cum ſcientia omnia callidus agit: inſipiens autem vaniloquè ſermocinatur.*

Senſus eſt clarus, q.d. Aſtutus, id eſt cautus & prudens, omnia agit cum ſcientia, id eſt, cum ratione, cum conſilio, cum deliberatione, cum prouidentia. Antequam enim quid aggrediatur, & per ſe & per alios, quos in conſilium adhibet, cogitat & prouidet difficultates, ſucceſſus & exitus rei: item media quibus difficultates ſuperari, & res confici poſſit, quare actiones ſuas prudenter & feliciter inſtruit, ac in omnibus ſuam ſapientiam oſtendit, at fatuus ſine conſilio & cõſiliarijs temerè aggreditur res vel impoſſibiles, vel importunas & intempeſtiuas; vel oportunas quidem, ſed per media incongrua & importuna; hic prodit, imò expandit, coram omnibus ſtultitiam ſuam: quia vel ex opere quod agit, vel ex medijs, per quæ opus agit, apparet & ab omnibus agnoſcitur ſtultus, ſtulteq; agere. Hanc gnomen ſuperiùs inculcauit Salomõ c. 12. 15. *Via ſtulti*, inquit, *recta in oculis eius: qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Et ca. 2. 10. *Si intrauerit ſapientia cor tuum, &c. conſilium cuſtodiet te.*

NVNTIVS IMPII CADET IN MALVM: LEGATVS AVTEM FIDELIS, SANITAS] Pro *nuntius impij* ex Hebręo cum Aquila & Theodot. vertas, *nuntius impius*: & ſanè nuntius impij qui ſcil. impia eius conſilia defert & annuntiat, impius ſit oportet: cooperatur enim eius impietati, eamque exequitur. Rurſum pro *legatus fidelis*, Hebr. habent, *legatus veritatum*, vel *fidelitatum, eſt ſanitas* vel *medicina.* Septua. pro מלאך *malach*, id eſt *nuntius*, legentes מלך *melech*, id eſt *rex*, vertunt, *rex audax incidet in mala: nuntius autem ſapiens liberabit eum*; Aquila autem & Symmach. *obſes fidei ſanitas*; Theodot. *cuſtos fidei.* Senſus eſt. q.d. Rex temerarius ſępè laceſſit alios bello, itaque ab eis capitur: ſed legatus vel obſes miſſus à repub. alióve principe, ſua prudentiâ mitigans iras eorum, quos laceſſiuit, liberabit eum. Verùm Hebr. conſtanter legunt *malach*, id eſt nuntius, non *melech*, id eſt rex. Vers. 17.

Igitur ex Hebręo Primò, aliqui hunc dant ſenſum, q.d. Nuntius impius, id eſt infidelis, qui infideliter & fraudulẽter res à principe alóve quolibet ſibi commiſſas annuntiat, aût ſecreta eius prodit; hic quaſi perfidus & proditor à principe, vel iudice, aut eo qui miſit eum, punietur & plectetur: legatus autem fidelis, qui ſcilicet fideliter principis dominiue ſui iuſſa vel commiſſa annunciat, hic ſibi conciliabit ſanitatem, id eſt incolumitatem, legatus enim fideliter ſanctéq; legationem ſuam obiens, iure gentium vbique etiam apud hoſtes eſt ſaluus & inuiolabilis. Ruſſum legatus fidelis annuntians conſilia domini ſui, fidelis, id eſt æqua, iuſta & ſancta, multis, & quandoque toti reip. ſalutem affert. Sic nuntius impius fuit Balaam, inquit R. Salomon, qui à Balac rege miſſus ad maledicendum Iſraeli, impium conſilium perdendi Hebręos per puellas ſpecioſas dedit regi, ideoque enſe Hebræorum perijt, Num. 25. & 31. legatus verò fidelis fuit Moſes, qui ſaluauit Iſraelem. Legatus ergo eſt ſanitas, id eſt ſalutaris tam ſibi & domi-

domino, à quo mittitur, quàm ijs ad quos mittitur.

Secundò, q. d. Nuntius principis hominiſue impij qui ſcilicet impios eius dolos & fraudes, quibus alijs malum machinatur, annuntiat; hic ijs detectis pœnas dabit, quòd dolis & fraudibus impij ſit cooperatus. q. d. Improbi legati fraus tandem deprehenditur, & deprehenſa plectitur: at vero legatus fidelis, qui ſcilicet vera, fidelia & iuſta ſui principis vel heri mandata annuntiat, hic tum ſibi, tum principi, tum reipubl. ſalutem afferet. Hic ſenſus genuinus eſt Vulgatæ verſionis.

Tertiò, noſter Salazar *τὸ fidelis* accipiens, vt genitiuum oppoſitum genitiuo *impij*, ſic explicat: *Nuntius impij cadet in malū*, id eſt, legatus ab impio rege aut principe miſſus, ſuo ipſius principi perfidus erit: illius enim conſilia & rationes hoſtibus prodet. Id ſibi vult illud: *Cadet in malum*, id eſt, malitioſè ac perfidè aget; quod perinde eſt ac ſi dicat: Princeps impius ac tyrannus ob ſuam impietatem & tyrannidem perfido ac proditore legato vtetur. Ex aduerſo autem, *legatus fidelis ſanitas*; nimirum principis iuſti & non tyranni, qui legitimè & ex fide belli atque pacis res adminiſtrat, legatus mandata ſibi commiſſa fideliter peraget, & ſalutem principi: publicis autem rebus incolumitatem afferet. Itaque ſecundùm hanc expoſitionem principis iuſti ac tyranni diſſimilitudinem proponit Salomon ex eo quòd iuſtus fidelibus miniſtris vtitur, tyrannus autem perfidis ac perduellibus.

Verùm *τὸ fidelis* potiùs eſt nominatiui caſus Hebr. enim *nuntius fidelitatum* idem eſt, quod nuntius valdè fidus & fidelis: atque hic opponitur nuntio impij obliquè & indirectè (crebræ enim hic ſunt antitheſes non directæ, ſed obliquę) quia ordinariè qualis eſt nuntius, talis eſt & herus qui eum mittit: quare nuntius impij pariter eſt impius, ac viciſſim nuntius fidelis non niſi ab hero fideli mitti ſolet, iuxta id quod ſubdit Salomon: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.*

Moral. Beda: *Legatus fidelis ſanitas*, hoc eſt, inquit, *Catholicus, quiſq; prædicator ſanitatem ſibi ſuiſq; auditoribus acquirit æternam.* Sic Gabriel miſſus à Deo ad Danielem ca. 9. nuntians ei liberationem Iſraelis è Babylone, & aduentum Meſſiæ poſt ſeptuaginta hebdomadas, Danieli languenti robur & ſanitatem, totiq; populo lætitiam & ſalutem attulit. Sic idem Gabriel miſſus a Deo, & annuntians B. Virgini Deiparę conceptionem Verbi ęterni, illi totique orbi ſalutem apportauit. Idem fecêre angeli paſtoribus annuntiantes Chriſti natiuitatem, ideoque concinentes: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Lucę 2. 14. Idē præſtant ceteri angeli, qui ex officio ſunt angeli, id eſt nuntij fideles Dei ad homines, iuxta illud: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis*, Hebr. 1. 14.

Sic legati fideles Dei ad homines ſaluandos fuere omnes Prophetæ & Apoſtoli: Apoſtolus enim gręcè idem eſt quod latinè legatus, miſſus à Deo in mundum, vti de Iſaia patet cap. 6. de Ieremia, Ezechiele, & ceteris patet ex initio prophetiæ eorundem. Horum dux & princeps fuit Chriſtus à Patre miſſus ad redemptionem generis humani, qui proinde ait Iſaię 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod Dominus vnxerit me: ad annuntiādum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem.* Vide ibi dicta.

EGESTAS ET IGNOMINIA EI, QVI DESERIT DISCIPLINAM: QVI AVTEM ACQVIESCIT ARGVENTI GLORIFICABITVR] Pro *diſciplinam* hebr. eſt מוּסָר *muſar*, id eſt inſtructionem, correptionē, caſtigationem, qualis eſt puerorum, quorum appetitus & leuitates ab inſtructore corrigendi & caſtigandi ſunt. Vers. 18.

Senſus eſt clarus. q. d. Qui deſerit diſciplinam & correptionem, quia vult ſuæ libertati & concupiſcentijs indulgere, hic incidet in egeſtatem & ignominiam: tum quia indulgendo ventri & veneri, &c. exhaurit ſuas opes, & ſibi probrum acceſſit: tum quia probrum eſt eſſe peruicacem, & nolle acquieſcere benè monenti & conſulenti: quare qui ob pudorem nō vult corripi, in maius incidet dedecus, ob quòd magis pudefiet: pudorē ergo minorem fugiens incurrit in maiorem. At qui humiliter & modeſtè acquieſcit arguenti, & iuxta eius monita ſua vitia reſecat, moreſque corrigit, hic vtique glorificabitur: quia glorioſum eſt parere benè cōſulenti, æquè ac mores ſuos rectè componere. Denique Deus honorantes ſe honorat, & dedecorantes dedecorat; quare ſeruantibus ſuam legem & diſciplinam opes & gloriam impertitur: ſpernentibus verò eam egeſtatem & ignominiam immittit. Ita explicat S. Auguſt. in Quæſt. noui & veteris teſtam. ca. 34. quamquam hic liber non ſit S. Auguſt. ſed in fide ſuſpecti auctoris fortè Hilarij Diaconi Romani, qui Luciferi ſchiſma propagauit; vti ſolerter conijcit Bellarm. de Script. Eccleſ. in Ambroſio & Auguſtino.

Pro *qui deſerit* hebr. eſt פּוֹרֵעַ *porea*, id eſt qui diſſoluit, euacuat, eneruat. Rurſum *τὸ ei* non eſt in Hebręo: ac pro *egeſtas & ignominia* verti poteſt, *egeſtatem & ignominiam*. Hebræa enim nomina, quia carent caſibus, quolibet caſu verti poſſunt. Vnde Septuag. ſic vertunt, *paupertatē & ignominiam auferi diſciplina.* Vice verſa Chald. ſic, *pauper & qui ignominioſus eſt, deſerit diſciplinā*; & Syrus, *paupertas & tribulatio diſciplinam irritam reddunt*; & Symmach. *egeſtas & ignominia diſſoluit correptionem.* Vtrumq; verum, vtrumque congruum. Diſciplina enim, putà virtutis & honeſtæ vitæ, indiuidui comites & aſſeclæ ſunt opes, pudor & honor, qui fugant egeſtatem & ignominiam quaſi indiuiduos comites vitij, vitæque inhoneſtæ, ſibi è diametro oppoſitos. Sicut enim virtus gignit pudorem, ita vitium gignit impudentiam, quę cauſa eſt vt pudor & virtus deſeratur. Cùm enim quis perfricat frontem, induitq; impudentiam, vt faciunt pauperes, mendici & infames, tunc abijcit pudorem, eiuſque comitem diſciplinam & virtutem. Vice verſâ qui abijcit pudorem & virtutem, ſitque impudens & vitioſus, hic ſtatim adſciſcit ſibi vitij comites paupertatem, & ignominiam. Summa, ſicut egeſtas & ignominia diſſoluit & fugat diſciplinam, ſic viciſſim diſciplina & virtus diſſoluit fugatq; egeſtatem & ignominiam. Hinc virtute pręditus fit diues & honoratus, vitioſus verò fit pauper & vilis: ac vice verſâ ſicut honorati & opulenti induunt honeſtatem & virtutem, ſic pauperes mendici & viles induunt vitium, tractantque res indecoras, probroſas & infames quia pudorem, qui à ſcelere retrahit, perdiderunt.

Comes virtutis pudor.

Parallelæ Salomon ſunt hę ſapientum gnomæ S. Chryſoſt. ſer. de diſciplina: *Correptio pudorem immittit*

Gnomæ.

mittit: pudor autem à crimine deterret. Ariſtot. Probl. 6. *Pauperes & infames non pudeſiunt.* S. Ambroſij li. 1. de officijs c. 18. *Eſt verecundia pudicitiæ comes, cuius ſocietate caſtitas ipſa tutior eſt. Bonus enim regendæ caſtitatis pudor eſt comes: qui ſi prætendat ad ea, quæ prima pericula ſunt, pudicitia temerari non ſinat.* S. Bern. in Declamat. *Impudentia & frontoſitas cùm obduruerit, vt non paueat, non horreat, non cōtremiſcat, ea iā demum deſperatio eſt.* S. Gregor. Nazianz. in Parænet. ad Olympiadem: *Protinus extincto ſubeunt mala cuncta pudore.* Quocirca illa impij C. Caligulę Imp. vox. *Ego nihil in natura mea magis probo quàm inuerecundiam,* carnifice potiùs quàm Cæſare digna habita fuit. Diogenes pudorem aiebat eſſe *virtutis tincturā*, teſte Laërtio in eius Vita. Demetrius Phalereus admonebat adoleſcētes, *vt domi parentes, in via obuios, in ſolitudine reuererentur ſeipſos.* Pudor enim iuuenes optimè deterret à peccando, qui nuſquam nō adeſt, ſi quis reuereatur ſeipſum. ait Laërt. lib. 5. c. 5.

VERS. 19. DESIDERIVM SI COMPLEATVR, DELECTAT ANIMAM: DETESTANTVR STVLTI EOS, QVI FVGIVNT MALA] Hebr. *deſiderium factum, vel exiſtens dulceſcit animæ: & abominatio ſtultorum recedere à malo.* ſicut abominantur ſues reducere à cœno, in quo gaudent volutari. Per *ſi compleatur* hebr. eſt נִהְיָה *nihia*, quod R. Leui, Caiet. Pagnin. & alij vertunt, *fractum, contritum*, à nomine הֹוָה *houa*, id eſt fractio, contritio, vnde vertunt, *deſiderium fractum*, vel *cupiditas debilitata dulceſcet animæ*; huncque dant ſenſum: cùm cupiditas debilitatur & edomatur, mēs & ſpiritus delectatione perfunditur, eò quòd imperium ſuum in illam exerceat, eamq; ſibi ſubeſſe cogit; hoc autem ſtultis eſt inuiſum: ægrè enim ferunt, quòd cupiditatibus obſequi vetētur, & ſe malè agendo contineri deteſtantur. Verùm *nihia* idem eſt quod *factum*, completum, nō *fractum* & euerſum, eſt enim participium paſſiuum à rad. הָיָה *haia*, id eſt *fuit, extitit*. Per *deſideriū* ergo accipe bonum dumtaxat & honeſtum: hoc enim exigit antitheſis ſtultorum, qui deteſtantur eos qui fugiunt mala. Vnde Chald. vertit, *deſiderium honeſtum ſuaue eſt animæ*; & Septuag. *deſideria piorum* (ita Roman. legentes, εὐσεβῶν. malè ergo Complut. contrariè legunt, ἀσεβῶν, id eſt, *impiorum*) *delectant animam: opera autem impiorum longè à ſcientia*; Syrus, *inquinatio iniquorum diuulſa à ſcientia.*

Senſus ergo eſt, q. d. Deſiderant iuſti honeſta, putà facere bonum & recedere à malo, idque optant tam alijs quàm ſibi, quare cùm hoc deſiderium completur, cumque audiunt quippiam ab alijs honeſtè & ſanctè geſtum, hoc ipſo mirè delectantur & recreantur, vice verſâ impij deſiderant inhoneſta, putà facere malum, & recedere à bono: quare deteſtantur pios, qui fugiunt mala; & amant impios, qui mala ſectantur. Timent enim ſi creſcat piorum numerus & robur, ne regnum impietatis, quod ipſi amant, debilitetur & euertatur: quare cùm creſcente impiorum numero & robore illud creſcit, gaudent & delectantur. Eadem ergo res quæ delectat impios, contriſtat pios: nimirum virtus creſcens delectat pios, contriſtat impios; creſcens verò vitium delectat impios, contriſtat pios. Sic videmus hæreticos contriſtari Catholicorum augmentis & victorijs, gaudere verò cùm hæretici ſibi ſimiles dominantur & triumphant: vice verſa Catholici de Catholicorum proſperitate & incremento gaudent, dolent verò de hæreticorum felicitate.

A Cauſa eſt, quòd deſiderium eſt quaſi fames & ſitis animæ, quæ eſurit & ſitit rem deſideratam. Sicut ergo ſi famelicus comedat mel, & ſitibundus bibat nectar, illo planè reficitur, reſtauratur & recreatur: ſic pariter ſi fames & ſitis deſiderij ſatietur præſentia & guſtu rei deſideratæ, mens mira dulcedine afficitur & delectatur, iuxta illud Chriſti Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Et illud pſ. 41. 1. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem* (ita Hebr. licet Latini multi legant *fontem*) *viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* &c. Iam ſicut eo maior eſt ſaties & voluptas comedentis & bibentis, quo maior fuit eius fames & ſitis; ſic pariter quo maius eſt deſiderium, eo maior eſt delectatio complementi illius, putà dum illud com-B pletur & perficitur. Hinc Beati qui ſummè deſiderarūt in hac vita frui Deo, eo viſo & poſſeſſo ſummè delectantur. Menſura ergo deſiderij præeuntis, eſt menſura delectationis rem adeptam ſubſequentis.

Porrò Septuag. qui vertunt, *deſideria piorum delectant animam, opera autem impiorum longè à ſcientia*, hunc dant ſenſum, q. d. Pij non tantum exteriùs opera bona exercent, ſed & interiùs mentem ornant pijs ſanctiſque cogitationibus & deſiderijs, quibus mirè paſcuntur & delectantur: at impij quia non tantùm interiùs mala cogitant & deſiderant, ſed & exteriùs opere ea perpetrant, hinc longiſſimè abſunt à ſcientia, ſcilicet practica, hoc eſt, à prudentia & virtute.

VERS. 20. QVI CVM SAPIENTIBVS GRADITVR (Hebr. *ambulat*; Septua. Rom. συμπορευόμενος, id eſt *ſimul* C *ambulans*; Complut. συμπεριφερόμενος, id eſt *qui circumfertur*) SAPIENS ERIT: AMICVS STVLTORVM SIMILIS EFFICIETVR] Hebr. eſt elegans paronomaſia וְרֹעֶה כְסִילִים יֵרוֹעַ *veroe keſilim ieroa.* quod Primò, Chald. vertit, *qui ſocietatem habet cum ſtultis, malum erit ei*; Syrus, *lædetur*, R. Salomon, *effringetur*, vel *collidetur*. Secundò, Vatabl. *qui cum ſtultis amicitiam iungit, malo afficietur.* Tertiò, Pagnin. *qui amicus eſt ſtultis, cōteretur*; R. Leui, *exſcindetur.* Quartò, Baynus. *ſocius ſtultorum malè vel infeliciter aget.* Quintò, Caiet. *comes ſtultorum frangetur.* Sextò, alij, *paſcens ſtultos*, vel *qui paſcitur & conuiuatur cum ſtultis, confringetur.* Hebr. enim יֵרוֹעַ *ieroa*, ſignificat & malè agere & malo affici: רַע *ra* enim malum tam culpæ quàm pœnæ ſignificat. Septua. pro ר legentes ד putà pro יֵרוֹעַ *ieroa* legentes יִוָּדֵעַ *iiuadea*, id eſt *cognoſcetur*, vertunt, συμπορευόμενος, D (Complut. legunt, συῤῥεμβόμενος, id eſt *qui vna circumuertitur*; Scholiaſt. συμπλανώμενος, id eſt, *qui ſimul errat*) id eſt *ambulans cum inſipientibus agnoſcetur.* Sed legendum eſt, *ieroa*, id eſt *malo afficietur*, vt vertunt Aquila, Symmach. & Theodotion. Denique Noſter ſolerter *ieroa* vertit, *ſimilis erit*: quia *ieroa* deriuat partim à רוע *roa*, id eſt malus fuit, vel malo affectus fuit, partim à רָעָה *raa*, id eſt amicus, ſocius extitit, id eſt ſimilis fuit: amicus enim amico eſt ſimilis, ſocius ſocio. Sæpè enim ordines verborum imperfectorum affinium, qualia ſunt *rae* & *raa*, apud Hebræos commiſcentur, vnumque ab altero inflexionem aut ſignificationem mutuatur. Et hoc exigit antitheſis, æquè ac paronomaſia, *roe ieroa*, q. d. Amicus mali amicus & ſimilis erit ei in malo & ſtultitia.

Sen-

Senſus ergo eſt manifeſtus, q.d. Qui familiaris eſt ſapientibus, id eſt viris prudentibus & probis, cum eiſque conuerſatur, hic prudens probuſque euadet: qui autem conuerſatur cum ſtultis, id eſt imprudentibus & improbis, hic pariter fiet imprudens & improbus. Ferè enim tales euadimus, quales ſunt illi, quorum conſuetudine oblectamur. Collocutio enim & conuerſatio crebra & frequens ſua ſenſa, ſuos affectus & mores ei, cū quo verſatur, etiam neſcienti ſenſim inſtillat, ingerit & imprimit, præſertim ſi vnus alterum amet & redamet, eiuſque dictis & factis delectetur & gaudeat: perinde ac qui ambulant in ſole, eius radijs etiam neſcij afflantur & incaleſcunt: ſic qui in aëre frigido verſantur, eius frigus tacitè excipiunt, aër enim vbique nos comitatur, & per reſpirationem attractus intima hominis viſcera penetrat, eiſque ſuum calorem vel frigus impertit.

Porrò *τὸ circumfertur* vel *circumuertitur* ſignificat eum, qui verſatur cum ſocio quo oblectatur, ad omnes eius nutus, affectus, motus, actiones ſe flectere, accommodare, & circumuertere, vt, ſi probus ſit, omnes eius probos mores; ſin improbus, omnes eius improbitates imbibat. Maius enim eſt cõtagium mali quàm boni: faciliùs enim affricatur & addiſcitur vitium quàm virtus. Vnde videmus vnã ouem ſcabioſam inficere ceteras; ac vnum guloſum, ſuperbum, luxurioſum, maledicum, impium ceteros quibuſcum verſatur, efficere guloſos ſuperbos, luxurioſos, maledicos, impios: cùm ex aduerſo multi caſti vix vnum incaſtum efficere queant caſtum: ac multi humiles vix vnum ſuperbum efficere queant humilem, & ita de reliquis. Sic modicum fellis, myrrhæ vel abſinthij, totum lactis vel vini, quin & mellis, poculum amarum efficit: cùm ex aduerſo integrũ poculum mellis vix vitrum myrrhæ vel abſinthij edulcoret. Vitium enim eſt fel, virtus eſt mel. Significat ergo Sapiens, ſocietatem & conuerſationem eſſe rem maximi momenti in alterutram partem, vtpote ex qua pẽdeat probitas vel improbitas, & conſequenter æterna hominis ſalus vel damnatio. Quocirca parentes filijs, præceptores diſcipulis, confeſſarij pœnitentibus ante omnia inculcent, vt, ſi animam ſaluare velint, fugiant conſortium improborum velut baſiliſcum; captent verò ſocietatem proborum velut vnicum ſalutis aſylum. Nam vt ait ex Iſidoro Beda in locis communibus cap. 62. *Sicut multa bona habet communis vita ſanctorum, ſic plura mala affert ſocietas malorum. Melius ergo eſt habere malorum odiũ, quàm conſortium: ſicut enim optandum eſt, vt boni pacem habeant ad inuicẽ, ſic optandum eſt vt mali ſint ad inuicem diſcordes.* Quocirca præclarè monet S. Gregor. Nazianzen. carm. 50. Nicobuli ad filium:

Ne tibi qui vitijs ſcateat coniunge ſodalem:
Namque etiam firmos peſtis grauis occupat artus.
Non tu virtutem tribues, ſed dedecus ipſe
Accipies, vitijs atque inficiere profanis.

Et Comicus:

Talis quis eſſe putatur, qualis ei eſt ſodalitas.
Sed non morantur vnà nox dies, bonus malus.
Vix diurnant diſcrepantium morum contubernia:
Vix vna domo moratur cum nepote ſobrius.
Vis fieri ſapiens? ſapientis contubernio vtere.
Numquam coëunt vitia ipſa cum virtutibus.
Periculoſè cum ſerpente luſitas.

Et alius:

Claudicare diſces, vni ſi vel claudo aſſueueris.

Conuerſatio bonorum de malo facit bonum:
Fermentumq; item farinæ vim ſuam communicat.
Nil niſi ſordidum è ſeruili contubernio trahas.
Peſtilentius malorum contubernio nihil,
Conſortio redderis improbi in probus.
Mores trahuntur cuique à conuerſantibus.
Vis noſſe regem? familiares noſcito.

Patet in Roboam 3. Reg. 12.

Deniq; Crates epiſt. 12. ad Origenem: *Non rus,* inquit, *bonos reddit, neq; vrbs malos ſed bonorũ & malorum commercia. Quare ſi vis tibi bonos & non malos euadere liberos mitte non in agrum, ſed ad Philoſophi domum, quò & ipſi commeantes honeſtatẽ didicimus. Conſtat enim exercitatione virtus, neque vltro ſe in animos hominum ingerit quemadmodum malitia.*

Peccatores perseqvitvr malvm: et ivstis retribventvr bona] Septuag. *eos qui peccant perſequentur mala: & iuſtos apprehendent bona.* Vers. 21.

Malum accipe tum culpæ, tũ potius pœnę, ſupplicij & vindictæ. Culpa enim admiſſa perſequitur eum qui illam admiſit, iugiterque eius conſcientiam ſtimulat, pungit, angit, cruciat, vt vbique criminis ſibi conſcius paueat, trepidet, & carnificem vel vindictam Dei meticuloſus expectet. Vnde S. Baſilius apud Antonium in Meliſſa parte 1. ſer. 16 *Sicut,* inquit, *vmbra corpora, ſic peccata ſequuntur animas, & manifeſtas facinorum repræſentãt imagines.* Sic in Vitis Patr. legimus vmbram pueri ab homicida occiſi iugiter homicidam, etiam iam monachum effectum, fuiſſe perſecutam, ac eius imaginationi perpetim ſe ſtitiſſe; dixiſſeq; *Cur me occidiſti?* ita vt monachus angore & tædio victus monaſterio egreſſus, vltrò, ſe iudici plectẽdũ tradiderit. Hoc cõſcientię flagellũ nemo impius euadit. Vnde Poëta.

Gnoma de pauore ma- ſa conſcientia.

Euaſiſſe putes quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit.
Occultum quatiente animo tortore flagellum;

Et alius:

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

E contrà *iuſtus confidit vt leo.* Præclarè Pacatus in Panegyr. Theodoſij Imp. c. 43 *Habet vires,* inquit, *habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſciẽtia eſt.* Et Quintilian. declam. 12. §. 18. *O triſtis,* inquit, *recordatio! O tormentis omnibus conſcientia grauior!* Et Chryſologus ſerm. 15. *Ruit, deſtruitur, ſtare non poteſt, quem conſcientia deſtituit, impellit reatus.* Philoſtratus lib. 7. de Vita Apollonij cap. 7. *Conſcientia eſt quæ homines punit, cùm ſe male operatos fuiſſe recogitant. Eadẽ enim Furiarum pœnas appoſuit Oreſti, quando aduerſus matrem inſaniit.* S. Auguſt. in pſal. 36. *Quiſquis malus eſt, mali ſecum eſt. Torqueatur neceſſe eſt: ſibi ipſi tormentum eſt. Ipſe enim eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua: fugit ab inimico quò potuerit; à ſe quò fugiet?* S. Gregor. in pſal. 143. *Nulla eſt maior afflictio quàm conſciẽtia delictorum. Cùm enim exterius patitur homo, ad Deũ confugit. Quid ſi malæ conſcientia tribulationẽ perferens, in arcano cordis non inuenit Deum, vbi conſolationem inueniet? vbi requiem perquiret?* Vice verſa magnum iuſtorum bonum & pręmium eſt teſtimonium bonę conſcientiæ, tempus fructuoſè expendere, ſanctæ puritati operam dare, Deo in tranquillitate ac ſinceritate vacare, ait Euſeb. Emiſſenus, & ex eo Dionyſ. hîc.

Pœna verò & vindicta Dei, æquè ac iudicum hominumque, perſequitur peccatorem, vt merita ab eo ſupplicia exigat. Iuſtitia enim Dei nullum ſcelus ſinit abire impunitum, ac vice verſa nullum bonum ſinit irremuneratum. Vnde Beda in Pro-

uerbijs: *Ante Dei vultum nil praui conſtat inultum.* Et A Poëta: *Rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo: noxa caput ſequitur.* Igitur ſicut prętor perſequitur fures vt ſuſpendat, ſic vindicta perſequitur peccatorem vt plectat. Notum eſt emblema Rhinocerotis de vindicta:

Rhinoceros ſtimulis vt vix pungentibus iras
Colligit, accenſas ſed ſatiare nequit:
Sic tandem in ſontes Nemeſis diuina redundans.
Maiori in pœnam fœnore tarda venit.

Præclare Oroſius lib. 7. aduerſus Paganos c. 22 *Prouocat*, inquit, *pœnam ſuam obliuioſa malitia. Impietas enim flagella quidem excruciata ſentit; ſed à quo flagellatur obdurata non ſentit.* Sic & *ſentit nocens priùs carnificem quàm videt.* Et: *Nemo iniquus eſt, à tergo cui non eſt pœna ſua.*

VERS. 22. BONVS RELINQVIT HEREDES FILIOS, ET NEPOTES: ET CVSTODITVR IVSTO SVBSTANTIA PECCATORIS] B Hebr. *bonus hereditate faciet filios filiorum & recondita iuſto facultates peccantis*; Septuag. *& theſaurizantur iuſto diuitię impiorum*; Syrus, *peccantium diuitiæ quas non vidit orbis.* Hęc ſententia clara eſt, & ſignificat non quid ſemper, ſed quid crebrò vel ſubinde fiat, præſertim in veteri teſtamento, cui promiſſa erant à Deo bona temporalia. Quare tunc communiter vir Bonus & probus bonorum ſuorum heredes relinquebat filios & nepotes, præſertim ſi illi patris bonitatem ſequerentur; ac tam paternæ probitatis quàm ſubſtantię eſſent hęredes. Idem nunc quoq; ſępè fit. Mali verò & improbi ſæpè bona ſua non tranſcribunt in poſteros & nepotes, præſertim ſi iniuſtè parta ſint, iuxta illud:

De malè quæſitis non gaudet tertius heres.

Imò non rarò Deus cuſtodit, id eſt, recondit & C tranſcribit iuſto ſubſtantiam peccatoris, vt quidquid ab eo relictum eſt, in vſus iuſti transferatur: iuxta illud, *Improbus præparabit, & iuſtus induet.* Dico non ſemper id fieri, ſed crebrò, vel ſubinde: quia crebrò contrarium quoque fieri videmus, ſcilicet bonos à malis rebus ſuis ſpoliari, iuxta illud Hebr. 10. 34. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Exempla huius ſentētię ſunt in Iacob fideli, cui Deus dedit pecudes & opes Laban infidelis ſoceri ſui. Gen. 31. 9. In Hebræis qui egredientes Ægypto iuſſu Dei mutuò accipiētes ab Ægyptijs vaſa aurea & argentea, &c. ea deinde retinuerunt, Exodi 12. 35. de quibus proinde dicitur Sap. 10. 19. *Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum.* Ijdem duce Ioſue expugnantes terram Chanaan, opes & bona Chananæorum occupauerunt. Sic hodie hæretici non rarò iuxta Iura Ciuilia & Canonica priuantur D bonis ſuis, illaq; dantur Catholicis. In Cod. Theodoſiano li. 16. tit. 5. ſunt leges Honorij & Theodoſij 43. 52. & 54. & in quibus præcipitur ædificia, prędia, & loca quæ ad conuenticula Donatiſtarum vel aliorũ hęreticorũ antea pertinuerant, ab Eccleſijs Catholicis vendicari, vel eiſdem ſociari debere: quas cùm velut iniuſtas Catholicis obijceret Petilianus Donatiſta, ſic eidem ex hoc Salomonis loco reſpondit S. Auguſt. li. 2. contra Petilianum c. 43. *Si autẽ*, inquit, *de rebus vel locis Eccleſiaſticis, quos tenebatis & non tenetis, queritmini, poſſunt & Iudæi ſe iuſtos dicere, & iniquitatẽ nobis obijcere, quia locum in quo impiè regnauerunt, modò Chriſtiani poſſident. Quid ergo indignum ſi ea quæ tenebãt hæretici, ſecundùm parem Domini voluntatem Catholici tenẽt? ad omnes enim ſimiles, id eſt omnes impios & iniquos, illa vox Domini valet: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iuſtitiam. An fruſtra ſcriptum eſt: Labores impiorum iuſti edent? Quapropter magis mirari debetis, quòd adhuc tenetis aliquid, quàm quòd aliquid amiſiſtis.* Et ca. 59. cùm obijceret Petilianus: *Dictum eſt: Non concupiſces rem proximi tui. Vos noſtra diripitis, vt pro veſtris habeatis*; reſpondet S. Aug. *Et ſi quæ iam præciſi poſſidere cœpiſtis, quia nobis ablata nobis Dominus dedit, nõ ideo concupiſcimus aliena, quia illius imperio cuius ſunt omnia, facta ſunt noſtra, & iuſtè noſtra ſunt: vos enim his vtebamini ad præciſionem, nos ad vnitatẽ. Alioquin & primo populo Dei poſſent illi obijcere alienæ rei concupiſcentiã, qui diuina poteſtate ab eorũ facie, quia ea terra malè vtebantur, expulſi ſunt: & ipſi Iudæi, à quibus ablatum eſt regnum, ſecũdùm verba Domini, Et datum eſt genti facienti iuſtitiam; poſſunt obijcere alienæ rei concupiſcentiam, quia Eccleſia Chriſti poſſidet, vbi perſecutores Chriſti regnabant.* B Quę omnia ex S. Auguſt. tranſlata ſunt in Ius Canonicum, & habentur 23. q. 7. c. 2.

Hinc gnomæ antiſtropha eſt illa c. 28. 8. *Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore liberali in pauperes congregat eas.* Vbi plura hac de re dicam.

Myſticè Beda & Baynus: vinea & ſubſtantia cœleſtis, id eſt Dei lex, gratia & Eccleſia cum ceteris bonis olim Iudæis repoſita, ab eis tamquam malis agricolis ablata, Gentibus locantur in ſanguine Chriſti iuſtificatis, Matth. 21. 33. & ſeq. Sic in gratiam & apoſtolatum traditoris Iudæ ſucceſſit iuſtus Matthias. Hinc dicitur Apocal. 3. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Vide ibi dicta.

MVLTI CIBI IN NOVALIBVS PATRVM: VERS. 23. ET ALIIS CONGREGANTVR ABSQVE IVDICIO] Hebr. *multus cibus in ſulcis*, vel *in aratione capitum: & eſt congregatus* vel *conſumptus abſque iudicio.* C Quæ verba varij variè explent & explicant. Hebr. enim רָאשִׁים *raſcim* tam capita, id eſt partes & primores, quàm pauperes ſignificat. Rurſum נִסְפֶּה *niſpe* tam congregari, quàm abſumi & perdi ſignificat.

Primò, ergo, Caieta. ſic vertit, *multus cibus ſulcus capitum, & eſt conſumptus in non iudicio*; ſicque explicat, q. d. Aliquis ager profert fruges multas, & aliquis inuenitur cõſumptus *abſque iudicio*, id eſt abſque ratione, cur hic ſit conſumptus, non ille, intellige de iudicio & ratione humana: Deus enim non ſine iudicio hanc diſparitatem facit, quam ſæpè videmus accidere.

Secundò, Aben Ezra, R. Salomon, & Vatabl. vertunt, *plurimum cibi eſt in nouali pauperum: vbi verò non agitur cum iudicio, inopia eſt.* Aut ſic: *& eſt qui pereat ob non ius*, id eſt, eò quòd non ritè colit agrum D ſuum: quia non ſeruat leges conſuetas colendi agrum. Heb. enim מִשְׁפָּט *miſpat*, id eſt iudicium, ſignificat rationem, ritum, legem, ius, conſuetudinem. Chald. *τὸ perit* non ad agrum, ſed ad hominem, putà agricolam, refert, qui perit & ad egeſtatem peruenit, eò quòd bono iudicio in colendo agro ſeſe nõ exerceat. vnde vertit, *multus cibus euenit pauperi: & eſt qui præter ius mortem oppetit.* Baynus verò optimè *τὸ perit* ad cibũ refert, ſiue annonam: hęc enim frequenter agricolis perit dum non legitimo tempore diſpenſatur; vel dum heredibus parum frugi relinquitur. Sic ſenſus erit, q. d. Multus cibus erit pauperibus, quando terræ ſemina credent; eamdemque diligenter colent cum iudicio, putà iuxta leges agriculturæ: nã vt dixit c. 12. 11. *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus.* Sin ſine iudicio

iudicio perperam & negligenter terram colant, perdentur fruges ipſius, ipſiq; fame peribunt. Vnde Iſidorus Clarius ſic clarè vertit, *multi cibi in noualibus pauperum: ille autem qui perditur, eſt abſque iudicio*, hoc eſt inquit, qui in agro ſuo in tempore omittit debita exercere officia arandi, occandi ſarriendi, metendi, &c. illius nouale nihil proferet.

Apologus. Huc facit apologus agricolæ & filiorum apud Æſopum. *Agricola quidam*, inquit, *vita exceſſurus, ac volens ſuos filios periculum facere de agricultura, vocatis ipſis ait: Filij mei, ego iam è vita diſcedo, vos autem ſi, quæ in vinea à me occultata ſūt, quæſieritis, inuenietis omnia. Illi igitur rati theſaurum illic defoſſum eſſe, omnem vineæ terram poſt interitum patris defoderunt, & theſaurum quidem non inuenerunt, ſed vinea pulchrè foſſa multiplicem fructum reddidit. Affabulatio. Fabula ſignificat laborem theſaurum eſſe hominibus.*

Mysticè. Myſticè, noſter Salazar & alij hęc ad eleēmoſynam referunt, q.d. Pauperes vtique arua ſunt arata, iterata & nouata, quę cùm eleēmoſynarum ſemen exceperunt, vberrimos fructus afferunt. Quapropter *alijs congregantur abſque iudicio*, nimirum cibi. q.d. Illi prorſus iudicio ac mente carent, qui cùm poſſint diuitias ſuas in pauperes ſpargere, & ſic cum ipſis in cælum transferre, eas alijs congerunt & aſſeruant. Vnde S. Ambroſ. lib. de Nabutha Iezraelita c. 7. ad illa verba: *Seminate vobis ad iuſtitiam*, Oſeę 10. *Eſto*, inquit, *ſpiritualis agricola: ſere quod tibi proſit: bona ſatio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus vberiores quàm acceperis, quanto magis miſericordiæ remuneratio reddet multiplicatiora quæ dederis? Tibi proficit, quidquid inopi contuleris: tibi creſcit, quidquid in pauperes erogaueris: ſeminatur in terra, germinat in cælo: plantatur in paupere, apud Deum pullulat.* Et S. Baſil. homil. in diteſcentes auaros: *Sicut*, inquit, *frumentum in terram cadens lucrum proijcienti parit, ſic & panis in eſurientem proiectus.* Similia plura habet S. Chryſoſt. hom. 42. & 55. in Geneſ. & hom. 5. in Matth.

Tertiò, Septuag. & Syrus per *noualia* intelligunt annos; eò quòd ſingulis annis agri arentur & nouentur; vt ſit metalepſis, ſimilis illi Virgilij:

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Inſuper per *raſcim*, id eſt capita, accipiunt iuſtos, qui apud Deum hominum ſunt capita & primores. Deniq; per *cibos* accipiunt opes, vnde vertunt, *iuſti facient in diuitijs annos multos cum voluptate* (vt habent Septuag. in Catena Græc.) *iniuſti autem peribunt breui*; Syrus verò, *multi anni diuitias profligant, & homines penitus perierunt*. Iuxta Septuag. ergo hic verſus cohæret præcedenti, eumque explicat, & per auxeſin amplificat, q.d. Iuſti non tantùm bonorum ſuorum hęredes relinquent filios & nepotes, ſed & ipſi longęui per multos annos bonis ſuis fruentur: iniuſti verò adeò non relinquent bona ſua heredibus, vt & ipſimet breuis futuri ſint æui, breuique tam vita quàm bonis ſint ſpoliandi.

Quartò, alij, vertunt, *multus cibus in noualibus principum eſt conſumptus abſque iudicio.* Senſus eſt clarus, q.d. Principes multa habent prædia, ex quibus magnas quidem fruges & opes colligunt, ſed quia eas ſine iudicio, id eſt, ſine diſcretione, temerè, in famulos, aſſeclas, paraſitos profundunt & conſumunt, hinc pauperes remanent & nudi, perinde ac ſi prædia tanta non haberent.

Quintò, Noſter, optimè vertit, *multi cibi in noualibus patrum: & alijs congregantur abſque iudicio.* Vbi imprimis Nota. *Nouale* eſt nouus ager, idque triplicitcr: primò enim *nouale* dicitur aruum tunc primùm ad ſementem proſciſſum, ait Seruius. Vnde Virgil. ecloga 1.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?

Nouale ergo eſt pratum vel ſilua, cùm exciſis arboribus ſentibuſque ager fit, arandoque ſubigitur. Secundò, nouale eſt, quod alternis annis ſeritur. Vnde Varro: *Qui intermittitur, à nouādo nouali ager, dicitur.* Tertiò, quilibet ager dum arando quaſi innouatur, nouale dicitur. Vnde Feſtus: *Nouale*, ait, *eſt ager noua relictus ſementi.* Et Seruius: *Nouale*, inquit, *eſt noua terra, quæ per ſingulos annos renouatur per ſemina.*

Rurſum pro *alijs* tredecim codices legunt, *alij*: cui lectioni fauent Hebræa & Chald. Hebr. enim eſt, *& eſt* נִסְפֶּה *niſſe*, id eſt congregatus (cibus) abſque iudicio. Si ergo legas *alij*, antitheſis eſt clara, Senſus enim, ait, Ianſenius eſt, q.d. Multos cibos parant ſibi filij ex nouabibus patrum ſuorum, hoc eſt, ſi inſiſtant laboribus patrum, & eorum diligentiam æmulentur, quia cibi ſic quæſiti diuina benedictione multiplicantur. At ſunt alij cibi, id eſt, aliqui cibi ſunt, qui à pleriſq; congregantur iniuſtè, non cum debito iudicio, quia ſcilicet non diſcernunt, & quomodo debitè cibi parandi ſint, iuxta habentes ſiue per fas, ſiue per nefas, ſiue honeſtè, ſiue inhoneſtè congregent; & quomodo iniuſtè parta mox dilabentur. Docet ergo hæc ſententia iuxta hunc intellectum, quoſdam ſibi colligere prudenter & honeſtè, alios imprudenter & inhoneſtè.

Verùm quia codices Romæ emendati ceterique paſſim habet *alijs*, non *alij*, quæ lectio etiam conſentit Hebræo: *niſſe* enim ſignificat contraria, ſcilicet congregare, & auferre ſiue adimere: vnde congregare ſubinde in Script. ſumitur pro auferre & perdere, & congregatio vocatur mors & perditio; vt Oſee 4. 3. *Et piſces maris congregabuntur*, id eſt, auferentur, deficient, morientur, vt vertunt Septuag. & Chald. Cauſas huius phraſis & ſignificationis ibidem aſſignaui. Igitur cibi, qui alijs congregantur, hebr. vocantur *niſpim*, id eſt ablati, adempti, perditi: quia quæ alijs congregantur, hæc ab hero auferuntur & adimuntur, itaque congreganti pereunt. Et ſic hic ſenſus eòdem recidit, quò ſecundus paulò antè datus, qui eſt plurium Hebręorum. *Et eſt qui perit defectu iudicij*, vel, vt Tigur. *ubi vero non agitur cū iudicio, inopia eſt.* Sēſus ergo eſt, q.d. Sunt qui cùm multos cibos habeāt ex patrum ſuorum noualibus, id eſt aruis & agris arando innouatis & excultis, hoc eſt, cùm victus eis abūdet ex prædijs opibuſque paternæ hereditatis; tamen hæc omnia ab eis abſque iudicio, id eſt ſtultè & imprudenter alijs congregantur. q. d. Tam ſtulti ſunt plerique, vt quod eis à patribus relictū eſt, eo non vtantur ſibi, ſed idipſum alijs ſtultè congregent: quia ſcilicet prodigi ſunt, & ſua in alios profundunt, vel negligentes & improuidi ſinunt ſua perire, & ab alijs occupari. Significat ergo hæc parœmia, prædia opima parentum ſæpè à filijs profundi & diſſipari; eò quòd careant iudicio & prudentia ea excolendi, conſeruandi, & frugaliter diſpenſandi. Sic videmus ampla patrimonia euerti, cùm heredibus parum frugi, vel improuidis, aut incuriis relinquuntur, cùm ſcilicet illa quæ parentes induſtrij magno labore cōgregarunt, filij prodigi dilapidant, & vecordes diſſipant; vnde illud tritum; *O quàm magnum vectigal eſt parſimonia!*

A Hinc patet hanc gnomen, *Multi cibi in noualibus patrum, & alijs congregantur abſque iudicio*, parallelam eſſe illi quę antecesſit; *Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris.* Peccator enim eſt, qui abſque iudicio alijs, præſertim iuſtis, ſua congregat.

Myſticè Beda, & ex eo Dionyſ. *In noualibus*, inquiunt, *id eſt in libris, doctrinis, exemplis, patrum ſunt multa alimoniæ ſpiritales, quæ alijs ſine iudicio congregantur, dum quis talia prædicat proximis, nec tamen ipſe proficit inde, neque reficitur mente.* Sic S. Gregor. initio Moral. c. 1. & initio Dialog. fatetur ſe exemplis & alloquijs Sanctorũ mirè ad virtutem excitari, ideóque ſe eorumdem vitam in Dialogis ſcribere. Idẽ de ſe teſtatur S. Bernard. ſerm. 14. in Cantic. Vide noſtrum Aluarez de Paz li. 5. de Perfect. p. 2. c. 27.

Pari modo hanc parœmiã applices ſacerdotibus paſtoribus, prædicatoribus, qui in noualibus, putà in doctrina, ſcriptis & geſtis S. Petri, S. Pauli, S. Auguſtini, S. Leonis, S. Gregorij, &c. magna ſpiritus &
B doctrinæ alimenta & ſomẽta habent; ſed nonnulli quibus magis ſapit caro & mundus quàm ſpiritus, hæc laicis legenda, ruminanda, & exercenda relinquunt. Simili modo Religioſi copioſa & delicata ſpiritus alimenta ſibi repoſita habent in noualibus patrum ſuorum, putà in regulis ſcriptis & exemplis fundatorum, patrum, anteceſſorumq; ſuorum, v. g. S. Antonij, S. Baſilij, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Fráciſci, S. Dominici, S. Ignatij, S. Xauerij, &c. ſed qui tepidi vel torpidi ſunt hęc alijs, etiam ſęcularibus, imitanda relinquunt, qui proinde pręcedẽt illos in regno Dei cum magno ipſorũ probro & cõfuſione, iuxta illud Chriſti Matt. 12. 41. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce pluſquã Ionas, hic*, &c. Et c. 11. v. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ*
C *eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis*, &c.

Aliter hanc parœmiam explicat Lyran. *Multi cibi, in noualibus patrum: quia patres antiqui*, inquit, *ſuis laboribus coluerũt terras priùs incultas, quę dicuntur nouales: & ſic multiplicati fuerunt cibi in ſuſtentatione ſequẽtium. Et alijs congregantur abſq; iudicio, id eſt abſque labore, id eſt, quia non ſequuntur talia quaſi mercedẽ laboris ſui, in quo eſt quædam executio iuſtitiæ, quæ propriè eſt iudicium. Myſticè exponas de cibis mentis: quia antiqui patres & philoſophi multùm laborauerunt in inuentione ſcientiarum & artium, quibus poſteri reficiuntur abſq; tali labore.* hucuſque Lyran. quem ſequitur Hugo.

Aliter & noſter Salazar, qui putat agriculturam velut artium innocentiſſimam & vtiliſſimam, con-
D ferri & pręferri mercaturę. q. d. Optima & iuſtiſſima parãdarum copiarum induſtria eſt in agris colendis, qua parẽtes ad filios locupletandos vti debent: qui bene admodum cum liberis ſuis agunt, ſi illis amplos fundos & prędia ad culturam hereditario iure relinquant. *Et alijs congregantur abſq; iudicio*; nimirum alijs rationibus aut artibus cibi, id eſt facultates, congeruntur liberis ſine iudicio, hoc eſt iniuſtè, & cõtra fas fraude & iniuria. Nam mercatura & negotiatio fraudibus atq; iniurijs plurimũ ſubiacet: agricultura verò innocentiſſima ars eſt.

Symbolicè idem (licet ipſe putet eſſe ſenſum litteralem) per *noualia patrum* accipit filios. q. d. Arua & agri parentum ſunt filiorum mentes, quas parentes bonis præceptis & diſciplinis arare & ſeminare debent, vt eos dignos facultatum ſuarum heredes relinquant. *Et alijs congregantur abſque iudicio*, id eſt, ſi quis pater alijs quàm his ritè cultis & inſtitutis filijs congerit congregatque, is equidẽ imprudens eſt & vecors. Facit id pater, qui magis intendit congerendis opibus & prędijs, quę filio relinquat vt eum ditet, quàm inuigilet eius inſtitutioni, diſciplinæ & virtuti. Talis enim filius carens diſciplina neſciet opibus ſibi relictis vti, ſed eas prodiget, & in meretrices ac paraſitos conſumet, quibus proinde ea pater cõgregauit, non filio. Sic Plutarchus tract. de Liberis educandis: *Sicut in agrorũ* ait, *culturam bonam eſſe imprimis terram oportet, tum ſeminandi peritum agricolam, denique bona ſemina: pari modo terræ filium, agricolæ præceptorem, ſeminibus ſtudiorum, inſtitutiones & præcepta aſſimilabis.* Et S. Chryſoſt. in epiſt. 1. ad Timot. hom. 9. *Vis*, inquit, *filium relinquere diuitem, bonum illum ac benignum eſſe doce; ita enim rem familiarem etiam auctiorem facere poteris. Quòd ſi malus ille fuerit, etiamſi infinitam ſubſtantiam relinquas, non illi cuſtodem reliquiſti. Rurſus filijs nõ rectè inſtitutis præſtat quidẽ pauperes eſſe quàm diuites: paupertas enim vel inuitos coërcet; atque intra virtutis limites continet. Opes verò ne volentes quidem pudicè ac temperanter viuere ſinunt, verùm exorbitare faciunt atque peruertunt, maliſq; innumeris ſubiugant.*

QVI PARCIT VIRGÆ Septuag. *baculo*) ODIT FILIVM SVVM: QVI AVTEM DILIGIT ILLVM, INSTANTER ERVDIT] Hebr. *qui prohibet* vel *abſtinet, virgam ſuam, odit filium ſuum: & qui amat illum, manicat*, id eſt manè quærit illi caſtigationẽ, manè illum caſtigat; Septuag. *diligentes erudit*; Scholiaſtes, *diluculo adhibet ei caſtigationem*; S. Hieron. *qui autem diligenter corripit, diligit.* Senſus eſt clarus, q. d. Qui non caſtigat filium peccantem ne eum affligat, videtur id ex nimio eius amore omittere; at reuera hic non eſt amor, ſed odium: quia cauſa eſt vt filius fiat ignauus, rebellis, improbus, taliſque quem penè neceſſario pater auerſari & odio habere debeat. Vnde illud: Vers. 24

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

At qui verè & cordatè diligit filium, hic aſſiduè eum *erudit*; hebr. יסר *iaſar*, græcè παιδεύει, id eſt inſtituit, format, corripit, & cùm opus eſt flagellat, vt vitia reſecet, virtutes inſerat.

Hinc præclarè Hugo victor Inſtitut. monaſt. ad nouitios c. 10. ait, *diſciplinã malorum deſideriorum eſſe carcerem, frænum laſciuiæ, elationis iugum, domare intemperantiam, leuitatem conſtringere, incompoſitos animi motus ſuffocare.*

Sed cur Hebræa addunt τὸ *manè* vel *diluculo*? Reſp. Primò, quia matutinum tempus maximè oportunum eſt inſtitutioni, doctrinæ & diſciplinæ: manè enim viget mens, animus, ingenium. ita R. Salomon & Aben Ezra.

Secundò, quia quod manè diſcit filius, illius memor eſt, illudque retinet & facit per totum deinceps diem: quare matutina diſciplina eſt illi monitor & cautio vſque ad veſperam, ne quid mali committat.

Tertiò, *manè*, id eſt à pueritia, à prima ætate: hæc enim eſt velut aurora totius vitæ. ita R. Leui.

Quartò, quia manè animus eſt ſedatior & tranquillior, inquit Iaſenius, vt non ex ira quę iam deferbuit, ſed ex ratione delicta præcedẽtis diei corrigat & caſtiget. Simili modo Deus quos amat, caſtigat, iuxta illud c. 3. 12. *Quem diligit Dominus, corripit: & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Quare ſicut ma-

maximum ſignum eſt odij & indignationis Dei, cùm non corrigit peccatores, ſic maximum amoris indicium eſt, cùm eos caſtigat, iuxta illud pſal. 98.8. *Deus tu propitius fuiſti eis & vlciſcēs, in omnes adinuentiones eorum.* Et 2. Machab. 6.13. *Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium.*

Salomonem de more ſecutus Ben Sira in Sentent. ſic pronuntiat: *Aurum indiget percuſſionis, & puer verberationis*, hoc eſt, *aurum tundi debet, & puer verberari.* Quòd ſi ferulæ parcas, fit nequam & inutilis, perinde vt aurum minùs vtile exiſtit, niſi malleo in certam formam cudatur; Scholiaſtes explicat hoc modo. Vt aurum ſi illud tundas, magis fulget, ſic puer ſi eum verberes, euadit melior. Nam vt argilla, ita rudis ætas, in quamcumq; ducas partem, ſequitur: at vbi obduruit ingenium, haud facilè in aliam refingitur formam. Quocirca ſapienter pręcipit Salomon ne puerum caſtigatione, cùm opus eſt, priuemus, Prouerb. 23. v. 13. Quoniam annexam habet cordi ſtultitiam, quam virga caſtigatrix propellit, ait cap. 22.15. Proinde qui filium amat, caſtigationem maturat, inquit cap. 13.24. qua ei ſapientiam conciliat, ait ca. 29.15. & ſibi animi voluptates, ibid. verſ. 17. Poſtremò quòd maximum eſt, filij animam ab inferno defendit, ait ca. 23.14.

Singulares in liberorum inſtitutione fuere Lacones ſiue Spartani, de quibus Plutarchus in Laconicis: Apud Lacedęmonios, inquit, puer abs quopiam caſtigatus, ſi querelam ad patrem detuliſſet, turpe erat patri, ſi hoc audito non iterum filium emendaſſet. Siquidem ex inſtitutione maiorum habebāt hanc de ſe mutuo fiduciam, vt crederent neminem eſſe, qui cuiuſquam liberis, quos quiſq; pro ſuis habebat, quidquā imperaret inhoneſtum. Prima ætas quoniam nondum ſentit quid turpe, quid honeſtum, verberibus eget. Solent autem pueri à pręceptoribus cęſi apud parentes queri de crudelitate eorum à quibus caſtigati ſunt. Ea res quoniam minuebat aliorum ſeniorum auctoritatem, hanc feneſtram occluſerunt liberis ſuis, vt omnium ſeniorum eadem eſſet in pueros auctoritas quæ patribus. Themiſtocles quoniam adoleſcens feroci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores dicere ſolebat, *Aſperos & indomitos pullos in optimos equos euadere, ſi quis illis adhibeat diſciplinā, rectamq; inſtitutionem.* ita Plutarch. in eius Vita. Idem ei pędagogus dicere ſolebat. *Nihil mediocre futurus es ô puer: nam aut magnum bonum eris reipubl. aut magnum malum.* Generoſa enim indoles ſi accedat recta inſtitutio, magno bono eſt patriæ: ſin ad vitia degeneret, ingēs affert malum. ita Plutarch. in Themiſtocle. Demetrius Phalereus adoleſcentum faſtuoſorum ſublimitatem dicebat in educatione amputandam eſſe; ſed relinquendam ſobrietatem. Docuit vir ſapientiſſimus, hęc ingenia non eſſe deſperanda, ſed quod redundat in inſtitutione recidendum eſſe, ita Laërt. lib. 5. c. 5.

Vers. 25. IVSTVS COMEDIT, ET REPLET ANIMAM SVAM: VENTER AVTEM IMPIORVM INSATVRABILIS] Hebr. *iuſtus comedit ad ſaturitatem animæ ſuæ* (id eſt, deſiderij ſui, ait Vatabl. hoc eſt, deſiderium ſuum explet) *venter autem impiorum deficiet* vel *egebit*; Septuag. *anima autem impiorum egena.* Baynus τὸ *deficiet* ſic exponit, q.d. Iuſtus temperantiam ſeruans in cibo robur ſtomachi conſeruat, vt ad ſatietatem comedere poſſit: at impius gulæ & crapulæ indulgendo ſtomachum ita debilitat, vt cibos aſpernetur, nec cibum vitæ ſuſtentandæ neceſſarium ſumere & digerere valeat.

Alij *deficiet*: Quia inquiunt, auari ex auaritia, vt opes augeant, non audent veſci ad ſaturitatem, ſed fame ventrem latrantem conficiunt.

Verùm alium ſenſum poſcit verſio Vulgata, q.d. Iuſtus comedit vſque ad ſatietatem, ſatiatque animam, id eſt animæ ſuæ famem & deſiderium: tum quia prudens eſt liberalis, ſuiſque frugaliter & temperanter vtitur ad iuſtam ſui ſuorumque ſuſtentationem; tum quia ſuo labore victum, quo ſe ſaturet, ſibi parat; tum denique, quia ex Dei benedictione fit, vt iuſtus alimenta ad ſaturitatem neceſſaria ſibi conquirat, vtque hęc eum ſufficienter alant, ſaturent, roborent, exhilarent ad meliùs ſua munia obeundum, Deoque ſeruiendum. *Impiorum autem venter inſaturabilis eſt*: quia eorum fames & gula non ſatiatur: ſiue quia noua ſemper pluraque & magis delicata appetit, ideoque eſt inexplebilis: ſiue ob penuriam & egeſtatem, in quam vel ob ſocordiam, vel ob Dei maledictionem incurrit. Vnde hebr. eſt *deficiet*, vel *egebit*. Hinc & *inſaturabilis* ſumi poſſet pro *inſaturatus*, q.d. Venter impiorum non ſaturatur, ſed egeſtate & fame conficitur. Sic *incredibilis* ſumitur pro *incredulo* ad Titum 1.16. Baruch. 1.19. Eccli. 1.36. alibi. Sic & Ierem. c. 15. 18. ait: *Plaga mea deſperabilis*, id eſt deſperata, *renuit curari.*

Tres ergo cauſæ ſunt, cur iuſtus ſaturetur: Prima, quòd labore ſibi paret victum quo ſatietur. Secunda, quòd moderetur ſuæ gulæ per temperantiam. Tertia, quòd Deus eius laboribus & frugibus benedicat, eiſque virtutem ſatiandi & nutriendi tribuat. Totidem cauſæ ſunt cur impius non ſaturetur. Prima eſt deſidia qua torpet, nec vult laborare, vt alimenta comparet. Secunda, quòd gulę ſuę indulgeat: gula autem eſt inſatiabilis. *Initium vitæ hominis aqua & panis*; ait Eccleſiaſt. c. 29. v. 28. guloſis autem non ſufficiunt tot genera fructuum, leguminum, herbarum: quęruntur noui in mari piſces, nouę in terra ferę, nouę volucres in aëre, ſaginantur altilia, atque his noua miſcentur aromata, noua cōdimenta, & gulę irritamenta infarciuntur. Tertia, quòd Deus frugibus & alimentis impiorum maledicat, vimque nutriendi & ſatiandi adimat, & quaſi exſufflet, iuxta id quod minatur Oſee c. 4.10. *Et comedent & non ſaturabuntur:* Et Aggęus c. 1.6. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Vide ibi dicta.

Sic manna ſatiabat iuſtos, imò dabat eis omnem ſaporis ſuauitatem. Sapien. 16. 20. impijs verò mouebat nauſeam, Numer. 11.5.

Hæc ſententia ſæpè vera eſt in bonis corporalibus, ſed ſemper in ſpiritalibus.

Vnde allegor. S. Hier. hæc accipit de cibo verbi Dei quo paſcitur Eccleſia. Audi eum in Amos c. 8. ſub finem. *Ex quo intelligimus*, inquit, *quando doctrina non fuerit in Eccleſijs, perire pudicitiam, caſtitatem mori, omnes abire virtutes: quia non comederunt verbum Domini, quod qui comederit, ſaginatus eius cibo audiet per Salomonem: Iuſtus comedens ſaturat animam ſuam: anima autem impiorum eſurient. Et Dauid cantabat: Iunenis fui, & ſenui; & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Quanti Martyres in perſecu-*

tionibus perierunt fame, & indiguerunt frumento alimentisq; iſtis corporum. Ergo de eo dicit pane, qui de cælo deſcendit: quem qui comederit, nec eſurire poterit, nec ſitire.

Tropolog. Dionyſ. Iuſtus, inquit, ſpiritalibus ſe reficit alimentis, & animam ſuam replet pijs affectibus. Venter autem impiorum inſaturabilis; id eſt cor eorum terrenis rebus non ſatiatur, imò inſtar hydropicorum quo plura acquirunt, eo plura deſiderant; ac ſicut hydropicis creſcit ex potu ſitis, ſic ipſis ex adeptione creſcit affectio. Vnde Seneca: *Inopi*, inquit, *pauca deſunt, auaro omnia.* Reſtringendus eſt igitur venter, id eſt cordis deſiderium & auiditas. Et Hugo Cardin. Iuſtus comedit, inquit, vbique, & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſaturabilis. Et mox. Venter impiorum eſt cupiditas; quę inſatiabilis eſt, ſicut dicitur Ecclesiaſtæ 5. *Auarus non implebitur pecuniâ.* Et multis de cauſis eſt inſatiabilis. Prima eſt, quia non habet fundum: eſt enim quaſi ſaccus pertuſus. Secunda, quia ſemper creſcit, etiam ex ſolo aſpectu cibi, id eſt diuitiarum. Tertia, quia nihil eorum quę cupit, mittitur in hunc ventrem. Cupiditas enim in corde eſt vbi pecunia intrare non poteſt, quomodò ergo extinguere poteſt famem cordis pecunia in arcam miſſa? Quarta eſt, quia huiuſmodi cupita non ſunt impletiua cordis humani, vbi eſt fames cupiditatis. Sicut enim deliraret, qui conaretur arcam implere ſapientiâ, quæ illius omnino capax non eſt, ſic certè multi delirant, qui cor humanum conantur implere pecuniâ. Quinta eſt, quia omnia huiuſmodi concupita vana ſunt, & potiùs faciunt vacuitatem quâm repletionem, iuxta illud Gen. 1. *Terra autem erat inanis & vacua.* Hæc Hugo.

Cupiditas inſatiabilis ob quinque cauſas.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

GNomæ de varijs ſapientiæ & ſtultitiæ proprietatibus: prudentiam quoſlibet ſtatus rite ordinare: eamdem commouere ad miſericordiam, & affectiones moderari: imprudentiam autem & vitia perdere filios Adæ.

1. SApiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens extructam quoque manibus deſtruet. 2. Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via. 3. In ore ſtulti virga ſuperbiæ: labia autem ſapientium cuſtodiunt eos. 4. Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt: vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis. 5. Teſtis fidelis non mentitur: profert autem mendacium doloſus teſtis. 6. Quærit derīſor ſapientiam, & non inuenit: doctrina prudentium facilis. 7. Vade contra virum ſtultum, & neſcit labia prudentiæ. 8. Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans. 9. Stultus illudet peccatum & inter iuſtos morabitur gratia. 10. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. 11. Domus impiorum delebitur, tabernacula verò iuſtorum germinabunt. 12. Eſt via, quæ videtur homini iuſta: nouiſſima autem eius deducunt ad mortem. 13. Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. 14. Vijs ſuis replebitur ſtultus & ſuper eum erit vir bonus. 15. Innocens credit omni verbo: aſtutus cõſiderat greſſus. Filio doloſo nihil erit boni: ſeruo autem ſapienti proſperi erunt actus, & dirigetur via eius. 16. Sapiens timet, & declinat à malo: ſtultus tranſilit, & confidit. 17. Impatiens operabitur ſtultitiam: & vir verſutus odioſus eſt. 18. Poſſidebunt paruuli ſtultitiam, & expectabunt aſtuti ſcientiam. 19. Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iuſtorum. 20. Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit: amici verò diuitum multi. 21. Qui deſpicit proximum ſuum, peccat; qui autem miſeretur pauperis, beatus erit. Qui credit in Domino, miſericordiam diligit. 22. Errant qui operantur malum: miſericordia & veritas præparant bona. 23. In omni opere erit abundantia: vbi autem verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas. 24. Corona ſapientium, diuitiæ eorum: fatuitas ſtultorum, imprudentia. 25. Liberat animas teſtis fidelis; & profert mendacia verſipellis. 26. In timore Domini fiducia fortitudinis & filiis eius erit ſpes. 27. Timor Domini fons vitæ, vt declinent à ruina mortis. 28. In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis. 29. Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia: qui autē impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. 30. Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, inuidia. 31. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. 32. In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem iuſtus in morte ſua. 33. In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet. 34. Iuſtitia eleuat gentem: miſeros autem facit populos peccatum. 35. Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam eius inutilis ſuſtinebit.

SAPIENS

Vers. 1. SAPIENS MVLIER ÆDIFICAT DOMVM SVAM: A INSIPIENS EXTRVCTAM QVOQVE DESTRVIT] Hebr. *ſapientes mulierum*, id eſt vnaquæque ſapiens mulier, ait Vatabl. *ædificauit domum ſuam & ſtultitia* (id eſt ſtulta, per ſtultitiã ſuam) *deſtruit illam*: Vnde Chald. *quæ ſapiens eſt inter mulieres*, &c. Septuag: *ſapientes mulieres ædificarunt domos: imprudens autem demolita eſt ſuis manibus.*

Per *domum* accipe familiam & rem familiarem, putà filios, filias, ancillas, ſeruos, eorumque pacem concordiam, virtutem ac ſtrenuitatem, qua fit vt annona, veſtibus, ceteriſque rebus abundent, ac opes & prædia adaugeant. Hæc enim præſtat ſapiens mater familias, vt patebit cap. 31. huius enim eſt domũ regere, ſicut viri eſt curare res externas & forenſes. Vnde Apoſtolus iubet Titum ca. 2. 5. erudire *adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, ſobrias, caſtas, domus curam habentes.* B Hinc & Gloſſa Interl. Geneſ. 2. ad illa: *Et ædificauit Dominus coſtam quam tulerat in mulierem. Coſta*, inquit, *ædificata in mulierem, vt mulier ipſa domus gubernandæ exemplar eſſet.* Et Ariſtot. in Oeconom. lib. 1. c. 1. *Probam mulierẽ*, ait, *omnibus quæ ſunt intus dominari oportet, curamq; habere omnium ſecundùm ſcriptas leges.* Et inferiùs: *Matrisfamilias vita totius domus eſt regula.* Sic Ruth ædificauit domum Boos, *Rachel & Lia ædificarunt domum Iſrael*, Ruth. 4. 11. Sara domũ Tobię, Abigail domum Nabal, &c. Sic etiamnum in Calabria, vbi vigent mori & bombyces nentes ſericum, quibus præſunt feminæ, videmus per domos feminam vnicam huius artis peritam alere totam domum & familiam. Itaque ſenſus eſt, ait Ianſen. q. d. Vxor ſapiens ſuâ diligẽtiâ ac prudenti adminiſtratione & gubernatione familiam ſuam etiam exiguam, & nullius inprimis pretij, egregiè C inſtruit, amplificat, auget, proſpiciens domui de omnibus neceſſarijs, rectèque educans ſuos filios ac domeſticos. Contrà inſipiens etiam ab alio bene inſtructam non tantùm perire ſinet, ſed ſuis ipſa manibus per ſuam inſipientiam deſtruet ac perdet, domeſticas opes dilapidando, ac domeſticos quoſque ſuis ſermonibus, factis & exemplis euertendo. Simonides laudat vxorem, quæ ſimilis eſt apiculæ, caſta, frugalis, intenta operi, non vagabunda, fouens ſobolem. Myſticè hæc ſententia impleta eſt in Eccleſia Gentium & Synagoga Iudæorum.

Symbolicè, mulier ſapiens eſt regina, quæ ſuâ ſapientiâ tam domum & familiam ſtirpemque mariti, quàm totum regnum ædificat, cumulatque omni bono temporali & ſpirituali. Sic Clotildis D ædificauit domum Clodouei & regnum Franciæ, præſertim dum maritum cum regno ad Chriſtum conuertit. Sic S. Cunegundis ædificauit domum Henrici I. Imp. totumque Imperium; S. Blanca ædificauit domum S. Ludouici regnumque Galliæ; S. Hedwigis regnum Polonię. S. Eliſabetha regina Luſitanię nuper à S. D. N. Vrbano VIII. Sanctorũ catalogo adſcripta, ædificauit regnum Luſitaniæ: vnde ab ea deinceps omnes reges Hiſpaniæ & Luſitaniæ vſque ad modernum Philippum IV. rectâ ſerie deſcendunt.

Tropol. mulier ſapiens eſt mens, quæ domum animæ ſuæ, ait Hugo, ædificat omni virtute & ſapientiâ.

Porrò Beda in Locis communibus cap. 72. de ſimplicitate, fabricam ſpiritualem animæ, ſiue domum virtutum, appoſitè ita ex S. Hieron. per partes ſigillatim conſtruit & deſcribit: *Fabrica ſpiritalis eſt fides firma in corde, galea ſalutis in capite, verbum veritatis in ore; bona in mente voluntas, dilectio Dei in pectore, præcincta caſtitas in ardore, honeſtas in actione, ſobrietas in conſuetudine, ſtabilitas in bonitate, patientia in tribulatione, ſpes in Creatore, amor vitæ æternæ, perſeuerantia vſque in finem.* Plura de myſtica hac Eccleſiæ & animæ fabrica dixi in fine Aggæi Prophetæ.

Allegor. mulier ſapiens eſt B. Virgo quæ per Chriſtum ædificatur, & indies ædificat Eccleſiam numero & virtute fidelium, putà Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, &c. vti pluribus dixi c. 8. 22. & cap. 9. 1.

AMBVLANS RECTO ITINERE, ET TIMENS Vers. 2. DEVM, DESPICITVR AB EO QVI INFAMI GRADITVR VIA] Hebr. *ambulans in rectitudine ſuâ timens (vel timet) Dominum: & peruerſus vijs ſuis deſpiciens (vel deſpicit) eum.* Vbi *ſo eum* tam referre poteſt *Dominum* quàm ambulantem in rectitudine ſua. Ad *Dominum* referunt R. Salomon, R. Leui, Ianſen. & alij, idque duplici ſenſu. Prior eſt cauſalis. q. d. Cauſa cur quis ambulet rectâ virtutis viâ, eſt timor Domini, ſiue quòd timeat Dominum. Hic enim timor eum aſſiduè ſtimulat, vt recta incedat via Deo placitâ, ne ſicubi exorbitet Deum offendat. Vice verſa cauſa cur quis prauus & peruerſus ſit in vijs, id eſt actionibus, ſuis, eſt, quòd deſpiciat Deum Deique timorem. Qui enim excuſſit Dei metum, hic effrænis ſenſim in omnia ſcelera ruit, vti ruunt athei & politici. ita auctor Catenæ Græcor. Rurſum ſic exponas, q. d. Qui ambulat rectâ virtutis viâ, hic manifeſtum dat indicium quòd timeat Deum: qui verò peruerſâ vitij viâ incedit, hoc ipſo ſignificat, ſe Deum deſpicere. Vita enim exterior teſtatur internum Dei timorem vel contemptum, iuxta illud S. Gregorij: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.*

Poſterior eſt, q. d. Qui rectâ legis diuinæ normâ ambulat, hic timet, id eſt reueretur & religiosè colit Deum; qui autem à norma hac exorbitat, hic paulatim Deum, Deique reuerentiam & cultum deſpicit. Sicut enim virtus parit timorem cultumque Dei, ſic vitium & vitioſa vita parit Dei, religionis & pietatis contemptum: iuxta illud pſal. 13. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Et illud Prouerb. 18. *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.*

Verùm Noſter, Aben Ezra, Baynus & alij *ſo eum* referunt ad ambulantem recto itinere, q. d. Impius & peruerſus deſpicit pium, qui rectâ ſecundùm legem ambulat, Deumque timet & veneratur. Eòdem tamen tandem redit ſenſus hic quo prior: nam qui deſpicit timentem Deum, Ipſum Deum indirectè deſpicit; ſicut qui deſpicit ſeruum, deſpicit quoq; herum ſerui, ac tandem creſcente deſpectu, directè deſpicit ipſum herum, putà Deum. Hoc eſt quod ait Chriſtus Ioa. 15. *Si de mundo fuiſſetis, mundus vtique quod ſuum erat diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et Iob c. 12. 4. *Deridetur iuſti ſimplicitas.* Vbi vide S. Gregor. Tanta enim eſt impiorum hominum peruerſitas, vt, niſi omnes tales efficiant quales ipſi ſunt, non conquieſcant; vnde pios & probos rident, vocantq; Collatortos, hypocritas, Ieſuitas, &c. Cauſa eſt morum diſſimilitudo: vident enim ſuam vitam & vitia contrarijs piorum virtutibus moribuſque reipſa culpari & redargui: quare perpetuos hos vitę ſuę cenſores, velut ſudes in

in oculis non ferentes, eos rident, vexant, perſequuntur, vt ſibi ſimiles efficiant. Hanc cauſam dat S. Proſper in Sentent. & epigrammat. cap. 32. de odijs mundi in Chriſtianos: *Omnes*, inquit, *qui in Chriſto volunt piè viuere, neceſſe eſt vt ab impijs & diſſimilibus patiantur opprobria, & deſpiciantur tamquam ſtulti & inſani, qui præſentia bona perdant, & inuiſibilia ſibi ac futura promittant. Sed hæc deſpectio & hæc irriſio in ipſos retorquebitur, cùm & abundantia eorum in egeſtatem, & ſuperbia tranſierit in confuſionem.*

Impia pars mundi parti eſt infeſta piorum,
Nec tolerare poteſt diſſimiles animos.
Ridens nolentes opibus præſentibus vti,
Sperantesq́; ſibi credita poſſe dari,
Sed ſpernenda hæc ſunt populi opprobria ſanctis,
Quæ ſtultè iaciunt corda aliena Deo.
Nam ſpes noſtra ex hoc viſu fit certior omni,
Quod ſpendens quidquid credimus, hoc Deus eſt.

B Et Saluianus lib. 8. de Gubernatione Dei *Maxima cauſa diſcordiarum*, inquit, *eſt diuerſitas voluntatum: quia fieri aut omnino non poteſt, aut vix poteſt, vt eam rem in alio quiſquam diligat, à qua ipſe diſſentit: itaque eos non ſine cauſa oderunt, in quibus omnia ſibi æmula atque inimica decernunt.* Quin & Plinius in Panegyr. Traiani c. 53. *Hoc*, inquit, *primum erga optimum Imperatorem piorum ciuium officium eſt, inſequi diſſimiles? neque enim ſatis amarint bonos principes, qui malos ſatis non oderint.* Et Comicus:

Semper bonos odit malorum factio.

Porrò Septuag. τὸ בּוֹזֵהוּ *bozehu*, id eſt, *deſpicit eum*, accipiunt reciprocè pro *deſpicit ſeipſum*. Idem enim Hebræis eſt pronomen reciprocum quod abſolutum. Vnde vertũt, ὁ δὲ σκολιάζων ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ ἀτιμασθήσεται, id eſt, *qui tortuosè incedit vijs ſuis inhonorabitur*, vel *ignominia afficietur*. Sicut enim vir-C tus parit laudem, ſic vitium parit probrum & ignominiam, ob quam vitioſus ab omnibus deſpicitur & contemnitur. Ipſe ergo ſuo vitio deſpectum ſibi conciliat, eiuſque ſibi ipſi faber eſt & cauſa.

VERS. 3. IN ORE STVLTI VIRGA SVPERBIÆ: LABIA AVTEM SAPIENTIVM CVSTODIVNT EOS] Septua. *ex ore imprudentium baculi contumeliæ* (Theodot. *virgula iniuriæ*) *labia autem ſapientum cuſtodiunt* (Scholiaſtes *ſanant*, ſcilicet animi dolores & vulnera, quos vel ipſis vel alijs lingua ſuperba & contumelioſa inflixit) *ipſos*: Chald. *in ore ſtulti virga & tribulatio*, Syrus, *ſtimulus & contumelia*. Superbia enim parit iniuriam & contumeliam: ſuperbi enim, vt ſe præ ceteris attollant, eos deſpiciunt, eiſq; iniurij ſunt & contumelioſi. Noſter Salazar per *virgam* accipit ſceptrum, ſiue virgam, quæ ſit imperij & D poteſtatis inſigne, vt ſenſus ſit: *In ore ſtulti virga ſuperbiæ*, id eſt ſtultus ac vecors peccator pre faſtu & ſuperbia, perinde ac ſi virgam & ſceptrum imperij ore ſuo gereret, putat ſibi in omnium famam licere, atque adeò omnes probris appetit, conuitijs onerat, detractionibus denigrat. Verum hebr. non eſt שֵׁבֶט *ſcebet*, id eſt ſceptrum, ſed חוֹטֶר *choter*, id eſt virga, ſeu baculus ad feriendum, putà ad infligendum probra, iniurias & contumelias, vti vertunt Septuag. Theodot. Chald. Syrus, Noſter & Hebræi. Vnde Vatabl. *Baculus*, inquit, ſiue *virga ſuperbiæ eſt lingua, qua cædimus homines, vt virga equos.*

Senſus ergo ſolidus & clarus eſt, q. d. Stultus, quia ſuperbus, ore ſuo & linguâ quaſi virgâ ſuperba flagellat ceteros, hunc ridendo, illum deſpiciendo, A iſtum conuiciando, &c. ſed flagellãdo alios flagellat quoq; ſe ipſum quia quos flagellat, ab eis viciſſim lege talionis flagellatur. Superba ergo eius verba, quæ ore profert, erunt ei virga, id eſt cauſa & inſtrumentum & ferula, qua vapulet, confundatur & plectatur. *Labia autem ſapientium cuſtodiunt eos*: tum quia cauent, ne inſtar ſtulti ſuis maledictis flagellent alios, eorumque flagella tum verborum, tum verberum viciſſim ſibi accerſant: tum quia ſi à ſtulto flagellis maledicentiæ appetantur, contra ea ſe tuentur ſcuto prudentiæ, modeſtiæ & manſuetudinis. Ita enim prudenter, modeſtè & manſuetè agunt & reſpondent, vt ſuam innocentiam probent, & ſtultum maledicentem confundant, cogantque ſilere, iuxta illud S. Auguſt. ſerm. 15. de reſurrect. *Maledictum patientiâ repercuſſum in ſuum redit auctorē, illaſo eo qui petebatur.* Et Beda ſic expo-B nit: *In ore ſtulti*, inquit, *virga ſuperbiæ & labia ſapientium cuſtodiunt eos: quia ſtulti per vaniloquium humiles, quos deſpiciunt, affligunt: ſed ijdem humiles ſpiritu per doctrinam ſe ſapientiæ, ne decipiantur, muniunt.* Vnde S. Ambroſ. lib. 3 de Officijs c. 4. docens alienis incommodis non eſſe noſtra lucra quęrenda, oſtendit, quàm graue ſit peccatum detractionis & contumeliæ. *Quæ enim pœna grauior*, inquit, *quàm interioris vulnus conſcientiæ? quod ſeuerius iudicium quàm domeſticum, quo vnuſquiſque ſibi eſt reus, ſeq́; ipſe arguit quod iniuriam fratri indignè fecerit? Quod non mediocriter Scriptura condemnat dicens: Ex ore ſtultorum baculus contumeliæ. Stultitia ergo condemnatur, quæ contumeliã facit. Nónne hoc magis fugiendum quàm mors, quàm diſpendium, quàm inopia, quàm exilium, quàm debilitatis dolor? quis enim vitium corporis, aut patrimonij damnum non leuius ducat vitio animi, & exiſtimationis diſpendio?*

C Symbolicè, S. Greg. 24. Moral. c. 9. hanc gnomen adaptat ſuperbis Prælatis & prędicatoribus: *Sed hæc*, inquit, *eſſe propria arrogantium prædicatorum ſolent, vt etiam afflictos auditores ſuos magis diſtrictè corripere appetant, quàm blandè refouere: plus enim ſtudent, vt mala obiurgando increpent, quàm bona laudãdo confirment. Superiores quippe videri deſiderant: atque adeò magis gaudent cùm eorum animos ira eleuat, quàm cùm charitas exæquat: ſemper inuenire appetunt quæ increpando rigidè feriant; vnde ſcriptum eſt: In ore ſtulti virga ſuperbiæ: quia percutere rigidè ſcit, ſed compati humiliter neſcit.*

S. Gregorium de more ſequitur S. Iſidor. 1. Originum cap. 41. *Superbi doctores*, ait, *vulnerare potiùs quàm emendare norunt, Salomone atteſtante: In ore ſtulti virga ſuperbiæ, quia increpando rigidè feriunt, & compati humiliter neſciunt.* Quia, vt ait Poly-D chron. in Catena Græcor. *quos reprehendunt, non tam emendare, quàm confundere ſtudent.* Sic & S. Chryſoſt. ibidem. Sic & Hugo: *In ore ſtulti virga ſuperbię*, id eſt, inquit, imperioſa correctio eſt in ore ſtulti, & è conuerſo in ore iuſti virga manſuetudinis & dulcedinis. Propterea in arca manna ſimul cum virga fuit. Et de virga Aaron legitur, quòd fronduit & amygdala protulit; quę ſunt cibus infirmorum.

Denique S. Hieron. initio Apologiæ 3. contra Ruffinum, eius in ſe inuectiuam in ipſummet retorquens, *Intellexi*, ait, *illud Salomonis in te eſſe completum: In ore ſtulti baculus contumeliæ.*

VBI NON SVNT BOVES, PRÆSEPE VACVVM VERS. 4. (hebr. *mundum*) EST: VBI AVTEM PLVRIMÆ SEGETES, IBI MANIFESTA EST FORTITVDO BOVIS]

vis] Perperam Theodot. pro בְּאֵין *been*, id eſt *vbi non*, legens באון *beon*, id eſt *in labore vel robore*, vertit, ἐν ἰσχύϊ. id eſt. *in fortitudine boum in præſepe cogetur genimen, & multitudo geniminum in potentia tauri.* Sic enim nulla eſt antitheſis, ſed tautologia inanis, legendum ergo *been*, id eſt *vbi non ſunt boues*. Eſt liptote & metonymia: vbi enim deſunt boues, qui arando fruges producant, non ſolùm præſepe vacuum eſt, ſed & horreum: nam vbi palea non eſt, nec frumentum eſſe poteſt. q.d. Vbi bos deeſt, ibi ager coli non poteſt: agro autem inculto & inarato, nulli ex eo prouentus ſperandi ſunt. Vnde Hebr. אבוס *ebus*, id eſt *præſepe*, Marinus & alij vertūt, *apothecã, horreum, granarium*, item *area* in qua ſegetes excutiuntur & triturantur. Igitur ex præſepi per metonymiam & metalepſin intellige tum apothecas & cellaria, tum menſas: præſepe enim eſt quaſi menſa boum & iumentorum, tum cibum & annonam: hanc enim continent præſepe, & iumentis comedendam offert. Ex iumentis autem intellige homines, nam vbi deeſt annona iumentis, ibi conſequenter deeſt & hominibus. Vnde ex Hebræo ſic vertas, *vbi non ſunt boues, apothecæ mundæ, id eſt vacuæ ſunt: & copia prouentuum eſt à fortitudine boū*, hoc eſt, ait Vatabl. *Qui laborat, habet quod manducet: qui autem otium ſectatur, egeſtatem habet in domo*. Aut: *Vbi eſt labor & laborantes, ibi eſt copia rerum: vbi verò otium & otiantes, ibi egeſtas*. Eòdē redit verſio Symmachi, *eò quòd non ſint boues, genimen præſepis*, id eſt fœnum quod in præſepi iumentis apponitur, ſupple, ſuccreſcit loco tritici: *& multitudo geniminum in potentia tauri*; Chald. *multitudo frugum in fortitudine bouis*; & Aquila. *vbi non ſunt boues, ſit fœnum; genimen electum, & multitudo fructuum in fortitudine iumenti*. q.d. Vbi non ſunt boues arantes terram, ibi terra non fruges, ſed ſterile fœnum ſponte ebullit & generat: at vbi boues fortiter arant, ibi copia non fœni, ſed frugum producitur. Parœmia ergo hæc grammaticè & phyſicè docet, ait Ianſen. agricolis dandam eſſe operam, vt ſibi de bobus iiſque validis proſpiciant, per quos terram rectè excolere poſſint, ſi ex ea copioſum fructum referre velint. Deinde ethicè ſub hoc exemplo ſignificatur omnibus laborandum eſſe, qui manducare & diteſcere velint, otiumq; ſectantibus egeſtatem obuenturam. Politicè verò reipubl. proſpiciendum eſſe de ſtrenuis prudentibuſque moderatoribus, qui ſi deſint, reſp. omnibus ſit modis deſtituenda: ſi adſint, omnium bonorum copiam indefeſſo ſuo labore & prudentiâ illi ſint allaturi. Meminit boum potius quàm equorum: tum quia in Palæſtina & Ægypto, æquè ac in Italia, aliiſq; locis, bobus arant potiùs quàm equis, tum quia boues lentè quidē, ſed magis profundè & neruosè arando ſulcant proſcinduntque terræ glebas: quo fit vt ſementis maiores agat radices, & copioſiùs germinet, pluresque det fruges: tum denique quia boues parci ſunt, ac herbâ & fœno viuunt, equi verò auena, hordeo, frumento: vnde magnam partem frugum quam producunt, ipſimet abſumunt, cùm boues palea & fœno contenti frumentum omne hero relinquant, itaque eum ditent. Hinc bos priſcis arationis, indeque meſſis & fertilitatis, erat ſymbolum, vt patet in bobus fortibus, quos vidit Pharao Geneſ. 41. 2. Vide dicta Iſa 32. v. vltimo.

Myſticè & Tropol. S. Hieron. in Abacuc. c. 3. *Boues*, inquit, *non erunt in præſepibus: quia vbi plena*

A *ſunt præſepia, manifeſta eſt fortitudo bouis. Bos operarius eſt, bos Domini ſuſtentans iugum, bos, in cuius veſtigium qui ſteterit, beatus eſt.* Et S. Gregor. lib. 3. Regiſtri epiſt. 30. ad Eulogium: *Quòd, inquit, creſcit Eccleſiæ populus, quòd ad cæleſte horreū ſpiritales ſegetes multiplicantur, hoc de omnipotentis Dei gratia, quæ in beatiſſimis vobis largè influit nunquam habuimus incertum. Gratias itaque omnipotenti Deo ſoluimus, quia impletum videmus in vobis eſſe quod ſcriptum eſt: Vbi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo boum. Si enim bos fortis arat, ū linguæ in terra cordis audientium non tranſfixiſſet, tanta fidelium ſeges minimè ſurrexiſſet.*

Particulatim verò Beda ſingula ſingulis ſic adaptat: *Boues*, inquit, *doctores Catholicos, præſepe cœtum auditorum, ſegetes dicit fructus operum bonorum. Incaſſum ergo tumet ſuperbus, & indocta eloquentia verberat aures ac corda ſubiectorum: quia vbi non ſunt docti prædicatores, fruſtra ad audiendum conſtuit turba plebium:*

B *vbi autem plurimæ operationes apparent virtutum, ibi apertiſſimè claret, quia non hæreticus in vanum garriuit, ſed pro verbi fruge laborauit ille, qui & ipſum verbū caſto ore ruminare, & viā veritatis rectè diſcretionis pede noſcet incedere. Nec mirandum cur in præſepi, auditores ſignificari diximus: cùm bos alatur de præſepi, doctor autem verbo audientes ſoleat nutrire ſed intuendum, quia & de labore bouis præſepe impletur, & ipſe bos ſuo fructu de præſepi reficitur. Quia nimirum prædicator fidelis & audientes verbo reficit, & eâdem refectione apud Deū ipſe proficit: quod in opere figuratur Eliæ, qui Sareptanam viduam paſcit, à qua & ipſe paſcitur.*

Porrò bouis dotes appoſitè congruunt doctori & prædicatori Euangelico, adeò vt ſi illas inſpiciat & æmuletur, abundè omnes ſui muneris numeros ſit expleturus. Nam Primò, bos eſt laborioſiſſimus adeoque ſymbolum laboris. Vnde veteres teſte Pierio in Hierogl. volentes laborem pingere, pingebant caput bouis: ſimili modo doctor & prædicator vt fructum faciat, valdè in prædicando & docendo laboret oportet, qua de re plura dixi Ezechiel. 10. 14. *Bos notat dotes prædicatoris.* *Primò.*

C

Secundò bos eſt animal innocens, ſimplex, ſincerum Talis quoque ſit prædicator, vt omnibus bene, nulli malefaciat. Vnde Ouidius 15. Metamorph. *Secundò.*

Quid meruere boues, animal ſine fraude d loq;
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

Tertiò, bos aliis laborat, non ſibi, iuxta illud: *Sic vos non vobis fertis aratra boues*. Itidem prædicator Euangelicus non ſibi, ſed aliis laborat & prædicat, adeoq; inſtar S. Pauli totum ſe aliorum ſaluti impendit & ſuperimpendit. Hinc bos ſymbolum eſt beneficentiæ. *Tertiò.*

D

Quartò, ſunt validi & fortes, fortis ſit & prædicator, vt neminem vereatur. Ita S. Dionyſius de Cæleſti hierarc. c. 5. *Bouis imago*, ait, *fortudinis ac roboris præſ et ſpeciem, & quā ſpirituales ſulcos ſuſcipiendos cæleſtibus fœcundiſq; imbribus ſcindunt.* Hinc boues cum celeritate fortiter figunt pedem in curſu: hinc & cornibus armantur, iiſque hoſtes impetunt, fugantque vel proſternunt. *Quartò.*

Quintò, bos frugalis eſt cibi, tantumq; paleas herbas & fœnum comedit. *Taurus*, inquit Horus Apollo in Hierogl. c. 44. *integris viribus, fortis ac tēperans.* Ita ſobrius & frugalis cibi ſit prædicator. Certè S. Petrus teſte S. Nazianz. lupinis duntaxat veſcebatur. Sicut tamē par eſt bouem ali ex meſſe in qua laborauit, ſic & prædicatorē ali à fidelibus quibus prædicat conuenit, iuxta id quod ſanxit *Quintò.*

Deus per Moſen & per Paulum: *Non alligabis os boui trituranti*, Deuter. 25.4. & 1 Corinth 9.9.

Sextò. Sextò, bos erat victima quæ Deo mactabatur. Vnde religionis erat ſymbolum, æquè ac mortificationis & martyrij, ac repræſentat Martyres, quales fuere Apoſtoli & prædicatores Apoſtolici.

Septimò. Septimò, in quatuor myſticis Ezechielis c.1.10. animalibus, quæ currum gloriæ Dei & Euangelij quaquauerſum per orbem agebant. erat plãta pedis vituli, adeoque tertium animal erat bos Quod explicans S. Greg. hom. 3 in Ezech. *Quia*, inquit, *prædicatores ſancti boum nomine deſignantur, docet Paulus Apoſtolus legis teſtimonium exponens: Non obturabis os boui trituranti. In ſanctis ergo prædicatoribus planta pedis eſt vituli, ſcilicet maturè incedens, & fortis, & diuiſa: quia vnuſquiſque prædicator & venerationem habet in maturitate, & fortitudinem in opere, & diuiſionem vngulæ in diſcretione. Non enim facilè prædicatio eius accipitur, ſi leuis in moribus eſſe videatur. Et nulla erit maturitatis oſtenſio, ſi contra aduerſa omnia non adfuerit operis fortitudo.*

Octauò. Octauò, bos in inceſſu & aratione lentus eſt, ſed exactus & perfectus: ita doctor lentus ſit, vt populo rudi tardoque ſe accommodet, nec eum tædeat idem crebro & minutim explicare & inculcare,

Nonò. Nonò, terra quæ à bobus aratro non ſubigitur, germinat fœnum, ſpinas, & tribulos: quæ verò ab iis ſubigitur, producit lætam frumenti meſſem. ſic animæ quæ à prædicatoribus aratro verbi Dei non excoluntur ſilueſcunt, nec niſi lolium & tribulos vitiorum proferunt: at quæ eodem ſulcantur, ſarriuntur, ſeminantur, lætam virtutum frugem progenerant.

Decimò. Decimò, appoſitè Caiet. & ex eo Salazar præſentem boum parabolam ſic explicant Sicut qui caret bobus habet præſepe, id eſt ſtabulum mundum: qui autem boues habet, etſi ſtabulum immundius illi ſit, gaudet tamen multitudine prouentuum atque fructuum, ſic etiam qui curas animarũ non ſuſcipit, nec in agro Domini excolendo laborat, ſed ſibimetipſi totus vacat, maiori fortaſſe munditia & puritate conſcientiæ fruitur: qui autem boues iungit ſuos, id eſt operas ſuas proximis nauat, & actiuam vitam contemplationi adnectit, hic ſanè mentis ac conſcientiæ ſuæ præſepe aut ſtabulum immundius habet: nam ex hominũ conſuetudine & negotioſa vita ſemper aliquid ſordium ſaltem leuium accidit, tamen vberiores ac copioſiores fructus metit.

Huius ſententiæ veritatem cernimus felici hoc noſtri æui ſæculo, quando viros Religioſos zelo Dei ardentes, boum inſtar ſtrenuè in agro Domini laborantes, in Gallia & Germania multa hæreticorum millia ad orthodoxam fidem conuertiſſe, atque Imperatorem Æthiopiæ cum toto eius imperio Romanæ Eccleſiæ ſubieciſſe videmus, gratulamur & miramur: quando B. Franciſcũ Xauerium, eiuſque aſſeclas Indos, Iapones, Sinas ad Chriſtum traducere conſpicimus, Deoque gratias agimus Sanè in vna Iaponiæ inſula ad ſeptingẽta Chriſtianorum millia numerantur, è quibus multi pro Chriſto ſanguinem vitamq; libentes alacreſque profundunt. Equidem, vt alia taceam, vnico anno Domini 1624. centum ſexaginta quinque Chriſtiani in Iapone conſtanter mortem pro fide oppetiuerunt Ex iis quinquaginta & plures lento igne cremati aſſatique, alij gelu enecti, alij in mare merſi, alij crucifixi, alij gladio percuſſi. Duces eorum fuere tres è Societate Ieſu Patres. Hos quaſi paſtores ſuos ſecuti nobiles, plebeij, virgines, coniuges, quin & ſenes decrepiti, ac pueri infanteſque perplures, qui ludibundi ad mortem quaſi ad epulas proceſſere. Non defuere, ſiue cauſam, ſiue ætatem, ſiue ſexum, ſiue gradum, ſiue genus mortis ſpectes, noui Laurentij, nouæ Agnetes, nouæ Symphoroſæ, noui Machabæi & Machabææ, noui Adriani, noui Getulij, nouæ, Natalię, noui Pancrãtij, noui Viti, noui Innocentes: quia non defuit nouus Herodes, quibus proinde pariter accinas illud, quod priſcis occinit Eccleſia:

Saluete flores Martyrum.
Cœliq; naſcentes roſæ,
Aram ante ipſam ſimplices
Palma & coronis luditis,

Horum ſanguine Iaponiæ rigata longè feliciùs ſuccreſcet Eccleſia: nimirum vt canit Prudentius περὶ ϛεφάνων, id eſt, de coronis:

Martyrum ſemper numerus ſub omni
Grandine creuit.

Recentibus iamè Macao literis affertur nouiſſimè quingentos è Chriſtianis in Iapone, pro fide Chriſti variis tormentorum generibus trucidatos fortiter occubuiſſe, adeò vt iam plura cæſorum pro Chriſto millia in Iapone numerentur.

Ite iam fortes, vbi celſa magni
Ducit exempli via. Cur inertes
Terga nudatis? ſuperata tellus
Sidera donat.

TESTIS FIDELIS NON MENTITVR: PROFERT AVTEM MENDACIVM DOLOSVS TESTIS] Vers. 5.
Hebr. *teſtis veritatum*, aut, *fidelitatum, non mentietur: efflabit autem mendacia teſtis falſitatis*, Septuag. *accendet autem falſa* (Complut. & Regia, *mentiens*) *teſtis iniuſtus*, Aquila, Symmach. & Theodot. *enuntiat falſa teſtis mendax*, Chald. *qui loquitur mendacium, teſtis detractor eſt*, Vatabl. *teſtis verax non mentitur: falſus teſtis euomit mendacia.* Senſus videtur planus, ſed tamen plura continet, quæ varij ſic variè efferunt.

Primò, R. Leui, R. Salomon, Ianſen. & Baynus, q.d. Teſtis qui non ſolet in familiaribus colloquiis mentiri ac mendacia auerſatur, hic pariter fidelis veraxque teſtis erit, cùm vocabitur ad iudiciũ, vt aliquid iuridicè teſtetur: qui verò mendacia inter ſuos effutire ſolet & aſſiduè mentiri, hic ſi rogetur à iudice, facilè mendax erit, falſumque de more promet teſtimonium. Conſuetudo enim vertitur in habitũ, habitus in naturam, eſtque quaſi altera natura: quare qui aſſueuit ſemper verum dicere, difficilè flectet ſe, vt caſu aliquo falſum proferat: & vice verſa qui ſolet mentiri, difficilè ſe à mendacio cohibet, præſertim cùm ad id ſpes lucri, vel alterius commodi eum alliciet, & inuitabit.

Secundò, R. Dauid. q.d. Qui vult haberi teſtis fidelis, abſtinet à mendacio: ſi enim vel ſemel in mendacio deprehendatur, perdet fidem etiam cũ verum dicet, nemoq; ei credet: qui ergo vel ſemel profert mendacium, hic deinceps perdet fidem, atque paſſim habebitur teſtis doloſus & mendax, aut certè de mendacio ſuſpectus.

Tertiò, Hugo, q.d. Teſtis fidelis eſto ſubinde fallatur, & ex errore falſum dicat, tamen numquam ex propoſito mentitur, id eſt cõtra mentem loquetur, vt quod ſcit eſſe verũ, dicat eſſe falſum, vel è contra: teſtis autem doloſus ex propoſito men-

mentitur, aſſeritque eſſe vera, quæ ſcit eſſe falſa, & contrà.

Quartò, neruoſiùs Lyran & ex eo Salazar: *Teſtis fidelis nō mentitur*, id eſt nulla prece vel pretio, nullis minis vel pœnis, adduci poteſt vt mentiatur: at teſtis mendax ſine pretio & minis ſponte ſua profert & efflat mēdacia, ſicut caminus efflat & exhalat fauillas & ſcintillas. Hebr. enim יָפִיחַ *iaphiach*, id eſt efflat, ſignificat. Primò, facilitatem & pronitatem ad mentiendum; Secundò, copiam mendaciorum, quanta eſt fauillarum in igne: vnde Vatabl. vertit, *euomit mendacia*. Tertiò, cor eius plenum eſſe fraude & falſitate, ideoque eamdē ore exhalare, ſicut fumus igne plenus ignis ſcintillas iugiter per caminum exhalat. Quartò, vim & impetum. q.d. Mendax magna vi & impetu efflat ſua mēdacia, vt ea auditoribus perſuadeat; ſicut rogus magna vi & impetu ſuas eiaculatur ſcintillas. Quintò, vanitatem, nimirū mendacia eſſe euanida: veritatem autem eſſe firmam & ſtabilem. Mendacia enim ſunt ſicut bullæ, quæ à pueris per fiſtulam è ſmigmate facilè efflantur, ſed eâdem facilitate diſſlantur: cùm enim in aërem aſcendit bulla tenuis & fragilis, minimo aëris motu rumpitur, & tenues ſubitò vaneſcit in auras: ſimili enim modo mēdacium citò fingitur & conflatur, idemq; citò diſſipatur & diſſlatur. Rurſum Hebr. כָּזָב *cazab*, id eſt *mendacium*, ſicut litteris ſic & ſignificato alludit ad כָּשַׁף *caſaph*, id eſt præſtigium, faſcinum, maleficium: tale enim eſt mendacium, vnde mendax eſt quaſi præſtigiator & maleficus, qui mēdacio quaſi faſcino aures audientium præſtringit, faſcinat, obnubilat & ſeducit. Hinc rurſum mendacium vocatur כַּחַשׁ *cachas*, id eſt, tenuitas, macies, macilentia, quia nil habet veritatis & ſubſtantiæ, vt, ſi mendacium pingere velis, pingas mulierem ſtrigoſam & macie confectam. Porrò *cachas* alludit ad שָׁכַח *ſacach*, id eſt *oblitus eſt*; & ad חָשַׁךְ *chaſach*, id eſt *obtenebratus eſt*, per metatheſin. In mendacio enim mera vanitas, memoriæ confuſio & mentis obſcuritas concurrunt.

Denique *fidelis non mentietur*: quia quàm chara eſt ei fides, tam chara eſt ei veritas, tamque exoſum mendacium: quare ſicut fides ſic & veritas ei ſancta eſt, & inſtar iuramenti. Quocirca Chriſtus fidelibus vetuit iurare. Matth. 5. 34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*, &c. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*, putà à vitio incredulitatis & diffidētiæ innato homini ex peccato originali; quo fit vt ſæpe ſimpliciter aſſerenti non credatur, iuranti credatur. Iurare ergo non licet niſi cogat hoc malum, putà incredula hominis diffidētia. Vnde in paradiſo, vbi hoc malum non erat, iurare non licebat, ſicut nec licet Beatis in cælo: Beati enim ita veraces ſunt, itaque reuerentes nominis diuini, vt iurare non audeant. Quin & Iſocrates ad Demonicum, licet Gentilis: *Boni viri*, inquit, *fideliores ſe exhibent iuramento*. Et Plutarch. in Problem. *Iuramentum*, inquit, *homini libero pro tormento eſt*. Romani enim à ſeruis veritatem extorquebant per tormenta, à ciue iuramento, à ſacerdote ſolo verbo. Ita Chromatius Aquileienſis Epiſcopus, quem S. Hieron. ſui æui vocat doctiſſimum & ſanctiſſimum, ſcribens in citata Chriſti apud Matth. verba, ait Chriſtum vetuiſſe fidelibus iuramentum, quia ipſorum verba *ita ſemper debent eſſe vera, ita fideliſſima, vt pro iuramento habeantur*. Ac ſubdit: *Iuramenti cauſa eſt, quia omnis qui*

Beati in cælo non iurant.

A *iurat, ad hoc iurat, vt quod verum eſt loquatur. Et ideò Dominus inter iuramentum & loquelam noſtram nullam voluit eſſe diſtantiam: quia ſicut in iuramento nullam conuenit eſſe perfidiam, ita quoque in verbis noſtris nullum debet eſſe mendacium: quia vtrumque & periurium & mendacium diuini iudicij* (alij, veriùs legunt *iudicij*) *pœna damnatur, dicente Scripturâ: Os quod mentitur occidit animam. Quiſquis ergo verum loquitur, iurat; quia ſcriptum eſt: Teſtis fidelis non mentietur*. Iurat non expreſsè & formaliter, ſed tacitè & finaliter: quia ſcilicet verum loquitur, ob quod omnis iuramenti vſus introductus eſt: iuramenti enim finis eſt veritas & veritatis cognitio, quàm fidelis ſine iuramento ſimpliciter rem vti ſe habet enuntians aſſequitur: interpretatiuè ergo iurat, id eſt facit & aſſequitur id ſimplici aſſertione, quod alius qui iurat, aſſequitur ſuo iuramento. Hæc Chromatij

B (malè in priſcis codicibus Iuris Canonici legitur Chryſoſtomi) verba tranſlata ſunt in ius Canonicum, & habentur 22. q. 5. cap. 12. *Iuramenti*: vbi rectè Gloſſa notat, *τὸ Dominus inter iuramentum & loquelam noſtrā nullam voluit eſſe diſtantiam*, limitandum eſſe ad generalitatem præcepti. quòd, ſicut Deus vetuit omne periurium, ſic & vetuit omne mendacium, ne quis putaret extra periurium licitum eſſe mentiri, vt explicat Chromatius, alioqui in grauitate ſceleris magna eſt diſtantia: longè enim grauiùs peccat periurus peierando quā mendax mentiendo. Concludit Chromatius: *Sic à Deo qui verax eſt & mentiri neſcit, quidquid dicitur pro iuramento prohibetur: quia verum eſt omne quod loquitur*. Tam ſancta eſt Deo veritas, quàm fideles imitari decet.

Myſticè, auctor Catenæ Græcor. *Teſtis*, Inquit,

C *iniuſtus & infidelis* eſt diabolus: hic enim cùm temporariæ voluptatis vſum inſipientibus promittat, aliud nihil quàm ſempiterni ignis ſuppliciū præſtat. *Teſtis* autem *fidelis* eſt Dominus: quippe qui in omnibus dictis & promiſſis ſuis ſit fideliſſimus, neque vnquam mentiatur aut fallat. *Intendit* porrò teſtis iniuſtus mendacium; quia quod extinctū iacebat, vel noua accuſatione, vel falſa teſtificatione denuo exſuſcitat; hæc auctor Caten. iuxta Septuag.

Rurſum teſtis fidelis eſt Martyr, qui fidei veritatem ſuamque in Deum fidelitatem morte ſua teſtatur, & ſanguine ſuo obſignat. Rurſum qui rectè & ſanctè viuit ac in ſanctitate fideliter perſeuerat reſiſtendo quibuſuis difficultatibus & tenta-

Martyres ſūt qui vitam diuinam agunt.

D tionibus. Vnde B. Theodor. Studita inter homilias Catecheticas, quas edidit Ioannes Liuineius Canonicus Antuerp. decimæ hunc titulum præfixit: *Martyres eſſe non ſolùm qui ſanguinem profundant, ſed etiam qui vitam ducant diuinam*; idque probant tum auctoritate S. Pauli, tum ratione. Ait enim Apoſtolus, inquit, Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ*. Et paulò pòſt: *Tantā habentes nubem Martyrum, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum*. Viden' vt vniuersè Martyres vocauit omnes pietatis amantes, afflictamque vitam tolerantia trahentes? Quare & nos, fratres, numerati in hoc martyrio ſumus: nā qui tolerantes vitæ ærumnas crucigeræ amplectamur, qui virginale votum tueamur, nec morigeratione

detrectanda; in qua ineſt quiddam inſtar certaminis, Ieſum teſtamur & Chriſtum eſſe & Dei filiũ, teſtamur iudicium ac remunerationem futuram, teſtamur vitæ exactæ rationem reddituros ad terribile Chriſti tribunal, obſiſtentes diabolo Chriſti inimico torquenti, & aſſidua cogitationum ac lethalium voluptatum obiectatione, velut flagris vrgenti negare nos eſſe Deum. hactenus Studita.

VERS. 6. QVÆRIT DERISOR SAPIENTIAM, ET NON INVENIT: DOCTRINA PRVDENTIVM FACILIS] Hebr. *quærit irriſor ſapientiam, & nõ*, ſupple, *inuenit*, vel vt Caietan *adeſt & ſcientia intelligenti leuis*; Symmach. *quæſiuit peſtilens ſapientiã, & non eſt.* Pro *facilis.* Chald. vertit, *& ſcientia prudenti vileſcit*, id eſt paruo & vili pretio comparatur. Tò *doctrina prudentium facilis* dupliciter accipi poteſt; Primò, paſſiuè: q.d. Doctrina prudentiũ facilis eſt, vt diſcatur ab ipſis prudentibus, ſiue prudentes facilè capiunt & addiſcunt doctrinã. Vnde Hebræa habent, *ſcientia intelligenti*, vel intelligentis, *leuis* vel *facilis*; ſicq; clara & directa eſt antitheſis inter diriſorẽ & intelligẽtem, ſiue prudentem in diſcẽda ſapientia; quòd deriſori difficilis, imò impoſſibilis, ſit ſapientia: quia omni ſuo labore quo eam quærit, nõ inuenit; intelligenti verò, ſiue prudẽti, eadẽ ſit facilis, quia ſcil. deriſor ſuis voluptatibus addictus non quærit eam ſeriò, ſed quaſi per iocum & riſum, imò eam ridet & deridet: tales ſunt hypocritæ hęretici & Iudęi: prudens verò cordatè ſeriò & reſolutè eam veſtigat, ideoque facilè eam inuenit: quia taliter quærenti occurrit, & vltrò ſe offert ſapientia, putà honeſtas & virtus. Vnde Vatabl. vertit, *qui autem iudicio pollet, huic obuia eſt ſapientia.* ita Beda & Ianſen. nam, vt ait S. Cyrillus in Ioannem lib. 1. c. 12. *Canes venaticos imitatur ſapiens huc illuc feras quærentes. Ipſe enim non intellectam rem ſæpè ac multùm veſtigans, interrogansq́; tandem aſſequitur.*

Secundò, actiuè, q.d. *Doctrina prudentium eſt facilis.* non tantùm vt ab eis diſcatur, ſed & vt ab eis doceatur: quia prudentes facilè docent doctrinam ſiue prudentiam, vtpote quam ipſi longo ſtudio vſuque didicerunt & apprimè callent; ac proinde rudes & imperiti facilè ab eis eamdem diſcent, ſi eorum doctrinæ ſe ſubiiciant. Vnde Septuag. vertunt, *quæres ſapientiam apud malos, & non inuenies: ſenſus autem apud prudentes facilis eſt*, vel, vt auctor Catenæ Græcor. vertit, *apud prudentes ſenſus & intelligentia inuentu ſunt facilia.* quia licet mali ſubinde ſpeculatiuè bona virtutum dent monita & præcepta, tamen, quia opere contrarium faciunt, hinc auditoribus qui magis operibus credunt quàm ſermonibus, eamdem non perſuadent: at prudentes & probi, quia quæ docent verbo, eadem monſtrant exemplo, hinc facilè eadem aliis ingerunt & imprimunt.

Huc reducuntur variæ variorum probabiles & congruæ huius verſus expoſitiones. Nam Primò, R. Salomon exponit q.d. Deriſor quando ſapientia opus habet, eamque quærit, animum ſuum ea ſpoliatum experitur. Id maximè fiet in die iudicij iuxta parabolam virginum fatuarum, quibus veniente ſponſo defecit oleum, Matth. 25.

Secundò, Baymus per deriſores accipit pueros, qui iocis & ludis addicti non capiũt præcepta ſapientiæ, ſed ad ea quaſi ſtupent & rident: moxq; ea faſtidientes ad ſuas nugas & ludicra reuoluuntur. q.d. ioculatores, iocisque & ludis addicti, non capiunt ſapientiam, ſed prudentes, cordati & ſe-

A ueri: hiſce enim virtus, quæ in maturitate & ſeuera paſſionum caſtigatione conſiſtit, eſt facilis.

Tertiò, neruoſè & particulatim Ianſenius. q.d. Deriſor, id eſt qui longo tempore non tantùm per infirmitatem non acquieuit ſapientũ ſalutaribus monitis, ſed etiam inueteratã malitiã obſtitit veritati & ſapientiæ, eamque deſeruit; iuſto Dei iudicio incidens in tribulationes & anguſtias, atque ob id quærens ſapiens conſilium, quo euadat vrgentia mala, frequenter non inuenit ſapientiam ſibi aſſiſtentem & bene conſulentem, ſed ſuis conſiliis ſinitur ſemper in peiora prolabi. Rurſum, qui veritatis doctrinam irrident, vt faciunt hæretici & Iudæi, quantumuis ſummis ſtudiis ſapientiam veram quærant, non tamen inueniunt: tum quia malè quærunt, & extra Eccleſiam vbi non eſt; tum B quia traditi in reprobum ſenſum, ſtulti facti ſunt, & quaſi cæci palpantes in meridie. Item qui à iuuentute ſe totos nugis vaniſq; rebus addixerunt, ſapientiæ recuſantes morem gerere, ferè cum ad adultam prouecti ætatem ſeſe ſapientiæ tradere volunt, eamque percipere deſiderant, deprehenduntur difficulter eam percipere poſſe, & ægrè in ea proficere. Contrà *doctrina prudentium facilis*: pro quo hebraicè eſt, *ſcientia prudenti* (vel intelligenti) *eſt facilis*: hoc eſt, homo prudens, qui prudentiam ſemper dilexit, & intelligentiæ ſe à iuuentute ſemper accommodauit, is facilè percipiet ſcientias quaſque, & quidquid ſapienter dicitur. Huic expoſitioni fauet Syrus dum vertit, *quærit improbus ſapientiam, & non inuenitur.*

Quartò, Lyran. & ex eo noſter Salazar, expliC cant. q.d. Deriſor, id eſt ſuperbus, qui præ faſtu & tumore aliorum, licet doctorum & ſapientum, doctrinam aſpernatur, ac ſapientiam ſuo ingenio, cui præſidit, veſtigare, iudicare & metiri præſumit; hic vtique eam non aſſequetur: quia ſapientia non à proprio, rudi & ſuperbo ingenio, ſed à ſapientibus & modeſtis diſcenda eſt, ſicut enim ventus ferarum veſtigia difflat, eaſque indagandi vim & odoratum in canibus hebetat: ſic etiam faſtus & ſuperbia, qua ſuo quis ingenio plurimum tribuit, aliosque ſpernit & deridet, ſapientiæ indagandæ vim adimit. At *doctrina prudentium facilis*, id eſt, quicumque alios humiliter auſcultant, & ab ipſis edoceri volunt, hi facilè breuiq; tempore magnam ſapientiam ſibi parant.

VADE CONTRA VIRVM STVLTVM, ET NESCIT LABIA PRVDENTIÆ] Pro *neſcit* Ianſen. & alij nonnulli legunt *neſcito*, Sic enim habent Hebræa, huncque dant ſenſum. q.d. Si iueris contra virum ſtultum, hoc eſt, ſi eidem te diſputando oppoſueris, neſcies, hoc eſt, non deprehendes in illo labia prudentiæ, nec ab illo diſces doctè prudenterque loqui. Imperatiui enim hic non præceptum ſignificant, ſed permiſſionem, aut potiùs ſequelam vnius ex alio, ſiue quid vno poſito ſecuturum ſit. Simile fuit c. 12. *Verte impios, & non erunt.* q.d. Si impios vertas, inde conſequetur vt ampliùs non ſint. Alij pro *prudentiæ* contrariè legunt *neſcito labia imprudentiæ.* q.d. Caue ne ex conſortio ſtultorum diſcas ſtultè & imprudenter loqui. VERS. 7.

Verùm codices Romani, Beda & alij legunt, *neſcit labia prudẽtiæ.* Vnde Beda Primò, ſic exponit. q.d. Si apertè contra ſtultitiam ſtulti diſputando incedas, ille neſcit intelligere quæ prudenter dicis Sic & Lyran. ac Dionyſ. q.d. Si in ſtultũ incurras illum arguendo, vel cum illo diſputando, is quidem

dem te audiet, at neſciet, id eſt, non capiet tuos ſermones, quantumuis ſcitè & prudenter prolatos.

Secundò, & germanius, pro *contra* hebr. eſt מִנֶּגֶד *minneged*, id eſt è regione, à coram, hoc eſt eminus, longè, procul: מִן *min* enim remotionem & elongationē ſignificat. *Minneged* ergo idē eſt quod *longè, procul*: opponiturque *leneged*, id eſt *coram*. Senſus ergo eſt. q d. *Vade contra*, id eſt, è contrario viri ſtulti, vt, ſi ille eat ad Orientē, tu ab eo recendens vadas in Occidentem: hoc eſt, fuge, ſecede, elonga te à ſtulto, *&* id eſt quia, *neſcit labia prudentiā*, hoc eſt, quia neſcit prudentiam audire aut loqui, ſed quæcumque in buccam veniūt, temerè & imprudenter effutit. ita Abē Ezra. Cùm, inquit, hæc dictio נֶגֶד *neged* adiunctum habet מִן *min*, ſignificat longè recedere: quòd ſi eidem aſſcribatur *lamed*, ſignificat rei propinquitatem, ſeu ad rem acceſſum. q.d. Abſcede à ſtulti conſpectu, ac procul eſto à ſtolido atq. ſcientiæ experte: nam labia prudentię ſcientiam ſignificant. Sic & R. Leui: longè, inquit, remoue te à vecorde, ne cum illo ſocietatem contrahas Sic & Chald. Pagnin. Tigur. & alij.

Dices, qua fide noſter vertit, *& neſcit* in tertia perſona, cùm in Hebræo ſit, *& neſciuiſti* in ſecunda, hoc eſt, *neſcito*, vel *neſcies*? Reſp. Noſter videtur cenſuiſſe eſſe hîc commutationem perſonæ, quæ crebra eſt in Scriptura. vt ſcilicet Salomon à ſapiente ſe conuertens ad ſtultū dicat: Tu ô ſapiēs, vade contra virum ſtultum, id eſt contrariâ via te, à ſtulto elonga: at tu, ô ſtulte, neſcito verba prudētiæ, id eſt tibi ſoli ſerua tuam neſcientiam & ignorantiam prudentiæ, noli eam ſapienti pandere, nec ſimplicibus inhalare, quod Noſter clarè vertit mutans ſecundam perſonam in tertiam, *&*, id eſt quia, ſtultus *neſcit labia prudentiæ*: Hebræis enim vſitata eſt, ſed Latinis inuſitata & inſolēs, hęc ſubita perſonæ commutatio. Similes tacitè & repentinæ perſonarum commutationes crebræ ſunt in Prophetis & Canticis: Prophetæ enim ſubitò à Cyro, Dauide, Salomone, &c. auolant ad Chriſtum, vt patet Iſaiæ 45. 8. & cap. 16. 1. Aut certè ſi ad eamdem ſapientis perſonam hæc referas, dicendum eſt eſſe antiphraſin, vt τὸ *prudentiæ* ponatur pro *imprudentiæ*, vti legunt nonnulli codices Latini & Pagnin. qui vertit, *vade à longè cum viro ſtulto, & neſcies labia mendacia*. Stultus enim videtur ſibi ſapiens ac prudentiſſimè loqui: ſed hæc eius ſapientia & prudentia apud ſapientes vera eſt imprudentia & ſtultitia.

Porrò alij variè hæc ex Hebræo vertunt & exponunt. Primò, R. Salomon: *Vade*, inquit, *coram viro ſtulto, & neſcies labia prudentiæ*, hoc eſt, ſi cū ſtulto conuerſeris, non diſces ab eo prudentiam.

Secundò, Tigurina. *vade à facie hominis ſtulti, in quo non animaduertis labia ſcientiæ*.

Tertiò, Varabl. *vade à faciē inſipientis cùm non noueris ſermones ſcientiæ*, hoc eſt, nihil ſit tibi commercij cū ſtulto, ſi inexpertus fueris & ignorans: quia à ſtulto non diſces ſcientiam, ſed ſtultitiam.

Quartò, Chald. *vade per viam aliam à viro ſtulto: quia in labiis eius non eſt ſcientia*: & huc Vulgatam verſionem reuocat Caietan. & Bayn. ſubaudiendo pronomen *eum*. Vade, inquiunt, *contra virum ſtultum, & eum qui neſcit labia ſcientiæ*, id eſt, procul diſcede à ſtulto, & ab eo qui imperitè & imprudenter loquitur.

Quintò, Ianſen. quaſi dicat. *Vade contra virum ſtultū*, id eſt, elonga te à ſtulto, *& neſcito labia ſcientiæ*, id eſt tace, imò, ſi opus ſit, ſimula te nihil ſcire, ac loquendi imperitum & prudentiæ expertem eſſe potiùs, quàm vt cum ſtulto ſermocineris vel diſputes.

Sextò, Sept. prorſus aliò abeunt: *Omnia*, inquiunt *contraria viro imprudenti: arma autē ſenſus* (grecè αἰσθήσεως, id eſt, ſenſus, iudicij, ſcientiæ, doctrinæ, id eſt prudentis & ſenſati animi, αἴσθησις, enim eſt νόησις) *labia ſapientiæ*; vel, vt vertit auctor Catenæ Græc. *Viro ſtulto omnia cadunt aduerſa: labia autē ſapientis organa ſunt iudicij & ſenſus*. hoc eſt, inquit, *ſapientum labia ſunt idonea iudicij & ſenſus organa, vt quæ inſipientiam auertunt, & malitiam datâ operâ inſectantur: malitia enim cum vera ſapientia nihil commune habere poteſt*. Sicut enim in organis exacto aurium iudicio, fiſtulæ minores gradatim cū maioribus magnâ ſonorum proportione harmonicè coaptantur & contemperantur, indeque ſuauem edunt melodiam & concentum: ſic pariter ſapiens ſermones ſuos magno prudentiæ ſenſu diſponit & contemperat, indeque mirum audientium tam illis quàm ſibi conciliat decorem & gratiam, adeò vt, cùm eum loquentem audiunt, organorum cōcentum ſe audire exiſtiment. Græcum enim ὅπλα non tantùm arma, ſed & organa & inſtrumenta quælibet ſignificat. Sin *arma* hoc loco vertas cum Complut. & Roman. ſenſus erit. q.d. Viro imprudenti ob imprudentia eius verba, quibus ſibi omniū odia accerſit, omnia accidunt contraria & aduerſa: omnes enim in eum inſurgunt, eumque laceſſunt: *arma autem ſenſus labia ſapientiæ*, id eſt arma hominis ſenſati, quibus ſe contra aduerſa omnia cummunit, imo inimicos quoque ſibi amicat, ſunt verba prudenter & gratioſè labiis eius prolata. Aut, vt noſter Salazar. q. d. Omnes & omnia imprudenti crudele mouent bellum: ſed tamen nulla aduerſus illū arma ſæuiora ſunt, quàm labia ſapientia hominis ſenſati. His enim crudeliùs quàm ſagittis & iaculis configitur, his ſæuiùs quā gladiis haſtiſque confoditur eius ſtoliditas & ſtultitia. Porrò ſtultus hîc, & in ceteris prouerbiis, idem eſt quod imprudens, vitioſus, prauus, improbus; ſapiens vero eſt prudens, virtute præditus, rectus, probus: hæc eſt enim ſapientia vera & practica, vti ſæpiùs monui. Ita S. Ambroſ. lib. 3 epiſt. 19. poſt initium: *Eloquia tua*, inquit, *plena intellectus ſint. Vnde & Salomon ait: Arma intellectus labia ſapientiæ. Et alibi* (Prouerb. 15.) *Labia tua alligata ſint ſēſu, id eſt fulgeat ſermonum tuorum manifeſtatio, intellectus coruſcet, & eloquium tuum atque tractatus aliena non indigeat aſſertione, ſed ſermo tuus velut armis ſuis ſeſe ipſe tueatur*.

Denique Theodorus Abbas apud Caſſian. collat. 6. cap. 9 ſic Septuag. explicat: *Vt*, inquit, *de perfectis ac ſapientibus dicitur: Diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum, ita de infirmis pronuntiatur ac ſtultis: Omnia aduerſa viro inſipiēti: nec proſperis enim rebus proficit, nec emendatur aduerſis. Eiuſdem namque virtutis eſt triſtia fortiter tolerare, cuius etiam ſecunda moderari, & eum qui in vno eorum ſuperatur, neutrum ſufferre certiſſimum eſt. Faciliùs tamen quis elidi poteſt proſperis, quàm aduerſis. Hæc enim interdum etiam inuitos retinent atque humiliant, & compunctione ſaluberrima vel minùs peccare faciunt, vel emendant: illa verò mollibus mente ac perincioſis extollentia blandimētis, ſecuros felicitatis ſuæ prouentu ruina maiore proſternunt*.

VERS. 8. SAPIENTIA CALLIDI EST INTELLIGERE VIAM SVAM: ET IMPRVDENTIA STVLTORVM ERRANS] Chald. *ſapientia callidi eſt intelligentia viæ ſuæ: ſtultitia vecordium fraudulenta*; Syrus, *ſolers in ſapientia ſua intelligit viam ſuam: at via ſtulti in errore. Callidus*, hebr. ערום *arum*, in hiſce Prouerbiis in bonam partem ſumitur pro cauto & prudenti. Senſus eſt. q.d. Vir cautus & prudēs intelligit ſuas vias, id eſt actiones: quia antequam eas obeat, præuidet & proſpicit modum, quo prudenter, rectè & honeſtè iuxta Dei legem & voluntatem eas operetur, vt per eas ad vitam honeſtam, ac tandem beatam rectâ contendat ac perueniat. Et in hoc ſita eſt vera ipſius ſapientia. At verò imprudentia & inſipientia ſtultorum in eo conſiſtit. quòd ipſi non intelligant, non proſpiciant, vt viæ eorum ſint rectæ; ſed à rectitudine aberrant in auios & deuios voluptatum errores, ad quos eos abripit ſenſus & concupiſcentia: vnde ab vna voluptate aberrāt & vagantur in aliam & aliam, donec aſſiduè aberrando magis & magis, tandem in ruinam & gehennam corruant qui ſummus & irreuocabilis eſt error.

Pro *errans* hebr. eſt מרמה *mirma*, id eſt dolos, fraus, deceptio, vt vertūt Aquila Symmach. Theodot. ac Sept. *Dementia*, inquiunt, *imprudentium ἐν ἀπάτῃ*, id eſt, in deceptione vel in errore: quia ſcilicet error eorum decipit eos, ducitque in exitium & tartarum. Et ſic in re idem eſt dolus & deceptio, quod error, vt vertit Noſter. Ita auctor Catenæ Græcor. *Sapientia prudentium vias illorum intelligit: ſtultorum autem amentia in errorem inducit. Quia prudentes*, inquit, *omnes actiones ſuas prudenter inſtituunt: amentes autem ne tum quidem dum errant errorem ſuum agnoſcunt, ſed in obſcuris ignorationis & inſcitiæ tenebris numquam non verſantur.* Poteſt Secundò, dolus hîc propriè accipi. Vnde Vatabl. repetens τὸ *intelligere*, ſic vertit, *ſapientia cauti eſt intelligere viam ſuam: ſtultitia autem ſtultorum eſt intelligere dolum*: hoc eſt ſtulti nihil aliud cogitant, quam quomodo aliis imponere poſſint. Sicque pulchra eſt antitheſis, q.d. Sapientia verè prudentis & cauti eſt non cognoſcere fraudes & dolos, quibus opes vel honores comparet, aut proximum ſuum callidè opprimat, ſed cognoſcere viam ſuam, quid ſcilicet ſibi agendum ſit, & quâ eumdem, vt ad cælum vitamq; beatam perueniat. Ex aduerſo ſapientia ſtultorum eſt machinari dolos & fraudes, quibus ſe ditent & magnificent: putant enim ſe ſapientes & callidos, cùm eò per dolos pertingere valent: at hæc eorum ſapientia ſumma eſt inſipiētia & imprudentia: quia negligūt ſcrutari & cognoſcere vias ſuas, quibus ſcilicet ad felicitatē tendant, ac toti ſunt vt ſcrutentur vias alienas, id eſt, actiones proximorum, vt eas per dolos & fraudes euertant: qua ratione non tam proximos quàm ſe ipſos euertunt, ac in ruinam & gehennam præcipitant. Quo quid ſtultius? nam vt ait Pſaltes pſalm. 7. Stultus & impius *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit*: doli enim in caput doloſi, fraudes in caput fraudulenti recidunt & euoluuntur.

Alludit ad prudentiam ſerpentis, qui hebr. vocatur ערום *arum*, id eſt callidus, Geneſ. 3. v. 1. de quo Chriſtus: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Inter cetera autem prudentiæ ſerpentis argumenta vnum eſt, ait Salazar, quòd, cùm pedibus careat, ideoque reptare debeat,

A fugit prærupta, & ferè per plana & æquabilia vias ſuas dirigit, teſte Plinio lib. 6. cap. 15. in planis verò tam velociter fertur, vt leuiſſimorum equorum curſum adæquet q.d. Salomon: imitare ô homo, calliditatem ſerpentis: ſicut enim hic diligit vias planas & ſibi conuenientes, ſic & tu dilige *vias*, id eſt actiones, ſtudia & occupationes naturæ & ingenio tuo commodas: hæ enim homini planæ, imò procliues ſunt, reliquæ difficiles & accliues. Vnde.

Tertiò, & magis propriè: *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam*, id eſt, ſibi conuenientem & cōgruam. Sapiens intelligit, quæ via, id eſt quis ſtatus, quis gradus, quod officium, quæ occupatio, quod ſtudium, quæ ars, quæ actio ſit ſua, id eſt ſibi conueniens, quæ ſcilicet ſuæ complexioni, indoli, propenſioni, viribus, talentis congruat. Et in eo conſiſtit eius ſapientia. At *imprudentia ſtultorum eſt*
B *deceptio, dolus & error*: quia non cogitant, quid ſibi ſuæque indoli, æq; ac ſaluti conueniat, ſed id amplectuntur, quo eos rapit ambitio, leuitas, auaritia aut libido: quo fit vt in graues difficultates præſentes & æternas incidant, ex quibus ſe expedire nequeunt: quæ magna eſt imprudentia. Sic quotidie videmus pleroſq; errare in ſtatu vitæ deligendo, in officiis amplectendis, ex eo quòd non conſiderent, an is ſtatus vel officium ſit ſibi congruū & ſalutiferum; ſed an ſit opulentum, ſplendidum, honorificum v.g. offertur paſtoratus, abbatia, epiſcopatus pinguis & ſplendidus, ilicò arripitur, nec priùs diſcutitur, an is arripientis naturæ, gratiæ, viribus, humeris ſit commenſus: quo fit vt multi oneri ſint impares, nec tantùm ſe, ſed &
C ſubditos, quorum curā acceptant, in perditionem præcipitent. An non hæc eſt imprudentia, eaque ſumma, vtpote in re grauiſſima: talis enim eſt ſalus æterna, quæ eſt vltimus finis, ſummumque hominis bonum. Quid enim magis præpoſterum, quàm media fini, putà epiſcopatū ſaluti, anteponere, ac deinde finē ad media à ſe prælecta, putà ſalutem ad epiſcopatum, accōmodare, imò cogere velle? *O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane*, imò inſipiens, ſtultum & pernicioſum! Alius amplectitur matrimonium, quia offertur ſponſa diues pulchra, nobilis; nec conſiderat an eius mores moribus ſuis congruant, quo fit vt poſtea mores eius moribus ſuis diſſimiles, imò aduerſos, deprehendens in perpetua viuat afflictione, litigiis, mœroribus. Alius ſe applicat ſtudio, vt præbendā vel dignitatem conſequatur, cùm ſit hebeti inge-
D nio, & natus ad mechanica: hic perdit tēpus, perdit indolem, perdit talentum ſibi à Deo datum, & aliud ſibi non datum vi inuadere ſatagit, & ita de ceteris. Hinc animæ perditio, & ſalutis naufragium. Quàm multi in ſæculo damnantur, qui in ſtatu Eccleſiaſtico, vel Religioſo ſaluarentur, & vice verſa! Igitur docet Salomon in eo veram ſapientiam conſiſtere, vt quiſque ſapienter ſecundū Deum ex rectæ rationis iudicio, ſepoſitis priuatis affectibus, ac mundi carniſque illecebris diiudicet, quæ via, id eſt quæ occupatio, quis ſtatus, quod officium, quæ actio, ſibi, id eſt ſuæ indoli & inclinationi, ac ſuis tam naturæ quàm gratiæ viribus proportionata ſit, commenſurata & congrua, vt rectè & honeſtè viuat, itaque ad æternam felicitatem, ad quam à Deo creatus eſt, & ad quam hæc vita non niſi via, peregrinatio & curſus eſt, perueniat, qui ſecùs faxit, hunc imprudentem eſſe,

nec

nec tam alios quàm ſeipſum ludere & decipere.

Radix huius diſparitatis eſt, quòd ſapiens ex dictamine ſapientiæ omnia examinet, & libret ſecundùm rationes diuinas & æternas: inſipiens verò ſecundùm rationes humanas, temporales & caducas, quas diuinis & æternis anteponit, quæ ſumma eſt inſipientia. Notat hoc noſter B. Aloyſius Gonzoga, qui proinde pingitur cum bilance, in cuius vna lance appendit rationes temporales, in altera æternas, quæ longè prioribus præponderantes ipſum incitaut, vt omnia ſua agat & menſuret iuxta dictamen rationum diuinarum & æternarum, non verò humanarum & caducarum. Hoc eſt quod ait ſapiens:

Quidquid agas prudenter agas & reſpice finem.

Et S. Bernard. ſer. 20 inter paruos: *Attende homo, vnde venis & erubeſce vbi es: & ingemiſce quò vadis: & contremiſce.* Et Pſaltes: *Cogitaui dies antiquos* inquit, *& annos æternos in mente habui.* Si ſapis ergo, in ſingulis actionibus hoc elige, hoc age, quod in hora mortis, quod in die iudicij, quod per omnem æternitatem voles te elegiſſe, te egiſſe. *Semel dictum, cogitatum, factum æternum eſt. Viue, ſtude, labora æternitati.* Hæc eſt ſapientia Sanctorum.

Vers. 9. STVLVS ILLVDET PECCATVM: ET INTER IVSTOS MORABITVR GRATIA] Pro *ſtultus* Complut. & codex Montis Amiati ac Longobardus legũt *ſtultis* in datiuo plurali, & ſic verti poteſt ex Hebræo. Pro *illudet* hebr. eſt יליץ *ialits*, quod varij variè vertunt. Primò, illudere; Secundò, cauillari, hoc eſt: factum vel dictum alicuius in malam partem interpretari; Tertiò, palliare ſiue excuſare; Quartò, loqui præſertim ſophiſticè; Quintò, intercedere. Vnde Primò, Chald. vertit, *ſtulti comparationes ponunt in peccato: & inter rectos eſt beneplacitum* q. d. Stulti ſcelera ſua imminuunt comparando ea cum ſceleratioribus, ac ſibi blandiuntur, quod pręillis boni & honeſti videantur. Secundò, Pagnin. *ſtultus loquitur verba delicti: & inter rectos erunt verba dilectionis*, id eſt, vt Vatabl. Si Stultus quid malefecerit, id palam eloquitur: & inter rectos ſemper fit mentio charitatis. Tertiò Tigurina, *ſtulti excuſant delictum, ſed inter rectos eſt beneplacitum* vel *beneuolentia*. Quartò, R. Emmanuel, *quilibet ex ſtultis palliabit delictũ, & inter rectos voluntas bona*, aut, *ſtultus interpres vel mediator delicti erit, & inter rectos beneuolẽtia*. Quintò, Baynus, *ſtultus loquitur delictum, & inter rectos gratia*, id eſt, inquit, ſtultus loquitur turpia quę nec nominari debent: at iuſtorum ſermones gratiâ & venuſtate conditi ſunt. Sextò, R. Salomon vertit, *pro ſtultis mulcta intercedit*, Cùm enim, inquit, in Deum & homines peccarint, neceſſe eſt vt vtriſq; pro offenſa per mulctam ſatisfaciant, ſicut Philiſthæi pro delicto in arcam Dei commiſſo ſoluerunt quinque anos aureos 1. Reg. 6. 5. Septimò. R. Leui vertit, *Peccatum loqui faciet ſtultos.* Cùm enim, inquit, per peccatum ſe finem quem optabant, nõ conſecutos, imò pœnas & ærumnas incurriſſe viderint, loquentur & conquerẽtur de miſeria & infelici ſua ſorte. Octauò Aben Ezra, יליץ *ialits*; inquit, eſt interpretari mentem aliorum, eique ſe accõmodare. מליץ *melits* enim eſt interpres, q. d. Stultus, id eſt impius, loquitur ad mentem eorum, quibuſcum peccatum perpetrare ſatagit, iuxta illud Iſaiæ 3. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.*

Verùm Noſter optimè & maximè propriè יליץ *ialits* vertit, *illudet*, & Symmach. *irridet*, quod multa cõplectitur. Primò q. d. Stultus cum riſu & ioco quaſi ludens perpetrat peccatum perinde ac cũ peccato luderet, illique illuderet, iuxta id quod dixit cap. 10. *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus.* Et cap. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultãt in rebus peſſimis.* Vbi plura hac de re dixi. Rurſum cùm de peccato arguitur ſtultus, id eſt impius, illudit, id eſt tergiuerſando, excuſando, ridendo eludit arguentem, eiuſq; correptionem: at viciſſim ſtultus illudetur à peccato. vnde Complut. & codices iam citati ac Dionyſ. Carthuſ. legunt, *ſtultus illudet peccatũ*, ſicut eſca in hamo decipit piſces ait Dionyſ. Et Aquila. *ſtultus illudet peccatum: inter iuſtos autem erit gratia.* q. d. Voluptati & culpæ impiorum illudet pœna quàm culpa ex improuiſo eis inducet: ſed apud iuſtos erit Dei gratia, quæ eos proſperabit, & tandem beabit. Stultus ergo qui effrænis ruit in ſcelera, videtur illudere peccato: at magis illudit ipſi peccatum, peccatique præſes diabolus: nam ob peccatum cruciabit eum acerrimè tum in hac vita, tum in gehenna, vbi illũ deridebit, illudet & ſubſannabit, quòd tam demens fuerit, vt ſibi hoſti ſuo iurato ad peccatum tentanti ceſſerit, imò crediderit; quòd tam inſenſatus fuerit, vt non cogitarit incendia gehennæ; ſed pro modica voluptate iis animam ſuam tradiderit. At *inter iuſtos morabitur gratia*: quia honeſta agendo gratiam Dei & hominum ſibi conciliabunt. Vnde Syrus vertit, *ſtulti faciunt peccatum & recti beneplacita.*

Secundò, ſtultus illudit peccatum, non ſuũ, ſed alienum, id eſt, deridet peccantes, eorumque peccata per riſum & iocum commemorat, aliiſque ridenda proponit; ſub peccato enim metonymicè ipſos peccantes intelligit. Huic ſenſui valdè congruit ſequẽs antitheſis: *Et inter iuſtos morabitur gratia*, Hebr. רצון *ratſon*, id eſt beneplacitum vel beneuolentia. q. d. Stultus, cùm videt quem peccantem, eius peccatum propalat, ridet, ſubſannat, eumque omnium riſibus obiicit; quo fit vt eius aliorumque iram & odia in ſe concitet: at iuſtus ſi quem peccantem videt, eius peccatum beneuolè tegit, excuſat, & ſecretò benignè corripit & emẽdat: quocirca inter iuſtos moratur gratia, id eſt beneuolentia, pax, concordia, amicitia. ita Ianſen.

Tertiò, peccatum ſæpè metonymicè ſumitur pro hoſtia quæ offertur pro expiatione peccati, vt Leuit. 6. 17 ca. 5. 6. Sic Chriſtus dicitur pro nobis factus maledictum & peccatum, id eſt hoſtia pro peccato & maledicto, 2. Corinth. 5. v. 21. Rurſum רצון *ratſon*, id eſt gratia, beneplacitum, ſubinde ſumitur pro victima gratioſa voluntariè oblata, vt Iſaiæ 60. 7. *Offerentur ſuper placabili altari meo*, Heb. *ſuper altare ad gratiam*, id eſt tamquam gratioſa & voluntaria victima.

Senſus ergo eſt. q. d. Impius admiſſo peccato, ſi moneatur offerre hoſtiam lege Leuitici c. 4. pro peccati expiatione præſcriptam, nolet illam præſtare, ſed illudet, id eſt eludet vel deridebit monentem: at *inter iuſtos morabitur gratia*, qua ſe à peccato illibatos conſeruent, vt hoſtia pro peccato non egeant: quare ſi quam offerunt, non pro peccato, ſed ad gratiam, id eſt tamquam gratioſam & ſpontaneam Deo ſiſtunt. Huc facit verſio Septu. *Domus iniquorum debebunt mundationem, domus autem iuſtorum acceptabiles*, q. d. Iniqui nolent ſoluere hoſtiam pro peccato debitam, ſed in hoc debito permanebunt quaſi illudentes, & irridentes tam peccatum quàm hoſtiam pro peccato: at verò iuſti

ſunt acceptabiles,id eſt, Deo grati ac accepti.vnde non indigent hoſtia pro peccato, ſed ſi quam offerant,non pro peccato, ſed ſpontaneam ad Dei gratiam magis ſibi conciliandam offerunt. ita Salazar. Vnde Syrus more ſuo affectans Sept. vertit, *domus iniquorum quærunt rectè munditiem & domus iuſtorum eam recipiunt.* Hic ſenſus obſcurior & profundior eſt, ſecundus verò clarior & planior. A

VERS. 10. COR QVOD NOVIT AMARITVDINEM ANIMÆ SVÆ, IN GAVDIO EIVS NON MISCEBITVR EXTRANEVS] Syrus, *cor cognoſcens*, vel *intelligens mæſtitia eſt animæ ſuæ*, Arabicus, *cor viri ſentiſitiuum* (quod facilè tangitur, & ſentit) *anima eius triſtis eſt: & in gaudio eius nō miſcebitur magnificentia.* Primò, Ianſenius & Baynus ſic exponũt.q.d. Cor quod angitur & conſcium eſt ſibi ſecreti mœroris, non capietur facilè ſolatiis quę extrinſecus adhibentur. Verus enim dolor, qui cor penetrat & peruadit, non facilè tollitur blandimentis externis. B Atque hoc eſt, quod dicitur, *extraneus*, vel extraneum quid, *non miſcebitur in gaudio eius* quia ſcilicet non auferet ei gaudium, nec temperabit gaudio cordis mœrorem: nullus enim externus dilectionis affectus poterit ei eſſe in gaudio, id eſt, ad gaudium, vt ſcilicet gaudio ſe det, eoque velut ſolatio triſtitiam temperet. Id experiuntur peccati grauioris ſibi cōſcij. Vnde Symmach. vertit, *& in gaudio eius non miſcebitur extraneis*, ſcilicet deliciis & gaudiis. Nam vt ait S. Auguſt. Contra literas Petiliani l. 3. *Si conſcientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodeſt, ſi me continuis laudibus mundus extollat? hoc enim merè externum eſt, illud intimum.* Quocirca S. Ephrem tract. de Oratione: *Omnis*, inquit, *mundana & profana voluptas in amaram conſcientiam coniecta, quaſi parua mellis ſtilla eſt in abſinthij dolium refuſa.* C

Secūdò, Caiet. q.d. Vir cordatus dolores & angores animę ſuæ celat & corde premit: iuxta illud,

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Idem pariter cùm lætatur & gaudet, celat lætitiam, ſoluſque gaudij ſui conſcius eſt: *Imprudentium verò vt gaudia, ſic dolores exundare ſolent*, ait Seneca epiſt. 100.

Tertiò, noſter Salazar duas affert expoſitiones: Prior eſt addendo τὸ *ſolùm* hac ratione: *Cor quod nouit ſolùm*, inquit *amaritudinem animæ ſuæ*, id eſt cor quod in aduerſa fortuna ſolùm nouit ſentitque ſuos angores, nec vllum habet ſui doloris conſciū vel conſortem, hoc ipſum cùm ſecunda deinde vtetur fortuna, neminem in ſuæ lætitiæ & gaudij conſortium accerſet, ſed ſecum ſilens ſolum pariter gaudiis ſuis potietur & fruetur. D

Poſterior, quam ipſe priori præfert, vt τὸ *nouit* ſumatur pro *amat*. q.d. *Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ*, id eſt, cor nimirum, quod eò doloris & angoris peruenit, vt ſuam ipſius amaritudinem & acerbitatem adamet, & triſtitia illi voluptati ſit: *in gaudio eius non miſcebitur extraneus*. q.d. Papæ, aut apage: Profectò in partem & ſocietatem talis gaudij & voluptatis nemo vocari volet. Itaque prouerbium illos incuſat, qui triſtitiæ habenas laxantes eò deueniunt, vt huic iam libenter incūbant, vtque ſuos mœrores & dolores adament, & deoſculentur. His ſuccenſet Seneca in lib. de Conſolatione ad Martiam: *Quemadmodū omnia vitia penitus inſident, niſi dum ſurgunt, oppreſſa ſint: ita etiam hæc triſtia, & miſera, & in ſe ſæuientia, ipſa nouiſſime acerbitate paſcuntur; & fit infelicis animi praua voluptas, dolor.*

Verùm hæ expoſitiones ingenioſæ quidē ſunt, at plenam Salomonis ſententiam obſcurāt vel intricant. Igitur Hebræa habent. *Cor cognoſcit amaritudinem animæ ſuæ, & in gaudio eius non miſcebitur alienus*, id eſt, ait Vatabl. Mens ipſa cognoſcit amaritudinē & lætitiam conſcientiæ ſuę, & non alius: nullus enim ſatis explicare poteſt alteri latentem in animo mœrorem, vel gaudium: neque quantumuis explicet, alter ea percipere poteſt, vti ipſe ea in animo ſentit. Aliud enim eſt ea audire, vel videre, aliud ea ſentire. Tigur. vertit in genere neutro, *& in gaudio eius nihil alienum ſe immiſcet.* q.d. Merum ac purum putum eſt eius gaudium, nec vllo dolore aliâue paſſione miſtum.

Interpres noſter neruoſiùs hanc ſententiam ſtringit, ſubaudiendo, more Hæbræorum relatiuum, *quod*, vnde ſenſus eius eſt, q.d. Cor, id eſt mens & conſcientia, quæ ſola perfectè conſcia eſt ſuæ amaritudinis & triſtitiæ, hæc pariter ſola perfectè gaudij ſui erit conſcia & compos, cùm è triſtitia emerget in gaudium: ſicut qui è periculo & angore naufragij euaſit & enatauit ad littus, hic ſolus vti ſuos angores in naufragio ſenſit, ita ſolus euaſionis & liberationis ſuæ gaudium gaudiique pondus ſentit, æſtimat & guſtat. Sic Iacob lugens Ioſeph quaſi mortuū, cùm audiit eum ſupereſſe ac viuere, *reuixit ſpiritus eius, & ait: Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequā moriar.* Geneſ. 45. 28. Sic nonnullæ matres putantes filios in bello occubuiſſe, ideoq; lugentes, cùm illi ex inſperato apparerent, viuoſque ſe matribus ſiſterent, præ ſubito nimioq; gaudio reſolutis ſpiritibus vitalibus animam exhalarunt. Sic Hebræi afflicti à Pharaone in Ægypto amarè lugebant: at liberati à Moſe mirè gauiſi ſunt, nec eorum gaudiis ſe miſcuit Ægyptus, aut quis exterus.

Porrò hæc ſententia cuilibet cordis triſtitiæ & lætitiæ aptari poteſt; maximè tamen vera eſt in triſtitia & lætitia ſupernaturali, præſertim in compunctione animi, qua pœnitens amarè dolet de peccatis ſuis vel alienis, ceteriſq; ſpiritus periculis vel ærumnis: huic enim compunctioni miſcetur gaudium inenarrabile, quod nec pœnitens explicare, nec alius compunctione carens capere poteſt: adeoque compunctio in ſe ſuoque dolore mirum & cæleſte continet gaudium, idque Primò: quia compunctio ſancta eſt, animamq; Deo conciliat, quæ materia & cauſa eſt ingētis gaudij. Vnde S. Ephrem magnus compunctionis amator & præco ſerm. 3. de compunct. exclamat: *O lacrymarum vis quouſque pertingis, quæ multa cum fiducia, nullis impedita retinaculis ipſum cælum penetras! O vis lacrymarum, quæ ſi velu ante ſanctum atque excelſum immaculati Domini thronum cum gaudio adſiſtere potes! O vis lacrymarum, in cuius præſentia atque confidentia angelorū ordines cæleſteſq; omnes virtutes ſemper exultāt! O lacrymarū potentia, quomodo in ictu oculi quaſi præpetibus ſublata pennis in cælum reuehis atque aſcendis, & poſtulata à Deo ſancto obtines; occurritq; tibi hilariter indulgentiam ac remiſſionem peccatorum deferens! Largire igitur mihi indigno famulo tuo Domine lacrymas illuminationem cordis atq; fortitudinem, vt fontes lacrymarum iugiter cum dulcedine fundens, cor meum illuſtretur in oratione munda: vt magnum illud delictorum meorum chirographum modicis lacrymis deleatur, ignisq; ardens ibi exiguo fletu extinguatur.* Et ſerm. 4. loquens de Dauide: *Vna, ait, nocte peccauit, & per ſingulas noctes fleuit ac vigilauit, lectum rigauit, & vulnus eluit, lacrymarumq;*

Compunctionis gaudium Primò.

marumq; virtute effectus eſt beatus. Et mox: *O lacrymarũ virtutẽ, quæ ab inferis ad cælos vſq; reducis deſiderantes te! O virtutem lachrymarum quæ in medicinalis officina es peccatorũ! per te peccatores efficiuntur beati; vnde & Dominus noſter beatos tales prædicat, dicens: Beati qui nunc fletis: quoniam ridebitis, in futurum ſcilicet Nõ quidem dixit beatos illos, qui deflent mortuum, aut damnum domus, aut neceſſitatem, aut quid aliud ſæculi huius: Sed beati,* inquit, *illi qui lugent de peccatis ſuis. Nunc enim ad modicũ tempus plorant: illæ autem in ſempiterna conſolabuntur ſæcula. O quantum gaudium eſt in cælis ſimul ac peccator in terra lacrymas profuderit!*

Secundò. Secundò, quia compunctio procedit ex amore Dei: ideò enim pœnitens dolet ſe offendiſſe Deum, quia videt quantũ bonum ſit Deus quem offendit, quamque ſibi & omnibus ſit amabilis: amor autem cauſat gaudium. Vnde S. Baſil. hom. 4. de gratiarum actione obiiciens ſibi: Si gaudium perenne præcipis, ô Paule, Philip 4. 4. cur lacrymas interponis? *Ad hoc,* inquit, *dicere poſſumus, Sanctorum lamenta lachrymaſq; prouenire à feruore charitatis: oculis enim cordis in eum coniectis quem diligunt, lætitiam ſibi illinc accumulant.* Et paulò pòſt *Apoſtolus,* inquit, *vt cum flentibus fleamus permittit: quòd huiuſmodi lacrymæ ſint ſeminium quoddam ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increſcit quotidie & cumulatur.* Itaque lacrymæ ſpiritualem lætitiam non impediunt, ſed accumulant, & tamquam oleum ignem nutriunt & accendunt:

Tertiò. Tertiò, quia pœnitens cupit & gaudet compungi, ipſaque compunctione & lacrymis quaſi epulis delicatiſſimis paſcitur. Vnde τὸ *cor quod nouit,* exponas, *cor quod amat amaritudinem,* id eſt compunctionẽ, *animæ ſuæ.* Sic dicit Chriſtus reprobis: *Nũquã noui vos,* id eſt, non amo vos, odi vos. Mat. 7. 23. Quocirca B. Antonius homil. 107. de compunctione: *Roruleniæ,* inquit, *aſpergines lacrymarum, vt dulcor mellis ſunt cordi, aut ſuaue fragrans thymiama apud Deum.* Rectè D. Petrus Cellenſis lib. de Panibus cap. 12. *Panis,* inquit, *lugentium abundantia eſt lacrymarum. Sicut enim panis eſurientem, ſic lacryma reficit animam dolentem: deficit eſuriens ſine pane, lacerata languet anima ſine lacrymarum effuſione: panis mitigat famen, lacryma lenit dolorem.* Vlterius progreſſus D. Ephrem tom. 1. orat. de extremo iudicio & compunctione: *Certè,* inquit, *ſcitote fratres, non fore in terra quid dulcius gratia lacrymarum ſi quis veſtrum expertus lacrymarum dulcedinem mediante oratione deſiderauerit eleuari è terris: totus hic extra corpus in cælũ fertur. Et quid dico extra corpus? imò extra ſæculum vniuerſum totus eſt, nec ampliùs conuerſatio eius inuenitur in terris.* Hoc cõpũctionis gaudium guſtabat Pſaltes dicens: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura,* pſ. 79. 6. Sic S. Magdalena paſcebatur ſuis lacrymis, quibus rigabat pedes Chriſti, magis quàm Simon ſuis epulis. Vnde ſeceſſit in Balmam, ibique triginta annos ſola ſoli Chriſto vacauit in compunctione & lacrymis ſuauiſſimis: quare quotidie in cælum ſubuecta, meruit angelorum concentum audire, eoque velut cibo tam corpore quàm mente paſci,

Quartò. Quartò, quia compunctio certam affert ſpem beatitudinis, cæleſtiſque gaudij eſt quaſi arrha & prægustus. Vnde bene ſenior Macarius homil. 15. *Habent,* inquit, *Chriſtiani conſolationem ſpiritus lacrymas, luctum & planctum, ſuntq; illis & lacrymæ deliciarum loco.* Imò D. Chriſoſt. hom. 24 in epiſt. ad Epheſ. *Nulla,* inquit, *res eſt æquè iucunda, atq; luctus*

A *qui eſt ex Deo.* Hanc lacrymarum ſuauitatẽ expertus S. Auguſt in pſalm. 127. *Si ſpes,* inquit, *tam dulcis eſt, quanto res dulcior erit?* Et nonnullis interiectis: *Dulciores ſunt lacrymæ orantium quàm gaudia theatrorum,* Hoc eſt quod Chriſtus promittit Matth. 5. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Vbi D. Chryſoſt hom. 15. *vbi verò,* inquit, *dic mihi, conſolabuntur? & hîc profectò, & quod eſt amplius, in futuro. Itaque ſi vis conſolari, luge. Neque putes ænigma eſſe quod dixi. Quando enim conſolatur Deus, etiamſi millia mœrorum irruant, cunctis ſuperior exiſtis.*

Quintò: Quintò, quia compunctio recreat Deum, angelos & Sanctos vniuerſos; quidni ergo gaudeat pœnitens, quòd per eam Deum & angelos oblectet: Audi Chriſtum: *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis,* Lucæ 15. 7. Quò alludens D. Bernardus ſerm. 68. in Cant. *Gaudent,* inquit, *angeli ad pœnitentiam peccatoris Quòd ſi deliciæ angelorum lacrymæ meæ,*
B *quid ipſæ deliciæ:* Ergo lacrymæ peccatorum vinum ſunt angelorum. Et Pſaltes pſ. 55. 9 *Poſuiſti,* inquit, *lacrymas meas in conſpectu tuo;* vbi Symmachus vertit, *poſuiſti Lacrymas intra te.* Lacrymæ ergo ſunt gemmæ pluſquam cryſtallinæ, quas Deus ita charas habet, vt eas in ſinu ſuo recondat. Quocirca Deus eos qui ſe dant compunctioni, miris conſolationibus mulcet, iuxta illud: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* pſal. 93. 19.

Compunctionis materia. Prima. Secunda. Porro compunctionis materia & cauſa ſunt Primò peccata propria; Secundò, aliena: qui enim zelat honorem Dei & ſalutem animarum, mirè compungitur & cruciatur, quoties videt vel audit aliorum peccata, quibus diuina bonitas & maie-
C ſtas offenditur. Ita Pſaltes: *Vidi,* inquit, *præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.* pſ. 118. 158. Et: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Tertia. Tertiò, ærumnæ, tentationes & pericula plurima ac maxima huius vitæ, è quibus vir ſanctus eripi & alios eripere cupit: vnde compunctus ingemiſcit cum S. Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Quarta. Quartò, deſiderium cæleſtis patriæ, ex quo ſuſpirans dicit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

Quinta. Quintò, deſiderium Dei: anima enim ſancta inſatiabiliter deſiderat ſititque Deum, putà ardenter deſiderat intentiſſimè illum amare, illique placere, rurſum illum videre, eoq; frui: quocirca dum videt ſe hoc corpore degrauari, nec tantùm Deũ
D ſuum amare, ſemperque illum in mente præſentẽ habere, ſicuti vellet, compungitur & ingemiſcit. Ita Pſaltes pſ. 41. 4. *Fuerunt,* inquit, *mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie Vbi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animã meã: quoniã tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.* Et ſponſa ſponſi deſiderio compuncta. *Quæſiui,* inquit, *quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.*

Exempla. & gnomæ. Ita, vt habetur in Vitis Patrum l. 5. libello 3. de Compũctione, S. Arſenius toto tempore vitæ ſuæ lacrymabatur, ideoque ſudarium geſtabat in ſinu, vt continuas has lacrymas abſtergeret. Abbas Paſtor: *Monachus,* inquit, *debet ſemper habere luctum in ſemetipſo.* S. Syncletica: *Labor,* inquit, *eſt & magnum*

cer-

certamen impiorum, qui conuertuntur ad Deum, & poſtea inenarrabile gaudiũ. Et enim ſcriptum eſt, quia Deus noſter ignis conſumens eſt: ita oportet & nos diuinum hunc ignem cum lacrymis & laboribus in nobis accendere. Abbas Hyperichius: *Nocte & die*, inquit, *laborat monachus vigilans, in orationibus permanens: pungens autem cor ſuum producit lacrymas, & celerius prouocat Dei miſericordiã*. Alius ibidem: *Si improperium*, inquit, *matris meæ ſuſtinere non potui, quomodo Chriſt. & ſanctorũ angelorum eius aduerſum me confuſionem potero in die iudicij ſuſtinere?* Alius videns quemdam ridentem: *Coram cæli & terræ Domino*, inquit, *rationẽ totius vitæ noſtræ reddituri ſumus, & tu rides?* Alius: *Sicut vmbram corporum noſtrorum vbique nobiſcum circumferimus, ſic debemus fletum & compunctionem habere nobiſcum vbicumque ſimus.* Alius: *Flere debemus ſemper ac dicere. Væ mihi, væ mihi.* Alius: *Lacrymæ sũt ſicut terra repromiſſionis, ad quas ſi perueneris, iam non timebis bellum. Ita enim vult Deus affligi animam, vt ſemper deſideret ingredi in terram illam.* Plura, eaque mira vide apud Climacum gradu 5. de accurata pœnitentia, & S. Chryſ. libris duobus quos ſcripſit de Compũctione cordis. Vide & Thomam noſtrum Theodidactum de Imit. Chriſti l. 1. cap. 16. & ſequ. vbi hoc axioma ſancit: *Date ad cordis compunctionem, & inuenies deuotionem*, Deuotionis enim deuotiq; gaudij mater eſt compunctio. Quocirca ad eam acriter adhortatur omnes S. Chryſ. hom 65. ad Popul. cauſamque addit, quod ipſa pariat ſinceram cordis lætitiam, cùm mundi gaudia pariant triſtitiam, in eamque deſinant.

Anagog. Anagog. Beda, Lyran. Dionyſ. & alij hæc accipiunt de gaudio cæleſti, q.d. Pœnitentes & patientes, qui in hac vita dura patiũtur & amarè lugent, hi per luctum peruenient ad gaudia cæleſtia, quibus non ſe miſcebit extraneus, putà impœnitens, impatiens ideoque reprobus. Hauſerunt hoc ex S. Gregorio qui l. 6. Moral. c. 10. *Cor*, inquit, *quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, &c. Humana enim mẽs animæ ſuæ amaritudinem ſcit, cùm æternæ patriæ deſiderijs accenſa, peregrinationis ſuæ pœnam flendo cognoſcit. Sed in eius gaudio extraneus non miſcebitur: quia qui nũc à mœrore cordis alienus eſt, tunc particeps ad lætitiã cõſolationis non eſt.* quæ verba alibi etiam repetit. Hoc eſt quod Apoſtolis ait Chriſtus: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autẽ gaudebit: vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Cauſam & magnitudinem huius gaudij explicat, dum ſubiicit: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Imò ſic explicant & Rabbini, qui vti & auctores iã citati hunc ſenſum afferunt quaſi literalem. R. Salom: *Iuſtus*, inquit, *laboris & doloris ſui conſcius eſt, quem ob legis ſtudium exantlauit. Quamobrẽ quando in futuro æuo præmia reportabit, gaudio eius nõ miſcebitur extraneus.* Aben Ezra: *Conſentaneum eſt*, inquit, *vt mens corpus ſuũ mœrore ac moleſtiã afficere, ieiuniis caſtigare, & ab huius ſæculi deliciis retrahere ſtudeat: gaudio autem quo perfundetur, non miſcebitur extraneus, hoc eſt, imbecilitas & labor voluptati eius non miſcebitur. Voluptas autem hæc pertinet ad futurum ſæculum, quã nullus dolor perturbabit: vel intelligitur ſalutis voluptas, iuxta illud, Lætatus ſum in ſalutari tuo.* hæc ille.

Porrò Septuag. vertunt. *cor viri ſenſitiuum triſtis eſt anima eius: quando autẽ lætabitur, non miſcetur contumeliæ*; & ex iis Syrus, *cor intelligẽs omni tẽpore mœſtum ſibimet mœſtũ eſt.* quod noſter Salazar ſic explicat: *Cor viri ſenſitiuum*, id eſt, quod imbecille eſt ad ſentiendum, & facilè mœrore tangitur, atque leuioribus de cauſis dolet; *triſtis eſt anima eius*; nimirum ſemper triſtis eſt quia leues dolendi cauſæ & rationes ſemper hinc inde ſuppetunt. *Quando autem lætabitur, non miſcebitur contumeliæ*, id eſt. ſi quando lætitiam conceperit, non diſſolutè id faciet, non miſcebitur his qui diffluunt gaudio, effunduntur in riſus, ſoluuntur in cachinnos: id enim probroſum & contumelioſum eſt. Vel aliter & potiùs, nomine *contumeliæ* intelligit *irriſionem & ludibrium*. q.d. Non erit diſſoluta eius lætitia, non ſcurrilis; non enim miſcebitur irriſioni, aut ludibrio, &c.

Sublimiùs & pientiùs auctor Catenæ Græcor. ſic Septuag. vertit & explicat: *Cor veri peccati vim ſentientis, mœſtam illius reddit animam: cùm autem lætitiâ perfunditur, cũ ſuperbia non miſcetur*, Mens peccati ſenſum capiens, contriſtat animum; qui enim boni viri nomen obtinere, eiuſdemque rationem tueri deſiderat, peccata quæ admiſit recolens, non poteſt non intra ſe commoueri, admiſſaq; ex corde deteſtari. Ad lætitiam porrò quod attinet, de ea hoc loco ſermo eſt, quæ ſecundùm virtutem ſuſcepta eſt. Pari modo non de quauis iniuria vel inſolentia hic agitur, ſed de ea quæ cum malitia coniuncta eſt, nec enim contraria ſimul in vnum coire poſſunt. hæc auctor. Cat. Græc. Atque ſi hoc modo legas & explices Septuag. conſentiunt cum Vulgata, eritque ſenſus idem cum eo quem paulò antè aſſignaui.

DOMVS IMPIORVM DELEBITVR: TABERNACVLA VERO IVSTORVM GERMINABVNT] Vers. 11. Hebr. *tentorium rectorum florebit*; Tigurina, *florere faciet*; Sept. *tabernacula rectorum ſtabunt*, vel *immota conſiſtent*. Senſus literalis clarus eſt, q.d. Domus, id eſt habitacula & palatia, quæ diuites impij magnificè ædificant, vt in omne æuum perennent, æquè ac familia & propago eorũ, citò Deo vindice delebuntur: at verò domus, familia & ſoboles iuſtorum effloreſcet, ac ſtabilis & firma per multa tẽpora conſiſtet. Ita videmus Romæ magnifica illa palatia, columnas, ſtatuas, trophæa Iulij Cæſaris, Pompeij, Auguſti, Neronis, Decij, &c. funditus interiiſſe, adeò vt nec ruinæ ſuperſint, imò vix ſciatur locus in quo erecta fuerunt. At verò baſilicæ, Lateranenſis, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentij, erectæ à Conſtantino Magno, ac S. Mariæ Maioris erecta à Ioanne Patritio, ceteræque ſimiles vſque hodie perdurant frequentantur, celebrantur, Quin & Thermæ Diocletiani quia à Chriſtianis Martyribus ædificatæ, vſque hodie perdurant, verſæque ſunt in templum S. Mariæ Angelorum, ne labor Martyrum periret, ſed B. Virgini ſeruiret: huiuſcenim ope lauream martyrij adepti ſunt. Fuere hi, S. Cyriacus, S. Largus, S. Smaragdus, S. Zeno cum decem millibus militum, quos, vtpote Chriſtianos, metuens Diocletianus damnauit ad fabricã thermarum; quã finita iuſſit ad vnum omnes trucidari ad aquas Saluias, vbi à Nerone capite plexus fuerat S. Paulus. Eorum natalem diem anniuerſariã memoriã recolit Eccleſia die 9. Julij.

Anagog. impij ædificant domos, quaſi in iis ſemper habitaturi, ideoque illæ citò à Deo delentur. At iuſti ſcientes ſe hic hoſpites & peregrinos, non domos ædificant; ſed tabernacula, quæ eis germinant arbores virtutum, ex quibus conſtruãt ſibi domos æternas, è quibus ædificetur Ieruſalẽ cæleſtis Ita Beda: *Domus quidem in manſione*, inquit, *tabernaculum haberi ſolet in itinere. Domus ergo impiorum*

rum delebitur: quia habitaculum vitæ præſentis, in quo manere deſiderabant, perdent in morte improbi: Tabernacula autem iuſtorum germinabunt: quia ex tabernaculis vitæ præſentis, in quibus modò peregrini ſunt & hoſpites in patriam cæleſtem transferentur. Sic & Auctor Catenæ Græc. qui & Tropologiã addit: *Tabernaculũ,* inquit, *minus quiddam eſt quàm domus: domus enim fixe manentiũ ſedes eſt; tabernaculum verò tranſeuntiũ, vel ad tempus exiſtentium. Quamobrem per hoc cogitatus adhuc vagus & inſtabilis deſignatur: per illam autẽ habitus firmatus. Si ergo impiorum domus deſtruuntur, multò magis eorũdẽ tabernacula euertentur. Apud iuſtos autem contrarium eſt receptum. Aut certè per iniquorũ domus ſignificantur prauæ vſuq; firmatæ illorum actiones: per tabernacula autem rectorum, liberæ eorumdem electiones,* Igitur *tabernacula iuſtorum germinabunt,* id eſt, florebunt ſemper & vernabunt meritis & gloria, donec germinent & producant ipſos fructus gloriæ cæleſtis.

Vers. 12. Est via quæ videtur homini iusta: novissima autem eius deducunt ad mortem] Hebr. *nouiſſimum autem eius itinera mortis;* Chald *eſt via quam putant filij hominis eſſe rectam, & finis eius eſt via mortis;* Syrus, *viæ eius mortis ſemita;* Aquila, Symmach & Theodot. *vadũt in viã mortis;* Septuag *eſt via quæ apud homines recta videtur, interim nouiſſima eius ad inferorum fundum deducũt.* Via hæc eſt cupiditatis, affectus inordinatus, voluptas, ambitio, quæ licet praua, tamẽ cupido, voluptuario, ambitioſo ſuà cupiditate, voluptate & ambitione excæcato videtur honeſta, æqua & recta: at via hæc reuera deuia eſt à recto, ſalute, cælo & Deo: quare quò magis eam ſequuntur, eò magis à recto & cælo aberrant, ac tandem rectà in mortem tum culpæ, excæcationis & obſtinationis, tũ gehennæ deſcendunt, idque non vnâ, ſed multis viis & itineribus: quot enim ſunt eius cupiditates & ſcelera, tot ſunt viæ ad mortem & gehennam. Ita auctor Catenæ Græc *Via,* inquit, *hoc loco eſt mẽs aut voluntas humana libidine occæcata, quæ bonũ veri apparentia, ſtabilibus fluxa, temporalia ſempiternis & immortalibus anteponit,* Nam vt ait S. Auguſt. ſerm. 12. de Tempore: *Voluntatis propenſio auctoritatem vitiis quærit, & quod malum eſt bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet,*

Nota τὸ *nouiſſima.* Cupiditas enim non ſtatim ducit homines ad peccatum mortale & gehennam, ſed initio venialis eſt: at ſenſim à minoribus ad maiora progrediens, tandem in peccatum mortale prolabitur, cui continuò aſſueſcens in eo obduratur & moritur, itaque deſcendit ad tartara. Quocirca monet hic Sapiens initiis cupiditatis eſſe obſiſtendum: paruus enim error in principio magnus fit in fine. Vnde illud:

Principiis obſta: ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

Quare hæc ſententia competit cuilibet vitio, cui ſi indulgeas, ex vno in aliud & aliud, ac tandem in exitium prolaberis. Igitur via virtutis arcta & aſpera eſt, ſed ducit ad cælum: via voluntatis lata eſt & amœna, ſed ducit ad tartarum, Matth. 7. 13. Elige, ſed reſpice finem. Huic ſenſui congruit parœmia ſequens: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Secũdò, Baynus & Salazar per *viam* hanc accipiunt felicitatẽ terrenam, cui quia omnia proſpera & ex voto cadunt, multi applaudunt, putantque eſſe viam rectã ad plenam beatitudinem, ſed errant: nam finis eius deſinit in ruinam & interitũ, idq; per varias vias, modos & rationes. Vnde Euſeb. Emiſſenus homil. de D. Epiphoro & Alexandro: *An tu hũc,* ait, *felicẽ vocas, qui in mortẽ ſuã fortis eſt cui prouentuum fallax vmbra præſentium, æternorum congregat cauſas malorum? quis probabiliter laudet velocem ad ardua præcipitia feſtinantem? quis eius miretur aſcenſum, quem de ſummo proſpicis eſſe caſurum?*

Tertiò, *via* hæc accipi poteſt error, vel in fide, vel in moribus. Error in fide eſt atheiſmus, paganiſmus, ſaraceniſmus, hæreſis. Atheo enim atheiſmus, Pagano paganiſmus, Saraceno ſaraceniſmus, hæretico hæreſis videtur recta fides, rectaq; via ad ſalutem: at nouiſſima eius ducunt ad mortem & gehennam. Error in moribus eſt, quo quis licitum putat & honeſtum legique Dei conforme, quod difforme eſt, inhoneſtum & illicitum. Id autem crebrò accidit, cùm quis nimis indulget & credit iudicio vel ſuo, vel imperitorum aut prauorum conſiliariorum, magiſtrorum, confeſſariorum, &c, Quare tacitè monet hîc Salomon, ne quis confidat ſuo iudicio, vel aliorum, niſi nouerit eos peritos, eſſe & probos. Imprudens enim & infelix eſt, qui ſequens ductum malorum conſiliariorum vel confeſſariorum, rogatus, *Quò vadis?* reſpondet: *Quò iſti me ducunt:* iſti enim ſe ſuoſque aſſeclas ducunt ad mortem. Huc facit apologus vulpis apud Æſopum. Cùm enim animalia omnia à leone ad antrũ ſuum inuitata certatim illud ingrederentur, ſola vulpes reſtitit. Rogata cauſam dixit: *Quia cerno veſtigia animalium auerſa omnia, nullum aduerſum: nimirum omnia ingredi video, nulla regredi;* ſcilicet omnia à leone in antro diſcerpebantur: hic erat finis, hic terminus ingredientium, quem ſpectans vulpes ſapienter vitabat ingreſſum. Vulpem imitetur vir prudens, qui à carne vel dæmone inuitatur ad voluptates illicitas, ducentes in gehennam. Apologus vulpis.

Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat] Hebr. *in ridendo dolebit cor;* Symmach. *laborabit cor;* Chald. *etiam in riſu dolet cor, & finis lætitiæ mæror.* Sic & Syrus. Vers. 13

Hæc ſententia propriè pertinet ad riſũ & gaudium impiorum, ſicque cohæret cum verſu præced. eumq; confirmat & explicat, q. d. Impiis ſuæ illecebræ & voluptates perplacent; rectæque & iuſtæ videntur: at errant, tum quia eorum riſus & voluptas magnis doloribus permiſta eſt, tum quia gaudium eorum nouiſſimè deſinet in luctum. Cauſa eſt, tum quia comes ipſorum eſt mala conſcientia, quæ ſemper eos terret & cruciat, vt numquam puram ſolidamque habeant lætitiam; tum quia voluptatibus immodicè vtuntur, in eaſque ſe effundunt: omne autem quod immodicũ eſt, noxium eſt & affligit: tum quia ſæpè eorum voluptates ſunt in gula, crapula, libidine, quæ nauſeas, vomitus, febres, ſordes & morbos creant, tum denique, quia Deus hanc impiis impietatis pœnã doloris ſtatuit. Sic mel à ſtomachis bilioſis in fel & bilem vertitur, teſte Galeno lib. de Euchymia & cacochymia: ſic omnes aquæ fluuiorum dulces deſinunt in mare, ibique amareſcunt.

Rurſum noſter Aluares de Paz lib. 5. de documentis ad aſſequendam perfectionem p. 3. cap. 41. aptè hanc ſententiam refert ad leuitatem mentis, quæ in riſũ & cachinnos ſe effundit, & maioribus vitiis aditum aperit. Leuitas enim mentis & riſus effrenis ſcurrilitates, detractiones, & ſubſannationes

tiones generat: iras in his qui deluſi ſunt, atque indignationes exſuſcitat, & in apertas contumelias vltrò citroque iactatas non ſemel prorumpit. Hæc inimica eſt compunctionis, hoſtis deuotionis; mater autem ineptæ lætitiæ, quæ ſolet ſæpè in triſtitiam ac dolorem deſinere; quia ſcriptum eſt: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Inanis profectò riſus dolore miſcetur, dum verbo, quo ridens fratrem punxiſti, amarus ſermo reſiſtit: & extremum gaudij luctus occupat, cùm ignominioſo vocabulo, quo illum contriſtaſti, manifeſta in te prolata contumelia reſpondit. hæc Aluares.

Mundi gaudia miſta dolori. *Symbola.* Huius miſturæ gaudij cum mœrore apud impios ſymbolum eſt aſilus piſcis, araneæ magnitudine, qui ceteros piſces vexat, prælertim thynnos. Sicut ergo thynnus aſilos in tranquillo, ſic omnis voluptas & felicitas humana ſuas experitur ſpinas. *Splendet ſæpè, at eadem nimbis interdum nigret,* ait Accius in Bacchis.

Rurſum huius riſus ſymbolum ſunt phalangia animalia lethifera, quæ cũ riſu necant, teſte Strabone libr. 11. ſic enim mundi riſus ſæpè in tragœdias & gemitus ſoluitur, in quo Lapponum choreas imitari videtur. Lappones enim ſub rigido Septemtrione algentes, vt ſe recreent, conuiuia inſtruunt accitis citharœdis, in quibus in ſaltus & choreas effunduntur; ſed mox in gemitus & alta ſuſpiria reuoluti, in terram ruunt. Hæc mala mentis gaudia. Vide Olaum lib. 4. cap. 8. Item Fenellæ pomum gemmeum, quod quicumque tetigiſſet, ſtatim multis iaculis cõfodiebatur, vt iis confoſſus fuit Kemethus rex Scotorum, teſte Cardono lib. 12, cap. 56 Sic voluptas iaculis dolorum ſuos aſſeclas configit. Inſuper vrſi Ruſſiæ, qui melli apum inhiantes, caput, quod debiliſſimum habent in clauam ferreis cuſpidibus armatam, quam melli venatores apponunt, impingentes illud obterunt ſeſeque enecant, teſte Olao lib. 18. c. 14. nimirum *nocet empta dolore voluptas.*

Poteſt tamen Secundò, hæc ſententia generatim accipi de quouis riſu & gaudio ob huius vitæ commoda, etiam honeſta vel indifferentia. Omne enim hoc gaudium dolore miſcetur, & ſæpè in luctum deſinit.

Cauſa. Cauſa eſt, quòd hæc ſit natura voluptatis & bonorum temporalium, vt multis malis ſint permiſta, quæ dolores creant: ſicut enim omnia miſta conſtant quatuor elementis ſibi inuicem contrariis, ſic omnes res conſtant miſtura contrariarum rerum & qualitatum, quæ triſtitiam & lætitiã pariunt, idque fecit Deus vt ab iis nos auocaret ad ſolida bona & gaudia virtutum & gloriæ cæleſtis. vnde voluit vt in cælo mera & pura eſſent gaudia in inferno meri & puri dolores & angores: in terra verò, quæ inter cælum & infernũ media eſt, gaudiis permiſcuit dolores, vt ad pura cæli gaudia homo aſpiraret, & meros inferni dolores deuitaret. Sicut ergo pomo innaſcitur vermis, & vino immiſtæ ſunt fæces: ſic voluptati innatus & immiſtus eſt dolor; vnde in eum voluptas deſpumat, in eumque *Gnoma.* velut in fæces deſinit. Omnia igitur mũdana gaudia breuia ſunt & felle mixta, iuxta illud vulgò tritũ: *Vbi vber, ibi tuber: vbi mel, ibi fel.* Vnde Philoſophi dixere Deum duplex habere dolium, vnum mellis, & alterum fellis, & ex vtroque cuiq; ſuum craterem propinare. Et Pſaltes: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc,*

A pſal. 74. 9. Et Comicus: *Ita diù placitum eſt: ab eodem culmine voluptas, & ei mœror comes ſequitur,* Apuleius l. 2. Floridorũ: *Verbum verum eſt profectò quod aiunt: Nihil quidquam homini tam lætum diuinitus datum eſt, quin ei admixtum ſit aliquid difficultatis: vt etiam in ampliſſima quaq; lætitia ſubſit quæpiam vel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis: vt, ſi quid illud ſoluit, hoc adſtringat.* Audi Apologum Platonis in Phædo; Voluptas & dolor apud Iouẽ ſe viciſſim accuſabant, cõuitiiſque laceſſebant. Ille cùm pacem & amicitiam inter eos cõciliare vehementer niteretur, nihil efficiebat. Tandem adamantinã catenã eos colligauit, vt quantumcumq; odiis diſſiderent ſemper tamen ſimul eſſent, ſeſeq; mutuo ſequerẽtur. Quid ſub hoc figmento credemus myſterij? In turbidis aduerſiſque rebus de fortuna ſecundiore non eſt deſperandum omnino. Rurſum in ſecundis & optatis non eſt vacandũ prorſus à metu: nam in vita humana perpetuò læta triſtibus, & triſtia lętis ſuccedũt, & voluptas dolore, dolor voluptate temperatur. Hoc eſt ergo voluptatis γλυκύπικρον, id eſt dulciter amarum, vel, ſuauamarum. Athæneus l. 11. pag. 43. & Herodotus lib. 4. ſcribunt, Hypanim fluuium è fontibus quinque dierum via exilem profluere ac dulcem: deinde poſt aliorum quatuor dierum iter perquã amarum: ita voluptas initio mellea ad extremum aceſcit, & fit fellea. Nam vt ait Cicero orat. pro Cœlio, & l. 2. de Orat *amores & deliciæ celeriter defloreſcunt, & in omnibus rebus voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt.* *Apologus.*

Præclariùs noſter Romanus Conſul, Philoſophus & Martyr Seuerinus Boëtius lib 3. metro. 7. ita canit.

Habet omnis hoc voluptas:
Stimulis agit fruentes;
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quocirca Epictetus art. 20. *Dignus eſt,* inquit, *deorum conuiua, qui rebus creatis moderatè vtitur: qui verò licitas etiam voluptates contemnit, non iam conuiua Dei eſt, ſed conſors.*

Alludit Salomon ad riſum effuſum & nimium, qui ſpiritus vitales cordis diſſoluit, itaque cor cruciat, atq; in triſtitiam deſinit. Id videre eſt in melanc holicis qui aliquando lætiſſimi ſunt, & in riſum ſeſe effundũt, ſed mox fiũt triſtiſſimi & mœſtiſſimi. Vnde ſignum melancholiæ eſt effuſio animi in riſum & lætitiam: hanc enim excitat natura, vt contra melancholiam ſeſe obarmet; ſed ea mox ſubeunte vincitur eique ſuccumbit q. d. Salomon: *In ridendo dolebit cor, & finis lætitiæ triſtitia.*

Exemplum illuſtre & primipilũ dat Chriſtum Dominum S. Bernard. ſerm. 1. in Dominica Palmarum: in illa enim Chriſtus cum triumpho inductus fuit à populo in Ieruſalem quaſi rex & Meſſias, at quinto dein die ab eodem vociferãte Crucifige, crucifige, poſtulatus fuit ad crucem. *Videat,* inquit *ſæcularis anima, videat, & intelligat, quoniã extrema gaudij luctus occupat,* &c. *Vnde & proceſſionis gloria voluit ſublimari, qui paulò pòſt ſibi nouerat imminere diẽ ignominioſiſſimæ paſſionis. Quis ergo ſperare iã debeat in incerto gloriæ tẽporalis, cùm videat in ipſo quoq; qui peccatum non fecit, creatore temporum, & conditore vniuerſitatis, poſt exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem ſequi? In eâdem enim ciuitate, à plebe*

plebe eâdem, & eodem tempore nunc quidem proceſſionis gloria, & diuinis eſt laudibus honoratus: poſtmodum verò interrogatus contumeliis & tormento, & cum ſceleratis reputatus. Hic eſt tranſitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat Propheta: Vt cantet Domino gloria eius, & non compungatur, id eſt proceſſionem habeat, quam paſſio non ſequatur.

Omnia ergo mundi gaudia antecedit dolor, comitatur dolor, terminat dolor. Sanè Carolus V. præpotens & felix Imperator, cùm Bruxellæ ſuas ditiones & regna in Philippum II. filium ſuum transferret, coram toto ſenatu cum lacrymis profeſſus eſt, ſe toto regni tempore nec ad vnum quidem horæ quadrantem puram habuiſſe meramque lætitiam; ſed omnem illam multis curis, angoribus, doloribus permiſtam, & velut felle copioſo inſperſam fuiſſe. Sicut ergo in muſica ſoni graues acutis miſcentur & temperantur, itaque moderatum & ſuauem edunt concentum: ſic Deus proſpera aduerſis, læta triſtibus miſcet & temperat, vt homo ſuauem temperantiæ, patientiæ, ſpei & orationis edat concentum. Vnde S. Ambr l. 1. de Cain & Abel c. 4. *Deus ait, deliciis & gaudiis noſtris ponit modum, ne ſupra alueum effuſæ rationem obruant.* Hæc Prima eſt cauſa. Secundam dat S. Aug. ſerm. 29. in Matth. *Ideo*, ait, *Deus felicitatibus terrenis amaritudines miſcet, vt illa quæratur felicitas, cuius dulcedo non eſt fallax.* S. Chryſoſt. verò homil. in Pſal. 123. *Ideo*, inquit, *Deus nec homines ſemper dimittit in triſtitiis, ne deficiant; nec in quiete & proſperitate ſinit, ne fiant ſocordiores: ſed mutationibus ac viciſſitudinibus eorum ſalutem enariat.* Denique ſicut mel ſeneſcens inſtar fellis amareſcit, ſic & voluptas: *Mel omne vetuſtum redditur coctione amarum: neque id mirum, cùm vel citra cocturam tempore amarius ex dulciori reddatur*, ait Galenus de Antidotis poſt initium.

Concluſio ergo ſit: Vita humana eſt continua tragœdia, cuius cataſtrophe & finis in luctum deſinit, præſertim in morte. Porrò ſicut tragœdiæ triplex eſt argumentum, ſcilicet terribile, mirabile, & miſerabile, idque ob triplicem finem & affectum, quem in auditore excitare ſatagit, nimirum per terribile terrorem, per mirabile admirationem & venerationem, per miſerabile compaſſionem, vti docet Ariſtot. in Poëtica: ſic pariter triplex hoc obiectum ſpectat tragœdia vitæ humanæ, ad eumdem triplicem finem & affectum à Deo ordinata, vti patet intuenti: tragici enim aliorũ, imò noſtri, caſus Primò, nos deterrent à voluptate, quæ eorum eſt parens, Secundò, venerationem numinis iniiciunt ac judiciorum eius admirationem; Tertiò, compaſſionem, vt mortalium tragicæ vitæ compatiamur conſolando & medendo quoad poſſumus. Huius ergo Salomonis ſententiæ exempla & viua ſpecula ſunt tragici euentus, & neces potentum & felicium huius ſæculi, vt Cyri, Alexandri, Darij, Pompeij, Julij Cæſaris, Neronis, Vitellij, Galbæ, Juliani, Valentis, &c. ac diuitis Epulonis, Lucæ 16. 22.

Porrò Septuag. vertunt, *in lætitiis non admiſcebitur triſtitia: nouiſſimè autem in luctum vadit*; Scholiaſtes, *& extrema eius lætitia mala.* Quæ lectio directè aduerſatur Hebræo, Chaldæo, Vulgatæ Latinæ, ceteriſq; omnibus: quare, videtur in eâ irrepſiſſe negatio *non*. illâ enim ſublatâ eumdem reddit ſenſum, quem Hebræa & Vulgata: ſi tamen eam cum τῷ *non* tueri velis, vt cæteris congruat, ſic explica, q. d. Licet ſubinde, quantumuis rarò, lætitia ſit pura, vt ei non miſceatur triſtitia, tamen illi non præfidendum, nec incumbendum quaſi ſemper duraturæ: quia mox ei ſuccedet triſtitia. Aut vt auctor Catenæ Græc qui ſic legit, *Plenæ lætitiæ nullus admiſcetur mœror: extrema autem gaudij luctus excipit*, ſicque explicat: Sapiens, inquit, agit de ea lætitia, quæ in futuro ſæculo juſtis obtingit: illa enim plena eſt & omnis triſtitiæ exors. Gaudij autem extrema præſentis vitæ jucunditatem appellat, q. d. In cœlo dumtaxat eſt plena meraq; lætitia: in terra autem omne gaudium deſinit in luctum, ideoque in cœlis eſt felicitas per omnia felix: in terra autem felicitas infelix ac miſera, ac felix miſeria & infelicitas.

VIIS SVIS REPLEBITVR STVLTVS (Hebr. *auerſus corde*, Vatabl. *peruerſum cor*; alij, *retroceſſio cordis*) ET SVPER EVM ERIT VIR BONVS] q. d. Stultus, id eſt impius, ad tempus paſcitur ſuis opibus & voluptatibus: at eum ſuperat vir bonus, quia paſcitur bonis ſolidis & æternis, quæ certa fide & ſpe apprehendit. Vnde Chald. vertit, *viis ſuis ſaturabitur, qui eſt euanidus corde ſuo: & vir bonus ſatiabitur timore ſuo.* Timor enim annexam habet fidem & ſpem quibus paſcitur & ſatiatur juſtus. Septuag. *viis ſuis ſatiabitur audax corde* (S. Hier contra Ruffinum legit, *temerarius*) *à cogitationibus autem ſuis vir bonus.* Iuſtus enim gaudet ſuâ fide & ſpe, ex eaq; exſpectat ſatiem æternam: ſtultus verò ſuis voluptatibus ſe opplet & inebriat; at iis non purè nec ſolidè ſaturatur, præſertim quia mox poſt eas expectat famem æternam. Noſter Salazar per *ſtultum*, vel, vt Chald. *euanidum corde*, accipit ſuperbum; per *virum bonum* verò humilem. q. d. Superbus ſua ſuperbia replebitur, id eſt plenas ſuperbiæ ſuæ pœnas dabit: at humilis humilitatis ſuæ præmium feret, ac præferetur ſuperbo, illumque ſibi ſubiiciet. — Vers. 14.

Porrò Caiet. ſic vertit: *viis ſuis ſaturabitur egreſſus à corde, & de foliis ſuis vir bonus* (Heb. enim עלה *ale* & *folia*, & *ſuper*, vt vertit Noſter, ſignificat: ſicque explicat: Qui extra ſe ad externas delicias egreditur ſatiabitur ſuo egreſſu, id eſt eius pœnas luet, quia deliciis ſaturabitur vſque ad nauſeam: mox enim illæ ipſi vertentur in tædium, vt pulchrè docet S. Gregor. homil. 36. in Euangel. *Et de foliis ſuis vir bonus*, repete, *ſaturabitur*, id eſt, ait Caietan. *vir bonus habitans ſe ipſum, non ſolùm fructibus; ſed etiam frondibus ſaturatur: quia iuſtis omnia cooperantur in bonum, juxta illud* Pſal. 1. *Et folium eius non defluet.* Vbi Theodor. *Folia & flores*, inquit, *ſunt ſpes beatitudinis, fructus eſt ipſa beatitudo:* quia ſicut folia & flores prænuntij ſunt fructuum, imò eos pariunt & cauſant; ſic pariter ſpes prænuntia eſt beatitudinis, eamque efficit & cauſat. Rurſum folia ſignificant modeſtiam & decorem conuerſationis externæ, ait Origen. in Pſalm. 1. hic enim inſtar foliorum tegit, ornat, ſeruat & auget decorem fructuum, id eſt virtutum menti internarum. Jam ſicuti vermes omnes, qui foliis veſcuntur, nendo fila conficiunt, vt erucæ, bombyces, &c. teſte Plinio & Ariſtotel. imò bombyces ex foliis mori fila ſerici nent, quibus tandem ſeſe inuoluentes emoriuntur, ac calore veris reuiuiſcentes fiunt papiliones, euolantque in cælum: ſic pariter ex modeſtia, decore conuerſationis, ac gratia ſermonis & ædificationis iuſtus ſibimet fila ſpei cæleſtis gloriæ, quibus immoriens ac in reſurrectione reuiuiſcens euolabit in cælum. Vnde S. Baſil. homil. 8. Hexamer. docet transformationem bombycis expreſſum eſſe typum reſurrectionis noſtræ. Porrò ſpes rectè com-

comparatur filo, & ab Hebr. vocatur תִּקְוָה *ticua*, id eſt extenſio, ſiue filum extenſum: quia ſicut fila, & funiculos inde contortos extendimus longiſſimè, noſq; rebus remotiſſimis alligamus & aſtringimus: ſic pariter per ſpem, quam ad Deum & ad cælum extendimus, Deo & cœlo nos alligamus & aſtringimus. Spes ergo eſt *ticua*, id eſt filum, & linea longæ exſpectationis, qua ſe animus ſperantis ad rem ſperatam extendit & prolongat, dum ad eam ſperando anhelat, itaque quaſi eam ſibi copulat, vti dixi Oſee 2.15.

VERS. 15. INNOCENS CREDIT OMNI VERBO: ASTVTVS CONSIDERAT GRESSVS SVOS] S. Ambr. lib. 3. de Officiis cap. 10. cuius verba tranſlata ſunt in Jus Canonicum, & habentur 22. q 4. c. finali, per innocentem accipit juſtum, ſimplicem & candidum, qui ex candore ſuo alios metiens, facilè cuiuis fidem adhibet, nec mali eſt ſuſpicax: qualis fuit Joſue, qui Gabaonitis mentientibus ſe longè diſſitos eſſe credidit, cum eiſque fœdus præter Dei voluntatem iniit, Joſue 9. *Et quia*, inquit, *adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inſcius, non cognouit fraudes eorum, neque Deum interrogauit; ſed citò credidit. Adeò ſancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquis poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui ceteros de ſuo affectu æſtimant? Et quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quid ſit ignorant: libenter credunt quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere quod non ſunt. Hinc Salomon ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocentem eſſe, ignorare quod noceat: & ſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur.*

Subdit S. Ambr. Joſue deprehenſâ Gabaonitarum fraude, pacem quam eis dederat, non reuocaſſe; *ne, dum alienam perfidiam arguit, ſuam fidem ſolueret.*

Verùm pro *innocens* hebr. eſt פְּתִי *peti*, id eſt paruulus, inexpertus, imperitus, inſipiens, cui quiduis facilè perſuadetur, cuius hîc nimia facilicitas & leuitas ad credēdū quidlibet taxatur. Vnde Aquila vertit, θελγόμενος, id eſt *delinitus, palpatus credit omni verbo, aſtutus intelligentia vtitur*: Symmach. *paruulus* aut *puer*: Chald. & Tig. *inſipiens*. Vnde Beda: *Hanc innocentiam vetuit*, inquit, *& hanc habere docuit aſtutiam Ioannes epiſt. 1. c. 4. cùm ait: Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.*

Senſus ergo clarus & planus eſt. q. d. Rudis, inexpertus & inſipiens facilè credit omni verbo, ac proinde credit cuilibet ſuggeſtioni, impulſui & conſilio, quod ei datur à quolibet, etiam fraudulento & inimico: quo fit vt ſinat ſe duci in ſuam perniciem & ruinam: at verò aſtutus, id eſt cautus & prudens, non credit omni verbo & conſilio, ſed conſiderat greſſus ſuos, vbi ſcilicet prudenter & ſecurè actionis ſuæ pedem figat, necubi in ſcrobē aut foſſam temeritatis & perditionis corruat: quare cautè bonum conſilium à malo diiudicat & ſecernit. Vnde Syrus vertit, *aſtutus diſcernit bonum à malo*; Chald. *attendit ad bonum ſuum*. Hebr. enim אֲשׁוּר *aſcur*, id eſt greſſus, alludit, imò quoad thema idem eſt cum אֹשֶׁר *oſcer*, id eſt beatitudo, felicitas, ſucceſſus rectus, bonum hominis. Hoc videntur voluiſſe Septuag. dum vertunt, *ſimplex credit omni verbo: aſtutus autem vadit in pœnitentiā*. q. d. Aſtutus præuidet pœnitenda, id eſt, mala ex verbo & conſilio, quod ei perperam ſuggeritur, ſecutura, quorum eum, ſi id ſequeretur, pœniteret: quare eo-

A rum preſcius dicit: Ego tanti pœnitere non emo, non credo, non ſequor illud conſilium: quia ducet me ad ſeram pœnitentiam: damno nimiam credulitatem: quia eius comes eſt pœnitentia. Hoc ſignificat Hebr. יָבִין *iabin*, id eſt, conſiderat, intelligit, præuidet, quid ſcilicet בֵּין *ben*, id eſt inter bonum & malum conſilium vel iter interſit. Opponit ergo פְּתִי *peti*, id eſt mollem & flexilem ad credendum עָרוּם *arum*, id eſt cauto & cordato, qui nil credit niſi bene examinatum, nam vt ait Adagiographus: *Cupreſſo non innaſcuntur vermes propter amaritudinem, nec buxo propter duritiem: ita peſtis adulationis fugit ſeuera & triſtia, ingenia mollia captat, & facilia.* Et Seneca: *Et omnibus*, inquit, *& nulli credere vitium eſt: alteram honeſtius dixerim vitium, alterū tutius.* Tamen enim nimia tarditas ad credendum, quàm nimia leuitas in vitio eſt. Illa eſt hæreticorū, qui nihil

B credunt, niſi quod vel oculis vident, vel mente comprehendunt, de quibus extat liber de Arte nihil credendi: hæc puerorum eſt & leuiculorum.

Paulò aliter Septuag. vertit & explicat auctor Caten. Græc. *Simplex*, inquit, *credit omni verbo: quia aſtutus quoque, qui citiùs credidit quàm oportuit, pœnitudine ducitur*, ſicq; explicat: Ergo omni verbo credere amentia eſt: eſt omnino. Qui, ait, conſilio & ratione omnia agit, is detrimenta illa, quæ incautis & præcipitibus accidere ſolent, facilè euadit. At vir ſimplex (cuiuſmodi eſt, qui poſt primam imaginationem ſtatim concludit, aut quæ ſuperficie tantùm tenus audiuit, e veſtigio credit) leuis & imprudens eſt. Imò verò prudens quoque, ſi primæ impreſſioni fidem mox habuerit, non rarò decipitur, adeoque pœnitentia ducitur.

Denique hæc ſententia generalis eſt, vnde variis applicari poteſt. Primò, iis qui credunt adula-

C toribus, ideoque pluris ſeſe æſtimant quàm reuera ſint; Secundò, iis qui credunt ſuggerentibus mala conſilia; Tertiò, iis qui credunt detractoribus. Quartò, iis qui credunt temerariis ſuis imaginationibus & ſuſpicionibus, vti faciunt melancholici, cùm iis reſiſtere deberent, ſibique dicere: Hoc ſuggerit melancholia, non veritas; ergo triſte & falſum eſt, non lætum & verum. Ita ſuadet Seneca lib. 2. de Ira: *Nihil*, inquit, *niſi quod in oculos incurret manifeſtumq; erit, credamus* (de alienis vitiis) *& quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem. Hæc caſtigatio conſuetudinem efficiet non facilè credendi.*

Salomonem ſequitur Siracides Eccli. 19. 4. *Qui citò credit, leuis eſt corde, & minorabitur.* vide ibi dicta. Porrò quàm adulatores ſint mendaces & fallaces, vt eis credere non liceat, docet Alanus lib. de Cō- *Adulatorū effigies.*

D planctu naturæ: *Hi, ait, ſunt principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis: hi ſunt qui magniloquâ commendationis tubâ in diuitum auribus inſonant, qui vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt.*

Hanc gnomen pulchro bouis & porci apologo illuſtrat Cyrill. l. 1. Apolog. moral. c. 11. cuius titulus: *Diligentiore ruminatione omnia digeras priuſquam agas.* Apologus ſic habet: *Poſt aliquantulam ſumpti cibi digeſtionem, denuo bos ipſum ad fauces reuocans, cùm recūbens ruminaret, porcus hoc aſpiciens ad eum acceſſit, & dixit: Quid eſt hoc quod agis cornute? Cui ille, Rumino, inquit. Tunc porcus: Paulò antè tam oneroſum iugum depoſuiſti, cur modò nō quieſcis? Nónne ſemel ſatis eſt maſticaſſe? Ad hoc bos ita fertur dixiſſe: Vtique mi frater ſi ruminares, nequaquam ita ſentires. Vbi, quæſo, ſitus eſt ali-* *Apologus ruminationis.*

menti

menti ſenſus, nónne in faucibus? Propterea quanto diligentiùs edulium maſticamus, tanto ampliùs eiuſdem ſaporem percipimus, & per iudicialem guſtum vehementiùs delectamur. Certè molares dentes duplices natura prouida fabricauit, vt maſticatio maior adſit: & guſtandi ſenſus prouidenter eſt collocatus in ore, vt delectatione cibum diutiùs ſub fauce teneamus. Quin & quando rumino, meliùs digero, & alimentum magis depuratum aſſumo. Tūc potens his auditis adiunxit: Quis ruminare te docuit? Cui ille: Nimirum ars illa me hoc agere erudiuit in corpore, quæ ſapientem edocuit ruminare in mente. Prudens enim ſubtili meditatione ruminat quæcunque dicit, aut facit. Quapropter digeſta quidem loquitur, & probata ſimiliter operatur. Ad quod enim communicatum eſt homini clarum rationis conſilium, & chariſſimum illi conceſſum eſt meditationis bonum? nónne vt his ſalubriter in rebus agendis vtatur? Vnde præmeditationis maſticatio ſemper præponenda eſt in cunctis actibus humanis. Qui ſcilicet ſapientia gubernantur, vt plurimum magis digeſta & puriora ſtudia ſectantur. Addit deinde ſæpiùs idem eſſe expendendum, idque probat ex quatuor cibi digeſtionibus. *Nec ſemel ſatis eſt,* inquit, *rem agendam videre, ſed neceſſe eſt ſubtiliter eam pluries ruminare: ſicut quatuor digeſtionibus cibus præcoquitur, vt inde mēbris purior tribuatur. Omnis enim cibus antequam animæ vniatur, quatuor digeſtionibus præpurgatur. Primùm vadit ad ſtomachum, & ibi digeritur, & purum ab impuro ſequeſtratur, & quod impurum eſt, per ſeceſſum emittitur. Deinde purum derelictum ad hepar tranſmittitur, vbi digeritur & fit ſanguis: & purum iterum ab impuro ſequeſtratur, atque impurum per vrinam emittitur. Deinde purum derelictum à renibus attrahitur, vbi tertiò digeritur, & iterum ſequeſtratur purum ab impuro, impurumq; per ſudorem & ſputum emittitur. Deinde purum derelictum per membra ſpargitur, & in membris quartò digeritur: & rurſum purum ab impuro ſequeſtratur, & illud impurum, quod quaſi purū eſt, in vaſis ſpermaticis aſſeruatur, & in generatione emittitur; puriſſimum autem derelictum in membrorum ſubſtantiam conuerſum, demum animæ copulatur factum vnum & ſubſtantia vitæ. Vnde nulla cibi impuritas ad animam accedit, niſi cùm quater cibus ab omnibus impuritatibus ſit expurgatus. Tu ergo, chariſſime, quia non ruminas, impurius ſuſcipis alimentum, & propter hoc diuina lege animal iudicaris immundum. Quibus auditis, erubeſcens potens diſceſſit.*

FILIO DOLOSO NIHIL ERIT BONI: SERVO AVTEM SAPIENTI PROSPERI ERVNT ACTVS, ET DIRIGETVR VIA EIVS] Hæc gnome non eſt in Hebræo, ideoque in verſibus numerum non habet, ſed copulatur numero verſus præcedentis. Trāſcripſit eam Noſter ex Septuag. qui eam collocarunt cap. præcedenti, vbi eum explicui.

Vers. 16 SAPIENS TIMET, ET DECLINAT A MALO: STVLTVS TRANSILIT, ET CONFIDIT] Pro *tranſilit* heb. eſt מִתְעַבֵּר *mitabber*, quod tam iraſci quàm tranſire & tranſilire ſignificat. vnde Tigur. vertit, *ſtultus cū eſt trāſgreſſus cōfidēs eſt;* Vatabl. verò, *ſtultus iraſcitur & confidit* q. d. inquit: Stultus ſtomachatur contra legem Dei, & confidit quando perperam agit & Chald. *ſtultus ſeruet in ſtultitia, & cōfidit in ea.* Septu. autem in ſuo codice pro מִתְעַבֵּר *mittaber* per metatheſim habuerunt מִתְעָרֵב *mitareb*: vnde vertunt μίγνυται ἀνόμῳ, id eſt, *miſcebitur iniquo: Sapiens*, inquiunt, *timens declinabit à malo: imprudens autem ſibi fidens miſcebitur iniquo:* & Syrus, *commiſcetur in eo cōfidenter;* auctor Catenæ Græc. *qui ſibi confidit iniquitate polluitur.* Accedit S. Hier. contra Ruffinum: *Sapiens,* inquit, *timendo declinat in malum: ſtultus confidēs miſcetur ei.* & Lucifer Calaritanus in Apol. pro S. Athanaſio, *ſtultus timendo declinabit in malo: inſipiens autem miſcetur confidens iniquo.* Verùm pro *in malo* legendum videtur *à malo*, vti habēt ceteri codices Græci & Latini. Eòdem redit terna hæc verſio. q. d. Sapiens timet pœnas & ſupplicia, ideoque declinat à malo, & calamitati ſe ſubtrahit: at ſtultus ira excandeſcens tranſilit leges & iura, miſcetque ſe iniquis hominibus, & actibus temerariis, confidēs nihil inde ſibi mali euenturum, imò dominaturum tam legibus quàm hominibus, quocirca in graues litium tricas, aliaſq; calamitates & pœnas ſeipſum coniicit. Vnde R. Salomon Heb. בּוֹטֵחַ *boteach*, id eſt *confidit*, vertit, *labitur & in terrā decidit*: ſed perperam, vt patet hebraicè peritis. Sic Remus frater Romuli primos Romæ muros temerè trāſiliit, ſed temeritatem hanc luit morte, à fratre Romulo capite plexus. Vnde Hugo: *Stultus*, inquit, *eſt velut equus effrenis & exoculatus, qui nihil timet, quia nihil videt: vnde vulgo dicitur, nihil eſſe audacius equo cæco. Timor* enim *eſt frænū animi exultātis*, ait S. Baſil, quia oculatus proſpicit futuras calamitates ſibi ex malo obuenturas: quocirca eas timens à malo abſtinet. Sic videmus eos qui natura ſunt frigidi, ideoq; timidi, cauere ſibi à periculis, in quæ improuidè ſe coniiciunt præferuidi, audaces & præcipites. Multò magis id facit timor Dei, qui longè maiora gehennæ dāna ſibi ex peccato obuentura præuidēs, omni ſtudio peccatum fugit, ne in tanta incendia vltrò ſe coniiciat. Sic & Beda: *Sicut ſtulti* inquit, *eſt de ſua alacritate confidere, torrentem rapidum vel voraginem latiorem ſaltu velle tranſire, ſapientis autem ad planum, vel pontem diuertere: ita qui peccatum quantum valet, declinat, timens ne inuoluatur malis, ſapiēs eſt, ſtultus autem ille, qui contemptim peccat, blandiens ſibi: quia aut poſteriori tempore pœnitentiā aget commiſſorum, aut ſi repentè moriatur, fortiter pœnas inferni ſufferet.* Denique Gloſſa interlinealis ſic explicat. *Sapiens pœnas timet ſtultus de impunitate confidit.*

IMPATIENS OPERABITVR STVLTITIAM: ET VIR VERSVTVS ODIOSVS EST] Hebr. *breuis* vel *arctus naribus faciet ſtultitiam: & vir cogitationum odietur. Breuis naribus* eſt ὀξύθυμος, id eſt velox ad iram, ſicut longus, vel latus, naribus vocatur μακρόθυμος, id eſt longanimis & tardus ad iram: hoc enim ſignum eſt lenitatis, illud choleræ, imò & cauſa: quia in eo qui latas habet nares, faciliùs ſpiritus & cholera expirat; cùm in eo qui arctas habet nares, ſtringatur & comprimatur, itaque eum faciat cholericum, uti dixi Exodi 34. 6. Vers. 17.

Pro *vir verſutus* hebr. eſt אִישׁ מְזִמּוֹת *is mezimmot*, id eſt, vir cogitationum, molitionum, machinationum, id eſt, vir cogitabundus, multa machinans & moliens. Sed quia id variè fieri poteſt, hinc variè hic vertitur. Primò, Chald. accipit lentum & tardum: *Qui præceps*, inquit, *eſt in in ſpiritu ſuo, reputatur ſtultus, & odio proſequitur differentem conſilium ſuum*, ſcilicet lentū & moroſū præſertim qui dilatā irā furorem compeſcit: iracundi enim oderunt frigidos, tardos & moderatos, quaſi ſui diſſimiles, ſuæque iræ & præcipitationi obſiſtentes. Rurſum *vir cogitationum*, ait Vatabl. eſt vir qui ſemper cogitat & nihil agitat, putà otioſus, quem quaſi pigrum, inertem, & inutile terræ pondus, omnes oderunt.

Secundò, Septuag. per virum cogitationum, ſiue cogitabundum, accipiunt virum prudentem: vnde vertunt, *impatiens agit cum temeritate: vir au-*

tem prudens multa ſuffert. Auctor Catenæ Græcor. *multa ſimulat, & ſuſtinet.* Videntur ipſi in ſuo codice legiſſe ישא *iiſſa*, id eſt, ſufferet, tolerabit, pro quo Noſter & ceteri inſertâ litterâ *nun* legunt ישנא *iiſſane*, id eſt, odietur. Tigurina accipiens pro ה (has enim litteras inter ſe commutant Hebræi) & pro ש *ſin* legendo ש *ſchin*, putà pro ישנא *iiſſane* legendo ישנה *iiſſeane*, vel *iiſne*, id eſt *mutabitur* vertit, *iracundus deſignat ſtultitiam: qui autem circumſpectus eſt, aliter agit.* Porrò, Septuag. ſic explicat, ſicque eis Vulgatam Latinam adaptat noſter Salazar: Differentiam, inquit, inter imprudentem virum, & eum qui prudentiâ pollet, deſcribit Salomon. Ille enim ex ira multa committit temeraria & abſurda, hic verò multa patitur: ille infert damna, hic ſuſtinet, ille ictus & plagas aliis infligit, hic excipit: ille irrogat iniurias, hic ab aliis illatas non detrectat. Ad hunc ſenſum reuocanda eſt tranſlatio vulgata, *Impatiens operatur ſtultitiam*, id eſt, ſtultiſſimè iraſcitur ac ſæuit: *& vir verſutus odioſus eſt:* is nimirum qui ex verſutia & calliditate laudabiliter iram cohibet, illatas ſibi iniurias & contumelias æquo animo perfert, inuiſus eſt eidem ſtulto, &c. Verùm hic ſenſus videtur coactior. Ergo

A

Tertiò, planè & genuinè Noſter per virum cogitationum accipit verſutum, qui ſcilicet mente verſat artes & fraudes, ac per dolos machinatur aliis mala, vt odium, vel malitiam ſuam in eos datâ occaſione expromat: verſutus enim vocatur, qui mentem ad malitiam conuertit, vel qui inconſtanti quodam animi motu huc atque illuc variè & ſimulatè fertur. Vnde Feſtus. *Verſuti*, ait, *dicuntur, quorum mentes crebrò ad malitiam vertuntur.* Et Cicero l.3. de Natura deorum: *Verſutos eos appello, quorum celeriter mens verſatur.* Verſuto affinis eſt verſipellis, qui ſcilicet facilè vertit pellem, hoc eſt vultum, & quomodolibet faciem mutat, putà callidus, ſimulator, veterator. Opponit enim Salomon iracundum, qui ſtatim iram ſuam prodit per ſigna & verba impatientiæ, verſuto, qui iram callidè premit, & ad tempus diſſimulat, quæritque nocendi & vlciſcendi ſe opportunitatem & modum. Impatiens enim ilicò bilem euomit, tantumque in eo peccat, quòd iram ſtultè promit & prodit per clamores geſtuſque inconditos: vnde ab eo parum, vel nihil, vbi iam ira deferbuit, tibi metuendum eſt: tantùm furenti ad momentum cede & ſile. Iracundos enim, ait S. Gregor. 3 parte Paſtor. admonit. 17. *meliùs corrigimus, ſi in ipſa iræ ſuæ commotione declinamus: perturbati quippe quid audiant ignorant, ſed ad ſe reducti tanto libentiùs exhortationis verba recipiunt, quanto ſe tranquilliùs toleratos erubeſcunt.* At verſutus diſſimulat iram, ſimulat amicitiam, coquit verſatque animo dolos, quibus te incautum cùm minimè putabis opprimit: hic ergo tibi metuendus eſt. Ira enim & excandeſcentia impatientis ſimilis eſt flammæ, quæ accenſa ardore ſuo ilicò ſeipſam conſumit: odium verò verſuti ſimile eſt carbonibus ignitis, ſed cinere obtectis, quos cùm imprudens tetigeris, ab igne latente adureris.

Rurſum impatiens ſimilis eſt cani latranti, ſed non mordenti, verſutus verò ſimilis eſt ſerpenti non latranti, ſed ſecretò mordenti. Prouerbium ergo hoc monet, nihil agendum per iram, multò minùs per odium & dolum. *Ira enim eſt momentanea inſania*, ait S. Baſil. hom. de ira. Et S. Chryſoſt. hom. de manſuetudine: *Ecquis*, inquit, *videns hominem traſcere, dubitaret vel dæmonio agitari miſerum, vel voluntariè in tantam inſaniam proſilire: Ira voluntarius dæmon, optata inſania, mentis eſt defectio. Dolus verò & odium obſtinata eſt inſania; obſtinatus dæmon.* Non ergo, ait auctor ſer. ad Fratres in Eremo apud S. Auguſt. tomo 10. ſerm. 28. *habeamus cor intinctum odio, ne filij Iudæ proditoris ſimus, ne cũ eo ſuſpendamur, & à diabolo pariter cum eo trahamur ad tartara. Qui odium in corde portat, ſecundus diabolus eſt: & qui pacem impedit, Antichriſtus eſt: & qui pacem ordinat inter fratres, reuera filius Dei eſt.*

Vers.18. POSSIDEBVNT PARVVLI STVLTITIAM, ET EXPECTABVNT ASTVTI SCIENTIAM] Pro *poſſidebunt* hebr. eſt נחלו *nachalu*, id eſt *hereditabunt*, vt vertunt Aquila, Symmach. Theodot. & Syrus.

B

Quæ vox ſignificat Primò, paruulos, id eſt inſipientes, quaſi innatam habere ſtultitiam, ait Vatabl. vt eis propria quaſi dos, hereditas & peculium eſſe videatur. Secundò, eos non ſinere ſe auelli à ſtultitia, ſicut heres non patitur ſe diuelli à ſua hereditate. Tertiò, illos ſtultitia gaudere, paſci & frui, velut opimo ſuo prædio. Quartò, illos ſtultitiam ſuam aliis communicare, ſicut diues bona agri aliis communicat. Vnde Septuag. vertunt, *diuident imprudentes malum: aſtuti autem tenebunt ſenſum.* Stultitia enim hic practica accipitur, putà malum & malitia, ſicut ex aduerſo *ſcientia* vel *ſapientia* accipitur pro bono, ipſaque bonitate & virtute. Porrò τὸ *diuident* auctor Catenæ Græcor. tripliciter explicat: *Opponit*, inquit, *malitiæ ſenſum: malitia autem opponitur virtuti: ſenſus itaque hoc loco*

C

ſignificat virtutem. Malitiam, inquit, quaſi quoddam delicatum obſonium inter ſe diuidunt ſtulti: nec non in partes & ſortes diſcindunt; vel diuidunt inter ſe nequitiam ſtulti. Nam qui temerarius vel plus iuſto audax eſt, is formidoloſus non eſt: neque qui palpo vel adulator eſt, is quoque ſuperbus eſt. Alius ibidem ſic explicat: *Idem ſtatuatur de ceteris ſimilibus oppoſitis vitiis. Inſipientes diuidunt inter ſe malitiam quaſi communem theſaurum: quandoquidem & ſeſe mutuo odio habent, & ſe inuicem mordent, & iniuria afficiunt, & ſibi mutuo inuident: & ita malitiâ ex æquo quodammodo inter ſe partitâ contra ſe inuicem inſurgunt. Iuſti autem ſenſum obtinent, quia omnibus ſenſibus imperant, eoſdemq; in officio accuratè continent, ne videlicet per viſum, vel auditum, aut olfactum, aut guſtum, aut tactum, aut per verba, aut facta, aut cogitata aliquid committant quod Deum offendat, adeoq; cæleſti regno indignos ſeſe reddant.*

D

Myſticè, Hugo: *Sapientes*, inquit, *huius mundi ideo paruuli appellantur à Sanctis, quia quaſi paruuli pueri abecedarij ſeu elementarij, in libro vniuerſi pulchritudinem creaturarum, quæ ſunt litteræ huius libri, admirantur & ſtupent: ſenſum autem earum, ſcilicet Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem & alia attributa, omnino non capiunt.*

Porrò *expectabunt aſtuti ſcientiam*, hoc eſt, prudentes ſtudebunt ſcientiæ & virtuti, patienter expectantes ſtudij & laboris ſui fructum, vt ſcilicet ſcientiæ & virtutis perfectionem aſſequantur, poſſideant & teneant, vt vertunt Septuag. adeò vt eã in alios effundant. Vnde Syrus vertit, *prudentes diuident ſcientiam*, ſicut diuites pauperibus, & parentes filiis diuidunt panem & eſcam.

Pro *expectabunt* hebr. eſt יכתירו *iachtiru*, quod propriè ſignificat cingere & coronare. Vnde Chald.

Chald. vertit. *corona aſtutorum eſt ſcientia*; R. Salomon, *aſtuti capiti ſuo ſcientiæ coronam nectent*; Aben Ezra, *ſapientes ſcientiæ diadema acquirent, & ad honores euehentur*; Vatabl. *ſolertes coronabunt ſe ſcientia*; Pagn. *coronabuntur ſcientia*; alij *coronabunt ſcientiam*; alij, *coronabunt alios ſcientiâ*. Ternas haſce verſiones appoſitè & ſapidè explicat Baynus, Vatabl. Ianſen. Caiet & ex iis noſter Salazar. Prima eſt, inquit, *Aſtuti imponent ſibi coronam ſcientiam*: id eſt, ſolâ virtutis & honeſtatis cognitione gloriabuntur & efferentur, & quaſi coronâ redimiti regis aliis imperabunt. Vel aliter: Eam cognitionem veluti coronâ quandam excipient, qua ſui ipſorum reges & imperatores conſtituentur ad moderandas animi vires. Secunda eſt: *Aſtuti coronabunt ſcientiam*, q. d. Plurimos quidem ad veræ ſapientiæ ſtudium adducent, vt iam non deſtituta, ſed plurimorum diſcipulorum turba cincta & coronata videatur. Vel *coronabunt ſcientiam*, hoc eſt, nobilitabunt illã, gloriã & ſplendore donabunt. Nam cùm ſapientes ob ſapientiæ ſuæ vim coronam, honores atque imperium fortè adepti ſunt, non tam ipſi quàm eorum ſapientia redimitur & coronatur. Sic enim vulgò litterarum & ſapientię præmia & ornamenta dicimus ea, quę litteratis & ſapientibus conferuntur. Tertia eſt: *Et aſtuti coronabunt alios ſcientia*, id eſt, non modò ſibi ipſis ſapient, ſed etiam aliis, quos ſimili ſapientia condecorabunt & honeſtabunt.

Vers. 19. Iacebunt mali ante bonos: et impii ante portas iuſtorum] Pro *iacebunt* hebr. eſt שחו *ſcachu*, id eſt *incuruabuntur*; Septuag. *labentur*; Syrus, *cadent*; Chald. *corruunt mali coram bonis, & impij obſtupeſcunt in portis iuſtorum*. Id ita fere in futuro ęuo cenſent R. Salomon, Beda & Hugo: tunc enim diues Epulo, ante cuius menſam iacuit pauper Lazarus, iacebit ante pedes Lazari: Nero confuſus iacebit ante pedes S. Petri & Pauli: Traianus infelix procumbet ante pedes S. Ignatij, Decius ante pedes S. Laurentij, Dacianus ante pedes S. Vincentij &c. Verùm eſto vniuerſim & maximè id futurum ſit in venturo ſæculo, tamen in hoc quoque non rarò fit, vt Deus pios exaltet, impios humiliet, cogatque eos ſupplices fieri piis, eorumque opem implorare. Sic de impiis & de idololatris Gentibus Eccleſiæ ſubiiciendis vaticinatur Iſai. c. 49. 23. *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te & puluerem pedum tuorum lingent*. Sic Diocletianus & Maximianus iacuerunt ante pedes Conſtantini Magni: Eugenius, Maximus ceterique tyranni ante pedes Theodoſij: Saxones & Saraceni ante pedes Caroli Magni. Sic hodie Caluiniſtæ & hæretici Germanię iacent ante pedes Ferdinandi II. clementiſſimi & piiſſimi, ideoq; à Deo benedicti & feliciſſimi Imperatoris.

Porrò, malos ſubiici bonis ingens bonũ eſt non tantùm bonorum, ſed & malorum. Boni enim malos ſibi ſubditos cogunt ad fidem, pietatem & ſalutẽ, qui alioqui ob ſuam impietatem ituri erant in gehennam. Hic ergo effectus eſt amoris beneuolentiæ & prædeſtinationis Dei: ſicut ex aduerſo ſignum & effectus odij, maledictionis & reprobationis diuinæ eſt, cùm ſinit malos dominari bonis. Vnde Septuag. vertunt, *impij obſeruabunt* vel *colent portas iuſtorum*: quia pœnitentia tandem ducti iuſtorum doctrinæ ſe ſubiiciunt, ait auctor Catenæ Græc. Sic Romæ videmus Gentes olim idololatras, imò peccatores quoſlibet, qui pœnitentiæ causâ ad Vrbem ventitant, magnâ demiſſione & A deuotione procumbere ad limina Apoſtolorum, illaque venerari, deoſculari, & profuſis irrigare lacrymis; vt à S. Petro Chriſti cæliq; clauigero noxarum veniam, Deique gratiam, qua eis cœlum pandatur, emereantur. Ideoque & Summo Pontifici, quaſi Chriſti Vicario, & S. Petri ſucceſſori, ceruices inclinant, & ad eius pedes ſe proſternunt, vt abſolutionem & benedictionem impetrent.

Etiam proximo (Hebr. & Chald. *ſocio*) ſuo pauper odioſus erit: amici autem diuitum multi] Septuag. *amici odio habebunt amicos mendicos*. Loquitur de amicis non veris: hi enim licet pauperes amant ob honeſtatem amicitiæ; ſed ollaribus, qui amicitiam vtilitate metiuntur more vulgi: iuxta illud, Vers. 20.

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Hi enim cùm amicitiã non niſi ob commoda, quę B ex ea ſperant, colant, amicos pauperes, vtpote ſibi incommodos, imò oneroſos aſpernantur: diuites verò ambiunt. Odium hic non poſitiuum, ſed negatiuum accipe, vt ſit idem quod minor amor, deſpectus, faſtidium: nec enim propriè & poſitiuè diues odit cognatos pauperes. *Odioſus* ergo, id eſt minùs dilectus, neglectus, contemptus. Sic dicitur Gen. 29. 31. Lia odio habita, id eſt minùs dilecta, & neglecta præ Rachele à Iacob. & Malach. 1. 3. *Eſau odio habui*, id eſt neglexi. & Iohan. 12. 25. iubemur odio habere, id eſt minùs diligere animam, eamque poſtponere legi diuinæ & amori Chriſti. Sic Iob & Tobias ad paupertatem redacti odioſi fuere ſuis, etiam vxoribus. Tritum eſt illud:

Si fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

C Et Maximus ſerm. 11. ex Socione: *Delphini, ait, quouſque vnda ſubeſt, nauigia comitantur natantes, in littus verò numquam egrediuntur. Sic adulatores in ſecunda fortuna manent, in aduerſa deſerunt.* Hos Cicero lib. 4. ad Herenn. comparat hirundinibus, quæ æſtate aduolant, hieme auolant. *Vt hirundines*, inquit, *æſtiuo tempore præſtò ſunt, frigore pulſa recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſtò ſunt, ſimul atque fortunæ hiemem viderint, euolant omnes.* Vnde Epictetus in Altercatione cum Adriano Imp. *Quid*, inquit, *eſt homo pauper? quem, vt puteum deſertum omnes aſpiciunt, & ſuo loco illum relinquunt.* Et Martialis:

Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc niſi diuitibus.

Hoc eſt quod in fidelibus taxat S. Iacobus c. 2. 2. *Si introierit, ait, in conuentum veſtrum vir aureum an-* D *nulum habens in veſte candida: introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eũ qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?* Vide ibi dicta.

Myſticè, R. Leui & auctor Catenæ Græc. diuitem & pauperem accipiunt non tantùm opibus ſed & ſcientia ac eloquentia. Docti enim & eloquentes multos habent aſſeclas; vt ab eis ſciẽtiam & eloquentiam addiſcant; rudes verò & indiſerti ab omnibus negliguntur & vilipenduntur.

Qui deſpicit proximum ſuum, peccat: qui autem miſeretur pauperis, beatus erit] Noſter Interpres in Hebræo pro *pauperis* legit ענים *aniim*, id eſt pauperum, iam legunt ענוים *anauim*, id eſt manſuetorum. Hebræa ergo & Vers. 21.

& Chald. ſic habent, *ſpernit ſocium ſuum peccator: miſereſcens autem manſuetorum*, vel *afflictorum, beatitudines illi*, id eſt, terque quaterque beatus eſt. Septuag. *qui inhonorat pauperes, peccat: qui autem miſeretur mendicorum, beatiſſimus*, juxta illud Dauidis: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, Pſal. 40. 1. Senſus eſt clarus. q. d. Qui ſpernit proximum ſuum egentem, peccat Primò, ſuperbia, quia ſuperbè eum deſpicit: Secundò, immiſericordia & inhumanitate, qui indigentem deſerit, nec ei in neceſſitate ſuccurrit: & quia peccat, hinc miſer eſt, & miſerias tum præſentes, tum æternas ſibi accerſit. Ex aduerſo, qui miſeratur pauperis, opus eleēmoſynæ præclarum, & quaſi diuinum facit ideoque in ipſo nunc beatus eſt, re ipſa poſt mortem futurus beatus in cœlo. Vnde pro *peccat* hebr. eſt חוטא *chote*, id eſt, aberrat, deuiat, deflectit à via, ſcopo, lege, putà à virtute miſericordiæ, à Deo, à cælo & beatitudine, ad quam recta miſericordiæ via tendit miſericors. alioqui *peccare* latinè dicitur quaſi, *pellicare*, id eſt cum pellice congredi, vel adulterium committere, ait Sipontinus: inde tamen peccare extenditur ad quoduis crimen, & ſignificat legem quamlibet tranſgredi; vt hic notat eum, qui violat iura charitatis & eleēmoſynæ. Hic tamen myſticè quoque pellicatum vel adulterium committit: quia opes ſuas quaſi pellices ita amat, vt malit legem Dei tranſgredi, quàm eas pauperibus, vt lex charitatis iubet, erogare.

Peccare q. pellicare.

Miſericors eſt beatiſſimus. Primo.

Quæres, cur, qui miſeretur pauperis, eſt beatiſſimus? Reſp. Primò, quia pauperes ſunt beati, iuxta illud Chriſti paradoxum: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: hoc regnum ergo vtpote ſuum pauperes dabunt iis, quos in hac vita experti ſunt beneficos. Beati enim beneficis ſuis ſuam beatitudinem communicabunt, eoſque pariter beabunt. Quocirca Chriſtus Lucæ 16. v. 9. *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vnde S. Aug. hom. 39. inter 50. *In tali cauſa*, inquit, *operarius felix viuit, & ſecurus iam moritur, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum alterum pauit dando. Nullam poterit incurrere perniciem, qui comparauerit eleēmoſynis pietatem, cui Propheta tale exhibet teſtimonium, Salua eum, & viuifica eum Domine. O duplex Prophetæ beneficium! Saluat pariter, & commēdat pariter vt ſaluetur, quia & ipſe ſaluauit vt viuificaretur, & ipſe vitā poſcenti donauit in terra.* Et S. Chryſoſt. homil. 36. ad Populum: *Tanta*, inquit, *vis eſt eleēmoſynæ, cum multa fiducia ſuos introducit alumnos: eſt enim cæli nota ianitoribus, ſponſalis thalami fores obſeruantibus; quin & venerabilis, & quos ſui cultores agnouerit, cum multa introducet libertate: & contradicet nemo, ſed omnes cedent.*

Secundò.

Secundò, quia *beatius eſt magis dare quàm accipere*, vt ex Chriſti diſciplina ait S. Paulus Actor. 20. v. 35. vbi multa de hac re dixi.

Tertiò.

Tertiò, quia Chriſti promiſſio eſt: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Vnde S. Auguſt. hom. 29. inter 50. *Ante fores gehennæ*, inquit, *ſtat miſericordia, & neminem permittit in carcerē mitti.* Et S. Chryſoſt. hom. 33. ad Populum: *Melius eſt*, ait, *hanc artem dandi eleēmoſynam ſcire, quàm eſſe regem, & diademate coronari*, &c. *Hæc namque te docet quomodo poſſis Deo ſimilis fieri, quod eſt omnium ſumma bonorum.* Et homil. 36. *Ait Script. Magna res homo, & pretioſa vir miſericors. Hæc maior eſt gratia quàm mortuos reſuſcitare. Multò namq; maius eſt, quàm in nomine Ieſu mortuos reſuſcitare, eſurientem paſcere Chriſtum: nam hic quidem tu de Chriſto bene mereris, illic antē ipſe de te: Ac merces eſt in benè gerēdo, non in benè patiendo. Hic enim, in ſignis inquam, ipſe Deo debes, in eleēmoſyna verò Deum habes debitorem.* Et hom. 9. de pœnitentia: *Eleēmoſyna regina illa virtutum homines in ipſorum cælorū arces celerrimè adducet, aduocati optimi loco fungens. Magna res eſt eleēmoſyna, præcidit aerem, tranſit lunam, Solis radios cædit, ad ipſum venit cælorū culmen, ipſos pertranſiens cælos, & angelorum populos decurrens, Archangelorumq; choros, & omnes ſuperiores poteſtates; ipſi aſſiſtit regali throno.* S. Hier. epiſt. 150. ad Hedibiam: *Vis eſſe perfecta & in primo ſtare faſtigio dignitatis? fac quod fecerunt Apoſtoli: vende omnia quæ habes & da pauperibus, & ſequere Saluatorem. Non vis eſſe perfecta, ſed ſecundum vis tenere gradum virtutis? dimitte omnia quæcumque habes, da filiis, da propinquis.*

Quartò, eleēmoſyna nos facit homines diuinos, & quaſi deos quoſdam terreſtres, ergo beat facitque beatos. Ita S. Greg. Nyſſen. lib. de Beatitudinibus: *Si miſericordis*, inquit, *appellatio Deum decet, ad quid aliud te ſermo Chriſti hortatur, niſi vt Deus fias, tamquam inſignitus propriā notā deitatis?* S. Greg. Nazianz. in orat de pauperum amore: *Nihil tam diuinum homo habet, quàm de aliis bene mereri, tametſi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterque nimirum pro ſuis viribus. Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Vide dicta Deut c. 15. v. 10. & c. 26. v. 12 vbi viginti & vnum fructus & quaſi beatitudines eleēmoſynæ recenſui. Vide & Julium Fulcum lib. de Bono eleēmoſynæ.

Quartò.

QVI CREDIT IN DOMINO, MISERICORDIAM DILIGIT] Hic verſus deeſt in Hebræis & Septuag. extat tamen in Bibliis Romæ correctis, ideoque retinendus eſt, non abolendus, vt volunt. Caiet. & Janſen. Jam

Primò, Lyran & Dionyſ. ſic exponunt. q. d. *Qui credit in Domino* fide charitate formatâ, hic *miſericordiam diligit*, qui enim per charitatem diligit Deum, eâdem diligit & proximum, in eumque miſericordiam exercet. Charitate enim diligemus Deum propter ſe, & proximum propter Deum.

Secundò, Hugo. q. d. Qui credit oraculis Dei, quibus in ſacra Scriptura ampla miſericordibus promiſit præmia, hic vtiq; diligit miſericordiam, vt per eam præmia jam dicta conſequatur. Inter quæ nonnulli, ac inter eos noſter Salazar, conſtituunt illud: Deum firmiſſimo apud ſe decreto ſtatuiſſe, vt nullus in eleēmoſynis erogandis liberalior in peccato mortali impœnitens decedat. Cuius rei plura ſuppetunt exempla.

Tertiò, planiùs & neruoſiùs. q. d. Qui credit in Domino, vel, qui confidit in Dei bonitate, qui fiduciam ſuam in Deo collocauit, qui ſpes ſuas in Deum tranſtulit, certò ſperans, Deum in ſe liberalem fore, ſi ipſe ſe in pauperes liberalem præſtet, ac proinde nihil ſibi ad vitam neceſſarium defuturum, quin potiùs rebus omnibus abūdaturum; hic vtiq; miſericordiam diligit, & diligendo exercet, confidens, imò ſciens, per eam opes ingentes ſe acquiſiturum. Tota enim cauſa, cur timidi & auari ſua non erogent in pauperes, eſt timor inopiæ, & diffidentia in Deum: hanc ergo amolitur hic Salomon. Hoc eſt quod ait Apoſtolus adhortans Corinthios ad eleēmoſynam epiſt. 2 c. 9. 10. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Vbi docui eleēmo-

moſynam ſimilem eſſe ſemini, quod jactum in terram, putà in ſinum pauperum, centuplicatum regerminat: & citaui verba S. Baſilij, quibus eleëmoſynam comparat puteo, qui quo plus exhauritur, eo plus aquæ purioris ſcaturit & ebullit.

VERS. 22. ERRANT QVI OPERANTVR MALVM: MISERICORDIA ET VERITAS PRÆPARANT BONA] Syrus, *miſericordes & iuſti faciunt omnia bona.* Pro *errant* hebr. eſt יִתְעוּ *ihtu*, id eſt deuiant, aberrant, ſcilicet à via virtutis & ſalutis, inſtar erronum, vel ouium errantium: juxta illud Iſaiæ 53.6. *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq; in viam ſuam declinauit.* Hinc Chriſtus quaſi paſtor bonus peccatores velut oues errantes in humeros accepit, & in viam ſalutis reduxit. Aut inſtar ebriorum, qui cerebro fumis oppleto neſciunt greſſus ſuos regere, ſed pedibus vacillant, & à ſemitis deuiando in auia aberrant, juxta illud Iſa. 19.14 *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Peccator enim velut ebrius ſuis concupiſcentiis vacillat & errat, ac vbique in ſcopulos impingit. Septuag. vertunt πλανώμενοι, id eſt errantes, vel errones, ac quaſi planetæ, ſeu ſtellæ erraticæ, quæ recta non incedunt vti ſtellæ fixæ, ſed lateraliter per gyros aberrant: vnde S. Iudas in ſua ep. v. 13. hæreticos vocat *ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.*

Pro *operantur* hebr. eſt חֹרְשֵׁי *choreſe*, id eſt, qui arant, vel qui fabricant malum, quod Cajetan. exponit. q.d. Errant non tantùm illi, qui manibus operantur malum, ſed etiam qui mente illud concipiunt, & machinantur. Noſter pleniùs vertit, *qui operantur*: arare enim & fabricare eſt operari, adeoque præcipua mechanicorum opera ſunt aratio & fabricatio, ac machinari eſt operari: tam enim mens machinando quàm manus operando operatur.

Igitur Hebræa ad verbum ſic habent, *Numquid errant fabricantes, vel arantes, malum? miſericordia & veritas fabricant, vel arant bonum.* Eſt metaphora ab agricultura, vel ab arte fabrili. Ab agricultura. q.d. Qui operantur malum, malè arant, & aberrant à via recta rectiſque liris & ſulcis virtutis, ac delirant, vt ita dicam: quocirca non reſpondebit eorum arationi & ſementi meſſis, hoc eſt, non referent præmium, ſed pœnam & ſupplicium. Ita Aben Ezra & R. Leui. Ait ergo. Nunquid errant qui lapidoſum vel ſpinoſum arantes agrum, in eo ſeminant ſemina noxia & venenata? quid enim exinde metent niſi ſpinas, lolium, colocynthidas, ceteraſque herbas malas & venenatas? q d. Vtiq; errant, & quidem grauiſſimè. Pari modo grauiſſimè errant, qui in agro praui cordis ſui ſeminant prauas cogitationes, & deſideria ſuperbiæ, iræ, gulæ, libidinis, &c. inde enim non metent niſi faſtum, lites, rixas, crapulam, fornicationes, adulteria, &c. quibus ſibi creabunt malum, putà mortem & perniciem tam præſentem quàm æternam. Ex aduerſo, qui in pingui agro boni cordis ſeminant bonas cogitationes, hi ferent fructum bonorum operū, & per ea præmium beatitudinis æternæ. Ab arte fabrili. q.d. Sicut errat peccatque faber fabricans arma noua & noxia, quia iiſdem ſæpè ipſe perit & occiditur: ſic errant qui fabricant peccatum, quod eſt quaſi gladius occidens animā peccantis. Peccator ergo ſibi ipſi mortis & gehennæ eſt faber: ſicut Cyclopes ſui interitus ſibi fuere fabri, & ſicut

A Perillus inuentor & faber bouis ænei primus à Phalaride tyranno eidem incluſus & concrematus eſt. de quo Ouidius in Artem.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Errant igitur impij toto cœlo, quia fabricando malum culpæ fabricant ſibi malum pœnæ & gehennæ; ex aduerſo pij fabricando ſibi bonum virtutis, fabricant ſibi bonum præmij & gloriæ cæleſtis: hoc autem bonum virtutis eſt vel miſericordia vel veritas, id eſt juſtitia: omne enim officium virtutis vel eſt debitum, & vocatur *iuſtitia*, vel indebitum, liberale & gratuitum, ac vocatur *miſericordia*, vti jam ſæpiùs monui. Hoc vult Noſter, dum vertit, *miſericordia & veritas præparant bonum*, B ſcilicet mercedis & gloriæ tam præſentis quàm æternæ; quia fabricant domos, imò palatia cæleſtia, juxta illud S. Chryſoſt. homil 8. de pœnitentia: *Æterna ſunt tabernacula in cælo, quæ non tempore cadunt, nec poſſeſſores mutant. Hanc in ſtructuram pecuniam impendamus: non architectorum ſanè, aut operariorum magna nobis ſue ſit cura. Pauperum manus eiuſmodi domos conſtituunt: claudi & eſurientes illas ædificant: & ipſa eleëmoſyna artifex eſt.*

Hinc Septuag. vertunt, *errant qui fabricant mala: miſericordiam & veritatem fabricant boni.* Quod explicant dum ſubdunt, *Non ſciunt miſericordiam & fidem fabricatores malorum: eleëmoſyna autem & fides apud fabricatores bonos.* Sic & Syrus, quaſi dicant: Errant qui fabricant mala, quia dum non ſciunt, id eſt, non cogitant, non æſtimant, non ponderant, quantùm ſit bonum miſericordiæ & fidei, id eſt C juſtitiæ, eo neglecto fabricant opera immiſericordiæ, vel auaritiæ & iniuſtitiæ, quibus ſibi fabricāt eculeum in gehenna: at verò probi quia æſtimant & ponderant, quantum ſit bonum miſericordiæ & juſtitiæ, hinc illud exercent & fabricant, cauentque ab omni immiſericordia & iniuſtitia: atque hoc ipſo fabricant ſibi domos & coronas æternas in cælis.

Porrò, quia Hebræi carent caſibus, ideoque nomina eorū quouis caſu reddi poſſunt, hinc pro *fabricant*, vel *præparant*, alij vertunt, *fabricantibus*, vel *præparantibus*. Ita Chald. *Peruerſi, inquit, errant, qui cogitant malum: miſericordia & veritas his qui cogitant bonum.* q d. Dei miſericordia & veritas, id eſt fidelitas, miſericorditer & fideliter reddet præmium bonis quod promiſit, vt, ſicut ipſi ſe miſericordes & fideles Deo exhibuerunt, ſic viciſſim D Deum in ſe miſericordem & fidelem ſentiant. Miſericordia enim noſtra in proximos allicit & prouocat Dei miſericordiam in nos, ac fidelitas fidelitatem. Ita Janſen. Baynus & Tigur. quæ vertit, *an non errant* (Vatabl. *fruſtrabuntur*) *qui malum machinantur? at benigne & fideliter agetur cum his, qui bonum moliuntur*; & Pagnin. *miſericordia & veritas erit operantibus bonum.* Hic ſenſus eſto grammaticè & vocaliter diuerſus, quoad ſenſum tamen eòdem tandem redit quò prior jam aſſignatus, vt intuenti patet.

Poſſet quoque per *veritatem* accipi lumen, quo Deus intellectum bene operantis illuſtrat, vt magis cognoſcat dignitatem virtutis, bonaque ei à Deo promiſſa, vt ardentiùs eamdem exerceat, juxta illud Pſal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Nota. Error hic, quo errant qui operantur malum, non eſt ſpeculatiuus, ſed practicus, putà eſt

A erronea & peruerſa electio, & operatio mali culpæ, quod ſecum defert malum pœnæ. Quare hic error propriè eſt imprudentia, & imprudens electio, qua malum præfertur bono. Electio autem eſt actus voluntatis & liberi arbitrij: quare in eo propriè eſt hic error. Hic tamen error voluntatis ordinariè comitem, imò anteceſſorem, habet errorem in intellectu peccantis. Subinde enim intellectus errat ſpeculatiuè putans eſſe licitum, quod eſt vetitum & illicitum, ut patet in iis qui peccant ex ignorantia; ſæpè tamen non eſt ſpeculatiuus, ſed practicus, putà eſt dictamen & judicium practicæ rationis dictantis v.g. furi: Hîc & nunc tibi furandũ eſt, ut vitæ & voluptati tuæ conſulas: vel certè eſt inconſideratio plurium rationum & motiuorum, quæ poſſent voluntatem continere & cohibere à peccato. Sæpè enim peccator non habet judicium explicitum, v.g. Hîc & nunc oportet te hoc furti peccatum committere; ſed tantùm B defectum conſiderationis, quo ita conſiderat pulchritudinem & commoda pecuniæ, quam furari intendit, vt parum vel nihil conſideret turpitudinem & damna peccati, quæ huic furto annexa ſunt. Vnde fit vt pulchritudine & cõmodis pecuniæ ab intellectu ea conſiderante propoſitis, voluntas abrepta eligat, furari, non æſtimans damna inde ſibi obuentura. Hic tamen defectus conſiderationis ordinariè affert ſecum judicium partim explicitum, partim implicitũ peccandi. Fur enim v.g. antequam decernat furari, habet hoc judicium explicitum: Hic & nunc bonum eſt tibi accipere hanc pecuniam; in quo interpretatiuè continetur hoc judicium implicitum: Bonum eſt tibi hîc & nunc peccare & furari: quia hic & nunc accipere C pecuniam alienam non eſt aliud, quàm furari & peccare. Hoc igitur judicium practicum de agendis vel appetẽdis abſolutè ab intellectu & ratione prolatum cum tali inconſideratione, eſt actus imprudens, & difformis tam judicio, quàm appetitui recto; quare practicè eſt erroneum, quod proinde ſequens & amplectens voluntatis electio pariter errat, fitque erronea. Ita D. Thomas & Scholaſtici 1.2. q 78. art. 1. ad 1. Sic peccauit Adam, Lucifer, & angeli, in quibus nullus erat error, ſed clariſſima rerum legiſque Dei cognitio, per merum defectum conſiderationis: ita enim conſiderarunt ſuã pulchritudinem, non conſiderando eam ſe habere à Deo, vt ſibi plus æquo placuerint, ſuperbiuerint, ac tandem Deo rebellarint. Simili modo peccant, qui peccant ex certa ſcientia & malitia. Ve- D rè S. Aug. in Conf. *Iuſsiſti Domine, & ita eſt, vt pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus*, &c. *Spargis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.*

VERS. 13. IN OMNI OPERE ERIT ABVNDANTIA: VBI AVTEM VERBA SVNT PLVRIMA, IBI FREQVENTER EGESTAS] Pro *opere* hebr. eſt עֶצֶב *etſcb*, id eſt, labor, dolor, cura, ſollicitudo, fatigatio, afflictio: radix enim עָצַב *atſab* ſignificat laborare, dolere, excruciari animo. Pro *abundantia* hebraicè eſt מוֹתָר *mothar*, id eſt augmentum, abundantia, ſuperabundantia, excellentia, dignitas, prærogatiua. Pro *egeſtas* hebr. eſt מַחְסוֹר *machſor*, id eſt defectus, penuria, egeſtas.

Primò, Pagninus ex Hebræo ſic vertit, *in omnibus, quibus homo laborat, eſt dignitas: ſed verbum labiorũ ſuperfluorum verè imputatur ad defectum* q.d. Labor homini eſt dignitas, loquacitas verò eſt indignitas & egeſtas. *Homo* enim *naſcitur ad laborem, & auis ad volatum*, Job 5.7. Hinc Adam parens omnium nobilium, regum & principum non tantùm poſt lapſum, ſed & ante cum in paradiſo poſitus fuit, ad eum labore ſuo excolendum, Gen. 2.15.

Secundò, Bäynus ex Hebræo ſic vertit, ſicque explicat: *In omni dolore & triſtitia, quam ſecum detinet homo, erit abundantia: & quotidie creſcit ſecreta mœſtitia, verùm per verba labiorum diminuitur; hoc eſt, detectus dolor, & in ſinum fidelis amici transfuſus mitigatur. Et iuxta hunc ſenſum poteſt ad confeſsionẽ accommodari verſiculus: nam reuera nihil magis mitigat triſtitiam, quam quis concipit de peccatis ſuis, quàm ſincera & libera confeſsio facta in auricula pij ſacerdotis. Illa enim verba labiorum confitentis videlicet & abſoluentis, luctũ de peccatis conceptum vehementer mitigant & conſolationem adferunt.*

Tertiò, Caiet. vertit, *in omni labore erit abundantia: & verbum labiorum tantùm ad defectum.* Et eſt ſenſus parabolæ, inquit, quòd omnis labor ſuapte natura parit aliquod lucrum, præter laborem in locutione. Quanto enim magis laborat aliquis ad multiplicanda verba, eò magis tẽdit ad defectum. Ita quòd multiloquium ſuapte natura non tendit ad lucrum, ſed dumtaxat ad defectum, & verè ſic eſt. Quoniam auditori faſtidium, ſermoni peccatum, & ſibi ipſi indignitatem multiloquio parit, hucuſque Caietan.

Quartò, Noſter optimè vertit, *in omni opere erit abundantia*, &c. q. d. Ex quolibet opere & labore prouenit emolumentum, rerumque abundantia: at nullus fructus prouenit ex inani ſermone. Quacumque in arte quis laboret, inſignis laboris fructus conſtabit: at verò verboſitas nil niſi inanitatem & egeſtatem parit. Ita R. Salomon: R. Leui, & Aben Ezra. Significatur ergo ait Janſenius, labore ac diligentià opes parari, non garrulitate, quę ad egeſtatem & defectum frequenter conducit; quòd garruli otio ferè tempus tranſigi ſinant. Dicit autem, *In omni opere & labore*, hoc eſt, per quemuis laborem, aut cuiuſcumque generis opus, proueniet homini abundantia: quia per varia operationis genera diuitiæ parantur, per agriculturam, per negotiationem per artificia, &c. Honeſtus ergo labor commendatur vt aliis multis huius libri ſententiis, ita & hoc verſiculo, garrulitas otioſa condemnatur. Porrò quod ad literam, intelligitur de laboribus corporis & corporali commoditate; myſticè de operatione virtutum accipi debet. Nam qui juxta parabolam Euangelij acceptis quinque talentis operatus fuerit in eis, lucrabitur & alia quinque, omnique habenti dabitur, & abundabit. Qui autem verbis tantùm delectantur, & de virtute tantùm loquuntur non ex animo, ſed ore tenus; aut Deum tantùm inuocant verborum multitudine, ſteriles interim in bonis operibus, ad frugem non peruenient, defectum virtutum & gratiæ Dei patientur, & tandem egeſtatem ſempiternam. *Non* enim, inquit Dominus, *omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt*, Matth. 7.21.

Huc facit verſio Chaldæi: *In omni*, inquit, *quod ſollicitum te facit, erit tibi commodum: & labia ſuperflua in egeſtate erunt.* Sollicitudo enim acuit induſtriam quærendi modos omnes, & veſtigandi rationes quaſlibet, vt res, quæ nos angit & ſollicitos tenet, dextrè & feliciter conficiatur. Et Syrus, *in quacumque re ſollicitus fueris, erit gaudium voluptatis; qui autem*

in

in domo ſua egenus eſt, quietus erit & iucundus. Omnem dolorem ſanat Dominus, Sermo labiorum iniqui eis egeſtatem parit. Dignum enim eſt vt verbis ſuis paſcatur, non panibus, qui non niſi verba fundere, nec laborare nouerunt. Et Septuag. *in omni ſollicito erit abundantia: dulcis autem & carens dolore in egeſtate erit.* Noſter Salazar per dulcem carentem dolore accipit paraſitum & adulatorem: hic enim præ ceteris verboſus eſt, & adulando menſam ſibi quærit; ſicut canis capite caudaq; blandiendo, ab heris mendicat eſcam. q.d. Vbi eſt labor, ibi eſt rerum copia: vbi adulatio, nugæ, ſcurrilitas, ibi egeſtas: qui enim turpi verborũ lenocinio diuitias aucupantur, ſemper egeni & inopes ſunt. Auctor verò Catenæ Græcor. ſic Septuag. vertit & explicat. *Omni ſedulo atque ſollicito adeſt abundantia: qui autem ſuauiter, curaq; & doloris expers viuit, conflictabitur cum egeſtate. Qui virtutum ſtudio feriò incumbit, is cum in actione, tũ in cognitione quoque excellat neceſſe eſt. Fieri enim vix poteſt, vt ille qui circa earum rerum conſiderationẽ, quæ ſub actionem veniunt, perpetuò occupatur, in vtroque non abundet. Verùm qui diuerſo modo affectus eſt, virtutis labores & moleſtias auerſatur, omnino conſentaneum eſt.*

Igitur *in omni opere erit abundantia*, &c. q.d. Non in loquendo, ſed in agendo virtus ſita eſt: nec iuſtus eſt qui bona dicit, ſed qui bona ſtrenua actione complet.

Porrò, Abbas Abraham apud Caſſian collat. 24. c. vlt ſic Septuag. explicat, *Qui ſuauis & ſine dolore eſt, in egeſtate erit. Regnũ enim cælorum non deſides, non remiſſi, non delicati, non teneri, ſed violenti diripiunt. Qui ergo hi violenti ſunt? Nempe illi qui non aliis, ſed voluntatibus ſuis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni ſe præſentium rerum voluptate fraudãtes, voce Dominicâ egregij direptores pronuntiantur, & per huiuſcemodi rapinam regnum cælorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum ſecundùm ſententiam Domini vim patitur, & violenti diripiunt illud. Iſti profectò ſunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni ſuæ.*

Denique huic parœmiæ ſimilis eſt illa v. 4. *Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt: vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.* Conſule quæ ibidem annotaui.

Vers. 24. CORONA SAPIENTIVM, DIVITIÆ EORVM: FATVITAS STVLTORVM, IMPRVDENTIA] Primò, planus ſenſus eſt. q.d. Diuitiæ ſapienti ſunt ornamento, eumque inſtar coronæ quaſi regio diademate cingunt & decorant: at *fatuitas ſtultorum imprudentia*; Hebr. *ſtultitia ſtultorum eſt ſtultitia*, id eſt, omne decus ſtultorum eſt ſtultitia, ſtulti non habent coronam vllam, quâ ſe ornent, niſi ſtultitiam: quia eſto ſint diuites, tamen diuitiæ, vtpote quibus rectè vti neſciunt, eis non ſunt honori & vtilitati, ſed damno & dedecori. Vnde Chald. vertit, *& decus ſtultorum ſtultitia eorum.* q.d. Stulti nil habẽt in bonis niſi ſtultitiã, omnis res, omnis ſpes illorum eſt mera ſtultitia: totum prædium eorum eſt ſtultitia: omnes opes eorum, omniaque bona abeunt in ſtultitiam, iuxta illud: *Simia manet ſimia etiam ſi aurea geſtet inſignia.* Significat Salomon diuitias ſapientiæ addere auxeſin quãdam & dignitatem, ſicuti Salomoni addiderunt. Vnde ipſe ait: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, &c. *quoniam horum omnium mater eſt.* Sapient. 7. 11. Et: *Vtilior eſt ſapientia cum diuitiis, & magis prodeſt videntibus ſolẽ*, Eccl. 7. 12 Sic Lyſander Cyro gratulatus eſt: *Rectè te beatum ferunt*, inquit, *quoniam ſapientiæ tuæ fortuna iuncta eſt*, teſte Cicerone lib. de Senectute.

Opes ornant ſapientem, non ſtultum. *Primò.* Igitur diuitiæ inſtar coronæ ornant ſapientem, eique ſplendorem addunt. Primò, quia ſapientia meretur iis coronari, iisque ſplendeſcit, non ſtultitia: putà virtute præditi opibus decorantur, non vitioſi. *Secundò.* Secundò, quia diuitiæ in manu ſapientis ſunt bene collocatæ, & quaſi beatæ: quia per ſapientẽ finem ſuum ad quem à Deo conditæ ſunt, aſſequũtur, qui eſt, vt ritè expẽdantur in eleëmoſynas ceteraque virtutis opera. Diuitiæ enim ſapiẽti magnorum operum ſunt inſtrumenta. Vnde Bion dicebat, *opes eſſe neruos actionum*, quòd ſine his nihil agatur, teſte Laërtio l. 4. cap. 7. Alius dixit, *opes eſſe belli neruos*, Pythagoras aſſeruit, *neque equũ ſine fræno, neque diuitias ſine prudentia quemquam gubernare poſſe.* Democritus pecuniarum vſum cum prudentia vtilem eſſe dicebat ad exercendam liberalitatem, & ad iuuandum alios: cum ſtultitia verò cõmunem largitionem eſſe, teſte Stobæo ſerm. 92. Quare, ſi diuitiæ ſenſu, ratione, voce & aliis præditæ forent, à ſtultis, impiis & auariis auolarent ad ſapientes, pios & liberales, clamarentque: Nolumus habitare cum impiis, ſed cum ſanctis: nolumus recondi in arcã auarorum, ſed in ventre pauperum: fit nobis iniuria, vis aufertur, cùm ineptis & indignis donamur, eorumque auaritiæ, ſuperbiæ, ventri & veneri ſeruire cogimur duram ſeruitutem: venite ſancti, venite miſericordes, vindicate nos ab hac dura ſeruitute, rapite nos vt vobiſcum ſanctificemur, & miſericordiam exerceamus: hic enim eſt finis, hæc beatitudo noſtra, ad quã à Deo conditæ ſumus. *Tertiò.* Tertiò, quia ſapientes diſpertiunt opes in eleëmoſynam: eleëmoſyna autem eſt regina virtutum, ait S. Chryſoſt. hom. 7 de pœnitentia, ac proinde coronam ſuam regiam capiti ſapientũ imponit. Et hom. 9. *Eleëmoſyna regina illa virtutum homines clariſſimè in ipſorum cælorum axes deducet, aduocatæ optimæ loco fungens.* Et hom. 8. ſic addit: *Huic multa cum facultate aperiuntur cælorum portæ, ac velut earum reginâ ingrediente, nullus cuſtodum in ipſis portis poſitorum audet interrogare, quæ ſit, aut vnde iter agat: magis verò ſuſcipiunt omnes. Eleemoſyna enim regina omnino eſt.* *Quartò.* Quartò, quia ſapiens vtitur diuitiis quaſi dominus & rex earum, ſtultus verò & auarus iis mancipatur quaſi ſeruus: ille poſſidet aurum, hic poſſidetur ab auro. ita S. Chryſ. hom. 16. in Matth. Aurum ergo ſapienti quaſi regi ſeruit vt corona regia, ſtultum ligat & vincit vt compedes & vincula. *Quintò.* Quintò ſapientes quia norunt rectè vti diuitiis, iis decorantur, fiuntque ſapientiores & ſanctiores, ac magis miſericordes: at ſtulti diuitias nacti iis magis infatuantur, fiuntque ſtultiores, & quaſi amentes & inſani, vt ait S. Chryſoſt. hom. 7. in epiſt. ad Coloſſ. Denique diuitiæ ſapienti ſunt corona, quia ab illo in opera pietatis expenſæ, illi pariunt coronas immarceſcibiles in cælis, quas ſolis eleemoſynariis decernet & adiudicabit Chriſtus in die iudicij. Mat. 25.

Secundò, Lyran. Corona ſapientum, inquit, eſt ſapientia, quæ eos ornat & ditat veluti ingentes diuitiæ. q.d. Sapientem coronat decoratque ſapientia magis quàm vllæ diuites aureæ & gẽmatæ coronæ: quia ditiſſima eſt corona ſapientiæ. Vnde Ariſtot. lib. 1. 2. Rhet. *Et quia*, inquit, *regnare res ſuauiſſima eſt, etiam ſapientem videri ſuaue: præditum enim eſſe ſapientia, regium eſt.* Calanus Gymnoſophiſta ad Alexandrum Magnum: *Rex*, inquit, *eris ſi te rexeris, Rex eris, ſi te ratio rexerit.* Et Bias captâ ciuitate fugiens, cùm moneretur vt more ceterorum opes

ſuas

ſuas ſecum efferret, reſpondit: *Omnia mea mecum porto.* Ita quoque explicat auctor Catenæ Græc. Opes, inquit, vel gloria ſapientum eſt prudentia. De hac corona ſapientiæ & virtutum plura dixi cap. 4. v. 9 & Eccli. 1. v. 11 & 12.

Tertiò, Septuag. in ſuo codice pro עשרם *oſrā*, id eſt diuitiæ eorum, expunctâ literâ ש legentes ערם *arum*, id eſt *aſtutus*, vertunt, *corona ſapientum aſtutus: conuerſatio autem imprudentium mala.* Sic & Syrus ſuo more affectans Septuag. Senſus eſt q. d. Vir vnus aſtutia, id eſt ſolertia & ſapientia, eminēs, inſtar coronæ decorat & ornat ceteros ſapientes, totumque eorum collegium & cœtum: at verò vnus imprudens & ſtultus, ſuâ ſtultitia dedecorat totum cœtum tam ſapientum quàm inſipientum: quia eis ſuæ ſtultitiæ & vitiorum virus, vel certè dedecus & infamiam aſpirat & afflat. Sic corona Eccleſiæ Alexandrinæ fuit S. Athanaſius, Africanæ S. Auguſtinus, Græcanicæ S. Baſilius, Romanæ S. Gregorius, qui, vt ait S. Ildefonſus lib. de Viris illuſtribus, *vicit ſanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, ſapientiâ Auguſtinum.* Sic corona Ciſtertienſium fuit S. Bernardus, Camaldulenſium B. Petrus Damiani, Dominicanorum S. Thomas Aquinas, Franciſcanorum S. Bonauentura &c.

Myſticè Beda: *Stultorum*, inquit, *fatuitas maxima hæc eſt, quòd improuidi æternorum de præſentibus tantùm commodis gaudent: Imprudentia enim dicitur quaſi improuidentia.*

VERS. 25. LIBERAT ANIMAS TESTIS FIDELIS: ET PROFERT MENDACIA VERSIPELLIS] Hebr. *eruit animas teſtis veritatis, & efflat mendacia dolus*, id eſt doloſus, vel repetendo τὸ *teſtis*; *& efflat mendacia teſtis doli*, id eſt doloſus. Sept. *liberabit de malis animam teſtis fidelis* (S. Cypr. lib. 3. Teſtim. legit. *Martyr fidelis*) *accendit autem mendacia* (Roman. & Complut. *mendacem*: vtrumque ſignificat Græcum ψευδῆ) *doloſus*; Chald. *qui loquitur mendacia doloſus eſt.* *Mendacia* accipe plena & perfecta, puta non otioſa & iocoſa dumtaxat, ſed damnoſa & pernicioſa: hæc enim in Script. antonomaſticè vocantur *mendacia*, quæ mendax quaſi ignes peſtiferos ore efflat & eiaculatur in inſontes; ſicque conſtat antitheſis q. d. Qui vel publicè, vel priuatim, inquit Ianſen. de factis dictiſque alicuius teſtatur, & rem vt ſe habet indicat, frequenter liberat animas, hoc eſt homines qui iniuſtè opprimuntur. Liberat autem ab imminente morte, ab intentata calumnia & iniuria, ab infamia & quauis iniuſta oppreſſione à quibus dum vnum aliquem liberat, non vnam tantùm animam liberat, ſed multorum, vt totius familiæ eius, & amicorum, qui cum illo ignominia aſpergerentur, vt bene dictum ſit, *Liberat animas teſtis fidelis.* Contrà, qui falſum perhibet de re teſtimonium, animas opprimit, quas vel hereditate & facultatibus, vel vitâ, vel honeſtâ denique famâ priuat.

Secundò, profundiùs noſter Salazar cenſet hîc dari indicium, quo verax teſtis dignoſcatur à falſo. Verax quippe, inquit, ſontibus liberādis maximè ſtudet, excuſans, & quoad fieri poteſt, eleuans delicta: ex aduerſo autē fallax damnare & opprimere mendaciis ſuis annititur, parua delicta exaggerans & culpas leuiores amplificans. Quocirca inter alia Bartoli Iuriſconſulti documenta, quibus iudices ad teſtes dignoſcendos informat, illud falſi nobile indicium eſſe docet: *Si delicta exaggerat, reiq. condemnationes plurimùm ſe optare verbis innuit. Nam veritas*, inquit, *beneuola eſt: mendacium verò crudele & ſæuum.*

Denique hic verſus coincidit cum v. 5. & cum v. 17. cap. 12 quare hîc plura non addam.

Myſticè teſtis verax eſt Chriſtus, inquit Hugo, & quiuis prædicator doctorque doctrinæ veræ & ſalutiferæ: hic enim liberat animas à peccato, diabolo morte & gehenna, teſtis falſus eſt hæreticus, impoſtor & hypocrita, qui adulando, & voluptatum illecebras, carniſque libertatem proponendo, animas in hæreſim, luxuriam & faſtum impellit itaque perdit, & in gehennam præcipitat.

VERS. 26. IN TIMORE DOMINI FIDVCIA FORTITVDINIS, ET FILIIS EIVS ERIT SPES] *Timor Domini* hîc maximè filialis intelligitur, qui non eſt aliud quàm reuerentia, cultus & amor Dei. *Fiducia fortitudinis* eſt fiducia fortis & robuſta. Vnde Syrus, *timor Domini eſt ſpes valida & fortis*; aut per hypallagen *fortitudo fiducialis*, quę ſcil. fidenter, liberè & intrepidè omnia agit & ſuſtinet, imò ardua quæque aggreditur & ſuperat. Igitur ſignificat timorem Domini parere tam fortitudinem quàm fiduciam; dicit tamen coniunctim *fiducia fortitudinis*, vt innuat fiduciam eſſe cauſam fortitudinis. Ideo enim timentes Deum, ſunt fortes & robuſti, quia omnem ſuam fiduciam collocarunt in Deo omnipotente: quare cùm ſe Deo ſciant eſſe curæ & cordi, nihil trepidant, ſed omnes tentationes, perſecutiones, tribulationes, hoſtes generosè ſuperant: timor enim Dei ſuperat timores rerum omnium, quæ Deo inferiores ſūt: ſicut lux Solis ſuperat & offuſcat lucem quamlibet. Dicunt ergo cum S. Paulo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et cum Dauide pſ. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo*; q. d. Qui me vincere volet, Deum priùs vincat oportet: Deus enim eſt meus protector & hyperaſpiſtes. Ita S. Gregorius 5. Moral. c. 12 *In via Dei*, inquit, *à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam ſicut in via ſæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit. Et ſicut in via ſæculi timor debilitatem, ita & in via Dei timor fortitudinē gignit Salomone atteſtante: In timore Domini fiducia fortitudinis dicitur: quia nimirum mens noſtra tantò valentiùs terrores rerum temporalium deſpicit, quantò ſe auctori earumdem veraciùs per formidinem ſubdit, quæ in timore Domini conſtituta non inuenit extrà, quod metuat: quia dum rectè metu conditori omnium coniungitur, poteſtate quadam ſupra omnia ſubleuatur.*

Hoc eſt quod Salomonem de more ſecutus Siracides crebrò inculcat, vt Eccli. 25. 14 *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Et c. 34. 19. *Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentū virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.* Vide ibi dicta. Hoc Dei timore armatus S. Laurentius ſuperauit craticulam, S. Sebaſtianus intrepidè ſuſcepit omniū ſagittas, S. Vincentius riſit eculeos Daciani, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Agatha, S. Lucia, &c. vicerunt ignes, cataſtas, leones omniaque tyrannorum tormenta. Hoc timore loricatus S. Athanaſius contempſit omnes Arrianorum perſecutiones, S. Antonius omnes dęmonum illuſiones quaſi telas aranearum diſcuſſit, S. Hilarion, S. Macarius, ceterique Aſcetæ tranſcenderunt omnia carnis blandimenta, omniaque

mundi

A mundi teſtamenta. S. Ignatius noſtræ Societatis fundator, cùm res arduas crebrò ſuprà vires naturæ aggrederetur, mirantibus reſpondere ſolebat: *Neſcitis quantas vires habeat ſpes in Deum.* Sciuit ipſe, quia aſſiduè eas experiebatur. Fiducia ergo in Deũ eſt fiducia fortitudinis: fiducia in reges & principes eſt fiducia fragilitatis. Vnde Pſaltes: *Nolite*, inquit, *confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*, Pſal. 143. 2.

ET FILIIS EIVS ERIT SPES] Pro *ſpes* hebraicè eſt מַחְסֶה *machſe*, id eſt, vt Chald. protectio, tutela, perfugium, indeque ſpes: nam, vt ait R. Leui, ſpes inſtar clypei tuetur & protegit ſperantem; Septuag. *firmamentum*, R. Salomon, *confugium*: confident enim, inquit, & ſub vmbra meritorum parentis filij tuti latebunt.

B Baynus pronomen *eius* refert ad Dominum qui præceſſit. q. d. Filiis Domini Dei erit ſpes; vt ſenſus ſit: In timore Domini eſt fiducia fortitudinis, quia timor Domini facit timentes filios Dei: filiis autem Dei ſumma eſt ſpes; quid enim non ſperent filij Dei à Deo patre ſuo?

Meliùs Beda, auctor Catenæ Græc. & alij pronomen *eius* referunt ad timorem Domini. q. d. Filiis timoris Domini, id eſt iis qui ſummè timent Deum, adeò vt ex timore Domini veluti è matricè ſati, concepti & geniti videantur, erit ſpes, tutela & protectio. Sic enim valdè ſapientes vocantur filij ſapientiæ, valdè obedientes vocantur filij obedientiæ, valdè diligentes vocantur filij dilectionis, vt ex dilectione velut è matris vtero prognati videantur. Sic Romani dicebant Catonem adeò eſſe continentem, vt ex continentiæ vtero genitus appareret. Simili ergo modo filij timoris Dei vocantur, qui valdè Deum timent & reuerentur, ideoque ſollicitè ambulant in conſpectu eius, ſatagendo vt per omnia ipſi placeant, nec eum vel in minimo offendant.

C Rurſum τὸ *eius* referas ad timorem Domini nõ in abſtracto, ſed in concreto: *eius* ergo, hoc eſt timentis Dominum: concretum enim *timens* latet, & includitur in abſtracto *timor*. Et hæc phraſis ac relatio ad concretum in abſtracto concluſum, frequens eſt Hebræis. Planus ergo ſenſus eſt. q. d. Timor Domini parit fiduciam fortitudinis, non ſolùm ipſi timenti, ſed & filiis eius. hos enim Deus fortificat, roborat, omnique ſuâ benedictione cumulat ob timorem & merita patris. Huius filij ergo ſpes ingentes alunt, indeq; animos excelſos gerunt; ſicut filij regum & principum, quia ſpes ſublimes alunt, hinc ſublimes pariter fouent ſpiritus.

D Denique quanta ſit hæc ſpes, quantaque eius fortitudo, neruoſè deſcribit S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ. *Hanc fidem* (& ſpem: *fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum* Hebr. 11. 1.) *aſcenſione Domini auctam & Spiritus ſancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquiſita perſequentium crudelitatibus ſupplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuerſum mundũ non ſolùm viri, ſed etiã feminæ: nec tantùm impubes pueri, ſed etiam teneræ virgines vſq; ad effuſionem ſui ſanguinis decertarũt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos ſuſcitauit. Vnde & ipſi beati Apoſtoli, qui tot miraculis confirmati, tot ſermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ paſſionis expauerant, & veritatem reſurrectionis eius non ſine hæſitatione ſuſceperant, tantum de aſcenſione Domini profecerunt, vt quidquid illis priùs intulerat metum, verteretur in gaudium.*

Pluribus exemplis idipſum confirmat S. Paulus toto c. 11. ad Hebr. vbi oſtendit quanta priſci patres paſſi ſint, quamque heroica virtutum opera peregerint per fidem & ſpem eximiam quâ pollebant, ac tandem concludens v. 33. ait: *Sancti per fidem* (& ſpem) *vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, &c. lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

TIMOR DOMINI FONS VITÆ, VT DECLINENT (Syrus, *iis qui declinant*) A RVINA MORTIS] Sept. *præceptum Domini fons vitæ: facit autem declinare de laqueo mortis*; Symmach. & Theodot. *à ſcandalis mortis*. Timor Domini enim conſiſtit in obſeruatione præceptorum diuinorum, quæ eſt via ad vitam: juxta illud Chriſti, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, Matth. 19. 17. Senſus planus & clarus eſt. q. d. Timor Domini eſt quaſi fons perennis ſcaturiens vitam gratiæ & virtutum in hoc ſæculo, ac immortalitatis & gloriæ in futuro: quo fit vt declinet *à laqueis mortis*, putà *laqueis diaboli*, vt vertit Vatabl. quibus ille captos mulctat morte peccati, ac deinde morte ſecunda & æterna in gehenna. Vide S. Aug. in Pſal. 18. & ſerm. 214. de Tempore. Hic verſus coincidit cum verſu 15. c. 13. & v. 11. c. 10. quare hîc plura non addam. VERS. 27.

Secundò, noſter Salazar acutè & appoſitè ſic exponit: *Timor Domini fons vitæ*, id eſt timor Domini adinſtar fõtis jugis eſſe debet, vt nullo tempore intermittatur aut deficiat, ſed ſemper inſtinctus ſuos immittat & influat in animam viri fidelis *declinandum à laqueis*, vel *à ſcandalis mortis*: quia ſi quando fluxus hic timoris intermittitur, ilicò diabolus & caro ſuggerẽt ipſi tentationes, quibus inducetur ad peccatũ mortale, niſi lorica timoris Dei obarmatus iis reſiſtat. Vnde orat Pſaltes Pſ. 118. *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui*. Addit idem ex S. Greg. 5. Moral. c. 12. fideles imitari columbas, quæ juxta aquas & fontes degere ſolent, vt in iis vmbrã accipitris vel milui videntes, ilicò auolent, ne in eorum vngues & necem incurrant. Simili enim modo fideles in timore & lege Dei velut in fonte intuentes non modò peccata, gehennam & diabolum, ſed etiam eorum vmbras, ilicò aufugiunt, ac timori Dei, ipſique Deo ſe arctiùs aſtringunt.

IN MVLTITVDINE POPVLI DIGNITAS REGIS: VERS. 28.
ET IN PAVCITATE PLEBIS IGNOMINIA PRINCIPIS] Hebr. *in conſumptione populi contritio principis*; Vatabl. *attritio imperij*; Septuag. *in defectu* (Symmach. *in raritate*) *populi contritio principis*; Tigurin. *in multitudine populi magnificentia regis eſt: vbi verò nullus eſt populus, formidat princeps.* Hebr. enim הדרת *hadrat* eſt dignitas, decor, ornatus, magnificentia.

Senſus ergo clarus eſt. q. d. *In multitudine populi*, vel, vt ex Hebræo vertas, *in multiplicari populum*, hoc eſt, cùm populus multiplicatur tum numero, tum probitate, virtute, obſequio, tum opibus & cenſu, tum ſapientia, induſtria, robore & fortitudine, multiplicatur, pariter augeſcit & creſcit rex, tum numero ſubditorum, tum opinione virtutis: ex populo enim æſtimant regem: qualis enim rex, talis populus eſt: &

Regis ad exemplum totus componitur orbis:

tum

tum diuitiis; populus enim diues ſuis tributis & donis ditat regem: tum ſapientia & robore; populi enim ſapientia, induſtria & politia manat à ſapientia principis, juxta illud cap.11.14. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, vbi multa conſilia.* Rurſum populus robuſtus robuſtum facit principem: quia in bellis eum tuetur & propugnat etiam cum vitæ periculo. Quare verè Symmachus epiſt.34.lib.10. *Amari*, inquit, *coli, diligi maius imperio eſt.* Et Poëta:

Non ciues tantùm princeps, ſed nutrit & hoſtes:
Alterius fœtum ceu lupa cana feræ.

Ex aduerſo cùm deficit populus tum numero, tum virtute, tum cenſu, tum ſapientiâ & robore, deficit iiſdem pariter & princeps: opes enim & bona principis ſita ſunt in opibus & bonis populi. Quare ſignum eſt principem vel eſſe imprudentem, vel auarum, vel improbum, cùm populus deficit. Princeps enim bonus ſuâ ſapientiâ, clementiâ, politiâ, induſtriâ allicit ad ſe ſuumque regnum aduenas & exteros vndequaque: malus autem & tyrannus ſuos tributis & oneribus grauans, eos diſpergit & fugat, vt alias quærant terras, vbi meliorem nacti principem meliùs tractentur. Princeps enim bonus non ſuum, ſed populi commodum quærit: imò populi commodum ſuum æſtimat, vti reuera eſt, tyrannus autem ſuum, non populi commodum ſpectat, vnde populum expilat, aggrauat, opprimit; qui proinde odit tyrannum, & vel eum declinat, vel fraudat & ſuffuratur quidquid poteſt; vel etiam rebellat, eique perniciem machinatur. Vnde Septuag. vertunt, *in defectu populi contritio*, vel *euerſio principis.* Nam vt rectè ait B.Petrus Chryſol. ſerm 173. *Sicut honor capitis ad membra pertendit, ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis pertendit iniuriam.*

Hinc Deus, vtpotè Rex regum & Dominus dominantium, ſuam magnificentiam oſtēdit in multitudine innumerabili SS. Angelorum, Beatorum, ſtellarum & creaturarum omnium ſibi ſeruientium. Vnde Daniel eam conſpicatus cap.7. *Millia*, inquit, *millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Et Chriſti regnum magnificum ita deſcribit Pſaltes Pſ. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et Pſal.71.8. *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.*

Hinc Salomon typus Chriſti mirè fuit magnificus in numero, opibus & fortitudine militum & famulorum, adeò vt ex ſolo eorum viſu obſtupuerit regina Saba, 3 Reg. 10. Sic de Cyro ſcribit Xenophon lib.8. Cyripædiæ cap.49. *Erat ea hominum erga ipſum affectio, vt natio quæuis detrimentum ſe accipere duceret, ſi non Cyro mitteret quidquid ipſis egregium in regione ſua vel naſceretur, vel aleretur, vel arte perficeretur. Itidem quæuis vrbs, quiuis homo priuatus opulentum ſe arbitrabatur, ſi rem Cyro gratam præſtitiſſet. Nam & accipiebat à ſingulis Cyrus ea, quorum copiam illi qui dabant haberent; & viciſſim eis largiebatur, quibus eos deſtitui animaduerteret.*

Ex aduerſo tyranni efficiunt, imò affectant ſubditorum inopiam, impotentiam, paucitatem, ne contra ſe exurgere & rebellare audeant: vti legimus de Dionyſio ceteriſque Siciliæ tyrannis? Idem videre eſt hodie in Turca, de quo hoc vulgo tritum eſt: Quocumque pedem infert Turca, eòdem mox ſequitur deſolatio & vaſtitas terrarū & incolarum. Cauſam dat Ariſtotel. libr. 5. Polit. cap.10. *Cuſtodia*, inquit, *regi à ciuibus ſuis eſt: tyranno autē à peregrinis: populo ſuo in nulla parte confidit. Itaque arma ciuibus ſuis adimere, ac multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, proprium tyrannidis eſt: vexare item nobilitatem, clàm euertere & palàm, & in exilium mittere, tamquam aduerſarios & machinatores contra potentiam ſuam. Vnde Periandri conſilium Traſybulo datum ſupereminentes ſpicas decerpere, tamquam opportunum fuerit eminentiores ciuium de medio tollere. Hæc omnia principia ſunt mutationum.* Vide eumdem c.11. vbi docet tyrannum, vt tyrannidem ſuam confirmet, Primò, ſubditis adimere animum; Secundò, ciues inter ſe diſcordes efficere; Tertiò, omnem potentiam, opes, vires eis accidere.

Symbolum huius rei eſt phyſeter piſciculus qui balenam præit, ducit & regit: prætentat enim vada & pericula. Sicut enim phyſeteris decus eſt magnitudo balenæ, ſic regis decus eſt magnitudo populi, de quo Poëta.

Hoc balena ſuo tuta eſt ductore per vndas,
Principe & eſt felix plebs vigilante ſuo.

Nam, vt ait Comicus:

Ciuium labore fit res glorioſa principum:
Dedecus paſtoris eſt, ſi non habet pecus bene:
Membro principe ægrotante, corpus omne habet malè:
Nemo amicus, nemo fidus eſt ingrato principi:
Pauper eſt ſibi, diueſq; publicò princeps bonus:
Omnium ſecuritati prouidens, ſpernit ſuam.

Denique Deus pios humileſque reges donat multitudine populi, impios & ſuperbos mulctat paucitate eiuſdem, vt patet in Dauide. Vnde in Jure Canonico 1.q 4.c.11. *Eccleſia*, ex S. Gregorio, vel, vt priſci codices habent, S. Auguſtino dicitur: *Aliquando pro meritis Prælatorum deprauatur & damnatur vita ſubditorum, vt Prælatis ſuis ſubditi fauentes ad malum cum eis ſimul corruant, ſicut filij Iſraël diu portantes* (tolerantes) *peccata ſacerdotum, tandem cum eis ceciderunt in manus hoſtium. Item Dauid populum numerauit, 2 Reg. vlt. quo peccato gladius Domini deſæuiit in populum. Sed in lata* (ampla, multa) *gente gloria regis eſt, in diminutione plebis contritio principis. Quod ergo de numeroſitate ſuæ gentis ſuperbiuit, iure in eius diminutione punitus eſt.*

Intellige hæc de multitudine ritè inſtructa, cōpoſita & ordinata: hæc enim decus & robur affert regi: ſi enim incompoſita ſit & inordinata, potiùs regem dedecorabit & infirmabit, adeò vt à paucis ſtrenuis in acie rectè diſpoſitis ſternatur & profligatur. Exemplum ſit Xerxes, qui mare claſſibus ſternens, terram copiis, imò Helleſponto juncto, Athoq; monte perfoſſo, maria pedibus peragrans, & claſſibus montes, ait Cicero lib. 2. de Finibus, ducenſque in aciem vicies mille Perſas, ad Thermopylas à trecentis Lacedæmoniis duce Leonida fuſus cæſuſque eſt, idque futurum Demaratus ipſi prædixerat, quē ſic ad Xerxem ſapienter loquentem inducit Seneca lib 6. de Benefic. c.31. *Demaratus ſolus dixit, ipſam illam, qua ſibi placeret, multitudinem indigeſtam & grauem, metuendam eſſe ducenti; non enim vires ſed pondus habere, immodica nunquam regi poſſe, nec diu durare quidquid regi non poteſt. In primo, inquit, ſtatim monte Lacones obiecti, dabunt tibi ſui experimentū. Tot iſta gentium millia trecenti morabuntur, hærebunt in veſtigio fixi, & commiſſas ſibi anguſtias tuebuntur, & corporibus obruēt. Tota illos Aſia nō mouebit loco. Tantas minas belli, & penè totius generis humani ruentis impetū pauciſſimi ſuſtinebunt.* Et inferiùs: *Verum*

Turba vacua princip.

Exemplum Xerxis.

rum eſt quòd dicitur, maiorem belli apparatum eſſe, quā qui recipi ab his regionibus poſſit, quas oppugnare conſtituis: ſed hæc res contra nos eſt. Ob hoc ipſum te Græcia vincet, quia non capit. Vti toto te non potes. Præterea quæ vna rebus ſalus eſt, occurrere ad primos rerum impetus, & inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire ac firmare labentia. Multò antè vinceris, quàm victum eſſe te ſentias. Ceterùm non eſt, quòd exercitum tuum ob hoc ſuſtineri putes non poſſe, quia numerus eius duci quoq; ignotus eſt. Nihil tam magnum eſt quod perire non poſſit, cui naſcitur in perniciem, vt alia quieſcant, ex ipſa magnitudine ſua cauſa. Acciderunt quæ Demaratus prædixerat, diuina atque humana impellentem, & mutantem quidquid obſtiterat, trecenti ſtare iuſſerunt: ſtratuſq; per totam Græciam paſſim Xerxes, intellexit quantum ab exercitu turba diſtaret.

Vers. 29. QVI PATIENS EST, MVLTA GVBERNATVR PRVDENTIA: QVI AVTEM IMPATIENS EST, EXALTAT STVLTITIAM SVAM] id eſt, ſtultitiam prodit, & exerit altis vocibus, clamoribus, iactatione manuum & brachiorum. Hebr. *longus naribus* (id eſt longanimis & tardus ad iram, vt ſuperiùs dixi) *multus intelligentia: at breuis ſpiritu exaltans ſtultitiam ſuam*; Chaldæus, *qui longanimis eſt, multæ prudētiæ eſt: & qui præceps eſt in ſpiritu ſuo, multiplicat ſtultitiam*; Septuag. μακρόθυμος, id eſt *longanimis vir, multus in prudentia*; ὀλιγόψυχος, id eſt *impatiens*, vel *puſillanimis, valdè imprudens*; Complut. *at impatiens fortis* (legunt enim ἰσχυρὸς id eſt fortis, pro ἰσχυρῶς, id eſt fortiter, validè, valdè) *ſtultus*; Syrus *triſtis autem valdè eſt ſtultus*: quia ſua puſillanimitate & triſtitia malum ſuum non lenit, ſed auget, duplicat & triplicat. B. Antiochus hom. 24. legit, *longanimis vir multæ eſt prudentiæ: puſillanimis autem fortis eſt ſtultitiâ*; S. Hieron. in cap. 5. ad Galat. *Puſillanimis vehementer inſipiens: qui verò patiens eſt & vniuerſa ſuſtētat, vir ſapiens*. Longanimes enim ſunt magnanimi, ideoque prudentes, patientes & tardi ad iram: puſillanimes autem ſunt parui animi, ideoq; imprudentes, impatientes & celeres ad choleram, vt patet in pueris & feminis. Hinc hebr. vocantur *breues ſpiritu*, id eſt animo exili, arcto & anguſto, qui nihil ferre poteſt, ſed ſtatim exilit proſilitque in iram. Quã de re pulchrè Ariſtot. lib. 7. Ethic. ca. 6. *Ira*, inquit, *aliqua ex parte, ſed nō perfectè rationem audire videtur, perinde ac veloces miniſtri, qui quidem anteaquàm totum id audierint quod dicitur, excurrunt: proinde in agendo oberrant. Canes etiam antequam conſiderent ſi ſit amicus, ſi tantùm pulſauerit oſtium, latrant: ſic & ira propter caliditatem celeritatemq; naturæ, audità quidem ratione, non præcepto autem audito, ad ipſam properat vltionem*. Quocirca B. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus: *In omnibus*, inquit, *exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, vti monet S. Paulus* 2. Corint. 6. 4. *Multa verò patientia in eo lucet, ſi multa cōtraria ſiue aduerſa, in multa lenitate perferas longanimitas multa. Patiētia enim ſine longanimitate, non multa, ſed curta erit: abſque lenitate verò prorſus nulla erit*. ita habet eius Vita. Vide Caſſianum collat. 16. c. 27. & collat. 18. c. 13.

Audi S. Ephrem tract. de Vitijs & virtutibus: *Vir longanimus multa prudentia gubernatur. Quid verò eo præſtantius? longanimus enim ſemper in gaudio, atque lætitia & exultatione verſatur, ſpē in Domino defixā habet, & ab omni iracundia alienus. Omnia enim longanimus ſuſtinet, non facilè ad iram concitatur, neq; ad contumelias conuertitur, non facilè verbis mouetur inanibus. Si afficiatur iniuriâ, non moleſtè fert. Sibi aduerſantibus non reſiſtit. In re quacumque firmus conſtanſq; permanet. Nullis impoſturis fallitur. Nōn facilè ad iracundiam prouocatur. In aduerſis gaudet. Delectatur omni opere bono. Inuidos æquo ac libenti animo perfert, iuſſis non repugnat, obiurgatus non dolet. In longanimitate ſeipſum ſemper exercet.*

Porrò, prudentia patientis, & imprudentia impatientis Primò, oſtendūt ſeſe in eo, quòd patiens oſtendat ſe dominum iræ, impatiens eiuſdem ſeruum; patiens ergo dominatur ſibi ſuiſque affectibus, ideoque in iugi pace & tranquillitate cōſiſtit: impatiens verò paſſionibus agitur continuis, ideoque in perpetuo animi tumultu & perturbatione degit. *Patiens ab impatiente differt. Primo.* Vide Abbas Beniamin apud Palladium in Lauſiaca, hydrope graui cruciatus, condolentibus ſocijs placidè ait: *Orate ne interior meus homo ſit hydropicus. Hoc enim corpus neque cùm benè ſe habuit, mihi profuit; neque cùm malè, me læſit.* Præclarè S. Greg. lib. 5. Moral. ca. 30. *Si ergo ira*, inquit, *quietem mentis ſubtrahit ſuā ſancto Spiritui habitationem claudit, cuius receſſione animus vacuus ad apertā mox inſaniam ducitur, & vſque ad ſuperficiem ab intimo cogitationū fundamento diſſipatur.* Et poſt pauca: *In quo itaque iſte ab arreptitijs longè eſt, qui actionis ſuæ conſcius nōn eſt? Vnde plerumque fit vt vſque ad manus ira proſiliat, & quo ratio longius recedit, audacior exurgat, ſeſe ipſum animus retinere non valeat, quia factus eſt poteſtatis alienæ, & eo furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipſam membrorum dominam mentem captiuam tenet.*

Secundò, patiens tacendo & patiendo dominatur non tantùm iræ ſuæ, ſed & alienæ: impatiens vtrique ſeruit & mancipatur. *Secundo,* Sic S. Vincentius in eculeo Daciano tyranno inſultans: *Inſurge*, inquit, *in me, & toto malignitatis ſpiritu debacchare: videbis me Dei virtute plus poſſe quàm poſſis ipſe qui torques*. Dixit, & fecit, adeo vt Dacianus furens exclamarit: *Victi ſumus*. Sic & S. Laurentius inſultans Valeriano; *infelix*, inquit, *has epulas ego ſemper optaui: iſta flamma mihi refrigerium præſtat.*

Tertiò, patiens patiendo ſæpè conuertit impatientem, eumque ſuâ patientiâ facit patientem: impatiens verò ſuâ impatientiâ aliàs patientem facit impatientem. *Tertio,* Impatiens ergo eſt quaſi febricitans, patiens eſt quaſi medicus qui febrim impatientiæ ſanat, & impatientem patientiæ mentique reſtituit. Audi B. Petrum Chryſol. ſerm. 38. *Nonne quoties miſerum hominem cholera inflammauerit incendium, & dominante febre veſanum reddiderit ægrotantem, turbatur ſenſus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multis, moriente homine furor viuit? Hinc eſt quòd frendet dentibus, parentes laniat, ſcindit proximos, cædit pugno, morſu agit atque afficit obſequentes: tunc medicus ad virtutis laudem, ad artis gloriam, ad famæ cumulum armatur: patientia tolerantiam ſumit, iniurias deſpicit, morſus ſuſtinet, fert labores, & non leues pœnas patitur, vt à pœna liberet laborantē: fouet oleo, inſiſtit curis, erogat medicinam: certus quòd mercedem honoris obſequijs repenſet ægrotus, dum receperit ſanitatē. Rogo quæ maior phreneſis, quæ grauior vis furoris, quæ par dementia ſancti hominis percutere maxillam, manſueti fratris faciem verberare, placidi vultus gratiam triſti liuore perfundere? nudare hominem ſolo quo tegitur veſtimēto? & ob vilem prædam nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquere, nil pudori? angariare hominem ſuis actibus occupatum? & alienam pœnam ſuum ſolatium computare? Ergo fratres ſi talia perpetrantes grauiſſima phreneſi laborare cognouimus, obediamus Chriſto, & furentum fratrū morſus, verbera, onera tota pietatis virtute portemus, vt & fratres noſtros liberemus à pœna, & nos æter-*

num patientiæ præmium conſequamur. Vide quæ de A patiente & patientia fusè dixi Exodi 1.

Ita S. Gregorius Magnus Mauricio Imper. eiuſque filijs ſe perſequentibus dicebat: *Quoniam ego peccator ſum, vos tanto magis (vt opinor) Deum vobis conciliatis, quanto magis me illi ignauiter ſeruientem affligitis.* Sic tandem quem armis non poterat, patientia vicit: ita habet eius Vita lib. 4. cap. 17. Nimirùm:

Nobile vincendi genus eſt patientia: vincit.
Qui patitur: ſi vis vincere, diſce pati.

Quartò. Quartò, quia patiens patiendo acquirit perfectam patientiã. *Patientia autem opus perfectum habet.* Iacob. 1. 4 vide ibi dicta. Vnde S. Ignatius fundator Societatis Ieſu, rogatus quęnam eſſet compendioſa ad perfectionẽ via, reſpondit: *Si multa Chriſti nomine patiare.* Quocirca nobilis illa matrona Alexandr. apud Caſſianum à S. Athanaſio petijt ægrotam permoleſtam, vt illi ſeruiendo, & probra ab ea recipiendo, diſceret patientiam: *Vt,* inquit, *bonum pro malo pro iniuria beneficium reddere aſſueſcam. Igitur agere fortia Romanum eſt, pati fortia Chriſtianum eſt:* quia *regina rerum omnium patientia*, quæ omnia ſuperat, ſicut *rupes ferendo vincit aſſultus maris.*

Vers. 30. VITA CARNIVM, SANITAS CORDIS: PVTREDO OSSIVM, INVIDIA] Hebr. קִנְאָה *kina*, id eſt zelus, æmulatio, inuidia eſt. q. d. Cor ſanum, id eſt animus ſanus à paſſionibus, præſertim à liuore & ira (vnde Septuag. vertunt, *cor manſuetum*) facit etiam corpus & carnem viuida & ſana: at paſſiones animæ, & maximè inuidia adeò corpus afficit & exedit, vt etiã oſſa, quę duriſſima & ſolidiſſima ſunt, conficiat & tabefaciat. Ex bona enim & læta C habitudine animi, per naturalem ſympathiam cõſequitur bona habitudo corporis, & contrà, vt docent phyſici & experientia. Animus enim ſuã ſanitatem, quietem, lætitiam, atquè ac ægritudinem, turbationem, mœſtitiam afflat & communicat corpori, vtpote cui intimè vnitur. Ita R. Leui, R. Salomon, Aben Ezra, Ianſenius & alij. Audi S. Baſilium hom. de Inuidia: *Ipſo fatentur ore hoc vitium inuidi: aſpectus eſt illis aridus, gena ſubtriſtis & cana, ſupercilium demiſſum,* inde inuidia vocatur liuor, id eſt dolor cordis, & quia liuidos, id eſt ſubnigros, pallidos ac triſtes facit oculos, naſum, os, &c. Inuidi enim exedentes ſe dolore liuidum colorem cõtrahunt, iuxta illud Virgilij epigramm. de Liuore:

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

D Hinc eſſe ſenſum patet ex Septua. *manſuetus vir cordis eſt medicus: tinea autem oſſiũ cor ſenſitiuum.* Auctor Catenæ Græc. vertit, *cor mœroris ſenſu ſaucium,* quid ſcilicet inuidiã, atrã bile vel irã ægrum facilè aduerſa ſentit, & paſſionibus agitatur, ac vel verbulo vno minùs appoſitè dicto, velut acu tactum pungitur & feritur. Graphicè cor ſenſitiuum depingit Seneca lib. 3. de Ira c. 10 *Nam vt vlcera,* inquit, *ad leuem tactũ, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus cõdoleſcunt: ita animus affectus minimis offenditur; ideò vt quoſdam ſalutatio, epiſtola, oratio, & interrogatio ad litem euocent. Nam ſine querela ægra tanguntur.* Et ca. 29. lib. 3. ſic ait: *Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in hominibus ſtolidis deprehendes: friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad vmbram aſpis exurgit, vrſos leoneſq; mappa proritat: omnia quæ natura fera & rabida ſunt, conſternantur ad minima. Idem ſtolidis ingenijs euenit, rerum ſuſpicione* A *feriuntur, vt ad iniurias vocent modica beneficia,*

Hunc ſenſum innuit quoq; Chaldęus, *qui dimidit irã cordis ſui medicina eſt carni eius: & ſicut putredo in ligno fortis, ſic & in oſſibus inuidia;* & Syrus, *qui ſedat irã ſuam, eſt ſibi medicus; tinea oſſium inuidia;* & Vatab. ac Pagnin. *vita corporis eſt animus lenis; & putredo oſſium eſt inuidia*, q. d. Salubritas corporis eſt, abdicare ſeſe ab ira & lenem eſſe: inuidia verò corrumpit corpus. Vbi Nota Hebr. מַרְפֵּה *marpe* idem eſt quod ſanitas & lenitas: medici enim morbos pharmacis leniendo ſanant. Cor ſanum ergo eſt cor lene, nõ leue, vti perperam vertunt nonnulli.

Igitur *ſanitas cordis*, Primò, eſt ipſa lenitas & manſuetudo: hæc enim directè opponitur iræ & inuidiæ, quæ ſumma eſt cordis ægritudo, tabes & mors; & hæc carni & corpori ſanitatem & longæuitatem affert: quam imminuit & incidit ira & B inuidia. Vnde tritum τὰ ἄχολα μακρόβια, id eſt, animalia, quæ carent bile & felle, ſunt longæua, vt cerui. *Sanitas cordis Primò eſt lenitas.*

Secundò. *ſanitas cordis* eſt amor & charitas. Vnde S. Auguſt. vel quiſquis eſt auctor ſer. 17. de diuerſis: *Cognoſcant,* inquit, *omnes inuidi, qui de alterum tribulationibus gaudent, quia membra ſunt putrefacta & abſciſſa & mortua, & ideo non habent ſenſum, & cùm diſcedunt ab alijs membris, non ſentiunt, quia ſine ſenſu ſunt. Senſus noſter, fratres, vna fides eſt, & vna charitas, vna ſanitas eſt: teneamus fidem tanquam ſenſum, teneamus charitatem tanquam ſanitatem: & quamuis diuerſa membra diuerſa munera habeant, tamen vnitate charitatis teneantur, vt mereantur ire poſt caput.* *Secundò charitas.*

Tertiò. *ſanitas cordis* eſt ſanitas rationis, mentis C & iudicij: hæc enim iram & inuidiam ſopit, proponendo rationes iram & inuidiam lenientes, v. g. quòd res huius mũdi ſint viles & leues; & indignæ ob quas homo cælo natus iraſcatur, vel cuipiam inuideat: quòd maius ſit bonum charitatis, gratiæ, pacis animi, quàm omne illud, ob quod quis alteri inuidet: quòd inuidia magis noceat inuido quàm ei, cui inuidet: ſummum enim inuidi tormentum eſt inuidia: iuxta illud, *Tertiò ſanitas rationis.*

Inuidia Siculi non inuenêre tyranni
Tormentum maius.

Quocirca S. Greg. l. 5. Moral. c. 34. *Qui,* inquit, *liuoris peſte plenè carere deſiderat, illam hereditatem diligat, quam coheredum numerus non anguſtat, quæ & omnibus, vna eſt, & ſingulis tota: quæ tanto largior eſſe oſtẽditur, quãto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo liuoris eſt affectus ſurgens internæ dulcedinis, &* D *plena mors eius eſt perfectus amor æternitatis. Nam cùm mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tanto magis proximum diligit, quanto minùs ex profectu illius ſua damna pertimeſcit.*

Quartò, R. Salomon, Baynus & Tigur. pro *ſanitas cordis* vertunt, *cor ſanum*: hoc enim propriè ſignificat Hebr. מַרְפֵּא *marpe*: vnde *ſanitas cordis*, hic non tantùm paſſiua, quę eſt in ipſo corde in ſe ſano, ſed & actiua, quæ alios ægros afflictoſque ſanat, accipi poteſt. q. d. Cor manſuetum, prudens, & charitate plenum ſanat aliorum dolores & paſſiones, eos prudentibus dulcibuſq; rationibus inſtruendo, conſolando, animando, itaque vitam quoque & lætitiam carni & corpori eorum reſtituit. Contrarium planè facit cor liuore tabidum, hoc enim tam animos quàm carnes & oſſa, tã ſua quàm aliena, inficit & conſumit. Vnde Septuag. vertunt, *manſuetus vir cordis eſt medicus*: quia iram & inui- *Quartò, ſanum ...*

inuidiam, quæ grauis eſt morbus, ab animo tã ſuo quàm aliorum diſcutit; & quia liuorem & tabem carnium & oſſium, ab inuidia manantem, diſpellit. Manſuetus ergo eſt *marpe*, ſiue Raphaël, id eſt medicus Dei, vel medicans & ſanans Deus: quia ſicut Raphaël ſanauit & liberauit Tobiam ſeniorem à cæcitate, iuniorem ab Aſmodæo, Saram à viduitate & angore; ſic pariter manſuetus curat omnes animi ægritudines.

Alludit ad ſanitatem cordis naturalem: ſicut enim hæc parit vitam & ſanitatem carnium, ceterorumque membrorum: cor enim eſt officina generans ſpiritus vitales, quos in ſingula membra immittit: vnde ſi ſanum ſit & vegetum, viuos & vegetos creabit ſpiritus, quos per membra diſpertiens, ea pariter viua & vegeta efficiets ſin ægrum maleque affectum ſit, ſpiritus vitioſos gignet, quos per membra diſpergendo, eis ſuam ægritudinem vitiumque afflabit; adeò vt oſſa putreſcere ac tabeſcere efficiat. Sic pariter ſanitas cordis, id eſt mentis, generat ſpiritus, id eſt cogitationes & affectiones ſanas, id eſt viuas & vegetas, quibus omnes ſenſus tum interiores, tum exteriores, ipſaque caro & totum corpus vegetatur & effloreſcit, imò alijs eamdem vegetationem & florem aſpirat: ſin mens irâ, inuidiâ aliáue paſſione ægra ſit, creabit cogitationes iracundas, inuidas, triſtes, &c. quibus eoſdem affectus & ægritudines ſenſibus omnibus, totique corpori imprimet, vti docet Iſaias cap. 1. v. 5. & 6. Vnde S. Chryſoſtom. homil. 6. in Acta: *Non ita ſtatim*, inquit, *medicus febricitantem hominem à febribus liberauit ſua curatione, vt longanimus vir alium iracundum, & præ ira flagrantem, apprehenſum refrigerauit per ſpiritum propriorum ſermonum.* Et inferius: *manſueti quidem*, inquit, *inuidiam peſſimam omnium affectionem curant: imò potius grauem illum morbum in ſuam animam nunquam admittit vir manſuetus: ſed ſi viderit fratres honoratos, congaudet & gratulatur, aliorum gloriam ſuam putans, & amicorũ omnia communia cenſens, in bonis quidem congaudet, in triſtibus autem condolet.* Hac de cauſa tam inſtanter monuit cap. 4. 23. dicens: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*, ideoque aſſiduè cum Pſalte pſalm. 50. orandum: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Deus enim eſt qui ait: *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponã in medio veſtri*, Ezechiel. 36. 26. Vbi multa de hoc corde dixi.

Myſticè, S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. vltim. & 3. p. Paſtor. admonit. 6. per carnes & oſſa accipit virtutes debiles & fortes. *Vita carnium*, inquit, *ſanitas cordis: quia ſi mentis innocentia cuſtoditur, etiam quæ foris infirma ſunt, roborantur. Et putredo oſſium inuidia: quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiã fortia facta virtutum. Oſſa quippe per inuidiam putreſcere, eſt quædam etiam robuſta deperire.*

Mor. de malo inuidiæ. Moraliter diſce hîc, quàm noxia & peſtifera ſit inuidia, non tantùm alijs, quibus inuidetur, ſed ipſi inuido. Vnde S. Baſil. homil. de Inuidia: *Sicut*, inquit, *viperam dicunt abrupto ventre matris naſci: ſic inuidia concipientem ſe animam corrodit & tabefacit.* S. Baſilij frater S. Greg. Nyſſen. in Vita Moſis: *Inuidia*, inquit, *malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedietiæ cauſa, ignominiæ principium, mortiſer ſtimulus, mucro recõditus, naturæ morbus, bilis venenoſa, tabes ſponte adhibita, telum amarum, figens animã clauus, flamma cordis, inteſtinorum ignis. Hanc qui habet, non ſuis malis, ſed alienis bonis infelix eſt. Miluis ſimiles, quos cadaueribus paſci, & pretioſo vnguento emori aiunt.* S. Hier. in c. 5. ad Galat. *Inuidia alienâ felicitate torquetur, & in duplicem ſcinditur paſſionem, cùm aut ipſe eſt aliquid in eo, in quò alium eſſe non vult, aut alium eſſe videns meliorem, dolet ſe ei non eſſe conſimilem.* Pulchrè quidam de inuidia luſit dicens:

Iuſtius inuidiâ nihil eſt, quæ protinus ipſum
Auctorem rodit, excruciatq; animum.

S. Chryſoſt. homil. 40. ad Populum. *Inuidi peiores ſunt feris, dæmonibus autem pares, & fortè deteriores: nam feræ eſcæ indigentes, vel à nobis irritatæ aduerſus nos armantur: inuidi verò etiam beneficijs allecti, bene meritos maleficijs proſecuti ſunt. Dæmones quoque licet contra nos bellum exerceant impacatum, conſortibus tamen generis non inſidiantur, vnde Iudæis Chriſtus os occluſit, cùm eum in Beelzebub eijcere dæmonia calumniarentur.* (*Matth. 12. v. 26.*) *Inuidi verò neque naturæ communionem reueriti ſunt, neque ſibi pepercerunt.* Et paulò pòſt: *Omni venia caret hoc peccatum. Nam fornicator quidem concupiſcentiam prætendere poteſt, fur paupertatem, homicida furorem. Tu verò quam dices cauſam? rogo: nullam penitus niſi tantùm intenſam nequitiam, &c. Hoc vitium & fornicatione peius eſt & adulterio. Hoc enim in operato tantùm ſiſtit; inuidiæ verò vis totam ſubuertit Eccleſiam, & toti nocet terrarum orbi. Hæc homicidij mater eſt. Ita fratrem Cain occidit, ita Iacob Eſau, ita Ioſeph fratres, ita cunctos homines diabolus.*

Quocirca inuidi ſymbolum & imago eſt baſiliſcus. Sicut enim baſiliſcus, teſte Solino, Æliano, & alijs, ſerpens eſt exitialis ad funera terrarum natus, ſolo aſpectu auras inficit, plantas vrit, necat animalia, ſaxa ipſa diſſoluit: atque hic idem, ſi ſe intueatur in ſpeculo, repercuſſo in ſe halitu proprijs telis necatur, ſic inuidus & calumniator, qui maledicta in putalm animam eiaculatur, ſuis ipſe ſagittis conficitur, & proprio ſe iugulat gladio.

Symbolicè Hugo: *Vita carnium ſanctitas cordis. Cordis nomine*, inquit, *Prælatus denotatur: quia ab ipſo ſpiritus vita in alios velut in cognata membra effluit tunc, cùm ſanus & incolumis eſt*: ſin malè ſanus ſit, & vitijs laboret, ſua vitia ſubditis ſibi membris inſtillabit, adeò vt & oſſa, id eſt in virtute ſolites & validi, ſenſim vitijs marceſcant & tabeſcant, ac præſertim ſi vitio inuidiæ laboret, doleatque ſubditos ſibi ſapientia & gratia æquari vel antecellere: hæc enim inuidia ſubditorum auerſionem, iram, inuidiam viciſſim prouocabit, quæ oſſa, id eſt intima & validiſſima reipubl. Collegij, monaſterij, &c. erodet, exedet & conſumet.

Præclarè Seneca lib. de Clementia: *Principibus quidem*, inquit, *inuideri & inuidere cognita mala ſunt; ſed inuidere maius malum eſt: inuideri enim virtutis eſt, inuidere infirmitatis & infamiæ.* Igitur *putredo oſſium inuidia*: quia ſicut oſſium medulla à capite & cerebro per ſpinam dorſi fouetur & irrigatur, ideoque deficiente & vacuato cerebro deficit & euacuatur; ſic & deficiente principe, qui eſt caput, per inuidiam, oſſa reipubl. putà proceres, tabeſcunt: inde enim generantur ſimultates, ſuſpiciones, odia, bella, ſeditiones, quibus tam rex quàm proceres conficiuntur.

Huc facit quod legimus in Vita S. Mechtildis, ipſi grauiter capite laboranti, adeò vt nullam caperet requiem, apparuiſſe Chriſtum, ac oſtenſo

cordis ſui vulnere dixiſſe: *Hac intra, vt quieſcas:* ilicò illa intrauit cum gaudio; ac viſum eſt illi tot ceruicalibus ſericeis caput reſocillari, quot dolorum ictibus tundebatur. Vnde Chriſtum dicẽtem audiuit: *Bombyces ſericum gerunt, & de me ſcriptum eſt: Ego ſum vermis, & non homo.* Quocirca illa in omni tribulatione & neceſſitate ad cor Chriſti confugiebat, ex eoq; mirum lenimen & gaudium ſugebat.

Denique ex hoc loco & ſimilibus Chæremon Abbas apud Caſſian. collat. 12. cap. 6. docet, manſuetudinem & patientiam efficaciſſimum eſſe remedium contra tentationem carnis ceteraque vitia omnia, eò quòd patientia pacem animæ membriſque omnibus impetret & afferat. *Per quod,* inquit, *euidenter oſtenditur, ita efficaciſſimam medicinam cordis eſſe patientiam, ſecundùm illud Salomonis: Manſuetus vir cordis eſt medicus, vt non ſolum ira, triſtitia, acedia, cenodoxia, ſuperbia, verùm etiam libidines omniumque pariter extirpet ſomitem vitiorum? in longanimitate enim (vt ait Salomon) proſperitas regis, Nam qui mitis ſemper atque tranquillus eſt, nec iracundiæ perturbatione ſuccenditur, nec acediæ atque triſtitiæ angore conſumitur, nec cenodoxiæ vanitate diſtenditur, nec ſuperbiæ tumore ſuſtollitur. Pax enim multa diligentibus nomen Domini, & non eſt illis ſcandalum,* pſal. 118.

Anagogicè, S. Hieron. in fine Comment. in Iſaiam ad illa: *Vermis eorum non morietur. Hic vermis,* inquit, *à pleriſque conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſupplicijs conſtitutos, iuxta illud quod dicitur* pſal. 31. *Verſatus ſum in miſeria dum configitur ſpina. Et in Prouerbijs ca. 14. Tinea oſſium cor intelligens* (græcè *αἰσθητικὴ* id eſt ſenſitiuum) *& iterum Prouerb.* 25. *Sicut tinea veſtimentum, & vermis lignum: ſic mœror excruciat cor viri.* Damnati enim in inferno inſtar canum ſummâ torquentur inuidiâ, irâ, triſtitiâ, angore & remorſu conſcientiæ, quòd intelligant & ſentiant, quàm grauia ob leuem peccati voluptatẽ cogantur ferre ſupplicia: hæ enim paſſiones inſtar tineæ eos mordent & rodunt, ſed ita vt nunquam excedant & conſumant, ſed in æternum mordendo & rodendo perdurent. Vnde ait Iſaias: *Vermis eorum non morietur.*

VERS. 31. QVI CALVMNIATVR EGENTEM, EXPROBRAT FACTORI EIVS: HONORAT AVTEM EVM, QVI MISERETVR PAVPERIS] Pro *calumniatur,* hebr. eſt עשק *oſcec,* id eſt, vim facit, defraudat, opprimit. *Calumniatur* ergo, id eſt calumniam & probrum iacit, irridet, ſubſannat. Rurſum *calumniatur,* id eſt per calumniam, ſycophantiã (Septuag. enim vertunt, *συκοφαντῶν,* de qua voce plura dicam cap. 28. v. 16.) fraudulentiam defraudat vel iure ſuo, vel eleëmoſyna ſibi debita: opponitur enim *Tũ qui miſeretur.* Vnde Pagnin. vertit, *qui aufert quid à paupere;* Tigurin. *vim faciens tenui;* alij, *qui defraudat inopem.* Pro *exprobrat,* Septuag. vertunt *παροξύνει,* id eſt *irritat,* vel *exacerbat,* Theodotion. *blaſphemat;* S. Hieronym. aduerſus Ruffin. *laceſſit;* Chald. *qui opprimit pauperem, opprobrium facit animæ ſuæ: & qui miſeretur iniuriam patientis, honorat ſe:* quia omnes fratres ſumus ex eodem Deo patre, imò ex eodem Adamo, & eâdem terrâ, Euaque prognati. Sicut ergo qui opprimit vel iuuat fratrem, opprimit vel iuuat quaſi partem ſui & ſe ipſum: ſic & qui opprimit vel ſubleuat pauperem, opprimit vel ſubleuat fratrem ſuum, & ſe ipſum: frater enim eſt quaſi alter ego. Syrus, *qui mala pauperi loquitur, iram ciet creatori: qui honorat Dominum, miſeretur pauperis.*

Quæres cur? Cauſa prima eſt generalis, quam iam dedi, quòd ſcilicet pauper communi iure creationis ſit opus & creatura Dei: qui autem creaturam laudat, vel vituperat, tacitè creatorem quaſi opificem, qui illã creauit & fabricauit, laudat vel vituperat. Ita S. Paulinus epiſt. 32. *Qui ſpernit,* ait, *pauperem, exacerbat eum qui fecit illum, id eſt communẽ omnium creatorem, qui ſicut refectione inopum gaudet, ita defectione triſtatur.* *Pauperem ſibi arrogat Deus, cur. Cauſa Prima.*

Secunda eſt propria, quòd ſcilicet paupertas æquè ac opulentia creata ſit a Deo. Voluit enim Deus maiorem partem hominum eſſe pauperem, tum ad meritum patientiæ & paupertatis: tum vt paupertate cogerentur laborare, agros colere, omneſque artes mechanicas exercere, ſine quibus vita humana & ordo vniuerſi non conſtaret, nec ſubſiſteret. Nam vt ait S. Chryſoſtomus homil. *contra eos, qui tantùm in feſtis conueniunt,* quæ eſt antepenultima tomi V. *paupertate ſublata vitæ totius conſtitutio tolleretur, & omnis viuendi ratio perturbaretur: quia neque nauta erit, neque gubernator, neque agricola, nõ textor, non ſutor, non pictor, nec alius vllus opifex quibus ſi nobis carendum ſit omnia peſſum ibunt: nunc enim quaſi magiſtra quędam optima neceſſitas paupertatis, ſingulos ad opera vel inuitos perurget. Quòd ſi omnes eſſent diuites, omnes etiam in otio viuerent: atq; ita omnia corrumperentur, & nihil non periret.* Atque ex hac re S. Chryſoſt. ibidem oſtendit eſſe numen eiuſque prouidentiam circa res humanas demonſtrat. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. cap. 11. 14. *Paupertas & honeſtas* (id eſt diuitiæ) *à Deo ſunt.* Vide ibi dicta. Qui ergo pauperem carpit vel ridet, tacitè carpit & ridet Deum, Deique prouidentiam, quę pauperum ordinem & ſeriem conſtituit. Multò magis id facit qui opprimit pauperem. Arbitratur enim violentus oppreſſor, quòd Deus pauperem à ſua poteſtate & vi ſubtrahere nequeat, ait R. Leui & Aben Ezra. *Secundò.*

Tertia magis propria & peculiaris eſt, quòd Deus ineffabili ſuâ prouidentiâ & diſpoſitione res omnes ita ordinarit, vt in particulari hic & ille eſſent pauperes, ille verò & alij diuites, iuxta illud Prouerb. 22. v. 2. *Diues & pauper obuiauerunt ſibi: vtriuſque operator eſt Dominus.* Audi S. Chryſoſtom. In Catena Græcor. *Duo peccata hoc loco aſſignat, nempe pauperum calumniam, & Dei offenſionem. At quomodo conuitiator pauperum irritat Deum, qui fecerat illum? quia Deus non modò ſecundùm animam & corpus condidit illum, verùm etiam condidit talem, nempe pauperem & miſerum, eoque modo comparatum, qui linguã maledicã facilè capi carpique poſſet. Dices rurſum: Si Deus quoſdam creat inopes, inopemque & miſeram vitam ducere illos pro ſua ſapientia ordinat, quorſum nos eorum miſeremur? etenim audiui non paucos, qui ita dicerent: Quo iure obligamur nos in pauperes liberales & miſericordes eſſe? ſi Deus illos amaſſet, pauperes non feciſſet. Quouſque contra ſalutem noſtram ludimus? quouſque de his ridemus, propter quæ meritò nos tremere, formidare & horrere oportebat? ſordidumque, ac mille malis repletum ludibrio habemus? vtrùm Deus magis amabat Lazarum mendicum & vlceroſum, an vero diuitem Epulonem? Nimirum hoc nos perdit, quòd diuina quoque eloquia in facetias & dicteria vertamus.* *Tertia.*

Quarta, A Quarta, quia Deus pauperes velut à mundo derelictos, & ſępè oppreſſos, ſibi arrogat, ac peculiarem eorum curam, prouidentiam & protectionē gerit, ſicut mater peculiarem gerit curam filiorum paruulorum, ægrorum, afflictorū: iuxtà illud, *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*, pſal. 9. 34. Pauperes ergo œconomum & procuratorem ſui victus & vitæ habent Deum, qui angelis in cælo præſidet, & ſub quo curuātur qui portant orbem. Hinc & Chriſtus, *Quod vni*, inquit, *ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: vnde & in die iudicij liberales in pauperes, quaſi in ſemet beneficos cęlo adiudicabit, auaros verò in pauperes, quaſi in ſemet maleficos, tartaro addicet, Matth. 25.

Quinta. Quinta, quia Chriſtus in mundū veniens paupertatem honorauit, conſecrauit & quaſi deificauit, quia eam ſibi, hoc eſt Deo, hypoſtaticè cum humanitate vniuit: *Nā pauperem matrem, pauperem cenſum, & omnia denique paupera elegit*, ait Cōcilium Epheſinum. Pauper ergo eſt viua imago pauperis Chriſti, vt aiebat S. Franciſcus.

Sexta. Sexta, quia Chriſtus paupertatem voluntariam velut cōſilium Euangelicum ſanxit, ac inter beatos ſui regni primo loco collocauit, dicens: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; Matth. 5. 3. Hæc enim paupertas diuina eſt, Deique perfectiones imitatur & refert. Sicut enim Deus ſibi ſufficiens eminet ſupra omnes res creatas, ſic & pauper ſpiritu contemnens terrena, & anhelans ad cęleſtia, in Deo defixus deſpicit omne quod ſub Deo eſt.

Rurſum ſicut Deus dominus eſt mundi totius, ſic & ſuo modo pauper ſpiritu, iuxta illud S. Pauli 2. Corint. 6. *Nihil habentes & omnia poſſidētes.* C Vnde Climacus gradu 27. aſſeuerat pauperem monachum dominum eſſe mundi, & quia iactauit in Deum curam ſuam, poſſidere per fidem omnes gētes in ſeruos. Idem addit pauperem Dei famulum nullam rem amare vitioſè: omnia enim quæ habet, aut habere poteſt, reputat quaſi non ſint: &, ſi recidere contingat, æſtimat vt ſtercora. Quo eodem ſenſu egregiè S. Bernardus ſer. 21. in Cant. quod ab Vnigenito, vt ipſe loquitur, dictum eſt: *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipſum*, idem quoq; omnibus eius fratribus ait eſſe commune, quibus omnia non ſolùm adijciuntur, ſed etiam ſubijciuntur, ſi modò terrenis rebus ſpoliati, ac ſuper illas altiùs elati fuerint. Quòd ſi ita eſt, inquit, *non putent diuites huius ſæculi fratres Chriſti ſola poſſidere cæleſtia, qui audiunt dicentem: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorū.* D *Non eos, inquā, æſtimes ſola cęleſtia poſſidere, quia ea ſola audiunt in promiſſione. Poſſident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, & pro certo magis domini quo minùs cupidi. Deniq; fideli homini totus mundus diuitiarū eſt. Totus planè, quia tam aduerſa quàm proſpera ipſius æquè omnia ſeruiunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo auarus terrena eſurit vt mēdicus, fidelis contemnit vt dominus. Ille poſſidendo mendicat, iſte contemnendo ſeruat.*

Pauper ſpiritu ſimilis eſt Deo. Primo.

Secundo, Inſuper ſicut Deus diues eſt gratia & virtutibus, ſic & pauper ſpiritu: quem, vt ait S. Ambroſ. libr. 3. epiſt. 1. *Solum Deus diuitem nouit, vtpote qui ſit diues æternitate, qui non opum ſed virtutum fructus recondat. Nonne tibi videtur diues, qui habet pacē animi, trāquillitatē, quietem, vt nihil concupiſcat, nullis exagitetur cupiditatū procellis, nec vetera faſtidiat, nec noua quærat, & ſemper deſiderando fiat in ſummis diuitijs inops?*

Tertio, Ad hæc, ſicut Deus ſupra terrena omnia eleuatus degit in cælos, ſic & pauper ſpiritu, iuxta illud S. Cypriani tract. de Orat. Dominic. *Qui renuntiauit iā ſæculo, maior eſt honoribus eius & mundo: & ideo qui ſe Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cæleſtia regna deſiderat.* Et S. Greg. lib. 1. Regiſtri epiſt. 5. deſcribens ſtatum mentis ſuæ cùm eſſet Religioſus: *Nihil*, ait, *in hoc mundo expetens, nihil pertimeſcēs, videbar mihi in quodā rerum vertice ſtare, ita vt in me penè impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta* (Iſaia ca. 58.) *didiciſſem: Suſtollam te ſuper altitudinem terræ. Super enim altitudinē terræ ſuſtollitur, qui & ipſa quæ alta & glorioſa præſentis uidētur ſeculi, per mentis deſpectum calcat.* Pauper ergo ſpiritu, ideoque mundi contemptor, agit.

Innocuos ſine nube dies, ſine crimine noctes:
Occupat in terra cælum, nec ſidera deſunt.

Quartò. B Deniq; pauper ſpiritu æmulatur, quoad fas eſt, Dei & Chriſti puritatem, ſanctitatem, perfectionem, ſatagitque ſuam in diuinam planè transfundere voluntatem, vt idem per omnia velit quod vult Deus, ac ſic vnus cum eo ſpiritus efficiatur, ideoque Dei ſtabilitatem & æternitatem ambit & imitatur. Audi S. Bernar. ſer. 21. in Cantic. *Eris*, inquit, *inter aduerſa & proſpera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, vtique hanc inuiolabilem & inconcuſſam conſtantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeq; vendicans tibi etiam in huius mutabilis ſæculi dubijs euentibus certiſq; defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis ſtatum, dum te cœperis renouare & reformare in inſigne illud antiquum ſimilitudinis æterni Dei, apud quē non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obūbratio. Quippe* C *ſicut ipſe eſt, ita & tu eris in hoc mundo, nec in aduerſis timidus, nec in proſperis diſſolutus.*

Quocirca Saluianus Maſſilienſ. Epiſc. qui floruit anno Domini 460. *De illis*, inquit, *qui expediti ab omnibus, vel penè ab omnibus ſarcinis, Saluatoris viā ſequuntur, & Dominum Ieſum Chriſtum non ſanctitate ſolum, ſed etiā paupertate imitantur, nihil eſt quod dici poſſit, niſi illud tantùm quod etiam Propheta dixit: Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: hos enim non aliter quàm imitatores Chriſti honoro, non aliter quàm Dei imagines colo, non aliter quàm membra Chriſti ſuſcipio.* Idem lib. 3. Contra auaritiam, pauperes vocat nummularios Saluatoris, & lib. 4. neruosè: *Sunt*, inquit, *quibus etſi deſint multa, non deſunt omnia. Chriſtus tantummodo ſolus eſt, cui nihil eſt quod in omni humano genere non deſit. Nullus ſeruorum ſuorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum* D *quo ille non algeat. Solus cum eſurientibus eſurit, ſolus cum ſitientibus ſitit. Et ideo quantum ad pietatem illius pertinet pluſquam ceteri eget. Omnis enim egeſtuoſus pro ſe tantùm in ſe eget; ſolus tantummodo Chriſtus eſt, qui in omnium pauperum vniuerſitate mēdicet. Et cum hæc ita ſint, quid ais, ô homo, qui Chriſtianū te eſſe dicis, cùm Chriſtum egere videas, vt facultates tuas in quibuſcumque non indigentibus derelinquas? Chriſtus pauper eſt, & tu opes diuitum cumules. Chriſtus eſurit, & tu delicias affluentibus paras. Chriſtus etiam aquam ſibi deeſſe queritur, & à te apothecæ ebrioſorum vino replentur. Chriſtus rerum omnium egeſtate conficitur, & à te luxurioſis copiæ congregantur. Chriſtus tibi pro muneribus à te datis præmia ſempiterna promittit, & tu nil præſtaturis cuncta largiris.*

Huc pertinet hiſtoria B. Martini, Ambiani Chriſtum in paupere veſtientis, quando Chriſtus ſequenti nocte eidem angelorum choro ſtipatus appa-

apparuit, veſtem pauperi ab eo datam oſtentans, dicenſque: *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit.* ita Seuerus in Vita S. Martini.

Præclarè S. Chryſ. paupertatem ait eſſe quandam perſonam ſeu laruam, ſub qua latitet & occultetur ipſe Deus; &, dum mendicus manum extendit, Deum ipſum accipere eleëmoſynam.

Vers. 32. In malitia sva expelletvr (ita Rom. alij legunt *repelletur*) impivs: sperat avtem ivstvs in morte sva] Variæ variorum ſunt hic verſiones, & conſequenter expoſitiones. Primò, Baynus pro *ſua* vertens *eius*, ſic exponit: Impius in ipſa machinatione malitiæ ſuæ, dum ſcilicet eam orditur & molitur, ſæpe & vita & molitione ſua expellitur: hinc iuſtus ſperat in morte eius, quòd ſcilicet eo morte ſublato, liberabitur ab eius vexatione & iniuria.

Secundò, Septuag. vertunt, *in malitia ſua repellitur impius, qui autem fidit ſanctitati ſuæ, iuſtus.* Vel, vt legit auctor Catenæ Græcor. *Impius propter malitiam ſuam expelletur & proſcribetur: qui autem in iuſtitia & ſanctitate ſperat in Dominum, iuſtus cenſebitur;* idque ſic exponit: *Impius, inquit, ob ſuam malitiam expelletur, & eradicabitur è terra, expulſuſq; in anguſtum locum demergetur, atque ibidem perpetuo cuſtodietur & obſeruabitur. Qui autem confidit in Dominum, &c. Pulchrum ſanè & tutum eſt confidere in Dominum: ſi quis tamen bonis operibus inſtructus fuerit, ſi quidē talis iuſti ſanctiq; viri nomen apud illum promerebitur. Fruſtanea enim & temeraria eſt ſpes, quæ bonis operibus prorſus deſtituitur.*

Quæres, cur Septuag. pro *morte* ſubſtituunt *ſanctitatem*? Reſpōdeo, quia vitam ſanctam iuſti mors ſancta conſequitur: mors ergo iuſti ſancta eſt, imò ſanctitas: quia iuſtum in ſanctitate confirmat, beat & glorificat. Atque hæc eſt cauſa cur iuſtus ſperet in morte ſua; quia nimirum mors eius ſancta eſt, & consummatio ſanctitatis. Si enim mors eius eſſet impia & ſcelerata; vtique eam non ſperaret, ſed horreret. Fortè etiam Septua. Græcum ὁσιότης, id eſt *ſanctitas*, innouant, nouumque ei ſignificatum tribuunt (vti alijs nonnullis vocibus Græcis fecere) vt ſignificet idem quod ὅσια, id eſt mortuorum exequiæ, funerum iuſta, parentalia; animarum expiatio. Vnde ὁσιόω eſt expio, iuſta perſoluo, item ſanctifico, conſecro. Sanctitatem ergo non tam vitæ quàm funeris hic intelligunt: qua ſcilicet defunctus more fidelium precibus & ſacrificijs, viuorum expiatus, è pœnis Purgatorij liberetur, & tranſeat in requiem æternam. Hanc enim moribundi exoptant, ſuiſq; commendant, ac in ea ſpes ſuas poſt mortem reponunt.

Tertiò, Chaldæus *in malitia ſua repellitur* (Syrus *deſtruitur*) *impius: & qui confidit ſe moriturum, iuſtus eſt;* Syrus, *qui confidit ſe peccatis carere, iuſtus eſt.* Qui enim peccatis caret, non timet, ſed expectat mortē veluti ianuam & tranſitum ad vitam meliorem. Vnde Climacus grad 6. *Probatus ille eſt,* inquit, *qui mortem ſingulis diebus expectat: ſed ille ſanè ſanctus, qui hanc horis ſingulis deſiderat.*

Quintò, Ianſenius: *Pro repelletur*, inquit, *dictio Hebraica magis ſignificat, impelletur aut propelletur, ſecundùm quam ſignificationem conuenientiſſimè ſignificabitur, impium per ſuam malitiam impellendum, ita vt nunquam ſit ſecurus aut ſtabilis, ſed animo ſemper ſit intranquillo, exagitante illum conſcientiæ remorſu; vt ad quæuis vitia rapiatur, impellente eum paſſionū ipſius ac malarum ſuggeſtionum flatu, ac diuinæ iuſtitiæ diſpoſitione ex vno infortunio impellatur in aliud. Hoc enim eſt quod pſalmus primus comparat impiū pulueri, quem proijcit ventus à facie terræ. Et alio loco: Fiant, inquit, ſicut* Pſal. 34. *puluis ante faciē venti, & angelus Domini coarctans eos, vel, vt habent Hebræa, impellens eos. Ideo & Iſaias impios dicit eſſe quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt,* Iſaiæ 57. *nec eſſe impijs pacem. Huic ſenſui bene conuenit quod opponitur, Sperat autem iuſtus in morte ſua, hoc eſt, cùm impius per ſuam malitiam ſemper impellatur, vt nunquam vſquam ſit ſecurus; contrà iuſtus etiam in morte tùm maximè metuere ſoleant homines, bene confidit & ſecurus eſt.*

Quintò, neruoſius Noſtra Hebr. יִדָּחֶה *iiddache* vertit, *expellitur*, q.d. *In malitia*, id eſt à malitia, per malitiam, propter malitiam, ac ſæpè in ipſa malitia, ipſoque flagranti delicto, impius expellitur è vita, ſpe, machinatione, felicitate, omnibuſque bonis ſuis, ac truditur in gehennam mancipandus æternis vinculis, ignibus & tormentis: quare inuitè, trepidè, anxiè moritur, imò per vim expellitur è vita: at iuſtus ſperat in morte ſua, ſcilicet ſe per mortem tranſiturum ad vitam beatam, à terra in cęlū, ab hominibus ad angelos & Deum, à tempore ad felicem æternitatem: quare libenter, lætus, & alacer moritur. Sperat ergo & confidit in morte ſua, id eſt confidenter moritur, imò mortem optat & deſiderat quaſi finem laborum, dolorum & ærumnarum huius vitæ, & principium gaudiorum ac felicitatis æternæ. Hinc philoſophus interrogatus, *qua re pij differrent ab impijs?* reſpondit, *Bona ſpe.* Pij enim ſperant ſortem & vitam meliorem, impij deſperant, imò exſpectant ſortem & vitam miſerrimam in inferno. Igitur Impius ſperat in vita opes, voluptates, honores; ſed ijs expulſus, ſpe ſuâ excidit: iuſtus autem nihil ſperat in hac vita, nihil in ea exſpectat niſi tribulationes; ſed ſperat in morte, quod ſcilicet per illam finientur eius afflictiones, & incipient delectationes. Dicit ergo: *Mihi vita eſt in tædio, mors in deſiderio.* Ita violenter, pauidè & anxiè expulſi ſunt è vita Antiochus, 2. Machab. 9. Herodes infanticida, Diocletianus, Valerianus, Maximianus, Valens, &c.

Ex aduerſo piorum in morte confidentium hæ fuere voces. S. Nicolai: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* S. Martini: *Sinite me cælum potiùs quàm terram aſpicere, vt ſuo iam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* S. Ambroſij: *Non ita vixi vt pudeat me viuere. Nec mortem timeo, quia bonū habemus Dominum.* S. Hieronymi: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* S. Mariæ Ægyptiacæ: *Nunc dimittis ſeruū tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace.* Ven. Bedæ: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* S. Gorgoniæ: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* S. Franciſci: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti donec retribuas mihi.* B. Petri Alcantaræ: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* S. Mariæ Oignacenſis: *Quàm pulcher es rex noſter Domine! Halleluia.* S. Nicolai Tolentinatis: *Dominus meus Ieſus Chriſtus ſanctiſſimæ matri ſuæ & Auguſtino Patri noſtro innixus, dicit mihi, Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Plura vide apud S. Greg. l. 4. Dialog. & Ioannem Seueranum, qui anno elapſo ingens volumen edidit de pretioſa morte Sanctorum.

Piorum in morte ſpes & imbelli. Exempla.

Maximè autem ſperant in morte ſua Martyres; quia

quia per martyrium tranſeunt ad coronas & palmas Martyrum. Vnde noſter Edmundus Campianus nobilis fidei pugil in Anglia, ad crucem damnatus præ gaudio cecinit: *Te Deum Laudamus*, quòd ante eum ibidem fecerat Ioannes Fiſcherius Epiſcopus Roffenſis. Rudolphus verò Sherwinus Campiani in morte ſocius: *Hæc dies*, inquit, *quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Ceterorum Martyrum ſimiles fuere voces, ſimiles exultationes & iubili: mors enim eis eſt ſemen æternæ gloriæ ſummæque coronæ. Quocirca Pſaltes ijs gratulans occinit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, pſa. 115. quam ſcilicet pretioſam facit in Confeſſoribus vita, In martyribus cauſa, quorum anteacta vita tingitur morte purpurea. Hinc Prudentius περὶ στεφάνων.

Pulchra res, inquit, *ictum ſub enſe perſecutoris pati,*
Nobilis per vulnus amplum porta iuſtis panditur.

Ita *Geneſius Arelatenſis*, inquit Eucherius, *Chriſto immolatur, & triumphanti cruore perfunditur, vndaque pretioſi ſanguinis baptiſmi Sacramenta complentur.. Ac verera pretioſa ſunt Martyrum vulnera, quæ breuem vitam ſub æternitatis commercio Deo fænerantur.* De quibus meritò dicat:

Ibat purpureus niueo de pectore ſanguis.

Et illud Claudiani in Honorio:

Gaudensq. ſacris vulneribus leo,
Admittit haſtam morte ſuperbior.

Quot enim in Martyre ſunt vulnera, tot ſunt decora. Hinc Tertull. lib. de Anima c. vlt. ait de ipſis cicatricibus corporis gloriari & gaudere eos:

qui vulnere ferri
Munere martyrii, gemma ſuperba, nitent.

Et Fortunatus de Machabæis:

Pectora belligero poterant quæ vincere ferro,
Inuitant auguſti vulnera chara ſuis.

S. Leo ſermone de S. Laurẽtio: *Omnia tormenta*, inquit, *ad gloriam Martyrum reperta, quando in honorem triumphi tranſierunt inſtrumenta ſupplicij.* S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 6. *Fluebat ſanguis*, inquit, *qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſuperaret.* Et in Exhortatione ad Martyres: *Pretioſa mors hæc eſt quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam in conſummatione virtutis.* Sic apud Eucherium, *filios Machabæos mater glorioſis luctibus honorabilis, in gremium diuinæ adeptionis inuidenda morte transfudit.* Et Arnulphus Lexou. ſerm. in Concilio Turonenſi: *Felices*, ait, *qui impretiabilem ſanguinem Chriſto ſuo indigno & corruptibili ſanguine compenſarunt.* *Pulchrum eſt nobis* (ait Tertullian. c. 39. Apologetici) *quod prouocamur ad tribunalia, vincimus cùm cadimur, hac palmata veſtis hoc curru triumphamus. ſanguis Martyrum ſemen Chriſtianorum: nam tale damnum lux rependit largiter; hoc genus mortis decorum eſt.* Prudentius: *Triumphus Domini paſſio eſt Martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia.*

Vers. 33. In corde prudentis requieſcit ſapientia, et indoctos quoſque erudiet] Hebr. *in corde intelligentis quieſcit ſapientia: & in medio ſtultorum cognoſcitur*; dum ſcilicet prudens & intelligens ſapientiam ſuam promit inter ſtultos, id eſt improbos, vt eorum ſtultitiam & impietatem compeſcat, eoſque doceat prudentiam & probitatem. q.d. Sapientia in corde ſapienti, id eſt prudẽti & probo, velut in thalamo & throno ſuo confidens conquieſcit, illumque omni ſuo ſplendore, decore & gloria ornat, illuſtrat & condecorat, adeò vt & ſtultos & impios illuminet & immutet, eoſque faciat ſapientes & pios. Tanta eſt vis ſapientiæ & virtutis. Tantus viciſſim zelus & ardor ſapientis & ſancti, qui ſciens ſapientiam & ſanctitatem ſibi datam non pro ſe dumtaxat, ſed veluti bonum vniuerſale, alijs omnibus, præſertim inſipientibus, eãdem impertit & communicat: quare adeò de ſapientia ſua nihil deperdit, vt eam magnis graduũ incrementis adaugeat: perinde vt ignis vicinis ſtipulis ſe inſinuans, ardorem ſuum non minuit, ſed amplificat, & ſol radios ſuos diffundens, lucem ſuam non euacuat, ſed multiplicat, & Deus creans angelos, homines, mundum, ijſq; ſuas dotes communicans, eas non imminuit, ſed longè lateq; dilatat, diuinitatis enim proprium eſt, ſe ſuaque creaturis communicare ſine vllo ſui damno, imò cum magno gloriæ ſuæ incremento. Deum ergo imitetur ſapiens & ſanctus, vt quaſi ſol inter ſtultos incedat, omnibuſque radios ſuæ ſapientiæ aſpiret:

Velut ambulans in terra Deus,
Et ſanctus in carne angelus.

Porrò Septuag. Aquila & Theodot. vertunt contrariè, *in corde bono viri requieſcit ſapientia: in corde autem imprudentium non dignoſcitur.* q.d. Sapientia & virtus habitat in corde ſapienti & ſancto: in corde autem inſipienti & prauo habitat, non ſapientia, ſed inſipientia & malitia, iuxta illud Sapient. 1. 4. *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

Videntur ergo olim variaſſe codices Hebræi: nam ij quibus vſi ſunt Septu. Aquila & Theodor. habuerunt negationem *non*: ea verò caruerunt codices, quibus vſus eſt Noſter & Chald. vti eâdem carent hodie omnes paſſim codices Hebræi & Latini: & vtrique lectioni ſuus verus congruuſque conſtat ſenſus, vti patet ex dictis.

Iustitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum] Vers. 34. *Iuſtitiam* hic tum generalem accipe pro qualibet virtute, tum ſpecialem quæ eſt virtus cuique ius ſuum tribuens: hæc enim maximè exaltat & eleuat reges, regna & reſp. ſicut ex aduerſo rapinæ, tyrannides, omneſq; reliquæ iniuſtitiæ & impietates, regum & regnorum ſunt ruinæ & pernicies. Pro *miſeros facit*. Hebræis eſt duplex lectio. Aliqui enim codices legunt חֶסֶר *cheſer*, id eſt defectus, imminutio, egeſtas, miſeria. ita legerunt Sept. vnde vertunt, *peccata autem tribus & familias diminuunt*. Sic quoque videtur legiſſe Noſter.

Iam pro חֶסֶר *cheſer* legunt חֶסֶד *cheſed*, id eſt pietas: affines enim & vicinæ ſunt literæ ר & ד *Tò* autem *cheſed* varij variè vertunt & explicant. Primò aliqui, q.d. *At pietas populorum eſt peccatum*, hoc eſt, religio & pietas gentiũ, eſt peccatum idololatriæ: ipſorum enim religio eſt cultus idolorum, nõ Dei veri. Alij q.d. Quidquid Gẽtes idololatræ ſine fide faciunt, eſt peccatum. Verùm hic eſt error, qui pugnat cum dictis S. Pauli Roman. 2. 14. Matt. 5. 47. Daniel. 4. 24. Vide dicta Roman. 14. 23. ad illud *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*,

Secundò, alij q.d. *Cheſed*, id eſt pietas, ſeu miſericordia, populis eſt peccatum, id eſt ſacrificium pro peccato, quo ſcilicet populus peccata ſua expiet, iuxta illud Daniel. 4. *Peccata tua eleëmoſynis redime. Peccatum* enim in Scriptura non rarò per metonymiam ſignificat hoſtiam pro peccato. Vnde Vatabl. vertit, *beneficentia autem populis eſt expiatorium ſacrificium.*

Tertiò & magis appoſitè, *cheſed* hîc, vt & Leuit. 20.v.17.&25. accipi poteſt pro probro, q.d. Iuſtitia gentem glorioſam facit: at peccatum eandem facit probroſam & miſeram, vt vertit Noſter. Vnde & Chald. *opprobrium populi peccatum*; Syrus, *viles facit peccatum.*

Quartò, appoſitè etiam noſter Salazar *cheſed*, id eſt miſericordiam, metonymicè ſumit pro miſeria, quæ eſt obiectum miſericordiæ, q. d. *Miſericordia populorum eſt peccatum*, id eſt peccatum populos miſeratione & miſericordia dignos reddit, ſcilicet propter miſeriam eorum; cùm vice verſa iuſtitia populos laude & gloria afficiat, ac proinde eos non miſeratione, ſed æmulatione vſque ad inuidiam dignos efficiat.

Porrò iuſtitia exaltat reges & populos, tum opibus, celebritate & gloria; tum dilatãdo eorum regna, fines & terminos; tum per omnia eos ſecundando; tum denique ornando eos omni virtute & gratia in hac vita, ac gloriâ in futurâ, qui eſt finis omnis reipubl. nimirũ vt populos per virtutes dirigat ad felicitatem & gloriã cęleſtem. Vice verſa miſeria, quam populis inuehit peccatum, eſt multiplex, puta fames, peſtis, bellum, ſeditiones, rapinę, doli, fraudes, ignominia, crimina, ac denique gehenna. Exempla ſunt in tribu Beniamin, quæ ob ſtuprum commiſſum in vxorem Leuitę planè acciſa, & penè exciſa eſt, Iudic. 20.47. Itẽ in familijs Ieroboam, Iehu & omnium regum Iſrael, quæ viciſſim à ſucceſſoribus funditus deletæ ſunt, cũ ex aduerſo ſub Dauide, Salomone, Ezechia & Ioſia, quando iuſtitia & pietas floruit, tam eorum familia, quàm populus eis ſubditus fuerit potens, diues felix & glorioſus. Idẽ hodie videre eſt in regibus & regnis iuſtis & pijs. Sanè Ferdinandũ II. Imperatorem tot victorijs, terris & regnis exaltat ditatque Deus, vt à multis centenis annis nullus Imperatorum eo fuerit potentior, felicior, glorioſior, ipſeque videatur eſſe ſuorum temporum, imò pluriũ ſæculorũ iuſta felicitas, ac felix iuſtitia, iuſtitia enim parit exaltationem, exaltatio felicitatem. Equidem hiſce diebus quibus hæc ſcribo, iuſtitiã & pietatem ſuam oſtendit inſigni & regio apophthegmate. Cùm enim princeps quidã hæreticus poſceret ab eo libertatem religionis, prudenter æquè ac iuſtè, imò religioſè reſpondit, *libertatẽ hanc non eſſe ſui iuris & fori, illamq́, non à Cæſare, ſed à Pontifice poſtulandam.* Vide Thomam Bozium de Signis Eccleſię, vbi fidelium & piorum in omni genere rerum felicitatem, infidelium verò & impiorum infelicitatem enarrat & demonſtrat.

VERS. 35. ACCEPTVS EST REGI MINISTER INTELLIGENS: IRACVNDIAM EIVS INVTILIS SVSTINEBIT] *Inutilis* hîc vocatur inſipiens & imprudẽs, ideoque damnoſus & noxius, vtpote regem pudefaciens. Hic enim opponitur intelligenti.

Intelligens ergo regis miniſter eſt, qui in cõſilijs eſt prudens, in inueniendo ſolers, in conuerſando verſatilis, in tractando dexter, in exequendo efficax, in maturando celer, denique in omni actione ſapiens & fortis, æquè ac fidus & probus; itaque vtilis eſt regi, ad omnia eius negotia ſapienter & feliciter conficienda. Hic ergo acceptus eſt regi, imò eſt quaſi os, manus & anima regis. Quocirca Sixtus non Pontifex, ſed Philoſophus in Sententijs num. 180. *Cole*, inquit, *virum ſapientem, tanquam imaginem Dei viuentis.* Et nu. 137. *Sapientis mentem Deus inhabitat.*

A Hebr. Symmach. Aquila & Theodot. habent *beneplácitum vel gratia regis erga ſeruum intelligentem: & ira vel furor eius erit confundẽs*, id eſt pudore afficiẽs, Chald. *in ira vel offenſa eius erit pudefaciens*; Syrus, *in ſapientia ſua aboletur iniquus*; Pagn. *amor regis eſt ad ſeruum intelligentem: & ira eius erit contra eum qui pudore eum affecit*; Tigur. *at ignominioſus iram eius accendit.* Regimen reip. & populorum res eſt ſummè difficilis & ardua, vnde ſummam poſcit prudentiam & ſapientiam. Quocirca reges & principes ſeligunt ſibi conſiliarios & adminiſtros ſapiẽtia pollentes, eoſque valdè charos, imò quaſi magiſtros & gubernatores habent, amant & colunt: ex aduerſo oderunt imprudẽtes & inſipientes, qui vel imprudentia ſuggerunt conſilia, vel prudenter à ſe conſtituta imprudenter exequuntur, quales

B ſunt temerarij, imperiti, inexperti, præcipites, indiſcreti, iracundi, & ſimiles. Hi enim tam ſe quàm regem, cuius ſunt adminiſtri, pudore & probro afficiunt, eique dedecus & ignominiam conflant. Eorum enim imprudentia & fatuitas regi, qui eos deſtinauit, aſcribitur & imputatur: ſicut vice verſa prudentia & ſapientia legati vel miniſtri, regi tribuitur, talis enim æſtimatur rex, qualis eſt eius legatus, conſiliarius, adminiſter. Ille ergo decus, vel dedecus, ſui regis, in ore & manu ſua portat: ſic ſapiens miniſter Saulis fuit Dauid, eique in delicijs, donec cęſo ab eo Goliath, audiens Saul illum ſibi anteferri à populo occinente: *Percuſſit Saul mille & Dauid decem millia*; inuidia motus eum perſecutus eſt. Sic ſapiens Arcadij miniſter, imò magiſter fuit Arſenius, poſtea Anachoreta; Iuſtiniano Beliſarius, Theodorico Caſſiodorus, Henrico VIII. Angliæ

C regi Thomas Morus, non *μῶρος*, ſed ſapiens: cui quamdiu ſe credidit Henricus, tamdiu ſapuit; aſt vbi libidine abreptus eius ſana conſilia reſpuit, deſipuit, ideoque Thomam occidit; in cuius nece non tam Thomę, quàm ſibi ipſi, totiq; Anglię caput amputauit. Inſipientes miniſtri fuere Euſebius Conſtantino, Valens & Vrſatius Arriani Conſtantio, Eutropius Arcadio, Maximus Iuliano, Wolſæus Henrico VIII. Anglię regi, qui proinde iram regum incurrerunt, miſereque perierunt. Memorabilis eſt ſentẽtia Homulij ſenatoris Romani dicentis, *optare ſe potiùs malum principem, qui bonos haberet conſiliarios ac amicos; quàm bonũ, qui malos haberet, quibus adminiſtrationem committeret.* Hæc enim magis ab ijs quaſi adminiſtris pendet, quã ab ipſo principe: hi quoq; ſi boni ſunt, principem bonum efficient. ita Fulgoſ. lib. 7. c. 2. Alfonſus Aragonum

D rex dictabat, *Regum conſiliarios vt reges eſſe, aut regum animos habere oportere.* Idem ſuadentibus Cathalanis, vt Alfonſo filio adoleſcentulo ſeptem daret gubernatores ſapientes, iuſtos & integros, reſpondit: *Si horũ non duo ſeptem, ſed vnum tantùm dederitis, continuò illi & regimen & regnũ ipſe facilè conceſſerim.* ita Æneas Syluius & Panormitan. lib. 2. de Geſtis Alfonſi. *Pyrrhus* Epiri rex, ait Plutarch. in eius Vita, *profitebatur, vrbes plures per Cineam oratione, quã armis à ſe ſubactas. Habebat enim in honore, eiuſq; vtebatur maximis in rebus opera*: iuxta illud Euripidis, *Omne id expugnare verba compta, ferrum quod minax poſſit.* Hic eſt ille Cineas, qui præmiſſus à Pyrrho, ſermone ſuo ſapienti & diſerto populos quoſlibet Pyrrho deuinciebat & ſubijciebat, qui tandem Pyrrhi dominandi libidinem ſapienter & modeſtè redarguens: *Quid*, inquit, *faciemus, ô Pyrrhe, capta Italia? Siciliam inuademus*, ait Pyrrhus. *Quid poſt captam Siciliam?*

tam? inſcit Cineas: *Africam & Carthaginem tentabimus*, ait Pyrrhus. *Quid poſt Africam?* regerit Cineas, *Vbi rerum potiti erimus, quid tum?* Subridés Pyrrhus: *In otio*, inquit, *viuemus bone vir, compotabimus quotidie, & mutuis inter nos ſermonibus oblectabimur.* Tum opportunè Cineas: *Et nunc*, inquit, *quid obſtat quo minùs compotemus, & otium inter nos traducamus, cùm iã teneamus hæc, & citra negotium ad manum ſint, quæ per ſanguinem, per multos ſudores, per diſcrimina petituri ſumus, multaſq; calamitates allaturi alijs & accepturi?* Annon hoc ſapiens conſilium? felix fuiſſet Pyrrhus, ſi illi obſecundaſſet: ſed libido regnandi eum tranſuerſum egit & perdidit, vt Romanis præda factus ſit.

Porrò Septu. explicant quis ſit intelligens miniſter, dum addit: *Acceptus eſt regi miniſter intelligens: ſua autẽ agilitate auſert ignominiam*. q.d. Intelligens miniſter ideo gratus eſt regi, quia ſua agilitate, id eſt ſedulitate, ſolertiâ, gratiâ, celeritate ilicò expedit, quod ei à rege demãdatum eſt. Vnde auctor Catenæ Græcor. legit, *ſua namque verſutia & agilitate è medio tollit ignominiam.* Græcè enim eſt εὐστροφία, id eſt verſutia, agilitas, qua ſe quis in omnes partes vertit & verſat, vt rem conficiat. Vnde εὔστροφος eſt bene retortus, tortilis, volubilis, agilis, verſatilis, itaque errorem ilicò corrigens: qualis fuit Vlyſſes, qui ſe in omnes hominum formas & mores trãsformabat. vnde ab Homero vocatur πολύτροπος, id eſt multiformis, multimodus, multiuarius: & tales debent eſſe legati & miniſtri principum, vt pro re nata ſciant ſe vertere in omnes formas & rationes, pro loco, perſonis & tempore opportunas, quibus negotia ſibi commiſſa tranſigant, & errores commiſſos corrigant.

Porrò auctor Catenæ Græcor. εὐστροφίαν hanc myſticè refert ad pœnitentiam, qua pœnitens & reſipiſcens à peccato conuertitur ad Deum, eiuſq; exempla dat S. Petrum & Paulũ. *Talis* εὐστροφίας, inquit, *hoc eſt facilis feliciſq; conuerſionis, miniſter erat Paulus ſi quidem zelum quo flagrabat, ſed non ſecundum ſcientiam, cæleſti numine tactus repentè permutauit in eũ qui erat ſecundum ſcientiam. Talis etiam miniſter erat Petrus, nam Dominum ter inficiatus, toto animo rurſum ad pœnitentiam conuerſus, à fœda illa negationis labe nõ modo ſeſe expediuit, verùm etiam illuſtrior, Deoq; quàm antea erat, carior euaſit.*

Pro poſteriore autem verſus parte ſiue antitheſi Septuag. vertunt, *ira perdit etiam prudentes*: quaſi ad verbum ex Hebræo vertant, *ira eſt pudefaciens*, id eſt perdens, ſapientes: nec enim ſtulti pudefiunt, vtpote qui probris rebuſque pudendis pleni, frontem perfricuerunt ac pudere dedidicerunt, imò in pudoris ſenſu dedoluerunt.

Tropol. ſi rex quærit miniſtros intelligentes, & odit inſipientes, quanto magis Deus, qui eſt Rex regum? Vnde S. Ambroſius in pſal. 118. octon. 6. *Plurimarum*, inquit, *operationum ſolertes miniſtros habet. Iidem piſcatores, ijdem etiam venatores ſunt atque meſſores* Hi ſunt Apoſtoli Apoſtolicique doctores & prædicatores, qui omnem ſolertiam adhibere debent in captandis animis, quam piſcatores adhibent in capiendis piſcibus, venatores in capiendis auibus & feris, meſſores in meſſe colligenda; vti pulchrè docet S. Baſil. homil. in illud: *Attende tibi.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Reſponſio mollis & lingua ſapientis grata, victimæ impiorũ ingratæ, omnia Deo nota, cor gaudens floridum, dies pauperis mali: ſecura mens bona: vocari ad olera cum charitate, vir iracundus rixoſus: laus patientis: iter pigrorum, domus ſuperborum: fide & miſericordia purgantur peccata, de abijciente diſciplinam, laus timoris Domini & humilitatis.

1. RESponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem. 2. Lingua ſapientium ornat ſcientiam; os fatuorum ebullit ſtultitiam. 3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. 4. Lingua placabilis, lignum vitæ, quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. 5. Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet. In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. 6. Domus iuſti plurima fortitudo: & in fructibus impij conturbatio. 7. Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiã: cor ſtultorum diſſimile erit. 8. Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iuſtorum placabilia. 9. Abominatio eſt Domino via impij: qui ſequitur iuſtitiam, diligitur ab eo. 10. Doctrina mala deſerenti viam vitæ; qui increpationes odit, morietur. 11. Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? 12. Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur. 13. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deijcitur ſpiritus. 14. Cor ſapientis quærit doctrinam, & os ſtultorum paſcitur imperitia. 15. Omnes dies pauperis, mali: ſecura mens quaſi iuge conuiuium. 16. Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles. 17. Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio. 18. Vir iracundus prouocat rixas, qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. 19. Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum, via iuſtorum abſque offendiculo. 20. Filius ſapiens lætificat patrem, & ſtultus homo deſpicit matrem ſuam. 21. Stulta gaudium ſtulto, & vir prudens dirigit greſſus ſuos.

22. Diffi-

22. Diſſipantur cogitationes vbi non eſt conſilium: vbi verò ſunt plures conſiliarij,
confirmantur. 23. Lætatur homo in ſe ſententia oris ſui : & ſermo opportunus eſt
optimus. 24. Semita vitæ ſuper eruditum, vt declinet de inferno nouiſſimo.
25. Domum ſuperborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ.
26. Abominatio Domini cogitationes malæ: & purus ſermo pulcherrimus firma-
bitur ab eo. 27. Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam: qui autem odit
munera, viuet. Per miſericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem
Domini declinat omnis à malo. 28. Mens iuſti meditatur obedientiam: os impio-
rum redundat malis. 29. Longè eſt Dominus ab impijs: & orationes iuſtorum ex-
audiet. 30. Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat oſſa. 31. Au-
ris, quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur. 32. Qui ab-
ijcit diſciplinam, deſpicit animā ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſ-
ſor eſt cordis. 33. Timor Domini, diſciplina ſapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

VERS. 1. RESPONSIO MOLLIS FRANGIT IRAM: SERMO DVRVS SVSCITAT FVROREM] Hebr. *reſponſio tenera reuerti facit* (reducit, retrahit) *iram: verbum doloris* (id eſt pungens, dolore afficiens) *abſcondere facit furorem*: ira enim quaſi flamma ex cordè & felle, per inflammationem ſpirituum & ſanguinis aſcendit in caput & nares, eaſque accendit: vnde Hebr. אף *aph* faciem & nares ac iram, quæ in naribus & facie emicat, ſignificat. ita Aben Ezra. Septua. *reſponſio ſubmiſſa auertit furorem: ſermo autem triſtis ſuſcitat iras.*

Pro *mollis* hebr. eſt רך *rach*, id eſt *tenera*; Septu. *ſubmiſſa*: Theodot. *delicata*; Tigur. *mitis.*

Pro *ſermo durus*; hebr. eſt *verbum doloris*; Septua. *ſermo triſtis*; Aquila, σκληρὸς id eſt *durus*, Symmach. θρασὺς, id eſt, *audax*, Theodot. ἀνιηρὸς, id eſt *moleſtus*; Pagnin. *dolore afficiens*; Tigu *aſper*. Vatabl. *atrox*; Syrus, *verbum molle auertit iram: & verbum aſperum ſuſcitat furorem*: Arabicus, *ira perdit ſapientes, & reſponſio lene morata repellit iram: & verbum ſcindens extollit ambitiones iræ.*

Senſus eſt, ait R. Leui. q. d. Molli reſponſo ſedabit quis indignationem, qua alter in eum efferueſcebat: è contrario aſpero ſermone quis placido bilem mouebit, eiuſq; furorem contra ſe ſuſcitabit, & accendet. Simile eſt in natura. Sicut enim vis tormenti, putà glandis plumbeæ, quam puluis accenſus e ſciopo eiaculatur, refringitur dū molli lana excipitur: ibi enim ſuam vim ponit, impetúque ſedat per mollitiem lanæ. Et ſicut fulmen re molli, vt ſtipula, exceptū ſoluitur & euaneſcit; ſin incidat in rem duram, vt in oſſa, ferrum, æs, acuitur eaque diffringit: ſic pariter ira alterius infringitur reſponſione leni, durâ verò exacerbatur & ſæuit. Inſignis ſententia eſt, ait Ianſenius, artē docens quâ indomita alioqui fera cicuretur & manſueſcat. Si quis, inquit, irato ſuauiter & benignè reſpondeat, comiter & honorificè eum compellans & placidis vtens verbis, huiuſmodi mollis reſponſio frangit accenſam aut commotam iram.

1. Reg. 25. Exemplum habemus in Abigail. Contrà, ſermo durus, hoc eſt, acerbus, etiam iacentem & ſopitam iram ſic ſuſcitat, vt furor fiat. Mollis enim reſponſio minuit iræ materiam, è contra ſermo durus

3 Reg. 12. auget: cuius exemplum habemus in Roboam. Ira enim naſcitur ex ſuperbia alterius, aut iniuria vera vel reputata.

Superbia irati frangitur humilitate humilíque reſponſo; iniuria pariter ſubmiſſione mitique reſpōſo, qua quis ſe irato quaſi ſubijcit & ſubſternit, domatur & vincitur. Tunc enim iratus & iniuria affectus videtur vltionem peregiſſe, & honorem ſuum recuperaſſe, cùm reum, vel æmulū, ſibi ſubiectum & quaſi ſupplicem aſpicit. Rurſum ira habet quid magnanimi & leonini: leones autem cùm vident quem ſupplicem, iras ponunt eiq; parcunt: iuxta illud,

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Et faciles animos mens generoſa capit.

Inſuper ira excandeſcens eſt quaſi ignis efferueſcens, qui extinguitur iniectâ leni aquâ, hoc eſt miti molliique reſponſo: & ſicut vermis tener ſenſim erodit lignum, ſic & manſuetudo iram.

Conuitij ergo vindicta imò victoria ſit, aut culpæ modeſta confeſſio; aut ſi culpæ non eſt ſibi cōſcius, humilis & manſueta reſponſio. Sic Gedeon fortiſſimus appetitus verbis aſperis à viris Ephraim indignantibus, quòd ab eo non fuiſſent euocati ad prælium, poſt victos Madianitas, modeſta reſponſione, vicit ſeipſum, vicit & viros Ephraim: *Melius eſt*, inquit, *racemus Ephraim vindemijs Abiezer. In manus veſtras tradidit Dominus principes Madian, Oreb & Zeb. Quid tale facere potui, quale vos feciſtis?* Vnde effectum ſubdens Scriptura ſubiungit: *Quod cùm locutus eſſet requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum*, Iudic. 8. 2.

Præclarè S. Greg. Nazianz. in carmine aduerſus iram, eam vocat dæmonem; ſic enim orditur:

Iraſtor iræ, dæmoni intus condito.

Ira quinque remedia ex Nazianz. ac verſus finem iræ remedia ſuggerit, primum orationem, ſecundum ſignum crucis, tertium humilitatem, quartum pręſentia nihili ducere: quintum, probrum; inquit, quod iratus in te conijcit, vel verū eſt, vel falſum: ſi verū, agnoſce; ſi falſum, nihili æſtima. Obiectiones deinde diluens ſubdit:

At læſit hic me? tu caue hunc lædas item.
At reprimetur? forſan hinc creſcet furor.
At capit ille? proximus verbis tuis
Frangatur, atque moribus blandiſſimis,
Solutus inſtar fluctuum ad terram ſitus:
Aut vt procella, cùm nihil renititur,

q. d. Sicut maris inſani fluctus ad littoris arenas impacti diſſoluuntur, & ſorbentur, aut reſiliunt: ſic irati furor & minę in mitem animam linguamque incurrens, eius mollitie ſorbetur, diſſoluitur, infringitur. Et inferiùs:

An non furentes pateris hos qui dæmone
Agitantur, ac vi perciti horrendum latrant?
Quid? mente captos non feres? vel ebrios?
Quid? rabidus ad te fortè ſi currat canis?
Quid, ſi camelus quiſpiam ferox tonet,
Stabiſne pugnax? nónne qui ſapit, fugit?

Et poſt nonnulla:

——— *Ira torridum iocis petat*

Abut-

Aduerſus iram nam ioco nil fortius.
Quid rebus cunctis extat mitius? Deus,
Quis fernet ira? carnifex mortalium.
O ira; feruor, dæmonis domus horridi,
Manifeſta vitæ macula, turbo mentium,
Crapula, & aſile, tartari ad lacus ferens,
Horrenda legio, multiplex labes mali.

Simile pulchrum dat S. Chryſoſt. homil. 3. de Dauide & Saule: *Sicut*, inquit, *ſi inſles in ſcintillam ignis, excitas incendium: ſi inſpuis, extinguis: ita fit in inimicitia proximi: ſi inflatos ac vecordes ingeras ſermones, excitas ignem; ſin mites ac moderatos, iram omnino extinxeris:* vt ijſdem extinxit irã Heli pontificis Anna mater Samuelis, 1. Reg. 1. 17. & Dauid iram Saulis, 1. Regum 24. 9.

Illuſtre exemplum eſt apud Sophronium, vel potiùs Ioãnem Moſchum in Prato ſpirit. c. penult. de Abbate Sergio, qui agricolam iniuriantem & furentem humili lenique reſponſo, quo probra in ſe coniecta agnoſcebat, eorumque ſe reum fatebatur, non tantum pacauit, ſed & ſibi ſupplicem, imò monachũ effecit. Idem feciſſe Abbatem Pœmenem cum Diacono ſuo à dæmone ita percito, narrat c. vlt.

Porrò iram hoc modo vincere, eiuſque damna præcidere ingentis eſt tam virtutis quàm gloriæ. Nam vt ait Beda in Prouerbijs: *Glorioſius eſt iniuriã tacendo tolerare, quàm reſpondendo vindicare. Melius eſt bene vinci, quàm male vincere.* Hic enim dũ tacet reſpondet ac ſuo quieto lenique ſilentio docet manſuetudinem, ideòque dum vincitur, vincit, atque iratum quieti reſtituit, eumque ſibi deuincit & ſubiugat.

Myſticè hanc gnomen adeptes Deo. q. d. Reſponſio mollis, id eſt cõfeſſio humilis redarguenti reddita frangit iram Dei, vt patet in Dauide, qui Nathan Prophetæ redarguenti reſpondens: *Peccaui Domino*, mox audire meruit. *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. 13. Contra ſermo durus eorum, qui arguenti reſiſtũt, maiorem iram diſtricti iudicis prouocat, vt patet in Saule, qui Samueli ſe corripienti duriter reſpondens: *Imo audiui vocem Domini, &c.* audiuit ſe abiectum à regno Iſrael. 1. Reg. 15. 20. Ita Beda: *Reſponſio mollis frangit iram*, q. d. inquit, *Qui verba increpantis humiliter recipit, iã propinquat veniæ reatus quem geſſit: at qui ſuperbus arguenti reſultat, maiorem contra ſe iram diſtricti iudicis prouocat.* Vnde Galatinus lib. 8. de Arcanis fidei ca 12. *tò verbum durum ſuſcitat furorem*, applicat Iudæis, qui Chriſtum accuſantes apud Pilatum dureque conclamantes *crucifige, crucifige*, prouocarunt in ſe furorem Dei, qui proinde per Titum & Veſpaſianum Hieroſolymam cum tota Iudæorum gente, funditus vaſtauit.

VERS. 2. LINGVA SAPIENTIVM ORNAT SCIENTIAM: OS FATVORVM EBVLLIT STVLTITIAM] Pro *ornat* hebr. eſt תֵּיטִיב *teitib*, id eſt *bonam pulchramq́; facit*, id eſt ornat; Pagnin. *condecorat*; Septuag. verò *bona nouit*; Tigur. *bene vtitur ſcientia*; R. Leui, *bonam facit audientium mentẽ*. Pro *ebullit* hebr. eſt יַבִּיעַ *iabbia*, id eſt, vt Chald. *eructat*; Aquila & Symmach. ἀναβλύσει, id eſt *effundet*; Septuag. ἀναγγέλλει, id eſt *pronunciat*, nuntiat, enuntiat; Syrus, *euomit*; alij, *ſcaturit*, redundat, manat quaſi fons. Igitur Primò, lingua ſapientum ornat ſcientiam: quia ipſa oſtendit ſe ſapientia præditam, ac per eam ſeſe ſapientiæ nomen & decus poſſidere. Vnde Septua. vertunt, *lingua ſapientum bona nouit*; vel vt vertit auctor Catenæ Græcor. *lingua ſapientum callet honeſta: os autem amentium annunciat mala.*

Lingua ſapientis ornat ſcientiam. Primò.

Secundò & propriè, quia lingua ſapientis aptè, ordinatè & ſapienter ſuo tempore & loco ſapientiam eloquitur: hoc enim magnum eſt ſapientiæ decus, dum iſto diſcretionis & prudentiæ ornamento decoratur: at verò os fatuorum ſine diſcretione loci & temporis, non conſiderans an hic & nunc opportunum ſit loqui talia, vel importunũ, inſtar fontis aqua pleni eructat & ebullit ſua ſtultiloquia. Vnde Syrus vertit: *euomit maledictione*; Tigur. *lingua ſapientum aptè & commodè vtitur ſcientia: os verò ſtultorum ebullit ſtultitiam*; Aben Ezra, *lingua ſapientum opportunè vtitur ſcientia: os vero ſtultorum eſt quaſi torrens ſcaturiens & redundans. q. d. Stultitia ab illorum ore nunquam ceſſat, ſed perenniter ab eo fluit.* *Secundò.*

Tertiò, quia, vt Vatabl. vertit, *ſermo ſapientum eſt plenus ſcientia & eruditione:* nam vt ait Chriſtus Matt. 12. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* *Tertiò.*

Quartò, quia, vt R. Leui, ſermo ſapientium bonam rectamque facit audientium mentem: ſermones verò ſtultorum in cauſa ſunt, vt demen ia iudicetur ac videatur emanare à ſcaturigine cordiũ eorum, vt ſcilicet ſtultitiam ſuam promant, eaque alios aſpergant; itaque eos ſibi ſimiles, id eſt ſtultos, vitioſos & in p os, efficiant. *Quartò.*

Quintò, lingua ſapientis ornat, id eſt commendat & honorat ſcientiam, ſcilicet practicam, id eſt honeſtatem & virtutem: *ornare* enim Latinis ſæpè idem eſt quod laudare: vnde Cicero de Aruſpic. reſponſ. *Teſtimonijs, ait, clariſſimorum imperatorum ornatiſſimus Deiotarus.* *Quintò.*

Sextò, lingua ſapientis eſt cõdita gratia, facundia & eloquentia: hoc autem ornat ſcientiã. q. d. Eloquentia ſapientis ornat eius ſapientiã. Sic videmus nonnullos ſapiẽtes pollere mirã grat á dicendi vel ſcribendi, vt etiam ſi idem dicant quod alij, tamen illorum dicta vel ſcripta longè magis ſapiant, placeant & influant in auditorum mentes, quá aliorum doctorũ, qui hac gratia carent. Igitur lingua ſapientis ornat, Hebr. *bonam*, id eſt ornatam, gratam, iucundam, *effuit* ſcientiam. q. d. Sapientis eſt ornatè, eleganter, concinnè loqui, & parem animi ſenſui & ſcientiæ ſermonem afferre: e contrario *os fatuorum ebullit ſtultitiam*, id eſt ſtultorum vt ſenſus deprauatus eſt, ſic & ſermo quoque inornatus & indecorus. Quocirca Tullius lib. 3 de Oratore: *Eloquentia*, inquit, *nihil aliud eſt quàm copiosè loquens ſapientia.* Et interiùs: *Hanc cogitandi pronuntiandiq́; rationem, vimq́; dicendi veteres Græci ſapientiam nominabãt. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atq; ab hac ſimilitudine Coruncani noſtri, Fabricij, Catones, Scipiones fuerunt*, &c. Abſurdum præterea exiſtimat, inutile & reprehendendum diſſidium linguæ atq; cordis, vt alij nos ſapere, alij dicere docerẽt. Quippe cùm ipſum bene dicere, ſapere ſit: nulla verò ſapientia perfecta, quæ oratione illuſtri inſigni que verborum luce deſtituatur. Atque vt alibi teſtatus eſt, *eloqui copiosè, modo prudẽter melius eſt, quàm vel acutiſſimè ſine eloquentia cogitare.* Tandemq; inutilem *ſapientiæ theſaurum abſconditum*, & qui videri atque lucere in oculis mortalium non poſſit, neque copioſa ratione, aut luculenta inſcriptione exornari, his verbis deſcribere viſus eſt 1 Tuſcul. qu. paulò ab initio: *Mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas neq; diſponere, neque illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter otio abutentis & litteris.* Porrò hæc eloquẽtiæ gratia *Sextò.*

varia

varia eſt & multiplex: quam proinde in varios A Deus variè partitur. Vnde Cicero l. 3. de Orat. eius principes nominans, oſtendit pariter in qua eius dote quiſq; excelluerit: nimirum ſuauitas fuit Socratis; ſubtilitas Lyſię, acumen Hyperidis, ſonitus Æſchinis, vis Demoſthenis, grauitas Africani, lenitas Lælij, aſperitas Galbæ, profluentia canora Carbonis, iucunditas Catuli, varietas ac temperatio Cæſaris, ſiue acuta Sulpitij ſubtilitas; animi impetus & ſumma contentio Cottę, vehementia, commotio, acrimonia Antonij; conſtans denique fuit ſemperque ſui ſimilis Ciceronis dictio, in eaque diligens verborum & ſententiarum eligendarum cura.

Eloquentia cuique Patri Græco propria. Multò magis lingua & eloquentia varia Doctorum Eccleſiæ tam Græcorum, quàm Latinorum ornat ſapientiam Chriſtianam. Nã vt ſolerter aduertit noſter Hieron. Platus lib. 3. de Bono ſtatus Religionis c. 11. S. Baſilij ſtylus doctrinã redolet, B ac præceptis ſanctitatis mirificè abundat. Profundior vbiq; Nazianzenus, atque in altiſſima myſteria ſeſe vltrò inferens cum magno verborũ ac rerum pondere. Athanaſius lenior, ſed tamen plenus, ac ſermone temperato ſibi ſemper ſimilia, multaq; cum auctoritate docens. Epiphanius contra hæreſes acer. Theodoretus in Scriptura interpretanda diligens & planus. Damaſcenus doctiſſimus, atq; in difficillimis fidei dogmatis enodandis aptiſſimus. Chryſoſtomus verò vt ſuo nomine præ ſe fert, diſertus ac popularis, & in audientiũ animos influẽs, atq; eleganti verborum copia quaſi pleno eloquentiæ flumine in omnem partem impellens.

Eloquentia Latinorum. Inter Latinos Cypriani oratio pura & copioſa, nihil tamen redundans, plena dignitatis & ponderis; denique, vt de ipſo teſtatur S. Hieronymus, inſtar fontis puriſſimi dulcis & placidè incedens, vt meritò Auguſtinus quoque eum doctorem ſuauiſſimum appellet. Ambroſius autem ſuum ipſe quoque habet dicendi genus ſententiarum vbertate refertum, verbis fluens lectiſſimis, ac præterea numeris ſuis aptiſſimè aſtrictũ, vt planè vel Theologum oratoriè, vel oratorem theologicè dicentem audire videaris; de cuius dulcedine quid maius dici poteſt, quàm quòd ab ipſo Deo grãdi prodigio præſignificata ſit iam tum, vt accepimus, cùm infantis in ore apum examen conſedit? Hieronymi quoque ſermo doctus & antiquitatis exemplis abundans multoque acumine; deinde, quòd caput eſt, ad omnia exprimenda apprimè factus, ſiue Scriptura ad verbum interpretanda, ſiue præcepta omni vitæ præſcribenda, ſiue quidpiam laudandum, aut vituperandum ſit; ſiue denique D aliquis ad virtutem cohortandus; in quibus omnibus ita valet, vt planè illa cæleſtis eloquentia videatur. Auguſtinus autem vberrimus, copioſiſſimus, leniſſimus; idem ad arduas quaſuis quæſtiones, idem ad populares conciones aptiſſimus, in quibus multa cum gratia & mentem inſtruit, & mouet voluntatem. Leone verò quis grauior, numeroſior, atque, vt ſic loquar, rotundior? cuius oratio maieſtate plena, & quibuſdam quaſi verborum fulminibus inſtructa? Gregorius totus vbiq; moralis, quo in genere mirificè excellit, idemque ſuauiſſima quadam exemplorum ac ſimilitudinũ copiã lectorem retinens, eumque tum ad virtutem doctrina erudiens, tum etiam ſtyli lenitate ac varietate demulcens. Quid de Bernardo dicamus, quem verè appellare poſſumus planè mellitum, qui ſpiritualibus documentis ſcatens, iiſque optimis ac perfectiſſimis, id etiam præcipuum habet, vt in Scripturas ſacras in ſuum ſtylum immiſceat & contexat, vt vel ipſe Scripturæ verbis loqui, vel Scriptura ipſius ore ſonare videatur? quæ res vnà cum lepore grauitatem quoque ac vim habet mirabilem.

Septimò. Denique lingua ſapientum, id eſt piorum, ornat ſcientiam, id eſt virtutem & probitatem: quia ſcilicet eorum lingua vitæ probæ comes eſt, ac proinde eã ornat, & viciſſim ab ea ornatur: quod enim dicunt ore, hoc docent opere: opus ergo ori, & facta verbis ornatum cõciliant. Audi Nazianz. orat. de plaga grandinis: *Ille quidem ſapiens eſt verè, qui pauca quidem de virtute verba facit, ceterùm per ea quæ agit multa demonſtrat, ac fidẽ & auctoritatem ſermoni ſuo per vitam conciliat. Venuſtior enim meo iudicio eſt pulchritudo ea quæ oculis cernitur, quàm quæ ſermone ſolùm pingitur. & diuitiæ quas manus tenent, quàm quas ſomnia effingunt; & ſapientia quæ per opera demonſtratur, quàm quæ ſermone nitet & ſplendeſcit.* Et D. Aug. li. 4. de Doctrina Chriſtiana: *Talis doctor qui non contemptibiliter viuit, non ſolùm ſubmiſſè ac temperatè, verùm etiam ornatè & granditer dicit.* Itaque ex vita in orationem ornatus, magnitudo & maieſtas redũdat. Subdit verò: *Si autem hoc quidem poteſt, ita conuerſetur, vt non ſolùm præmium comparet, ſed etiam præbeat alijs exemplum, & ſit eius quaſi copia dicendi forma viuendi: quid pulchrius?*

Nota, *Ebullit*, vel, vt Chald. *eructat*: ſtulti enim os velut cacabus ebullit, & velut ſtomachus plenus ſtultitiã eam eructat. Nam vt ait S. Baſil. in pſal. 44. ſub initium ad illa: *Eructauit cor meum verbum bonum: Ructus eſt occultus quidam flatus, qui ex ſeruore alimenti erumpentibus bullis exhalat.* Et vt S. Hieron. *Eſt digeſtio cibi, & concoctarum eſcarum in ventum C efflatio.* Additque: *Iuxta qualitatem ciborum è ſtomacho ructus erumpit, & boni vel mali odoris flatus indicium eſt: ita interioris hominis cogitationes verba proferunt; & ex abundantia cordis os loquitur.* Hinc verba ipſa experimenta hominum vocari poſſunt, dicente Apoſtolo: *An experimẽtum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* 2. Cor. 13. 3. iuxta id quod ſcriptum eſt; Prouerb. 15. 2. *Os ſtultorum ebulliet*) eructabit, & ſcaturiet tamquam ex fonte) *ſtultitiam.* Nam prodit quod intus latet. *Effigies animi* (inquit Seneca) *ſermo eſt.* ita Pineda de Rebus Salomon. lib. 5. c. 4. & lib. 3. cap. 12.

Tales ſunt hæretici, ceterique infideles, & impij, *vt Porphyrius & Iulianus, qui contra Eccleſiæ doctores ſtultitiæ ſuæ fluenta fundebant*, ait Beda.

IN OMNI LOCO OCVLI DOMINI CONTEMPLANTVR BONOS ET MALOS.] *Vers. 3.* Pro *contemplantur* hebr. eſt צופות *tſophot* id eſt, vt Septuag. σκοπεύουσι, id eſt, *ſpeculantur*: inde enim צפית *tſaphit* vocatur ſpecula, & צופה *tſophe* ſpeculator: qualis eſt Deus, qui ex alta cæli, imò æternitatis ſuæ ſpeculã ſpeculatur omnia quæ fiunt in cælo, terra & abyſſo; omnia præterita, præſentia & futura; omnia tam patentia quàm ſecreta & cordis arcana; quem proinde vbique oculis mentis & memoriæ viciſſim ſpeculari, reuereri & colere debemus, iuxta illud quod canit Eccleſia in hymno ad Laudes Feria V. ex Prudentio:

Nec lingua mendax, nec manus,
Oculi nec peccent lubrici,
Nec noxa corpus inquinet:
Speculator aſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus,

Actuſ-

Actuſq́; noſtros proſpicit,
A luce prima in veſperum.

Porrò finem & fructum huius ſpeculationis oculorum Dei aſſignat Pſaltes, dicens pſal. 33. 16. *Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Idem fuit ſenſus omnium veterum, etiam Poëtarum & Philoſophorum. Vnde Victorinus lib. 4. aduerſus Arrium (extat tomo 5. Biblioth. SS. Patrum) docet Deum olim non tantùm creditum mundi oculum, ſed etiam in mundi vertice conſtitutum, vt aſpectu minimè verſatili omnia intueretur. Deus ergo bonos ſpeculatur oculis placidis & beneuolis, malos oculis iratis & maleuolis: bonos, vt ſaluet & beet; malos, vt perdat & damnet; vtroſque, vt iudicet ſingulorum cogitata, dicta, facta. Vide dicta c. 3. v. 6. & Eccli. 23. 28.

Myſticè, oculi Dei ſunt prouidentia, fauor, gratia; ac viciſſim ira, indignatio, vindicta: horum enim indices, ideoque ſymbola ſunt oculi.

Porrò in Hebræo, vt liquet ex accẽtu Ethnach, hæc ſententia, æquè ac ceteræ, eſt bimembris, ſicque ſonat: *In omni loco oculi Domini ſunt ſpeculantes bonos & malos.* Prius hemiſtichium dat rationem & quaſi cauſam poſterioris. q. d. Ideo oculi Domini vbique ſpeculantur bonos & malos, quia vbique & in omni loco ſunt per eſſentiam, præſentiã & potentiam. Oculi enim hic non corporis intelliguntur, ſed mentis, putà ipſa mens & intuitus Dei, quæ non eſt aliud quàm ipſa deitas. *Deus enim totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus ſui;* ait Plinius lib. 2. c. 7.

Hunc verſum iure ſibi attribuit S. Franciſcus cùm enim à F. Maſſeo ad explorandam eius humilitatem rogaretur. *Vnde fit quòd totus mundus abeat poſt te, cùm tu non ſis nobilis, non diues, non doctus, &c.* reſpondit S. Franciſcus: *Vis ſcire vnde mihi quòd totus mundus abeat poſt me? Hoc mihi eſt ab illis oculis altiſſimi Dei ſanctiſſimi, qui in omni loco contemplantur bonos & malos. Hi enim oculi non videns inter malos maiorẽ peccatorem, aut viliorem vel ineptiorem quàm me. Et quia ad efficiendum hoc mirabile opus quod intendit facere in terra, creaturam minùs idoneam non vidit, propterea me eligit: quia ſtulta mundi eligit Deus, vt confundat ſapientes: & ignobilia & contemptibilia & infirma mundi eligit Deus vt confundat fortia* (nobiles, & magnates & fortes) *vt ſublimitas virtutis ſit ex Deo, & non ex creatura; vt nõ glorietur omnis, caro in conſpectu eius; ſed qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Denique verſum hunc S. Thomas in feſto S. Michaelis pro themate concionis proponit, eumque explicat varias intuitus Dei cauſas, modos, effectus & fructus recenſendo.

Tropol. ſi oculi Dei in omni loco contemplantur nos, par eſt vt nos viciſſim in omni loco eum contemplemur nunc orando, nunc pſallẽdo, nunc laudando ac dicendo cum Pſalte pſal. 102. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino:* nunc inuocando & dona poſcendo, quis enim pauper, cùm à diuite benignè reſpicitur, oculos ad illum non efferat, vt ſubſidium ſuæ paupertatis accipiat? Si ſemper à Domino oculis miſericordiæ aſpiceris, tu qui pauper & mendicus es, fac vt aſſidua mentis eleuatione in ipſum accipias ſemper ea, quibus à miſerijs eripiaris.

Vers. 4. LINGVA PLACABILIS, LIGNVM VITÆ: QVÆ AVTEM IMMODERATA EST, CONTERET SPIRITVM.

A *Placabilis*, id eſt placans, placida, leniens iram aut dolorem, vt Hebr. מַרְפֵּא *marpe* deriuetur רָפָה *rapha* per ה id eſt lenire: literæ enim א & ה ſæpè apud Hebræos inter ſe commutantur. Alioquin ſi in *marpe* retineamus vltimum א, vertendum eſt, ſanitas vel medicina linguæ; id eſt ſanitas & medicans lingua, putà iram aut dolorem, eſt lignum vitæ, id eſt ſuauis, grata & accepta inſtar ligni vitalis paradiſi. Vnde ex Hebræo ſic ad verbum vertas, *medicina linguæ lignum vitæ: & peruerſitas* (id eſt peruerſa lingua, qualis eſt immoderata & temeraria) *in ea, confractio ſpiritus.* Mirum eſt Septuag. pro *peruerſitas & confractio* vertere contrariè: *Sanitas linguæ* inquiunt *arbor vitæ: qui autem conſeruat eam, implebitur ſpiritu;* & Syrus, *ſanitas linguæ lignum vitæ; & qui de fructibus eius veſcitur, ſatiabitur ab ea;* & Chald. *medicina linguæ arbor vitæ: & qui comedit ex ea, de fru-* B *ctibus eius ſatiabitur;* R. Salomon verò poſteriorem partem ſic vertit, *cùm quis nefariè lingua vtitur, eſt profligatio in vento, hoc eſt, p... attrahet grauiſſimam, quæ vento Orientali comparatur: hic enim conſtitutus eſt ad puniendos ſceleratos,* iuxta illud Ierem. 18. 17. *Sicut ventus vrens* (Hebr. *Orientalis*) *diſpergam vos* Pſal. 47. 8. *In ſpiritu vehementi* (Hebr. *Orientali*) *conteres naues Tharſis.* Simile eſt Exodi 14. 21. Et R. Leui: *Quies linguæ,* ait, *eſt lignum vitæ, hoc eſt, cùm qui ſermonibus parcit, ſilet & quieſcit, ſibi vitam pariet: cùm enim quis ad damnum ei inferendum inſurgit, huius ſermonibus delinietur: qui autem in lingua ſua prauitatem vaſtitatemque collocat, ſibimet grauiſſima inopinataq́; diſcrimina gignet; ſicut arbor quæ venti vehementiã confringitur: iram enim aduerſarij irritabit.* Verùm meliùs Noſter Septuag. Chald. Syrus & alij per רוּחַ *ruach* accipiunt ſpiritum, non ventum. Vnde Noſter C vertit, *conteret ſpiritum;* Septuag. verò, *ſatiabitur ſpiritu;* quia Hebr. שֶׁבֶר *ſceber* & contritionem, & eſcam qua ſatiamur ſignificat.

Igitur *lingua placabilis* Primò, eſt lingua placida, ac linguæ ſanitas eſt lingua in ſe ſana: quæ ſcil. nullis iræ, inuidiæ, impatientiæ morbis laborat: hæc proinde inſtar fructus arboris vitæ. Primò ipſummet hominem cuius eſt, in iugi pace, ſerenitate, lætitia conſeruat. Secundò, vitam eius tum corporis, tum animæ conſeruat & prorogat: mors enim animæ, & ſæpè corpori, irrogatur per detractiones, calumnias, lites, rixas, aliaque linguæ intemperãtis crimina, à quibus cauet lingua mitis & placida. Tertiò, omnes animæ potentias, motus, ſenſus affectus, totumque hominem temperat & componit, ſublatis iræ & concupiſcentiæ cum ratione D diſſidijs: qua in re ſanitas animæ, & conſequenter corporis, conſiſtit. Vide quæ de ligno vitæ dixi c. 3. 18. & c. 11. 30. & Gen. 2. v. 9.

Secundò, *lingua ſatiabilis* & ſanans eſt lingua mitis & placida, quæ ſua lenitate & gratia dolores & ægritudines animi in alijs curat & ſanat; ſicut lignum vitæ curabat omnes corporis alterationes; nimirum iratos ſedat, diſſidentes conciliat, inuidos amicat, ſuperbos facit humiles, puſillanimes erigit, &c. Quæ autem *immoderata;* Hebr. *peruerſa eſt,* putà immitis, iracunda, aliòve vitio infecta & deprauata, *conteret ſpiritum:* quia menti alterius infigit aculeos iræ, doloris, vindictæ, puſillanimitatis, mœroris, angoris, aut imprudentiæ & ſtoliditatis, quibus animi ſpirituſque pax, ſanitas, vigor & robur frangitur & conteritur. Magna hæc linguæ eſt dos & gratia, quam S. Bernardus in Prælatis requirit ſerm. 25. in Cant. Explicans enim illud: *Nigra ſum, ſed*

ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ait hæc verba eſſe ſponſæ quæ vt æmulas ſtimulis inuidiæ contra ſe agitatis leniret, eas amicè vocat *filias Ieruſalem*. Additque: *Omnibus quidem optanda eſt iſta perfectio, propriè autem optimorum forma eſt Prælatorum. Sciunt quippe boni fideleſq; Præpoſiti, languentium ſibi creditam animarum curam, non pompam. Cumq; internum murmur cuiuſpiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, etſi in ipſos vſque in conuitia & contumelias prorumpentis, medicos ſe & non dominos agnoſcentes, parant confeſtim aduerſus phreneſim animæ nō vindictam, ſed medicinam. Hæc igitur ratio cur ſponſa filias Ieruſalem dicat eas ipſas, quas maleuolas ſuſtinet atque maledicas, videlicet vt in blando ſermone deliniat murmurantes, commotionem ſedet, ſanet liuorem. Scriptum eſt enim: Lingua pacifica compeſcit lites.* Sic enim legit, imò explicat S. Bernard. quod nos legimus, *lingua placabilis lignum vitæ.*

Huc facit diſcrimen iracundi & patientis, quod dat B. Antiochus in Pandectis: *Ramus*, inquit, *cùm viret ac lentus eſt difficilè frangitur quia cedit manui: qui autem aridus eſt, facilè confringitur, quia non cedit. Sic item mitis ſanè vir difficilè conuellitur, quia cedit & leniter flectitur: at iracundus flecti neſcius, vno tantummodò verbo frangitur.*

Porrò Septuag. vertunt, *ſana lingua eſt arbor vitæ: quiſquis eam cuſtodierit, implebitur ſpiritu*, ſcilicet lenitatis, pacis, charitatis, ſicut furuus calefactus ſi clauſus cuſtodiatur, impletur ſpiritu caloris. Auctor verò Catenæ Græcor. ſic Septuag. explicat: Eſt, inquit, duplex linguæ ſanitas: vna quæ ſanat, altera quæ ſanatur. Ea lingua meritò vocatur ſana, quæ verbo non peccat: morbus enim linguæ eſt peccatum per illam admiſſum. Impletur autem ſpiritu, qui linguâ non peccat, non quouis, ſed ſancto. Exhortatur infrà quoque Sapiens ad cautam linguæ cuſtodiam. Ait enim: *Fauus mellis ſunt boni ſermones: dulcedo autem illius ſanitas eſt animæ*: Doctrina de rebus vtilibus & ſalutaribus germinat ſcientiam: hæc autem eſt lignum vitæ.

Denique S. Chryſoſt. in pſal. 240. v. 3. ad illa: *Pone Domine cuſtodiam ori meo*, docet Adamum & Euam pulſos paradiſo, quia linguam non cuſtodierunt, ſed cum ſerpente colloquia miſcuerunt: iis enim perſuaſi pomum vetitum comederunt: quare cuſtodiam linguæ eſſe neceſſariam, vt felicitatem paradiſi, quam loquendo perdidit Adam quoad licet recuperemus. Hinc per Cherubim gladio igneo cuſtodientem paradiſum, myſticè accipit cuſtodiam linguæ ex cogitatione & terrore iudicij diuini. *Quænam autem*, inquit, *fuerit hæc cuſtodia niſi ratio & cogitatio, quæ vrget terribiliter habēs præ manibus ignem eos vſturum, qui ore ſuo temerè vſi fuerint?*

Vers. 5. STVLTVS IRRIDET DISCIPLINAM PATRIS SVI: QVI AVTEM CVSTODIT INCREPATIONES, ASTVTIOR FIET] Syrus, *prudens autem cuſtodit increpationes patris*; Chald. *& qui ſibi cauet ab eius increpatione, callidus eſt.* Pro *irridet* hebr. eſt ינאץ *iinats*, id eſt, aſpernatur; Chald. *reprobat*; Septuag. *ſubſannat*. Sententia clara eſt, q. d. Stultus, id eſt inſipiens & impius ſuo iudicio ſuiſque concupiſcentijs addictus, cùm de ijs corripitur à patre, correctionem aſpernatur qua in re ſtultitiam ſuam oſtēdit: quia cùm correctio hæc proficiſcatur ex amore paterno, quo pater ſummè cupit bonum filij, vt ſcilicet eum doceat ſapientiam & virtutem, ipſe ſtultè & bonum hocce ſuum & amorem paternum ſpernit, vltroque in vitia, quæ eum in ruinam & gehennam ducent, ruit: in dies enim fit ſtultior, & in ſtultitia, id eſt vitijs & iniquitate, obſtinatior.

At verò *qui cuſtodit increpationes, aſtutus*; Septuag. *aſtutior*, id eſt prudentior & ſapientior fiet: quia proficiet in omni honeſtate & virtute, quæ ei decus & felicitatem præſentem & æternam conciliabit. Hebr. eſt יַעְרִם *iarim*, id eſt aſtutus, callidus fiet inſtar ſerpentis: ſerpens enim oculos catulorum debiles & palpitantes ſolet acuere ſucco fœniculi, atque inde tam acer viſus in ſerpente, vti tradit Albertus Magnus, quin & Plinius l. 21. cap. 23. *Fœniculum*, ait, *nobilitauere ſerpentes guſtatu ſenectam exuendo, oculorumq; aciem ſucco eius reficiendo.* Idem verò, lib. 8. c. 27. *Anguis*, ait, *hyberna latebra viſu obſcurato marathro herbæ ſeſe affricans, oculos inungit ac refouet: ſi verò ſquamæ obtorpuere, ſpinis iuniperi ſe ſcabit.* Similiter modo parentes correptione ſua acuunt prudentiam & virtutem filiorum. Hæc ſententia ſæpiùs inculcatur à Salomone, quia principium eſt & cauſa omnis boni filiorum, vt cap. 3. 1. cap. 4. 1. cap. 7. 1. & nominatim cap. 12. 1. cap. 13. 1. Vide dicta.

IN ABVNDANTI IVSTITIA VIRTVS MAXIMA EST: COGITATIONES AVTEM IMPIORVM ERADICABVNTVR] Hic verſus non eſt in Hebræo, ſed in Septuag. è quibus eum Noſter tranſcripſit. Pro *virtus* græcè eſt ἰσχὺς, id eſt robur, fortitudo, q. d. Iuſtus dum quotidie in iuſtitia proficit, quotidie robur eius augendo, corroborat pariter ſeipſum in bonis tam corporis quàm animi: quo fit vt omnes tentationes, perſecutiones, afflictiones in dies fortiùs ſuperet, omniaque huius mundi aduerſa æquè ac proſpera generosè tranſcendat, nec vllis promiſſis aut minis à iuſtitia & virtute ſe vel latum vnguem abduci ſinat: quia in Deo & cælo cor defigens omnia terrena deſpicit. at cogitationes & deſideria impiorum, quia in terrenis opibus, amicis, honoribus collocantur; hinc debiles ſunt, caducæ & euanidæ; ideoque citò radicitus ſuccidentur & interibunt. Videntur Septuag. hanc ſententiam addidiſſe ſequenti, quæ extat in Hebræo explicationis gratia: illius enim videtur eſſe paraphraſis & interpretatio, vt patet vtramque conferenti.

Denique nonnulli *iuſtitiam* hic accipiunt particularem, quæ eſt virtus ius ſuum cuique reddens; ſicque explicant, q. d. Iuſtitia eſt maxima virtutum moralium, vt docet Ariſtot. lib. 5. Ethic. ca. 1. & S. Thomas 1. 2. q. 66. art. 4. qui & cauſam dat, quòd iuſtitia ſit propinquior rationi, quodque eius ſubiectum ſit voluntas, obiectum verò ſint operationes, quibus homo rectè & iuſtè ordinatur ad alterum; cùm fortitudo ſit in appetitu iraſcibili, temperantia in concupiſcibili, eiuſque obiectum ſint cibus potus & res venereæ. Verùm pro *virtus* græcè non eſt ἀρετὴ, ſed ἰσχὺς, id eſt robur, fortitudo, vt dixi.

DOMVS IVSTI PLVRIMA FORTITVDO: ET IN FRVCTIBVS (Hebr. *prouentibus*) IMPII CONTVRBATIO] Septuag. *domibus iuſtorum fortitudo multa; fructus autem impiorum peribunt.* Pro *fortitudo* hebr. eſt חֹסֶן *choſen*, id eſt robur, fortitudo: item opes & theſaurus reconditus & protectus. Vers. 6.

Primò ergo, R. Leui ſic explicat: Domus iuſti munita eſt & firma duplici ratione, tum proprio robore, tum peculiari Dei prouidentiâ, qua iuſtum complectitur. Verùm cùm illam impius ſubibit, eadem conturbabitur, & excidium non euadet, auſe-

auffereturque ab illa tum munimen, tum meritum. Accedit R. Salomon: Domus iuſti, inquit, eſt templum à Dauide, vel potiùs à Salomone ædificatum quod Iſraelitis tutiſſimum fuit munimentum & turris fortitudinis. Sed cùm in illud Manaſſes idolum induxit, tunc conturbatum, profanatum & diſſipatum fuit.

Secundò, Baynus, q. d. Non opes, ſed iuſtitia dat vires ad tolerandas aduerſitates: quibus proinde domus iuſti reſiſtit, non impij.

Tertiò & genuinè, *fortitudo* hic non tam robur, quàm opes & theſaurum ſignificat, hic enim directè opponitur *fructibus*, Hebr. *prouentibus*, impij: & hunc ſignificat Hebr. חֹסֶן *choſen*: quia fortitudo diuitum ſunt eorum diuitiæ, iuxta illud ca. 10. 15. *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.*

Vnde Pagnin. Vatabl. Caietan. Marinus, Aben Ezra, & alij paſſim vertunt, *domus* (vel *domui*, aut *in domo*) *iuſti theſaurus multus*, id eſt *magnus*, q. d. In domo iuſti multæ congregantur & conſeruantur opes, eæque manent & durant: quia ſunt *choſen*, id eſt conditi & protecti à ſapientia iuſtitiaque, & à Deo: at fruges & prouentus impij conturbantur, id eſt diſturbantur & diſſipantur vel grandine & procellis, vel à prædonibus & militibus eas diripientibus, vel ab ipſis domeſticis, qui in domo impij ſolent pariter eſſe iniqui & rapaces, vt quiſque ſibi rapiat quod poteſt; itaque prouentus domus & heri diſſipantur & pereunt. Cum ex aduerſo prouentus opeſque iuſti Deus tuetur à procellis, à prædonibus, ab omni aduerſitate: ac domeſtici iuſti pariter ſint fideles & iuſti, qui proinde in bonum & opes domus & heri collaborant & conſpirant. Rurſum iuſtus conſeruat opes, riteque expendit in ſuos vſus & in eleēmoſynas, ob quas Deus viciſſim ei maiores prouentus attribuit. At impius bona ſua in ſympoſia, ludos, aleas, meretrices effundit & dilapidat: quo enim maior ei prouentus & annona obuenit, eo liberiùs peccat, & in luxum diffluit. Vnde Baynus: Prouerbium hoc docet, inquit, opes iuſtis fore materiam virtutis, impijs verò vitiorum fomenta. Aben Ezra verò: Iuſti domus, inquit, eſt inſtar munitionis, id eſt apothecæ iuſti annona plenæ ſunt, q. d. In domo iuſti ampla horrea frugibus referta ſunt.

Inſuper *choſen*, id eſt fortitudo, fortiſque theſaurus, ſignificat opes iuſti iuſto labore partas recondi, & diu ſeruari in familia iuſti, & à patre ad filios & nepotes ſolere transfundi: cùm ex aduerſo opes impij, vtpote per rapinam, vſuram & iniquos contractus partæ adeò non durent, vt domum conturbent, dum de earum poſſeſſione & hereditate litigant heredes, vel inter ſe, vel cum ijs, à quibus iniuſtè ablatæ ſunt. Denique videmus in domibus piorum vigere pacem, amorem, concordiam: domos verò impiorum aſſiduis odijs, litibus, rixis cõturbari. Vnde Tigur. vertit, *in domo iuſti theſauri multi ſunt: at in prouentibus impij perturbatio*; Vatabl. *per fructum impij labefactatur*, ſcilicet *domus ipſius*, putà *per opera praua: hæc enim ſunt fructus impij.*

Myſticè, hæc accipias de theſauris virtutum & bonorum operum, præſertim eleēmoſynarum, quæ cum iuſto perdurant, imò eum perducunt ad regnum cæleſte, iuxta illud Chriſti. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur*, Matth. 6. Cùm ex aduerſo opera impiorum non perdurent, vel quia praua; vel ſi bona, non ſunt ſtabilia: ilicò enim impius ad impia relabitur.

Allegoricè, auctor Catenæ Græcor. *Per domos iuſtorum*, inquit, *accipe Eccleſias in quibus Dei fortitudo per Spiritus ſancti præſentiam exiſtit: per fructum autem impiorum praua illorum opera, propter quæ certò interituri ſunt.* Et Beda: *Domus iuſti*, ait, *eſt Eccleſia Chriſti, quæ plurimam habet fortitudinem, ita vt pluuia, ventis fluminibuſq; tentationum frequentium nequaquam poſſit dirui: & in operibus diaboli conturbatio feruet aſſidua, quæ eamdem Chriſti domum vel per falſos fratres, vel per apertos aduerſarios deijcere tentat.*

Labia sapientivm disseminabvnt (Hebr. *ſpargent*; Tigur. *ferunt*; Symmach. *cuſtodiunt*) scientiam: cor stvltorvm dissimile erit] Hebr. *cor ſtultorum non ſic*; Syrus & Pagnin. *non eſt rectum*; Tigur. *non eſt ſolidum*; R. Salomon, *non eſt verum*; Chald. *labia ſapientum notam faciunt* (Syrus, *loquuntur*) *ſcientiam: & ſtultorum non ita*, Septuag. *labia ſapientum alligata ſunt ſenſu: corda autem imprudentium non ſecura*; vel, vt auctor Catenæ Græc. *Sapientum labia iudicio & ſenſu alligantur: ſtultorum autem corda ſunt lubrica & inſtabilia.* Pro *diſſimile* enim heb. eſt כֵּן *ken*, quod eſt aduerbium ſignificans *ſic, ita*: idem eſt nomen ſignificans, *rectum, verum*, item *firmum, ſolidum.* Vers. 7.

Pro *diſſeminabunt* hebr. eſt יִזְרוּ *iezaru*, quod Primò, ſignificat ventilatione ſpargent, ſeminabunt, vt vertit Noſter; Vatabl. Pagnin. & ceteri. Secundò; conſtringent, cingent, complectentur, alligabunt ſibi ſcientiam, vt vertunt Septuag. verbum enim זָרָה *zara* eſt contrariæ ſignificationis (qualia plura habent Hebræi) vt non ſolùm ſpargere, ſed & conſtringere, ſiue ea quæ ſparſa & ſoluta erant, complicare & accingere ſignificet; vt tam literis (licet tranſpoſitis) quàm ſignificatione alludat ad אָזַר *azar*, id eſt cinxit, accinxit. Vnde R. Salomon vertit *ſapientes ſcientia coronabuntur*: זֵר *zer* enim coronam ſignificat. Vtrumque ſignificatum huic loco congruit, & eòdem redit.

Senſus ergo planus eſt, q. d. Sapientes ita ſapiẽtiam & virtutem (hæc enim eſt ſcientia Sanctorum) cordi ſuo, & viciſſim cor ſapientiæ alligant, vt ea plenè cor imbuant & impleant: quo fit vt cor mentemque habeant fixam & ſtabilem, vtque ſapientia pleni, eamdem deinde eructent, & in alios diſſeminent: at verò cor ſtultorum diſſimile eſt: nam alligatum eſt non ſapientiæ, ſed ſtultitiæ; quo fit vt mentem habeant inſtabilem, vagam & lubricam, qua ab vna concupiſcentia in aliam voluantur & dilabantur, vtque ſtultitiam, qua pleni ſunt, eructent & in alios diſſeminẽt. Vnde S. Gregor. 3. p. Paſtor. admonit. 19. *De iſtis*, inquit, *ſcribitur: Cor ſtultorum diſſimile erit. Cor quippe ſapientum ſibimetipſi ſemper eſt ſimile: quia dum veris perſuaſionibus acquieſcit, conſtanter ſe in bono opere dirigit, cor verò ſtultorum diſſimile eſt: quia dum mutabilitate ſe varium exhibet, numquam idem quod fuerat manet.* Quare, vt ait Sixtus philoſ. ſapiens ſemper ſimilis eſt ſibi, inſipiens ſemper diſſimilis. Id videre eſt in hæreticis, qui ſemper alia & alia, imò prioribus contraria docent. Videatur Lutherus ſepticeps apud Cochlæum.

Igitur Hebr. *iezaru* ſignificat ſapientes in docenda ſapientia, id eſt virtute, id facere debere, quod faciunt agricolæ in ſeminando ſemine, iuxta parabolam ſeminantis propoſitam à Chriſto Matth. 13. 3. nimirum Primò, quòd, ſicut agricolæ *iezaru*, id eſt ventilant ſemen ſeminandum, vt illud ſit purum & à paleis ſecretum: ſic pariter ſapiens

Doctor imitatur ſeminantem. Primò.

piens ſcientiam & ſapientiam quam docet, euentilet purgetque ab omni errore, æquè ac mentem à cupiditate.

Secundò. Secundò, quòd, ſicut agricolæ *ieʒaru*, id eſt ſibi alligant & aſtringunt ſaccum ſeminis ſeminandi: ſic pariter ſapiens aſtringat ſibi ſcientiam docendam, vt ſcilicet cordi ſuo eam penitus imprimat, vt, dum docet, non ex ore, ſed ex intimo cordis ſenſu, affectu & ſpiritu eam promere & expirare videatur. Hoc eſt quod ait Chriſtus: *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*; qui ſcilicet ſemen, id eſt verbum Dei, iam facit ſuum, id eſt ſuo cordi intimè illud indidit & impreſſit. Peccant hac in re multi doctores & concionatores, qui conciones à ſe conſcriptas ex memoria ad verbum recitant, perinde ac ſi recitarent orationem Ciceronis quã didicerunt: quare eorum concio eſt arida & frigida declamatio: at ſapientes magis ex corde quàm ex memoria dicta ſua promunt, ideoque illa viua ſunt, efficacia & ardentia, quibus mentes auditorum accendunt & impellunt quocumque volunt.

Tertiò. Tertiò, ſicut agricolæ *ieʒaru*, id eſt ſeminant, ſemẽ liberaliter ſpe copioſæ meſſis: ſic & ſapiens ſapientiam ſuam largè ſpargit & diſſeminat, ſciens eam eſſe ſemen, & ad ſeminandum eam ſibi à Deo eſſe datam, qui huius ſeminationis exactam ab eo exiget rationem in die iudicij, præſertim quia pariter ſcit ſuæ ſeminationi amplã à Deo promiſſam eſſe mercedem, nimirum lauream doctorum in cælis, & conuerſionem auditorum in terris. Eſto enim auditores ilicò non conuertantur, ſuo tamen tempore concionis auditæ memores, fructum vel in ſe vel in alijs non pœnitendum producent. Vnde S. Chryſoſt. hom. 41. in Gen. *Agricola quidem*, inquit, *non pari alacritate ſeminans, cogitans fructus hactenus fuiſſe inutiles: nos autem ab hac cura liberi ſumus. Nam licet iacto æquali ſemine ob auditorum ignauiam fructum non capiamus, perfecta tamen nobis futura eſt meſſis ac merces.* Hinc monet Sapiens Eccleſiaſtæ 11. v. 1. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies eum.* Et v. 4. *Qui obſeruat ventum, non ſeminat: & qui conſiderat nubes, numquam metet.* Et Iſaias c. 32. 20. *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bouis & aſini.* Igitur ſicut agricola totum agrum ſuum ſerit, nec partem fertiliorem à minùs fertili ſecernit: ſic & prædicator non conſideret, an multi ſint auditores vel pauci, an nobiles vel ignobiles, an docti vel rudes; ſed dicat cum Apoſtolo: *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum:* omniq; datâ occaſione ſtrenuè doceat & prædicet. Sic S. Franciſcus teſte S. Bonauentura, eâdem mentis alacritate, eodem ſpiritus feruore concionabatur paucis & multis, diuitibus & pauperibus, ciuibus & ruſticis. Tales fuere Apoſtoli, viriique Apoſtolici, de quibus dicitur pſ. 125. *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.*

Quartò, S. Ambr. in pſ. 36. *Labia ſapientum*, inquit, *alligata ſunt ſenſu, eò quòd omnia quæ loquuntur, vero ſenſui congruere videantur, & ſenſus etiam ſui prudentia intelligant, quæ loqui debeant vel tacere, vt quæ ſilenda ſint cohibeant clauſtro quodam nexuq; labiorũ: in his autem quæ oporteat dici, labiorum vincula reſoluant.*

Idem in pſ. 38. *Labia ſapientis alligata ſunt intellectu. Quando ergo vides illudentibus proteruis ſapientem tacere, dic: Ligauit iſte intellectu labia ſua: hoc eſt, prudenter tacet, ne labiorum ſuorum vinculis alligetur. Poſuit ori ſuo cuſtodiam, ſepſit aures ſuas ſpinis, vectem adhibuit ſeribus oris ſui, ſeruat theſaurum cordis, & argen-*

A *tum eloquij ſui, vt examinatum & purgatum, quando oportet, proferat, ne quiſquam prius fur in cor eius aut perturbator irrumpat, & ad eos captiuum trahat, quibus flagitia ſua vendat.* Idem l. 3. epiſt. 1. ad Conſtantiũ: *Labia tua alligata ſint ſenſu, id eſt*, inquit, *fulgeat ſermonum tuorum manifeſtatio, intellectus coruſcet & alloquium tuum, atque tractatus aliena non indigeat aſſertione, ſed ſermo tuus velut armis ſuis ſeſe ipſe tueatur, nec vllum verbum tuum in vanum exeat, & ſine ſenſu prodeat. Eſt enim alligatura, quæ conſtringere ſolet animorum vulnera: quam ſi quis reijcis, deſperatam ſui prodis ſalutem. Et ideo circa eos, qui graui vlcere vexantur, vtere oleo ſermonis, quo foueas mentis duritiam. Appone malagma, adiunge alligaturam ſalutaris præcepti, vt vagos & fluctuantes circa fidem vel diſciplinæ obſeruantiam, nequaquam ſoluto animo & remiſſo vigore patiaris perire.* Plura vide apud S. Chryſ. S. Ambroſium, Barradium, Salmeronem, & alios interpretes explicantes parabolam ſeminantis Matth. 13. 3.

B

VICTIMÆ IMPIORVM ABOMINABILES DOMINO: VOTA IVSTORVM PLACABILIA] id eſt grata & accepta ſunt Deo, aptaque ad Deum conciliandum & placandum. **VERS. 8.** *Vota* hic ſignificant non promiſſa Deo facta, ſed preces: hebr. enim eſt תְּפִלָּה *tephilla*, id eſt oratio, preces, ſupplicationes. Hebræa ergo ſic habent, *ſacrificium impiorum abominatio Domini: & oratio rectorum beneplacitum eius*; Chald. *& in oratione iuſtorum placabitur*; Syrus, *gratas habet iuſtorum preces*; Septuag. in Catena Græc. *Dominus impiorum victimas execratur: at illorum preces, qui rationem vitæ rectè inſtituunt, acceptæ ſunt apud eum.* Sententia eſt clara. Ratio eſt, quòd olim ante Chriſtum omnia ſacrificia Iudæorum & Gentilium totam ſuam vim merendi, ſatisfaciendi & impetrandi

C

habebant ex opere operantis, hoc eſt ex ſanctitate & dignitate offerentis. At in lege noua Chriſtus inſtituit ſacrificium Euchariſtiæ, quod valet non tantùm ex opere operantis, ſed longè magis ex opere operato, id eſt per ſe & vi ſua: quia tam offerens, quàm victima eius, eſt ipſe Chriſtus, qui Deo gratiſſimus eſt, quare etiamſi offerens, putà ſacerdos, ſit impius, tamen ſacrificium Euchariſtiæ ab eo oblatum vim ſuam, quam habet ex opere operato, retinet & conſeruat, vti docent omnes Theologi. Et S. Auguſt. lib. 2. contra Parmen. cap. 6 ipſi ceteriſque Donatiſtis hunc locum Salomonis obijcientibus, ex eoque contendentibus, baptiſmum ab hæreticis, vtpote impijs, collatum eſſe Deo ingratum, ideoque inualidum & reiterandum, reſpondet negando conſequentiam. Obijciunt, inquit, *Sacrificia impiorum execratio eſt Domino. Etenim,*

D

inquiunt, *iniquè offerunt illa.*

Reſpondet ad hoc S. Auguſt. *Iam ſuprà reſponſum eſt, quia non eſt iniquus Chriſtus, qui pro nobis ſeipſum obtulit, & noſter in cælo mediator eſt: quo ſuam Eccleſiam gubernante bonis mali non obſunt, qui vel ignorantur, vel pro pace tolerantur, donec ipſe veniat, ac ſeparet præmiſſis meſſoribus à meſſe zizania, & ventilabro paleas à frumentis.* Et inferiùs: *Sacrificia ergo impiorum eis ipſis oberunt, qui offerunt impiè: Nam vnum atque idem ſacrificium propter nomẽ Domini quod inuocatur, & ſemper ſanctum eſt, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum acceſſerit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat. Non ait, alijs, ſed ſibi.* Orationes tamen & oblationes Chriſtianorum, æquè ac Iudæorum, vim ſuam habent, non ex opere operato, ſed operantis: quare ſi operans ſit in ſtatu peccati mortalis, ideoque Deo ingratus & exo-

exoſus, paruam vim & pondus apud Deum habet eius oratio, niſi eum peccati pœniteat, vel pœnitere incipiat. Nam, vt ait S. Auguſt. ſerm. 19. de Verbis Domini: *Deus cor interrogat, non manum*, id eſt corda appendit, non oblationes: ſanctitatem æſtimat, non munus: intentiones ponderat, non orationes. Huic ſententiæ parallela eſt illa Eccli. 34. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* vide ibi dicta. Ita hunc locum explicat S. Gregorius l. 7. Regiſtri epiſt. 127 ad Recaredum regem Viſigothorum, laudans eum ob munera S. Petro tranſmiſſa. Eius verba tranſlata ſunt in Ius Canonicum, & habentur 3. q. 7. cap. 5. *In grauibus*: vbi ſic dicitur. *In grauibus peccatis quis poſitus dum ſuis premitur, aliena non diluit. Cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is diſplicet, qui ad intercedendum mittitur, irati animus procul dubio ad deteriora prouocatur. Scriptum quippe eſt: Victimæ impiorum abominabiles Deo ſunt, vota iuſtorum placabilia. Neque enim in omnipotentis Dei iudicio, quid, ſed à quo datur, inſpicitur. Hinc eſt enim quod ſcriptum eſt: Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit. Dicturus quippe, quia Dominus reſpexit ad munera; præmiſit ſollicitè, quia reſpexit ad Abel. Ex qua re patenter oſtenditur, quia non offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt. Dona quippe iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes eorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Item: Longè eſt Dominus ab impijs, & orationes iuſtorum exaudiet.*

Porro Caluiniſtæ ex hiſce Salomonis ſententijs inferunt, ſine fide non poſſe fieri vllum opus bonum, etiam morale dumtaxat, ideoque omnia opera infidelium & impiorum eſſe peccata. Quibus egregiè reſpondet Bellarm. lib. 5. de Grat. & liber. arbit. cap. 10. Multum intereſt, inquit, inter ſacrificia & opera moralia: nam vt fiat bene opus morale, non requiritur vt fiat cum deteſtatione peccatorum, vel cum conſcientia pura, quod tamen requiritur ad ſacrificium ritè offerendum. Cuius differentiæ ratio eſt: quia ſacrificium habet pro fine placare & reconciliare Deum, vel ab illo beneficia aliqua impetrare, aut pro acceptis gratias agere: qui autem Deum ſibi reconciliare nititur, & tamen peccata non deteſtatur, nec relinquit, is pugnat cum ipſa ſua actione, nec tam Deum placat, quàm ad iracundiam prouocat. Sic etiam qui vult à Deo beneficia impetrare, vel ei pro acceptis gratias agere, & tamen cum eo inimicitiam gerit, cumque offendere legem ipſius præuaricando non ceſſat; is Deum non tam honorat quàm irridet. Quare nihil eſt mirum, ſi ſacrificium eius Deo non placeat, quippe quod non ritè offertur. At opus morale, vt eleëmoſyna in pauperem, non habet pro fine niſi egenti opem ferre, ad quem finem conſequendum nihil pertinet puritas, vel impuritas, vitæ & conſcientiæ eius qui eleëmoſynam facit.

Vers. 9. ABOMINATIO EST DOMINO VIA IMPII: QVI SEQVITVR IVSTITIAM, DILIGITVR AB EO] Chald. *ſequentes autem iuſtitiam diligit.* Sententia hæc eſt clara, datque cauſam præcedentis, q.d. Ideo Deus execratur victimas impiorum, quia execratur eorum viam, id eſt viuendi agendique rationem: ideò verò preces iuſtorum acceptat, quia eorum via, id eſt modus viuendi, puta iuſta eorum opera ipſi placent. Pro *qui ſequitur* hebr. eſt מְרַדֵּף meraddeph,

A id eſt, *qui perſequitur iuſtitiam*, quo ſignificatur iuſtitiam velut cæleſtem virginem fugere homines terrenis cupiditatibus plenos, iuxta illud Poëtæ

Vltima virtutum terras Aſtræa reliquit.

quare virtutis ſtudioſos debere eam fugientem inſequi: idque ingenti contentione, conatu & ſtudio, vt eam velociter præcurrentem velociori curſu aſſequi & apprehendere valeant. Igitur quo conatu canis venaticus perſequitur leporem, præ illo greſſus accelerando & multiplicando, donec leporem aſſequatur & comprehendat: eodem nos virtutem perſequi debemus, nec à curſu cõtinuo ceſſare, ſed eum intendere, donec illam conſequamur.

DOCTRINA MALA DESERENTI VIAM VITÆ: QVI INCREPATIONES ODIT MORIETVR] Τὸ *vitæ* non eſt in Hebræo, ſed ſubintelligitur: *via* enim *vitæ* B eſt lex Dei, quæ ducit ad vitam longæuam hic, & deinde ad æternam in cælis. Pro *doctrina* hebr. eſt מוּסָר *muſar*, id eſt caſtigatio, diſciplina, correctio. Senſus ergo eſt, q.d. Diſciplina & correctio impio qui ſuas cupedias ſequens deſerit viam vitæ, id eſt legem Dei, eſt *mala*: tum quia ei ingrata eſt, inſuauis & moleſta, ſic enim *bonum* ſæpè ſumitur pro iucundo & læto, *malum* verò pro triſti & moleſto, vt cùm ait Chriſtus Matth. 6. *Sufficit diei malitia ſua*, id eſt ſua moleſtia, ſua crux, ſua afflictio: tum quia lex Dei impio comminatur pœnas peſſimas tam in hoc ſæculo, quàm in futuro, illiſque, ſi ſpernatur, ipſum addicit. *Qui* autem non tantùm deſerit viam vitæ, ſed etiam *increpationes odit, morietur*, tum morte intempeſtiua, qua ſæpè Deus improbos punit: tum morte æterna in gehenna: vnde Septuag. vertunt, *qui autem oderunt increpationes, moriuntur turpiter*: tales enim ſunt incorrigibiles & quaſi deſpera- C ti, ſimiles phreneticis & lethargicis, qui dormire volunt in ſuis peccatis, & dormiendo mori. Ita S. Aug. ſerm. 50. de Verbis Domini: *Prorſus*, inquit, *tales ſunt homines lethargicis ſimiles, qui in lucem oculos intendere pigreſcunt, & his qui eos excitare volunt, moleſti ſunt. Recedite à me, ait lethargicus. Quare? Dormire volo. Sed ille: Morieris. Inde ille amore ſomni. Mori volo, reſpondet. Sed charitas deſuper. Nolo.* Vide dicta v. 5. & locis ibidem citatis.

Vers. 10.

Hunc eſſe ſenſum liquet ex Hebræo, qui ſic habet, *correptio mala relinquenti ſemitam*; & ex Chaldæo, *Diſciplina mali, hominis*, inquit, *errare facit viam ſuam*; & Tigur. *deſertorem ſemitæ grauis caſtigatio manet*; & Vatabl. *diſciplina eſt grauis & ingrata homini, qui viam rectam deſerit*; & Pagnin. *flagellum malum eſt relinquenti ſemitam Domini*; & R. Salomon, *ſupplicia* D *grauia*, inquit, *pœnæq; conſtitutæ & parata ſunt diuinum tramitem tranſilienti.* Sic & Aben Ezra, R. Leui, Ianſen, Salazar, & alij. Porrò Septuag contrariè vertunt, *diſciplina innocentis cognoſcitur à prætereuntibus*; & Syrus, *correptio eorum qui mala neſciunt, manifeſta eſt.* Verùm in Septuag pro ἀκάκου, id eſt, *innocentis*, videtur corrigendum κακοῦ, id eſt, *mali, nocentis*: ſic enim habent Hebr. Chald. & ceteri iam citati, quin & Scholiaſtes Septuag. *Diſciplina*, inquit, *eſt malum derelinquenti viam*, quod planè conſentit cum ceteris iam citatis.

Aliter explicat Baynus, q d. Patris vel doctoris, qui deſerit viam vitæ, id eſt legem Dei, doctrina mala eſt: quia ſicut ipſe vitioſus eſt, ſic eadem vitia verbis & factis docet, imprimitque filijs & diſcipulis.

Aliter quoque Hugo, q.d. Malè docet qui ſola verbi doctrina, id eſt ſolo ore, docet, cùm opere deſerat

deſerat viam vitæ, id eſt legem Dei: quia, vt ait Beda in Prouerb. *Malè viuere & bene docere, nihil eſt aliud, quàm ſe ſua voce damnare*; &, vt ait Chryſoſt. hom. 17. in Matth. *doctrinæ ipſius magnis vocibus ipſa facta reclamant*. Vide auctorem Imperfecti apud S. Chryſoſt. homil. 9. & 10. in Matth. vbi inter alia ait. Talis *non alterum inſtruit, ſed ſeipſum caſtigat. Nemo enim poteſt in valle ſtare, & de monte loqui: ſed aut vbi ſtas, inde loquere; aut vnde loqueris, ibi ſta. Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cælo loqueris?* Et inferiùs: *Melius eſt facere & non docere, quàm docere & non facere: quia qui facit, aliquos corrigit ſuo exemplo; qui autem docet & non facit, non ſolùm neminem corrigit, ſed inſuper multos ſcandalizat. Quis enim non mouetur ad peccandum, cùm viderit ipſos doctores iuſtitiæ peccantes?*

VERS. 11. INFERNVS ET PERDITIO CORAM DOMINO: QVANTO MAGIS CORDA FILIORVM HOMINVM?] Septuag. *infernus & perditio manifeſta coram Domino, quomodo non & corda hominum?* Hebr. eſt אַף כִּי *aph ki* quod in comparatione, qualis hic eſt, ſignificat *quanto magis*, vel *multò magis*. ita Pagnin. Vatabl. Marinus, Baynus, Ianſen. & alij. Quare frigidè & parum aptè nonnulli vertunt, *infernus & perditio coram Domino, etiam & corda filiorum hominum*. Alludit ad illud Iob 26. 6. *Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni.*

INFERNVS ET PERDITIO] Hoc eſt, infernus omnia perdens, vt ſit hendiadys: infernus enim dicitur *perditio*, hebr. אֲבַדּוֹן *abaddon*, id eſt interitus, conſumptio, locus omnino nobis occultus & multâ caligine obuolutus, barathrum & præcipitium, in quod cùm aliquid deſcendit, periſſe videtur tenebris & obliuionis caligine immerſum & obrutum, iuxta illud pſalm. 87. 13. *Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis?* Aut ſimpliciùs *infernus* eſt locus imus terræ & totius mundi, ac carcer damnatorum; *perditio* eſt ipſa mors, gehenna & damnatio æterna eorumdem. Rurſum *perditio* ſunt ipſi perditi, putà damnati tam homines quàm dæmones in inferno. Vnde Apoc. 9. 11. angelus præſes abyſſi vocatur hebr. *abaddon*, græcè Ἀπολλύων, latinè *Exterminans*, vel perdens. Quare minùs probabiliter per infernum Caietan. & Ianſen. accipiunt ſtatum mortuorum; Mercerus, ſepulcrum; alij, mortem, q. d. Deus nouit ſtatum mortuorum (ſcilicet vbi ſint mortui, quid patiantur) qui hominibus in hac vita videtur abſtruſiſſimus. Ergo multò magis nouit corda hominum hic viuentium: hæc enim hominibus non ita videntur abſtruſa: licet à parte rei magis abſtruſa, ſecreta & arcana ſint. Verùm Hebr. שְׁאוֹל *ſcheol*, propriè infernum ſignificat, non mortem, nec ſepulcrum, præſertim cùm ei additur אֲבַדּוֹן *abaddon*, id eſt perditio. Vnde Hic etiam damnat Caluinum, qui negat Chriſtum deſcendiſſe ad inferos; & per inferos accipit ſepulcrum, quaſi idem in Symbolo ſit: *Deſcendit ad inferos*, quod *& ſepultus eſt*.

Aben Ezra & R. Leui hunc verſum connectunt cum præcedenti hoc modo: Dominus, in cuius conſpectu eſt infernus & perditio, hoc eſt, cui nihil eſt abſconditum, probat cogitationes & corda filiorum hominum, qui relinquunt viam diſciplinæ, & odio habent caſtigationem, ac dabit illis mercedem, vt moriantur ante diem ſuum, atque deſcendant ad infernum & perditionem. Timorem ergo hic Salomon incutit iis, qui deſerunt vias rectas, quaſi poſſint latere & fallere oculos Dei, qui etiam ſecretiſſima clarè perſpiciunt. Idem facit pater Salomonis Dauid pſal. 138. 7. *Quò ibo*, ait, *à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades*; &c.

Facilius eſt ſcire ſecreta cordium quàm infernum. Eſt argumentum à minus difficili ad magis difficile, q. d. Deus cognoſcit infernum & damnationem ac damnatos: ergo multò magis cognoſcit corda, id eſt cogitationes & volitiones cordium eorum, qui in terra hac viuunt; illud enim difficilius eſt, hoc facilius.

Quo ſenſu. Difficultas eſt; quomodo hæc ſententia ſit vera. Ratio dubitandi eſt, quòd infernus & damnatio ſint res phyſicæ, ideoque determinatæ ac certæ, quæ facilè ſciri poſſunt: at verò cogitationes & intentiones hominum ſunt res liberæ, ideoque indeterminatæ, ſecretæ & arcanæ, ideoque ſoli Deo cognitæ. Vnde angeli, dæmones & damnati cognoſcunt infernum & pœnas damnatorum, non verò cognoſcunt ſecreta cordium.

Reſp. Primò, Reſpondet Primò, Ianſenius & Caiet. Salomonem loqui de difficultate, quæ eſt non à parte rei, ſed in opinione hominum: homines enim putant difficilius eſſe, imò verè eis difficilius eſt cognoſcere ſecreta inferni quàm ſecreta cordium: quia illorum nulla habent indicia, horum verò habent per verba, vultum, geſtus, facta, &c.

Hæc reſponſio eſt facilis & probabilis. Scriptura enim ſubinde loquitur ex mente & ſenſu hominum, ac phraſibus & moribus hominum ſeſe accommodat.

Secundò. Secundò, R. Leui ſic argumentum concinnat: infernus eſt locus imus, & à Deo remotiſſimus: cor autem ſiue mens hominis eſt Deo vicina, quia ad Dei imaginem creata. Si ergo oculi Dei penetrant vſque ad imum inferni à ſe remotiſſimum, multò magis penetrabunt corda hominum ſibi vicina.

Tertiò. Tertiò, Hugo corda hominum limitat ad homines bonos, q. d. Si Deus reſpicit infernum & damnatos in eo, vt illos pro menſura malorum ab ipſis commiſſorum puniat; quanto magis reſpiciet corda bonorum, vt ea pro bonis mente deſtinatis & opere perfectis præmiet?

Quartò. Quartò, magis genuinè & profundè per infernum & perditionem accipe damnationem & damnatos, præſertim dæmones. q. d. Deus cognoſcit ſecreta inferni & damnatorum, præſertim dæmonum; ergo multò magis cognoſcit ſecreta hominum viuentium. Dæmones enim vti naturæ ſubtilitate, ſic & mentis profunditate ac celandis ſecretis ſuperant homines; vnde magis verſuti, fraudulenti & doloſi ſunt quàm homines, vt patet ex eorum tentationibus, quibus viros etiam ſanctos ſæpè implicant, ſeducunt & proſternunt. Rurſum Deus nouit omnes actus etiam internos & ſecretos cordium, tam dæmonum quàm hominum damnatorum, quos habuerunt in via; ideoque cuique inflixit eam pœnarum in gehenna menſuram, quam quiſque ſuis actibus meritus eſt. Inſuper Deus nouit omnes cogitationes & volitiones dæmonum & damnatorum, quas nunc habent, & quas habituri ſunt per omnem æternitatem: ergo multò magis cognoſcit cogitationes & volitiones hominum, qui in terra miſerè & modicè viuunt.

Denique τὸ *coram Domino* non tantùm ſignificat Deo nota eſſe corda hominum, æquè ac dæmonum & damnatorum: ſed etiam illa eſſe in

manu

manu, poteſtate & dominio Dei, vt de illis faciat quod lubet, vt cogitationes & volitiones eis immittat quaſcumque voluerit, vt pœnas vel præmia & gaudia eis indat prout ei placuerit. Corda enim omnium angelorum, dæmonum & damnatorum ita ſunt in manu Dei, ſicut lutum eſt in manu figuli, vt ait Ierem. c. 18. 6. & ſicut cera eſt in manu cerarij. Ergo pari, imò potiori, ratione eodem modo in manu Dei ſunt corda hominum, iuxta illud S. Pauli: *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, Rom. 9. 18. & 20. Hinc Deus à S. Auguſt. & alijs vocatur *Rex mentium*: quia totus eas penetrat, poſſidet, occupat, vt eis intimè illabi, cogitationeſque & volitiones quaſcumque voluerit, vitaliter indere queat, quod nequit dæmon vel angelus. Rectè ergo argumento à magis difficili ad minùs difficile argumentatur Salomon. Si Deus ſua ſapientia penetrat, & ſua potentia poſſidet mentes dæmonum & damnatorum in inferno, adeò vt eas igne cruciet & vrat; ergo multò magis penetrat & poſſidet corda hominum adhuc viuentium, qui cum dæmonibus in verſutia & robore comparari nequeunt.

Simili phraſi ait Abraham ad Lot Geneſ. 13. 9. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt*, id eſt, in tua poteſtate & arbitrio eſt, vt eligas in ea regionem, quæ tibi magis arridet. Et Dauid Deo pſal. 37. 10. *Domine ante te omne deſiderium meum*, q. d. In tua manu eſt, vt illud expleas. Iſaiæ 40. 10. *Opus illius coram illo*, id eſt in illius manu & arbitrio eſt. Cant. 8. 12. *Vinea mea coram me eſt*, mei iuris eſt & poteſtatis.

Vers. 12. NON AMAT PESTILENS (Septuag. *indiſciplinatus*, qui diſciplinam & correptionem auerſatur & excutit) EVM, QVI SE CORRIPIT: NEC AD SAPIENTES GRADITVR] Vatabl. *accedit*; Septuag. *cum ſapientibus non conuerſabitur*; Syrus, *non ambulat*: quia enim futurum putat, vt ab ijs arguatur, idcirco eos fugit, ait Aben Ezra. Pro *peſtilens* hebr. eſt ל״ץ *lets*, id eſt irriſor, i. luſor, qui omnia monita irridet & cachinno exſibilat, quales ſuo contemptu, ſannis, iocis & dicterijs peſtilentiſſimi & ſummè noxij ſunt: quia omnia iura tam diuina quàm humana in iocum vertũt, riſu eludunt: qui proinde vt peſtes fidelibus vitandi, & ab eorum cœtu velut membra putrida eijciendi & reſecandi ſunt: quia ſuo malitiæ contagio multos inficiunt, animaſque eorum interimunt. Tales ſunt hæretici, de quibus proinde ita ſancit Apoſtolus ad Titum 3. 10. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita ſciens quia ſubuerſus eſt, &c. cùm ſit proprio iudicio condemnatus*. Nam vt idem ait 2. Timoth. 2. 17. *Sermo eorum vt cancer ſerpit.*

Vers. 13. COR GAVDENS EXHILARAT (Pagnin. *decorat*) FACIEM: IN MOERORE ANIMI DEIICITVR SPIRITVS] Septuag. *cordis læti facies flores* (Complut. *viret*; Origen. hom. 4. in Cant. *florida eſt*) *in triſtitijs autem poſita mœſta eſt*; Syrus, *cor hilare pulchrum reddit corpus: cor triſte ſpiritum dolore afficit*; Tigur. *in mœrore cordis languefit ſpiritus*; Vatabl. *frangitur, obſcuratur, aut perit & obſoleſcit ſpiritus.*

Primò, R. Salomon ſic exponit, q. d. Si corde Deo gaudium afferas, eius ſemitas amplectendo, Deus viciſſim erga te vultum beneuolum & hilarem præſeferet votis tuis ſatisfaciens. Sin verò eidem dolendi anſam præbeas, ille viciſſim ſpiritu perturbato erga te ſe monſtrabit, ſicut legimus tempore Noë ob ſcelera hominum Deum tactum dolore cordis intrinſecùs dixiſſe: *Delebo hominem quem creaui*, Geneſ. 6. Hic ſenſus hoc loco eſt impertinens: agitur enim hic de gaudio cordis humani, non diuini.

Secundò, R. Leui: Cor gaudens, inquit, ad contemplationem mirificè confert. Hac de cauſa Eliſeus pſaltem adduci iuſſit, vt muſica exhilaratus eius animus aſſurgeret ad diuina, ſpiritumque propheticum acciperet, 4. Reg. 3. 15. Vice verſa tradunt Rabbini, Iacobum patriarcham ob amiſſum Ioſeph filium ſuum mœrentem, ſpoliatum fuiſſe Spiritu ſancto, nimirum ſpiritu lætitiæ & hilaritatis, quo gaudet & per quem magna operatur Spiritus ſanctus. Sic & Hugo per *ſpiritum* hic accipit Spiritum ſanctum, quem affligit & ex animo triſti pellit triſtitia. Quin & B. Antiochus hom. 25. de Triſtitia: *Auerte*, inquit, *à te triſtitiam hanc, & ne contriſtes Spiritum ſanctum qui in te habitat; ne fortè interpellet Deum, & recedat à te: Spiritus enim Dei, qui in hanc etiam carnem ſe effudit, triſtitiam non fert, neque animi anguſtiam.* Et iterum: *Triſtitia Spiritum ſanctum mœſtificat, qui homini datus eſt hilaris. Vt enim acetum vino ſi immiſceatur, nihil affert iucundi guſtus: ſic etiam triſtitia Spiritui ſancto immixta, paracleſim eius reddit amamœnam.* Mutuatus eſt hæc B. Antiochus ex lib. Paſtoris, ſiue Hermæ, diſcipuli S. Pauli, qui lib. 2. mandato 10. ſic ait: *Triſtitia omnium ſpirituum nequiſſimus eſt, & peſſima ſeruis Dei, & omnium ſpiritus exterminat, & cruciat Spiritum ſanctum.* Ac paulò poſt ſubdit: *Auſer ergo triſtitiam à te, & noli offendere Spiritum ſanctum, qui in te habitat, ne roget Dominum, & recedat à te. Spiritus enim Domini qui datus eſt in carnem triſtitiam non ſuſtinet.* Et tandem: *Cùm ergo mixta fuerit oratio cum triſtitia, non patietur orationem mundam aſcendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum eamdem ſuauitatem non habet: ſic etiam triſtitia Spiritu ſancto mixta, eamdem orationem mundam non habet.*

Tertiò & genuinè, q. d. Cor gaudens non tantùm in ſe ipſo gaudet, ſed & ſuum gaudiũ per naturalem ſympathiam in corpus, ac præſertim in faciem transfundit: hanc enim facit hilarem, roſeam, decoram, florentem, vt ſpiritum hilaritatis efflare videatur: vice verſa cor, ſiue animus triſtis & mœſtus triſtem mœſtumque deijcit ſpiritum, & conſequenter faciem & vultum conſternat, eumque nubilum, luridum & atrum efficit: ſpiritus enim in vultu maximè affectus ſuos patefacere ſolet. Vnde auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ſic vertit, *quando cor gaudet, facies viret: cùm autem in mœrore iacet, ſpiritus triſtis ac tetrus incedit*: ſpiritus enim eſt qui agitat corpus, & illo ſe ſuoſque affectus lętitiæ vel triſtitiæ exerit per ſpiritus vitales & animales, quos corpori præſertim faciei ſuggerit: hinc ſpiritus lætus ſpiritoſum & lætum roſeumque facit vultum, collum erectum, genas viuidas, oculos alacres, corpus agile, pedes veloces, vocem argenteam: vice verſa ſpiritus triſtis tetricum luridumque facit vultum, collum demiſſum, genas depreſſas, oculos liuidos, corpus graue, pedes plumbeos, vocem tremulam. Porrò vera lætitiæ cauſa eſt iuſtitia & virtutum ſtudium, ait auctor Catenæ Græc. ſicut vera triſtitiæ cauſa eſt mala vita & cõſcientia. Tacitè ergo monet Salomon ſtudendum virtuti, vt ſemper gaudeamus, ac cauendum à peccato, vt euitemus triſtitiam. Vide S. Chryſoſt. homil. *Quòd non datur pariter ſecundùm Deum & ſecundùm mundum gaudere*, ſic ait: *Iuſtorum lætitia vera eſt animæ pariter ac corporis recreatio, & ſempiterna fruitionis*

nis præſagium eſt flos. Quocirca fideles hortatur Apoſtol. dicens: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete*, Philip. 4. 4. vide ibi dicta. A

Nota. Pro *deijcitur* hebr. eſt נְכֵאָה *nechea*, id eſt *perturbatur, conturbatur, obſcuratur* ſpiritus, vtpote cui lux gaudij adempta eſt; Marinus, *eſt mæſtus*, Pagnin. *eſt triſtis*; Tigur. *langueſcit*; Vatabl. *frangitur, perit, obſoleſcit*. Nam vt ait S. Auguſt. epiſt. 20. ad Honoratum c. 14. explicans illud pſ. 21. *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*: *Triſtitia quaſi ſoluit cor. Vnde dicitur etiam græcè λύπη, quòd hinc appellata ſit λύπη*, id eſt triſtitia, eò quòd λύη, id eſt ſoluat & tabeſcere faciat cor. Et B. Antiochus hom. 25. *Triſtitia*, ait, *os leonis eſt, quod nullo negotio mærore confectum abſorbet*. Et S. Nilus orat. 5. de Triſtitia, pulchris & appoſitis ſimilitudinibus ignis, fumi, aquarum, febris & parturientis idipſum declarat. *Ignis*, ait, *aſſiduus plumbum imminuit & mundi triſtitia mentem atterit. Oculorum aciem hebetat fumus, & contemplatricem animi vim obtundit triſtitia. Aquæ profunditas non admittit Solis ſplendorem, & cor triſte non exhilarat lucis cõtemplatio. Vt guſtus vim adimit febris, ſic animi ſenſus aufert triſtitia.* Et iterum: *Doloribus*, inquit, *afficitur mater dum filium parit, ſed poſteaquam peperit, non dolet ampliùs. Triſtitia verò & in ipſo partu dolorem affert, & poſteaquam nata eſt vehementer excruciat.* S. Greg. S. Nazianzen. Iambico 15. paucis ita lætitiam & triſtitiam definit: B

Lætitia quidnam? mentis eſt diffuſio:
Triſtitia? cordis morſus & turbatio.

Moral. de malo triſtitiæ.

S. Chryſoſt. epiſt. 3. ad Olympiad. *Triſtitia*, ait, *tinea eſt non oſſium tantùm, verùm etiam mentis, & perpetuus carnifex non latus fodiens, ſed animi vires labefactans.* Quocirca S. Baſil. hom. de Gratiarum actione docet, fidelem debere generoſo animo violentas impreſſiones & aſſultus triſtitiæ à ſeſe depellere. *Ingeneroſæ prorſus*, inquit, *nec virilis animæ, & quæ parum constanti ſpe innitatur Deo, eſt ad eum modum aduerſis frangi, rebuſq; parum lætis ſuccumbere. Vt enim vermes plurimum innaſci ſolent tenerioribus lignis: haud ſecùs angor iſte deiectioris animi in eos hominum ſe inſinuat, qui molliore ſunt nec conſtanti ingenio.* C

Et inferiùs remedium triſtitiæ aſſignat, ſpem & cogitationem retributionis æternæ. *Aſſecit, inquit, te aliquis ignominiâ? Quin tu ad eam ſuſpice gloriam, quæ repoſita in cælis eſt tibi paranda merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adiiſti? Imo oculos imprime fixiùs illis cæleſtibus diuitijs, & theſauro incomparabili, quem tibi ipſi pretio bonorum operum repoſuiſti. Patrione ſolo excluſus es? At patriam habes cæleſtem illam Ieruſalem. Periit tibi filius? Sed angelos habes quibuſcum in circuitu diuini illius throni tripudies, lætitia ſempiterna exhilarandus.*

Idem orat. 12. de Mœrore: *Nam res aduerſæ*, inquit, *animum, ſicuti ignis aurum, probant: ac ſanè illis qui rectè ſunt inſtituti, calamitates veluti alimenta, quædam athletica atque exercitationes ſunt, quæ luctatorem ad paternam gloriam deducunt. Nimia autem triſtitia auctor peccati eſſe ſolet, cùm mæror mentem ſubmergat, conſilij inopia vertiginem afferat, penuria cogitationis animum ingratum generet. Turpe enim eſt benedicere vos ob res ſecundas, ſilere verò ob aduerſas; imò tunc vel maximè gratiæ nobis agendæ eſſent, cùm exploratum habeamus, quòd, quem diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Eripit quidem ex miſerijs ſanctos ſuos Deus, non tamen abſque probatione, ſed tolerantiam ipſis tribuit.* D

Denique Salomonem ſecutus Siracides: *A triſti-* A *tia*, inquit, *feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit ceruicem*, Eccli. 38. 19. Vide ibi dicta.

COR SAPIENTIS QVÆRIT DOCTRINAM (Hebr. *ſcientiam*:) ET OS STVLTORVM PASCITVR IMPERITIA] Hebr. *ſtultitia*; Symmach. *paſcit iniquitatem*; Septuag. *cor rectum quærit ſenſum: os autem indiſciplinatorum cognoſcit mala*; Chald. clarè, *cor intelligens quærit ſcientiam, & os ſtultorum ſtultitiam*. *Sapiens* hîc eſt prudens & iuſtus; hic *quærit doctrinam* & ſcientiam, ſcilicet practicam, putà prudentiam, honeſtatem & virtutem, vt quotidie in ijs creſcat & proficiat: ſtultus autem, id eſt peccator, vitijs addictus, paſcitur ſtultis concupiſcentiæ ſuæ cupedijs, & gulæ vitiorumque illecebris, quibus quotidie magis ſe implicat & inebriat: vnde Syrus vertit, *cor iuſtorum quærit ſcientiam, os ſtultorum improba eloquitur*; & R. Leui, *Ore*, inquit, *ſtultorum fouetur cordis ſtultitia; quòd à corde ad os ſermo progreditur.* Meliùs Ianſenius, q. d. Sapiens auet audire & diſcere prudentia ſapientum dogmata: at ſtultus ore hiante & patulo auidè excipit inſulſas & carnales inſipientium fabulas, nugas, ſpurcitias perinde ac ſi ijs quaſi epulis paſceretur. Verùm hæ epulæ non ſunt hominum, ſed paſcua brutorum. Hæc enim ſignificat Hebr. יִרְעֶה *ire*, id eſt *paſcitur*, quod de brutis dicitur. Optimè vtrumque iungas, q. d. Cor ſapientis quærit doctrinam audire & diſcere, ac vbi didicerit, eamdem alios docere: at os ſtulti paſcitur imperitiâ, quia auet eam audire æquè ac proferre, atq; de ea iugiter colloqui & ſermocinari, vt eam alios doceat, eoſque inſipientes, id eſt carnales & vitioſos, efficiat. Vnde Septuag. vertunt, *os indiſciplinatorum cognoſcit mala*, id eſt mala audiet & eloquetur; & Symmach. *paſcit iniuſtitiam*, vel *ſtultitiam* id eſt, alit, fouet & nutrit improbitatem, tum in animo ſuo, tum in mentibus aliorum, eam probando, laudando, extollendo, docendo. Verſ. 14. B C

Symbolicè, Hugo: *Os ſtultorum*, inquit, *paſcitur imperitiâ*, id eſt vanitate & falſitate. Quatuor autem ſunt animalia, quæ totidem elementis victitant, ſalamandra igne, chamæleon aëre, halec aqua, talpa terrâ: ſic etiam quatuor occurrunt ſtultorum genera, qui eiuſmodi rebus paſcuntur & viuunt. Inuidi & iracundi igne furoris paſcuntur; ſuperbi & ambitioſi aëre vanæ laudis; luxurioſi aquâ voluptatis; cupidi & auari terrâ caducæ proſperitatis; hæc ille.

OMNES DIES PAVPERIS, MALI: SECVRA MENS QVASI IVGE CONVIVIVM] Hebr. *omnes dies pauperis mali: & bonus corde* (vel *bonum cor*) *iuge conuiuium*; Chald. *& cuius hilaris eſt animus, continuum eſt conuiuium*; Syrus, *& iucundi omni tempore ſunt quieti*. Nota; *bonum cor* Hebræis idem eſt Primò, quod bona, pura & ſancta conſcientia; Secundò, quod quieta, læta & iucunda mens ac conſcientia: hæc enim duo ſunt connexa: puritas enim conſcientiæ parit quietem, quies lætitiam conſcientiæ. Vtrumque ſignificauit Noſter vertendo, *ſecura mens*. Verſ. 15. D

Porrò varij variè hunc verſum vertunt, & explicant, omnes probabiliter & appoſitè.

Primò, Tigurina vertit, *omnes dies afflicti hominis mali ſunt: cor autem lætum iuge conuiuium eſt*. Hebr. enim עָנִי *ani* eſt pauper, miſer, afflictus. Et ſic clara eſt antitheſis: opponitur enim afflictus & triſtis læto, quòd afflicti dies mali, id eſt miſeri, ſint; læti autem ſint felices, perinde ac ſi in iugi verſaretur conuiuio. Sic & Aben Ezra עָנִי *ani*, inquit, id eſt pau-

pes

per & afflictus, hic vocatur, qui mœrore ſe vinci patitur: hic enim opponitur bono corde, id eſt læto & iucundo.

Secundò, R. Leui & ex eo Vatabl. per *pauperem* accipit inſipientem: hic enim pauper & inops eſt non cēſus, ſed ſenſus & mentis. q. d. Tota vita inſipientium, putà impiorum, qui malam habent conſcientiam, miſera eſt: at ſapientum, id eſt iuſtorum, vita feſta & iucunda eſt inſtar perennis conuiuij. Simili modo conſcientiam puram opiparo conuiuio comparat S. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. *Cum nullis ſtimulis*, inquit, *conſcientiæ animus pungitur, magno ſemper fruitur gaudio, adeò vt nemo id oratione poſſit exponere. Quid enim tibi videtur in præſenti vita iucundum atque ſuaue? menſáne delicioſa? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem conſequitur, collata, amara & triſtitia plena videtur.* Porrò Hugo: *Conuiuæ*, ait, *huius conuiuij ſunt virtutes, quæ omnes proprijs ferculis reficiuntur.*

Tertiò, R. Salomon cenſet hic opponi & præponi diuitem pauperi. q. d. Pauper dies aget malos, id eſt miſeros: at diues ſemper habet bonum, id eſt lætum cor: quia in perpetuis agit conuiuijs & delicijs. Verùm hic ſenſus craſſus eſt & Iudaicus.

Quartò, alij *pauperem* propriè accipiunt, eiuſque paupertatis bonum, putà ſecuritatem, cēſent hic commendari. q. d. Vulgus pauperes æſtimat malos, id eſt miſeros, & paupertatem eſſe miſeriarum maximam: at ego Salomon aliter ſentio, nimirum ſecuram mentem, quam ſuggerit paupertas, eſſe quaſi iuge conuiuium. Nam vt ait S. Chryſoſt. hom. 30. in Matth. *Pauper ſemper ſecurus eſt, & omni metu vacat: ſumma autem poteſtas ſine timore periculi numquam eſt.* Idem homil. de recipiendo Seueriano: *Paupertas*, ait, *eſt tutum aſylum, perpetua ſecuritas, portus tranquillus, deliciæ periculorum expertes, voluptas ſincera.* Et Seneca epiſt. 2. ad Lucilium: *Honeſta res eſt*, ait, *læta paupertas. Imò iam non eſt paupertas, ſed opulentia cordis, ſi læta eſt. Deniq; non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum illi in horreis iaceat, quantum paſcat aut fœneretur, ſi imminet alieno, ſi non acquiſita ſed acquirenda computet? Quis ſit diuitiarum modus, quæris? Primus, habere quæ neceſſe eſt; Secundus, quod ſatis eſt.* Huc accedit Budæus in Annotationibus reliquis in Pandectas p. 18.

Budæi noua expoſitio.

Qui τὸ *mali* non refert ad τὸ *dies pauperis*, ſed ad *ſecura mens*, q. d. omnes dies pauperis ſunt, mens ſecura mali, id eſt ſecura à malo. Sic enim ait: *Ab ſimili Latini ſermonis ignoratione, niſi fallor, corruptum eſt pulcherrimum apophthegma Sapientis cap. 15. Prouerb. omnes dies pauperis mali: ſecura mens quaſi iuge conuiuium, neque enim mali epithetum eſt pauperis, vt ſcholiaſtæ & gloſſularij intellexerunt: ſed eſt ſubſtantiuum nomen, hoc ſenſu: Omnis vita pauperis, animi eſt conſtitutio ſecuritate mali prædita.*

Securus pro immuni.

Sic Lucanus ait in 5. Pharſal.

O vitæ tuta facultas
Pauperis anguſtiq; laris! ô munera nondum
Intellecta deûm! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu
Cæſareâ pulſante manu?

Securus enim genitiuo iungitur, vt apud Quintilianum in VIII. qui de thautologia loquens: Hæc enim, inquit, quamquam non magnopere ſummis auctoribus vitiata, interim vitium videri poteſt: in quod ſæpè incidit Cicero, ſecurus tam paruæ obſeruationis. Et apud Virgilium, Securus amorum. Et Lucanus lib. Pharſal. de leone:

Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.

Securus, id eſt negligens & contemptor. Verùm hæc expoſitio non conuenit textui Hebræo, in quo liquet τὸ *mali* referri ad *dies pauperis*, non ad *ſecura*, vel, vt hebr. eſt, *bona mens.*

Quintò, noſter Salazar cenſet hic pauperes neceſſitate opponi pauperibus ſpiritu, q. d. Pauper qui paupertatem odit, vitam agit miſerijs obrutam: at *ſecura mens*, Hebr. *bonus corde*, qui ſcilicet æquo animo paupertatem acceptat, ſuaque ſorte tenui contentus viuit, hic viuit iucundè, agitque quaſi *iuge conuiuium.* Vnde Seneca lib. 1. de Remedijs fortunæ: *Paupertas*, ait, *mihi grauis eſt, imo tu grauior paupertati. Non in paupertate vitium eſt, ſed in paupere illa expedita eſt, hilaris, tuta; tu illam opinione grauem reddis.* Et epiſt. 2. *Cui cum paupertate bene conuenit, diues eſt. Non eſt in paupertate vitium, ſed in animo: illud quod paupertatem nobis grauem facit, diuitias quoque graues facere poteſt. Quemadmodum enim nihil differt, vtrùm ægrum in lecto ligneo an in aureo collocas: quocumque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transfert; ſic nihil refert vtrùm ægri animus in diuitijs, an in paupertate ponatur: malum enim ſuum ſequitur.* Hic ſenſus appoſitus eſt; ſed arctior: arctat enim ſecuram mentem, quæ omnium eſt piorum & ſanctorum, ad pauperes ſpiritu.

Sextò ergo, adæquatè & genuinè, opponit Salomon paupertatis malo, quod vulgus ſummum æſtimat, bonum ſecuræ mentis, quod reuera ſummum eſt huius vitæ. q. d. Sicut homines ſummum malum æſtimant paupertatem, ita ego ex aduerſo ſummum huius vitæ bonum iudico ſecuram mentem & conſcientiam. Quare hoc remedium pauperibus ſuggero, vt malum paupertatis depellant. q. d. Omnes dies pauperis mali, id eſt, laborioſi, moleſti, miſeri ſunt: ſi tamen curent, vt in paupertate adſit eis ſecura mens; hæc omnes paupertatis miſerias leniet, imò abſorbebit. Secura enim mens facit mentem lætam & hilarem, perinde ac ſi in iugi verſaretur conuiuio. Vnde Pagnin. vertit, *omnes dies pauperis mali ſunt; ſed mundus corde eſt ac ſi eſſet in iugi conuiuio.* Nam vt ait S. Chryſoſt hom. 2. in epiſt. ad Roman. *Qui conſcientiam puram habet, licet pannoſus ſit, & cum fame aſſidua luctetur; tamen beatior & tranquillior eſt illis, qui inter delicias magnopere degunt.*

Nota. *Secura mens* hebr. vocatur, *bonum cor*: *bonum*, tum ethicè, id eſt purum & ſanctum: tum phyſicè, id eſt lætum, hilare, iucundum: tale enim eſt purum & ſanctum: puritatis enim indiuidua comes eſt lætitia. Hinc *ſecurus* dicitur quaſi *ſeorſim à curis*, putà qui vacat perturbationibus animi, ait Budæus loco iā citato: ſecuritas enim opponitur curæ & anxietati, eſtque animi recta placidaq; cōſtitutio, malorum impendentium cura vacans. His ergo Salomonis verbis beata illa ſecuritas ſignificatur, quam Democritus Euthymiam appellauit, id eſt animi rectam placidamque cōſtitutionem malorum impendentium cura vacantem, de qua ait Cicero lib. 5. de Finibus: *Democriti autem ſecuritas, quæ eſt animi tanquam tranquillitas, quam appellant Euthymiam, eò ſeparanda fuit ab hac diſputatione: quia iſta animi tranquillitas eſt ipſa beata vita.* Idem in 5. Tuſcul. *Qui autem illam maximè optatam ſecuritatem (ſecuritatem autem nunc appello vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata poſita eſt) habere quiſquam poſſit, cui aut adſit, aut adeſſe poſſit multitudo malorū?* Enimuerò ſecuritatis huius cauſa eſt Dei gratia. Quid enim timeat iuſtus, qui ſcit ſe Deo curæ eſſe & cordi? Secura ergo eſt mens iuſti, hoc eſt quieta, ſerena, tran-

tranquilla, confidens, literalis, magnanima, quia Deo nixa.

Porrò Septuag. pro עָנִי *ani*, id eſt *pauperis*, legentes עֵינֵי *ene*, id eſt *oculi*, ſic vertunt, vt habet auctor Catenæ Græc. *Oculi improborum omni tempore hauriunt mala: boni autem ſemper verſantur in pace & animi tranquillitate.* Idem auctor hunc verſum cõnectit præcedenti: *Cor rectum quærit ſenſum & intelligentiam: ineruditorum autem os experietur mala;* ac deinde vtrumque ſic nectit & explicat: *Conuenienter*, inquit, *hoc loco cor cum ore & oculis coniungitur: homines autem mali & indocti ſubeunt mala, nempe pœnam factis ſuis dignam. At boni qui à vitijs & peccatis ferias agunt, ab aduerſis liberi ſunt ideoq; quod ſecundum cordis ſui ſenſum bonum videtur, pacatè operantur.*

Moral. de ſecuritate bonæ conſcientiæ. Moraliter, diſce hic quantum bonum ſit ſecuritas bonæ conſcientiæ, nimirum quòd ſit quaſi iuge conuiuium, præſertim in lege noua, vbi quotidie in conuiuio Euchariſtiæ cum Chriſto epulatur, iuxta illud Eccleſiæ ex S. Thoma Aquin. in Feſto Ven. Sacram. *O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Vt iam in Chriſtianis impleatur illud Iſaiæ c. 66. 23. *Et erit menſis ex menſe, ſabbatum ex ſabbato*, id eſt, feſtum feſto continuè ſuccedet, agitabunt Chriſtiani continua feſta & conuiuia: *menſis* enim hic ſignificat feſtum Neomeniæ, ſiue nouilunij. Adde, quòd Chriſtiani ex hoc conuiuio in terris expectant conuiuium perenne in cælis, promiſſum à Chriſto, Luc. 22. 29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quocirca rectè S. Ambr. in pſ. 45. *Quis*, inquit, *puritate & ſimplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus ſuauior quàm is quem animus benè ſibi conſcij & mens innocentis epulatur?* Hugo Victor. lib. 3. de anima c. 11. *Conſcientia bona*, inquit, *titulus eſt religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, theſaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus ſancti, liber ſignatus & clauſus, & in die iudicij aperiendus*: S. Bern. lib. de Conſcientia: *Nihil*, inquit, *eſt iucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura. Bona conſcientia ſecura erit, cùm corpus morietur: ſecura, cùm anima coram Deo præſentabitur: ſecura, cùm vtrumque in die iudicij ante tribunal terrificum iuſti iudicis ſtatuetur. Futuræ benedictionis non eſt vtilius remedium nec certius teſtimonium bonâ conſcientiâ. Cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, numquam marceſcit bona conſcientia. Subijciatur corpus in pœna, in iniurijs maceretur, verberibus lanietur eculeo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur, ſecura erit conſcientia.* S. Auguſt. breuiter ſed neruosè in Sententijs nu. 90. *Non poteſt*, inquit, *quiſquam fraudari delectationibus ſuis, cui Chriſtus eſt gaudium. Æterna enim exultatio eſt, quæ bono lætatur æterno.* Clemens Alexand. l. 7. Stromatum: *Vniuerſa*, ait, *vita iuſti eſt quidam celebris ſanctus dies feſtus.* Et S. Ambr. lib. 2. Offic. c. 1. *Vitam beatam*, ait, *efficiunt tranquillitas conſcientiæ & ſecuritas innocentiæ.* Quin & Plutarch. in Moral. *Vt nepenthes*, inquit, *herba ab Homero prædicata, addita poculis omnem conuiuij triſtitiam diſcutit: ita bona mens indita nobis, omnem vitæ ſollicitudinem abolet.*

Præclarè S. Cyprianus de Orat. Dominica. *Quis*, ait, *ei de ſæculo metus eſt, cui in ſæculo Deus tutor eſt?* Idē de Exhort. Martyr. aſſerit *timendas non eſſe iniurias & pœnas perſecutionum: quia maior eſt Dominus ad protegendum quàm diabolus ad impugnandum.* Quin & Cicero ad Torquat. *Conſcientia*, ait, *rectæ voluntatis, maxima rerum incommodarum eſt conſolatio.* Quocirca ſapienter S. Baſil. homil. de Gratiarum actione: *Nulla*, inquit, *quamlibet ſplendida ac luculenta humanarum rerum conditio animæ tuæ ingerat gaudium, quod immoderatum ſit: nulla res afflictiuæ aut triſtes illã deijciant de gradu ſuæ celſitudinis, & maturæ grauitatis, mœrore aut calamitate contractam.* Plura vide apud S. Gregor. lib. 8. epiſt. 45. & lib. 9. epiſt. 49. apud S. Chryſoſt. hom. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. in epiſt. ad Roman. Euge ergo ô anima ſancta & in ſanctitate de Deo tuo ſecura: *Sufficis tu Deo tuo, ſufficiat tibi Deus tuus*: non eſt quod præter eum requiras, & requirendo doleas, perdaſque beata mentis tuæ gaudia. Illi ſoli coniungere, illo fruere, cum illo epulare: ille iugis tibi erit conuiua, ille & iuge conuiuium. Dic ergo: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, Cant. 2. 16.

MELIVS EST PARVM CVM TIMORE DOMINI, QVAM THESAVRI MAGNI ET INSATIABILES] *Vers. 16.* Hebr. *præ theſauro multo & tumultus in eo*; Chald. *quàm theſauri multiplicationis in quibus eſt turbatio*; Vatabl. *contritio, id eſt in quibus ſit afflictio & tribulatio quædam*; Syrus, *quàm theſauri iniquorum*; Septuag. *quàm theſauri magni ſine timore*; Noſter ſolerter vertit, *inſatiabiles*: ideo enim theſauri ſunt inſatiabiles, id eſt non ſatiant appetitum diuitis & auari, quia eum turbant, affligunt, moleſtant cura & anxietate ſui, tum augendi, tum conſeruandi: quot enim moleſtijs, laboribus, angoribus, curis lancinatur animus diuitis, vt opes ſuas tueatur & adaugeat? Dicuntur ergo theſauri *inſatiabiles* actiuè, id eſt inſatiatiui, ait Dionyſ. quia appetitum non ſatiant, ſed irritant.

Timor Dei præſtat opibus. Prima. Igitur huius ſententiæ ratio eſt. Prima, quod timor Dei maius ſit bonum quàm omnes theſauri: quare qui eum habet, opulentia eſt omnibus diuitibus qui theſauris abundant. Vnde S. Chryſoſt. hom. 26. in epiſt. ad Hebr. *Adſit*, inquit, *timor Dei, & nihil erit moleſtum, ſiue dixeris paupertatem, ſiue morbum, ſiue captiuitatem, ſiue ſeruitutem, ſiue quiduis aliud moleſtum: ſed & ipſa nobis opem afferent ad contraria. Scilicet paupertas diuitijs honeſtior, morbus ſanitate firmior, captiuitas denique & ſeruitus libertate glorioſior ac potior erit.* Vnde tanta timoris Dei vis ad commutandas malorum vices? Paulò pòſt addit: *Timor Dei concupiſcentias extirpat.* Sanè cupiditas malorum omnium radix eſt; hanc verò radicem timor Dei ſtirpitus eruit; quâ erutâ, mala omnia in bonum permutantur: paupertas tranſit in diuitias, morbi in valetudinem, captiuitas in libertatem.

Secunda. Secunda, quòd timor Dei faciat mentem quietam, & ſua ſorte à Deo ſibi admenſa, contentam, lætam & hilarem, iuxta id quod præceſſit: *Secura mens quaſi iuge conuiuium*; hæc autem mentis quies & lætitia potior eſt omnibus opibus.

Tertia. Tertia, quod timor Dei expleat ſatietque mẽtem: quia eam vnit Deo: qui autem Deum habet, quid amplius deſideret? Cui Deus non ſufficit, quid ſufficiet? Theſauri autem cupiditatem non ſatiant, ſed acuunt: cupiditas enim eſt quaſi hydrops, qui ſemper ſitiens quo plus bibit, eo plus bibere geſtit; iuxta illud,

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Quar-

Quartò. Quarta, quòd theſauri multas afferant turbationes, putà curas, labores, angores, lites, rixas, triſtitias, &c. quæ omne opum commodum & gaudium ſiccant & exſorbent.

Quintò. Quinta, quòd parua ſubſtantia iuſti ſit ſecura & vtilior quàm magna iniuſti. Vnde S. Gregor. Nazianz. orat. 26. legit, *Melior eſt exigua pars cum ſecuritate, quàm magna cum infirmitate & incertitudine.* Huc facit illud Pindari in Nemæis ode. 8. *A Deo ſatæ diuitiæ hominibus durabiliores.*

Sextò. Sexta, quòd modicæ opes faciant modeſtos, humiles, ſobrios; immodicæ faciant audaces, ſuperbos, delicioſos; vnde auctor Catenæ Græcor. vertit, *melior eſt exigua portio cum timore Domini, quàm theſauri magni cum præfracta audacia,* ἀφοβία enim ſignificat ſecuritatem, audaciam, animum timoris neſcium, &, vt Complut. vertunt, *intrepiditatem.* Idem auctor citat ſimilem Heſiodi ſententiam: *Humana amicitia facit ſubinde, vt parua ſuauiùs ſapiant, animumq́; magis oblectent quàm magna, præſertim malè parta. Neque enim gloria genuina, aut voluptas, in magno cenſu aut ſumptu conſiſtit, ſed contrà in genuina voluptate & gratia magnus cenſus & ſumptus ſeſe oſtendit.* Denique R. Leui: Longè præſtant, inquit, tenues facultates cum Dei timore & iuſtè comparatæ theſauris maximis, congeſtis ſtrepitu & clamore ob eorum lacrymas, qui vi fraudeque circumuenti ſunt: nam tenues diuitiæ ad felicitatem & diuturnitatem ſpectant: ingentes verò perniciem damnaque extrema afferunt.

Myſticè idem auctor Catenæ Græc. ſic explicat, q. d. *Melior eſt exigua ſcientia cum iuſta operatione quàm tota, vel cumulata ſcientia cum iniqua actione.*

Vers. 17. Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio] Hebr. *bona eſt eſca oleris & dilectio illic, præ boue præſepij* (id eſt in præſepio ſaginato) *& odium illic;* Chald. *melius eſt prandium oleris vbi eſt charitas, quàm boues pingues vbi eſt odium;* Septuag. *melior eſt hoſpitalitas cum oleribus ad amicitiam & gratiam, quàm appoſitio vitulorum cum inimicitia;* Theodot. *per bouem ſaginatum.*

Primò noſter Salazar charitatem & odium hîc accipit Dei, non hominum, quaſi hîc cauſa detur v. præced. q. d. Melius eſt parum cum timore Dei, quàm theſauri magni ſine timore Dei: quia Deus optimus maximus plerumque ex charitate & amore amicis ſuis immittit paupertatem, nec niſi oleribus eos paſcit: diuitias verò ex odio tribuit ſuis inimicis, vt vitulis ſaginentur: quia diuitię omnium peccatorum, litium & malorum ſunt occaſio, fomentum & cauſa.

Secundò, S. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Coloſſ. odioſas eſſe docet diuitum menſas, licet opiparas; pauperum verò licet tenues, amabiles & optabiles, vt has amare & ambire, illas odiſſe & fugere conueniat; eò quòd menſæ pauperum in tribus, ſcilicet in honore, voluptate & libertate ſuperent menſas diuitum, ac proinde amicæ ſint, beneuolæ & charitatis plenæ; cùm diuitum ſæpè ſint ſuperbæ, ſuperciliosæ, maleuolæ, ideoque magis odio quàm amore dignæ. *In tribus,* inquit, *illos ſuperamus, ſcilicet voluptate, honore, libertate & gratia. Nam ego malim quidem ſolum panem ſumere cum gratia, quàm innumerabiles cibos cum ſeruitute; & melius reor eſſe vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio.*

Tertiò, planè & genuinè, R. Salomon: *Melius eſt,* inquit, *conuiuium oleris indigenti exhibitum cum beneuolentiæ ſignificatione, cùm ſcilicet hilari beneuoloque vultu excipitur, quàm cùm eidem edendæ præbētur carnes pingues cum iurgio & ira.* & Aben Ezra, *Melius eſt,* inquit, *amicitiæ donum vitulo ſaginato: præſtat eſui bonis alitibus vt quis ab altero ametur, quàm vt ſaginato boue veſcatur, & tamen alter alterum odio proſequatur.*

Senſus ergo genuinus eſt, q. d. Satius eſt maioriſque voluptatis & vtilitatis, excipi oleribus cum charitate, amicitia & beneuolentia, quàm magno apparatu vitulorum & epularum cum odio, inimicitia aut maleuolentia: quare illa potiùs quam hæc ſunt adeunda, præſertim cùm quis ad illa inuitatur. Rurſum Hugo, q. d. *Gratius eſt modicum quod datur cum hilaritate, quæ eſt ſignum amoris, quàm multum quod datur cum triſtitia, quæ eſt ſignum odij. Vnde Eccleſiaſt. cap. 35. In omni dato* ait, *hilarem fac vultum tuum & cum exultatione ſanctifica decimas tuas.*

Significatur ergo hîc Primò, ei, qui quærit hoſpitium vel prandium; quærendum eſſe potiùs hoſpitem, qui ſit hoſpitalis, id eſt animo hoſpitali pręditus. Commendatur igitur hîc virtus hoſpitalitatis, quam docet Salomon non tam in epulis, quàm in animo beneuolo & officioſo conſiſtere. Sunt enim multi qui ob auaritiam nolunt eſſe hoſpitales: hoſce hîc docet Salomon, vt, ſi magno ſumptu nolint aut non poſſint, ſaltem animo & frugali menſa ſint hoſpitales. Ita S. Ambr. l. 2. Offic. c. 21. *Inde,* inquit, *ſe immerſit auaritia, velut quædam bonorum ariditas officiorum, vt homines damnum putent, quidquid præter morem impenditur. Sed etiam in hoc aduerſus auaritiam, ne quod afferri poſſit impedimentum, proſpexit Script. venerabilis dicens: Quia melior eſt hoſpitalitas cum oleribus, & infrà: Melior panis in ſuauitate cum pace. Nō enim prodigos nos docet eſſe Script. ſed liberales.*

Secundò, docetur is qui conuiuium inſtruit; vt illud magis amore quàm epulis inſtruat: nam ſi illud liuore & rancore condiat, non tam conuiuium faciet quàm conuitium, vt ait Auſonius in Ephemeride. Finis enim, imò forma & anima conuiuij eſt amor, charitas, beneuolentia: vt patet in conuiuio Euchariſtiæ quod Chriſtus inſtituit, vt fideles omnes tam ſibi quàm inter ſe per charitatem vniret. Atque hac de cauſa poſt illud olim Chriſtiani inſtruebant conuiuium eſcarum vulgarium, ad quod inuitabant omnes fideles etiam pauperes in ſymbolum charitatis, ideoque illud vocabant Agapen, id eſt charitatem, vt dixi 1. Corinth. 11. Quare maligni ſunt, qui in conuiuio diſcordias, lites, rixas exercent, imò perfidi & proditores, qui hoſtes ad epulas inuitant vt occidant, vti inter eas occiſus eſt Simon Machabæus cum filijs à Ptolemæo, 1. Machab. 16. 16. & Amnon inuitatus ad conuiuium ab Abſalomo, ab eodem in trucidatus eſt, 2. Regum 13. 28. Et Chriſtus in vltima cœna proditus, & ad necem Iudæis traditus fuit à Iudas quod perinde ingenti doloris ſtimulo Chriſtum pupugit adeò, vt pſal. 54. 13. grauiter de eo queratur: *Quoniam,* inquit, *ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, &c. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus; qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu,* q. d. Tu, ô Iuda, qui eras mihi conuiua, factus es mihi proditor: hoc me pungit, hoc cruciat.

Myſticè, Primò, auctor Catenæ Græc. ſic explicat, q. d. Satius eſt pauca ſcire cum charitate, quàm magnam ſcientiam vendicare & cum pace pugnare. Secundò, ſatius eſt exigua beneficia conferre

ferre ex magna charitate, quàm magna ex parua vel ægra: beneficium enim maximè æſtimatur ex animo conferentis. Tertiò, ſatius eſt parua virtutum officia exercere ex magno amore Dei, quàm magna ſine eo. Vnde vidua Euangelica offerens duo minuta in gazophylacium, plus cæteris omnibus obtuliſſe iudicatur à Chriſto, Lucæ 21. 3. Hoc autem maximè locum habet in conuiuio Euchariſtiæ: qui enim in eo oleribus pœnitentiæ & compunctionis veſcitur ex charitate, longè præſtat illo qui in eodem vitulo ſaginato ſuperbæ ſapientiæ & contemplationis paſcitur ſine amore, exiſtens in peccato mortali. Talis enim *iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini,* 1. Corinth. 11. Aut ſimpliciter, ait Hugo: *Melius eſt cum charitate comedere olera, quàm cum odio accedere ad Euchariſtiam: Chriſtus enim in Euchariſtia eſt vitulus ſaginatus, de cuius plenitudine omnes accepimus,* Ioan. 1. Quartò, Gloſſa: *Multò vtilius eſt,* inquit, *ſimplicis vitæ innocentiam cum charitate ſeruare, quàm virtutum exteriùs fulgere miraculis, & interiora mentis ab odiorum ſordibus non purgare.* Quintò, Hugo per *olera* accipit mandata per *vitulum ſaginatum* conſilia Euangelica. q. d. *Melius eſt cum charitate ſeruare mandata, quàm cum odio implere conſilia.*

VERS. 18. VIR IRACVNDVS (Hebr. *vir excandeſcentiæ*) PROVOCAT RIXAS: QVI PATIENS EST, MITIGAT (Syrus, *extinguit*) SVSCITATAS] Septuag. *vir animoſus parat* (malè aliqui legunt *parit*) *rixas: longanimus autem & eam quæ futura erat mitigat.* Iidem replicando ſubdunt: *Longanimus vir extinguit iudicia* (lites, quæ in iudicijs & tribunalibus agitantur) *impius autem ſuſcitat magis;* Vatablus, *vir iracundus excitat contentionem: at longanimis ſedat litem.*

Pro *prouocat* hebr. eſt גָּרָה *gera*, id eſt trahit, attrahit: vnde מְגֵרָה *megera* vocatur ſerra, quaſi traha, à trahendo. Sicut ergo ſerra aſſidui tractus reciprocatione ſecat ſaxa etiam duriſſima: ſic qui linguâ repetit & reciprocat iniurias, ſecat amores etiam maximos, ac inter amiciſſimos concitat rixas. Rurſus *gera*, id eſt gutture trahit, gargarizat, ruminat & ruminando prouocat. Vnde גָּרוֹן *garon* vocatur guttur, quo cibum trahimus & ruminamus. Significat ergo, quod, ſicut guttur in animalibus attrahit rumen, id eſt cibum è ſtomacho; cumque rurſus maſticat & ruminat: ſic quoque iracundus, id eſt propenſus in iram, alterius dicta vel facta in ſui contemptum, aſſiduè in memoriam reuocat, indeque lingua ea voluit, crebro de ijs loquendo eaque exaggerando, quo fit vt iras & rixas tam in ſe quàm in alijs ſuſcitet. Sicut ergo gargarizatione prouocantur phlegmata, ſic ruminatione iniuriarum prouocantur rixæ. Patiens autem, quia iniurias non ruminat, nec in mentem aut linguam vocat, ſed potiùs eas obliuione ſopit & ſepelit, aut certè extenuat, mitigat & ſedat quoad poteſt; hinc pariter mitigat & ſedat rixas. Patiens igitur validum habet mentis ſtomachum, qui omnia dura illico concoquit: iracundus verò ſtomachum mentis habet bile affectum, quæ aſſiduè iniurias ſibi factas ruminat & eructat, itaque lites ſuſcitat. Ita Caſſian. lib. 8. de Inſtit. renunt. cap. 1. vbi ex hoc & alijs Prouerb. locis docet iram homini eripere tria decora. Primum, grauitatem; Secundum, conſilium; Tertium, pacem: *Quia,* inquit, *ira viri iuſtitiam Dei non operatur. Ipſam quoque honeſtatis grauitatem, quæ etiam viris ſæculi huius ſolet familiaris exiſtere, nullo modo poſſidere poterimus, licet nobiles & honeſti natalium prærogatiua putemur: quia vir iracundus inhoneſtus eſt. Conſilij etiam maturitatem nullatenus valebimus obtinere, quamuis graues & ſumma ſcientia præditi videamur: quia vir iracundus agit ſine conſilio. Sed nec quieti eſſe à perturbationibus noxijs, nec poterimus carere peccatis, tametſi nequaquam nobis inquietudines ab alijs inferantur: quia vir animoſus parat rixas, vir autem iracundus effodit peccata.*

Ira tria bona homini eripit.

Prou. 11. iuxta Septuag. Prou. 14.

Moral. de manſueto reſponſo.

Sapienter Seneca in Prouerb. *Semper diſſenſio ab alio incipiat, à te reconciliatio.* Et Thucydides: *Duo ſunt aduerſiſſima rectæ menti, celeritas & ira.* Huic Salomonis ſententiæ ſubalterna eſt illa eiuſdem v. 1. *Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem.* Præclarè S. Greg. Nazianz. orat. 19. *Nihil,* ait, *perſecutorem ita ſuperat, vt patiens alacritas.* Et S. Chryſoſt. hom. 6. in Acta: *Neque ferrum ignitum,* inquit, *aquâ intinctum ilicò calorem amittit, ſicut ſi incidat in animam longanimem vir iracundus.* Idem hom. 9. in epiſt. ad Hebr. *Arbores,* ait, *quo magis ventilantur & agitantur à ventis, eo fiunt fortiores & denſiores. Et nos quoque ſi ſimus lenes & patientes, erimus etiam fortes ac validi.* Et hom. 22. *Adeò excelſus eſt lenis & patiens, vt ne plagam quidem à plaga accipiat.* S. Valerianus hom. 12. *Infinita virtus eſt,* inquit, *odia viciſſe beneficijs: nam ille inter ceteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit.* Huc ſpectat verſus Comici:

Multa trophæa vis eripit, plura ſed patientia.
Impeccabilis eſſe quæris? ſis patiens, ſis continens.
Nil ſic contumelioſos vrit vt patientia.
Quidquid emendare non eſt, lenias patientia.
Adamanta quiſquis verberat, ſe verberat.
Rupes ferendo vincit aſſultus maris.
Regina rerum omnium patientia.

Denique S. Bernard. epiſt. 87. ad Ogerium: *Humiliatio,* inquit, *via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam.* Idem in Sententijs ſub initium: *Patientes,* ait, *poſſident animam ſuam, quibus dicitur: In patiẽtia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Matt. 5. *Pacifici poſſident non ſolùm ſuam, ſed etiam aliorum in quibus faciunt pacem: vnde meritò filij Dei vocantur, &c. Sed etiam violentes pacem auferre diligunt, ſicut ſcriptum eſt pſal. 119. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Ecce iſti ſunt, in quibus requieſcis, & manſionem Deus facit.* Vnde idem alibi hortatur dicens: *Et tu tamquam angelus pacis ſollicitus eſto auferre ſcandala, turbationes ſedare, diſſidentes & litigantes pacificare. Angeli enim affectu benigni, religione pij, caſtimonia integri, vnanimitate ſunt indiuidui, pace ſecuri, à Deo conditi, diuinis laudibus & obſequijs dediti,* ait idem l. 5. de Conſider. c. 4.

VERS. 19. ITER PIGRORVM QVASI SEPES SPINARVM: VIA IVSTORVM ABSQVE OFFENDICVLO] Hebr. *via pigri velut ſenticetum ſpinarum: & ſemita rectorum ſtrata vel complanata;* Chald. *via pigrorum tribuli & ſpinæ: & via rectorum munda & pura;* Septuag. *viæ otioſorum ſtratæ ſpinis, fortium verò tritæ.* Alludit ad hortos & paradiſos ſepibus ſpinarum obſeptos & circũdatos: ſicut enim viator, qui vult fructibus hortorum gaudere, neceſſe eſt vt ſepes illorum ſpinoſas penetret: ſic qui vult fructibus virtutum frui, oportet vt ſepes tentationum & difficultatum prę-uias perrumpat. Vnde pro *ſepes* hebr. eſt מְשֻׂכַּת *meſucha*, id eſt ſenticetum, vepretum, dumetum, ſpinetum. Igitur ſicut in ſpineto vel dumeto Primo, eſt ſpinarum multitudo; Secundo, denſitas; Tertio aculeus; Quarto, implexio: vna enim alteri continuè innectitur & implectitur: ſic & difficultates, quæ

quæ virtutem obſident & circumdant, Primò ſunt multæ; Secundò, denſæ; Tertiò, aculeatæ & pungentes; Quartò, implexæ, vt, ſi vnam euellas vel ſuperes, mox in aliam & aliam incurras, quæ res facit pigros & puſillanimes deſperare: ſed iuſti fortes & ſtrenui ſenſim & patienter vnam poſt aliam carpunt & ſuperant, itaque tandem omnes euellunt & vincunt, vti ſuadebat Abbas ille in Vitis Patr.

Iam Primò, Tigurina vertit, *via pigri velut ſentibus obſita ſqualet: via autem rectorum complanata eſt*. Vnde noſter Salazar ſic exponit: Salomon, inquit, illos pungit his verbis, qui ex incuria & inertia prædia ſua & fundos nec viſunt, nec excolunt. Itaque ait: *Iter pigrorum, quaſi ſepes ſpinarum*, id eſt via eorum in prædia & in fundos ſpinis ac tribulis horret, perinde ac ſepes hirſutis vepribus implicata: nimirum quia inertia domi iacentes illam non exterunt, non calcant: nam quæ non calcantur viæ enatis vepribus citiùs ſilueſcunt, horridæ atque immeabiles ſunt. *Via iuſtorum abſque offendiculo*; Chald. *via iuſtorum trita*. Nomine iuſtorum impigros & ſtrenuos intelligo, quia pigris opponuntur. Vnde Septuag. vertunt, *viæ fortium*, ſeu *ſtrenuorum, tritæ*: viæ nimirum ad prædia & fundos eorum ſunt tritiſſimæ: quia dum ad illa inuiſenda & excolenda eunt redeuntque, ſemitam proterunt atque calcant. Et Vulgata: *Via iuſtorum abſque offendiculo*, id eſt, ſemita eorum expedita eſt ac purgata: quia cùm ſæpiùs per illã pergant, omnia impedimenta atque obices inde pellunt. Hac autem paraphraſi Salomon ſignificat pigrorum & inertium agros ac prædia inculta ſilueſcere: at ſollicitorum fundos accuratiſſimè coli & tractari.

Secundò, auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ſic vertit, *ignauorum hominum viæ quaſi ſpinis obſitæ ſunt aſperæ: fortium verò ſemitæ ſunt planæ atque protritæ*; quod ſic explicat, q.d. Vt ignaui ſibi & alijs obſunt, ita contrà ſtudioſi ſibi & alijs proſunt.

Tertiò, alij hunc verſum nectentes præcedenti, per *pigros* intelligunt inſipientes, putà iracundos, quos v. præc. Salomon dixit ſuſcitare rixas, cuius rei cauſam hîc aſſignat, quòd ſint ſpinoſi & aculeati: aculeis enim & ſpinis ſuæ dicacitatis ita pungunt alios, vt rixas ſuſcitent. Huc facit R. Agadæ adagium, quod citat hic R. Salomon: *Via Eſau eſt tamquam ſpina floccis lanæ implicita, quam ſi inde remoueas aliunde emerget*. q.d. Improborum manus nemo euadit niſi pecuniarum ope: quia ſi hac parte contra illorum inſultus te munias, alia te pungent & affligent.

Quartò & genuinè, q.d. Iter ad honeſtas virtutum actiones pigris, ob cupiditatem & pigritiam torpentibus, videtur durum nimis, arduum, implexum & imperuium, perinde ac ſi ſpinis obſitum & obſeptum foret: via autem iuſtorũ qui impigrè & ſtrenuè progrediuntur in via iuſtitiæ, iuſtis ipſis ob aſſuetudinem ſtudiumque & deſiderium virtutis videtur, vt reuera eſt, *abſque offendiculo*, id eſt complanata, facilis & trita: eſto enim in ea tentationes & difficultates occurrant, tamen iuſti generoſi eas ſuperant & tranſſcendunt, cùm pigri & impij eis territi animum deſpondeant, cedant & ſuccumbant, iuxta illud cap. 21. 13. *Dicit piger: Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum*. ita Beda, Hugo, R. Salomon, R. Leui, Caiet. Baynus. Arboreus & alij. Vnde Vatabl. ſic vertit & explicat: *Via*
A *pigri eſt quaſi ſepes ſpinoſa: & via rectorum eſt eleuata*: hoc eſt, *inſipiens, id eſt impius, eſt piger, quaſi eſſet ſeptus ſpinis: ſapiens verò eſt diligens, quaſi incederet per viam ſtratam lapidibus*. Sic & Aben Ezra ac Pagnin. Quin & S. Gregor. lib. 30. Moral. c. 13. *Multos*, ait, *ſæpè videmus vitam quidem ſanctæ conuerſationis appetere, ſed ne hanc aſſequi valeant, modò venientes caſus, modò futura aduerſa formidare: qui incerta mala, dum quaſi cauti proſpiciunt, in peccatorum ſuorum vinculis detinentur. Multa enim ante oculos ponunt, quæ ſi eis in conuerſatione eueniant, ſubſiſtere ſe non poſſe formidant: de quibus bene Salomon ait: Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum. Nam cùm viam Dei appetunt, eos velut ſpinæ obſtantium ſepium, ſic formidinum ſuarum oppoſitæ ſuſpiciones pungunt; quod quia electos præpedire non ſolet, bene illic ſecutus adiungit: Via iuſtorum abſque offendiculo*.

B Et Caſſianus Collat. 24. c. 24. *Viæ*, inquit, *ſecundum ſententiam Salomonis nihil operantium ſtratæ ſunt ſpinis, fortium verò tritæ ſunt, & ita ab itinere regio deuiantes ad illam metropolim, vbi noſter curſus indeclinabiliter ſemper debet eſſe directus, non poterunt peruenire. Quod etiam Eccleſiaſtes ſatis ſignificanter expreſſit: Labor, inquiens ſtultorum affliget eos, qui non nouerunt ire in ciuitatem; illam ſcilicet Ieruſalem cæleſtem, quæ eſt mater omnium noſtrûm*. Eccleſ. 10. iuxta Septuag.

Vide proprietates & diſcrimina pigri & ſeduli ſiue feruentis, quas ex S. Bernard. ſer. 6. de Aſcenſione Domini recēſui Rom. 12. 11. ad illud: *Spiritu feruentes*. Idem S. Bernard. ſerm. de triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis, pigris acrem dat ſtimulum ad ſpinas omnes in via virtutis occurrentes animosè diſiiciendas: *Nemo*, inquit, *noſtrûm fratres parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis.*
C *Siquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec pertranſeat hora, ô donec pertranſeat tempus. Donec hora prætereat quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio Conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hereditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, incitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem*; vide ſequentia. Idem ſermone de multiplici vtilitate verbi Dei, pigritiæ remedium aſſignat audire vel legere & ruminare verbum Dei. *Sermo enim quem loquitur*, ait, *ſpiritus & vita eſt. Si cor tuum induratum eſt, memento Scripturæ dicentis: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea*, pſal.
D 147. & item: *Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt*, Cant. 5. *Si tepidus es, & etiam iam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini: & inflammabit te, quia eloquium eius ignitum valdè*. Proprium enim acediæ & pigritiæ remedium eſt amor Dei; vbi enim eſt amor, ibi non eſt labor, nec tepor aut torpor: ſed ardor & feruor: iuxta illud:

Non ita diſruptis flammas vomit Ætna caminis,
Æſtuat vt quis amans ictus amore Dei.

Myſticè Hugo: Iter pigrorum, inquit, eſt, vita præſentis voluptatis, quæ ſui amore implicatos detinet, pigroſque facit ad omne bonum. Sepes ſpinarum ſunt ſpinoſa & pungentia deſideria pigrorum. Vnde ſicut ſepes ſpinarum non tranſitur abſque læſione pedum, ſic nec præſens voluptas abſque punctione affectuum. Quòd autem deli-

ciæ præſentis vitæ ſpinæ ſint, dicit Iob c.30. *Eſſe ſub ſenſibus delicias computant.* Vnde ruſticus in luna faſce ſpinarum onuſtus quid aliud eſt, quàm homo in mutabilitate præſentis vitæ ſub onere præſentium voluptatum? Vnde Nahum, 1.10. dicitur: *Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium eorum pariter potantium: conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena. Via iuſtorum abſque offendiculo*, quia rectà, quia plana, quia lucida, quia ſecura: nam quidquid aduerſitatis vel difficultatis acciderit, æquo ferunt animo, iuxta illud c.12. *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.* Ideo ſemper procurrunt iuſti in via ſua, quouſque perueniant ad patriam, iuxta illud Iſaiæ c.40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* E conuerſo via impiorum plena eſt ſpinis auaritiæ, quæ ſuffocãt ſemen, Matth.13. & gladijs detractionis, iuxta illud c.22. *Arma & gladij in via ſuperbi.* Item laqueis adulationis, iuxta illud Eccli.9. *Communionem mortis ſcito, quoniam in medio laqueorum ingrederis, & ſuper arma dolentium ambulabis.* Item lapidibus contentionis & obiurgationis, iuxta illud Eccli.21. *Via peccantium complanata lapidibus.*

Denique S. Ephrem. ſerm. Aſcet. ad imit. Prou. *Propria proditio*, inquit, *eſt negligentia: negligentia autem grauis ac dira eſt captiuitas: at vigilantia captiuam etiam ducentes captiuitatem capit & apprehendit.*

Vers.20. Filivs sapiens lætificat patrem: et stvltvs homo despicit matrem svam] Hebr. *ſpernit*; Symmach. *vilipendit*; Septuag. *ſubſannat*, vel *deridet matrem ſuam*; Syrus verò, *confuſio eſt matris ſuæ*: vt *Io* deſpicit idem ſit quod deſpici facit, & vt R. Salomon explicat, *in cauſa eſt vt à ceteris illa deſpiciatur*. Sub patre matrem, & ſub matre patrem intellige. Sed lætitiam tribuit patri, deſpectum matri quia patres, vtpote maioris animi & ingenij pluris æſtimant ſapientiam, indeque lætitiam maiorem de filijs ſapientibus, id eſt probis, concipiunt: matres verò, quia minoris animi, & ſexu ac natura ſunt infirmiores, faciliùs à filijs proteruis deſpiciuntur, indeq; triſtantur & dolent: quia teneriùs diligunt filios quàm patres, eò quòd plus tribuerint filijs: filius enim à matre in vtero totam penè materiam & ſubſtantiam accipit, eamq́ue mater format, organizat, & quaſi animat; ac deinde iam natũ lactat, faſciat, educat, inſtituit, &c. quare hac parte plus debet filius matri quàm patri, ac conſequenter ſi eam deſpiciat, grauiorem ei facit iniuriam. Antitheſis exigebat vt diceret, *Contriſtat matrem ſuam*, ſed more ſuo Salomon cauſam contriſtandi aſſignat, nimirum deſpectum. Sicuti ergo filius ſapiens ſuâ obedientiâ, probitate & virtute lætificat parentes: ſic inſipiens ſuâ proteruâ improbitate, gula, libidine & vitijs contriſtat eoſdem, præſertim matrem, qua in re ille ſuam ſapientiam, hic ſuam inſipientiam oſtendit: tum quia ſicut ſapientiæ eſt colere virtutes, ita inſipientiæ eſt mancipare ſe vitijs, vt eorum ſe faciat vile mancipium: tum quia ſicut ſapientiæ eſt colere & exhilarare parentes, ſic inſipientiæ eſt eoſdem deſpicere & contriſtare. Quid enim charius, quid vicinius, quid coniunctius filio quàm parentes? quare qui eos colit vel deſpicit, colit vel deſpicit ſeipſum, imò Deum ipſum; parentes enim ſunt vicarij Dei, eiuſque viua quaſi imago & ſimulacrum. Vnde Plato eos quaſi deos quoſdam ter-

A reſtres: ac deorum ſimulacra à filijs colendos eſſe docet li.11. de Legibus: *Cenſendum eſt*, inquit, *nullum apud deos magis venerandum ſimulacrum nos habere debere, quàm patres ſenio confectos matreſq́; ſimul, quibus honorandis Deus gaudet.* Hinc Deus filijs honorantibus parentes promiſit vitam longæuam ſuamq́ue benedictionem; inhonorantibus verò comminatur mortem & maledictionem; vide dicta c.10,1. & Eccli.3. v.1. & ſequ. vbi fusè egi de honore parentum.

Tropol. auctor Catenæ Græc. *Filius ſapiens*, inquit, *eſt honeſtum cogitatum, quod parentem ſuum, nempe mentem, lætificat: ſtultus autem quod proprio ſenſu rectè vti neſciat, & ſeipſum & alios quoque confundit.*

Stvltitia gavdivm stvlto: et vir prvdens dirigit gressvs svos] Hebr. *ſtultitia gaudium eſt ei qui deficit corde* (vecordi, excordi) *& vir* Vers.21.
B *intelligentiæ rectũ facit ſeipſum in eundo*; Chald. *& vir prudens rectè graditur*; Septuag. *dementis ſemitæ indigentes mente: vir autem prudens rectâ tendens vadit*, vel *dirigens ambulat*; Syrus, *demens excors eſt: prudens rectà ambulat*; Aben Ezra: *prudens rectum iter quærit, quod incedat.*

Senſus planus & clarus eſt. q.d. Stultus gaudet de ſua ſtultitia, id eſt de ſuis ſtultis cogitationibus, ſermonibus, operibus: at verò prudens gaudet de ſua prudentia, quòd ſcilicet prudenter dirigat & rectos faciat greſſus, id eſt actiones ſuas. Stultus inſtar vituli petulantis gaudet vitulari, laſciuire, huc illuc inconditè & inulsè ſaltare: at prudens recto & compoſito greſſu incedit. Ita R. Salomon; *Ipſamet vecordia*, inquit, *apud vecordes gaudij*
C *loco ducitur.* Sic & R. Leui. Accedit auctor Catenæ Græc. qui ex Septuag. ſic vertit, *amentiũ ſemitæ iudicio & mente carent: vir autem prudens non abſque cautione per viam incedit*; ſicq́ue explicat: *Amentis ſemitæ rectè vocantur fatuæ: nam cùm eiuſmodi homines mentis iudicio ſint deſtituti, nihil faciunt cum ratione, ſed temerè & inconſultè omnia.*

Poteſt Secundò, per anaſtrophen ſic exponi: *Gaudium eſt ſtultitia ſtulto*, q. d. Stultitia ſtulti eſt ſuum gaudium, ſcilicet quòd neſciat moderari & dirigere ſua gaudia: ſtulti enim effundunt ſeſe in ineptam lætitiam, riſus & cachinnos. Vnde ex Hebræo ſic vertas cum Caietano & alijs: *Stultitia gaudij carenti corde*; quod Primò, Caiet. ſic explicat, q.d. Gaudium nimium & effuſum teſtatur ſtultitiam & vecordiam: ſtultus enim neſcit temperare ſua gaudia, vti nec ſuos mœrores. Secundò, Vatabl. q.d. Gaudet ſtultus rebus ſecundis: at iuſtus
D rectè ambulat, quia moderatus eſt & conſtans in aduerſis æquè ac ſecundis. Tertiò, Salazar, q.d. *Stultitia gaudij carenti corde*; nimirũ lætitia effuſior & intemperans hominem, qui cor ſuum moderari neſcit, ad pleraque ſtulta fatuaque facienda compellit: nam vecors animus lætitia laxatus inordinatiſſimè ſe gerit. *Vir autem prudens dirigit greſſus ſuos*; videlicet in lætitia & gaudio non deſipit & immoderatè agit: ſed actiones ſuas prudenter cauteq́ue diſponit. Itaque verba illa Vulgatæ, *Stultitia gaudium ſtulto*, non ita capienda ſunt, quaſi dicant fatuum ex ſtultitia gaudere, ſed potiùs ſtultum ex gaudio prorſus deſipere & ſtultiùs agere: vt ſenſus ſit, Gaudium ſtultitia eſt ſtulto, non viciſſim ſtultitia gaudium vel gaudio eſt ſtulto.

Dissipantvr cogitationes vbi non Vers.22.
est consilivm: vbi vero svnt plvres con-

CONSILIARII, CONFIRMANTVR] Pro *diſſipantur*, hebr.eſt הפר *haphar*, id eſt irrita, frange, diſſipa, vel irritare,frangere,diſſipare,hoc eſt,irritat, frangit,diſſipat cogitationes defectus conſilij: Hebræi enim infinitiuo vtuntur pro indicatiuo & alio quolibet modo,vel infinitiuus ſumitur pro nomine.q.d. Diſſipare,id eſt diſſipatio cogitationũ eſt, vbi non eſt conſilium.Rurſum pro *conſilium* hebr. סוד *ſod*, id eſt ſecretum,indéque conſilium: hoc enim ſolet eſſe arcanum & ſecretum. Igitur

Primò,Chald.ſic vertit, *franguntur vel diſſipantur cogitationes,vbi non eſt ſecretum:& in multitudine conſiliariorum conſilium confirmatur*, q.d. Ad res magnas perficiendas duobus opus eſt, ſcilicet ſecreto & conſilio. Secreto,ne,ſi res in vulgus emanet,multi ſe ei opponant,eamque vel clàm vel palàm impediant. Conſilio,ne imprudenter quid fiat: conſilium autem petendum à multis conſiliarijs: iam ſi multis ſecretum communices, periculum eſt ne ſecretum non maneat, ſed ab aliquo eorum propaletur. Quare prudentia eſt hæc duo ita aſſociare,vt nec ſecretum careat conſilio, nec conſilium propalet ſecretum. Id fiet, ſi fidi conſiliarij deligantur, iíque dumtaxat neceſſarij, qui conſilium ſibi communicatum,vel à ſe datum, ſecretum ſeruent. Quin verò ſi res ſit manifeſta, nec conſultatione egeat, quiſque ſecretum ſibi ſoli ſeruet, nec cum conſiliarijs, vel certè non niſi cum paucis communicet.Sæpè enim totus neruus rei conſiſtit in ſecreto. Memini cum in Belgio agerē. Alexandrum Farneſium Ducem Parmenſem, inclytum Belgij Gubernatorem, communicaſſe duobus conſiliarijs ſecretum ingens de recuperanda vrbe maximi momenti,cumque illud deinde proditum rem euertiſſet,ſe uocaſſe vtrumque ac dixiſſe: Aut ego aut alteruter veſtrûm proditor eſt. Ego ſcio me non prodidiſſe: ergo alteruter veſtrûm proditor ſit oportet, vterque id pernegauit; vnde vter prodidiſſet ſciri non potuit.

Secundò,Septuag.vertunt, *differunt cogitationes qui non honorant conſeſſum* vel *conſilia:in cordibus autem conſultantium manet conſilium.* Vel clariùs, vt vertit auctor Catenæ Græc. *qui prudentium conſenſum pro nihilo ducunt, cogitatus ſuos de die in diem transferunt: in corde autem deliberantium ſalutare exiſtit conſilium.* q.d.Principes & quiuis alij, qui ſuo iudicio præfidentes nolunt alios conſulere,hi cogitationes ſuas de die in diem differunt, dum nouas menti ſuæ difficultates obijci ſentiunt, quas per ſe expedire & reſoluere nequeunt: quo fit vt occaſiones opportunas rei conficiendæ è manibus elabi ſinant, & rem vel nunquam vel tempore importuno, ideoque in caſſum & fruſtra aggrediantur: qui autem alios conſulunt, cum iiſque deliberant, hi ilicò ſanum accipiunt conſilium,quo fit vt opportuno tempore rem exequantur, ac prudenter & ſæpè feliciter eam conficiant. Idem credo voluiſſe Syrum, qui ſequi ſolet Septuag. quare mendosè in eo legi: *Irritas reddunt cogitationes,qui honorem deferunt conſeſſui*: deeſt enim negatio *non*, quam habent Septuag. Hebr.Chald. & ceteri omnes. Vnde ſic in eo videtur legendum: *Irritas reddunt cogitationes, qui honorem conſeſſui non deferunt*, id eſt qui conſiliarios non conſulunt,vti iam explicui.

Tertiò nonnulli ſic vertunt, *diſſipa cogitationes, quando non eſt conſilium: & in multitudine conſiliariorum confirmaberis*: ſicque explicat, q.d. Diſſipa id eſt ſparge in vulgus, id quod agere deſtinas, cùm

A conſiliarios ſufficientes non habes quos conſulas: ſic enim audies multorum etiam ſapientum iudicia & conſilia, quæ te docebunt quid facto ſit opus. Nam vel confirmabunt id quod deſtinas, vel certè quid meliùs ſuggerent. Ita facere ſolent principes aſtuti & ſolertes, idq; faciendum ſuadet Ariſtot. l.3. Polit. Nam ſi res facienda ſpargatur, vulgus vel probabit id quod princeps deſtinat, & tunc ſecurè idipſum exequi poterit:vel ſi non probet,cauſam cur nō probet indicabit,quam cognitam princeps vel ſequi debebit, vel certè amoliri. Durum enim & periculoſum eſt principi, ſi quid contra populi ſenſum tentare vel aggredi velit: hoc enim eſt omnes irritare, omnium odia in ſe concitare, & quaſi contra ſtimulum calcitrare. Verùm Hebr. הפר *haper*, id eſt *diſſipa*,non ſignificat, ſparge in vulgus,ſed, frange,rumpe, irrita, & caſſum redde. B

Quartò optimè Noſter vertit, *diſſipantur cogitationes vbi non eſt conſilium: vbi verò ſunt plures conſiliarij, confirmantur*; Hebr. *& in multitudine conſiliariorum ſtabit*; Aquila, Symmach. & Theodot. *confirmabitur*, ſcilicet conſilium; Vatabl. *fruſtrantur cogitationes*,&c, Senſus eſt,q.d. Vbi cōſultatio non intercedit,cogitata optatum exitum non ſortientur, cùm autem multos maturè conſulentes in conſilium adhibemus, qua ratione id quod optamus perfici poſſit,res ipſa reſpondet cogitationi de re efficienda ſuſcepti. Multi enim multa ſana congruaque ſuggerunt conſilia,quibus res ritè conficitur, & ad optatum finem perducitur. ita R. Salomon, R.Leui.& Aben Ezra. Tunc ergo cogitata *confirmantur*, id eſt, à multorum conſilijs robur & firmitatem accipiunt. Rurſum, *diſſipantur* C *cogitationes* initę ſine cōſilio:quia qui diu eas mente verſat, in eis inuenit plures difficultates & pericula,ob quæ eas refutat,aliaſque meliores ſeſe offerentes capeſſit: quæ verò à pluribus conſiliarijs difficultates omnes proponentibus & diſcutientibus maturè ſuggeruntur, hæ *confirmantur*, id eſt firmæ ſunt, ſolidæ & ſecuræ.

Docet hęc ſententia,neminem ſuo iudicio prefidere debere, præſertim in rebus proprijs,in quibus amor proprius, cupiditas & philautia quemlibet excæcant, ſed alios conſulere oportere, eorumque conſilijs acquieſcere. Quocirca inter tria documenta quæ S.Bernard. moriens ſuis teſtamento reliquit,hoc fuit ſecundū: *In primis*, inquit, *nemini in vita mea ſcandalum dare volui,& ſi aliquando incidit,ſedaui vt potui. Secundò, minùs ſemper ſenſui meo credidi quàm alterius. Tertiò, læſus nunquam vin-* D *dictam expetiui.* Ecce hominis charitatem,humilitatem & patientiam. Ita habet Vita ipſius.

LÆTATVR HOMO IN SENTENTIA ORIS SVI: ET SERMO OPPORTVNVS EST OPTIMVS] Hebr. Vers.23. *lætitia eſt viro in reſponſione oris ſui: & verbum in tempore ſuo quàm bonum!* Chald. *gaudium eſt viro in verbo oris ſui:& verbum in tempore ſuo dictum quàm bonum?* Syrus, *qui loquitur in tempore, bonum eſt ei.* Igitur *ſermo opportunus* eſt qui profertur tempore opportuno, id eſt congruo, commodo, vtili & appoſito. Opportunus enim dicitur ab *ob* & *portus*: quia ſicut nauigantibus portus maximè vtilis eſt & appoſitus ſic res opportuna vel ſermo opportunus audientibus maximè eſt vtilis & commodus. Senſus ergo eſt, q.d. Lætatur quiſque in ſua ſententia, quam rogatus ore profert: quiſque enim gaudet ſuo iudicio & ſenſu, eumque aliorum iudicio,

dicio præfert: cuique enim ſuum videtur pulchrum, cuique ſuum perplacet: attamen non omnis ſententia, ſed opportuna dumtaxat, quæ ſcilicet ſuo tempore & loco profertur, eſt optima, id eſt gratiſſima, commodiſſima & vtiliſſima. Docet ergo hoc prouerbium, prudentiam in dicenda ſententia, ſiue in conſilio, ſiue extra illud, ſeruandam; nimirum vt ſententiam accommodemus tempori. Sæpè enim quod in ſe eſt bonum & vtile, hoc tempore non eſt bonum, ſed malum & noxium. Quare prudens vitat ſententiam importunam, captatq; opportunam, id eſt tempori congruam: Prudentia enim dicendi & agendi conſiſtit in particulari, imò in indiuidua rerum periſtaſi & circumſtantia: prudens enim actio vel ſermo eſt, qui vtilis & appoſitus eſt huic loco & tempori, & hiſce perſonis: imprudens, qui, eſto in ſe ſit prudens, huic tamen loco vel tempori, aut hiſce perſonis eſt incongruus & inutilis, vel etiam noxius. Vnde illud c.25.v.11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.*

Aliter paulò noſter Salazar: Sermo opportunus, inquit, non eſt ſermo opportunè & tempeſtiuè dictus, ſed qui opportuna & accommodata enuntiat & conſulit. q.d. Non eſt fides adhibenda cuiuis conſulenti & conſilio: quia quiſque conſulens ſuam ſententiam & conſilium alijs præfert, cenſetque eſſe optimam; ſed fides adhibenda eſt ſermoni & conſilio opportuno, quod ſcilicet accommodatum eſt ad rem, de qua agitur, conficiendam. Monet ergo Salomon eum, qui conſilio opus habet, q.d. Conſilia non quæ tibi iucundiſſima viſa fuerint, quia tua; ſed quæ optima & maximè oppoſita ad rem conficiendam, etiamſi aliorum ſint, præfero ac ſequitor, iuxta illud Solonis: *Conſule non quæ iucundiſſima, ſed quæ ſunt optima.* Aut certè, ait Salazar, ſermo opportunus eſt, qui id quod animus ſentit, accommodatis & appoſitis verbis enuntiat, iuxta illud S. Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſt. *Sententiam animi verbis aſſequi mirè delectat oratorem: at cùm propria verba fugiunt dicentem, & aliena occurrunt, ſic cruciatur, quaſi legato ſapienti & erudito malus eueniat interpres.*

Myſticè, Galatinus lib. 3. de Arcanis fidei c.29. per ſermonem vel verbum opportunum accipit Verbum congruo tempore è Deo deſtinato incarnatum, vt hominibus eructaret Dei arcana abſcondita à conſtitutione mundi. Vnde ait Apoſtol. Galat. 4.4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Denique Septuag. hæc verſui præcedenti nectentes aliò abeunt. Cùm enim verſu præced. dixiſſent: *In manibus conſultantium manet conſilium*, hoc verſu ſubiungunt, vti vertit auctor Catenæ Græcor. *Verùm mali ita comparati ſunt, vt neque facilè illi obtemperent, neque aliquid quod opportunum, aut è re communi ſit, in medium afferant.* Quo ſignificant, ei qui captat conſilium, cauendum eſſe à malis & improbis: hi enim bona bonorum conſilia refutant, ac pro eis mala & improba, quæ eis mens improba ſuggerit, ſubſtituunt.

VERS. 24. SEMITA VITÆ SVPER ERVDITVM, VT DECLINET DE INFERNO NOVISSIMO] Hebr. *via vitæ ſuper intelligentem vt declinet ab inferno infimo*; Chald. *via vitæ ſurſum eſt intelligenti, vt declinet ab inferno inferiori*; Syrus, *via vitæ eſt aſcenſus intelligentis*. Pro

A *ſuper* hebr. eſt לְמַעְלָה *lemaala*, id eſt ſuperna, ſurſum, ſuperior, ſupra.

Significat ergo Primò, viam virtutis, quæ ducit ad vitam beatam, quam eruditus, id eſt prudens, init & capeſſit, eſſe ipſo longè ſuperiorem, vtpote altam, eleuatam, cæleſtem, vt ſemper ſurſum in cælum ſcandendum ſit; ac proinde Secundò, viam hanc eſſe arduam & difficilem, ac vires naturæ hominis ſuperantem, quia ex diametro recedere debet ab inferno, imò in cælorum ſummum conſcendere, cùm impiorum via voluptatis ſit prona & facilis, ſed quæ deſcendat in infernum. Hoc eſt quod canit Virgilius 6. Æneid.

Facilis deſcenſus Auerni,
Sed reuocare gradum, ſuperaſq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt: pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuere.

Sapiens ergo ſemper ſurſum habet cor, os & manus, dicitque cum Apoſtolo, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, Philip. 3.20. & illud: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Huc ſpectat ingens eleuatio & diſtantia cæli à terra, quæ facit vt homo contendens in cælum magnis paſſibus ſurſum aſſiduè tendere debeat, ſi in cælum peruenire velit. Mathematici enim docent, concauum firmamenti, ſiue cæli ſtellati, octoginta millionibus milliarium diſtare, & eleuatum eſſe ſuper terram. Quare ſi quis bis mille annis viueret, & quotidie directè in altum aſcenderet ad centum milliaria, idque continuò, poſt bis mille annos necdum perueniret ad concauum firmamenti. Rurſum poſt alios bis mille C annos tantumdem quotidie aſcendens, non perueniret à concauo ad conuexum firmamenti: quando ergo à conuexo firmamenti ad cælum empyreum, quod longè magis diſtat & eleuatum eſt, perueniret? Vide dicta Geneſ. 1. v. 14. Hinc Deus ſanxit, vt paſſibus non corporis, ſed mentis, tanta ſpatia tranſmittamus: vt nimirum eamus de virtute in virtutem, donec videamus Deum deorum in Sion. Hunc ſenſum exigit antitheſis, qua τὸ *lemaala*, id eſt, *ſuper*, opponitur *inferno nouiſſimo*; Hebr. *qui eſt infrà* vel *deorſum*, id eſt qui eſt imus vel ima pars mundi.

Vbi Nota, ex hoc loco & ſimilibus liquere, quòd Iudæis in veteri teſtamento non tantùm fuerint promiſſa bona terræ, ſed promiſſum fuerit & cælum, eiuſque gloria & felicitas, ac viciſſim D comminata eis fuerit gehenna inferni, ſi Dei leges violarent. Hinc & Septuag. vt habet auctor Catenæ Græc. vertunt, *viri prudentis cogitata ſunt viæ vitæ, præſtat namque vt ſaluus euadat ab inferno.* Prudentes enim non aliud cogitant, quàm quomodo fugiant infernum, & conſcendant in cælum. Et Aben Ezra: *Semita vitæ*, inquit, לְמַעְלָה, *lemaala*, id eſt *ſuperna, eſt intelligenti.* q.d. *Sapiens laborat vt conditoris ſui voluntati obtemperet, quo iter capere poſſit vitæ quæ ſuperna eſt, hoc eſt animæ, quæ deſiderio flagrat redeundi ad Deum, inferni ſedibus deuitatis in ima ſede conſtitutis.* Et R. Leui: *Via vitæ*, inquit, *longè ſuperior eſt erudito. Quamobrem in ſuis contemplationibus ad ſublimiora & nobiliora prouehetur.* Iſta ergo vocantur à Salomone לְמַעְלָה *lemaala*, id eſt ſublimiora, quæ dignitate præſtant. Quanto enim quidque in hac mundi machina eſt ſublimius, tanto eſt nobilius & præſtantius. Vnde cælum præſtan-

ſtantius eſt elementis: & inter elementa quanto quodque eſt altius, tanto eſt præſtantius. vnde ignis præſtat aëri, aër aquæ, aqua terræ. Cor igitur iuſti eſt præſtantiſſimum, quia altiſſimum, vtpote fixum in cælo empyreo, ipſoque Deo. Conemur itaque ſemper ſurſum aſcendere per cæleſtes cogitationes: quia quò magis aſcenderimus, eò magis recedemus ab inferno, & accedemus ad Deum, & ad ſecuritatem ſalutis æternæ. Sic Simeon Stylites gradatim columnam aſcendit altiùs ſenſim & altiùs, vt pedetentim remotior à terra vicinior fieret cælo. *Primùm enim*, inquit Theodoret. in Hiſtoria SS. Patrum, *iuſſit ædificari columnam ſex cubitorum, deinde duodecim, poſtea viginti duorum, nunc autem ſex & triginta. Cupit enim in cælum euolare, & ab hac terrena liberari conuerſatione.* Quocirca idem bis quotidie ad populum, turmatim eius viſendi cauſa confluentem concionabatur, *iubens in cælum ſuſpicere & euolare, & à terra diſcedere, & regnum quod exſpectatur viſione apprehendere, & gehennæ pœnas timere, & terrena contemnere, & futura exſpectare.* Quin & in columna ſtans mortuus eſt: *corpus autem ne ſic quidem cadere ſuſtinuit, ſed rectum ſtetit in loco certaminum* (cælum ſuſpiciens) *tamquam inuictus Chriſti athleta, nulla parte membrorum volens terram tangere.* Hucvſque Theodoret. Sic & S. Franciſcus & vitâ & voce, non aliud prædicabat quàm, *Surſum corda, ad cælum, ad cælum.* Vnde hoc eius erat apophthegma, *militaturis Deo nihil mundanorum eſſe reſeruandum, ſed eos ſeſe omnibus debere exuere*, &, vt ipſe aiebat, *expropriare.* Plura citabo v. 26. ſub finem. Age ergo, ô fidelis, ô Chriſtiane, ô ſacerdos, ô Religioſe, qui à Deo ante tempora ſæcularia conſcriptus es ciuis domus Dei, & hæres cæli, cohæres Chriſti, mundana deſpice: ſuperna reſpice, altiorem terris vitam age, cum angelis conuerſare, eorum vitam æmulare, breui in beata æternitate eorum conſors futurus.

Hinc Tertiò, Beda: Via vitæ, inquit, eſt ſuper eruditum, id eſt via vitæ tranſſcendit vires naturæ hominis: quare cæleſti eget lumine & gratia à Deo aſpirata, vt iter virtutis, quod ad cælum ducit, ineat. Fides enim, ſpes, charitas, ceteræque virtutes Chriſtianæ, ſunt ſupernaturales, ac proinde cęlitus infuſæ, quibus ad gloriam cęleſtem, inferni periculis deuitatis, tendimus & peruenimus.

Aliter Dionyſ. & Arboreus. q. d. Semita vitæ eſt lex Dei, quę eſt ſuper hominem iuſtum: illi enim iuſtus ſe ſubdere & obedire debet, ſi velit declinare ab inferno, & viam ad vitam beatam inire: lex ergo ſuperior eſt iuſto, illi mandans & imperans, cui proinde iuſtus ſponte ſe ſubijcit & obtemperat.

Denique infernus vocatur *nouiſſimus*: quia vltima eſt & infima mundi pars, ac proinde cælo, quod primum & ſummum eſt, oppoſita. Galatinus l. 6. de Arcanis fidei c. 9. docet, Hebræos priſcos credidiſſe duo poſt mortem animarum receptacula, vnum bonorum, alterum malorum vtrumque tamen infernus vocatur; ſed prius vocatur infernus ſuperior, ſiue limbus Patrum, alterũ infernus inferior, ſiue gehenna damnatorum.

Vers. 25. DOMVM SVPERBORVM DEMOLIETVR DOMINVS: ET FIRMOS FACIET (Hebr. *ſtatuet*, vel ſtabiliet) TERMINOS VIDVÆ] Pro *ſuperborum*, Septuag. vertunt ὑβριστῶν, id eſt, *iniurioſorum, contumelioſorum*; Syrus, *ſtultorum*. Pro *demolietur*, hebr. eſt יִסַּח *iſſach*, id eſt *euerres*, ſicut ſcopis euerrimus ſordes domus: ſuperbi enim ſunt ſordes mundi, idcirco Deus eos euerrit; Septuag. *diruit*; Syrus, *eradicabit*; alij, *extirpabit*, id eſt ſtirpitus euellet & euertet; R. Leui, *ſolo æquabit*.

Senſus planus eſt, q. d. Deus ſuperborum hoſtis & antagoniſta eorum domos, id eſt familias, æquè ac opes & prædia, ſternet & euertet: eriget verò & ſtabiliet domos, id eſt familias & prædia humilium & afflictorum, quales in primis ſunt viduæ. Viduę enim quaſi deſolatæ, & ab omnibus derelictę, ſpecialiter Deo ſunt curæ, iuxta illud pſalm. 154, *Pupillum & viduam ſuſcipiet.* Celebre eſt illud Æſopi Mythologi, qui rogatus *quid Deus faceret*, reſpondit, *Superbos humiliat, humiles exaltat.* *Viduæ Deo curæ: cur? Ratio Prima.*

B Addit S. Ambroſ. lib. de Viduis, duas illas huius curæ diuinæ cauſas. Prior eſt, vt coniugatę ſint vniuiræ, vt ſcilicet contentæ vno matrimonio, mortuo marito alium non quęrant, ſcientes ſe, ſi viduæ maneant, in Dei curam & patrocinium tranſire. Vnde addit: *In diuinis iudicijs nullo peccato Iudæi Dominum læſiſſe produntur, quàm quòd viduæ gratiam minorumq; iura violarũt: hæc propheticis cauſa vocibus conclamatur: hæc ſola cauſa delictis inuidiam mitigatura memoratur, ſi honoretur vidua in honoribus, eiq; iuſtitia deferatur. Sic enim habes Iſaiæ 1. Iudicate pupillo, & iuſtificate viduam, & venite diſputemus; dicit Dominus.* Poſterior, eſt, quòd vidua repræſentet Eccleſiam, cuius ſponſus Chriſtus mortuus abijt in cælum: ipſa ergo remanet vidua. Ait ergo S. Ambroſ. Deum curare viduas, quia ipſę *Eccleſiæ referunt viduitatem, quæ Chriſtum virum ſuum amiſit ſecundùm corporis paſſionem, de qua dictum eſt illud* *Secunda.* *Tertia.*

C *apud Iſaiam: Quoniam multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum.*

Vnde myſticè, Beda per ſuperbos accipit hæreticos, quos quaſi ſordes Eccleſię ex ea euerrere ſolet Deus: per viduam verò accipit Eccleſiam, cuius terminos firmare & propagare idem ſolet. Auctor autem Catenæ Gręcor. per ſuperbos accipit Synagogam ſuperborum Iudęorum, qui Chriſtum occiderunt, ideoque exciſi ſunt: per viduam verò Eccleſiam Gentium, quam Deus Synagogæ prętulit & ſtabiliuit.

Tertiam cauſam addit idem S. Ambroſ. Adhort. ad virgines; quòd viduæ exemplum caſtitatis illuſtre prębeant non ſolùm coniugatis, ſed etiam virginibus: facilius enim eſt virgini non expertę carnales illecebras ſeruare virginitatem, quàm viduę eas expertę, ſeruare viduitatem: *Exemplum* *Quarta.*

D *viduitatis*, inquit, *& virginitatis magiſterium eſt.* Dum enim videt virgo viduam intactam ſeruare viduitatem, incitatur & ipſa vt illibatam ſeruet virginitatem.

ABOMINATIO DOMINI COGITATIONES MALÆ: ET PVRVS SERMO PVLCHERRIMVS FIRMABITVR AB EO] τὸ *firmabitur ab eo* non eſt in Hebręo, Gręco & Chald. nec in Latinis Complut. ſed intelligitur ex antitheſi: Hebręa enim ad verbum ſic habent, *cogitationes mali*, id eſt rei malæ (Vatabl. *mali*, ſcilicet *viri*) *abominatio ſunt Domini: & pura eloquia pulchritudinis*, id eſt, pura eloquia pulchreſcunt, repete *Domino.* q. d. Sicut Deus abominatur cogitationes malas, ſic puros ſermones, gratos pulchroſque habet, iiſque quaſi decoratur & pulchreſcit: quare eos ſuo aſſenſu & cooperatione firmat, id eſt affirmat & confirmat. ita Vers. 26.

Vatabl. Septuag. *abominatio Domino cogitatio iniuſt.* A *caſtorum autem locutiones* σεμναί, id eſt *graues, puræ, honeſtæ*; Symmach. ἁγναί, id eſt *caſtæ*; Theodot. καθαραί, id eſt *mundæ*, Chald. *& puri ſermones ſuaues ſunt*; Vatabl. *iucundi ſunt*; alij, *puri ſunt ſermones decoris vel pulchritudinis*; *Syrus*, *pura verba delectabilia ſunt*; Aben Ezra, *puri ſinceriq́; ſermones reputantur vt argentum ab omni ſcoria ſegregatum, quibus delectatur Deus.* Cogitationibus malis opponit purum ſermonem, hoc eſt puram cogitationem: ex hac enim ſequitur purus ſermo: ex abundantia enim cordis os loquitur. Eſt metalepſis crebra Salomoni. Senſus ergo eſt, q.d. Deus abominatur cogitationes malas, indeque prodeuntes malos ſermones: vice verſa amat puras cogitationes, indeque prodeuntes puros ſermones, qui in oculis Dei æquè ac hominum pulcherrimi ſunt, ideoque ei perplacent, ab eoque diriguntur & confirmantur. Vnde R. Leui ex Hebręo ſic vertit & explicat: Deteſtatur Deus improbi cogitationes, quòd ſemper in improbitate voluteniur: quę verò animo verſant puri & mundi, nihil aliud ſunt quàm ſermones qui Deo iucundi ſunt.

Tangit hic radicem omnis mali & boni, nimirum cogitationes malas & bonas. Ex mala cogitatione enim mentis naturaliter oritur delectatio in voluntate: ex delectatione appetitus: ex appetitu conſenſus: ex conſenſu opus: ex opere cõſuetudo: ex conſuetudine obſtinatio: ex obſtinatione gehenna, vice verſa ex cogitatione bona hæc eadem ſed bona oriuntur, ac tandem cęleſtis gloria & felicitas. Vide hic proſapiam cogitationis bonę & malæ, eiuſque filios, nepotes & pronepotes. Quare ſumma homini cura adhibenda eſt circa cogitationes, vt non niſi bonas animo verſet, & malas vel à dęmone, vel à concupiſcentia, vel ab hominibus immiſſas ſtatim excludat, & velut oua aſpidum exterminet. Qui enim ſemper bonas cogitationes mente verſat, non niſi bonum appetere poteſt, voluntas enim ſequitur intellectum & cogitationem. Hoc eſt quod ait Chriſtus Matth. 15. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt quæ coinquinant hominem.* Vide vt Euangelium legi, Chriſtus verus Salomõ priſco Salomoni aſtipuletur. Huc facit illud Sixti philoſophi: *Bona mens* (quę bona cogitat) *chorus eſt Dei: mala mens* (quæ mala cogitat) *chorus eſt dæmonum. Templum ſanctum eſt Deo mens pij, & altare optimum eſt ei cor mundum.*

Rurſum cogitationes bonas, vel malas, amplectitur, vel abominatur Deus: quia ipſæ ſunt indices & affectus amoris boni vel mali, quem Deus amplectitur vel abominatur, iuxta illud S. Auguſt. *Amor meus pondus meum: eo feror, quocumque feror.* Voluntas enim quaſi domina mouet, intellectum, vt cogitet de re ſibi chara, eiuſque pulchritudinem ſibi reprę́ſentet, vt ea ſe oblectet. Vis ſcire quid ames? vide quid ſępè cogites: hoc enim amas. Igitur ex cogitatione Deus metitur amorem, in quo tota hominis bonitas vel malitia moralis conſiſtit. Denique docet hic Salomon, cogitationes moroſas, quibus voluntas plenè vel ſemiplenè conſentit eſſe peccata, etiam ſi in opus non exeant, iuxta illud Chriſti: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Prohibitæ enim ſunt nono decalogi præcepto, *Non concupiſces*, vt oſtendi Deuter. 5. 21. & Roman. 7. v. 7.

Audi S. Gregor. 21. Moral. c. 2. *Per Moyſen*, inquit, *luxuria perpetrata; per auctorem verò munditiæ luxuria cogitata, damnatur. Hinc enim eſt quòd diſcipulis primus Eccleſiæ paſtor dicit: Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfecti, &c. Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt luxuriam ab effectu refrænare: lumbos verò mentis ſuccingere, eſt hanc etiam à cogitatione reſtringere. Callidus namque aduerſarius noſter eſt, & dum exteriùs ab effectu operis expellitur, ſecretò polluere cogitationem molitur. Vnde ſerpenti à Domino dicitur: Pectore & ventre repes. Serpens nimirum ventre repit, quando hoſtis lubricus per humana membra ſibi ſubacta vſque ad expletionem operis peruenit: ſerpens autem repit pectore, quando eos quos in opere luxuriæ nõ valet, polluit in cogitatione, Sed quia per cogitationem ad explenda opera peruenitur, rectè ſerpens priùs pectore, & deinde ſerpere ventre deſcribitur.*

B Porrò, cogitationes malæ Primò, ſunt machinationes malæ, quibus quis alij malum molitur. Secundò, ſimulationes, doli & fraudes, de quibus hunc locum ſic explicat noſter Salazar: *Abominatio Domini cogitationes malæ*, id eſt Deus vehementi odio proſequitur dolos & inſidias, quas impij ad proximorũ perniciem aſſumunt. *Purus* autẽ *ſermo pulcherrimus firmatur ab eo:* ſermo videlicet ſincerus & doli expers, ab ipſo pulcherrimus aſſeritur, & exiſtimatur: hic ſcilicet ipſi probatur & arridet. Homines enim ea verba pulchra magis, lepida & ſalſa eſſe exiſtimãt, quæ technas aliquas aut dolos aut ſimulationes continent: Deo autem nullus vel pulchrior vel lepidus magis ac ſalſus videtur ſermo, quàm ſincerus & candidus, cui nihil doli aut deceptionis ſubeſt, nihil falſitatis aut ſimulationis.

C Tertiò, cogitationes malæ ſunt obſcenæ & luxurioſæ: his enim directè opponitur cogitatio & *ſermo purus*; Symmach. *caſtus*, Theodot. *mundus*. Pręceteris enim cogitationibus malæ ſunt, Deoque diſplicent, cogitationes venereæ: tum quia ſummè contrariantur diuinæ puritati & ſanctitati, tum quia illecebroſæ ſunt, facileq́; voluntatem illiciunt trahuntque ad conſenſum, ſaltem imperfectum vel tacitum & implicitum, idq́; ob concupiſcentiam nobis innatam, quæ in rebus venereis eſt vehementiſſima, ſicut ergo qui tangit picem, inquinatur ab ea, & qui luctatur cum ſordibus & ſtercore, ab eo ſordidatur, iuxta illud: *Vinco vel vincor, ſemper ego maculor:* ſic pariter qui diſputat & luctatur cum cogitationibus impudicis, iiſdem inquinatur. Quare ceterorum vitiorum cogitationes reſiſtendo, luxuriæ verò fugiendo vincũtur, iuxta

D illud Apoſtol. *Fugite fornicationem.* ita Caſſianus, Climacus, Dorotheus & S. Auguſt. ſerm. 250. de Tempor. *Inter omnia*, ait, *Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Grauem caſtitas ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur & timetur. Et ideo nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo de ſuis viribus periculosè præſumat, ſed audiat Apoſtolum dicentem: Fugite fornicationem*, 1. Corinth. 6. Probat id exemplo Ioſeph, qui fugiendo heram ſe tentantem vicit: & Dauidis, qui non fugiendo tentationi ſuccubuit, & adulterium commiſit.

Quartò. per cogitationes malas accipe vitioſas quaſlibet, vti ſuperbiæ, irę, inuidię, gulę, acediæ, &c. Omnes enim has abominatur Dominus: atque anima vt Deo placeat, ab omnibus ſeſe expurget oportet, vt in conſpectu eius pura & nitida ſit inſtar terſi ſpeculi, imò angeli.

Anti-

Moral. de cogitationibus bonis.

Antiſtrophæ huic Salomonis ſententiæ ſunt apophthegmata priſcorum Patrum, Hyperichij dicentis: *Cogitatio tua ſemper ſit in regno cælorum, & citò in hereditatem accipies illud*, ita habetur in Vitis Patr. l. 5. libello 11. n. 35. Ibidē in meditationibus duodecim Anachoretarum ordine quartus: *Ego ſic ſum*, inquit, *ac ſi in monte Oliuarum ſedens cum Domino & diſcipulis eius. Et dicit mihi: Nullum agnoſcas ſecundùm carnem, ſed eſto ſemper cæleſtis conuerſationis imitator, ſicut bona Maria Magdalena ad pedes Ieſu ſedem, & verba eius audiens, Efficiamini ſancti & perfecti, ſicut & Pater veſter qui in cælis eſt. Et Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Ordine verò nonus ait: *Ego quotidie Eccleſiam intellectualium virtutum expecto, Dominum gloriæ in medio eorum video ſuper omnes ſplendentem: quando autem abſcedo ab eo, aſcendo in cælum expectans admirādas pulchritudines angelorum, vt quos emittunt hymnos inceſſabiliter Deo & dulces eorum cantilenas audiam differerq́, ſonis & vocibus & ſuauitate, vt libeat reminiſci quod ſcriptum eſt: Cęli enarrant gloriam Dei, &c. Et omnia quæ ſuper terram ſunt, ſicut cinerem & ſtercora opinor.* Ecce hæ ſunt cogitationes bonæ & ſermones puri, qui Deum & angelos oblectāt, ſicut impuri delectant Luciferum & dæmones. Quocirca Barlaam ad Ioſaphat apud Damaſc. in Hiſtor. c. 19. inſtanter adhortatur eum ad cogitationum puritatē & curam. *Non enim*, inquit, *actiones dumtaxat, verùm etiam cogitationes noſtræ apud Deum in numerato ſunt, coronaſq́; aut ſupplicia nobis cōciliant. Siquidem Chriſtum ſimul cum Patre ac Spiritu ſancto in puris cordibus habitare perſpectum habemus. Ac rurſum illud non ignoramus, quod, quemadmodum ſumus opes, eodem modo prauæ cogitationes diuini ſpiritus gratiam à nobis propellunt. Quamobrem ſummo ſtudio in hoc enitere, vt omni vitioſâ cogitatione ex animo tuo extinctâ & deletâ, optimas quaſque cogitationes in eo inſeras, templumq́; Spiritus ſancti te ipſum efficias. Siquidem per cogitationes ad actiones ipſas venimus: atque omne opus à cogitatione animiq́; agitatione progrediens paruum primo initium accipit, ac deinde tacitis incrementis augeſcens ingens ad extremum efficitur.*

Abbas Ioannes in Vitis Patr. lib. 3. apud Ruffinum n. 208, & 409. docet cogitationes prauas oratione ſuperandas: *Quandocumque*, inquit, *cogitatio turpis ſuccenſa fuerit ab inimico, tunc aquam orationis effundat, & extinguet illam.* Syncletica ibidem lib. 5. libello 4 de continentia n. 42. *Sicut*, inquit, *venenoſa animalia acriora medicamenta à ſe expellunt; ita ſordidam cogitationem ieiunium cum oratione expellit ab anima.* Ibidem l. 6. ſub finem n. 15. ſenior quidam ait: *Qui in anima ſua memoriam malitiæ ligat, ſimilis eſt ignem inter paleas occultanti.* Ibidem lib. 5. libello 11. n. 53. alius ſenior ait: *Timor Dei velut ignis comburit arundinetū cogitationum.* Et libello 10. n. 88. cuidam roganti: *Quid faciam, quia cogitationes ſollicitant me, & neſcio quomodo repugnem eis?* hoc remedium ſuggerit ſenior: *Non repugnes contra omnes, ſed contra vnam; omnes enim cogitationes monachorū vnum habent caput: neceſſarium ergo eſt conſiderare, quæ & qualis ſit* (capitalis) *& aduerſus illam reniti: ita enim & reſiduæ cogitationes humiliantur*, Victâ enim cogitatione radicali & capitali reliquæ omnes, quę quaſi fibræ ex ea pullulant, vincuntur & ſucciduntur. Radix ergo cogitationum cuique ſolerter examinanda & veſtiganda, quâ cognitâ ſecuris mortificationum illi adhibenda: illâ enim amputatâ reliquæ ex ea manantes amputantur, vti docent rerum ſpiritualium magiſtri. Abbas Macarius ibidem l. 5.

A libello 18. nu. 9. Theoctiſto tentato: *Si tibi*, inquit, *aſcenderit cogitatio mala, numquam deorſum aſpicias, ſed ſemper ſurſum, & ſtatim te Dominus adiuuabit.* Ioannes Moſchus in prato ſpirit. c. 69. refert illud Palladij Abbatis apophtegma: *Cogitationum obſeruatio eſt medicamentum ſalutis.* Ibidem Abbas Paſtor cuidam varijs cogitationibus æſtuanti iuſſit apprehendere ventum, cumque ille diceret ſe id facere non poſſe, ſubintulit, *Sic nec potes cogitationes prohibere ne introeant, ſed tuum eſt eis reſiſtere.* Deniq; vetus ille in Religionibus mos eſt, vt nouitij cogitationes & tentationes ſuas pandant Superiori: quo fit, vt tum merito humilitatis, tum Superioris prudentia & conſilio citò eis liberentur.

CONTVRBAT DOMVM SVAM QVI SECTATVR AVARITIAM: QVI AVTEM ODIT MVNERA, VIVET] Chald. *perdit domum ſuam qui congregat mam-* VERS. 27.
B *monam iniquitatis: & qui odit munus gratis* (datum) *viuet.* Auarus conturbat domum ſuam. Primò, quia vt auaritię ſuę ſatisfaciat, cogit domeſticos, ſeruos & ancillas plus æquo laborare etiam diebus feſtis & vetitis, ac honeſto victu & veſtitu eos defraudat, miſereque, durè & acerbè eos tractat: quo fit vt illi contra eum murmurent, litigent, & inter ſe rixentur, dum quiſque onus & laborem à ſe excutere, & in alium reijcere ſatagit. Secundò, auarus per fraudes, vſuras & iniuſtos contractus ſolet ſe ditare, ob quos lites vel illi vel heredibus eius intentantur, quę magna ipſis damna afferunt, & ſubinde bonis ſpoliant. Tertiò, quia Deus auaros ſolet punire priuatione opum auarè & perperam congeſtarum, vt in quo peccauerunt, in eo & puniantur. Pro *conturbat* hebr. eſt עֹכֵר *ocher*, qua
C voce alludit ad Achan, qui auarè ſuffurans pallium ex ſpolijs Iericho contra præceptum Dei, conturbauit domum ſuam, imò totum Iſraelem, qui propterea cęſus fuit à Chananęis. Vnde Achan lapidatus à Ioſue in valle, quę inde dicta eſt Achor, id eſt turbationis, audiuit: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac*, Ioſue 7. 25. Sic & Giezi auarè & ſimoniacè accipiens munera à Naaman, quem Eliſeus herus eius curauerat à lepra; eamdem ſibi & domui ſuæ, id eſt toti ſuæ poſteritati, accerſiuit 4. Reg. 5. 27.

QVI AVTEM ODIT MVNERA, VIVET] Antitheſis æquè exigebat vt diceret: *Qui autem odit auaritiam, viuet.* Verùm Salomon more ſuo ponit ſpeciem magis vſitatam pro toto genere auaritiæ, atque ex ſpecie totum genus per ſynecdochen intelligit, q. d. Iudex, conſiliarius, & quiuis officialis,
D qui in ferenda ſententia, vel dando conſilio, in diſtribuendis beneficijs, vel officijs publicis, &c. non ſinit ſe corrumpi muneribus, ſed ab ijs abſtinet, vt æquam pro iuſtitia ferat ſententiam, vt ſanum ſincerumque det conſilium, vt officium vel beneficium magis dignis aptiſque conferat; hic vtique Deo dante *viuet*, id eſt aget vitam quietam, felicem, longęuam in hoc ſęculo, & æternam in futuro. Quod autem dico de odiente munera, idem à pari vel ſimili intelligo de odiente vſuram, ſimoniam, & quamlibet auaritiam. Nam ex vna ſpecie acceptionis munerum totum genus auaritiæ intelligo.

Hinc & Septuag. vt priorem partem poſteriori per antitheſin adæquarent, pro genere auaritiæ ſpeciem eamdem ponentes ſic vertunt, *diſperdet ſeipſum acceptor munerum: qui autem odit munerum acceptiones, ſaluatur.* Sic & Syrus.

Noſter Salazar per odientem munera accipit odientem vſuras : vſura enim cùm non ſit debita, vtique eſt donum & munus, quod vſurarius à petente mutuum iniuſtè depoſcit & exigit. Verùm vt hoc ſit verum, vſura eſt ſpecies dumtaxat auaritiæ; vnde totum eius genus non adæquat: quare non æqua, ſed manca remanet antitheſis.

Porrò Ianſenius rectè aduertit, hanc ſententiam maximè competere Eccleſiaſticis, qui auarè ſe & ſuos ditare ſatagunt: hi enim Primò, peccant, animamq; ſuam inquinant auaritiâ, putà pluralitate beneficiorum & penſionum (taceo de ſimonia, vſuris, &c.) quæ in eis grauior eſt quàm in laicis : ipſorum enim profeſſio eſt vacare Deo & cæleſtibus, ac faſtidire temporalia. Vnde dum fiunt clerici, dicunt cum Leuitis: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Si Dominus eis eſt pars, cur partes terræ ambiunt? Secundò, conturbat domos & familias ſuas multis curis, laboribus, litibus, quas ſecum vehit cupiditas, imò domos ſuas & ſuorum, quas per auaritiam ditare volunt, hoc ipſo depauperant & auertunt. Experientia enim docet, bona Eccleſiaſtica, cùm ad laicorum domos transferuntur, eas earumque opes conſumere & deuorare, perinde ac pennæ aquilarum aliarum auium pennis immiſtæ eas conſumere perhibentur. Tertiò, ſcandalizant Eccleſiam Dei, dicit enim populus fidelis: Si clerici illiberes Deoque ſacrati inhiant bonis terrenis, multò magis nos, qui liberos habemus, ea accumulare debemus. Vnde ex Climaco Dionyſ. *Auarus*, inquit, *eſt Euangelij ſubſannator; quoniam terrenorum contemptum Chriſtus exemplo & verbo præcipuè commendauit.* E contrario Paſtores & Eccleſiaſtici, qui bona terrena cõtemnunt, eaq; largiter in pauperes diſpenſant, viuent per gloriam in cælis, ac per memoriam, famam & gloriam in terris, vti viuit S. Gregorius Magnus, qui ſibi pauper, alijs diues, egenos omnes non ſolùm Romæ, ſed & per totam Italiam, imò & per Hiſpaniam, Galliam, Palæſtinam totumque orbem aluit : ac noſtro ſæculo S. Carolus Borromæus, cuius paupertatem opumque contemptum ac liberalitatem vtinam legant & imitentur omnes Prælati & Clerici. Vide dicta Ezech. 34. 3.

Munerum noxa.

Hanc gnomen apologo ſimiæ & vulpis exornat Cyrillus lib. 3. Apolog. moral. c. 12. Simia, inquit, ab hiſtrione fauum mellis pro munere accipiens, illi ſe in famulam ad iocularesludos populo exhibendos obtulit, quare ab eo, ne fugeret, catenulà alligata, ac in ludibrium populo expoſita, ſerò captiuitatis ac miſeriæ, duræque ſortis pœnitere cœpit : vnde munus acceptum damnans exclamauit : *O ſubornatum deceptiuæ cupiditatis hamum, lethiferum munus, munerum naturalium adoptiuum grauiſſimum obligationis pignus, ſtulti & ſapientis commercium minimum, maximum emptionis pretium, ſeruitutis iugum, iniquitatis fermentum, captiuitatis inducium, fomentum diſcordiarum, ſubuerſio ciuitatum, omnium ſeminarium malorum, amarum venenum!* Profert deinde exempla Philoſophorum ; qui quòd munera regum ſpreuerint, regibus fuere ſuperiores: *Quantis enim gloriæ titulis effertur ille Diogenes, quòd calcatis regijs opibus per medias Alexandri Macedonis gazas, corporis cultu pauper, ſed virtute opulentus inceſſit? Siquidem hoc locupletior maiorę ſplenduit, quo plus fuit hoc ipſum, quod accipere noluit, quàm id, quod ille dare diſpoſuit. Quantis laudationibus morum cultor Socrates attollitur, cùm Archelai regis ſatis magnis petebatur muneribus honorandus? & reſpondit nolle ſe ad eũ venire, à quo acciperet beneficia, cùm reddere illi paria non poſſet. Liber quippe eſſe voluit, dum antè reddere, quàm ſuſcipere cogitauit. Quantis ſimiliter præconijs extollatur Fabricius virtute ditiſſimus, dum munus ſibi viro pauperi à Pyrrho oblatum renuit, magis eligens honeſtate ciuis liberi, quàm muneribus empti regis glorioſitate potiri? Qua profectò in re multò magis emicuit, dum rex admiratus ſpectabilem virum ſuper ſolem erexit, dicens: Ille eſt Fabricius, qui difficiliùs ab honeſtate, quàm ſol à rectitudine curſus ſui auerti poteſt.*

Apologus.

Exempla.

Per misericordiam et fidem pvrgantvr peccata : per timorem avtem Domini declinat omnis a malo] Hic verſus tranſcriptus eſt ex Septuag. Nam in Hebræo non extat hoc loco, ſed c. ſeq. v. 6. vbi pro *fidem* hebr. eſt אֱמֶת *emeth*, id eſt veritas. Veritas autem cùm opponitur miſericordiæ, idem eſt quod iuſtitia, & ſignificat opus debitum, ſicut miſericordia ſignificat opus indebitum, gratuitum & liberale. Sẽſus ergo eſt, q. d. Per opera virtutis eleëmoſynę gratuita, & per opera virtutis iuſtitię quoq; modo debita purgantur peccata : quia per hęc opera facta in gratia Dei ſatisfacimus pro pœna peccatis debita; quin & ſi in culpa ac peccato ſimus, illud per illa abolemus, ſi adſit vera mentis contritio : ſi nimirum ex corde contrito pro expiatione culpę illa Deo offeramus. *Per timorem Domini* verò quis *declinat à malo.* q. d. Eleëmoſyna expiat peccatum iam commiſſum : timor Dei verò præſeruat à committendo. Fac ergo eleëmoſynam, vt expies præterita, ac indue timorem Dei, vt caueas futura : ſic purum te à peccato ſeruabis, tuamque ſalutem in ſecuro conſtitues. Vnde Cyprian. vel quiſquis eſt auctor tract. de Opere & eleëmoſyna, docet Deum ſtatuiſſe duo peccati lauacra, ſcil. baptiſmum ad eluenda crimina ante illum perpetrata, & eleëmoſynâ ad expianda peccata poſt illum commiſſa. *Coarctati*, inquit, *eramus, & in anguſtum innocentiæ præſcriptione concluſi. Nec haberet quid fragilitatis humanæ infirmitas atq; imbecillitas faceret, niſi iterum pietas diuina ſubueniens iuſtitiæ & miſericordiæ operibus oſtenſis, viam quamdam tuendæ ſalutis aperiret, vt ſordes poſtmodum quaſcumque contrahimus eleemoſynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus ſanctus & dicit: Eleemoſynis & fide delicta purgãtur: non vtique illa delicta, quæ fuerant ante contracta: nam illa Chriſti ſanguine & ſanctificatione purgantur. Item denuo dicit : Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Hic quoque oſtenditur & probatur, quia ſicut lauacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & iugis operatio, baptiſmi inſtar imitata Dei rurſus indulgentiam largitur.* Salomoni aſtipulatur Chriſtus Lucę 11. 41. *Quod ſupereſt*, inquit, *date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.* Eleëmoſyna ergo remittit peccata venialia & pœnam mortalium; ad hæc diſponit ad remiſſionem culpæ mortalis, eamque de facto abolet ſi fiat ex contritione. Vide Origen. S. Ambroſ. Bedam, Toletum & alios in Lucæ c. 11. 14. Vide & quæ dixi Daniel. 4. 24. ad illa : *Peccata tua eleemoſynis redime.*

Mens ivsti meditatvr obedientiam: Vers. 28.
os impiorvm redvndat malis] Gloſſa & alij pro *obedientiam* legunt, *ſapientiam.* Vnde diſcas veram ſapientiam eſſe obedientiam, ſi ſcilicet quis obediat Deo & Superioribus quaſi vica-

rijs

rijs Dei, præſertim quia obedientia debet condiri ſapientiâ vt ſapiat Deo, ait S. Bernard. Hebr. eſt לַעֲנוֹת *laanoth*: quod duo ſignificat, Primò, *reſpondere*, Secundò, *humiliari*. Addit, Tertiò, R. Leui & R. Dauid ſignificare *negotiari*.

Vnde Primò, Pagnin. Tigurin. Clarius, R. Salomon & alij vertunt, *cor iuſti meditatur quod reſpondeat: os verò impiorum eructat* vel *effutit mala*, q. d. Iuſtus interrogatus nõ ilicò reſpondet, ne præcipiti reſponſo quid dicat quod impium ſit in Deum, aut iniurium proximo, ſed meditatur quid ſapienter reſpondeat, iuxta illud S. Bernardi, *Verba bis ad limam, antequam ſemel ad linguam*, at verò impius ſine præmeditatione mala quæ corde gerit, ore effutit, & quidquid in buccam venit, eructat inſtar fontis omnem aquam, tam puram quàm ſordidam à ſe receptam ebullientis. Vnde aliqui vertunt, *euomit mala*. Sicut enim vomitu eijcitur crapula, phlegmata & ſordes ſtomachi: ſic impius maledicentiam, calumniam, petulantiam, faſtum, iram, &c. quæ corde gerit, ore euomit. Aben Ezra hæc refert ad v. 27. qui in Hebræo immediatè præcedit, q. d. Iudex incorruptus, qui odit munera, viuet, ideoque mens eius auditis partibus inter ſe litigantibus meditatur quid reſpondeat, vt ad iuſtitiæ normam ius dicat. Verùm alij ad iudicem hæc non arctant, ſed generatim vt ſonant accipiunt. Huc facit illud Demoſthenis, cui cùm obijceretur, quòd elaborata pronuntiaret, reſpondit, *ſe non modo ſcripta, ſed etiam ſculpta dicturum eſſe, ſi poſſet*. Addiditque: *Ego ciuem improbum duco, qui ſine meditatione audet reſp. conſilium dare.*

Secundò, R. Leui, Vatabl. & R. Dauid Hebr. *laanoth* cenſet idem eſſe quod לְעִנְיָן *leinian*, id eſt *negotium*. Vnde vertunt: *cor iuſti meditabitur negotium* aut *negotiari*, q. d. Iuſti mens ſemper intenta eſt cogitationi rei & negotij, ex quo emolumentum capiat. Aut q. d. Cor iuſti meditatur loqui cum negotio & rerum pondere, cum decore & amœnitate rerum, ac cum fructu: è contrario os impij leuiter, indecorè, temerè & ſine fructu omnia quæ cogitat, effutit. Notatur ergo loquacitas inſipientis, & commendatur grauitas loquendi ſapientis.

Tertiò, noſter optimè vertit, *mens iuſti meditatur obedientiam*, putà humilitatem, ſubiectionem, manſuetudinem, q. d. Cùm iuſto quid præcipitur, quantumuis durum & arduum, à lege, à Deo aut Superiore: imò cùm ipſe ab eodem, vel alio æquali, aut inferiori, de vitijs & defectibus ſuis admonetur; ilicò mentem humiliter & manſuetè inſtar agni ſubijcit præcepto & obedientiæ, vel admonitioni & admonenti, at verò impius cùm quid diſplicens præcipitur, aut cùm de vitijs arguitur; recalcitrat, obmurmurat, & mille impatientiæ verba eructat, eſtque inſtar fluminis exundantis, quod omnia vicina aquarum copiâ opplet: ſic enim & ipſe ex abundantia cordis maledicentiæ proſluuium continuè ebullit, eoque omnes onerat & obruit.

Hoc videntur voluiſſe Septuag. dum vertunt: *corda iuſtorum meditantur fidem, & os impiorum reſpondet mala*; & Chald. *cor iuſti meditatur in fide, & os impiorum eructat mala*. Per *fidem* enim intelligunt *fidelitatem*, vt explicat Syrus, quam inferior debet ſuo Superiori, putà *obedientiam*.

Porrò iuſtus meditatur obedientiam, Primò, meditando obedientiæ præſtantiam, vtilitatem,

A fructum & neceſſitatem, præſertim præcepti vel voti, ſi illam vouerit. Nam, vt ait Climacus Gradu 4. *Obedientia eſt perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis, mors voluntaria, vita ſine ſollicitudine, nauigatio ſine damno, ſepultura voluntatis: eſt iter facere dormiendo ſub onere alius impoſito, & ſuper aliorum vlnas, ne mergaris natare.* Secundò, meditando rationes quæ eum flectant ad obediendum, ac præcepti rigorem temperent mitigentque, vt, cùm Superior vocat, vel quid arduum iubet, ilicò cum Samuele dicat: *Ecce ego*, & cum S. Paulo: *Domine quid me vis facere?* ac præſertim meditando obedientiam Chriſti, qui factus eſt pro nobis obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, vt nos per inobedientiam Adæ perditos ſuæ obedientiæ exemplo reſtauraret, doceretq; obedire, q. d. Inſpice, & fac, obediq; B ſecundùm exemplar, quod tibi in monte Caluariæ oſtendi. Tertiò, meditando gradus obedientiæ, vt eos ſenſim aſcendat. Hi gradus ſunt tres: Primus & infimus eſt, facere opus præceptum: Secundus; velle opus præceptum, illudq; amare, ac libenter, promptè & alacriter capeſſere; Tertius, non tantùm velle, ſed & iudicare opus præceptum melius eſſe quàm quoduis aliud, ita vt non tantùm voluntatẽ, ſed & iudicium ſuum Superiori ſubmittat, credatque melius eſſe id quod Superior præcipit, quàm quod ipſi mens propria vel quiuis alius ſuggerit. Quartò, meditando modos dexterè exequendi id quod præceptum eſt. Vnde S. Bernard. ſerm. de virtute obedientiæ: *Fidelis obediens*, inquit, *neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes,* C *totum ſe colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* Et S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum: *Credas ſalutare quidquid monaſterij Præpoſitus præceperit, nec de maiorum ſententia iudices, cuius officij eſt, obedire & implere quæ iuſſa ſunt, dicente Moyſe: Audi Iſrael, & tace* Caſſianus lib. 4. Inſtitutionum: *Ægyptij monachi vniuerſa complere quæcumque fuerint à Præpoſito ſuo præcepta, tamquam ſi à Deo cælitus ſint edita, ſine vlla diſcuſſione feſtinant.* Et S. Gregorius lib. 2. in 1. Regum: *Neſcit iudicare, quiſquis perfectè didicit obedire.* S. Baſil. in Conſtit. Monaſt. c. 23. *Apoſtoli*, inquit, *ſubmiſſâ mentis ceruice obedientiæ iugum ſubierunt, alacriq; animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces proceſſere. Hanc obedientiam is, qui ſecundùm Deum verè eſt monachus, Antiſtiti ſuo præſtet oportet.* Rurſum S. Bernardus in ſerm. de virtute obedientiæ: *Tertius*, inquit, *gradus obedientiæ eſt, hilariter obedire. Non ex triſtitia*, inquit *Apoſt.* *aut ex neceſ-* D *ſitate. Serenitas in vultu, dulcedo in ſermonibus multùm colorant obedientiam obſequentis.* Vnde & Gentilis ille Poëta ait ſic:

——Super omnia vultus
Acceſſere boni.

Quis enim locus obedientiæ, vbi triſtitiæ cernitur ægritudo? Oſtendunt plerumque voluntatem animi ſigna exteriora, & difficile eſt vt vultum non mutent qui mutant voluntatem.

Talis fuit obedientia Abrahæ, qui proinde fuit pater fidelium, & patriarcha obedientium, de quo Apoſt. Hebr. 11. 8. *Fide*, inquit, *qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exijt, neſciens quò iret.* Maior fuit eiuſdem obedientia in immolatione filij Iſaac; ex quo iam antè Deus illi promiſerat poſteritatem plurimam inſtar ſtellarum cæli: quare tunc *in ſpe contra ſpem*

ſpem credidit,&c. pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere: nimirum credidit Abraham, quòd, ſi immolando occideret filium, Deus illum à morte ſuſcitaret, vt promiſſam ibi ex eo poſteritatem præſtaret. Idem S.Bernardus tract.de Diſpenſat.& præcepto: *Perfecta obedientia,* ait, *legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta anguſtijs profeſſionis largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis alacriſq; animi, modum non conſiderans in infinitatem extenditur.*

Poſt hunc verſum & ſententiam hanc ſubiungunt Septuag. *Acceptabiles apud Dominum ſunt viæ iuſtorum: per eos autem inimici amici redduntur;* quæ non erat in Hebræo, nec in Latino: poſterior tamen pars extat in vtroque cap.ſequ. v.7. vbi eam explicabo. Cauſam dat auctor Catenæ Græcorum hic. Cùm enim, inquit, iuſti Dei voluntatem indefeſsè expleant, fit vt ex inimicis quoque amicos facere queant. Nam cùm Deo ſemel ſe dedicauerint & conſecrauerint, pro alijs quoque intercedunt, eoſdemque, ſi inimici erant, Deo conciliant, amicoſque reddunt.

Simili modo Septuag. tranſponunt verſus proximè ſequentes eoſque alio loco & ordine collocant, quàm ſint in Hebræo & Latino.

VERS.29. LONGE EST DOMINVS AB IMPIIS: ET ORATIONES IVSTORVM EXAVDIET] Deus vbique & in omnibus eſt realiter & perſonaliter per eſſentiam, præſentiam & potentiam; longè tamen abeſt ab impijs per fauorem & opem: quia eos odit, eoſque ſuam opem implorantes non exaudit: ſic, verò vicinus eſt iuſtis, ſcilicet per amorem & beneficentiam, vtpote quos protegit, dirigit, & ſe inuocantes exaudit. Eſt ſolita metalepſis & metonymia: ex elongatione enim Dei intelligitur eius non exauditio: quia apud homines elongatio, & magna intercapedo ac diſtantia, cauſa eſt cur quis clamantem non audiat. Hanc intercapedinem & diſtantiam myſticè & ſpiritaliter inter Deum & peccatorem facit ſuperbia, libido, ceteraque peccata. Ab impijs ergo longè abeſt Deus per odium: odit enim eos & deteſtatur, eò quòd ipſi elongent ſe à Deo per ſcelera, quæ Deo ſummè exoſa ſunt & aduerſantur. Rurſum Deus exaudit iuſtos orantes: quia ipſi audiunt Deum præcipientem, eique obediunt: quia ergo ipſi faciunt voluntatem Dei, hinc viciſſim Deus facit voluntatem eorum, eiſque talionem reddit. Vice verſa impij non faciunt voluntatem Dei, ſed diaboli: hinc pariter Deus non facit voluntatem eorum.

Tertiam cauſam dat Pſaltes, quòd impij non inuocent Deum, in veritate, id eſt vero & ſincero corde & amore, vti faciunt iuſti. Sic enim ait pſal.144.v.18. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & orationes eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Vis ergo vt Deus te exaudiat, tu prior exaudi Deum pulſantem & vocantem. Vis vt Deus faciat voluntatem tuam, tu prior fac voluntatem Dei. Vis vt Deus ſincero corde amet te, beneuelit & benefaciat tibi, tu prior ſincero corde ama Deum. Ita auctor Catenæ Græcor. Non abeſt, inquit, Deus loco ab impijs, ſed animo, hoc eſt fauore & gratia, aut more certè & vitæ inſtituto, iuxta illud: *Quantum diſtat cælum à terra, tantum diſtant viæ meæ à vijs veſtris, ait Dominus.* Et Polychron. ibidem: *Non ſpatij intercapedine abeſt Deus,*

A inquit, *ſed ſententiæ diuerſitate: ſiquidem contraria plurimum à ſe inuicem diſſidere ſolent. Vt autem iuſti Deo ſunt vicini (certum eſt autem id ad locum non referre) ita facili quoque momento ab illo audiuntur.*

Hoc eſt quod ait Pſaltes pſalm.36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Quocirca S.Chryſoſt. homil.41. in Geneſ. docet, homines iuſtos & ſanctos non tantùm ſibi, ſed & ſæpè toti ciuitati ac reipubl. ſalutem precibus ſuis afferre. *Cùm igitur videris,* inquit, *virum externo habitu amictum vili, virtute verò intrinſecus veſtitum, noli id quod apparet deſpicere, ſed contemplare animæ diuitias, internamq; gloriam. Talis erat B.Elias, qui melotem tantùm habebat: at purpuratus Achab illius melote indigebat. Vide Achab inopiam, Eliæ autem diuitias.*

VERS.30. LVX OCVLORVM LÆTIFICAT ANIMAM (Hebr. *cor:*) FAMA BONA IMPINGVAT OSSA] Hebr. *os*; Septuag. *oculus contemplans pulchra lætificat cor: fama autem bona impinguat oſſa.* Pro *fama* hebr. eſt שמועה *ſcemua*, id eſt auditio, nuntius, rumor, fama.

B Vnde Primò, Aben Ezra hæc referens ad tres verſus ſequ. per *ſcemua*, id eſt auditionem accipit correptionem, quam quis audit, de qua verſ. ſequent. q.d. Lux, quæ oculis hauritur, cordi voluptatem affert: cùm verò obiurgationem quis auſcultarit, in quo vita ſita eſt, & inter ſapientes commoratus fuerit, tunc increpationes maius incrementum afferent, quàm ſi bonum quodpiam nuntium audiuiſſet. Pari modo per *ſcemua*, accipias auditiones S.Script. legis, doctrinæ ſacræ, librorum piorum, &c. horum enim lectio, vel auditio, mirè impinguat oſſa, id eſt animæ intima, eaque implet medullâ ſanctarum cogitationum & deſideriorum, quibus totus hominis ſpiritus in Dei amore incaleſcit & corroboratur.

C Secundò, alij per *ſcemua*, id eſt auditionem, accipiunt famam virtutum, operum & exemplorum ſanctorum, qua quis apud alios benè audit, q.d. Sicut lux mirè recreat oculos, indeque cor & animam intuentis: ita fama virtutum & exemplorum recreat auditum, indeque mentem audientis, eiuſque oſſa & robur ad ſimilia audenda corroborat: *oſſa* enim ſæpè ſignificant vires & robur animæ, ait Hieron. in c.15. Iſaiæ, iuxta illud pſalm.24.10 *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* Vnde Chriſtus Matth.5. *Sic,* ait, *luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Vbi S.Chryſoſt. *Nihil,* inquit, *eſt quod hominem ſic efficiat inſignem atque conſpicuum, etiamſi magno ambitu optet latere, vt ſplen-* D *dor iſte virtutis: ſicut enim ipſo ſole circumdatus, ita vtique homo iuſtus clariùs refulget: nec in terram ſolummodo lucis radios emittit, ſed ſupra ipſum etiam cælum proprio fulgore radiat.*

Porrò fama virtutum impinguat oſſa animæ non ſolùm audientium, qui incitantur vt eas æmulentur, vt iam dixi ex S.Chryſoſt. & Origene, ſed etiam ipſius virtute præditi, de quo eſt fama. Hic enim aduertens hanc bonã de ſe opinionem parere admirationem & imitationem in animis audientium, exhilaratur, incitatur & corroboratur, vt opera virtutum, quæ tanto alijs ſunt ſplendori & exemplo, multiplicet & adaugeat. Vnde ſic exponas, q.d. Sicut qui intuetur lucem vel res *pulchras*, vt vertunt Septuag. purà imagines elaboratas, mirè hoc intuitu exhilaratur; ſic pariter qui

qui ſuæ virtutis imagines, in animis audientium per famam & exiſtimationem ad viuum exculptas & expictas contemplatur; hic vtique hac contemplatione gaudet & corroboratur, vt plura ſuæ virtutis edat exempla, quæ audientes pari modo audiendo, admirando & imitando in corde ſuo depingant & exſculpant.

Tertiò, & magis genuinè, per *ſcemua* accipias famam, rumorem & nuntium bonum, q.d. Sicut lux Solis poſt longas noctis vel hiemis tenebras, manè vel in vere exoriens, orbique irradians mirè intuentium oculos, indeq; cor & animũ illuminat, lætificat, vegetat, roborat & viuificat: ſic pariter nuntium bonum, cùm ſcilicet quid læti nuntiatur, non tantùm aures mulcet, ſed & per aures penetrat vſque ad cor, & mẽtem eiuſq; oſſa, id eſt intimas eius medullas, peruadit, exhilarat, viuificat & corroborat; quin & ipſa corporis oſſa recreat, irrigat & vegetat. Comparat enim hic duos primarios ſenſus, ſcilicet viſum & auditum, quòd, ſicut res viſæ, præſertim lux, animum oblectant, ita pariter res auditæ, putà nuntij rerum lætarum oblectent animum, & conſequenter corpus & oſſa per naturalem ſympathiam, qua affectus, v.g. lætitia vel triſtitia animi, deriuatur & tranſit in corpus animæ cohærens: lætitia enim vehemens adeò afficit animum, vt redundet & exuberet in corpus. Oſſa ergo tum metaphoricè pro intimis animæ, tum propriè pro oſſibus corporis accipias: ſicut enim nuntium triſte contrahit, deijcit & timore ac mœrore conſternat animum & corpus: ſic è contrario nuntium lætum præſertim valdè deſideratum, lætitiam, vitam & vigorem inſtillat & inſpirat tum animæ, tum corpori audientium; vti iam læta nuntia de fide toto terrarum orbe, præſertim in Germania, Gallia, Æthiopia, Tartaria triumphante mirè Catholicos recreant, animant, roborant. Quocirca apud veteres nuntij bonorum ſignificati fuere per miluos, qui veris vernæque hilaritatis ſunt nuntij, quos proinde priſci adorabant: mos enim fuit apud nonnullos populos miluos adorare, quòd illi poſt rigentis hiemis inclementiam vernæ tempeſtatis fideles nuntij apparerent. Vnde adagium: *Prouoluitur ad miluum.*

Talis fuit S. Ioannes Baptiſta, nuntius Euangelij, paranymphus, imò index Chriſti; hic enim lucem & cæleſtis veris clementiam prænuntiauit, nimirum adeſſe iam Saluatorem & ſalutem. Vnde vox eius mirifica lætitiæ iucũditate aures omnium perfudit: *appropinquauit*, inquit, *regnum cælorum. Parate viam Domini.* ita noſter Cauſinus lib. 6. Parabol. hiſt. c. 75. Tales nuntij læti fuere Apoſtoli, ceterique præcones Euangelij. Euangelium enim græcè, idem eſt quod latinè bonum lætumque nuntium, iuxta id quod angelus nuntians paſtoribus Chriſti ortum, dixit: *Ecce euangelizo vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus*, Luc. 2. 10. Tales nuntij fuere Prophetæ, ac præſertim Iſaias, qui de Chriſto eiuſque paſſione & redemptione non tam prophetiam quàm hiſtoriam texuit, nec tam Propheta quàm Euangeliſta fuit, teſte S. Hieronymo. Vnde de Apoſtolis ait c. 52. v. 7. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacẽ: annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!* Et c. 53. v. 1. *Quis credit, auditui* (Heb. שמעתנו *ſcemua* eadem vox quæ hìc) *noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* &c.

A Denique Baſilius in Catena Græc. partim myſticè, partim litteraliter, hunc verſum ſic exponit: *Oculus*, inquit, *tum demum contemplatur bona, quando earum rerum, quæ ſub aſpectum veniunt, contemplatione & comprehenſione non læditur, ſed perficitur. Si quidem rerum conditarij contemplatione animæ vires corroborare nata eſt. Fama autem bona aut ea eſt, quam quis de alio audit: aut ea certè, quam aliquis per virtutem & eruditionem ſibi comparauit; aut oculum bona contemplantem omnem omnino iuſtum, qui mentẽ in mandatorum Chriſti obſeruationem ſemper intentam habet, appellat. Talis enim lætificat Deum. Fama denique & vox ea apprimè grata opidoq; iucunda erit, quam olim audituri ſunt iuſti, nempe illa Chriſti: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Hæc enim iuſtos, quos ob fidei firmitatem oſſa vocat, mirificè recreabit & impinguabit.*

Sanè qui nuntium accipit ſuæ prædeſtinationis, electionis & felicitatis æternæ, eſt quòd gaudeat,
B eſt quòd totis animæ oſſiumque medullis exultet: quia nuntius hic affert ei beatitudinis omniſque boni ſecuritatem. Quocirca S. Franciſcus cùm in extaſi de ſua prædeſtinatione certior factus eſſet, vt ſibi redditus eſt, exclamauit ſtatim: *Laudetur Dominus meus ipſi gloria honor ſine fine*: quin etiam proximos octo dies ſic tranſegit, vt nec vlla de re loqui, ac ne Horas quidem canonicas recitare poſſet, ſed hoc ſolum in ore haberet, idq; ſemper repeteret: *Laudetur Dominus*, tantâ eius animus lætitiâ atque exultatione, & quidem iure ac meritò geſtiebat. S. Maria Oigniacenſis accepto ſimili prædeſtinationis ſuæ nuntio, extra ſe quaſi rapta, iubilando ingeminabat: *Ibimus in ſancta ſanctorũ. Et quid ſunt ſancta ſanctorum?* ita refert Cardin. Iacob. de Vitriaco in eius Vita. B. Petrus Alcãtara nuper datâ certâ ſpe ſalutis, in morte cum Pſalte cecinit: *Lætatus*
C *ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domũ Domini ibimus.*

AVRIS QVÆ AVDIT INCREPATIONES VITÆ, IN MEDIO SAPIENTIVM COMMORABITVR] *Increpationes vitæ*, ait Ianſenius, Hebraica phraſi vocat increpationes vitales, hoc eſt ſalutares & viuificatrices, quæ & doceant hic rectè viuere, & ad æternam vitam perducant. Huiuſmodi increpationes qui libenter audit, dicitur commoraturus in medio ſapientium, hoc eſt inter ſapientes: ſiue quia inter illos gaudebit adeſſe, quærens illorum conſortium, à quibus poſſit moneri & corripi: ſiue quia dignus efficietur, qui & ipſe inter ſapientes honoretur, ſapientiſque nomen & locum obtineat. Ita Beda. *Diſcipulus*, inquit, *qui increpationibus docentium obedienter annuit, plerumque proficiendo ad cathedram vſque doctoris aſcendit. Denique Paulus qui increpationi ſui conditoris ſeſe humiliter ſubſtrauit, ad ſe-*
D *dem poſtmodum Apoſtolicæ dignitatis ſublimiter peruenit.* Huc facit illud Climaci: *Omni die obiurgationes quaſi aquam vitæ bibe.* VERS. 31.

QVI ABIICIT DISCIPLINAM DESPICIT ANIMAM SVAM: QVI AVTEM ACQVIESCIT INCREPATIONIBVS, POSSESSOR EST CORDIS] Septuag. *qui expellit* (Chald. *deſerit*) *diſciplinam, odit ſeipſum: qui autem ſeruat correptionem, diligit animam ſuam.* Sententia eſt clara. Eius ratio eſt, quòd diſciplina, id eſt inſtitutio, correctio & caſtigatio vitiorum, ſit ſummum animæ bonum: illa enim illuminat, purgat, ornat omnique virtute decorat & perficit. Quare qui diſciplinam deſpicit & odit, animam ſuam deſpicit & odit, perinde ac æger, qui odit medicinam & medicum, odit ſanitatem ſuam: ad hanc enim medicina dirigitur, VERS. 32.

gitur. Sic qui negligit aratro proſcindere & ſarculo farrire agrum ſuum, eum eiuſq; bonũ deſpicit: quia impedit fruges, quas ager perduceret; quibusque ſeipſum ornaret, ac herum ſuum ditaret. Quod enim eſt aratrum agro, ſarculus horto, lima ferro, lixiuium panno, tornax auro, pecten capiti, carminatio lino, tritura tritico, frænum equo, cauterium vulneri, pharmacum febri, virga puero, hoc eſt diſciplina homini carnali & vitijs addicto.

Qvi avtem acqviescit increpationibvs, possessor est cordis] Hebr. קוֹנֶה *kone*, id eſt *acquiſitor, emptor, poſſeſſor* eſt cordis. q. d. Qui acquieſcit correptioni, acquirit dominium cordis, eiuſq; fit poſſeſſor: tum quia non ſinit illud pro libito vagari, & ſeſe dedere ſuæ libertati & concupiſcentiæ, tum quia eius ſuperbiæ, iræ, impatientiæ ceteriſq; affectibus & paſſionibus dominatur, eaſq; frenat & ſub iugũ rationis & correptionis mittit:

B

Suſcipiens correptionem poſſidet cor.

tum denique quia illud flectit & regit ad libitum. Ex aduerſo, qui non acquieſcit increpationibus, non poſſidet cor, ſed poſſidetur cordis ſuperbia, ira, impatientia, inobediẽtia, ſuarum paſſionum eſt ſeruus & mancipium. Igitur qui acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis, & ſuiipſius eſt dominus. Tal s ergo *Primò*, cor poſſidet per humilitatem qua illud ſibi, putà rationi & diſciplinæ, humiliat & ſubiugat. *Secundò*, per manſuetudinem, quia mãſuetudine excipit nitrũ correptionis, iuxta illud Chriſti; *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, Matth. 5. *Tertiò*, per patientiã, qua patienter tolerat increpationes aliorũ, ſinitq; ſe de vitijs admoneri & caſtigari, iuxta illud Chriſti: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* *Quartò*, per obediẽtiam, qua cor obedire facit corripienti, ſiue is Superior ſit, ſiue quis alius. *Quintò*, per ſapientiam & prudentiam, quis ſapienter & prudenter defectus,

C

de quibus arguitur emendat, & virtutes contrarias capeſcit. Vnde Chald. vertit, *& qui audit increpationem, poſſidet* (Syrus *comparat*) *ſapientiam* aut *mentem*. *Talis enim*, ait Dionyſ. *ritè aduertit quòd increpatio ſit opus miſericordiæ, eleemoſyna ſpiritualis, medela ſalubris, charitatis inditium, dilectionis internæ ac iuſtitiæ ſanctæ effectus.* Igitur ſicut herus emens mancipium, vel bouem, illius dominium acquirit, illumque omni iure poſſidet, vt de eo quod libet agere ei liceat: ſic pariter qui cor ſubijcit correctioni & diſciplinæ, illud ſibi mancipat ſeruumque efficit, vt illud quaſi mancipium poſſideat, ac quocumque voluerit flectere & vertere poſſit. Verùm hæc ſeruitus cordis veram ei dat libertatẽ: quia facit vt regatur à ſapientia, diſciplina, lege & à Deo ipſo: ſeruire autẽ Deo, regnare eſt. Sicut ergo cœli, inquit Philo, cùm careant mente & prudentia, ſinunt ſe regi & moueri ab aſſiſtente intelligentia, hocq; eorum & totius vniuerſi bonum eſt: ſic pariter iuniores ceteriq; quibus parum eſt experientiæ & prudentiæ, ſi ſapiunt, ſinant ſe regi, doceri, gubernari à viro ſapiente: ſic enim ſapientiam, quam ex ſe non habent, ab eo diſcent, omniaq; ſua ſapienter peragent. Hinc Sextò, talis cor poſſidet per amorem, quia cogit illud amare Deum, ac amore Dei ſubdere ſe legi & correctioni. Vnde Septuag. vertunt, *qui autem ſeruat correctiones, diligit animã ſuam.* q.d. Qui odit correptionem & corripientem, non tam ipſum quàm ſeipſum ſuumque bonum (tale enim eſt vitiorum correptio) odit: at verò qui correptiones & corripientem amat & obſeruat, non tam illum quàm ſe ſuumque bonum amat & ſer-

A

uat: quia per illas diſcit odio proſequi vitia, amare virtutes, Deum colere & revereri.

Timor Domini, disciplina sapientiæ: Vers. 33. et gloriam præcedit hvmilitas] Hebr. *ante gloriam* vel *coram gloria humilitas*; Syrus, *timor Domini fons vitæ: & laus humilis graditur ante ipſum.* q. d. Timor Dei per diſciplinam caſtigando vitia docet veram ſapientiam, id eſt honeſtatem & virtutem; quæ eſt ſumma hominis dignitas & gloria: quare vt quis hanc gloriam nanciſcatur, neceſſe eſt vt præeat humilitas, qua ex timore Dei humiliter ſe diſciplinæ & correctioni ſubijciat. Quocirca hæc eſt iter ad gloriam, nimirum: timor Dei ducit ad diſciplinam, diſciplina ad ſapientiam, ſapientia ad gloriam, tum præſentem, tum æternam. Vnde Septuag. *principium*, vel potiùs *principatus* (vtrumque enim eſt ἀρχὴ) *gloriæ reſpondebit ei*. q.d. Timor Dei & diſciplina initio dura, moleſta, humilia & abiecta videntur: at ne terrearis, ô fidelis timens Deum: quia tandem pro fructu, mercede & prœmio afferẽt tibi gloriæ principatum. Hinc & tales ad gubernacula, ad dignitates & prælaturas, tam ſæculares quàm Eccleſiaſticas, ſeligi & promoueri videmus. Addunt Complut. *Præcedit autem humiles gloria.* Quæ verba, vt notant Romani, videtur eſſe altera interpretatio prædictæ ſententiæ; vnde ipſi cum Procopio ea delent. Porrò auctor Catenæ Græc. ſic Septuag. vertit, *timor Domini parit diſciplinã & ſapientiam: vtraque autem principium eſt gloriæ, quam humilitas antegreditur*, q.d. Nulla res mentem hominis quæ libera eſt & ſui iuris, poſſet legibus diſciplinæ quaſi vinculis conſtringere, niſi timor Dei. Hic ergo parit diſciplinam, & per eam ſapientiam ac gloriam, quam proinde humilitas diſciplinę antegreditur. Hinc & Arabicus Septuag. de more ſecutus, vertit, *principiũ nobilitatis eſt reſponſio eius, & gloria deambulat*, vel *decurrit ante humiles.*

Pro *humilitas* hebr. eſt ענוה, *anaua*, id eſt humilitas, mititas, modeſtia: item humiliatio, oppreſſio, afflictio. Vnde Primò, Symmach. & Theodot. vertunt, *ante gloriam modeſtia* aut *manſuetudo*; & Caiet. *in facie honoris* (vel coram honore & gloria) *manſuetudo*. q. d. *Per manſuetudinem homines eleuantur ad ſtatum honorabilem. Amantur enim manſueti, & idonei cenſentur ad gubernandum, tamquam alieni à paſſionibus animi. Aut coram honore, id eſt coram viro honoris, floret manſuetudo: quoniam talis delectatur in manſuetudine tam ſua quàm aliorum.* Hucuſq; Caiet.

Secundò, alij vertunt, *timor Domini caſtigatio ſapientiæ: & ante gloriam afflictio*, quod S. Petrus epiſt. 1. c. 1. v. 11. παθήματα reddit, id eſt afflictiones, paſſiones, cùm ait: *Prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias.* Vide ibi dicta.

D

Tertiò, Vatabl. vertit, *ante gloriam eſt deiectio*, q.d. Deus antequam quem glorificet, priùs eum deijcit, ſternit & humiliat: quod Noſter optimè vertit, *gloriam præcedit humilitas*, iuxta ſenſum initio aſſignatum. Nimirum æterna lege ſancitum eſt, vt per humilitatis viam tendatur & aſcendatur ad gloriam. Hæc eſt via, & non eſt alia. Hoc eſt quod ait Chriſtus: *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Et de Chriſto ait Paulus: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, Philip. 2. 9. Vice verſa de ſuperbia ait Salomon c. ſeq. v. 18. *Contritionem præcedit ſuperbia.*

Quartò,

Quartò, ex eo quod ad verbum Hebr. habent, *coram gloria humilitas*; Septuag. Complut. contrariè vertunt, *præcedit autem humiles gloria*; quod ſecutus Syrus vertit, *laus humilis graditur ante eum*; Chald. *qui glorioſus eſt ſit humilis*. Vtrumq; ergo verum eſt, & quòd gloriam pręcedat humilitas, & vice verſa, quòd humilitatem præcedat gloria: nimirum humilitas præcedit gloriam, quaſi gloriæ meritum: viciſſim gloria præcedit humilitatem, quaſi humilitatis ſpes corona & præmiũ: ſicut ergo meritum in ratione meriti præcedit præmiũ in genere cauſæ meritoriæ, ſic pariter humilitas præcedit gloriã, & ſicut pręmium in ratione præmij præcedit meritũ in genere cauſæ finalis (vnde laboranti & certanti ante laborem & certamẽ proponi ſolet præmium) ſic pariter gloria præcedit humilitatẽ. Hęc ergo duo ſunt connexa, & vnum ex altero ſequitur: nimirum ex eo quòd humilitas præcedat gloriam in ratione meriti; neceſſariò ſequitur, quòd gloria præcedat humilitatẽ in ratione præmij. Sic Chriſtus, ait Apoſtolus hebr. 12. 2 *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Vnde S. Greg. Nazianz. orat. 3. *Gloriam præcedit humilitas*, hoc eſt, ait, *ſicut calamitas inſolentiam, ita ſplendor & gloria humilitatem comitatur. Dominus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: atque contraria contrariis viciſſim inducit, qui omnia iuſtè admetitur.*

Axiomata S. Auguſtin. de humilitate. Huc faciunt axiomata & paradoxa S. Auguſt. de humilitate. *Primum.* Primũ: *Deus cùm omnium ſit excellentiſſimus, non elatione ſed humilitate contingitur*, ita ipſe hom. vlt. inter 50. *Secundum.* Secundum: *Excelſus eſt Dominus, & humilia reſpicit, & excelſa à longè cognoſcit*, pſ. 137. *excelſa poſuit pro ſuperbis: illa ergo reſpicit vt attollat, iſta cognoſcit vt deprimat & deiiciat.* Ibid. *Tertium.* Tertium: *Scit ſerpens nos non poſſe redire* (ad Deũ) *niſi per humilitatem, qui per ſuperbiam lapſi ſumus. Dux nobis ipſe fuit ad ſuperbiam, modò ad humilitatem ducem Chriſtum ſequamur.* ibidem hom. 12. *Quartum.* Quartum: *Humilitatis paſſibus ad cæli culmina cõſcenditur: quia Deus excelſus nõ ſuperbiã ſed humilitate attingitur, diſcamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus.* ita ipſe ſer. 113. de Tempore. *Quintum.* Quintum: *Per ſuperbiã mirabilis angelorum creatura cecedit de cælo: per humilitatem Dei fragilitas humanæ naturæ aſcendit in cælum.* ibidem *Sextum.* Sextum: *Quantum cor humilitate inclinatur ad ima, tantum proficit in excelſo. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria.* ibidem *Septimum.* Septimũ. *Quanto quis humilior erit de ſe ipſo, tanto maior erit in cõſpectu Dei. Superbus verò quanto glorioſior apparet inter homines, tanto deiectior erit ante Deum. Qui enim ſine humilitate bona opera agit, in ventũ puluerem portat.* ibid. *Octauum.* Octauum: *Deſcende vt aſcendas. humiliare vt exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim ſibi vilis videtur eſſe, ante Deũ pulcher eſt: qui ſibi diſplicẽt, Deo placet. Eſto igitur paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei.* ibid. *Nonum:* Nonum: *In ſũmo honore ſumma tibi ſit humilitas. Honoris laus eſt, humilitatis virtus* ibidem. *Decimum.* Decimum: *Superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas homines ſimiles angelis conſtituit.* ita Auctor ſer. ad Fratres in eremo apud S. Aug. to. 10. ſer. 12.

Huc quoque ſpectant gnomæ S. Cyrilli, & S. Ambroſij, quas citat hîc Dionyſius Carthuſianus. *S. Cyrilli.* Cyrilli: *Crede mihi quia maximè ſe vilis facit, qui magnũ ſe reputat. Sicut qui ſe indicat ſapientem fit amens. Lux quidem luce confunditur, & altitudo altitudine incuruatur. Vbi ergo profunda humilitas, ibi excelſa eſt dignitas, & vbi ex te ipſo deiectio magna, ibi ex virtute dignificatio maxima: dumq; mundanis cardinibus nos iudicamus indignos, ſempiternis atque cæleſtibus manſionibus reddit humilitas mox nos dignos* B. Ambroſ. *S. Ambroſij.* *Quiſquis cupit diuinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur: quicumq; vult fratrem ſuum præuenire regnando in cælis, priùs illum præueniat obſequendo in terris, ſicut ait Apoſtolus: Honore inuicem præuenientes: vincat eum officiis, vt poſſit vincere ſanctitate.*

Gradus ergo ad gloriam eſt humilitas & humiliatio: vice verſa, gradus ad ruinam eſt ſuperbia ac ſuperba ſui exaltatio. Quocirca ſapienter. S. Bern. ſer. 34 in Cant. *Oportet*, ait, *humiliter ſentire de ſe tendentẽ ad altiora: ne, dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe.* Et paulò pòſt: *Niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur.* Et S. Aug. in Sententiis n. 88. *Nõ acceditur*, inquit, *ad altitudinẽ Dei, niſi per humilitatẽ, cui propinquat ſubditus, longè ab eo recedit elatus.* Porrò, vt idem ibid. ait n 33. *Vera fidelium humilitas eſt, in nullo ſuperbire, in nullo murmurare: nec ingratum eſſe, nec querulũ; ſed in omnibus iudiciis gratias Deo agere, Deumque laudare, cuius omnia opera, aut iuſta ſunt, aut benigna.* Salomonem more ſuo ſecutus Eccleſ. c. 11. 1. *Sapientia*, inquit, *humiliati exaltabit caput illius, & in mediò magnatorum conſidere illum facit.* Vide ibi dicta.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Homo animam præparat. Deus linguam gubernat, & ſpiritus ponderat, ac vias hominum dirigit, omnia propter ſe ipſum operans, cui abominatio eſt omnis arrogans: miſericordiã redimuntur peccata: pondus & ſtatera Dei iudicia: indignatio & clementia regis: laus ſapientiæ, prudentiæ, eruditi, ac dulcis in verbo, & patientis: vituperatur inſipiens & peruerſus: ſortes à Domino temperantur.

1. Hominis eſt animam præparare: & Domini gubernare linguam. 2. Omnes viæ hominis patent oculis eius: ſpirituum ponderator eſt Dominus. 3. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. 4. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum. 5. Abominatio Domini eſt omnis arrogans: etiam ſi manus ad manum fuerit, non eſt innocens. 5 Initium viæ bonæ, facere iuſtitiam: accepta eſt autem apud Deum magis, quàm immolare hoſtias. 6. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur à malo. 7. Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. 8. Melius eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate. 9. Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. 10. Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius. 11. Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt: & opera eius omnes lapides ſacculi. 12. Abominabiles regi qui agunt impiè: quoniã iuſtitia firmatur ſolium

ſolium. 13. Voluntas regum labia iuſta: qui recta loquitur, diligetur. 14. Indignatio regis, nuntij mortis: & vir ſapiens placabit eam. 15. In hilaritate vultus regis vita: & clementia eius quaſi imber ſerotinus. 16. Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento. 17. Semita iuſtorum declinat mala: cuſtos animæ ſuæ ſeruat viam ſuam. 18. Contritionem præcedit ſuperbia: & ante ruinam exaltatur ſpiritus, 19. Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. 20. Eruditus in verbo reperiet bona: & qui ſperat in Domino, beatus eſt, 21. Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens: & qui dulcis eloquio, maiora percipiet. 22. Fons vitæ eruditio poſſidentis: doctrina ſtultorum, fatuitas. 23. Cor ſapientis erudiet os eius: & labiis eius addet gratiam. 24. Fauus mellis, compoſita verba: dulcedo animæ, ſanitas oſſium. 25. Eſt via quæ videtur homini recta: & nouiſſima eius ducunt ad mortem. 26. Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. 27. Vir jmpius fodit malum, & in labiis eius ignis ardeſcit. 28. Homo peruerſus ſuſcitat lites: & verboſus ſeparat principes. 29. Vir iniquus lactat amicum ſuum: & ducit eum per viam non bonam. 30. Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia ſua perficit malum. 31. Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis juſtitiæ reperietur. 32. Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. 33. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.

Vers. 1. HOMINIS EST ANIMAM PRÆPARARE: ET A DOMINI GVBERNARE LINGVAM] Hebr. *homini diſpoſitiones* vel *ordinationes cordis, & à Domino reſponſio linguæ.* Hic verſus deeſt in Sept. Compl. & Romam. nonnulli tamen alij codices eum ſic efferunt: *Homini applicationes cordis, & à Domino reſponſio linguæ.* Vnde & Syrus de more ſequens Septuag. ſic vertit, *ab homine eſt conſilium cordis, à Domino ſermo linguæ.* Sic & Chaldæus.

Iam ex Hebræo ſic rectè exponit Aben Ezra. q.d. Homo in animo ſuo rectè cogitationes ordinat & diſponit, ſicut dux diſponit & ordinat in acie milites: ſic enim mente ordinat homo ea quæ dicturus eſt, ſibique dicit: Hoc dicam primo loco, hoc ſecundo, hoc tertio, &c. (hoc enim ſignificat B Hebræum ערך *arach*, cui per metatheſin opponitur עכר *achar*, id eſt turbare, confundere) at Dei eſt ordinare & diſponere ſermones, vt quod mente concepiſti & ordinaſti, hoc ordinatè, appoſitè & efficaciter ore proloquaris. Sicut ergo ducis eſt ordinare milites in acie, ſed Dei eſt dare eis pugnandi animos, robur & victoriam: ſic pariter hominis eſt ordinare ea quæ dicturus eſt, ſed Dei eſt dictionem dirigere, vt id quod intēdit, perſuadeat audienti. Et R. Leui: *Licet*, inquit, *ad virũ ſpectet res & verba mente diſponere, indiget nihilominus diuino auxilio, vt verba ſua ritè pronuntiare poſſit: quot enim ſunt verba, quæ licet ſcitè mente concepta & ordinata eſſet, in pronuntiatione tamen confuſa ſunt & perturbata.* Huc facit illud S. Aug. l. 2. de Doctrina Chriſt. *Sententiã animi verbis aſſequi mirè delectat oratorem: at cùm C propria verba fugiunt dicentem, & aliena occurrunt, ſic cruciatur, quaſi legato ſapienti & erudito malus eueniat interpres.* Et Vatab. Senſus, inquit, eſt. q.d. Id quod vulgò dicitur: *Homo proponit, Deus diſponit.* Iſtud in Balaam factum videmus, cuius maledictionem Deus vertit in benedictionem. Cùm enim ipſe animo deſtinaſſet maledicere Iſraeli, Deus eius linguam ita flexit vt eidem benediceret. Num. 23.

Minùs plenè Caiet. hanc ſententiam ex Hebręo arctat ad reſponſa. q.d. Cũ quis interrogatur, pręmeditetur quid reſpondeat; ſed tamen præmeditationi ſuæ nō confidat, ſeſeq; Deo commendet: quia Dei eſt linguam dirigere, vt eo modo reſpondeat, quo menti interrogãtis ſatisfaciat. Verùm hæc arctior eſt interpretatio: nã Hebræi *reſpondere* vocãt loqui, etiamſi nulla pręceſſerit interrogatio. Vnde Noſter generatim vertit, *Domini eſt gubernare linguã.*

A Pelagiani hoc loco abutebantur ad ſuam hæreſim, vt probarent initium ſalutis eſſe a libero arbitrio: hoc enim bene operando & orando præuenire & præparare ſe ad gratiam Dei excipiendam. Hominis ergo eſſe *præparare cor*, id eſt inchoare bonum, ſed Dei eſſe illud cõplere & perficere. Quem ſenſum redarguit D. Aug. lib. 2. Contra duas epiſt. Pelag. c. 8 ex illo Chriſt. Ioã. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* & ex illo Pauli 2. Cor. 3. 5. *Nõ quòd ſufficiẽtes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Igitur S. Aug. per reſponſionem linguæ accipiẽs reſponſum linguæ diuinæ, non humanæ, ſic explicat. q.d. Hominis, nõ ſolius, ſed Dei gratia adiuti, eſt præparare cor ſuũ ad excipiendam Dei loquelam, vt audiat, quid in ſe loquatur Dominus: ſed Dei ſolius eſt huic hominis præparationi reſpondere, eique ſermones ſuos ſatuſq; diuinos inſerere. Sed audi S. Aug. *Ideo quippe ſcriptũ eſt: Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ: quia homo præparat cor, nõ tamen ſine adiutorio Dei, qui tãgit cor. Homo præparat cor: in reſpõſione autẽ linguæ, id eſt, in eo quod præparato corde lingua diuina reſpondit, nihil operis habet homo, ſed totum eſt à Domino Deo. Nã ſicut dictum eſt: Hominis eſt præparare cor; & à Domino reſponſio linguæ: ita etiam dictum eſt: Aperi os, & implebo illud, pſ. 80. Quamuis enim niſi adiuuante illo, ſine quo nihil poſſumus facere, os nõ poſſumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento ex opere noſtro. Nã quid eſt præparare cor & os aperire, niſi voluntatẽ parare: Et tamẽ in eiſdẽ literis legitur: Præparatur voluntas à Domino.* Vnde aurea hac ſẽtẽtia cõcludit. *Quapropter multa facit deus in homine bona, quæ nõ facit homo nulla verò facit homo quæ nõ facit Deus vt faciat homo.*

Verùm hæc expoſitio potiùs myſtica videtur quàm literalis. Nam ad literã intelligitur hìc lingua hominis, nõ Dei. Vnde Noſter pro *A Domino eſt reſponſio linguæ*, clarè vertit, *Domini* eſt *gubernare linguam*, vtiq; non ſuam, ſed hominis. Quocirca ſenſus planus & ſimplex eſt, ait Ianſen. vt Salomon ſignificare velit, hominem quidem apud ſe poſſe cogitare, & frequenter diſponere, quid ſit locuturus & reſponſurus; at citra Dei auxilium, quod diſpoſuit, non bene elocuturum, nec quod concepit, ad effectum perducere poſſe, non quòd non ſe diſponere, & parare poſſit ad loquendũ ſine gratia Dei; ſed quòd etiã id quod cum Dei gratia loqui diſpoſuit, eloqui bene non valeat, ſine noua & ſingulari Dei gratia, quæ linguam moderetur &

gubet-

gubernet, vt intelligamus doctam vtilemque orationẽ non tribuendam ſoli meditationi præcedenti, nec ſufficere ad bene ſalubriterq; loquendum vt quis apud ſe diligenter cogitet quid loquendum ſit; ſed poſt omnem noſtram induſtriam pẽdendũ nobis ab adiutorio Dei, qui non tantùm memoriæ ſuggerere debet quod præcogitatum eſt; ſed etiam dicentis linguam moderari, vt bene, vtiliter & cum gratia auditorum, dicantur quæ concepta ſunt. Simile eſt in ſcriptione: idem enim eſt ſiue ore, ſiue manu & calamo loquaris. Vnde Pſaltes: *Lingua mea*, inquit, *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, pſ. 44. 2.

Vbi nota contra Pelagianos de fide eſſe, cordis præparationem ad bonum pertinens ad ſalutem, eſſe à gratia Dei. Sed Sapiens hîc generatim loquitur, etiam de cogitatione & locutione rerum indifferentium quæ ad ſalutem non pertinent, ac loquitur iuxta hominum morem & experientiam. Videmus enim difficilius eſſe ſenſa animi aptè exprimere, quàm eadem cogitare & concipere. Non ergo excludit gratiã præuenientem & excitantem ad cogitationes ſalutiferas, ſed maiorem cum minore cõparat q. d. In rebus ſalutiferis homo excitatus communi Dei gratia, poteſt corde concipere bona: & maiori gratia eget, vt eadem appoſitè eloquatur: præſertim quia inter loquendum ſurrepit ſuperbia, ira, inuidia, item defectus memoriæ, pudor, metus, aliaque plura impedimenta rectè loquendi: quæ omnia nõ niſi per Dei gratiam amouere & ſuperare poſſumus. Quare tantùm ſignificat magis in noſtra poteſtate eſſe cogitationem & voluntatem, ſiue propoſitum, quàm executionem operis. q. d. Non ſufficit in naturalibus cum concurſu Dei generali, in ſupernaturalibus etiã cum gratia Dei præmeditari quod dicturus es, niſi Deus poſtea in ipſa locutione ſpeciali gratia dirigat linguam ita D. Thom. 1. 2. q. 112 art. 2. in corp. Quod hîc dicit Salomon de verbis, idem v. 9. & c. 20, 24. aſſerit de factis & operibus: facile enim eſt cum cõmmũni gratia Dei ea mente deſtinare, ſed noua & ſpeciali opus eſt, vt quæ deſtinaſti, opere exequaris. Inter operandũ enim multæ occurrũt difficultates, quæ ſine ſingulari Dei ope vinci nequeũt.

Ratio à priori, cur Dei ſit regere linguã. Atque hæc prima ratio à priori, cur hominis ſit diſponere cor, Dei autem gubernare linguam: *Primo.* & vtrumq; ſcilicet tam diſponere quàm gubernare, magis ſit opus Dei quàm hominis. *Secundò.* Secunda eſt, quòd in elocutione multæ occurrunt circumſtantiæ à loquente improuiſæ, cùm ergo eas non prouiderit homo, vt illis lingua eius attemperetur, neceſſe eſt vt gubernetur à Deo. Adde, multas eſſe ſecretas conditiones in audiente, æquè ac loquente, ſoli Deo cognitas, quibus vt ſermo loquentis congruè aptetur, neceſſe eſt vt dirigatur à Deo. *Tertiò.* Tertia & præcipua eſt, quod hominis quidem ſit exteriùs loqui, & formare verba; ſed Dei ſolius eſt eis interiùs dare vim & vigorem ad perſuadendum id quod ſonat, audienti: alioqui loquens eſt tantùm æs ſonans & cymbalũ tinniens, vt ait Apoſt. 1. Corinth. 13. Sicut enim agricola ſerit ſemen, ſed Deus ſolus ſemẽti internam indit vim germinandi, ſeque multiplicandi: ſic prorſus fit in verbo, quod velut ſemen ſerit loquens, ſed Deus ei inde ſpiritum & efficaciam ad conuertendum audientem. Deus enim inſpirat menti audientis id, quod proponit loquens, eamque ſuæ gratiæ luce & impulſu illuminat & inflãmat, vt idipſum intelligat, amet & proſequatur. Hoc eſt quod ait Apoſt. *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit* 1. Corinth. 3. 6. & Chriſtus: *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, Ioan 6. 45. & v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eũ.* Idem paſſim contra Pelagianos docet S. Auguſt. præſertim lib de Corrept. & gratia.

Hæc gnome vbique locum habet, ſed maximè in profeſſione fidei & Martyribus tempore perſecutionis, de quibus propriè eam explicat Beda, vt idem hic dicat Salomon quod Chriſtus Matt. 10. 19. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Ita Eſther pro ſalute Iudæorum, iam per Aman damnatorũ ad mortem, interceſſura apud Aſſuerum maritum ſuum, orat Deum: *Tribue*, inquit, *ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri*, Eſther 14. 13. Multæ enim cauſæ concurrere debent, vt loquens perſuadeat audienti quod intendit, ac præſertim cor audientis debet mulceri & flecti verbis quæ audit, afficiatur, ac cõtrarias affectiones exuat. hoc autem ſolus poteſt facere Deus. Quocirca concionatori, confeſſario, & cuiuis animas ſaluare ſatagenti orãdus eſt Deus vt linguam ſuam ita dirigat, vt feriat mentem audientis, eique perſuadeat quod dicitur. Oret ergo cum Pſalte: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Ita S. Auguſt. apud Poſidon. in Vita eius narrat, ſe in concione quadam prorſus alia dixiſſe quàm priùs mente conceperat, ac poſtea aduertiſſe id factum à Deo ad conuertendum quemdam Manichæum, qui concioni intererat. Cauſam dat S. Iacobus c 3. 8. *Linguam autẽ nullus hominum domare poteſt.* Vbi multa in hanc rem dixi. Ergo neceſſe eſt eam frænet & domet Deus. *Deus ſolus eſt auriga linguæ: cur.* Vnde S. Chryſ. hom. 50 in Matth. *Regius*, inquit, *equus eſt lingua ſiei frænum imitocas doctrinã tuã gradarijs efficeris: aſcendet in eum rex, & quieſcet in eo.* Sicut ergo Bucephalum nemo regere poterat, niſi Alexander Magnus; nec ille vllum alium patiebatur ſeſſorem niſi Alexandrum: ſic pariter linguã nemo regere poteſt, niſi Deus; nec illa alium ſeſſorẽ patitur, niſi Deum. Quare Hugo de S. Victore lib. de Anima: *Lingua*, ait, *labilis eſt teneri non poteſt, ſed labitur, & fallit. Labitur vt anguilla, penetrat vt ſagitta.*

Deniq, ex hac gnome, *Domini eſt gubernare linguam*, ſolerter & cautè colligit Franc. Suarez to. 1. de Gratia proleg 3. c. n 7 gratias gratis datas, quas recenſet S. Paulus 1. Cor. 12. inter quas prima eſt ſermo ſapientiæ nõ dari per habitus, ſed per actualem Spiritus S. motionẽ, qua ipſe directè excitat mentem, facitq; vt illi verba apta occurrant, modiq; loquendi congrui, atque aufert impedimenta quæ mentem diſtrahere aut perturbare poſſunt. Id maximè verũ eſt in concionatore, vt dixi, confeſſario & ſimilibus, qui animas cõuertunt. Hi ergo crebrò orent, vt Deus gubernet eorum linguam ad aliorum ſalutem, ſcilicet vt faciat eos ita appoſitè loqui. vt audientes feriant & conuertant.

OMNES VIÆ HOMINIS PATENT OCVLIS EIVS: SPIRITVVM PONDERATOR EST DOMINVS] *VERS. 2.* Pro *patent*, hebr. eſt זך *zach*, id eſt mundus fuit, purus ab omni labe & vitio, ſincerus, clarus, irreprehenſibilis. Vnde זכוכית *zecũchit*, vocatur vitrum & cryſtallus, propter munditiem & tranſparentiam. Pro *ponderator* hebr. eſt תכן *tochen*, quod tria ſignificat. Primò, dirigens, diſponens; Secundò, menſurans; Tertiò, ponderans. Propriè *tochen* eſt penſitans, penitus perpendens, certò metiens, nume-

rans,diiudicans ſpiritus an ſuæ mēſuræ & regulæ, putà legi diuinæ,rationi & præſcripto virtutis adæquentur,& ad amuſſim reſpondeant Noſter vertit,*ponderans*,id eſt appendens & examinans an verū virtutis habeant pondus. Vnde Chald. vertit, *omnes viæ viri mūdæ in oculis eius,& Deus dirigit vias eius*;Syr.*omnes viæ hominis puræ sūt in oculis ſuipſius:* Sept. *omnia opera humilis manifeſta ſunt apud eū : impij autem in die mala peribunt.* Notant Romani in vno codice Sept. ſuo aſteriſco hæc haberi : *Homini applicationes cordis,& à Domino reſponſa linguæ. Quanto maior es,humilia teipſum,& corā Domino inuenies gratiā.Omnia opera humilis manifeſta apud Deum : & firmans ipſos ſpiritus Dominus.Deuolue ſuper Dominū opera tua,& firmabūtur cogitationes tuæ.Omnia opera operatus eſt Dominus propter ſeipsū impij autē in die mala peribūt*

Iam Primò,Caiet. Hebr. *zach*,quia maſculinum & ſingularis numeri,ſic vertit.*Omnes viæ viri mundi in oculis eius*, hoc eſt,inquit,omnes actiones externæ viri iuſti & ſinceri patent oculis eius, cùm ipſe eas examinat & dijudicat : at verò ſpiritus & internos inſtinctus, quibus ad haſce actiones impulſus fuit, non peruidet : hoſce enim ſolus Deus ponderat, id eſt appendit, penetrat & menſurat. Verùm omnes τὸ *zach* vertunt, *mundæ* vel *patentes & claræ*. Apud Hebræos enim crebra eſt enallage & permutatio generum & perſonarum. Rurſum τὸ *zach* accipi poteſt vt abſtractum.q d. Omnes viæ hominis in oculis eius videntur munditiæ, id eſt omnino mundæ. Huc accedunt Septuag qui hæc arctant ad humilem:*Omnia opera humilis*,inquiunt, *manifeſta apud Deum* Quocirca noſter Salazar verſionem Vulgatam accommodans ad Septuag. hæc de ſolo humili accipit, ſicque explicat, q. d. Omnia opera humilis in conſpectu eius ſunt vitrea, id eſt clara & perſpicua:quare minimos etiam næuos & defectus ſuos in iis notat juxta illud Iſidori Peluſiotæ l.2. ep.24. *Hypocrita vitrum ponit loco veri margariti*,id eſt,ſua opera vana & nullius meriti pro magnis vēditat,& quaſi pretioſa oſtentat: *humilis verò margaritas æſtimat vitrum*,id eſt,ſua heroica opera parui vel nihil facit, eaq; æſtimat fragilia inſtar vitri. At *ſpirituū ponderator eſt Dominus*: *ſpirituum*,id eſt ſuperborum qui altos geſtiūt ſpiritus:ſic enim *ſpiritus* ſæpè ſuperbiam & faſtū ſignificat.Iā τὸ *ponderat* tripliciter explicat. Primò,q.d. *Deus ponderat*,id eſt ponderando librat, complanat & adæquat ſuberborum ſpiritus,dum eos deiicit, ceteriſq; hominibus abiectis & demiſſis quaſi perpendiculo adæquat. Secundò,*ponderat*,id eſt ponderibus degrauat.q.d. Deus faſtū ſublimiū impoſito aliquo onere tribulationis depōit & deprimit. Tertiò,propriè *pōderat*,id eſt in ſtatera iuſti judicij ſui appēdit, & ſuperborū leuitatē, humilium verò pōdus & momentum probè cognoſcit.hæc Salaz. Auctor verò Cat.Græc.*Per hoc*,inquit,*quòd humiliū opera Deo aſſeruntur manifeſta , inſinuatur Deum nolle ſuperborum opera aſpicere,multò verò minùs approbare. Vel manifeſta dicuntur, quia ſunt velut lux quædam.*

Verùm τὸ *humilis* non eſt in Hebræo , Chald. Syro,& Latino, multò minùs τὸ *ſuperborum*,quod ne quidem habent ipſi Septuag.Quare generatim hanc ſententiam vt ſonat, accipiendo de homine quolibet;notandum eſt cùm dicitur:*Omnis viæ hominis patent oculis eius*, pronomen *eius* poſſe vel ad Deum,qui v.1. præceſſit, vel ad hominem referri. Ad Deum referunt Beda,Lyra,Aben Ezra,Hugo & Dionyſ.hunc q; dant ſenſum:*Vias,id eſt actiones, omnium,bonorum videlicet & malorum,Dominus videt,*

A *vt etiam ſpiritus ſingulorū quid in occulto cogitēt, certa lance diſcernat*,ait Beda. q.d. Deo omnes actiones hominis ſunt vitreæ & cryſtallinæ, id eſt claræ & perſpicuæ inſtar vitri & cryſtalli:quia Deus earum radicem & fundum , ſcilicet cor,mentem & ſpiritum cuiuſque intimè peruidet,illumque appendit & ponderat,an ſcilicet æquum iuſtumque bonitatis habeat pondus , an verò diminutum, mancum & iniquum. Vnde infert Boëtius l.5. de Conſol. proſa 6.ſub finem:*Auerſamini igitur vitia,colite virtutem : magna vobis indicta eſt neceſſitas probitatis,cùm ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.*

Secundò, ſimpliciùs Syrus,Chald.Vatab.Pagn. R.Leui, Ianſen. & alij pronomen *eius* referunt ad hominē,qui immediatè præceſſit.q d Homini patent ſuæ actiones externæ,ipſeq; ſæpè ex philautia & amore proprio eas probat,cenſetq; eſſe puras &
B ſanctas,at non raro errat:quia ſpiritum internum ex quo manāt,nō peruidet:huius enim pōderator, id eſt librator,examinator,introſpector eſt Deus.

Primò, ſpiritus eſt cogitatio.

Vbi Nota per *ſpiritum* hìc Primò,accipi mentis cogitationem & voluntatem , quàm Deus ſolus ponderat , an ſit bona an mala q d. Homo videt actionem externām;eamq;probat quaſi in ſe bonam & honeſtam. At Deus videt volitionē internam quæ ſæpè vitioſa eſt, ideoque maculat & vitiat totam actionem extērnam: quare eſto illa homini pura videatur, à Deo tamen impura iudicatur, Hunc ſenſum clariùs exprimit Salomon c.21. 2.dicens: *Omnis via viri ſibi recta videtur:appēdit autē corda Dominus*.q.d. Nolite vobis blandiri, quòd opera veſtra vobis placeant,probaque & iuſta eſſe videātur:quia Deus ea ad diuini ſui judicij truti-
C nā vocabit,in qua ſubtiliſſimi ſpiritus,& abditiſſimæ cogitationes expenduntur : vnde in ea ſæpè vt malum reprobatur & damnatur, quod ab homine vt bonum probabatur & laudabatur.

Secundò, intentio.

Secundò,*ſpiritus* ſignificat intentionem & fundum cordis q.d. Homo cernit actiones ſuas,at intentionem & fundum cordis ſui non peruidet;ſed eum peruidet,imò ponderat & librat Deus,ideoq; ſæpè condemnat actionē, quæ hominibus recta & iuſta videtur.Opus enim bonum factum mala intentione malum eſt,& nō bonū: verbi gratia,cùm quis dat eleēmoſynā pauperi,vt eum pertrahat ad luxuriam vel hæreſim.Opus verò ex ſe indifferēs, id eſt,nec bonū,nec malum,bonum fit,ſi fiat bono fine bonaq,intentionē.Opus autem in ſe prauum nequit fieri bonū, etſi ex optima manet intentio-
D ne. Ecce harum intentionum omnium pōderator eſt Dominus. Nemo ergo ſui ſit cenſor, nemo de ſuo iudicio ſuperbiat,ſed de diuino contremiſcat. Huc pertinet explicatio noſtri Villalpando p. 2. de Templo l.3.c.9.quæ talis eſt:*Omnes viæ hominis patent oculis eius,ſpirituum ponderator eſt Dominus*.q d. Opera ſunt via, quæ cuiq; recta videtur ac plana; ſed eius aſperitas & exitus homini ſibi ipſi plurimum fidenti,& cæco,occulta ſunt & inuiſa; Deo autē patēt. Ipſe enim ſpiritus dijudicat,& diſcernit quo quiſque in qualibet ſuarum ducatur actione.

Tertiò, affectus.

Tertiò,per *ſpiritum* accipias affectum,amorem, intentionem,feruorem,zelum,vim,efficaciam,q d. Homo videt opus externum,illudque magni æſtimat , cenſetque eſſe valdè pium & ſanctum : at Deus ponderat ſpiritum, id eſt quantitatem affectus, intentionis,amoris & zeli,ex quo opus promanat,iuxta illud: *Deus conſiderat non quantū, ſed ex quanto*.Opus enim magnum factum paruo ſpiritu, affectu & amore, coram Deo iuſto virtutum æſtimato-

matore parui eſt ponderis & meriti : opus verò A paruum factum ex magno ſpiritu & amore, magni apud Deum eſt ponderis & pretij. Vnde S. Thom. 1. p. q. 21. art. 4. ad 3. ait, temerarium eſſe definire vter ſanctior fuerit, S. Petrus, an S. Ioannes : nam *ſpirituum ponderator eſt Dominus*.

Quarto gratia & charitas. Quartò, per *ſpiritum* accipias, quantitatem gratiæ & charitatis, quę pondus dat operi. Idem enim opus bonum factum ab homine, qui magnam habet gratiam & charitatem, ideoque eminenter eſt ſanctus, Deique amicus, longè maioris eſt ponderis, pretij & meriti apud Deum, quàm idem opus æquè intensè factum ab illo, qui paruum habet gratiæ & charitatis habitum, ideoque parum eſt Deo gratus & amicus, vti docet Franc. Suar. tract. de Gratia part. 3 lib. 12. c. 22. num. 2. & alij paſſim. Hanc autem gratiæ & charitatis quantitatē ſolus Deus ponderat & menſurat. Vnde dicebat S. Frãciſcus: *Tantus quiſq; eſt, quantus eſt apud Deum, & non amplius.* Dei ergo eſt ponderare opera, an grauia ſint an leuia, ex ſpiritu graui vel leui qui illa producit. Ruſum Deus, ait Lyran. ſpiritus appendit, ad retribuendum merita & demerita. Vnde Heb. *token* Tigurina vertit, *diſponens Dominus*, inquit, *diſponit ſpiritus*, hoc eſt, ait Vatab. *operatur in nobis quæ bona ſunt*: R. Leui vertit *dirigens*. q. d. Deus dirigit, inquit, actiones iuſtorum vt è curuis rectæ fiant; aut, ſi rectæ ſunt, rectæ perdurent, ac ipſi continuè recto virtutis & ſalutis itinere inſtant, itaque ad præmia æterna perueniant; impiorum verò opera praua dirigit ad merita gehennæ ſupplicia.

Alluditad illud : 8. 25. *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura* : vbi pro *appendit* hebr. eſt *tickenvnde tochen*, quod Noſter hîc vertit, *ponderator*. Sicut enim Deus ventis licet leuiſſimis dat ſuũ pondus, hoc eſt menſuram, putà à ſe dimenſam & definitam quantitatem, vim & efficaciam : atque aquas, v. g. mare, appendit in menſura, vt, licet intumeſcat, tamen limites à Deo ſtatutos, ſibiq; cõmenſos, nõ excedat: ſic pariter Deus dat ſpiritibus iam dictis iuſtum ſuum pondus & menſuram, atque iuxta illam ſingulos coæquat & menſurat.

Amor eſt pondus animæ. Porrò pondus ſpiritus & animæ eſt amor, iuxta illud S. Auguſt. *Pondus meum, amor meus: eo feror, quocumque feror.* Quantus ergò eſt amor in anima, quanta charitas, tantum eius pondus : charitas enim dat pondus, id eſt dignitatē, valorem & pretium operi & operanti. *To* ergo *ponderator* dupliciter capi poteſt. Primò, q. d. *ponderis dator*; Secundò, q. d. *ponderis menſurator*. Deus enim omnium actionum tam malarum quàm bonarum pondus menſurat: bonarum verò etiam pondus dat, quod ſcilicet ipſe ab æterno per ſuam prædeſtinationem æquauit & commenſus eſt tum bono, ſaluti & gloriæ ipſius operantis : tũ bono publico, putà ſtatui & officio quod operanti commiſit, ad bonum Eccleſiæ, vel reipub. Homo igitur eſt corporum ponderator, ſed Deus ſpirituum adeoq; Angelorum, Cherubinorum & Seraphinorum omnium.

Hic ſenſus aptè cohæret verſui præcedenti & ſequenti. q. d. Sicut Deus in loquendo eſt gubernator linguæ, ſic in operando eſt ponderator ſpirituum & intentionum, atque in volendo eſt cogitationum director, vt ſequitur. Ipſe ergo eſt auriga

Moral. de bona intentione. cordis, oris & operis. Vnde v. ſequ. pro *dirigentur* hebr. eſt יִכֹּנוּ *iconu*, quod alludit ad *tocken*. Verè ergo Beda in Prouerb. *Sicut*, inquit, *fiſtula abſque inſpiratione nullum reddit ſonum, ſic cor hominis abſque inſpiratione diuina nullum recipit bonum.* Hinc S. Mi-

chael quaſi vicarius Dei pingitur libripens, id eſt in libra appendens ãnimas morientium earumque merita & demerita æſtimans & ponderans Sic Deus ponderauit ſpiritum & opera Baltaſar regis Babyloniorum, cùm in pariete ſcripſit : *Mane tekel* (quæ vox alludit ad *tocken*, quod hîc eſt in Hebræo) *phares: tekel, appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens*, Daniel. 5. 27. vbi plura de hac Dei ſtatera & ponderatione dixi.

Antiſtropha Salomoni eſt illa S. Pauli gnome. Hebr. 4. 12. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Vide quæ ibidem annotaui. Sic vides vbique Salomonem antiſtrophè reſpondere Chriſto & Apoſtolis. Hic nimirum eſt conſenſus legis & Euangelij, hæc harmonia noui & veteris teſtamenti.

B Moraliter hic diſce, quanti faciendus ſit ſpiritus, putà mens & intentio, in qualibet actione noſtra. Intentio enim bona operi etiam indifferenti dat bonitatem, ac quo illa eſt melior, eo melius maioriſque meriti eſt opus. Bona eſt intentio, ſi fugias peccatum, & facias bonum ad cauendum pœnas gehennæ. Melior, ſi id facias ſpe mercedis cæleſtis. Optima, ſi id facias amore virtutis. v. g. ex obediẽtia, vt impleas legẽ: ex gratitudine, vt Deo gratias agas: ex pœnitentia, vt pro peccatis ſatisfacias : ex iuſtitia, vt proximo ius ſuum tribuas, ex religione, vt Deũ colas: & maximè ex charitate, vt Deo magis placeas, illiq; rem gratã præſtes. Charitas enim nobiliſſima eſt virtutũ, earumq; princeps & regina, quare actus quos ipſa elicit, vel per intentionẽ imperat, facit diuinos & nobiliſſimos, ſummiq; apud

C Deum meriti. Quocirca Apoſt. 1. Cor 10 31. *Siue*, inquit *manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Quod explicans S. Baſil in Regul. breuior. reg. 196. *Is nimirum*, inquit, *manducat & bibit ad gloriam Dei, quando diuinorum beneficiorum erga ſe memoriam conſeruat, & eiuſcemodi animi affectionem retinet, quæ ex compoſitione etiam corporis declaretur, vt nõ tamquam ſecurus omnino ma-ducet, ſed vt qui inſpectorem habeat Deum: & quando in ſumendo cibo illud ſibi propoſitum habet, vt nõ tamquam ventris mancipium propter voluptatem manducet, ſed tamquam operarius Dei, vt in operibus iis, quæ ſunt ex mãdato Chriſti, exequendis firmior eſſe poſſit.* Et B. Laurẽt. Iuſtin. lib. de Diſcipl. c. 10. *Omnes Chriſti ſerui*, inquit, *Deo placere cupientes, primordia dies & actionũ conentur conſecrare altiſſimo, quatenus cetera ſecutura opera, à ſuo nõ declinent principio: quapropter mox vt ſomno euigilant, ſemper cor ſuum erigere contendant, prima vox, prima*

D *cogitatio, primus affectus diuinam reſonet laudem, ignitã ad Deum dirigat ſupplicationem, & illi ſe ſincero corde permittat, qui valet potenter de imminentibus periculis liberare.* S. Dorotheus doctr. 13. *Si timore gehennæ*, inquit, *bene faciamus, in ſeruili ſtatu ſumus; ſi vt mercedem recipiamus, in mercenarij; ſi bonum ipſius gratia faciamus, ad filiorum ſtatum tranſimus.*

Memorabile eſt, quod Iouillius gallicè ſcribit in Vita S. Ludouici regis Galliæ, Iuonem (ex pręclara S. Dominici familia) cùm ab hoc Ludouico ad magnũ Damaſci Sultanum legatus eſſet, mulieri cuidam ætatis admodum prouectæ fuiſſe obuiũ, quæ vna manu lebetem ardentibus carbonibus, altera amphoram aqua plenam geſtabat. Hoc ſpectaculo attonitus eam rogat, quę in finem duo hæc ſecum deferret? Iſta hunc in modum reſpondit: *Paradiſum igne hoc exurere, & aqua hoc inferni* *Aliud exemplum.*

flammas extinguere animo meo ſedet. Inopinato hoc reſponſo ampliùs quàm priùs ſtupefactus, denuò eam rogat, cur id aggredi tentaret? Illa, *Ne in poſterum, ait, quiſpiam virtuti & bonorum operum praxi ſe dedat ſpe mercedis, & ne à malo ſe temperet gehennæ timore; verùm purè ob honorem Dei, & quem ei debemus ſingularem amorem.* Vbi hoc intellexit, totus admirabundus hæſit: tanto ingens mulieris huius pietas & perfectio, magnuſque erga Dei honorem zelus, animum eius ſtupore concuſſerat.

Regul 17. Summar. Conſtitut. S.P. Ignatius cupidus excitandi ſuæ profeſſionis alumnos ad hanc perfectionem, loquitur in hunc modum: *Omnes rectam habere intentionem ſtudeant, non ſolùm circa vitæ ſuæ ſtatū; verùm etiam circa res omnes particulares: id ſemper in eis ſincerè ſpectantes, vt ſeruiāt & placeant diuinæ bonitati propter ſeipsā, & propter charitatē, & eximia beneficia, quibus præuenit nos potiùs quàm ob timorē pœnarū; vel ſpē præmiorū (quamuis hinc etiā iuuari debeant:) & in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantū fieri poteſt, amore omnium creaturarū, vt affectum vniuerſum in ipſarū creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amādo, & omnes in eo, iuxta ſanctiſſimam & diuinam ipſius voluntatem.*

Quatuor illa animalia, quæ Ezechieli Prophetæ cap.1. oſtenſa fuere, extentas ſuas pennas, & capita ſurſum erecta habebant, Deo hac viſione ſignificante, virtute præditos oportere intentiones ſuas in ſublime extollere, eas nimirum ob Dei honorem exequendo. Euidenter rex Dauid purè ſe Dei honorem inueſtigare præ ſe tulit, cùm diceba: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, pſ. 113. Hoc eſt quod vulgò dicitur.

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes: quia, vt ait S. Amb. l.2. Offic. *Affectus tuus operi tuo nomen imponit:* Nam vti rami & fructus ſuccum ex ima radice trahunt, ita bonæ actiones præcipuam bonitatem, & meritū à bona intentione hauriunt, S.Greg. lib.28. Moral. cap 13. tanti eam æſtimat, vt totius ſpiritualis ædificij baſim eam appellet.

Vers.3. Revela Domino opera tva, et dirigentvr cogitationes tvæ] Pro *reuela* Noſter legit גל *gal*, à radice גלה *gala*, id eſt reuelauit. Iam alio puncto legunt גל *gol*, id eſt volue, deuolue à radice גלל *galal*, id eſt voluit. Vnde *gilgal* vocatur ſphæra, rota, cælum à volubilitate & rotunditate. Igitur ſic vertunt Pagnin. Vatabl. Caiet. & alij, *volue* vel *deuolue*, aut *verte ad Dominum opera tua, & dirigentur*, vel *firmabuntur cogitationes tuæ*, idque variè exponunt. Primò. Caiet. refert ad intentionem & finem. q.d. Opera quæ facere deſtinas, verte & refer in Deum quaſi ad vltimum tuum finem: ita fiet, vt ad ſuum finem & ſcopum rectà dirigantur cogitationes tuæ. Et Vatab. *Perfice, inquit, quidquid agis, in honorem Dei, & non fruſtraberis cogitationibus tuis*, & R. Leui, *Vniuerſa, ait, quæ agis ad diuinam ſeruitutem refer to; & cogitata tua rectè ſuccedent, Deo opem ferente, vt deſideriorum tuorum metam attingas.*

Secundò, Baynus & Salazar hæc referunt ad gratiarum actionem. q.d. Omnia quæ agis, reuolue per gratiarum actionem ad Deum illorum auctorem: quidquid boni feceris id totum in Deum reflecte, illique quaſi omnis boni fonti acceptum referto: ita *dirigentur cogitationes tuæ*, nimirū rectiſſimè ferentur, nec aberrabunt. Si enim ex his, quæ bene agis quidquā tibi ipſi arroges, aberras prorſus: Vnde Hebr. *gol* verti poteſt *inſtar pilæ reciproca & reſtitue* Deo opera ſancta, quę ipſe in te còiecit. Nam vt ait S. Chryſoſt. hom. 8. tom. 5. *Opera noſtra bona in Deum referre debemus, quemadmodum in ſphæra ludo iacit vnus, alter verò refert pilam, tam diuq; eleganter ludus producitur, quamdiu inter vtriuſq; manus iacta & reciprocata ſphæra non excidit.* Ergo quidquid beneficij, Deo quaſi iaciente, acceperis, ne excidat (inquit Salomon) ſed id continuò in illius manus reuoca, vt inde veluti repercuſſum iterum ad te redeat, idque non tantùm in proſperis, ſed & in aduerſis. q.d. Quidquid boni feceris, aut mali tolerau eris, id quidem Deo acceptū refer, & per gratiarum actionē reuoca. Tunc autem peritior eris, cum aduerſa & infauſta ab illo in te iacta, ne dicam excuſſa prōptè atq; expeditè remiſeris. Subdit: *Et dirigentur cogitationes tuæ*, hebr. *ordinabuntur*, aut *ſtabilietur*. q.d. Hoc humili iudicio prę iacto, *cogitationes* id eſt, conſilia tua & rationes, minimè nutabunt. Pulchrè S. Chryſ. hom. 3. de Lazaro docet, quomodo omnia tam aduerſa, quàm proſpera, in Deū per gratiarum actionem reflectere debeamus.

Tertiò, pleniùs & aptiùs ad Vulgatam verſionem, hæc referas tam ad ſpem & inuocationem, quam ad laudem & gratiarum actionem. Explicat enim id quod dixit v. præced. *Spirituum ponderator eſt Dominus*; & v.1. *Hominis eſt animam præparare*, nimirum reuelando & exponendo Deo ſua negotia, ac poſtulando vt ipſe ea dirigat, confirmet & proſperet. Sēſus ergo eſt. q.d. Deuolue in Deum opera tua, id eſt, illi ea reuela, annuntia, offer, cōmenda, illique planè committe, certò confidens, quòd ipſe ea optimè diriget firmabitque ad ſuam gloriam, tuamq; & aliorum ſalutem. Voluimus enim, ait Ianſen. ad Dominum noſtra opera, cùm Domino acceptum ferimus ſi quid à nobis rectè fiat, & cùm ad honorem eius omnia noſtra opera referimus, & cùm ea quæ nobis incumbūt facienda, illi commendamus & committimus, orantes vt ipſe ea dirigat, atque ad ſalutarem effectum perducat.

Tertium horum conſulit Sapiens, dum hîc dicit: *Volue ad Dominum opera tua.* Illi enim conuenit quod ſequitur *Et dirigentur*, vel, vt alij vertūnt, *ſtabilientur cogitationes tuæ*: hoc eſt, Deo proſperante, quæ cogitaſti, feliciter procedent & adimplebuntur. Idem ergo hîc monet quod Tobias c.4 20. dicēs; *Pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneāt.* Et quod Dauid pſ.36.5. *Reuela Domino viā tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet.* Monemur ergo Domino reuelare opera noſtra, non vt manifeſtemus ei, quaſi ea ignoraret; ſed vt in precibus noſtris ea illi proponamus, auxilium eius & fauorem implorantes. Vnde Beda: *Domino, inquit, opera noſtra reuelamus quando eū, quem nihil latere nouimus, in cunctis quæ agimus, in memoriam inducimus, atque illius in omnibus flagitamus auxiliū.* Sic & Paulus Philip.4. *Nihil, inquit, ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*

Igitur ſicut infans reuelat matri ſuæ deſideria, illaque in eius ſinum & curā deuoluit & reſignat, ibiq; recūbit, indormit & quieſcit: ſic pariter fidelis omnia ſua reuelet, reſignet & committat Deo, in eiuſque paterna prouidentiæ cura indormiat & conquieſcat, iuxta illud c.3 6 *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos*, vbi plura in hác rem dixi. Ita R. Salomon גל *gol*, inquit, id eſt deuolue, proiice. q.d. *In Deum deuolue omnia quibus opus habes, & quæ cogitas feliciter ſuccedēt.* Vel etiā: *Preces ad Deū funde ob vniuerſa quibus indigebis.* Et Abē Ezra, *Cùm*, inquit, *Deus omnia effecerit propter virū ſale carentē, votu eiuſdem annuit: & quando aliquid poſtulauerit, liberaliter id concedit. Quòd ſi ei tua conſilia aperias, quæ expetieris, beneuolè præbebit.* Sic & Lyran. Hugo, Dionyſ.

Dionyſ.& alij. τῷ *volue* ſignificat ſollicitudiné eſſe,ingens pondus,quod animam ſollicici degrauet: ipſe ergo illud ab anima ſua deuoluat in ſinum Dei,ita liber erit,& ſecurus de ſelici rei ſucceſſu.

Denique S. Chryſoſt. hom. 41 ad Popul. hæc refert ad confeſſioné.q.d.Reuela,id eſt confitere, Deo tua peccata & mala opera, ſic ipſe te diriget ad eorum veniam,ſuamque gratiam,atque ad humilitatem ceteraſque virtutes. *Non tibi dico*,inquit, *oſtenta teipſum, nec apud alios accuſa,ſed obedi Prophetæ dicenti: Reuela Domino viam tuam, cu coram Deo confitere,coram iudice confitere peccata tua deprecans : & , ſi non lingua,ſaltem memoria , & ita pete tibi miſericordiam exhiberi: ſi peccata iugiter habes in memoria,numquam in proximum iræ memoriam ſeruabis: non dico , ſi tibi perſuaſeris te peccatorem eſſe. Non ita poteſt hoc animam humiliare , ſicut ipſa per ſe peccata & per ſpecies ruminata. Non eris mali memor, hæc ſemper memoria gerens; non iraſceres,non conuitiaberis , non altum ſapies , non rurſum in eadem cades. eris ad bona fortior. Vides quod ex peccatorum memoriâ naſcantur bona?*

Simili ratione pulchrè noſter Aluarez de Paz lib.4.p.4.de effectibus humilitatis cap. 5.hæc adaptat manifeſtationi conſcientiæ; præſertim illi, quam religioſi plerique ſtatis temporibus faciunt ſuo ſuperiori, quaſi Vicario & interpreti Dei: per hanc enim optimè à Superiore, imò à Deo diriguntur ad ſuam aliorumque ſalutem.

VERS.4. VNIVERSA PROPTER SEMETIPSVM OPERATVS EST DOMINVS; IMPIVM QVOQVE AD DIEM MALVM] Pro *propter ſemetipſum* hebr. eſt לְמַעֲנֵהוּ *lemaanehu*, quod Primò, verti poteſt, *propter ipſum*, ſcilicet opus,ait Pagninus: Deus enim nulla re indigebat,aut potiùs *propter ipſum*,ſcilicet hominem, qui præceſſit.v.2.& 1. Vnde Chald. vertit, *omnia opera Dei ſunt pro his qui obediunt illi: & impius ſeruatur in diem malum.* ſicque clara eſt antitheſis inter obedientes & malos ſiue inobedientes, quòd Deus omnia opera ſua,ac præſertim cælum, præparauit obedientibus ſibi, inobedientibus verò præparauit malum,id eſt exitium & gehennam.

Secundò,R Salomon *lemaanehu* vertit, *ad ſuam laudem*: ענה *ana* enim ſignificat canere & laudare, iuxta illud pſ.146 7.*Præcinite*(hebr. ענו, *enu*, id eſt canite) *Domino in confeſſione.*

Tertiò,idem R Salomon *lemaanehu* exponit *ad teſtimonium ſui*,hoc eſt,vt de ipſo Deo omnia teſtimonium perhiberent,quòd opera diuina teſtentur Dei fortitudinem & maieſtatem,

Quartò, optimè Noſter,Pagnin. Vatabl.& alij *lemaanehu* vertunt *propter ſemetipſum*,quod R. Iona exponit q.d. Secundùm voluntatem & beneplacitum ſuũ Longè meliùs alij.q.d Propter ſuam gloriam,vt ſenſus ſit, Deus mundum & omnia, quæ in eo ſunt,creauit non coactè aliorum ſeruiens vtilitati,ſed ſponte ſuæ ipſius obſequẽs gloriç propter ſemetipſum,tamquã propter finẽ vltimum rerum omnium. Ipſe enim ſicut eſt prima cauſa efficiens omnium,ſic & omnium eſt finis & ſcopus: omnia enim tendunt ad Dei laudem, vt creatoris ſui potentiam, miſericordiam, iuſtitiam, ſapientiã toto orbe promulgent & celebrent. Hinc Deus in omnibus idem eſt,ſuiq;per omnia ſimilis. *Deus*,ait S.Aug. *nec maior eſt in maximis,nec minor in minimis.*

Vbi Nota,Deum non ex cupiditate gloriæ operatum eſſe omnia propter ſe,ſed quia rerum natura & ordo id poſcit. Creatura enim ex intima totaque eſſentia ſua refertur,reſpicitque creatorem. quaſi ſuum finem ſummumque bonum, Viciſſim creatoris natura & diuinitas tantæ eſt dignitatis & maieſtatis,vt poſcat omnia ad ſe referri,imò dos vna diuinitatis propria & eſſentialis eſt, quòd illa ſit vltimus rerum omnium finis. Monet ergo hæc gnome, vt omnia noſtra opera ad Deum referamus,eaq;propter illum operemur,ſicut ipſe omnia operatus eſt,ac illa ipſa opera operatur nobiſcum propter ſemetipsũ Cũ ergo Deus omnia propter ſemetipſum operetur,par eſt,vt nos quoq; illi cooperantes in eamdem cum ipſo intentionem conſpiremus, atque omnia noſtra operemur ad eius laudem & gloriã,dicamuſq;illud S.Ignatij fundatoris Societatis Ieſu: *Omnia ad maiorem Dei gloriam.*

Ad hoc nouum ſtimulum dat verſio Chaldæi, quæ ſic habet, *omnia opera Dei ſunt pro his qui obediũt ei: & impius ſeruatur in diem malum.* q. d. Deus etſi vltimatè omnia creauérit propter ſe;proximè tamẽ & mediatè omnia creauit propter iuſtos obedientes ſibi,eorumq;obſequio ſolem,lunam,ignem,arbores,fructus,omniaq;creata addixit;vt ipſi viciſſim eadem ſuaq;omnia Dei ſeruitio mancipent. Si enim Deus propter hominem omnia facit: ergo par eſt vt homo viciſſim omnia propter Deum faciat. Si obiicias,malos quoque & impios vti rebus à Deo creatis,haſq;illis ſeruire. Reſpõdet, modicũ & breue eſſe hoc ſeruitium. Nam impius ſeruatur ad diem damnationis & gehennæ quo cælum,terra,gehenna,omneſque creaturæ in eius ſupplicium & tormentum conſpirabunt,& quaſi coniurabũt. Vnde S. Bernardus ſerm. 3. de Pentecoſte. *Omnia*, inquit, *facit propter ſemetipſum,gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos ſuos, pro eorũ ſcilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finis.* Vide S.Th. 1.p.q.44.art,4.vbi docet Deum eſſe primam cauſam efficientem, exemplarem, & finalem rerum omnium: quia Deus in earum productione intendit illis communicare ſuam bonitatem,& illæ intendunt eamdem participare. Finis enim eſt id quod intenditur ab agente. Verùm Deus eas non eſt operatus propter ſe vt finem ſui ipſius (Deus enim non habet finem ſuiipſius, ſed ipſe omnium eſt finis) ſed ob finem & bonum creaturarum. In Deo enim ſapientia, bonitas & operatio ſunt vnũ idemque cum Deo, ac proinde ipſe earum finis eſſe nequit. Deus ergo omnia *operatus eſt propter ſe*, hoc eſt,operatus eſt omnia ad hoc,vt ſuam bonitatem,ſapientiam,potentiam,magnificentiam,gloriam,&c. creaturis oſtenderet & communicaret, quod eſt bonum creaturarum, non Dei. Deus enim ex hac ſui communicatione nihil acquiſiuit, cùm nihil ei addi poſſit: (vnde & gloria quâ eum glorificãt homines,angeli & creaturæ omnes,nihil ei addit,cùm ipſe in ſe habeat gloriam increatã & infinitam;) ſed creaturæ ſuam eſſentiam, proprietates,dotes,omneque bonum hauſerunt à Deo. Vide S.Thom,& Scholaſt. q. citata, & qu. 65. art. 2. Hoc eſt quod ait S.Dionyſ. *Diuinus Dei amor non reliquit eum ſine germine eſſe.* Et Chriſtus: *Ego ſum α & ω principium & finis.* Apoc, 8. Quin & Plato in Timæo inquirens, cur Deus fabricarit mundum, reſpondet, *Optimus erat: ab optimo porrò inuidia longè relegata eſt. Itaq; conſequẽter ſui ſimilia cuncta,prout cuiuſque natura capax beatitudinis eſſe poterat,effici voluit.*

Hanc ſententiam luculenter doctâ, profundâ & ſapidâ contemplatione explicat noſter Aluarez de Paz l.3 parte 3. decad.9.contemplat. 80. *Quòd Deus eſt vltimus finis* Eã hic attexam quia profundè gnomen hanc explicat,ac pauci auctorem hũc habent & legunt. Primũ punctum, inquit. O Do- *Contemplatio Deo quaſi vltimus finis omnium.*

mine Deus ſanctiſſimè, tu es vltimus finis omniū rerum, & vniuerſa creata nihil quærunt, vt finem vltimum, præter te. Nam omnia tuâ potentiâ creaſti, non propter aliquam indigentiam tuam, ſed vt ipſa tuam infinitam perfectionem pro ſuo modulo participarent. Eorum ergo finis eſt ad te tendere, aliqua ratione tui ſimilitudinem induere, tibique creatori appropinquare. Et quidem creaturæ rationis expertes ipsâ naturâ impellente ad te tāquam ad finem tendunt, quatenus ſuum proprium bonum quærunt, quod participatio eſt tuæ bonitatis. Solus miſer homo non ſemel à te peccando ſeparatur, & ad vilitatem creaturæ conuertitur. Sed tu qui non finis vtcumque, ſed quaſi magnes cordis noſtri es, nos ad te trahe, & viam rectitudinis intrare compelle.

Secundum Res vniuerſæ in ſuo fine quieſcunt, & ab illo ſeiunctæ moueri non ceſſant, quouſque ad illum ſuo modo pertingat. Tu ergo, Domine, quies noſtra es. Tua ſola maieſtas cor noſtrum poteſt implere, tua bonitas & dulcedo ſatiare. Hanc capacitatem noſtram nec dignitates, nec diuitiæ, nec voluptates, neque vniuerſa bona creata replent; ſed vnum tantùm bonum infinitum & increatum, quod tu ipſe es, replere poteſt & felicem efficere. Tu Domine es ciuitas, in quam tendimus; portus, in quem nauigamus, lectus in quo quieſcimus, baculus, quo ſuſtentamur. Hedera arborem, qua ſuſtentatur, & in altum erigitur, mille ramis quaſi brachiis adſtringit, quia ſuam ab illa perfectionem & erectionem accipit. Ego igitur omni amore, quo poſſum, te amplecti volo, quoniam ſine te nec ad momentum ſubſiſto.

Tertium. Cùm igitur te meum vltimum finem poſſedero, tunc beatus ero. Repatriaſſe erit hoc, exiſſe de exilio corporum in regionem ſpirituum. Ipſa gratia tu es Deus noſter, maximus ſpiritus, maxima manſio ſpirituum beatorum. Vbi totum veritas eſt, ſapiens eſt, virtus, æternitas, ſummum bonum eſt. Dum à te abſumus, & hîc ſumus vallis eſt lacrymarum, in qua ſenſualitas regnat, & conſideratio exulat. In qua liberè quidem ſe exerit ſenſus corporeus, ſed intricatus caligat oculus ſpiritualis. Enitamur igitur, ô Deus, ab hoc exilio egredi ſaltem deſiderijs & ſanctis affectibus, & in te ſummo bono noſtro commorari. Amen.

Deus operatur propter ſuã gloriam increatam.

Ex dictis liquet, quòd, cùm dicitur Deum creaſſe & operari omnia *propter ſe*, hoc eſt propter gloriam ſuam, *gloria* accipi debeat non creata, quam Deus accipit à creaturis: ſed increata & infinita, quam Deus ab æterno habuit, habetque à ſeipſo & in ſeipſo, quæ eſt ipſe Deus. q. d. Deus creauit & operatur omnia hoc fine, vt immenſam ſuæ eſſentiæ, bonitatis, potentiæ & ſapientiæ gloriam creaturis ſuis patefaceret, eamque illis quoad fas eſt communicaret, vt illæ eius participes fierent. Ex hac tamē increata gloria naturaliter & neceſſario reſultat gloria creata, qua creatorem ſuum laudant homines, angeli, omneſque creaturæ: hæc enim gloria ab illis Deo omni iure debetur. Eſtq; hæc gloria vel patens & clara, vti in hominibus & angelis; vel tacita & muta, vti in creaturis irrationalibus: hæ enim muta voce glorificant Deū, ſicut opus glorificat ſuum opificem, v. g. domus ſuum architectum, pictura ſuum celebrat pictorem.

non propter creatam, cur?

Non potuit tamen hæc gloria creata propriè eſſe finis Dei, quem ſcilicet Deus ſibi appetierit, vt propter eam aſſequendam crearit vniuerſum, & operetur omnia: tum, quia hæc gloria eſt extra Deum, eſtque creatum quid & exile: tum, quia hæc nihil addit gloriæ increatæ & infinitæ, quam Deus in ſe habuit, habetque ab æterno: tum quia hæc gloria, ſiue glorificatio, potiùs eſt bonū creaturarum, quàm Dei. Creaturæ enim felicitas eſt quòd ſuum agnoſcat, amet, colat & glorificet creatorem, iuxta illud: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*, vt ait S. Auguſt. 1. Confeſſion. 1.

IMPIVM QVOQVE AD DIEM MALVM] ſcilicet operatus eſt Deus, ait Caluinus & Beza: Quia, inquiunt, ante omnem culpæ & peccati præuiſionē, Deus tamquam abſolutus omnium dominus impios prædeſtinat & creat ad ſupplicia, vt in iis gloriā iuſtitiæ ſuæ oſtendat: ſicut electos ante omnē meritorum præuiſionem prædeſtinat ad præmia, vt in iis clementiam ſuam demonſtret. Verùm hic eſt error. Sic enim pariter Deus prædeſtinare deberet media ad hæc ſupplicia, ſcilicet peccata homini immittere, & facere homines impios (pœna enim eſſentialiter reſpicit culpam, ciuſque eſt correlatiuum: vnde nemo punitur niſi culpæ reus.) Quæ eſt horrenda blaſphemia: tollit enim liberum arbitrium, ac pro eo inducit fatum peccati, atque in Deū, qui per eſſentiam eſt ipſa ſanctitas & bonitas, omnem peccati culpam transfcribit, vt iam non peccator, ſed Deus ipſe culpandus & puniendus veniat Caluino. Quæ ſunt blaſphemiæ portenta ſæculis omnibus inaudita. Vide quæ dixi de obduratione Pharaonis, Exodi 7 3. Dico ergo, Deus ex ſe nullius ſupplicium, ſed omnium ſalutem, & conſequenter beatitudinem vult, cupit & præcipit, vt patet ex 1. Timot. 2. 4. & Ezech. 33. 11. & ex continuis omnium aliorum Prophetarum adhortationibus & comminationibus.

Quare pro reſponſione & intelligentia huius loci & ſimiliū. Nota Hebræos ſæpè, ac præſertim in carmine & verſu, conciſè loqui, & multa ſubintelligere, quæ lectori ſupplenda relinquunt. Igitur cū ait Salomon, *impium quoque* (ſupple, *iterum*, vel, vt Chald. & alij vertunt, *qui ſeruatur & ordinatur*) *ad diem malum*, repete ex præcedenti hemiſtichio, *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Hāc enim repetitionem exigit coniunctio *quoque* q. d. Omnes res creatæ, adeoque ipſi mali & impij, qui non videbantur facti propter Deū, nec gloriæ eius ſubeſſe & ſeruire, illi tamen reuera ſubſunt & ſeruiunt. Nam Deus qui produxit omnia ad gloriam ſuam, etiā eos quos præuidit fore impios ſi à ſe crearentur, ſibique & gloriæ ſuæ reluctaturos, creauit tamen & permiſit malè agere, vt redditâ eis pro culpis admiſſis pœnâ quam merentur, in eis iuſtitiæ ſuæ gloriam patefaciat. Vnde Vatabl. ſic vertit & explicat: *Et etiā impius decidet in diē afflictionis, id eſt, perditionis, vt ſcilicet cognoſcatur ira Dei*. Hoc eſt quod ait Paulus Rom. 9. 22. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriā.* Tantùm autem abeſt, vt rectè colligit Bellarmin. lib. 2. de Amiſſ. gratiæ cap. 12. vt Salomon dixerit quod vult Caluin. Deum ante peccati præuiſionē decreuiſſe aliquos damnare, vt potiùs contrarium ſignificaſſe videatur, cùm ait, Deum omnia operari *propter ſemetipſum*, id eſt, vt gloriam miſericordiæ ipſi iuſtitiæque ſuæ demonſtret. Hanc damnationem decernere ob præuiſa peccata, iuſtitiæ eſt: ſine præuiſione autem peccatorum damnationem decernere, iniuſtitiæ eſſe videtur. Sic enim loqui

loquitur S. Auguſtinus lib 3 in Iulianum cap. 18. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Et in epiſt. 106. ad Paulinum: *Quemquam immeritum & nulli peccato obnoxium, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Non potuit igitur Deus ante præuiſionem peccati decernere damnationem alicuius, vt iuſtitiam ſuam ea damnatione monſtraret. Juſtitia enim iuſtæ vindictæ & pœnæ præexigit & præſupponit reatum culpæ,

Vers. 5. ABOMINATIO DOMINI EST OMNIS ARROGANS: ETIAM SI MANVS AD MANVM FVERIT, NON EST INNOCENS] Pro *arrogans* hebr. eſt גְּבַהּ לֵב *geba leb*, id eſt, *elatus corde*, Septuag. ſignificantur ὑψηλοκάρδιος, id eſt, *ſublimis corde*. Secundam partem ita explicant Sept. *manui autem manus inferens iniuſtè, non erit innocens* & Syrus, *qui extendit manum ſuam in proximum ſuum, non prohibetur à malo*; Chaldæus *à malo non mundabitur*; Scholiaſt. *& manus manui miſcens*, &c.

Arrogans Deo exoſus.

Senſus eſt: q. d. Deus abominatur omnia peccata & peccatores, ſed maximè arrogantiam & arrogantes: quare etiamſi ipſi multos habeat ſocios, quibus ſe tueantur, & per quos iunctim manus violentas in alios injiciant, vt peccata peccatis aſſiduè attexant; non tamen erunt innocentes, id eſt impuniti; ſed citò ira Dei in eos deſæuiet, eorumque faſtum ſternet. Cauſa eſt, quòd arrogans ſit æmulus & antagoniſta Dei, vt velut alter Lucifer velit ſe Deo æquare, & cum eo de honore & primatu contendere, illum ergo vt ſui honoris æmulum Deus inſectatur, ſiderat & ſternit, vti alibi oſtendi. Vnde D. Gregor. p. 3. Paſtor. admon. 25. hanc gnomen applicás vanis & ſuperbis prædicatoribus. *Audiant*, inquit, *quod ſcriptum eſt: Abominatio Domini eſt omnis arrogans: quia videlicet dum in verbo Dei gloriam propriam quærit, ius dantis inuadit: cumq; laudi ſuæ poſtponere nequaquam metuit, à quo hoc ipſum quod laudatur, accepit.*

Cur?

Aliter Pagnin. qui vertit *mox non erit impunitus*; & Vatabl. *mox non habebitur pro inſonte*, id eſt ſtatim punietur. *quaſi τὸ manus ad manum*, idem ſit quod *citò, ilico.* Aliter & Caietan. q. d. Etiamſi arrogans manu manum fricet, tergat & abluat; nulla tamen aqua, nulla luſtratione abſterget ſuum arrogantiæ ſcelus; nec erit innocens, id eſt impunis, ſed acriter à Deo punietur. Aliter & R. Leui: *Manus ad manum*, id eſt aſſiduis malis implicabitur; & R. Salomon, Pœna, inquit, illi per manus infligetur. Aben Ezra verò vertit; *manus Domini propter manum impij*, q. d. Manus Domini hunc exterminat, eò quòd fraudulenta manu vtatur. Vide quæ de hac parœmia dixi cap. 11. 21.

INITIVM VIÆ BONÆ, FACERE IVSTITIAM: ACCEPTA EST AVTEM APVD DEVM MAGIS QVAM IMMOLARE VICTIMAS] Hic verſus non eſt in Hebræo & Chald. tranſſcriptus eſt ex Septuag. qui ſic habent, *Initium bonæ viæ facere iuſta: accepta autē ſunt apud Deum magis quàm immolare hoſtiam.* Noſter Salazar per *iuſtitiam* accipit miſericordiam. q. d. Inter reliquas bene viuendi partes principem locum obtinet miſericordia erga pauperes & egenos atque hâc Deo ipſi gratiorem accidere quàm hoſtias & victimas ingentes, habes Oſee 6. 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, Audi Chryſoſt. hom. 5. in Matth. *Vis*, inquit, *corpus Chriſti honorare? non deſpicias ipſum nudum; neque hîc quidem in eccleſia ſericis pannis induas; foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit: Hoc eſt corpus meum, & rem ſimul cum verbo confecit, idem dixit: Eſurientem me vidiſtis, & non cibaſtis; & in quantum non feciſtis vni eorum minimorum nec mihi feciſtis. Hoc certè corpus Chriſti non amictu, ſed anima munda indiget: illud autem multa cura & magna diligentia eget. Vtique ad hoc non eſt opus vaſis, ſed animis aureis; hoc dico, non quia vetare velim talium vaſorum oblationem, ſed quia dignum putem ante omnia miſericordiæ & benignitati eſſe incumbendum.* Ex quibus conſtat Deum tātum pauperibus deferre, vel potiùs ſibi ipſi in illis, vt, quod attinet ad externa, honeſtiùs, liberaliùs & decentiùs ſecum in his agi velit, quàm in Euchariſtiæ Sacramento: Et quidem hæc vna ratio antiquos Eccleſiæ proceres promouit, vt in magnis pauperum anguſtiis ſacros calices comminuerint, & pretia eorum pauperibus impenderint. Addit autem Salomon, miſericordiam & eleēmoſynam non ſolùm Deo gratiora eſſe quàm ſacrificia & victimas, ſed etiam homini vtiliora: nam ſi hoſtiæ ad mundanda & eluenda peccata potiſſimùm inſtitutæ ſunt; *miſericordia* quidem *& veritate redimitur iniquitas*, &c.

Hic ſenſus appoſitus eſt, ſed arctior. Quare alij paſſim *iuſtitiam* generatim accipiunt, prout ſeſe extendit ad quamlibet virtutem. q. d, Initium ad *viam bonam*, id eſt ad virtutem & vitam honeſtam, eſt *facere iuſtitiam*, id eſt exercere opera virtutum, q. d. Via ad virtutem eſt, non ſpeculatio, ſed actio & exercitium virtutis: ſic enim *humiliatio eſt via ad humilitatem*, ait D. Bernard. *ſicut lectio ad ſcientiam, paßio ad patientiam.* Dicit autem *initium*, quia potiſſima difficultas virtutis eſt in eius initio, vt quis eam inchoet. q. d. Inchoa opera virtutis, incipe operari honeſta & ſanctà, ac experieris virtutem non adeò eſſe arduam, vti eminus tibi, inſtigante diabolo & mundo, apparebat; imò reipſa diſces illam, eiuſque apicem continuo ſui exercitio facilem eſſe adeptu Hic verum eſt illud Horatij:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet

Et illud Auſonij epig 83,

Incipe. dimidum facti eſt cœpiſſe: ſuperſit.
Dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies.

Et alius:

In re quidquid agas, pro toto eſt prima operis pars,

Hinc prudentes cùm quid ardui occurrit, ilico illud aggrediuntur, & clauſis quaſi oculis mentis, ne eius difficultate aſpecta terreantur, manum operi admouent, itaque primam difficultatis apprehenſionem quæ vehementiſſima eſt, ſuperant; quâ ſuperatâ reliqua deinde facilè euincunt, ſenſimque rem omnem conficiunt: perinde ac ægri pillulas aliaſque medicinas amaras clauſis oculis hauriunt, ilicoque tranſglutiunt, itaq; ſanitatem ſenſim recuperant. Rurſum pro *initium*, græcè eſt ἀρχὴ quod tum principium, tū præcipuum, principatum & ſummam ſignificat. q. d. Præcipuum & ſumma viæ bonæ, id eſt virtutis vitæque honeſtæ, conſiſtit non in ſpeculando, ſed in faciendo iuſtitiam, id eſt opera iuſta & ſancta Quare idem docet hic Salomon, quod Chriſtus Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, inquit auctor Catenæ Græc. imò idem quod dixit Salomon c. 1. 7. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Timet enim Dominū, qui Dei mandata ſeruat. *Accepta eſt autem apud Deum*, tum ipſa iuſtitia, tū ipſa via, id eſt vita bona quam efficit iuſtitia, *magis quàm immolare victimas*, iuxta illud: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Oſee 6. 6. Quod enim de miſericordia dixit Deus,

idem

idem de charitate, iuſtitia, patientia, aliaue virtute dixerit: Charitatem, iuſtitiam, patientiam, &c. volo & non ſacrificium, eo ſenſu quo explicui Oſee 6. Actus enim internus charitatis, iuſtitiæ, patientiæ &c. magis placet Deo quàm externum ſacrificium, ſiue victima boum & ouium, cùm ille animatus ſit & rationalis, hæc bruta & irrationalis. Vnde dignitas externi ſacrificij naſcitur & menſuratur dignitate interni actus religionis & deuotionis, ex qua manat & offertur: quantus enim eſt actus hic internus, tantus eſt & externus: quantumque ille, tantum hic placet Deo. Loquor de ſacrificiis in genere, qualia erant vetera quæ omnem vim & dignitatem accipiebant ex opere interno, putà ex deuotione operantis. Secus eſt de ſacrificio Euchariſtiæ, quod vim habet ex opere operato, ſiue ex ſe ipſo.

Vers. 6. Misericordia et veritate redimitur iniquitas: et in timore Domini declinatur a malo] Pro *redimitur* hebr. eſt יְכֻפַּר *iecuppar*, id eſt expiatur, propitiatur; Chald. *benignitate & veritate expiatur peccatum: & timor Dei auertit à malo.* Hic verſus repetitur: poſitus enim fuit quoque cap. præced. v. 27. vbi eum Noſter tranſcripſit ex Septuag. hic verò ex Hebræo. Ibidem eum explicui: quare hic plura non addam. Iam *ſi miſericordia & veritate redimitur*, & vt Hebr. habent *expiatur* iniquitas: ergo per earũ opera ſatisfacimus pro pœna peccato quoad culpam remiſſo adhuc reliqua & debita, ait Bellarm. lib. 4. de Pœnit. c. 8. Nam non minùs ad iuſtitiam pertinet redemptio quàm ſatisfactio. Et ſi abſurdum eſſet dicere, noſtris operibus ſatisfieri pro peccatis, multò eſſet abſurdius dicere, noſtris operibus redimi peccata: ſicut etiam ipſi hæretici grauiùs ferunt, ſi dici velimus aliqua ex parte redemptores quàm ſatisfactores.

Vers. 7. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem] Hebr. *in volendo Dominum vias viri: etiam inimicos eius pacificabit cum illo*; Vatabl. *hoſtes quoque eius conciliat ei*; Chald. *pacificos reddit ei*; Syrus verò, *in voluntate Domini ſunt viæ hominis: etiam eius inimico pœnas retribuet.* Hebr. enim שָׁלֵם *ſcalam* & retribuere & pacificare ſignificat. Septuag. (qui hic paſſim multas ſententias tranſponunt, imò diuerſas addunt) cap. præced. v. 27. ſic habent: *Accepta apud Dominum via hominum iuſtorum: per ipſos autem & inimici fiunt amici.*

Primò, Baynus ſic exponit: Inimicitias & odia inter ſeſe exercent homines, quod Dei non quærant amorem. q. d. Fieri non poteſt vt fideles interſeſe ſint amici, qui Deum vt oportet non amant. Sin Deum amamus, inter nos amicitia facilè coibit. Charitas enim qua amamus Deum, extendit ſe ad proximum: facit enim vt propter Deum amemus & proximum quaſi Dei imaginem. Igitur ſi in vtraque diſſidentium parte excitetur charitas & amor Dei, idem flectet vtroſque, vt propter Deum ament ſeſe inuicem, pacemque ineant. Sin autem vna pars amet Deũ, altera obſtinatè in odio perſeueret, prior ſaltem quæret pacem, ſatagetque aduerſam partem pacificare & ſibi conciliare quoad poterit; vt ſit hypallage. q. d. *Inimicos quoque eius conuertet ad pacem*, id eſt, iuſtus amans Deum pacem ſuam & amorem conuertet quoque ad inimicos, hoc eſt, diliget inimicos propter Deum, ſatagetque eos ſibi pacificare, vt pacem cum eis ineat & colat. Quocirca Demoſthenes homines iuſtos, æquos & placidos vocabat *coagulum ciuitatis*: quia ſicut coagulum ſtringit & vnit lac ex ſe liquidum & fluidum: iuſtus omnium tam amicorum quàm inimicorum animos pace & concordia ſtringere atque tam ſibi quàm inter ſe vnire ſtudet.

Deus iuſtis o- … Cur?

Secundò, ſimpliciùs & germaniùs. q. d. Cùm quis ſtudet per omnia placere Deo, fit ſæpè vt Deus viciſſim inimicos eius placet, & ad pacem conuertat, vt cupiant ipſi placere, ſicut ipſe placet Deo: idque triplici de cauſa. *Cauſa.* Prima eſt, quòd inimici videant ſe non poſſe præualere contra eos qui Deum amant, & quos viciſſim Deus amat, protegit & propugnat. *Primò.* *Secundò.* Secunda, quòd virtus & pietas vbique ſint amabiles, omneſque etiam hoſtes rapiant in ſui amorem & admirationem: quo fit, vt, cùm inimici vident ſuum aduerſarium virtute præditum, ſincerum, ſanctum, cogantur eum amare, pacemque cum eo redintegrare. Vnde Beda, ſic explicat: *Tanta eſt ſanctitas*, inquit, *diuinæ religionis, vt eam plerumque etiam qui foris ſunt venerationi habeant: & quos perfectè Deo ſeruire perſpexerint, cũ his pacem habere quantumuis religione diſcrepantes incipiant.* *Tertiò.* Tertia, quòd Deus, in manu ſua habeat corda inimicorum, vt ea ad amorem vel odiũ flectere poſſit prout vult. Cùm ergo iuſtis amicis ſuis optimè velit, flectit corda inimicorum, vt cum amicis ſuis pacem cupiant & colant. *Quartò.* Deniq; Deus eſt centrum amoris & amicitiæ: quare ſicut in centro coeunt & vniuntur omnes lineæ circulum in duas æquales partes ſecantes; ſic in Deo vniuntur omnes amici æquè ac inimici: Sicut enim centrum in ſe vnit omnes lineas, licet ſibi aduerſas, ſic Deus amicat & conglutinat homines quoſlibet, etiam ſibi inuicem inimicos. Dico ſæpè id fieri, nõ ſẽper: nam videmus iuſtos ſæpè ab æmulis continuas perſecutiones pati, vti paſſi ſunt fideles & Martyres primis trecentis Eccleſiæ annis à Nerone vſque ad Conſtantinum.

Exemplum huius ſententiæ clarum eſt in Salomone, cui Deus omnes vicinos reges & populos, etiam hoſtiles, vel ſubiecit, vel fœdere ſociauit: vnde ipſe vocatus eſt *Salomon*. id eſt pacificus. quia plenam cum omnibus tam inimicis quàm amicis pacem habuit, 3. Reg. 10. v. 23. Rurſum patet iſtud in Dauide, cui Saul aliquoties reconciliatus eſt, Deus cor illius ob merita Dauidis commouẽte. In Tobia item, qui quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi gratiam Deus in conſpectu Salmanaſar regis, vt patet Tobiæ 1. Patet idẽ in Aſſuero, coram quo Eſther & Mardochæus & per eos populus Iudaicus, inuenit gratiam. In Ioſeph item, Daniele, & in tribus pueris. Item in Alexandro Magno & Iaddo ſacerdote, cuius hiſtoriam videre eſt apud Ioſephum lib. 11. de Antiq. Iudaic. cap. vlt. Sed omnium maximè in populo Chriſtiano, cuius inimicos reges & principes poſt multas perſecutiones Deus tandem pacificauit cum eo, ita vt non tantùm à perſecutione ceſſauerint, ſed etiam iugo fidei ſeſe ſubmiſerint.

Docet ergo, hæc gnome, Primò & antè omnia fideli quærendum eſſe amorem & cultum Dei, vt ei per omnia placeat, etiamſi propterea hominibus diſpliceat, dicatque cum Apoſtolo: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem* tum quia placere Deo lõgè melius eſt quam placere hominibus: ac diſplicere Deo longè deterius & pernicioſius eſt quàm diſplicere hominibus, tum quia Deus facilè poteſt, & ſæpè ſolet amicis ſuis inimicos cõuertere ad pacem, vti gentes Chriſto & Apoſtolis inimicas

conuer-

conuertit ad pacem, fidem & obedientiam. Ac parētes qui initio obſiſtunt filiis Religionē ingredientibus, ſæpè cōuerti, vt viſâ deinde filiorū pietate profectu & fructu, eoſdē præ ceteris liberis ament.

Docet Secundò, efficax & optimum medium ad conciliandos hoſtes eſſe, ſi priùs nobis conciliemus Deum: Deus enim in manu ſua habet corda hoſtiū: quare ſi eius beneuolentiam nobis conciliemus, facilè ipſe hoſtes nobis conciliabit, præſertim ſi id inſtanter ab eo flagitemus: Deus enim facit voluntatem timentium ſe, & obedientibus ſibi quaſi obedit, ceteraque omnia, quin & hoſtes ipſos, facit obedire. Adde, Deum in lege veteri peculiariter promiſiſſe Iudæis, ſi lege ſuæ obedirent, victoriam de inimicis & pacem ſtabilem. Exodi 23.27. & Leuit. 26.6. & ſeq.

Huc ſpectat axioma R. Simeon in *Pirke anoth*, id eſt in Apophth. patrum c. 2. *Ita voluntati Dei morem gere ſicut tuæ, imò relictâ voluntate tuâ, illius arbitrio te ſubmitte: ſic enim & alios protinus tuis facies deſideriis & voluntatibus inſeruire.* Deus enim, in cuius manu ſunt omnium voluntates, eas flectet, tibique faciet obſequentes.

Animæ obedientis Deo, obediūt potentiæ omnes.

Myſticè. q. d. Si per obedientiam ſubieceris te planè Deo, eiuſque legi & voluntati, vt ei per omnia placeas, fiet vt ſenſus quoq; tui, appetitus, omneſq; vires animæ & corporis, ac præſertim cogitationes & tentationes, ſubdant ſe menti & voluntati tuæ, vt eas facilè ſupprimas, compeſcas, eiſque domineris, vti dominatus eſt eis Adam in paradiſo, quamdiu obediuit Deo: at vbi Deo rebellauit, mox rebellem ſenſit carnem & concupiſcentiam. Hæc eſt enim iuſta lex talionis, vt ſi te ſubdas tuo Superiori, ſubdantur tibi pariter inferiores tui: ſin Superiori rebelles, ſentias pariter rebelles ſubditos tuos. Vnde S. Aug. l. 1. de Nuptiis & concupiſ. c. 6. *Iniuſtum enim erat*, inquit, *vt obtemperaretur à ſeruo ſuo, id eſt à corpore ſuo, ei qui non obtemperauerat Domino ſuo.* Et l. 1. Contra duas ep. Pelag. c. 22. *Faciebat quippe hoc ordo iuſtitiæ, vt quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, ſicut ipſa eidem Domino ſuo, ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum ſine vlla reſiſtentia famulatum.* Et mox: *Nudū quippe anima rationalis domina carnis, inobediens extiterat Domino ſuo, vt pœna reciproca inobedientem experiretur carnem famulam ſuam, cum ſenſu quodam confuſionis & moleſtiæ ſuæ.* Et l. 14. de Ciuit. c. 15. *In illius peccati pœna, quid inobedientiæ niſi inobedientia retributa eſt? Nam quæ hominis eſt alia miſeria, niſi aduerſus eum ipſum obedientia eius ipſius, vt, quoniam voluit quod potuit, quod non poteſt velit?* Imò Deus magnis Sanctis & amicis ſuis ſubiicit ſummos inimicos, tam ſuos quàm noſtros, purà dæmones, iuxta illud Chriſti ad diſcipulos: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones; & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit*, Lucæ 10.19 Sic S. Antonius, S. Hilarion, S. Macarius, S. Franciſcus dominabantur dæmonibus, eoſque ab energumenis expellebant, ſibique ſubdebant.

VERS. 8. MELIVS EST PARVM CVM IVSTITIA, QVAM MVLTI FRVCTVS CVM INIQVITATE] Hebr. *Quàm multi prouentus abſque iudicio.* Sed *iudicium* Hebræis ſæpè ſignificat æquitatem: vnde Noſter ſecutus Septuag. rectè vertit, *cum iniquitate.* Sic enim habent Septuag. & ex iis S. Hieron. in cap. 4. Eccleſiaſt. legit: *Melior eſt acceptio parua cum iuſtitia, quàm multa geniminacum iniquitate.* Pro *acceptio* græcè eſt λῆψις id eſt captura, occupatio, poſſeſſio.

Primò, Baynus per *iuſtitiam* accipit eleēmoſynam, q. d. Melius eſt modicum *cum iuſtitia*, id eſt cum piis operibus & eleēmoſynis, quàm multitudo fructuum *abſque iudicio*, hoc eſt iniquè & ex rapina collectorum. Non enim proderunt diuitiæ in die iræ, niſi ex illis fiat iuſtitia, id eſt opera miſericordiæ, quibus iniquitas redimitur, vti dixi v. 6.

Secundò, ſimpliciùs & pleniùs, *iuſtitiam* generatim accipias pro complexione virtutum. q. d. Satius eſt habere paruos fructus & opes cum virtute & ſanctitate, quàm multos cum iniquitate, quod dupliciter exponas. Primò q. d. Satius eſt paruas opes ex labore iuſto colligere, quàm multas ex iniuſto, v. g. per vſuras, fraudes & illicitos cōtractus. Vnde Vatabl. vertit, *puſillum quod cum iuſtitia poſſidetur præſtat prouentibus immenſis iniquè partis.* Secundò. q. d. Satius eſt modicum cum iuſta vita, quàm multum cum iniuſta & iniqua. Cauſa eſt prima, quòd iuſtitia & ſanctitas maius ſit bonum quàm omnes opes mundi: ſanctitas enim eſt bonum cæleſte & diuinum, adeoque ipſa eſt ſumma participatio Dei & diuinitatis. Secundò, quòd qui modicum poſſidet cum iuſtitia, gaudet animi pace, trāquillitate, lætitia, quæ omnibus mundi bonis antecellit, iuxta illud Eccleſ. 4.6. *Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.* Vnde S. Hier. *Eleganter*, inquit, *iuſtitia requiem habet, iniquitas laborem.* Ex aduerſo qui multa poſſidet iniuſtè & iniquè, perpetuis agitur conſcientiæ remorſibus & angoribus, item forenſibus litibus & moleſtiis, quæ omnem opum voluptatem exhauriunt & abſorbent. Tertiò, quòd Deus, efficiat vt iuſtus ex modico commodiùs, faciliùs & ſæpè lautiùs viuat quàm iniquus ex multo: iuxta illud c. præced. v. 16. *Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles*, Vide ibi dicta. Et illud pſ. 36.16. *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas*; quò alludit hic Salomon *Melius ergo eſt parum cum iuſtitia: melius*, id eſt felicius, quietius, lætius, ditius, copioſius, vberius eſt. Hoc eſt quod ait Chriſtus Mat. 6 33. *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Vbi S. Chryſoſt. notat Deum vetuiſſe nimiam curam temporalium, vt certiùs eadem à Deo Deique prouidentia obtineamus: nimia enim ſolicitudo nos iis facit indignos; ſpes verò in Dei prouidentia repoſita efficit dignos: *Iubeo*, inquit, *iſta non quæri & non curari, non quidem ne accipias, ſed vt abundantiùs accipias. Nam ſolicitudine afflictus, & curarum morſibus ſæpe diſcerptus, hiſce bonis te facit indignum.*

Modicæ opes iuſtæ præſtant magnis iniuſtis cur? Cauſa Prima.

Secunda.

Tertia.

Myſticè Beda; *Beati, inquit Dominus, pauperes: quia veſtrum eſt regnum cælorum.* Et iterum: *Væ vobis diuitibus: quia habetis conſolationem veſtram. Poteſt & ſic accipi: Quia melius ſit in ſimplici conuerſatione Deo deuotè ſeruire, quàm multis abundare virtutibus, verbi gratia, eleēmoſynis, orationibus, ieiuniis, doctrina, caſtitate, ac proximorum facta deſpicere, & de ſua quaſi ſublimitate gloriari.*

COR HOMINIS DISPONIT VIAM SVAM: SED DOMINI EST DIRIGERE GRESSVS EIVS] Hebr. *cor hominis cogitabit viam ſuā, & Dominus diriget* vel *firmabit greſſum eius.* Pro *diriget* aliqui vertunt, *librabit*, ſed minùs rectè: nil enim tale ſignificat Hebr. יכין *iachin.* Vnde Septuag. *cor viri cogitat iuſta, vt à Deo dirigatur greſſus eius*; S. Cyprian tract. de Zelo ſub finem, *& à Deo dirigetur greſſus eius.* Sed quæ & qualia iuſta cogitabit iuſtus, vt diſponat viam ſuam? Audi ea tradentem S. Cyprianū ibid. *Habes*, inquit, *multa quæ cogites, paradiſum cogita, quò Cain* VERS. 9.

non

non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cæleſte regnum ad quod non niſi concordes atque vnanimes Dominus admittit. Cogita quòd filij Dei hi ſoli poßint vocari, qui ſint pacifici, qui natiuitate cæleſti & lege diuina ad ſimilitudinem Dei Patris & Chriſti reſpondeant adunati, Cogita ſub oculis nos Dei ſtare, ſpectante, ac iudicante ipſo conuerſationis ac vitæ noſtræ curricula decurrere: peruenire nos tunc demum poſſe, vt eum videre contingat, ſi ipſum nunc videntem delectemus actibus noſtris, ſi nos dignos gratia eius & indulgentia præbeamus, ſi placituri ſemper in regno, in hoc mundo antè placeamus.

Senſus Vulgatæ lectionis eſt. q. d. Homo cum generali Dei concurſu cogitat & diſponit opera naturalia, cum concurſu verò eiuſdem ſupernaturali cogitat & diſponit opera virtutũ ſupernaturalia, quæ illi agenda incumbunt: at verò neuter cõcurſus Dei ſufficit, vt id quod cogitauit homo opere exequatur, ſed ad hoc opus eſt noua & ſingulari Dei gratia, quæ difficultates omnes in executione occurẽtes ſubmoueat, vel cõplanet, vel ſuperet. Significatur ergo hic, quòd concurſus & gratia ſubſequens maior ſit, magiſque neceſſaria quã præueniens iuxta illud Apoſtoli. *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*, Phil. 2.

Secundò, Tigurina vertit, *cor hominis deliberat de via ſua*; Vatabl. *diligenter excogitat viam ſuam*. q. d. Hominis officium eſt diligenter prudenter & ſollicitè præmeditari, quid ei agere conueniat, illudque Deo commendare: quòd ſi id, vt par eſt, fecerit eo modo quem paulò antè expoſui; ſanè Deus diriget, id eſt ritè diſponet, ac fortunabit & proſperabit actiones eius: ſcilicet efficiet Primò, vt illæ rectæ prudentes & ſanctæ ſint; Secundò, vt felicẽ ſortiantur effectum. Simile eſt quod de lingua dixit v. 1: *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*. Hinc aliqui Theologi ſic exponunt. q. d. Conſtitutus in gratia Dei poteſt per liberum arbitrium gratia imbutum proponere, Deum numquam lethaliter, imò nec venialiter deliberatè, offendere, caſtitatem ſeruare, tentationes omnes ſuperare; ſed Domini eſt dirigere greſſus eius, hoc eſt, ſed id ſine nouo & quotidiano Dei auxilio præſtare non poteſt. Simile eſt in lingua: iuſtus enim proponit Deum numquam verbo otioſo aut noxio offendere; ſed indiget peculiari Dei auxilio, vt id re ipſa præſtet, vt ſcilicet non labatur in lingua, Deumque vllo ſermone offendat. Significat ergo Salomon, gubernationem linguæ & greſſuum directionem poſt propoſitum cordis eſſe à ſolo Deo: quia ſolius Dei eſt auferre omnia interna & extrema impedimenta, quæ gubernationem linguæ & directionem greſſuũ impedire ſolent. Hæc ergo optimo iure dicitur gratia ſubſequens, quâ homo opere ipſo confirmatur, & perficitur in bono propoſito, & ablatis impedimentis in eo vſque ad opus conſummatum perſeuerat. ita ex S. Aug. Gabriel Vaſquez 1. 2. tomo 2. diſp. 185. n. 50. Quocirca ita contra Pelagianos orare fideles docet Concil. Arauſic. cap. 2. *Largire*, inquit *ſupplicibus tuis, vt cogitemus te inſpirante quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus*. Et Eccleſia in Secreta pro iter agentibus orat: *Et viam illorum præcedente gratia tua dirigas & ſubſequente comitari digneris*. Et S. Hier. dialog. 3. contra Pelag, *Iam*, ait, *in Domini poteſtate eſt, vt id quod cupimus, quod laboramus, quod nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus*. Probat idipſum exemplo regis Aſſueri, qui variis cogitationibus diſtractus poſt epulas, quando ſomnus faciliùs obrepere ſolet, dormire tamen non potuit,

Gratia ſubſequens maior antecedente.

ita diſponente Deo propter redemptionem populi ſui. Vbi nouam agnoſcit gratiam, quoties opere exequimur, id quod deſideramus, aut periculis imminentibus liberamur.

VERS. 10. DIVINATIO IN LABIIS REGIS, IN IVDICIO NON ERRABIT OS EIVS] Pro *errabit* hebr. eſt ימעל *imal*, id eſt, vt vertit Aquila & Theodot. *non præuaricabitur os eius*; Chald. *nõ mentietur*; Symmach *non faciet iniuriam*, Primò, aliqui hæc exponunt imperatiuè. q d. Labia regis ſint veracia, ita vt in iudicio non errent, nec illud in gratiam cuiuſpiam peruertant; ſed reſponſa ſententiæ eius ita ſint vera & certa, vt videantur eſſe oracula, ac rex ipſe ita verax & fidelis neminem fallendo, omnibuſque fidem datam præſtando, vt videatur ipſe eſſe fatidicus & fata decernens, inquit Aben Ezra, Iſidorus Clarius, & alij. Vnde Vatalb, ſic vertit & explicat, *Velut diuinatio eſt ſuper labia regis, id eſt diuina quædam loqui debet.*. Et Lyran. Diuinatio, inquit, id eſt diuinarum rerum lectio, ſit in oculis & labiis regis. Hoc etymon diuinationis ridiculum & alienum eſt. Res tamen olim fuit vera; ſic enim de rege ſancit Deus Deut. 17. 18. *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, &c. legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum.*

Secundò, alij priorem partem accipiunt aſſertiuè, poſteriorem imperatiuè. Vnde Tigurina vertit, *oraculo ſunt quæ de labiis regis procedunt dum pronunciat: ne ergo præuaricetur os eius.*

Tertiò, Vatabl. rurſum ſic exponit, q. d. *Quando prophetia eſt in labiis regis, tunc in iudicio non ſolet mentiri os eius.*

Quartò, meliùs alij paſſim vtramque partem accipiunt aſſertiuè & abſolutè: hoc enim exigit verſio Vulgata, Septuag Hebr. Chald. & ceteri interpretes. Verùm, qua ratione id verum eſt? Scimus enim Achab, Ieroboam, Manaſſem, alioſque reges impios erroneas & impias dictaſſe ſentẽtias: Reſpondeo Salomon loquitur non de tyrannis, nec de regibus infidelibus & impiis, quales fuere iam recenſiti, ſed de regibus fidelibus, piis, probis & iuſtis, qui æquè & ſapienter regio munere funguntur, & regnum dignè adminiſtrant, vti veros reges decet, qui probè regis officium exercẽt, omneſque regiæ obligationis numeros explent. Hi enim ſunt vicarij Dei, & veluti dij quidam terreſtres, iuxta illud: *Ego dixi dij eſtis, & filij Excelſi omnes* pſal. 81. 6. Quibus proinde Deus peculiari ope aſſiſtit & cooperatur, vt ſubditos iuſtè & ſapienter regant iuſtas leges ſanciendo & veris ſententiis lites dirimendo. Senſus ergo eſt. q. d. Edicta placita & ſententiæ iuſti probique regis accipienda ſunt vt oracula Dei, cuius loco præeſt populo, quiq; eũ in Deum & iuſtitiam intento & defixo, velut vicario ſuo aſſiſtit, ne in mandando vel iudicando erret. Si enim rex edicta & ſententias ferat iuxta leges & iura, ac ſi ſapientes conſiliarios in conſilium adhibeat, eorumq; iudicium ſequatur, vtique non errabit: quia ſemper & vbiq; conformabit ſe dictamini legum & ſapientum: hoc autem dictamẽ eſt prudens, & practicè verum certumque. Porrò hæc ſententia maximè locum habet in rebus & ſententiis obſcuris, dubiis & perplexis, ſiue eæ ſint facti, ſiue iuris: quædã enim Iuris decreta adeò obſcura ſunt, vt videantur eſſe ænigmata, quæ quaſi diuinando reſoluere & interpretari debet Rex vel Imperator. In iis ergo ſi rex ſapientum conſilio vtatur Deumque inuocet, vtique is eum diriget, vt veram

iuſtamque

juſtamque ſententiam proferat: vti aſtitit Salomoni in judicio meretricum, qui infantem viuum veræ matri aſſignauit, eò quòd ſolerter in illa viſcera amoris materni perſpiceret, 3.Reg.3.26. Tunc enim ſententia regis quandã diuinationis ſpeciem habet. Vnde & priſci Romani judiciũ rei obſcuræ & incertæ, v.g. vter accuſatorum eſſet deligendus, vocabant diuinationem. Cauſam dat Gellius l.2. c.4. *Diuinatio*, inquit, *judicium appellatur: quoniam diuinare quodammodo iudicem oporteat, quam ſententiam ſeſe ferre par ſit*, &c. *quòd in aliis quidem cauſis iudex ea quæ dicit, quæq; argumẽtis vel teſtibus demonſtrata ſunt, ſequi ſolet. In hac autem re cùm diligendus accuſator eſt, parua admodum & exilia ſunt, quibus moueri iudex poſſit, & propterea quinam magis ad accuſandum idoneus ſit, quaſi diuinandum eſt.* Hinc actio Ciceronis in Verrem vocatur diuinatio. Simili modo de doctore quis dicere poſſet: Diuinatio in ore doctoris: in doctrina nõ errabit os eius. Et de confeſſario: Diuinatio in ore confeſſarij: in judicio conſcientiæ non errabit os eius. Idẽ dicas de conſiliariis, Juriſconſultis, medicis, ac quarumuis artium profeſſoribus. Si enim quiſq; artis ſuæ præſcripta & dictamina ſequatur, vti debet, in artis ſuę exercitio non errabit. Huc ſpectat illud: *Sacerdotes viuant vt numina, loquantur vt oracula*: &, ait Malachias cap.2.7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt.*

Tacitè ergo Salomon hac ſententia monet reges ſuæ dignitatis & officij, vt meminerint ſe Dei eſſe quaſi internuntios & Prophetas, ac proinde ſumma prudentia, diligentia, moderatione & maturitate in judicando & præcipiendo vtantur, vt diuinæ videantur eſſe eorum ſententiæ ac ſanctiones. Viciſſim monet ſubditos, vt decretis ſuorum regum & principum non ſecùs quàm oraculis diuinis obtemperent, candidè ea interpretando & benignè amplexando, ac animoſè ea defendendo & propugnando. Veritas huius ſententiæ liquet ex codice Juris ciuilis, in quo extant leges Theodoſij, Conſtantini, Valentiniani, Juſtiniani, &c. adeò juſtæ, prudentes & veræ, vt quot ſunt decreta, totidẽ videantur eſſe oracula. Similia ſunt dicta Cyri apud Xenophontẽ, & Alfonſi regis Aragonũ apud Æneam Syluium & Panormitanum. Deniq; talia ſunt apophthegmata regum apud Plutarchum.

Regis ſententia oraculum. *Primò.* Regis ergo vox ex ſententia vocatur *diuinatio*. Primò, quia apud omnes rata & firma eſt, tantæq; auctoritatis, ac ſi eſſet quaſi oraculũ, cui refragari eſt nefas. *Secundò.* Secundò, quia os regis eſt quaſi os Dei: Deus enim per regem loquitur, leges fert, regitq; populũ. Rurſum omnis lex regũ deriuatur à lege æterna, quę eſt in mente Dei. Deus ergo eſt primus ſummuſq; legiſlator, qui per reges & principes leges & decreta ſancit; hinc vocãtur ſanctiones quaſi ſancitæ à ſancto Deo. *Tertiò.* Tertiò, quia rex jubet & ordinat de rebus futuris, ſicut diuini diuinãt futura. *Quartò.* Quartò, quia reges in ferendis legibus & ſentẽtiis præuident futura commoda vel incommoda, & juxta ea dicta & decreta ſua moderantur. *Quintò.* Quintò, quia ſubinde res adeò obſcuras & implexas decidunt, vt diuinare videantur. Vnde lib.10. Cod. de Legib. ait Imperat. *Quis legum ænigmata ſoluere, & omnibus aperire idoneus eſſe videbitur, niſi is cui ſoli legislatorẽ eſſe conceſſum eſt?* *Sextò.* Sextò, quia reges & principes ſancti ſubinde fuerunt veri Prophetæ, vti fuit Moſes, Joſue, Samuel, Dauid, Salomõ, quorũ proinde oracula extant in Pentateucho, libro Joſue, Judicũ, Regum. *Septimò.* Septimò, quia reges Judæorũ, vti paulò antè dixi, debebant ex lege Dei & Deuteronomio judicare & regere populum. Eorum ergo decreta erant oracula Dei, vtpote petita ex Deuteronomio. Denique *cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*, Prouerb.21.1.

Sciant ergo reges & principes ſe, vt bene regant, Deo niti, ab eoq; regi debere, juxta illud Prouerb. 8.15. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*: ac proinde cum Deo per orationes crebras conuerſari, illiq; eſſe familiares aſſueſcant, vt eius in regendo regno digna ſeſe faciant organa & inſtrumenta. Orent ergo cum Salomone Sapient.9.4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*, &c. *vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: & erunt accepta opera mea, & diſponã populum tuum iuſtè, & ero dignus ſedium patris mei.* Quocirca Agapetus Diaconus in Admonitor. Juſtinianũ Imp ita admonet n.9. *Sollicitam Imperatoris animam ſpeculi in modum abſtergi oportet, ut diuinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerumq; diſtincta iudicia inde condiſcat. Nihil enim adeò facit quæ peragenda ſunt conſpicere, atque cuſtodire eam perpetuò ſinceram.* Hinc Moyſes in dubiis omnibus conſulebat Deum, eumque ex tabernaculo ſibi reſpondentem audiebat. Eumdem conſulebat & audiebat Dauid ceterique reges Iſrael per pontificem, *vrim & tummim* indutum, 1. Reg 14.17. & c.23 2. & c.28 15. Hinc & Gentium legiſlatores vt legibus ſuis pondus darent, finxere ſe cum diis colloqui, vt Lycurgus Spartanorum cum Apolline, Numa Pompilius Romanorum cum dea Egeria, Minos Cretenſium cum Joue, Zoroaſtres cum Numine, Zamolxis cum Veſta, Menas cum Mercurio, Mahomet cum angelo. Quare leges & edicta ſua aſſerebant eſſe diuinationes & deorum oracula.

Allegoricè hæc ſententia veriſſima eſt in Chriſto, qui eſt Rex regum, & Dominus dominãtium, ac prima veritas, vt in judicio errare nequeat; ſed omnia eius dicta ſint diuinationes & oracula. Ita Beda, *Illum*, ait, *ſignificat regẽ de quo dictum eſt pſ.71.1. Deus iudicium tuum regi da. Quis eſt enim regum temporalium, qui numquam erret in iudicio? in cuius labiis eſt diuinatio; quia non ſuorum ſolummodò ſermones & facta dirigit, ſed & Gentiliũ vates, qui vulgò diuini appellantur, quid ſciſcitantibus, reſpondeant, illo intus indicante diſponitur.* Rurſum Chriſtus hanc dotem communicauit Pontificibus. Nam de pontifice veteris teſtamenti ita ſancitum eſt Deut.17 8. *Si difficilè & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, &c. venies ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicẽ qui fuerit illo tẽpore, quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, &c. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, &c. morietur homo ille.* Vnde Caiphas licet impius, tamen quia pontifex, oraculum protulit, quòd expedit vnum hominem mori pro populo, vt non tota gens pereat, Ioan.11. Multò magis aſſiſtit Chriſtus Pontificibus noui teſtamenti, vt in decretis fidei & morum non errent, vti docent Orthodoxi. Vide Bellarm. tract. de Pontifice.

Myſticè auctor libri de Eſſentia diuinitatis, qui extat tom.4. S. Auguſt. *Labia Domini*, inquit, *vtriuſque teſtamentis conſonantia intelligantur, de quibus duobus teſtamentis in Prouerbiis ſcriptum eſt: Diuinatio in labiis eius: in iudicio non errabit os eius.* q.d. Iudicium de rebus fidei & morum petitur ex vtroque teſtamento, nouo ſcilicet & veteri, quæ ſunt quaſi duo labia Dei: ideoque illud certum eſt, & inſtar diuina-

uinationis atque oraculi. Vtrumque enim teſtamentum eſt Dei qui eſt Rex regum, oraculum.

VERS. 11. PONDVS ET STATERA IVDICIA DOMINI SVNT: ET OPERA EIVS OMNES LAPIDES SACCVLI] Ita legendum cùm Roman. & Hebr. non *ſæculi*, vti perperàm legunt Beda & alij. Antiqui enim, ait Vatabl. deſignabant pondera lapillis, ideo *lapides* pro pondere accipiuntur: ſolebant autem aſſeruari in ſacculis. Hebr. *ſtatera & bilances iudicij Domino: & opus eius omnes lapides crumenæ*. Pro *pōdus* enim hebr. eſt פלס *peles*, id eſt æquilibratio ſtateræ, lingula, amuſſis, regula in bilāce, vel id quod libripens manu tenet, dum libra rem ponderat. Radix enim פלס *palas*, ſignificat æquilibrare, trutinare, rectificare, regulare. Vnde aliqui vertūt, *regula*, vel *æquilibrium & bilances iudicium Domini*. Jam Primò, Tigurin. ſic vertit & explicat: *ſtatera, bilanx iudiciū Domini ſunt: omnia pondera opus eius ſunt*, q.d. Vatabl. Omnia quæ inuenta ſunt ad ſeruandam juſtitiam inter homines, qualia ſunt ſtatera, bilanx & pondera juſta, non tam hominum inuenta ſunt quàm *iudicia Domini*, id eſt juſto Dei judicio conſtituta & ſancita, ideoque ſancta ſancteque cuſtodienda, vt qui ea violat non tam humana quàm diuina ſtatuta ſacrilegè violaſſe videatur. Deus enim juſtiſſimus, ad juſtitiam, indeque ſocietatem & pacem, conſeruādam inter homines, voluit & ſanxit, vt pondera ceteraq; juſtitiæ inſtrumenta ſint æqua & juſta. Fauet Chald. qui vertit, *pondus & ſtatera iuſta à facie Domini ſunt: & opera eius omnia pōdera veritatis*, id eſt vera & æqua; & Aben Ezra, *Statera*, inquit, *& bilāces iudicij Domino ſunt, id eſt propter Dominū ſunt: ille enim præcipit, vt æquo pondere & trutina iuſtum vnicuiq; tribuatur. Rurſum Domino*, vel *Domini ſunt: id eſt Dominus eorum æquitate & rectitudine delectatur*. Sic & Caiet. Janſen & Baynus. Hic ſenſus ex Hebræo valdè appoſitus & genuinus videtur.

Ius ponderum à Deo.

Secundò, Septuag. vertunt, *momenta ſtateræ iuſtitia apud Deum: opera autem eius pondera iuſta*. Symmach. *pondus & ſtatera iuſta apud Deum*, &c. Theodot. *opera eius omnia pondera marſupij*. Quod auctor Catenæ Græc. ſic explicat: *Non quouis modo iuſtus eſt Deus, ſed ita iuſtus & æquus, vt omnia eius opera ad amuſſim, & quaſi ad libellam ſint redacta. Vt illa enim, quæ ad bilancem expenduntur, ad eam rediguntur æqualitatem, vt nullum prorſus exceſſum aut defectum admittant: ita omnia opera Dei ad iuſtum pondus exactiſſimè ſunt facta.*

Tertiò, Syrus vertit, *bilance ſtateræ iudicium Domino: omnia opera eius pondera veritatis*; & Noſter, *pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt*. Licet enim in Hebræo ſit in genitiuo: *ſtatera* vel *bilances iudicij Domini ſunt*; tamen in re hoc idem eſt quod, *pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt*. Nam *bilances iudicij* vocantur *iudicia Dei* in ſtatera & bilancibus juſtitiæ ad amuſſim librata & examinata, hoc eſt juſtiſſima & æquiſſima. Ergo *bilances iudicij*, id eſt *iuſtæ*, vt vertit Symmach. ſunt ipſa judicia Dei juſtiſſima: aut per hypallagen, *ſtatera & bilances iudicij* vocatur judicium ſtateræ, id eſt in ſtatera & bilancibus appenſum & libratum: tale enim eſt omne Dei judicium & opus, quod vndequaque iuſta ſua habet libramenta. Denique Hebræi ſubinde per antiptoſin ſumunt regimen genitiui pro nominatiuo abſoluto, putà *ſtatera iudicij*, pro *ſtatera iudicium Domini eſt*.

Jam R. Salomon ſic exponit. q.d. Judicia Domini ſunt pondus, id eſt iuſtitia mortalium, & crimi-

A na à Deo velut pondere & ſtatera, juſtè librantur. R. Leui verò hæc refert ad v. præced. *Diuinatio in ore regis, in iudicio nō errabit os eius*. Mens enim, inquit ipſe, eſt inſtar regis in homine. Mens ergo erit veluti diuina & diuinans, vt in judicio non erret, ſi pondus & ſtatera eius ſint judicia Domini, id eſt, ſi recto rationis pondere & libratione examinet & judicet, quid coram Deo juſtum ſit; quid ſcilicet bonum ſit, quid malum; quid Deo gratum, quid ingratum; quid temporaneum & vanum, quid æternū & ſolidum: vt caduca ſpernat, & æterna ſectetur. Verùm hoc ſymbolicum eſt & myſticum.

Igitur ad literam ſenſus eſt. q.d. Dei iudicia, ſiue propriè dicta, ſiue quę metonymicè vocantur *iudicia & iuſtificationes*, quia ęqua & juſta, putà ipſa Dei mandata & præcepta, ſunt pondus & ſtatera, id eſt exactiſſima & juſtiſſima, perinde ac ſi ad amuſſim B & æquilibrium in ſtatera appenſa forent: ſic enim re vera appenſa & librata ſunt in ſtatera judicij, mentis & cenſuræ diuinæ. *Et opera eius omnes lapides ſacculi*, id eſt, opera Dei paria & ſimilia ſunt omnibus lapidibus ſacculi, id eſt quibuſuis ponderibus etiam ad amuſſim exactis & juſtis, quæ pondera olim erant lapides qui ad ponderandū ſeruabantur in ſacculis; quia ſcilicet omnia Dei opera ita perfecta & exacta ſunt, vt nihil eis addi vel detrahi poſſit: ita Beda, Lyran. Hugo, Dion. & alij paſſim.

Porrò *iudicia* Dei propriè dicta ſunt varia: Primò, ſunt ſupplicia, quæ juſtè Deus peccatoribus ad menſuram ſcelerum admetitur & infligit. Vnde Mauricius Imp. ob ſcelera à Phoca cum filijs occiſus, moriens pœnitenſque exclamat: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*. *Iudicia Dei multa. Primò.*

Secundò, ſunt præmia, quæ juſtis tū in hac vita, tū in futura pro menſura meritorū Deus repēdit. *Secundò.*

C Tertiò, ſunt variæ conditiones, ſtatus & ſortes hominum, v.g. quòd hic ſit pauper, ille diues, quòd hic ſit æger, ille ſanus; quòd hic ſit felix, ille infelix; quòd hic ſit rex, ille plebeius; quod hic ſit doctor, ille idiota; quòd hic ad imum, ille ad medium, iſte ad ſummum gratiæ gradum prouehatur, fiatque Apoſtolus & martyr, &c. Hæc omnia, ſi homines ſpectes, vidētur fortuita, ſortes & caſus; at, ſi Deū earum auctorem reſpicias, ſunt judicia, id eſt juſto judicio librata & diſtributa. Vnde myſticè Beda legens *ſæculi*, pro *ſacculi*: *Lapides ſæculi*, inquit, *iuſtos & fide fortes appellat: quales eſſe deſiderabat Apoſtolus Petrus eos, quibus admonens dicit: Et vos tanquā lapides viui ſuperædificamini in domos ſpirituales. Nullus igitur ab initio ſæculi ſua virtute electus, & cæleſti ædificio aptus eſt: ſed eius potiùs opere, qui omnia in pondere & menſura & numero conſtituturum, vnicuiq; ſicut voluit, menſuram fidei & gratiarum diſtribuit.* *Tertiò.*

D Quartò, ſunt tentationes & tribulationes: has enim juſto judicio ita librat Deus, vt viribus hominis tum naturæ, tum gratiæ congruant & commenſæ ſint, vt ferēdo ſint, juxta illud 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione prouentum*. Rurſum, ſicut in libra ſi in vna bilance pondus imponas, altera priùs depreſſa attollitur: ſic Deus onus tribulationis corpori & portioni animæ inferiori imponit, vt pars ſuperior & mens priùs in terram & terrena depreſſa, ſeſe eleuet & attolat ad Deum & amorem cæleſtium. Inſuper ſicut aurum igne excoctum in libra appenditur: ſi enim in ea æquale dat pondus, quod habuit ante ignis examen, ſignum eſt fuiſſe purum, nec quidquam habuiſſe *Quartò.*

ſcoriæ;

ſcoriæ: hæc enim igne conſumitur; itaque conſumpta auri pondus imminuit: ſin inæquale & minus reddit pondus, ſignum eſt fuiſſe impurum & ſcoria mixtum: ignis enim ſcoriam excoquens quantum ſcoriæ, tantum & ponderis auro ademit. Sic pariter Deus tentatione & tribulatione explorat juſtorum robur & conſtantiam: ſi enim nihil de ea in tentatione juſtus deperdat, ſignum eſt illam fuiſſe puram & ſolidam: ſin aliquid illi tentatio detrahat, ſignum eſt illam fuiſſe mixtam & infirmam; quantum enim ſui roboris deperdidit, tantum infirmitatis & miſturæ amoris carnalis habuit. Vnde Job c.31.6. *Appendat me*, inquit, *in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam*; Hebr. *& videat perfectionem* vel *integritatem meam*.

VERS.12. ABOMINABILES REGI QVI AGVNT IMPIE: QVONIAM IVSTITIA FIRMATVR SOLIVM] Hebr. *abominatio regum facere impietatem: quia in iuſtitia firmatur* (Chald. *dirigetur*) *ſolium*, Septuag. *abominatio regi is qui facit mala: cum iuſtitia paratur ſolium principatus*. A Deo deſcendit ad regem, qui eſt viua Dei in terris imago. q. d. Rex, qui veri regis munus & decus implet, imitatur Deum: ſicut enim Deus in ſuis judiciis & operibus eſt juſtiſſimus, ita viciſſim rex ſapiens & probus abominatur omnem iniuſtitiam & impietatem cum iis qui eam operantur, ac proinde juſtam in eos exercet vindictã, bonis & vita eos mulctando, vt probos ab eorum iniuriis & ſcandalis defendat & tueatur. Rationẽ à priori ſubdit, dicens: *quoniam iuſtitia firmatur ſolium. iuſtitia*, id eſt juſtâ vindictâ impiorũ, & juſtis præmiis piorũ, quo ſit vt omnis iniuſtitia & impietas è regno exulet, ac juſtitia pietaſque dominetur & triũphet. Sic enim & regna & reges in regnis firmantur & proſperantur: tũ quia iuſtitia eſt cauſa pacis, concordiæ, commerciorũ, opum & bonorũ omnium: tum quia Deus reges & regna, in quibus viget juſtitia, roborat, ditat & proſperat. Hinc ſoliũ Salomonis gradatim a duodecim leonibus ex auro elaboratis ſuſtentabatur, 3. Reg.10. Leones enim ſunt ſymbolũ fortitudinis, ac robuſtę juſtitię & vindictæ in impios. Significabant ergo Salomonem fortitudine juſtitiæ, perq; robuſtas vindictas impiorum quaſi per gradus aſcendiſſe ad regni ſolium, in eoque confirmari & roborari. Salomon enim initio regni occidit Joab, Semei, Adoniam, alioſq; quorum ſcelera punire nequiuerat Dauid, ſed eorum vindictam moriens commiſerat Salomoni. 3.Reg.2. juxta illud Prou.20.26. *Diſſipat impios rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.* De quo ibidem plura. Ex aduerſo reges, qui non tam regis quàm tyranni vitam agentes, amant fouentque impios, & ſeſe & regna euertunt, vt patet in omnibus regibus Iſraël ſchiſmaticis à primo rege Jeroboam vſque ad vltimum Oſee. lege l.4. Regum.

VERS.13. VOLVNTAS REGVM LABIA IVSTA: QVI RECTA LOQVITVR, DILIGETVR] Ita legendum cum Rom. Hebr. Græcis, non *dirigetur*, vt legit Beda & alij. q. d. *Qui recta loquitur, rectis paſſibus dirigetur in vitam æternam*, ait Beda. Hebr. *beneplacitum* (ita Aquila & Theodot.) vel *beneuolentia regum labia iuſtitiæ: & loquens recta diligetur*; vel, vt Vatabl. *placent regibus labia iuſta, & recta loquentem amant*, Septuag. *accepta regi labia iuſta, & ſermones rectos diliget*; Chald. *& verbum rectorum diligitur*; Syrus, *diligit*. A factis deſcendit ad verba. q.d. Sicut rex ſapiens & probus odit iniuſta opera, amat juſta; ita pariter odit iniuſtos ſermones, juſtos amat & recta

A loquentes diligit, colit & exaltat. Deſcribit ideam veri regis: ſignificat enim nõ quales reges ſint, ſed quales eſſe debeant. Multi enim reges & principes in aulis habent adulatores, paraſitos & hypocritas qui cùm improbi ſint, ſimulant ſe probos, ut palpando & adulando principibus, ab eis ad opes & dignitates euehantur. Hi non juſta, nec recta, ſed blanda, & ea quæ principum concupiſcentiæ & ambitioni jucunda accidere ſciunt, loquuntur: quare eos ſecum trahunt in ſcelus & ruinam. Vnde Alfonſus Aragonum rex, teſte Panorm. l. 3. de eius geſtis, adulatores comparabat lupis: nam ſicut lupi titillando & ſcalpendo aſinos vorare ſolent, ſic adulatores blandiciis ſuis ac mendaciis perniciem principibus intendunt. Conſtantinus verò Imper. aſſentatores & paraſitos vocabat tineas & B ſorices palatij, teſte Nicephoro eiuſque Scholiaſte lib.8 c.54. Audi Senecam epiſt. 21. *Monſtrabo tibi cuius rei inopia laborãt magna faſtigia, & quid omnia poſſidentibus deſit: Vnum ſcilicet qui verũ dicat: dum nemo ex animi ſententia dicit aut ſuadet, ſed adulandi certamen eſt vnum amicorum omnium officium.*

Monet ergo Salomon hic reges, vt adulatores qui blanda, ſed noxia ſuggerunt, quaſi peſtes deuitent; accerſant verò ſibi viros juſtos, graues, probos qui vera, juſta, recta conſilia ſuggerant, etiamſi principibus ſubinde iniucunda, ſeuera & moleſta accidant. Viciſſim ſubiungens, *qui recta loquitur, diligetur*, monet conſiliarios & aulicos, vt recta & ſana, licet auſtera, principibus dent conſilia: eſto enim initio eos experturi ſint minùs beneuolos & fauentes; tamen compertâ tandem eorum ſinceritate, fide & veritate principum amorem ſibi conciliabunt, ac prior auſteritas in beneuolentiam, a- C uerſio in gratiam, horror in delectionem conuertetur. Ex aduerſo ſi eis adulando blanda pro ſalutiferis, ficta pro veris ſuggerant, cùm hæc fictio, vt fit, deprehendetur, eorum indignationem, indeque mortem incurrent. Nam vt ſequitur: *Indignatio regis, nuntij mortis*. Vnde auctor Catenæ Græc. ſic explicat: *Et Chriſto Domino, & regi cuicumq; fideli & probo labia iuſta ſunt accepta. Nã & veritatem fidei habere, & iuſtitiæ incumbere, res ſunt quæ ad regis regniq; promotionẽ plurimum faciunt. Si ergo rex es, regem Chriſtum imitare: quòd ſi illum imitari non conaris, vtique veri regis nomine non es dignus, neq; iuſtum illius iudicium euades. Neque enim priuatorum tantùm hominum iudex eſt Chriſtus, verùm etiam regum & principum.*

Myſticè, Beda: *Reges*, inquit, *dicit ſanctos, qui vitiis principaliter imperare, & virtutibus animæ quaſi* D *obſequentium comitum cuneo ſtipari conſueuerunt; de quibus Dominus. Multi, inquit, Prophetæ & reges cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*, Luc.10. *Alioquin reges terreni multum ſæpè labia iuſta deteſtantur, vt Herodes Ioannis: propter quod eum & capite puniuit.*

INDIGNATIO REGIS, NVNTII MORTIS: ET VIR SAPIENS PLACABIT EAM] Hebr. *ira regis legati mortis; & vir ſapiens expiabit illam*; Septuag. *furor regis nuntius mortis: & vir ſapiens placabit eum*; Chald. *indignatio regis angeli mortis ſunt: & vir ſapiẽs extinguet eam*; R. Salomon, *regis indignatio eſt velut nuntius necem nuntians*: vel *eſt velut qui ad mortem inferendam à rege mittitur*; Aben Ezra, *regis ira eſt velut angelorum mortis indignatio, qui impios internecioni dedunt*. R. Leui hanc ſententiam nectit præcedenti, q. d. Rex cùm videt ſe ab adulatore vel hypocrita blanda, ſed iniuſta & noxia ſuggerente deceptum, VERS.14.

eumque falſa pro veris, damnoſa pro vtilibus ſuaſiſſe, ob eiuſmodi fallaciam vehementer iraſcitur & indignatur, adeò vt hæc ira ſit velut deſtinatio ad mortem, imò mortis index & nuntius. Jam

Primò, noſter Salazar mortem regis ipſius indignantis accipit, quaſi Salomon reges abſterreat ab indignatione, quòd illâ ſibi ipſi mortem præſagiant & acceſſant, q.d. *Indignatio regis nuntij mortis*, id eſt, rex ille, qui ob leues cauſas indignari & in ſuos ſæuire ſolet, manifeſtiſſimam ſuæ mortis præſenſionem habet: nam ſubditi ſæuitiam & difficiles principis mores ægrè ferentes illum ſæpiùs aut veneno, aut proditione, aut ſeditione oborta de medio tollunt.

ET VIR SAPIENS PLACABIT EAM] Id eſt, cùm regem tanto diſcrimini ira obiiciat, vtique vir qui ad regnum ſapientiam affert, iram ſuam temperat, atque mitem & facilem & clementem ſe ſubditis præbere ſtudet: clementia enim atq; facilitas morum ante alia principem tuentur, adeò vt nullum vel copioſius vel fortius ſatellitiũ principibus adeſſe poſſit, quàm humanitas & clementia, vt docet Plato in 1. dialogo de Regno, circa medium. Alij paſſim communi conſenſu mortem non regis irati, ſed eius cui rex iraſcitur, intelligunt. Vnde

Secundò, Hugo cenſet moneri hîc reges, ne indignationem ſuam in quempiam conceptam exteriùs oſtendant, eò quòd hæc oſtenſio miniſtris regis illi gratificari volentibus ſit occaſio & ſtimulus, vt necem ei, cui rex eſt iratus, denuntient, imò re ipſa inferant; vt deinde eam regi annuntient, itaque eius gratiam ſibi concilient. Exempla dat Hugo: Primò quidẽ illius, qui Dauidi Saulis regis mortem denuntiauit: & alterius qui necem Isboſeth eidem detulit: neuter quidem impunè. Eorum tamen animus erat regis indignationi obſequi: neque enim mitiſſimos illius mores nouerat. Accedit etiam facinus illud à miniſtris Henrici II. Anglorum regis in D. Thomam Cantuarienſem admiſſum, qui vt regis ſui furori obſecundarent, ſanctiſſimum Pontificem crudeliter peremerunt.

2. *Reg.* 1. 15.
2. *Reg.* 4. 12.

Tertiò, planè & ſimpliciter, q.d. *Indignatio regis eſt nuntij*, id eſt nuntius (eſt enallage numeri) *mortis*, ei qui regem offendit, eique indignationem concitauit: ſicut è contrario hilaritas regis eſt nuntius & index vitæ lætæ & honoratæ, vt dicitur v. ſeq. Salomon enim ſicut v. præc. oſtendit, quid regi placeat vel diſpliceat, ſic hoc verſu congruè ſubnectit quanti æſtimandum ſit regi placere vel diſplicere putà quanti æſtimanda ſit regis indignatio vel beneuolentia, nimirum quòd hæc vitæ, illa mortis ſit cauſa & prænuntia, vt ſubditi diſcant regem timere, colere & obſeruare, ait auctor Catenæ Græc. Regum enim ira grauis & acerba eſt, tum quia cẽſent maieſtatem regiam ſummè eſſe colendã; vnde ſi quis eam vel in minimo lædat, grauiter indignantur, & quaſi proculcatæ maieſtatis ſuæ acrem vindictam parant: tũ quia iræ iuncta eſt poteſtas: habet enim ſummam poteſtatem in vitam & necem omniũ: poteſtas ergo acuit irã. Vnde Chald. & Septuag. vertunt, *ira regis eſt angelus mortis*. Angelus autem mortis in Script. dæmonẽ ſignificat, qui ſolet mortis eſſe nuntius, imò carnifex. q.d. *ira regis angelus mortis*, id eſt, ira in rege dæmõ quidam eſt voluntarius, illum ad ſæuitiam & crudelitatem impellens. Et ſanè multi locum illum 1. Reg. 19. *Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul*, de iracundia interpretantur, quæ Saulem tam vehementer

A concitabat, vt ſimilis arreptitio cuipiam fureret. Rurſum D. Baſilius in homil. de ira: *Neque enim*, inquit, *enſis, acies, neque ignis, neque horrendum aliquid animum ira intumeſcentem ſatis compeſcere valebit: non magis quàm à dæmonibus detenti, à quibus irati nihil nec formæ, nec animi affectu differunt*. Et rurſus iram, *voluntarium dæmonem* appellat.

Senſus ergo. q.d. Indignatio vel furor regis eſt velut nuntij mortis, quia, vt illi, terrorem magnum incutit, inſtantemq; mortem aut grauem aliquam vltionem portendit, vt Eſter. c. 7. patet in ira Aſſueri regis aduerſus Aman. Sic & poſtea hîc c. 19. 12 comparatur rugitui leonis: *Sicut fremitus*, ait, *leonis, ita & regis ira*: vbi & ſubditur per antitheſin, quod cum ſequenti conſentit parabola: *Et ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius*. Quamuis autem B grauis ſit & periculoſa ira regis, ſapientiâ tamen vinci poteſt & placari. vnde ſequitur: *Et vir ſapiens placabit eam*: quia ſcilicet ſapienti ſuo eloquio, aut ſolerti aliqua adinuentione iram regis contra ſe, vel alios, conceptam auertit & ſedat, vt patet de Ioab 2. Reg. 14. qui per ſolertiã mulieris Thecuitę ſedauit iram Dauid contra Abſalom. ita Ianſen. Huc facit gnome Bedæ in Prouerbiis: *Tempeſtas grandis eſt indignatio regis*. Et illa Senecæ: *Vbi ira cum potentia habitat, fulmen eſt*.

Apologus elegans capreæ & leonis furentis, in hanc rem extat apud Gabriam:

Leonem, inquit, *caprea vt vidit furentem*:
O fatum ferarum, ait miſerrimum:
Si compos mentis intolerabilis es leo,
Quomodo nunc furens nõ plena facies lacrymarum:

Affabulatio: *quòd non oporteat eum, qui poteſtatem ha-* C *bet, excandeſcere*: nec prudentis ſit eum ad iram prouocare, ſed illam omnino declinare.

Exemplum eſt in Domitiano Imper. quem ita pingit Plinius in Panegyr. Traiani: *In occurſu viſuq; terribilis, ſuperbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore ſuffuſa; non adire quiſquam, non alloqui audebat, tenebras ſemper ſecretumq; captantem, nec vnquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi vt ſolitudinem faceret*: quibus de cauſis omnibus inuiſus, à ſuis tandem domeſticis ob nimiam crudelitatem interfectus eſt. Quocirca Plinius Domitiano opponens Traianum, ita eius humanitatem & beneuolentiam dilaudat: *Cui*, inquit, *ex conuictu ciuium multa voluptas, prouocando reddendoq; ſermones: & cuius nõ ſolùm datur videre cubiculum ſed ipſum principem cernere in publico*. Quibus officiis D ita populum ſibi deuinxit, vt Optimi titulum ab eo adeptus ſit, ac nouo Imperatori deinceps quaſi fauſti ominis gratulatione ab omnibus acclamaretur: *Auguſto felicior, Traiano melior*.

Myſticè Beda per regem accipit Chriſtum, cuius in die judicij ira in reprobos erit tanta, vt ipſi dicturi ſint *montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronũ, & ab ira Agni: quoniam veniet dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?* Apocal 6. 16. Hæc ergo ira Chriſti erit reprobis nuntius mortis, cùm in eos detonabit ſententiam & tonitruũ æternæ damnationis, dicens: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius*, Matth. 25. 41. Sed vir ſapiens, qui ſcilicet ſapienter præuenit iram & judicium Chriſti, ſatagitque vt in hac vita crimina caueat, vel, ſi quæ commiſit, ea per pœnitentiam deleat, ac ſtudet per omnia placere Chriſto; hic vtique placabit eius iram, eumque placidum & hilarem

rem experietur in tremendo illo judicij die, ac audiet optatam illam vitæ ſententiam: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi*, Matth. 25.34.

VERS. 15. IN HILARITATE VVLTVS REGIS, VITA: ET CLEMENTIA EIVS QVASI IMBER SEROTINVS] Hebr. *in luce facierũ regis vita, & beneuolentia eius vt nubes ſerotinæ pluuiæ*; Chald. *in luce vultus regis vita, & voluntas eius quaſi nubes in ſerenitate*; Syrus, *vt nubes ſerotina*; Pagn. claré, *cùm illuxere facies regis eſt vita, & beneuolẽtia eius, erit velut nubes ſerotinæ pluuiæ*. Vatab. *ſerenus vultus regis vita eſt, & gratia illius velut nubes imbris ſerotini*. Sept. aliò abeunt, vti inferiùs oſtendam. Lux faciei eſt ſerenitas, lętitia, hilaritas faciei: horum enim index & ſymbolum eſt lux. Pro *imber ſerotinus*, hebr. eſt עָב מַלְקוֹשׁ *ab malcos*, id eſt, *nubes* (in pluuiam reſoluenda vel reſoluta) *ſerotina*.

Pluuia matutina & ſerotina quæ. Vbi Nota, in Palæſtina duplicem eſſe pluuiam, vnã in Octobri, cùm jaciuntur ſemina, vt illa humore pluuiæ reſoluantur, & germinare incipiant; ac proinde hęc pluuia vocatur temporanea vel matutina: alteram in vere, cùm matureſcunt fruges, vt grana humore pluuiæ alantur, grandeſcant & craſſeſcant, quæ proinde ſerotina dicitur, eſtq; gratiſſima, jucundiſſima & vtiliſſima, qualis eſt clementia regis. De duplici hac pluuia ſæpè dixi in Prophetis minoribus, & Jacob. 5.7. Denique ſicut v. præced. mors, ſic & hoc vita vel regis ipſius, vel aliorum; cui rex hilarem vultum oſtendit, accipi poteſt.

Vide Primò, aliqui vti mortem, ſic & vitã regis accipientes ſic exponunt, q.d. Sicut rex iratum & truculentum vultum ſubditis oſtendens, eorum viciſſim iras in ſe prouocat, vt ei necem machinentur: ſic viciſſim, ſi ipſe placidum, lætum & beneuolum vultum ſuis exhibeat, omnes ſibi conciliat, omnium amorem ad ſe rapit, vt eius vitam ſeruare, protegere & propugnare etiam cum vitæ propriæ periculo ſatagant. Quare regis beneuoli vita eſt in ſecuro, irati verò & ſæui vita magno obijcitur diſcrimini. Secundò, & magis genuinè, vitam ſubditorum accipias: hoc enim exigit altera pars hemiſtichij: *Et clementia eius quaſi imber ſerotinus*, ſubditos irrigans & exhilarans.

Rex vt grat ſuos afficiat: Senſus ergo eſt, q.d. Lucidus, id eſt ſerenus, lætus hilariſque vultus regis ſubditos allicit, recreat, exhilarat, adeò vt eis vitam, id eſt florem lætitiamque vitalem, afflare videatur: ſicut vice verſa vultus iratus vel mœſtus regis ſubditorum animos conſternat, pauidos mœſtoſque efficit, ac velut mortem quamdam mœſtitiæ & mœroris eis aſpirat.

Cur? Ratio eſt, tum quia rex eſt in populo id quod caput in homine: ſicut ergo ſanitas & hilaritas, æquè ac infirmitas & moleſtia capitis, redundat in membra ſibi ſubiecta, eiſq; ſuam qualitatem imprimit: ſic pariter hilaritas vel ira & auſteritas regis ſubditos afficit, ſimilemq; eis affectum imprimit. Quocirca docet Plutarch. in Politicis, principi tegendos eſſe animi affectus, præſertim iras, metus, & mœrores, ne ſubditis eoſdẽ imprimat. Ita fecit Æneas in naufragij periculo, de quo Virg. 1. Æneid.

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Secunda, quòd à regis amore, vel ira, vel odio pendeat ſubditorum vita vel mors: reges enim ſua poteſtate poſſunt & ſua voluntate cupiunt iis, quos amant, vitam prorogare; iis verò quos oderunt mortem inferre. Baynus cenſet eſſe metaphoram à luce auroræ. q.d. Sicut auroræ jamjam appetentis lux noctis tenebras diſcutit: ſic etiam jucunda re-A gum facies mœrorem ac metum ex animis pellit, & ſimile puro atque ſereno cœlo imperium efficit. Audi Senecam lib. de Clementia: *Verùm*, inquit, *mundi ſtatus gratior oculis, pulchriorq; fit ſereno & puro die, quàm cùm fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atq; illinc micant? Atqui non alia facies eſt clementiæ ac moderati imperij, quàm ſereni cœli atque nitentis. Crudele regnum, turbidum, tenebriſq; obſcurum eſt inter trementes, & ad repentinum ſonitum expaueſcentes; nec eo quidem qui omnia conturbat inconcuſſo.* Hinc de Chriſto Rege regum dicitur Pſal. 109. *Tecum principium* (hebr. *nedaboth*, græcè ἀρχὴ, id eſt, *principatus*) *in die virtutis tuæ: ex vtero ante luciferum genui te*, Hebr. *ex vtero ab aurora tibi eſt ros adoleſcentiæ tuæ*, Aquila, *à vulua, ab aurora oriente*, ſiue *apparente tibi ros pueritiæ tuæ*: vbi ros, æquè ac aurora, mentis vultuſque Chriſti ſuauitatem, hilaritatem & dulcedi-B nem ſignificat, ait R. Salomon.

Noſter Salazar cenſet potiùs metaphoram peti à luce Solis: nam vt ſol eſt oculorum, ſic cordis lumen eſt ſapientia. Rurſum rex in terra eſt id, quod ſol in cœlo & mundo. Rex enim eſt ſol beneficentiæ, hilaritatis & vitæ toti regno. q.d. *In luce vultus regis vita*, id eſt, regis facies ſerena & beneuola ſolem imitatur; cùm candidiſſimè lucet. Sicut enim ſol radiis ſuis cuncta fouet, & rebus omnibus vitam, riſum & lætitiã inſpirat: ſic etiam beneuolentia & gratia principis ſubditos erigit, & jucundam quandam amœnitatem, amœnamq; lætitiam illis affert, quos beneuolè intuetur: contra ſeuerus regis vultus eſt veluti ſol deficiens, qui hominibus rebuſq; omnibus mærorem, languorem, morbos ipſamq; mortem affert. Audi Agapetum Diaconũ ad Juſtinianum Imp. de officio principis: *Solis profectò partes ſunt illuſtrare radiis orbem: principis verò* C *virtus eſt egenorũ miſereri. Porrò ſole ipſo clarior eſt Imperator qui pius eſt: ille namque cedit ſuccedenti nocti; hic autem rapacitati prædonum non concedit indulgere quidquam: ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.* Et Plutarch. in Moral. *Vt Deus in cœlo pulcherrimũ ac iucundiſſimum ſui ſimulacrum conſtituit ſolem: ſic in rep. principem, qui prudentia, iuſtitia, benignitate ſe erga omnes repræſentet.* Hinc Cyrus totius Perſidis fuit ſol: Cyrus enim perſicè ſolẽ ſignificat. Vide multas analogias regis & ſolis, quas recenſui Iſaiæ 45.1.

ET CLEMENTIA EIVS QVASI IMBER SEROTINVS] Comparauit regis hilaritatem auroræ, & Soli omnia illuminanti & viuificanti: nunc clementiam eius, &, vt hebr. eſt, beneuolentiam comparat pluuiæ vernæ, quæ terram & fruges hiemis rigore ſquallentes, mœrentes & penè emortuas reſuſcitat, exhilarat, viuificat, facitq; ut terra in ger-D mina, frondes & flores erumpat, ac fructus omnis generis ſuauiſſimos & plurimos producat. Simili enim modo regis clementia, beneuolentia & beneficentia, omnes tam diuites quàm pauperes refouet, recreat, promouet, ac bonis omnibus locupletat, vti feciſſe Traianum, Antonium, Conſtantinum, Theodoſium, &c. legimus in eorum Panegyricis & Vita. Vide Senecam lib. de Clementia vbi lib 1. c. 8 celebrat Auguſti Cæſaris clementiam, qui L. Cinnam vitæ ſuæ inſidiantem in gratiam recepit: *Vitam tibi*, inquit, *Cinna iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrùm ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas? Poſt hæc detulit vltro conſulatum, queſtus quòd non auderet petere. Amiciſſimum fideliſſimumq; habuit, heres ſolus fuit illi.*

Nullis ampliùs inſidiis ab vllo petitus eſt. Porrò Sept. pro פְּנֵי *pene*, id eſt vultus, in ſuo codice legentes בְּנֵי *bene*, id eſt filij, ſic vertunt, *in lumine vitæ regis filius; qui autem valdè accepti ſunt ei, quaſi nubilum ſerotinum.* ſic enim legunt Compl. & Romani; quod auctor Catenæ Græc. ſic clariùs reddit, ſicq; tropologicè exponit: *Filius regis verſatur in luce vitæ: quos autem ille recipit ſunt inſtar nubis ſerotinæ. Qui in veritatis ſcientia ſecundùm Chriſtũ perfectè edoctus eſt; regis aut Dei veriùs filius appellari poteſt. Qui autem poſt Chriſti aduentum ad fidem acceſſerunt, ſunt veluti nubes ſerotinæ, vtpote circa ſæculi conſummationem ad Deum tandem adiuncti.* Alius: *Filius regis eſt diſcipulus Ieſu: aſsimilatur hic autem nubi ſerotinæ? quia multis bonis operibus cumulatus eſt.*

Quadruplex vita Christi.

Potiùs myſticè accipias hæc de Chriſto, q. d. Chriſtus filius regis æterni, putà Dei Patris, ab eo accepit lucem vitæ, Primò, diuinæ, cùm ab eo genitus eſt ab æterno; Secundò, humanæ, cùm Verbum caro factum eſt; Tertio, omnis gratiæ in eâdem incarnatione; Quartò, omnis gloriæ in reſurrectione. Hanc verò vtramq; vitam ſuis communicat: nam eis *qui valdè accepti ſunt ei*, ipſe eſt *quaſi nubilum ſerotinum*, id eſt, quaſi nubes verna, quæ copioſum gratiæ, ac deinde gloriæ imbrem ſuis fidelibus & electis irrorat & impluit.

Verùm vera & genuina lectio Septuag. videtur eſſe ea quam habet Scholiaſtes, qui ſic legit: *In luce filij regis vita*, &c. Hæc enim lectio reſpondet Hebræis & Latinis mutato tãtùm nomine *pene*, id eſt *vultus*, in nomen *bene*, id eſt *filius*. Sic ſenſus eòdem redibit quò Hebr. & Vulgata, ſi per filiũ-regis accipias ipſum regem, ex phraſi Script. quæ *filios hominum* vocat homines, *filios regum* reges. Sin autem propriè filium regis accipias pro regis nato & futuro herede, ſenſus erit quem dat noſter Salazar: *In luce filij regis vita*, id eſt bona felixq; gentis fortuna ex bona indole & moribus, quibus filius & heres regis fulget, omnino pendet: quapropter vnà omnes illius ingenium & mores obſeruant. *Et qui accepti ſunt ei quaſi imber ſerotinus*, id eſt, fortuna quidem & felicitas eorum, qui apud ipſum gratiam nacti ſunt, ſimilis eſt imbri ſerotino, qui licet tardiùs decidat, tamen vberiùs terram fœcundat. Nam poſt moras temporis, & diuturnam expectationem, cùm tandem aliquando heres regno potitur, amicos & familiares ſuos ingentibus fortunis & honoribus amplificat. Sicut enim vere primo vehementiores & longiores imbres defluere ſolent; vt obſeruat Philoſophus Problem. ſect. 2. ſic etiam regis beneficentia in primo regni aditu vberior & copioſior eſſe ſolet. Aut, ſic diſpungas: *In luce filij regis vita*, ſenſus erit, q. d. ſicut ex face fax, ex lucerna vna alia accenditur, ſic filij vita eſt quaſi lucerna accenſa à patre. vnde Salomon vocatur *lucerna* Dauidis 3. Reg. 15. 4. Sicut ergo curſores olim decurſo ſtadij demenſo ſibi aſſignato, ſucceſſori tradebant lampada: ſic & parentes emenſo vitæ curriculo filio quaſi ſucceſſori dant lampada ſuæ vitæ, virtutis, opum & gloriæ, vt in eo quaſi viuere pergant & perennent: iuxta illud Lucretij.

Et quaſi curſores vitai (vitæ) lampada tradunt.

In luce ergo *filij regis vita*, id eſt rex ſuam vitam, ſapientiam, mores & virtutes in filiũ transferre debet, vt ſicut vna lucerna accenditur ex alia: ita filij vita, indoles & mores accendantur ex inſtitutione & exẽplo patris, ac pater moriens viuat nihilominus & reſplendeat in filio, quem heredem ſibi ſimilem & quaſi alterum ſe relinquit, quaſi lucem ex luce, vel quaſi lucernam ex curſu traditam: *qui autem valdè accepti ſunt ei, quaſi nubilũ ſerotinum*, q. d. Qui gratiam inibunt filij regis, his ipſe erit quaſi nubes verna, quæ ſero quidem poſt longam regni expectationem, ſed copioſè in eos opes, dignitates, bonaque omnia impluet & communicabit.

Allegoricè idipſum optimè competit Verbo incarnato, putà Chriſto: Chriſtus enim quâ Verbum, eſt vita Patris, æquè ac Spiritus S. conſequenter & creaturarum omnium præſertim plantarum, animalium, hominum & angelorum: per Verbum enim omnes ſunt creatæ, ac per Verbum Deus omnibus rebus dat vigere, durare, creſcere & propagare ſe: quà homo eſt vita angelorum & hominum: hi enim omnes vitam gratiæ & gloriæ Chriſti quaſi capitis ſui hauriunt & participant. Vnde huc alludens S. Joan. c. 1. 4. *In ipſo*, inquit, *vita erat, & vita erat lux hominum.* & v. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* & v. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* In Chriſto ergo velut in fonte eſt omnis omnium vita. Vnde S. Auguſt. ibid. ſic explicat. q. d. Ipſa Verbi ſubſtantia eſt vita: hæc enim eſt omnium creaturarum idea, idea autem eſt ipſa eſſentia & vita Dei. S. Chryſ. verò, Cyril. Theophyl. & Ammon. ibid. *In ipſo*, inquiunt, *erat vita*, id eſt vigor rerum omnium, duratio & conſeruatio: erat autem non formaliter, ſed cauſaliter, quia à Verbo & per Verbum cauſatur & producitur. Vnde S. Joannes ſæpè Chriſtum vocat lucem, & vitam æternam. Vide dicta epiſt. 1. S. Joannis c. 1. v. 2. & ſeq.

Vers. 16. POSSIDE SAPIENTIAM, QVIA AVRO MELIOR EST: ET ACQVIRE PRVDENTIAM, QVIA PRETIOSIOR EST ARGENTO] Pro *poſſidet* hebr. eſt קְנֹה *keno*, id eſt acquire, eme, compara, poſſide in Imperatiuo; vel acquirere, emere, poſſidere in infinitiuo, vnde Pagnin. vertit, *acquirere ſapientiam multo melius eſt, quam acquirere aurum pretioſum: & acquirere intelligentiam multò meliùs eſt, quàm acquirere argentum electum*; Chald. *qui poſſidet ſapientiam, melior eſt ei auro conflato: & qui poſſidet prudentiam, melior eſt argento electo.* Hæc ſententia habetur ſimilibus verbis expreſſa c. 8. 10. & c. 4. 5. vbi eam explicui.

Porrò Sept. pro קְנֹה *keno* aliis punctis legentes קֵן *ken*, & per ה paragogicum *kinne*, id eſt nidus, aut certè literam ה per diaſtolen referentes ad vocem ſequentem חָכְמָה *chacbma*, quaſi ſit ה articulus, ſiue ה demonſtratiuum *ehochma*, id eſt *ſapientiæ*, aut breuiùs & veriùs pro קְנֹה legentes קִנֹּת *kinnot*, (ת enim & ה ſunt charactere affines) id eſt *nidi*, vertunt, *nidi ſapientiæ magis eligendi auro, & nidi prudentiæ magis eligendi ſunt ſuper argentum.* Quod Primò, S. Chryſoſt. in Catena Græcor. ſic exponit, q. d. *Diuinæ ſapientiæ ſenſa & theoremata multis partibus mundanam ſapientiam excedunt. Quemadmodum autem aurum præſtantius eſt argento, ita ſapientia quoq; nobilior eſt prudentiâ. Hæc enim in rerum cognitione præcipuè occupatur: illa verò in cogitatarum dilucidatione & interpretatione.* Alius ibidem: *Nidus duo ſignificat, nempè locum vbi auium pulli conſeruantur, & ipſos rurſum pullos, qui in nido continentur. Per nidum itaque Sapiens diuina theoremata deſignat: in his enim ſapientia habitat: quæ etiam præſtantiora dicit mundana falſiuè nominis ſapientis. Quòd ſi prudentiam ſapientiæ affinem alibi docueris,*

rit, dicendum eſt ſermonis ſapientiam mundi ſapientiæ præualuiſſe. Nam vt aurum præſtantius eſt argento; ita hæc illi quoque præſtat. Aut ſapientiæ nidos appellat Chriſti Eccleſias, aut Sanctorum manſiones: ſapientiam autem Chriſtum ipſum. A

Secundò, S. Ambr. lib. 5. Hexam. c. 17. magis ad literam per *nidum* ſapientiæ accipit nidū à ſapiente fabricatum, qualem hirundo pro ouis & pullis conſtruit. q. d. Sapientia docet hirundines ceteraſque aues nidos conſtruere, in iiſq; pullos procreare & educare, vt per illas typum & exemplar det omnibus ſapienter procreandi & educandi filios, ac diſcipulos in omni virtute & diſciplina. Nam v. præc. dixerant Sept. in filio quaſi viuere patrem etiam poſt mortem, nunc aptè ſubiungunt, vt glorioſè pater viuat in filio, non probroſè, debere filium educare in nidis ſapientiæ, vt in iis ſapiens B & generoſus, quaſique aquilinus pullus, nimirum dignus patre filius, ac patri ſapienti ſimilis, imò ſapientior euadat: hos enim nidos ſapientiæ præſtat filio congerere quàm theſauros auri & argenti: hiſce enim longè pretioſior eſt ſapientia.

Hirundinis in ædificando ſapientia. Sed audi S. Ambr. de ſapientia nidi hirundinis phyſicè philoſophantem. *Habemus auiariæ ſobolis erga cultus patrios pietatis exemplum: accipiamus nunc maternæ ſedulitatis in filios grande documentum. Hirundo minuſcula corpore, ſed egregii pro ſobolis affectu, quæ indiga rerū omniū, pretioſiores auro nidos ſtruit, quia ſapienter nidificat. Nidus enim ſapientiæ pretioſior eſt* *Primò.* *auro. Quid enim ſapientius, quàm vt & volandi vaga libertate potiatur, & hominum domiciliis paruulos ſuos &* *Secundò.* *tecta commendet, vbi ſobolem nullus incurſet? Nam & illud eſt pulchrū, vt à primo ortu pullos ſuos humanæ vſui conuerſationis aſſueſcat, & præſtet ab inimicarum auium* *Tertiò.* *inſidiis tutiores. Tum illud præclarum, qua gratia domos* C *ſibi ſine vllo adiutore tanquā artis perita componat. Legit enim feſtucas ore, eaſq; luto illinit, vt conglutinare poſſit. Sed quia lutum pedibus non poteſt deferre, ſummitatē pennarum aqua infundit, vt facilè his puluis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim feſtucas vel minutos ſurculos ſibi colligat, atq; adhærere faciat: eo genere nidi totius fabricam ſtruit, vt quaſi pauimenti ſolo pulli eius intra ædes ſuas ſine offenſione verſentur, nec pedē aliquis interſerat per rimulas texturarū, aut teneris frigus irrepat.* *Quartò.* *Sed hoc induſtriæ officiū propè commune multis auibus: illud vero ſingulare in quo eſt præclara cura pietatis, & prudentis intellectus & cognitionis inſigne, tum quædā medicæ artis peritia: quòd ſi qua pulli eius fuerint cæcitate ſuffuſi oculis ſiue compuncti, habet quoddam medendi genus, quo poſſit eorū lumina intercepto vſui reformare.* nimirum *hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia*, ait Tertull. lib. de Pœnit. D ſub finem. Eadem habet S. Baſil. homil. 8. Hexam. ex quo illa tranſſcripſit S. Ambr. ſed eleganti pariter Latini ſermonis ſtylo donauit.

Igitur nidi ſapientiæ filio ſunt honeſta domi educatio; deinde ſcholæ, academiæ, ſeminaria, collegia, monaſteria, in quibus iuuentus inſtruitur & educatur in ſapientia æquè ac virtute, vt ibidem efformata inſtar pullorum fortiter & ſapienter auolet ad prædam, poſſit & alios ſapientia & virtute quam didicit imbuere, imò & nidos ſapientiæ ſuis ſimiles alibi conſtruere & erigere. In animis enim eriguntur nidi ſapientiæ, cùm animi ſcientia & diſciplina ita componuntur & efformantur, vt ſe ipſos, quin & alios per omnia ſapienter dirigere ac contra cuncta vitiorum ſcandala tutari ſciant & valeant.

A SEMITA IVSTORVM (Hebr. *rectorum* DECLINAT MALA: CVSTOS ANIMÆ SVÆ SERVAT VIAM SVAM] Chald. *ſemita iuſtorum eſt declinare à malo: qui cauet animæ ſuæ ſeruat viam ſuam*; Tigur. *& qui cuſtodit viam ſuam* (mandatorum Dei, ait Vatabl.) *cuſtodit animam ſuam*; Sept. verò, *ſemitæ vitæ declinant à malo: longitudo autem vitæ viæ iuſtitiæ*. nimirum cenſuere Septuag. quòd *cuſtos animæ* idem ſit quòd *prolongans vitam*. q. d. Juſtitia ſui aſſeclas facit longæuos hic, & in futuro æternos: qui ergo ſeruat vias juſtitiæ, huic obtinget fauſta longitudo vitæ præſentis, & beata æternitas futuræ. Vox *ſemita* ſignificat viam & vitam juſtorum eſſe rectā, occultam & arctam, vt declinat curua & praua lataque vitiorum diuerticula, quæ vndique eam circumſtant & ambiunt, per quæ impij quaſi per vias B curules, amplas & liberas ſpatiantur. Dicitur enim ſemita latinè quaſi ſemi iter, ſiue via dimidia & arcta. Vnde Virgilius 9. Æneid. Vers. 17.

Rara per occultos ducebat ſemita calles.

Pro *ſemita* hebr. eſt מְסִלָּה *meſilla*, id eſt via trita, agger, ſemita ſtrata & eleuata lapidibus, ne viatores per lutum incedere cogantur. vnde סֻלָּם *ſullam* vocatur ſcala. Via ergo & vita juſtorum eſt *meſilla*, tū quia eleuata & terris altior, vtpote cæleſtis & diuina: nā per virtutes quaſi per ſcalas contendunt & aſcendunt in cœlum: tum quia continuo longoq; bonorum operum virtutumque exercitio calcata eſt, complanata & trita, ideoque facilis & ſecura.

Porrò Septuag. ſententiam hanc duabus aliis explicant & illuſtrant, quæ non habentur in Hebræo, nec in Latino. Sunt autem hæ: *Qui recipit diſciplinam, bonis omnibus affluet: ſic qui obſeruat increpationes, in ſapientia progreſſus faciet. Qui cuſtodit vias* C *ſuas, cuſtodit animam ſuam: qui autem vitam ſuam diligit, ori ſuo parcat oportet.*

CONTRITIONEM PRÆCEDIT SVPERBIA: ET ANTE RVINAM EXALTATVR SPIRITVS] Hebr. *ante confractionem ſuperbia: & ante impactionem* (qua quis in lapidem vel ſcandalū impingit) *elatio ſpiritus*; Syrus, *ante morbum exaltatio ſpiritus*; Aquila, *ad faciem contritionis ſuperbia*; Tigur. *præit comminutionē faſtus, & anteit ruinam ſuperbia animi*, hoc eſt, *calamitas eſt comes ſuperbiæ*, ait Vatabl. Chald. *ante interitū venit ſuperbia: & ante ruinam eleuatur ſpiritus*; Sept. *ante contritionē præcedit* ὕβρις, id eſt *contumelia*, vel *iniuria* (Syrus, *opprobrium*) *& ante ruinam* κακοφροσύνη, id eſt *mala cogitatio*; Complut. & Roman. *immodeſtia*, alij, *temeritas ſtultitia*. κακόφρων enim eſt inſanus, impatiens, mala cogitans, quaſi κακὰ ἢ δόλια φρονῶν. Senſus ergo eſt. q. d. Antequā quis D graue malum ſubeat, quo conteratur, confringatur & euertatur, ſolet præire illius ſuperbia, qua ſuperbè ſeſe extollat, vt aliis dominari velit: hanc enim Deus ſternere & confringere ſolet. Similiter antequam quis in leuius quodpiam malum impingat & ruat, ſolet præire in eo elatio ſpiritus, ſiue faſtus aliquis & tumor animi, qui hoc malum mereatur. Porrò malum accipe tum pœnæ, vti ſunt morbi, paupertas, ignominia, perſecutiones, exilia, ipſaque mors, tum culpæ: Deus enim culpam minorem & occultam alia maiore & aperta caſtigat. Sic Deus occultam ſuperbiam Adæ, qua intumuit audiens ab Eua promiſſum, ſerpentis, *Eritis ſicut dij*, puniuit permittendo lapſum ipſius in apertam & claram inobedientiam, qua pomum vetitum comedens ſe totumque genus humanum perdidit: vti pulchrè ex hoc loco docet S. Auguſt. lib. 14. de Ciuit. c. 13. Vers. 18.

Illud, inquit, *malum* (ſuperbiæ) *præceſſerat in abdito, vt ſequeretur hoc malum, quod perpetratū eſt in aperto. Verum eſt enim quod ſcriptum eſt: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Illa prorſus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifeſto, dum illa ruina eſſe non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat, cùm iam ſit ibi defectus, quo eſt relictus excelſus? Quis autem ruinam eſſe non videat, quando fit mandati euidens atque indubitata tranſgreſſio? Propter hoc Deus illud prohibuit, quod cùm eſſet admiſſum, nulla defendi poſſet imaginatione iuſtitiæ. Et ideò audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumq́; peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iā ſibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer pſalm. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine; id eſt, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerant quærendo ſuum.*

Igitur contritionem præcedit ſuperbia. Quam contritionem? omnem. Numquā enim in peccatum cadimus, niſi per ſuperbiam ſaltem tacitam, vel intepretatiuam aduerſus Deum erigamur. Superbia Deo ipſi aduerſatur; proximis intolerabilis, & ipſi ſuperbo ſupra modum nociua reperitur; quia niſi homo reuerentiam & ſubiectionem Deo debitam defereret, & erecto collo aduerſus eum eiuſque mandata ſuperbiret; numquàm in gratiæ diſſipationem & peccatorum ruinam incideret.

Verſio Septuag habet, *ante contritionem præcedit iniuria, & ante ruinā mala cogitatio.* Nota hîc, quàm emphaticè ſuperbia per antonomaſiam dicatur iniuria, ſcilicet Deo inflicta. Tam graue malum eſt ſuperbia, vt Deum ipſum quaſi conuitiis & irriſionibus illudat, colaphos in faciem Dei impingat, eam ſputis illinat, & velut nolentem ac renuentem in certamen prouocet Deum. Quam etiam inuenies in illo Apoſtoli Jacobi 4. *Deus ſuperbis reſiſtit.* Non ait, obſiſtit, it obuiam, quietos impugnat; ſed *reſiſtit*, quaſi impugnantibus & laceſſentibus Deū ſuperbis, ipſe, vt ſuo conſulat honori, pro laribus & focis repugnat, propulſans à ſe potiùs iniuriam, quàm ſubinferens; defendens ſe potiùs, quàm alios offendens. Quod aliquando S. Aug. expertus ſic dolebat. *Sed ego Domine, conabar ad te, & repellebar abs te, vt ſaperem mortem: reſiſtebas ventoſæ ceruici meæ*, &c. 4. Confeſſ. 15. En ventoſum caput ſuperbi: tamen ſtultus ſibi de vento blanditur ſuo.

Superbia cauſa omnium malorum? cur? Cauſa. Prima. At cur ſuperbia, ſiue magna, ſiue modica, præit, & cauſat penè omnes omnium, etiam Sanctorum, caſus, ruinas & contritiones? Primam cauſam dat Caſſianus collat. 6. c. 17. quòd ex minoribus ſoleat fieri gradus ad maiora. *Lapſus verò quiſpiam*, inquit, *nequaquā ſubitanea ruina corruiſſe credendus eſt; ſed aut praua inſtitutionis deceptus exordio, aut per longam mētis incuriā paulatim virtute animi decidente, & per hoc ſenſim vitiis increſcētibus caſu miſerabili cōcidiſſe. Ante contritionem enim præcedit iniuria, & ante ruinā mala cogitatio: quemadmodum domus numquam ſubitaneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantiū deſidia, ſtillicidiis primùm pauciſſimis penetrantibus corrupta ſenſim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetuſtam negligentiam in maiorem modum patefactis atque collapſis, ruatim poſt hæc influit pluuiarum imbriumq́; tempeſtas.*

Secunda. Secundam cauſam dat S. Chryſoſt. lib. 5. de Incompreh. Dei natura, nimirum ſuperbiæ grauitatem & pondus, quæ tanta eſt, vt ſuperbum in ima deprimat.

Tertia. Tertia & potiſſima cauſa eſt Dei vindicta. Deus enim extremo odio proſequitur ſuperbiam & ſuperbos, ideoque eos fulminat & ſternit vſque ad tartara. Vnde Æſopus rogatus à Chilone, quid Jupiter faceret, & in quo occuparetur, reſpondit: *Vt excelſa deprimat, extollat humilia*, ita Laërtius l. 1. in Chilone. Et Sept. interpretes interrogati à Ptolemæo Philadelpho, quo pacto vitare quis poſſet ſuperbiam, reſponderunt: *Si cogitet, quòd Deus ſuperbos deprimat, mites autem & humiles exaltat.* Hoc eſt quod ſuperbis minatur Deus per Abdiam v. 4. *Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum inde detraham te.* Et de Nabuchodonoſore Baltaſari eius filio ait Dan. c. 5. 20. *Quando eleuatum eſt cor eius, &c. depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & à filiis hominum eiectus, ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt.* Eſt enim hic magnus ſtimulus ad humilitatem, ſi cogites per eam te exaltandum; ſin ſuperbias, certo certiùs te deprimendum, & fortè vſque ad tartara cum ſuperbo Lucifero. Sicut enim ſignū prædeſtinationis eſt humilitas, ſic ſignum reprobationis eſt ſuperbia. Cùm ergo ſenſeris in mente elationem quampiam, tumorem & faſtum, ſcito hoc eſſe ſignū inſtare tibi caſum & ruinam: ſicut enim fumus ſignum eſt proximi incendij, ſic elatio ſignum eſt proximæ ruinæ. Quare ſicut, dum vides attolli fumum, ilicò accurris, vt aqua iniectâ illum, & ſub eo latentem ignem ſuffoces & opprimas: ita prorſus dum ſentis in animo tumorem, ilicò eum contunde & confringe, itaque lapſum, tibi imminentem diſcute & auerte. Lapſus enim & ruina eſt indiuiduus comes ſuperbiæ: neminem enim Deus punit ante peccatum, neque peccat aliquis niſi ex ſuperbia quadam, nempe quòd coram Deo humiliari nolit. Numquam enim contemptim & mortaliter tranſgredimur Dei præcepta, niſi pluris facientes, noſtram vel voluntatem vel voluptatem quàm Dei imperium. Vnde bene dicitur Eccli. 10. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.*

Nota. Humiles & ſancti ſubinde nutu Dei affliguntur & deprimuntur, at non vt ruant & conterātur, ſed potiùs vt exaltentur, vti patet in Joſeph, Job, Dauide, &c. Eædem ergo calamitates juſtis ſunt merita & coronæ, ſuperbis verò ſunt demerita, & ſupplicia, quia illis ad virtutis & gloriæ augmentū, his ad tormentū à Deo irrogantur. Deniq; quanta eſt ſuperbia, tanta eam ſequitur ruina & contritio: menſura enim pœnæ reſpondet menſuræ culpæ. Sicut ergo qui ex alto ruit, profundè cadit, planeque conteritur: ſic quo maior eſt elatio, eo maius eſt præcipitium, juxta illud Claudiani:

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graniore ruant.

Exempla. Sic Deus contriuit ſuperbiam Pharaonis per Moyſem, Goliæ per Danidem, Phariſæi per Publicanum, Abſalomi per Joab, Adoniæ per Salomonem, gigantum per diluuium; quin & præſumptionem Petri aſſerentis ſe moriturum cum Chriſto, per ancillam, quæ eum perculit & impulit ad negandum Chriſtum.

Recentius exemplum valdè appoſitum recenſet B. Petr. Damian. epiſt. 14. c. 6. de clerico ſuperbo, qui dum in Miſſa legeretur illud Chriſti: *Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humliat, exaltabitur*, Lucæ 14. 11. irriſit, faſtuque plenus & nimia bellicæ facultatis fiducia in prælium, quaſi victor futurus proſiliens, in ipſo conflictu miſerè cęſus occubuit. Simile eſt quod narrat S. Antoninus 2. p. tit. 3. c. 2.

de

de quodam tyranno, qui radi de libris imperauit ex Deiparæ Cantico, *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles:* quòd ſe de ſua ſede deponi negaret poſſe. Cùm ſemel poſt balneum veſtes illius angelus, ipſum referens, induiſſet, ad domum cum aulicis veniſſet; ille verò laceras vileſque ſumere coactus, illuc reuerſus in aulicos diras & minas jactaret, pro ſtolido habitus ad angelum deductus eſt, qui verus princeps habebatur, à quo, poſtquam eum aulici effuſè riſiſſent in penetrale admiſſus deque modeſtia monitus proprias veſtes induit, deinceps in honore tamquam legitimus herus habitus eſt.

Vers. 19. Melivs est hvmiliari cvm mitibvs, qvam dividere spolia cvm svperbis] Chald. *melior eſt humilis ſpiritu & manſuetus*, Syrus, *melior eſt humilis ſpiritu & oculis demiſſis, quàm qui diuidit prædam cum fortibus*; Septuag. *melior manſuetus cum humiliatione, quàm qui diuidit ſpolia cum contumelioſis* vel *iniuriantibus*. quia hæc ſpolia ſunt iniuſta: quare qui ſpoliorum partem accipit, iniuriæ conſentit & cooperatur, ac proinde idem cum iniuriantibus exitium ſubibit, ait Aben Ezra. Superbi enim ſolent ex faſtu eſſe aliis iniurij, eoſque bonis ſuis ſpoliare, ſocioſque & amicos in partem rixæ vel belli ac ſpoliorum vocare; ſed vtroſque eadem manet Dei vindicta, idem interitus. Hæc gnome quaſi concluſio educitur ex præcedenti: ſi enim ſuperbia parit contritionem & exaltatio ruinam, vti jam dixit; ergo melius eſt humiliari ſpiritu, vt habent Hebr. hoc eſt demittere ſeſe cum humilibus & mitibus (qui enim humiles ſunt, ſunt & mites) quàm cum ſuperbis ſe ſuprà alios attollere, eoſque ſpoliare ac ſpoliis eorum ſe ditare. Alludit Salomō ad illud Dauidis patris ſui: *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, Pſal. 83 11.

Vnde ſecundò, ſic exponi poteſt. q.d. Meliùs eſt humiliari, id eſt affligi ſpiritu, putà animo & mente, cum mitibus, ac patienter ferre iniurias & ſpoliationem ſuperborum, quàm cum eis iniuriam aliis facere, eorumque ſpolia iniuſtè diuidere. Vnde Caietan. & Baynus ſic exponunt. q.d. Superbi homines humilibus nonnumquam inferunt iniuriam, bona diripiunt, ſpolia diuidunt: tamen virtus animi eſt melior quàm bona externa, quamlibet benè comparata. Si cum humilibus & manſuetis ambulaueris, ſi fueris etiam ipſe humilis, cæleſtem quamdam vitam in terris agis, in pace & trāquillitate animæ. Inter ſuperbos verò ſemper ſunt jurgia: noli igitur vulgi judicio, ſed ſapientum res æſtimare; virtutem vitio, animæ quetem externis bonis præpone.

Tertiò, ſic exponas: Melius eſt humiliari, id eſt depauperari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia, id eſt ditari cum ſuperbis, præſertim ſi quis fiat pauper ſpiritu, juxta illud Chriſti: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, Matth. 5. ita Vatabl. & auctor Catenæ Græcor.

Quartò, pleniùs & profundiùs, per catachreſin ex τῷ *mitibus*, intelligas pacem & tranquillam vitam, quam parit conuerſatio cum mitibus: ex τῷ verò *diuidere ſpolia* intelligas odia & rixas, quas parit ſuperbia. Nam vt ait S. Chryſoſt. homil. 8. in Matth. *Nutrix dilectionis* (& conſequenter pacis ac concordiæ) *humilitas eſt: mater autem omnis mali ſuperbia*. Senſus ergo eſt, ait noſter Salazar: *Melius eſt humiliari cum mitibus.* hoc eſt, præſtat quidem ex animo deiici & humilem eſſe: ſic enim inter humiles licebit agere, qui mitiſſimi plerumque ſunt, & nulla eos diſtrahit indignatio aut diſſidium; ſed mutuâ potiùs beneuolentiâ cohærentes tranquillam valdè vitam degunt. Præſtat, inquam, cum his agere, quàm ſuperbia intumeſcentem cum ſuperbis verſari, qui aſſiduè inter ſe confligentes ſpolia partiuntur: id eſt, qui in ſemetipſos inuicem incurrunt, ac ſe mutuo honoribus atque fortunis ſpoliant; qui vitam deniq; innumeris fluctibus & tumultibus plenam tranſigunt. Itaque ſapiens humilitatem ſuperbiæ ideo præfert in hoc loco; quia humiles cum humilibus valdè tranquillè & beneuolè conuerſantur: ſuperbi autem inter ſe confligunt, ac ſe inuicem direptis fortunis ſpoliant.

Myſticè, auctor Catenæ Græc. q.d. Melior eſt exigua cognitio cum humilitate, quàm magna ſcientia cum ſuperbia.

Vers. 20. Ervditvs in verbo reperiet bona: et qvi sperat in Domino beatvs est] Hebr. *intelligens ſuper verbo inueniet bonum: & qui confidit in Domino, beatitudines illi*, ſcilicet ſunt; vel erunt; Chald. *qui contemplatur in verbo*; Syrus, *intelligens verbum*; Septuag. clarè, *intelligens in negotiis inuentor bonorum: & qui fidit in Deo, beatiſſimus. Verbum* enim metonymicè ſignificat rem verbo ſignificatam; putà negotium.

Primò, Aben Ezra hanc gnomen refert ad præcedentem. q.d. Qui humilitatis ſtudio cū mitibus eruditur, vt alta de ſe non ſentiat; bona reperiet: à Deo enim beneficiis cumulabitur: & qui ſpem in Deo collocat, nequaquam voluptatem capiet ſpoliis cum ſuperbo partiendis, ſed à Deo locupletatus bonis omnibus circumfluens beatus erit.

Secundò, alij ſic, q.d. *Eruditus in verbo*, id eſt potens in ſermone, in judicio quidem rem litemque ſuam peraget, ac obtinebit bona quæ prætendit: ſed tamen beatior eſt, qui fugit lites, & tacens res ſuas Deo commendat.

Tertiò magis genuinè R. Leui exponit, q.d. Intelligens ſupra rem, id eſt, qui alicui negotio intelligenter incumbit, diligenterq; attendit quomodo in vnaquaque re ſe gerere debeat, nec feſtinanter aut temerè ſua agit; hic cogitando bona conſilia inueniet, quibus feliciter negotium conficiat, ac bona deſtinata quæ optat, aſſequatur. Qui autem hiſce induſtriâ ſuâ peractis, ſibi tamē, ſuo conſilio ac cauſis & rationibus ſolertiâ ſuâ aptè cōparatis non fidit, ſed ſpē omnem rei conficiendæ in Deo collocat; hic beatus erit: quia Deus ſpem eius non fallet, ſed voti compatem faciet, ac rem ad optatam metam deducet, etiamſi in adminiculorum apparatu fortè errauerit. Hæc enim eſt prudentia Chriſtiana, quam ſuis verbo & exemplo commendabat S. Ignatius fundator Societatis Jeſu, nimirum vt qui rem arduam ad Dei gloriam molitur, omnia humana conſilia & media ad rem conficiendam opportuna prudenter & diligenter adhibeat, perinde ac ſi illis ipſis tota res conficienda foret. Deinde ſpem omnē collocet in Deo, quaſi ab ipſo ſolo res peragenda foret, vt ſibi diffidens, fidenſque Deo, illum toto corde inuocet, illique media rei conficiendæ à ſe inuenta offerat, vt ea probet vel improbet, & meliora ſuggerat, eaque dirigat ac proſperet, atque ab illo vno felicem rei tranſactionē expectet. Vnde Baynus ſic explicat, q.d. Præſtat in Domino collocare fiduciam quàm in propria prudentia. Aut: Beatus eſt qui præter hoc,

Prudens ita operetur, vt fructum expectet à Deo ſolo.

hoc, quòd cum multa prudentia res ſingulas adminiſtrat, nihilominus omnem fiduciam rei peragendæ in Domino collocat, juxta illud Pſal. 145. 5. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum & terram.* Docet ergo nos hæc gnome, ita prudenter, inſtanter & ſollicitè res noſtras agere, quaſi illæ à Deo Deique ſpeciali cura non penderent: ac vice verſa ita ſpem omnē in Deum reponere, ac ſi noſtra omnis prudentia & ſollicitudo inanis foret, eneruis & irrita. Ita Caiet. Janſen. Salazar & alij.

Vers. 21. QVI SAPIENS EST CORDE, APPELLABITVR PRVDENS: ET QVI DVLCIS ELOQVIO, MAIORA PERCIPIET] Hebr. *& dulcedo labiorum addet acceptionem.* quod Noſter vertit, *maiora percipiet*; alij per לקח *lecach*, id eſt acceptionem, accipiunt doctrinam: hanc enim diſcipulus à magiſtro haurit & accipit. Vnde Chald. *& qui dulcis eſt labiis ſuis, addet diſciplinam*; Syrus, *addet ſcientiam*; Septuag. *ſapientes & intelligentes vocant malos: dulces autem in ſermone plura audient.*

Primò, Beda ſic exponit: *Qui ſapientiam Catholicæ fidei, quam didicit, illibatam in corde ſuo cuſtodit, meritò prudentis nomen accipit. At qui eamdē etiam doctè prædicare, & contra hæreticos defendere nouit maiora laboris ampliorū præmia percipiet.* Addit Hugo, maius etiam nomen, putà doctoris, accipiet.

Secundò & meliùs, q. d. Qui in corde ſuo ſibi ſapit, hic *appellabitur*, id eſt re vera erit, vt jure vereq; appellari poſſit, prudens, &, vt hebr. eſt intelligens: at qui nō ſibi ſoli ſapit, ſed & aliis, ac ſapientiam ex corde in os ad aliorū ſalutem deriuat, vt quæ mente ſapienter concepit, ſapienti & ſuaui eloquio proximis inſtillet; hic vtique maiora percipiet: quia maiorem eorum, quæ alios docet, cognitionem accipiet: docendo enim illuminatur & dilatatur intellectus docētis, vt clariùs videat ea quę docet, quàm antè ea cognouerit, imò nouos conceptus, nouas rationes, nouas veritates, nouas ſubtilitates mens docendo excitata docenti ſuggerit, quæ alias numquam ipſi in animum veniſſent.

Qui ergo docet alios, docet ſe ipſum: vnde experientia oſtendit, eos qui profitentur Poëſim, Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam, Ethicā, docendo inſignes & perfectos euadere Poëtas, Rhetores, Philoſophos, Theologos, Ethicos.

Tertiò, genuinè & plenè, hac gnome docet Salomon veræ prudentiæ & ſapientiæ, ac ſapientis duo eſſe munia, duo officia. Prius, vt corde ſapientiam contineat. Poſterius, vt eamdem ſapienter & ſuauiter depromat & eloquatur. Itaq; ſapientiam poſcere eloquentiam, vt quæ ſibi ſapit, eadem aliis cum gratia & fructu proferat. Ideoq; ſapientiam non eſſe perfectam, niſi ea quę intelligit, ſciat aliis communicare & perſuadere, juxta illud Eccli. 41. 17. *Scientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſq;?* Et S. Auguſt. lib. 4. de Doctrina Chriſt. *Omnis*, inquit, *res quæ dando nō deficit, dum habetur & non datur, non habetur quomodo habenda eſt.* Hinc eſſe ſenſum liquet ex duobus verſibus ſeqq. ac præſertim ex v. 23. vbi hanc gnomen alia clariori explicans ait: *Cor ſapientis erudiet os eius, & labiis eius addet gratiam.*

Senſus ergo eſt, ait Janſenius. q. d. Qui ſapiens eſt corde, is quoniam per ſapientiam in animo reconditam, eruditè & prudenter loquitur ore ſuo (cor enim ſapientis erudiet os eius) ideò appellabitur prudens; idemque dulcis exiſtens per ſapientiam in eloquio, addet & in aliis & in ſe ipſo doctrinam; doctior quotidie & eloquentior euadet, aliiſque ſemper magis ac magis ſapientiam ingeret. Itaque vnicam clauſulam continet verſus, docens ſapientem prudentis nomen obtinere, quoniam eloquentia ſua ſcientiam auget docendo.

Idem videntur voluiſſe Septuag. dum vertunt, *ſapientes & intelligentes vocant malos: dulces autem in ſermone plura audient*, id eſt plura diſcent audiendo: auditus enim eſt ſenſus diſciplinę, ait Ariſtot. vnde auditores vocantur diſcipuli. Porrò ſapientes vocantur *mali*, græcè φαῦλοι, id eſt Primò, viles, inutiles, ignaui: quia ſcilicet ſibi ſoli ſapiunt, & detrectant laborem docendi alios. Secundò, praui, inuidioſi maligni: quia inuident aliis ſapientiam, atque vt ea alios omnes ſuperent, auarè eam celant, nec aliis eam communicare volunt. Tertiò, auctor Catenæ Græc. ſic legit: *Viros ſapientes & prudentes praui appellant prauos & ſceleratos: qui autem blandâ vtuntur oratione, plura diſcunt & hauriunt.* Sicque explicat, q. d. *Adulatores dulceſq; eorumdem ſermones vulgò maiori in pretio habentur, quàm viri prudentes vereq; ſapientes.*

Dulcis ſermo requirit quatuor. Primò. Porrò, ut dulcis ſit ſermo ſapientis, multa requiruntur. Primò, vt ſermo ſit refertus ſapientia & prudentia. Sapientes enim maiorem delectationē in ſenſu quàm in ſono ſermonis percipiunt, ait Dionyſ. *Secundò.* Secundò, vt ſermo ſit ordinatus, concinnus, perſpicuus, facilis intellectu. Sunt enim nonnulli viri aliàs eruditi, qui ſuos conceptus altos & profundos concinnè & clarè eloqui nequeunt, eò quòd in ipſa elocutione ſint inordinati & confuſi, vel barbari, vel obſcuri & inuoluti. His manca eſt ſapientia: deeſt enim eis os, putà eloquentia. *Tertiò.* Tertiò, vt ſermo ſit gratioſus, comis, ſuauis, hilaris, habens ſuos ſales & lepores, juxta illud Apoſtoli: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus*, Coloſſ. 4. 6. Sunt enim nonnulli viri aliàs docti, ſed in loquendo agreſtes, ruſtici, duri, tetrici, vt non verba, ſed ſpinas & ſaxa loqui videantur, qui proinde ad docendum, monendum & exhortandum parum ſunt idonei. *Quartò.* Quartò & maximè, vt ſermo procedat ex corde manſueto, beneuolo & amore pleno. Hoc enim verbis ſuum amorem & dulcorem inſpirat, vt quidquid dicat, amoroſum & dulce ſit, & vt tale ab omnibus auidè arripiatur, etiamſi in ſe terribile vel aſperum ſit & mordax. Vnde S. Aug. in epiſt. ad Galat. c. 6. v. 1. hanc dotem requirit in eo qui corripit proximum: *Dilige*, inquit, *& dic quod voles*: qui enim amat, eſto acria correptionis verba jaciat, hæc à correpto non vt tela, ſed vt pharmaca libenter excipiuntur: vice verſa ſi blanda quis proloquatur, ſed corde non blando, hæc vt amara reſpuuntur. Anima enim quæ amat amorem ſuum, imò ſe ipſam, influit in ſua eloquia, ac per ea in corda audientium: quæ proinde ferit, mollit, ignit, ac flectit quocumq; vult. Exempla ſunt in Confeſſionibus S. Auguſtini, ac in S. Bernardo, qui vbique melleus & igneus melleam & igneam lectori aſpirat ſapientiam.

Vers. 22. FONS VITÆ, ERVDITIO POSSIDENTIS: DOCTRINA STVLTORVM, FATVITAS] Hebr. *vena vitarum intelligentia habenti illam* (vel hero & domino eius), *& eruditio ſtultorum ſtultitia*; Sept. *fons vitæ cogitatio poſſidentibus: diſciplina autem imprudentium mala.* Ita Complut. & Romani. Pro *cogitatio* græcè eſt ἔννοια, id eſt intelligentia, notitia, notio, ſenſus, ſententia, prudentia, cognitio. Vnde Aquila vertit;

tit, ἐπιστήμη, id eſt *ſcientia*; Symmach. φρόνησις, id eſt *prudentia*.

Explicat quod dixit: *Dulcis eloquio maiora percipiet*: quia nimirum ipſe eſt quaſi fons ſapientiæ; quare ſicut fons quo plus dulcis aquæ effluit & effundit, eo plus illi continuò ſuccedit & affluit: ſic pariter ſapiens quo plus ſapientiæ ſuauiter eloquitur, eo plus ei à Deo ſuggeritur, perinde ac vbera quo magis mulgentur, eo plus lactis recipiunt.

Janſenius contendit legendum: *Fons vitæ eruditio poſſidentibus*, vti habent Septuag. Sic enim ſenſus clarus eſt, q.d. Sapientia ſapientibus illam poſſidẽtibus eſt velut fons vitæ, qui quo plus vitalis ſapientiæ emanat, eo plus à Deo haurit & recipit. Verùm Romani & ceteri codices legunt *poſſidentis*; idque ſignificantius eſt: ſignificat enim Primò, quod ſapientia in corde ſapientis meditando, ſtudendo & orando quaſi fons oriatur & ebulliat velut in propria poſſeſſione & fundo, ac proinde continuè & iugiter ſcaturiat copioſas ſapientiæ aquas quibus non tantùm domeſticos, ſed & vicinos circumquaque irriget, viuificet & fœcundet, vt bonorum operum ſint feraces & fertiles. Secundò, *τὸ poſſidentis*, vel, vt ex Hebræo vertas, *heri* aut *domini*, ſignificat neminem debere docere ſapientiam, antequam eam plenè didicerit, vt eam quaſi herus poſſideat. *Doctor* ergo *ſit concha, non canalis*, ait S. Bernard. ſit poſſeſſor ſapientiæ: ita fiet poſſeſſor pulpiti, ex quo eam doceat. Tertiò, *τὸ poſſidentis* ſignificat ſapientiam eſſe fontem vitæ propriũ poſſidentis id eſt illius qui eam exercet, eaque vtitur docendo & informando alios. Plena enim firmaque rei poſſeſſio præter dominium exigit rei poſſeſſæ vſum & exercitium, vt ſcilicet facilè & expeditè re poſſeſſa vtatur eamque exerceat. Significat ergo ſapientem priùs debere cor ſuum planè imbuere ſapientia, vt eam firmiter ſolidéque poſſideat, ac deinde eam exerceat & eructet docendo tum verbo, tum opere & exemplo. Qui enim ſapientiam in ſe habet, ſed eam non exercet, nec alios docet; huic ſapientia non eſt fons vitæ, ſed quaſi lacus vel aqua ſtagnans, ideoque putreſcens & mortua, juxta illud Chriſti: *Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet*, (id eſt non vtitur talento quod habet,) *& quod habet auferetur ab eo*, Matth. 25. 29.

Senſus ergo, ait Janſenius, eſt q.d. *Eruditio*, id eſt ſapientia & intelligentia, eſt illis qui habent eam, fons vitæ; quia velut ſcaturigo ſemper profluens, nec vmquam deficiens, ſubminiſtrat eis aſſiduè, vnde & ipſi in anima viuant, & alij per eorum doctrinam. At contrà doctrina ſtultorum, qua & ſe ipſos & alios de agendis rebus aut credendis docent, nihil aliud eſt quàm fatuitas, hoc eſt, ſtulta ſunt quæcumque quatenus ſtulti & ex ſuo corde docent. *Ex abundantia* enim *cordis os loquitur*.

De ſtultorum ergo ventre exeunt flumina aquę mortuæ: de ventre verò ſapientum ſecundùm Deum exeunt flumina aquæ viuæ, ait auctor Imperfect. homil. 20. in Matth.

Ænigmata ſeptem Ven. Bedæ.

Huc quoque faciunt ſeptem gryphi ſiue ænigmata Ven. Bedæ in Collectaneis: *Tres infelices in lege leguntur: qui ſcit & non docet: qui docet & non facit: qui neſcit & non interrogat.*

Quis ſunt qui ſani ægrotant? qui aliena negotia curant.
Qua ratione homo laſſus non fit? lucrum faciendo.
Quid eſt longiſſimum? ſpes vel cogitatio.
Quid eſt regi & miſero commune? naſci & mori.
Quid eſt optimum & peſſimum? verbum.
Quid eſt quod alij placet, alij diſplicet? vita.

COR SAPIENTIS ERVDIET OS EIVS: ET LABIIS EIVS ADDET GRATIAM] Hebr. *addet acceptionem*, id eſt *doctrinam*, vt vertit Chald. & Syrus, putà gratiam docendi, quod Noſter v. 21. vertit, *maiora percipiet*, putà maiorem doctrinam & docendi gratiam nanciſcetur. Pro *erudiet*, hebr. eſt ישכיל *taskil*, id eſt, vt Pagnin. intelligit, intelligens & prudens faciet, prudenter diriget, inſtruet, erudiet. VERS. 13.

Cor eſt ſymbolũ trium. Primò. mentis.

Cor trium rerum eſt ſymbolum triaq; ſignificat, vnde triplex hic emergit ſenſus. Primò, *cor* vocatur mens & intellectus: ſicut enim à corde vita & ſpiritus vitales totius corporis procedunt: ſic à mente procedit vita & ſpiritus totius animæ omniumque eius potentiarum. Senſus ergo eſt. q.d. Mens ſapientis eſt, quæ dirigit os eius, illudq; docet nil temerè effutire, ſed præmeditata loqui, ac labiis eius indit additque gratiam docendi, vt gratum ſuauemque promant ſermonem, qui in animos audientium leniter influat, & ſapientiam inſtillet. Mens enim ſapientis priùs cogitat & meditatur, quid & quomodo debeat loqui, ut auditoribus proſit & perſuadeat ſapientiam: mens verò ſtulti nil præmeditatur, ſed quidquid in buccam venit, illicò eloquitur. Vnde Eccleſiaſt. c. 21. 29. *In ore fatuorum, inquit, cor illorum: & in corde ſapientium, os illorum.* Vide ibi dicta. Vnde & Sept. vertunt, *cor ſapientis cogitabit quæ ab ore proprio, & in labiis ſuis portabit doctrinam*, Syrus, *cor ſapientis cognoſcit ſermonem oris ſui*, &c. R. Salomon, *ſapientis os à mente habet, vt rectè & eloquenter loquatur*; Vatabl. *pectus ſapientis os illius prudenter moderatur, & labiis eius addit doctrinam.*

Secundò. ſapientia.

Secundò, *cor* ſapientis eſt ipſa ſapientia, ſicut cor animalis eſt ipſa anima: vnde cordatus vocatur prudens & ſapiens: & Oſee 7. 11. dicitur: *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*, id eſt inſipiens & imprudens. Senſus ergo eſt. q d. Sapientia dirigit os ſapientis, vt ſapienter loquitur: *labiis eius addet gratiam*, vt cum gratia ſapientiam depromat & proferat: os enim ex ſe eſt inſipiens, ac non intelligit quid dicat: quare neceſſe eſt vt ſapientiã hauriat à ſapientia cordis. Cor ergo ſit doctor oris ac doceat os ſapientiam, putà modum ſapienter & prudenter loquendi. Nam verbum mentis ſapiens fundit ſibi ſimile verbum oris ſapiens. Ita Aben Ezra: *Sapiens, inquit, ſermone ſuo ſapientiam, qua excultus eſt, prodet, atque vt doctrinam ceteris patefaciat, maiorem addet mentis ſolertiam.* Sapientia enim ſolers eſt, multoſque modos ſapienter loquendi excogitat, ac multas rationes adinuenit, quibus id quod intendit, gratioſè eloquatur & auditori perſuadeat. Vnde explicans ſubdit: *Fauus mellis compoſita verba*, &c. Vide dicta v. 21. ille enim verſus cum hoc vti verbis, ſic & ſenſu conſentit.

Tertiò. amoris.

Tertiò, *cor* ſignificat affectum, beneuolentiam, amorem. q d. Cor, id eſt amor, erudit & docet os ſapientis, vt omnia tædia, faſtidia, moleſtias, quę in docendo rudes vel moroſos & difficiles occurrũt, generosè ſuperet, vtque modos dicendi & agendi adinueniat, quibus ſapientiam, fidem & virtutem adiutoribus perſuadeat, vti faciebat Apoſtolus Galatis dicens, cap. 4. 19. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam.* Vnde S. Auguſt. lib. de Catechizandis rudibus cap. 10. docet catechiſtam debere imitari matrẽ, quæ ex amore

materno

materno rudem infantem ſenſim docet balbutire & loqui, imò eidem cibum præmãdit. Amor enim omnem ruditatem, omne tædium & faſtidium ſuperat. *Nam, inquit, delectat, niſi amor inuitet, decurtata & mutila verba immurmurare? Et tamen optant homines infantes, quibus id exhibeant.* Et inferiùs: *Suauius eſt matri minuta manſa inſpuere paruulo filio, quàm ipſa mandere & demorare grandiora.* Addit deinde nouam gallinæ ſimilitudinem. *Non recedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, & ſuſurrantes pullos confracta voce aduocat, cuius blandas voces refugientes ſuperbi, præda ſtatim alitibus fiunt.* Sicut ergo calor omnes fructus, omneſq; cibos concoquendo ſapidos dulceſque efficit: ſic & amor omnes ſermones ſuaues grat oſque reddit tam dicenti quàm audienti. Cùm ergo quid dicturus es, vel aliquem docturus aut correpturus, dicta tua præeat & promat amor; ita modum rectè loquendi & perſuadendi docebit te amor. Amor enim è corde ebulliens in os, ſermonem ſibi ſimilem eructabit & pariet, iuxta illud Pſal. 44. 1. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Vide S. Bernard. ſerm 67. in Cant.

Praxis loquendi & docendi.

VERS. 24. FAVVS MELLIS, COMPOSITA VERBA: DVLCEDO ANIMÆ, SANITAS OSSIVM] Hebr. *fauus mellis eloquia pulchritudinis* vel *elegantiæ, dulcis animæ & medela oſſi*; Pagnin. *& ſanitas corpori*; Septuag. *faui mellis ſermones boni: dulcedo autẽ eorum ſanitas animæ*; Chald. *fauum mellis verbum ſuaue*; Syrus, *verbum ſapientis*; Vatabl. *fauus mellis eſt amœnus ſermo, animi dulcor & oſſium medela.* Nam mel, inquit ipſe, ſanat languores corporis. Pro *verba compoſita.* hebr. eſt אמרי נעם *imre noam*, id eſt verba pulchritudinis decoris, amœnitatis, elegantiæ. Vnde *noemi*, ſocrus Ruth, ita dicta eſt à ſpecie & decore, Ruth. 1. 20. Sicut enim ſpecies vultus rapit oculos intuẽtium, ſic ſpecies & decor ſermonis rapit aures audientium. Hæc ſententia cohæret præcedenti: multis enim exaggerat Salomon commoda ſermonis prudentis & ſuauis. Senſus clarus eſt. q. d. Sicut fauus mellis delectat palatum, ſimulq; reficit, nutrit & roborat corpus: ſic pariter verba prudenter & ſuauiter compoſita & concinnata delectant aures, dulcorant animam, & ſanant oſſa. Per *oſſa* accipe metaphoricè cũ Sept. intima animæ, aut propriè oſſa corporis. q. d. Dulcis ſermo non ſolùm animum paſcit, ſed & corpus, eiuſq; oſſa, in quibus ſitum eſt eius robur, reficit, recreat & firmat.

Dulcis ſermo eſt fauus mellis. Primò.

Aptè pulcher dulciſq; ſermo comparatur fauo mellis. Primò quia ſicut fauus ſtillat mellis dulcedinem, ſic orator ſtillat ſermonis facundiã. Vnde de Neſtore ait Homerus: *Cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio.* Secundò, mel eſt opus & nectar apum, quæ prudentiæ & caſtitatis ſunt exemplar & ſymbolum. Simili modo dulcedo ſermonis manat à mente prudenti & caſta. Vnde in ore S. Ambroſij adhuc pueri luſit examen apum, portendens eius caſtitatem & ſermonis ſuauitatem. Idem accidit S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, S. Dominico fundatori Ordinis Prædicatorũ: ac ex Gentilibus Platoni & Pindaro. Tertiò, apes legũt mel ex floribus & herbis odoratis. Sic ſapientes legunt mel ſermonis ex florilegio S. Script. Quartò, oratoris tria ſunt officia, docere, delectare & mouere, quæ repræſentantur per mel: mel enim reficit, dulcorat & ſanat: refectio repræſentat doctrinam, dulcedo delectationem, ſalubritas motum & perſuaſionem. Vnde S. Auguſt. lib. 4. de Doctrina Chriſt.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

A *Dixit, inquit, quidam eloquens & verũ dixit, ità dicerẽ debere eloquentem, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitati, flectere victoriæ.* Quintò, R. Leui: Mel, inquit, medicina eſt leniendis membrorũ cruciatibus, cùm contuſa fuerint, ſi iis imponatur, atque etiam aliis morbis maximè prodeſt: ſic & ſuauis ſermo confert ad aptam corporis conſtitutionem conſeruandã, & ad improborum morum ægritudines depellendas, præſertim verò lenit & diſcutit animi mœrores, angores, iras, amaritudines, inuidias, quæ illam diſcruciant; exedunt & conſumũt. Vnde Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. c. 2. *Medicina, ait, medetur morbis corporis, ſapientia animi perturbationibus.* Sextò, mel eſt ſanitas, id eſt medulla oſſium: mel enim optimam

Quintò.

Sextò.

B medullam oſſibus ſuggerit, itaq; ea languentia ſanat & vegetat. Rurſum medulla eſt quaſi mel oſſium ea nutriens, ſanans, oblectans & roborans: ſimili modo ſermo ſapiens & ſuauis nutrit, ſanat & firmat oſſa, id eſt robur animæ & corporis ad agendum & tolerandum fortia. Sic S. Marcus & Marcellianus à ſuis grauiter tentati ad abnegandam in perſecutione Chriſti fidem, cùm nutarent, ſermone prudenti & ſuaui S. Sebaſtiani in eâdem confirmati fuere, ac pro illa glorioſum obiere martyriũ. Idem fecit Vrſicinus medicus, qui in morte ceſpitans, confirmatus oratione S. Vitalis, alacer ceruices carnifici pro Chriſto præbuit. Idem fecit legio Thebæorum roborata concione S. Mauritij & S. Exuperij, ac ſeptem fratres Machabæi ſub Antiocho corroborati à matre vera viragine, ac ſeptẽ filij S. Felicitatis, & totidem S. Symphoroſæ à matribus accenſi ad martyriũ. Sic adhortatione

C egregia Iudæ Machabæi milites *conualuerunt animis, nõ ſolùm homines, ſed & beſtias ferociſſimas, & muros ferreos parati penetrare,* 2. Machab. 11. 9. Septimò, ſicut faui mellis mira arte & concinnitate conſtruuntur ab apibus, ſic vir ſapiens magna prudentia, ordine, methodo, elegantia componit & diſponit ſermones ſuos, indeq; eis tam efficax ſuauitas & tam ſuauis efficacia. Exempla Platonis, Ennij, Virgilij, Varronis & Ciceronis recenſet Plinius l. 7. 30. Hinc apes mella fauis condunt & cera incruſtant, ne diffluant: fauos porrò tanta arte ſtruunt, vt domus & palatia affabrefacta videantur. *Struunt,* ait Plinius l. 11. c. 10. *orſa ea concamerationes aluei, textumq; vel vſque ad ſumma tecta deducunt, limitibus binis circa ſingulos arcus, vt aliis intrent, aliis exeant. Faui ſuperiore parte affixi, & paululũ etiam lateribus ſimul hærent & pendent vnà. Alueum non contingunt, nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter popoſcit alueus.*

Septimò.

D & c. 11. *Sexangulæ omnes cellæ, à ſingulorum eæ pedum opere.* Similiter ſermones ſuos conſtruit & componit ſapiens. Vnde Eſther orat Deum c. 14. 13. docens: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri.*

Denique audi S. Ambroſ. lib. de Bono mortis c. 5. *Mortua, inquit, peccata ſunt, quæ vitæ ſuauitatem habere non poſſunt. Perfunduntur autem diuini ſermonis vnguentis, & fortiore cibo verbi velut pane, & ſuauiori ſermone velut melle curantur quædam vulnera delictorum. Sermones autem cibos eſſe docet & alibi Salomon, dicens: Faui mellis ſermones boni. In illo ergo horto ſermones boni ſunt, alius qui culpam coërceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat inſolentiam, & velut ſepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus ſuis renuntiat.* Deinde plures vtilium ſermonum ſpecies recenſet, dicens: *Eſt etiam ſermo fortior, qui confirmat*

cor.

cor hominis validioribus Scripturæ cæleſtis alimentis. Eſt etiam ſermo ſuſorius dulcis vt mel, & tamen peccatorũ conſcientiam in ipſa ſuauitate compungens. Eſt etiam fermentioris ſpiritus ſermo, qui inebriat ſicut vinum, & cor hominis lætificat. Eſt etiam lacteus ſermo purus & candidus. Hos cibos dulcium vtiliumq; ſermonũ epulandos ſponſus proximis ſuis dicit: Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Plura de melle & apibus dixi c. 6. 6. & Eccli. 11. 3.

Vers. 25. Est via quæ videtur homini recta: et nouiſſima eius ducunt ad mortem] Hebr. *& nouiſſimum eius viæ mortis*; Chald. *& finis eius sũt viæ mortis*; Septuag. *attamen nouiſſima eorum ſpectant in fundum inferni*; Syrus, *viæ eius mortis ſemitæ* Repetit & inculcat hanc gnomen Salomon: quia maior hominum pars, ait Ianſen. laborat philautia, nimiſque ſibi in ſuis iudiciis & ſenſibus placet: quare ab ea auocat omnes Salomon, dicendo, quòd multis plus æquo placeant ſua ſenſa & conſilia, ac licet reuera praua tortaque ſint; tamen eis amore ſui exæcatis videantur eſſe recta, ideoque cæci & dormientes tendant ad mortem & gehennam. Iam enim hanc gnomen audiuimus cap. 14. 12. vbi eam explicui.

Vers. 26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os ſuum] id eſt, oris ſui fames & neceſſitas. Hebr. *anima laborans laborabit ſibi: quia incuruauit ſe ſuper eum os eius*, q. d. Homo laborat, quia os & fames oris ipſius innititur labori & laboranti, illique incumbit, & ab eo panem quo veſcatur, quaſi curuus & ſupplex poſtulat. Alludit ad Gen. 3. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Imò Beda eò arctat hanc gnomen, exponitque de Adamo, q. d. Adam peccans damnatus fuit ad laborandum, vt labore manuum ſibi victum compararet: inde ad laborem compulit eum os ſuum, quando ſcilicet cum ſerpente locutus eſt, & ore ſuo vetitum pomum comedit: quia enim homo contra præceptum Dei intemperanter comedit pomum vetitum, hinc iuſtè hac pœna mulctatus eſt, vt deinceps non comedat cibũ niſi quem magno labore & ſudore cõpararit, ait S. Auguſt. Verùm alij paſſim hanc gnomen amplè pronuntiatã amplè ſumunt, & omnibus hominibus adaptant.

Senſus ergò planus & genuinus eſt, q. d. Homo *laborat ſibi*, id eſt ad ſuum commodum, vt ſcilicet vitam ſuſtentet, quia ad laborem compellit eum *os ſuum*, vt ſcilicet laborando quærat victum, quo os fame hians & latrans ſatiet. Per *animam* enim ſynecdochicè intelligit totum hominẽ: dicit tamẽ potiùs *anima* quàm homo: quia in laborando magis laborat anima quàm corpus. Anima enim eſt quæ in labore corpus mouet, agitat, impellit, omnemque laborandi vim & robur corpori ſuggerit. Hinc in labore magis patitur & fatigatur anima quàm corpus; præſertim quia animæ eſt per omnia prudẽter dirigere labores, vt ſint vtiles & fructuoſi. Rurſum anima eſt quæ sẽtit mille angores, curas, ſollicitudines in laborãdo, vti videmus mercatores, opifices, agricolas, ceteroſque laborantes mille curis, quas parit labor, diſtendi & cruciari.

Significat ego hæc gnome, hominis poſt peccatum ſortem & ſtatum eſſe, vt laboret; ac labore ſibi victum paret: *Homo enim naſcitur ad laborem, & auis ad volatum*, Iob. 5. 7. Prouida enim Dei ſapientia hominẽ ob peccatum ad laborem continuum damnauit: tum in pœnam peccati, vt illius pœna & pœnitentia ſit labor: tum in concupiſcentiæ re-

A medium: ne enim otio diffluens concupiſcentiis ſuis ageretur, Deus eum labori addixit, vt illi intentus de cõcupiſcentiis ſuis cogitare non poſſet; aut, ſi poſſet, ei non liberet, vtpote laboribus fatigato & fracto. Rurſum ſignificat Deum ad laborem homini ſtimulũ dediſſe, egeſtatem & famem: hæc enim cogit eum laborare, vt labore ſibi alimenta comparet. Si enim non eſſet hæc neceſſitas & fames, nemo vellet laborare. Quocirca lex naturæ & Dei ſanxit, vt qui recuſat laborare, cibo priuetur, iuxta illud S. Pauli; *Si quis non vult operari, nec manducet*, 2. Theſſ. 3. 10. Ante triginta annos cum in Belgio Louanij degerem, Dux Arſchotanus Heuriæ iuxta arcem ſuã, curabat vaſtos circa illam montes exaggerari & transferri. Rogãtibus, cur in rem parum vtilem tantas opes expenderet? Reſpondit, Vt centenos & amplius pauperes hoc

B opere diſtineam alamque, ne eſurient & furentur, ſed vt labore victum parent: qua ratione eleẽmoſynam & ſpiritualem animæ, & temporalem corpori eorum confero. Denique ſignificat moderandos eſſe labores, vt nõ nimios capeſſamus, qui corpus & animam deijciant, ad cõgerendas opes; ſed moderatos, tantos ſcilicet, quanti ad victum lucrandum ſufficiant, iuxta illud Apoſtoli: *Eſt autem magnus quæſtus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus*, 1. Timoth. 6. 6.

Salomon ſibi ſuccinit in Eccleſiaſte dicens: *omnis labor hominis in ore eius*, cap. 6. vnde R. Leui hanc Salomonis gnomen ſic explicat, q. d, *Cùm quis aſſiduè deſudat ob alimenta comparanda, ſibi tantum deſudat, cùm ab ore ſuo tantùm ad id incuruatus & abiectus fuerit. Eſt ergo hæc quædam inſtitutio, vt mor-*

C *talis à ſuperuacanea ciborum copia abſtineat, partemque tantùm ſibi neceſſariam deſumat.*

Secundò, Hebr. עמל *amal*, & Latinum *laborare*, ſubinde idem eſt quod affligi: ac labor vocatur moleſtia & afflictio. Sic ſenſus erit, q. d. Homo afflictus ſibi, id eſt ſua culpa, affligitur: quia os ſuum ad talem afflictionem eum compulit, & cauſa illi fuit miſeriarum. Multi enim ſunt intemperantis linguæ, ac multa effutiunt, quæ alios lædũt, offendunt, cruciant: quare ab eiſdem viciſſim læduntur & cruciantur. Tales ſunt qui alios rident, vexant, ſubſannant, caluminantur, detrahunt, fraudant, decipiunt, expilãt, &c. Huic ſenſui fauet Chald. qui ſic vertit, *anima laborantis labori ẽ ſuſtinebit: quia ex ore ſuo venit ei humiliatio* vel *incuruatio*. Tertiò, Aben Ezra Hebr. אכף *achaph*, id eſt curuauit, compulit, vertit, *in cauſa fuit*, q. d. *Quòd quis perpetuus ſit in labo-*

D *ribus, efficitur ab eius ore, eò quod ſermonum ſuauitatem non didicerit, vt è contrà ſapientia exultis eàdem vitã affert: qui enim os & aures claudunt ſapientiæ manibus laborent oportet, vt victũ ſibi parent.* Quartò. Septuag. vertunt, *vir in laboribus laborat ſibi, & vim facit in interitum ſuum*: ita Romani. Græcè, ἐκβιάζεται αὐτοῦ τὴν ἀπώλειαν, quod Primò, Complut. vertunt; *vim facit ſuæ perditionis*; & auctor Catenæ Græc. ſic vertit, *vir honeſto labori inſiſtens ſibi inſiſtit, ſuamq; perditionem vi propellit*: ſicque explicat, q. d. Qui virtutis viam ſeriò aggreditur, ſibi non alteri, laborat; profligat autem interitum, ſeruatque ſeipſum per pœnitentiam. Vnde per antitheſin ſubdunt Septuag. *At peruerſus in ore ſuo fert perditionem.*

Egregiè hanc lectionẽ explicat Caſſianus collat. 24. c. vlt. *Regnum cælorum*, inquit, *ſecundùm ſen-*

tentiam Domini vim patitur, & violenti diripiunt illud, Matth. 11. *Iſti profectò ſunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni ſuæ. Homo enim, vt ſcriptum eſt in laboribus laborat ſibi, & vim facit perditioni ſuæ. Perditio noſtra eſt oblectatio vitæ præſentis, & (vt experſius dicam) executio deſideriorum voluntatumq; noſtrarũ: quas ſi quis ab anima ſua ſubtraxerit ac mortificauerit, glorioſam profectò & vtilem perditioni ſuæ vim facit, abnegãs duntaxat ei iucundiſſimas voluntates, quas per Prophetam ſermo diuinus ſæpè incuſat, dicens: Quia in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra,* Iſaiæ 58.

Secundò, alij τὸ ἐκβιάζεται contrariè vertunt, *vim facit in interitum* ita Roman. Vnde Theodor. vertit, *qui in laboribus laborat immodicè, attrahit mortem ſibi,* q. d. Auari qui laboribus nimiis ſe vexant, vt opes coaceruent, hi ſæpè iiſdem ſe conficiunt & enecant. Et Syrus, *anima doloribus vexata ſibi excruciatur, & ab ore eiuſdem perditio eidem adducitur,*

Sic & Beda hæc accipit de impiis, præſertim hæreticis, de quibus dicitur Ierem. 9. *Vt iniquè agerent, laborauerunt,* vt ſcilicet deprauarent S. Scripturas iiſque ſuas hæreſes ſtabilirent.

Myſticè, S. Gregor. hanc gnomen applicat doctoribus, qui coguntur facere quod docent, ne pudeſiant. Sic enim ait lib. 2. hom. 18. Ezech. *Sed cum bonorum auditorum vitam conſiderant, eamq; profeciſſe ſuis exhortationibus penſant, erubeſcunt tales non eſſe, quales auctore Deo per ſe conſpiciunt alios factos eſſe: & tanto ſe in mente ſtabiliunt, quanto penè in culpam labebantur. Nam cùm ipſa ſua doctoribus verba ad memoriam redeunt, erubeſcunt non ſeruare quod dicunt. Vnde per Salomonem quoque dicitur: Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. Os enim noſtrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod dicimus, à vitijs refrænamur: quia turpe nimis eſt, ibi nos negligendo cadere, vnde prædicando conati ſumus alios leuare.*

Rurſus R. Leui ſic explicat: *Anima laborantis ſibi laborabit, quia labores ſubit cùm os incuruarit & demiſerit, id eſt, cùm ab edendi cupiditate, potuſq; iucunditate os coërcuerit, ita vt à ſapientiæ ſtudio, laboribuſq; ob eamdem ferendis ab eiuſmodi cupiditatibus non auocetur.*

Denique Dionyſ. Carthuſ. moraliter ſic explicat: *Anima laborantis laborat ſibi, id eſt, anima exercentis opera corporalia aut ſpiritualia bona, facit ea ad ſuum profectum aut commodũ, & pro neceſſarijs corporis aut animæ. Ideo monet Apoſtolus: Labora ſicut bonus miles Chriſti. Et rurſus: Labor veſter nõ erit inanis in Domino Itemq;: Vnuſquiſque accipiet ſecundùm ſuum laborem, quia compulit eum ad laborandum os ſuum, id eſt ſermo quo ſe aſtringit ad bene agendum in fonte baptiſmi, in ſuſceptione Ordinis ſacri, aut in profeſſione monaſtica, vel in foro confeſſionis, ſiue in actu prædicationis, quia quod alios docet, facere obligatur.*

Vers. 27. VIR IMPIVS FODIT MALVM, ET IN LABIIS ILLIVS IGNIS ARDESCIT] Hebr. eſt, *vir belial,*) id eſt, vt Aquila, *vir apoſtaſiæ & rebellionis,* hoc eſt apoſtata & rebellis, Symmach. *vir intolerabilis,* De *Belial* fusè dixi c. 6. 12.) *fodit malum, & ſuper labijs ſuis velut ignis ardens,* Septuag. *vir imprudens fodit ſibi mala, & in labijs ſuis ignem condit;* S. Cyprianus, *ignem theſaurizat* (græcè enim eſt θησαυρίζει,) Theodot. *tamquam ignis ardeſcens;* Syrus, *vir impius machinatur malum, & ab ore eius accenditur ignis;* Chald. *vir calumniator fodit malum, & in labijs eius ignis dat ſcintillas;* R. Salomon, *labia teſtis falſi & periuri ſunt velut ignis comburens, & conſumens proximũ.* Generaliùs & pleniùs R. Leui ſic exponit: *Vir belial animo ſuo neſandis moliturq; quod autem ab animo ad labia deriuatur argumentum eſt, quò malum corde latens cognoſcitur, quod quidem tamquam ignis exurens perniciem afferre: atque id perinde eſt, ac ſi dixiſſet grauiora damna illius ore inferri, quàm animo deſtinaſſet: ſermones enim ſuos ita differre prouit, vt ex illu acerbiſſima damna conſequantur.*

Vox *fodit* dupliciter accipi poteſt. Primò *fodit* mente, id eſt animo veſtigat malum, & ſcrutatur modos & rationes, quibus noceat proximo. Sicut enim foſſor ſodiendo ſcrutatur mineralia ſub terra latentia; vt ſulphur, carbones, metalla: ſic impius ſcrutatur, verſat & excogitat calumnias, fraudes arteſque nocendi. Secundò, *fodit* lingua & manu foueam, in quam alij cadant, id eſt malum, quod mente fodit & excogitauit, hoc re ipſa effodit, & infert lingua calumniando, detrahendo, ſuſurrando, decipiendo, &c. Rurſum directè *fodit* malum aliis, ſed indirectè ſibi ipſi, vt vertunt Septuag. quia malum in ſuum redit reciditque auctorem, iuxta illud Eccli. 27. 29. *Qui foueam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.* Tertiò, Rabbim nonnulli in Gloſſa magna vertunt; *vir belial per malitiam ſuam egraminans,* id eſt gramina effodiens: terra eius gramine veſtita difficiliùs effoditur: quia graminũ ſtipitibus & radicibus implicatur cõſtringitur, & quaſi comtingitur, vt in vnam glebam continuam coaleſcat: ſic ſuſurro qui amicitias, quaſi gramina quædam implexa, inter ſe connexas & longo tempore coalitas effodere, ſcindere & diſſociare ſatagit, ſanè valdè laboret oportet, multaſque priſci temporis iniurias obliuione ſepultas effodiat neceſſe eſt. Quartò, nonnulli cenſent alludi ad milites, qui caſtrum vel vrbem ſuffodiunt, ac ſubuecto puluere tormentario accenſoque diſrumpunt, in altum deijciunt & euertunt: ad eumdem enim modum calumniator & ſuſurro mente quidem fodit malum; id eſt cuniculos & foſſam profundam agit ſimulatione & ſecreto, vbi verò amicorum fœdera altè diffodit, lingua quidem ſua ignem ſupponit: nimirum ea dicit, quibus amicos inflammandos & concitandos eſſe nouit: atque hoc dolo firmiſſimas paces & amicitias diſturbat, domos & vrbes nonnumquam etiam regna & imperia funditus euertit. Ergo Salomon appoſitè ait *Vir impius fodit malum.*

ET IN LABIIS ILLIVS IGNIS ARDESCIT] Nam, vt ait S. Iacob c. 3. 6. *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis, &c. quæ inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna.* Vbi multa de hoc linguæ incendio dixi. Quocirca S. Gregor. Nazianz. orat. 3. contra Iulianum Apoſtat linguam maledicam, qualis fuit Iuliani, comparat Ætnæ, quæ primò ignes tegit & colligit, ac deinde collectos conglobatoſque velut infernus euomit & eiaculatur, quibus agros, oppida & prouincias etiam longè diſſitas exedit & vaſtat, *Lingua maledica eſt Ætna.*

HOMO PERVERSVS SVSCITAT LITES: ET VERBOSVS SVPERAT PRINCIPES] Hebr. *vir verſionum,* vel *inuerſionum,* vel *peruerſitatum* (id eſt, verſutus & peruerſus, qui omnia vertit, inuertit, peruertit) *mittit contentionem: & ſuſurrator diuidet principem* Vers. 28. Symmach. *& qui calumniatur, diffamat ducẽ;* Chald. *& ſuſurro diuellit à ſe amicum ſuum,* Syrus, *vanus inſectatur amicos ſuos;* Septuag. *vir peruerſus tranſmittit mala: & facem doli accendit malis, & diſiungit amicos.* Vatabl. *vir peruerſus occaſiones contentionis inijcit: & delator ſæpè inter magnates diſſidia concitat.*

Sententia clara eſt, q. d. Homo peruerſus, qui ſcili-

ſcilicet omnia peruertit, atque in malam partem rapit, aliterque rem atque verba refert, quàm ſe habent; item qui alterius rebus benefactis vel certè indifferentibus malam intentionem affingit, eaque quaſi ſubdolo & hoſtili animo in contemptũ alterius facta deprauat: hic ſuſcitat lites & rixas: *& verboſus*, id eſt, vt Hebr. *delator*, circulator & ſuſurro, ſeminat diſcordias, ſeparatque non tantùm priuatos, ſed & principes, atque inter eos facem doli, vt vertunt Septuag. ac belli ſuccendit. Faces doli ſunt ſuſpiciones, diffidentiæ, ambitiones, inuidiæ, quas inter principes ſuſcitant ſuſurrones cum magno ſubditorum diſpendio & clade, vti faciunt politici & hæretici, qui proinde ſunt ſeditionum folles, ac titiones gehennæ, vt ait S. Iacobus c. 3. 6. imò quaſi dæmones incarnati.

VERS. 29. VIR INIQVVS LACTAT AMICVM SVVM: ET DVCIT EVM PER VIAM NON BONAM] Hebr. *vir violentiæ*, Chald. *vir raptor*; Vatabl. *vir violentus*) *ſeducit amicum* vel *proximum ſuum*, *& facit eum ambulare in via non bona*. Pro *lactat* hebr. eſt יפתה *iephatte*, id eſt *illicit lactat ſeducit*, Aquila & Symmach. *decipit*; Septuag. ἀποπειρᾶται, id eſt, vt Complut. *tentat*; Roman *palpat*. Hæc ſententia clara eſt, ac Primò aptari poteſt prædonibus & latronibus, qui viatores & quoſlibet alios adoriuntur quaſi amici blandis ſermonibus, ac ſenſim deducunt eos in auias ſiluas & ſpeluncas, vbi eos ſpoliant & ſubinde occidunt. Secundò, fraudatoribus, qui ſpecioſis promiſſis proximos inducunt in contractus, fœdera, obligationes, &c quæ ſibi commoda, proximis noxia fore ſciunt. Tertiò, lenonibus & ſcortatoribus, qui pueros & puellas ſimplices donis ineſcant & ſeducunt, vt ſuæ vel aliorum libidini ſeruiant. Quartò, hæreticis & praua dogmata ſeminantibus, qui, vt ait Apoſt. Rom. 12 *per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentiũ*, itaq; eos pertrahunt in hæreſim, errorem & exitium.

VERS. 30. QVI ATTONITIS OCVLIS COGITAT PRAVA, MORDENS LABIA SVA PERFICIET MALVM] Ita Roman. ſed Janſen. & alij legunt, *perficiet mala*. Legendo *perficit*, ait Janſen. ſenſus eſt, q d. Non is tantùm perficit malũ coram Deo, qui opera perpetrat, ſed & qui attonitis oculis hoc eſt, fixo animo cogitat praua; item qui ex indignatione mordet labia. Si autem legatur *perficiet*, tum ſignificatur malum aliquod metuendũ ab eo, qui cogitat intento animo praua; item ab eo qui mordet labia ſua præ ira & vindictæ cupiditate. Indicat enim hæc parabola conditiones quaſdam & ſigna exteriora hominis, qui alteri machinatur malum, vt ex his illum obſeruantes, nobis ab illo caueamus.

Sed eòdem redit ſenſus, ſiue legas *perficit*, ſiue *perficiet*; ſæpè enim præſens ponitur pro futuro, præſertim vbi ſignificatur rei mos ſiue cõſuetudo: *perficit* ergo, id eſt *perficiet*, hoc eſt, perficere ſolet.

Attoniti qui?

Pro qui *attonitis oculis*, hebr. eſt עצה *otſe*, quod Septuag. vertunt, *qui obfirmat oculos*; alij, *qui obſtinatos habet oculos*, Noſter, *attonitos*. Attoniti enim dicuntur, qui quaſi ſtupefacti ita ſæpè rem aliquam intuentur vel cogitant, vt præſentes & præſentia non aduertant, iuxta illud Job 15. 12. *Quid te eleuat cor tuum, & quaſi magna cogitans, attonitos habes oculos?* Attonitus enim deriuatur è verbo priſco attono: attonare autem eſt tonando ſtupefacere; inde *attonitus* eſt quaſi ad tonitru perculſus & ſtupefactus. Vnde Ouidius epiſt. 4.

Aut quas ſemideæ Dryades, Faunique bicornes
Numine contactas attonuere ſuo.

Et Celſus lib. 3 c 26. *Attonitos quoque rarò videmus, quorum & corpus & mens ſtupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: ἀποπληξίαν hunc Græci appellant.* Denique Virgil. 3. Æneid.

Talibus attonitus viſis, ac voce deorum.

Vbi Seruius: *Hoc eſt talibus deorũ vultibus: Vnde ſequitur, Ac voce deorum. Nam & voce ſe dicit attonitũ & viſis. Attonitus verò eſt ſtupefactus: nã propriè attonitus dicitur, cui caſus vicini fulminis, & ſonitus tonitruum dant ſtuporem.* Verùm, quia quis attonitis oculis poteſt cogitare & contemplari ſancta & cæleſtia; hinc Noſter attonitos oculos nectit cum cogitatione praua. Vnde Chald. vertit *qui annuit oculis ſuis, & cogitat peruerſa, annuens labijs ſuis perficit malum*. Et Syrus, *innuit oculis ſuis, & praua cogitat, & labijs ſuis machinatur & perficit malum*; Aben Ezra vertit, *qui claudit oculos, vt nefaria machinetur: obturat enim oculos ne mens poſt oculos diſtrahatur, quo liberè ſcelera meditari & machinari queat.* Sic & R. Leui, Pagnin. Vatabl. & Bayn. *Qui claudit oculos*, inquit, *ad cogitandum peruerſitates*; Marinus in Lexico, *agitans oculos cogitando peruerſa*. Dantur ergo hîc duo ſigna peruerſitatis perfectæque malitiæ. Prius eſt, ſi attonitis, firmis vel clauſis oculis quis cogitet praua. Hoc enim eſt ſignum, illum ita intentũ eſſe cogitationi prauæ, vt in ea mentem & voluntatem abſorberi ſinat, nec de re alia bona cogitare poſſit: imò ab ea animum auocare & diſtrahere nequeat. Quare talis ſimilis eſt diabolo, ait auctor Catenæ Græc. qui ſæpè conſiderat quo quiſque vitio laboret, vt per illud eum præcipitet. Secundum, ſi poſt cogitationem prauam & attonitos oculos, mordeat labia. Hebr. קרץ *cortes*, quod Noſter vertit *mordẽs*; Vatabl. *agitans*; Tigur. *contrahens*; R. Leui, *patefaciens*, melius Marinus & alij in Lexico, *incidens* vel *nictãs*. Incidere enim oculis, eſt oculis nictare: incidere verò labiis, eſt labiis nictare, vel potiùs mordere, qui geſtus eſt malum alteri machinantis, quaſi eodem modo eum incidere & diſcerpere velit, ſicut incidit & mordet ſua labia. Vnde Horat lib. 1. Carm.

Impreſſit memorem dente labris notam.

Ex imaginatione enim perficiendi malum quod cogitat, aut ex indignatione mouentur dentes ad huiuſmodi morſum labiorum, quaſi geſtientes nocere ei cui malè volunt. Maximè autem hæc ſpectant ad iratos: hi enim mordent labia, quaſi minitantes aliis ſimilem morſum. Vnde Ariſtophanes in Veſpis: *Comedens labra*, inquit *præ iracundia* Et Homer, Iliad. v.

Aſt hi labra ſuis preſſerunt dentibus omnes.

Sic pulli equini indomiti ferocientes mordent frænum. Sic Itali mordendo pollicem dextræ malum minitantur. Sic Georgius Caſtriotus Turcarum terror & fulmen, adeò vt ab eis nuncupatus ſit *Scanderbeg*, id eſt Alexander Magnus, vbi labia momorderat, imò mordendo quaſi diffidẽrat, præceps in prælium ruebat. Eſtque hic geſtus naturæ conſonus: ferè enim animalia omnia, ac præſertim ſerpentes, morſu pugnant & necant. Vnde Lucan. Pharſal. 9.

Morſu virus habent, & fatum in dente minantur.

Denique Septuag. luculenter ſic vno ſpiritu totam ſententiam efferunt: *Qui obfirmat oculos ſuos, cogitat peruerſa, & ſtatuit* vel *definit*, *& decidit omnia mala labiis ſuis, hic fornax eſt malitiæ*: qui enim hæc omnia, quæ ſigna ſunt ingentis malitiæ, junctim habet, inſtar

ſtar

ſtar fornacis ira & malitia æſtuantis, maledictorum, rixarum, pugnarum, &c. globos & incendia aſſiduè eiaculatur, nec vllis blandimentis, promiſſis vel minis reſtingui poteſt, ſed his omnibus potiùs magis accenditur & exæſtuat. nam vt ait. S. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. *Sicut incendium aqua iniecta magis ſuccenditur: ita accidere ſolet in magna ira: quidquid aliquis dixerit, continuo pabulum huius efficitur incendij.*

VERS. 31. CORONA DIGNITATIS SENECTVS, QVÆ IN VIIS IVSTITIÆ REPERIETVR] Hebr. *corona gloriæ canities, in via iuſtitiæ inuenietur.* Quod Primò, Ianſenius ſic exponit, q.d. Per iuſtitiam peruenitur ad extremam ſenectutem, cùm impij ferè ante diem ſuum moriantur, iuxta illud pſal. 54. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* ita R. Salamon Secundò, q.d. In via iuſtitiæ conſtituta eſt ſenectus, iuxta illud Sap. 4. *Cani ſunt ſenſus, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Tertiò, q.d. Esto iuuenes aliquando liberè & impurè viuant; tamen cùm ad ſenectutem veniunt, ſæpè ſapiunt & pœnitent. Verùm Noſter optimè vertit ſubaudiendo more Hebræo pronomen *quæ*. Vnde & Septuag. *corona gloriationis* (Compl. *exultationis*; Chald. *pulchritudinis*) *ſenectus in vijs autem iuſtitiæ reperitur*; Syrus, *diadema laudationis ſenectus, & in via iuſtitiæ laudatur*; Vatabl. *ſenectus ſi eam in via iuſtitiæ reperias, corona ornatiſſima eſt.* Pro *dignitatis* enim hebr. eſt תִּפְאֶרֶת *tipheret*, id eſt, *decoris*, pulchritudinis, gloriæ, magnificentiæ.

Sententia eſt clara, q.d. Senectus ſeni eſt quaſi corona ſpecioſa & magnifica, ſi tamen iuſtè & inculpatè viuat, ac iuſtitiæ, id eſt virtutum quarumlibet, actibus ornetur: quocirca talis ſenectus omnibus eſt venerabilis & laudabilis. Porrò multiplex eſt corona ſenum & ſenectutis. Prima eſt corona canitiei: cana enim coma inſtar albentis coronæ ornat caput ſenum. Vnde Phocylides: *Venerare*, inquit, *canis redimita*, ſeu *coronata tempora habentes, cedendo ſenibus in ſedendo & in officijs omnibus.* Et Philo Legat. ad Caium: *Ætas ipſa ſenē quaſi defunctum laboribus, & emeritum militem canis coronat. Quid enim aliud canities, niſi populeum aut floridum ſertum?* Sic Plinius in Panegyr. Traiani, capillum Traiani albeſcentem vocat non quidem coronatum, ſed, quod tantidem eſt, ornatum.

Corona ſenũ ſeptuplex. Prima.

Secunda eſt corona ætatis & antiquitatis. Vnde Aben Ezra ſic explicat, q.d. Senectus eſt quaſi glorioſum diadema viri capiti impoſitum. Senes enim multis annis, v. g. 70. 80. 90. quibus vixere, quaſi totidem floribus coronantur. Vnde Philo apud Antonium in Meliſſa part. 1. ſer. 17. *Iuuenili vitæ*, inquit, *ſuccedit ſenilis ætas præſtantiſſima & ſacratiſſima, cui quaſi ſummo gubernatori Deus gubernacula in manus tradidit tamquam idoneo, qui poſſit rerū terrenarum gubernacula tenere.* Audi Carolum Paſchaſium lib. 1. de Coronis c. 5. Apud Anacreontem, inquit, cani coronant caput, id eſt honeſtant; quin & propriè ſenes & canos olim coronis decorabant, vt patet ex illo Euripidis: *Canum coronis caput canum coronatum.* Quomodo lex, inquit Plutarch. loco mox citando, diadema & coronam, ſic canitiem natura honoratum præcipuæ dignitatis ſymbolum imponit.

Secunda.

Tertia eſt corona propaginis & filiorum. Corona enim ſenum ſunt nepotes, id eſt filij filiorum, iuxta illud: *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*, pſalm. 127. 3. Item corona ſenum ſunt iuuenes: hi enim inſtar coronæ ſenem ſapientem cingunt, auſcultant, honorant, venerantur. Hoc eſt quod dicitur Prouerb. 17. 6. *Corona ſenum filij filiorum: & gloria filiorum patres eorum.* Sic fideles ſunt corona Chriſti, & viciſſim Chriſtus eſt corona & gloria totius Eccleſiæ.

Tertia.

Quarta eſt corona ſapientiæ, putà experientiæ & prudentiæ. In ſenibus enim viget mens, ratio, conſilium, iudicium, prudentia. Ita S. Gregor. Nazianz. orat. de plaga grandinis citans hęc Salomonis verba, per coronam accipit ſapientiæ præſtantiam, quæ ſenibus ad docendum & conſulendum dignitatem conciliat. Sic & R. Leui, & S. Ambroſ. lib. 1. Hexam. c. 8. *Senectus ipſa*, inquit, *in bonis moribus dulcior, in conſilijs vtilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior: infirmitas quoq; corporis ſobrietas mentis eſt, Vnde Apoſtolus: Cùm infirmor, tum potens ſum*, 2. Corinth. 12.

Quarta.

Quinta eſt corona gradus & ſtatus. Seniores enim ſolent reip. præfici, eamque gubernare. Hinc à ſenio dictus eſt ſenatus, quaſi concilium ſenum, ait Feſtus. Audi Plutarch. tract. An ſeni ſit gerenda reſp. *Nam ad parendum*, inquit, *iuuenilis, ad imperandum ſenilis ætas accommodata eſt; at maximè ſalua eſt ciuitas, vbi conſilium ſenum, & iuuenum arma obtinent: laudaturq; maiorem in modum: iſtud Iliad.*

Primùm ætate graues, & forti pectore claros,
Neſtoream ad nauim conductos dicere iuſſit,
Conſiliumq; dare.

Atque ideo optimatum magiſtratum Spartanæ ciuitatis regibus adiunctum Apollo presbygenas, id eſt magno natu præditos: Lycurgus diſertè Gerontes, id eſt ſenes, nominauit. Et Romanorum ſenatus in hunc vſque diem à ſenio nomen gerit. Atque vt lex coronam ac diadema, ita canos natura venerabile dignitatis & principatus ſignū fecit. Et γέρας, quod eximium honorem; & γεραίρειν, quod venerari ſignificat, à ſenectute eiuſq; præſtantia Græcis retinentur. Quare ſub finem addit: *Lycurgus aſſueſecit adoleſcentes, vt cuiuis ſeni tamquā legiſlatori conſtanter obtemperarent. Vnde Spartæ ſenes non remp. modò inſpectant, ſed ſingula etiam ſingulorum adoleſcentum facta idq; non obiter, ſed ita vt & peccantibus ſint terrori, & probi eos revereantur ac deſiderent*: eò quòd ſenes doceant iuuenes, eorumq; indolem exacuant. Sic vbiuis terrarum ſeniores filij, putà primogeniti, patri principi vel regi in principatu vel regno ſuccedunt. Hinc *ſenior* idem eſt quod dominus: ſicut nunc Hiſpani dicunt *ſeñor*, Itali *ſignore*, Galli *ſeigneur*; licet Ioachimus Perionius tract. de Linguæ Gallicæ cum Græca cognatione, malit dici à κύϱι@. Vnde *Sire* & *Sieur*, vel potiùs *Cyre* & *Cyeur*, ac non ita vetere proferendi ratione *Cyeur*; denique per nonnullam mutationem *Seigneur*: *Nec enim*, inquit, *niſi ridiculè Deum appellantes* Seigneur, *cum nos profiteremur vt ſenem venerari.* Verumtamen & antiquum dierum Daniel veneratus eſt Deum, & eſſent ridendi Latini, quos certum eſt multis retrò ſæculis vſurpaſſe ſeniorem pro principe dominoque. Porrò Chilon dicebat honorem à iunioribus habendum ſenectuti, vt ipſi facti ſenes ab aliis habeantur in pretio. Ea res geminam habebat vtilitatem. Siquidem vt ſenum auctoritas ac reuerentia temperabat ætatem laſciuam à peccando; ita ſenes cauebant ne quid committerent, quo iuuenibus vel ob ineptiam ludibrio poſſent eſſe, vel ob turpitudinem pernicioſi; ſed inter omnes iuuenes omneſque ſenes ea eſſet reuerentia, quæ inter parentes ac liberos. ita Laërt. lib. 1. cap. 4.

Quinta.

Sexta,

Sexta. Sexta, eſt corona vitæ, quaſi militiæ iam emeritæ, quòd ſcilicet ſenex omnes huius vitæ caſus & labores ſuperauerit, & ad vltimam vitæ metam ſuperſtes, quaſi victor peruenerit. Vnde Elias Creten. in orat. 19. Nazianz. *Sicut,* inquit, *in certaminibus, qui coronam accepit, iam in tuto eſt: ſic etiam ſenex tutò gloriatur, vt qui mutationem iam non pertimeſcat.* Et S. Ambroſ lib. 2. de Iacob. c. 8. *Beatus quidem & iuuenis,* inquit, *qui bene viuit; ſed magis beatus eſt ſenex qui bene vixit. Quod enim iuuenis ſperat, adeptus eſt ſenior: quod ſenex fuit, optat hoc eſſe qui iuuenis eſt. Certè hic inquieti maris longiore ſibi adhuc curſu manente, iactatur fluctibus: ſenex verò ſicut in portu, ita in ſtatione eſt ſenectutis.* Et c. 10. *Senectus portus debet eſſe, non vitæ ſuperioris naufragium.*

Septima. Septima & præſtantiſſima corona, qua ſenes hic donat Salomon, eſt iuſtitiæ & virtutis, Si enim Hercules deuictis domitiſq; monſtris, ſcilicet leone, Caco, Lernæa hydra, Cerbero & Gerione tricorpore, populeam ſibi impoſuit coronam; multò magis eamdem merebitur ſenex, qui velut athleta iuſtitiæ cupiditatum ſuarum monſtra perdomuit, ſcilicet leonem iræ, Cacum auaritiæ, Lernam luxuriæ, Cerberum gulæ, Gerionem ſuperbiæ. Vnde S. Auguſt. in pſal. 112. *Sit,* inquit, *ſenectus veſtra puerilis, & ſit pueritia ſenilis: hoc eſt, vt nec ſapientia veſtra ſit cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia, vt laudetis Dominum ex hoc & vſque in ſæculum.* Hoc eſt quod ait Sapiens c. 4. 8. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Ita vigintiquatuor ſeniores (qui fuere iuſti primarij tam noui quàm veteris teſtamenti) coronatos, coronaſque ſuas Agno offerentes vidit S. Ioan. Apoc. 4. 10. vbi multa de iiſdem dixi.

Ita nuper hic Romæ Gregorius XV. Pontifex, cùm inuiſeret Card. Bellarminum penè octogenarium, vltima infirmitate decumbentem, & ab eo multos annos, imò omnes ſuos, ſibi apprecari audiret, ſapienter reſpondit: *Ego,* inquit, *opto tuis non annis, ſed annorum meritis cumulari, & coronari.* Nam vt ait S. Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel c. 3. *Senectus venerabilis eſt, non annis cana, ſed moribus.* Et lib 3. epiſt. 21. ad Anyſium: *Verè,* inquit *ſenectus illa venerabilis, quæ non canis, ſed meritis albeſcit. Ea eſt enim reuerenda canicies, quæ eſt canicies animæ, in ſanctis cogitationibus & operibus effulgens. Quæ eſt enim verè ætas ſenectutis, niſi vita immaculata, quæ non diebus aut menſibus ſed ſæculis propagatur? cuius ſine fine eſt diuturnitas, ſine debilitate longæuitas? Quo enim diuturnior, eo fortior: & quo diutiùs eam vitam vixerit, eo fortiùs in virum perfectum excreſcit.* Denique Synelius tract. de Laude caluitij, caput caluum vocat *prudentiæ domicilium, diuinitatis templum.*

Myſticè S. Hieron. in c. 16. Ezech. *Corona gloriæ ſenectus. Eorum videlicet,* inquit, *qui deſtruxerunt ea quæ paruulorum ſunt, & poſt ætatem perfecti viri venerunt ad ſenectutem & ad patrum nomina, quibus ſcribit Ioan. epiſt 1. cap. 2. v. 13. poſt pueros & iuuenes, qui poſſunt dicere: Quando eram paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando factus ſum vir, deſtruxi ea quæ paruuli ſunt,* 1. Corinth. 13.

VERS. 32. MELIOR EST PATIENS VIRO FORTI: ET QVI DOMINATVR ANIMO SVO, EXPVGNATORE VRBIVM] Hebr. *bonus longus naribus præ forti, & dominans in ſpiritum ſuum præ capiente vrbem;* Chald. *melior eſt lentus ira animi quàm fortis & qui dominatur ſibi ipſi magis quàm ille qui capit prouinciam;* Septuag. *melior eſt vir longanimus forti: & qui continet iracundiam, melior quàm qui vrbem capit.* Complut addunt: *Et vir prudentiam habens agro,* vel *agricola,* vel potiùs, *agricolatione* (hanc enim ſignificat Græcum *γεωργία*) *magna.* Sed hæc verba cùm non extent in Hebræo, Chaldæo, Syro & Latino, tranſcripta videntur ex c. 24. vt notant Romani S. Cyprian. l. 3. Teſtim. n. 8. legit: *Melior eſt patiens forti: qui enim iracundiam continet, melior eſt quàm qui vrbem capit,* quaſi poſterius hemiſtichum cauſam det prioris. Huc facit problema quadruplex R. Barzoma in *Pirke auoth,* id eſt in Sententiis patrum, cap 4. *Quis potens? ille qui fortiter tentationi reſiſtit. Ait enim Script. Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo, ſuo, expugnatore vrbium. Quis ſapiens? ille qui ſe ſemper & ab omnibus doceri deſiderat. Quis diues? qui ſuis contentus eſt, nec aliena appetit. Quis honoratus & in pretio? qui alios honorat, obſeruat, & colit debita reuerentia iuxta regulam in Script fixam: Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles,* 1. Reg. 2, 30. Syrus, *melior eſt patiens gigante: & qui conculcat* (ſubijcit) *animam ſuam illo qui tenet ciuitatem.*

Quæritur hic. quo ſenſu vera ſit hæc ſententia? Nam B. Thom. 2. 2 q. 136 art. 2. in corpore, videtur contrarium docere. Dicit enim fortitudinem maiorem eſſe virtutem quàm ſit patientia: *Quia plus,* inquit, *retrahunt à bono pericula mortis, circa quæ eſt fortitudo, quàm quæuis aduerſa, circa quæ eſt patientia.*

Patiens melior eſt forti. *Primò.* Reſp. Primò, non agi hic de fortitudine, quæ eſt virtus animi, ſed de fortitudine quæ eſt robur corporis Hebr. enim גבור *gibbor* ſignificat robuſtum, fortem, validum viribus qui ſuis copiis & robore vrbes expugnat, vt ſequitur. q. d. Ex omnibus virtutibus corporis fortitudo maximam habet laudem apud homines. Nulli enim magis celebrantur, quàm in bello præclari duces, qui hoſtes vicerunt, vrbes & prouincias ſubiugarunt: & tamen præſtantior eſt. qui vnicam ex concupiſcentiis ſuis nempe iram vincit, & impetum ſpiritus ſui ratione moderatur, quàm qui vrbes aut prouincias ſuperat. Præſtantior, inquam, non ſolùm quia magis laudandus, ſed etiam quia reuera fortior illo, iuxta illud Poëtæ:

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Oppida, nec virtus altiùs ire poteſt.

Et idem:

Ardua res, viciſſe alios, victoria maior
Eſt animi fluctus compoſuiſſe ſui.

Et Philoſophus: *rex eris,* inquit, *ſi te tuoſq́, affectus rexeris. Rex eris, ſi ratio tegat, non paſſio.*

Secundò. Reſpond. Secundò, S. Thomas loco citato ſtrictè ſumit patientiam, vti eſt virtus quæ moderatur triſtitias manantes ex aduerſis communibus, quæ quotidie occurrunt: hæc inferior eſt virtute fortitudinis. Nam patientia generatim accepta, quæ firmat animū aduerſus timores & dolores mortis & malorum mortem inferentium, qualis enituit maximè in Martyribus, eſt pars fortitudinis integralis, eaq; præcipua; vel eſt ipſa virtus fortitudinis inadæquatè concepta. Duæ enim ſunt partes fortitudinis, vna in aggrediendo fortia, altera in ſuſtinendo, quæ eſt patientia: eaque priori præualet, quia difficilius eſt dura ſuſtinere patiendo, quàm eadem aggrediendo aliis inferre, vti docet S. Ambroſ. lib 1. Offic. c. 41. & S. Chryſoſt. homil. 85. in Matth.

Matth. vbi inter cetera ait: *In bellis oſtenſio belli eſt, ſi miles occiderit: illa fulgentiſſima victoria eſt, qua inferẽtem iniurias patiendo ſuperaſti, &c, Deus eas tibi vires conceſſit, non vt conſertione manuum, ſed ut patientiâ vincas. Sic B. Ioſeph qui magno animo iniurias tulit, vbique victor prædicatur. Nam & fratres & Ægyptiã illam mulierem inſidiantes, æquo animo ferendo ſuperauit.* Sic & S. Thomas qu. citata art. 4. qui & citat S. Gregorium & Ciceronem idem aſſerentes. Igitur ſic exponas: Melior eſt patiens viro forti, hoc eſt, fortior eſt patiens, qui fortiter patitur aduerſa, quàm fortis qui fortiter aggreditur ardua, v. g. qui oppugnat & expugnat vrbes. Sic Iob patientia ſua ſuperans omnes dæmones, Iſmaëlitarum, vxoris, amicorum, morborum, paupertatis, ærumnarum inſultus, fortior fuit Samſone Philiſtæos expugnante. Sic Ioſeph fortiter ſuſtinens fratrum odia, exilium calumniam, carcerem, fortior fuit ſe ipſo, cùm Pharaonem ſua ſapientia animique vigore ſibi ſubiugauit, totique dominatus eſt Ægypto. Sic Dauid ſua manſuetudine vincens inuidiam Saulis fortior fuit ſe ipſo, dum duellum cum Goliat iniit, eumque obtruncauit, vti communis habet ſapientum & rectè iudicantium ſenſus.

Tertiò. Reſp. Tertiò, pro *patiens* hebr. eſt אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*, id eſt longus naribus, id eſt tardus ad iram placidus, iræ potens: hic autem melior, id eſt præſtantior, illuſtrior, fortior, potentior, laudabilior, eſt viro forti, qui expugnat vrbes. Ratio eſt, quòd ira in homine ſit paſſio vehementiſſima, quæ omnia miſcet & turbat. *Ratio à priori.* Eam ergo domare per mentis placiditatem, manſuetudinẽ & patientiam, eximiæ eſt virtutis & fortitudinis. Quare explicans ſubdit: *Et qui dominatur animo ſuo*, id eſt animoſitati ſuæ; vnde Septuag. vertunt, *qui dominatur iræ, melior* (id eſt potior & fortior eſt) *expugnatore vrbium.* Omnium enim paſſionum ira eſt vehementiſſima & ſuperatu difficillima, à qua fortiſſimi quique ſecundùm corpus frequenter aliis citiùs ſuperantur. Ciuitates plurimas, totam penè Aſiam & Africam vicit Alexander ille Magnus; & tamen iræ & furoris belluam in ſe ſuffocare non potuit: ſed iracundia victus chariſſimos amicos, Parmenionem, Philotam, Clitum & Calliſthenem trucidauit, vt alij taceantur vrbium domitores qui ſuos non potuerunt domare affectus.

Porrò pro *animo* hebr. eſt רוּחַ *ruach*, id eſt *ſpiritus*. q. d. Qui dominatur ſpiritui ſuo, hoc eſt ſuis affectibus & paſſionibus, vti timori, triſtitiæ, puſillanimitati, audaciæ, ſuperbiæ, ac præſertim iræ; hic melior, id eſt maior, potentior & laudabilior, ait R. Leui, eſt principe, qui armis vrbes expugnat. Quomodo enim ratione alteri imperabit, qui in animum ſuum imperium exercere non poteſt? Significat ergo eum, qui dominatur iræ & paſſionibus, fortiorem eſſe & magis dominari, maiuſque habere dominium & imperium, quàm habeat rex, qui armis vrbes & regna ſibi ſubiugat; quia ſcilicet dominatur omnibus animi affectibus cogitationibus, ſenſibus, potentiis & viribus, item toti vitiorum & peccatorum regno, qui vtique amplus eſt dominatus, ac imperium quouis regno *Quomo:* maius & Præſtantius. Quocirca Horatius lib. 2. ode 2. ſic canit:

Latiùs regnes, auidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Et Boëtius lib. 3. de Conſol. metro 5.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces.

Et Claudian. in Paneg. Theodoſij:

Tu licet extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs; te Seres adorent,
Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira,
Seruitij patiere iugum; tolerabis iniquas
Interiùs leges: tunc omnia iure tenebis,
Cùm poteris rex eſſe tui.

Ita hunc locum explicat S. Gregor. p. 3. Paſtor. admon. 10. *Audiant*, inquit, *impatientes quod ſcriptum eſt: Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium. Minor enim eſt victoria vrbiũ, quia extra ſunt quæ ſubiguntur; valdè autem maius eſt quod per patientiam vincitur; quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimet ipſi ſubijcit, quando eum patientia intra ſe frænari compellit. Audiant impatientes quod electis ſuis Veritas dicit: In patientia veſtra poßidebitis animas veſtras*, Luc. 21. *Sic enim conditi mirabiliter ſumus, vt ratio animam, & anima poßideat corpus. Ius verò animæ à corpore poſſeßionis repellitur, ſi non priùs anima à ratione poßidetur.*

Et S. Ambroſ. ad illa verba pſal. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper*, ſic ait: *Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec ab ira & aliis paßionibus turbari animam ſuam rector ſui congrua vi permiſerit; is bene regia quadam poteſtate ſe cohibens, rex dicitur, quòd regere ſe nouerit, & arbiter ſui iuris ſit, nec captiuus trahatur in culpam.*

Maioris enim fortitudinis opus eſſe dura pati, quàm fortia agere, triplici ratione à priori docet D. Thom. 2. 2. qu. 123. art. 6. ad 1. *Fortius eſt dura pati quã agere. Rationes tres à priori.* *Ad primum*, inquit, *dicendum, quòd ſuſtinere eſt difficilius quàm aggredi triplici ratione. Primò quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiori inuadente: qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris. Difficilius autem eſt pugnare cum fortiori quàm cum debiliori. Secundò, quia ille qui ſuſtinet, iam ſentit pericula: Ille autem qui aggreditur, habet ea vt futura. Difficilius autem eſt, non moueri à præſentibus quàm à futuris. Tertiò, quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis: ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu. Difficilius autem eſt diu manere immobilem, quàm ſubito motu moueri ad aliquod arduum. Vnde Philoſoph. dicit in 3. Ethic. quòd quidam ſunt prauolantes ante pericula, in ipſis autem diſcedunt: fortes autem è contrario ſe habent.* Et ibidem c. 9. ait, quòd in ſuſtinendo triſtia maximè quis dicitur fortis. Rurſum D. Thom. 2. 2. q. 123. art. 9. *Fortitudo*, ait, *maximè eſt circa repentina, quia ſecundùm Philoſophum 3. Ethic. c. 8. in repentinis periculis maximè manifeſtatur habitus fortitudinis. Habitus enim agit per modum naturæ. Vnde quòd aliquis abſque præmeditatione faciat ea quæ ſunt virtutis, cùm neceßitas imminet propter repentina pericula; hoc maximè manifeſtat, quòd ſit fortitudo habitualis in anima confirmata.*

Porrò Abbas Chæremon apud Caſſianum collat. 12. c. 6. hunc locum, & hoc patientis per manſuetudinem non tantùm iræ, ſed & luxuriæ ceteriſque vitiis omnibus dominantis imperium, ita particulatim deſcribit: *Per quod euidenter oſtenditur, ita efficaciſſimam medicinam cordis eſſe patientiam, ſecundùm illud Salomonis: Manſuetus vir cordis eſt medicus; vt non ſolùm iræ, triſtitiæ, acediæ, cenodoxiæ, ſuperbiæ, verùm etiam libidinis omniumq; pariter extirpet fomitem vitiorum. In longanimitate enim (vt ait Salomon) proſperitas regis. Nam qui mitis ſemper atque trãquillus eſt, nec iracundiæ perturbatione ſuccenditur, nec acediæ*

acediæ atque triſtitiæ angore conſumitur, nec cenodoxiæ vanitate diſtenditur, nec ſuperbiæ tumore ſuſtollitur: Pax enim multa diligentibus nomen Domini, & non eſt illis ſcandalum, pſal. 118. Et ideo non immeritò pronuntiatur melior vir patiens forti, & qui continet iram, capiente vrbem.

Rurſum Abbas Piamon collat. 18. c. 13. docet amplum hoc patientiæ dominium per humilitatem, quæ omnibus ſe ſubſternens, omnia placidè tolerat, acquiri. *Non enim,* ait, *eſſet laudabilis, nec admiranda patientia, ſi nullis inimicorum iaculis impetitæ tranquillitatis propoſitum retentaret; ſed in eo eſt præclara atque glorioſa, quod irruentibus in ſe tentationum procellis immobilis perſeuerat. Nam in quo vexari frangique aduerſitatibus creditur, in eo potiùs roboratur & in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi. A paſſionibus enim & ſuſtentatione patientiam dici nullus ignorat: ideoque conſtat patientem pronuntiari neminem poſſe, niſi eum qui vniuerſa quæ ſibi fuerint irrogata, abſque indignatione tolerauerit. Et ideo non immeritò ita à Salomone laudatur: Melior vir patiens forti, & qui continet iram, capiente vrbem.*

Inſuper ſicut vrbes, licet munitæ, facilè expugnantur conſilio & celeritate (quibus duobus proinde omnia ſua tam feliciter confecit Iulius Cæſar) ſi videlicet præoccupentur antequam ſe milite, conſilio, commeatu, ceteriſque rebus ad obſidionem ſuſtinendam neceſſariis, inſtruere poſſint: ſic pariter ira maximè vincitur conſilio & celeritate, ſi nimirum mox vt oritur, imò antequam oriatur, mens præoccupetur prudenti conſideratione rerum, quæ iram auertere vel lenire & ſopire poſſint. Ita Plutarch in Moral. *Sicut*, inquit, *qui vrbem aliquam expugnare parat, priuſquam ciues hoſtis aduentum præſentiant, ſecuros & inopinantes inuadit, adeò vt capiendi arma copiam non faciat: ad eumdem modum ira præoccupanda eſt, & priùs ſuperanda, quàm arma ceperit.* Hinc S. Hilar. c. 4. in S. Matth. ait, quod Chriſtus per manſuetudinem habitat in mentibus noſtris: Chriſtus autem eſt Rex regum, qui omnes iræ motus proſpicit & præoccupat, efficitque vt mens in manſuetudine perſiſtens, omnibus paſſionum flatibus inconcuſsè reſiſtat, iugique animi pace, ſerenitate, celſitudine & gaudio perfruatur. Et anonymus in Catena Græcor. hanc Salomonis gnomen ſic explicat: *Nihil æquè forte eſt atque patientia. Patiens enim nihil graue, nihil moleſtum à quoquam pati poteſt: eſt enim ſecundum animam impatibilis. Sunt qui in bellis iram opus eſſe putant; verùm ſi vſquam alibi, hic paſſionum compreſſione vel maximè opus eſt: quippe cùm hæc res multò felicius conficiatur per prudentiam & ſapientiam, quàm manibus aut corporis viribus. Sine patientia autem nulla eſt prudentia.*

Denique Lactantius patientem Herculi componit & anteponit. Sic enim ex Cicerone orat. pro Marcello ſcribit lib. 1. Diuinar. inſtitut. cap. 9. *Nulla enim eſt (vt ait Orator) tanta vis, quæ non ferro, ac viribus debilitari frangique poſſit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt; quæ ille nec fecit vnquam nec potuit. Hæc qui faciat, non modò ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Vellem, adieciſſet de libidine, luxuria, cupiditate, inſolentia; vt virtutem eius impleret, quem ſimilem Dei iudicabat. Non enim fortior iudicandus eſt, qui leonem, quàm qui violentam in ſeipſo incluſam feram ſuperat, iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres deijcit, quàm qui cupiditates auidiſſimas coërcet: aut qui Amazonem bel-* A *latricem, quàm qui libidinem vincit pudoris ac famæ debellatricem, aut qui fimum de ſtabulo, quàm qui vitia de corde ſuo egerit: quæ magis ſunt pernicioſa, quia domeſtica, & propria mala ſunt, quàm illa, quæ & vitari poterant & caueri. Ex quo fit, vt ille ſolus vir fortis debeat iudicari, qui temperans eſt, & moderatus, & iuſtus.*

Porrò patientia vincit dæmones, vtpote ſuperbos & impatientes. Patientia enim eſt filia humilitatis: per hanc enim patiens humiliter ſe ſubmittit perſecutori, calumniatori, infirmitati, ceteriſque aduerſis. Ita legimus apud Caſſian. collat. 18. c. 15. adoleſcentem, qui Abbatem Paphnutium de furto diffamauerat, ſed falsò, à dæmone poſſeſſum, nec ab eo liberari potuiſſe, eſto varios Anachoretas, qui dæmones expellendi vi & gratia pollebãt, ad id adhiberet; ſed à ſolo Paphnutio; qui calumniam hanc patienter tulerat, liberatum fuiſſe. Ni- B mirum Chriſtus hanc gloriam patienti Paphnutio reſeruabat, vt adoleſcens energumenus illius tantùm, cui inſidiatus fuerat, orationibus purgaretur; & cuius laudi inuidus aliquid decerpere ſe poſſe crediderat, eius nomen proclamans delicti ſui veniam, & finem ſupplicij præſentis acciperet. Sic Iſaac ille patientia ſua obſeſſum à dæmone liberauit, & omnem populum in ſui venerationem excitauit, vti narrat S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 14. Sic humilis monachus ab energumeno alapa percuſſus, cùm ex præcepto Chriſti alteram ei maxillam præberet, ab eo dæmonem expulit, dicentem & clamantem. *O violentia mandatorum Chriſti expellit me.* Vnde Patres eo audito dixerunt: *Conſuetudo eſt diabolicæ ſuperbiæ, humilitate mandatorum Dei ruere.* ita refertur in Doctrin. Patr. lib. de Humilit. n. 5. Ibidem n. 4. ſimile exemplum refertur, cuius hæc C eſt clauſula: *Humilitas ſoluit omnem virtutem inimici, ſicut eos ego audiui loquentes, dicendo: Quando perturbamus monachos, conuertitur vnus ex eis, & agens pœnitẽtiam, deſtruit omnem virtutem noſtram,* qua inter eos lites & iurgia ſeminare conamur. Sic puella falsò diffamans S. Marinam de ſtupro ſibi illato (Marina enim veſtem virilem induerat, vt inter viros & monachos habitans videretur eſſe vir & monachus) à dæmone correpta & diu torta, non niſi Marina defuncta, cùm eius ſexus & innocentia omnibus ad oculum pateret, ad eius funus occurrens, ac calumniæ veniam poſcens, à dæmone liberata eſt. ita habet Vita S. Marinæ.

Patientia vincit dæmones.

SORTES MITTVNTVR IN SINVM, SED A DOMINO TEMPERANTVR] *Sortes* hic vocantur calculi, quibus fit ſors, ſiue chartulæ, quibus ſortes virię inſcribuntur, ſimileſve ſortium indices & notæ. D Hæ enim olim iaciebantur in ſinum vel vrnam, ac à militibus in galeam: ex qua deinde quiſque ſortitò calculum vel chartulam, &c. educebat, & quod illa continebatur, educenti cedebat in ſortem. Sic iudices calculis dabant ſententiarum ſortes. cùm enim reum condemnabant, in vrnam mittebant calculum atrum; cùm verò abſoluebant, calculum candidum. Iam, VERS. 33

Primò, Aben Ezra & R. Leui hanc gnomen connectunt præcedenti: *Melior eſt patiens viro forti.* Aben Ezra hoc modo, q. d. Quando ſortes in ſinum mittuntur, qua ratione caſuræ ſint, ad diuinum ſpectat iudicium, atque eâdem ratione à Deo quis habet, vt animi impetus temperare poſſit. Breuiter q. d. Sicut Dei eſt moderari ſortes, ſic eiuſdem eſt moderari iræ impetus: hi enim ſine ratione, quaſi ſorte & caſu nunc huc, nunc illuc e-

rumpunt, nec viribus naturæ, ſed gratiæ Dei domandi ſunt R. Leui verò cenſet hac gnome probari præcedentem, qua dixit: *Melior eſt patiens viro forti*, &c. q. d. Expugnatio vrbium, quæ eſt opus viri fortis, ſæpè fortis eſt & fortunæ. Alij enim in bellis ſunt felices, & omnia expugnant: alij infelices qui nihil expugnant, ſed potiùs expugnantur. Quòd autem hi ſint felices, illi infelices, ſortes ſunt cuique à Deo admenſæ: Quòd verò quis ſit patiens, & dominetur animo ſuo, non eſt ſortis, quæ incerta eſt, varia & inſtabilis, ſed virtutis quæ fit ex certa electione, ideoque conſtans eſt & ſtabilis. Ergo melior eſt conditio patientis quàm fortis: illius enim conditio pendet a virtute, huius à ſorte.

Secundò, Septuag. Complut. vertunt, *in ſinus veniunt omnia iuſtis: à Domino autem omnia iuſta.* q. d. Iuſto Dei iudicio fit, vt omnia proſperè ſuccedant iuſtis, & quaſi in ſinum ſponte veniant, vltroque in manus incurrant. Id enim iuſtitiâ ſuâ merentur iuſti: Domini autem, qui iudex eſt iuſtiſſimus, eſt iuſtos iuſto poſteritatis præmio remunerari. Proſperitas enim temporalis promiſſa fuit iuſtis in veteri teſtamento; ſpiritualis verò in nouo. ita auctor Catenæ Græc. Verùm Septuag. Romani pro *iuſtis* habent, *iniuſtis*: *Iniuſtis*, inquiunt, *omnia veniunt in ſinus: à Domino autem omnia iuſta.* Et Syrus, *in ſinum impij cadit ſors, & à Deo egreditur iudicium eius*, & Arabicus, *ad oppreſſorum ſinus veniunt omnes res, & à Deo omnes res iuſtæ* q. d. Iniuſtis ſæpè omnia ex animi ſententia cadunt accidúntque proſperè; iuſtis verò aduersè: quocirca ſimplices & plebeij ſubinde turbantur, & murmurant incuſando Numinis prouidentiam, quòd iniuſtos fortunet, iuſtos aduerſis premat. Verùm ſciant hi à Numine iuſtiſſimo nihil niſi æquum & iuſtum procedere. Deus ergo iniuſtos proſperat, vt pauca bona quæ fecerunt, proſperitatę temporali remunerando, iniuſta eorum facta & ſcelera, plectat deinde maledictione & ſupplicio gehennæ æternæ. Iuſtos verò affligit, vt mala quæ perpetrarunt, temporali aduerſitate caſtigando, iuſta deinde eorum facta & merita præmiet benedictione & gloria in cælis æterna, iuxta illud Luc. 6. *Menſuram bonam dabunt in ſinum veſtrum.* Aliter quoque ſic exponas, q. d. Iniuſtis omnia eorum ſcelera redeunt in ſinum, dum ob ea puniuntur à Deo: tunc enim ſcelera, id eſt ſcelerum pœnæ, in caput noxium redeunt, vti poſcit iuſtitia, cuius arbiter eſt Deus: à Domino enim omnia iuſta. Verùm quia ita variant vel cōtrariantur ſibi inuicem codices Græci. verſimile eſt τὸ *iuſtis* & *iniuſtis* in verſionē Septuag. irrepſiſſe, vt notant Romani: neutrum enim eſt in Hebræo, Chaldæo & Latino: ac vtroque dempto Septuag. planè Hebræo & Latino conſentiunt.

Tertiò ergo & genuinè, Noſter vertit, *ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*, Hebr. *à Domino omne iudicium eius*, q. d. Sortes videntur ſortitò & caſu iaci, vel educi & cadere: attamen Deus occulta ſua æquitate eas diſponit & temperat, ac cuique ſuam attribuit. Temperare enim à tempore deductum, Primò, ſignificat habere rationem temporis, moderari, tempori accommodare, rem ſuo ordine ac menſura adminiſtrare. Secundò, temperare ſignificat regere. Sic Cicero 4. Academ. ait Lucullum ſumma æquitate temperaſſe, id eſt rexiſſe, ciuitates Aſiæ. Et Horatius lib. 1. Carm. ode 12. de Ioue:

Deus tēperat ſortes tripliciter.

A *Variiſque mundum*
Temperat horis.

Sic Deus temperat, id eſt regit ſortes. Tertiò, temperat Deus ſortes, cùm facit ne ſint nimis felices vel infelices; ſed felices infelicibus miſcet & temperat, ſicut vinum aqua diluitur & temperatur. Docet hæc gnome, nihil in humanis rebus geri ſine nutu & diſpenſatione diuina, vt ne ſortes quidem quæ cæcæ fortunæ tribui ſolent ab hominibus, & ſine ratione putantur cadere, aliter eueniant quàm pro moderatione diuina. Vnde dicitur pſal. 30. *in manibus tuis ſortes meæ.* Apparet autem olim morem fuiſſe, vt ſortes in ſinum alicuius colligerentur, vnde poſtea cuique ſua educeretur, ſicut apud nos colliguntur in ollam aut vas quodlibet. Vel certè *ſinus* vocatur vrna, aut vas cauum & ſinuatum in quod ſortes iaciebantur.
B Hoc enim ſignificat Hebr. חיק *cheq*. Vnde Chald. vertit, *in ſinum conſilij cadit ſors, & à Deo egreditur iudicium eius.* Senſus ergo eſt, q. d. Omnia, etiam fortuita à Deo reguntur: omnia enim ſubiacent Dei curæ & prouidentiæ. Quare ab ea quemque pendere conuenit, vt ſi in ſortitione pars nobis optima aut ſecùs obuenerit, id non caſui vel fortunæ cum vulgo, ſed Deo acceptum feramus. Vulgus enim pleraque tribuit fortunæ: vnde eam veteres fecere deam, quæ fortuitos euentus felices vel infelices cuique tribueret. Quocirca quiſque vt felices à fortuna obtineret, multis eam precibus, votis & victimis fatigabat, vt dixi Iſaiæ 65. 12.

Refellit ergo hoc Salomon, docetque fortunam nihil eſſe, nec fortuitò quidquam accidere, ſed omnia fieri prouido Dei iudicio & conſilio. Eſto enim reſpectu cauſarum ſecundarum, quæ
G contingentes ſunt, liberæ & incertæ, multa fiant caſu & fortuitò: tamē reſpectu cauſæ primæ, putà diuinæ prouidentiæ, nihil eſt fortuitum: quia omnia etiam fortuita ab ea ſunt præuiſa & decreta, vel permiſſa, & in rectum finem ordinata. Vnde S. Auguſt quæſt. 9 1. in Geneſ. *Fortuna*, ait, *intelligenda eſt pro his rebus, quæ fortuitò videntur accidere, non quia numen aliquod ſit, cùm hæc ipſa tamen, quæ fortuita videntur, cauſis occultis diuinitus dentur.* Idem l. 1. Retract. taxat peſſimam, vt ipſe ait, hominū conſuetudinem, qui pro eo vt dicant, *Hoc Deus voluit*, dicunt, *Hoc voluit fortuna.* Nā vt idem ait in pſal. 31. *Si caſibus reguntur homines, nullâ prouidentiâ aliquid geritur*, q. d. Fortunam & caſum tollit prouidentia. Si ergo fortunam aſtruis, tollis prouidentiam. Idem lib. 5. de Ciuit. c. 9. *Nos eas cauſas quæ dicuntur*
D *fortuitæ, vnde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes, eaſq́; tribuimus vel Dei veri, vel quorumlibet ſpirituum voluntati.* Deus ergo eſt moderator ſortium, arbiter caſuū, auriga fortunę, imò fortunans fortunam. Nam fortuna Gentium dea ſæpè inuenta eſt aduerſam habuiſſe fortunam, vt loquitur S. Auguſt. lib. 5. de Ciu. c. 3. Hoc eſt quod ait Boëtius: *In regno prouidentiæ nihil licet caſui, nihil temeritati.*

Vlteriùs ſignificat hîc Salomon, ſortes præ reliquis rebus naturalibus certis & definitis ſubiacere peculiari curæ Dei, Deumque ſortes peculiari prouidentia regere & diſponere, intra terminos tamen prouidentiæ ordinariæ. Ratio eſt, quia cauſa prima debet ſupplere defectum ſecundarum. Cùm ergo cauſæ ſecundæ nequeant certò dirigere euentus contingentes & fortuitos, neceſſe eſt vt defectum hunc ſuppleat Deus, ac fortuitos certò dirigat,

Sortes peculiari cura regit Deus ratio à priori.

dirigat, ne quid temerè fiat in mundo, ſiatque magna rerum confuſio & perturbatio. Sic reges & Prælati peculiari cura aduigilant in rebus lubricis, dubiis, periculoſis, ne regimẽ vel diſciplina laxetur: pari modo maximè aduigilat Dei prouidentia in fortuitis, ac in iis maximè elucet & reſplendet. Quis enim tot tantoſque hominum rerumque omnium euentus dubios, & ancipites ſortes tam fixo ſtatoque ordine regit, niſi ſummè prouida Numinis ſummi mens & peruigil oculus? Fortuiti ergo ſucceſſus & ſortium caſus peculiariter Deo, eiuſque prouidentiæ adſcribenda ſunt. Id maximè videre eſt in contingentibus liberis. Deus enim actus liberos ſanctoſque juſtorum ſua gratia peculiari præuenit, & dirigit ad juſtitiam, perfectionem, indeque ad præmia gloriæ cæleſtis: actus verò liberos, ſed prauos, impiorum peculiari cura dirigit, ne nimis exorbitent, & in multorum damna graſſentur, ſed limitibus à Deo definitis conſtringantur, dirigit deinde eos vel ad pœnitentiam, vel ad juſtam vindictam, ſiue in hac vita, ſiue in gehenna. Vnde S. Auguſt lib. 5. de Ciuit. c. 9. *In eius* (Dei) *voluntate ſumma poteſtas eſt*, inquit, *qui creatorum ſpirituũ voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat.* Sic Deus peculiarem habet curam, teſte Scriptura, pauperum, pupillorum, viduarum, orphanorum, puerorum, ſtultorum, cæcorum afflictorum: quia cùm ipſi ſeſe regere nequeant, & hominum ope conſilioque ſæpè deſtituantur, neceſſe eſt vt Deus illorum curam ſibi arroget, juxta illud: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.*

Quare ſignificat hîc Salomon, in rebus fortuitis recurrendum eſſe ad Deum, illiuſq; opem aſſiduè implorandam, vt ipſe eas regat & dirigat ad ſuam gloriam noſtrumque bonum. Multæ enim res ſunt quæ non niſi ſorte tranſigi queunt, vti ſunt diuiſiones hereditatum, præmiorum, officiorum, beneficiorum, cùm æquè digni illa ambiunt. Sic S. Auguſt. epiſt. 180. ait ſorte eligendum ſacerdotem, qui tempore peſtis vel perſecutionis in vrbe maneat, & fidelibus res ſacras & Sacramenta conferat. Idem lib. 8. Confeſſ. c. 11. Dei inſtinctu ſorte aperiens librum, cùm in eo primò occurriſſet illud Apoſtoli: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum*; hoc ipſum quaſi regulam vitæ ſuæ accepit. Denique ſummè ſpecialem & ſingulariſſimam habet Deus prouidentiam ſortium, quæ ab ipſo imperantur vel conſuluntur. Subinde enim Deus voluntatem ſuam patefacit per ſortes, ſumque eas ſigillatim dirigit, vt cadant in eum,

A quem Deus vult & eligit. Sic ſorte Mathiam elegit & deſignauit Apoſtolum, Actor. 1. 26. Sic Joſue c. 7. ſorte à Deo præcepta deprehendit furtum Achan: idem terram Chanaan duodecim tribubus ſorte diſtribuit. Sic Saul ſorte diuina electus fuit in regem, 1. Reg. 10. 20. Idem ſorte deprehendit violatum ieiunium à Jonatha filio, 1. Reg. 14.

Myſticè Beda: *Sicut ſorte*, inquit, *palam in ſinum mittuntur, at clauſæ in ſinu continentur; diuini autem eſt iudicij, cuius ſors elata palmam teneat: ſic hominum facta, in præſenti quidem vita latent, ſed cuius ſint meriti pateſcet in futuro, prolato videlicet tunc & manifeſto iudicio ſingulorum, quaſi de ſinu examinis diuini.* Sic & Hugo ac Dionyſ. q. d. Sicut ſortes quamdiu in ſinu vel vrna ſunt, incertæ ſunt & ancipites quoad extrahuntur & electionem perficiunt: ita etiam cuiuſcumque hominis ſors & electio ad felicitatem B æternam in hac vita obſcura eſt, ambigua & anceps, donec mors ſortes educit, & prædeſtinatorum electiones aperit. Plura de ſortibus dixi Jonæ 1. 7. & Actor. 1. 26. Hoc eſt quod ait Pſaltes Pſal. 30. 16. *in manibus tuis ſortes meæ*, q. d. Caſus, euentus ſtatus rerum mearum, vt diuitiæ & paupertas, ſeruitus & principatus, pax & bellum, ait Theodor. non à fortuna, ſed à certa Dei prouidentia & gubernatione regitur. Sic Apoſtol. ait, quòd Deus vocauit *& dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum*, Coloſ. 1. 12. Qui electus ad hunc gratiæ ordinem, ad quem præuidebat Deus venturum S. Petrum, non venturum Iudam, non eſt ex merito S. Petri; ſed eſt ſors, id eſt Petro & fortuita & gratuita, at Deo eſt propoſitum & deſtinatum conſilium. *Non video*, ait S. Auguſt. *vllum meritum, quo de vniuerſa impietate generis humani me potiſſimum elegiſti ad ſalutem: ad tunicam Domini ſorte perueni.* Idem in Pſal. 30. 16. *In manibus tuis ſortes meæ. Sors*, inquit, *non eſt* C *aliquid mali, ſed res eſt in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem.* Et mox: *Quid igitur eſt, In manibus tuis ſortes meæ? ſortes dixit, quantum ego exiſtimo, gratiam qua ſaluati ſumus. Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam vbi dicitur, iſte facit, iſte non facit, merita cõſiderantur: & vbi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors: Quando autem Deus nulla merita noſtra inuenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſaluos fecit, quia voluit, non quia digni ſuimus. Hæc eſt ſors. Meritò tunica illa Domini deſuper texta, quæ ſignificabat charitatis æternitatem, cùm diuidi à perſecutoribus non poſſet, ſors ſuper eam miſſa eſt: ad quos peruenit, eos ſignificauit, qui videntur ad ſortem peruenire ſanctorum. Gratia ſalui facti eſtis per fidem, ait Apoſtolus, & hoc non ex vobis, Epheſ. 2. vide ſortem: & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

BVccella ſicca cum gaudio melior victimis cum iurgio, ſeruus ſapiens regit filios ſtultos. Dominus corda probat: deſpiciens pauperem deſpicit Deum: corona ſenum nepotes: celans delictum comparat amicos: fatuus in ſtultitia confidit: ſtulto inutiles diuitiæ: altam faciens domum quærit ruinam: omni tempore diligit amicus: animus gaudens floridum facit corpus, triſtis exiccat. in facie ſapientis lucet ſapientia: ſtultus tacens reputabitur ſapiens,

1. MElior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. 2.
Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hereditatem diuidet. 3.
Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus. 4. Malus
obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus. 5. Qui deſpicit paupe-
rem, exprobrat factori eius: & qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. 6. Coro-
na ſenum, filij filiorum: & gloria filiorum, patres eorum. 7. Non decent ſtultum ver-
ba compoſita: nec principem labium mentiens. 8. Gemma gratiſſima, exſpectatio præ-
ſtolantis: quocumque ſe vertit, prudenter intelligit. 9. Qui celat delictum, quærit
amicitias: qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos. 10. Plus proficit correptio
apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum. 11. Semper jurgia quærit malus:
angelus autem crudelis mittetur contra eum. 12. Expedit magis vrſæ occurrere raptis
fœtibus, quàm fatuo confidenti in ſtultitia ſua. 13. Qui reddit mala pro bonis, non re-
cedet malum de domo eius. 14. Qui dimittit aquam caput eſt jurgiorum: & ante-
quam patiatur contumeliam, judicium deſerit. 15. Qui juſtificat impium, & qui con-
demnat juſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum. 16. Quid prodeſt ſtulto habere
diuitias, cùm ſapientiam emere non poſſit? Qui altam facit domum ſuam, quærit rui-
nam: & qui euitat diſcere, incidet in mala. 17. Omni tempore diligit qui amicus eſt:
& frater in anguſtiis comprobatur. 18. Stultus homo plaudet manibus cùm ſpoponde-
rit pro amico ſuo. 19. Qui meditatur diſcordias, diligit rixas: & qui exaltat oſtium,
quærit ruinam. 20. Qui peruerſi cordis eſt, non inueniet bonum: & qui vertit lin-
guam, incidet in malum. 21. Natus eſt ſtultus in ignominiam ſuam: ſed nec pater in
fatuo lætabitur. 22. Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exiccat
oſſa. 23. Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas judicij. 24. In facie
prudentis lucet ſapientia: oculi ſtultorum in finibus terræ. 25. Ira patris, filius ſtultus:
& dolor matris quæ genuit eum. 26. Non eſt bonum, damnum inferre juſto: nec per-
cutere principem, qui recta judicat. 27. Qui moderatur ſermones ſuos doctus & pru-
dens eſt: & pretioſi ſpiritus vir eruditus. 28. Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens repu-
tabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.

VERS. 1. MELIOR EST BVCCELLA SICCA (Theodot. *buccella per ſe*, ſcilicet ſola ſine obſonio) CVM GAVDIO, QVAM DOMVS PLENA VICTIMIS CVM IVRGIO] Hebr. *melior eſt buccella ſicca & pax in ea, quàm domus plena victimis iurgij*; Septuag. *melior eſt buccella cum voluptate in pace, quàm domus multorum bonorum, & iniuſtarum victimarum cum iurgio:* Syrus, *melior eſt panis ſiccus cum tranquillitate, quàm domus plena victimis iudicij*, id eſt victimis lite per judicem in judicio extortis; S. Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 21. *Melior eſt panis in ſuauitate cum pace.* Pro *gaudio*, hebr. eſt שַׁלְוָה *ſalua*, id eſt pax, tranquillitas, ſalus, felicitas, proſperitas (vnde Latinum *ſalue*, quo ſalutando apprecamur aliis ſalutem, proſperitatem & pacem) indeque gaudium: nuſquam enim eſt gaudium, niſi in tranquillitate & ſalute: ſicut ex aduerſo nuſquam eſt triſtitia, niſi vbi eſt aduerſitas, diſſidium & jurgium hominis, vel cum proximo, vel cum Deo, vel ſecum in mente. Vnde clarè Vatabl. *melius eſt fruſtum ſiccum panis cum tranquillitate, quàm domus plena mactatis pecoribus cum contentione.* A

Primò, R. Salomon ſic exponit, q. d. Meliùs egit Deus, cùm domum ſuam, id eſt Jeruſalem & templum, deleuit per Chaldæos & Romanos, ac Judæos redegit ad inopiam, vt ſicco pane ventrem ſatient, quàm cùm permiſit, vt in vrbe & templo Judæi victimas iurgiis plenas ſibi offerrent: nam exciſâ Jeruſalem & templo finem ſceleribus Judæorum impoſuit. Verùm hoc non tantùm myſticum, ſed & alienum ac violentum eſt. Exciſà enim vrbe Judæis non fuit *ſalua*, id eſt pax, ſalus & proſperitas, ſed ſumma tribulatio & aduerſitas.

Secundò, Aben Azra hunc verſum connectit duobus præcedentibus: *Melior eſt patiens viro forti*, &c. q.d. Melior eſt ei, qui animum ſuum ab ira per patientiam coërcet, buccella arida cum mentis tranquillitate, quàm domus plena jurgij & diſſidij, quibus aſſiduè ad iram concitetur fiatque impatiens. Rurſum ſolent fortes vrbium expugnatores ſpoliis & deliciis affluere; quare beatiores videntur pauperibus multa patiẽtibus. Verùm refutat id Salomon dicens: Melius eſt fruſtũ cũ pace, quàm

quàm menſa opipara cum lite. Sic & R. Leui: Perſequitur, inquit, pacis laudes, diſſidiaque & rixas improbat, cùm inquit ſatius eſſet, vt quia ſicco pane veſcatur abſque vllo obſonio, tranquillitate gaudens, quàm ſi iurgiis litibuſque obuolutus, victimas carneſque ad ſatietatem comederet.

Tertiò, alij paſſim hanc gnomen vt independentem à præcedentibus, abſolutè & generatim accipiunt, q. d. Satius eſt pane arido veſci & frui pace, quàm opiparè conuiuari cum lite & iurgio. Victimæ enim lautiores & opiparas dapes & carnes ſignificant: tales enim ſolebant Deo pro victima offerri, ac poſt oblationem & immolationem ab offerentibus comedi. Sacrificium enim concludebant epulo ſacro & lauto, vti dixi Leuit. 3. Ratio à priori eſt: quia pax & lætitia maius ſunt bonum & præſtantius omnibus deliciis: ſicut ex aduerſo diſcordia & iurgia maius malum ſunt; & peiora paupertate, & quauis cibi vilitate.

Audi S. Ephrem tract. de patientia & cõſumm. ſæc. *Melior eſt buccella panis in ſale cum quiete & tranquillitate, quàm menſa ſumptuoſis inſtructa dapibus cum diſtractionibus & curis. Audi dicentem Dominũ: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Reficere te cupit Dominus à curis, ab ira, à tribulationibus atque diſtractionibus huius ſæculi. Vult te liberũ eſſe à graui opere atque labore laterum Ægypti. Vult te in ſolitudinem adducere, hoc eſt, ad ſanctã quietem, vt vias tuas illuminet columna nubis, vt cibet te manna, pane ſcilicet tranquillitatis atque quietis, vt hereditate percipias terram bonã, ſupernam nempe Ieruſalem.* Et paulò antè vitæ quietæ commoda admirans exclamat: *O quies monachorum profectus! O quies ſcala cæleſtis! O quies via regni cælorum! O quies compunctionis mater! O quies pœnitentiæ conciliatrix! O quies peccatorum ſpeculum, quæ homini ſua ſcelera atque delicta oſtẽdis! O quies quæ lacrymas nequaquam impedis! O quies manſuetudinis procreatrix! O quies humilitatis contubernalis ac ſocia! O quies quæ ad pacificum ſtatum hominem perducis!* Et nonnullis interiectis: *O quies animæ ſecuritas! O quies iugum ſuaue, & onus leue, reficiens portanſque portantem te! O quies animæ, ac cordis lætitia! O quies oculorum & aurium linguæque frænum! O quies procacitatis interemptrix, & impudentiæ inimica! O quies pietatis ac religionis mater! O quies paſſionum carcer! O quies omnis virtutis cooperatrix! O quies voluntariæ paupertatis hoſpita & amica! O quies Chriſti ager, fructus optimos proferẽs! O quies diuino timori coniuncta, murus ac propugnaculum decertare cupientium propter regnum cælorum!*

Elogia silentii.

Porrò, quia triplex eſt pax & triplex lis, vti iam inſinuaui, ſcilicet cum Deo, cum hominibus, & ſecum, ſiue cum animo ſuo; hinc tripliciter hæc gnome exponi poteſt. Primò, de pace & lite cum hominibus, quam propriè & genuinè hic indicetur intẽdere Salomon, q. d. Melior eſt menſa frugalis cum pace, quàm opipara cum iurgio; vbi ſcilicet conuiuæ ſunt æmuli vel rixoſi, qui tecum & cum aliis iurgentur & rixentur. Sic gnome hæc quaſi paralela reſpõdet illi c. 15. *Melior eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulũ ſaginatũ cum odio*: pax enim ſuperat omnes delicias, quarum ſenſum ſopit extinguitque lis & contentio. Secundò, de pace & gaudio, quam ſecum habet mens ſibi bene conſcia, cui opponitur mens quæ ſecũ ob remorſum aſſiduè iurgatur & contendit; & ſic erit hæc ſententia ſimilis ei, qui præit prædicto loco, *Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles.* Melius eſt enim cum lætitia mentis ſibi

A benè conſciæ pane ſicco veſci, quàm habere domum refertam delicatiſſimis cibis; ſed ob quos malè partos mens inquieta eſt, & rixatur intra ſe. Veritatem huius ſententiæ experiuntur ſcrupuloſi & anxij, quibus ob ſcrupulos ita mens laceratur & cruciatur, vt nullus eis cibus ſapiat. ita Hugo. Melior eſt, inquit, buccella ſicca, id eſt modica ſubſtantia cum pace mentis, quàm multæ diuitiæ cum cura & ſollicitudine, quæ eſt iurgium mentis. Tertiò, Polychron. in Catena Græc. exponit de pace & lite, quam mens per gratiam vel peccatum habet cum Deo, q. d. Præſtat pauperem vitam agere in Dei gratia, quàm lautam in peccato Deique offenſa: iuxta illud Tobiæ ad filium c. 4. 23. *Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Aut, vt Polychron. Præſtabilior eſt exigua cæleſtis ſapientiæ, quæ pacem cum Deo affert, portio, quàm vniuerſa illorum ſapientia, qui Deo aduerſantur. Porrò hæc
B ſententia cùm ſit generalis, variis particularibus caſibus aptari poteſt, & litibus forenſibus, domeſticis, priuatis & publicis.

Myſticè Beda, q. d. *Melius eſt parua bona cum charitate facere ſine ſcientia prædicandi (hoc eſt enim ſiccam eſſe buccellam) quàm magis effulgere virtutibus cum admiſtione diſcordiæ.*

Secundò, Baynus: Secretior erit *ſenſus*, inquit *ſi ad animæ dotes referatur, vt per buccellam ſiccam intelligamus Dei ſapientiam in ſacris Litteris recõditã, de qua Paulus: Loquitur ſapientiam inter perfectos. Et quamuis ſapientia huius mundi ſæculari eloquentia ſuffarcinata, plenior & delitatior appareat hominibus; tamen quæ varietate ſcientiarum ſunt inflati, ſuperbire & litigare ſolent. Nam inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia. Melior eſt*
C *igitur bucella ſacræ paginæ cum tranquillitate animi.*

Allegoricè, R. Samuel Marochianus lib. de Aduentu Meſſiæ, & S. Thom. opuſc. de Sacramento altaris hanc gnomen exponũt de Euchariſtia. q. d. Melior eſt buccella ſicca, id eſt buccella Euchariſtiæ ſola quàm omnes legis veteris victimæ: vel buccella ſicca, id eſt, incruenta hoſtia Euchariſtiæ. quæ cum mentis gaudio ſumitur, melior, id eſt ſapidior & præſtantior eſt, quàm omnes regum epulæ. Vnde aliqui vertunt, *melior eſt buccella diſiccans.* Euchariſtia enim deſiccat omnes libidinis & concupiſcentiæ humores, motus & æſtus. Hugo verò. Melior eſt, inquit, buccella Euchariſtiæ ſicca ſine potu lacrymarum, ſine pulmento deuotionis, ſine condimento contritionis, cum gaudio ſpei & mundæ conſcientiæ; quàm domus plena victimis,
D id eſt quàm opera prudentiæ & mortificationis, quibus multa vitiorum animalia Deo mactantur cum iurgio, id eſt cum inimicitia Dei, vel cum iurgio, id eſt cum carnis rebellione, licet enim hoc bonum ſit, prius tamen eſt melius.

Tropol. idem Hugo: *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio*, id eſt, inquit, melior eſt eleẽmoſyna modica cum hilaritate, quàm multa & magna cum obiurgatione & triſtitia. Secundò. q. d. Melior eſt modica pœnitentia cum mentis hilaritate, quàm magna corporis afflictio cum murmuratione. Vnde S. Hieron. Melius eſt, inquit, paucos pſalmos cum hilaritate animi canere, quàm totum Pſalterium cum triſtitia tranſcurrere. hæc Hugo.

SERVVS SAPIENS DOMINABITVR (Arabicus, *dominatum tenet, obtinet*) FILIIS STVLTIS, ET INTER FRATRES HEREDITATEM (Arab. *partes*) DIVIDET] Septuag. *ſeruus intelligens dominabitur dominorum* Vers. 2.

minorum ſtultorum (Romani & S. Ambroſ. loco mox citando, *reget dominos ſtultos*) *in fratribus autem diuidet partes*; Syrus, *diuidet lucrum*. Pro *filys ſtultis*; hebr. eſt מביש, *mebis*, id eſt, *filio pudefacienti*; ſcilicet patrem; Vatabl. *filio dedecoroſo*; Syrus, *filio confuſione afficienti*; Chald. *filio impudenti*, aut potiùs *probrum concilianti*, Symmach. & Theodot. *filio confundenti*; q.d. Seruus ſapiens ob ſapientiam reget filios ſtultos ſui heri, & ab eo inſtitutus moderator & curator filiorum, vel etiam vt heres ab eodem cum filiis allectus, inter eos diuidet hereditatem, quo colligendum relinquit, quòd ſapientia, id eſt prudentia & probitas, nobilior & præſtantior ſit libertate, vtpote quæ adferat dominium, hereditatem & libertatem. Salomonem ſecutus Siracides: *Seruo ſenſato*, inquit, *liberi ſeruient*, Eccli. 10. 28. vbi hunc verſum explicui: quare hîc iora non addam.

Solus ſapiens eſt liber.

Vide S. Ambroſ. in pſal. 104. vbi fusè docet ſolum ſapientem eſſe liberum, ac proinde omnem inſipientem eſſe ſeruum; quia ſeruit ſuæ inſipientiæ ac concupiſcentiæ, ac proinde par eſſe vt inſipiens ſeruiat ſapiēti & ab eo regatur, ſicut Ioſeph cùm eſſet ſeruus, ob ſapientiam à Pharaone præpoſitus fuit toti Ægypto Geneſ. 41. *Contractus*, inquit, *non mutat genus, nec ſapientiæ libertatem adimit. Denique famulo ſapienti multi* (*vt ſcriptum eſt*) *ſeruiunt liberi: & eſt ſeruus intelligens qui regat dominos ſtultos. Quem ergo magis liberum cenſes? ſola eſt ſapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ ſeruos proprijs fœnerare dominis facit, fœnerare non pecuniã ſed intellectũ, fœnerare talentũ illius Dominici æterniq; theſauri qui numquam corrumpitur.* Et inferiùs: *Sapiens enim ſemper liber eſt, ſemper honoratus, ſemper is qui præſit legibus. Sapiens ergo liber: quoniã qui ea facit quæ vult, liber eſt. Sed non omnis bonæ voluntatis, ſed tantũ ſapiētis eſt omnia quæ bona ſunt, velle.* Et mox: *Sapiens nihil inſipienter facit, ſed ſapienter omnia: qui autem ſapienter facit, nihil habet quod metuat. Metus enim in peccato eſt: vbi autem nulla formido, ibi libertas: vbi libertas, ibi poteſtas faciendi quod vult. Solus ergo ſapiens liber eſt.* Et poſt nonnulla: *Eſt ergo ſapienti & ſeruire libertas. Vnde colligitur, quia ſtulto & imperare ſeruitus eſt: & (quod prius eſt) cũ paucioribus præſit, pluribus dominis & grauioribus ſeruit. Seruit enim proprijs paſſionibus, ſeruit cupiditatibus ſuis, quarũ dominatum nec nocte poteſt fugere, nec die, quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitiũ patitur intolerabile.* Et rursũ: *Seruit igitur peccator formidini, ſeruit etiam cupiditati, ſeruit auaritiæ, ſeruit libidini, ſeruit malitiæ, ſeruit iracũdiæ, & videtur ſibi liber: ſed magis ſeruit, quàm ſi ſub tyrãnu poſitus. Illi autē liberi ſũt, qui legibus viuũt, imò ipſi ſibi lex ſunt.* Citat deinde laudatq; epiſtol. Calani Gymnoſophiſtæ ad Alexandrũ Magnum: *Amici*, inquit, *perſuadent tibi manus & neceſſitatē inferre Indorum philoſophis, nec in ſomnis quidem videntes noſtra opera. Corpora transferas de loco ad locum, animos non magis coges facere quod nolunt, quã ſaxa & ligna vocem emittere. Maximum ignis viuentibus corporibus dolorem gignit & corruptionem, ſuper hunc non ſumus: viui enim exurimur. Non eſt rex, neque princeps, qui extorqueat à nobis facere quod nō propoſuimus: nec ſimiles ſumus Græciæ philoſophorũ, qui verba pro rebus meditati ſunt ad opinionis celebritatem. Nobis res ſociæ verbis, & verba rebus: res celeres, & ſermones breues, in virtute nobis libertas beata eſt.* Deinde & Calano & philoſophis præferens ſapiētes fideles, virgines & Martyres ſubdit: *Apud nos autem & puellæ de mortis appetentia ſublimes, vſque ad cælum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnetē, quid Pelagiam loquar, quæ tamquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem quaſi ad immortalitatem feſtinauerunt? Inter leones virgo exultauit, & rudentes beſtias exſpectauit intrepida. Et vt veſtra cum Indorum Gymnoſophiſtis conferamus, quod ille verbi gloriatus eſt, ſanctus Laurentius factis probauit, vt viuus exureretur, & flammis ſuperſtes diceret: Verſa, manduca. Haud deneger Abrahamidarum & Machabæorum concertatus puerorum, quorũ alij ſuper flammas canebant, alij cùm exurerentur non rogabant vt parceretur; ſed innitebantur, vt ampliùs perſecutor inflammaretur. Liber igitur ſapiens. Quid autem ſublimius ſancta Pelagia, quæ vallata perſecutoribus; priuſquã tamē in eorũ conſpectum veniret, aiebat: Volens morior, nemò continget manu, nemo oculo proteruo violabit virginem. Mecum feram pudorem, & mecũ incolumē verecundiam, nullum prædones lucrum ſuæ capient inſolentiæ. Pelagia Chriſtũ ſequetur, libertatē nemo auferet, nemo captiuam videbit liberam fidem inſignemq; pudicitiam, & proſapiam prudētiæ.* Dixit, & fecit. Nam vt lenonum manus effugeret, cum matre & ſororibus in fluuium præcipitem ſe dedit, virginitatis æquè ac martyrij victima, vti narrat idem S. Ambroſ lib. 3. de Virgin. vbi aſſerit eam quindecim dumtaxat fuiſſe annorum. Si ſapiens dominatur ignibus, leonibus, eculeis, gladiis, aquis ipſique morti, quid ni dominetur inſipientibus, eoſque ſapienter regat & dirigat?

Myſtice, S. Chryſoſt. & Polychron. in Catena Græc. Seruus, inquiunt, eſt populus Gentium, qui per Chriſti fidem ſapiens effectus, dominatus eſt Iudæis, ac hereditatem Eccleſiæ cum eis ad Chriſtum conuerſis diuiſit, imò eis diuinorum myſteriorum & chariſmatum diſpenſator euaſit. Beda verò: *Seruit*, inquit, *quilibet peccator, delictis ſuis ſubditus olim, qui poſt conuerſionem vitæ ſuæ ſapiens effectus, atque flagrantiſſimo amore & dilectione Dei feruens, filijs ſtultis, hoc eſt, quibuſdã fidelibus, à charitate Dei poſt acceptam fidem tepeſcentibus, actu vel prædicatione ſua eis prælatus dominatur: atque inter fratres, perfectos ſcilicet ſanctos ſupernæ patriæ hereditatem diuidet.*

SICVT IGNE PROBATVR ARGENTVM, ET AVRVM CAMINO: ITA CORDA PROBAT DOMINVS] Vers. 3. Hebr. *conflans* (aurifex) vel, *conflatorum argento, & fornax auro, & probat corda Dominus*: vel clariùs, vt Pagnin. *ſicut inſlatorium* (probat) *argentum, & caminus aurum, ſic corda probat Dominus*; & Tigur. *vt excoctor argentum, & fornax aurum, ita explorat corda Dominus*; Septuag. *ſicut probatur in camino argentum & aurum, ſic electa corda apud Dominum*; Caſſian. collat. 7. c. 25. *ita elegit corda Dominus*; Syrus, *ſicut conflatorio probatur argentum, ſic corda ſcrutatur Dominus*. Ratio eſt: quia hæc cordium ſcrutatio pertinet ad plenam Dei ſcientiam & prouidentiam qui deinde vocatur Cardiognoſtes. Salomon cōparat Deum aurifici: ſicut enim aurifex ſolus arte ſua in camino, ſiue foculo conflatorio, per ignem probat aurum & argentum: ſic Deus ſolus probat corda hominum. Sed quo foculo, qua fornace, quo camino conflatorio?

Nota. *Probare* per metalepſin multa ſignificat, ſcilicet Primò, ſcrutari; Secundò, perſpicere; Tertiò, diſcernere; Quartò, purgare, & ſeparare purum ab impuro; Quintò, iudicare; Sextò eligere & præmiare, vel reprobare & punire. Sicut enim aurifex auri puritatem, vel impuritatem & miſtionem, igne camini ſui diſtillatorij ſcrutatur, perſpicit & diſcernit, ſeparando & purgando aurum à ſcoriis, ac aurum eligendo, ſcoriam reprobando

&

& reiiciendo ſic prorſus corda hominum probat Deus.

Ignis, quo Deus probat corda. Primò.

Igitur Primò & genuinè, caminus & ignis quo Deus probat corda omnium hominũ tam bonorum quam malorum, eſt acre examen mentis & intellectus diuini, quo quaſi igne efficaciſſimo probat, id eſt ſcrutatur, examinat, perſpicit, intimas cordium, id eſt mentium, cogitationes, volitiones, intellectiones, atque diſcernit cuiuſlibet qualitatē, pondus & pretium; quàm ſcilicet quælibet ſit pura vel impura, quàm magni vel parui valoris & meriti. Sicut enim aurum magni eſt pretij apud aurificem, ſic corda hominum magni æſtimantur apud Deum, vtpote qui ea præ cæteris rebus creatis curet, probet, appendat, diſcernat, purget, iudicet, præmiet vel puniat. Sic acre mentis diuinæ examē igni & camino aurificis comparat Malach. c. 3. 2. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum.* Hæc gnome ergo parallela eſt illi c. 16. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis eius: ſpirituum ponderator eſt Dominus.* Hoc enim idem eſt. q. d. Spirituum probator eſt Dominus: ſed τὸ *ponderator* metaphoram petit à libra; τὸ verò *probator* vel *conflator* à fornace aurificis. Sic Dauid rectè factorum ſibi conſcius, petit probari à Deo, vt oſtendatur eius conſcientia: *Proba*, inquit, *me Domine, & tenta me, vre* (hebr. *confla*, inſtar argentarij) *renes meos, & cor meum*, pſal. 25. 2. & Iob c. 23. 10. *Ipſe*, ait, *ſcit viam meam, & probauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.*

Secundò.

Secundò, Deus probat corda hominum per ſuam legem & præcepta, perque ſuos doctores & prædicatores quaſi per caminũ ignis. Corda enim eorum, qui hiſce pœnitendo & bene viuendo obediunt, ſunt inſtar auri purgati: qui verò non obediunt, ſed in ſuis manent vitiorũ fæcibus, inſtar ſcoriæ à Deo abiiciuntur & reprobantur. Hoc eſt quod ait Deus Ieremiæ c. 6. 27. *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: & ſcies; & probabis viam eorũ*, &c. *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Sic Deus probauit cor & obedientiam Adæ, iubens vt non comederet pomum ſcientiæ boni & mali. Et Abrahami, iubens vt immolaret ſibi filiũ Iſaac, Gen. 22. Sicut enim vi plumbi igne liquati ſecernitur aurum à fæce & ſcoria, ſic vi præcepti ſecernitur obediens ab inobediente.

Tertiò.

Tertiò, caminus quo Deus probat corda hominum, eſt tribulatio: hac enim boni per patientiam purgantur & accepti fiunt Deo; mali verò per impatientiam ſordeſcunt & diſplicent Deo. Hoc eſt quod dicitur Sap. 3. 6. *Tamquam aurum in fornace probauit illos.* Et Eccli. c. 2. 5. *In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles*, (accepti, grati Deo) *in camino humiliationis.* Vbi multa de hoc camino dixi. Et Malach. c. 3. 3. *Purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Vnde Septuag. hoc loco vertunt, *ſic electa corda apud Dominum*, vel, vt clarè legit auctor Catenæ Græc. *Sicut argentum & aurum probatur in fornace, ita Dominus electorum corda explorat tribulationis igne.* q. d. Sicut aurifex in camino ſeligit aurum, & reiicit ſcoriam vi ignis liquatam & ſeparatam ab auro: ſic Deus eligit corda Sanctorum, quæ in igne tribulationis ſolida & conſtantia perſtiterunt; impiorum verò, qui in ca inſtar ſcoriæ liquati defecerunt, reſpuit. Ita de

A tribulatione pulchrè hanc gnomen explicat Caſſian. collat. 7. c. 25. *Ceterùm, inquit, corporaliter traditos ſatanæ, vel infirmitatibus magnis etiam viros ſanctos nouimus pro leuiſſimis quibuſq; delictis, cùm in illis ne tenuiſſimum quidem neuum aut maculam, in illo iudicij die patiatur inuenire diuina clementia, omnem cordis eorum ſcoriam, ſecundùm Prophetæ, imò Dei, ſententiam excoquens in præſenti, vt eos tamquam aurum vel argentum ignitum, ad illam perpetuitatem nulla indigentes pœnali purgatione tranſmittat: Et excoquam, inquit, ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuũ: poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis, Iſaiæ 1. Et iterum: Sicut probatur argentum & aurum in camino, ita eligit corda dominus.*

Quartò.

Quartò, caminus quo Deus probat corda, eſt tentatio, iuxta illud pſal. 16. *Probaſti cor meum: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* B Sic per hæreſes & hæreticos probat fidē orthodoxorum, iuxta illud Deut. 13. v. 1. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes*, &c. *& dixerit tibi: Eamus & ſequamur deos alienos; non audies verba Prophetæ illius: quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrùm diligatis Deum, an non, in toto corde*, &c.

Quintò.

Quintò, caminus, quo Deus omnium corda probat, id eſt examinat, dijudicat, eligit, & præmiat, vel reprobat & punit, eſt acre iudicium, tum particulare, tum vniuerſale, quo Chriſtus iudex ſcrutabitur omnium conſcientias, ac ſanctas adiudicabit cælo, ſceleratas gehennæ. Sic Daniel c. 7. v. 9. deſcribens iudicium Dei: *Thronus eius*, inquit, *flammæ ignis: rotæ eius ignis accenſus. Fluuius igneus rapiduſq; egrediebatur à facie eius.* Hinc multi veterum, vt Origen. S. Baſil. Lactant. S. Ambroſ. & Rupert. opinati ſunt ignem verum à Deo poſitum C eſſe ante cælum, vt per illum omnes animæ ſanctæ in cælum ituræ tranſire cogantur, eoque probentur, &, ſi impuræ ſint, purgentur, vt dixi 1. Corinth. 3. 12.

VERS. 4.

MALVS OBEDIT LINGVÆ INIQVÆ, ET FALLAX OBTEMPERAT LABIIS MENDACIBVS] Heb. *auſcultat ad linguam prauitatis.* Nam מזין *mezin* ponitur pro מאזין *maazin* ait Aben Ezra. Septuag. *malus morem gerit linguæ iniquæ, iniuſtus itidem labijs mendacibus attendit.* Ita auctor Catenæ Græc. Sed Romani & S. Cyprian. lib. 1. epiſt. 3. contrariè legunt poſteriorem partem, hoc modo, *iuſtus autem non intendit labijs mendacibus*, Syrus, *iuſtus non audit linguam ſceleſtorũ.* Sed prior lectio conſonat Hebræo, qui pro *fallax* habet שקר *ſcheker*, id eſt mendacium, fallacia: vnde Chald. vertit, *falſitas & accuſatio in lingua* D *peruerſa.* Verùm Noſter, Pagnin. & alij accipiũt abſtractum pro cõcreto: *mendacium*, id eſt mendax & fallax, qui ſcilicet aſſiduè fallit & mentitur, qui mendacijs & fraudibus paſcitur, iiſque ſe oblectat & opplet. Vnde Vatabl. vertit, *mendax obſequitur perniciosæ linguæ.* Sententia eſt clara. q. d. Malus obedit linguæ malæ & iniqua proferenti, vel cõſulenti; quia hæc ſuo genio & ingenio, putà ſuæ malitiæ, conueniunt. Similiter mendax & fallax auſcultat & obtēperat mendacia & fraudes ſuggerenti: quia mendax eſt, & mendacijs paſcitur. Significat linguam ſuperbam & fallacem captare animos ſibi ſimiles, peruerſos & fallaces: illis enim facilè ſua perſuadet; cùm ex aduerſo fideles & veraces, qui ſtudent veritati, mendaces & fallaces cum ſuis mēdacijs & fraudibus abominentur. Ita S. Cyprian. l. 4. ep. 9. ad Florentinũ: *Incidiſti, ait, ſed tua crudelitate irreligioſa incidiſti, ſed tua mente & voluntate ſacrilega,*

dum inceſta, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra ſacerdotem facilè audis, libenter credis, & aliena mendacia quaſi propria & priuata defendis: nec recordaris ſcriptum eſſe: Malus obaudit linguæ iniquorum, iuſtus autem non intendit labijs mendacibus.

Ad hanc ſententiam pertinet id quod dicit S. Greg. Nazianz. orat. 14. de pace: *Comœdia*, inquit, *eſt hoſtibus mea tragœdia*. q. d. Aduerſos meos caſus ita gratè & iucundè accipiunt hoſtes mei, quàſi mimicam, amœnam & iucundā hiſtrionis comœdiam ſpectent. Sic B. Antiochus homil. 26. verba detractorum comparat cum manna, quòd ſicut manna cuique ſapiebat id quod appetebat, ſic & detractio audientibus ſapiat pro cuiuſque affectu, benè ſcilicet, ſi malè ſit affectus ei cui detrahitur; malè autem, ſi eidem ſit addictus & beneuolus.

B Docet hæc ſententia valdè cuſtodiendas eſſe aures. Quare iuſtus, vt iuſtitiam ſeruet, & iniquus non fiat, aures cuſtodiat, ne audiat ea, quorum auditione ad obedientiam iniquitatis ſe præparat. Meritò igitur S. Bernardus, vt ad aurium cuſtodiam nos incitet ait: *Facilè lingua labitur, nec minùs facilè illabitur cordi, ita vt multis inter loquendum minùs profuerit, quid propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam. Vilis eſt frater, qui tibi loquitur, ſapiens eſt Religioſus, ac timens Deum; plus dico, angelus eſt, & angelus lucis, etiam ſic caue tibi, ne audias vnde lædaris. Nec perſonam tibi velim ſuſpectam eſſe, ſed linguam, præſertim in ſermocinatione communi*. Hæc S. Bernard. ſerm. de triplici cuſtod. manus, linguæ & cordis.

Secundò, noſter Salazar hanc gnomen explicat quaſi intentantem pœnam iniquis & fallacibus: oſtendit Salomon, ait, qua ratione Deus in C malos atque fallaces animaduertere ſoleat. Nam quo par pari referat, ſic ſtatuit, vt malus, qui in alios iniurius eſt, malæ linguæ ſubdatur, & fallax item qui alijs imposturam facit, fallaci adiudicetur linguæ, vt ab illa decipiatur. Id ſibi volunt illa verba, *obedit, obtemperat*, id eſt ſubditur, vel ſubijcitur, & eadem ratio eſt de verbis *audit* & *auſcultat*. Vnde S. Baſil. homil. de ira, verba contumelioſa & fallacia comparat cum echo, quæ ſonum acceptum repercutit & reuerberat in auctorem. *Non enim*, inquit, *ſicut echo in ipſos clamantes intempeſtiuè infringitur, ſiuit in hominem iniuſtum & contumelioſum contumelia reuertitur*.

Huic ſententiæ Septuag. aliam ſubnectūt, quæ non eſt in Hebræo, Chaldæo, Syro & Latino, eſtque hæc: *Eius qui fidelis eſt, totus mundus diuitiarum* D *eſt: illius autem qui infidelis eſt, neque obolus*, repete & ſupple, *eſt totus mundus*. q. d. Infideli totus mundus non valet obolum: infidelis pauper eſt, nec habet obolum, eſto totum mundum poſſideret. Pro *mūdus* græcè eſt κόσμος, quod Complut. vertunt, *ornatus*. Vnde auctor Catenæ Græc. ſic vertit, *homo fidelis quidquid in pecunijs ornamenti eſt, id totum poſſidet: perfido autem ne obolus quidem ſuppetit*. Hanc gnomen explicat Caſſian. collat. 24. c. 26. de centuplo, omnia propter Deum relinquentibus promiſſo: *Pro lætitia quoque illa, quam in vnius agri ac domus poſſeſſione quis habuit, centuplo maiore diuitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem tranſiens filiorum Dei vniuerſa quæ æterni ſunt Patris, vt propria, poſſidebit, & affectu atque virtute ad imitationem veri illius filij proclamabit: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*, Ioan. 16. *Hæc iam cum illa pœnali diſtentionis ac ſolicitudinis cura, ſed ſecurus ac lætus velut in proprijs vbique ſuccedet, audiens quotidie ſibimet ab Apoſtolo prædicari: Omnia enim*

A *veſtra ſunt, ſiue mundus, ſiue præſentia, ſiue futura*. 1. Corinth. 3. *Et à Salomone: Fidelis viri totus mundus diuitiarū*. Sic & Didymus in Catena Græc. S. Aug. verò epiſt. 54. ad Macedonium ſub finem, hanc gnomen citans poſteriorem eius partem applicat vſurarijs. Additque: *Pecunia à malis malè habetur, & à bonis tantò meliùs habetur, quāto minùs amatur*. Locus hic S. Aug. translatus eſt in Ius Canon. & habetur 14. q. 4. c. *Quid dicam*, quod eſt penultimum. Idem S. Aug. l. 5. Confeſſ. c. 4. Deum alloquens, *Infelix homo*, inquit, *qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat*, &c. *Sic fidelis homo, cuius totus mundus diuitiarum eſt, & quaſi nihil habens omnia poſſidet, inhærendo tibi cui ſeruiunt omnia, quamuis nec ſaltem Septemtrionum gyros nouerit; dubitare ſtultum eſt, quin vtique melior ſit quàm menſor cæli* B *& numerator ſiderum, & penſor elementorum, & negligens tui, qui omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti*.

S. Hier. autem epiſt. 103. ad Paulinum, exhortans eum ad contemptum opum & mundi, ſub finem ſic ait: *Antiquum dictū eſt: Auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Credēti totus mundus diuitiarum eſt: infidelis etiam obolo indiget. Sic viuamus tāquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Victus & veſtitus diuitiæ Chriſtianorum ſunt. Si habes in poteſtate rem tuam, vende: ſi non habes, proijce. Totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit. Facilè contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum*. Porrò credens ſiue fidelis eſt, qui omnem ſuam fidem & ſpem collocauit in Deo credens & ſperans, quòd Deus omnibus ſuis neceſſitatibus abundè prouidebit. Rurſum fidelis C eſt, qui fideliter Deo ſeruit, eiuſque iuſſis obedit, ac præſertim qui fideliter opes ſibi à Deo datas in pauperes erogat, iuxta legem & voluntatem Dei. Denique S. Ambroſ. libr. 3. epiſt. 25. ad Eccleſiam Vercellenſem longiuſculè ante finem: *Ille*, inquit, *eſt diues in Eccleſia, qui pauperi, non ſibi, diues eſt. In Eccleſia quidem fidelis diues eſt. Fideli enim totus mundus diuitiarum eſt. Quid mirum ſi mundum fidelis poſſidet, qui poſſidet Chriſti hereditatem, quæ pretioſior eſt mundo?* Et inferiùs: *Ille ergo diues eſt, qui fuerit heres Dei, Chriſti coheres*, &c. *Vultis diuites eſſe? Eſtote pauperes. Tunc eritis per omnia diuites, ſi fueritis pauperes ſpiritu. Non cenſus diuitem, ſed animus facit. Pauper enim ſpiritu dicit: Portio mea Dominus*, &c. pſal. 118. Exemplum dat S. Malachiam, S. Bernard. in eius Vita vtpote qui re pauper, ſed ſpe in Deum diues ampla ædificabat monaſteria. Audi S. Bernardum: *Inuenit Dei famulus* D *in Dei marſupio, quod deſuit ſuo. Meritò quidem. Quid enim iuſtius, quàm vt cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret conſortium, & marſupium vnum eſſet amborum? fideli denique homini totus mundus diuitiarum eſt. Et quid eſt ille, niſi quoddam marſupium Dei? Denique ait: Meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius. Inde eſt quod Malachias repertos argēteos multos non repoſuit ſed expoſuit. Nam totum munus Dei, in Dei opus iubet expendi. Non ſuas, non ſuorum conſiderat neceſſitates, ſed ſactas cog tatum ſuum in Domino: ad quem vtique recurrendum non dubitat, quoties neceſſitas poſtularit*. Interpres S. Ephrem tract. de Timore Dei clarè vertit, *fidelis viri* (ſunt) *omnes mundi diuitiæ: at infidelis viri ne obolus quidem*.

Exemp. S. Malachiæ.

Igitur fideli totus mundus diuitiarum eſt. Primò, quia totus mundus creatus eſt à Deo ad vſum fidelium, non infidelium: fideli ergo omnia debentur, infideli nihil. Secundò, quia fidelis vtitur toto mundo non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem & ad

Fideli ſeruit mundus. Primò. Secundò.

& ad Dei obſequium. Fideli ergo omnia fideliter A ſeruiunt, infideli nihil: ſol enim fideli miniſtrat & ſeruit, dum ei facem præfert ad Deo ſeruiendum: ignis, dum eum calefacit: aqua, dum eum refrigerat: aër, dum per eum reſpirat: terra, dum eum ſuſtentat: cibus, dum eum paſcit: veſtis, dum eum tegit, & ita de ceteris. Denique fidelis ſua ſorte licet tenui contentus, ita tranquillus, lætus & alacer viuit, ac ſi totum mundum poſſideret: è contra infidelis & auarus quo plus habet, eo plus deſiderat.

Tertiò, Tertiò, Didymus in Catena Græc. Omnia poſſidet, inquit, qui propter Chriſtum omnia aſpernatur: fidelis enim celſior eſt mundo, ac mente in cælo fixus omnia terrena velut ſub pedibus poſita premit & calcat. Vide S. Chryſoſt. homil. 12. in epiſt. 2. ad Corinth.

Quartò. Quartò, quia fidelis in ſingulis rebus creatis agnoſcit, amat, gratias agit & laudat creatorem, à quo & ad cuius honorem conditæ ſunt. B Hæc autem Dei cognitio, amor, cultus, & laus ſunt veræ opes mundi. Ita Didymus in Catena Græc.

Quintò. Quintò, quia fidelis toto mundo rectè ſanctéq. vtitur ad ſuam ſalutem & Dei gloriam: infidelis verò & impius eo abutitur ad ſuas concupiſcentias. Diues autem eſt, qui opibus vti ſcit; pauper, qui neſcit.

Sextò. Sextò, quia fidelis poſſidet Deum, cuius eſt totus mundus; poſſidendo ergo Deum poſſidet omnia quę Dei ſunt, putà omnia quæ ſūt in mundo.

Septimò. Septimò, quia fideli à Deo paratur beatitudo & gloria cæleſtis, hæc autē inter alias dotes continet dominium mundi. Beatus enim quilibet eſt dominus & rex mundi, imò Adam in paradiſo fuit velut rex mundi. Hoc eſt quod ait Sapiens c. 3. 7. *Fulgebunt iuſti & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.*

Quocirca S. Ambroſ. l. 2. de Abraham c. 7. exemplum huius ſententiæ ſtatuit Abraham, cui C Deus promiſit dominium totius Chananææ. Vbi inter cetera docet, Platonem & Stoicos ex hac gnome Salomonis accepiſſe ſuum illud axioma: *Sapientis ſunt omnia. Quanto*, inquit, *prior Salomon quàm Zeno Stoicorum magiſter, atq; auctor ſectæ ipſius? quanto prior quàm ipſe philoſophiæ pater Plato? quis autē ſapiens niſi fidelis? ſed fortè dicas, Quomodo ſapientis totus mundus eſt diuitiarum? Reſpondeo, quoniam ipſa natura dat illi ſortem omnium, etiamſi ipſe nihil poſſideat.* Addit verò ſortem iſtam quæ omnia ditione ſua complectitur, ipſiſſimam eſſe ſapientiam: ſic enim ait: *Domina eſt & poſſeſſor omnium ſapientia, quæ ſua putat naturæ munera, quoniam in vſum hominum data ſunt, nec vllis indiget, etiamſi deſint ei ad victum omnia. Nam ſi muſicus organa, & medicus medicamenta neceſſaria, &* D *naucleru quæ ad nauis inſtrumentum neceſſaria ſunt, aliquando non habeat; habet tamen eo ipſo, quo poſſit his vti, etiamſi ad tempus vſus eorum non ſuppetat: quanto magis ſapiens ſuum iudicat quidquid naturæ eſt, qui viuit ſecundùm naturam?* Igitur docet hic S. Ambroſ. ſapientes, id eſt Sanctos, eſto vſum rerum opumq; mundi ſæpè non habeant, habere tamen dominium eorum quoddam quaſi propriū & naturale ex inſtitutione Dei: cùm impij qui eorum vſum habent, habeant dominium tantùm ciuile, &, vt ita dicam, improprium, quia præter naturam & inſtitutionem Dei id ſibi vendicant, & paulò antè: *Hinc tamquam ex fonte hauſerunt Stoici philoſophi illius dogmatis ſententiam, Omnia ſapientis eſſe. Oriens enim & Occidens, Septemtrio & Meridies portiones ſunt vniuerſitatis, his enim totus mundus includitur: hæc cùm promiſit Deus ſe daturum Abraham, quid aliud declarat niſi* A *ſapienti ac fideli præſtò omnia, deeſſe nihil? Vnde & Salomon in Prouerbijs ait: Eius, qui fidelis eſt, totus mundus.* Et poſt nonnulla ſubnectit: *Denique Abraham quando adhærebat ei Lot (hoc eſt deflexio morum) ſortem tantam, & tam amplā non acceperat. Vbi verò deflexionis ambiguo atque anfractu abſolutō rectas virtutum ſemitas animæ ſuæ greſſibus cœpit carpere, in omnem terram poſſeſſor mittitur.* At rurſus: *Ergo qui ſapientiam meruerit & non fuerit ancillæ filius, non peccati ſeruus, ſed Saræ illius minimè ſeruientis, ſed principantis filius, bonæ ſtirpis, bonæ indolis, perfectæ titulo virtutis, hereditatem acquiret totius vniuerſitatis*, &c.

QVI DESPICIT PAVPEREM, EXPROBRAT FACTORI EIVS: ET QVI RVINA LÆTATVR ALTERIVS, Vers. 5.
NON ERIT IMPVNITVS] Hebr. *qui ſubſannat pauperem* (Vatabl. *qui illudit pauperi*) *probro afficit factorē eius: qui lætatur in contritione, non erit innocens*, id eſt impunitus; Chald. *qui ſpernit pauperem, prouocat iram* B *creatoris: & qui gaudet in interitu alterius, non erit innocens*; Syrus, *qui ridet pauperem, iram ciet eius conditori: qui in ruina alterius gaudet, non reportabit miſericordiam*; Septuag. *qui irridet inopem, irritat* (Aquila, Symmach. & Theodot. *exprobrat*) *eum qui fecit illū; qui autem lætatur pereunte, non erit innocens: ille autem cuius viſcera commouentur, miſericordiam conſequitur.* Quam vltimam partem Septuag. addunt de ſuo: quia per antitheſin tacitè cōtinetur in hemiſtichio præcedente. Auctor Catenæ Græc. legit *qui deridet pauperem, irritat Deum qui fecit illum: at qui afflicto lætus inſultat, non erit impunitus*. Cauſamque ſubdit: Quia deridet ſapientem Dei gubernationem, quæ fecit hunc pauperem & afflictum, vt tu illi condoleres, in illumque miſericordiam exerceres. Quis ergo ita immanis, omniſq; humanitatis ita oblitus fuerit, C vt eum ludibrio habeat cui compati omni iure debebat? hæc auctor ille.

Prior pars huius ſententiæ expoſita eſt c. 14. v. 31. Poſterior clara eſt, eiuſque ratio eſt, lex talionis: qui enim in ruina alterius lætatur, meretur parem, vt in eamdem vel ſimilem incidat, vt pariter alij de eius clade lætentur eiq; inſultent, ſicut ipſe in aliorum ruina lætatus eſt, eiſque inſultauit. Exemplum eſt in Semei, qui Dauidi Abſalomum fugienti & profugo exprobrauit & maledixit, ideoq; à Salomone probroſè occiſus eſt. 3. Reg. 2. 44. Vnde B. Antiochus hom. 58. legens *& qui inſultat patienti, non erit innocens*, ſic ait: *Ne igitur dilectiſſimi committamus, vt aliquando inſultemus proximorum malis, ne nos in eaſdem ſinat Dei prouidentia ſemel & iterū deuolui calamitates.* Ac deinde alia ratione idipſum D confirmat: *Etenim ſi pes, inquit, fortè illiſus, aut labatur, num inſultabit manus? ſanè res hæc in diuerſum abit; nā olei infuſione, aut emplaſtrō pedi medetur. Si quidem vnū corpus ſumus, nihil minus conſentaneum rationi fit, quàm vnum aliquod corporis membrum, quod nonnihil afflictetur, habere deriſui, ac proinde eidem inſultare. Potius enim conueniebat miſereri afflicto, & pio compaſſionis affectu condoleſcere & congemiſcere.*

CORONA SENVM, FILII FILIORVM: ET GLORIA FILIORVM, PATRES EORVM] Septuag. pro Vers. 6.
gloria vertunt καύχημα, id eſt *gloriatio*. q. d. Gloriātur filij quod ſapiētes & probos habuerint patres, ſicut viciſſim gloriantur patres, quod filios poſt ſe probos & virtutis ſuæ heredes relinquant. Vnde Tigur. vertit, *Decus liberorum ſunt Patres ipſorum*; Vatabl. *nepotes ſunt ornamento ſenibus*. Pro *corona* Syrus vertit, *laus*; Chald. *pulchritudo*; R. Salomon & Aben Ezra exponunt. q. d. Auorum & ſenū diadema ſunt

nepotes, quos recto virtutis tramiti inſiſtentes aſpiciunt: parentes probi viciſſim probis filijs gloriam conciliant. Addit R. Leui, potiùs auos coronari nepotibus quàm patres filijs: quia aui breui morituri magis amant ſuam ſimilitudinem, quæ in nepotibus perdurat: patrum verò amor non ita redundat in auos, ſed gloria filiorum ſunt ipſimet parentes. Monet ergo hæc gnome parentes, vt ſtudioſè curent educari filios & nepotes; ac viciſſim hos monet, vt parentes & auos debito proſequãtur honore. In laudẽ enim ſenum inſignem cedit, quòd filios & nepotes ita educarint, vt ab ijs conſtipentur & honeſtentur. Vnde S. Ambroſ. in c. 1. S. Lucę *Diuinum,* inquit, *munus, fœcunditas eſt parentis. Agant itaque patres gratias, quia generauerunt; filij quia generati ſunt; matres, quia coniugij præmijs honorantur: ſtipendia enim militiæ ſua filij ſunt.* Porrò *corona* datur parenti, filijs verò *gloria*: quia parentes ſunt quaſi principes filiorum, & quaſi reges familiarum ſuarum. Vnde Ariſtot. 8. Ethic. c. 10. *Societas,* ait, *patris ad filios regni præ ſe fert effigiẽ; nati namque patri ſunt curæ. Hinc & Homerus Iouem patrem appellat.* Et c. 11. docet ius paternum in filios eſſe regium. *Senum* ergo *corona,* hoc eſt ornamentum, eſt, quòd non tantum filios, ſed & filios filiorũ habeant, per quos ſecuriores fiunt de poſteritate, per quam immortales quodammodo ſunt futuri, qui iam mortem vicinam agnoſcunt, de qua immortalitate poſteritatis nonnihil dubitant ſenes, cùm filios abſque liberis vident. Vnde Iudæorum benedictio erat videre filios filiorũ, iuxta illud pſ. 127. *Videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.* Viciſſim patres ſunt gloria & decus filiorum, quia eorum virtus & nobilitas ornat filios, & honorem conciliat. Accedit, quòd mores & actiones filiorum tribuuntur parentibus, vtpote eorum generatoribus, educatoribus & magiſtris. Quare ſicut praui mores filiorum redundant in dedecus parentum: ita vice verſâ eorum virtutes ad parentes, quaſi primos ipſorum auctores referuntur.

Secundò, hac gnome ſignificat Salomon præmium, & quaſi coronam bene actæ ſanctæq; vitæ parentum, eſſe ſenium, ſi videlicet ad tantam ætatem perueniant, vt videant filios filiorum, id eſt nepotes, in tertiam & quartam generationem ſe inſtar coronę circumdantes. Vnde viciſſim pręmiũ filiorum & nepotum bonorum eſſe, ſi patres & auos diu habeant ſuperſtites. *Gloria* ergo *filiorum patres eorum,* hoc eſt, hoc præmium, hanc gloriam ſolet Deus retribuere filijs probis & morigeris, quòd videant patres diu ſuperſtites, quod ſummè fortunatum cenſet Plato l. 3. de Legibus. Hoc enim ſignum eſt, patres à filijs benignè & commodè haberi: reuerentia enim filiorum, qua parentes fouent, colunt, alunt, parentibus lætitiam indeq; longæuitatem conciliat. Vice verſâ durities & impietas filiorum, qui patres ſpernunt, deſerunt, dureque tractant, eis mœſtitiam citamq; mortem affert. Hoc autem ingens eſt filiorum dedecus & probrum, ſicut prius ingens eſt eorũ decus & gloria. Quare tacitè hîc monet patres Salomon, vt filios bene educent; ac viciſſim filios; vt ipſi bene educati talionem reddant parentibus, eoſque ſeneſcentes colant & alant: ſic enim vtriſq; accedet dignitas, honor & gloria inſtar coronæ.

Tertiò, Salomon dat ſtimulũ parentibus, æquè ac filijs, ad omnem probitatem, eò quòd probitatis decus & honos vtrorumque non ſiſtat in ipſis, ſed

A ad alterutros promanet. Probus ergo eſto, ô pater, non tibi ſoli, ſed & filijs: quia probitatis tuæ decus non in te ſiſtit, nec te tantùm, ſed & filios tuos honoratos efficiet. Viciſſim probi eſtote, ô filij, quia probitatis veſtræ fama non ad vos ſolos, ſed & ad parentes pertinet: quos, ſi ſecùs feceritis, inſigni infamia afflabitis. Fama enim & infamia parentum eſt fama vel infamia filiorum; & vice verſa: pater enim & filius ciuiliter vnum quid cenſentur, & quaſi vna perſona œconomica.

Allegoricè Beda: *Senes,* inquit, *dicit Patriarchas & Prophetas quia à filijs filiorum, hoc eſt à ſucceſſionibus Apoſtolorum digna laude celebrantur: & gloria eſt prædicatorum noui teſtamenti, quòd filij veterum patrum eſſe meruerunt.*

Tropolog. per *parentes* accipe Prælatos, Paſtores, doctores, prædicatores: per *filios*, ſubditos, plebeios, diſcipulos, &c. Ita auctor Catenæ Græc. *Se-* B *num,* inquit, *hoc eſt doctorũ ſapientumq́; virorum, corona & ornamentum ſunt auditores dicto obſequentes, orthodoxæq́; Eccleſiæ alumni.* Sic S. Paulus Philippenſes à ſe conuerſos c. 4. 1. & Theſſalonicenſes ep. 1. c. 2. v. 19. vocat ſuum gaudium, ſuam coronam, ſuam gloriam. Vide ibi dicta.

NON DECENT STVLTVM VERBA COMPOSITA, NEC PRINCIPEM LABIVM MENTIENS] Pro *ſtultum* hebr. eſt נבל *nabal,* quo nomine appellatus fuit maritus Abigail, ſtultus ſimul & auarus. Vnde Hebræi nonnulli apud Baynum vertunt, *auaro non conuenit labium exceſſiuum, nec liberali labium mentiens.* q.d. Auarus quia ſordidus, in dando non excedit, ſed pauca promittit & donat: at liberalis vti liberalis eſt in promittendo, ſic & non mentitur, C ſed fideliter & liberaliter præſtat ea quæ promiſit. Pro *compoſita* hebr. eſt יתר *ieter,* quod ſignificat excellentiam, dignitatem, reſiduum, ſuperfluum, ſuperabundantiam, expanſionem, extentionem, qualis eſt in chorda & fune. Vnde *ieter* chordam quoque & funem ſignificat. Hinc Noſter vertit, *compoſita,* ſcilicet aptè complicata & contorta inſtar funis vel chordæ, quæ in cithara aptè compoſita compoſitum & modulatum edit concentum. Vnde Primò, R. Salomon vertit, *non decent ſtultum verba glorioſa & ſuperba, quanto minùs principem labia mendacij?* Secundò, Chald. *non decet inſipientem labium exceſſiuum, neque principem labium mendacij:* Tertiò, Pagnin. *non eſt decora ſtulto lingua excellentiæ.* Tigurin. *magnificus ſermo;* alij, *ſermo dignitatis* vel *auctoritatis;* Quartò, Caiet. *non decet ſtultum labium ſuperfluitatis;* Quintò, Septuag. *non congruunt ſtulto* D *labia fidelia, neque iuſto labia mendacia.* Sic & Syrus, Iam

Vers. 7.

Primò, noſter Salazar ſic explicat, q.d. *ſtultum,* id eſt hominem vilem & abiectum, non decent *verba compoſita,* id eſt ficta & fallacia, imò hæc illi probro & contumeliæ verti ſolent, quanto magis eadem non decent principem? q.d. Si probro vertitur homini vili mentiri & fallere, quanto magis idipſum probroſum erit principi? *Componere* enim ſubinde idem eſt quod fingere, vt Daniel. 2. *Quod interpretationem fallacem & deceptione plenam cõpoſueritis:* inde *compoſita verba* vocãtur ficta & fraudulẽta. Verùm Hebr. *ieter* nõ ſignificat ficta vel fallacia.

Secundò, R. Salomon, Caiet. & alij explicant. q.d. Non decent ſtultum verba excellentię, ſuperfluitatis vel ſuperabundantiæ, hoc eſt, iactantiæ, quòd ſcilicet ſibi plus arroget quàm par eſt, ac videatur ſibi præ alijs ſapere, veliteque præ omnibus

audiri

audiri, probari & laudari. Vice verſâ non decent A principem verba mendacij: quia hæc illo indigna ſunt eumq; vilem ac ſcurris ſimilem efficiunt. Igitur ſicut non decet, quòd vilis & ſtultus ſe iactet & exaltet per verba tumida & ſuperba: ſic vice verſâ non decet principem, qui ſummus eſt, vt per verba vilia & vana, præſertim mendacia, ſe in vulgus, imò infra vulgus, deprimat & abijciat.

Tertiò, optimè Noſter vertit, *verba cōpoſita*: hæc enim ſunt verba dignitatis & excellentiæ. q.d. Sicut ſtultum non decent ſermones graues, compoſiti, magnifici, cùm animum habeat leuem, incompoſitum, abiectum & fatuum: ita viciſſim principem non decent verba incompoſita, præſertim mendacia. Sicut enim cor principis debet eſſe verax, fidele, graue, moderatum, prudens compoſitum: ſic pariter decet vt verba eius ſint veracia, fidelia, grauia, moderata, prudentia & cōcinna. *Verba* B enim *compoſita* ſunt, quæ habent dignitatem, auctoritatem & pondus, quæ proinde non à ſtulto, ſed à ſapiente vel doctore vel principe proferri par eſt. Vnde c. 26. 7. dicitur: *Quomodo pulchras habet fruſtra claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.* Et c. 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Hinc Lyran. per *verba compoſita* intelligit legationem, vt ſit metalepſis. q.d. Non eſt decens vt ſtulto imponatur aliqua legatio ad viros graues vel principes, in qua oportet habere verba compoſita. Huic expoſitioni affinis eſt verſio Septuag. & Syri, *non congruunt ſtulto labia fidelia, neque iuſto labia mendacia.* Nam, vt ait, Polychron. in Catena Græc. *vterque cogitationibus ſuis diſſentanea loquitur.* Vbi clara eſt antitheſis. q.d. Sicut ſtulti, id eſt impij, ſolent in verbis eſſe infidi, multaq; mentiri & fallere: ſic viciſſim iuſti abomi- C nantur mendacia, ſtudentq; in verbis eſſe veraces & fideles: illi enim cum improbitate perdiderunt conſcientiam & famam, hi cum probitate vtramque firmiter tuentur & ſeruant.

Mendaciũ eſt probrum principis. Primò. Porrò mendacium probroſum eſt omni homini, ſed maximè principi. Primò, quia maieſtatem principis decet veritas, fidelitas & veracitas: maieſtatem ergo ſuam ac ſeipſum lædit, ſi mentiatur. Nam vt ſapienter ait S. Cyprian. l. 1. epiſt. 3. *Hæc eſt vera dementia, non cogitare, nec ſcire, quòd mendacia non diu fallunt: noctem tamdiu eſſe, quamdiu illuceſcat dies; clarificato autem die, & ſole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia, ceſſare.*

Secundò. Secūdò, quia populus & reſp. nititur & regitur verbo principis: quòd ſi illud mendax & fallax D deprehendat, omnem ei fidem & fiduciam, æquè ac auctoritatem & obedientiam derogabit.

Tertiò. Tertiò, quia princeps quod ſemel dixit, ſanxit, promiſit, dedit, hoc honeſtè & iuſtè retractare nequit: imò, ſi mentiatur & fallat, ſæpè iniuriam & damnum graue ſubditis irrogabit. Hinc Græcorum Imperatores in inauguratione ſolemniter iurabant, ſe remotâ fallaciâ dicturos veritatem, vti teſtatur Curopalata de Officio palat. Debet enim princeps veritatis non tantùm eſſe aſſecla, ſed & tutor ac patronus. Rectè Aſpar Leonē Imp. quòd promiſſis non ſtetiſſet, veſte prehenſum obiurgauit, dicens quòd nefas eſſet purpura amictum mētiri. Ita Zonaras tomo 3.

Quartò. Quartò, quia *mendacium vitium eſt ſeruorum*, ait Ariſtot. Ergo dedecet ingenuos, præſertim principes, qui ſunt vicarij Dei, ac Deum, qui eſt prima veritas ipſaque fidelitas, in terra repræſentant. Quocirca S. Thomas opuſc. de Principum eruditione multis probat, principi amandam eſſe veritatem, itemq; abominandum mendacium vt venenum. Idem cenſuere Philoſophi. Thucydites l. 4. *Iis, ait, qui in dignitate ſunt, turpius fraude honeſta circumuenire aut lædere, quàm vi aperta.* Et Silius l. 14.

Optimus ille
Militiæ, cui poſtremum eſt primumq; tueri
Inter bella fidem.

Idem lib. 2.

Nec rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem.

Hinc Ageſilaus rex Spartæ adeò horrebat mendacium, vt rogatus audire quemdam qui philomelæ melodiam mentiebatur, noluerit, ne mendaci etiā cantioni aſſentiri videretur.

Impia ergo eſt illa politicorum vox apud Euripidem: *Ius, regnandi gratia violandum eſt, alijs rebus pietatem colas.* Sicut enim fides ſtabilit rempubl. ita perfidia euertit. Rurſum ſi tollis fidem inter homines, tolles & fidem ac religionem in Deum, facieſque atheos.

Gnomæ ſapientum de fidelitate. Ariſtoteles Rhetor. ad Alexandr. c. 18. monet principes *non peierare, timentes & diuinam vltionem & humanam infamiam.* Cicero l. 3. Offic. *Nec vlla res*, ait, *vehementiùs rempubl. continet quàm fides.* Idem orat. pro Roſcio Com. *Perfidioſum & nefarium eſt fidem frangere, quæ continet vitam.* Nam vt ait Ariſto. Rhet. ad Theodect. l. 1. c. 15. *infirmatis violatiſq; pactis tollitur inter homines commerciorum vſus.* Quocirca Romani in Capitolio vicinam Ioui aram Fidei poſuere, ait Cato Cenſorius. *Fides enim*, inquit Seneca epiſt. 89. *ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt.* Diuiniùs verò Silius ad fidem, eam hiſce elogijs celebrat:

Ante Iouem generata, decus diuûmq; hominumq;,
Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt:
Iuſtitiæ conſors, tacitumq; in pectore numen.

Denique Alfonſus Aragon. rex teſte Panormit. l. 1. de Geſtis eius, probabat illum principem, *cuius ſimplex verbum tantum ad fidem valeret, quantum priuatorum hominum iuſiurandum.* Idem dictitabat, *tanto priuatis hominibus reges meliores eſſe debere, quanto hominibus & dignitate antecellerent.*

Verſ. 8. GEMMA GRATISSIMA, EXPECTATIO PRÆSTOLANTIS: QVOCVMQVE SE VERTIT, PRVDENTER INTELLIGIT] Pro *exſpectatio præſtolantis* hebr. eſt שוחד *ſcochad*, id eſt munus ſiue donum. Ergo Hebr. ſic habent, *lapis gratiæ munus in oculis heri eius* (habentis illud) *ad omne quod reſpexerit prudenter aget*; Chald. *lapis muneris gratia eſt in oculis eius qui tollit eum, ad omnem locū, quò ſe vertit, prudenter agit*; Symmach. *pondus gratiarum*; Septuag. *merces gratiarum*, inquiunt, *diſciplina his, qui vtuntur; quocumque ſe verterit, proſperabitur.* Heb. enim שכל *ſachal* ſignificat Primò, *intelligere*; Secundò, *proſperari*; Tertiò, accipiendo ש pro ס (quia hæ duæ literæ eiuſdem ſoni ſunt & poteſtatis) *infatuari.* Vnde aliqui vertunt, *lapis gratiæ munus in oculis habentis* (accipientis) *illud: quocumq; ſe verterit, infatuabitur.* Munera enim excæcant & infatuant accipientes, iuxta illud: *Munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum*, Deut. 16. 19. Vatabl. *grata gemma eſt munus in oculis eorum, qui ipſum poſſident; quoquò ſe verterit proſperabitur*, id eſt *in quamcumque volet partem, corda iudicum vertet & inclinabit munus illud.* Sic & Pagnin. Baynus & alij.

Igitur ex Hebræo clarus eſt ſenſus. q. d. Munus vel donum eſt inſtar gemmæ gratioſæ, quæ rapit ad ſe oculos & corda accipientium, eoque flectit, quò dator muneris vult, vt litem vel cauſam etiam parum æquam obtineat, iuxta illud:

Munera, crede mihi, placant hominesq́, deosq́;

Vnde R. Leui; *Munera*, inquit, *velut gemma gratiſſima accepta ſunt in quibus donantur, perinde ac ſi eſſent lapilli pretioſi eis, qui illis exornatus eſt, gratiam conciliantes. Quare cuicumque rei ſe liberalis adiungat, feliciſſimè illi ſuccedit.* Aben Ezra verò per herum vel dominū accipiens non accipientem, ſed dantem munera: *Sicut lapis pretioſus*, inquit, *eorum animos rapit, à quibus conſpectus fuerit; ita munera dominis ſuis, à quibus nimirum miſſa fuerint, gratiam conciliant: cùm enim munus excipere nefas ſit, qui illud accipit, muneris dominus dici nequit.* Preſſius Caietan. Munus, inquit, iudici vel principi donatum eiuſdem gratiam conciliat, atq; idipſum intelligere & ſentire eum cogit, quod intelligit & ſentit is qui donauit, ſiue iuſtum illud ſit, ſiue iniuſtum. Atque ſic explicari poteſt verſio Vulgata vt *exſpectatio præſtolantis* vocetur munus, quod accepturus exſpectat & præſtolatur. Vnde Baynus: *Pendet*, inquit, *hæc gnome ex præcedenti: Non decet principem labium mendax; ſed miram gratiā conciliat, præſtare beneficia quæ pollicetur, imò munera omnibus fauorem & gratiam pariunt. Nam gemma vel lapis pretioſus eſt gratus omnibus ſpectātibus, ſic eſt munus in oculis præſtolantis, ſiue (vt eſt in Hebræo) domini ſui, hoc eſt illius qui recipit illud. Et quocumq; ſe verterit, ſiue ad quemcumque locum reſpexerit ille qui munera largitur, proſperè aget, & quod molitur, aſſequetur.*

Noſter Salazar ingenioſè per gemmam gratiſſimam accipit gemmas pellucidas, per quas intuens omnia occurrentia iucundè ſpectat. Sic D. Iſidor. l. 16. Etymol. c. 7. tradit, Neronem gladiatorum pugnas interpoſito virenti ſmaragdo ſpectare ſolitum: ex quo fiebat vt cuncta eodē colore imbuta eius oculis ſeſe offerrent, & iucundius ſpectaculū redderetur. Ait ergo Salomon: *Lapis gratiæ munus oculis domini eius.* q. d. Donum iudici aut principi collatum, adinſtar eſt lapidis pretioſi, pulchri, & perlucētis oculis obiecti, quia ſicut hic ſuo colore cuncta inficit, & iucunda reddit: ſic etiam donum ob oculos poſitum, ſuo item colore cauſam donātis imbuit, efficitq; vt iuſtior & cum æquitate conformior inſpicienti appareat.

Idem per gemmam gratiſſimam accipit gemmam, quæ gratiam & amorem conciliat, qualem eſſe ſapphirum aſſerit S. Epiphan. l. de Gemmis, & iaſpidem S. Iſidorus. Talem quoque eſſe hyacinthum veteres opinati ſunt. Vnde de quinta hyacinthorum ſpecie quæ ad cryſtallum accedit, ſic ſcribit Plinius l. 37. c. 9. *Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alij anterotas, multi Veneris gemmam, quod maximè videtur decere & ſpecie & colore extremo gemmæ.* Addit Magos credere, prodeſſe reges adituris. Sic adamas perhibetur iram comprimere, & coniugū amorem fouere, ideoq; reconciliationis gemma vocatur, ait Anſelmus Boëtius l. 2. de Gemmis c. 4. Idem c. 177. aſſerit vmbilicum Veneris (nomen eſt gemmę inſtar conchylij) à Venere nomen habere, quòd gratiam & amorem cōciliare credatur. Dico credatur, quia multæ gemmarum vires vulgò creditæ, ſunt fabuloſæ & falſæ.

Senſus ergo eſt. q. d. *Lapis gratiæ* (ſeu *beneuolētiæ*) *munus in oculis domini*, id eſt, perinde munus principi oblatum gratiam illius allicit, ſicut gemma aliqua pretioſa ex his, quæ excitandi amorem & beneuolentiam ſecretam conciliandi vim habent. q. d. Princeps donum alicuius manu accipiens, quaſi annulum manui ſuæ inſerit, incluſa gemma aliqua ex his, quæ beneuolentiam & amorem cordi inſpirant.

Ad hæc *lapis gratiæ* appellari poteſt *magnes* lapis qui ob vim, quam habet ferrum ad ſe trahendi, amori atque gratiæ tribui ſolet, vnde apud veteres id nomen ſortitus eſt, vt vocetur *lapis amoris*, atque Græcos magnetem ἔρωτα, id eſt amorem, appellare ſolitos, auctor eſt Pollux, q. d. munus, vtique principi collatum, non aliter eius gratiam & beneuolentiam trahit, quàm magnes ferrum. Mira ſanè, arcana & penè inſcrutabilis eſt vis magnetis in trahendo ferro, adeo vt *magnes* nonnullis dici videatur quaſi *magnus*; licet Plin. l. 36. 17. ab inuentore ita dictum cenſeat, Lucretius verò à loco, putà à Magneſia in qua oritur. Sic enim canit: *Magnetis etymon.*

Quem magneta vocant patrio de nomine Graij,
Magnetũm quoniam patrijs in finibus ortus.

Similis vis trahendi & conciliandi animos eſt in donis & muneribus, vt videantur ipſa eſſe viua & animata, perinde ac Thales, eumque ſecutus Cardanus, cenſuit magnetem eſſe viuum & animatū: vis enim mouendi ſe, inquit, animam oſtendere videtur, licèt hoc rectè confutet Scaliger, & noſter Nicolaus Cabeus l. 2. de Magnete c. 2. Rurſum ſicut vis magneti augetur mole: quo enim maior eſt magnes, eo maiora trahit; ſic & dona quo maiora ſunt, eo magis animos vinciunt. Inſuper ſicut vis magnetis frangitur, & quaſi marceſcit frigore, glacie, imbre, ac pręſertim ſi diu exiſtat ſub aquis, vel in loco humenti, vti docet Cabeus l. 4. c. 25. ac rationem aſſignat; negat verò hanc vim infringendi magnetem allio, cui multi eamdem attribuerunt, ſed falsò: ita donorum vis infringitur, ſi ab animo frigido, tepido, & quaſi aqueo promanent: donum enim ab animo donantis æſtimationem, vim & pondus accipit, animus ergo amore & beneuolentia donum æquet, imò ſuperet, idque vultu & verbis hilaribus ſignificetur: hæc enim animi ſunt indices. Denique Symmach. pro *gemma*, vel, vt heb. eſt *lapis*, vertit, *pondus* (olim enim lapidibus vtebantur pro ponderibus) *gratiæ munus*. q. d. Sicut pōdus libræ lancem cui imponitur degrauat, facitq; eam lancem oppoſitæ præponderare, ſic munus datum iudici, lancem voluntatis eius, indeq; iuſtitiæ, degrauat, & ad ſe trahit, facitque vt parti aduerſæ præponderet, eaq; videatur æquior & iuſtior.

Denique R. Salomon per *munus* accipit orationes, quæ quaſi munus Deo offeruntur. q. d. Quando homo Deo offert munus precum, id Deo velut gemma pretioſa gratum eſt: quare omnium quę poſtulant, felicem ſucceſſum ei concedet. Verùm hoc myſticum eſt munus.

Verſio verò Vulgata, quæ pro *munus* vertit, *exſpectatio præſtolantis*, eſto eodem modo exponi poſſit, vti iam dixi, propriè tamen ſignificat rem quæ exſpectatur. q. d. Cùm res (v. g. donum, beneficiū, dignitatis, victoria, proſper ſucceſſus, &c.) quam quis auidè exſpectauit, diuq; præſtolatus eſt, impletur & aduenit, ita recreat & ſatiat eius animū, ac ſi gemmam gratiſſimam & pretioſiſſimam adeptus eſſet: quare antequam illam adipiſcatur, dum adhuc illam exſpectat, quocumque ſe vertat, prudenter intelligit, id eſt prudēter & intelligenter ſe gerit,

gerit, vt illam quam tam auidè exſpectat, aſſequatur. Aut, vt Ianſen. q. d. Res exſpectata à præſtolante, magni fit ab illo, eſtq; in oculis eius velut gemma gratiſſima: itaque quocumque ſe talis exſpectans vertit, & quidquid aggreditur, aut quocumque diuertit, prudenter ſe gerere ſtudet, vt re deſideratiſſimâ non fraudetur, ſed eam aliquando aſſequatur, iuxta illud c. 13. 12. *Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ deſiderium veniens.* Hinc patet radix, & quaſi ratio à priori, huius ſententiæ, nimirum quòd deſiderium ſit in anima id quod fames eſt in ſtomacho. Sicut ergo famelico gratiſſimus eſt cibus, quo famem exſatiat: ſic deſideranti gratiſſimum eſt potiri re deſiderata: quia illa deſideriū & famem animæ explet. Addit Ianſen. videri noſtrum Interpretem pro שוחד *ſcochad*, id eſt munus, legiſſe שוחר *ſcechar*, id eſt, res manè quæſita: hæc enim eſt *exſpectatio præſtolantis*, quod enim quis prȩſtolatur, hoc ſummo manè quærit & procurat: nā radix שחר *ſcachar* ſignificat manicare, manè ſurgere, manè quærere. Verùm non eſt neceſſe huc cōfugere, præſertim quia *ſcochar* Hebræis non eſt in vſu. Igitur Hebr. ad verbum habent, *lapis gratiæ munus in oculis dominorū eius*, hoc eſt, munus quod domini ſemper in oculis & amore habent, quod prȩſtolantur & exſpectant auide. Nam quod quis amat & deſiderat, hoc iugiter oculis intuetur; hoc ergo eſt *exſpectatio præſtolantis.*

Nota, Hebr. השכיל *haskel*, id eſt intelligere, ſæpè in Scriptura ſignificare pruдēter agere, vti hoc loco vertit Chald. ſtudioſè operari, ſedulò & vigilanter alicui rei incumbere; vt pſal. 40. 1. *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, id eſt, beatus eſt, qui cogitat, vt vertit Chald. ſeduloq; intendit vt ægroto & pauperi proſpiciat. Pſ. 13. 2. *Vt videat ſi eſt intelligens* (intelligenter & ſapienter agens) *aut requirens Deum.* Pſ. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret* id eſt noluit ſeriò intendere & incumbere bonis actionibus; & alibi ſæpè. Deniq; שוחד *ſcochad*, id eſt munus, in Scriptura ſubinde ſignificat mercedem, vti hic vertunt Sept. Merces enim eſt quaſi munus & prȩmium labori congruum & debitum, vt ſenſus ſit. q. d. Merces in oculis laborantis eſt, quaſi ſpecioſiſſima gemma quæ eum ad ſtrenuè laborandum incitat: quare quocumq; ſe vertit, id eſt, quidquid ex pacto & conuentione laborando agit, prudenter & exactè obit, vt mercedem adeò optatam conſequatur: quam proinde illi conductor ilicò peracto labore præſtet oportet, ſi eius merito, voto & exſpectationi ſatisfacere velit.

Hinc anagog. Beda per gemmam gratiſſimam accipit præmia cæleſtia, ſic enim ait: *Qui præmia futura fideliter exſpectat, quaſi gemmæ ſplendidiſſimæ poſſeſſione lætatur. Nam & in Euangelio negotiator ſapiens pro acquiſitione pretioſæ margaritæ, id eſt, deſiderio cæleſti, omnia quæ habuit vendidit: taliſq; exactor, ſiue aduerſa, ſiue proſpera, contigerint, à ſua intentione non flectitur, prudenter intelligens, quoniam diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum.*

Porrò Septuag. pro *gemma* vertunt, *diſciplina*: quia hęc eſt gemma cęleſtis & præſtantiſſima, imò margarita Euangelica de qua Chriſtus Matt. 13. 46. niſi quis dicat Septuag. pro אבן *eben*, id eſt lapis, gemma, legiſſe הבין *haben*, id eſt intelligere, & intelligentia, ſiue doctrina & diſciplina. Sic ergo Septuag. vertunt, *merces gratiarum diſciplina his qui vtuntur: quocumque ſe verterit, proſperabitur*; vel vt

A clariùs auctor Catenæ Græc. *gratiarum virtutumq; merces ijs præſertim qui rectè ea vtuntur, eſt morum doctrina. Quocumque autem eiuſmodi doctrina inſtructus ſeſe verterit, proſperè ſemper incedet.* Quod Polychr. ibidem ſic exponit: *Diſciplina moralis eſt virtutum merces quas gratiarum nomine hîc appellat. Quiigitur virtutum curriculum confecerit, ille moralem ſapientiam quaſi laborum inſumptorum mercedem conſequetur.* Alij verò ſic explicant: *Diſciplina eſt merces gratiarum*, id eſt, diſciplina mercedem gratiſſimam, vel amplam gratiarum virtutumque mercedem, affert ijs, qui ea, vtuntur, eamque opere exercent. Denique noſter Aluarez de Paz tract. de Perfectione, per gemmā gratiſſimam accipit perfectionem virtutum, quam fideles & Sancti auidiſſimè prȩſtolantur, & ad eam totis animi viribus contendunt, ideoque in omnibus cogitatis, dictis & factis prudenter ſe gerunt, caventque ne vel in minimo à via virtutis
B deflectant.

Qui celat delictum, quærit amicitias: Vers. 9.
qui altero sermone repetit, separat foederatos.] Hebr. *qui tegit præuaricationem, quærit amorem: & qui iterat*, vel *mutat*, vel *variat verbum, ſeparat ducem.* Ita Theodot. Pro *fœderatos* hebr. eſt אלוף *alluph*, id eſt ducem, per quem R. Salomon accipit Deum. q. d. Qui alteri vitia obiectat, ſeparat à ſe Deum, qui dixit & ſanxit: *Non quæras vltionē, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*, Leuit. 19. 18. Meliùs alij paſſim per *ducem* accipiunt duces, per enallagen numeri. Noſter vertit, *fœderatos*: quia duces & principes ſolent fœderari, ac inter ſe fœdera ſancire. Poteſt etiam *alluph* ſignificare fœderatum
C alluſione ad אלף *eleph*, id eſt mille, & ad *alluph*, id eſt bos: boues enim gregatim quaſi fœderati incedunt & paſcuntur. Vnde Chald. vertit, *qui repetit ſermonem, diuidit animum*; Septuag. *qui celat iniuſtè facta, quærit amicitiam: qui autem odit* (legerunt שנא *ſone*, id eſt *odit*, pro שנה *ſcone*, id eſt *repetit*) *celare, diuidit amicos & domeſticos.* Ita Roman. & ceteri. Perperam ergo in Complut. pro *diuidit* legitur contrariè ἵστησι, id eſt *ſtatuit, erigit*; Syrus, *qui negat occultare, amicos & domeſticos ſeparat*; Symmach. *qui iterat & repetit ſermonem, ſeparat conſuetudinem*, id eſt, conſuetam amicorum familiaritatem; Vatabl. *qui celat peccatum, quærit amicitiam: qui autem reuelat rem, diſſidere facit principem à principe, id eſt qui peccatum non improperat alteri, declarat charitatem: qui autem improperat, etiam principes amicos à ſe auertit.* Hoc eſt quod dixit Salomon c. 10. 12. *Odium ſuſcitat rixas: & v-*
D *niuerſa delicta operit charitas.* Iam

Primò, S. Chryſoſt. in Catena Græc. per *delictū* accipiens proprium, non alienum, ſic exponunt, q. d. *Qui per virtutes vitia ſua abſcondit, Dei amicus efficitur. Igitur per iuſtitiam, celamus & abolemus iniuſtitiam; per temperantiam & caſtitatem, laſciuiam & intemperantiam, per dilectionem & charitatem, odium & ſimultatem.* Verùm alij paſſim *delictum* hoc loco alienum, non proprium accipiunt. Vnde

Secundò, B. Antiochus ſerm. 64. de Arcano tegendo ſic exponit: Qui celat alterius delictum ſecretò ſibi commiſſum, illudq; in mente ſepelit, hic ſtudet amicitiæ: qui verò illud reuelat, domeſticos a ſe diuidit, omneſq; contra ſe concitat. Sic & S. Chryſoſt. in Catena Græc. qui hunc quoque ſenſum priori annectit.

Tertiò, Tigurin. vertit, *qui variat verba, magnates diſſociat.* q. d. Qui delictum celat, id eſt excuſat, im-

 minuit,

minuit, &, quantum poteſt, obtegit; hic inter diſſidentes facilè pacem & amicitiam conciliat, at verò qui *variat verba*, id eſt, qui delictum per iniuriam alterius exaggerat, amplificat, aliterque narrat quàm geſtum ſit, hic etiam fœderatos *magnates* diſſociat; ac inter eos ſuſpiciones, odia, lites & bella ſuſcitat.

Quartò, plenè & genuinè. q. d. Qui delictum alterius vel contra ſe, vel contra alios admiſſum non diuulgat, nec obiectat; ſed celat, & obliuione ſepelit, nec iratum præſefert; hic mirum ſibi amorem conciliat illius, à quo læſus vel offenſus fuit: rurſum hic alios inter ſe conſociat & amicitia iungit. Qui verò delictum alterius iam ſopitum vel ſepultum identidem repetit & refricat; hic ſeparat tum à ſemetipſo, tum à ſeſe inuicem fœderatos & amicos. Sicut enim vulnus quod cruſtam obduxit, vel malagmate tectum eſt, ſi rurſum aperiatur & fricetur, recrudeſcit: ſic offenſæ & odia obliuione ſepulta, ſi nouis ſermonibus refricentur, recrudeſcunt, acuuntur, & ſubinde inſanabiles euadunt, vti quotidiana docet experientia. Docet ergo Salomon modum quo offenſæ ſedantur, & modum quo renouantur; vt illum amplectamur, hunc refugiamus.

Sic faciebat S. Monica mater S. Auguſt. de qua ipſe in hæc verba ſcribit l. 9 Confeſſ. c. 9. *Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cuius vtero me creaſti, Deus meus, miſericordia mea, munus grande donaueras; quòd inter diſſidentes atque diſcordes quaſlibet animas, vbi poterat, tam ſe præbebat pacificam, vt, cùm ab vtraq; multa de inuicem audiret amariſſima, qualia ſolet eructare turgens atque indigeſta diſcordia, quando præſenti amicæ de abſente inimica per acida colloquia cruditas* (vel, vt alij legunt, *cruditas*) *exhalatur odiorum: nihil tamen alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. Paruum hoc bonum mihi videretur, niſi turbas innumerabiles triſtis experirer, neſcio qua horrenda peſtilentia peccatorum latiſſimè peruagante, non ſolùm iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, ſed etiam quæ non dicta ſunt addere; cùm contrà animo humano paruũ eſſe debeat inimicitias hominum nec exagitare, nec augere malè loquendo, niſi eas etiam extinguere benè loquendo ſtuduerit; qualis illa erat docente te magiſtro intimo in ſchola pectoris. Denique etiam virum ſuum iam in extrema vita temporali eius lucrata eſt tibi, nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat.* Ex dictis liquet, radicem, & quaſi rationem à priori, huius ſententiæ, eſſe charitatem. Ideo enim celans delictum delinquentem ſibi ſuiſque amicat, quia inſignem illi charitatem oſtendit, qua celando eius delictum celat eius infamiam, eiuſq; honorem & famam integram illibatamq; ſeruat. Cordati enim famam maximi faciunt: quare illum qui eam tuetur, mirè diligunt: magnes enim, & illex amoris eſt amor. E cõtrario qui delictum refricat & propalat; hic famam delinquentis lædit & vulnerat, ideoq; eum ſibi ſuiſq; infenſum reddit, vtique ex defectu charitatis & prudentiæ.

Vers. 10. PLVS PROFICIT CORREPTIO APVD PRVDENTEM, QVAM CENTVM PLAGÆ APVD STVLTVM] Hebr. *frangit increpatio intelligentem magis, quàm percutere ſtultum centies*; Septuag. *conterunt minæ cor prudentis: ſtultus autem flagellatus nõ ſentit*; Theodot. *veniet correptio in intelligentem, plus quàm percuſſio in imprudentem*; Chald. *penetrat increpatio intelligentem magis, quàm percutere ſtultum centies virgis*; Syrus, *minæ cor ſapientis opprimunt: & pro increpatione torquetur ſtultus, & non ſentit.* Pro *proficit* hebr. eſt תֵּחַת *techath*, quod aliqui deriuant à radice נָחַת *nache*, id eſt deduxit. Vnde Vatabl. & Caietan. vertunt, *deſcendit in cordatum increpatio*; R. Leui, *decidit*; Theodot. *veniet*. Sed longè veriùs alij *techath* deriuant à חָתַת *chatat*, id eſt fregit, contriuit.

Senſus ergo clarus eſt. q. d. Prudens ſicubi labatur vel erret, magis mouetur, ſi corripiatur verbo, ad corrigendum erratum, quàm ſtultus, id eſt imprudens & improbus, moueatur verbere etiam cẽtuplicato. Correptionem intellige ſiue eam quæ fit ab homine, ſiue quæ fit à Deo, de qua auctor Catenæ Græc. ſic exponit. q. d. *Vir prudens*, inquit, *ob diuinas comminationes corde conteritur & reſipiſcit: ſtultus autem ne fame quidem, aut alia clade aut tentatione pulſatus, ſentit, aut ad frugem ſe conuertit, ſed in malitia obſtinatè perſiſtit, adeoq; diuerſis malis, vindictaq; incommodis vltrò ſeſe inuoluit.* *Prudens corrigitur verbo ſtultus virgis.*

Ratio huius ſententiæ eſt Prima, quòd prudens ſequatur ductum rectæ rationis. Itaque ſi vera ratione oſtendas eum erraſſe, veritati & rationi cedet, erratum agnoſcet, delictum corriget. Stultus verò non ſequitur ductum rationis, ſed phantaſiæ & concupiſcentiæ; cui quia mordicus adhæret, hinc ab ea nõ niſi multis verberibus auelli poteſt. Igitur ſtultus eſt quaſi animal brutum, v. g. canis, equus, aſinus. Sicut enim canis os rodens, ab eo non niſi multis plagis auelli ſe ſinit, imò ſubinde ſinit ſe laniari & enecari potiùs quàm os dimittat: ſic & ſtultus à ſuis cupedijs non niſi multis flagellis abſtrahi ſe patitur. Ita S. Hier. quem citat Dionyſ. hic: *Nihil neceſſe eſt*, inquit, *bis pungere non recalcitrantẽ, cui ſua ratio eſt magiſtra, cui propria conſcientia eſt virga.* At recalcitrantem ſtultum & impiũ multoties pungere eſt opus, vt per viam rectam incedat: quia eius magiſtra eſt phantaſia, nutrix concupiſcentia. *Ratio prima.*

Secunda eſt, quòd prudens ex ignorantia vel infirmitate, quæ verbo correptionis tollitur, labatur & erret; ſtultus verò ex malitia & obſtinatione, quæ non niſi longa duraque verberum malleatione contundi & rumpi poteſt. Rurſum prudens eſt generoſus, honeſtus & verecundus, cui verbum ſufficit ad corrigendum erratum: ſtultus verò eſt ignauus, proteruus & impudens, qui multis plagis cogendus eſt ad officium, iuxta illud Q. Curtij: *Nobilis equus vmbra virgæ regitur, ignauus ne calcari quidem poteſt.* Et illud: *Sapientem nutu, inſipientem fuſte regas & flectas.* Vnde S. Gregor. 3. p. Paſtor. c. 8. *Aliter*, inquit, *admonendi ſunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namq; ab impudentiæ vitio non niſi increpatio dura compeſcit: iſtos autem plerumq; ad melius exhortatio modeſta componit. Illi ſe delinquere neſciunt, niſi etiam à pluribus increpentur: iſtis plerumq; ad conuerſionem ſufficit, quòd eis doctor mala ſua ſaltem leuiter ad memoriam reducit. Illos meliùs corrigit qui inuehendo reprehendit: iſtis autem maior profectus adducitur, ſi hoc quod in eis reprehenditur, quaſi ex latere tangatur. Impudentem quippe Iudæorum plebem Dominus apertè increpans ait: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Ierem. 3. *Et rurſum verecundantem refouet, dicens: Confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis, quia dominabitur tui qui fecit te*, Iſaiæ 54. *Secunda.*

Tertia eſt, quòd prudens prudenter verbis credit & cedit, ne verberibus cogatur: ſtultus autem ſtultè verbis non mouetur, ſed verbera expectat; quibus crebrò ictus tandem callum obducit, fitq; in- *Tertia.*

A inſenſibilis, vti videmus proteruos iuuenes virgis non moueri, ſed potiùs obdurari, ac mancipia flagellis herorum iam aſſueta, illa nihili facere. Vnde eſt illud apud Comicum admonentis, ne ſeruum, qui iam plagas obduruerat occalluerat que, pulſet, vtpote manui ſuę potiùs quàm illi nociturus: *Noli,* inquit, *amabo, verberare lapidem, ne lædas manũ.* q.d. Lapidem verberat qui verberat incaſtigabilem, aut docet indocilem. Talis eſt vinoſus & ebrius, qui dicit Prou. 23. 35. *Verberauerunt me, & nõ dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi: quando euigilabo, & rurſus vina reperiam?* Et impij de quibus queritur Ierem. c. 5. 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.* Ab aſſuetis enim non fit paſſio, & aſſuetudo ſenſum mali adimit, & in plagis qui ſemel dedoluere, induunt indolentiam, nec verbera ſentiunt, perinde ac ſi ſaxeum B habeerent dorſum.

Vers. 11. SEMPER IVRGIA QVÆRIT MALVS: ANGELVS AVTEM DOMINI CRVDELIS MITTETVR CONTRA EVM] Hebr. *ſanè rebellionem quærit malus: & nuntius crudelis mittetur in eum.* Septuag. *contradictiones* (Symmach. *contentiones*; Theodot. *exacerbationẽ*) *ſuſcitat omnis malus: Dominus autem angelum immiſericordem;* (Symmach. ἀσπλαγχνον, id eſt, *ſine viſceribus, vel euiſceratum*) *immittet ei:* vel, vt auctor Catenæ Græc. *improbi & nequam ad vnum omnes ſuſcitant controuerſias & contradictiones: Dominus autem crudelem angelum aduerſus eiuſmodi emittet*; Chald. *verùm vir amarus quærit malum,* &c. R. Salomon: *cuius verba virulenta ſunt & procacia, ſemper malum quærit.* Iam

Primò, Caiet. Prima, inquit, particula anceps eſt: nam verti poteſt, *tantùm rebellis quærit malum,* C vel *tantùm rebellionem quæret malus.* Priorem verſionem ſequitur Vatabl. qui habet, *rebellis dumtaxat malum quærit.* Quod dupliciter exponi poteſt. Primo, q.d. Alij facinoroſi admittunt mala, dum datur occaſio lucri, honoris vel alterius rei illecebroſæ: at rebellis ſtudio quęrit mala, vt rebellionẽ foueat. Secundo, q.d. Rebellis nihil boni, ſed malum dumtaxat, quærit: quia mala dumtaxat ei vtilia ſunt ad ſuſtinendam rebellionem. Id in publicis rebellionibus experientia manifeſtum eſt: in priuatis idem fieri non raro videmus. Sic hoc tempore multis in locis à rebellibus inducta eſt hæreſis, & ſcelera eam conſequentia: quia hæc ſeruiebat rebellioni: nec enim Catholicorum fides & conſcientia rebellionem moliri ſuſtinet. Poſterioris verſionis D ſenſus eſt. q.d. Solus malus, id eſt prauus & peruerſus, quærit rebellionem: & quia rebellio ingens eſt ſcelus, hinc à Deo vindice angelus crudelis mittetur contra eum. Per angelum hunc, id eſt nuntium, intellige vel dæmonem, vel carnificem, qui rebelles plectit, vel ſimilem à Deo deſtinatum ad rebellium caſtigationem.

Secundo, Pagnin. vertit, *profectò vir rebellis quærit malum ſuum, & nuntius crudelis mittetur contra eum.* q.d. Rebellis rebellando ſuo principi vel Superiori, non tam ipſi quàm ſibi malũ accerſit & creat, perinde ac qui contra ſtimulum calcitrat: quia à principe, qui potentior eſt, opprimetur & euertetur. Princeps enim nuntium crudelem, putà lictorem vel milites, qui eum capiant & perdant, in eũ immittet. Exemplum clarum eſt in Pharaone, qui rebellans Deo & Moſi, cum ijſque diſceptans & litigans, grauiſſimas Dei plagas per angelos malos (vt dicit pſal. 77. 49.) immiſſas excepit, adeoque tandem cum toto exercitu merſus eſt in mari rubro, Exodi 14. Pharao ergo eſt exemplum, imò exemplar, vindictæ rebellium. Sic Core, Dathan & Abiron rebellantes Moſi, viui abſorpti ſunt à terra, ac à dæmonibus abrepti in tartara, Num. 16.

Tertio, nonnulli hæc explicant de ſubdito, qui obſtrepit & rebellat Superiori humaniter eũ corripienti: hic enim incidet in manus Superioris ſeueri, qui inſtar angeli crudelis eius peruicaciam duris verberibus contundet & franget. Imò idem Superior qui priùs benignè cũ eo egerat vt ouis, viſa eius peruicaciâ induet perſonam leonis, & in eum deſæuiet vt leo. Sic S. Greg. Nazian. orat. 1. Apolog. de fuga, docet Superiorem imitari debere Proteum, ac varias formas induere, vt nunc in formam agni cum morigeris, nunc in formam leonis cum rebellibus ſe transformet. *Quarta.*

Hæc explicatio vera eſt, ſed arctior. Gnome enim generalis eſt: quare *angelus crudelis,* non tantùm Superior ſeuerus, ſed quiuis alius in rebellem iuſſu Dei deſæuiens, accipiendus eſt. Solet enim Deus iuſto iudicio efficere, vt qui in fortitudine ſuâ præfidentes rebellant Superioribus, incidant in alium quempiam fortiorem ſe à Deo deſtinatum, qui cum eis quaſi duellum ineat, eoſq; debellet, ſternat, contundat & proterat. Hic ergo crudelis adeo, vt nulla miſericordia moueatur, mittetur contra eum, vt eũ morti dedat, ait Aben Ezra; & eum grauiſſima clade afficiat, ait R. Leui: nec vlla pietate moueatur, propterea quod rebellis à Deo defecerit. Rurſus idem R. Leui ſic explicat, q. d. Rebelli non ſatis eſt ex obiurgatione nihil prorſus profeciſſe, niſi etiam defectioni aſſiduè inhiet: & licet ſæuus angelus in eum immittatur: à quo horrenda flagella ſuſtineat, criminibus tamẽ ſuis coronidem impietatis addit. *Quinta.*

Vers. 12. EXPEDIT MAGIS VRSÆ OCCVRRERE RAPTIS FOETIBVS, QVAM FATVO CONFIDENTI IN STVLTITIA SVA] Hebr. *occurrere vrſum orbatum in virũ, & non ſtultum in ſtultitia ſua.* Supple, expedit. q.d. Satius eſt incurrere in vrſum quàm in ſtultum: quia ſtultus pernicioſior eſt vrſo, ait Aben Ezra: vrſus enim corpus; ſtultus, id eſt impius, & corpus & animam perdit. Rurſus vrſi, vtpote bruti, furorem ratione & conſilio declines: at ſtultum qui ratione vtitur & abutitur, imò ea armatur, qua arte declines? Deniq; ſæuior eſt ſtultus vrſo, cùm eum à ſuis catulis, id eſt concupiſcentijs, abducis, corripis & caſtigas. Symmach. *occurrere vrſa orbata virum, & non ſtulto in ſtultitia ſua,* ſupple, melius eſt: Chald. verò, *occurrit,* inquit, *vrſus & terror viro ſapienti, & non commonetur: & ſtultus in ſtultitia ſua cadit*; Septuag. *incidet ſollicitudo viro intelligenti: imprudentes autem excogitabunt mala*; Syrus, *incidit cogitatio & timor viro ſapienti, & ſtulto ſtultitia ſua.*

Hæc ſententia pendet à præcedẽtibus: per ſtultum ergo non quemuis hominem vitioſum, ſed planè prauum, impium & rebellem, qui in monitores ſæuit, accipe, de quo dixit v. præced. *Semper iurgia quærit malus.* Hunc ergo componit & anteponit in ferocia vrſæ, potiùs quàm vrſo. q.d. Satius eſt occurrere vrſæ quàm fatuo, qui præ vrſa furibundus te inuadit, vt tibi famam, opes, vel etiam vitam, imò conſcientiam & animam adimat. Vrſa enim ſæuior eſt vrſo. Audi Ariſtot. libr. 9. Hiſtor. animal. c. 1. *Vrſorum in genere præter morem aliorum animantium femina animoſior eſt ac ferocior,* præſertim *Stultus ſæuior vrſa.*

ſa

ſi quis catulos abripiat & ſuffuretur : tunc enim *Primò.* mirè ſæuit & furit. Vrſa enim præ ceteris animalibus amat ſuos catulos : quia eos parit informes, ac deinde lambendo format, perinde ac ſtultus, ſiue impius, peruerſas ſuas molitiones cogitando, quaſi mente lambendo format, vt eas in aliorum perniciem dextrè exequatur. Vrſa, ait Ariſtot. l. 6. Hiſtor. animal. c. 30. *parit cùmplurimùm quinque, minorem cato, maiorem mure parere ſolet : nudum item & cæcum, & cruribus propemodum membriſq; alijs plurimis indiſtinctum & rudem*, ideoque *inarticulatum*, vt idem ait l. 4. de Gener. animal. c. 6. Sic & Ælianus l. 2. de Animal. c. 19. Audi Plinium l. 8. c. 36. *Hi* (catuli vrſæ) *ſunt candida informiſq; caro, paulo muribus maiores, ſine oculis, ſine pilo : vngues tantùm prominent : hanc lambendo paulatim figurant.* Et S. Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap. 4. vbi vrſam exemplum ſtudioſæ educationis liberorum ſtatuit : *Vrſa quidem*, inquit, *fertur informes vtero partus edere, ſed natos lingua fingere, atque in ſpeciem ſui ſimilitudinemq; formare. Non miraris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit ? Vrſa igitur partus ſuos ad ſui effingit ſimilitudinem, tu filios tuos inſtituere ſimiles tui non potes ?*

Secundò. Addit Plinius amoris vrſæ in catulos argumentum : *Fœtus rigentes apprimendo pectori fouent, non alio incubitu quàm oua volucres.* Et mox : *Oculi eorum hebetantur crebrò. Inualidiſſimum vrſo caput, quod leoni fortiſſimum : ideo vrgente vi præcipitaturi ſe ex aliqua rupe, manibus eo operto iaciuntur : ac ſæpè in arena colapho infracto exanimantur. Cerebro veneficium ineſſe Hiſpani credunt, occiſorumq; in ſpectaculis capita cremant, teſtato quoniam potum in vrſinam rabiem agat. Nec alteri animalium in maleficio ſtultitia* (legendum videtur *aſtutia*) *ſolertior.* Quæ omnia apprimè competunt ſtulto : hinc enim oculi mentis habetantur : caput eſt infirmiſſimum, omnique conſilio, ratione & ſapientia deſtitutum : cerebrum malitia, dolis, fraudibus & inſania refertum, quod illos alioſque in *Tertiò.* vrſinam rabiem & impietatē agit. Hinc vrſus doli æquè ac ferociæ eſt ſymbolum. Ita S. Baſil. hom. 10. Hexam. *Dolus*, inquit, *quoties in anima doli fraudiſq; concinnatrice ſibi delegit domicilium, vrſo quouis in ſuo ſpelæo collatebrante implacabilior eſt.* Vnde malitia Antichriſti dolis armata & roborata comparatur pedibus vrſi, Apocal. 13. 2. Vrſa autem doloſior eſt vrſo. Nam in omni genere animalium, vt ait Ariſtot. l. 9. Hiſtor. animalium *malitioſiores, aſtutiores, inſidioſiores feminæ ſunt, & in enutrienda prole ſolicitiores : mares contrà ſimpliciores minuſq; inſidioſi.* Inſu- *Quartò.* per vrſus dum furit, lapides à tergo iacit in quemlibet, qui occurrit, vel ſequitur, ſine delectu : ſic ſtultus ſi arguatur, probra & maledicta iacit in arguentem, imò in quoſlibet aſtantes ſine diſcretione. *Quintò.* Adhæc vrſus iniuriæ eſt memor : nam poſt plures menſes, imò annos eum, à quo læſus eſt, in magna venatorum turba agnoſcit, inuadit & perimit : ſic & ſtultus iras per menſes & annos alit. Præterea *Sextò.* vrſus nulla miſericordia flectitur, ſed ad necem vſque hoſtem proſequitur. Vnde Ouidius l. 3. Triſtium elegia 5.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.
At lupus, & triſtes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt.

Sic Sapiens & magnanimus parcit hoſti ſe humilianti : at ſtultus inſtar vrſi inflexilis & immiſericors hoſtem proſequi non ceſſat, donec eum proterat & diſperdat.

Iam ſæuiorem eſſe ſtultum furentem vrſâ raptis catulis ſæuiente, liquet ex eo, quod vrſa ſpecie virginis & infantis manſueſcat, quod non facit ſtultus. *Stultus, id eſt impius, ſæuior vrſa.* Refert Ælianus l. 13. Variæ hiſtor. c. 1. Atalantam virginem celebratiſſimam, recens natam à patre Iaſone expoſitam, nutritam fuiſſe ab vrſa, quæ catulis a venatoribus ſpoliata, vberibus lacte turgentibus virginem aluit; itaque & ſuum dolorem ob catulos raptos mitigauit, & virgini vitam contulit. Adde, vrſum multum habere phlegmatis, quo iram & ſæuitiam ſuam diluat. Phlegmatis indicium certum eſt, quòd vrſus in hieme quando generat, per 40. dies lateat quaſi ſopitus & ſemidormiens, tumque ſine cibo viuat, & tamen pingueſcat, teſte Ariſtot. l. 8. Hiſt. anim. c. 17. & Plinio l. 8. c. 36. qui ſic de vrſis ſcribit : *Mares quadragenis diebus latent, feminæ quaternis menſibus. Primis diebus bis ſeptenis tam graui ſomno premuntur, vt ne vulneribus quidem excitari queant. Tunc mirum in modum veterno pingueſcunt. Ab ijs diebus reſidunt, ac priorum pedum ſuctu viuunt.* Stultus autem dum furit, totus in bilem abit, omneque phlegma in cholerã & furorem vertit.

Ratio ergo à priori huius ſententiæ eſt, quòd feritate quæ vrſo eſt naturalis, peior ſit ſtultitia, id eſt improbitas, libera volũtate & deſtinata malitia aſſumpta à ſtulto, id eſt improbo ; & ſicut peior, ſic & acutior & ingenioſior eſt ad nocendum. *Ratio à priori.* Exemplum huius ſententiæ extat in Simeon & Leui filijs Iacob, qui ſtuprum Dinæ ſororis vlturi, ſæuiores vrſis furibundi irruerunt in Sichimitas, omneſque ad vnum perfidè trucidarunt, Geneſ. 34. 25. Similia videmus crebrò in ijs, qui furore vindictæ aguntur in perniciem multorum.

Porrò Septuag. Chald. & Syrus pro *vrſo* vertũt ſollicitudo, timor & terror : quia vrſus de catulis ſollicitus, ac terrorem obuijs incutiens, ſollicitudinis & terroris eſt ſymbolum. Vnde auctor Catenę Græcor. ex Septuag. ſic vertit, *virum intelligentem varia exercent curæ, & ſollicitudines : at ſtulti commentantur & excogitant mala*; Chald. verò, *occurrit vrſus & terror viro ſapienti, non commouetur : & ſtultus in ſua ſtultitia cadit.* q. d. Terrores non rarò occurrunt ſapienti & ſtulto, ſed ſapiens ijs non commouetur, quia conſilio & generoſitate ſua ijs reſiſtit, eoſque diſcutit : at ſtultus ſtultè ijs cedit & ſuccumbit. Vrſus enim terrificus terroris eſt ſimulacrum. Nam vt ait Horatius Epod. 16.

Et veſpertinus circumgemit vrſus ouile.

Et Oppianus graphicè vrſum, eiuſque feritatem & terrorem, ita pingit :

Immanes vrſi, crudelis gens, fera membra,
Viles hirſuto denſoq; teguntur amictu,
Deformes ſpecie, facies inhoneſta, cruenta,
Terrica, ferrati dentes, & magnus hiatus,
Atraq; feruente exhalant ora vapores.

Sic ſæpè dæmon terrificas imaginationes, ſpectra, timores immittit homini, vt eum percellat, & in puſillanimitatem, deſperationem, aliudue ſcelus præcipitet. Sed ſapiens nõ mouetur, imò ridet hæc vt inania ſpectra. Sic S. Antonio apparuit ſpecie vrſorum, leonum, luporum, gigantum, vt eum turbaret; ſed Antonius expertus eius fraudes ea ridebat, ac ſigno crucis & oratione omnes has laruas diſſipabat, vt illicò in fumum abirent. Verè Seneca

ca: *Rerum imagines & phantaſmata nos terrent, non res ipſæ.* Quocirca opus eſt vincere ſuam phantaſiam, ac eam increpare, ſibiq; dicere. Noli ei credere & cedere: phantaſma eſt vanum quod te terret; ſperne illud, & tenues vaneſcet in auras. Qui laborant capitis vertigine, putant omnia gyrari & verti timentq; ſe in abyſſum ruituros. At ſani illos roborant, dicuntque: Nihil eſt quod metuas, ſolidè conſiſtis: non res gyrantur, ſed tuum cerebrum gyris agitur. Ita dicit ſapiens, dum timores occurrunt: Nihil mihi Deo nixo terrorem incutere poterit, imaginationes iſtæ ſunt cerebro immiſſæ: phantaſmata terrifica ſunt, non verò res ipſæ terribiles. Quare ijs non moueor, ſecurus conſiſto in ſinu prouidentiæ diuinæ, cantoq; cum Pſalte: *Qui habitat in adiutorio Altiſsimi, in protectione Dei cæli commorabitur, &c. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.*

Remedium timoris.

Vers. 13. QVI REDDIT MALA PRO BONIS, NON RECEDET (Syrus, *non morietur*) MALVM DE DOMO EIVS] Septuag. *non mouebuntur mala à domo eius.* Sententia eſt clara. q. d. ait auctor Catenæ Græc. Iniquus & ingratus & perfidus *qui beneficium acceptum maleficio compenſat, à Deo vindice continuis inuoluetur malis. Et merito: nam ſi is pœnam meretur, qui malum pro malo reddit, quanto magis ille pœnæ malum experietur, qui malum pro bono reddit?* Eſt enim hæc inſignis non ſolùm ingratitudo, ſed & perfidia, quæ ipſa naturæ iura violat, quam proinde Deus naturæ & ſcelerũ vindex grauibus ſupplicijs, ſiue infamiæ, ſiue paupertatis, ſiue morborum, ſiue perſecutionum, ſiue exilio & carcere, ſiue ipſa morte, quin & poſt mortẽ in filijs & familia punire & plectere ſolet. Hoc eſt quod magno doloris ſenſu de Iudæis queritur Chriſtus per Dauidem: *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatẽ animæ meæ*, pſal. 34. 12. Et: *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem*, pſ. 37. 21. Quocirca Deus Iudæos in Chriſtum tam ingratos, dum ipſi pro doctrina, laboribus, miraculis probra, maledicta & crucem reddiderunt, totius gentis excidio & exitio mulctauit, & mulctat in hodiernum diem. Quod enim ipſi Chriſtum crucifigendo acclamarunt Pilato volenti eum liberare: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros*, vſque hodie videmus compleri, dum ſanguinis Chriſti vltio Iudæos toto orbe profugos vbique terrarum perſequitur. Ita Lyran. Dionyſ. Ianſen. Baynus, Arbor. & alij.

Myſticè, Hugo hanc gnomen adaptat ijs qui indignantur ſuis perſecutoribus alijſq; ſe vexantibus: perſecutio enim ingens eſt bonum, cui proinde bonum, non malum, reſpondere oportet. *Omnis, inquit, qui malefacienti ſibi iraſcitur, reddit malum pro bono: nam omnis moleſtia & tribulatio, bona & ſalutaris eſt homini, vel ad ſatisfactionem, vel ad approbationem & incrementum virtutis, qui igitur tribulanti ſe iraſcitur, quaſi puer ſcabioſus eſt, qui matri lauanti caput eius iraſcitur & comminatur. Item eiuſmodi tribulatio aqua eſt ad extinguendum ignem concupiſcentiæ: qui igitur tribulanti iraſcitur, ſimilis eſt illi, cuius domus ardet, & afferenti ſibi aquam ad extinguendum comminatur. Item tribulatio panis eſt animi.* Thren. 3. *Saturabitur opprobriis: qui igitur tribulanti iraſcitur, ſimilis eſt cani, qui manum porrigenti ſibi panem mordet.* Et paulò poſt obiectioni occurrit: *Sed dices quiſpiam: Et ſi bona faciant tribulantes, non tamen benefaciunt, quia non hoc intendunt, & ideo non ſunt ſuſtinendi. Amice, ſpinæ quæ vineam tuam claudunt & cuſtodiunt, hoc non intendunt facere; ſed ſi ideo reijcis, ſtultus es.* Porrò huius ſententiæ radix & ratio à priori, eſt lex talionis, quæ iubet vt malum malo reddatur, vt, quod iniuſtè quis fecit alteri, idem iuſtè ſubeat & patiatur. Qui ergo reddit mala pro nobis, meretur vt pro malo hoc enormi mala paria recipiat.

QVI DIMITTIT AQVAM, CAPVT EST IVRGIORVM: ET ANTEQVAM PATIATVR CONTVMELIAM, IVDICIVM DESERIT] Salonius per *aquam* accipit linguam, quæ leuis eſt & fluxa inſtar aquæ, ſed hoc myſticum eſt. Hebr. *aperiens aquas principium contentionis: & antequam commiſceatur lis, dimitte*; Chald. *qui effundit ſanguinem ſicut aquam, ſuſcitat iurgia: & antequam exardeſcat lis, dimittenda eſt.* q. d. Sicut accenſa fornax vel pyra, iniectâ modicâ aquâ non reſtinguitur, ſed per antiperiſtaſin magis accẽditur & exardeſcit: ſic etiam ſi in rixa effundatur ſanguis, eo non reſtinguitur rixa, ſed magis exardeſcit, vt maiores pugnæ cædeſque committantur. Syrus, *qui effundit ſanguinẽ, iudicium excitat ante principem*; Septuag. aliò abeunt, *poteſtatem*, inquiunt, *dat ſermonibus principium iuſtitiæ; præcedit autem egeſtatem contentio & iurgium*; alij, *principium iurgiorum eſt ſicut aqua erumpens, &c.* Vers. 14.

In noſtra Latina verſione, æquè ac in Hebræo, more Hebraico ſubintelligenda eſt nota comparationis *ſicut.* q. d. Sicut qui aquis in vaſe vel alueo cõcluſis rimam vel foramen aperit, facit, vt primò quidem parum, ſenſim verò creſcente foramine ac fluxu, multum aquæ inde defluat, quod agros integros obruit & vaſtat: facilè enim aperitur foramen, & ſemel apertum difficilè clauditur: ita pariter qui initium dat litibus & iurgijs, dat occaſionẽ & viam aperit magnis iurgijs, rixis, ſeditionibus & bellis, quæ deinde difficillimum eſt ſopire, quo fit vt aliquando totæ ciuitates, prouinciæ & regna in ſchiſmata abeant, & in bella diuturna cõcitentur. Lis enim litem ſerit non vnam, ſed multas, ſicut ab vno frago ſeruntur plurima.

ET ANTEQVAM PATIATVR CONTVMELIAM, IVDICIVM DESERIT] Eſt antitheſis hemiſtichij præcedentis, quales hîc paſſim occurrunt. q. d. E contrario qui iurgia vitat, ille ſtatim litem & iudicium forenſe, antequam patiatur contumeliam, deſerit. Aut potiùs eſt illatio & cõcluſio ex priori hemiſtichio educta. q. d. Qui dat initium liti, aperit ianuam magnis iurgijs: ergo qui ſapit, initio litem & iudicium forenſe deſerit, antequam patiatur contumeliam, & antequam liti per ſæcula duraturæ ſeſe implicet. Hunc eſſe ſenſum patet ex Hebræo, qui habet, *antequam lis commiſceatur, dimitte.* Ita R. Salomon, Aben Ezra, Ianſen. & alij, vnde Tigur. vertit, *vt qui aquis aperit* (exitum & fluxum) *ſic qui primùm occaſionem litigandi dat: antequam lis commiſceatur, abijcienda eſt*; & Vatabl. *velut is qui aperit ripam fluuij, &c. nam à principio aquæ exitus paruus eſt, ſed poſtea fit magnus: ita & in lite.* Docet ergo Salomon prudenti, fugiendas eſſe lites, ideoq; prima eius initia ſuccidenda: quia dato initio, lites ſenſim ſine ſenſu increſcunt, fiuntq; inextricabiles & inſuperabiles, vt homini quietem, opes, famam, vitam & ſubinde conſcientiam adimant. Vnde Baynus ſic breuiter & clarè explicat. q. d. Sicut ille qui aperit aquas, & foſſâ ſcindit, magnæ inundationis cauſam præſtat, quàm poſteà nõ poteſt cohibere, neq; reuocare: ſic contentioni & iurgio facilè eſt dare principium, litem verò componere difficillimum. Vel ſenſus eſt. q. d. Qui principium dat contentioni,

tentioni, totius litis eſt habendus auctor; ſicut ille A qui aperit & dimittit aquas inundare ſuper terram, quæ priùs ſuo alueo defluebant, inundationis eſt auctor. Et proinde vt in ceteris affectibus moderandis principijs obſtandum eſt; ita quoq; in litibus & contentionibus: nam vt aqua ruptâ foſsâ non poteſt reuocari, ita nec ira & contentio vbi ſemel cœperit, vires acquirit.

Prouerbium hæreſiarchas & ſectarum magiſtros maximè condemnat, iuxta ſenſum allegoricum. Antiſtrophum huic ſententiæ eſt illud Arabum adagium centur. 1. n. 12. *Eſt onager cui ſuperueniunt venatores*, id eſt celerrimè fuge cùm ex inopinato tibi ſeperueniunt rixæ: onagri enim in fuga & curſu ſunt celerrimi. Et illud paradoxum Platonis, quod citat Cicero in Tuſcul. *Dimidium plus toto.* Sępè enim auari in lite cupiunt totum, & parti aduerſæ dimidium offerenti non acquieſcunt; ſed B lite totum repetunt: quo fit vt ſæpè cauſa cadant, &, qui totum auarè ambiebant, totum perdant: illis ergo *dimidiũ eſt plus toto.* Sic S. Gregorius Nazianz. vltrò ceſſit Archiepiſcopatu Conſtantinopol. vt lites Epiſcoporum ſedaret, vſurpans illud Ionæ: *Si propter me orta eſt tempeſtas, proijcite me in mare, vt vos iactari deſinatis*, qui proinde in diſtichis Iambicis ita n. 53. conſulit:

Lites panorem queis mouent, iras fugant.
Lites furorem nam ſæpè gignunt grauem.

Idem conſilium dedit Chriſtus Matth. 5. 25. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Et v. 40. *Ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et S. Aug. in Regula c. 37. ita ſancit: *Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè* C *finiatis; ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem ſuum homicida eſt*, 1. Ioan. 3. Quia, vt idem ait epiſt. 87. *Sicut acetum corrumpit vas, ſi diutiùs ibi fuerit: ſic ira corrumpit cor, ſi in alium diem durauerit.* Huc accedit S. Greg. qui altiùs litium exordium arceſcens, illud tribuit rupturæ ſilentij. Sic enim ſcribit part. 3. Paſtor. admonit. 15. *Hinc* (ex multiloquio) *ſeminantur ſtimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum. Aquam quippe dimittere, eſt linguam in fluxũ eloquij relaxare. Quo contrà in bona etiam parte iterum* Prou. 18. *dicitur: Aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput eſt iurgiorum: quia qui linguam nõ refrænat, cõcordiam diſsipat.* Eadem habet l. 7. Moral. cap. 17. D

S. Gregorium de more ſecutus Beda ſic breuiter explicat: *Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorũ: quia qui linguam non refrænat, concordiam diſsipat. Vnde è diuerſo ſcriptum eſt Prouerb. 26. Qui imponit ſtulto ſilentium, iras diſsipat.* Sic & Salonius, qui per *aquam* metaphoricè accipit linguam, quę inſtar aquę mobilis eſt & fluxa. *Figuratè*, inquit, *hoc dictum eſt: nam per aquã deſignatur lingua leuis & fluxa: & qui immodicè linguam ſuam relaxat, caput eſt iurgiorum: quia qui linguam ſuam non refrænat, iurgia & lites concitat, & concordiã diſsipat.* Maximè id verum eſt in eo, qui reuelat ſecretum amici, ſiue vitium, ſiue conſilium, ſiue propoſitum: hic enim cauſa eſt inimicitiæ, odiorum, rixarum & litium. Minùs rectè Lyran. per *aquam* accipit *vinum*, quod, vt ille aiebat, eſt *aqua vitis*, ſiue vite per ſolem decocta. q. d. Qui dimittit aquam, bibens vinum nimis forte, caput eſt iurgiorum, quæ oriuntur ex ebrietate, *& antequam patiatur contumeliam, iudicium* (diſcretionis) *deſerit*, lædẽdo proximum ſine cauſa.

Secundò, appoſitè ſic exponas. q. d. *Qui dimittit* vel, vt hebr. eſt, *aperit, aquam* fluminis, vel fontis aut ſtagni, vt ſcilicet eam, quæ iuris eſt communis, in ſuos vſus deriuet, ſibique quaſi approprieт; hic eſt origo & cauſa iurgiorum. Sic videmus molitores, dum aquam publicam ad ſuum molendinum deriuant, incidere in lites cum nautis, qui queruntur aquam fluminis ab illis imminui, vt per illud iam nauigare nequeant; & cum agricolis, qui querũtur agris ſuis ſubductam & ſuffuratã fluminis irrigationem; & cum quibuſuis alijs, qui eiuſdem adaquationem ſibi ademptam ſentiunt, eamque iure repetunt. Parœmia ergo hæc ſignificat cauſam litium frequentem eſſe, cùm quis bona communia, qualis eſt aqua, ſibi facit propria: tunc enim ceteri, quibus commune erat bonum, in illum inſurgũt, illique litem intentant. Quare qui ſapit, *antequam patiatur contumeliam, iudicium deſerit*, malens cedere re, quam in ſuos vſus conuerterat, illamque publico bono reſtituere, quàm in lites incidere quibus ſibi ignominiam & mulctam acceſſat, dum quaſi boni publici depeculator cõdemnatur, infamatur & mulctatur. Hinc illa ſapientum vox: *Qui in communi ſingularia ambit, auctor eſt litium.* Et illud Iſocratis ad Demonicum: *Ex communibus procurationibus diſcede non ditior, ſed glorioſior: multis enim pecunijs melior eſt profecta à multitudine laus.* Sic videmus in monaſterijs eos, qui ſingularia quærunt, omnium in ſe odia concitare. *Singularis enim ad omnia ſua ſtrenuus, ad communia eſt piger*, ait S. Bernard. tract. de Gradibus ſuperbiæ gradu 5.

Redeo ad dimittentem aquas. Sanè cernimus Romæ crebras oriri lites de aquis fontium, v. g. de aqua Virgine, ex quâ pleriq; bibunt de canalibus fontiũ, quos Sixtus V. & Paulus V. Pontif. in Vrbem induxerunt. Cùm enim hæ aquæ per vncias & ſemuncias in minores tubos & canales deriuatę varijs ſint diuenditæ, ac ſæpè fontes tantum aquæ non ſuggerant, quantum cuilibet diuenditum eſt; aut, ſi ſuggerant, id aliò diuertatur, quod facile factu eſt, ſi quis tubum maiorem aut demiſſiorem tubis aliorum, communi conchę, in quam fons influit, inſerat: hic enim maiorem & puriorem aquã hauriet cum ceterorum damno; tunc ſanè damnum paſſi litem illi vel heris, qui aquã diuendiderunt, mouent, coguntq; tubos omnes ad æquilibrium communi conchæ inſeri, & ad quantitatem vnciæ vel ſemunciæ qua aquam emerunt præcisè redigi, ne, ſi maiores maneant, plus aquæ ſugant quàm par eſt, quod proinde ſortem alijs debitam imminuat.

Tertiò, aliqui ſic exponunt. q. d. *Qui dimittit aquam*, id eſt, qui dimittit memoriam beneficiorum (quam Plutarch. l. de Amicitia vocat, *gratiarum dolium*) ab amico acceptorum, eorumq; obliuiſcitur, hic *caput eſt iurgiorum*, quia beneficia vinculum ſunt amicitiæ, quæ ſi per ingratitudinem obliuioſam aboleantur, mox veteres iniuriæ refricantur, & nouæ ſuccedunt, quæ iurgiorum ſunt ſemina. Verùm huic expoſitioni non cohæret altera pars hemiſtichij: *Et antequam patiatur contumeliam, iudicium deſerit.*

Quartò, alij cenſent alludi ad aquam, quæ agit

rotam

rotam molendini: hæc enim per aquam influentē circumacta, ſi non habet frumentum quod molat, lapides ipſos molares rotatu ſuo ita allidit, vt ex iis velut è ſilice ignem eliciat, qui cōtinua lapidum colliſione increſcens, ingens excitat incendium, quo totum molendinum exuritur, ſimili enim modo lingua in familiaribus colloquiis, cùm non ſubeſt aliqua vtilis materia, quam, vt ita dicā, molat; ſubiectum ſibi lapidem atterit, id eſt, ad proximorum detractiones, probra & cōtumelias ſe vertit, quibus rixarum ignem ſuſcitat, adeò vt illius ſcintillis non vna tantùm domus, ſed vrbes magnæ non rarò deflagrent. Rota ergo molaris diſcordiarum incendium excitans, eſt lingua effrænis, de qua S. Iacobus c. 3. 6. *Lingua*, inquit, *conſtituitur in membris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis inflammata à gehenna.* Vbi Vatablus: *Lingua eſt*, inquit, *quæ adducit in diſcrimen totum hominem, cùm inconſultè mouetur, vt more molendinorum totum molendinum incendant, vbi nimio motu ignem conceperint. Et anteqnā patiatur contumeliam, deſerit iudicium*, ſcilicet vir ſapiens contentionem dimittit, priuſquam aduerſarius conuitia in illum iaciat, & dedecus aliquod ipſi afflet. Hic ſenſus profundus eſt & appoſitus, ſed multa ſupplet, ipſique ſententiæ adiicit.

Quintò, Septuag. Hebr. מָדוֹן *madon*, quod Noſter vertit, *iurgiorum*, vertunt, *iuſtitiam*, *madon* enim ſignificat litem, rixam, contentionem & iudiciū: lites enim in iudicio apud iudicem peraguntur, vt iudex eas ex iuſtitia decidat & definiat. Rurſum pro *dimittit*, vel, vt hebr. eſt, *aperit aquam*; Septuag. vertunt, *poteſtatem vel licentiam dat ſermonibus.* Videntur enim alludere ad clepſydram, quæ olim fiebat ex aquæ (vti nunc fit ex arenæ) fluxu: olim enim actores & accuſatores in iudicio perorabant ad clepſydram, vt, cùm illa effluxiſſet, ceſſarent & darent locum reis ad ſe defendendum. Vnde Apuleius de Aſino aureo, *Rurſum*, ait, *præconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exurgit, & ad dicendi ſpatium vaſculo quodam in vicem colli gracilitate fiſtulato, ac per hoc guttatim defluat infuſa aqua, ad populum ſic orat.* Hinc ab aqua græcè dicta eſt clepſydra, quaſi κλέφυσα ὕδωρ, id eſt, ſuffurans aquam. Et, Philoſtratus in Adriano Sophiſta, appellat ſophiſtas clepſydræ, qui ad fluxum aquę exercebantur, Et Cicero lib. 3. de Oratore de Pericle loquens: *At hunc*, inquit, *non clamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat.* Quare dimittere aquam in clepſydra, eſt dare licentiam & initium perorandi. Igitur Septuag. ſic vertunt. *poteſtatē dat ſermonibus principium iuſtitiæ: præcedit autem egeſtatem contentio & iurgium*; vel, vt clariùs vertit auctor Catenæ Græc. *Principatus* (Græcum enim ἀρχὴ & principatū & principium ſignificat) *iuſtus orationi libertatē & poteſtatem impertit: diſſidium autem & pugna ad egeſtatem viam ſternit.* q. d. Iudex vel princeps iuſtus dat litigantibus, putà tam actori accuſandi, quàm reo ſe defendendi iuſtum ad perorandum ſpatium: qui verò cautus & prudens eſt, lites & litigia fugit: quia hæ litigantes depauperant, & ad egeſtatem redigunt. Plurimæ enim & continuæ litigantium ſunt expenſæ in aduocatos, procuratores, teſtes, iudicem, &c. qui litigantium opes emungunt. Sic ergo explicata verſio Septuag. eōdem redit quò Vulgata Latina.

Symbolicè noſter Aluarez de Paz tractat. de mortificat. inter. per aquas accipit cogitationes

A mentis, quas omnes Sancti in Deo cęloque colligunt & deligunt, ideóque ſatietam quietam & lætam agunt vitam. Quòd ſi per incuriam eas dimittant, & deorſum fluere ſinant, vt ſcilicet cogitent de pompis & vanitatibus mundi, ilicò oritur in eis mentis diſtractio, inquietudo, lis & iurgiū, dum concupiſcentia trahit mentem deorſum, charitas verò ſurſum. Quod animæ iurgium fusè deſcribit Apoſtolus Roman. 7. Quocirca Chriſtus Marthæ circa multa ſollicitæ ait: *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10. 41. Et S. Gregor. Nazianz. in Carm. de Beatitudine:

Felix, inquit, *à mundo abſtractus, qui viuit eremo*
In rigida, & mentem tollit ad aſtra ſuam.
Felix, qui multis inrictus, non plurima verſans
Diſtrahitur, pectus ſed dedit omne Deo.
B *Felix, qui Chriſtum fortunis omnibus emit*, &c.
Non homo iam, ſed quis de grege cælicolûm.

Vers. 15.

QVI IVSTIFICAT (id eſt, iuſtum pronuntiat) IMPIVM, ET QVI CONDEMNAT IVSTVM, ABOMINABILIS EST VTERQVE APVD DOMINVM] Hebr. eſt elegans paronomaſia: מַצְדִּיק רָשָׁע וּמַרְשִׁיעַ צַדִּיק *matſdic raſca vmarſcia tſaddic*; id eſt, vt Pagnin. *iuſtificans impium, & impium faciens iuſtum, abominatio Domini ſunt etiam ambo*; Septuag. *qui iuſtum iudicat eum qui iniuſtus, iniuſtum autem eum qui iuſtus, immundus & abominabilis apud Deum*; Vatabl. *ex æquo* (quaſi parem iniuſtitiam & parem iniquitatem) *abominatur Dominus tam eum qui ſceleſtum abſoluit, quàm qui inſontem damnat*, par enim Deo ſit iniuria, & par eſt peruerſio iuſtitię, ſiue eam iuſto, cuius eſt, deroges; ſiue eam iniuſto, à quo abhorret, arroges. Ratio quaſi à priori eſt, quod Deus per eſſentiam ſit ipſa iuſtitia increata, immenſa & fontaſis: C ab ea ergo velut à fonte manat omnis iuſtitia creata angelorum & hominum, quam proinde vt ſuam amat, ac vice verſa odit & abominatur omnem iniuſtitiam, quaſi ſibi eſſentialiter contrariam, & à dæmone profectam.

Ratio à priori.

Tripliciter id fieri ſolet, per tres impietatis & impij iudicij gradus, gradatim increſcentes. Primò enim, auctor Catenæ Græc. exponit hæc de iudicio priuato. *Iudicare*, inquit, hoc loco non refertur ad forum ciuile, ſed ad iudicium & ſenſum animæ. Idem eſt hîc enim *iudicare*, quod *reputare* vel *æſtimare*. Colligitur hoc ex eo, quòd apud Deum immundum & execrabilem illum eſſe prædicat, D qui iuſtum iniuſtum iudicat, & contra iniuſtum iuſtum. Monet autem per hoc Sapiens, ne quid vnquam iuſto aut vero anteponamus. Qui enim iuſtum condemnat, & abſoluit iniuſtum, grauem facit iniuriam iuſto, vtpote inſonti & innocenti, ac ipſi iuſtitię & virtuti. Denique occaſio & cauſa eſt, vt alij mores iniuſti imitentur, iuſti verò aſpernentur. Id ſæpè faciunt homines ex priuato amore vel odio: quem enim amant, eius actus licet vitioſos excuſant & laudant, quem verò oderunt, eius actus licet honeſtos, culpant & ſiniſtrè interpretantur. Hoc eſt quod queritur Pſaltes pſal. 9. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Sic multi laudant actus omnes, etiam otioſos, diuitum, nobilium, potentum, adulando, quia ab iis officium vel beneficium ſperant. Ita explicat S. Hieron. in epiſt. ad Philemon. cuius verba tranſlata ſunt in Ius Canonicum, & habentur 11. q. 3. can. 54. *Si quis dixerit*, & can. 55. *Si quis*

hominem. Si quis, inquit, *hominem, qui ſanctus non eſt, ſanctum eſſe crediderit, & Dei eum iunxerit ſocietati, Chriſtum violat, cuius corporis omnes membra ſumus. Qui dicit,* inquit *iuſtum iniuſtum, & iniuſtum iuſtum, abominabilis vterque apud Deum eſt. Similiter qui ſanctum dicit eſſe non ſanctum, & rurſum non ſanctum aſſerit ſanctum, abominabilis apud Deum eſt.*

Secundò, Baynus, Vatabl. Ianſenius & alij hæc exponunt de iudicio forenſi, quo iudex vel amore, vel odio, vel metu, vel munere corruptus, condemnat innocentem, & abſoluit nocentem, iuxta illud Iſaię 5.23. *Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.* Hæc eſt inſignis iniuſtitia propriè dicta, euertens iuſtitiam commutatiuam, ac proinde obligans ad reſtitutionem. Iudex enim à Deo conſtitutus eſt, vt quaſi vicarius nomine Dei iuſtitiam adminiſtret, & ius ſuū cuique tribuat: quod ſi non facit, Deo & iuſtitię & innocenti grauem iniuriam irrogat, atque ad reſtitutionem damni tenetur.

Tertiò, hæc ſententia accipi poteſt de ipſa iuſtitia & iniuſtitia. q. d. *Qui iuſtificat impium,* id eſt impietatem impij, *& qui condemnat iuſtum,* id eſt, iuſtitiam iuſti, abominabilis eſt Deo. Id faciunt homines peruerſi, qui vitia virtutum nomine palliant, & virtutes vitiorum ſpecie dehoneſtant: verbi gratia, qui pietatem vocant hypocriſim, parſimoniam vocant auaritiam, prodigalitatem vocant liberalitatem, obſcœnitatem vocant vrbanitatem. Rurſum ſuperbum vocant magnanimum, humilem verò puſillanimem: temerarium vocant audacem, modeſtum ſimplicem: guloſum vocant iouialem, abſtinentem autem ſcrupuloſum. & ita de ceteris.

Hic tertius & ſummus eſt impij iudicij & impietatis gradus. Hi enim totam virtutum & vitiorum fortunam naturamque inuertunt, & peruertunt, perinde ac ſi quis humanitatem homini adimeret, eamque beſtiæ cuipiam transcriberet; ac feritatem à beſtiâ in hominem transferret; itaque faciunt, vt homines vitium pro virtute capeſſant, virtutem verò quaſi vitium abominentur. Quocirca abominabiles ſunt Deo, qui proinde eis væ æternæ maledictionis intentat, dicens Iſaiæ 5.20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum,* vbi illuſtres hac de re ſententias S. Gregorij & Maximi recitaui. Huic Salomonis ſententiæ parallela eſt illa Arabum cent. 1. n. 11. *Eſto vnicuique libra,* id eſt, eſto unicuique æquus & iuſtus.

VERS. 16. QVID PRODEST STVLTO HABERE DIVITIAS, CVM SAPIENTIAM EMERE NON POSSIT] Hebr. *vt quid, pretium in manu ſtulti, vt emat ſapientiam, & cor non eſt ei?* ita Pagnin. & Aben Eſra, *vt quid,* ait, *opes ſtulto, cùm corde careat,* id eſt, cùm nulla ſapientiæ cupiditate teneatur, ideoque indocilis ſit & ſapientiæ incapax? Senſus ergo eſt. q. d. Fruſtra ſtultus, id eſt vitioſus, habet diuitias, cùm ijs ſapientia per ſe emi nequeat, nec ipſe habeat cor, id eſt animum & prudentiam, ad eam comparandam, vt ſcilicet ſuis opibus comparet ſibi libros & viros ſapientes, qui eum ſapientiam doceant: imò cùm ipſe ſit vecors & excors; hinc diuitijs ad ſua vitia, putà gulam, libidinem & faſtum, abutitur. Diuitiæ ergo in manu ſtulti ſūt id, quod gladius in manu furentis, qui ſcilicet ex furore eo vti neſcit, ſed ad ſuam & aliorum læſionem abutitur. Eſt mioſis: parum enim dicitur, ſed plus ſignificatur: dicitur enim opes non prodeſſe, ſed ſignificatur eas obeſſe, & nocere plurimùm ſtulto, vtpote quem faciunt ſuperbum, guloſum, luxurioſum, &c. Significat Salomon diuitias ſine ſapientia eſſe inutiles & vanas, imò noxias, eò quod à ſapiente per ſapientiā in opera vtilia pietatis & miſericordiæ ſapienter expendi debeant. Vnde Septuag. & ex ijs S. Ambroſ. libr. 1. Offic. capite 27. vertunt, *vt quid abundant pecuniæ imprudenti? acquirere enim ſapientiam excors non poterit.* Vnde infert S. Ambroſ. *Primus igitur officij fons, prudentia eſt.*

Secundò, Chald. vertit, *ad quid prodeſt negotiatio vel mercatura ſtulto, qui non habet cor, neque ſcientiam?* q.d. Mercator qui totus intendit mercaturæ & lucro, vt augeat opes, nec habet cor, id eſt animum & prudentiam ad comparandam ſapientiam, id eſt virtutem qua honeſtè viuat, & ad felicitatem opesque cæleſtes perueniat, hic vtique ſtultus eſt, ac fruſtra merces opesque conquirit. Vnde Ariſtot. lib. 2. Rhetor. cap. 16. *Diuitiæ,* ait, *nihil ferè aliud ſunt quàm felix amentia.* Et S. Chryſoſt. hom. 7. in epiſt. ad Coloſſenſ. ait, cupiditatem diteſcendi eſſe belluam & monſtrum monſtroſius Scyllâ, Chimerâ & Hippocentauro, ac proinde cupidum *habere omnes ſimul belluas.* Idem S. Chryſoſt. hic in Catena Gręcor. *Senſus,* ait, *myſticus eſt: Quorſum paganis aut hæreticis datur ſapientia; cùm ad damnationem ſuam illâ abutuntur? Quorſum diteſcere feſtinas; cùm ante omnia illud parare te oporteat, quod omnibus pecunijs præſtantius, & ad ſalutem animarum magis neceſſarium eſt, nempe ſapientiam.*

Ex dictis patet, radicem & quaſi rationem à priori, huius ſententiæ eſſe præſtantiam ſapientiæ & vtilitatem opum, ex quo fit, vt opes ſapientiæ velut inſtrumenta ſubſeruire, ab eaque regi rectèque & ſapienter expendi debeant, vt ſuum finem, ad quem à natura & à Deo creatæ ſunt, aſſequantur: quo fit, vt ſtulto qui ſapientiâ caret, opes ſint inutiles & noxiæ.

Symbolicè, Beda, Dionyſ. Caietan. Ianſen. & alij: Diuitiæ ſpirituales, inquiūt, ſunt S. Scriptura, ingenium, ſcientia, eloquentia, quin & fides, ſed hæc nō proſunt homini, etiam Chriſtiano, ſi ſtultus, id eſt vitioſus ſit: quia per hæc veram ſapientiam, id eſt gratiam & gloriā, comparare nequit, eò quòd vitijs ſuis addictus ſit. *Quid prodeſt,* ait Beda, *Iudæo vel hæretico habere diuitias Script. cùm in his Chriſtum intelligere non poſſit? Quid malo Catholico expedit diuitias habere veræ fidei, cùm ſapientiā piæ actionis habere neglexerit?* Vnde Cyrillus in ſuis Prouerbijs (vti citat hic Dionyſ.) *Auaritia,* inquit, *habet oculum, ſed non viſum: nam bonum diligit, ſed ſummum bonum,* (propter quod cetera appetenda ſunt) *non agnoſcit.* Hinc Abbas Neſteros apud Caſſian. collat. 14. cap. 16. ex hac Salomonis ſententia docet, malos veram ſapientiam habere non poſſe. Eſto enim mali ſubinde ſint philoſophi, & calleāt omnes humanas diſciplinas; tamen veram ſcientiam, quæ in Dei cognitione, amore & cultu conſiſtit, obtinere nequeunt.

QVI ALTAM FACIT DOMVM SVAM, QVÆRIT RVINAM: ET QVI EVITAT DISCERE, INCIDET IN MALA] Hic verſus deeſt in Hebræo, niſi quòd in eo v. 19. habeatur, *& qui exaltat oſtium, quærit ruinam;* vnde hanc ſententiam manaſſe cenſet Ianſenius: ſed Noſter eam tranſſcripſit ex Septuag. qui ſic habent: *Qui excelſam facit domum ſuam*

ſuam, quærit contritionem: qui autem tortuosè accedit ad diſcendum, incidet in mala. Græcè eſt ὁ δὲ σκολιάζων τοῦ μαθεῖν quod Complut. vertunt; *renuens diſcere incidet in mala*; auctor verò Catenæ Græc. *qui ea quæ ſcire debet diſcere detrectat, incidet in mala*; Roman. autem, *qui tortuosè accedit*: σκολιὸν enim græcè vocatur obliquum, tortuoſum, flexuoſum, incuruum, diſtortum, confragoſum, malignum, prauum: inde σκολιάζω idem eſt quod obliquo, intorqueo, incuruo.

Grammaticè, ſiue per corticem literæ, ſignificat eos, qui altam ædificant domum, ruinam ſibi accerſere, nam

Summa petunt validi fternuntq; cacumina venti.

Rurſum altæ domus ſua mole & pondere dehiſcunt & ruunt, niſi magnis fundamentis craſſiſque parietibus ſint ſubnixæ: hoſce autem ſæpè negligunt auari, ſed ſuperbi, qui alta ſpectant domorum faſtigia, nec attendunt ad fundamentorum & parietum ſoliditatem. Qui ergo altam facit domum, quærit ruinam & contritionem, vt ſcilicet ruens repentè nimis alta domus, conterat ædificatorem cum habitatoribus ſuis.

Iam ſub hoc cortice literæ, & ſenſu quaſi grammatico parabolice, & quaſi medullitus ſignificatur Primò, eos qui ſuas fortunas & familias impendio ditare & exaltare volunt, accerſere ſibi ruinam: tum quia citò maleq; parta citò dilabuntur, iuxta illud c. 13. v. 11. *Subſtantia feſtinata minuetur*: tum quia res omnes huius mundi caducæ ſunt, cumque ad ſummum & ad culmen peruenerunt, deficere & prolabi incipiunt.

Secundò, ſignificat eos, qui modum excedunt, & nimis magna moliuntur, prolabi & ſua ſe ruina inuoluere. Ita S. Chryſoſt. in Catena Græc. *Qui modicum excedis*, inquit, *in penuriam tandem dilapſus, deterior euadis: vt domus, dum in altitudinem iuſto celſiorem erigitur, ruinæ periculo exponitur (Fundamenta namque impoſitam molem ſuſtinere non valent:) ita in amentia quoque res habet. Cùm enim rationis noſtræ baſi onus imponimus, quod ferre nequit, deorſum ruit.*

Tertiò, ſignificat eos, qui ſuperbè magnos ambiunt honores, dignitates & prælaturas, atque officia capeſſunt ſublimia, quę ſuas vires & dotes ſuperant, inde cum dedecore deiici, cùm eorum ineptitudo vel ambitio, vel aliud ſcelus patefit. Hinc dicec inſipientes eſſe, qui cum gaudio officium regendi alios ſuſcipiunt, pro quibus exactam Deo reddituri ſunt rationem. Quare verum eſt iſtud vulgo tritum: *Vita priuata, vita beata.*

Quartò, ſignificat eos, qui iactant ſuam doctrinam plus æquo, quique docere volunt quòd non didicerunt, vt habeantur doctores, trahantq; poſt ſe greges diſcipulorum, cum probro deleri vel deponi, dū eorum ignorantia & vanitas pateſcit. Ita parœmiam hanc interpretatur ipſe Salomon, dum eam explicans ſubdit: *Et qui euitat diſcere, incidet in mala*, putà in probrum, infamiam, priuationem cathedræ, &c. Ratio à priori eſt, quòd mala euitari nequeant, niſi illa per prudentiam præuideantur, & præuiſa amoueantur; prudentiam autem diſcere negligit ſtultus, quo fit vt per imprudentiam in mala corruat. Pro *euitat* græcè eſt σκολιάζων, id eſt obliquans, detorquens fabricam diſciplinæ & doctrinæ: qui enim erigere molitur ſine magiſtro, qui eſt inſtar periti architecti, hic eā obliquat ac detorquet, ac proinde ruinæ obnoxiā efficit. Senſus ergo eſt. q. d. Sicut is, qui ædes altiùs attollit ſine perpendiculi ac regulæ examine, ædificium ſtatim ruiturum extruit: ſic pariter ſapientia quę ſine pręceptore ac doctore conſtruitur, velut indirectus & incuruus paries, vbi altiùs erecta eſt, multis erroribus depreſſa labaſcit. Nam præceptoris inſtitutio ſimilis eſt perpendiculi ac regulæ, quo ſapientię ſtructura regitur, ne vllis erroribus incuruata hiſcat vel fatiſcat. Accedit auctor Catenæ Græc. qui ſic explicat. q. d. *Qui cognitionē qua pollet, nimium effert, ille ab ea tandem deorſum deturbabitur.* Et Hugo Victorin. lib. 1. Didaſcal. *Principium diſciplinæ*, inquit, *humilitas eſt, & nihil addiſcit inflata ſuperbia, qua quis vult ſine alterius hominis adiutorio ad virtutis faſtigium euolare. Qui altā facit domum ſuam, quærit ruinā: & qui euitat diſcere, incidet in mala. Non omnes qui altas ædificant domos, ruinam quærunt, ſed illi qui ſine firmo fundamento, & ſine debita coniunctione lapidum, magnam molem conantur extruere. Sic qui ſine humilitate, qua ſe magiſtro ſpirituali docenti ſubiiciant, volunt altiſſimam perfectionem adipiſci, ſolent non minimos caſus experiri.*

Tropolog. monet hîc Salomon fugere excelſa, vtpote ruinæ vicina, humilia ſectari, vtpote ſtabilia & ſecura nimirum

Alta petit liuor, perflant altiſſima venti

Et: *Procul à Ioue, procul à fulmine.* Et,

viue tibi, & longè nomina magna fuge.

Rurſum, mundus, quia ſuperbus, ſpectat excelſa dumtaxat, hinc imprudenter negligit fundamenta, vtpote ima: quo fit vt excelſa debilibus ſubnixa fundamentis ruant. Sic ſtatua illa aurea Nabuchodonoſoris, quæ mundi mentem & vanitatem repræſentabat, erat alta ſexaginta cubitos: ſed quia iuſtam non habuit latitudinem, hinc corruit: lata enim erat dumtaxat ſex cubitos, cùm debuiſſet in latitudine eſſe decē cubitorum: latitudo enim hominis eſt ſexta pars altitudinis eiuſdem. Statua ergo hominis alta ſexaginta cubitos requirit decem cubitos latitudinis, vt docet Vitruuius, Cardanus, & alij.

Denique monet hîc Salomon, altitudinis & celſitudinis fundamentum & firmamentum eſſe humilitatem, quo ergo altiùs vis ſcandere, vel in terra, vel in cælo, eo profundiùs te humilia. Trita ſunt verba Auguſt. in ſerm. 10. de Verbis Domini: *Magnus eſſe vis, à minimo incipe: cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.*

OMNI TEMPORE DILIGIT QVI AMICVS (Chald. *ſocius*) EST: ET FRATER IN ANGVSTIIS COMPROBATVR] Hebr. *& frater ad anguſtiam* (vel *in anguſtia*) *naſcetur*; Syrus, *frater ad tribulationem naſcitur*; Chald. *frater ad tempus anguſtiæ natus eſt.* *Frater* hîc dupliciter accipi poteſt: Primò, pro fratre propriè dicto; Secundò, pro amico. Priore acceptione ſenſus erit. q. d. Amicus & frater ſimiles ſunt, pariſque ſortis & conditionis. Sicut enim amicus verus, non adulterinus, omni tempore tam aduerſo quàm proſpero amico fidus eſt: ſic pariter frater maximè in aduerſitate ſe fidum & verè fratrem oſtendit. Ad hoc enim Deus & natura producit fratres, vt fratri in anguſtiis adſint & opitulentur. Sic Ioſeph fratres in anguſtiis famis aluit, ac Iudas Machabęus fratres & cognatos, totumque Iſraelem in anguſtiis perſecutionis ab Antiocho protexit & vindicauit, VERS. 17.

dicauit. *Frater* enim dicitur quaſi *ferè alter*; atque, vt ait Petrarcha: *Decet eos quos eiuſdem alui anguſtiæ continuerunt, numquam ſibi in quibuſlibet calamitatum & ærumnarum anguſtiis deeſſe.* Id volunt Septuag. dum vertunt, *in omne tempus amicus ſit tibi: fratres autem in neceſſitatibus vtiles ſint: huius enim rei gratiâ naſcuntur.* q. d. Fac vt amicitiam colas cum amico & fratre quouis tempore, etiam aduerſo, vt ſemper ille ſit tibi amicus; & te amicum ſentiat: ac viciſſim quære amicum, qui omni tempore tibi ſit amicus. Ita auctor Catenæ Græc. *Senſus eſt*, inquit, *neque in lætis, neque in triſtibus amicum deſeras: aut ſi quos tibi amicos parare volueris, tales parato, qui quouis tempore tibi adſint.*

Poſteriori acceptione, quæ hoc loco congruentior eſt, ſenſus eſt. q. d. Amicus omni tempore diligit, adeoque in anguſtiis ſe verè amicum, id eſt fratrem, oſtendit. Amicus enim amici eſt quaſi frater, imò ſæpè pluſquam frater, iuxta illud c. 18. 24. *Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater.* Contra hoc præceptum peccant amici delicati, qui ab amico leui verbo icti, aut exili iniuria affecti, amicitiæ teſſeram rumpunt. An iuſtum eſt vnius iniurioſæ prætextu aboleri tot tantorumque beneficiorum ius & memoriam? O quàm verum eſt illud Plauti in Pœnulo: *Si quid benefacias, leuior plumâ eſt gratia: ſi quid peccatum ſit, plumbeas gerunt iras.*

Fundamentum huius ſententiæ & quaſi ratio à priori eſt, quòd amicitia naturalis, qualis fuit Philoſophorum & Ethnicorum, vt ſit virtus, non vtilitatis, ſed honeſtatis cauſa ineatur. Bonum autem honeſtum præſtat vtili, eòque eſt altioris ordinis. Quare vt hoc bonum honeſtum, ſiue honeſtatem amicitiæ tuearis, neceſſe eſt eius cauſa bona vtilia poſtponas, iiſque cedas, & ſi opus ſit, prodigas & perdas in gratiam amici & amicitiæ, vtque illi adſis in āguſtiis, cùm periculum eſt ne opes, libertatem & dignitatem amittas. Hiſce enim omnibus maius bonum eſt amicitia. Addit, quòd amicitia hoc nomine & fine maximè ineatur, vt homo in huius vitæ aduerſis & anguſtiis habeat amicum, qui eas leuet, ſoletur, amoueat & diſpellat cōſilio, auxilio & ſocietate ſua, vt ſcilicet ad amicum quaſi ad aſylū vltimumque refugium confugiat. Hoc ſignificat *& frater ad anguſtiam naſcitur*, vt habent Hebr. q. d. Sicut frater fratri adnaſcitur, vt eum in anguſtia adiuuet: ſic pariter amicus amico cōparatur, & ciuiliter quaſi adnaſcitur, hoc fine & vſu, vt eum in anguſtia adiuuet. Hic enim eſt ſcopus amicitiæ; quem ſi tollis, tollis amicitiam, eiuſque vſum. Rurſum; *frater in anguſtia naſcitur*, vt vertunt aliqui: quia ſicut matres magno dolore & anguſtia ex vtero fœtum fratremque enititur: ſic vera ſolidaque amicitia, veruſque & ſolidus amicus, paritur & naſcitur in aduerſitate, ſi in ea ſe amico fidum conſtantemque præſtet; perinde ac patientia naſcitur conſtanti paſſione aduerſitatū, ac martyrium naſcitur conſtanti toleratione tormentorum & mortis pro Chriſto.

Quocirca virtus amicitiæ quaſi concipitur in proſperis, putà in ſuaui beneuolaque conuerſatione cum amico; eadem verò eiuſque ſoliditas & decus propriè generatur in aduerſis. Fidelitas enim in aduerſis parit amicitiam ſolidam & ſtabilem. Vnde Nazianz. in Iambic. 45.

Fidis, ait, amicis nil puta præſtantius.
A *Quos caſus aſper parturit, non pocula,*
Qui profutura conſulant, non quæ placent.

Frater ergo non tam neceſſitudinis iure oſtenditur, quā neceſſitatis occaſione. Igitur ſicut anguſtia vteri enititur fœtum & fratrem, ſic anguſtia tribulationis quaſi vterus enititur paritque veram ſolidamque amicitiam & amicum.

Porrò R. Leui ſic explicat τὸ *naſcitur*. q. d. Frater à fratre dum proſperè agit, ſæpè negligitur: at ſi in calamitatem incidat, ilico ad ei ſuccurrendum excitatur, naturâ ad id impellente, cùm eâdem compagine corporis oſſiumque conſtet.

Amicitia verò ſupernaturalis eſt amor & charitas, quæ Deo nititur, vtitur & conciliatur: propter eum enim quem diligis, diligis & amicum. Quare ſicut amorem Dei præponis amori cuiuſli-
B bet rei terrenæ, ſic & amorem amici: & ſicut in anguſtiis non deſeris Deum, ſic nec amicum. Idē enim eſt amor quo amas Deum, & amicum propter Deum. Vnde Beda per amicum accipiens Deum, ſic explicat: *Qui Dominum verè amat, omni tempore eius cuſtodit amorem: neque in anguſtia paſſionis deſerit, quem in pacis tranquillitate confeſſus eſt*, vt fecit S. Stephanus, S. Laurentius, S. Vincentius, ceterique Martyres. Ita S. Auguſt. (vel quiſquis eſt auctor) lib. de Amicitia cap. 10. *Fundamentum amicitiæ*, ait, *Dei amor eſt, ad quem omnia quæ vel amor ſuggerit, vel affectus; omnia quæ vel occultè aliquis ſpiritus, vel palàm quiſlibet ſuadet amicus, referenda ſunt, diligenter inſpicienda; vt quidquid aſtruitur, fundamento conueniat: & quidquid illud excedere deprehenditur, ad eius formam reuocandum, & ſecundùm eius qualitatem omnimodam conuertendum non dubi-*
C *tes.* Idem capite 15. citans hanc gnomen Salomonis: *Diſſuendæ*, ait, *ſunt amicitiæ, non rumpendæ omnino. Amicitia æterna eſt: vnde omni tempore diligit, qui amicus eſt. Si te læſerit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit, vt amicitia retrahatur, numquam tamen ſubtrahatur dilectio. Conſule quantum potes ſaluti; proſpice famæ: nec vmquam amicitiæ eius prodas ſecreta, quamuis ipſe tua prodiderit.* Et cap. 19. *Nil*, ait, *in amicitia fide præſtantius, quæ ipſius nutrix videtur & cuſtos. Ipſa ſe in omnibus aduerſis & proſperis, lætis & triſtibus, iucundis & amaris, præbet æqualem: eodem intuens oculo humilem & ſublimem, pauperem & diuitem, fortem & debilem. Ipſa tamen fides in proſperis latet, eminet in aduerſis. Omni enim tempore diligit qui amicus eſt.* Et capite 20. *Forma amicitiæ*, ait, *eſt quam ſermo diuinus præſcripſit: Diliges*, inquit, *proximum tuum ſicut teipſum. Tunc erit ipſe quem diligis, alter tu, ſi tuam in ipſum transfuderis charitatem.*
D *Non enim vt ait Ambroſius, vectigalis eſt amicitia, ſed plena decoris: gratia virtus eſt, non quæſtus: quia pecunia non potitur, ſed gratia; nec licitatione pretiorum, ſed contertatione beneuolentiæ. Non debet eſſe mercenaria, ſed gratuita. Certiores ſunt amicitiæ inopum, quàm diuitum, cùm ſpem lucri ſic tollit paupertas, vt augeat charitatem.*

Denique Salomonem more ſuo ſecutus Siracides Eccli. 6. 7. *Si poſſideris amicum*, inquit, *in tentatione poſſide eum, & ne facilè credas ei. Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.* Similis habet cap. 37. v. 4. vbi veterum hac de re gnomas recitaui. Huc facit illud Senecæ: *Amicos ſecunda res optimè parant, aduerſa certiſſimè probant.* Plura de amicitia dixi Eccleſiaſt. 6. 17.

Myſticè

Myſticè R. Halcuſi apud Galatin. lib. 3. de Arcanis fidei c. 28. *In omni tempore eſt amans amicus, & frater ad anguſtiam, vel ad tribulationem naſcitur. Hic, ait, eſt Deus ſanctus & benedictus, qui dixit, Frater ego ero Iſraeli in hora tribulationis, vel anguſtiæ eius. Sicut dictū eſt* pſ. 121. *Propter fratres meos & amicos vel propinquos, vel ſocios meos, loquar nunc pacē in te.* Subdit Galatinus: *Hactenus traditio. Ex qua clarè habetur, Deum amicum & fratrem Iſraelis dici, eò quòd futurus ſecundum humanitatem ad anguſtiam naſceretur.* Chriſtus enim in incarnatione maximè ſe amicum & fratrem nobis exhibuit, nos liberans ab anguſtiis peccati, mortis & gehennæ, imò hac vna de cauſa incarnari & naſci voluit.

Vers. 18. STVLTVS HOMO PLAVDET MANIBVS SVIS, CVM SPOPONDERIT PRO AMICO SVO] Hebr. *homo deficiens corde percutit manum, ſpondens ſponſionem coram amico ſuo.* ita Pagninus, Septuaginta verò, *vir imprudens plaudit & congaudet ſibi, cùm etiam ſpondens ſpoſponderit ſuos ipſius amicos.* Aliqui codices habent, *ſuum ipſius amicum*: adduntque. *Et in ſuis labiis condit ignem*: ſed hæc deſunt in Roman. Complut. & Reg. Chaldæus, *filius hominis indigens intellectu pangit manum ſuam, & ſpondet fideiuſſionem pro amico ſuo*; Syrus, *præbet manus ſuas*; Vatablus, *mente captus defigit manum, ſpondetq́; ſponſionem in conſpectu proximi.* Additque. *Defigere manum eſt fideiubere: qui enim pro aliis fideiubent, ſolent dare dexteram*; Tigurina, *qui ſtipulata manu pro proximo fideiuſſor ſpondet imprudens eſt.* Auctor Catenæ Græcorum ex Septuag. ſic vertit, ſicque explicat: *Vir ſtultus manibus plaudit, ſtolideq́; ſibi blanditur: ſicut & ille quoque, qui certa ſponſione pro amico ſuo fidem ſuam obligauit, cum tamen ardentem ignem ſuis ſibi labiis acciuerit. Qui alteri inuiſè gratificatur, inquit, indicem contra ſe incendit, ſibique certum detrimentum aſciſcit.* Alius: *Qui propter adulationem, aut exiguum aliquod munuſculum, pro amico ſpondet, neque excitat illum vt debitum ſoluat, ignem conſumentem aduerſus ſeipſum theſaurizat, damnumq́ue propter ſponſionem minimè vulgare ſibi acceſſit. Aduerte, non ſimpliciter animum dicere ſed, animum ſuum. Cur non etiam inimico beneficium hoc præſtandum admonet? quia doctrina illius, quæ inimicos quoque diligendos tradit, necdum idonei auditores erant. Ergo ne oratio præuaricationem conciliaret, intra amicitiæ limites rem definit*; hæc anonymus in Catena Græc.

Nota. Pro *plaudit* hebr. eſt תוקע *tokea*, quod ſignificat figit, defigit, percutit manum, ſtipulatur. item clangit, plaudit: vnde תקע *teka* vocatur clangor, & תקוע *takoa* buccina, lituus, tuba. Noſter Septuag. & Theodot. vertunt, *plaudit manibus.* plaudere enim eſt manuū, plodere pedum. Plaudere enim eſt manibus pulſare, & ſtrepitum facere in ſignum lætitiæ, quaſi congratulando & exultando pro re bene geſta, v. g. quòd ſua ſponſione amicum è creditoris manibus & carcere liberarit. *Sic pennis plaudet perdix, & Cicoma ſibi plaudet crepitante roſtro*, ait Ouid. 6. Metamorph. Sic finitâ comœdia aiebant *Plaudite*. q. d. Applaudite comœdiæ bellè peractæ.

Ratio à priori huius ſententiæ eſt, quòd ſpondens pro alio ingens onus in ſe ſuſcipit, nimirum obligationem ad ſoluendum alterius debitum: quare ſapiens id conſiderans metuit, & tardè ad ſponſionem accedit. Stultus verò quia onus hoc non conſiderat, ſed tantùm præſentem amici liberationem, hinc temerè plaudit & exultat. Quocirca ſæpè meritas ſtultitiæ ſuæ, ſtultæq́; ſponſionis pœnas luit, dum æs alienum, pro quo ſpopondit, ſi debitor ſoluendo non ſit, vel ſoluere nolit, ipſe dependere cogitur; hæc ſententia aſſignata & explicata fuit cap. 6. 1. quare hic verbum non addam.

Myſticè Beda: *Stultus eſt*, inquit, *qui cùm animam fratris ſuſcipit regendam, de ſuis gloriatur actibus. & non potius ei humili compaſſione quidquid poteſt auxilij ſalutaris impendit.* Sic hodie lætantur multi cùm opimos paſtoratus, vel epiſcopatus, aut abbatias obtinent, cùm potiùs gemere deberent ſub tanto onere, quòd tot animarum curam in ſe ſuſcipiant, pro iiſque animam ſuam & æternam ſalutem Deo oppignorent. Quocirca *epiſcopatus eſt onus angelicis humeris formidabile*, ait Concil. Trident.

Vers. 19. QVI MEDITATVR DISCORDIAS, DILIGIT RIXAS: ET QVI EXALTAT OSTIVM (perperam aliqui legunt *os*) SVVM, QVÆRIT RVINAM] Hebr. *diligens præuaricationem, diligens litem: & qui extollit oſtium ſuum, quærit fracturam* vel *rupturam* vel *contritionem.* Prius hemiſtichium duobus modis efferas. Priori. q. d. Qui diligit præuaricationem, hic diligit litem. ita Noſter. *Præuaricatio* enim Hebræis ſæpè idem eſt quod diſcordia, rebellio, ſchiſma, apoſtaſia. Sic Moab dicitur *præuaricatus fœdus*, id eſt rebellaſſe regi Iſrael, 4. Reg. 3. 5. Poſteriori, q. d. Diligit præuaricationem is qui diligit litem. ita Pagnin. Baynus & alij. Lites enim multa iurgia, conuitia, blaſphemias, aliaque peccata generant. Vnde Septuag. *amans peccatum gaudet rixis: & durus corde non occurrit bonis*; Chaldæus, *qui diligit peccatum, diligit rixam*; Syrus, *qui diligit iniquitatem diligit iniquitatem & oppreſſionem: qui extollit portam, ſibi ruinam quærit.* S. Thom. 2. 2. quæſt. 41. art. 2. ad 5. diſcordias & rixas alienas intelligit. q. d. *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas: Hoc eſt*, inquit, *qui intendit ſeminare inter aliquos diſcordias, procurat quod ad inuicem rixentur.* Alij diſcordias proprias accipiunt. Iam

Primò, R. Salomon ſic exponit: Qui in amicum machinatur nefaria (Hebr. פשע *peſcá*, id eſt ſcelus) hic diligit rixas: contentiones enim & iurgia ſectatur. *Qui exaltat oſtium*, id eſt, qui ſuperbè & arroganter loquitur, *quærit ruinam*. Os ergo & oſtium ſunt idem, iuxta illud Micheæ 7. 5. *Cuſtodi oſtia* (Noſter vertit, *clauſtra*) *oris tui.* Sicut enim oſtium claudit vel aperit domum; ita os ſilendo claudit, loquendo pandit ſecreta mentis. Sic & Aben Ezra: Qui, inquit, vocem extollit, quæ eſt oſtium ſermonis, hic ſibi extremam perniciem inferri curat: os enim eſt oſtium ad mentem. Accedit Lyran. Qui exaltat oſtium, hoc eſt, inquit, qui os ſuum eleuat ſemetipſum iactando, & alios præ ſe contemnendo, quærit ruinam; quia multos contra ſe concitat, qui eum agant in ruinam.

Secundò, R. Leui. q. d. *Qui meditatur diſcordias* Hebr. *peſca, id eſt malum, hoc eſt: qui optat vicinum deprehendere in iis quæ dicūtur vel fiunt, eaq́; nimis anxiè & acutè perpendit, diſſidia liteſque amat, cùm inde rixæ gignantur. Qui attollit oſtium ſuū, vt in rebus eam proſpiciat rationē, qua ſe in ſublimioris dignitatis ſede collocet, ex quo fiat, vt in rebus crimen reperiat, ſeipſum magnæ æſtimationis dignitatiſq́; virum, ſummiſque honoribus dignum reputans, hic inquam ſuam quærit perniciem: nam ita grauiſſima mala in ſe accerſit, quod quidem eleganter hac metaphora oſtium attollentis adum-*

bratum eſt: contingere enim non poteſt, vt qui in ſublimi oſtium ſuum ædificat, inde corruat, & confringatur. Minùs rectè R. Dauid Kimchi ſic explicat. q.d. Omnis qui vacat ædificiis, puta fabricandis domibus excelſis, depauperabitur.

Tertiò Caiet. vertit, *amans rebellionem, amat contentionem, eleuans oſtium ſuum quærit fractionem.* ſicque explicat: Qui eleuat oſtium ſuum non tam corporeâ elatione, quàm vſurpatâ auctoritate, volens ſeruari impunes ingredientes oſtium domus ſuæ: multi enim nobiles & principes ſic exaltant oſtium domus ſuæ, arrogantes ſibi ius impunitatis & aſyli; ſed hi quærunt fractionem: quia à rege vel magiſtratu, cuius eſt capere ſontes, oſtium eius effringitur; ipſeque ſubinde velut rebellis ab eodem malè mulctatur.

B Quartò Baynus hæc nectens verſui præced. de ſtulti fideiuſſione, ſic explicat q. d. Non eſt ſatis tutum fideiubere pro amico: nam ſunt, quos iuuat lites ſectari; quod inde cõſtat, quia amant ruinam, ſiue (vt eſt in Hebræo) præuaricationem, hoc eſt, amant non ſtare promiſſis. Et ſicut qui ędificãdo eleuat portam ſuam, hoc eſt ædes ſuas (totum à parte) confractionem & rupturam ædium quærit, dum altitudini robur ædificij non reſpondet (quãuis hoc non animaduertat ille) ſic qui exaltat & eleuat oſtium oris ſui, maiora pollicendo quàm præſtare poterit, & pro ſuis promiſſis amicũ vult fideiubere; hic contritionem & ruinam quærit amici; quòd eum litigare amat, poſteaquam præuaricatus eſt, promiſſa non præſtans. Iuxta ſenſũ myſticum, prouerbium eſt contra eos qui manum mittunt ad aratrum, & retro reſpiciunt: qui cùm plura pollicentur quàm præſtant, exaltatione oris propriam ruinam quærunt. hæc Baynus.

C Quintò, noſter Salaſar ſic exponit: Qui exaltat oſtium ſuum, id eſt, qui difficiles ad ſe aditus facit ſentiet odia, indeque ruinam. Qui enim exaltat limen oſtij ſui, facit vt difficilis ſit per oſtium ad ſe ingreſſus.

Sextò, & genuinè. q.d. Qui cupit introducere diſcordias, hic quærit lites: ex litibus enim oriuntur & creſcunt diſcordiæ. Aut q.d. Qui per ſuperbiam & faſtum, ſic eſt animo affectus, vt ſemper ab aliis ſenſu diſcordet, & contrarium ſentiat, ac defendere velit contrarium ſententiæ aliorum: hic re ipſa oſtendit ſe amare rixas, quæ ex hoc diſſenſu & diſcordiâ oriri natæ ſunt, ac communem pacem turbant. Vnde cauſam diſcordiarum ſubdit dicens: *Qui exaltat oſtium, quærit ruinã. q.d.* Qui exaltat oſtium & conſequenter domum ſuam, hic eſt cauſa diſcordiarum. Cauſa enim eſt, cur vicini

D non ferentes eius domum præ ſua attolli & eminere, illiſque imminere, vt eius luminibus aëri & perſpirationi officiat, vtque in eam, eiuſque hortos & aulas proſpectum habeat, illiſque quaſi dominetur; indignantes illi litẽ moueant, cogantque vt eam deijciat, & ceteris adæquet, quæ ſanè ingens eſt eius infamia & ruina. Hinc in vrbibus, vbi viget politia, magiſtratus non ſinunt, vt quis domũ altiorem ceteris ædificet; ſed ad altitudinem vicinarum fabricet, uti Antuerpiæ omnes ad æquam altitudinẽ fabricatas vidi. Facit enim hęc domorum æqualis celſitudo ad vrbis elegantiam, & ad vicinorum commoditatem & pacem. Hic ſenſus eſt parœmiæ quoad corticem litteræ, ſub quo parœmiaſticè, ſiue prouerbialiter, ſignificatur cauſa diſcordiarum eſſe eum, qui domum ſuam præ

A ceteris attollit; id eſt, qui ceteris in re æqualibus eminere & antecellere ſatagit, vt ceteros præ ſe deſpiciat, eiſq; imperare & dominari velit. Quocirca contra hunc omnes inſurgere, illiq; lites mouere, donec eius faſtum & faſtigium ſternant, eumq; ſibi æqualem, imò ſubinde inferiorem efficiant, ac pedibus calcent. Quare qui oſtium ſuum præ vicinis attollit, id eſt qui ceteros ſuperare, eiſque antecellere nititur, hic ſibi accerſit ruinam. vide dicta v. 16. Æternæ enim veritatis certa lex eſt, & ordo congruus, vt omnis qui ſe exaltat, humilietur. Omnibus enim exoſa eſt ſuperbia, & ſuperba ſui præ ceteris exaltatio, cùm in communitate omnia debeant eſſe communia & æqualia. Radix ergo diſcordiarum & litium eſt cupido excellẽtię. Ita docet D. Thomas 2.2.q. 38. art. 2. vbi quęrẽs. *An diſcordia ſit filia inanis gloriæ?* reſpondet: *Dicendum quod diſcordia habet affinitatem cum inuidia, quantum ad receſſum eius, à quo aliquis diſcordat, vel ex quo contendit: ſed quantum ad id, in quo ſiſtit ille qui contendit, habet conuenientiam cum ſuperba gloria, in quantum ſcilicet in proprio ſenſu ſtatur.*

Et paulò antè: *Diſcordia eſt filia inanis gloriæ, eò quod diſcordantium vterq; in proprio ſenſu ſtat, & vnus alteri non acquieſcit. Proprium autem eſt ſuperbiæ & inanis gloriæ, propriam excellentiam quærere.* Condemnat ergo hæc ſententia vitium ambitionis & præcellentiæ, vt quod ſit diſcordiarũ, litium, ruinæ & contritionis cauſa. Sicut enim in domum altiorẽ ceteris inſurgunt flabra ventorum, ſic in ambitioſum inſurgunt flabra verborum, imo flabra verberum. Id videre eſt in ciuitatibus, collegiis, monaſteriis, vbi eos qui ceteris ſe præferunt, aut à cõmuni obedientia onere lege ſe ſubtrahunt, ceteris inuiſos & oroſos fieri cernimus. Sanè Romę medicus inſignis mihi aſſeruit, ſe per 28. annos variis in monaſteriis medicum egiſſe, ac continuâ experientiâ deprehendiſſe; in illis miſerrimos eſſe, ac tum corpore, tum animo aſſiduè affligi illos, qui valetudinis aliáue prætextu à cõmuni vita ſe ſubducunt, ac in victu, veſtitu, aliiſque rebus ſingularia appetunt. Vnde concludebat: *Optima morborum omnium, tum corporis, tum animi, tum priuatorum, tũ communium medicina eſt humilitas*, qua ſe homo nemini præponit, ſed ceteris adæquat & componit, imo omnibus ſubiicit & poſtponit.

Nota hic ſtylum & profunditatem Prouerbiorum Salomonis: ſtylum, quo annexa, puta antecedentia & conſequentia eorum, quæ dixit priori hemiſtichio, poſteriori attexit. Profũditatem, quâ eodem dictorum cauſas & effectus aſſignat. Priori enim dixit, diſcordias parere rixas, poſterori, eorum antecedentia & conſequentia, puta cauſas & effectus, indicat. q.d. Diſcordiæ pariunt rixas. At vis noſſe diſcordiarum originem & radicemè en illam digito ad fontem intento tibi indico, dicoque radicem eſſe appetitum præcellentiæ. Vis pariter noſſe effectum & finem, in quem illæ deſinunt: en tibi aſſigno ruinam & exitium. Igitur vide catenam huius vitij: appetitus excellentiæ parit diſcordias, diſcordiæ pariunt rixas, rixæ rixãtes agunt in mutuas cædes, in ruinam & perniciem. ita alta deſinunt in ima, ſuperbia in deiectionem, celſitudo in ruinam.

QVI PERVERSI CORDIS EST, NON INVENIET BONVM: ET QVI VERTIT LINGVAM, INCIDET IN MALVM] Pro *qui vertit linguam*, hebr. eſt *verſus, conuerſus* vel *peruerſus in lingua ſua* Vers. 29.

He-

Hebræi enim carent verbis compoſitis, vnde ſimplici vtūtur pro quolibet compoſito. Hinc Chald. vertit, *& qui peruerſus eſt in lingua ſua, incidet in malum*. Sicque poſterior pars priori quaſi effectus cauſæ reſpondet. Peruerſum enim cor gignit peruerſam linguam. q.d. Qui peruerſum habet cor & mentem, hic non inueniet bonum: at qui adeò peruerſus eſt mente, vt & peruerſa in aliorū perniciem lingua effutiat, hic vtique in mala cladeſque graues incidet. ita Vatabl. qui vertit, *qui peruerſus eſt in corde, non inueniet bonum: peruerſus autem lingua ſua, cadet in malum*.

Peruerſus lingua tri-plex. Iam *peruerſus lingua*, Primò eſt mendax: hic enim veritatem in mendacium vertit & peruertit. Quare Plato in Sophiſtâ mendaces comparat figulis, qui lutum vertunt & ſubigunt, vt vaſa figlina effingant. *Figuli, inquit, ſunt mendaces: illi enim fabulas, illi vaſa fingunt.* Secundò, ſunt detractores hi enim famam proximi in infamiam, ac nō rarò veritatem in mendaciū vertunt & peruertunt. Tertiò, & valde appoſitè, ſunt, qui doloſis & fraudulentis verbis alios circumueniunt, & in damna vel fortunarum, vel carceris, vel infamiæ, vel peccati, vel fidei, putà in hereſim, inducunt.

Senſus ergo eſt. q.d. qui peruerſo corde aliis machinatur malum, hic indignus eſt bona ſorte & fortunâ, ac proinde illâ ſæpe à Deo priuatur. At qui dolos & malum, quod aliis machinatur, re ipſa exequitur, & linguâ fraudulentâ loquēdo ſtruit; hic vtique agēte vel iudice, vel Deo vindice, incidet in malum, ac ſæpe in illud ipſum, quod aliis ſtruxit, ait Aben Ezra, iuxta illud: *Conſilium malum conſultori peſſimum*, vti contigit Aman, qui Mardochæo, Sauli & Architopheli qui Dauidi, cōſiliariis Darij qui Danièli cap. 6. ſtruxère inſidias. Huic ſenſui fauet, quod ei *qui vertit linguam* cōponitur, & quaſi ex æquo opponitur, is *qui peruerſi cordis eſt*. Pro quo hebr. eſt עקש *ickes*, id eſt peruerſus, verſutus, fallax, falſus, qui ſimulat & diſſimulat, ac ſpecie recti & veritatis fallit; ſicut pro *qui vertit linguā* hebr. eſt נהפך *nepach*, id eſt, inuerſus lingua, hoc eſt, qui vertit, inuertit, ſubuertit, obuertit peruertit linguam. Vnde Exod. 7. tribuitur virgæ, quæ à Moſe verſa fuit in ſerpentem, vti peruerſi linguas ſuas quæ ſunt humanæ, vertunt in ſerpētinas: inde תהפכות *tapuchot* vocantur peruerſa & peruerſitates: ac פוך *puch* vocatur fucus, quo fucatur facies, eiuſque color mutatur & vertitur.

Secundò, Pagnin. vertit, *peruerſus corde non inueniet bonum, & qui verterit ſe in lingua ſua, cadet in malum* quod Septuag. ſic clarè exponunt: *Durus corde non occurrit bonis: vir facilè mutabilis in lingua, incidet in mala.* Quod Rudolphus Primò, attribuit infidis, qui fidem datā non præſtant, ſed fallunt: hi enim ob perfidiam in lites & pœnas graues incurrunt. Secundò, Hugo & alij attribuunt adulatoribus: hi enim inſtar rotæ mutant & conuertunt vultus & verba ſua ad nutum principis vel amici, cui adulantur. Vnde S. Baſilius eos comparat polypo, qui omnem ſaxi, cui ſe coniungit, colorem in ſe ſuſcipit. Alij comparant eos lunæ & planetis, qui lumen ad Solis intuitum, & motum ad cælorum ſuperiorum ductum commutant.

Nuper Catholicus vir grauis in Anglia, rogatus à primario reginæ Eliſabethæ conſiliario, qui ſecretò Catholicus haberi volebat, quid de ſe ſentirent Catholici tranſmarini? argutè reſpōdit: *Cenſent te eſſe planetā, ac moueri gyrari; motu primi mobilis*. Qualem ergo planetæ motus, talem ſenſus & ſermonis vertiginem ſubeunt adulatores, vt principum gratiam incant, ideoque ſæpe corruunt inſtar eorum, qui vertigine circumacti ruunt in terram, vti videre eſt in monachis Turcicis, qui Deū colunt ſaltando in orbē, & ſeſe in gyrum ſilentidem rotando, quo fit vt ex vertigine in terrā corruant, quam ipſi vocant choream angelorum: idque faciunt exemplo ſui pſeudoprophetæ Mahometis, qui cùm laboraret capitis vertigine & epilepſia, ex eaq; in terram ſpumans corrueret, fingebat ſe enthuſiaſmo agi, & cū angelis colloqui, vti Romæ mihi narrarunt Græci viri graues oculati teſtes. Simili modo corruunt adulatores dū eorū aſſentatio & vertigo, id eſt fraudes & impoſturæ deteguntur: tunc enim principes eos odio proſequuntur, & pro meritis mulctant & plectunt.

Natvs est stvltvs in ignominiam svam, (hebr. eſt *ad laborem* vel *dolorem*, ita R. Leui) sed nec pater in fatvo lætabitvr] Legit Noſter paſſiuè יֻלַּד *iullad*, id eſt natus eſt: iam alii punctis legunt actiuè יֹלֵד *ioled*, vnde vertunt cum Pagnino, *generans ſtultū, ad triſtitiam ſuam generabit illum*; Vatabl. *mærorem ſibi generat*; Chald. *qui generat ſtultum, mæſtitia erit ei*; Syrus, *qui gignit ſtultum, ad confuſionem ſuam: non lætabitur pater inſipientis*; Septuag. pro יֹלֵד *ielid*, legentes וְלֵב *veleb*, id eſt *& cor*, vertunt, *cor autem imprudentis, dolor poſſidenti illud: non lætatur pater ſuper filio indiſciplinato*. (Aquila, *diffluenti*; Symmach. *fatuo*; Theodot. *inſenſato*; hebr. eſt נָבָל *nabal*, id eſt *nebulone*) *filius autem prudens lætificat matrem ſuam*; quæ verba ſupplent Septuag. vt expleant antitheſin inter filium ſapientem & ſtultum, quæque habentur in Hebræo cap. 10. 1 vbi ea explicui. **Vers. 21.**

Senſus ergo eſt q.d. Qui generat ſtultum, id eſt imprudentem & vitioſum hic creat ſibi laborem in eo corrigendo & rectè inſtituendo, ac dolorē & mœrorem, dum eum experitur incorrigibilem, & diſciplinæ incapacem, ideoq; eum tam parentibus quàm ſibi ipſi eſſe ignominię & probro. Ratio à priori eſt, quòd prudentia, fama, honeſtas & virtus ſint bona præſtantiora quàm ſit ipſa vita: quare parentes cùm ſemper viuere nequeant, generant filios, vt in illis quaſi perduret & perennet eorum ſapientia, honor & virtus: ergo mirè gaudent, cùm ſe vident voti compotes factos, cùm ſcilicet filii parentum probitatem imitantes, eorū decus & famam prorogant & in nepotes propagant: vice verſa valdè dolent, cùm ſe voto fruſtrari vident, cùm ſcilicet filios vident improbos, qui ſibi probrum concilient, & dedecus inurant. Satius enim eſſet illiberes & ſine filiis eſſe defunctos, ac virtutem cum eis emortuam, quàm liberos relinquere, qui eos infament & dehoneſtent, ac remp. ſcandalizent. *Ratio à priori.*

Nota. *in dolorem & ignominiam*, non ſignificat intentionem, ſiue finem à patre intentum: nullus enim pater intendit ſuam ignominiā, putà generare ſtultum, qui ei ſit ignominiæ & mœrori; ſed ſignificat conſecutionē ſiue euentum, qui præter intentionem patris ipſi nolenti & inuito accidit, q. d. Si pater generet filium, qui deinde fiat inſipiens, id eſt improbus, hic vtique cedit & vergit in patris ignominiam, ac patri probrum & mœrorem, indeq; ſubinde mortem conciliat. Sic Iacob ait filiis ſuis Genef. 43. 6. *In meam hoc feciſtis miſeriam, vt indicaretis ei & alium vos habere fratrē*, Beniamin

iamin ſcilicet, quem vnicè amabat Iacob, ideoque nolebat eum à ſe abduci, ac proinde culpat filios quod Ioſepho indicarint, ſe Beniaminum domi reliquiſſe: inde enim Ioſeph accepit anſam eum accerſendi, quod Iacobo patri peperit miſeriam & mœſtitiam.

VERS. 22. ANIMVS GAVDENS ÆTATEM FLORIDAM FACIT: SPIRITVS TRISTIS EXSICCAT OSSA] Hebr. *cor lætum bonam facit* גֵּהָה *geha*, quod Noſter vertit, *ætatem*; Syrus, *corpus*; alij, *ſanitatem* vel *valetudinem*; alij, *medicinam*; alij, *ſplendorem vultus* vel *aſpectus*: quaſi גֵּהָה *geha* deriuetur à נָגַהּ *naga*, id eſt luxit, ſplenduit; alij, *eleuationem* vel *releuamen*, quaſi גֵּהָה *geha* conueniat vti literis, ita & ſignificatione cum גָּאָה *gaa*, id eſt eleuauit, exaltauit.

Primò ergo, Pagninus, Caiet. & Aben Ezra ſubaudiendo more Hebræo *caph* ſimilitudinis, id eſt *ſicut* vertunt, *cor lætum benefaciet vt medicina*, q. d. Cor lætum ſecum affert bonam affectionem, habitudinem & valetudinem inſtar medicinæ. Optima morborum omnium medicina eſt lætitia, vnde Galenus docet multos per ſolam lętitiam morbos euaſiſſe, & Auicenna lib. 1. docet lætitiam ægrotis valdè prodeſſe. Cauſam dat Seneca: *Quidquid enim animum erexit, etiam prodeſt corpori*: Baynus verò vertit, *cor lætum bonam facit medicinã*, hoc eſt: lætitia cordis commendat, & efficacem facit medicinam. q. d. Medicina non proderit, niſi animo ſit læto qui eam recipit: tum quia, vt docet Cornelius Celſus lib. 4. ipſa ſollicitudo & triſtitia quędam ægritudo eſt, quæ ſi ad priorem qua laborat æger accedat, eam aſperabit & augebit: tum quia triſtitia frigus adducit, quod concoctionem & operationem medicinæ impedit. Idem fit in ſpiritu: animus enim triſtis nullum admonitionis vel correptionis pharmacum concoquere poteſt, quocirca eius ægritudo ſpiritualis, putà vitium quo laborat, eſt penè incurabile.

Secundò, R. Salomon, *animus hilaris vultum nitentem florentemq. efficit*: Baynus, *cor lætum bonã facit aciem oculorum quæ in ſenibus deficere ſolet maximè: & ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, in quibus vires corporis maximè conſiſtunt*; Marinus in Lexico, *cor lætum bonum facit ſplendorem vultus, ſiue prodeſt aſpectui*. Cor lætũ enim ſuam lætitiam diffundit in vultum, eumque roſeum, floridum, viuacem ridentem & ſplendentem efficit. Vnde S. Antonius inter multa millia monachorum à peregrinis agnoſcebatur ex ſolo ſplendore vultus, quem illi ſuggerebat lætitia mẽtis. Nam vt ait Pacatus in Panegyrico Theodoſij Imp. *Intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, vt in ſpeculo frontium imago extet animorum*. Triſtitia ergo hebetat oculos vti mentis ita & corporis, vtroſque exacuit lætitia. Ita Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. 2. de Lazaro. *Annon*, inquit, *triſtitia intenta mortem generat, an non animi perſpicuitatem: & aciem obſcurat, ita vt nihil eorum ferè quæ conueniunt, innoteſcere valeat? Ergo tandem aliquando mentis oculum ad cælum ſublouemus, & miſſa triſtitiã quod ſpiritnale eſt animo verſemus.*

Speculum frontium eſt imago animorum.

Tertiò, Syrus vertit, *animus hilaris pulchrum facit corpus*. Nam vt explicat R. Leui: *Ex animi hilaritate corporis iucunda forma redditur; cùm ſanguis calorq; à natura ingenitus latè per illius partes effundatur: animus verò deiectus, mœroreq; inuolutus, ſecus quàm lætitia præſtat, membra exſiccat & areſacit, recipiente ſe ſanguine & calore ad intimas corporis ſedes. Ex quo apertè intelligimus, hilaritatem laudabilem, è contra verò mœrorem vitio non carere.*

Quartò, Septuag. vertunt, *cor lætum facit benè habere, viri autem triſtis* (Aquila, *ſpiritus percuſſus*, Symmach. *humiliatus*, Theodot. *compunctus areſacit oſſa*) *ſiccantur oſſa*.

Quintò, Noſter appoſitè vertit, *animus gaudens floridam facit ætatem*. Vatabl. *vegetius facit corpus*; alij, *iuuentam facit vernare*. Hebr. enim יֵיטִב *ietib*, id eſt *bonam facit*, idem eſt quod lætam, iucundam, floridam, vernantem efficit. Tigur. *cor lætum bonam facit valetudinem: mens autem triſtis exhaurit oſſa*; B. Antiochus hom. 25. *cor gaudens & hilare bonam parit valetudinem: triſtis autem viri exſiccantur oſſa.*

Lætitia floridum facit corpus.

Ratio à priori eſt, quòd lætitia ſit flos, decor, exultatio, & quaſi vita animæ: anima autẽ eſt vita corporis: quare cùm lætitia florem vitæ det animæ, eamdem per animam transfundit in corpus. Accedit, quòd lętitia cęteræq; paſſiones non tantùm ſint in animo, ſed & in corpore: oriuntur enim ex corde, vti docet Ariſtot. lib. 3. de Partibus animal. cap. 4. *Cor enim*, inquit, *omnium partium primum conſiſtens ſanguinolentum eſt, motus etiam lætitiæ ac triſtitiæ, denique omnium ſenſuum hinc oriri, eodemq; deſinere videtur*. Animæ ergo lætitia per ſympathiã ſimilem affectum efficit in corpore: lætitia enim facit, vt ſpiritus vitales acuantur & incaleſcant, ac ſeſe diffundant per corpus, præſertim per faciem. Hi autem ſpiritus faciunt vultum corpuſq; viridum, floridum, ſanum, vegetum, lætum & lætum, contrarium facit triſtitia: per hanc enim cor contrahitur, ſpiritus deprimuntur, frigus inducitur: quæ tria corpus faciunt languidũ, debile & quaſi emortuum. Quocirca Galenus l. 3. de Cauſis pulſuum: *Lætitiæ, ait, magnus, rarus & tardus eſt pulſus: lætis enim diffunditur per vniuersũ corpus calor, ac plus foras motus eius eſfertur, vt triſtibus intrò: vnde maior fit meritò pulſus eorũ, non tamen vehementior. Triſtitiæ paruus, languidus, tardus & rarus eſt: nã cùm triſtitia ipſa refrigeret, caloremq; intrò conciteт, meritò contrarios ſuperioribus efficit, qui lætitiam ſequuntur.* Idem Galen. lib. de Dignoſcendis curandiſque animi morbis cap. 8. ait ſe à patre ſuo hæc tria documenta accepiſſe, eaque obſeruando ad ſanam longæuitatem perueniſſe. *Primũ imperterritus, ait, & immotus ad ea omnia, quæ quotidie in vita accidunt maneo ſicut patrem manere tunc intuebar: ita neque iactura, neque interitus rei cuiuſpiam perturbatione me vlla afficit. Secundum Aſſueſecit me pater gloriam & honorem contemnere; vt vnam nudamq; veritatem haberem in pretio. Video enim quoſdã cùm ſe ab aliquo ſperni arbitrantur, aut cùm pecunias aliquas amiſerunt, magno dolore confici. Tertium. Non eſurire, non algere, non ſitim pati.* Auicenna lib. 2. *Lætitia frequens*, ait, *fortior fit virtus naturalis, & rareſiunt ſpiritus.* Franc. Valel. de Sacra philoſophia c. 72. *Per gaudium*, inquit, *affatim effunditur calidum.* Idem docet Hippocrates, Cornelius Celſus, Fernel. Cardanus lib. de Sanitate tuenda, & paſſim ceteri medici. Vnde Seneca lib. de Vita beata c. 5. *Ægritudo, ait, in ſapientem virum non cadit: ſerena enim eius mens eſt, nec incidere poteſt quod illam obduret. Nihil æquè hominem quàm magnus animus decet: non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi metus & mœror obdulit & contrahit.*

Tria longæ vitæ pharmaca Galeni.

ET SPIRITVS TRISTIS EXSICCAT OSSA] Ratio eſt: quia triſtitia medullas oſſium exedit: nã contrahit & retrahit ſpiritus vitales, ideoq; frigus inducit: quo fit, vt humor vitalis, qui oſſa per medullas ceteraque membra irrigat & vegetat, deficiat

ciat & ſiccetur. Humor enim hic eſt calidus: in calore enim conſiſtit hominis vita. Ita Galenus li. de Sanitate tuenda cap. 16. *Ex triſtitia*, inquit, *homines magis graciles, & magis aridi, ac minus dicto audientes planè redduntur*. Et Hippocrates lib. 2. de Morbis: *Cura in viſceribus velut ſpina eſſe videtur, atq; illa pungere.* Vnde Theodot. vertit, *ſpiritus compunctus* (id eſt triſtis, qui inſtar ſpinæ pungit) *exſiccat oſſa.*

Triſtitia pœna.

Quò ſpectat illud Dauidis pſal. 31. v. 4. *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina* in me, vt addunt Græca, hoc eſt, conuerſus ſum ad Deum, dū ſentio ab eo me configi ſpina tribulationis & triſtitiæ. Nam vt ait ibidem Theodot. *Peccati dulcedo longam poſt ſe amaritudinis ſpinam infigit.* Et S. Hieron. Spina, ait, eſt ſtimulus & conſcientia peccati, quæ ſemper mentem pungit. Et S. Gregor. *Omne peccatum*, ait, *dum confert delectationem, quaſi pungendo laniat mentem.* Addit Hippocrates: *Vbi hæc anxietas animum corripit, lucem atque homines fugit, & tenebras amat, & timor inuadit, aridus eſt, & ad contactum dolet, & expaueſcit, & terriculamenta & ſomnia horrenda videt.* Idem lib. 3. docet triſtitiam eos qui hydrope laborant occidere. Idem: *Cura*, inquit, *grauis eſt morbus.* Et Lucretius:

Compa.

Et dolor & morbus, lethi fabricator vterque.

Idem docet Franc. Valeſ. Sacræ philoſoph. c. 72. cuius verba recitaui Eccli. 30. 25. Idem docent Patres æquè ac philoſophi ac poëtæ. S. Gregor. Nazianz. Carm. 5. de calamit. ſuis.

Cura, inquit, *homini crux, ac lethale venenum eſt.* S. Chryſoſt. homil. 10. in epiſt. ad Philipp. *Mærores*, ait, *& ſollicitudines cùm præter modum animā diſtrahunt, ſuo robore illam priuant.* B. Antiochus hom. 25. *Neutiquam*, inquit, *admittenda eſt triſtitia, nec eiuſmodi accipienda importuna ægritudo animi.* Et infrà: *Monachus mærore intabeſcens aſſimilis eſt ei qui æſtuanti febre laborat; nullo hic pacto mentē ad contemplationis ſurriget ſtudium, neque ad orationem ſinceram, non adhortationem, non conſilium excipiet.* Sic & D. Thom. 1. 2. q. 37. art. 4. & q. 33. art. 1. vbi docet delectationē, ſiue gaudium, delectare cor & mentem hominis. *Quæ*, inquit, *aſſentit rei delectabili, & in ea quieſcit; quodammodo ſe præbens ei, & ad eā interiùs capiendam: & ſic dilatatur affectus hominis per delectationem, quaſi ſe tradens ad continendum interiùs rem delectantem.* Quocirca Comicus ſapientia hæc de lætitia & triſtitia dat partim dogmata, partim monita:

Arctiſſimum mæſtitia cordis vinculum eſt.
Metus futuri gaudium omne ſtrangulat.
Nihil ſic perinde animam vt cura exedit:
Permitte fato curas ingenio impares.
Vt mærore contrahimur, ſic & geſtimus gaudio.
Sapiens tacito ſinu coërcet gaudia.
Summi doloris cauſa ſummum gaudium eſt.
Vita mors eſt viua, cuncto deſtituta gaudio.
Animi ægritudo, morbus potentiſſimus.
Animi dolor corporis languorem parit.
Animo generoſo corpus ægrum non nocet.

Denique S. Greg. Nazianz. in Diſtichis: *Mærores*, inquit, *præcocem mortalibus ſenectutem pariunt. Mens ſollicita tineæ inſtar oſſa corrodit: corpus autem curas omnes valere iubens, eximiè floret.*

Summa omnium eſt. q. d. Vna lætitia omnibus animi & corporis morbis medicinā facit, corpuſque vegetum & floridum efficit; triſtitia verò vitalem ſuccum & ſanguinem exhaurit & abſumit, adeoque conſumit medullas oſſium; itaque ea deſiccat: quo fit vt homo contabeſcat, & tabe ſenſim intereat; vide dicta cap. 15. 13. & plura Eccli. 30. v. 22. & ſeq. vbi fusè agitur de bonis lætitiæ ac malis triſtitiæ. Deniq; Caiet. hic: *Triſtitia*, ait, *valdè inimica eſt ſanitati corporis & vitæ; quoniam conſiſtit in motu contrario motui vitali. Viuificatio enim corporis à corde proficiſcitur per modum pulſus. Triſtitia autem in retractione ſpirituum conſiſtit.*

Myſticè, Beda: *Qui*, inquit, *interna Spiritus ſancti conſolatione lætatur, etiam bonæ actionis flore decoratur, & fructus præmiorum præſtolatur cæleſtiū. Qui verò triſtitia ſæculi, quæ mortem operatur, angitur, pinguedinem diuinæ charitatis in robore virtutum quas exercere videtur, habere nullatenus valet: ſed quaſi exſiccatis oſſibus marceſcit: quia in bonis actibus quæ facit, gratiam dilectionis amiſit.* Sic ex bona conſciētia ſereni ſemper & læti S. Anachoretæ diu vixere, vt S. Paulus primus Eremita vixit annos centum & tredecim, S. Antonius centum & quinque, S. Romualdus centum viginti, Elias centum & decem, Ioannes de Tampes (quem per errorem *de temporibus* vocitant) trecentis ſexaginta, licet verius ſit eum cētum & ſexaginta tantùm vixiſſe, vide Theatrum vitæ humanæ in longæuis. Septē Sancti dormientes à temporibus Decij vſq; ad Theodoſium per 160. annos vixiſſe, & dormiuiſſe feruntur. Quin etiā nunc in monaſteriis permultæ virgines, Deo dicatæ curis liberæ & ſobriæ, ſerenæ & hilares ad nonageſimum & centeſimum annum perdurant, vti notat Cardanus lib. 1. de Sanitate tuenda cap. 18. & experientia conſtat. Sic eâdem de cauſa Eſſenos olim perplures ad centum annos pertigiſſe narrat Ioſephus lib. 2. Belli cap. 7. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſtic. cap. 30. 23. *Iucunditas cordis hæc eſt vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis: & exultatio viri eſt longæuitas.*

MVNERA DE SINV IMPIVS ACCIPIT, VT PERVERTAT SEMITAS IVDICII] Chald. *vt declinet à via iudicij*; Syrus, *qui munera accipit iniquus eſt: declinat enim viam iudicij*; Septuag. *accipientis munera iniuſtè in ſinibus, non proſperantur viæ: impius autem declinat vias iuſtitiæ.* Quare perperam R. Salomon ſic vertit & explicat: *Munera verborum & precum de ſinu impij accipit Deus clanculum inter ſe & illum, vt iudiciū cui impius obnoxius erat, à malo ad bonum traducat.* Clarum enim eſt, hîc agi non de Deo, ſed de impio: qui accipit munera, vt in gratiā ea dantis proferat ſententiam, ac aduerſam partem quæ iuſtam fouet cauſam, iniuſtè condemnet. *To de ſinu*, vel, vt Septu. *de ſinibus*, ſignificat munus occultè & clanculum datum. Solent enim qui cauſas iniquas fouent, clàm dare munera iudici: tum quia pudet eos auro emere iniquam ſententiam, tum quia verentur, ne, ſi res pateſiat, ad altius principis tribunal in ius vocentur, ibiq; acceptorum munerū & violatæ iuſtitiæ pœnas luant; ita AbenEzra & R. Leui. Vers. 23.

Porrò hæc gnome accipi poteſt tam de dante, quā de accipiente munera. De dante q. d. Impius de ſinu ſuo accipit, id eſt, depromit munera, vt ea clàm iudici in manus det, iiſque eum in ſui amorem inflectat, vt ſibi cauſam iniquè cōtra vel præter leges iuſtitiæ adiudicet. Dicit hoc Salomon, vt Iudices & magiſtratus hanc quaſi notā iniuſtitiæ accipiant, ſciantque iniuſtam vel minùs æquam cauſā fouere eos, qui quod iure non poſſunt, muneribus obtinere & expugnare ſatagunt. De accipiente accipiunt paſſim interpretes. q. d. Conſiliarius vel iudex, qui de ſinu dātis clam accipit munera, hic impius eſt: quia ea accipit cū pacto, vel certè

certè cum periculo peruertendi ſemitas iudicij, id eſt leges, iuxta quas iudicandum eſt. Ætius Iuriſconſultus apud Alciatum leges *vias* appellat *regias & imperatorias*: ac ilicò ſubiicit, *Ab his quidē iudices vi aut pretio declinantes alias vias, vel potiùs diuerticula extriuerunt.* Hæ ſunt, inquit Alciatus, corruptæ & adulteratæ legum interpretationes, quas dum alij atque alij deinceps ſecuti ſunt, pro viis tritis, hoc eſt pro legibus, haberi cœperunt. Sic videmus hodie auaros, ſed ſubtiles, Aduocatos tot ſubtilitatibus iura diuidere, ac leges interpretari, imò diſtorquere & euertere, vt nihil penè ſit tam iniquum & contra leges, quod non æquum & legibus conforme in ſpeciem efficiant.

Docet hic Salomon magnam eſſe vim munerum, ſed occultam, quæ fallat etiam homines æquos, & recti aliàs tenaces: tacitè enim affectum illa accipientis eliciunt, eumq; danti deuinciunt. Quis enim amantem ſe, imò munera dantem, non redamet? Quis verò tam duræ frontis, vt danti ſe aduerſarium oſtendat, imò eum condemnet? Quod os ſuſtineat allatrare paſcentē ſe. Quocirca, vt ait B. Gregor. Nazianz. in Diſtichis: *Auro loquente iners eſt omnis oratio: perſuadet enim illud, etiam ſi nullam vocē edat. Auro capiuntur homines vt laqueis aues. Aurum permouet mentes, mutumq; ad loquendum excitat.* Idem orat. 24. *Aurum*, ait, *eſt occultus tyrannus* (quia auri cupidis vim affert, eoſque quaſi tyrannide opprimit, ait ibidem Elias Cretenſis) *per quem nunc multa ſurſum deorſumq; velut in talorum ludo iactantur.* Idem in carm. de vita ſua, citans diſputationem Zorobabelis & ſociorum de fortiſſimo: *Forte vinum fortis rex, fortes mulieres, ſed fortiſſima veritas*, 3. Eſdræ 3. hiſce omnibus fortius ait eſſe aurum. Sic enim canit:

Vinum aſſerebat quiſpiam omnia vincere:
At feminam alter: tertius palmam dabat viro:
Dediſſem aſt ego robur quàm maximum
Auro, arbitratu cuncta quod vertit ſuo.

Præclarè B. Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 2. quæ ordine eſt 23. *Filij*, ait, *Samuelis nullum aliud crimen habuiſſe leguntur, niſi quia munera dilexerunt: & quia paternæ munditiæ non ſequebantur exemplū, irrecuperabiliter amiſerunt plebis Iſraeliticæ principatum. Et notandū, quia cùm de illis Scriptura dicit: Declinauerunt poſt auaritiam, acceperunt munera; protinus intulit: Peruerterunt iudicium. Vicinum quippe eſt, atque contiguum, vt poſt munus acceptum peruertatur etiam corrupto cenſore iudicium.* Et nonnullis interiectis: *Acceptis*, inquit, *muneribus ſi contra datorem quid agere volumus; mox in ore noſtra verba molleſcunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubeſcentia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conſcia debilitat iudicialis cenſuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etſi iudicij rectitudo funditus non adimitur; iudicandi tamen auctoritas eneruatur.*

Quocirca Romani lege 12. tabularum, iudicem ſuſcipientē munera morte mulctabant. Hebræis verò Moſes, imò Deus per Moſen ſeuerè munerū acceptionē interdixit Exodi 23. 8. *Nec accipies*, inquit, *munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Deuter. 27. 25. vltima, ideoque grauiſſima maledictio hæc extat: *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis. Et dixit omnis populus: Amē.* Quocirca Iſaias grauiter Iudæos inculans cap. 1. 23. *Principes tui*, inquit, *infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Ex aduerſo mirè extollit refutantem munera c. 33. 15. *Qui ambulat*, ait, *in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere*, &c. *iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum ſublimitas eius.* Et Pſaltes pſal. 14. 1. quærens: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* reſpondet inter alia: *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Quocirca gloriatur Samuel ſe omnia munera refutaſſe, 1. Reg. 12. 3. & Paulus Actor. 20. 33.

Quin & Cicero lib. 1. epiſt. ad Q. Fratrem, qui magiſtratum in Aſia gerebat, ei hoc inſigne dat monitum: *Hæc opinio ſit, non modò iis qui aliquid acceperint, ſed etiam iis qui dederint, te inimicum ſi id cognoueris futurum: neque verò quiſquam dabit, cùm erit hoc perſpectum, nihil per eos, qui ſimulant ſe apud te multum poſſe, abs te ſolere impetrari.* Porrò addunt Septuag. dicentes: *Accipientis munera iniuſtè in ſinibus, non proſperantur viæ*: quia vt ait Iob cap. 15. 34. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Ignis ſcilicet iræ & vindictæ Dei, qui non rarò igne corporali conſumit opes ex muneribus, aliiſque modis iniquè partas.

IN FACIE PRVDENTIS LVCET SAPIENTIA: OCVLI STVLTORVM IN FINIBVS TERRÆ] Primò, ſenſus planus & genuinus eſt hic. q. d. In facie prudētis ac præſertim in eius oculis grauibus, modeſtis, claris, & ad omnem honeſtatem virtutemque cōpoſitis, elucet interior mentis eius ſapientia & virtus, vice verſa in facie & oculis ſtultorum emicat cordis eorum ſtultitia & vecordia: quia illorum oculi ſunt leues vagi, mobiles, inſtabiles, vt inſtar rotæ gyrent vſque ad fines terræ circumſpiciendum. Vnde Vatabl. vertit, *ipſe vultus prudentis præ ſe fert ſapientiam: oculi autem ſtultorum fines terræ peruagantur.* — *Vers. 24. Prima expoſitio.*

Ratio eſt, quia prudentum cor & mens eſt grauis, ſtabilis & compoſita, quæ proinde vultum & oculos ad honeſtatem & grauitatem componit: mens verò ſtultorum eſt leuis & vaga, ac proinde leues & vagos efficit oculos, iuxta illud: *Præcordia fatui quaſi rota carri: & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Eccli. 33. 5. Mens enim per corpus & faciem pellucet, ſicut fax per laternam, & ſol per vitrum emicat & tralucet, iuxta illud Pacati citatum v. 22. *In ſpeculo frontium imago extat animorum.* Et illud S. Bernardi de Modo bene viuendi c. 65. *Facies hominis ſpeculum eſt cordis.* Et Cicero li. 3. de Orat. *Omnis motus animi*, inquit, *ſuum quemdā à natura habet vultum: & ſonū & geſtum: animi imago vultus eſt.* Et S. Auguſt. *Vultus ſeuerus cuſtos eſt diſciplinæ atque probitatis, hic ſi abſit, veluti fax leuitatis vento expoſita, extinguitur.* Animæ enim officina eſt corpus, ac præſertim vultus. Igitur ſicut artifex in officina, v. g. figulus in ſua figulina & luto, pingit & efformat ſuę mentis conceptus & formas: ſic & mens ſuam ſapientiam vel inſipientiā, virtutem vel vitium pingit & efformat in corpore, ac præſertim in vultu eiuſq; geſtibus & motibus. Adde, ingenij acumen & iudicij maturitatem ſæpè ex phyſiognomia vultus & oculorum agnoſci. Vnde Septuag. vertunt, *vultus intelligens viri ſapientis: oculi autē imprudentis ad extrema terræ.* Hinc Ariſtot. in phyſiognomicis c. 6. *Ingenioſi ſigna ſūt*, ait, *caro humidior & mollior, non boni habitus, neque valdè pinguis: quæ circa humeros & collum macriora, & quæ circa faciem*, &c. *corpus album mixto rubore, & purum: cutis tenuis, pili non valdè duri, nec valdè nigri: oculus charopus, humidus* — *Vultus ſpeculum animi. Gemma. Ingenioſi ſigna.*

tharopus, id eſt cæruleus, qualis eſt color maris & cæli; aut fuluus, qualis eſt aquilarum & leonum: Latini rauum vocant. Vide dicta Eccli. 19.27. ita Beda, Lyran. Caiet. Bayn. Ianſen. & alij paſſim. Audi Lyran. cauſam dantem: *In facie prudentis lucet ſapientia*, inquit, *per maturitatem & honeſtatem: quia diſpoſitio cordis magis apparet in facie, in qua ſunt omnes ſenſus, quàm in partibus alijs.* Vnde Beda exemplum, imò exemplar omnium dans Chriſtum: *In facie*, inquit, *Domini ſaluatoris lucebat ſapientia diuinitatis: quam in carne apparens, virtutum & doctrinæ teſtimonijs demonſtrabat. Verùm oculi Iudæorum non credentium, terrenis potius deſideriis perficiendis, quàm ſalutaribus eius monitis intendebant.* A

Secundò. Secundò, Chald. vertit, *vultus prudentis hilaris in ſapientia: & oculi ſtultorum in profundis terræ.* q.d. Facies & oculi prudentum, iuſtorum & Sanctorum B ſunt ſereni, læti & hilares, vt cælum ſerenum, ad quod contendunt, imitari & intueri videantur: quia lætitia interior, quam affert ſanctitas mentis, relucet, & effundit ſeſe in faciem & oculos: at verò facies & oculi ſtultorum, id eſt imprudentium & impiorum, ex pauore malæ conſcientiæ abiecti ſunt, triſtes & depreſſi in terram, vt ipſa profunda imaque terræ penetrare & perſpicere velle videantur, ac quaſi aſpicere locum in profundo gehennæ ſibi paratum. Effigies ergo vultus ſapientis eſt, vt præ ſe ferat comitatem cum grauitate, & hilaritatem cum ſeueritate mixtam, vt ſcilicet ſit ſeuerè hilaris, & hilariter ſeuerus. Talis fuit vultus Eſſenorum, Aſcetarum, S. Antonij, S. Athanaſij, S. Baſilij, cuius inſuper hæc fuit imago, æquè ac voxe *Pallor & macies decent monachum.* Verè Plutarch in Moral. *Sunt fonti*, inquit, *non deeſt humor ſemper ex eo ſcatens, ſic probo viro ſemper adeſt gaudium, etiamſi res externæ mutentur.* C

Tertiò. Tertiò, Hebræa habent, *cum facie*, vel *coram facie, intelligentis ſapientia*, q.d. Sapiens ſemper præ oculis habet ſapientiam, illam iugiter intuetur, iuxta illius dictamen & nutum omnia agit & operatur: vnde Syrus vertit, *facies prudentis intuetur ſapientiam: at verò oculi ſtulti in extremo terræ.* q.d. Sapiens & ſanctus ſpectat bona & præmia celeſtia, quæ ſapientia illi proponit; at verò ſtultus & impius ſpectat bona terrena, putà opes, honores, delicias, quæ ſtultitia concupiſcentiæ illi ſuggerit & repræſentat. Spectat ergo fines terræ, ſcilicet limites agrorum & fundorum ſuorum, vt eos propaget & dilatet, imò ſubinde totius terræ fines totiuſque orbis dominium ſpectat & ambit, vti fecêre Alexander, Cyrus, Pompeius, Iulius Cæſar, aliique Romani. D

Quartò. Quartò, R. Salomon, Clarius & alij. q.d. Sapiens amicus, vicinus & familiaris eſt ſapientiæ: at verò ſtultus tam longè abeſt à ſapientiâ, ac ſi oculos haberet in finibus terræ, lõgiſſimè ſcilicet poſitos & diſſitos à ſapientiâ. Huc accedit Aben Ezra *Sapientia*, inquit, *coram prudente eſt: ſtultus oculis diſcurrit, vt ſapientiam in extremis orbis finibus inueſtiget, cùm alios regionum ſuarum dementes ſibi ſimiles arbitretur, ideoq; mœrorem matri infert, cùm in longinquas regiones traſſerre ſe velit.* Et R. Leui: *Prudens*, inquit, *facile ſibi obuias ſapiẽtiæ rationes reperit, cùm ex vniuerſis quæ exſtant, excitetur ad ſapientiam admirabilem comparandam: cùm etiam ob eam quã pollet ſapientiam, ſuperiora intelligat. E contra demens cùm ſapiẽtiæ ſtudio vacabit, oculos in finibus terræ intentos habebit, ratus illam ibidem ſolum reperiri: quamobrem totum ſe inertiæ dedit:* Et Vatabl. *Prudenti*, ait, *ſemper præſtò eſt ſapientia: at ſtultus eam toto corde quærit, nec inuenit.* Huic affinis eſt gnome Eccleſiaſtæ 2.14. *Sapientis oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat.* q.d. Sapiens oculis in capite erectis omnia prudenter circumſpicit & clarè luſtrat, vnde in luce ambulat: at ſtultus imprudens cæco errore rapitur, quo eum pedes, id eſt affectus & concupiſcentiæ, ducunt. Quare oculos non in capite, ſed in talis habere videtur. Vnde

Myſticè. Myſticè S. Greg. 17. Moral. c. 5. docet iuſtum conſiderare vias, id eſt, leges Dei, quas in ſuo capite, putà Chriſto, intuetur: impium verò ſpectare vias ſuas, id eſt ductus ſuæ concupiſcentiæ. *Viæ namque elati* inquit, *ſuperbia: via raptoris, amentia: via eſt lubrici, concupiſcentia carnalis. In vijs ergo ſuis iniquus quiſque oculos deprimit: quia ſolis vitijs, vt per hæc animo ſatiſfaciat, intendit. Vnde per Salomonem dicitur: Oculi ſtultorum in finibus terræ: quia hoc ſolum tota cordis intentione conſpiciunt, per quod ad finem terreni deſiderij perducantur. Nequaquam verò ſuæ conſiderationis obtutum in terrà peccator figeret, ſi ad ſancta ſui Redemptoris itinera mentis oculos leuaret. Vnde per Salomonẽ rurſum dicitur: oculi ſapientis in capite eius: quia videlicet ſapiens quiſquẽ illum tota intentione conſiderat, cuius ſe membrum eſſe per fidem penſat.*

Facies mentis quàm decora. Rurſum myſtica facies ſapiẽtis eſt, mira mentis eius ſpecies & decor, in qua reſplendet ſapientiæ & virtutis fulgor ac maieſtas, vt ſi eam liceret intueri, radios quoſdam diuinitatis in ea cerneremus, adeò vt Seneca qui ſapientiam & virtutem naturalem dumtaxat, non ſupernaturalem gratiæ agnouit, ſcribat epiſt. 115. *Si nobis boni viri animum liceret inſpicere; o quàm pulchram faciem, quàm ſanctam, quàm ex magnifico placidoq; fulgentem videremus? hinc iuſtitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ, prudentiâq; lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas comitasque, & (quis credat?) in homine rarum humanitatis bonum, ſplendorem illi ſuũ affunderent, tum prouidentia, tùm elegantia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis grauitatiſque adderent? quanta eſſet cum gratia auctoritas? Nemo illam amabilem, qui non ſimul venerabilem duceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem fulgentioremq;, quàm cerni inter humana conſueuit, nónne velut numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & vt fas ſit vidiſſe, tacitus precetur?* Atque mox ita ſubjicit: *Tū aduocante ipſum vultus benignitate, productus, adoret ac ſupplicet, & diu contemplatus multum extantem, ſupraq; menſuram ſolitorum inter nos aſpici, elatam, oculis mitis quidem, ſed nihilominus viuido igni flagrantibus. Tunc demum illam Virgilij noſtri vocem verens atque attonitus emittat:*

O quàm te memorem virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat.
Sis felix, noſtrumq; leues quæcumque laborem.

Aderit, leuabitq;, ſi eam colere volueris. Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoq; ſuſpenſo, nec in theſauros ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate. Nemo, inquam, non amore eius arderet ſi nobis illam videre contingeret.

Denique huic gnome affinis eſt illa Eccleſiaſtæ cap. 8.1. *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentiſſimus faciem illius commutabit.* vbi rurſus hac de re dicam.

VERS. 25. IRA PATRIS FILIVS STVLTVS (Septuag. ἄφρων, id eſt imprudens) ET DOLOR MATRIS, QVÆ GENVIT EVM] Hebr. *& amaritudo genitricis ſuæ*, Theodot. πικρασμός, id eſt *exacerbatio*, Aquila, &

& Symmach. πικραίνων, id eſt *exacerbans matrem ſuam;* Chald. *filius ſtultus exaſperat patrem ſuum, & exacerbat matrem ſuam.* Senſus eſt.q.d. Filius inſipiens, diſſolutus, inobediens, peruerſus prouocat patrem ad iram, matrem ad amaritudinem & dolorem, tum quia illorum monita & inſtitutionem reſpuit: tum quia eis ſua praua & infami vita dedecus & probrum conciliat: tū quia eorum labores & opes commeſſando & luxuriando abligurit: tū quia rebellis eis minas verborum, & ſubinde verberum, adeoque necis, intentat & molitur. An nō ergo iraſcatur illi, in eumq; non vt filium, ſed vt hoſtē ſæuiat pater; indoleat & ingemiſcat imo ex corde mater? Patres enim, quia viriles, ob noxam filiorum magis corripit ira quàm mœror: matres verò, quia feminas, molles & tenerè amātes filios, magis corripit mœror, quàm ira. Qui enim iraſcatur filio vteri ſui, quem tantis doloribus pepererunt, tot moleſtiis aluerunt, tot laboribus in ætatem pubeſcentem euexerunt? Dicit hoc Salomō, tum vt filios abſterreat à prauitate, ne patri iram, matri dolorem inferant: tum vt parentes adhortetur ad ſeueram filiorum à teneris inſtitutionem & caſtigationem; ne ſi indulgentiùs eis fręna laxent, poſteà prauos & rebelles cum ſuo damno, ira & dolore ſentiant. Quocirca ſolet Deus hanc parentum indulgentiam filiorum rebellione caſtigare, & caſtigando purgare, vt in quo peccauerunt, in eodem puniantur iuxta legem talionis. Vide dicta c.10.v.1. vbi eadem gnome inculcatur. Sic Cham nudans virilia Noë patris ſui, eius iram & maledictionem ſibi acciuit. *Maledictus,* ait, *Chanaan* (filius Cham) *ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Gen.9.25. Sic Eſau ducendo vxores alienigenas, offendit Iſaac & Rebeccam parentes ſuos Gen.26.35. Sic Simeon & Leui occidendo Sichimitas in vltionē ſtupri Dinæ ſorori ſuæ illati, audierunt à patre Iacob: *Maledictus furor eorum: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Sic Abſalom occidendo Amnon fratrem ſuū, incurrit indignationem Dauidis patris ſui, factuſque eſt exul & profugus. Sic S. Auguſt. ſua hæreſi & cōcubinatu fuit mœror Monicæ matri ſuæ, ſicut ipſe narrat lib.5. Confeſſ.

Symbolicè R. Salomon: Filius ſtultus, ait, fuit Ieroboam, qui Deo infenſus, eius iram in ſe, totumque Iſraelem exciuit: idem matri ſuæ, puta Synagogæ, doloris acerbitatem intulit, quam in idololatriam vitulorum aureorum, indeque in omnia mala protraxit.

VERS. 26. NON EST BONVM DAMNVM INFERRE IVSTO: NEC PERCVTERE PRINCIPEM (Symmach. *magnificum*) QVI RECTA IVDICAT.] Hebr. *nec percutere principes ob rectitudinem* vel *æquitatem;* Septuag. *neque ſanctum inſidiari principibus iuſtis;* Chald. & Syrus, *mulctare iuſtum non eſt bonum, neque percutere iuſtos qui dicunt recta;* Aquila *ſuper,* id eſt propter, *rectitudinem.*

Primò, Caiet. ſic exponit. q.d. Quamuis non ſit bonum damnum inferre iuſto & innocenti; tamen peius eſt percutere lingua vel manu, id eſt carpere vel verberare principem vel iudicem, qui iuſtum & innocentem in ſe, ſed per allegata & teſtes probatum nocentem & reum, condemnauit; vt ſignificet priuatis non eſſe fas iudicum ſententias iudicare & calumniari, iuxta illud Maximi ſerm.5. ex Epicteto: *Vt iuſta bilanx nec à vera bilance corrigitur, nec à falſa examinatur, ſic etiam iudex iuſtus nec à iuſtis examinari, nec ab iniuſtis argui debet.*

A Secundò, Baynus Hebr. גם *gam,* id eſt *etiam,* referens ad accipientem munera v.23. ſic exponit: Munus accipere à ſinu, ad iudicium peruertendum, malum eſt; etiam iuſtum condemnare ſine munere, malum eſt. q.d. Bis peccant iudices, qui munera accipiunt. Primò, quòd munera accipiunt: Secundò, quòd innocentem condemnant.

Tertiò, grauiùs & concinniùs Ianſen. Significat, inquit, hæc ſententia duo mala pleroſque contra iuſtitiam admittere, dum & primùm iuſto iniuſtè nocent, damnum ei in bonis aut corpore inferentes; & deinde principibus & iudicibus, qui contra eos in defenſionem iuſti ſententiam protulerunt, moleſti ſunt, lingua eos aut etiam manu inſectantes & percutientes. Dicit hoc Salomon, ait R. Leui: quia impiis omnis iuſtus, qui rectè agit, impro-

B bus videtur, impij enim ſe ſolos ſibique ſimiles probos æſtimant, diſſimiles verò ſibi cenſent improbos; quare eos vt improbos ſibique aduerſos affligunt & perſequuntur.

Quartò, profundiùs noſter Salazar per *iuſtum* accipiens iudicem, ſic exponit. q.d. Qui iudicem æquiſſimum à principe nuncupatum ac præfectū violat, perinde facit, ac ſi principem ipſum, cuius ille perſonā ſuſtinet, læderet ac violaret: ſic enim fert communis hominum conſenſus, iniurias inferioribus magiſtratibus illatas ad principem quodammodo ſpectare. Qua de cauſa magiſtratus occidere aut percutere per legem 1. ad legem Iuliam ff. crimen eſt maieſtatis læſæ; atque pari pœna illud quod in perſonam principis admittitur, puniendum cenſuerunt Cæſares.

Quintò, hebr. eſt vna ſententia, quæ ſic ad ver-

C bum ſonat: *Non eſt bonum mulctare,* vel *affligere, iuſtum, ad affligendum principes ſuper rectitudine.* Vbi τὸ *etiam* nectit hanc ſententiam præcedenti, vti docet Aben Ezra. q.d. Sicut non eſt bonum offendere parentes, ſic etiam non eſt bonum, ſed peruerſum, offendere viros iuſtos: hi enim ſunt inſtar parentum: quia verbo & exemplo iuſtitiam propagant, & multos iuſtos ſibi ſimiles in ſpiritu progenerant, nec principes: hi enim ſunt parentes reipubl. & patres patriæ, ac vt tales à ciuibus honorandi ſunt. Quocirca Deus iniurias iuſtorum & principum æquè vindicat ac parentum. In hac expoſitione repetendum eſt in poſteriore hemiſtichio ex priore τὸ *non eſt bonum,* vt ſit bimembris ſententia. Vnde Pagnin. vertit, *etiam condemnare iuſtum non eſt bonum, percutere principem propter rectitudinem non eſt bonum.*

Porrò ſi quis τὸ *non eſt bonum* repetere nolit, ſed

D ſimpliciter ex Hebræo accipiat ſententiam vt vnam, ſicuti ſonat; dicat quòd prior pars vel ſubſeruit poſteriori, vel per eā explicatur, vt iuſtus antonomaſticè vocetur princeps, qui eſt præſes, tutor, cuſtos & vindex iuſtitiæ. q.d. Non eſt bonū, id eſt res mala, imò peſſima (eſt enim mioſis; quia parū dicitur, & plus ſignificatur) ideoque grauem Dei iram vltionemque prouocans, eſt affligere iuſtum antonomaſticè, hoc eſt percutere principem vel magiſtratū, qui iuſtitię eſt tutor & vindex, ac perſona ſua illam in republica repræſentat; vnde & à vulgo vocatur iuſtitia. Aut certè per *iuſtū* accipiat regem vel ſummum magiſtratum, qui ſummus eſt iuſtitiæ præſes; per *principes* accipiat iudices & rectores regi ſubiectos & ſubordinatos. q.d. Qui affligit regē, vel eius principes percutit, hic peſſimè facit quia affligit & percutit totam rempublicam: hæc

hæc enim à rege & principibus, veluti à ſuis baſibus & columnis, pendet & ſuſtentatur. Hiſce enim iuſtitiæ præſidibus ſublatis, auſertur iuſtitia ex republica, ac ſubintrat vis, rapina, ſeditio, cædes, omniſque iniuſtitia, quibus tota reſpublica confunditur, peſſumdatur, euertitur.

Quocirca hęc ſententia optimè congruit Chriſto & Apoſtolis. q.d. Peſſimè facit, qui Chriſtum iuſtum & Sanctum ſanctorum affligit: Chriſtum autem affligit, qui eius principes, putà Apoſtolos & rectores Eccleſiæ, qui pro vera fide & iuſtitia propaganda laborant, affligit, percutit, occidit, vti fecere Iudęi & Gentiles. Ita Beda, *Hæc gnome*, inquit, *& de ipſo principe ac iudice ſæculorum, qui pro noſtra ſalute perimi voluit, accipi poteſt: & de omnibus generaliter Eccleſiæ rectoribus, qui vel facultatibus nudati ab impijs, vel ipſa æterna ſunt morte conſumpti.*

Accedit anonymus in Catena Græcorum: *Qui æquum & iuſtum iuſto adimit*, inquit, *ac iuſti diſcipulos, cùm rectè alioqui incederent, à plana & recta virtutum ſemita abducit, opus facit minimè bonum. Nam cùm iuſtus illos veluti peculium obtineret, iacturā eorum facere compellitur: qui autem principibus, tametſi iuſtis, inſidias ſtruit, rem tentat minimè tutam, imò verò magnis periculis expoſitam. Principes autem eos hîc vocat, qui in Chriſto & per Chriſtum regnant.*

Omnes hi ſenſus probabiles & appoſiti ſunt, tertius eſt ceteris ſimplicior, quartus profundior, quintus Hebræo conformior.

Vers. 27.

QVI MODERATVR SERMONES SVOS, DOCTVS, ET) *&* hîc ſignificat *id eſt*, vt patet ex Hebræo) PRVDENS EST, ET PRETIOSI SPIRITVS VIR ERVDITVS] Hebr. *prohibet* vel continet *eloquia ſua, qui ſcit ſcientiam: pretioſus ſpiritu vir intelligentiæ*. Pro *pretioſus* hebr. eſt יְקַר *iekar*, pro quo Vatabl. & alij legunt וְקַר *vekar*, id eſt, *& frigidus ſpiritu vir intelligentiæ*: frigidus ſpiritu eſt, qui non calet ira vel feruore loquendi, ſed moderatus & tacitus nouit cohibere ſuos affectus & pruritum loquendi atque, vt ait R. Salomon, parcus eſt ſermonis. Vnde Chald. vertit, *& qui humilis eſt ſpiritu* (humilis enim parcè ſpirat, & parua ſperat, cùm ſuperbus tumidè ſpiret & ad magna aſpiret) *vir intelligens eſt*; Septuag. *qui parcit verbum promere durum*, ἐπιγνώμων, id eſt, *peritus* vel *prudens eſt* (Aquila, *ſciens*) μακρόθυμος, id eſt *longanimis*, ſiue *patiens*; *autem vir prudens*; Syrus, *qui prohibet verba ſua noſcit ſcientiā: longanimis & patiens ſapiens eſt*. *Doctus, ſciens, eruditus*, à Salomone vocatur ſapiens & prudens: ac *doctrina, ſcientia, eruditio* vocatur ipſa prudentia & virtus: hęc enim eſt practica ſcientia Sanctorū, vt iā ſæpiùs monui.

Identidem Salomon commendat moderationem linguæ, & parcitatem ſermonum: hęc enim difficilis eſt, nec niſi à magna prudentia & virtute efficitur. Sapiens ergo eſt, qui nouit moderari ſermones ſuos, ita vt nec plus, nec minus loquatur quàm deceat, nec quouis tempore aut loco id, quod ſcit vel cogitat, effutiat; ſed, vt habent Hebræa, contineat apud ſe eloquia ſua, tacenda retinens, & tempori opportuno quæ dicenda ſunt, ſeruans, eaque debito cum moderamine proferens.

Pretioſus ſpiritu, quis?

Quęritur, quis hîc vocetur *pretioſi ſpiritus*, vel, vt hebr. eſt, *pretioſitas ſpiritus*, id eſt, *pretioſus ſpiritu*, Tigurina, *nobilis ſpiritu*?

Prima expoſitio.

Primò, Aben Ezra per *ſpiritum* accipit doctrinam, per *pretioſum* ratum. q.d. Taciturni doctrina pretioſa eſt & rara; vt è contrà vecors vniuerſa quę ſcit, effundit.

Secunda.

Secundò, R. Leui per *ſpiritum* accipit ſermonem. q.d. Prudens ſuos ſermones pretioſos, id eſt raros, eſſe vult, non ex faſtu, ſed ex prudentia. Sermo enim ſpiritu illo formatur, quem crebrò reſpirando ducimus.

Tertia.

Tertiò, Baynus, *Pretioſus ſpiritu*, inquit, hoc eſt, præditus rara quadam mentis intelligentia, contemplatione & meditatione ſolitaria magis gaudet, quàm cum alijs ſermones conſerere.

Quarta.

Quartò, alij per *ſpiritum* accipiunt impetum loquendi, iuxta illud Eliu tumentis ad loquendum: *Coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit*, Iob 32. 18. *Pretioſus ſpiritu* ergo eſt, qui impetum loquendi cohibet, qui verba ſua rara & cara habet: quę enim rara ſunt hęc & pretioſa ſunt. Porrò hęc raritas & parcitas ſermonum requirit Primò, vt non niſi neceſſitate vel magna vtilitate adactus loquatur; Secundò, vt, dum loquitur, paucis verbis rem totam enunciet & comprehendat; Tertiò, vt ea priùs mente exactè libret, præmeditetur & ponderet.

Quinta.

Quintò, Lyran. Vir, inquit, pretioſi ſpiritus, id eſt animæ, qui ſcilicet animam ſuam in pretio habet, eſt eruditus in ſcientia & moribus; quia in his pretioſitas animæ conſiſtit. Rurſum ſpiritus ſæpè amorem, feruorem, zelum ſignificat, vti dixi c. 16. 2. ſic *pretioſi ſpiritus* eſt, qui inſigni pollet charitate & zelo.

Sexta.

Sextò, alij per *ſpiritum* accipiunt ſecretum, ſiue intentionem & fundum cordis: ſpiritus enim eſt intimum animæ penetrale & ſecretum. q.d. Qui pretioſus, id eſt rarus & parcus, eſt, vt ſecreta & fundum cordis pandat, hic eſt prudens.

Septima.

Septimò, Caietan. ſic ex Hebræo explicat totum hunc verſum: Quanto quis maiori præ reliquis viget ſcientia, tanto magis ponderat eloquia ſua, & multa conſiderando retinet apud ſe dicta ſua, aſpirans ad meliora: *& pretioſus ſpiritu vir intelligentiæ*, hoc eſt, vir quoque vigens intellectus acumine in magno habetur pretio, non pecuniæ, ſed ſpiritus: pretio, inquam, ſpirituali, cui incomparabiles ſunt diuitiæ omnes.

Octaua.

Octauò, phyſicè & planè duplex in homine eſt ſpiritus: vterque neceſſarius ad loquendum, imò opifex vocis & ſermonis. Prior ſpiritualis, qui eſt ipſe animus eiuſque conceptus, ſenſa & deſideria, quæ ipſum extimulant, vt ea voce proloquatur, q.d. Quia animi ſui ſenſa & deſideria in pretio habet, vt ea non temerè loquendo effundat, ſed ſibi ſecreta quaſi pretioſa, id eſt rara & cara ſeruet, hic eſt vir eruditus, id eſt prudens & ſapiens. Poſterior ſpiritus eſt corporalis, putà ipſe halitus ſiue anhelitus quo reſpiramus: hic enim alliſus ad dentes, palatum, linguam & guttur, efficit vocem & ſermonem. q.d. Qui pretioſum habet ſpiritum & halitum, quo ſuas efformat voces & ſermones, vt illi dominari, illum regere, illum velut rem pretioſam ſibi ſeruare, & rarò per ſermonem foras emittere queat; hic eſt *vir eruditus*, id eſt ſapiens: quo ſignificat vocem & ſermonem nobis tanto pretio, & tantæ curæ eſſe debere, quanti eſt ipſe anhelitus, quo efformatur, & ex quo pendet vita hominis. Reſpiratio enim vitam cauſat: ſic *& vita & mors in manu linguæ*, cap. 18. 21.

Hunc eſſe ſenſum patet ex hemiſtichio præcedenti. Nam τὸ *qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt*, explicat id quod parabolicè & elegan-

ter ſubnectitur. *Et pretioſi ſpiritus vir eruditus.* Igitur *pretioſi ſpiritus* eſt is, *qui moderatur ſermones ſuos.* Secundò, quia ſimili phraſi & ſenſu dicitur c. 29. 11. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt & ſeruat in poſterum.* Et c. 1. 23. *En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea.* Igitur *pretioſi ſpiritus* eſt, qui nouit ſpiritum cohibere, vt initio verſus dixi, ne in verba temerarius erumpat, quibus ſe & ſua ſenſa oſtendat, ac quidquid in animo habet, depromat euulgetque, ſed ori & verbis pretium & pondus ponit, putà cuius pretioſi, id eſt rari & maturi, ſunt ſermones, quique verborum eſt parcus.

Huius ergo ſpiritus vocatur pretioſus, Primò, quia magni eſt valoris & pretij; Secundò, quia nobilis, vt vertit Vatablus; Tertiò, quia rarus; Quartò, quia carus; Quintò, quia æſtimationem & pondus dat verbis & actibus. Sic Prou. 25. 17. pro eo quod Noſter vertit, *ſubtrahe pedem tuum de domo proximi, ne quando ſatiatus oderit te*, hebr. eſt *pretioſum fac pedem tuum à domo proximi tui*: hoc eſt, rariùs adeas proximum, ne ei vileſcas & deſinas eſſe in pretio. Et Iſaiæ 13. 12. *Pretioſior*, id eſt rarior, *erit vir auro*; quia penè omnes occidentur. Pretioſus ergo ſæpè in Scriptura idem eſt quod rarus; omne ſcilicet rarum carum & pretioſum eſt. Hinc 1. Reg. 3. v. 1. dicitur: *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis*, id eſt, nulla aut certè rara, Deus tunc oracula edebat. Pſal. 115. v. 5. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, id eſt difficillimè ac perraro euenit, vt ſeruos ſuos Deus hoſtium immanitate necari permittat, iuxta illud pſal. 71. v. 14. *Honorabile nomẽ eorum coram illo.* Vbi S. Hieron. vertit ex Hebræo, *pretioſus ſanguis illorum coram oculis eius*, id eſt, non facilè illorum ſanguinem profundi patietur.

Vir igitur eruditus, id eſt ſapiens, eſt pretioſus id eſt parciſſimus, in verbis. Contra verò dicitur de ſtulto Prou. 25. v. 28. *Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir qui non eſt poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Mora itaq; & tarditate verba penſanda ſunt, excutienda, atque ad rationis obruſſam examinanda, claue ſcilicet rationis dumtaxat aperiendum eſt os. Sapienter enim ait S. Chryſoſt. in pſal. 50. *Os noſtrum perpetuò cuſtodiamus, rationem ei tanquam clauem adhibentes.* Vide dicta Iacobi 1. 19.

Huc facit dictum Anacharſis, qui interrogatus quid in homine eſſet optimum, & quid peſſimum? reſpondit, Lingua, ſentiens linguam ſummi eſſe momenti & pretij: ſi enim rectè gubernetur, ſummæ eſt vtilitatis; ſi ſecùs, eſt peſtilentiſſima. ita Laërtius lib. 1. cap. 9. Hinc & Bias Amaſidi Ægyptiorum regi iubens, vt ſibi quod in victima, quam ad illum miſerat, erat optimum & peſſimum remitteret; linguam reſectam remiſit, innuens linguam eſſe rem vti optimam & pretioſiſſimam, ſi illa moderatè vtaris; ſic peſſimam, ſi illa abutaris. ita Plutarch. tract. de Loquacitate.

Porrò eundem ſenſum habet, quod alij legentes in Heb. וְקַר *vekar*. vertunt, *& frigidus ſpiritu eſt vir prudentiæ. Frigidus* enim *ſpiritu* eſt, qui non prurit ad loquendum, ſed ad hoc remiſſus, lentus & moderatus eſt, quales aptiſſimi ſunt ad gubernãdum: qui enim feruent & pruriunt ad loquendum, omniaque quæ præter leges fiunt culpare, carpere & ad viuum reſecare volunt, hi multos offendunt & parum proficiunt: qui verò prudenter multa diſſimulant, ac frigidi ſunt in mandando, reprehendendo, monendo; hi ſua modeſtia & moderatione ſubditorum animos ſibi conciliant, ac ab eis impetrant quod volunt: ſed hi pretioſi ſunt, id eſt pauci & rari. Scitum eſt illud: *Princeps omnia videat, multa diſſimulet, pauca caſtiget.* Frigidus ſpiritu erat Philippus II. Hiſpaniarum rex, qui proinde prudentis in regendo principis nomen obtinuit. Ad hoc vt quis perueniat, oportet vt mortificet paſſiones, domet iram, frænet ſuperbiam, affectibus omnibus dominetur, itaque animi moderationem, lenitatem & patientiam induat, vt videatur phlegmaticus, non cholericus. Hinc Chald. *frigidum ſpiritu* interpretatur humilem & modeſtum ſpiritu; humiles enim modeſtè in loquendo ſpirant, verbaque ſubmiſſa expirant: ſuperbi verò buccas inflãt, verbaq; inflata tumido ore efflant. Vnde S. Chryſoſt. hom. 14. in Gen. humiles comparat vrinatoribus, qui continentes anhelitum in profundum maris ſe demittunt, vt ibi margaritas & theſauros colligant. Simili enim modo humilis continens ſuum ſpiritum, in profunda Dei ſe demergit, ibique pretioſos gratiarum theſauros colligit.

Denique noſter Salazar Hebr. יְקַר, *iekar* vertit, *contignatus ſpiritu* deriuat enim à קָרָה *kara*, id eſt tignum, & קָרָה *kara*, id eſt contignare, vnde קֶרֶת *keret* eſt ciuitas, quæ multis domorum contignationibus conſtat & coaleſcit. Vertit ergo, *contignati autem ſpiritus vir prudens*, id eſt, vt Septua. *patiens & longanimis*, qui ſcilicet ad probra, dicteria, calumnias & iniurias tacet, nec durè, ſed leniter reſpondet, *eſt vir prudens.* Is enim verò longanimis atque patientis nomen vſurpare poterit, cuius ſpiritus animuſque contignatus, & quaſi immiſſis trabibus compactus eſt. Hinc S. Chryſoſt. homilia de patientia *patientiam validiſſimam totius ædificij trabem appellat cui reliqua tecti moles incumbit.* Ad hæc ſpiritus contignati virum appellare licebit eum, qui ſpiritum ſuum per mortificationem internam ligno crucis affixit, & concupiſcentias ſuas clauis trabalibus traiecit. Hic ſenſus ingenioſus & pius eſt, vtinam æquè genuinus & ſolidus. Nam Heb. *iekar* nuſquam *contignatum* ſignificat, vnde nec vllus interpretum ſic vertit.

Verſ. 28.

Stvltvs qvoqve si tacverit, sapiens repvtabitvr: et si compresserit (Hebr. *obturans*, Aquila & Theodot. *obſtruens*; Vatabl. *imperans*) labia sva, intelligens] *τὸ quoque*, inquit Aben Ezra, pertinet ad maiorem amplificationem laudum illius, qui ſermone ſit parcus, adeò vt etiam ſtultus, qui ſilentio dat operam, ſapiens habeatur. Arabicus, *& qui non habet intellectũ, cùm poſtulabitur de ſapientia, id reputabitur illi ſapientia. Qui efficit ſeipſum ſilentem, reputabitur ingenioſus.* Dat hic Sapiens conſilium inſipienti, nimirum vt ſileat: ſic enim non inſipiens, ſed ſapiens reputabitur. Ratio à priori eſt, tùm quia ſilentio regit ſuam inſipientiam: tum quia ſilentium index eſt animi ſapientis. Vnde Solon cuidam dicenti illum ideo non loqui, quia inſanus eſſet: *Nullus*, inquit, *ſtultus tacere poteſt.* tum quia vt ait R. Leui, ſilentium decet ſapientiam: retrahit enim animum ab ore ad cor, vt cogitet quid prudenter agere & loqui debeat. Stultus ergo ſilens, videtur quaſi ſtatua ſapientiæ vel Numinis alicuius, quæ non loquitur; ſed tamen ab omnibus honoratur, quia ſapientiam vel numen repræſentat. Sic enim ſtultus ſua taciturna grauitate repræſentat ſapientem.

Stultum ſilens, ſapiens videtur, cum

Ratio à priori.

Septuag. in Catena Græcor. vertunt, *amans ſapien-*

pientiam (vel *ſapientem*) *interrogans ſapiens reputabitur: mutuum autem quis ſe faciens videtur prudens eſſe.* Minùs rectè Complut. omittunt τὸ *ſapientiam.* Nam Septuag. Romæ correcti habent, *inſipienti interroganti ſapientiam, ſapientia reputabitur.* Et ſic legit S. Iuſtinus epiſt. ad Zenam & Serenum, ac Caſſianus collat. 4. c. 9. *Diſcernere diuiſiones*, inquit, *& lineas quæſtionum portio intellectus eſt, & maxima pars intelligentiæ ſcire quid neſcias. Propter quod dicitur: Inſipienti interroganti ſapientiã, ſapientia reputabitur; quia licet is, qui interrogat, vim propoſitæ quæſtionis ignoret; tamen quia prudẽter inquirit, & intelligit quid non intelligat, hoc ipſum illi reputatur ad ſapientiam, eò quòd quid neſciret, prudenter agnouerit.* Quare perperam apud S. Hilarium in pſal. 118. litera H legitur: *In Prouerbijs*, inquit, *Salomonis ſcriptum inuenimus; Ignorando ſapientiam, ſapienter interrogantibus ſapientia deputatur*, cùm in perantiquo libro eruditiſſimi Cardinalis Sirleti appareat ſcriptum fuiſſe: *Intelligenti ſapientiam interroganti, ſapientia deputatur.* Nam idipſum explicans ſtatim ſubdit S. Hilarion: *Quo ſenſu id oſtẽdi videtur, quòd qui non intelligat, & ſapienter interroget, ſapere credatur:* quia interrogatio hæc ſignum eſt, quòd velut erudiri & diſcere ſapientiã.

Septuag. prius hemiſtichium de ſuo addunt, vt ſignificent duobus modis inſipientem ſibi ſuæque famæ conſulere poſſe, vt habeatur ſapiens: Primò, ſi ſapienter interroget; Secundò, ſi taceat: ſapiens enim interrogatio indicium eſt animi ſapientis, ac ſimul à ſapiente ſapiens elicit reſponſum, quo diſcit quid ipſe in ſimili quæſtione ſapienter reſpondere & loqui debeat. Hoc maximè decet iuuenes; A horum enim eſt interrogare ſenes, vt ab eis hauriant ſapientiam. Sic Chriſtus duodennis in templo à matre inuentus eſt in medio doctorum, interrogans & audiens illos, Lucæ 2. 46. Salomon hanc gnomen hauſit à Iob c. 13. 5, *Vtinam taceretis, vt putaremini eſſe ſapientes.* A Salomone eamdem hausêre Philoſophi, Hebræi, Græci & Latini. Hebræorum adagium eſt; *Lagena plena nummis non ſonabit: vnicus & alter ſi in ea nummus fuerit, ſonum edet & tinniet.* Gnome ſilentij. Sic ſanè quo quis doctior, eo eſt & modeſtior ac taciturnior: quo indoctior, eo audacior & loquacior, vt ſuam ſapientiam (re vera inſipientiam & arrogantiam) oſtentet. Seneca in Prouerbijs: *Tacere qui neſcit*, inquit, *neſcit loqui*: tacendo enim præmeditamur quid oporteat loqui. Et, *Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt*: quia reprimit B eum ne proferat ſtolida, ſuperflua, impertinentia, peruerſa quæ mente gerit. Theophraſtus ad quẽdam, qui in conuiuio iugiter ſilebat: *Si indoctus & imprudens es*, inquit, *prudenter facis, ſin doctus, imprudenter.* ita refert Laërtius lib. 5. c. 2. Sed Plutarchus hunc in modum dixiſſe ſcribit: *Si ſtultus es, rem facis ſapientem, ſin ſapiens, ſtultam.* Eſt enim non minima ſapientiæ pars tegere ſilentio ſtultitiam. S. Cyrilli dogma eſt quod citat hîc Dionyſ. *Auarus ſis verbi, & audi libenter.* Denique S. Iacobi, imò Spiritus ſancti lex eſt: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Iacobi 1. verſ. 19. Hoc inſipientes & garruli non obſeruant. Nam vt ait S. Gregor. *Praui ſicut in ſenſu ſunt leues ita & in locutione præcipites: quia quod leuis mens concipit, leuior lingua protinus prodit.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occaſiones quærit receſſurus ab amico, impius eſt incorrigibilis; non deuiandum à veritate: os ſtulti ſe conterit, iuſtus ſe accuſat; frater iuuans fratrem quaſi vrbs firma; fructus oris replet ventrem; mulier bona ingens eſt bonum, mala ingens malum; pauper loquitur demiſsè, diues rigidè, vir amicabilis amicior eſt fratre.

1. Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. 2. Non recipit ſtultus verba prudentiæ: niſi ea dixerit quæ verſantur in corde eius. 3. Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. 4. Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ. 5. Accipere perſonam impij non eſt bonum, vt declines à veritate iudicij. 6. Labia ſtulti miſcent ſe rixis: & os eius iurgia prouocat. 7. Os ſtulti contritio eius: & labia ipſius, ruina animæ eius. 8. Verba bilinguis, quaſi ſimplicia: & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris. Pigrum deijcit timor: animæ autem effeminatorum eſurient. 9. Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. 10. Turris fortiſſima, nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur. 11. Subſtantia diuitis vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circumdans eum. 12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. 13. Qui priùs reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum. 14. Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam: ſpiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? 15. Cor prudens poſſidebit ſcientiam: & auris ſapientium quærit doctrinam. 16. Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpatium ei facit. 17. Iuſtus, prior eſt accuſator ſui: venit amicus eius, & inueſtigabit eum. 18. Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat. 19. Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma, & iudicia quaſi vectes vrbium. 20. De fructu oris viri replebitur venter eius; & genimina labiorum ipſius ſaturabunt eum. 21. Mors, & vita in manu linguæ; qui diligunt eam, comedent fructus eius. 22. Qui inuenit mu-

mulierem bonam, inuenit bonum: & hauriet iucunditatem à Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & impius. 23. Cum obſecrationibus loquetur pauper: & diues effabitur rigide. 24. Vir amabilis ad ſocietatem, magis amicus erit, quam frater.

VERS. 1. 2 OCCASIONES QVÆRIT QVI VVLT RECEDERE AB AMICO, OMNI TEMPORE ERIT EXPROBRABILIS] Hebr. hic à Vulgata diſſentire videntur, ſicque ad verbum habent, *qui ad deſiderium* (ita Aquila & Symmach. *quærit ſeparatus, in omni exiſtentia* vel *ſapientia miſcebit ſe.* quod Primò, Chald. ſic vertit & explicat: *Deſiderium quærit ſeparatus, & omne conſilium deridet;* Syrus clariùs, *qui in ſilentio ſuo cogitat deſiderabilia, bonam doctrinam deridet.* q. d. Qui ſequitur concupiſcentiam, deridet ſapientiam R. Salomon: Qui, inquit, à Deo diuulſus eſt, illius præceptis non obtemperans, cupiditatibus prauiſque animi motibus obſequitur: atque ita tandem omni tempore erit exprobrabilis, id eſt, inter ſapientes probrum ſuum prodet. Rabbini verò antiquiores de Lot id expoſuerunt, qui à cupiditate ſua abreptus ſe ab Abrahamo ſeiunxit, iuxta illud, *Elegitq. ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente, diuiſiq; ſunt alterutrum,* Genes. 13. 11. Hic verò verſiculus ſpectat ad declarandum eius inceſtuoſum crimen, quod tandem in vniuerſis cœtibus Iſraeliticis & ſcholis euulgatum ſit; Ammonitas enim & Moabitas, qui ex nefario illo congreſſu ortum habuerant, inter Iſraelitas admitti nefarium erat, iuxta illud: *Non intrabunt Ammonites & Moabites Eccleſiam Domini,* Deuter. 23. 3.

Secundò, Aben Ezra & Pagnin. ſic vertunt & explicant: Qui propter deſiderium (ſapientiæ) à domo vel patria ſua diuellitur, vt ſapientiam conſectetur, propter vehementem cupiditatem qua flagrat eius obtinendæ; hic in omni ſapientia miſcebit ſe, id eſt, cum omnibus viris doctis miſcebit ſe, & conſuetudinem habebit. Et Vatabl. Præ amore ſapientię eius ſtudioſus, inquit, quærit ſeiunctus eſſe ab hominibus, id eſt, omnibus rebus contemptis quærit vni vacare ſapientiæ, & in doctrina ſana admiſcere ſe ſolet.

Tertiò, Baynus hæc accipit de iis, qui fucatam quærunt ſapientiam, vt eam oſtentent, vnde vertit, *ſecundùm deſiderium quoddam magis quàm ex animo & bono iudicio quærit;* ſcilicet ſapientiam, *cum ſit ſeparatus à ſapientia:* vel, *qui quærit verbum aliquod ſeparatum,* vel *ſcientiam ſeparatam à vera ſapientia, hic in omni ſapientia miſcebit ſe:* hoc eſt, inter omnes ſapiẽtes cum oſtentatione quadam ſeſe ingeret, deſtitutus videlicet à virtute veri ſapientis, qua verba ſua cohibeat, humiliter de ſe ipſo ſentiens. Sic enim diſtinguuntur vera ſapientia & falſa, iuxta S. Iacobum c. 3. v. 17. *Quæ autem,* inquit, *de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens; ſed terrena, animalis, diabolica, vbi eſt zelus & contentio;* quod Salomon vocat ſeſe miſcere cum his qui ſapientes ſunt.

Idem aliam ſubnectit expoſitionem. q. d. Qui per deſiderium quoddam vanum aut iuuenile inueſtigat de rebus ſeparatis, & quæ ab hominibus intelligi non poſſunt, ab omni vera ſapientia ſe ipſum ſeparat: vt contra vanitatem eorum, qui toti in nugis verſantur, dicatur prouerbium. Prior expoſitio eſt melior, & nugis quadrat cum ſequenti verſiculo. Hæc Baynus.

Quartò, Caiet. ſic vertit & explicat, *pro appetitu quærit ſapientiam: in omni ſtatuto miſcebit ſe.* Cerne, A inquit, quàm diſpar eſt Vulgata editio ab Hebraica veritate. Vir ſeparatus animo à conuerſatione communi, quæret, hoc eſt, perſeuerat quærendo pro appetitu, hoc eſt viuendi modũ iuxta appetitum proprium. Is enim cui non placet communis conuerſatio, quærit iugiter aliquem viuendi modum conformem appetitui ſuo, & quærendo miſcet ſe in omni ſtatuto, reuoluit codices ſtatutorũ diuerſorum circa diuerſos viuendi modos, ſi fortè inueniat, vel hauriat viuendi modum aliquem ſecundùm deſiderium ſuum. hæc Caiet.

Vides hic lector quàm in diuerſa abeant qui à Vulgata recedunt, cui tamen ad amuſſim aſtipulantur Septuag. vti antiquiſſimi ſic & doctiſſimi interpretes: qui proinde cum Vulgata in Hebræo pro תאוה *taaua,* id eſt concupiſcentia, deſiderium, B magis clarè & appoſitè ideoque veriùs legerunt תאנה *taana,* id eſt occaſio. Rurſum תושיה *tuſia,* quod Recentiores vertunt, *ſapientia,* ipſi meliùs verterunt, *exiſtentia,* iam *omni exiſtentia,* idem eſt quod *omni tempore,* vt vertunt Septuag. & Noſter. Inſuper iidem vertunt *exprobrabilis,* quia in Hebr. legerunt יתגלע *itgaal,* id eſt reprobabitur vel probro erit, iam per metatheſin legunt יתגלע *itgalla,* id eſt, miſcebit ſe litibus, probra iacet, exprobrabit. Vnde ſic quoque legendo rectè Noſter & Septuag. vertunt, *exprobrabilis,* non paſſiuè, ſed actiuè, hoc eſt, qui exprobrat & probra iacit. Sic *incredibilis* ſumitur ſæpè in ſcriptura actiuè pro incredulo, *perſuaſibilis* pro perſuaſorio, 1. Corinth. 2. 4. *deſperabilis* pro deſperato & deſperare faciente, Ierem. 15. 18. Deniq; etiamſi per omnia legas in Hebræo, vti iam legitur, rectè lectionem illam Vulgatæ & Septuag. accommodes, hoc modo: Qui C pro deſiderio, id eſt pro libito, quærit ſeparatus, ſcilicet eſſe, id eſt diſcedere ab amico; hic in omni eſſentia, id eſt in omni re & tempore exprobrabit, hoc eſt lites & probra iaciet in amicum. Vulgatæ & Septuag. accedit Arabicus, qui vertit, *vir diues qui diuidere vult amicos ſuos, accipit occaſiones, & omni tempore erit exprobrans.*

Senſus ergo eſt. q. d. Qui pertæſus amici & amicitiæ, eam vult ſoluere & diſſociare, vel ob animi inconſtantiam, vel quia ſe læſum putat ab amico, vel vt magis vtiles aliorum amicitias captet; hic ne temerè, & ſine ratione, ideoque infideliter vel malitioſè, videatur amicitiæ renuntiare, quærit occaſiones, prætextus & cauſas, ob quas id iuſtè facere videatur, nunc amici vitia, nũc ſuas occupationes, nunc alia cauſando: hinc *omni tempore erit exprobrabilis* paſſiuè, id eſt ignominioſus & vituperandus D tum ipſi amico, tum ceteris, qui eius infidelitatem laceſſent probriſq; proſcindent: quia cùm ipſe ne quidem læſus debuiſſet ab amicitia recedere, cauſas tamen ſine vlla occaſione iraſcendi, & amicum deſerendi prætexit. Vel potiùs erit *exprobrabilis* actiuè, id eſt lites & probra iaciet aſſiduè in amicum, vt eum à ſe ſuaque amicitia depellat: hoc enim ſignificant Hebræa, ſiue legas *itgaal* cum Noſtro, ſiue, vt recentiores, per metatheſin *itgalla.* Et ſic quoq; exponas Græcum ἐπονείδιστος, quod habent Septuag. actiuè, vt idem ſit quod probroſus, contumelioſus, probra iaciens. Poſterius enim *Exprobrabilis, id eſt probra iaciens.*

hemi-

hemiſtichium videtur explicare prius, nimirum A docere occaſiones diſſoluendæ amicitiæ, quas quærit amicus infidus, eſſe lites & probra, quæ in amicum aſſiduè iacit. Verùm enim eſt vetus prouerbium: *Iniuria ſoluit amores*; quod tamen nimius & demens amator falſum eſſe contendit, dum in Epigramm. ita canit:

Fabula, quòd iactant, iniuria ſoluit amores:
Namque redardeſcit ſic magis ille furor.

Loquitur, vt dixi, Salomon de amico infido & iniquo. Similis tamen ratio eſt amici æqui & fidi: hic enim eum amicum, quia vitioſum ſibique noxium, à ſe ablegare cupit, quęrit occaſiones quibus opportunè & commodè id præſtet, ne amicum vel alios inuiſos ſibi faciat, & contra ſe concitet: omnia enim ſubita ſunt violenta ideoque exoſa, præſertim ſi importunè fiant. Vnde vetus dictum eſt: *Amicitiæ non rumpendæ, ſed diſſuendæ ſunt*. Sic Sã- B ſon inſtinctu Dei quærens vxorem Philiſtinam, quæſiuit occaſionem rumpendi pacem cum Philiſtinis, eorumque iugum excutiendi, Iudic. 14. 4. Sic rex Iſrael videns regem Syriæ ad ſe miſiſſe Naaman leproſum vt curaretur à lepra, dixit: *Animaduertite & videte quòd occaſiones* (rũpendi fœderis & inferendi belli) *quærat aduerſum me*, 4 Reg. 5. 7.

Ratio à priori eſt, quòd occaſio ſit tempus actionis opportunum: vnde in aggrediendo conficiendoque negotio præcipuum habet momentum, vt alibi oſtendi. Hinc Feſtus occaſionem ita definit: *Eſt opportunitas temporis caſu proueniens*. Cicero verò lib. 1. de Inuent. *Occaſio*, inquit, *eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem*. Quocirca prudentes in re qualibet, ac præſertim in concilianda vel diſſuẽda amicitia commodam quærunt occaſionem & opportunitatem: ab opportunitate enim pendet rei C ex voto ſucceſſus, ac proſper actionis effectus, felixque euentus. Veritas huius ſententiæ manifeſta eſt in quotidiana experientia, & potiſſimum in hęreticis, qui quandoquidem faſtidio vetuſtatis, aut ſua malitia, quęrũt diſceſſionem ab Eccleſia, quiduis cauſantur, minutiſſima quæque exaggerantes & calumniantes, omniaque inſectantes & traducentes apud populum, nihil aliud ferè inculcantes in omnibus ſuis concionibus quàm Eccleſiaſticorum vitia, in quæ aſſiduè debacchantur.

Apologus vulpis & galli.

Huc facit apologus vulpis & galli apud mythologos: Vulpes enim nacta occaſionem capiendi gallum criminabatur eum, quòd in aurora vociferando ſomnum ſuum & aliorum animalium interturbaret. Excuſauit ſe gallus. Imò verò, ait, voce mea te & omnes excito, vt euigiletis, & cibum prędam que quęratis. Cui vulpes. Vt vt eſt, inquit, D prandendum mihi eſt, impranſus à te non diſcedam: quare gallum ſuffocauit & deuorauit. Similis eſt de leone qui ceruum criminatus, quòd ingrediens lacum ad bibendum, pedibus aquam turbidam efficeret, eum inuaſit & comedit.

Myſticè auctor Catenæ Græcor. *Occaſionem*, inquit, vel *prætextum hoc loco appellat peccata: amicos autem ſanctos, quibus per virtutum culturam coniungebatur. Tenebitur porrò perpetuo probro obſtrictus, qui horũ amicitia & ſtabilitate viuit deſtitutus*. Sic hoc ſæculo Henricus VIII. Angliæ rex, vt S. Thomæ Cantuarienſis, cui ipſe paulò antè cum tota Anglia deuotionis & beneficiorum vinculo obſtrictus viuebat, ſepulchrum gemmis & auro diues expilaret, eum non tantùm amicorum, ſed & Sanctorum albo,

Henricus VIII. S. Thomam excanoniza[t].

inaudito à ſæculis ſacrilegio, expunxit. Atque vt hoc iure videretur facere, cum velut Hẽrico II. rebellem perduellionis reum peregit, & latà in tribunali ſententià damnauit, vti fusè narrat Sãderus l. 2. de ſchiſm. Anglic. quo facto æternum Dei angelorum, hominumq; odium & probrum ſibi conſciuit. Simili modo peccator ob amicas veneres, opes & cupidines, amicitiæ Dei & Sanctorum renuntiat, ac cum diabolo & mundo ſocietatem copulat, cuius proinde pœna & probrum perennabit in gehenna. Tales tacitè & re ipſa dicunt illud impiorum apud Iſaiam c. 28. 15. *Percuſſimus fœdus cùm morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus*. Quibus proinde Deus flagellum intentans: *Delebitur*, inquit, *fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrũ cum inferno non ſtabit: flagellũ inundans, cùm tranſierit, eritis ei in conculcationẽ*. Porrò occaſiones quas impius, vt Dei & Sanctorum amicitiæ renuntiet, prætexit, recenſet Chriſtus in parabola inuitatorum ad nuptias, Lucę 14. 18. *Et cœperunt*, inquit, *ſimul omnes excuſare. Primus dixit: Villã emi, & neceſſe habeo exire, & videre illã: rogo te habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinq; & eo probare illa. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire*. Vbi vide S. Ambroſ. S. Chryſoſt. cæteroſque interpretes. Hoſce meritò increpat S. Iacobus c. 4. *Adulteri*, inquit, *neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit eſſe amicus ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur*. Vide quæ ibidem annotaui.

NON RECIPIT STVLTVS VERBA PRVDENTIÆ, Vers. 2.
NISI EA DIXERIS QVÆ VERSANTVR IN CORDE EIVS] Hebr. habent, *non volet ſtultus verba intelligentiæ, niſi in reuelando cor eius*, id eſt niſi reueles ea, quæ ipſe corde voluit. Aquila, *non volet demens in prudentia*, id eſt prudentiam, ſupple, audire & diſcere. Eſt hebraiſmus: Hebræi enim verba cõtactus, quale eſt audire, conſtruunt cum ablatiuo mediãte præpoſitione *in*. Septuag. *non habet opus ſapientia*, vel *potiùs nõ habet vſum* (hũc enim ſignificat χρεία, & huic reſpondet Hebr. לֹא יַחְפֹּץ *lo iachpots*, id eſt *non volet*) *ſapiẽtia mentis inops: magis enim ſtultitia ducitur quàm ſapientia*; Chald. verò, *non vult ſtultus intelligentiam, ſed in ſtultitia immoratur eius animus*; Syrus. *ſtultus non amat ſapientiam. quia cor eius ſtultitiam cogitat*; Vatabl. *ſtultus non delectatur intelligentia, ſed his dumtaxat, quæ corde ſuo volutat*.

Ex his ergo verſionibus Primò, planum hunc ſenſum elicias. q. d. Stultus non amat, nec recipit verba ſenſata & prudentia, *quia ſibi deſipiunt ob habitum contrarium*, ait Lyran. ſed tantùm vana, leuia, carnalia & ſtulta, qualia ipſe amat verſatq; mente ſua: quia his plenum eſt cor eius, iuxta illud: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, 1. Corinth. 2. 14. Rurſum. q. d. Stultus nõ recipit ſapientes doctorum ſententias, ſed ſuis quas cordę concepit opinionibus mordicus adhęret: quare niſi eadem dicas, quæ ipſe ſentit, nõ te audiet, ſed explodet. Agitur enim & occęcatur ſtultitia, id eſt ſtulta concupiſcentia & curioſitate: quare verba prudẽtiæ & virtutis non admittit. ita auctor Catenæ Græc. Lyran. Hugo, Arboreus, Dionyſ. Ianſen. & alij. Iuxta hunc ſenſum *Id niſi* accipitur nõ vt exceptiuum, ſed vt aduerſatiuũ ſignificans, *ſed, tantùm*.

Secundò, preſſiùs & profundiùs. q. d. Non recipit ſtultus prudentiam, niſi eã dixeris & docueris per ea, quæ ipſe corde ſuo verſat, niſi ſcilicet te

eius ruditati & ſtoliditati accommodes, vt cum inepto quaſi ineptias, & cũ ſtulto ſtultetias. Docet ergo magiſtrum cum ſtultis quaſi deſipere, ac ſtultum agere debere. Iuxta hũc ſenſum *Tò niſi* propriè accipitur vt nota exceptionis. Ab eo enim quod dixit, ſtultum non capere verba prudentiæ, excipit caſum vnum, ſcilicet ſi ſtulto te accommodes: ſic enim per ſtultitiam à ſtultitia eum deduces ad ſapientiam. Igitur hæc gnome ſignificat Primò, ſtultum ita depreſſum & affixum eſſe ſuæ ſtultitiæ, vt ad ſapientiam aſſurgere nequeat. Secundò, magiſtrum vt ſtultum doceat ſapientiam, debere ſe ineptis & ſtultis eius conceptibus, quoad licet, conformare, vt ex eis quæ ipſe capit & amat, ſenſim eleuetur & deducatur ad ſapientiam. Sic Chriſtus veſtiuit ſe carne noſtra, vt carnales & inſipientes homines ad Deum & diuina deduceret: accommodabat enim ſe carnalibus eorum ſenſibus: vnde docebat per parabolas nuptiarum, ſeminis, meſſis, zizaniorum, &c. quæ plebeijs & rudibus notæ & familiares erant: ac per illas adumbrabat, & quaſi deſcribebat craſſo & rudi quodam modo res cæleſtes & diuinas, quas alioquī non intellexiſſent homines, ſi nudè in ſe, vti ſunt, fuiſſent à Chriſto propoſitæ. Chriſtum imitatus S. Paulus 1. Corint. 1.18 & ſeqq. celebrat & prædicat ſtultitiam crucis Chriſti: *Quia*, inquit, *quod ſtultum eſt Dei, ſapiẽtius eſt hominibus.* Et Galat. 4.20. *Vellem*, inquit, *eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam*, vt cum vobis quaſi paruulis & balbutientibus balbutirem.

Sic S. Ignatius fundator Societatis noſtræ, nos docuit praxim conuertẽdi mundanos & carnales, dicens: *Ad tales conuertendos ingrediamur cum eo quod ipſorum eſt, ſed egrediamur cum noſtro.* q. d. Initio miſceamus ſermones de rebus mundi, quas mundani capiunt; ſed inde commodè traducamus ſermonem ad ea, quę ad ſalutẽ animæ ſpectant, qui noſter eſt finis & ſcopus. Et S. Franciſcus Xauerius cum Indis & barbaris agebat quaſi Indus, & barbarus, cum pueris quaſi repueraſcebat, cum militibus agebat de militia, cum agricolis de agricultura, cum mercatoribus de mercibus; itaq; omnibus omnia factus omnes lucrabatur Chriſto. Ita quiſque ſua ineſcandus eſt eſca, ac ſuo capiẽdus hamo.

Porrò alij aliter hanc gnomen explicant. Primò, R. Leui. q. d. *Vecors prudentiam non amat, niſi quando eiuſdem inſcitia animuſq; patefit: tum enim tantummodo magnam vim eſſe prudentiæ arbitratur ſed deinde ad ſapientiam acquirendam, animoq; conſignandam non excitatur.* Sic & Vatabl.

Secundò, Caiet. vertit, *non volet ſtultus intelligentiam; quòd ſi, ad detegendum cor ſuum.* Et eſt ſenſus quòd ſtultus non ſtudet ad intelligendum: quòd ſi ſtudeat ad intelligendum, ſtudet ad hoc vt detegat cor proprium, hoc eſt, ad manifeſtandum alijs quòd ipſe intelligit. Vana gloria itaque deſcribitur finis imprudentis, ſi ſtudet ad penetrãdum aliqua intellectu. Abſolutè autem non placet illi intelligentia rerum, aut ſcriptorum. hæc Caiet.

Tales ſunt qui nouas comminiſcuntur opiniones, ac veterum tritas ſanaſq; ſententias rident & explodunt: quod ſuperbię, æquè ac inſipientiæ, eſt argumentum. Accedit Baynus, Aſſerit, inquit, ſtultum non quærere ſapientiam ob amorem ſapientiæ, ſed dumtaxat ad oſtentationem, vt cor ſuum manifeſtet, & vt doctus habeatur: alia de cauſa non volet ſapientiam. Sic enim in Hebræo legitur: *Niſi ob reuelationem cordis ſui.*

Tertiò, Caſſianus collat. 14. ca. 17. ex Septuag. ſic legit, *Non opus eſt ſapientia vbi deeſt ſenſus: magis enim ducitur inſipientia*, ſicque explicat. q. d. Via virtutis & perfectionis non eſt docenda apud impios & immundos: hi enim eius ſunt incapaces, eamq; rident & ſubſannant, iuxta illud Chriſti *Nolite date ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis & conuerſi dirumpant vos.* Matth. 7.6 Hi ſenſus non ſunt improbabiles, nec huic loco incongrui.

IMPIVS CVM IN PROFVNDVM VENERIT PECCATORVM, CONTEMNIT: SED SEQVITVR EVM IGNOMINIA ET OPPROBRIVM] Vers. 3. Hebr. *cùm venit impius, venit etiam contemptus, & cum ignominia* (Pagnin. *cum viro ignominioſo*) *venit opprobrium*; Aquil., Symmach. Theodot. *in veniendo impium venit cõtemptus*; Chald. *quando venit impius in ſtultitia, venit & in ignominia & in opprobrio*; Syrus, *venit ſuper eum ſtultitia & opprobrium & calumnia*; Septuag. conſonant cum Vulgata, habent enim, *quando venerit impius in profundum malorum, contemnit: ſuperuenit autẽ ei inhonoratio & opprobrium.* Igitur *τὸ in profundum peccatorum*, non eſt in Hebræo, ſed illud ſubaudierunt & ſuppleuerunt Septuag. & Noſter. Tacitè enim cõtinetur in voce *impius*. *Impius* enim hic ſumitur in actu perfecto, ſiue completo. Igitur *impius* vocatur, qui non ſemel vel iterum ex infirmitate vel ignorantia in peccatum lapſus eſt, ſed qui aſſiduè ex malitia & impietate peccat, vt iam peccati callum obduxerit, qui ſanè in peccatorum profundum deuenit.

Iam varij variè explicant. Primò, ex Hebræo Aben Ezra: Cùm impius, inquit, in lucem editur ſimul cum eo accedet contemptus, quo alios ludibrio habet: atque illis deſpiciendis opprobrium, quo illos appetet, ſimul aderit. Senſus autem eſt, ex contemptu opprobrium oriri, quemadmodum flagitium eſt anſa flagitij. Et R. Leui: Adueniente ſceleſto, inquit, ſimul etiam contemptus adeſt: ſolemne enim illi eſt, vt alios flocciſaciat. Præter cõtemptum verò & ignominiam, qua is notatur ob fœdas ignominioſaſque actiones, ceteris eadem contumelioſa affinget: maculas enim & probra, quibus ipſe laborat, ceteris etiam inuri curat.

Sic quoque explicant Ianſen. Caietan. Baynus, q. d. Impius viros probos contemnit, eoſque ignominia & probro afficit, obijciens & affingens eis crimina, quibus ipſe obnoxius tenetur, vt ſcelerum & infamiæ habeat ſocios, quibus ſe tegat & tueatur. Vnde Nazianz. in Iambic. de ſpectac. ad Seleucum ait, impios ſatagere ſuam peccati ſcabiem alijs affricare; *Vt criminum plurimos ſocios habentes labes obtegant ſuas.* Et in orat. 28. *Omnes impij*, inquit, *facilè adducuntur, vt vitia ſua de alijs partim ſuſpicentur, partim loquantur.*

Verùm noſtræ verſionis Vulgatæ & Septuag. clarus planuſque eſt ſenſus. q. d. Impius quotidie creſcens in impietate, vnamque alteri, ac maiorem minori aſſiduè accumulans, tãdem in profundum impietatis barathrum dilabitur; quò cùm dilapſus eſt, iam contemnit omnia monita & monitores, omnia ſcelera & probra, omnem ingenuitatem & pudorem (vnde S. Athanaſ. ſerm. 4. contra Arrian. *Tò contemnit* explicat *pudorem exuit*) omnia damna & pericula, omnia iura diuina & humana, omnia ſacra & profana, adeoque omnes cælites & angelos ipſumque Deum, cuius tandem prouidentiam, imò eſſentiam & exiſtentiam negat, iuxta illud pſal-

pſal. 13. 1. *Dixit inſipiẽs in corde ſuo, Non eſt Deus.* Vnde A Hugo explicat: *Contemnit*, inquit, *conſcientiam*; Lyran. *contemnit ſupplicia*, rurſus, *contemnit omnem correptionem, veniam, omnemq́; medicinam. Sed ſequitur eum ignominia & opprobrium*, quo ob aſſidua ſcelera fit infamis, in ò dedecus ac probrum cæli & terræ, hominum & angelorum, ac tandem fit pabulum gehennæ, æternumque dæmonum ludibrium. Porrò impius omnia iam dicta contemnit, tum quia peccatis excæcatus non videt, nec æſtimat damna ſibi ex peccato imminentia, tum quia peccati dulcedine illectus totus in illud rapitur. Itaq; vt liberiùs & ſuauiùs peccet, metum cuiuſlibet mali, qui eũ à peccato reuocare poſſet, abijcit, repellit & contemnit. Profundum ergo peccatorum, in quod ſe præcipitat, cauſa eſt contemptus.

Profundũ peccatorum, quod?

Quæres, quodnam eſt hoc *profundum peccatorum*, quod impium adigit in contemptum, inde- B que in opprobrium & exitium? Varij variè aſſignant: ex omnibus variorum expoſitionibus ordine diſpoſitis, gradus huius profundi & barathri conſtituam ex verbis & mente Patrum.

Reſp. Primo.

Primò ergo, S. Chryſoſt. per *profundum* accipit peccandi conſuetudinem: hæc enim conſuetudo neceſſitatem quamdam peccandi affert, quâ fit vt homo quaſi impos ſui rapiatur in ſuas concupiſcentias, quibus vltrà ſe totum mancipauit: quo fit vt omnia, quæ eum à peccato auocare poſſent, ſpernat & contemnat: perinde ac porci luto ſe obruentes & opplentes contemnunt omnem nitorẽ & puritatem, imo luto & ſordibus ſe oblectant & paſcunt. Audi S. Chryſ. epiſt. ad Theodorum, qua eum lapſum in ſpem veniæ erigit, ſi caueat relapſum: *Tantùm*, inquit, *ne relabaris, ne exſtindas ſpes amplius, ne in te admittas quæ impio accidunt. Nunquam* C *enim peccatorum quamlibet exuberans copia in deſperationem conijcere ſolita fuit, ſed cum illis impiam habere animam. Propterea Salomon non dixit ſimpliciter. Quiſquis venit in profundum malorum, contemnit: ſed nominatim, inquit, Impius: quia illorum tantùm eſt ille morbus, poſtquam in profundum malorum deſcenderunt. Et hoc eſt quod non permittit eos reſpicere, neque eò reuerti vnde exciderant. Nam flagitioſa deſperatio perinde atque collarium incumbit in animæ ceruicem, & compellẽs oculos in terram demittere prohibet, ne ad Dominum ſuum ſuſpiciat.* Audi eumdem hom. 22. in Geneſ. *Impius cùm in profundum ceciderit malorum, contemnit: graue enim, graue eſt, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim poſtea, quaſi in retibus comprehenſa trahitur, & ſicut ſus in luti volutabro immergitur: ſic & iſta à mala conſuetu-* D *dine obruta, ne ſentit quidem peccatorũ ſuorum fœtorem.* Conſuetudo enim eſt quaſi lectus in quo ſuauiter peccator recumbit & indormit, vt nihil aliud guſtare vel ſentire videatur: imò eſt quaſi cẽtrum, in quo planè conquieſcit & affixus eſt. Vnde pro *profundũ* græcè eſt βάθος, id eſt, ima profunditas: quæ in circulo, putà in globo terræ, eſt ipſum centrum.

Peccatum quaſi centrum ob quatuor analogias.

Primò ergo ſicut omnia grauia naturaliter feruntur in centrum, ſic peccator peccato aſſuetus & imbutus quaſi naturali impetu rapitur ad peccatum. Secundò, ſicut lapis in centro ſuo cõquieſcit, ſic & peccator conquieſcit in peccati illecebra. Tertiò, ſicut centrum detinet res ſibi affixas, ſic conſuetudo peccati detinet peccatorem, vt in eo perſeueret vſque ad mortem & gehennam. Quartò, ſicut res in centro nullum ſentiunt motum vel impulſum: ſic peccator peccato aſſuetus nullum ſentit conſcientiæ remorſum, vel gratiæ excitantis A impulſum. Conſuetudo ergo eſt primus gradus peccatorum, quibus gradatim ad imum profundi barathrique deſcenditur. Sequitur ſecundus.

Secundò.

Secundò, S. Athanaſ. ſerm. 4. contra Arrian. per *profundum* accipit cæcitatem mentis, quæ ex conſuetudine peccãdi ſequitur. Peccatum enim iteratum continuè magis magiſque excæcat mentem, vt nõ videat quod agit, nec malum à bono diſcernat. imò malum quod agit æſtimet eſſe bonum. Quare omne bonum illi contrarium contemnit, iuxta illud Epheſ. 4. *Vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam*, &c.

Tertiò.

Tertiò, alij per *profundum* accipiunt obduratio- B nem, putà impudentiam, impœnitentiam, contumaciam & pertinaciam peccandi. Peccator enim conſuetudine peccati excæcatus in peccando obduratur, fitque impudens, contumax & pertinax, vnde omnia alia ridet & contemnit. Ita S. Iſidorus lib. 1. Sentent. c. 14. *Perpetrare flagitium aliquod*, inquit, *mors animæ eſt: contemnere pœnitentiam, & permanere in culpa, deſcendere in infernum poſt mortem eſt. Peccare ad mortem pertinet, deſperare verò in infernum deſcendere. Vnde & Script. ait: Impius dum in profundum malorum venerit contemnit.* Et Gratianus de Pœnit. diſt. 1. can. 60. ex S. Greg. *Voluiſſent iniqui, ſi potuiſſent, ſine fine viuere, vt potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim quia in peccato ſemper viuere cupiunt, qui numquam deſinunt peccare dum viuunt. Ad magnã ergo iuſtitiam iudicantis pertinet, vt numquam careant ſupplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere pec-* C *cato.* Subdit deinde Gratianus: *Hinc Chriſtus ex perſona membrorum ait: Non abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Quod S. Auguſt. exponit dicens: Puteus eſt humanæ iniquitatis profunditas, in quem ſi cecideris, non claudet ſuper te os ſuum, ſi tu non clauſeris os tuum: confitere ergo, & dic: De profundis clamaui ad te Domine; & euades. Claudet ſuper illum Dominus, qui in profundo contemnit, à quo mortuo, velut ab eo qui non ſit, perit confeſſio. Hinc idem Propheta ait: Introite portas eius in confeſſione; oſtendens ad portas miſericordiæ non niſi per confeſſionem peccati aliquem poſſe pertingere.* Hinc & S. Hieron. in Ezech. 1. per *profundum peccatorum* accipit amiſſionem conſcientiæ & ſynderesis: *Conſcientiam*, inquit, *cernimus præcipitari apud quoſdam, & ſuum locum amittere, iuxta id quod ſcriptum eſt: Impius cùm in profundum peccatorum* D *venerit, contemnit*, contumacia ergo eſt tertius peccatorum gradus. Sequitur quartus.

Quartò.

Quarto S. Bernard. de Gradibus humil. per *profundum* accipit Dei contemptum, quem parit obduratio & contumacia. Cor enim durum nec homines timet, nec Deũ reueretur. Sic enim ait gradu 11. *Poſt decimum itaque gradum, qui rebellio dictus eſt, expulſus vel egreſſus de monaſterio ſtatim excipitur ab vndecimo. Et nunc ingreditur vias, quæ videtur hominibus bonæ, quarum finis (niſi fortè Deus eas illi ſepierit) demerget eum in profundum inferni. id eſt in contemptum Dei. Impius ſiquidem cùm venerit in profundũ malorum, contemnit.* Sic & Hugo multa conglomerans: *Profundum peccatorum*, inquit, *dici poteſt contumacia, pertinacia, defenſio, iactantia, deſperatio, præſumptio, excæcatio, intellectus, corruptio affectus.* Vbi Nota quatuor huius profundi dimenſiones. Altitudo enim eſt iactantia, cùm quis de malefactis ſuis quaſi benefa-

ctis gloriabundus exultat; huic oppoſita profunditas eſt deſperatio veniæ & ſalutis; longitudo eſt conſuetudo peccandi, latitudo eſt præſumptio de Dei miſericordia.

Quinto. Quintò, Beda & S. Cæſarius Arelat. hom. 13. de pœnitent. per *profundum* accipiunt deſperationem, quam parit obduratio Deique contemptus. Audi Bedam: *Qui longis peccatorum tenebris inuolutus ſimul de luce deſperat, iam ex deſperatione contemnit: id eſt, paſſim ſibi peccandi fræna relaxat: ſed talis opprobriũ futuræ damnationis nulla ratione euadit, qui ab vſu ſuæ iniquitatis nulla diuini timoris memoria cohibuit.* Audi S. Cæſarium: *De multitudine,* inquit, *peccatorum deſperatio naſcitur, & ex deſperatione abſq; vlla reuerentia peccatorum fræna laxantur, & impletur illud quod ſcriptũ eſt: Impius cùm venerit in profundũ peccatorum, contemnit.* Audi & auctorem Imperfecti Hom. 40. in Matth, *Homo qui graue facit peccatum, dum non habet amplius quod iam ſperet in Deum, peiora committit, dicente Salomone: Cùm venerit impius in profundum malorum, contemnit. Sicut enim infirmus, donec mediocriter habet aliquã paſsionem, & ſperat ſe poſſe curari, ſeruat ſe à nociuis eſcis: ſi autem intellexerit inſanabilem ſe eſſe, iam non ſibi parcit: ſic & homo donec mediocriter peccat, & ſperat ſalutem, quantumcumq; poteſt obſeruat ſe à malo: ſi autem grauiter peccando cœperit deſperare, iam nihil dubitat facere, quaſi qui iam peccatis ſuis vincit iudicium Dei: neſciens miſer, quia ſicut in bono gradus ſunt gloriarum, & vnuſquiſque ſecundum menſuram boni ſui accipit gloriam: ſic & in malo gradus ſunt pœnarum, & vnuſquiſque ſecundùm menſuram mali ſui accipiet pœnam. Sicut enim infinitus eſt Deus in retributione bonorũ, ſic infinitus eſt in retributione malorum.*

Sexto. Sextum & imum profundi peccatorum eſt ipſe infernus vitaque infernalis, quam parit deſperatio. Deſperati enim agunt vitam infernalem, viuuntque quaſi dæmones & damnati: imò ſubinde vident dæmones, ac locum ſibi cum eis in gehenna deſtinatum, vti vidit Theodorus, Chryſaorius, & Iconienſis ille apud S. Greg 4. Dialog. 38. Hi tandem quaſi perditi contemnunt omnia, peierant, blaſphemant & abominanda perpetrant.

Collige iam hoſce gradus peccatorum, & ex ijs ſcalam, qua rectà deſcenditur in tartara, conſtrue, nimirum peccator ex peccato deſcendit in primum profundi gradum, qui eſt conſuetudo peccandi: ex eo deſcendit in ſecundum, qui eſt cæcitas mentis: ex eo in tertium, qui eſt contumacia; ex eo in quartum, qui eſt Dei contemptus: ex eo in quintum, qui eſt deſperatio: ex eo in ſextum, qui eſt gehenna & vita gehennalis. Similibus, ſed contrarijs virtutum gradibus ſcandunt iuſti in altum, putà in ſummum cælorum: ex vna enim virtute aſcenditur ad aliam: inde in earum conſuetudinem: inde in animi obfirmationem: inde in certam ſalutis fiduciam: inde in conſtantem Dei amorem: inde in perſeuerantiam iugemque vnionem cum Deo: inde ad Deum Deique fruitionem in cælum: iuxta illud, *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*, pſal. 83. 8.

AQVA PROFVNDA VERBA EX ORE VIRI: ET TORRENS REDVNDANS FONS SAPIENTIÆ] Pro *torrens* hebr. eſt נַחַל *nachal*, quod tam fluuium quàm torrentem ſignificat: malè aliqui ſtagnum vertunt; Aquila vertit, φλέψ, id eſt *vena*. Pro *redũdans* hebr. eſt נֹבֵעַ *nobea*, quod Septuag. vertunt, ἀναπηδύει, id eſt *ſcaturit*. In multis codicibus eſt ἀναπηδῶν, id eſt *proſiliens*; Theod. ὀμβρῶν id eſt *redundans*; Aquila & Symmach. ἀναβλύζων, id eſt *erumpens*. Vnde Chald. vertit, *aqua profunda os viri, torrens redundans fons ſapientiæ*; Septuag. Roman. & Complut. *aqua profunda ſermo in corde viri: flumen autem ſcaturiens & fons vitæ.* Verùm pro *vita* cũ Hebræis, Vulgata, Chaldæo, Aquila, Symmach. Theodot. & ceteris omnibus legendum videtur *ſapiẽtia*. Vnde auctor Catenæ Græc. ſic ex Septuag. clarè legit & explicat: *Doctrina, quæ in iuſti viri corde continetur, eſt veluti aqua profunda: eadẽ eſt quaſi fluuius ſcaturiens ac fons vitæ. Cognitio qualis mente comprehendĩ non poteſt, latet in pectore viri ſecundùm Deum ambulãtis, quæ hoc loco fons vitæ, aliàs fluuius pacis appellatur. Atque quæ dicit, huc tendunt: Quando quiſpiam ſapientiæ verbum in cordis fundo vſque cuſtodit, neque cum aliquo illud communicat, efficitur in eo fluuius ſcaturiens, hoc eſt, magnus & profundus. Poteſt autem fons vitæ de vno nõnumquam verbo fluuium producere.* Aliter: *Fluuius ſcaturiens eiuſmodi eſt, qui terram ſubiectam irrigat, largeq; inebriat, & ad fertilitatem & vbertatem præparat.*

Hinc liquet per *virum* hic accipi prudentem & ſapientem; nam vt ait R. Salomon Hebr. אִישׁ *iſch*, id eſt *vir*, in Script. fortem ſtrenuumque ſignificat, atque ob prudentiam & fortitudinem magnum & excellentem.

Nonnulli ex verſione Septuag. Rom. & Complut. cenſent hic verba ſapientium comparari aquis triplicibus, ſcilicet Primò, aquis profundis fluminis: Secundò, torrenti redondanti; Tertiò, fonti ſcaturienti. q. d. Sapientum alius orationem vberem & affluentem fluminis inſtar ingentis effundit; ſicut olim S. Hieron. S. Hilarium, *eloquentiæ Chriſtianæ Rhodanum* appellauit: alius tamquam riuus ſermonem voluit: alter demum velut fons verba emittit. Sic Plutarchus in Pericle, Demoſtheni orationis flumen tribuit, Iſocrati riuum accommodat, Æſchini fontem adſcribit. Sic inter Chriſtianos S. Chryſoſtomus quaſi flumen vberem & copioſam orationem voluit, Nazianzeni eloquentia riuum imitatur, ac demum Baſilij ſermo fontem perenniter fluentem repræſentat,

Rurſum vnus idemque ſapiens pro varietate loci, temporis & perſonarum, nunc ſe effundat copioſè & grauiter vt flumen, nunc temperatè vt torrens nunc ſubmiſsè vt fons. De quo S. Aug. li. 4. de Doctrina Chriſti c. 19. *Et tamen,* inquit, *cùm doctor debeat rerum dictor eſſe magnarum, non ſemper debet eas granditer dicere, ſed ſubmiſsè cùm aliquid docetur. temperatè, cum aliquid vituperatur ſiue laudatur; cùm verò aliquid agendum eſt, & tamen ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt; tunc ea quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer, & ad flectendos animos congruenter.* Si ſecùs fiat, dicere licebit quod de Anaximene perorante dixit Theocritus, teſte Stobæo ſerm. 34. *Incipit verborum flumen, mentis gutta,*

Verùm quia Hebr. Chald. Aquila, Symmach. Theodot. ceterique omnes, quin & Septuag. in Catena Græc. bimembrem faciunt hanc ſententiam, vti paulò antè oſtendi, & pro *fons vitæ* habẽt *fons ſapientiæ*, ac tollunt τὸ *&*, quod Septuag. Rom. & Complut, interijciunt inter *flumen*, ſiue torrens & *fons*; hinc genuinus ſenſus eſt, vt poſterius hemiſtichium explicet prius, eiuſque cauſam & originem aſſignet, q. d. Verba manantĩa ex ore ſapientis, ſunt ſicut aqua profunda fluminis vel torrẽtis: quia cor ſapientis eſt ſicut vena, vel fons ſapientis profundus, qui iugiter manat ſapiẽtiam, ſicut fons iugiter effundit aquam, quæ ſenſim collecta efficit torren-

torrentem vel fluuium. Cauſa enim cur verba ſapientis ſint copioſa & profunda, eſt, quia manant ex corde profundo ac ſapientiæ pleno. q.d. Mens profunda ſapientis profundam eructat ſapientiam inſtar fontis profundi, copioſi & perennis. Sicut enim in Alpibus videmus fontes ſcaturire aquas largas, ex iiſque collectis oriri Rhenum, Oenum, Rhodanum, alioſque fluuios; ac ſimili modo ex Parnaſſe monte oriri Bactrum, Choaſpem, Araxem, Tanaim & Indum, ait Ariſt. lib. 1. Meteor. cap. 1. Sanè in Alpibus vidi ex altiſſimis montibus collectas aquas, in ſubiectas valles magna copia & fragore ruere, illicoque efficere torrentes & fluuios ingentes, qui homines, equos & currus ſorbeant, præſertim in hieme. Sic pariter mens ſapientis eſt vena & fons perennis iugiter ebulliens ſermones ſapientes, qui proinde copioſi ſunt & profundi, vt iam torrentes & flumina ſapientiæ eſſe videantur. Ita Salomonem explicat Siracides Eccli. 21. 16. *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet.*

Sapiens eſt fons ſapientiæ. Igitur verba ſapientis & ſapientiæ comparantur aquis profundis fluuij vel torrentis: cor verò, ſiue mens, comparatur venæ ſiue fonti, ex quo hę aquæ ſcaturiunt.

Primò. Primò, quia ſicut fluuius manat ex fonte, ſic verba oris ex corde. Hinc fons dicitur à fundendo, ait Feſtus, quòd fundat aquas. Dicitur & vena. Sicut enim vena eſt ſanguinis conceptaculum, diciturque à veniendo, quòd ex ea veniat, & per eam permeet ſanguis in totum corpus: ſic & ex fonte velut vena venit aqua, & in terras campoſque permeat. Græcè vena dicitur φλὲψ a φλέειν, id eſt redundare, quòd ſanguine vel aquis plena ſit & redundet. Quod ergo vena ſiue fons eſt fluuio, hoc cor eſt ori & verbis, ſcilicet eorum origo & ſcaturigo. q.d. Verba ſapientis non in ore, ſed in corde naſcuntur: quia ex imo cordis manant, adeoque ex abundantia & profunditate cordis profluunt inſtar fluminis, ex fonte ſcaturientis & iugiter profluentis. *Secundò.* Secundò, ſicut fons numquam areſcit, ſed perennis fundit aquas: ſic cor ſapientis perennes fundit ſapientiæ doctrinas. Ita Aben Ezra: *Verba ſapientis*, inquit, *ſunt velut aquæ profundæ, quæ pellucidæ ſunt: quâ ratione enim torrens aſſiduè aquas ebullit, ita ſcaturigo ſapientiæ in viro ſapiente exhauriri nequit.* *Tertiò.* Tertiò, ſicut aquæ fluuij, vel torrentis, ex iugi fonte manantes ſunt copioſæ, ideoque profundæ: ſic & dogmata ſapientis manantia ex corde ſapienti ſunt copioſa & profunda. Vnde Tigurin. vertit, *verba oris viri velut aquæ profundæ ſunt, & fons ſapientiæ velut vberrimum flumen*: id eſt, inquit, Vatabl. *vt aquæ profundæ exhauriri non poſſunt, ſic nec viri ſapientis verba vmquam deficiunt*, imò, vt ait R. Leui. eorum vim fineḿque non facile eſt aſſequi, nec eorum arcana penetrare. *Quartò.* Quartò, ſicut ex fonte quantum aquæ effluit, tantumdem aliunde affluit: ſic & cor ſapientis quo plura eructat, eo plura percipit: quo enim plura ex illo profluunt, eo plura ſuperſunt quæ ex illo effluere poſſint, ait R. Leui. *Quintò.* Quintò, fons ſuam concham primò implet, deinde redundantem aquam diffundit, aliiſque communicat: ſic & ſapiens primò mentem ſuam, deinde aliorum ſapientia imbuit, iuxta illud S. Bernardi: *Doctor ſit concha, non canalis*, qui nihil aquæ ſibi retinet, ſed totum quod recipit effundit. *Sextò.* Sextò, ſicut fluuius supernè patulas habet aquas, quas omnibus communicat, infernè verò profundas quas nulli niſi vrinatores penetrant: ſic & ſapiens vulgaria omnibus communicat, arcana verò ſapientiæ paucis reuelat, vt cum S. Paulo paruulis det lac ad potandum, & ſapientibus ſapientiam loquatur in myſterio ita Beda. *Septimò.* Septimò, ſicut aquæ ex venis & fontibus manantes per occultos viarum flexus, meatus & mæandros percolantur, vt ſuam amaritiem, ſalſedinem, craſſitiem, aliudúe vitium deponant: ſic & verba ſapientis per varias mentis & rationis meditationes, conſiderationes & examina percolantur, vt, antequam ad os veniant, omnem amaritudinem, turbationem, iram, inconcinnitatem deponant, ſintque ſuauia, grata, prudentia, &c. Inſuper, ſicut aquæ fontium dum per venas auri, argenti, ferri, vitrioli, ſulphuris, &c. tranſeunt, horum mineralium vim imbibunt, quo fit vt calculo, hydropi, inflammationibus, &c. medeantur, vti faciunt fontes Puteolani, Spadani, Aquenſes: ſic pariter verba ſapientum per venas meditationum de humilitate, patientia, manſuetudine, charitate, feruore tranſeuntia: harum virtutum vim ſugunt, fiuntque humilia, patientia, manſueta, beneuola, feruida. *Octauò.* Octauò, ſicut fons ex orificio exiguo leniter modicam fundit aquam, quę continua effuſione augeſcens creſcit in flumen: ſic pariter ſapientiæ doctor leniter per modica præcepta docet ſapientiam, ne eorum multitudine & pondere rudem diſcipulum obruat, ſed ſenſim plura & plura illi inſtillans, tandem omni ſapientia inſtar fluminis eum imbuit & replet. Idipſum eleganti ſimilitudine pluuiæ vehementis, ſiue imbris, ac lenis, ſiue ſtillicidij, repræſentant S. Greg. Nazianz. orat. 15. de plaga grādinis: vehemens enim nimbus segetes ſternit, & ilico deficit; lenis verò ſegetes fouet, & perdurat: idem facit doctrina nimia & modica, ſiue placida & lenis.

ACCIPERE PERSONAM IMPII NON EST BONVM (id eſt eſt peſſimum & nefarium, ait R. Leui: eſt mioſis) VT DECLINES A VERITATE IVDICII) *Vers. 5.* Hebr. *ad deiiciendum iuſtum in iudicio*; Chald. *neque declinare à iudicio contra iuſtum*; Syrus, *neque etiam peruertere iudicium in iuſtum*: Septuag. *admirari perſonam impij non bonum, neque ſanctum declinare iuſtum in iudicio.* Pro *accipere* hebr. eſt שְׂאֵת *ſeis*, quod Caiet. vertit, *eleuare perſonam*; Septuag. *mirari* vel *ſuſpicere*; Aquila, Symmach. Theodot. *ſumere*; Noſter, *accipere*; alij, *ferre* vel *portare*. Omnia eòdem redeunt. Qui enim perſonam impij, quia potens, vel diues, vel amicus, vel magnificus eſt, reueretur, ſuſpicit, eleuat & admiratur, hic illius litem & cauſam accipit & eleuat quaſi æquiorem & meliorem, ac vice verſa cauſam iuſti contra impium iuſtè litigantis in iudicio deprimit & condemnat. Vnde R. Leui: *Nefarium eſt*, inquit, *vt criminoſi ratio habeatur in iudicio, quo inſons iudicio perturbato cauſa cadat: ſi enim iudex ſceleſtum in iudicio honore proſequatur, iuſto os obſtrui contingit, ne opportuna reſpondeat, cùm ſibi perſuadeat, iudicis animum parti ſuum in iudicio aduerſanti fauere.*

Acceptio perſonæ graue ſcelus. Primò. Graue eſt hoc ſcelus. Primò, quia iuſtitiam, quæ baſis eſt reipublicæ, euertit. Vnde S. Ambroſ. ſuper Malachiam: *Inter omnia*, ait, *peccata ſacerdotum illud eſt maximum, quòd non cauſas, ſed perſonas conſiderant, & deſpecto iuſto paupere iniuſtos diuites honorant.* Et S. Bernard. lib. 2. de Conſider. ad Eugenium Pontif. *Non parui*, inquit, *te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum ſumis, & non potiùs cau-*

ſas

ſas iudicas meritorum: eſt enim vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis, me indice, ſolitarius, quia veraciter ſingulariterq́; leuaſti te ſupra te. Huius calidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis caniſſe verſutias.

Secundò. Secundò, quia Dei & Chriſti, cuius iudex vicarius eſt & officium gerit, iudicium peruertit. Deus enim & Chriſtus omnibus tam pauperibus quàm diuitibus æquum & æqualem ſe exhibet, *& cæleſtem gratiam*, ait S. Cyprian. lib. 1. epiſt. 1. *æqualiter omnibus diuidit ſine ſexus varietate, ſine annorum diſcrimine, ſine acceptione perſonæ.* Quare, vt ait S. Hieron. ſuper Amos: *Quicumque conſanguinitate vel amicitia, vel è conuerſo hoſtili odio vel inimicitijs in iudicando ducitur, peruertit iudicium Chriſti.* Ille enim ſummus eſt iudex, ac proinde ad eum pertinet omne iudicium: quare cæteri iudices, cùm vice Chriſti iudicent, ſi iuſtitiam peruertant, Chriſti iudicium peruertunt.

Tertiò. Tertiò, quia graue dant ſcandalum toti reipublicæ, faciuntque vt homines auaritiæ & iniuſtitiæ ſtudeant, quam vident ab eis honorari & præponi, potiùs quàm modeſtiæ & iuſtitiæ, quam vident ab eis poſtponi & deprimi. Vide dicta Iacobi 2. v. 1.

VERS. 6. LABIA STVLTI MISCENT SE RIXIS: ET OS EIVS IVRGIA PROVOCAT] Hebr. *labia ſtulti veniunt in litem* (vel *cum lite*) *& os eius ad percuſſiones vocabit*; Aquila, *ducunt eum in litem*; Symmach. *in rixam*; Septuag. *labia ſtulti ducunt eum in malum, & os eius audax mortem inuocat.* Hebræum רִיב *rib* ſignificat Primò, *litem*; Secundò, rixam; Tertiò, iudicium. Vnde Chald. vertit, *labia ſtulti adducunt eum in iudicium, & os eius perducit eum ad rixam*; & Syrus, *labia ſtulti ingrediuntur iudicium & os eius adducit eum ad mortem.* q.d. Stultus ſuo imprudenti, procaci, maledico ſermone, ſuis probris, calumnijs & ſannis efficit, vt ab eo quem læſit vocetur in ius, ibique à iudice condemnetur ad mulctam, & ſubinde ad mortem.

Noſtræ Vulgatæ verſionis, quæ optimè vim Hebraicæ phraſis expreſſit, ſenſus eſt. q.d. Stultus ſicubi rixam & rixantes audiat, ilicò accurrit ex leuitate, curioſitate & ſtultitia, ijſque ſe immiſcet ſpecie quidem, vt pacem inter eos conciliet, reuera autem vt rixas adaugeat, eaſque in ſe concitet. Cùm enim imprudens ſit, facilè aliquid effutit, quod rixantes pungat, & rixam acuat. Rurſum cùm affectibus ducatur, facilè in alteram partem inclinat, eiuſque cauſam fouet; quare aduerſam contra ſe prouocat. Inſuper cùm ipſe petulans ſit, contentioſus & rixoſus, rixis gaudet, eaſque vel ſuſcitat, vel ſuſcitatas promouet, vt tandem vix ſopiri queant. Magnæ enim ſapientiæ & dexteritatis eſt, lites & rixas ſedare. Ad hoc enim opus eſt, vt vtramque partem tam offendentem quàm offenſam, æqua & congrua ratione mitiget & componat; quod difficile eſt. Nam ſi offenſæ iùs tueatur, & offendentem iniuriæ arguat, eum magis irritabit. Rurſum difficile eſt ita inter duos medium intercedere, vt in alterutram partem non inclines, ſed vtrique te indifferentem & æquabilem oſtendas: quare idipſum præſtare non ſtulti, ſed viri prudentis eſt. Sic videmus homines temerarios, audaces & pugnaces ad rixas conuolare, ſicut muſcæ conuolant ad mel, itaque eas accendere cum ſua æquè ac aliorum ſtrage. *Stultus*, inquit, Lyran. *rixantes ad maiora iurgia incitat, ſicut ille qui canes incitat ad mordendum ſe inuicem.* Pro *iurgia* enim hebr. eſt, מַהֲלֻמוֹת *mahalumot*, id eſt plagas percuſſuras, pulſationes, ſicut faber cudendo malleo pulſat incudem. Vnde Vatabl. vertit, *os eius ad pugnas prouocat*; R. Salomon vertit, *verbera*; *Stultus*, inquit, *opifex eſt ſibi vt verberetur.* Aben Ezras: *Stultus*, inquit, *ad litem adducitur propter percuſſiones & verbera, hoc eſt quòd conclamarit ad ſocium percutiendum plagiſq́; afficiendum. Quare os eius erit contritio, id eſt ſibi ipſi exitium accerſet.* Et R. Leui: *Stulti os lites diſſidiaq́; ſerit, cùm non niſi calumnias contumeliaſq́; effutiat, idemq́; plagas grauiaq́; verbera in ſe concitat, quibus vir perdatur*, quæque cædes & mortem, vt vertunt Septuag. tam ſibi quàm alijs afferant.

VERS. 7. OS STVLTI, CONTRITIO EIVS: ET LABIA IPSIVS RVINA ANIMÆ ILLIVS] Pro *contritio* hebr. eſt מְחִתָּה *mechitta*; quod tam terrorem quam contritionem & confractionem ſignificat. Vnde Aquila, Symmach. & Theodor. vertunt, πτῆξιν, id eſt *pauor*; Chald. *formido*; Tigur. *os ſtulti ſibi terrori eſt*, id eſt terribiles angores, pericula & pœnas ſibi creat. Pro *ruina* hebr. eſt מוֹקֵשׁ *mokes*, id eſt, laqueus, vt vertunt Septuag. Chald. Pagnin. Vatabl. & alij; Syrus, *illaqueat ſeipſum labijs ſuis*; Aquila, Symmach. & Theodot. vertunt, σκῶλον, id eſt, offendiculum, quale eſt ſcandalum in muſcipula, quod dum mus euertit incautè, ſeipſum in muſcipula collidit & ſuffocat. Similiter facit ſtultus loquax. Cohæret hic verſus cum præcedenti, eumque explicat. q.d. Os ſtulti iurgia, &, vt hebr. eſt, verbera tam ſibi quàm alijs prouocat: quo fit vt ipſe ore ſuo, id eſt ob verba ſtulta & rixoſa oris ſui vapulet & conteratur, ac ob ea quæ temerè & inconſultè labijs ſuis effutijt, ruinam *animæ*, id eſt vitæ; vel *animæ*, id eſt ſibi ipſi, paret ac laqueum, quo capiatur & ſtranguletur tum in corpore, tum in anima, iuxta illud: *Os quod mentitur, occidit animam.* ita Lyranus.

Aliter Caietan. Os ſtulti, inquit, eſt contritio, id eſt conterit, frangit & elidit ſeipſum, dum, vt ſua falſa & ſtultiloquia quæ effutijt, tueatur, cogitur contradictoria aſſerere: ijs ergo ipſe ſeſe illaqueat & implicat, quibus ſe expedire nequit. Huic gnome ſimilis eſt illa pſal. 13. 3. *Contritio & infelicitas in vijs eorum.* Actiua ſcilicet. q.d. Impij toti ſunt, vt alios ſecum conterant, & infelicitate ſiue calamitate afficiant; quia *viam pacis non cognouerunt*: quia ſcilicet oderunt viam pacificam, quietam & pacatam. Et illa hìc cap. 14. 3. *In ore ſtulti virga ſuperbiæ.* Et illa cap. 17. 11. *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

VERS. 8. VERBA BILINGVIS QVASI SIMPLICIA: ET IPSA PERVENIVNT VSQVE AD INTERIORA VENTRIS] Pro *bilinguis* hebr. eſt נִרְגָּן *nirgan*, id eſt ſuſurronis, adulatoris, murmuratoris, qui palàm laudat, occultè detrahit ſeminatque diſcordias, delatoris & infamatoris, qui infamiam ab vno ad alium defert. Pro *ſimplicia* hebr. eſt מִתְלַהֲמִים *mitlahamim*, quod nomen non reperitur niſi hìc & cap. 26. 22. vbi Septuag. vertunt, *ſermones aſſentatorum* (Græcè κερκώπων, id eſt caudatorum, cauda blandientium) *molles: hi verò percutiunt interiora viſcerum*; Aquila, *verba ſuſurronis decipientia*; Symmach. *verba murmuratoris obiter dicta*; Theodot. *verba aſtuti quaſi ſimplicia*; R. Emmanuel, *quaſi blanda.*

Recentiores מִתְלַהֲמִים *mitlahamim* cenſent per metathesin poſitum pro מִתְהַלְּמִים *mithallamim*

Vnde

Vnde Caiet. Pagnin. & alij vertunt, *verba ſuſurronis tanquam percuſſiones*, vel *tanquam vulnera* (הלם *halam* enim ſignificat percutere, conquaſſare, contundere) R. Salomon, *ſunt quaſi contuſiones & verbera*; Vatabl. *ſunt tanquam vulneratorum*, id eſt *eorum qui ſimulant ſe percuſſos & vulneratos, hoc eſt ſunt lenia vt decipiant*; Pagnin. ex Arabica lingua vertit, *verba bilinguis quaſi abſorpta vel occulta*. Sic & Aben Ezra, *Sunt*, inquit, *veluti verba abſcondita & inuoluta: verba inquam fraudantis*; Chald. *verba ſuſurronis dolore afficiunt illum, & deducũt illum in profundum inferni*, Syrus, *verba malefici decipiunt illum in malum & eadem illum deducunt ad manſiones inferorum*. Iam

Primò, R. Leui *nirgan*, id eſt bilinguem, vertens delatorem, ſic explicat Delatoris ſermo, qui gratis conqueritur, nec iniuriam paſſus lamẽtatur, compactus eſt ad normam eorum, qui ſe vulneratos & mancos præſeferunt, quo faciliùs aliorum pietatem in ſe excitent. Hęc ergo verba ita grauia ſunt eis, in quos pronuntiantur, vt animi recondita penetrent, menſque ob illa vehementer angatur; grauiſſimum enim eſt, ſi turpe aliquid dixiſſe feciſſeq; inſimuletur, cuius prorſus inculpatus & neſcius ſit.

Secundò, Septuag. pro *nirgan*, id eſt, *bilinguis*, vertunt κερκώπων, id eſt caudatorum, hoc eſt verſutorum, quales ſunt adulatores. Auctor Catenæ Gręc. putat alludi ad vulpes, quę per κέρκον, id eſt caudam, tegunt ὦπα, id eſt faciem, vt fingant ſe dormire, eaque ratione ad ſe ſimplices alliciant aues, eaſque capiant & deuorent: ſimilia enim fingunt verſuti & adulatores, vt alios comprehendant & perdant. Alij putant alludi ad canes, qui cauda blandiantur heris, vt eſcam emendicent: ſic enim blandiuntur diuitibus adulatores, vt opes emungant. Alij cenſent alludi ad ſimias caudatas, quæ proinde cercopitheci vocantur, iuxta illud Martialis:

Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Sicut enim ſimiæ imitantur geſtus hominum, ſic adulatores imitantur geſtus & mores amicorum, teſte Plutar. li. de Differentia adulatoris & amici.

Notus eſt apologus ſimiæ Æthiopicæ, quę cũ ob ſuas ſtrophas mimicoſq; geſtus multata eſſet cauda, vt ſuum hoc probrum obtegeret, imò ſuum dedecus in publicum decus commutaret, verſutè conata eſt perſuadere cęteris animalibus, vt ſibi caudam velut inutile & indecens corporis pondus reſecarent; vnde cercopizare idem eſt quod adulari. Ita Cælius li. 11. cap. 33. Hinc prouerbium, *Cercopum cœtum*, pro conuentu verſutorum & impoſtorum. Narrant enim Cercopes quoſdam in Epheſo fuiſſe notę fraudulentię viros, qui ſuis dolis conati ſunt Ioui imponere, vnde & Perperi ſunt dicti, quos proinde deprehenſos Melãpygus, id eſt Hercules, vltor ſuſpendit capitibus deorſum demiſſis.

Verba adulatoris ſunt ſimplicia, id eſt, videntur candida, vera, ſincera, blanda & lenia inſtar olei; ſed vehunt ſecum venenum, quòd citò penetrat intima corporis & cordis. Tradunt enim medici venenum oleo inditum, olei lenitate & lubricitate vectum, ilico in intima corporis peruadere. Verè S. Auguſt. in pſal. 59. *Falſa*, ait, *laus adulatoris, & ſimulata dilectio, rigidas mentes à rigore veritatis emollit.*

Rurſum verba adulatoris ſunt *quaſi vulnera*, id eſt, non verè vulnera, ſed videntur quaſi eſſe vulnera, quia adulator, vt ſe fingat amicum, libertatẽ induit, libereq; ſubinde carpit vitia amici cui adulatur, ſed hypocriticè, ideoque molliter & ener-

A uiter carpit. Ita Plutarch. loco iam citato. *Nunquam*, inquit, *magis adulantur quàm cùm videntur obiurgare, verberare & liberè loqui*. Et rurſum: *Sicut pulmonaria mulierum quando videntur teneri & obſiſtere capitibus, cedunt magis & accommodant ſeſe: ſic libertas adulatoris tumet quidem, ſed in ſe recipit inclinantem.*

Tertiò, optimè per *nirgan*, id eſt bilinguem, accipias detractorem & ſuſurronẽ: huius enim verba ſunt quaſi verbera & vulnera, quia initio dum ſimpliciter dicuntur, videntur eorum detractiones leues eſſe liuores, imò videntur eſſe verba *percuſſorum*, quaſi hæc amici vitia cor ipſorum percutiant, & compaſſione vulnerent: at vbi exaggerantur & amplificantur, menti audientium aculeum infigunt, qui deinde ab eis ruminatus & ſæpiùs conſideratus, intima ventris, id eſt cordis & mentis, peruadit, vt amicum parui facere incipiant, ac tandem faſtidiant & odio proſequantur. q. d.
B Intimam eius animam ſauciat, lædit & pungit.

Rurſum verba ſuſurronis ſunt *ſimplicia*, id eſt videntur ſincera, nuda, candida, ex candore & amore profecta; at malignitatem odij, infamiæ & noxæ deriuant in intima cordis. Dum enim fingunt ſe ex pietate & compaſſione narrare vitia proximi, dictis ſuis fidem conciliant, magiſque ea menti audientium infigunt, vt is ea credat, & eum, cui detrahit, vilem & infamem æſtimet; quare eorum verba quę videntur ſimplicia, re uera ſunt verbera & mallei qui intima cordis verberant & contundunt: הלמות *halmut* enim eſt malleus, vnde *mithalamim*, ſunt malleationes, ſiue percuſſiones & contuſiones, quæ malleo fiunt.

Audi S. Bernar. ſerm. 24. in Cantic. *Alij*, inquit, *quodam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt adumbrare conantur. Videas*
C *præmitti alta ſuſpiria, ſicq; quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem: & tanto quidem perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu quàm malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quòd diligo eum ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere eum.* vide ſeq.

Salomoni de more concinit Siracides Eccli. 28. 15. *Suſurro*, inquit, *& bilinguis maledictus: multos enim turbant pacem habentes*, &c. vbi multis hoc vitium inſectatur. Et ca. 2. 14. *Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis*: bilingues enim ſunt bicordes inſtar perdicum Paphlagoniæ, quæ teſte Plinio lib. 11. ca. 37. duplex habent cor: ſimili enim modo ſuſurrones vnum cor habent in pectore, alterum in ore, dum aliud cogitant, aliud loquuntur: ſic viciſſim aliam habent linguam in præſentia amici, aliam in ab-
D ſentia, dum præſentem laudant, abſentem vituperant. Vide vtrobique dicta: illa enim hic non repeto, ne actum agam.

PIGRVM DEIICIT TIMOR; ANIMÆ AVTEM EFFEMINATORVM ESVRIENT] Hic verſus non eſt in Hebręo, nec in Latinis Complut. alijſque nonnullis, extat tamen in Romanis: tranſcriptus eſt ex Septuag. qui ſequentem verſum Hebræum ancipitem, vt dupliciter verti poſſit, duplici ſententia expreſſerunt. Hebr. enim מתרפה *mitrappe* & pigrum, & eum qui medetur (vt verſu ſequ. vertunt Septuag.) ſignificat: alioqui hic verſus in re & ſenſu conſentit cum ſequ. eiuſque videtur paraphraſis. Piger enim eſt mollis & diſſolutus, qui proinde opera ſua diſſipat, ideoque ad egeſtatem & eſuriem redigitur,

Sen-

Senſus ergo eſt. q.d. Timor laboris conſternat pigrum, eumque facit effeminatum, vt inſtar feminæ fugiat horreatque laborem, ac ſectetur otium: quare ob inertiam conciliat ſibi pauperiem & eſuriem. Vnde auctor Catenæ Græc. *Vir*, ait, *qui voluntate & ſtudio mulier eſt; virtutem quæ animam nutriat, nunquam aſſequitur.*

Pro *effeminatorum* græcè eſt ἀνδρογύνων. q. d. Virorum, feminarum, ſiue qui ex viris in feminas degenerant: androgyni enim ſunt harmaphroditi, qui vtrumque habent ſexum, feminæ & maſculi, vt idem ſimul vir ſit & mulier, ideoque ſemiuir, effeminatus, mollis & pathicus; quales in Africa eſſe, qui dextram mammam habent virilem, ſiniſtram muliebrem, docet Plinius lib. 7. cap. 3. vnde tales monſtra naturę, imò monſtra fatalia appellat Cicero lib. 1. de Diuinat. Et S. Aug. lib. 3. de Geneſ. ad liter. cap. 22. refellens eos, qui Adamum cenſent fuiſſe androgynum, ex eo quod ait Scrip. *Maſculum & feminam fecit eos*, ſic ait: *Ne quiſquam arbitraretur ita factum, vt in homine ſingulari vterque ſexus exprimeretur, ſicut interdum naſcuntur quos Androgynos vocant, oſtendit ſe ſingularem numerum propter coniunctionis vnitatem poſuiſſe.* Piger ergo eſt androgynus: quia pigritia effeminat, & ex viro quaſi feminam facit.

Nota hîc comites & indices acediæ, ſiue pigritiæ, eſſe timorem, mollitiem, effeminationem. Audi Ariſtot. lib. de Virtutibus: *Comitatur ignauiam mollities, effeminatio, torpor, vitæ cupiditas. Subeſt etiam quædam timiditas, & contentionis detrectatio.* Vnde & Iamblichus otium ita pingit: *Vir imbellis, in habitu & veſte muliebri puluinari incumbens.* Idem Ariſt. in Problem. ſect. 3. q. 5. & 25. timoris cauſam dat frigus, quod & torporis eſt cauſa: vnde videmus in hieme frigidos algere, tremere & torpere: ex aduerſo calor calidique ſpiritus ſunt cauſa magnanimitatis, agilitatis & feruoris. Idē in Phyſiognom. cap. 6. timoris & torporis eadem dat ſigna: *Timidi ſigna*, inquit, *pili molles: corpore inclinatus, non erectus: ſuræ ſurſum contractæ: circa faciem ſubpallidus: oculi imbecilles, & nimium conniuentes: & extrema corporis imbecilla: & crura parua: manus longæ & graciles; lumbi autem parui, & imbecilles: figura contenſa in motibus: non temerarius ſed ſupinus & ſtupefactibilis: mos qui eſt in facie, mobilis & mæſtus.*

Pigritia damna. Iam audi pigritię & otij damna per exempla & ſimilia. Sicut per rimam ſentinæ aqua latenter intrat & excreſcit, donec nauis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio atque ignauia cogitationes prauæ & concupiſcentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis ſuccumbens in peccato periclitetur, ait S. Bernard. ſerm. de S. Andrea. Aues quæ conuiuijs apparantur, vt immotæ facilè pingueſcant, in obſcuro continentur: ita ſine vlla exercitatione iacentibus, timor pigrum corpus inuadit, & in ſuperbam vmbrā iners ſagina ſuccreſcit, ait Seneca ep. 121. Sicut aqua, quæ caret decurſu, ac iacet in foueis, putreſcit, ac humano vſui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis & noxijs: ita & corpus otij tabe confectum concupiſcentiarum carnalium parit inſaniam, ait Laurentius Iuſtin. lib. de Perfectionis gradibus c. 9.

Denique pigritia & torpor ſimilis eſt torpedini piſciculo, nec non alteri qui echeneis & remora dictus eſt, de priori quidem aſſerit Plinius lib. 32. cap. 1. *Si vel haſta virgaue attingatur, quamuis prævalidos lacertos torpeſcere, quamlibet ad curſum veloces alligari pedes, quaſi odore tantùm & quadam aura ſui corporis afficiat membra.* Echeneidem autem ait naues validis ventis actas tenere & ſiſtere. *Ruant venti licet*, inquit, *& ſæuiant procellæ, imperat furori, vireſq; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia: quod non vincula vlla, non ancoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana! cùm roſtra illa ære ferroq; ad ictus armata ſemipedalis inhibere poſſit, ac tenere deuincta piſciculus.* Simili modo pigritia torpefacit omnes animi vires, omnia corporis membra ac ingentia mentis molimina velut naues vento actas inhibet & ſiſtit.

Vers. 9. QVI MOLLIS EST ET DISSOLVTVS IN OPERE SVO FRATER (Chald. *ſocius* EST SVA OPERA DISSIPANTIS] Pro *mollis & diſſolutus*, hebr. eſt מִתְרַפֶּה *mitrappe*, quod Aquila vertit, νωχελευόμενος, id eſt, *ignauus*; Symmach. ἐγγυδυνόμενος, id eſt *ceſſans*; Theodot. ἀνειμένος, id eſt *remiſſus*: Tigurin. *qui friget in opere, frater eſt eius qui diſſipat*; Vatabl. *qui derelinquit opus ſuum, frater eſt domino perdenti*, ſupple, *facultates ſuas*. Fratrem pro ſimili ponit, quòd ſoleant fratres eſſe ſimiles. q. d. Qui negligens eſt, perdit omnia quæ habet. Aut *frater* vocatur ſymbolicè: quia vterque, ſcilicet, tam mollis quàm diſſipans filius eſt incuriæ, quæ ſibi non proſpicit, ſed ſua diſſipari ſinit.

Pro *diſſipantis*, hebr. eſt בַּעַל מַשְׁחִית *baal maſchit*, id eſt viri destructoris, ita Caietan. vel viri vaſtantis, excidentis & perdentis. q.d. Qui opus aliquod remiſsè, frigidè & oſcitanter facit, non tam facit opus quàm deſtruit, adeoq; ſimillimus eſt illi, qui opus factum diſſipat & demolitur. Minùs propriè Ianſen. & aliqui alij vertunt, *viri decoctoris* vel *prodigi*: Hebr. enim *maſchit*, propriè ſignificat vaſtatorem & deſtructorem, qualis tamen in ſuo genere eſt decoctor & prodigus. q.d. Sicut prodigus ſua perdit per profuſionem, ita remiſſus ſua perdit per deſidiam & ignauiam.

Significat ergo hęc gnome torporem, ſegnitiem & ignauiam opus inchoatum adeò nō promouere, vt etiam quod inchoatum eſt, diſſipet & deſtruat: tum quia ſegnis id quod operatus & lucratus eſt, non ſeruat, ſed ſinit illud dilabi & diffluere: tum quia opus inchoatum, niſi perficiatur, ſenſim fatiſcit, corrumpitur & deſtruitur: principium enim operis pendet à medio & fine, vt, ſi ijs deſtituatur, ruere incipiat. Id videre eſt in fabricis qui enim muros erexit, & tabulatum conſtruxit; ſi tectum imponere negligat, ſuâ negligentiâ facit, vt pluuia in muros & tabulatum impingens, illa corrumpat & deſtruat. Idem videre eſt in hortis & plantis: niſi enim quis ea aſſiduè riget, ſarriat, putet, colat; corrumpuntur, & pro fructibus lolium, ſentes & ſpinas proferunt, omnis enim res vt conſeruetur, exigit culturam. Audi Ouidium lib. 5. de Triſtibus eleg. 12. per exempla naturalia id demonſtrantem.

Adde, quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo, quàm fuit ante minus.
Fertilis aſſiduò ſi non renouetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.
Tempore qui longo ſteterit, malè curret, & inter
Carceribus miſſos vltimus ibit equus.
Vertitur in teneram cariem, rimiſque dehiſcit,
Si qua diu ſolitis cymba vacabit aquis.

Quo-

Quocirca Cato in Diſtichis ita præcipit:

Segnitiem fugito, quæ vitæ ignauia fertur:

Nam cùm animus languet, conſumit inertia corpus.

Igitur ſegnis & torpens in opere illud diſſipat: quia quod vna manu operatur, hoc altera quaſi deſtruit: quod enim labore ſuo ædificat, hoc ſegnitie & torpore ſuo perdit & diruit. Quare tales ſimiles ſunt telæ, quam texebat Penelope, quæ quod per diem texuerat, hoc nocte retexebat & diſſoluebat. Monet ergo hic verſus idem ferè quod vulgaris verſiculus:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:

docetque quod non tantùm profuſio, ſed etiam negligentia patrisfamilias reddit rem familiarem deteriorem. Sic & magiſtratuum negligentia non minùs nocet reipublicæ, quàm vlli hoſtes. Et Eccleſiam Epiſcoporum incuria & inſcitia non minùs penè afflixit, quàm ſæuitia tyrannorum, qui eam armis opprimere conati ſunt.

Apologus Ocni. Extat inſignis hac de re apologus Ocni (græcè enim ὄκνος pigrum ſignificat.) Veteres enim pinxerunt Ocnũ apud inferos ſedentem, & torquentem funem, aſtantem autem illi aſinam, quæ ſtatim deuorabat quidquid ab illo tortũ fuerat. ὄκνος enim eſt ὄνος, hoc eſt piger eſt aſinus. Nimirum quidquid piger pigrè facit, idipſum mox conſumit & perdit pigritia, cuius ſymbolum eſt aſinus. Vnde Propert. l. 4. eleg. 3.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,

Æternuſq́; tuam paſcat, aſelle, famem.

Hinc prouerbium: *Torquet piger funiculum: Ocni funem contexis.* Pauſanias l. 10. de Phocicis, Ocnum induſtrium & laborioſum fuiſſe ſcribit, ſed vxorẽ habuiſſe pigram, quæ viri lucrum omne conſumeret. Vide Pierium Hieroglyph. l. 12. Similes Ocno ſunt hodie opifices, qui quod per hebdomadam lucrantur, die Dominico ludendo, potando luxuriando abſumunt. Ita quod longus duruſque viri labor congregat, hoc ilicò carnis aſella vorat. De Ocno vide Pauſaniam, Plinium, Varronem, Plutarchum.

Porrò hæc ſententia vera eſt in bonis ſpiritualibus æquè ac temporalibus. Vide S. Greg. 3. parte Paſtor. admon. 25.

Addunt Rabbini, pigrum eſſe fratrem diſſipantis non tantùm opera ſua, ſed & totum mundum. τὸ enim *opera ſua* non eſt in Hebræo, qui abſolutè habet *frater eſt diſſipantis.* Qui enim nulli honeſto vacant ſtudio, ſed otiantur, epulantur & liguriunt, quantùm in ipſis eſt, mundum demoliri & deſtruere conantur, ait Baynus.

Myſticè, R. Salomon: Qui, inquit, negligens eſt in opere & ſtudio legis, ac Gentiliũ philoſophiæ totum ſe profanè dedit, hic eſt frater *maſchit*, id eſt vaſtantis, putà ſatanæ.

Denique Septuag. Complut. & Roman. vertunt, *qui non medetur ſibi in operibus ſuis frater eſt perdentis ſeipſum*; Heb. enim מִתְרַפֶּה *mitrappe*, ſi à רָפָא *rapha* per *aleph* (literæ enim *he* & *aleph* ſæpè commutantur) deriuetur, ſignificat curare, mederi. Mederi operibus, eſt ea ita dirigere & moderari, vt nullum in eis ſit vitium (vitium enim eſt operi, quod morbus corpori) nullus exceſſus, nullus defectus, putà vt fiant nõ pigrè & torpidè, nec præcipitanter & temerariè, ſed prudenter & moderatè. Auctor Catenæ Græc. ex Septuag. vertit, *qui ſuis ſeſe operibus non ſatiat ſimilis eſt illi qui ſeipſum perdit ac diſſipat.* Sicque explicat. Senſus eſt: *Qui vitam in*

A *malitia traducit, nihil ab eo diſcrepat qui ſeipſum perimit.* Verùm hic ſenſus myſticus eſt; nam ad literam ſaties operationum eſt earum moderatio iam dicta. Qui enim eas ex virtute operatur, hic ijs ſatiatur: qui verò intemperans eſt & immoderatus, hic ijs non ſatiatur, vt videre eſt in auaris, qui operantur noctes & dies, ac immodicis laboribus vires corporis & animi conſumunt vt ditentur. Hi enim vti lucro, ita labore non ſatiantur, ſuntque inexplebiles.

Parallela huic ſententiæ eſt illa c. 10. 4. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortium diuitias parat.* Et c. 12. 11. *Qui operatur terram ſuam ſaturabitur panibus: qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt.* Et v. 24. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet.* Et c. 23. 21. *Veſtietur pannis dormitatio.* Antiſtropha eſt Chriſti parabola talentorũ, in qua dominus à ſeruo otioſo iubet auferri *Gnoma.*

B talentum, dicens: *Omni habenti* (id eſt vtenti, operanti) *dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet* (id eſt non vtitur, non operatur) *& quod videtur habere, auferetur ab eo,* Matth. 25. 29.

Audi Cyrillum Hieroſol. catech. 2. *Si neglectè ſuſceperis concupiſcentiæ incitationem, per ratiocinationes radices in te figet, & mentẽ tuam ligabit, & te detrahet in foueam malorum. Sed fortè dices: Fidelis ſum, non me apprehendet concupiſcentia, etiamſi aliquid concupiuero obſcuriùs. An ignoras quòd etiã in petra radix agitur, & ſæpè manet?* Ac ſi diceret cũ Fabiano Philoſopho apud Senec. l. de Breu. vitæ c. 10. *Contra affectus impetu, non ſubtilitate, pugnandum; nec minutis vulneribus, ſed incurſu auertendam aciem: ſuggillationem enim retundi debere, non vellicari.* Quam quidem ad rem vide quàm accõmodatè hæc ſcripſerit Dio. Chryſoſt. in Dog. *Si quis labores contemptim ſuſcipiat, promptoq́; animo ad eos accedat; haud magnam aduerſus eum*

C *vim habituri ſunt: at ſi pedem referat, ab iiſq́; ſe remoueat, maiores omnino ac vehementiores videbuntur.* Subijcit aptã ſimilitudinem: *Hoc porrò etiam in igne contingere videmus: etenim ſi magno cum impetu in eum aſcenderis, protinus extingues, ſi autem timidè atq; ignauè, vehementer teipſum exures.* Hæc Dio. Nec aliter M. Tullius Tuſcul. 2. inquiens: *Vt onera cõtentis corporibus faciliùs feruntur, remiſſis opprimunt; ſimillimè animus intenſione ſua depellit preſſum omnem ponderũ; remiſſione autem ſic vrgetur, vt ſe nequeat extollere.*

TVRRIS FORTISSIMA, NOMEN DOMINI: AD IPSVM CVRRIT IVSTVS, ET EXALTABITVR] Ita Roman. & ceteri. Minùs rectè ergo aliqui legunt *ad ipſam*, ſcilicet turrim; licet ex Hebræo ita verti poſſit, atque eòdem redit ſenſus. Si enim nomen Domini eſt turris: ergo qui currit ad illud, currit ad turrim: ac ſolent ruſtici & ciues imminente *Vers. 10.*

D hoſte confugere ad turres. Vnde Chald. vertit, *In ea autem curret iuſtus, & exaltabitur in ipſa*; Heb. eſt, *turris fortitudinis* (Aquila & Theodot. *turris potentiæ*) *nomen Iehoua: in ipſo*, vel *in ipſum, curret iuſtus, & exaltabitur*; Syrus, *& fortis erit*; Tigurin. *extra telorum iactum eſt.* Aben Ezra Hebr. בו ירוץ *bo iarutz*, dupliciter vertit & explicat. Primò, *in ipſo curret*, id eſt diuini nominis ope curret. Secundò, *in ipſo conteret hoſtes ſuos*: ſi enim *iarutz* deriues à רוץ *rutz*, ſignificat *curret*; ſin à רצץ *ratſats* ſignificat *conteret.* Hæ autẽ duæ radices ſæpè inter ſe cõmutantur, vt patet Iudic. 9. 53. Eccl. 12. 6. 2. Reg. 23. 12. & alibi. Alludit ad morem veterum, qui in vrbibus & pagis erigebant turres, ad quas quaſi arces ingruente hoſte cõfugiebant. Talis fuit Romæ in Capito-

lio: vnde vrbe à Gallis captâ, Capitolium Romam & Romanos ſeruauit. Hinc viri docti cēlent *Burgum* dictum à Græco πύργος, id eſt turris, quod in Burgis turres eſſet inſtar arcium. Iam à Burgo Germani ciues vocant *Burgers*. Galli *Bourgeois*, inde dicti Burgundi, quòd in Burgis, id eſt locis munitis, puta turribus & arcibus, ob frequentes Wādalorum, Gothorum, Alanorum irruptiones habitarent. Talis fuit turris Babel Geneſ. 10. quæ vrbi Babyloni nomen dedit, de qua S. Hier. in Iſai. 13. & 14. *Arx*, ait, *& Capitolium vrbis, eſt turris ædificata poſt diluuium.*

Dicit ergo Salomon, quòd, ſicut Romani in omni hoſtium incurſu confugiebant ad Capitolium, Babylonij ad turrim Babel, Burgundi ad Burgum; ita iuſti currant ad Deum eum inuocādo, quaſi ad arcem Tarpeiā inſuperabilem, & aſylum inuiolabile, ex quo non tantum ſeipſos defēdant, ſed & hoſtes iactis deſuper telis offendant & conterant, vt verbis Aben Ezra. Igitur ſicut cōfugiens ad turrim in eius celſitudine exaltatur, ſic & confugiens ad Deum celſiſſimum, in illo & per illum exaltatur. Rurſum *exaltabitur*, id eſt ſtabit tamquā miles in præſidio & ſtatione ſua: milites enim præſidiarij in turribus excubare ſolent, indeq; depugnare & hoſtes impetere. Vnde & ſtationarij vocātur. Qui enim in turri eſt, ceteris qui in terra ſunt, celſior & ſuperior eſt, ac ex alto hoſtes ceteraq; omnia deſpicit; quia vnus ipſe centum hoſtes anguſto calle ſcandentes ſiſtere, & deturbare valet. Sept. vertunt, *ex magnificentia fortitudinis* (alius interpres legit, *ex magnitudine operum*) *nomē Domini: ad ipſum autem accurrentes iuſti exaltantur.* Quod clarè ſic reddit auctor Catenæ Græc. *A fortitudinis magnitudine & excellentia Dominus nominatur* (ſiue, *nomen Domini eſt magnificentia fortitudinis*) *iuſti autē qui ad illum accurrunt, exaltantur.* Quod deinde idem auctor ſic explicat: *Deus præpotens magnarumq; virtutum Dominus appellatur: taleſq; efficit eos, qui ſeſe ad illum adiungunt: Per nomen autem Domini, Dei cognitio interdum quoque ſignificatur. Ad illam iuſti accurrūt, &c. hoc eſt, per rectam inculpatamq; vitam ad Deum accedunt, per contemplationem autem ab illo exaltantur. Aut quod dicitur, huc ſpectat: Ex rebus creatis, earumdemq; magnitudine & pulchritudine Dei omnipotentia cognoſcitur & magnificatur.* Hæc auctor Catenæ myſticè potiùs quàm ad litteram.

Nomen Dei aſylum: quodnam? Reſp. Primò. Quæres: quodnam eſt *nomen Domini*, ad quod confugiens iuſtus exaltatur? Reſp. eſt multiplex. Primò, Rabbini grammaticè accipiunt nomen *Iehoua*, quod eſt in Hebræo. Hoc enim erat apud Iudæos quaſi proprium Dei nomen, vt patet Exodi 6.3. quod inuocantes ſe tutabatur & protegebat. Hoc etiā eſt tetragrammaton, ac quatuor litteris quaſi lateribus turrim quadratā repræſentat: hoc denique nominibus *Adonai* vel *Elohim*, quæ ei adiungi ſolent, quaſi valló cingitur & obuallatur.

Secundò. Secundò, pleniùs & profundiùs per *nomē* Dei, accipias Deum ipſum nomine ſuo repræſentatū; ſæpè enim nomen ſignificat rem nominatam per metonymiam, vt cùm quotidie oramus: *Sanctificetur nomen tuum*, hoc eſt, fac vt tu ipſe, ô Deus, ab omnibus vt ſanctus colaris & celebreris, vt tua maieſtas & ſanctitas ab omnibus agnoſcatur & adoretur. Ita S. Aug. in pſal. 60. v. 4. explicans illud de Deo dictum: *Turris fortitudinis à facie inimici*, ſic ait: *Chriſtus nobis factus eſt turris à facie inimici: caue ne feriaris à diabolo: fuge ad turrim. Numquam te*

A *ad illam turrim diabolica tacula ſecuta ſunt: ibi ſtabis munitus & fixus. Ante te eſt turris: recordare Chriſtum, & intra turrim. Quidquid pateris, cogita, quia prior paſſus eſt: cogita quo fine paſſus eſt, vt moreretur & reſurgeret. Talem & tu finem ſpera, qualis in illo præceſſit: & intraſti turrim.*

Tertiò, per *nomen* accipias robur & omnipotentiam Dei: Dei enim nomen eſt omnipotens, præpotens, fortiſſimus, Deus Iſrael, &c. vnde Septuag. vertunt, *magnificentia fortitudinis eſt nomen Domini*, vti paulò antè dixi. Simili ſenſu ſignantes nos cruce dicimus: *In nomine* (id eſt in virtute) *Patris & Filij & Spiritus ſancti*, ſupple, ordior vel facio hoc opus. *Tertiò.*

Quartò, *nomen* Dei eſt Dei auxilium & protectio. Sic Chriſtus ait Ioan. 17. 11. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo*, id eſt, conſerua eos ſub tua prote- *Quartò.*
B ctione & tutela, ait Theophyl. & Euthym. iuxta illud pſ. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio*, (quaſi in turre & arce muniſſima) *Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Vbi vide S. Bernard.

Quintò, *nomen* Dei eſt nominatio & inuocatio Dei per ſuum nomen. q. d. Oratio & inuocatio Dei eſt quaſi turris celſiſſima, ad quam in quauis tribulatione iuſti confugiunt & exaltantur: quia mente ad Deum eleuata, in eo quaſi exaltati habitāt liberi ab omni hoſte, ſecuri à quauis aduerſitate, ſuperiores terra, ciues cæli, domeſtici Dei. Audi S. Chryſoſt. l. 2. de Orando Deum: *Sicut ciuitas quæ turribus ac muris cincta non eſt, facilè venit in poteſtatem hoſtium; ſic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negotio omni ſcelerum genere implet. Ceterùm ad animam precibus* *Quintò.*
C *munitam non audet propiùs accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi oratio ſubminiſtrat.* Alludit ad ſtationem militum in turribus: à quibus Eccleſia ſumpſit nomen ſtationum. Sic enim vocat dies ſtatos orationi & ieiunio dicatos, quibus quaſi in ſtatione excubant fideles, ac contra diabolum ceteroſq; hoſtes decertant. Vnde Tertull. l. de Oratione in fine ait, quòd ſtatio ſoluenda ſit accepto corpore Domini. *Nónne ſolemnior*, inquit, *erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Si ſtatio de militari exemplo nomen accepit (nam & militia Dei ſumus) vtiq; nulla lætitia ſiue triſtitia obueniens caſtris, ſtationes militum reſcindit*, vt ob nuntia læta vel triſtia à ſtatione deſcendant. q. d. Sic nec Chriſtiani ſtationem orationis & ieiunij deſerere debent, quæcumque cauſa læta vel triſtis occurrat. *Stationes vnde?*

D Denique *nomen* Dei eſt nomen Ieſus, hoc enim eſt nomen proprium Verbi īncarnati, quod ſalutem quam ſignificat, omnibus ad ſe velut ad turrim confugientibus præſtat: iuxta illud, *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datū hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, Actor. 4. 12. Vide S. Bernard. ſerm. 15. in Cant. Vide & ea quæ de hoc nomine dixi Philip. 2. 10. Num. 13. Habacuc. 3. 18.

SVBSTANTIA DIVITIS, VRBS ROBORIS EIVS (Septuag. *vrbs munita*:) ET QVASI MVRVS VALIDVS CIRCVMDANS EVM] Prius hemiſtichium audiuimus c. 10. 15. vbi illud explicui. Poſterius Hebr. ſic habent, *& murus præaltus* במשכיתו *bemaskito*: quod Pagnin. & Baynus vertunt, *in imaginatione eius* hoc eſt, vt Vatabl. *at diues fingit ſibi opes ſuas vrbis fortiſſimæ, ac muri altiſſimi loco eſſe*; Caiet. in *calaturis eius*; R. David *in pictura eius*; alij, *in cubiculis eius*; alij, *in proſpectu eius*; R. Salomon, *in penetralibus eius*; Chald. *quaſi murus eleuatum eſt habitaculum eius*; *Verba.*

Syrus,

Syrus, *habitatio eius in muris fortibus*; Sept. *at gloria eius valdè obumbrat*, de quo poſtea.

Hinc R.Leui & Aben Ezra cenſent hunc verſum priori opponi.q.d. Iuſto turris fortitudinis eſt nomē Domini, quod eum tutatur, vt nullis aduerſis poſſit expugnari: at diuiti vrbs & turris fortitudinis ſunt opes eius: ſed hac differentia, quòd iuſto nomen Domini reuera ſit turris fortitudinis, opes autem diuiti non reuera, ſed tantùm in opinione & perſuaſione eius ſint vrbs fortitudinis. Putat enim ſe per eas ab aduerſis fore tutum, ac illarū ope exaltandum, ſicut iuſtus nomine diuino. Iuſtus ergo in Deo verum habet aſylum & propugnaculū: diues in opibus tantùm fictum, pictum & imaginatum. Ipſe enim hoc ſibi in mente fingit & pingit, quod nuſquā extat: quare minimo aduerſitatis incurſu difflatur & euaneſcit inſtar telę aranearū, iuxta illud Iſaiæ 59. *Telas araneæ texuerunt: telæ eorū non erunt in veſtimentum*. Hic igitur primus eſt ſenſus, quo *bemaskito* ſignificat *in imaginatione eius*.

Secundus eſt, quo Caiet. vertit, *in cælaturis eius*; R.Dauid, *in picturis eius*.q.d. Diues cùm in cubiculis ſuis affabrè cælatis obambulat, ſecurum & felicem ſe æſtimat, perinde ac ſi muris præaltis vallaretur. Aut, vt R.Abraham, *Et tamquam murum eleuatum reputat cælatū aurum & argentum, quibus domus illius plena eſt.* Addit idem verti poſſe, *& ſicut murus altus in proſpectu eius*.q.d. Diues aurum ſuum aſſiduè habet in proſpectu, id eſt iugiter illud reſpicit quaſi murum, in quo ſpes, ſalus & munimen eius recumbit. Alius ſic exponit.q.d. Sicut qui alto loco conſiſtit, ſi deorſum proſpiciat, vertigine capitis agitur, quâ circumactus ſponte deorſum ruit & colliditur. Sic diues propter opes in ſuperbiam actus, præ capitis ſenſuſque ſui imbecillitate in præceps ruit, & in exitium rapitur.

Tertiò, Noſter *bemaskito* vertit, *in tegumento eius* à rad. סכך *ſacach*, id eſt texit, operuit, vnde vertit, *circumdans*, id eſt tegens, vallans, muniens eum.q.d. Diues dum opibus ſe tectum cinctumque videt, putat ſe muro valido tegi & vallari.

Denique Septuag. *bemaskito* vertunt, *in obumbratione eius*: vnde vertunt, *gloria autem eius valdè obumbrat*. Quod Primò, ſic accipi poteſt, vt conſentiat cum Vulgata.q.d. *Obumbrat*, id eſt obtegit, circumdat & communit diuitem gloria & pompa quam ſibi opibus ſuis parit. Dum enim ſplendidis veſtibus indutus, ſtipatus famulis, equo vel curru vectus, pompaticè incedit, videtur ijs vndiq; cingi & communiri, imò alios obumbrare, tegere & protegere. Vnde auctor Catenę Græcorum hunc verſum ex Sept. ſic reddit, *opes viro diuiti ſunt inſtar propugnaculi muniti æque ciuitatis: interim gloria & maieſtas ſunt, quæ eas plurimùm propugnant atque exornant*.

Secundò, τὸ *obumbrat* poteſt referri ad picturam: pictores enim parua & obſcura obumbrant, vt vmbræ oppoſitu magna & clara coloribus clariùs repræſentent, adeoq; tota ars pingendi conſiſtit in vmbris & coloribus ritè miſcendis & appoſitè diſponendis, quin & vmbra naturalis eſt corporis imago; vnde ab vmbris pictores imagines pingere didicerunt. *Vmbra hominis lineis circumducta, quam deinde colorare teſta trita primus inuenit Cleophantus Corinthius*, ait Plinius l.35.c.3.

Τὸ ergo *obumbrat* ſignificat Primò, opes non eſſe corpus bonumq; ſolidum, ſed vmbram dumtaxat fugacem & euanidam. Quid inanius & fuga-

A cius vmbrâ? vmbra autem ſunt opes & pompæ mundi. Secundò, opes ſuâ vmbrâ & ſpecie obumbrare & decipere oculos, menteſque hominum. Sicut enim vmbrę corporum manè & veſperè ſunt maximæ, & corpore longè maiores: ſic ſpecies opum longè maior eſt re: oſtentant enim quid magnum & beatū, cùm nil tale contineant, vti patet moribundis in morte & Beatis in cælo: ibi enim quaſi in plena luce & meridie felicitatis, fugantur omnes vmbræ opulentiæ & felicitatis vmbratilis & terrenæ, iuxta illud Cant.2.17. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quin & Plinius l.2.c.10. aſſerit, *aliud non eſſe noctem quàm terræ vmbram*. Et mox: *Ergo confiniū illis* (vmbris) *eſt aëris terminus, initiumq; ætheris. Supra lunam pura omnia, ac diuturnæ lucis plena.* Tertiò, pictores, ait noſter Salazar, dum quid

B deprimere volunt, pingunt vmbram; dum verò attollere, colorant: adumbratio enim magna deprimit, color parua attollit.q.d. Diues maiora bona, id eſt ſpiritualia & æterna, ignorationis vel paſſionum vmbris tegit, & partes alias, nimirum caduca, & temporalia, præclaris coloribus illuminat; propterea hæc altiora, & illa depreſſiora ipſi videntur. Secùs iuſtus ac pius homo hæc ſpiritualia bona, quæ per ſe maiora ſunt & digniora, colorum ac pigmentorum illuminationibus eleuat, item temporalia & caduca, quæ per ſe minora & leuiora ſunt, additis vmbris contegit ac deprimit.

Myſticè Beda, *Non terrena ſubſtantia*, inquit, *ſemper defendere poteſt: imò plerique propter diuitias ſunt capti vel occiſi. Vnde & Eccleſiaſt.c.5. ait: Diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui: pereunt enim in afflictione*

C *peſſima. Meliùs ergo intelligitur ſubſtantiam laudare virtutum, quibus quicumque abundat, quaſi muro inexpugnabili cunctas hoſtium arcet inſidias.* Accedit noſter Aluarez de Paz l.4.de Perfectione p.2.c.21. qui per *ſubſtantiam* accipit perfectionem virtutum, quę hominem contra omnia vitia, dæmones & mala vniuerſa communit & tutatur, cauſamq; aſſignat: Præſentia, inquit, Domini animam inhabitantis, & eam protegentis, huius ſecuritatis eſt cauſa. At in quo conſiſtit iſta ſecuritas? Certè in hoc, quòd perfectus pro ſuæ vitæ & profectus ratione grauia peccata proſtrauit, vitia extinxit, inordinatos affectus deiecit; & iam victor rationi & diuini voluntati ſubiugauit. Atque in quadam vitæ celſitudine poſitus, non eſt cur timeat ea, quæ in imo conſiſtentes inquietant. Hic theſaurizauit theſauros in cælo, id eſt, in celſiſſima puritate vitæ, quæ

D cæli ſimilitudinem gerit, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit, & ideò nec fures, ſcilicet aduerſarios externos, timet; nec tineam, internas videlicet rerum malarum concupiſcentias, metuit. Quid enim ille trepidet auaritiæ & rerum temporalium poſſidendarum bellum, qui pro perfectionis deſiderio & paupertatis amore omnia contempſit, & vix ipſum parciſſimum victum, & vile indumentum corpuſculo neceſſariū admittit? Quid timeat ſuæ carnis venenatum ſibilum, qui, vt eam ſpiritus imperio ſubijceret, omni aſperitatum & afflictionum genere domat, & licita frequenter ei negat, ne illicita concupiſcat? Quid horreat propriæ voluntatis occurſum, & honorum ac dignitatum appetitum, qui minimam quoque honoris ſignificationem fugit, & in aliquo etiam modico ſuam voluntatem ſequi, vt peſtem infeſtiſſimam perhorreſcit?

ANTEQVAM CONTERATVR, EXALTATVR Verſ.12.

COR HOMINIS: ET ANTEQVAM GLORIFICETVR, HVMILIATVR] Hebr. *ante fracturam eleuabitur cor viri, & ante gloriam humilitas*; Symmach. & Theodot. *& ante gloriam manſuetudo*; Vatabl. *anteis gloriā deiectio*. q. d. *Superbi humiliantur, & humiles exaltantur*. Auctor Catenæ Græc. ex Septuag. ſic vertit, *cor hominis non priùs exaltatur quàm deprimatur & conteratur, nec priùs rurſum gloria potitur quàm humilietur*. S. Hier. ep. 32. legit, *ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam exaltatur*. Hic verſus repetitur ex c. 16. 18. vbi eum explicui, quibus adde, quemdam ſic moraliter explicare. q. d. Afflictus & contritus eſt homo, quia ſeipſum per ſuperbiā extulit: vnde vt à malis liberetur, & ad priſtinam proſperitatem redeat, neceſſe eſt vt ſeipſum humiliet.

Præclarè S. Bernard. ſer. 34. in Cant. *Oportet*, inquit, *humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora, ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe*. Et paulò pòſt: *Niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur*. Huc facit prouerbium Arabum cent. 1. n. 3. *Si neſciis adſcendere per ſcalam, non ambulabis ſuper tectum*, id eſt, ſi non potes te humiliare & ſubijci duci, neque dux eris. Nam non ſolent ad dominium promoueri, qui ſub aliorum dominio continere ſe nequeunt; quia nemo rectè dominum agit, qui non antè miniſtrum geſſit, adeò vt ſeruitus via ſit ad imperium, non ſecùs ac ſcala ad tectum.

Vers. 13. QVI PRIVS RESPONDET QVAM AVDIAT, STVLTVM SE ESSE DEMONSTRAT, ET CONFVSIONE DIGNVM] quia præter rem de qua interrogatur, impertinenter de alia reſpondet, aut periculo reſpondendi ſe exponit, vt rogatus de fabis de cepis reſpondeat, vt vulgò dicitur. Hebr. *reddens verbum antequam audiat, ſtultitia eſt ei, & ignominia*; Septuag. *impudentia eſt ei & probrum*; Chald. *confuſio*; Vatabl. *pudore & confuſione afficitur*. Salomonem ſecutus Siracides ait Eccli. 11. 8. *Priuſquam audias ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum ne adijcias loqui*, vbi plenè vtriuſque gnomen explicui: quare hic iota non addam.

Vers. 14. SPIRITVS VIRI SVSTENTAT IMBECILLITATEM (Chald. *infirmitatem*; Syrus, *affectus & propenſiones*) SVAM: SPIRITVM VERÒ AD IRASCENDVM FACILEM QVIS POTERIT SVSTINERE?] q. d. Nullus, niſi valdè patiens & manſuetus, ait Lyran. Pro *ad iraſcendum facilem*, hebr. eſt נְכֵאָה *necbea*, quod Primò, Theodot. deriuans à נָכָה *nacha*, id eſt percuſſit, vertit, *percuſſum*. *Et ſpiritum*, inquit, *percuſſum quis portabit eum*? Secundò, alij deriuantes à כָּאָה *caa*, id eſt dolere, triſtari, infirmari, vertunt, *dolentem*, triſtem, infirmum; Syrus *dolore concuſſum*. Septuag. vertunt, ὀλιγό ψυχον, id eſt parui animi, ſiue *puſillanimem*; Chald. *abiectum*; Quartò, Tigur. *affectum paſſionibus*, quod Noſter vertit, *facilem ad iraſcendū*; Quintò, alij, *perturbatum, conturbatum, obſcuratum*, cui lux gaudij adempta eſt per triſtitiam vel iram. Iam

Primò, Aben Ezra ſic explicat. q. d. Spiritus, id eſt anima, viri ægritudinem tolerabit, corpuſque irrigabit: illa, inquam, quæ ſapientiæ poſſeſſione referta dolores patienter ſuſtinet: hic enim eſt vir, qui fortitudine præſtans animum à dolore ſubigi non patitur, ſed quæcumque eueniunt hilari animo prudenter excipit: at ſpiritum *necbea*, id eſt, animum deiectum, & dolori iræque ſuccumbentem, ob huius ſæculi inania, dum ea obtinere nequit, quis ſuſtinebit? Et R. Leui: Si animus ipſe, inquit, ita vexetur morbo, vt ſuccumbat & langueſcat, quid illum recreabit? nec enim aliquid eſt, à quo ille reparari queat. Vnde & Vatabl. vertit, *ſpiritus hominis perfert morbum illius: ſpiritum verò percuſſum quis feret?* ſicque explicat. q. d. *Spiritus hominis facilè perfert morbum corporis; ſed morbum ſpiritus, hoc eſt ſuī, non poteſt: hoc eſt, ſi animus malè habeat, nemo eſt qui illum ſanare poſſit*.

Secundò, Caietan. ſic vertit & explicat: *Spiritus viri feret ægritudinem ſuam, & ſpiritum contritum quis feret illum?* Sicque explicat. Diſparitas inter mala ſpiritus (mala quaſi congenita, ſeu ab intrinſeco nata) & mala eiuſdem ab extrinſeco proficiſcentia deſcribitur per hoc; quòd illa ſunt tolerabilia, iſta verò intolerabilia. Aſſimilans itaque mala ab extrinſeco nata, intrinſecis ægritudinibus, dicit, quòd viri ſpiritus ſufferet ægritudines proprias (puta puſillanimitatem, iracundiam præcipitem, & alias huiuſmodi animi ægritudines) ſpiritum verò contritum ab alio (hoc eſt non ſolùm percuſſum & fractum, ſed etiam quaſi contritum ignominijs, deſpectionibus, irriſionibus, alijſq; iniurijs) quis ſufferet? ac ſi apertius dixiſſet, Intolerabilis eſt, non quod penitus intolerabilis ſit, ſed quia difficile valdè tolerari poteſt.

Tertiò, aliqui vertunt in nominatiuo, *ſpiritus ad iraſcendum facilis, quid poterit ſuſtinere?* q. d. Spiritus viri, id eſt virilis, facilè tolerat ſuam infirmitatem: at ſpiritus puſillanimis, qui ad leue verber, vel verbulum, ſtomachatur & excandeſcit, nihil vel minimum aduerſi poteſt tolerare. Verùm omnes alij vertunt in accuſatiuo, *ſpiritum ad iraſcendum quis poterit ſuſtinere?* Hebr. enim מִי *mi* ſignificat *quis*, non *quid*: interrogatiuum enim eſt perſonæ, non rei.

Quartò, Septuag. per *ſpiritum* accipiunt iram: irati enim naribus ſpiritum ſiue halitum copioſū efflant. Per *imbecillitatem* accipiunt ſeruum infirmum, vilem & abiectum. Vnde vertunt, *iram viri mitigat ſeruus prudens: parui animi autem virum quis ſuſtinebit?* q. d. Iram viri cordati, prudentis, & magnanimi ſedabit ſeruus prudenti ſuo conſilio & eloquio: quia vir ratione & prudentia duci ſe ſinit: at puſillanimē, qui nihil ſufferre valet, ſed ad quælibet excandeſcit, quis feret? nec enim ratione, ſed ira & impatientia continuè agitur. Vnde infert auctor Catenæ Græc. His apertè oſtenditur, inquit, ignauiam animique abiectionem ira deteriorem eſſe; ſi quidem iracundum, vel domeſticus famulus, etiamſi nullam poteſtatem, nec magnam quoque dicendi libertatem habeat, temporis lapſu placauerit: at verò ignauia metuque laboris fractum nequaquam.

Quintò & genuinè, *ſpiritus viri* eſt ſpiritus virilis generoſus, magnanimus, ideoq; vegetus, lætus & alacer; hic quamlibet infirmitatē tam ſuam quàm alienam facilè ſuffert & portat, quaſi gigas quidam robuſtiſſimus: at ſpiritus puſillanimis, qui ſi vel ſeu tangatur, iraſcitur & excandeſcit, adeò nihil tolerare & portare poteſt, vt & ipſe tam ſibi quàm alijs, etiam generoſis & robuſtis, ſit importabilis & intolerabilis. *Quia*, vt ait Beda, *qui ad iraſcendum facilis eſt, nec ſeipſum poteſt ſuſtinere, ita vt iratus ſæpè dicat ea, quæ mox cùm placidus eſt, quia dixerit, pænitet, plerumque etiam an dixerit, ignorat*.

Nota vt *ſpiritus viri ſuſtentat*, Hebr. יְכַלְכֵּל *iecalkel*, id eſt fert, portat, baiulat. Alludit enim ad baiulos, qui cum valido ſunt ſpiritu & halitu, valida & grauia portant onera; quia, vt ait Ariſt. l. de Reſpir. fortitudinis & roboris ad onera baiulanda, ſpiritus &

& anhelitus menſura eſt, quo enim quis per nares vehementiùs ac productiùs anhelat, eo robuſtior eſt ad onera baiulanda: quo verò quis exiliùs & breuiùs ſpiritum per nares ducit & reciprocat, eò infirmior, & oneribus portandis debilior eſt. Aptè ergo dicit Salomon, *ſpiritum viri*, id eſt virilem, fortem & conſtantem, baiulandæ infirmitati cuilibet ſat virium afferre. Spiritus enim viri eſt animus virilis & magnanimus, imò eſt ipſa virtus, robur & magnanimitas. Vnde S. Ambr. l. 1. in Lucam ad illud de S. Ioanne Baptiſta: *Erit enim magnus coram Domino. Eſt*, inquit, *coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis. Eſt etiã paruitas animæ, & pueritia virtutis*, &c. *Erit itaq; Ioannes magnus non virtute corporis, ſed animi magnitudine: paruus in ſæculo, magnus in ſpiritu.* Huc facit illud Senecæ ep. 66. *Magnanimus eſt, qui omnia rerum aduerſarum onera rigida ceruice ſuſtollit, qui ſupra fortunam exſtat. Nec mirum eſt in tranquillitate non concuti: illud mirere, ibi extolli aliquẽ vbi omnes deprimuntur; ibi ſtare vbi omnes iacent.* Et rurſum: *Magnanimus ſtat rectus ſub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit; nihil eorũ, quæ ferenda ſunt, diſplicet; & quidquid cadere in hominẽ poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur.* Et Plinius l. 16. 43. *Vt palmæ arboris ramus*, inquit, *impoſito onere non deflectitur in terram ceterarũ more, ſed renititur, & vltrò aduerſus ſarcinæ pondus erigit ſeſe: ita viri fortis animus quo plus negotijs premitur, quoq; magis ſæuit fortuna, hoc eſt erectior*, dicitque tibi: *Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.* Vnde Lyran. ſic exponit. q. d. *Spiritus viri*, id eſt bonitas cordis ſuſtentat imbecillitatẽ ſuam ex parte corporis: quia plus aliquãdo facit, quàm habens corpus forte, & cor debile. Vnde S. Greg. homil. 12. *Vires*, ait, *quas imperitia denegat, charitas ſubminiſtrat.* Contrarium accidit in puſillanimis: hi enim feſtucæ onus non ferunt, ſed illicò concidunt, triſtantur, queruntur, iraſcuntur. Vnde S. Baſil. hom. de gratijs agendis: *Sicut*, inquit, *vermes in lignis mollioribus enaſcuntur: ita animi impietates in mollioribus hominum mentibus oriuntur.* Et S. Chryſ. hom. 38. in epiſt. 1. ad Corinth. *Quemadmodum ſana corpora, ſi modo pane victitent, pinguia, vegeta ſunt tamẽ, morbida verò etiam ſumptuoſa variaq; menſa, imbecilliora redduntur: ſic euenire in animis hominum ſolet: puſillanimes, ne, ſi diademate quidem & immenſis honoribus potiantur, vedire ad ſe poſſunt: philoſophi verò etiam in vinculis, in catena, voluptate mera fruuntur.* Sic Chriſtus infirmitatem carnis in paſſione, ſpiritus robore ſuſtẽtauit & ſuperauit. Vnde ait: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, ait Beda, qui & addit: *Poteſt & de quolibet viro ſancto accipi, qui carnis imbecillitatem, ne in tentationibus cedat, mentis fortitudine ſuſtentat*, vti fecere omnes ſancti Martyres, Confeſſores & Virgines. *Tormenta* enim *Martyres Dei conſecrant, & ipſa paſſionis probatione ſanctificant*, ait S. Cyprian. l. 4. epiſt. 1. ad Rogatianum. Sic S. Paulus ait: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* 2. Corinth. 12. 10. Sic ſpiritus S. Franciſci ſuſtentabat carnem, eius pœnitentijs & laboribus exhauſtam, vt etiam in via onera viatorum ingentia, ipſe ex charitate in humeros ſuos ſuſciperet & alacriter portaret, ait S. Bonauent. Sic S. Paula morbos corporis valido ſpiritu ſuſtentabat, teſte S. Hier. in eius Vita.

Porrò huius virilis ſpiritus fons & auctor eſt Spiritus ſanctus. *Ille enim eſt*, ait S. Ambroſ. in Symbolum, *qui non ſolùm triſtitias, & mœrores, & malas turpitudinum cogitationes expellit, verùm etiam Dei in nobis memoriam tribuit, vt meritò cum Dauid dicere poſ-*A *ſimus: Memor fui Dei, & delectatus ſum. Et iterum: Memor ero mirabilium tuorum, pſ. 76. Iſte eſt, qui nobis rectè credentibus & benè operantibus adueniens, tenebras & anguſtias ac puſillanimitatem cordis expellens, & ſua nos luce illuminans, miſcet ſenſui noſtro ſenſum Chriſti, vt vitam noſtrã quæ in Chriſto abſcondita eſt, cogitemus, & in æternis & ſuperuenturis ſæculis, qui noſter ſtatus ſit, conſideremus: ſequentes Filium Dei Ieſum, qui penetrauit cælos, & in dextra Dei ſedens, & in omni conſiſtẽs loco, nihil ſua præſentiæ vacuum derelinquit.*

Atque hæc eſt ratio à priori huius ſententiæ. Sicut enim anhelitu trahimus ſpiritum, qui nobis vires & vigorem addit ad onera portanda: ſic pariter anhelando & inuocando Spiritum ſanctum, haurimus ſpiritum, vigorẽ & robur animi ad infirmitates & aduerſa quælibet fortiter ſufferenda, iuxta illud Rom. 8. 26. *Spiritus adiuuat infirmitatem* B *noſtram.* Rurſum, ſicut vis eſt, quæ portat pondus: vnde quanta eſt vis, tantum portare poteſt pondus: ſi parua paruum, ſi magna magnum: quodlibet enim pondus cõmenſuratas ſibi in portante exigit vires: ſic pariter vis animi, eſt eius ſpiritus & robur, qui portat infirmitates tam corporales quàm ſpiritales, tã ſuas quàm alienas, vnde quantus eſt ſpiritus, tantum ferre poteſt infirmitatum pondus: ſi magnus magnum, ſi paruus paruum; vt, ſicut Atlas fingitur à poëtis tantis eſſe viribus, vt cælorum machinam humeris ſuis ſuſtineat, iuxta illud Virgil. Æneid. 4.

Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit:

ſic ingens ſpiritus ſit quaſi Atlas ſuſtinens omnia dura & acerba, quæ vel terra illi ſuggerit, vel Deus C è cælo in illum depluit, vt immotus planè vento pulſetur & imbre.

Deniq; videmus ingentia onera & naues mercibus onuſtas, per rotas & trochleas leuari à paruis hominum paucorum viribus, vti in flumine Antuerpienſi Bruxellam verſus nauigans, per eas ingentes pontes à puero leuari & attolli cõſpexi. Sic & per vectem maiora attolli onera, quàm ſint vires attollentium, quotidie intuemur, & modum docet Vitruuius l. 10. c. 8. Cauſam dat Ariſtot. in Quæſt. mechanicis q. 3. quòd vectis ſit quaſi libra librans, itaq; alleuans pondus quodque: facit enim mouentem magis diſtare à centro ponderis, itaq; illud quaſi librat & ſuſpendit, ideoque faciliùs mouet: vti clarè ibidem explicat Nicolaus Leonicus. Vide & pleniùs commentantem in Mechanica Ariſtot. Bernardinum Baldum Vrbinatem, D qui & rectè aduertit, dicta Ariſtot. limitanda eſſe ad vectem habentem fulcrum, ſiue quando inter vectem & pondus vecte leuandum medium eſt fulcrum, cui vectis innititur: tunc enim fulcrum eſt quaſi centrum, in quo libratur & ſuſpenditur tam vis mouens quàm pondus motũ, ac proinde tunc fulcrum vtriuſque facit quaſi æquilibrium, aliàs non. Eadem cauſa eſt, inquit idem Ariſtot. ibidem q. 4. *Cur ij qui in medio nauis ſunt, remiges maximè nauem mouent: quia remus vectis eſt. Et cur per paruũ gubernaculum moueantur magnæ nauium moles: quia gubernaculum vectis eſt.* Idem fit in ſpiritu, nimirum maiora cernimus per eum tolerari & portari quàm ſint eius vires, ſi rotã, trochleã aut vecte peculiaris gratiæ, æquè ac prudentiæ & ſolertiæ, vehatur. Prudentia enim ſolers eſt in adueniendis modis, praxibus, rationibus, & conſiderationibus, quibus triſtitiæ vel aduerſitatis pondus alleuictur. Sic videmus, ſi afflicto vel melancholico aliqua bella

ſententia, vel ratio indoli eius congrua, eiuſque palato ſapida, proferatur, ilicò eum afflictione & melancholia, ſi non liberari, certè leuari.

Tropol. *Spiritus viri*, id eſt animi firmitudo ac ſtabilitas eſt, quæ hominem ad capeſſendam virtutem roborat, & vitia contraria ſuperanda confortat: quòd ſi minimâ tentatione obortâ ſtatim iraſcatur, & animum præ triſtitia & puſillanimitate deſpondeat, quis aduerſus illum non irritetur, qui tam leui occaſione à bono deſiſtit?

Vers. 15. COR PRVDENS (Syrus, *cor mundum & purum*) POSSIDEBIT SCIENTIAM: ET AVRIS SAPIENTIVM QVÆRIT DOCTRINAM] Syrus, *auſcultat*; Septuag. *cor prudentis poſſidet ſenſum: aures autem ſapientum quærunt cogitationem*. Græcè ἔννοιαν, id eſt, *excogitatam rationem*; Aquila, Symmach. & Theodot. *ſcientiam*, aut *doctrinam*, vt Vulgata. In Hebræo enim pro *ſcientiam* & *doctrinam* eadem eſt vox דעת *daas*; Vatabl. *cor prudens comparat ſcientiam: & auris ſapientum ſtudet cognitioni*. Aben Ezra hunc verſum nectit præcedenti. q. d. Spiritus quaſſatus, & ad iraſcendum facilis ſapientiam non adipiſcitur; prudẽtis autem animus ægritudinem ſuam patienter ferens prudentiæ ſuæ ope ſcientia cumulabitur. *Et auris ſapientium*, &c. q. d. Sapiens quę euenerint æquo animo ferens, doctrinæ vacare diligenter ſtudebit. Idem, vel quaſi idem, ſunt hoc libro ſcientia, doctrina, prudentia, intellectus, ſapientia, ſenſus, vti iam ſæpiùs monui: ſcilicet per hæc omnia ſignificatur ſcientia practica, ſiue prudentia dirigens omnes hominis actiones ad normam honeſti & virtutis. Copula & eſt cauſalis ſignificans *quia*, poſterius enim hemiſtichium dat cauſam prioris. q. d. Cor prudentis comparat & comparando poſſidet ſapientiam, quia auris eius eamdem quærit & veſtigat: audit enim doctores & ſapientes, à quibus eam audiens mente ruminat & recondit. Hiſce enim duobus modis paratur & poſſidetur ſapientia, ſcilicet ſedulo audiendo, & ſtudioſè eam meditando, vide dicta c. 1. v. 5. ad illud, *Audiens ſapiens ſapientior erit*. Aures ergo ſimiles ſunt viuerris, quę veſtigant leporem vel cuniculum in cauerna ſua latitantem, eumq; inde foras prodire cogunt: mens verò ſimilis eſt cani, quę leporem prodeuntem capit occupat & poſſidet. Τὸ *poſſidebit* ſignificat Primò, ſapientiam propriam eſſe poſſeſſionem & peculium mentis & ſpiritus ſapientis; Secundò, eamdem ipſi eſſe chariſſimã, & in ſummo pretio; Tertiò, illã ei inuito non poſſe auferri à quopiam, vti auferuntur ab hoſte bona externa. Ita Lyran.

Vers. 16. DONVM HOMINIS DILATAT VIAM EIVS: ET ANTE PRINCIPES SPATIVM EI FACIT] Hebr. *donum hominis latum facit ei: & ante magnos duces eũ*; Chald. *donum filij hominis dilatat eum: & ante principes ſuſtentat eum*; Syrus. *conſtituit illũ*; Septuag. *donum filij hominis dilatat eum: & ante principes ſedere facit eum*. Pro *donum* græcè eſt δόμα, quod perperam Regia & Complut. vertunt, *domum*: δόμος enim ſignificat *domum*, δόμα verò *donum*.

Primò, ſenſus planus & germanus eſt. q. d. Donum datum vel ianitoribus & cubicularijs, vel potiùs præmiſſum ad ipſum regem, ſiue principem, aditum ei, qui illud dedit, parat, latamque quaſi viam ſternit ad ipſum regem vel principem; vt ante eum illum deducat, ſpatiumq; id eſt locum & copiam conueniendi principis illi facit: imò ante eum ſpatiũ illi facit, vt ſcilicet in eius aula & conſpectu verſetur, quaſi regis miniſter, & officialis, A vel aulicus, & familiaris. Ita R. Leui: *Cùm verò*, inquit, *ad magnatem ob ſua negotia accedendum erit, ſi illum ante muneribus deuinxerit, plana apertaq; erit via qua ad eumdem aditus pateat, vt præſtet quæ cupiebat*, vtque eius fauorem & gratiam quaquauerſum obtineat.

Nota, τὸ *donum dilatat*, ſignificat Primò, latum præbet aditum; Secundò, latam illi viuendi agendiq; libertatem & licentiam tribuit; Tertiò, ab anguſtia vel carcere ad latiorem locum educit, ait Aben Ezra. Sicut ergo antecambulones, verbi gratia, Heluetij ſtipatores, ſubmotâ turbâ latã parant viam venienti Pontifici aut regi ad incedendum: ſic dona ſubmotis impedimentis latam donanti faciunt viam ad eos quibus dona mittit. Ratio à priori eſt: quòd amor animum amati dilatet, eumque cogat redamare amantem: amor autẽ & beneuolentia B maximè cernitur in beneficentia & donis: hæc ergo donatarij animum pelliciunt, dilatant, coguntq; vt donantem redamet, eiq; ſe beneuolum, imò beneficum & liberalem viciſſim exhibeat. Sic Iacob pręmiſſis muneribus viam ſibi ſtrauit ad Eſau fratrem ſuum, eumque ſibi infenſum reconciliauit, Gen. 33. Sic Barlaam fingens ſe habere gemmam pretioſam dandã Ioſaphat filio regis, viam vndique concluſam ad eumdem ſibi aperuit, eumque ad fidem Chriſti conuertit, teſte Damaſceno in Hiſtoria. Reges enim quaſi terreſtres quidam dij & Numina, iure ſuo exigunt munera, quaſi honoris ſibi debiti vectigal & auctoramentum. Quocirca olim apud Perſas nulli ad regem acceſſus patebat, niſi munere præmiſſo, vel allato. Salomonẽ ſecutus Plato l. 3. Politic. *Dona*, C inquit *flectunt deos & reuerendos reges*. Et Ouid.

Munera, crede mihi, capiunt hominesq́ue, deosq́ue,
Placatur donis Iupiter ipſe ſuis.

Obijcit ſibi anonymus in Catena Græc. *Quid hic*, inquit, *audio? paulo antè aiebas malà morte eum interiturum, qui munera donaret, vel acceptaret: quo ergo ſenſu iubes hic ea impertiri?* ac reſpondet: *Quia nihil periculi eſt ſi iſte fuerit hilaris promptuſq; ad donandum, ille contra tardus minimeq; pronus ad recipiendum.*

Planiùs pleniuſq; reſpondeas, munera illa vetita eſſe; quibus quæritur gratia iudicum, aut ſimilium, ad euertendam iuſtitiam ſimilemue virtutẽ: hic verò probari illa, quibus via ſternitur ad magnates, vt obtineatur ius ſibi debitum, vel gratia indebita, ſed honeſta & vtilis bono publico vel priuato.

Secundò, anonymus in Catena Græcor. hanc D gnomen ex Sept. ſic vertit, *qui liberaliter donat, dilatabitur, & inter viros principes conſtituetur*, eamq; refert ad eleemoſynam. q. d. *Non conſtringetur ille, neque in anguſtum redigetur, qui largus fuerit in egenos & pauperes; quin potiùs vna hac via dilatabitur, viriſq́ue principibus æquiparabitur*. Et R. Salomon: Allegoricè, inquit pertinet hæc gnome ad eos, qui opes in pauperes conferunt, quibus in futuro æuo pars eadem amplificabitur: quin & dum corporis ergaſtulis coërcentur; ante magnates deducuntur, magnæque exiſtimationis viri exiſtimantur. Pleniùs verò noſter Salazar: Hortatur, inquit, Salomon ad beneficentiam. q. d. Liberales & profuſæ largitiones mirum in modum beneficium dilatant, id eſt amplificant, nobilitant, & in amplitudinem adducunt, vt beneficentia videatur eſſe latitudo & amplitudo cordis, æquè ac domus & familiæ; adeò vt inter principes ſedere faciat eum, vt vertunt Sept.

vel,

vel, vt Noſter, *& ante principes ſpatium facit illi*, id eſt locum illi inter principes præſtat. Nam liberalitas & magnificentia, regia ſeu imperatoria virtus eſt: quapropter eam qui colit, planè in regum atque principum cenſum referendus eſt, quia principe dignam virtutem exercet.

Symbolicè, auctor Catenæ Græc. per *donum* accipit ſapientiã ſiue virtutem. q.d. Sapientia à Deo donata diffundit dilatatq; animum, ſuumq; herum vnum è ſapientum numero conſtituit.

Tropol. Beda & Salonius per *donum* accipiunt charitatem, hoc eſt donum donorum omnium præſtantiſſimum. *Quod*, inquit, *eſt donum, quod dilatat viam hominis, & quod ante principes facit illi ſpatium? donum hoc, donum eſt charitatis, ſiue aliarum virtutum, quas à Domino fideles accipiunt. Hoc videlicet donum dilatat viam eius, id eſt actionem: quia vnuſquiſque fidelis quanto magis gratia Spiritus ſancti intus repletur, tanto magis viam ſuam foris dilatat, id eſt bonorum operum greſſum multiplicat.*

Eleemoſynæ laus & viſa. Sic S. Ioannes Eleemoſynarius per viſum vidit eleemoſynam quaſi virginem ſplendentem ſibi aſſiſtere, ac dicere: *Filia ſum ſummi regis, illi perfamiliaris, omneſq; mei aſſeclas ad illum introduco, illiq; gratos & familiares efficio: magna enim mihi apud eũ eſt fiducia. Quare ſi me colis, ego ad illũ te introducam, teq; illi percharum efficiam.* Ita Leontius in Vita eiuſdem. Quin & Tobias c. 4. 11. *Eleemoſyna*, ait, *ab omni peccato & à morte liberat, & nõ patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna, omnibus facientibus eam.* Significat ergo hæc gnome potentem vim muneris & beneficentiæ, quòd ſcilicet omnes etiam reges & principes, quin & Deũ ſibi conciliet, eiuſque gratiam emereatur.

Vers. 17. IVSTVS PRIOR EST ACCVSATOR SVI: VENIT AMICVS EIVS, ET INVESTIGABIT EVM] Heb. *iuſtus eſt primus in lite ſua* (Chald. & Symmach. *in iudicio ſuo*) *venit ſocius vel proximus eius, & ſcrutatur eum*; Chald. *& vincit eum*; Sept. *iuſtus ſuiipſius eſt accuſator in principio ſermonis: cùm verò adiecerit aduerſarius, arguitur*; Syrus, *iuſtus eſt filius hominis in iudicio: quando venit ſocius eius, probat eum.*

Primò, Aben Ezra & R. Leui hunc verſum nectunt præcedenti. q.d. Iuſtus deferens munus magnati, prior eſt in lite ſua: vnde à magnate declaratur inſons & iuſtus. Quare licet deinde accedat alter, qui in iudicio crimina in illum inueſtiget: eum tamen reum facere nequibit. Nam maiorem, ait R. Leui, fidem adhibere ſolemus ijs, qui priores ſuam cauſam expoſuerunt. Aut clariùs, vt Vatabl. q. d. Qui prior eſt in lite ſua deferens munera iudici, hic iuſtus, id eſt in lite eſt ſuperior & victor: quia iã & verbis & muneribus inflexit in ſe ſuamque cauſam animũ iudicis: quare quamuis poſtea veniat ſocius, qui excutiat cauſam eius qui prior fuit, nihil tamẽ efficiet, niſi maiora afferat argumẽta & munera. Alij vice verſa ſic exponunt: Iuſtus prior eſt in lite ſuâ, id eſt, iuſtus fidens ſuæ iuſtitiæ & cauſæ æquitati, ſiſtit ſe iudici: venit ſocius eius, qui donum iudici dedit, & ſcrutatur accuſatq; eum atque accuſando *vincit*, vt habet Chald. q.d. Scrutando obijciet aliquid in ſpeciem, quod iudicem ob munera iam in ſe propenſum flectat, vt pro eo ſententiam ferat, ac iuſtum condemnet.

Secundò, Caietan. Eſt, inquit, parabola ſignificans, quòd, cùm aduerſus iuſtum conſurgit lis ſeu querimonia, & vniuerſaliter cùm imponitur ei crimen aliquod, iuſtus primus eſt ad loquendũ, non expectat accuſatorem aut teſtes, ſed ſciens ſe iuſtum, primus loquitur cõfidens in innocentia ſua: Loquitur autem veritatem, & non expectat examinari, ſed ſponte reſpondet ad obiecta. Oportet autem vt inueſtigator eius nõ ſit inimicus, & propterea ſubiungitur, *Et venit amicus eius*, qui non agitur odio aut paſſione aliquâ aduerſus iuſtum: venit, inquam, amicus non hominis, ſed iuſti, & inueſtigabit eum diſcutiendo cauſam eius. Si enim iudex non eſſet amicus iuſtitiæ, facilè eſſet corrumpi iudicium.

Tertiò, Ianſen. inuerteris ordinem verborum dupliciter explicat. Primùm, inquit, vt hic ſit ordo, qui primus eſt in lite ſuâ, hic eſt iuſtus: hoc eſt, qui primus loquitur in lite & controuerſia quam habet cum alio, is ius ſibi vendicat, & iuſtus eſſe videtur: ſed expectandum eſt, quouſq; veniat proximus eius, qui eſt in cauſa ipſius aduerſarius; ex cuius inquiſitione cõſtabit tandem qualis ille fuerit. Itaq; docet hæc ſententia, non temerè in quoquam iudicandum, niſi vtrâque parte auditâ, iuxta illud: *Audi alteram partem.* Secundò, vt hic ſit ordo: Qui iuſtus eſt, hic primus eſt in cauſa vel lite ſua: hoc eſt, iuſtus ſtatim in principio litis cauſam ſuam ſimpliciter & confidenter iudicibus aperit, oſtendens ſuam innocentiam, nihilq; ſe velle niſi quod iuſtum & æquum eſt, adeò vt, cùm venerit proximus eius, qui cum eo litigat, ſecurè ſuſtineat ſe ab eo ſcrutari.

Denique alij explicant. q.d. Iuſtus prior eſt in lite, id eſt præuenit & præoccupat iudicem, eumq; de veritate & æquitate cauſæ ſuæ ſincerè edocet, ne ab alijs præoccupetur, & malè informetur in veritatis & innocentiæ ſuæ præiudicium.

Verùm hæ omnes verſiones & explicationes diſſentiunt à Vulgata, cui tamen cõſentiunt Sept. quin & Hebræa. Nã quod habent, *iuſtus primus eſt in lite ſua*, idem eſt. q.d. *Iuſtus prior ſecum litigat, ſe redarguit, ſe accuſat.* Loquitur Salomon nõ præciſè de confeſſione Sacramentali, vtpote, quæ tunc necdũ erat inſtituta, nec in vſu, ſed de confeſſione in genere. Significat ergo iuſtum, ſi quid per infirmitatem peccauit (non eſt enim iuſtus qui nõ peccat) non defendere ſuum peccatum, nec expectare alterius increpationem; ſed ante alios priorẽ eſſe in accuſando, increpando & cõdemnando ſeipſum, ideoque etiam patienter ferre vt amicus ipſius veniat & inueſtiget eum, vt, ſi quid inueniat correptione dignum, idipſum admoneat. Iuſti enim vox eſt: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, pſ. 140. Aut eſt ſenſus: Iuſtus antequam alios accuſet & increpet, priùs ſeipſum accuſat. Sic enim Beda intelligit: Omnis, inquit, qui verè iuſtus eſt, vbi peccantiũ errata conſpicit, primùm ad ſeipſum oculum conſiderationis inflectit, dumq; ſuam fragilitatem ſolicitus accuſauerit, ſic demum ad corripiendos alios linguam benignus exerit. q.d. Vbi ſe iuſtus accuſauerit, tunc venientem ad ſe amicũ ſcrutabitur, &, ſi quid in eo correptione dignum inueniat, corripiet & redarguet. Ita S. Ambroſ. l. 1. Offic. c. 25. *Iuſtus*, ait, *ſeipſum priùs quàm alios accuſat. Ille enim iuſtus, qui nec ſibi parcit, & occulta ſua latêre non patitur*, &c. *Iuſtus in exordio ſermonis accuſator eſt ſui. Qui ſe accuſat, etſi peccator eſt, iuſtus eſſe incipit, quia nec ſibi parcit, & Deo iuſtitias confitetur, quem putat latêre nihil poſſe.* Confeſſio ergo veritatem ac Deũm honorat, ideoque eius iram & vindi-

vindictam auertit, vt docet Pacianus Paræneſi ad A pœnitent.

Huc pertinet verſio Septuag. *Iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis: cùm verò adiecerit aduerſarius, arguitur.* q.d. Iuſtus in ſuis controuerſijs initio ſermonis ita ſincerè, integrè & fidenter ſeipſum accuſat, narrans & cōfitens omnia, quæ ſibi verè obijci poſſunt, vt, cùm venit aduerſarius adijciens & obijciens illi alia crimina, præter illa quæ ipſe cōfeſſus eſt, falſitatis & mendacij arguatur, aut facilè argui conuincique poſſit. Addit S. Cyrillus l.2. in Ioan. c.147. hæc à Salomone dici, vt moneat vitandam eſſe laudem propriam: hæc enim in ore laudantis ſeipſum ſordeſcit & vileſcit; ideoque iuſtum & prudentem ordiri ſermonem à ſui vituperio, non à laude. Explicans enim illud Chriſti: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meū non eſt verum*; illud cōfirmat hac ſententia Salomonis, *Iuſtus ſui ipſius in ſermone accuſator eſt.* Et rurſus c.27. B *Laudet te proximus tuus, & non os tuum: alienus, & nō labia tua. Moleſtum enim certè auditoribus eſt propria, non aliena, voce ſuarum rerum maximarum velle teſtimoniū perhibere: nati enim natura ſumus vt minus eis credamus, qui præcipuum ſibi decus attribuunt.* Quare iuſtus vt hoc vitium philautiæ declinet, ſolet ſuas laudes tegere, & ſua vitia ſordeſque detegere, ac ſeipſum accuſare: quod dum facit, venit amicus eius, & ſcrutatur eum, ac ſcrutando deprehendens, nihil vel parū in eo reperiri quod culparj poſſit, tantum eum extollit & laudat, quantum ipſe ſe depreſſit & accuſauit.

Auctor verò Catenæ Græc. Græcum ἐλέγχεται, quod Complut. & alij vertunt paſſiuè, *redarguitur* vertēs actiuè (eſt enim vocis mediæ) *redarguit*, carpit, conuitiatur, ſic ex Sept. clara antitheſi vertit, ſicque explicat: *Iuſtus initio ſermonis eſt accuſator ſui:* C *aduerſarius autem & iniuſtus à conuitijs & increpationibus orationem auſpicatur. Qui iuſtè operari orditur, ait, ante omnia ſeipſum accuſat. Aliter. q.d. Impio & iniuſto familiarius eſt conuitia ingerere, calumniaſq; texere, quā ſe accuſare, aut ad frugem ſe conuertere.*

Huc facit dogma S. Aug. in c.6. ad Galat. qui vult corripere proximum, & aliquod illius vitium corrigere, debet illud ipſum primò corripere & corrigere in ſeipſo. Quò facit illud Plutarchi tractat. de Vtilitate ex inimicis capienda: *Quòd ſi, inquit, ad maledicendū proueheris, cura vt quàm longiſſimè abſis ab iis quæ alteri obijcis: excute animum tuū, vide vbi ſis mendoſus; ne tuū tibi vitiū occinat illud tragœdi,*

Alijs mederi vis, ipſe vlceribus ſcatens.

Si illiteratum dicis, ſtudium diſcendi tuum laboremq́; intende: ſi timidum, excita fortitudinem tuam: ſi laſciuum, D *dele ex animo, ſi quod reſtat adhuc diliteſcens libidinis veſtigium. Nihil enim turpius eſt aut moleſtius maledicto in auctorem recidente. Sed ſicut refractum lumen magis lædit imbecilles oculos, ita & maledicta grauiùs offendūt, ab ipſa veritate in maledicentem retorta. Sicut enim Cæcias nubes, ita vitioſa vita opprobria ad ſe trahit. Plato ſanè quoties interfuiſſet hominibus contra deum agentibus, digreſſus ſeipſum ſolebat ita colloqui: Numnam ipſe quoque fortaſſis tali vitio laboro?*

Hinc notat S. Ambroſ. in pſ. 118. octonario 4. ex τῷ *in principio*, hunc eſſe ordinem loquendi, vt confeſſio debeat eſſe prima tum apud Deum, tum apud homines: vnde cùm oramus Deum, oportet vt primo, & ante omnia reos nos faciamus, & cōfiteamur coram eo peccata noſtra; eorumque veniam petamus, ac deinde progrediamur ad alia à Deo beneficia poſtulandum. *Iuſtus eſt*, inquit, *qui ſe, in exordio ſermonis accuſat: iniuſtus autem, qui quod prius negauerat, confitetur. Ille verecundiæ inuenit gratiam, hic notam incurrit impudentiæ. Ita ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, ſerîemq; meritorum.* Idem in pſ. 37. ſub finem loquens de confeſſione Dauidis: *Primò*, inquit, *petit argui: poſtea (quod maius eſt) corripi. Deinde non ſolùm confitetur peccata ſua, ſed etiam numerat & accuſat. Non vult enim latère ſua delicta. Nam vt febres in alto ſitæ non queunt mitigari; cùm foras eruperint, ſpem afferunt deſinendi: ita peccatorum morbus, dum tegitur, inardeſcit: ſi confeſſionibus prodatur, euaporat. Et ideo iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis, priuſquam contagio vlceris ſerpat intrinſecus. Grauat enim conſcientiā memoria delictorum, niſi meditîna poſcatur. Et ſi differt medicus, æger offerre ſe debet, vt citiùs ſecetur: ſicut offerebat ſe Dauid in flagella Domini, dicens: Ego in flagella paratus ſum. Et alibi: Fiat manus tua in me, hoc eſt: redde mihi dupliciа peccata, dummodo his vindices.* Huc facit illud Iſaiæ 43. iuxta Sept. *Dic primùm peccata tua, vt iuſtificeris.*

Porro hæc confeſſio oris debet ex corde ſincero procedere. Vnde Abb. Serapion apud Caſſian. collat. 18. c. 11. quemdam fictè ſe accuſantem, vt haberetur humilis, redarguens: *An fortaſſis*, inquit, *illam dum te humiliabas, expectabas à noſtro ore ſententiam: Iuſtus accuſator ſui eſt in primordio ſermonis? Proinde vera eſt cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, ſed de intima mentis humiliatione deſcendit. Quæ tunc demum euidentiſſimis patientiæ ſuæ fulgebit indicijs, cùm quis nō ipſe de ſe crimina ab alijs non credenda iactauerit, ſed ab alijs ſibimet arroganter ingeſta contempſerit, & irrogatas iniurias manſueta cordis æquanimitate tolerarit.*

Inſuper S. Ambroſ. ſæpiùs citans hæc verba Salomonis, ea applicat pœnitentiæ, qua Iudæi ante inſtitutam à Chriſto confeſſionem Sacramentalem contriti confitebantur peccata Deo, ab eoq; veniam poſtulabant & conſequebantur. Talis enim confeſſio & a culpa, & à pœna liberat, ac dæmonem non ad tormenta repoſcentem facilè refellit ac repellit. Addit S. Ambr. l.2. de Pœnitent. c.8. *Nouit*, inquit, *omnia Dominus: ſed expectat vocem tuam, non vt puniat, ſed vt ignoſcat: nō vult vt inſultet tibi diabolus, & celantem te peccata tua arguat. Præueni accuſatorem tuum: ſi te ipſe accuſaueris, accuſatorem nullum timebis: ſi te detuleris ipſe, & ſi mortuus fueris, reuiuiſces.* Rurſum S. Ambroſ. in pſalm. 35. *Iuſtus*, inquit, *nouit quemadmodum peccatorum ſuorum vincula diſſoluat: nec expectat accuſatorem, ſed præuenit, vt confitendo ſuum, alleuet omne delictum: nec habeat, quod aduerſarius criminetur. Vocem enim eripit aduerſario, & quaſi dentes quoſdam paratos ad prædam criminationis infeſtæ, peccatorum ſuorum confeſſione conſtringit.* Exemplum dat ibidem S. Ambroſ. Euam quæ peccatum confeſſa eſt: *Serpens*, inquit, *decepit me, & comedi*, Geneſ. 3. Vnde ſubdit S. Ambroſ. libr. de Paradiſo cap. 14. *Veniabilis culpa, quàm ſequitur profeſſio delictorum. Ideo non deſperata mulier, quæ non retinuit Deo, ſed magis confeſſā peccatum eſt.* q.d. Pœnam quam præuaricatio induxit, confeſſio abegit. Et ſtatim de Caino addit, illum, quia culpam negauit, vt temporariā pœnam euaderet; remiſſum diabolo, vt ſimul cum eo pœna torqueretur æterna. Noluit Cain ſe accuſare, ne pœnæ, quā timebat, ſubiaceret: *Et ideo*, inquit, *accuſatori diabolo eius accuſatio reſeruata eſt, vt cum angelis flagel-*

flagellatur, qui cum hominibus noluit flagellari. Itaque, qui à confeſſione abſtinet, damnationi ſubiacet: qui verò ſe de ſuâ culpâ accuſat, à ſua pœna excuſat. Vnde D. Ambroſ. l. 2. de Abel & Cain c. 9. *Confeſſio,* inquit, *pœnarum compendium eſt.* Nam etiam æternas pœnas, quas propter tranſgreſſionem meremur, propter confeſſionem euitamus.

Quin & Seneca, Gentilis licet, ep. 28. *Quantum potes,* inquit, *teipſum argue, inquire in te, accuſatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis.*

Inſuper multi hanc gnomen adaptant confeſſioni Sacramentali. Hæc enim iam ex inſtitutione Chriſti veniam & gratiam, quin & ſatisfactionem ac opera meritoria vel in re, vel in voto antecedat oportet. Haſce enim gnomas ſcripſit Salomõ cuiuis ſæculo, ſed pro cuiuſque ſtatu & conditione accommodandas: quare veriores eæ ſunt in lege Chriſti, per eamque perfectiùs adimplentur.

Denique S. Chryſoſt. orat. 5. contra Iudæos vrget τὸ *in principio ſermonis,* &, vt Iſaias ait c. 43. *Dic tu iniquitates prior vt iuſtificeris.* Redarguens enim Cainum, qui non prior, ſed poſtquam redargutus & conuictus eſt à Deo, confeſſus eſt ſuum fratricidium, ideoque peccati veniam non accepit, ſed condemnationem, ſic ait. *Non enim ſimpliciter dixit, Dic tu iniquitates tuas, ſed ait, Dic tu prior iniquitates tuas. Quod quæritur, hoc eſt, non ſimpliciter eſſe dicendas, non expectandam redargutionem accuſantis. Hic autem non dixit prior; ſed expectauit donec redargueretur à Deo, quin potiùs illo redarguente negauit. Poſtquam autem ſemel factum eſt peccatum palàm, tum dixit peccatum, quæ quidem non eſt confeſſio. Proinde tu quoque dilecte, cùm peccaueris ne expectes vt ab alio accuſeris: ſed priùs quàm accuſeris ac deferaris, tu condemna quæ facta ſunt. Nam ſi quis alius deinde te redarguerit, non iam confeſſionis eſt officium, ſed illius qui accuſat correctio. Quapropter & alius quiſpiã inquit: Iuſtus ſui ipſius accuſator eſt in principio ſermonis. Itaque non hoc eſt quod quæritur, vt accuſes teipſum, ſed vt prior teipſum accuſes, nec expectes ab alijs redargutionem. Petrus itaque ob illam nefariam abiurationem, quoniam celeriter ſuum ipſius peccatum recordatus eſt, nulloq; accuſante dixit peccatum, fleuitque amarè, adeò abluit illam abnegationem, vt etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum ſubiecerit.*

Salomonem de more ſecutus Siracides Eccli. 4. 31. *Non confundaris,* inquit, *confiteri peccata tua;* vbi tangit radicem mali, putà confuſionem & pudorem malum, qui impedit homines, eiſque os & fauces claudit, ne peccata confiteantur, ſed ea tegant & excuſent. Verùm hic pudor præpoſterus eſt: peccata enim facere pudendum eſt, at ea confiteri laudabile eſt. Cauſam dat S. Aug. tract. 12. in Ioannem: *Quia,* inquit, *qui confitetur & accuſat peccata ſua, iam cum Deo facit. Accuſat Deus peccata tua & ſi tu accuſes, coniungeris Deo. Quaſi duæ res ſunt, homo & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipſe homo fecit. Dele quod feciſti, vt Deus ſaluet quod fecit. Oportet vt in te oderis opus tuum, vt ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua: initium operum bonorum, confeſſio eſt operum malorum.*

Symbolicè, R. Simeon apud Galatinum l. 7. de Arcanis fidei c. 4. hunc verſum exponit de B. Virgine, quam Hebræi vocant primum iuſtum, imò primum hominem, & omnium hominum matrem, eò quòd ipſa in mente Dei concepta & prædeſtinata fuerit ante Adamum & ceteros homines: Adam verò & homines ceteri per ipſam eiuſque filium Chriſtum. *Iuſtus,* inquit, *primus in lite ſua* (vel *in iudicio ſuo*) *venit amicus eius, & inueſtigauit eum. Senſus eſt, quando veniet Deus ſanctus & benedictus ad iudicandum orbem in die iudicij, totus mundus expaueſcet, & timebit diem illum terribilem, dicentq; : O Dauid rex noſter ora Deum pro nobis, quoniam ex te proceſſit Meſſias. Ipſe autem reſpondebit eis: Propter hoc ipſum quod dicitis, non ſufficio. Nam ex me multi reges prodierunt, qui in multis Deũ offenderunt. Præterea mihi offenſus eſt Deus, propter peccatum Bethſabeæ & Vriæ.* Subdit deinde eos ſimiliter acceſſuros ordine ad Moſen, Iacob, Iſaac & Abraham, ſinguloſque reſponſuros ſe peccati reos, ideoque non ſufficere vt pro alijs in die iudicij intercedant: quare tandem acceſſuros omnes communi conſenſu ad primum hominem, id eſt ad matrem Meſſiæ, ac rogaturos illam, vt ipſa velut omnis peccati expers pro omnibus intercedat. *Iuſtus primus* ergo *in lite ſua.* q. d. *Hic primus homo, quæ eſt mater Meſſiæ, ob quam Meſſias ipſe, ſiue Chriſtus Filius hominis dicitur, iuſtus eſt in lite, quæ ipſa in peccato originali concepta fuiſſe, ab aduerſarijs accuſata eſt. Et venit amicus eius, hoc eſt Deus, & hanc litem inueſtigauit, tulitq; ſententiam dicens: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Quam quidem auctoritatem priſci Hebræorum doctores, ad immaculatæ conceptionis matris Meſſiæ confirmationem adduxiſſe videntur.* Hucuſque R. Simeon.

Vers. 18. CONTRADICTIONES COMPRIMIT SORS, ET INTER POTENTES QVOQVE DIIVDICAT] Hebr. *lites ceſſare facit ſors, & inter potentes diuidit,* ſcilicet litem, putà rem de qua litigatur; Aquila διακωλύσει, Symmach. & Theodot. διακλᾶ, id eſt, *diuidet, diiudicabit*; Chald. *contentiones abrogat ſors, & inter fortes dirimit*; ſic & Syrus. Septuag. vero, *contradictiones ſedat taciturnus, & in potentatibus* (δυναστείαις; ſed meliùs alij legunt δυνάσταις, id eſt dynaſtas, *potentes*) *definit.* Ita Roman. & Complut. Verùm videtur eſſe mendum, vt pro κλῆρος, id eſt *ſors,* ſcriptores vitiosè ſcripſerint σιγηρὸς, id eſt *taciturnus.* Probatur id Primò, quia Hebr. גּוֹרָל *goral,* ſignificat ſortem, non taciturnum, & ita vertunt ceteri omnes. Secundò, quia multi codices Græci legunt κλῆρος, & Origen. hom. 23. in Ioſue: *Contradictiones,* inquit, *cohibet ſors, & inter potentes definit.* Tertiò, quia ita legit auctor Catenæ Græc. ſicq; explicat: *Controuerſias,* inquit, *ſedat ſors, litemque inter potentes natam dirimit. Sors quæ Matthiæ obtigit, obortam de Iudæ Iſcariotæ ſucceſſore controuerſiam ſedauit: & potentibus, nempe Apoſtolis, quẽ eligere deberent, præfiniuit. Sunt qui loco κλῆρος legant σιγηρὸς, vt ſit ſenſus. Lites & contentiones vndecumque exortas hominem patientẽ & taciturnum facilè ſedare: cùm ex aduerſo litem & rixam exacuant, qui litiganti reſponſant & obloquuntur.* Hæc auctor ille.

Senſus huius ſententiæ planus & apertus eſt. q. d. Cùm res de qua litigatur, anceps eſt & dubia, cuius ſit; vel quia ius vtriuſque incertum eſt & dubium, vel quia vtraque pars potentes pro ſe rationes profert, vel alia ſimili de cauſa; tunc non alius lites ſedandi ſuppetit modus, niſi vt eas dirimat & definiat ſors. Vnde R. Salomon notat pro *potentes* heb. eſſe עֲצוּמִים *atſumim,* per quos ipſe accipit potenter litem conferentes, qui ſcilicet validis inter ſe rationibus confligunt, cauſam vtriuſq; ſuam pro viribus confirmantes. Et ſic accipitur hæc vox Iſaiæ 41. 21. Cùm ergo illorũ lites ſint arduæ, robuſtæ

buſtæ & validæ ;hinc potentes appellantur, quos conciliare nemo poteſt niſi ſors. Rurſus עצם *atſum* ſignificat obturare, claudere, Iſaiæ 33.15. *Atſumim* ergo vocantur lites obſcuræ, ideoq; clauſæ, quas nemo aperire & reſoluere poteſt niſi ſors. Vnde ex Hebr. vertas, *qui ſeſe roborant in cōtentione:* Vatabl. *contendentes ſeparat.* Docet ergo mediū ſedandi lites in rebus implexis & dubijs eſſe ſortem, quin & vbi partes cōtendentes ſunt duræ & præfractæ, vt nec rationem, nec iudicem, nec arbitrum admittere velint, recurrendum eſſe ad ſortem, ſi partes eam admittāt. Ratio à priori eſt, quòd, ſicut in rebus certis & manifeſtis dominatur ratio, ſic in incertis, dubijs, obſcuris & fortuitis dominatur ſors & caſus. Quare ſicut illa in conſilijs per rationem decidenda ſunt, vt illa pars præualeat, quæ potioribus nititur rationibus ; ſic hæc per ſortem ſunt definienda : ſunt enim in iure & dominio fortuitorum, quæ ſubiacent ſorti, quibuſq; dominatur ſors, quaſi eorum rex & rector. Sic Ioſue c.15. terram ſanctam diuiſit duodecim tribubus, ſinguliſque earum familijs, per ſortes, itaque omnes Hebræorum lites ſedauit.

Vers.19. FRATER QVI ADIVVATVR A FRATRE, QVASI CIVITAS FIRMA ; ET IVDICIA QVASI VECTES VRBIVM] Pro *qui adiuuatur* hebr. eſt נִפְשָׁע *nipſca*, id eſt præuaricans, deficiens, rebellās. Vnde Aquila vertit, *frater rebellans præ ciuitate fortis;* Chald. *frater qui deficit à fratre, quaſi ciuitas fortis, & clauſa quaſi repagulo forti;* Tigur. *frater ſi perfidè deſeritur (ita fit vehementior) quàm ciuitas fortiſſima, & contentio vt repagulum arcis;* Vatabl. *frater rebellans (contra fratrem) magis quàm ciuitas fortis, & lites (fratrum ſunt) velut vectes palatij.* q.d. *Rebellio fratris durior eſt quàm ciuitatis quæ rebellat contra principem : & lites fratrum ſunt vt vectes, quibus clauduntur fores palatij ; ac ſi dicas : Nihil grauius ſimultatibus & diſſidijs fratrum.* R. Salomon: Frater, inquit, à fratre deficiens eique rebellans, etiam ciuitatem munitiſſimā in ſua defectione perdit. Aben Ezra hunc verſum connectit præcedenti. q. d. Sors diuidit lites etiam grauiſſimas, quales ſunt fratrum, cùm à ſe diſſident : hæ enim ſunt duræ & fortes quaſi vectes vrbium. R. Dauid, *frater læſus durior eſt ciuitate forti, & lites fratrum ſunt quaſi vectis palatij.* Sic & ceteri hebraizantes. Et ſanè hic ſenſus valdè reſpondet Hebræo. Significat ergo lites fratrum eſſe acerbas, & ſæpè irreconciliabiles. Ratio eſt, quòd vehemēs amor læſus conuertatur in vehemens odium, ſicut forte vinum ſi corrumpatur & aceſcat, conuertitur in acre acetum. Vnde Ariſtot. l.7. Polit. c.7. *In prouerbio*, inquit, *dicitur, Fratrum contentiones, & iræ ſunt acerbiſſimæ, & qui nimium amant ſe nimiùm oderunt.* Fratrum ergo iræ ſunt validæ inſtar ciuitatis fortis : tum quia ſicut ciuitas muris & vectibus firmiſſimè roborata, eſt quaſi tormentis inexpugnabilis : ſic & validæ offenſiones fratrum nulla ferè ratione vinci, nullo amore, nullo beneficio expugnari poſſunt : tum quia ſicut ciuitas eſt inexpugnabilis, vbi ciues ſunt robuſti, qui eam fortiſſimè defendunt : ſic vbi fratres inter ſe fortiſſimè certant, odium & inimicitia eorum videtur irreconciliabilis & inexpugnabilis.

Verùm Noſter Hebr. *nipſca*, id eſt, *rebellans*, vertit, *qui adiuuatur*. At quâ ratione, quâ fide ? Contraria enim ſunt rebellare & adiuuare ?

Primò, aliqui ſic hæc conciliant vt dicant fratrem rebellantem hîc dici non reſpectu fratris, ſed reſpectu hoſtium fratris, qui proinde fratris eſt adiutor. q.d. Frater qui pro fratre ſuo contra alios durus & pugnax eſt, hic fratrem communit inſtar ciuitatis munitæ.

Secundò, alij hæc conciliant ſubaudiendo & ſupplendo nonnulla, hoc modo: *Frater deſertus* (à fratre ſcilicet) *ab vrbe fortitudinis* (ſupple, deſeritur) ex quo rectè conſequitur quod vertit Noſter: *Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas fortiſſima.*

Tertiò, faciliùs & planiùs hæc conciliabimus dicendo, Noſtrum legiſſe non נִפְשָׁע *nipſa* per *ſcin*: ſic enim idem eſt quod *rebellans* ; ſed נִפְסָע *nipſca*, per *ſin*, id eſt incedens, inambulans. q.d. Frater cū fratre fraternè incedens & inambulans (ideoq; eum adiuuans & protegens) eſt ei loco ciuitatis firmæ.

Porrò non temerè ſic legiſſe & vertiſſe Noſtrū patet ex Syro, qui pari modo legit & vertit, *frater qui adiuuatur à fratre ſuo, eſt quaſi vrbs firma ;* & Sept. *frater à fratre adiutus, quaſi vrbs munita & excelſa ;* & S. Cyprian. epiſt. 14. *frater fratrem adiuuans exaltabitur ſicut ciuitas magna.* Cauſam ſubdit : *Videlicet quòd munimentum animæ dimicanti fraterna compaſſio ferat, varijſque mentis afflictæ pulſibus quaſi murus obſiſtat.*

Porrò R. Leui, licet *nipſca* per *ſchin* legat, vertatq; *offenſus, læſus* : tamen ad ſenſum iam datum ſic illud accommodat, ſicq; explicat : *Licet frater fratris defectione petitus & offenſus ſit, eſt tamen illi vtilior quàm vrbs munita, opportuno neceſſitatis tempore opem ferens, fratremq; ſeruans: neque verò tunc illi defectionis crimen obijciet, cùm eâdem corporis concretione vterque conſtet.*

Eſt igitur frater fratrem adiuuans illi pro vrbe (Hebr. *præ vrbe*, id eſt potior & validior vrbe) ſiue loco vrbis munitæ : tum quia ſicut vrbs munita incolas tuetur ab omni hoſtiū incurſu, ſic & frater fratrem à quibuſuis aduerſis defendit ac protegit : tum, quia ſicut ciues in vrbe munita inuicem ſe communiunt, ac communibus viribus vrbem propugnant, ab eaque hoſtes propellunt : ſic pariter fratres ſe mutuo adiuuantes communibus armis & copijs ſe inuicem tuentur, & aduerſarios propulſant, vti fecere fratres Machabæi, Iudas, Ionathas & Simon, qui proinde inuicti ingentes Antiochi exercitus vicerunt.

Significat ergo hæc gnome, paucos fratres vnitos eſſe inſtar ciuitatis firmę, ac æquiualere multis ciuibus vrbem propugnantibus : quod enim in vrbe facit multitudo ciuiū, hoc in familia facit vnio & amor intimus fratrum : quo fit vt pauci fratres cōcordes multis ciuibus æquiualeant, imò ex vna familia fratrum robuſta oriatur ciuitas, adeoque gens & regnū, vti patuit in duodecim Patriarchis filijs Iacob, qui regnum Iſrael conſtituerunt. Vice verſa innuit hæc gnome, ciues in ciuitate eſſe id quod ſunt fratres in familia ; ac proinde ſicut fratres vniti familiam tuentur, ſic ciues cōcordes vrbem tutari, eamque reddere inexpugnabilem. Vnde Lycurgus fundator Spartæ, vice mœnium, eam concordia ciuium communiuit. Quocirca Ageſilaus rex Spartæ rogatus à quodā, cur Sparta mœnibus nō cingeretur ? oſtendit eis ciues armatos & vnanimes : *Hi*, inquiēs, *ſunt Spartanæ ciuitatis mœnia ;* ſignificans, vrbes nullo munimento tutiores eſſe, quàm virtute ciuium conſentientiū. Ita Plutarch. in Apoht. Laconicis. Rurſum Lacedæmonij cùm periclitarentur, ac de ciuitate mœnibus cingenda cōſultarent, Aſæus ſophiſta recitauit illud Homeri:

Concordia vis quanta ſit

Sup-

Scutum habet ſcuto, galea galea, atque viro vir.
Addiditque: *Sic mihi ſtate Lacedæmonij, & muris cincti ſumus.* Ita Philoſtratus in Sophiſtis.

Huc facit prouerbium Abraham: *Excute mihi ignem, & ego tibi collucebo*, id eſt, eſto mihi, ero tibi: adiuua me, ego viciſſim ero tibi adiutor.

Gnomen hanc Salomonis illuſtrat exemplum Sciluri apud Plutarch. in Apophth. Regum: Scilurus, inquit, octoginta liberos maſculos habens, cùm eſſet moriturus, faſciculum iaculorum ſingulis porrexit, iuſſitque rumpere. Id cùm ſinguli recuſaſſent, eò quòd videretur impoſſibile, ipſe ſingula iacula eximit, atque ita facilè confregit omnia, filios admonens his verbis: *Si concordes eritis, validi inuictiq; manebitis: contrà, ſi diſſidijs aut ſeditione diſtrahamini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles.* Non potuit Scytha magis ſcythicè rem ob oculos ponere.

Simile de Micipſa rege refert Salluſtius in Iugurth. Micipſa, inquit, iam iam moriturus filios ſuos paterno monet affectu, vt concordes ſint, aureis ſemper literis ſcribendam ſententiam addens: *Concordia enim paruæ res creſcunt, diſcordia autem maximæ dilabuntur.*

Seuerus Romanorum Imp. in grauiſſimum morbum incidens, poſteaquam vitæ ſuæ finem inſtare animaduertit, ad ſe vocauit Marcum Antoninum & Getam filios, à quibus quid vellet percontatus: *Facite*, inquit, *vt conueniatis inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Sciebat enim, filios regni cupidiſſimos poſt mortem de ſucceſſione diſceptaturos: & niſi militum animos pecunia flecterent, penitus interituros eſſe. Ita Dion, Nicæus, & Xiphilinus in Vita Seueri.

Denique huius ſententiæ veritas liquet in Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis primitiuæ Eccleſiæ, qui orbi fuere inexpugnabiles, imò totum orbem expugnarunt, Chriſtoq; ſubiecerunt. Ex aduerſo olim Arrius, Neſtorius, Pelagius, &c. & nunc Lutherus, Caluinus, cæteriq; hæretici fideles fratres ſuos impugnantes, Eccleſiã lacerarunt, ac Turcis aditum ad occupandam Hungariam, aliaſq; prouincias præbuerunt: Turcæ enim ſemper creuerunt & creſcunt per diſſidia Chriſtianorũ, quæ ſuſcitant hæretici. Ita auctor Catenæ Græc. qui ſic vertit ſicq; explicat: *Frater à fratre adiutus eſt inſtar munitæ præcelſæq; ciuitatis. Idem rurſum veluti regnum bene fundatum, robuſtus & potens eſt. Conſentientes inter ſe Chriſti diſcipuli & fratres erant, & tamquam regnum mille propugnaculis præſidijſq; munitum, validi fortesq; erant. Paucis, alter ab altero bona fide adiutus, inexpugnabilis euadit.*

Idipſum experimur in Religionibus & cœnobijs reformatis, in quibus viget diſciplina, humilitas & charitas. Hæ enim omnibus æmulis & inimicis, quin & dæmonibus ſunt fortiores per Religioſorum concordiam & conſpirationem. Vnde S. Baſilius præferens vitam cœnobiticam quaſi fraternam vitæ eremiticæ & ſolitariæ hanc dat cauſam Conſtit. monaſt. c. 19. *Si quidem perfectiſſimam ego illam vitæ communionẽ appello, à qua omnis propria & priuata rei cuiuſlibet poſſeſſio excluſa eſt, & à qua omnis abeſt diſſenſio, omnis perturbatio & rixa: contrà verò vbi omnia communia, animi, mentes, corpora, eaq; quibus neceſſariò ad cultum & victũ vtimur: communis Deus, communis pietatis mercatura, communis ſalus, cõmunia certamina, communes labores, cõmunia præmia, & certaminũ coronæ, vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus. Huic vitæ inſtituto quid eſt tandem, quod iure æquiparari poſſit? quid beatius dici, quid hac cõiunctione, vnitate & neceſſitudine aptius excogitari? quid elegantius fingi mutua inter ſe morum animorumq; contemperatione? Homines ex diuerſis nationibus ac regionibus profectos per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinẽ adeò velut in vnum coaluiſſe, vt in pluribus corporibus vnus tantùm animus ineſſe videatur, viciſſimq; plura corpora vnius mentis inſtrumenta cernantur. In his qui infirma corporis valetudine eſt, complurium animos infirmitatis ſuæ participes habet: qui verò animo æger eſt, ei complures præſtò ſunt, à quibus curetur, & à quibus aſſiduè erigatur.* Plura vide apud noſtrum Hier. Platum l. 1. de Bono ſtatus Relig. c. 26. & 27.

Religioſa communitas bona.

Huc faciunt Philoſophorũ gnomæ. Antiſthenes dicebat, fratres qui eſſent concordes, omni pariete eſſe fortiores. Quintilianus, declamat. 321. *Quid eſt*, inquit, *aliud fraternitas quàm diuiſus ſpiritus?* P. Nigidius apud Gellium l. 12. cap. 10. *Frater*, inquit, *dicitur quaſi ferè alter.* Plato l. 2. de Repub. recitat adagium vetus: *Frater viro adeſto*, de fido auxilio dici ſolitum; quoniam in rebus periculoſis vix vnquam frater ſolet deeſſe fratri.

Frater quaſi ferè alter.

ET IVDICIA QVASI VECTES VRBIVM] Lyran. Baynus, Ianſen. & alij per *iudicia* accipiunt decreta. q. d. Fratrum decreta communi fratrum cõſenſu ſtatuta, ſunt valida quaſi vectes vrbiũ, ideoque difficilè infringi poſſunt: quia fratres communibus animis armiſq; ea tuentur, & propugnant. Poteſt enim, inquit Ianſenius, quod dicitur de iudicijs, accipi de æquitate iudiciorum & ſententiarum, quæ firmum efficit ſtatum reipubl. Vt tota hæc ſententia ſignificet ciuitatem ſtabiliri rebus duabus, ſcilicet ciuium concordia, & æquitate iudiciorum.

Verùm, quia Heb. מדינים *midianim* non ſignificat ſententias & decreta, ſed lites & contentiones, hinc eaſdem à Noſtro vocari iudicia verius eſt. Sic enim S. Paulus ait 1. Corinth. 6. v. 7. *Iam quidem omnino delictũ eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos*, hoc eſt, lites & contentiones. In hiſce enim ſolent litigantes ad iudicium prouocare, & coram iudice contendere. Vnde noſter Salazar ſic exponit. q. d. Fratrum concordia adinſtar eſt vrbis munitiſſimæ & fortiſſimæ. *Iudicia* verò, hoc eſt, lites & diſſidia fratrum, *quaſi vectes vrbium*: *vectes* quidem accipio pro foribus, id eſt quaſi vrbes recluſis foribus adapertæ atq; hoſtibus peruiæ. q. d. Vbi frater fratri bellum mouere, & ab inuicem diſſidere incipiunt, vice verſa ſimiles ſunt vrbibus, quæ recluſis vectibus hoſtibus liberum aditum præſtant. Itaque vectes ſeu repagula in hoc loco, quæ claudendi & aperiendi inſtrumenta ſunt, non ad claudendum, ſed ad reſerandum referenda puto. Hæc Salazar.

Verùm *vectes vrbium* ſolent notare robur vrbium: hoc autem robur præſtant vrbes, non cùm reſerantur, ſed cùm claudũtur & obſerantur. Vnde Chald. vertit, *& clauſa quaſi repagulo fortis*; & Septuag. μεμοχλευμένον (ita Roman. licet Complut. legant, τεθεμελιωμένον, id eſt *fundatum*) id eſt *tamquam clauſum vecte regnum*; Aquila, *& his tamquam vectis palatij*. Sic & cæteri. Sẽſus ergo eſt. q. d. Frater, fratrem adiuuans, id eſt concordia fratrũ eſt fortis & inuincibilis inſtar ciuitatis validæ & munitæ: ſimiliter diſcordiæ, lites & contentiones fratrum, præſertim publicæ & forenſes, ſunt fortes, irreconciliabiles & inexpugnabiles inſtar vectium, quibus palatia

palatia & vrbes clauduntur: ſicut enim vectibus vrbes obſerantur, ſic diſcordia, lis & contentio quaſi vectes obſerant animos fratrum, vt nullum reconciliationi dent aditum, nullum alloquio, amori & beneuolentiæ præbeant acceſſum.

Cur odia fratrum acerba? Ratio prima. Ratio eſt duplex. Prior, quam initio dedi, quòd amor ſummus, qualis eſt fratrum, ſi irritetur, vertatur in odium ſummum & pertinax: ſicut optimũ vinum vertitur in fortiſſimum acetum. *Secunda.* Poſterior, quòd iniuria à fratre illata videatur eſſe acerbior: à fratre enim, vtpote coniunctiſſimo, ſumma homines expectant, & ſumma ſibi deberi beneficia cenſent: quare ſi pro beneficijs maleficia recipiãt, grauem & acerbam putant ſibi inferri iniuriam. Sic fratres Ioſeph videntes eum plus ceteris amari à patre Iacobo, eum ſummo odio vſque ad necem proſecuti ſunt. Sic Eſau odium in Iacob ad poſteros propagauit. Vnde perpetui ſummiq; fuere hoſtes Idumæi & Iudæi. Vide dicta Amos 1. v. 11.

B Denique ſicut recentiores totam hanc gnomen referunt ad diſcordiam & contentiones fratrum: ſic ex aduerſo Chald. & Sept. totam eam referunt ad concordiam fratrum, eiuſque vim & robur declarant. Noſter verò media via incedit, ac prius hemiſtichiũ ad concordiæ, poſterius ad diſcordiæ fratrum robur refert. Sept. ergo ſic habent, *frater à fratre adiutus quaſi vrbs munita & excelſa: inualeſcit autem tamquam fundatum regnum*; vel, vt habet S. Ephrem tract. de Reprehenſ. ſui: *nam fundati regni inſtar eſt, & potens*. q. d. Concordia & conſpiratio fratrum eſt valida & inexpugnabilis inſtar ciuitatis munitæ & excelſæ, quæ ſcilicet validis excelſiſque muris & turribus circumuallatur: hanc enim celſitudinẽ fratribus præſtat ſublimitas cognationis: poſt parentes enim ſummus coniunctionis & cõſanguinitatis gradus eſt fraternitas, ſiue fratrum C nexus & copula, quinimò concordia hęc & amor fratrum increſcit & inualeſcit, vt non tantùm inſtar ciuitatis vnius, ſed inſtar regni totius fundati & validi potens & ampla euadat, vt non ſolùm aliorum vim repellere, ſed & eos inuadere ac ſubiugare poſſit. Sic Romulus & Remus fratres inter ſe conſpirantes multos ſibi conciliarunt, alios vi & armis ſubegerunt, ac vrbem Romam ædificarunt, populumq; Romanum adunarunt, atque in ea regnum Italiæ, imò imperium orbis conſtituerunt. Significat ergo hæc gnome, concordiam inter fratres ſtudioſè eſſe conſeruandam, &, ſi qua inter eos controuerſia incidat, cauendum à forenſibus contentionibus, quæ odia acuere, imò immortalia reddere ſolent, ac ſorte potiùs, vt dixit v. præced. controuerſiam eſſe dirimendam.

D *Scyrus lapis mirus.* Moraliter hîc diſce, quantum boni afferat concordia, & quantum mali diſcordia. Scyrus lapis qui in inſula Scyro naſcitur, mirum id habet, vt integer enatet, comminutus mergatur, ait Plin. l. 36. c. 17. Ita concors & coniuncta ſtat ſocietas, quæ diſcors & diuiſa diſſipatur. Nam

Defendit numerus, iunctæq; vmbone phalanges.

Commune periculum concordia propulſandum, ait Tacitus. Aureè Lucan. lib. 4.

Æterno complectitur omnia nexu,
Tot rerum mixtiq; ſalus concordia mundi,
Et ſacer orbis amor.

Allegor. Beda: *Cùm populus, inquit, vterque, Iudæorũ, ſcilicet & Gentiũ, fraternâ ſibi in Chriſto charitate conſentit, vnam iam Catholicæ Eccleſiæ ciuitatem conſtruit: & ſicut vectes vrbium portas muniunt, ita dogmata v-* A *triuſque teſtamenti, Eccleſias per orbem, quæ vnam Catholicam faciunt, ab infidelium incurſione defendunt.*

Tropolog. Hugo, Duo fratres inquit, ſunt ratio & appetitus, ſiue intellectus & voluntas: hi ſi inter ſe congruè conſentiant, vt ſcilicet minor maiori, putà appetitus rationi, vt voluntas intellectui cõcordet, ſeque ſubijciat, validi ſunt inſtar ciuitatis munitæ: ſin diſcordent, & voluntas intellectui rebellet, oritur diſſidium & ſchiſma internecinum, quod vtrumque vaſtat & perdit.

DE FRVCTV ORIS VIRI REPLEBITVR VENTER EIVS, ET GENIMINA LABIORVM IPSIVS SATVRABVNT EVM] Hebr. *de prouentu labiorum ſuorum ſaturabitur. Genimina* ergo ſunt prouentus labiorum, ſiue fructus oris, qui eſt duplex. Primus & proximus oris fructus, ſunt verba & ſermones, tam boni quàm mali. Secundus & remotus, ſunt commoda & damna, quæ afferunt ſermones boni & mali: B hiſce enim quiſque paſcitur & ſaturatur; bonis quidem & commodis quaſi melle; malis verò & damnis quaſi felle & abſinthio, quod ipſe ſibi ſeminauit. Caiet. hæc refert ad eos qui loquendo victum parant, imò quæſtũ faciunt; horum enim os ſatiat ventrem, quales ſunt cauſidici, rhetores, doctores, concionatores. Meliùs R. Leui hæc refert ad verba blanda & dura. q. d. Qui blando molliq; ſermone vtitur, reſponſis ſuis alterius iram delinit, fructuq; ſermonis non caret, cùm malum à ſe arceat: qui verò durata & acerba loquitur, iram ciet, citoque ingruente pernicie plectitur. Vers. 20.

Optimè & pleniſſimè hæc generatim accipias de quibuſlibet ſermonibus, ſiue bonis, ſiue malis. q. d. Sermones cauſant homini bonum vel malũ, gaudium vel mœrorem, præmium vel ſupplicium. Si enim quis benè, beneuolè & prudenter loqua-C tur, omnes homines, angelos & Deum ipſum ſibi conciliabit: ſin malè, imprudenter, mordaciter, omnes irritabit, à quibus proinde vapulabit. Vnde explicans ſubdit: *Mors & vita in manu linguæ. ventrẽ* metaphoricè vocat intima hominis, qualia ſunt mens & conſcientia. Hæc enim de benè dictis laudata & præmio affecta gaudet, de malè dictis culpata & afflicta cruciatur, dolet & gemit. Hic verſus conſonat cum v. 14. c. 12. *De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis*; & cum v. 2. c. 13. *De fructu oris ſui homo ſatiabitur bonis.* Vide ibi dicta.

Myſticè, auctor Catenæ Græc. Sermonibus, inquit, ſpiritualibus animæ receptaculum impletur, quandoquidem cùm externi ſenſileſq; ſermones, animæ ventrem implere non queant, ſupereſt vt ſpiritualibus alimentis vaſculum illud impleatur: D implet autem ventrem ſuum non homo ſimpliciter, ſed vir. Hæc ille.

MORS ET VITA IN MANV LINGVÆ: QVI DILIGVNT (Septuag. *qui continent*) EAM, COMEDENT FRVCTVS EIVS] Aben Ezra hæc refert ad verſum præcedentem: *De fructu oris viri replebitur venter eius*. q. d. Si quis malè loquatur, mors ei continget: ſin autem rectè, vitę compos fiet. *Mortem & vitam* accipe tam naturæ, quàm gratiæ & gloriæ, tam præſentem, quàm æternam. Hæretici enim, vt Arrius, Lutherus, Caluinus, tam ſe quàm multa diſcipulorum millia, ſuâ prauâ doctrinâ ad mortem æternam in gehennam tranſmiſerunt, vice verſâ Apoſtoli, viriq; Apoſtolici, & ſancti doctores, prædicatores, confeſſarij ſuis igneis linguis tam ſibi, quàm ſuis omnibus, vitam gratiæ & gloriæ conciliant. Vers. 21.

Alludit

Lingua eſt vltimum viuens & primum moriens.

Alludit ad naturam linguæ: hæc enim in embryone vltima animatur, & moriente homine prima vitâ deſtituitur & emoritur, teſte Ariſtotele & Plinio. Simili enim modo euenit in ethica linguę, nimirum in vita ſpirituali virtutum linguæ perfectio vltimò acquiritur, tamquam complementum perfectionis, iuxta illud Iacobi 3. *Si quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir:* vice verſa mors animæ communiter à vitio linguę exordium capit. Audi Plinium lib. 11. 37. *Os*, ait, *primùm mori traduntur, cor nouiſſimè.* Sicut enim cor in animali eſt primum viuens, & vltimum moriens: ſic vice verſa lingua eſt vltimum viuens, & primum moriens: quare ſicut vita à corde, ita mors ab ore & lingua incipit. *Euenit namque omnibus, vt quod vltimum fit, hoc primum deficiat; & quod primum, id vltimum, quaſi natura decurſionem reducem agat, & à calce ad carceres vnde prorruit, redeat*, ait Ariſt. lib. 2. de Gener. animal. cap. 4. ſic & Plinius li. 11. cap. 37. Simili modo in diſſolutione domus tectum quod vltimò factum eſt, primò diſſoluitur, deinde parietes & cetera vſque ad fundamenta. Hic enim naturalis eſt ordo reſolutionis. Simili modo fit in moralibus. Vnde S. Chryſoſt. in pſal. 140. *Mortis*, inquit, *vnicum ferè oſtium lingua eſt.* Hac ergo de cauſa mors & vita dicuntur eſſe *in manu linguæ:* quia linguæ eſt vitam tueri, vel morti oſtium patens & amplum aperire. Nam ſicut in generatione hominis cor primò, lingua vltimò perficitur: ſic in ſpirituali regeneratione cor & voluntas primò, lingua vltimò ad virtutem formatur & perficitur. Et ſicut in homine cor nouiſſimè, lingua primò emoritur: ita etiam animi mors ab ore & lingua ferè incipit, ac voluntate deſinit. Iam

Quæritur Primò, cuius mors & vita ſit in manu linguæ, an loquentis, an audientis, an tertij de quo loquitur?

Primò, S. Bernard. omnes hoſce tres intelligit cum aſſerit, linguam detractoris tres occidere ictu vno, ſcilicet loquentem, audientem, & tertium cuius famæ detrahitur. Audi eum ſerm. de triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis. *Numquid non viperea eſt lingua iſta* (detractoris?) *Ferociſſima planè, nimirum, quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Numquid non lancea eſt iſta lingua? Profectò & acutiſſima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps, eſt lingua detractoris. Nec verò eiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus & membrum de membro, nec iam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit: ſeu etiam clauis ferreis, quos ſanctiſſimis manibus illius & pedibus conſummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Niſi enim huius, quod nunc pungitur & transfoditur, corporis ſui vitam illius vitæ corporis prætuliſſet, numquam illud pro iſto mortis iniuriæ, crucis ignominiæ tradidiſſet.* Vnde adhortando concludit: *Sanè propterea maiorem ei diligentiam, & diligentiorem cuſtodiam commenis exhibere, quòd ſit iuxta Scripturam mors & vita in manibus linguæ. Alioquin ſi ſola ineſſet vita, nec circumciſio quidem ei, ſed ſola mors, etiam abſciſſio deberetur. Nunc verò ponenda nobis ori noſtro cuſtodia, & oſtium circumſtantiæ labijs, vt nec vitalem ædificationem clauſura damnet æterna, nec lethalis perniciès liberum ſortiatur egreſſum.*

Laërtius lib. 5. cap. 1. narrat Ariſtotelem repre- A hendiſſe Calliſthenem, coram Alexandro multa indecenter & liberiùs loquentem, recitando illud Homeri: *Talia ſi loqueris non multo tempore viues.* Et verus fuit vates: nam Calliſthenes ab Alexandro occiſus eſt. Idem lib. 1. cap. 9. narrat Anacharſin interrogatum, quid in homine eſſet optimum & quid peſſimum, reſpondiſſe linguam: hac enim ſi bene vtaris, vitam; ſi malè, mortem tibi alijſque accerſes. Huc facit prouerbium Arabicum: *Caue vt lingua ferias collum tuum:* multos enim perdit intemperantia linguæ. Denique Bias Amaſi regi poſcenti è victima partem optimam & peſſimam, protinus miſit linguam, quòd illa plurimum afferat commodi vel damni, teſte Plutarc. in Conuiuio ſeptem ſapientum.

Secundò, alij accipiunt mortem & vitam, actiuam loquentis, & paſſiuam audientis. Lingua enim doctoris, conſiliarij, ſuaſoris conciliat vitam B præſentem & æternam audienti, ſi bona & ſalutaria cum doceat, conſulat & ſuadeat; mortem verò, ſi praua. Vnde Vatablus explicat. q. d. *Lingua poteſt interficere ſermone ſuo, poteſt & ſeruare.* Huc facit expoſitio Hugonis, qui ſic partim literaliter, partim myſticè explicat. q. d. Lingua detractoris, calumniatoris, falſi teſtis, &c. mortem infert loquenti; vitam verò ei qui patienter eius calumnias, iniurias & falſa teſtimonia ſuſtinet: auget enim eius patientiam & merita, quin & ſubinde vitium eius ſanat. Affert Plutarch. in Moral. exemplum cuiuſdam qui Prometheum volens trucidare, enſe aperuit apoſtema eius lethiferum, itaque ei ſanitatem & vitam pro morte præter intentionem reſtituit: *Ita ſæpè*, inquit, *conuitium per iracundiam coniectum ab inimico, vitium animi vel ignotum nobis, vel neglectum ſanat: & eius qui mortem inferre volebat, plaga vitam affert.*

C Tertiò, alij paſſim accipiunt mortem & vitam loquentis. q. d. Loquens ſi bene & prudenter loquatur, ſibi vitam; ſin malè & imprudenter, non rarò ſibi ipſi mortem conciliat. Et hoc directè videtur intendere Salomon: explicat enim & inculcat id quod dixit v. præced. *De fructu oris viri replebitur venter eius: & genimina labiorum ipſius ſaturabunt eum.* Conſequenter tamen & à pari, vel ſimili, mortem & vitam audientium, & eorum de quibus eſt ſermo, intellige, vti dixi ex S. Bernardo. Præclarè S. Chryſoſt. homil. 4. ad baptizandos tom. 5. *Media*, inquit, *vtriuſque partis lingua eſt, &, ſi vtriuſque eſt, tu dominus es. Nam & gladius in medio poſitus, ſi quidem fuerit aduerſus hoſtes arreptus, ſalutaris accipienti reperitur: ſi verò tenentis viſceribus inferatur, mortem præparat inferenti: non quia talis ferri* D *natura, ſed quia vtentis tale conſilium eſt: ita & lingua æſtimetur gladius in medio poſitus. Armetur aduerſus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et hanc linguæ qualitatem Dominus exponens ait: Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Quia ſi fons iſte ſermonum, puram aquam ſanctorum verborum ſcaturierit, ad loquentis iuſtificationem confert; ſi verò ex illa aqua fœtida prauorum verborum eruperit, ad eiuſdem damnationem conducet.*

Hinc de S. Franciſco ita ſcribit Bonauent. c. 5. Vitæ eius: *Euangelicum volebat à fratribus obſeruari ſilentium, vt videlicet ab omni otioſo verbo omni tempore abſtinerent ſollicitè, tamquam reddituri in die iudicij de huiuſmodi rationem. Sed & ſi quem inueniſſet fratrem verbis aſſuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modeſtam, & puri cordis affirmans cuſtodiam, & non*

modicam eſſe virtutem, pro eo quod mors & vita ferè dicuntur in manibus linguæ, nō tam ratione guſtus, quàm ratione loquelæ.

Manus linguæ, quæ. Quæres ſecundò, quæ ſit *manus linguæ*, continens in ſe mortem & vitam.

Reſp. Primò. Primò, Salonius per *manum linguæ* ipſos ſermones accipit: quoniam vnuſquiſque, inquit, ex verbis ſuis condemnabitur, aut ex verbis ſuis iuſtificabitur. *Cur*, inquit, *dicitur habere manus lingua, cùm manus habere non poſſit?* Reſpon. *Metaphoricè dictum eſt, id eſt per translationem, quemadmodum venti dicuntur habere pennas. Manus enim linguæ ipſa verba ſunt; quibus aut benè loquendo meretur vitam, aut malè loquendo meretur mortem. Aliter, per Manus ſæpè in Scripturis ſacris opera deſignantur, vt illud: Labores manuum tuarum quia manducabis. In manibus linguæ dicit, id eſt, in operibus. Opera enim linguæ ſunt colloquia bona vel mala, ex quibus mors naſcitur aut vita.*

Secundò. Secundò, alij per *manum* accipiunt periculum, q.d. Mors & vita eſt in manibus linguę, id eſt periclitatur in lingua, adeò fragili, volubili & labili: Simili enim phraſi ait Pſaltes pſ. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper.* q.d. Anima, id eſt vita mea, in ſummo verſatur diſcrimine, perinde ac ſi eam manu geſtarem, cuiuis obuio, etiam hoſti, eam petenti offerendam, vt eam ad libitum mihi auferat & adimat. Vnde Chald. vertit, *anima mea periclitatur, ac ſi in ſuperficie manus meæ eſſet.* Et Iephte ait Iudic. 12. 3. *Poſui animam meam in manibus meis*, id eſt vitam meam certo periculo, vt mihi auferretur, expoſui. Sic hîc vita & mors dicuntur eſſe in manu linguæ, vt, quoties illa ſe mouet & voluitur, vita & mors in ea volui & periclitari videantur.

Tertiò. Tertiò, propriè & genuinè auctor Catenæ Græc. Rabbini, vt paſſim Latini & Græci, per manum accipiunt ius, facultatem & poteſtatem. q.d. In poteſtate & arbitrio linguæ eſt, ſibi alijſque vel vitam vel mortem, prout illi libuerit, afferre: quare tanta eſt linguæ dictio ius & poteſtas, vt pro libito mortem vel vitam non tantùm ſibi, ſed & alijs irroget. Lingua ergo habet quaſi vitæ necisque in omnes imperium. Ita videmus duas teſtium linguas in iudicio vel abſoluere vel damnare reū, itaque illi vel vitam vel mortem inferre. Hoc eſt linguæ regnum, amplum vtique & vaſtum. Vnde auctor Catenæ Græc. vertit, *mors & vita in manu & poteſtate linguæ ſunt ſita: quotquot dominantur illius, fructus eius comedent.*

Symbolicè, Hugo per *manum linguæ* accipit operationem, & opera linguæ, id eſt verbis reſpondentia: *Mors & vita in manu linguæ: In ſermonis*, inquit, *operatione mors dæmonum, & vita fidelium: nam ſi prædicatores manum ori adiungerent, id eſt facerent quod docerent; peccatores iam emortui rediuiui exurgerent, & dæmones ex aduerſo velut emorſus tabeſcerent.*

Qvi diligvnt eam, comedent frvctvs eivs] Primò, Vatabl. hæc de lingua tam mala, quàm bona, accipit. q. d. Linguaces qui amant gaudentque garrire, ac procliues ſunt ad loquendum, hi edere ſolent fructus ex ſermone vel bono, vel malo manantes, vti dixi v. præced.

Meliùs alij hanc partem arctant ad linguam bonam. q.d. Qui diligunt ſe, ſuamque linguam, ideoque eius volubilitatem frænant, ac ſermones ſuos prudenter moderantur, hi *comedent fructus eius*, id eſt bonæ & prudentis ſuę elocutionis copioſum fructum & præmia referent. Vnde Septuag. vertunt, κρατοῦντες, id eſt *qui continent, coërcent, dominantur linguæ ſuæ fructibus eius veſcentur.* Et R. Salomon ſic explicat: *Qui linguam ſuam amat, diuiniſq; laudibus aſſueſcit, illius fructibus veſcitur, dum adhuc vitæ carcere cohibetur.* Quiſquis enim de Deo loquitur, ſanctitatem & vitam, imò diuinitatem alijs inhalat, iuxta illud S. Dionyſij de Cæleſti hierarch. cap. 2. ad Timoth. *Tu autem, ô fili, diuina, dicendo diuinus effuere*, & alios diuinos effice.

Vers. 22. Qvi invenit mvlierem bonam, invenit bonvm et havriet ivcvnditatem a Domino] Hebr. *& educet à Domino beneplacitum* vel *beneuolentiam*; Aquila, Syrus & Theodot. εὐδοκίαν, id eſt *gratiam, beneplacitum*; Septuag. *qui inuenit mulierem bonam, inuenit* χάριτας, id eſt *gratias, & accepit à Deo hilaritatem*; Chald. *qui inuenit mulierem, inuenit bonum, & ſuſcipit voluntatem ſuam à Deo.* Tò *bonam* non eſt in Hebræo, ſed ſubintelligitur; includitur enim in voce אשה *iſſcha*, id eſt mulier, ſiue vxor non quælibet, ſed virilis, ſiue virago: ab איש *iſ*, enim, id eſt vir, dicitur אשה *iſſcha*, quaſi vira ſeu virago, Geneſ. 2. 23. Vnde Scholiaſt. vertit, *qui inuenit vxorem virilem*, qualem deſcribit Salomō cap. 31. Bona ergo mulier hîc vocatur non tantùm caſta, fida, manſueta & obediens, ſed & *virilis*, id eſt ſedula, ſtrenua, induſtria in alenda & regenda familia.

Verbum *inuenit* ſignificat rem raram eſſe mulierem bonam, purã viraginem, ac proinde magno ſtudio & cura veſtigandam. Multi enim quærunt vxorem pulchram, alij nobilem, alij opulentam, pauci bonam & virilem, quod tamen præcipuè quærendum eſt, & paucis obtingit. Mulier enim natura ſua fragilis eſt, cupida, pigra, dicax, procax, fallax, maligna, adeò vt Eccleſiaſtic. cap. 25. 26. dicat, *Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris.* Celebre eſt illud Socratis dicentis, tria ſe mala aſſecutum, Grammaticam, paupertatem & pernicioſam vxorem: duo priora ſe iam effugiſſe, tertium effugere non poſſe. ita Antonius in Meliſſa parte 2. ſer. 34. Et illud Menandri: *Vxor eſt malum neceſſarium.* Secundò, *tò inuenit* notat fortuitum quid eſſe vxorem bonam: quę enim certo conſilio nanciſcimur, dicimur ſumere vel accipere; quæ verò fortuitò obueniunt, inuenire: prǽſertim quia mulieres omnes antequam in vxores ducantur, oſtendunt ſe bonas, generoſas & amabiles, teguntque ſuas iras, cupiditates, otia & vitia: at, poſtquam ductæ ſunt ea exerunt. Quare ſi quis in bonam incidat, fortunam bonam nactus eſt. Tertiò, *tò inuenit* innuit bonam mulierem eſſe ſortem bonam, quam Deus pro libito dat cui vult: Deus enim cuique ſuam ſortem & fortunam diſpenſat & admetitur. Quare à Deo cuique vxorem ducere volenti, ſortem hanc bonam aſſiduè poſtulandam eſſe. Nam vt ait Eccleſiaſt. c. 26. 3. *Pars bona mulier bona: in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis.*

Nota, *tò inuenit bonum*, ſcilicet ſingulare, rarum & eximium: bona enim mulier pacem, amorem & fidem colit cum marito, familiam prouidè & frugaliter adminiſtrat, proles honeſtè probeque educat, adeoq; ab ipſa pendet familiæ totius concordia proſperitas & ſalus Vnde Septuag. vertunt, *inuenit charites*, id eſt *gratias* hoc eſt copiam gratiarum. vnde Homerus, teſte Seneca lib. 1. de Benef. cap. 3. Charitem vnam coniugio copulauit, quaſi coniugio præſidentem, eamq; vocauit *Paſithean*, id eſt omnem deam, quòd omnium deorum & dearum dona confluant in matrimonium, vbi vir

bonus

bonus & vxor bona in vnum conſpirant. Rurſum *inuenit Charites*, quas Gentiles dixerunt eſſe tres & Horarum ſorores, quòd tres temporis differentias complectantur, nimirum bona vxor ſtabilem affert marito gratiam & amorem, qui nullo tempore vel caſu langueſcit, ſed tempore durat & feruet. Porrò auctor Catenæ Græc. *Gratias hic vocat*, inquit, *progreſſus, quos facit, bonaſq́; familiæ quam curat actiones.* Gratiæ ergo quas in familiam inducit bona vxor, ſunt incrementa opum, annonæ, pacis, concordię, probitatis & virtutum omnium, adeóque omnis lętitiæ & iucũditatis. Vnde rectè dixit Plutarch. gratiã eſſe matrem iucunditatis. Exempla mulierum bonarum ſuggerit Plutarch. lib. de Virtutibus mulierum. Huc facit, quòd vxor bona & proba ſæpè bonum & probum efficiat virum, iuxta illud S. Pauli 1. Corinth. 7, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem.* Cauſam dat S. Chryſ. hom. 6. in Ioan. *Nihil*, ait, *potentius muliere bona ad inſtruendum & infirmandum virum, quodcumque voluerit: neque tam leniter amicos neque magiſtros, neque principes patietur, vt coniugem admonentem atq; conſulentem. Habet enim voluptatem quamdam admonitio vxoria, cùm plurimum amet, cui conſulit. Multos poſſum afferre viros aſperos & immites per vxorem mites redditos & manſuetos: ipſa enim menſa, lecto, filiorum communicatione, dicendis, tacendis, ingreſſu, auditu, exitu, & alijs pluribus cum marito communicans, & vt corpus capiti coniuncta, ſi prudens erit & diligens, omnes vincet.*

Sic S. Cæcilia conuertit Valerianum ſponſum, Clotildis Clodouæum, S. Helena Conſtantium patrem Conſtantini Magni, &c. Huc facit illud Euripidis apud Stobæum ſerm. 65.

Domi perdam enim virum prohibet vxor
Bona, ei coniuncta, & ſeruat domum.

Salomonem ſecutus Siracides, multa in hanc ſententiam congerit Eccli. 26. v. 1. 2. 3. 16. 18. 19.

Myſticè, R. Leui per vxorem bonam accipit ſenſum obedientem rationi, id eſt marito: quòd ſummum eſt hominis bonum. *Cuius*, inquit, *facultates animi ita in ordinẽ redactæ ſunt, vt ſubiectæ principibus ſeruiant, eoſq́; amare complectantur; cùm nimirum menti omni conatu ſuam operam præſtent, hic bonum adeptus eſt: ita enim perfectam viri abſolutionem conſequetur, & quæ cupiebat, obtinebit à Deo, ſingulari prouidentiâ huiuſmodi viri rebus conſulente.*)

ET HAVRIET IVCVNDITATEM A DOMINO] Noſter legit וְיָפֵק *veiaphec*, id eſt *& hauriet*, iam alio puncto per *vau* conuerſiuum legunt וַיָּפֶק *vaiaphec*, id eſt *& hauſit*: vtrumque verum, & eôdem redit, q.d. Qui inuenit vxorem bonam, per eam hauſit, haurit, & continuè iugiterque hauriet omne beneplacitum, vt habent Hebręa, id eſt omne bonum deſiderabile, omnem gratiam; indeque omnem felicitatem & iucunditatem à Domino, vt ſibi videatur eſſe in paradiſo, agereque vitam Adami & Euæ primorum coniugum in ſtatu innocentiæ. Addit Tò *à Domino*, vt ſignificet Primò, bonam vxorem eſſe ſingulare Dei donum: Secundò, Deum per bonam vxorem quaſi per inſtrumentum & canalem, fontem bonorum & gratiarum in maritum & familiam emanare.

Myſticè, hæc adaptes B. Virgini: ipſa enim omne bonum inuexit non tantùm in familiam Ioſephi, ſed & in vniuerſam Eccleſiam totumque orbem, tum per ſe, tùm per filium ſuum Chriſtum. Vnde de ea verè cecinit Poëta:

Nec genitrice tua (ô Chriſte) fœcundior vlla parentum,
Tot bona per partem quæ dedit vna ſuum.

QVI EXPELLIT MVLIEREM BONAM, EXPELLIT BONVM (Septuag. *bona*, ſcilicet omnia iam dicta) QVI AVTEM TENET ADVLTERAM, STVLTVS EST ET IMPIVS] Hic verſus non eſt in Hebræo, nec in Latinis Complut. tranſſcriptus eſt ex Septuag. qui illum è priori verſu per neceſſariam conſequentiam elicuerunt. Si enim mulier bona eſt bonum viri & familiæ, ergo qui eijcit eam, eijcit à ſe & à familia bonum. *Qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & impius: ſtultus*, quia ſtolidè adulterium vxoris vel non aduertit, vel patitur & diſſimulat cum graui nominis ſui infamia, ac prolium iniuria & damno. *Impius*, quia adulterium vxoris eam retinendo probare & fouere videtur, itaque matrimonij ſanctitatem ſacrilegè violat. Hoc maximè verum, cùm maritus adulteram tenet, dando ei facultatem impurè viuendi: vel vt eius incontinentiæ ſatisfaciat vel vt eius proſtitutione quæſtum captet, quod eſt lenocinium: talis enim eſt leno & adulter vxoris ſuæ. Mulieri bonæ & virili opponit adulteram, quia adulterium mala omnia ſecum vehit. Adultera enim eſt impudens, infamis litigioſa, ſuperba, prodiga, opeſque mariti cum adulteris prodigit & conſumit, denique maritum, proles & ſe ipſam euertit.

Hinc patet hanc Salomonis ſanctionem de dimittenda adultera, non tantùm eſſe conſilij, ſed & pręcepti: maritus enim hoc tranſgrediens & adulteram retinens vocatur hoc loco nõ tantùm ſtultus, ſed & *impius*, &, vt S. Chryſoſt. legit, *iniuſtus*. Rationem dat S. Chryſoſt. homil. 22. ex varijs in Matth. locis: *Non ergo*, inquit, *qui dimittit mœchatur, ſed qui alteram ducit: imò autem ſicut crudelis eſt, atque iniquus, qui caſtam dimittit: ſic etiam fatuus eſt atq; iniuſtus, qui retinet meretricem: nam patronus turpitudinis eſt, qui crimen celat vxoris.* Et S. Hieron in illud Matth. cap. 19. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Sola fornicatio*, inquit, *eſt, quæ vxoris vincat affectum, imò cùm illa vnam carnem in aliam diuiſerit, & ſe fornicatione ſeparauerit à marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui tenet adulteram, ſtultus atque impius eſt.* Quæ verba tranſlata ſunt in Ius Canon. & habentur 32. qu. 1. c. 2. *Dixit Dominus*. Et S. Iſidor. li. 2. de Officio Eccleſ. cap. 19. ait: *Solum, vt ait S. Hieron. adulterium eſt quod vxoris vincat affectum, imò cùm illa vnam carnem in aliam diuiſerit, & ſe fornicatione ſeparauerit à marito, non debet teneri, &c.* Accedit, quòd maritus retinens adulteram, det ſcandalum toti ciuitati vel reipubl. Quocirca mollis & effeminata fuit vox M. Antonini Imp. qua hortantibus amicis vt Fauſtinam adulteram repudiaret, ſi nollet occidere, reſpondit: *Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem.* Dotis nomine ſignans imperium, quod à ſocero, volente Adriano Imp adoptatus acceperat: ita Iulius Capitolinius in Vita eius. Intellige hæc de adultera impœnitente, & in adulterio perſeuerante. Nam ſi pœnitentem Magdalenam ſuſcepit Chriſtus, cur & ſuam non recipiat maritus? Etſi enim rigido iure eam ream mortis peragere queat, tamen clementiùs & Chriſtianæ pietati conformiùs faciet, ſi ei noxam condonet. ita S. Aug. l. 2. ad Pollent. de Adulter. coniug. cap. 6.

Myſticè, auctor Catenæ Græc. per adulteram accipit erroneam doctrinam, qualis eſt aſtrologorum iudiciariorum, magorum, hæreticorum; item mali-

malitiam & improbitatem. Hæc enim dimittenda proculque arcenda ſunt.

VERS. 23. CVM OBSECRATIONIBVS LOQVITVR PAVPER: ET DIVES EFFABITVR RIGIDE] Hebr. *obſecrationes loquitur pauper: & diues reſpondebit fortia*, id eſt *dura*, Chald. *deprecationes vel preces loquitur pauper*, Syrus, *mollia loquitur & lenia verba*; R. Salomon, *pauper loquitur ſupplex, licet diues dura reſpondeat*, Aben Ezra *cùm aliquid à diuite pauper poſtulare vult, ſimplici ſermone vtitur, & diues reſpondet ſæua rigidaque verba.* Primò, igitur & propriè, hæc gnome ſpectat ad pauperes, qui ſuppliciter quid poſtulant à diuitibus, qui præ auaritia vel faſtu ijs tumida & dura reſpondent, vt habent Hebræa: paupertas enim facit humilem & ſupplicem; diuitiæ verò faciunt ſuperbum & rigidum. Secundò, generaliùs eam extendas ad pauperes & diuites non inter ſe, ſed cũ alijs quibuſlibet colloquentes. Pauper enim, vtpote egens & inops, vbique timidus timidè & ſuppliciter loquitur: diues verò opibus abundans & præfidens, vbique tumidus ſpirat faſtum: quare imperiosè agit & loquitur. Nam, vt ait S. Auguſt. *Pomo innaſcitur vermis: vermis diuitiarum eſt ſuperbia.* Porrò R. Leui cẽſet hęc dici ad paupertatis & humilitatis commendationem, quòd humili ſuo ſermone omnium gratiam emereatur, atque ad diuitiarum & ſuperbiæ deteſtationem, quòd duris reſponſis omnes à ſe auertat & irritet.

Denique Beda hanc gnomen extendit ad pauperes & diuites, cùm Deum orant & alloquuntur: pauper enim ſupplex petit à Deo ſibi fieri gratiam, diues verò rigidè poſtulat quaſi iure ſibi debitum, vti publicanus pauper meritis orabat dicens, *Deus propitius eſto mihi peccatori:* Phariſæus verò virtutibus ſe diuitem ęſtimans, *Gratias*, inquit, *tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri*, &c. Luc. 18. *Humiles ſpiritu*, ait Beda, *humiliter Deum adorant, vt Euangelicus ille publicanus; ſuperbi merita ſua iactant, vt Phariſæus.*

Salomonem ſecutus Siracides Eccli. 13.4. *Diues*, inquit, *iniuſtè egit, & fremet; pauper autem læſus tacebit.* vide ibi dicta. Sententia ergo hæc taxat diuitum duritiem: pauperes verò ſolatur & monet, vt eam ſimili ſermone leniant, itaque ab eis impetrent quod poſtulant. Nec mirentur putentque, id quaſi nouum vel rarum ſibi ſolis fieri, cùm hic ſit communis mos diuitum diuitijs quaſi innatus, ex eiſque naturaliter quaſi reſultans, ſicut ex tonitruo reſultant & diſſiliunt ſæua fulmina. *Obſecrationes* ergo *loquitur pauper.* q.d. Quidquid pauper loquitur, ita modeſtè, exiliter, humiliter loquitur, vt non tam verba quàm obſecrationes promere, nec tam loqui quàm obſecrare videatur. Igitur pauper loquitur mella: at diues dura & ſaxea verba reſpondet, vt non tam verba loqui quàm lapides & adamantes, imò tonitrua & fulmina vomere & iaculari videatur.

VERS. 24. VIR AMABILIS AD SOCIETATEM, MAGIS AMICVS ERIT, QVAM FRATER] Hebr. *vir amicorum ad amandum* (vel potiùs, vt Baynus *ad amicandum*, ſcilicet aptus factuſque eſt, nimirum *proclinis vt amicitiam exerceat, ſeſeq; præbeat amicum*) *& eſt amans adhærens præ fratre*, vel *magis quàm frater.* Vnde in Vulgata *vir amabilis*, Complut. & alij multi legunt, *vir amicabilis*, idque paulò ſignificantius eſt, magiſque reſpondet Hebræo, & Septuag. qui vertunt, *vir amicorum ad amicitiam: & eſt adhærens ſuper fratrem*, id eſt, vt clarè vertit auctor Catenæ Græc. *vir ad amicitiam propenſus conſtantiùs colet amicitiam quàm frater.* Iam

Primò, Chald. ſic vertit & exponit: *Sunt ſocij qui aſſociantur, & eſt amicus magis adhærens quàm frater*; & Syrus, *ſunt amici qui ſunt amici, & eſt amicus qui magis adhæret quàm frater.* q.d. Multi ſunt ſocij & amici: at ſingularis amicus & ſocius eſt qui magis amat & iuuat quàm frater.

Secundò, Tigurin. vertit, *vir aptus amicitiæ, & cui cordi eſt amicitiam colere, plus amat & firmiùs adhæret quàm frater.*

Tertiò, Vatabl. *vir amicorum* (ſupple, *par eſt*) *vt præſtet ſe amicum, cùm ſit qui diligit, coniunctior fratre, id eſt vir qui multos habet amicos, debet ſe illis præſtare amicum, vt eos in amicitia retineat: nam amici ſuperant fratres amicitia.*

Quartò, R. Salomon. q. d. Cùm quis ſibi amicos aſſiduè conciliat, fortè tempus erit, quo ijs indigeat; qui quidem preſtò erunt, magiſque opitulabuntur quàm fratres.

Quintò, Aben Ezra. q.d. Vir amicitiæ amicos amore complectetur, vt ſecum amicitiam ineant & aſſocientur: nam amicorum aliqui maiori neceſſitudine obſtringuntur quàm frater.

Hæc omnia ferè eòdem redeunt. Senſus ergo eſt. q.d. *Vir amabilis* vel *amicabilis* Hebr. *vir amicorum*, id eſt vir amans & ſtudioſus amicitiæ, qui vel à natura vel à virtute natus & factus videtur ad ſocietatem & amicitiam, qui totus videtur eſſe amor, beneuolentia & beneficentia, hic vtique magis amicus erit; Heb. *magis amans erit*, magis diliget magis opitulabitur quàm frater. *To* ergo *amabilis* non tantùm paſſiuè, ſed & actiuè accipitur. q. d. Qui amatur, qui amat, ac ſuis officijs ſibi deuincit & amicat omnes. Ratio à priori eſt, quòd, ſicut caloris proprium eſt calefacere, ſic amicitiæ & amoris proprium ſit amare, ac beneficentiæ benefacere. Quare amicus conflatus ex amore & beneficentia, non poterit non amare & benefacere, cùm ſæpè conſanguineorum & *fratrum quoque gratia rara* ſit, vt ait Poëta. Hi enim ſæpè ſe ſuaque magis ſpectant commoda quàm fratrum.

Significat ergo hæc gnome vim veræ amicitiæ non cuiuſlibet, ſed ſingularis & eminẽtis atq; amici qui totus beneuolus & officioſus eſt (vt notarũt Chald. Syrus & Abẽ Ezra) quòd is in amore & officijs ſæpè æquet vel ſuperet fratres, ac proinde magnopere talem amicitiam, quęrendam eſſe, ambiendam, colendam, omnibuſque modis conſeruandam. Poteſt quoq; *vir amicorum* accipi vir, qui omnes amicare multoſq; ſibi amicos facere ſatagit.

Talis amicus, imò amicorum rex & princeps nobis eſt Chriſtus, qui ſe totum amicis, imò inimicis, vt eos Deo & ſibi amicos efficeret, impendit & expendit, de quo proinde canit Eccleſia:

Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Si ergo verum amicum quæris, Chriſtum quære, qui omnibus deſerentibus te nõ deſeret, nec in vita nec in morte, nec in tempore nec in æternitate, ſed vbique & ſemper tibi aderit, teq; omni bono, omni gratia & gloria cumulabit. Quàm bene ſapiebat anima quæ dicebat: *Mens mea in Chriſto fundata eſt & ſolidata.* Chriſtus ergo eſt vir amorum, quia vir dolorum: quia ſine dolore non viuitur in amore. *In pace* ergo *in idipſum dormiam & requieſcã.*

Salo-

Amicus alter ego. Zenon.

Salomonem ſecuti ſunt Philoſophi. Gnome A eſt Menandri: *Fratres puta veros amicos.* Zeno interrogatus, *quis eſſet amicus?* reſpondit: *Alter ego,* quod citans Ariſtot. lib. Magnor. moral. *Eſt enim,* ait, *vt dicere ſolemus, amicus alter ego.* Idem habet Cicero lib. de Amicit. & S. Hieron. ad S. Auguſt. ait, *Cum amico quaſi cum altero ſe eſſe loquendum.* Vnde Pythagoras teſtè Cicerone loco iam citato de Amicitia, *effici volebat, vt vnus fiat ex pluribus.* Igitur affectionem fraternam, quæ poſt parentes maxima eſt, æquat aut ſuperat amicitia; eſt enim amicitia velut quædam fraternitas. Vnde Valerius Maximus li. 4. c. 7. initio: *Contemplemur,* inquit, *nunc amicitiæ vinculum potens, & prævalidum, neq; vlla ex parte ſanguinis viribus inferius, hoc etiam certius & exploratius, quòd illud naſcendi ſors, fortuitum opus; hoc vniuſcuiuſque ſolido iudicio incoacta voluntas contrahit. Itaque celerius eſt ſine reprehenſione propinquum auerſere, quàm amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera vtique leuitatis crimini ſubiecta eſt. Cùm enim deſerta ſit futura vita hominis, nullius amicitiæ cincta præſidio, tam neceſſarium ſubſidium temerè aſſumi non debet: ſemel autem rectum apprehenſum ſperni non conuenit:* ac mox exemplum dat Pyladem & Oreſtem, quorum alter pro altero mori voluit. Vnde illud:

Vt præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem.
Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris, ama.

Talia plura amicorum paria recenſet Plutarchus lib. de amicorum multitudine, vt Theſeum & Pirithoum, Achillem & Patroclum, Pythiam & Damonem, Epaminondam & Pelopidam: tales fuere Niſus & Euryalus apud Virg. Æneid. 9. apud Hebræos ſimiles fuere Dauid & Ionathas: apud Græcos S. Baſilius & Nazianzenus.

Vir magis amandus, amicus an frater.

Quærit S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 8. verùm ſanguine coniuncti iuxta ordinem charitatis, magis amandi ſint quàm ceteri quauis alia ratione, vt amicitia vel militia, deuincti? ac reſpondet affirmatiuè eò quod amicitia conſanguineorum ſit naturalis & intima: nam radicaliter fundatur in coniunctione naturalis originis, cùm amicitia ciuium fundetur tantùm in communione ciuili, & amicitia commilitantium in communicatione bellica. Obijcit deinde hanc gnomen Salomonis: *Vir amicabilis ad ſocietatem magis erit amicus quàm frater:* ac reſpondet: *Quod, quia amicitia ſociorum propria electione contrahitur in his quæ ſub noſtra electione cadunt, putà in agendis, præponderat hæc dilectio dilectioni conſanguineorum, vt ſcilicet magis cum illis conſentiamus in agendis. Amicitia tamen conſanguineorum eſt ſtabilior, vtpote naturalior exiſtens, & præualet in his quæ ad naturam ſpectant: vnde magis eis tenemur in prouiſione neceſſariorum.* Vbi Franc. Suarez ſecutus Franciſc. de B Victoria, docet poſſe eſſe tanta amici in amicum beneficia, vt liceat eum magis amare quàm proprium patrem, à quo genitus eſt, vitamque accepit. Verùm hic cauenda inuidia, ne frater, vel pater, videns ſibi præferri amicum, ei inuideat. Vnde Heſiodus:

Æqualem fratri caueat feciſſe ſodalem:

Modum quo hac in re inuidia caueri queat, docet Plutarch. tract. de Fraterno amore ſub finem: Salomonem de more ſecutus Siracides Eccli 6. 11. *Amicus,* inquit, *ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis.* Et v. 15. *Amico fideli nulla eſt comparatio, &c.* vide ibi dicta.

Myſticè Beda, vir amabilis ad ſocietatem inquit, eſt populus Gentium, qui Chriſto & Apoſtolis credidit, & fidus conſtanſque vſque ad mortem & martyria adhæſit præ fratre, id eſt præ populo Iudæorum, qui fuit cognatus & frater Chriſti ſecundùm carnem; ſed incredulus & rebellis, Chriſtum cum Apoſtolis perſecutus eſt vſque ad necem.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAuper ambulans in ſimplicitate præſtat diuiti inſipienti; diuitiæ addunt amicos: non decet ſtultum deliciæ; doctrina per patientiam probatur; ira & hilaritas regis; mulier litigioſa; vxor prudens donum eſt Dei; pigritia parit ſoporem & famem: cuſtodiens legem cuſtodit animam; fœneratur Deo qui miſeretur pauperis; erudiendi ſunt filij; audienda conſilia; pauper præſtat mendaci; timor Domini parit vitam; piger torpet; flagellatione impij ſapit pius; affligens patrem, infelix; teſtis iniquus ridet iuſtitiam; irriſoribus parata ſupplicia.

1. MElior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia
ſua, & inſipiens. 2. Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & qui feſtinus eſt pedibus, offendet. 3. Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius: & contra
Deum feruet animo ſuo. 4. Diuitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem &
hi, quos habuit, ſeparantur. 5. Teſtis falſus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. 6. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. 7. Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper & amici procul receſſerunt ab eo. 8. Qui tantùm verba ſectatur, nihil habebit: qui autem poſſeſſor eſt
mentis, diligit animam ſuam, & cuſtos prudentiæ inueniet bona. 9. Falſus teſtis
non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit. 10. Non decent ſtultum deliciæ: nec ſeruum dominari principibus. 11. Doctrina viri per patientiam noſcitur:
& gloria eius eſt iniqua prætergredi. 12. Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: &
ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius. 13. Dolor patris, filius ſtultus: & tecta
iugiter perſtillantia, litigioſa mulier. 14. Domus, & diuitiæ dantur à parentibus: a
Domino autem propriè vxor prudens. 15. Pigredo immittit ſoporem, & anima diſ-

ſoluta eſuriet. 16. Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur. 17. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. 18. Erudi filium tuum, ne deſperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. 19. Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet. 20. Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis. 21. Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit. 22. Homo indigens miſericors eſt: & melior eſt pauper, quàm vir mendax. 23. Timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſima. 24. Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam. 25. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit; ſi autem corripueris ſapientem, intelliget diſciplinam. 26. Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt & infelix. 27. Non ceſſes fili audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ. 28. Teſtis iniquus deridet iudicium: & os impiorum deuorat iniquitatem. 29. Parata ſunt deriſoribus iudicia; & mallei percutientes ſtultorum corporibus.

VERS. 1. MELIOR EST PAVPER, QVI AMBVLAT IN SIMPLICITATE (*Syrus in innocentia,*) SVA, QVAM DIVES TORQVENS LABIA SVA, ET INSIPIENS] *Melior*, tum ethicè, id eſt iuſtior, innocentior ſanctior: tum phyſicè, id eſt præſtantior, quia quietior & ſapientior. Pro *in ſimplicitate ſua*, hebr. eſt בְּתֻמּוֹ *betummo*, id eſt *integritate* vel *perfectione ſua*. Sic ſæpè alibi תָּם *tam*, id eſt ſimplex, vocatur vir ſincerus, doli malique expers, integer & perfectus; vt cùm Iob vocatur *vir ſimplex & rectus*, id eſt perfectus, Iob. 1. 1. Pro *torquens*, hebr. eſt עִקֵּשׁ *ikkes*, id eſt peruertens, deprauans. Vnde Septuag. vertunt, σκολιὸς, id eſt, *tortuoſus*, qualis eſt vafer & aſtutus. Igitur Septuag. Complut. (nam in Romanis hic verſus & duo ſequentes deſiderantur) ſic habent, *melior eſt mendicus ambulans in ſimplicitate ſua, quàm peruerſus labijs ſuis & ipſe ſtultus*: Pagninus, *quàm peruerſus propter labia ſua, qui eſt ſtultus*: Vatabl. *quàm qui praua labia habet, & ſtultus eſt*; Syrus, *quàm ſtultus, cuius viæ prauæ ſunt*; Chald. *quàm ille qui peruertit vias ſuas; ipſe eſt ſtultus*. Vox enim *diues* non eſt in Hebræo, nec in Græco Complut. vnde nonnulli codices, ac ex ijs Ianſenius eam à textu Latino expungit, ſicq; explicat, quaſi pauper non opponatur diuiti, ſed torquenti labia ſua, qui eſt ſtultus. q. d. Melior eſt paupertas, quàm ſtultitia, quia paupertas conſiſtit & facilè aſſociatur cum ſapientia & integritate vitæ: contorſio verò, id eſt deprauatio labiorum, cum ea conſiſtere nequit, ſed eſt inſipientia & prauitas. Nam contorquens labia eſt is, qui non ſincerè agit, ſed verba componit fallacia, quibus decipiat, cùm aliud corde gerat, aliud ore promat. Melior eſt ergo pauper, qui ſimpliciter & innocenter viuit, quàm contorquens labia, qui plenus eſt dolo: hic enim hominem doloſum & peruerſum efficit. Verùm auctor Catenæ Græc. Beda & codices Romæ emendati legunt τὸ *diues*: ſic enim clara eſt antitheſis inter diuitem, ſed ſimplicem & ſincerum, ac diuitem, ſed deprauantem ſermones, & doloſum.

Senſus ergo eſt. q. d. Melior eſt pauper doli expers, ac candidè, innocenter integreque viuens; quàm diues verſutus, qui ſuis dolis, artibus & fraudibus magnas ſibi parat opes: hic enim eſt inſipiens, id eſt impius: pauper verò eſt ſapiens, id eſt probus & pius. Nam τὸ *&* *inſipiens* non connexionem, quaſi poſſit eſſe contorquens vel deprauans labia, qui non ſit inſipiens (hoc enim falſum eſt) ſed cauſam ſignificat. q. d. Melior eſt pauper ſimplex diuite torquente labia; quia ſcilicet labia componit & torquet ad decipiendum; *&*, id eſt *quia*, hic eſt inſipiens; id eſt impius. Innuit Salomon paupertati cognatam eſſe ſapientiam, id eſt ſimplicitatem, innocentiam, ſanctitatem: opibus verò cognatam eſſe inſipientiam, id eſt fraudes, vſuras, iniuſtitiam, prauitatem: iuxta illud: *Omnis diues, aut iniquus, aut iniqui heres.*

Ratio ergo à priori cur pauper ſimplex præſtet diuiti doloſo, eſt; quòd ſimplicitas & innocentia, quam affert paupertas, præſtat dolo & prauitati, quam affert cupiditas opum: illa enim eſt veritas, veraq; & mera ſapientia, hæc vanitas eſt, vanaque & mera inſipientia: illa enim ducit ad felicitatem cæleſtem, hæc ad ignes gehennæ. Vnde Aben Ezra ſic exponit. q. d. Vir integer melior eſt peruerſo, qui ſermones ſuos peruertit: ſic & R. Leui.

Exemplum huius rei eſt in S. Franciſco, qui pauper fuit non tantùm cenſu, ſed & ſenſu & ſpiritu, hoc eſt amator mirus paupertatis Euangelicæ, ideoque per eam ad magnam ſimplicitatem & ſanctitatem peruenit. Hic enim ſapientior, melior, ſanctior, Deo & mundo gratior & honoratior fuit, quàm omnes diuites doloſi & verſuti. Idem dicas de quibuſlibet Religioſis paupertatem profeſſis & colentibus. Rurſum exempla huius ſententiæ ſunt in pauperibus opificibus & mercatoribus, qui quia candidè iuſteque iuxta cõſcientiam operantur & negotiantur, hinc parum lucrantur. Ij enim in ſua innocenti pauperie præſtant diuitibus, qui per dolos & fraudes ſe in immenſum locupletant. Illi enim habent bonam conſcientiam, ideoque iuſtitiam, pacem, gaudium & ſpem vitæ æternæ: hi verò malam habent conſcientiam, ideoque iniuſtitiam, turbationes, mœrores, ac de ſua ſalute deſperant. Nam, vt ait Apoſt. 1. Timot. 6. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

Myſticè Beda: *Melior, ait, eſt ſimplex auditor verbi Dei, ſi ea quæ intelligere in Scripturis potuit, operando perficit; quàm eruditus quiſque, ſi in illis, quæ acutè intellexit, ad hæreſim prædicandam labia retorquet.*

VERS. 2. VBI NON EST SCIENTIA ANIMÆ, NON EST BONVM: ET QVI FESTINVS EST PEDIBVS, OFFENDET] Chald. & Syrus, *qui feſtinus eſt pedibus in malum, peccat*; Aben Ezra, *qui ad rapinam feſtinat, piaculi noxam ſubit.* Eſt mioſis: *non eſt bonum* id eſt, eſt malum, imò peſſimum. τὸ *animæ* poteſt referri vel ad τὸ *ſcientia*, vt comma ponatur poſt *animæ*, vti

ponunt Romani, vel ad *נֹא non eſt bonum.* q.d. Vbi non eſt ſcientia, ibi animæ non eſt benè, ſed malè. Vnde auctor Catenæ Græc. vertit, *anima ſapientiâ deſtituta non eſt bona*, id eſt, non eſt pulchra, non eſt benè instituta. Alius vertit, *ne vita quidem ſine ſcientia ſuauis eſt*; Tigur. *neque bene habet animus imperitus, vt qui feſtinat & pedibus offendit*, quaſi hic verſus pertineat ad verſum præced. eiuſque det cauſam, q.d. Ideo præſtat pauper ſimplex diuiti peruerſo & inſipiente, quia vbi non eſt ſcientia ſiue ſapientia, ibi animus malè habet: quia caret oculo & duce, ac proinde inſtar cæci feſtinè ambulantis in ſaxa & ſcãdala impingit, & offendit. Vatab. verò per נֶפֶשׁ *nephes*, id eſt animam intelligens vim animalem & concupiſcibilem ſiue deſiderium, ſic vertit & explicat, *Etiam abſq; prudentia deſiderium res peſſima eſt, & velox pedibus peccat: velox ſcilicet ad implendum deſiderium ſuum.* q.d. Concupiſcentia quæ non regitur à prudentia, res peſſima eſt: quia velociter hominem trahit ad ſui expletionem, cumque cæca ſit, facilè in ſcopulos impingit, hominemque in ruinam præcipitat.

Significat ergo Salomon, proprium animæ bonum, & quaſi peculium, eſſe ſcientiam: cetera enim bona, vt opes, honores, deliciæ animæ ſunt extrinſeca: ſcientia verò eidem eſt intrinſeca: quare ſciẽtia eſt vitale bonum animæ (vtpote vitalis eius actio, cognitio & intellectio) cùm cetera bona ſint exanima & mortua. Vnde R. Leui ſic explicat. q.d. Cùm quis peritia rerum ſpoliatus eſt, contingit eius cupiditatem & libidinem in id ferri, quod honeſtum non ſit: qui verò præceps cupiditatibus obſequitur, crimine ſe obſtringit. Cauſam dat S. Aug. tract. de Vita beata: *Maior*, ait, *ac miſerabilior egeſtas non eſt quàm egere ſapiẽtia; & qui non eget ſapientia, nulla re omnino egere poteſt. Eſt ergo animi egeſtas nihil aliud quàm ſtultitia.* Et inferiùs: *Beatũ eſſe nihil eſt aliud quàm non egere, hoc eſt eſſe ſapientẽ. Sapientia enim nihil eſt aliud quàm modus animi, hoc eſt quo ſe animus librat, vt neque excurrat in nimium, neque infra quàm plenum eſt coarctetur.* Additque ſapientem qui habet ſapientiam habere Deum, ideoque eſſe beatum. Verùm Romani cæterique לֹא *animæ* combinant cum ſcientia: eſto eòdem ferè ſenſus redeat.

Scientia animæ, quæ. Reſp. Primò.

Quæritur ergo, quænam ſit *ſcientia animæ*? Primò, Chald. *ſcientiam animæ* accipit eam, qua anima ſcit & cognoſcit ſeipſam. Vnde vertit, *qui neſcit animam ſuam, non eſt ei bonum.* Nam vt ait Agapetus Diaconus Admonit. ad Iuſtinianum Imp. num. 3. *diuinum documentum, & potiſſimùm nos homines, vt cognoſcat ſe quiſque, docemur Qui enim ſeipſum cognouit, cognoſcet Deum: Deum verò qui cognouit, aſſimilabitur Deo: aſſimulabitur autem Deo, qui dignus factus Deo eſt: dignus denique ſit Deo, qui nihil indignum patrat Deo; ſed qui vt cogitat quæ ipſius ſunt, ita tam loquitur quæ cogitat, quàm facit quæ loquitur.* Hinc illud templo Apollinis Delphici inſcriptum velut oraculum: γνῶθι σεαυτὸν, id eſt, *noſce teipſum.*

Secundò.

Secundò, alij *ſcientiam animæ* accipiũt pro ſcientia ſpiritus, quæ opponitur ſcientiæ & ſapientiæ carnis. q.d. Qui ſapit ea quæ sũt animæ & ſpiritus, non quæ carnis, hic ingens habet bonum: quia qui eo caret, cæcus eſt & exoculatus: vnde inſtar cæci feſtinantis in ſaxa impinget. Nam vt ait Apoſtolus Rom. 8. 6. *Prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta.* Vide ibi dicta.

Tertiò.

Tertiò, alij *ſcientiam animæ* interpretantur eam, quæ intimos animæ ſinus, fundum, ſenſa, cogitationes, intentiones ſcrutatur, penetrat & peruidet; à bona enim volitione & intentione pendet tota operis bonitas. Vnde S. Gregor. 19 Moral. cap. 8. moraliter explicans Cherubinos, quos Ezechiel cap. 1. vidit tam intus quàm foris plenos oculis: *Hinc eſt*, inquit, *quod animalia, quæ per Prophetam videntur, in circuitu & intus plena oculis eſſe memorantur. Quiſquis enim exteriora ſua honeſtè diſponit, ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet; ſed intus non habet. Sancti verò omnes, quia & exteriora ſua circumſpiciunt, vt bona de ſe exempla fratribus præbeant; & interiora ſua vigilanter attendunt, quia ſeſe irreprobabiles interni iudicis obtutibus parant; & in circuitu oculos & intus habere perhibentur: magiſque ſe, quo Deo placeant, in ſua interna componunt, ſicut per Pſalmiſtam quoque de ſancta Eccleſia dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, pſal. 44.

Quartò.

Quartò & genuinè, *ſcientia animæ* eſt ſapientia, prudentia & prouidentia, qua anima non ſolùm præſentia, ſed & præterita ac futura circumluſtrat & proſpicit, vt actiones ſuas ita honeſtè & perfectè componat, vt eas in iudicio Chriſti, coram oculatiſſimis Chriſti oculis defendere & tueri poſſit, itaque ab eo brauio & gloriæ cæleſti adiudicari mereatur. Prudentia enim eſt oculus animæ, & qui ea pollet, prudenter videt, præuidet & prouidet, vbi figat actionis ſuæ greſſus: quare ſecurè incedit, perinde vt qui in tenebris præuiam facem ſequitur. Qui verò prudentiâ caret, velut cæcus in tenebris huius vitæ ambulat & cæſpitat: quia quò eum rapit cæca concupiſcentia, eò feſtinus ſequitur: quare in multa ſcandala & ſcelera impingit, ac tandem in barathrum gehennæ præceps corruit. Scientia ergo animæ eſt prudentia, quæ conſulit ſaluti animæ, quæ proſpicit eius præmia & ſupplicia, ideoque hominem incitat ad bene viuendum, & ad fugiendum peccata: quam proinde Sapiens cap. 9. 10. nuncupat *ſcientiam ſanctorum*, & angelus *prudentiam iuſtorum*, Lucæ 1. 17. *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Matth. 16. 26. Quæ verba ponderans S. Chryſoſt. hom. 56. in Matth. *Non*, ait, *aliam habes animam, quam poſſis pro anima tua dare. Nam pecuniam qui amiſit, aliam pro amiſſa poteſt afferre, ſimiliter qui ædes, qui ſeruos, qui cetera huiuſmodi amiſit: animam verò ſi perdas, aliam pro ea dare nunquam poteris: ſed ſi rex orbis atque dominus eſſes, ſi omnia quæ in orbe ſunt, & ipſum orbem offerres, non poteris animam emere vnam.* Vnde concludit: *Ceteris omnibus neglectis, omnem curam, omne ſtudium, omnem operam tuam ad ipſam conferas. Noli igitur de alienis curare, & te ac tua negligere: quod plerique omnes nunc faciunt: his ſimiles qui metallorum operi traditi ſunt: nullum enim illi emolumentum, nullas opes inde conſequuntur, ſed magno periculo atque detrimento ſuo alijs laborant, nihil prorſus de ſudore ac labore, & morte, quam plerumque abeunt, ad fructum ſuum inde conuertentes. Hos igitur plurimi nunc imitantur, qui non ſibi, ſed alijs diuitias quærunt. Imò verò & his multo miſeriores ſumus: quoniam mors dolorıs finem illis, nobis autem quos gehenna expectat, veræ afflictionis initium affert.*

Idem S. Chryſoſt. hom. 13. in epiſt. ad Romanos docet animam tam ſapienter & concinnè debere viuere, & regere corpus, quàm ſapienter & concinnè citharœdus componit pulſatque citharam, & nauarchus nauim.

Myſticè Beda: *Anima qui etiam humana, inquit, ſcientia vitæ cæleſtis eſt neceſſaria: quia nimirum ſine hac beata in perpetuum eſſe non poteſt: attamen qui effrænatis ſenſibus mentis plus appetit ſapere quàm decet, plerumque offenſionem hæreticæ ſtultitiæ temerarius incurrit. Quod in primis humani generis parentibus myſticè ſignatum eſt, qui dum appetitu ſcientiæ maioris vetitum contingere properabant, à ſtatu beatitudinis, in qua conditi ſunt, deuiantes, in pœnam miſeriæ & mortalitatis inciderunt.*

ET QVI FESTINVS EST PEDIBVS, OFFENDET] Feſtinationem opponit ſcientiæ, id eſt prudentiæ: quia prudens lentè progreditur ad opus (pedes enim ſunt ſymbolum actionis & operis) priùs enim conſiderat eius rationem, qualitatem, modum, pericula, commoda, &c. imprudens verò hæc non conſiderans, temerè properat ad opus, ideoque ſeſe in pericula & damna tam culpæ quàm pœnæ præcipitat. Sapiens ergo maturus eſt & lentus, inſipiens verò feſtinus & præceps; vnde illud vulgo tritum: *Feſtina lentè*: &, *Canis feſtinans cæcos parit catulos.* Sapienter Plato in Politico: *Qui*, inquit, *plus ſatis feſtinat initio, ſeriùs ad finem peruenit.* Idem lib. 7. de Republ. *Dum feſtino*, inquit, *omnia celeriter percurrere, tardior ſum.* S. Augu. Contra Petilian. ait, ijs qui perturbatione aliqua feſtinant, accidere, vt veſtem, aut calceos peruersè induant, quæ res poſtea moram afferat: idem vſu venire his qui multa ſimul citoque agere conantur, neque quidquam aſſequuntur. Vide dicta ad illud cap. 13. v. 11. *Subſtantia feſtinata minuetur.* Sanè Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio in eius Vita cap. 25. dicere ſolebat: *Nihil minùs duci perfecto conuenire, quàm feſtinationem*, crebroque illud iactabat: *Sat citò, ſi ſat benè.* In re bellica plus effecit Fabij cunctatio, quàm M. Minutij præcipitatio, vnde Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Apologus grauitatis. Hanc gnomen appoſito equi & bouis apologo venuſtis parabolis coronato graphicè repræſentat Cyrillus li. 1. Apolog. moral. c. 12. cuius titulus: *In omnibus ordinata grauitate procede. Cùm agiliter*, inquit, *equus hinc inde diſcurreret, onuſtum bouem obuium habuit grauiter incedentem. Cui dixit: Quid diuiſa eſt tibi vngula, cùm ſub tanto pondere magis tibi nunc eſſet ſoliditas opportuna: At ille reſpondit: Nimirum qui me condidit, hoc prouidit vt ſemper ita procedam, quò ſub onere magis incedam ordinata grauitate. An ignoras, quòd ſæpè perditio à pede celeri deriuetur? Nam mortalia omnia plena ſunt periculis, quare vbique oportet cum grauitate incedere, vt poſſis ſtatuto pede vno, vbi ponendus ſit alius ſalubriter prouidere. Similiter tarda ſapientia eſt hominibus: nam ſenſibus membriſque mortalibus aggrauati, ſapientiæ lumen abſconditum, in altiſſimis ſitum, longis temporibus vix attingunt. Et ob hoc quantò maturiùs eam quærunt, tanto ſecuriùs inueniunt. Nos verò ſi grauitate tarda incedimus, moderatiùs laboramus, & hoc quod agimus, lucidiùs intuemur, & quieſcente animâ, cuncta meliùs iudicamus. Nam & ſapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Quamobrem ſi cum tarditate procedimus, velociùs id, quod intendimus, expedimus. Quia hoc modo lucernâ prudentiæ ducimur, quâ per directum veritatis amotis deuijs, meliùs fini operis prouidemus.* *Exempla.* Deinde ipſum ſimilitudine cælorum, nauis & imbris confirmat: *Nónne mutari cæleſtis facies non videtur, & tamen rapidiſſimâ regularitate defertur? Repentinum ſagax natura non patitur, & quæ ſubitò ingruunt, plus confuſa mentem ſubuertunt. Immoderato curſu niſi grauitate præpediatur nauis diſſoluitur, & feſtinato partu fertur catulus natus cæcus. Moderatiori verò imbre tellus pinguis efficitur, & ordinato greſſu non ſolùm decentiùs, ſed etiam ſalubriùs grues incedunt. Tu autem chariſſime, quia indiuiſâ vngula velocior agitaris ſæpè lapſu confunderis, quo nimirum etiam immundum animal indicaris. Quo audito, recedens equus erubuit.*

STVLTITIA HOMINIS SVPPLANTAT GRESSVS EIVS: ET CONTRA DOMINVM FERVET ANIMO SVO] *Vers. 3.* Septuag. *imprudentia viri vaſtat vias eius: Deum autem accuſat corde ſuo*; Symmach. *& contra Dominum iraſcitur cor eius*; Chald. *ſtultitia hominis inſtabilem facit viam eius, & cor eius murmurat*, Syrus, *conqueritur corde ſuo*, Pro *feruet* hebr. eſt verbum יזעף *zaaph*, quod ſignificat perturbari, iactari, æſtuare, ſicut feruet olla aquæ, dum vi ignis bullit; & ſicut mare æſtuat, dum ventis fluctibuſque iactatur. Simili enim modo fluctibus paſſionum alternantium nunc iræ, nunc triſtitiæ, nunc indignationis iactatur anima ſtulti, id eſt improbi; vnde Aben Ezra explicat. q. d. *Iraſcitur, triſtatur, & cùm vexatur, in Deo ſpem non collocat.*

Iam Primò, R. Salomon ſic exponit. q. d. Ob crimina aduerſis vir premitur, cum præ ſua dementia conſuetudines ſuas peruertat, criminaque incurrat, quorum pœnas perſoluat: cum verò calamitate vexatur, in Deum ira æſtuat, & in diuinum iudicium machinationes molitur, vt conſtat de fratribus Ioſeph, qui aiebant Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Deus. Sic R. Leui: Viri dementia efficitur, vt negotia malè ſuccedant; cùm aliquid vehementer optarit, quod accommodatâ ratione illa non ſit aggreſſus: & poſt hæc cùm cogitata ex animi ſententia non abſoluuntur, in Deum ira effertur, à quo plectitur, vt arbitratur, cùm animo deſtinata irrita ſint, nec id à dementia ſua comparatum fuiſſe animaduertit.

Stultitia hîc dupliciter capi poteſt. Primò, propriè pro imprudentia. Secundò pro improbitate: ſic enim hoc libro ſtultus paſſim vocatur improbus. Senſus ergo hic duplex eſt. Primò, propriè, q. d. Cùm homo imprudenter & ſtultè quid egit, indeque optato caret ſucceſſu, imò in pericula & damna ſe coniecit; non accuſat ſuam imprudentiam & ſtultitiam, ſed eam transſcribit in Deum, Deique prouidentiam accuſat, quòd non direxerit & fortunauerit actiones eius, ſed infelices ſibi dederit ſortes, caſus & euentus. Sicut ergo mare dum æſtuat, videtur fluctus in cælum attollere & iacere: ſic ſtulti dum ira æſtuant, in cælum os attollunt, ac murmura & blaſphemias in Deum iaciunt, quòd res ſuas non proſperarit. Eſt autem hæc inſignis ſtultitia, eò quòd contra Deum indignetur & inſurgat, cui nulla in re nocere poteſt, & cuius manum iuſtamque vindictam effugere nequit. Hoc propriè hîc intendit Salomon.

Secundo, q. d. *Stultitia*, id eſt impietas & improbitas *hominis ſupplantat greſſus eius*, id eſt adigit eum in ſcelera ſcelerumque pœnas: at ille hæc ipſa non ſuæ ſtultitiæ, id eſt improbitati (quæ vera & propria eorum eſt cauſa) ſed Deo aſſignat; quare contra Deum murmurat, quòd is ſua prouidentia omnes cauſas ordinando ita eas diſpoſuerit, vt ipſum illicerent in ſcelera ſcelerumque pœnas. Vnde S. Aug. epiſt. 105 legit, *inſipientia viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo.* Ita Caluinus cum ſuis in Deum quaſi primam cauſam reijcit omnia opera hominum tam mala quàm bona. Et Melanchthon ſacrilegè euomuit tam eſſe Dei opus

opus proditionem Iudæ, quàm vocationem Pauli. quod ſub anathemate damnat Conc. Trident. ſeſſ.6.can.6. Idem fecere Philoſophi, qui omnia tam bona quàm mala tribuerunt fato: fatum enim æſtimatur vel eſſe Deum, vel Dei prouidentiam. quos proinde refutat S. Auguſt.lib.5.de Ciuit.c.1. S.Chryſoſt. orat.3. de Prouid. Lactantius, Iuſtinus, Athenagoras & alij ſcribentes contra Gentiles. Idem faciunt rudes Chriſtiani, quin & litterati, cùm furijs iræ & impietatis aguntur. Tunc enim impius, vt ait Pſaltes, ponit in cælum os ſuum (*poſuerunt*, inquit, *in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra*, pſ. 72.9. Deumq; probris & maledictis ſacrilegè laceſſit. Quin & Adam poſt peccatum ſuperbiens, culpam peccati aſſignans Euæ, tacitè eamdem retorſit in Deum, dicens: *Mulier quam dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno, & comedi*, Gen.3.12. Vnde Nazianz. in Iambico de ira: *Vidi ipſe* inquit, *ſaxa, puluerem & verba aſpera qui iaceret in Deum.* Hæc eſt ſumma improbitatis, hic impietatis apex & culmen, vt mirum ſit terram tales non dehiſcere viuoſque abſorbere, ſicut viuos abſorbuit Core, Dathan & Abiron contra Deum & Moſen murmurantes, Numer.16. Vnde tales redarguens Eccleſiaſt.15.11. *Non dixeris*, inquit, *Per Deum abeſt; quæ enim odit ne feceris. Non dicas. Ille me implanauit. Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus.* Vide ibi dicta.

Ratio à priori huius ſententiæ eſt ipſa indoles ſtultitiæ & improbitatis: ſtultitia enim non eſt aliud quàm ſtultus & ſuperbus amor ſuiipſius, ſtultus enim quia laborat philautia, nimis amat ſeipſum: hinc nimis magni æſtimat ſeipſum. Quare C cùm errat & peccat, errorem & peccatum ſuum videre non vult, ſed à ſeipſo oculos auertens, illud transſcribit in Deum occaſione acceptâ, quòd Deus omnium rerum ſit cauſa prima, quæ cauſas ſecundas regit, diſponit & ordinat. Verùm fallit & fallitur. Nam Deus diſponit quidem cauſas ſecundas, ſed vnamquamque iuxta ſuam conditionem, nimirum neceſſarias neceſſariò, liberas verò liberè. Quare liberas libertati ſuæ permittit, vt in eorũ poteſtate ſit operari bene vel malè, ac conſequenter mereri præmium vel ſupplicium. Alioqui enim Deus eſſet cauſa peccati; quod tam iniuſtum eſt quàm impium: Deus enim cum ſit puriſſimus, optimus & ſanctiſſimus, execratur omne peccatum, eiq; gehennam præparauit. Perinde ergo dicunt, qui Deum faciunt auctorem peccati, ac ſi ſolem, qui eſt fons lucis, dicerent eſſe fontem caliginis: D vel ignem, qui eſt fons caloris, dicerent eſſe fontem frigoris: vel animam, quæ eſt fons vitæ dicerent eſſe cauſam mortis. Peccatum enim eſt caligo, frigus & mors animæ: Deus verò eſt ſol, ignis & anima animæ noſtræ. Id videntes Manichæi, licet hæretici & impij, tamen, vt à Deo tantùm nefas auerterent, finxerunt duos eſſe deos, vnum bonum, qui eſſet auctor omnis boni; alterum malum, qui eſſet auctor omnis mali & peccati, v.g. diabolum vel Luciferum. Vide S. Baſil. hom. *Quòd Deus non eſt auctor malorum*; vbi tantumdem eſſe, ait, facere Deum auctorem peccati, quantum eſt negare Deum: Deus enim auctor peccati non eſt Deus, ſed diabolus. Vide & S. Aug. de Gratia & lib. arbit. cap.2. vbi concludens ait: *Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, cùm peccat.*

VERS.4. DIVITIÆ ADDVNT AMICOS PLVRIMOS: A PAVPERE AVTEM ET HI, QVOS HABVIT SEPARANTVR] Septuag. *at pauper & ab exiſtente amico relinquitur*; Syrus & Symmach. *at pauper ſegregatur ab amicis ſuis*; Chald. *opes adducunt amicos plurimos*, Senſus clarus eſt. q. d. Diuitiæ diuiti multos parant amicos: quia omnes cupiunt amici eſſe diuitis, vt eius diuitias participent: quare non tam diuitis quàm diuitiarum ſunt amici. At verò ſi quis in paupertatem incidat, nullos acquiret amicos; quin & ab alijs, quos in pinguiore fortuna habuit, deſeretur: quia omnes fugiunt pauperem & paupertatem, vtpote à qua nihil commodi, ſed multa incommoda expectare debeant. Si enim veri eſſent pauperis amici, vtique eius paupertatem ſuis opibus leuarent: amicorum enim omnia ſunt communia. Hoc ipſo ergo, quo amicum pauperem deſerunt, ſignificant ſe non perſonas, ſed fortunas amare, nec veros, ſed ollares & perſonatos eſſe amicos; vide dicta ca.14.20. & Eccli.13.25. Tales ergo ſunt ſicut hirundines, quæ in æſtate ad calidas regiones aduolant, hieme aufugiunt: ſic enim iſti ad opes aduolant, ab inope deuolant. Diuitiæ ergo addunt amicos plurimos, eo modo, quo popinæ carnium nidore multa muſcarum examina aduocant & alliciunt; ceſſante autem nidore auolant omnes: ſic diuitiæ ſpe lucelli (nam ſuauis odor lucri) omnes ad diuitem inuitant, ſed ſpe per pauperiem euaneſcente, ilicò dilabuntur vniuerſi. A Salomone idem hauſere Plato & Philoſophi. Platonis enim gnome eſt in Epigramm.

Diuitiis multi amici, pauperis pauci.

An tandem expertus noſti verbum vetus illud,
Quòd qui nil habet, huic nullus amicus adeſt?

Gnome.

Comici:

Felicibus cognatus eſt vel quilibet. Et
Aduerſa cui ſors, huic amici ſunt procul.

Petronij arbitri:

Cùm fortuna manet, vultum ſeruatis amici:
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Plauti Epidic.

Is amicus eſt, qui in re dubia te iuuat. Vbi re eſt opus.

P.Mimi:

Amicum opima res parant, triſtes probant.

Auſonij:

Amicos rebus aduerſis probas.

Symbol. Symbolicè Ianſen. per diuitem accipit liberalem, per pauperem amicum. q.d. Diuitiæ liberaliter erogatæ addunt amicos plurimos, iuxta illud Saluatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* At ab eo qui pauper eſt animo tenuis ſcilicet in benefaciendo propter auaritiam, etiam quos habuit amicos, ſeparantur, exoſi ſcilicet eius auaritiam, aut, vt habent Hebræa, *Pauper ab amico ſeparatur.* Quod in paupere per auaritiam optimè locum habet, qui non ſolùm ſeparatur ab amico quia ab illo relinquitur, ſed quia ipſemet illum prior relinquit, metuens ne quid cogatur impendere amico, quia pluris facit pecuniam quàm amicum.

Myſticè. Myſticè Beda per diuites accipit Apoſtolos & ſanctos doctores, qui diuites ſunt, multoſque ditant gratia & gloria: per pauperes philoſophos, vtpote vacuos veris virtutibus, gratia & gloria, q.d. Diuitiæ regni cęleſtis, quæ per ſanctos doctores fidelibus tribuendo prædicantur, multos amicos & eiſdem prædicatoribus, & earum largitori domino aſciſcunt. A Philoſophis autem ceteriſque Gentium magiſtris, quia nihil certæ beatitudinis in futurum norunt promittere & hi quos habuere

ſepa-

ſeparantur, videlicet conuerſi ad fidem ſpemque Dominicę paſſionis certiſſimam. Accedit & anonymus in Catena Gręc. *Agitur, inquit, hic de ſapientia & cognationis opibus: hæ enim (quòd virtutibus ornatę ſunt) angelorum amicitiã nobis adiungunt, à quo homo immundus & impurus ſicut ab angelo quoq; quem à puero cuſtodem acceperas, ſeiungitur. Hunc talem proinde ſecundùm virtutem appellat pauperem, ſiquidem ſpiritalis amicitia virtute & cognitione nititur. Per has enim ſacris illis cæleſtibuſq́, virtutibus & poteſtatibus conſociamur.*

Vers. 5. Testis falsvs non erit impvnitvs: et qvi mendacia loqvitvr, non effvgiet] ſcilicet pœnam & vindictam, vel hominum, vel Dei. Ex Hebr. ad literam vertunt Aquila, Theodot. & Chald. *teſtis falſus non erit innocens*; ſed *innocēs* per metalepſin ſumitur pro *impunitus*, vti & Exod. 20.7. *Nec enim habebit inſontem*, id eſt impunitum, *Dominus eum, qui aſſumpſerit nomē Domini Dei ſui fruſtra.* Nonnulli putant, idem dici hemiſtichio poſteriori, quod dictum eſt priori. Meliùs alij cenſent hemiſtichium prius pœnam intentare teſti falſo dumtaxat; poſterius verò eamdem pœnam extendere ad quemlibet, qui mendacium pernicioſum quomodolibet concinnat in noxam proximi, ſiue vt falſus teſtis, ſiue vt accuſator, ſiue vt ſycophanta & calumniator, &c. ita auctor Catenæ Græc. R. Leui, Ianſen. & alij. Vnde Septuag. accuſatori adaptantes ſic vertunt, *teſtis falſus non erit impunitus. & qui accuſat iniquè, non effugiet*. Aquila & Syrus, *non euadet ſaluus.* Senſus ergo eſt. q. d. Teſtis qui falſum crimen alteri impingit, aut quomodocumque falſum teſtatur, præſertim in iudicio, hic pœnam talionis falſarijs iure ſtatutam nō euadet. Solet enim falſitas hæc detegi, vel à parte aduerſa, quæ iniuſtè læditur; vel à iudice, vel ab alio falſitatis conſcio & hoſte. Sic teſtes falſi accuſantes Suſannam adulterij, ex lege talionis lapidationem adultero ſtatutam, ipſimet falſitatis à Daniele conuicti ſubierūt, Daniel. 13. Quòd ſi quando falſus teſtis oculos & manus hominum eludat vel euadat, certè non eludet, nec euadet oculos omnia intuentis & manus omnipotētis Dei, qui falſitatem & iniuriam hanc vel præſenti, vel æternâ pœnâ plectet in gehenna.

Similiter qui mēdacia quomodolibet velut bullas ore efflat & eloquitur, quibus proximo nocet vel in fama, vel in fortunis, vel in libertate & vita: quia ſcilicet ſuo mendacio cauſa eſt vt proximus infametur, aut opibus ſpolietur, aut incarceretur, vel occidatur; hic non effugiet iudicium & vindictam vel hominum, vel certè Dei, qui eo acrior in eum vindex inſurget, quo potētior & iuſtior. Magis enim grauiuſque hac falſitate lęditur veritas & maieſtas Dei, quàm hominum: quocirca maiori huic culpę & offenſæ maius ſupplicium irrogabit. Maximè verò falſus teſtis in iudicio lędit ſanctitatem Dei per periuriū quod committit; ſolet enim iudex teſtem ad iuramentum adigere, vt iuret per Deum, ſe dicturum veritatem; quare cùm falſum iurat, Deum facit teſtem vel conteſtem falſitatis, quę ingens eſt Dei iniuria. Quare fidem ſuam liberare volens Deus veritatem ipſam eruit, & in lucem educit, itaq; falſum teſtem prodit, ac vt falſarium & periurū vel per ſe, vel per iudicem punit.

Nota 1ò *qui mendacia loquitur*, hebr. eſt *qui mendacia* יפיח *iaphiach*, id eſt *efflat*, vel *expirat*. Vatabl. *euomit.* Qua voce ſignificatur Primò, mendacem hunc eſſe effrontem & impudentem. Nam cum communiter mendax, vtpote malè ſibi conſcius

A metuenſque redargui, tremula & anhela voce mendacium enuntiat; tamen quando fit effrons & imprudens, contentâ fortique voce expirat mendacia, perinde ac ſi certam veritatem intrepidus enuntiaret. Secundò, eum cum impetu grauia & copioſa efflare mendacia, ſicut caminus efflat ſcintillas. Tertiò, dignū eſſe cui flatus & ſpiritus ſtrangulando intercludatur, cùm eo abutatur ad efflandum mendacia. Quartò, eum diu latere non poſſe. Sicut enim ſpiritum, quem reſpirando attrahimus, mox expiramus: (reſpiratio enim eſt reciprocatio ſpiritus inſpirantis & expirantis:) ſic pariter mendax non poteſt diu continere mēdacium, quin protinus illud expiret, id eſt reuocet, vel ſignis aliquibus prodat. Mendax enim inconſtans eſt, &, quod aſſeruit mox negat. Vnde illud: *Oportet mendacem memorem eſſe ſui.* Exemplum dat Petrarcha lib. 1. de

B Vita ſolit. in vrinatoribus: *Nemo, inquit, ſub aquis diu viuit, erumpat oportet, ac frontem, quam celabat aperiat:* nam ſpiritus diu contineri non poteſt. Plura de voce *iaphiach*, id eſt *efflat*, dixi ſuperiùs.

Mvlti colvnt personam potentis, et amici svnt dona tribventis. Fratres hominis pavperis odervnt evm: insvper (Hebr. אף כי *aph ki*, quod paſſim vertunt, *quanto magis*) et amici procvl recesservnt ab eo] Hebr. eſt in ſingulari: *& amicus*, id eſt quiſque amicorum, ait Aben Ezra, *receſſit ab eo.* Pro *potentis* hebr. eſt נדיב *nadib*, id eſt liberalis, indeque potentis & principis, vt vertit Noſter, Syrus, Chald. & Septuag. tum quia liberalis meretur euehi ad principatum, tum viciſſim quia principes maximè decet liberalitas, vt videatur eis eſſe propria & regia Vers. 6. Vers. 7.

C dos. Hebr. ergo ad verbum ſic habent. *Multi deprecantur faciem liberalis, & omnis amicus* (eſt, vel eſſe cupit) *viro doni*, id eſt viro munifico, qui copioſa dona largitur. ita Vatabl. Pagnin. & alij. Rurſum pro *multi* hebr. eſt רבים *rabbim*, quod ſubinde optimates ſignificat, vt patet Ierem. 41.4.

Vnde Primò, Aben Ezra, R. Leui & Vatabl. ſic vertunt, *viri præclari*, vel *optimates deprecabuntur faciem liberalis: & omnis amicus* (eſt) *viri munifici*, vt commendet liberalitatem. q. d. Liberalis & munificus adeò pręclarus & excellens eſt, vt etiam optimates cum rogent, illis vt ſuppetias ferat, vel beneuolentiæ neceſſitudinem non deneget.

Noſter cum Septuag. Syro & Chald. vertit, *potentis*, ob cauſas iam dictas, & ob antitheſin pauperis, de qua v. ſequ. Senſus ergo planus eſt q. d. Plerique omnes colunt viros diuites & potentes, quia

D eorum potentiam timent & amant; timent, ne per eam ſibi noceant: amant, quia ab ea dona & beneficia exſpectant. Ex aduerſo pauperem nec timent nec amant, ſed oderunt & recedunt ab eo, non tātùm fratres, ſed & amici, qui ſæpè magis amant amicum quàm fratres, vti dixit cap. præced. v. vlt. Hoc eſt quod dixit v. 4. *Diuitiæ addūt amicos: à paupere & hi quos habuit, ſeparantur*; & alibi ſæpè. Quo ſignificat Primò, commodum diuitiarum, quòd multos concilient amicos; & incommodum paupertatis, quòd omnes eam æquè ac pauperes fugiant: vt hac ratione incitet quemq; ad honeſtum laborem, quo moderatas opes indeq; amicos ſibi paret; & ad fugam otij, quod eſt cauſa paupertatis, quam omnes fugiunt & horrent. Rurſum nō eſſe fidendum amicis, quòd multi verè non ſint amici diuitum, ſed diuitiarum, ideoque ficti & ſimulati, vti dixi v. 4. Quocirca Agapetus Diaconus Admonit.

nit. ad Iuſtinianum Imp. eum impenſè hortatur ad beneficentiam, vt per eam ſibi homines, imò Deum conciliet. Sic enim ait nu. 35. *Exiſtima tunc demum te tuto regnare, cùm volentibus imperas hominibus. Quod enim inuito animo ſubijcitur, ſeditionibus fluctuat captâ occaſione: quod verò vinculis beneuolentiæ regitur, ſtabilè ſeruat erga rectorem obedientiam.* Et num. 44. *Inexhauſtæ ſunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquiruntur, & diſſipando colliguntur. Has tuo inſitas animo habens, munificentiſſime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te. Infinitiuplas enim pro eis habebis remunerationes, cùm tempus operam remunerandi venerit.* Et n. 48. *Eſto ſubditis pientiſſime Imperator, & formidabilis, ob excellentiam poteſtatis: & amabilis, ob largitionem beneficentiæ. Neq; formidinem contemnens propter amorem: nec item amorem negligens ob formidinem; ſed tam manſuetudinem præ te ferens haud aſpernabilem, quàm aſpernabilem familiaritatem immiti ſeueritate caſtigans.* Et nu. 58. *Arx quidem inde populabilibus muris munita, contemnit obſidentes ſe hoſtes: pium autem veſtrum imperium cùm & liberalitate erga miſeros velut muro cinctum, & precum turribus corroboratũ ſit, inuictum nulliſq; hoſtium telis peruium ſit: præclara & celebria contra eos erigens trophæa.*

Beneficentia firmamentum imperij.

Myſticè Ianſenius: Multi, inquit, colunt perſonam potentis, id eſt Chriſti: hunc enim multi colere cœperunt, eiuſque vultum deprecari, ac gratiam fauoremque ambire (nam pro *colere perſonam*, hebr. eſt deprecari vultum) poſtquam aſcendendo in altum potens factus eſt & liberalis, dona ſui Spiritus diuerſa varie diſtribuens, iuxta illud: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Contrà etiam fratres & amici Iudaici populi, poſtquam pauper factus eſt in Scripturarum intelligentia & donis Dei, odire cœperunt eum & relinquere, quia Apoſtolis & Iudæis oriundi ab eis alienati ſunt.

Porrò, Chald. & Septuag. pro הָרֵעַ *harea*, id eſt *amicus*, alio puncto legunt הָרַע *hara*, id eſt *malus*. Vnde Chald. vertit, *multi ſunt qui miniſtrant coram principe, & malis dat munera*; Hebr. *& malus vir munerum*; Symmach. *vir donorum*. q.d. Multi ſeruiunt principi, at mali magis ei adulantur, magiſque ſunt petaces & importuni; hinc plura ei extorquent munera: cùm boni & probi, quia ſinceri ſunt, honeſti & verecundi, neſciant adulari & improbè poſtulare, vnde pauciora obtinent: ſed hi ſua probitate decori ſunt principi, illi ſua improbitate dedecori & probro. Vnde Septuag. vertunt, *multi colunt faciem principis: omnis autem malus fit opprobrium viro.* Quod aliqui ſic exponunt per antitheſin. q.d. Princeps & liberalis ſua liberalitate omnes ſibi conciliat & amicat: at malus, id eſt ſordidus & auarus, viro, id eſt cuilibet, eſt odio & probro.

Verùm auctor Catenæ Græc. aliter hanc ſententiam ex Septuag. vertit, aptiuſque ad Hebræa & Chald. explicat ex S. Chryſoſt. quaſi contortam in adulatores principum; ſic enim vertit, *multi paſſim regis perſonam obſeruant & colunt: interim improbi viri principi probrum & dedecus conciliant potius quàm gloriam.* Deinde ſic explicat: *Qui, inquit, externæ dignitatis vel auctoritatis rationem habent, illi in* ἀνθρωπαρεσκείας *& adulationis vitium facilè incidunt. At vir ſincerus & verax malis, cuiuſcumque tandem conditionis aut qualitatis extiterint, non adulatur, neque ſeruiliter blanditur, ſed quoſcumque tales nouerit, palàm reprehendit & corrigit. Admonet hic illos, qui aliorum obſequijs, demulceri ſermonibuſq; extolli ſolent, quales ſunt reges, viriq; principes, ne cuiuſmodi aſſentatorios cultus ab improbis ſibi deferri facilè patiantur; cùm nihil hi ferè aliud, niſi dedecus & probrum referre queant: tum ſiue pecuniâ aſſentator donetur, ſiue alia quacumque re, turpiter ſemper & ſordidè adulatur.*

Subdunt Septuag. *Omnis qui fratrem inopem odit, etiam ab amicitia recedit.* Quod dupliciter accipias; Primò, q d. Qui amicum pauperem odit oſtendit ſe verè non eſſe amicum: amici enim eſt amico in neceſſitate, v.g. in paupertate conſtituto ſuccurrere. Secundò, q.d. Qui odit paupertatem & pauperem, ineptus eſt ad amicitiam: amicus enim in omni fortuna amico adhæret & copulatur, nec opes amici, ſed mores & amicitiæ honeſtum ſpectat.

VERS. 8.

QVI TANTVM VERBA SECTATVR, NIHIL HABEBIT: QVI AVTEM POSSESSOR EST MENTIS, DILIGIT ANIMAM SVAM: ET CVSTOS PRVDENTIÆ (Syrus, *qui fidelitatem ſeruat*) INVENIET BONA] Hebr. *qui perſequitur verba, non ipſa* (id eſt *non erunt*) *poſſidens cor diligit animam ſuam; cuſtodiens intelligentiam ad inueniendum bonum*; Chald & Syrus, *vbi ſunt qui inſectantur verbis ſuis, nihil* (gratiæ & amicitiæ) *eis erit reſiduum. Qui poſſidet cor bonum, cuſtodit animam ſuam; qui cuſtodit prudentiam inueniet bonum.* Septuag. verò plura addunt, quæ non ſunt in Hebræo; *Cogitatio bona ſcientibus eam appropinquabit, & vir prudens inueniet* (auctor Catenę Gręc. *facilè deprehendet*) *eam. Multa mala faciens perficiet malitiam, qui autem contendit* (nonnulli legunt ἐκκεντῶν, id eſt *pungit, ſtimulat*) *verbis, non ſaluabitur. Qui poſſidet prudentiam, diligit ſeipſum; qui autem cuſtodit prudentiam, inueniet bona.* Pro *perficiet malitiam*, auctor Catenæ Græcorum vertit, *ad malitia faſtigium pertinget.*

Iam multi prima verba: *Qui tantùm verba ſectatur, nihil habebit*, iungunt verſui præcedenti. Vnde Primò, Rabbini in *Bereſcit rabba*, id eſt in Geneſi magna, putà in Magno commentario Geneſeos, & in eis R. Salomon hic, pro לֹא הֵמָּה *lo hemma* per א id eſt *non illa*, legentes לוֹ הֵמָּה *lo hemma* per ו, id eſt *ipſa illa*, ſic vertunt, *qui alium proſequitur verbis*, putà accuſationibus, calumnijs vel probris, *ipſi illa*, id eſt in ipſummet illa recident, in illius caput reuoluentur; atque explicant de Ioſeph patriarcha: Qui, inquiunt, accuſauit fratres apud patrem mendaciter de tribus criminibus. Primum, quòd viuentium membra ederent; ſed hoc in ipſum Ioſephum recedit, cùm ipſe viuẽs à fratribus diuenditus eſt Iſmaelitis. Secundum, quòd ancillarum patris ſui, putà Balæ & Zelphæ, filios aſpernarentur: hoc quoque in ipſum recidit, dum ipſe idcirco in ſeruitutem ab Iſmaelitis abductus eſt in Ægyptũ, ac in ſeruum venditus fuit Putiphari. Tertium, quòd fratres cõnijcerẽt oculos in alienigenas mulieres: hoc quoque in ipſum recidit, dum vxor Putipharis oculos conijcit in Ioſeph, ac renuentem ſibi obſequi in vincula conijci curauit. Verùm hæ ſunt Fabellę Rabbinicę, imò calumnię & blaſphemię in Ioſephum Patriarcham & Prophetam eximiè ſanctum: cuius proinde accuſatio fratrum vera fuit, non mendax calumnia, vti patet ex ijs quæ dixi Gen. 37.2. Aptius eſt, quod ſubdit Aben Ezra: *Qui autem poſſeſſor eſt mentis*, hebr. eſt, inquit, *qui acquirit cor*, id eſt qui comparat ſcientiam (hæc enim cordis nomen ſortitur) hic *diligit animã*, id eſt vitam *ſuam*, vt eam vſque ad ſenectutis ætatem producat. Secundò, meliùs alij hæc ita verſui præced. connectunt. q. d. Amicus recedit à paupere, qui dum

Tria crimina Ioſephi fabuloſa.

dum ſectatur verba promiſſionum ſibi ab amicis factarum, hoc eſt, dum illa repoſcit inuenit ea non ſubſiſtere, ſed caſſa eſſe & irrita, ideoque nihil ex ijs, quæ ſectatus fuit, aſſequitur.

Verùm Noſter, Chald. Syrus, Sept. & ceteri, Id *Qui tantùm verba ſectatur nihil habebit*, referunt ad ſequentia: *Qui autem poſſeſſor eſt cordis, diligit animã*: horum enim ſunt antitheſis. Vnde Primò, noſter Salazar profundè per *cor* accipit ſecretum: per cũ, *qui verba ſectatur*, reuelatorẽ ſecreti. q.d. Inter prudentem & imprudentem hoc intereſt, quòd vir imprudens ſui non compos, verbis temerè effutis mentem ſuam vbique prodit, ac proinde ſecreti & arcani nihil ſibi ſeruat. At prudens cautuſque vir, qui poſſeſſor eſt mentis ſuę, nimirum qui ſui compos eſt, nec temerè aperit conſilia ſua, diligit animam ſuam, id eſt, ſe mancipium à multis malis & infortunijs immunem ac liberum præſtat, quæ ex proditione mentis & conſiliorum euenire ſolent.

ET CVSTOS PRVDENTIÆ INVENIT BONA] Hic ſcilicet, qui prudenter conſilia ſua celat, non ſolùm mala vitat plurima, ſed etiam pleraq; bona ſibi comparat, quæ ſæpiùs conſilijs cautè celatis efficaciter aſſequi licet: itaque *prudentiæ cuſtodem* vocat eum, qui prudentiſſima conſilia ſua apud ſe cuſtodit clauditque.

Secundò, planiùs, pleniùs, generaliùs, magiſque adæquatè opponit ſectantem verba poſſeſſori mentis, & cuſtodi prudentiæ, id eſt eum qui ſolis verbis paſcitur, illi qui per ſapientiam poſſidet cor, huncque illi longè præfert. q.d. Qui paſcitur verbis, paſcitur vento: verba enim mox vt prolata ſunt, in ventum abeunt & euaneſcunt: nihil ergo habebit: at qui paſcitur ſapientia, poſſidebit eam, imò per eam fiet poſſeſſor cordis, id eſt mentis, vt omnes eius affectiones, actiones, motus ſapienter iuxta dictamen rectæ rationis & legis diuinæ regat componatque. Quare talis diligit animã ſuam, quia illi optimè conſulit, ac felicitatem & gloriam æternam conciliat. Igitur cuſtos ſapientiæ & prudentię inueniet bona tum præſentia in terris, tum æterna in cælis. Vnde Ianſenius: Senſus eſt, inquit q.d. Qui ſiue docendo, ſiue audiendo alios, tantùm ſectatur verba, hoc eſt, ornatum verborum tantùm ſpectat, ſolùm curans vt bene & eleganter dicat, non vt bona & vtilia proferat aut audiat: aut qui id tantùm agit, vt dicat aut audiat, non autem vt ea, quæ dicit aut audit, etiam faciat; is nullum ſolidum fructum inde conſequetur. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Et: *Qui fecerit & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Qui verò *poſſeſſor eſt mentis*, vel vt eſt hebraicè, *cordis*, hoc eſt qui cordatus eſt, nec contentus eſt verbis, ſed intra ſe poſſidet ſapientiam, eamque animo retinet, meditando iugiter in lege Dei, is verè *diligit animam ſuam*, hoc eſt ſeipſum; quia ſibi bene proſpicit & benefacit: & qui prudentiam non tantùm audit, ſed etiam cuſtodit in animo ſuo & operibus, is inueniet bona & in præſenti & in futuro ſęculo. *Beati enim qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Accedit & Lyran. *Qui tantùm verba ſectatur nihil habebit.* Hoc, inquit, dupliciter exponitur. Vno modo de diſcipulo, qui magis diligit ornatum verborum, quàm bonam ſcientiam, & ille nihil reportat veritatis à doctore, aut ita parum, vt pro nihilo cõputetur. Alio modo de doctore, qui habet bona verba, & nulla facta; & iſte nihil pręmij reportabit à Deo: & huic conſonat litera ſequens cùm dicitur: *Qui autẽ poſſeſſor eſt mentis*, per virtutes morales, quibus vires ſenſitiuæ continentur in obedientia rationis, *diligit animam ſuam*: quia vult ei verum bonum, quod eſt bonum virtutis. *Et cuſtos prudentiæ*, quæ dirigit virtutes morales, *inueniet bona*, gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. huc uſque Lyran.

Hinc D. Thom. 1.2 q.25 art.7. docet ſolos bonos diligere ſeipſos, malos verò ſe odiſſe, idque probat ex quinque proprietatibus amoris & amicitiæ aſſignatis ab Ariſtot. 9. Ethic. cap. 4. *Vnuſquiſque enim amicus*, inquit, *primò quidem vult ſuum amicum eſſe & viuere: ſecundo, vult ei bona: tertio, operatur bona ad ipſum: quartò, conuiuit ei delectabiliter: quintò, concordat cum ipſo, quaſi cum eodem delectatus & contriſtatus. Et ſecundùm hoc boni diligunt ſeipſos, quantum ad interiorem hominem: quia etiam volunt ipſum ſeruari in ſua integritate, & optant ei bona eius, quæ ſunt bona ſpiritualia, & etiam ad aſſequenda opera intendunt, & delectabiliter ad cor proprium redeunt: quia ibi inueniunt bonas cogitationes in præſenti, & memoriam præteritorum bonorum, & ſpem futurorũ bonorum ex quibus delectatio cauſatur. Similiter etiam non patiuntur in ſeipſis voluntatis diſſenſionem: quia tota anima eorum tendit in vnum. E contrario autem mali non volunt conſeruari in integritate interioris hominis, neque appetunt ei ſpiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile eſt eis ſecum conuiuere redeundo ad cor: quia inueniunt ibi mala & præſentia, & præterita, & futura quæ abhorrent; neque etiam ſibi ipſis concordant propter conſcientiam remordentem ſecundùm illud Pſalm: Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Et per eandem probari poteſt, quod mali amant ſeipſos ſecundùm corruptionem exterioris hominis: ſic autem boni non amant ſeipſos.*

Soli boni amant ſe, mali oderunt ſe.

Igitur qui verba ſectatur, ſimilis eſt chamæleonti qui aura paſcitur: qui verò ſectatur ſapientiam, qua fit poſſeſſor mentis, ſimilis eſt homini qui ſolido cibo veſcitur, quo roboratur & vegetatur ad opera virilia & heroica: ille philologus eſt, hic philoſophus: ille verboſam & inanem eloquentiam, hic realem & ſolidam ſapientiam venatur: illi dicas illud quod loquaci Rhetori vel fabulæ peroranti dixit vir ſapiens: *Incipit flumen verborũ & mentis gutta.* Et illud quod Laco luſciniæ, cùm plumis reuulſis minimum reperiſſet carnium, dixit, teſte Plutarcho in Lacon. *Vox es, & præterea nihil.* Quocirca Thales, qui fuit primus ſeptem Græciæ Sapiẽtum, apud Laërt. lib. 1. cap. 1. ait, *multa verba non arguere ſapientiam.* Sapiens enim non niſi cùm res poſtulauerit, loquetur, & paucis ſuam abſoluet ſententiam: inſipiens ergo eſt graculus, quia garrulus: ſapiens verò eſt cygnus, quia ſilens & tacitè ſapiens. Vnde illud Gregorij Nazianz. epiſt. 1. ad Celeuſium ſibi ſilentium exprobrantem: *Tunc cantabunt cygni cùm graculi tacuerint.* Similia in verboſos ſunt Græcorum & Latinorum prouerbia Syneſij epiſt. ad Theophilum: *Leuiſſima res oratio.* Homeri, qui paſſim verba vocat ἐπτερόεντα, id eſt volucra ſiue alata Iuuenalis: *Volat irreuocabile verbum.* Ciceronis: *Sunt Hermadori verba mercimonium.* Hermodorus enim pro mercibus vendebat verba ſcriptaque Platonis. Huc faciũt illa vſu trita: *Turture loquacior, cicadâ vocalior: Hirundinum muſæ: Arabius tibicen: Architæ crepitaculum: Dodonæum æs: Daulia cornix: Lingua quo vadis? Telenia Echo:* λογόμενος, qui præter verba nihil affert: *Verba pro farina*; cùm è contrà moneat Iuriſconſultus, *pactum re non verbis*

Gnome in loquaces.

Prouerbia.

verbis augendum eſſe : Verbigerari : Verbis pugnas mouere : Verborum ſtrepitu ne quid moueare.

Verſ. 9. FALSVS TESTIS NON ERIT IMPVNITVS: ET QVI LOQVITVR MENDACIA, PERIBIT] *Mendatia* accipe nociua & pernicioſa : hæc enim plena & perfecta ſunt mendacia, qualia ſunt calumniatorum, ſuſurronum, ſeditioſorum, hæreticorum, &c. qui ſuis mendacijs & calumnijs rixas & bella concitant. Vnde Septuag. vertunt, *qui autem accendit malum, peribit ab eo.* Iuſta enim numinis vindicta fit, vt ſuſurrones, calumniatores, ſeditioſi, &c. deprehenſâ eorum falſitate & peruerſitate, illius pœnas dent vel per iudicem, vel per plebem, vel per Deum, aut in rixa & bello, quod ſuſcitarunt, communi cladi inuoluantur, & cum rixantibus occidantur & pereant. Hæc ſententia repetitur : audiuimus enim eamdem v. 5. vbi eam fuſiùs explicui.

B

Verſ. 10. NON DECENT STVLTVM DELICIÆ, NEC SERVVM DOMINARI PRINCIPIBVS] Hebr. *non eſt decora ſtulto delectatio, vel voluptas, quanto magis ſeruum dominari principibus*, repete *non eſt decorum* ; Septuag. *non conferunt ſtulto deliciæ : & ſi ſeruus incipiat cum contumelia dominari*, vel *in dynaſtam & principem dominari* : vtrumq; enim ſignificat Græcum *δυναστεύειν*, vt notat auctor Catenæ Græc.

Primò, Vatabl. ſic exponit. q. d. Non decet ſtultum delectatio, id eſt, non decet ſtultũ pace conſcientiæ frui, quæ eſt ſumma lætitia. Ratio eſt: quia conſcientiam habet ſibi ſimilem, id eſt ſtultam, temerariam & impiam; quæ non niſi turbida, tumultus, lites & rixas ſpirat, vnde pace frui nequit.

Secundò, alij. q. d. Non decet ſtultum vt ſe oblectet falſa opinione ſapientiæ, de eaq; ſibi blandiatur, perſuadendo ſcilicet ſe eſſe ſapientem, imò octauum ſapientum, & ſapientiſſimum mortaliũ, vti ſubinde ſuperbos ſtultè ſibi perſuadere cernimus. Quid enim eo ſuperbius? quid ſtultius? multo minùs decet, ſi ſeruus, id eſt homo plebeius & vilis, ita ſe efferat, vt principibus ſe ſapientia vel induſtria, &c. antecellere, æſtimet, eoſque præ ſe deſpiciat.

C

Tertiò, planè & genuinè. q. d. Non decet ſtultum deliciari, vel delicatè ab hero alijſq; tractari, multo minùs decet ſeruum dominari, id eſt imperioſè præeſſe & imperitare (hoc enim eſt מושל *moſiel*) principibus. Appoſitè comparat ſtultum ſeruo: quia ſeruus ſeruili, id eſt hebeti & ſtolido, eſt ingenio inſtar ſtulti: viciſſim ſtultus eſt ſeruus ſuæ ſtultitiæ ſtultæque cupiditatis. Eſt argumentũ à minori ad maius, vt patet ex Hebr. q. d. Si non decet ſtultum deliciari, multò magis nõ decet ſeruum dominari, idq; viris principibus. Pro *non decet* hebr. eſt לא נאוה *lo naue*, id eſt, non eſt decorũ, non eſt pulchrum, nec ſpecioſum, hoc eſt turpe eſt, indignum & valdè noxium. Eſt mioſis, ſtultus toto hoc libro intelligitur non phyſicè, id eſt mente captus : hic enim inſtar bruti temperans eſt, nec plus deliciarum ſumit quàm natura ferat; ſed ethicè, id eſt imprudens, deſipiens, qui ſtultè ſuas concupiſcentiãs ſequitur ac ſenſum rationi, humana diuinis, carnalia ſpiritualibus anteponit.

Non decere ſtultum delicias.

D

Ratio à priori eſt, quòd ſtultus ſit liber & diſſolutus, qui omne quod cõcupiſcit, protinus arripit, eoq; voluptuatur, ſeſe opplet & inebriat. Illi ergo congruit diſciplina potiùs quàm deliciæ, caſtigatio potiùs quàm epulatio, virga potiùs quàm vinæ: ſeruo verò ex natura, conditione & ingenio ſuo conuenit ſeruire, non dominari. Quare indeco-

Ratio à priori.

A

rum eſt, & quaſi inuerſus naturæ ordo, ſi deliciæ dentur ſtulto immerenti, qui ijs abutitur, magiſq; ſtuleſcit & inſoleſcit : non verò ſapienti, qui eas meretur, ijſq; rectè vtitur, vt meliùs & iucundiùs orationi, ſtudio & ſapientiæ vacare poſſit. Multò magis indecorum eſt, ſi ſeruus ſtolidus imperioſè dominetur heris & principibus ſapientibus, quorum eſt regere & imperare, præſertim cùm ſeruus, ſi euehatur ad principatũ, ſuperbiat & inſoleſcat, ac tyrannicè dominetur, ſæuiatq; in liberos & potentes, quaſi ſibi contrapoſitos, & toto genere aduerſos, quod indignum videtur, tyrannicum & intolerabile, ac ſæpè cauſa eſt euerſionis regis & regni. Vnde illud c. 30. 21. *Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere : per ſeruum cùm regnauerit : per ſtultum cùm ſaturatus fuerit pane : per odioſam mulierem cùm in matrimonio fuerit aſſumpta : & per ancillam cùm fuerit heres dominæ ſuæ.* Intellige hæc de ſeruis ſeruiliter natis & educatis, ſiue de ijs qui ſeruili ſunt indole & ingenio, ideoque hebetes, viles & abiecti. Nam ſeruus liberaliter educatus, vel qui ſapientia & animo pollet, non tam ſeruus eſt quàm liber, ac liberis & nobilibus ſubinde imperat, iuxta illud Eccli. c. 10. 28. *Seruo ſenſato liberi ſeruiunt.* Ita Sextus Romanorum rex ſeruus fuit & ſerua natus, indeq; vocatus Seruius Tullus ; cùm enim illi adhuc puero dormienti circa caput flamma emicuiſſet, prodigium hoc Priſci Tarquinij regis vxor Tanaquil admirata, Seruium ſerua natum in modum filij educauit, & ad regium faſtigium euexit, ait Valer. Maxim. l. 1. c. 6. atque Seruius hic præcipuus ſancitor legum fuit, ait Tacitus l. 3. Sic Ioſeph ſeruus Putipharis, ob ſapientiam & prophetiam à Pharaone euectus fuit ad principatum Ægypti, Gen. 41. 40. Verùm enimuerò ſerui ſapientes dum ad gradum altiorem, vel etiam regnum euehuntur, ſummè ſtudent modeſtiæ & humilitati, vt mitigent rei indignitatem, & ſopiant inuidiam nobilium, eoſque ſibi concilient. Ita fecit Agathocles, qui ex figulo factus rex Siciliæ, in figulinis vaſis cœnabat, vt priſtinæ tenuis fortunæ memor ſubditis ſeſe non anteferret, ſed æquaret, imò ſupponeret : de quo eleganter & ſapienter Auſonius in Epigramm. ſect. 1.

Hoc ſtulti dominaris cur?

Fictilibus cœnaſſe ferunt Agathoclea regem,
Atque Abacum Samio ſæpè oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vaſis,
Et miſceret opus pauperiemq; ſimul :
Quærenti cauſam reſpondit : Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicumque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

Agathocles ex figulo rex.

Myſticè, non decet ſtultam concupiſcentiam delicijs indulgere, ſed potius ab ijs refrænare, ne in gulam, ebrietatem, libidinem, aliaq; ſcelera velut ſus in lutum proruat. Similiter non decet ſeruum hero & principi, id eſt corpus animo, ac ſenſum rationi & menti dominari, ſed potiùs illi ſubijci, ab eoq; regi, ſi enim corpus contra mentem dominatum obtineat, non proderũt illi vllæ ſpirituales deliciæ, ait auctor Catenæ Græc. Additq; *Sancti in continuis rerum ſpiritualium delicijs ætatem tranſigunt. Ad hos namque pertinet illud: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui : hæ autem deliciæ apud ſtultos & improbos nullum locum habent.* Rurſum non decet ſeruum, id eſt eum qui ſeruit ſuis paſſionibus & vitijs, euehi in principem vel Prælatum, vt dominetur ſapientibus & principibus, puta

probis & iuſtis, qui ſapienter cupiditatibus ſuis, animo & affectibus dominantur. Ita Beda: *Non decent*, inquit, *hæreticum delicia Scripturarum, quia his bene vti non nouit: neque illum, qui ſeruus adhuc peccati eſſe probatur, præferri alijs in regimine Eccleſiæ.*

Vers. 11. DOCTRINA VIRI PER PATIENTIAM NOSCITVR: ET GLORIA EIVS EST INIQVA PRÆTERGREDI] *Doctrina* hic non ſpeculatiua, ſed practica intelligitur, putà ſapientia, prudentia, diſcretio. Multi enim ſunt docti ſpeculatiuè, qui tamen ſunt impatientes, imò ſpeculatio non rarò cauſat impatientiam: at verò qui ſapiens eſt & prudens, is ſimul & patiens eſt. Hebr. *intelligentia viri prolongat narem*, id eſt iram eius: ira enim in naribus cernitur. Vnde Hebræi longum naribus vocant tardum ad iram; breuem verò, vel arctum naribus, vocant citum pronumq; in iram. Senſus ergo eſt. q. d. Intelligentia & ſapientia prolongat iram, id eſt facit hominem iræ potentem, patientem & longanimem. Prudentia enim eſt mater patientiæ: dictat enim in aduerſis illam, velut vnicum malorum remedium, exercendam & capeſſendam eſſe. Symmach. & Theodot. *prudentia hominis longanimitas eius*; Syrus, *doctrina viri eſt patientia*; R. Salomon, *ſi vir iram cohibeat, mente præſtabit*; Chald. *intellectus hominis eſt differre furorē ſuum*; Aben Ezra, *à viri prudentia & doctrina furor protrahitur*; R. Leui, *viri prudentia iram producere parat, ne facilè ab illa inflammetur, cùm illa occurrunt quæ bilem ciere ſolent*; Septuag. verò, *miſericors vir longanimis eſt*: quia ſcilicet prudentia dictat miſericordiam, ſcilicet miſericorditer & longanimiter tolerandas eſſe proximorum infirmitates, defectus, dicteria & iniurias: prudentia ergo gignit patientiam mediante miſericordiâ, iuxta illud, *Charitas patiens eſt*, 2. Cor. 13. Sic enim & miſericordia patiens, imò compatiens eſt.

Sapientia noſcitur ex patientia.

Primò. Iam Primò, S. Gregor. hom. 35. in Euang. c. 3. parte Paſtor. admon. 10. hæc accipit de doctoribus: horum enim eſt id quod docent, confirmare per patientiam. *Per impatientiæ vitium*, inquit, *ipſa virtutum nutrix doctrina diſſipatur. Scriptum namque eſt: Doctrina viri per patientiam noſcitur. Tanto ergo quiſque minùs oſtenditur doctus, quanto conuincitur minùs patiens. Neque enim poteſt veraciter bona docendo impendere, ſi viuendo neſcias æquanimiter mala aliena tolerare.* Huc accedit Beda ac Lyran. qui hæc accipiunt de Apoſtolis ac viris Apoſtolicis, qui doctrinam ſuam ac prædicationem Euangelij obſignarunt ſuâ patientiâ tot laborum, dolorum, mortis & martyrij. Reipſa enim oſtenderunt, quàm vera & ſalutaris eſſet doctrina Chriſti, cùm pro ea mori non dubitarunt, cumq; omnia iniqua, id eſt omnes illecebroſas iniquitates huic doctrinæ repugnantes, generosè prætergreſſi ſunt, vt illi ſe, ſuoſq; actus per omnia cōformarent. Significatur ergo, Apoſtolos ſuam doctrinam confirmaſſe per duo, ſcilicet per patientiam, & per vitæ innocentiam. Igitur hi auctores *doctrinam* actiuè accipiunt: qua ſcilicet doctor ea quæ docet per patientiam & ſanctitatem probat & corroborat.

Secundò. Secundò, alij *doctrinam* paſſiuè accipiunt, ſcilicet quàm à doctore excipit hauritque diſcipulus. q. d. Probus diſcipulus ſe oſtendit doctrinæ ſalutaris, & veræ ſapientiæ, eſſe ſtudioſum. Primò, per patientiam, qua & patienter magiſtrum audit, & ex eius doctrina aduerſa quæque æquanimiter tolerat, iuxta illud Iacobi c. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad* A *iram*: cupido enim audiendi, & tarditas loquendi, parit tarditatem iraſcendi. Secundò, per fugam iniquitatis, ſi ſcilicet iniqua prætergrediatur: hoc enim docet doctor, ipſaq; doctrina ſapientiæ.

Tertiò. Tertiò, Ianſenius ex Hebræo ſic explicat: Hebræa, inquit, habent, *intelligentia hominis protrahere* (vel *differre*) *facit iram eius*. Qui enim intelligens eſt & prudens, tardus eſt ad iram & vindictam; tum quòd perpendat ſe pleraq; admittere, quæ à Deo ſeueriùs punienda ſunt, ſi pergat in proximum ſeuerus eſſe: tum quod aduertat indecorum eſſe, paſſionibus ſuis obſequi, ſtatimq; ad vltionem & iram proſilire. Deinde, iram impedire animum, ne poſſit cernere verum, atque ex acceleratione vltionis plerumque committi quæ poſtea diſplicent. *Ita enim viri Dei iuſtitiam non operatur.*

Accedit noſter Salazar, qui ex Chaldæo ſic explicat: Chaldæus vertit, *intellectus hominis eſt differre* B *furorem, & pulchritudo eius prætergredi malitiā.* Et cōſonat cum Hebræo: *Intellectus viri prolongauit narē ſuam.* Nam quid aliud eſt narem prolongare, niſi indignationem differre? iram autem differre, extinguere eſt. nam indignatio ſubitò ſæuit, ac ſubitò delæuit: atq; adeò qui illi non ſtatim obtemperat, eamdem differendo fallit atque eludit. Et quidem in hac dilatione iræ ſapientia viri præcipuè declaratur. Nam cùm irā ſola ratio coërcere poſſit, qui ſubitos illius impetus (quos acres & vehementes eſſe conſtat) è veſtigio compeſcit, in eo quidem rationem plurimùm vigere perſpicuè oſtenditur: itaque acceptis iniurijs, non iraſci, non indignari, ſapientiæ maximæ argumentum eſt.

C Hic ſenſus ſubtilis & appoſitus eſt, ſed arctior, nec ſententiæ Hebraicæ & Vulgatæ verſionis vim & pondus adæquat, mentemque exhaurit. Nam hebr. *Prolongare narem*, id eſt iram, non tantùm ſignificat differre iram; ſed eam ſopire, & prorſus extinguere, per patientiam & longanimitatem.

Quartò. Quartò, ergo planè, plenè & adæquatè. q. d. Doctrina, id eſt, vt Hebr. intelligentia & prudentia, viri prolongat iram, id eſt, facit longanimem, patientem & tardum ad iram, imò iræ herum & dominum, vt ad libitum pro re nata eam aſſumat & deponat: vera enim prudentia dictat in aduerſis vſurpandam eſſe patientiam, ac proinde *doctrina*, id eſt prudentia, *viri per patientiam noſcitur*, vt vertit Noſter. Ex eo enim quòd prudentia cauſet patiētiam, rectè ex patientia, velut effectu, cognoſcitur prudentia eius cauſa, ita vt verâ certaq; conſequētiâ, & argumento ab effectu ad cauſam colligas: D Hic homo eſt patiens, ergo eſt prudens, quia prudentia infallibiliter cauſat patientiam. Viciſſim ex cauſa colligas effectus, Petrus eſt ſapiens, ergo eſt & patiens. Atque è conuerſo: Iudas impatiens eſt, ergo inſipiens. Viciſſim: Iudas inſipiens eſt, ergo impatiens. Dicit hoc Salomon, vt vulgi errorem confutet. Vulgus enim æſtimat eos, qui patienter tolerant probra & iniurias, eſſe ſimplices & puſillanimes, viles & abiectos. Contrarium ergo his docet Salomon, nimirum Primò, inſigniter ſapientes & prudentes eſſe, qui patienter ſuſtinēt probra & aduerſa. Secundò, magnanimos & glorioſos eſſe, qui iniurias non vindicant, ſed eas magno animo tranſſcendunt & contemnunt. Hoc eſt enim quod ſubdit: *Et gloria eius eſt iniqua prætergredi.*

Alludit ad phyſiognomiam hominis & animalium: omnia enim animalia, quæ breues habent nares, & modicè reſpirant, ſunt infirma & inuali- *Qui latis ſunt naribus, ſunt fortes: aq[illegible]*

da;

da; quæ verò longas lataſq; habent nares, & magnum attrahunt ſpiritum, ſunt fortia & valida, aptaque ad magna onera ferenda: quia abundant calore, indeq; robore. Ideo enim magnum attrahunt ſpiritum: quia magnarum ſunt virium, & vt magnum calorem, quo æſtuant, temperent. Sic qui longas habent nares, vt habent Hebr. id eſt qui longum ducunt patientiæ ſpiritum, animo ſunt magno & valido ad multa aduerſa fortiter ſuſtinendũ: qui verò breues habent nares, id eſt arctum patientiæ ſpiritum, animo ſunt paruo & inualido ad aduerſa, dura & grauia ſufferendum. Rurſum longitudo narium ſignum eſt patientiæ & prudentiæ, teſte Ariſtot. in Phyſiognom. Vnde illud:

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Sic ergo Phyſica conſonat & ſubſeruit Ethicæ, nimirum longitudo narium deſignat prudentem & fortem, ſicut longitudo animi, id eſt patientia & longanimitas, ſignum eſt animi ſapientis, validi & magnanimi. Vnde illud Cant. 7. 4. *Naſus tuus ſicut turris Libani, qui reſpicit contra Damaſcum*, in quem locum vide S. Gregor. Rupert. Philonem Carpathium, noſtrum Delrio & Giſlerium.

Cur ſapiens eſt patiens? Ratio à priori. Primò. Ratio à priori eſt Primò, quòd ſapiens & prudens ſapienter intelligat, in hac vita adeò infelici & miſera, multa aduerſa homini eſſe expectanda & toleranda, ac proinde ad ea ſe comparat, vt per patientiam ea facilè ſufferat: ſcit enim, ſi in ijs ſit impatiens, malum maliq; ſenſum ſe duplicaturum: cruciabitur enim & ſenſu mali, & ſenſu ſuæ impatientiæ, cùm ſimplum habiturus ſit dolorem, ſi patiens ſit: tantùm enim affligetur ſenſu mali; ſed & hunc imminuet & alleuiabit per patientiã. Adde, quòd, ſi ſit impatiens, incurret offenſam Dei, ac nouæ pœnæ & cruciatus ab eodem infligendi reatum. Qui ergo ſapit, vt hanc offenſam & reatum euitet, cauet ab impatientia, ſtudetq; patientiæ.

Secundò. Secundò, quòd ſapiens prudenter intelligat, ſummum huius vitæ animæq; bonum eſſe pacem; pacem autem gigni à patientia: quare in omnibus aduerſis patientiam amplectitur, vt pacem animæ adeò optatam cõſequatur. Vnde S. Chryſoſt. hom. 33. in epiſt. 1. ad Corinth. *Lenitas*, ait, *& patientia eſt radix totius philoſophiæ; quocirca dicebat quidam ſapiens: Vir patiens eſt multæ prudentiæ.* Nam, vt ait Chriſtus Lucæ 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

Tertiò. Tertiò, quòd ſapiens ſit magni animi, quocirca magna tolerat, iuxta illud Senecæ in Troade:

Quo plura poſſis, plura patienter feras.

Rurſum intelligit vindictam eſſe opus animi abiecti & feminei, ideoque ſe indignum, iuxta illud Iuuen. ſatyr. 13.

Infirmi eſt animi exiguiq; voluptas
Vltio: continuò ſic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet quàm femina.

Ex aduerſo S. Chryſoſt. loco iam citato: *Lenis*, inquit, *& patiens idcirco dicitur μακρόθυμος, id eſt longanimus, quòd longam quamdam & magnam habeat animam: nam quod eſt longum, dicitur etiam magnum: animam vero ſpes longam efficit.* Et Valer. Maxim. l. 3. *Longanimiter ſe in aduerſis gerere*, inquit, *quid aliud eſt, quàm ſæuientem fortunam pudore victam in ſui adiutorium conuertere?*

Quartò. Quartò, quòd ſæpiùs ſciat irã & vindictã non tolli, ſed augeri & exacerbari malum, tam ſuum, qui illud patitur, quàm inimici, vel æmuli, qui illud agit & infligit: patientiã verò vtrumque ſeniri, ſopiri & extingui.

Denique ſcit, ſapientis & magni animi eſſe, ſuperiorem ſe exhibere & ſublimiorem omni iniuria, fortuna & aduerſitate: quare omnia generosè deſpicit, mentemque in Deo & cælo defigit quaſi mundo ſuperior, ciuis angelorum, animæ poſſeſſor, cæli dominus, Dei filius & heres.

Exemplar huius ſapientiæ fuit Chriſtus Dominus, qui ſummam ſapientiam oſtendit in ſumma patientia tormentorum maximorum & crucis acerbiſſimæ: adeò vt hæc patientia certum argumentum fuerit diuinitatis illius, ſcilicet eſſe Deum qui tanta tam placidè & fortiter tolerabat, præſertim quia illa tolerabat, quia dixerat ſe eſſe Deum, ac vt oſtenderet ſe verè, vt dixerat, eſſe Deum. Niſi enim verax fuiſſet & ſanctus, vtique non potuiſſet tanta tolerare. Mendax enim & ſuperbus ſui iactator millies in tantis tormentis defeciſſet, ſuamque iactantiam & impatientiam oſtendiſſet. Hoc eſt quod ait Apoſtol. Epheſ. 3. 18. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Vbi fusè egi de quatuor dimenſionibus crucis Chriſti, æquè ac patientiæ ac charitatis.

Hinc ſequitur menſuram ſapientiæ eſſe menſuram patientiæ, ac, quantũ quis creſcit in patientia, tantum & creſcere in ſapientia. *Menſura ſapientiæ eſt menſura patientiæ.* Vnde S. Greg. l. 2. in Ezech. hom. 21. *Scriptum eſt*, inquit, *Doctrina viri per patientiam noſcitur. Si itaq; index doctrinæ patientia eſt, tanto quiſque doctus oſtenditur, quanto patiens fuerit.* Iam tres ſunt patientiæ gradus. Primus eſt, patienter pati aduerſa; Secundus, libenter; Tertius, gaudenter quælibet dura ſufferre. Ijdem ſunt gradus ſapientiæ. Vnde S. Bernard. tertium hunc gradum aſſerit eſſe proprium ſapientiæ, quæ à ſapore nomen habet, ideoq; ſapit & guſtat aduerſa. *Ad virtutem*, inquit, *ſpectat iniurias fortiter ferre, ad ſapientiam in tribulationibus gaudere: nam ſuſtinere Dominum, virtutis eſt; guſtare autem & videre, quia ſuauis eſt Dominus, ſapientiæ.* Vide eumdem ſer. 48. in Cant. & ſer. de ſapientia, obedientia & patientia.

ET GLORIA EIVS INIQVA PRÆTERGREDI] Chald. *& pulchritudo* (Syrus, *laus*) *eius prætergredi malitiam*; Aquila, *gloriatio eius gradi ſuper præuaricationem*; Symmach. *ſplendor eius ſupergredi iniuſtitiã.* Primò, R. Salomon, Aben Ezra, Beda, & alij exponunt. q. d. Gloria hominis eſt fugere iniquitatẽ & ſectari æquitatem. Honor & decus viri, quo à ceteris afficitur, in eo ſitus eſt, vt crimina inoffenſo pede prætergrediatur. Sed quid hoc ad prius hemiſtichium? Secundò, Septuag. vertunt, *gloriatio autem eius ſuperuenit iniquos*, quod Scholiaſt. exponit. q. d. Iuſti gloriatio eſt punire iniquos, hæc enim eſt gloria & decus iuſtitiæ vindicatiuæ. Sed hic ſenſus videtur aduerſari hemiſtichio præcedenti. Vnde planiùs & cõcinniùs auctor Catenæ Græc. ſic explicat. q. d. Dum patitur vir pius & miſericors exultant & gloriantur iniqui. Tertiò, Ianſen. & Vatabl. q. d. Gloria hominis eſt conuenire ad tranſgreſſionem fratris ſui. Vir enim excelſus aliorum lapſus diſſimulat, & quaſi non videt: quia altiora cogitat, & mente in cælis cum Deo & Beatis verſatur. Quartò, genuinè, planè & appoſitè ad prius hemiſtichiũ. q. d. Non probroſum, vt vulgus exiſtimat, ſed honorificum & glorioſum eſt, contemptus, præuaricationes (has enim ſignificat Hebr. פשע *peſcha*) & iniurias ſibi illatas alto pede & animo

more excelſo tranſgredi, deſpicere & tranſilire. Vnde Tigurin. vertit, *prudens homo differt iram ſuam, & delicta diſſimulando maior & maior fit.* Rationem à priori dat S. Chryſoſt. hom. 22. in epiſt. ad Rom. & 16. in epiſt. ad Epheſ. quòd ſancta ſummaq; vltio ſit, iniuriam diſſimulare & condonare. *Nihil*, ait, *æquè confuſionem facit ingerenti mala, ſicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo, neque in opere reddere vindictam.* S. Baſilius hom. de Ira: *Inimicum ſi deſpexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim aduerſario durius eſſe poteſt, quàm te animum gerere iniurijs omnibus altiorem? ſine illum fruſtra te adlatrare, in ſeipſo diſrumpi.* Nuper Philippus II. Hiſpan. Rex mirè patiens iræque potens, cùm literis manu ſua ad Pontificem ſcriptis, famulus præceps pro puluere atramentum inieciſſet, ſubriſit, aliamque popoſcit chartam ad reſcribendas literas, dicens: *Qui neſcit tolerare, neſcit regnare.*

B Hoc ſignificat Heb. תִּפְאַרְתּוֹ *tipharto*, id eſt gloria eius, decor, ornatus, ſplendor, magnificentia, eſtque gradatio. q. d. Sapientis eſt patienter ferre aduerſa, adeoque eximia ſapientia eſt patientia: at verò aduerſa, probra & iniurias prætergredi, id eſt diſſimulare, deſpicere, & quaſi non videre, non curare, nihili facere; ingens eſt non tantùm ſapientia, ſed & gloria, ſplendor & magnificentia: hoc enim indicat, imò efficit hominem glorioſum, ſplendidũ & magnificum, vtpote laude & vituperio ſuperiorem, terra celſiorem; ac conſortio, felicitate & gloria Dei & angelorum, quos nulla probra tangunt, perfrui incipientem.

Gloria eſt tranſilire iniurias.

Rurſum, pro *iniqua prætergredi*, heb. eſt עֲבֹר עַל פָּשַׁע *abor al peſca*, quòd Primò, vertas, *tranſire iuxta* vel *præter præuaricationem*, vel *iniquitatem.* Vnde Noſter vertit, *prætergredi iniqua.* Sicut enim peregrini, dum in longinquam regionem abeunt, ibi à C pueris & incolis ſubinde ridentur, ac dicterijs & probris impetuntur, ob peregrinum habitum, linguam & mores: illi tamen ſcientes ſe eſſe peregrinos, omnia illa diſſimulant, & taciti, quaſi ad ſe non pertinerent, prætergrediuntur, ac ſuo itinere pergunt, anhelantes vt ad optatum viæ terminum pertingant. Sic pariter vir ſapiens & patiens, ſciens ſe peregrinum in terra, ciuem verò cæli & domeſticum Dei, omnes iniurias, probra & aduerſa, quæ in peregrinatione ſua per hanc in terra vitam ſuſtinet, prætergreditur, diſſimulat, non curat, imò non aſpicit, quaſi ad ſe non pertinerent, ac per patientiam pergit ſtrenuè ad patriam cæleſtem, dicitque cum Pſalte: *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*, pſalm. 37. 14.

D Secundò, *abor al peſca* vertas, *tranſire* vel *tranſilire ſuper præuaricationem.* Sicut enim viatores, ſi in ſordes, foſſas, vel cloacas incidant, non per eas tranſeunt ne maculentur, ſed eas paſſum dilatando vel ſaliendo tranſſcendunt & tranſſiliunt: ſic pariter ſapiens magno animo ſuperat & tranſſcendit omnia dicteria, conuitia, iniurias, eaſque quaſi viles & exiles infra ſe poſitas, deſpicit, pedibus calcat, imò quaſi in cælo poſitus ex alto videt & ridet. Vnde S. Chryſoſt. hom. 41. in Acta audet dicere: *Non vlciſci, Deo facit æqualem.* S. Iſidorus l. 2. Soliloqu. *Magna*, inquit, *eſt virtus, ſi non lædas eum à quo læſus es: magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas: magna eſt gloria, ſi cui potuiſti nocere, parcas.* Quin & Seneca: *Magni*, ait, *animi eſt iniurias deſpicere, &c. Puſilli hominis & miſeri eſt repetere mordentem, vt mures & formica: ad quas ſi manum conuerteris, ora conuertunt imbecilla; ſe lædi putant, ſi tanguntur.* Exemplum inſigne præbuit Theodoſius Imp. qui conſtitutionem ſanciuit hoc modo l. vnica C. *ſi quis. Si quis*, inquiēs, *modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubingari, neque durum aliquid aut aſperum nolumus ſuſtinere: quoniam ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab iniuria, dimittendum.* Digna profectò tanto principe vox, & quam aureis inſcriptam characteribus ſuis in aulis præferre principes deberent.

Non vlciſci facit ſimilem Deo.

Vidit hoc per vmbram Socrates præcipuus moralis philoſophiæ doctor, qui doctrinam ſuam mira morum lenitate & patientia confirmauit, adeò vt non tantùm ab exteris, ſed etiam ab vxore ſua Xantippe indigna non tantùm verba, ſed & verbera, placido & tranquillo ſemper animo tolerarit, ac tandem carcerem & mortem pro veritate, putà pro vnius Dei aſſertione & cultu, à ſuis ciuibus irrogatam patienter & fortiter ſuſtinuerit, teſte Laërtio in eius Vita.

Verſ. 12. SICVT FREMITVS (Pagnin. *rugitus*) LEONIS, ITA ET REGIS IRA: ET SICVT ROS SVPER HERBAM, ITA ET HILARITAS EIVS] Chald. *fremit ſicut leo ira regis: & ſicut ros ſuper herbam voluntas* vel *beneplacitum eius*; Aquila, Symmach. & Theodot. *gratia eius*; Syrus, *beneuolentia eius.* Hanc enim ſignificat Heb. רְצוֹן *ratſon*; Vatabl. *clementia.* q. d. *vt rore herba vireſcit, ita populus clementia regis creſcit & vires colligit*; Septuag. *regis minæ ſimiles fremitui* (Lucifer Calar. Apol. pro S. Athanaſio legit, *gemitibus*) *leonis.* Pro *leonis* heb. eſt כְּפִיר *kephir*, id eſt leo adoleſcens, qui mediæ eſt ætatis, medius ſcilicet inter catulum & leonem ſtatæ ætatis. Hic enim quia more iuuenũ famelicus eſt, magnamq; habet orexin, hinc prædæ eſt cupidiſſimus, adeoque rugit, fremit, gemit & ſæuit. Huic ſimilis eſt ira regis, ſiue ea iuſta ſit, ſiue iniuſta. Iuſtæ regis iræ hanc gnomen applicat S. Auguſt. epiſt. 68. ad Ianuarium, vbi ait Circumcelliones hæreticos conatos fuiſſe concitare Imperatoris iram in Catholicos, ſed Deum eamdem conuertiſſe in ipſoſmet hæreticos. *Scriptum eſt*, inquit, *Nihil intereſt inter minas regis, & irã leonis. Danielem calumnioſi inimici in lacum leonum mitti coëgerunt, vicit innocentia eius eorum malitiam, illæſus inde leuatus eſt ipſi illuc miſſi perierunt. Similiter maiores veſtri Cæcilianum, & eius ſocietatem, regiæ iræ conſumendã obiecerunt: cuius innocentiâ liberatã, ab eiſdem regibus eadem vos patimini, quæ illos pati veſtri voluerunt, quoniam ſcriptum eſt: Qui parat proximo foueam, ipſe incidet in eam.* Magis tamen conuenit hæc gnome iræ regis iniuſtæ, vti mox patebit. Finis & ſcopus eius eſt Primus, vt oſtendat, quàm ſubditi debeant reuereri regem, eique obſequi, ne eius iram inſtar leonis formidabilem incurrant. Quod enim leo eſt in animalibus, hoc rex eſt in populis: leo enim eſt rex animalium. Vnde Amos c. 3. 8. *Leo rugiet*, inquit, *quis non timebit?*

Secundus, vt moneat reges compeſcere iram, ne, ſi eam ſinant indomitam, imò ei obſequantur, quaſi leones ſæuiant, & lacerent populum. Ita R. Leui. Vnde S. Chryſoſt. regem alloquens hom. 4. in Matth. eum monet, vt iram quaſi ferum leonem contineat & domet. Et Seneca l. 1. de Clementia cap. 5. *Non decet*, ait, *regem ſæua & inexorabilis ira.*

Non

Non multùm enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat. At ſi dat vitam, ſi dat dignitatem periclitantibus & meritis amittere, facit quod nulli, niſi rerum potenti, licet. Quocirca Prouerb. 19. 12. idem ſapienter reges monet: *Quòd ſi dij,* inquit, *placabiles, & æqui, delicta potentium non ſtatim fulminibus proſequuntur, quanto æquius hominem hominibus præpoſitum, miti animo exercere imperium, & cogitare, vtrùm mundi ſtatus gratior oculis, pulchriorq́; ſit ſereno & puro die, an cùm fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? At qui non alia facies eſt quieti atque moderati imperij, quàm ſereni cæli atque nitentis. crudele regnum turbidum tenebriſq́; obſcuratum eſt inter trementes, & ad repentinum ſonitum expaueſcentes, nec eo qui omnia conturbat inconcuſſo.*

Tertius, vt moneat electores regum & principum, ne regem vel principem eligant iracundum, & iræ impotentem. Hic enim ſi fiat rex, graſſabitur in populum vt leo per rapinas, cædes, expilationes, &c. ac nemo ei reſiſtere poterit. Talis fuit Nero, qui crudeliſſimè ſæuijt in ciues, in ſenatum, in Apoſtolos, in Romam vniuerſam. Vnde Apoſt. 2. Timoth. 4. 17. *Liberatus,* inquit, *ſum de ore leonis,* id eſt Neronis. Quare qui reip. conſultum volunt, eligant regem natura mitem & placidum, vti apes eligunt regem carentem communi aculeo, ac placidum. *Iracundiſſimæ,* ait Seneca l. 1. de Clementia c. 19. *ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: rex ipſe ſine aculeo eſt,* &c. *Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior animus eſſe debeat, quanto vehementiùs nocet.* Et poſt nonnulla: *Errat ſi quis exiſtimat tutum eſſe regem, vbi nihil à rege tutum eſt: ſed ſecuritas ſecuritate mutua paciſcenda eſt. Saluum regem in aperto clementia præſtabit: vnum eſt inexpugnabile munimentum, amor ciuium.* Et ſub finem cap. *Proximum illis* (dijs) *locum tenet is, qui ſe ex deorum natura gerit, beneficus ac largus, & in melius potens. Hoc affectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, vt optimus ſimul habeatur.*

Porrò, ira regis appoſitè comparatur fremitui leonis. Primò, quia leo pronus eſt ad iram, & ferè ſemper iratus, atque ira eius grauis eſt, ideoque horrendè rugit & ſæuit. Audi Plinium lib. 8. c. 16. *Leonum animi index cauda, ſicut & equorum aures. Immota ergo, placidus, clemens, blandientiq́; ſimilis: quod rarum eſt: crebrior enim iracundia eius. In principio terra verberatur: incremento terga, ſeu quodam incitamento, flagellantur.* Sic pariter reges naturâ proni ſunt ad iram: quia enim ſublimes ſunt & elati, non ferunt ſe vel in minimo lædi vel deſpici: vnde ſi id fiat, iraſcuntur, indignantur & rugiunt. Hinc Seneca poëta Tragœd. 6. *Grauis ira regum eſt ſemper.* Et Seneca philoſophus l. 3. de Ira c. 30. *Friuolis,* ait, *turbamur & inanibus, taurum color rubicundus excitat, ad vmbram aſpis exurgit, omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternantur ad vana: idem quoque inquietis ac ſtolidis ingenijs euenit, rerum ſuſpicione feriuntur, adeò vt interdum iniurias vocent modica beneficia.* Ita reges, non ſapientes & graues, ſed ſuperbi & feri, vmbris iniuriarum feriuntur & indignantur.

Ira regis ſimilis rugitui leonis. Primò.

Secundò, quia ſicut leo iracundus eſt & fortis, iraque eius acuit fortitudinem, & viciſſim fortitudo acuit iram: ſic in rege iræ iuncta poteſtas eſt, ideoque formidabilis. Nam, vt ait Seneca in Prouerbijs: *Fulmen eſt, vbi cum poteſtate habitat iracundia.* Audi S. Baſilium hom. 9. Hexam. *Vnà cum leone animoſitas & ad incandeſcentiam iræ propenſio illi agnata*

Secundò.

A eſt, vita ſolitaria, expers ſocietatis ad ea quæ genus ſubeunt idem. Velut enim tyrannus quidam animantium rationis expertium, pares honores congreſſioneſque cum ceteris non acceptat, ſed aſpernatur.* Vnde auctor Catenæ Græcor. *Regum minæ,* ait, *rectè leonum rugitui aſſimilantur. Nam, ſi illis ita viſum fuerit, in dicta cauſa ſtatim occidunt. Quis enim, ſi voluerit, prohibebit eos? Siquidem exequendi facultas adiuncta eſt voluntati.*

Tertiò, rugitus leonis adeò terribilis eſt, vt animalia omnia eo percellantur & obſtupeſcant, adeò vt quaſi attonita hæreant, nec ſe loco moueant, quo fit, vt fugere nequeant, ſed à leone accurrente comprehendantur & lanientur. Leo ergo remotas à ſe beſtias rugitu ſuo ſiſtit, ac deinde ad eas accurrit & necat. Sic pariter voces, edicta & imperia regum omnes quantumuis, remotos percellunt, nec ea quis effugere poteſt. Nam ilicò adſunt regij B ſatellites qui ea exequuntur. Audi S. Baſil. loco citato: *Cui* (leoni) *tanta quoque vocis eliciendæ natura præſtitit inſtrumenta, vt animantium complura longè ipſo celeriora ſolo ſæpè rugitu capiantur.* S. Ambroſ. l. 6. Hexamer. c. 3. more ſuo ſecutus S. Baſil. *Leo,* inquit, *naturæ ſuperbus ferocia, aliarum ferarum generibus miſcere ſe neſcit, ſed quaſi rex quidam plurimorum dedignatur conſortium: quæ autem ſe ei ſociare fera audeat? cuius voci tantus naturaliter ineſt terror, vt multa animantium, quæ per celeritatem poſſent impetum eius euadere, rugientis eius ſonitu velut quadam vi attonita atque icta deficiant?*

Tertiò.

Quartò, leo per iram efferatur & furit: ita & rex per iram hominem exuit, feram & leonem induit, imò inſtar furiæ furit. Ira eſt fera, furor eſt furia. Audi Senec. l. 1. de Ira c. 1. *Quidam è ſapientibus iram dixerunt breuem inſaniam,* &c. *Vt autem ſcias* C *inſanos eſſe, quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementiùs acta ſuſpiria; ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur; dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli; ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugituſq́; & parum explanatis vocibus ſermo proruptus, & complosæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſq́; iræ minas agens, fœda viſu & horrenda facies, deprauantium ſe atq; intumeſcentium.* Subdit deinde omnia animalia per iram feritatem ſuam exaſperare. *Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: taurorum cornua iactantur in vacuũ, & arena pulſu pedum ſpargitur: leones fremunt: inflantur iratis colla ſerpentibus: rabidarum canum triſtis aſpectus eſt.* D *Nullum eſt animal tam horrendum, tamq́; perniciosum natura, vt non appareat in illo, ſi ira inuaſit, noua feritatis acceſſio.*

Quartò.

Ira eſt quaſi furia.

Quintò, phyſici perhibent, leonem ex ira & rabie emori, ideoq; morientem gemere & lacrymari. Vnde Plinius loco citato: *Creditum,* inquit, *eſt à moriente humum morderi, & lacrymam letho dare,* ſcilicet ex rabie & furore. Vnde & Lucifer legit, *regis minæ ſimiles gemitibus leonis:* ita non rarò principes ex ira & furore, præſertim ſi eam explere ſeque vlciſci nequeant, apoplexia tanguntur & exanimantur, aut ab ijs, quos impetunt, occiduntur. Vide Senecam l. 1. de Ira c. 2. & 3.

Quintò.

Sextò, rugitus leonis prænuntius eſt necis. Leo enim cùm in aliquem rugit mox in eum inuolat, lacerat,

Sextò.

lacerat, occidit & deuorat. Sic & *indignatio regis nuntij mortis*, vti dixi c. 16. 14. Et ſicut leo eum quem laniauit,ſic & rex eum quem ex ira occidit, nequit reuocare ad vitam,etſi eum facti pœniteat, ac iram in clementiam commutarit, ait anonymus in Catena Græc. Rurſum leones integras vrbes & prouincias vaſtant. Vnde Polybius apud Plinium loco citato ait, leones in ſenecta graſſari in homines, *ac tunc obſidere Africæ vrbes: eaq; de cauſa crucifixos vidiſſe cum Scipione,quo cęteri metu pœnæ ſimilis abſterrerentur à noxa*. Sic rex iracundus & ſæuiens integras vrbes,totumq; regnum expilat & vaſtat. Vnde Ezechiel Ioakim regem Iuda comparans leunculo c.19.v.5. *Tulit*, inquit, *vnum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum, qui incedebat inter leones, & factus eſt leo: & didicit prædam capere, & homines deuorare, didicit viduas facere,& ciuitates eorum in deſertum adducere: & deſolata eſt terra, & plenitudo eius, à voce rugitus eius*. Meritò exclamat Seneca l. 1. de Clementia c.vlt. *Quod iſtud, dij boni, malum eſt, occidere, ſæuire, delectari ſono catenarum, & ciuium capita decidere; quocumque ventum eſt,multum ſanguinis fundere, aſpectu ſuo terrere ac fugare? Quæ alia vita eſſet,ſi leones vrſiq; regnarent? ſi ſerpentibus in nos ac noxioſiſſimo cuique animali daretur poteſtas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata abſtinent ſuis, & tuta eſt inter feras ſimilitudo morum. Apud homines tamen nec à neceſſarijs quidem rabies temperat ſibi.*

Septimò. Septimò,leones ponunt iras & fremitus, ſi audiant galli cantum, ſi videant ignes, vel rotarum orbes circumactos, ſi in oculos eorum pallium veſtemue inijcias: hæc enim expaueſcunt. Vnde Plinius loco citato docet,rationem capiendi leonē eſſe, ſi quis in caput eorum velum immittat. *Vix credibili modo*, inquit, *torpeſcente tantâ illâ feritate, quamuis leui iniectu operto capite,ita vt deuinciatur non repugnans; videlicet omnis vis conſtat in oculis*. Ita reges iracundi & tyranni timent vmbras, res nihili ſuſpectas habent; nimirum populi concurſum & globum expaueſcunt, putantes ſe peti, ſe ad necem quæri,vt contigit Neroni; præſertim verò ſi oculi eis obuelentur & caput comminatione altioris vel maioris poteſtatis, quæ eos principatu ſpoliatura ſit, illicò ponunt animos & iras. Verè Seneca in Oedip.

Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.

Et apud eumdem Thyeſtes actu 3.

Dum excelſus ſteti numquam pauere deſtiti,
Atque ipſum mei ferrum pauere lateris.

Hoc eſt quod ait Iob c.24. v.22. *Et cùm ſteterit, non credit vitæ ſuæ*. Nam vt ait S.Chryſoſt.hom.2. in Matth. *Semper maior poteſtas maiori timori ſubiecta eſt. Sicut enim rami arborum in excelſo poſitarum,etiamſi leuis aura flauerit, mouentur,ſic & ſublimes homines etiam leuis nuntij fama conturbat*. Sic aduentum Magorum *audiens Herodes rex turbatus eſt*, Matth.2. Sic Domitianus Imp. adeò pauidus erat & ſuſpicax, *vt parietes porticuum, in quibus ſpatiari conſueuerat ſphengite lapide diſtinxerit,è cuius ſplendore per imagines,quidquid à tergo fieret,prouideret*, ait Suetonin eius Vita c. 14. Verè Petrarcha dial.95. *Contemplare*, inquit, *Caium,Neronem,Domitianum,Commodum,Baßianum &c. videbis vſitatum & communem tyrannorum exitū aut gladium aut venenum.*

Et sicut ros super herbam, ita et hilaritas eius] Alia metaphora & ſimilitudine (quod Hebræis eſt familiare) explet antitheſin.

A Iram enim regis comparauit rugitui leonis, nunc ei opponit regis hilaritatem & beneuolentiam, eamq; componit comperatq; rori ob multas analogias. Primò enim, ſicut ros matutinus Solis ardores temperat,ac herbas æſtu heſterni Solis areſcentes humectat, refrigerat & exhilarat, æquè ac homines. qui quot roris ſtillas,tot vnionum margaritas ſibi videntur intueri, quæ & viſum oblectant,& æſtum mitigant,imò Plinius l.9.c.33 docet rorem, cùm in concham apertam illabitur, ac vi cæleſti, præſertim fulminis, conſtringitur, verti in margaritam: ſic pariter ſerenus & hilaris regis vultus ſubditorum timores & mœrores abſtergit, eoſque exhilarat, amœnat, & in ſpem rerum magnarum erigit. *Hilaritas regis ſimilis rori. Primò.*

Secundò, ſicut ros ſuauem auram & halitum vitalem aſpirat animantibus, omnibuſque viuentibus: ſic pariter rex hilari vultu ſuos continens,eis animos,vigorem & vitam aſpirare videtur. *Secundò.*

B

Tertiò, ros pinguis eſt, pinguemque & quaſi oleatum ſuccum germinibus, ſeminibus & plantis inſtillat,itaque eos irrorando impinguat,incraſſat & fœcundat: ſic pariter rex ſua beneuolentia,liberalitate & beneficentia ſubditos alit,ditat, boniſqs omnibus cumulat. *Tertiò.*

Quartò,ros leniter,& ſenſim ſine ſenſu, ſuauiterque herbis illabitur, itaque eis ſuccum vitalem ſuggerit, quo adoleſcant & creſcant in folia, fructus & flores: ſic etiam regis comitas & lenitas leniter ſuauiterque in ſubditos influit,facitque vt opibus delicijſq; creſcant & abundent. Ex aduerſo ira & ſæuitia regis eſt velut imber procelloſus,qui ſecum vehit fulmina & tonitrua, quibus ſegetes herbaſque ſternit,vaſtat,exanimat & perdit. Vnde S.Chryſoſt.ſerm.de manſuetudine tom.5. *Ira*, inquit, *eſt quaſi fulmen & tempeſtas magna in anima, ſeruientemq́; ſibi amentem reddit*. Hinc Chriſti ortus, vita & regnum, quia leniſſimum & ſuauiſſimum, comparatur rori Iſaiæ 45.8. *Rorate*, inquit, *cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*. Vbi multa de rore eiuſque ſymbolis dixi. *Quartò.*

C

Myſticè Beda, Baynus,& Ianſen. hæc accipiunt de Chriſto, qui eſt Rex regum & Dominus dominantium. Chriſtus enim in iudicio hilaris & blandus iuſtis vt ros, ac terribilis apparebit iniuſtis vt leo. Ipſe enim vt leo de tribu Iuda in eos rugiet fulminando ſententiam æternæ damnationis: *Ite maledicti in ignem æternum*. Eiuſdem erga iuſtos & ſanctos fauor, ac vultus hilaritas, tamquam ros herbam irrigans, eoſdem poſt præſentis vitæ dolores & cruces recreabit,ac virere faciet omni gratia & gloria in domo Dei in æternum.

D

Dolor patris, filius stultus; et tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier] Hebr. *contritionis patris filius ſtultus, & ſicut diſtillatio continuans ſunt contentiones mulieris*; Symmach. *& guttæ feſtinantes rixæ mulieris*: ſicut enim eſt guttarum in pluuia,ſic & conuiciorum in rixa reciprocatio. Aquila, *& ſtillicidium continuum contentiones mulieris*; Septuag. *verecundia patri ſuo filius imprudens, & non pura vota de mercede meretricis*; Chald. *filius ſtultus grauis eſt patri ſuo ſicut acida vua* (labruſca, quæ numquam matureſcit & dulceſcit) *& ſicut ſtillicidium,quod diſtillat,litigia mulieris*; Syrus, *confuſio patris filius vecors, & tamquam guttæ ſtillantes cogitatio mulieris*; Vatabl. *calamitas patris filius ſtultus, & vxor rixoſa ſicut tectum iugiter perſtillans*; R.Salomon ſic explicat: *Stillicidium aſſiduum pluuiæ, in domum defluen-* Vers. 13.

fluentes vexant domeſticos, eoſdemq́; domo pellunt, quod idem prauæ mulieris rixæ efficiunt. Aben Ezra vertit, *infortunia patris filius ſtultus, & ſtillà expellens iurgia mulieris.* q.d. Demens filius in cauſa eſt, vt parenti ſuo aduerſa contingant: ac ſicut ſtillicidium domeſticos domus eijcit, ita muliebres rixæ, quæ numquam quieſcunt, ſed ſemper ſtillant, eoſdem domo eliminant. R. Leui: Vecors parenti eſt ipſa calamitas & pernicies ob iram vehementem & mœrorẽ, quibus ſuccumbit ob nefariam agendi rationem filij. Idem etiam grauiſſimè angitur, cùm ab vxore ſua iurgia rixaſque ſeri aduertit, quemadmodum ab aſſiduo ſtillicidio in domum iugiter defluente vexatur: hinc enim efficitur, vt domi ſe continere grauiſſimum ducat, quod idem ob mulierem ſeditioſam contingit.

B Beda per mulierem litigioſam accipit hæreſin & hæreticos, qui non niſi lites & rixas ſtillant, quibus euertant domum Eccleſiæ. Verùm hoc myſticum eſt.

Igitur ad literam Salomon duo hîc velut homonyma aſſignat, eiuſdem ſcilicet generis & cognominis (nam filius ſtultus ſæpè vel naſcitur, vel educatur, à matre ſtulta, imprudenti & rixoſa) quæ marito permoleſta ſunt, & dolores graues creant. Primum eſt filius ſtultus, id eſt imprudens, liber, vagus, inobediens, rebellis, ebrioſus, rixoſus, &c. huius enim ſtultitia, id eſt malitia & praui mores, tribuuntur patri, quaſi is illos cum docuerit, aut diſſimularit nec correxerit. Vide dicta c.10.1.& c.13.1. Secundum eſt, vxor rixoſa, quæ crebris ſuis litibus & queritationibus velut ſtillis, aſſiduè tundit & pulſat aures animumque mariti, ac tandem pertundit, vt eum in iram, impatientiam, & triſtitiam,
C mœroremque continuum, qui eum conſumat, adigat. Sicut enim ſtillæ continuò cadentes cauant ſenſim lapidem; ſic rixæ vxoris aſſiduæ excauant & exhauriunt cor mariti, licet robuſtum & adamantinum. Rurſum, & magis appoſitè Noſter, *ſtillicidium* (vt habent Hebr.) refert ad tecta. q.d. Sicut tecta iugiter perſtillantia exedunt trabes, lapides, tabulatum, pauimenta, totamq; domum deſtruunt faciuntque inhabitabilem, & idcircò cogunt incolam aliò migrare: ſic & vxor aſſiduè litigans cogit penè maritum ei dare libellum repudij, aliamque ducere, quod olim Iudæis erat licitum; aut certè facere diuortium iam Chriſtianis permiſſum, vt ſe ab eius thoro & conſortio ſeparet, imò in alias domos, terras & regiones commigret. Hoc enim
D ſuauius eſt, quàm omnem in querelis & rixis tranſigere vitam: hæc enim non humana, ſed canina eſt vita, ac mors potiùs quàm vita. Nec tantùm maritum, ſed & famulos, ancillas, filios & filias litigiorum eius impatientes & pertæſos cogit aliò aſpirare & migrare. Hunc eſſe ſenſum liquet ex c.27.15. vbi hæc ſententia repetitur: *Tecta perſtillantia,* inquit, *in die frigoris & litigioſa mulier comparantur.* Ibi enim Septuag. vertunt, *guttæ eijciunt hominem in die hiemali de domo ſua: ſic & mulier conuiciatrix de propria domo.*

Porrò, mulieres multæ in lites & rixas pronæ ſunt: quia natura ſua ſuperbæ ſunt, loquaces, dicaces, inualidæ: vnde quod vi & armis non poſſunt, hoc verbis & querelis extorquere conantur; iracundæ præſertim, cùm prægnantes ſunt, & vterũ ferunt ex femella, cuius cauſam phyſicam dat Petrus Apponenſis inſignis medicus in Problem. Ariſtot. l.10.c.35. Hinc Menander: *Tempeſtas in do-*

A *mibus eſt viris mulier.* Ouid. lib.2. de Arte amand. *Dos eſt vxoria, lites.* Iuuenal. ſatyr.6.

Nulla ferè cauſa eſt, in qua non femina litem
Mouerit.

Et poſt pauca:

Semper habet lites alternaq́; iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illis.

Certè Socrates aſſiduè ſuæ Xantippes iurgijs exagitatus ad ea iam occalluerat, vt ijs non magis offenderetur, quàm ſi rotæ putealis ſtridorem audiret; dictitabatque ſe domi ab ea diſcere tolerantiam, qua in publico vtendum eſſet. Vide Laërtium libr. 2. cap. 5. Socratem imitentur mariti, qui Xantippes duxerunt. Terent. in Eunuch.

Noui ingenium mulierum,
Nolunt vbi velis, vbi nolis, cupiunt vltro.

S. Hieron. l.1. in Iouin. citat illud ex Vario Gemino: *Qui non litigat, cælebs eſt.* Xyſtus Pythagor. in Enchir. *Si pugnare vis, vxorem duc, & filios procrea.* Extat hîc iuxta Romam in via Tiburtina monumenti inſcriptio, quam citant Iouin. Pontanus l. de Obedientia, Volaterr. in Philolog. & alij, eſtque hæc: *Heus viator, miraculum, hîc vir & vxor non litigant. Qui ſumus, non dico. At ipſa dicam: Hîc Bebius ebrius ebriam me nuncupat. Hei vxor, etiam mortua litigas?*

Nota. Septuag. Hebr. מִדְיָנֵי *midiene*, id eſt contentiones, lites, eliſo iod deriuant à נִדָּה *nede*, id eſt meretricium, putà merces quæ datur meretrici, à rad. נָדָה *nada*, id eſt remouit, elongauit, fugauit; quòd hæc merces quaſi ſordida, & ſcelere fornicationis maculata, arcenda eſſet à ſancto templo, ſacriſque eius oblationibus. Vnde Ezechiel c.16.33. נְדָנַיִן *nedanain* cum *nun* paragogico, vocat dona & mercedes meretricis. Hac ergo de cauſa Septuag. vertunt, *neque vota de meretricis mercede oblata caſta ſunt.* Alludit ad illud à Deo ſancitum: *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, &c. Quia abominatio eſt vtrumque,* Deuter. 23.18. Vide ibi dicta, & Philonem in eleganti oratione cuius eſt titulus, *mercedem meretricis non eſſe recipiendam.*

Tropol. auctor Catenæ Græc. Merces meretricis, inquit, eſt animi impuritas, cuius oblatio Deo placere nequit. Huc accedit S. Ambroſ. l.3. ep.19. ad Conſtantium: *Totus mundus,* inquit, *poſſeſſio eius* (ſapientis) *eſt, quoniam toto eo quaſi ſuo vtitur. Quid igitur circumſcribitur frater? quid fraudatur mercenarius? Non magna,* inquit, *lucra de mercede meretricis* (Prouerb.19.) *id eſt lubricæ iſtius fragilitatis. Meretrix ipſa non ſpecialis, ſed publica. Non vna mulier, ſed vaga omnis cupiditas, meretrix eſt.* Verùm vulgata verſio vti aptior & Hebræo conformior, ſic & verior eſt ac germanior.

DOMVS, ET DIVITIÆ DANTVR A PARENTIBVS: A DOMINO AVTEM PROPRIE VXOR PRVDENS] Heb. *domus & diuitiæ* (ſunt) *hereditas patrũ; ſed à Domino vxor intelligens*; Aquila & Theodot. *ſciens*; Syrus, *à Domino deſponſatur vxor viro*; Chald. *à Deo traditur mulier viro*; Septuag. *domum & ſubſtantiam diuidunt patres pueris: à Domino autem aptatur mulier viro*; S. Ambroſ. *à Deo præparabitur vxor viro*; auctor Catenæ Græc. *vxorem autem marito conſociat Deus.* VERS.14.

Per *domum* accipe tum propriè dictam, tum familiam familiæq; ſplendorem dignitatẽ & nobilitatẽ, hęc enim à parentibus tranſmittitur ad filios.

A Nota τὸ *proprie*. q. d. Vxor prudens eſt proprium & ſingulare donum Dei. Sic Sara à Deo data fuit Abrahæ, & altera Tobiæ, Rebecca Iſaaco, Rachel Iacobo.

Dices: Etiam domus & opes ſunt donum inſigne Dei. Reſp. Verum eſt: ſed quia illa à parentibus hereditate relinquuntur filijs, vxor verò commoda & prudens licet ſollicitè inquirenda ſit; maximè tamen à Deo procuratur, & ab eo petenda eſt: Deus enim licet ſua prouidentia omnia regat, curet & procuret; magis tamen curat & procurat maiora & magis neceſſaria: talis autem eſt vxor fidelis, ſapiens, commodis moribus, & viri ingenio congruens: quia inde pendet fides, pax, ſalus & prædeſtinatio viri, filiorum & totius familiæ. Sicut ergo in vocatione ad ſtatum Religionis, hæc potiùs Religio quàm illa huic homini congruit, & à Deo præparatur; ſi Deum vocantem conſulere, audire & ſequi velit: ſic pariter qui vocatur ad matrimonium, non tam ſuæ aut parentum, ſiue phantaſiæ, ſiue cupiditati, ſiue ſollicitudini & induſtriæ; quàm Deo debet inniti, atque ab eo, vt ſibi commodam & congruam dirigat, identidem obſecrare. Simili ſenſu dixit c. 16. 1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*, vti ibidem explicui. Septuag. pro *aptatur* græcè habent, ἁρμόζεται, quæ vox valdè accommodata eſt rei præſenti, habetque emphaſim: ἁρμόζω enim eſt idem quod congruo, adapto, quadro, compono, conglutino, tempero: & maximè competit muſicis, qui voces diuerſas, graues, acutas & medias inter ſe contemperant, vt ſuauem concentum & harmoniam efficiant. Similis debet eſſe harmonia, id eſt compoſitio, coaptatio, congruentia, conſonantia inter virum & vxorem: hanc autem ſolus efficere poteſt Deus. Itaq; hac ſententia non tantùm ſignificatur matrimonium, ſiue connubium viri & vxoris, inſtitutum eſſe à Deo, vti explicat S. Chryſoſt. hom. 23. in ep. ad Roman. & Innocent. Pontif. 26. can 3. *Deinde* §. *ſi verò*: hoc enim commune eſt omnibus matrimonijs, etiam rixoſis & peſſimis; ſed inſuper ſignificatur in particulari, viro prudenti & probo à Deo præparari vxorem prudentem & probam, hocq; eſſe ingens & proprium donum Dei.

Vxor congrua viro ingens Dei donum.

Harmonia viri & vxoris.

Dixerat v. præced. Sapiens, quantum malum ſit vxor rixoſa: nunc mali remedium exhibet, ſcilicet vt quæratur vxor prudens, ideoque compoſitis moribus, placida & obediens: hanc autem eſſe donum Dei aſſerit, ideoque à Deo aſſiduè flagitandum. Non enim omnis vxor, etiam bona cuilibet viro eſt congrua, v.g. triſtis non eſt commoda læto, nec pauper diuiti, nec plebeia principi, nec liberalis tenaci, nec lenis auſtero, & ita de ceteris; ſed lenis leni, læta læto, auſtera auſtero, diues diuiti, nobilis nobili, pauper pauperi, adeoq; inter virum & vxorem debet eſſe proportio & congruentia affectuum, morum, conditionum, qualis eſt vocũ in harmonia muſica. Cùm ergo hanc harmoniam ſolus norit Deus, vtpote qui ſolus nouit & peruidet internas affectiones, conditiones, infirmitates viri & vxoris, ideoque ſolus nouit, quæ vxor cui viro congruat; hinc ipſe ſolus hanc coniugum & matrimonij harmoniam vel procurare, vel efficere poteſt. Verùm quia plerique dum quærunt vxores, non ſpectant hanc harmoniam, ſed vxorum opes, nobilitatem, pulchritudinem, &c. hinc multa videmus moleſta & infauſta paſſim coniugia.

Quæ enim poteſt eſſe voluptas, quæ conſonantia, quæ felicitas, vbi quod maritus vult, vxor non vult; quod ille amat, hæc odit; de quo ille lætatur, hæc triſtatur? Quæ recreatio cohabitare tali, eique maximè coniungi, idque per omnem vitam, quæ tuis moribus & ſenſibus planè eſt aduerſa? Omitto lites, rixas, zelotypias, &c. quæ inde naſcuntur, ac non rarò vtriſque ex-itium præſens & æternum afferunt. Sanè multi damnantur, eò quòd coniuges ſibi incongruas, ideoque moleſtas & rixoſas nacti ſint.

B Porrò hæc harmonia viri & vxoris, vt ſit ſuaue probumque coniugium, multiplex eſt, multaque requirit, nimirum Primò, conſonantiam religionis, fidei & pietatis, vt ſcilicet vxor non ſit hæretica, infidelis & impia, ſed cum marito in fide & pietate conſentiat; Secundò, conſonantiam morum; Tertiò, conſonantiam conditionum; Quartò, conſonantiam amoris; Quintò, conſonantiam temperandi proſpera & aduerſa; Sextò, conſonantiam pacis & concordiæ in familia.

Sextuplex.

Igitur, vxor intelligens & prudens eſt Primò, quæ ſe accõmodat religioni & pietati mariti, imò quæ maritum à religione & pietate deflectentem in viam reuocat, & ad eam reducit, vti Patricium æquè ac filium S. Auguſtinum reduxit S. Monica, Clodouæum Clotildis, Conſtantinum S. Helena, &c. Hæc enim prima maximeq; neceſſaria coniugij eſt harmonia. Audi S. Ambr. in c. 16. Lucæ l. 8. ſub initium: *Domum & ſubſtantiam patres partiuntur filijs, à Deo autem præparatur viro vxor: quod qui in Græco legit, non putat eſſe contrarium. Bene enim dixit Græcus* ἁρμόζεται. *Harmonia enim conueniens & apta rerum omnium dicitur commiſſa connexio. Harmonia eſt, cùm fiſtulæ organi per ordinem copulatæ legitimè tenent gratiam cantilenæ, chordarumq; aptius ſeruat ordo concordiam. Itaq; non habent harmoniam ſuam nuptiæ, quando Chriſtiano viro Gentilis mulier non legitimè copulatur.* Ac poſt nonnulla cõcludit: *Ergo vbi nuptiæ, harmonia eſſe debet; vbi harmonia eſt, Deus iungit: vbi harmonia non eſt, pugna atque diſſenſio eſt, quæ non eſt à Deo: quia Deus charitas eſt. Noli ergo vxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorẽ: etenim ſi alienos, multò magis vxorios debes tolerare & emendare mores.*

Prima, religionis.

C Hæc eſt prima cauſa, cur non ſit ducenda vxor infidelis vel hæretica: quia ſcilicet ſoluit harmoniam fidei & coniugij. Duas alias dat idem S. Ambroſ. l. 1. de Abraham c. 9. ſcilicet Primò, quod caſta probiſque moribus eſſe nequeat illa, quæ caret fide: fides enim eſt baſis & fundamentum caſtitatis ceterarumq; virtutum. Secundò, quòd periculum ſit ne infidelis & hæretica maritum peruertat, faciatque ſibi ſimilem infidelem & hæreticum. *Cum ſancto* enim, inquit, *ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Si hoc in alijs, quanto magis in coniugio, vbi vna caro & vnus ſpiritus eſt? quomodo autem poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides? Et ideo caue, Chriſtiane, Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue, inquam, Gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc eſt, hæreticam & omnem alienam à fide tua, vxorem accerſas tibi. Prima coniugij fides, caſtitatis gratia eſt. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria: ſi Chriſtum neget, qui præceptor & remunerator eſt pudicitiæ, quomodo poteſt diligere pudicitiam? Si Chriſtiana ſit, non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſitis Sacramento baptiſmatis. Simul ad orationem nocte vobis ſurgendum eſt, & coniunctis precibus obſecrandus Deus. Accedit aliud inſigne caſtimoniæ, ſi credas à Deo tibi quod ſortitus es, coniugium datum,*

D

tum. Vnde & Salomon ait: A Deo præparatur viro vxor. Non poſſunt hoc diſpares fide credere, vt ab eo quem non colunt, putent ſibi connubij impartitam gratiam. Ratio docet, ſed ampliùs exempla mouent. Sæpe illecebra decipit etiam fortiores maritos, & à religione fecit diſcedere. Et ideo tu vel amore conſule, vel errorem caue. Primùm ergo in coniugio religio quæritur. Ita Nonna mater S. Gregorij Nazianz. marito ſuo Gregorio ſeniori, fidei & pietatis magiſtram ſe præbuit, ait eorum filius S. Gregor. Nazianz. orat. 19.

Secunda, obſequi. Secundò, vxor prudens eſt, quæ ſe moribus mariti conformat, imò ſuos ad eius mores fingit & format. Non ſufficit enim vxori, quòd ſit caſta, proba, ſancta; ſed inſuper marito obſequi & obſecundare debet, vt coniugij in morum conſonantia ſuauem gratamque harmoniam efficiat. Sicut enim in cithara, lyra, vel organo non ſufficit chordam vel fiſtulam quamlibet gratum ſonum reddere; ſed quælibet alteri, adeoque omnes inter ſe apta proportione contemperari debent, vt vnius ſonus alteri congruè reſpondeat & ſuccinat, itaq; omnes ſimul vnum modulentur concentum: ſic pariter in ſocietate, præſertim coniugij, non ſufficit quemque ſibi eſſe bonum, ſed vnus alterius moribus & ſenſibus ſeſe accommodet oportet, vt vnum omnes edant ciuilis ſocietatis concentum. Rurſum ſicut materia certis qualitatibus, v. gr. lignum ſiccitate & calore, formæ, putà igni, congruentibus præparari & diſponi debet, vt deinde in eam forma ignis inducatur: ſic pariter vxor moribus mariti congruere debet, vt vnum cum eo coniugium & quaſi compoſitum œconomicum efficiat. In hoc enim vxor materiæ, maritus formæ analogiam ſubit. Quocirca Socrates dicere ſolebat, viros oportere parere legibus ciuitatis, vxores verò maritorum quibuſcum viuunt moribus, norma enim coniugis vir eſt. Æquitas docet, vt viris velut capiti obtemperent. Præclarè S. Ambroſ. l. 3. ep. 25. ad Eccleſ. Vercell. ſub finem: *Mulier*, inquit, *viro deferat, non ſeruiat: regendam ſe præbeat, non coërcendam. Indigna eſt coniugio, quæ digna eſt iurgio. Vir quoque vxorem tamquam gubernator dirigat, tamquam conſortem vitæ honoret, participet vt coheredi gratiæ.*

Tertia, medio... Tertiò, vxor prudens eſt, quæ quærit vel facit conſonantiam ſortis & conditionis cum marito. Quocirca virgo prudens ſi ſit tenuis fortunæ, non conſentiet nubere marito nobili vel principi, niſi eius ancilla, non coniux, eſſe velit: ſed quæret maritum ſuæ ſortis, conditionis & ſtatus. Prima enim coniugij lex eſt:

Si qua velis aptè nubere, nube pari.

Ita Ouid. in epiſt. Deianiræ ad Herculem. Eadem fuit ſeptem Græciæ Sapientum aliorumque plurimorum ſententia, vti fusè oſtendit Tiraquellus l. 5. connub. n. 16. & ſeq. Vnde Auſonius Solonem ita loquentem inducit:

Par pari iugato coniux: quod impar eſt, diſſidet.

Quòd ſi quo caſu contingat virginem tradi marito impari, putà ditiori, vel nobiliori, ſataget ipſa ſuo labore, ſua virtute, ſua prudentia cõpenſare, quod opibus vel nobilitati deeſt, adeoque adæquare vel ſuperare opes & genus mariti. Sicut ergo cùm ramus vnius arboris alteri inſeritur, eius conditioni per omnia ſe conformat & adæquat, vt videatur non inſitus, ſed enatus: ſic pariter vxor inſita quaſi marito per coniugium, ei per omnia ſe accommodet & adæquet. Hinc ſicut, vt ſurculus vnius arboris alteri inſeratur, neceſſe eſt vt eiuſdem cum eo ſit conditionis & generis: nec enim ſurculus nucis inſeritur pyro, ſed alteri ex genere nucum: nec pyrus inſeritur nuci, ſed pyro alterius ſpeciei: ſic pariter vt vxor inſeratur marito, curet illum deligere, qui eiuſdem ſecum ſit ſortis & conditionis. Vnde Cleobulus æqualem vxorem ducendam eſſe ſuadebat: ſi enim ex ſuperiore familia duxeris, inquit, non affines tibi, ſed dominos comparabis. Ita Stobæus ſerm. 3. de Temperantia.

Quartò, & maximè vxor prudens eſt, quæ cum marito efficit conſonantiam amoris: hæc enim eſt vinculũ, nodus & anima coniugij. Quocirca nullum amabit niſi maritum, affectum omnem in eũ defiget, cor ſuum ei tradet; quod ipſe diligit, diliget & ipſa; quod ipſe odit, oderit & ipſa. Vbi enim eſt amor, ibi Deus eſt auctor & mediator cõiugij: vbi verò eſt odium, ibi diabolus eſt paranymphus coniugij. Audi auctorẽ Imperfecti apud S. Chryſoſt. hom. 1. in Matth. *Booz*, inquit, *interpretatur in virtute, vel virtus in ipſo, ſiue præualens, qui ſecundùm imperium Dei accipit vxorem Ruth à Deo promiſſam: in virtute generat filios, & in ſeipſis virtutem habentes, & præualentes. Qui autem accipiunt vxores ex prouiſione diaboli, id eſt non religionis intuitu, nec fideles, in infirmitate generant filios, nec præualentes vmquam, nec fortes niſi in malo, & ad pœnam irreligionis ſuæ, non ad gaudiũ nec ad conſolationem videntur filios genuiſſe.* Hoc eſt, quod Deus inſtituens matrimonium in copula Adami & Euæ ſanxit: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuũ & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ*, Gen. 2. 24. *Quarta, amoris.*

Quintò, vxor prudens temperabit mariti nimiam in proſperis lætitiam, & nimiam in aduerſis mœſtitiam, atque iram, ceteroſque immoderatos eius affectus componet. Sicut enim Dauid pulſando concinnè citharam, leniebat iram, melancholiã, & ſpiritum malignum Saulis, 1. Reg. 16. 23. ſic & vxor prudens ſua gratia, prudentia & blandiloquentia, velut citharæ pulſu mitigat & temperat omnes mariti mœrores, indignationes, ceteraſque animi perturbationes. Ita S. Monica ſua modeſtia, ſilentio, prudentia iras & æſtus Patricij moderabatur, & quaſi modulando componebat, vti refert S. Auguſt. l. 9. Confeſſ. c. 9. Sic Abigail ſua humili & gratioſa oratione leniuit iras Dauidis, iam properantis ad cædem & vindictam ob duritiem Nabal, 1. Reg. 25. 23. *Quinta, affectuum.*

Sextò, vxor prudens ſua ſapientia facit harmoniam pacis & concordiæ in familia, vt omnes ſuo gradu contenti vnanimiter viuant, nec alter alteri inuideat, ſed omnes in vnum conſpirent ad commune familiæ lucrum & commodum. Hæc enim inſignis eſt pacis & vnanimitatis œconomicæ conſonantia, teſte Plutarch. in Moral. in qua maritus velut baſſum modulatur, filij altum, ſerui & ancillæ contratenorem, vxor tenorem, velut medium, qui baſſum cum alto & contratenore harmonicè componit & conſociat. Quis tantam tamq; multiplicem coniugij, id eſt vxoris & mariti, harmoniã procurabit vel efficiet, niſi Deus omniſcius & omnipotens, qui omnia in menſura, numero & pondere diſponit? Sap. 11. 21. Deus enim ſolus eſt, qui prudentiam dat mulieri, & prudentem cõgruamque viro merenti deputat, iuxta illud Eccli. 26. 3. *Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Hinc vulgò aiunt matrimonia in cælis copulari. Confirmat Salomon: *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autẽ vxor prudẽs.* Sic Moſes atteſtatur Abrahami filio Iſaaco *Sexta, concordiæ.*

Rebec-

Rebeccam à Deo præparatam fuiſſe vxorem. Saram propterea alius ducere nequiuit, quia Tobiæ iuniori timenti Deum illa ex ordinatione diuina debebatur. Samſon puellam Philiſtæam ſibi vxorẽ dari petebat, parentes verò illius contra legem Dei hoc eſſe matrimonium arbitrantes, dehortabantur eum ne duceret, neſciebant enim quòd res à Domino fieret, vt ex illis nuptijs bellum inter Iudæos & Philiſtæos oriretur, quo Iudæi è diuturna ſeruitute liberarentur. Heſteri, vt cæteris virginibus ab Aſſuero rege præferretur, Deus admirabilem pulchritudinem contulit, vt abſque ornatu externo, alijs comptis atque delibutis virginibus longè præcelleret.

Quocirca coniuges ſi ſextuplicem hanc harmoniam iam recenſitam optent, Deum ament & colant. Si enim Deo per amorem vniantur, eodem vnientur inter ſe: tum quia quæ vniuntur eidem tertio, vniuntur inter ſe: tum quia idem eſt amor, quo amamus Deum & proximum, præſertim coniugem propter Deum.

Moraliter diſcãt hic iuuenes cùm vxores quærunt commodas, non fidere ſibi, nec parentibus & amicis, ſed Deum ſibi conſtituant ducem, ac proinde eius gratiam pœnitentiâ, oratione, eleemoſynis, alijſque pijs ſanctiſque operibus conciliare ſtudeant, vt ab eo ad vxorem prudentem ſibi congruentem manu ducantur. Legant ſapiens piumque conſilium, quod Raphael Archangelus dedit Tobiæ ducturo Saram, Tob. 6. 16. illudque ſibi applicent & opere expleant.

Myſticè auctor Catenæ Græc. ſic exponit, q.d. *Domus & diuitiæ*, &c. hoc eſt, ſapientiæ virtutiſque doctrinam impertiuntur doctores: ipſam autem virtutem & ſapientiam (quæ quaſi ſponſa & vxor eſt viri ſapientis) largitur Dominus. Rurſum anima & mens virtute ornata eſt ſponſa, quam ſibi præparat & deſpondet Chriſtus. Vnde S. Ambroſ. l. 8. in Lucam poſt initium: *Iuuenis*, inquit, *coniugiũ quod nemo dubitet à Deo iunctum, cùm ipſe dicat: Nemo venit ad me, niſi Pater meus qui miſit me, attraxerit eum. Ille enim ſolus potuit has nuptias copulare. Et ideo myſticè Salomon dixit: A Deo præparatur viro vxor; vir Chriſtus, vxor Eccleſia eſt; charitate vxor, integritate virgo. Ergo quem Deus traxit ad filium, non ſeparet perſecutio, non auertat luxuria, non philoſophia deprædetur, non Manichæus contaminet; non Arrianus auertat, non Sabellianus inficiat. Deus iunxit, Iudæus non ſeparet. Adulteri ſunt omnes, qui adulterare cupiunt fidei & ſapientiæ veritatem.* Et paulò pòſt: *Mane ergo tu in domo patris, mane cum ſponſo, eniteas vt placeas viro. Mens quæ credidiſti Deo, eſto fortis mulier, qualis illa vel anima, vel Eccleſia, de qua dicit Salomon: Mulierem fortem quis inueniet? Pretioſior autem eſt lapidibus pretioſis, quæ talis eſt: confidit in ea vir ſuus.* Et poſt nonnulla: *Veni Domine Ieſu, vt inuenias ſponſam tuam, non contaminatam, non adulteratam, quæ non violauerit domum tuam, nõ mandata neglexerit. Dicat tibi: Inueni quem dilexit anima mea, introducat te in domum vini (vinum enim lætificat cor hominis) inebrietur ſpiritu, agnoſcat myſterium, loquatur oraculum.*

Vers. 15. Pigredo immittit soporem: et anima dissolvta esvriet] Septuag. *pauor* vel *timiditas* (hæc enim eſt comes & ſoror pigritiæ) *detinet effeminatum: anima autem otioſi eſuriet.* Pro *ſoporem* heb. eſt תַּרְדֵּמָה *tardema*, quæ vox grauem ſoporem & veternum ſignificat: vnde Aquila & Symmach. vertunt, ἔκστασιν. Sic ſopor Adæ immiſſus fuit ecſtaſis, Gen. 2. 21. Theodot. verò vertit, καταφορὰν, id eſt grauem ſoporem. Pro *diſſoluta* hebr. eſt רְמִיָּה *remia*, id eſt remiſſa vel fraudulenta, vti dixi c. 10. 4. Vnde Chald. vertit, *& anima doloſa*, (Syrus, *ſuperba*) *eſuriet.*

Salomon hîc duo mala aſſignat, quæ conſequuntur ex pigritiâ & torpore. Prius eſt ſopor. Sicut enim labor facit vigilem, ſic otium & torpor facit dormire & ſtertere: ſopor autem ingens eſt malum. Primò, quia ſopor parit penuriam & famem, vti mox dicam. *Soporis mala & damna.* *Primum.*

Secundò, quia ſopor laxat & diſſoluit neruos, indeque omnia membra, ac idcirco facit hominem eneruem, inualidum, languidum: *torpore enim vires alligantur, & eneruantur*, ait R. Leui: ac tandem torpor vertitur in lethargum. Cauſam à priori dat S. Auguſt. l. de Quantit. animæ: *Neruos*, inquit, *vegetat, molliореſq; efficit ſiccitas caloriq; moderatus; contrà eos laxat atque infirmat humidus rigor: itaq; ſomno nimio (quia eum frigidum & humidum dicunt medici, & probant) membra langueſcunt, atque ipſe expergefactorum conatus multò eſt debilior, ideoque nihil eſt fractius & eneruius lethargicis. At quoſdam phreneticos, quibus vigilia & acutæ febres, id eſt tot calida plus nimio neruos tendunt atque durant, maioribus viribus, quàm integra valetudine reluctare videmus, etiamſi eorum corpus ſit ægritudine attenuatius & exilius.* *Secundum.*

Tertiò, quòd ſopor non tantùm corpus, ſed & ingenium mentemq; hebetet & corrumpat. Sicut enim gladius in vagina ſemper conditus æruginem ſibi inducit: ſic & quies ac torpor animo grauedinem & hebetudinem, quaſi æruginem afferunt. Vnde Baptiſta Mantuan. 1. Parthen. *Tertium.*

Calcar, inquit, *erit ſegni, pigros rubigine ſenſus*
Otia corrodunt, ſopitaq; pectora torpor.

Et Plutarch. in Moral. *Ingenium hominis*, inquit, *ſeu cariem & ſenium in otio contrahit, & muta quies, vitaq; ſedentaria non ſolùm corporibus, ſed etiam animis marcorem conciliat.*

Quartò, quia torpor & ſopor ſunt mortis imago, in eamq; vergunt, adeoq; non tam vita quàm mors eſſe videtur. Vnde illud Philoſophi: *Otium eſt viui hominis ſepultura.* Vita enim in motu & actione conſiſtit: piger ergo, qui ab eo vacat, non tam viuus eſt quàm mortuus. Hinc pigritiæ ſymbolum eſt torpedo piſcis, qui è longinquo per retia torporem immittens, torpere facit, imò ſtupefacit piſcatorũ manus, teſte Ariſtot. l. 4. Hiſtor. anim. c. 37. Æliano, Plinio & alijs. Sic & pigritiæ ſymbolum eſt narciſſus flos, ita dictus à νάρκη, id eſt torpor, quòd ſuo odore torporem & veternum inducat, teſte Plutarcho l. 3. Sympoſ. *Quartum.* *Torporis ſymbolum torpedo piſcis, & narciſſus flos.*

Vbi Nota ex hoc flore Furijs infernalibus coronam necti ſolitam, vt Euſtathius affirmat, & Sophocles narciſſum vocauit magnorum deorum ſubterraneorum coronamentum: nimirum qui torpori ſtudent, & florem hunc deſides olfaciunt, coronam infernis dijs nectunt, & vt ſtrenui atque diligentes in bonis operibus, corona regni ſunt in manu Dei; ſic contrà ipſi corona ob deſidiam fiunt dæmonum in inferno.

Huic ſententiæ antiſtrophæ ſunt illæ Philoſophorum & Theologorũ apud Antonium in Meliſſa c. 45. & 46. S. Gregorij Nazianzeni: *Segnities ſomni coniux. Infirma & inſoluta ingenia cùm ad virtutem, tum ad vitium ſimiliter remiſſa & languida ſunt, difficiliaq; ad ſe commouendum, & in neutram partem inſigniter inclinant otioſorum momenta.* S. Clementis: *Gnomæ.*

Qui

Qui infirmi & imbecilles ſunt, iis vel quod mediocre eſt, ſupra vires ipſorum videtur. S. Chryſoſtomi: *Nihil eſt tam facilè, quod non valdè graue & inuiſum magna pigritia reddat: nec quidquam tam laborioſum & difficile, quod ſtudium & alacritas non facillimum efficiat.* S. Baſilij: *Otium maleficij principium.* Democriti: *Naturâ virtutem corrumpit incuria: improbitatem corrigit doctrina. Et facilia negligentibus elabuntur: difficilia verò curis capiuntur. Vt enim inſtrumentum quod remittitur & intenditur, iucunda voluptate oblectat: ſic etiam vitæ ratio hominum & otio & negotio diſpertienda eſt.* Xenophontis: *Deus ſic ſtatuit, vt illis qui nolint imperare & præſcribere ſibi honeſta facta, alios eis imperantes inducat dominos.*

Secundò. Et anima dissolvta esvriet] *Diſſoluta*, id eſt remiſſa (hoc enim ſignificat Hebr. רְמִיָּה *remia*) pigra, torpida. Alterum hoc eſt pigritiæ malum, ſcilicet eſuries. Ratio eſt, quòd pigritia pariat ſoporem, ſopor otium & inertiam, inertia penuriam & famem. Qui enim nolunt laborare, ſed otiando torpeſcunt, nihil lucrantur vel comparant, ex quo viuant. Vide dicta c. 10. 4.

Hæc gnome locum habet in bonis tam ſpiritualibus, quàm corporalibus. Sicut enim pigritia temporalis parit ſoporē & penuriam temporaliū: ſic pigritia ſpiritualis parit ſoporem & penuriam bonorum ſpiritualium. Qui enim nolunt exercere actus charitatis, miſericordiæ, orationis, pietatis, patientiæ, &c. hi torporem & ſoporem quemdam cōtrahunt, quo ad omne bonum opus fiunt inhabiles & inepti, ac inſuper penuriam gratiæ, conſolationum, omniumque donorum ſpiritualium incurrunt. Ita Beda ex S. Gregor. Hugo, Dionyſ. & alij. *Piger*, inquit Beda, *appellatur qui rectè ſentiendo quaſi vigilat, quamuis nihil operando torpeſcat. Sed pigredo immittit ſoporem, quia paulisper etiam rectè ſentiendi vigilantia amittitur, dum à benè operandi ſtudio ceſſatur.*

Labor parat omne bonum.

Quocirca rectè Philo apud Antonium in Meliſſa loco iam citato: *Principium omnis boni*, inquit, *virtutis laborem eſſe Deus hominibus oſtendit, quo remoto nihil boni apud genus humanum conſiſtit poteſt. Qui laborem fugit, ipſa bona fugit; qui autem tolerātur & fortiter ſuſtinet dura, ad beatitudinem feſtinat.* Præclariùs S. Greg. Nazianz. ibidem: *Generoſa*, inquit, *ingenia ratione quidem moderante & dirigente, magnum habent ad ſequendam virtutem momentum.* Et S. Chryſoſt. ibidem: *Exiguo tempore, ô perdilecti*, inquit, *elaboremus, ne bonis excidamus æternis. Breuis eſt tēporis labor, at in ſecula multa requies. Vbi maior labor, ibi maior voluptas. Qui prudentia præditus eſt, ad laborem non grauatè accedit, propter conſequentes laborum fructus.*

Omnia. Denique S. Greg. hunc locum egregiè pertractat 3. p. Paſtor. admon. 16. *Pigris itaq;* inquit, *intimandum eſt, quod ſæpè, dum opportunè agere quæ poſſumus, nolumus, paulo poſt cùm volumus, non valemus. Ipſa quippe mentis deſidia dum cōgruo feruore non accenditur, à bonorum deſiderio funditus cōualeſcente furtim torpore mactatur. Vnde aptè per Salomonem dicitur: Pigredo immittit ſoporem. Piger enim rectè ſentiendo quaſi vigilat, quamuis nihil operando torpeſcat. Sed pigredo ſoporem immittere dicitur; quia paulisper etiam rectè ſentiendi vigilantia amittitur, dum à benè operādi ſtudio ceſſatur. Vbi rectè ſubiungitur: Et anima diſſoluta eſuriet. Nam quia ſe ad ſuperiora ſtringendo non dirigit, neglectam ſe inferiùs per deſideria expandit: & dum ſtudiorum ſublimium vigore non conſtringitur, cupiditatis infimæ fame ſauciatur: vt quo ſe per diſciplinam ligare diſſimulat, eò ſe eſuriens per voluptatū deſideria ſpargat. Hinc ab eodem rurſus Salomone ſcribitur: In deſiderijs eſt omnis otioſus. Hinc ipſa Veritate prædicante, vno quidem exeunte ſpiritu munda domus dicitur, ſed multiplicibus redeunte dum vacat occupatur.*

Qvi cvstodit mandatvm, cvstodit animam svam: qvi avtem negligit viam svam, mortificabitvr] Hebr. *ſeruans præceptum ſeruet animam ſuam: & qui vias ſuas* (Vatabl. *officium ſuum*) *deſpicit, morietur*; Syrus, *interimetur*; Chald. *qui ſpernit viam ſuam, morietur*; Caiet. *& contemnens vias eius, peribit: eius*, ſcilicet *mandati*: q.d. Qui vias, id eſt directiones & ordinationes mandati contemnit, cōtemptum hunc luet morte præſenti vel æterna: illam enim inferet ei iudex, hanc Deus. Ita Aben Ezra, *Mortificabitur*, inquit, *id eſt morte afficietur, Deo ita ſtatuente, immaturo adhuc tempore* (in flore ætatis) *ſcribitur autem* יוּמָת *iumat: quia morte mulctabitur à iudicibus, ſi diuulgetur eum propalam præcepta contempſiſſe.* Sic & R. Leui. Hinc toties in Exodo, Leuit. Num. & Deuter. Deus legibus ſuis pœnam mortis adijcit, eamque præuaricantibus interminatur, vide inter alia Leuit. 20. vbi ſingulis penè verſibus iis mortem intentat. Vers. 16.

Porrò *viam* vocat mandatum ſiue legem: hoc enim exigit antitheſis. Dei enim mandatum eſt via homini à Deo præſcripta, per quam rectà ad virtutem, ſalutem, & Deum ipſum continuis animæ paſſibus tendere debet. Ita auctor Catenæ Græc. *Mandata*, inquit, *vocantur præcepta, quia mentem ad præcipientē dirigunt & impellunt: viæ verò, quia hominem ad Deum iter inſtituentem ſuauiter ducunt, & quò eundum ſit, clarè illi oſtendunt.* Senſus ergo eſt. q.d. Qui cuſtodit mandatū Dei, vel hominis vice Dei mandantis, hic cuſtodit animam, id eſt vitam ſuā, tum præſentem, tum æternam: qui autem ſpernit mandatum, quod quaſi viam ad ſalutem homini præſtituit Deus, hic morte afficietur præſenti à iudice, æterna à Deo. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c. 15. *Si volueris ſeruare mandata, conſeruabunt te.* Et Chriſtus Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Hinc & Plato dixit: *Lex eſt liberi hominis anima*, tum quia lex quaſi anima hominē dirigit & impellit ad actionē honeſtam lege præſcriptā, in qua vita homine digna conſiſtit: tum quia, ſicut anima abeunte, perit homo, ſic lege contēptā perit animus. Lex ergo ſeruat, aut perdit animā vitamq; hominis, vt proinde rectè eius anima dici queat.

Moraliter hic diſce, quàm legem amare, colere & cuſtodire debeamus, idq; triplici ex cauſa. Prima eſt ex parte Dei: quia qui amat & colit legem, amat & colit Deum legiſlatorē. Lex enim non eſt aliud quàm ratio, mens & voluntas Dei: à lege enim æterna, quę eſt in mente Dei, deriuatur omnis lex noſtra: ſicut radius deriuatur à ſole, & ſplēdor ab igne. Quare qui conformat ſe legi, conformat ſe rationi & voluntati Dei. Vnde Chriſtus: *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea ſeruate.* Ioan. 14. 15. Lex cuſtodienda ob tres cauſas. Prima.

Secunda eſt ex parte legis: quia legis obiectum eſt dictamen virtutis: lex enim præſcribit officia virtutum omnium. Si ergo amas virtutem, ama legē. Secunda.

Tertia, quam dat hic Salomon, eſt ex parte noſtra: quia qui cuſtodit legem, cuſtodit animam: qui verò eam ſpernit, ſpernit animam ſuam, id eſt vitā, ſalutem & felicitatem animæ ſuæ. Quantum ergo illam amas, tantum ama & ſerua legem. Tertia.

Foeneratvr Domino, qvi miseretvr pavperis: et vicissitvdinem svam reddet ei] vt ſicut ille miſertus eſt pauperis, illique bene- Vers. 17.

benefecit, ſic illius miſereatur Deus, illique benefaciat, ait Aben Ezra: ac illum ſua benedictione cumulet, vt, ad quodcumque manum extenderit, benedictionem rerumque copiam ei tribuat, ait R. Leui, R. Salomon verò, cùm quis æger, inquit, decumbit, in limineq; mortis ambulat, tunc eleëmoſyna apud diuinam iuſtitiā intercedit pro liberali, inquiens, Cùm pauperes animam agerent ob famem, hos hic ad vitam reuocabat, abundè opportuno ſuppeditans: cur ergo iſtius animus longam cum corpore vitæ vſuram non habeat? cur membris non reſtituatur?

Pro *fœneratur* heb. eſt מַלְוֶה *malue*, id eſt mutuat vel mutuum dat, vt vertit Pagnin. ſiue ſimpliciter, ſiue cum vſura, vt patet Deuter. 28. v. 12. & 44. Sic & Græcum *δανείζει*, vt vertunt Septuag. ambiguū eſt: nam ſignificat ex æquo, & qui citra vſuram dat mutuo, & qui ad vſuram. Sic & Latinum fœnerari etſi propriè ſignificat, dare ad vſuram, tamē ſubinde idem eſt quod mutuare. Heb. ergo ad verbum habent, *mutuat Domino, qui miſeretur tenuis: & retributionem ſuam reddet ei*; Septuag. *& ſecundum donum eius retribuet ei*; Chald. *qui quærit commodare Domino, miſeretur pauperis: & retributio bona retribuetur ei*; Syrus; *ſecundùm opera eius retribuetur*; Vatabl. *ſecundùm beneficium*, vel officium, *rependetur ei*. Igitur ſenſus eſt. q. d. Qui pauperi benefacit fœneratur, id eſt mutuum dat Deo, quod amplo cum fœnore & incremento ab ipſo eſt recepturus: quare non tam donum dat quàm mutuum, imò vſuram & fœnus. Igitur mutuum hîc non ſimplex, ſed cum augmēto, putà fœnus & vſura, intelligitur. Ita Interpres & Patres mox citandi. Audi S. Baſil. in pſ. 38. *Cur*, inquit, *non dixit: Qui miſeretur pauperi, dat Deo? nouit Scriptura auaritiam noſtram, intellexit appetitum noſtrū inſatiabilem, qui ſibi maiora ad habendum proponit redundantiam, ac plus ſemper quærere; ob eamq; cauſam non dixit omnino. Qui miſeretur pauperi, dat Deo: vt ne ſimplicem largitionem & retributionem ſortis exiſtimes; ſed fœneratur Deo, vt auarus & lucri cupidus, audito vſurarum nomine, ſeipſum miſericordiæ dederet.*

Salomon ergo vt declaret vim eleëmoſynæ, quantumque Deo placeat, aſſerit Deum æſtimare ſibi datum quod datur pauperi, ac quaſi ſe obligare, vt illud danti reſtituat cum magno ſortis incremento, vſura & lucro: Deus enim pauperes & miſeros, vtpote omni ope deſtitutos, ſibi arrogat, & quaſi prouidentiæ ſuæ filios adoptat, ac eorum ſe peculiariter Deum & curatorem in Script. indigitat. Vnde ipſe ait Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. q. d. Me debitorem agnoſco. Hoc ergo fœnus, hæc vſura beneficentiæ ſancta eſt & diuina, æquè ac fructuoſiſſima, atque longè fructum lucrumque vſurariorum ſuperat.

Eleëmoſyna eſt fœnus Deo, idq; fructuoſiſſimum.
Primò.

Primò enim, ſi dignitatem & nobilitatē debitoris requiris, per hoc eleëmoſynæ fœnus debitorem nobis facimus non hominem pauperem & vilem, ſed Deū ipſum nobiliſſimum & ditiſſimum. Quanti eſt ſibi obligare Deum, eumq; ſua fideiuſſione quaſi vadimonio ſibi obſtrictum detinere? Audi S. Ambroſ. l. de Tobia c. 16. *Docebo*, inquit, *quomodo boni fœneratores eſſe poſſitis, quomodo bonas quæratis vſuras. Dicit Salomon: Fœnerat Domino qui miſeretur pauperi, ſecundum datum autem eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum eſt, ecce irreprehenſibilis fœnerator, ecce vſura laudabilis. Nolite ergo iam inuidentem me veſtris commodis æſtimare. Putatis quod hominem ſubtraham vobis debitorem? Deum prouideo, Chriſtum ſubrogo, illum demonſtro qui vos fraudare non poſſit. Fœneratis ergo Domino pecuniam veſtram in manu pauperis. Ille adſtringitur & tenetur, ille ſcribit quidquid egenus acceperit: Euangeliū eius cautio eſt. Ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem. Quid dubitatis dare? Si quis vobis diues huius ſæculi offeratur, qui fide promittat ſuā pro aliquo debitore, ſtatim numeratis pecuniam. Pauper eſt vobis Dominus cæli, & conditor mundi huius? & adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fideiuſſorem?* Et S. Gregor. Nazianz. in Tetraſtichis:

Linari & atræ deme quid rubigini;
Ac debitorem præfer omnibus Deum;
Fruſtò rependit ſceptra qui cæleſtia
Alis tegiſq; pauperes paſcens, Deum.

Secundò.

Secundò, vſurarius vltra ſortē accipit, iure vſuræ & lucri, ſortis dumtaxat vigeſimam partem, v. g. ſi mutuet centum aureos, recipit centum & quinque: Deus autem ſortem duplicat, imò centuplicat. Hoc eſt enim cētuplum à Chriſto promiſſum iis, qui ſe ſectantes ſua diſtribuunt in pauperes, Matth. 19. 29. Vnde S. Chryſoſt. homil. 3. in Gen. *Qui miſeretur*, ait, *pauperi, fœneratur Deo. Vide vſuræ raram naturam & admirabilem. Alius eſt qui accipit, & alius qui ſe dandi fœnoris reum facit: & non hoc ſolùm nomine; ſed quia in hoc vſuræ genere non eſt locus ingratitudini, neque vlli alij damno: neque ſicut hic, ſemel dare qui pollicetur, ſed centupla dantur, & non ſolùm centupla: nam aliqua dantur in præſenti vita, aliqua in futura, nempe vita æterna. Et in præſenti quidem vita, ſi quis nobis ſolùm dupliciа polliceretur pro his quæ à nobis dantur, parati eſſemus illi omnem noſtram ſubſtantiam afferre. Tametſi ibi magna ingratitudo, multæ & ſtupendæ auarorum fraudes: & multi qui boni habentur, fœnus non ſoluunt, vel ob maleuolentiam nolentes, vel ſæpè & propter inopiam non valentes. Quoniam autem nihil tale omnium Domino imputari poteſt (nam & capitalis ſumma in tuto eſt, & centuplum hîc promittitur eleemoſynā expendentibus, & in futurum vita æterna rependitur;) quæ igitur nobis defenſio erit, ſi negligentes fuerimus, & non feſtinauerimus centupla pro paucis accipere, & pro præſentibus futura, & pro temporalibus æterna?*

Fuſiùs idipſum oſtendit idem S. Chryſoſt. homil. 53. ad Popul. vbi inter alia incuſat diuitum inſipientiam, qui Deum centuplum promittentem dimittunt, & opes ſuas iis tradunt qui ne ſortem quidem reddent. *Quid enim*, inquit, *nobis venter reddit, qui plurima conſumit? ſtercus & corruptionem. Quid inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid auaritia? curam & ſollicitudinem. Quid intemperantia? gehennam & veneniferum vermem. Hi namq; ſunt diuitum debitores, has ſorti iungentes vſuras, præſentia mala pœnaſq; futuras. His ergo, quæſo, ad tantam mutuabimus vltionē, & noſtra Chriſto non credemus cælum prætendenti, æternam vitam & arcana bona?* Si excuſes: Chriſtus poſt longum tempus differt ſolutionem huius vſuræ, occurrit Chryſoſt. *Hoc tibi talentum multiplicat. Fœnus enim efficitur maius: nam in mutuando hoc facere videmus fœneratores, qui poſt multum temporis reddentibus libentiùs fœnerantur: qui namque ſtatim totum reddit, vſuræ curſum interrumpit; qui verò diu retinet, maiorem facit vſuræ fructum ac quæſtum.*

Tertiò.

Tertiò, quòd Deus bis ſoluit hoc fœnus, ſcilicet ſemel in terra, ſecundò in cælo. In terra enim eleëmoſynariis multiplicat opes, vti docet Apoſtolus 2. Corinth. 9. 10. & S. Chryſoſt. hom. *Quod eleëmoſyna eſt ars omnium quæſtuoſiſſima.* Idipſum conſtat iugi experientiâ. Exemplum illuſtre eſt in Vita S. Ioannis Eleëmoſynarii, qui quo plus erogabat in pauperes,

pauperes, eo duplo & triplo amplius recipiebat. In cælo verò longè plura & maiora rependit Deus. Vnde S. Gaudentius ſerm. 13. *Qui miſeretur pauperis, Deo fœneratur. Recipit enim*, inquit, *magna pro modicis, & cæleſtia pro terrenis.* Et S. Ambr. loco iã citato: *Non peribit*, inquit, *quod pauper acceperit, & vobis quod dederitis inopi ſine cuſtode ſeruabitur. Quòd ſi incrementũ vſurarũ quæritis, in lege benedictio, in Euangelio cæleſtis eſt merces, quid ſuauius benedictione? quid maius eſt cælo? Si eſcarum deſideratur vſura, ea quoque præſtò eſt, ſicuti legimus. Is enim qui miſeretur pauperum, ipſe paſcetur.* Vide & S. Chryſ. hom. 15. in Matth.

Quartò. Quartò, quòd vſurarius tam ſortem quàm vſuram exponit perdendi periculo. Si enim debitor non ſit ſoluendo, vel nolit ſoluere vſuras, vtpote iniuſtas & extortas, vſurarius perdet eas. Incertum ergo & anceps eſt eius lucrum, æquè ac ſors. At eleëmoſynarius ſecurum & certum apud Deũ repoſitum habet cũ ſorte lucrum. Quocirca ſapiens conſilium ſuggerit S. Baſil. homil. 8. in diuites auaros: *Si*, inquit, *vnus tantùm tibi ſit panis, ad fores autẽ rogator adſit, depromé illum: dans vero manus in cælum tolle, dicq́; miſerabilia hæc & benigna verba: Vnum hunc panem habeo, quem vides, Domine: & occaſio periculi eſt. Aſt præceptũ tuum mihi propono, & de modico do fratri eſurienti, da & tu Domine periclitanti ſeruo tuo. Noui tuam bonitatem, tuæ potentiæ confido, quòd non diu tuã gratiã differes; ſed breui, cùm tibi placuerit, affatim dona tuæ magnificentiæ patebunt. Quod ſi ad hunc modum feceris, & dixeris, non dubium quin panis hic quem in hac dabis anguſtia, agriculturæ ſemen ac copiã ſuppeditabit, multumq́; tibi ex terra fœnoris reddet arrhabo tibi futuri, miſericordiæ conciliator. Dic rurſus illud Sidoniæ mulieris verbum, quod maximè huic propoſito quadrat, opportunæ hiſtoriæ illius memor: Viuit Dominus, quod hunc ſolum in domo habeo, quem ego & filij mei edamus. Tu quoque ſimiliter olei lecythum gratia Dei refertum habebis, nec minus farinæ hydriam continuò plenam, ſi ex eo quod habes dederis. Qui enim dando diuinæ gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui continuò exhauſti minimè deficiunt, ſed duplo copioſiores euadunt. Si eges, Deo diuiti fac fœneres: crede, inquam, illi, qui quod afflicto datur, perpetuò quaſi ſuæ perſonæ datum amplectitur, & de ſuo reddit dignus vbique fideiuſſor, terra mariq́; apertos habens theſauros. Quod ſi nauigas, mutuum repetes. In medio maris ſortem cum fœnore capies. Magnificus enim eſt in dando fœnore.*

Igitur *ſi vis fœnerari, fœnerare Deo.* Deus enim aſſecurat tibi ſortem & ingens eius lucrum, dum ſemetipſum in hypothecam dat, & promiſſionem ſuam pro cautione. Ita S. Chryſoſt. in pſal. 38. *Medium*, inquit, *ſe & quaſi ſequeſtrẽ præſtitit pauperi quidem ſponſorem, pignus autem vel hypothecam creditori. Non habeo, inquis, huic fidem propter inopiã; mihi crede propter copiam. Qui miſeretur pauperis, fœneratur Deo. Ne time*, inquit, *mihi fœneraris.* Et S. Aug. in pſal. 36. *Cùm autem pauper orat pro ſe, tamquam Deo dicit, Domine mutuum accepi, fide di pro me proinde: & ſi nõ tenes pauperem creditorem ſed idoneum tenes fideiuſſorem. Ecce Deus de Scriptura ſua dicit, Da, ſecurus eſto, reddam.*

Quintò. Quintò, accipiens pecuniam ad vſuram ingens ex ea accipit commodum, ob quod ad vſuram ſe obligat. Deus autem nihil ex eleëmoſyna vtilitatis accipit, ſed omne opus noſtrum illi eſt ſterile & infœcundum: & tamen pro eo promiſſione ſua ſe obſtringit ad ſoluendam ingentem eius vſuram, quæ ingens eius eſt dignatio & liberalitas. Ita S. Iren. li. 6. Contra hæreſ. cap. 34. *Qui miſeretur*, in-

A quit, *pauperis fœneratur Deo: qui enim nullius indigens eſt Deus, in ſe aſſumit bonas operationes noſtras ad hoc, vt præſtet nobis retributionẽ bonorum ſuorum.* Et S. Baſil. in pſal. 14 ſermone 2. contra fœneratores. *Quando pauperi*, inquit, *das in Domini gratiam idem ipſum & donum & fœnus eſt: donum quidem, quòd à paupere non ſperes te recepturum: mutuum verò ſiue fœnus, ob Domini munificam liberalitatem, qui parua per pauperem cùm acceperit, magna pro illis retribuet. Non vis vniuerſorum Dominũ tibi ad exolutionem auctoratum habere? Si quis in ciuitate diues tibi pro aliis ſpondeat, fideiuſſionem illius accipis: Deum verò non admittis, tanto ſe plura perſoluturum pauperum cauſa pollicentem?*

Sextò, quòd is qui accipit ad vſuram, vſurario ſolùm ſe obliget ad ſoluendam vſuram, non autẽ ſeſe obſtringit ad alendas vel ditandas eius proles, vxorem & familiam. Vtrumque autem eleëmoſy- Sextò.
B nario præſtat Deus. Vnde S. Cyprianus tract. de Opere & eleëmoſyna: *Qui miſeretur*, inquit, *pauperis fœnerat Deo*: ac deinde obiiciens ſibi excuſationem diuitum qua obtendunt ſe prolibus & familiæ debere prouidere, ideoq́; non poſſe dare eleëmoſynam, reſpondet: *Illi*, inquit, *aſſigna facultates tuas, quas heredibus ſeruas: ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias ſæculares diuinã maieſtate protector. Patrimonium Deo creditum nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis euertit: in tuto eſt hereditas, quæ Deo cuſtode ſeruatur. Hoc eſt charis pignoribus in poſterum prouidere, hoc eſt futuris heredibus paterna pietate conſulere, ſecundùm fidem Scripturæ ſanctæ dicentis: Iunior fui, etenim ſenui, & nõ vidi iuſtum derelictum, neq; ſemen eius egens pane. Tota die miſeretur & fœnerat, & ſemen eius in benedictione erit.* Et S. Chryſoſt. homil. 7. in epiſt. ad Romanos: *Itaque*,
C inquit, *ſi liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei prouidentiæ relinquito. Nam cùm ille liberorum tuorum facultates vnà cum ipſis liberis ſibi impertiri viderit, nonne illis diuitias omnes adaperiet?* Et poſt nonnulla: *Quapropter ſi illos citra periculum relinquere vis diuites, relinquito illis Deum debitorem, ipſiq́; Deo has teſtamentarias tabulas porrigito.*

Septimò, quòd vſurarius pecuniam dat ſuam, non alienam: at eleëmoſynarius dans eleëmoſynã non dat de ſuo, ſed ex eo quod Dei eſt, quodque à Deo accepit: & tamen Deus poſcens ab eo, vt per pauperem tibi reddat ſuum quod dedit, inſuper pro eo ſpondet fœnus: pro veteri ergo credito nouum ſpondet debitum. Vnde S. Baſil. citatus à Damaſceno lib. 2 Paral. cap. 16. *Qui tibi*, inquit, Septimò.
dedit opes, per pauperum manus eleemoſynam à te petit:
D *fœnerare ergo Deo; quia licet ipſe quæ ſua ſunt accipiat, tamen perinde ac ſi beneficio affectus fuiſſet, integrã gratiã perſoluit.* Porrò hoc credito & debito ſuo mirè oblectatur Deus, auetque fieri nobis debitor, vti docet S. Chryſoſt. homil. 15. in Matth. Imò idem S. Chryſ. ait Deum ſinere quaſi ſe corrumpi hoc eleëmoſynę credito, vt in iudicio debita & peccata noſtra diſſimulet, nõ videat & condonet; ſicut iudex à reo pecunia corrumpitur, vt cũ non damnet, ſed abſoluat. Sic enim ſcribit in c. 22. Lucę: *Iudex noſter per pauperes corrumpitur. Fac ergo per pauperis manũ iudicis poſticum pulſes: etenim illa munera tua per eum accipit, ac leges adulterat. Accipit, inquam, atque ex iuſto benignus efficitur, accipit, inquã & veritati miſericordiam anteponit, ac cum peccatorũ lance pauperum manum contrà perpendit.* At rurſus homil. in pſ. 38. *Si Deus à nobis fœnori accipit, ergo noſter eſt debitor; vtrùm ergo eum habere vis iudicem, an debitorem?*

Debitor creditorem veretur, iudex eum qui in iudicium adducitur non veretur.

Hi ergo ingentes ſunt ſtimuli ad exercendum eleëmoſynam, tum corporalem, tum ſpiritualem, quæ quantò corporali eſt dignior & maior, tantò maius à Deo tum opum, tum gratiæ & gloriæ fœnus recipiet. Vide S. Paulinum epiſt. ad Alethium, tam ipſius, quàm Ruffinæ vxoris, quæ filia erat S. Paulæ eleëmoſynas celebrantem. vnde ita concludit: *Pretioſa Domino anima, quæ de rebus pretium margaritæ capit. Eſt enim coniux fidei ſoror virginitatis, filia perfectionis, cui Paula mater, ſoror Euſtochium, tu maritus.* Et epiſt. ſequenti de gazophylacio, vbi inter cetera adhortando ait: *Excutiamus ergò nos ab inertiæ ſomno, & velut negligentiæ torporem diſcutiamus, & auaritiæ vincula rumpamus. Conſule ipſa veritatis oracula, & reſpondebit tibi Propheta: Qui miſeretur pauperis Deum fœnerat. Cæleſtis igitur trapezitæ hæc menſa eſt, theſaurum vitæ ſtruens, & ad margaritam negotiandam Dei fœnus exercens: qui enim fœneratur pauperes Domini, præſtolatur à Domino Deo retributionem mercedis æternæ.*

B

Illuſtre eſt exemplum in prato ſpirit. Ioannis Moſchi cap. 195. de Euagrio philoſopho, qui audiens à Syneſio Epiſcopo hanc gnomen Salomonis: *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis*, dedit ei pecunias erogandas in pauperes, popoſcitque ab eo chyrographum, quo promitteret ſibi eas in alia vita cum fœnore reddendas; quod & moriens ſecum ſepeliri iuſſit: ac poſt mortem apparens Syneſio, iuſſit vt illud reciperet, ſibi enim abundè ſatisfactum eſſe. Porrò in chirographo ſubſcriptum inuenerunt: *Ego Euagrius philoſophus S. D. Syneſio Epiſcopo ſalutem. Accepi debitum in his litteris manu tua conſcriptum, ſatisfactumq́; mihi eſt, & nullum habeo contra te ius propter aurum, quod dedi tibi, & per te Chriſto Deo Saluatori noſtro.*

C

VERS. 18. ERVDI FILIVM TVVM, NE DESPERES: AD INTERFECTIONEM AVTEM EIVS NE PONAS ANIMAM TVAM] Hebr. *caſtiga filium tuum, quia eſt ſpes* (correctionis) *& ad occiſionem eius ne leues animam tuam*; Chald. *& ad mortem eius ne ponas animam tuam*; Septuag. *erudi filium tuum: ſic enim erit* εὐελπις, id eſt *bonæ ſpei: ad contumeliam autem eius ne eleueris animo tuo*; Vatabl. *caſtiga filium tuum dum ſpes ſupereſt, & ad clamorem eius ne aduertas animum* q.d. *Sine eum clamare, & ne deſinas caſtigare.* Sic & Caietan. qui pro הֲמִיתוֹ *hamito*, id eſt, *interfectionem eius*, aliis punctis legunt הֲמִיָּתוֹ *hemiato*, id eſt *tumultum*, fremitum & clamorem *eius*: הָמָה *hama* enim ſignificat ſtrepere, clamare, tumultuari. Sic & Pagnin. in Lexico: *Ad ſonitum eius*, inquit, *id eſt ad fletum eius, ne apponas cor tuum.* q.d. Ne audiens eum eiulantem, ex commiſeratione parcas, manumque inhibeas, ſed pergas caſtigare, donec vitium extundas.

D

Senſus planus eſt. q.d. Ne ceſſes erudire, id eſt, bonis moribus & diſciplinis informare, corripere, & caſtigare filium tuũ: eſto enim ſit hebetior, durior vel proteruior; tamen de eius correctione & probitate ne deſperes, vt eruditionem & caſtigationem omittas: qui enim hodie nõ inſtruitur, nec corrigitur, cras inſtituetur & corrigetur. Diſciplinæ enim & ætati puerili ſuum dandum eſt tẽpus: & nullũ vitium ita pertinax eſt, præſertim in puero, quin eruditione & caſtigatione, ſi ea conſtans & continua ſit, eximatur & eradatur. Vnde Sept. vertũt, *erudi filium tuum: ſic enim erit bonæ ſpei*; Hebr.

A

& Chald. *quia eſt ſpes*, vt per inſtructionem & caſtigationẽ filius euadat eruditus & probus, ideoque longæuus, ait Aben Ezra. q. d. In caſtigatione ſita eſt tota ſpes probitatis filij: ſi verò eam negligis, ac filio omnia indulges, tollis omnem ſpem virtutis & ſalutis ipſius.

Aliter Ianſenius explicat Tò *ne deſperes*: q.d. Erudi filium tuum, ne, ſi illum non erudias, ſed illi fræna laxes, de eius correctione diffidas, ac de eius probitate & ſalute deſperes, *ad interfectionem autem ne apponas animam tuam*. q.d. Ne eum deſperatione quaſi inutilem, imò probroſum & noxium interficias. Salazar verò q.d. Ne tibi in animum veniat, vt tibi perſuadeas filium interficiendum, ſi eum duriùs educes, increpes & caſtiges: nam ſeuerior educatio filios facit vitales, vegetos & fortes, vti docet S. Ambroſ. lib. 5. Hexamer. 13. exemplo alcyonis auis, quæ iuxta mare media hieme pullos excludit, & nudos exponendo frigori, mari & vẽtis, durè educat. Verùm quia non dicitur, *non ponas* in futuro, ſed *ne ponas* in optatiuo vel imperatiuo: hinc prior explicatio genuina eſt. Igitur ius patriæ poteſtatis extendit ſe ad hereditatem & libertatem, non autem ad vitam. Poteſt enim parens filium peruerſum & rebellem exheredare, poteſt & eumdẽ in caſu extremæ neceſſitatis in ſeruum vẽdere, non tamen ei vitam adimere.

Ratio phyſica à priori eſt: quòd parẽs non poteſt filio adimere id quod ei non dedit,: atqui nõ dedit ei animam & vitam: anima enim rationalis à ſolo Deo creatur, & creando infunditur. ergo non poteſt illam ei adimere, ſed ſolus Deus, qui illam creauit, & creando infudit, ac proinde ſolus in illam habet ius necis & vitæ. Secùs eſt in aliis animalibus, quorum animæ ſunt ex traduce. Nam bos v. gr. generando bouem communicat ei non tãtùm corpus, ſed & animam & vitam: ſicut enim lux candelæ producit lucem, accenditque aliam candelam: ſic anima bouis vel vaccæ producit animam vituli. Hinc fit, vt ius plenum in fœtus animalia cetera vſurpent, ac ſubinde eos vitâ priuẽt, vti aquilæ, ciconiæ &c. filios degeneres præcipitant & occidunt. Quocirca modeſtè Ben Sira alphabeto I. litera *Bet*: *Filium*, inquit, *non filium* (id eſt filium rebellem, qui ſe non gerit vt filium, & peruerſum) *fine vt in aqua ſumno remiget*: quia ſæpe remus emendat, quos non potuit paterna caſtigatio.

Ratio à priori, cur non liceat Patri filium occidere.

Inhumani ergò ſunt Iapones, ſimileſque aliæ barbaræ gẽtes, qui ſibi fas putant filios, quos alere nequeũt, occidere, quòd ſatius cenſeant, illos mori, quàm vitam pauperem miſeramque agere. Vnde noſter S. Franciſcus Xauerius veniens in Iaponem, Bernardum Iaponem hac de cauſa morti à parente deſtinatum eripuit, eiq́; vice patris extitit alendo, & erudiendo eum tam ad vitam præſentem quàm æternam. Impij pariter fuere Carthaginenſes, qui filios ſuos mactabant vt ſacrificarẽt eos Saturno, teſte Platone in Minoë, & Iudæi qui filios ſuos concremabant idolo Moloch, vti dixi Leuit. 18. 21. Barbari & olim fuere Perſæ, de quibus ſcribit Ariſtoteles lib. 8. Ethic. c. 10. *Apud Perſas patris imperium tyrannicum eſt, qui vt ſeruis filiis ſuis vtuntur.* Porrò Plato libr. 7. de legibus, docet in educatione filiorum cauenda eſſe duo extrema, ſcilicet delicias & nimiam ſeueritatem, quòd illis diſſoluatur animus, hac fiat ſeruilis. *Hæc*, inquit, *noſtra eſt ſententia, delicias puerorum mores reddere difficiles, moroſos, iracundos & qui leuibus occaſio-*

Barbari nonnulli filios occidunt.

occaſionibus vehementer percellantur. Contra verò nimiam & feram ſeueritatem eorumdem mores reddere humiles, liberales, ab humana ſocietatis commerciis abhorrentes. Et mox mediam mediocritatem inculcans aſſerit, *rectam viuendi rationem ita eſſe conſtitutam, vt neque voluptates tantùm perſequatur, neque à doloribus omninò abhorreat, ſed medium quoddam amplectatur: quod medium ego nunc tranquillum pacatumq́ habitum vocabam.*

ὕβρις tria denotat. Primò.

Porro Septuag. pro *interfectionem* vertunt, ὕβριν, quod Primò vertas, immanior improbitas, proteruia, inſolentia, faſtus, procacia. q. d. Noli ponere animam, id eſt, ne conſideres, nec cures, quòd filius ſit improbior, proteruior, procacior, vt ob id eum caſtigare omittas, quaſi deſperans de eius emendatione: imò verò eò magis eũ caſtiga, & flagella flagellis adde, donec hanc eius proteruiam & improbitatem ſternas & contundas: ſicut equi petulci & feroces tam diu calcaribus vrgendi ſunt, donec ferociam ponant, & à ſeſſore ſe regi ſinant.

Secundò.

Secundò, ὕβριν vertas, vituperium, contumelia, q. d. Caſtiga filium mente quietâ & ſedatâ: at noli ex ira eum probris & contumeliis proſcindere, ne vel in deſperationem ruat, vel in proteruiam, ac pudorem & reuerentiam exuens, contumeliam contumeliæ regerat, ac verba verbis, quin & verbera verberibus reponat. Vnde Apoſt. Coloſſ. 3. *Patres*, inquit, *nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt nõ puſillo animo fiant.* Seruilis enim educatio facit filios ſeruiles, id eſt timidos & puſillanimes, ait S. Chryſoſt. ibidem. Vnde auctor Catenæ Græc. vertit, *erudi filium tuum, & frugi bonæq́ ſpei vir euadet: animo autem ne in inſolentiam te efferas*, vt filium ſuperbè & inſolenter increpare & ſternere velis. Et Syrus *ad opprobrium eius ne adiicias animam tuam.* Cùm enim filio improperas, tibi ipſi improperas: dedecus enim filij, eſt dedecus patris. Hinc S. Gregor. Nazianz. in carmin. ad Vitalian. docet, patres debere moderatè caſtigare filios, eò quod nimia obiurgatio pariat impudentiam, quæ mater eſt ſcelerum. Sic enim canit:

Ne tenerum abrumpat reprehenſio dura pudorem,
Auxilium patribus, quo nullum firmius vſquam eſt.
Probra etenim effrontes faciunt, bonitaſq́; modeſtos
Et venia, ac natos præſertim laudis amantes, &c.

Tertiò.

Tertiò, ὕβρις eſt vis illata, ſæuitia, ferocia, detrimentum, iniuria in corpus. q. d. Caſtiga filium: at noli ei inferre vim, vt in eum ſæuias, eum lædas, mutiles, interficias, vt vertit Noſter.

Quartò.

Quartò, Aben Ezra iniuriam & *interfectionem*, accipit nõ paſſiuam, quàm ſcilicet filius patiatur à patre ſæuiente, ſed actiuam, quam ſcilicet filius ſæuiens aliis infligit, Vnde ſic exponit. q. d. Erudi filium, quia eſt ſpes: ſperandum enim eſt, cùm illum caſtigaueris, ad diuturnum tempus vitam producturum. *Ad interfectionem eius*, qua ceteros morti dedit, *ne ponas animam tuam*, nimirum ei conſentiendo, vt ex eius præda nutriaris. Aut *ad interfectionem eius ne ponas animam tuam.* q. d. Cùm filius tuus alium interfecerit, tu ô pater illum interfeciſti: quia filium non caſtigãdo, eique indulgendo, in ſceleribus & cædibus eum aluiſti.

Apologus pueri & matris.

Huc facit hiſtoria vel apologus pueri & matris apud Æſopũ. *Puer*, inquit, *ex litterario ludo condiſcipuli librum furatus tulit matri. Quum ea verò non corripuiſſet, ſed potius amplexata fuiſſet, prouectus ætate cœpit & maiora furari. In ipſo autem furto aliquando deprehenſus, ducebatur rectà ad mortem. At ſequente & lugente matre, ille carnifices orabat, vt pauca quædam matri colloqueretur in aurem. Quæ cùm illicò ori filij ſe admouiſſet, ille aurem dentibus demorſam abſcidit. Matre autem & aliis accuſantibus, quia non ſolum furatus ſit, ſed tam & in matrem impius eſſet, ille ait: Hæc enim mihi perditionis fuit cauſa. Si enim, cùm librum furatus erã, me corripuiſſet, non ad hæc vſque progreſſus nunc ducerer ad mortem.* Affabulatio. *Fabula ſignificat, eorum, qui non in principio puniuntur, in maius augeri mala.*

Verum præcedentes expoſitiones germaniores ſunt, ac tertia planè conſentit Vulgatæ. Interfectio enim hîc filij non actiua, ſed paſſiua, qua ſcilicet interficiatur à patre, intelligitur. Vnde & Hebr. ſic planè cum Pagnino vertas, *& ad interficiendum eũ ne eleues animam tuã.* Hoc enim eſt immane parricidium ſuperans communes animæ conceptus, deſtinationes & machinationes. Vnde ad illud velut exorbitans oportet leuari, & vi attolli animam patris parricidæ, vt naturalem animæ pietatem & amorem in filium ſæuitia inhumana ſuperet & tranſſcendat. De filiorum caſtigatione plura dixi Eccli. 30. 1. & ſequent.

Loquitur Salomon de interfectione, quæ propria auctoritate fit, non quæ publica. Nam Deuter. 22. 20. iubetur vel permittitur parentibus vt filium inobedientem, epulonem, proteruum ducãt ad iudices, qui eum lapidari decernant: & tamen hoc ipſum parentis eſt probrum & damnum. Vnde de Iunio Bruto primo conſule Romę, qui Tarquinios & reges vrbe expulit, ac filios Tarquiniis fauentes ſecuri percuti iuſſit, ita cecinit Virgilius 6. Æneidos:

Conſulis imperium hic primus, ſæuaſq́ ſecures
Accipiet, natoſq́ pater noua bella mouentes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Infelix, vtcumque ferent ea fata minores.
Vincet amor patriæ, laudumq́ immenſa cupido.

QVI IMPATIENS EST, SVSTINEBIT DAMNVM: ET CVM RAPVERIT, ALIVD APPONET] Hebr. *magnus ira ſuſtinet mulctam: quia ſi eripias* (eum) *adhuc tamen addet*, ſupple ira efferueſcere, conſequenter & mulctâ. q. d. Qui procliuis eſt ad iram, in pœnas & damna incurret, ac licet ex vno liberetur, iterum efferueſcente irâ in alia eaque maiora temerè ſe coniiciet. Hic verſus accipi poteſt, vt connexus præcedenti, quaſi eius det cauſam, vnde Complut. & alij nonnulli addunt particulam cauſalem *enim*, *Qui enim impatiens eſt*, &c. Igitur Vatablus ſic vertit & explicat, *Si nimiùm ſeuerus fueris* (in caſtigando filium, eum vulnerando vel interficiendo) *dãnum accipies: ſi liberas, rurſum addes.* Caietan. *grandiens* (grandem faciens) *iram ſuſtinebit pœnam; quia ſi facies euadere, adhuc addes.* idque ſic explicat. q. d. Qui filium iracundiùs vſque ad morbum vel mortem caſtigat, non tam filium quàm ſeipſum plectit: quia priuat ſe filio vnicè dilecto, itaque ſibi perpetuum dolorem & mœrorem, ac Dei vindicis, quin & ſæpè hominis iudicis, vindictam accerſit: *quia ſi facies euadere, adhuc addes.* q. d. Si moderatè caſtiges filium, vt ex caſtigatione ſaluus integerque euadat, adhuc licebit aliàs eum inſtruere & caſtigare, vt quod priùs non didicit, poſteriùs diſcat. Vnde Pagninus planè vertit, *magnus ira addet pœnam: quia ſi erueris eum, adhuc addes caſtigare.* Aben Ezra verò ſic explicat, q. d. Sine filium iracũdum iraſci & furere, vt ita det pœnas ſicut peccato ſe obſtrinxit. Neque verò eum liberare ſtudeas; cùm enim ſemel illum incolumem præſtiteris,

Vers. 19.

ris,neceſſe erit, vt aliàs ſæpiſſimè ad eum eripiendum labores: quia in iram præceps in alias lites & rixas noxaſque irruet, præſertim quia confidit ſe rurſum à patre liberatum iri.

Verùm eſto, occaſione caſtigationis filij verſu præcedenti ſancitæ hæc ſententia ingeratur, ad eamque referri poſſit; tamen generalis eſt, & ad quamuis iracundiam & impatientiā extendenda eſt. Nam particulam *enim* nō habent Hebræa,nec Græca,nec Latina Romana. Vnde Primò, R.Salomō ſic explicat. q.d.Qui nimius eſt in ira,dabit pœnas: quòd ſi irā edomitā hoſtem tuum imminenti diſcrimini ſubtraxeris, adhuc addes dies & bona. Secundò,meliùs R.Leui: Qui modum,inquit,irarum excedit,non euadet,quin abiectę huius conſuetudinis pœnas ſoluat:nam cùm hac ratione iurgia inter mortales excitet,ſi aliquādo ob iram ſeruatus ſit, quòd qui hunc appetebat timore perculſus ſit, immoderatum eius æſtū contemplatus; iræ tamen aſſueſcet, rurſumque in alios excandeſcet, vt denique quiſpiam exiſtat, qui in hunc inſurgat & mactet: atque hic praua huiuſmodi inſtitutione calamitatis ſibi opifex erit.

Nota. Pro *cùm rapuerit*.hebr.eſt תַּצִּיל *tatſil*,quod R.Leui,Pagnin.& alij vertunt, *ſi liberaueris*,ſi eripueris; & Theodotion, *Homo magnæ iræ*, inquit, *mulctabitur: quoniā ſi eripueris,adhuc adijcies*. Noſter tamen vertit, *cùm rapuerit*; & Septuag. ἐὰν λυμαίνηται, id eſt *ſi vaſtauerit*, corruperit. Radix enim נָצַל *natſal*, id eſt liberare, ſubinde ſignificat rapere,diripere,ſpoliare,vt patet Geneſ 31.v.9.& 16. Exodi 3.22. & 2.Paralip.20.24. & 25. Rurſum *tatſil* & תּוֹסִיף *toſiph*,id eſt *addet*,ſunt futuri temporis, & ſignificant tam ſecundam perſonam maſculinam. q.d. *Cùm tu ô impatiens aliquid rapueris,addes damnum*;quàm tertiam femininam,ſcilicet *cùm rapuerit,addet*,vt reſpiciat חֵמָה *chema*,id eſt iram quę præceſſit. q.d. Magnus ira ſuſtinebit damnum,& cùm ira eius quid rapuerit, aliud damnum addet. Sic vtraque expoſitio eòdem redit, vti rectè aduertit Baynus. Vnde noſter ſenſum plenè reddidit dicens: *cùm rapuerit*, ſcilicet quippiam impatiens præ impatientia & ira (hanc enim in ſe includit impatiens) *aliud addet*, ſcilicet damnum quod præceſſit.

Iam lò *cùm rapuerit* varij variè explicant. Primò, aliqui ſupplent pronomen *ſe*,id eſt cùm impatiens ſe abripuerit, & liberauerit ab vno damno relapſus in impatientiam, aliud ſibi accerſit. Simili phraſi ait Horat. lib.2.Serm.ſatyr.7.

Ocius hinc te
Nî rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Et Ouidius de vacca Fragmento 6.

Illuc ſe rapuit, gregibuſq̨ immiſcuit illis.

Secundò, Ianſenius: *Cùm rapuerit*, inquit, hoc eſt, cùm raptim tulerit, & reportarit vnum damnum, mox in aliud incurret. Sic Horat.li.2.Serm. ſatyra 5. ait:

Sic tamen vt limis rapias, quid prima ſecundo
Cera velit verſu:

id eſt obliquis oculis raptim legas. Simili enim modo ira raptim inferens noxam alicui, raptim viciſſim ſimilem ſibi accerſit.

Rurſum *rapere* eſt raptim ac feſtinanter ducere. Vnde Plinius in Panegyrico Traiani, *Per hoc omne ſpatium*,inquit, *cùm legiones duceres, vel potiùs (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum vnquam, non equum reſpexiſti*. Sic impatiens per impatientiam rapit,id eſt raptim damnum aliis irrogans, idem in ſe concitat & abripit.

A

Tertiò & propriè, *rapere* eſt per vim aut cum feſtinantia,ſiue cum ira vel furore trahere, euellere,auferre: hi enim ſunt effectus iræ & impatientiæ. Eius ergo propriū eſt rapere, id eſt trahere & raptare eum cui iraſcitur, eique vel pilos, vel veſtes,vel pecunias,vel libertatem,vel ſanitatem, vel vitam auferre & eripere.

Senſus ergo eſt. q. d. Qui impatiens eſt ſiue in inſtruendo & corrigendo filium,ſiue in paupertate,morbo,contumeliis aut qualibet alia aduerſitate toleranda,hic ſuſtinebit damnum:quia tum ſeipſum pace mentis priuat,& impatientia ſua ſeipſum cruciat,tū aliis per ſuas querelas, iras & rixas ingentem creat moleſtiam,eoſq; contra ſe concitat: at ſi impatientiæ ſuæ indulgens alterū raptet, trahat & vellicet,aut ei veſtem, famam, pecuniam vel ſanitatem & vitam auferat (v. g. veneno aut verberibus interficiendo filium,vti præceſſit)tunc vtique longè maiora damna ſibi accerſet,mulctaſque vel pecuniæ vel libertatis in carcere,vel necis à Deo vel iudice infligendæ ſibi accerſet. Ita Dionyſ.Carth. *Qui impatiens eſt*,inquit, *id eſt, ex filij ſui peccato ad impatientiam concitatur,ſicq; illum impetuosè redarguit,ſuſtinebit damnum; quia ſeipſum grauiter lædit in anima,& ſubditum magis exaſperat,ſcandalizat, perturbat, quàm ſanet. Ideo ait Apoſtolus: Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant; ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. Hinc aſſerit Auguſt. Quidquid lacerato animo dixeris punientis eſt impetus,non charitas corrigentis. Et Proſper: Leniter caſtigatus exhibet reuerentiā caſtiganti, aſperitate autē nimia increpationis offenſus,nec increpationem,nec ſalutem recipit: & cùm rapuerit,id eſt aliquē violenter tractauerit,aut alieni ſua ſubtraxerit,aliud apponet,id eſt maius damnū incurret. Taliter igitur ſtudeamus delinquentem curare in anima, vt non per iram, impatientiam, aut alio modo lædamus aut perimamus propria corda,cùm dicat Saluator: Quid proficit homo,ſi lucretur vniuerſum mundum,ſe autem ipſum perimat, & detrimentum ſui faciat?*

B

C

Huc accedunt Sept.qui vertunt, κακόφρων, id eſt, *vir mala mētis,inſanus,impatiens,mala cogitans & machinans,multa damna patietur*. q.d.Impatiens qui mala aliis vult & optat,eadem ſibi creat, eademq; tacitè ſibi vult & optat. Lex enim talionis eſt, quod alteri feceris,mereris vt idem tibi fiat. *Si autem vexauerit* vel *laſerit*, *& animam ſuam addet*.q.d. Sin autem impatientia eius in actum externum prorupèrit,alioſque vel in fama,vel in opibus,vel in corpore læſerit,tunc ſanè grauiora damna ſubibit: reddetur enim ei talio vt oculū det pro oculo,dentem pro dente,animam, id eſt vitam ſuam, pro anima,id eſt vita quam alteri eripuit, ac propriè animam ſuam ob iniuriam proximo illatam æternæ damnationi & morti obligat. Ita auctor Catenæ Græc. *Mentis prauitas*,inquit,*per ſe minore pœnā mulctatur, maiori verò,ſi in opus externum exeat.* Et Chaldæus: *Vir iracundus*,inquit *ſuſcipiet pœnam*, id eſt iracundiæ ſuæ ilico damna ſentiet: *Et quādo exaltatur,ſuper onus ſuum addit*. q.d.Si ira exerceſcat, & in noxam necémue alterius ruat, vtique maioris ſupplicij onus & debitum ſibi concitat.

D

Hæc eſt generalis & adæquata huius ſententiæ expoſitio, ſub qua particulatim ad varias impatiētiæ ſpecies pariter & damna deſcēdere licet. Vnde Beda eam explicat & appropriat. Primò, correptioni

ptioni mananti ex animo impatienti; Secundò A furto & rapinæ. *Si enim duritia,* inquit, *contradicentis fratris, quem erudire cœpiſti, prouocatus ipſe in impatientiæ vitium labaris, damnum profectò tuæ virtutis incurris: & cùm illi duriùs forte increpando, ſpem promerendæ ſalutis agendæq́; pœnitentiæ quam habuerat, rapueris; rationē pro eo quòd fratrem ſcandalizaſti, diſtricto iudici reddes. Patet litteræ ſenſus: quia qui per impatientiam inopiæ, furto ſeruit aut rapinis, damnum ſuæ animæ facit, & cùm rem proximi tollit; etſi non homini pro hoc, certè æterno iudici rationem reddere debet. Vnde alia editio ita hunc verſum tranſtulit: Malè cogitans homo, multo damno affligitur: & ſi pernicioſus fuerit, animam ſuam apponet: quia nimirum cùm pecuniam violentus abſtulerit, pro hac animam inuitus dabit.*

Accedit Lyran. *Impatiens,* inquit, *ſuſtinebit damnum, ſcilicet patientiæ quam perdit. Et cùm rapuerit rem alienam ex impatientia, aliud apponet, ſcilicet damnum* B *innocentiæ cum damno patientiæ.* Quocirca illos tantùm paupertatis damna experiri, qui paupertatem ægrè ferunt, docet S. Chryſoſt. in epiſt. 1. ad Corinth. hom. 20. *Propterea,* inquit *pauperes ſumus, quia paupertatem formidamus, etiamſi talenta habeamus innumerabilia. Non enim qui nihil habet eſt pauper, ſed is qui horret paupertatem. Nam & in calamitatibus non eos deflemus, qui multa mala patiuntur, ſed eos qui ferre neſciunt,* &c. Quin & Seneca epiſt. 123. *Paupertas,* ait, *nulli malum eſt niſi repugnanti.*

Moraliter diſce hic, impatientiam ſibi ipſi eſſe carnificem, ſicut vice verſa patientia malorum omnium ſibi ipſi eſt medicina & medicus. Patiens enim omnia leniter, patiēter, & ſæpe hilariter fert, ideoque ea vel parū vel nihil ſentit: at impatiens ſuâ impatientiâ ſe diſcrucians, omnium malorum C ſenſum ſibi auget & duplicat. Rurſùm inimicitias, lites, rixas ſibi acceſſit. Denique per iniurias quas aliis infert, reum ſe conſtituit, vt pecuniâ, libertate vel vitâ mulctetur, eò quòd alios iniuſtè iiſdem mulctauerit. Sic ira & impatiētia Simeonis & Leui vindicantium ſtuprum Dinę ſorori illatum, maxima damna attulit: nam omnes Sichimitas occidit, ac totā Iacobi familiam ſtirpemq́ue Iſraël periculo excidij obiecit. Vnde Iacob moriēs eis maledicens: *Maledictus,* inquit, *furor eorum quia pertinax: & indignatio eorū, quia dura.* Sic ira & impatientia Saulis nō ferētis Dauidē ſibi æquari, ſe ſuamq; familiam perdidit, dùm perdere ſatagit Dauidem.

Patiens ſibi eſt medicus, impatiens ſibi eſt carnifex.

Memorabile & huic loco perappoſitum eſt exemplum, quod recitat Phædrus libertus Auguſti Cæſaris lib. 3. Fab. c. 49. Quidam, inquit, libertus accuſauit heram apud herum de adulterio, vt vtriuſque heres euaderet. Herus vt ſcelus deprehen- D deret, finxit ſe foras proficiſci: at noctu feſtinus domum redit: adit lectum in tenebris, virum in eo cubantem deprehendit, quem ſuſpicans eſſe adulterum, ex impatientia præcipitanter confodit. At illato lumine videt eſſe filium ſuum: quare prę dolore impatiens eodem pugione ſeipſum transuerberat. Vxor apud centumviros agitur rea viricidij & filiicidij, quòd tam virum quàm filiū occiderit. Auguſtus Cæſar rei veritate veſtigatâ & perſpectâ, hanc tulit ſententiam. *Libertus qui omnis mali cauſa extitit, det pœnas: nam heram orbatam tam viro quàm filio miſerandam magis, quàm damnandam cenſeo.* En pater impatiens impatientię ſuę hęc dāna retulit, Primò, cædem filij; Secundò, cædem ſui ipſius; Tertiò, vxoris orbitatem, calumniam & vitæ periculum.

Exemplum [illegible]

A Præclarè S. Gregor. 3. p. Paſtor. admon. 10. *Audiant,* inquit, *impatientes, quòd electis ſuis veritas dicit: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Sic enim conditi mirabiliter ſumus; vt ratio animam, & anima poſſideat corpus. Ius verò animæ à corporis poſſeſſione repellitur, ſi non prius anima à ratione poſſideatur. Cuſtodē igitur conditionis noſtræ patientiam Dominus eſſe monſtrauit, quia in ipſa nos poſſidere noſmetipſos docuit. Quāta ergo ſit impatientiæ culpa cognoſcimus, per quam & hoc ipſum amittimus poſſidere quod ſumus.*

Vide de damnis iræ & impatientiæ S. Baſil. homil. de ira, Caſſianum lib. 8. de inſtit. renunt. c. 1. S. Nazianz. in carm. de ira, S. Chryſoſt. hom. 5. in Matth. & Senecam lib. 1. de Ira c. 2.

AVDI CONSILIVM, ET SVSCIPE DISCIPLINAM, VT SIS SAPIENS IN NOVISSIMIS TVIS] Vers. 20. Chald. *in fine tuo;* Syrus, *in ſemitis tuis;* Symmach. B *audiens conſilium ſuſcipe diſciplinam;* Vatablus, *audi conſilium, & caſtigationem amplectere, tandemq́; ſapies;* Septuag. *audi fili diſciplinam patris tui, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis.* Ad omnes enim, ſed maximè ad iuniores hæc exhortatio pertinet, quæ aptè verſibus præcedent. ſubnectitur: ſicut enim ibi docuit parentes, vt filios inſtruant & caſtigent; ſic hîc monet filios, vt caſtigationem hanc velut paternam humili libentique animo ſuſcipiant. Solet enim Salomon diſciplinam filiis & adoleſcentibus commendare: quia hęc ætas, cùm ſit flexilis & inſtar tabulæ raſæ, diſciplinæ eſt capax, eaque indiget, ne in vitia, ad quæ feruor iuuenilis trahit, abripiatur.

Senſus ergo eſt, q.d. O iuuenis audi & ſequere conſilia & monita patrum & ſeniorum, idque nō ſemel, ſed aſſiduè & continuò: ſic enim magnam C colliges ſapientiam & virtutem, vt in ſenecta planè ſis ſapiens & virtute præditus. Sicut enim flumen, v.g. Rhenus in Alpibus, vbi naſcitur, eſt exiguus, ſed ſenſim progrediens illabentibus in eum riuulis augetur, vt tandem plenus ingenſque fiat fluuius: ſic prorſus puer exiguum habet ſapientię, ſed audiens & diſcēs ſenſim colligit ſapientiæ cumulum, vt in ſenecta illam habeat perfectam, adeò ut & in alios eam deriuare, eoſque ſapientes efficere poſſit. Vnde illud Heſiodi: *Bella ſunt iuuenum, opera virorum, conſilia ſenum.* Sapientia ergo ſenes decet. Primò, quia ipſa ſenectutis eſt decus. Secundò, quia ſenium eſt finis vitæ hominis: à fine autem bono pendet bona mors, ſalus & felicitas æterna: in ſenio ergo quemque ſapere conuenit. Tertiò, quia ſenum eſt iuuenes docere pru- D dentiam & virtutem tam verbo quàm exemplo. Vnde illud: *Corona ſenum multa peritia,* Eccli. 25. 8. Vide ibi dicta.

MVLTÆ COGITATIONES IN CORDE VIRI; VOLVNTAS AVTEM DOMINI PERMANEBIT] Vers. 21. Aben Ezra & Baynus hunc verſum nectunt præcedenti, quaſi eius det cauſam. q.d. Suſcipe, ô fili, diſciplinam Dei & patris tui, ac ne declines poſt cogitationes & deſideria cordis tui: quia cum multis cogitationibus humana mens ſcateat, nulla tamen præter Dei conſilium conſiſtere poteſt. R. Leui verò hunc verſum abſolutè accipit, refertque tam ad beneficia quā ad ſupplicia, quæ Deus pro peccatis irrogat. q.d. Fieri nequit vt cogitationibus & conſiliis tuis fruſtreris: cogitationes & cōſilia Dei, quibus tibi aliiſque benefacere vel malefacere cogitat & deſtinat. Si ergo peccaſti, noli ſequi cogitationes tuas, vt media inuenias quibus iudicium

Dei & meritas pœnas euadas; ſed ad Deum pœnitens recurre, veniamque poſce, & eius gratiam concilia. Quidquid enim aliud cogitaris & machinatus fueris, fruſtraneum experieris. Deus enim mille ſcit modos & vias illud euertendi, ac ſtabiliendi beneficium vel ſupplicium, quod tibi irrogare decreuit, vultque hoc ſuum decretum permanere, & in executionem deduci.

Deniq; generalis hæc gnome generatim ſignificat, cogitationes & conſilia hominũ eſſe varia, incerta & euanida: Dei verò eſſe vna, certa & ſtabilia. Per *cogitationes* enim accipe conſilia, volitiones & decreta. Vnde pro *voluntas* hebr. eſt עֵצָה *eſſa*, græcè βουλή, id eſt conſilium. Opponit enim cõſilia & prouidentiam hominum conſiliis & prouidentiæ Dei, quòd illa ſit incerta & inſtabilis, hæc certa & ſtabilis, iuxta illud Sapientiæ 9. 14. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.*

Homo ſua conſilia ſubſternat Dei conſiliis.

Dicit id Salomon hoc fine & fructu, Primò, vt doceat nos non confidere noſtris cogitationibus & conſiliis, ſed eas ſubſternere conſiliis & prouidentiæ Dei: ſic enim erunt ſtabiles & efficaces, atque ad optatum finem rem deducent. Vnde Tobias moriens hoc conſilium dedit filio cap. 4. 20. *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Secundò, vt doceat nos noſtra deſideria conformare voluntati Dei: ſic enim prudentia erunt æquè ac ſancta. Tertiò, vt doceat nos orare Deum, vt conſiliis ſuis noſtra dirigat, nobiſq; inſpiret ea, quę ipſi placita, vel ab ipſo ſancita & decreta ſunt. Si enim noſtris inuentis nitamur, quæ ſæpè Dei conſiliis & voluntati contraria ſunt, incaſſum laborabimus. Dei enim voluntas & prouidentia omnia noſtra conſilia elidet & diſſipabit inſtar fumi, vti diſſipauit conſilia fratrum Ioſeph: fecit enim, vt eum vendendo facerent principem Ægypti, & Pharaonis, qui volens perdere infantes Hebræorum, magis eos multiplicauit, Exodi 1. Sin autem Dei prouidentiæ noſtra conſilia committamus, ipſe ea diriget, & ad felicem exitum perducet, iuxta illud, quod de ſapientia dicitur Sapient. 6. v. 17. *Quoniam dignos ſeipſa circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.*

Ratio à priori. Prima.

Ratio à priori eſt. Prima, quòd cogitationes, conſilia & prouidentiæ hominum ſunt multæ, ideoque variæ, inſtabiles, incertæ. Homo enim cùm parum futura penetret & prouideat, dum iis conſulere vult, multa cogitat conſilia, quibus mens eius in varia diſtrahitur, vt neſciat quid eligere & capeſſere debeat, vnde quod ei initio placuit, mox diſplicet: quod elegit, mox refutat: hinc quia toties mutat, nutant labantque eius conſilia, ac ſæpè dicit, quod deterius, inutilius & inefficacius eſt, vel futurum eſt. Deus autem ſibi conſtat: nam vnum capit conſilium optimum & ſapientiſſimum, illudque ſuâ prouidentiâ & decreto ſancit ſtabilitque, vt immobile ſit ideoque futurum efficax. Ita auctor Catenæ Græc. *Hominis*, inquit, *animus inſtabilis & mutabilis eſt: Dei verò mens & ſententia ſtabilis & immutabilis.*

Secunda.

Secunda, quòd conſilia ad res futuras prouidè & ſapienter diſponendas pendeant à multis cauſis ſecundis, quæ contingentes ſunt, ideoque homini incertæ, quia in ſe mutabiles: quo fit vt dũ homo iis innititur, iis deficientibus pariter deficiat, omniaque eius conſilia corruant & euaneſcant. Deus verò cùm ſua prouidentia omnia contingentia dirigat & diſponat, facit vt certò eueniat id quod ipſe voluit & decreuit: quare ipſum reipſa fieri neceſſe eſt.

Tertia.

Tertia, quòd voluntas hominis ſit imbecilla, nec rebus cauſiſq; à ſe cogitatis efficaciam dare poſſit: hanc autem dare valet Deus. Quare cùm Deus abſoluta voluntate aliquid vult, idipſum fiat neceſſe eſt, nec vllus dæmonũ vel hominum id impedire valet: quia eius voluntas eſt omnipotens æquè ac ſapientiſſima, ac proinde omnia hominum ac dæmonum conſilia ſibi contraria diſſipare poteſt, & mille rationes facilè rem conficiendi ad inuenire & depromere. Hoc eſt quod ait Dauid (quò hîc alludit Salomon, vtpote filius eius) *Conſilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem*, pſ. 32. 11.

Igitur in rebus omnibus, præſertim incertis, dubiis & perplexis, non tam à ratione noſtra, quã Dei mẽte pendere & conſilium petere debemus, ac dicere cum Ioſaphat rege in arctis poſito, & penè à Moabitis perdito: *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Quo enim maiora ſunt pericula, eo maiora Deus ſuggerit auxilia: quo remotior eſt homo, eo vicinior eſt Deus, ſi inuocetur: quo longius abeſt creaturarum ſubſidium, eo præſentius eſt diuinum, vti patet ex promiſſis S. Script. & ex ipſa fidelium experientia. Quiſque enim idipſum reipſa in ſe ſæpè expertus eſt, experitur & experietur. Hoc eſt quod c. ſeq. v. 24. ait Salomon: *A Domino diriguntur greſſus viri: quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam?*

Vers. 22.

Homo indigens misericors est: et melior est pauper, qvam vir mendax] Hebr. ad verbum habent, *deſiderium hominis miſericordia eius: & bonus pauper præ viro mendacy.* Sic & Chald. & Syrus, qui addit: *Quam vir diues qui mentitur.* Vnde Primò, ex Hebræo ſic explicat R. Salomon. q. d. Miſericordia & pietas in primis efficit, vt vir miſericors ſit in hominum deſideriis: vnde pauper præſtantior eſt mendace, qui montes aureos pollicetur, & nihil præſtat.

Secundò, Aben Ezra, q. d. Deſiderat homo miſericordiã exercere in miſeros, qui illa indigent: quia virum maximè decet pietas & miſericordia: hinc præſtat pauper mendaci ſe miſericordem & beneficium oſtentanti, ſed fallenti ſpem.

Tertio, R. Leui prorſus contrariè vertit. Nam per חֶסֶד *cheſed*, id eſt miſericordia, accipit probrum & vituperium (ſic enim *cheſed* pro probro accipitur Leuit. 20. 15. & alibi per antiphraſin) vnde vertit, *cupiditas hominis eſt probrum*, id eſt vitioſa & probroſa, cùm cuncta humani cordis cogitatio & cupiditas ab ipſis incunabilis prona & intenta ſit ad malum, Geneſ. 6. 5. Quamobrem illius cupido & vota nihil aliud ſpectant, quàm res carnis & materiæ ſordibus conſtantes, in qua cum mutis & brutis animantibus conuenit. Atque ideo pauper, qui cupiditatem ſuam explere nequit, præſtat mendaci, qui rebus hiſce vanis & mendacibus fruitur, & ad ſatietatem, imò nauſeam, ſeſe oblectat & ingurgitat.

Quartò, Tigurina vertit, *volupe ſit homini benefacere: melior eſt vir pauper homine negante*, qui negat pauperi eleëmoſynam.

Quin-

Quintò, Vatabl. *deſiderium hominis eſt* (vel eſſe debet) *gratia eius* (ſcilicet Dei, qui præceſſit verſ. præced.) *& præſtantior eſt pauper homine mendace*, id eſt hypocrita, qui ſibi aliquid tribuit.

Sextò, Baynus. q. d. Homo naturaliter deſiderat audire miſericors, & habere nomen laudemq; liberalis & benefici, adeò vt etiam auari ſubinde benefici ſint, vt beneficentiam ſuam oſtentent: ſed præſtat pauperem eſſe nihil aliis donantem, quàm diuitem miſericordiam per oſtentationem ſimulantem.

Septimò Caietan. pronomen *eius* referens ad Deum qui præceſſit v. 21. ſic vertit & explicat, *deſiderium hominis eſt miſericordia eius*, id eſt primū & ſummum hominis deſiderium eſt, Deum miſericordem experiri. Idem aptiùs *eius* refert ad hominem. q. d. Hominis deſiderium, appetitus & propenſio natura ſua fertur ad miſerendū & ſuccurrendum miſeris. Hebr. enim תַּאֲוַת *taaua* ſignificat deſiderium auidum: radix enim אָוָה *aua* idem eſt quod Latinum aueo, id eſt auidè cupio.

Octauò, magis connexè Ianſenius. q. d. Deſiderant homines, vt poſſint eſſe benefici & liberales in egenos, prætexunt id ſuo deſiderio & auaritiæ, aſſerentes ſe deſiderare diuitias ob beneficentiam & miſericordiam egenis exhibendam. At melior eſt vir pauper, qui ſua ſorte contentus viuit, quàm is qui mendaciter ſuo ad conquirendas diuitias deſiderio prætexit opera beneficentiæ. Vel ſic: Omnes quidem homines ex natura deſiderant eſſe benefici; præſtat tamen pauperem eſſe, & beneficum eſſe non poſſe, quàm mendaciter de beneficentia gloriari, & ſuam, quam quis non exercuit, beneficentiam prædicare.

Nonò, Septuag. Hebr. *taaua*, id eſt deſiderium, vertunt καρπὸς, id eſt *fructus* (*fructus* enim eſt deſiderium, id eſt res deſiderata & ſummè optata agricolæ & laboranti) *viro eſt miſericordia eius: melior eſt autem pauper iuſtus quàm mendax diues.* Iam per fructum auctor Catenę Græc. accipit meritū & mercedem, vnde vertit, *magnus prouentus eſt homini eleëmoſyna* vel *miſericordia*. q. d. Ingens cenſus & redditus eſt eleëmoſyna: quia ingentem affert mercedem & compenſationem à Deo. Eleëmoſyna ergo eſt prædium quouis agro feracius. Alij *fructū* accipiunt pro effectu & proprietate, quæ ex hominis natura & indole prodit & reſultat. q. d. Sicut ex arbore vel ſemine prodit & producitur fructus v.g. pomum: ſic ex hominis natura & indole prodit humanitas, beneficentia & miſericordia. Homini enim congenita eſt humanitas, vt homo non ſit qui humanus non ſit & miſericors, ſed inhumanus, crudelis ac barbarus. Vnde S. Chryſoſt. homil. 54. in Matth. *Non voluntati*, inquit *ſolùm & arbitrio humanitatem & miſericordiam Deus commiſit, verùm etiam eius non paruas partes naturæ ipſi inſeuit: qui hanc non habet, à natura hominis decidet.* Vnde Iob c. 31. 18. *Ab infantia mea*, inquit, *creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.*

Vbi Nota. Humanitas & commiſeratio naturalis à natura inſita eſt homini, vt videns hominem ſibi congenerē miſerum naturaliter ei condoleat & miſereatur: at miſericordia ſupernaturalis, qua quis compatitur homini non tantùm vt creaturę, ſed vt homini eleuato ad ſtatum ſupernaturalem, ſcilicet vt capaci gratiæ, & deſtinato ad gloriam ſempiternam, præſertim ſi cōpatiatur, ex charitate & amore Dei, cuius proximus miſer eſt imago,

A hæc, inquā, miſericordia ſupernaturaliter inſeritur homini, ſed aptè & accommodatè ad eius naturam, quæ, vt dixi, propenſa eſt ad humanitatem & miſericordiam. Vnde ſicut ramus piri vnius ramo piri alterius ſibi congeneris inoculatur & inſeritur, atque per hanc inſertionem fit melior & feracior, pluresque & meliores fructus profert, vt docent agricolæ, & cōſtat experientia: ſic pariter cùm per Dei gratiam, perque merita & exempla Chriſti inſeritur naturæ noſtræ miſericordia ſupernaturalis, tunc vtique maiores & præſtantiores beneficentiæ dat fructus & opera.

Hæc de lectione Hebræa & Græca. Iam dubiū eſt qua ratione noſter Latinus interpres pro *taaua*, id eſt *deſiderium* verterit, *egeſtas*, nimirum: *Egeſtas hominis eſt miſericordia eius*, id eſt, vt ipſe explicat: B *Homo indigens miſericors eſt?*

Reſp. quia Hebræi egentem & pauperem vocant אֶבְיוֹן *ebion*, id eſt deſiderantē, eò quòd pauper omnibus egens omnia deſideret, vt ſuam egeſtatem leuet. Pauper ergo eſt *ebion*, id eſt multiuolus (radix enim אָבָה *aba* ſignificat velle, cupere, deſiderare) deſiderās & deſiderius, ac quaſi ipſum deſiderium: quia totus ex deſideriis cōflatus videtur. Hinc & deſiderare ſubinde idem eſt quod deficere & deeſſe, vt cùm dicimus in familia deſiderari ſupellectilem, proles, ancillas, &c. id eſt deeſſe. Vnde hæreticus ille priſcus vocari voluit *Ebion*, id eſt pauper, quòd volens libenſq; eſſet pauper effectus, teſtans ſe fuiſſe vnum ex illis; qui pretium rerum ſuarum poſuiſſent ad pedes Apoſtolorum, vti teſtatur Euſebius lib. 3. Hiſtor. c. 21. C Verùm S. Ignatius epiſt. ad Philadelph. appoſitè ludens idipſum in eum retorquet, aſſeritque eum verè ebionem, id eſt pauperem, vocari, eò quòd pauperrimè ſentiret de Chriſto, ſpolians eum diuinitate, dicenſque, eum merum eſſe hominem: Hic, inquit, verè eſt ebion, id eſt inops mentis, & pauper ſenſu potiùs quàm cenſu. *Ebion, id eſt pauper. videl*

Hinc moraliter diſce, auarum licèt diuitem, verè tamen pauperem eſſe, quia quo plura habet, eò plura deſiderat; ſuis verò contentum, eſto pauper ſit, verè eſſe diuitem. Porrò homo indigens eſt miſericors: quia vt ait Lyran. *Experientia miſeriæ ſuæ mouet eum ad miſerendum aliis in affectu, licet non valeat in effectu.* iuxta illud Didonis apud Virgil. 4. Æneid.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Nullus enim ita ſentit miſeriam alienam, atque is qui eamdem in ſe expertus eſt. Hac de cauſa Chriſtus incarnatus eſt, vt hominum miſereri D diſceret. *Debuit* enim *per omnia fratribus ſimilari vt miſericors fieret*, ait Apoſtolus Hebr. 2. 17. Eadem de cauſa Deus permiſit S. Petrum labi in peccatum abnegationis Chriſti, & S. Paulum in peccatum perſecutionis fidelium, vt pœnitentes diſcerent compati peccatoribus & pœnitentibus. Quin & Ariſtot. in Politic. ait: *Senes proni ſunt ad compatiendum, quia pluribus indigent, ſimiliter & feminæ.* Indigens igitur miſeretur affectu, quin & effectu ſi poteſt: dat enim parua quæ habet liberali animo & affectu, cùm non poteſt magna. Significat ergo, inquit Ianſenius, noſtra litera hominem indigentem, vt plurimùm magis eſſe miſericordem, quàm ſit diues, vt qui per experientiam nouit, quàm grauis ſit miſeria & indigentia, ideoque virum pauperem præſtare diuiti mendaci, qui ne benefaciat, mentitur ſe non habere quod tri-

buat. Ille enim quamquam nõ poſſit,cupit benefacere; hic verò cùm poſſit,non vult. Aut ſignificatur indigentiam hoc boni conferre homini, vt miſericors ſit erga alios miſeros, atque inter duo mala, nempe paupertatem & mendacium, minùs malum eſſe paupertatem, quamquam illam valdè fugiant homines, & pro extremo malo ducant. Iuxta priorem intelligentiam ſignificatur, paupertatem duo bona conferre homini, nempe voluntatem benefaciendi,& præſeruationem à peccato mendacij. Verè enim poteſt dicere ſe non poſſe benefacere. Hic enim verum eſt illud Apoſtoli: *Si volun:as prompta eſt,ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet*, 2. Cor. 8. 12. Vide ibi dicta.

Myſticè, Beda hæc refert ad egeſtatem & paupertatem mentis. *Indigentem*, inquit, *dicit humilem qui ſe perpetuis bonis egere ſine ceſſatione recolit: talis namque vt miſericordiam conſequatur à Domino, numquam proximo miſereri recuſat. De quo & ſubſequenter annectit: Et melior eſt pauper quàm vir mendax. Melior eſt namque humilis corde, qui nihil fidit ſuis operibus, quàm qui ſe præ excellentia virtutum viri nomine dignum ducens, fallitur neſciens, quòd dum gloriam Dei in ſe transfert, ſuperbiendo perdit bona quæ geſſit.*

Porrò Lyran. legit, *melior eſt pauper iuſtus quàm vir mendax*, ſicq; explicat. q.d. Melior eſt pauper, qui non declinat a veritate iuſtitiæ, quàm vir potens, qui ab ea declinat per mendacia. Verùm *Tò iuſtus* non eſt in Hebræo & Latinis Roman. eſt tamen in Græco, ac ibi per iuſtum commodius accipies miſericordem, de quo ſermo præceſſit, q.d. *Fructus viri eſt miſericordia eius*; quare melior eſt pauper iuſtus, id eſt miſericors, qui miſeretur affectu, quin & affectu dans pauca quæ habet, quàm *vir mendax*, putà diues vel ſimulans, ſe diuitem, qui mendaciter multa promittit cùm parua præſtet.

VERS. 23. TIMOR DOMINI AD VITAM: ET IN PLENITVDINE COMMORABITVR ABSQVE VISITATIONE PESSIMA] Hebr. *timor Domini ad vitas: & ſatur pernoctabit, non viſitabitur à malo*; Chald. *timor Domini ad vitam: & qui ſatiabitur ab eo, pernoctabit, nec viſitabitur à malo.* De verſione Septuag. dicam inferiùs. R. Leui ſic explicat. q.d. Dei timor inſtituit ad vitam nullis terminis circumſcriptam; quocirca: qui Deum veretur, ſatietate perfuſus durabit, neque vmquam eſurie premetur, nec corporis cupiditatibus æſtuabit, nec in memoriam eius aliquid mali reuocabitur, quod cogitationem abripiat, cùm à diluuio timore coërceatur, nec turpia exoptet. Vatabl. *timor Domini affert vitam, exſaturat, & ſic commorari facit, vt nullum malum ingruat.* Lyran. & Dionyſ. ſic exponunt. q.d. Timor Dei filialis, qui ex amore Dei cauet offenſam, ducit ad vitam beatam; *& in plenitudine*, ſcilicet beatitudinis, *commorabitur* in perpetuum *abſque viſitatione peſſimi* (ſic enim ipſi legunt per *peſſima*) ſcilicet cacodemonis, cui ad Beatos nullus patet acceſſus. Alludere enim videtur Salomon ad illud Dauidis patris ſui pſalm. 90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.*

Per *vitam* intellige vigorem, ſanitatem, longæuitatem. Nam vt ait Poëta, *Non eſt viuere, ſed valere vita.* Vera ergo vita eſt vegeta, ſana, longæua: quæ enim miſera eſt, infirma & caduca, mors potiùs eſt quàm vita, vt ait S. Greg. Per *plenitudinem*

A accipe ſaturitatem, vt habent Hebræa: venter enim ſatur cibo plenus eſt: ſaturitas ergo eſt ſtomachi plenitudo.

Commendat timorem Dei à quatuor eximiis eius dotibus & fructibus. Primus eſt vita, id eſt vigor & ſanitas; Secundus, ſaturitas; Tertius, ſuauis ſomnus & quies; Quartus, liberatio ab omni malo. Eſt proſopopœia. Timor enim Dei hìc comparatur bonæ validæque complexioni hominis validi & robuſti. Sicut enim homo bonæ firmæque complexionis vitam habet vegetam & ſtomachū robuſtum, vt quoſlibet cibos naturæ congruos appetat, comedat & concoquat, iiſque ſe ſaturet. Vnde fit vt ex cibis bonis bene concoctis, ſuaues vapores & halitus de ſtomacho in caput aſcendant, cerebrumque inhalent, itaque ei ſuauem & amœnum ſoporem concilient: quo fit, vt nullos B malignos, biloſos vel melancholicos vapores in caput admittat, qui ei triſtia phantaſmata & ſpectra repræſentent, ac bilem vel triſtitiam & pauorem iniiciant: ſic pariter timor Dei eſt optima hominis interioris mentiſque complexio, quæ ei ſpiritus vigorem, ſanitatem & robur conciliat, ac ſtomachum bonum putà bonam conſcientiam (hæc enim eſt animæ ſtomachus; nam vt ait S. Auguſtin. tract. 32. in Ioan. *venter interioris hominis eſt conſcientia cordis*) quæ legis diuinæ dictamina, Deique inſpirationes, Sanctorum hortamenta & exempla, &c. velut cæleſtes animæ cibos, ſummè appetit, comedit & digerit, iiſque ſe exſaturat. Vnde fit, vt anima eorum ruminatione, velut halitibus quibuſdam diuinis imbuta, placidè in Deo rebuſque diuinis conquieſcat, & quaſi indormiat, dicens cum Pſalte pſ. 3. *In pace in idipſum,* C *dormiam & requieſcam.* Hæc quies miram ei lætitiã omnis mœroris & triſtitiæ malique expertem parit & producit.

Quatuor fructus timoris Dei.

Primò ergo, timor Dei affert vitam, imò vitas, putà temporalem & ſpiritualem, præſentem & æternam, naturæ, gratiæ & gloriæ, iuxta illud Eccli. 1. 12. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium & longitudinem dierum.* Cauſas ibidem aſſignaui. *Primus eſt vita.*

Secundò, timor Dei affert ſaturitatem: ſolus enim Deus, vtpote infinitus, & bonum immenſum poteſt animam animæque immenſam capacitatem implere & ſaturare. Timor ergo, id eſt amor Dei, quia Deum Deique gratiam ſecum adducit, ſaturat mentem; cùm timor & amor mundi eam ſiliquis porcorum, putà bonis exilibus & D caducis, ſcilicet auro, argento, vino, deliciiſque, & pompis ſæculi, paſcens, ſaturare nequeat, ſed ieiunam, aridam & famelicam relinquat. Rurſum timor Dei ſaturat corpus & ventrem: quia qui timet amatque Deum, paucis contentus, terrena non admodum concupiſcit, ſatur, dum habet neceſſaria, ita vt dicat cum S. Paulo: *Habeo autem omnia, & abundo,* Philip. 4. 18. Et verè, cùm omnium auctorem ſecum habeat, cuius rei famem ſuſtinere poſſit? *Secundus, ſaturitas.*

Tertiò, ſaturitas hæc menti quietem, & mirum tranquillitatis ſomnum inhalat & irrorat, vt inter omnes mundi varietates & turbines ſemper ſibi ſimilis, quieta, placida & immota conſiſtat, iuxta illud cap. 12. 21. *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit.* *Tertius, quies.*

Quartò, hæc quies expellit omnem triſtitiam omneque malum, ac perenne gaudium mentiſ- *Quartus, gaudium.*

que

que iubilum excitat, vt tam in aduerſis quàm proſperis Deo gratias agat, exultet, & dicat cum Pſalte: *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo*, pſalm. 33. Hinc non metuit dæmonum hominumque terriculamenta, illuſiones & phantaſmata, ſcrupulos & tentationes, ſed cum S. Antonio illa ridet, illiſque inſultat, dicendo: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* pſ. 26. 1. Quare etſi pro iuſtitia, vel conditione huius mortalitatis quid patiatur, non dolet, ſed gaudet, dicitque illud Apoſtoli: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*, Rom. 8. Quare malum omne ipſi vertitur in bonum.

Ratio à priori. Ratio à priori ergo huius ſententiæ eſt, quòd timens Deum cum habeat hyperaſpiſten, qui illi omne bonum accerſat, & omne malum auertat, imò ſcuto ſuæ prouidentiæ & omnipotentię propulſet. Quis ergo ei noceat? quid ipſe timeat? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. Hoc eſt quod orando profitetur, poſtulatque Eccleſia in Collecta Dominicæ infra octauam Corporis Chriſti dicens: *Sancti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis.*

Porrò Septuag. vertunt, *timor Domini ad vitam:* ἄφοβος, id eſt *carens timore verò morabitur in locis, vbi non eſt ſcientia;* Scholiaſtes, *errans & ſatur pernoctabit ſine viſitatione mala.* Videntur ergo Septuag. contrariari Vulgatæ verſioni, q. d. Pius qui habet timorem Dei, perueniet ad vitam: impius verò, qui caret timore Dei, cupiditate & vitiis ſuis velut ebrius, oberrabit, & in obuia quæque impinget proruetque, ac ſine metu intrepidè in omnia ſcelera, indeque in gehennam præcipitem ſe dabit. Pius tendit ad vitam in cælis perennem; impius verò ad mortem in gehenna perpetuam, vbi nulla eſt Dei verique ſcientia, ita auctor Catenæ Græcor.

Verùm hic ſenſus aduerſatur Hebræo, Chaldæo & Latinæ Vulgatæ: quocirca eum non mendiſſe Septuag. interpretes, dum Hebræa in Græcum verterunt, certum videtur. Igitur τὸ ἄφοβος

φόβος Dei ἄφοβος. non notat impium timore Dei vacuum, ſed ipſum timorem Dei, q. d. φόβος κυρίου ἐστὶ ἄφοβος, id eſt, timor Dei caret timore, impauidus eſt & intrepidus, vt vertunt Complut. Eſt hoc timoris paradoxum: Timor enim Dei omnem aliarum rerum terribilium metum excludit: ſicut metus mortis & gehennæ omnem alium metum extundit; & ſicut lux Solis obſcurat lucem ſtellarum, iuxta illud Chriſti: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*, Matth. 10. 28. Vis ergo nihil timere? time Deum. Timor enim Dei omnem alium timorem expellit. Vnde Eccleſiaſt. c. 34. *Qui timet Dominum*, inquit, *nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius.* Vide ibi dicta. Hunc eſſe ſenſum, patet ex Hebræo, Chaldæo, Vulgata & ceteris Interpretibus.

Vers. 24. ABSCONDIT PIGER MANVM SVAM SVB ASCELLA, NEC AD OS SVVM APPLICAT EAM] Pro *aſcella* hebr. eſt צַלַּחַת *tſallachat*, id eſt *lebes*, vel olla; alij, *frixorium* vel *patina*. Vnde Tigur. vertit, *piger manum ſuam in patinam inſerit: nec eam ad os ſuum retrahit;* R. Salomon, *piger lebeti, cùm is ab igne remouetur, ſupponit manus, vt eo ſe calefaciat;* Aben Ezra, *deſes deſidet, perinde ac ſi in vaſe manus haberet abſconditas & ſepultas: quare cùm ob inertiam nihil inueniat quod comedat, manum ad os applicare non poterit;* Lyran. *piger ſub caldaria abſcondit manum ſuam, id eſt, tempore frigido interrumpit comeſtionem propter manuum calefactionem;* Caietan. *piger mittit manum in ollam calentem, atque eius calore delinitus non vult eam extrahere, & ad os applicare.* R. Leui: *Inerti idem contingit ac ſi manus exiguæ lanci incluſiſſet, ex qua illas ægrè abſtrahere poſſet: præ deſidia enim manibus ſopitis ligatiſque videtur, ita vt nullum opus præſtet, licetque alimenta deſint, vt ideò oporteat aliqua arte neceſſaria ad vitam tranſigendam lucrari; manibus tamen ſuis imperare nequit, vt aliquid elaborent, quo vitam conſeruet, quod inſinuant illa, Nec ad os ſuum applicat*, &c.

Alius vertit, *condit piger manum ſuam in frixorium, & hanc piget referre ad os ſuum.* q. d. Citiùs patitur piger corrumpi in caldaria cibum, quàm vt ſtatim in os ingerat, quod nimirum quę friguntur & torrentur, ſtatim incaleſcant, &, niſi ilicò excipiantur, aduſtione diſpereant. Noſter vertit, *ſub aſcella:* hanc enim metaphoricè ſignificat Hebr. *tſallachat:* quia aſcella vel axilla, vtpotè concaua & profunda, ſpeciem habet lebetis vel ollæ. Vnde Baynus, Paguin. & alij, quin & Septuag. ac Syrus vertunt, *in ſinu:* ſub axilla enim quaſi in ſinu pigri & frigidi recondunt manus, vt caleſiant & torpeant. Graphicè ergo depingit pigritiæ habitum & geſtum. Sic enim pigros, videmus complicatis ſub axilla manibus deſides & inertes ſedere, vt præ inertia, torpore & frigore vix manum ex ſinu extrahere, & ad os admouere ſuſtineant.

Dicitur aſcella vel axilla diminutiuè quaſi parua ala, ſicut maxilla à mala; paxillus à palus: nam brachia ſunt homini quod alæ aui, ita Priſcianus. Meliùs alij alam ab axilla per detractionem litteræ mediæ deriuant. Ita Cicero in Orat. *Quomodo enim*, inquit, *veſter Axilla Ala factus eſt, niſi fuga litteræ vaſtioris? quam litteram etiam è maxillis è taxillis, & vexillo, & paxillo conſuetudo elegans Latini ſermonis euellit.*

Igitur Primò, ſignificatur & culpatur hic extrema pigrorum ignauia, qua torpere malunt quàm manducare. Eſt hyperbole. Vix enim inuenitur adeò piger, qui eſuriens manum ori, vt cibum ingerat, non applicet, vt famem depellat, & ſtomachum latrantem ſaturet. Sunt tamen nonnulli adeò torpidi & frigidi, inquit Baynus & Ianſenius, qui malunt torpere quàm comedere: frigus enim & torpor famem hebetant & ſedant, vt vel nullā vel exiguam ſentiant. His ergo moleſtum eſt vel cibum capere, vel faciem lauare, aut caput pectere, vel tantillo tempore calore quem in ſinu quęrunt, aut otij ſuauitate carere. Summa, ſignificatur tantam nonnullorum eſſe pigritiam, vt & quæ faciliima ſunt factu, & neceſſaria corpori vel animo detrectent & recuſent. Hunc eſſe ſenſum patet ex c. 26. 15. vbi hęc ſententia repetitur & explicatur: *Abſcondit*, inquit, *piger manum ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eam conuerterit.*

Secundò, ſignificatur pigrum manibus otioſis deſidere, nec velle laborare, vt cibum comparet: quare non habere quod comedat, & ori applicet. Vnde Vatab. ex Hebræo ſic ad verbum vertit, *abſcondit piger manum in ſinu ſuo, etiam ad os ſuum non adducet illam. q. d. Nihil habebit, quod in os ingerat.* Et ſic

ſic exponi poteſt vulgata Verſio, *Nec ad os ſuum applicat illam.* q.d. Nec ad comparandum ori ſuo victum applicat illam.

Emblema pigritiæ.

Hac de cauſa hyeroglyphici pingunt acediam quaſi anum deformem, malè veſtitam, ſedentem, capite innixam in manum ſiniſtram, quæ cubito incumbit genibus ac dexterà tenet funem, ſiniſtrà torpedinem vel teſtudinem domiportam, cum hoc lemmate: *Torpet iners.* Anum, quia ſenes ſunt ſegnes. Malè veſtitam, quia *pigritia eſt nutrix egeſtatis*, ait Seneca lib. de Benef. Sedentem, quia facit deſides. Vnde S, Bernard. acedios ſtimulans: *O homo*, inquit, *impudens: millia millium miniſtrant ei, & decies millies centena millia aſſiſtunt ei, & tu ſedere præſumis?* Capite deuexo & decliui, quia *per torporem vires & ingenium defluunt*, ait Iſidor. lib. 2. Soliloq. Tenet funem, quia ligat homines, facitque inhabiles ad operandum. Geſtat torpedinem piſciculum, quia hic remoratur ſiſtitque naues in medio curſu, vnde & remora dicitur. Teſtudo in inceſſu tardiſſima eſt, vti & acedus, ita Cæſar de Ripa in Iconologia pag. 8.

Porrò Septuag. addunt τὸ *iniuſtè*, ſicque vertunt, *qui manus in ſinu ſuo iniuſtè abſcondit, neque ori ſuo applicabit eas*, quod auctor Catenæ Græcor. ex variis variè explicat: *Qui*, inquit, *manum in ſinu ſuo abdit iniuſtè, hoc eſt aliena rapit & occultat, numquam abundabit, quia cum ea ſemper ſterilitate & rerum penuria conflictabitur, vt illud quoque, quod ori ſuo applicet, hoc eſt comedat, ei defuturum ſit.* Alius: *Qui virtutes in actione poſitas hauſit, neque illas tamen in opus deducit, is vero germanoque alimento ſeipſum priuat.* Didymus: *Qui improbè viuit, manuſq. contra animam iniuſtè abſcondit, neque terram ſuam excolit, quo tandem modo panibus ille impleri quandoque poterit? ſiquidem virtutes circa actiones occupatæ manuum rationem obtinent, vt quæ panem illum ori noſtro adferant, qui de cælo deſcendit. Non poterit proinde talis, quòd ſit piger & ignauus, vllum omnino frugi actionis initium comparare.* Alius: *Qui Dei voluntatem nouit, neque illam tamen facit, æternis bonis numquam potietur, vt qui manus in ſinu ſua turpiter abdiderit: quamobrem qui nihil operis præſtat, nihil quoque habebit, quod in os ingerat. Aduerte autem, vt ridiculo ſchemate ignaui hic ingenium exprimat, nempe per manus in ſinu abditas.*

Preſſiùs, concinniùs & profundiùs noſter Salazar. q. d. Qui vi & iniuria alienas pecunias auferunt, ori ſuo nequaquã eas admouent, quia citiùs quàm illas in vſus proprios cõuertere poſſint, ipſis peribũt: ita enim experientià duce nouimus, ablatas furto pecunias malè dilabi & perire ſolitas. Alia etiã accommodatior expoſitio eſt: *Qui abſcondit manus ſuas in ſinu iniuſtè*, id eſt qui pecunias ex auaritia celat, manus contrahens, atq; in ſinum immergens contra ius faſque, *neque ori ſuo admouebit illas*, is profectò neq; illas in vſus proprios expendere audebit: ita enim fert auarorum ingenium, vt non modò pecunias ſuas aliis non impendant; ſed neque eiſdem ſibi victitare auſint: auaritia enim, quæ largitiones in pauperes vel amicos inhibet, ſumptus etiam ad proprias vtilitates ſpectantes, ſordiſſimè vetat, hæc iuxta Sept.

Myſticè & Tropolog. S. Gregor. lib. 12. Moral. c. 10. *Pigro*, inquit, *labor eſt manum ſuam ad os porrigere: quia deſidioſus quiſque prædicator nec hoc vult operari quod dicit. Manũ quippe ad os porrigere, eſt voci ſuæ opere concordare.* Quæ verba hic tranſſcripſit Beda. Præclarè S. Bernard. ſer. 63. in Cant. pigritiæ effectus & damna enumerans; *Hoc frigus*, inquit, *ſi ſemel animum peruaſerit ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis incenditur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas praſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremò impudentiæ manus: præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, ille plenus ignominia & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pauimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.*

Torporis ſchema.

Verſ. 25.

Pestilente flagellato stultus sapientior (Sept. πανοῦργότερος, id eſt *aſtutior*) erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam] Septuag. *ſi autem corripueris virum prudentem, cogitabit ſenſum*; Hebr. *deriſorem ſi quis percuſſerit, ſimplex aſtutus efficitur; & ſi increpueris intelligentem, intelliget ſcientiam*; Chald. *percute illuſorem, & inſipiens aſtutior* (cautior) *fiet: & corripe prudentem, vt intelligat ſcientiam*; Syrus, *ſtultus quando flagellatur, prudens cauet.*

Peſtilentes ergo hìc & alibi vocantur deriſores & illuſores, qui omnia ſacra & ſancta rident, & in iocum ludumq; vertunt, imò traducunt & ſubſannant: hi enim ſunt ſummè noxij & peſtilentes. Hi proindè penè ſunt incurabiles, nec verbis, ſed verberibus comprimendi, vt, ſi non ipſi, certè alij eorum ſupplicio reſipiſcant & ſapiant. Pro *ſtultus* hebr. eſt פֶּתִי *pethi*, id eſt paruulus, ſimplex, rudis, innocens, inſipiens. Pro *ſapientior erit*; Hebr. יַעְרִם *iaram*, id eſt aſtutus cautuſque fiet inſtar ſerpentis. Tradunt enim phyſici, & inter eos Albertus Magnus lib. de Animal. in ſerpente, quòd, ſi quis ſerpentem occidat vel comburat, eius nidore & fœtore percepto, fugere reliquos ſerpentes, quaſi verentes, ne idem ſibi contingat; itaque vnius exemplo ſapere & fuga ſibi conſulere: atq; hoc eſſe ſingulare remedium ad purgandum locum ſerpentibus infeſtum. Simili modo ſapere iubet nos Salomon, vt, dum flagitioſum quempiam vel à Deo, vel à iudice acriter plecti videmus, flagitiũ omne caueamus. Vnde S. Chryſoſt. homil. 17. in Geneſ. docet, Deum ſerpenti qui Euam decepit graues inflixiſſe pœnas, Geneſ. 3. 14. ideoque Adæ leuiores impoſuiſſe, vtpote qui ex ſerpentis pœna iam cautior euaſiſſet. Tritum eſt illud:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Sic ob plagas Pharaonis & deletum Amalec, Iethro reſipuit ad Dominum conuerſus, & proſelytus eſt effectus, ait R. Salomon, vide Exodi 18. 9.

Verè Comicus:

Puni malum vnum, & mille corriges malos.
Dilata pœna bis nocet innocentiæ.
Vnicam reum coërce, facinus ſuſtuliſti.
Nulla vbi pœna eſt malorum, ibi eſſe non licet bonis.
Corpus omne ne tabeſcat, membra quædam tollimus.
Conterendus ilicò eſt, vt apparuerit ſcorpius.

Et Seneca: *Sapiens ex correctione peccati alterius emendat ſuum.* Hoc eſt quod ſancit Apoſtol. 1. Timoth. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.*

Si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam] q. d. Peſtilens & ſtultus non niſi flagellis & verberibus; ſapiens verò

verbis

verbis dumtaxat correptus reſipiſcet, diſcetq; diſciplinam, ait R. Leui, iuxta illud: *Sapientem nutu, ſtultum fuſte*, ſcilicet corripe. Vnde Apoſtolus ad Titum 1. 12. *Cretenſes*, inquit, *ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, &c. *quam ob cauſam increpa illos durè*. Sic S. Stephanus durè duros Iudæos increpauit, vocans eos proditores & Chriſticidas, Actor. 7. Sicut enim ſilices non niſi malleorum ictibus crebris finduntur, arenæ verò leui tactu: ſic pariter dura corda non niſi acribus plagis & flagris ſcinduntur, mollia verò leni caſtigatione.

VERS. 26. QVI AFFLIGIT PATREM, ET FVGAT (malè aliqui legunt *fugit*: Hebr. enim eſt יַבְרִיחַ *iabriach*, id eſt fugat; græcè, ἀπωθούμενος, id eſt impellens, expellens) MATREM, IGNOMINIOSVS EST ET INFELIX] Pro *affligit* hebr. eſt מְשַׁדֶּד *meſcadded*, id eſt vaſtat, perdit, diripit, expilat, prædatur, itē affligit, vt patet pſ. 16. 9. *A facie impiorū, qui me afflixerunt*, Vnde Primo Pagnin. vertit, *qui deſtruit paterna bona, fugabit matrem, filius pudore afficiens & erubeſcere faciens*; Tigur. *qui patri damnum dat, & matrē expellit, dedecoroſus eſt filius & ignominioſus*; Vatabl. *qui diripit patrem, & fugat matrem, eſt filius pudore & probro afficiens*, ſcilicet parentes; Aben Ezra, *qui patrem aboleri iubet, matremq́; effugare curat, hic filius eſt ignominioſus*; R. Salomon, *qui perdit patrem, matremque fugat; ijs ignominiam inurit, improbumq́; terit iter. Sic cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ* (Iſmaëlem) *idolis cultum deferentem, & verenda nudantem, tam filium quàm matrem cum probro domo expulit*; hæc ille. R. Leui: *Ignominia*, inquit, *probroſq́; progenitores ſuos afficiens ob morum improbitatem; tum etiam quòd cupiditatibus obſequatur; hic, inquam, parentem ſuum à prædonibus diripi curat, quo prædæ partem cum illis ineat. Vel etiamſi fortè ab illis mutuo acceperit, hi ad parentem huius accedunt, vt, quæ filius debebat, perſoluat, eademq́; de cauſa mater in fugam conijcitur. Quamobrem filios à prima ætate à parentibus rectè inſtitui neceſſe eſt, ne ab ijs pernicies inferatur.*

Senſus ergo eſt, ait Ianſenius, q.d. Is qui impiâ ſuâ vitâ patrem affligit, eumque ſuis bonis exuit, ſiue per violentiam, ſiue per decoctionem bonorum: & matri cauſa eſt vt fugere cogatur, ac domum ſuam, ſiue patriam, relinquere; vel quia non poteſt ferre inſolentiā filij; vel quia per ipſum ad paupertatem redacta, diutiùs in domo ac patria manere non poteſt; talis planè eſt ignominioſus, omnique vituperio dignus & opprobrio. Dignus item qui & hic, & in futuro, infelix ſit, quia infelices reddit ſuos parentes. Hebræa etiam aliter verti poſſunt, vt ſit ſententia maioris ponderis, hoc modo: *Vaſtat patrem, & fugat matrem, filius pudendus & probroſus*; hoc eſt, qui pudendam vitam viuit, parentes ſæpè ſpoliat & bonis & domo: aut, tantum peccat atque qui parentes ad inopiam & exilium adigit.

Rurſum ſi pro מְשַׁדֵּד *meſcadded* per *ſchin* legas מְסַדֵּד *meſadded* per *ſin*, ſignificat, qui contundit, confringit, vel conterit patrem: שָׂדַד *ſadad* enim ſignificat confringere & conterere glebas, dū aratur ager, putà occare. Vnde Septuag. vertunt, *qui inhonorat patrem, & fugat matrem ſuam, confundetur, & exprobrabilis erit*; Chald. *qui deridet patrē, & fugat matrem, filius eſt ignominioſus & confuſione dignus*; Syrus, *filius eſt pudorē incurrens & confundens*, q.d. Qui patrē ſeneſcentem & in terram per mortem deuergentem, quaſi glebam vilem deſpicit, probris

A & iniurijs afficit, eumque quaſi pedibus proterit & conculcat; hic tam ſe, quàm parentes ignominiâ & probro grauiſſimo afficit, ideoque infelix eſt & erit. Solet enim hæc parentum dehoneſtatio & afflictio, futuræ infelicitatis eſſe præſagium, imò illicium. *Afflictio parentum infelicitatis præſagium.*

Ratio à priori eſt, quòd talis ſeſe naturæ hoſtē, omniſq; honeſtatis inimicum palàm oſtendat, ait auctor Catenæ Græc. Nihil enim turpius, quàm eos, à quibus naturam & omne bonum accepiſti, affligere, & iniurijs afficere. Rurſum: Sicut decus parentum eſt decus filiorum, ſic dedecus & probrum parētum eſt dedecus & probrum filiorum, præſertim cùm ipſimet hoc illis irrogant, quocirca homines tales vt ſceleſtos vituperare & execrari ſolent. Ac Deus naturę auctor hanc parentum B iniuriam grauiter vlciſcitur, atq; filios iniurios grauibus ærumnis caſtigat, vt miſeri & infelices vbiq; degant, ac eaſdem moleſtias, iniurias & probra à filiis ſuis patiantur, quas ipſi parentibus ſuis irrogarunt, vti crebrâ experientia conſtat. Celebre eſt illud patris, qui a filio ex domo ignominioſè protractus vſq; ad limen oſtij *Sine*, inquit, *fili: huc-uſque enim ego protraxi patrem meum.* Sic Deus iniuriam parentum talione vlciſcitur: pater enim Deum patrem filiis repræſentat, eiuſque vices gerit. Vnde Plato l. 11. de Leg. parentes filiis colendos eſſe docet *quaſi quædam numina: Nullum aliud tale*, inquit, *& tam efficax ſimulacrum domi haberi poteſt, ſi rectè & vt decet à filiis colantur*, quare parentū dogmata velut oracula à filiis excipienda eſſe aſſerit. Ita Cain occidendo Abelem, affligens & de- C honeſtans parentes Adamum & Euam, tremore membrorum percuſſus à Deo miſer, vagus & profugus oberrauit, Geneſ. 4. 12. Ita Abſalom Dauidem patrem regno ſpoliare ſatagens, in arbore coma implicitus ſuſpenſus hæſit, ac à Ioab tribus lanceis confoſſus interiit, 2. Regum 18. 14. Vide quæ de honorandis parentibus dixi Eccli. 3. v. 1. & ſeqq. *Parentes quaſi domeſtica numina & oracula.*

Symbolicè, auctor Catenæ Græc. per patrem accipit mentem, per matrem ſenſum. q.d. Qui rectas mentis ſemitas ſtudio repudiat, rectæq; ſententiæ viâ deſertâ in contrariam ingreditur, ille confundetur. Poſſunt hæc quoque ad hæreticos referri: illi enim veritatem repellentes, & falſitatem ipſi præferentes patrem quidem Deum, quod in ſe eſt, dehoneſtant, matrem verò Dei Eccleſiam irritant, hæc ille.

Denique filij ſpiritales, putà diſcipuli, Religioſi, D ſubditi, qui ſuos magiſtros, Prælatos, rectores vexant & affligunt, probrum perenne, ac infelicitatem vitæ præſentis & futuræ ſibi accerſunt.

NON CESSES FILI AVDIRE DOCTRINAM, NEC IGNORES SERMONES SCIENTIÆ] Hebr. eſt affirmatiuè, *ceſſa fili mi audire doctrinam; ad errandum ab eloquiis ſcientiæ*. Eſt conceſſio & ironia. q.d. Concedo, vt, ſi tibi lubeat, non audias doctrinam, permitto te tuæ ſurditati, ſed ſcito, quòd per eam à ſcientia aberrabis. Vnde noſter clarū ſenſum reddidit addendo negationem, *non ceſſes audire fili doctrinam*; Chald. *creſce, fili mi, & audi diſciplinam, & non ceſſes à verbis oris eius*. Accedunt Septuag. *Filius*, inquiunt, *omittens cuſtodire diſciplinam patris, meditabitur eloquia mala*, vel *improbos ſermones* (id eſt res) *animo verſat*. q. d. *Qui præcepta diuina animo nunquam pertractat, immundas agitat eructatque cogitationes*, ait auctor Catenæ Græc. VERS. 27.

Porrò

Porrò Vatablus, Baynus, Caietanus & alij hæbraiſantes hæc accipiunt de doctrina mala, vnde ex Hebræo ſic vertunt, *ceſſa fili mi audire eruditionem, quæ adducit te vt erres ab eloquio ſcientiæ*. Ita Pagnin. vel, *deſine fili mi audire diſciplinam à verbis ſcientiæ seducentem*. Ita Vatabl. & Aben Ezra: Ceſſa, inquit, id eſt abſtine ab errando, errorique modum ſtatue. Longiùs abit R. Leui, qui cenſet hic vetari nimium philoſophiæ ſtudium, ne quis ætatem vniuerſá in philoſophia politica terat, ſed potius veræ ſapientiæ, id eſt moribus formandis, virtutibuſque acquirendis & augendis, aſſiduè incumbat. Verùm noſtra Vulgata verſio, cui aſtipulátur Septuag. plana & vera eſt: Hebr. enim מוּסָר *muſar* ſignificat doctrinam bonam, putà diſciplinā & caſtigationem ſapientum. Eamdem ſignificat *ſcientia*: *ſcientia* enim hìc paſſim ſumitur pro ſenſu, prudentia ac ſapientia. Quare poſterius hemiſtichium connexum eſt cum priore, eiuſque fructum & effectum denotat. q. d. Fili ne ceſſes audire ſaná patris tui doctrinam: ſic enim fiet vt non ignores, ſed calleas ſermones ſcientiæ, id eſt prudentes & ſenſatos, quos identidem tuis auribus inſerit inſonatque pater. Hinc Syrus vertit, *permane fili mi, auſculta correptionem, ne obliuiſcaris ſermonis ſcientiæ*.

Vers. 28. Testis iniqvvs deridet ivdicivm: et os impiorvm devorat (Chald. *profert*; Syrus, *ſectatur & inueſtigat*) iniqvitatem] Hebr. *teſtis belial deridebit iudicium*, &c. *Belial* enim, id eſt ſine iugo, ſignificat hominem valde impium, qui iugū omne legis excutit, rebellem, apoſtatam, qualis initio fuit Lucifer, vti dixi c. 6. v. 12. Vnde aliqui pro *teſtis belial* vertunt, *teſtis diaboli*, id eſt diabolicus. Sic falſi teſtes, qui Naboth innocentem accuſarūt de blaſphemia, vocantur *teſtes belial*, id eſt filij diaboli vt vertit Noſter lib. 3. Regum 21. 13. Nam, vt ait S. Aug. tract. 42. in illud S. Ioan. 8. *Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, vt pater eius* (ſcilicet mendacij: hoc enim latet in voce *mendax*.) *Quomodo*, inquit, *Deus Pater genuit Filium veritatem: ſic diabolus lapſus genuit quaſi filium mendacium*. Et inferiùs: *Nam forte tu mendax es, quia mendacium loqueris, ſed non es pater mendacij. Nam quod dicis mendacium, à diabolo accepiſti, & illi credidiſti*. Sicut ergo veraces ſunt membra Chriſti, qui eſt ipſa veritas, teſte Apoſtolo Epheſ. 4. 15. ſic mendaces ſunt filij & membra diaboli, qui eſt pater mendacij, vt docet S. Aug. lib. de Mendacio. Pluribus idipſum confirmat hic noſter Salazar: Pro *deridet* hebr. eſt יָלִיץ *ialits*, quod Secundò, verti poteſt, *interpretatur, effatur, loquitur*. Pro *deuorat* Rabbini vertunt, *tegit, abſcondit*. vnde

Primò, R. Salomon ſic vertit & explicat: Iniquus teſtis in alium illa effatur & teſtatur, ex quibus iure in iudiciis verberibus morteque afficiatur. *Et os impiorum deuorat iniquitas*, id eſt iniquitas & ſcelus vorat impios; alij, *interpretatur iudicium*, id eſt, illud in alteram & malam falſámque partem inclinat.

Secundò, Aben Ezra: Teſtis iniquus, inquit, teſtimonia ſua vera ſinceraque eſſe affirmabit, perinde ac ſi eſſet iudicij, id eſt veritatis & iuſtitiæ interpres; vel certè pronuntiabit ludibria in iudicia: os impiorum tegit, id eſt occultat, iniquitatem & ſcelera. Sic & R. Leui.

Tertiò, alij, q. d. Teſtis iniquus deridet iudicium, id eſt legem Dei quæ ſancit: *Non dices falſum teſtimonium*. Item deridet iudicium, id eſt vindictam Dei æquè ac iudicium in mendaces, & periuros, iuxta illud: *Teſtis falſus non erit impunitus*. Ipſe enim putat ſuam falſitatem latere homines, nec curari aut puniri à Deo.

Quartò, Caietan. vertit; *teſtis iniquus deridere faciet iudicium*, id eſt, ludibrio & riſui exponit ſanctas iudicum ſententias, dum eas falſo ſuo teſtimonio torquet ad iniuſtitiam, facitque vt nocens abſoluatur, innocens plectatur: quod eſt illudere iudicio & iudicibus, illoſque ridiculos efficere.

Quintò, Vatabl. vertit, *teſtis inutilis vel nihili ſubſannat æquitatem, at os eius deuorat*, id eſt diſſimulat, *iniquitatem*, ac mala corde ſuo tegit & occultat. q. d. Abſcondit intra ſe iniquitatem, dum veritatem tegit mentiendo, vel dum meditatam iniquitatem apud ſe ſeruat, vt ſuo tempore eam in alios effundat, iuxta illud: *Sub lingua eius labor & dolor*, pſalm. 9.

Sextò & genuinè *teſtis iniquus deridet*, id eſt contemnit, floccipendit, & quaſi ridendo abiicit, *iudicium*, id eſt iuſtitiam: quia contra eam impudenter falſum dat teſtimonium. Hinc deridet iudicium & ſententiam iudicum: quia eam velut rem nihili, falſum teſtando, vel verum obſcurando, peruertit. Deridet quoque *iudicium*, id eſt vindictam Dei: quia eam ſibi ſuperuenturam nec credit, nec metuit; ſed fallitur. Nam vero Dei iudicio condemnabitur, & dabit pœnas in igne, qui paratus eſt diabolo & angelis eius: illi enim, qui eſt pater mendacij, obſecutus eſt. Vnde ſequitur: *Parata ſunt deriſoribus iudicia*.

Et os impiorvm devorat iniqvitatem] *Impiorum*, tum teſtium falſorum, de quibus ſermo præceſſit, tum quorumlibet aliorum. q. d. Impij auidiſſimè & pleniſſimè, patrant ſcelera, eaque in conſcientiæ ſtomachum quaſi deuorando traiiciunt, eâ ſcilicet auiditate, magnitudine & copiâ, quâ famelici deuorant panem ciboſq; delicatos, q. d. Impij ſunt helluones non tam vinorum quàm ſcelerum. Ita Beda & Lyran. qui notat dici *deuorat*; quia impius non maſticat, nec expendit ſceleris grauitatem, eique impendens ſupplicium; quod ſi faceret, vtique ſentiret & ſaperet eius amaritudinem, illudque reiiceret & euomeret. Huc facit illud Iob 15. 16. *Homo inutilis, qui bibit quaſi aquam iniquitatem*. Mendaces enim, periuri, ebrioſi, luxurioſi, ceterique impij ſcelera inſtar epularum vorant. Notus eſt impius ille iocus paraſiti & irriſoris, qui adulando concupiſcentiæ Henrici VIII. Angliæ regis Annam Bolenam vxorem ducere volentis, cùm rex quæreret; *Quantum foret peccatum matrem ſimul & filiam cognoſcere?* ferebatur enim Anna eſſe Henrici filia; ſacrilegè reſpondit: *Tantumdem ac pullum cum gallina deuorare*, vti refert Sanderus in Hiſtor. Schiſm. Angl.

Secundò, *os impiorum deuorat iniquitatem*, id eſt, ſine rubore & pudore, impudenter mentitur, quaſi mendacium eſſet res nihili, imò ludicra, ridicula & delectabilis, quo ſenſu Chriſtus ait, Phariſæos culicem colare, & camelum glutire, Matt 23.

Tertiò, Baynus τὸ *deuorat*, vel, vt ipſe vertit, *abſcondit*, explicat de iudicibus iniquis, qui falſis teſtibus patrocinantur. q. d. Teſtis belial, id eſt teſtis nihili, nullius honoris & famæ, peierans ridet iudicium & iuſtitiam, atque os impiorum iudicum eos tuetur, tegit & abſcondit, itaq; eorum iniquitatem

tatem conſentiendo & cooperando in ſe transfert, & quaſi deuorat, q.d. Iudicia inſtituta ſunt, vt iniquitates detectæ per veros teſtes, & bonorum iudicum ſententias, puniantur. Sed longè aliter vſu venit ſubinde, dum teſtis belial loquitur falſum teſtimonium in iudicio, & iniqui iudices abſcondunt iniquitatem malorum, quos adductos in iudicio punire oportuit, & in primis hos falſos teſtes.

Porrò Septua. aliò abeunt: nam עֵד *ed*, id eſt *teſtis*, deriuant à יָעַד *iaad*, id eſt, condicere, promittere, deſpondere: vnde vertunt, *qui ſpondet puerum imprudentem, iniuria afficit iuſtificationem*. Siue, vt clarè vertit auctor Catenæ Græcor. *qui fidem ſuam pro puero ſtulto obligat, iuſtitiam iniuria afficit: os impiorum deuorat iudicia*. Quod anonymus ibidem ſic explicat myſticè: *Per ſponſionem iuſtitiæ, offenſionem, ſicut per puerum humanæ naturæ infirmitatem & cæcitatem deſignat*. Aquila & Theodot. *deuorabit* vel *deglutiet legē*, id eſt legem tranſgredietur audacter, perinde ac ſi eam deglutiret. Ad litteram verò Primò, ſic exponas, q.d. Qui vouet offertq; Deo in Religione, vel templo ad clericatum aut ſacerdotium filium imprudentem & ſtultum, alios prudentiores & præſtantiores ſibi & ſæculo reſeruans; hic iniuria afficit iuſtificationem, id eſt Dei iuſtitiam & ſanctitatem: hæc enim quia optima & præſtantiſſima, optima & prudentiſſima ſibi offerri depoſcit. Vnde Cain culpatur quaſi violator numinis & profanus, quòd non optima vt Abel, ſed peſſima ex gregibus Deo obtulerit, Geneſ. 4.

Secundò, q.d. Pater qui filio ſuo minorenni, vel imprudenti, vxorem deſpondet, iniuria afficit iuſtitiam & ſanctitatem matrimonij: quia exponit illam periculo diſſolutionis & violationis, ne ſcilicet minorennis grandior factus aut imprudēs per imprudentiam, matrimonij iura violet & abrumpat. Græcum enim ἐγγυάομαι dicitur de patre, cùm vxorem filio ſtipulatur, & Hebr. עֵד *ed*, ſi à יָעַד *Iaad*, id eſt deſponſare, deriues, ſignificat deſponſatum.

Tertiò & optimè, Complut. vertunt, *qui ſpondet pro filio imprudēter, iniuria afficit iuſtitiam*. q.d. Qui filium, nepotem vel amicum commendat ad beneficia vel officia, v.g. vt ſit Paſtor, Epiſcopus, iudex, conſiliarius, ſenator, gubernator reip. eumq; ſpondet, ſufficienti prudentia ceteriſque dotibus ad officium requiſitis eſſe præditū, cùm ipſe ſit imprudens & inſufficiens, hic vtique grauiter lædit iuſtitiam, id eſt ius reip. vel Eccleſiæ, quæ iuſtè exigit præfici ſibi Epiſcopos & Præſides idoneos & dignos qui iura ſacra & profana iuſtè ſanctèque adminiſtrent. Quare qui imprudentes & ineptos cōmendat, pro eiſq; ſpondet, omnium damnorum, quæ inde conſequuntur, reus eſt, & ad eorum reſtitutionem tenetur. Qui ergo ſpondet pro Paſtore vel Epiſcopo imprudenter & inepto, omnium animarum quæ eius culpa pereunt, reus eſt, eaſq; in die iudicij tam à ſponſore, quàm à Paſtore vel Epiſcopo requiret Deus. Qui ergo ſapit, ſuæque animæ conſultum vult, non niſi inſignes, quorum prudentia & virtus diu probata eſt, commendet, nec ſinat ſe trahi ab affectu ſanguinis & cognationis, qui multos excæcat, & in ruinam agit.

Vers. 29. PARATA SVNT DERISORIBVS (Symmach. *peſtilentibus*) IVDICIA: ET MALLEI PERCVTIENTES STVLTORVM CORPORIBVS] Hebr. *& percuſſiones ſtultorum dorſo*; Septuag. *parantur* ἀκολάστοις, id eſt

A *intemperātibus* (Complut. *luxurioſis*) *flagella & ſupplicia, ſimiliter imprudentibus*; Theodot. *& confractiones dorſo dementium*. Pro *mallei, percutientes* hebr. eſt מַהֲלֻמוֹת *mahalumot*, id eſt graues percuſſiones, quibus res quaſſatur, cuditur, contunditur: הָלַם *halam* enim ſignificat pulſare, concutere, conquaſſare, conculcare. Chald. vertit, *verbera*, Vatabl. *vibices*; Syrus, *virgæ populo dementi*. Senſus eſt. q.d. Irriſores derident iudicia Dei & hominum; at ſciant certò ea ſibi parata eſſe, maximè ob hanc cauſam & culpam, quòd ea derideant: ſimiliter & ſtulti, id eſt peccatores quilibet, ſciāt ſuo dorſo paratas imminere graues à Deo plagas, quæ quaſi mallei eos contundant & conterant.

Per *iudicia* accipe tum iudicium propriè dictum, quo Deus iniquos teſtes iuſtitiæ & iudicij irriſores per ſe vel per iudices condemnat, tum ſupplicium
B iuſto Dei, vel regum, tyrannorum aut iudicum iudicio, reo & ſcelerato inflictum. Vnde Chald. vertit, *dolores*. Noſter Salazar per *malleos percutientes* cēſet alludi ad crurifragium, quod ijs qui in crucem agebantur dari conſueuit; hoc enim malleis inferri ſolitum credibile eſt, vt ſenſus ſit, *Mallei percutiētes ſtultorū corporibus*; vel, vt habent Hebr. *confractiones* vel *contuſiones ſtultorum corporibus*, id eſt crux & crurifragium ſtultis illis deriſoribus. q.d. Adeò ſeuerè cum illis nugatoribus fiet, vt extrema ſupplicia, crucem videlicet, & crurium, totiuſq; corporis effractionem experiri cogantur. De crurifragio vide Lipſium de Cruce l. 2. c. 14.

Lyran. hæc refert ad ſupplicia ſontibus à regibus vel iudicibus inflicta: nam alij, inquit, ſuſpenduntur, alij decapitantur, alij comburuntur, alij a-
C lijs pœnis corporalibus puniuntur ſecūdùm diuerſa flagitia ab eis commiſſa, & hoc ad terrorem aliorum. Sic Nabuchodonoſor vocatur *malleus vniuerſæ terræ*. Iere. 50. 23. quia Deus eo quaſi malleo contudit & vaſtauit omnes gentes ob earum ſcelera. Et Iahel impium Siſaram malleo occidit, Iudic. 4. 21. Præclarè S. Auguſt. in pſal. 36. *Quid*, inquit, *ſibi plaudit iniquus, quia de illo flagellum ſibi fecit pater meus? illum aſſumit ad miniſterium, me erudit ad patrimonium*. Beda hæc refert ad ſupplicia gehennæ: *Reprobi*, inquit, *iuſſionis vel comminationis diuinæ iudicium derident, parata tamen eos expectant iudicia dānationis, quæ vt mallei ferrum candens, ita eos in fornace gehennæ ſine fine verberant*. Vidi ingētes malleos ferreos molis aquatilibus eleuari, quibus tundebatur ferrum candens in Ardenna, qui ſanè horrorem
D intuentibus incutiebant, atque ex illis imaginatus ſum malleos gehennæ, quibus in incude ardenti tunduntur reprobi. *Mallei gehennæ quales.*

Optimè Dionyſ. hæc refert ad ſupplicia tam à iudicibus in hac vita, quàm à Deo in die extremi iudicij reis irroganda: *Parata ſunt*, inquit, *deriſoribus veritatis & æquitatis iudicia: quoniam Deus paratus eſt eos iudicare & condemnare, iuxta illud Iſaiæ: Stat ad iudicandum Dominus. Et Iudas ait. Ecce venit Dominus facere iudicium, & arguere impios. In lege quoque diuina ac poſitiua inſtituta ſunt iuſta iudicia contra tales, & mallei percutiētes parati ſunt ſtultorum, id eſt impiorum, corporibus, quibus etiam in hac vita pro diuerſis flagitijs varia & amara infliguntur tormenta & flagellationes, mutilationes, ſuſpendia, rotationes, ac conſimilia genera mortis, infernalia quoq; ſupplicia impœnitentibus, quemadmodum in Apocalypſi dicitur: Timidis, & incredulis, & execratis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure*,

 Myſticè,

Myſticè, *mallei* peccatorum ſunt concionatores efficaces, qui ſceleratis intentando minas & flagella Dei, eos conterunt & conuertunt, Ierem. 23.29.

Denique ſapienter. S. Auguſt. in pſal. 31. ſub finem docet, flagella quælibet, quibus affligimur nõ eſſe referenda ad hominem, vel ad diabolum, ſed ad Deum, qui homine vel diabolo vtitur ad nos flagellandum, vti eo vſus fuit in flagellando Iob cap. 1. Deus enim, inquit S. Auguſt, filios flagellat ad diſciplinam, vt emendentur; reprobos autem ad pœnam, vt crucientur ad aliorum exemplum: nullus verò ſine flagello fuit, eſt, vel erit, in hac vita, ne quidem ipſe Vnigenitus Dei. Idem Aug. in pſal. 37. ad illa: *Quoniam ego in flagella paratus ſum. Si flagellat*, inquit *me pater meus, in flagella paratus ſum: quia mihi hereditas præparatur. Non vis flagellum? non tibi datur hereditas. Omnis enim filius neceſſe eſt vt flagelletur: vſque adeò omnis flagellatur, vt nec illi pepercerit qui peccatum non habebat.*

Pœna nocentium terret innocentes.

Gnoma. Sacro huic Salomonis oraculo congruit oraculum datum Pauſaniæ, duci Laconico:

Pœna luenda tibi eſt, affert iniuria clades.

Et oraculum Græco carmine datum Piſiſtrato:

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Hoc eſt: *Nemo hominum iniqua agens pœnam non pendit.*

Socrates aſſerebat, *ciuitates optimè gubernari cùm iniuſti dant pœnas*, vti refert Plato lib. 2. de Philoſ. Lycurgus dictitabat *duabus rebus contineri remp. præmio ſcilicet & pœna*, vti refert Cicero epiſt. ad Brutum, vbi & citat Solonem, qui rogatus *quid reipubl. maximè eſſet ſalutiferum?* reſpondit: *Si boni præmijs inuitarentur, mali autẽ pœnis coërcerentur.* Catonis cenſura fuit *iniuriam, etiamſi facienti nihil afferat periculi, vniuerſis tamen periculoſam eſſe.* q. d. Pœna delicti non eſt negligenda, ne ex vnius iniuria impunita, multi alliciantur ad ſimilem alijs irrogandam ſpe ſimilis impunitatis. Sapienter Seneca libr. de Clementia: *Vt fulmina*, inquit, *paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animaduerſiones magnarum poteſtatum terrent latiùs quàm nocent.*

CAPVT VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

LVxurioſa res, vinum; de peccante in regem, & relinquendis contentionibus; piger ob frigus non laborans mendicat; rex iuſtus diſſipat omne malum; nemo poteſt dicere mundum ſe habere cor. Vitanda ſunt pondus & pondus, ſomnus, panis mendacij, reuelatio myſterij; cupido vindictæ, deuoratio ſanctorum, & feſtinata hereditas; ſectanda verò lucerna Domini, miſericordia, veritas & clementia.

1. LVxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens. 2. Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam. 3. Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs. 4. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. 5. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: ſed homo ſapiens exhauriet illud. 6. Multi homines miſericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? 7. Iuſtus, qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet. 8. Rex, qui ſedet in ſolio iudicij diſſipat omne malum intuitu ſuo. 9. Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? 10. Pondus & pondus, menſura & menſura: vtrumque abominabile eſt apud Deum. 11. Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius. 12. Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque. 13. Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat: aperi oculos tuos, & ſaturare panibus. 14. Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cùm receſſerit, tunc gloriabitur. 15. Eſt aurum, & multitudo gemmarum: & vas pretioſum, labia ſcientiæ. 16. Tolle veſtimentum eius, qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo. 17. Suauis eſt homini panis mẽdacij: & poſtea implebitur os eius calculo. 18. Cogitationes conſilijs roborantur: & gubernaculis tractanda ſunt bella. 19. Ei, qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis. 20. Qui maledicit patri ſuo, & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. 21. Hereditas, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit. 22. Ne dicas: Reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te. 23. Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus: ſtatera doloſa non eſt bona. 24. A Domino diriguntur greſſus viri: quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam? 25. Ruina eſt homini deuorare ſanctos, & poſt vota retractare. 26 Diſſipat impios rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem. 27. Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris. 28. Miſericordia, & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. 29. Exaltatio iuuenum, fortitudo eorum: & dignitas ſenum, canities. 30. Liuor vulneris abſterget mala: & plagæ in ſecretioribus ventris.

Verſ. 1. LVXVRIOSA RES, VINVM; ET TVMVLTVOSA EBRIETAS: QVICVNQVE HIS DELECTATVR, NON ERIT SAPIENS] Pro *luxurioſa res eſt vinum*, hebr. eſt *deriſor* vel *illuſor eſt vinum*. Ita Aquila & Theodotion, quod varij variè explicant.

Primò, Chald vertit, *ad illuſionem eſt vinum* Pagninus, *deriſorem facit vinum*: temulenti enim omnes & omnia rident, omniaque iura & ſacra in ludos, nugas & iocos vertunt; Vatabl. *ſubſannator eſt qui vino deditus eſt: tumultum facit, qui ſiceră amat:* Aben Ezra, *deriſor vini*, ſupple *vir*. q. d. *Deriſor eſt vir vini, id eſt, vino addictus*.

Secundò, Tigurina vertit, *ludicra res eſt vinum:* quia ſcilicet facit homines ludicros & ridiculos: dat enim multos ſpiritus, qui cauſant effuſam lætitiam, quæ ſoluitur in riſus, ludos & iocos. Vnde illud Homeri apud Stobæum: *Vinum quemuis ſapientiſſimum cantare, molliter ridere & tripudiare impulit*.

Tertiò, Syrus vertit: *forte eſt vinum, & ebrietas proterua*. vide de vini fortitudine 3. Eſdræ 3. v. 10. & 18. Vnde Varro vinum à vi dictum cenſet, quòd vim inferat rationi, menti totique homini. *Vinum à vi.*

Quartò, Symmach. & alij vertunt, *peſtilens eſt vinum*. Sic enim Hebr. לץ *lets*, id eſt irriſor, Noſter & Septuag. ſubinde vertunt, *peſtilens*, q. d. Vinum eſt res ſummè noxia & peſtilens: quia rationem, quæ eſt quaſi vita & anima hominis, quà homo & rationalis eſt, illi eripit, vt homo videatur eſſe beſtia & brutum: vnde in omnem licentiam & petulantiam ſe effundit. Hinc Septuag. amplè & neruosè vertunt ἀκόλαστος, quod multa ſignificat, Primò, petulantem; Secundò, libidinoſum & impudicum; Tertiò, proteruum & procacem; Quartò, prodigum; Quintò, intemperantem & immoderatum; Sextò, immodeſtum, indomitum, effrænem; Septimò, improbum, perditum, impium; hæc omnia competunt vino: vinum enim temulentos facit, petulantes, impudicos, procaces, prodigos, intemperantes, indomitos, improbos. Propriè ἀκόλαστος dicitur quaſi ἀ, id eſt ſine, & κόλασις id eſt caſtigatione, non quæ punitio dicitur, ſed quæ cohibitio eſt appetitionis: q. d. Incaſtigatus, incoërcitus, effrenis, qui ſuos libidinum & concupiſcentiæ impetus, quos vinum excitat, non caſtigat, nec refrænat. *ἀκόλαστος quis.* Audi Gellium libr. 19. cap. 2. *Quæ nimia*, inquit, *ex guſtu atque tactu eſt voluptas; ea, ſicut viri ſapientes cenſuerunt, omniū rerum fœdiſſima eſt, eoſq; maximè qui duabus iſtis belluinis voluptatibus ſeſe dediderunt grauiſſimi vitij vocabulo Græci appellāt ἀκολάστους, vel ἀκρατεῖς, nos eos vel incontinentes dicimus vel intemperantes*. Audi S. Baſil. homil. de ebrietate: *Ipſa*, inquit, *incontinentia apertè ex vino velut ex quodam fonte manat, quæ brutorum omnem in feminas inſaniam longè ſuperat: ſiquidem animantia bruta naturæ terminos non excedunt: at hi qui vino obruuntur, in maſculis feminam, in femina rurſus maſculum quærunt*. Et S. Chryſoſt. homil. de ebrietate: *Quid enim non mali facit ebrietas? porcos facit ex hominibus, ac porcis etiam deteriores: nam porcus quidem in luto voluntatur, ac ſtercore paſcitur; illa verò abominabiliori, quàm illa eſt, menſâ veſcitur, illicitos concubitus excogitans & exleges amores*.

Noſter ſecutus Septuag. vertit, *luxurioſa res eſt vinum*. vbi *luxurioſa* idem eſt quod ἀκόλαστος. Luxuria enim hîc non ſolam libidinem remque veneream, ſed quemlibet luxum ſignificat. Vnde

A huc alludēs Apoſtolus Epheſ. 5. v. 18 *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt ἀσωτία*, id eſt luxus, laſciuia, crapula, ſpurcitia, impudicitia, *luxuria*. S. Ambroſ. li. 2. Offic. cap. 21, legit, *Prodigum eſt vinum, & contumelioſa ebrietas, prodigum*, quia opes conſumit & dilapidāt. Vnde addit S. Ambroſ. *Prodigum eſt ſumptuoſis affluere conuiuijs & vino pluſimo. Prodigum eſt popularis fauoris gratia exinanire proprias opes*. Vinum enim animum ſoluit, facitque effusè lætum & hilarem: quo fit vt ſua profundat, faciatque donationes enormes, & omnia ſua diſſipet, quorum mox dum ſobrius eſt, eum ſera capit pœnitentia. Rurſum *prodigum*, quia temulentos facit profuſos in petulētiam, cachinnos, ſannas, contumelias, reuelationem ſecretorum, maledicta, crapulam, libidinem: hæc enim prodigalitas, ſiue luxuria, quemlibet luxum, quo homo in illicita

B diffluit, ſignificat.

Igitur vinum eſt res luxurioſa, quia omnem luxum creat: eſt & tumultuoſa, quia tumultus, lites & pugnas ciet. Itaque vinum, ait Ianſen. *luxurioſa res*. dicitur, quòd ad luxum: prodigalitatem, libidinem ac omnem laſciuiam & petulantiam homines prouocet. Duo ergo mala vino vel ebrietati tribuit, quorum vnum ad immodicas voluptates; alterum ad turbas & iram pertinet; vnum ad concupiſcibilem, alterum ad iraſcibilem vim. Vnde S. Ambroſ. Exhort. ad virgines: *Ebrietas*, inquit, *eſt flagitiorum omnium mater, procella corporis, naufragium caſtitatis*. Inſuper vnum eſt ἀκόλαστον, id eſt indomitum: quia dum ſemel hominem occupat, arcem mentis inuadit, vt homo ei reſiſtere nequeat, ſed

C ſinat illud ſibi dominari, imò ex vna ebrietate trahatur ad aliam & aliam; huc enim eum trahit vini dulcedo & conſuetudo.

Audi S. Baſil. homil. contra ebrietatem: *Cùm enim multum meri*, inquit, *infuſum fuerit, quaſi tyrannus quidam arcem petit, & à ſummo vertice ingentes tumultus animo præbet, nulli rei nec principi quidem parcens; ſed ipſam primùm rationem in ſeruitutem adducit, deinde eam diſpoſitionem & ornatum qui doctrina partus eſt, confundit atque perturbat, riſu indecoro, horrendo voce ira præcipiti, libidine effrænatâ, æſtro ac furore in omnem voluptatem*.

Hoc eſt quod ait Salomon cap. 23. 29. *Cui væ? cuius ſuſſuſio væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nónne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?*

ET TVMVLTVOSA EBRIETAS] Hebr. *& tu-*

D *multuans ſicera*. *ſicera* vocatur omnis potus inebrians; Chald. *inebriat ſicera*; alij, *deriſorem facit vinum, & turbatorem ſicera*; Pagnin. *tumultuantem efficit ſicera* Septuag. ὑβριστικὸν μέθη, id eſt *iniurioſa, inſolens*, vel *contumelioſa eſt ebrietas*. Sic & Syrus: nam vt ait S. Chryſoſt. homil. 54. ad Populum: *Sicut hoſtibus vrbem ſubeuntibus, & obſidione factâ, ex perturbatione multus efficitur tumultus; ita fit & in anima ſubrepente vino*. Idem homil. 15. *Vbi ebrietas*, inquit, *ibi diabolus: vbi turpia verba, vbi ſaturitas, ibi dæmones choreas agunt*. Aben Ezra arctius Temulentus inquit, tumultuatur & exclamat, vt ſibi vinum infundent.

Moraliter tria hîc ebrietatis damna notat Salomon. Primum, quòd temulentos faciat deriſores & ridiculos quaſi ſimias; Secundum, quòd faciat luxurioſos, petulantes & ſpurcos vt ſues; Tertium, quòd faciat rixoſos & pugnaces vt canes & leones. *Moral. de vini damnis tribus.*

Hoc vt ſymbolicè repræſentent Geſta Romanorum, fingunt Noë, qui vini fuit inuentor Gen. 9. 20. miſcuiſſe viti & vino ſanguinem quatuor animalium, putà ſimiæ, leonis, porci & agni: nam vinum inebriat, & ebrios alios facit moriones quaſi ſimias; alios pugnaces & crudeles quaſi leones: alios lubricos & fœdos quaſi porcos: alios mites, blandos & pios quaſi agnos.

Audi S. Baſil. homil. 14. in ebrietatem: *Ebrietas,* inquit, *dæmon eſt voluntarius, ex voluptate animis noſtris inditus, ebrietas malitiæ mater eſt, virtutis inimica: fortem virum reddit ignauum, ex temperante facit laſciuum, iuſtitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni eſt aduerſa, ſic vinum immodicum rationi &c. Quid, quæſo, ſunt ebrij aliud quàm Gentium idola? Oculos habent, & non vident.* S. Ambroſ. in libr. de Elia & ieiunio: *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas intentinum inſaniæ, ebrietas venenum inſipientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat & format: per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, &c. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidut.* S. Hieronym. in cap. 5. ad Galat. *Quartum decimum locum inter carnis opera ebrietas apud Apoſtolum tenet. Ebrioſi quippe regnum Dei non poſſidebunt. Et Dominus ad diſcipulos: Cauete, ait, ne fortè grauentur corda veſtra vino & crapulâ. Vino hominis ſenſus euertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido ſuccenditur, &c. Pulchrè quidam non ignobilis orator, cùm ebrium de ſomno deſcriberet excitatum, ait: Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat. Quâ ſententiâ expreſſit, quodammodo nec mortuum eum fuiſſe, nec viuum.* S. Chryſoſt. homil. 57. ad Populum: *Vbi ebrietas, ibi diabolus. Talem habebat menſam diues ille Epulo, propterea ne quidem guttæ aquæ dominus fuit.* Et iterum homil. 1. *Ebrius dæmon eſt voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri opprobrium. Non enim in conuentibus tantum inutilis ebrius, aut in priuatis & publicis negotijs, ſed & ſolo aſpectu eſt omnibus grauiſſimus, fætores exhalans teterrimos, eructationes & oſcitationes.*

E Philoſophicis inſtar omnium ſit Seneca ita ad Lucilium ſcribens: *Dic quàm turpe ſit plus ſibi ingerere, quàm capias, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quàm multa ebrij faciat, quibus ſobrij erubeſcant; nihil aliud eſſe ebrietatem quàm voluntariam inſaniam &c. Omne vitium ebrietas & intendit & detegit, obſtantem malis conatibus verecundiā remouet. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat emergit.* Et paulò poſt: *Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicoſaſq; hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſſimos, & iugum recuſantes in alienum egit arbitrium: hæc inuictos acie mero domuit.*

Exempla. Vis exempla? Audi Clement. Alexandr. libr. 2. Pædag. cap. 2: *Ebrietate,* inquit, *maximè vtuntur Scythæ, Celtæ, Iberi, Thraces, quæ vniuerſæ ſunt bellicoſæ nationes, pulchrumq; ac beatum vitæ ſuæ ſtudium belligerare putant. Nos autem qui ſumus genus pacificum, ad vſum, non ad petulantiam conuiuantes, ſobrijs hauſtibus amicitiæ ergò bibamus, velut conuenienti nomine appellentur pocula amicitiæ.* Cauſam dat S. Chryſoſtom. homil. de ebrietate: *Quanto magis merū ſibi infundunt, tanto maiore ſiti inardeſcunt ſemper, hauſtus plurium phialarum ſitis fit, fames & voluptas ad extremum permaneſcit: ſitis verò facta inſedabilis, in ipſum ebrietatis præcipitium relabi paſſim facit eos quos captiuos tenet.*

A Addit deinde: *Hinc vel maximè ſtupeſcat quis amentiam eorum qui vino dediti ſunt, quòd ne ſibi ipſis tantum parcere volunt, quantum alij vtribus; nam hos quidem vini venditores non patiuntur plus æquo impleri, ne rumpantur; ipſi vero in ſerum ventrem nec hac quidem prouidentia dignantur, ſed vſque ad crepitum & ruptionem implent & infarciunt.* Et S. Baſil. hom. de ebrietate: *Sicut,* inquit, *nauigia onuſta, tempeſtate ſi fortè correpta fuerint, neceſſario onerum abiectione leuia fiunt: ſic etiam etſi neceſſario ea, quæ ipſi oneri ſunt, deponunt, vinumq; vomentes & eructantes vix onere liberantur: ſed tanto miſerabiliores ſunt his, qui aduerſâ tempeſtate iactantur, quanto hi ventos, mare neceſſitatemq; omnem externam accuſant: at ipſi voluntariam ex ebrietate tempeſtatem ſubeunt.*

Symbolicè auctor Catenæ Græcor. per *vinum & ebrietatem* accipit iram, de qua ſequitur: *Sicut*
B *rugitus leonis, ita & ira regis.* Eſt enim excandeſcentia & furor quædam temulentiæ ſpecies, atque illa ex vino naſcitur: vinum enim ſanguinem accendit, indeque bilem concitat. Quamobrem Nazarei, quò iræ expertes viuerent, à vino abſtinere iubebantur. hæc ille.

QVICVNQVE HIS DELECTATVR, NON ERIT SAPIENS] Pro *delectatur* hebr. eſt שׁוֹגֶה *ſoge*, id eſt *errans*: ſed errare in vino & amore, eſt iiſdem delectari, vt patet ex cap. 5. 19. qui enim quapiam re delectatur, in ea totus animo errat & oberrat, hoc eſt, totus in ea occupatur, hæret & paſcitur. Vnde Septuag. vertunt *omnis autem imprudens talibus complicatur:* vel, vt Procopius legit, *qui commiſcetur his, non eſt ſapiens;* Complut. vero *omnis autem qui ſe per-*
C *dit* (vino ſe ratione priuans, & mentem quaſi exuens) *non erit ſapiens;* Chald. *quicumq; errauerit in eis;* Syrus, *quicumque ea exarſerit.* Senſus eſt, ait Salazar, q. d. Vinum non modo libidinem alit, & iram accēdit, ſed etiam rationis ac ſapientiæ lumen extinguit: non ſolùm quia in ebrietate ratio ac mens exulat, ſed quia bibaces etiam cùm ſibi conſtant, deſipere ſolent. Hinc peruulgatum illud Menandri dictum: *Multum merum pauca cogit ſapere.* Cauſam attingit Galenus: quia vinum merum caput petere ſolet, ac cerebro immerſos ſenſus nimia humiditate hebetat. Vnde eſt illud Heracliti apud Stobæum ſerm. 5. de temperantia: *Homo vinoſus vacillat, & ab impubere puero ducitur, animam habens humidam, ignarus quorſum eat; eſt autem anima ſicca ſapientiſſima & optima.* Siccam animam appellat eam, cuius aciem vini humiditas nimia obtuſis ſenſibus non hebetauit. *Anima ſicca ſapit.*

D Rurſum vinum excitat paſſiones appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis, qui turbant iudicium rationis vt verum cernere nequeat: ad hoc enim requiritur animus ſedatus, & corpus temperatum. Vnde Oſee cap. 4. *Fornicatio,* inquit, *vinum & ebrietas auferunt cor:* vide ibi dicta.

Denique anima humana ingurgitans ſe vino, deprimit ſe ad res materiales & carnales, fitque ſimilis iumentis & brutis: ſapientia enim ſita eſt in rebus ſpiritualibus à ſenſu abſtractis, vti patet in angelis. Intemperans ergo hebeſcit & bruteſcit vt ſus: temperans acuitur, ſapit & intelligit vt angelus. Hinc σωφροσύνη Græcis tam temperantiam, quàm prudentiam ſignificat, adeoq; ſobrietas teſte Ariſtot. lib. 6. Ethic. c. 5. dicitur σωφροσύνη, quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν, id eſt ſeruans prudentiā, &, vt ait Socrates apud Platonem, quaſi σωτηρία τῆς φρονήσεως, id eſt, ſalus prudentiæ & ſapientiæ.

Sobrietatis elogia. Sobrietas ergo eſt mater ſapientiæ, columna fortitudinis, galea contra laſciuiam, oculorum auriga, beneuolentiæ cuſtos, cogitationum circumciſio, luxuriæ caſtratio, animæ corporiſque harmonia, topera turpia impedit, continentiam promouet, cor flectit, precibus & votis rationem ceu regulam adhibet. Contraria prorſus facit ebrietas & intemperantia.

Hinc quoque Philoſophi, vt ſtudio philoſophiæ eſſent apti, à vinolentia, gula, luxuria diligenter abſtinuerunt. Atq; vt in Phædro aſſerit Plato: *Nequaquam eſt philoſophi circa delectationes guſtus & tactus verſari.* Vnde cùm quidã interrogaſſet Platonem: *Vnde tibi ſapientia tanta?* reſpondit: *Qui plus conſumpſi olei in lampade, quàm vini in calice.* Ariſtoteles quoque in Problematibus ſuis fatetur, *quod amatores dulcium ſunt fatui.* Nec diſſonat inde, quod de ſapientia ſcriptum eſt in Iob: *Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium.*

Vinum mel in ore, fel in capite. Hinc, vt Dionyſ. libr. 4 Prouerbiorum ſuorum cap. 5. ſcribit Cyrillus: *Vinum mel ori eſt, ſed fel capiti venenoſum: ſapit in ore, ardet in ventre, fumat in capite, contundit ſenſus, vigorem confundit, imaginationem deſtruit, tollit mentem, viſum obnubilat, neruos laxat, linguam balbificat & inhoneſtat, manus mobilitat, pectus inflammat, ſpumat luxuriam, vim gignitiuam eneruat, greſſus inordinat, totumque corpus vaſtat, ita quòd à planta vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Hæc Dionyſ.

VERS. 2. SICVT RVGITVS LEONIS, ITA ET TERROR (hebr. אימה *ema*, id eſt terror) REGIS: QVI PROVOCAT EVM, PECCAT IN ANIMAM SVAM] Pro *leonis* hebr. eſt כפיר *kephir*, id eſt leunculi, ſiue catuli leonis: hic enim præ fame latrante ſtomacho iuuenili, magis rugit ad prædam quàm leo grandæuus. Prius hemiſtichiũ huius verſus audiuimus & explicuimus cap. præced. v. 12. Septuag. vertunt, *non differunt minæ regis à furore leonis: qui autem irritat eum peccat in ſuam ipſius animam.* Pro *irritat* Aquila, Symmach. & Theodot. vertunt, *ὑπερβαίνων*, id eſt, *qui inſultat*; Pagnin. *qui traſcitur cum eo*; Syrus, *rugit ſicut leo furor regis: qui illum ira inflammat, peccat in animam ſuam*; R. Salomon. *qui regi iram cíet.* Hebr. מִתְעַבֵּר *mitabber*, cùm ſit *hitpael*, ſignificat actionem in agẽtem reflexam, ſiue actionem quæ definit in paſſionem, q.d. Tranſiens in iram, & tranſire ſibi faciens iram, hoc eſt ira ſua prorumpendo in contumelias & maledicta, prouocat in ſe iram & vltionem regis. Complut. addunt, *καὶ ἐπιμιγνύμενος*, id eſt *& qui immiſcet*, ſcilicet ſe regis negotijs, ait auctor Catenæ Græcor. Vnde S. Ambroſ. li. 2. Apolog. Dauid cap. 3. legit, *non diſtat ira regis ab ira leonis: qui ſtimulat eum, & admiſcet, peccat in animam ſuam*, id eſt in vitam ſuam: quia eam obijciens iræ regis, exponit certo mortis & vltionis periculó: vti Clitus arguens Alexandrum, ab eo occiſus eſt. Secundò, *in animam*, id eſt in conſcientiam: quia eam lædit grauiſſimo inobedientiæ, irreuerentiæ & contemptus ſcelere, Rom. 13. 1. & ſeq. Poſſet quoque Τὸ *immiſcet* vel *admiſcet* ſic accipi, q.d. Non ſolùm qui prouocat iram regis, peccat in animam ſuam, ſed etiam is qui prouocanti ſe admiſcet & aſſociat. Sicut enim ignis nõ tantùm obiecta ligna, ſed & vicina proſerpendo comburit: ſic & ira regis non tantùm in reos illam prouocantes, ſed & in eorum parentes, amicos & ſocios graſſatur.

Huc facit illud Iſaiæ 25. v. 4. *Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.* Furit interdum & ſæuit concitatiſſimus regis ſpiritus, exurgit ſubitus, agit atras minarum nubes, euertit obuia quæque, concitat maria, & firmiſſimis ædificijs atque antiquiſſima roboribus increbreſcens minatur: quem ſedare & compeſcere illius eſt ſolius, qui *imperat ventis & mari*: nam *in hominis poteſtate non eſt prohibere huiuſmodi ſpiritum.*

Addit S. Ambroſ. *Caue ergo ne aliquis ſtimulet poteſtaſ, ne caſſibus anima irretita vitio ſe non poſſit exuere*, q.d. Noli prouocare regis iram, quia prouocãdo iram ſtimulas eius poteſtatem: ira autem poteſtate armata eſt indomabilis: eſt enim inſtar retis quod hinc ira, inde poteſtate animam regis implicat & complicat, vt ab hoc iræ vitio ſe non poſſit exuere, ilicò enim vt vult iram ponere, interuenit poteſtas & maieſtas, dictitans ſe eſſe læſam, ac vindictam expoſcens. Excipe caſum, quo rex iubet aliquid contra Deum: tunc enim magis timenda eſt ira Dei quàm ira regis. Vt de S. Chryſoſt. hom. 5. de Verbis Iſaiæ, laudans Azariam pontificem, qui increpuit Oziam regem volentem contra ius & fas adolere Deo incenſum: hoc enim proprium eſt ſacerdotum & pontificum: *Non aſpiciebat*, inquit, *principatus faſtum, non expendebat quanta res eſſet animum cupiditate temulentum cohibere: non audiebat illud Salomonis, Minæ regis, ſicut ira leonis, ſed ſublatis oculis ad cælum, eaſque pœnas conſiderans, illudq; tribunal, & his cogitationibus ſeſe muniens, impetum fecit in tyrannum. Nouerat enim, nouerat inquam, quid comminatio regis ſimilis ſit iræ leonis, dumtaxat his qui terram ſpectarent. Verùm homini qui cælum haberet præ oculis, quiq; ſic induxerat animum, vt vitam citiùs deponeret, quàm ſacras leges conſpiceret violari, quouis cane vilior erat ille. Nihil enim eo imbecillius, qui diuinas leges conculcat: & contrà nihil potentius eo, qui leges diuinas defendit. Nam qui peccatum committit, ſeruus eſt peccati, etiamſi decem millia coronarum habeat in capite. Rurſus ſi quis facit iuſtitiam, ipſo rege regalior eſt, etiamſi omnium fuerit infimus.*

Appoſitè hic verſus ſubnectitur præcedenti: quia vinum & ebrietas ebrium faciunt impudentem, iracundum & veſanum, vt quoſlibet probris & rixis appetat, nec parcat regi aut principi: quare eius iram & vindictam in ſe concitat, ita Baynus. Appoſitè quoque rex comparatur leoni, & ira regis rugitui leonis: quia ſicut leo eminet in animalibus, eorumque eſt rex & princeps: ſic & rex in populo, & ſicut celſitudo acuit iram in leone, ſic & maieſtas læſa acuit furorem in rege. Quare qui regem prouocat & ſtimulat, leonem prouocat & ſtimulat; leo enim niſi ſtimuletur non iraſcitur, ſed ſtimulatus excandeſcit, nec ſedari poteſt: ſic & rex leonem quaſi in corde gerit, vt, ſi eum ſtimules, vngues leonis experturus ſis.

HONOR EST HOMINI QVI SEPARAT SE A CONTENTIONIBVS: OMNES AVTEM STVLTI MISCENTVR CONTVMELIIS] id eſt contentionibus: hæ enim in probra & contumelias prorumpunt. Hebr. *gloria eſt homini quieſcere* (Aquila, *ſuperſedere*) *à lite: quiſquis ſe liti miſcet, ſtultus eſt*; Septuag. *gloria eſt viro auerſari contumeliam: omnis autem ſtultus talibus complicatur*; Symmach. *glorioſum eſt ſeparari ab odioſa contentione.* VERS. 3.

Pro *miſcetur* hebr. eſt יִתְגַּלָּע *iitgalla*, quod Syrus & Chald. vertunt, *deridet*: *Omnis*, inquiunt, *qui ſtultus eſt deridet*, ſcilicet contentionem, hoc eſt contentiones & lites quaſi ridens & ludibundus capeſſit:

peſſitat poſtea ſentiens earum damna ſerò pœnitet. R. Salomon vertit, *patefiet*, q.d. Probra & ignominia ſtulti, qui ſe non ſeparat à contentione, reuelabuntur & patefient. Irati enim & contendentes ſibi mutuo omnia vitia & probra etiam ſecreta, quę norunt, obijciunt, & palàm exprobrãt. Vnde & Symmach. vertit, *ſtultus autem reuelatur*, aut *reuelat ſe*. Aben Ezra hunc verſum nectit pręcedenti, q.d. Rex honorem impendit viro rixoſo, quando à rixa quieuerit, & ſe à diſſidijs exemerit: illi, inquã, à quo ad iram inflammatus fuerat. Verùm hoc arctiùs eſt; hæ enim gnomæ generales ſunt, ideoque ſępè diſparatę, nec inter ſe cõnexę. Igitur hac ſententia, vti & alijs pluribus, dehortatur Salomon à litibus & rixis, occurritque tacitæ obiectioni, itaq; fontem mali indicat & ſuccidit, q.d. Solent homines, ſi verbulo aſperiori tangantur, lites capeſſere, atque huic ſuæ cupiditati prætexunt ſui nominis famam & honorem. Dicunt enim, Talis lęſit meũ honorem: ergo lis illi intentanda eſt mihi, vt honorem meum ab eo ablatum recuperem. Rurſum, ſi lis ſit inchoata, ac in eius decurſu deprehendant eam eſſe iniuſtam, aut valdè moleſtam & noxiam, nolunt ab ea ceſſare, nec pedem referre, nę videantur iniuſtè vel temerè eam inchoaſſe, aut parti aduerſę victoriam cedere. At errant: quia honor & gloria hominis eſt litem non inchoare, & , ſi inchoata ſit, ab ea ceſſare.

Lites fugiendæ. Ratio à priori Prima. Ratio eſt Prima, quod lites mille afferant curas, moleſtias, mœrores, pericula, ignominias, profuſionem opum, &c. quæ longè plus damni afferunt quàm ſperari poſſit lucri ex lite, etiamſi illa nobis adiudicaretur, quod tamen anceps eſt & dubium. Sapientis ergo eſt eam non natam præcidere, vel natam illicò ſuccidere.

Secunda. Secunda, quòd lites auferant pacem & charitatem, quæ præſtat omnibus mundi bonis. Vnde verè dixit Cardinalis Bellarminus: *Melior eſt vncia pacis & charitatis, librâ victoriæ.* Quid honorificentius pace? quid glorioſius charitate?

Tertia. Tertia, quòd lites, niſi ſuccidantur, creſcant in immenſum, fiantque immortales & irreconciliabiles iuxta illud ca. 17. 11. *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Et illud cap. 18. 6: *Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat.* Quare ſapientes litem comparant ſerpenti, qui cùm per foramen caput inſeruerit, per illud totum deinde corpus inſerit, inſinuat & irrepit. Hinc lis vna ſerit aliam, & aliam ſine fine: ſicut fragum vnum ſerit aliud & aliud, vt totum hortum peruadat. Quocirca prudenter Salomon cap. 17. 14. *Qui dimittit aquam*, inquit, *caput eſt iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam iudicium deſerit.* Et Eccleſiaſt. cap. 28. 10. *Abſtine te à lite.* Vide ibi dicta.

Quarta. Quarta, quòd lis cum proximo pariat litem internam cum animo: anima enim irati & litigantis mille paſſionibus æſtuat perpetim, ſecum diſceptat & litigat, dum ira & cupido vindictæ cum recta ratione illam vetante, decertant & digladiantur. Vnde S. Ambr. & ex eo Dionyſ. *Contentio*, inquit, *eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Melius eſt cum pace & gratia emigrare, quàm cum contentione & diſcordia cohabitare. Melius eſt ſine lite abire, quàm cum iurgio reſiſtere.* Nam vt ait S. Iacobus c. 3. v. 15. *Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica: vbi enim zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.* Fons omnis mali eſt ſuperbia, indeque odium latens in corde, qua quis non vult proximo cedere, nec reconciliari, multò minùs reconciliationem quærere, eamque prior poſcere. Hoc enim vile & inglorium ęſtimant homines ſæculi.

Sed errant: quia honorificum eſt quęrere opus heroicæ virtutis, puta reconciliationis & amicitiæ; quare qui prior eam occupat, & partem aduerſam præuenit poſcitque pacem, hic ſine dubio magnanimus eſt quia irę & vindictę victor & dominus, ac proinde ingenti honore & gloria dignus: & quia inimicitias tam in ſeipſo, quàm in inimicis ſuis ſopit & interficit. Hoc autem eſt opus heroicum, magnanimum & glorioſum. Id ita eſſe patet ex more Dei: Deus enim, quem decet omnis honor & gloria, peccatores gratiâ ſuâ præuenit, monetque vt ſibi reconciliari velint, imò ad hoc Chriſtum miſit, iuxta illud Apoſtoli: *Deus erat in Chriſto mũdum reconcilians ſibi.* Deus ergo hoc opus, vt ſcilicet quis prior ſe reconciliet inimico, ſuo exemplo honeſtauit, decorauit & glorificauit. Quis enim indecorum ſibi æſtimet, quod decorum ſibi duxit Deus?

Audi S. Baſilium apud Anton. in Meliſſa part. 2. ca. 68. *In certaminibus improbitatis miſerior eſt qui vicerit, propterea quòd peccatis onuſtior diſcedit:* Et S. Gregor. Nazianz. *Præſtat honeſtè vinci, quàm periculosè & iniuſtè vincere. Qui ingenio ſunt bellicoſo, gloriam ſuam ex publico malo venantur, & dedecore ſuo gloriantur.* Et S. Chryſoſtomum ibidem: *Quid inter nos temerè digladiamur? quid bellamus alij cum alijs, quibus præceptum eſt, vt eos qui nos oderint amemus?*

Salomonem ſecuti Philoſophi idem profitentur. Euripides in Andromache: *A prauo initio*, inquit, *lites magnas hominis lingua producit. Hoc vero ſapientes cauent, ne quid inter amicos contentionis excitent.* Idem in Proteſilao; *Altero duorum colloquentium indignante, is qui ſe non opponit plus ſapit.* Demoſthenes à quodam conuicijs laceſſitus: *Nolim*, inquit, *tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo qui vincitur ipſo victore eſt melior.* Ariſtippus contumelijs appetitus à quodam: *Penes te*, inquit, *eſt maledicere: penes me autem rectè audire.* Muſonius in ſerm. An Philoſophus actionem iniuriarum contrà aliquem ſuſcepturus ſit: *Satius eſt*, inquit, *& excelſo viro dignius, iniuriam vincere quàm litem. Magnanimus quiſquis eſt, litem exſcindit, & aduerſario parcit.* Pittacus cùm poſſet iniuriantem vlciſci, pepercit dicens: *venia vltione melior eſt. Illa namque mitis eſt ingenij, hæc ferini.* Pythagoras: *Magnam peritiã*, ait, *exiſtimato, qua ferre potes aliorum imperitiam.* Theophraſtus: *Qui inimicum ſuo cum malo vindicat, dat potiùs pœnam, quàm ab illo ſumat: non antè ita inimicos vlciſcaris, vt tibi magis quam illis obſis.* Plutarch. tract. de Vtilitate ex inimicis capiend.: *Silentium*, inquit, *in aliorum contumelijs neſcio quod egregium, Socraticum, aut potiùs Herculeum præ ſe fert. Siquidem & ille non quantum muſcam, odioſa verba curabat.* Seneca: *Turpius nihil eſt quàm cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris.* Valerius Maxim. *Plena victoria eſt ad clamantem tacere, nec reſpondere prouocanti.* Habet enim mercedem & gloriam de ſua patientia, & de proximi medela. Quare ſicut nihil deformius quàm reſpondere furentibus, ſic nihil vtilius quàm tacere prouocatis. Denique ſapiens ſciens verum eſſe illud Senecæ: *A malis vituperari, laudari eſt*, non mouetur contumeliæ verbis.

PROPTER FRIGVS PIGER ARARE NOLVIT: VERS. 4.

LVIT: MENDICABIT ERGO ÆSTATE, ET NON DABITVR ILLI] Hebr. *poſtulabit in meſſe, & non*, ſupple, accipiet vel inueniet. Pro *frigus* hebr. eſt חֹרֶף *choreph*, quod propriè ſignificat probrum vel exprobrationem, vt vertunt Septuag. inde hiemem, quæ cana, horrida & algida, eſt quaſi probrum & dedecus totius anni: inde pueritiam & adoleſcentiam, quæ multa riſu & probro digna per imprudentiam committit. Pro *arare* hebr. eſt חָרַשׁ *charas*, quod ſignificat Primò, arare; Secundò, fabricare; Tertiò, ſilere; Quartò, obſurdeſcere. Pro *mendicabit* hebraicè eſt שָׁאַל *ſcaal*, quod Primò, poſtulare ſignificat; Secundò, mendicare; Tertiò, commodare; Quartò, mutuò accipere vel petere. Hinc

Primò, Chald. vertit, *penuriam ſuſtinet piger, & non tacet: petet in meſſe, & non habebit*; Syrus, *deeſt pigro, poſtulat in meſſe, & non eſt*. q.d. Piger dum ex omiſſione arationis & laboris penuriā ſuſtinet, non tacet, ſed penuriam ſuam paſſim gemens exponit: vnde petit panem in meſſe, & nemo ei velut ob pigritiam indigno dare curat.

Secundò, Septuag. vertunt, *exprobratus piger non confunditur: ſimiliter & qui fœnore accipit frumentum in meſſe*. q.d. Piger adeò deſes eſt & torpet, vt, etiā ſi quis ei pigritiam indeque penuriam exprobret, non erubeſcat: malens torpere & mendicare cum pudore, quàm victum ſibi parare cum labore. Talis eſt qui cùm in hieme arare noluerit, cogitur in meſſe frumentum accipere ad vſuram, cùm non habeat vnde reſtituat. Hic enim mauult onus fœnoris & vſuræ cum otio & torpore, quàm laboris & arationis ſuæ fructu gaudere in meſſe.

Tertiò, optimè vertit Noſter, cui conſentit Symmachus, dum vertit, *propter frigus piger non arabit, & petet in meſſe, & non inueniet*; & Tigur. *præ frigore non arat piger ſed mendicans in meſſe nihil auferet*. Vatab. *& interrogabit famulum de meſſe, num pulchra ſit? & nulla erit.*

Senſus obuius, facilis & planus eſt, q.d. Piger in hieme fugiens laborem & frigus, negligit colere ſuum prædium: quare nullam in æſtate colliget meſſem, ſed cogetur mendicatò petere vel eleëmoſynam vel mutuum, vt viuat. Sed vix erit qui ei det, tum quia pigritiâ ſuâ ſe indignum reddidit, tum quia mutuum nemo ei dabit, cùm ſciat eum ob inopiam non eſſe ſoluendo, nec poſſe reddere. Huc facit prouerbium Apoſtoli 2. Corint. 9. 6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus*, (id eſt copiosè & largiter) *de benedictionibus & metet*. Et: *Si quis non vult operari, nec manducet*, 2. Theſſal. 3. 10.

Tropol. & Anagog. Patres hoc referunt ad torporem bonorum operum, præſertim eleemoſynæ, qui pigri negligunt bene operari & laborare in hac vita, ob deſidiam, timentes aſperitatem & moleſtias virtutis, ideoque in altera mendicabunt: ſed nemo eis opitulabitur; iuxta parabolam virginum petentium oleum veniente ſponſo, Matt. 25. Nam vt ait Apoſtol. Galat. 6. 8. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes*. Ita S. Gregor. 3. parte Paſtor. admon. 16. *Propter frigus*, inquit, *quippe piger non arat, dum deſidiâ & torpore cōſtrictus, agere quæ debet bona cōſiderat, & diſſimulat. Propter frigus quippe piger non arat, dum parua ex aduerſo mala metuit, & operari maxima prætermittit. Benè autem dicitur: Mendicabit æſtate, & non datur ei. Qui enim nunc in bonis operibus non exſudat, cùm ſol iudicij feruētior apparuerit, quia ſruſtra regni aditū poſtulat, nihil accipiēs æſtate mendicat.* Hugo Cardinal. duas alias affert expoſitiones. Prior eſt: *Piger*, id eſt tepidus, *propter frigus* charitatis *arare noluit*, ideo ſcilicet inſeruire in agro ſeu vinea Eccleſiæ recuſauit: *ea propter mendicabit æſtate*, in die videlicet iudicij. Poſterior: Vir frigore charitatis intepeſcens, ſui cordis agrum aratro pœnitentiæ proſcindere non vult, & bonis operibus conſerere: *mendicabit ergo æſtate*; nimirum inſtante iam morte, morbo ingraueſcente, & febri exæſtuante, poſtulabit tempus pœnitentiæ; *& non dabitur ei*.

Accedit R. Salomon: *Propter frigus*, inquit, *piger noluit arare*, hoc eſt, *algorem timens deſes, ſedentarius iacet, neq; vllum opus præſtat, ſtudioq; legis non vacat*. Et R. Leui: *Deſes*, inquit, *in recexordio corpus ſuum arare, id eſt ad militationis conformationem recipiendam parare non ſtudebit, atque ideò ſapientiam adipiſci nequibit, nec in illa vllam operam impendet: ex quo fiet vt mens à Deo indita opportunos fructus non ferat*. Porrò appoſitè præſens vita hiemi, futura in cælo æſtati comparatur: tum quia hæc vita plena eſt mœroris, aſperitatis, ignorantiæ & tenebrarum: tum quia deſtinata eſt arationi, id eſt labori ad proferendas felicitatis & gloriæ fruges. In futura autem & cæleſti, diſcuſsâ huius vitæ caligine & frigore, dies æterna Solis diuini perpetuo fulgore & calore clareſcet, ac meſſem omnis felicitatis dabit. Hoc eſt quod dicitur Cant. 2. 11. *Iam hiems tranſijt, imber abijt & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra*. Et pſal. 125. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autē venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Huc facit Hebræorum prouerbium: *Qui in veſpere ſabbati non parauit quod comedat die ſabbati, non comedet in ſabbato*, id eſt qui non laborat, vt merita bonorum operum ſibi congreget in hac vita, mercedem vitæ & gloriæ ſempiternæ non percipiet in futura. Hoc enim ſæculum eſt laboris & meriti, futurum verò quietis & mercedis.

SICVT AQVA PROFVNDA, SIC CONSILIVM IN CORDE VIRI: SED HOMO SAPIENS EXHAVRIET ILLVD] Syrus, *aquæ profundæ verbum in corde regis*. Pro *ſed* hebr. eſt &: verùm & hebr. ponitur pro *ſed, enim, quamquam*, & qualibet alia coniunctione, vtpote qua carent Hebræi. Vnde hoc loco pro & Septuag. quoque vertunt, *ſed*. Vers. 5.

Primò, Aben Ezra exponit, q.d. Sicut aquæ profundæ, frigidæ pellucidæque ſunt: nullius enim pedibus perturbantur: ita ſapientiā cōſiliumque, quibus cor prudentis affluit, ſincera perſpicuaque erunt. *Sed homo ſapiens*, &c. q.d. Vir autem poſtquam prudentiæ compos factus fuerit, conſilium ex corde ſuo hauriet; id eſt ſibi magiſter erit, & ſuamet induſtria hanc comparabit. Accedit Hugo: Comparatur, inquit, conſilium viri profundæ aquæ propter ablutionem, propter irrigationem, propter fœcunditatem, propter refrigerationem.

Secundò, R. Salomon, q.d. Doctrina ſapientis in animi penetralibus repoſita eſt: ſed enim accedat prudens diſcipulus illum, ex cuius præcordijs expiſcabitur & hauriet, q.d. Feminæ ſunt ſimiles fontibus ſupra terram erumpentibus, qui omnem aquam quam recipiunt protinus effundunt: ſic enim feminæ quidquid ſciunt, effutiunt. At viri

cordati & cauti ſimiles ſunt puteis profundis, qui doctrinam ſuam celant, ideoque mentem inſtar putei, nouâ ſemper per meditationem & ſtudium aſſiduum affluente aquâ doctrinæ, eâdem augent & adimplent: quocirca vir ſapiens aſſiduè ex eis hauriet & diſcet, vt & ipſe mentem ſuam profundum doctrinæ puteum efficiat.

Tertiò, noſter Salazar cenſet eſſe hypallagen, quare ſic eſſe verba ordinanda: doctrina in corde viri eruditi eſt profunda inſtar putei, quare qui illam exhauriet, vtiq; euadet eritque homo ſapiens: ſicut enim putei ab imo ſcaturiẽtes, quo plures ab his: quas extrahunt, eo ampliùs redundant: nam aquæ ad locum nuper exhauſtum ſponte decurrũt. Sic etiam accidit doctoribus: nam quo plures ab his doctrinam & ſapientiam profundam hauriunt, eo maior & profundior in ipſis ſapientia affluit. Deinde auditores ſapientiæ ſtudioſi admonentur, non eſſe obuium ac facile doctrinam parere, ſed aquæ ad inſtar profundiſſimæ magno labore exhauriri. *Homo exhauriens illud ſapiens erit*, optimi auditoris præcipua officia complectitur; ſilentium ſcilicet, ne effundat audita; animi demiſſionem & docilitatem, vt diſciplinæ ſeſe adeptet; perſeuerantiam, vt ad profundiſſima ſapientiæ dogmata pertingat; conatum ac robur, ne langueſcat, & hæc omnia ad ſapientiam comparandam neceſſaria eſſe oſtendit.

Quartò, propriè & genuinè, per *conſilium* accipias arcana viri cordati cautiq; cogitationes, conſilia, intentiones, machinationes: hæ enim profundæ ſunt; ſed tamen à viro ſapiente erui & educi poſſunt: iuxta illud. *Prauum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Ierem. 17. 9. Vnde Lyran. per *conſilium* accipit ſecretum. ita Vatabl. qui vertit, *velut aqua profunda eſt conſilium in corde viri at vir intelligens elicit illud*; ſicque explicat, q. d. Difficile eſt ex mente hominis extrahere conſilium. Et R. Leui: Cõſilium, inquit, in corde viri latens non ita facilè exploratur, ſed tantùm poſt ſingularem indaginem, cùm ſit velut aqua profunda, cui quæ ſubſunt difficilè pertingi poſſunt: verùm prudens ſedulâ inueſtigatione, ac diligenti ſtudio conſilium ex illius animo hauriet. Et auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ſic vertit & explicat, *Etſi conſilium in corde callidi viri abditum eſt inſtar aquæ profundæ, attamen vir prudens exhauriet illud* q. d. *Etſi hominis verſipellis conſilium inſtar gurgitis vel putei cuiuſdam ſit altũ, nihilominus vir prudens exhauriet, & in manifeſtam lucem proferet illud.* Et Ianſenius hæc intelligit de cogitationibus & conſilijs, quibus quid agere ſapiens aliquis decreuit. Huiuſmodi enim conſilia & animi decreta is qui verè virilem habet animum, non inſtar fœminarum cuiuis facilè prodit, ſed abſcondita ſeruat in penetralibus cordis ſui, veluti aquam profundam, ita vt non facilè quiuis eam explicari & intelligere poſſit. Attamen vir prudens, & intelligentia multa præditus, ex profundo cordis alieni eruere nouit, & veluti profundam aquam exhaurire, latens in corde conſilium: vti enim nouit varijs rationibus, vt penetret quod erat occultum conſilium in corde viri. Adhibet enim multas circumlocutiones & ſermones à re remotas, aperit quædam ſua, aliaque pleraque facit, quibus quod occultum erat percipiat.

Significat ergo hæc gnome viros cordatos eſſe profundos & ſecretos, eoſdemque per ſapientiam & ſolertiam varias adinuenire praxes & modos

A expiſcandi aliorum conſilia & ſecreta. Quocirca à pari hæc accipias de conſilijs quibuſlibet, quibus plenum eſt cor ſapientis, quibuſque ipſe alios erudit, conſulit inſtruit, ſiue in rebus ciuilibus, ſiue œconomicis, ſiue ſpiritualibus: hæc enim quia profũda ſunt, difficilè capiuntur; ſed tamen vir prudens aſſiduè ea hauriens, audiens & meditans, tandem percipiet ea. Sic Paulus loquebatur ſapientiam in myſterio, 1. Corinth. 2. Sic Chriſtus profundam ſapientiam docebat per parabolas, quas ægrè auditores capiebant, Apoſtoli tamen ſecretò eum interrogantes, earum ſenſum & mentem Chriſto interpretante diſcebant. Ceteri enim vt mundani & animales, non capiebant ſublimia & profunda conſilia Chriſti: eis enim paradoxa videbantur: qualia ſunt, *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui odit animam ſuam in* (a) *Paradoxa Chriſti.*
B *hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si vis exaltari, humilia te. Morere, vt viuas. Eſto pauper ſpiritu, vt ſis diues in cælo. Si vis eſſe beatus, patere perſecutionem pro Chriſto.* At ſapientes, putà veri Chriſtiani, ſpirituales & Religioſi hæc capiunt, & practicando exhauriunt.

Septuag. pro *exhauriet* vertunt, ἐξαντλήσει, id eſt *exantlabit*; quia voce ſignificatur ad hauriendum & eruendum cõſilia viri cordati profunda, opus eſſe non ſolùm fune & ſitula, ſed & antlia, imò machina tubica (aqua enim in ſui profundo adeò arcta eſt, vt ſitulam non admittat, ſed tubum dumtaxat vel canalem:) ſicut enim per illam aquæ profundæ per tubos exiguos ſuctu vel attractu aëris ſurſum eleuantur & adducuntur: ſic ſagaci & ſolerti veſtigatione ſapientis conſilium latens in corde viri
C ſurſum ad os attrahitur & elicitur. E tubis enim aër in ijs latens & arctatus attractu antliæ ſurſum educitur, ideoque ad impediendum vacuum cogitur aqua è ſui profundo aſcendere, ad implendum ſpatium intrinſecum tuborum, quod deſeruit aër per antliam ſurſum attractus, & vacuum reliquit. Sic pariter dum ſapientes varias miſcent quæſtiones & interrogationes, varias audiunt reſponſiones, è quibus inter ſe collatis eliciunt ſecretum latens in corde reſpondentis, imò cogunt eum idipſum fateri & prodere, ne vacuus mente vel cerebro, ac vecors appareat. Sapientes enim ex cauſis colligunt effectus, ex antecedentibus ſequentia, ex ſignis coniectant de re cuius ſunt ſigna; ex connexis diuinant ea, quæ communiter coniungi & comitari ſolent, dato enim vno connexorum, alterũ neceſſe eſt vt comitetur & detur. Denique ex locis
D & argumentis topicis Dialectici multa rimantur, inferunt & colligunt.

Intellige, hæc vt plurimum ita ſe habere. Nam ſubinde contrarium accidit; ſunt enim quidam ita cauti & tecti, vt faciliùs è pumice aquam, quàm ex ore & corde eorum ſecretum elicias. Quocirca tales in aulis principum magni æſtimantur: principes enim, qui ſua conſilia volunt eſſe ſecretiſſima, non niſi ſecreti tenacibus ea communicant. Hinc legatis ſuis hoc primum dant præceptum, vt arcana ſui principis celent, aliorum verò expiſcentur. In ſecreto enim conſiſtit vis & neruus rei conficiendæ, vti aliàs monui. Igitur in aulis videas ſubinde ingens certamen inter legatos, dum alij aliorum ſecreta expiſcari; alij verò ea ſtudioſè occultare conantur; at vincit qui ſapientiâ & calliditate antecellit. Sunt qui ad expiſcandum vtantur hac praxi: Inuitant alios ad conuiuium, lautè habent, *Praxis expiſcandi ſecretum.*

vino

vino & propinationibus obruunt, ac cùm exhila-rati & inebriati fuerint, ſecreta exquirunt. *In vino enim veritas, &, quod latet in corde ſobrij, hoc natat in ore ebrij.*

Vers. 6. MVLTI HOMINES MISERICORDES VOCANTVR, VIRVM AVTEM FIDELEM QVIS INVENIET?] Hebræa ad verbum habent, *multitudo hominis vocabit virũ miſericordiæ, vel gratiæ ſuæ: & virum* אֱמוּנִים *emunim*, id eſt *veritatum, vel fidelitatum, firmitatum & conſtantiarum quis inueniet?* Vnde

1. Primò, Aben Ezra, id eſt filius Ezræ, ſic vertit: Multi homines prædicant ſuam beneficentiam, vt Phariſæi, qui facturi eleemoſynam tubam inflabant, Matt. 6. 2. Verùm quis inueniet virum fidelem, qui beneficia conferat, nec eadem prædicet? vel quis ille eſt, qui de ſe vera loquatur?

2. Secundò, Pagnin. vertit, *magni hominis prędicabit vnuſquiſq; miſericordiam, & virum veracem quis inueniet?* Scriptum eſt enim: *Omnis homo mẽdax*, pſal. 115. 11. q. d. Multi inueniuntur miſericordes, at pauci veraces. Aut, q. d. Multi ore prędicant, & in cęlum euehunt benefactorum ſuorum beneficentiam: at qui opere fideles ſint, id eſt beneficia beneficijs rependãt & compenſent, perrari ſunt. ita R. Leui.

3. Tertiò, idem R. Leui explicat, q. d. Multi ſunt, qui ſemel iterúmve miſericordiam exercent: at qui in ea fideles, id eſt conſtantes & perpetui ſint, perrari ſunt.

4. Quartò, Caiet. vertit, *multi vocantur viri gratiæ, ſed virum fidelem quis inueniet?* q. d. Multi ſunt qui gratuita beneficia libenter accipiant, & gratias agunt: atqui fideliter res alienas ſuæ fidei commiſſas curent, perpauci ſunt. q. d. Magnificum eſt gratiam alijs pręſtare, ſed ſua alteri adminiſtranda cõmittere, intutum & periculoſum eſt: pauci enim fideles inueniuntur, omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt.

5. Quintò, Vatabl. vertit, *multi inuocant virum in quem contulerunt beneficia: virum autem fidelem quis inueniet?* q. d. Quotus quiſque eſt, qui licet à benefactore ſuo rogatus & inuocatus, inuenitur memor beneficij accepti, gratus, & qui rependat? Alij vertunt, Multi volunt dici benefici, ſed fide non præſtant quod dicuntur, parum ſuo nomini reſpondentes.

6. Sextò, noſter Salazar, q. d. Multi ſunt qui miſericorditer ſua alijs elargiuntur: & pauci qui ſint fideles, id eſt iuſti, vt aliena non inuadant, aut inuaſa reſtituant. q. d. Faciliùs eſt exercere miſericordiã, quàm ſeruare iuſtitiam: facilius eſt ſua impertiri, quàm aliena reſtituere, vel non appetere. Sic enim videmus multos ex rapto facere eleemoſynas, imò ea dare templo: at nolle ea dominis ſuis reſtituere, ne videantur raptores & iniuſti.

7. Septimò, Beda, R. Salomon, Ianſen. & alij explicant. q. d. Multi vocantur miſericordes, at pauci in miſericordia ſunt fideles. Multi habent nomen miſericordium: at pauci fidem, id eſt rem & veritatem: quia ſcilicet in eleemoſyna quærunt oſtentationem, lucrum aut aliud intereſſe: vnde eam faciunt ficte, non fideliter, id eſt verè & ſincerè propter Deum; vt ſit antitheſis inter vocari miſericordem, & eſſe fidelem, q. d. Multi vocantur miſericordes & fideles: at pauci reipſa ſunt.

8. Octauò, amplè & adæquatè, Script. ſolet iungere miſericordiam & fidelitatem, ſiue veritatem & iuſtitiam, ac per miſericordiam intelligit opus virtutis liberale & indebitum, per fidelitatem verò

A neceſſarium & debitum, quod multiplex eſt, ſicut multiplices ſunt leges æquè ac officia, ad quæ quiſque ſe obligauit. Dicit ergo Salomon, facilè eſt eſſe miſericordem quia qui per vices ad libitum exercet miſericordiam, vocatur miſericors, & vt talis ab omnibus laudatur, at virum qui per omnia ſit fidelis, id eſt ſincerè, integrè & fideliter exequatur omnia ad quę legibus tenetur, item omnia ad quæ ex officio obligatur, inuenire eſt difficile. Multi enim dãt eleemoſynas, ſed interim rapiunt, fallunt, fraudant alios: multi ergo ſunt miſericordes, at rari fideles. Fidelis enim omni tempore debet eſſe fidelis, atque ad plurima ex fide præſtanda obligatur, quæ omnia fideliter præſtare eſt, difficile. Vnde Lyran. & Dionyſ. hęc applicant fidelitati correctionis vitiorum, q. d. *Multi homi-*

B *nes miſericordes vocantur*, qui tamen non ſunt ſecundùm veritatem, ſed magis puſillanimes, impunita vitia relinquentes, ideò ſubditur: *Virum autem fidelem* in correctione vitiorum, ſecundùm officium ſibi impoſitum, *quis inueniet?* q. d. Raro inuenitur. Propter quod dicitur Lucę 18. *Filius hominis veniẽs, putas, inueniet fidem in terra*, id eſt fidelitatem, putà fidelem hominem, qui poſtpoſito humano timore & fauore iuſtitiam faciat? hucuſque Lyranus. Vnde S. Auguſt. ſer. 13. de Sanctis ex nuper iuuentis: *An non*, inquit, *ſunt in te viſcera pietatis Chriſtianæ, vt plangas corpus, à quo receſſit anima, & non plangas animam, à qua receſſit Deus?* q. d. Rarus vir ita fidelis, amicum ſuum non palpans, nec veritatem relinquens.

Opponitur enim hic אִישׁ חַסְדּוֹ *is chaſdo*, id eſt *vir miſericordiæ ſuæ*, id eſt ſuis operibus pietatis, quę ipſi ſua deuotio ſuggerit, addictus, אִישׁ אֱמוּנִים Is emunim quis?

C *is emunim*, id eſt viro veritatum, fidelitatum, firmitatum, conſtantiarum, q. d. Qui non ſemel, ſed vbique & ſemper fidelis eſt, ſui ſimilis & conſtans inſtar S. Conſtantij & Conſtantini.

Is emunim ergo eſt, qui ſua commoda poſthabet fidei; qui ſua munia integra cum fide obit, qui in tentatione ab officio ſe dimoueri non patitur, qui nec minis, nec promiſſis, nec donis ab æquo & iuſto abduci ſe ſinit, qui vſque ad mortem & martyrium iniquitati reſiſtit; qui quos ex officio corrigere debet, corrigit, & nemini licet potenti parcit. Virum ergo miſericordem facile eſt inuenire, quia ad miſericordiam inuitat tum benignitas naturæ, tum laus hominum: ſed virum fidelem, qui in quauis aduerſitate Deo & hominibus maneat fidus, qui ſibi in quauis

D virtute vbique conſtet, qui impijs animosè reſiſtat, qui vitam pro fide prodigat, qui ceteris à fide deficientibus ſolus in fide perſtet inſtar Tobiæ cap. 1. 5. quis inueniet? Vtique hic rarus eſt & difficilis inuentu,

Rara auis in terris, nigroq; ſimillima cygno.

Is emunim fuit Abraham, qui Deo fidelis extitit vſq; ad immolationem filij ſui Iſaac. *Is emunim* fuit Ioſeph, qui hero ſuo fidelem ſe præbuit vſque ad calumniam & carcerem. Vnde Mathathias moriturus Iudam, ceteroſque filios ſuos Machabæos exhortans ad fidelitatem pręſtandam Deo in perſecutione Antiochi: *Nunc*, inquit, *confortata eſt ſuperbia & caſtigatio, & tempus euerſionis, & ira indignationis; nunc ergo, ô filij, & æmulatores eſtote, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Exempla.

Abra-

Abraham nónne in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatũ eſt ei ad iuſtitiam? Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodiuit mandatum, & factus eſt dominus Ægypti. Phinees pater noſter zelando zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotij æterni. Ieſus dũ impleuit verbum factus eſt dux in Iſrael. Et Iudith cap. 8. 22. exhortans ſuos ad conſtantiam in obſidione Holofernis: *Memores*, inquit, *eſſe debent, quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Illi autem qui tribulationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam & improperium murmurationis ſuæ contra Deum protulerunt; exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt.* Sic Molem à fide laudat Deus Num. 12. 7. *At non talis* inquit, *ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt.* Vnde & pręmium ſubdit: *Ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Et Apoſtolos à fide commendat & pręmiat Chriſtus: *Vos*, inquit, *eſtis qui permãſiſtis mecum in tentationibus meis: &* (idcirco) *ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, Lucæ 22. 28.

Porrò Septuag. Hebr. רַב *rab*, id eſt multus vel multitudo, vertentes, *magnus* vel *magnitudo*, ſic transferunt, *magnum homo, & pretioſum vir miſericors: hominẽ autem fidelem opus eſt inuenire.* Citat hanc Salomonis gnomen S. Chryſoſt. homil. 4. in epiſt. ad Philipp. ſub finem: Verba eius quæ à nonnullis malè citantur, ſic præciſè habent: *Magnum quid eſt homo, propter quid? & pretioſum, inquit, vir miſericors. Iſtud enim eſt homo miſericors: imò miſereri, eſt Deum eſſe. Vides quanta ſit miſericordiæ Dei potentia? illa omnia fecit, illa mundum operata eſt, illa angelos fecit propter ſolam bonitatem. Propterea & gehennã minatus eſt, vt regnum conſequamur: regnum verò conſequamur per miſericordiam. Quanam ratione cùm ſolus eſſet, tot ac tanta fecit? an non propter bonitatem? an non propter benignitatem?*

Nota quod ait, *Imò miſereri eſt Deum eſſe*, q. d. Deo & diuinitati propria dos eſt ſe communicare, benefacere, & miſereri miſerorum, adeò vt hæc eius videatur propria eſſe indoles & natura, vtque Deus videatur eſſe Deus per beneficentiam & miſericordiam. Quare qui eam imitantur, diuini fiunt, & quaſi dij quidam terreſtres, iuxta illud S. Gregor. Nazianz. de Cura pauper. *Eſto calamitoſo Deus.*

Porrò auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ſic legit & explicat: *Res magna eſt homo, quippe qui ſecũdum Dei imaginem & ſimilitudinem conditus ſit. Porro autem ſi homo miſericordiam ſecundùm vſum, reliquaſq; virtutes complexus fuerit, ex magno pretioſus euadit. Interim quempiam ex hominum numero inuenire, qui ob Dei honorem & ex fide officium faciat, perrarum, magnæq; difficultatis res eſt: ſiquidem Tò opus eſt, idem eſt hoc loco, quod arduum vel difficile eſt talem aliquem inuenire.* Et S. Ambroſ. in pſal. 118. octonario 18. *Magnum ſanè munus, ſi ſe ipſe cognoſcat, & quadã forma iuſtitiæ, mundo magis quàm ſibi naſci. Vnde Salomon ait: Grande homo, & pretioſum vir miſericors: virum autem fidelem opus eſt inuenire. Et verè magnus eſt, qui diuini operis interpres eſt, & imitator Dei. Homo eſt enim qui potuit dicere: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Terram excolit, mari tamquam poſſeſſione vtitur, cæli ornamenta grandis miratur aſſertor. Enumerat rerum natura, niſi qui ea vteretur, diuina prouidentia eſſet adiectus. Deniq; poſtquam fecit Deus cęlum & terram & maria; poſteaquam omnia reptilia, volatilia, animantia protulit, hominem fecit, quem animãtibus viuentibus anteferret. De quo non immeritò cæleſtis ſententia reſultauit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Idem S. Ambroſ. conc. 3. in funere Theodoſij Imp. tom. 5. hanc ſententiam adaptat Theodoſio, eiuſque miſericordiam & fidem celebrat.

Denique D. Hilarius in pſalm. 118. littera *iod*: *Grande*, inquit, *homo, & pretioſum vir miſericors: virum verò fidelem opus eſt inuenire. Quid enim tam difficile eſt, quidue tam ardui operis eſt, quàm inuenire eum, qui meminerit ſecundùm imaginem & ſimilitudinem Dei ſe eſſe factum, diuinorum eloquiorum ſtudio intentus, rationem animæ ſuæ corporiſq; cognouerit, & originem vtriuſque generis naturamq; perceperit, ad quem denique finem hæc inſtitutio ſua oriuſq; contendat? Atque ob id magnum quiddam eſt homo. Hoc enim nomen, vbi rerum ſuperiùs commemoratarum cognitione neglectâ in vitia deciderit, amittit: indignus ſcilicet iam iudicatus homo nuncupari. Et cùm ſecundùm imaginem & ſimilitudinem Dei factus ſit, ſecundùm exprobrationes Propheticas & Euangelicas, aut ſerpens, aut progenies viperarum, aut equus, aut mulus, aut vulpes ei nomen eſt, & proprietas ei nominis ſui, vbi de innocentia exciderit, auferetur.*

Igitur magnum quid eſt homo miſericors, ſed neceſſarium homo fidelis: vbique enim opus eſt fidelitate & fidelibus officialibus ac miniſtris, quibus nos & noſtra credamus, præſertim res conſcientiæ & ſalutis. Talis fuit S. Paulus, qui proinde 1. Timot. 1. 12. *Gratias*, inquit, *ago ei, qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio.* Tales miniſtros putà ſacerdotes & Epiſcopos quæſiuit, & in Eccleſia quærendos docuit Chriſtus, Matth. 24. 45. *Quis, putas*, inquit, *eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore: Beatus ille ſeruus, quem, cùm venerit dominus eius, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Et Chriſtus ſcribens Epiſcopo Smyrnæ Apocal. 2. 10. *Eſto fidelis*, inquit, *vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et v. 13. *Antipas*, inquit, *teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos.* Et cap. 1. 5. Chriſtus ipſe vocatur *teſtis fidelis.* Et cap. 19. 11. *Ecce*, inquit, *equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verus, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat.* Fidelis Deo & Eccleſiæ fuit Archidiaconus S. Laurentius, qui ad ignem aſſatus: *In craticula*, inquit, *te Deum non negaui, & ad ignem applicatus te Chriſtum confeſſus ſum. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti* (acri velque examine) *& non eſt inuenta in me iniquitas.*

IVSTVS QVI AMBVLAT IN SIMPLICITATE VERS. 7.
SVA, BEATOS POST SE FILIOS DERELINQVET] Pro *in ſimplicitate*, hebr. eſt בְּתֻמּוֹ *betummo*, id eſt *in integritate ſua*; Pagninus, *in perfectione ſua.* Sic Iob cap. 1. v. 1. & paſſim alibi iuſtus & ſanctus vocatur *ſimplex*, id eſt integer vitæ ſceleriſque purus. Arctiùs ergo Lyran. *in ſimplicitate*, hoc eſt, inquit, *ſine falſitatis plica.* Pleniùs dixiſſet, ſine iniquitatis vel peccati plica. Quare ex Hebræo ſic ad verbum vertit Vatabl. *ambulantis in probitate ſua iuſti felices ſunt filij poſt ipſum*; Chald. *qui ambulat in ſimplicitate ſua iuſtus eſt, & beati filij eius poſt eum*; Septuag. *qui conuerſatur ſine vituperatione*, id eſt *inculpatè*

culpatè in iuſtitia, beatos filios ſuos derelinquet, hoc eſt inquit auctor Catenæ Græcor. *Qui iuſtitiam coram Deo & hominibus exercet, & ſeipſum & alios quoq; qui ipſum audiunt, ſaluat.* R. Leui: Probus, inquit, integritatis æquitatiſque ſemitam capeſſens, non ipſe ſolùm à calamitatibus ſeruatur, ſed etiam eius ſoboles diuinæ prouidentiæ maximè cordi eſt ob parentis merita: quin eadem, cùm à parente ſuo honeſtè informata fuerit ad cultum diuinum, id ſibi demeretur, vt peculiarem prouidentiam Dei propitiam experiatur.

Nota τὸ *ambulat*, id eſt continuè progreditur & proficit. Vnde S. Bernard. ſerm. 49. in Cant. *Ambulare, inquit, proficere eſt. Ambulabat Apoſtolus qui dicebat* Philipp. 3. *Non arbitror me comprehendiſſe; & addit Vnũ autẽ quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ante ſunt, me extendo, &c. Ergo non ambulantem, ſed ſedentem à mortis tenebris comprehendi periculum eſt. Et quis ſedens, niſi qui non curat proficere?* Pro *beatos* hebr. eſt אַשְׁרֵי B *aſre*, id eſt *beatitudines filijs eius poſt ipſum*, q.d. Non vna, ſed multiplex, imò omnimoda beatitudo dabitur filijs iuſti. *Proborum filij beati.*

Prima. Prima eſt, ipſa iuſtitia. Iuſtus enim ambulans in ſimplicitate, id eſt iuſtitia & probitate, in eadem educat filios, eoſque facit ſibi ſimiles, ſimplices, id eſt, iuſtos & probos. Ad hoc enim obligat eum ſimplicitas, id eſt iuſtitia & officium parentis: huius enim eſt in probitate viuere, in eaque filios educare. Hic eſt fons ceterarum beatitudinum: quia enim iuſtus ad iuſtitiam efformat ſuos filios, hinc Deus tam illi quàm ipſis benedicit, omnique bono cumulat & beat. Hoc enim promiſit Exodi 20. v. 5. dicens: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans* (id eſt puniens) *iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.*

Ratio phyſica. Ratio phyſica eſt, quòd filij ſint portio & quaſi membra parentum. Quare dum pater bene vel malè agit, punitur vel præmiatur non tantùm in ſe, ſed & in filijs, tamquam in ſui partibus & membris. Sic Adam peccans, tam culpam quàm pœnam tranſcripſit in omnes poſteros, vtpote ſui partes & propagines. *Ethica.* Ethica eſt, vt hoc frænum Deus daret parentibus, quo eos à peccato cohiberet, & in officio ſuique cultu contineret, ſcilicet minando ſe eorum malefacta puniturum etiam in filijs, & promittendo ſe benefacta eorum præmiaturum in poſteris. Magna enim eſt in parentibus cura & ſollicitudo filiorum, ac propter eos beandos multa agunt, quæ non agerent pro ſeipſis.

Secunda. Secunda ergo beatitudo, qua Deus beat filios iuſtorum, eſt hominum fauor & benedictio. Omnes enim probis proborum parẽtum filijs applaudunt & benedicunt, vt contigit Tobiæ iuniori, cui Raguel ſocer ait: *Benedictio ſit tibi fili, quia boni & optimi viri filius es*, Tobię 7. 7. ita Aben Ezra: Qui integritatis, inquit, ſemitę inſiſtit, iuſtus vocabitur, & beatos poſt ſe filios relinquet. Hi enim propter parentum integritatem à ceteris honore afficientur, ita vt etiam beati prędicentur. Beatitatem ergo ex parentum æquitate aſſequimur. Sic & Lyranus.

Tertia. Tertia eſt, abundantia rerum huius vitæ, proſperitas, potentia, gloria. Hæc enim Iudæis promiſerat Deus, ſi iuſtè viuerent, ſe daturum tam ipſis quàm filijs eorum, iuxta illud pſal. 111. *Beatus vir* A *qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius* (Chald. *fortes in lege erunt filij eius*) *generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius.*

Quarta & ſumma beatitudo promiſſa iuſtis iuſtorum filijs eſt gloria & felicitas ſempiterna: hæc enim certò & ſemper eis obtingit, cùm temporalis ſæpè denegetur, atque hęc maximè pendet à bona inſtitutione parentum. Certum enim ſignum diuinæ prędeſtinationis filiorum, eſt bona educatio parentum, ſicut reprobis eſt mala. Vnde Tobias moriturus hoc vltimum filio dedit monitum cap. 4. 23. *Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* *Quarta.*

Citat hanc gnomen S. Cyprian. tract. de Opere & eleëmoſyna, de eaque illam explicat, q.d. Pater qui iuſtitiam, id eſt eleëmoſynam facit, filios diuites & beatos efficit. Simplicitas enim vocatur ſimplex & candida liberalitas eleëmoſynarij. Vnde Apoſtol. ait 2. Corint. 9. 11. *Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem*, id eſt eleëmoſynam. Sed audi S. Cyprian. *Si ergo verè filios tuos diligis, ſi eis exhibes plenã & paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, vt filios tuos Deo iuſta operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & infirmus eſt; ſed illum pares, qui æternus & firmus filiorum ſpiritualiũ pater eſt. Illi aſſigna facultates tuas, quas heredibus ſeruas: ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille cõtra omnes iniurias ſeculares diuina maieſtate protector. Patrimoniũ Deo creditum nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis euertit. In tuto hereditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſeruatur.* Probat deinde idipſum ex Script. dicens: *Hoc eſt charis pignoribus in poſterum prouidere: hoc eſt, futuris* C *heredibus paterna pietate conſulere, ſecundùm fidem Scripturæ ſanctę dicentis: Iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius egens pane. Tota die miſeretur & fœnerat: & ſemẽ eius in benedictione eſt. Et iterum: Qui conuerſatur ſine vituperatione in iuſtitia, beatos poſt ſe filios relinquit. Præuaricator itaq; & proditor pater es, niſi filijs tuis fideliter conſulas, niſi conſeruandis eis religioſa & vera pietate proſpicias: qui ſtudes terreno magis quàm cæleſti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Chriſto, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis; & quòd non præparas filijs tuis Dei Patris auxilium, & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Chriſtum.* *Pater curatorem Deum filijs relinquat.*

Illuſtre hac de re exemplum extat apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirit. c. 201. de filio Cõſtantinopolitano, cui pater, omnia ſua expendens in pauperes, non aliam hereditatem quàm Chriſtum curatorem reliquit; D qui proinde ei vnicam viri nobilis & diuitis filiam vxorem, & cum eo totam eius hereditatem procurauit. *Exemplum.*

REX QVI SEDET IN SOLIO IVDICII DISSIPAT OMNE MALVM INTVITV SVO] Vatabl. *intuendo*; Chald. *à facie ſua omnes impios*; Septuag. *cùm rex iuſtus ſederit ſuper thronum: non aduerſatur* (id eſt non obijcit ſe, Scholiaſt. *non ſubſiſtit*) *omne malum in oculis eius*; auctor Catenæ Grecor. *nullum malum in oculis illius ſe ingerit.* VERS. 8.

Senſus eſt, q.d. Rex qui ex alto celſitudinis ſuæ throno regnum ſuum circumluſtrat, gubernat, regit & iudicat, ſolo hoc ſui intuitu omnia ſcelera & ſceleſtos fugat & diſſipat: omnes enim malè ſibi conſcij verentes regis iudicium, iram & vindictam, diſſu-

diffugiunt, & ſeſe abſcondunt: quique ſcelus aliquod machinabantur vel machinaturi erant, regis acrimoniam metuentes, mentem manuſque à ſcelere cohibent. Vident enim regem non eſſe deſidem, nec otiari, ſed vigilem & acrem ſuum capeſſere ſolium, id eſt vſurpare ſuam auctoritatem, officio regali perfungi, & ſtrenuè poteſtatem ſibi à Deo creditam exercere, vt bonis ſe patrem & tutorem; malis ſe terribilem & vindicem exhibeat, illiſque ampla præmia, his acria ſupplicia arroget. Docet ergo hæc gnome, quantum valeat auctoritas ac vigilantia regum & principum, cùm ſuum munus ſtrenuè obeunt; ac quantum valeant eorum decreta & iudicia, quando cum æquitate & auctoritate tractantur, ac fortiter executioni mandantur. Verè Perſes apud Ariſtot. in Oeconom. *Vt oculo domini*, inquit, *equus pingueſcit, ſic ſanè coram oculis principis ius viget.*

Sedere in ſolio iudicij quam multa notat.

Nota. *Tò qui ſedet in ſolio iudicij*, multa inuoluit & complectitur. Primò enim ſignificat regem debere eſſe rectum & acrem, vt è ſolio iudicij iuſtum iudicium proferat, ac pios præmiet, impios caſtiget. Secundò, eum debere eſſe ſapientem, vt bonum à malo ſecernat, iuſtos ab iniuſtis diiudicet. Tertiò, eum habere ampliſſimam iudicandi poteſtatem. Quartò, debere per ſe iudicare, nec credere omnia ſuis conſiliarijs, prætoribus, iudicibus, quin potiùs debere eis inuigilare, eoſque iudicare, an ſinceri ſint, an muneribus ſinant ſe corrumpi, an per gratiam & fauorem ius dicant, &c. Sic enim omnes continet in officio, diſſipatque ſua vigilia ſuoque intuitu omne malum. Vnde Ptolemęus Philadelphus ſeptuaginta S. Scripturæ Interpretibus, vti refert Ariſtæas, ſingulis ſingulas quęſtiones politicas, proponens, hanc ei qui ordine erat dicimus quintus, propoſuit. *Quid in regno potiſſimũ obſeruandum?* Ad quam ille: *Conſeruare*, inquit, *ſe à muneribus incorruptum, & magnam vitæ partem inuigilare, iuſtitiamq́, ante omnia colere, & huiuſmodi amicos ſibi comparare. Iuſtos enim Deus amat.* Quinquageſimo quarto deinde hanc propoſuit: *Quid regnum conſeruet?* Ad quam ille: *Cura*, inquit, *& meditatio, ne quid à rerum præpoſitis male agatur committaturque in plebem, quemadmodum facis, cùm tibi Deus præſtantem intellectum præbeat.*

S. Ludouicus per ſe ius dicebat viduis & miſeris.

Hac de cauſa S. Ludouicus inclytus Franciæ rex, ſingulis hebdomadis bis pro tribunali ſedebat, vt cauſas viduarum & miſerorum à ſenatoribus neglectas cognoſceret, & decideret pari iuſtitia ac clementia. Idem moriens Philippo filio inter alia monita hoc reliquit: *In adminiſtranda iuſtitia eſto ſeuerus & rectus, vt facias quæ leges determinãt, nec ab ijs declines ad dexteram vel ſiniſtram. Diligẽter auſculta querelas pauperum, & ſatage vt veritatem intelligas. Non tibi ſufficiat elegiſſe in iudices meliores regni viros, ſed inſuper eis inuigila & inueſtiga, qua ratione officio ſuo fungantur.* Rex enim qui omnia ſua conſiliarijs vel officialibus credit, ijs ſolium ſuum cedit, ac ſcabellum ſibi diligit, in quo quaſi puer vel pupillus ſedens, ab ijs ſe & regnum regi ſinit: quę res ipſi vituperium, officialibus inuidiam, toti reip. odium & indignationem creat.

Quartò, ſignificat hæc phraſis, regem dum ſic ſedet in ſolio iudicij quaſi vicarius Dei, ab eo peculiariter illuſtrari, dirigi, corroborari ad diſſipandum omne malum, iuxta illud cap. 16. 10. *Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius.* Vide ibi dicta.

Rex eſt Cyrus, id eſt ſol. Primò.

Igitur rex eſt quaſi ſol, vnde primus Perſarum rex dictus eſt Cyrus, id eſt ſol: hoc enim perſicè ſignificat Cyrus. Primò enim ſicut ſol oriẽs, in ſuo quaſi curru & ſolio glorioſè reſidens, fugat tenebras ac feras, quin & fures, homicidas, adulteros cæteroſq́; ſceleſtos, qui lucifugæ tenebras captant ad ſua ſcelera celandum: ſic pariter rex iuſtus & ſapiens ſuo intuitu quaſi ſolari, diſſipat omnes peccatorum vmbras & caligines.

Secundò.

Secundò, ſicut ſol obit & luſtrat ſucceſſiuè ſingulas terræ regiones, vt eas illuſtret, calefaciat, fœcundet: ſic rex obeat ſubinde ſuas prouincias: ſuâ enim præſentiâ multa ſcelera diſſipabit, multas lites & difficultates componet, ſubditos recreabit, audiet ſolabitur, ab ijſq; grauamina nimia depellet & beneficia grandia conferet. *Principibus adeunda ſæpiùs longinqua imperij. Quoties Diuum Auguſtinũ meminimus in occidentem atque Orientem meauiſſe comite, Liuia* ait Tacitus 3. Annal. Sanè ſi rex Hiſpaniarũ initio tumultuum Belgicorum in Belgium, vti fecerat Carolus V. contuliſſet, aut conferre potuiſſet, eos ſedaſſet, qui vſque nunc perdurant, & penè ſunt inſanabiles. Præclarè Diotogenes apud Stobæum ſer. 48. de regno: *Iudicare*, inquit, *& ius ſuum ſingulis diſtribuere propriũ opus eſt regis, qui ceu deus quidam in mundo eſt.* Diuiniùs D. Tho. lib. 3. de Regim. principum ca. 3. regem comparat angelo ſummo, qui à Deo illuminatur, vt ceteros illuminet.

Tertiò.

Tertiò, ſol thronum ſuum quaſi collocat in meridiano: ibi enim ſplẽdidiùs coruſcat, & radios potentiſſimos in omnes orbis partes eiaculatur, quibus omnia luce & ardore ſuo cõplet: ita rex thronum iudicij ſui collocet in metropoli, vt in medio regni ſitus velut in cẽtro omnes regni ſui prouincias quaſi circuli ſui peripheriam circumſpiciat, iudicet, zelo iuſtitiæ & virtutis accendat.

Quartò.

Quartò, ſicut ſol oculis validis eſt placidus, gratus & hilaris, infirmis verò apparet fulmineus, ingratus & noxius: ſic vultus regis bonis eſt iucundus, malis terribilis, vt ſolo eius aſpectu percellantur & fugiant. Quod de rege dicitur, intellige de quouis principe, Prælato, rectore, Paſtore, Epiſcopo, Præſide, imò de quouis patrefamilias; hic enim in ſua domo & familia eſt quaſi rex.

Symbolicè.

Symbolicè auctor Catenę Græcor. Rex, inquit, ſedẽs in ſolo iudicij eſt Deus, qui in curia cęleſti reſidẽs inde omne malum proſpicit, corrigit & diſſipat. Rurſum rex hic eſt Chriſtus, qui in die iudicij mala, & malos omnes, quãtumuis occultos & occultos, ſuo aſpectu, voce & ſententia auferet à terra, & relegabit in tartara. ita Beda, Salonius & Hugo.

Myſticè, S. Auguſt. lib de Correp. & gratia cap. 13. & alij: Rex, inquiunt, eſt Chriſtus, qui iam ad dexteram Dei ſedens, inde radijs gratiæ ſuæ illuſtrat mentes peccatorum, ab iiſque omnia mala & peccata abigit, & ad Dei gratiam omnemque virtutem traducit, iuxta illud pſal. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni tui.* Vbi S. Auguſt. *Rex*, inquit, *à regendo dicitur: non autem regit, qui non corrigit. Ad hoc eſt Rex noſter rectorum rex; quomodo & ſacerdos à ſanctificando nos, ſic & rex à regendo nos.* Et paulò antè: *Sagittæ tuæ acutæ potentiſſimæ: populi ſub te cadent in corda inimicorum regis.* Vbi S. Auguſt. *Occiſus eſt inimicus Chriſti, vt viuat diſcipulus Chriſti: de cælo emiſſa eſt ſagitta, corde percuſſus eſt Saulus, &c. O ſagittam acutam potentiſſimam, quâ acceptâ cecidit Saulus, vt eſſet Paulus!*

Tropol. Rex ſedens in ſolio iudicij eſt mens & ratio,

ratio, quæ dum in homine ſolium regni & iudicij occupat, fugat & diſſipat omnē malum errorum & vitiorum, quod ſenſus & potentiæ ceteræ, præſertim concupiſcentia, & appetitus tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis ſuggerit. Hinc rex dicitur quaſi rectè agens, ait Iſidor. Mens ergo dum rectè agit & ceteras potentias rectè agere cogit, rex eſt. Quare qui ſapit, menti dat ſuum regimen, non appetitui, non concupiſcentiæ: mentē ergo in throno regali iudicij collocet, vt illud ceteris potentijs imperet, illaſque menti obedire compellat. Hàc ratione regnum animæ quietum, nobile, ſanctum & glorioſum nanciſcitur. Ita R. Leui. Hinc illud *Rex eris, ſi ratio te rexerit.* Audi S. Gregor. in pſal. 5. Pœnit. v. 23. *In conueniendo populos in vnum & reges, vt ſeruiant Domino: Per reges,* inquit, *eos intelliges, qui animorum ſuorum motus ſecundùm Dei voluntatem dirigunt, eiſq́ue regum more dominantur, dum in rationis eminentia quaſi ſolio regali præſidentes, repugnātia quæque ſeruituti ſubijciunt, & pacatis omnibus, æquitatis leges & innocentiæ iura in ſeipſis diſponunt.*

B

Gnome de regis actibus. Salomoni ſuccinunt ceteri Theologi & Philoſophi. Antonius in Meliſſa parte 2. c. 1. citat S. Irenæum dicentem: *Rex omnis iuſtus ſacerdotalem obtinet ordinem,* id eſt auctoritatem, ius & officium, vt profana diſſipet, ſancta ſanciat. Et Democritum dicentem: *Principem in rerum opportunitatibus vti decet ratione, aduerſus hoſtes audacia, beneuolentia autem erga ſubiectos:* Et Iſocratem dicentem: *Grauis & metuendus fac videare, nihil eorum quæ fiunt inexploratum relinquendo; clemens autem leuiora delictis ſupplicia ſtatuendo.* Et Diodorum dicentem: *Regem bene fungentem ſuo munere decet, iuſtum & magnanimum & veracem & liberalem in largiendo eſſe, ac quauis cupiditate maiorem: ſupplicia leuiora delicto, gratiam autem beneficio maiorem referre, tum ſubiectis, tum amicis.* Et c. 6. citat S. Chryſoſt. dicentem: *Non in pretioſa veſte & zona, nec in præconis voce cernitur princeps: ſed in eo quòd collapſa reſtituat, quæ malè conſtituta ſunt, corrigat, ac in vniuerſos animaduertat, nec patiatur à potentioribus ius auferri.* Agapetus Diaconus Iuſtinianum Imp. in Admonitorio ita commonefacit n. 2. *Ceu gubernator vigilat perpetuò Imperatoris oculatiſſimus intellectus continens tutò æquitatis clauos, atque expellens fortiter impetuoſos iniquitatis fluctus, vt ne cymba mundanæ reipubl. illidatur fluctibus iniquitatis.* Et n. 9. *Sollicitam Imperatoris animam ſpeculi in modum abſtergi oportet, vt diuinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerumq́ue diſtincta iudicia inde condiſcat; nihil enim adeo facit, quæ peragenda ſunt, conſpicere atque cuſtodire eam perpetuò ſinceram.* Et n. 27. *Tibi ipſi cuſtodiendi leges impone neceſſitatem, cùm non habeas in terris, qui te poſſit cogere. Sic enim tum legum præ te feres cultum ipſe, ante alios eas reuerendo: tum ſubditis conſtabit, legum præuaricationem periculi non eſſe immunem.* Et n. 28. *Peccare & non cohibere peccantes iuxtà æſtima. Si quis enim in ciuitate vitam quidem ipſe traducat iuſtè, toleret autem viuentes iniquè, ſocius malorum apud Deum iudicatur. Quòd ſi velis bifariam approbari, vt pulcherrima quæque gerentes honora, ita teterrima patrantibus ſuccenſe.* Et n. 30. *Terrarum orbis à Deo cùm creditum tibi ſit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum adminiſtrationes. Quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddes Deo, qui peccandi facultatem ipſis indulſerit. Magna igitur & diligenti cum perſcrutatione, magiſtratuum promotiones fieri oportet.* Et n. 36. *Vt dominium imperij tui facias decantabile, quantam habes aduerſus ſubditos peccantes iram, tantam habendam eſſe tibi aduerſus teipſum peccantem cenſeto. Nemo enim valet tanta pollentem poteſtate corrigere, niſi ratio propria, quæ ex ipſo peccante moueatur.* Et n. 42. *Intentâ mente auſcultari debent rerum indices. Difficilis namque captu eſt iuſti inuentio, facileq́ue effugere ſolet non admodùm attendentes. Quòd ſi prætermiſſâ dicentium eloquentiâ, doctorumq́ue neglectâ veriſimilitudine, ad penitiſſimam intentionum profunditatem penetrauerint; ſic demum haurient, quod ab ipſis quæritur; geminiq́ue inſontes erunt delicti, neque ipſi honeſtum prodendo, neque alijs id, vt committant, concedendo.* Et n. 46. *Sicut oculus innatus eſt corpori, ita Imperator mundo adaptatus eſt, à Deo datus pro adminiſtratione rerum quæ vſui ſunt. Oportet igitur eum omnibus hominibus quaſi proprijs membris proſpicere, vt proficiant in bonis, neu malorum offenſaculo illidantur.* Et n. 48. *Eſto ſubditis pientiſſime Imperator, & formidabilis ob excellentiam poteſtatis; & amabilis ob largitionem beneficentiæ neque formidinem contemnens propter amorem, nec item amorem negligens ob formidinem: ſed eam manſuetudinem præ te ferens haud aſpernabilem, quàm aſpernabilem familiaritatem immiti ſeueritate caſtigans.* Euripidis in Syleo aurea de principe vox eſt: *iuſtis ſit æquus & iuſtus: malis verò omnium maximus hoſtis in terra.* Et Iſaiæ: *Qui puniunt iniuſtos, ij reliquis iniuriā fieri prohibent.* Et Hyperidis: *Incipientibus malis obſtruendæ ſunt viæ.* Et Pythagoræ: *Qui de malis pœnas non ſumunt; bonos affici volunt iniurijs.*

Qvis potest dicere, Mvndvm est cor mevm, pvrvs svm a peccato] Hebr. *quis dicet, Mundaui cor meum, purus ſum à peccato meo?* ita Symmach Septuag. *quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis liberè dicere audeat* (hoc eſt enim *παῤῥησιάσεται*, vti legunt Complut. S. Chryſoſt. S. Hieronym. l. 1. contra Pelag. qui vertit, *quis confidit*: pro quo Romani & S. Aug. repetunt *καυχήσεται*), id eſt, *gloriabitur*) *ſe mundum eſſe à peccatis?* Vnde liquet Septuag. æquè ac Noſtram pro זִכִּיתִי *zickiti*, in *piel*, id eſt mundaui, legiſſe זָכִיתִי *zachiti*, in *cal*, id eſt mundus ſum corde meo: atque מֵחַטָּאתִי *mechattati*, id eſt à peccato meo accepiſſe pro מֵחַטָּאת *mechattat*, id eſt à peccato, vt *iod* non ſit pronomen affixum, ſed paragogicum, vti eſt aliàs ſæpè. Vers. 9.

C

Caluinus l. 3. Inſtit. c. 13. §. 3. ex hoc loco & ſimilibus contendit, neminem in hac vita verè eſſe iuſtum, vt cor habeat intrinſecùs purum à peccato, ſed illud ſemper infectum eſſe & inordinatum aliqua *ἀταξίᾳ*, ſiue aliquo prauo motu ſuperbiæ, luxuriæ, ſimiliſue concupiſcentiæ. Quare omnes eius actus eſſe peccata: ac proinde non habere iuſtitiam ſibi intrinſecam, ſed iuſtificari per extrinſecam Chriſti iuſtitiam ſibi imputatam. Verùm,

D

hæc eſt hæreſis damnata ab Eccleſiâ & Concil. Trident. ſeſſ. 6. imò à S. Script. in qua Chriſtus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt,* Matt. 5. 8. Et Dauid pſal. 50. 12. *Cor mundum,* inquit, *crea in me Deus.* Et pſal. 118. 1. *Beati immaculati in via.* Et Paulus Epheſ. 1. 4. *Vt eſſemus,* inquit, *ſancti & immaculati in conſpectu eius.*

Igitur hanc Salomonis gnomen, ne alijs S. Script. ſententijs iam citatis videatur aduerſari, interpretes varij explicant, omnes appoſitè. *Nemo mundus à peccato, quo ſenſu.*

Primò, Caiet. reſpondet in Hebræo eſſe, *Quis poteſt dicere, Mundaui cor meum, & purificaui me à peccato meo?* q. d. Superbè quis ſibi ſuiſque viribus arroget iuſtitiam & munditiem à peccato, cùm hoc ſit opus Dei, non hominis; gratiæ, non naturæ. Dicat ergo: Deus mundauit cor meum, non ego. *Reſponſio Primò.*

Se-

Secunda. Secundò, S. Chryſoſt. in pſalm. 142. ad illa v. 2. *Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo*, Gabriel Vaſquez 2. 2. diſp. 200. cap. 4. & Salazar ſic exponunt. q. d. *Quis dicit*, id eſt quis dicere & iactare audeat ſe purum à peccato? Vnde Septuag. vertunt, *quis gloriabitur*, id eſt quis gloriabundus prædicet, *ſe caſtum habere cor?* Taxatur ergo hic non ſimplex affirmatio, ſed ſuperbia, iactantia & gloriatio: quia nonnulli inſtar Pharisæi Euangelici de ſuâ innocentiâ vel iuſtitiâ gloriantur, eamq; ſibi aſcribunt, non Deo. Eſto enim nonnulli ſint iuſti & mundi corde, tamen de eo gloriari ſeq; iactare non debent, tum quia hæc munditles non eſt opus ipſorum, ſed Dei, tum quia qui hodie iuſtus eſt, cras poteſt fieri iniuſtus, & ex fragilitate innata corruere in peccata, vti plerique corruunt.

Tertia. Tertiò, S. Auguſt. in pſal. 149. Beda, Ianſenius, Baynus & Bellarmin. l. 3. de Iuſtificat. c. 4. hæc exponunt de incertitudine gratiæ, eamque hinc probant contra hæreticos & Catharinum, qui volunt iuſtos certò ſcire ſe eſſe iuſtos & puros à peccato. Vt ſit ſenſus. q. d. Nemo, quantumuis iuſtus, certò ſcit ſe eſſe iuſtum, hoc eſt ſe eſſe in gratia & amicitia Dei: non enim habent teſtimonium infallibile ſuæ gratiæ & iuſtitiæ, ac multa latent in fundo cordis occulta, quæ homo ipſe non videt, nec perſpicit, ſed ſolus Deus. Hic ſenſus Vulgatæ verſioni valdè inhæret & conſonat, æquè ac textui Hebræo, qui habet: *Quis dicet, mundaui cor meum, & purus ſum à peccato meo*: q. d. Quis certò ſcit, vt dicere & aſſerere audeat, ſe veram egiſſe pœnitentiam, ac per eam emundaſſe ſe à peccatis præteritis, præſertim in adoleſcentia, inquit Aben Ezra, commiſſis? iuxta illud: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Eccli. 5. 5.

Quarta. Quartò, alij exponunt. q. d. Nemo poteſt diu viuere ſine peccato ſaltem veniali. Eſto enim quãdoque iuſtus ſit purus ab omni peccato etiam veniali, vt, cùm recens eſt baptizatus, cùm plenè cõfeſſus eſt & abſolutus, cùm vehemẽtes actus contritionis & charitatis elicit; tamen in hoc puritatis ſtatu diu durare nequit quin ex innato peccati fomite in illud relabatur, iuxta illud Eccl. 7. 21. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ita explicat S. Auguſt. l. de Bono virg. c. 48. & S. Hieron. l. 1. contra Pelag. & S. Chryſoſt. conc. 3. de Lazaro. Huic expoſitioni fauet Heb. זִכִּיתִי *zicchiti*, radix enim זָכָה *zacha* vel *zacbah*, ſignificat mundum eſſe ab omni labe, ſeu vitio aut macula. Vnde זַךְ *zach* vocatur mundus, cui nihil labis aut vitij eſt admixtum, ſincerus, clarus, irreprehenſibilis: & זְכוּכִית *zecuchith*, vocatur cryſtallus, ob munditiem & claritatem tranſparentem, vt ſenſus ſit. q. d. Quis dicere audeat ſe habere cor planè purum ab omni labe, imò cor cryſtallinum, id eſt purum, ſincerum, lucidum inſtar cryſtalli, cui nulla macula etiam leuicula & venialis inſit? q. d. Nemo.

5. Quintò, S. Chryſoſt. in terræ motum & Lazarum ſer. 6. per peccatum accipit fomitem peccati, ſiue ſordes, concupiſcentiæ reliquas ex peccato quibus nemo in hac vita carere poteſt. *Licet*, inquit, *iuſtus ſit quis, licet millies ſit iuſtus, & ad culmen ipſum aſcenderit; ita vt expers ſit peccati, non poteſt eſſe mundus à ſorde: licet millies iuſtus ſit, eſt tamen homo. Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis confidit mundum ſe eſſe à peccato? Propterea dicere in oratione iubemur: Dimitte nobis debita noſtra, vt orationis conſuetudine admoneamur, illis nos obnoxios eſſe ſupplicijs. Etenim Paulus Apoſtolus, vas electionis, Dei templum, os Chriſti, lyra Spiritus, doctor orbis terrarum, qui terram & mare peragrauit, qui peccatorum ſpinas reuulſit, qui religionis ſemina iactauit, ille regibus opulentior, ille diuitibus potentior, ille magis philoſophus quàm ipſi philoſophi, ille diſertior oratoribus, qui nihil habebat & omnia poſſidebat, qui mortem vmbrâ ſuâ ſoluebat, qui morbos ſuis veſtimentis fugabat, qui trophæa erexit in mari, qui ad tertium vſque cælum raptus eſt, & in paradiſum ingreſſus, qui Chriſtum Deum prædicauit; ille dicit: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, 1. Corinth. 4. 4. *Qui talem tantamq; virtutum multitudinem acquiſierat ait, Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Quis ergo gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis confidet mundum ſe eſſe à peccato? Impoſſibile eſt igitur vt vllus homo ſit à peccato immunis. Quid enim ait, Iuſtus eſt, miſericors eſt, pauperum amans eſt? at vitium aliquod habet, vel importunè contumelijs afficit, vel inani gloria ducitur, vel aliud quippiam tale agit: non enim recenſenda ſunt omnia.*

Porrò hic fomes concupiſcentiæ maximè cernitur in libidine & rebus venereis. Harum enim cõcupiſcentia ita innata eſt homini, vt nemo poſſit habere ab eis purum cor, quin aliquando ſentiat impuras & obſcœnas imaginationes, titillationes, motus, niſi id ſingulari dono alicui concedat Deus, vti conceſſit S. Thomæ Aquinati, qui fugatâ meretrice ad ſe ſollicitandum immiſsâ, orans & indormiens viſus ſibi ab angelis cingulo caſtitatis præcingi, deinceps omni libidinis ſenſu caruit. Idem donum habuit noſter B. Aloyſius Gonzaga ideoque Angelus eſt nuncupatus. Vnde Septuag. vertunt, *quis gloriabitur caſtum* (ſcilicet ab inceſtis & fœdis luxuriæ cogitationibus & ſtimulis) *ſe habere cor?* Harum remedium eſt humilitas humiliſq; gratiæ Dei inuocatio. Vnde S. Auguſt. de S. Virgin. c. 51. *Quod bonum* (virginitatis) inquit, *quanto magnum video, tanto ei ne pereat futuram ſuperbiam pertimeſco. Non ergo cuſtodit bonum virginitatis, niſi Deus ipſe qui dedit; & Deus charitas eſt. Cuſtos ergo virginitatis charitas; locus autem huius cuſtodis, humilitas. Ibi quippe habitat qui dixit, ſuper humilem & quietum, & trementem verba ſua, requieſcere ſpiritum ſuum, Iſaiæ 66. Fidenter enim dico, faciliùs ſequuntur Agnum, etſi non quocumque ierit, certè quocumque potuerint, coniugati humiles, quàm ſuperbientes virgines.*

Ratio à priori eſt, quòd motus huius appetitus & concupiſcentiæ ſint maximè homini carnali, æquè ac ceteris animantibus, connaturales: quare ſæpè rationem præueniunt, ita vt voluntas eos cogatur ſentire inuita, etſi conſentire in eius ſit arbitrio. Iam enim perdidimus frænum iuſtitiæ originalis, quo Adam hoſce motus ita frænabat & cohibebat, vt exurgere non poſſent, niſi eo vidente & volente. Igitur ſicut vlcus, putà vomica, perpetuò putidum ebullit vomitque pus; & ſicut cloaca iugiter exhalat fœtidos vapores; & ſicut caminus ardens continuò eiaculatur fumum igniſque ſcintillas: ſic pariter concupiſcentia, luxuriæ præſertim, aſſiduè exhalat fœdas imaginationes & motus libidinis. *Ratio à priori.*

Antiſtropha huius ſententiæ Salomonis eſt illa S. Ioannis epiſt. 1. c. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vide ibi dicta.

PONDVS ET PONDVS, MENSVRA ET MENSVRA, *Verſ. 10.*

SVRA, VTRVMQVE ABOMINABILE EST APVD DEVM] q.d. Duplex & diuerſum pondus, duplex & diuerſa menſura; cùm ſcilicet quis maiori vtitur dum emit, minori dum vendit, facit rem abominabilem Deo & hominibus: quia facit iniuſtitiam, & euertit hominum ſocietatem & commercia, quæ in iuſtitia iuſtiſque ponderibus & menſuris conſiſtunt. Vide dicta c. 11. 1. & c. 16. 11. Heb. eſt, *lapis & lapis* (quia lapidibus olim vtebantur pro ponderibus) *epha & epha abominatio ſunt iſta ambo coram Domino*, id eſt, vt Vatabl. *diuerſo pondere vti, & diuerſa menſura vti, vtrumque deteſtatur Dominus*; Septuag. *pondus magnum & puſillum, & menſuræ duplices, immundæ ſunt apud Dominum*; S. Hier. in c. 45. Ezech. *ſtatura grandis & minor, abominabile eſt vtrũque in conſpectu Dei.*

Duplices menſuras odit Deus. Quatuor ſenſus. Primò. Secundò.

Myſticè Primò, R. Leui. q.d. Non licet veritati pondus addere, vt eam plus æquo amplificeſ; nec B detrahere, vt eam plus æquo imminuas.

Secundò, S. Greg. hom. 4. in Ezechiel. *Pondus & pondus*, &c. *Scimus*, inquit, *quia in negotiatorum duplici pondere aliud maius, aliud minus eſt: nam aliud pondus habent ad quod penſant ſibi, & aliud pondus ad quod penſant proximo: ad dandum quidem pondera leuiora, ad accipiendum verò grauia præparant. Omnis itaq; homo, qui aliter penſat ea quæ ſunt proximi, & aliter ea quæ ſua ſunt, pondus & pondus habet. Vtrumque ergo abominabile eſt apud Deum: quia ſi ſic proximum vt ſe diligeret, hunc in bonis ſicut ſe amaret; & ſi ſic ſe ſicut proximum aſpiceret, ſe in malis ſicut proximum iudicaret.*

Tertiò.

Tertiò, auctor Catenæ Græc. ſic ex Septuag. legit: *Statera parua & magna aliaq́, & alia menſura, vtraque coram Domino ſunt immunda: ſed ille quoque qui facit ea, in ſtudijs ſuis præpeditur.* Quæ ſic explicat: Mens mala doloſaq; animi affectio, eiuſmodi ea eſt, quæ oratione quidem vtitur blanda & commoda, opus autem adfert nullum, tantùm immundum; execrabiles ſunt apud Dominum. Aut per paruam & magnam menſuram, in quauis re vel actione defectus & exceſſus denotatur: vtrumque enim adiunctum habet vitium. Aut menſura duplici vtuntur, qui ab alijs beneficia accipere volunt, paria tamen reddere animum numquam inducunt. Qui enim facit talia, in manuum ſuarum operibus impeditur, hoc eſt, nullum felicem ſucceſſum ſortietur. Hæc ille.

Quartò.

Quartò, Caſſianus ſic ex Septuag. legit & explicat collat. 21. c. 22. *Pondus magnum & puſillum, & menſuræ duplices, immundæ ſunt apud Dominum vtraque, & qui facit ea, in adinuentionibus ſuis compeditur. Proinde non ſolum illo quo diximus, ſed etiam hoc modo ſtudendum eſt nobis, vt ne iniqua pondera in cordibus noſtris, nec in horreis conſcientiæ noſtræ menſuras duplices habeamus, id eſt, ne ipſi ea quæ diſtrictionis regulam molliunt, remiſſiore indulgentia præſumentes eos quibus verbũ Domini prædicamus, diſtrictioribus præceptis & grauioribus, quàm ipſi perferre poſſimus, ponderibus obruamus. Quod cùm facimus, quid niſi duplici pondere atque menſura præceptorum Domini, mercem frugemq́, vel appendimus, vel metimur? Rationẽ ſubijcit: Si enim aliter ea nobis, aliter noſtris fratribus diſpenſemus, rectè increpamur à Domino, eò quòd ſtateras doloſas ac menſuras duplices habeamus, ſecundùm illam ſententiam Salomonis qua dicitur: Abominatio eſt Domino pondus duplex, & ſtatera doloſa, non eſt bonũ in conſpectu eius. Hoc etiam modo reatum doloſi ponderis duplicisq́, menſuræ euidenter incurrimus, ſi diſtrictiora quædam, quæ priuatim per noſtras cellulas exercere conſueuimus, humanæ laudis cupiditate coram fratribus oſtentemus, abſtinentiores ſcilicet & ſanctiores apparere affectantes humano conſpectui quàm diuino.*

EX STVDIIS SVIS INTELLIGITVR PVER, SI MVNDA ET RECTA SINT OPERA EIVS] Pro *ſtudijs ſuis* hebr. eſt מַעֲלָלָיו *maalalau*, id eſt molimina, ſtudia, cogitationes, machinationes, exercitia, conſilia, adinuentiones, occupationes. Radix enim עָלַל *alal* ſignificat meditari, cogitare, conari, moliri, facere, deſignare, animi vim & potentiam declarare. Vnde עוֹלֵל *olel* vocatur puer, qui ſemper aliquid agit, & molitur; & תַּעֲלוּלִים *taalulim* vocantur ludicra, quæ machinantur pueri, quibus animi ſui indolem & propenſionem indicant. Vers. 11.

Pro *intelligitur* hebr. eſt יִתְנַכֶּר *itnacker*, quòd propriè ſignificat *cognoſcitur*, *intelligitur*. Subinde tamen contrarium ſignificat, ſcilicet *occultatur*, *abſcondit ſe*, vel *alienat ſe*. Vnde R. Leui & Aben Ezra ſic vertunt, *in ſtudijs ſuis occultat ſe puer, etiamſi purum & rectum ſit opus eius.* q.d. Non facilè cognoſcitur natura pueri ex operibus. Nonnulli enim pueri aſtuti ſunt diſſimulatores & fallaces, ita vt tegãt ſua ſtudia & cõſilia. Vnde fit, vt ea quæ agunt, in fronte probitatis ſpeciem præbeant: eorum verò mens impura ſit, & ſceleribus ſcateat. R. Emanuel vertit, *in operibus ſuis alienũ ſe præbet puer.* q.d. Subinde pueri alios ſe præbent in pueritia quàm futuri ſint in virili ætate: mutant enim indolem & mores, & alienant ſe à moribus, quos habituri ſunt in ſenectute. Aut potiùs. q.d. Puer cùm munda & recta opera exercet, alienat ſe ab infantia & ætate puerili: quia ſuper ætatem præclarè ſe gerit, vt non tam puer, quàm vir vel ſenex eſſe videatur.

C Verùm יִתְנַכֶּר *itnacker*, propriè ſignificat *cognoſcitur*, *intelligitur*, itaque hic vertendum eſſe patet ex antecedentibus & ſequentibus: ſic enim plana & clara fluit oratio. q.d. Ex ſtudijs ſuis cognoſcitur puer, qualis futurus ſit vir. Si enim munda & recta ſint opera eius in pueritia, veriſimiliter talia quoque erunt eiuſdem in virili ætate. Aut: Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta *ſint*, id eſt futura ſint, opera eius in ſenectute. τὸ enim *ſint* non eſt in Hebræo: Hebræi enim ſubintelligunt verbum ſubſtantiuum. Vnde hic ſubintelligas tam *erunt* aut *futura ſunt*, quàm *ſint*.

Rurſum *itnacker* deſcendit à נָכַר *nachar*, quæ radix vti literis, ita & ſignificatione alludit ad כָּרָה *cara*, id eſt fodit, perfodit: dum enim oculus corporis vel mentis quid cognoſcit & perſpicit, videtur idipſum ſua acie penetrare & perfodere. Vnde D Plato cenſuit, viſionem fieri emiſſione ſpecierum ex oculis ad rem viſam penetrandam, & quaſi perfodiendam: licet veriùs Ariſt. & Peripatetici cenſeant, viſionem fieri non emiſſione, ſed receptione ſpecierum ab obiecto: per illas enim res viſa penetratur, & quaſi perfoditur ab oculo. Quare ſicut theſaurus, vel venæ auri & argenti à peritis veſtigantur & inueniuntur: ſciunt enim certa ſigna, ex quibus cognoſcunt ibi latere aurum, v.g. ſi ſuperficies terræ extima herbas & germina non proferat, ſed ſterilis ſit & glabra: ſi color terræ accedat ad colorem auri, ſi in ea ramenta vel venæ auri argentiq; appareant, vti docet Georgius Agricola libr. 1. de Re metallica. Vnde Plinius l. 33. cap. 4. *Montes Hiſpaniæ*, inquit, *aridi ſterileſq́, & in quibus nihil aliud gignatur, huic bono* (auro) *coguntur fertiles eſſe. Additq; Aurum qui quærunt, ante omnia ſegullum tollunt;* Venæ auri indicia.

tellure, ita vocatur indicium alueus, vbi id eſt, arenaq; lauantur, atque ex eo quod reſedit coniectura capitur, vt inueniatur aliquando in ſumma tellure pretioſius, rara felicitate. Segullum eſt terræ genus in ſummo ſolo, ex quo metallarij cognoſcunt ſubeſſe venam auri. Quare viſis his ſignis perfodiunt terram, & latens aurum eruunt. Sic pariter pueri in pueritia dant ſigna & ſpecimina futuræ probitatis, quæ viri ſagaces veſtigant & quaſi perfodiunt, ſigna hæc ſunt, ſi opera eorum ſint munda, id eſt pura ab omni laſciuia & impuritate: ac recta, id eſt aliena à fraude, fuco, ſimulatione, dolo, mendacio, nequitia, malignitate. Inde enim ſagaces conijciunt, eorum in virili ætate opera fore ſimilia, imò maiora & heroica. Itaque natura præludit in pueris id, quod factura eſt in viris, iuxta illud Ouidij:

Pueritia præludit virilitati.

Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Exempla.

Sic S. Ambroſius puer rebus ſacris ſe oblectans, prælusit ſe fore ſacerdotem, imò Epiſcopum: vnde & manum oſculandam ſorori præbuit, edixitq; ſe fore Epiſcopum. Sic S. Thomas Aquinas infans voluebat chartas, ac præſertim vnam in qua ſcriptum erat *Aue Maria*, illamque ſibi à nutrice arreptam omni ſtudio repopoſcit, ac redditam tranſglutiuit, qua re portendit, ſe fore libris & cultui B. Virginis addictum. Sic S. Nicolaus infans feria quarta & ſexta abſtinens à ſugendis matris vberibus, futuræ abſtinentiæ & ſanctitatis ſpecimen dedit. Plura hac de re exẽpla recenſui 2. Tim. 3. v. 15.

Hinc Spartani pueris exhibebant inſtrumenta artium omnium, & illis ad quæ ſponte accurrebãt quibuſque ſe occupabant, eoſdem applicabant: in illis enim ad quæ indoles naturæ fert hominem, quiſque excellit. Significat ergo Salomon ex pueritiæ indole & moribus ferè deprehendi, qualis totius vitæ deinceps futura ſit ratio.

Intellige gnomen hanc communiter & vt plurimum veram eſſe, at non ſemper: tum quia pueri ſubinde vafri diſſimulant interna ſua conſilia: tum quia ſubinde à ſeipſis degenerant, præſertim cùm in malos incidunt ſocios, vt alij prorſus ſint viri, aliaq; agant & appetant quàm fecerint pueri. Sed vt plurimum qualis quis eſt in pueritia, talis quoque eſt in virili ætate. Quocirca omnes Theologi & Philoſophi, ac nominatim Plato & Ariſtot. in Politic. docent ſummam in repub. habendam eſſe curam puerorum, vt rectè inſtituantur: pueros enim eſſe ſeminarium reipub. quales enim formantur pueri, tales euadunt viri. Monet ergo parentes & magiſtros hic Salomon, vt in puerorum indolem inuigilent, eorumq; vitia & propenſiones indagare ſatagant, vt deinde eos corrigere, & in virtutes flectere queant.

Porrò codices Septuag. hic variant. Complut. enim legunt, *in ſtudijs ſuis impedietur adoleſcens, cum ſancto & recta via eius.* q. d. Vir ſanctus impediet & coërcebit praua adoleſcentis ſtudia, eiuſq; vias & actiones moderabitur, & rectas efficiet; Roman. *in adinuentionibus ſuis impedietur adoleſcẽs cum ſancto, & recta via eius*, id eſt, vt clarè vertit auctor Catenę Græc. *Adoleſcens cum ſancto familiariter conuerſans, rectam faciet viam ſuam.* Caſſian. collat. 21. c. 22. & alij aliter diſpungunt: priorem enim partem verſus referunt ad verſum præced. hoc modo: *Pondus magnum & puſillum, & menſura duplices immunda ſunt apud Dominum, & qui facit ea, in adinuentionibus ſuis compeditur*, id eſt capietur vinculis, cõſtringetur &

A punietur. Deinde ſubdunt quaſi nouam ſententiam: *Adoleſcens cum ſancto* (ſi verſetur) *recta erit via eius.*

AVREM AVDIENTEM, ET OCVLVM VIDENTEM, DOMINVS FECIT VTRVMQVE] Septuag. vertunt, *auris audit & oculus videt, Dominus fecit & vtraque*, vel *vtrumque eſt opus Domini*, vt vertit auctor Catenæ Græc. Qui Primò, ſic explicat. q. d. Vt oculus qui rectè videt, videt opera Domini; ita auris quoque quæ rectè audit, audit mirabilia eiuſdem Domini. Vtrumq; ergo fit operâ & operatione Domini. q. d. Deus dedit homini non ſolùm potentiã videndi & audiendi, ſed & rectum eius vſum, tum phyſicum, vt ſcilicet auris rectè ſonos & ſonorum diſcrimina percipiat: oculus verò rectè colorum omnium ſpecies videat & diſcernat: tum potiùs ethicum, vt ſcilicet aure vtamur ad audiendum honeſta, caſta, ſancta: oculis vtamur ad eadem intuendum. Vnde inferendum relinquit, hominem Deo in hoc recto ſenſuum vſu gratias agere, obſequi & obſecundare debere, vt ijs vtatur ad Dei honorem & beneplacitum, ſcilicet vt aures non aperiat niſi ad audiendum Dei legem, pſalmodiã, officia diuina, ſcientias & res honeſtas &c. oculos verò non pandat niſi ad intuendum creaturas Dei, vt ex ijs creatorem agnoſcat & laudet. Hoc enim fine Deus homini oculos & aures dedit. Vide S. Chryſoſt. homil. 11. in epiſt. ad Rom. & hom. 22. in 1. ad Corinthios. Vers. 12.

B

Secundò, noſter Salazar appoſitè hunc verſum refert ad præcedentem. Nam cùm præmiſerit Salomon, inquit, ex primis ſtudijs & conatibus pueri ingenium & indolem deprehendi, an docilis ad audiendum, & acris ad ſpeculandum ſit, aptè quidem ſubdit: *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque.* q. d. In his non intercedit conſilium aut libertas; quòd enim quis ad audiendum ſit docilis, & ad ſpeculandum acris; pars naturæ eſt à Deo ipſo creata, atque adeò in pueris etiam qui nondum conſilij & rationis cõpotes ſunt, non parum elucet. Itaq; *in animo ſcintillæ ſunt, quæ præceptoris ſpiritu excitatæ generoſum diſciplinæ fomitem arripiunt: alioquin algidum in cinerem nequidquam flaueris*, ait Petrarcha dialog. 81.

C

Tertiò, alij hæc referunt ad Deum. q. d. Deus dedit homini oculos ad videndum, aures ad audiendum, quanto magis ipſe oculos habet oculatiſſimos, & aures ad audiendum acerrimas, iuxta illud pſal. 93. v. 9. *Qui plantauit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Contra eos qui v. 7. dixerunt: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Et: *Nubes lati!bulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* Iob 22. 14. Significat ergo omnia nuda & aperta eſſe oculis Dei lucidiſſimis, & auribus auritiſſimis. *Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur.* Sapient. 1. 10. Huc facit illud Plinij l. 2. c. 7. *Deus totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus ſui.*

D

Quartò, pleniùs & profundiùs noſter Hieron. Prado in Ezech. c. 12. v. 2. Oculo videre, inquit, eſt perſpicuè & apertè cernere: aure audire, eſt percipere & tenere rectè quæ audis: idẽ eſt videndo videre, & audiendo audire. Ratio huius ſignificationis eſt, quia ij ablatiui, infinitiui, vel gerundia augent & complent actionem verbi, importantque modum, quo fieri ſolet: & quoniam viſio fit mediante luce, & auditio excipiendo & tenendo verbum

verbum quod profertur : inde videndo videre, eſt dilucidè cernere; & audiendo audire, eſt rectè tenere : ſicut etiam ore loqui, vel loquendo loqui eſt, cordatè loqui, vel ex præmeditato : quia verè verbum oris eſt id, quod mente concipitur & cogitatur. Quoniam ergo ſenſus hi ſunt miniſtri intellectus & voluntatis, heris ſuis per omnia ſimiles (nam viſus & intellectus claritate delectantur & operantur; auris & voluntas ſuauitate & bonitate capiuntur) inde eſt vt pro intellectu non excæcato vſurpetur *oculus videns*, & *auris audiens* pro voluntate non obdurata affectu aliquo immoderato apud Matth. 13. 9. & in Apocal. 13. 9. *Qui habet aures audiendi, audiat*, id eſt, voluntatem morigeram & obedientem. Inde illud pſalmi 17. 45. *In auditu auris obedinit mihi*. Et Prouerb. 20. 12. *Oculum videntem, & aurem audientem, Dominus fecit vtrumque* : id eſt doctorem eruditum, & auditorem verbi docilem eſſe, opus Dei eſt ex æquo mirabile. Meminit autem horum ſenſuum : quoniam, vt notauit Polychronius, viſus & auditus tantùm recipiunt admonitionem : aut enim cernentes aliorum calamitatem ad ſanitatem reuertimur, aut audientes diuinas leges diligentiores in ſtudio virtutis efficimur, neque eſt alius præterea ſenſus, qui ad pietatem inducat. Hæc Prado.

Accedit R. Salomon : *Diuinum opus*, inquit, *ſunt aures & oculi mortalium : ſummopere delectatur Deus auribus reprehenſionem audientibus, oculiſq; rerum euentum proſpicientibus*. Et R. Leui : *Hi duo ſenſus*, inquit, *viſus ſcilicet & auditus, peculiarem præ ceteris operã præſtãt, vt vir quoad mores & animi ſenſa abſolutus veraxq; euadat*. Et Vatabl. *Audientem*, inquit, *Dei præcepta & videntem quæ bona ſunt, vtrumq; facit Dominus*. Alij hæc referunt ab bonam obedientiæ politiam. Hęc enim exiſtit, cùm Superiores oculo, id eſt bonis cõſilijs, omnia adminiſtrant, & populus aure obedienti eis paret. q. d. Vtrumq; eſt Dei donum & benedictio: nam in vtroq; conſiſtit reip. & cuiuſuis collegij vel cõgregationis columẽ, ſalus & felicitas.

Vers. 13 NOLI DILIGERE SOMNVM, NE TE EGESTAS OPPRIMAT: APERI OCVLOS TVOS, ET SATVRARE PANIBVS] Pagnin. *ſatura te panibus*, *ſaturare*, id eſt ſaturaberis. Sæpè enim apud Hebræos Imperatiuus ponitur pro futuro, vt pſal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini*, id eſt illuminabimini. Pro *ne te egeſtas opprimat*, hebr. eſt פֶּן תִּוָּרֵשׁ *pen tiuuares*, id eſt ne hereditate priueris, ne depaupereris. Radix enim *iaras* ſignificat hereditare & poſſidere, ſed in *niphal*, eſt contrariæ ſignificationis, & ſignificat hereditate depelli ac depauperari, cùm quis ex Crœſo fit, non Cyrus, ſed Irus & Iro pauperior. Eſt metalepſis: ex ſomno enim intelligitur deſidia, ex deſidia otium, ex otio laboris fuga, quæ parit egeſtatem. Vice verſa ex apertione oculorũ intelligitur vigilia, ex vigilia ſurrectio, ex ſurrectione labor, qui parit ſaturitatem, id eſt rerum abundantiam. Hæc enim inſtar catenæ connexa ſunt, vnumquę alteri velut annulus annulo inſeritur & innectitur, vt ex vno cetera inferas & intelligas.

Aben Ezra hunc verſum nectit præcedenti. q. d. Aures ad inſtitutionem auſcultandam; oculi verò ad ea contemplanda, quibus corrigimur, procreati ſunt à Deo : quamobrem ne diligas ſomnũ: oculi enim non niſi ad ſomnum ſtatis horis capeſſendũ ſunt effecti, cùm poſteà penetrandis ac arripiendis diſciplinæ inſtitutis vacare debeant. Redit ad vetandam ſocordiam : huius enim comes, imò parens eſt ſomnus, vel potiùs dilectiò & amor ſomni. Somnus enim naturalis eſt, & naturæ debitus : at amor ſomni ferè vitioſus eſt, quia nimius. Dormire, inquit Caiet. neceſſitatis eſt; ſed diligere dormitationem voluntatis eſt ac pigritiæ, & hic affectus longiorem efficit ſomnum quàm opus ſit. Qui enim amat dormire, pergit dormire in multã lucem, nec exurgit, ſed ſomno indulget, donec torpori ſuo ſatisfaciat, iuxta illud S. Dominici Loricati : *Somnus ſomnum adeſtat, vigiliæ vigiliæ pariunt*. Senſus ergo eſt. q. d. Noli diligere ſomnum, nec ei ad pigri corporis libitum indulgeto; vt lucem & tempus labori deſtinatum otiando & dormitando tranſigas, ne ex otio in egeſtatẽ incidas, illaque te opprimat, & fame emaciari, imò mori cogat : quare aperi oculos tuos, expergiſcere, ſomnum excute, labora vt victum tibi pares, ac ſatureris panibus, id eſt abundes omni re ad victum neceſſaria vel opportuna : panis enim Hebræis quemlibet cibum ſignificat.

Myſticè q. d. Excute ſomnum deſidiæ ac concupiſcentiæ, ac bonis operibus te dede, vt victum ſpiritualem tibi compares, quo viuas in omnem æternitatem. Victus hic eſt Euchariſtia & S. Scriptura in præſenti vita, ac gloria & felicitas perpetua in futura. Ita Beda : *Noli*, inquit, *diligere ſomnum peccati & inertiæ, de quo Apoſtolus ait, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, ne te, ſi non benè vigilare moueris, egeſtas opprimat in futuro. illa ſcilicet grauiſſima egeſtas, vbi nec ſtillam aquæ vnam ſitiens inuenire queas, nec oleum extinctis lampadibus infundere. Aperi oculos tui cordis ad vigilias ſanctas, ac ſaturitatem tibi gaudiorum cæleſtium benè viuendo conquire*.

Septuag. aliò abeunt : vertunt enim, *noli diligere detrahere, ne extollaris; aperi oculos tuos, & imple te panibus*. Quod aliqui explicant de furto, quod comes, imò filia, eſt ſomni, otij & deſidiæ. q. d. Noli otiando detrahere & furari res & opes proximorum, ne extollaris in patibulum, & ſuſpendaris. Verùm pro *detrahere* græcè eſt καταλαλεῖν, quod ſignificat detrahere non opibus, ſed famæ obloqui, deblaterare, criminari. Igitur Hebr. שֵׁנָה *ſcena*, quod propriè ſomnum ſignificat, à rad. יָשֵׁן *iaſcan*, id eſt dormiuit; Septuag. vertunt detractionem, à rad. שָׁנָה *ſcana*, id eſt mutauit, alterauit, id eſt detraxit famæ. Detractor enim ſolet res aliter narrare quã geſtæ ſint, itaque eas mutare & alterare in peius, imò fingere & mẽtiri. Vnde c. 17. v. 9 dicitur, *Qui celat delictum quærit amicitias; qui altero ſermone repetit* (hebr. שָׁנָה *ſcana*, id eſt mutat) *ſeparat fœderatos*. Noli ergo detrahere & obloqui proximo, ne extollaris, id eſt, noli alterum criminando deprimere, vt te extollas. Radix enim detractionis eſt ſuperbia, qua quis vt ſe extollat, alium ſibi æqualem vel æmulum vituperando deprimit. Vnde S. Hier. vel potiùs Paulinus ad Celantiam : *Nulli vnquam*, inquit, *omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabiliorem videri velis : magis tuam vitam exornare diſce, quàm alienam carpere*. Adde etiam Hier. in epiſt. ad Ruſticum. *Vitium ſatis hominũ eſt, & ſuam laudem quærentium alios viles facere : quia alterius vituperatione ſe laudari putant. Et cùm ſuo merito placere non poſſint, placere volunt in comparatione malorum*.

Pro *ne extollaris*, græcè eſt μὴ ἐξαρθῇς, quod Complut. & Regia Biblia vertunt, *ne pereas*; Cyprian. l. 3. Teſtim. *ne extollaris*; licet nonnulli codices habeant, *ne eradiceris*. Verùm huic Septuag. verſioni, puta detractioni famæ, non ſatis reſpon-

det id quod additur: *Aperi oculos tuos, & ſaturare panibus*: ac Hebr. שׁנה *ſcena*, ſemper alibi ſomnum ſignificat, non detractionem: quare Vulgata verſio, vti aptior & verior, anteferenda eſt.

Vers. 14. MALVM EST, MALVM EST, DICIT OMNIS EMPTOR: ET CVM RECESSERIT, TVNC GLORIABITVR] Heb. יתהלל *ithhallel*, id eſt, laudat ſe & iactat, quòd rem pretioſam vili emerit. Pro *malum* hebr. eſt רע *ra*, pro quo Chald. alijs punctis legens רע *rea*, id eſt *ſocius*, vertit *ſocius ad ſocium dixit quid emit, & tunc gloriatur & prædicat*; Hebr. eſt, *malum, malum, dicit emptor, & abiens ſibi laudabit ſe*. Redundat more Hebræo *to ſibi*. q.d. Cùm rem emit, illam habet in honore & pretio. Aut *to ſibi* emphaſim habet. q.d. Cùm receſſerit, ſibi rem vili emptam vendicans, tunc gloriatur. Id enim per apoſiopeſin intelligi, patet ex ſenſu & mente ſententiæ. Quidã vertunt, *cùm verò amiſerit, tunc laudat*. Res enim cùm poſſidentur, vileſcunt; cùm verò amittuntur, habentur in pretio & anxiè requiruntur. Hic eſt hominis genius. Vnde R. Leui: *Longè diſſimilis, ait, eſt poſſeſſio ſapientiæ ab aliarum rerum poſſeſſione; cùm enim cæteræ argenti pretio æſtimentur, ea ab emptore deprimuntur, & vitijs inſimulantur, pretioq; paria negantur quod venditor exigit: poſtquam autem hic diſceſſerit, merces dilaudat, ſeque eas non emiſſe dolet, atque ideo vilia videntur quæ obtineret, & optima quibus careat. Secùs verò prorſus contingit in ſapientia comparanda: nec enim eam quis, ſibi vilem arbitratur, niſi cùm illam ſit adeptus.*

Iam Primò, Baynus hæc refert ad labores, ærumnas & pericula, quæ ſubeunt mercatores, vt diteſcant. q.d. Multa mala, id eſt multas moleſtias, curas & dolores ſubeunt mercatores, vt merces & opes comparent: at vbi eas compararint, gaudent & gloriantur. Vnde illud Horatij:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Hinc myſticè Salonius, & ex eo Gloſſa: *Qui æterna, inquit, præmia deſiderat, Malum eſt, malum eſt dicit; quia in præſenti debet ſuſtinere, vt, cùm receſſerit de mũdo, glorietur, perſpiciens, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Accinit etiam Hugo Cardinal. qui non tam ad laborum tolerantiam, quàm ad pœnitentiam hanc gnomen refert. Myſticè, inquit, exponitur de eo, qui nummo pœnitentiæ merces emit cæleſtes: malum eſt dicit, id eſt nimis carum, nimis moleſtũ pœnitere; & cùm emptor, id eſt pœnitens, receſſerit à foro pœnitentiæ in domum cæleſtis patriæ; tunc ſanè gloriabitur, quia bonum forum habuit. Addit etiam, merces cæleſtes non tam ideò caras videri, quia multis conſtent laboribus, quàm ex eo, quia nondum explicatæ ſunt.

Huc accedit expoſitio R. Salomonis: *Qui ſacra legis, inquit, cognitione ditatur per ærumnarum famiſque flagella, illud ſæpe queritur, & heu clamitat ob hunc cruciatum & anguſtiam; verùm vbi ſapientia cumulabitur, labores, quibus functus eſt, ſibi glorioſos prædicabit.*

Secundò, idem Baynus: Exemplo mercatorum inquit, vult nos ſpectare non initia, ſed fines laborum. Vt enim illi rem primò vituperãt, quo viliùs emant: deinde vbi emerint, iactant ſe & gloriantur de ſua ſiue induſtria, ſiue peritia in rebus cõparandis: ſic ſapientia, in cuius acquiſitione vigilare & laborare ſuum filium monet Sapiens, minimè iuuenibus arridet: ſed malum eſt, malum eſt, inquiunt, manè ſomnum excutere, & literarum

A ſtudijs ſiue rebus diuinis indulgere: ſed olim ex ephebis & puerilibus annis egreſſi, vbi maximis ſudoribus veluti negotiator venditis omnibus vnicam ſibi margaritam compararuerint, ſibi gratulabuntur ipſis.

Sicut ergo mercatores labores damnant, cùm eos ſubeunt & ſentiũt: at vbi alijs eſurientibus ipſi ſaturantur panibus & deliciantur, tum eoſdẽ laudant, tum gloriantur ſe laboraſſe, & laboribus tot opes & cõmoda comparaſſe: ſic qui virtutibus & ſapientiæ inſiſtunt initio ardua multa & difficilia experiuntur: at poſtea ſibi gratulantur, quòd virtutem & ſapientiam ſuis laboribus pepererint, & cùm ex hoc ſæculo laboribus & doloribus referto receſſerint, tunc gloriabuntur: quia tunc clarè videbunt, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in
B nobis, Rom. 8. Hic ſenſus valdè appoſitus eſt: hæ enim parœmiæ velut parabolæ ſub cortice literæ arcanum quid & latens ſapientiæ & virtutis decus ſignificant. Vnde & Chald. hanc gnomen nectit ſequenti, in qua ſtudium ſapientiæ opibus & auro anteferτur.

Tertiò, Ianſenius cenſet, hac parœmiã inſinuari hominis ingenium, quo fere aliena vituperamus, noſtra laudamus, in eis nobis placentes & gloriãtes, adeò vt eaſdem omnino res & actiones, cùm quis apud alios videt, audacter damnet; cùm verò in ſeipſum tranſlatas conſpicit, laudet atq; extollat. Vulgari enim parœmiã quis merces ſuas vendere dicitur, cùm res ſuas dilaudat. Vnde noſter Salazar ita exactè ſingula adaptat & explicat. q.d. Ferè ita accidit, vt alijs res ſuas venditantibus & oſtentantibus, auditores velut aſtuti quidam em-
C ptores non ſolùm non probent, ſed etiam verbis ſuis extenuent. Hi verò qui ea ratione alienas res extenuant, ſi fortè earum aliquam adepti ſint, non ſolùm apud ſe gloriantur & geſtiunt, ſed etiam illam ſimili modo venditare, & alijs commendare maximè adnituntur. Itaq; his verbis Salomon improbam quorumdam hominum propenſionẽ ad ſuas res laudandas, alienas aſpernandas & extenuandas, mercatorum exemplo damnat.

Quartò, planè & genuinè notat hîc Salomon genium & indolem hominum in emendo & vendendo: in emendo enim rem plus æquo vituperant, in vendendo plus æquo laudant. Malum eſt, dicit emptor, ait Lyran. quia replicat rei defectum vt imminuat eius pretium. Qui enim emunt, rem
D emendam malam & vitioſam cauſantur, imò omnes eius defectus & vitia enarrant, & nimis amplificant, vt venditor viliori pretio eam vendat. Qui verò vendunt, rei vendendæ præſtantiam extollunt, vt eius pretium adaugeant. Qua in re ſubinde contra charitatem peccant, ſubinde etiam contra iuſtitiam, vt cùm quodam ingenio artis rei vitium tegunt: cùm mentiuntur, rem vitio carere, vel habere dotes, quas non habet: cùm rem vitioſam tãto pretio vendunt, quanto integram: cùm ſimplices decipiunt & fraudant: cùm venditor ignorat rei præſtantiam & pretium, vt cùm gemmã vendit pro vitro; aut emptor vitrum emit pro gemma. Deniq; cùm emptor rogat, an res vitio careat, tenetur ex iuſtitia venditor rei vitia, maximè occulta, aperire, vti docet noſter Leſſius l. 2. de Iuſtitia c. 21. de emptione dubit. 11. Ratio à priori eſt, hominum cupiditas & auaritia: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt*, vt ait Apoſtolus ad lucrum ergo ſuũ

rem

rem pretioſam extenuant, dum emunt: & vilem extollunt, dum vendunt. Huic cupiditati medetur charitas, quæ iubet & dictat: *Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*, Lucæ 6.31.

Hic eſt ſenſus literalis & quaſi grāmaticus huius parœmiæ, ſub quo profundiùs ſymbolicè ſignificantur illa, quæ paulò antè, præſertim ſecundo loco annotaui. Sic enim parabolæ ſuum in cortice habent ſenſum grammaticum, ſub quo aliud parabolicè, ſeu ad literam ſignificatur, quod paulò antè indicaui.

Mimi lu-ſus. Huc facit *facetiſſima cuiuſdam mimi vrbanitas, qui* vt refert S. Aug. l. 13. de Trinit. c. 3. *cùm ſe promiſiſſet in theatro quid in animo haberent, & quod vellent omnes, alijs ludis eſſe dicturum, atque ad diem conſtitutum ingenti expectatione maior multitudo conflueret, ſuſpenſis & ſilentibus omnibus dixiſſe perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto leuiſſimi ſcenici, omnes tamen conſcientias inuenerunt ſuas, eáq; vera ante oculos omnium conſtituta, & improuiſa, ducenti admirabili fauore plauſerunt.* Subdit S. Aug. hoc omnium eſſe non omnino, ſed plerorumque. *Nam ſcio ipſe hominem*, inquit, *cùm venalis ei codex fuiſſet oblatus, pretiiq; eius ignarum, & ideo quiddam exiguum poſcentem cerneret venditorem, iuſtum pretium, quod multò amplius erat, nec opinanti dediſſe. Quid ſi etiam quiſpiam nequitiâ tantâ poſſeſſus, vt vili vendat quæ dimiſerunt parentes, & care emat quæ conſumat per libidines, magno pretio ſtupra emendo, paruo autē rura vendendo? Largitionis etiam gratiâ nouimus quoſdam emiſſe frumenta cariùs, & viliùs vendidiſſe ſuis ciuibus.* Subdit deinde ſimile de cupiditate laudis: *Illud etiā quod vetus poëta dixit Ennius, Omnes mortales ſeſe laudari exoptant: profectò & de ſeipſo, & de ijs quos expertus fuerat, coniecit in alijs, & videtur prænuntiaſſe hominum omniū voluntates. Denique ſi & mimus ille dixiſſet: Laudari omnes vultis, nemo veſtrûm vult vituperari; ſimiliter quod eſſet omnium voluntatis, dixiſſe videretur. Sunt tamen qui vitia ſua oderint, & in quibus ſibi diſplicent ipſi, nec ab alijs ſe laudari velint, gratiaſq; agunt obiurgantium beneuolentiæ, cùm ideò vituperantur vt corrigantur. At ſi dixiſſet, Omnes beati eſſe vultis, miſeri eſſe non vultis; dixiſſet aliquid quod nullus in ſua non agnoſceret voluntate. Quidquid enim aliud quiſquam latenter velit, ab hac volūtate, quæ omnibus hominibus ſatis nota eſt, non recedit.*

Vers. 15. EST AVRVM, ET MVLTITVDO GEMMARVM: VAS AVTEM PRETIOSVM LABIA SCIENTIÆ] q.d. Aurum eſt pretioſum, & multitudo gemmarum eſt pretioſa; at longè pretioſiora ſunt labia plena ſcientiæ. τὸ enim *pretioſum* in priori membro intelligitur, & ex poſteriori membro per zeugma repetendum eſt. q.d. Homines aurum & gemmas magno habent in pretio: at ego verum & ſummū rerum pretium colloco in corde & ore erudito. Hoc enim tot fundit auri maſſas & tot gemmas, quot ſententias. Cùm enim de caſtitate diſſerit, fundit aureas gnomas: & quaſi ſmaragdos virginitatis. Cùm de temperantia ratiocinatur, fundit amethyſtos ſobrietatis. Cùm de amore Dei, fundit carbunculos charitatis. Cùm de patientia, fundit iaſpides fortitudinis. Cùm de conſtantia, fundit adamantes martyrij, &c. Per *ſcientiam* enim hîc & toto hoc libro non ſpeculatiua, ſed practica intelligitur, quæ in prudentia & virtutum ſtudio conſiſtit. Per *vas* phraſi Hebræa accipe organū & inſtrumentum. Vnde auctor Catenæ Græc. pulchrè ex Septuag. vertit, *extat aurum, extat pretioſorum lapidum copia, at plus vtroque honoratum organum ſunt labia intelligentiæ.* Hebræa habent, *eſt aurum & multitudo gemmarū, & vas pretioſum labia ſcientiæ*; Syrus, *& vaſa pretioſa & labia ſcientiæ.* Chaldæus hunc nectit verſui præcedenti, quaſi ſint verba emptoris, qui cùm tolerando multa mala, id eſt labores & ærumnas comparauit ſcientiam, gloriatur, prædicat, & dicit: *Eſt aurum & multitudo margaritarum pretioſarum, & vaſa pretioſa labia ſcientiæ.* q.d. Paruo malo & labore comparaui mihi ſcientiam, quæ pretioſior eſt gemmis & auro. Sic & R. Leui.

Iam Primò, R. Leui ſic exponit. q. d. Sunt qui auro & lapidibus pretioſis abundant, ſed tamē res pretioſæ, vt ſunt labia ſcientiæ, non ſunt illis.

Secundò, Baynus. q.d. Facilè ſibi comparat opes, aurum & multas margaritas & vaſa pretioſa, qui pollet ſcientia labiorum, hoc eſt, vir ſapiens & eloquens facillimè poteſt diteſcere: vt iam iuuenibus debeat prima cura haberi de ſapientia, nō de mercatura, aut alijs artibus quibus opes acquiruntur. Facilè eſt, dicebat olim Thales Mileſius, philoſophis diteſcere, ſi velint, id quod re ipſa oſtendit: nam perſpectâ per curſum ſiderum olei futurâ caritate, omnes totius prouinciæ comparauit oliuas; quare diues admodum euaſit.

Tertiò, meliùs Caiet. ex Hebræo cenſet, hîc pretium ſcientiæ comparari pretio auri & margaritarum. Copula enim & Latinis, ac magis Hebræis, ſæpè eſt nota comparationis. Vnde Vatabl. vertit, *& velut vas pretioſum eſt ſermo ſcientiæ, id eſt, ſermo doctus & eruditus.*

Quartò, profundiùs Noſter, Septuag. & alij pro *&* vertunt, *autem*: Hebr. enim ו *vau*, id eſt *&*, ſæpè Hebræis eſt aduerſatiuum ſignificans *autem*. Vnde Tigurina vertit, *os ſcitum auro, gemmis, ac pretioſis vaſis pretioſius eſt.* Hęc verſio verbotenus liberior eſt, ſed ſenſum ferè adæquat. Igitur ſcientia hîc non tantùm confertur, ſed antefertur auro & gemmis, q.d. In auro laudatur fulgor, ſoliditas, pretium: at magis fulget, magis ſolida, conſtans & pretioſa eſt, ſcientia, id eſt prudentia, virtus & ſapientia. Tagus, & alij nonnulli fluuij, ſed pauci & eximij, ſunt auriferi, vehuntq; ramenta auri: at magis aurifera ſunt labia ſapientis; vehunt enim aurum ſapientiæ, virtutis & charitatis. Talia fuere labia S. Ioannis Conſtantinop. Patriarchæ, qui proinde cognominatus eſt Chryſoſtomus, id eſt aureum os: & B. Petri Rauennatis, qui inde dictus eſt Chryſologus, id eſt aureus ſermo, ob eloquij ſuauitatem & elegantiam. Vnde à Sixto III. Pontifice Max. iuſſu S. Petri Apoſtoli, & S. Apollinaris primi Rauennatium Epiſcopi, illi in ſomnis apparentium, ætate licet iuuenis, creatus eſt Rauennæ Archiepiſcopus. Sic S. Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini aurea, imò gemmea, erat ſapientia & eloquentia.

Margaritarum omnis laus & *dos in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere* conſiſtit, ait Plinius l. 9. c. 35. Ita vir ſciens, id eſt ſapiens & eloquēs, præſertim Apoſtolicus, candoris laudem habet in caſtitate, magnitudinis in magnanimitate, orbis ſiue orbiculatæ & rotundæ figuræ in animi reſignatione & obedientia, læuoris in modeſtia & morum compoſitione, ponderis in grauitate & prudentia. Vide 13. dotes margaritarum, quas viris Religioſis & Apoſtolicis applicaui Apocal. 21. v. 21.

Porrò Hebr. פנינים *peninim*, non tantùm margaritas

garitas ſiue vniones, ſed & lapides pretioſos, vt vertunt Septuag. ſiue gemmas, vt vertit Noſter, ſignificat. Igitur vir ſapiens & eloquens dotes habet carbunculi, ſapphiri, berylli, adamantis, ceterarumque gemmarum, quas recenſui Apocal. 21. 19. & ſeq. Aliqui *peninim* vertunt, *penitiſſima* vel *intima*: tum quia vniones intimæ ſunt ſuæ conchæ, tum quia ex intimo & profundiſſimo mari eruuntur: inde enim nautæ eas expiſcantur. Sic profundum eſt cor ſapientis, & quaſi pelagus inexhauſtum ſapientiæ, ex quo auditorem ſapientiam expiſcari aſſiduè vſque ad fundum conuenit, vt penetret intima eius ſenſa, ac dictorum & ſententiarum eius profunda arcana ſcrutetur. Hoc eſt quod dixit c. 3. 13. *Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia.* Rationem ſubdit dicens: *Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi, & puriſſimi fructus eius: pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Et c. 8. 19. *Melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo.* Vide ibi dicta, & Iob c. 28. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius,* &c.

VAS AVTEM PRETIOSVM LABIA SCIENTIÆ] *Vas*, id eſt Primò, organum promens & ſuaui quaſi harmonia modulans ſcientiam. Secundò *vas*, id eſt hominis ſupellex & diuitiarum pars: omnis enim ſupellex Hebræis *vas* dicitur, ait Ianſenius. Tertiò, propriè *vas*, putà dolium amphora, crater, aut cyathus continens ornanſque ſapientiam rem pretioſiſſimam. Igitur τὸ *vas* notat Primò, quòd, ſicut vas, putà dolium vel crater plenus eſt vino, ſic cor & os ſapientis plenũ eſt ſcientia. Secundò, ſicut crater impletur vino, vt conuiuis propinetur: ſic ſapiens non ſibi ſoli ſapit, ſed ſapientiam ſuam ore & labijs alijs propinat & communicat. Tertiò, ſicut crateres è quibus diuites hauriunt & bibunt vina, ſolent affabrè elaborari, aureq; artificioſè ornari & gemmis diſtingui ac quaſi ocellari, tum ad ornatum, tum vt ſuauiorem efficiant potum: ſic pariter ſapiens affabrè dicta ſua ſermoneſq; elaborat, diſtinguit, diſponit, cõcinnat, vt videatur eſſe crater quidam concinnus & affabrè compoſitus. Sapientia enim & eloquentia maximè conſiſtit in ordine, & apta rerum ſententiarumq; diſpoſitione, compagine ac nexu. Sic enim fit concinna & appoſita quaſi ſtructura & fabrica, vt ab auditoribus perſpici poſſit & capi, itaque in eorum animos influat, & perſuadeat ea quæ virtutis & ſalutis ſunt. Sicut enim exercitus decor & robur conſiſtit in caſtrorũ acie ritè diſpoſita & ordinata: hæc enim hoſtibus eſt impenetrabilis, ideoque inuicta & victrix omnium, cùm turba inordinata & confuſa ſe inuicem impediat, & hoſti proterendam obijciat. Sic pariter orationis energia, & vis cõſiſtit in apta eorum quæ dicuntur ſerie & diſpoſitione, vt quælibet res & ratio ſuo ordine collocetur, vbi plus habitura eſt ponderis & efficaciæ, æquè ac decoris & elegantiæ: ſic enim animos audientium docet, delectat, mouet & penetrat, vt ei reſiſtere nequeant. Vide Ciceronem in Oratore.

Os ſapientis eſt crater ſapientiæ. Primò. Secundò. Tertiò.

Hinc Themiſtocles ad regem Perſarũ fugiens, cùm coram eo peroraret, dixit, orationem ſimilem eſſe picturatis ſtragulis, quæ dum explicantur, rerum pictarum ordinem & cõcinnitatem oſtentant. Ita Plutarchus in Apophtheg. Auguſtus verò Cæſar ſcribens ad ſuum Mæcenatem, taxauit eius in ſtylo laſciuiam, & in compoſitione inſolentiã, vnde eam imitando repræſentans, hanc ſubiecit clauſulam: *Vale mel gentium, ebur ex Etruria, laſer Aretinum, adamas Luperinae, Tiberinum margaritum, Cilniorum ſmaragde, iaſpis figulorum, berylle Porſennae, carbunculum habeas, mal-gma mœchorum.* Ita Sueton. in Auguſto.

TOLLE VESTIMENTVM EIVS QVI FIDEIVSSOR EXTITIT ALIENI: ET PRO EXTRANEIS, AVFER PIGNVS AB EO] *Fideiuſſor alieni* eſt, qui fideiubet, ſiue ſpondet, pro alieno, id eſt extraneo: hunc enim ſignificat Hebr. זָר *zar*. Rurſum *pro extraneis* hebr. eſt *pro extranea* vel incognita, ſcilicet non re, ſed femina: hanc enim ſignificat Hebr. נָכְרִיָּה *nochria*, pro quo Regia & alij codices meliùs cum Vulgata & Pagnino legunt, נָכְרִים *nochrim*, id eſt extraneis. Perperam enim Rabbini puncta ſuppoſuerunt, ac pro *nochrim* punctant *nochriam*: *nochriam* enim Hebræis nõn eſt vſitatum nihilque ſignificat; quamquam ipſi id fecerint bono fine, vt ſcilicet innuerent veram lectionem eſſe *nochria*, vti notatur in margine. Vers. 16

Senſus ergo eſt, q. d. Si quis ſibi fideiubeat pro extraneis, putà pro extraneo viro vel extranea & incognita femina, vt tibi conſulas, tuamque rem aſſecures; accipe ab eo pignus, adeòq; ſi aliud non habeat, accipe veſtem eius in pignus, vt, ſi vterque vel alteruter fidem fallat, aut ſoluendo non ſit, ex pignore rem tuam recuperes. Ratio eſt, quòd anceps & lubrica ſit negotiatio cum extraneo, vtpote non ſatis cognito, & remotè habitanti: quocirca ſi debitum ſoluere nolit, aut non poſſit, elabitur, & ad ſuos redit, vnde à creditore ad ſoluendum cogi nequit: ciuem & vicinum ad ciuitatis magiſtratum cites, externum ſi cites, aufugiet. Sic Gallus Hiſpanum, Germanus Polonum, Anglus Scotum, Italus Græcum difficulter coget ad debitum præſtandum, ſi enim cogere velit, debitor in ſuam Hiſpaniam, Poloniam, Scotiam, Græciam redibit, itaque manus creditoris effugiet. Quis enim eum in oris tam remotis requiret? aut quis ei litem apud ſuos intentare audeat? quare qui ſibi conſultum velit, fideiuſſorem pro extraneo exigat, pignuſque ab eo accipiat, vt ſecuriùs & citiùs debiti ſolutionem extorqueat. Extraneo enim tardante, vel tergiuerſante, ſoluere tardat quoque vel tergiuerſatur ſoluere eius fideiuſſor: non enim vult ex ſuo alienum debitum dependere. Quare vt eum cogas citò & ſecurè ſponſionẽ ſuam præſtare, pignus ab eo tolle, præſertim ſi ipſe quoque fideiuſſor ſit extraneus, vti ex Hebræo verti poteſt: Hebræi enim carent caſibus, vnde idem nomẽ quemlibet caſum ſignificat. Hinc Tigur. vertit, *ſi alienum ſpoponderit, eripe veſtem eius, vt pro extraneo ſit pignus eius.* Meliùs tamẽ Noſter vertit in genitiuo: *Sponſor ſiue fideiuſſor alieni*, hoc eſt extranei. Sequitur enim, *Et pro extraneis, pignus aufer ab eo.*

Hũc eſſe ſenſum liquet ex c. 27. 13. vbi in Hebræo eadem ad verbum eſt ſententia, quæ hic, ibique Noſter vertit, *tolle veſtimentum eius qui ſpopondit pro extraneo: & pro alienis, aufer ei pignus.* Porrò ſi pignus hoc eſſet pauperis, putà veſtis in qua pauper dormire ſolebat, ante veſperam ei reddendum erat; manè tamen rurſus illi auferri poterat, iuxta legem veterem latam Exodi 22. 26. Quamquam illa lex propriè ſpectat ad pauperem debitorem, ex mutuo præſertim, vt patet ex v. 25. non ad fideiuſſorem, licet à pari ad eum extendi queat: fideiuſſor enim eſt debitor eius pro quo fideiuſſit. Vnde

Deut. 24. 10 extenditur ad debitorem quemlibet, qui rem aliquam alteri debet quomodolibet.

Hic verſus nunc deeſt in Septuag. Romanis & ceteris; Complutenſes tamen (indeque Regij) qui in Septuag. ſuppleuerunt illa quæ deerant, imò Septuag. accommodarunt Hebræo & Vulgatæ verſioni, hunc verſum ſic efferunt: *Tolle veſtimentum ſpondentis pro alieno, & pro alieno accipe pignus ab eo* (Chald. *pignora illud.*) Vnus codex vetus Septuag. ſic habet, *Tolle veſtem eius, qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneo oppignerauit ſe.*

Directè ergo & expreſsè hæc gnome monet creditores, vt ſibi caueant in commercijs cum extraneis, ideoq; ſponſorem exigant, & ab eo veſtem in pignus accipiant, vt cùm fideiuſſor ſua veſte carere nequeat, cogatur ad eam recipiendam ſtimulare extraneum, ad perſoluendum ilicò debitum: Indirectè verò & tacitè monet fideiuſſores, vt in B ſponſione, præſertim pro extraneis, non ſint temerarij & præcipites; vti ſunt prodigi & libidinoſi, vtpote à quibus creditor veſtem in pignus acceptutus ſit, & debitũ omne exacturus. Cùm enim extraneos abeuntes inſequi nolit fideiuſſorem adibit, ab eoq; fidem datam debitumq; omne repoſcet. Vide quæ de periculo fideiuſſoris dixi c. 6. 1. R. Salomon in c. 27. v. 13. & alij nonnulli τὸ *Tolle & auſer* accipiunt δυνάμεως in modo potentiali, pro *poteſt tolli & auferri*, vel meretur vt tollatur; aut reipſa tolletur & auferetur. q. d. Is qui facilè & temerè fideiubet pro extraneo, meretur vt ab eo veſtis & pignus tollatur; imò deficiente extraneo iudex fideiuſſorem ad pignus, omneq; debitum extranei præſtandum condemnabit, ideoq; veſtem reliquamq; ſupellectilem ei auferet. Simili phraſi ait Pſaltes pſ. 143. 5. *Tange montes & fumigabunt*, id C eſt ſuperbi & tumidi inſtar montium ſi à Deo tangantur, id eſt fulmine ſiderentur, ſimiliue plaga affligantur, vti merentur, mox in fumum abibunt, & in cinerem vertentur. Ita S. Hier. ibid.

Iuxta hunc ſenſum Tropol. R. Leui exponit q. d. *Qui fideiuſſor extitit alieni*, id eſt, qui obſequitur concupiſcentiæ, quæ mentem à Deo & lege alienat, omnium rerum poſſeſſione ſpoliatur, & pro ea omne peccatorum, ad quæ illicit concupiſcentia, debitum perſoluet. Vatabl. per *alienum* accipit infidelem & hæreticum; qui etiam pro eo, qui fide caret, ſpondet, fidem ſuam periculo, & res ſuas ſpolio exponit.

Allegoricè, Chriſtus ſpondens pro debito & culpa extranei Adæ, & hominum peccatorum à Deo alienorum, ſpoliatus fuit veſtibus & ſtragulis, adeoque nudus planè pependit in cruce, in eaque velut in lecto mortis obdormijt.

D Myſticè Hugo, Tolle veſtimentum, id eſt curã ſæcularium, inquit, eius qui fideiuſſit pro animabus & pro extraneis. Preſſiùs noſter Salazar: Tolle, inquit, à Prælatis & Paſtoribus veſtem, id eſt ſtragula delicatiora, ne dormiant, ſed magis vigilent, & inſomnes ſint. Ipſi enim pro animabus proximorum fidem ſuam obſtrinxerunt, ideoque, vt eis gratiam & ſalutem à Deo impetrent decet eos auſterior vita, vigiliæ & chameuniæ, id eſt humicubationes.

Vers. 17. SVAVIS EST HOMINI PANIS MENDACIS (Complut. *mendax*; auctor Catenæ Græc. *mendacis*) ET POSTEA IMPLEBITVR OS EIVS CALCVLO] Complut. & Regia *ſilicibus*; auctor Catenæ Græc. *lapillis*; alij, *arena*, vt arena opponatur ſarinæ, vnde panis A conficitur; ſicut calculi opponuntur fruſtulis panis.

Quæres; quis eſt *panis mendacij*, ſiue mendax? Reſp: Ad literam grammaticè panis mendax eſt panis lapidoſus, cui lapilli vel arenæ ſunt immixti. Hic enim præ ſe fert veritatem panis, ſed mentitur, & fallit comedentes. Dum enim eum comedunt, initio quidem bolos panis vident & guſtant: at vbi eum maſticant & comminuunt, lapillis plenum ſentiunt, quibus dentes & palatum, offendunt, iuxta illud Thren. 3. 16. *Fregit ad numerum dentes meos; cibauit me cinere.* Vide ibi dicta. *Panis mendacij, quis?*

Iam ſub hoc cortice literæ ſeu parabolæ, *panis mendacij* parabolicè ſignificat Primò, cibos & opes mendacio, putà vſura, fraude & iniuſtitia, partos. Vnde Tigur. vertit, *dulcis eſt homini panis fraude partus: at tandem os eius ſcrupulis implebitur*: Sicut enim panis ſcrupulis & lapillis mixtus aſpicienti pulcher, ſed maſticanti moleſtus, vtpote lapidoſus & ſcrupuloſus, accidit: ita opes & deliciæ fraude partæ initio ſuaues videntur; at in fine exitioſę deprehenduntur, cùm ſcilicet conſcientiam, quæ animæ eſt os, mille ſcrupulis, angoribus, litibus, onere reſtituendi, &c. lancinant, cruciant & excarnificant, præſertim dum à iudice fraudulenti damnantur, aut à Deo fraus eorum detegitur & punitur. Tunc ergo, quod iniquè partũ eſt, concoqui non poteſt, ſed os, ſtomachum totumq; hominem cruciat. *Reſpond. Primò.*

Secundò, *panis mendacij* per ſynecdochen ſignificat quaſlibet opes, delicias, voluptates, etiam iuſtè partas. His enim ſi quis per gulam, ſuperbiam, auaritiam, aliudue vitium indulgeat vel inhiet, initio quidem ſuaues videntur; at tandem ſentiũtur pernicioſæ, perinde ac ſi panem lapidoſum manderet. Punitur enim vel ab hominibus, vel à Deo, vel à remorſu cõſcientiæ, vel à crapula, damniſq; gulam ceteraque vitia conſequentibus. Vnde myſticè Beda & ex eo Gloſſa, *In quocumque membro*, inquit, *qui ampliùs peccauerit, in eo punietur. Qui in lingua magis deliquerit, in ea plus arſurus eſſe perhibetur, dum os eius calculo, qui eſt lapis igneus, implendum dicitur, quod accidit diuiti qui epulabatur quotidie ſplendidè, cùm in inferno ardens linguæ refrigerium petebat, qua in verbis ſuperfluis in epulando deſluxerat*, Lucæ 16. *Secundò.*

Parabolicè ergo ſignificat hæc gnome, delicijs, voluptati, gulæ, & cuiuis vitio in ſpeciem blando ſuum ineſſe calculũ, ſuos lapillos & ſcrupulos, qui longè magis illis vacantem cruciant, quàm voluptas præuia oblectarit. Omne enim peccatum hanc habet naturam & conſuetudinem, vt primò dulcedine quadam ſenſus muleeat, animumq; titillet & oblectet: at poſtea dentes comedentiũ lædat, ſiue per remorſum conſcientiæ, ſiue per pœnam multiplicem peccato debitam. Vnde Poëta: *Omne peccatum eſt panis lapidoſus.*

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Quocirca Ariſtoteles admonebat, vt *voluptates contemplemur non venientes, ſed abeuntes*; hoc eſt, non à fronte, ſed à tergo. Venientes enim fucatâ ſpecie blandiuntur, abeuntes autem pœnitentiam ac dolorẽ relinquunt. Ita Laërt. l. 5. c. 1. Et Socrates voluptatem pruritui & frictioni comparans: *Quàm mirè*, inquit, *hoc natura comparatum eſt, vt hæ duæ res ſeſe inuicem comitentur, voluptas & dolor.* Prurientes enim ſe fricant cũ voluptate, ſed mox à frictione ſe morderi & vellicari ſentiunt. Idem Socrates dicebat, *eos qui ſe ad continentiam ac frugalitatem exercuiſſent, & longè plus habere voluptatis, at minus doloris, quàm qui ſummâ cura vndique pararent oblectamenta:* *Gnome.*

Quod

Quòd voluptates intemperantium præter animi ſibi malè conſcij cruciatum, præter infamiam ac paupertatem, frequenter ipſi etiam corpori plus adferant moleſtiæ quàm delectationis. Contrà quæ ſunt optima, eadem fiunt iucundiſſima, ſi quis aſſueuerit. Ita Laërt.l.2.c.5.

Tertiò. Tertiò, auctor Catenæ Græc. vertit, *panis mendacis*: ψεύδους enim à ψεῦδος ſignificat *panis mendacij*: à ψευδὴς verò, ſi vltimam notes accentu circumflexo ψευδῶν, ſignificat *panem mendacis*. Iam *panis mendacis* ſunt adulationes, artes, fraudes, quibus mendax alios oblectare, & ſeſe exaltare ſatagit. Hæc enim initio ſuaues tam dicenti quàm audienti accidunt: at tandem deprehenſâ earum falſitate & vanitate, vtrumque cruciant, ſicut contingit hæreticis & Iudæis, vti mox oſtendam.

Nonnulli *calculum* hîc accipiunt arithmeticum: calculis enim ſolet fieri ſupputatio & computus nummorum, huncque dant ſenſum. q.d. Qui alienas facultates adminiſtrant, eaſque per mendacia & fraudes in ſuos vſus conuertunt, initio earum commodis fruuntur: at vbi ab heris, vel iudicibus, vel confeſſarijs in confeſſione, aut à Deo in die iudicij, earum rationem reddere cogentur; tunc ora ipſorum implebuntur calculis, id eſt numeris ac ratiocinijs, quibus rem alienam defraudarunt, quos tunc partiri & digerere non poterunt.

Alij *calculum* condemnatorium accipiunt. Olim enim iudices ferebant ſententiam condemnationis, conijciendo in vrnam calculum nigrum; abſolutionis verò, conijciendo candidum. q. d. Os mendacis & fraudatoris implebitur calculo, id eſt condemnabitur vel à iudice, vel à Deo.

Inſuper noſter Salazar per *calculum* accipit minora pondera, qualia ſunt drachmæ & ſcrupuli. Vnde ſcrupuloſi vocantur, qui minutim res paruas nimis expendunt & ponderant. q.d. Qui in vita res alienas fraudarunt vel diripuerunt, ac voluptate allecti magna rapinarum pōdera corraſerunt, nec tamen æſtimarunt vel curarunt; hi in hora mortis ſcrupulis conſcientiæ angentur, ac minima quælibet delicta ſtimulantia ſentient, vt eorum remorſu crucientur & obruantur. Si ad Deum iudicem hoc referas, ſenſus erit: *Et poſtea os eius implebitur calculo*, id eſt priſtinæ voluptatis & deliciarum; id tamen reliqui manebit, experientia ſcilicet ſæuiſſimi cuiuſdam examinis, in quo iudex non modò ingentia furta & rapinas arbitrij ſui librâ expendet, ſed etiam ſcrupulis, hoc eſt minutiſſimis ponderibus vtetur, vt leuiſſimas culpas trutinet.

Verùm Hebræum חָצָץ *chaſats* calculum ſignificat, non arithmeticum, nec condemnatorium, nec libralem; ſed naturalem, putà lapillum aſperum, acutum & penetrantem, qui pani immixtus dentes & palatum offendit. Alludit enim ad קָצַץ *katſats*, id eſt extrema præcidere, & ad חָצָה *chatſa*, id eſt dimidiare, hoc eſt rem in duas vel tres medias partes diſcindere. Inde חֵץ *chets* vocatur *ſagitta* à penetrando, eò quòd diuidat & dimidiet id quod tangit. Senſus ergo initio aſſignatus germanus eſt & genuinus.

Myſticè. Myſticè: Hæreticis ſuauis eſt panis mendacij, id eſt falſa doctrina, quam pro pane Euangelico gaudent populo miniſtrare: at poſtea ſentire coguntur, non eſſe verè panem quod porrigunt, dū ſuam doctrinam defendere non poſſunt, ſed eam euomere & abijcere adiguntur, præſertim in iudicio Dei & in gehenna. Ibi ergo Arrius, Neſtorius, Lutherus, Caluinus, & ſimiles vident hæreſim ſuā fuiſſe panem mendacij, eumque in calculum, id eſt acrem pœnam ignemque gehennæ, eſſe conuerſum. Ita Ianſen. Vnde Gloſſa per *calculum* accipit amaritudinem pœnitentiæ ſuccedentem voluptati concupiſcentiæ.

Hinc Galatinus l.7. de Arcanis fidei c.15. hunc verſum appoſitè explicat de Iudæis: hiſce enim mendacium perfidiæ ſuæ eſt delectabile. Cùm enim oderint Chriſtum & veritatem, Talmudicis Rabbinorum mendaciorum fabellis, quaſi epulis ſuauiſſimis, ſeſe oblectant; ſed os eorum implebitur calculo, id eſt pœna inferni æterna. Nā calculus, inquit, cùm durus ſit, maſticari non poteſt, neque conſumi, neque deglutiri, neque expui, cùm totum os plenū eſt. Sic pœna inferni duriſſima eſt & perdurat, nullatenuſq; euadi poteſt, neque finiri neque diminui, neque aliqua lacrymarum humiditate molliri. Hoc eſt quod de ijſdem vaticinatus eſt Ierem. c.9.3. *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis, &c. & me non cognouerunt, dicit Dominus.* Et v.5. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt.* Hoc eſt quod de ijſdem prædixit S. Paulus 2. Theſſal. 2.9. Deum ſcilicet permiſſurum Iudæos Antichriſto: *Cuius eſt aduentus*, inquit, *ſecundùm operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperūt vt ſalui fierent. Ideo mittet illis Deus operationē erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Antichriſti ergo ſigna, opes & deliciæ erunt Iudæis panis mendacij, qui mox eis vertetur in calculum & tormentum.

Verſ.18. COGITATIONES CONSILIIS ROBORANTVR, ET GVBERNACVLIS TRACTANDA SVNT BELLA] Syrus, *propter prouocationem fit bellum*, vt cùm quis alium per iniurioſum dictum vel factum ad duellum vel bellū prouocat. R. Salomon ſic explicat. q.d. Cùm ad pugnandum cum ſatana deueneris, id aggredere munitus auxilijs pœnitentiæ, precum & ieiunij. Pro *roborantur* hebr. eſt תִּכּוֹן *ticcon*, quod Chald. vertit, *diriguntur*; R. Leui, *rectificantur*; *Cùm*, inquit, *quis cogitationibus inter ſe repugnantibus implicatur, cōſilio inito, tranquillitate & quiete fruetur: id autem euenit, cùm molitionibus hiſce animi ſimul collectis, vera à falſis ſecernuntur, contemplatione ſuis numeris abſolutâ, & animo ſedato. Quòd ſi duæ aliquæ cogitationes inter ſe pugnent, alacriter bellum gere in eam, cuius operâ à virtutum coronide arcearis: ita enim tutus eris ab ijs, quibus grauiſſimis difficultatibus irretiris: nam inter ſe pugnantes cogitationes, quibus quis diſtrahitur, perturbationem pariunt quoad rerum ſeriem.*

Noſter & alij paſſim meliùs vertit, *roborantur*. Robur enim includit directionem, eique vires ſuperaddit. *Gubernaculis*, id eſt conſilijs quibus bella gubernantur, & ad felicem exitum victoriamque dirigūtur. Hoc enim ſignificat תַּחְבּוּלוֹת *tachbulot*; Septuag. *& in rationibus gubernandi fac bellum*, Caiet. *in ingenijs*, putà in ſolertia, ſagacitate, aſtutia, quæ maximè cernitur in ſtratagematibus, quibus periti duces hoſtem ſuperant, & inſignes referunt victorias. Heb. *tachbulot* alludit ad חֶבֶל *chibbel*, id eſt malus, funes, rudentes; & ad חֹבֵל *chobel*, id eſt gubernator nauis. Sicut enim peritus nauclerus appoſitè ad ventos extendens funes & vela, ac mouens gubernaculum, dirigit nauim ad deſtinatum portū: ita gubernator exercitus appoſitè diſponens regenſque

genſque milites ſuis conſilijs, artibus & ſtratagematibus dirigit exercitum ad victoriam. Hinc reges ſapientes habent conſilium belli quod vocant; putà conſiliarios rei bellicæ peritos, qui conſilia bellum dextrè gerendi inueniant & ſuggerant. Vnde noſter Salazar per *gubernacula* accipit duces ſtrenuos & militaris artis peritos: hi enim bella prudenter conficiunt, ſicut Iuris periti in pace iuſtè & pacatè remp. adminiſtrant. Fauent Septuag. in Catena Græc. dum ſic vertunt, *cogitationes firmantur per conſilium: per gubernatorum autem induſtriam geritur bellum.* Vnde Leo Imp. de Re militari c.1.n.11. *Proprium,* ait, *imperatoris munus eſt, ſubiectos ſuos prudentia, fortitudine, iuſtitiâ, temperantia anteire.* Et c.2.n.7. *Circumſpectum, prudentē & ſolertem oportet eſſe imperatorem, in omnes partes cogitationem animi quadam celeritate verſantem, perturbationes enim inopinatæ cùm incidunt, confeſtim præſentis auxilij excogitationem requirunt.*

In bello plus valet conſilium quàm robur.

Senſus ergo eſt. q. d. *Cogitationes,* id eſt cogitata deſtinata, propoſita hominum in ſe incerta, inſtabilia, mutabilia, roborantur & confirmantur per prudentia ſapientum conſiliariorum conſilia, vt ex incertis fiant certa, ex inſtabilibus ſtabilia, ex mobilibus immobilia. *Ratio.* Ratio eſt: quia plures cōſiliarij præuident omnes difficultates, omneſque modos & media rei conficiendæ: quibus perſpectis & ſapienter ordinatis, res liquida & moraliter certa efficitur, vt nihil in ea mutare vel innouare oporteat. Rurſum qui plurium nititur conſilijs, certus & intrepidus rem aggreditur. In ijs enim prudenter figit pedem; ſperat enim prudenter felicem rei exitum: quod ſi is non ſuccedat, ipſe extra culpam & infamiam eſt: habet enim quo ſe tueatur, prudentum conſilium. Significat ergo hæc gnome, in bellis rebuſque conficiendis plus valere induſtriam, conſilia, artes & ſtratagemata quàm copiam & robur militum, ac gnauum ducem, qui rei bellicę peritus ſit, plus effecturum quàm externas quaſlibet vires & munitiones.

Exempla. Vnde Alexander Magnus rogatus, qua ratione tot hoſtes tam breui tempore debellaſſet, reſpondit: *Conſilio, eloquentia & arte imperatoria.* Ita Stobæus ſerm. 54. Ita Gedeon cum trecentis dumtaxat militibus, tubis totidem clangendo, & lagenas titione flammante inſerto complodendo, ingentem exercitum repræſentans, tantum pauorem Madianitis iniecit, vt innumera eorum agmina fuderit fugaritque. Iudic. c.7. v.18. Ita Abraham cum trecentis octodecim vernaculis noctu hoſtes imparatos & dormientes inuadens quatuor regū exercitus cecidit, Gen. 14.15. Ita Iudith profugam ſe ſimulans Holofernem occidit, totaq; Aſſyriorum caſtra diſſipauit, Iudith c.13.13. Ita Romani *poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientia,* 1. Machab. 8.3. Ita Samſon per trecentas vulpes, titiones ardentes caudis ſingularum alligando, ingentem Philiſthæis cladem dedit, omneſq; eorum ſegetes combuſſit, Iud. 15.5.

Gnome. Quocirca Leo Imp. in Tacticis, ſiue de Re militari, quam contra Saracenos inſtituenda conſcripſit: c.1.n.3. *Ars imperatoria eſt,* inquit, *in quibus exercitatio, velitudinum, aut induſtria ponitur cum ςρατηγημάτων, id eſt conſiliorum imperatoriorum & trophæorū collectione.* Et c.3.n.2. *Ante omnes res maximè bellicas, cum ijs præfectis conſilium capias, qui tibi ad hoc idonei videbuntur, cuius generis turmarchæ reliquiq; ſunt. Vbi verò firmitatem aliquam habere conſilium videbitur, rem ipſam, de qua deliberaſti, omni ſtudio ac diligentia contendas ad exitum perducere.* Et n.6. *Conſultores autem adhibe experientes rerum, prouidos, perſpicaces, ærumnarum ac proſperitatis tuæ ſocios, ad excogitandum ſolertes, fideles qui neque tibi ad gratiam obtemperabunt, neque illi qui rei ſuſceptor exiſtit, neque ſibi mutuo; ſed qui quod cogitāt, dicunt, qui ſimplici & incorrupto animo ſunt, nullumque ex ijs rebus lucrum quærunt, ſed eo ipſo tempore, quid maximè vtile ſit, explorant.* Et n.9. *Delibera tardè, niſi aliqua neceſſitas celeritatem requirit: vbi conſulueris, ſi nullum impedimentū ſit, maturè facito.* Et c.20.n.7. *Magna imperatoria laus eſt, temperantem in victu & vigilantem eſſe: noctu enim de rebus grauibus magis deliberamus, faciliuſq; noctu concluditur, quando animus ab omni externo rerum tumultu quieſcit.* Et n.8. *Alia inimicis dicito, alia facito. Res graues & ſecretas cum multis ne communices, ſed paucis, ijſq; fidelioribus amicis tuis. Ita enim hoſtes decipere ſæpè neceſſarium eſt.* Et n.108. *Solē & ventum & puluerem à tergo habeas tuorum, & ex aduerſo faciei hoſtium: ſiquidem hoſtium oculi vel ſole hebetati, vel ſpiritus puluere obſtructus, vel corpora vento tranſuerberata facilè tibi victoriam concedent.* Similia habet Vegetius l.3. c.9. Plura de vtilitate conſilij dixi c.15. ad illa: *Intelligens gubernacula poſsidebit.*

EI QVI REVELAT MYSTERIA, ET AMBVLAT FRAVDVLENTER, ET DILATAT LABIA SVA, NE COMMISCEARIS] Vers.19. Multi, ex Hebræo bimembrem faciunt hanc ſententiam. Hebræa enim ad verbum ſic habent: *Reuelans ſecretum vadens delator, & dilatanti, vel pellicienti, labijs ſuis ne miſceas te.* Vnde Septuag. bimembri modo ſic vertunt, *reuelans myſteriū ambulas fraudulenter, & ſeducenti labijs ſuis ne commiſcearis.* Complut. & Regia legunt, *reuelans conſilia in conſeſſu vadis duplex lingua, & cum extendēte labia ſua ne miſceare;* auctor Catenæ Græc. clariùs, *qui aperit conſilia ſecreta in conſeſſu, bilinguis incedit, cum eo porrò qui dilatat labia ſua, ne te miſceas;* Vatabl. *qui reuelat ſecretum ambulat in delatione, & cum eo qui homines allicit, verbis ſuis ne miſceas te. q. d. Fuge conſilium delatoris, & præterea blandientis;* Caietan. *reuelans myſteria ambulat explorator.* q. d. Qui ſecreta reuelat non tam amicus eſt, vti ſe eſſe ſimulat, quàm explorator & delator. Aut q. d. Ex hoc cognoſces quempiam nō eſſe amicum, ſed exploratorem, ſi nimirum tua ſecreta reuelet & prodat. Hic enim eſt bilinguis, quia amicè coram te loquitur, inimicè verò & hoſtiliter apud alienos, quibus te tuaque conſilia prodit.

Verùm quia ſi bimembrem facias ſententiam, nulla eſt connexio poſterioris hemiſtichij cum priore, hinc Noſter meliùs Hebrǽa vertit in datiuo (nomina enim Hebræorum cuiuſlibet ſunt caſus) itaque vnimembrem & connexam efficit ſententiam, hoc modo: Reuelanti myſterium, ſiue ſecretum, & fraudulenter inſtar delatoris ambulanti, & dilatanti labia ſua ne commiſcearis. Tria enim hic notat vitia inter ſe connexa, quorum vnum ex alio ordine ſuo manat & profluit. Primū eſt, reuelare myſteria, ſiue ſecreta, alterius ſibi commiſſa, quod eſt crimen infidelitatis & proditionis. Secundum, ambulare fraudulēter vt exploratorem & delatorem. Explorator enim agit loquiturq; fraudulenter, vt ſecreta expiſcetur, quæ ad alios deferat. Tertium eſt dilatare labia ſua, id eſt blandiri verbis amplis, ſpecioſis & magnificis: hiſce enim ſolent exploratores expiſcari ſecreta, quæ alijs prodant. Monet ergo cauendum eſſe proditorem, qui hiſce tribus vitijs ſcatet: qui ſcilicet amplè blādiendo expiſcatur ſecreta, quæ deinde ad alios defert. Vnde

Tigurina

Tigurina vertit, *ne ineas amicitiam cum eo qui ſecretum reuelat, aut qui vt mercatór circuit & blandiloquus eſt.* Hebr. enim רָכִיל *rachil* ſignificat mercatorem, indeque delatorem: quia ſicut mercator merces, ita delator ſermones factaq; aliorum ad alios defert & traducit.

Antiſtropha huic gnomæ eſt illa Arabum centuria 1. n. 36. *Ne aperi ſecretum tuum ſimijs*, id eſt deriſoribus & reuelatoribus. Sicut enim ſimiæ geſtus hominum, quos conſpicantur, imitando referunt: ſic deriſores & proditores eorum, quos derident, & produnt, dicta factaq; narrando alijs repræſentant. Et illa cent. 1. n. 56. *Ne profer opprobrium fratri tuo*: vel, vt alij vertunt, *Ne manifeſta fœditatem fratris tui.* Et illa Ben. Sira alphab. 2. littera *ſchin*: *Superſede litigare cum vicinis tuis: & ſi animaduerteris in ſocijs tuis rem malam, ne profer infamiam ipſorum lingua tua.* Si quid ergo in amico videris vi- B tuperabile, ſile; ſi quid laudabile, pro me & lauda. Nam vt aiunt Arabes: *Quandò magnificabis eum quem vides, is magnificabit te quem non vides.* Et rurſum: *Laudatio ditat, diffamatio mulctat.*

Nota. Pro *dilatat* heb. eſt פּוֹתֶה *pothe*, quod Primò, Syrus vertit, *feſtinat*: ſic enim vertit, *qui fidelis eſt ſpiritu rem occultat, & cum eo, cuius labia ſunt feſtinantia, ne commiſcearis.* q. d. Fidelis eſt tardiloquus, & arcana occultat: at verò infidelis eſt præceps & feſtinus ad loquendum, ideoq; facilè ſecreta effutit: quare ei ne commiſcearis. Et ſic aliqui exponunt τὸ *dilatat labia ſua.* q. d. Qui verboſus & garrulus eſt: hic enim longiorem quàm par eſt, habet linguam, vt vulgò dicitur, & latiora æquo labia: quia vltra ſecreti fidem, debitiq; ſilentij limites temerè ſe dilatant & extendunt. Probant ex Ariſt. qui in Phyſiognomicis docet eos, qui labra extenta & C magnum oris rictũ habent, eſſe loquaces nimiùm ac mordaces, & ad canes referri. Addit verò Albert. Magn. eoſdem eſſe ſecreti reuelatores, hæc enim duo ſibi ſemper inuicem hærent, multum loqui & nullum ſecretum ſeruare. Ita docet Plutarch. in l. de Garrulit. vbi garrulis & loquacibus hæc duo vitia familiaria eſſe dicit, arcana detegere, & ſermonibus ab alijs acceptis ſemper aliquid addere. Quocirca Seneca epiſt. 110. ad Lucilium: *Nihil æquè proderit ad quietem commodam retinendam, quàm minimum cum alijs, loqui plurimum ſecũ. Eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit & blanditur, & non aliter quàm ebrietas, aut amor ſecreta producit.*

Secundò, propriè פָּתָה *patha* ſignificat allicere, pellicere, blandiri, adulari, ſeducere, decipere. Qui D enim decipere ſatagunt alios, ipſis adulantur & blandiuntur, vt blanditijs ſuis eos fallant & capiant, ſicut piſces & aues capiuntur eſca. Vnde Tigur. vertit, *ne ineas amicitiam cum eo qui blandiloquus eſt*; nimirum caue à blandiente & blanditias: ſicut Vlyſſes cauebat Sirenes, eorumq; cantus abblandientes: & ſicut viatores cauent canes doloſos, qui abblandiendo mordent. Alij, *pellicienti*, vel *decipienti*, vel *adulanti*, vel *ſeducenti ne commiſcearis.* Ita R. Salomon, Aben Ezra & alij. Idem ſignificat Noſter, Septuag. & Pagnin. dum vertunt, *dilatat*: adulator enim & ſeductor dilatat labia ſua, ampla & ſpecioſa narrando vel promittendo, vt ijs audientem illiciat & capiat, ac præſertim vt eius arcana expiſcetur, quæ deinde alijs prodat, quod propriè hic intendit Salomon. Omnia enim hæc ad ſecreti reuelationem, eiuſq; proditorem ſpectãt. Hoc enim ingens eſt crimen, exoſum & noxium. Rationem à A priori dedi Eccleſ. 27. 19. Hinc patet Hebr. פָּתָה *patha* non tantùm ſignificare illicere & decipere ſed etiam dilatare: quia deceptor dilatat labia ſua vltra limites veritatis & fidelitatis ad falſa, ſpecioſa, vana, fallacia, quibus alium capiat. Vnde c. 24. 28. Septuag. Hebræum *patha* vertunt, *ne dilateris labijs tuis*, id eſt, vt Noſter explicat. *Ne lactes quemquam labijs tuis*, & Deut. 11. v. 16. Sept. τὸ *patha* vertunt *ne dilatetur cor veſtrum*, id eſt, vt Noſter explicat, *Ne decipiatur cor veſtrum*, vt ſcilicet bonis terræ ſatiati laſciuiatis inſtar vitulorum, ac dilatetis cor veſtrum vltra cultum veri Dei ad adorandũ deos alienos, quæ ſumma eſt deceptio & error.

QVI MALEDICIT PATRI SVO ET MATRI, EXTINGVETVR LVCERNA EIVS IN MEDIIS TENEBRIS] Hebr. *in nigredine* vel *obſcuritate caliginis*; Chald. *ſicut caligo tenebrarum*; Syrus, *ſicut pupilla tenebroſa.* Hæc enim heb. vocatur אִישׁוֹן *iſchon* à ſimilitudine virunculi, ſiue pupulę, quę apparet in pupilla. Vnde & Græcum κόρη, vt vertunt Septuag. & pupillas & puellas ſiue pupulas ſignificat. Et Septuag. ergo ſic vertas, *pupillæ vel puellæ eius videbunt tenebras.* q. d. Filiæ eius in ætate puellari ante nuptias morientur: quare eius proſapiæ & propaginis ſpes extinguetur. *Maledicit*, id eſt probris, ſannis, conuitijs, irriſionibus inceſſit, aut eis mortem, peſtem aliudue malum imprecatur: aut ſimili modo dictis vel factis in eos iniurius, maledicus vel maleficus eſt. Vers. 10.

Nota *& matri*, Id eſt matri, ſufficit enim ad culpam & pœnam alterutri maledicere, vt patet Leuit. 20. 9. Vnde Septuag. vertunt, *maledicentis patrem aut matrem extinguetur fax, pupillæ autem oculorum eius videbunt tenebras*; Symmach. *extinguetur fax eius ἐν σκοτομήνῃ*, id eſt *in obſcurilunio vel in luna illuni*, alij, *in pupilla noctis vel caliginis*, id eſt in nigerrima & obſcuriſſima nocte: pupilla enim oculi quia nigerrima, hinc ſymbolum eſt nigredinis, caliginis & obſcuritatis.

Quæres quænam hæc *lucerna*, & quomodo extinguenda in medijs tenebris. *Lucernæ ſymbola. Primum.*

Reſp. Primò, *lucerna* ſuâ luce ſymbolum eſt claritatis excellentiæ, famæ, nominis & gloriæ. Vnde vulgò dicimus aliquem officere luminibus alterius dum eius famam & gloriam obſcurat. Senſus ergo eſt. q. d. Qui maledicus vel maleficus eſt in patrem vel matrem, etiamſi aliàs præclarus ſit, & multis nominibus illuſtris, obſcurabit omnia hæc nomina, atque omne decus, claritatem, dignitatem & gloriam extinguet, & obruet tenebris impiæ in parentes maledicentię, & quę ex ea ſequitur ignominiæ, probri & infamiæ; imò non tantùm ſe, ſed & totam familiam, eiuſque ſplendorem, huius impietatis & infamiæ probro & caligine offuſcabit. Hic ſenſus planus eſt obuius & communis.

Secundò, *lucerna* ſymbolum eſt rationis, cognitionis, prudentiæ. q. d. Punientur magna ignorantia ait Vatab. vt ratione capti & mente priuati, nec tam homines quàm beſtiæ eſſe videãtur, eò quòd ſponte lumen naturalis rationis, quę dictat parentes eſſe colendos, ſopierint vel extinxerint. Vnde noſter Salazar ſic exponit. q. d. Filius qui parentes violat, ipſoſq; maledictis ac conuitijs à ſe longius pellit, *extinguetur fax eius in nocte illuni*, id eſt ratio & cõſilium in ipſo deficiet, & in nocte atra verſabitur. Quia is qui proprio conſilio caret, & patris matriſue exhortationes documentaq; præſtò non habet, in nocte agit ſine ſole, ſine luna & ſine face. *Secundum.*

Et

Et quidem eius qui parentes læſit, decens vtique pœna eſt defectus conſilij, & rationis. Is enim qui humanitatem omnino exuit, & ad feras quodammodo per immanitatem deſciuit, dignè mulctatur in his bonis quæ maximè hominem à feris diſcernunt, ſcilicet in ratione & conſilio.

Tertium.

Tertiò, *lucerna* ſymbolum eſt filiorum, nepotum & poſterorum. Sicut enim lucerna vna accendit aliam & aliam, per eamque lumen ſuum propagat: ſic pater ſuum quaſi ſpiritum & vitam inſpirat filijs, eumq; per nepotes & poſteros propagat. Vnde multi veterum cenſuerunt animam hominis, æquè ac equi & beſtiarum, naſci ex traduce; hoc eſt, animam filij traduci & gigni ex anima parentis; ſicut lumen lucernæ vnius traducitur ex luce lucernæ alterius. Verùm hic eſt error: verum tamen eſt ſpiritus vitales, & conſequenter vitam filij, traduci ex ſpiritu & vita parentis. Hinc illud Lucretij lib.2.

Et quaſi curſores vitia lampada tradunt.

Et Plato libr.6. de Legibus, docet parentes vitam filijs tradere, ſicut curſores tedas accenſas, quas initio ſtadij à præfecto acceperant, eo emenſo tradebant alijs, & hi alijs & alijs: is autem in cuius manu fax extinguebatur, habebatur infauſtus, turpis & inglorius: ſic pater qui moriebatur ſine liberis, vt in eo lucerna familiæ extingueretur, habebatur infelix & inglorius. Rurſum patris vita & gloria poſt mortem ſupereſt & viuit in filio, quem poſt ſe quaſi alterum ſe reliquit. Dicit ergo Salomon, quòd maledici in parentes extinguetur lucerna, id eſt filiorum generatio & propago, vt ſcilicet filios non generet, vel, ſi generet, citò emoriatur, itaque ipſe eiuſque nomen moriatur, abeatque in tenebras mortis & obliuionis æternæ. Qui enim patrem non honorat, meretur carere honore paterno, vt ſcilicet pater non fiat. Qui generantem ſpernit, dignus eſt qui genitura & generatione priuetur. Ex aduerſo Deus in Script. dicitur filijs pijs parare lucernam, id eſt filios & poſteritatem illuſtrem & ſplendidam, vt Dauidi & Chriſto dicens: *Paraui lucernam Chriſto meo*, pſalm. 131. verſ. 17. Et de Abia: *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Ieruſalem, vt ſuſcitaret filium eius poſt eum* 3. Reg. 15. 4. *Lucerna* ergo *Dauidis* regis eſt poſteritas regia, ſiue filij & nepotes Dauidi in regno ex ordine ſuccedentes. Igitur hic ſenſus valdè huic loco appoſitus, æquè phraſi Scripturæ conueniens eſt.

Quartum.

Quartò, *lucerna* ſymbolum eſt vitæ. Sicut enim vita alitur humido radicali: ſic lucerna ardens alitur oleo eoq; deficiente languet & emoritur. Vnde illud Polyxenæ in Iphigenia Euripidis: *Vale amicum lumen*, id eſt vale vita: en morior. Ignis enim eſt viuax, viveturque viuere: vnde à nonnullis exiſtimatus eſt eſſe animal, non ea tantùm de cauſa, quòd vt animalia cetera nutriatur, imò omniuorus ſit & inſatiabilis; ſed quòd etiam ſenſu pollere videatur, quòd tunc præcipuè, cùm extinguitur, apparet: quippe qui velut principij vitalis expers minimè ſit, inclamat, excandeſcit, ſtridet, vlciſci ſtudet, reluctabunduſq; reſiſtit, velut reliqua faciunt animantia quæ violenta morte pereuntur, inquit Pierius Hierogl. 46. cap. 14. Senſus ergo eſt, q.d. Maledicus in parentes non tantùm filijs & proſapia, ſed & vita ipſa priuabitur vel à iudice, vel à Deo, iuxta legem ab eo ſancitam Leuit. 20. 9. *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: patri*

A *matriq; qui maledixit, ſanguis eius ſit ſuper eum*, idq; *in medijs tenebris*, cū maximè lucerna opus eſt, id eſt, in iuuentute, ait Caiet. cùm maximè eū viuere oportebat, immatura morte & illiberis morietur æterna obliuione ſepultus. Addit Pierius cap. 9. At Veſtalis ignis, inquit, quem tantâ diligentiâ Romanæ virgines nutriebant, ſublimiorem diuinioremque vitam præ ſe ferre videbatur: hunc itaque & cuſtodia, & nutrimento adiuuabant, quòd ſuperioris illius vitæ ſymbolum æternum videtur. Atque inter portenta, vt Dionyſius & alij referunt, vrbis periture præſagium habebatur, ſi caſu aliquo accidiſſet eum extingui. Hinc Camillus ad Quirites ait: *Quid de æternū Veſtæ ignibus, ſignoq; quod imperij pignus cuſtodia eius templi tenetur, loquar?* Et Virgil. Æneid. 2.

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Cernere eſt nonnumquam lucernam in baſi alicuius ſimulacri: id æternitatem ſignificare nonnulli arbitrantur: hucuſque Pierius. Sanè Romæ in cœmeterijs S. Priſcillæ, S. Sebaſtiani, S. Laurentij & aliorum, in ſepulcris Martyrum & fidelium, videmus paſſim appoſitas lucernas teſtaceas quaſi ipſorum fidei, ſpei & virtutis rediuiuæ indices, ac triumphi, vitæ & gloriæ teſſeras quòd, licet mortui mundo, viuant tamen Deo in ſpe vitæ æternæ, expectãtes glorioſam corporis reſurrectionem. Hæc lucerna pariter maledicis filijs extinguetur: quia vita æterna priuabuntur, ibuntque in tartara ad tenebras exteriores.

Quintum.

Quintò, *lucerna*, putà lux & ignis, ſymbolum eſt pietatis, ſanctitatis, religionis, cultus diuini, ipſiuſque diuinitatis. Hinc lucernæ in miſſa & officijs diuinis adhibentur, & ad corpora Martyrum appenduntur, vti Romæ in templo S. Cæciliæ 80. lampades iugiter noctu diuque ardentes conſpicimus. Cur ignis deceat Deum & diuina, ſeptemdecim rationes & analogias recenſui Leuit. 9. in fine capitis. Senſus ergo eſt, q.d. Maledicus & impius in parentes extinguit in mente ſua lucernam, id eſt lumen pietatis, ſanctitatis & cultus diuini: quia Dei iubentis coli parentes metum, amorem & obedientiam exuit, videturque planè profanus, impius & atheus. Hinc Plato lib. 11. de Legibus: *Cultus deorum*, inquit, *ad honorandum parentes velut præmium eſt*. Hinc rurſum lucerna ſymbolum eſt ſacerdotij, vt Ierem. 25. 10. *Perdam &c. lumen lucernæ*, id eſt, perdam ſacerdotium cuius eſt lucernas curare, & templum in quo accendebantur, ac ſabbata & ſacra quæ earum ſplendore celebrabantur, euertam. Quocirca ſacerdotes olim lucernas, lampades & tedas accenſas præferebant. Vnde illud Clementis Alexandr. in Protreptico de ſacerdotibus Bacchi: *Extingue ignem, ô ſacerdos, reuerere lampades ô tu qui faces geris? Tuum Iacchum lux arguit.* Pluribus id demonſtrat Lipſius in Electis, & Mart. de Roa lib. 2. Singul. cap. 16.

Sextum.

Sextò, *lucerna* ſymbolum eſt dominatus opum regni & imperij: quia ſicut ignis eſt rex elementorum, ita princeps eſt hominum. Quapropter lucernæ, faces & ignes regibus præferri ſolebant, vti oſtendi Ieremiæ 1. v. 13. Hinc ortum, vt à ſacris maximè ſcriptoribus lucerna pro regno ac regibus, pro ſplendore ac gloria capiatur, vt purpura & faſces pro magiſtratu, & eius generis alia. Sic dicitur 2. Reg. 21. 17. *Non extingues lucernam Iſrael*, id eſt regnum aut regem. Et Regius Propheta: *Paraui*, inquit, *lucernam Chriſto meo*,

id eſt regnum atque imperium regi meo. Ioannes verò Baptiſta *lucerna* dicitur, primùm, quia Chriſto diuûm atq; hominum vero regi terras ineunti facem præluxit; ſiue imperium eius & principatum hoc veluti ſymbolo profitens: ſiue nuptias, quas cum ſponſa ſua Eccleſia celebraturus aduenerat. Deinde etiam *lucerna* dicitur, quia non erat ipſe lux, ſed lucis nuntius; & ideo lucerna lucens: &, quia ignem continebat illum, qui ignem venerat miſſurus in terras, ardens. Hęc accenſa primùm in vtero parentis, cùm ambo pueri ſe ſuſcepti quidem in lucem, lucem alter dedit, alter recepit: deinde inflammata vberiùs, cùm ad Iordanem die coiuere luſtrali. ita noſter Martinus de Roa lib. 2. Singular. cap. 17. Significat ergo Salomon, filios licet potentes principes latè dominantes, ſi maledici & impij ſint in parentes, per iuſtam Dei vindictam hac potentia, dominatu & regno exuendos, vti contigit Abſalomo regnum Dauidis patris impiè inuadenti, qui in arbore capillis ſuſpenſus à Ioab tribus lanceis confoſſus eſt, 2. Regum 18. 14.

Septimum. Septimò, *lucerna* & lux ſymbolum eſt lætitiæ, proſperitatis & felicitatis: hæc enim animum recreat & beat, vti lux oculos. Hinc de impio audiuimus cap. 13. 9. *Lucerna impiorum extinguetur.* Et Iob cap. 18. 6. *Lux, ait, obtenebreſcet in tabernaculo eius, & lucerna quæ ſuper eum eſt extinguetur.* Et cap. 29. 3. *Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meū, & ad lumen eius ambulabam in tenebris*, id eſt, quando proſpera vtebar fortuna, quando copioſus eram, felix & fortunatus. Lucerna ergo maledici in parentes extinguitur in tenebris, cùm in impietatis pœnam Deus illi proſperitatem adimit, eamque commutat in calamitatem, & felicitatem in infelicitatem, dum ſcilicet efficit, vt omnia ei cadant infeliciter, ac in caput maledicum reſulrent, quòd patri ſuo inſultare non eſt veritum. *In tenebris* ergo, id eſt per tenebras, cùm ſcilicet grauiſſimæ tenebræ eam obruent. Id autem fit tum in morte, quæ omnem claritatem & felicitatem impiorum tollit, tum in tempore etiam temporalis vltionis diuinę, quę frequenter per tenebras ſignificatur. Contrà de iuſto dicitur: *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies*, Iſaię 58. 10 Et rurſum: *Quis ex vobis timens Dominum, qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei?* Iſaiæ 50. 10. Adueniente enim die mortis & vltionis diuinæ, non vincitur ab eis tenebris virtus & claritas iuſtorum, ſed magis eluceſcit & tenebras ſuperat: at contrà impiorum claritas ab illis tenebris ſuperatur & opprimitur.

Hic ſenſus valdè appoſitus æquè ac communis & amplus eſt, ceteroſque omnes complectitur: lucerna enim & lux ſymbolum eſt lętitiæ & felicitatis, omniumque quæ voluptatem & gaudium pariunt, aut habentur in honore, in delicijs ac pretio; eiuſmodi ſunt opes, fama, potentia, dominatus, regna, imperia, triumphi, decus ac gloria, ceteraque huius generis.

Symmach. vertit, *extinguetur fax eius in nocte illuni*, id eſt, in denſiſſimis tenebris, cum nec à lucerna, nec à cælo lumen habebit. Omne enim noctis lumen eſt à luna & ſtellis.

Symbolicè, luna repræſentat matrem, ſicut ſol patrem, iuxta illud Ioſeph: *Vidi quaſi ſolem & lunam & ſtellas vndecim adorare me*, id eſt vidi patrem, matrem & vndecim fratres adorare me, Geneſ. 37.

A Sicut enim nocte abſente ſole luna præbet lumen: ſic abſente vel moriente patre mater filio exhibet ſolatia, conſilia & monita ſalutis, ſi luna fiat illunis, id eſt, ſi abſit vel moriatur mater, filius patre & matre carens omni ſolatio & conſilio deſtituitur. Dicit ergo Salomon. Filius qui probris vel conuitijs inceſſit patrem & matrem, meretur vtroque orbari, atque ac filijs, nimirum meretur, vt ipſe nec ſit pater filijs amiſſis, nec filius parentibus extinctis: ſic enim omnis illi lucerna tam ſuperne quam inferne extinguitur.

Myſticè, per patrem & matrem accipe Prælatos, Paſtores, principes: qui enim his maledicit, lucerna eius ſeptuplex iam recenſita extinguitur. Hinc auctor Catenæ Græcor. Per patrem, inquit, hoc loco accipe Deum, per matrem verò legis iu-

B ſtitiam, quos qui maledictis inceſſierit, aut aſpernatus alioqui fuerit, *lucerna*, hoc eſt cognitionis lux, quæ in ipſo erat, extinguetur. Pupillæ autem oculorum eius videbunt tenebras, nempe futuri iudicij terrorem & obſcuritatem.

HEREDITAS AD QVAM FESTINATVR IN PRINCIPIO, IN NOVISSIMO BENEDICTIONE CAREBIT] Hebr. & Chald. *in fine non benedicetur.* Septua. *pars feſtinata in primis, in nouiſſimis non benedicetur.* Eſt hic in Hebræo *keri vketif*, vt vocant Maſſoretæ, id eſt varietas lectionis & ſcriptionis. Scribitur enim מְבֹחֶלֶת *mebohelet* per *chet*, quę radix tantùm hic reperitur, & Zachar. 11. 8. vbi fusè eam explicui. Significat enim rem deteſtabilem, quam abominamur, & nauſeando euomimus, qualis eſt *hereditas feſtinata*, præſertim furto & malis artibus parta, ait Aben Ezra. Sed legendū eſt מְבֹהֶלֶת *mebohelet* per *he*, id eſt feſtinata, vt vertunt Septua.

C Symmach. Theodot. Pagnin. & alij: Tigurina *præpropera*, Vatabl. *præcipitata*, vel *cum præcipitatione parta*: Aben Ezra, *ex rapina congeſta*; tales enim ſępè ſunt, quę citò & feſtinanter per fas & nefas corradunt ur. Radix enim בָּהַל *bahal* importat cum paſſione celeritatem tempo is & præcipitantiam, ac ſignificat accelerauit, feſtinauit, præcipitauit, turbauit, ſubito terrore perculit. Congruit ſignificatione, æquè ac literis per metatheſin tranſpoſitis, cum הָבַל *habal*, quod ſubitam euaneſcentiam ſignificat, vnde הֶבֶל *hebel*, eſt vanitas, indeque dictus eſt *Abel*, quòd citò occiſus à Cain fratre ſuo ſubitò euanuerit. Sic & hic *bahal* vertitur in *habal*, id eſt opes citò partæ euaneſcunt.

D Senſus ergo eſt, q. d. Hereditates & opes citò & præcipitanter partæ carent benedictione, id eſt ſucceſſu, felicitate, abundantia & fructu: quia adeò non augentur, vt ſenſim decreſcant & deficiant, tum quia præcipitanter & tumultuariè, ideoque imprudenter, ac ſæpè per fas & nefas corradunt ur: præcipitantia enim opponitur conſiderationi & conſilio quo res firmari & felicem exitum ſortiri ſolent: tum quia heres illas citò ſine magno labore, imo facilè peperit: hinc minoris eas æſtimat, minuſque tuetur & cōſeruat: quæ enim quis magno labore & ſudore peperit, illa diligit, curat, ſtudioſè conſeruat, ait R. Leui. Vt hæc gnome idem dicat quod illa cap. 13. 11. *Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur*, vbi multis eam explicui. Exemplum dat R. Salomon, tribus Gad, Ruben & dimidiam Manaſſe, quæ quia feſtinè partem ſuam acceperunt cis Iordanem, hinc primę patuerunt incurſui hoſtium,

hoſtium, ac primæ vaſtatæ ſunt ab Hazael rege Syriæ, tempore Iehu regis Iraël & Ioas regis Iuda, 4. Reg. 10. 33.

Igitur hanc ſententiam rectè adaptes parentibus, qui per fas & nefas opes accumulant, vt amplam hereditatem filijs poſt ſe relinquant: nam hi non rarò ſua ſpe fruſtrantur, ac ſæpe filios pauperes dimittunt. Ratio eſt, quòd malè parta malè dilabuntur: &, vt vulgo dicitur,

De malè quæſitis non gaudet tertius heres.

Secundò, Caietan. appoſitè ſic exponit, q.d. Hereditas, quam filius iuuenis ante mortem patris adire feſtinat, benedictione caret: quia ab eo regi & conſeruari nequit, ſed iuueniliter & temerè diſſipatur, conſumitur & decoquitur. Hinc illud vulgò tritum: *Si vultur es, expecta cadauer*: ſi vis hereditate paterna gaudere, eaque ſatiari & frui, expecta mortem patris inſtar vulturis, qui nullum animal occidit, ſed mortua vel ab alijs occiſa depaſcitur. Exemplum eſt in filio prodigo, qui præproperè portionem hereditatis ſuæ à patre exigens, eam conſumpſit luxurioſè viuendo cum meretricibus. Vnde ad tantam pauperiem redactus eſt, vt coactus ſit fieri ſubulcus, & paſcere porcos, Lucæ 15.

Tertiò, *Iò feſtinatur* accipi poteſt pro *citò & feſtinanter conſumitur*, q.d. Hæreditas quæ cito & feſtinanter conſumitur, benedictione carebit, id eſt ocyus deficiet & diſſipabitur. Sic enim helluones & iuuenes, cùm ad menſam dapum opumque feſtinata ingluuie accedunt, illicò eam abſumunt, deuorant & diſſipant. Eſt metalepſis.

Triplex hæc expoſitio oritur ex triplici acceptione verbi *feſtinatur*. Primò enim *feſtinatur*, id eſt feſtinatò acquiritur; *Secundo*, *feſtinatur*, id eſt feſtinatò aditur & occupatur; Tertiò, *feſtinatur*, id eſt feſtinatò conſumitur.

Myſticè, homines mundani quia feſtinant hereditare terram, & frui præſentibus, hinc amittunt bona futura & hereditatem cæleſtem. Ita Cain ædificans ciuitatem in terra, amiſit ciuitatem ſupernam, Geneſ. 4. *Hunc imitantur homines, qui feſtinant ad feſtiuitatem terrenæ felicitatis, nec futuram expectant dedicationem regni filij Dei (vnde & illud dictum Sapientis: Hereditas, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit)* vt expectauit Henoch, id eſt dedicatio, *qui ambulans cum Deo non inueniebatur: quia tulit eum Deus. Siquidem iuſti per fidem in ſeptima mundi ætate dedicatam ſibi ſperant requiem, & eorum ſpes in illud proficiſcitur, quod in præſenti non videtur. Non enim habemus, inquiunt, hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus*, inquit Rupertus li. 4. Geneſ. cap. 10.

Sicut ergo Eſau guloſè, auidè & præproperè inhians pulti Iacobi, vendidit eidem & perdidit iura primogenituræ, Geneſ. 25. 34. ſic impij, quia præproperè & impatienter inhiant felicitati & voluptati, hinc eam quam mundus affert, acceptant in terra, ideoque perdunt cæleſtem, quam iuſti longa ſpe & patientia in tribulationibus huius mundi expectantes, naneiſcuntur in cælis. Vnde Apoſtol. Hebr. 11. 1. *Fides*, inquit, *eſt ſubſtantia rerũ ſperandarum, argumentum non apparentium.* Vide totum illud caput. Accedit auctor Catenæ Græcor. qui ſic explicat. q.d. Malitia initio auidis faucibus haurit voluptatem; at ſub finem ſectatorem ſuum in maledictionem deijcit. Porrò autem virtus, quæ à labore exordium facit, deſinit tandem in bene-

A dictionem. Aut pars accelerata ea hîc dicitur, quæ nimia feſtinatione & tumultuatione ſuſcepta eſt. Iuxta illud: *Tunc feſtinauerunt principes Edom*, Exodi 15. Hæc ille.

Moraliter hîc diſce, quantum malum ſit præpropera feſtinatio ac præcipitantia, quamque ſapientiæ & prudentiæ, quæ conſilium & maturitatem requirit ad opes ſpiritales æquè ac corporales comparandas, contraria. Hinc Auguſti Cæſaris gnome erat, σπεῦδε βραδέως, id eſt *feſtina lentè*, teſte Gellio li. 10. c. 11. Et Comicus: *Tutiora ſunt quæ lentis conſilijs prouidentur, quàm quæ calidis conſilijs properantur. Delibera vtilia, mora tutiſſima eſt. In nocte cõſilium.* Saluſtius: *Antequam incipias, conſulta, vbi conſulueris, maturè facto opus eſt*, quam ſententiam laudat Ariſtot. li. 6. Moral. Bias: *Cunctanter aggredere negotium, verùm in ſuſcepto conſtanter perſeuera*, Terent. in Phorm. *Dij bene vertant quod agas, pedetentim tamen*;
B &, vt Plutarchus ait, *Bubulo pede*. Sophocles in Oedip. *Periculoſa eſt præpropera prudentia.* Mimus Publianus: *Diu apparãdum eſt bellum, vt vincas celeriùs.* Quintilianus: *Præcox illud ingeniorum genus non temerè peruenit ad frugem.* Vulgò dicunt: *Qui pueri adhuc & velut ante tempus ſapiunt, in ſenectute ſtultos euadere.* Aëtius apud Gellium ait, ſibi in iuuenilibus ingenijs, itidem vt in pomis immaturis, placere acerbitatem: nam hæc demum mureſcere: porrò maturitas tempeſtiuam affert ſuauitatem, reliqua ante tempus putreſcere. Hoc innuit Homerus Iliad. 1. vbi Pallas à tergo ſtat Achilli, eumque manum admouentem gladio coërcet.

Feſtinationis comites eſſe ſolent error & pœnitentia, iuxta illud: *Multis malorum cauſa eſt præcipitantia.* Et illud: *Canis feſtinans cæcos parit catulos.* S. Hieron. ad Pammach. *Scitum eſt*, inquit *illud Catonis: Sat citò, ſi ſat bene.* Sic qui præproperè virtutes
C conſectantur, properatas potiùs & euanidas acquirunt quàm ſolidas & perpetuas. Solent enim præcocia cito flacceſcere: quod autem paulatim accreſcit, durabile eſt, iuxta illud Horatij: *Creſcit occulto velut arbor æuo.* Vnde Pindarus hymno 8. in Nemeis: *Augeſcit*, inquit, *virtus velut cùm arbor virente rore ſurgit, ſapientes inter viros ſublata iuſtoſq; ad liquidum æthera.*

Tropol. S. Gregor. parte 3. Paſtor. admonit. 21. hanc gnomen adaptat, imò obijcit auaris, qui caducis obuijs inhiantes amittunt æterna, quaſi inquilini terræ & exules cæli. *Cùm qualibet*, inquit, *præſentis mundi lucra deſiderant, & quæ de futuro damna patientur, ignorant, audiant quod ſcriptum eſt: Hereditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit. Ex hac quippe vita initium ducimus, vt ad*
D *benedictionis ſortem in nouiſſimo veniamus. Qui itaque in principio hereditare feſtinant, ſortem ſibi in nouiſſimo benedictionis amputant: quia dum per auaritiæ nequitiã hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exheredes fiunt.* Beda vero ſic: *Hereditas ad quam feſtinatur*, &c. hoc eſt, *Qui gradum regiminis priuſquam ſubeſſe didicerit, id eſt ante tempus, feſtinans, præpoſterus, accipit, in nouiſſimo mercede benedictionis, quæ bonis rectoribus debetur, carebit: qui ad myſterium altaris indoctus & temerarius acceſſit, & ipſe in die nouiſſimo gratiam remunerationis, quæ bene miniſtrantibus repromittitur, perdet. poteſt & ita accipi, quod qui in præſenti ſuas vlciſci vult iniurias, hic corona patientiæ in futuro carebit. Cui ſenſui potiſſimùm videtur conuenire quod ſequitur;* Ne dicas, *Reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te.*

Maturè cõſultandum.

Gnoma.

Præcipitantia, damna.

NE DICAS, REDDAM MALVM : EXPECTA DOMINVM, ET LIBERABIT TE] Hebr. וְיֹשַׁע לָךְ *veioſa lach*, id eſt & ſaluabit te, erit tibi Ieſus. Nomen enim Ieſus, id eſt ſaluator, deriuatur à יָשַׁע *iaſta*, id eſt ſaluauit. Septuag. *ne dixeris, vlciſcar inimicum* (S. Cyprian. lib. 3. Teſtim. & ad Demetrianum legit, *vlciſcar me de inimico meo*) *ſed ſuſtine Dominum, vt tibi auxilio ſit*; Syrus, *reddam malum pro bono*; meliùs alij, *reddam malum pro malo*. Propriè enim vetat vindictam & retaliationem; ne ſcilicet malum malo rependatur. Reddere enim, eſt ſimile ſimili vel par pari retribuere. Vnde Aben Ezra: Ne *dicas*, inquit, *te par pari repenſurum ijs, qui te malo affecerint*. Hic enim appetitus par pari regerendi in malis, valdè vehemens eſt in homine, illique quaſi innatus, ac nonnullæ nationes ad hoc ita procliues ſunt, vt in ea re ſuum honorem, imò felicitatem ſitam putent. Auctor Catenæ Græcor. *Ne teipſum vindices*, inquit, *ſed præſtolare Dominum qui dixit: Da mihi vindictam, & ego retribuam*, Roman. cap. 12. v. 19.

NE DICAS] in animo tuo, & multo minùs ore tuo: tum quia ore enuntiando malum vindictæ animo conceptæ propoſitum, illud obfirmas: tum quia alios ſcandalizas: tum quia ſunt qui putant, ſe obligari in conſcientia præſtare id quod dixerunt, eſto malum ſit & alteri iniurium, quales ſunt hodie Puritani puriores, imò impuriores, in Anglia.

Ratio à priori eſt: quia reddere malum pro malo, non eſt actus iuſtitiæ, ſed vindictæ, quæ illicita eſt omnique iure vetita: malum ergo repercutiendum eſt ſcuto patientiæ, non telo vindictæ. Rurſum qui malum intulit, dedit tibi occaſionem magnæ virtutis & meriti: non ergo tibi malum, ſed ingens bonum obtulit: materiam enim tibi dedit magnæ victoriæ & coronæ. Quare non odio ſed amore, non vindicta ſed potiùs gratiarum actione dignus eſt. Qui ergo nos verbo aut verbere lædunt, non tormentorum carnifices, ſed coronarum aurifices ſunt. Igitur benefici ſunt, non malefici: ac tantum eorum beneficium (materiale, non formale, quia non eſt ex eorum mente & intentione) beneficio pari penſandum eſt. Vide quæ de hac re dixi Rom. 12. 17. Eccli. 28. 7. & ſequ. & 1. Petr. 2. 23.

EXPECTA DOMINVM, ET LIBERABIT TE] non dicit, *& vindicabit te*; licet & hoc ſæpè verè contingat, ſed *liberabit te*; vt ſignificet læſum debere deſiderare ſui liberationem, non læſoris pœnam & noxam. Chald. *ſpera in Deo, & ſaluabit te*. Pro *expecta* hebr. eſt קַוֵּה *kauue*, quod verbum dicitur de ijs, qui magno animi deſiderio in aliquem intenti ſunt & reſpiciunt, eumque expectant & amplectuntur, ſibique applicant. Significat ergo læſum non ad amicos, non ad ſatellites, non ad milites, ſed ad Deum confugere debere, in eum reſpicere, totaque ſpe intendere, ab eoque expectare ſui liberationem. Igitur toto corde debere Deum amplecti, eumque ſuæ læſioni & dolori velut pharmacum efficaciſſimum, & ſolatium certiſſimum applicare. Hoc facit noſter Ieſus, id eſt ſaluator, ſuis dilectis in ſe confidentibus, totaque acie mentis intendentibus. Aſpice ergo in eum, & ipſe te viciſſim oculo paternæ prouidentiæ reſpiciet & ſaluabit, iuxta illud Pſaltis: *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri*, pſalm. 122. 2. Intuere, quo affectu canes in herum prandentem reſpiciunt, vt ab eo eſcam accipiant: pari affectu tu reſpice in Ieſum, & omni bono paſcet te.

Panoplia Ieſu & victoria quintuplex. Prima. Hæc ergo gnome eum, qui iniuriam patitur, inſtruit docetque, quid facere debeat, eique panopliam inuictam ſuggerit, qua omnia vincat & ſuperet. Panoplia hæc eſt patientia, mitit‍as, animi reſignatio & ſpes in Deum. Hac enim tolerando vincit Primò, iniuriam, quamuis atrocem & multiplicem, vti Chriſtus dux noſter vicit, teſte S. Petro loco iam citato.

Secunda. Secundò, vincit ipſum iniuriantem, dum iniurijs eius ſe non moueri, imò ijs fortiorem & celſiorem oſtendit, ac bonum pro malo rependit: qua charitate velut igne cor eius ſuccendit, ſibiq; deuincit, illudque cogit, vt amantem ſe redamet, itaque ex inimico facit amicum.

Tertia. Tertiò, vincit ſeipſum, putà ſuam iram, vindictæ cupidinem, impatientiam, omnibuſq; hiſce, ac ceteris animi motibus quaſi rex dominatur & imperat. Patiens ergo ſui eſt dominus & rex animi, ac conſequenter dæmonis, imò dæmonum omnium, qui olim victi ab ira, nunc omnes ad eamdem ſuſcitare conantur.

Quarta. Quartò, vincit adſtantes & audientes. Hi enim audita eius inuictâ patientiâ, eũ admirantur, amant & colunt.

Quinta. Quintò, vincit ipſum Deum, ab eoque opem elicit, vt eum ab omni malo liberet. Ex aduerſo impatiens vincitur Primò, ab iniuria proximi; Secundò, ab iniuriante, ab eoque ſe lædi & ſubigi fatetur; Tertiò, ab ira & impatientia ſua, ac à dæmone qui eam ſuſcitat; Quartò, ab aſtantibus, qui eum irrident; Quintò, à Deo, qui eum deſerit, & iniurijs maioribus exponit.

Gnome. Hanc ergo gnomen vſurpa, tibi applica, rumina & practica, quicumque pateris, & omnis mali in ea leuamen inuenies. Verè S. Auguſtinus, *Maledictum*, inquit, *patientiâ repercuſſum in auctorem redit, eo qui petebatur illæſo*. Hinc Ieremias Chriſti patientis typus, tot probris & plagis à Iudæis affectus, ad Deum confugiens cap. 17. 14. *Sana me Domine*, inquit, *& ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es*. Et mox: *Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit. Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis*. Et Dauid fugiens Abſalom, maledictis à Semei appetitus: *Dimittite eum*, inquit, *vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*, 2. Regum cap. 12. v. 11.

Salomoni ſuccinit Siracides Eccli. 1. 29. *Vſque in tempus*, inquit, *ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis*. Et cap. 2. 21. *Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius*. Et v. 2. *Ne feſtines in tempore obductionis* (afflictionis) *ſuſtine ſuſtentationes Dei: coniungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua*. Et v. 6. *Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum*. Et S. Ignatius apud Antonium in Meliſſa parte 2. cap. 89. & 90. *Firmiter*, inquit, *dum cæderis quaſi incus ſtato. Generoſi athletæ eſt cædi & vincere: maximè autem propter Deum omnia nobis patiẽda ſunt, vt ipſe nos patiatur. Patienter alij alios cum manſuetudine*

tudine patimini, vt ſemper Deus nō leniter ferat. S. Gregor. Nazianz. ibidem. *Eſt in fabulis,* inquit, *plantam quandam eſſe, quæ cùm inciditur germinet, quæq; cum ferro certare dicatur, quæ morte viuat, & inciſione naſcatur, & conſumptione augeatur. Talis mihi videtur eſſe ſapiens, qui in perturbationibus claritatem conſequitur, cui virtutis materia eſt moleſtia, & aduerſis ornatior redditur. Vtile eſt audaciam manſuetudine vincere, & meliores reddere iniuriam facientes, quæ nobis inferūtur patienter ferendo. Nihil eſt fortius ijs, qui ferre omnia parati ſunt.* S. Chryſoſt. ibidem: *Nulla res æquè facit venerabiles,* inquit, *atque iniuriam ſuſtinere. Solet Deus non à principio mala auertere, ſed cum vſq; ad ſummum venerunt & creuerint, cùm nihil præter miſſum fuerit ab hoſtibus, atque omnia experti ſint, tū ſimul omnia in ſummam tranquillitatem conuertit, ac præter omnium expectationem res ipſas optimè conſtituit & firmat. Cùm quis te offendit, noli ad ipſum aſpicere, ſed ad dæmonem impellentem, & iram totam in illum effundito; illius autem miſerere, qui à dæmone impellitur.* S. Baſil. ibidem: *Si iraſceris conuitianti,* inquit, *conuitia approbaſti. Quid enim ira inſipientius? Sin verò nihil moueris iram, iniuriam facientem pudore affeciſti, re ipſa temperantiam declarans.* S. Gregor. Nyſſen. S. Baſilij frater apud Maximum ſerm. 42. *Conuitiorum,* inquit, *& contumeliarum progreſſus, lenitate ferendi ſiſtitur. Nam ſi quis contumelia contumeliam, & conuitio conuitium vlciſcatur, hæc ipſa vitia augebit, dum quod abſurdum eſt ſimilibus alit. Firma & indubitata gratia ſpes, & fruitio eſt ijs, qui per patientiam expectant.*

VERS. 23. ABOMINATIO EST APVD DOMINVM PONDVS ET PONDVS: STATERA DOLOSA NON EST BONA] ſed mala, imò peſſima. Eſt mioſis: minus enim dicitur, & plus ſignificatur. Hebr. *bilances doli non bonum;* Chald. *non places coram eo.* Audiuimus hanc gnomen v. 10. & c. 11, v. 1. vbi eam explicui.

Myſticè S. Ambroſ. in pſalm. 61. ex Septuag. ſic legit: *Exſecrabile Domino duplex pondus, & ſtatera fallax non bona;* ſicque explicat: *In quo ſignificat eos, qui rapinam inexplebili corde meditantur, & ſobrietatem fronte prætendunt. Tales ſcribæ Iudæorum ſunt, qui onera grauia alijs obſeruantiæ durioris imponunt, non habentes rectū iugum animæ ſuæ, ſed propenſa iniquitate curuatis ipſi autem ſuorum præceptorum refugi ſunt.*

Rurſum alij hęc applicant ijs, qui ſe coram Deo in ſecreto humiliant, ſed coram hominibus publicè extollunt. Audi S. Bernard. ſerm. 42. in Cantic. *Pondus,* inquit, *& pondus abominatio eſt apud Deum. Quid enim? tu te depreciaris in ſecreto apud teipſum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij mentiens maiori te pondere vendis nobis, quàm ab ipſa accepiſti. Time Deum, & noli hanc rem peſſimam facere, vt, quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim eſt reſiſtere veritati, hoc pugnare contra Deum.* Verùm vt idem ait: *Hæc humilitas, quam nobis veritas parat, non habet calorem,* ſed neceſſe eſt charitate formetur, & inflammetur.

VERS. 24. A DOMINO DIRIGVNTVR GRESSVS VIRI (fortis & ſtrenui, qui magna & ardua molitur: hunc enim ſignificat Hebr. גֶּבֶר *guber;* vnde *Gabriel,* id eſt fortitudo Dei) QVIS AVTEM HOMINVM INTELLIGERE POTEST VIAM SVAM?] Septuag. *mortalis autem quomodo cogitauerit vias ſuas?* Hebr. *à Domino greſſus hominis,* ſubaudi, pendent, ſunt, diriguntur: *& homo quomodo intelliget viam ſuam?* Hanc gnomen mutuatus eſt Salomon à patre ſuo Dauide, pſalm. 36. 23. *Apud Dominum* (hebr. *à Domino*) A *greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Vbi pro *dirigentur* hebr. eſt כּוֹנָנוּ *conannu,* id eſt, vt S. Hier. *firmantur;* alij, *præparātur* vel aptantur; alij, *ratificantur;* alij, *perficiuntur.* Radix enim כּוּן *conen* dicitur de quacumque aptatione, quę in ſe includit firmitatem, certitudinem & ſoliditatem. *Greſſus* & *viæ* ſignificant opera, ſtudia, actiones, totumque vitæ inſtitutum & decurſum. Hæc enim omnia in homine, vtpote viatore, non ſunt ſtabilia, ſed perennis quidam motus & tranſitus, vt ex Origene ait S. Ambroſius. Significat ergo non hominis, ſed Dei, eiuſque prouidentiæ, eſſe actiones, ſtatus totamque vitam hominis diſponere, ordinare, ſtabilire, proſperare, perficere & ad felicem finem deducere. Hæc enim omnia ſignificat τὸ *diriguntur.* Porrò actiones hominis ſunt duplices; ſcilicet naturales & ſupernaturales: illas dirigit Deus naturali & communi ſua prouidenB tia, has ſupernaturali & ſpeciali. Vnde de naturalibus Rabbini & Baynus ſic exponunt, q. d. Neſcit homo profecturus aliò, quando, quod & quale iter debeat capeſſere, præſertim in biuio vel triuio; neſcit rurſum quid in itinere ei ſit euenturum, & quando, quomodoque domum ſit reuerſurus. Meliùs fideles de ſupernaturalibus accipiunt. Vnde Dauid pſalm. 36. hanc gnomen applicat iuſto (hic enim eſt *geber,* id eſt vir ſtrenuus, cuius greſſus, id eſt actiones & ſtudia Deus dirigit, id eſt ſecundat, moderatur & proſperat, vt ad finem felicitatis æternæ perueniat. Igitur dirigit eum, id eſt regit & protegit inter tot aduerſa, tentationes & pericula, ne in peccatum (niſi veniale) labatur. Quòd ſi in mortale lapſus ſit, illicò eripit eum, vti Dauidem lapſum in adulterium & homicidium Vriæ erexit. Vnde ſubdit: *Cùm ceciderit, non collidetur: quoniam Dominus ſupponit manum* C *ſuam.*

Directio ergo hæc Dei eſt multiplex. Primò enim Deus dirigit actiones noſtras, cùm ab æterno eas deſtinat & pręordinat, vt in tempore ad eas hominem excitet, iuxta illud: *Ipſius factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis* (hoc eſt, ad opera bona) *quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus,* Epheſ. 2. 10. *Directio Dei ſupernaturalis multiplex. Prima.*

Secundò, cùm in tempore ad eas hominem excitat & dirigit mentem illuminando, & voluntatem ad eas impellendo. *Secunda.*

Tertiò, cùm modum eas ordinatè & feliciter exequendi homini ſuggerit. Sic dirigit greſſus viatoris, cùm vias ſecuras illi ſuggerit: ſæpè enim niſi à Deo dirigeremur, eligeremus vias periculoſas, in quibus incideremus in latrones D vel temporales, vel ſpirituales, vti ſunt dæmones, mali ſocij, ſcandala, tentationes, illecebræ peccandi. *Tertia.*

Quartò, cùm obſtacula & obſtantes ſtudijs noſtris amouet, vt cùm S. Paulo amouit obſtacula Iudęorum & Gentilium prędicationi Euangelij obſiſtentium. Vnde ipſe rogat Theſſalonicenſes epiſt. 2. cap. 3. 1. dicens: *Orate pro nobis, vt ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.* *Quarta.*

Quintò, cùm in executione hominem dirigit, ne erret, ne labatur, ac, ſi errauit vel lapſus ſit, eum corrigit & erigit; laſſus ſit, ſuſtentat; ſi puſillanimis deſperet, in ſpem eleuat; ſi dubius ſit, oſtendit quid eligere debeat. Hoc eſt quod *Quinta.*

 quoti-

quotidie orat Eccleſia ad Primam: *Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos: dirige & ſanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus rex cæli & terræ, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones & actus noſtros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, vt hic & in æternum te auxiliante ſalui & liberi eſſe mereamur.*

Sexta. Sextò, cùm eas ſecundat & proſperat, vt optatum finem conſequantur, v.g. vt prædicatores, confeſſarij, doctores auditores ſuos illuminent, conuertant, ſanctificent. Ita Chriſtus Deo dirigente *exultauit vt gigas ad currendam viam, &c. nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, pſalm. 18. 7. Et Apoſtoli, de quibus ait Iſaias cap. 52. 7. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantes pacem!*

Septima. Septimò, cùm homini ſuggerit illum vitæ ſtatum, illas occupationes & ſtudia, illum vitæ tenorem, quo præuidet eum ſine peccati periculo & lapſu victurum, ac rectà peruenturum ad gloriam & felicitatem æternam, dando continuè gratiam, quam præuidet fore congruam & efficacem: vnde pro ea aſſiduè orandus eſt Deus, vt eam ſuggerat, ab illa enim pendet noſtra ſalus, prædeſtinatio, electio & felicitas æterna. Hinc orandum crebrò cum Pſalte: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea*. pſal. 16. 5. &, *Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia*, pſal. 118. 133.

Octaua. Octauò, cùm eas perficit, vt indies in virtutum intenſione & extenſione creſcamus & perficiamur. Hoc eſt quod Deum orat Eccleſia Dominica infra octauã Natiuitatis: *Dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare*. Hinc S. Proſper li. 1 de Vocat. Gent. ca. 101. docet, quòd Deus ſit auctor omnium virtutum & omnis boni. *Quòd nemo*, inquit, *poſſit rectè incedere niſi Domino dirigente, liquet ex illo Salomonis. A Domino corriguntur greſſus viri: mortalis autem quomodo intelligit vias ſuas?* Et Beda hic: *Quicumq; hominũ*, inquit *greſſus rectum iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrij, ſed gubernatione illius, cui dicit Iſaias cap. 26. Omnia enim opera noſtra operatus es nobis, Quis autē hominum intelligere poteſt viam ſuam? In hoc, inquit, manifeſtè claret, quia quidquid boni habet quiſque, à ſeipſo non habet, ſed per gratiam Dei: quòd nec per ſui libertatem arbitrij qualis futurus ſit, qualiter vel, quamdiu victurus intelligere poterit.*

Hinc de ſponſa putà Eccleſia & anima ſancta à Deo ſponſo directa, dicitur Cant. 7. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamētis filia principis! Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate*, Philip. 2. 13. Quin & R. Leui hanc Salomonis gnomen ſic explicat, q. d. *Incedentis greſſus à Domino ſunt, cũ opera diuina indigeat, quæ ſingulis paſſibus adſit & comitetur.* Et auctor Catenæ Græcor. *Senſus eſt*, inquit, *qui mortalia & terrena adhuc ſapit, quomodo is rectã viam intelligere, aut Domini vias ſanctificare & conſecrare valeat?* Vide ibi dicta cap. 16. 9.

QVIS AVTEM HOMINVM INTELLIGERE POTEST VIAM SVAM?] Hebr. *& Adam quomodo intelliget viam ſuam?* *Adam* ab adama, hoc eſt homo ab humo. q. d. Homo ex humo factus, & humi vt vermis repens, quomodo cognoſcet viam exceſſam, quæ eum ducat in cælum? τὸ & Primò accipi poteſt vt cauſale pro *enim*, vt det cauſam præcedentis hemiſtichij, q. d. A Domino dirigi debent greſſus viri: nec enim homo per ſe valet intelligere viam ſuam, vt ſcilicet proſpiciat & præuideat, qua via ſecurè ſit incedendum, quid agendum, quid in dubio eligendum, quæ ſit via & modus ad feliciter rem conficiendam: hæc enim omnia ſuperant hominis prouidentiam, & diuinam requirunt. Sæpè enim homo putat, ſe rectã viã virtutis incedere, & curuã vitij incedit: putat ſe ire in Ieruſalem, dum vadit in Iericho: putat ſe inire viam cæli, & init viam inferni, iuxta illud c. 16. 25. *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima eius ducunt ad mortem.* Rurſum putat ſe capeſſere viam ad felicitatem, & capeſſit cõtrariam. Aman inuitatus cum rege Aſſuero à regina Eſther, putabat ſe ire ad gloriam, & ibat ad furcam. Æſopus in via deprehenſus à magiſtratu, rogatus quò iret? reſpõdit ſe neſcire. Magiſtratus ſibi ab eo illudi vel inſultari putans, eum abduxit in carcerem. Tum Æſopus: *Nónne*, inquit, *verè dixi me neſcire, quò irem: ibam enim in carcerem, & hoc neſciebam*. Ita quotidie dum domo eximus, neſcimus, quò eamus: quia ſæpè præter mentem ab occurrentibus aliò abducimur. Quare dum egredimur, oremus cum Pſalte: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*, vt ſcilicet Deus greſſus noſtros ita dirigat, vt nobis aliiſq; bonum aliquod accerſamus, ac vel verbo vel aſpectu malum & peccatum auertamus.

Secundò, τὸ & poteſt accipi vt illatiuum, indicans euentum & ſequelam, vt ſignificet idem quod *ergo*, q. d. Dei ſolius eſt dirigere greſſus viri, eoſque præuidere & ordinare, vt boni ſint, & vt felicem exitum ſortiatur. Hoc enim ſolus ille poteſt, cuius eſt noſſe ac præſtituere omnibus finem mediaque ad finem opportuna: quis ergo hominum audeat, ſibi hanc prænotionem & ordinationem arrogare? quod enim à Dei pendet directione, non poteſt ab homine percipi & penetrari. ita ferè Caietan.

Secundùm vtramque explicationem commendatur nobis Dei prouidẽtia, & cura peculiaris circa ſtudia, affectus & opera hominis in hac vita: vt hoc intelligentes propriæ prudentiæ non innitamur nimiùm, ſed à Deo in omnibus pendeamus, eius directioni nos committentes, iuxta illud Tobiæ 4. 20. *Pete à Deo, vt vias tuas dirigat, & omnia cõſilia tua in ipſo permaneant.* Hoc eſt quod Deo confitetur Ieremias c. 10. 23. *Scio Domine, quòd non eſt hominis via eius, nec viri, vt dirigat greſſus ſuos.*

Hinc colligas cauſam cur hic ſit felix, ille infelix, non eſſe fortunam, non indolem, non cælum, ſed Deum: Deus enim pro libito liberaque electione quem vult facit felicem, non tantùm ſi prudens ſit, ſed & ſi imprudens. Prudens enim eſto non ſemper, ſæpè tamen proſperatur in actionibus, vt felices habeat ſucceſſus: tum quia prudenter omnia diſponit, vt feliciter eueniant: tum quia meretur, vt Deus actiones ſuas dirigat & proſperet. D. Thomas lib. 3. Contra Gentes c. 92. quærit quæ ſit cauſa, cur quis ſit fortunatus, id eſt, vt illi præter opinionem bona bonique euentus obueniant: ac reſpondet propriam cauſam bonæ fortunæ eſſe Deum, Deique beneuolentiam & electionem, qua aliquem feliciter vt plurimùm regit & dirigit, v.g. vt fodiat tali vel tali loco vbi inueniat theſaurum: vti autem aliquando miniſterio angelorum, id ſuggerentium vel perſuadentium; cælum autem cælique influxum propriè non facere bonã fortunam, ſed ſubinde ad illam diſponere per accidens, v.g. cùm quem inclinat ad fodiendum, cui foſſioni per accidens coniuncta eſt inuentio theſauri. Nec enim cælum inclinat, vt hic potiùs fodias

fodias vbi eſt theſaurus, quàm alibi vbi non eſt. Quare cùm hæc duo cælum combinare non poſſit, ſequitur cælum per ſe non eſſe cauſam bonæ fortunę. Deo ergo nihil eſt fortuitum, quia ipſe eſt rector & director fortunę. Denique cur hic ſit felix, ille infelix, fusè docui Geneſ. 30. 27.

Symmachus pro *via* vertit, τροχιὰν, id eſt orbitam ſiue ſimitã curulem, quæ ſymbolum eſt vitæ, ſiue viuendi rationis planæ & expeditæ, quam ſolus Deus vti nouit, ita homini quem amat, ſuggerit. Sicut enim currus per orbitam planè & expeditè rotatur: ſic per viuendi rationem ſibi commodam & congruam quiſque facilè & expeditè ad metam, puta ad felicitatem & gloriam æternam Deo aurigante decurrit. Hinc conclude, neminem ab ea via, in quam à Deo vocante inducitur, exorbitare deberet hæc enim illi curulis, id eſt facilis & procliuis, eſt ad deſtinatum finem. Hęc, inquam, illi τροχιὰ, id eſt currus via: quia per illam non tam incedit, quàm vehitur, quo nihil ſuauius ac iucundius: reliquę verò vię, quas homo non ex Dei impulſu, ſed ex proprio conſilio init, difficiles illi ſunt, ſalebroſæ, deerrantes, & ad præcipitia ferentes, &c.

Hinc Gentiles Deum faciebant colebantque Ianum, tanquam viæ indicem: & Mercurium, tanquam viæ ducem: ac Domiducum vocabant inuocabantque Deum, qui nouam ſponſam domum deduceret, quamuis & Domiduca eâdem de cauſa Iuna nuncupabatur. Audi ex Varrone S. Auguſt. lib. 6. de Ciuit. cap. 9. *Si domum*, inquit, *ducẽda eſt quę nubit, adhibetur Deus Domiducus: vt in domo ſit, adhibetur Deus Domitius.* Veriùs Chriſtiani Deum verum inuocant, vt greſſuum actionumq; ſanctarum directorem: ſciunt enim ſe viam adoriri non poſſe, niſi Deo præeunte, iuxta illud: *Poſt Dominum ambulabunt*, Oſee 11. 10. Vnde Auguſtinus libr. 2. Contra duas epiſt. Pelagian. cap. 9. *Hæc*, inquit, *eſt humanæ voluntatis natura, vt ad malum quidem eius prior ſit, ad bonum verò eius prior ſit voluntas Creatoris eius.*

Exemplum illuſtre huius ſententiæ fuit Littorius, qui, teſtè Proſpero in Chron. & Baronio anno 439. pro Theodoſio Imp. & Romanis pugnãs, confidens in ſuis Hunnis, victus vinctuſque eſt à Theodorico rege Gothorum, qui ſpem ponens in Deo Arelatem obſedit, & cepit. Vnde Littorium tacito nomine hac Salomonis gnome perſtringens Saluianus lib. 7. de Gubernat. *Itaque*, inquit, *agnouit hoc ille dux noſtræ partis, qui eamdem vrbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, captiuus intrauit. Probauit ſcilicet quod Propheta dixit: Quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt, vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. Nam quia viam ſuam iuris ſui exiſtimauit, nec greſſum directionis habuit, nec viã ſalutis inuenit, effuſa eſt, vt legimus, abiectio ſuper principem, ſeductus eſt in inuio, & non in via, & ad nihilũ deductus eſt, velut aqua decurrens.* Pſal. 106. *In quo quidem pręter ipſum rerum infelicitatem præſens iudicium Dei patuit, vt quidquid facturum ſe vſurparat, ipſe pateretur. Nam quia ſine diuinitatis auxilio, ac Dei ductu capiendum à ſe hoſtem crediderat, ipſe captus eſt: conſilij ac ſapientiæ ſummam vſurpauit, ignominiam temeritatis incurrit: vincula quæ alijs parauit, ipſe ſuſtinuit.* Idipſum deinde particulatim per antitheſes elegantes oſtendit: *Et quid, rogo, euidentius Dei iudicium eſſe potuit, quàm vt habens prędatoris fiduciam præda fieres, triumphum præſumẽs triumphus eſſes, circumdareris, corriperetur, alligaretur, retorta tergo* A *brachia gereret: manus, quas bellicoſas putabat, vinctas videret: puerorum ac mulierum ſpectaculum fieret, illudentes ſibi barbaros cerneret, irriſionem ſexus promiſcui ſuſtineret; & quia maximum habuerat ſupercilium fortis viri, mortem ſubiret ignaui.*

RVINA EST HOMINI DEVORARE SANCTOS, ET POST VOTA RETRACTARE] Ita Roman. Alij legunt *tractare*. Et ſic legendum contendit Franc. Lucas in Notis hîc. Quintuplex hic eſt lectio, quam nobis indocta peperit ſcribarum audacia. Pro *deuorare* enim alij legunt *deuotare*; alij, *deuouere*; alij, *denotare*; alij, *deuocare*. VERS. 25.

Quintuplex lectio. Prima. Primò ergo Beda, Salonius, Lyran. & alij legunt, *ruina eſt homini deuotare ſanctos*, id eſt voto ſe obſtringere ad perſequẽdos Sanctos, inquiunt Salon. & Beda. Aut Sanctis vota crebra nuncupare, inquiunt Lyran. & Hugo: hoc enim laqueus eſt B ei, quem poſtea votorum pœnitet, vt ea violet. Sic Actor. 23. 12. *Quadraginta viri deuouerunt ſe dicẽtes, neq; manducaturos, neq; bibituros, donec occiderent Paulum.* Porrò τὸ *deuotauit* licet modò videatur eſſe vox barbara, olim tamen fuit in vſu: vſurpatur enim ab Apuleio lib. 9. Metamorph. *Cæli numina* inquit, *quæ deierando ſubito deuotaſti.* Et Cicero in Paradoxis: *Quæ vis*, inquit *Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in ponte ſolum? quæ patrem Decium quæ filium deuotauit, ac immiſit in armatas hoſtium copias?* In antiquis enim codicibus ſic legitur.

Secunda. Secundò, alij legunt, *ruina homini deuouere ſanctis*, id eſt temerè res ſuas, vel ſeipſum Sanctis vouere & conſecrare: poſtea enim res ſuas & ſuam libertatem repetens votum tranſgreditur.

Tertia. Tertiò, Caiet. & alij legunt *ruina eſt homini denotare* C *ſanctos*, id eſt denigrare Sanctos, eorum famam lædere, ipſoſque conuitijs afficere & blaſphemare.

Quarta. Quartò, alij legunt, *ruina eſt homini deuocare ſanctos*, id eſt eos inuocare, eorumque opem precibus & votis è cęlo in ſuum auxilium deuocare: ac poſtea vota hæc retractare & irritare, vti nonnulli faciunt; cùm voti compotes facti ſunt.

Quinta. Verùm vera lectio eſt: *Ruina eſt homini deuorare ſanctos.* Legit noſter קדש, *cados*, id eſt ſanctum, id eſt ſanctos. Iam alijs punctis legunt קדש *codes*, id eſt ſanctitatem, id eſt ſanctuarium, vel ſanctificatum, id eſt res Deo ſanctificatas & conſecratas. Vnde Hebræa ad verbum ſic habent: *Laqueus, vel muſcipula eſt homi deuorare* vel *præcipitare ſanctitatem*, id eſt ſancta, *& poſt vota* (conuerti) *ad quærendum.*

Deuorare ſanctos quid? Reſp. Primò, Iam tota difficultas eſt, quid ſit *deuorare ſanctos*, D vel, vt hebr. eſt, *ſanctitatem*? Primò Vatabl. ſic vertit & explicat: *Scandalum hominis deuorat ſanctitatem, & poſt vota quærere ſolemus: id eſt, peccatum hominis, quod eſt ſcandalum, deſtruere ſolet auxilium illud diuinum, quod verè eſt & maximè ſanctum: & poſtea quærere ſolemus, quid in cauſa fuerit, quo minùs conſecuti ſimus quod petimus votis.* Huc accedit R. Salomon: *tùm mortalis*, inquit, *peccati piaculo obſtringitur, tunc ſanctitatem à Deo conceſſã deuorat, id eſt perdit & corrumpit.* Sic & R. Leui & alij, q. d. Detrimentum eſt homini deuorare rem Deo conſecratam aut debitam, & poſtea quærere vota, quibus Deus placetur; vt ſignificetur ſacrilegorum & ſceleratorum (nam omnes ſcelerati rem ſacram, putà virtutem & gratiam deuorant perduntque) vota irrita eſſe & ingrata Deo.

Secundò, Secundò, Caiet. q. d. Laqueus eſt homini deuotare rem ſacram, vt primogenita & reliqua debita ſacer-

ſacerdotibus ex lege aut Deo oblata : & etiam laqueus eſt homini poſt vota emiſſa inquirere, num votum obliget, aut modum quo quis poſſit ſolui obligatione voti, & non reddere quod vouit, vt ſignificetur hoc verſu duplex ſacrilegij genus, nimirum rapere res Deo conſecratas, & violare votum.

Tertiò.

Tertiò, Baynus, Ianſen. Franc. Lucas, Salazar & alij paſſim exponunt, q. d. Lapſus & piaculum eſt ingens, ac grauiſſimæ ruinæ tibi eſt occaſio, qui poſtquam ad ſe rapuit ſanctorum iuſtorumque bona, & deuorauit innocuam Dei plebem velut eſcam panis, ad vota conuertitur. Sic enim ſolent ſub mortem fœneratores, & alij rerumpub. deuoratores promittere atque aſſignare largam eleëmoſynam, quæ aut pauperibus diſtribuatur, aut monachorum familijs diuidatur, aut in alios pios vſus vertatur, quibus in huiuſmodi votis fiducia, perpetuæ frequenter ruinæ cauſam dat. Sic *deuorare* ſumitur pro ſpoliare Habac. 3. 14. *Exultatio eorum ſicut eius qui pauperem deuorat*, id eſt ſpoliat, perdat, depauperat, *in abſcondito*. Et c. 1. *Quare reſpicis ſuper iniqua agētes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* & pſal. 34. *Nec dicant, Deuorauimus eum.* Et ſæpè alibi, *deuorare* ergo *ſanctos*, vel, vt nonnulli legunt, *ſancta*, eſt viros iuſtos ſanctoſque bonis exuere, aut vita etiam ſpoliare, vel conſumere ea quæ Sanctis per votum aut oblationem ſunt data & conſecrata. Hæc homini ſunt laqueus & ruina : quia ingentium calamitatum & excidij ſunt cauſa.

Rupella feſto omnium Sanctorum occupata:

Ita hoc anno 1628. Rupella hæreticorum inuicta Sion, quæ tot ſancta & Sanctos deuorauit, Sāctis ſuas, imò Dei, iniurias vlciſcentibus, ipſo omnium Sanctorum feſto in poteſtate Chriſtianiſſimi æquè ac inuictiſſimi Francorum regis Ludouici XIII. venit. Nec dubium ipſo pro ſancta fide & Sanctorum cultu tam pia animoſitate pugnante, Sanctos viciſſim pro eo depugnaſſe, cùm omnes validæ claſſis hoſtilis machinæ & machinationes, in ipſammet cęlitus vi ventorum ſubitò retortæ & repulſę fuerint, vt Chriſtianiſſimo regi illud Claudiani de Theodoſio contra Eugenium decertante, verè occinere liceat:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

& Praga.

Eodem omnium Sanctorum feſto per Octauam recurrente, Ferdinandus II. Imper. pijſſimus æquè ac feliciſſimus, ante paucos annos Duce Bauaro Heroë inclyto, Pragam totamq; quaſi Bohemiam expugnauit, eamque Huſſitis & Caluiniſtis Sanctorum hoſtibus ereptam Eccleſiæ, æquè ac ſibi, tanquam legitimo regi reſtituit. Sanctorum, præſertim S. Wenceſlai, Adalberti & Viti, Bohemiæ patronorum, auſpicijs victoriam hanc partam fuiſſe, non dubijs indicijs oſtenſum : quin & ipſorummet Sanctorum apparitionibus præſignificatum eſt, qui proinde pro Orthodoxis dimicantes, tela quaſi fulmina in hęreticos duplo plures contorſerunt, vt illud fulminei Barac (*barac* enim hebr. eſt fulmen) contra Siſaram præliantes hîc vſurpare liceat: *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt*, Iudic. 5. 20. nimirum vti olim duo fulmina belli Scipiadæ, ita hoc æuo Auſtriadæ.

Ita Conſtantinopolis, vindice Spiritu ſancto, ipſo eius Pentecoſtes feſto, Græcis pneumatomachis, vtpote Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere negantibus, à Mahometo capta anno Domini 1453. in Turcarum manus venit. Quid hæc ſignificant, imò clamant niſi illud:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Hic ſenſus planus facilis, obuius, adeoque communis, eſt. Verùm non ſatis connectit prius hemiſtichium cum poſteriore, nec ſatis aptè explicat id vota *retractare*, quæ vox ſignificat vtrumque hemiſtichium loqui de votis.

Quartò, ergo nouum ſuggeram ſenſum, qui operoſior quidem eſt, ſed profundior, ac prius hemiſtichium cum poſteriore aptiſſimè connectit, quem lectoris iudicio ſubmitto. Hæc phraſis *deuorare ſanctos* non accipienda eſt propriè: nulla enim eſt gens tam barbara (exceptis braſilijs anthropophagis, qui Salomoni & Iudęis incogniti vel inuiſi fuere) quæ propriè deuoret Sanctos. Accipienda ergo eſt figuratè, vt ſit parœmia, ſiue phraſis prouerbialis ſignificans, nominare & inuocare Sanctos ita feſtinanter & pręcipitanter, vt eos tranſglutire & deuorare videaris. Sic qui Litanias præcipitant celerrimè dicendo: *Sancte Petre, S. Paule, S. Iacobe*, &c. & ſpatium aſtantibus reſpondendi ad ſingulos, *ora pro nobis*, non relinquunt; videntur *deuorare ſanctos*, id eſt nomina Sanctorum. Simili modo qui feſtinè vouendo, tumultuariè inuocant Sanctos, dicendo: Sancte Deus, ſi mihi dederis prolem, ſanctificabo tibi bouem. S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, ſi dederis mihi copiam frumēti, offeramq tibi triginta modios tritici. S. Abraham, S. Iſaac, S. Iacob, ſi mihi à Deo obtinueris amplam familiam, voueo tibi quotidianum nocturnum lumen. Quod Iudæis videtur fuiſſe familiare.

Quartò.

Hi, inquam, dicebantur לַע קֹדֶשׁ *lua kodes* vel *cades*, id eſt deuorare ſanctos vel ſancta : quia, ſicut cibus dicitur deuorari, cùm ſine maſticatione & comeſtione integer in ſtomachū tranſmittitur, & deuorando quaſi deuolat : ſic deuorantur ſancti, id eſt preces & vota Sanctis facta cùm ea ſine pręuia conſideratione & conſultatione integra, id eſt indiſcuſſa, temerè & inconſultè effutiuntur. *Lua* enim Hebręis eſt præcipitare, deglutire, abſorbere, perdere, corrumpere. Ita Iob 6. 3. pro eo quod nos habemus: *Vnde & verba mea dolore ſunt plena*; Vatab. vertit, *verba mea abſorpta ſunt*; alij, *verba mea præcipitantur*, id eſt temerè effutiuntur. Hinc Pagnin. in Lexico ait *lua* ſignificare loqui, quale eſt eloqui votum. Vnde aliqui vertunt, *laqueus eſt hominis ſanctitatē*, id eſt conceptis verbis aliquid Deo vouere, ſanctificare & conſecrare: *& poſt vota inquirere* rem aliquam deteriorem, quam pro meliori Deo vota ſurroget & ſubſtituat. Sic Latinis dicuntur deuorare verba, qui ea pręcipitant & abſorbent, præcipitanter vel loquendo, vel audiendo, vel legendo, vti faciunt helluones librorum. Vnde Cicero pro Seſtio: *Verbum ipſum*, inquit, *omnibus modis animi & corporis deuorabat*. Et Plautus in Pœnul. *Orationem hanc dulces aures deuorant*. Hinc deuorare orationē alicuius ponitur, pro non animaduertere. Vnde Cicero in Bruto : *Eius oratio*, inquit, *nimia religione attenuata, doctis & attētè audiētibus erat illuſtris, à multitudine autē deuorabatur*, id eſt, non intellecta tranſmittebatur. Quæ ſignificatio ducta eſt ab ijs, qui cibum non guſtatum tranſmittunt quaſi ſtupente palato. Hinc rurſum deuorare nomen alicuius eſt nominis obliuiſci. Ita Plautus in Trinummo *Deuorauit*, inquit, *nomen imprudens modò*. Simili modo deuorantur Sancti & vota Sanctis facta.

Hunc eſſe ſenſum liquere videtur, Primò, ex eo quòd

quòd cęteri interpretes hanc phraſin *deuorare ſanctos* vel *ſancta*, interpretentur pręcipitanter & temerè vouere aliquid Sanctis. Audi Septuag. *Laqueus viro quid ex proprijs ſanctificare: poſtea enim quàm vouerit, euenit pœnitere.* Aut, vt clariùs auctor Catenæ Græcæ. *Laqueum tibi inijcit vir, qui ex proprijs facultatibus temerè quippiam Deo ſanctificat* (id eſt vouet & conſecrat) *ſiquidem poſt votum editum inconſultè plurimùm contingit pœnitudo.* Atq; exemplum dat Iephte, qui temerè vouit, ſi victor in bello euaderet, ſe primum quòd è domo occurreret Deo ſacrificaturum: occurrit autem primò ei filia, vnde eam Deo ſacrificauit cum dolore & pœnitudine. Idem Ananiam & Saphiram, qui facultates ſuas Deo cum vouiſſent, inde partem ſurripuerunt, vnde morte à S. Petro puniti ſunt, Actor. 5. Accedit Chald. *laqueus eſt*, inquit, *viro qui vouit ſanctitatem* (vel, vt alij vertunt, *ſanctuario*) *& poſtea tangit eum anima ipſius*, putà animæ dolor & pœnitudo; Syrus, *laqueus eſt viro, qui vouit ſanctitatem, & poſtea voti pœnitet.*

Secundò, idipſum arguit connexio prioris hemiſtichij cum poſteriori: poſterius enim explicat prius, q.d. *Ruina*, hebr. *laqueus eſt homini deuorare ſanctos*, id eſt pręcipitanter & temerè inſtar deuorantis vouere quid Sanctis, *& poſt vota retractare*, hoc eſt, paulò pòſt vota, quæ pręcipitanter Sanctis vouiſti, reuocare: hoc enim propriè eſt *retractare*. Vnde hebr. eſt, *& poſt vota* conuerti *ad quærendum* effugium, ſcilicet veſtigando modos & rationes, quibus te à voto, cuius te pœnitet, liberes. Eſt metaphora ſumpta à famelico, qui deuorat cibos, id eſt non maſticatos, nec dentibus comminutos, ſed integros tranſglutit & tranſmittit in ſtomachum. Hic enim ijs ſtomachum onerat & grauat, qui proinde cogitur eos retractare, id eſt minutim ruminare & concoquere quod poteſt, quod non poteſt reijcere & reuomere. Simili modo qui pręceps temerè quid vouet, poſt votum nuncupatum ſentiens voti exequendi difficultatem, vel impoſſibilitatem, illud retractat; cogitatque qua ratione illud redimere, imminuere, mutare vel annullare poſſit. Votum ergo temerarium vouenti eſt laqueus: quia ſicut laqueus capit, ſtringit & ſtrangulat aues illaqueatas: ita votum hoc capit, ſtringit & ſtrangulat conſcientiam, dum eam cruciat, anguſtat, lancinat, ac ſubinde ſuffocat & enecat, cùm ſcilicèt voti pœnitens illud violat & tranſgreditur. Igitur talis bis deuorat ſancta & Sanctos, Primò, cùm præcipitat, & præcipitanter nuncupat eis ſanctum votum; Secundò, cùm votum iam emiſſum rurſum deuorat, id eſt violat, perdit, conſumit. Idem eſt ergo, *laqueus eſt homini deuorare ſanctos* vel ſancta, quod *laqueus eſt homini poſt vota retractare*, id eſt votum emiſſum reuocare & violare.

Tertiò, hæc expoſitio ceteras omnes complectitur omneſque in ſe vnit: qui enim deuorat ſanctos, id eſt temerè Sanctis quid vouet, hic temerè deuorat & deuouet Sanctis; hic deuorat, id eſt denigrat & dehoneſtat Sanctos; hic fruſtra deuocat Sanctos in ſuum auxilium; hic etiam deuorat, id eſt ſpoliat, Sanctos re illis ex voto debita, hic etiam *deuorat ſancta*, vt legunt nonnulli, id eſt res ſanctas, quas ſanctis vouit. Siue enim legas deuorare ſanctos, ſiue ſancta, eòdem res redit: ſancta enim deuorantur, cùm ſancta eis voto debita deuorantur: ſicut dicimus à tyrannis deuorari pauperes, cùm per rapinas bona pauperum deuorantur.

Quartò, quia ſic ſe explicat Salomon Eccleſ. 5. 1 dicens: *Ne temerè quid loquaris* (Heb. *ne præcipites ore tuo*) *neque cor tuum ſit velox* (Hebr. *ne feſtinet*) *ad proferendum ſermonem* (votum) *coram Deo* quod explicat dum ſubdit: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, &c. multoque melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere*, Quid clarius?

Vers. 26. DISSIPAT (Chald. *diſpergit*) IMPIOS REX SAPIENS, ET INCVRVAT SVPER EOS FORNICEM.] Prior pars conſentit cum v. 8. *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* vide ibi dicta, Nota *τὸ diſſipat*: docet enim modum, quo cœtus, conſilia & vires impiorum ſint infringenda, nimirum eos diſſipando & ſegregando: ſic enim conſilia & vires in vnum conferre nequeunt, ac ſinguli dum ſeparati ſunt, facilè opprimuntur. Hic ergo verum eſt illud: *Si vis regnare diuide* id eſt diſiunge & ſepara: ſeparatione enim tollitur conſenſus & robur impiæ multitudinis. Prior ergo pars eſt clara; at poſterior obſcura. Quæritur enim, quid ſit *incuruare fornicem*?

Primò, Hebr. habent, *reuerti facit*, vel *reducit ſuper eos rotam*; & Septuag. *immittet illis τροχὸν*, id eſt *rotam*; Chald. *voluit eos ſuper rotam*; Syrus, *reducit ſuper eos currum.* Alludere enim videtur ad factum Dauidis, qui impios Ammonitas à ſe deuictos ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, 2. Reg. 12. 31. Eſt metaphora mutuata à trituratione, quę in Syria, Italia, alijſque locis rotis & equis fieri ſolet: hæc enim ſupplicij & punitionis eſt ſymbolũ, iuxta illud Iſaiæ 28. 27. piorum ſupplicia deſcribẽtis per metaphoram triturationis: *Non enim*, inquit, *in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit.* Et mox: *Non in perpetuum triturãs triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, nec vngulis ſuis comminuet eum.*

Igitur *fornicem* hic accipias nõ domus, ſed rotę, putà canthum, ſiue extimam ſuperficiem & curuaturam rotæ; ſicut enim fornix in domo eſt arcus concameratus: ſic fornix in rota eſt rotæ curuatura & canthus: rota enim arcuata, dici poteſt fornicata per catachreſin. Quod enim eſt rotunditas in rota, hoc eſt fornix rotundus in domo: quare ſicut domus ob fornicem rotunda, ſic rota ob rotunditatem fornicata videtur. Hic ergo ſenſus valdè appoſitus & genuinus videtur, eumque exigit vox *rota*, quæ eſt in Hebręo, Gręco, Chaldęo & Syro, Senſus eſt, q.d. Rex ſapiens acribus tormentis, quale eſt rota, diſſipat & exterminat impios. ita R. Salomon, R. Leui, Aben Ezra, Vatabl. Pagnin, Baynus, Ianſenius & alij.

Rurſum, rota, ſiue fornix rotę, accipi poteſt pro genere quæſtionis, ſiue torturæ & ſupplicij apud veteres vſitati, quod τροχὸς, id eſt rota, dicebatur. Vnde Cicero Tuſcul. 5. ait, *in rotam beatã vitam non aſcendere.* Torquebant enim reos rota ad eliciendam veritatem, vti nunc torquent eculeo, quod τροχίζεσθαι, id eſt rota torquere & examinare, dicebatur. Erat ergo rota inſtrumentum ligneum in modum rotæ; in quo ſeruorum reorumq; corpora diſtenta & circumacta examinabãtur, quale eſt quod Galli vulgò vocant *pilori*, quare rota diuerſa eſt ab eculeo. Reos enim alligabant rotæ, pedes, manus ac totum corpus incuruando, & rotę applicando: ſicque rotam gyrando eos rotabant, idque ſubinde ſupra vel iuxta ignem, itaq; eos aſſabant. Vnde Tertull. in Apolog. agens de martyrijs & Martyribus: *Licet*, inquit, *nunc ſarmentitios & ſemaxios* *Tormenta rotæ.*

xios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis reuincti ſarmentorum ambitu exurimur. Et Ioſepus lib. de Machabæis cap. 9. & ſequ. docet eos ab Antiocho tortos tormento rotæ, ac primi inter ſeptem fratres ſupplicium vocat rotam. *Illigari,* inquit, *& innecti rotæ iubetur tendentibus corpus radijs.* Et in tertio: *Cùm iam cruoris nimiè deſluentis vacuitate defectus, orbatus manibus & pedibus proximam ſibi adeſſe mortem cerneret.* Et in quarto: *Partes & fruſta corporis horrendiſſimo pependere aſpectu.* Audi & Gentiles. Seneca in Herc. Furente.

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

Alius: *Voluitur Ixion, & ſe ſequiturq́; fugitque*

Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Verſantur celeri noxia membra rota.

Primo. Celerrimè enim reos rotabant rotam gyrando, nunc in vnam partem, nunc conuerſim in aliam mutato motu: quo fiebat, vt in hac rotatione effunderentur viſcera, & membra omnia diſtorquerentur & diuellerentur. Vnde Euripides in Phœniſſ. *Membra alia,* inquit) *ab alijs deijciebantur, tamquam ſi mitterentur è funda.* Et Ioſephus de Machabæo: *Solutis hinc inde viſceribus, venisq́; diſtentis.* Appendebant inſuper pedibus rei rotæ alligati ſaxum, quo corpus molle illa magis premeretur. *Secundo.* Addebant etiam vel ſubijciebant ignes. Audi Ioſephum: *Præparatur incendium, &, vt erat affixus rotæ, igni in cataſta obijcitur, atque ita tendentibus corpus radijs, & contrahentibus flammis, coſtis deinde patentibus laterum vitalia rumpũtur.* *Tertio.* Tertiò, reum in rota manibus, pedibus, totoq; corpore diſtentum flagellabant. Vnde Ariſtophanes in Irene: *In rota trahatur flagellandus.* *Quarto.* Quartò, reum membris amputatis mutilabant. Audi Ioſephum: *Inter perorandum vt brutum animal excoriatur, lingua extrahitur, ſartagini ipſe inijcitur.* Quod etiamnum reis atrocium criminum faciunt Germani in rota membra contundendo, præſertim per oſſifragium, vel etiam reſecando; alioqui rota Germanorum à rota veterum planè diuerſa eſt. Denique Virgil. 6. Æneid. pœnas damnatorum apud inferos deſcribens ſic canit:

Saxum ingens voluunt alij, radijſque rotarum
Diſtricti pendent.

Vbi vide noſtrum Ludou. de la Cerda, & Plutarc. in Nicia, Ammianum Marcellinum lib. 21. & Nicephor. lib. 7. cap. 24. Vnde auctor Catenæ Græc. *Rotam,* inquit, *ſuper impios inducet. Per rotã autem ineuitabile ſupplicium, quod in peccatores apud inferos conſtitutum eſt, denotat.* Quocirca & rotas apud inferos, in iiſque damnatos torqueri, viderunt qui in ecſtaſi eò rapti leguntur. Hiſce enim torquet eos Chriſtus rex ſapientiſſimus, ait Beda.

Hinc & S. Auguſt. in pſalm. 11. ſub finem ex Septuag. hanc Salomonis gnomen ſic legit, applicatque impijs circulantibus: *In circuitu impij ambulant,* id eſt, inquit, *in temporalium rerum cupiditate, quæ ſeptem dierum repetito circuitu tanquam rota voluitur, & ideo non perueniunt in octauum, id eſt in æternũ, pro quo iſte Pſalmus titulatus eſt. Ita & per Salomonem dicitur: Ventilator enim impiorum eſt rex ſapiens, & immittit illis rotam malorum.* Hoc ergo tormento rotæ acerrimo rex ſapiens impios puniens, eos diſſipat ac profligat.

Poſſet quoque τροχὸς, id eſt rota, accipi τροχάλια, id eſt trochlea, quod ſupplicij genus in martyrijs erat frequens, vti docet Baron. in Martyrol. ad diem 7. Decemb. Ibi enim celebratur martyrium *S. Serui Martyris, qui ſub Hũnerico rege Arriano fuſtibus caſus, trochleis in ſublime eleuatus, atque ictu celeri ſuper ſilices pondere corporis dimiſſus, & lapidibus acutiſſimis perfricatus, martyrij palmam adeptus eſt.* Trochlea enim propriè rota eſt rotam continens volubilem per quam funis tractorius immiſſus, ligatum brachijs reuinctum reum ſurſum trahit, vel remiſſus deorſum relaxat. Hoc ergo tormentum dictum fuit eleuatio ad trochleas, ac Romæ & in Italia etiamnum eſt frequens, & vulgò *la corda* dicitur. De hoc rectè dicitur: *Incuruat ſuper eos rotam,* vel fornicem rotatilem; hac enim pœna & ſimilibus rex ſapiens impios percellit, fugat & diſſipat. Ex rota enim, velut ſpecie præcipua & notiſſima, omne ſupplicij genus, quo impij à regibus plectuntur, intelligit per ſynecdochen. Hic ſenſus valdè appoſitus planeque germanus videtur, tangitque maximè impios iudices, præſides, magiſtratus, gubernatores, quos rex plectit tormento rotæ, quo ipſi alios innocentes iniuſtè mulctarunt. Vnde Hebr. eſt. *Reuerti facit,* vel *reducit ſuper eos rotam.*

Secundò, alij per *rotam* intelligunt reuolutionem fortunæ & dignitatis, q. d. Rex ſapiens ſua prudentia impiorum fortunam & dignitatem rotat, incuruat & deorſum gyrat, vt qui in dignitatum culmine eminebant, conuerſà rotà in imum deprimantur. Sic Seneca libr. 2. de Clement. ait: *Faſtigia potiùs time quàm ama, ne te inde vacuum & inanem fortuna, rota vertente demittat.* Fauet Hebr. יָשֵׁב *iaſcib,* id eſt reuerti facit, conuertit, reuoluit & deuoluit rotam. *Rota fortunæ.*

Tertio, Beda, Lyran. & alij per *fornicem* intelligunt arcum triumphalem, quem reges deuictis hoſtibus impijs in trophæum erigere ſolent. q. d. Rex ſapiens impios domat, debellat, ſubiugat, ac de impietate victa fornicem triumphalem excitat, vti fecit Saul deuicto Amalec, 1. Reg. 15. 12. Hoc enim eſt regum officium, æquè ac decus & gloria, quod Deus & reſp. regi impios perſequenti pollicetur & parat, nimirum certam de ijs victoriam, ac poſt eam triumphũ & arcum triumphalem quaſi perenne victoriæ monumentum. q. d. Rex ſapiens incuruat ſuper eos fornicem, id eſt ita impios delet & ſepelit, vt ſuper eorum cadauera fornicem vel in ſignum vltionis, vel in ſignum triumphi ædificet. Hebr. ergo אוֹפָן *ophan,* id eſt rota, ſumitur pro fornice, qui rotundus eſt inſtar rotæ, purà pro arcu triumphali. Sic Titus & Veſpaſianus deuictis impijs Iudæis Chriſticidis, Romæ erexerũt fornicem triumphalem, cui inſculptus eſt Titi triumphus, qui etiamnum in eo extat & viſitur. Sic Conſtantinus Magnus, deuictis cæleſti ope quinque tyrãnis, Diocletiano, Maximiano, Maxentio, Maximino & Licinio, per ſignum S. crucis in cælo apparentis hoc lemmate. *In hoc ſigno vinces,* labarum cruce Chriſti ſignatum erexit, atque fornicem triumphalem, qui etiamnum Romæ cernitur, & Arcus Conſtantini dicitur. Idem fecit Theodoſius ſubacto Maximino, Arbogaſte & Eugenio. *Fornix triumphalis.*

Quartò, noſter Salazar per *fornicem* accipit magnifica palatia & mauſolæa, quæ impij ſibi conſtruxerant. q. d. Rex ſapiens, & prudentia clarus, impios de medio tollit, ac ne ipſorum memoria ad poſteros decurrat, ſi quas ſepulcrorum moles aut mauſolæa ſibi in poſteritatis monumentum ſuſtulerunt, hęc quidẽ deuoluit aut decuruat ſuper eos, id eſt diruit, ac ſolo exequat, quemadmodum Ioſias feciſſe fertur 4. Reg. 23. hic enim eorũ, qui in ſalti- *Fornix pro mauſoleis.*

ſolibus & lucis dijs adoleuerant, ſepulcra deiecit, & oſſa in cineres redegit. Vel aliter: Rex iſte ſapiens non ſolum impios exſcindit, ſed etiam eorum palatia & moles diruit: quam pœnam hodie in proditores leges ſtatuunt, vt ſcilicet ipſorum ædes ſolo æquentur, & ſale adſpergantur, ne quod ipſorum monumentum extet.

Fornix pro furca.

Denique per *fornicem* accipi poteſt furca & patibulum. q.d. Rex ſapiens impios in fornice ſuſpédit, itaque eorum in impietate aſſeclas fugat & diſſipat. Sic enim olim in fornicibus, interēdo eis annulos, quibus funis ſuſpendendorum innecterentur, reos ſuſpendebant, vti etiamnum nonnullis in locis fit, præſertim in Lombardia. Hi enim fornices magis commodi ſunt ad ſuſpendendum, & ſępè obuij, ac magis durant; cùm operoſum ſit cuique reo ſuum patibulum & crucem è ligno erigere. Quocirca vidi alicubi patibula triangula, è triplici laterum columna erectas latera autem hæc ſibi inuicem per fornicem optimè & ſolidiſſimè iunguntur & innectuntur. Rex ergo ſapiens curuat ſuper impios fornicem, dum ex curuato & arcuato fornice duram eorum ceruicem curuat & ſuſpendit.

Hinc diſce, quanta ſit regis potentia in bonum æquè ac malum. Vnde ænigma ſeptuplex.

Quid peſſimum, tyrannus.
Quid longiſſimum? tempus.
Quid breuiſſimum? beneficium.

Immemores enim ſunt homines beneficiorum.

Quid omnium optimum? Deus.
Quid maximè expetendum? ſalus animæ.
Quid turpiſſimum? mali dæmones.
Quid potentiſſimum? rex.

Vers. 27. Lucerna Domini eſt ſpiraculum hominis. Primo.

Lvcerna Domini spiracvlvm hominis. qvæ investigat omnia secreta ventris.] Primò, aliqui cum Aben Ezra per *lucernam Domini* intelligunt ipſam Dei cognitionem, quæ omnia etiam ſecretiſſima cordium penetrat & peruidet. Vnde ex Hebręo ſic vertunt, *lux Domino ſpiritus hominis, perſcrutantis omnia penetralia ventris*, q.d. Deo lucidus, id eſt, perſpicuus eſt, & patet hominis ſpiritus: ipſe enim omnia intima mentis perſcrutatur & peruidet. Spiritus ergo, id eſt cogitatio & intentio ſecreta hominis, quæ ceteros latet, Deo patet, eiq; perſpicua eſt velut lux: ipſe enim omnia intima rimatur, iuxta illud Ierem 17.9. *Prauum eſt cor omnium & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus, ſcrutans cor, & probans renes.*

Hinc Septuag. vertunt, *Φῶς κυρίου πνοὴ ἀνθρώπων, ὃς ἐρευνᾷ ταμιεῖα κοιλίας*, id eſt, *lux Domini eſt anima hominis, qui* (Dominus) *ſcrutatur latebras ventris. Significatur*, inquit auctor Catenę Gręcor. *nihil in homine vſque adeo abditum latere, quod Deo ſit obſcurum: quippe cùm ipſa etiam anima, vbi eam ſcrutatur, lux ipſi exiſtat, hoc eſt, æquè illi pateat atque lux ipſa.* Deus ergo intimos animi receſſus peruadit & perſpicit. vnde Scholiaſtes vertit, λαμπτὴρ, id eſt, *fax Domini ſpiritus hominis, qui ſcrutatur penetralia* (alij *cubicula*) ventris.

Secundò.

Secundò, alij per *lucernam* vel *lucem Domini*, accipiunt Dei fauorem & beneuolentiam, qui inſtar lucis recreat & viuificat. Vnde vertunt, *exhilarari à Deo vita eſt hominis, & penetrat totum corpus.*

Tertiò.

Tertiò alij Hebr. נְשָׁמָה *neſcama*, id eſt ſpiraculum vel ſpiritum, cum R. Dauid vertunt *ſermo*: hic enim fit per ſpiritum linguam certa ratione allidendo ad palatum, labia & dentes, q.d. *Lucerna Domini ſermo hominis*, id eſt, ſermo hominis pij & eruditi eſt *lucerna Domini*, id eſt clara & ignita lux, per quam Deus mentes audientium illuminat, & ſui amore accendit, atque adeò intima eius peruadit, eaque luce ſuę cognitionis & ardoris quaquauerſum complet & colluſtrat. Aut q.d. Sermo hominis eſt lucerna & lux à Deo data, vt per eam homo ſecreta ſua alteri pandat, imò vt alter ex ſermone ipſius penetret eius arcana, colligatque qualis ſit eius mens & affectus internus. Nam, vt ait S. Hierod. *Mens & conſcientia lucet in ore*. Et Philo libr. *Quod omnis probus ſit liber*: *Sicut*, inquit, *ea quæ in tenebris abdita ſunt celantur, donec lux effulgens ea indicet; ſic cogitationes meas recondit animus in loco inuiſibili, donec vox lucis more cuncta retegat.*

Quartò.

Quartò, alij per *ſpiraculum hominis* accipiunt ſpiritum vitalem, ipſamque vitam hominis: hęc enim in reſpiratione conſiſtit. q. d. Spiritus vitalis, ipſaque vita hominis eſt quaſi lumen deriuatum & accenſum à lucerna, id eſt à luce & ſpiritu vitali, qui eſt in Deo: Deus enim eſt ipſa vita increata & eſſentialis, à qua omnis angelorum, hominum & animalium vita dimanat, ceu radius à ſole; ita auctor Catenæ Græcor. Lucerna enim vitæ eſt ſymbolū: ſicut enim lucerna alitur oleo & äëre, eoque deficiente extinguitur: ita vita alitur humido radicali & ſpiritu ſiue halitu, eoque deficiente deficit & emoritur. Rurſum, ſicut lucerna vna accendit aliam ſibi vicinam: ſic pater vitam ſuam communicat filio. Vnde Plato lib 6. de Legibus, *Gignentes*, inquit, *& alentes liberos, vitam tanquam lampada alij alijs tradunt*. Et illud Lucretij quod citaui v. 20.

Lucerna ſymbolum vitæ: cur.

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Lucernarum ſuperſtitio.

Hinc illa lucernarū ſuperſtitio, vt ex ea omen caperent, an proles futura eſſet vitalis, quam recenſet & carpit S. Chryſoſt. hom. 22. in epiſt. 1. ad Corinth. *Siquidem* inquit, *cùm nomen filio imponendū ſit, omiſſa Sanctorum appellatione, ſicut maiores faciebant, accenſis lucernis, & his nominibus* (Gentilium) *impoſitis, quæ plurimū durauerit, eius nomine filium appellant, hinc eum diuturniùs victurum coniectari.* Vnde & illud Plauti in Curculione: *Tute tibi puer es lautus, luces cereum*, Hinc rurſum ſponſis præferebant lampades & tedas accenſas in nuptijs, vt ſignificarent, quòd per opus nuptiale lumen vitę prolibus a ſe gignēdis eſſent communicaturi. Hoc ſignificarunt Gentiles, dum finxerunt Prometheum furatum eſſe lucem è cęlo, eaque corporibus hominum inſertā, illa animaſſe & viuificaſſe.

Quintò. Genuinè.

Quintò & genuinè, *ſpiraculum* ſiue ſpiritus *hominis* eſt ipſa eius anima, vel animus, vt vertit Pagnin. Hæc enim Hebr. dicitur *neſcama*, id eſt ſpiritus: quia anima reſpiratione ſe prodit, æquè ac conſeruatur in homine, q. d. Anima hominis eſt quaſi ſpiritus lucidus, ſiue lux ſpiritalis deriuata & illuminata ab immenſa lūcę, ſiue à ſpiritu lucidiſſimò Dei, per quam & ſeipſum, imò intimâ ſua, ac Deum creatorem ſuum cognoſcit: quod non faciunt cetera animalia. Spiritus ergo vitę, quem Deus ſufflauit in faciem Adę, indendo ei animam rationalem. Geneſ. 2. eſt tamquam lampas, imò fax reliquis animæ potentijs, lumen eis adminiſtrans & cognitionem, per quod lumen ei inditum anima veſtigat & peruidet intimas ſuas cogitationes, deſideria & intentiones. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* 1. Corinth. 2. 11. nec tantum ſuas, ſed & alienas rimatur & perſpicit. Vnde noſter Salazar appoſitè ſic explicat:

plicat: *Lucerna Domini ſpiraculum hominis*, id eſt mens quidem lux eſt à Deo homini immiſſa, vel certè lux magna & ſplendidiſſima, lucerna ſcilicet alias omnes lucernas vincens eſt mens humana: nam aliarum ſplendor lucernarum obiecto quouis corpore opaco deficit, & vlteriùs non peruadit: at mens omnia penetrat, adeò vt nec craſſiſſimi corporis obiectu contineri poſſit, quo minùs eius lux ad interna & arcana cordis perueniat, & latentes in animis aliorum cogitationes deprehendat.

Porrò, lucernæ huius putà animæ, lux eſt duplex: vna naturalis, putà naturale rationis lumen, quo præ ceteris animantibus à Deo dotatus eſt homo: quod duas potentias nobiliſſimas, putà intellectum & voluntatem complectitur, quibus homo omnia quæ in mundo ſunt, intelligere & appetere valet. Altera lux animæ eſt ſupernaturalis, putà gratia cum ſuis virtutibus. Hæc enim eſt quaſi lucerna & lux cæleſtis deriuata & accenſa à lumine diuino, qua præeunte fit, vt homo longè meliùs & clariùs quam per lumen rationis naturale inueſtiget, cognoſcat & dirigat ſecreta ventris, id eſt intimas cogitationes mentis tum ſuæ, tum ſubinde etiam alienæ. Vnde Baynus hunc verſum nectens præcedenti: Et hæc, inquit, ad regem ſapientem referri videntur: qui dum iudicia Dei exercet, & in terris illius quodammodo fungitur munere, diuina ſapientia & lumine indiget, quo malos à bonis ſecernere poſſit, & ſecreta cordium inueſtigare, quod ipſe fecit Salomon, dum duabus mulieribus de infantibus mortuo & viuo contendentibus auſcultaret. 3. Reg. 3.

De poſteriore hoc lumine ſupernaturali gratiæ intelligit hunc locum S. Hieron. (vel potiùs Rabanus) lib. 1. in Lament. Ierem. c. 1. 20. *Lucerna Domini*, inquit, *ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris. Lux enim gratiæ quæ deſuper venit, ſpiraculum hominis præſtat ad vitam: quæ videlicet lux omnia ſecreta ventris inueſtigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, vt ea quæ de ipſa latebant animam, ante eius, flendo oculos reducat. Hinc ipſe Ieremias in anterioribus ait, ventrem meum doleo: qui vt ventrem ſuum quid dixiſſet oſtenderet, adiunxit: Senſus cordis mei turbati ſunt. Vteri itaque nomine mens rectè accipitur: quia ſicut proles in vtero concipitur, ſic cogitatio in mente generatur: & ſicut in ventre cibi, ita continentur in mente cogitationes.* Et S. Gregorius li. 20. Moral. c. 18. *Quid*, inquit, *venter noſter eſt, niſi mens? quæ dum cibum ſuum, ſupernum videlicet intellectum ſuſcipit, refecta procul dubio omnium membra actionum regit. Niſi enim ſacra eloquia aliquando mentem nomine ventris exprimerent, Salomon vtique non dixiſſet: Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta vētris. Quia nimirum dum nos gratia superni reſpectus illuminat, cuncta etiam mētis noſtræ nobis abſconſa manifeſtat.* Idem 3. p. Paſtor. admon. 13. *Lucerna Domini*, inquit, *ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris, ac ſi diceret: Diuini afflatus illuminatio cùm in mētem hominis venerit, eam ſibimetipſi illuminans oſtendit, quæ ante Spiritus ſancti aduentum cogitationes prauas & portare poterat, & penſare neſciebat.* Accedit Vatabl. qui ſic vertit & explicat: *Illuminatio Domini eſt anima hominis, vel in anima hominis, quia ſpiritus hominis ſine ſpiritu Dei ſe non agnoſcit.*

Ruſum gratia animæ pro reſpiratione eſt: nam quidquid reſpiratio corporis præſtat, hoc diuina gratia præſtat animæ. Hinc S. Cyprian. orat. in S. Pentecoſt. docet ex iſto ſpiritu quem trahimus, fieri *reſpirationem, adſpirationem, ſuſpirationem, expirationem, inſpirationem*; reſpiratio vitam, expiratio mortem ſonat, adſpiratio effuſū ad ſuperiora halitum, inſpiratio immiſſum ad interiora flatum; ſuſpiratio verò interruptum dolore anhelitum ſignificat. Quare cum ait Salomon, Dei gratiam pro ſpiraculo eſſe animę, inſinuat hanc illi adinſtar reſpirationis eſſe: quia ex eius aura viuit animus, & ipſa deficiente quaſi emoritur.

Cur gratia aſſimiletur luci ſpiritali, voceturque lux & lucerna, cauſas plures aſſignaui 1. Ioan. 1. 5. Gratia igitur eſt lux inueſtigans omnia ſecreta vētris, vel, vt alij vertunt, omnia cubicula mentis, putà omnes mentis potentias, vires, receſſus eaſque illuſtrat, dirigit, purificat, accendit, prętatque omne id menti, quod lux præſtat oculis & corpori.

Denique vis & energia latet in 7ū *lucerna Domini*: hęc enim continet radicem & cauſam totius ſententiæ quaſi dicat, Cauſa & radix, cur ſpiritus & mens hominis, præſertim gratiâ Dei illuſtrata, penetrat ſecreta quæque mentis, etiam alienæ, eſt, quòd ipſa ſit lucerna Domini, id eſt, lucerna & lumen creatum accenſum ex ipſo lucis fonte, qui eſt in Deo: quia enim mens creata eſt lucis diuinæ & increatæ participatio, hinc & ipſa cognitionem perſpicientiamque diuinam participat, vt ſicut Deus ſecreta cordium penetrat & perſpicit, ſic & ipſa quaſi radius lucis diuinę ſecreta cordium, non quidem clarè perſpicere, vti facit Deus, ſed ex ſignis & coniecturis ſagacitate mira ſolerter veſtigare, conijcere & quaſi per rimam conſpicere valeat. Hoc eſt quod ait Pſaltes pſal. 4. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumē vultus tui Domine*; quia *lumen naturale rationis*, ait Lyran. *eſt quædam impreſſio diuini luminis*: multò magis talis eſt lumen ſupernaturale gratiæ, reuelationis & directionis Dei.

MISERICORDIA ET VERITAS CVSTODIVNT REGEM, ET ROBORATVR CLEMENTIA THRONVS EIVS] Hebr. *& fulcit in miſericordia thronum ſuum*. Septuag. *miſericordia & veritas cuſtodia eſt regis* (Aquila & Symmach. *conſeruabunt regem*) *& circumdabunt in iuſtitia thronum eius*; Lucifer Calar. Apolog. pro S. Athanaſio legit, *miſericordia & veritas tutela eſt regi: & circuibunt iuſti ſedem eius.* Hebr. חֶסֶד *cheſed* ſignificat pietatem, miſericordiam, clementiam. Vers. 28.

Primò S. Athanaſius Apolog. ad Conſtantium Imp. veritatem propriè accipit. vnde ex hac Salomonis gnome vrget Conſtantium, vt veritatem tum religionis & fidei, tum cauſæ & innocentiæ ſuæ contra Arrianorum calumnias indaget, colat & tueatur. Hæc enim veritas, veræque religionis cultus, & propugnatio, maximè cuſtodit reges & regna, vti de regibus priſcis legimus in hiſtorijs, & in modernis Hiſpaniæ, Germaniæ & Galliæ oculis cernimus. Sed audi S. Athanaſ. imò diuinum in eo loquētem ſpiritum: *Ita rem examina, quaſi veritas tibi in conſilio adſit, quæ regum, & in primis Chriſtianorum tutela eſt; cùm ea vos regna adminiſtrare tutiſſimū eſt, dicente ſacra Scriptura: Miſericordia & veritas regi cuſtodia eſt, & circumdabit iuſtitia thronum eius. Hanc enim cum Zorobabel ille ſapiens ceteris anteferret, victoriam retulit, & acclamatum eſt ab vniuerſo populo: Magna res eſt veritas, & præualet omnibus, &c.* Et inferiùs orans Deum, vt Conſtantio placidam veritatis mentem indat: *Domine omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, tu per Verbum tuum imperium famulo tuo Conſtantio dediſti, tu illumina mentem illius, vt cogni-*

Veritas cuſtodit regē. Primò.

3. Eſdræ 4. v. 41.

cognitis calumnijs beneuolenter accipiat meam excuſationem, omnibuſq; clarum reddat, quam aure habeas confirmatas communitaſq; veritate, ſolumq; ſibi vti dictum eſt, accepta eſſe labia iuſta: ita enim ſolum regni fortunatum fieri per Salomonem pronuntiaſti.

Secundò, alij per *veritatem* accipiunt veracitatem in loquendo, fidelitatem in promiſſis, conſtātiam in dictis & factis. Hæc enim regem contra omnes ſubditorum hoſtiumque querelas, calumnias, inſidias, molitiones tuetur. Quocirca cap. 17. 7. dixit Salomon: *Non decent ſtultū verba compoſita, nec principem labium mentiens.* vbi plura hac de re dixi. ita Varabl. Oportet, inquit, regem eſſe clementem & veracem, potior tamen eſt clementia.

Tertiò. Tertiò, optimè ex phraſi Script. per *veritatem* accipias iuſtitiam: hæc enim componi ſolet & opponi miſericordiæ, quòd illa debita ſit, hæc indebita & gratuita, atque vtraque cuſtodit regem, q. d. Reges multorum patent inuidiæ & inſidijs: quare ſatellites & ſtipatores, quaſi cuſtodes corporis & vitæ ſibi accerſunt, qui eos vallent & cuſtodiant. At ego rex ſapientiſſimus dico & edico, non eſſe meliores, fideliores & potentiores ſatellites & cuſtodes regis quàm hoſce duos, ſcilicet miſericordiam & iuſtitiam, ac præſertim miſericordiam & clementiam: hæc enim roborat thronum & regnum eius.

Iuſtitia vſt cuſtos regum & clementia. Ratio à priori. Prima. Hi ergo duo ſunt hyperaſpiſtæ, qui nocte dieque pro rege excubant, eumque perpetim tuentur & cuſtodiunt. Ratio à priori eſt prima, quòd rex per miſericordiam ſibi deuinciat animos ſubditorum: per iuſtitiam profliget fraudes, inſidias & technas inimicorum, quibus profligatis ceteros omnes per miſericordiam ſibi amiciat. Dum ergo omnes habet amicos, non eſt quem vereatur & timeat. Rurſum rex probos per clementiam ſibi deuincit, improbos per iuſtitiam proſternit: illos ergo habet amicos, hos proſtratos & ſubactos, vt nocere nequeant. Accedit, quòd rex iuſtus & miſericors ſimiles ſibi conſtituat officiales, iudices & magiſtratus, putà iuſtos & miſericordes, qui populum ritè gubernantes, eum in officio & amore regis ſui continent. Vnde Lucifer legit, *& circuibant iuſti ſedem eius*, iuſti nimirum miniſtri & officiales: hi enim ſolent ſe regis ſui moribus cōformare, eoſque moribus ſuis exprimere & repræſentare.

Secunda. Secunda, quòd miſericordia & iuſtitia ſint duę baſes & columnę ſuſtentantes quodlibet regimen, regnum & remp. iuſtitia enim cuique ius ſuum tribuit, itaque pacem conciliat: miſericordia in omnes liberalis eſt, itaque omnium gratiam & beneuolentiam emeretur, adeoque ipſos inimicos amicat. Soliditas autem regis & regni, maximè in ciuium & exterorum amore & beneuolentia conſiſtit. Miſericordia verò regis maximè cernitur in defenſione miſerorum, pauperum ſubuentione, oppreſſorum ſubleuatione, iræ moderatione, clementia & vindictę mitigatione aut condonatione, cùm res & tempus poſcit: iuſtitia in iuſtis legibus, ſcelerum caſtigatione, improborum vindicta. *Nam miſericordia ſine iuſtitia*, ait Lyran. *eſt puſillanimitas, & iuſtitia ſine miſericordia eſt crudelitas, quæ deſtruunt regem & regnum: ſed miſericordia iuſtitiā ſimulata, & iuſtitia miſericordiā temperata cuſtodiunt regem & regnū.* Hinc de veri Salomonis, id eſt Chriſti, regno perpetuo canit Dauid pſal. 44. v. 7. *Sedes tua Deus in*

A *ſeculum ſeculi, virga directionis virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis.* Vnde & Ariſtot. lib. 5. Ethic. *Iuſtitia*, inquit, *perfecta virtus eſt, & præclariſſima virtutum, & neque eſt Heſperus ita, neque Lucifer admirabilis.* Clementia verò virtutū eſt ſuauiſſima, omnibuſque gratiſſima, iuxta illud c. 16. 15. *In hilaritate vultus regis, vita: & clementia eius quaſi imber ſerotinus.*

Tertia, quòd miſericordia & iuſtitia regem maximè decent, ideoque maximè Deo charum efficiunt, vt ipſe eius ſit cuſtos & tutor: quocirca à Deo protectus rex, non eſt quòd vllū metuat. Idcirco autem Deo charus eſt, quia Deum imitatur: Deus enim ex ſe propendet in miſericordiam, iuſtitiam verò non ex ſe exerit, ſed coactus impiorū ſceleribus, qui ei quaſi inuito vindictæ flagellum B extorquent. Idem facit rex miſericors & iuſtus, vti docet S. Thomas libr. 1. de Erudition. principis cap. 15. citans hanc Salomonis gnomen: *Multum*, inquit, *neceſſaria eſt principi miſericordia: cuſtodit enim eum, ne ignis zeli & iracundia illum deſtruat. Vnde Prou. 20. dicitur: Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, ignis zeli ardere debet in oleo miſericordiæ, deficiente vero hoc oleo, ignis zeli deſtruit principes: ſicut ignis, ſi deſit oleum materiale, deſtruit lampadem. Gregor. ſuper Ezechiel. Sancti zeli diſtrictio de virtute miſericordiæ neceſſe eſt vt ardeat.* Et inferius: *Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli parcere: modum enim tenere debemus, ſed quia difficile tēperamentum eſt, quid equo plus futurum eſt, in partem humaniorem præponderet.* Quocirca in dubio, an præſtet vti miſericordia an iuſtitia, princeps in miſericordiam potiùs propendeat.

Tertia.

Axiomata Machiauelliſtæ. C Errant ergo Politici & Machiauelliſtæ, quorum hæc ſunt principia, quæ principibus inſtillant: *Subditos preme, ne rebellent: eos tributis aggraua, vt eorum paupertate te dites & robores. Metu eos opprime: oderint ergo dum metuant. Eis vires, opes & animos adime, vt ſeruos tibi facias & mancipes. Arcibus vrbes doma.* Hæc & ſimilia hîc euertit Salomon: Arces enim & cetera iam dicta ſæpè ſunt nidi tyrannorum, vt ille aiebat: rex autem ſolium nulla re meliùs firmat, quàm amore & clementia: clementia enim omnium bonorum eſt mater, vti ex S. Ambroſ. oſtendi c. 11, 19. Vidit hoc Seneca Neronis præceptor, qui ad eumdem ſcribens libr. de Clementia: *Non eſt opus*, inquit, *latera montiū abſcondere multiplicibus muris, ac turribus ſepire; ſolum regem clementia in aperto præſtabit, crudelitas hoſtes multiplicat.* Et Cicero 2. offic. *Malus*, inquit, *diuturnitatis cuſtos* D *eſt metus, contraque beneuolentia fidelis eſt, vel ad perpetuitatem. Etenim qui ſe metui volent, à quibus metuuntur, eoſdem metuant neceſſe eſt.* Ita Dauid ſtabilitatem throni ſibi ſuiſque poſteris à Deo poſcens, vt illam impetret: *Memento*, inquit, *Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* In quæ verba S. Gregor. ſcribens docet, Dauidem ſingularis manſuetudinis merito obtinuiſſe, vt Deus eius regnum in poſteris perpetuaret vſque ad excidium Iudæorum, imò ipſe Dauid idipſum indicat 2. Reg. 22. 16. *Manſuetudo tua*, inquit (quam mihi communicaſti) *multiplicauit me.*

Gnomæ de regum clementia. Exempla illuſtria, & gnomas regum & principum huic Salomonicæ perſimiles accipe. Alexander magnus imperium ſuum ſtabiliuit clementia, quæ tanta in eo fuit, vt Darius rex Perſarum inuidens precaretur à dijs, vt aut ſuperare poſſit

poſſit clementiâ Alexandrum,aut,ſi is regno ſpoliaretur,ſolus Alexander in Perſarum regno imperaret. Antigonus rex Macedonum amicis ſuadentibus, vt, ſi Athenas caperet, validis illas præſidijs communiret, nequando deficerent, reſpondit ſe ſemper in ea fuiſſe ſententia,vt crederet *clementiam plus poſſe quàm violentiam.* Idem cùm initio regni durior fuiſſet, ſenex iam factus clementer & placidè regnum adminiſtrauit. Verùm cùm morum mutationē miraentur ſibi iti,reſpondit:*Prius opus erat regno,nunc gloriâ & beneuolentiâ,quæ regnum recuperatum ſeruatur.* ita Plutarch. in Apophth. regum. Pittacus vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus, filij ſui interfectorem ad ſe miſſum, vt de eo ſupplicium ſumeret,cauſâ cognitâ dimiſit,dicens: *Ignoſcentiā eſſe potiorem pœnitentia*:vel vt alij, *Melius eſt ignoſcere quàm punire.*ita Laërt.lib.1.Cato monebat potentes, vt parcè vterentur ſua poteſtate, quò ſemper vti poſſent, ſentiēns potentiam clementiâ & comitate fieri diuturnam, ferociâ breuem. Iulius Cęſar rerum potitus,ſtatuas Pompeij deiectas honorificè repoſuit.Tum Cicero: *Cæſar*,inquit,*dū Pompeij ſtatuas reponi: ſuas ſtabilit*,ſentiens illum hoc non in Pompeij gratiam facere, ſed vt ſibi clementiæ nomine ciues conciliaret; ſicque ſuum regnum conſtabiliret. ita Plutarch. in Apophth. Nero initio imperij adeò fuit clemens, vt rei cuiuſdam capite damnati ſententię ſubſcripturus,exclamarit: *Vtinam literas neſcirem*,teſtis eſt Seneca li. 2.de Clement.Theodoſius iunior rogatus,cur neminem eorum à quibus lædebatur,capite mulctaret?reſpondit: *Vtinam liceret mihi & mortuos ad vitam reuocare!* Alfonſus Aragonum rex nimiæ lenitatis inſimulatus reſpondit:*Malo multos mea clementia & manſuetudine ſeruare, quàm paucos mea ſeueritate perdere. Hominis enim eſt clemētia,belluarum ſæuitas. Ego iuſtitia bonis gratus ſum,malis autē clementiâ. Nihil enim magis aduerſarios flectit quàm placabilitatis & māſuetudinis nomen.*ita Panorm.lib.2.de Geſtis Alfonſi. Verè Salluſtius in Bello Iugurth. *Non exercitus*, inquit, *neque theſauri præſidia regni ſunt,verùm amici, quos neque armis cogere,neque auro parare queas; officio & fide parantur.*

VERS.29. EXVLTATIO IVVENVM, FORTITVDO EORVM: ET DIGNITAS SENVM, CANITIES] Pro *exultatio* hebr. eſt תִּפְאֶרֶת *tiphereth*,id eſt decor, pulchritudo, gloria, magnificentia, qua iuuenes quaſi hinnuli ſubſiliunt & exultant. Pro *dignitas* hebr. eſt הָדָר *hadar*,id eſt decor, pulchritudo,decus,ſplēdor,excellentia; Septuag. *ornatus adoleſcentibus ſapientia: gloria autem ſeniorum canities*; Aquila, Symmach. & Theodot.*ornatus iuuenibus fortitudo*,Chald.*decus iuuenum eſt robur,& laus ſenum canities*.Auctor Catenę Græcor.Septuag. ſic explicat, q.d. *Sicut canities ſenem reddit venerabilem, ita ſapientia iuuenem*; Syrus, *honor ſenum canities*; R.Salomon,*vt iuueni glorioſum eſt viribus excellere, ita ſenibus canities ornamento eſt.* & R.Leui.

Dignitas ſenum canities, quæ? Reſp. Primo. Per *canitiem* Primò,aliqui per catachreſin intelligunt ſenſum & ſapientiam: hæc enim eſt cana,id eſt antiqua; ac viciſſim cani, id eſt ſenes per experientiam multam ſunt ſapientes. Vnde nonnulli ſenium à ſenſu dictum putant.Ita S.Iſidor.lib.2. de Offic.Eccleſ. cap.7 *Gloria*,inquit, *ſenum canities,id eſt ſapientia,de qua dicitur Sapient.4.8.Canities hominum eſt prudentia.*Sic & S. Hier.lib.2.Comment.in Iſaiæ cap.3. ſub initium: *Gloria ſenum canities. Quæ*

A *eſt iſta canities? haud dubium quin ſapientia,de qua ſcriptum eſt:Canities hominum prudentia eſt.Cumq; nongentos & eo ampliùs annos ab Adam vſq; ad Abraham vixiſſe homines legamus, nullus alius primò appellatus eſt presbyter,id eſt ſenex,niſi Abrahā qui multo paucioribus annis vixiſſe conuincitur.Vnde ſcribit & Ioannes,qui pueros & iuuenes etiam ad ſenes dicens: Scripſi vobis patres, quia cognouiſtis eū qui à principio eſt. Et Roboā filius Salomonis ideo perdidit regnum; quia noluit audire presbyteros.*Quę S.Hier.verba tranſlata ſunt in Ius Canonicum,& habentur diſt.84.cap.fin,

Secundò. Secundò, alij propriè *canitiem* accipiunt, q. d. Capilli cani decorant ſenes, ipſaq; canities eſt decus & dignitas eorum,quæ facit eos honorabiles & venerabiles, præſertim quia canities & candor capitis indicat canitiem & candorem mentis. Vnde S.Iſidorus libr.11. Origin.cap.2. *Canities*, inquit,

B *vocata à candore quaſi candities. Vnde eſt illud: Florida iuuentus. lactea canities, q. d. candida. Senectus autem multa ſecum bona affert: quia nos à potentiſſimis dominis liberat, voluptatibus imponit modum, libidinis frangit impetus,auget ſapientiam,dat maturiora conſilia.* Idem libr.2.de Differentijs ſpirital.§.15.*Senectus*,inquit *à quinquageſimo anno incipit, & ſeptuageſimo ſeptimo terminatur.* Et S.Ambroſ.ad Anyſium libr.3 epiſt.21. *Vere*,inquit,*ſenectus illa venerabilis,quæ non canis ſolùm, ſed meritis albeſcit: ea enim eſt reuerenda canities animæ, in canis cogitationibus & operibus effulgens.* Et libr.1.de Cain cap.3.*Senectus venerabilis eſt,non annis cana, ſed moribus.* Et S.Chryſoſt.homil.4.in epiſt.ad Hebr.in morali:*Etenim*,ait,*canos honoramus, non quia colorē candidum nigro colore ampliùs honoramus; ſed quia indicium eſt vitæ in virtute prouectæ, & videntes ex hoc conijcimus interiorē canitiem:ſi verò con-*

C *traria ſenectuti geſſerint, viſibiles fiunt propter hoc potiùs. Nam & regem honoramus & eius purpuram & diadema quoniam iſta ſigna ſunt principatus: ſi verò viderimus illū cum purpura conſpui, ab armigeris ſuis conculcari, præfocari, in cuſtodiam mitti, diſſipari, nunquid reueremur tunc purpuram aut diadema? nonne ipſum ſchema plorabimus? Noli ergo propter canos velle honorari, quando ipſe illos contumelia affecis nam & ipſi vltiſci debent quoniam ſchema ſplendidum adeo & honorabile confundis.*

Tertiò. Tertiò, aper *canitiem* accipias ipſam ſenectutem: hanc enim ſignificat Hebr. שֵׂיבָה *ſeba*,q.d. Decus & dignitas ſenum eſt ipſa ſenectus, quæ tum in canis ac vultu greſſuque graui,tum in morum & ſermonum grauitate & maturitate cernitur. Hęc ergo ſenectus eſt morum grauitas & ſanctitas, quæ dignitas eſt quaſi diuina. Vnde Iunius

D orator & philoſophus apud Stobæum ſerm. 116. *Hoc maximum*,inquit, *& pulcherrimum à dijs donum hominibus eſſe datum reor,per quod diuinæ naturæ quodammodo ſimiles fiant.* Et infrà. *Senectus diuinæ moderationis imitationem quandā in ſe exprimit.* Hinc Macrobius libr.2.Saturnal. *Senectus*,inquit, *nobis ſi ſapimus,adoranda eſt*: quare ſubdit ſenum conſilia & monita veluti oracula, & deorum reſponſa accipienda eſſe, eò quòd ſecura ſint & certa inſtar oraculorum.

Senex quaſi Deus inter iuuenes. Primò. Igitur ſenectus eſt dignitas quædam diuina, ac ſenex inter iuuenes eſt quaſi deus quidam terreſtris. Primo, quia ſenectus eſt imago antiquitatis & æternitatis Dei, vnde Deus viſus eſt Danieli cap.7. v.9. quaſi *antiquus dierum* capillos habens candidos,id eſt canos. Similiter viſus eſt S.Ioanni Apo-

A Apocal. 14. 14. Quocirca S. Ambr. lib. 3. epiſt. 21. ad Anyſium: *Quæ*, inquit, *eſt verè ætas ſenectutis niſi vita immaculata, quæ non diebus aut menſibus, ſed ſæculis propagatur, cuius ſine fine eſt diuturnitas, ſine debilitate longæuitas? Quo enim diuturnior, eo fortior: & quo diutius eam vitam vixerit, eo fortius in virum perfectum excreſcit.*

Secundò. Secundò, quia ſicut Deus eſt inſenſibilis carens omni appetitu, paſſione & perturbatione, putà ira, amore, triſtitia, vindicta, &c. *Dij*, inquit, ille, *non comedunt fruges, non potant feruida vina*: ſic & ſenex frigeſcente corpore vacat perturbationibus animi iiſque dominatur, quibus flagrat ſanguinea & calida iuuentus; quin & appetitus cibi & potus in ſenibus deficit, quare friget in eis cum Cerere & Baccho Mars & Venus. Hinc S. Chryſoſt. hom. 4. ad Hebr. ſenem paſſionibus dominantem comparat æquatque regi. *Rex*, inquit, *eſt ſenex ſi volueris, &* B *eo qui purpuram habet regalior, ſiquidem paſſiones animi vicerit, & velut armigeros ſubiecerit paſſiones. Si verò abſtrahatur & deijciatur à ſolio, & amoris pecuniarum & ornandi corpus, & deliciarum, & ebrietatis, & iracundiæ, & venerearum rerũ ſeruus effectus, & crines habeat oleo comptos, & totam ætatem ſuam per malam voluntatem ignominia afficiat, quali pœna non ſit dignus huiuſmodi?*

Tertiò. Tertiò, ſicut Deus pollet ſapiẽtia, ſic & ſuo modo ſenectus. Vnde S. Hieron. ait in ſenibus omnia deficere exceptâ ſapientiâ: hanc enim ſolam vigere. Et S. Ambroſ. li. 1. Hexam. c. 8. *Senectus ipſa*, inquit, *in bonis moribus dulcior, in conſilijs vtilior, ad conſtantiã ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Infirmitas quoq; corporis, ſobrietas mẽtis eſt. Vnde ait Apoſtol. Cùm infirmor, tunc potens ſum*, 2. Cor. 12. 10. Huc facit illud Ouidij 6. Metam. *Seris venit* C *vſus ab annis*. Et illud Comici: *Sapientiæ ætas condimẽtum eſt, viciſſim ſapientia ætati cibus eſt*. q. d. Sapientia ætate ſenili conditur: quia ipſa velut inſuauis & ingrata eſt in iuuene; redditur enim gratior & amabilior à ſenectute: viciſſim ſapientia ſenectutem inſtar cibi paſcit & vegetat. Sapientia ergo ornat ſenectutem, & viciſſim ornatur ab illa.

Quartò. Quartò, ſicut Deus multam numerat hominum, animalium, rerumq; creatarum progeniem: ſic & ſenes multam cernunt filiorum & nepotum propaginem.

Quintò. Quintò, ſicut Deus futura præuidet & prædicit: ſic & ſenes per longam experientiam futura proſpiciunt & enuntiant; vnde iuuenibus ſana dant conſilia de ijs quæ in futurum per omnem vitam agendâ vel non agenda ſunt. *Teſtimonium enim diuinitatis eſt veritas diuinationis*, ait Tertull. Apolog. 20. iuxta illud Iſaiæ 41. 23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos.*

Denique ſenes ſaturi & pleni dierum, viciniquè morti nonniſi tranſitum cogitant ad beatam immortalitatem, vt Deo iuncti eius gloriâ & vitâ beatâ in omne æuum perfruantur. Vnde S. Chryſoſt. homil. 37. in Geneſ. *Tu autem* (ò Abraham) inquit, *adibis ad patres tuos conuerſus in ſenectute bona. Non dixit, morieris, ſed, abibis, quaſi peregrinaturo eo & migraturo à patria in patriam.* Mox docet ſenectutem bonam eſſe, non quæ indulget delicijs & ventri; ſed *qui in via virtutis*, inquit, *ambulauit, hic verè conuerſus in ſenectute bona, vita defungitur, & laborum præſentium inuenit mercedes & retributiones.*

Quæres, quorſum & quo fine ſcopoque hanc gnomen aſſignet Salomon?

A Reſp. Primò phyſicè, vt ſignificet diſparitatem ætatum ſenectutis & iuuentutis, ac cuilibet ætati ſuum decorem ac decus attribuat; nimirum iuuentutis decus eſſe robur, ſenectutis ipſam ſenectam; ac prouidè iuuenes exultare ſua viuacitate viuacique robore; ſenes verò in ſua ſenili grauitate conquieſcere, & quaſi confidere: quare iuuenes non debere ſenibus inſultare, nec hos viciſſim iuueniles iuuenum geſtus motuſq; aſpernari, ſed quemque ſua ſorte & ætate contentum viuere, mutuamque pacem colere, nec alterum ab altero opus & mores diſparis ætatis requirere. Iuuenes enim decet labor, ſenes quies, grauitas, maturitas.

Secundò ethicè, vt ſignificet licet iuuentuti æque ac ſenectuti ſui ſint defectus & vitia; vtramq; tamen ſuas habere dotes & dona, eaque talia per quæ vtrique & ſibi mutuo, & reipublicæ ſint vtiles, B & neceſſarij: reipubl. enim neceſſaria eſſet fortitudo iuuenum, & ſapientia ac reuerentia ſenum. Et quemadmodum iuuenes egent conſilio ac ſapientia ſenum, ne quid temerè agant viribus corporis quibus pollent, ita ſenibus vires non ſufficiunt, ſed iuniorum operâ coguntur vti, vt iam illis facilè coëat amicitia, & harmoniam quamdam in republica conſeruent. ita Ianſenius & Baynus. Quod ergo Plutarchus dixit de vino aqua miſcendo, *Deũ furentem ab alio Deo ſobrio temperari*, idem dicas de iuuenum feruore à ſenili maturitate temperando. Sicut enim iuuenum ardor ſenum torporem exacuit: ita viciſſim hic illum moderatur, & ad mediocritatem reducit. Vnde S. Ambroſ. l. 1. de Cain & Abel ca. 3. *Graues*, inquit, *motus noſtræ adoleſcentiæ fida ſenectutis ſtatione placidantur.*

Tertiò, tacitè hic Salomon monet iuuenes & C ſenes ſui officij, nimirum iuuenes, vt ſuum robur exerceant, nec ſinant illud torpore & otio marceſcere, ſed eo vtantur ad ſenum & reipubl. bonum; ſenes verò vt à labore iuuenum conquieſcant, eumque ſua maturitate & conſilio moderentur & dirigant. Quàm ſenum conſilium & exemplum vtile ſit iuuentuti, præclarè docet S. Ambroſ. libr. 2. de Cain cap. 4. ſub finem.

Quartò, vt robur iuuenibus ſit ſtimulus ad ardua heroicaque virtutis & fortitudinis opera capeſſenda: ſenecta verò ſoletur ſenes memoria præteritorum laborum, virtutum & meritorum, eoſque tacitè ſuæ dignitatis & virtutis admoneat, ne quid ea indignum, iuuenile & degener committant, ſed iuuenibus plenum maturitatis & morum compoſitionis dent exemplum. Vnde S. D Chryſoſt. hom. 4. in epiſt. ad Hebr. in morali: *Abſurdum eſt*, inquit, *ſi ſenex in taberna ſedeat, ſenex ad circum feſtinet, ſenex ad theatrum aſcendat, inſtar pueri currens cum plebe, verè confuſio eſt & irriſio, vt canitie quidem ornetur extrinſecus, intrinſecus autem animum habeat puerilem: & ſiquidem vituperaueris illum iuuenis, ſtatim canos in medium profert: tu illos reuerere primus; ſi vero tu eis non exhibes reuerentiã iam ſenex, quomodo iuuenem tuos canos reuereri deſideras? Nõ reuereris, inquis, hos canos, ſed tu eos confundis. Deus te honorauit, candorem capilli dedit, multam prærogatiuam contulit: quid honorem illum prodis? illum honorem quomodo reuereatur iuuenis, cùm te viderit ſe quoq; amplius laſciuiæ deditum? Canities quippe tunc eſt venerabilis, quando ea gerit quæ canitiem decent; cùm verò iuueniliter conuerſatur, plus iuuenibus ridiculo erit; quomodo poteritis iſtorum iuuenes admonere vos ſenes, dum inebriamini per incontinentiam veſtram?*

Senectutẽ decet morum grauitas.

non enim nunc accuſans ſeniores hæc dico, ſed iuuenes. Qui enim hæc agitis, etſi ad centeſimum veniatis annũ, mihi iuuenes videmini, & ſimiles pueris.

Exemplum Eleazari. Exemplo ſit Eleazarus, qui ab Antiocho iuſſus comedere porcinam lege vetitam, ni atrociter excarnificari vellet, *reſpondit citò, dicens præmitti ſe velle in infernum. Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere, vt multi adoleſcentiũ arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicũ corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquirã. Nam etſi in præſenti tempore ſupplicijs hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. Quã ob rem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam; ſi prõpto animo ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. His dictis confeſtim ad ſupplicium trahebatur.* 2. Machab. 6. 23. Vnde Eleazarum celebrans S. Ambroſ. libr. 2. de Iacob. c. 10. *Non ſum ita ſenex,* inquit, *vt mihi nõ iuueneſcat animi fortitudo. Nequaquam contingat mihi, vt fiam ſenex incentiuum iuuenilis erroris; qui hucuſque eram forma ſalutaris inſtituti. Senectus portus debet eſſe, non vitæ ſuperioris naufragium.*

Salomonem de more ſecutus Siracides, haſce illi antiſtrophas edidit gnomas: *Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei,* Eccli. 25. 8. vbi ſenes ſeptuplici corona donaui. *Princeps populi in ſapientia ſermonis ſui, in ſenſu verò ſeniorum verbum,* c. 9. 24. *Quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies?* cap. 25. v. 5. *Quàm ſpecioſa veteranis ſapientia!* ibid. v. 7.

Gnome. Et Philoſophi, quos citat Stobęus ſerm. 116. vt Euripides in Bellerophonte: *O fili manus quidem iuueniles ad agendum robuſtæ ſunt, ſeniorum autem ſententiæ præſtant.* Idem in Menalippe: *Vetus hoc dictum eſt opera quidẽ iuniorum, conſilia autem ſeniorum vim habere.* Alexis: *Senectus ſimilis eſt vino veteri. Senectus iuſtior eſt iuuẽtâ* Hippothoon: *Canæ ſenectuti flores ſunt inter homines.* Pili enim cani ſimiles ſunt floribus candidis. quos autem fructus hi flores edant, docet Democritus dicens: *Robur & forma corporis bona ſunt: ſenectus autem flos eſt temperantiæ & prudentię.* Antiphon. *Leonũ ſenecta melior eſt vigentibus hinnulis.* Pythagoras & Plato: *Senectus non tam eſt iuxta finem vitę, quàm iuxta principium benè beateq; viuendi.* Plutarchus: *Iuuenes decet, vt æmulentur ſeniores, iuxta Simonidem:*

Vt lactens pullus curſum comitatur equæ.

Vers. 30. LIVOR VVLNERIS ABSTERGET MALA: ET PLAGÆ IN SECRETIORIBVS VENTRIS] id eſt hydropiſis, ait R. Salomõ: at nõ ſola: plures enim ſunt morbi & plagæ, quæ ſecreto ventris immittuntur, quales fuêre immiſſæ Philiſtæis ob ablatam arcam Dei. 1. Reg. 5. 6. ad quos hîc alludit Salomon. Pro *abſterget* hebr. eſt תַּמְרִיק *tamruc*, id eſt defricatio, abſterſio, purificatio, emaculatio *eſt in malo,* id eſt mali & malorum: מָרַק *marac* enim ſignificat tergere, defricare, polire. Vnde Pagnin. & Vatab. vertũt, *liuor vulneris eſt medicina abſterſiua mali, q. d. Liuores vulneris tergunt hominẽ malum, eiuſq; malitiam & vitia abſtergũt.* Aut, *liuores vulneris, id eſt qui ſunt cauſa vulneris, ſunt medicinæ hominũ malorum: quia hi verbis non corriguntur, ſed flagellis & virgâ diſciplinæ, imò plagis profundis, quæ penetrant vſque ad imum ventrem.* Hinc & Caiet. vertit, *percuſſiones capitis mundabunt malum, & vulnera cubicula ventris.* Sicut enim catapotia & pilulę cubicula, id eſt omnes ſinus ſtomachi & ventris peruadunt, ex eiſque phlegmata & humores noxios abſtergunt, itaq; hominem ſanant: ſic pariter plagæ & tribulationes intimos mentis ſinus penetrant, ex eiſq; quidquid vitioſum eſt eradunt & abſtergunt, itaque eam ſanitati & ſanctitati reſtituunt. *Liuor* eſt percuſſio, qua quis verberatur, vt fiat liuidus. *vulneris,* id eſt vſque ad vulnera, quibus ſanguis effluit, ait Aben Ezra: qui hanc gnomen nectit pręcedenti, q. d. Sicut robur ornat politque iuuenem, canities ſenem, ita liuores & plagę ornãt impium: tum quia pœna decet, & quaſi ornat culpam: tum quia eàm eluit & abſtergit, itaque impiũ purificat & expolit. *Plagæ,* inquit, *ſunt impij pigmenta, quibus expolitur. Plaga* propriè eſt ictus, verber, percuſſio: hęc enim grecè vocatur πληγή. Doricè πλαγά ἀπὸ πλήσσω, id eſt percutio; hinc *plagare* eſt percutere, vt Zachar. 13. 6. ait Chriſtus crucifixus: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Et 4. Eſdras 15. 51, *Plagata & caſtigata à mulieribus.*

Liuor vulneris abſterget mala. Prima. Senſus ergo planus eſt, q. d. Sicut ollæ immundæ defricantur cinere, & panni immundi lixiuio, aliæque maculæ ſale, aceto & nitro; ſic pariter vitia tum priuata hominis, tum publica ciuitatis & reip. defricant, detergunt & emaculant verbera, vulnera & plagæ, præſertim quæ ventrem, id eſt intima hominis tangunt, feriunt & cruciant. Rurſum ſicut apoſtema, ſiue vlcus latens, curatur ſecando & aperiendo illud, vt pus & ſanies effluat: eo enim abſterſo caro pura vnitur & ſolidatur (eò enim alludit) vnde liuor vulneris idem eſt, quod plaga vulneris, id eſt plaga vulnus aperiens. Aut liuor vulneris, id eſt pus & ſanies liuida è vulnere ſecto & aperto effluens: ſic pariter verbera & plagæ, quæ Deus impijs immittit, eos vulnerant, & vulnerando aperiunt eorum oculos & mentem, vt ſanies peccatorum per pœnitentiam effluat & tergatur, qua abſterſa mẽs quaſi polita ſuæ ſanitati & puritati reſtituitur. Ita S. Greg. cuius verba mox recitabo. Ita & R. Leui. Liuore ergo & verberibus corriguntur mali, vel certè mala ipſorum, vt mali à vitijs abſtineant, ſi non virtutis amore, certè formidine pœnæ ab ijs ſe coërceant. ita dolor eſt medicina doloris in morbis vti corporis, ſic & animi. Vnde Rabbini nonnulli ſic vertunt, *liuorum vulneris medicina eſt cum malo,* id eſt cum dolore, & *plagæ etiam intimæ ſanantur cum dolore,* id eſt, ſicut plagæ in ſumma cute & in anima ſanantur cum dolore, ſic & malus cum dolore ſanatur. Hic genuinus eſt ſenſus.

Verùm, quia alij alios addunt non inutiles, eos hîc attexam, & quemque ſuo auctori, ad fidem & pondus maius, de more aſſignabo. Primò ergo Chald. vertit, *pauores & plagæ occurrunt malo, & punctura acus in interioribus ventris eius,* q. d. Tribus ſupplicijs mulctantur impij. Primò pauoribus anxiæ conſcientiæ, ac ſubinde ſpectris horrendis, quæ vel imaginatio ex pauore, vel Deus ex iuſto iudicio eis obijcit, vti obiecit Ægyptijs in plaga tenebrarum Sapient. 17. v. 6. & ſequ. & Theodorico regi Arriano, qui comedens piſcem viſus eſt ſibi videre S. Ioannem Pontificem & Symmachum conſulem, quos iniuſtè occiderat, ſibi minitantes, eoque ſpectro ex pauore morbum & mortem incurrit. Secundò, plagæ omnis generis; Tertiò, puncturæ intimæ & inſtar acus acutiſſimę, quę penetralia ventris & mentis tranſpungunt.

Secun-

Secundò. Secundò, Septuag. vertunt, *liuores & contritiones, seu vulnera occurrunt malis: plagæ autē in ſecretioribus ventris*; Syrus, *contritio & cruciatus occurrunt malo*, quod aliqui per gradationem triplicis pœnæ, ſiue modi feriendi exponūt. Nam gladio v.g. quis primò ferire poteſt plano, quę leuis eſt percuſſio ſine vulnere; Secundò, acie gladij vulnerando, ſecando, mutilando. Tertiò, cuſpide gladij transfodiendo. Simili modo Deus, inquit Salazar, gladiū iræ ſuæ contra improbos vibrat, primùm quidem ex plano, deinde cæſim, tandem punctim eos ferit; liuorem primùm, deinde vulnus, ac demum plagam profundam & interna viſcera penetrantem infligens. Quos enim liuor non coërcet, vulnere petit; illius autem quos vulnus nō cohibet, gladiū profundiſſimè in viſcera immergit. Itaque Salomon gradus recenſet, per quos ira Dei contra ſceleratos exardeſcit. Hoc eſt quod dixit Salomon cap. præced. v. vlt. *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus*,

Tertiò. Tertiò, R. Salomon & ex eo Lyran. ſic vertunt, *liuor vulneris euacuatio in malo, & percuſſuræ in vētre*, ſicque exponunt: *Euacuatio, ſcilicet ſubſtantiæ, vel diuitiarum in malo, id eſt in malis operibus, ſicut contingit prodigis & inſipientibus, eſt, ſupple liuor vulneris, ſatiſaliter: quæ talibus ſolent inferri liuores, vulnera & percuſſuræ in ventre, id eſt plagæ mortales, vſq; ad membra vitalia in vētre latentia pertingentes*, ſicut guloſis & ebrioſis nimia crapula inducit hydropiſin, colicam, calculum alioſque morbos intima cruciantes.

Quartò. Quartò, Baynus explicat, q.d. Quod in vulneribus corporis videmus fieri, idem ſentiendum de plagis mentis. Collectio purulenta in vulneribus facit ad ſanitatem & purgationem mali, & plagæ quæ ſunt in penetralibus ventris, hoc eſt, animæ morbi eodem modo curantur per liuores & ſaniem in vnum locum collectam: dum ad memoriam peccata reuocantur, dum perpendimus, quàm ingens malum ſit Deum offendere, dum de grauitate & facilitate peccandi cogitamus, & ex animo dolentes purulentiam plagarum animæ per pœnitentiam ad vnum veluti locum reuocare videmur, & purgare.

Quintò. Quintò, alij per hypallagen: liuor vulneris, inquiunt, eſt vulnus liuoris, putà vulnus ſtillans liuidum pus & ſaniem. q.d. In apoſtemate & vlcere liuor purulentus latens non aliter ſanari poteſt, niſi profundè vulneretur, & collectam ſaniem expellat: ſic etiam peccatis quæ pudor tegit & occulit, mederi fas non eſt, niſi profundo dolore & pœnitentia animus transfigatur, vt abrupto pudore per confeſſionem colluuies & ſanies peccatorum effluat, quo facto abſterſa conſcientia, denuo eius plagæ ita coaleſcent, vt nullum earum ſuperſit veſtigium. Hæc enim eſt pœnitentiæ vis & energia, quæ ſic animarum vulnera curat & abolet, vt neq; cicatrix, neque verruca appariturа ſit, ait S. Chryſoſt. Ita profundus dolor pudorem S. Magdalenæ abſterſit in publico conuiuio.

Sextò. Sextò, alij appoſitè cenſent hîc doceri modum A curandi morbos & vitia animi ex modo, quo medici curāt plagas & vlcera corporis. Vnde ſic gnomen exponunt: Sicut liuor vulneris abſtergit mala corporis, & (id eſt *ſic*) plagę in interioribus ventris, ſupple, eadem abſtergunt, q.d. Sicut medicus curat apoſtema & plagam, eam vulnerando & aperiendo, vt ſanies latens effluat: ſic enim cum ea omne malum abſtergit: ſic pariter latentia & profunda animæ vitia non curantur, niſi vulnerando eam per pudorem, angorem, mœrorem: ſic enim aperto vulnere latentis vitij ſanies effluet, & vitium abſtergetur. Ita S. Monica in iuuentute pronior ad vini guſtum, cùm ab ancilla iracunda *meribibula* vocaretur, hoc probro & pudore velut vulnere medullitus icta, omnem vini cupiditatem ex animo eraſit. Hoc ſtimulo, inquit S. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 8. *percuſſa reſpexit fœditatem ſuam, confeſtimq; damnauit atque exuit: ſicut amici adulantes peruertunt, ſic inimici litigantes plerumque corrigunt*. Simili modo dum falſius & amariùs aliqui de vitijs corripiuntur pudore & dolore animam penetrante, & quaſi ſecante, ipſi ilicò eadem ab ſe abſcindunt, vt quotidiana docet experientia. Plagæ ergo in interioribus ventris, ſunt facta & dicta vel dicteria, quæ intimam audientis animam dolore transfigunt, itaque compungunt & curant. Hic ſenſus valdè appoſitus, reconditus & illuſtris eſt.

Myſticè S. Gregor. 3. p. Paſtor. admon. 13. & ex eo Beda hîc: *Admonendi*, inquit, *ſunt ægri, vt conſiderent quāti ſit muneris moleſtia corporalis, quæ & admiſſa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant compeſcit: quæ ſumpta ab exterioribus plagis, concuſſæ menti pœnitentiæ vulnera infligit. Vnde ſcriptum eſt: liuor vulneris abſtergit mala, & plagæ in ſecretioribus ventris. Mala enim liuor vulneris abſtergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas, nequitias diluit*. Et poſt nonnulla: *Liuor ergo vulneris abſtergit mala, & plagæ in ſecretioribus ventris; quia cùm exteriùs percutimur, ad peccatorum noſtrorum memoriam taciti afflictiq; reuocamur, atque ante oculos noſtros cuncta quæ à nobis ſunt malè geſta reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus, quod fecimus, dolemus. Vndē fit vt inter aperta vulnera corporis, ampliùs nos abluat plaga ſecreta vētris, quia ſanat nequitias praui operis occultum vulnus doloris*. Idem 23. Moral. cap. 13. *Menti conſideranti*, inquit, *& ſeſe per pœnitentiam laceranti, quaſi quædam plagæ percuſſionis ſunt lamenta compunctionis*. Et mox citato hoc loco: *Per liuorem quippe vulneris diſciplinā inſinuat corporeæ percuſſionis. Plagæ verò in ſecretioribus ventris, ſunt interna mentis vulnera, quæ per compunctionem fiunt: ſicut enim venter cibis repletus extēditur, ita mens prauis cogitationibus dilatata ſubleuatur. Abſtergunt igitur mala, & liuor vulneris, & plagæ in ſecretioribus ventris: quia & diſciplina exterior culpas diluit, & extenſam mentem compunctio pœnitentiæ vltione transfigit. Sed hoc inter ſe vtraque hæc differunt, quòd plagæ percuſſionum dolent, lamenta compunctionem ſapiunt. Illæ affligentes cruciant, iſta reficiunt dum affligunt. Per illas in afflictione mœror eſt, per hæc in mœrore lætitia*.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cor regis in manu Dei, cui miſericordia & iudicium placent præ victimis, rapinæ raptores deuorant. angulus præſtat muliere rixoſa; repellens pauperem repelletur; epulæ depauperant: pro iuſto dabitur impius; cuſtodiens os cuſtodit animam; deſideria occidunt pigrum; non eſt ſapientia contra Dominum; cuius eſt dare ſalutem & victoriam.

1. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. 2. Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus. 3. Facere miſericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ. 4. Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum. 5. Cogitationes robuſti ſemper in abundantia, omnis autem piger ſemper in egeſtate eſt. 6. Qui congregat theſauros lingua mendacij, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis. 7. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium. 8. Peruerſa via viri, aliena eſt: qui autem mundus eſt, rectum opus eius. 9. Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa, & in domo communi. 10. Anima impij deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo. 11. Mulctato peſtilente ſapientior erit paruulus: & ſi ſectetur ſapientem, ſumet ſcientiam. 12. Excogitat iuſtus de domo impij, vt detrahat impios à malo. 13. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. 14 Munus abſconditum extinguit iras: & donum in ſinu indignationem maximam. 15. Gaudium iuſto eſt facere iudicium: & pauor operantibus iniquitatem. 16. Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur. 17. Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur. 18. Pro iuſto datur impius: & pro rectis iniquus. 19. Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda. 20. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti: & imprudens homo diſſipabit illud. 21. Qui ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inueniet vitam, iuſtitiam, & gloriam. 22. Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ eius. 23. Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam. 24. Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam. 25. Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari: 26. tota die concupiſcit & deſiderat: qui autem iuſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit. 27. Hoſtiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere. 28. Teſtis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. 29. Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum: qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam. 30. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. 31. Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit.

VERS. 1. *Cor regis in manu Dei vt aqua. Primò.*

SICVT DIVISIONES AQVARVM, ITA COR REGIS IN MANV DOMINI: QVOCVNQVE VOLVERIT, INCLINABIT ILLVD] Primò, Lyran. Hugo, Dionyſ. & alij per *diuiſiones aquarum* accipiunt primigeniam illam ſeparationem aquarum, qua Deus initio mundi diuiſit aquas ſuperas ab inferis interponens medium firmamentum, Gen. 1. 6. q. d. Sicut Deus primitus diuiſit aquas ſuperas ab inferis, ſic diuidit cor regis, nunc illud eleuádo, vt magna & ſublimia cogitet & moliatur; nunc illud deprimendo, vt exilia & humilia cogitet & tractet: imò ipſum regem nunc erigit, vt ſit potens, nunc deprimit, vt ſit abiectus & plebeius, vti depreſſit ſuperbum Nabuchodonoſorem commutando eum in beſtiam, Daniel. 4. 30.

Porrò nonnulli per aquas ſuperas accipiunt nubes, quæ ſuperát cęlum, id eſt aërem infimę regionis, q. d. Sicut Deus vento immiſſo agit nubes, vt

A depluant in eum terræ locum, quem ipſe elegerit: ſic pariter ſpiritu ſuo agit mentem regis, vt eò feratur, illudque exequatur, quod Deo placitum fixumque fuerit.

Secundò. Secundò, alij referunt hæc ad diuiſiones maris rubri, quas fecit Deus per Moſen, vt tranſirent Hebræi, & mox reuoluto mari in eodem mergerentur inſequentes Ægyptij. Ibi enim Deus cor Pharaonis regis inclinauit (illa ratione & modo, quem recenſui Exodi 7. 3.) ad ſequendum Hebræos, vt in mari eum cum ſuis demergeret. Simili modo Deus corda & conſilia impiorum regum & tyrannorum in ipſiſmet reuoluit, vt iiſdem quę in alios impiè ſtruxerant, capiantur & obruantur.

Rurſum alij per *diuiſiones aquarum* intelligunt varias maris diuiſiones tractus & ſinus, qui ſuos diuiſos habent motus & æſtus; in alijs enim ſemel per diem eſt æſtus, vt mare nunc creſcat, nunc de-

creſ-

creſcat: in alijs bis vel ter, & in alijs quater, q.d. Sicut mare mariſque ſinus & æſtus in manu ſunt Dei, vt eos diuidat & moderetur ad libitum: ſic pariter cor regis, quod inſtar maris varijs cogitationibus, conſilijs, meditationibus æſtuat, in manu eſt Dei, vt eos diuidat & dirigat ad libitum. Confirmant hunc ſenſum aliqui ex Hebræa voce *pelagim*, quaſi inde pelagus, id eſt mare, ſit deriuatum, verùm hoc præpoſterum eſt: nam *pelagim* Hebr. *diuiſiones* ſignificat, non mare.

Inſuper Beda per *diuiſiones aquarum* accipit flumina, quæ ex mari oriuntur. Vnde noſter Salazar ſic hanc gnomen cõformat, q.d. Sicut flumina ex mari quidem Deo auctore fluunt, & rurſus eodem quaſi liberatore longiſſima telluris ſpatia percurrunt, abluunt & infundunt, & tandem in mare relabuntur: ſic etiam regis arbitria, imperia & leges iuſtæ ex diuinæ voluntatis & imperij pelago deriuantur, & in ſubditos ceu flumina quædam inde tranſeunt: adeò vt bona principis voluntas, quędã diuinæ voluntatis inſinuatio & deriuatio dici debeat, cui contraire nefas ſit. Id ſibi vult illud: *Quocumque voluerit, inclinabit illud*: id eſt, in eam partem voluntas eius fertur, in quam voluntas Dei pendet; ita vt iuſta principis arbitria, quædam diuinæ voluntatis deriuationes & defluuia ſint, quæ vbi magnas regiones latè abluerunt, ad mare eiuſdem voluntatis diuinæ ſeſe referant. Itaque Salomon ſecundùm hanc expoſitionem, obſequium & obedientiam erga reges, ſuadet ſubditis: quia Deus eorum corda & ſtudia regit, ac per ipſos ſuam volũtatem ſubditis denuntiat. Hoc eſt quod ipſa Sapientia, putà Deus, de ſe proclamat cap. 8. 14. *Meũ eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.*

Tertiò. Tertiò & genuinè, per *diuiſiones aquarum* accipies illas quibus flumina in varias terræ partes deriuãtur & decurrunt, aut quibus aquarum congeries in hortos & arua deducitur, vt eos irriget & fœcundet, vti deducitur Nilus per totam Ægyptum, itaque eam oblimat & fertilem facit. Hos enim riuos ſignificat Hebr. פלגי *palge*. Vnde Chald. Syrus, Caietan. Vatabl. Pagnin. & alij vertunt, *ſicut riui aquarum, ita cor regis in manu Domini.*

Porrò riui hi fiunt vel à Deo & à natura, vel ab agricola, aut aquilege, qui aquam legit & colligit, eamque per aquæductus deducit quò libet, vti Romæ per tubos & canales fieri videmus. Hinc auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ita vertit, *ſicut impetus aquæ eſt in manu Dei ita cor regis: ſolo enim nutu quocumque voluerit, inflectit illud*, quaſi dicat. Sicut Deus flumina, vt Nilum, deriuat per riuos in certas terrę partes, vt illas humectent & fœcundent: ſic pariter idem Deus cor & cogitationes regis deriuat & deducit, vt in hanc gentem vel perſonam ferantur, in eamque beneficę ſint, non in aliam, nimirum quia cùm alicui fauet Dominus, inſpirat ſana principibus conſilia, atq; ad ea implenda impellit; cùm verò alicui ſuccenſet, ſinit eos in reprobum abire ſenſum, atque ad ea inclinat, quæ in malum & vltionem ſubditorum faciant. Patuit iſtud in Saule, priùs electo & poſtea reprobato. Item in Dauide, qui quamquàm eſſet ſecundùm cor Domini tamen cùm addidit furor Domini iraſci contra Iſrael; commouit Dauid ad numerationẽ populi pernicioſam Iſraeli, vt patet 2. Reg. vlt.

A Vnde illud Iob 30. 34. *Qui regnare facit hominẽ hypocritam propter peccata populi.* Quod ſi cor regis eſt in manu Domini, quod maximè liberum videtur; quantò magis reliquæ vires, caſtra, exercitus, reliquuſque belli apparatus; quantò magis alij priuati homines? Vt hęc gnome ſpectat ad illam c. 20. 27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ* (Septuag. *qui*, ſcilicet Dominus) *inueſtigat omnia ſecreta ventris.*

Rurſum: riui hi deducuntur ab agricola vel aquilege, & tunc ſenſus erit, q. d. Sicut diuiſiones aquarum, id eſt riuuli fontis, vel torrentis, aut fluminis, eò diuiduntur & decurrunt, quò ab agricola vel aquilege deducuntur: ſic cor regis eò deducitur, quò Deus illud inclinarit & deduxerit.

Gnomæ hæ quia conciſæ ſunt, hinc multa includunt, quæ legenti ſubaudienda, & interpreti ſupplenda relinquunt.

B Igitur *Tò, diuiſiones* includit tam fontem ex quo deducuntur aquæ, quàm riuos qui deducuntur, ac locum & terræ partes in quas deducuntur. Viciſſim cor regis includit cõſilia, molitiones, decreta, beneficia vel maleficia, quę ex eo velut fonte manant in ſubditos & remp. Propriè ergo cor regis comparatur fonti; conſilia & beneficia, &c. riuulis; locus & terræ partes populis & perſonis in quas conferuntur, q.d. Sicut fons eſt in manu agricolæ vel aquilegis, vt pro libitu eum per foſſas & canales deducat in has horti domuſue areolas, vt eas riget, potet, fœcundet: ſic cor regis eſt in manu Dei, vt ad libitũ illud deducat in eas cogitationes, conſilia & affectus, qui huic populo vel perſonæ vtiles & commodi ſint, vel inutiles & noxij, non aliter. *Corollarium primum.*

C Facit id Deus ſuggerendo regi conſilia ita ſpecioſa, vt mens ad ea capeſſenda rapiatur, atque affectum erga ea regi indendo, vt ea amet & cupiat, contraria verò faſtidiat & reſpuat. Ita Deus diſſipauit conſilium Achitophel, bonum Abſalomo, ſed Dauidi noxium 2. Reg. 17. *Agendo in corde Abſalonis vt tale conſiliũ repudiaret, & aliud quod ei non expediebat, eligeret*, ait S. Auguſt. de Gratia & libero arbitr. c. 20. Mille autem modos & rationes, quibus id agat nouit & in mente manuque ſua habet Deus, vtpote omniſcius & omnipotens, ac mentiũ rex & dominus: ſolus enim ipſe menti illabitur, eamque mollit, indurat, flectit, gyrat, agitque quocumque ei placuerit, idque facit certò & fortiter, ſed ſuauiter & facilè, relinquendo menti liberum arbitrium liberamq; electionem: ſicut enim aqua facta via, putà canali vel foſſa decliui, ſponte in illã defluit; ſic cor regis ſponte fertur in ea, quæ Deus *Rex mouetur à Deo.*

D illi blandè & congruè ſuggerit proponendo ei interiùs ea, quæ nouit illius ingenio congruere, vti hunc locum explicat D. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. Mouet ergo non cogendo, ſed mulcendo, leniendo, blandiendo, ſuadendo, &c.

Significat ergo hęc gnome Primò, cor regis, quĩ nulli ſubditus videtur, ſed omnibus dominari, ſubijci Deo, in eiuſq; eſſe manu, ſicut lutum in manu figuli, vt illud fingat & formet prout libuerit. Eſto enim omnium hominum corda ſint in manu Dei, propriè tamen id dicitur de corde regis: quia Deus peculiarem habet eius prouidentiam: tum quia rex eſt vicarius Dei in terris, Deique vice gubernat remp. tum quia Deus peculiarem habet curam reipubl. & regni huius autẽ regimen ac felicitas vel infelicitas pẽdet à rege. Quocirca cum Deus ſuccenſet reip. ob eius peccata regem vel principem infatuat, vt remp. perdat: cùm verò ei bene vult, regi

regi ſana ſuggerit conſilia, ſanumque affectum, vt reip. bonũ prudẽter totis viribus procuret. Porrò ſi cor regis eſt in manu Dei ſicut lutum in manu figuli, imò magis; ergo magis illi dominatur quàm figulus luto, purà pleno iure & diuina poteſtate. Hinc ex hac Salomonis gnome infert Franc. Suarez to. 1. de gratia proleg. 1. cap. 5. nu. 9. Deum immediatè per ſeipſum poſſe neceſſitate voluntatẽ ex parte ipſius potentiæ, nullâ factâ mutatione ex parte iudicij ſeu obiecti, nec in alijs conditionibus phyſicè vel moraliter requiſitis ad liberè volendum, idemque ſatis indicat S. Thom. quęſt. 22. de Veritate art. 8. Verùm tunc voluntas non ageret liberè, vtpote neceſſitate adacta. Quare Deus hac ſuâ abſolutâ poteſtate de facto non vtitur, ſed voluntatem ſuæ libertati relinquit.

Secundum. Secundò, ſignificat, regem ſi rectè regere velit, debere ſinere ſe regi à Deo, ac proinde debere eius nutum & voluntatem per preces veſtigare, ac cognitum ſtudioſè exequi.

Tertium. Tertiò, ſignificat, ſi quis quippiam à rege impetrare cupiat, debere Primò adire Deum, ac ab eo poſtulare, vt is cor regis dirigat, & ad hoc quod pòſtulat concedendum inflectat, vti fecit Eſther, quæ orauit Deum, vt cor Aſſueri regis mariti ſui inflecteret in amorem Iudęorum, eiſque vitam & libertatem, iam dolo Aman per decretum ereptam, condonaret, orauit & impetrauit. Audi eam orantem c. 14. v. 13. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, vt & ipſe pereat, & ceteri, qui ei conſentiunt.* Qui ergo regis gratiam ambit, priùs Dei gratiam ambiat ſibique conciliet. Vnde S. Auguſt. lib. de Gratia & liber. arbit. c. 21. loquens de Aſſuero & Eſther: *Intuitus eſt eam*, inquit, *tanquam taurus impetu indignationis ſuæ, & timuit regina, & conuerſus eſt color eius per diſſolutionem, & inclinauit ſe ſuper caput delicatæ ſuę, quę præcedebat eã, & conuertit Deus, & tranſtulit indignationem eius in lenitatẽ. Scriptum eſt in Prouerbijs Salomonis: Sicut impetus aquæ ſic cor regis in manu Dei: quocumque voluerit, declinabit illud. Et in pſalmo legitur dictum de Ægyptijs, quid eis fecerit Deus: Et conuertit cor eorum vt odiſſent populum eius, vt dolum facerent in ſeruos.*

Quartum. Quartò, cùm principum conſilia & affectus reipubl. noxia experimur, ſciamus hoc à Deo peccatis irato proficiſci, ac proinde eius iram pœnitendo placemus: cùm verò ſalutaria, non tam regi, quàm Deo, qui cor regis regit, gratias agamus. *Igitur*, inquit Ludou. Molina 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 21. *cor regis (quod in terra pœnæ timore præmijq́, ſpe aliũ non habet à quo coërceatur, eaq́; ratione difficilius quàm cor cuiuſuis alterius, in vnam aut alteram partem à quoquam alio inflectitur) dicitur eſſe in manu Dei, qui quocumque voluerit inclinabit illud, donis videlicet & auxilijs in vnã aut alteram partem ſuauiter illud trahendo, quo Deus ipſe voluerit, ſeruato interim integro iure innatæ libertatis humanæ. Eſt etiam cor regis in manu Domini, quoniam poteſt illi neceſſitatem inferre vt id velit, quod placuerit Deo ipſum velle, vti 1. 2. q. 6. oſtendimus: verum Deus non conſueuit vti hac ſua poteſtate, ſed relinquere ſolet homines in manu conſilij ſui.*

Denique Septuag. vertunt, *ſicut impetus aquæ, ſic cor regis in manu Dei*, q. d. Cor regis ira aliaue cupiditate æſtuãs, eſt ſicut impetus fluuij vel torrentis, cui nemo reſiſtere, nullus obex obijci poteſt: at Deus leui flexu illos diuertere, gyrare, & in aduerſam partem flectere valet. Rurſus ſicut Deus aquę vel torrenti dat impetum, vt pronus in aliquam terræ partem ruat: ſic idem Deus cordi regis immittit impetus & ardores ad id capeſſendum, quod ipſe per eos peragere vult, iuxta illud pſal. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Arabicus, *ſicut eleuatio aquarum, ita cor regis in manu Dei, quocumque annuerit, declinat illud illuc;* Syrus, *ſicut riuus aquarum cor regis in manibus Dei, quocumque voluerit, declinare faciet illud*, Porrò auctor Catenæ Gręcor. ſic explicat Septuag. q. d. *Sicut impetus aquarum iniectas ſtipulas, vel frondes, in omnẽ agit verſatq́, partem: ita Deus cor regis ad quodcumque voluerit impellit. Stimulat autem cor regis à iuſtitia auerſum ad pœnitentiam vitæq́, frugẽ, inclinat autem non vi aut poteſtate vtens, ſed erudiens, & inſtituens, ſuauiterq́; trahens, ita vt eò ſponte ſe vertat, quò Deus inuitat, omniaque ad Dei laudem & gloriam referat.*

Inſuper S. Baſil. & S. Gregor. Nazianz. cenſent cor regis in manu eſſe Dei, eò quòd Deus reges regumq; corda & vitas contra hoſtes & inſidias tueatur & conſeruet intactos. Cor enim vitæ eſt principium, ideoq; eiuſdem ſymbolum. Audi eos apud Anton. in Meliſſa p. 2. ca. 1. *Si cor regis*, inquit S. Baſil. *in manu Dei eſt, non ſeruatur armorum robore, ſed diuino adminiculo ac ductu. Eſt autem in Dei manu, non quiuis, ſed hoc regis nomine dignus.* S. Gregor. Nazianz. verò: *Reges*, inquit, *purpuram metuite: legiſlator enim & legiſlatoribus eſt ipſa ratio. Quid vobis ſit commiſſum cognoſcite, & quale ſit in rebus veſtris myſterium: vniuerſus mundus ſub manu veſtra exiguo diademate & paruo paniculo tenetur. Superna ſolius Dei ſunt, at inferna etiam veſtra. Eſtote dij ſubiectis, vt aliquid dicam etiam audaciùs. Cor regis eſſe in manu Dei & dictum & creditum eſt: illic ſit robur veſtrum, non etiam in auro & phalangibus.*

Tropol. Beda per cor regis accipit cor iuſti, quod affectus ſuos regit & moderatur. *Tropolog.* *Quare cor regis*, inquit, *& non potiùs omnium hominum in manu Dei eſſe perhibet, cùm ſcriptũ ſit. Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, niſi fortè regem ſanctum quemque appellat, qui vitiorum bella in ſeipſo vincere, virtutum militiam nouit ſtipare: ſicut enim Dominus multifidis aquarum diuiſionibus terrarum fines latè ſimul & aëris implet, tegit quoque aquis ſuperiora cælorum: ita cor regis quocumq; voluerit, inclinabit illud: quia ſicut diuiſiones gratiarũ iuxta ſuam voluntatem, & angelis & hominibus tribuit: ita & corda ſanctorum quibuſcumque voluerit digna donationibus reddit. Neque vllum habet Pelagianiſta locum, quo abſque Dei gratia quis ſaluus fieri poſſit.*

Cor ergo iuſti regnum eſt in quo regnat Deus. *Cor iuſti regnum Dei.* Vnde S. Ambroſ. in pſal. 118. octon. 14. ad illud: *Anima mea in manibus tuis: Scit*, inquit, *Propheta, ſcit vbi animę ſuæ præſidiũ locet, vnde opem ſperet: in manibus Dei vult conſtituere animam ſuam: quia cor regis in manu Dei eſt. Quicumque proprium corpus ſubegerit, nec eius paſſionibus turbari animam ſuam rector ſui congrua viuacitate permiſerit; is bene regia quadam poteſtate ſe cohibens rex dicitur, quòd regere ſe nouerit, arbiter ſui iuris ſit, vt non captiuus trahatur in culpam, nec pręceps feratur in vitium: huius anima non perit in æternum, nec quiſquam rapit eam de manu Patris omnipotentis, aut Filij. Manus enim Dei, quæ ſolidauit cælum quos tenuerit, non amittit.*

Rurſum S. Ambroſ. (vel quiſquis eſt auctor: nam non eſſe hoc opus S. Ambroſ. Mediolan. oſtendi procemio in Apocal.) in Apoc. ca. 8. ſub initium: *Angelus*, inquit, *thuribulum aureum in manu tenuiſſe dicitur, quia corda Apoſtolorum in manu Dei erant, ſicut dicit*

dicit Salomon: Cor regis in manu Dei, quocumq; voluerit inclinabit illud. Numquid cor iſtud Salomonis in manu Dei erat, quando idola adorabat? numquid cor Antiochi aut Herodis in manu Dei erat? Numquid corda regum ſanctos Dei perſequentium in manu Dei erant? non, ſed in manu diaboli erant; quia ad quæcumque volebat facinora, ea inclinabat. Corda verò regum ſpiritualium, id eſt, ſanctorum, in manu Dei ſunt, & ideo ad quæcumque voluerit, inclinabit ea. Quocirca Syneſius hymno 4. ita Deum celebrat & inuocat: *Mens es mentis, animarum anima, naturarum natura.*

Verſ. 2. OMNIS VIA VIRI RECTA SIBI VIDETVR: APPENDIT AVTEM CORDA DOMINVS] Syrus, *viæ hominis rectæ ſunt in oculis animæ eius: & Dominus aptat, diſponit, ſtabilit cor.* Arabicus, *omnis homo apparet apud ſemetipſum iuſtus: & Dominus perforat* (penetrat) *corda.* Quæres, quomodo omnis via viri recta ei videatur, cùm multi ſcelerati, vt homicidæ, raptores, adulteri, blaſphemi ſciant, ſe peruersè & ſceleſtè B agere?

Primò, Lyran. reſpondet, cauſamque dat: *Quia*, inquit, *ſicut dicit S. Dion. nullus aſpiciēs ad malum operatur, ſed ſemper aſpicit ad bonum verum vel apparens. Appēdit autem corda Dominus in ſtatera ſua iuſtitiæ, vt ſecūdùm merita vel demerita reddat eis præmia vel ſupplicia.* Sic & Ianſen. Caiet. & alij. Verùm peccator aſpicit ad bonum vtile vel delectabile, non autem ad rectum, id eſt honeſtum, & legi conſonum: vnde ſceleſtis via & vita ſua nō videtur recta, ſed torta & ſceleſta. Sed reſpōderi poteſt, etiam ſceleſtos ſuam habere honeſtatem mundanam & vmbraticam, qua vitia ſua virtutum nomine palliant, dum iram vocant generoſitatem; luxum, magnificentiam; prodigalitatem, liberalitatem; temeritatem, animoſitatem, &c. adeoque de ſuis ſceleribus quaſi de facinoribus egregijs gloriantur.

Secundò & magis genuinè, *vir* hic & alibi vocatur homo probus honeſtus, virtutis & famæ ſtudioſus: à viro enim dicta eſt virtus, quaſi viri opus: vnde Septuag. vertunt, omnis *vir videtur ſibi iuſtus: dirigit autem corda Dominus.* Sic *vir* pro viro probo & cordato ſumitur Iob 1. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* vbi vide S. Gregor. Talem virum iubetur in plateis Ieruſalem quærere Ieremias ca. 5. v. 1. Et Prouer. 10. 23. *Sapientia autem eſt viro prudentia.* Et c. 20. v. 24. *A Domino diriguntur greſſus viri.* Et cap. 12. 8. *Doctrina ſua noſcetur vir.* Et c. 18. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri.* Et v. 14. *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuā.* Similia ſunt c. 19. 11. & 21. c. 20. v. 5. Huc facit illud Herodoti in Polyhymn. *Homines permulti, viri perpauci.* Vnde Diogenes accensâ lucernâ meridie in medio foro, rogatus quid quæreret: *Hominem*, inquit, *quæro, virum quæro.* Senſus D ergo eſt. q. d. Omnis vita, id eſt actio viri probi, videtur ipſi eā ſtudiosè perpendenti & perſcrutanti eſſe proba & recta: at Deus penetrat ponderatque ſingulorum corda, ac ſæpè videt, in eo latere aliquem affectum vitioſum, qui cauſa eſt actionis, illamque vitiat & inquinat, aut certè minùs probam & ſanctam efficit, iuxta illud cap. 16. 2. *Spirituum ponderator eſt Dominus.* Per *cor* enim accipe ſpiritum, affectum & intentionem cordis: hæc enim ponderat, id eſt librat, examinat, appretiat, æſtimat, iudicat Deus. vide ibi dicta. Multi enim ex cupiditate vel philautia, vel errore ſpecie boni falluntur, putantque ſe bene agere cùm malè agunt: quia fundum cordis ſui, & latentes in eo occultos vindictæ, auaritiæ, ſuperbiæ, &c. affectus, qui eos ad A actionem impellunt, non peruident: hoſce autem peruidet & ponderat, ex eiſque actionem bonam, vel malam, æſtimat iudicatque Deus. Quare homines ſibi de bonitate ſuarum actionum blandiri, fidere & credere non debent, ſed Dei iudicio cum timore ſe ſubmittere, illudque expectare ac dicere cum S. Paulo: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt,* 1. Corinth. 4. 4.

Solus ergo Deus eſt verus cordium libripens, mentium librator, & ſpirituum pōderator, qui exactiſſima iudicij ſui lance corda ſingulorum & opera trutinat & expendit, ac ad amuſſim quodlibet diſcernit & diiudicat, quid ſcilicet, quale & quantum ſit, quantique valoris & meriti quod iuſtus, licet probus & ſtudioſus actionum ſuarum ſcrutator, præſtare nequit. Addam hic alias aliorum verſiones & expoſitiones, ne lector per libros aberrare B cogatur, ſed hic omnes in vnum congeſtas reperiat, iiſque pro re nata vti queat.

Primò, aliqui ſic exponunt, q. d. Nulla via, id eſt nulla actio, tam praua & diſtorta eſt, quin alicui prauo & diſtorto recta & honeſta eſſe videatur. Hinc Deus conſtituit in homine ſtateram rectæ rationis & iudicij, vt in illa appendantur omnes actiones & intentiones cordis, & ex eius æquilibrio videatur ad amuſſim quid æquum & rectum ſit: *Tibi*, inquit S. Baſil. in pſal. 61. *propria datur libra quæ ſufficiens diſcrimen boni & mali demonſtrat.*

Secundò, alij, q. d. Omnis via, id eſt actio & vita viri probi ex probitate manans, recta & proba, vti ei videtur, ſic & eſt: non ex ipſo, ſed ex Deo, qui corda appendit, id eſt librat & complanat, vt planum virtutis iter videant, ineant & capeſſant. Vnde Chald. & Septuag. vertunt, *dirigit* (Symmach. & C Theodot. ἑτοιμάζει, id eſt *parat, firmat*; Caiet. *adaptat*) *autem corda Dominus*; Vatabl. *concinnat*. q. d. *Qui infundit bonam voluntatem, eſt Dominus.* Sic & R. Leui, R. Salomon, & Aben Ezra, qui proinde hunc verſum nectit ſequenti, *facere miſericordiam & iudicium magis placet Domino quàm victima.* Ecce ſic appendit corda Dominus. Quocirca Nazianz. in Apolog. *Præſtantiſſimum*, inquit, *eſt vt omnis noſtra oratio & actio à Deo incipiat, & in Deum deſinat. Principiū tibi ſit, tibi finiat omnia Chriſtus.* Ita hanc gnomen explicat S. Proſper. lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 9. atque ex ea contra Pelagianos probat, quòd Deus ſit auctor omnis virtutis & omnis boni.

Tertiò, noſter Salazar duas alias adiungit expoſitiones. Prior eſt, q. d. Homini quidem plana & procliuis videtur via, quæ ad executionem mali tendit, quia videlicet delectabilis eſt, ſæpiùs etiam D expedita & nullis impedimentis difficilis: Deus autem nō hanc externam viam, ſed internam illam, qua itur ad conſenſum, libellâ ſuâ examinat, atque in illa inſuperabiles malæ conſcientiæ cliuos inuenit. Poſterior, quam ipſe præfert, eſt: Homo quidē ſibi placens in ſuæ æſtimationis ſtatera, vanæ elationis leuitate efferri ſolet; ſed tamen Deus tantam cordis leuitatem ſolet immiſſo pondere degrauare, & (licet ſic dicere) ſublimem lancem, quā ſui exiſtimatio extulit, ad terram deponere. Quod duplici modo præſtare poteſt, humilitatis, videlicet, aut etiam humiliationis onere impoſito: vtrúque enim animi elationem deprimit, & faſtum deijcit.

Quartò, Pagnin. vertit, *numerat autem corda Deus*; q. d. Numerat Deus an in homine ſint duo corda, vnum

vnum exteriùs ſimulatum, alterum interiùs verū, A qualia habent hypocritę. Hęc numerat & execratur Deus, qui vnum nobis cor indidit, quod tam interiùs gerere, quàm exteriùs proferre nos voluit. Rurſum numerat Deus corda, id eſt cordium cogitationes & intentiones, ex eiſq; actionis pondus & valorem metitur & æſtimat.

Vers. 3. FACERE MISERICORDIAM ET IVDICIVM, MAGIS PLACET DOMINO, QVAM VICTIMÆ.] Pro *miſericordiā* hebr. eſt *iuſtitiam*, & ſic legerunt multi codices Latini ante correctionem Romanam, æquè ac Septuag. Chald. Vatabl. Pagnin. & alij. Hebræa ergo ſic habent, *facere iuſtitiam & iudicium electum Domino præ ſacrificio*; quod Septuag. ſic explicant: *Facere iuſta, & veracem eſſe, placita Deo magis quàm hoſtiarum ſanguis*; & Chald. *qui facit iuſtitiam & iuditium, complacet ſibi in eo Deus magis quàm in ſacrificio*; auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ſic vertit, *filij opus iuſtum & oratio vera magis placent Deo quàm cruentæ victimæ*. Magna hęc eſt iuſtitię & veritatis laus, quòd Deo placeant præ victimis: ipſe enim eſt prima & ſumma Veritas, à qua omnis veritas dimanat: ſicut è contrario *diabolus mendax eſt, & pater eius*, ſcilicet mēdacij, Ioan. 8.44. Huc facit prouerbium Arabicum: *eſto vnicuique libra*, id eſt eſto iuſtus, neque declina ab æquo, & nemini iniuriam facias vt deprimas libram iuſtitię. Et: *Non eſt iuſtitia cum auaritia*. q.d. Difficile eſt iuſtum ſimul & auarum eſſe. Et: *Non eſt iuſtitia celeritas iuſtitiæ*, putà vt iudex præcipitet ſententiam re non ſatis exploratâ.

Verùm Noſter per *iuſtitiam* intellexit miſericordiam: opus enim præclarum iuſti, indexq; eius iuſtitię & ſanctitatis eſt miſericordia. Vnde ſubinde *iuſtitia* ponitur pro miſericordia, vt Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleēmoſynis* (Chal. *iuſtitia*) *redime*. Pſal. 111. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, *iuſtitia*, id eſt eleēmoſyna, quam dedit pauperibus, vti explicat Apoſt. 2. Corinth. 9. 9. Adde, quòd hoc loco *iuſtitia* propriè dicta intelligatur per *iudicium* quod ſequitur; ſolet enim Script. omne officium virtutis complecti his duobus, *miſericordia & iuſtitia*: omne enim vel debitum eſt, & ſignificatur iuſtitia; vel indebitum & liberale, & ſignificatur miſericordia. Senſus eſt, q.d. Studere virtuti & ſanctitati, putà operibus vel debitis ex iuſtitia, vel gratuitis ex miſericordia; magis placet Deo quàm victimæ: quia hę mortuę ſunt & cadauera beſtiarum; illæ verò vitales ſunt viuæque actiones hominum, quibus propter Deum Deique leges mortificatur concupiſcentia per miſericordiam & iuſtitiam, quam proximo, qui eſt imago Dei, eius cauſa & amore exhibemus. Rurſum per *miſericordiam* quaſi vitam damus proximo fame aliòue malo emorienti, & in proximo vitam quaſi damus ipſi Deo, qui quod proximo datur, ſibi datum æſtimat. Glorioſius enim eſt Deo, quòd ſit vitæ, quàm quòd ſit necis auctor & dominus: vitæ autem auctor eſt per miſericordiam, necis per victimationem.

Vnde huc alludens Michæas (quem ſequitur Chriſtus Matth 9.13.) c. 6.6. ex perſona aliorum interrogans: *Quid dignum offeram Domino? numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo? aut numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum?* reſpondet: *Indicabo tibi ò homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere iudicium, & diligere miſericordiam*. Vide ibi dicta: ibi enim cauſas recenſui, cur opera miſericordię & iuſtitiæ magis placeat Deo quàm victimę. Quare illas hîc non iterabo, vt pergam ad alia.

EXALTATIO OCVLORVM EST DILATATIO CORDIS: LVCERNA IMPIORVM, PECCATVM] Vers. 4.
Pro *eſt* Hebręa habent *&*: & ſic legunt Complut. verùm Romani & alij legunt *eſt*: quia Hebr. *vau* id eſt coniunctio copulatiua, ſubinde ſignificat *eſt*: ſicut enim *&* ſic & *eſt* copulat prędicatum cum ſubiecto.

Quæres, quænam ſit *exaltatio oculorum & dilatatio cordis?* *Exaltatio oculorum & dilatatio cordis quid? Reſp. aliquorum.*

B Nonnulli hęc in bonum accipiunt pro virtute, vnde Primò, aliqui per *exaltationem oculorum* accipiunt magnanimitatem: magnanimus enim, vti altam habet mentem, ita & altis oculis magna aſpicit magnaque meditatur. q.d. Magnanimitas vti exaltat oculos, ſic & dilatat cor, illudque facit magnificum, vt magna moliatur & ambiat. Fauent Septua. qui vertunt μεγαλόφρων, id eſt *magnanimus* vel magna ſapiens & meditans, *in iniuria audax: fax autem impiorum peccatum*. Et ſic clara eſt antitheſis prioris hemiſtichij cum poſteriore, q.d. Magnanimitas exaltat oculos vt magna ſpectet, & dilatat cor vt magna amet, deſtinet & moliatur: hinc magnanimus in iniurijs quibuſuis, etiam atrocibus, perferendis & deſpiciendis, eſt animoſus & audax, è contrario impij peccata, velut lucernam ſemper ob oculos habent, quæ eorum mentem deprimit, arctat, vilemque & puſillanimem efficit. Conſtat enim aues rapaces, vt miluos, lucerna oculis obiecta hebetari & ferociam ponere: ſic & impij dura peccata perpetrata memoriæ obuerſantia recogi-
C tant & intuentur, contrahunt mentem, fiuntq; timidi & puſillanimes. Rurſum ſicut muſcæ ad lucernam aduolantes alas adurunt, ſeq; comburunt & enecant: ſic impij ad peccati flammulam aduolantes ea ſe comburunt, occidunt & in gehennæ flammas præcipitant. Huc facit illud Nazianz. in Iambicis:

Pulchrum inuideri, turpis inuidentia,
Incede celſus inuidos linquens humi.

Secundò, Hugo & Dionyſ. *Dilatatio cordis*, inquit, eſt charitas (vel, vt alij, ſpes) cor dilatans ad omnes & omnia, vt ijs benefaciat; hæc eſt *exaltatio oculorum*: quia oculos attollit, vt ſpectet ſuperna & cæleſtia, vtque ſpe bonorum æternorum magna meditetur & moliatur; ſicut ex aduerſo cupiditas cor contrahit, & ad terrena deprimit, iuxta illud Pſaltis: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*.

D Tertiò, R. Leui: *Exaltatio oculorum*, inquit, eſt ſcientia: hæc enim oculos attollit ad videndum ſublimia, hęc pariter dilatat cor, id eſt tumidum & ſuperbum efficit, iuxta illud Apoſtoli: *Scientia inflat, charitas ædificat*.

Verùm alij paſſim hæc in malam partem accipiunt, vt ſignificent vitium. Vnde

Primò, aliqui per *exaltationem oculorum* accipiunt auaritiā, iuxta illud c. 23.5. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes*. Auaritia autem eſt *dilatatio cordis*, quia illud dilatat ad multa, etiam aliena, cōcupiſcendum & rapiendum. Quod enim de aquis dicitur: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*; idē de opibus dicas. Hæc eſt lucerna impiorum, quam dum ſequuntur, in peccata multa incidunt: *radix enim omnium malorum eſt cupiditas*, grecè φιλαργυρία, id eſt argenti cupido, 1. Timoth 6. vnde Pſal. 100. 5. vbi nos ex Septuag. legimus: *Superbo oculo, & inſatiabili* *Reſponſio genuina. Prima.*

tiabili corde; Hebræa eadem verba habet, quæ hîc vſurpat Salomon, quæ ſic ibidem vertit S. Hieron. *Superbum oculis & latum corde*; R. Abraham, *latius corde*, inquit, *eſt, qui dilatat cor ſuum ad ferendum aduerſa, & nec Deum quidem veretur*; quales ſunt auari, qui toti opibus inhiant; vnde hæc cupiditas ita cor, id eſt conſcientiam, dilatat, vt omnia iniqua putent eſſe æqua, ac mille titulos ſuis vſuris & fraudibus prætexant: in his enim inueniendis ſunt acutiſſimi & oculatiſſimi.

Secundò. Secundò, alij meliùs per *exaltationem oculorum* ex phraſi Scriptur. accipiunt ſuperbiam, iuxta illud c. 6. 17. *Oculos ſublimes, linguā mendatem.* Et c. 30. 13. *Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ.* Et Eccli c. 23. 5. *Extollentiā oculorum ne dederis mihi*, & alibi ſæpè. Per *dilatationem cordis* verò Ianſen. & alij accipiunt auaritiam, quaſi hîc duo vitia capitalia notentur, quæ velut lucerna impijs ad omnia peccata facem præferant: duo hæc ſunt, ſuperbia & auaritia.

Tertiò. Tertiò & genuinè, *excellentia oculorum* notat animi libertatem & ſuperbiam, qua arrogantes oculos attollunt, cuncta arroganter circumſpiciunt, omneſque & omnia præ ſe deſpiciunt. *Dilatatio cordis* notat voluntatis tumorem, faſtum, libertatem & concupiſcentiam, qua ſuperbi & impij, effrænes & libertini ſuam cupidinem ad omnia extendunt, omnia ſibi licere putāt, omnia ſibi deberi æſtimant, vt quidquid lubet & libet agant. *Extollentia* ergo *oculorum* ſpectat ad imaginationem & intellectum: *dilatatio cordis* ad affectum & voluntatem, hæcque illius eſt cauſa: idcirco enim ſuperbi altam & vagam habent imaginationem, quia latum & tumidum habent cor & voluntatem. Alludit ad proportionem dimenſionis corporū: corpora enim hominum quantum in altum poſcūt & extolluntur, tantum proportionaliter in latum dilatantur & intumeſcunt. Simili enim modo arrogantes & concupiſcentes quantum dilatant ſuam voluntatem & cōcupiſcentiam, tantùm & dilatant ſuam phantaſiam, vt omnia præſumant, nihil timeant, nullis legibus coarctari ſe ſinant: excluſo enim timore Dei, qui animum ad anguſtias redigebat, eum dilatat ad quidlibet audendum.

Explicat quod dixit verſu præced. *Omnis via viri ſibi recta videtur*; q.d. Quiſque, etiam ſuperbus & impius putat ſe rectè agere, etiam dum prauè agit, quia *dilatatio cordis*, id eſt, eius arrogantia & concupiſcentia, eſt *exaltatio oculorum*, id eſt exaltat & dilatat oculos aciemque mentis, vt putet ſibi omnia licere, ſibi omnia eſſe proba & recta: altum enim oculorum ſupercilium effectus & ſignum eſt tumoris & arrogantiæ, qua tumet cor & voluntas. Quocirca, *lucerna impiorum eſt peccatum. Lucerna*, id eſt, gloria, excellentia & felicitas impiorum & ſuperborum, qua ipſi inſoleſcunt gloriantur, ſeſeque iactant, *eſt peccatum*, putà arrogantiæ & concupiſcentiæ iam dictæ, ſignificatæ per exaltationem oculorum & dilatationem cordis. Poſterius hemiſtichium explicat prius. Alludit ad lucernam de qua dixi c. 13. 9. *Lux iuſtorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur*, & c. 20. v. 27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis*, q.d. Deus indidit homini lucernam rationis, vt illam ſequēs rectam capeſſat virtutis viam: at impij hac excuſſa lucernam ſibi ſtatuunt *eleuationem oculorum, & dilatationem cordis*, hoc eſt, arrogantiam & concupiſcentiam: ac proinde eligunt, non viam iuſtitiæ, nec iudicij, nec diuini cultus, ſed peccati, putà concupiſcentiæ & arrogantiæ, quæ illis recta videtur, facitque vt omnia quæ agunt, eis rectè acta videantur.

Hunc eſſe ſenſum liquet ex Septua. qui vertunt, μεγαλόφρων, id eſt, *magnā ſapiēs*, hoc eſt *magnanimus arrogans & glorioſus, in iniuria eſt audax: fax autem impiorum eſt peccatum*; vel, vt clariùs vertit auctor Catenæ Græcor. *ſuperbus in irroganda iniuria, temerarius & audax eſt: impiorum autem lucerna eſt peccatum.* quod ſic explicat, q.d. *Temerariè audaces de ijs plerūq; gloriari ſolent, de quibus pudore meritò affici deberent. Impij enim ita comparati ſunt, vt ipſa etiam peccata ſibi honori ducant.* Significātiora ſunt verba Græca Septuag. μεγαλόφρων ἐφ' ὕβρει θρασυκάρδιος, id eſt, *arrogans in iniuria eſt thraſo*, ſiue *audaci & thraſonico eſt corde.* Nam vt ait S. Greg. *Superborum mens ſemper ad irrogandas contumelias eſt valida, ad perferendas infirma.* Quocirca hæc tria eōdem pertinere cenſent Aben Ezra, Ianſen. & alij: vnde ſic ex Hebræo vertunt, *exaltatio oculorū, & dilatatio cordis, quæ ſunt lucerna impiorum, ſunt peccatū*, grande ſcilicet & inſigne; Syrus, *lux oculorum & dilatatio* (Chald. *tumor*) *cordis, & lucerna impiorum peccatum*, q.d. Superbia & tumor impijs facem & lucem ad omnia ſcelera præfert. Rurſum q.d. Superbi ſuum faſtum oſtentant, eoq; velut lucerna ſe ſplendidos & glorioſos effici putant. Præclarè Philo apud Damaſcen libr. 3. Parallel. cap. 35. *Impudens aſpectus*, inquit, *& pendula ceruix ac continua ſuperciliorum agitatio, & ſuperbus inceſſus, & nulla ex re rubore affici, fœdiſſimi animi indicia ſunt, obſcuras probrorum ſuorum formas in conſpicuo corpore inſculpentis.*

Pro *lucerna* hebr. eſt ניר *nir*, quod Aben Ezra appoſitè vertit, *aratio, ſulcus*; Baynus, *nouale*: vnde Vatabl. vertit, *nouale impiorum progerminat peccatum*, nempe *faſtum & cupiditatem inſatiabilem*, q.d. Nouale, ſiue ager nouus quem arant impij & ſuperbi, eſt peccatum. Impius crebrò arat, id eſt molitur & machinatur peccatum: quot ſulcos arando ducit arator, tot peccata arat & concinnat impius & ſuperbus. Aratio ergo ſignificat Primò, conſuetudinem peccandi; Secundò, facilitatem; Tertiò, contemptum: ſicut enim arator calcat ſulcos à ſe arando productos, ſic peccator calcat & floccipendit peccata à ſe patrata. *Aratio tria notat.* Pagnin. *nir* vertit, *cogitatio*, q.d. Cogitatio impiorum & ſuperborum tota fertur in peccatum. R. Salomon *nir* vertit, *cultura* ſicque explicat: cùm quis cupiditates animi explere optat, impiorum culturam amplectitur, qui quidem nihil aliud animo agitant & conantur, quàm crimina & impia. Hæc ergo eſt via, qua incedunt, imo quàm arant impij, quæ proinde eis recta videtur, iuxta illud Oſee 10. 13. *Araſtis iniquitatē, impietatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij, quia confiſus es in vijs tuis.* vide ibi dicta. Hinc pro *peccatum* hebr. eſt חַטָּאת *chatat*, id eſt, error, deuiatio, q.d. Impij dum concupiſcentias & peccata velut lucernam ſuam ſequuntur, putantque ſe rectam felicitatis viam inire, falluntur, & toto cælo aberrant: ſequuntur enim *chattat*, id eſt, deuium iter, quod eos deducet in errores, hæreſes & gehennam. Huc enim ſuperbos ducit ſuperbia, iuxta illud S. Auguſt. *Superbi magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli eſſe noluerunt.*

Denique noſter Martinus de Roa li. 2. Singul. c. 18. lucem & lucernam docet eſſe ſymbolum dominatus, regni, triumphi, decoris & gloriæ: vnde hanc gnomen Salomonis ſic legit, & ſic nouè exponit:

ponit: *Exaltatio oculorum*, id eſt, altæ magnæque & A vanæ ſpes opum & honorum, quas impij oculis mentis ſuæ proponunt & promittunt: *& dilatatio cordis*, id eſt, impiorum feſta, deliciæ, gaudia, conuiuia, triumphi: *& lucerna impiorum*, id eſt modicus eorum ſplendor & gloria, quæ eſt inſtar modicæ lucis lucerna concluſæ, ac inſtar modici aëris & auræ tenuis, eſt *peccatum*, id eſt, vanitas, inanitas, ac velut vmbra, & citiùs euaneſcit, atque in nihilum redigitur: ſic enim ſubitò tranſit voluptas ſuperbiæ, gulæ, omniſque peccati, cui ex aduerſo contonat illud pſalm. 17. 28. *Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis: hoc eſt eorum ſuperbiam comprimes, ſpiritus franges, ſpes omnes reſcindes, & gloriam obſcurabis: quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. Hoc eſt tu oleum lætitiæ mihi inſtillas, qui exhilaras faciem meã in oleo, tu mea felicitatis* B *& gloriæ auctor es. impijs autem lucernas inanes & vacuas reddis, & tandem extinguis, cùm diuites dimittis inanes, & nullum eis veræ voluptatis atq; felicitatis guſtum habere permittis. Illuminare autem, & illuminatio idem in ſacris Litteris valent quod exhilarare, & exhilaratio. Huc etiam alluſit idem Sapiens Prouerb. 24. cùm dixit: Ne æmuleris impios: quoniam non habent futurorum ſpẽ mali. Et Prouer. 13. dicitur: Lux iuſtorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur: quod eiſdem penè verbis legitur Iob 18. & 21. & quoniam multa exemplaria legunt: Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis &c. addo etiam ſignificanter id dictum; oculos quippe, ut ait B. Greg. Nazian. cor nefariè ſequi ſolet, ut verè dixerit Iere. Propheta Thren. cap. 3. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Ideo B. Iob pepigit fœdus cum oculis ſuis, non ut ne videret, ſed ut ne cogitaret quidem de virgine. Nam ubi* C *oculi viderint extraneas (Prouerb. 23.) cor loquetur peruerſa* nimirum magna vis, magnus dominatus oculorum in corda, magna viciſſim cordium aduerſus oculos ſeruitus, eaque præceps & ſubita. Hucuſque Mart. de Roa.

VERS. 5. COGITATIONES ROBVSTI SEMPER IN ABVNDANTIA (id eſt tendunt & ducunt ad abundantiam, pariuntque rerum copiam:) OMNIS AVTEM PIGER SEMPER IN EGESTATE EST] Pro *robuſti* hebr. eſt חָרוּץ *charuts*, id eſt, præciſi, ſtrenui, diligentis, impigri, laborioſi: hic enim verè robuſtus eſt tam corpore quàm animo, qui robuſto, & ſedulo corde capeſſit labores, ſuperatque omnes difficultates occurrentes. Hebræa videntur Vulgatę aduerſari: nam pro piger habent אָץ *ats*, id eſt, feſtinus, celer, præceps: vnde ſic habent. *Cogitationes ſtrenui verè in abundantiam, & omnis feſtinus verè* D *ad defectũ*. Ex Hebręo ergo Primò, Chal. vertit, *cogitationes collectæ ad abundantiã, & per feſtinus ad egeſtatem tendit*; Giggeius pro *collectæ* vertit, *electæ*. Sẽſus eſt, q. d. Cogitationes hominis, quæ ſe non diſpergunt in varia, ſed in pauca colligunt, ideoque ſecura & meliora eligunt, ſenſim res augent, & pariunt abundantiam; at verò quæ feſtinæ ſunt & præcipites, dum in varia ſe ſpargunt, cupiuntque ſubitò multa corradere, pariunt egeſtatem. Ratio eſt, quòd hæ ampleċtantur omnia etiam dubia & periculoſa, vbi parua ſpes lucri, & periculum eſt perdendę ſortis: vnde ſubinde in momento omnia perdunt: illæ verò non ampleċtantur niſi ſecura, quę carent periculo; & meliora, quæ plus dant lucri & fructus: quare ſenſim colligendo, opes ſuas valdè adaugent. Patet hoc in mercatoribus: qui enim inter eos prudentes ſunt, pecunias ſuas non expẽdunt niſi in cambia & merces ſecuras & me- A liores, itaq; mirè diteſcunt. Imprudentes verò, dum pecunias expendunt in obuia quæque, ſæpè merces emunt parui momenti, vel corruptas vel periculoſas, quarum deinde iacturam faciunt, itaque depauperantur.

Secundò, Syrus vertit, *cogitationes electi fideles, flagitioſi, ad penuriã*, q. d. Cogitationes viri iuſti & probi ſunt fideles, id eſt, ſtabiles & efficaces, ac fideliter eum ad optatum finem, putà ad rerum, quas ambit, copiam deducunt: cogitationes verò flagitioſi, qui ſcilicet per ſcelus, per fas & nefas cupit res ſuas augere, eum deducunt ad penuriam. Ratio eſt, quòd malè parta malè dilabuntur: quę verò iuſtè parta ſunt, fideliter permanent. Sic & R. Salomon *charuts*, inquit, id eſt, robuſtus, ſedulus, eſt vir integer, qui veritatis viæ inſiſtit, & æquitatem colit: huius cogitationes tendunt ſolùm ad felicita- B tem & honeſtum lucrum: pręceps autem & moræ impatiens, qui tempus trudere vult, in egeſtate eſt. Et Aben Ezra: Qui, inquit, ad malè agendum præceps ruit, ideo id efficit, vt rerum ſuarum copia ſpolietur.

Tertiò, Pagninus vertit, *cogitationes viri ſolliciti verè tendunt ad ſuperabundantiam, & omnis qui eſt inconſideratus tendit verè ad defectũ*: qui enim ſunt pręcipites, non conſiderant incommoda & pericula rei annexa in quæ proinde dum incidunt, damna incurrunt non leuia. Sic & Vatabl. *Cogitationes ſeduli*, inquit, *profectò tendunt ad abundantiam & omnis ardelio vel præceps profectò tendit ad inopiam.*

Quartò, codices ex Septuag. hic variant. In Romano enim hęc gnome deeſt: in Complut. autem C & Regio ſic habet, *Cogitationes fortium in ſatietatem, omnis autem feſtinans tantùm in minore*. In Vaticano autem ſic: *Cogitationes* συντεμνόντων, id eſt *præcidentis, concidentis, colligentis* (alij legunt, συντεμνόντες, id eſt *præſcindentes*, ſcilicet à ſuperuacuis, hoc eſt præciſæ, conciſæ, collectæ) *tantùm ad abundantiam*: omnis autem feſtinus tantùm ad inopiam. Hebr. enim *charuts* ſignificat hominem pręciſum & præcidentem, qui ſcilicet prædicit ſua conſilia, rationes, ſumptus, ac ſuperfluos reſecat, atque pręciſos dumtaxat pręciſeque neceſſarios facit; hic enim hac ſuâ præciſione fit locuples. Rurſum *charuts* ſignificat hominem diligentem & præcidentem, qui ſcilicet reijcit & recidit res inutiles & illicitas, ac cogitat dumtaxat agitque quæ commoda ſunt & vtilia. Ita R. Leui, quem audi: *Solertis*, inquit, *& acuti viri cogitationes limitibus circũ-* D *ſcriptæ, & veluti iudicio decisæ ſunt ab ipſo negotij exordio, cùm nimirum actiones ſuas aggreditur; hinc ad emolumentum & copiarum incrementum ſpectant: in ſuis enim negotijs aptam init rationẽ, ideoq; optato rerum fine potitur. Piger*, hebr. *ats*, id eſt *feſtinus, præceps verò in agendo nullam cautionem adhibens, vel attentam meditationem, an conſentaneum id agere ſit nec ne, quæue ratio ineunda. Hic, inquam, nihil aliud reportabit, quàm rerum indigentiam, non autem cumulum bonorum & incrementum.*

Quartò, Noſter pro אָץ *ats*, id eſt *feſtinus, præceps*, vertit contrariè, ſcilicet piger. Vnde hoc ? aliqui cenſent per antiphraſin pigrum vocari *ats*, id eſt, feſtinum, quia minimè feſtinat, ſed tardus, lentuſq; eſt velut teſtudo. Verum nihil eſt hic quod hanc antiphraſim ſubiudicet. Quare videtur Noſter pro אָץ *ats* legiſſe עָצֵל *atſel*, id eſt, piger: vel certè pro *ats* legit לֹא אָץ *lo ats*, id eſt non feſtinus, tardus, piger. Nam & quidam codices Septuag. vt patet

ex

ex Catenâ Græcor. habent μὴ ἐπισπουδάζων, id eſt, *non feſtinans.* Hic enim directè opponitur τῷ *charuts*, id eſt præciſo, diligenti, ſtrenuo, feſtino: videtur enim ל quia immediatè præceſſit in כל *col*, id eſt, omnis, & א quia ſequitur in אך *ac*, quaſi ſuperfluè iterarentur, excidiſſe ex textu Hebræo; ſicque excidiſſe negatio לא *lo*, id eſt, *non*. Denique hac ratione planè conſentit hic verſus cum v. 4. c. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat. Fortes* enim vocantur diligentes, impigri, laborioſi, induſtrij, ſtrenui, qui ſua ſolertia & ſtrenuitate ad magnas opes tum corporales, tum ſpirituales, putà ad magnam gratiam magnaſque virtutes facilè euadunt; cùm pigri & acedi ſua pigritia in inopiam extremã prolabantur. Fusè hâc de re dixi c. 10. 4. quare hic ea non repetam, ac paucis gnomen præſentem explicabo.

Poteſt ea dupliciter accipi: Primò, q. d. Cogitationes robuſti & ſtrenui cogitant & machinantur robuſta & ſtrenua, vt ijs ſibi pariant rerum abundantiam; piger autem non cogitat niſi de otio & inertia, & conſequenter de egeſtate, qua ſentit ſe affligi. Strenuus ergo paſcitur, lætatur, roboratur & dilatatur ſuis generoſis cogitationibus; piger verò ſuis pigris affligitur, arctatur & cruciatur.

Secundò. q. d. Cogitationes robuſti tendunt ducuntq; eum ad abundantiam: cogitationum enim viri robuſti & ſtrenui finis & fructus, eſt rerum copia: cogitationum verò pigri, finis & fructus eſt egeſtas. q. d. Diligentia parit opes, negligentia inopiam: labor & ſtrenuitas pariunt rerum copiam, inertia & pigritia penuriam. Exemplum eſt in muliere forti, cuius opes & gloriam deſcribit Salomon toto c. 31.

Moraliter hinc diſce, à cogitationibus primis pendêre futuram copiam vel inopiam: quare qui in iuuentute magna cogitant, & animo deſtinãt, magni euadunt; qui parua & pigra, parui, pigri & inopes. Sic à nouitiatu pendet tota deinceps vita in Religione: qualis enim quis fuerit nouitius, talis euadet Religioſus, ſi feruens & ſtrenuus fuerit, in reſecandis vitijs, in exercendis virtutibus in nouitiatu; ſtrenuus & in virtutibus locuples euadet Religioſus: ſin in nouitiatu fuerit tepidus & torpidus tepidus & torpidus per omnem vitam manebit Religioſus. Ita ordinariè fieri videmus: pauci ſunt qui ſingulari Dei gratia per terrorem aut occaſionem vehementem excitati, teporem hunc in feruorem commutent.

Vers. 6. QVI CONGREGAT THESAVROS LINGVA MENDACII, VANVS ET EXCORS EST, ET IMPINGETVR AD LAQVEOS MORTIS] Noſter cum Septuag. legit מוקשי *mokeſce*, id eſt, *laqueos mortis*; iam legunt מבקשי *mebackeſce*, id eſt *quærentes mortem.* Rurſum pro *vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis*; hebr. eſt *vanitas expulſa*, vel *impulſa in laqueos mortis*; Theodot. *eſt vapor agitatus*; alij, *fumus expulſus*; Chald. *diſſipabuntur & euellentur.* Hebræa ergo ſic habent ad verbum: *Opus*, vel *operatio*, *theſaurorũ in lingua mendacij vanitas expulſa*, vel *impulſa ad laqueos mortis.* Vnde rectè ſenſum reddidit Noſter mutans abſtractum *opus*, in concretum, *qui operatur*: ſi enim ipſa operatio, & coaceruatio theſaurorũ per mendacia, eſt vanitas expulſa in laqueos mortis: ergo & ipſe eorum operator & coacetua-

tor per mendacia eſt vanus & excors, qui ſcilicet per auaritiam à corde, id eſt à ſapientiâ & prudentiâ, quin & ab ipſa vita, ſeipsũ expellit & impellit in laqueos mortis. τὸ ergo *expulſa*, quod eſt in Hebr. Noſter per duo verba reddidit, ſcilicet per *excors & impellitur*: auaritia enim expellit hominem à rectâ ratione; & impellit in cæcitatẽ, vt implicet ſe in laqueos & pericula mortis. Hinc Sept. vertũt, *qui operatur theſauros lingua mendaci, vana ſectatur in rete mortis*; vel, vt alij legunt, & *venit*, aut *veniet*, *in rete mortis*. Iam pro *mokeſce*, id eſt *laqueos*, legentes *mebackeſce*, id eſt *quærẽtes*, vel, vt Symmach. legit *quærens mortẽ*, vertunt variè, ſed eodem ſenſu. Chald. *opera cellariorum* (interpres non ſat clarè expreſſit vocem דסימתא *deſimata*, id eſt, *theſaurorũ*) *in linguâ mendacij diſſipabuntur, & euellentur illi, qui quærunt mortẽ*; Syrus, *qui congregant theſauros lingua mendacij, ad perditionem deſtruentur mortem quærentes.* q. d. Qui quærit theſauros per mendacia, non quærit opes, ſed vanitatem & mortem: hanc enim acquirit. Pagnin. *congregatio theſaurorũ lingua mendax eſt, vt ſtipula propulſata, quærunt mortem qui eos congregant*; Vatabl. clarè, *congregatio theſaurorum cum ſermone mendaci eſt vanitas, & res quæ propelli ſolet, tendentia ad mortem: Res*, inquit, *quæ propelli ſolet à vento, id eſt nullius commodi*; Caiet. *vanitas impulſa quæſtores mortis.* q. d. Vulgo quæſtores pecuniæ ſunt, qui corrogant nummos: hi verò ſunt quæſtores mortis, quia per opes mortem ſibi & ſuis conquirunt.

Porrò theſauros congregãt per linguam mendacem. Primò, iudices, qui auro corrupti, mendacem ferunt ſententiam: Secundò, falſi teſtes, qui falſum teſtimonium vendunt auro; Tertiò, aduocati, qui iniuſtam cauſam defendunt ob lucrum; Quartò, mercatores, qui mentiendo merces eſſe tantæ bonitatis, tantæ ſubſtantiæ, tanti valoris & pretij, aut tales quales non ſunt, eas iuſto cariùs vendunt; Quintò, qui mendaciter adulando emũgunt crumenas diuitum & principum; Sextò, qui mendaciter promittunt montes aureos, vt confectionem auri ex ære, argento, &c. per alchymiam, itaque corradunt à varijs pecuniæ aceruos & fugiunt, vti nuper in Italiâ fecit Græcus quidã, qui propterea à Duce Bauariæ in furcã actus eſt. Deniq; qui quomodolibet per fraudes & dolos colligunt nũmos. His opes fraude partæ fiunt laquei & pedicæ mortis, dum fraude deprehenſi velut falſarij & fures vita mulctantur præſenti à iudice, vel à parte læſa, & æterna à Deo. *Lingua mendax ſextuplex.*

Hæc ergo coaceruatio theſaurorũ per fraudes & mendacia vocatur *vanitas*: tum quia conſuta & conflata eſt ex re vanâ & inani, putà mendacio, quod ſtatim veritate comperta difflatur & euaneſcit inſtar vaporis & fumi. Ita Abẽ Ezra, tum quia citò euaneſcens hominem vanum, nudum & miſerum relinquit. Verùm miſerrimum, & maximè diuitem mendacem cruciam eſt, quòd per opes tam vanas & mendaces acceſſat ſibi mortem & gehennã. Hæ enim opes gutture & lingua mendaci partæ, in eius iugulum redeunt, illumq; reum velut feroces carnifices & tortores laqueo ſtringunt, ſtrangulant, ſuffocant, perinde vt aues, v. gr. perdices, furtim & quaſi per fraudem & mendacium carpentes meſſem alienam, laqueo capiuntur & ſtrangulantur: ac ſicut feræ, vt lepores, vrſi, lupi, furtim & mendaciter inuadentes agros alienos, retibus ad id paratis illaqueantur, capiuntur &

& necantur. Quanta, putas, eſt crux & afflictio animæ periuri, falſi teſtis, falſarij, mercatoris fraudulenti, in gehenna, dum ob opes tam friuolas, quas per mendacium acquiſiuit, videt ſeſe in ignibus flammantis incendij perpetuantis in æternum? quàm illa ſuam dementiam accuſat, ſeque ipſam cædit & lancinat, quòd ipſa ſibi ob cupidinem rei tam inanis & caducæ, torturæ & tormentorum fuerit cauſa & parens? nimirũ rugit & exclamat illud Iſaiæ cap. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cũ ardoribus ſempiternis?*

Apologus corui & ſerpentis.

Huc facit apologus corui & ſerpentis apud Æſopum. Coruus, inquit, cibi indigens, vt ſerpentem in aprico dormientem vidit, deuolando rapuit. Hic cùm ſe vertiſſet, atque momordiſſet ipſum, coruus moriturus dixit, *Me miſerum, qui tale reperi lucrum, quo etiam pereo.* Coruus eſt raptor, ſerpens ſunt opes raptæ, quæ ipſum raptorem mordent & perimunt. Similis eſt apud eumdem apologus caſſitæ, quæ laqueo capta plorans dicebat: *Heu mihi miſeræ & infelici volucri! non aurum ſurripui cuiuſquã, non argentum, nec aliud quidquam pretioſum: granum autem tritici paruum mortis mihi cauſa fuit.* Ita raptores ob viles opes terrenas incurrunt mortem præſentem & æternam, tuncque lugent dicuntque ſimile illi quod caſſita dixit.

& caſſitæ.

Laquei fraudulentorum.

Iam retia hæc & laquei, quibus vinciuntur, cruciantur & ſuffocãtur ij, qui colligunt opes per fraudes & mendacia, ſunt varij & multiplices. Primus, eſt angor conſcientiæ, qui ſemper eos remordet quòd perperam & iniuſtè opes per fraudes colligantur. Secundus, eſt cupiditas & affectus erga opes iniuſtè partas: hic enim eos ita ſtringit & illaqueat, vt etiam cùm Dei ad pœnitentiam impulſus ſentiunt, imò cùm pœnitent & cõfitentur, remaneant in habituali affectu opes malè partas retinendi, nolintque eas reſtituere vti obligantur: aut, ſi velint, idque promittant confeſſario, mox à confeſſione in priſtinum affectum eas retinendi relabantur, quare omnis eorum pœnitentia vana eſt, & confeſſio irrita, ac ſæpè ſacrilega, quia non habent verum propoſitum ſe emendandi, & reſtituendi ea quæ abſtulerunt. Hinc videmus ex centum vix tres reperiri qui ablata reſtituant. Tertius laqueus, eſt horror mortis, qui eos ita affligit, vt eius nomen audire non ſuſtineant, adueniente verò morte, ſolâ eius cogitatione torquentur, ideoque citiùs moriuntur & exanimantur. Poſt mortem verò hunc laqueum deferunt ad tribunal Chriſti eoque illaqueati à Chriſto damnantur, & præcipitantur in tartara, vbi vinculis æternis gehennæ aſtringuntur. Vnde hic quidam pro *impellitur in laqueos mortis*, legunt *venit in profundum inferni.* q. d. Grauiſſimum eſt hoc ſcelus falſariorum: quare non in ſummum, nec in medium, ſed in imum inferni, vt cum Iuda proditore & falſario ſedeant, præcipitantur. Quartus, eſt timor infamię & punitionis humanę, ne ſcilicet à iudice condemnentur velut fures & falſarij, itaq; opes, famam, libertatem, & ſubinde *vitam* amittant. Quintus laqueus, eſt filiorum & nepotum, quibus opes malè partas relinquunt: hi enim omnibus laqueis iam dictis à parentibus innectuntur, dum eis in hereditate fraudibus parta ſuccedunt, nec de eius reſtitutione cogitant. Quocirca ſapienter monet S. Auguſtinus ſerm. 25. *Patrimonij tui, quo es ligatus, compedes in hac vita reſolue, abijce à te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria.* Et S. Chryſoſt. homil. in pſ. 49. *Tortor*, inquit, *corpus vincit, diuitiæ verò animum vinciunt. Vides enim vinctum, nec illius te miſeret: eum propterea adi, quòd vincitur non neceſſitate, ſed conſultè, & quòd ipſe vincula ſibi attraxit.*

Primus. *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.* *Quintus.*

Vers. 7. Rapinæ impiorvm detrahent eos, qvia noluerunt facere ivdicivm] id eſt, facere id quod iuſtum eſt, putà non rapere aliena, & reddere cuique ſuum ius & debitum. Pro *rapina* hebr. eſt שד *ſod*, id eſt vaſtitas, vaſtatio, rapina, perditio, pernicies. Pro *detrahent* hebr. eſt יגורם *iegorem*, quod deriuari poteſt Primò, à גור *gur*, id eſt peregrinari, commorari, pauere, contrahere: Secundò, à גרה *gara*, id eſt attrahere, detrahere, ſerrare: Tertiò, à גרם *garam*, id eſt exoſſare: vnde vertas, *vaſtatio*, vel *rapina impios exoſſabit.* Hinc Primò, R. Salomon vertit, *rapina impiorum habitabit cum eis.* q. d. Impij rapinam prædando acciuerunt in domum ſuam; hinc ipſa rapina apud eos habitans diripiet eos (rapinæ enim officium & opus eſt rapere) vt, ſicut alienos diripuerunt, ita & ipſi diripiantur. Eſt proſopopœia: fingitur enim rapina quaſi perſona & carnifex diripiens impios raptores. Vnde Syrus vertit, *fractio impiorum veniet ſuper eos*, id eſt vaſtitas qua alios confregerunt, redibit in eorum caput; & Tigur. *damnum, quod dant impij, ad ipſos redibit, qui noluerunt facere quod æquum & iuſtum eſt*; Pagnin. *rapinam impiorum adducet Dominus ſuper eos.*

Secundò, Noſter genuinè vertit, *rapinæ impiorum detrahent eos.* q. d. Rapinæ & opes raptæ, quæ impios in altum opulentiæ, potentiæ & dignitatis faſtigium euexerunt; hæ ipſæ paulò poſt velut pondus plumbeum & grauiſſimum ex hoc culmine detrahent eos, quando ob rapinam, vel à iudice, vel à Deo opibus non tantum raptis, ſed & legitimè partis ſpoliabuntur, quin & libertate, fama, vita & ſalute priuabuntur. Hinc Zachar. c. 5. verſ. 7. vidit impietatem in amphora ſedentem occluſam talento plumbi. Vide ibi dicta. Vnde Symmach. vertit, *rapina impiorum dirruet eos*; Chald. *tollet eos*; Vatabl. *direptio impiorum perdet eos.*

Tertiò, Aben Ezra vertit, *rapina impiorum ſerrabit eos.* q. d. Rapina eſt quaſi ſerra ſerrans, & diſſecans raptorum conſcientiam, animum & mentem. Rapina enim magis mordet conſcientiam, quàm cetera crimina; ac ſicut vulnus ſerra inflictum difficilè coaleſcit, vt tradunt chirurgi, eò quòd inæqualiter admorſæ, & extritæ dentibus ſerræ carnes non coëant: ſic pariter vulnus menti inflictum à furti conſcientia vix coaleſcit & perſanatur, etiam poſt pœnitentiam, & rei furtò ſublatæ reſtitutionem: rapinæ enim præteritæ memoria iugiter conſcientiam flagellat, eiq; occlamat, Cur aliena rapuiſti? cur hoc te dedecore & macula inuſſiſti? vt in perpetuum auditurus ſis raptor, omneſq; conſcij digito te oſtenſuri dicant, En ille raptor, en ille fur?

Quartò, alij vertunt, *rapina* vel *vaſtitas impios exoſſabit*, id eſt vſq; ad oſſa conſumet, oſſa eorum cõminuet, perdet, deuorabit, iuxta illud Sophõ. 3. 3. *Principes eius in medio eius, quaſi leones rugientes; iudices eius lupi veſpere non relinquebant* (Hebr. גרמו *garemu*,

gârema, id eſt exoſſabant, ne oſſa quidem relinquebant) *in manè.* A

Quintò, Septuag. vertunt ὄλεθρ☉ id eſt *perditio*, vel *pernicies, impijs hoſpitabilis erit*, vel *hoſpitio ſuſcipietur; non enim volunt facere iuſta*, vel, vt vertit & explicat auctor Catenæ Græcor. *peſtis* aut *exitium apud impios morabitur*, vt qui æquum & iuſtum facere nequaquam velint. Rectè hæc: neque enim calamitates & miſeriæ ab impietate diuelli, neque pœnæ rurſum & cruces ab ijs qui iuſta facere detrectant, ſeiungi poſſunt. Igitur ſicut mortis domus eſt in inferno (ibi enim quaſi in propria domo moratur) ſic exitij & cladis ſedes propria, eſt anima & domus impiorum: ſalutis verò & felicitatis ſedes, eſt anima & domus iuſtorum.

Opes malè partæ peregrinantur ab vno ad alium. Noſter verò Salazar ſic exponit. q. d. Rapinâ ab impijs hoſpitio ſuſcipietur, id eſt, fortunæ fraudibus partæ non diu apud improbos morantur, ſed adinſtar hoſpitis ſeu peregrini in diuerſorio manentis ociùs diſcedunt, & ad alios diuertunt; tam diu quidem per hoſpitia & diuerſoria pererrantes, quoad ſedem & regionem ſibi propriam nanciſcantur, quoad nimirum ad aliquem perueniant, qui iuſtè eas & ſine fraude acquirat: ibi enim diutiùs hærent, & tamquam incolæ in patria ſua morantur. B

Hinc pro *hoſpitabitur*, alij vertunt, *peregrinabitur*. q. d. Opes malè partæ apud impios ſunt quaſi peregrinæ & exules, vnde anhelant, vt ad iuſtos velut in patriam redeant. Hinc S. Chryſ. ſolet diuitias comparare ſeruis fugitiuis, qui ab hero extero fugiunt ad ſuos. Audi illum homil. in illud, *Aſtitit regina à dextris tuis, &c. Videte*, inquit, *diuitias quas ſemper vocabam ſeruum fugitiuum: nec fugacem modò dixerim, ſed & viricidam: non enim ſe poſſidentes deſerunt ſolùm, ſed & ipſos iugulant: cùm enim eas quis ſolerti magis ſtudio coluerit, tunc vel maximè proditionem moliuntur in ſui cultorem.* C

Apologus repens. Idipſum eleganti apis & araneæ apologo feſtiuis antithetis venuſto, repræſentat Cyrillus l. 3. Apolog. moral. c. 13. cui titulus: *Contra eos, qui laborare omittunt, & ſtudent de rapina viuere: Aranea*, inquit, *arte fraudis ſuæ retiaculum texens, cùm coram illa apis ad laboris ſui ſtudium pergens tranſiret, dixit illi: Quonam quietis impatiens, tota die vagacurris ac circuis? Cui illa virtutis ſuauitate mellitâ patienter reſpondit: Diſcurro per flores, meis laboribus pabulum mellis emens. Tunc aranea dixit: Stultum eſt, tantum pro ſtilla roris melliflui circuire. Ad hæc apis adiunxit: Imò ſtultum eſt, quod induas, non ſentire; ſtolidiſſimũ autem eſt pro victu vitam euomere, pro viliſſima re chariſſimam medullam fundere, pro incerto certum expendere, pro minimo magnum perdere, ac pro fœtidiſſima muſca teipſam euiſcerare. Ego nihil certè de proprijs amittendo, ſemper in re certa laboro. Tu verò tota die inſidiaris euiſcerata, & pro incerto das & perdis interiora tua, vt rapias extrinſecum alienum.* D

Ratio à priori. Deinde id alia ratione oſtendit; *Ceterùm cùm in retiaculum occultatum nihil inciderit: quid habes aliud, niſi quod perdidiſti tuum? omnis namq; fur antè perdit ſua, quàm aliena. Nempe dat pro veſte fidei gloriam, pro auro iuſtitiam, pro cibo vitam, pro accidente ſubſtantiam, & pro iniquitate paſcenda, tamquam mercator ſtolidus, virtutis clariſſimæ famam perdit. Melior eſt igitur labor factus fructu iuſtitiæ, quàm tempeſtuoſiſſima quies rapacis auaritiæ. His auditis, aranea ſe abſcondit.*

PERVERSA VIA VIRI, ALIENA EST: QVI AVTEM MVNDVS EST, RECTVM OPVS EIVS.] Tigurina, *peruerſi viri via aliena eſt, mundi autem opus rectum.* Opponitur enim *peruerſus mundo*, quòd peruerſi via & opus alienum ſit, mundi autem rectũ. Nam hominis peruerſi via, & vita pariter peruerſa & aliena eſt. Per *peruerſum* accipe generatim quemlibet impium & improbum; ſed propriè vafrum, doloſum, fictum, malitioſum, fallacem, fraudatorem, impoſtorem: hic enim opponitur mundo; hebr. זך *zach*, id eſt puro, pellucido, limpido, vitreo, ſincero & aperto, cuius ſcilicet cor & opera candida, aperta & ſimplicia omnibus patent, & pellucent inſtar vitri. VERS. 8.

Quæres, à quo aliena ſit via viri peruerſi, ſiue peruerſa? Reſpondeo à recto: opponit enim viam alienam peruerſi operi recto mundi, quaſi dicat. Peruerſi via & opus alienum eſt à recto & rectitudine, quia obliquum eſt, prauum, diſtortum; probi verò & mundi conforme eſt recto.

Via praui aliena quintuplex. Igitur Primò, opus peruerſi alienum eſt à recto, hoc eſt, ab eo quod recta ratio dictat eſſe rectum, probum, honeſtum: hinc conſequenter *Primò.* Secundò, alienum eſt à dignitate hominis, quæ conſiſtit in ratione & natura rationali, quòd ſcilicet ſequatur ductum & dictamen rectæ rationis agatque & viuat non vt brutum animal, ſed vt homo rationalis: vnde malitia non eſt aliud quàm diſſonantia operis, ſiue operatio diſſonans à naturâ rationali, & conueniens animali bruto: hoc enim non rationem, ſed phantaſiam & concupiſcentiam ſequitur. Ita Beda, Ianſenius & alij. *Secundò.*

Hinc Tertiò, via peruerſi peruerſa & aliena eſt à Deo, vti legunt nonnulli codices: Deus enim inſtituit in homine tribunal iudicij & rectæ rationis, ſanxitque vt homo illud quaſi libellam & perpendiculum rectitudinis in omnibus ſequatur. *Tertiò.*

Quartò, via peruerſi aliena eſt à ſocietate & conuictu hominum: hic enim nititur ratione rectitudinis, æquitatis & iuſtitiæ. q. d. Impius & doloſus abit à via trita & communi agendi ratione hominum, quare incedit per auia, nouoſque loquendi & agendi modos prauos & diſtortos comminiſcitur: hinc quaſi alienus, omnibus inuiſus eſt. *Quartò.*

Quintò, eadem aliena eſt à ſeipſo. Vnde Pagnin. vertit, *reuerſa (inuerſa) eſt via viri impij, & alieni*; & Syrus, *qui peruertit viam ſuam, vir eſt extraneus*; & Aben Ezra, *via peruerſa eſt alieni viri via, qui nimirum*, ait R. Salomon, *à præceptis diuinis ſit alienus*. Igitur impius & doloſus alienat ſe à ſeipſo, quia cùm nihil tam coniunctum ſit & vnum, quàm homo ſibi ipſi, per dolum & fallaciam abit ab humanitate & puritate candoreque humano ſibi innato, quem aliàs præ ſe tulit, vt iam non idem qui antè, ſed planè alius, & à ſeipſo diuerſus eſſe videatur. *Quintò.*

Hinc doloſum veteres, ait Nazianz. orat. 22. repræſentarunt per Proteum, qui ſe in omnes, quas volebat, formas transformabat, & ex homine nunc ſe faciebat vulpem, nunc leonem, nunc lupum, nunc aliud quodlibet animal. Simili enim modo homo doloſus nunc aſtutiã vulpis, nunc leonis minas, nunc lupi ſæuitiam, &c. aſſumit *Proteus eſt doloſus.*

mit & inducit: imò per dolum quaſi transformat A ſe in vulpem, per gulam in porcum, per iram & rixam in canem, per accediam in aſinum, per ſuperbiam in leonem, per rapinam in lupum. Vnde Gloſſa: *Iuſtè*, inquit, *coram Deo viuere, eſt proprium humanæ conditionis, iuxta illud Eccleſiaſt. 12. Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo: qui peruersè viuit, alienam ab humana natura viam incedit: peruerſa ergo actio eſt contra naturam & aliena: qui autem mundus eſt opere, rectè quod per naturā originaliter ſumpſit exequitur.*

Porrò Chald. vertit, *qui peruertit viam alicuius extraneus eſt.* q.d. Qui alium deprauat, & in ſcelus inducit, eſt ſicut Ethnicus & publicanus. Alludit ad Iudæos, qui extraneos, putà Gentiles, vtpote idololatras, abominabantur velut Ethnicos & atheos vel polytheos. q.d. Qui alium ad flagitium pellicit B & peruertit, fugiendus eſt & auerſandus velut Ethnicus: quia ſicut Ethnicus à Deo vero alienus alios ab eodem alienat: ſic pariter ſeducens alios ad ſcelus, à Deo alienus, alios ab eodem alienare ſatagit: quare eius conuerſatio velut aliena & Ethnica omni ſtudio viro probo fugienda eſt. Ex aduerſo verò viri mundi & probi, cuius recta ſunt opera, conuerſatio ambienda & accerſenda eſt. Hic enim ſecum omnes ducit ad Deum ſuum.

Denique Septuag. vertunt, *ad peruerſos peruerſas vias mittit Deus; munda enim & recta opera eius.* q.d. Deus facit, vt peruerſi incidant in peruerſa, id eſt triſtia & aduerſa, ac præſertim vt doloſi incidāt in fraudes & dolos eoſdē vel ſimiles, quos alijs ſtruxerunt, quia munda, recta, ſincera & candida ſunt C opera Dei, vtpote qui per eſſentiā eſt ipſa increata & immenſa puritas, munditiès, candor & ſanctitas. Quare ipſe peruerſos & doloſos odit, plectit & punit, vt ſuis dolis capiantur & pereant. Hoc eſt quod Deo ait Pſaltes pſal. 17. 27. *Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris*, id eſt, non benignè, ſed malignè & peruersè ages, quia ipſe peruersè agit cum Deo ſuo. Auctor Catenæ Græc. *peruerſas vias*, quas Deus mittit peruerſis, accipit vias gehennæ. q.d. Deus peruerſos ablegat ad ſempiterni ignis ſupplicia, vt viæ ſuæ fructus ibi capiant, ſuiſq; deſiderijs ſaturentur.

Via ergo impiorum eſt peruerſa, & mille difficultatibus implicita, ex quibus ſe explicare & extricare nequeunt. In illos ergo competit prouerbium Hebræorum, *Aſino camelus.* Camelum fune ducunt, aſinum agunt agaſones ante ſe. Qui con- D trà facit, hunc vocant *Aſino-camelum*; & eſt in prouerbio, vbi quis neque regredi, neque progredi poteſt. Auctor Lexici Thalmudici: *Mos aſini eſt*, inquit, *vt ducatur, & mos cameli vt trahatur. Qui verò habet aſinum & camelum, ſi collocauerit aſinum poſt ſe ad trahendum eum, & camelum ante ſe ad ducendum eum, cùm neque ille trahi ſe ſinat, neque iſte duci, manet homo inter illa iumenta medius, ita vt progredi nequeat. Ideo fecerunt inde quaſi adagium de eo, qui non poteſt ire, perinde vt aſino-camelus.*

Verſ. 9. MELIVS EST SEDERE IN ANGVLO DOMATIS, QVAM CVM MVLIERE LITIGIOSA [IN DOMO COMMVNI] *Domatis* eſt vox Græca ſignificans *tectum*; hoc enim ſignificat Hebr. גג *gag*, vnde Chald. vertit, *in angulo tecti*; Syrus, *ſuper cornu tecti.* Hebr. ad verbum habent, *in pinna tecti*: *pinna* enim hebr. & angulum, & pinnam ſignificat. *Tectum* propriè accipe: ſynecdochicè tamen tectum ſignificat domum, vti & Græcum δῶμα. In Palæſtina enim tecta ſunt plana non culminata, ait S. Hieronymus, quaſi mœniana, & ſolaria, in quibus proinde ambulare, cœnare, imò tota æſtate pernoctem ſub dio, ob regionis æſtum ad captandam auram, dormire ſolent. Septuag. vertunt, ὑπαίθρου, id eſt ſubdialis, vbi non ſub tecto, ſed ſub dio degas. Pro *in domo communi* hebr. eſt בְּבֵית חָבֶר *bebeth cheber*, id eſt, *in domo ſocietatis*, vbi ſcilicet non ſis ſolus, ſed cum pluribus in ſocietate viuas. Septuag. vertunt κοινῷ, id eſt *communi*, pro quo S. Hieronym. in Sophon. legit καινῷ, id eſt *noua.* Hebræa ad verbum ſic habent: *Bonum eſt habitare ſuper angulo vel pinna tecti, præ muliere contentionum & domo ſocietatis.* Vnde vertit Tigur. *præſtat habitare in pinna tecti quàm* B *cum muliere rixoſa, quæ partem ædium habet*; & clarè Vatabl. *ſatius eſt habitare in angulo tecti, quàm cum muliere contentioſa, & in domo ſocietatis.* q.d. Præſtat ſolum habitare, ſub dio in loco ſublimi, in quo à ventorum iniuria non ſis tutus, quàm cū muliere rixoſa.

Senſus ergò eſt. q.d. Satius eſt ſolitarium degere in tecto, ac ſub dio, ventis, pluuijs ceteriſq; aëris iniurijs exponi, quàm in domo communi, & domeſticis frequente habitare cum muliere contentioſa. Huius enim litigia omnibus cæli iniurijs reſpondent iiſq; præponderant: hæc enim, ait noſter Salazar, dum clamat, tonat; cùm probra & maledicta iacit, fulminat: cùm contendit & litigat, nimbos & tempeſtates ciet; vrit, cùm querula eſt, & cùm rigidam ſe, & minimè amantem exhibet, glaciem effundit. Demum ſi quæ aliæ ſunt grauiores C cæli iniuriæ, hæ certè vxoris moroſæ iniurijs omnino cedunt. Et quidem Socrates vxori ſuæ tonitrua dedit, quem cùm poſt multos clamores vxor ſua Xantippe aqua è feneſtra emiſſa perfudiſſet; *Facilè*, inquit, *futurum putabam, vt poſt tonitruum pluuiam ſentirem*, quemadmodum ergo tonitrua, ſic & reliquas cæli inclementias vxori aptare licet. Porrò nominat *angulum*, hebr. *pinnam*, vel *pinnaculum tecti*, vt ſignificet maius eſſe periculum à litigijs mulieris, quàm à ſtatione in pinna tecti, tum plani tum magis faſtigiati, ſiue acuminati, qualia modò ſunt, & olim quoq; non deerant in Iudæa: qui enim ſtat in pinna, ſubit periculum, ruendi in terram, ſeque collidendi, ſi in alteram partem corpus inflectat & declinet, quod facilè fit, qui verò aſſiduè audit litigia mulieris, in maiori eſt periculo D non corpus dumtaxat, vti prior, ſed & animā per iram, impatientiam, vindictā collidendi, ne ſcilicet lites litibus, probra probris, verbera verberibus, ſanguinem ſanguini regerat, imò vxorem litigioſam veneno gladioúe perimat, vt ſe à tanta tamq; cōtinua moleſtia liberet: facilius eſt enim homini in angulo pinnaque faſtigij rectum cautumq; ne in alteram partem deuergat, indeque ruat, conſiſtere, quàm inter aſſidua litigia mentem rectam ſerenamque, ne in iram & vindictam prolabatur, conſeruare.

Mulier rixoſa cunctis cæli tempeſtates exuperat.

Angulus ergo *domatis*, ſiue tecti, notat Primò, locum excelſum; Secundò, ſemotum & ſolitariū; Tertiò, periculoſum; Quartò, anguſtum; accedit; Quintò, in pinna acumen pungens ſedentem in ea: vnde opponitur *domui communi*, ſcilicet multis, hoc eſt ſociali, vt habent Hebræa; & *ampla*, vt vertit Pagninus. Hinc anguli etymon

Angulus domatis notat quatuor.

Anguli etyma.

hoc

hoc dat Varro, quòd ſit locus anguſtiſſimus. Pomponius Lætus verò, *angulus*, inquit, *dicitur à Græco ἀγκύλον, ſiue ab eo quod eſt ἐγγὺς, id eſt propè, quod aduncatur, quod ex diuerſo coactæ faciunt anguli formam.* Præſtat ergo has anguſtias, & quatuor cetera incommoda iam dicta ſubire, quàm habitare in domo ampla, ſociali & commoda, ſed litigioſa per vxorem moroſam & rixoſam: hæc enim magis pungit & cruciat. Huc facit lepos Rabbini cuiuſdam ex Cabala acceptus: אִשָּׁה & אִישׁ *iſca* ait & *iſch* coniugij ſunt vocabula, atque Dei auctoris coniugij nomen יָהּ *ia* continent: quando autem in coniugio non adeſt יָהּ *ia*, & adimitur ex אִישׁ *iſc* littera *iod* media, & ex אִשָּׁה *iſcha* vltimá littera *he*, quæ ſimul iunctæ *ia*, quod eſt nomen Dei, putà abbreuiatum *Iehoua*, conſtituunt, cùm ſcilicet abeſt à coniugio Dei timor, inuocatio, fides, dilectio, & conſequenter Dei fauor & benedictio, manet vtrimque אֵשׁ & אֵשׁ *es* & *es*, id eſt, ignis & ignis, putà hic ignis Purgatorij, & illic gehennæ æternus. Hunc ignem parit ignis irarum, litium & rixarum. Annon ergo præſtat habitare in angulo domatis, quàm cum muliere rixoſa? Gnome hæc igitur ſignificat, quantum malum ſit mala mulier, ideoque cautè deligendam eſſe vxorem, nec ducendam malam, etiamſi quis cum ea habiturus ſit pulchras ædes & latos fundos.

Lepos cuiuſdam ex cabala.

Hinc Secundò, aliqui ſic exponunt. q.d. Melius eſt habitare in angulo domus, id eſt in loco aliquo ſecreto & ſemoto in domo parentum, id eſt, melius eſt cælibem domi parentum ſecretò degere, quam vxorem ducere, quæ ex indole feminea ſæpè clamoſa eſt & litigioſa, ac cum ea in domo ampla & communi habitare. Alij explicant. q.d. Melius eſt cum ſeruis ſecedere in angulum domus, quam in media domo verſari inter lites vxorias. *Quam rarum*, ait S. Hier. l.1. Contra Iouin: *mulierem ſine his vitijs inueniri, nouit ille qui duxit vxorē, vnde pulchrè Varius Geminius ſublimis orator: Qui non litigat, inquit, cælebs eſt: melius eſt enim habitare in angulo tecti, quàm cum vxore maledica in domo communi. Si domus communis mariti & vxoris erigit vxorem in ſuperbiam, & contumeliam viro facit: quanto magis ſi ditior vxor fuerit, & in domo eius vir manſerit. Incipit enim non vxor eſſe, ſed domina, & viro, ſi offenderit, migrandum eſt.* Huc facit feſtiuum epigramma Auſonij de Grammatici cuiuſdam rixoſo matrimonio:

Arma virumq; docens, atque arma virumq; peritus,
Non duxi vxorem, ſed magis arma, domum.
Namq; dies totos, totaſq; ex ordine noctes,
Litibus oppugnat, meq; meumq; larem.
Atque vt perpetuis dotata à Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur vlla quies.
Iamq; repugnantis dedam me, vt denique victum
Iurget ob hoc ſolùm, iurgia quod fugiam.

Huic ſimile eſt Palladæ pariter de Grammatico:

Grammaticæ ducta eſt vxor mihi peſtifer ira,
Artis & infelix ira mihi auſpicium.
Heu miſer, en gemina fatis modo comprimor ira,
Artis Grammatices femineaq; domi.

Tertiò, aliqui mulierem litigioſam accipiunt meretricem: huius enim domus eſt multis amaſijs communis, & meretrices maximè ſunt litigioſæ, ac lites & rixas inter amaſios excitant, ideoque ſæpè pugnarum & cædium ſunt cauſa. q.d. Melius eſt noctem in angulo quolibet tranſigere, quàm in domo meretricis ampla & ſpatioſa. Vnde Symmach. & Theodot. vertunt, *melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm habitare cum muliere in domo ἑταιρικῇ*, id eſt *ſodalitia* aut *meretricia*.

Allegor. melius eſt ſedere in *angulo domatis*, id eſt Eccleſiæ, quæ eſt domus Dei, quàm cum muliere litigioſa, id eſt cum ſynagoga Iudæorū, quæ cum Deo & Chriſto litigat & contendit. Vnde R. Salomon: *Midras Agada inquit hoc eſſe vaticiniū, quo inſinuatur diuini numinis præſentiam ab Iſraelitis tandē ablatum iri, cùm eſſent tamquam mulier litigioſa: domus autem communis ſeu ſocietatis appellatur, quod in ea additi ſint præpotenti Deo ſocij, velut ſimulacrū à Manaſſe in templo collocatum.* Similiter mulier litigioſa, ait Ianſenius, eſt Eccleſia malignantium & hæreticorum, quæ contentionum & rixarum nullum facit neque modum, neque finem, cum qua in eiſdem habitare manſionibus, & in eiſdem ciuitatibus & regionibus quàm durum ſit & moleſtum homini Catholico, temporis huius calamitas per experiētiam docet. Certè eorum conſortium fugiendum, iuxta Pauli monitionem etiam hîc docemur, ac eligendum, vt cum Propheta efficiamur paſſer ſolitarius in tecto.

Tropol. Beda per *angulum domatis* accipit vitā Religioſam, cęleſtem & contemplatiuā, quæ præſtat vxore litigioſa, id eſt vita actiua, negotioſa, mille curis implexa, & perturbata in ſęculo. Aliter: *Quid per angulum domatis*, inquit, *niſi vita Religioſa ab omni actione terrena remota, & à turbationibus vitæ præſentis quieta? Quid per mulierem litigioſam niſi perturbati ſæculi actio deſignatur, quæ amatoribus ſuis inceſſanter tentationes mouet, iurgia atq; ſcandala ſeminat, immittit lites, concitat bella, diuidit vnitatem, pacē violat, amicitias diſſipat, eoſq; dum varijs cupiditatibus inflammat, nec in ſemetipſis quieſcere ſinit, nec in fraterna dilectione connexos eſſe permittit?*

Mulier litigioſa eſt vita actiua.

Huc facit illud Thomæ à Kempis auctoris aurei libelli de Imitatione Chriſti: *In omnibus requiem quæſiui, & non inueni, niſi in* een hoecxken met een boecxken, id eſt *niſi in angello cum libello.* Ita S. Alexius maluit ſedere, imò inſtar canis iacere, in angulo domus paternæ, quàm habitare cum vxore in domo ampla, & mundi pompis implicari. Idem fecit B. Ioannes Calybita, cuius proinde angulus in eccleſiam conuerſus Romæ religioſè viſitur: Solebat S. Ignatius fundator Societatis noſtræ à curis & tumultibus ſecedere in ſolarium, ibiq; e contemplando ſtellas & cælum in lacrymas diffluere, atque ad Sanctorum ſocietatem anhelando exclamare: *Quàm ſordet mihi terra cùm cælum aſpicio!*

Exempla.

Denique codices Septuag. hîc variant inter ſe, & nonnihil diſcrepant ab Hebræo, Chaldæo, Syro & Vulgata: Romani enim ſic habent: *Melius habitare ſuper angulum ſub dio, quàm in calcatis cum iniquitate, & in domo communi*; Complut. & Regij, *melius habitare in angulo ſubdiali, id eſt, ſine tecto, quàm in pictis domibus cum iniuſtitia, & in domo communi.* Quod myſticè ſic explicat auctor Catenæ Græcor. *Sub dialis angulus eſt ſecreta ſtudioſi hominis actio à ſole iuſtitiæ illuſtrata, domus autem picta eſt malitia virtutis colore veſtita, aut virtutem ſimulans.*

Præclarè S. Baſilius apud Antonium in Meliſſa p.2.c.76. *Quies*, inquit, *initium eſt purgationis animi,*

cùm neque lingua res humanas loquitur, nec oculi corporum colores, & aptas membrorum compactiones circumſpiciunt, nec aures animi intentionem ſoluunt audiendis canticis ad voluptatem modulatis, aut dictis ſcurrilibus & ridiculis, quæ re animi intentio langueſcere maximè ſolet: mens enim cùm ad res externas non diſſipatur, nec in mundum per partes, in quibus ſiti ſunt ſenſus, diffunditur, ad ſeipſam reuertitur, ac per ſeſe ad Dei notionem aſcendit, atq; illa pulchritudine cùm circumluſtratur ac illuminatur, ipſius quoq; naturæ obliuiſcitur, non alimenti cura aut veſtimenti animum ſollicitans; ſed liberata terrenis curis omne ſuum ſtudium ad comparanda bona ſempiterna transfert; quo nimirum temperantiam & fortitudinem, iuſtitiam & prudentiam & reliquas virtutes habeat, & exerceat. Ibidem S. Greg. Nazianz. S. Baſilij collega: *Quietos, ait, nos eſſe oportet, vt non turbulentè cum Deo colloquamur, & paulatim reuocemus mentem ab ijs, quæ ſeduxit, & errore inuoluunt.* Et S. Greg. Nyſſen. S. Baſilij frater, *Otioſa quies pluris æſtimanda quàm negotiorum illuſtris tractatio.* Ibidem & c. ſeq. B. Nilus: *Sapiens*, inquit, *otium & quietem proſequitur vt rerum diuinarum opportunè compos fiat: ſapiens demigrat à vita confuſa & perturbata ad beatam vitam, & pacificis conuenientem. Perfecti animi eſt curæ vacuitas, impij autem curis conteri.* Et B. Cyrillus: *In mente* (Gnome.) *tumultu & angore plena, neq; rerum honeſtarum cogitatio, neque Dei gratia ineſt.*

(Vers. 10.) ANIMA IMPII DESIDERAT MALVM, NON MISEREBITVR PROXIMO SVO] Hebr. *miſericordiam & gratiam non inueniet in oculis eius amicus vel proximus eius*; Chald. *& non conſequetur miſericordiam in oculis eius ſocius eius*; Vatabl. *impio nullus alius placet, quidquid tandem egerit, non reddetur gratus quibuſcumque officijs*: Pro *impius* hebr. eſt רָשָׁע *raſca*, id eſt improbus, inquietus, turbator, damnoſus, malignus. Huius ergo indoles & ingenium hic deſcribitur. q. d. Improbus mali eſt cupidus, improbus ſua improbitate deſiderat improba: improbitas ſua eum non ſinit quieſcere, ſed inſtigat ad deſiderandum mala, vt ſcilicet alios vexet, turbet, malis afficiat, perinde ac ſi dæmonem (huic enim ſimilis eſt improbitas) in ventre gereret, qui eum ad omne ſcelus impelleret; quare *non miſerebitur proximo ſuo*; ſed eum ſine cauſa inuadit, probris afficit, verberat, malè mulctat. Eſt mioſis, *non miſerebitur*, id eſt immiſericors, ſæuus & crudelis eſt in proximos, iuxta illud c. 12. 10. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorũ animas; viſcera autem impiorum crudelia.*

Significatur ergo improbitatis natura, quòd maligna ſit, malefica, ſæua & crudelis, nata in aliorum perniciem, vt eam continuò deſiderare & machinari videatur, nec quieſcat donec eam expleat, eâque expletâ, aliam ordiatur & aliam: ex aduerſo probitatis & ſanctitatis natura eſt nulli malefacere, ſed omnibus quoad poteſt benefacere, vti fecit Chriſtus, de quo ait S. Petrus Act. 10. 38. *Qui pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cũ illo.* Huc facit illud S. Cyrilli apud Anton. in Meliſſa parte 2. c. 88. *Principium & radix, & quaſi fons & procreatio noſtrarũ perturbationum eſt ad malum propenſus appetitus, ad ipſas inuitans mentem, ac primò præſtigijs illudens, poſtea vim adhibens & concutiens. Siquidem fumi more, vel etiam quemadmodum vapores quidam, inſitarum voluptatum appetitus in nobis naſcũtur; ſed qui temperans eſt & fortis, motus increpat, nec longius progredi ſinit, facilè infirmos adhuc perturbationis motus ſuperat. Iners autem & negligens voluptatum principia admittit, quaſi cogitationes nudas; cùm permiſerit in latitudinem progredi, difficillimum erit reſiſtere; nam qui ante captus eſt, & iam occupatus, is conſiliorum ſuorum non eſt dominus, imò magis victrici perturbationi quaſi barbaro alicui ſubijcietur.* Pro בְּעֵינָיו *beenau*, id eſt, *in oculis eius*, Sept. legentes בְּעֵינֵי *beene*, id eſt *in oculis*, vertunt, *anima impij, quæ deſiderio fertur ad mala, non conſequetur miſericordiã ab vllo hominum.* Hæc eſt enim lex talionis, vt, qui immiſericors eſt & ſæuus in alios, illos ipſos ceteroſq; omnes immiſericordes & ſæuos in ſe experiatur, omnes enim oderunt & perſequuntur immiſericordem & crudelem. Ex aduerſo Chriſtus Matth. 5. *Beati miſericordes*, inquit, *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Huc accedit Syrus, qui vertit, *impius non apparet in conſpectu ſociorum ſuorũ.* Nota Voluntas non poteſt deſiderare niſi bonum, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 8. art. 1. bonum enim eſt obiectum voluntatis. Impij ergo cùm deſiderant mala, in ijs aliquid boni, non honeſti, ſed vtilis vel delectabilis conſiderant, illudq; appetunt & deſiderant; malum enim in ſe appeti nequit.

MVLCTATO PESTILENTE SAPIENTIOR ERIT PARVVLVS: ET SI SECTETVR SAPIENTEM, SVMET SCIENTIAM] (Vers. 11.) Hebr. *caſtigato illuſore ſapiet paruulus, & intelligendo ſapientem aſſumet ſcientiam.* Quod Primò, Syrus ſic vertit, *ad punitionem irriſoris ſtolidus ſapiens fiet; ſapiens autem in conſilio* ſeu *meditatione accipit ſcientiam.* q. d. Stolidus emendatur & ſapit per caſtigationem impiorum & irriſorũ; at verò ſapiens conſulendo & meditando fiet ſapientior, cautior & doctior. Accedit R. Salomon: *Caſtigationes*, inquit, *& verbera illuſoribus inflicta, fatuis ſapientiorem mentem iniiciunt vt reſipiſcant*, vt caueant ſcelera, ſi non amore iuſtitiæ, certè timore vindictæ.

Secundò Septuag. vertunt, *intemperante mulctato ſimplex redditur aſtutior; quin ſapiens quoque ſi iudicio valet, cautionis notitiam hinc capiet. Senſus eſt*, inquit auctor Catenæ Græcor. q. d. *Dum mali improbiq; homines propter ſcelera ſua puniuntur, pueri & indocti redduntur cautiores & prudentiores. Ad hunc quoque modum iuſtus in ſanguine peccatoris lauat manus ſuas, pœnaq; illius animaduerſa actiones ſuas expiat. Ita etiam meretrices in ſanguine Achab & Ieſabel ſeſe lauiſſe ſcribitur.* (4. Reg. 9. 37.) *Sapiens*, inquit, *hinc admonitus, & quodammodo redargutus, dabit operam, ne ipſe etiam in eadem incommoda incidat.*

Tertiò, R. Leui, & Vatabl. vertũt, *dum mulctant iudices deriſorem, ſapiens redditur ſimplex; & cùm omnia proſpera cedunt ſapienti, accipit ſcientiam.* Hebr. enim *haskel*, id eſt intelligere, vel prudenter agere, ſubinde per metalepſin ſignificat proſperari: prudentiæ enim comes & fructus ſolet eſſe felicitas, & proſperi rei ſucceſſus. Senſus eſt. q. d. Simplex dum videt puniri deriſores, id eſt impios, qui omnia rident, diſcit ſapere, vt eorum ſcelera deuitet, ne in ſimilem eorum pœnam incidat; dum verò videt ſapienti, id eſt prudenti & iuſto, omnia proſperè cedere, fit ſciens & prudens, vt ſapientis ſapientiã & opera ſancta imitetur, itaq; eius proſperitatem ſibi pariter accerſat.

Quartò, Noſter optimè vertit, *mulctato peſtilente ſapientior erit paruulus: &, ſi ſectetur ſapientem, ſumet ſcientiam*, practicam ſcilicet, putà Ethicam humanam & diuinam, quæ docet ſcienter & prudenter vitam inſtituere, vt per eam ad veram felicitatem perueniamus: hæc enim eſt vera ſcientia ſanctorum, in qua proinde ſcientiam actiones ſequuntur,

tur, ſicut corpus vmbra, ait Clemens Alexandr. cùm ex aduerſo *neque in piſcibus vox, neq; in indoctis virtus quærenda ſit*, ait Plutarch. in Moral. omnia enim hæc ſpectant ad paruulum, Hebr. פתי *pethi*, id eſt ſimplicem, imperitum, perſuaſibilem, flexilem, docilem, qui facilè ſe doceri, flecti, & perſuaderi ſinit: *ſimplicem enim formas morum ſimplicitas*, ait S. Baſil. Hunc ergo docendi duos modos aſſignat. Primus eſt per caſtigationem improbi, ſecundus eſt per auditionem, & ſequelam ſapiētis. q.d. Paruulus, id eſt ſimplex & facilis, adeò docilis eſt, vt non egeat caſtigari in ſe, ſed ſufficiat ei, quòd videat caſtigari alios, qui improbi ſunt: inde enim diſcit cauere improbitatem, ob quam videt eos puniri. Adit ergo ſapientem, eumque audiens plenam diſcit rectè agendi viuendiq; ſcientiam. Nam vt diuinè ait S. Greg. Nazianz. apud Anton. in Meliſſa parte 1. c. 50. *Nihil inexpugnabilius philoſophia, nihil trāquillius. Omnia priùs cedent, quam philoſophus. Duo ſunt inuicta, Deus & angelus; & tertium philoſophia: eſt enim philoſophus non materialis in materia, in corpore incircumſcriptus, in terra cæleſtis, in affectibus imperturbatus, vbique inferior ceteris, præterquā animi magnitudine, & cedendo vincens illos, qui ſe vincere putant. Vnam ego ſapientiam noui, timere Deum. Etenim ſapientiæ initiū timor Domini.* Et alibi: *Audi ſummam ſermonis: Deū time, & præcepta eius obſerua.* Prior huius verſus pars iteratur c. 19. 25. vbi eam explicui: poſterior patet ex dictis c. 1. 4. quare hic iota non addam. Exemplum eſt in Pharaone, cuius flagellis ſapuere Hebræi aliæque gentes, Rom. 9. 17. vnde S. Aug. *Plaga Ægyptiorum*, inquit, *eſt eruditio filiorum Iſrael*, nam vt vulgò dicitur, *cæditur canis, vt paueat leo.*

Verſ. 12. EXCOGITAT IVSTVS DE DOMO IMPII, VT DETRAHAT IMPIOS A MALO] Hebr. ad verbum ſic habent, *intelligens iuſtus ad domum impij, deflectens impios ad malum*, quod varij variè vertunt & explicant. Pro *deflectens* hebr. eſt מְסַלֵּף *meſalleph*, id eſt detorquens, detrahens, deflectens, peruertens, ſubuertens. Pro excogitat heb. eſt מַשְׂכִּיל *maskil*, id eſt intelligens, intelligenter ſcrutans, inueſtigans, cogitans.

Primò, R. Salomon per *iuſtum*, accipit Deum, qui iuſtiſſimus eſt bonorum malorumq; iudex & vindex. q.d. Deus excogitat modos, quibus aboleat domum impij, vt eam detrahat in ruinam & exitium, vti fecit Amalecitis. Aben Ezra prius hemiſtichium refert ad virum iuſtum, poſterius verò ad Deum. q.d. Iuſtus excogitat, hebr. *maskil*, id eſt intelligit, quam malè ſe gerat domus impij, ideoq; quàm parum ab exitio abſit: vnde prudentiam comparat, & ſapientior redditur à domo impij, vt eius impietatem, & annexum exitium caueat: quia *peruertit impios ad malum*, ſupple Deus. q.d. Exitium imminet domui impij: quia Deus eam diris deuouebit & exterminabit. Accedit Pagnin. qui vertit, *conſiderat iuſtus finem domus impij, & videt quòd Dominus peruertit impios ad malum ipſorum*; & Vatabl. *ſapiens redditur iuſtus propter domum impij: peruertit (ſupple Deus) impios in malum. Sapiens, inquit, fit iuſtus propter domum ac familiam impij, quàm videt perire, quia Dominus peruertit impios, vt malè pereant.*

Secundò, R. Leui. q.d. Iuſtus domui impij proſperam fortunam parat, cùm nimirum in eius domo moratur: tunc enim Deus in iuſti gratiam iniquū benedictione cumulat, vti benedixit Laban propter Iacob.

Tertiò, Chald. vertit, *contemplatur iuſtus domum impij, & transfert impios ad malum*; Symmachus, *& ſubuertit impios in malum*. q.d. Iuſtus princeps vel iudex impios perſequendo exterminat, & ſceleſtos capite mulctat, vt remp. eorū ſceleribus & impietate liberet. Ita ſe feciſſe teſtatur Dauid pſal. 100. *Declinantem à me malignum non cognoſcebā, detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Quartò, Tigur. vertit, *erudiat licet iuſtus impiam domum, impij tamen ad ſcelus deflectunt.* q.d. Impij magis propenſi ſunt ad malum, quàm pij potentes ſint ad eos erudiendum & conuertendum: quia præualet eorum impietas & malitia pietati & zelo piorum.

Quintò, Septuag. *domum impij* accipiunt internā; putà cor & conſcientiam, vnde vertunt, *contemplatur iuſtus corda impiorum, & vilipendit impios in malum*; & Syrus, *intelligit iuſtus corda iniquorum, detrudit ſceleſtos in malum.* q.d. Iuſtus conſiderat, quàm impij in cordibus angantur ſcrupulis, curis crucientur, timoribus & periculis affligantur; quare vilipendio externam eorum pompam, opes & felicitatem tamquā *ad malum* deputat, id eſt non inter bona, ſed inter mala annumerat & recenſet. Auctor verò Catenæ Græc. ſic Sept. vertit & explicat, *iuſtus impiorum corda intelligit, neque inſultat illis dum verſantur in malis. Senſus eſt: Iuſtus impiorum facta non incuſat, nec inſectatur, nec aſpernatur, vt impius iuſtorū opera ſolet. Nam & falſas ſæpè accuſationes contra iuſtum intendit, & malis illum tametſi inſontem inuoluere contendit, quorum omnium nihil facit iuſtus, imò verò à malis illos abducere ſatagit.*

Sextò, optimè Noſter τὸ לָרָע *lara*, id eſt ad *malum*, accipiens (hoc enim Hebræis vſitatū eſt) pro מֵרָע *mera*, id eſt *à malo*, vertit, *excogitat iuſtus de domo impij, vt detrahat impios à malo*: q.d. Tanta eſt charitas, tantus zelus iuſti, vt non tantùm curet res ſuas domuſque ſuas, ſed & alienas, etiam impiorum; quare omni ſolertia & ſtudio excogitat modos & rationes conuertendi domum, id eſt familiam impij, vt impios in ea degentes, putà herum, heram, filios, filias, ſeruos, ancillas, detrahat à malo putà à mala vita & ſceleribus, quibus eos implicitos videt.

Facit id iuſtus Primò, ex amore impiorum, quia eorum boni & ſalutis eſt ſtudioſus; Secundò, ex amore viciniæ, ciuitatis & reip. quia ſcilicet domus impij ſua ſcelera, eorumq; vindictam humanam & diuinam velut peſtem afflat vicinis, ac toti ciuitati & reip. quare vt ab ea malum auertat, radicem vitiatam, putà domum impij, ſanare conatur. Tertiò, ex amore Dei, quem adeò videt offendi in domo impij: Dei enim offenſa maximè tangit & cruciat cor iuſti, vnde vt eam auertat excogitat omnia media illam tollendi, quare excogitat omnes modos conuertendi ad frugem domum & familiā impij. Hoc eſt quod ait S. Iacobus c. 5. v. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorū.* Vide ibi dicta.

Ita Chriſti ingenioſa & immēſa charitas excogitauit modos angelis & hominibus inopinabiles, quibus impios à peccatis abſtraheret, nimirum, Verbum caro factū eſt, ac ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo, vt homines verbo & exemplo doceret peccata cauere, &

Ingenioſus amor miros modos excogitat ad ſaluandum animas. Exemplum *Chriſti.*

caſtè ſanctéq; viuere: quâ de cauſâ vſque ad mortem obijt vicos & caſtella prædicans regnum Dei, ſanans infirmos, energumenos à ſatana liberans, mortuos ſuſcitans. Denique hâc de cauſâ opprobria, tormenta atrociſſima, ac tandem acerbiſſimam mortem crucis ſubijt: vt homo, videns ſe tam carò ſtetiſſe Chriſto, adeóque dilectum à Chriſto, amorem amori rependeret, ac mundo carníque abrenuntians, ſoli Deo & iuſtitiæ viueret. Nullum enim decorum, dignumq; amoris eſt pretium, niſi reciprocus amor. Hunc dulce in cruce, quam atrociſſimam pro inimicis ſuis vltrò Chriſtus ſubijt vſque ad mortem. Academia enim amoris eſt Caluaria. Nec hîc ſtetit incenſus & immenſus Chriſti amor, ſed & modum excogitauit admirabilem, quo poſt abitum in cælum viſibiliter abiens, inuiſibiliter fidelibus eſſet præſens quotidie in Euchariſtia, per eamq; totum ſe, totamq; deitatem & humanitatem cum vniuerſis ſuis dotibus nobis communicaret, vt in ea ſeipſum ſingulis, & ſingulos omnibus, omneſque ſingulis in ſeipſo realiter vniret, & ſubſtantialiter incorporaret. Quid mirabilius, quid ingenioſius, quid amabilius, quid diuinius ab amore noſtro excogitari potuit? Quocirca nihil Chriſtum in hâc vitâ mortalem ita afflixit, ac etiamnum iam immortalem in cælo ita malè habet, quàm dum videt homines ingratos amorem hunc ſuum non æſtimare, & paruipendere, imò amori odia rependere. Vnde ipſe apparens S. Brigittæ quaſi recenter crucifixus, cum illa rogaret: *Quis te ô Domine ita crucifixit?* reſpondit: *Hi qui charitatem meam contemnunt.* Ita habet Vita S. Brigittæ. Hinc & B. Iacoponus aſſiduè lacrymabatur: cauſam rogatus dixit: *Eò quòd amor non ametur.* Idem deflebat S. Franciſcus alijque Sancti, & etiamnum deflent.

Pretium amoris eſt amor.

Chriſtum ſecuti ſunt Apoſtoli & viri Apoſtolici. Vnde S. Paulus mille modos excogitauit conuertendi animas, vt patet ex idea vitæ eius, quam præfixi Actibus Apoſt. quocirca ipſe Corinthios ita exſtimulat ep. 2. c. 5. v. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Ita vt alios innumeros omittam, S. Ignatius fundator Societatis noſtræ, miros excogitabat modos retrahendi homines à vitijs, vt, cùm ſe in gelidam aquam demerſit, quo laſciuum iuuenem ab obſcenis amoribus retraheret, eóſque quaſi iniectâ frigidâ reſtingueret. Hinc obibat vrbes & prouincias in ſumma egeſtate catechizans, admonens, docens, concionans, hoc fine & fructu, vt ex orbe auferretur peccatum. Hâc de cauſâ exercitia ſpiritualia, quæ multis ſaluti fuere, conſcripſit, ſcholas omnium liberalium artium vbique terrarum, ad iuuentutem à teneris bonis moribus ac litteris imbuendam fundauit, miſſiones ad Indos luce Euangelij colluſtrandos inſtituit: Collegia, domos Profeſſorum, reſidentias vbiuis gentium, ad eas in Chriſtiana vita confirmandas ſtabiliuit. Denique totus fuit in excogitandis modis & rationibus, quibus populos omnes, omnem ætatem, conditionem & ſexum ad ſalutem perduceret.

S. Ignatij.

Aſſecla eius fuit S. Franc. Xauerius, qui magnis itineribus, laboribus, periculis innumera Indorum millia ad fidem & ſanctitatem conuertit, ac mira ad eorum ſalutẽ excogitauit, vti videre eſt in eius Vita. Vbi inter cetera duo videre eſt efficaciſſima ad peccatores conuertendos arma, nimirum vitæ

S. Xauerij.

A ſanctitatem & charitatem: vtrâque enim ipſe pollens, barbaros & peccatores maximos ad Chriſtũ traduxit: vnde ſolebat vltrò eos adire, imò cum eis cœnare & prandere, ac mira comitate & gratia nunc vnam, nunc alteram pellicem eis detrahere, donec tandem omnes auelleret: ſanctitati enim eius & charitati, quam in ſingulos profundebat, nemo reſiſtere poterat.

Appoſitè Chriſtus Petrum conſtituturus ſuum vicarium, & Eccleſiæ totius Paſtorem, priùs eius amorem prætentauit dicens, *Petre amas me plus his?* illoq; reſpondente: *Domine tu ſcis quia amo te*: iterum & tertiò idem ab eo interrogans & audiens, ſubiunxit, *Paſce oues meas*, vt ſignificaret ſummo amore præditum eſſe debere eum, qui earum paſtor & ſanctificator eſſe velit.

QVI OBTVRAT AVREM SVAM AD CLAMOREM PAVPERIS, ET IPSE CLAMABIT, ET NON EXAVDIETVR] Hebr. *& non reſpondebitur ei*; Sept. *qui obturat aures ſuas ne audiat infirmum, & ipſe inuocabit; & non erit qui exaudiet.* *Obturare aurem ſuam*, inquit Ianſen. metaphoricè poſitum eſt pro nolle audire, & ſe gerere quaſi non audiat alicuius clamorem, imò declarare ſibi alterius clamorem eſſe moleſtum. Et benè non dicit *ad precem*, ſed *ad clamorem*, vt quorumdam inclementiam deſignet, qui non ſolùm precibus egenorum non excitantur, ſed nec clamoribus ſuperantur ad audiendum. Proinde iuſtè talibus duplex malum euenturum ſubiungitur: Primum, quia etiam talis clamabit, quo ſignificatur ipſum in graue aliquam calamitatem caſurum, quæ ipſum clamare præ anguſtia compellet. Secundum, quia etiam cùm clamabit,

Verſ. 13.

B

C & ſummis precibus contendet impetrare liberationem & ſubſidium, non exaudietur, iuxta illud pſalmi: *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret; ad Dominum, nec exaudiuit eos.*

Ratio huius ſententiæ eſt lex talionis ſancita à Deo, & à Chriſto Lucæ 6. *Eâdẽ quippe menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis*, tum ab hominibus, tũ potiùs à Deo, qui ſicut in miſericordes miſericors, ſic in duros durus eſt, præſertim, quia ipſe eſt pauperum pater, ac beneficentiam, vel duritiem, erga eos ſibi arrogat, vnde eos contra diuites auaros ad ſe clamantes exaudit. Rurſum durus, qui Deum in paupere, & ex paupere ad ſe clamantẽ non audit, is ſanè dignus eſt, vt viciſſim clamans ad Deum ab eo non audiatur. Vnde Chald. vertit, *vocabit quoque Deum, & non exaudietur*; & S. Cyprian. de Opere &

D eleẽmoſ. *& ipſe inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat*; & Syrus, *Deum inuocabit, & non reſpondebit.* Exemplum eſt in diuite Epulone qui clamantem Lazarum non audiens, in gehenna pro refrigerio clamans ad Abraham, ab eo non eſt exauditus. Iuſtè guttam aquæ petijt nec impetrauit, qui micam panis Lazaro negauit. Deſiderat guttam, qui negauerat micam. *O diues qua fronte petis guttam, qui noluiſti porrigere micam?* ait S. Aug. ſer. 237. de Temp. Vnde idem S. Aug. homil. 25. de Verbis Domini ſecundum Lucam, agens de diuite & Lazaro: *Penſantur*, inquit, *pro diuitijs pœna, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, vt ſalua ſit æquitatis ſtatera, & non mentiatur modus illius menſuræ. In qua, inquit, menſi fueritis menſura, ita metietur vobis: ideo negatur in pœnis miſericordia diuiti, quia ipſe, dum viueret, noluit miſereri: ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. Diues & pauper duo ſibi ſunt contraria: ſed iterum*

duo ſibi ſunt neceſſaria. Nullus indigêret, ſi inuicem ſe ſupportarent; & nemo laboraret, ſi ſe ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus eſt, & pauper propter diuitem. Pauperis eſt orare, & diuitis erogare: Dei eſt pro paruis magna penſare. De miſericordia eius parua magna naſcitur copia. Fœcundus eſt ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli eſt pauper per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, ſi non vis errare: patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac vita reſolue, vt liberè, ad cælum poßis accedere.

Gnome. Denique huic gnomæ ſimilis eſt illa Philonis apud Maxim. ſerm. 7. *Talem te ſeruis & miſeris præſta qualem Deũ in te eſſe velles: vt enim audimus, ſic à Deo, audiemur; atque vt intuemur alios, ſic Deus nos intuebitur: offeramus ergo miſericordiæ miſericordiam, vt ſimili ſimile conſequamur.* Et illa Sixti Pythagorei ſententia 208. *Orationem Deus non exaudit hominis, qui egenum non exaudit.* Extant to. 5. Biblioth. SS. Patrũ huius Sixti ſententiæ ſapientes, & penè Chriſtianæ. Et illa S. Greg. Nazianz. in carm.

Pauper acceßit, & nihil conſecutus abiit.
Metuo Chriſte, ne & ego manu tua excidam:
Nam quod quis non dedit, accipere etiam non ſperet.

Hæc ſciens Tobias ita moriturus mandat filio ſuo c. 4. 7. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec auertatur à te facies Domini.*

Vers. 24. MVNVS ABSCONDITVM EXTINGVIT IRAS; ET DONVM IN SINV INDIGNATIONEM MAXIMAM] Tigur. *munus clandeſtinum reſtinguit iram.* Aliqui per *donum in ſinu* accipiunt donum in ſinu non pauperis datum, ſed in ſinu auari reconditum vt ſit antitheſis inter liberalem & auarum. Vnde Septuag. vertunt, *munus occultum auertit iras: muneribus autem qui parcit, furorem ſuſcitat fortem;* & Syrus de more ſecutus Sept. *& qui præbere negat excitat furorem.* q.d. Liberalis qui occultè dat irato principi vel potenti munera, per illa auertit & placat eius iras, è cõtrà auarus, qui parcit muneribus, excitat iram Dei & hominum: quia per auaritiã multos offendit, ac vt opes corroget, ſæpè iura violat, itaq; Dei hominumque in ſe iras ſuſcitat, quas magis adauget, dum auarè & iniuſtè partis parcit, nec ea in pauperes, vti charitas exigit, erogat, vt offenſas ſopiat vel mitiget. Verùm alij paßim cenſent hic nullam eſſe antitheſin, ſed eôdem, putà ad liberalem munera dantem vtrumque hemiſtichium pertinere. Idem eſt ergo munus abſconditũ, quod *donum in ſinu*, ſcilicet alterius, clam reconditum & immiſſum.

Senſus ergo eſt. q.d. Munus abſconditum, id eſt ſecretò & clam datum iudici vel principi, ſedat eius iras; donum verò inſigne (hoc enim ſignificat שֹׁחַד *ſochad*) eadem quaſi neſcienti vel diſſimulâri occultè in ſinum ſuggeſtum, extinguit eius indignationem quantumuis magnam. Vis eſt in τῷ *abſconditum & in ſinu.* Iudices enim & principes nolunt publicè & palàm ſibi dari munera, ne videantur ea expetere, vel ijs corrumpi ad iniquas ſentẽtias proferendum, itaq; viles & infames habeantur; quare eis abſconditè, & in ſinu quaſi ignorantibus, vel repugnantibus, oportet immittere dona, quæ animas eorum emolliunt, alliciunt & elucrantur, vt iram & odium in amorem & beneuolentiã conuertant, vt dixi c. 18. v. 16. Rurſum principum aulicis & miniſtris ſecreto danda ſunt munera, ne principes id reſciant, ijſque offendantur: ſecretò ergo accipientes munera mediatores erunt apud principem, & dantem ei conciliabunt. Ita R. Leui, Aben Ezra & alij paßim.

Significat ergo, inquit Baynus & Ianſen. Salomon hac gnome, quantum valeat liberalitas, ſi prudenter exhibeatur, quòd per munera occultè data ſedentur ſæpè iræ etiam maximæ, & quæ multis verbis ac perſonarum auctoritate extingui non poſſunt. Aut ſignificat quorundam auaritiam qua plerumque ob munera ſecretò data ſe ſinunt corrumpi, vt, quam deberent vindictam inferre, non inferant. Iuxta myſticam intelligentiam cõmendatur hac ſententia virtus eleëmoſynæ, quæ ſi fiat iuxta præſcriptum Euangelij, nempe, *neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua,* hoc eſt, ſi fiat in occulto, non ad oſtentationem, non ad vanã gloriam, ſed coram eo qui videt in abſcondito: iram extinguet iudicis, ſedabitque & mutabit ſententiam illam plenam iræ & furoris in illam clementiſſimam: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratũ vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Et omnino veriſimile eſt hunc ſenſum propriè eſſe intentum, idque ſub ſimilitudine ſimplicis intelligentiæ, vt ex his quæ inter homines fiunt, intelligamus quid liberalitas valeat apud Deum, ſicque commendetur miſericordia in pauperes, ſicut & ſuperiori verſu, vt & R. Salomon. Vnde nonnulli priorem hemeſtichij partem referunt ad Deum, poſteriorem ad iudicem, vt prior confirmetur per poſteriorem. q.d. Donum ſecretò datũ pauperi ſedabit iram Dei: ſicut munus ſecretò inſectum in ſinum iudicis, eius furorem & ſeueritatem legum, quantumuis magnam & vehementem, extinguere ſolet.

Exemplum eſt in Abigail, quæ ſuis muneribus reſtinxit iras Dauidis properantis ad exitium Nabal, 1. Reg. 25. 18. Verè poëta munus comparat torpedini piſciculo, qui manum piſcatoris tangens eam ſtupefacit:

Anne manus torpens tibi, cùm clàm munera ſumis?
Non ſentis? certè mens animuſq́; ſtupent.

Nimirum *placant Deos, nedum homines ipſos munera. Nil non poteſt iam muneris ſuffragium.* Appoſitè Plinius Panegyr. ad Traianum c. 43. *Munera vocat illitos cibis hamos opertos præda laqueos.* Narrat S. Hieron. in Vita S. Hilarionis, Hilarionem decem auri libras ſibi à dæmoniaco à ſe ſanato oblatas reſpuiſſe, eique panem hordeaceum offerendo dixiſſe, *qui tali cibo aluntur, aurum pro luto ducunt.* At quàm pauci tales?

Porrò noſter Pineda in Eccleſ. c. 7. v. 10. *donum in ſinu* cõponit, opponit & præponit indignationi in ſinu, quæ maxima eſt: ira enim quæ in ſinu animæ reconditur, tegitur & quaſi radicatur, intima eſt, profundiſſima, diuturna & grauiſſima. Vnde de ea ait Eccleſ. c. 7. 10. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Et Ariſtot. 4. Ethic. c. 5. docet, *Iracundos, quamuis citò iraſcantur, & quibus non oportet, & magis quàm oportet, & manifeſtas eſſe ob celeritatem; at illud optimũ habere, quòd citò etiam deſiliunt: amaros autem illos eſſe, qui cum difficultate placantur, & longo tempore ſunt ſub ira: detinent enim illam, & niſi ponant vltrò iræ modũ, longo tempore opus eſt vt ira in ſe coquatur; etenim quia manifeſti non ſunt, nemo illis perſuadet.*

Igitur amari iram habent in ſinu reconditam; quare vt hæc eis euellatur per beneficentiam, oportet etiam donum, quod eam euellat, in ſinum mitti, vt in abſconditum indignationis penetrale penetret pariter eius antidotum præſentaneum,

quod

quod eius acrimoniam vel retundat, vel peruincat ſicut ſcamonium in intimas corporis venas peruadit, indeque noxios humores euocat, itaq; hominem ſanitati reſtituit.

Donum in ſinu, id eſt ſinuale, & gratiſſimum. Quocirca *τὸ donum in ſinu*, rurſum ſignificat donum ſinuale, hoc eſt animæ ſuaue & gratum, quòd ipſa ſinu amoris ſui cupidè cōplectatur: niſi enim tale ſit, non excludet ex ſinu iram & odium: quare vt illam excludas, quære & offer irato donū quod ſcis illis fore ſinuale, id eſt apprimè exoptatum & gratum, vt ex eo iram exprimat & expungat.

Igitur ſicut venatores viuerras in terræ ſinus & antra immittunt, vt inde lepores expellant, itaque prodeuntes in lucem capiant: ſic pariter donum in ſinum irati ingerendum eſt, vt ex eo maleuolentiam extorqueat.

VERS. 15. GAVDIVM IVSTO EST FACERE IVDICIVM, ET PAVOR OPERANTIBVS INIQVITATEM] Pro *pauor* hebr. eſt מחתה *mechitta*, id eſt *conſternatio*, *contritio*; Syrus, *confractio*. Hæc rectè per antitheſin opponitur gaudio iuſti, quia ipſa comes indiuidua eſt mœroris & triſtitiæ: vbi enim eſt mœror, ibi eſt pauor ac conſternatio: vbi verò eſt gaudium, ibi pariter eſt confidentia, ſecuritas, animoſitas. *Iudicium*, id eſt, iuſtitiam. Iam quia iuſtitia tripliciter ſumitur, hinc triplex hic oritur ſenſus.

Iuſtitia triplex. Prima. Primò, *iuſtitia* hic propriè & ſtrictè accipi poteſt, quæ ſcilicet ius ſuum cuique reddit, ac præſertim, quæ probo merita præmia, improbo merita ſupplicia attribuit, ſiue id fiat à Deo, ſiue ab homine iudice. De Deo accepit R. Salomon. q. d. Magnam capit Deus voluptatem iudicio in iuſtos exercendo, vt vitam bonis omnibus cumulatam ſæculi venturi meritis circumfluentes obtineant. Gaudio item iuſtus, id eſt Deus, perfunditur, cùm flagella ærumnaſque in iuſtos immittit, vt futuro æuo puri reddantur. *Pauor operantibus iniquitatem.* q. d. Cùm illi animum non adiungant, vt ad meliorem frugem redeant, nec fructum vllum ex hiſce calamitatibus percipiant, nec ærumnis vexati proficiant, hinc conſternantur. De homine iudice accepit R. Leui: Cùm iuſtitia, inquit, apud mortales exercetur, id iuſto gaudium affert; tunc enim cōfidet regni retibus haud ſe inuolutum iri, cùm à nefariè agendo ſedulò abſtineat. Hoc idem agentibus iniquè eſt ipſa calamitas & conſternatio: vehementer enim formidant, ne criminum ſuorum pœnas luant.

Hinc latrones, inquit Lyran. cōmuniter timidi & pauidi ſunt: nam vt docet S. Paulus Rom. 13. miniſtri iuſtitiæ in bonum ſunt bonis, in malum, putà in pauorem & vindictam, malis. Huc accedit noſter Salazar, *Gaudium eſt iuſto facere iudicium*, q. d. inquit, Iuſtus cùm videt Superiorem ac principē iuſtè agere, ac ſubditos ſuos in officio continere, gaudet vtiq; ac geſtit: quod ex aduerſo metum & pauorem maximum improbis incutere ſolet. Ille gaudet, quia immunis eſt à delicto: hi pauent ac metuunt, quia eiſdem ſceleribus obſtricti, eam, quæ alijs iuſtè infligitur pœna, ſibi quoque à iuſto & ſeuero iudice imponendam timent.

Nota Hebr. *mechitta*, id eſt *anguſtia* vel *dolor parturientis, his qui operantur iniquitatem*. Origen. enim hom. 2. in Ioſue, legem cum obſtetrice acutè compoſuit: quia nimirum reluctantes ſubditorum voluntates ad vitam & mores ſecundùm rationem, vt ita dicam, pariendos obſtetricis in morem iuuat. Cogita ergo in omni homine etiam improbo voluntatem rectis conſilijs & cogitationibus bonos mores ſuadentibus grauidam, ad bonā honeſtamque vitam pariendam numquam non ſtimulari. Ergo dum adeſt Superior ac princeps aliquis, iuſtè agens, & ſeueritate ſua ſubditos vrgens; illicò improbos omnes dolor quidam & anguſtia parturienti ſimilis inuadit, illos nimirum ad bonos mores etiam cum dolore & moleſtia pariendos, præceptis ac legibus obſtetricantibus Superioris ſeueritas cogit. Hæc expoſitio commoda eſt, & appoſita, eamq; ſequitur auctor Catenæ Græc.

Secundò, aliqui per *iuſtitiam* acceperunt eleēmoſynam, quæ non rarò in Script. vocatur *iuſtitia* ob cauſas antè recenſitas. q. d. Iuſtus beneficus cū gaudio facit eleēmoſynam, tum quia iucundum eſt benefacere, tum quia ſcit & experitur, opes ſuas per eleēmoſynas non decreſcere, ſed accreſcere; tum deniq; quia ſcit eleēmoſynarijs promiſſum à Chriſto regnum cæleſte, Matt. 25. At verò auarus iniquè negans eleēmoſynam, & iniquitates ſuas eleēmoſynis non redimens, mœret & pauet; tum quia auaritia in ſe ſordida eſt, contracta & mœſta, tum quia ſentit per eam opes ſuas imminui & exhauriri, ſeque depauperari, tum quia pauet gehennam auaris & illiberalibus à Chriſto comminatā, Matth. 25. Ita Baynus. *Secunda.*

Tertiò, alij *iuſtitiam* amplè & generatim capiūt pro qualibet virtute, ſiue pro eo quod iuſtum eſt, æquum & honeſtum. q. d. Iuſtus facit opera virtutum cum gaudio, & impij operantur iniquitatem cum mœrore, pauore & angore, tum quia virtus in ſe iucunda eſt, læta & delectabilis, vitium verò fœdum, triſte & abominabile, tum quia Deus virtuti ampla præmia præſertim in cælo, vitijs verò ampla ſupplicia in gehenna propoſuit, tum denique quia Deus conſolationes cæleſtes animabus benè operantium, præſertim vbi opus eſt arduum; deſolationes verò, angores & pauores mentibus malè operantium, in iuſtum vel præmium, vel ſupplicium immittit. Hinc S. Agatha, S. Cæcilia, S. Agnes, S. Laurentius, &c. ad tormenta & martyria ibant lætabundæ quaſi ad epulas & delicias. Ita Beda, *Gaudet iuſtus*, inquit, *cū bonis deſudat operibus, quia ſperat ſe propter has bonis remunerandū eſſe perennibus: at vero reprobi dum mala, quæ Dominum prohibuiſſe norunt, faciant; quamuis luxuria ſua perpetratione carnaliter delectentur, mentis tamen pauore interno carere nequeunt, quia ſe mala perpetua paſſuros, pro his quæ temporaliter male fecerint, non ambigunt.* *Tertia.* *Iuſtus gaudet, impius mæret: Cur?*

Rurſum magis connexè & profundè cum Ianſenio vtrumque eôdem referas, vt vnum & idem ſignificetur, & iuſto eſſe gaudium, & operantibus iniquitatem eſſe pauorem, nempe facere iudiciū: facere enim iudicium iuſtis eſt gaudium, malis autem pauor vel contritio (nam & ſic Hebræa verti poſſunt) quia & iuſti gaudent, cùm quod æquum eſt ac bonum, eis aggrediendum eſt, & mali cùm tale quid eis incumbit, cum metu animoque languido illud aggrediuntur, atque à bene operando ſibi metuunt, tamquam re ipſis difficili & inſolita.

Similis eſt hæc gnome illi c. 10. v. 29. *Fortitudo ſimplicis via Domini, & pauor his qui operantur malum.* Huc pertinet verſio Septuag. *gaudium iuſtorum eſt facere iudicium: ſanctus autem apud homines impuros, & facinoribus obſtrictos, immundus habetur*: tum quia impuri iuſtos impuros ſuique ſimiles iudicant, tum quia, ſicut iuſti vituperant actiones iniuſtorum, gau-

gaudentque cùm vident eos puniri: ſic ex æquo iniuſti iuſtorum actiones & virtutes vituperant, & velut impuras & vitioſas accuſant. Ita auctor Catenæ Græcor.

Virtus ſola parit gaudium: Cauſa Prima. Moral. hic diſce ſolam iuſtitiam, id eſt, opera virtutis, parere gaudium. Primò, quia iuſtus ex habitu iuſtitiæ operatur. Delectabile autem cuique eſt ſecundùm habitum operari, ait Lyran. Secundò, quia opera virtutis pariunt bonam conſcientiam, quæ mirè animum tranquillat & exhilarat: ſunt enim opera & fructus Spiritus ſancti, qui eſt fons omnis gaudij, iuxta illud Galat. 5. 22. *Fructus Spiritus,* inquit, *eſt charitas, gaudium, pax, &c.* Audi B.
Cauſa 2. Cæſarium Arelatenſem homil. 12. *Verum gaudium non poſſidetur, niſi pax & iuſtitia teneatur. Prima eſt enim, & quaſi radix iuſtitia, ſecunda pax, tertia gaudium: de iuſtitia naſcitur pax, de pace gaudium generatur. Iuſtitia & pax quaſi bona opera eſſe videntur: gaudium verò fructus eſſe bonorum operum intelligitur.* Et S. Bernardus in libr. de Conſideratione: *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius eſt & ſecurius bona conſcientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus; quæ & ipſa morte magis erigitur quàm deprimitur.*

Conſentiunt noſtris ſcriptores Ethnici. Cicero
Ep. 6. ad Torquatum epiſtola familiari: *Conſcientia rectæ voluntatis, maxima conſolatio eſt rerum incommodarũ.*
Epiſt. 14. Et Seneca ad Lucilium: *Nolo tibi vnquam deeſſe lætitiam, volo illam tibi domi naſci. Naſcitur, ſi modo intra teipſum ſit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leues ſunt, niſi forte tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Mihi crede, res ſeuera eſt verum gaudium.* Et paulò pòſt: *Veri boni auditas tuta eſt; quid ſit iſtud interrogas, aut vnde ſubeat? dicam: Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam.*

Secundò, quia opera bona Deum ſibi conciliant, in eoque velut ſui fine & centro conquieſcunt, atque ab eo gaudium omne præſens & æternum expectant. Hoc eſt quod ait Eccleſ. c. 1. 11. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.* Et Malachias c. 4. v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meũ Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius; & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento.* Vnde Chryſ. homil. 18. ad Populum: *Non multis opus eſt ſermonibus; ſed ſi ſolum dictũ Apoſtoli cogitemus, viam inueniemus: non enim ſimpliciter dixit, Gaudete ſemper; ſed addidit continuæ voluptatis cauſam, cùm dixit, Gaudete in Domino ſemper. In Domino ſemper gaudens, ex accidentis nullo voluptate hac excidere poteſt. Alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia ſunt & tranſitu facilia; Deũ verè ſicut oportet timens, & in ipſo confidens, voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem.*

Denique S. Bernard. epiſt. 114. ad Sanctimonialem quamdam: *Magnum eſt mihi gaudium, quòd te ad verum & perfectum gaudiũ velle tendere comperi: quod non eſt de terra, ſed de cælo, id eſt non de hac conualle plorationis, ſed de illa quam fluminis impetus lætificat, ciuitate Dei. Et reuera illud verum & ſolum eſt gaudiũ, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur, & quod cùm poſſederis, nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde iucunditas mœror eſt, omnis ſuauitas dolor eſt, omne dulce amarum, omne decorũ fœdum, omne poſtremò quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum.*

Vers. 16. VIR, QVI ERRAVERIT A VIA DOCTRINÆ,

A IN COETV GIGANTVM COMMORABITVR] Hic ecce eſt *pauor* & contritio deſtinata *operantibus iniquitatẽ* vti dixit v. præced. Pro *gigantum* heb. eſt רְפָאִים *rephaim*: quod Noſter alibi vertit, *mortuos*; alibi, *dæmones*; quia enim gigantes cum Deo pugnantes ab eo morte puniti, & in tartara ad dæmones, quorũ ſuperbiam & ſcelera imitati fuere, deturbati ſunt; hinc per *rephaim*, id eſt gigantes, ſignificãtur mortui & dæmones, putà ſtatus damnatorum in gehenna. Vide dicta Gen. 6. Hebr. dicuntur *rephaim* à percellendo, quòd ſua monſtroſa proceritate, deformitate, robore, & ſæuitia homines *percellerẽt*, metu diſſoluerent, & quaſi exanimarent: רָפָה *rippa* enim eſt diſſoluere. Græcè dicuntur γίγαντες gigantes, quaſi γηγενεῖς, id eſt terra geniti, terræ filij, vt vertit Chald. & Syrus: γηγενεῖς enim dicitur à γίγνομαι, id eſt naſcor; & γαῖα ſeu γῆ; quod lingua Dorica γᾶ facit, & terram ſignificat. Vide dicta c. 9. 18. Vnde Philo l. de Gigantibus: *Legiſlator,*
B inquit, *to docere vult alios eſſe terræ, alios cæli, alios Dei homines. Terræ eos, qui venantur voluptates corporis, & harum vſumfructum, quærendo vndecumque ſingularum materiam: cæli eos, qui tenent artes ac ſcientias; quod enim noſtri cæleſte eſt, mens eſt: Dei verò homines, ſacerdotes & prophetæ ſunt.*

Pro *via doctrinæ* hebr. eſt *via intelligentiæ*, id eſt via prudentiæ, qua ſcilicet prudenter itur ad virtutem, ad ſalutem, & felicitatem, quæ eſt *via iuſtitiæ*, vt vertunt Septuag. hæc via eſt ipſa lex Dei: qui enim in ea conuerſando ambulat, rectam ſalutis viam incedit. Hinc Chald. vertit, *filius hominis qui errat à via intellectus, cum filijs terræ commorabitur*; Syrus, *cum filijs terræ requieſcet*; Symmach. *in cœtu* θεομάχων, *id eſt eorum, qui cum Deo pugnant,* putà gigã-
C tum; Septuag. *vir errans à via iuſtitiæ, in ſynagoga gigantum requieſcet*; Aben Ezra, *in cœtu mortuorum quieſcet, nec ampliùs aberrabit*; R. Leui, *cùm ad adultam ætatem venerit, citò & repentino caſu morietur, & ad cœtum mortuorum tranſibit*; R. Salomon, *in cœtu gehennæ erit.*

Iam hæc ſententia ample accipi poteſt, vt conueniat cuiuis peccatori: q. d. Peccator qui relictâ viâ rectâ virtutis & prudentiæ, quæ ducit ad felicitatem, capeſſit viam auiã voluptatis, carnis & mundi, quam olim capeſſiuere gigantes, & ante eos dæmones duce Lucifero; hic vtique ad eorum, quorum viam ſecutus eſt, metá & terminum, putà ad gehennam, deducetur, ac eorum cœtui copulabitur; Itaque ſignificatur, ait Ianſen. eos qui via, quæ
D ducit ad vitam, deſertâ, hîc maluerunt ſequi impulſus ac conſilia dæmonum, qui velut ſuperbi gigantes ſe Deo oppoſuerunt, ac æquare voluerunt, ſocios futuros damnationis eorum, cùm eis dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Aut eos qui hîc Deo obedire noluerunt, partem habituros cũ gigantibus illis, ob quorum ſcelera mundus in initio perijt diluuio. Conſiſtit autem verſus huius elegantia in oppoſitione erroris & quietis, nempe quia qui errauit à recta via, poſt longos errores tandem quieſcet, ſed infeliciter, & vt meruit, in cœtu mortuorum atque gigantum. Ita S. Greg. l. 17. Moral. c. 12. ad illa Iob 26. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis,* per gigantes accepit peccatores, qui de peccato ſuperbiunt: *Illi enim non viuunt,* inquit, *quia peccando vitam iuſtitiæ perdiderunt. Iſti etiam poſt mortem reſurgere nequeunt, quia poſt culpam ſuam inflati per ſuperbiam ad pœnitentiæ remedia non recurrunt. Hinc rurſum ſcriptum eſt: Vir qui errauerit*

vit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur; quia quiſquis iter rectitudinis deſerit, quorum ſe numero niſi ſuperborum ſpirituum iungit?

Rurſum propriè & præcisè hanc gnomen tribuas hæreticis, falſis doctoribus, ſimilibuſque erronibus: hi enim propriè errant à via doctrinæ, putà à verâ fide, ac proinde ad cœtum gigantum detruduntur. Appoſitè hæretici comparantur gigantibus. Primò, quia eorum ſuperbiam & faſtum imitantur, quo æquè vt gigantes cum Deo, eiuſq; Eccleſia ſuperbiſſimum ineunt bellum, vt Deum fidei auctorem falſitatis inſimulare, eumq; quaſi ad duellum perfidiæ prouocare audeant. Hæretici ergo æquè ac gigantes ſunt θεόμαχοι, vt vertit Symmach. ideoque ſi in hæreſi perdurent, tandem in atheiſmum ruunt, ac velut athei Deum & omne numen pernegant, vti quotidiana docet experientia.

Gigantes ſunt hæretici. *Primò.*

Secundò. Secundò, ſicut Deus ob gigantes induxit diluuium, eoq; vaſta illorum corpora merſit & perdidit; ita ob hæreſim Deus prouincijs illâ infectis immittit grauiſſimas bellorum, ſeditionum, tumultuum &c. clades, quibus hæreticos abſorbeat & interimat, vti accidiſſe vidimus hoc ſæculo in Francia, Germania, Belgio, Anglia, Scotia, &c. Fabulantur poëtæ Titanes à Ioue fulmine afflatos: ita hæretici à Deo ſiderantur, & deturbantur in tartara.

Tertiò. Tertiò, gigantum parens fuit diabolus ſuadens filijs Dei, id eſt filijs Seth, ardentiſſima libidine copulari filiabus hominum, id eſt filiabus Cain, ob earum pulchritudinem: ſic pariter hæreſis & hæreticorum parens eſt diabolus, mater eſt libido. Audi S. Greg. Nazianz. orat. 48 de conuenticulo hæreticorum: *Chorus ille diaboli propugnaculum erat, ibi exercitum ſibi conſtruxerat, ac defenſores & ſatellites ſuos in ea collocarat. Hic mendacij exercitus, fraudis propugnatores dæmonum expeditio, immundorum ſpirituū legiones. At (ſi etiam externorum nomenum aliquid vſurpare licet) ibi prauus furiarum exercitus aduerſus Eccleſiam bacchatus eſt. Sic enim vt fœminas eas appellem, adducor, quæ ſupra naturam ad malum viriles ſe præbebant.* Idem orat. 4. aſſerit hæreticos ſuperare diabolū malitia & perfidia. Hinc plerique hæreſiarchæ dæmonem habuere paredrum, id eſt aſſeſſorem & familiarem, vti pluribus exemplis oſtendi 1. Timoth. 4. 1.

Quartò. Quartò, quia hæreticorum, vtpote nocentiſſimorum, locus eſt in profundo inferni ſub ceteris damnatis, vbi pariter degunt gigantes & dæmones cum ſuo Lucifero.

Quintò. Quintò, de gigantibus mira fabulati ſunt poëtæ, quæ fusè recenſet Salazar, & appoſitè adaptat hæreticis. Ita Irenæus l. 2. aduerſus hæreſ. c. 53. Origen. homil. 7. in Num. Hieron. in 24. c. Iſaiæ aſſerunt gigantum impijſſimorum & ſuperbiſſimorum figuram gerere hæreticos omnes, & qui aduerſus Deum rebellant, & Eccleſiæ contumeliā faciunt. Vide Gregorium loco citato, & Caſſianum collat. 8. c. 21. Atq; hanc interpretandi rationem cùm refert Theodor. q. 48. in Gen. *Nonnulli*, inquit, *dicunt gigantes eſſe Dei oſores, & Dei aduerſarios homines.* Deniq; audi auctorem Catenæ Græc. in hunc locū: *Errat*, inquit, *à via iuſtitiæ, qui aberrat ab orthodoxa fide, vel à vita & conuerſatione Chriſtiano homine digna. In his enim poſitæ ſunt viæ iuſtitiæ. Gigãtes autem vel dæmones appellat, vel hæreticos, vel alios quoſcumque à Deo alienos: deſignat autē illos hoc nomine,* A *quòd ad mala patranda præ aptitudine ſint.* Alius ibidem: *Scriptura*, inquit, *gigantes homines faſtu plenos Deoque rebelles, & inſigniter improbos vocare ſolet.* Senſus ergo eſt: Annumerabitur gigantibus, hoc eſt diabolis, vel hæreticis Deum oppugnantibus. Cæterùm nomen hoc *gigas* tria ſignificat. Primò, namque denotat hominem Deo ex inſtituto aduerſantē, vt, *Non recipiet quiſpiam à gigantibus ſpolia*, quod Symmachus reddidit, ἀπὸ θεομάχων, *Deòue rebellibus.* Mox verò hominem vaſta corporis mole præditum, vt, *Vidimus ibi filios gigantum, & eramus coram illis quaſi locuſtæ.* Poſtremo autem fortem vel robuſtum, vt, *Exultauit ſicut gigas ad currendam viam ſuam.* Hæc illi. *Deuter. 2.* *Num. 13. 34.* *Pſal. 18.*

Verſ. 17. QVI DILIGIT EPVLAS, IN EGESTATE ERIT: QVI AMAT VINVM ET PINGVIA, NON DITABITVR] Hebr. *vir egeſtatis (erit) diligens gaudium: & diligens vinum & oleum non ditabitur*, id eſt, qui diligit aſſidui conuiuij epulas & gaudia, ad egeſtatem redigetur. Vnde hoc gaudium explicans ſubdit, *Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Heb. enim שמן *ſchemen*, id eſt oleum, ſignificat quidquid eſt pingue, tum in carnibus & epulis, tum in aromatibus: vnde ſignificat vnguentum, quo conuiuantes olim delitiarum cauſa ſolebant inungi, tum ob mollitiem, tum ob odoris fragrantiam. Significat ergo diuitem, ſi opiparis menſis & gaudijs conuiuiorum indulgeat, in illaque tempus & opes profundat, ijs exhauſtis ad egeſtatem redigendum: pauperem verò qui ditari ſatagit, eſto multùm laboret, tamen non ditandum, ſi labores ſuos in vino & ſympoſijs decoquat & cōſumat. Generatim ſignificat epulas lautamq; vitam parere inopiam; ſobriam verò & parcam labori miſtam afferre rerum copiam. Vnde Chaldæus, Syrus, & Vatabl. hanc gnomen ſub vna periodo reddunt. Chald. ſic, *vir qui egenus eſt, & diligit lætitiam, diligitq; vinū & vnguentum, non ditabitur*: Syrus; *vir indigens, diligens gaudia, & vinum & iucunditatem, non ditabitur*; Vatabl. breuiter & clarè, *vir tenuis, qui lætitiæ vino, & vnguentis indulget, numquam ditabitur.*

B

C

Nota, Salomonem non abſolutè inſectari bibentes vinum, & edentes pinguia; ſed eos, qui hæc diligunt, vt cor & mentem ijs affigant: hi enim intemperanter ea ſectantes conſumunt amittuntq; diuitias præſentes & æternas: Celebre eſt illud:

Venter pluma, venus laudem fugienda ſequenti.

nimirum tres ſunt capitales veræ laudis ac honeſtatis omnis hoſtes; tres exitiales peſtes, gula, inertia, luxuria. Hæ ſcilicet ſunt pellaces illæ Sirenes, quibus ſapientiæ adumbrator Vlyſſes aures obſtruxerat: hæ veræ Gorgones, torporem menti induſtriæq; conciliantes: hæ rapaciſſimæ Harpyiæ animorum pabuli depeculatrices, quæ patria, hoc eſt mentis, bona comedunt, ratione exuunt, mentiſque lumen excæcant.

D

Porrò Septuag. vertunt contrariè, *vir egenus amat lætitiam: diligens vinum & oleum ad diuitias.* Sed conciliandi ſunt, quaſi dicant, Qui amat læta feſtaque ſympoſia, ſemper egenus erit, quia diligit vinum & oleum, eaque habet pro ſummis delicijs: quare in ea ſuas diuitias expendit & conſumit, vt ijs leniat & ſopiat ſuos angores & mœrores, quos ei ſuggerit paritq; paupertas: nam vinum animum mœrentem exhilarat, oleū mulcet & delinit corpus. Auctor verò Catenæ Græcor. myſticum dat ſenſum: *Per virum inopem*, inquit, *ſobriam continentemq; mentem deſignare videtur. Hæc enim lætatur cum iuſtis,*

iuſtis, & amicam habet munditiem, & eleëmoſynam olei nomine ſignificatam inter præcipuas opes cenſet.

Verum, vti idem Auctor ſubdit, probabile eſt codices Septuag. hic æquè ac alibi eſſe vitiatos, ac in ijs deſiderari negationem *non*, vt pro *ad diuitias* legas, *non ad diuitias*, id eſt, *non dabitur*. Sic enim habent Hebræa, Chald. Syrus, Aquila, Symmach. Theodot. Vulgata, & ceteri interpretes ad vnum omnes.

Apologus pinguedinis. Huius ſententiæ veritatem eleganti aquæ & olei apologo venuſtat, & ad oculum demonſtrat Cyrill. lib. 4. Apologor. moral. c. 6. cui titulus: *Contra amatores pinguium. In vitrea*, inquit, *lampade, cùm oleum aquæ ſuperfuſum ad infima priùs deſcendiſſet, & mox in ſublime moueretur, locuta eſt ei aqua, dicens: Vt quid frater mi in oliuæ radicibus te nutriui, & tanto impetu ingratitudinis ſpretâ reuerentiâ aſcendiſti? Cui oleum reſpondit: Quippe naturæ imperiũ, & rationis greſſum ſequens, hoc facio, quibus non licet eſſe rebellem. Nonne & tu chariſſima eâdem te impellente naturâ, cùm grata ſuperiùs fuiſſes, abſtracta de ſupernis, ad ima deſcendiſti? Ad hoc aqua quieti ſubiunxit: Vt video noſti, doce me quomodo te natura ſupernatare faciat. Cui oleum dixit: In promptu cauſa eſt, quia ignea pinguedo me leuat. Quod cùm aqua diligenter notaſſet, lichnus illico accenſus cœpit ſe oleo enutrire. Cumque ſe videret oleum guttatim decreſcere, flammam verò excreſcere, paulatim indignatum ita fertur dixiſſe, O flamma adhæſiſti ſuauiter, vt conſumeres ſocium fraudulenter, quando ſatiabitur ardor tuus? Cui illa reſpondit, quando nimirum vnctuoſitas tua deſiccabitur: niſi enim priùs à te amoueatur pinguedo, comburẽdi actio nunquam ceſſabit.* Probat idipſum exemplo asbeſti, corporis, & libidinis.

Exempla. *An ignoras, quòd ab asbeſto in æternum non ſeparor, quoniam vnctuoſo humido inuiſibiliter adhærenti perpetuò viuit meus vigor? ſic in vitę primordio ſemel in medullis corporis accenſa tamdiu exardeo, quamdiu in eis tibi pinguedo regenerabitur. Nónne ardor libidinis tantum protenditur, quantum vita in luxuria incraſſatur? Quibus dictis poſt modicum conſumpto oleo flãma venit ad aquam: cui ſtatim contra calidum illa frigidum appoſuit, & contra ardoris voragine ſubſtantiali macredine ſe armauit: capitq; mox aqua clamare & dixit: Quid eſt hoc quod agis auara? cur vis extinguere vitam meam me conſumendo, vt paulo ante oleum deſtruxiſti? Noui malitiam tuam, ego ſum medicina tua. Quo dicto, flamma extincta eſt.*

Parſimonia ſua. Moral. Dices hic conuiuia & ſympoſia parere egeſtatem, tum corporalem, tum ſpiritalem; parſimoniam verò parere abundãtiam. Sapienter Dion

Gnoma. apud Antonin Meliſſa parte 1 cap. 40. *Des operam*, inquit, *vt nunquam temerè conſumas pecuniam, vnde nullam tibi gloriam paries: nam diuitiæ magnæ non tam multa accipiendo quã non multa expendendo colliguntur.* Quam id verum ſit norunt mercatores & patresfamilias opulenti, quia frugales. Intuere Hollandos. Tritũ eſt illud. *Magnum vectigal eſt parſimonia.* Quocirca ab hac parſimonia S. Ambroſ. laudat Satyrum fratrem in eius obitu: *Nunquam*, inquit, *accuratioribus epulis, aut congeſtis ferculis delectatus eſt, niſi cùm amicos ad epulas rogaret: quantum natura ſatis eſſet, non quantum voluptati ſupereſſet, requirens, & certe erat non pauper opibus, ſed tamen pauper ſpiritu.* Idem in pſal. 118. octon. 9. *Multa*, inquit, *videntur in hoc ſæculo iucũda eſſe quæ non ſunt, luxuries videtur eſſe iucunda; ſed exhauſto fit amara patrimonio, ſuaues epulæ cùm ſumuntur; ſed fœtidæ, cùm egeruntur.* Nota eſt hiſtoria filij prodigi, qui epulis & luxui vacãdo diſſipauit patrimonium, eoque redactus eſt, vt coactus ſit agere ſubulcum, & paſcere porcos, Luc. 15, 15.

Multò magis deliciæ, & epulæ pariunt egeſtatem ſpiritalem deliciarum gratię, virtutum & conſolationum diuinarum: quia ſicut *guſtato ſpiritu deſipit omnis caro*, vt ait S. Bernard. ſic viciſſim, *cui ſapit caro, ei deſipit ſpiritus.* Vnde S. Gregor. homil. 40. in Euang. *Mala*, inquit, *Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas vitę præſentis. Illum paupertas afflixit & terſit, iſtum abundãtia remunerauit & repulit; quicumq; ergo in hac vita bene habetis, cùm vos bona egiſſe recolitis, valde in eis pertimeſcite, ne conceſſa vobis proſperitas eorumde remuneratio ſit bonorum; & cùm quoſlibet pauperes nonnulla reprehenſibilia perpetrare conſpicitis, nolite deſpicere, nolite deſperare: quia fortaſſis quod ſuperfluitas tenuiſſimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat.* Vide Amos c. 6. 4. & S. Iacob. c. 5. 5. qui acriter epulones inſectantur, eiſque inopiam & væ æternę maledictionis intentant, vbi pluribus hac de re egi.

Verſ. 18. PRO IVSTO DATVR IMPIVS: ET PRO RECTIS INIQVVS] Hebr. כֹּפֶר *copher*, id eſt, *expiatio iuſti impius*; Chald. & Syrus, *in commutatione iuſti tradetur impius, & pro rectis direptores*; Vatablus, *redemptio eſt pro iuſto impius, &c. id eſt, ſubducitur periculo iuſtus, & impius pro eo ſubdit periculum*; Tigurin. *impius expiat pro iuſto, & præuaricator pro recto*; Pagn. *pro redemptione iuſti dabitur impius, & pro rectis præuaricator.*

Porrò Septuag. hanc gnomen iungentes præcedenti, *copher* vertunt, περικάθαρμα, id eſt *purgatio*, vel ad verbum *circumpurgatio autem iuſti eſt iniquus*; Aquila, Symmach. & Theodot. *propitiatio autẽ iuſti iniquus.* Auctor Catenę Græcor. exponit Septuag. q. d. *Iniquus quaſi quiſquiliæ, & aliud purgamentum apud iuſtum contemptibilis eſt.* Verùm frigida eſt hęc expoſitio: vnde idem auctor aliam magis genuinam adiungit, de qua mox.

Primò, ergo Beda pro *datur* legendo, vt videtur, *damnatur*, ſic explicat. *Iuſti & recti idem eſſe videntur, ſed diſtat inter impios & iniquos, quod iniqui ſunt omnes reprobi; impij verò, qui maioribus implicati ſceleribus, vel nunquam ſanctæ myſteria fidei perceperunt, vel poſt accepta ad apoſtaſiam redierunt. Vnde poteſt hoc loco impius, omnis fidelium perſecutor accipi. Porro iniquorum vocabulo generaliter omnes mali videntur ſignari. Et pro iuſto datur impius, cùm pro Martyre perſecutor, qui eum morti dederit punitur, pro rectis iniqui, qui eorum iuſtitiam videntes imitari nolebant. Damnatur Herodes non tãtùm pro innocentibus, quos impiè neci tradidit, ſed & augmentum damnationis accipit, quia fidem Magorum ſequi ad quærendum Dominum noluit, cùm eſſet Iudæus, & Prophetarum dicta cognoſceret. Hinc enim Dominus ait: Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, &c. non quia ipſa ſua virtute ac potentia condemnabit, ſed quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius ſcientes, cùm multò faciliùs poſſent ſapientiæ curam, quam diſſimulabant habere.* Verùm hæc explicatio non ſatis exhaurit vim ſententiæ, nec ſatis explicat τὸ *pro* & Hebr. כֹּפֶר *copher*, id eſt expiatio, redemptio, pretium.

Secundò, aptiùs Baynus: *pro iuſto datur impius*, id eſt, inquit, cùm malum aliquod impẽdet iuſto, frequenter fit vt iuſtus illud euadat, & impius illud pro eo patiatur. Verùm nec hoc ſatis exhaurit Hebr. *copher*, & Græcum περικαθάρματος quocirca.

Impius piaculum pij. Tertiò, profundiùs & neruoſiùs *copher*, id eſt *expiatio iuſti eſt impius*, hoc eſt, impij ſunt quaſi piaculum, pretium & velut hoſtia pro peccato iuſti, q.d. Cùm Deus vrbi vel reipubl. cladem immittit in pœnam peccatorum, quæ clades etiam iuſtis obtingeret ob leuia quædam eorum peccata, quibus particulam pœnæ meriti ſunt; Deus eos diligens, eorum miſerens facit, vt clades pœnæ tota in impios deuoluatur, vt ipſi, qui potiſſimam cladis cauſam dederunt, illam totam exſorbeant, ac proinde pro iuſtis iræ Dei patiendo ſatisfaciant, quare tunc iuſti ſupplicio impiorum quaſi redimuntur & expiantur, quia impij ſunt cladis immiſſę pretium & redemptio, quam acceptat Deus, vt ijs punitis ceſſet eius ira, ac vindictam reuocet, gladiumque exertum in vaginam condat. Impij ergo ſunt περικάθαρμα, id eſt piaculum mundi & iuſtorum, vti vertunt Septuag. Exemplum illuſtre eſt 2. Reg. 21. vbi inducta Iſrael à Deo fames ob zelos à Saule Gabaonitas, contra fidem eis à Ioſue datam c.9. 16. expiatur nece ſeptem nepotum Saulis, vtpote poſterorum Saulis rei & nocentis. ita Tyran. R. Salomon, Aben Ezra, Ianſen. & alij. *Ratio.* Ratio à priori eſt; Quòd impij ſint ſummè nocentes & rei, merétur ergo eſſe piaculum commune tam ſuorũ ſcelerum, quam delictorum iuſti: piaculum enim vnum pro omnibus deligi ſolet ex omnibus caput maximè reum & nocens, nec impij queri poſſunt ſe pœnam alieni peccati, putà iuſti, luere, quia ſolis ſuis ſceleribus longè maiorem merentur, quare Deo potiùs gratias agãt, quòd ſupplicium ſibi debitum mitiget, puniatque citra condignum. Hic enim agitur de clade communi reipub. cuius piaculum ſunt impij: nam in particulari quiſque etiam iuſtus particularem à Deo vel in hac vita, vel in futura pœnam & pœnitentiam accipiet ſingulorum delictorum.

Primò. Porrò gnome hæc generalis multis aptari poteſt. Primò, applices criminatoribus, qui alios falsò criminis accuſant: falſitate enim deprehenſa lege talionis pœnam, quam falsò alteri accerſere cogitabant, ſubire coguntur. Hęc enim iuſta eſt iniquę accuſationis vindicta, & iuſtitię iuſtique quaſi piaculum. Sic iniqui ſenes falsò Suſannam adulterij accuſantes, lapidationem adulteris decretam ſubierunt, Daniel.13. & Aman ſubijt pœnam perduellionis Mardochæo & Iudæis intentatam, Eſther cap.7.v.9.

Secundò. Secundò, ijs qui iniuſtam necem ſimiléue damnum per vim vel fraudem inſonti machinantur: iuſto enim Dei iudicio ſolet hęc vis & fraus in machinantium caput retorqueri. Exemplum appoſitum recenſet S.Greg.3. Dial.c.15. de S.Sabino *Exemplum.* Canuſino Epiſcopo, ad quem eius Archidiaconus ambiens eius epiſcopatum venenũ miſit per puerũ, cui S.Sabinus fraudem ſpiritu Dei pręſentiens: *Da mihi*, inquit, *ego bibo, ſed vade dic ei, qui tibi illud dedit: Ego quidem venenum bibo, ſed tu Epiſcopus non eris. Facto igitur ſigno crucis venenum Epiſcopus bibit ſecurus, eademq; horâ in loco alio in quo erat Archidiaconus eius defunctus eſt, ac ſi per os Epiſcopi ad Archidiaconi viſcera illa venena tranſiſſent. Cui tamen ad inferendam mortẽ venenum quidem corporale defuit, ſed hunc in conſpectu æterni iudicis venenum ſuæ malitiæ occidit.*

Tertiò. Tertiò & maximè appoſitè, in communibus reip. cladibus, quas Deus illi ob ciuium peccata immittit, iſto ſubinde bonos cum malis inuoluat, ſæpè tamen bonos vel ex parte, vel in totum indemnes ſeruat, ac victimæ deſtinat impios, vtpote maximè reos & nocentes, illi ergo ſunt περικάθαρμα, id eſt piaculum, ſiue victima piacularis, quę expiet noxas omnes reip. ac iuſtos à damno eximat. Ita imminente obſidione & excidio Hieroſolymę per Titum, Chriſtiani cum ſuo Epiſcopo S.Simeone monitu Dei vrbe exceſſerunt, ſeceſſeruntque in Pellam vrbem, itaque à clade ſalui manſere, vti ex S.Epiphan. hæreſi 29. & 30. docet Baron. anno Chriſti 68.c.47. & 50.

Quartò, in particularibus caſibus ſæpè damnum iuſto imminens à Deo deuoluitur in impium, vt hic illius vice in exitium ruat: oculus enim prouidentiæ Dei iuſtus & vigil excubat, in damno & vindicta, petitque reum & noxium caput. *Quartò.* Cùm fortè, inquit R.Leui, iuxta communis prouidentię ordinem noxium quid iuſto obuenire oporteret, pro illo Deus iniquum ſupponit, vt pro integris ſceleſti calamitatibus inuoluãtur, quod quidẽ euenit cùm ob peculiarem prouidentiam, qua Deo cordi ſunt, ſubducãtur probi hiſce ærumnis. Cùm verò impij fructum hunc reportent ex ſuis criminibus, vt ab ijſdem aboleantur (crimina ſcilicet, hoc eſt, vt peccare ceſſent & pœniteant) hac de cauſa profligati ad huiuſmodi calamitatem adiguntur.

Deum imitantur pij reges & principes, qui onera reipub declinant à fidelibus & probis in infideles & impios, præſertim hæreticos; vnde eis grauiora ceteris vectigalia imponunt, vt ſic eos ad fidem & probitatem compellãt. Sic hoc anno Domini 1629. Ferdinandus II. Imperator piiſſimus & inuictiſſimus, per ſuum Chiliarcham milite præſidiario onerando hæreticos velut infidos & rebelles, Catholicos verò exonerãdo, Sileſiam ad fidem orthodoxam conuertit: hęretici enim Sileſitæ, vt milite liberarentur, hæreſim eiurarunt.

Huius rei figura fuit duplex hircus, in feſto expiationis, ſcilicet vnus emiſſarius, qui liber à ſacerdote dimittebatur; & alter pro peccato, qui pro emiſſario mactabatur & immolabatur. Emiſſarius enim repræſentat iuſtos, alter pro peccato impios, Leuit.16.8. & ſequ. vide ibi dicta.

Intellige hæc ſubinde, vel non rarò fieri, non tamen ſemper. Nam quandoque Deus facit contrarium, ſinitque iuſtos pro impijs, imò per impios, affligi in hac vita; ſed in futura certò certius iniuſti pro iuſtis punientur in gehenna. Ita Chriſtus iuſtus pro impijs omnibus paſſus eſt, vt eos à peccato, dæmone, morte, inferno liberaret, quę ſanè immẽſa eius fuit clementia & charitas iuxta illud Iſaiæ 53.4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, &c. *ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus: omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omniũ noſtrũm.* Sic Apoſtolos 1.Corinth.4. *Tanquam purgamenta*, inquit (græcè καθάρματα, id eſt piacula, quorum morte purgetur & expietur mundus) *huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Vide ibi dicta.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda] Sept. addunt, *& linguaci.* hæc enim eſt cauſa iræ & rixæ. Ratio à priori eſt. Prima, quòd ſatius ſit in deſerto ſolitarium degere in quiete, quàm in domo *Vers.19.* *Præſtat deſertum quam rixoſa. Ratio à priori. Prima.*

domo & turba cum ira & rixa, præſertim mulieris linguacis & contentioſæ.

Secunda. Secunda, quòd in deſerto vita agatur cum feris putà cum leonibus & draconibus: his autẽ ſæuior & truculentior eſt mulier rixoſa & nequam, vti ait Eccleſ. c. 25. v. 23.

Tertia. Tertia, quòd in deſerto vita agatur ſine labe peccati, quæ in conuerſatione hominum, ac præſertim mulieris dicacis & rixoſæ, facilè & crebrò contrahitur, iuxta illud S. Leonis: *Neceſſe eſt de terreno puluere etiam religioſa corda ſordeſcere.* In deſerto licet liberéque contemplari cælum & cæleſtia, ac conuerſari cum Deo & angelis, agereque vitam cæleſtem & angelicam qualem in eo egit S. Ioannes Baptiſta, S. Antonius, S. Paulus, S. Hilarion, S. Hieronymus, S. Baſilius, S. Gregorius Nazianzen. & innumera Anachoretarum millia. Vide quæ de deſerti & ſolitudinis commodis dixi Oſee 2. v. 14. ad illa, *Ducam eam in ſolitudinẽ, & loquar ad cor eius.* Reliqua quæ ad hanc gnomen ſpectant explicui, v. 9.

Myſticè auctor Catenæ Græcor. Mulier pugnax & linguax, inquit, eſt vitium & malitia, hæc enim illum, cum quo habitat, rixoſum, linguacem & iracundum facit. Terra deſerta eſt virtus, quę non habet priſtinos habitatores, neque homines ſecundùm deſideria erroris deprauatos, ſed nouos & integros, adeoque inimicus homo diabolus non inuenit in ea requiẽ, iuxta illud: *Ambulat per loca arida & inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit:* eſt enim ille rex omnium, qui in humidis & aquoſis locis degunt; vnde & de ſapientia, vt in iiſdem illi ſe opponat, ſcriptum extat, *Aquoſæ ſunt ſemitæ domorum eius*, Iob 40. 16. iuxta Septuag.

Rurſum *terra deſerta* eſt vita contemplatiua, quæ ſanè præſtat mulieri rixoſæ, id eſt vitæ actiuæ & negotioſæ, quæ multis curis, rixis, tumultibus immiſta eſt & obnoxia.

VERS. 20. THESAVRVS DESIDERABILIS, ET OLEVM IN HABITACVLO IVSTI: ET IMPRVDENS HOMO DISSIPABIT ILLVD] Hebr. *in habitaculo ſapiẽtis, & ſtultus homo abſorbebit illud*; Septuag. *theſaurus* (Chald. *argentum*) *deſiderabilis requieſcet ſuper os ſapientis: imprudentes autem viri deuorabunt illum*; Syrus, *ſapientia & prudentia filiorum hominum deglutiet illud.* *Gnome de prudentia.* Huic gnomæ ſimilis eſt illa Plutarchi in Moral. *Prudentia vt plurimum bonam fortunam donat, fortuna verò prudentiam non facit: omnia quidem negotia curabis, imprimis autem prudentiam exercebis; quippe maxima res incluſa minimá, bona mens eſt in humano corpore.* Et illa Solonis: *Prudentia tantum ceteris virtutibus, quantum viſus ceteris ſenſibus præſtat.* Et illa Nazianz. in diſtichis: *Malo mentis ſtillam, quàm fortunæ mare.*

Rabbinus quidam exponit, q. d. Viri ſtudioſi & ſapientes charius habent oleum quàm vinum ceteraſque delicias, eò quòd oleo vtantur in lucubratione & nocturnis antelucaniſque ſtudijs. Vnde rogatus ille, cur plus ſocijs ſaperet? reſpondit. *Quia plus lucratus ſum oleo meo, quàm vicini mei vino.* Sic Demoſthenes orator rogatus, vnde tantam nactus eſſet facundiam? reſpondit, *Quia plus olei quàm vini conſumpſi.*

Germaniùs, Aben Ezra אוֹצָר *otſar*, inquit, id eſt theſaurus, eſt nomen genericum, vniuerſa præſtantiorum ciborum genera comprehendens, quæ à viro reponuntur: olei verò tantum facta eſt mentio, quòd inter cetera primas obtineat, cùm illo cultum Deo deferamus; mortales autem inter

A arbores ceteras oleæ principatum tribuerunt, ob illius præſtantem pinguedinem, vt teſtatur totum illud, ſapientis eſſe oleum recõdere, nec illo veſci: imprudens verò, Hebr. כְּסִיל *keſil*, id eſt ſtultus, mox vt oleum & cibos compararit, eoſdem deuorat & diſſipat.

Olei vſus quadruplex. *Oleum* ergo per ſynecdochen ſignificat abundãtiam annonæ & deliciarum, quia terræ ſanctæ opulentia in Script. commendatur à fertilitate olei: olei enim magnus eſt vſus. Primò, in cibis; Secundò in luminibus; Tertiò, in medicinis; Quartò, in vnguentis ad robur, æquè ac ad recreationem & refocillationem corporis iucundam & delicioſam.

Senſus itaque eſt q. d. Sapiens ſua ſapientia, prudentia & prouidentia comparat ſibi opum, veſtium rerumque omnium ad familiam neceſſariarum theſauros deſiderabiles, id eſt pretioſos, ingẽtes & eximios, ideoque expetibiles, ac præſertim
B oleum, id eſt annonam omnis generis ad ſe ſuoſq; copioſè alendos. imprudens verò & inſipiens hæc omnia à maioribus prudenter congeſta ſubitò per epulas, conuiuia, largitiones, ludos, &c. prodigẽ conſumet, ac in meretrices, paraſitos, ſcurras profundet. Poſſet quoque שֶׁמֶן *ſemen*, id eſt oleum, ad theſaurum referri, q. d. Theſaurus oleatus, id eſt pinguis & vber, eſt in domo iuſti. Vnde Vatab. vertit, *theſaurus expetibilis, & copioſus* ſiue *pinguis eſt in domo iuſti.* Rurſum hac gnome ſignificat Salomon theſauros, id eſt res pretioſas, comparari, & ſtudioſè conſeruari à ſapiente; ab inſipiente verò prodigi & dilapidari. Ita ſapientes alios libros pretioſos & bibliothecas inſtruunt, vti fecit Ptolemęus Philadelphus: alij raras veſtes, alij picturas, alij gemmas, alij vina; alij aromata pretioſa, &c. comparant & recõdunt, vt ſuis, & ſuorum vſibus, cùm opus erit,
C ſeruiant; at inſipientes & improuidi ſtatim omnia prodigunt, ideoque cùm ijs indigent, ea mendicare coguntur.

Olei ſymbola Primum. Myſticè, *oleum* Primò, ſymbolum eſt gratiæ & charitatis: vnde Beda ſic explicat, q. d. *Claritas bonorum operum Deo ſemper amabilis, & pinguedo dilectionis in ſanctorum Eccleſia reſulget. Verùm reprobi non tantùm virtutes re non aſſequi, ſed & perſequi, & quantum valent in bonis obruere feſtinãt. Poteſt ſanè hic verſus & de quolibet Martyrum accipi, in cuius habitaculo, id eſt corpore, anima ſancta, Dei videlicet theſaurus ſeruatur; abũdat & vnctio gratiæ ſpiritualis: at perſecutor imprudens huiuſmodi habitaculum diſrumpere poteſt: theſaurũ verò, qui habitaculo tenebatur, & oleum nequaquam tangere poteſt. Vnde Dominus docet: Non timere eos, qui occidunt corpus, & poſthæc non habent amplius quid faciant*, Matth. 10.

D *Secundum.* Secundò, *oleum* ſymbolum eſt miſericordiæ & eleëmoſynæ, q. d. Hæc duo cernas in iuſti domo, theſaurum ingentẽ, hoc eſt amplas opes, & oleum, id eſt effuſam miſericordiam: vtraq; enim inter ſe connexa ſunt; nam largior eleẽmoſyna opes adauget. *Imprudens homo diſſipabit illud*, quia videlicet auarè recondens, ac pijs largitionibus parcens, ilico, vtraque conſumit ac perdit.

Tertium. Tertiò, *oleum* ſymbolum eſt conſolationum ſpiritualium, quas Deus immittit iuſto, vt virtutis labores & dolores ſoletur & mulceat, ac ad maiores inuitet & corroboret, iuxta illud Iſaię 10. 27. *Computreſcet iugum à facie olei.* Vbi plura hac de re dixi. Hoc oleum experiuntur nouitij in ingreſſu Religionis, eoq; fit vt ſubitò in alios homines commutentur. Delicatus adoleſcens, ait noſter Aluarez

de Paz, & inter delicias & voluptates enutritus, A qui lautè & opiparè veſcebatur, & molliſſimas veſtes induebat, iam cibis inſulſis & malè apparatis veſcitur, imò ipſa inedia & fame reficitur, & viliſſimo ſacco, aut aſperrimo cilicio, tectus hilaris & lętus incedit. Voluptuoſus atq; illecebris ſuæ carnis addictus, iam honeſtatem amat, carnem flagris vigilijs & ciborum parcitate domat, & omnem ſenſum voluptatis exhorret: ambitioſus, & bonorū, famæ ac dignitatum cupidus, iam pedibus proteri & conculcari appetit, ignominiam amplectitur, & vilia obſequia, abiecta ſeruitia & humiles functiones non erubeſcit: iracundus velut ouis manſueta, nec prouocatur iniurijs, nec laceſſitur contumelijs, nec cōuitijs irritatur: auarus opes ſpernit, & paupertatem non timet, quia pauperes Chriſtus beatos appellat: otioſus & acedus laborem non fugit: quia nemo athleta ſine ſudore coronatur, de cibo B non cogitat: quia fides, aut vera de Deo fiducia concepta famem non metuit, nō horret ſuper nudam humum exeſa ieiuniis membra collidere: quia Dominus ſecum iacet, ſqualidi capitis incultam cæſariem non perhorreſcit: quia Chriſtus ſui eſt capitis ornamentum, cœnobij ſilentium & cellæ ſecretum eum non terret: quia per paradiſum mente deambulat. Ecce has metamorphoſes facit oleum conſolationū Dei. Vide P. Platum de bono ſtatus Relig. lib. 3. init. per plura capita. vide & Caſſian. collat. 12. c. 12.

Porrò Septuag. pro חִנְוֵה *biuue*, id eſt *tabernaculo*, per affinitatem characterum legentes בְּפֶה *bepe*, id eſt *in ore*, ſapiētę, hoc eſt *in ore ſapientis*, vertunt, *theſaurus deſiderabilis requieſcit ſuper os ſapientis, imprudentes autē viri deuorabunt illud.* Hic theſaurus eſt ſapientia S. Script. & lex Dei. Vnde auctor Catenæ Gręc. *Qui verè ſapiens eſt*, inquit, *diuina eloquia* C *nunquam non in ore ſuo circumfert: amentes autem & ſtulti obliuioni tradunt illa*, & S. Greg. li. 2. in Ezech. homil. 18. hinc docet os iuſti eſſe gazophylacium ſapientiæ. *Sapientia etenim*, inquit, *atq; ſcientia doctrinæ ſpiritalis vera ſunt diuitiæ, in quarum comparatione quę tranſire poſſunt, falſę nominantur. De his diuitijs per Salomonē dicitur. Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis; excepto autem eo, quòd ad æternam patriā diuitiæ ſpiritales ducunt eſt eis à terrenis diuitijs magna diſtantia: quia ſpiritales diuitiæ erogatæ proficiunt, terrenæ autem diuitiæ aut erogantur & deficiunt; aut retinentur, & viles non ſunt. Qui ergo has in ſe veras diuitias continent rectè gazophylacia nominantur.*

Theſaurus ergo, id eſt inexhauſta ſanæ vtiliſque D doctrinæ affluentia, eſt in ore iuſti, indeque velut ex fonte iugiter manat, rigatque mentes audientium. Alij per *theſaurum* intelligunt ſecretum, q.d. Sapiens ore ſuo continet ſecretum ſibi cōmiſſum, velut theſaurum in ore ſuo depoſitum: celat ergo illud, nec alicui reuelat aut prodit: at verò inſipiens ſua garrulitate ſecretum effutit, propalat, diſſipat & perdit.

VERS. 21. QVI SEQVITVR IVSTITIAM ET MISERICORDIAM, INVENIET VITAM, IVSTITIAM ET GLORIAM] Hebr. eſt רֹדֵף *rodeph*, id eſt *qui proſequitur*, ſcilicet ardenter & cōſtanter, ſicut venatores & canes venatici proſequuntur leporem, *iuſtitiam & miſericordiam. Iuſtitia* ſignificat officium virtutis debitum, vt ſcilicet cuique tribuat ſuum ius & quod ei iure debetur. *Miſericordia* verò eſt opus virtutis indebitū, id eſt liberale & gratuitum. Qui ergo vtrique ſeriò & cōſtanter incumbit, hic *inueniet vitam*, ſcilicet proſperam & longęuam, ac *iuſtitiam*, vt alij ius ſuum ei tribuant, ſicut ipſe idem alijs tribuit, vtq; Deus præmium iuſtitiæ & miſericordiæ eius iure debitum retribuat: & *gloriam*, tum præſentem apud homines, tum æternam apud angelos in cælis. Itaque his tribus ſignificatur, quod vulgò dicimus, *benè beateq; viuet.* Vnde Septuag. vertunt, *via iuſti & miſericordia inueniet vitam & gloriam.* Hoc eſt quod Salomonem ſecutus Siracides ait Eccleſ. 1. 11. *Timor Domini* (hic enim parit iuſtitiam & miſericordiam) *gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum*, &c. vide ibi dicta. Ita auctor Catenæ Græc. De ea gloria hic ſermo eſt, inquit, de qua ſcriptum eſt. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, Deus namq; hominum rectè ſtudioſèque operantium merita remuneratione quam impendit, multis partibus excedit.

CIVITATEM FORTIVM ASCENDIT SAPIENS, VERS. 22. ET DESTRVXIT ROBVR FIDVCIÆ EIVS] Septuag. *& diruit munitionem, in qua confidebant impij*; Syrus, *demouit* (Chald. *detrahit*) *arces fortitudinis eius. Aſcendit*, id eſt, aſcendendo occupat & expugnat: cùm enim milites vrbem inuadunt, conſcendunt muros, iiſque obtentis obtinent vrbem, eſt metalepſis. Vnde Vatabl. vertit, *fortium vrbem expugnat ſapiens, & robur, quo fidunt, deijcit.* q.d. Sapientia vincit fortitudinem corporis: plus enim valent in bello & expugnatione vrbium ſapientum conſilia, artes, machinæ & ſtratagemata, quàm robur militum, vti docent Vegetius, Leo & Imp. & alij qui ſcripſere de Re militari. Ita ſapiens illa mulier perſuadens ciuibus, vt traderent caput Seba rebellis Dauidi & Ioab, ciuitatem Abelam eidem ſubiugauit, 2. Reg. cap. 20. v. 22.

Secundò, S. Hieron. in cap. 3. Ezech. per *ſapientem* accipit iuſtum, ſic enim legit; *Ciuitates firmas aſcendit iuſtus*, q.d. Iuſtus ſubinde ſua pietate, ſanctitate & fiducia in Deum domat ſubiugatque vrbes armis indomabiles. Ita Moſes ſua pietate & oratione cepit ciuitates Sehon regis Amorrhæi, & Og regis Baſan. ait Lyran. Ita Ioſue nixus Deo ciuitates Chananæorum deuicit. Ita Machabęi ſua probitate & zelo pugnantes pro Deo Deique lege eius ope pręclaras & miraculoſas de Antiocho obtinuere victorias, æquè ac Hiſpani & Luſitani præcedenti ſæculo pugnantes contra Mauros & Indos, alioſque infideles, ita vt totius penè Indiæ Occidentalis ſint domini; quin & Romani idem de ſeipſis profeſſi ſunt. Audi Ciceronem in prima cōtra Rullum: *Quàm volumus*, inquit, *Patres conſcripti, ipſi nos amemus, tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hunc gentis ac terræ domeſtico natiuoq; ſenſu, Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate ac religione, atque hac vna ſapientia (quòd Deorum immortalium numine omnia regi, gubernarique perſpeximus) omnes gentes nationeſq; ſuperauimus.*

Tertiò, noſter Salazar per *ſapientem* accipit legatum, ſiue oratorem diſertum & facundum, q.d. Sæpè accidit, vt eam vrbem, quam confertiſſimæ militum phalanges debellare non potuerunt, vnus aliquis legatus aut orator eruditus ipſam adiens ſuis perſuaſionibus ad deditionem compellat, ita vt fortiſſimi viri, qui olim belli & armorum vim

facilè

facilè fregerant & repulerant, vnius viri oratione exarmati cedant, & arma deponant. Sic Pyrrhus rex Epiri ſubegit gentes non armis, ſed facundia legati ſui Cyneæ. Hinc illud Ciceronis in Salluſt.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Qui togatus armatos, & pace bellum oppreſsi, audes mihi eloquentiam vt vitium obijcere. Et lib. 1. de Arte Rhetor. *Eloquentia multæ vrbes ſunt conſtitutæ, & plurima bella reſtincta.* Sic Menenius Agrippa ſua eloquentia conciliauit plebem ſenatui.

Myſticè auctor Catenæ græcor. per ciuitatem munitam, ait, accipe doctrinam ab orthodoxa fide & veritate alienam, aut improbos certè ſceleratorum hominum conatus & cogitatus. Et Beda: *Ciuitatē fortium*, inquit, *id eſt mundum, ſubegit Chriſtus. ſed & quotidie ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruit robur fiduciæ eius, cùm aliquis fidelis doctor argumenta philoſophorum vel hæreticorum, vel etiam contumaces carnalium fratrum contradictiones, qui ſcelera ſua defendere & alleuiare nituntur, aſſertione fidei Eccleſiaſticæ, caſtigationis diſciplina redarguit, atque conſterans annullat.* Eadem penè ad verbum habet Salonius.

Vers. 23. QVI CVSTODIT OS SVVM, ET LINGVAM SVAM, CVSTODIT AB ANGVSTIIS (Septuag. *de tribulatione*; alij, *à preſſuris*; alij, *à torturis*) ANIMAM SVAM] Lyran. Aben Ezra, & auctor Catenæ Græcor. hæc accipiunt de gula & crapula: qui enim ab ea cuſtodit os ſuum, cuſtodit à doloribus & cruciatibus anguſtiantibus animā, id eſt ſtomachum, reſpirationem, conſcientiam ſuam, iuxta illud Eccli. 31. 23. *Vigilia, cholera & tortura viro infrunito.*

Melius alij paſſim hæc accipiunt de ſermone, q. d. Qui cuſtodit os ſuum ne prodat ſecretum, ne quem calumnietur, ne infamet, ne mentiatur, ne falſum teſtetur, ne peieret, ne blaſphemet, &c. hic ab angoribus cuſtodit animam ſuam. Angores hi ſunt, Primò, remorſus iugis conſcientiæ; Secundò, dolor & pœnitudo de ore imprudenter laxato; Tertiò, inimicitiæ, lites, rixæ & cædes ex dicacitate conſequentes; Quartò, pericula carceris, infamiæ, ſpolij, necis, &c. Quintò, obligatio reſtitutionis famæ proximo ablatæ; Sextò, damna proximo aut reip. per verba iniuria vel imprudentia illata; Septimò, reatus iræ Dei; Octauò, langor in die iudicij, pauorque damnationis & gehennæ. Hi enim ſunt quaſi totidem aculei arctantes, torquentes & cruciantes animam linguæ incontinentis, loquacis & maledicæ.

Os crucia-tus linguæ incontinen-tis.

Omnes. Identidem Salomon, & eum ſecutus Siracides, inculcant linguæ noxas & damna, vt moneant, quàm arctè illa frænanda & cuſtodienda ſit. Vide dicta Eccli. 28. 29. & Iacobi 3. 6.

Veterum Anachoretarum in Vitis Patrum fuit axioma: *In omni loco ſi taciturnus fueris, requiē habebis.* Vnde tria illa dogmata S. Arſenij: *Fuge, tace, quieſce.* Quin & Seneca epiſt. 107. *Nihil*, inquit, *æquè prodeſt quàm quieſcere & minimum cum alijs loqui, ſecum plurimum.* Nam vt ait Horat. epiſt. 19. lib. 1.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Et S. Hier. epiſt. de virgin. ſeru. *Lapis emiſſus eſt ſermo prolatus.* Huc facit prouerb. Arabicū cent. 1. n. 37. *Appone ianuæ tuæ frænum, & non timebis inimicos tuos; id eſt fræna os tuum, & impone illi frænum ſilentij, & non metues ab aduerſarijs.*

Vers. 24. SVPERBVS ET ARROGANS VOCATVR INDOCTVS, QVI IN IRA OPERATVR SVPERBIAM] Pro *indoctus* hebr. eſt לץ *lets*, id eſt irriſor, illuſor, ac conſequenter peſtilens, nefarius. Hinc Primò, ex Hebræo ſic vertas, *ſuperbus arrogans* (Vatabl. *petulans ſuperbus*) *cuius nomen illuſor, per iram operatur ſuperbiam*, id eſt audax & ſuperbum facinus deſignat, quod R. Salomon exponit, q. d. Qui animò tumido arrogantique eſt, ad extremum deluſor fiet, aures arguenti præbere denegans. Aben Ezra verò, q. d. Superbus arrogans deriſoris appellationem ſortietur; quia in ira excedit limites modeſtiæ charitatis & iuſtitiæ, ac prorūpet in verba & facta contumelioſa, alijſque iniuria. Ira enim hebr. vocatur עֶבְרָה *ebra*, tranſitus, exceſſus, quòd limites beneuolentiæ, rationis & æquitatis prætergrediatur, excedat & violet.

Secundò, Chald. verba inuertens ſic vertit, *deriſor tumidus, ſuperbus eſt nomen eius, faciens iram ſuperbia ſua*, q. d. *Deriſor*, id eſt nefarius & ſceleratus; eſt homo ſuperbus, & faſtu tumens; quia per ſuam ſuperbiam & faſtum in iracunda verba & verbera quibus alios irrideat, contemnat, vexet, conterat, prorumpit.

Tertiò, Syrus, vertit, *audax, cuius nomen validum eſt, iniquitatem facit in furore ſuo*, q. d. Superbus qui omnia audet, ideoq; validi & præpotentis nomen obtinet; hic in audacia & furore præceps inſolenter omnia agit, omnibus eſt iniurius & noxius; omnibus præeſſe & imperioſè dominari ſatagit.

Quartò, Septuag. vertunt, *audax & arrogans & oſtentator, peſtilens vocatur: qui autem iniuriarum memor eſt iniquus*; alij, *qui operatur in ira, ſuperbus*; Lucifer Calarit. Apolog. pro S. Athanaſio legit, *temerarius & ſuperbus peſtilentia vocabitur*; Auctor Catenæ Græcor. legit, *temerarius, & arrogans, & ſuperbus, deſignatur appellatione peſtis: qui autem memor eſt iniuriarum, vocatur iniquus.* Atque ſimpliciter vt verba ſonant explicat.

Preſſiùs noſter Salazar: vir audax, inquit, qui temerè & ex tempore ad vlciſcendum ſeſe proijcit (quod ſuperbiæ & arrogantiæ proprium eſt) peſtilens aut peſtilentia vocatur: peſtilens nimirum exiſtit, ſeu peſtis ipſa. Quia ſicut peſtis eos quos afflauit aut perculit, ocyus perimit, ſic etiam ille quàm citiſſimè conceptum in alios furorem effundit. Subdit: *Et qui iniuriarum memor eſt, iniquus*, ſupple, *vocatur*, id eſt exiſtit, nimirum qui iniurias non ſtatim vlciſcitur, ſed eas memoria retinens opportunitatem vindictæ ſumendæ expectat, is vtique iniquus, græcè παράνομος, id eſt exlex, eſt, & ab omni æquitate & iuſtitia valde remotus. Huius autem malitiam præfert Salomon, quia ille alius ſubitaneus & improuidus vltor, non ita iniuſtus exiſtit: ſi enim dat, etiam ſubinde recipit refertque damnum. Hic verò iniuriarum memor ideo iniuſtus magis & iniquus, quia opportunitatem vlciſcendi captans, ita certè alijs damnum infert, vt ipſe nihil damni referat, quod certè paſſim vſu venit: *iniquus* eſt ergo, quia non æquè, ſed iniquè damnum cum inimico partitur, imò totum in eum doloſè deuoluit. Adde, quòd multa iniquè contra eum machinetur: *iniquus* enim notat malitiam, malignitatem, continuumque nocendi ſtudium ſiue per vim, ſiue per dolum.

Quintò, Noſter pro *lets*, id eſt deriſor, nefarius, peſtilens, vertit, *indoctus*, id eſt inſipiens; ſtultus, fatuus, hoc eſt, impius, ſceleratus, nefarius. Sicut enim *doctrina*, id eſt ſapientia & probitas viri per patientiam noſcitur, vti dixit cap. 19. v. 11. ſic pariter ignorantia, id eſt inſipientia & im-

Superbus eſt ſtolidus cum

A probitas viri noſcitur per ſuperbiam, iram & impatientiam. Senſus ergo eſt.q.d. Qui ſuperbus eſt & arrogans,vocatur, & reipſa eſt *indoctus*,id eſt inſipiēs,fatuus,ſtolidus,improbus & ſceleratus;quia talis pronus in iram;per eā deſignat opera ſuperba & iracunda,quibus alijs vel famam,vel bona,vel pacem, vel vitam etiam ipſam iniuſtè per vim vel dolum eripit: ſuperbi enim leui verbo vel facto, quo ſe tangi deprimiue imaginantur, ilicò inſtar canum concitantur in bilem, per eamque proſiliunt in contumelias, iurgia, rixas, rapinas, cædes, &c. Igitur ſuperbus vocatur *indoctus* & imprudens,quia eſto ſe alijs doctiorem & prudentiorem æſtimet; tamen opera eius contrarium indicant; eò quòd multa ſuperbè operetur per iram: ſuperbia enim & ira ſuperbiam ſequens efficiunt,vt quis multa imprudenter & ſtultè agat. Quo ſignifica- B tur,inquit Ianſen eum qui ſuperbus eſt,cùm honorem quærat, & famam maximè, famam tamen & celebritatem nominis non aſſecuturum,imò ignominioſis nomenclatura appellandum, dignumque inprimis qui vocetur deriſor,vt qui alios præ ſe contemnat & irrideat,ac ſalutares aliorum monitiones cū deriſione reijciat, ex ira animi faſtuoſi ſuperbè ſe contra omnes gerens. Superbiam enim non tantùm ſequitur irriſio & contemptus aliorum, ſed & ira & excandeſcentia contra eos qui non ſatisfaciunt deſiderijs, aut qui contrariantur voluntati ſuperborum, qua impulſi, in aliorum noxas, verbera & cædes prorumpunt. Talis ergo vocatur & reuera eſt *lets*, id eſt irriſor,peſtilens,nefarius,ſceleratus. Verè Euagrius apud Anton.in Meliſſa parte 2.cap.74. *Superbus animus*,in- C quit *diuerſorium eſt latronum.* Et Siracides cap.10. v.7 *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia.* Vide ibi dicta.

Vers.25. DESIDERIA OCCIDVNT PIGRVM: NOLVERVNT ENIM QVIDQVAM MANVS EIVS OPERARI] Significantius Hebr. *deſiderium pigri occidet eum, quia renuerunt manus eius operari*; Septuag. *non enim manus eius eligunt facere quippiam*; Symmach. & Theodot. *concupiſcentia pigri interficiet eum*; alij, *deijcit eum.*

Deſideria necant pigrum. Primò. Verbum *occidunt* tripliciter exponi poteſt, Primò indirectè & concomitanter;quia ſcilicet deſideria comitantur pigrum vſque ad mortem, ipſeque in ſuis deſiderijs moritur non aſſecutus quod deſiderauit, vt deſideria eum occidere dicantur, quia eum ad mortem vſq; perducunt aut concomitantur. Iſtud vt in corporaliter pigris accidere D videmus, ita ſimiliter in ſpiritualiter pigris, qui cùm ſalutem deſiderent, & tamen labores bonorum operum ſubire detrectant deſiderando, & nihil præterea agendo, incidunt in mortem animæ, & tandem etiam in mortem æternam.

Secundò. Secundò, directè & diſpoſitiuè q.d. Deſideria pigrum aſſiduè cruciant, itaque affligunt, vt eum enecare videantur, imò ſenſim eum conſumendo & tabefaciendo ad necem diſponant & deducant. Ratio eſt Prima, quòd pigritia cùm ſit otioſa, nec alia re ſeſe occupans, tota diffluit in cogitationes & deſideria, eaque varia & multipliciat: nam otioſus ex vno deſiderio labitur in aliud & aliud, adeoque in plurima & quaſi infinita, quæ ei mens otioſa inſtar molendini verſatilis, imò operantis ſemper & rotantis, continuo ſuggerit, & ſuggerendo atterit & conſumit: quare ſicut occupatio & labor habendi deſideria hebetat & reſtin- A guit, ſic otium eadem acuit & accendit: cumque nulla ex parte eis ſatisfiat, creſcunt, & inſtar flammæ exardeſcunt & gliſcunt. Vnde rectè Noſter תַּאֲוַת *taauat*, id eſt deſiderium, explicans per plurale תַּאֲוֹת *taauoth* vertit, *deſideria occidunt pigrum.* Secunda ratio eſt egeſtas & fames: cum enim nolit laborare, indiget pane & cibo: eius ergo deſiderium & fames eum aſſiduè cruciat, conſumit, & ſubinde ſenſim enecat.

Simili phraſi Dalila ſuis deſiderijs fatigans Samſonem, vt reuelaret ei ſecretum, in quo ſita erat ſua fortitudo, dicitur eum quaſi occidiſſe: ſic enim de eo dicitur Iudic.16.16. *Cumq; moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt, tunc aperiens veritatem,* &c.

Tertiò, effectiuè & plenè, *deſideria*, id eſt caren- *Tertiò.* B tia rei deſideratę, putà carentia panis & cibi, quem deſiderat piger famelicus, occidit eum: quia pigri non raro fame moriuntur & enecātur: deſiderium enim cibi non eſt aliud quàm inedia & fames. Adhęc deſideria concupiſcentis adeo ſunt æſtuantia, vt eum in lites, rixas & pugnas adigant, quibus & facultates, & famam, & vitam ſubinde amittat. Tritum eſt illud Hebræorum: *Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit.* Et illud S.Cyprian. *Qui totū vult, totum perdit.* Et illud Heſiodi: *Stolidi ignorant quanto plus ſit dimidiū toto.* Fit enim ſępè vt qui iniqua deſiderat, ęqua perdat: & qui aliena concupiſcit proprijs ſpolietur. *Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur donec conſumat areſaciens animam ſuam*, ait Eccleſ.c.14.9.

C Rurſum deſideria eius ſubinde ſunt tam vehementia & impotentia, vt eum conficiant, imò aliquando ad ſui necem impellant, vt ſeipſum in flumen præcipitet, aut laqueo vel veneno vitam ſibi adimat: pigritia enim, ſiue ignauia, mater eſt mœroris tædij, puſillanimitatis, deſperationis. Sic Rachel adeò impotenter deſiderabat filios, vt diceret Iacobo marito Geneſ.30.1 *Da mihi liberos alioquin moriar*, hoc eſt, *mortem mihi ipſa conciſcam*, ait Iſidor. Peluſ.lib 2.epiſt.274.

Sic deſiderium ſanctum videndi Chriſtum eoque fruendi quotidie gliſcens tandem confecit cōſumpſitque B. Virginem, vt eo ſolo ſine morbo mortua credatur, vti docet Suarez & multi Theologi iuxta illud Cant.2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*; tanta eſt vis incenſi & ardentis deſiderij.

D Myſticè R.Leui: Iners, inquit, cupiditate iugiter inflammatur coronidis virtutum obtinendæ, verùm à deſidia retrahitur, quo minùs huic comparandæ vacet: ex quo mortem obibit, nihilque eidem præter cupiditates ſupererit: cùm illius manus elaborare aliquid noluerint, quo vota ſuccederent.

Gnomæ. Huc accedunt gnomæ ſapientum: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium ſentina otium eſt. Summa mentis malitia eſt otium iners*, ait S.Bern.ad Fratr.de Monte Dei Caſſianus: *Acedia præſentia odit, abſentia deſiderat: Laborans ab vno, otioſus ab infinitis dæmonibus oppugnatur.* Ennius in Iphigenia: *Otioſo in otio animus neſcit quid velit. Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illuc lubet: incertè errat, præter propter vitam viuit.* Diogenes apud Laërtium libr.6 ait *otioſorum negotium eſſe amorem & cupiditatem*; quòd hic affectus maximè occupet otio deditos: ita enim fit, vt, dum otio vacant, in

in rem negotioſiſſimam incidant. Quocirca quot A ſcintillas eiaculatur fornax ardens, tot deſideria ſuſcitat mens otio æſtuans: qui ergo prauas cogitationes & cōcupiſcentias effugere vult, fugiat otium, det ſe labori. Rurſum quidam vir doctus & pius ſic exponit: *Deſideria occidunt pigrum*, id eſt piger, qui per inertiam Dei inſpirationes, & ſancta virtutum vitæque perfectioris deſideria ſibi ab eo immiſſa non exequitur, iuſto Dei iudicio à gratia deſeritur, ac permittitur labi in grauia mala, tum pœnę, tum culpæ: imò ſubinde in peccatum mortale, quod occidit animā. Hoc enim meretur eius ſocordia, ingratitudo, & gratiæ neglectus. vide dicta Prouerb. 1. 24.

Vers. 26. Tota die concvpiscit, et desiderat: qui avtem ivstvs est, tribvet, et non cessabit] tribuere æquè ac laborare, vt laborando comparet plura, quæ tribuat & eroget, tum ad familiam copiosè alendam, tum vt egenorum inopiam ſubleuet. Hebr. *tota die concupiſcit concupiſcentiam*, id eſt cupidè & ardenter concupiſcit, vt anima eius plena ſit concupiſcentijs & deſiderijs habendi. Vatabl. *tota die flagrat cupiditate; iuſtus autem largitur, nec parcit.* Pergit explicare deſideria & concupiſcentiam pigri, qui nolens laborare alienis iniuſtè inhiat, quem proinde oppoſuit iuſto, qui iuſtè laborando & erogando, ſua alijs liberaliter communicat. Aben Ezra: *Probus*, inquit, *inerti largietur*; R. Leui, *æſtuat ſubinde piger deſiderio, ſed id nullam in eo impreſſionem facit: iuſtus autem opportunam actionem ſtudiúmque partem ſingulis rebus impendit, nec operam ſuam deeſſe vult ad artes vel ſapientiam adipiſcendam.* Eſt antitheſis inter pigrum & iuſtum, id eſt ſedulum, ideoque liberalem & beneficum: ſæpè enim in Script. beneficentia vocatur iuſtitia. Antitheſis hæc eſt, quòd piger totus ſit in deſiderio, ideoque in inopia, & tortura perpetua: iuſtus verò, id eſt ſedulus & liberalis, totus ſit in operatione, ideoque in rerum copia & gaudio, adeò vt non tantùm ipſe copiosè viuat, ſed & alijs ſuperflua tribuat, nec tribuere ceſſet, aut laborare, vt plura tribuat. Hic enim eſt genius liberalis & ſeduli, hæc eius indoles & conditio, vt aliena non concupiſcat: ſicut piger, ſed potiùs ſua alijs largiatur, idque *tota die*, id eſt aſſiduè & continuò. *To enim tota die* ex antitheſi in poſteriori hemiſtichio eſt repetendum. Iuſtus ergo tota die ſua largitur & tribuit, adeóque quo die nihil cuipiam tribuit, mœrens dicit cum Tito Imp. *Amici diem perdidi.*

Septuag. hanc gnomen videntur à præcedenti disiungere, nec de pigro, ſed de quouis impio, pręſertim auaro accipere: vnde ſic vertunt, *impius tota die concupiſcit concupiſcentias malas: iuſtus autem miſeretur & miſeratur non parcè; concupiſcentias malas* vocat moleſtas, quia ſcilicet animum affligunt & excruciant. Rurſum propriè *malas*: quia impius deſiderat rapere aliena, ditare ſe per fas & nefas aliaque ſcelera perpetrare. Vnde auctor Catenę Græcor. vertit, *impius tota die improbis deſiderijs iactatur & agitatur iuſtus autem prodige, & citra intermiſſionem largitur & miſeretur.*

Myſticè idem auctor: *Hoc loco*, inquit, *diabolus impius appellatur; vt qui tota die homines impetat, & in peccata præcipites agere deſideret. Iuſtus autem eſt Chriſtus; hic enim eſt qui generis noſtri miſertus, ſeipſum pro nobis in mortem tradidit. Angelorum proprium eſt, numquam malè concupiſcere, ſed ſemper benè: dæmonum verò*

eſt, tota die totaq; vita malis ſemper deſiderijs æſtuaret hominum autē, modo bona & iuſta, modo mala & iniuſta deſideria concipere.

Hostiæ impiorvm abominabiles: qvia offervntvr ex scelere] Pro *quia* hebr. eſt אַף כִּי *aph ki*, quod Pagninus, Vatablus & alij vertunt, *quanto magis*: ſed Noſter diſiunctim ea accepit, q. d. *Certè quia*, ſic & Aquila, Septuag. & alij. Rurſum pro *ex ſcelere* hebr. eſt בְזִמָּה *bezimma*, id eſt, *in mala cogitatione*, machinatione, ſcelere; Syrus, *in iniquitate*. Vnde triplex hic oritur verſio, triplicem notans hoſtiæ impiorum defectum & vitium, ſcilicet, Primò, quòd ſint hoſtiæ impiorum, id eſt inimicorum & hoſtium Dei, qui gratiæ Dei expertes in peccato & ſcelere conſtituti offerunt illam Deo, cui exoſi ſunt. Secundò, quòd offerantur ex ſcelere, imò quòd impij offerant ſcelus, putà hoſtiam furto aliove ſcelere comparatam & maculatam. Tertiò, quòd hoſtiam offerant mala intentione. Quando hæc tria concurrunt, dicitur prauus prauum prauè offerre. Cùm ex aduerſo vt hoſtia ſit Deo grata, tria requirantur: Primum eſt, offerentis dignitas, vt ſcilicet ſit iuſtus Deoq; gratus: Secundum, vt offerat hoſtiam probam & ſanctam: Tertium, vt bona mente, bono fine, bona intētione illam offerat. Hoſtias hic propriè dictas, putà ſacrificia & victimas accipio: has enim ſignificat Hebr. זֶבַח *zebach*: licet & ad impropriè dictas, quales ſunt eleēmoſynę, vota, dona &c. extendi poſſit.

Vers. 27.

Ad hoſtiam Deo gratam tria requiruntur.

Primò, ergo Vatabl. vertit, *immolatio impiorum abominanda eſt, quanto magis ſi in ſcelere obtulerunt eā?* q. d. Deus abhorret à ſacrificio impiorum, quod ſummopere gratum illi eſſe debuerat, eò quòd offeratur ab indignis, putà impijs: ergo multò magis abhorret ab impijs eorum operibus & ſceleribus. Impij enim, ait R. Leui, hoſtias offerunt, vt ſuam impietatem ijs expient, ac interim in ſua impietate remanere volūt, nec de ea pœnitere: quare perinde faciunt ac qui lauant immundas manus, nec maculas eluunt, id eſt lauant manus Æthiopis: aut perinde ac qui lauant manus, aqua, & ſimul ſtercore inquinant. Itaque hæc gnome in eos quadrat, ait Ianſen. qui cùm ſint ſcelere aliquo obnoxij, cuius pœnitudine non ducuntur, nihilominus putant per alia pietatis opera iram Dei poſſe placari; hanc impiam & ſceleſtam cogitationem de Deo concipientes, quaſi licentiam alicui concederet malè agendi ob quædam ipſius munera: quemadmodum faciunt nonnumquam terreni iudices. Conuenit cum hoc illud Iſaię: *Incenſum abominatio eſt mihi*, &c. Et valet contra eos, qui cùm perſeuerent in peccatis, putant ſe Deum placarę eleēmoſynis, contra quos ſcripſit D. Auguſtinus librum de Fide & operibus.

Iſa.1.v.13.

Secundò, Aquila vertit, *hoſtia impiorum abominatio: quia cogitatio* (mala) *afferet illud*; & Pagnin. *ſacrificium impiorum eſt abominatio, quanto magis ſi mala intentione attulerit illud?* זִמָּה *zimma* enim ſignificat malam cogitationem, intentionem, machinationem & molitionem ſceleris. Hoſtiæ enim bonæ oblatio vitiatur ex intentione mala, ſi videlicet offeratur ad obtinendum à Deo rem iniuſtā vel impiam: vt cùm fures, raptores, adulteri, offerunt Deo hoſtias eo fine, vt det eis amplas prędas & ſpecioſas mulieres. Sic quoque accipi poteſt quod Noſter vertit, *quia offerunt ex ſcelere*, q. d. Ex intentione ſceleris. Ita Deus deteſtatus eſt victimas Balaā

 &

& Balac regis Moab, quæ non niſi ad execrationem gentis Iſraeliticæ offerebantur, Num. 23. 1. & ſequ.

Tertiò, propriè Noſter cum Chaldæo vertit, *ex ſcelere*, & Septuag. *hoſtiæ impiorum abominatio Domino; etenim iniquè offerunt eas.* q.d. Deus abominatur hoſtias, quas impij ei offerũt ex furto, rapto, aliove ſcelere. Ratio eſt, quia hæ hoſtiæ ſunt ſceleſtæ, imò ſcelus: res enim furto ſubducta vel rapta vocatur & reuera eſt furtum vel rapina, quia furti vel rapinæ obiectum & materia, ideoque maculata & ſcelerata. Rurſum hoſtiæ offeruntur Deo, quaſi primo rerum omniũ auctori. Quare fur vel raptor ex rapto offerens hoſtiam Deo tacitè proteſtatur & ſignificat, Deum ſui furti & rapinę eſſe auctorem, ſeque in gratiarum actionem hanc ſuæ rapinæ partem Deo quaſi primo auctori offerre. Hoc autem ingens eſt blaſphemia, quia impius ſuum ſcelus in Deum velut primam eius cauſam refundit, eumq; facit ſceleſtum, imò primum ſceleris effectorem, quo nihil horribilius dici vel cogitari poteſt.

Salomonem ſecutus Siracides Eccli. 34. 23. & ſeq. multis inſectatur impiorum hoſtias & munera. Vide ibi dicta.

Vers. 28. Testis mendax peribit: vir obediens loqvetvr victoriam] Hebr. *teſtis mendaciorum peribit: ſed vir audiens loquetur in finem* vel *loquetur victoriam*; Aquila, Symm. & Theod. *ad victoriam ibit.* Hebr. enim נצח *netſach* & finem, & victoriam, quæ litis bellique eſt finis, ſignificat. Radix enim נצח *netſach* ſignificat præualere, vincere, & ad finẽ perducere. Hinc Primò, Caietan. vertit *teſtis mendax peribit: vir autem audiens ſemper aut fortiter loquetur*, q.d. Mendax qui teſtatur ea quæ non vidit nec audiuit, ſed quę ipſe confixit, hic deficiet, & mendacijs ſuis ſe perdet, quia ſibi in dictis ſuis non conſtabit, ſed variabit, & ſubinde ſibi contradicet: at qui ea tantùm quæ audiuit teſtatur, hic fortiter & conſtanter loquitur: quia ſemper ſibi conſtabit, nec in vllo quod ſibi contradicat, redargui poterit, ſed ſui ſemper ſimilis idem perpetuò dicet & teſtabitur. Vnde Chald. vertit, *& vir audiens rectè loquetur*, & clarè hunc ſenſum exprimens Pagnin. vertit, *teſtis mendax peribit; &, vir qui teſtatur quod audiuit, ſemper teſtificatur idem.* q.d. Vir qui teſtatur quod audiuit, ac certò nouit, nec ex ſuo fingit cerebro ſicut teſtis mendax, is ſemper loquetur, non imponetur ei ſilentium ſicut mẽdaci teſti, nec afficietur pudore, nec morte, nec aliquâ aliâ pœnâ, ſicut teſtis mendax, contra quem etiã profana lege ſancitur lex talionis. Dignus enim eſt qui ſuo teſtimonio pereat, qui per illud alios perdere voluit: diuina autem lege teſtis mendax in æternam incidet mortem & perditionem. Secundùm hunc ſenſum pulchra eſt oppoſitio membrorum huius ſententiæ. Sic & R. Leui, niſi quòd *qui audiuit*, arctet ad eum, qui audiuit mendacium teſtis mendacis, q.d. Mendax in ſuis dictis ſibi non conſtat, ſed ſępè contradicit: at teſtis qui teſtatur ſe à mendaci mendacium audiuiſſe, verum teſtatur, ideoque ſibi conſtat.

Secundò, R. Salomon: Teſtis, inquit, falſum teſtimonium dicens perdetur, vel à iudice, vel à Deo: teſtis autem qui audit & obedit legi dicenti, *Non dices falſum teſtimonium*; hic aſſiduè loquetur, id eſt, viuet, ac vita longæua à Deo donabitur. Sic *loqui* pro viuere ſumitur Hebr. 11. 4. vbi de Abel dicitur: *Defunctus adhuc loquitur*, id eſt adhuc viuit, & Gen. 2. 7. *Factus eſt homo in animam viuentem*; Chald. vertit, *factus eſt homo in animam loquentem*.

Tertiò, Aben Ezra, q.d. Teſtis mendax & periurus peribit: qui autem audierit eum perijſſe, id omni ætate quam deget ceteris prædicabit, ſcilicet teſtis mendacis memoriam propter eiuſdem mendacia perijſſe.

Quartò, Septuag. vertunt, *teſtis mendax interibit: vir autem obediens cuſtoditus loquetur*, id eſt, vt clarè vertit auctor Catenæ Græcor. *vir autem legi obediens cautè loquetur*, cauens ſcilicet ſtudioſe ne mendacium aut falſum teſtimonium dicat, per quod intereat & pereat.

Myſticè idem auctor: *Teſtis falſus*, inquit, *vocatur diabolus* (διάβολος enim grecè idem eſt quod calumniator, qui ſcilicet bona iuſtorum opera apud Deum criminatur & mendaciter accuſat) *Nam hic ſemper & prępoſterè agit, eaq; nobis ſuggerit, quæ & Deo ſunt aduerſa, & à veritate aliena. Vir autem obediens eſt Chriſtus. Nam, vt Apoſtolus docet, factus eſt Patri obediẽs vſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Quintò, Noſter profundè & neruoſè cum Aquila, Symmach. & Theodot. vertit, *teſtis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam*, teſti mendaci pereunti opponitur vir audiens veritatem illique obediens: hic enim viuit & vincit: veritas enim vincit mendacium, de eoque triumphat.

Ad litteram ſignificat Primo, ait Ianſen. teſtem mendacem, & omnem qui in perniciem alterius mentitur, quia contra legem agit, malè periturum, ita vt ſiue hic, ſiue alibi dignas perſoluat pœnas: at omnem qui legi diuinæ obedit, & ob id mendacia, ſicut & omnia alia vitia declinat, confidenter locuturum, quomodo omnia ſupplicia vicerit, omneſque inimicos ſuos ſuperauerit: atque pulchram de omnibus victoriam reportauerit, cùm teſtis mendax tacere cogetur pudore affectus, & dignè punitus.

Secundo, preſſiùs, ac magis appoſitè & contrapoſitè, ſignificat, eum, qui contra aliquem profert falſum teſtimonium, periturum: illum vero qui innocẽter viuit, obediendo legi diuinę, liberandum, à malo quod falſo teſtimonio ei paratur, & glorioſè triumphaturum de illo.

Tertio & perfectiſſimè, noſter Salazar per teſtem mendacem intelligit eum, qui falſum teſtimonium in aliquem dicit, & à Superiore ac iudice iniquam aduerſus illum ſententiam extorquet. Ait ergo Salomon, Eiuſmodi teſtis falſus, etſi ad horam vincere, & de aduerſario ſuo triumphare videatur, tandem aliquando peribit, ac ſuæ falſitatis pœnas dabit: vir autem obediens loquetur victorias, id eſt, qui iniquam ſententiam à Superiore latam æquo animo fert, & eidem humiliter paret: tametſi ab aduerſario ſuo victus & eiectus videatur; tamen illi victorias demum ſuas enunciare & prędicare licebit, vel quia detectâ fraude amiſſam gloriam recipiet, & in falſum teſtem pœna recidet; vel certè quia iniuſtæ ſententiæ parens & acquieſcens nobilem de aduerſario ſibi iniurio, nobiliorem de iniquo iudice, nobiliſſimam de ſemetipſo victoriam reportat.

Huc facit illud S. Auguſt. in pſal. 70 *Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedientia inuenit pœnam.* Et illud Q. Curtij libr. 8. de Vita Alexandri Magni: *Obſequio mitigantur imperia, & principum ſeuitia in manſuetudinem vertitur ciuium obedientiâ.* Ita Chriſtus

Patri,

Patri, imò Pilato, Annæ, Caiphæ ac tortoribus obediens vſque ad mortem crucis, de omnibus, deq; ipſa morte, peccato, gehenna, dæmonibus triumphauit. Vnde Philo Carpathius in Cantic. cap. 3. n. 3. ad illa: *Inuenerunt me vigiles*, legit, *ſola patientia canis victorias.* Crux Chriſti ergo ſunt quaſi triumphus & currus triumphalis obedientis patientiæ, & patientis obedientiæ.

A

Symbolicè, poteſt ad falſos & veros doctores hęc ſententia accõmodari; falſi enim, quales ſunt hæretici, citò cum ſua falſitate pereunt; veri verò vincunt & triumphant. Super omnia enim vincit virtus & veritas, quæ falſitate & hæreſibus inſtar ceræ liqueſcentis euaneſcentibus, ſemper perdurat ac triumphat.

Myſticè Beda; *Teſtis mendax peribit, &c.* hoc eſt inquit, *qui ſe Deo ſeruire teſtatur, nec factis dicta exequitur, peribit: qui verò fideliter vt promittit, iuſſis ſubditur diuinis, huius loquela ad victoriam perueniet, quia diem per obedientiam ſuam deſideria vincere ſatagit, per iuſtitiam iudicis poſtmodum victoriæ palmam percipit.*

B

Tropol. diſce hic quàm potens debellatrix & victrix ſit obedientia, quæ de aduerſarijs omnibus reportat victoriam, deque rebus omnibus triumphat.

Obediens vincit dæmones. Primò enim obediens loquetur, id eſt loqui poterit victoriam, & canere triumphum de victo diabolo omnibuſque eius aſſeclis dæmonibus. Nam, vt ait S. Gregor. libr. 4. in 1. Reg. cap. 5. *Victimæ ſunt obſequia obedientium: quia dum pro Deo hominibus ſubijcimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus, ceteris quidē virtutibus dæmones impugnamus, per obediētiam vincimus: victores ergo ſunt qui obediunt, quia dum voluntatē ſuam alijs perfectè ſubijciunt, ipſi lapſis per inobedientiam angelis dominantur.* Vna autem ex præcipuis cauſis quare per inobedientiam diabolum vincimus, ea eſt, quia eius dolos & technas obediendo detegimus. Quoties nos ille ſub ſpecie boni ad malum pertrahit? quoties ad indiſcretum feruorem aut ad ridiculum teporem impellit? Hos inſultus obediētiæ virtus eludit: nam dum ad Patrem ſpiritualem accurrimus, dum ei cogitationes immiſſas detegimus, dum ab eo eruditi ſimpliciter obedimus, & quid vnumquodque ſit, an bonum, an malum, clarè cognoſcimus, & quouſque progrediendum nobis ſit, & quid tanquam ſupra vires fugiendum, quid verò tanquam iuxta vocationem noſtram amplectēdum, nequaquam ignoramus. Ideò dicebat S. Antonius (vt in Vitis Patrum narratur:) *Si fieri poteſt, quantos paſſus ambulat monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella ſua, declaret ſenioribus, vt à recto non deuiet.* B. Dorotheus doctrina 5. narrat quemdam monachum à Dæmone fuiſſe dilectum, ab eoq; ceteris prælatum eò quòd nollet à Superiore gubernari, ſtatimq; ſubdit: *Tales diligit, atque his maximè delectatur, qui ſine duce ſunt; non his qui ſeſe ſubmittunt ei, qui poſt Deum auxilium præſtare potens eſt, & manum dare. Neq; enim diabolus ille cunctos adeundi fratres poteſtatē habuit, cùm illum ſanctus Pater reperit tot potiunculas, tot pigmenta, tot alabaſtra circumferentem, non omnibus propinantem. Nam quiſquis illius præsētit inſidias, accurrit illicò, & cogitationes ſuas quaſcumq; latentes aperuit Patri, & ſic auxilium inuenit in tempore tentationis; & hac de cauſa non potuit aduerſus eos iniquus inſidiator. Infelicem illum vnum inuenit, qui ſeipſum regeret & inſtrueret, qui nullum haberet coadiutorē, quemque, vt voluit, ludo habuit, diſcedenſq; ſoli gratias egit, ceteros omnes deteſtatus.*

Quocirca S. Bernardus ſerm. 3. in pſal. *Qui habitat: Obſecro*, inquit, *vos nouellæ plātationes Dei, vos qui nondùm exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionē boni & mali, nolite ſequi cordis veſtri iudicium, nolite abundare in ſenſu veſtro, ne vos tanquam rudes adhuc verſutus ille venator decipiat: nam ſilueſtribus illis, & omnino beſtialibus beſtijs (ſæculares homines loquor) apertos ſatis expandit laqueos, vtpote quos facilè capiendos eſſe non dubitat: vobis autē qui tanquam prudentiores cerui ſerpentes necatis, & deſideratis ad fontem viuum, ſubtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirit. Vnde obſecro vos, humiliamini ſub potenti manu Dei paſtoris veſtri, & acquieſcite eorum conſilijs, qui meliùs norunt venatoris illius verſutias, edocti diuturno longi temporis exercitio, & crebris experimentis, tam in ſe, quàm in multis.*

Secundò, obedientia vincit mundum, quia mundi præcipuum deſiderium ſuis ſectatoribus immiſſum eſt, ceteris omnibus dominari: obedientia verò planè hoc deſiderium reijcit & calcat, quia non tantùm Superioribus, ſed & paribus, imò inferioribus, ſe ſubijcit & obedit. Rurſum nihil eſt aliud mundum vincere, quàm peſſimorum hominum voluntati conuerſatione noſtra contradicere, & Dei voluntatem amplecti: hæc autem ille ſolus facit, qui fideliter eius mandatis obedit. S. Ioannes quidem mundi victoriam fidei adſcribit, ſed ſi bene intelligatur, quatenus ſe obedientię coniungit. *Omne*, inquit, *quod natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*, 1. Ioan. 5. 4. *mundum.*

C

Tertiò, obediens vincit tertium ſuum hoſtem maximè periculoſum, quia internum, & interiùs ſibi aſſiduè inſidiantem, putà carnem, eiuſque appetitus & concupiſcentias, prælertim gulæ & libidinis. Vnde noſter Thomas theodidactos lib. 3. de Imitatione Chriſti cap. 14. *Qui non libenter*, inquit, *& ſponte ſuo Superiori ſe ſubdit, ſignum eſt quod caro ſua necdū perfectè ſibi obedit, ſed ſæpè recalcitrat & murmurat.* quaſi diceret, Carni ſuæ ille ſubdit, qui Prælato obtemperare nõ nititur; & dum illi ſponte ſe ſubmittit, miro modo ab imperio carnis liberatur. Sic etiam S. Bernardus ſer. in feſto omnium Sanctorum ſecundam illam beatitudinem intellexit: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Hanc ego terram*, inquit, *corpus noſtrum intelligo. Quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper vmbra ſua, neceſſe eſt vt ſit ipſa mitis & Superiori ſuo ſubiecta; quoniā tale inueniet inferiùs ſuum, qualē ſe exhibuerit Superiori: armatur enim creatura ad vlciſcendam ſui iniuriam creatoris. Et ideò nouerit anima quæ rebelle ſibi inuenit carnem ſuam, ſe quoque minùs quàm oporteat ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectam. Manſueſcat ipſa, & humilietur ſub potenti manu Dei altiſſimi; ſubiecta ſit Deo, & his pariter, quibus vice eius habet obedire Prælatis, & continuò corpus ſuum inueniet obediens & ſubiectum.* Sic ille. *carnem.*

D

Primus homo per obedientiam à Deo defecit, & ſtatim carnem aduerſus mentem rebellantem ſenſit, cui ipſa inobedientia contra ſpiritum vires adiecit. *Aperti ſunt oculi amborum*, ait Scriptura, vt ſcilicet impetum carnis ſuæ aduerſus ſpiritum inſurgentis aduerterent, & ſe peccato pacem perdidiſſe cognoſcerent. Nam vt docet S. Auguſt. 14. Ciuit. 17. *Ad hominis inobedientiam redarguendam, ſua inobedientia caro quodā modo teſtimonium perhibebat, gratiaq; remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, & fecit aſſētos, reddiditq; confuſos.* Hinc pariter primo

mo parenti inobedienti, obedientiam debitam negauere cetera animalia, paulò antè et à Deo ſubiecta. Audi S. Greg. li. 35. Moral. c. 13. *Adam quia ſuo auctori eſſe ſubditus noluit, ius carnis hic quã regebat, amiſit, vt in ſeipſo inobedientiæ ſuæ confuſione redundaret & ſuperatus diſceret, quid elatus amiſiſſet.* Hanc verò proprij corporis rebellionem nõ Adamus tantum ſed etiam eius poſteri Deo inobedientes experiuntur, vt notat D. Bernar. ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum. Eleganter verò S. Auguſt. in pſal. 134. in hanc ſententiam argumentatur: *Agnoſce, inquit, ordinem, in Deo, tibi caro,* (ſcilicet obedit) *quid iuſtius? quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi. Serui tu ei qui fecit te, vt tibi ſeruiat quod eſt factum propter te. Si autem contemnis tu ſeruire Deo, nunquam efficies, vt tibi caro: qui non obtemperas Domino, torqueris à ſeruo.*

Inſuper obedientia vincit & ſuperat reliquas virtutes. Hinc cùm quatuor totidem virtutibus excellentes offerrentur Abbati Pambo, primus in ieiunio, ſecundus in paupertate, tertius in charitate, quartus in obedientia præcellens; Pambo quartum obedientẽ ceteris tribus prætulit: eſto enim charitas in ſe maxima ſit virtutum, ideoq; maior obedientiâ; tamen perpetuo obediens habet nexum, firmitatem & ſtatum virtutis, quem non habet, charitatem ad libitum exercens: obediens enim alienæ voluntatis ſe ſeruum fecit. Quocirca tales viri Confeſſores ſunt, ſi ad finem vitę ita permanſerint. Hęc Abbas Pambo in Vitis Patr. lib. 5. libello 14. num. 7.

ſeipſum. Quartò, obediens vincit ſeipſum, putà ſuam voluntatem & iudicium proprium, quorum vti iam poſt lapſum difficillima & periculoſiſſima, ſic pariter nobiliſſima, glorioſiſſima eſt victoria. Vnde S. Gregor. 35. Moral. cap. 10. *Vir, ait, obediens loquetur victorias: quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus.* Addit noſter Aluarez de Paz tract. de Obedientia: *Et verò hæc eſt præcipua obedientiæ victoria: quia homo vincens ſeipſum, qui vincit reliqua omnia, fortior efficitur, & maiorem ex hoc facinore, quàm ex alijs gloriam aſſequitur. Vincit homo ſeipſum per obedientiam: nam iudicio ſuo compedes inijcit, ac voluntatem catenis illigat, & corpus ac omnẽ motum eius à noxia libertate arcet, & ad Dei ſeruitiũ pronocat. Vincit ſeipſum, quia ſuis deſiderijs vim infert, & libens propter amorem Domini alterius voluntati ſubijcit.* Obediens ergo loquetur victorias, quas de dęmone, mundo, carne ac ſeipſo triumphans retulit, earumque ampla à Chriſto pręmia recipiet, iuxta illud Apoc. 2. v. 7. 11. 17. 26. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Qui vicerit, nõ lędetur à morte ſecunda. Vincenti dabo manna abſconditum & calculum candidũ. Qui vicerit, & cuſtodierit vſq; in finẽ opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reges eas in virga ferrea.* Et c. 3. v. 5. 12. & 21. *Qui vicerit, inquit, ſic veſtietur veſtimẽtis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram angelis eius. Qui vicerit, faciã illum columnam in templo Dei mei. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.* Hęc noſter Aluarez de Paz. li. 5. p. 3. c. 14. de Obedientia.

homines. Quintò, obediens vincit hoſtes in bello, Paganos, hæreticos, & quoſlibet homines quantumuis ſceleratos & impios. Hoſtes in bello: quia cùm in militia milites promptè obediunt capitaneo, capitanei duci, fiunt inuicti, ſternuntque hoſtes. Ita Abraham cum trecentis vernaculis expeditis, ac ad nutum obedientibus præuertit proſtrauitque quatuor reges. Sic Religiones in quibus ſubditi prom- A ptè obediunt Prælato, ſunt inuictæ, vincuntque omnes aduerſarios. Paganos, putà Indos, vicit, & Chriſto ſibique ſubegit S. Franciſcus Xauerius per obedientiam, quâ à S. Ignatio ſubitò miſſus in Indiam, ilicò paruit, ac poſtero die Roma cõ'em perẹcturus diſceſſit. In India quoque per omnia S. Ignatij monitis promptiſſimè obtemperauit.

Hæreticos, putà Lutheranos, per obedientiam vicit noſter Petrus Caniſius. Nam anno Domini 1557. cũ Melanchthone, Illyrico, Brentio, Bullingero, ceteriſque Lutheranorum gigantibus Wormatiæ diſputaturus coram Ferdinando Imp. cùm ſuperbi illi terræ filij numero & tumultu ſuperiores, violentam præſumerent, imò molirentur victoriam, Caniſius ad P. Iacobum Lainium Vicarium Societatis Ieſu Generalem, cuius obedientiâ certamen ſuſceperat, intrepidus ita ſcripſit: *Loqui-* B *tur in me Dominus Deus: per ſeruum ſuum & ſuperiorẽ meum audiam eum, & non trepidabit cor meum, etiamſi conſiſtant aduerſum me caſtra, quoniam in obedientia ſpes & fortitudo mea. Nec eligam in domo Dei eſſe aliud quam iumentum apud te omnibus diebus vitæ meæ.* Nec eum ſpes feſellit; Immiſit enim Deus in gigantes illos ſpiritum diſſenſionis & confuſionis, quo factum, vt princeps eorum Melanchthon à ſuis alumnis mirè diſcerperetur, ceteri inter ſe digladiantes inuicem ſeſe lacerarent & conficerent. Ita noſter Sacchinus in Vita Caniſij lib. 2. pag. 121. & 131.

Similiter quotidie experimur in Religione. Ad orbis enim victorias mittendi viri Religioſi, à ſui victoria incipiendum eſſe probè nouerunt, nihilque proinde difficultatis in præcepto cauſantes, promptos & expeditos ſe monſtrant ad opus. C Quocirca prompta obedientia Xauerium fecit non tantùm Apoſtolum Indiarum, ſed & thaumaturgum, vt plurimos à morte ad vitam excitaret: nam ad hoc vocati ſumus, vt vulneratos curemus, alligemus contractos, & erroneos reuocemus. Multi enim ſunt membra diaboli, qui futuri ſunt Chriſti diſcipuli, ait S. Franciſcus Aſſiſias.

Sextò, obedientia victrix eſt maris, ignis, terræ & animalium, cæli & inferni, adeoque nihil ferè per obedientiam tentatur, quod Dei virtute propter quem obeditur, non facilè ſuperatur. Maris, *maris.* vt cùm Petrus iuſſu Chriſti ſupra mare ambulauit, Matth. 14. 29. cùm Moſes iuſſu Dei mare rubrum diuiſit, vt ſicco alueo tranſirent Hebræi, quo facto diuiſum reduxit, in eoque merſit Pharaonem eiuſque exercitum, Exodi 14. cùm Ioſue D cap. 3. iuſſu Dei Iordanem diſpeſcuit, & ſicco pede caſtra Hebræorum traduxit.

Ignis, cùm tres pueri Hebræorum Deo fideles *ignem.* & obedientes, iuſſu Nabuchodonoſoris in fornacem ardentem coniecti, in ea illæſi perſtiterunt, Daniel. 3. Sic in Vitis Patrum lib. 5. cap. 14. nu. 18. iuſſu Abbatis pater filium iactauit in furnum ardentem. Statim autem factus eſt furnus velut ros, qua ex re acquiſiuit gloriam ſicut Abraham patriarcha immolans filium ſuum.

Simile eſt exemplum Religioſi, qui à Superiore iuſſus furnum ardentem ingredi, illæſus in eo perſtitit. Refert idipſum graphicè ex Vitis Patrum Seuerus Sulpitius in Vita S. Martini dialogo 1. c. 12. *Exũdabat, inquit, abruptis flamma fornacibus, & intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium. Hoc igitur aduenam illum iubet magiſter intrare. Nec diſtulit parere præcepto, medias flammas nihil cunctatus ingre-*

ingreditur, quę mox tam audaci fide victę velut illis quondam Hebræis pueris ceſſere venienti. Superata natura eſt, fugit incendium, & qui putabatur arſurus, velut frigido perfuſus ſeipſum miratus eſt.

terram & beſtias.

Terræ & beſtiarum. Notus eſt Paulus ille magni Antonij diſcipulus, miraculorum facultate ipſo magiſtro maior, cùm Antonius quos ipſe curare non poterat, ad eum mitteret, neq; aliam ob cauſam niſi vnius obedientiæ. Sic enim Antonius ipſe prædicabat, eumque quaſi obedientiæ exemplar omnibus oſtendebat, & extat adhuc multorum eius illuſtrium factorum memoria. Notus etiam Ioannes, qui à ſuo Abbate, & quidem ioco, iuſſus vt leænam comprehenderet, ipſe ſeriò accipiens non ſolùm non expauit irruentem, ſed etiam fugientem inſecutus, iteratis vocibus Abbatis ſui nomine ſiſtere iuſſit, captamque ac ligatam ad monaſterium perduxit. Notus etiam alter Ioannes, qui cùm triennio toto aridum ſtipitem, vt erat ei iniunctum, quotidie irrigaſſet, idque aqua longè hauſta, demum viruit fructuſque edidit, quos eius magiſter ad eccleſiam deferens fratribus oſtentabat, *Ecce*, inquiens, *obedientiæ fructum*. Vide Vitas Patr. libr. 5. c. 14. de Obed. & lib 4. cap. 26. Ibidem libr. 8. num. 145. (ſequor lectionem noſtri P. Heriberti) narratur, quòd cùm duo germani fratres in monaſterio quodam viuerent, alter obediendi, alter caſtigandi corporis ſtudioſiſſimus, hunc quidem ad alterius ſanctitatem explorandam mandaſſe ei, vt in fluuium crocodilis refertum deſcenderet, idque eum impigrè feciſſe, ita vt immanes illæ belluæ accurrerent, & quaſi blandiendo corpus eius oblingerẽt, paulò autem pòſt cùm in humanum cadauer incidiſſent prece cõmuniter facta excitatum eſſe à morte eamque laudem cùm ſibi abſtinens ille tacitis cogitationibus arrogaret, ſeueriùs obiurgatum eſſe ab Abbate cui reuelatum fuerat non illius ieiunijs, ſed alterius obedientiæ beneficium illud Deo donatum fuiſſe. Celebris eſt ſententia ſeniorum apud Anton. in Meliſſa parte 2. ca. 91. *Obedientia iuncta continentiæ vel beſtias ſubigit.*

cælum,

Cæli, vt cùm Ioſue pugnans contra quinque reges Amorrhæorum, obediens Deo ſtitit ſolem cæloſque omnes, *Obediente Domino voci hominis, & pugnãte pro Iſrael*, Ioſue 10. 14. Cùm Ezechias Deo obediens meruit per Iſaiam à morbo lethali ſanari, & in eius ſignum vmbram ſolis, ipſumque ſolem retroagi per decem lineas, 4. Reg. 20. v. 3. & 11.

infernum,

Inferni, vt cùm Chriſtus *factus obediens vſque ad mortem* meruit, *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, Philipp. 2. v. 8. & 9. ideoque deſcendens ad infernum de eo triumphauit, ex eoq; patres omnes in cęlum per triumphum eduxit.

tentationes, mortem & gehennam:

Septimò, obedientia vincit tentationes quaſlibet & peccata, mortem & gehennam. Hinc & Chriſti obedientia ait Paulus Hebr. 10. v. 7. & 10. *Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam, &c. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti.* Idem aſſerit Iſaias cap. 53. v. 10. & 11. Vnde Paulus 1. Corint. 15. v. 55. *Abſorpta eſt*, inquit, *mors in victoria, vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum eſt; virtus verò peccati lex: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Exempla huius victoriæ, præſertim in tentatione luxuriæ, videre eſt in Vitis Patrum lib. 5. cap. 14.

Denique per obedientiam ſuperamus omnia pericula damnationis, quæ ſanè ſummi momenti eſt victoria. Quocirca Climacus gradu 4. *Obedientia*, inquit, *eſt perfecta abnegatio propriæ animæ & proprij corporis, mors voluntaria, vita ſine ſollicitudine, nauigatio ſine damno, ſepultura voluntatis, vita humilitatis, & quaſi ſi quis dormiendo iter faciat.* Idemque addit, viuere in obedientia nihil aliud eſſe, quàm ſuum onus aliorum humeris imponere, natare, ſuper aliorum vlnas, & ſuſtentari in aquis ne mergamur, ſed ſine periculo hoc grande pelagus huius vitæ tranſeamus, & quidem breuiſſima nauigatione. Quid melius, aut quid maius dici poterat?

Vidit Anachoreta ille in Vitis Patrum l. 5. c. 14. n. 19. quatuor ordines Sanctorum in cælo, primũ, infirmorum in infirmitate Deo gratias agentium, ſecundum, proximis ex amore miniſtrantium; tertium, in ſolitudine Deo ſeruientium; quartum & ſummum, obedientium, hoſque torque aurea & corona inſignes illuſtriori ceteris gloria decorari. Ratio eſt, quia obediens ſimilis eſt angelis, de quibus dicitur pſal. 103 *Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*, qui omnia vincit, imò vrit & ignit. Nam vt ait S. Bernard. ſerm. de virtute obedientię. *Velociter currit ſermo Dei, & velocem habere deſiderat ſequentem. Vides enim quanta velocitate currit ille, qui dicit pſal. 118. Viam mandatorum tuorũ cucurri. Fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinũ, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum ſe colligit, vt imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum feſtinanter præcipientem, & hominem feſtinanter obedientem.*

Deum

Octauò, obedientia vincit ipſummet Deum, vt obedienti nihil negare queat. Sic enim par pari refert, vt, cùm obedimus Deo, ipſe viciſſim quaſi mira dignatione obediat nobis, iuxta illud a ſe promiſſum, *Voluntatem timentium ſe faciet*, pſalm. 144. 19. Vnde auctor ſerm. ad Fratres in eremo apud S. Auguſt. tomo 10 ſerm. 61. *Sciendum*, inquit, *fratres, quod quanto modo erimus ipſi obedientes Superioribus noſtris, tanto erit Deus obediens orationibus noſtris.* Cõgruum enim eſt, vt, ſi Dei voluntatem faciamus, ipſe viciſſim faciat noſtram; & ſic obedientia in Deo facit nos quaſi omnipotentes. Hinc S. Gregor. 35. Moral. cap. 10. explicans illud 1 Reg. 15. *Melior eſt obediẽtia quàm victimæ. Quia*, inquit, *per victimas aliena caro per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tanto igitur quiſque Deum citiùs placat, quanto ante eius oculos repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat.* Hinc Iacob obediẽdo matri ſupplantauit Eſau, matri que iuſſu eum fugiens, & Dei iuſſu ad ſuos rediens, atque cum Deo, vel veriùs cum angelo Dei luctans, Iſrael, id eſt, Deo dominantis, nomen & benedictionem accepit, Genel. 32. v. 9. & 28. Simile dicitur de Abraham Geneſ. 18. v. 18. 24. & ſeq. item de Moſe Exodi 32. v. 9. 10. & 11.

Poteſt etiam verti planè ex Hebræo cum recentioribus: *Obediens in perpetuum loquetur*, & viuet, loquetur, inquam, tum huic ſæculo per celebrem ſui memoriã, & relictum poſteris ſui exemplum, ſicut Heb. 11. 4. dicitur Abel defunctus adhuc loquiturum in futuro. Loquetur, inquam, vt teſtis verax Dei æquitatem, & obedientiæ victricis veram prudentiam, ſecuritatem, præmium æternum & palmam

palmam. ita Beda. Et ſic conſtat antitheſis cum præcedenti hemiſtichio. Illuſtre exemplum habet Climac. grad. 4. de obedientia ante finem, de inſigni quodam obediẽte, Achario nomine, qui mortuus è ſepulchro à ſene euocatus, & interrogatus, num mortuus eſſet? reſpondit, obedientem non poſſe mori.

VERS. 29. VIR IMPIVS PROCACITER OBFIRMAT VVLTVM SVVM: QVI AVTEM RECTVS EST, CORRIGIT VIAM SVAM.] Syrus, *dirigit viam ſuam*; Hebr. *vir impius roborat facies ſuas: & rectus ipſe parabit viam ſuam*; Chald. *impudens facie eſt vir impius*; Septuag. *impius vir imprudenter ſubſiſtit facie: rectus autem ipſe intelligit vias ſuas*, Theodot. *vir impius obfirmabit faciem ſuam*. Ac pro illis verbis, *Corrigit faciem ſuam*, Aquila & Symmachus vertunt, *parabit*, aut *expediet viam ſuã*. Nota. Pro יָכִין *iachin*, id eſt, dirigit, *corrigit*. Septua. legerunt יָבִין *iabin*, id eſt intelligit. Vnde auctor Catenæ Græcor. vertit, *rectus autem vias ſuas diſtinxit & intelligit*, id eſt, etiamſi à nemine admoneatur, ſeipſum tamen examinat, & ſi qua parte opus videtur, emendat.

Pro *vultum ſuum*, hebr. eſt בְּפָנָיו *bepanau*, quod R. Salomon accepit pro בְּאַפּוֹ *beappau*, id eſt *in ira ſua*, q. d. Quo tempore perditus excandeſcit, impudentiam ac proteruiam ſuam demonſtrat, quam in accenſis naribus vultuque oſtendit. Verùm aliud eſt *bepanau*, aliud *beappau*. Iam Primò Pagnin. vertit, *roborauit contra eum vir impius faciem ſuam: rectus autem ipſe diſponet viam ſuam*, vt hic verſus referatur ad præcedentem, q. d. Teſtis mendax dum contra innocentem falſum profert teſtimonium, contra eum ſe roborat & obfirmat, vt videatur verum, non falſum dicere. Et R. Leui, Impius, inquit, & perditus frontem perfricat, ne illius mutatio cognoſcatur, atque is motus qui conſequi ſolet ſpeciem vultus, cum quis mentitur. Verùm vir integer optimè perſpectum habebit, quod inſtitutum quoad oris vultuſque conformationem, amplecti oporteat.

Et Baynus, *Roborat*, inquit, *vir impius*; ſupple verba falſa, *vultu ſuo*, cum imprudentia videlicet proferens falſum teſtimonium, & ipſo vultu affirmans falſum: vel *contra vultum eius*, hoc eſt illius qui reſpondet & contradicit. Sed iuſtus & æquus iudex facilè intelligit vias & mores illius. Aliter, Qui rectus eſt, & affert verum teſtimonium, faciet iudices intelligere vias eius, ſatis habens rem exponere nudè tanquam ſimplicem veritatem. Hæc ille.

Secundò, melius idem Baynus: Hæc gnome, inquit, ſignificat diſcrimen inter impium & rectum ſiue iuſtum, quorum ille vultum firmat, & magna ſiue conſtantia, ſiue impudentia, facit malum: hic verò dirigit vias ſuas, vt neque deficiat à recto, nec cum oſtẽtatione quidquam faciat: non enim vultu aut faſtu rectitudinem ſuam præ ſe fert. Si legatur *intelliget*, erit ſenſus: Qui rectus eſt, ſatis habet quòd intelligat vias ſuas, abſque eo quod vultu ex tenore oſtentet, multo minùs vultu præfert petulcaciam vel impudentiam: ſcit enim vtrumque dedecere ſapientem & virum probum.

Tertiò & genuinè, hæc gnome ſignificat diſcrimen recti & impij, dum vterque de aliquo defectu, errore aut lapſu admonetur vel corripitur, ſiue exteriùs ab homine, præſertim Superiore; ſiue interiùs à Deo. Impius enim quia ſuperbus, & quia vitio, in quod lapſus eſt, pertinaciter adhærere decreuit, contra monentem & monitionem ſeſe roborat, mentem vultumque procaciter obfirmat, ac vitium ſuum proteruè tuetur, & monenti inſultat: rectus verò ſi moneatur, erratum lapſumque agnoſcit & corrigit, quia humilis eſt & prudens, ac recti iuſtique amans.

Hinc collige has impii rectique antitheſes. Primò, impius ſi moneatur, erubeſcere neſcit: rectus ilicò erubeſcit, ac pudore & rubore ſuffunditur. *Antitheſes sex iuſti & impij cum corripiuntur.* Secundò, impius imprudenter & impudenter vitium excuſat vel pernegat: rectus agnoſcit & confitetur. Tertiò, impius in vitio obſtinatus eſt & impœnitens: rectus flexilis pœnitet & dolet. Quartò, impius in lapſu perſiſtit: rectus lapſum corrigit & emendat. Quintò, impius fronte ænea monenti reſiſtit & reſultat: rectus oculos frontemque demittit & ceruicem monenti inclinat ac ſubmittit. Sextò, impius obfirmat vultum, vt ſcilicet perficiat id quod deſtinauit vel cœpit, licet impium per fas & nefas, etiamſi famæ, opum, vitæ & animæ iacturam facturum ſe ſciat: at rectus periculum videns, prudenter id declinat & cauet.

Audi S. Gregor. 10. Moral. cap. 3. *Sicut recti*, inquit, *de quibuſdam, quæ ab eis non rectè geſta ſunt, correptionis vocem miniſterium charitatis æſtimant; ſic peruerſi contumeliã deriſionis putant. Illi ſe protinus ad obedientiam ſternunt, iſti ad inſaniam ſuæ defenſionis eriguntur. Illi correptionis adiutorium vitæ ſuæ patrocinium deputant, per quod, dum præſentis vitij culpa corripitur, venturi iudicij ira temperatur: iſti cum ſe impeti redargutione conſpiciunt, gladium percuſſionis credunt: quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, præſentis gloriæ opinio fœdatur. Hinc quippe in laudem iuſti per Salomonem dicit veritas: Doce iuſtum, & feſtinabit accipere. Hinc prauorum contumaciam deſpicit, dicens: Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit iniuriam. Sic Iudas*, inquit Beda, *quia impius corde erat, quamuis ipſo Domino ſe redarguente, noluit malè cœpta reſtringere. Porro Petrus, quia rectus erat corde, id eſt rectitudinis amator, reſpiciente ſe Domino mox pœnitendo correxit, quod negando deliquit.*

Sic Pharao Deo Moſique monenti, vt tyrannidem faſtumque deponeret, ac Hebræos in Ægypto oppreſſos miſſos faceret, obſtrependo reſtitit, obdurauitque cor vultumque ſuum inſtar tauri torui & ſequi, Exodi 7. v. 3. Sic Ieremias cap. 3. v. 3. ait: *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*; & Ezechiel cap. 3. 7. *Domus Iſrael attrita eſt fronte, & duro corde*. Vide quæ hiſce locis annotaui. Sic hæretici pro veritate & ſinceritate, quam ſuſtulerunt, ſubſtituêre impudentiam, ac obfirmato tauriņoque vultu fidei reſiſtunt, ſuamque perfidiam inſolenter propugnant.

Moral. diſce hic ſtultum rectè monenti reſiſtere & obſtrepere; at prudentis & recti eſſe, correptionem admittere, ac corripienti parere, lapſuſq; corrigere: ſic enim homo ſibi, legique & Deo reſtituitur, imò legem priùs violatam adimplet. Nam vt ait S. Bernardus de Præcepto & diſpenſ. ca. 16. *Partienda eſt obſeruatio regularis in præcepta & remedia: præceptis inſtituitur vita contra peccatum, remedijs reſtituitur poſt peccatũ innocentia. Sic ergo vtraque iſta complectitur noſtra profeſſio, vt profeſſus quiſque cùm in aliquo fortè regularium mandatorum deliquerit, ſi ad remedium æquè regulare confugerit, etſi conuincitur tranſgreſſor mandati, non tamen pacti præuaricator. Solum itaque cenſuerim fregiſſe votum, violaſſe propoſitum, pactum præuaricaſſe, & qui præceptum contempſerit &*

& remedium. Nam illum ſanè dico ſecurum, qui etiamſi interdum obedientiæ limitem præterit, conſilium non reſpuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos, etſi ſæpè deliquerit, non euadit, qui cenſuram quæ ex regula eſt diſciplinam non ſubterfugit. Pars ſiquidem regulæ eſt regularis correctio, & in ea reperiuntur non ſolùm bonæ vitæ inſtructio, ſed etiam emendatio prauæ; inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia; vt ne peccando quidem à regula recedatur.

Corripiens amandus vt medicus. Rationem ad correctionem admittendam, imò ambiendam ſuggerit efficacem S. Baſil. in Regulis fuſiùs diſput. regul. 52. *Eorum*, inquit, *quibus medicina fit, partes exiſtimari debent, antiſtitis in ſe animaduerſiones non ad odium accipere, neque impotentem dominationem exiſtimare curationem eam, quam miſericordia quis adductus, conſulendi cauſa animæ ipſorum ſaluti, ipſis adhibeat. Eſſet enim à decoro abhorrens, ſi cùm qui aduerſa corporis valetudine laborant, ij vſque adeò magnam medicis fidem habeant, vt ipſos ſecent, eſto vrant, eſto amariſſimis dandis medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter benemeritos de ſe illos numerent: nos non itidem quoque aduerſus animarum noſtrarum medicos, quandocumque duriore imponenda nobis re aliqua ſalutem nobis efficiunt, fuerimus animati, cùm Apoſtolus dicat: Et quis eſt qui me lætificat, niſi qui contriſtatur ex me?* 2. Corinth. 2. 2. Porrò qui correptionem alterius vult effugere, faciet id quod monet prouerbium Arabicum centur. 1. num. 22. *Puta vitam tuam manu tua, non manu aliena, id eſt, reprehende teipſum ſuper delicto tuo, priuſquam alius te reprehendat ſuper eodem*, & n. 26. *Non ſcabat caput tuum præter vngues tuos.*

Vers. 30. Non est sapientia (Chald. *intelligentia*) non est prudentia, non est consilium contra Dominum] Syrus, *non eſt conſilium ſicut Domini.* Hebr. לְנֶגֶד יְהוָה *leneged Iehoua*, id eſt coram vel è regione Domini, vt ſcilicet cum eo componi, illique opponi poſſit. q.d. Humana ſapientia ſi cum diuina conferatur, non eſt ſapientia, vel prudentia ſed inſipientia potiùs & amentia. Rurſum *non eſt ſapientia, non eſt prudentia coram Domino*, ſcilicet non tantùm vt Deo reſiſtat, ſed vt nec coram eo ſtare poſſit, imò vt diuinæ voluntati, & nutui volens nolens inſeruiat, ſicut patuit in fratribus Ioſeph, qui ſua malignitate & venditione eum euexerunt in principem Ægypti, vt Dei conſilium implerent. Sic malitia Aman euexit Mardochæũ & Iudæos. Sic dæmonis machinamenta extulerunt Iob, & Iudæorum ſæuitia Chriſtum crucifixum. Vnde Septuag. Romani habent: *Non eſt ſapientia*, &c. *apud* (minùs rectè Complut. vertunt, *contra*) *impium*, quæ ſcilicet Deo ſeſe opponat, eique reſiſtat, & illius conſilia vel decreta eludat: apud impium, inquam, tam hominem quàm dæmonem, ait Caſſian. collat. 7. cap. 18. Licet veriùs ſit apud Septuag. legi debere *non eſt ſapientia*, &c. *contra Dominum*, vt monet auctor Catenæ Græc. Sic enim conſtanter legunt Hebr. Chald. Syrus, Vulgata, Aquila, Symmach. Theodot. cæterique interpretes.

Sententia eſt clara, & vſu quotidiano euidens & certa. Vnde R. Salomon ſic explicat: *Sapiens quilibet ac prudens in nulla prorſus eſt æſtimatione, ſi cum Deo comparetur; multóque magis ſi ſua ſapientia abutatur in Deum, licet nobis ſit magiſter, nullo honore afficietur.* Aben Ezra ſic: *Coniunguntur hæc duo ad hunc ſenſum: Non eſt vir, cui prudentia, ſapientia vel conſilium proſit contra Dominum, hoc eſt, vt ab illius manibus ſubducatur aliqua horum ope, etiamſi ad fugam capeſſendam, ad prælij diem equum præparârit, ſe tamen ſubducere ne quit, & diſcrimen euadere. Dei enim eſt incolumem præſtare, quem pro arbitratu voluerit.* R. Leui verò ſic: *Non eſt ſapientia*, &c. *nulli vſui ſunt ſapientia, prudentia, conſiliumque, in ijs, quæ quis animo in Deum machinatur: licet enim is maxima ſapientia polleat, remque apprimè intelligat, aptiſſimum denique conſilium ineat; haud tamen poterit diuinum decretum immutare, vel illud aſſequi vt conſtat ex ijs quæ Ioſepho contigerunt, ac ex varijs hiſtorijs, quæ in ſacris Vaticinijs paſſim leguntur. Illam etiam mentem huius verſiculi fortè affirmabimus: Haud nimirum opus eſt ſapientia, prudentia, conſilioque illi, qui charus ſit Deo, proximuſque eiuſdem curæ, qui nempe Deo adhæſerit, vt votorum ſuorum compos fieri ſtudeat: diuinum enim numen ita conatus & ſtudia mortalis inſtituit vt rectè cogitata ſuccedant. Vtrique autem explicationi optimè conſenſit, quod mox ſubditur.*

Ratio à priori. Ratio huius ſententiæ eſt. Prima, quia ſapientia Dei eſt increata & infinita, quæ in immenſum ſuperat & tranſcendit omnem ſapientiam prudentiamque creatam & finitam omnium hominum, dæmonum & angelorum. Secunda, quia ſapientia Dei eſt omnipotens, cui proinde nemo reſiſtere valet: quis enim arietet contra omniſcium & omnipotentem?

Finis, ſcopus & fructus huius ſententiæ eſt, vt ex ea diſcamus vnumquemque, quantumuis ſapientem, meritò debere ab illo vno pendere, illi fidere, non ſibi, nec quidquam illi tentandum, quod diuinæ voluntati nouerit eſſe contrarium, quæ adeò non poteſt impediri humana vel dæmoniaca prudentia, vt magis per eam promoueatur & perficiatur, dum quid contra eam homo vel dæmon tentat, vt patet in fratribus Ioſeph, in Pharaone, in Herode, & redemptione generis humani, quam diabolus omnibus modis impedire ſtuduit.

Vers. 31. Eqvvs paratvr ad diem belli: Dominvs avtem salvtem tribvit] Hebr. *Domini autem eſt ſalus*; Chald. *à Domino autem ſalus*; Septuag. *à Domino autem auxilium*; Vatabl. *à Domino autem datur ſalus*, qui & addit: Hæc gnome pendet à præcedente, eamque probat. q.d. *Equites impij parant ſibi equos, quibus fidant, cùm tantùm ſalus à Deo, non ab equo, pendeat.* Per *equum* intellige equites: hi enim in bello ſunt validiſſimi, & peditatum ſternunt & proculcant: item currus, arma, machinas omnemque bellicum apparatum. *Salus* intelligitur non tantùm liberatio à nece omnique malo, & periculo; ſed & victoria: hæc enim plena in bello totius exercitus & gentis eſt ſalus. *Dei eſt dare victoriam.* Senſus eſt. q.d. Duces & milites ad bellum comparant equos, arma, currus, &c. idque congruè & prudenter; ſed tamen hæc omnia fruſtra ſunt, niſi Deus auxilietur: Dei enim eſt dare ſalutem & victoriam. Quare hinc diſcant duces & milites ita apparare bellum, vt potiſſimam ſpem in Deo collocent, ideoque aſſiduis precibus, ac puritate vitæ & eleemoſynis eius opem ſibi concilient. Vtrilibet enim dimicantium parti ſiue aciei, licet infirmiori minuſque armis & militibus inſtructæ Deus fauerit, victoriam obtinebit, & victrix triumphabit. Fruſtra ergo acies, fruſtra arma, fruſtra milites, ni Deus propitius concurrat, detque victoriam.

Ratio à priori. Ratio à priori eſt, Prima, quòd præparatio rei facilis, executio verò ob varias rerum periſtaſes & circumſtantias, dum præſertim variæ hinc inde

A occurrunt remotæ, quæ rem impediunt, ſit difficilis, ideóque licet vtraque pendeat à Deo, magis tamen ſecunda; quam proinde Scriptura tribuere ſolet Deo, quaſi primo & principali effectori. Iuxta illud c.16.1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et v.9. *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius.* Vbi plura hac de re dixi.

Secundò. Secunda, quòd Deus peculiarem habeat curam rerum magnarum, quæ multa complectuntur, magniq́ue ſunt momenti, tales autem ſunt principum gentiumq́ue plurium exercitus, bella, victoriæ.

Tertiò, Tertia, quòd Deus maximè curet gubernationem regum & regnorum, & ab æterno decreuerit, vt regna & imperia ſibi viciſſim per ſæcula ſuccedant, eantq́ue per gentes & familias quaſi circulando in orbem, iuxta illud Daniel.4.14. *In ſententia vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum, &* B *petitio: donec cognoſcant viuentes, quoniam dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.* Et Prouerb.8.15. *Per me reges regnant.* Hæc autem regum & regnorum tranſlatio & viciſſitudo fit per bella & victorias. Quocirca cùm Deus vult regnum de gente vna in aliam transferre, facit vt hæc illam bello appetat, debellet & vincat. Sic monarchiam Aſſyriorum tranſtulit ad Babylonios, Aſſyrios debellando per Nabuchodonoſor: Babyloniorum tranſtulit ad Perſas, Baltaſarem & Babylonios debellando per Cyrum: Perſarum ad Græcos, Darium & Perſas debellando per Alexandrum Magnum: Græcorum ad Romanos, Græcos debellando per Scipionem, Paulum & Æmilium, alioſq́ue duces Romanos. Simili modo ſingulis ferè ſæculis, ſiue ſingulis annorum centurijs, videmus Deum regna de vna domo & familia in aliam per bella & victorias tranſferre.

Hinc illud oraculum Balaam: *Dominus Deus eius cum eo* (Iſraele) *eſt, & clangor victoriæ regis in illo. Deus* C *eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis,* Num.23.21. Et illud Dauidis: *Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, &c. tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes,* 1. Paralip.29.11. Quocirca Iudas Machabæus *conſiderans aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum & ferocitatem beſtiarum* (Nicanoris) *extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominũ inuocauit, qui non ſecundùm armorũ potentiam ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam,* 2. Machab.15.21.

Porrò hæc gnome locum habet in bello & victorijs non ſolùm corporalibus, ſed & ſpiritualibus, quibus contra tentationes carnis, mundi & dæmonis aſſiduè confligimus, & vincimus. Hæc A enim victoria fit per gratiam Chriſti, iuxta illud Pauli: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,* 1. Corinth.15.57. Et, *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat* (id eſt triumphare facit) *nos in Chriſto,* 2. Corinth.2.14. Et: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra,* 1. Ioan.5.4. Vndè myſticè Beda ſic explicat: *Equus paratur ad bellum, Dominus autem ſalutem tribuit.* q.d. *Hominum quidem eſt Deo deuotè tempore perſecutionis animũ præparare, corpus offerre diſcrimini; ſed diuini eſt adiutorij, vt cœpto labori agonis victoria ſaluſq; ſuccedat.* Et S. Gregor. 31. Moral. c.9. & 19. *Equi nomine,* inquit, *præparatio rectæ intentionis accipitur, ſicut ſcriptũ eſt: Equus paratur in diem belli, ſed Deus ſalutem tribuit, quoniam contra tentationem quidem ſe animus præparat, ſed niſi adiuuetur deſuper, ſalubriter non decertat.* Plura vide ibidem in S. Gregor. Sic & auctor Catenæ Græc. Equum, inquit, appellat mentem con- B tra vitia ſtrenuè pugnantem: equus enim in prælio acer eſt, animoſus, velox, ferox, exultans. Vide Iob 39. v.21. & ſeq. Sic & Hugo per equum accipit hominis animum & corpus: vtrumque enim præparatur ad bellum tentationum ab equite, id eſt mente & ratione, quæ vtrumque frænat, regit, dirigit, acuit, accendit ad prælium, vt per Dei opem & gratiam victoriam adipiſcatur. *Præparatur autem,* inquit Hugo, *ad bellum equus iſte tempore perſecutionis in tribus. Primò, in aſſuefactione laboris, doloris, famis, ſitis, frigoris & cæterarum eiuſmodi moleſtiarum, ne cùm in bellum venerit, ſolo ſonitu buccinæ terreatur. Secundò, præparatur virtute & animoſitate ſeſſoris: equus enim ſub ſtrenuo ſeſſore ſtrenuior eſt. Tertiò, præparatur armorum munitione, ne ad ſingula iacula vulneretur. Arma voco hîc fortitudinem, patientiam, audaciam, quibus contemnitur mors: tunc verò equus hic expeditus & comparatus ad ſonitum buccinæ exultans dicit vah, & audacior pergit in occurſum armatis.*

Item paſſiones & virtutes. Secundò, Equi ſunt paſſiones & virtutes, quas C regit ratio & gratia Chriſti vt vincat. Ita S. Ambr. de Iſaaco & animo c.8. Rurſum equus eſt humanitas Chriſti, cui inequitans diuinitas deuicit peccatum, mortem, terram, cælum & infernum. Ita S. Ambroſ. in pſal.40. eius verba recitant Habacuc 3.8. ad illa: *Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.*

Tertiò, equus ſymbolum eſt Apoſtoli, & prædicatoris: eius ſeſſor & auriga eſt Chriſtus, victor infidelium & peccatorum, iuxta illud Apocal.6.2. *Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret,* vt ſcilicet Chriſtus per Apoſtolos debellaret, ſuæq́ue fidei ſubiugaret omnes gentes. Vbi plura hac de re dixi.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Melius eſt nomen bonum quàm opes : callidus videns malum ſe abſcondit : qualis puer, talis ſenex : ſeminans ſcelus metet mala : miſericors benedicetur : deriſorem eijce: mundus corde amicus erit regi. dicit piger : Leo eſt in via, *os adulteræ eſt vorago. ſtultitia pueri fugatur virga, opprimens pauperem, opprimetur à ditiore. Verſ. 17. adhortatur ad ſtudium ſapientiæ : vitandi iracundi, & ſponſores : termini antiqui ſeruandi : velox coram regibus ſtabit.*

1. Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ : ſuper argentum & aurum, gra-
tia bona. 2. Diues, & pauper obuiauerunt ſibi : vtriuſque operator eſt Do-
minus. 3. Callidus vidit malum, & abſcondit ſe : innocens pertranſijt, & afflictus
eſt damno. 4. Finis modeſtiæ timor Domini, diuitiæ & gloria & vita. 5. Arma &
gladij in via peruerſi : cuſtos autem animæ ſuæ longe recedit ab eis. 6. Prouerbium
eſt: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. 7. Diues
pauperibus imperat : & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis. 8. Qui ſeminat
iniquitatem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummabitur. 9. Qui pronus eſt ad mi-
ſericordiam, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi. Victoriam & honorem
acquiret qui dat munera : animam autem aufert accipientium. 10. Eijce deriſorem,
& exibit cum eo iurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ. 11. Qui diligit cor-
dis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem. 12. O-
culi Domini cuſtodiunt ſcientiam: & ſupplantantur verba iniqui. 13. Dicit piger:
Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum. 14. Fouea profunda os alienæ :
cui iratus eſt Dominus, incidet in eam. 15. Stultitia colligata eſt in corde pueri, &
virga diſciplinæ fugabit eam. 16. Qui calumniatur in pauperem, vt augeat diui-
tias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. 17. Inclina aurem tuam, & audi verba ſapien-
tium : appone autem cor ad doctrinam meam, 18. quæ pulchra erit tibi, cùm ſer-
uaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis : 19. vt ſit in Domino fidu-
cia tua, vnde & oſtendi eam tibi hodie. 20. Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter, in
cogitationibus & ſcientia : 21. vt oſtenderem tibi firmitatem ; & eloquia veritatis,
reſpondere ex his illis, qui miſerunt te. 22. Non facias violentiam pauperi, quia
pauper eſt : neque conteras egenum in porta : 23. quia iudicabit Dominus cauſam
eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. 24. Noli eſſe amicus homini
iracundo, neque ambules cum viro furioſo, 25. ne fortè diſcas ſemitas eius, & ſu-
mas ſcandalum animæ tuæ. 26. Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui
vades ſe offerunt pro debitis : 27. ſi enim non habes vnde reſtituas, quid cauſæ eſt
vt tollat operimentum de cubili tuo ? 28. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos
poſuerunt patres tui. 29. Vidiſti virum velocem in opere ſuo ? coram regibus ſta-
bit, nec erit ante ignobiles.

Vers. 1. MELIVS EST NOMEN BONVM QVAM DIVITIÆ MVLTÆ : SVPER ARGENTVM ET AVRVM GRATIA BONA] Hebr. *eligibile nomen præ opulentia, præ auro & argento gratia eſt bona*, vel *bonum*; Chald. Aquila & Theodot. ἐκλεκτόν, id eſt *electum*, vel potiùs *eligendum nomen bonum præ diuitijs*. Sic & Chaldæus.

Per *nomen* accipe famam; per *gratiam* gratioſitatem, fauorem, beneuolentiam, amicitiam. τὸ *bona* non tam referas ad τὸ *gratia*, quaſi eius ſit, epithetum, quàm ad τὸ *ſuper*. Notat enim gradum comparationis, quo confert & præfert gratiam auro & argento. q.d. Gratia eſt bona ſuper argentum & aurum, id eſt præſtat auro & argento. Vnde Vatabl. vertit, *fama præferenda eſt magnis opibus, & gratia auro & argento melior eſt*; & Pagnin. *eligibilius eſt nomen bonum quàm diuitiæ, & quàm aurum & argentum eligibilior eſt gratia bona*, id eſt be- A neuolentia vicinorum & ciuium.

Senſus ergo eſt. q. d. Fama maius bonum eſt quàm ſint opes; fama præſtat opulentiæ: ſimiliter gratia & beneuolentia præſtat auro & argento. *Fama præſtat opibus.* Primò. Poſterior hæc pars dat cauſam prioris. q.d. Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ, quia nomen bonum conciliat gratiam & fauorem hominum, qui præſtat auro & argento. Hæc enim gratia in ſe ingens eſt bonum, & præſtantius opibus, atque ex ea neceſſaria vitæ & opes facilè comparantur, vti comparauit Ioſeph in carcere, Gen. 39. 21. Ruth in paupertate c. 2. 13. Eſther in condemnatione Iudæorum c. 3. 9. & c. 7. 3. adeoque nihil crebrius in Scriptura, quàm quòd Sancti cupiant inuenire gratiam, in oculis Dei & hominum. Nam vt ait Anton. in Meliſſa part. 2. c. 49. *Gratia eſt veluti paradiſus copioſus.* Hinc B. Virgo præ alijs titulis hoc vno ſalutatur ab Archangelo,

quòd ſit *gratia plena*; græcè κεχαριτωμένη, id eſt gratioſa effecta, gratia repleta.

Secundò. Rurſum hæc gratia arcet inuidiam, quæ ingens eſt malum, ingentiumque damnorum mater; ac parit amorem & charitatem, quæ omnium bonorum eſt fons & origo. Quocirca tacitè hic monet Sapiens opes vel ſpernendas eſſe, ne tibi inuidiam & nomen auari affient: vel, ſi eas habeas, in indigentes erogandas eſſe, vt hominum gratiam concilies. Nihil enim illam ita conciliat atque eleëmoſyna & liberalitas. Vnde Syrus vertit, *præ auro & argento bona eſt miſericordia.* Nam Hebr. חן *chen* tam miſericordiam quàm gratiam ſignificat: quin & Latinum gratia ſæpè pro miſericordia accipitur. Hinc auctor Catenæ Græc. *per bonam gratiam* accipit honeſtam actionem, qualis eſt eleëmoſyna. Qui ergo gratiam hominum, quin & Dei, indeque nomen & famam ambit, ſtudeat virtuti, B præſertim miſericordiæ & liberalitati: hæc enim eſt radix & baſis tam beneuolentiæ & gratiæ quàm nominis & famæ.

Tertiò. Tertiò, hæc gratia & fama perdurat, cùm opes diffluant, & cum vita finiantur. Fama enim poſt mortem creſcit & perennat: præſertim quia homine vita functo, nullo iam ſcelere fama eius maculari aut dedecorari poteſt. Ob has ergo tres rationes gratia & fama præſtat opibus, ac præ ijs bonum eſt altioris ordinis. Infimum enim bonum ſunt opes, medium fama, ſummum vita, præſertim animæ per gratiam & gloriã: opes enim verè ſunt bonum externum & indifferens, vtpote quibus tam malè quàm benè vti poſſumus; fama verò magis intrinſeca eſt homini, quia nititur & fundatur in eius virtute, præſertim liberalitate & charitate. C Hinc Cato:

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento.

Et Plaut. in Moſtell. *Ego ſi bonam famam ſeruaſſo, ſat ero diues.* Vnde R. Leui: *Conſtat inter omnes*, inquit, *famam viro parari morum probitate ac rectè factis: quod lectius eſt quàm ſi opulentiſſimis facultatibus inſtructus eſſet. Beneuolentia etiam, quàm ſibi quis à ceteris conciliat, auro & argento eſt præferenda: maiori namque præſidio & robori in calamitatibus eſt morum integritas, præclarè facta & charitas, quàm ſi quis auro argentoq; muniatur, vt trito prouerbio circumfertur, præſtantius eſſe habere amicum in foro quàm aurum arca reconditum.* Quod alij concinnius dicunt: *Vtilior eſt fauor in aula, quàm aurum in arca.* Ita S. Cyrill. l. 11. in Ioannem c. 18. *Melius eſt*, inquit, *nomen bonum quàm diuitiæ multa, id eſt, melior eſt exiſtimatio nominis atque gloria, quàm diuitiarum ſplendor: nomen enim ſumitur pro gloria, vt Ioan. 17. Manifeſtaui nomen (id eſt gloriam) tuam hominibus, & Iſaia 56. Deus promittit eunuchis voluntarijs nomen melius præ filijs: nomen, id eſt gloriam.*

Quocirca Salomonem de more ſecutus Siracides Eccli. c. 41. 15. *Curam*, inquit, *habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri pretioſi & magni.* vide ibi dicta, & Eccleſ. c. 7. 2. *Melius eſt nomen bonum quàm vnguenta pretioſa.* Hinc de Ioſia dicitur Eccli. 49. 1. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria.* Hoc ſecutus Iſocrates ad Nicoclem: *Magis expetendum ducito*, inquit, *vt liberis tuis honeſtam famam, quàm opes magnas relinquas: nam hæ mortales ſunt, illa immortalis: pecuniæ acquiri poſſunt, fama pecunijs emi non poteſt: opes etiam improbis contingunt; gloriam verò parare non poſſunt, niſi virtute*

A *præſtantiſsimi.* Nam vt ait Cicero 3. Tuſcul. & 2. de Iuuent. *Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute.*

Anagog. melius eſt nomen iuſti, Religioſi, ſancti, filij Dei quàm omnis rerum copia: hæc enim corporea eſt, illud ſpirituale: hæc caduca, illud ſtabile, hæc temporalis, illud æternum. Rurſum præſtat inire gratiam Dei, quàm corrogare omne aurum & argentum: gratia enim Dei parit felicitatẽ & gloriam æternam. Ita Beda: *Nomen bonum*, inquit, *eſt nomen Religionis, quod diuitijs mundialibus iure præfertur. Nam etſi mundũ quis lucraretur vniuerſum, meritò hunc contemneret, tantùm vt nomen eius ſcriberetur in cælo, eiuſq; memoria & inter angelos, & inter homines ſanctos figeretur æterna. Super argentũ & aurum gratia bona, illam ſignificat gratiam, cùm quis pro bono opere laudatur à bonis, imò pro ſollatis ei donis meritorum glorificatur ab eo qui in cælis eſt.* *Gratia Dei præſtat rebus omnibus.*

B Ratio à priori eſt Prima, quia gratia eſt bonum ſupernaturale, ideoque tranſcendens opes, omniaque bona & dona. *Ratio à priori. Prima,*

Secunda, quia gratia ſecum ducit virtutes & charitatem, quæ ſummum huius vitæ eſt bonum. *Secunda,*

Tertia, quia gratia eſt ſemen gloriæ: vnde ſicut ex ſemine naſcitur ſeges & fructus, ſic ex gratiã naſcitur gloria. *Tertia,*

Quarta, quia gratia facit nos ſanctos, amicos, filios, & heredes Dei, ac coheredes Chriſti. *Quarta,*

Quinta, quia gratia eſt ſumma participatio Dei & diuinitatis, iuxta illud S. Petri epiſt. 2. c. 1. v. 4. *Per quem maxima & pretioſa dona accepimus, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Et illud pſal. 81. 6. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* *Quinta,*

C DIVES ET PAVPER OBVIAVERVNT SIBI (*mutuò*, inquit Chald.) VTRIVSQVE OPERATOR EST DOMINVS] Syrus, *ambos fecit* (Arabicus, *creauit*) *Dominus*; Hebr. *faciens omnes ipſos Dominus: omnes ipſos*, id eſt vtrumque. Eſt hebraiſmus, ſimilis illi Eccleſiaſt. 3. 20. *Omnia pergunt ad vnum locum: omnia*, id eſt vterque, vel vtrique ſcilicet homo & iumenta; vti præceſſit. Hebræi ergo vocem *omne* tribuunt etiam binario, cùm Latini & Græci tribuant ternario. Vnde illud Ariſtot. *Tria ſunt omnia*, ſcilicet prima, quibus datur vox *omnia*.

Primò, Aben Ezra hanc gnomen ad præcedentem refert, quaſi illam confirmet & probet. q. d. *Tam gratia quàm nomen honorificum diuitijs eſt anteponenda; diues enim & inops ſibi obuiauerunt. Atq; hoc ita intelliges, cùm rerum cauſæ cælitus in terram deueniant,* D *homines qui hiſce afficiuntur, eas obuias habere, q. d. huic diuitias, alteri egeſtatem cælitus occurrere, quod quidem indicant illa, Vtriuſque operator eſt Deus, cùm à Deo diuitiæ pauperieſq; impertiantur, diuiteſq; ac indigentes efficiantur: verùm honorifica fama forte non eſt obuia: hanc enim mortales ſibi comparant præclarè geſtis, vt etiã gratiam, quam ab illis inibunt qui horum glorioſa geſta contemplati fuerint; quocirca multitudini diuitiarũ hæc ſunt anteponenda.* R. Leui quoque hanc gnomẽ ad præcedentẽ refert, ſed paulò alia ratione & textura: *Vt, inquit, declaretur diuitias haud ita præoptandas cõtingere, vt diues inopi mutuò occurrat, hoc eſt, paulisper diuitem à ſuis facultatibus decidere, inopem verò promoueri, & paulatim ijſdem augeri, ita vt hi pares facultatibus euadãt, Deo hunc ad pauperiem tradente, alterum ad diuitias prouehente.* Accedit R. Salomon: *Cùm pauper*, inquit, *diuitis opem implorat, vt ſibi alimenta ſubminiſtret, diueſq; acerbis verbis in illum vtatur; tunc omnia à Deo mutan-*

mutantur, ita vt hic ad egeſtatem redigatur, alter diuitijs cumuletur.

Secundò, idem R. Leui ſic explicat: *Obuiant,* inquit, *ſibi pauper & diues, quod alter abſque alterius opera vitam traducere nequeat, atque vt exemplis agamus: Si vniuerſi facultatibus pollerent, nullus eſſet qui in villa arte ac opere inſudaret, communiſq; ſocietas interiret. Quod ſi omnes paupertate laborarent, alter ab altero educari non poſſet: quamobrem conſtat aliquos à Deo diuites, alios inopes fieri, vt res creatæ conſeruentur. Hæc etiam, Diues & pauper obuiauerunt ſibi, eandem habebunt ſententiam, quam illa, Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe,* pſal. 84. Accedit auctor Catenæ Græc. *Diues,* inquit, *per eleemoſynam expiat noxam, aboletq; promeritam pœnam. Per hanc nimirum adeptus charitatem: pauper autem per humilitatem & egeſtatem caſtigatur & eruditur. Vniuerſi itaque Deum agnoſcant & laudent, qui hunc quidem vult caſtigare & premere, illum verò diſtribuere & erogare.*

Tertiò Beda: *Neque diuitem,* inquit, *propter diuitias, honores; neque pro inopia pauperem deſpicias; ſed hoc in vtroque meritò venerare, quia opus ſunt diuinum, & ad imaginem Dei facti ſunt.* Et S. Auguſt. in Quæſt. veteris & noui teſtamenti qu. 42. diuitem & pauperem accipit materialiter, non formaliter. q. d. Deus naturam humanam tam dedit pauperi quàm diuiti: Deus vtrumq; fecit hominem rationis compotem, & felicitatis capacem. Obiectioni enim occurrens ſic ait: *Cùm legamus apud Salomonem, Diues & pauper obuiauerunt ſibi: fecit autem ambos Dominus; quomodo ergo perſonarum acceptio non eſt apud Deum? longè abſit à fidelium mentibus hæc impietatis aſſertio. Nam Scriptura ne pauperem contemnendum doceret, & diuitem honorificandum: oſtendit amborum opificem eſſe Deum, non vtique in paupertate & diuitijs, ſed in eo quod ſunt. Si enim facultatibus ab inuicem diſcrepant, non tamen naturæ ſubſtantia. Nec enim quia occaſiones prouentus quoſdam faciunt in mundo, aut proſperos in diuitijs, aut infauſtos in paupertate; idcirco deſpiciendi ſunt, quos Deus non illuminauit; aut ſuſcipiendi, quibus Veritas non dedit teſtimonium. Contemnendi planè ſunt, ſed corruptores morum & ſacrilegi in lege Dei: honorandi verò diligentes Deum & diſciplinæ cultores. Hi enim diuites apud Deum habentur, qui bonæ conuerſationis ſunt; & quanto in mundo contemptibiliores ſunt, tanto magis honorificentiores ſunt in cælo.* Cauſam ab imis fundamentis, & rationem à priori ſubdit: *Ipſi miniſtrant eis, vt perſpicientes Dei voluntatem non ſolùm in mũdo, ſed & in cælo diuites ſint, ne pauci temporis diuitiæ excludant æternas: illi verò quos paupertatis cauſa deſpiciendos putant, ſi futurum Dei iudicium contemplentur, illic ſemper diuites erunt, vbi diuites ſæculi egebunt, pœnitentes ſe pauperes non fuiſſe.*

Quartò, noſter Pineda l. 6. de Rebus Salomonis c. 11. in fine, vrget τὸ *obuiauerunt*, id eſt occurrerunt obuiam iuerunt, quaſi eo ſignificetur, quâ ratione pauperi & indigenti ſubueniendum ſit ad illius inopiam ſubleuandam, nimirum non ſolùm non fugiendo, ſed ſponte accedendo, contrà quàm illi faciebant, qui *de longè ſteterunt* ad pauperis clamorem, pſal. 37. 12. non enim permittendus egenus, vt integrum ipſe iter conficiat, quo ad te deprecandum peruenire poſſit: ſed pars etiam viæ à te ſuſcipienda, vt illum quæras, illique occurras, ſicut ſcriptum eſt Prouerb. 22. 2. *Pauper & diues obuiauerunt ſibi, vtriuſque operator eſt Dominus.* Non diſſimili ſanè ratione optimus princeps & pietatis cultor, ſiue quiuis alius familiæ probus moderator, ſponte obuiàm procedere debet indigentibus, non petitus, non vocatus; ſed ſua tantùm pietate & officio impulſus, vel ad debito præmio ſubditorum ſuorum ſpontanea obſequia proſequendum, vel ad ærumnas ſubleuandas, vel etiam ad imminentia damna opportuno remedio reprimenda. Quod à Salomone optimo ſanè principe & pietatis amante, tum ſui muneris, tum parentis nomine ſanctè & piè præſtitum eſt. Hæc Pineda. Vnde Dauid 3. Reg. 2. 7. moriens Salomoni ita præcepit: *Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntq; comedentes in menſa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſalom fratris tui.*

Quintò, alij per diuitem accipiunt creditorem, vt idem dicatur hic quod c. 29. 13. *Pauper & creditor* (Hebr. *vir vſurarum*; Septuag. *fœnerator*) *obuiauerunt ſibi: vtriuſque illuminator* (fautor, cuſtos, beneficentiſſimus prouiſor) *eſt Dominus:* diuites enim B ſolent fœnerari pauperibus, eoſque ſuis vſuris ſibi obligare & debitores efficere, de quo plura cap. 29. 13.

Sextò, Baynus alio ſenſu vrget τὸ *obuiauerunt.* q. d. Fieri poteſt & ſæpè fit, vt rota fortunæ gyrante diues ab opibus ad inopiam, & pauper ab inopia aſcendat ad opes: in qua gyratione rotæ & commutatione fortunæ videntur occurrere inuicem, dum alter aſcendit, alter deſcendit, & tamen *vtriuſque eſt factor Dominus.* q. d. Nemo æſtimandus eſt ex opibus, neque ex paupertate, cùm ex his non pendeat neque fama nominis, neque gratia apud Deum aut homines: ſed hæc quæ ſunt maximè optanda, comparantur per obedientiam creatoris & factoris. *Vtriuſque operator eſt Dominus.* q. d. Dum occurrunt inuicem diues & pau-C per, in habitu exteriori ingens diſcrimen inter eos videtur, & longè pluris æſtimatur vnus quàm alter apud homines: & tamen vterque ad imaginem Dei factus eſt, quam ſi pauper ſeruauerit integram per vitæ puritatem, apud Deum factorem non erit inferior vel fama nominis, vel gratia, quàm diues, quantumuis alioqui ſit hic ſplendidus, byſſo & purpura veſtitus; ille verò ſqualidus, & vlceribus plenus, iuxta parabolam Euangelicam Lucæ 16. *Vtriuſque* ergo *operator eſt Dominus,* id eſt vtrique ſuam ſortem aſſignat Deus, vt diues pauperem non ſpernat, & vt pauper diuiti non inuideat, ſed ſua ſorte & gradu contentus vterque viuat, cùm ſciat illam non caſu, ſed ſapienti Dei conſilio & deſtinata voluntate ſibi obueniſſe, quam proinde omnes colere & venerari de-D bent.

Septimò, alij contrariè accipiunt τὸ *obuiauerunt:* nam, metaphora ſumpta à bellantibus, ſibi inimico aut contrario animo occurrentibus, intelligunt hic ſignificari contrarietatem, quæ eſt inter diuitem & pauperem: vnde vertunt, *diues & pauper contrarij ſunt,* habitu ſcilicet & conditione, & frequenter etiam animo, cùm ille inſoleſcat animo, iſte humilietur, ac demiſsè ſe gerat: ſed *vtriuſque operator,* Hebr. עשה *oſe,* id eſt formator, fictor & pictor, *eſt Dominus.* q. d. Quod hic ſit pauper, ille diues, non diſparis naturæ eſt conditio, ſed paris naturæ diſpar qualitas, ſiue pictura diuerſa: ſicut enim pictor vnam imaginem nudam pingit & fingit, aliam verò veſtit & ornat: atque ſicut in pictura nuda magis apparet ars pictoris, & pulchritudo picturæ quæ in veſtitu tegitur & obſcuratur: ſic in paupere magis appa-

A apparet ars Dei, & paritas naturæ quàm in diuite, quem opes vallant & velant. Igitur pauper eſt homo pictus, ſed nudus: diues pictus, ſed veſtitus: tolle picturam, manet par eademq; natura humana, quæ in vtroque velut imago Dei pariter eſt veneranda. Ita S. Chryſoſt. hom. 4. de Lazaro, & in pſalm. 48. ad illa: *Simul in vnum diues & pauper. Eſt enim,* inquit, *communis noſtra natura, communiter omnes voco; communis noſtra mater, communiter voco; communis noſtra ciuitas eſt orbis terrarum. Sed ſi ex paupertate ac diuitijs differentiam aliquam & inæqualitatem introduxiſtis, atque eam quoque rurſus eijcio, non diuites quidem vocans, pauperes autem expellens, ſed & hos & illos, & non ſolummodo hos & illos (verbi gratia) hos, id eſt diuites, priores, illos verò, id eſt pauperes, poſteriores; ſed ſimul in vnum, vt ſit communis conuentus, communis oratio, communis etiam auditio. Licet ſis diues, ex eodem luto natus es, idem tibi fuit cum paupere ingreſſus, &* B *idem ortus, & tu hominis filius es, & ille.* Tandem ex hiſce concludit: *Cùm ergo quæ ſunt præcipua & magis opportuna, & honore æqualia, ex æquo habeatis; cur propter vmbras & ſomnia intumeſcis ex his quæ nihil ſunt, communia diſtinguens, communia naturæ, communia ortus & generationis, communia affinitatis & neceſſitudinis? cur amiculum exteriorem adducis, vt diſtinctionem in eo efficias? non fero, non patior, & ideo voco te cũ paupere ſimul; ſimul, inquam, in vnum diues & pauper.*

Diues pauperi eget, & pauper diuite.

Octauò & optimè. q. d. In eadem ciuitate & republica alij ſunt diuites, alij pauperes, quia Deus ita ſtatuit & operatus eſt, vt alter alterius auxilijs iuuaretur; itaque in vnum corpus ciuile & politicum coaleſceret reſpubl. omnique arte & ſupellectile abundaret: diuites enim ſuis opibus alunt pauperes, vt alij ſint ſartores, alij ſutores, alij piſtores, alij fabri, alij aliam artem mechanicam exerceant: haſce enim omnes paupertas adinuenit, fecitque vt nulla reipubl. deeſſet: nam ſi omnes eſſent diuites, nemo vellet laborare, & ſic artes omnes mechanicæ ceſſarent magno hominum damno, quare diues pauperem fouere, pauper diuiti C ſubſeruire, pro eoque laborare debet: qua in re mira fuit Dei ſapientia & diſpoſitio, dum ſuas res ita diſpares & quaſi contrarias vniuit, & quaſi æquauit, faciendo vt nec diues ſine paupere, nec pauper ſine diuite viuere poſſet. Quod admirans Ariſtot. lib. 4. Polit. c. 1. *Neceſſe eſt,* inquit, *duas ciuitates in vna eſſe ciuitate, & eas quidem inter ſe contrarias; ſcilicet vnam pauperum, aliam diuitum:* ſed vtramque tanta harmonia inter ſe colligauit & conſociauit Deus, vt concordiam & concentum mirabilem efficiant. Vnde S. Auguſt. ſerm. 25. de Verbis Domini: *Diues,* inquit, *ac pauper duo ſibi ſunt contraria, ſed iterum duo ſunt neceſſaria; nullus indigeret, ſi inuicem ſe ſupportarent; & nemo laboraret, ſi ſe ambo iuuarent: diues propter pauperem factus eſt, & pauper propter diuitem factus eſt. Pauperis eſt orare, & diuitis erogare.* D

Nota τὸ *obuiauerunt*, ſcilicet nõ tam caſu quàm ſtudio, hoc eſt, *obuiam ſibi mutuo iuerunt ſeſe inuicem quærentes.* q. d. Diues & pauper deſtinato conſilio ſibi inuicem obuiàm eunt, quia alter alterius ope indiget, eamque requirit & poſtulat. Diues enim à paupere poſtulat operam, vt pro eo ſarciat, pinſat, fabricet, aret, ſerat, &c. pauper viciſſim à diuite poſtulat pecuniam & alimoniã. Diues ergo quærit pauperem eique obuiàm vadit vt eius operam conducat; pauper viciſſim obuius vadit diuiti, vt ab eo victum & lucrum aucupetur: & ſic Deus diuitem per pauperem, ac pauperem per diuitem ſuſtentat & ditat.

hic diues & ille pauper. Dei conſilio.

Significat igitur hac gnome Salomon Primò, Dei conſilio ſapientiſſimo factum, vt in hoc corrupto per peccatum mundo alij ſint pauperes, alij diuites; vt diuites pauperibus ſuccurrant, pauperes verò pro diuitibus laborent, itaq; mutuo vniantur, inuicemque adament, iuuent, foueant. Audi S. Auguſt. homil. 13. inter 50. *Pauperes egere voluit Chriſtus, ſed propter nos. Omnes pauperes quos videtis, poterat illos Chriſtus paſcere quomodo per coruum Eliam pauit, tamen cùm & ipſi Eliæ ſubtraxit coruum, vt à vidua paſceretur, non Elia præſtitit, ſed viduæ. Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipſe non vult, vt ipſi opes habeant: quando, inquam, facit pauperes, probat diuites: ſic enim ſcriptum eſt, Pauper & diues occurrerunt ſibi. Vbi ſibi occurrunt? in hac vita natus eſt ille, natus eſt &* B *iſte inuenerunt ſe, occurrerunt ſibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus diuitem quidem fecit, vnde pauperem adiuuaret; pauperem, vnde diuitem probaret. Pro viribus ſuis vnuſquiſque faciat.*

S. Baſil. hom. In diteſcentes auaros: *Quis,* inquit, *peculator ille, qui ad ſe vnum tranſfert quæ ſingulorum ſunt, &c. eſurientis eſt panis quem tu retines; nudi eſt veſtis, quam in arca cuſtodis; diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit; egentis argentum, quod tu terræ infoſſum poſſides, quare tot iniuſtus es hominibus, quos poteras opem conferre?*

Simile de vlmo & vite.

Pulchra ſimilitudine vitis & vlmi idipſum declarat Hermas S. Pauli diſcipulus in libro, qui dicitur Paſtor. Sicut enim vitis humi iacens eſt infructifera; ſi verò eleuetur & ſuſtentetur ab vlmo, tam ſibi quàm vlmo fructus ſuauiſſimos, putà C vuas, profert: ſic pauper & paupertas ſibi relicta inutilis eſt & miſera; ſin à diuite erigatur & ſuſtentetur, tam ſibi quàm diuiti commoda & fructifera eſt. Audi Hermam: *Vitis fructifera eſt, vlmus autem lignum ſine fructu eſt; ſed vitis niſi applicata fuerit vlmo, non poteſt fructum multum facere: iacens enim in terra malos fructus dat: ſed ſi ſuſpenſa fuerit ſuper vlmum, & pro ſe & pro vlmo fructũ dat. Vlmus ergo non minorem fructum dat, quàm vitis, ſed potiùs maiorem. Hæc igitur ſimilitudo poſita eſt in ſeruos Dei, in pauperem & diuitem. Diues enim habet opes, à Domino verò pauper eſt. Diſtrahitur enim circa diuitias ſuas, & valdè exiguam habet orationem ad Dominum, & quam habet, inertem habet, & non habentem virtutem. Cùm igitur diues præſtat pauperi quæ illi opus ſunt, pauper orat ad Dominum pro diuite, & Deus præſtat diuiti omnia bona: quia pau-* D *per diues eſt oratione, & virtutem magnam habet bonorum operum ſuorum.*

Vterque eſt opus Dei.

Aliam ſimilitudinem affert S. Chryſoſt. hom. 35. in 1. ad Cor. *Sicut radix,* inquit, *in pingui plantata ſolo, quæ nobis ſingulis annis tempeſtiuos affert fructus: ſic pecunia in manibus pauperum plantata non ſolùm in ſingulos annos, ſed & in ſingulos dies ſpirituales nobis fructus affert, fiduciam ſcilicet in Deum, peccatorũ abſceſſũ, conſcientiam bonam, lætitiam ſpiritualem, ſpem iucundam, aliaq; bona quæ præparauit Deus diligentibus ſe.*

Secundò, hac gnome ſignificat Salomon vtrũque eſſe opus Dei, tam quoad ſubſtantiam, putà humanam naturam, quàm quoad conditionem paupertatis vel opulentiæ: Deus enim hunc facit pauperem, illum diuitem iuſtiſſimis de cauſis. Hoc ergo opus Dei quiſque agnoſcat, veneretur & laudet. Ait ergo: *Diues & pauper obuiauerunt ſibi*, id eſt, paſſim ſibi occurrunt diſpares opibus, ſed pares creatione, ideoque nec diuiti

ſuper-

ſuperbiendum, nec pauperi mœrendum: tum quia natura, vt dixi, ſunt pares, tum quia ſic voluit Dominus, vt mutuis auxilijs & officijs hæc vita contineretur, non omnes eſſe diuites. tunc enim nemo laboraret; nec omnes pauperes: tunc enim non poſſent ſeſe alere, tum deniq; quia tam paupertas, quàm diuitiæ donum eſt Dei. Nam ſicut Deus diuitibus dat diuitias ad charitatis & eleëmoſynæ, ita pauperibus dat paupertatem ad laboris & patientiæ materiam & meritum, cum gratia vtriſque proportionata. Et hæc omnia hic intendere videtur Sapiens.

Vterque ſua ſorte ſit contentus. Tertiò, vtrumque ſua ſorte contentum eſſe debere, ac in Dei ita diſpertientis beneplacito conquieſcere; præſertim quia Deus ſæpè pauperes cenſu facit diuites ſenſu & ſapientia; vti patuit in Apoſtolis & primis fidelibus, teſte S. Iacobo in ep. c. 2. v. 5. *Nonne Deus*, inquit, *elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* imò Deus ipſe veniens in carnem pauperem vitam egit. Vnde S. Chryſoſt. apud Maximum ſer. 12. *Gnoma.* *O quanta*, inquit, *dignitas paupertatis eſt: Dei ſit perſona* (vel Dei ſuſtinet perſonam) *latet in paupertate Deus. Et pauper eſt, qui manum protendit, ſed Deus eſt qui recipit.* Et Plutarch. ibidem: *In bello*, inquit, *ad ſe tuendum vtilius eſt ferrũ quàm aurũ: in vita autem ratio diuitijs præſtat. Talares togæ corpora, nimiæ diuitiæ animos impediunt.* Et Ariſtoteles: *Paupertas multis eget, inſatiabilis cupiditas omnibus.* Democrates rogatus, qua ratione *quis diues fieri poſſit?* reſpondit: *Si cupiditatum pauper erit: ſi non multa concupiſcas, pauca etiam multa videbuntur: exigua enim appetentia paupertatem opulentiæ efficit parem, quantum eſt in natura, omnes ſumus diuites; ſed quantum eſt in nobis, omnes ſumus pauperes. Maxima mala effugerunt pauperes, inſidias, inuidiam, odium, in quibus diuites quotidie verſantur.* Ariſtides cognomento Iuſtus, cuidam paupertatem ſibi exprobranti: *Mihi*, inquit, *paupertas nihil mali videndum præbuit, tibi autem diuitiæ turbas non paucas.* Muſonius: *Craſſi*, ait, *& Cyri theſauros, velut extremæ paupertati obnoxios damnabimus; vnum autem ſolum diuitem credimus ſapientem, vt qui poſſit vbique tantum reperire, quantum indigentia poſtulat.* Xenophon: *Paupertas eſt philoſophia; quod enim hæc ore ſuadet, illa opere perficit.*

Diuites amment pauperes. Quartò, Salomon monet diuites non debere ſpernari pauperes, ſed eos vt fratres, eiuſdemque Dei patris filios complecti, alere & fouere, ad hoc enim eis Deus dedit opes. Vnde Philo apud Maxim. ſerm. 12. *Gnoma.* *Diuitiarum pulchritudo*, inquit, *non eſt in crumena, ſed in egentiũ ſubuentione.* Et Moſchion: *Sicut ornatus equorum, & nidus auium, vt extollantur & geſtiant, non efficiunt. ſed in illo pedũ velocitas, in his alæ: ſic homini non ornatus, non deliciæ, ſed bonitas & beneficentia gloriam pariunt.* Menander: *Beatus eſt ille, qui opes & mentem habet. Is enim honeſtè vbi decet eis vtitur. Animam decet habere diuitem, pecuniæ verò iſtæ nil aliud ſunt quàm oſtentatio & exterior ornatus vitæ.* Dion: *Deridendi*, inquit, *ſunt, qui eius generis diuitijs ſtudent, quas fortuna largitur, illiberalitas ſeruat, benignitas auſert.*

Vterque quærat opes cœleſtes. Denique hac gnome tacitè monet, pauperi per laborem & tolerantiam, diuiti per continentiam & liberalitatem contendendum eſſe ad vitam futuram, quæ ſolidis æterniſque opibus abundat: ad hanc enim vtrumque creauit, vocauit & deſtinauit Deus. Vnde Iſocrates: *Præſentibus*, ait, *contentus eſto, & meliora quærito.* Et Philiſtion: *Etiamſi fueris terræ decem millium cubitorum dominus, mortuus tamen eris trium dumtaxat vel quatuor.*

Vers. 3. CALLIDVS VIDIT MALVM, ET ABSCONDIT SE: INNOCENS PERTRANSIIT, ET AFFLICTVS EST DAMNO] *Callidus*, hebr. ערום *arum*, id eſt aſtutus, dupliciter capitur: Primò, in malam partem pro vafro, doloſo & fraudulento: Secundò, in bonam pro prudente, cauto & circumſpecto. Innocens quoque oppoſitus callido, heb. פתי *pethi* id eſt ſimplex, dupliciter capitur: Primò, in bonam partem pro ſincero, candido, recto, mali & doli experte; Secundò, in malam pro inexperto, rudi, imprudente, inſipiente, de quo dicitur c. 14. 15. *Innocens credit omni verbo.*

Primò, Beda & Hugo iuxta priorem callidi & innocentis acceptionem, ſic explicant: *Callidus*, id eſt hypocrita, vafer & fictus, qui cum fidelibus & probis fidelis eſt & probus, vbi ipſis pro fide & probitate imminere videt perſecutionem, ſubducit & abſcondit ſe: at verò *innocens*, id eſt ſincerus & rectus, firmo pede procedit, ac pro fide & virtute damno mortique ſe fortiter exponit. Vnde Beda per exemplum ſic exponit: *Multi ex principibus crediderẽ in Dominũ, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt de Synagoga non eijcerentur. Etenim erant callidi; videbant malum perſecutionis quod imminebat, & abſconderunt fidem pietatis, quam parumper conceperant. Innocentes verò Apoſtoli pertranſierũt itinere recto profeſſionis quo cœperunt, & afflicti ſunt verbere, vinculis, carcere, & ipſa etiam morte mulctati. Vtrumque autem exemplum vſque nunc in certamine fidei, & in communibus multi ſequuntur actibus.* ſic ille. Huc facit parabola paſtoris & mercenarij propoſita à Chriſto Iohan. 10. Mercenarius item velut hypocrita & callidus veniente lupo, vt vitæ periculum declinet, fugit: vnde lupus rapit & diſpergit oues: at verò paſtor bonus velut innocens, id eſt ſincerus & rectus, lupo ſe opponit, imò *animam*, id eſt vitam ſuam, *ponit pro ouibus*, vti fecit Chriſtus.

Secundò, meliùs alij paſſim iuxta ſecundam acceptionem callidi & innocentis, ſic exponunt. q.d. *Callidus*, id eſt vir prudens & cautus, eminus proſpicit futura, vnde præuidens imminere aliquod malum ſolerter illud declinat, & prudenter ſeſe abſcondit, itaque malum euadit: at verò *innocens*, id eſt inexpertus, imprudens, inſipiens, qui futura non proſpicit, ſecurus via ſua pergit, vnde ſæpè in damna non leuia incurrit, vt hic idem ferè dicatur quod c. 14. 15. *Sapiens timet, & declinat à malo: ſtultus tranſilit, & confidit.* Heb. enim פתי *pethi*, propriè ſignificat rudem, inexpertum, incautum, temerarium, ſtultum, vt vertunt Septuag. Chald. Syrus & alij, qui inſtar ouis ſtolidæ vltrò ſe in periculum ingerit & incurrit, dum ſponte occurrit lupo vel lanioni, ab eoque pacificè ſinit ſe duci ad macellum.

Hæc gnome generalis eſt & ampla, vnde varijs caſibus aptari poteſt, vt legibus pœnalibus, exactionibus, mulctis, inſidijs, periculis, incurſibus hoſtium, &c. in hiſce enim cauti & prudentes ſubducunt ſeſe & abſcondunt, vti fecit S. Athanaſius in perſecutione Arrianorum, imò Chriſtus in perſecutione Phariſæorum: ſtulti verò eas temerè prævaricantes, vel audacter, cæciſque oculis pertranſeuntes, mulctantur & damnis afficiuntur. Quocirca Septuag. hanc gnomen arctantes ad leges pœnales, quibus propriè competit, ſic vertunt, *callidum videns malignum puniri, valde ipſe eruditur:*

imprudentes autem peatereuntes damno affecti ſunt : A vel, vt neruoſiùs, paraphraſticè vertit auctor Catenæ Græc. *Cùm prudentes promerita pœna nequam homines mulctari cernunt, præpotens eruditionis exemplum inde capiunt: at ſtulti qui clauſis oculis hæc pertranſeũt, in detrimentum incurrunt.* Septuag. ſequitur Syrus: *Aſtutus*, inquit, *vidit improbum flagellari, & vehementer correptus eſt: ſtulti autem pertranſierunt ſuper eum, & damno affecti ſunt*; Chald. *inſipientes tranſierunt, & mulctati ſunt.* R. Salomon: Prudens, ait, pœnam noxæ impoſitam animaduertit, & abſcondit ſe, hoc eſt, ne piaculum, indeque pœnam illi ſtatutam incurrat, ſe maximè cohibet: imprudens & temerarius audacter prorumpit, & in periculum damnumque vltro ſe conijcit.

Sapiens declinat periculum. Salomon ergo hac ſententia, inquit Ianſen. indicat fructus ſapientiæ & inſipientiæ, vt ſic ad ſapientiam inuitet, & à ſtultitia auocet: vt autem in temporalibus rebus, quod hic Sapiens dicit, viſu B venire videmus, ita multò magis in ſpiritualibus rebus illud obſeruandum eſt. Qui enim verè ſecũdùm Deum prudens eſt, per fidem & Scripturarum cognitionem videt mala aliquando peccatoribus obuentura, ideò abſcondit ſe à peccatoribus, inter quos verſari recuſat; abſcondit ſe elongando ſe ab his rebus, per quas in mala illa poſſet incidere; abſcondit ſe, latitando ſub vmbra alarum Dei: ſtultus verò & imprudens tranſit cõfidenter, in ſuis deſiderijs progrediens & illecebris mundanis. Inde affligetur aliquando, ſiue hic, ſiue in futuro, malo, quod præuidere & cauere noluit: qua in re ſapiens imitatur aſtutiam ſerpentis, qui Gen. 3. v. 1. dicitur ערום *arum*, id eſt callidus. Serpens enim in hieme, vt frigoris damna caueat, in antris & latebris, vbi aura eſt calidior, ſeſe abſcondit; itaq; calorem & vitam conſeruat, donec ver & æſtas C appetat. Rurſum cùm homines eum perſequuntur, in ſiluis ſub herbis & folijs ſe abſcondit; itaq; mortem effugit. Idem facit vir prudens.

Idem faciunt animalia, Hanc calliditatem fugiendi & abſcondendi ſe ingruente periculo, natura docuit beſtias & animalia, præſertim inualida & imbecilla, quibus omnis ſalus eſt in fuga & in latebris, vt ex ijs eamdem diſcant homines. Ita conchæ contra polypos *vt concha,* & ſimiles venatores ſua teſta ſe abſcondunt: vnde *polypi inſidiantur apertis, impoſitoq; lapillo, ita ſecuri graſſantur, extrahuntur carnes*, inquit Plin. l. 9. c. 30. *polypi,* Polypus viciſſim cùm hoſtem metuit, *ſub ſaxa ſubtectus deſidet, & in horum colorem ſe mutat, vt ſaxum eſſe videatur*: ſic piſces maiores fugit, minores autẽ fallit: nam hos *ad ipſum tamquã ad ſaxum adnatantes incautos brachijs ſuis, tamquam retibus capit*, ait Ælian. D l. 1. Var. hiſt. Idem docet Ariſtot. l. 9. Hiſt. anim. c. 37. Plinius l. 9. c. 29. Oppianus & alij. Oſtrea ſiue *Oſtrea,* conchylia, cùm cancrum ſuum hoſtem ſentiunt, concham claudunt, eaq; ſe condunt; vnde cancer illis inſidians *explorat*, inquit S. Ambr. l. 5. Hexam. c. 8. *ſi quando oſtreum remotis in locis ab omni vento, contra ſolis radios diptychum aperiat, & reſeret clauſtra teſtarum, vt libero aëre viſceris ſui voluptatem quamdam capiat: & tunc clanculò calculum immittens impedit concluſionem, ac ſic aperta clauſtra reperiens, tutò inſerit chelas, viſcera interna depaſcitur.* Cancri pariter *cancri,* dum cruſtam mutant, ſicut ſerpentes pellem, in ſabulo iacent & latent, mortuorum ſimilitudinẽ ſpeciemque gerentes, donec cruſta recreſcat, qua tecti & armati amiſſo timore confidenter prodeunt, inquit Ælian. l. 9. de Animal. c. 45. Teſtudi- *teſtudines,*

nes domiportæ ſuâ teſtâ quaſi conchâ ſe abſcondunt: idem faciunt cochleæ. Rurſum Ælianus l. 10. c. 5. perdices & ardeas, hoſtes ſuos à cochleis agnoſci ſcribit, & fugâ ſibi cauere. Atque è cochlearum genere ariones vocari, quæ naturali quadam calliditate aues iam dictas decipiant & eludant; egreſſas enim teſtis ſuis abſque metu paſci, aues vero ad teſtas vacuas fruſtra aduolare, & vt inanes viderint tamquam inutiles abijcere, & ſe recipere aliò: dein redire illas, quamque ad ſuam domum, & cibo iam ſaturas, & dolo ſuo incolumes. Hiſtrix, ſiue ericius, porcellus hortenſis, ex horto poma ſuffuratur, dumque venatorem videt *ericij,* ſe intus colligit, totumque ſe ſpinis velut lanceis ſuis obtegit & abſcondit. Idem faciat vir cautus & prudens, ac præſertim dum alias non habet latebras, ad mentis arcanum confugiat, ibique Deum in auxilium vocet, in eoq; ſe abſcondat, vti faciebat S. Catharina Senenſis: ſic quaſi echinus quidquid inſidiarum præſenſerit, ſpinis ſuis claudetur, atque in ſua ſe arma colliget, vt quicumque eum contingendũ putauerit, vulneretur, inquit S. Ambroſ. l. 6. Hexam. c. 4. & S. Baſil. hom. 9. Hexam. Crocodili Nili augmenta præſentiunt, vnde ante *crocodili,* illa, oua ſua ad inacceſſa Nilo loca mira prouidẽtia transferunt. Hinc qui ea offendunt, quantum Nili futurum ſit incrementum, quantaque terræ fertilitas, facilè colligunt. Miluus, vt docent Phyſi- *milui,* ci, quin & Ieremias c. 8. v. 7. hibernis menſibus latet, nouitq; quando ſit prodeundum, aura ſcilicet clementiore, quod idem de turture, de hirundine, de cuculo, de gruibus, de ciconia dixeris, quibus id ſolemne eſt, vt intelligant ſibi brumæ tempore à nobis abeundum, atque in aprica loca recedendum. Præterea turtur nido ſuo, ne pullos ſuos in- *turtures,* curſet lupus, prouidet, ſquillæ ei folia ſuperiaciendo. Apes pluuias & frigora præſentiunt, & quan- *apes,* do horum alterum, aut vtrumque impendere cõiecturis aſſequuntur, non procul ab aluear i volitant, ſed circum illud conuolantes veluti foribus incubant. Denique grues tempeſtates præſentiunt; *grues.* vnde à mari deuolant ad mediterranea: ſic & boues, equi, oues, ceteraq; animalia eas præſagiunt, & ad ſtabula locaúe tuta confugiunt.

Hinc diſce prouidentiam, ô homo, & per rationem proſpice corporis animæque pericula, eaque fugiendo præcaue: proſpice, inquã, Sodomæ, id eſt mundi libidinibus, omniq; ſcelere æſtuantis incendia, ac cum Lot fuge ad montem, ad ſeceſſum, inquam, ad ſtatum tutiorem & perfectiorẽ. *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* ait æterna Veritas. Vide S. Ambroſ. tract. de fuga ſæculi. Nota eſt vox angeli ad S. Arſenium, Arcadij & Honorij Imp. magiſtrum: *Arſeni fuge, tace, quieſce, ſic ſaluus eris.*

FINIS MODESTIÆ TIMOR DOMINI, DIVITIÆ, ET GLORIA, ET VITA] Pro *finis* hebr. eſt עקב *ekeb*, quod Primò, ſignificat calcaneum & plantam pedis, vnde dictus eſt *Iacob*, id eſt ſupplantator, quod naſcens tenuerit plantam Eſau fratris, eumque poſtea ſupplantarit præripiendo ei ius primogenituræ; Secundò, finem, quia vltimũ & finis humani corporis eſt calcaneus; Tertiò, mercedem & fructum: merces enim eſt finis operis. VERS. 4.

Iam Primò, Lyran. per *modeſtiam* accipit moderaRM-

Primò, eſt continentia. derationem actionum & paſſionum, putà continentiam: hæc enim parit timorem Domini, opes, gloriam, vitam longam & æternam. Modeſtia enim à modo dicta eſt, ait Cicero in Offic. & Iſidor. l. 10. Etymol. litt. M. *Modeſtus, ait, à modo dictus & temperie, nec plus quidquam, nec minus agens.* Et Nonius Marcellus: *Modeſtia, ait, moderatio, modus, modicum, mediocre, eſt baſis virtutis, ex qua gignitur moderatio, quæ temperat aurigatq́; modos in factis & dictis.* Alij, *modeſtia dicitur quaſi modus honeſtatis; honeſtas autem eſt pulchritudo virtutis.*

Secundò, conſtantia. Secundò, Beda per *modeſtiam* accipit conſtantiam: *Modeſtiam, inquit, dicit conſtantiam operum bonorum, timorem verò Domini illum qui permanet in ſæculum ſæculi: quia nimirum perfectio virtutum eſt ad hunc animi ſtatum conſcendere, quo gratiam conditoris vel in modico timeamus offendere; nihil prorſus eius memoriæ præponentes; quæ alibi vocatur charitas perfecta, foras mittens timorem, ſeruilem videlicet & incipientē, quo metuit quiſque, ne fortè peccando pœnis mereatur ſubigi. Quod autem ſubiungit: Diuitiæ, & gloria & vita, in futuro ſignificat. Finis ergo modeſtiæ timor Domini, diuitiæ & gloria & vita: quia nimirum perfectio virtutum eſt in hac vita, vt timeamus Dominū timore ſancto, hoc eſt, ſyncera illum dilectione colamus: finis virtutū in futuro, vt diuitijs hereditatis promiſſæ regni cæleſtis gloriam, & vitam ſine fine percipiamus à Domino. Vnde Petrus:* *1. Pet. 1.* *Itaque cùm videritis, exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.*

Tertiò & genuinè, humilitas. Tertiò & genuinè, modeſtia eſt humilitas & manſuetudo, qua quis modeſtè, id eſt humiliter & manſuetè, ſe gerit: hæc enim hebr. vocatur ענוה *anaua*. Vnde ענו *anau* vocatur mitis & manſuetus. Humilitas enim eſt fundamentum, radix & parens timoris Domini & virtutum omnium: ipſa enim humilem ſubſternit Deo & hominibus, vt Deum reuereatur, metuat, colat, amet, eius leges ſeruet, ipſique per omnia obediat. Ipſa ergo parit timorem Domini eiuſque augmentum, ac per eum Dei gratiam, per quam à Deo emeretur & impetrat opes, gloriam, longæuitatem, & tandem vitam æternam, iuxta illud c. 3. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* Vbi *longitudo dierum*, ac vita diuturna proponitur tamquam primum & præcipuum bonum; vnde & dexteræ tribuitur: *diuitiæ & gloria* ſubſequuntur, & ſiniſtræ tribuuntur, tamquam bona vitæ acceſſoria. Et c. 10. longitudo dierum timori Dei tribuitur, *Timor*, inquit, *Domini apponet dies.* Et c. 19. *Timor Domini ad vitam* eſſe dicitur: Tria autem illa humilitas, & timor Domini adfert homini plerumque etiam in hac vita; ſemper autem copioſiùs & perfectiùs in futura vita. Hunc ſenſum vt & noſtra litera habeat, ſic accipienda eſt, vt ſignificetur modeſtia perducere hominem ad firmiter & ſanctè timendum Deum, & per hunc timorem adferre etiam homini diuitias, gloriam & vitam. Ita Ianſen. Similia prorſus habet Siracides Eccli. 1. v. 11. & ſeq. Vide ibi dicta.

Hinc Chald. vertit, *merces manſuetudinis* (Syrus, *extremæ humilitatis*) *eſt timor Domini, opes, gloria & vita*; R. Salomon, *propter modeſtiam*, inquit, *diuinus timor inditur.* Alij ſubaudiendo copulam *&*, ex Hebræo ſic vertunt, *merces modeſtiæ, & timoris Domini ſunt diuitiæ, gloria & vita*; quia modeſtia timori Domini eſt coniuncta, & ſicut illum parit, ſic viciſſim ab illo pariter & augetur, adeoq; quantum

A creſcit vna, tantum creſcit & altera.

Septuag. pro *modeſtia* vertunt, *ſapientia*, quia modeſtia & humilitas eſt vera ſapientia; ſicut ſuperbia eſt inſipientia. Vnde humilis practicè eſt ſapiens, ſuperbus verò inſipiens. Vertunt ergo, *generatio, vel progenies, ſapientiæ timor Domini, & diuitiæ, & gloria, & vita*; hoc eſt, vt vertit & explicat auctor Catenæ Græcor. *Timor Domini parit ſapientiam, & gloriā, & ſpiritales opes. Ceterùm per ſapientiæ ortum virtutes omnes inter ſe connexas indicat, vt quæ omnes ſapientiam habeant matrem. Aut contrà, Domini timorem ſapientiæ parentem eſſe ſignificat, aut ſapientiæ ſanè generationem timorem Domini includere inſinuat: ſiquidem timor Domini ijs ſunt opes, & gloria, & vita, qui poſſident illam.* Hæc eſt ergo progenies & proſapia ſapientiæ: ſapientia ſiue prudentia generat timorem Domini, hic generat opes, hæ gloriam, gloria vitam longæuam & æternam.

B Alij per hypallagen, vel per metatheſin, verba tranſponentes ſic vertunt, *progenies timoris Domini eſt modeſtia*, vel *manſuetudo, diuitiæ, gloria, & vita*: iuxta illud Iſaiæ 26. ſecundùm Septuag. *propter timorem tuum Domine vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ, quam fecimus ſuper terram.*

Secundò, Caiet. Heb. עקב *ekeb*; id eſt, *finis*, vertit, *calcaneu*: vnde ſic transfert per metatheſin iam dictam, *Calcaneus timoris Domini eſt manſuetudo, diuitiæ honor & vita*, quod Caiet. ſic explicat: Vis manſuetudinis qualis ac quanta ſit deſcribitur relatiuè ad Deum, facultates, honores & vitam, eſt enim ſenſus, quòd vera manſuetudo calcat omnia, relatiuè quidem ad Deum, timendo ſummum Deum; relatiuè verò ad facultates, merendo diuitias; relatiuè autem ad honores, reddendo eos debitos ſibi; &
C demum relatiuè ad vitam animæ, ſeruando illam: quamuis etiam ad vitam corporis extendi poſſit, eò quòd manſuetus calcat præcipuè iras proprias & alienas, ac per hoc nocumentis vitæ corporeæ obuiat. Deſcribitur autem manſuetudinis vis à calcaneo, tum ad deſignandam manſuetudinis virtutem perfectam vſque ad extremam partem, ſignificatam calcaneo; tum ad ſignificandum actum manſuetudinis, qui eſt calcare; manſuetorum enim eſt officium vincere, & calcare omnia animi quiete; ſed niſi ipſa calcatio fiat finali timore Dei, non virtus, ſed apparentia virtutis eſt: cùm autem timore Dei fit, omnia meretur bona facultatum, honorum, & vitæ, frequenterque affert ea in republ. bene diſpoſita: libenter enim tales eliguntur & promouentur ab alijs. Hæc Caiet.

Igitur hac verſione ſignificatur Primò, magnanimitas & celſitudo viri ſapientis, humilis & man-
D ſueti, quòd ſcilicet animo fixus in cælo & Deo pedibus & calcaneis calcet omnes terræ opes, honores & pompas, æque ac omnem animi faſtum, libidinem, cupiditatem, iuxta illud Eccli. 25. 14. *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.*

Huc facit quod ſcribit Plinius l. 29. c. 20. lupi calcaneum tantæ eſſe energiæ, vt, ſi eius veſtigia calcet equus, quaſi obſtupeſcens ſiſtat, pedemque figat. *Calcaneum lupi ſtupefacit equum.* Rationem phyſicam dant phyſici, quòd equus ex veſtigio lupū hoſtem ſuum ſubodoratus metu percellatur, ideoque quaſi pauidus horreat, ſpiritus iraſque ſuas frangat & domet: ſimili enim modo timor Domini mentem percellens omnem eius faſtum & cupiditatem frangit & edomat. Narrant de equo feroci & indomito, hac ratione

cum fuiſſe edomitum & cicuratum. Immiſſus fuit in eum leo, equus ferox in angulo caput collocans calces obuertit leoni, iiſque in caput eius impactis hoſtem interimit: ſed ex timore in hoc duello concepto ferociam ponens, cicur euaſit, frænaque & ſeſſorem paſſus eſt: ſic pariter timor Domini feroces, altos cupidoſque mentis ſpiritus edomat, & per manſuetudinem ſubigit & cicurat.

Adhæc calcaneus ſignificat manſuetum, calcando opes & honores, ijs dominari, eorumque dominium & poſſeſſionem immiſſo quaſi per manſuetudinem pede & calcaneo adire. Rerum enim poſſeſſio pedis calciſq; impoſitione captatur. Hinc poſſeſſionem à pedum ſeſſione Grammatici deriuant. Manſuetudo ergo eſt quaſi calcaneus, quo capitur tum corporis & paſſionum, tum opũ honorumque poſſeſſio, iuxta illud à Chriſto promiſſum Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Rectè autem, inquit Salazar, manſuetudini calcaneus datur, quia calce veſtigia premuntur, & via teritur: nulli autem hominum veſtigia ſua tenaciùs virtuti affigunt, atque adeò eiuſdem viam tritam & apertam alijs capiendam offerunt, quàm mites. Hinc eſt illud pſalm. 24. 9. *Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas*, vt nimirum alij veſtigijs eorum inſiſtant, & quam ipſi extriuerint viam carpant.

Denique R. Salomon vertit, *calcaneus modeſtiæ eſt timor Domini; Quia*, inquit, *modeſtia eſt præcipua rei pars, & quaſi fundamentum: timor autem eſt id, cuius minor ratio habetur, quando ſubſequitur; ad pedes enim modeſtiæ timor incedit*: tum quia modeſtia à modo dicta mentem componit, & in medio virtutis collocat: vnde imperat timori ceteriſq; animi paſſionibus & affectibus, quos facit ſibi obſequi, & quaſi ad pedes ſuos incedere: tum quia hæc modeſtię & humilitatis congrua eſt merces, ideoq; illi debita, & à Deo attributa, vt, quantum ſe omnibus ſubijcit, tantum omnibus emineat & dominetur, adeoq; ipſa virtutum omnium ſit vti fundamentũ & baſis, ſic & culmen apexque; quòd ceteras virtutes contineat, imò progeneret & regat, vt velut filiæ ad pedes eius incedant.

Verſ. 5. ARMA ET GLADII IN VIA PERVERSI: CVSTOS AVTEM ANIMÆ SVÆ LONGE RECEDIT AB EIS] Pro *arma* hebr. eſt צנים *tſinnim*, quod ſignificat quid præacutum; vnde Primò, ſignificat ſpinas, ſudes & tribulos quia acutos; Secundò, lanceas, clypeos & arma acuta; Tertiò, frigus, vt patet Prouerb. 25. 13. quia frigus inſtar ſpinæ acutæ penetrat & pungit carnem.

Rurſum pro *gladij* hebr. eſt פחים *pachim*, id eſt *laquei*; item *laminæ*, quæ inſtar laqueorum extenſæ & expanſæ ſunt, vt patet Exod. 39. 3. Num. 17. 3. item *gladij*: hi enim ſunt laminæ extenſæ, & à Belgis alijſque gentibus laminæ vocantur. Hinc

Primò, R. Leui vertit, *frigus & laquei in via peruerſi*; aliqui legunt *ſuperbi.* q. d. Via, per quam ad ſua ſcelera procedunt peruerſi & ſuperbi, eſt moleſta & horrida, quaſi rigida & frigore congelata, atque laqueis obſepta, nimirũ eſt laborioſa, ardua, periculoſa, plenaq; moleſtijs, curis, angoribus, doloribus Conſidera viam vitamq; latronum in ſiluis, qui frigora omneſq; cæli iniurias, item metus & pauores aſſiduos, ac pericula quotidiana patiuntur, & cogita ſimilem eſſe vitã quorumuis peruerſorum. Rurſum ſicut frigore concreſcunt, & in altum tolluntur cumuli glaciei & niuis, ſic & ſu-

A perbia in ſublime iugiter attollit ſuperbos: *Quoniam enim quaſi cumulos erigit glacies, ſic ſtultos erigit ſuperbia*, ait S. Aug. in pſal. 147. Denique ſicut frigus glaciem durat ſolidatq; in cryſtallum: ſic malitia obdurat corda peruerſorum.

Secundò, meliùs alij paſſim vertunt, *ſpinæ & laquei.* Ita Septuag. *Tribuli*, inquit, *& laquei in vijs tortuoſis occurrunt; qui autem cuſtos eſt animæ ſuæ, abſtinebit ab illis*; Syrus, *retia & laquei in via peruerſa*; Chald. *pedica & laquei.* q. d. Peruerſi peruerſitatis ſuæ duplicem pœnam luunt: primam, quòd illa quaſi ſpinæ ipſos pungat & cruciet; ſecundam, quòd eadẽ quaſi laqueus eoſdem irretiat & obſtringat, vt ab eà ſe liberare & expedire nequeant. Ita guloſus ſua gula & crapula, libidinoſus ſua luxuria velut ſpina pungitur & cruciatur, dum per eam morbũ Gallicum, alioſque morbos, angores & pericula incurrit, ac illa ipſa velut laqueo detinentur, vt ab
B illà ſe expedire, & caſtitati vacare nequeat, vti de ſe in Confeſſionibus fatetur S. Aug. Sic auari inhiantes lucro & opibus, ijs velut ſpinis punguntur, & velut laqueis illaqueantur, dum ob eas fraudes & vſuras committunt, quibus animam illaqueant & ſuffocant. Hinc Caiet. & Bayn. per ſpinas & laqueos hoc loco intelligunt diuitias, ſicut Chriſtus eaſdem nuncupauit ſpinas Matth. 13. 22. *Spinæ enim ſunt*, ait S. Greg. *quia cogitationum ſuarum punctione mentem lacerant, cumq; ad peccata pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.*

Tertiò & neruoſiùs, pro *ſpinæ & tribuli* Noſter vertit, *arma & gladij*, eaq; tam actiuè, quæ ſcilicet feriant alios; quàm paſſiuè, quibus ſcilicet feriantur & ipſi, ſiue quæ impij tum alijs, tum ſibiipſis
C neſcientes ſtruunt. Vnde Beda, *Dupliciter*, inquit, *intelligendum, quia peruerſi armati ſemper ſunt ad nocendum proximis verbo vel opere ſcelesto, & ipſos parata ſemper expectat vltio diuini examinis. Qui verò animã ſuam in æternum ſaluari procurat, longè refugit ab huiuſmodi armis & gladijs, quia & mentem manumque ſuam à proximorum læſione refrænat, & ne animaduerſione diſtricti iudicij feriatur, intenta mente præcauet.*

Et clariùs Ianſenius: Dupliciter, inquit, hæc gnome intelligi poteſt: nam *in via peruerſi*, hoc eſt in eius viuendi ratione, ſunt *arma & gladij, ſpinæ & laquei*, ſiue quia peruerſus alijs verbo & facto nocere ſtudet, & veluti armis & gladijs impetere, ac veluti ſpinis pungere, atque laqueis fraudis & doli inuoluere: ſiue, quia ipſemet ſua peruerſa vita ſibi mala conciliat, ac veluti gladijs cõfoditur, ſpiniſq; conſcientiæ remordentis pungitur, ac laqueis dia-
D boli implicatur, à quo captiuus detinetur ad ipſius voluntatem. Conſentit cum illo, *Contritio & infelicitas in vijs illorum.* Sic & dupliciter accipi poteſt, quod ſequitur: *Cuſtos autem animæ ſuæ longè recedit ab eis.* Nam qui ſolicitè animã ſuam ſeruare ſtudet, mentem manumq; ſuam ab omni læſione proximi refrænat, & ne conſcientia ſua hic veluti gladijs & ſpinis quibuſdam lædatur, aut ne aliquando gladio vltionis diuinæ feriatur, tota mentis intentione præcauet. Vnde Irenæus l. 3. c. 3. refert de S. Ioanne, quòd, cùm Epheſi vadens lauari vidiſſet intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens quòd timeret ne balneum concideret, quòd in eo eſſet Cerinthus inimicus veritatis.

Denique τὸ *cuſtos* ſignificat ſapientem qui curã animæ gerit, quaſi excubitorem in ſtatione excubare, indeq; eminus proſpicere hoſtium inſidias, arma, machinationes & fraudes, vt contra ea ſe muniat,

muniat, vel fugiendo euadat, iuxta illud, *Vita mortalium vigilia*. Hinc R. Salomon Hebr. *ſchinim*, id eſt *arma*, vertens *latrones*: *Latrones*, inquit, *& laquei ſunt abſconditi in via profligati*, id eſt calamitates & pœnæ eidem imminent: cuſtos verò animæ ſuæ, qui ſcilicet rebus ſuis proſpicit, ſuaſque actiones ritè inſtituit, huiuſmodi diſcrimina euadet. Alludit ad illud pſ. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur pars calicis eorum.*

Myſticè Hugo: Arma & gladij, inquit, ſunt potentia & opulentia ſæcularis, quibus peruerſi pollent, iuſtoſque premunt, & ſæpè opprimunt; ſed qui vigil eſt & cuſtos animæ ſuæ, ſua vigilantia & ſolertia ea declinat & effugit.

Vers. 6. PROVERBIVM EST: ADOLESCENS IVXTA VIAM SVAM, ETIAM CVM SENVERIT, NON RECEDET AB EA] Putant aliqui, τὸ *prouerbium eſt* non eſſe in Hebræo, Chaldæo, Græco & Syro; ſed ſubintelligi. Hanc enim gnomen citat hic Salomon velut prouerbium vſu tritum, quod in vulgi ore paſſim verſabatur. Verùm errant, vt mox patebit.

Hebr. ſic habent: *Dedica*, vel *initia*, *puerum ad os viæ ſuæ, etiam cùm ſeneſcit, non recedet ab ea*; Græca Complut. & Regia (in Romanis enim hic verſus deeſt) ἐγκαίνισον, id eſt *dedica*, vel *innoua puerum iuxta viam eius, & quamuis ſenuerit non recedet ab ea*; alij qui legunt, *dedicatio iuuenis ſecundùm viam eius*; Chald. *erudi adoleſcentem*; Syrus, *qui corripit puerum iuxta vias ſuas; quamuis ſeneſcat, non recedet ab eis*; Pagnin. *imbue puerum*; Caietan. *aſſueſac puerum*. Hebr. enim חנך *chanoch*, ſignificat initiare, dedicare, imbuere, erudire, aſſueſacere. Sicut ergo *chanucchath habbait* vocatur dedicatio domus, ſic *chanucchath hannaar* vocatur dedicatio, id eſt prima inſtitutio, pueri. Græci κατήχησιν vocant. Vnde extat apud Hebræos *Sepher chinnuch* de prima puerorum inſtitutione. q.d. Catechiſmus, ſiue doctrina puerorum.

Noſter vertit, *prouerbium eſt*, at qua ratione, quo reſpectu? Reſp. quia *chanoch* accepit non vt imperatiuum, ſicut ceteri iam citati, ſed vt infinitiuum, qui ſæpè ſubit vicem nominis: *chanoch* ergo idem eſt quod *dedicare & vernaculare*. q. d. *Dedicatio eſt*, ſiue *vernaculum eſt*, hoc eſt, inter vernaculos & domeſticos vulgatum, & ſolemni omnium vſu quaſi dedicatum *prouerbium eſt* לַנַּעַר *lannaar*, id eſt pueri, vel de puero.

Senſus ergo clarus eſt. q.d. Prouerbium vulgò receptum, & communi vſu iugique experientia comprobatum ſancitumque, ideoque veriſſimum eſt, puerum viam, id eſt modum viuendi, quem à teneris edoctus fuerit, hauſerit, imbiberit, ita vt ei aſſueuerit, retenturum vſque ad ſenium, imò ad finem vitæ. Intellige ita communiter accidere; at non ſemper: quidam enim à moribus pueritiæ in ætate virili degenerant, ac per occaſiones ſociorum, vel honorum & dignitatum, ſimilemúe occaſionem, mutant planè mores, imò indolem & naturam. Alij tacti à Deo efficaci gratia, eique ſtrenuè cooperantes, in virili ætate, vel ſenectute corrigunt vitia adoleſcentiæ. Sed hi perpauci ſunt, hæcque vis eſt gratiæ, non vſus naturæ.

Quæres Primò, quod ſit τὸ *iuxta viam ſuam*, vel, vt hebr. eſt, *iuxta os viæ ſuæ*. Primò, Pagnin. *os viæ*, interpretatur *modum*: *imbue*, inquit, *puerum ſecundùm modum eius*. q.d. Inſtitue puerum iuxta capacitatem ſuam, vt ſcilicet menti eius teneræ facilia primùm, deinde difficilia ſenſim inſtilles. Mens enim pueri eſt velut vas habens os anguſtum, cui liquor ſenſim inſtillandus; alioqui ſi totum ſimul infundas, ad latera diffluet & perdetur. Simili enim modo ſenſim & quaſi guttatim, probi ſenſus & mores ingerendi ſunt menti puerili: quod ſi fiat, puer ſenſim creſcente iudicio creſcet & auiditate diſcendi, adeò vt etiam in ſenecta diſcere & proficere aueat & gaudeat.

Secundò, Vatabl. *Os viæ*, interpretatur *biuium*: *Initia*, inquit, *puerum iuxta biuium viæ ſuæ*, id eſt inſtitue, & erudi puerum ab incunabulis. q.d. Si rectè inſtitueris iuuenem, ille vſque ad ſenium in primæua rectitudine perſeuerabit: puer enim eſt in biuio virtutis & vitij, vnde ſi viam virtutis ineat, vſque ad ſenium perſeuerabit; ſin viam vitij capeſſat, in ſenio eam non deſeret. Rectè autem *os* vocatur *biuium*: quia ſicut os eſt bifidum (finditur enim in duo labra) ſic biuium eſt bifidum: finditur enim & ſecatur in duas vias, vti hîc biuium adoleſcentiæ ſecatur in viam virtutis, & viam vitij.

Tertiò, R. Leui per *os viæ* accipit *propenſionem*, q. d. Inſtitue puerum iuxta propenſionem eius: vide qua via, id eſt, quò, feratur eius propenſio, & iuxta illam ipſum inſtitue. Alij enim propendent ad ſtudia, alij ad agriculturam, alij ad artes mechanicas, &c. Diſpice ergo ad quid feratur puer tuus, ac eò illum dirige & inſtitue, vt rectè & prudenter iuxta illud vitam inſtituat. Nam ſi contra propenſionem eius ipſum ad aliud, à quo abhorret, cogere velis, operam perdes, iuxta illud:

Tu nihil inuitâ facies dicéſue Mineruâ.

Quartò, Caietan. per *os viæ* accipit *aperturam*, ſiue initium, *rationis & iudicij*: ſicut enim per os eſt aditus & ingreſſus in hominis corpus, & in vas quodlibet: ſic pariter per aperturam rationis eſt aditus & ingreſſus in mentem pueri. Vnde *os* Hebræis metaphoricè ſignificat initium & ingreſſum. q.d. Cùm primùm in puero aperitur iudiciũ vſuſque rationis, imbue eum diſciplina & bonis moribus: quia mens pueri eſt quaſi tabula raſa, quæ id quod primùm illi imprimitur, facilè recipit, & tenaciter retinet, ſicut lana primum colorem, quo tingitur, imbibit & mordicus retinet. Imò ante vſum rationis aſſueſac puerum bonis moribus. Monet Salomon, inquit Caietanus, vt non differatur inſtuctio pueri, ſed *in ore* (ait) *viæ eius* (hoc eſt, in ipſo aditu, in ipſo principio viæ pueri) cùm incipit patere ingreſſus in animum pueri, aſſueſac illum: quamuis enim non ſit capax doctrinæ, eſt tamen capax conſuetudinis, hoc eſt, curato vt incipiat aſſueſcere bonis actibus, verbis moribuſque. Et rationem ſubiungit: quia quæ primùm imbibimus, retinemus etiam in ſenectute. Et verum dicit ſecundùm rationes communes progreſſus humani: nihil enim adimitur per hanc ſententiam efficaciæ diuinæ gratiæ, vel etiam alicuius ſtudij rari ad mutandum mores hominis cuiuſcumque ætatis. Neque huic Salomonis ſententiæ obſtat verbum Apoſtoli: *Cùm eſſem paruulus, ſapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus: quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli*, quia Apoſtolus loquitur de conditionibus cõſequentibus ætates, Salomon verò loquitur de moribus & habitibus, qui ex noſtro vſu adiunguntur pueri adoleſcentiſque ætati. Hinc ſymbolicè, ſicut os in ſe eſt anguſtum, ſed deinde oris anguſtia dilatatur in vaſe, ac in magnam vaſis capacitatem deſinit: ſic pariter arcta

A

arcta pueri diſciplina deſinit in magnam felicitatis & iucunditatis amplitudinem; hanc enim parit exercitatio & aſſuefactio.

Quintò, & planè Noſter *ad os viæ* vertit, *iuxta viam*: nam עַל־פִּי *alphi* vel לְפִי *lephi*, id eſt *ad os*: Hebræis idem eſt quod *ſecundùm*, *iuxta*, vti Hebræi norunt, & mille S. Script. exemplis probari poteſt. Senſus eſt ergo q. d. Pueri iuxta viam ſuam, id eſt iuxta modum agendi, & methodum viuendi, quē in pueritia haurit & imbibit, cuique aſſueſcit, perget deinceps in eodem, adeò vt nec in ſenectute ab eo recedat. Vnde Noſter pro *puer* vertit *adoleſcens*, quæ vox, vt aduertit Ianſen. hic potiùs eſt participium a verbo adoleſco, quàm nomen. q. d. Puer in certo viuendi modo, ſeu bonus & probus ille ſit, ſiue prauus & improbus, adoleſcens & creſcens ita eum imbibet, vt ne in ſenio quidem ab eo dimoueri ſe ſinat. Talis fuit Ioſeph, cui proinde pater Iacob moriendo benedicens: *Fili*, inquit, *accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu*, Gen. 49. 22. vbi Septuag. *filius auctus Ioſeph, filius auctus deſiderabilis, filius meus iunior ad me reuertere.* Quare qui puero laxat habenas, ſperans eum frænare dum grandior fuerit, fallitur; prouectior enim faciet id, quod fecit dum erat puer, nec viuendi conſuetudinem mutabit, eritque quaſi equus indomitus. Puer enim eſt inſtar animalis, puta equi, bouis, leonis, leporis, qui quam viam initio tenuit, deinceps ſemper retinet. Noſter לַנַּעַר *lannaar*, id eſt *puerum* in accuſatiuo, accepit pro הַנַּעַר *hannaar*, id eſt *puer* vel adoleſcens in nominatiuo. Sic enim articuli hi apud Hebræos ſubinde commutantur. Aut potiùs vt paulo antè dixi, *lannaar* eſt genitiui caſus, vel ablatiui. q. d. Prouerbium eſt pueri vel de puero, quòd ſcilicet puer vel adoleſcens viam quam triuit in pueritia, non deſeret in ſenio.

B

Dedicatio pueri.

Nota. Hebræum חֲנֹךְ *chanoch* Primò, verti poteſt cum Septuag. *dedica puerum*, vel *dedicatio pueri*: ſicut enim altare vel templum dedicatur Deo, ſic puer vel pueritia velut pura & intacta ſtatim dedicanda eſt Deo, vt per eam reliqua omnis ætas Deo, velut eius auctori & domino, dedicetur. Vide S. Chryſoſt. hom. de Anna & Samuele: Anna enim Samuelem puerum Deo dedicauit; vbi inter cetera ait: *Annon abſurdum eſt, nos domum ruinam minantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accerſentes, denique nihil non facientes: domum autem Dei* (*nam Dei domus eſſe debet adoleſcentis anima*) *ne vulgari quidem dignari cura.* Et inferius: *Si mater fueris, ad Annæ exemplum conſecra filium tuum Deo, & in templū adducito, quin ipſum potiùs templū Deo regale para, Membra veſtra*, inquit Apoſtolus, *corpus Chriſti ſunt, et templū ſancti Spiritus, qui eſt in vobis*: ergo quamprimùm ſacrari & dedicari Deo debent. Accedit S. Ambroſ. de Virg. l. 2. nam quod ibi de puellis ſcribit, id etiam de pueris eodem modo ſcribi diciq; poteſt: *Virgo*, inquit, *Dei domus eſt, munus parentū, ſacerdotium caſtitatis: virgo matris hoſtia eſt, cuius quotidiano ſacrificio vis diuina placatur*, &c. Quocirca S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. in corp. docet, puerum cùm incipit vti ratione, teneri conuerti ad Deum per actum fidei, amoris & religionis, ei ſe offerendo vitamq; omnem dedicando, ſub pœna peccati mortalis.

C

Tirocinium.

Secundò, *chanoch* verti poteſt, *initia puerum*, quaſi tironem, ad bellum per omnem vitam ineundum cum carne, mundo & dæmone: חָנִיךְ *chanich* enim eſt tiro, qui diſcit arma tractare, paraturq; vt fiat miles, & ad omnia, quæ militiæ ſunt, inſtruitur, vt patet Gen. 14. v. 14. Pueri ergo inſtructio debet eſſe ſimilis tirocinio militis, qui aſſuefit armis, frigori, inediæ, labori, pugnæ, &c. Audi Theodoricum regem ſuos Gothos ad militiam inſtruentem apud Caſſiodor. l. 1. ep. 24. *Producite*, ait, *iuuenes veſtros in martiam diſciplinam; nam quod in iuuentute non diſcitur, in matura ætate neſcitur.* Vegetius etiam l. 1. c. 4. *Incipientem*, ait, *pubertatem ad delectū cogendam nullus ignorat: non enim tantùm celeriùs, ſed etiā perfectiùs imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris.* Diodorus quoque de Balearicis, eorumque peritia in lapidando ſic ſcribit: *Ita rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuò à pueritia vſus præbet, à matribus ad id ee tamen coactis: imponunt enim ſupra erectum lignum panem ſignum, quod iactu petant, neque antè cibum capiunt, quàm panem lapide eiectum pro cibo ſumant*, &c. Simili ratione parentes, magiſtri, pædagogi inſtruant pueros quaſi tirones, vt contra concupiſcentias decertent & virtutis palmam obtineant.

Initiatio.

Tertiò, *chanoch* verti poteſt, *initia puerum*, vt ſcilicet initium rationis, ætatis & vitæ rectè formetur ad omnem honeſtatem & probitatem, ſicut Religioſi in ingreſſu Religionis & nouitiatu formantur ad omnia Religionis officia, vt probi Religioſi euadant. Quocirca Sophar amicus Iob c. 20. v. 11. *Oſſa*, ait, *eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cū eo in puluere dormient.* Cur, quæſo, non dixit, Caro, ſed *oſſa eius*? Planè, quia ſicut quæ oſſibus inſident, cum ipſis dureſcunt ac durant, ita prorſus vitia iuuentutis, vt ibi notat D. Greg. l. 15. Moral. c. 5. quotidie duriora exiſtunt, adeoque inoleſcunt, vt etiam in ſenectute ſolidentur, &, quod deterius eſt, non imminuta, ſed plerumque multiplicata, vt idem D. Greg. citatus aduertit. Vnde Clemens Alexand. l. 2. Pædagogi c. 10. *Sæpenumerò*, inquit, *viri in malis vitæ inſtitutis educati, euaſerunt mulieribus magis effeminati*, quaſi diceret, Illi ipſi, qui homines naſcuntur, ſæpenumerò ob malam educationem, non creſcunt in viros, ſed ſeneſcunt in feminas, naturâ per malam educationem degenerante. Atque vtinam iuuentutis vitia in ſenectute ſiſterent: ſed proh dolor! cum peccatore *in puluere dormient*, hoc eſt, in ſepulchro reponentur: nam cùm cetera omnia, vt bene ad eum locum Titelmannus aduertit, poſt mortem relinquantur, ſola opera ab incunabulis, vſque ad ſepulcrum mortuos conſequuntur. Ita noſter Mendoza in 1. Reg. c. 1. v. 28.

D

Tinctura.

Quartò, *chanoch* verti poteſt, *imbue puerum*, vt alludatur ad pannos, qui in tinctura ſuis coloribus imbuuntur, iuxta illud S. Hier. epiſt. 7. ad Lætam de inſtitutione filiæ: *Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt: lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem, quo primùm imbuta eſt.* Alludit ad illud Horatian. 1. epiſt. ad Lollium:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Et ad illud Quintiliani 1. Inſtitut. *Natura*, inquit, *tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, vt ſapor, quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt.* Hinc affinis eſt illa ſententia Philonis lib. *Quòd omnis probus ſit liber*: *Sicut vaſa*, inquit, *odorem, quo primùm fuerint imbuta, referunt: ſic iuuenum animi, quas primùm*

rum formas imaginatione conceperint, nunquam abole-ri ſinunt. Et illa Poëtæ:

Quod noua teſta bibit, inueterata ſapit.

Quod ergo quis adoleſcens diſcit, hoc vir aut ſenex factus ægrè dediſcit.

Innouatio pueri. Quintò, *chaneb*, verti poteſt, *innoua puerum*, vt alludatur ad noualia, id eſt agros nouos, qui arantur, occantur, ſeruntur, vt copioſam ſegetem proferant. Simili enim modo aranda, occanda, & ſerenda eſt bonis præceptis & moribus mens pueri, vt virtutum omnium meſſem producat. Hinc Septuag. vertunt, ἐγκαίνισον, vnde *encænia* vocantur, quaſi dicas *renoualia*, à vetuſtate enim veteris Adæ, putà à concupiſcentia, renouanda eſt mens pueri, vt nouitati ſuæ, in qua conditus eſt à Deo in Adamo, reſtituatur: ſenectus enim, & ſenes innouari nequeunt. *Senectus indocilis.* vnde Diogenes dicebat, *mortuo mederi, & ſenem docere*, idem eſſe. Quare ſtultus ille ſenex apud Theogenem, non patiebatur ſe ab alio doceri, dicens: *Ne doceas, ætas me facit indocilem.* Quibus aſſentitur Seneca lib. 3. epiſt. 25. *Grandior ætas*, inquit, *dura & intractabilis, non poteſt reformari: tenera finguntur.* De proprio Philoſophiæ penu ſuum illud hexametron depromplit Mantuanus 10. Æneidos.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit.

Vbi primam ætatis diem, hoc eſt primam iuuentutem optimam appellauit. Rationem inculcat Seneca lib. 6. epiſt. 109. quia ſola iuuentus diſciplinæ capax eſt, non ſenectus. *Quare*, inquit, *optima? quia iuuenes poſſumus diſcere, hoc tempus idoneum eſt agitandis per ſtudia ingenijs: quod ſupereſt, ſegnius & languidius eſt.* Quaſi optima vitæ pars illa ſit, in qua diſcimus; peſſima, in qua à diſcendo langueſcimus & otiamur, qualem eſſe imperitam ſenectutem Philoſophus hic teſtatur. Vnde illa parœmia: *Senex pſittacus negligit ferulam.* Nam vt Apuleius lib. 2. Floridor. & Plinius l. 10. Natur. hiſt. c. 42. memoriæ prodiderunt, pſittacus in primo vitæ biennio facilè addiſcit quidquid ſuggeritur: in ſenio ſic obſtupeſcit, vt, quantumuis flagelletur, nunquam doceatur. Eamdem difficultatem fatetur D. Hieron. præfat. in Euangelia: *Periculoſa*, inquit, *præſumptio eſt ſenis mutare linguam, & caneſcentem mundum ad initia retrahere paruulorum.* ita Mendoza in 1. Reg c. 3 v. 13.

Aſſuefactio pueri. Sextò, *chanoch* verti poteſt, *aſſuefacito puerum*, iuxta illud Thren. 3. *Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua:* nam vt ait Ariſt. lib. 2. Ethic. c. 1. *Non parum refert, quin imò id eſt quod rem cauſamq́; continet, homines à pueris* ἐθίζεσθαι, id eſt, *aſſueſieri.* Conſonat Plato lib. 2. de Legib. vbi ſic de pueris ſtatuit: *Diſciplinam*, inquit, *appello virtutem, quæ puerorum animos continere poteſt: voluptas enim & dolor, amor & odium, quàm rectè fieri poteſt, antequam ratione moueantur, in animos eorum influant, vt faciliùs cùm ad ratiocinandum peruenerint, conuenienter rationi omnia peragant;* vnde concludit: *Aſſueſcat ergo à pueritia dolore ac voluptate rectè moueri, vt à principio vſque ad extremum vitæ oderint quæ odiſſe oportet, & ament quæ amanda ſint.*

Quocirca S. Hieron. & ex eo Beda: *Græca*, inquit, *narrat hiſtoria, Alexandrum potentiſſimum regem, orbiſque domitorem, & in moribus & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat infectus.* Sic Suſanna caſtitatem & conſtantiam, quam à teneris imbiberat, vſque ad mortem retinuit, Daniel 13. verſ. 3.

Ratio à priori. Rationem phyſicam à priori dat Plato lib. 7. de Legib. *Prima luce*, inquit, *pueri in ludum litterarium proficiſcantur. Quoniam vero nec pecudes, neque vllum aliud animal ſine cuſtode viuere debet, neque pueri etiam ſine pædagogis, neq; ſine dominis ſerui: puer autem omnibus beſtijs intractabilior eſt: cùm enim ſapientiæ fontem nondum abſolutè compoſitum habeat, inſidioſiſſimum eſt, acerrimum, petulantiſſimum omnium brutorum animalium. Idcirco multis quaſi frenis conſtringendus eſt puer, & cùm primum à matribus nutricibuſque ſeiungitur, pædagogis continuò tradendus eſt, qui eius laſciuiam regant atque doment: deinde præceptoribus commendandus eſt ad eas diſciplinas diſcendas, quæ liberum hominem decent.*

Rurſum Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. c. 5. *Eſt*, inquit, *in nobis vber ætatis ipſa iuuentus*. q. d. Sicut ex materno vbere ſugitur lac, quo omnia infantis membra nutriuntur: ita ex iuuentute hauriuntur mores, quibus reliquæ ætates informantur.

Diabolus inſidiatur adoleſcentibus quatuor de cauſis. Prudenter ergo vir ſapiens: *Quatuor de cauſis*, inquit, *dæmon adoleſcētes maximè venatur. Primò, quia ſcit à Deo pios adoleſcentes maximè amari & expeti, ideo hūc florem ætatis gaudet Deo præripere.* Huius rei ſymbolo Deus Leuit. 12. 8. non columbas, ſed pullos columbarum ſibi offerri præcepit, quia, vt ibi ait Theodor. deteſtabatur in adultis columbis laſciuiam, in paruis pullis innocentiam amplectebatur.

Secundò, quia ſic viam ſternit ad ſequentis vitæ peccata.

Tertiò, quia adoleſcentes facilè falli, difficilè ſe expedire ex diaboli vinculis poſſunt.

Quartò, quia dum peccant, impotenter peccant. Vnde S. Auguſt. ſerm. 246. de Temp. *O iuuenes*, ait, *flos ætatis, periculum mentis.* Idcirco *quatuor ſunt adoleſcentibus in omnem vitam profutura.* *Quartò adoleſcentibus commendanda.* *Primò, Deum pluris omnibus æſtimare, animamq́; omnibus poſt Deum rebus pretioſiorem eſſe ſcire.*

Secundò, B. Virginem Mariam ex toto corde, vt filij Dei matrem amare, eiq́; ſe quotidie commendare, & aliquid in eius honorem facere.

Tertiò, nunquam peccatum mortale in conſcientia ſuſtinere, ſed ſingulis diebus de peccatis dolere, & ea quamprimum confiteri.

Quartò, quod morituri ſint breui crebrò cogitare, quodque poſt mortem aut in æternum in inferno cum diabolo ſint arſuri, aut in æternum Deo & angelis in cælo feliciſſimè fruituri. Nam vt ait S. Ambr. lib. 1. de Interpell. Iob cap. 7. *Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus, infirma conſilijs, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delicijs.* Vnde Poëta:

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.

qua de re plura vide apud S. Auguſt. ſerm. 246. de Temp. vide & quæ annotaui Eccli. 30. 1. & ſeq.

Vers. 7. DIVES PAVPERIBVS IMPERAT: ET QVI ACCIPIT MVTVVM, SERVVS EST FOENERANTIS] id eſt dantis mutuum. Hebr. enim מַלְוֶה *malue* ſignificat eum, qui dat mutuum ſiue cum vſura, ſiue ſine vſura. Vnde in Script. fœnerans ſubinde idem eſt quod mutuans. Quocirca Pagnin. vertit clarè, *diues pauperibus dominabitur, & ſeruus erit mutuum accipiens viro mutuanti;* Vatabl. *& obæratus ſeruit fœneratori.*

Primò, Baynus ſic explicat, quaſi Salomon taxet hic peruerſum mūdi vium, quo diuitibus aſſignat dominium in pauperes, ob ipſorum opes; cùm regere & dominari ſit non opulentiæ, ſed pruden-tiæ

tiæ & iudicij, quod ſępè maius & ſincerius habent A pauperes, quàm diuites, vtpote ab eorum cupiditate & ambitione magis alieni.

Secundò, Lyran. & Caietan. cenſent hîc accuſari diuitum ſupercilium & faſtum, quo ſibi arrogant imperium in pauperes, eoſque quaſi ſeruos ſibi mancipant. Audi S. Baſilium in orat. de diuitijs & paupertate: *Canes*, inquit, *vbi aliquid acceperint, ſubitò manſueti fiunt: at fœnerator magis ac magis irritatur: non enim latrare ceſſat: etiamſi te iureiurando obſtringas, fidem non habet; perſcrutatur interna commercia, tua curioſè inquirit, vxore præſente pudore affectum coram amicis contumelijs onerat, in foro minas iactat, vitam denique tuam intolerabilem efficit.*

Tertiò, pleniùs & ſimpliciùs, R. Leui, Aben Ezra, Ianſen. & alij: Hæc gnome, inquiunt, declarat diuitiarum commodum, & paupertatis incommodum, quòd ſcilicet diuitiæ ſecum vehant robur, potentiam, dominium; paupertas verò ærumnas, infirmitatem, obſequium & ſeruitutem: vnde tacitè monet quemque, vt moderatas ſaltem opes ſibi laborando paret, quò earum commodis fruatur, & paupertatis incommoda deuitet. *Diues* ergo *pauperibus imperat*: tum quia eos ſibi muneribus, contractibus, mutuo, &c. obligat & obſtringit: tum quia diues per opes facilè ſibi comparat famulos, aſſeclas & milites, quibus ceteris præualeat, ijſque imperet: tum quia opes faciunt animoſos & confidentes, paupertas verò facit puſillanimes & diffidentes: tum denique quia pauperes à diuite alimoniam, multaque beneficia expectant; diues verò à pauperibus nihil ſperat. Quocirca ſolent in repub. diuites eligi in magiſtratus, velut honoratiores & potentiores, vt ceteris velut inferioribus & ſubiectis dominentur.

Myſticè Beda explicat, q. d. *Diuites virtutibus in iudicio occulto inſpectoris principantur eis, imò eorum in futuro iudices exiſtunt, qui virtutum diuitijs caruerunt. Et qui verbum doctrinæ ſalutaris accipit à doctore, ſeruus eſt eiuſdem doctoris id eſt debitor implendi omnia, quæ illi magiſterij cæleſtis iure præcipit.* Sic & auctor Catenæ Græc. R. Salomon, Hugo, & alij.

Et qvi accipit mvtvvm, servvs est foenerantis] Hebr. *& ſeruus mutuum accipiens viro mutuum danti.* Apud Hebræos enim לַמַּלְוֶה *lemalue*, ſicut & quodlibet participium vel nomen penè cuiuſlibet eſt caſus; vnde verti poteſt in datiuo, *mutuum danti*; & in ablatiuo, *mutuum dante*; & in accuſatiuo, *virum mutuum dantem*, ſupple colet & venerabitur. Septuag. ergo vertunt, *diuites pauperibus imperabunt, & famuli proprijs dominis fœnerabunt.* q. d. Diuites pauperibus imperare ſolent, at modeſtè ijs imperent, memores rotam fortunæ ſæpè verti & conuerti: quo fit vt diuites fiant pauperes, pauperes verò fiant diuites, ſcilicet vt famuli mutuum dent heris ad inopiam redactis, itaque eos ſibi ſubijciant, & velut debitores obſtringant; ſic non rarò fieri videmus, vt pauper fiat diues, debitor fiat creditor, famulus fiat herus, ſeruus fiat dominus, ſubditus fiat rex & Imperator. Ad hunc ſenſum nonnulli inflectere conantur verſionem Vulgatã: *Et qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis*: ſed vim ei faciunt, eamque à ſe ipſa aliò detorquent.

Syrus ſecutus Septuag. amplius, planeque contrarium Hebræo aſſerit, ſic enim habet: *Pauper imperat diuiti, & ſeruus mutuum dabit fœneratori.* Septuag. & Syrus ſecutus S. Ambroſ. de Nabuthe cap. 14. *Neſcis*, inquit, *ô homo ſtruere diuitias. Si vis diues eſſe, eſto pauper ſæculo, vt ſis diues Deo. Diues fidei, diues eſto Deo. Qui diues eſt in miſericordia, hic eſt diues Deo. Diues in ſimplicitate, diues Deo eſt. Diues ſapientiæ & ſcientiæ, diues eſt Deo. Sunt qui in paupertate abundent, & qui in diuitijs egeant. Abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundauit in diuitijs ſimplicitatis ſuæ: diuites autem eguerunt & eſurierunt.* Probat id ex præſenti Salomonis gnome dum ſubdit: *Neque enim otioſè ſcriptum eſt: Diuitum pauperes præpoſiti erunt, & proprijs ſerui dominis fœnerabunt; quia diuites & domini ſuperuacua & mala ſeminant, ex quibus non fructum colligant, ſed ſpinas metant. Ideo pauperibus diuites erunt ſubditi, & ſerui dominis ſpiritalia fœnerabunt, quemadmodum diues rogabat, vt ſibi ſtillam aquæ pauper Lazarus fœneraret. Potes & tu diues iſtam implere ſententiam, ſi largiaris pauperi. Qui enim largitur pauperi, Domino fœnerat.* Deo diues quis

B

Idem S. Ambroſ. myſticè hanc gnomen exponens lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 3. eamque applicans Eſau, qui ſeruiuit Iacobo & Iudæis qui ſeruiunt Chriſtianis: *Multorum ſeruus eſt*, inquit, *qui ſubiectus eſt vitijs, multis ſe dominis addixit. Nam qui omnia prudenter agit, & ita viuit vt vult, is ſolus eſt liber: non conditio fortuita ſeruum facit, ſed probroſa inſipientia. Denique famulus prudens reget dominos ſtultos, & proprijs dominis ſerui fœnerabunt. Quid fœnerabunt? non vtique pecuniam, ſed ſapientiam, ſicut & lex dicit: Fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum non accipies. Fœnerabit Iudæus proſelyto diuina legis oracula,* Deut. 15. *ſed quia ipſe legis myſteria videre non potuit, & quæ habebat neſciuit oracula, qui literam fœnerabat Gentibus, nunc ab his ſpiritualis doctrinæ gratiã mutuatur, meritoq; ſubiectus eſt ſeruituti; quoniam qui mutuatur, ſeruus*

C

eſt, quaſi addictus fœnori creditoris: qui autem pia doctrinæ fœnus impertit, is eſt princeps, ſicut lex dicit: Princeps eris gentium multarum; tibi autem princeps ex ipſis non erit. Princeps enim eſt qui regit, qui & habet ſapientiæ principatum, quem habuit populus Iudæorum. Sed quoniam quod docebat ſeruare non potuit, debet diſcere quod docere neſciuit. Idem in pſalm. 104. *Denique famulo ſapienti*, inquit, *multi (vt ſcriptum eſt) ſeruiunt liberi, & eſt ſeruus intelligens, qui regat dominos ſtultos. Quem ergo magis liberum cenſes? ſola eſt ſapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ ſeruos proprijs fœnerare dominis facit, fœnerare non pecuniam, ſed intellectum.* Et nonnullis interiectis, ſubdit: *Sed ille magis liber, qui intra ſe liber eſt, qui legibus naturæ liber eſt, legem ſciens naturæ præſcriptam eſſe moribus, non conditionibus, & menſuram officiorum conſentaneam non hominis arbitrio, ſed naturæ diſciplinis: vtrùm igitur iſte liber tibi tantummodo, an quidam cenſor videtur, & præfectus moribus? vnde verè ait Scriptura, Quia pauperes diuitum præpoſiti erunt, & priuati vtique adminiſtrantium. Sapiens enim ſemper liber eſt, ſemper honoratus, ſemper is qui præſit legibus.* Ibidem. Quis verè liber.

D

Verùm hæc lectio Syri & S. Ambroſij minùs ſincera minuſque vera videtur: repugnat enim Hebræo, Vulgatæ, Symmacho, Theodotioni, Chaldæo, & ceteris, qui omnes conſentiunt cum Vulgata.

Vulgata ergo verſio vera & genuina eſt, eiuſque ſenſus planius eſt. q. d. Qui accipit mutuum, fit quaſi ſeruus mutuantis & qui accipit ad fœnus vel vſuram, fit ſeruus fœnerantis vel vſurarij:

quia

quia illis debito mutui vel vſurę obligatur, eiſque quaſi creditoribus fit debitor, ac ſe ſuaq; obligat: quocirca fœnerator & creditor heb. vocatur נושא *noſe*, ab eleuando & extollendo; quia qui ab eo mutuum accipit, cogitur ob beneficium acceptum ei ſupplicare, eum venerari & colere. Chald. verò vocatur רַשְׁיָא *raſchia*, à rad. רְשָׁא *raſca*, id eſt potuit: creditor enim quaſi poteſtatem & ius habet in eum cui mutuum dedit. Hinc vidua illa ad Eliſæū ait 4. Reg. 4. 1. *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiēdum ſibi.* Hoc enim legibus priſcis creditori licebat, vti notat Budęus in ſuis Forenſibus, imò Chriſtus Matt. 18. de ſeruo nequam, cui fuerant dimiſſa decem millia talenta, *Cùm*, inquit, *non haberet vnde redderet, iuſſit eum dominus eius venumdari, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.*

Porrò legibus priſcis creditores vendicaſſe ſibi debitores quaſi mancipia, adeoque olim in vſu & lege fuiſſe, vt debitores tamquam ſerui & captiui ac vincti traderentur creditoribus, liquet ex veterum monumentis. Certè apud Hebræos rei huius non obſcura ſunt teſtimonia, Iſaiæ 58. v. 6. *Diſſolue colligationes impietatis*, ſolue videlicet obligationes, & vincula illa, quæ impij & improbi creditores debitoribus injiciunt ex pignoribus & fœnore contracta.

De Græcis idem teſtatur Plutarchus comment. *De vitando ære alieno*, vbi eleganti ſimilitudine de creditoribus & exactoribus ſic loquitur: *Sicut Darius Athenas miſit Datin & Artapherne̅, catenas & vincula manibus geſtantes ad vinciendum captiuos, ita hi ſyngrapharum & tabularum tanquam compedum plena vaſa Græciæ importantes, circum vrbes ambulant.*

De Romanis docet Liuius li. 2. & 8. *Qui*, inquit, *antè nexi fuerant creditoribus tradebantur, & nectebantur alij.* apud Romanos enim *nexus* aut *nexum* erat obligationis genus, *cùm corpus debitoris vt pignus capi poterat obligationis iure atque conditione*, vt explicat Budæus: nam debitor oppignoratus tradebatur creditori nexus. De quo ac de immanitate fœneratorum videndus Liuius loco citato, Varro li. 6. de Lingua Lat. Cic. in Topic. de abalienatione, mancipio, & nexu diſſerens, Budęus in Pandect. in tit. de in diem addict. Quintil. lib. 7. cap. 4 & cap. 8. Gell. l. 20. cap. 1. Macrob. lib. 1. cap. 16. Cæl. li. 12. c. 20. & 21. Sed Solon, vt Diodorus, Plutarchus, & Laërtius ſcribunt, illam legem Athenis abrogauit. *Solutio*, inquit Diodorus (de Ægyptiorum legibus loquens) *ex bonis debitoris ſolùm fiebat, corpus non poterat addici creditori.*

Addit Chriſtus Matth. 18. creditori ius fuiſſe in corpus debitoris, vt illud torqueret: *Iratus*, inquit, *dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadiuſque redderet vniuerſum debitum.* Quòd ſanè videtur olere immaniſſimam illam creditorum inhumanitatem, qua ad creditorum libidinem poſt vincula & catenas debitorum membra dilaniabantur, quam refert Aulus Gellius li. 20. c. 1. ex leg. 12. tabularum, cuius iſte eſt verborum tenor: *Aeris confeſſi rebuſq; iure iudicatis triginta dies iuſti ſunto, poſt deinde manus iniectio eſto, in ius ducito, ſecum ducito, vincito, aut neruo aut compedibus quindecim pondo, aut, ſi volet, maiore vincito.* Deinde verò docet, ſi plures eſſent creditores, eos habuiſſe ius ſecare corpus debitoris. *Tertijs*, inquit, *nundinis parteis ſecanto, ſi plus minuſue ſecuerunt, ſine fraude eſto.* Addit deinde ex ſuo Gellius: *Nihil profectò immanius, nihil immitius, niſi (vt reipſa apparet) eo conſilio tanta immanitas pœnæ denūtiata eſt,* ne ad eam vnquam perueniretur. Et Plutarch. comment. iam citato: *Nos dum contentos eſſe noſtris rebus pudet, dandis pignoribus, contractibuſq; ſubeundis in ſeruitutem noſmet damus.* De carnificina autem & laniena illa paulò inferiùs: *Hi miſeris debitoribus, de foro, locum flagitioſorum pœnis deſtinatum redegerunt, vulturum inſtar eos edentes & laniantes, &*

Altiùs inſerto tundentes viſcera roſtro.

ita noſter Pineda in Iob 22. v. 6.

torquebantur. · *Secabantur.*

Quocirca Perſæ teſte Herodoto dictitabant duo eſſe peccata inter homines turpia, quorum primum eſt debitorem eſſe (hoc enim ferè vel ex ignauia, vel ex gula & luxu naſcitur) alterum mētiri, quod ex priori conſequitur. Anonymus apud Suidam miſerrimos ait eſſe homines, qui modo rubros, modò pallidos habent dentes; quo dicto notabat eos, qui mutuo acceperunt ab alijs: hi enim dum mutuum repetitur erubeſcunt, dum verò creditorem viderint, palleſcunt, ne cogantur ad ſoluendum.

Præclariùs S. Baſil. apud Antonium in Meliſſa part. 2. cap. 28. *Qui ſe fœnoribus*, inquit, *ſubiectum reddis, quorum poſſeſſionem non tenes, voluntariam perpetuamq; ſeruis ſeruitutem. Rem miſerabilem ſpectaui, liberos homines, quorum patrimonia eſſent obærata, qui traherentur vt venirent; non noctes debitori quietem adferunt, non dies eſt iucunda, non ſol delectans, ſed per omnem vitam in triſtitia verſatur: dies odit, qui ad præſcriptum tempus properant, menſes formidat, quaſi vſurarum genitores: ſi dormierit, in ſomnis videt fœneratorem capiti imminentem, infauſtum ſomnium: ſin vigilarit, cogitatio & ſollicitudo de vſuris eſt.* Si hæc vera ſint in debito & debitore pecuniæ, multò veriora ſunt in debito animæ, putà in peccato & peccatore, qui ſemper pauidus timet mortem, iudicium, dæmones, gehennam, quæ eum expectat, vt ſoluat nouiſſimum quadrantem, Matth. 5. v. 26.

Miſeria debitorum.

Vers. 8. QVI SEMINAT INIQVITATEM, METET MALA, ET VIRGA IRÆ SVÆ CONSVMMABITVR] Pro *iniquitatem*, heb. eſt עַוְלָה, *aula*, quæ vox eſt generalis ſignificans omne prauum, quod contra leges vel æquitatem & honeſtatem committitur. Propriè tamen notat iniuſtitiam & iniuriam quæ alteri infertur. De iniuria enim hic agi patet ex eo quod ſubdit: *Et virga iræ ſuæ conſumetur*, quem enim iniurius percutit, hunc percuſſus repercutit.

Pro *metet mala*, hebr. eſt *metet* אָוֶן *auen*, id eſt iniquitatem, vel dolorem: *auen* enim ſignificat malum tum culpæ, tum pœnę culpam conſequentis. Vnde Vatabl. vertit, *calamitatem*; Septuag. *qui ſeminat mala, metet mala*; Theodotion, *qui ſeminat iniuſtitiam, metet iniquitatem*; Aquila *damnum*; Symmachus, *qui ſeminat iniquitatem, metet iniuſtitiam.*

Nonnulli hanc gnomen attexunt præcedenti, & iuxta verſionem Septuag. attexi poteſt, at non iuxta Vulgatam: iuxta eam enim hæ duæ ſententię planè videntur diſparatæ. Iuxta eam ergo ſenſus eſt. q. d. Qui ſeminat culpam, metet pœnam, imò non rarò nouam culpam cum noua pœna. Vis & energia eſt in *illo ſeminat*. Primò enim ſicut ſemen habet vim producendi granum ſibi ſimile, ſic culpa vim habet producēdi tam pœnam, quam culpam ſibi ſimilem. ita iniuria parit iniuriam, rixa ſerit rixam, cædes prouocat cædem, conuitium elicit conuitiū: vt qui iniquus & iniurius eſt alteri, viciſſim ab eo ſimilem iniuriam, putà verber vel verbum aſperum, velut prolem à ſe elicitam recipiat,

Seminans mala metit mala. *Primo.*

Secundò. cipiat. Secundò, ſicut vnum granum ſatum, ſic pariter vna culpa multiplicem parit culpam & pœnam: mala enim ſemina fœcundiora ſunt bonis. Si ergo ſemen virtutis vnius parit multas virtutes & præmia gloriæ, multò magis ſemen peccati pariet multa ſcelera & ſupplicia. *Tertiò.* Tertiò, ſemen quodque ſuum profert granum, vt tritici triticum, hordei hordeum: ſic quæque culpa proprias parit culpas & pœnas: nam ſuperbia parit iram, inuidiam, rixam, cædes, &c. gula verò parit comeſſationes, ebrietates, crapulas, aſotias, libidines, lites, &c. inſuper pœnam faſtidij, vomitus, inſomnij, catarrhi, febris, dyſenteriæ, vertiginis, & mille morborum, quæ gulam conſequi ſolent. Similiter alias pœnas parit auaritia, alias acedia, alias inuidia, &c. *Quartò.* Quartò, ſicut eadem terra quæ ſemen recipit, recipit & meſſem; & ſicut agricola qui ſerit, idem & metit: ſic pariter peccator qui ſerit iniquitatem, idem & metit iniquitatem, eiuſque pœnam multiplicem; nam noxa caput ſequitur, ſicut carnifex ſequitur reum, vt eum torqueat & plectat. Hoc eſt quod ait Iob c. 4. 8. *Qui ſeminãt dolores, & metunt eos.* Et Paulus Galat. 6. 8. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et Chriſtus Matth. 7. 2. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*

Et virga iræ suæ consumetur] Alij legunt, *conſummabitur*, hoc eſt, *conſumetur. Virga iræ* Primò, eſt ipſa ira, qua iratus quaſi virga ſæuit, & verberat alios vel verbis aſperis, vel etiam inflictis plagis & verberibus: ob hanc enim iuſto Dei iudicio ſimili aliorum ira & ſæuitia plectetur, qua alios vexauit & oppreſſit; ira enim virgæ comparatur, ait Aben Ezra, iuxta illud Iſaiæ 10. v. 5. *Virga furoris mei.* Senſus ergo eſt. q. d. Ira eius, ſæuitia & iniuſtitia vertetur ei in virgam, qua puniatur & perdatur.

Secundo, *virga iræ*, eſt poteſtas (huius enim inſigne eſt virga & ſceptrum, vt habent Hebræa) cui iuncta eſt ſuperbia & ira: hæc enim vehementer premit, imò opprimit, iuxta illud Senecæ in Prouerbijs: *Fulmen eſt, vbi cum poteſtate habitat iracundia.* Verùm tales ſimilem aliorum poteſtatem ira exacutam experientur & ſentient, vel in præſenti vita, vel in futura.

Tertiò, appoſitè ad ſemen & meſſem, de qua præceſſit ſermo, *virga* hìc accipi poteſt triturationis, flagellũ ſcilicet, quo è ſegete grana excutiuntur. q. d. Iniquus qui alios aliorumque ſegetem & bona flagellauit, & triturauit, ipſe pariter, ſegeſque & bona ipſius ab alijs flagellabitur & triturabitur, vt in quo peccauit, in eodem & puniatur, iuxta legem talionis. Sic ergo virga ſiue flagellum, qua excutiendæ erant eius fruges, non fruges quæ nullæ ſunt, ſed ipſummet, eiuſque lolia & ſpinas, id eſt ſcelera & crimina, diuerberabunt & excutient, virga inquam & flagellum, quo flagellabitur, vel à Deo, vel à iudice, vel ab alio quomodolibet.

Pro *conſumetur* Vatabl. & Pagnin. vertunt, *deficiet.* q. d. Deus ſecundùm opera retribuet vnicuique, & priuabit facientes iniquitatem omni auctoritate, qua vtuntur cum ſæuitia erga ſubditos. ita R. Leui & Aben Ezra. Alij vertunt, *conſumet*, ſcilicet eum. q. d. Ipſa virga irati conſumet iratum, ſiue percutientem in ira. Vnde Septuag. vertunt, *plagam autem operum ſuorum conſummabit*, vel *operum ſuorum virus vulnuſque ad finem ſentiet*, vt vertit auctor Catenæ Græcor. ſicut enim plaga pus eijcit virulentum, ſic ira & ſæuitia parit dolorem & noxam auctori.

Myſticè Beda: *Qui ſeminat*, inquit, *iniquitatem, metet mala*, id eſt, *qui verbo aut exemplo ſuam in alios iniquitatem ſpargit, meſſis loco vindictam recipiet.* Porrò quod ſequitur, *Et virga iræ ſuæ conſumetur*, rectè adaptes doctoribus & Superioribus, qui ſubditos peccantes rigidè caſtigant, cùm ipſi grauiora peccent. Aut ijs qui æqua & proba docent, cùm ipſi ſint iniqui & improbi. Hi enim verbis ſuis dãnant ſe ipſos: cenſuram enim, qua alios feriunt, ferunt in ſe ipſos: quare caſtigatione qua alios caſtigant, ipſi caſtigandi ſunt, iuxta illud Apoſt. Rom. 2. 21. *Qui ergo aliũ doces, te ipſum non doces: qui prædicas non furãdum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis*, &c.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauper] *Vers. 9.* Pro *qui pronus eſt ad miſericordiam*; hebr. eſt טוב עין *tob ain*, id eſt *bonus oculus*, vel potiùs *bonus oculo*; Chald. *qui bonum oculum habet. Bonus oculus*, ait Vatabl. eſt homo liberalis, benignus & candidus. *Bonus oculo* eſt, qui placido & benigno oculo reſpicit pauperes, eò quòd pronus ſit ad miſericordiam; tum pronitate naturæ, tum pronitate virtutis: putà pronus tum ex compaſſione naturali, tum potiùs ex aſſuefactione charitatis, ait Lyranus. *Hic benedicetur*, id eſt fortunabitur à Deo, omnique benedictione temporali & cæleſti, humana & diuina, præſenti & æterna cumulabitur. Nam vt ait S. Chryſoſt. hom. 12. in epiſt. ad Hebr. *Eleemoſyna ac miſericordia eſt tanquam quædam aurea & viuens columba, placidum habens aſpectum & mitè oculum: nihil eſt illo oculo melius; itaque miſericordiæ oculi obuenerunt columbini, placidi, beneuoli, & ipſa mitiſate quodammodo mitiores.* *Oculi miſericordia columbini.*

Poſſet quoque id *benedicetur* accipi pro laudabitur. q. d. Laudabunt & benedicent eum homines, imò Deus & angeli: ſic enim huc alludens videtur explicare Eccleſiaſtic. cap. 31. 28. dum ait: *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.*

Senſus eſt ergo. q. d. Qui benignum habet cor, indéq; benignum oculum, quo benignè reſpiciat egenos, eſto ipſe ſit pauper, vt ijs largè benefacere nequeat; tamen benedicetur à Deo, quia liberali corde de pane ſibi etiam neceſſaria dedit pauperi, imò panem dimidiauit, dimidiũ pauperi tribuens, reliquũ ſibi ſeruans: Deus enim magis reſpicit dãtis promptitudinem, benignamq; mentem & oculum quàm doni magnitudinem, iuxta illud Chriſti Lucæ 21. 3. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes miſit: nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei; hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit miſit.* Hinc Septuag. vertunt, *hilarem datorem benedicit* aut *diligit Deus.*

Ratio à priori eſt, quòd donum magis æſtimetur ex affectu dantis, quàm ex doni præſtantia: qui *Ratio à priori.* enim rem paruam dat ingenti animi affectu & beneuolentia, gratior eſt, & plus dare cenſetur, quàm is qui rem magnam dat paruo animi affectu. Iam affectus animi, præſertim amor & beneuolentia, æquè ac odium & indignatio, maximè pellucet emicatque in oculis, quaſi in cordis feneſtris. Hinc inuidi & maligni, vti faſcinatores, faſcinum & virus geſtant in oculis, illiſq; illud vibrant in aſtantes, præſertim pueros, quo fit vt pueri cibum faſtidiant, & tabe conficiantur: ex aduerſo benigni & benefici, benigno corde, oculo & manu intuentes egenos, eiſque benefacientes pro facul-

facultate ſua, licet exigua, ipſis vitam & ſalutem conferunt. Salomonem ſecutus Ben Sira alphabeto 1. littera *iod* 1 *Manum tuam*, inquit, *à beneficentia ne abſtrahas.*

Quæres, quantum, quibus, quoties & quomodo benefaciendum ſit? Reſp. dandum eſſe quantum vires permittunt, vt potiùs ſupra vires largiendum quàm infra. At in primis habenda eſt ratio eorum quibus damus: nam ſi paruo egent, parum detur; ſi multo, multum. Iam verò dandum eſt, quoties indigent pauperes. Vnde dicebat Aquila præceptor Aquilæ Pontici, inopem qui manè noſtram beneficentiam eſſet expertus, ſi veſperè redeat, nō eſſe dimittendum vacuum. Sed quomodo, inquies, dabimus? Hic tria obſeruanda eſſe monent Hebræi. Primò, vt eleēmoſyna detur clàm & in occulto, non palàm & in aperto aut publico. Secundò, vt detur vultu hilari: nam hilarem datorem amat Deus, iuxta dictum Apoſtoli. Tertiò, vt cùm damus, verbis blandis alloquamur: nam dono gratiam conciliat oratio: quæ ſæpenumerò plus valet ac poteſt, quàm ipſum donum. Huc facit gnome Arabum cent. 1. n. 80. *Liberalis vicinus eſt Dei, vicinus hominis, vicinus paradiſi, remotus ab igne inferni* q.d. Beneficus & liberalis felix eſt in hac vita & futura, in terra & in cælo. Præclarè Nazianz. orat. de cura pauperum: *Deus eſto*, inquit, *calamitoſis Dei miſericordiam imitando: nihil enim beneficentia diuinius in hominem cadit.* Et rurſum: *Pulcherrimè hoc & benigniſſimè Deus facit, quòd non ex pretio rei datæ, ſe offerentis facultate & animo donum æſtimat. Benignus eſſe ne differas, ſed nunc eſto; nec ideo quia pretij te ſumma deſtituat, totam relinquas liberalitatem, ſed partem reipſa præſtes, partem animi promptitudine* aut *propoſita in poſterum* (vtrumque enim ſignificat Græcum προθυμία) *Magnum calamitoſo remedium eſt miſericordia ex animo collata & genuina condolentia multò leuiorem reddit calamitatem.*

Apologus miſericordiæ.

Huc facit apologus vrſi, agni & columbæ neruoſis ſimilitudinibus armatus, quem recenſet Cyrill. Apolog. moral. lib. 1. c. 22. cuius titulus: *Magis ſemper partem miſericordiæ tenta; Vrſi catulum*, inquit *in captum agniculum ſæuientem deſuper columba proſpiciens, dixit: Vt quid in miſerum ſæuis? Cui ille: Si generationem complexionemq́; & morem meum attenderes, tu tibi reſponderes. Nimirum vrſi filius ſum, vrſum me fore phyſionomia oſtendit, atque ideo nunc vrſi morem imitor. Tunc illa ſubiunxit: Linque corruptam generationem vince ſanam complexionē, depone ferinum morem: nam Deus clemens creauit te, natura pia nutrit te, plana terra ſuſtentat te. Dulci ſanguine viuis, amica membrorum compagine ſubſiſtis, & humorum tuorum pacis fœdere ſolidaris: Reuera totus ordo naturæ ad pietatem te trahit. Cæleſtia enim ac terreſtria omnia tantùm tibi bonitatis indulgent, vt viuas. Quippe non emis corporis viuificum motum, nec cæli lumen, nec aëris flatum, nec telluris granum, nec exuberantis aquæ profluuium, quibus viuis. Vnde, quæſo, tibi hæc omnia, niſi ex ſola naturæ clementia? Igitur derelinque furorem, mitiga rabiem, deſine ſæuire, & te ad imitandum communem pietatem conuerte. Ad hæc ille parum emollitus reſpondit: Profectò quæ ſapienter hortaris hæc agerem, ſi domantem omnia mala rationem haberem. Mox illa: Bene, inquit, dixiſti. Quoniam omnis crudelis aſperitas ex feritate beſtialis mentis exurgit. Exaſperatum enim mare tenebris effunditur, & aurum politura complanatum rutilantiùs micat. Sic lux ſapientiæ benignitatis eſt ſocia, & pietatis ſemper amica, ſed in mente perturbata ſuſcitatur ira turbida, inſipientia ob-* A *ſtita, crudelitas aſpera.* Vnde habet concluſionem practicam educit, & velut epimythium aſſignat: *Sapiens ergo ratione mala omnia vincens, paſſus offenſā, magnanimitatis potentia ſpernit iram, beneficentia liberalitatis iniuriam & crudelitatem remittit, nec ampliùs aliud, quàm beneficentiam ſui cordis meminit. Sic illatā mala conſtantia frangit, patientia vincit, & ex toto corde triumphatorem miſericordia oſtendit. Nouit enim nocentem ſore iracundiæ iam ſubiectum, & idcirco deuicto victor compatitur, & per ſuæ pietatis antidotum infirmitatis alterius curat malū. Ita igitur ſapientis inuicta pax eſt, & vindicta, clementia. In bonis enim, ſumma eius eſt victoria, & in malis, virtus inuiolata. Qui verò flammis iræ citò accenditur, fœtet igneum vt ſulphur. Sed ſiū opportunè prudens iraſcitur, ſplendet vt aurum politum. Iracundus ergo eſt ſulphur fœtidum, & iratus ſapiens eſt aurum digeſtum. Quibus dictis abijt.*

B Porrò hæc ſententia eſt illuſtris: hac de cauſa eam Septuag. quaſi paraphraſticè per trinam dilatant & explicant. Prima eſt: *Virum hilarem & datorem benedicit*, vel, vt alij legunt, *diligit Deus: vanitatē operum eius conſummauit.* Priorem partem citat Apoſtolus 2. Corinth. 9. 7. *Vnuſquiſque*, inquit, *prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* & Roman. 12. 8. *Qui miſeretur, in hilaritate*, vbi plura de eadem annotaui. Præclarè S. Auguſt. in pſalm. 42. ſub fin. *Si fregeris*, inquit, *ex animo eſurienti panem tuum, quia plerumque fit à triſtibus & murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non vt reficiant viſcera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus: ſi panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti.* Expende τὸ *non vt reficiant viſcera indigentis.* q.d. Qui mœſtus vel indignans dat eleēmoſynam, reficit corpus pauperis, at ſua mœſtitia vel indignatione cruciat & vulne- C rat eius animum & viſcera: quia verò eam hilariter impertit, tam animum & viſcera, quàm os & corpus egeni paſcit & recreat. *Ergo ex animo fac, vt ille qui intus videt adhuc te loquente, dicat, Ecce adſum.* Et mox: *Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, ieiunium & eleēmoſynam.* Porrò quod addunt Septuag. *Vanitatem operum eius conſummauit*, antitheſis eſt eius quod v. præced. de iniquo dixere: *Qui ſeminat mala, metet, & mala: plagam autem operum ſuorum conſummauit.* q.d. Qui ſeminat mala, plagam pœnamq́ue plenam & conſummatam malorum, quę ſeuit, reportabit: qui verò ſeminat bona: ac præſertim eleēmoſynas in pauperes hilariter diſpertit; hic ſua hilaritate ſupplebit; perficiet & conſummabit quidquid in eius operibus & moribus vanum, id eſt vacuum eſt & inane. Eleēmoſyna enim implet ea, quę actionibus cęteris de- D ſunt aut deficiunt, ac præſertim hilaris promptuſque animus dandi, ſupplet ea quæ donationi ob paupertatem aliamúe cauſam deſunt. Deus enim æſtimat non tam donum quàm donantis affectum: ſicut ergo ſi aquam è vaſe effundas, in vas vacuum ſubintrat, eiuſque vacuitatem replet ſuccedens aër: ſic ſi eleemoſynam paruam des, burſam mentemq́ue videris euacuare, atque vacuam, id eſt exilem & nullius momenti, rem efficere, ſed vacuum illud ſupplet & replet hilaritas & promptitudo plura dandi, ſi facultas ſuppeteret. Quocirca Salomonem ſecutus Siracides Eccli. 35. 11. *In omni dato*, inquit, *hilarem fac*, græcè ἱλάρυνον, id eſt hilarifica, *vultum tuum.*

Eleēmoſyna ditat.

Secunda eſt: *Qui miſeretur pauperis, ipſe viciſſim enutritur, vt qui egeno de panibus ſuis impertiuns fit.*

Qui enim miſeretur, meretur miſericordiam, & qui paſcit alios, meretur paſci iuxta illud Chriſti Matth. 5. *Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et Apoſt. 2. Corinth. 9. *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vide ſequentia, & quæ ibidem annotaui.

Myſticè auctor Catenæ Græc. *Doctores,* inquit, *qui pauperes ſpiritu doctrina ſua paſcunt, ſeipſos vel maximè alunt, iuxta illud: In diebus famis ſuis ipſi panibus (hoc eſt, ſua ipſorum doctrina, per quam nimirum ipſi quoque ſuſtentantur) ſaturabuntur.*

Exempla. Exempla huius ſententiæ & benedictionis eleëmoſynæ ſunt in Vita S. Ioannis Eleëmoſynarij, qui quo plura dabat pauperibus, eo plura recipiebat, vti fuſiùs alibi recenſui: in Vita ſanctæ Lydwinæ, quæ ſua liberalitate meruit obtinere burſam Chriſti, ex qua quantumcumque erogaret, ſemper ſupererat, quod vlteriùs erogaret: in Vita S. Catharinæ Senenſis, & aliorum plurium.

Memorabile eſt, quod de S. Liberali, nobili Altinatæ & Taruiſij protectore legimus, eum in ægros & pauperes mirè fuiſſe liberalem, ideoque multos à varijs morbis curaſſe, adeoque vna die 120. perſonis ſanitatem diuina virtute impertiuiſſe. Cùm verò hiemis tempore ad eccleſiam Cathedralem pergeret, pauperi nudo & frigore trementi obuio, ſibi veſtem detractam tradidit, qui illi ſequenti nocte apparens Chriſtum ſe eſſe dixit, & veſtem reſtituit, quam ille induens, à periculis non ſemel ſeruatus eſt. Nam cùm Arrianis præualentibus, S. Heliodorus cum ſuis diſcipulis vt ſolitarium locum inueniret, in quo Deo deſeruiret, nauim conſcendiſſet, ſæuaque orta eſſet tempeſtas, illam Liberalis extremo veſtis illius demiſſo in mare illicò ſedauit, ita ex monum. Eccleſiæ Taruiſinæ narrat Philipp. Ferrar. in Catalogo Sanctor. Italiæ ad diem 27. Aprilis.

Tertia eſt: *Victoriam & honorem acquirit munera dans, & animam quidem aufert poſſidentium,* vel *acceptantium,* vel, vt Vulgata legit, *accipientium.* Hæc gnome non eſt in Hebræo, ſed ex Septuag. tranſſcripta. Pro *aufert* græcè eſt ἀφαιρεῖται, quod auctor Catenæ Græcor. vertit, *euertit,* accipitque de donis quæ dantur principi vel iudici ad euertendam iuſtitiam.

Verùm alij referunt ad eleëmoſynam & miſericordiam, de qua hoc verſu omnis eſt ſermo, vt ſenſus ſit. q.d. Beneficus & liberalis, qui dat eleëmoſynas vel munera, vincit, ſibique deuincit & ſubiugat animos accipientium, quare ab eis impetrat omne quod vult, ab eiſque honoratur vt munificus, imò vt curator & pater, vti honoratus fuit Ioſeph ab Ægyptijs dans eis frumenta & alimenta; ideoque vocitatus *ſaluator mundi,* Geneſ. 41. 45. Verè Comicus: *Magnus animi aurum, magnus animi munus.*

Myſticè, auctor Catenæ Græcor. Munera, inquit, ſunt virtutes, per quas homo animam ſuam dæmonibus, qui illam poſſidebant, eripit, imò animum Dei angelorum & hominum ſibi conciliat, itaque quaſi aufert & ſuffuratur, ſed pio ſortique beneuolentiæ furto.

Poſſet ſecundò, hæc gnome accipi, vt ſit argumentum à ſimili, putà à iudice & principe, cui dantur munera. q.d. Sicut qui munera dat iudici, victoriam in lite obtinet; & qui ea dat principi, ab eo ad honores euehitur, eò quòd dans munera, accipientis animum per ea ſibi obſtringat: ſic pariter

A victoriam & honorem, omneque bonum, quin & gloriam æternam à Deo conſequetur, qui Dei amore dat dona pauperibus: hiſce enim Dei animum id eſt gratiam & beneuolentiam demeretur, ſibique conciliat.

Moraliter Nota hîc, quanta vis ſit eleëmoſynæ & beneficentiæ, vtpote, quæ ad dua quæque vincit, & de omnibus reportat victoriam. Primò enim vincit eos quibus benefacit, eſto inimici ſint & infenſi: eorum enim cor emollit, allicit & in benefacientem reflectit: quis enim amantem ſe non redamet, quis benefactori ſuo malefaciat? Hoc eſt potens & nobile victoriæ genus, de quo Apoſtolus Rom. 12. 20. *Si eſurierit,* ait, *inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius, noli vinci à malo ſed vince in bono malum.* *Eleëmoſyna vincit accipientem.*

Secundò eleëmoſyna vincit auaritiam & cupi-
B ditatem ceteraque vitia naturam, vt ait Apoſtol. 1. Timot. 6. 10 *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Ratio eſt, quia contraria contrarijs vincuntur: ſicut ergo ignis extinguitur aqua, ſic cupiditas reſtinguitur eleëmoſyna & liberalitate. *vincit auaritiam.*

Tertiò, eleëmoſyna vincit deletque peccatum, non tantùm præſens & futurum, ſed & præteritum, iuxta illud Dan. c. 4. ad Nabuchod. *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Et Eccli. 3. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & (ſic) eleëmoſyna reſiſtit peccatis, & Deus proſpector eſt eius qui reddit gratiam.* Ratio eſt, quia eleëmoſyna facta ex amore Dei & proximi, eſt actus charitatis, charitas autem abolet omne peccatum. *vincit peccata.*

Quartò, eleëmoſyna expugnat cælum auaris clauſum: ob eleëmoſynam enim datam Chriſtus iudex eleëmoſynarios adiudicabit cælo, immiſericordes inferno. *expugnat cælum.*

C Quintò, eleëmoſynarius vincit aurum omneſque opes mundi, quæ mortalibus dominantur, ipſe ergo quaſi auri mundique dominus illud regit, diſpenſat, erogat. *aurum.*

Sextò, beneficentia vincit dæmones, eoſque fugat & expellit. Ratio eſt, quòd dæmones ob iram & inuidiam, qua flagrant in Deũ & homines, ſint planè maligni & malefici: maleficium autem vincitur à beneficio, & maleficus à benefico, ſicut ergo amor vincit odium, & amans odientem: ſic eleëmoſynarius vincit dæmones: ſimilis enim eſt angelo, qui totus eſt beneficus; angeli autem vincunt fugantque dæmones. Huc facit illud pſalmi 40. 2 *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eum Dominus: Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & non tradat eum in animam inimicorum eius,* id eſt *dæmonum,* ait ibidem S. Chryſoſt. *Sicut enim oleum efficit, vt athletæ elabatur è manibus aduerſariorum, ita etiam eleëmoſyna facit, vt qui ea vtuntur, dilabantur et fugiant dæmones.* Idem S. Chryſoſt. in c. 6. ad Ephe. *Non eſt,* inquit, *nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus mundi principes, & poteſtates tenebrarum harum: ideo aduerſus tenebras lucis arma ſuſcipere iubet Paulus. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Hanc ergo lucem ne efficiat continua olei inſtillatio nutriat miſericordiam adhibeamus: hæc enim nos contra validiſſimos hoſtes omni armorum genere inſtruit.* *dæmones.*

D

Septimò, eleëmoſyna vincit Deum: vnde ipſa ſpecie reginæ apparens S. Ioanni Eleëmoſynario aſſeruit, ſe Deo eſſe familiariſſimam, & ab eo omnia ad libitum impetrare. Quocirca Poëta: *Deum.*

Mu-

Munera, crede mihi, placant hominesq́ deosq́.

Similem victoriam, eamque multiplicem Salomon aſſignauit obedientiæ & obedienti cap. 21. 28: Si beneficentia vincit Deum, vincit & naturam (cuius auctor & rector eſt Deus) omniaque naturæ commoda & incommoda, vt paupertatem, famem, ſitim, opulentiam, delicias, gulam, &c. Vnde S. Chryſoſt. homil. 19. in 2. ad Corinth. in morali, celebrans viduam, quæ parum farinæ ſibi & filijs ad vitam neceſſariæ dedit Eliæ, aſſerit illam viciſſe Primò, naturam, quia filijs non pepercit; Secundò, famem, quia cibo ſe priuauit, vt eum daret Eliæ; Tertiò, mortem, quia eius periculo per inediam ſe expoſuit; Quartò, Abrahamum, quia ſibi neceſſaria dedit. *Quid enim*, inquit, *illa fortius fuit muliere? nónne contra naturæ tyrannidem, & contra famis violentiam, & contra mortis minas generosè ſtetit, & omnium fuit fortiſſima? ſed audi quomodo Chriſtus illam prædicat: Mulieres enim, inquit, erant viduæ in diebus Eliæ, & ad nullã miſſus eſt Propheta quàm ad illam. Dicam aliquid magnum & admirabile. Iſta patre noſtro Abraham plus in hoſpitalitatem impendit: non enim ad armentum incurrit ſicut ille, ſed pugillo illo farinæ præcurrit omnes in hoſpitalitate celebres: nam ille quidem vincebat, quòd ad hoc ſeipſum exhibebat; iſta verò neque pueris pepercit propter hoſpitem, etiam nondum futura expectans.*

Hinc noſter Martinus de Roa lib. 1. Singul. c. 9. ſic exponit: *Qui pronus eſt in miſericordiam, benedicetur*, id eſt bonus, imò optimus, hoc eſt diuinus, imò Deus quidam terreſtris, vocabitur. Nam bonitatis (Deus autem eſt ipſa bonitas) maximè proprium eſt benefacere. Nihil vidit melius Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Sed ipſe Iupiter*, inquit, *id eſt iuuans pater, &c. à maioribus noſtris Optimus maximus dicitur, & quidem ante optimus quàm maximus, quia maius eſt certéq́ gratius prodeſſe omnibus, quàm magnas opes habere.* Hinc Varroni *diues* dictus eſt, quaſi *diuus*, quòd perinde ac Deus circumfluat maximis copijs, & alienam inopiam ac miſeriam, nihil ipſe interea incommodi accipiens, leuare tam velit, quàm poſſit. Nomen autem Dei nomen eſt liberalitatis & magnificentiæ: Iupiter à iuuando dictus eſt, Deus à dando. Hinc olim mæcenates, patroni ac principes liberalitate in clientes ac ſuos, nomen ſibi inuenere diuinum.

Diues quaſi diuus.

Iupiter à iuuando, Deus à dando.

VERS. 10. EIICE DERISOREM, ET EXIBIT CVM EO IVRGIVM (Symmach. & Theodot. *rixa*,) CESSABVNTQVE CAVSÆ ET CONTVMELIÆ] Septuag. *eijce peſtilentem è conſeſſu, & exibit ſimul cum illo iurgium; nam cùm ſederit in conſeſſu, omnes inhonorat*; Græca, ἀτιμάζει, id eſt dehoneſtat: inhonorat, ignominia afficit, nihili æſtimat contemnit; Syrus, *ceſſabit lis & opprobrium; ne, ſi ſedeat in conſeſſu, omnes probris afficias*; Chald. *eijce deriſorem, & expelle contentioſum, & ceſſabit iurgium & ignominia.*

Pro *deriſorem* hebr. eſt לץ *lets*, quæ vox ſignificat hominem noxium & peſtilentem, qui alios irridet, ſubſannat, diuexat, pacem turbat, lites & pugnas concitat, qualis eſt ſuſurro, detractor, conuiciator, irriſor, turbulentus & ſeditioſus: talis enim eſt cauſa & fomes continuus iurgiorum & rixarum: alios enim probris & ſannis impetit, ac ſeminat diſſidia & lites. Ait ergo: *Eijce deriſorem*, id eſt ſuſurronem & turbatorem, *& exibit cum eo iurgium, ceſſabuntq́ cauſæ*, id eſt lites & contumeliæ. Ait *deriſorem* in ſingulari, non *deriſores* in plurali: quia vnus inquietus & turbulentus ſufficit vt totũ cœtum, totam vrbem & rempublicam turbet, vexet, affligat: ſicut modicum fermentum totam farinæ maſſam inficit & fermentat. Qua ſimilitudine probat Apoſtol. 1. Corinth. 5. v. 6. inceſtuoſum ſcandaloſum eijciendum eſſe ab Eccleſia. Eijce ergo deriſorem vel è vita, ne viuens alios turbet. ita aliqui, vel ſimplicius, eijce è cœtu, ex vrbe & republica, vt cum eo velut ſuſcitatore & face ſuccendente exeant pariter iurgia, lites & contumeliæ. Sicut enim in cithara, lyra, teſtitudine, organo, harmonia conſiſtit in conſona & congrua ſingularum fidium vel fiſtularum inter ſe contemperatione, ita vt, ſi vna diſſonet, totam harmoniam turbet & perdat, quare citharœdus, lyricen vel organiſta, qui acutas habet aures, ſtatim aduertens, quæ fides vel fiſtula diſſonet (eſto ceteri artis imperiti, vbi ſit vitium non aduertant; ſed illud toti citharæ vel choro tribuant) illam ceteris contemperat, vel, ſi contemperari nequeat eijcit, aliamque eius loco conſonam ſubſtituit, itaque redit conſona prior melodia; ſic pariter vita & pax communis conflatur & conſiſtit ex ſingulorum ciuium pace & concordia: quod ſi quis inquietus illi ſe attemperare nolit, magiſtratus vel principis eſt eum notare & eijcere: eo enim eiecto, redibit communis pax & concordia, & cum ea ſalus. Vnde Concil. Toletanum 11. & habetur 5. q. 4. cap. vlt. in fine, ſancit, vt clamoſi & contentioſi è concilio & cœtu Epiſcoporum eijciantur, *Ne contentioſi vocibus*, inquit, *ſenſus audientium conturbent, aut vndiq; vigorem tumultu perturbent. Quicumq; ergo in conuentu concilij tumultu, aut contumelijs vel riſibus Concilium perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur: Eijce deriſorem & exibit cum eo iurgium; cum omni dedecore de conſeſſione abſtractus, à communi cœtu ſecedat, & trium dierum excommunicationis ſententiam ferat.*

Tales præ ceteris ſunt hæretici, qui omnia humana & diuina rident & in iocum vertunt, ideoq; turbant fideles Catholicos. Vnde Beda ſic explicat: *Eijce hæreticum, quem corrigere non potes, de Eccleſia, & cùm illi libertatem prædicandi abſtuleris, Catholicæ paci auxilium præſtabis.* Hac de cauſa Eccleſia hæreticos, velut turbatores, ſeditioſos & ſeductores excommunicat & ab Eccleſia eijcit, vt fidelium pacem, fidei integritatem & ſalutem tueatur.

Monet ergo hæc gnome patresfamilias, vt è domo, Præſules, vt ab Eccleſia, principes, vt è ciuitate & republ. expellant homines turbulentos & peſtilentes. Hi enim pacem turbant, omnes vexãt, lites ſerunt, ciues inficiunt; quare vt peſtes contagioſæ à patre, Præſule, vel principe, ſtudioſè indagandi, ac rigidè eliminandi & expellendi ſunt, vt ceterorum quieti & ſaluti conſulat.

Et auctor Catenæ Græcor. partim litteraliter, partim tropologicè, Eijce, inquit, è doctrinæ cathedra hominem prauis opinionibus prauiſque actionibus imbutum. Eijce itidem ex animæ tuæ regno peſtilentem diabolum, neque ſolùm illum inde expelle, ſed odio quoque perſequere: ſi enim ſedem in illa ceperit, omnes bonas illius cogitationes per innatam maliciam & immunditiam turbabit & inquinabit: Apoſtolus enim animam per ea ipſa quamdam concilij ſimilitudinem obtinere apertè oſtendit, per quę cogitationes hinc inde excuſantes & accuſantes inducit, Roman. 2. 15.

VERS. 11. QVI DILIGIT CORDIS MVNDITIAM, PROPTER GRATIAM LABIORVM SVORVM AMICVM HABEBIT REGEM] Quæres, quænam voce-

Cordis munditia amicat regem. qua? Reſp. Primò.

vocetur hic *cordis munditia*, & quænam *gratia labiorum*? Primò, Baynus, Caietan. & Ianſen. per *cordis munditiam* accipiunt cordis candorem & ſinceritatem, per *gratiam labiorum* veracitatem: vtramque enim adamant reges & principes: tum quia vicarij ſunt Dei, qui eſt prima veritas, puritas & ſinceritas: tum quia verè & ſincerè ius dicere, populum regere, & omnia reipubl. munia adminiſtrare debent, quare ſummè oderunt hypocritas, doloſos, mendaces, fraudulentos, qui hanc veritatem adeò ipſis decoram, & ad bonum regimen neceſſariam offuſcare, adimere vel peruertere conantur. Senſus ergo eſt. q. d. Qui diligit *munditiem cordis*, id eſt candorem & ſinceritatem, atque illi ſimilem *gratiam labiorum*, id eſt ſinceritati conformem veracitatem, à dolo, fuco & fraude alienam; hic placebit regibus & principibus, vt eum habere amicum & familiarem percupiant. Reges intellige probos & ſapientes: nam improbi & inſipientes amant ſibi ſimiles, præſertim eos qui ſibi adulantur, etſi mentiantur, fucum faciant, decipiant & illudant; vti Nero amabat Simonem magum & impoſtorem.

Secundò.

Secundò, noſter Salazar per *munditiam cordis* accipit cor ab odio, malignitate & malitia purum, placidum, pacificum, quietis & concordiæ ſtudioſum; per *gratiam labiorum*, gratiam dicendi, & conciliandi amorem, pacem, concordiam, vt hic verſus annectatur & opponatur præcedenti de eijciendo deriſore. q. d. *Qui diligit cordis munditiam*, &c. id eſt, ſi quis eſt ſincero vir animo, verax, pacis & concordiæ ſtudioſus, hunc certè alijs poſthabitis ſibi rex in amicum adlegere debet: is enim per omnia aptus eſt, vt eius muneris functiones obeat. Itaque ſicut illum alium deriſorem quàm longiſſimè arcendum eſſe, in ſuperiori verſu dixerat: ita hunc veracem & placidum hominem, quàm proximè ſibi adiungendum copulandumque docet hîc Salomon. Cito ſubinde verba auctorum, quia nullus ſeipſo melior eſt mentis ſuæ interpres: à qua non rarò aberrant, qui illam ſuis verbis interpretantur.

Tertiò.

Tertiò, Beda, Hugo, Dionyſ. & alij per *cordis munditiam* accipiunt caſtitatem cordis; per *gratiam labiorum*, caſtitatem verborum, ob quam Chriſto, Regi regum, præ ceteris Apoſtolis dilectus fuit S. Ioannes: & vtramque in ſuis familiaribus adamant reges & principes; tum ne aulæ, vel etiam thori regalis, pudicitiam ſuo ſcelere & infamia commaculent: tum quia vbi eſt caſtitas à libidine, ibi eſt etiam caſtitas & puritas ab omni ſcelere, imò fidelitas, ſinceritas, integritas: amor enim carnis ſiue libido ita potens eſt in homine, vt qui eam vicerit facilè cetera vitia vincat, imò illa ſine reliquis virtutibus, ac præſertim ſine ingenti amore vinci nequit. Vnde S. Aug. lib. de S. virginitate, docet charitatem velut ignem purgare & exurere omnes libidinis fæces, ideoque virginitatem puriorem & ſplendidiorem efficere. Hæc verò caſtitas cordis parit caſtitatem oris, vt non niſi honeſta, verecunda, caſta, grauia, iuſta, ſancta proloquatur; quæ inſignis eſt gratia, quà omnes, ſed maximè reges & principes, ſibi conciliat. Tritum eſt illud:

Vbi caſtitas, ibi omnis puritas & virtus.

Os castum in verbis, à furto candida palma,
Climata terrarum viſere cuncta queunt.

Antiquitus, ait Lyran. *reges non permittebant aliquem ſibi aſſiſtere, niſi mundum & honeſtum.*

Quartò.

Quartò, R. Leui per *munditiam cordis* accipit ſincerum amorem & charitatem. q. d. Cùm quis ſincero corde præſtat, alioſque ſincero amore proſequitur, huiuſmodi beneuolentia & charitas quam in ſocios ſuos amicoſque verbis ſuis prodit, in eos imperium ac poteſtatem obtinet, vt eorum rex eſſe videatur. Hæc ille, qui verba per hypallagen inuertit. q. d. Amicus erit regis, id eſt rex erit amicorum.

Quintò. Pleniſſimè.

Quintò, & pleniſſimè, per *munditiam cordis* accipias omnia iam dicta, puta munditiam ab omni ſimulatione, duplicitate, mendacio, dolo, libidine, omnique alia prauitate & cupiditate: hæc enim eſt plena & perfecta cordis munditia. Senſus ergo eſt. q. d. Qui cor habet mundum ab omni vitio prauiſque deſiderijs, ac ſimul habet gratiam dicendi, quâ auditorum beneuolentiam ſibi conciliet, hic amicabit ſibi reges & principes. Duo ergo ad hanc amicationem requirit, ſcilicet primum munditiam cordis, ſecundo gratiam labiorum, quâ amabiles & gratioſi apud auditores reddimur, iuxta illud pſal. 44. 3. *Diffuſa eſt gratia in labijs eius: propterea benedixit te Deus in æternum.* Et Cant. 1. 2. *Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* Sic Iudæi *mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius*, Chriſti, Luc. 4. 22. Et Iſaias c. 50. 4. *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam.*

Porrò vnum ſine altero non ſufficit, ſed tam munditia cordis, quàm gratia labiorũ adſit oportet. Vnde ex Hebræo cum Tigurina vertas, *rex amicus eius qui munditiam cordis diligit, & labiorum gratiam*: Noſter tamen vertit, *propter gratiam labiorum*. Quia Hebræi ſæpè ſubaudiunt τὸ *propter*, vt ſignificet munditiem cordis parere gratiam labiorum: hæc enim mundities cordis parit munditiem honeſtatemque verborum, quæ audientes demeretur, & in ſui amorem rapit: os enim ſimulacrũ eſt cordis, & in verbis mundis velut in ſpeculo reſplendet mundities cordis, quæ omnibus ſed maximè regibus chariſſima eſt. Sicut ergo auri à ſcoria defæcati mundities, puritas & probitas tinnitu dignoſcitur: ſic mundities cordis ex tinnitu & ſonitu verborum mundorum pateſcit & cernitur. Hos ergo amicos ſibi deligit rex, tum quia talibus ſe ſuaque credere audet: tum quia eos ſocios gubernationis aſciſcere poteſt: eorum enim puritas & integritas in totum populum redundat; qualis enim eſt gubernator, talis eſſe ſolet & populus: tum quia eorum mundities regi eſt decori & ornamento. Inde enim vulgus colligit regem purum habere cor ab omni vitio, vtpote qui non niſi puros & mundicordes ſibi amicos & ſocios aſciſcat. Impuri enim ſi in amicitiam regis irrepant, eum dedecorant & infamant, quaſi ipſe eis ſimilis ſit & impurus; perinde ac ſi quis nummum adulterinum regis imagine inſigniret, regem dedecoraret: imago enim regis nummis ab eo cuſis additur, vt ſignificet nummos eſſe legitimos: qui ergo adulterinis eandem addit, mentitur eos à rege cuſos probatoſque, velut legitimos, quæ ingens regi eſt iniuria & infamia. Sicut ergo imago regis nummum verum purumque eſſe teſtatur: ſic pariter regis gratia & amicitia viri puritatem & præſtantiam ſuo teſtimonio commendat. Talis fuit Chuſai, munditiei ſtudioſus, ideoque amicus regis Dauidis, qui proinde fideliter à Dauide rebellionem Abſalomi depulit, 2 Regum 15. & 16. Et Zabud filius Nathan amicus Salomonis, 3. Reg. 4. v. 5.

Significat ergo hęc gnome, ait Ianſen. eum qui amat integritatem animi, atque à fuco & impietate liber eſt, ſi accedat etiam dicendi gratia, regi ac magnatibus placiturum. Aut ſignificatur, talem non poſſe non habere gratiam labiorum apud reges, hoc eſt, talium vt plurimum verba ſermoneſque grata eſſe, quòd ſincero animo dicantur; cùm impiorum & fucatorum blandiloquentia, etiam elegans & compta, ſapientibus ingrata ſit & odioſa, vtpote per quam malum machinentur. Vnde de Dario ſcribitur, quòd, cùm malum punicum in manu teneret, dixerit ſe non optare maiorem theſaurum vllum, quàm vt tot haberet Zopyros, quot eſſent grana illius pomi: ſignificans regibus nihil gratius eſſe debere fidis amicis.

Porrò mundus corde, & gratioſus labijs, non ſolùm amicus eſt regis terreni, ſed & regis cæleſtis, putà Dei, iuxta illud Chriſti Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Ita R. Salomon, Qui cordis, inquit, & labiorum puritate præſtat, amicum habet regem, id eſt Deum, qui & hunc amabit, & vt ceteris in amoribus ſit curabit. Quocirca pro *qui diligit*, hebr. eſt אֹהֵב *oheb*, id eſt *diligens*, quod multi ad Deum referunt. Ita Chald. *Diligit*, inquit, *Deus mundum corde, & in gratia labiorum ſuorum ſocius erit regis*; Syrus, *& amat labia ſociorum regis*; Vatabl. *amat* (ſupple Dominus) *eum qui puro eſt corde: propter gratiam labiorum ſuorum ſocius eius (eſt vt) rex; id eſt tanto amore proſequitur amicum ſuum quanto ſi rex eſſet, quem ne verbo quidem offendere vellet*, Septuag. *diligit Deus corda ſancta* (Aquila & Theodot. *munda*; Symmach. *caſta* vel *pura*) *& accepti ſunt ei omnes immaculati in vijs*, vel *qui tales ſunt vt reprehendi non poſſint*. Deinde quod ſequitur de rege, ad ſequentem verſum reijciunt, hoc modo: *Rex labijs paſcit* (legerunt רָעָה *raah*, id eſt paſcit, pro רֵעַ *rea*, id eſt amicus) *oculi autem Domini cuſtodiunt ſenſum*. q.d. Regni robur magis conſiſtit in regis prudentia, quàm in potentia aut populi frequentia. ita auctor Catenæ Græcor.

Denique Beda partim literaliter, partim myſticè ſic explicat: *Qui mundo corde recta prædicat, inter illos annumerabitur, de quibus eidem regi & conditori ſęculorum Propheta dicebat: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus. Nam ſi quis gratiam labiorum recta prædicando præmonſtrat, cordis autem munditiam cuſtodire diſſimulat, nequaquam talis æterni regis amicitia frui poſſe putandus eſt.*

Ratio à priori. Ratio à priori eſt, quòd Deus vti in eſſentia eſt ſpiritus puriſſimus & ſimpliciſſimus, carens omni compoſitione, etiam quæ ſit dumtaxat ex actu & potentia, ex genere & differentia, ex eſſentia & exiſtentia, qualis eſt in angelis; ſic pariter puriſſimus eſt in intellectu & voluntate, ideoque remotiſſimus ab omni errore, duplicitate, ſimulatione, cupiditate, paſſione, impuritate: quare diligit angelos, vtpote puros ſpiritus & ad ſuam puritatē præ ceteris creaturis accedentes. Item animas caſtas & puras, quia in his velut in terſo limpidoque ſpeculo reſplendet diuinæ puritatis & ſplendoris imago. Hæ ergo Dei ſimillimæ ſunt: ſimilitudo autem cauſat amorem & amicitiam: ſimilis enim amat ſibi ſimilem. Hinc animæ caſtę & purę ſunt templum Dei, iuxta illud 2. Corinth. 6. 16. *Vos enim eſtis templum Dei, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*, Leuit. 26. 12. Vnde ex Chaldęo & Vatablo hoc loco ſic vertas, & verſionem iam recenſitam inuertas (Chaldæa enim & Hebræa nomina cùm ſint indeclinabilia, in quolibet caſu verti poſſunt) *Diligit Deum mundus corde* &c. Talis ergo cum Harmunio dicit: *Malo mori quàm ſordidari*; puritas enim mihi charior eſt vita. Puritas autem ſumma & increata eſt ipſe Deus.

Gnomæ de puritate cordis. Huc faciunt gnomæ ſapientum. Antonius in Meliſſa parte 2. cap. 87. & 88. erat illud Baſilij: *Primum beatiſſimum eſt, quod in corde noſtro purum; quia radix eſt omnium corporis actionum cordis conſilium.* Et illud Nazianzeni: *Non eſt pietas in vultus demiſſione, ſed in cogitationis puritate.* Et illud Clementis: *Non facinorum abſtinentia fidelem iuſtificat, ſed cogitationum caſtitas & pura ſinceritas. Oratio caſta & vita nulla labe contaminata, thronus, & verum Dei templum eſt.* Et illud Philonis: *Domus Dei cogitatio ſapientis, ac huius propriè vocatur Deus qui vniuerſorum eſt, quòd Deus in ea tanquam in regia ambulat.* Et illud S. Lucię virg. & Martyris ad Paſchaſium prętectum: *Caſte & piè viuentes templum ſunt Spiritus ſancti.*

Modus mundandi cor. Iam modum mundandi cor ſuggerit ibidem S. Cyrillus: *Concupiſcentia*, inquit, *ſuſcitat omnes impuras cogitationes & perturbationes* (ſicut ignis excitat fumum) *ad ipſas inuitās mentem, ac primo præſtigijs illudens, poſteà vim adhibens & contuſiens; ſi quidem fumi more, vel etiam ſicut vapores quidam, inſitarum voluptatum appetitus in nobis naſcuntur: ſed qui temperās eſt & fortis, motus increpat, nec longiùs progredi ſinit, ac facilè infirmos adhuc perturbationis motus ſuperat; iners autem & negligens voluptatum principia admittit; quaſi cogitationes nudas: cumq; permiſerit in latitudinem progredi, difficillimum erit reſiſtere: nam qui ante captus eſt & iam occupatus, is conſiliorum ſuorum non dominus eſt imò magis victrici perturbationi quaſi barbaro alicui ſubijcitur.*

Quocirca ſapienter S. Baſil. homil. in principium Prouerb. & ex eo Damaſc. lib. 3. Parallelorum c. 27. *Mentem*, inquit, *oportet non ſecùs ac gubernatorem quemdam, ſupra vitioſas affectiones inſidentem, ac carnem velut nauem conſcendentem, rationemq; tanquam clauum peritè huc atque illuc obuertentem, fluctus generoſo ac forti animo obterere: atque ita ſe comparare, vt ſublimis manens, ac perturbationibus impermia, carnis amarulentia, perinde ac maris ſalſugine minimè impleatur.* Citat ibidem Damaſcenus illud Didymi: *Diuturno ſtudio & meditatione, concitatorū animi motuum vis ac feritas debilitatur. Nec perturbationum auriga, ſimul atque eas ſemel ſubegerit, tranquilla ſunt omnia: ſemper enim quamdiu homo in hac vita verſatur, hoc bellum urat.*

OCVLI DOMINI CVSTODIVNT SCIENTIAM: ET SVPPLANTANTVR (malè in Regijs legitur, *ſuperplantantur*) VERBA INIQVI] Pro *cuſtodiunt* heb. eſt נָצְרוּ *natſeru*, id eſt *obſeruant*. Oculorum enim proprium eſt obſeruare rem viſam: item *cuſtodiunt*, *ſeruant*, *conſeruant*. Rurſum pro *ſupplantantur* hebr. eſt יְסַלֵּף *teſalleph* actiuè, id eſt ſupplantat, calcat, proterit, euertit, ſcilicet Dominus Deus. VERS. 12.

Quæres, quænam hæc ſcientia, & quomodo oppoſita verbis iniqui?

Oculi Dei ſeruant ſcientiam: quam? Reſp. Primò. Primò, Aben Ezra per *ſcientiam* accipit viros ſcientiā præditos: ſic enim conſtat antitheſis inter ſapientes & iniquos. q.d. Oculi, id eſt intellectus vel voluntas & beneplacitum, putà prouidentia Domini, cuſtodit viros ſcientia imbutos ab vniuerſis calamitatibus: verba autem iniqui praua machinantis in ſcientia exultos, peruertet, & irrita reddet. *Scientiam* intellige practicam, putà ſtu-

dium

dium virtutis, quæ eſt ſcientia Sanctorum. Scientes ergo, ſiue ſapientes, iidem ſunt qui iuſti & ſancti. Et R. Leui: Sapientum mentem, inquit, conſeruant oculi, ſeu prouidentia Dei, vt illorum cogitata & conſilia reipſa eueniant. Idem verò Deus iniquorum verba demolitur, cum eos deijciat ab ijs, quæ conſultò deliberauerunt. Et Vatabl. Deus, inquit, approbat ea quæ à viris ſapientibus geruntur, reprobat verò verba, id eſt res, opera & geſta præuaricatorum.

Secundo. Secundò Beda per *ſcientiam* accipit veritatem, præſertim religionis & fidei. q.d. Superna conſpectio cuſtodit ſemper in Eccleſia ſcientiam veritatis, quam docuit: verba autem hæreticorum, in quo omnis ſermo pietati & iuſtitiæ contrarius, qui à domino rege non ſeruatur, cum ſuo auctore ſubuertitur. Supplantantur ergo verba iniqui, dum hæretici dogmata extinguuntur, & quaſi planta pedis calcantur & ſuffocantur, ne ſeſe propagent, & ad vicinos poſteroſue inficiendos proſerpant.

Tertio. Tertiò, Ianſen. per *ſcientiam* accipit veritatem ore prolatam, præſertim cùm teſtis verum a ſe cognitum teſtatur. Poteſt, inquit, *ſcientia* ſimpliciter accipi pro cognitione rei, de qua aliqui loquuntur & teſtificantur; vt ſignificetur prouidentiam Domini conſeruare & tueri teſtimonium veritatis, illud ſcilicet, quo id quod ſciunt homines loquuntur & teſtantur: contra verò illum ſubuertere iniquorum verba, quæ in aliorum perniciem contra veritatem cogitauerunt, aliud dicẽtes quàm ſciunt eſſe verùm. Fauet verſio Chaldæi, quæ pro *ſupplantantur verba iniqui*, vertit, *protrudit verba prædonum*; & Syri. *profligantur verba mendacij*. Chaldæum & Hebræum ויסלף *islel*, idem eſt quod protrudit, profligat, eijcit, euellit, tranſportat; vel tegit, obtegit, offuſcat, obumbrat.

Quarto. Quartò, alij per *ſcientiam* accipiunt prudentiam, & ſapientiam. Hanc enim oculi, id eſt prouidentia Domini in orbe, ac præſertim in Eccleſia ſua, tuetur & cuſtodit, ac *verba*, id eſt dicta & facta inſipientum, id eſt iniquorum, prudentiæ & ſapientiæ contraria ſubuertit.

Quinto. Genuinè. Quintò, planè & genuinè, noſter Salazar cenſet hæc dici aduerſus mendaces deriſores, de quibus v. 10 q.d. Deus quidem omnia intuetur: nihil enim eſt quod ipſius perſpicaciſſimam aciem fugiat: atque adeò ipſe rerum omnium teſtis oculatus eſt; id ſibi volunt illa verba, *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam*, id eſt certiſſimam intuitiuamque rei cuiuſlibet notitiam apud ſe aſſeruant; *& ſupplantantur verba iniqui*. In Hebræo hæc oratio eſt actiua, hoc modo, *& ſupplantat*, vel *peruertit verba iniqui*. Nimirum ipſe Deus, qui oculatus rei teſtis eſt, *verba*, hoc eſt mendacia & doloſa improbi impoſtoris coarguit, eiuſque falſitatem palàm euincit. Significat vtique Salomon, etiam tunc cum quæ confidentiſſimè mentitur, quia rem prorſus latere exiſtimat, haud tutum eſſe: quia Deum ſpectatorem habuit, qui rei cognitionem notitiamque apud ſe retinens, eam tunc cùm volet, conuictâ ipſius falſitate aperire, & in vulgus ſpargere poterit. Quæ ſanè eſt perelegans, Deoque digna ſententia.

Denique generatim *ſcientia* hìc accipi poteſt pro qualibet cognitione & veritate, ſiue fidei, ſiue morum, quam Deus in orbe & Eccleſia ſua per doctores & ſapientes tuetur & cuſtodit, ac contrariam illi falſitatem, quam iniqui inducere conantur, ſupplantat & obterit: Deo enim qui prima eſt veritas, competit cuiuſlibet veritatis cura & tutela, vt ipſa eſto ad tempus ab iniquis opprimatur, tamen Deo tutore & vindice tandem caput efferat, clareſcat, vincat & triumphet, vti patuit in Chriſto, Apoſtolis, S. Athanaſio, S. Chryſoſtomo, S. Gregorio Nazianzeno, cæteriſque fidei, veritatis, prudentiæ & ſapientiæ doctoribus, defenſoribus & athletis.

Septuag. vertunt, *paſcit labijs rex: oculi autem Domini conſeruant ſenſum; vilipendit autem verba iniquum.* q.d. Rex ſapientibus ſuis edictis, reſponſis, dictis, ſubditos velut oues paſcit, id eſt regit & in ciuili vita enutrit: iniqui autem eius verba legeſque vilipendunt, eaſque in alium ſenſum, qui ſuis cupiditatibus faueat, perperam interpretando detorquent: ſed oculi Domini verum earum ſenſum conſeruant, iuxta quem ſuo tempore, ac præſertim in die iudicij iniquos, vel vt Hebr. eſt בוגד *boged*, id eſt præuaricatorem legis, iudicabit, condemnabit & puniet. Itaque hac gnome Salomon metu diuini iudicij percellit impios, qui leges regum peruertunt & violant, vt eius timore ipſos ad ſanam mentem, regiſque & legum obedientiam reducat.

Vers. 13. DICIT PIGER, LEO EST FORIS: IN MEDIO PLATEARVM OCCIDENDVS SVM] Septuag. *excuſationem affert & dicit piger. Leo in vijs, & in plateis ſicarij*; Syrus, *dicit piger quando mittitur, Leo in via: ecce occiſor in platea*; Chald. *dicit ſocors in ſocordia, Ecce leo foris, & in plateis homicida*: R. Leui: Ignauus, inquit, domo non prodit ad opus ſuum præ inſigni deſidia qua torpet, inquitque leonem foris eſſe à quo diſcerpatur, ſi domo exeat, prædoneſque forum occupare, à quibus iuguletur, ſi in illud ſe conferat.

Hæc gnome ſocordiam pigrorum graphicè repræſentat: ne enim cogantur laborare & labore ſibi victum parare, fingunt ſibi aliis inanes metus & pericula, ac paruas difficultates eleuant, æſtimantque maximas, ſicut pueri formidant vmbras & laruas, &, vt vulgo dicitur, *ex formica faciunt leonem*: fingunt, inquam, ſibi *myrmicoleonem*, id eſt formicarium leonem, cùm rem leuem & occupationem facilem apprehendunt & reformidant, velut rem terribilem & inſuperabilem. Vnde Olympiodorus in illud Iob 4. 11. iuxta Septua. *myrmicoleon periit, eo quod non haberet prædam*: *Myrmicoleon*, inquit, id eſt formica leo, eſt diabolus, qui ſtrenuis & generoſis contemptui eſt vt formica; timidis verò & ignauis terribilis eſt vt leo. Vnde diaboli typus eſt *crocodilus fugax animal audaci, audaciſſimum timido*, ait Seneca lib. 4 Natur. quæſt. c. 2. Ex aduerſo à Modeſto Valentis Imp. præfecto, fruſtra S. Baſilium ad arrianiſmum pertrahere conante, canit Cyrus Theodorus:

Modeſte Baſilio Magno ſubes:
Formica es, fugias hæc vt leo.

Dicit ergo piger: *Leo eſt foris*, id eſt, leo extra vrbẽ in agris graſſatur, qui me, ſi vrbe egrediar, laniabit & vorabit. *In medio plateaſũ occidendus ſum*, id eſt, in ipſa vrbe eiuſque plateis graſſantur rixæ & ſicarij, qui, ſi domo egrediar, me occident: vbiq; ergo obtendit pericula lethifera & inſuperabilia, ne ad opus egredi cogatur. q.d. Nec vrbe, nec domo tuto egredi poſſum. Si enim vrbe egrediar, incidam in leonem qui me diſcerpet; ſi domo exeam, incidam in rixantes & ſicarios qui me confodient.

ſodient. Neceſſum ergo ſi vitam tueri velim, vt domi quietus & iners deſideam. Contingit aliquando fortuitò vrbe exeuntes incidere in leones, & ab eis laniari, vti contigit Prophetæ illi à Deo miſſo in Samariam, eò quòd contra iuſſum Domini in ea cibum ſumpſiſſet, 3. Reg. 13. v. 24. idque in Africa nonnullis in locis frequens eſt, teſte Plinio lib. 8. cap. 16. Verùm pigri periculum alterius loci in ſuum, vbi nullum eſt, transferunt, & quod ſemel vni contigit, vniuerſale faciunt, ſibique appropriant. Hoc enim facit metus, quem parit inertia. Hebr. eſt, *dixit* עצל *atſel*, id eſt piger & tardus inſtar aſini, *Leo eſt foris*. Aſinus enim mirè formidat leonem, quaſi hoſtem proprium ſuę vitæ inſidiantem, vt carnibus ſuis paſcatur. Hinc illud

Piger ſimilis aſino. Eccli. 13. 23. *Venatio leonis onager in eremo*. Alludit ad indolem, & rugitum leonum. Hic enim adeò terribilis eſt, vt omnia animalia percellat & ſtupefaciat, itaque ſiſtat, capiat, laniet & deuoret, vti ſuperiùs docui ex Plinio: ſimili enim modo phantaſmata terrifica & apprehéſio difficultatum, quas

Demones ſimiles leoni. pigro ſuggerit ignauia, ita eum percellunt, vt eum ſtupefaciant, ſiſtant, conſumant, tabefaciant & enecent. Generoſi enim ſunt quaſi leones, qui nihil timent, ſed omnibus ſunt timori, præſertim aſinis, id eſt pigris, qui omnia etiam tuta & non timenda timent: vnde timoris ſe faciunt mancipium, pabulum & ludibrium.

Ratio à priori. Cauſa eſt, quòd otium & inertia mille homini ſuggerat apprehenſiones & imaginationes, quæ omnes laboris & rei faciundæ difficultates, etiam minimas, ad viuum repræſentant, exaggerant & aggrauant, quibus animus metu percellitur & laborem exhorret. Vnde S. Baſilius apud Anton. in Meliſſa p. 2. cap. 46. *Otium*, inquit, *maleficij principium. Propria eſt hæc ægritudo otioſi & deſidioſi animi, vt vigilante corpore ſomnia videat.* Ibidem S. Chryſoſt. *Nihil*, inquit, *eſt tam facile, quod non valdè graue & inuiſum magna pigritia reddat: nec quidquam tam laborioſum & difficile, quod ſtudium & alacritas non facillimè efficiat.* Et Clemens; *Qui infirmi & imbecilles ſunt ijs vel quod mediocre eſt ſupra vires ipſorum videtur.* Et Philo: *Innumeri neglecta exercitatione robur etiam naturale eneruarunt. Conſuetudine & quiete confirmatum otium, inſidioſum eſt.*

Hæc ſententia vera eſt in temporalibus, verior in ſpiritualibus. Tardi enim & pigri fingunt ſibi pericula & onera, quæ nulla ſunt, ac trepidant timore vbi non eſt timor. Ieiunare, orare, cupiditatibus reſiſtere, &c. carnales & pigri putant ſibi eſſe intolerabile & impoſſibile. Vide Bedа: *Leo*, inquit, *foris, in medio platearum occidendus ſum, quod eſt apertè dicere: Et verba & opera virtutum, vbi oſtendi foris cœperint, ſtatim perſecutio vel hominum, vel ſpirituum comitatur inuidorum, nec valeo in tentationibus reſiſtere, ſed in pijs benè præpoſiti vincor inceptis.* Sic & auctor Catenæ Græcorum. *Qui*, inquit, *ad virtutem deſes eſt, dicere ſolet: Leo eſt in via: hoc eſt, ſatius eſt vulgariter & incurioſè viuere, quàm periculum aliquod propter pietatem adire. Per leonem autem deſignatur diabolus: hic enim eſt qui virtutum vias obſidet; quin homicidarum quoque nomine dæmones, haud inconcinnè adumbrantur.* ac paulo poſt: *Aliter, piger dixit: Leo eſt in via hoc eſt, dæmones, prauæq; cogitationes impedimento mihi ſunt, quo minus in Dei præceptis progreſſus faciam.*

Rurſum hanc gnomen adaptes tepidis pigriſque clericis, ſacerdotibus, & Religioſis, qui otiari volunt, nihilque agere, nec vacare contemplationi, nec actioni. Talis ergo reipſa dicit: Nolo ſecedere extra vrbis frequentiam, in locum ſecretum, vt vacem contemplationi, quia ibi graſſatur leo, id eſt diabolus, qui Anachoretis & contemplantibus mille parat tentationes & laqueos: nolo pariter vacare actioni, nolo concionari, catechizare, audire confeſſiones: quia in his pericula ſunt ne perdam meipſum, & alienorum peccatorum reum me faciam, eaque in me transſcribam: ſed hi cogitent, in otio & deſidia ſibi longè grauius imminere periculum à pardo & panthera, qui deſidibus inſidiatur, vt in eos inſiliat, eoſque laniet & deuoret, putà ab Aſmodæo & ſpiritu fornicationis, qui ille in otioſis ſuſcitat cupiditatum omnium deſideria, & concupiſcentias, quæ illos opprimunt & ſuffocant, vti Aſmodæus ſuffocauit ſeptem ſponſos Saræ ob inertiam & libidinem Tobiæ c. 3. v. 8.

Præclarè S. Auguſt. ſerm. 65. de Temp. loquens de ſedulitate hoſpitalitatis, qua Abraham excepit angelos, Geneſ. 18. *Videte*, ait, *fratres, quàm feruenti animo hoſpites debeatis excipere. Ecce ipſe Abraham currit, vxor feſtinat, puer accelerat; nullus eſt piger in domo ſapientis.* Idem ſer. 245. *Noli*, inquit, *piger eſſe in opere, cuius mercedem deſideras*, &c. *tranſit labor, venit requies.* Labora ergo in tẽpore, vt quieſcas & exultes in æternitate: *Non enim ſunt condignæ paſſiones* (pariter & actiones laboreſque) *huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, Roman. 8. 18. Viue ergo, labora, patere, ſuda æternitati. Momentum eſt quod cruciat, æternum quod delectat & beat.

Fovea profvnda os alienæ: cvi iratvs eſt Dominvs, incidet in eam] Hebr. *foſſa profunda os alienarum: cui ſuccenſet Dominus, cadet illuc.* Vers. 14. Sic & apud Symmach. & Theodot. *os alienarum*, ſcilicet mulierum, putà adulterarum & meretricum. Septuag. tamen, *os alienarum*, ſcilicet rerum, accipiunt pro ore impij, quod aliena à lege & Deo eructat: vnde vertunt, *fouea profunda os iniqui: qui autem odio habetur à Deo, incidet in eam.* Sic & R. Leui, qui ſic explicat: Cùm quis aliena pugnantiaque loquitur, quæ nimirum veritati artiſque fundamentis & principijs repugnant, id prorſus ſimile videtur profundæ foueæ, in quam qui decidat nullum habet adminiculum, quo inde exeat. *Cui iratus eſt.* Et iratus eſt Deus, qui in hanc foueam corruit: nam ſubinde à recto tramite, virtutumque culmine recedet, ita vt ſemper in pernicioſo hoc inſtituto firmiùs obdureſcat.

Verùm alij paſſim per *alienas* accipiunt meretrices. Vnde Vatabl. *os ſcorti profundus eſt hiatus, in quem cadet cui Dominus iraſcitur.* Per os, accipe oſcula, nutus, eloquia, ceteraque meretricia oris & vultus blandimenta, quibus meretrices quaſi lynges viros ad ſe rapiunt & dementant. Senſus eſt, q. d. Os meretricis, quod oſculis & verbis cantibuſque amatorijs, inſtar ſirenis iuuenes & viros ad ſe allicit, eſt vorago profunda, iuuenes viroſque abſorbẽs, inſtar Heclæ, Veſuuij & Ætnæ. Sicut enim hi montes ignibus æſtuantes globos igneos eiaculantur, quibus omnia circumcirca inflammant & comburunt: ſic os meretricis igne libidinis ęſtuans amoris flammas faceſque eiaculatur, quibus omnes in ſui concupiſcentiam rapit & accendit. Rurſum ſicut Veſuuius propiùs ad os eius accedentem Plinium Secundum, tempore Veſpaſiani Imp. vt cauſas tanti incendij inueſtigaret, rapuit & abſorbuit: ſic os meretricis iuuenes ad ſe accedentes rapit & deuorat, vt ſirenes deuorarunt ſocios Vlyſſis,

Vlyſſis, quos cantibus dulciſonis ad ſe illexerant A & dementarant.

Foſſa profunda per catachreſin ſignificat hîc exitium & perniciem extremam, putà pauperiem, morbos, infamiam, mortem ac tandem barathrum gehennæ, in quæ incidunt qui ad meretrices accedunt. Hęc ergo foſſa adeò profunda eſt, vt careat fundo, ſitque intermina & æterna. Itaque meretrix eſt gurges patrimoniorum, vorago bonorum omnium, abyſſus gehennæ, iuxta illud cap. 7. 27. *Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.*

Porrò ſicut Ætna non ſemper ignes vomit, ſed priùs eos intra ſe colligit & coaceruat, vt ſtato tempore ſimul ingētes flammarum moles & quaſi montes euibret: ſic os meretricis ſtudio ſubinde premit ſuos amores, vt collectos maiori impetu ſuo tempore in accedentes eiaculetur, adeò vt ijs reſiſtendo non ſint. Os ergo meretricis eſt quaſi os barathri, imò quaſi veſtibulum inferni, vt ſi in os meretricis incidas, caſurus ſis in amores & tricas meretricias, ex quibus nunquam te extricabis, ac tandem in barathrum inferni, ex quo per omnem æternitatem emergere non valebis. Ita Beda, *Fouea profunda*, inquit, *os alienæ*, &c. *qui enim verba vel oſcula meretricis libenter amplectitur, quaſi ianuam iam gehennalis pulſat abyſſi, citóq; mergitur, ſi pedem cautus non retrahit, ſi non membra reliqua à vitiuia cohibet foueæ pœnalis, in quam nullus omnino niſi filius iræ illabitur.*

CVI IRATVS EST DOMINVS, INCIDET IN EAM] Hebr. eſt זעם *zeum*, quæ vox notat ingentem iram, æſtum & furorem. q. d. Cui vehementer iraſcitur Deus, ſiue qui eſt obiectum indignationis diuinæ, & in quem ira feruet, ac furorem ſuum vibrat Deus, incidet in hanc meretricis foſſam. Nonnulli hæc verba per hypallagen accipiunt. q. d. *Cui iratus eſt Dominus, incidet in eam*, id eſt qui in ipſam inciderit, iram Dei in caput ſuum accerſet, præcipua verò ruinę illius pars ea erit, ex ruina illa ac fouea nunquam emergere. Verùm alij ſimpliciùs hęc accipiunt vti ſonant. q. d. Incidere in meretricem eſt pœna præcedentis peccati: tantum enim lapſum, tamque pernicioſum non ſolet permittere Deus, niſi illi cui ob præcedentia peccata vehementer iraſcitur.

Significat ergo Salomon, quòd, vti ſingularis eſt gratia Dei ab hac meretricia fouea præſeruari, quod paucis Deo dilectis contingit, ita peculiaris eiuſdem vindictæ eſſe in eam incidere. Hinc Theologi docent peccatum poſterius, eſſe pœnam prioris, ac Deum minus peccatum præcedens punire maiori ſubſequenti, vti docet Magiſter Sent. in 2. diſt. 35. S. Auguſt. in pſal. 57. S. Greg. 26. Moral. c. 12. & alij paſſim; quod Hebręi dicunt, *tranſgreſſio trahit tranſgreſſionem.*

Luxuria eſt pœna hæreſis. Porrò peccata ob quę Deus permittit homines incidere in meretricios amores inextricabiles, præcipuè ſunt duo: primum, eſt hæreſis & infidelitas, ob quam Deus permiſit Philoſophos in prępoſteras incidere libidines, vti docet Paulus Roman. 1. Sic hoc ſæculo hæreſim Caluini, Lutheri, Anabaptiſtarum vagis horrendiſque libidinibus puniri, quas inauditi morbi & lues Gallica, alięque horribiles pœnæ ac miſeriæ conſequuntur, audimus & oculis conſpicimus. *& ſuperbiæ.* Secundum eſt ſuperbia: ſuperbiæ enim congrua pœna eſt luxuria, vt qui per ſuperbiam ſe ad ſumma attollūt, per luxuriam in ima deturbentur. Vnde S. Greg. lib. 26. A Moral. cap. 13. docet caſtitatis cuſtodiam eſſe humilitatem, ſuperbiæ verò pœnam eſſe libidinem: *Sic ſit elati iuſta ſuerant retributione feriendi: vt quia ſuperbiendo ſe hominibus præferunt, luxuriando vſque ad iumentorum ſimilitudinem deuoluantur. Homo quippe cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Et pluribus interiectis: *Hinc quippe per Oſeam cap. 5. contra Iſraelitas dicitur: Spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt, qui vt oſtenderet, quod cauſa libidinis ex culpa proruperit elationis, mox ſubdidit dicens: Et reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem eius. Ac ſi diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondit.* Vnde ſapienter concludit dicens: *Proinde per humilitatis cuſtodiam ſeruanda eſt munditia caſtitatis: ſi enim piè ſpiritus ſub* B *Deo premitur, caro illicitè ſuper ſpiritum non leuatur. Habet quippe ſpiritus commiſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Deo cognoſcit iura legitimæ ſeruitutis. Nam* *Cuſtodia caſtitatis humilitas.* *ſi auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit, iure & à ſubiecta carne prælium ſuſcipit. Vnde & ille primus inobediens mox vt ſuperbiēdo peccauit, pudenda contexit. Quia enim contumeliam ſpiritus Deo intulit mox contumeliam carnis inuenit. Et quia auctori ſuo eſſe ſubditus noluit, ius carnis ſubditæ, quam regebat, amiſit: vt in ſeipſo videlicet inobedientiæ ſuæ confuſio redundaret, & ſuperatus diſceret, quid elatus amiſiſſet.*

Tropolog. mors erroris hæreſis. Tropol. *fouea profunda* eſt os meretricis, id eſt os hæreſis & hæretici: hoc enim ab vno errore in alium, ab vno ſcelere in aliud prolabitur, alioſque ſecum trahit, itaque implicat, vt ſe extricare nequeat, quin profundius ſemper cadant, donec in abyſſum inferni corruant: ab hęreſi enim rarus ad C fidem orthodoxam eſt regreſſus: pauci enim errorem agnoſcunt, pœnitent, & reſipiſcunt. *Cui iratus eſt Dominus, incidet in eam*, quia hæreſis nunquam primum eſt peccatum, ſed pœna præcedentis ſuperbiæ, iniuſtitiæ, vel luxurię. Summa enim ira eſt Dei, cùm quem permittit in hæreſim labi: quare grauia ſcelera pręcedant oportet, quę tantam iram Dei prouocent, vt in hæreſeos barathrum eum prolabi ſinat. Vnde Septuag. Vaticani hîc aliam gnomen congruè ſubtexunt, quę non extat in Hebræo, Chaldæo & Vulgata, nimirum hanc: *Sunt viæ malæ corā viro, & non diligit reuerti ab eis; auertere autem ſe oportet à via peruerſa & mala.* Scholia huic & aliam congruam attexunt: *Sunt viæ per quas non eſt ambulandum viro: impius autem vias mortis & perditionis diligit.*

D Porrò ingens eſt ſtoliditas hominum, qui in hanc foſſam & malorum voraginem non tantùm incidunt ſed & vltro ſe inijciunt & inſiliunt. Delirus fuit Empedocles philoſophus Pythagoræ diſcipulus, & Rhetoricæ inuentor, qui, vt deus immortalis haberetur, in Ætnam inſilijt, ſed ferreæ eius crepidæ ex camino per flammam reiectæ, rem patefecerunt. Vnde Horatius de Arte poët. *Empedocles in Ætnam inſilijt, vt Deus haberetur.*

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem feruidus Ætnam
Inſiluit.

Idem lib. 1. epiſt. 12.

Empedocles, an Stertinium deliret acumen.

Empedoclis delirium imitantur, qui vltrò in meretricios amores ſe præcipitant.

STVLTITIA COLLIGATA IN CORDE PVERI, ET VIRGA DISCIPLINÆ FVGABIT EAM] Vatabl. *& ferula caſtigatrix longè propellet eam ab illo.* Septua. Vatican. *dementia pendet ex corde iuuenis, vir-* VERS. 15.

ga,

ga autem & diſciplina longè eſt ab eo; Complut. & Regij *ſtultitia ſuſpenſa eſt in corde iuuenis*; &c. Syrus, *ſtultitia auolare facit cor pueri, & virga diſciplinæ longè eſt ab eo*: nimirum pro ירחיקנה *iarchikenna* in *hiphil*, id eſt *elongabit* vel *fugabit eam*; Septuag. & Syrus alijs punctis legerunt ירחיקנה *iarchecna*, id eſt *elongabit ſe ab eo virga & diſciplina*; auctor Catenæ Græcor. legit, *diſciplina longè eſt ab ea*, ſcilicet à ſtultitia pueri q.d. Stultitia colligata eſt in corde pueri, quamdiu ipſa manet incaſtigata; caſtigatione enim ſoluitur & tollitur: *colligata eſt*, id eſt adhæret, annexa eſt, copulata eſt, periude ac ſi fune alligata foret. Eſt catachreſis.

Stultitia hæc eſt puerilis leuitas, petulantia, ruditas, incogitantia, imprudentia, inexperientia, incõſtantia, concupiſcentia: hæc enim colligata, imò innata ſunt puero: puer enim eſt quaſi animal brutum, quod non ratione, ſed ſenſu agitur, omniaque quæ videt concupiſcit. *Pueris & beſtijs*, inquit Ariſt. 6. c. 13. *naturales inſunt habitus, ſed ſine intellectu & mente noxij eſſe apparent*. Quare ſicut aſinus, equus, mulus, virga vel baculo arcetur à ſuis cupiditatibus, & recta aguntur diriguntur que quò ſeſſor vel auriga voluerit: ſic pariter puer arcetur à ſtultis ſuis cupidinibus, & agitur in viam rectam, vt viuat ſecundùm dictamen legis & rectæ rationis, per virgam diſciplinæ, qua caſtigatur à patre, magiſtro vel pædagogo: pueri enim, ſtulti, & ſerui, quia rationem animumque habent debilem, hinc virgas timent magis quàm enſes & gladios: hinc ſtultitia propriè coërcetur virgatione, vti patet in fatuis.

Concupiſcentia puero colligata. Primo. Tò ergo *colligata* ſignificat Primò, fortem, nodoſam & pertinacem hærere in puero ſtultitiam & concupiſcentiam; ſed ita vt non ſit inſolubilis & inemendabilis, quin verò per virgam diſciplinæ ſolui tollique poſſit & debeat.

Secundo. Secundò, naturam pueri ex ſe non eſſe ſtultam, & prauam, ſed ſanam & bonam: ſtultitiam verò illi extrinſecus aduenire, ſicut ligamen extrinſecus aduenit rei ligatæ, putà ex peccato Adæ: per hoc enim omnes pueri trahunt ſtultitiam, id eſt concupiſcentiam & peccatum originale.

Tertio. Tertiò, pueros à ſtultitia ſe non poſſe expedire, quia ei colligati ſunt, ac ligatam habent mentem per infantiam: quare ſtultitia hæc virgâ pellenda eſt. Pueri enim vti animalia rationem non capiũt, ſed virgæ flagra ſentiunt, itaque ſtultitiam abdicant.

Quarto. Quartò *ſtultitia*, id eſt concupiſcentia, hic anthropopathῶs inducitur vt perſona, v.g. vt ludicrus genius, vel dęmonculus colligatus puero, eumque obſidens, occupans, & ad ludicras actiones excitans, qui caſtigatione fugandus eſt.

Quinto. Quintò, hac voce ſignificatur concupiſcentiam inſtar validi funis ligare filios Adæ per omnem vitam. Nam, vt ait Iſaias cap. 5. 18. *Væ qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & tanquam vinculum plauſtri peccatum*. Et Salomon Prouer. 5. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Vide vtrobique dicta.

Hugo cenſet ſtultitiam colligatam puero, ſicut grana vel paleæ colligantur in ſacco; aut potiùs ſicut paleę colligantur grano, quę virgâ excutiuntur & euentilantur, itaque granum manet purum & integrum. Caiet. verò cenſet metaphoram peti ab ebrietate, quę ligat mentem ebrij, ſed excutitur & diſcutitur verberibus & plagis. Puer enim inſtar ebrij, ſua cupiditate velut ebrietate ligatam habet mentem & rationem; ſed virga diſciplinæ eam diſcutit, vt mens ſit libera, & ratio euigilet. Alij cenſent tropum peti ab equis & aſinis, qui fune alligantur præſepio & pabulo: ſic enim pueri fune ſtultitiæ & concupiſcentiæ alligantur ſuis ludicris & cupedijs.

Porrò Septua qui vertunt, *ſtultitia ſuſpenſa eſt ex corde pueri*, videntur alludere ad bullas, quas veteres ex collo puerorum nobilium ſupra cor appendebant, quaſi dicant. Stultitia inſtar bullæ adhæret cordi pueri nobilis vel libertini, quem ſcilicet parentes non caſtigant, ſed ſinunt agere quod lubet. Vnde ſubdunt, *Virga & diſciplina longè eſt ab eo*. q.d. Cauſa ſtultitiæ pueri libertini eſt abſentia virgæ, quòd ſcilicet parentes nimis ei indulgentes virgæ parcant, itaque ſinant eum in ſtultitia manere, indieſq; magis ſtulteſcere, ac ſuis affectionibus puerilibus liberè incubare.

Simili modo ſtultitiá, id eſt concupiſcentia, colligata eſt in corde cuiuſlibet hominis, qui puer, id eſt filius eſt Adę, ideoq; plenus ignorantia & concupiſcentia: quare hęc illi adimenda eſt per virgá, tum abnegationis & mortificationis propriæ, tum caſtigationis & directionis alienæ, quam ſcilicet ei præſtat Superior, vel ſocius & amicus. Concupiſcẽtia enim ſimilis eſt puero, & ex viris facit pueros ob analogias, quas ex S. Thoma recẽtui Eccl. 30. 8.

Porrò, Syrus vertit, *ſtultitia auolare facit cor pueri*. Volatica enim eſt mens pueri, & nunc huc, nunc illuc auolat, dum nunc hoc cõcupiſcit, nunc iſtud: dum inquieta nuſquam ſiſtit, ſed nunc hoc cogitat & vult, nunc iſtud: nunc huc fertur, nunc aliò & aliò, inſtar auiculę quæ nunc huc, nunc illuc auolat: ſic enim pulli auium, dũ è nido auolant, nuſquã quieſcunt, ſed ex vno ramo in alium & alium aſſiduè deuolant: diſcunt enim volare, & volaturiunt. Similiter volat mens & phantaſia pueri, donec virgâ diſciplinæ cohibeatur & frænetur, libroque & ſcholæ ſimiliue rei alligetur & aſtringatur.

Denique notandum ait Ianſen. quod dicat *Virga diſciplinæ*, ſignificans moderatã caſtigationem pueris adhibẽdam, non virgam iræ & ſæuitiæ, hoc eſt, caſtigandos eos non tam ad puniendum, quàm ad emendandum. Virga irę impijs debetur, qui ſcientes peccant: *virga diſciplinæ* pueris, qui ex ignorãtia peccant & inſcitia. Hęc virga non fugat ſtultitiam ab impijs, cùm in profundum peccatorum venerint: fugat à pueris, qui timore pœnæ ad virtutes ſunt formandi. Quantum enim hominum cura valeat ad corruptę naturę mutationem & correctionem, oſtendit D. Baſilius hom. 5. Hexam. ex cura agricolarum, quâ fructus fieri & ſilueſtres emolliuntur, & ad vtilitatem humanam tranſmutantur.

Salomonem de more ſecutus Siracides Eccl. 30. 1. *Qui diligit filiũ*, inquit, *aſſiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſſimo*. Et v. 8. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet*, &c. Vide ibi dicta.

Gnoma de iuuentutis laſciuia. Salomoni & Siracidi aſtipulantur ceteri ſapientes. Antonius in Meliſſa parte 2. cap. 20. citat S. Baſilium dicentem: *Iuuentutis naturale vitium eſt, vt propter leuitatem conſilij ea ſe habere iam arbitrentur, quæ ſpe concupierunt, ideoque inflantur; quia præ ſtultitia ſperatis ſe frui putant quaſi præſentibus. Iuuentus eſt leuis, & ad improbitatem procliuis: cupiditas effrænata belluarum ira, temeritas, iniuria, ſuperbia, inflationes, magniq; ſpiritus congenita & coalita malo iu-*

iuuentutis ſunt: inuidia aduerſus rem excellentem, ſuſpiciones de familiaribus, denique malorum omnium examen iuuentuti connexum & copulatum eſt. Mobiliſſima eſt iuuentus; diuerſis enim perturbationum fluctibus agitatur. Eget ergo ductore, qui ad portum recte deducat. Et Nazianzenum dicentem: *Iuuentus eſt æſtus temporis.* Et S. Chryſoſtomum: *Ita & cupiditatibus ſæpiùs iuuenes ducuntur & vincuntur: quare maiorem cuſtodiam requirunt, & frænum durius.* Et Philonem: *Iuuenis ſummam poteſtatem adeptus cupiditatibus vtens effrænatis, malum eſt inexpugnabile.* Apud Spartanos ſi puer à magiſtro, vel ab alio ob delictum caſtigatus querelam ad patrem detuliſſet, turpe erat patri, ſi hoc audito non iterum filium caſtigaſſet. Siquidem ex inſtituto maiorum hanc habebant filiorum curam, æquè ac hanc de ſe mutuo fiduciam, vt crederent neminem eſſe, qui cuiuſquam liberis, quos quiſque pro ſuis habebat, quidquam imperaret inhoneſtum. ita Plutarchus in Apophtheg. Lacon.

Pueri diſcāt muſicam vt mores componant.

Vide Ariſtot. libr. 8. Politic. cap. 1. & ſequ. præſertim cap. 5. vbi docet pueros docendos eſſe muſicam, vt per eam quaſi diſciplinam, mores ſuos harmonicè componant. *Cùm vero contigerit*, inquit, *muſicam eſſe delectabilium, virtutem autem eſſe circa lætandum rectè, & amare & odiſſe; oportet profectò addiſcere & aſſueſieri ad nullam rem adeo, vt ad iudicandum rectè, & ad gaudendum manſuetis moribus & laudabilibus operibus.* Quod efficit harmonia muſica, quæ à terrenis voluptatibus ad ſe rapit aures mentemque pueri, eamque modulando quaſi contemperat & componit; ſicut Dauid citharam pulſando & modulando contemperabat & ſedabat perturbationes Saulis, 1. Reg. 16.23.

VERS. 16. QVI CALVMNIATVR PAVPEREM, VT AVGEAT DIVITIAS SVAS, DABIT IPSE DITIORI ET EGEBIT] *Calumniatur*, id eſt per calumnias expilat, ſpoliat, defraudat: Hebr. enim עָשַׁק *aſec* ſignificat calumniari, opprimere, defraudare, bona aliena per ſophiſticas artes & lites occupare, quod Græci dicunt *συκοφαντεῖν*, ſiue id fiat mercedem promiſſam negando, ſiue rem alterius iniuſtè detinendo, vel inuadendo, ſiue quomodolibet decipiendo, & iure ſuo ſpoliando, vel re debita priuando, qui quidpiam horum facit, dicitur ſycophanta; de cuius vocis vi & etymo plura dicam c. 28. v. 16. Vnde Pagnin. vertit, *qui vi aufert à paupere vt augeat ſua*; Vatabl. *qui per iniuriam & violentiam opprimit pauperem, vt ditefcat ipſe.* Hebræa ergo ad verbum ſic habēt, *qui defraudat pauperem ad multiplicandum, dans diuiti certè ad defectū*, quæ verba generalia, illigata & illimitata variè necti, ligari, limitari, & ad varios ſenſus particulares trahi poſſunt. Vnde

Primò, Chald. vertit, *qui calumniatur pauperem, multiplicat ſibi malum: & qui dat diuiti, egeſtas erit ei:* vt ſententia ſit bimembris duoque ſignificet: Primò, eum qui expilat pauperem, accumulare ſibi mala, id eſt damna rerum & fortunarum ſuarum: Secundò, eum qui ſua dat diuiti ſpe retributionis, ad egeſtatem redigendum, cùm diuites ſuperbi, auari, & ingrati ſæpè omnia recipiant, ſed parum retribuant. Sic & Pagnin. Accedit Syrus, *qui opprimit pauperem, multiplicat malum; qui dat ditiori, eſt ſibi pernities.*

Secundò Septuag. hîc variant: Complut. enim & Regij habent, *qui calumniatur pauperem, multiplicat ſua mala; dat autem diuiti ad minus.* Quod auctor Catenæ Græcor. ſic vna ſententia transfert & elucidat, *Qui pauperem calumniatur, diuiti autem in re minoris momenti pluſquam par eſt largitur, is mala ſua cumulatiora reddit.* Verùm Vaticanus codex delet τὸ *mala*, vti delent Hebræa & Latina. Vnde ſic habet, *qui calumniatur pauperem, multa facit ſua, dat autem diuiti ad minus.* Hæcque vera videtur & genuina lectio Septuag. Iam τὸ *ad minus* varij variè explicant. Auctor Catenæ Græcor. *ad minus*, id eſt, inquit, in re minoris momenti; Scholiaſtes, *contrà maiorem dat occaſionem malefaciendi* q.d. Qui expilat pauperem, vt ſe ditet, hic pauperi dat occaſionem, vt ſuæ inopiæ leuandæ cauſa alium minorem pari modo expilet & ſpoliet. Alij *ad minus*, q.d. Minor hæc eius eſt pœna, quòd ſcilicet ſua cogatur dare ditiori: iam alia maior manet eum pœna in futuro ſæculo. Verùm τὸ *ad minus* idem eſt quod Hebr. habent, *ad defectum*, q.d. *Ad minus*, id eſt ad defectum & inopiam redigetur. Vnde Symmach. vertit, *dabit diuiti, omnino egeſtas.* Senſus ergo eſt, q.d. Qui expilat pauperem, vt ditetur, hic dabit pariter ſua diuiti: itaque *ad minus*, id eſt ad inopiam deducetur. Sic Septuag. conſentiunt cum Vulgata.

Myſticè, Baſilius, ſiue Magnus, ſiue Seleucienſis, in Catena Græcor. *Vide*, inquit, *vt diabolus iniquè & calumnioſè nobiſcum agat. Adimit nobis virtutes, quas ipſi nos dederamus; reddit porro vitia, quæ non petieramus. Accipimus autem ab illo, tanquam ab eo qui in virtutibus pauper eſt: donamus contrà noſtras illi virtutes, tanquam illi qui in malitia & vitijs diues eſt, idque cum aperto noſtro detrimento: ſiquidem quo quis plura illi donat, eo animam ſuam magis vulnerat.*

Tertiò, R. Leui vertit, *qui premit pauperem, multiplicabit ſibi opes: qui verò dat diuiti, ad egeſtatem tendet:* ac per pauperem & diuitem accipit appetitum & concupiſcentiam, quam boni reprimunt & ſtringunt, vt fiat inops & tenuis; mali verò laxant, vt fiat diues & ampla. Qui coërcet, inquit, appetentem facultatem, quâ corporis cupiditatibus inflammatur, cùm nimirum huius propenſioni morem non gerit, id maximi lucri erit: quanto enim magis ijs cohibendis quis aſſiduè inſudabit, tanto minori cura & cupiditate laborabit, atque ideò maxima copia ad ſatietatem ſemper affluet. Qui verò diuiti dabit, qui nimirum cupiditatibus ſuis obſequetur, exinde egeſtate laborabit: tanto enim magis aſſiduè eſuriet, quo plura deſiderabit, iuxta tritum illud, *Homini exigua ſunt membra, quæ qui ſaturet, fameſcat: qui fame excruciet, ſatur ſit.* Hæc R. Leui. Verùm hæc myſtica ſunt, nec appoſitè litteræ inædificantur, quod requiritur in ſenſu myſtico, vt verè ſit myſticus, & intentus à Spiritu ſancto.

Quartò, Baynus explicat, q.d. Qui calumniatur pauperem, id eſt qui bona pauperum violenter rapit, vel qui egentem debita eleemoſyna defraudat, vt ditefcat; item qui dat diuiti, id eſt qui blandiendo diuitibus ijs parua donat, vt maiora recipiat (*Qui, vt ait Iſocrates, artificioſiùs ea vendunt, quàm qui ex profeſſo cauponantur*) vterque ad defectum & inopiam perueniet: nam vera ars diteſcendi eſt, largiri pauperibus, non auferre, iuxta illud c. 19. 17. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinē ſuam reddet ei.* Nec diuitibus data dona proſunt, ſed potiùs perduntur, quia diuites ſemper ſuis augendis inhiantes datorum ſunt immemores & ingrati, noua danda expectantes.

Quin-

Quintò, Rabbinus quidam *id multiplicat*, vel, vt hebr. eſt *ad multiplicandum*, accipit de multiplicatione tam paſſiua, quàm actiua, tam pœnæ quàm culpæ. q. d. Qui pauperem bonis ſuis ſpoliat, id lucri reportat, vt res ſua multiplicetur; ſed ſicut multiplicat opes, ſic & multiplicat opum diſpertionem, vt, ſicut ipſe multas multorum diuitias rapuit, & in ſe vno collegit: ſic viciſſim illæ ex ſe vno in multas partes ſecentur, & in multos diſpertiantur; itaque multis ditatis ipſe ad egeſtatem redigatur. Sicut ergo multiplicauit ſibi opes, ſic multiplicabit & pœnam: multos fraudauit, à multis fraudabitur: multa rapuit, multa rapientur ab eo.

Sextò, Noſter optimè vertit, *qui calumniatur pauperem vt augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori & egebit*, q. d. Qui defraudat & expilat pauperem vt ſe ditet, hic pariter expilabitur à ditiore, quo fiet vt in egeſtatem incidat. Hæc enim congrua eſt pœna talionis, quam Dei prouidentia eis irrogat, vti experientia comprobat. Sic videmus eos qui alios deprędantur, prędam fieri potentiorum: ſicut piſcis qui prædatur minorem, fit pręda & pabulum maioris, adeoque omnes tandem fiunt præda ceti ſiue balenæ. *Ineunt*, ait Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animal. ca. 2. *prælium piſces maiores contra minores: maior enim quiſque & robuſtior minorem, inferioremq; deuorat.* Idem docet S. Baſilius homil. 7. Hexam. cuius verba recitaui Habacuc 1. 14. ad illa: *Et facies homines quaſi piſces maris.* Rurſum qui violenter opprimunt pauperes, coguntur multa dare præſidibus, vt illorum patrocinio defenſi licentiùs rapiant & opprimant tenues, qui nec viribus, nec opibus ſe tueri poſſunt; aut viciſſim diuites ijs potentiores iuſtè aut iniuſtè ab eis malè parta rapiunt, quemadmodum videmus principes ſpoliare vſurarios & raptores. Munit nos hæc ſententia, vt, cùm videamus malis artibus quoſdam diteſcere, non offendamur ſtatim, ſed exitum expectemus, certoque nobis perſuadeamus non fore illis diuitias ſtabiles, ſed auferenda aliquando quæ iniquè ſunt ablata, & per eadem puniendos, per quæ peccauerunt, vt eſt Sapient. 11.

Queruntur multi ſubinde in varijs prouincijs ſe à principibus, magiſtratibus, præfectis, magnis vrgeri tributis, & immanibus exhauriri exactionibus; ſed non aſpiciunt ad cauſam & ad iuſtum Dei iudicium: cauſa enim eſt quam hic ſuggerit Salomon, ſcilicet quòd multi opes ſuas parent per vſuras, fraudes & oppreſſiones pauperum, quare illas vt iniuſtè partas Deus permittit rapi à fiſco, iudice, principe. Quid quereris, ô raptor, tua à principe rapi, qui aliena diripuiſti? quæ iuſtè capit, vel iniuſtè rapit princeps non tua, ſed aliena ſunt: alius ergo queratur de te tuaque rapina, non tu de principe. Hoc eſt quod intonat Iſaias cap. 33. 1. *Væ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis?* & Ierem. c. 30. 16. *Qui te vaſtant, vaſtabuntur, cunctoſq; prædatores tuos dabo in prædam*: prædo enim maior quærit rapitque minorem. Hebræa habent plus energiæ, *qui calumniatur*, &c. *certè*, vel *tantùm ad defectum*, q. d. Qui expilat pauperem, ex hoc ſpolio ſperat ſe ditare: ſed fallitur, quia hoc ſpolium non aliò tendit quàm ad defectum, vt ſcilicet ſpoliantem velut furem deducat ad inopiam, vel ad furcam. Poteſt hæc gnome adaptari eleemoſynæ, q. d. Qui calumniatur pauperem obijciendo ei quod ſit diues, fictus, impoſtor, validus, qui poſſit laborando parare ſibi victum, ideoque eum velut indignum eleemoſyna debita defraudat; hic pariter incidet in calumnias ditiorum, & bonîs ſuis priuabitur.

Porrò Caietan. per ditiorem accipit Deũ, q. d. Qui ſpoliat pauperem, &c. *dabit ipſe ditiori*, id eſt, dabit opes rapto partas Deo, qui vti ditiſſimus eſt, ſic & iuſtiſſimus, ideoque iniuſtè parta ab iniuſtis poſſeſſoribus aufert. Verùm hoc ſymbolicum & myſticum potiùs eſt, quàm literale & genuinum.

Præclarè S. Auguſt. in pſalm 123. *Ideò*, inquit, *te quærit maior raptor, quia inuenit minorem raptorem: ideò te quærit maior aquila, quia prior cepiſti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris maiori.* Idem homil. 48. inter 50. *Maiores noſtri*, inquit, *ideò copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant; modò autem quia diſceſſit deuotio Dei, acceſſit indictio fiſci. Nolumus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus.* Sic piratæ capti ab Alexandro Magno, rogati qui & quales eſſent? reſponderunt; *Sumus quales tu, nos enim prædamur vna naui, tu tota claſſe*; ſed prædones minores præda fiunt maiori. Imò Veſpaſianus Imp. ait Suetonius, rapaciſſimum quemque ad gubernacula reipubl. promouere ſolebat, vt mox ditatos condemnaret. Vnde vulgò dictus eſt officiarios ſuos habere pro ſpongijs, quos veluti ſpongias & ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret. Cato dicebat *priuatarum rerum fures in compedibus vitam agere, publicarum verò in auro & purpura conſpicuos incedere.* Vnde Diogenes Cynicus videns furem à magiſtratu duci in carcerem: *Magni*, inquit, *fures paruum ducunt.*

Quod non cepit Chriſtum, rapit fiſcus. Gnome.

Myſticè Beda: Is, inquit, qui pauperem ſpiritu fratrem calumniatur, virtutibus eius detrahendo, vt per hanc vituperationem ipſe diuitias quas deſiderat, augeat, id eſt gloriam laudis humanæ maiorem quaſi ſanctior accipiat; meritò talis calumniator quidquid bonæ actionis habere videbatur, amittet, & à fructu virtutum vacuus in fine manebit.

Baynus vero: Violentia, inquit, aufert à paupere, & dat diuiti, qui mentem ſuam & rationem virtutibus nudam & tenuem in bonis animę, quotidie tenuiorem reddit per luxum & voluptates; parti vero brutæ & irrationali nihil negat, quaſi pacem redimens, & ſe tutum exiſtimans ſi ſuo indulgeat genio; hic ad magnam inopiam veniet & defectum, & cum diuite Epulone cogetur à Lazaro mendicare, & petere vt veniat Lazarus & intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam flamma voluptatis ardentem.

Vers. 17.

Inclina avrem tvam, et avdi verba sapientivm: appone avtem cor ad doctrinam meam] Septuag. *ſermonibus ſapientum admoue aurem tuam, & audi meum ſermonem, & confirma cor tuum, vt cognoſcas quia boni ſunt.* Salomon primis nouẽ huius libri capitibus, multa præfatus eſt de ſtudio & dignitate ſapientiæ, vt ad eam mox à ſe enarrandam auditorem vel lectorem prępararet & accenderet. Inde c. 10. huc vſque ſapientiam more veterum per breues graueſque gnomas euoluit & explicuit. Iam, quia longior eius fuit oratio, & longior in ceteris deinceps euoluẽdis futura eſt, ne lector fatigatus vel tędio affectus, ijs audiendis legẽdiſue oſcitet vel indormiat, eum cõpellando excitat,

tat, acuitque propoſitâ nouâ ſapientiç excellentiâ, vt euigilet nouamque attentionem dicendis præbeat. Sic enim magiſtri diſcipulos, & oratores ſuos auditores poſt longam perorationem fatigatos & oſcitantes, nouâ aliquâ re propoſitâ excitant, vt tædium ſomnumq; excutiant, & quaſi experrecti nouo ſtudio conatuque dicendis vigilanter attendant. Idem facit Siracides Eccli. cap. 15. cap. 24. & aliàs ſępè, poſt gnomas parœneſim ad earum, id eſt ad ſapientiæ, ſtudium velut nouum calcar interſerit, eoque legentem ad attentionem pungit & ſtimulat. Ait ergo, *Inclina aurem tuam*, id eſt, aures acue & propiùs adhibe, vt meliùs audias, magiſque attendas ijs, quæ dicturus & docturus ſum: *& audi verba ſapientũ*, id eſt verba mea, quæ quaſi ex omnibus ſapientibus collecta ſunt ſapientiæ medulla & compendium; vnde explicans ſubdit: *Appone autem cor ad doctrinam meam.*

Suſpicatur noſter Salazar non improbabiliter, Salomonem notare hic duos ſapientes huius ſui conuiuij ſapientiæ conuiuas & interlocutores, nimirum Agur & Lamuel, de quibus cap. 30. Illorum enim verba & dogmata inſerenda videntur inter caput 24. & 25. vbi ea interſerunt Septuag. licet in noſtra Vulgata, æquè ac in Hebręo à collectoribus Prouerbiorum tranſlata ſint in caput 30. Dicit ergo Salomon: Vos ô conuiuæ audiſtis huculque meam ſapientiam, iam locum paro ſocijs meis Agur & Lamueli, vt ipſi velut in dialogo conuiuiali more priſco interloquantur, itaq; conuiuas alternis ſuis dictis recreent & paſcant: quare attendite ad horum ſapientum verba, interim pauca quæ cap. 23. & 24. adijciam, vt meam mentem, ſapientiam & doctrinam expleam, attentâ placidaque non tantùm aure, ſed & mente cordeque excipite. Nam vt ille ait: *In corde, non in ore, nec in aure ſita eſt ſapientia.* Addunt Septuag. *Et cor tuum confirma, vt cognoſcas quia boni ſunt*, q. d. Cordis tui vagam leuitatem, mobilitatem & inconſtantiam hiſce meis dictis ſtabili & confirma: ſic enim experieris eorum bonitatem, id eſt vſum & fructum. Sicut enim nauis ne maris fluctibus æſtibuſque iactetur, ſtabilitur & firmatur impoſitâ ſaburrâ, ſic cor ne cogitationum appetituumque æſtibus in huius vitæ pelago abripiatur, ſtabiliendum eſt ſapientum dictis. Nam vt ait S. Chryſoſt. homil. 3. in epiſt. 1. ad Theſſal. *Nauis ſine onere, & mens ſine præcepto, vtraque inſtabilis ac mobilis eſt.*

VERS. 18. QVÆ PVLCHRA ERIT TIBI, CVM SERVAVERIS EAM IN VENTRE TVO, ET REDVNDABIT IN LABIIS TVIS] Pro *pulchra* hebr. eſt נעים *naim*, id eſt pulchra, ſuauis, iucunda; Chald. *dulcis*; Pagnin. *delectabilis*, Baynus, *amœna*. Hinc illud Ruth 1. 20. *Hæc eſt illa Noëmi*, & mox: *Nolite me vocare Noëmi id eſt pulchram.* Pro *redundabit* hebr. eſt יכונו *iicconu*, id eſt parabuntur, diſponentur, dirigentur, firmabuntur, ſtabilientur. Septua. *ſi immiſeris* (ſermones) *in cor tuum, ædificabunt te ſimul in labijs tuis*; Aquila, Symmach. & Theodot. *parabuntur in labijs tuis*: Chald. *dirigentur ſimul in labijs tuis*; Syrus, *firma ea tanquam vnum ſuper labia tua*; auctor Catenæ Græcor. *cum iucunditate exundabit in labijs tuis*, q. d. inquit: *Fili, incumbe lectioni non obiter aut perfunctoriè, ſed ſeriò & accuratè, magnoq; animi iudicio & indagine: per hanc & propter hanc enim lætabitur cor tuum, & recreabuntur labia tua, diceſq; cum Pſalmiſta, Quàm dulcia faucibus meis, Domine, eloquia tua! ſuper mel ori* A *meo.* Commendat Salomon ſuam doctrinam, putà haſce parabolas à pulchritudine: pulchritudo autẽ hæc conſiſtit tum in decore verborum, compoſitione & elegantia; tum potiùs in rerum grauitate, acumine, ſuauitate, nexu, ſimilitudine, antitheſi, proportione, ac pręterim in eloquio, quòd ſcilicet is qui eam mente tenet, eamdem labijs dicere, & ſapienter eloqui, alioſq; docere, & in vita honeſta ſanctaque erudire & efformare poſſit: hæc enim inſignis eſt pulchritudo, gratia & decus doctorale, quod ſapientes creat doctores, imò Prophetas & Apoſtolos.

Per *ventrem* aliqui accipiunt memoriam; per *labia* ruminationem, q. d. Si hæc mea dogmata in ventre memoriæ condideris, poteris ea ſæpè ad os reuocare & mente ruminare, tumque ſenties eorum pulchritudinem & dulcedinem. B Sicut animalia munda cibum integrum in ſtomachum traijciunt, ac poſtea eundem ad os reuocant, ruminant, digerunt: itaque eum concoquunt, & in ſingula membra, vt alantur, concoctum tranſmittunt. Audi S. Auguſt. de Vera innocentia cap. 110. *Auditor*, inquit, *ſimilis eſſe debet animantibus, quæ ab hoc quòd ruminant munda eſſe dicuntur, vt non pigeat cogitare quæ in aluo cordis cœpit: & cùm audit, ſit ſimilis edenti; cùm audita in memoriã reuocat ſimilis ſit ruminanti.* Et auctor Imperfecti apud S. Chryſoſt. ho. 41. in Matt. *Apud Iudæos illa animalia ſunt munda, quæ reuocant cibos & ruminant: ergo animal illud eſt mundum quod mãdit, & tradit ventri, & de ventre reuocat & ruminat: & homo etiam ille eſt ſpiritualis & ſanctus, qui audiens verbum tractat, & cùm intellexerit, memoriç quaſi vtero tradit, & iterum de memoria tanquam ex vtero ad os* C *reuocat, & ruminat & retractat.*

Meliùs per *ventrem* accipias mentem: hæc enim eſt in anima quod venter in corpore: quia anima eſt intima, omnibuſque potentijs præſidet, ac cibum, putà doctrinam ſanam ſanctamque, vt venter, omnibus impertit & diſpertit. Senſus eſt q. d. Si hæc mea dogmata ſerues in mente, eam tanta ſapientia imbues, vt redundet in labia, vt ſcilicet labijs tuis eam eructes, & alijs afflcs: ſicut cibus pretioſus ventrem & ſtomachum imbuens, redundat in os, vt halitus ſuaues eructet alijſque aſpiret. Sic ſæpè in Prouerbijs & alibi *venter* ſumitur pro mente. Cauſas ex vtriuſque analogia petitas aſſignant S. Gregor. & Rabanus, quorum verba citaui cap. 20. 27.

Nota τὸ *redundabit*, q. d. Sicut vena aquæ, ſiue ſcaturigo copioſa, in viſceribus terræ ita abundat, D vt per orificium in ſuperficie terræ manet, emanet & exundet, fontemque perennem & riuum, imò ſubinde flumen, efficiat: ſic pariter hæc doctrina mea, quaſi vena perenniter ſcaturiens tot conceptus, tot dogmata, tot ſententias tibi ſuggeret, vt perenniter eas proloqui, docere & eructare poſſis: quare te ex diſcipulo faciet doctorem facundum & fœcundum, qui iugiter in alios eloquia ſapientiæ effundas. Doctor enim & *concionator debet imitari fontes, qui ſemper emanant aquas, etiamſi nemo ſit qui eas hauriat. Sic enim oportet illum qui concionatur, quamuis nullus auſcultet, tamen doctrinam ſuam ſemper effundere.* ait S. Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro. Verè Comicus, *Vt ſol eſt oculorum, ſic cordis lumen eſt ſapientia: ſapiens eſt ſpeculum Dei limpidiſſimum: ſapientia verbis non ſtat, ſed virtutibus.*

Idem voluerę Septuag. *Si immiſeris*, inquiunt, *eos in cor tuum, ædificabunt te* (aliqui legunt, *ædi-*

ficabunt

ſicabuntur, minus rectè Complut. legunt, *lætificabunt) in labijs tuis*, q.d. Hi ſermones mei fundabunt te in vera ſapientia, quo fiet vt nihil niſi rectum, certum, ſolidum & in ſapientia fundatum proloquaris.

Idem voluere Aquila, Symmach. & Theodot. dum vertunt, *parabuntur in labijs tuis*, q.d. Ita facundus euades ex hiſce ſententijs, vt, cum opportunum erit eas citare, illicò in memoriam recurrant, & vltro ad labia veniant, adeò vt ea in promptu, & quaſi in labijs parata & recondita habere videaris.

Idem voluit Chald. dum vertit, *dirigantur ſimul in labijs tuis*, q.d. Frequenter & opportunè loqueris de hiſce ſententijs & mandatis. ita Vatabl. diriguntur enim verba in labijs, cùm data occaſione quaſi rectà via occurrunt & enuntiantur, & ad aliorum ſalutem ordinantur.

Nota hic, quàm vtile ſit has & ſimiles S. Script. ſententias tenere, voluere, & memoriæ commendare: ſic enim eis ad aliorum commodum quauis occaſione facillimè vti poſſumus. Ita videmus viros religioſos, confeſſarios, concionatores qui hæc ſententias callent, eis in familiari colloquio, in confeſſione, in concione, &c. ad libitum pro re nata vti, eiſque velut iaculis ignitis Spiritus ſancti, conſcientias & mentes auditorum ferire & ignire. Qua in re inſignis fuit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Dominus Matthias Houius, Archiepiſcopus Mechlinienſis, de quo plura dixi proœmio in S. Paulum. Excelluit hac in re S. Willibaldus, S. Richardi regis Angliæ filius, primus Eyſtetrenſium Epiſcopus conſecratus à S. Bonifacio: hic enim libros Sapientiales & Prouerbia Salomonis præ Prophetis alijſque veteris Teſtamenti libris lectitans, vt habet eius Vita conſcripta à Philippo tertio Eyſtettenſi Epiſcopo, quam edidit & notis illuſtrauit eruditus noſter Iacobus Gretſerus, mirus euaſit in animarum vulneribus perſanandis, huic iram, illi luxuriam, tertio ſuperbiam, quarto triſtitiam, quinto inuidiam eximens, cunctoſq; ad omnem virtutem & perfectionem efformans, cuique ſua ex hiſce ſententijs pharmaca opportuna propinando, adeò vt & patri ſuo S. Richardo perſuaſerit regno Angliæ renuntiare, & Chriſtum pauperem nudumque ſequi: qui proinde purpuram cum ſacco, ſceptrum cum baculo commutans Romam peregrinans Lucæ (quæ vrbs eſt Italiæ) ſancto fine quieuit, ac poſt mortem Comiti cuidam apparens, eumq; à paralyſi ſanans: *Ego*, inquit, *ſum S. Richardus, quondam rex Anglorum prius Dux Sueuiæ, exul patriæ, ſpretor mundi, contemptor ſui, qui regionum reliqui tributa, & Sanctorum quæſiui limina, ſimulq; cum filijs meis peregrè profectus ſum ad regiones multas: & poſt longa exilia, poſt multa certamina in præſenti ciuitate, quæ Luca vocatur, finita eſt mea pugna, & ex hoc ſæculo nequam ereptus, ad ſuam gloriam aſſumpſit me Dominus.* ita habet Vita S. Willibaldi c. 12.

S. Willibaldus verſabat Prouerb. Salomonis.

Porrò c. 36. S. Willibaldi dotes eloquij & vitę ita recenſentur: *Erat in eleemoſynis largus, in vigilijs ſedulus, in oratione deuotus, in charitate perfectus, in humanitate profuſus, in doctrina præcipuus, in ſermone paratus, in conuerſatione ſanctiſſimus: ſinceritatē mentis vultus ſui ſerenitate monſtrabat, & pietatem clementiſſimi cordis oſtendebat in lenitate ſermonis: quidquid ad ſalutē pertinere poſſit æternā, non minùs implebat beatiſſimus opere, quàm ſermonis prædicatione docebat.* Et nonnullis interiectis: *Neglector etiam extitit ſuæ quietis, refuga*

Eius virtutes.

A *propriæ voluntatis, appetitor laboris: patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conſcientia: humilis ad merita, ſuperbus ad vitia. Denique nulla illi propenſior cura, quàm vt de Deo in lectione atque ſermone, aut cum Deo in oratione loqueretur;* quocirca magno meritorum fructu, æquè ac animarum melle cumulatus euolauit in cælum anno Domini 781.

VT SIT IN DOMINO FIDVCIA TVA, VNDE ET OSTENDI EAM TIBI HODIE] *Tò vt & unde* indicant hunc verſum pendere à præcedenti, q.d. Commendaui tibi doctrinam meam, iuſſique eam ſtudioſè ſeruari in ventre mentis, hoc fine & fructu, vt ſcilicet Deo fidere poſſis; & cum eo confidenter agere, ac fiducialiter ab eo expectare in hac vita eius gratiam & opē in qualibet re; in futura verò premia æterna: hęc enim omnia tibi obtinget, ſi ſpem tuam à rebus creatis in Deum tranſtuleris, ſequendo meam doctrinam: mea enim doctrina & lex, eſt doctrina & lex Dei: ſi ergo eam ſerues, Dei gratiam & amicitiam tibi conciliabis, vt omnem tuam ſpem & fiduciam in eo ſecurè collocare poſſis. Vnde auctor Catenæ Græcor. ſic hunc verſum nectit præcedenti: *Si illam dimiſeris in cor tuum, non abſque iucunditate exundabit in labia tua, efficietq; vt ſpes tua in Dominum ſit defixa, & vias ſuas tibi manifeſtabit.* Spem hanc explicat ſubdens: *Dum tu*, inquit, *Domini eloquia ſtudioſè euolueris, erigetur ſpes tua in illum, hoc eſt, omnem ſenſum, omnemq; mentem tuam in illum defixā erectamq; habebis*; ac proinde meritò ab eo ſperabis gratiam, ſalutem & omne bonum, vt te rectis itineribus deducat, velut paſtor ouem, inſtar Ioſephi, ac perducat ad felicitatem æternam. Igitur attentionem auditoris excitat Salomon ipſo fructus, qui eſt fiducia in Domino. In Hebræo hic verſus ſibi nexus per ſe conſiſtit. *Vt ſit*, inquit, *in Domino ſpes tua, oſtendi eam tibi hodie, etiam tu*, q.d. Oſtendi tibi legem & voluntatem Dei, vt eam amplexans, queas omnem tuam ſpem ſecurè in eum defigere, & ab eo ſperare omne bonum.

VERS. 19.

B

C

Tò etiam tu varij variè explent. Pagnin. & Vatab. q.d. *Etiam tu cooperare Deo*; Ianſen. *etiam tu noſti* vel *meminiſti*; aut, *etiam tu oſtendas eam alijs, ſicut ego illam oſtendi tibi.* Verùm dico eſſe hebraiſmum, putà Hebraicum pleonaſmum cum emphaſi, q. d. Tibi, tibi inquam, hæc oſtendi: *Tò* enim *tu*, id eſt *tibi*, repetit, vt maiori energià hæc auditori inculcet. Sic apud Latinos pronomina *mihi*, *tibi* ſæpè per pleonaſmum redundant. Vnde Noſter, Septuag. & Chald. omiſerunt *τὸ etiam tu*. Similis planè hebraiſmus eſt c. ſequ. v. 15. & alibi ſæpè. Chald. vertit, *vt ſit in Domino fiducia tua, & oſtendam, aut ſcire faciam tibi hodie*; vbi *Tò hodie* habet emphaſim, q.d. Vt ſecurè poſſis ſpem tuam figere in Deo, oſtendam tibi eius voluntatem & leges; ac ne queraris eas longas fore & prolixas; *hodie*, id eſt, vno hoc die cetera præcepta tibi tradam & abſoluam: non eſt quòd diu ſcholam meam frequentes: ſi enim me hodie dicentem attentè audieris, hodie etiam doctus euades.

D

Septuag. aliò nonnihil abeunt; *Vt ſiat*, inquiunt, *ſuper Dominum ſpes tua, & notam tibi faciat viam tuam*: vel, vt Complut. legunt *αὐτοῦ* id eſt *ſuam*, q.d. Si meæ doctrinæ obſequendo ſpes tuas locatis in Deo, ipſe diriget vias, id eſt actiones, tuas, vt prudenter eas inſtituas, ordineſq; ad ſuum finem, putà ad felicitatem æternam; ipſe rurſum faciet

tibi notas vias ſuas, id eſt leges ſuas, per quas ſtatuit te deducere ad ſuam gloriam; quare non tam me quàm Deum doctorem & ductorem habebis, qui nec fallere, nec à meta aberrare poteſt.

Denique Aquila & Symmach. vertunt, *notam tibi feci viam*, id eſt modum rectè ſanctèque vitam inſtituendi, quam ſi ſequaris, pertinges ad vitam felicem & æternam.

VERS. 20. ECCE DESCRIPSI EAM TIBI TRIPLICITER, IN COGITATIONIBVS ET SCIENTIA] Pro *tripliciter*, hebr. eſt שָׁלִשִׁים *ſcaliſcim*, quod ſignificat *tria* vel *terna*, inde *triarios* & *triſtatas* & *triumuiros*, qui ternis decem, id eſt triginta militibus præſidebant, aut terni rempubl. gubernabant; ſicut Romam cæſo Iulio Cæſare gubernarunt triumuiri, ſcilicet Antonius, Lepidus & Auguſtus; ac tertius à rege apud Hebræos *ſcalis* dicebatur. Vnde R. Leui; Sicut, inquit, rex populum vniuerſum regit & moderatur, idemque præſtatur ab eo qui à rege ſecundus eſt. duces autem partem aliquam ex vniuerſo populo regunt: ita pari ratione duces appellantur, præcepta, quibus quis dirigatur quoad res ſingulares, in vnoquoque prudentiæ & ſcientiæ genere.

Rurſum hæ ſententiæ poſſunt vocari triarij, ob earum conſtantem veritatem, robur, & efficaciam: triarij enim erant milites fortiſſimi, & robur exercitus. Hinc mira hic verſionum varietas. Vatab. *ecce deſcripſi tibi triarios* vel *principes*, putà Agur & Lamuel, quos poſt me loquentes inducam ca. 30. R. Abraham: *ecce deſcripſi tibi verba principalia* aut *ducalia*; alij, *principes ac duces*; R. Leui, *verba glorioſa*; Pagnin. *perfecta*; Aben Ezra, *tribus diebus*; alij, *ecce deſcripſi tibi triplicata* aut *triplicia*; Noſter Vulgatus, *tripliciter*, ſecutus videlicet Septuag. qui in editione Romæ correcta ſic habent. *Et tu verò deſcribe ea tibi tripliciter, in conſilio & in ſcientia, ſuper latitudinem cordis tui*: Complutenſis autem & Regia tranſlatio verba vltima expunxit: *Tu autem*, inquit, *exſcribe tibi tripliciter in conſilium & cogitationem*; Chaldæus *ecce deſcripſi ea tibi in tribus vicibus, conſilijs & in ſcientia.*

Iam Vatabl. R. Salomon & Lyran. cenſent hic Salomonem loqui in perſona Dei, q. d. Ego Deus doctrinam & legem meam deſcripſi in ternis S. Scripturę voluminibus, putà in Lege, Prophetis & Hagiographis. Hinc Rabbini in *Midras* tradunt ex tribus triplicatis omne legis opus conſtare, tres eſſe reipubl. & Eccleſiæ ordines, ſacerdotes, Leuitas & Iſraelitas; tertio menſe, & tertio menſis die legem datam à Deo; totam legem in tribus literis, quæ ſunt אמת *emeth*, id eſt veritas, conſiſtere: datam enim eſſe legem à Deo Moſi in veritate, ſcriptam in veritate, acceptam ab Iſraelitis in veritate. Plura addunt ternarij myſteria & ſymbola, quæ magis cabaliſtica ſunt quam ad literam germana & ſolida.

Hugo verò & Dionyſ. cenſent Salomonem loqui de ſe, q. d. Ego Salomon meam ſapientiam ternis libris conſcripſi, nimirum Prouerbijs, quibus incipientes; Eccleſiaſte, quo proficientes; Canticis quibus perfectos informo & inſtituo.

Verùm alij propriùs & preſſiùs, ideoque germanius cenſent Salomonem de hoc vno Prouerbiorum libro loqui: nam Eccleſiaſten & Cantica poſtea conſcripſit. Igitur R. Leui, Vatabl. & Aben Ezra vertunt, *ecce deſcripſi verba principalia*, aut *ducalia*, aut *glorioſa*, q. d. Non leuia, non humilia, non vulgaria è triuio, ſed inſignes, principales, ſelectas, doctas & acutas ſententias, atque axiomata conſcripſi, quæ proinde hebr. vocantur משלי *miſle*, id eſt ſententiæ prædominantes & eximiæ, vti dixi in procemio.

Verùm Noſter optimè vertit, *ecce deſcripſi eam tibi tripliciter*: ſic enim vertunt & Septuag. Origen. S. Hieron. Caſſian. & alij mox citandi: ſed quomodo *tripliciter*? *Sapientia deſcripta tripliciter. Primo.*

Primò, S. Ambroſ. in pſal. 118. octon. 16. ad illa: *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum. Habes*, inquit, *in Prouerbijs ſcriptum: Et tu ſcribe hæc tibi tripliciter, in conſilium & in cognitionem. Triplicem promiſit ſcriptionem, & duo ſubdidit, conſilium & cognitionem: ſed cognitio gemina eſt: vna ſpiritualium, altera corporalium.* q. d. Scribe hæc tripliciter: Primò, in conſilio: Secundò, in cognitione angelorum & animarum Tertiò, in cognitione corporalium.

Secundò, Caietan. *Scripſi*, inquit, *ea tripliciter*, id eſt librum hunc diuiſi in tres lectiones: prima lectio eſt à cap. 1. vſque ad cap. 10. ſecunda à cap. 10 vſque ad cap. 25 tertia à cap. 25. vſque ad finem libri. Baynus verò tertiam lectionem hinc orditur. *Secundo.*

Tertiò, Origenes lib. 4. Periarch. S. Hieron. in cap. 16. Ezech. & Caſſianus collat. 14. cap. 8. *Scripſi* inquiunt *ea tripliciter*, id eſt triplici ſenſu, q. d. Sententiæ hæ meæ non vnum dumtaxat continent ſenſum, ſed triplicem, putà literalem, tropologicum & allegoricum. Literalis eſt, quem primo & immediatè ad literam ipſa ſententia ſignificat: Tropologicus eſt, cùm ſenſus literalis accommodatur ad mores formandos: Allegoricus, cum aptatur Chriſto & Eccleſię: Anagogicus, cum attollit ad res cæleſtes & Eccleſiam Beatorum in cęlis cum Chriſto regnantem. Dicit hoc Salomon, vt lectoris attentionem & ſtudium acuat, q. d. Hæ meæ ſententiæ non ſimplices, nec planæ & obuiæ ſunt; ſed triplices, profundæ & arcanæ: triplicem enim continent ſenſum, eumque profundum, quem magno ſtudio & indagine rimari oportet: vti Eſſeni olim rimabantur ſenſus myſticos S. Scripturæ, teſte Euſebio, Ioſepho & Philone. Sic Ieruſalem ad literam ſignificat vrbem Hieroſolymitanam, tropologicè animam ſanctam, quietam & pacificam, quę eſt vrbs & templum Dei: Ieruſalem enim hebr. idem eſt quod viſio pacis. Allegoricè, ſignificat Eccleſiam terreſtrem: anagogicè, Eccleſiam cęleſtē. Sic & auctor Catenę Gręc. quē audi: *Sicut homo*, inquit, *conſtat ex corpore, anima & ſpiritu: ita ſacra Scriptura conſtituitur ex litera tanquam ex corpore, ex tropologia tanquam ex anima, & ex anagoge tanquam ex ſpiritu. Exempli gratia, in aſina quæ ad caſtellum, quod ex aduerſo poſitum erat, ligata tenebatur, ac Chriſtum ſeruatorem ſeſſorem habuit, primo obſerua τὸ ῥητόν, hoc eſt hiſtoriam, ſiue rem ipſam ſimpliciter geſtam; mox verò ſecundùm tropologiam expende, quomodo vt primùm Deus Verbum ſuper illam tanquam ſuper iugale iumentum aſcendiſſet, ſtatim iuxta rationis præſcriptum moueri & incedere inceperit. Poſtremò autem ſecundùm anagogen ſpiritalémve theoriam conſidera humanam Chriſti naturam, è loco ex aduerſo paradiſi poſito aſſumptam, quo imaginem illius ferens qui extra paradiſum pulſus fuerat, nos denuo in paradiſum reueheret atque reduceret.* Hæc ille. *Tertio.*

Quartò, noſter Salazar: Tripliciter, inquit, hoc eſt, variè, diſſectè & inconnexè. Nam Plutarch. in Sympoſiac. præcipit, vt ea quæ à ſapientibus inter epulas iactantur problemata, ſoluta ſint & ab inui- *Quartò: tripliciter id eſt difficile.*

cem

cem diſtracta, ne auditorum in conuiuio mens laboret. Salomon igitur, vt docilem ſibi præſtet diſcipulum, ſic ait: *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter*, id eſt multipliciter & multifariam: non enim vnam aliquam orationem ex partibus inter ſe cohærentibus pangere aut contexere animus fuit; ſed vt tuos ſert in conuiuialibus colloquijs multiplices, varias, ſolutas & incohęrentes ſententias conflare volui, quæ ob varietatem delectarent, & ob incohærentiam nimia mentis contentione non indigerent.

Quintò. Genuinè. Quintò & genuinè, *Ecce deſcripſi eam* (meam doctrinam & ſapientiam ethicam) *tibi tripliciter*, id eſt multipliciter, variè, plenè & perfectè, vt præter eam nihil requiras; ſed illa velut omnibus numeris abſoluta te de omnibus agendis, quæ ad ſalutem ducunt, plenè inſtruat: ternarius enim eſt ſymbolum multitudinis, perfectionis & vniuerſitatis. Vnde Ariſtot. ait, *Tria ſunt omnia*. Et illud: *O terq; quaterq;* (id eſt plenè & ſummè) *beati*. Et Hermes ſiue Mercurius vocatus eſt τρισμέγιστος, id eſt ter maximus, quod & maximus philoſophus, & ſacerdos, & maximus denique rex fuerit. Et S. Hieron. acutè ludens Tertullianum ait eſſe ter Tullium, quia Ciceronem perfectè imitatus eſt. Plura de ternario eiuſque ſymbolo vide apud Petrum Bongum lib. de Numeris.

Excitat Salomon attentionem lectoris, dicendo, ſua hæc dogmata eſſe pleniſſima & abſolutiſſima, idque *in cogitationibus & in ſcientia*, q.d. Scripſi hæc non obiter, non impræmeditatè vti in buccam venerunt, ſed cum præmeditatą exactaque cogitatione, ac multa rerum experientia & ſcientia. Hebr eſt, *in conſilijs & in ſcientia*, q.d. Non temerè hæc ſcripſi, ſed cum multa deliberatione, præmeditatione, conſilio & ex multa rerum cognitione & ſcientia. Solent oratores in exordio orationis auditorem reddere attentum, beneuolum & docilem: attentum & beneuolum reddidit v. 18. & 19. nunc hoc v. 20. eumdem reddit docilem, oſtendens modum quo hæc conſcripſit, vt faciliùs ex methodo eorum doctrina capiatur. Ait ergo *deſcripſi eam tripliciter*, hoc eſt, multipliciter ac varijs modis, phraſibus, ſimilitudinibus, antitheſibus & figuris, quas paſſim cernere eſt in hiſce Prouerbijs; item diligenter, & frequenter, ſcilicet non ſemel nec iterum, ſed crebrò ſæpiuſque eadem iterando & inculcando. Minutiùs alij, q.d. Tripliciter ſcripſi, primò, acriter vitia corripiendo; ſecundò, blandè ad virtutem alliciendo; tertiò, perfectiſſima quædam ſuggerendo.

Myſticè S. Ambroſ. in pſalm. 118. octon. 18. ad illud: *Ignitum eloquium tuum. Tripliciter*, inquit, *deſcribe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes*. q.d. Scripſi hæc triplici fine & fructu. Primò, ad mundandos à vitijs lectores; ſecundò, ad eos amore Dei accendendos, tertiò, ad eos in via virtutis & perfectionis illuminandos.

Tropolog. Beda & Salonius, *Deſcripſi eam tripliciter*, Quia, inquiunt, trinas tuas actiones, putà cogitationes, locutiones & operationes erudire & informare conſtitui, vt corde, ore & opere virtutem præferas. Et Hugo: *Ecce deſcripſi eam tripliciter*; *id eſt*, inquit, *in tribus habendam, ſcilicet in cogitatione, locutione, operatione: ita ſe explicat Salomon ſubdens, in cogitationibus, id eſt ad cogitandum interiùs corde; & ſcientia, id eſt ad docendum exteriùs ore & opere. Ecce tripliciter deſcripta eſt ſapientia ad cogitandū, ad loquendum, & ad operādum. Sic debet eam habere omnis doctor, & ſic debet eam recipere omnis auditor, vt ſcilicet ſciat, dicat, faciat*. Rurſum *tripliciter*, id eſt ad tres animæ potentias ritè efformandas, putà ad illuminandum intellectum, ad exſtimulandum voluntatem, ad confirmandum memoriam.

Porrò Septuag. hic variant. Auctor enim Catenę Gręcor. hæc legit: *Tute autem trifariam illam ipſam doctrinā deſcribe, nempe in conſilio, in notitia, & in cordis tui latitudine*. Ecce hic eſt ternarius ſubiectorum vel potentiarum, q.d. Scribe eam in intellectu vbi viget conſilium; in memoria, vbi ſeruatur rerum notitia; & in cordis, id eſt voluntatis tuæ, amplitudine, vt ea amplè & latè per omnia illa imbuatur, imò circumfundatur. Caſſian. loco citato legit, *tu autem deſcribe ea tibi tripliciter ſuper altitudinem cordis tui*; Complut. *tu autem deſcribe ea tibi ipſi tripliciter in conſilium & cogitationem*; Vatican. codex, *& tu verò deſcribe ea tibi tripliciter in conſilio, & ſcientia ſuper latitudinem cordis tui*, q.d. Sic ea exara & incide menti, eiuſque conſilijs & ſcientiæ, vt animo ſemper altiſſimè hæreant. Vnde Chald. vertit, *deſcripſi ea tribus vicibus*, id eſt multis iteratiſque vicibus ea inculcaui, vt planè menti tuæ infigatur.

VT OSTENDEREM TIBI, FIRMITATEM ET ELOQVIA (id eſt firmitatem eloquiorum: eſt hendiadys) VERITATIS, RESPONDERE EX HIS ILLIS QVI MISERVNT TE] Vers. 21. Hebr. *ad ſciendam certitudinem eloquiorum veritatis, referenda eloquia veritatis mittentibus te*; Septuag. *doceo igitur te verum ſermonem & ſcientiā obaudire, vt reſpondeas ſermones veritatis his qui proponunt tibi*; Syrus, *vt notum faciam tibi conſilium & ſcientiam*; Chald. *veritatem & verba recta, vt referas verba veritatis illis qui miſerunt te*.

Verba ſunt clara; tantùm quæritur, quid ſit τὸ *mittentibus te*? Reſtringunt hoc aliqui ad legatum vel nuntium, q.d. Cùm à quopiam mitteris legatus vel nuntius, hæc doctrina mea docebit te quid agere debeas, quidue referre & reſpondere principi, vel alteri qui mittit te. Verùm hic ſenſus vti arctior, ita impertinens videtur.

Secundò, alij meliùs explicant, q.d. *Reſpondere illis qui miſerunt te*, ſcilicet conſultum vel rogatum, q.d. Hæc doctrina te faciet doctum, imò doctorem, vt poſſis reſpondere omnibus qui ſuos famulos vel familiares mittent ad te, vt te de dubijs ſuis conſulant vel interrogent. Vnde Vatabl. vertit, *ad referenda eloquia veritatis his qui ad te mittunt*; Septuag. *qui proponunt tibi*. Sic enim ad ſapiētes & doctores vndequaque mittuntur quęſtiones difficiles, vt ab ijs reſoluantur, vti Hiram mittebat ad Salomonem teſte Ioſepho 8. Antiq. 2. imò *regina Saba auditā ſapientia Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus: & docuit eam Salomon omnia verba quæ propoſuerat*, 3. Reg. 10. v. 1. Sic ad S. Hier. quaſi ad oraculū S. Damaſus, S. Auguſtinus, & alij mittebant quęſtiones è S. Scriptura reſoluendas; & ad S. Auguſtinum mittebantur quæſtiones de fide, & hæreſibus Pelagianorum, Donatiſtarum, Arrianorum, &c. His ſenſus planus & genuinus eſt.

Tertiò, vir doctus exponit ſic: Ex his meis ſententijs poteris reſpondere his, qui miſerunt te inuitatum ad conuiuium, q.d. Cùm aliqui mittent ſeruos vt te inuitent, ac in conuiuio more priſco proponēt tibi quęſtiones difficiles, ex hac mea inſtitutione poteris eis reſpōdere, eaſque diſſoluere. Olim enim ſapientes in conuiuijs ſibi inuicem

quæſtiones proponebant, vt patet ex Athenæo in cœnis ſapientum, Plutarcho in Sympoſ. & alijs.

Denique planè vt ſonat, poſſet accipi hæc miſſio de filio vel puero, quem parentes, cognati vel amici mittunt ad ſcholas, vt hanc Salomonis ſapientiam ediſcat, q.d. In hac ſapientiæ meæ ſchola, ô fili, ita inſtitueris, vt domum ad parentes vel amicos reuerſus poſſis de omnibus, quæ ab ijs alijſq; tibi proponentur reſpondere.

Quare remota & impertinens eſt Aben Ezra expoſitio: *Qui miſerunt te*, hoc eſt, inquit, *referam Domino à quo miſſus ſum, vt te erudirem: intelligendi enim facultas Dei nuntius appellatur.* Myſticè tamen admitti poteſt. Doctor enim ad Deum omnia ſua referat oportet: à Deo enim mittitur, & illi rationem doctrinæ ſuæ reddat neceſſe eſt, æquè ac principibus & Prælatis Eccleſiæ; hi enim vice Dei eum mittunt.

Vers. 22. NON FACIAS VIOLENTIAM PAVPERI, QVIA PAVPER EST: NEQVE CONTERAS (Syrus, *humi-*
Vers. 23. *lies*) EGENVM IN PORTA. QVIA IVDICABIT DOMINVS CAVSAM EIVS, ET CONFIGET EOS QVI CONFIXERVNT ANIMAM EIVS] Hebr. *non diripias tenuem, quia tenuis eſt, neq; conteras afflictum in porta*; Septuag. *neque inhonores imbecillum in portis*; Chald. *ne depraderis pauperem*; Vatabl. *pauperem nec vi opprimas nec iuris ſpecie*, ſcilicet vt per amicum iudicem eum condemnes *in porta*, id eſt in tribunali.

Hæc ſententia poteſt Primò, referri ad iudices & principes. Hi enim olim ſedebant *in porta* vrbis, velut in loco aperto & libero, ad quem agricolæ & externi facilè & ſecurè conuenire poſſunt. In porta ergo ſedebant, vt pro tribunali lites audirent, & cuique ius dicerent. Sic ſenſus erit, q.d. Noli vim & iniuriam facere pauperi eò quòd pauper eſt, qui ſe tueri & vlciſci nequit, neque opprimas egenum *in porta*, id eſt in iudicio, vt eum licet inſontem condemnes, cauſamque adiudices diuiti vel potenti, qui iniuſtam contra egenum cauſam litemque mouet, ab eo muneribus corruptus, vel eius potentiam veritus: quia Deus ſummus iudex cauſam pauperis ſuſcipiet, & damnabit tam iudicem qui iniuſtè damnauit pauperem; quàm diuitem, qui iniuſtam ei litem intentauit, & damnationis eius fuit cauſa. Maximæ enim iniuſtiæ eſt, *porta*, id eſt loco & poteſtate iudicij, abuti ad conterendum pauperem, qua pauperes & innocentes deberent ab iniuria & oppreſſione defendi, quamque Deus velut ſacrum aſylum ad eorum tutelam inſtituit.

Secundò, generaliùs poteſt hæc gnome accipi de quolibet diuite vel potente: tales enim non rarò pauperes deprimunt, imò opprimunt: vt ſenſus ſit, q.d. Noli ò potens, pauperem premere, diripere, affligere, neq; iniuſtam ei litem moueas, vt condemnari eum cures, & cõteras *in porta*, id eſt in iudicio per fauores vel munera quæ das iudici; quia eius cauſam in ſe ſuſcipiet, ac iudicabit Deus, tuum iudicium condemnando & puniendo, atque eius innocentiam declarando & præmiando: Deus enim ſingularem curam pauperum gerit, vtpote à ceteris derelictorum, & ſibi vni relictorum, iuxta illud: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*, pſal. 9. 14.

Tò quia pauper eſt, vel referas ad *violentiam*, q.d. Solent ſuperbi facere violentiam pauperibus, quia pauperes, id eſt miſeri & impotentes, ſunt, qui ſe à

A potentiorum vi defendere nequeũt; at tu noli eorum paupertate abuti, nec ei inſultes, aut potiùs ad *Tò non facias*, q.d. Noli vim & iniuriam inferre pauperi, cùm ille ſat mali patiatur in ſua paupertate; ne ergo addas dolorem dolenti, afflictionem afflicto. ita Aben Ezra.

ET CONFIGET EOS QVI CONFIXERVNT ANIMAM EIVS] q.d. Sicut diues per iniuriam, vim & fraudem opprimens pauperem, velut adacto clauo vel pugione doloris & angoris, intimam eius animam tranſfigit & tranſpungit: ſic pariter Deus par pari reddet, ac intima diuitis viſcera ſimilibus doloris & angoris aculeis punget & tranſfiget, idque ſæpè in hac vita, ſemper in futura. Noſter Martinus de Roa lib. 1. Singular. cap. 4. *Tò configet* exponit *manus iniciet* tamquam creditor in debitorem: cùm enim, inquit, hortatus eſſet Sapiens ne pauperes ob debita in iudicium vocare-
B mus, opprimeremuſque pro libidine, cauſam adiungit: *Quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius.* Hoc eſt, coget eos Dominus eandem ſubire fortunam, & ad egeſtatem rediget, ita vt ære alieno obligentur, vt creditores manus in eos injiciant vinciantque, non ſecùs atque ipſi in deffixos, id eſt obligatos ſibi, pauperes ſæuierunt.

Pro *configet*, hebr. eſt קבע, *kaba*, quod tantùm hic reperitur & Malach. 3. 8. *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me*; vbi S. Hieron. aſſerit *kaba* ex Syrorum & Chald. lingua ſignificare configere: quare qui Leuitas & pauperes rebus ſuis defraudat, eóſque dolore & ærumna velut aculeo configit, & quaſi crucifigit; hic Deum & Chriſtum qui in pauperibus viuit, famet, ſitit, patitur, affligitur, Matth. 25. 35. quaſi clauis adactis iterum configit
C & crucifigit. Aben Ezra *kaba* tripliciter vertit, *corrumpet*, *aut perdet*, *aut capiet eos qui corrũpunt*, vel *perdunt* aut *rapiunt animam eius*; Chald *vliſcetur vltiones animarum eorum*; Syrus, *& retribuet oppreſſionem animæ eorum*; Vatabl. *ſpoliabit ſpoliatores eorum vitas*; Symmach. *torquebit eos qui torquebant animam eius*; alij magis genuinè, *ſupplantabit, calcabit, conculcabit, peſſumdabit eos, qui ſupplantarunt, calcarunt, conculcarunt, peſſumdederit animam eius.* Plura de hoc verbo dixi Malach. 3. 8.

Pauperes vexans Christum vexat.

Porrò Septuag. vertunt contrariè, *& liberabis animam tuam ἄσυλον*, id eſt *innocentem ſanctam, tutam & inuiolabilem inſtar aſyli*, q.d. Si violentiam non feceris pauperi, ſed ab omni iniuria innoxiũ, integrum, puruméque te ſeruaueris, tutam præſtabis & ab omni malo liberam animam tuam, vt videatur eſſe inſtar aſyli ſacroſancti & inuiolabilis. Nullum enim tale aſylum, quale eſt innocẽtia, iu-
D ſtitia & ſanctitas. Dicuntur enim ἄσυλοι, homines à violentia tuti, vt ſunt ſacroſancti, quos attingere ſine periculo non licet, quales apud Romanos erant Tribuni plebis & caduceatores, quos lædere vel violare ſcelus erat inexpiabile. Et ſtatuæ Imperatorum ad ſe confugientibus dabant ius aſyliæ, id eſt immunitatis & impunitatis; cuiuſmodi ſtatuam Tiberij fuiſſe ſcribit Philoſtratus. Multò magis aſylum tutum & inuiolabile coram Deo & hominibus præſtat innocentia, integritas & ab omni crimine puritas. Fortè Septuag. *kaba*, vertunt ῥύσῃ, id eſt liberabis, reſpicientes ad קֻבַּע *koba*, id eſt *galea*, q.d. Innocentia erit tibi quaſi galea, muniet caput tuum quaſi galea: ipſa enim te ab omni malo liberabit, & indemnem tutumque ab

Aſylum eſt innocentia.

omni

omni hoſtili ictu per omnia præſtabit, vt videare inuiolabilis.

Aliqui cenſent hæc de paupere dici, ad eum enim à diuite hic deflecti ſermonem; q.d. Diues ille opes iniuſto lucro pariens animam perdit, tu verò fortunas amittens animam ſeruas, atque adeò longè deterior eſt illius conditio: nec tantùm animam tuam ab interitu ſeruas, ſed etiam illam *in aſylo & tugi ſecuritate ponis*; paupertas enim homini pro aſylo eſt. Audi Chryſoſt. in hom. de recipiendo Seueriano: *Paupertas*, inquit, *tutū eſt aſylum, portus tranquillus, perpetua ſecuritas, delitiæ periculorum expertes, voluptas ſincera, vita turbationum neſcia, via fluctuum ignara.* Verùm prior expoſitio magis connexa, ideoque magis appoſita & germana eſt.

Exempla. Exempla huius ſententię ſunt in Aman, qui Iudęos peſſumdedit ideoque in eodem ligno in quo configere deſtinarat Mardochæum, ipſe confixus fuit, Eſther 7. & ſequ. In Sodomitis, qui affligentes Lot eiuſque hoſpites, cęleſti igne percuſſi conflagrarunt, Geneſ. 19. In Pharaone & Ægyptijs, qui opprimentes Hebræos, eoſque perſequentes, in mari rubro defixi & demerſi ſunt, Exod. 14. In Chriſto & Chriſtianis, quos afflixerunt & crucifixerunt Iudęi, ideoque ipſi à Tito & Veſpaſiano afflicti & crucifixi ſunt; reliquię verò eorum per orbem diſperſę, exules & miſeræ vſque nunc vagantur, adeò vt nec palmum terræ poſſideant. Vnde Beda: *Meliùs*, inquit, *hic locus de illo intelligitur, qui cùm diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt, & nō ſolùm pauper, vt nos ditaret; ſed &, vt nos redimeret, crucifigi dignatus eſt. Prohibet ergo ſapientia ſuos auditores Domino in carne prædicanti violentiam mortemq; inferre, quia nimirum tertius reſtat interitus eis, qui in auctorem vitæ manum mittere non timuerunt.* Hæc ille.

VERS. 24. NOLI ESSE AMICVS HOMINI IRACVNDO,
VERS. 25. NEQVE AMBVLES CVM VIRO FVRIOSO: NE FORTE DISCAS SEMITAS EIVS, ET SVMAS SCANDALVM ANIMÆ TVÆ] Hebr. *ne aſſocieris viro* vel *domino naſi*, (id eſt pollenti ira, qui abundat ira, hęc enim ſe oſtendit in naſo rugoſo & ardente) *& cum viro excandeſcentiarum ne incedas*; Septua. *noli eſſe ſodalis viro furioſo, cum amico iracundo ne cohabites*; Symmach. *ne amicitiam contraxeris*; Chald. *non commiſcearis cum viro bilioſo.*

Pro *ſcandalum*, hebr. eſt מוֹקֵשׁ *mokes*, id eſt *laqueū*; Aquila, σκῶλον, id eſt *offendiculum*. Pro *homini iracundo*, hebr. eſt, אֶת־בַּעַל אָף *et baal aph*, id eſt ad verbum *domino naſi*, vel *iræ*; non qui illam in poteſtate habeat, illique dominetur: ſed *domino*, id eſt poſſeſſori, qui magnam multamque bilem poſſidet, id eſt tenet & continet. Et ſignificat, inquit Baynus, non eum dumtaxat, qui frequenter iraſcitur, ſed eum etiam qui alijs iram ſuam afflat, eoſque ad iram prouocat; ac proinde eum qui dignus eſt ira, & meretur vt quis ei iraſcatur, iramq; in eum refundat, q. d. Ne ſocietatem vel amicitiam iungas cum bilioſo, qui iram exerit, lites ciet, iras prouocat, ideoque Deo & hominibus diſplicet. Alij *baal aph* vertunt, *marito iræ*, qui ſcilicet iram quaſi vxorem ſibi deſpondit & copulauit, vt ab ea diuelli nec velit nec queat. Solent enim mulieres eſſe iracundæ, & iras liteſque in domo ciere.

Cauſas huius moniti duas affert. Prior eſt, *ne fortè diſcas*; hebr. תֶּאֱלַף *teelaph*, id eſt aſſueſcas ſemitis eius: bilioſus enim ſuam bilem ſocio affricat, imò ira & rixa ſua iras eius rixaſque ſuſcitat, ſicut canis allatrans cani, eius latratum prouocat & reciprocat: ſocius enim ſocij, amicus amici mores imbibit & induit. Difficile enim eſt cum eo qui crebrò iraſcitur, iugem ſeruare patientiam & manſuetudinem; ac iram, quam ille prolicit, cohibere vt non erumpat; qui hoc poteſt & facit, hic ſanè vir magnus & perfectus eſt. Et ad hoc conandum eſſe docet S. Baſil. homil. de ira: *Noli*, inquit, *tuo aduerſario pro magiſtro vti, nec fieri velut ſpeculum irati velis, illius formam in teipſo oſtendens*, vt ſcilicet eius geſtus, ſermones & mores truces, ſæuos, minaces & furibundos in te velut in ſpeculo referas, regeras & exprimas. Noli ergo iraſcenti iraſci, conuitianti conuitium regerere, rixanti rixam reciprocare, latranti allatrare; ſed grauitate & ſilentio iram eius ſupera & ſeda: latratum canis te audire æſtima, & quietus pertranſi. Hinc diſce, quòd, ſicut iratus ſocio afflat iram, ita manſuetus ſocio aſpirat manſuetudinem, perinde vt roſæ ſuauem & roſeum aſtantibus aſpirant odorem: talis enim quiſque euadit, quales ſunt ij cum quibus cōuerſatur. Si vis ergo effici mitis, placidus, humilis, ſanctus, zeloſus, fuge aſperos, ſæuos, ſuperbos, impios, acedos, ac verſare cum mitibus, placidis, humilibus, ſanctis, zeloſis, iuxta illud: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocēte innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris*, pſal. 17. 26. *Si vis eſſe ſanctus, verſare cum ſanctis.* Ceterùm ex ſubiuncta hac ratione patet, non omnibus ſemper declinandam ſocietatem iracundorum. Generaliter enim viri perfecti peruerſos fugere non debent, ſed cum illis nonnumquam conuerſari, vt ad rectitudinem illos pertrahant, à quorum peruerſitate & vitijs non facilè vincuntur. Vnde ad infirmiores hoc præceptum potiſſimùm pertinet, quibus à conſpectis exemplis plus eſt periculi, vt & Beda annotauit. ita Ianſen.

Poſterior cauſa fugiendæ ſocietatis cum irato eſt: *Ne ſumas ſcandalum animæ tuæ*, id eſt, ne ponas laqueum quo illaqueetur & ſtranguletur anima, id eſt vita tua, tum naturalis per mortem, tum ſupernaturalis per peccatum rixę, pugnę & homicidij; tum æterna per pœnam gehennæ, iraſcentibus & conuitiantibus decretam à Chriſto Matth. 5. 22. Vnde Vatab. explicat, q.d. *Ne tandem malè pereas, & ab alijs interficiaris*: facilè enim ex ira itur in litem, ex lite in rixam, ex rixa in pugnam, ex pugna in verbera & cędes. Nam vt ait S. Baſil. homil. de ira: *Primò iaciuntur contumeliæ inter iratos, & ſic durant donec contumeliæ ſicuti ſagittæ deficiant: deinde omni contumeliā per linguam conſumptā ad manus venitur & pugnam: ira namque certamen excitat, certamen verò conuitium, conuitium verbera, hæc vulnera, ex quibus & mortes ſæpè ſequuntur.* Et pluribus interiectis: *Poſtquam ſemel deturbatā ratione iræ perturbatio animi dominatum occupauerit, hominem efferat omnino, nec hominem eſſe patitur, qui à ratione amplius auxilium habeat: nam quod eſt in venenatis venenum, id eſt in irritatis & acerbatis ira. Quemadmodum enim torrentes per caua loca fluentes, quidquid occurrerit ſecum trahunt: ſic iratorum impetus violenti ſunt, taleſq; vt retineri non queant, ac per omnia ſimiliter incurrunt.* Cauſam ſubdit: *Iratis non veneranda canities, non victus vitæ, non propinquitas generis, non præterita beneficia, non aliud quidquam talium apud tales magno æſtimatur. Irati non priùs deſiſtunt, quàm per magnum & inſanabile malum iræ, ipſorum veluti bulla erumpat, & inflammatio diſſentiatur: neque enim gladij acies, neque ignis, neque aliud quidquam eorum quæ maximè timentur, ira furentem* ani-

animum coërcere poteſt, non magis quam eos qui à dæmonibus occupati tenentur, à quibus irati nihil prorſus, neq; habitu, neque animi affectione differunt.

Ira eſt laqueus. Ira ergo eſt laqueus animæ & vitæ. Sicut enim aues capiuntur laqueis, & mures muſcipula imprudentes: ſic homines dum indulgent iræ, imprudentes & incogitantes incidunt in laqueos & tricas, ex quibus ſe extricare nequeunt. Porrò hic laqueus eſt *Primò.* Primò, in ira & lite exorta contra amicum iracundum: crebrò enim iracundorum lites proſiliunt tandem in verbera & neces: præſertim quia ira eſt ſubita, & velut furor illicò manum gladio admouet, antequam mens videat quid agat, atque amor amicorum quo maior eſt, eo in maius vertitur odium & iram: amicus enim cenſet ab amico maiorem ſibi fieri iniuriam, ſi ab eo lædatur, à quo omnem beneuolentiã expectabat, quàm ſi ab extraneo, vti alibi oſtendi. Sic Alexander Magnus in ira Clytum ſibi amiciſſimum occidit, cuius mox eum ſummè pœnituit. *Secundò.* Secundò, hic laqueus eſt in ira & lite exorta contra alios & exteros: qui enim cum iracundo amico conuerſatur, hic eius iras, lites & rixas, quas crebras & cum multis alit, in ſe ſuſcipit. Quare cùm in pugna ad manus venitur, oportet vt amicum iuuet, eumq; contra exteros propugnet. Iam pugna eſt laqueus cædium: in ea enim pugnaces leui momento vel occidunt, vel occiduntur. Quocirca auctor Imperfecti hom. 12. in Matth. *Sicut ira*, inquit, *mater eſt homicidij, ſic concupiſcentia mater eſt adulterij.* Et S. Chryſo. hom. 16. in Matth. *Radix*, inquit, *homicidij iracundia eſt. Qui ergo radicem abſcindit, multò faciliùs ramos ipſos poterit amputare, imò nec germinare quidem illos patietur.* Hinc ſapienter Nazianz. *Fræno*, inquit, *coërce iram, ne mente excidas.* Ira enim eſt inſtar feræ ſuauiſſimæ, quæ crudeliter in omnes ſæuit. Ruſum ira eſt ſicut mare ventis & procellis agitatum, quod fluctus in cęlum iactat, omniaque collidit & elidit, ait S. Cyrillus. Denique *ira furor breuis eſt*, ait Poëta.

Salomonem ſecutus Siracides Eccl. 8. 19. ſpecie tenus oppoſitam, ſed reipſa appoſitam, ſimilemq; habet ſententiam: *Cum iracundo*, inquit, *non facies rixam, & cum audace non eas in deſertum: quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis, & vbi non eſt adiutorium, elidet te.* Qui enim amicus eſt iracundo, neceſſe eſt vt ſæpè in rixas cum eo incidat: amicitia enim iracundi eſt iracunda & rixoſa, vti iam oſtendi. Vide ibi dicta.

Iracundi parum apti ad amicitiam. Ex hoc loco auctor li. de Amicitia c. 12. (extat tom. 4. operum S. Auguſt.) docet bilioſos parum aptos eſſe ad amicitiam. *Sunt vitia quædam*, inquit, *quibus ſi quis fuerit inuolutus, non diu leges amicitiæ vel iura ſeruabit: non enim ad amicitiam ſunt idonei nimis iracundi, inſtabiles, ſuſpicioſi, verboſi; quæ quatuor in electione amici notanda ſunt. Difficile eſt eum quem ſępè iracundiæ furor exagitat, non aliquando inſurgere in amicũ. Vnde Eccleſiaſticus: Eſt amicus qui odiũ & rixam & conuitia denudabit. Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne ſumas ſcandalũ animæ tuæ. Sunt quidã ex naturali conſperſione iracundi, qui tamen hanc ita comprimere & temperare ſolliciti ſunt paſſionẽ, vt in quinque, quibus teſte Scriptura amicitia diſſoluitur atq; corrumpitur, nunquam proſiliant: quamuis nonnunquã amicum ſermone, vel actu, vel zelo nimio offendant. Tales tolerandi ſunt, & cùm nobis conſtet de affectu certitudo, ſi quis fuerit vel ſermonis, vel actionis exceſſus, amico id indulgendum eſt; vel certè ſine aliquo dolore, imò etiam inſuper, in quo exceſſerit commonendus.*

NOLI ESSE CVM HIS QVI DEFIGVNT MA- Vers. 26.
NVS SVAS, ET QVI VADES SE OFFERVNT PRO Vers. 27.
DEBITIS: SI ENIM NON HABES VNDE RESTITVAS, QVID CAVSÆ EST VT TOLLAT OPERIMENTVM DE CVBILI TVO?] *Qui defigunt*, id eſt qui fideiubent defixa & datã manu, quaſi ſtipulatores & ſponſores pro alijs. Hebr. *ne ſis in percutientibus volam, in ſpondentibus pro debitis, ſi non eſt tibi ad reddendum, vt quid accipiet lectum tuum deſubter te?* Septuag. *ne perſonam cuiuſpiam erubeſcens*, vel *reueritus teipſum offeras ſponſorem: ſi enim non habueris vnde debitum ſoluas, vnum hoc reſtat, vt lectum lateribus tuis ſubſtratum in pignus auferant.* Ita auctor Catenæ Græc. Chald. *ne pepigeris manum tuam in fideiuſſione pro ſocio tuo, ſi non habueris vnde reſtituas, ſubtrahetur ſtratum tuum de ſub te*; Syrus, *ne des teipſum fideiuſſioni, quòd vultum reuerearis, confunderis à perſona*, &c. *Lectum auferent.* Defigere manus, eſt vadem ſe dare creditori, eiq; ſe quaſi in manus tradere, vt ab eo prehendi, iudici ſiſti, vinciri & in carcerem duci poſſit, ſi is pro quo ſpondet ſoluendo non ſit, aut ſoluere nolit. Hæc ergo vincula ſibi inijcit ſponſor, vti dixi c. 6. 1.

Senſus eſt, q. d. Ne te iungas, ingeras & inferas his, qui temerè ſpondent pro debitis alienis, vt tu in partem ſponſionis venias, fiaſque vnus ex vadibus & ſponſoribus, præſertim ſi tibi parum ſit opum & bonorum, ita vt non habeas vnde debitum pro quo ſpondes, dependere valeas. *Quid enim cauſæ eſt?* q. d. Cur te in periculum ſummę & extremæ neceſſitatis vltrò conijcias, vt creditor tollat pro pignore lectum vel ſtragula lecti, in quo cubas & dormis, ita vt commodè cubare nequeas? Lectus enim iure Cęſareo auferri nequit, ſi adſint alia minùs neceſſaria, quę à creditore in pignus tolli queant. Vnde nec lectus venit in generali hypotheca bonorum, vt patet l. 1. Cod. *Quæ res pignori obligari poſſunt.* Hinc & lege diuina Exodi 22. 27. & Deuter 34. 12. & 13. iubetur lectus ante ſolis occaſum debitori reddi, vt in eo noctu dormire queat.

Cauſam facilitatis ſpondendi ſuggerunt Septua. dum addunt, *Erubeſcens faciem*, q. d. Dum verſaris inter eos qui facilè fideiubent pro amicis, erubeſces, niſi & tu pariter fideiubeas: videberis enim vel timidior, vel ſcrupuloſior, vel minùs humanus minuſque amicus amico: vt ergo hanc verecundiam & periculum fideiuſſionis deuites, noli cum fideiuſſoribus verſari, ſed te ab eis ſubducito & abſcedito. Vide quæ de periculo ſponſionis dixi cap. 6. v. 1.

Porrò *vadis*, & per ſyncopen *vas*, eſt ſponſor alterius in re capitali, ait Feſtus, ita dictus à *vadendo*, *Vadis etym.* quòd qui vades dederit, vadere ei, id eſt diſcedere, interim liceat. Vnde Horatius li. 1. Sermon. ſat. 1.

Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem eſt.

Hinc ſponſio eius dicebatur *vadimonium*. *Vas*, ait *Vadimonium quid.* Varro lib. 5. de Lingua Latina dictus eſt, qui pro altero vadimonium promittebat. Et *vadari*, ait Priſcianus, erat vadimonio obſtringere, ſiue diem iudicij ex compacto conſtituere, & in ius vocare. Cicero libr. 3. Offic. de duobus Pythagoreis, cùm is qui morti addictus erat, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum causâ poſtulaſſet, vas factus eſt alter ſiſtendi eius, vt, ſi ille non reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi. Hîc tamen & alibi *vas* ſumitur pro ſponſore cuiuſlibet debiti, vt ſit idem quod *præs*, qui ita dicitur, quòd præſtare debeat quod fideiubendo promiſit, ait Feſtus.

Myſticè

Myſticè anonymus in Catena Græcor. q.d. *Ne inconſultè pro carne vadimonium præſtes:* & R. Leui, *Adhortatur*, inquit, *ne animus pro facultate concupiſcentiæ ſidembeat.*

Tropol. Beda hæc accipit de Paſtoribus & Epiſcopis: *Noli*, inquit, *eſſe cum his qui ſe, cùm eſſent liberi, ac ſibi vacãtes, defigunt manus in curas ſalutis malorum, ſpondentes ſe rationem pro eorum animabus Domino reddituros. Si enim ille pro quo ſpopondiſti non habet bona opera quibus te liberum ac ſecurum reddat tuæ ſponſionis, quę tibi vtilitas eſt, vt in die iudicij pro eius anima iudiceris, amittaſq́; habitum iuſtitiæ quo indutus eſſe videbaris, ac nudus ab ornamento virtutum exiſtere comprobaris? quia quod Domino teſte pollicitus es, implere nequiueras? Hoc autem dictum eſt, non quòd curam regendarum animarum, cùm tibi regulariter impoſita fuerit, ſuſcipere non debeas, ſed ne paſſim nullo iubente doctoris tibi, ac præſulis officium temerarius vſurpes.*

Vers. 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui] Hebr. *ne retroagas terminum ſæculi, quem fecerunt patres tui;* Pagnin. *ne transferas.* Vatabl. *ne moueas loco perennes terminos,* Chald. *ne mutes terminum, qui à ſæculo eſt;* Septuag. *noli transferre terminos æternos, quos poſuerunt patres tui;* Caietan. *ne adiungas terminos.* Omnia eòdem redeunt. Septuag. more ſuo ſequitur Syrus.

Grammaticè ad literam ſancit, ne quis transferat & plus æquo extendat limites agrorum, poſſeſſionum, & rerum ſuarum, vt inuadat & occupet agros vicinorum, & res alienas, iuxta legem à Deo ſancitam Deuter. 19. 14. *Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, quam Dominus Deus dabit tibi in terra, quam acceperis poſſidendam.* Rurſum Iudęis non licebat agrum emptum detinere vltra annum iubilei: hic enim erat terminus alienationis; quo elapſo ager emptus ad vendentem redire debebat: iuxta legem Leuit. 25. 13. ita Baynus, Caietan. Lyran. Ianſen. & alij.

Ratio eſt, quòd transferre terminos ſit contra ius gentium & naturæ: quia violat iuſtitiam, tum commutatiuam, qua res aliena inuaditur & occupatur; tum legalem & politicam: nam turbat communem ciuium & vicinorum pacem, ac poſſeſſiones hereditateſque confundit, ideoq́; grauium litium, rixarum & cædium eſt cauſa. Hac de cauſa priſcis ſumma limitum fuit cura. vnde Virgil. *Limitum cura, quanta priſcis.*

Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis.

Limitum enim contentio priuata ſæpè in bellum adoleſcit, veluti inter Iapyges & Tarentinos in Italia eò peruenit de finibus controuerſia, vt Iapyges ad vſq; viginti hominum millia collegerint exercitum, & inſtructa acie aduerſus Tarentinos & Rheginos depugnauerint. Sic & inter Corinthios & Megarenſes priuata de finibus contentio bellum genuit, & inter Egeſteos & Selinuntios. Hæc & plura narrat Diodorus Siculus li. 2. & lib. 12. Quocirca ſtatuit Numa Pompilius, ſecundus Romanorum rex, teſte Dionyſio Halicarn. l. 2. vnumquemque fines ſuos circumſcribere, & finibus apponere lapides, quos ſacrauit Ioui Terminali, atq; decreuit ſacra quotannis ſuper eoſdem fieri à continentibus, & fines ipſos terminos vocauit, quos ſi quis occuluiſſet aut tranſtuliſſet, ſacrum eum eſſe Dei lege ſanciuit, ita vt cuicumque volenti eum occidere liceret, tamquam ſacrilegum. Verba legis antiquæ de termino non mouendo refert Crinitus: *Crin. lib. 8. de hon. diſcip. c. 19.* *Qui ſecus faxit, & terminum exaraſſit, ipſus & boues, ſacri ſunt.* Romulus antè ſtatuerat, vt qui vicini terminos vſurpaſſet, is cui voluiſſet eripere, totum agrum vſurpantis in mulctę locum acciperet, *Plut. probl. 14.* & ad eum iuſtè pertineret. Conſtantinus Cęſar hãc legem retinuit in termino moto pendente controuerſia finium, & ante definitum ſententia negotium: *Qui finalem*, inquit, *intulerit quæſtionem ſi priuſquam aliquid ſententiâ terminetur, rem ſibi alienã vſurpare voluerit, non ſolùm id quod malè petebat ſed lite ſuperatus tãtum agri modum, quantum diripere tentauit, amittat, vt quiſque contentus ſuo non expetat quod iuris eſt alieni.* Hodie tamen, vt ſcribit Dynus in c. *ex literis* 13. de probat. arbitrio iudicis relinquitur, quas velit, nummarias, vel corporales, imponere terminorum tranſlatoribus pœnas, adhibitis circumſtantijs facti & perſonarum.

Hac de cauſa Romani deum fecere Terminum, *Terminus Deus Roman.* vt eius religione cohiberent hominum cupiditatem, ne terminos agrorum transferrent, veriti ne dei Termini iram & vindictam in ſe concitarent. Audi Ouidium lib. 2. Faſtorum:

Termine, ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
Tu populos, vrbeſq́, & regna ingentia finis,
Omnis erit ſine te litigioſus ager.
Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro,
Legitimâ ſeruas credita rura fide.
Termine, poſt illud leuitas tibi libera non eſt:
Quâ poſitus fueris in ſtatione, mane.
Et ſeu vomeribus, ſeu tu pulſabere raſtris,
Clamato, Tuus eſt hic ager, ille tuus.

Huc facit illud S. Auguſt. l. 4. de Ciuit. 23. *Cùm rex Tarquinius Capitolium ædificare vellet, eumq́; locum qui dignior eſſet ab alienis dijs cerneret præoccupatum, nõ audens aliquid contra eorum facere arbitrium, credenſq́; illos tanto numini, ſuoq́; principi ſponte ceſſuros, per augurium quæſiuit vtrùm Ioui locum concedere vellent? Annuerunt omnes præter Martem, Terminum, & Iuuentatem.* Adeò Terminus Romanis erat immobilis & inuiolabilis, vt ne quidem Ioui locum cederet, aut eius gratia ſuos limites transferri pateretur. Pergit S. Auguſtinus. *Atque ideo Capitolium ita conſtructum eſt, vt etiam iſti tres eſſent tam obſcuris ſignis, vt hoc vix homines doctiſſimi ſcirent.* Cauſam ſubdit cap. 29. *Sic enim, inquiunt, ſignificatum eſt, Martiam gentem, id eſt Romanam, nemini locum quem teneret, daturam: Romanos quoque terminos, propter deum Terminum, neminem commoturum: iuuentutẽ etiam Romanam, propter deam Iuuentatẽ, nemini eſſe ceſſuram.* Plura de Deo Termino, & eius feſtis Terminalibus vide apud Gyraldum de Dijs Gentium ſyntag. 1. pag. 60.

Denique Plato ita ſancit lib. 8. de Legibus: *Primæ igitur ſunt agriculturæ leges: ac Iouis quidem Terminalis prima hæc lex ſanciatur: Nemo limites terminoſue agri moueto cuiuſuis domini, ſiue ciuis, ſiue peregrini finitimi, ſi in extrema regionis parte habeat agros; ratus nefas eſſe hæc mouere, & in quæ quadret illius dictum, Immobilia mouere: maliſq́; quilibet ingens ſaxum moueto, quàm paruum lapidem iureiurando à dijs firmatum, quo amicitiæ & inimicitiæ, interpoſita deorum auctoritate, terminentur: alterius enim, Iupiter contribulis alterius, hoſpitalis eſt teſtis; qui cum infeſtiſſimis bellis excitantur.*

Symbolicè ſub hoc grammatico ſenſu, & quaſi *Symbol.* cortice litterę altius quid ſpectauit Salomon nimirum, q.d. Ne tranſgrediaris limites fidei aut morum, quos Orthodoxi Doctores, aut Patres fixerunt vt aliter credere, docere vel agere velis, quàm

ab

ab illis ſancitum eſt. Ita Salonius: *Terminos antiquos*, inquit, *dicit terminos veritatis & fidei, quos ſtatuerunt ab initio Catholici doctores; hoc ergo præcipit, vt veritatē Catholicæ doctrinæ nemo aliter ſuſcipiat, quàm à patribus eſt tradita, ſiue hoc præcipit, vt eloquia ſanctarum ſcripturarum nemo aliter interpretetur.* Pari modo nō licet tranſgredi limites & ſtatuta rerumpubl. Eccleſiarum, Religionum, Ordinum, Monaſteriorum, &c. quos fundatores & patres conſtituerunt. Sic & Beda, Hugo, Dionyſ. & alij, quin & R. Salomon ſic explicat, q.d. *Ne à parentum conſuetudine inſtitutiſq; recedas, teque retrò auoces.*

Addunt alij: Ne hereditatem & cenſum tibi à parentibus relictum nimis augere ſatagas, vt opes immenſas aggreges. Qua in re inſigne exemplum dedit Thomas Morus Angliæ Cancellarius & Martyr, qui ampliſſimis honoribus in republ. plurimos annos perfunctus, annuum tamen cenſum **B** non auxit ad ducentos aureos, vti refert Stapletonus in eius Vita. Accedit R. Leui: *Monemur*, inquit, *non eſſe mutandas definitiones & terminos, quos priores ſtatuerint, cùm ex his vniuerſis emolumentum conſtet*; & auctor Catenę Gręcor. *Patres*, inquit, *hoc loco appellat mentis vires & facultates. Transfert autem is propriè patrum terminos, qui religionis metas, & terminos pietatis tranſmutat in hæreſim, aut ſuperſtitionem, aut impietatem.*

Hinc Calixtus Papa, vt habetur 9. q. 2. cap. 1. *Nullus*, inquit, *alterius terminos vſurpet, nec alterius parochianum iudicare vel ordinare præſumat: quia talis iudicatio, vel ordinatio aut excommunicatio, vel damnatio nec rata erit, nec vires vllas habebit: vnde & Dominus loquitur: Non tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.* Hęc enim generalis eſt gnome; vnde ad quoſlibet terminos tam iuriſdictionis, quàm **C** poſſeſſionis, Religionis, ordinationis, &c. aptari poteſt.

S. Hieron. in Oſee c. 5. v. 10. *Transferunt*, inquit, *principes terminos, quos poſuerunt patres eorum, quando immutant in mendacia veritatem, & aliud prædicant quàm ab Apoſtolis acceperunt.* Qua de re vide egregiè ratiocinantem Vincentium Lirinenſem in aureo Contra profanas hęreſum nouitates libello. Hoc eſt quod Iudęos culpans intonat Deus Oſee. 5. 10. *Facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum.* Vide ibi dicta.

Denique hanc gnomen intorqueas in eos qui Euangelio, Religioni, Regulis à Patribus ſancitis aliqua quaſi perfectiora addere volunt, quaſi illi ſoli plus ceteris videant & ſapiant, quæ tacita eſt arrogantia. Quocirca S. Benedictus prudenter Regulis ſuis quippiam addi vetuit. Eſto enim vnus **D** quid perfectius quàm regula iubeat, comminiſci & agere queat; tamen id non expedit toti communitati, Ordini aut collegio imponere. Pręclarè S. Gregor. Nazianz. *Noli*, inquit, *eſſe legalior, nec regula æquior, nec mandato ſublimior.* Melius eſt vt traditioni patrum & legi te conformes, regulâ dirigaris, teque præcepto accommodes, quæ te docet Euangelium, nec adinuenias regulas & leges nouas, quę te ab antiquis & veris retrahant, prætextu illo, vt magis in eis emineas.

Vers. 29. VIDISTI VIRVM VELOCEM IN OPERE SVO? CORAM REGIBVS STABIT, NEC ERIT ANTE IGNOBILES] Pro *velocem* hebr. eſt מָהִיר *machir*, id eſt feſtinum, expeditum, ſtrenuum, celerem, induſtrium. Pro *ſtabit & erit*, hebr. eſt יִתְיַצֵּב *iitiatſeb*, id eſt ſtatuet ſe, ſiſtet ſe: eſtque tam actiuum quàm **K** paſſiuum, & ſignificat actionē ab agente in ſeipſum reflexam; quaſi dicas, Siſtetur & ſiſtet ſeipſum. Pro *ignobiles* hebr. eſt חֲשֻׁכִּים *chaſuchim*, id eſt *tenebroſi*, vt vertit Theodotion; tenebroſi autem vocantur luridi, ſqualidi, viles, pauperes, ignaui per catachreſim. Hebr. ergo ſic habent, *vidiſti virum celerem in opere ſuo, ad facies regum ſiſtetur, vel ſiſtet ſe, nec ſiſtet ſe ad facies tenebricoſorum*; Septuag. *virum perſpicacem, ſuiſq; in operibus argutum & expeditum regibus aſſiſtere oportet; viris autem ſegnibus & ignauis nequaquam.* Ita vertit Interpres Catenæ Græcor.

Eſt laus induſtriæ & velocitatis, q.d. Vir induſtrius, ſtrenuus & velox eſt magnanimus, & ad res magnas expeditus: quare magnatibus & regibus inſinuabit ſe, vt illis ad res magnas, præſertim in reipub. gubernatione obſequatur & ſubſeruiat: nec ſeſe abijciet ad perſonas viles, vt res viles & exiles **B** tractet. Quare viciſſim hæc eius induſtria & ſtrenuitas placebit regibus, vt optent ambiantque eum ſibi aſſiſtere, eumq; ad res magnas admoueant, & ad magnas dignitates præfecturaſq; promoueant. Ita R. Leui: Significat, inquit, à ſedulitate ſolertem ad dignitates euectum iri, & egeſtatem rerumque tenuitatem euaſurum, iuxta tritum illud: *Sex annis fames cuncta occupat, nec ad oſtium artificis pertingit.* Stare enim coram rege, vel regi aſſiſtere, Hebræis, idem eſt quod regi eſſe in pretio, in delicijs, regi eſſe familiarem, eique in aula miniſtrare, à rege euehi ad ampla & regalia officia, cùm rege regere regnum. Aſſiſtentes ergo regi, vocantur regis intimi & conſiliarij. Sic 3. Reg. 12. 6. *Iniit conſilium rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre eius.* Sic ſeptem duces erant, *qui ex more regio ſemper ei* (regi Aſſuero) *aderant, & illorum faciebat cuncta conſilia*, Eſther 1. v. 13. **C** Sic ſeptem angeli primarij dicuntur aſſiſtere Deo, Tobię 12. 15. Zachar. 3. 9. & alibi. Rurſum aſſiſtere regi dicuntur præfecti ſtationarij, qui quaſi proreges ſuo quiſq; loco conſiſtunt, & prouincias pro rege gubernant. Sic Azarias filius Nathan, dicitur fuiſſe ſuper eos qui aſſiſtebant regi Salomoni, id eſt principum præpoſitus, 3. Reg. 4. 5. vide noſtrum Pinedam lib. 5. de Rebus Salomon. c. 13. n. 8.

Qui à regibus officiales ſeligendi.

Moraliter docet hic Salomon, regés & principes debere ſeligere viros induſtrios & ſtrenuos, vt eos officijs publicis pręficiant: qui enim in regéda re priuata, vti familia, ſtrenuus eſt; hic pariter ſtrenuus erit in regimine publico: vti docet Chriſtus Lucæ 19. 17. *Euge*, inquit, *bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.* Et c. 16. 10. *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt.* Et Paulus 1. Timoth. 3. 5. iubet eligi Epiſco**D**pum *ſuæ domus bene propoſitū.* Cauſam ſubdit: *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Quin & Ariſt. li. 1. Polit. c. 1. docet ex bonis œconomis fieri, ideoque deligendos eſſe bonos politicos. Quare reges non ſinant tales delitescere inter ignobiles, id eſt inter priuatos, ſed ad nobilia & publica reipubl. officia admoueant. Sic M. Agrippa rebus gerendis admotus fuit à Cęſare Auguſto, quia, vt ait Velleius, *vir fuit labore, vigilia, periculo inuictus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſq; facta coniungens.*

Velocitas ſit in executione, tardius in conſilio.

Vbi Nota. Celeritas hęc laudanda eſt non tā in conſilio, quàm in conſilij executione. Nam, vt ait Ariſt. 6. Ethic. c. 9. *celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandū autem tardè.* Scitum eſt illud Taciti li. 1. hiſt. *ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcere.* Et illud

Iud Liuij lib 35. *Conſilia calida & audacia primâ ſpecie læta ſunt, tractatu dura, euentu triſtia.* Et lib. 22. *Omnia non properanti clara certaq́; ſunt; feſtinatio improuida eſt & cæca.* Et lib. 31. *Nihil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum, quàm celeritas.* Velocitas tamen ingenij in inueniendis conſiliis, præſertim in rebus & periculis ſubitis, quæ moram non patiuntur, laudanda eſt.

Myſticè auctor Catenæ Græc. *Qui ad rerum,* inquit, *quæ exiſtunt comprehenſionem ingeniū nactus eſt perſpicax, ille humanarum materiaq́; concretarum rerum conſideratione miſſâ, in Prophetarum & Apoſtolorū oraculis, tum in Chriſti Saluatoris myſteriis, & dogmatis ſeſe occupare debet.* Et Beda: *Quemcumque,* inquit, *velocem videris in opere ſuo, vel in opere bono, quod erat ei faciendum, ſtrenuum atque ſollicitum; ſcito hunc in die nouiſſimi examinis coram Apoſtolis, qui cum Chriſto mundum iudicante ſedebunt, eſſe ſtatuendum: quia videlicet eorum iuſſa ſeruauerit, neque in parte ignobilium do-* A *ctorum, quorum cauere fecit errorem, id eſt ad ſiniſtram iudicis, eſſe ponendum:*

Tropol. diſce quàm velocitas ſit efficax ad res magnas ritè conficiendas, ſi maturo conſilio dirigatur. Hinc Dauid laudat Saulem & Ionatham defunctos, quòd fuerint *aquilis velociores, leonibus fortiores,* 2. Reg 1. 13. Aſael à rege Dauide fuit accerſitus inter triginta ſuos triarios, & fortiſſimos heroēs, quia *velociſsimus fuit quaſi vnus de capreis,* 2. Reg. 2. 18. Iſaias c. 18. 2. *Ite,* inquit, *angeli veloces ad gentem conuulſam* Eccleſiaſt. c. 31. 27. *In omnibus,* inquit, *operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi* Vide ibi dicta.

Velocitas enim rem citò conficit, æquè ac fortiter: facit enim vt res exiſtat antequam ab æmulis ſentiatur, & impediri poſſit. Rurſum velox multa magnaque expedit: reges autem multa magnaque expediant neceſſe eſt: quare velocibus; non tardis, lentiſue vtantur oportet.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

QVomodo ſit edendum cum principe: non appetendæ diuitiæ, nec cibi inuidorum: non vexandi pupilli: caſtigandus puer: quærenda ſapientia: fugiendi peccatores, & gulæ dediti: honorandi parentes: fugienda meretrix, & ebrietas.

1. QVandò ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita
ſunt ante faciem tuam: 2. & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen ha-
bes in poteſtate animam tuam. 3. Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis men-
dacij. 4. Noli laborare vt diteris: ſed prudentiæ tuæ pone modum. 5. Ne erigas
oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, &
volabunt in cælum. 6. Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos
eius. 7. quoniam in ſimilitudinem arioli & coniectoris, æſtimat quod ignorat. Com-
ede & bibe, dicet tibi: & mens eius non eſt tecum. 8. Cibos, quos comederas, euomes
& perdes pulchros ſermones tuos. 9. In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpi-
cient doctrinam eloquij tui. 10. Ne attingas paruulorum terminos: & agrum pu-
pillorum ne introeas: 11. propinquus enim illorum fortis eſt: & ipſe iudicabit
contra te cauſam illorum. 12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad
verba ſcientiæ. 13. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum
virga, non morietur. 14. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno libe-
rabis. 15. Fili mi, ſi ſapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum: 16. &
exultabunt renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua. 17. Non æmuletur cor
tuum peccatores: ſed in timore Domini eſto tota die. 18. Quia habebis ſpem in no-
uiſſimo & præſtolatio tua non auferetur. 19. Audi fili mi, & eſto ſapiens: & dirige
in via animum tuum. 20. Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in commeſſatio-
nibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: 21 quia vacantes potibus, & dan-
tes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. 22. Audi patrem tuum,
qui genuit te: & ne contemnas cùm ſenuerit mater tua. 23. Veritatem eme, & noli
vendere ſapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. 24. Exultat gaudio pater iu-
ſti: qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. 25. Gaudeat pater tuus, & mater tua, &
exultet qui genuit te. 26. Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas cu-
ſtodiant. 27. Fouea enim profunda eſt meretrix: & puteus anguſtus, aliena. 28.
Inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet. 29. Cui væ? cuius
patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? 30. Nón-
ne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? 31. Ne in-
tuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur

blandè, 32. ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber,& ſicut regulus venena diffundet.
33. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. 34. Et eris ſicut
dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo; 35. & dices: Verbe-
rauerunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi: quando euigilabo,& rurſus
vina reperiam?

Vers. 1. QVANDO SEDERIS VT COMEDAS CVM PRIN- A
CIPE, DILIGENTER ATTENDE QVÆ AP-
POSITA SVNT ANTE FACIEM TVAM ET STATVE
Vers. 2. CVLTRVM IN GVTTVRE TVO, SI TAMEN HA-
BES IN POTESTATE ANIMAM TVAM] Hebr. *ſi es dominus animæ*, vel *vir animæ*. Quod Secundò, Vatabl. exponit, q. d. Si animæ, id eſt gulæ & concupiſcentiæ, es obnoxius. vnde vertit, *ſi tu gulæ tuæ indulgere voles, gutturi tuo cultrum intentabis*, id eſt, te mortis neceſſue periculo expones. Aut, vt Baynus, q.d. Si gulæ indulſeris, tantum tibi creabis periculum, ac ſi cultrum in guttur tuum immitteres, teque ſauciares & interimeres. Vnde Syrus vertit, *ne imponas cultrum in os tuum. ſi es vir animatus* id eſt animalis, indulgens carni) *quoniam panis eius panis eſt mēdacij* Pro *cultrum* hebr. eſt שׂכין *ſackin*, quod Vatabl, & alij vertunt *ſpinas*: & cultelli inſtar ſpinarum ſunt acuti. Syrus contrariè vertit, *ne ponas cultrum in ore tuo*, ſed eodē ſenſu, q d. Noli indulgere gulæ, ne indulgendo, illâ quaſi cultro B te interimas, teque in mortis periculum coniicias; Septuag. *ſi ſederis cœnare ad menſam potentis*, vel *dynaſtæ, magnâ attentione conſidera cuiuſmodi fercula tibi ſint appoſita: iniice in illa manū, ſed ita vt certò ſtatuas, te quoque eiuſmodi præparare debere*. ita auctor Catenæ Græcor. Iam.

Primò S. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 31. & 32. & Caſſian. collat. 2. c. 1. hanc gnomen explicant de gratiarū actione, q.d. Cùm lautè tractaris à principe, cogita quomodo ei gratias agas vel verbis, vel obſequiis, vel reddendo par pari, vt ſimili ſplendidâ cœnâ eum excipias. Vnde Septuag. addunt, *& iniice manum tuam, ſciens quoniam talia te oportet præparare. Alius ergo*, inquit S. Ambroſ. *fructum accepti beneficij, vt aurum auro, argentum argento rependit: alius laborem, alius, haud ſcio an etiam locupletius, ſolum reſtituit affectum. Quid enim ſi reddendi nulla facultas ſuppetit? In beneficio reddendo plus animus quàm cenſus operatur, magiſq; præponderat beneuolentia, quàm poſſibilitas referendi muneris. Gratia enim, in eo ipſo quod habetur, refertur.* C

Hinc Eccleſiaſtic, cap. 13. 2. & ſequ. monet cauenda eſſe pauperi conuiuia & conſortia diuitum, velut oneroſa illi nimis & ſumptuoſa. *Pōdus*, inquit *ſuper ſe tollet, qui honeſtiori* (id eſt ditiori) *ſe communicat: & ditiori te ne ſocius fueris.* & v. 6. *Si habes, conuiuet tecum, & euacuabit te, & ipſe non dolebit ſuper te.* Et v. 8. *Et confundet te in cibis ſuis, donec te exinaniat bis & ter, & in nouiſſimo deridebit te.*

Secundò, R. Leui: Cibus hic, inquit, eſt ſapientia, quâ veſcitur pars in homine imperium obtinēns, id eſt intelligēs facultas. Cùm ergo animo ſedato conſederis ad ſapientiam adipiſcendam, continget tibi vt ea intelligas quæ ſub aſpectum cadunt; ſi tamen in poteſtate habebis animam tuam, vt veſcaris illius cibis, hoc eſt, ſi imperium obtinebis in cupiditatem, quæ menti dominatur. *Et ſtatue*, q.d. Spinas potiùs in gutture tuo ponas, & in ea parte qua cibum deglutimus, à quibus eneceris. q.d. Præſtat enecari, quàm obedire gulæ; A aut præſtat enecare gulam & concupiſcentiam, quàm illi viuere, & obſequi. Verùm clarum eſt hunc ſenſum non eſſe litteralem, ſed myſticum.

Tertiò R. Salomon, q.d. Dum cœnas cum principe diligenter attende vt intelligas quiſnam is ſit erga te, an auarus, an ſplendidus: quòd ſi illum auarum videris, ne re quapiam illius veſcaris.

Quartò, argutè noſter Salazar, per *ea quæ appoſita ſunt* accipit non cibos, ſed menſales quæſtiones, problemata, ænigmata, quæ olim à ſapientibus ſibi inuicem in conuiuio proponebantur. Itaque ſenſus eſt, inquit, Totum mentis conatum atque vim exere, vt gryphos atque problemata tibi inter epulas obiecta calleas. *Statue gladium in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.* Primò, q.d. Tunc cùm ad hunc modum problematis iaciendis inter conuiuas confligitur aut pugnatur: ſi tui compos es, ſi videlicet mens tibi libera & cōſtans fuerit; viniqúe iniurias non ſenſiſti; linguam B ad reſpondendum exacue & elima, vt exſcindas ænigmatum & problematum tibi propoſitorum modos.

Addunt Septuag. *& iniice manum tuam, ſciens quòd talia te oportet præparare*, id eſt bellariis ferculiſque ſobriè ac frugaliter ſic fruere, illud ſciens, opus tibi eſſe, vt ſimiles etiam parabolas gryphoſque ad percontandum expedias.

Quintò, & gennuinè: Salomon hîc docet pericula imminentia conuiuis principum, niſi ſobriè, ſapienter & circumſpectè in iis ſe gerant: quod vt faciant eos hic admonet, q. d. Cùm accubueris menſæ principis, velut eius conuiua, mētem collige, & diligenter ſolerterque aduerte ea quæ tibi proponuntur, putà epulas, item actiones, ſtudia, interrogationes, & quæcumque in conuiuio à domino vel principe exercenda ſunt; aduerte, inquam, ne deliciæ & vina te ſeducant, & in nimiam hilaritatem vel ebrietatem quaſi mente mota transferāt: vnde fiet, vt arcana tua vel aliena patefacias, aut in dicta vel facta improuida, C iniurioſa, noxia vel ſuſpecta erumpas quæ tibi vel aliis periculum bonorum, famæ aut vitæ creent: quia *in vino eſt veritas*, 3. Eſdræ 3. 10. & 18. ergo *ſtatue cultrum in gutture tuo*, id eſt refræna gulam tuam, & ex ea conſequentē pruritum loquendi, per conſtans ac firmum propoſitum ſeruandi ſobrietatem & ſilentium, perinde ac ſi cultrum gutturi interiùs immitteres, vel exteriùs apponeres & apprimeres. Eſt catachreſis, q.d. Ne laxes gulæ & concupiſcentiæ habenas: ſatiùs enim eſt immiſſo vel admiſſo gutturi cultello gulam fauceſque ſibi præcludere, quàm hilariter comedendo, bibendo & garriendo in periculum vel indignationem principum incurrere, vt ait Horat. de Arte poëtica:

Dicuntur reges multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quos perſpexiſſe laborant.

Et Theognis:

Vim mihi facit vinum, animiq; non ſum ampliùs compos mei, Hoc enim tormentum meri, ſiue vini, valen-

valentius eſt tormento eculei: ex corde enim ſobrij, omnia ſecreta elicit in os bibonis & temulēti, vt omnia pandat & prodat. *Si tamen habes in poteſtate animam tuam*, q.d. Pones cultrum continentiæ & mortificationis in gutture tuo, ſi quidem dominus es animæ tuæ, id eſt appetitus tui, vt eum regere, moderari & frænare valeas: ſi enim id nequeas, nullus culter tibi fauces occludet. Audi Plinium lib. 14. cap. vltim. *Tunc* (cùm vinum ſoluerit rigorem vigoremque mentis) *animi ſecreta proferuntur: alij teſtamenta ſua nuncupant, alij mortifera loquuntur, redituráſque per iugulum voces non continent, quàm multis ita peremptis: vulgòq; veritas iam attributa vino eſt.* Optimè omnium D. Ambroſ. *Plerique etiam vino vtuntur vt eculeo, quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ ſtatum ſalutem ciuium, defenſionis ſuæ prodant conſilia: virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem antē potus excludit. Cognoui pleroſque fidiculis exulceratos nomen ſuum negaſſe. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* Culter ergo abſtinentiæ hîc adhibendus eſt, æquè ac ſilentij. Nam vt ait S. Baſil. in Regulis fuſius explicatis reg. 13. *Silentium eſt quoddam velut gymnaſium bene loquendi.*

Hunc eſſe genuinum huius loci ſenſum, patet tum ex ipſis ſententiæ verbis, tum ex eo quod ſequitur: *Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mēdacij*: Ex quibus liquet de cibo & gula hîc agi, q.d. Noli inhiare eius cibis, eſto opiparis & delicatis, quia mendaces, id eſt fallaces ſunt, vt te in ruinam trahant. ita Lyran. Hugo Dionyſ. Baynus, Ianſen. Vatabl. & alij paſſim. Accedit & Caiet. niſi quod *Statue cultrum in gutture tuo*, ſic exponat, q. d. Si vis intelligere quæ ante faciem tibi proponuntur pones multitudinem cultrorum circa guttur tuū, id eſt cogitabis & cōſiderabis te tamquam poſitū ſub multitudine gladiorum imminentium gutturi tuo, vt hac conſideratione intelligas ſi es herus animæ tuæ, id eſt quòd tu non es herus vitæ tuæ, cùm inter tot gladios verſeris; ac proinde cautè te geras tibiq; conſulas. Iò enim ſi ſubinde Hebræis eſt negatiuū, idemque valet quod *non*.

Damoclis [illegible].

Rem explicat exemplum Dionyſij tyranni Syracuſanorum, quem cùm Damocles beatum prædicaret, iuſſit eum Dionyſius *collocari*, inquit Cicero Tuſcul. 5. *in aureo lecto ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacoſque cōplures ornauit argento auròque cælato: tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eoſque ad nutū illius intuentes diligenter miniſtrare: aderant vnguenta, coronæ: incendebantur odores: menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur, fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus, itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam; iam ipſæ defluebant coronæ: denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet eſſe.*

Quocirca Ptolemæus princeps aſtronomorum, vt habetur in præfatione Almageſti, inuitatus à rege ad prandium, ſeſe excuſauit dicens: *Regibus contingere quod contingit conſiderantibus picturas, quæ cùm à longe videntur, placent, propinquè verò non dulceſcunt.*

Menſa Eccleſiæ.

Tropol. Menſa hæc eſt Eccleſia, in qua Martyrum, Confeſſorum, Virginum fortia & heroica virtutum exempla nobis ad imitandum proponuntur. Vnde S. Gregor. lib. 4. in 1. Reg. cap. 9. tropolog. explicans illud: *Tulit ergo cocus armū, & poſuit ante Saul*, quem Samuel in regem iuſſu Dei vngere deſignabat: *Armum*, inquit, *manducare eſt quod exterius de forti actione præcipitur, per propoſitum in mēte recondere. quaſi enim armum ante ſe ponere, & manducare electo cuique ſuadebat, qui dicebat: Si ſederis ad mēſam potentis, ſapienter attende quæ apponuntur tibi quia ſimilia oportet te præparare. In mēſa quippe potentis virtutem armi deſignauit, & dum dixit, Sapienter attende quæ opponuntur ibi, armum ante ſe eum, cui dixit, ponere docuit; ſed manducare eum debere inſinuauit, quia dixit: Similia oportet te præparare: ſimilia enim præparādo manducabimus, quia dura fortia quæ audimus, proponimus agere, velut comedentes in cordis ventre reponimus cibos vitæ.*

Menſa ſapientiæ.

Symbolicè, menſa hæc eſt ſapientiæ, id eſt S. Script. & legis diuinæ. Ita S. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 32. *Cùm ſederis*, inquit, *ad illam menſam potentis, intellige quis ſit ille potens: & in paradiſo delectationis poſitus, atque in conuiuio ſapientiæ collocatus, cōſidera quæ apponuntur tibi. Scriptura diuina conuiuiū ſapientiæ eſt, ſinguli libri ſingula ſunt fercula: intellige prius quæ habeantur in ferculis dapes, & tunc mitte manū vt ea quæ legis, vel quæ accipis à Domino Deo tuo, operibus exequaris, & collatam in te gratiam officiis repræſentes, vt Petrus & paulus, qui euangelizando vicem quamdā largitori muneris reddiderunt, vt poſſint ſinguli dicere: Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me egena non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Et fuſiùs pleniuſque cap. 31. *Itaque & illud conuiuium in Prouerbiis non de cibis, ſed de operibus eſt bonis; quo enim meliùs epulantur animi, quàm bonis factis? aut quid aliud tam facilè poteſt iuſtorum explere mentes, quàm boni operis conſcientia? qui autem iucundior cibus, quàm facere voluntatem Dei? quem cibum ſibi ſolum Dominus abundare memorabat, ſicut ſcriptū eſt in Euangelio: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei, qui eſt in cælo: hoc cibo delectemur, de quo ait Propheta: Delectare in Domino. Hoc cibo delectantur, qui ſuperiores delectationes mirabili ingenio comprehenderunt; qui poſſunt ſcire qualis ſit illa munda & intelligibilis mentis delectatio. Edamus ergo panem ſapientiæ, & ſaturemur verbo Dei; quia non in ſolo pane, ſed in omni verbo Dei vita eſt hominis, facti ad imaginem Dei.*

Accedit auctor Catenæ Græcor. Si numerò ſingulari, inquit, *dynaſtes* legatur vt quidam legunt, per *dynaſtam* aut principem Chriſtum accipit, ſin autem plurali *dynaſtarum*, per *dynaſtas* viroſ. hic principes deſignatos æſtima Moyſen cæteroſq; Prophetas. Per *menſam* porrò & fercula, ſalutarem Chriſti ſeruatoris doctrinam, æternæque vitæ præmia, per accubitum autem ad menſam quemuis fidelem doctorem, facta honeſta dictaque ſalubria animo identidem verſantem, nec non diuina Chriſti Domini documenta fideliter tradentem, per manuum tandem ad eſcas propoſitas applicationem, à bonis operibus exordium faciendum; ipſaque adeò re, non verbis tantùm, veros nos Chriſti imitatores eſſe; palàm oſtendendum ſignificatur: qui enim hanc viam non ingrediuntur, ſed ad fluxa vitæ huius commoda ſeſe conuertunt, fruſtra æterna illi bona præſtolantur, quandoquidem numquam illa conſequentur: per menſam dynaſtarum Prophetarum oracula deſignat. *Et iniice manum tuam*, quaſi dicat,

Ne in ſola hiſtoria pedem figas, verùm ſecundùm illam eiuſque notitiam virtutibus incumbas oportet, quo hinc animam tuam nutrias. hæc auctor.

Menſa Incarnationis Chriſti

Allegoricè, per menſam hanc accipit Incarnationem Verbi, totamque Chriſti in carne œconomiam & vitam S. Bernardus (vel quiſquis eſt auctor: ſtylus enim arguit non eſſe S. Bernardi) ſer. 2. in cœna Domini, in hanc Salomonis ſententiã, cuius initium eſt: *Sediſti ad menſam diuitis.* Primũ, inquit, menſæ huius ferculum eſt Chriſti obediẽtia, ſecundum paupertas, tertium mors Chriſti reuerenda: *Tu itaque qui ſedes ad menſam diuitis (Chriſti) ferculis quæ præmiſimus, appoſitis teipſum ſubiiciẽs & humilians, Incarnationis Dominicæ ſacramento non negligenter, ſed diligenter attende quæ apponuntur tibi; attende, inquam, vt diſcas in referendo gratiam non eſſe tardus aut ſegnis, vt diſcas ad ſingula dona agere gratias: attende, inquam, vt nulla Dei munera debita gratiarum actione fruſtrentur, non grãdia, non mediocria, non modica.* Et poſt nonnulla: *Sed quid illud, quod terribile videatur? hoc eſt. Quoniam talia te oportet præparare. Nota, quoniam compatiendo, commoriendo & conſepeliendo teipſũ, & cetera: dignum eſt enim, & tibi multũ expedit compati, commori, conſepeliri paſſo, mortuo & ſepulto: ad hoc enim facta ſunt huiuſmodi, vt his omnibus configuretur & conformetur vita Chriſtiani: qui enim tamquam membrum Chriſti dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. nam propter ſepulturam dictum eſt: Qui ſunt Chriſti Ieſu, carnẽ ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis; propter ſepulturam dictum eſt: Conſepulti ſumus cũ Chriſto, &* Vide ſequentia, vbi huius menſæ fercula recenſet omnes actiones & paſſiones Chriſti, quæ nobis imitandæ & moribus exprimendæ proponuntur.

Menſa Euchariſtia.

Rurſum magis appoſitè & preſsè S. Auguſtinus tract. 47. & 48. in Ioannem, per menſam hanc accipit Euchariſtiam: *Quæ mẽſa eſt potentis,* inquit, *niſi vnde ſumitur corpus & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? & quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? & quid eſt conſiderare & intelligere quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? & quid eſt ſic mittere manum vt ſcias quia talia te oportet præparare, niſi quod iam dixi: quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere? Sic enim ait etiã Apoſtolus Petrus: Chriſtus pro nobis paſſus eſt relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Hoc eſt talia præparare; hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memorias celebramus, atq; in conuiuio, quo & ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus, oportet vt, quemadmodum ipſi, & nos talia præparemus.* Subdit deinde S. Auguſt. *Neque hoc ita dictum eſt, quaſi propterea Domino Chriſto pares eſſe poſſimus, ſi pro illo vſq; ad ſanguinem martyrium duxerimus. Ille ſe nobis palmitibus præbuit vitem, nos habere præter illum non poſſumus vitam. Imitari quis potuit morientem, non autem potuit redimentem, &c.* Id probat ex ſequenti Salomonis ſententia iuxta Sept. *Quod ſi auidior es, noli concupiſcere cibos eius: ſatius eſt enim vt nihil inde ſumas quàm tibi pluſquam oportet aſſumas: hæc enim,* inquit, *vitam habent fallacem, hoc eſt hypocriſim. Dicendo enim ſe ſine peccato eſſe, iuſtum non poteſt exhibere, ſed fingere. ideò dictum eſt. Hæc enim habent vitam fallacem. Vnus eſt ſolus, qui & carnẽ hominis habere, & peccatũ potuit non habere. Merito quod ſequitur nobis præcipitur, ac tali verbo atque prouerbio humana infirmitas conuenitur eiq;*

A *dicitur: Noli extendere te, cùm ſis pauper, contra diuitẽ. Diues enim qui nec hæreditario, nec proprio vmquam debito noxius, & ipſe iuſtus eſt, & alios iuſtificat Chriſtus. Non contra eum te extendere, in tantum pauper, vt remiſsionis peccatorum appareas quotidianus in oratione mendicus.*

Accedit S. Chryſoſt. homil. in pſalm. 22. & 116. *De menſa illa,* inquit, *inebriati ſunt de qua dictum eſt; Accedens ad menſam potentis, conſidera ea quæ apponuntur tibi ſciens quòd talia te oportet præparare. Quid eſt talia te oportet præparare, niſi corpus & ſanguinẽ quod accipis? nã & illi Apoſtoli de ipſo calice inebriati erãt de quibus dicebatur: Hi ebrij ſunt muſto, cùm eſſet hora diei tertia. Sed quàm præclarus eſt iſte calix? videte quanta eſt claritas ex paſsionibus Apoſtolorum & Martyrum,* &c. Probat S. Chryſ. ex illo pſal. 115. *Paraſti in conſpectũ meo menſam aduerſus eos qui tribulant me: quid*
B *retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: calicem ſalutaris accipiam,* q. d. Calicem patientiæ & martyrij illi qui pro me paſſus eſt retribuam, reddam ſanguinem ſanguini, vitam vitæ. Præclarè enim S. Hier. ep. 22. *Hæc eſt ſola,* inquit, *retributio, cùm ſanguis ſanguine compenſatur, & redempti cruore Chriſti pro redemptione libenter occumbimus.*

Communicãs edit Chriſt. & editur à Chriſto.

Porrò ſi ſingula verba expendas, & Euchariſtiæ applices, miram in eis vim reperies. Primò enim ait. *Quando ſederis vt comedas cum principe,* putà cum Chriſto, q. d. In Euchariſtia eſt conuiuium Chriſti, in quo communicans quaſi conuiua cum Chriſto, epulatur; tum quia Chriſtus per ſacerdotem quaſi ſui vicarium, ſeipſum in Euchariſtia immolat & manducat; tum quia ſicut communicans comedit Chriſtum, ſic viciſſim ab eo comeditur
C & incorporatur, vt ait S. Bernard. Audi S. Thom. opuſculo 58. de Sacramento altaris c. 20. *Tertiò circa hunc modum conſideranda eſt ratio remanducationis dignè manducantium, de qua remanducatione dicitur, quòd tales manducant & manducantur, & huius ratio eſt: quia dum corpus Domini dignè à fidelibus manducatur, non ipſum vt alij cibi in manducantem conuertitur, ſed è conuerſo illum verè manducans in illud ſpiritaliter mutatur: nam manducantem ſe Dominus ſui corporis membrum facit,* &c. Quod triplici deinde ſimilitudine confirmat.

Secundò, ait, *Diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam;* Hebr. eſt *intelligendo intellige, & perſpice,* q. d. In Euchariſtia viſus & guſtus iudicant ſpecies panis tibi exhiberi, at intellectus fide illuſtratus intelligit, perſpicit & credit, non panem ſed ipſum Chriſti corpus ſub ſpecie panis tibi apponi: attende ergo, & dic cum Hebræis manna à
D cælo ningere cernentibus, *manhu,* id eſt, quid hoc vt mihi Chriſtus totum ſe, id eſt totam humanitatem ſuam cum deitate manducandam proponat? In Euchariſtia enim ſumma requiritur conſideratio, vt tanti epuli cibique dignitatem & pretium æſtimes, reuerearis, colas & adores, vti par eſt.

Tertiò, ait, *Pone cultrum in gutture tuo,* quaſi dicat, Adhibe cultrum diſcretionis & fidei, quo cibum hunc diuinum à communi diiudices & ſepares: *qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini,* 1. Corinth. 11. 29. q. d. Indignè manducans Chriſtũ quaſi gladium in gutture ſuo ponit, quo Chriſtũ per guttur tranſeuntem, quantum eſt ex ſe, confodit & occidit: reus enim eſt corporis Domini, id eſt adeò grauiter peccat, ac ſi Chriſtum ipſum peri-

perimeret, vti peremerunt Iudæi. Rurſum ſtatue gladium continentiæ in gutture, ne poſt communionem te effundas in epulas, nugas, riſus, turpiloquia, detractiones, &c. ſed mentem intrò colligas, & cum Chriſto tuo colloquaris, eoque fruaris. Denique ſcito poſt communionem vtendum tibi aſſiduè cultro mortificationis, ad reſecandum paſſiones & vitia, quæ Chriſto diſplicent, vt illi te immoles, commoriaris & crucifigas. Vnde Hugo: *Statue*, ait, *cultrum in gutture tuo, vt iuguletur ſcilicet vetus homo in te, ac nouus, id eſt Chriſtus, viuat.* Ex Caietani ſententia ſic exponas. q.d. Cogita fulgentes cultros & gladios angelorum altari aſſiſtentium, tamquam Chriſti militum & ſatellitũ, capiti tuo imminere, in illudque vibrari, ſi irreuerenter, oſcitanter, vel indignè tanta Sacramenta tractes. Si ſacerdoti conſecranti hunc cultrum adaptare velis, ſic concinna, q.d. Tu, ô ſacerdos, Chriſtum immolans, cogita te quaſi cultrum geſtare in gutture, dum verba conſecrationis profers: illis enim ceu gladio quaſi diſſecas & immolas Chriſtum, dum vi conſecrationis, ſiue vi verborum, corpus Chriſti ponis ſub ſpecie panis in patena, quaſi ſeparatum à ſanguine; ſanguinem verò ſub ſpecie vini ponis in calice quaſi ſeparatũ à corpore, vt Chriſti mortem repræſentes, eſto per concomitantiam naturalem, vbi eſt corpus Chriſti, ibi ſit & ſanguis Chriſti, ac vice verſa.

Quartò, *Si tamen habes in poteſtate animam tuam*, ſignificat cultrum diſcretionis, mortificationis & continentiæ tam gulæ, quàm loquelæ, &c. non eſſe cuiuſlibet, ſed eius dumtaxat, qui, vt Hebr. habent, eſt בַּעַל נֶפֶשׁ *baal nephes*, id eſt dominus & poſſeſſor animæ ſuæ, vt eius appetitui affectibuſque dominetur, eoſq; moderari, frænare & regere ſciat. Rurſum hoc animæ dominium & paſſionum quietem eſſe effectum Euchariſtiæ; ſed ita, vt requirat noſtrã cooperationem & laborem: ſi enim gratiæ per Euchariſtiam datæ cooperemur, ſupprimemus vitia, dominabimur affectibus, erimus domini & reges animæ noſtræ. Ita S. Catharina Senenſis ex vnica communione adepta eſt hoc animæ ſuæ dominium, imò ἀπάθειαν, vt inter proſpera æquè ac aduerſa eodem eſſet vultu, menteque conſtanti ſemper & imperturbabili.

Quintò, Septuag. addunt, *ſciens quoniam talia te oportet præparare*, q.d. In Euchariſtia non tantùm manducas Chriſtum, ſed & remanducaris à Chriſto, ait S. Thom. non enim mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me, ait Chriſtus per os S. Auguſt. fac ergo vt teipſum iis dotibus & motibus condias, vt ſapidum de te Chriſto epulum exhibeas. *Hoc*, inquit S. Auguſt. *beati Martyres fecerunt: talia enim Domino exhibuerunt, qualia de Domini menſa perceperunt.* Idem Chriſtiani omnes quiſque in ſuo ſtatu imitari debent: quiſque enim ſtatus vti ſuam habet crucem, ſic & ſuum habet martyrium. Vnde S. Bernard. in Sententiis: *Martyrium*, inquit, *ſine ſanguine triplex eſt, parcitas in vbertate, quam habuit David & Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias & vidua: caſtitas in iuuentute, qua vſus eſt Ioſeph in Ægypto.* Pluribus idipſum oſtendi Oſee 11. in fine cap. Rationem à priori eleganter aſſignat S. Chryſoſt. in pſalm. 95. *Exercitatio*, inquit, *pietatis quoddam eſt ſine ſanguine Martyrium, hoc eſt teſtimonium euidens ac profeſſum, & quomodo? Audi & conſidera: In omni tribunali quid aliud Martyri proponitur, quàm vt abneget Deum? at dum aduerſus hanc propoſitionem decertat, manifeſtam accipit coronam martyrij. Super hos verò ſanctos qui ſine ſanguine paſſi ſunt, eſt vtique pro iudice, ac tribunali ipſa conſcientia, in quo iuſtitiam tueri, & à Deo nunquam deficere Martyres facit.* Idem hom. 3. in epiſtol. ad Theſſal. docet patientiam in morbo eſſe longum lentumque martyrium. Et S. Auguſtin. ſermon. 40. de Sanctis ſic ſtatuit; *Non martyrium ſola effuſio ſanguinis, nec ſola dat palmam exuſtio illa flammarum: peruenitur non ſolùm occaſu, ſed etiam contemptu carnis ad coronam. Abſque iniuria Sanctorum in perſecutionibus defunctorum, dicere liceat, carnem afflixiſſe, libidinem ſuperaſſe, auaritiæ reſtitiſſe, de mundo triumphaſſe, pars magna martyrij eſt.*

Quiſque ſtatus ſuum habet martyrium.

Porrò Chriſtus in hoc Euchariſtiæ conuiuio, decem miracula nobis exhibet; ſimilia nos illi per gratiam ſuam præparare oportet. Primum eſt tranſſubſtantiatio, qua panis & vini ſubſtantia, ſolis accidentibus remanentibus, vi conſecrationis tranſſubſtantiatur & conuertitur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. Pari modo peccator iam pœnitens in hoc conuiuio ſe quaſi tranſſubſtantiet oportet, vt qui antea fuit carnalis, fiat ſpiritalis; qui fuit ſuperbus, guloſus, luxurioſus, inuidus, iracundus, vi corporis Chriſti fiat humilis, ſobrius, caſtus, liberalis, manſuetus: iuxta illud Epheſ. 4. 23. *Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Induite*, inquam, Chriſtum, imò tranſſubſtantiamini in Chriſtum, vt dicatis cum Paulo: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, Galat. 2. v. 20. Sic ſpecies externa hominis erit eadem quæ priùs, ſed interior homo mutabitur, eritq; alius putà transformatus in Chriſtum, vt quicumque Chriſtianũ talem viderit, Chriſtum ſe videre putet: Chriſtianus enim debet eſſe imago Chriſti, & quaſi alter Chriſtus, ait Nyſſenus tract. *Quid ſibi velit nomen Chriſtiani.* Vnde infert: *Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinæ naturæ*, putà imitatio ſimilitudinis Dei, in qua creatus eſt Adam, iuxta illud Geneſ. 1. *Fecit Deus hominem ſecundùm imaginem & ſimilitudinem ſuam*; & Chriſtianiſmi profeſſio eſt, vt homo reducatur ad priſtinam & antiquam felicitatem; ſcilicet vt reducatur ad priſtinam Dei ſimilitudinem, ad quam primitus creatus eſt: in hac enim primæua creatione, & Dei ſimilitudine conſiſtit eius felicitas.

decem miracula Euchariſtiæ *Primum.*

Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinitatis.

Secundum eſt, quòd cum corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia, per concomitantiam ponatur quoque eius anima cum tota ſua ſanctitate, cũ viſione & amore beatifico, atque cum omnibus ſuis ornamentis & dotibus naturalibus & ſupernaturalibus. Rurſũ quòd ponatur vnio hypoſtatica, ipſaque hypoſtaſis Verbi cum tota ſua deitate, & omnibus perfectionibus ſuis diuinis. Hæc omnia ecce Chriſtus in Euchariſtia nobis proponit, hæc omnia manducamus cùm Euchariſtiam ſumimus. Simili modo nos non tantùm corpus, ſed & animã eiuſque potentias, intellectum, voluntatem & memoriam, item ſenſus interiores & exteriores, omneſque vires, cogitationes, intentiones, actiones & operationes Chriſto offerre & conſecrare debemus, vt totæ ferantur & dirigantur in Chriſtum, eiuſque amorem, honorem & laudem; nec aliud quid extrinſecus ſpectare, non plauſum, non delicias, non opes, non honores.

Secundum.

Tertium, quòd Chriſtus hic ſe ſummè humiliet, cùm enim ſit immenſus, totum ſe claudit in par-

Tertium

paruula hoſtia, imò in quolibet hoſtiæ puncto: Diſce humiliari à Chriſto, ò conuiua Chriſti: indignũ enim eſt, vbi ſe humiliat Deus, ibi ſuperbiat homo, ait S. Bern. Rurſum Chriſtus ſe in hoc Sacramento abſcondidit, ita abſconde tuas virtutes & dotes, vt ſoli Deo cupias patere & placere. Inſuper Chriſtus in multis eccleſiis, præſertim in pagis & locis deſertis, latet abſconditus, deſertus & incognitus, ita vt multis diebus, & fortè mẽſibus lateat ſolus, nec ab vllo viſitetur, quin & aëris corruptioni, mucori & ſordibus exponatur, præſertim vbi negligentes & irreligioſi ſunt ſacerdotes; ita & tu diſce latere, & tolerare ſi cum S. Alexio negligaris, vilipendaris, & in angulũ domus retrudaris. Chriſtus ſolus latet, & tu vis omnibus patere, ab omnibus coli & honorari?

Quartum. Quartum eſt: Chriſtus in Euchariſtia eſt totus in tota hoſtia, & totus in qualibet hoſtiæ parte; ita & tu totum te trade Chriſto in tota vita, & totum in qualibet vitæ parte, hora & actione. *Nam*, vt ait S. Bonauent. *Dominus indiuiſum & integrum corpus ſuum obtulit, malè ergo diuidor, & vel minima mei parte illum defraudo. Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori; & diuiſus eſt*, ait Apoſt. 1. Corinth. 7. at in Euchariſtia docetur & roboratur, vt indiuiſum integrumque ſe præſtet in rebus tam diuinis, quàm humanis, tam in coniugio quàm in Religione. Ita enim in oratione tota mens communicantis intendit Deo, vt familiæ non obliuiſcatur, ſed gratiam à Deo poſcat illam ritè adminiſtrandi: ita viciſſim tota intendit familiæ, vt non niſi propter Deum, & ad Dei gloriam illam gubernet. Talis erat Nonna mater S. Gregorij Nazianz. quæ, vt ipſe ait in eius encomio, crebrò ſumens ſacram ſynaxim, *tota erat in domeſticis, & tota in diuinis*. Hoc maximè conuenit ſacerdotibus & Prælatis: horum enim eſt miſcere actionem contemplationi, vt toti videantur eſſe in actione, & toti in contemplatione. Vnde S. Gregor. 2. parte Paſtor. cap. 7. *Sit rector*, inquit, *internorum curam in exteriorum occupatione minuens, exteriorem prouidentiam in internorum occupatione non relinquens.*

Quintum. Quintum, quod ex præcedenti ſequitur, eſt quòd Chriſtus in Euchariſtia ſit impaſſibilis: eſto enim ſpecies panis gladio transfigatur, lædatur, comburatur; Chriſti tamen corpus ſub iis latens transfigi, lædi, comburi, imò tangi nequit: ſicut ſi ſub iiſdem lateret angelus, transfigi, lædi & tangi non poſſet. Imitare hanc Chriſti impaſſibilitatẽ. Chriſtus, ait S. Thom. in opuſculo de Impaſſibilitate, *à nullo externo agente pati poteſt, non ab igne, non ab aqua, non à gladio, &c. Tu ergo cùm non poſſis eſſe impaſſibilis, eſto tamen cum quadam impaſſibilitate patiens*, id eſt, ſic fortiter patere, vt videaris eſſe impaſſibilis.

Sextum. Chriſtus in Euchariſtia eſt inſenſibilis. Sextum: Chriſtus in Euchariſtia eſt inſenſibilis, tum paſſiuè: nullo enim ſenſu percipi poteſt, adeoque fallit & hebetat viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum, qui non aliud quàm ſpecies panis & vini vident, audiunt, odorantur, guſtant & tangunt; tum actiuè, quia, vt docet D. Thom. & ex eo Suar. 3. p. q. 76. art. 7. diſp. 52. ſect. 3. Chriſtus in Euchariſtia, eò quòd loco non coextendatur, ſed quaſi in punctum loci ſit contractus, naturaliter non poteſt ſentire, audire, videre aſtantes, imò nec ſeipſum: quia ſpecies viſiuæ, ceteræque ſenſibiles requirunt extenſionem ad locum; eandem requirit ipſa potentia viſiua, vt operari & videre poſſit. Dico naturaliter, quia ſupernaturaliter vi ſpiritus diuini id fieri poteſt: Deus enim vtrumq; defectũ ſupplere poteſt, vel per ſe indendo oculo Chriſti ſpecies viſiuas obiectorum, vel eleuando illas vt in Chriſti oculum, licet in puncto loci poſitum, agant & influant. Deniq; viſiones rerum quas habet Chriſtus in cælo, omnino videntur eidem communicari in Euchariſtia. Sicut enim ſubſtantia Chriſti eadẽ eſt in Euchariſtia quæ eſt in cælo: ſic & eadem vtrobique habet accidentia, qualia ſunt viſiones & ſenſationes. Diſce à Chriſto tuos ſenſus mortificare, fierique inſenſibilis, vt non niſi ſecundùm mentem & ſpiritum viuas inſtar Chriſti, Dei & angelorum: ſenſus enim trahunt ad concupiſcentias, ſpiritus verò ad cæleſtia & diuina; ſenſus ad vitia, ſpiritus ad virtutes; ſenſus ad infernum, ſpiritus ad paradiſum.

Septimum. Septimum: Chriſtus reliquas dotes corporis glorioſi tibi propinat, putà claritatem, agilitatem, ſubtilitatem: Chriſtus enim habet corpus immortale, clarum, agile & ſubtile, ita & tu præbe illi corpus mentemque tuam puram per caſtitatem, claram per ſplendorem boni exempli, agilem per feruorem, ſubtilem per contemplationem.

Octauum. Octauum: Chriſtus poteſtatem conſecrandi & conficiendi Euchariſtiam non vni, non decem, non centum, ſed pluribus hominum millibus, adeoque omnibus ſacerdotibus, etiam impuris, adulteris, homicidis, blaſphemis, ſchiſmaticis & ſceleratis conceſſit: neq; ob vllam ſcelerum immanitatem ademit: voluitque hanc indignitatem pati ad noſtrum commodum, vt nobis vbique & ſemper hoc diuinum ſacrificium, & æternitatis alimentũ etiam per indignos ſacerdotes copioſè ſuppeteret, neque ob eorum malitiam nos tanto bono fruſtraremur. Vbique ergo diuinam hanc menſam, ac epulũ hoc cæleſte, mira largitate cuilibet inſtruit: Exhibe ergo viciſſim tu Chriſto cor amplum & amore latum, vt etiam inimicos tuos ames & colas, iiſque beneficia pro maleficiis, & benedictiones pro maledictis rependas. Eſto enim ipſi amorem hunc non mereantur, cum tamen mereatur Chriſtus. Chriſti ergo amore eos qui te non amant ama, & Chriſtum in iis redama, Chriſto in iis benedicito & benefacito.

Nonum. Nonum: Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt ſine partium membrorumque commixtione, aut confuſione: eſto enim omnes ſimul & in eodem puncto ſint, nec loco aëriue ambienti coëxtendantur; quælibet tamen retinet ſuum temperamentum, ſuam vnionem, ſuam connexionem, ſuum ordinẽ, & omnem internam diſpoſitionem, quæ à reſpectu & commenſione loci non pendet. Caput enim Chriſti connexum eſt non ventri aut pedibus, ſed collo, collum humeris, humeri pectori, pectus ventri, venter femoribus, femora tibiis, tibiæ pedibus: ſimiliter & tu eſto in humili paruoque verſeris officio aut gradu; tamen in omnibus ſerua ordinem & decorem, vt diſcretè, prudenter & decorè ſingula facias & obeas. Sic præclara facies: pulchritudo enim & præſtantia operis non tam in eius magnitudine & excellentia, quàm in eius modo, ordine, decore & perfectione conſiſtit. Vnde Siracides cap. 33. 23 *In omnibus*, inquit, *operibus tuis præcellens eſto.*

Decimum Decimum: Chriſtus in Euchariſtia omnes to-

tius

tius orbis Chriſtiani fideles paſcit, ſibi vnit & incorporat, eiſque ſuum diuinitatis ſpiritum impertit, vt iam non tam homines quàm dij quidam humani, ac homines quidam diuini eſſe videantur, idque non tantùm omnes ſimul, ſed & ſinguli ſeorſim: ſicut enim ferrum ignitum vi ignis ligna quælibet accendit, ſic caro Chriſti vi diuinitatis ſibi coniunctæ homines ignit, facitque diuinos. Hæc ergo eſt effuſa Chriſti charitas, qua ipſe velut caput noſtrum, nobis ſingulis velut membris ſuis communicat ſuum ſpiritum ſuamque vitam, colligens omnes in vnum corpus, & in vnam veluti hypoſtaſim perfectam & completam; omneſque illi inſerimur & veluti incorporamur, ſicut partes alimenti conuenienter intus applicitæ, per meatus naturæ incorporantur nobis, vnaque fiunt hypoſtaſis nobiſcum, cùm ſpiritus noſter ad informandas & viuificandas illas ſe extendit. Vnde Apoſtol 1. Cor. 10. 17. *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. Vnus panis*, quia iſte panis non à comedentibus in illorũ ſubſtatiã conuertitur (ſicut fit in pane terreno & corruptibili) ſed contra, potiùs ipſos comedentes in ſeipsũ conuertit, & vnum ſecum efficit, ſuas proprietates ſuamque formam illis communicans. Mirum ſanè conſilium Dei, vt nos ad ſe attraheret, ſuique ſpiritus & vitæ efficeret participes, in vno naturę noſtræ indiuiduo vnitur carni humanæ hypoſtaticè: deinde hanc carnem ſpeciebus panis & vini conueſtitam dat nobis in alimentum, & per illud alimentum nobis coniunctum & commiſtum, ſpiritum & diuinitatem ſuam ei alimento connexam in nos transfundit, vt hoc modo nos omnes ſanctificet, & ad ſuam vnitatem & vitam redigat. Nullus modus ſuauior, efficacior, admirabilior aut ſapientior poterat excogitari.

Imitare hanc immenſam Chriſti charitatem, vt omnes tam exteros quàm domeſticos, tam Aſianos & Indos, quàm Europęos, tam inimicos quàm amicos, tam pauperes quàm diuites, omnes in Chriſto, imò Chriſto capiti vnire, & in eius viſcera traiicere ſatagas. Ob hoc enim Chriſtus Euchariſtiã inſtituit; vt ſibi quaſi capiti omnes fideles totamque Eccleſiam velut corpus & membra, realiter & ſubſtantialiter vniret & incorporaret, vt omnia in omnibus ſit, viuat & agat Chriſtus. Vnde Cyrill. Hieroſolymit. catecheſi 4. myſtagog. In Euchariſtia, inquit, *ſimus concorpores & cõſanguinei Chriſti*. Et Cyrill. Alexandr. l. 4. in Ioannẽ c. 17. *Sicut*, inquit, *ſi quis liquefactæ ceræ aliam cerã infuderit, alteram cũ altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cũ ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo & ipſe in Chriſto inueniatur*. Si hæc feceris, implebis quod hic dicunt Septuag. *Quoniam talia oportet te præparare.*

Vers. 3. Ne desideres de cibis eivs, in qvo est panis mendacii] *In quo*, id eſt, *in quibus*, ſcilicet cibis: vel *in quo* ſcilicet cibo; hic enim cõtinetur in τῷ *cibis*, ſicut ſingulare cõtinetur in plurali eſt ſyntheſis. Hebr. *ne cõcupiſcas delicias eius, &* (id eſt *quia*) *ipſe eſt panis mẽdaciorũ*. Ita Aquila & Theodot. Chald. *ne deſideres obſonia quæ ſunt cibaria mendacij*, Syrus *ſi eſt vir inſatiabilis, ne deſideres cibũ eius*; Septuag. *ſi autem inſatiabilis es, noli concupiſcere eſcas eius: hæ enim obtinent vitam falſam*, auctor Catenæ Græcor. *plerumq; enim cum mendaci vita hærent coniunctæ*. Quod ſic explicat, q. d. *Ne concupiſcas vana & fluxa huius vitæ commoda, quæ auari carniſq; voluptatibus deditti, numquam non inſatiabiliter captant & conſectantur*; clarè Vatabl. *ne concupiſcas cupedias eius, cùm ſit eſca fallax*. Hic verſus cohæret cum præcedenti, vt patet ex pronomine *eius*, ſcilicet *principis*, de quo ſermo præceſſit; q. d. Cùm aſſides menſæ principis, pone cultrum ſobrietatis & continentiæ in gutture tuo, ſiquidem habes in poteſtate animam tuã, id eſt animæ & gulæ tuæ appetitus vt eos cohibere queas. Ne ergo concupiſcas cibos eius delicatos (hos enim ſignificat Hebr. מַטְעַמּוֹתָיו *matammotau*) quia ipſi ſunt panis mendacij, id eſt cibi mendaces & fallaces.

Aut cur mendaces? Primò, Iſidorus Clarius: Cibi delicati, inquit, ſunt mendaces, quia plerumque conſiſtunt in rebus leuibus, & tenuiſſimi ſucci, qui gulam titillant & oblectant, ſed comedentem non alunt, nec roborant: verus enim cibus eſt qui hominẽ alit & roborat, quales ſunt cibi ſolidi, qui plus ſubſtantiæ habent, & minus ſaporis. *Deliciæ ſunt mendaces, Primò.*

Secundò, Aben Ezra: Sunt, inquit, panis mendacij, id eſt viri loquentis mendacia. *Secundò.*

Tertiò & genuinè, deliciæ principis vocantur *panis mendacij*, tum quia hominem etiam ſobrium delicioſâ ſuâ illecebrâ illiciunt & fallunt, vt plus comedat quàm ſanitas & ſobrietas requirant, vtque intemperanter in vinis delicatis ingurgitet, fiatque temulentus & ebrius. Fallunt ergo tum quia hominem inebriant & dementant; tum quia vina hæc fallunt bibentem, eumque loquacem, hilarem & garrulum efficiunt, vt in hilaritatem effuſus ſecreta ſua & aliena prodat, quibus nõ rarò ſe & alios perdit. Addit Caiet. mendaces dici menſas regias, quia principes ſæpè ad epulum inuitant, quos capere & occidere deſtinant, vti Aman ab epulis Aſſueri ſublatus fuit in patibulũ: & noſtra memoria Dux Albanus principes nonnullos in Belgio ad ſolemne conuiuiũ inuitauit, quos in eo captos iuſſu regis Philippi paulò pòſt capite mulctauit. Dum ergo ad menſam à principe inuitatus accumbis, cogita epulas eius mendaces eſſe & inſidioſas, ac tot gulæ tuæ gladios imminere, quot offeruntur deliciæ. Caue ergo tibi à gula, à loquacitate, ab omni cetero periculo, tuiſque rebus prudenter quoad potes proſpice. *Tertiò.*

Quartò, noſter Salazar hunc verſum à præcedenti diſiungit, ac ſeparatum conſtituit, ſicque explicat: Carpit Salomon nimiam opum iniuſtè partarum appetentiam, aitque: *Ne deſideres cibos eius*, id eſt, ne concupiſcas aut aſpires ad nimiam illam diuitiarum & deliciarum affluentiam, qua gaudet ille *in quo eſt panis mendacij*; nam eiuſmodi opes fallaces ſunt & mendaces, atque adeò poſſidentem ocyus deſerunt, & ad alios migrant. Congruit autem ſecundùm hanc expoſitionem verſus iſte cum duobus ſequentibus, *Noli laborare vt diteris*, &c. & infrà: *Ne erigas oculos tuos ad opes*, &c. Verùm ex Hebræo liquet hunc verſum pendere à præcedenti: id enim inter alia arguit pronomen *eius*, quod in Hebræo cùm ſit affixum, non niſi præcedens, putà principem reſpicere poteſt. Rurſum *deliciæ* propriè non opes, ſed eſcas delicatas ſignificant. Denique de eſcis hic agi patet ex v. 2. & 1. *Quartò.*

Porrò, Septuag. ex præced. v. repetunt *ſi es* בַּעַל נֶפֶשׁ *baal nephes*; id eſt *dominus animæ*, vel, vt ipſi intelligunt, *habens animam*, id eſt animæ concupiſcentiam & gulam: vnde vertunt, *ſi autem inſatiabilis es, noli concupiſcere eſcas eius: hæ enim obtinẽt vitã falſam*. q. d. Eſto tu inſatiabilis & guloſiſſimus, noli

tamen concupiſcere epulas principis: quia illæ vitam ſæpè fallunt, & cum illis mors glutitur: quia, vt alia omittam, epulæ principum ſæpè veneno inficiuntur, qua de cauſa principes ſolent adhibere prægustatores, qui cibos prælibent, vt in eis venenum, ſi quod ſit, ſe prodat, itaque ab eis abſtineant & periculum declinent. Sic olim in Italia venenum propinabatur in vino Setino, quod delicatum eſt, idque in phiala aurea.

Moraliter hic diſce delicias, omneſque huius mundi voluptates & pompas non eſſe veraces, ſed fallaces, idque multis de cauſis, ob quas hebr. vocantur *panis mendaciorum* in plurali; & latinè *deliciæ* vocantur, quia illiciæ, id eſt illices illecebræ, ab illiciẽdo, id eſt fallendo & decipiẽdo. Præter enim cauſas iam dictas, Primò, mẽtiuntur ſe habere veritatem voluptatis, cùm eius inanem dumtaxat contineant ſpeciem & vmbram: tenues enim ſunt viles, exiles, breues, quæ ſuperficiem carnis & ſenſuum tantùm titillant: at non penetrant interiora animæ & cupiditatis, vt eam reficiant & ſatient. Verè Climacus apud Maximum ſerm. 27. *Palato tenus*, ait, *percipitur ciborum voluptas, atque ibi terminum habet vltra palatum non ſentitur diſcrimen eorum quæ ingeruntur, cùm omnia deinde æqualiter per naturã in fœtorem reducuntur*. Ibidem S. Baſilius: *Venter*, ait, *eſt perfidus mercator, penus nihil conſeruans, multarum rerum incommodum retinens, res autem ipſas non conſeruans* Et Epictetus: *Cura vt te non cibi qui in ventrem ingeruntur, alant ſed animi lætitia: illi enim in excremẽta vertuntur, & ſimul perit laus eorum, animus autem à corpore ſeiunctus, incorruptus perpetuò manet.*

Mundi voluptas mendax.
Primò.

Secundò. Secundò, quia voluptates mox abeunt, & abeuntes in dolores deſinunt, ac triſtitię aculeos mẽti æquè ac corpori infigunt, iuxta illud, *Extrema gaudij luctus occupat*, Prou. 14. 13 creant enim nauſeam ſtomachi, grauedinem capitis vigilias, tormina, flatus, phlegmata, febres, ardores, calculũ, pleuritides, apoplexias, milleque alios morbos & ærũnas. Vnde Eccleſiaſtic cap. 31. 23. *Vigilia*, inquit, *cholera, & tortura viro infrunito* S. Gregor. Nazianzen. orat. 38. delicias vocat pretioſum ſtercus: *Nec terra & mare* inquit, *pretioſum nobis ſtercus dono offerant: hoc enim honore delicias afficere ſoleo, at nos in ſermone deliciamur & in lege diuina.* Idem nomen deliciis indit S. Hieron. S. Gregorij Nazianz. diſcipulus & aſſecla.

Præclarè S. Chryſoſt homil. 45. in Matth, *Deliciis*, inquit, *ſenectus citiùs ſurrepit, deliciis ſenſus obtunduntur, deliciis cogitatio retardatur, citiùs mens tenebris obducitur, corpus diſſoluitur maior ſtercoris copia reconditur atque reponitur: ita ex ingenti affluctorum aceruo, nauigio nimiùm oneribus oppreſſo, crebra contingũt naufragia: quid enim, reſponde quæſo, ita corpus pingue efficere ſtudes? an vt te ad immolandum ducamus, an vt immolatum menſæ opponamus? aues certè pingues ad ſaporem diætam inutiles ſunt.* Idem homil. 58. in Matthæum: *Quid deliciarum fœditas mali non inducit, ſues ex hominibus facit, imò verò etiam multò maiores: ſus enim in luto voluitur, & ſtercore nutritur, hic verò abominabilem magis ſibi menſam conſtruit, in quas commixtiones excogitans. hic nullo certè à dæmoniaco diſcrimine ſeparatur: imprudens & furioſus pariter eſt: & dæmonia quidem miſeramur, hunc verò auerſamur & odimus, quia ſponte ſibi furorem attrahit, & os, oculos, aures & cetera ſimpliciter ſenſuum inſtrumenta amariſſimas voluptatis conficit cloacas.*

Idem homil. 13. in epiſt. 1. ad Timoth, explicans

A illud cap. 5. *Viuens in deliciis mortua eſt. Viuit enim*, inquit, *ſolummodò vẽtri* (guloſus) *ceteris ſenſibus mortuus eſt, neque aſpicit quæ aſpicienda, neque audit quæ neceſſariò audire conuenit neque loquitur quæ loqui oportet. Quẽadmodũ mortuus quiſpiam in lecto iacens, complosis palpebris, clauſiſque luminibus nullum omnino ſenſum habet: ita & hic imò longè deteriùs hic quàm ille affectus eſt, ille enim bona æquè atque mala non ſentit; hic autem malorum tantùm amittit ſenſum nihilque boni penitus ſentit.*

Audi & B. Laurent. Juſtin. in Ligno vitę tractat. de Paupertate cap. 3. *Si pecuniam congregare conaberis*, inquit, *eripies habẽti, aut cupiditatibus laceraberis: ſi dignitatibus fulgere velis, dãri ſupplicabis, & qui præire ceteros cupis, poſcendi humilitate erubeſces; ſi potentiã deſideras, ſubiectorum inſidiis obnoxius, periculiſque ſubiacebis; ſi gloriã appetis, per aſpera quæque diſtractus quietus & ſecurus eſſe deſiſtes; ſi voluptuoſã vitam eligis, quis nõ*
B *aſpernetur atque abiiciat viliſſimæ fragiliſſimæque rei, corporis ſcilicet, ſeruus eſſe?*

Tertiò, quia inter epulas ſolutâ linguâ multa à conuiuis dicuntur mendacia, adulationes, hypocriſes, fraudes, &c. Qua de cauſa S. Auguſtinus ad menſam lectionem & diſputationem adhibebat, vt noxias fabulas & detractiones excluderet; imò numquã ad conuiuia accedebat, eſto inuitaretur, ſecutus exemplũ S. Ambroſij, vti refert Poſidon. in eius Vita. *Tertiò.*

Quartò, quia inuitans ſæpè mentitur amorem, cùm in corde tegat odium vel ſimilem prauum affectum. Ferè enim inuitat alios non ad ipſorum, ſed ad ſuum commodum, vt eos ſibi obliget, ab eiſque aliquid, quod optat, impetret; imò ſuſpectos vel inimicos inuitat, vt in vino eorum conſilia expiſcetur, aut vt in ſceleris ſocietatem pertrahat,
C aut vt noceat & lædat, vel in fama, vel in ſanitate & vita. Plura de deliciarum fallacia, & frugalitatis commodis dixi Daniel. 1. v. 16. vide & S. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. fusè in delicioſos & gulones detonantem. *Quartò.*

NOLI LABORARE VT DITERIS: SED PRVDENTIÆ TVÆ PONE MODVM] Gnome hæc facilis eſt: vetat enim nimium diteſcendi ſtudium nimiamque opum cupiditatem, q. d. Noli te cruciare & fatigare vt aurum auro, opes opibus aggreges, & ſine fine accumulare ſatagas: hoc enim eſt vitium auaritiæ, & iugis animæ auaræ cruciatus, qui ſæpè hominem adigit ad vſuras, fraudes, aliaſque illicitas artes, vt per fas & nefas diuitias in immenſum coaceruet, quibus animam ſuam perdat, trudatque in gehennam. *Sed prudentiæ tuæ pone modum.* *Vers. 4*
D Prudentiæ propriè dictæ modus poni nequit, cùm ipſa ſit modus virtutum omnium: ipſa enim eſt virtus in medio rectæ rationis librata, ceteraſque virtutes omnes librans & dirigens. Per *prudentiam* ergo hic ſolertiam, induſtriam & prouidentiam ad parandas opes intellige, vt patet ex Hebr. בִּינָה *bina*, id eſt, *intelligentia*; & ex v. ſequ. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere.* Vnde Aben Ezra: *Abſtine*, inquit, *à prudentia, qua ad diuitias cõparandas vteris*: quæ eſt prudentia id eſt ſolertia, auarorum.

Senſus ergo eſt, q. d. Noli nimis eſſe ſolers, induſtrius & prouidus ad quærendas rationes lucrandi, & modos diteſcendi: ſed huic tuæ induſtriæ pone modum, quem vera prudentia dictat: vt ſcilicet non plus opum velis coaceruare, etiam iuſtis licitiſque modis, quàm ad tuum tuæque familiæ vſum ſtatumque requiritur. Quorſum enim corrogabis opes, quas in arcis celliſque recondas.

nulli

nulli vſui futuras, niſi vt ab ærugine tineiſque rodantur & conſumantur?

Alij exponunt, q.d. Noli deſiderare opes impoſſibiles vel illicitas, ſed diuitiis tuis pone modum *prudentiæ*, in caſu genitiuo, vt ſcilicet modus quē prudentia ſuggerit, moderetur tuum diteſcendi ſtudium, tuaſque diuitias. Ita explicat S. Thomas 2.2.q.470.art.4.ad 3. *Significatur*, inquit, *non quòd ipſa prudentia ſit moderanda, ſed quia ſecūdùm prudētiā eſt aliquis modus imponendus.* Modus autem hic eſt, vt non pares opes niſi licitis iuſtiſque artibus eaſque moderatas, quæ ſufficiunt ad honeſtè viuendū. Hic ſenſus aptè cohæret verſui ſequ. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes.* Hebræa ad verbum habent: *Ne labores ad diteſcendum: ab intelligentia tua ceſſa.* quæ verba quia generalia & limitata, variè limitari & ad varios particulares ſenſus derivari queunt: omnes tamen eòdem tandem definunt, & in vnum coëunt.

Primò, igitur Pagnin. vertit, *Ne labores vt diteris, ne ab intelligentia tua deſinas*, q.d. Noli inhiare opibus ne opum cupido tibi intelligentiam, id eſt ſanam mentem & ſapientiā eripiat. Sic & R. Leui: Cùm, inquit, ea adeptus fueris, quæ tibi ſatis ſint, ne de facultatibus coaceruādis ampliùs angaris; id enim te à ſapientia longè arcet, cùm tempus in diuitiis cumulandis inſumas, diuerſo prorſus fine ab eo, qui proponendus ſit in facultatibus comparandis: nam ideo illæ parantur, vt mortali ſint adiumento, quo curis omnibus ſolutus totus inueſtigationi ſapientiæ & prudentiæ vacare poſſit.

Secundò, Caiet. *ne labores ad diteſcendum, & ab intelligentia tua ceſſa*: hoc eſt, inquit, non ſat eſt vt ſuperſedeas labore ad parandas opes, ſed inſuper ab opum cogitatione & amore intelligentiam & mentem tuam auoca, vt de iis ne cogites quidem. Sic enim poteris mente quieta & ſerena, itaque fructuosè vacare ſtudio ſapientiæ & virtutis.

Tertiò, Aquila vertit, *noli laborare vt diteſcas ab intelligētia tua*, q.d. Ne labores aggerere opes, quia quantaſcumque aggeſſeris, non eris reipſa diues, ſed tantùm diues *in intelligentia*, id eſt in opinione & æſtimatione tua: nam reipſa eris pauper, cùm quo plura aggeſſeris, eo plura aggerere deſiderabis: nam.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Pauper autem eſt, qui ſuis non eſt contentus, ſed plura ſemper deſiderat, & velut famelicus eſurit ſititque. Alij explicant, *ab intelligentia*, id eſt ſine intelligentia tua, q.d. Noli velle diteſcere ſine ratione & labore per merā fortunam, per vſuram, per rapinam; ſed ſatage diteſcere per intelligentiam, id eſt per induſtriam tuam: hoc enim licitum & honeſtum, prius verò illicitum & iniuſtum eſt.

Quartò, Chald. vertit, *ne accedas ad diuitem ſed in intelligentia tua recede ab eo*, q.d. Noli conuiuari cū diuitibus, cum iiſque ſplendidè viuere & incedere cū multo famulatu, equis & rhedis: ſic enim opes tuas profundes & ad paupertatem redigeris; ſed ſequare dictamē prudentiæ, vt ab eis te ſepares, ac ſeparatus priuatim ſobriè & parcè viuas: ſic enim quietus ages, & res tuas augebis. Syrus verò vertit, *ne appropinques diuiti; ſed ſapienter ad illum accede*; q.d. Noli eſſe familiaris diuiti, ne tua cum eo conſumas; ſed tamen ſubinde, vbi illius ope, mutuo auxilio opus habes, ad illum prudenter accede, vt tibi opituletur & benefaciat.

Quintò, Septuag. vertunt, *ne extendas cùm ſis pauper ad diuitem; tua autem conſideratione abſtine*; Complut. Regia, *ne contendas, cùm ſis pauper, cum diuite*; clarè auctor Catenæ Græcor. *ſi pauper fueris, ne cum diuite contendas: verùm prudentia tua vſus ab eiuſmodi contentione abſtineas.* ἔννοια enim Græcis idē eſt quod cogitatio, intentio, ſententia, item prudētia, ſenſus intelligentia &c. Sunt nonnulli pauperes, ſed ſuperbi qui imprudenter volunt ſe æquare diuitibus cum iiſque certare in ſplendore victus, veſtitus, familiæ, ſuppellectilis, ceterarumq; rerū. Hos redarguit hîc Salomon, tum quia ſupra vires & facultates ſe extendunt, pluraque expendunt quàm habeant; quare perinde faciunt, ac ſi puer paruulus vellet ſe coëxtendere & æquare viro grādi: tum quia immodico ſumptu ſeſe & familiam ilicò exhauriunt, & ad pauperiem redigunt, quæ mera eſt imprudentia & fatuitas: nam vt ait S. Chryſoſt. homil. *Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo; Pauperes dum cupiunt diuitibus exæquari, inſatiabilem rabiē patiuntur inſaniunt, furunt: nam idem morbus diuerſis ſingulis generat languores.*

Myſticè auctor Catenæ Græcor. Condemnat hîc, inquit, eos manifeſtè, qui diuina myſteria æquè ſe explorata habere arbitrantur, atque Deus ipſe. Pauper enim ſecundùm ſe eſt omnis omnino homo: ſolus autem Deus abſolutè diues eſt. Ne ergo Dei myſteria quæ ratione peruestigari planè non poſſunt, mente tua rimari fruſtra contenderis. R. Salomon verò ſic, q. d. *Ne valdè ſollicitus ſis de doctrina augenda, tranſcurſim & deſultoriè rebus colligendis, & voraci lectione; nam tandem hæc omnia obliuioni trades.* Sicut enim cibus non maſticatus dēdeuorando transglutitur, ac indigeſtus ſæpè emittitur: ſic qui multa celeriter obiterque legendo trāſcurrunt & quaſi deuorant, hi parum retinent, & eorum quæ legerunt, ilicò obliuiſcuntur.

Rurſum hanc gnomen applices iis qui ſupra vires ieiunare, orare, corpus affligere, laborare ſatagunt, vt in ſanctitate & virtutibus emineant, atque ſanctos Anachoretas, Martyres, quin & Apoſtolos adæquent. Qua in re arrogantes & ſtolidi sūt: perdunt enim ſanitatem corporis, nec ſanctitatem mentis aſſequuntur. Sanctum quidem eſt illud: *Metire te pede magnorum virorum*; ſed intra limites tuæ naturæ & gratiæ tibi à Deo deſtinatæ: nam ſanctum æquè ac prudens eſt illud: *Metire te tuo pede: Ne ſutor vltra crepidam: Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ: Noli altum ſapere. ſed time*: quare *in magnis & voluiſſe ſat eſt.* Iſto enim conatis extremis viribus, numquam ad ſanctitatem B. Virginis, vel S. Pauli, aut S. Laurentij, aut S. Franciſci pertinges; quia Deus longè maiorem eis dedit gratiam quā tibi. Vnde S. Paulus carpens pſeudoapoſtolos, qui ſe Apoſtolis veris æquabant, imò anteponebant 2. Corinth. 10. 12. *Non enim audemus*, ait, *inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos cōmendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & cōparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi vſque ad vos. Non enim quaſi nō pertingentes ad vos ſuperextendimus nos: vſq; ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti.* Vbi pro *ſuperextendimus*, in Græcor. eſt verbum ὑπερεκτείνομεν, quod congruit cum noſtro παρεκτείνειν hoc loco. Et rurſum Rom. 12, 3. *Dico non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Vnde ſequitur:

Ne

NE ERIGAS OCVLOS TVOS AD OPES, QVAS NON POTES HABERE : QVIA FACIENT SIBI PENNAS QVASI AQVILÆ, ET VOLVBVNT IN CÆLVM] Hebr. *nam auolare facies oculos tuos in eo*, id eſt ad eum (putà עשר *oſcer*, id eſt opes quod tacitè latet in הַעֲשִׁיר *haaſcir*, id eſt *diteſcas*, de quo verſ. præcedenti: *oſcer* enim Hebræis eſt maſculinum, ſicut Latinis eſt, plutus, id eſt opes) *& non ipſe: quia faciendo faciet ſibi alas, ſicut aquila volabit in cælum.* R. Salomon τὸ *in eo* refert ad laborem & ſtudium diteſcendi : de quo præceſſit, q. d. Si momento oculos deflectas, illoſque claudas, ſtudium illud euaneſcit, tum quia mens & appetitus hominis eſt inconſtans & volubilis, tum quia labor & angor comparandi opes homini eſt moleſtus, eumque diſcruciat : illum ergo ſentiens, citò deponit & abiicit.

B Iam τὸ וְאֵינֶנּוּ *veenennu*, id eſt *& non ipſe*, dupliciter accipi poteſt, Primò, q. d. Cùm ipſe ſcilicet plutus (id eſt opes non ſint) vel non exiſtant. Secúdò, q. d. *Et nõ ipſe*, ſcilicet eſt in tuo iure vel poteſtate, hoc eſt, vt vertit Noſter. *quas non potes habere* Igitur.

Primò hæc gnome accipi poteſt de opibus iam partis & poſſeſſis, vt earum inconſtantiam & fugacitatem ſignificet, q. d. Ne oculos, mentem & cor defigas in tuis opibus, quia eas diu nõ potes habere: fugaces enim ſunt, & ilicò ab vno in alium deuolant inſtar aquilarum, quæ à terra auolant in cælum. τὸ enim *habere* ſumitur in actu perfecto, pro *habitas retinere & firmiter poſſidere.* Hoc ſignificat Hebr. *veenennu*, id eſt *& non ipſe.* q. d. Plutus nõ habet ſtabilem exiſtentiam, conſiſtentiam & conſtantiam; ſed inſtar auis inquietæ, vagæ & fugacis tranſit & auolat vt ampliùs non appareat, nec eſſe C videatur. Vnde Tigur. vertit, *num intenderes oculos tuos in id quod mox non eſt? ſumunt enim ſibi alas diuitiæ, & velut aquilæ in aërem auolant*; Vatabl. *an conjicias oculos tuos in eas, cùm nullæ ſint? quoniam parãdo parabunt ſibi alas, & volabunt in cælum*; Chald. *ſi alligaueris oculos tuos in eum, non comparebit tibi*; Syrus, *ſi fixeris oculos tuos in illo, non apparebit tibi.*

De fugacitate diuitiarum vide S. Chryſtomum hom. 1. in Geneſin, cuius verba recitaui Amos, 6. 5. ad illud iuxta Sept. *Sicut ſtantia putauerunt & nõ ſicut fugientia.* Et hom. aurea in Eutropium, cuius exordium eſt, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: vbi ad viuum ob oculos ponit opum omniumque mundi pomparum vanitatem & fugacitatem; extat ſub finem tom. 5. Et hom. 11. n. 1. ad Corinth. vbi divitias comparat ſeruo fugitiuo & perfido.

Opes auolant vt aquilæ. Primò.

Porrò hæc fugacitas opum antè comparatur D aquilæ in cælum euolanti. Aquila enim adeò altè volat, vt non tantùm hominum, ſed & auium ceterarum aſpectum fugiat : longè enim ceteris omnibus ſuperuolat, vt à nemine capi, ſed omnes capere & prædari poſſit: ita quantumcumque opes capere coneris, illæ velut aquilæ euolabunt altiſſimè & non tantùm manus tactumque, ſed & aſpectum tuum fugient.

Secundò.

Secundò, ſimpliciùs & aptiùs Baynus, Ianſen. & alij, hanc gnomen referunt ad opes non iam partas, ſed parandas, quę vires noſtras ſuperãt, q. d. Noli corde concupiſcere & oculis ſequi opes, quæ tuas vires & facultates ſuperant, ſiue quas tua induſtria comparare non potes, quia ſi illas ſequaris illæ velut aquilæ euolabunt in cælũ, vt eas aſſequi nequeas. Emphaſis eſt in Hebręo: *Num auolare fa-* A *cies oculos tuos?* q. d. Opum nimiarum & impoſſibilium cupido eſt merus oculorum mentiſque volatus, imò auolatus: facit enim vt mens à ſe avolet ad id, quod aſſecutu eſt impoſſibile; oculi enim talium volando certare volunt cum volatu aquilarum, ſed vincuntur : nam aquilæ ita altè volant, vt omnem oculorum aciem ictumque effugiant.

Rurſum eſto oculis opes inſtar aquilarum aſſequerêre, an adeo eas manu prehenderes, & tui iuris efficeres? vtique non: nõ enim magis eos occupares quàm aquilas volantes, quas oculis ſequẽs, tui iuris efficis. Docet ergo hæc gnome cauendum eſſe ab auaritia, & concupiſcentia oculorum, & moderandum eſſe ſtudium ſe ditandi iuxta ſortẽ, artem & induſtriam à Deo datam : ſi enim modum hunc exceſſerimus, fruſtra Deo aduerſante laborabimus. Salomonem ſecutus Siracides c. 11. 10. pari modo à nimio opum ſtudio auocat : *Si enim*, inquit, *ſecutus fueris, non apprehendes. &c.: eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit.* vide ibi dicta.

Porrò τὸ *quas habere non potes*, dupliciter accipi poteſt. Primò q. d. Quas phyſicè obtinere nequis, quia tuas vires & facultates tranſcendunt. Secúdò, q. d. Quas ethicè, id eſt, licitè & bona conſciẽtia obtinere nequis: vt ſenſus ſit, Noli per vſuras, fraudes, iniuſtos contractus aſpirare ad opes illicitas: illas enim bona mente & fide obtinere vel retinere nequis: quare iuſto Dei iudicio iuſtè illæ à te, velut ab iniuſto inuaſore, vel poſſeſſore, aufugient, & auolabunt. Huc facit illud Catonis:

Quod potes, id tentes, operis ne pondere preſſus
Succumbat labor, & fruſtra tentata relinquas.

Eſt proſopopœia : opes enim hîc inducuntur quaſi aues & aquilæ, quæ alas ſibi faciunt, quibus ſe ab auaris ſe perſequentibus proripiunt, & longiſſimè auolant. Rectè autem opes aquilis comparantur. Primò, quia aquila & robore, & volatu, & prædatione ceteras aues excellit, vt nullam ſibi ſuperuolare permittat, omnibus ſuperior, nulli inferior, vt omnes prædetur, ipſa verò nulli ſit præda; ſed modo opes impoſſibiles vel illicitæ ſuperant omne auari ſtudium & conatum vt ab eo ſe rapi prædariq; non ſinant, ſed potiùs eũ prædentur, aliorumque rapinæ & prædæ exponant. Verè Apuleius in Floridis lib. 1. *Cùm nubeum tenus*, inquit, *ſeſe aquila extulit, nutu elementi læuorſum vel dextrorſum tanta mole corporis labitur, velificatas alas, quò libitum, aduertens modico caudæ gubernaculo, inde cuncta deſpiciens: ibidem pennarum eminus indefeſſo remigio, ac paulisper contabundo volatu penè eodem loco pendula circumtuetur, & quærit, quorſum potiſſimum in prædam ſupernè ſeſe ruat fulminis vice.*

Opes ſunt aquilæ. Primò.

Secundò.

Secundò, aquilę volãt celerrimè, ac cùm in terra pabulum ceperint, ilicò in cælum auolant: ſic & opes, præſertim impoſſibiles & illicitæ, & vbi exiguam ſui potiundi ſpem oſtenderint, eaq; inaniter auarum & ſtolidum lactarint, ilicò auolant. Aquila, ait Aldrouandus, fortiſſima & perniciociſſima, pénas habet firmitate ac duritie inſigni: ſola inter aues rectà vià, nõn obliquè, vt ceteræ aues, fertur ſurſum. Hinc ſub pedibus fert fulmen, quaſi Iouis auis: nam *fulmina ſub Ioue ſunt* : fulmen autem eius volatus celeritatem, vim impetumque notat. Sicut ergo nulla auis audet inuadere aquilam, ſed ipſa ceteras inuadit & ſternit : ſic vir prudens non perſequitur opes quæ ſuam ſortem & induſtriam ſuperant, ne modicas quas habet fruſtra inſumat

inſumat & prodigat; ſed eas quæ ſibi commenſæ A ſunt, quaſque ſuâ induſtriâ & labore aſſequi poteſt. quare ſicut ſtolidus eſſet falco, vel accipiter, ſi proſequeretur aquilam, quia ab aquila ſterneretur & necaretur: ſic ſtolidi ſunt, qui opes ſuas fortunā tranſſcendentes ſectantur; quia non tantùm illas non aſſequuntur, ſed & proprias perdunt dum minores maioribus in prædam cedunt, vti experientia conſtat.

Tertiò, aquilæ volant altiſſimè: ſic & opes omnem oculorum auari aciem cogitationemque eludunt & effugiunt. Aquila, inquit Aldrouandus, magnas habet alas, Ezech. 17. 3. & 7. altè volat, iuxta illud Poëtæ,

Illa etiam ſublimè volans cæloq; propinquans,

velut cælipeta, atque ardentes ſolis radios fixè intuetur, nidum in ſublimi petra reponit, ne callidus raptor propè quandoque accedat. Rurſum aquila, quia ſicca & calida, ingenioſa eſt, ſagax, ſolers, a- B ſtuta. Hinc à Poëtis dicitur Iouis ales. Iouem comitari vt pauo Iunonem; Ioui nectar afferre, imò Iouem ferre. Hac de cauſa nonnulli olim aquilæ diuinos honores deferebant, tamquam ſub eius ſpecie Iouem venerantes. Vnde Martial. l. 5. Epigram.

Dic mihi quem portes volucrum regina? Tonantem.
Nulla manu quare fulmina geſtat? amat.

Hinc Iupiter ei dediſſe dicitur dominium auium, vt earum ſit rex vel regina: hinc & aquila biceps inſigne eſt Imperij, & imperatoris vniuerſi. Quocirca Pyrrhus rex à militibus acclamatus aquila: *Aquila*, inquit, *ſum, qui veſtris armis quaſi pennis ſublenor.* Sic prorſus opes impoſſibiles & illicitæ altiſſimè ab auaro auolant, velut aquilæ ab aucupe. C

Quartò pennæ aquilæ mixtæ pennis anſerum, aliarumque auium eas exterunt, areſaciunt & conſumunt: ſic & opes iniquè & malè partæ reliquas æquas iuſteque partas deuorant & abſumunt. Id de pennis aquilæ docet Plinius libr. 10. cap. 3. Albertus Magnus, Aldrouandus, Geſnerus in aquila. Quocirca Ægyptij pernicioſam potentiam per aquilarum pennas deſignabant. Audi Pierium hierogl. 19. c. 11. ſacerdotes Ægyptij potentiam cuiuſpiam, quæ ſociis & amicis omnibus pernicioſa eſſet, per aquilæ pennas ſignificabant. Huiuſmodi ſiquidem ea vis eſt, vt aliarum auium plumas ſi commiſceantur, interterere, & quodammodo deuorare videantur, quod & in tergoribus pantheræ atque hyænæ identidem fieri compertum eſt; pantherinum quippe tergus hyænæ cedere ſuo loco diximus. Eamdem inter iuglandem & quercum antipathiam eſſe ſcribit Plinius, tanto quidem naturæ diſſidio, vt, ſi quercus iuxta nucem iuglandē ſata ſit, prorſus emoriatur. Eſt & illud huic miraculo perquam ſimile, quod de cardamo fertur. Olus id apud Perſas vſitatiſſimum, cuius natura eſt humorem omnem terræ ad ſe ita attrahere, vt reliquæ circumpullulantes herbæ cogantur areſcere, de quo prouerbium eſt apud Ariſtophanem. Id alio vocabulo ſcaphon vocant, iberis eſt Dioſcoridi, Ægyptiis ſemeth, naſturtium Romanis. Cauſam verò ſuper aquilæ pennis philoſophi commentantur quòd, cùm auis ipſa ſit omnibus aliis infenſa, deriuetur vis ipſa animalis in res quoq; eius inanimes per ſympathię contagionem. Alij peſtiferam maleolentiæ vim quamdam ineſſe aliti deprehendère, propter quam tacta ab ea facilè computreſcant: indicio eſſe reliquias eius heſternas neque ab ea ipſa, neque ab alio quopiam animalium repeti. Permeare verò contagionem eam etiam in pennas, quæ alienas iuxta ſe poſitas adurere propemodum pro comperto traduntur. Ita eius qui rerum ſummā potiatur, maieſtas fulgore ſuo reliquos obſcurat, & veluti micantiſſimum ſolis iubar vbi exortum fuerit, lucem omnibus ſtellis intercipit. Obiiciunt alij hoc in multorum principum tyrannidem & rapacitatem, quibus non ſine rerum tuarum iactura poſſis adhæreſcere: quomodocumque autem quiſpiam acceperit, naturā hoc comparatum, vt debiliora à validioribus abſumantur. hæc Pierius. eadem ad verbum habet Aldrouandus in Aquila.

Pennæ aquilæ alias deuorant.

Ratio phyſica

Denique Septuag. Chald. & Syrus hūc verſum præcedenti nectunt, vt omnia à v. 1. hucuſque ſignificent vitanda eſſe conuiuia & conſortia principum & diuitum. Igitur τό *in eo* vel *in illum*, quod eſt in Hebræo, referunt ad diuitem vel principem: ſic enim habent Septuag. *ſi intenderis oculos in eum* (principem, vel diuitem) *nuſquam apparebit: paratæ enim ſunt ei alæ, & reuertitur in domum præſidis* vel *præfecti ſui*: q. d. Si ſpes tuas defigas in potente vel diuite, falleris: nā ipſe vbi maximè eo opus habebis, ſe ſubducet, & te relicto ad ſuos, v. g. ad ſuum præſidē, vel præfectū ſe recipiet. Aut per præſidem accipe Deum, qui omnibus potentibus dominatur & præſidet, q. d. Noli ſperare in potente, quia breui morietur, nec apparebit: vita enim animaq; hominum præſertim potentum alata eſt, & citò auolat ad vitæ mortiſque præſidem Deum, vt ea velut iudici ſiſtatur, pro meritis vel cælo, vel gehennæ adiudicanda. Huc facit illud Eccl. 10. 11. *Omnis potentatus vita breuis.* Porrò S. Hieron. in c. 17. Ezech. & Septuag. ſic legit, *In bonam*, inquit, *partem de aquila dicitur, quòd iuſtus diues effectus faciat ſibi alas ſicut aquilæ, vt poſſit reuerti in domū præceſſoris ſui. Et in Iſaia c. 40 ſcriptum eſt, quòd iuſti pennas aſſerant ſicut aquilæ, current, & non laſſentur, ambulent, & non eſurient.* Similia habet in c. 1. Sophoniæ, vbi tamen pro *præceſſoris* minùs rectè legitur *præceptoris*.

Chald. ſic habet, *ſi alligaueris oculos tuos in eum*, (diuitem, qui præceſſit) *non comparebit tibi, quoniam faciens faciet ſibi alas, ſicut aquila quæ volat in cælum*, q. d. Si ſpem tuam alliges diuiti, ille vbi te ad miſeriam redactum viderit, velut humi afflictum deſpiciet, ac celſitudinem ſuam repetens ad ſuos diuites auolabit: ſicut aquila vbi in terram ſe demiſit, modicè ibi conſiſtens eſcamque ſumens, eā ſumptā illicò in cælum reuolat. D

Anagog. Beda: *Ne erigas*, ait, *mentem ad perſcrutāda diuinitatis arcana, quæ penetrare non potes: hæc enim cæleſtibus ſ. llum auibus patent*, putà angelis & Beatis: hi enim ſunt aquilæ, quæ ſuis meritis velut alis in cælum euolarunt, iuxta illud Iob. 39. *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?* Vbi S. Gregor. lib. 9. Moral. c. 16. per aquilam accipit Sanctos, eorumque ſublimitatem & contemplationem. Idem per vmbram vidère priſci Romani, qui in ſuorum Imperatorum apotheoſi, ex pyra, in qua comburebant eorum cadauera, emittebant aquilam; quaſi illa animam Imperatorum volando ſurſum ferret in cælum, teſte Herodiano lib. 4. vnde Dionyſ. libr. 56. Aquila, ait, animam Auguſti in pyra extulit in cælum.

Aquilæ ſunt Sancti.

Tropolog. ne aſpires ad officia & virtutes tuo ſtatu & gradu celſiores: hæ enim auolabunt à te,

Tropolog.

v. g.

A v.g. pauper es, noli nimis eſſe liberalis in erogando, ne te depauperes, & nihil amplius erogare queas: eſto liberalis affectu, vbi nequis effectu: vocatus es ad ſortem Marthæ, noli aſpirare ad ſortẽ Magdalenæ: opifex vel agricola es, noli aſpirare ad ſtatum nobilis vel doctoris: Grammaticus aut Rhetor es, noli te venditare aut præponere Philoſopho, vel Theologo: Religioſus es, noli affectare paſtoratum vel epiſcopatum: ſubditus es, noli ambire rectoratum: honor enim velut aquila fugit ſequentes, ſequitur fugientes.

Apologus cameli.

Huc facit apologus cameli apud Feſtum Auienum fabul. 8. & alios. *Camelus enim ſui pœnitens, querebatur tauros inſignes ire geminis cornibus, ſe inermem obiectum ceteris animalibus: orat Iouem ſibi donari cornua. Ridet Iupiter ſtultitiam cameli, nec modò votum* B *negat, verùm auriculas belluæ decurtat.* Affabulatio: *Sit quiſque fortunâ contentus ſuâ, etenim multi fortunã meliorem ſitienti, incurrêre peiorem.* Sic qui ſectantur opes nimias vel illicitas, perdunt modicas & proprias. Camelus enim mercibus onuſtus, diuitiis & diuitiarum eſt ſymbolum; vnde illud Chriſti: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*, Mat. 19. 24. Et ſicut camelus non poteſt ſequi aquilas, ſic nec auarus opes immodicas. Vnde Ægyptij, inquit Horus Apollo l. 2. c. 100. hominem tardum & ſegnem repræſentarunt per camelum. *Hic enim ſolus ex omnibus animantibus crus inter eundum inflectit, vnde & appellationem nactus eſt, cùm græcè κάμηλος quaſi κάμηρος, à crurum inflexione dictus videatur.* Sapienter Ouidius 4. Triſt.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
C *Fortunam debet quiſque manere ſuam.*

Exemplum

Memorabile eſt exemplum in Vitis Patrum de Ioanne Paruo. Hic enim cùm relicto ſocio Anachoreta, ſolus viuere vellet ſine cibo labore ſuo parto, in iugi contemplatione inſtar angeli, poſt paucos dies famere & egere cœpit: vnde noctu rediens ad ſocium, pulſando oſtium ab eo audiuit: *Ioannes cibo non eget, quia factus eſt angelus*, quare totam noctem ſub dio in fame & frigore peregit: mane à ſocio intromiſſus & increpitus, reſipuit didicitq́; laborare, & labore ſibi cibum parare. Extat de eo elegans carmen Fulberti Carnotenſis in fine Epiſtolarum, cuius hæc eſt clauſula: *Cùm angelus eſſe non potuit, vir bonus eſſe didicit.* Qui ergo nequit eſſe Anachoreta, ſit bonus cœnobita; qui nequit eſſe cœnobita, bonus ſit clericus; qui nequit eſſe clericus, bonus ſit laicus; multi enim in D coniugio ſaluantur, qui in clericatu & cælibatu damnarentur.

Gnome.

Prudenter Plato in Phædone: *Nulli homini*, ait, *fas eſt diſcedere ab eo munere, quod ei Deus imperauit.* Et Ptolomæus in præfatione Almageſti: *Inſipiens eſt*, inquit, *qui ſui ignorat quantitatem. Qui ſcientiam ſuã vltra aſtutiam, quæ in ipſo eſt, extendit, eſt ſicut paſtor debilis cum multis ouibus quas paſcere & regere nequit.* Diuinè Eccleſiaſt. c. 3. 22. *Altiora te*, inquit, *ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*

Rurſum tropolog. ſic exponas, q.d. Cùm oculi carnis & concupiſcentiæ auolant ad ſuas cupidines, quas licitè habere non potes; tu ab iis mente ad Deum & cælum inſtar aquilæ auola. Vnde B. Gregor. Nazianz. Iambico 3. ad Seleucum ſic canit:

Statim atque vitium noueris, celer auola:
Dilentis volatu nil enim perniciùs.

NE COMEDAS CVM HOMINE INVIDO, ET NE DESIDERES CIBOS EIVS: QVONIAM IN SIMILITVDINEM ARIOLI ET CONIECTORIS, ÆSTIMAT QVOD IGNORAT. COMEDE ET BIBE DICET TIBI: ET MENS EIVS NON EST TECVM. CIBOS QVOS COMEDERAS, EVOMES: ET PERDES PVLCHROS SERMONES TVOS] Vers. 6. Vers. 7. Vers. 8.

Hebr. *ne comedas panẽ mali oculi & ne concupiſcas epulas eius, quoniã ſicut æſtimauit in anima ſua, ſic ipſe*, ſcilicet iudicat & loquitur: vel *ſic ipſum*, ſcilicet eſſe cenſet & iudicat, q.d. Quod ipſe imaginatur & phantaſiâ ſuâ concipit, hoc cenſet reipſa ita eſſe vel fore, qua in re ſæpè errat & fallitur. Melancholici enim, inuidi & ſimiles qui corruptã habent phantaſiã, multa triſtia, ſuſpicioſa, exotica, peregrina, horrida, timida & anxia ſibi fingunt & imaginantur, quæ à parte rei non exiſtunt, ſed tantùm in falſa eorũ imaginatione. Vnde hydrophobis & vertiginoſis, quibus omnia gyrari videntur, dicimus: *Ne metuas, domus non gyrat, ſed cerebrum tuum gyrat: gyrus non eſt in re, ſed in phantaſia tua.* Quocirca Noſter aptè clareq; vertit, *quoniam in ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat quod ignorat.* Heb. eſt שָׁעַר *ſcaar* quod per ש & שׂ emulta ſignificat: Primò, cogitare, æſtimare, coniectare: Secundò, horrere & horripilare; Tertiò, ſpectrum, vel quid terrificum & horrendum; Quartò portã; Quintò, menſuram & menſurare, q.d. Auarus & ſordidus præſcribit in menſa exiguam mẽſuram, quam ſi quis edendo vel bibendo excedat, ægrè fert etiamſi exteriùs dicat: Comede, bibe. Aut q.d. Auarus menſurat ac munerat id quod quiſque edit aut bibit; imò quaſi ſingulos bolos conputat: ita Iſidor. Clarius.

Hinc varietas mira verſionum. Caiet. enim vertit, *quia ſicut amaritudo in anima eius, ſic ipſe*, id eſt, inquit, *ſicut amaritudo occultatur, ſic occultat ipſe. Sic tibi*; Tigur. *nam intus in animo ſuo mentitur, idq́; faciens dicit tibi. Ede & bibe: cor autem eius non eſt tecum*, Vatabl. *quia quemadmodum cogitat in anima ſua*, id eſt, *animo ſuo, ita res habet*: nimirũ *Comede & bibe, dicit tibi: cor illius non eſt tecum*; Chald. *ne comedas cum eo qui habet oculum nequam, quoniam ſicut porta erigitur, ſic eleuatur in anima ſua*, Septuag. *ne cœnes cum viro inuido, neque concupiſcas illius eſcas: ſicut enim ſi quis deglutiat pilum, ſic comedit & bibit*; Symmach. *ſicut coniectans in animo ſuo, ſic comedit & bibit*; Syrus, *ne veſcaris cum homine guloſo, quia ſicut vir deglutit picem, ſic manducas & bibis cum eo, & cor eius non eſt tecum*: Aben Ezra, *velut vir qui animo deſtinet ſua verſetq́; cogitationem de te, ita alloquendo, Comede & bibe, ita ſe geret ille*; alij. *ſicut ſpectrum fuit in anima, ita ipſe eſt: dicit, Comede, &c.*

Panis *mali oculo*, eſt panis auari, ideoque ſordidi, inuidi & maligni, qui ſcilicet malignis oculis te hilariter comedentem intuetur: veretur enim ne nimis multa conſumas, eumque ſua annona priues & quaſi depauperes. Ita Aben Ezra, R. Leui, & R. Salomon, qui ſic explicat: Auaro graue eſt & acerbum ſi cibis illius veſcaris, perinde ac ſi eiuſdem ori amariſſimum fel inſtillares: vox enim *ſcaar* ſignificat ficus præcoces amaras, Jerem. 29. 17. hæc ille. Syrus per *malum oculo* accipit guloſum: hic enim malignè aſpicit cibos, vtpote quos guloſè vorare, perdere & prodigere cogitet. Alij per *malum oculo* accipiunt doloſum & malitioſum, qui noxia tibi molitur, ac, ſi poſſit, cibos veneno inficiet, vt te perimat. Vnde Chald. vertit, *cor eius doloſum eſt apud te.* Hinc Caiet. per *malum oculo* accipit

Panis mali oculo quid.

pit eum, qui bene dicta vel facta malè interpretatur, & in malum conuertit. Plures aptiùs ex Sept. & Chaldęo per *malum oculo* accipiunt inuidū, qui inuidet felicitati aliorū, iuxta illud Chriſti: *An oculus tuus nequam* (id eſt inuidus) *eſt, quia ego bonus ſum?* Matth. 20. 15. Sic ſenſus erit, q.d. Ne comedas cū eo qui tibi inuidet, quia licet amicum ſe ſimulet, teq; inuitet, dicendo Comede & bibe; tamen quia in corde te odit; hinc ficta & periculoſa eſt eius inuitatio. Periculū enim eſt, ne cibum vel potum veneno inficiat, eoque te interficiat, aut ne cibo potuq; te obruat in tuū dedecus & perniciem, vt ſc. ſecreta tua prodas, vel aliquid liberiùs aut incōcinniùs dicas vel facias, quo tibi noxā & probrū crees.

Vnde myſticè per inuidum nonnulli accipiunt diabolum, noſtræ ſaluti inuidentem, qui etſi fauere nobis videatur, dum ad mundi voluptates nos inuitat; animo tamē eſt à noſtra felicitate alieno: proinde monemur nō deſiderare ex cibis eius, hoc eſt ex voluptatibus huius mundi, ad quas pertrahit: quod ſi fecerimus, euomendū aliquando erit quod ſumpſimus, ſiue nunc per pœnitentiam, ſiue poſtea per pœnam, quando dabit quiſque tantum pœnarum, quantum ſe delicijs intemperatè immerſerit.

Verùm germaniùs alij paſſim per *malum oculo* accipiunt auarum: hic enim oculo malo, id eſt ægro, triſti, & inuido, aſpicit largiùs epulantes, eorumq; epulatione torquetur, quòd ſua liberaliùs videat comedi & conſumi: ſic enim Siracides Salomonē de more ſecutus, auarum vocat liuidum, id eſt inuidum, eique tribuit oculum nequam & malum c. 14. 8. *Nequā*, inquit, *eſt oculus liuidi*, &c. *Oculus malus ad mala, & non ſatiabitur pane, ſed indigens & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam.* Vide ibi dicta.

Senſus ergo eſt. q.d. Ne comedas cum homine auaro & ſordido, ideoq; refectioni tuę inuido, qui ſcilicet tibi ceteriſque conuiuis epulationem & hilaritatem dolendo inuidet; *Quoniam in ſimilitudinē coniectoris & arioli æſtimat quod ignorat.* Quemadmodū enim illi frequenter ſibi perſuadent quod non eſt, & quod ignorāt; ita & auarus. Putat enim alios eiuſdem eſſe ingenij, cuius eſt ipſe, cùm ex ſe alios metiatur, vt, quemadmodum ipſe nō ex animo fauet conuiuis menſam, etiamſi verbis contrariū ſimulet: ita etiā conuiuas putet non ex animo loqui iucunda & amica verba, quę cū eo proferunt. Vnde ſubditur: *Comede & bibe, dicet tibi; & mens eius non eſt tecum*, hoc eſt, animo tibi nō fauet quod offert. Et ſequitur: *Cibos quos comederas euomes, & perdes pulchros ſermones tuos*, hoc eſt, inſuaues tibi erunt apud ſordidū epulę: ac vbi illius ſordes aduerteris, diſplicebit tibi illius mēſa, adeò vt velis te euomere poſſe cibos comeſtos, & peribit tibi omnis ſermonis & cōfabulationis elegantia, quæ ſolet in cōuiuijs adhiberi, quia non commouet auarum ad animi iucunditatem. Nihil proderit tibi quidquid pulchrū in cōuiuio apud eum locutus es, vel laudando eius dapes, vel agendo ei gratias, aut denique quidquid pro more in menſa locutus es. ita Ianſen. & alij.

Eſt metalepſis. q.d. Nil tibi conferet auari cibus, licet delicatus, nec iucunda pulchraq; ſuper menſam colloquia: quia vbi animaduertes eius auaram inuidamq; hypocriſin dolebis te ei conuiuā fuiſſe, optabiſq; te nunquā cum eo cibum ſumpſiſſe, ſed potiùs omnē quē cū eo ſumpſiſti, poſſe euomere.

Aliter *euomes* explicat Vatabl. q.d. Auarus & inuidus adeò inſuſas, ſordidas & immundas tibi apponet epulas, vt nauſeam & vomitum tibi moueat.

Noſter Salazar appoſitè per pulchros ſermones accipit problemata, ænigmata & gryphos, qui olim in conuiuijs à ſapientibus ſibi inuicē proponi ſolebāt. q.d. Si auaro & inuido difficile, aliquod problema, ænigma aut gryphum inter epulas obieceris (quę eſt illius malitia, & veteratoria calliditas) eius ſenſum, arioli in morē, ſe diuinare ſignificabit: & licet illud nō aſſequatur, tamen illū ſe penitus calluiſſe ſimulabit, atq; adeò cōtemnet & pro nihilo habebit; quare *cibos quos comederas euomes*, ex faſtidio ſcilicet reſpues, ac malles impranſus manere. Aut, q.d. *Dicet tibi, Comede & bibe*, id eſt, vrgebit te vt cibo vinoq; te infarcias, non ex beneuolentia, ſed ex inuidia, vt ſcilicet tibi per ebrietatem & crapulam mentem ſenſumq; eripiat, teq; omnibus deridendum proponat, cùm natura vrgēte cogēris crapulā euomere; itaq; perdes pulchros ſermones, quos dixiſſes ſi ſobrius fuiſſes: nā ebrius exiſtēs nō niſi deformes, inconcinnos & inſulſos loqueris. Sūma, conuiuium hoc inuidi nil tibi voluptatis & honoris, ſed plurimum doloris & dedecoris afferet.

Nota Ariolus vel hariolus eſt diuinus, qui de futuris cōiectat & diuinat (hoc enim eſt שׂער *ſaar*) ita dictus. ait Donatus, *quaſi fariolus, à fatis, vel à fando H enim pro F, & F pro H in multis locis omnibus mutabātur. An ab halādo? nā halitu ſolēt excludere velut mortalē animam, vt diuinam recipiant, vnde & vocem eiuſmodi dabāt quę eſt OE quòd OE ſonus exhalādi vim præſtet.* hæc Donatus. Significat ergo, quòd ſicut hariolus & cōiector coniectāt ea quę ignorāt, prout ipſi imaginātur; ac proinde eorū coniectatio ſępè falſa, ſemper anceps eſt & dubia. Vnde illud vetus. *Ridet haruſpex, dum videt haruſpicem*: ridet nimirum hominum ſtultitiam, quòd ſibi ex aris & inteſtinis auium vel victimarum diuinanti, quaſi Prophetæ veridico crederent; cùm omnis eius diuinatio mera eſſet coniectura & impoſtura; ſic pariter auarus & inuidus iudicant & coniectāt ea quę ignorant, imò ea quę non ſunt, nec erunt, ſed quę ipſi imaginantur, quæq; ipſis auaritia, melancholia & inuidia ſuggerit, ſcilicet te nimis liberaliter comedere, epulas omnes diſcindere, ſingula conuiuis diſtribuere, eoſq; ad bibendum inuitare, ac proinde ſe magnam ciborum & opum iacturam facturum, téque illud intendere, vt ſcilicet eius auaritiam rideas & calces: talem enim te æſtimat, qualis ipſe eſt ſcilicet fictum, auarum, inuidum, quæ omnia meræ ſuſpiciones ſunt, & ſæpè falſæ.

Hariolus quaſi fariolus, à fando

Sapienter Elias Cretenſis in orat. 1. Nazianz. *Sicut*, inquit, *ad ſiniſtri aliquid ſuſpicandum ſegnis eſt, qui à vitio liber eſt: ſic contrà ad ſuſpicionem procliuis eſſe ſolet, qui ſe vitio addixit*; prętertim eidem, de quo proximū tacitè vel apertè inſimulat, vti docet experientia, & Caſſianus, ceteriq; rerum ſpiritualium magiſtri. Vitium enim, quod temerè alteri imputas, in teipſo habes: ex te enim metiris alios, & tuum vitium ceteris commune eſſe putas, quę omnia merę ſuſpiciones ſūt & ſępè falſę. Verè S. Eucherius epiſt. ad Valerianum, *Si vis eſſe verax*, inquit, *ſuſpicax non eris; non enim ſuſpicamur niſi quæ neſcimus.* Et Nazianz. orat. 8. *Non facilè is malum de alio ſuſpicatur, qui non facilè ad malum impellitur*; quaſi dicat. Probi minimè ſuſpicaces eſſe ſolent, ſed improbi. Sept. Hebr. legerunt שׂער *ſaar*, per ש ideòq; vertunt pilum: *Sicut enim*, inquiunt, *ſi quis deglutiat pilum, ſic comedis & bibis*; de quo mox plura. Syrus vertit, *ſicut vir deglutit picem; ſic manducas & bibis cum eo.* q.d. Sicut pix comeſta non reficit, ſed fauces conglutinat, obſtruit, ſtrangulat & enecat; ſic cibus auari & inuidi te non reficiet, ſed inſtar picis te torquebis,

bit, cruciabit & ſtrangulabit. Ita Daniel ca. 14. 26. draconē Babyloniorum maſſa ex pice & pilis in os eius iniecta ſuffocauit, vt creparet. Vide ibi dicta. Chaldæus Hebr. שער *ſcaar*, vertit *portam*: *Sicut porta erigitur*, inquit, *ſic eleuatur in anima ſua*. Quod R. Leui exponit, q. d. Sicut porta aſſiduè patet, vt per eam homines egrediantur & ingrediantur: ſic os auari & improbi multa falſa proloquitur, quæ poſtea eum falſi cōuictum reuocare & retractare neceſſum eſt. Alij verò ſic explicāt: Suadet Salomon, inquiunt, ne quis cū viro malitioſo aut captioſo cōmercium ineat, vt dolos eius vitare poſſit: nam ſimilis eſt portæ alicui ex his quæ leuari aut demitti ſolent, quę primò quidem patet, & occurrentes ſibi benignè excipit: deinde verò eoſdem ſubitò includit ac tenet. Et quidem cùm in loco iſto de ænigmatibus aut gryphis, qui inter epulas iactari ſolebant, ſermo ſit, non ineptè quadrat hęc leuatæ portæ ſimilitudo in eum, qui eo animo in conuiuijs ęnigmata & gryphos rogat, vt auditores captioſè teneat & includat ne euadere poſſint.

Verùm *Tò erigitur & eleuatur*, ſignificat hæc à Chaldęo dici de ſuperbo & inuido, qui ſcilicet inuidet alienæ ſapientiæ & laudi ex ſuperbia, quâ ipſe ijſdem antecellere alijs ſatagit. q. d. Ne comedas cum ſuperbo & inuido, quia eſto ſimulet ſe tibi comem & æqualem: tamen ſenſim eriget ſe ſupra te, tuaque dicta & facta deprimet, & deſpiciet, vt ipſe ſupra te emineat; ſicut porta eminùs ad illam pergenti videtur ipſi æqualis, at quo propiùs ad illam accedit, eo magis limen eius ſupremum attolli videtur, vt longè ſupra caput eius eleuatum & excelſum appareat.

Porrò Septuag. hanc gnomen accipiunt quaſi Salomon conſulat, nō tam ne quis inuitatus ab inuido ad conuiuiū illud adeat, quàm ne quis inuidum inuitet: hic enim inuitantis epulas, menſam & honorem dedecorare & perdere ſataget. Vnde Syrus Septuag. de more exponens, inuidum vocat guloſum, vnde ſic vertunt, *ne cœnes cum viro inuido, &c. neque enim ſecùs cibū & potum ingerit, quàm ſi quis pilum* (auctor Catenæ Græcor. habet *filum*) *abſorbeat*. q. d. Helluatur & veluti helluo epulas & vina tranſglutit, perinde ac ſi omnia eſſent inſtar exilis vnius pili vel fili. Aut per pilum ſignificat noxā & venenum: pili enim cibis ingeſti fauces oppilant & ſuffocant. *Vidimus*, inquit Adagiographus, *aliquem lacte pilo ebibito ſtrangulatum*. Vnde Syrus pro *pilo* vertit *picem*, quam certum eſt comedentes ſuffocare & ſtrangulare. Pergunt Sept. *ne ergo adducas eum ad te, vt comedas buccellam cum eo: euomet enim illam, & contaminabit ſermones tuos*; quia ſcilicet præ helluatione vomet, atque ad ſermones tuos æquè ac ad cibos nauſeabit, oſtendetq; eos ſibi diſplicere, ſeq; eos parui pendere & faſtidire. Ita auctor Catenæ Gręcor. Loci huius ſcopus, inquit, huc tēdit, Ne facilè hominem inuidum ad menſam tuā admittas: nam cùm ingratus ſit, nullam dapibus tuis habiturus eſt gratiam ſed nec priùs quoq; ingerere & belluare deſiſtet, quàm ingeſta per vomitū abiecerit: hoc eſt, perinde ſeſe geret ac ſi per vomitū euacuaſſet, aut pilum deglutiſſet, neq; vllum illarū ſenſum capiet, ſed pro nihilo ducet. Sublimiori autem ſenſu per inuidum, illiberalis abiectiq; animi hominem ſignificat, qui Scripturam diuinam aſpernatur, eiuſdemque maieſtatem contemptui ducit. Ne tali ergo, ait, myſticos Scripturæ ſenſus aperias; per pili autem exemplum aliter docētium doctrinam inſinuat, vt quę venenum ſuggerat ve-

A riùs quàm alimentum. Hæc ille.

Myſticè quoque Beda hanc gnomen accipit de hęreticis: *Ne comedas*, inquit, *cum homine inuido & ne deſideres cibos eius, &c. De Scripturis cum hæretico non loquaris, qui inuidet humanæ ſaluti, & mallet decipere quam corrigi. Quoniam ſicut ariolus & coniector ſomniorum æſtimat quod ignorat: ita hæreticus quæ non intelligit in Scripturis, prout libet interpretari præſumit, Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non eſt tecum: Securus, inquit, diſce quæ dico, & age quæ doceo, cùm in his quæ docet ipſe fidem certam non habeat, ſciens ſe finxiſſe quæ docet. Cibos quos comederas euomes, & perdes pulchros, &c. Senſus peruerſos quos ab hæreticis didiceras, neceſſe eſt vt vel per pœnitentiā corrigendos deſeras, vel poſt mortem pro his pœnas luere cogaris, perdaſq; ſermones confeſſionis, quibus eis prædicantibus humiliter fauendum eſſe putaueras.*

B IN AVRIBVS INSIPIENTIVM (Syrus, *coram inſipiente*) NE LOQVARIS: QVIA DESPICIENT DOCTRINAM TVAM] Hebr. *quia ſpernent intellectum verborum tuorum*; Sept. *in auribus imprudentis noli quidquam dicere, ne fortè irrideat ſapientes* (S. Cypr. lib. 3. Teſtim. legit, *ſenſatos*) *ſermones tuos*. *Inſipientem* hic intellige in actu perfecto, qui ſcilicet in ſua inſipientia, id eſt imprudentia & vitijs obduratus, indocilis & incorrigibilis eſt: nam alioqui ſapientis eſt docere inſipientes qui diſcere volunt, vt fiant ſapientes & virtute præditi. *To in auribus* idem eſt quod *audiente ſtulto*, vt vertit Vatabl. Notat tamen quid amplius, nimirum res ſecretas, altas & ſublimes (has enim in aurem dicere ſolemus) vt myſteria arcana fidei noſtræ non eſſe committenda inſipienti, qui eas non capit, ideoque ridet & deſpi- Vers. 9.

C cit. Vnde auctor Catenæ Gręcor. ſic vertit, ſicque explicat: Inſipientis auribus nihil quidquam ſecretò committas: ne fortè prudentes ſermones tuos derideat. Hic illud Chriſti Seruatoris inſinuatur ſimul & declaratur? *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus.* Matth. 7.

NE ATTINGAS PARVVLORVM TERMINOS, ET AGRVM PVPILLORVM NE INTROEAS: PROPINQVVS ENIM ILLORVM FORTIS EST: ET IPSE IVDICABIT CONTRA TE CAVSAM ILLORVM] Hebr. *ne loco moueas terminos ſæculi*, id eſt ab antiquo, vel ab olim longo tempore poſitos. ita Vatab. Chald. *ne mutes terminum qui à ſæculo eſt*; Septuag. *ne tranſponas terminos æternos, & in poſſeſſionē orphanorum ne ingrediaris.* Symmach. *μὴ μετακινήσῃς* (ſic enim corrigendū) id eſt, *ne tranſmoueas limi-* Vers. 10. Vers. 11.

D *tes ſæculi*. Pro *paruulorum* enim hebr. eſt עלם *olam*, id eſt ſæculi, id eſt ſæculares, priſcos & antiquos: Noſter legit עוללים *olelim*, id eſt paruulorum; vel עלם *elem*, id eſt pueri qui domi latet; idque congruentiùs reſpondet *τῷ pupillorum*, quod ſequitur. Sicut enim ca. 22. v. 28. vetuit transferri terminos agrorum quorumlibet: ita hìc vetat trāsferri limites agrorum paruulorum & pupillorum, eorumq; iura inuadi. Paruuli enim & pupilli, quia iudicio & robore carent ob tenerā ętatem, hinc ſubiacent vicinorum iniurijs. Eas ergo hic vetat Salomō q. d. Ne attingas, id eſt ne attingendo moueas & tranſferas, agrorum terminos, vt inuadas poſſeſſiones paruulorum, qui tibi reſiſtere nequeunt, eorumq; partē occupes: & agrum pupillorum ne introeas, vt eum occupes, aut viam in eo faciendo, vel aquęductum per eum deducendo, aliouè onere vel ſeruitute grauando tibi contra ius & fas obnoxium facias, cauſam ſubdit.

PRO-

Propinqvvs enim illorvm fortis est] Chald. *quia redemptor eorum fortis eſt, & iudicabit cauſam eorum contra te*; Aquila & Symmach. *vindex eorum fortis*; Hebr. *litigabit litē eorum tecum*, vel *contra te*. Pro *propinquus* hebr. eſt גאל *goël*, id eſt aſſertor, vindex, propinquus, conſanguineus, redemptor, qui ſcilicet olim apud Iudęos iure propinquitatis, vel in ſe deuoluebat cauſam propinqui lęſi aut interfecti, eiuſque ſanguinem & necem vindicabat, vt patet Num. 35. v. 12. 19. 21. 24. 25. 27. vel ſi de bonis conſanguinei agebatur, rem ab eo deuolutam & venditam ſolebat redimere, & ad ſe reuoluere, qualis erat frater, & eo deficiente patruus, ac poſt eū eius filij, putà patrueles defuncti, ac deinceps reliqui conſanguinei ordine quiſq; ſuo. Huius erat ducere fratris ſui ſine liberis defuncti vxorem, vt fratri mortuo ſemen ſuſcitaret, eiuſque nomine filiū procrearet, & nominaret: ſicut Boos duxit Ruth. c. 2. 20. & c. 4. v. 4. Hinc Sept. *goël* nūc vertunt *redemptor*, nunc *propinquus*, nunc *cognatus*, nunc *affinis*, nunc *liberator*.

Senſus ergo eſt, q. d. Ne inuadas agros vel bona paruulorum & pupillorum; quia licet parentum & propinquorum ope deſtituantur, vt tuam iniuriam repellere nequeant; tamen ſunt in cura & tutela Dei, qui fortis eſt, imò omnipotens: ipſe enim eſt eorum *goël*, id eſt propinquus, tutor, curator, & vindex, ac proinde cauſam eorum aget cōtra te, teque iniuſtitiæ & rapinæ condemnabit, & pro meritis puniet. Porrò Deus vocatur *goël*, id eſt propinquus vel cōſanguineus hominum, quia eos creauit, & quaſi genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt haberent animam ſpiritalem, rationalem, liberalem, immortalem, &c. ſibi ſimilem, Geneſ. 2. Sed propriè Deus dicitur *goël*, id eſt propinquus pauperum & pupillorum, quia eos vtpote ab omnibus derelictos ſibi aſciſcit, in ſuā curam recipit, & quaſi filios adoptat, vt præ cæteris peculiarem eorum habeat rationem & prouidentiam. Sicut enim pupillos in republ. ſibi arrogat magiſtratus & princeps, vt eorum tutor & curator ſit, ac eorum tutelam & curam fidiſſimis committat, qui nomine magiſtratus eos tueantur & curent: ſic prorſus eoſdem ſibi arrogat Deus qui eſt ſummus omnium princeps, iudex & vindex: Dei enim eſt complecti & curare eos, qui à cæteris negliguntur & deſeruntur, iuxta illud: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*, pſal. 9. 34. Pauperes ergo, præſertim voluntate & ſpiritu, ac pupilli ſunt quaſi filij prouidentiæ Dei; vnde Deus vocatur *Pater orphanorum & iudex viduarum*, pſal. 67. 6. Illorum ergo gloria hæc eſt, vt cum Pſalte dicere poſſint pſ. 32. 20. *Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor & protector noſter eſt: quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus*. Et ille viciſſim vnicuique eorum dicat, quod olim dixit Abrahæ, *Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis*, Geneſ. 15. 1.

Deus pupillorum propinquus: Cur

Sic in Vita S. Onuphrij, quam ſcripſit oculatus teſtis Paphnutius Abbas, legimus ipſum, ſimileſque Anachoretas à Deo traditos peculiari curæ angelorum, vtpote quos homines relinquentes, & ab hominibus derelictos, angelorum vitam æmulātes, par erat angelis ſingulariter eſſe curæ & cordi. Vnde narrat ibidem S. Onuphrius ſe ab angelo ductum in eremum, quotidie ab eodem panem & aquam accepiſſe, diebus autem Dominicis ſacram quoq; Euchariſtiam; quin & ab eodem non

S. Onuphrius & Anachoretæ curatores habebant angelos curi

A raro in cęlum fuiſſe raptum, vt Beatorū conſortio frueretur, atque hac ratione ſeptuaginta annos, in eremo nullo hominum viſo alacrē vixiſſe. *Cumque moreretur*, ait Paphnutius, *vocem angelorum multorum audiui laudantium Deum, ac æthera Angelicis cantibus reſonantia gaudium ineffabile aſtris intulerunt, per quæ cæleſtes exercitus animam militis inclyti cælis b intexerunt*.

Rurſum cùm Script. Deum vocat *goël*, inſinuat quòd Dei filius, putà Chriſtus, aſſumpturus ſit carnem noſtram, noſterque futurus cognatus, imò frater, proximus & redemptor; vt iure propinquitatis nos redimat, & in libertatem vindicet. Hinc paupertatem aſſumpſit: natus enim eſt in ſtabulo, vixit in hoſpitio, mortuus eſt nudus in patibulo, vt ſignificaret ſe peculiariter eſſe propinquum, affinem, tutorem & redemptorem miſerorum & pau-

B perum, iuxta illud Iſaiæ 59. 20. *Cùm venerit Sion redemptor (Hebr. goël) & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob*. Et ca. 61. v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me*, &c. *vt conſolarer omnes lugentes*. Et c. 41. 14. *Noli timere vermis Iacob: ego auxiliatus ſū tibi dicit Dominus, & redemptor tuus ſanctus Iſrael*. Et Iob cap. 19. 25. *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum meum*. Chriſtus ergo eſt iudex, tutor & vindex pauperum, qui proinde in die iudicij eos qui benefici fuerint in pauperes, quaſi ſuos propinquos & fratres, adiudicabit cælos: qui verò in eos fuerint auari vel malefici, condemnabit ad tartara, Matth. 25. cauſamque addit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Hinc idem Apoſtolos, qui paruulos a ſe arcebant, increpans ait: *Sinite paruulos venire ad me: talium enim eſt regnum cęlorum*, Matth. 19. 14.

C Chriſtus ergo eſt hominum, præſertim pauperum, pupillorum & miſerorum, *goël*, id eſt conſanguineus, propinquus, frater, tutor, curator, vindex, liberator, redemptor, actor, iudex & vindex. *Ipſe enim iudicabit contra te* (qui eos opprimis) *cauſam illorum*, tanquam eorum vindex tunſque iudex: Hebr. *ipſe enim litigabit litem eorum tecum*, vel *contra te*. q. d. Ipſe quaſi actor litem cauſamque pauperum contra te qui eos affligis, iudicio proſequetur, aget & peraget: teque reum oſtendet, conuincet & condemnabit. Quis ergo paruulos & pupillos, licèt mentis opiſque inopes tangere, quis inuadere audeat? vtique non alius niſi inſanus, qui Deum ipſum, qui pater eſt pauperum, tangere & inuadere audeat, qui cùm Deo inſtar gigantum contendere, eumque ad bellum, imò ad duellum prouocare pręſumat. Hinc de Chriſto vaticinatus

Chriſtus pauperum tutor.

D eſt Iſaias, vt refert S. Lucas cap. 4. 18. *Euangelizare pauperibus miſit me*, Et Dauid pſ. 71. 4. *Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem* & v. 12. *Liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor*.

Ingrediatvr ad doctrinam cor tvvm, et avris tva ad verba scientiæ] Hebr. *ingredi fac ad diſciplinam cor tuum, & aurem tuam ad verba ſcientiæ*; Chald. *introduc ad doctrinam cor tuum*; Vatabl. *accommoda ad eruditionem cor tuum*; Septuag. *da*, vel *dede in diſciplinam cor tuum, aures autem tuas adhibe ſermonibus ſenſus* vel *intelligētiæ*. Quod auctor Catenę Grecor. ſic exponit, q. d. Mancipa cor tuum ad vſum & habitum practicum, vbi autem virtutem practicam feliciter aſſecutus fueris, tum demum contemplatricem quo- Vers. 12.

que venare, q.d. Da te primò vitæ actiuæ, eáque perfecta, da te deinde vitæ contemplatiuæ.

Verùm hic ſenſus myſticus eſt & anagogicus. Conſtat enim ex ſæpè dictis *ſcientiam*, *doctrinam*, *intelligentiam*, *ſenſum*, *diſciplinam*, &c. hoc libro idē ſignificare, nimirum ſcientiam ethicam ſiue practicam, quæ in virtutum non arida ſpeculatione, ſed ardenti operatione conſiſtit. Huic ergo dedendum eſſe cor & aures monet hic Salomon: aures, vt eam audiant, auditæque obediant: cor: vt eam meditetur, ſapiat, amet & exerceat: ſic enim doctrina in mores influet, atque in ſenſus, manus, pedes, ceteráque membra ſe exſeret.

Verbum *ingrediatur* ſignificat Primò, ſtudiū & conatum adipiſcendi doctrinam, id eſt ſapientiam & virtutem, ob eius difficultatem, naturæ noſtræ corruptæ, & concupiſcentiæ repugnantem, q.d. Excita & impelle te magno conatu ad capeſſendam viā virtutis, quæ initio tibi erit ardua, at paulatim vſu ipſo fiet plana & facilis. Vnde Seneca li. 2. epiſt. 51. *Quēadmodum*, inquit, *virtutes receptę exire non poſſunt, faciliſq́, earumdem tutela eſt, ita initium ad illas ingrediendi arduum* (rationem attexit:) *quia hoc primum imbecillæ mentis atq; ægræ eſt formidare inexperta.* S. Ambroſius ad eandē virtutis difficultatem in alio ponit: *Cùm renuntiatur*, inquit, *improbitati, ſtatim aſciſcitur virtus. Egreſſus enim malitiæ, virtutis operatur ingreſſum: eodemq́, ſtudio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Hinc R. Salomon ſic vertit & exponit, *adduc cor tuum ad doctrinam*, id eſt ad locum, v.g. ad ſcholam, in qua ſapientiâ informeris.

Secundò, verbum *ingrediatur*, ſignificat ſubiectionem & attentionem: ſicut enim bos ſubdit inſeritque collum iugo, ſic ſtudioſus aures mentemque ſubdit inſeritque diſciplinæ, iuxta illud Eccli. 6. 25. *Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: ſubiice humerum tuum, & porta illam.* Præmium dat ibidem v. 30. quòd compedes hi erunt in baſes virtutis, & torques in ſtolam gloriæ.

Introit homo in virtutem, & virtus in hominem.

Tertiò, ſignificat arctum doctrinę complexum: ſicut enim forma ingreditur in materiam, & viciſſim materia in formam: atque ſicut ſigillum impreſſum cerę arctiſſimè illi cōiungitur, ita vt ſigillum ingrediatur in ceram, illiq; ſui imaginem imprimat, & viciſſim cera ingrediatur in ſculpturam ſigilli ad eius imaginem excipiendam, ſibique imprimendam: ſic doctrina ingreditur in aures & mentem diſcipuli dum eas erudit, ac viciſſim aures & mens diſcipuli ingreditur in doctrinam, dum eam haurit & ſibi imprimit.

Quartò, vox *ingrediatur* ſignificat doctrinæ, id eſt virtutis, capacitatem & amplitudinem, vt eam non tam capere, quàm ab ea capi, in eamque ingredi videamur. Nam ſicut lux magna & copioſa ingreditur in oculos, & viciſſim oculi in lucem: ſic pariter cognitio ingreditur in cognoſcentem, & viciſſim cognoſcens ingreditur in cognitionem, pręſertim practicam, dum eam ſibi accommodat, ac in mentem moreſque ſuos confert & transfert. Sic ſenſibile vehemēs ingreditur ſenſum (v.g. color viſum, ſonus auditum) ac viciſſim ſenſus ingreditur ſenſibile per vehementem ſenſationem. Sic amor Dei ingens & ardens eſt velut ingens rogus & caminus, qui non tam in amantes ingredi, quàm amātes circumfundere & complecti videtur. Talis eſt amor & gaudium Beatorum in cęlo, de quo proinde Chriſtus ait Matth. 25. 21. *Intra in gaudiū domini ſui*; quia hoc gaudium tantum, tamque vaſtum erit, vt in eo velut in oceano Beati natare, mergi & abſorberi videantur. Hinc illæ phraſes S. Pauli: *Induite nouum hominem*, Epheſ. 4. 24. *Induite viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem, modeſtiā, patientiam*, Coloſſ. 3. 12. Hę virtutes enim ſunt quaſi veſtes ſplendidæ & diuinæ, in quas ingreditur homo, iiſque ſe veſtit, circumdat & ornat.

Noli ſubtrahere a puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis.] Hebr. *ne prohibeas à puero correptionem*; Septuag. *ne deſtiteris paruulum emendare.* Nota. *Virga* propriè eſt ferula, & caſtigatio puerorū laſciuientium, à natura & Deo ad id facta & cōpoſita, ſicut frænum eſt equo & camus aſino. Vnde videmus pueros formidare virgas, & earum metu ſe ab omni petulantia cohibere, quin & literis diligentem nauare operam, à qua alias abhorrent, deniq; omnia quæ iubentur ſtrenuè peragere. Pueri enim cùm rationis & virtutis non ſint capaces, nec ſuas paſſiones continentiæ fręno cohibere queant, ſed inſtar beſtiolarum agantur ſuâ phantaſiâ & appetitu; hinc tam ille, quàm hic virga coërcendus & dirigendus eſt. Hinc *virga* ſymbolum eſt diſciplinæ, quæ laſciuiam iuuētutis caſtigat, & mores ad honeſtatem efformat. Quocirca virga Palladi, totius ſapientię deę ab Homero paſſim accommodatur. Vlyſſis quoque ſocij vno virgæ capite, putà falſa perſuaſione ac inſipientia, in brutorum ſpecies transformati, altero verò virgæ capite, putà vera diſciplina ac rerum peritia, in humanam reſtituti effigiem perhibentur. ita Pierius Hierogl. 15. c. 49.

Verſ. 13.

Verſ. 14.

Virga eſt frænum puerorum.

Veriùs & efficaciùs S. Benedictus, monachum vagum à dęmone vexatum virgâ percutiens, & diuagatione & dęmone liberauit; *ſicq́; antiquus hoſtis dominari non auſus eſt in eius cogitatione, ac ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere*, ait S. Gregor. lib. 2. Dialog. c. 4. Hac de cauſâ in Capitulis monachorum defectus virga caſtigantur: virga enim curantur, qui crebra admonitione non emendantur. Rurſum virga notat rectorem debere caſtigare errata ſubditorum, ſed moderatè. Audi S. Gregor. 2. parte Paſtor. c. 6. ſub finem: *Curandum quippe eſt, vt rectore ſubditis & matrē pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hac ſollicita circumſpectione prouidendum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa.* Et inferiùs: *Quod iuxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cū tabulis virga ſimul & manna eſt: quia cum Scripturæ ſacræ ſcientia in boni rectoris pectore ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait; Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt: virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ quæ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſtentet. Sit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expediat, parcens: vt, dum ſe in arce regiminis iuſtitia clementiaq́; permiſcet; is qui præeſt, corda ſubditorum & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reuerentiam demulcendo conſtringat.*

Tò non morietur tripliciter exponi poteſt, Primò, q.d. Si percuſſeris eum virga, liberabis eum morte tum corporis, tum animæ: vtramque enim incurret; ſi impunè ſibi ſuæque libertati & concupiſcentiæ permittatur. Notum eſt exemplum adoleſcentis, qui materna indulgentia, vt fit,

cor-

corruptus, cùm ob ſcelera duceretur ad ſupplicium, exclamauit: *Non prætor, ſed mater mea me duxit ad furcam.*

Secundò, q. d. Virgæ plaga non eſt lethifera, nõ occidet puerum; ſed modico doloris ſenſu carnem eius perſtringet, vt anima ſanetur, diſcatque ſuas cupidines frenare. Ictus virgę nõ eſt ictus pugionis aut gladij, qui interimit, ſed eſt ictus diſciplinæ & medicinæ, qui vitia curat. Vnde S. Greg. Nyſſen. homil. 12. in Cant. *Ergo videtur,* inquit, *vox percutiendi hoc loco notare immortalitatem, iuxta illud* Deuter. 32. 39. *Ego interficiã, & viuificabo, ego percutiam, & rurſum ipſe ſanabo: vnde & Dauid de hac virga oriri ait non vulnus, ſed conſolationẽ: Virga tua, inquit & baculus tuus, ipſa conſolata ſunt me.* pſal. 22. 4.

Seuera educatio facit robuſtos. Tertiò, q. d. Parentes nimis animantes filiorum verentur, quòd, ſi eos caſtigẽt frequentiùs, eorum membra debilitabunt, vt fiant inualidi, infirmi, citiùs moriantur. At errant: nam diſciplina & ſeuera educatio robuſtos efficit pueros, vt diu ſani vegetique viuant; mollis verò & indulgens educatio eoſdem facit flaccidos, debiles, infirmos, vt citò moriantur, vti experientia conſtat. Vnde Aben Ezra ſic exponit: *Non Morietur, id eſt illum liberabis, ne animus corporis ſimilem mortẽ oppetat; vel ſeruabis, ne immatura adhuc ætate diem ſuum obeat.* ita & R. Leui. *Exempla.* Sic aquila pullos alis flagellando, aduerſis Solis radijs exponendo, roſtro ad ſanguinem pungendo, excitat ad volandum, vegetoſq; ac validos efficit. Idem facit accipiter, vrſa, luſcinia, ceruа, & hirundo, vti ex S. Ambroſio docui Eccli. 30. v. 13. in fine. Idem S. Ambr. ſeueræ educationis filiorũ exemplum & ſpecimen dat alcyonem auem: *Meritò,* ait, *filios quos tam ſollicitè induimus, fouemus, abſcondimus, ſeruamus, exuimus diuinæ clementiæ inuolucro: alcyon verò quos nudos proijcit, diuino veſtit indutu:* quia in mediæ hiemis rigore Deo fouendos, & contra æſtus maris tutandos committit.

Symbolicè, Rupertus lib. 4. in Geneſ. c. 16. per puerum accipit mundum recentem, quem laſciuientem Deus virgâ diluuij caſtigauit, vt ſcirent ventura ſæcula quantum ille peccatis aduerſetur. *Rectè,* inquit, *& viriliter, vt ſapientia Dei docuit petulantem, atq; in carne & ſanguine laſciuientem mundum recentem tanquam ſtultum puerum corripuit, tali percutiens vulnere, quòd tota ſua ætate nequeat obliuiſci.*

Et animam eius ab inferno liberabis] Sept. *à morte;* alij, *à ſepulcro;* Caiet. *à fouea euadere facies,* id eſt à caſibus & ruinis, inquit, in quas incidere ſolent filij, quibus parentes laxarunt fræna libertatis & concupiſcentiæ: vel à fouea, id eſt ex profundo ignorationis antro, per doctrinam eum educes. Verùm Hebr. שאול *ſcheol* propriè infernum ſignificat, vti Noſter vertit, idque neruoſius & ſignificantius eſt. Docet ergo hic Salomon parentes, qui nimis indulgenter amant tractantq; filios, nec peccantes caſtigant, exponere eos periculo inferni: ac proinde pro virga dare eis gehennam, quæ ſanè ingens eſt imprudentia, imò maleficium & odium filiorum. Si ergo, ô pater, amas filium, da ei virgam diſciplinæ, ſi non vis ei dare ignem gehennæ; alterutrum enim ei des oportet, virgam vel gehennam; elige. *Virga eſt cauſa electionis ad gloriam.* Quocirca prædeſtinatio, electio, ſalus & beatitudo filiorum pendet ab educatione, ſeuera caſtigatione & virga parentum. Vice verſa licentior educatio, ac omiſſio caſtigationis & virgæ parentum, eſt cauſa reprobationis & damnationis filiorum: ex illa enim ruunt in ſcelera, ob quę reprobãtur & damnantur. Nota eſt hiſtoria pueri quinquennis, qui ob blaſphemias ſuas è ſinu patris à dæmonibus abreptus eſt ad tartara, quam recenſet S. Gregor. 4. Dialog. c. 18. Quot putatis in inferno ſunt filij, qui maledicunt parentibus, & maledicent diraſq; omnes imprecabũtur in æternum, quòd ob omiſſam caſtigationem ſibi fuerunt cauſa damnationis æternæ? Nec ſine cauſa, fuerunt enim eis parentes non vitæ, ſed mortis: non cæli, ſed inferni: non felicitatis, ſed gehennæ in æternum. Mores enim, quos puer induit, retinet in ſenium vſque ad mortem; ſicut pſittaci, quod iuuenes diſcunt, retinent & loquũtur etiam ſeneſcentes; ſeneſcentes autem nihil addiſcunt, licet blanditijs allecti, vel verberibus adacti, iuxta illud. *Senex pſittacus negligit ferulam.* Quocirca ſapienter Virgil. 3. Georgic.

Tu quos, ait, ad ſtudium atque vſum formabis agreſtem,
Iam vitulos hortare, viamq; inſiſte domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum] Hebr. *fili mi, ſi ſapuerit cor tuum, lætabitur & cor meum, etiam ego.* Eſt Hebraicus pleonaſmus, ſimilis illi ca. præcedenti v. 19. continetque auxeſin, q. d. Ego, ego inquam, toto corde, pleno meroque gaudio lętabor & iubilabo. Septua. *fili, ſi ſapiens fueris, cor tuum lætificabis & cor meum;* Chald. *ſi ſapiens eſt cor tuum, lætabor ego in corde meo.* Vers. 15.

Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua] Hebr. *cùm locuta fuerint labia tua rectitudines;* Septuag. *& immorabuntur tua labia ad labia mea.* Poſt varios ſtimulos huc vſque adhibitos, hic ſtimulat Salomon ſapientiæ diſcipulũ ad eius ſtudium, per aculeum reuerentiæ filialis, & amoris paterni, q. d. Fili, ſi amas me patrem & præceptorem tuum, vti ſcio te intimè amare, ſtude ſapientiæ, id eſt honeſtati & virtuti; ſic enim te, æquè ac me magno bono, magnoque gaudio cumulabis. Profectus enim filij & diſcipuli, eſt gaudiũ Patris & magiſtri; præſertim ſi eum adeò profeciſſe videat, vt ex diſcipulo factus doctor, recta quæ didicit proloquatur, alioſque doceat: ſic enim ſapientiam, & per eam ſeipſum, ſuumque nomen & decus in nepotes & abnepotes, ceteroſque futuri æui poſteros in multa ſæcula tranſmittet & propagabit: pater enim viuit in filio, præceptor in diſcipulo, quem moriens doctrinæ & virtutis ſuæ heredem relinquit, iuxta illud Eccli. 30. v. 4. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Ita gaudebat Apoſtolus in profectu Chriſtianæ doctrinæ & vitæ Philippenſium & Theſſalonicenſium, dicens: *Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea,* Philip. 4. 1. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, gaudium aut corona gloriæ? Nõnne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius?* 1. Theſſalon. 2. 19. Vide ibi dicta. Vers. 16.

Renum ſymbola. Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua] *Renes* *Primum.* Primò, ſedes & ſymbolum ſunt affectus, deſiderij, concupiſcentiæ, & inde, ſi re deſiderata & concupita potiatur, gaudij. ita Abẽ Ezra. Quocirca Mathematici tradunt ſplenẽ regi à ſidere Saturni, hepar à Ioue, ſanguinem à Marte, cerebrum & cor à Sole, linguã à Mercurio, ſtomachum à Luna, renes

verò & genituram à Venere, quos proinde in Veneris poteſtate conſtituunt, ait Pierius Hierogl. 33 c.40. & Hierogl. 34. 18.

Secundum. Secundò, R. Leui: *Renes*, inquit, id eſt cogitationes; quæ enim concupiſcimus, de iis crebrò cogitamus; vbi enim eſt cor, ibi eſt & mens. q.d. Lætitiâ voluptateque perfundentur cogitationes meæ, quando audiam labia tua quoad ſapientiam recta locuta fuiſſe.

Tertium. Tertiò, *renes*, quia in eis eſt origo ſeminis, ſunt ſymbolum generationis & propaginis. Vnde illud 3 Reg. 8. v. 19. *Filius tuus qui egredietur de renibus tuis.* Hinc *renes* dicti, quòd ab eis riui ſeminalis humoris oriantur, ait Varro. Semē enim eſt ſpuma probatiſſimi ſanguinis qui ab hepate ad renes immittitur: inde per meatus ad id aptos flexoſo quodam tramite ad genitalia dilabitur, quod in Anatomijs apertiſſimè compertum eſt.

Senſus ergo eſt, q. d. Cùm ergo pater & præceptor tuus videro te ex filio & diſcipulo factum patrem & doctorem aliorum, intimis animi ſenſibus affectibuſque, quorum ſymbolum ſunt renes, exultabo. Nam vt docet Ariſtot. libr. 8. Ethic. cap. 11. & 12. ſolent aui magis diligere nepotes, quàm patres diligant filios; quia in nepotibus vident magis ſuam ſtirpem propagari, quàm in filijs, ideoque ſe in ijs diutius fore ſuperſtites: ita hic docet Salomon, ſe gauiſurum, ſi filius diſcat ſapientiam, ſed lōgè magis exultaturum ſi eandem alios doceat, & in poſteros propaget, vt multos ſibi, velut ex patre iam auo effecto, pariat nepotes & abnepotes.

Aui magis amant nepotes, quàm pater filium: Cur?

Septua. vertunt, *& immorabuntur ſermonibus tua labia ad labia mea, ſi recta fuerint.* q.d. Si labia tua recta fuerint, vt recta, honeſta & ſancta loquantur, alioſque doceant, inhærebunt & immorabuntur mihi meæque inſtitutioni ac ſermonibus, quos labijs meis labijs tuis ingeſſi, ſicut auicula ſolet ore ſuo cibum ori pullorū fame hianti ingerere. Rurſum, *immorabuntur*, q d. Non ceſſabo te inſtruere, ſi videro te alios inſtruentem; ſed labia mea quaſi affigam labijs tuis, vt eis immorari videantur, ad iugiter tibi ſuggerendum honeſta, quæ alios doceas. Hic enim ingens eſt ſtimulus magiſtro ad alacriter conſtanterque docendum, ſi videat ſuæ doctrinæ ingentem fructum, ſcilicet ſe docendo facere non tantùm diſcipulos, ſed & doctores, qui doctrinam ſuam in plurimos ſpargant, eoſque ſapientes, id eſt probos ſanctoſque, efficiant.

Auctor Catenæ Græcor. ſic legit: *ſi labia tua recta fuerint, cum labiis meis ſermonem conferent, ne æmuletur cor tuū peccatores;* quæ vltima verba Noſter & alij reijciunt in ſequentē verſum. Idem Auctor ſic explicat, q.d. Si ſermones tuos cum ſermonibus meis contuleris, meamq; doctrinam & inſtitutionem ſecutus fueris, tum demum ſermones tui recti erunt: nam cùm ex bonis initijs, probiſque cauſis ſint orti, non poterunt non bonos cogitatus proferre. Secundum quoſdam autem indicat hic, multos illum diſcipulos & auditores habiturum, qui vnà cum bona doctrina bonam quoque doctrinę methodum tenuerit.

Sola virtus affert gaudium. Moral. hic diſce, nihil verum afferre gaudium diſcenti æquè ac docenti, quàm ſapientiam, id eſt honeſtatem & virtutem. Sicut enim agricola gaudet, ſi ſementis ſuis copioſam proferat meſſem: ſic gaudet docens, ſi copioſos ſe in diſcipulo, & per

A eum in alijs, virtutis & pietatis fructus producere videat. Nam vt ille ait, *Agricola terram, philoſophus animum excolit.* Et S. Greg. Nazianz. apud Anton. in Meliſſa par. 1. cap. 50. *Nihil inexpugnabilius*, inquit, *philoſophiâ, nihil tranquillius: omnia priùs cedunt quàm philoſophus. Duo ſunt inuicta, Deus & angelus: & tertium philoſophia. Eſt enim philoſophus, non materialis in materia, in corpore incircumſcriptus, in terra caleſtis, in affectibus imperturbatus, vbique inferior ceteris præterquam animi magnitudine, & cedendo vincens illos qui ſe vincere putant. Vnam ego ſapientiam noui: timere Deum. Etenim ſapientiæ initium eſt timor Domini.* Et alibi, *Audi ſummam ſermonis: Deum time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt enim omnis homo.* Eccleſiaſt. 12. Quin & Socrates ibidem rogatus, quid in vita eſſet ſuauiſſimum? reſpondit, Diſciplina & virtus.

B NON ÆMVLETVR COR TVVM PECCATORES: SED IN TIMORE DOMINI ESTO TOTA DIE] Pro *eſto*, Tigurina vertit, *perſta*, ſcilicet immobilis, velut baſis & columna fundata in Deo Deique timore, vt nullis tentationum procellis ab eo dimouearis, iuxta illud pſ. 118. 38. *Statue ſeruo tuo eloquium tuum, in timore tuo;* in quæ verba vide S. Ambroſium. Vers. 17.

QVIA HABEBIS SPEM IN NOVISSIMO, ET PRÆSTOLATIO TVA NVNQVAM AVFERETVR] Ex Hebr. repetendo τὸ יקנא iekanne, id eſt *æmuletur*, ſic verti poteſt cum Aben Ezra & Vatablo, *non æmuletur cor tuum peccatores; ſed potiùs æmulare timorem Domini*, id eſt, virum timentem Dominum *tota die*, id eſt omni tempore vitæ tuæ, q.d. Non doleat cor tuum, non affligatur, non ſe cruciet, non inuideat quòd impios videat ditari & C proſperari, vt eorum viuendi & diteſcendi rationem æmulari & imitari velit; ſed potiùs æmulare & imitare timentes Deum, idque vehementi ardore & zelo: quia eſto ad tempus depauperetis, & aduerſa ſuſtineas, tamen *in nouiſſimo*, id eſt tandem aliquando vel in hac vita, vel in futura proſperitatem & felicitatem, quam ſperaſti, nanciſceris, illaque tibi non auferetur, ſed perdurabit, teque beabit in æternum. Hebr. enim קנא *kana*, id eſt æmulari, ſignificat concitationem animi, qualis eſt in zelo. Hinc quando conſtruitur cum *lamed*, ſignificat zelare, & ardenter aliquid appetere vel ambire, quando verò conſtruitur cum *beth*, vti hic fit, ſignificat inuidere; vnde aptiùs explices q.d. Non inuideas peccatoribus felicitatem, ſed hæc inuidia cauſa eſt zeli: qui enim inuidet alteri felicitatem. eam ſibi cupit, zelatur & ambit. Alludit ad D illud Dauidis patris ſui pſalm. 36. v. 1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* q.d. Ne æmuleris, id eſt ne crucieris, ne inuideas malignis & impijs proſperitatem, vt per hoc conciteris ad eam cum eis appetendam vt ſcilicet cum impijs viuas impiè ad parandas tibi per impietatem opes, bonam ſortem & fortunam: quia hæc breuis, vilis & exilis, nec cum pretio & præmio pietatis conferenda. Vnde ſubdit Pſaltes. *Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Pariter Salomon ſubdit hic pietatis præmium dicens: *Quia habebis ſpem, &c.* Vnde R. Salomon ſic explicat: *Ne flagitioſorum proſperitati & felicitati inuideas, vt illorum impia inſtituta ſequaris, quia habebis ſpem*, q.d. Hoc enim illud eſt, propter quod ad extremum ſperes. Sic & R. Leui. Vers. 18.

QVIA

QVIA HABEBIS SPEM IN NOVISSIMO, ET PRÆSTOLATIO TVA NVNQVAM AVFERETVR] Hebr. *quia erit tibi poſterius vel nouiſſimum, & ſpes tua non ſuccidetur*; Septua. *nam ſi ſeruaueris eam, erunt tibi nepotes; ſpes autem tua non recedet*; Tigur. *ecce enim tibi poſteritas*; Chald. *vt ſint nouiſſima tua bona, & ſpes tua non conſumatur*; Syrus, *vt ſit tibi nouiſſimum, & ſpes tua non pereat*; Aquila & Symmach. *& ſpes tua non exterminabitur*; Pagni. *quia eſt tibi merces*; Caiet. *ſed eſt finis, & ſpes tua non ſuccidetur*; Vatabl. *erit tibi reuera finis, id eſt præmium: præmium enim cenſetur nomine finis, quòd detur in fine operum*; Aben Ezra, *quia in nouiſſimo ſperabis, id eſt in extrema vitæ tuæ parte, vel enim ſenectus innuitur, vel filij quos poſt ſe relinquit; & ſpes tua non auferetur*; Hebr. *non ſuccidetur, quia ſcilicet Deum tibi*, velut ſe timenti & colenti, *beneficio collaturum ſperabas*. Appoſitè Iáſen. Vocatur, inquit, *nouiſſimum* Hebraica phraſi merces operis, & id quod tandem homo conſequitur fructus & commodi, q. d. Reuera tibi perſiſtenti in timore Domini eſt nouiſſimum quoddam, hoc eſt ſpes quędam certæ mercedis tibi in futurum repoſitæ, aut merces ipſa tibi in nouiſſimo danda. Vnde non malè ſenſum reddidit noſter Interpres: *Quia habebis ſpe in nouiſſimo*, hoc eſt, per perſeuerantiá in timore Dei erit & creſcet in te ſpes in illud quod tandem aſſequêris. Aut habebis *in nouiſſimo*, hoc eſt, tandem in exitu tuo id quod modo ſperas: vt *ſpes* pro re ſperata accipiatur. Aut cùm iam tibi erit decedendú, habebis bonam ſpem, decedes cú ſpe bona, & id quod es pręſtolatus, non auferetur à te, non fruſtraberis tua expectatione ſicut fruſtrabuntur impij.

Senſus ergo eſt, q. d. Ne inuideas impiorum felicitati, vt eam & eos æmulari & imitari velis, quia illa celerem habet finem, citòque inſtar floris vel fœni defloreſcet & interibit: ſed potius æmulare timétes Deum: quia, etſi ad tempus cum ijs affligaris & labores, tamen ſpes mercedis magnæ, tum in hac vita, tum in futura te manet, quæ nunquam ſuccidetur; quòd ſcilicet breui erit finis laborum & dolorum tuorum, ac incipiet tua felicitas & gaudium quæ nunquam ſuccidetur.

Nota. Tò *habebis ſpem*, dupliciter accipi poteſt: Primò, propriè, q. d. *Habebis*, id eſt, *retinebis ſpem*, ſperare nunquam deſines te certò mercede timentibus Deum promiſſa potiturum, imò creſcéte virtute vſque ad mortem creſces pariter in hac ſpe, cùm impij ruente eorum felicitate pèrdant ſpé cadantque in deſperationem recuperandæ felicitatis amiſſæ. Secundò, *habebis ſpem*, id eſt obiectum ſpei, putà rem ſperatam, q. d. Aſſequêris mercedem quam tanto tempore ſperaſti, ſpes tua vertetur in rem, fides in ſpeciem, expectatio in poſſeſſionem. Quare Socrates rogatus quo re pij differrent ab impijs, reſpondit, Spe: ſperant enim laborum præmium. Piorum ergo propria eſt ſpes, impiorum verò deſperatio. *Nihil*, ait S. Chryſoſt. *perinde animam nutrit & vegetat, atque ſpes læta, & bonorum expectatio*. Et Philo: *Spes*, ait, *eſt præuia mentis affectio, gaudium ante gaudium, vt quæ bonorum ſit expectatio*. Et Nyſſenus apud Maximum ſer. 38. *Eorum quæ expectantur bonorum, afflictatio flos eſt: ergo propter fructum, florem etiam decerpamus*. Hinc Apoſtolus ſpem vocat anchoram vitæ noſtrę naufragę. Heb. 6. v. 19.

Porrò ſpes hęc, ſiue res ſperata, partim eſt æterna, putà felicitas cæleſtis: partim temporalis, putà longæua & felix vita. Item filij & nepotes longæui

A pariter & felices, vti explicant Septua. iuxta illud Dauidicum: *Quoniã qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram*, pſal. 36. v. 9. Prior ſpes eſt Chriſtianorum, poſterior Iudæorum. De hac ſpe & felicitatis præmio timentibus Deum promiſſa, multa habes Sapient. ca. 5. 16. & Eccli. ca. 1. v. 12. & ſequ. vide ibi dicta Et Iſaię c. 65. v. 13. *Ecce*, inquit, *ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis*. vide eumdem c. 66. 10. Nam, vt ait Nazianz. apud Anton. in Meliſſa parte 2. c. 93. *Præmium virtutis eſt Deum fieri & puriſſimâ luce colluſtrari* Hac ſpe, hoc præmio illecti veteres Aſcetæ & Anachoretæ, ad omnia dura timore & amore Dei ſubeunda vltro procurrerunt, quã de re

B lege Damaſcen. in Hiſtoria Barlaam & Ioſaphat cap. 12.

Myſticè, auctor Catenæ Græcor. per *nepotes* accipit pias cogitationes, & deſideria menti inſpirata à Chriſto, qui eſt pater & auus fidelium & ſanctorum. Per nepotes, inquit, vel filios, ſubindicat hoc loco bonas cogitationes, quę vtique à bona mente oriuntur: eodem illo nomine ſpiritalia quoque theoremata deſignantur. Anima proinde ab eiuſmodi contemplationibus & cogitationibus vacua, ſterilis proliſque expers meritò appellatur. Proueniunt autem bona cogitata ſa'ubriaque animi ſenſa à ſpiritali ſponſo, nempe Chriſto.

AVDI, FILI MI, ET ESTO SAPIENS, ET DIRIGE IN VIA ANIMVM TVVM] Hebr. *audi tu, fili mi, & ſapito & rectifica*, vel *beatifica in via cor tuum*. Vers. 19.

C Hebr. enim אשר *aſſer* propriè eſt *beatifica*, à rad. אשר *aſcar*, id eſt beatus fuit ſin à ישר *iaſcar* deriues, idem eſt quod rectifica (literæ enim אהוי *eheui*, inter quas ſunt *aleph & iod*, non raro inter ſe commutantur) Hinc Tigurina vertit, *ſæpe, vt beatum ſit in via cor tuum*. Nam vt dicitur pſal. 1. 1. & alibi: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum. &c. ſed in lege Domini voluntas eius*. Et pſal. 111. 1 *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*.

Iuuenum eſt audire doctrinam ſapientum, & ex ea dirigere in via ſapientiæ & virtutis omnia cordis ſui cogitata, decreta & acta. Auditus enim eſt ſenſus diſciplinæ, ait Ariſtot. ſi enim non audiant ſapientiam, ſed ſuam concupiſcentiam, eiuſque aſſeclas, à via virtutis ad viam conuiuiorum & ſympoſiorum, in quæ propendet natura, facilè deuiabunt. Vnde hoc monitum conſultò ſequ. verſui de

D ſympoſijs præmittit.

Huic prouerbio ſimile eſt iſtud Comici: *Qui viam neſcit ad mare, fluuium ſequatur Qui viam neſcit, virgiferum eligat*. q. d. Qui neſcit viam ſapientiæ, interroget doctorem, & ſequatur doctorem.

Septuag. vertunt, *dirige cogitationes cordis tui*: cogitationes enim ſunt quaſi viæ, per quas cor vadit ad cogitatorum deſideria, executiones & actiones; Pagnin. *ambulare fac* (alij *fac progredi*) *in via cor tuum*; Vatabl *facies incedere per viam rectam cor tuum*; Baynus, *fac ire*, vel *deducito cor tuum*, q. d. Verbis monitiſque ſapientum, quaſi ſtimulis excita cor tuum torpidum, illudque adige ad capeſſendam, vel ſtrenuè proſequendam arduam virtutis viam. Rurſum R. Salomon ſic exponit, q. d. *Poſtquam ſapientiam adeptus fueris, cordis tui ſemitas tutò mitre poteris, cùm mens ſapientiâ exculta ad crimina ſollicitatura non ſit*. Erit enim cor per ſapientiam, id eſt

 per

per virtutem, iam purificatum, rectum & ſanctũ, vtpote viæ & legi Dei conforme. Aben Ezra. *Caſtiga*, inquit, *cor tuum, ac rite animũ inſtitue*; R. Leui, *animum tuum aſſueſce præclaris inſtitutis, tũ quoad mores, tum quoad opiniones.* Denique Syrus vertit, *audi fili & ſapito, & exultabit cogitatio mea in corde tuo*, videns ſcilicet cor tuum ſapere, ac recta velle & agere.

VERS. 20. NOLI ESSE IN CONVIVIIS POTATORVM, NEC IN COMESSATIONIBVS EORVM, QVI CARNES

VERS. 21. AD VESCENDVM CONFERVNT, QVIA VACANTES POTIBVS, ET DANTES SYMBOLA CONSVMENTVR, ET VESTIETVR PANNIS DORMITATIO] Dehortatur Salomon à ſympoſijs & comeſſationibus duplici ratione. Prior eſt, quòd ijs cõſumantur opes: poſterior, quòd ijs inducatur dormitatio, otium, ſopor & ignauia, quibus fit, vt homo potando cõſumens, & otiando dormitandoque nihil acquirens ad extremam inopiam redigatur, adeò vt lacer veſtibus indui, iiſque velut centone ex varijs particulis conſuto pannoſus incedere cogatur. In Hebræo non fit mentio ſymbolorum expreſſa, ſed tacita: Hebræa enim ad verbum habent, *ne ſis inter potatores vini, & inter epulones* vel *helluones carnis ſibi; quia potator & epulo depauperabitur, & laceris veſtiet ſopor*. Eſt proſopopœia: ſopori enim & dormitationi velut perſonæ hic actio tribuitur. q.d. Sopor facit, vt ſopori deditus incedat lacer, pannoſus & ſquallidus.

To ſibi Caiet. refert ad mutuas potatorum & epulonum propinationes & ferculorum miſſiones: illorum enim partes ſibi inuicem mittunt conuiuæ, vt ſe inuicem ad epulationem & hilaritatem inuitent; vti fecit Ioſeph fratribus, quos conuiuio excepit, Geneſ. 43. 34. vt ſenſus ſit, q.d. Noli frequẽtare ſympoſia & conuiuia, in quibus bibones & epulones ſe mutuò propinando, cogendoque reſpondere ad æquales hauſtus, ac mittendo delicatas epularum partes, ad epulandum & compotandum prouocant, imò adigunt. Verùm meliùs Noſter per *Tò ſibi* cenſuit notari ſymbola. Solebant enim olim, & etiamnum ſolent, epulones & potatores inſtruere ſplendida cõuiuia & ſympoſia, cõferendo *ſibi*, id eſt inter ſe, ſymbola: quiſque enim ſuam partem, vel carnium, vel vini, vel aliarum deliciarum, in commune epulum cõferebat: quod proinde vocabatur *ſymbolũ*, id eſt collatio & corrogatio. Vnde illud vetat Concilium Laodic. cap. 55. *Non oportet*, inquit, *miniſtros altaris, vel quoſlibet Clericos, vel etiam laicos Chriſtianos, ex ſymbolis, quæ vulgus comeſſalia appellat, conuiuia celebrare.* De his ſymbolis hunc locum quoque accipere Septuag. dum vertunt, *ne ſis bibax vini, aut frequens in ſymbolis & carnium coëmptionibus*; & Aquila, Theodot. & Symmach. *ne ſis cum his qui ex ſymbolis carnes edunt inter ſe*? Chald. *ne ſis inter eos qui comeſſantur carne, nec inter illos qui inebriantur vino*; Syrus, *ne ſis ebrius in vino, & ne ſis carnium helluo.*

Senſus ergo eſt, q.d. Noli ſocietatem & amicitiam inire cum illis, qui crebro conferendo ſymbola & partes, inſtituunt opiparas menſas & ſympoſia; quia in his tuas opes exhauries & cõſumes, atque epulis vinoque oneratus fies ſomnolentus, iners & ignauus: quo fiet vt ad pauperiem redigaris cogariſque pannis laceris veſtiri. Vnde vertunt Septuag. *omnis enim ebrius & ſcortator mendicabit, omniſque ſomnolẽtus laceris detritiſque veſtibus induetur.* S. Ambroſ. li. de Elia & ieiunio c. 8. legit, *& induet ſe ſciſſa veſtimẽta inſipientia*, quæ ſcilicet per ſuam inſipientiam & inſipientem gulam acediamque cogitur induere: gulam enim velut indiuidua comes ſequitur libido, vtramque acedia, acediam ſomnolentia, ſomnolentiam paupertas & laceræ veſtes, vti patet in filio prodigo Luc. 15. 14. Syrus, *quia violentus & intemperans in carnium voracitate peribit, & qui dormit, veſtietur pannis laceris & diſciſſis*; Chal. *quia qui ebrius & vorax eſt, inopia afficietur, & pannis ruptis veſtietur dormitatio*; R. Salomon, *ignauia & ſomnus aſſeclas ſuos laceris veſtimentis induet.*

Moral. hic diſce quàm gula ſit exitialis: nam omnia prodigit, perdit & cõſumit: nulla eſt vorago, nullum barathrũ, quod magis abſorbeat, magiſque præcipitet rem quàm gula: quo magis impletur, eo magis eſurit: quo meliùs prãdet, eo meliùs cœnare ſtudet. *Gnome de gula.* Facete Diogenes, cùm luxurioſi cuiuſdam nepotis venalem domum proſcriptam legeret: *Sciebam*, inquit, *quod vino ciboque oppleta, quamprimùm dominum euomeres.* Idem, cùm nimio luxu ad inopiam redactus adoleſcens oleas in cœna elitaret, fortè prætereiens: *Si ſic pranſus*, inquit, *eſſes, non ita cœnares.* Non inluſè etiam Bion Boryſthenites, philoſophus peracutus & grauis, ad quemdam qui poſſeſſiones ſuas vorauerat, inquit, *Terra Amphiaraum abſorbuit, tu autem terram.*

Non opus eſt hic veterum quorumdam lurconũ exempla cõmemorare, qui patrimonia ſua per luxuriam ſubitò prodegerunt: cuiuſmodi fuit Fabius ille, qui à deuorato patrimonio Gurges fuit cognominatus: C. Sergius, cui Oratæ nomen fuit, quòd id genus piſciũ magna auiditate vorarit: Auidius ciuis Rom. quẽ Cato proteruiam feciſſe per iocum dixit: Æſopi tragœdi filius, quo maiorem pecuniæ vim citiùs in ventrem mergeret, liquefactos vniones prandio appoſuit, & pſittacos & auiculas cantu commendabiles, & in delicijs habitas, magno quoque emptas præ ficedulis condire non dubitauit. Quotidiana, proh dolor! experientia magnam eiuſmodi exemplorum copiam ſuppeditat, vt auctiones proſcriptioneſque quotidianæ teſtantur. vide S. Greg. 30. Moral. c. 13.

Myſticè Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. c. 2. *Omnis enim ebrioſus*, inquit, *& fornicator mendicabit, & induetur laceris & pannoſis omnis ſomnolentus: ſomnolentus enim eſt quiſquis ad ſapientiam non vigilat, ſed ab ebrietate in ſomnum demergitur. Et laceris*, inquit, *induetur debacchator, & per ebrietatem pudore afficietur propter eos qui aſpiciunt. Peccatoris enim foramina ſunt ea, quæ ex veſte carnali ſunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur, nempe peccatum, propter quod non facilè ſeruabitur veſtis quæ vndique diuulſa eſt & dilaniata, multis marceſcens cupiditatibus, à ſalute ſeparata ac diſciſſa.*

Tropol. S. Greg. lib. 14. Moral. cap. 25. hunc locum acutè exponit de detractoribus. *Detractor edit carnes proximi.* *Sciendum quoque eſt*, inquit, *quòd hi qui alienæ vitæ detractione paſcuntur, alienis proculdubio carnibus ſaturantur* (expendit quippe illa Iob verba, *Et carnibus meis ſaturamini.*) *Vnde per Salomonem dicitur: Noli eſſe in conuiuijs potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad veſcendum conferunt: carnes quippe ad veſcendum conferre, eſt in collocutione detractionis viciſſim proximorum vitia dicere. De quorum illic pœna mox ſubditur, Quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Potibus enim vacant, qui de opprobrio vitæ alienæ ſeſe inebriant, ſymbolum verò dare eſt, ſicut vnuſquiſque ſolet pro parte ſua cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed tamen*

men vacantes putibus & dantes ſymbola conſumentur, quia ſcriptum eſt, Omnis detractor eradicabitur. Veſtietur autem pannis dormitatio: quia deſpectum & inopem ab omnibus bonis operibus mors ſua inueniet, quem hic ad aliena vitæ exquirēda crimina detractionis ſuæ languor occupauit. Eadem ex S.Gregorio tranſſcripſit hic Beda & Gloſſa.

Auctor verò Catenæ Græcor. hanc gnomen adaptat Primò, hæretico, deinde acedo & ad virtutes pigro: ſic enim ait, *Omnis ſomnolentus veſtietur,* &c. qui vt virtutem comparet non aduigilat, neque ſobrietati operam nauat, is animæ ſuæ indumenta lacera & vilia oſtendit: ſordido enim humique repente ſtudio illa diſrumpit atque diſcindit. Animæ autem veſtimenta ſunt recta & ſana dogmata, veraque & ſana eorumdem ſententia in opus & praxim deducta: quæ quidem veſtimenta homo ſtudioſus, virtutibuſque ornatus, nitida lucidaque adeptus, omni tempore candidis nitidiſque indutus incedit, odioque habet tunicam carnis ſordibus contaminatam. hæc ille.

Denique Caſſianus lib. 10. Inſtitut. cap. 21. per pannos, quibus ſe tegit piger, accipit excuſationes friuolas impotentię vel infirmitatis, &c. quibus ipſe ſuam velat ignauiam. *Sine dubio enim,* inquit, *non merebitur veſtimento incorruptionis ornari,* &c. *quiſquis ſomno otij vel acediæ ſuperatus, non induſtriæ ſuæ labore, ſed inertiæ pannis operiri maluerit; quia non veſtimētum gloriæ, nec decoris, ſed ignominioſum excuſationis velamen ſuæ coaptauit ignauiæ,* &c.

Vers. 22. AVDI PATREM TVVM, QVI GENVIT TE: ET NE CONTEMNAS CVM SENVERIT MATER TVA] Chald. *acquieſce patri tuo;* Syrus, *ne deſpicias ſenectam matris tuæ.* Gnome hæc clara eſt: monet enim filium obedientiæ & reuerentiæ quam præſtare debet parentibus, ſiue cùm expreſsè quid præcipiunt; ſiue cùm hortantur, monent vel ſuadent; ſiue cùm filium inſtituunt & ad honeſtatem erudiunt. Semper enim filius audire debet patrem, vel pręcipientem, vel ſuadentem, vel inſtituentem, eique auſcultare & quoad poteſt obedire. Rationem ſubdit: *Qui genuit te,* q.d. Audi patrem tuum, quia ipſe genuit te: generatio enim hoc tibi audiēdi debitum imponit: pater enim generando dedit tibi vitam humanam & rationalem, ſed rudem & impolitam: illam ergo erudiendo polire & perficere debet, vt perfecta ſit eius genitura, quæ ſine illa manca, & velut dimidia duntaxat foret. Iure ergo naturæ pater debet erudire filium, & filius eum audire, vt ſinat ſe ab eo erudiri. Sic aues pullos quos generarunt, voce & cantu ſuo erudiunt ad canendum, volatu ad volandum, venando & quærendo cibum ad venandum; ac pulli per omnia parentes ſuos audiunt, eiſque obſequuntur, itaque in ſua ſpecie perfecti euadunt. Simili modo equi, cameli, boues, quin & feræ, vt leones, pardi, vrſi, lupi catulos ſuos efformant ad omnes actiones naturæ ſuæ congruas, ac catuli ad amuſſim eorùm efformationem ſuſcipiunt & ſequuntur.

Rurſum eius qui genuit prolem, eſt eamdem alere tam in corpore, quàm in anima. Sicut autem corporis alimentum eſt cibus corporeus: ſic animę alimentum eſt doctrina & diſciplina. Tam ergo hanc quàm illum parentes exhibere, & liberi filiali affectu ſuſcipere debent.

ET NE CONTEMNAS CVM SENVERIT MATER TVA] Sæpè enim mater feneſcens à filijs grandeſcentibus contemnitur, non ſolùm ob ſexum femininum, ſed etiam ob ætatem ſenilem; quæ infirma eſt, moroſa, tetrica, ac ſubinde iudicio vacillat. vnde à filijs deſpicitur, imò ſubinde ridetur quaſi delira anus. Monet ergo filium, vt ſemper memor ſit iuris materni, ac matrem licet ſenem æſtimet & reuereatur vt matrem, cogitando quot faſtidia pro eo ſuſtinuerit nouem menſibus in vtero, quot labores, metus & ſollicitudines, vt natum aleret, faſciaret, educaret, ſolaretur, & de omnibus etiam minimis illi accuratè prouideret, idque per plures annos. Vide dicta Eccli. 3. v. 3. & ſeq. vbi multis hac de re egi.

Myſticè auctor Catenæ Græcor. per matrem ſenem accipit doctrinam ſanam & canam, de qua ſubdit, *Veritatem eme, &c.* Matris nomine inquit, hoc loco doctrina ſacra ſignificatur: ait ergo. Quę doctrina infirma & ægra tibi fortè videtur, ea ſecùdùm ſe fortis & robuſta eſt. Excita proinde teipſum, & matrem ſanam planeque vegetam inuenies: tu enim tua negligentia & ignauia illam ſenilem & imbecillem reddis. Mens, inquit, & ſenſus animæ tuæ greſſus rectè pieque dirigant. hæc ille.

VERITATEM EME (Chald. *poſſide*) ET NOLI VENDERE SAPIENTIAM, ET DOCTRINAM, ET INTELLIGENTIAM] Idem ſunt *veritas, ſapientia, doctrina,* & *intelligentia,* ſed connotato differunt. Vnde Tigur. vertit, *veritatem, ſapientiam, diſciplinam & prudentiam compara, & ne vendas.* Geminat, imò cōternat hæc, vt oſtendat quanta quantique facienda ſit veritas, vtpote quæ Primò, ſit *ſapientia,* quâ ſapientiam Dei participamus; Secundò *doctrina,* ſcilicet practica, quę mores erudit & componit; Tertiò, *intelligentia,* qua intelligentes, prudentes & circumſpecti in omni actione efficimur. Vers. 23.

Senſus ergo eſt. q.d. Omni ſtudio, omni labore, & pretio compara & conſerua tibi veritatem & ſapientiam ethicam, nec vllo voluptatum, opum aut honorum pretio eam vendas, id eſt commutes vel abijcias, quia ipſa pretioſior eſt omni auro & pretio, vti dictū eſt c. 3. 14. Vnde Septuag. Complut. & Regij (nam in Vaticanis hic verſus deeſt) habent, *veritatem acquire, & ne repellas ſapientiam:* Vatabl. *da operam vt tibi compares veritatem, & ne reijcias, vt ſolent qui aliquid vendunt.* Hoc fecere è Philoſophis Diogenes, Bias, Crates, Ariſtoteles, Democritus, & alij qui opes ſpreuerunt, imò abiecerunt, vt toti vacarent philoſophiæ. Longè veriùs hoc præſtitere Chriſtiani doctores S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, S. Hilarius, S. Athanaſius, & ceteri, qui præ ſapientia & virtute Chriſtiana abdicarunt à ſe omnes opes & voluptates. Idem faciunt hodie Religioſi, qui illud Chriſti ſequuntur. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Audi Nazianz. in carm. de Beatitud.

Felix qui Chriſtum fortunis omnibus emit,
Multiſq; eſt vitæ regula lexq; pia.

Secundò, alij τὸ *vendas* propriè accipiunt, q.d. Ne ob lucrum alios ſapiētiam doceas, vt hoc pretio eam velut caupo nundineris, illiſque diuendas. Vbi Nota. Veritas propriè vendi nec poteſt, quia eſt actus vitalis cuique proprius & inhærens, vel eius obiectum, puta conceptio & iudicium mentis conforme rei, cùm ſcilicet mens rem concipit prout in ſe eſt; nec debet, quia veritas eſt ſpiritalis: quæ ſi ſit ſupernaturalis, eá vendere erit ſimonia. Vnde S. Auguſt. tract. de Diſciplina Chriſtia-

Veritas vendi nequit. Cur.

ſtiana cap. 1. tom. 9. *Indignum*, inquit, *eſt*, *iniurioſum eſt, ſi ſapientia pecuniâ comparetur.* Vide noſtrũ Leſſium tract. de Simonia dubit. 13. vbi fusè & exactè docet quibus caſibus pro doctrina pretiũ accipere liceat, quibus non: Doctori, inquit, licet vẽdere ſuum docendi laborem, induſtriam & vocem, non autem ipſam ſapientiam, &c.

Rurſum vendunt veritatem, qui ægrè, nec niſi magnis precibus fatigati eam aperire & docere volunt; *quod enim precibus emitur, caro emitur.* Inſuper qui eam venditant & oſtentant: hi enim pretio laudis & gloriæ eam vendunt.

Denique R. Salomon ſic exponit, q. d. *Quando veritatem abſque pretio aſſequi nequibis, eam perſoluta mercede adipiſcere; verùm ne poſtea dicas: Sicut ſapientiã meis ſumptibus mihi comparaui, ſic pretio mihi perſoluto eadem alios imbuam.* Aben Ezra ſic, q. d. *Eme libros in quibus veritas continetur, emptoſq́; ne diſtrahas & diuendas*; R. Leui: *Veritatis cognitionem obtine, & cognita ne obliuiſcitor.* Primus ſenſus genuinus eſt.

VERS. 24. EXVLTAT GAVDIO PATER IVSTI: QVI SAPIENTEM GENVIT, LÆTABITVR IN EO] Hebr. *exultando exultabit pater iuſti, & gignens iuſtum gaudebit in eo*, Septuag. *bene educat pater iuſtus, & in filio ſapiente lætabitur anima eius.* GAVDEAT PATER

VERS. 25. TVVS, ET MATER TVA, ET EXVLTET QVÆ GENVIT TE] Chald. *quæ peperit te.* Prior gnome ſpectat ad patrem, poſterior quæ quaſi concluſio ex priore infertur, ad filium, q. d. Mirè gaudet & exultat pater ſi videat filium iuſtitiã colere, piè & ſanctè viuere: *qui enim genuit ſapientem*, id eſt prudentem & probum, lætatur in eo: quia gaudet tum de bono filij, tum de ſuo: bonum enim & decus filij eſt bonum & decus patris, ac inſuper indoles & ſemina virtutis filiorum hauriuntur & manant à parentibus, quare ſi homines videant filium egregiè moratum, cenſent eum à patre & matre hoſce mores, vel certè bona morum ſemina bonamq́ue indolem hauſiſſe, iuxta illud Horatij:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sapientis genitor, ait R. Leui, gaudet ob eiuſdem præclarè geſta & negotia, cùm illud præterea accedat, vt maiori Dei cura gaudeat ob filij merita. In hoc ergo parentes gaudio efferũtur eadem de cauſa, qua ob filij inſipientiam dolore ærumniſq́; anguntur.

Inde conuerſus ad filium concluſionem hanc elicit: ergo, ô fili, ita vitam & mores inſtitue, ita ſapienter & probè viue, vt parentes hoc gaudio ingenti afficias, vt ſcilicet exultet tam mater quam pater de tua virtute, præclarè geſtis, fama & gloria: redde hoc ſolatium matri, quæ genuit te pro tot laboribus, moleſtijs & periculis quæ ſubijt in te concipiendo, pariendo, lactando, educando, vt benedictionem eorum conſequaris. Hanc enim Deus exaudit & adimplet, vti adimpleuit benedictionem Iſaaci morientis datam Iacobo, Geneſ. 27. 28.

Myſticè Beda: *Gaudeat*, inquit, *Deus pater de tua iuſtitia, gaudeat & Eccleſia mater tua; ſed & ſacerdos qui te per gratiam baptiſmi regenerauit, qui te erudiuit à paruulo, de tuis bonis gratuletur operibus.*

VERS. 26. PRÆBE (Hebr. *da*) FILI MI COR TVVM MIHI: ET OCVLI TVI VIAS MEAS CVSTODIANT

VERS. 27. (Chald. *pone fili mi cor tuum ad me*) FOVEA ENIM

A PROFVNDA EST MERETRIX, ET PVTEVS ANGVSTVS ALIENA] Septuag. *dolium pertuſum* (alij *fractum*) *eſt domus aliena, anguſtuſq́; eſt puteus alienus.* Tò *enim* ſignificat, hunc verſum cohærere præcedenti, eiuſque dare cauſam.

Vnde Primò, aliqui exponunt, q. d. O fili mi, dede cor tuum ſapientiæ, mihique eius doctori: ne illud dedas inſipienti meretrici: ſi enim ei illud dederis, abſorbebitur velut in fouea profundiſſima, ex qua illud extrahere & ſapientiæ reddere erit difficile, & penè impoſſibile. ita Hugo, Dionyſ. & alij.

Secundò & potiùs, q. d. O fili præbe; Hebr. *da* vel *trade* cor tuum ſapientiæ, vt eius ſtudio, mihique eius magiſtro illud totum applices, & conſequenter da mihi oculos tuos, vt illos dirigas ad vias, id eſt leges meas perlegendas, & magis ad
B eaſdem cuſtodiendas: ſic enim fiet vt non incidas in retia, quæ tibi parat meretrix, vt te in ſuam naſſam & foſſam ruinamque pertrahat: meretrix enim ſe comit, polit, ornat, vt oculos & corda iuuenum ad ſe quaſi ſiren rapiat, illiciat & perdat. Nihil enim ita contrarium & inſidioſum ſapientiæ & virtuti, ac libido & meretrix. Per *cor* accipe mentem & voluntatem. *Præbe mihi cor*, ſignificat exigitque animi attentionem ad ſermonem animo accipiendum, ait Aben Ezra, qui תִּצֹּרְנָה *tiſſorna*, id eſt cuſtodiant, cenſent per metatheſin poſitum pro תִּרְצֶנָה *toraſna*, id eſt excurrant. Percurrant, inquit, oculi præceptorum meorum ſemitas. R. Leui: *Præbe fili mi cor tuum*, id eſt; inquit, ne aliud appetas, veliſque quàm vt virtute cumuleris. *Oculi tui vias meas cuſtodiant*: eas ſeruent vias, ad quas
C te in hoc libro inſtitui, vt nimirum corporis cupiditatibus bellum indicas, mentiſque abſolutioni ſtudeas. Cùm autem cupiditates quibus maximè abſtrahitur mortalis, ſint libidinis illecebræ viniq́ue voluptas, ab ijs abſtinendum in primis admonet. Vt ergo repudiemus fœdæ libidinis vitium, inquit, meretricem eſſe tamquam profundam foueam.

Nota. Iungit cordi oculos, quia eſt magna ſympathia cordis cum oculis, vt cor in oculis, & oculi in corde ſiti eſſe videantur. Quod enim cor amat, ad ilud intuendum dirigit oculos, vt obiecto amato per viſum & intuitum ſe paſcat. Vnde vulgò dicitur: *Vbi oculi, ibi cor, ibi amor: vbi manus, ibi dolor.* Hinc oculi ſunt in amore duces, *Oculi*, inquit Cicero de Oratore, *ſunt quorum intenſione, tum remiſſione, tum coniectu, tum hilaritate motus animarum ſigni-*
D *ficamus.*

Rurſum oculi congruè iunguntur viæ, quia oculi dirigunt incedentem, vt via rectâ incedat, ne ab ea deflectat in auia, neúe in ſcopulos & ſaxa impingat, aut in foſſam corruat.

Moral. Deus exigit cor hominis, præſertim fidelis & ſancti; quia cor eſt principium vitæ omniſq́ue cogitationis, voluntatis & actionis. Hinc cor eſt primum viuens, & vltimum moriens: quare ſi Deus poſſidet cor, poſſidet totam animã, totumq́ue hominem. Cor enim, id eſt voluntas, eſt quaſi regina, quæ omnibus ſenſibus potentijs & membris, vel politicè vel deſpoticè imperat & dominatur. Voluntas enim mouet intellectum, vt in eo quod amat, rationes & motiua ad amandum inueniat: mouet memoriam, vt eorum iugiter recordetur, ſibique ad iugiter amandum repræſentet: mouet oculos, ad intuendum rem amatam; aures, ad audien-

Deus poſcit cor: cur

audiendum eius laudes; tactum, ad illam amplectendam; pedes, vt ambulent ad eam poſſidendam; manus, vt eam prehendant, & ſic de ceteris.

Deus ergo ab homine donum exigit. Sed quod? Cor. cur? quia cor eſt potiſſimum in homine, & virtute totus homo; cor enim complectitur regitque memoriam, intellectum ceteraſque potentias. Cor enim hic primò mentem, ſecundò amorem, affectum & voluntatem, quæ origo eſt omnis affectus & actionis, ſignificat. Deus cor ſuum, putà Spiritum ſanctum, vt ait S. Thom. & Nyſſen. vel, vt Eucher. in Formul. ſpiritual. c. 1. Filium ſuum qui erat in eius ſinu & viſceribus, dedit tibi: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*: antidoron ergo poſcit parile, ſcilicet cor tuum. Ferunt Eremitam quemdam poſtulaſſe à Deo, quodnam donum cuperet, quo eius gratiam cęlumque promereri poſſet; at reſponſum ei datum à verſipelle dæmone, donum hoc conſtare tribus partibus, ſcilicet noua luna, ſolis circulo, & quarta parte rotæ, nimirum luna noua ſemicorniculata refert litteram C. ſolis circulus litteram O. quarta rotę pars literam R. Iunge haſce tres litteras, habebis *cor*; hoc eſt donum, quod poſcit Deus. Ita refert noſter Maximil. Sandæus in Donario cordis Iulij Epiſcopi Herbipol. Simile quid habet Robertus Olkot, aut potiùs Thomas Gualeſſus lect. 12. in Prou. Ita Abel cor ſuum offerens Deo, illi placuit præ Cain. Vnde Rupertus in Geneſ. 4. Vterque, inquit, obtulit, ſed non rectè diuiſit. Nã Cain cùm offerret ſua Deo, ſeipſum ſibi retinuerat, repoſitum habens cor in cupiditate terrena. Huiuſmodi Deus portionem non accipit. *Sed præbe*, inquit, *fili cor tuum mihi*. At Cain cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ obtulit Deo, Abel autem primò cor ſuum, deinde rem ſuam offerendo plurimam hoſtiam obtulit. Sic Rupert. Abel igitur præter ſelectiſſima illa & adipalia munera ſuum amorem, quo nihil electius Deoque gratius, obtulit. Nam quid ante oculos Dei valent munera omnia etiam pinguiſſima, ſi tamen amor negetur? *Operationes*, ait D. Ambroſ. lib. 1. de Iacob cap. 8. *bono commendantur affectu.*

Audi S. Auguſt. (vel quiſquis eſt auctor: ſtylus enim arguit non eſſe S. Aug.) tract. de Quatuor virtutibus charitatis, poſt medium, tom. 9. *Quid à te* (Deus) *expetit? quod Abraham illi dictum eſt: Da mihi vnicum dilectum filium tuum, tibi dicit ſapientia: Da mihi fili cor tuum, ipſe eſt dilectus vnicus. Quid metuis offerre cor tuum? offer ſacrificium, contritionem cordis Domino Deo tuo, & dic ei cum Propheta: Holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Nihil minus tali ſacrificio oblato, & tibi acceptum erit, & quod obtuleris, integrum permanebit.*

Pulchrè hanc ſententiam pertractat S. Bernard. epiſtola ad quemdam poſtulantem. *Quid à nobis requirat Deus? Cor noſtrum*, inquit, *nihil dignius producere poteſt, quàm vt ei ſe reſtituat à quo factum eſt, & hoc à nobis Dominus expetit, dicens: Fili da mihi cor tuum. Tunc ſiquidẽ cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult penitus poſſidere pręter eum, ſicq; colligato ſibi animo eum diligit, vt ſine ipſo amarus ſit omnis amor. Nec aliud dixerim cor dono dare, quàm ipſum captiuare in omne obſequium eius, & ita voluntati eius ex toto ſupponere, vt nihil aliud velis, quàm quod noueris*

A *eum velle.* Ex quibus concludit: *Itaque cor Domino datũ ipſum in omnibus & de omnibus adorabit, & gratias aget: etiamſi multa noſtris ſenſibus moleſta videantur, nihil perturbationis ex rerum nouitate ſuſcipiet: tentatus à Domino per tribulationes & aſperas qualitates nõ mouebitur, aporiatus, id eſt inops, gaudebit. Quidquid illatum fuerit, etiamſi habeat aſperum ſenſum, velut impellens ad ſuperna, ſuſcipiet. Qui cor ſuum dedit Deo, cantabit melodicè, & dicet cum Propheta Dauide: Paratum cor meum Deus paratum cor meum, cantabo, & pſallam in gloria mea.* Subdit deinde tres modos & gradus, quibus cor dandum & dirigendum eſt ad Deum, quos in ipſo perlege.

Oremus ergo aſſiduè cum noſtro P. Aluarez li. 3. de Perfect. p. 2. cap. 17. Domine Deus meus, & Deus cordis mei, qui in corde meo hæc verba intonare non ceſſas: *Præbe fili mi cor tuum mihi*, quibus amorem cordis efflagitas, & ad dilectionem

B ex toto corde meam voluntatem inflammas: da, obſecro, cordi meo perfectum cordis amorem, quem præceptis, conſilijs, beneficijs, ſuaſionibus, promiſſis & comminationibus poſtulare dignatus es: quia nemo tibi reddere aliquid poterit, niſi tu priùs idem illi benignè conceſſeris, & larga manu donaueris. Amorem totius cordis à me poſtulas, dicens: Dilige me ex toto corde tuo: & ego quidẽ fundum totius mei cordis, ſi tu priùs dederis, tibi reſtituo. Da igitur, Domine, per infinitam bonitatem tuam, vt ex toto corde diligam, vt ſcilicet beneplacitum tuum & amorem tuum omnibus donis, ac chariſmatibus præferam, & nunquam ad diligenda creata, aut contra te, aut ſupra te, aut præter te, noxia præſumptione perefflũam.

Memorabile eſt exemplum in Vita D. Henrici Suſonis cap. 4. hic enim dum flagrantiſſimo æter-

C næ ſapientiæ deſiderio arderet, illa ſe ipſi ſpecie corporali videndam exhibuit: nunc enim elegantis puellæ, nunc pulcherrimi iuuenis prę ſe ferebat imaginem. Itaque dulciſſimè ad eum conuertens ſe, comiter, non tamen ſine diuina quadam maieſtate illi arridẽs, benignè his eum verbis affata eſt: *Præbe fili cor tuum mihi.* Tum verò veſtigijs illius aduolutus, medullitus ac humillimè illi gratias egit. Inde illius in eam amor ardentior, vt eam ſibi in ſponſam copulare geſtiret: quare amore ebrius exclamabat: *Ego toto corde, ſenſibus & animo te inexhauſtam omnium deſiderabilium abyſſum, ardenti cordis mei affectu complector.* Interim nonnumquam cordi illius ſe communicabat ipſa, velut omnis boni fons & profluuium, in quo ſimul reperit quidquid pulchrum, amabile vel deſiderabile eſſet: ſiquidẽ id in ea modo ineffabili exiſtebat. Ergo idẽtidem

D illam velut gratiſſimam amicam lacrymantibus oculis, & in immenſum expanſo cordis ſinu complexus, illi totum cor ſuum obtulit, indeque Miniſter æternæ ſapientiæ eſt appellatus.

Sapientia inuitat ad ſe Henricum Suſonem.

FOVEA ENIM PROFVNDA EST MERETRIX.] Idem dixit cap. 22. v. 14. vbi id explicui. Nota 1o *profunda*, ſignificat hanc meretriciam foueam adeò eſſe altam voraginem, vt cadentibus in eam vix vlla ſit ſpes emergendi. Ita enim in ea meretrix melleis ſuis laqueis & meretricijs artibus detinet amaſios, vt ab ea ſe expedire nequeant. Vnde Comicus:

Nil amor eſt aliud, niſi triſtis & ægra voluptas
Nil niſi dulce malum, nil niſi triſte bonum.
Diminuit famam, factis melioribus obſtat:
Exiguo magnas tempore perdit opes.

Pro

Pro *fouea* hebr. eſt שחה *ſcucha*, quod propriè ſignificat foueam vel foſſam, in quam incidentes perduntur; vnde ſumitur pro corruptione, deſolatione, interitu, ſepulcro. Hinc Septuag. *ſcucha* nunc vertunt *foueam*, nunc *dolium*, vt hoc loco: dolium enim eſt cauum vt foſſa; nūc *ſordes*, quia foſſę ſolent eſſe lutoſæ & ſordidæ, vt patet Iob 9. v. 31. nunc *mors*, vt Iob 17. 14. (vbi Noſter vertit, *putredo. Putredini*, inquit, *dixi, Pater meus es; mater mea, & ſoror mea, vermibus*) nunc *corruptio*, vt Ionæ 2. 7, nunc *pernicies* vel *interitus* vel *internecio*, vt pſal. 9. 15 Iſaiæ 51. 14. nunc *nugacitas*, vt pſal. 118. 85. nunc *iniuſtitia*, vt Ierem. 2. 6. nunc *verbum*, vt Ierem. 18. 20. & 22.

Meretrix eſt foſſa: cur Hæc omnia competunt meretrici. Primò enim meretrix eſt foſſa profundiſſima, in quam amaſij præcipites ruunt, perduntur & intereunt, tam quoad animam quàm quoad corpus. Alludit ad domos & gurguſtia meretricum, quæ non tam domus quàm antra, foſſæ & ferarum luſtra videntur: vnde & ſubterranei fornices vocantur, indeque nomen fornicationis: quin & non rarò in foſſis mœnium vrbiumque, arboribus virgultiſque degunt, ibique velut vulpes tranſeuntibus inſidiatur, eoſque ad nemoroſas haſce foſſas pelliciunt & peruertunt, vti in nonnullis Germaniæ vrbibus ab eis factitari vidi. Myſticè, foſſæ hæ appoſitè ſignificant iuuenes à meretricibus ſeductos, ex alto vitæ ciuilis & honeſtæ muro, puta ex culmine honeſtatis, rationis & virtutis præcipitare ſe in foueā profundiſſimam luxuriæ, infamię, omniſq; dedecoris & ſceleris.

eadem eſt mors, Secundò, meretrix eſt mors, quia amaſiorum animas, & ſępè corpora interficit, imò cauſa eſt vt ob eius pulchritudinem inter ſe rixentur iuuenes, ſeq; mutuò digladiando occidant. Hinc S. Iſidor. de fornicarijs agens: *Hi*, inquit, *ſunt quos iam lethale θ obſignat*. per θ enim iudices olim reos damnabant ad θάνατον, id eſt mortem. Vnde illud Perſij: *Et potis eſt vitio nigrum præfigere theta*. S. Chryſoſt. vero hom. 49 in Matth. *Luxuria*, inquit, *non ſolùm petulantes, ſed & homicidas facit*, vti Herodiadem fecit homicidam S. Ioannis Baptiſtæ.

& ſepulcrum. Tertiò, meretrix eſt ſepulcrum, ſed dealbatum, ait S. Chryſoſt. in pſalm. 50. quia exteriùs alba & compta apparet, ſed interiùs plena eſt ſordibus, putredine, lue venerea, aliiſque morbis, quibus amaſios inficit & perdit: ipſa eſt ſepulcrum, in quo viuos defodit libido. Vnde Stobæus ſerm 6. de intemperantia, *Diogenes*, inquit, *ridebat pleroſque viuos ſeipſos humare, & putrefacere balneis humectantes, & re venerea putrefacientes. Morientes autem demum mādare corpus in ſuffimentis & aromatibus recondi, alios etiā melle, ne citò putreſcāt*. q. d. Diogenes ridebat hominum dementiam, quod ipſi viuum corpus, quod conſeruare oportebat integrum; corrumpāt tabo & ſordibus luxuriæ: mortuum verò corpus, quod corrumpi neceſſe eſt, ipſi condiant balſamo, myrrha, alijſq; odoramentis, vt incorruptum ſeruent: cùm viua corpora potiùs condienda forent ad lōgiorem vitam, mortua verò incondita ſinenda vt citò conſumantur.

& ſordes, Quartò, meretrix eſt ſordida, imò ſordes meræ, quia pauperrima, ſordidiſſima, fœtidiſſima, plena putore, ſanie, putredine. Vnde S. Chryſoſt. homil. 29. in Matth. *Quid*, inquit, *luxuria correptus à dæmoniaco differt? Quo fit vt nunquam ſit in ſeipſo, ſed in ſepulcris verſetur. Sepulcra ſunt meretricum diuerſoria,* A *cum multo ſetore, multa putredine ſint repleta. Non minæ, non exhortationes ipſum ligare potuerunt: omnia hæc vincula ſpernit.*

Quintò, meretrix eſt pernicies tam ſibi quàm amaſijs, totique reipubl. perdit enim nobiliſſimos eius iuuenes & ciues. *& pernicies,*

Sextò, meretrix eſt nugacitas, quia plena nugis, fraudibus & mendacijs, quibus accedentes illicit, illaqueat & dementat, adeò vt ex ijs conflata & conſuta videatur. *& nugacitas,*

Septimò, meretrix eſt dolium perforatum, in quod etiā Crœſi opes inijcias effluunt & prodiguntur, ipſaque ſemper eget, remanetque inops & pauper. Vnde Menander miſit Venerem ad aurifodinas, quòd nullo auro eius inopia & ſitis expleatur, teſte Rhodigino libr. 8. cap. 5. Verè S. Auguſt. ſer. 50. de Temp *Sæpè admodum*, inquit, *perdit luxuria, quòd congregauit auaritia*. Vide dicta cap. 5. v. 10. *& dolium perforatum.*

B ET PVTEVS ANGVSTVS, ALIENA] *Aliena*, id eſt meretrix, quæ non eſt tua vxor; hæc comparatur puteo anguſto: Primò, quia ſicut puteus profundus eſt & obſcurus, vt videatur eſſe barathrū; ſic eſt & libido ac meretrix. Audi S. Chryſoſt. hom. 11. in 1. ad Corint. *Quando enim*, inquit, *ab impudica libidine capta fuerit anima, ſicut nubes & caligo corporis oculos; ita, cùm illa eripuerit menti perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre vlteriùs, non præcipitium, non gehennam, non timorem, ſed ab illius occupata tyrannide deinceps facile poteſt expugnari à peccato, & tamquam feneſtris carens paries vndique ante oculos extructus, non ſinit radiū iuſtitiæ menti illuceſcere, abſurdis libidinum cogitationibus ipſum vndique amentibus.* *& puteus,*

C Secundò, ſicut puteus eſt anguſtus, vnde illud eius ænigma:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli ſpatium non ampliùs vlnas?

vtique in puteo: ſic pariter anguſta eſt domus, ſupellex, anima, reſque omnes meretricis. Rurſum ipſa ſe & amaſios in extremas anguſtias adducit. Vnde Syrus vertit, *puteus anguſtiæ & tribulationis.*

Tertiò, puteus eſt cœno lutoque, inquit auctor Catenæ Græcor. quin & ranis bufonibuſque refertus: ſic & meretrix tota ſpurca eſt & fœtida, quin & bufonem, id eſt dæmonem, in pectore geſtat. Septuag. vertunt *& puteus anguſtus alienus*. Alludit ad puteos priuatos domus alienæ, qui anguſti eſſe ſolent, vtpote proprij domus vnius: vnde ſæpè non ſufficiunt dare aquam vicinis. Quocirca multis in locis ſingulæ domus ſuos habent puteos. Senſus eſt, q. d. Sicut puteus alienæ domus eſt D anguſtus, illique ſoli ſufficit, non autem vicinis: ſic pariter anguſta eſt vxor aliena, quę vni marito ſuo lege matrimonij aſtricta, ad alios ſe extendere nequit ſine ingenti perfidia & periculo vitæ; ſi enim maritus reſciat vel ſuſpicetur vxorem alium adamare, vtrumq; ad necem perſequetur, iuxta illud c. 6. 34. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Hoc eſt quod ait Iſaias cap. 28. 20. *Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt.* vide dicta c. 5. 15. ad illa: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, &c. habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui.*

INSIDIATVR IN VIA QVASI LATRO, ET QVOS

QVOS INCAVTOS VIDERIT, INTERFICIET] Hebr. eſt כְּחֶתֶף *kecheteph*, id eſt *ſicut prædo & rapina.* Hinc Primò, Pagninus vertit, *etiam ipſa tamquam prædo inſidiabitur*; q.d. Sicut aſtuta vulpes inſidiatur gallinis, & lupus ouibus, vt eas faciant ſuam prædam & eſcam: ſic pariter meretrix inſidiatur iuuenibus incautis & inexpertis, qui ſunt velut ſimplices oues & gallinæ, vt eos eorumque opes, quin & ſanitatem, famam, vitam, conſcientiam prædetur & diripiat: vnde à lupis, id eſt meretricibus, dicta ſunt lupanaria.

Secundò, Marinus in Lexico vertit, *etiam ipſa tamquam rapina inſidiabitur.* Eſt hebraiſmus elegans, quo abſtractum ponitur pro concreto. *Rapina*, id eſt rapaciſſima, ſcilicet fera, vel raptrix & latro. Vnde Chald. vertit, *ſicut rapina fera* (hoc eſt, ſicut *fera rapiens*) *oculis inſidiabitur.* Meretrix enim eſt fera rapaciſſima & voraciſſima, imò congeries ferarum omnium, vt ex omnibus conflata videatur. In meretrice enim eſt aſtutia vulpis, ingluuies lupi, rixa canis, malignitas aſpidis, ſæuitia tigridis, ſuperbia leænæ, virulentia ſerpentis, truculentia draconis, vti docet S. Chryſoſtom. homil. 19. in Matth. Vox *oculis* tam ad *rapiens*, quàm ad *inſidiabitur* referri poteſt. q. d. Ceteræ feræ oculis inſidiantur, at pedibus vnguibuſque dumtaxat prædam rapiunt: meretrix verò feras ſuperat; nam eminùs oculis non tantùm inſidiatur, ſed & rapit intuentes velut Siren, eoſque ad ſe allicit & pertrahit, ſicut magnes ad ſe trahit ferrum remotum & diſſitum; raptos verò ſpoliat, necat, deuorat inſtar Sirenum.

Tertiò, Septuag. vertunt, *συντόμως*, id eſt *conciſè*, hoc eſt breui, citò, repentè, raptim, vti vertunt Syrus, R. Salomon, Complut. & Regij; aut potiùs *conciſè* id eſt in conciſura & conſciſſura rapinæ. Feræ enim dum ouem vel gallinam capiunt, ilicò eam dentibus vnguibuſque conſcindunt, diſcerpunt & lacerant, vt deuorent. Sic ergo ex Sept. vertas, *hic enim* (fornicator) *in conciſura peribit*: quia ſcilicet meretrix velut fera eum vt prædam conſcindet, laniabit & deuorabit.

Quartò, Noſter clarè & neruosè vertit, *inſidiabitur quaſi latro*: quia *rapinam* cum Marino accipit pro raptore, qualis eſt latro, aut pro חֶתֶף *cheteph*, id eſt rapina, alijs punctis legit חֹתֵף *choteph*, id eſt raptor, latro, prædo. Vnde Tigur. vertit, *hæc etiam, perinde vt prædones ſolent, inſidias ſtruit.* Sic & R. Leui & Aben Ezra.

Meretrix inſidiatur vt latro, Primò. Primò enim ſicut latro latet in cauernis, antris, ſyluis, & ferè in tenebris ac nocte graſſatur: vnde latro dictus eſt à latendo, vel quòd à latere adoritur, ait Feſtus: ſic & meretrix occultè inſidias ſtruit, ac ferè noctu prædam rapit. Rurſum eadem hominem excæcat & dementat, ſpoliatque luce rationis & iudicij, vt cæcum rapiat & prædetur. Audi S. Chryſoſt. hom. 11. in 1. ad Corinth. *Sicut*, inquit, *latrones & murorum effoſſores quando volunt aliquid pretioſum capere, lucerna extinctâ hoc faciunt: ita etiam in nobis facit libido: eſt enim in nobis perpetuò ardens lumẽ rationis. Ille igitur ſpiritus nequitiæ* (nempe luxuria) *magno impetu irruens flammam illam extinguit, & protinus diripit ſpoliatq; omnia quæ ſunt recondita.* Quod enim facit libido, hoc facit libidinoſa meretrix; hæc enim eſt libidinis illex & lynx, ipſaque quaſi libido.

Secundò. Secundò, ſicut latro primò theſaurum eripit, deinde vitam: ſic & meretrix eripit primò opes & A pudicitiam (quæ ingens eſt theſaurus) deinde ſanitatem & vitam, ac amaſios trudit in mortem & gehennam. Quocirca S. Bernardus cùm iuuenis eſſet forma eleganti, noctu tertiò tentatus ab hoſpita ad fornicationem, exclamauit, *Latrones, latrones*, itaque pudore ſuffuſam, & metu ne proderetur confuſam, abegit. Manè rogatus quoſnam latrones noctu vidiſſet, reſpondit: *Verè vtiq; aderat latro; & mihi caſtitatem hoſpita nitebatur auferre, irreparabilem theſaurum*: vnde vt hæc latronum pericula euaderet, Ordinem Ciſtercienſem ingreſſus eſt. Si enim latro eſt qui opes rapit, quanto magis latro eſt, qui pudicitiam, quæ theſaurus eſt incomparabilis, eripere ſatagit? ita habet Vita eius libr. 1. c. 3.

Tertiò, ſicut latrones vias publicas obſident, vt tranſeuntes inuadant; ſic & meretrices: vnde & B Semitariæ ſunt appellatæ. De inſidijs meretricis plura dicta ſunt c. 7. 10. *Tertiò.*

Myſticè, omnia quæ dicta ſunt de meretrice, adaptes concupiſcentiæ & voluptati cuilibet illicitæ, vti dixi c. 7. 10. & ſeq.

ET QVOS INCAVTOS VIDERIT, INTERFICIET] Hebr. *& præuaricatores in homine addet*; Syrus, *& multi homines iniquitatem multiplicant*; R. Salomon, *rebelles in homine addet*, id eſt, *numerum eorum augebit, qui inter Iſraelitas Deo ſunt offenſi*; Aben Ezra, *prædonem in hominem addet*, id eſt prædonibus iunget alios conſimiles. Meretrix enim, ait R. Leui, cum parricidis & prædonibus ſocietatem contrahit; atque incautos artibus ſuis in eum locum pellicit, in quo ſicariorum manu cadant. Caiet. *& peccatores in hominibus addet*; Tigur. C *ſibi præuaricatores adiungit*; Vatabl. *multiplicat*: quia nimirum meretrix inuitat omnes ad ſui amorem, inde ad lites, rixas & cædes: quocirca incautos interficit, vt aptè vertit Noſter. Nam ex Hebræo ſic ad verbum vertas, *& præuaricatores ad Adamum congregabit* (ſi enim יֹסִף *ioſiph* id eſt *addet*, deriues ab אָסַף *aſaph*, ſignificat *congregabit*) hoc eſt, *interficiet*. Hebr. enim mors vocatur *congregatio*: vnde *congregari ad patres*, idem eſt quod mori: *congregare* verò *ad patres* eſt interficere. Cauſas huius phraſis aſſignaui Oſee 4. v. 3. ad illa: *Et piſces maris congregabuntur*, id eſt deficient & morientur, vt vertunt Septuag. & Chald. Hinc & Theodot. hoc loco vertit, *& præuaricatores in hominibus tollet*; Chald. *& venatur filios inſipientes*; Septuag. *& omnis iniquus abſumetur.* Verè S. Cyprian. de Singularit. Cleric. *Tempus*, inquit, *luctaminis adhuc geritur, & mors per feminam adhuc* D *graſſatur.* q. d. Sicut Eua ſeducens Adamum, induxit peccatum & mortem in omnes poſteros: ſic etiam femina illex & libidinoſa perdit maiorem partem hominum, eoſque in libidinem, mortem & gehennam ſecum pertrahit. Pergit S. Cyprianus: *Mentior, ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Epiſcopi & clerici ſimul & laici poſt confeſſionum victoriarumq; calcata certamina, poſt magnalia & ſigna, vel mirabilia vſquequaque monſtrata, noſcuntur cùm his omnibus naufragaſſe, cùm volunt in naufragili nauigare! Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam!* Vnde exhortando ſubdit: *Longè ſit peſtis iſta & lues, & clandeſtina pernicies. O quàm inordinabilis feminæ propinquitas iaculatur, cuius vicinia eſt delictorum latrocinium!* q. d. Sicut vrbes & viæ propinquæ latronibus, cædibus & latrocinijs,

quæ ab ijs aſſiduè perpetrantur, plenæ ſunt & infames: ſic & meretrix omnia vicina infeſta reddit ſuis libidinibus & ſceleribus, quæ ex illis conſequuntur, adeò vt meretrix, ſiue lupa & lupanar, videatur eſſe delictorum omnium ſpelæum & latrocinium.

Vers. 29. CVI VÆ? CVIVS PATRI VÆ? CVI RIXÆ? CVI FOVEÆ? CVI SINE CAVSA VVLNERA? CVI SVFFVSIO OCVLORVM?] Gnome hæc torquetur in bibones & temulentos, eorumque gulæ & crapulæ multa grauiaque damna accenſet. Vnde ſubdit:

Vers. 30. NONNE HIS QVI COMMORANTVR IN VINO, ET STVDENT CALICIBVS EPOTANDIS?] *Cui væ*, id eſt cui ingẽs calamitas & eiulatus, niſi vinoſo & ebrio? R. Leui, *cui damnum perniciesq́; infertur? quiſnam lamentis querelisq́; æthera pulſat? Ebrioſus. Væ* enim ſignificat gemitum inſignem cum tunſione pectoris, & comploſione manuum, ob ingentem cladem & dolorem, iuxta illud: *Et ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ*, Ezechiel. 2. v. 9. Vide ibi dicta. Vbi S. Gregorius ait, *væ* notare æternam maledictionem & damnationem gehennæ: hæc ergo paratur ebrijs, vt patet Galat. 5. v. 21.

CVIVS PATRI VÆ?] Rectè: Hebr. enim אֲבוֹי *aboi* componitur ex אָב *ab*, id eſt *patris*, & אוֹי *oi*, id eſt *væ*. Filij enim ebrioſi parentibus mille dolores, moleſtias, triſtitias, timores, lites, rixas & pericula creant. Secundò, alij *aboi* deriuant ab אָבָה *aba*, id eſt deſiderauit: vnde vertunt, *cui appetitus* ſeu deſiderium habendi multa, quæ in ſympoſia inſumat & abſumat? vtique guloſo & vinoſo. Tertiò, alij cum Aben Ezra vertunt, *cui egeſtas*? אָבָה *aba* enim ſicut deſiderare, ſic & egere ſignificat: hinc *ebion* vocatur egenus & pauper, quia cum multis egeat, multa deſiderat. q.d. Vinoſo eſt cupido omnium rerum, eò quòd omnibus indigeat. Sympoſia enim eum deducunt ad extremam inopiam, faciuntque omnibus egere. Quartò, Syrus vertit, *cui perturbatio*? & Septuag. *cui tumultus*? Vinum enim ciet tumultus, ebrioſque facit tumultuoſos. Cùm enim cerebrum habeant omnino perturbatum, & vt mare æſtuans, omnia perturbant & litibus inflammant. Quintò, Chald. *cui deformis aſpectus*? Ebrioſi enim fiunt liuidi, luridi, tetrici, moroſi, atque varias informes beſtiarum formas ſpeciesq; induunt: nunc enim ringunt vt canes, nunc grunniunt vt porci, nunc rugiunt vt leones, nunc geſticulantur vt ſimiæ, nunc toruè intuentur vt tauri, nunc vlulant vt lupi.

CVI RIXÆ?] Septuag. *cui iudicia*? id eſt lites. Vinum enim fumos calidos in caput exhalat, qui cerebrum indeque bilem accendunt: vnde ira, lites, rixæ, cædes & verbera. Ita quotidiana docet experientia, gulonum conuiuia & ſympoſia deſinere in rixas & cædes. Quocirca S. Chryſoſtomus, *Sicut oleum*, inquit, *alit lucernam, ſic vinum iram inflammat, velut conuenienti nomine appellentur pocula amicitiæ*. Extat antiqua Francorum lex apud Beat. Rhenanum l. 2. Rerum German. hac forma: *Nemo militiæ ſocium aut quemlibet alium ad potandum inuitato: quòd ſi quis ebrius repertus fuerit, eiectus quoad culpam agnoſcat, aquam bibitò*. Vtinam illa in praxim reuocetur.

CVI FOVEÆ?] Legit שׁוּחָה *ſuach* per *ſchin*, id eſt foſſa, fouea, ſepulcrum, vti dixi v. 27. Iam legunt שִׂיחַ *ſiach*, per *ſin*, id eſt garrulitas. Vnde Pagnin. *cui muſſitatio*? Regia, *cui murmur*? Complut. *cui triſtitia & ineptiæ*? Vatican. *cui moleſtiæ & tricæ*? Vatabl. *apud quem nugæ*? Syrus, *cui mala*? Chald. *cui malorum congeries*? Nam vt ait S. Chryſoſt. hom. 10. in Geneſ. *vini largior vſus infinitorum eſt cauſa malorum*. Ebrius enim vino diſſolutus effundit cordis ſui ineptias, ſuſpiciones, odia, ſecreta, maledicta, calumnias, quibus mille malorum ſibi & alijs eſt cauſa.

To foueæ notat Primò, ebrium præ vertigine temulentiæ non poſſe rectos figere greſſus, ſed titubare, impingere, & non rarò in foſſas prolabi, vel certè turbatâ imaginatione eas ſibi fingere. Vnde S. Ambr. l. de Elia & ieiunio: *Hinc*, ait, *vanæ imagines, incerti viſus, inſtabiles greſſus; vmbras ſæpè tranſiliunt ſicut foueas*.

B Secundò, *fouea* eſt ſepulcrum. Nam vt ait S. Aug. *Ebrietas eſt quædã viui hominis ſepultura*: ebrius enim vino obruit ſepelitq; rationem & mentem, indeque hominem, ac induit ſpeciem beſtiæ, quæ non niſi tactu ſenſuque agitur, imò cadaueris inſenſilis & mortui. Vnde S. Chryſoſt. homil. 10. in Geneſ. ebrium vocat *viuum cadauer*.

Tertiò, *fouea* ſymbolicè ſignificat pericula quælibet, in quæ temulentus, vtpote mero æſtuans, intrepidus & audax vltrò ſe conijcit. Verè S. Chryſoſt. *Ebrius*, inquit, *eſt voluntarius dæmon*, quia ebrius ita ſæuit, clamat, furit, & omne nefas dicit agitque, perinde ac ſi eſſet dæmon incarnatus; ſed in hoc dæmone eſt peior, quod in hæc ſcelera ſe vltrò & liberè conijciat, cùm dæmon obduratus in malo nil poſſit boni velle vel agere, ſed tantùm id quod malum eſt. Vnde in dæmonis arbitrio non eſt vt redeat ad ſtatum angelicum, ſed neceſſariò dæmon eſt, & dæmon perſeuerat. *Ebrius eſt voluntarius dæmon.*

C CVI SINE CAVSA VVLNERA?] Ebrius enim ſine offenſa aut cauſa, quam aliquis ei dederit, rixatur, maledicit, verberat; ideoque viciſſim percutitur & verberatur, idq; certiùs & certiore ictu, vtpote quem librat directa firmaque manu ſobrius & ſui compos. Hebr. *cui vulnera gratis*? Caiet. *cui percuſſiones capitis fruſtra*? Septuag. *cui contritiones ſuperuacuæ*: temulenti enim vino accenſi temerè rixantur, pugnant, & ſe inuicem conuulnerant. Audi S. Baſil. homil. de ebrietate: *Hem quid agis, ô homo? famulus fugit dominum cædentem ac vulnerantẽ: tu autem permanes cum vino, quod ſingulis diebus caput ferit ſeu percellit tuum*. Hæc eſt prima vini plaga, quæ per ſe cerebrum percutit & ſternit, vt rationis ſit inops. Sequitur ſecunda, qua vinum per alios,

D quos ebrius laceſſit, propriè dictas ei plagas infligit, de quibus S. Ambroſ. de Elia & ieiunio c. 12. *Vno die*, ait, *bibunt multorum dierum labores, de ebrietate ad arma conſurgunt, calicibus tela ſuccedunt, pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderũt*. Quocirca Fulgentius in Mythologia in fabula Dionyſij: *Iupiter*, inquit, *ex Semele genuit Bacchum. Cum Semele quatuor eius ſorores appellatæ ſunt, Ino, Autonoë, Semele & Agaue. Quid ſibi hæc fabula velit, exquiramus. Quatuor ſunt ebrietatis genera. Primò vinolentia; ſecundò, rerum obliuio; tertiò, libido; quartò, inſania. Vnde & hæ quatuor ſorores dictæ ſunt Bacchæ, quaſi vino vacantes. Prima Ino: οἶνος enim græcè, latinè vinũ dicimus: ſecunda Autonoë, quaſi αὐτὴν ἀγνοοῦσα, id eſt ſeipſam non cognoſcens; tertia Semele, quaſi σῶμα λύον, quod nos latinè corpus ſolutũ dicimus. Vnde ipſa genuiſſe Liberum patrem (Bacchũ) dicitur, id eſt de libidine nata ebrietas: quarta Agaue, quæ ideo inſaniæ comparatur,* *Quatuor Bacchæ ſorores, id eſt vini genera.*

quòd caput filij violenter abſcidit. Ita Fulgentius, quem nonnulli S. Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, qui floruit anno Domini 520. exiſtimant. Verùm Fulgentius hic Mythologus, alius à S. Fulgentio videtur, cùm materies illa fabularum & ſtylus S. Fulgentij grauitatem non ſapiat, ait noſter Poſſeuinus in Biblioth.

CVI SVFFVSIO OCVLORVM] Hebr. חַכְלִלוּת *chachilut*, id eſt, *cui rubedo oculorum?* alij *chachilut* deriuant à כָּלַל *calal*, id eſt conſummauit, conſumpſit, euertit: vnde vertunt, *cui ſuffoſſio oculorum?* Ebrioſorum enim oculi videntur ſuffoſſi, ac vino madentes, videntur ei quaſi innatare. Septuag. πελιδνοὶ, id eſt, *liuidi* (Complut. *nigri*) *oculi.* Oculos liuidos vel nigros, ait auctor Catenæ Græcor. appellat cæcutientes & cadauerоſos, tenebriſque oppletos; Aquila. κατάξηροι, id eſt *vacui*: ſed videtur legendum καταῤῥοι, id eſt *laborantes diſtillatione*, puta rheumate & catarrhis; Chaldæus, *cui extrema oculorum prominent?* Igitur hæc omnia eòdem redeunt, ſed vnius mali oculorum varias conditiones & damna recenſent. Vinum enim primò ignitos vapores in caput eiaculans, oculos facit rubentes & quaſi igneos, qui ſignum ſunt audacię & impudentiæ, ait Ariſtot. in Phyſiognom. rubedo enim fit ex concurſu ſanguinis & caloris; ſicut ex aduerſo pallor in metu fit ex fuga ſanguinis & caloris. Ex rubedine ſequitur hebetudo oculorum; oculi enim humore ſuffuſi caligant & cæcutiunt, inde eorumdem tumor, liuor, caligo ac nigredo.

Audi Clementem Alexand. 2. Pædagog. c. 2. *Viuo immodico oculi detorquentur ac diuertuntur, cùm græ humoris multitudine viſus tamquam in piſcina natitet, atque adeò mentiri coacti exiſtimant quidem omnia in orbem circumagi; numerare autem non poſſunt quæ procul ſunt, tamquam ſint vnica. Atque duos ſoles videre mihi videor, ebrius dicebat ille Thebanus ſenex. Motus enim viſus à vini calore, ſæpè eius quod eſt vnum, multiplicatam apprehendit viſione ſubſtantiam: nihil enim differt an viſum videat, an id quod videtur. Idem enim viſui ex vtriſque accidit, qui propter fluctuationem non poteſt ſubiectum perfectè comprehendere.* Et poſt nonnulla: *Cui ſunt liuidi oculi? an non eorum qui in vinis tempus conſumunt?* &c. *Salomon quidem enim qui potu nimio delectatur, etiam rationi mortuum eſſe oſtendit per lucentes oculos, quod eſt ſignum mortui, eam, quæ eſt in Domino, ei mortem annuntians: obliuio enim eorũ, quæ ad veram vitam pertinet, vergit ad interitum.* Pręclarè Lucretius:

Cùm vini, inquit, *vis penetrauit*
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur grauitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.

Porrò pro *ſuffuſio* alij legunt *ſuffoſſio*, alij *confuſio*, alij *confeſſio*. Audi ſingula enarrantem Franc. Lucam hic eruditè notat. 187. Suffunduntur, inquit, ebrioſorum oculi, naſuſque rubore, quem humorum ex vino ortorum calor efficit. Efficit quoq; humorum vis oculorum aciem obtundi, & ſuffundi oculos caligine, quæ videndi imminuat facultatem. Trilinguis Collegij manuſcriptum *ſuffuſio* habet, quod ſimiliter vel ad ruborem eſt relatum: habent enim potatores ruborem perpetuum, quem verecundi temporarium, vel ad humorem, quo potatorum viſus offunditur. Eſt autem apertum mendum quod habet Nurenber-

A genſis editio *confeſſio*, quamuis prodant & confiteantur oculi ebrietatis ſtudium. Chaldaica Paraphraſis, in Regiâ editione latinè verſa eſt: *Et cui extrema oculorum prominent?* id quod pro ſuffoſſionis lectione facere poſſit; nam quæ ſuffodiuntur prominent, ſicut prominet terra quam talpa ſuffodit. Sed non ſatis ſcio quid deſignet Paraphraſis, an oculos prominentes, an prominentes genas, quæ in rugas ebriotis contrahuntur; an quid aliud. Porrò ſubminiſtrat continuè multus frequenſque vini potus calorem, qui oculorum humorem paulatim exhauriat, & videndi facultatem debilitet, tandemque arefactis organis extinguat, quod ſuffoſſione oculorum ſignificari poſſit: niſi fortè reſpectum ſit, ab ijs, inquam, qui pro *ſuffuſio*, *ſuffoſſio* ſubſtituère (veriſimillima eſt enim *ſuffuſio* noſtri Interpretis ſcriptura) ad potatorum pug-

B nas, qui dum in prælia inermes traduntur, fortaſſe quod mulieribus eſt conſuetudo, manibus ſibi inuicem exarant genas, oculoſque ſuffodiunt. Huc, (ad pugnam dico) haud dubiè reſpexerunt Græci, cùm tranſtulerunt: Τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί; *cuius liuidi oculi?* ſolent enim pugnis aut poculis cædere, & liuidos mutuo ſibi oculos dare. Ceterùm grauiora his non rarò & deſignant & perpetiuntur, eoque deueniunt, vt in crucem agantur, vbi eorum oculos ſuffodiant corui de torrentibus, & comedant filij aquilæ. Hæc Lucas.

NONNE HIS QVI COMMORANTVR IN VINO, ET STVDENT CALICIBVS EPOTANDIS?] Hebr. *nónne his qui tardant ſuper vinum, & ingrediuntur ad ſcrutandam mixtionem?* id eſt, qui longas moras tra-

C hunt in compotationibus, quique ſolicitè inueſtigant & ſcrutantur, vbinam ſit vinum præſtantius & generoſius ad potandum, ait R. Salomon & R. Leui. Vatabl. *apud eos nimirum, qui vinum ſectantur, qui veniunt ſcrutatum, vbi vinum miſceatur*; Septuag. *nónne veſtigantibus vbi compotationes fiant?* Chald. *his qui inueſtigant domum mixtionis*; id eſt popinam & vini tabernam; Syrus, *ijs qui ita ſe detinent, ac ſi eſſet domus compotationis.* Mox addit: *Ne vino inebrieris, ſed loquere cum viris iuſtis, & ambula cum illis, & ſermones confere*, quod accepit ex Septuag. de quibus v. ſeq.

Potores ergo ita vino inhiant, vt cum Diogene Cynico in dolio morari & habitare videantur, non ad illud implendum, vt ille, ſed ad illud euacuandum; non ad ſpeculandum cælos, vti ipſe, ſed ad exhauriendum calices. Hinc non tan-

D tùm dies integros, ſed & noctes ſubinde perpotant & pergræcantur, nec ceſſant, niſi vel ſomno obruantur, vel ſopiti à menſa ad lectum velut porci vel cadauera auferantur. Nota. Vinum ab Hebræis vocatur *mixtio* vel *miſtura*; quia ſolent vina tenuia generoſis, acria lenibus, auſtera dulcibus miſceri. Aut potiùs, quia Hebræi priſci, vtpote temperantes, vina ſua, quæ generoſa ſunt, aquâ miſcebant & diluebant, vti alibi oſtendi. Præclarè S. Auguſt. ſerm. 231. de Tempore, ebrios comparat paludibus; in quibus nil niſi ranæ & ſerpentes naſcuntur, ac inter alia ebrietatis damna hæc recenſet: *Et eſt in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio; & dolor capitis, ſuffuſio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis ſtupor. In talibus impletur quod ſcriptum eſt: Cui væ, cui tumultus, cui iræ, cui rixæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum? nónne his qui morantur in vino, &*

tis, qui inueſtigant vbi potus ſunt, & ſtudent calicibus epotandis. Sed illi qui tales eſſe volunt, miſerabiliter ſe excuſare conantur dicentes: Ingratum habeo amicum meum, ſi, quoties illum ad conuiuium vocauero, potum ei quantum voluerit, ipſe non dedero. At non ſit tibi amicus qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & ſuus eſt inimicus: ſi & te & aliũ inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideò ſapienter conſidera, ſi iuſtum ſit vt te à Deo ſepares, dum te ebrioſo coniungis.

Audi dotes ſobrietatis, & damna ebrietatis ex Beda in Collectaneis: *Sobrietas ſeruat memoriam, acuit ſenſum, ſincerat mentem, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitia, figurat aciem, elimit aures, exonerat cerebrum, exprimit linguam, explicat ſermonem, nutrit medullam, confirmat ſanguinem, procurat venas, conſtringit neruos, contemnit libidinem, recreat ſomnum, propagat ſenectutem, perhibet myſterium, & hominem* B *conſtabilit. Ebrietas eſt imbecillitas, prima obuoluit memoriam, euacuat ſenſum, negligit mentem, confundit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, impedit ſermonem, corrumpit ſanguinem, obtundit viſum, perturbat venas, obturat auditum, infirmat neruos, ſubuertit ſenſum, reſoluit viſcera, onerat cerebrum, debilitat memoriam, aufert fortitudinem, fugat ſomnum, impedit menſtrua, obturat animum, maculat corpus, & hominem ſuo vitio coinquinat & ſine honore facit.*

Vers. 31. NE INTVEARIS VINVM QVANDO FLAVESCIT, CVM SPLENDVERIT IN VITRO COLOR EIVS: IN-
Vers. 32. GREDITVR BLANDE, SED IN NOVISSIMO MORDEBIT VT COLVBER, ET SICVT REGVLVS VENENA DIFFVNDET] Hebr. *ne aſpicias vinum quando rubeſcit* (quia in Palæſtina non habent vinum album, ſed tantùm rubrum, vti mihi viri graues Romæ aſſeuerarunt) *cùm dederit in calice oculum ſuum.* C

Noſter pro *rubeſcit* vertit, *flaueſcit*, quia flauus color eſt è viridi, rubro & albo concretus; hoc eſt fuluus clarior, qualis eſt color auri, mellis & ariſtarum matureſcentium. Vnde hic color valdè gratus eſt oculis, valdeque irritat appetitum & gulam. Sanè in Italia multa vina videmus aureſcentia & aurei coloris, quæ oculos æquè ac gulam illiciunt.

Rurſum flauus color non tantùm in vino rubro, ſed & albo cernitur: quare cuilibet vino competit. Denique flauus color ad rubrum accedit & pertinet, eiuſque eſt velut ſpecies. Vnde Gellius l. 2. c. 26. *Aſſeuerat rufum colorem multas habere ſpecies* D

Rubri coloris multæ ſpecies. *differentes, quas Latina oratio ſingulis proprijſq; vocabulis non demonſtrat, ſed vna ruboris appellatione ſignificat: quippe rufus color à rubore quidem appellatus eſt, ſed aliter rubet ignis, aliter ſanguis, aliter oſtrum, aliter crocus. Et tamen ex ipſis rebus vocabula colorum mutuatur. & igneum aliquid dicitur, & flammeum, & ſanguineum, & croceum, & oſtrinum, & aureum. Rufus enim & ruber nihil à vocabulo rubei differũt.* Sed eodem loco Fronto contendit latinè etiam ſub *rufo & rubro* colore has item differentias ſignificari, *fuluum, flauum, rubidum, phœniceum, rutilum, luteum, ſpadicem, aut acuentes, aut incendentes rufum aut cum colore viridi miſcentes, aut nigro infuſcantes, aut virenti ſenſim albo illuminantes.*

Pro *color eius*, hebr. eſt *oculus eius*. Primò, ad literam & genuinè, *oculum* Hebræi vocant *colorem*, & vt Chald. vertit, *ſplendorem*: tam enim lux ſiue ſplendor, quàm color, eſt obiectum oculi & viſus. Eſt metonymia frequens Hebræis: ponitur enim po-

Oculus vini quid? Reſp. Primò.

A tentia pro obiecto, putà oculus pro colore. Vnde Syrus vertit, *cùm in calice ſui pulchram ſpeciem præbuerit*; Chald. *cùm poſuerit in calice colorem ſuum.*

Secundò, Caiet. *Oculus*, inquit, *vini appellatur perſpicuitas eius. Oculus enim naturalis eſt animantis pars habens in ſe perſpicuum vinum: at propterea quod eſt perſpicuum ac viuax ipſius vini, eiuſdem oculus appellatur.* Vinum enim generoſum eſt ſpiritoſum, ac ſpiritus per bullas ſeu oculos eiaculatur. Secundò.

Tertiò, *oculus vini* vocatur lux ſolis, vel candelæ aut lampadis, quæ recepta à vino in vitro, ab eoque refracta vel repercuſſa ſpeciem ſplendentis oculi exhibet: lux enim eſt figura orbicularis inſtar oculi. Rurſum ſicut per oculos maleficorum fit faſcinum (per eos enim faſcinantur pueri:) ſic per hoſce quaſi vini oculos faſcinantur & illiciuntur ad potandum intuentium aſpectus & animi. Tertiò.

Significat ergo continendos eſſe oculos, ne vinum flaueſcens & aureſcens intueamur: ipſum enim eſt pellax & illecebroſum, rapitque ad ſe intuentis gulam, ſicut ſpecies feminæ rapit intuentis libidinem. Ita Eua videns lignum pulchrum & guſtatu ſuaue, illecta fuit ad comedendum pomum vetitum, illoque ſe, maritum & poſteros omnes perdidit. Cohibe ergo oculos, ne vinum in vitro flaueſcens & ſubſiliens intueantur; quia ſi videris, bibes. Magna enim eſt vis, magnus oculorum dominatus in corda, magna viciſſim cordium aduerſus oculos tum ſympathia, tum ſeruitus, quò enim feruntur oculi, eò repentè & furtiuè rapiunt ſecum animos & corda.

Septuag. paraphraſticè nonnulla ex ſuo addentes, ſic vertunt, *ne inebriamini vino* (Vatican. *vinis*, quia mixtura variorum magis illecebroſa & delicioſa eſt, magiſque turbat cerebrum & inebriat. Vnde Nazianz. apud Maximum ſerm. 30. *Damnum*, inquit, *putamus, niſi vernaculo vinum aliquod externum, velut tyrannus miſceatur.* Vinum ergo mixtum ſæuit in cerebrum inſtar tyranni) *ſed conuerſamini cum hominibus iuſtis* (ſobrijs & ſapientibus) *& cõuerſamini in deambulationibus*, id eſt, vt clariùs vertit auctor Catenæ Græc. *ſed in porticibus publiciſq; ambulacris cum viris iuſtis familiariter conuerſamini: nam ſi in phialas & pocula dederis oculos tuos, poſtea ambulabis nudior piſtillo*, id eſt, ad extremam paupertatem & nuditatem redigeris. Piſtillum enim quo aromata in mortario, aut vuæ in vaſe torcularis tunduntur, aſſidua tunſione planè nudatur, imò decorticatur & raditur: vnde prouerbia, *Piſtillo caluior*, pro valdè glabro & caluo: *piſtillo nudior*, pro exhauſto: *piſtillo retuſior*, pro obtuſo & hebete, quales facit temulentia: *hyperi vertigo*, ſiue *piſtilli circumlocutio*, de quo Plato in Theæteto, pro eo cuius ſermo in idem reuoluitur, ſiue qui idem ſemper agitat, neque quidquam tamen explicat; vel, vt interpretatur Heſychius, qui idem ſemper agit, neque quidquam tamen proficit, vti potores opera multa inchoant, ſed nullum abſoluunt, quia toti ſunt in calicum circumuolutione. Alij *τὸ piſtillo nudior* referunt ad reuelationem ſecretorum: ebrij enim nudant & enuntiant omnia cordis arcana & ſecreta. Huc facit axioma Plutarchi in Moral. *Mundus aquâ & igne corrumpitur: luxurioſorum autem opes, amore & ebrietate.* Et Menandri: *Multum meri parum ſapere cogit: contumelia & vinum, amicorum mores amicis detegere ſolent.*

INGRE-

INGREDITVR BLANDE] Chald. *rectè;* Hebr. *procedit in rectitudinibus,* id eſt procedit rectè, iucundè blandè. Aben Ezra id refert ad vitrum vel calicem. q. d. Vinum infuſum rectè illabitur in calicem, videturque rectum & naturæ conſentaneum, ita vt damnum inferre nequeat, R. Leui: *Vinum,* inquit, *in calice miram ſui ſpeciem exhibet: ſeruat enim naturæ curſum ad rectitudinem, & ad æqualitatem vergit, vt ſolet vinum generoſum, quod in ſuprema calicis ſuperficie cùm primùm effunditur, pars ſubtilior apparet.* R. Salomon refert ad actiones quæ temulento rectæ videntur, eſto obliquæ & prauæ ſint. *Quando,* inquit, *quis ebrietate diffluit, quæcumque criminis incurrit, rectas actiones arbitratur, cùm omnia ſua iniuſta & vias rectas æſtimet.* Vatabl. refert ad colorem & ſplendorem, quem vinum directè iacit in oculos intuentium; vnde vertit, *noli contemplari vinum cùm rubet, & cùm phiala colorem ſuum reddit rectà procedentem.*

Noſter longè aptiùs refert ad gulam & guttur potantis q. d. Vinum decipit tum colore, tum guſtu, quia guſtatu eſt blandum, ſuaue & delicatum: ingreditur enim in guttur directè, quia illi iucundum eſt & ſuaue: ſuo enim vinoſo ſapore, qui dulcedinem habet, non mollem & flaccidam, ſed acrem & igneam, pungit ſtimulatque fauces ad illud auidè hauriendum. Vinum ergo ambulat & illabitur *in rectitudinibus,* id eſt ſine offenſione, ſine aſperitate, leniter & ſuauiter, ac videtur rectum, id eſt bonum, blandum & appetibile. Sic *rectum* ſæpè capitur pro iucundo, vt cùm crebrò in Scriptura dicitur: *Rectum fuit in oculis eius,* id eſt ei placuit, fuitque gratum & iucundum.

SED IN NOVISSIMO MORDEBIT VT COLVBER, ET SICVT REGVLVS VENENA DIFFVNDET] Hebr. *& ſicut regulus expandet,* ſcilicet ſuum virus & venenum. Hebr. eſt יַפְרִשׁ *iaphris,* quod Aben Ezra vertit, *pungit,* propter calcaria quæ regulus in pedibus gerit; R. Salomon, *ſeparat,* id eſt, eum à vita disiungit; Pagnin. *dolore afficiet;* Chald. *nouiſſimum autem eius ſicut coluber mordet, & ſicut aſpis quæ volat;* Vatabl. *velut aſpis punget;* Syrus, *ſed cogita nouiſſima: quia finis vini eſt ſicut plaga colubri, & ſicut regulus qui volat;* Septuag. *at nouiſſimè tamquam à ſerpente vulneratus extenditur & tamquam à ceraſte diffunditur eius venenum.* Ceraſtes eſt ſerpēs bino cornu cornutus: κέρας enim Græcis eſt cornu: doloſum eſſe, arena ſe condere, & oblata necare, tradunt Plinius & Nicander. Vnde auctor Catenæ Græc. ſic explicat: Ad poſtremum, ait, & animæ & corporis mortem non ſecùs à vino, quàm ſi à ceraſte, vel alio venenoſo ſerpente eſſes morſus, moriere: qui enim à ſerpente mordetur, morſus doloris initio vix ſentit; ad finem tamen perit. Eſt D autem ceraſtes peſſimum & calidiſſimum ſerpentis genus: etenim toto reliquo corpore ſub arena abdito, ſola cornua supernè prominere ſinit: hæc autem dum inſtar vermiculi ſubinde mouet & agitat, incautas volucres, aliaſque animantes ad ſe allectat. Porrò autem vt primùm ad cornua, tamquam ad certam eſcam aduolauerint vel ad repſerint, ſtatim illas intercipit & interimit. hæc ille. Albertus Magnus; Geſnerus, & alij volunt ceraſtem eſſe dipſadem: dipſas eſt ſerpens ita græcè dictus, quòd mordendo excitet ſitim; quà fit vt morſi aſſiduè ſitientes iugiter bibant, & tandem bibendo ſe ſuffocent vel crepent; ſic & vinum in potoribus ſui ſitim acuit, vt quo plus bibunt, eo

A plus bibere ſitiant, donec vino ſe obruant, & non rarò enecent.

Senſus ergo eſt. q. d. Vinum blandè, iucundè & ſapidè per fauces in ſtomachum illabitur: at in ſtomacho ſuum calorem & vinolentiam quaſi virulentiam exercens, ſanguinem & ſpiritus, ac per eos omnia membra inficit & inflammat, vt iam non vinum, ſed venenum ſerpentis & reguli eſſe videatur, quod proinde creat ardores, febres, catarrhos, nauſeam, vomitum, milleque alios morbos, qui ſæpè mortem afferunt, quin & corpus mentemque incitant ad libidines, rixas, cædes, omneque nefas. Quare vinum peſtilentius eſt quouis ſerpente & quouis veneno: quia hoc ſolum corpus inficit & necat; vini autem vis à corpore in animam mentemque proſerpit, in eaque rationem ac iudicium ſopit, & quaſi interimit, vt anima ſui impotens agatur phantaſiâ ac concupiſcentia gulæ, B luxuriæ, iræ, ceterorumque vitiorum, quam vinum ſuſcitat & accendit.

Vnde S. Ambroſ. lib. de Elia & ieiunio cap. 16. *Ebrietas,* inquit, *fomentum libidinis, incentiuum inſaniæ, venenum ſapientiæ.* Et cap. 14. *Quis tale miſcuit furoris poculum? quis tantum infudit mentibus venenum?* Et infra: *Cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena ſuffundis. Omne enim quod nocet venenum eſt; tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infeſtat, caput vexat. Etiam maior vis vini, quàm veneni eſt. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Merito Deus per Moyſem non ſolum veneno, ſed etiam veneno draconum, vinum comparauit dicens: Furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis.* Deut. 32. *Et pulchrè additur inſanabilis: multi enim à reliquorum ſerpentum venena curantur, nemo ab ebrietate: certè veneno* C *caro vulneratur, vino mens.*

Porrò noſter Martinus de Roa lib. 6. Singularium cap. 12. per ſerpentem, ſiue colubrum, accipit viperam, ſicque explicat: Quemadmodum vbi corpus ac mentem vinum occupauit, omnia perturbata & confuſa cernimus, ex vna duas flammulas videmus, firmiſſimæ columnæ nutant; ita etiam quæ ſunt in mente, rerum figuras atque imagines, ſiue phantaſmata, turbat ac miſcet, facitque vt amici arcanum, quod, cùm eſſet integer, viſum eſt dulciſſimum amicitiæ pignus, in ebrietate ſit vipera, quæ viſcera diſrumpat vt exeat, deindè cùm exierit, & auctorem perdit primùm, & alios deinde diſcruciat. Conuenit cum hac ſententia Plutarchus, qui in comment. de Loquacitate, *Belonas,* inquit, *piſces & viperas partu rumpi aiunt: arcana autem eos, qui non continent, foras elapſa perdunt.*

Myſticè, vinum eſt quælibet voluptas & pec- D cati illecebra: peccatum enim vinum eſt, non illud quod bonæ vites germinant, ſed quod peſtilens aduerſarius noſter propinat: nam *fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile,* Deut. 32. 33. Huius primus aſpectus inſipientibus pulcher & delectabilis videri ſolet, qui vindictæ appetitu, ſuperbiæ dominatu, & voluptatis guſtu lætantur: ſed faucibus mentis traiectum, ac in ſtomachum ſpiritualem tranſlatum, ô quales torſiones excitat, & quantis inquietudinibus animam grauat.

ET SICVT REGVLVS VENENA DIFFVNDET] *Regulus* latinè idem eſt quod græcè *baſiliſcus:* hic enim eſt rex ſerpentum, ſicut aquila auium, balena piſcium, elephas iumentorum, leo ferarum. Ap- *Vinum eſt baſiliſcus.*

Primo. politè vinum comparatur baſiliſco. Primò, quia, ſicut baſiliſcus ſolo intuitu eos quos aſpicit necat, halitus venenatos & lethiferos oculis ſuis in eos vibrando, ſic pariter vinum intuitu ſuo rapit, inficit & perdit potores. Vnde ait Salomon: *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius:* hic baſiliſci oculus eius. *Baſiliſcus,* ait Feſtus, *dictus eſt, vel quòd in capite habeat album quiddam inſtar diadematis, vel quòd reliqua ſerpentum genera vim eius fugiant:* ſic pariter ebrios velut rixoſos, pugnaces, homicidas, imò inſanos & furioſos, fugiunt omnes, etiam ſcelerati. *Baſiliſci,* ait Plinius lib. 29. cap. 4. *quem etiam ſerpentes ipſi fugiunt, alios olfactu necantem, qui hominem, vel ſi aſpiciat tantùm, dicitur interimere, ſanguinem magi miris laudibus celebrant:* ſic & magi vino & venenis ſe paſcunt, ſuaque magica exercent.

Secundo. Secundò, Plinius lib. 8. c. 21. baſiliſcum ita deſcribit: *Cyrenaica hunc generat prouincia duodecim, non ampliùs digitorum magnitudine, candida in capite macula, vt quodam diademate, inſignem. Sibilo omnes fugat ſerpentes, nec flexu multiplici, vt reliquæ, corpus impellit, ſed celſus & erectus in medio incedens. Necat frutices non contactos modò, verùm & afflatos: exurit herbas, rumpit ſaxa. Talis vis malo eſt.* Sic pariter temulentus ſuis ſibilis, clamoribus, minis & rixis fugat omnes: idem celſus & ſuperbus incedit. Vis mali eius eſt in halitu, quo quaſi igneo & ſe & alios accendit & ignit, vt videatur totus eſſe igneus, imò ignis omnia accendens & vaſtans. Et hoc maximè hic ſpectat Salomon.

Tertio. Tertiò, Ælianus, Solinus, & alij tradunt veneni baſiliſci remedium eſſe ſpeculum: hoc enim illi obiecto halitus eius venenatos reuerberari, & in baſiliſcum retorqueri, ipſumque enecare. Ita remedium temulentiæ & ebrietatis eſt, ſi quis incõditos & fœdos tum ſuos, tum aliorum ebriorum mores, velut in ſpeculo intueatur: mox enim vt eos viderit, ipſum vini & crapulæ odium & horror capiet. Hinc Pythagoras rogatus. *Quomodo quis temulentiam relinqueret?* reſpondit: *Si ſæpe quæ per temulentiam deſignet conſideret, & ſi ante oculos habeat vitã ebriorũ.* ita Maxim. ſerm. 30. Et Plato temulentiæ deditis ſuadebat, vt poti ad ſpeculum ſe contemplarentur; ita fore vt ab eo vitio recederent conſpectâ fœditate illius. ita refert Laërt. lib. 3. nihil enim inſano ſimilius quàm ebrius. Quocirca Lacones pueris oſtendebant ſeruos vino temulentos, vt eorum geſtus inconditos videntes, odio haberent ebrietatem. ita Plutarch. in Lacon.

Gnome contra temulentiã. Tropol. diſce hic quanta ſit malignitas vini nimiè hauſti ac temulentiæ. Comparatur enim hîc veneno, imò colubro & baſiliſco. Præclarè S. Baſilius apud Antonium in Meliſſa parte 1. c. 41. *Ebrietas,* inquit, *eſt dæmon ſponte admiſſus per voluptatem in animos. Ebrietas mater eſt malitiæ, impugnatio virtutis. Hæc ex forti timidum facit, ex modeſto laſciuum, iuſtitiam ignorat, prudentiam abolet. Nam ſicut aqua pugnat cum igne, ſic immoderatio vini mentem ſobriam extinguit. Ebriorum vita nec ſomnus eſt, nec vigilia, ſed inſomnium. His liuent oculi, pallet cutis, ſpiritus eſt anguſtus, lingua reſoluta, vox incerta, & pedes tamquam pueris titubantes. Ebrietas eſt rectæ rationis alienatio & delirium, luxuriæ fomes, voluptatum ſuppeditatio, lues iuuentutis, animæ venenum, rationis extinctio, virtutis alienatio.*

Ibidem Anacharſis: *Primum,* inquit, *poculum* bibitur *ſanitatis, ſecundum voluptatis, tertium iniuriæ, quartum inſaniæ.* Et Pythagoras: *Tres botri naſcuntur in vite primus voluptatis, ſecundus ebrietatis, tertius iniuriæ.* Plato verò: *Ebrius gubernator,* inquit, *omnia euertit, ſiue nauim, ſiue currum, ſiue exercitum, ſiue quodcumque tandem ſit, quod ab illo gubernatur.* Sixtus non Pontifex, ſed philoſophus in Sententijs, quæ extant tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum, ait: *Ebrietatem quaſi inſaniam fuge.* Plura de damnis temulentiæ vide apud S. Chryſoſt. S. Baſil. S. Aug. homil. de Ebrietate, vide & quæ dixi in Eccleſiaſt. c. 31. v. 38.

Quocirca ebrietatem ita pingit S. Auguſt. (vel quiſquis eſt auctor, ſtylus enim arguit non eſſe S. Auguſt.) tract. de Sobrietate & virgin. c. 1. to. 9. *Ebrietas ab animæ iniuria incipit, & flagitiorum omnium mater eſt, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis. Ebrietas eſt inſania voluntaria, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela.*

OCVLI TVI VIDEBVNT EXTRANEAS, ET COR TVVM LOQVETVR PERVERSA.] Pergit recenſere damna vini & ebrietatis. Eò enim hæc omnia pertinent, vt patet ex vltimis capitis verbis, τὸ *videbunt* ſumitur in actu non inchoato, ſed perſeueranti & perfecto. q. d. Videndo inhærebunt extraneis, earumque ſpecie & concupiſcentia ſe paſcent & oblectabunt. Vnde Pynuſius Abbas apud Caſſian. collat. 20. c. 9. ex hoc loco docet, oculos cùm vident meretricem, vel rem turpem, illicò ab ea eſſe auocandos. *Impoſſibile namque eſt,* inquit, *mentem bonis cogitationibus immorari, cùm principale cordis ad turpes atque terrenos intuitus fuerit deuolutum. Vera eſt enim illa Salomonis ſententia: oculi tui cùm viderint alienam, os tuum tunc loquetur praua, & iacebis tamquam in corde maris, & ſicut gubernator in magna tempeſtate. Dices autem, Ferierunt me, ſed non dolui; & deluſerunt me, ego autem neſciui. Relictis ergo non ſolum turpibus, ſed etiam terrenis cogitationibus vniuerſis, erigenda eſt ſemper ad cæleſtia noſtræ mentis intentio, ſecundùm Saluatoris noſtri ſententiam: Vbi enim ego ſum inquit illic & miniſter meus erit,* Ioan. 12. Vers. 33

Pro *extraneis* heb. eſt זרות *zaroth*, quod Chald. Vatabl. Caietan. & alij vertunt, *extranea*. Hebræi enim genus femininum ſæpè vſurpant pro neutro, vt ſenſus ſit. q. d. Si vino deditus fueris, extranea, putà abſurda phantaſmata, viſiones & ſpectra videbunt oculi tui, propter confuſionem vaporum aſcendentium ad cerebrum. Hac enim de cauſa ebriis omnia videntur gyrare, & in orbem agi; aut pugnis, cædibus & funeribus miſceri; aut aquis mergi & ſuffocari: oculi enim eorum vino merſi ſunt & quaſi innatant. Poſſet quoque τὰ *extranea* referri ad peccata & libidines peregrinas & ſodomiticas, de quibus mox.

Noſter meliùs cum Septuag. R. Salomone & Aben Ezra vertit *extraneas*, id eſt feminas alterius viri aut domus, quæ non ſunt tuæ vxores, quales ſunt meretrices. Vnde Tig. vertit, *ſi oculi tui ſpectabunt meretrices, iam pectus quoque tuum peruerſa cogitabit.* q. d. Si vino indulſeris, ſines imò ſtimulante vino vltrò quæres, videre meretrices, & filias vel vxores alienas, earumque concupiſcentia exardeſcet cor tuum, vt actus venereos ſecum loquatur, verſet ac cogitet, adeoſque illas alioſque incitet & ſollicitet. *Ebrioſi enim & vinolenti cor habent in lingua,* ait Plutarchus in Moral. cùm ſobrij linguam habeant in corde. Ebrij enim effutiunt omnia, quæ cogitant & deſiderant; ſobrij verò tacenda

cenda ſilent & in corde ſeruant. Cauſam dat S. Hieron. ad Euſtoch. de virgin. ſeru. *Venter*, inquit, *mero æſtuans deſpumat in libidines*: quare *qui ventrem ſaturat, venerem nutrit*, ait B. Odo Abbas Cluniac. qui floruit anno Chriſti 900. Quocirca S. Baſil. homil. de ebrietate, docet ebrios peiores & luxurioſiores eſſe beſtijs: quia contra naturam, Sodomæ peccata imitantur, quod non faciunt beſtiæ: *Dicere autem*, inquit, *temulentos magis expertes rationis eſſe quam ipſas belluas: quadrupeda enim ac feræ omnes ordinatas habent ad coitum impetus; at illi quorum animus ebrietate detinetur, corpuſq; præternaturali calore refertum eſt, omni tempore & omni pene hora ad immundos & turpes complexus dilabuntur.*

Porrò Septuag. vertunt, *oculi tui cùm viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruerſa*. q. d. Cùm vino te ingurgitaris, ſi fortè videris meretricem feminamue pulchram & comptam, protinus rapieris in

B eius concupiſcentiam: adeò vt nec os & labia cohibere queas, quin verba obſcœna & venerem ſtimulantia proloquantur. Vinum enim & venerem excitat, & linguam ad venerea proloquendum extimulat. Verè S. Hieron. in c. 1. epiſt. ad Titum: *Vbi ſaturitas*, inquit, *& ebrietas, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia; qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Numquam ego ebrium caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quiſque quod volet, ego loquor conſcientiam meam; ſcio mihi abſtinentiam & nocuiſſe intermiſſam & profuiſſe repetitam.* Idem alibi: *Vinolentia ſcurrarum eſt & comeſſatorum, venterq; mero æſtuans citò deſpumat in libidinem*; idque mox Noë & Lot exemplis confirmat. Quamobrem Plato: *In Ciuitate*, inquit, *nec ſeruus ne ſerua vmquam vinum guſtet, nec ipſi quidem magiſtratus illo, quo magiſtratus gerunt, anno: neque gubernatores, neque iudices dum munus ſuum exercent, vllo modo vinum guſtent.*

Ep. 83. ad Oceanum.

Lib. 2. de legibus.

C Hac de cauſa priſci Atticæ, virgines ac iuuenes ſapientiæ & caſtitatis ſtudioſi, vino abſtinere, vel non niſi modico vſi ſunt. Nam vt ait S. Hieron. ad Euſtoch. de cuſt. virgin. *Vinum & adoleſcentia duplex eſt voluptatis incendium, quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Paulus ad Timoth. epiſt. 1. c. 5. Iam noli, inquit, aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates. Vide quibus de cauſis vini potio conceditur, vt ex hoc ſtomachi dolor & frequens medeatur infirmitas.*

D Quocirca priſci primique patriarchæ, imò homines omnes ab Adam vſque ad Noë per 1500. & ampliùs annos abſtinuere vino. Hoc enim inuenit Noë poſt diluuium, Gen. 9. 20. Sic Nazaræi abſtinebant vino, Num. 6. æquè ac ſacerdotes ingreſſuri tabernaculum, idque ex lege à Deo ſancita Leuit. 10. Idem fecere Eſſeni, vt toti vacarent contemplationi, & ſtudio rerum diuinarum, teſte Ioſepho, Philone & Euſebio. Quin & Porphyrius lib. de Abſtinentia ab eſu animal. aſſerit pleroſque ex eis diuino afflatos ſpiritu vates extitiſſe. Sic vino abſtinuere Samuel, Samſon, S. Ioannes Baptiſta, S. Timotheus S. Pauli diſcipulus, S. Antonius, S. Hilarion, S. Paula, ceterique eximij Prophetæ & Anachoretæ, quin & cœnobitæ teſte S. Hieron. Palladio, Euagrio & Ruffino in Vitis Patr. Plura huius rei exempla recenſui Daniel. 1. v. 17.

ET ERIT SICVT DORMIENS IN MEDIO MARI, ET QVASI SOPITVS GVBERNATOR, AMISSO CLAVO]

A id eſt gubernaculo nauis. Hebr. *ſicut dormiens in ſummitate* aut *vertice mali*, putà in carcheſio ſeu gabia; in qua ſtat excubitor, vt piratas, rupes, ceteraque pericula eminus ex alto proſpiciat, de iiſque nautas admoneat. Hic enim ſi dormiat, nautas omnes periculo exponit, quin & ſeipſum, ne ſcilicet ex alto in præceps ruat. Similiter facit ebrius. Regia & Caietan. vertunt, *in capite rudentum*, ſiue funium nauticorum; R. Salomon, *ſicut ſopitus in vertice claui*, quod Noſter ſenſatè vertit *amiſſo clauo*, conſentiunt Septuag. Syrus & Chald. de quibus inferiùs. Vnde liquet Hebr. חִבֵּל *chibbel* & rudentes, & malum, & clauum nauis ſignificare. Radix enim חָבַל *chabal* ſignificat gubernare nauem: nauis autem his tribus gubernator, ſcilicet rudentibus, malo & clauo, vnde חֹבֵל *chobel* vocatur nauta, naucletus gubernator. Denique R. Emmanuel

B vertit, *ſicut dormiens in vertice*. Hic enim anchoram, quæ in mare mittenda erat vt nauim firmaret, in ipſa naui detinet, eique indormit, quo fit vt aſſiduè nauis iactetur & fluctuet. Similiter iactatur & fluctuat ebrius, dum vino anchoram rationis amiſit, illique ſopitus indormit.

Recenſuit Salomon multa & grauia vini & vinolentiæ damna, ſcilicet primum v. 29. quòd pariat rixas, foueas, vulnera & ſuffuſionem oculorum: ſecundum v. 32. quod mordeat vt coluber: & vt regulus venena diffundat: tertiū v. 33. quòd ſuſcitet luxuriam, tum oculorum, tum cordis & oris: quartum hic recenſet, ſcilicet quòd ebrium faciat ſimilem nauarcho dormienti, qui in naui iactatur fluctibus, iiſque hauritur & mergitur.

Pro quo Nota cum Lyrano hominem comparari naui: ſicut enim nauarchus aſſiſtit naui vt

C eam regat, ſic ratio & mens aſſiſtit corpori & homini vt illam dirigat, ait Plato. Simili modo intelligentiæ, ſiue angeli præſides cælorum, aſſiſtunt ſuis orbibus cæleſtibus, perinde ac nauarchus aſſiſtit naui, vt eos moueant & gyrent: ſed hoc diſcrimine, quòd angeli dumtaxat aſſiſtant cælis, anima verò & mens non tantùm aſſiſtat corpori, ſed & illud informet, ita vt ex anima & corpore velut ex forma & materia coaleſcat & confletur vna res, ſiue vnum compoſitum, quod eſt homo: quare nauis eſt corpus, naucletus eſt mens, clauus eſt ratio, iudicium, prudentia, quam rapit perditque ebrietas. ita Beda.

Quocirca Gentiles, teſte Carneade apud Philoſtratum lib. 3. de Imagin. Bacchum compotationis præſidem finxerunt & pinxerunt vehi nauigio, in cuius prora erat panthera, in puppi tigris, hinc inde hedera & muſica inſtrumenta, in medio canalis vino æſtuans: nulli in nauigio remi, nullum velum, nullus gubernator, vt ſignificarent in compotationibus ita nauigari inter turbines & tempeſtates litium, detractionum, clamorum, pugnarum, ad naufragium omnis honeſtatis & virtutis. Bacchum velut nauarchum ſequuntur potandi nautæ, & calicum remiges, vt ait Athen. lib. 10. qui vinum pro remo ducentes, & ranarum more bibentes naufragium faciunt, iactura tum pecuniæ, tum mentis, tum virtutis.

D

Igitur Primò, ſicut dormiens in naui iactatur ventorum flatibus, ac maris æſtibus & fluctibus, & nunc ad ſidera videtur aſcendere, nunc in abyſſum deſcendere & demergi: ſic pariter æſtibus phantaſmatum & cupiditatum ſurſum & deorſum iactatur ebrius. ita S. Ambr. lib. de Elia & ieiunio c. 16.

Ebrius eſt quaſi nauarchus dormiens. Primò.

Secundò. Secundò, ſicut nauclerus dormiens ſinit nauim agi in rupes, ſcyllas & charybdes, quibus eliditur, vel circumrotatur & mergitur: ſic ebrius in mille fortunarum & vitæ pericula ſinit ſe abripi, imò vltro velut inſanus ijs ſe ingerit conuiciando & rixando: quare non rarò ſe ſuaque perdit & in exitium agit. Rurſum ſicut nautæ in tempeſtate nauim exonerant, merceſque pretioſiſſimas in mare abijciunt: ſic ebrius ſæpè onus vini, quo ventrem ſaburrauit, cogitur euomere ne crepet, quo facto, rurſum potat & ventrem onerat. *Cernas iuuenes*, ait S. Ambroſius lib. de Elia c. 13. *terribiles viſu hoſtibus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari: repleri, vt exhauriant; & exhauriri, vt bibant.* An non horum vita eſt ingerere, digerere, egerere? vt ait S. Bernardus.

Tertiò. Tertiò, ſicut dormiens in naui ſopita ratione non ſentit piratas, ceteraque necis diſcrimina, vnde contra ea ſe munire nequit: ſic pariter ebrius vino ſopit mergitque rationem, quâ ſopitâ nequit ſe contra hoſtes, qui corpori vel animæ inſidiantur, tutari: ſed vtrumque ijs in prædam offert.

Quartò. Quartò, ſicut nauis, dormiente nauclero, qui clauum regere nequit, ſed cum admittit vel amittit, abit in vada, ſyrtes, ſcopulos, id eſt in certum naufragium, quo ipſa cum nauclero, omnibuſque quia ea vehuntur mergatur & pereat: ſic pariter ebrius ruit in ſui ſuorumque naufragium & ruinam. Primò enim vino mergit rationem; Secundò, merſa ratione, velut amiſſo merſoque clauo, mergitur voluntas, phantaſia, ſenſus omnes; quin & totum corpus vino oppletur & obruitur. Hinc Tertiò, ſequitur naufragium ſanitatis, temperantiæ, caſtitatis, omniſque honeſtatis, ſapientiæ & virtutis.

Nautæ ſunt vires & potentiæ animæ, gubernator eſt voluntas; proreta, id eſt cuſtos & rector nauis in prora, eſt mens & ratio; nauigantes ſunt ſenſus & membra corporis. Rurſum myſticè nautæ ſunt virtutes internæ, gubernator eſt charitas, proreta eſt prudentia, nauigantes ſunt virtutes externæ, præſertim modeſtia, morumque & geſtuum compoſitio. hæc omnia ebrietate velut maris eluuione obruuntur & pereunt.

Quocirca S. Baſil. hom. 14. quæ eſt de ebrietate: *Ebrietas*, inquit, *eſt dæmon voluntarius ex voluptate animabus noſtris inductus, malitiæ mater, virtutis inimica. Sicut aqua igni eſt aduerſa, ſic vinum immodicum rationem ſupprimit.* Idemque addit: *Ebriorum animæ vino ſubmerſæ ſunt.* Rurſus: *Mentis lumine per ebrietatem te priuas? inter beſtias ratione carentes annumerari potes, ſimiliſque illis videri.* Quocirca verò Iſaias, *Abſorpti*, inquit, *ſunt à vino.* Et alibi: *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis*; vbi Septuag. legunt, *vinum enim ſuccendet eos*, hoc eſt, interprete S. Baſilio, affectuum flammis & incendio. *Vini*, inquit, *feruor corpori infuſus, incendium fit ignitorum inimici vinculorum: rationem enim ac mentem deprimit, voluptates & animi ceteros affectus malos velut apum examen excitat.*

cap. 28. 7.
cap. 5. 11.
orat. 14.

Porrò hæc gnome ſpectat ad omnes, ſed maximè ad gubernatores, præſides, iudices, rectores, eoſque quibus aliqua publicæ vel priuatæ rei adminiſtratio incumbit: hæc enim prudenter & rectè peragi nequit ab ebrio, quia requirit limatum rationis iudicium, conſilium, vigilantiam & circumſpectionem, quam præſtare nequit niſi ſobrius, cui mens viget. Qui enim regat alios qui ſe regere neſcit, ſed regitur à vino? Vnde Salomon c. 31. 4. *Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas, & ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.*

Gnome de vino. Salomonem de more ſecutus Plato l. 3. de Republ. ſic ſtatuit: *Principibus ab ebrietate diximus abſtinendum: vnicuique enim magis concedi, quàm cuſtodi, vt ebrietate grauatus vbi terrarum ſit neſciat; nempe ridiculum eſſet cuſtodē indigere cuſtodem.* Et ante Platonem Solon Athenienſium legiſlator, ſanxit principem vel magiſtratum ebrium morte eſſe mulctandum, teſte Laërtio in Vita Solonis. Soloni coæuus Cyrus Perſarum rex, rogatus ab Aſtyage auo, cur vinum ſibi propinatum non ebibiſſet? reſpondit: *Quia in vino venenum infudiſtis; vidi enim vino hauſto vos neque corporis, neque mentis eſſe compotes.* ita Xenophon in Pædia Cyri. Androclides vir ſapiens monuit Alexandrum Magnum vino deditum, dicens: *Vinum potaturus rex memento te bibere terræ ſanguinem: cicuta homini venenum, cicuta vinum.* Verum dixit. Nam Alexander ebrius occidit Clitum ſibi amiciſſimum. Hinc Tiberius poſtea Imperator quòd auidiùs vinum biberet, à militibus pro Tiberio Claudio Nerone, dictus eſt Biberius Caldius Mero, militari ioco, ſed probroſo ſcommate. Aurelianus Imper. de Bonoſo bibace, qui poſtea creatus eſt Cæſar falsè dixit: *Non vt viuat, ſed vt bibat natus eſt.* teſtis eſt Vopiſcus.

Apologus vini. Gnomen hanc feſtiuo apis & potatoris apologo, ex vini damnis neruoſo, repræſentat Cyrillus lib. 4. Apol. mor. c. 5. *Apem*, inquit, *mellis ſollicitudine in floribus languentem bibo reperit, & quid ibi quæreret, exquiſiuit. Cui illa reſpondit: Mel ſitibunda quæro, mel colligo de florum profundo. At ille hoc audiens, cum riſu dixit: Benè ſcripſit Ariſtoteles in problematis ſuis, fatuos eſſe dulcium amatores. Putaueram certè te ſenſatam fore ex regis gubernatione & arte; ſed, vt cerno, operatione minor eſt res tua. Nam nondum noſti, quid ſit mel & vitalis ſuauitas, quæ de radice, & de fructu ac flore, ſtillat. Attamen quia compatior ſiti tuæ, veni mecum, & dabo tibi cellarium mellis plenum; vt quid tota die ſitibunda & anxia in aridis floribus tempeſtaris? Egredere, ecce te ducam ad fontem dulcedinis. At verò cùm illum credula ſequeretur, deductam ad vitem, ſic allocutus eſt eam, dicens: Hîc eſt flagrantia vitæ, abundantia gratiæ, dulcedo lætitiæ, valetudo mirificæ medicinæ. Iſtud eſt mel ſuauiſſimum cor ſuſtentans; hic liquor balſamiticus, ſubſtantiam ſaluans; hic ros nitidiſſimus, homines deoſque lætificans. Bibe ergo mecum tu ſitibunda ſatis, & cum iucunditate recumbe. Ad hæc ſagax illa, vini odorem ſentiens, mox ita fertur dixiſſe: Certè hoc dudum audiueram, ſed experientia neſciebam, quòd amatores vini ſint ebrij: idcirco quia vino mades, ſemper ebrius es, & rationis lucernâ cares, quia de vini corruptione genitus es. At que ideo de proprietate vini corruptiſſimè es locutus.* Deinde vini damna neruosè conglomerans, ſubijcit: *Nam vinum ori quidem eſt mel, ſed capiti venenoſum fel. Sapit in ore, ardet in ventre, fumat in capite, obtundit ſenſus, vigorem deſtruit, confundit imaginationem, tollit mentem, viſum obnubilat, neruos laxat, linguam balbificat & inhoneſtat, manus mobilitat, pectus inflammat, ſpumat luxuriam, gignendi vim eneruat, greſſus inordinat, & totũ corpus vaſtat, ita vt à planta pedis vſque ad verticem capitis non ſit in ebrio ſanitas.*

Vini damna.

Exempla. Exemplis deniquè idipſum confirmat: *Vinum quippe qui primus bibit* (Gen. 9. 21.) *inebriatus eſt; inebriatus autem ſopitus,*

tur, nudatus, inhoneſtatus, deriſus fuit. (Geneſ. 19. 33.) Lot eodem infectus ſtuprum filiarum non ſenſit. (2. Reg. 13. 32.) Amnon temulentus fratris gladio cecidit; & (Iudith. 13. 4.) Holofernes dux inuictus, muliebri manu proſtratus, pugione ſuo caput amiſit. O amabile, dulce & omne venenum! odis amantes te, diligis abhorrentes te, occidis te perfruentes, ſubmergis te ſectantes, lædis abutentes, mederis te vtentes, nouiſte melliſtum venenum. Quibus dictis, receſſit.

Denique Septuag. vertunt, iacebis velut in corde maris, & tamquam gubernator clauo deſtitutus in magna tempeſtate. Ita legit auctor Catenæ Græc. quamquam τὸ clauo deſtitutus non legunt Regia, Complut. & Vatic. Chald. verò iacebis ſicut in corde maris, & ſicut nauta qui dormit in naui; Syrus, ſicut nauta in fluctibus maris. Septuag. egregiè explicat Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 2. Iacebis, inquit, tamquam in corde maris, & tamquam gubernator in multis fluctibus. Ex hoc loco etiam adiuta dicit Poëtica:

Vinum hominem vincens, velut ignis corda ſirote
Pellit, ceu Lybici fluctuat vnda maris,
Quam Notus aut Boreas agitant, &c.

Videtis naufragij periculum. Cor quidem multo potu obruitur, multam autem temulentiam minis maris comparauit; in qua corpus tamquam nauis, demerſum turpitudinis ac dedecoris profundum ſubijt, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens ſcilicet humana, ſupereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari verſans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in ſaxa mari latentia irruens ſeipſum in voluptates impactū perdiderit. Porrò quanta ſit ebrietatis tempeſtas, luculenter depingit S. Baſil. homil. de ebrietate.

Quarum verò quantarumque mercium in hac tempeſtate profectarum fiat iactura, deſcribit S. Chryſoſt. homil. ſuperiùs citata: Similiter, inquit, fit in iſta temulentiæ tempeſtate: ſicut enim illic fit mercium iactura, & iſthic omnium ferè bonorum efficitur, ſiue modeſtiam inueniat, ſiue pudorem, ſiue prudentiam, ſiue manſuetudinem aut humilitatem, in iniquitatis pelagus omnia proijcit ebrietas. Eſt ergo ebrietas ſicut gubernator in magnis fluctibus, aut in magna tempeſtate.

Myſticè S. Greg. p. 3. Paſtor. admon. 33. In medio mari dormit, inquit, qui in huius mundi tentationibus poſitus prouidere motus irruentium vitiorum, quaſi imminentes vndarum cumulos negligit. Et quaſi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauem corporis ſtudium ſollicitudinis perdit. Clauum quippe in mari amittere, eſt intentionem prouidam inter procellas huius ſæculi non tenere. Si enim gubernator clauum ſollicitè ſtringit, modò in fluctibus ex aduerſo nauem dirigit, modò ventorum impetus per obliquum findit. Ita cùm mens vigilantem animam regit, modò alia ſuperans calcat, modò alia prouidens declinat, vt & præſentia laborando ſubijciat, & contra futura certamina proſpiciendo conualeſcat.

Accedit Hugo: Dormit, inquit, in medio mari, id eſt in vita præſenti, cuius fluctus, & ſollicitudines, & deſideria multos ſubmergūt ſopitus gubernator amiſſo clauo remigij, id eſt ſtudio ſollicitudinis. Nauis quidē eſt anima, ratio gubernator, clauus ſollicitudo: verberauerūt me dæmones tentationibus, illuſionibus, quæ ſunt verbera ſpiritalia: ſed non dolui. non ſenſi, vel ignoraui. Traxerunt me in vitia ſæculi, in funiculis vanitatis & voluptatis, & ego non ſenſi, quia omnis peccator quaſi ebrius vino voluptatis palatum cordis omnino emortuū habet, nec ſpiritualia vulnera, nec delectationem cordis ſentit. Hæc ille.

Igitur ſicut dormiens inter procellas propior

A eſt periculo quàm vigilans; ita qui plagas conſcientiæ non ſentit, magis periclitatur quam qui illas ſubinde experitur. Quare D. Hieron. in epiſt. 1. ad Heliodorum: Erras, inquit, frater, erras, ſi putas vmquam Chriſtianum perſecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. Aduerſarius noſter tamquam leo rugiens circuit, &c. & tu pacem putas? Inſidiatur in occulto ſicut leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt rapiat pauperem: & tu frondoſæ arboris tectus vmbraculo, molles ſomnos futurus præda carpis? Et paulò pòſt: Licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur: intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis, expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antemnæ figatur in frontibus: tranquillitas iſta tempeſtas eſt.

Et dices: Verberaverunt me, sed non dolui (Syrus, & non paſſus ſum:) traxerunt me, et ego non sensi: quando evigi- Vers. 35.
B labo, et rursus vina reperiam?] Pro traxerunt hebr. eſt הָלָמוּנִי halamuni, id eſt concuſſerunt, confregerunt, contuderunt me quaſi malleo: הַלְמוּת halmut enim eſt malleus; Syrus, ſpreuerunt me, & ignoraui; Chald. diripuerunt vel ſpoliauerūt me, & neſciui, Septuag. alluſerunt mihi ego autem non ſenſi. Ita Vatican. vel, vt auctor Catenæ Græc. illudebant & vellicabant me, neque tamen quando eſſet diluculum aduertebam. Quod auctor myſticè exponit de dæmonibus, qui ebrio & peccatori cuilibet illudunt, eumque cædunt, præſertim apud inferos vbi ſera eſt pœnitentia, nec vllum reſipiſcendi diluculum. Theodot. plauſu exceperunt me; Aben Ezra & R. Leui, contriuerunt me; Pagnin. verberauerunt me, non ægrotaui; concuſſerunt me, non cognoui eum qui me percuſſit.

Quinta eſt hæc noxa vini & vinolentiæ, eaque
C triplex: Prima, quòd ebrium omnium ludibrijs velut probrum, imò monſtrum, ac verberibus, velut facinoroſum vel furioſum exponat. Secunda, quòd reddat hominem inſenſilem ad plagas & verbera, ictuſq; malleorum, inſtar trunci vel ſaxi. Tertia, quòd faciat adeò dementem, vt poſt tot vini damna, nonniſi de noua potatione ſomniet & cogitet: ſolent enim vxores, filij vel famuli, maritos, vel parentes, aut heros ebrios trahere, pulſare, vellicare, partim ex irâ, vt eos caſtigent & ludibrio habeant; partim ſtudio, vt ebrietatem diſcutiant, eoſque ſanæ menti reddant: verbera enim & plagæ ſpiritus & ſanguinem ad dorſum quod verberatur, euocant, itaque caput exonerant, vt cerebrum ad ſe redeat, & rationis fiat compos. Vnde hoc remedium curandis tum ebrijs, tum delirantibus præſcribunt medici. Hinc Moſcouitæ ebrios tamdiu verberant, donec ſobrij fiant, teſte Sigiſ-
D mundo in Hiſtor. Moſcou.

Quocirca S. Chryſoſt. hom. 58. in Matt. ebrios aſinis & canibus turpiores vocat, additque: Diabolo, inquit, nemo magis amicus, quàm qui delicijs & ebrietate maculatur: hic enim fons, hæc mater atque origo vitiorum omnium eſt. Quid deliciarum hæc fœditas mali non inducit? ſues ex hominibus facit. Delicijs vacans nullo diſcrimine à dæmoniaco ſeparatur: impudens enim & furioſus pariter eſt, & dæmoniacum omnes miſeremur; hunc verò auerſamur, quia ſponte ſibi furorem attrahit, & os, oculos, nares, cæteraque ſimpliciter ſenſuum inſtrumenta, amariſſimas voluptatis conficit cloacas. Et Origen. homil. 3. in Leuitic. Sobrietas, inquit, omnium virtutum mater eſt, ſicut è contrario ebrietas omnium vitiorum. Et aliquando

pòſt:

pòſt: *Eſt ergo ebrietas vis perniciosa in omnibus: ſola namque eſt, quæ ſimul cum corpore & animam debilem reddat.* Et mox: *In ebrietatis ægritudine corpus ſimul & anima corrumpitur, ſpiritu pariter cum carne vitiatur; omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam reſoluit; oculos tenebrat; mentem velat obliuio, ita vt hominem ſe eſſe neſciat, nec ſentiat.*

Quocirca S. Baſil. homil. de ebrietate: *Ebrietas,* inquit, *rationis interitus, fortitudinis pernicies, ſenectus immatura, mors momentanea: quid, quæſo, ſunt ebrij quàm Gentium idola? oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: manus paralyſi affectas habent, pedes infirmos ac facilè offendentes.*

QVANDO EVIGILABO, ET RVRSVS VINA REPERIAM] Ebrius non optat euigilare ab ebrietate; illam enim amat, imò neſcit ſe eſſe ebrium; ſed à ſomno & nocte, vt ſcilicet oriatur aurora, & manè conſurgat ad vina noua quærendum, & hauriendum: præter vina enim nihil amat, nihil ſomniat. Vnde hebr. eſt, *quando expergiſcar, addam, quæram illud* (vinum) *adhuc*; Chald. *rurſus addam quærere illud*; Aben Ezra, *numquam illud quærere intermittã*; Septuag. *quando erit diluculum, vt valens quæram quibuſcum conueniam?* putà compotores meos. R. Salomon: Quando, inquit, euigilabit, vini vi debilitata non aduertet damna & plagas quas recepit, dum vino madeſceret, ac denuo ad bibendũ ſtrenuus potator exurget. Hoc enim in vinolentis eſt ſolenne: vinum enim eos totos ad ſe rapit, vt ſine eo viuere nequeant, ſicut porci ita inhiant cœno, quaſi in illo ipſorum vita, ſalus & felicitas conſiſtat: vinum enim ſui ſitim acuit & accendit, iuxta prouerbium: *Parthi quo plus bibunt, eo plus ſitiunt.* Cauſam dat S. Baſil. hom. de ebriet. quòd vinum, vtpote calidum, ardores excitet, ardores ſitim. His proinde Iſaias væ præſentis & futuræ æternæque maledictionis intentat, dicens c. 5. 11. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis.* Nam, vt ait S. Ambroſius l. de Elia & ieiun. c. 15. *Non immeritò væ illis, qui manè ebrietatis potum requirunt, quos conueniebat Deo laudes referre, præuenire lucem, & vacare orationi, occurrere ſoli iuſtitiæ, qui nos viſitat, & exurgit nobis; ſi quidem nos Chriſto, & non vino aut ſiceræ ſurgamus. Hymni dicuntur, & tu citharam tenes? pſalmi canuntur, & tu pſalterium perſonas aut tympanum? Meritò væ qui ſalutem relinquis, mortem elegis. Vix diluculum, & iam curſatur per tabernas, vinum quæritur excutiuntur tapetes accubituum feſtinant ſternere; lagenas aureas, aureos calices exponunt.*

Sapienter Seneca ep. 39. *Quis hoſtis,* inquit, *tam contumelioſus in quemquam fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? quorũ impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quòd quæ facere, patiuntur: nec immeritò hic illos furor vexat: neceſſe eſt enim in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſilijt. Illa enim habet ſuum finem, inania & ex libidine orta ſine termino ſunt. Neceſſaria metitur vtilitas, ſuperuacua quò rediges? voluptatibus itaque ſe immergunt, quibus in conſuetudinẽ adductis carere non poſſunt. Et ob hoc miſerrimi ſunt, quod eo peruenerunt, vt illis quæ ſuperuacua fuerant, facta ſint neceſſaria. ſeruiunt itaque voluptatibus ſuis, non fruuntur, & mala ſua, (quod malorum vltimum eſt) amant. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.*

Symbolicè, ſub vino quamuis voluptatem & concupiſcentiam accipe. Hæc enim ſi frequentetur, hominem dementat, totumq; occupat & ſibi vendicat.

Vnde Tropol. diſce quòd fructus ſceleris, præſertim conſuetudine roborati, ſit inſenſibilitas mentis: hæc enim ſceleratum inuadit & corripit inſtar lethargi vel apoplexiæ, adeò vt nec monita parentum, magiſtrorum, confeſſariorum, concionatorum admittat, nec verbera & flagella quantumuis acria & dura ſentiat, perinde ac ſi rationis, imò ſenſus & animæ eſſet expers, foretque ſtipes vel marmor. Quare à veterno peccatorum non euigilat, ſed illi ſoporatus inhæret & immoritur.

Audi S Greg. 3. par. Paſtor. admonit. 33 *Vnde & per Salomonem vox percuſſi & dormientis exprimitur, qui ait: Verberauerunt me ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi; quando euigilabo, & rurſum vina reperiam? Mens quippe à cura ſuæ ſollicitudinis dormiens verberatur, & non dolet; quia ſicut imminentia mala non proſpicit, ſic nec quæ perpetrauerit agnoſcit. Trahitur, & nequaquam ſentit quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad ſui cuſtodiam ſuſcitatur. Qui quidem euigilare optat, vt rurſum vina reperiat, quia quamuis ſomno torporis à ſui cuſtodia prematur, vigilare tamen ad ſæculi curas nititur, vt ſemper voluptatibus inebrietur; & cùm ad illud dormiat in quo ſolerter vigilare debuerat, ad illud vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire potuiſſet.*

Vide quàm graui ſomno conſopitur peccator poſt ebibitum voluptatis vinum, vt miſer nouis inſuper inflictis vulneribus laceretur, nec tamen doleat; trahatur per abrupta vitiorum, de barathro in barathrum præcipitetur, nec tamen ſentiat. En qualis veternus eſt peccatum, vt & vulnerum dolorem & ruinarum ſenſum adimat? Contrà verò mira eſt perſpicacitas hominis, & ſollicitudo euigilantiſſima in negotijs huius ſæculi, in captandis vanitatibus honorum, in conquirendis illecebris voluptatum, quod ſtatim adiungit Salomon: *Quando euigilabo, & rurſus vina reperiam?*

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

NOn rapinis & fraudibus, ſed ſapientiâ erigitur & ditatur domus, ſapiens eſt fortis. cogitans mala eſt ſtultus. erue deſtinatos neci. ſapientia melle ſuauior. ſepties cadet iuſtus, & reſurget. ne gaudeas in lapſu inimici, detractorum perditio repentè conſurget. impiũ iuſtificans maledicetur, arguens laudabitur. exerce agrum tuum. ne dicas, Reddam par pari. *pigro egeſtas adueniet quaſi curſor, & quaſi vir armatus.*

1. NE æmuleris vitos malos, nec deſideres eſſe cum eis: 2. quia tapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. 3. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. 4. In doctrina replebuntur cellaria vniuerſa ſubſtantia pretioſa & pulcherrima. 5. Vir ſapiens, fortis eſt: & vir doctus, robuſtus & validus. 6. Quia cum diſpoſitione initur bellum: & erit ſalus vbi multa conſilia ſunt. 7. Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum. 8. Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur. 9. Cogitatio ſtulti peccatum eſt: & abominatio hominum detractor. 10. Si deſperaueris laſſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua. 11. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. 12. Si dixeris: Vires non ſuppetunt: qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera ſua. 13. Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo. 14. Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ: quam cùm inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit. 15. Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius. 16. Septies enim cadet iuſtus, & reſurget: impij autem corruent in malum. 17. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. 18. Ne fortè videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. 19. Ne contendas cum peſſimis, nec æmuleris impios: 20. Quoniam non habent futurorum ſpem mali, & lucerna impiorum extinguetur. 21. Time Dominum, fili mi, & regem, & cum detractoribus non commiſcearis: 22. Quoniam repentè conſurget perditio eorum: & ruinam vtriuſque quis nouit? 23. Hæc quoque ſapientibus: Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum. 24. Qui dicunt impio: Iuſtus es: maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos tribus. 25. Qui arguunt eum, laudabuntur: & ſuper ipſos veniet benedictio. 26. Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet. 27. Præpara foris opus tuum & diligenter exerce agrum tuum: vt poſtea ædifices domum tuam. 28. Ne ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum: nec lactes quemquam labijs tuis. 29. Ne dicas: Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei: reddam vnicuique ſecundùm opus ſuum. 30. Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti: 31. & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat. 32. Quòd cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. 33. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conſeres, vt quieſcas: 34. & veniet tibi quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi vir armatus.

Verſ. 1. Verſ. 2. NE ÆMVLERIS VIROS MALOS, NEC DESIDERES ESSE CVM EIS: QVIA RAPINAS MEDITATVR MENS EORVM, ET FRAVDES LABIA EORVM LOQVVNTVR] Pro *viros malos*, hebr. eſt *viros malitiæ*, qui ſcilicet non ſimpliciter mali ſunt, ſed toti malitiæ dediti, vt non niſi rapinas & fraudes meditentur. Pro *rapinas*, hebr. eſt שוד *ſcod*, id eſt vaſtitatem, perniciem, exitium. Pro *fraudes* hebr. eſt עמל *amal*, id eſt laborem; ſed *labor* Hebræis ſæpè ſumitur pro fraude, iniquitate, iniuria, iniuſtitia. In hac enim concinnanda laborant impij, & laborare faciunt ac dolere eos in quorum damna iſtam concinnant, vt eos fortunis euertant. Vnde Chald. vertit, *iniquitatem*. Senſus ergo eſt. q. d. *Ne æmuleris*, id eſt, ne inuideas proſperitati malorum, vt ad eam aſſequendam deA ſideres cum eis inire ſocietatem, eorumque malitiam imitari, quia mens eorum nonniſi modos furandi & rapiendi excogitat, & os eorum non niſi fraudes & iniquitates eloquitur: quare ſcelerata eſt eorum ſocietas æquè ac proſperitas, ac proinde non inuidenda, ſed miſeranda, tum quia diu durare nequit: opes enim iniuria & ſcelere partæ citò diffluunt & euaneſcunt: tum quia breui atroces dabunt ſcelerum pœnas, vel in hac vita, vel in gehenna. Vide dicta cap. 23. v. 17. Septuag. vertunt, *quia mendacia & fucos meditatur cor eorum, & labores labia eorum loquuntur*: quæ verba eumdem reddunt ſenſum. Aliqui tamen per *mendacia, fucos & labores* accipiunt diuitias etiam licitas & licitè partas: hæ enim non ſunt veræ diuitiæ, quia animum non ſatiant, nec beant, ſed fucatæ dumtaxat, ideoque

que ſimiles meretricibus, quæ cùm ſint deformes, formam & pulchritudinem fuco & pigmentis ſibi conciliant, non veram & naturalem, ſed fucatam, [illegible] eſt pictam & fictam, vt pulchrè docet S. Chryſoſt. homil. de diuitijs & paupertate.

Myſticè auctor Catenæ Græcor. per viros malos accipit dæmones: hi enim mala & fraudes hominibus ſuggerunt, eoſque ad mala ſuis conſilijs impellunt, vt eos agant in ruinam & gehennam. Porrò id faciunt magna arte & fraude. Nam, vt ait Apoſtol. *Satanas transfigurat ſe in angelum lucis:* vbi enim Satanas agnoſcitur, facilè repellitur. Quare prima in tentatione, quam ipſe ſuggerit, homini cura ſit vt agnoſcat quòd hæc ſit tentatio, immiſſa non à ſpiritu bono, ſed malo, puta à Satana. Qui enim hoc aduertit, omni ſtudio tam ſatanæ, quàm eius ſuggeſtioni reſiſtit. Rurſum Satanas plenus eſt mendacijs, fucis & fraudibus; quare fel malitiæ ſuæ obtegit melle voluptatis, & fuco probitatis, vt videatur id quod ſuggerit eſſe probum & iuſtum. Quocirca magnâ ſolertiâ & diſcretione hi eius fuci detegendi ſunt, eiuſque ſophiſmata reſoluenda: ſic enim fiet, vt appareat eorum inanitas & impoſtura, ac facilè inſtar telæ aranearum diſſiciantur & euaneſcant.

Vers. 5. SAPIENTIA ÆDIFICABITVR DOMVS, ET PRVDENTIA ROBORABITVR] Eſt antitheſis verſus præcedentis. q.d. ait Beda: Ne miſceare malis, vt per fraudes & rapinas pares tibi opes, amplamque familiam; quia hæc verè & ſolidè non paratur rapinis, ſed ſapientiâ; illi ergo operam dato.

Porrò *ſapientia* tripliciter accipi poteſt. Primò, pro prudentia: hæc enim eſt ſapientia practica iuſtorum, quam toto hoc libro docet Salomon. Secundò, pro induſtria, arte & ſolertia: induſtrij enim in ſua arte ſapientes ſunt. Tertiò, pro virtute & probitate: hæc enim eſt ſapientia ſanctorum. Hinc triplex pariter conſurgit ſenſus.

Domus ædificatur Primò, prudentiâ.

Primus. q.d. Per ſapientiam, id eſt prudentiam, ædificatur domus tum materialis, tum potiùs ciuilis, putà familia ampla, ac poſteritas longæua, diues & ſplendida. Per eamdem quoque roboratur, creſcit & perficitur: ijs enim quibus res fiunt & conſtant, ijſdem & roborantur, creſcunt & perficiuntur. Hic ſenſus genuinus eſt, proprieque & primariò à Salomone & Spiritu ſancto intentus. Hæc ergo gnome docet tum prudentiæ vſum & fructum, tum modum parandi domos & familias conſiſtere non in rapinis, non in opibus, non in nobilitate, non in amicorum copia, ſed in prudentia: vir enim prudens prudenter inueſtigat rationes commodas, ſed iuſtas & probas, quibus res ſuas facilè augere poſſit, eaſque capeſſit, ac vitat contrarias, quæ ſibi damno fore videntur, vt res ſuas imminuant; vnde hac via ſecurè & iuſtè res ſuas auget & promouet. Hoc eſt quod ait ſapientia c. 8. 18. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.*

Secundò, arte.

Secundus. q.d. Per ſapientiam, id eſt per induſtriam & artem ædificatur domus & familia, ac per eamdem roboratur. Id in domo materiali clarum eſt: hæc enim per artem architectonicam fabricatur, & quo maior eſt in architecto hæc ars, eo pulchrius conſurgit ædificium, fiuntque mæniana, teſtudines, ſubſtructiones, quæ naturæ arte deſtitutæ videntur impoſſibiles. Conſidera Romæ fabricas priſcas & nouas. v. g. Pantheon, ſine columnis, trabibus, feneſtris, vna continua teſtudine compaginatum, ac ſurſum in orbem apertum, vt lumen recipiat quo tota fabrica illuſtretur. Ita amphitheatrum, columnas Traiani & Antonini, coloſſos & pyramides: maximè verò baſilicæ S. Mariæ Maioris, S. Laurentij, S. Ioannis Lateranenſis, S. Pauli, ac præſertim S. Petri, quæ vrbis & orbis eſt miraculum, ac videbis hæc omnia per artem & induſtriam magnorum artificum eſſe conſtructa, ac firma & robuſta per tot ſæcula conſiſtere. Rurſum prudentia dictat in ædificandis domibus æquè ac vrbibus, vti docet Ariſtot. in Politic. duo maximè ſpectanda & captanda eſſe, ſcilicet ſalubres aquas & auras, id eſt aërem & ventos, vti Romæ captant Aquilonem: hic enim Romanis, eſt ſalutifer & vitalis; quia tam aër quàm aqua intima hominis peruadit & penetrat. In domo verò ciuili, id eſt in familia, idem eſt clarum per experientiam. Videmus enim artifices, mercatores, alioſque viros intelligentes & induſtrios, per ſuam ſolertiā ad magnas opes & fortunas euadere, eaſque ſibi formare & ſtabilire.

Tertiò, virtute.

Tertius. q.d. Non per rapinas, fraudes & iniuſtitiam, ſed per ſapientiam, id eſt per virtutē, probitatem & iuſtitiam, eriguntur amplæ familiæ, ac per eamdem conſeruantur, roborantur & creſcunt: tum quia Deus virtuti hoc dat, non tam quaſi præmium (virtus enim maius meretur præmium, ſcilicet, cæleſte & æternum) ſed quaſi congiarium & mantiſſam, quæ vltra præmium laboranti adijci & ſupererogari ſolet: tum quia virtus omnibus eſt amabilis, omniumque fauorem conciliat, vt omnes virtute præditum iuuare & promouere ſatagant. Opes ergo & familiæ virtute comparatæ ſunt ſtabiles & firmæ; cùm illæ quæ rapinis & ſcelere parantur, ſtatim collabantur & ruant. Vnde S. Chryſoſt. hom. 2 in epiſt. ad Epheſ. *Quænam vis,* inquit, *te impellit ad rapiendum? Paupertas, inquies, ac timor de rebus neceſſarijs. Imò propterea non debes rapere; non ſunt enim ſtabiles & firmæ iſtiuſmodi diuitiæ. Tu autem idem facis ac ſi quis rogatus, Cur in arena domus fundamenta iaciat, dicat, Propter frigus, & propter pluuiam. Propter hoc quidem non oportebat fundamenta iacere in arena: ea enim certò euertunt procellæ & venti. Quare ſi vis eſſe diues, non ſis auarus, nec plura habendi cupidus; ſi vis filijs tradere diuitias, poſſide iuſtas, ſi vllæ ſint tales: ea enim manent, ſtantque firmæ ac ſtabiles.* Hoc eſt quod dixit cap. 23. 17. *Non æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore Domini eſto tota die; quia habebis ſpem in nouiſſimo, & præſtolatio tua non auferetur.*

Nota. Pro *roborabitur,* hebr. eſt [illegible] *itconan,* quod multa ſignificat & variè vertitur.

Primò, Chald. vertit, *& in prudentia præparatur.* q.d. Sapiens magnam erigit domum & familiam, quia antea congruo tempore ſibi comparat & præparat omnia ad eius fabricam neceſſaria, atque ſumptus omnes iuſto calculo ſubducit, ne vires & opes ſuas excedant, iuxta conſilium Chriſti: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum?* Lucæ 14. 28.

Secundò, Septuag. vertunt, *ἀνορθοῦται*, id eſt corrigitur, emendatur, inſtauratur. Vnde auctor Catenæ Græcor. vertit, *per ſapientiam domus è fundamentis ædificatur, & per prudentiā collapſa denuo inſtauratur.* Nam per familiaris rei curam, & prouidentiæ virtutem, tam nouæ domus & familiæ extruuntur, quàm collapſæ in integrum reſtituuntur:

vtà

vti per eam labentem Ieſſe familiam reſtituit, imò ad regium faſtigium euexit Dauid. Vnde de eo dicitur 1. Reg. 18. 14. *In omnibus quoque vijs ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul quòd prudens eſſet nimis, & cœpit cauere eum.* Et v. 30. *Prudentiùs ſe gerebat Dauid quàm omnes ſerui Saul, & celebre factum eſt nomen eius nimis.*

Tertiò, Vatabl. vertit, *ſapientiâ ædificatur domus, & intelligentiâ abſoluitur*, R. Leui, *prudẽtiâ abſoluetur & exornabitur.* q. d. Sapiens per ſuam ſapientiam & prudentiam, vti domum & familiam prudenter ædificare inchoat, ſic & eamdem prudenter & feliciter abſoluit: quia ſapiens familiæ ſuæ limites ſtatuit ſuæ prudentiæ & ſorti conſentaneos, iiſq; contentus eſt, nec vltra eos ambitiosè & imprudenter ſe extendere deſtinat. Scit enim hoc eſſe ſuperbum, æquè ac periculoſum, plenúmq; curis & angoribus; quare vt quietè viuat, ſuo ſe pede metiens ſua ſorte contentus eſt, è contrario inſipientes & arrogantes maiora animo deſtinant, quàm perficere queant: vnde ſe exponunt omnium ludibrio, de illiſque dicitur illud: *Hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit conſummare*, Lucæ 14. 30.

Quartò, Noſter optimè vertit, *roboratur* Hebr. enim כונן *conen* ſignificat firmare, roborare, ſtabilire, itaq; rem complere & perficere: vnde Pagnin. vertit, *& intelligentiâ ſtabilietur.* Syrus, *firmatur.* Roboratur autem familia à prudentia, tum quia hæc ſtatuit & aſſignat cuique in familia congruum ſibi officium, gradum & ordinem familiæ neceſſarium vel vtilem, tum quia rixarum ſemina amouet, omniaque quæ ad pacem tuendam faciunt procurat; tum quia familiam ſtabilit annuis cenſibus, prædijs & prouentibus, è quibus de copioſa annona & ſupellectile illi opportunè prouidet, & procurat, vti ſequitur.

Quintò, Caietan. & alij vertunt, *dirigitur* vel *diſponitur.* Prudentiæ enim eſt familiam primò, erigere; ſecundò, dirigere & diſponere vt cuique ſuum officium aſſignet; ac tertiò, ei de annona & ſupellectile prouidere.

Huic Salomonis gnomæ antiſtrophæ ſunt illæ ſeptem Greciæ ſapiẽtum, quas recenſet Plutarch. in Conuiuio ſapientum. Hi enim rogati quæ eſſet optima domus & familia, ſic ordine quiſque ſuo reſponderunt: Solon: *Ea*, inquit, *mihi optima videtur domus, vbi res eſt neque iniuſtè parta, neque in ea vel conſeruanda diffidentiæ, vel inſumenda pœnitentiæ eſt locus.* Bias: *in qua dominus ſua ſponte talem ſe gerit, qualem foris propter leges.* Thales: *In qua plurimum otij domino conceditur.* Cleobolus. *In qua plures ſunt qui diligant, quàm qui metuant dominum.* Pittacus: *Vbi neque requiruntur ſupernacanea, neque deſiderantur neceſſaria,* Chilon: *Maximè oportet domum vrbi, quæ ſub rege eſt, ſimilem eſſe, adiecitq; Lycurgum cuidam, qui populare imperium Spartæ inſtituere ipſum iuberet, reſpondiſſet Priùs tu hoc domi tuæ facito.*

Allegor. Chriſtus mira ſapientia ædificauit & roborauit domum Eccleſię ſuæ, vt patet ex Euangelijs, tum ex eius firmitate & propagatione per omnes gẽtes & per omnia ſæcula. Simili ſapientia fundatores Ordinum fundarunt ſuas domos & familias Religioſas, vti fecere S. Baſilius S. Auguſt. S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Frãciſcus, S. Ignatius, vt patet ex innumeris viris ſapiẽtibus & ſanctis, qui ex ijs prodierunt & prodeunt.

Tropol. Domus ſpiritalis, quæ in perfectione virtutum conſiſtit, putà animus ſanctus, ędificatur

A triplici ſapientia, ſcilicet primâ, prudentiæ; ſecundâ, praxi & induſtria; tertiâ, virtute. Nam diſcretionem & induſtriam ad perfectionem virtutis multum valere, ex hoc loco docet Caſſian. collat. 2. c. 4. ac patet experientiâ.

Primò enim, qui ſequuntur ſtatum & virtutem ad quam natura apti, habiles & procliues ſunt, multum in ea proficiunt: qui verò ſequuntur ſtatum & virtutem ad quam natura inepti ſunt, & à qua abhorrent, ij nihil vel parum promouent, nauigant enim aduerſo flumine & vento, quod durare nequit: illi verò ſecundo feruntur flumine & vento. Natura enim obſecundat gratiæ, & gratia perficit naturam: cùm ergo hæc duo in vnum conſpirant, magnum quid efficiunt. Ad hoc enim homo à Deo factus fictuſque videtur. *Praxis ædificandi domum perfectionis. Primo.*

Secundò, multi magnos ſubeunt labores, ieiu- *Secundò,*
B nia, auſteritates, & parum in virtute promouent; quia neſciunt vim virtutis non tam in labore corporis, quàm in vigore ſpiritus conſiſtere. Sapiens ergo id ſciens, huic pręcipuè intendit, illum tamen non negligit. Vnde S. Gregor. Nazianz. orat. 23. *Animi acrimonia*, inquit, *cùm ad pietatem acceſſerit, zelum parit; zelus autem fidei præſidium eſt.*

Tertiò, multi neſciunt, vel non cogitant de rectis intentionibus operi indifferenti, vel aliàs bono, addendis: hæ enim bonitatem operis tot virtutibus, quot intentionibus adaugent. Vir ergo ſapiens & induſtrius cùm orat, cùm ſtudet, cùm concionatur, &c. cogitabit & dicet: Ego hoc opus volo deſtinoque facere ex virtute, ſiue ex intentione & motiuo charitatis, vt ſcilicet magis placeam Deo: & ſimul ex virtute gratitudinis, vt ei gratias agam pro innumeris beneficijs in me col-
C latis: & ex virtute pœnitentiæ, vt ſatisfaciam Deo pro peccatis contra eum admiſſis: & ex amore proximorum, vt illis proſim, eoſque ad ſalutem conducam: & ex imitatione Chriſti, vt eius vitæ & paſſioni me conformem, &c.

Quintò, multi neſciunt quæ maior, quæ minor ſit virtus. Vir autem ſapiens ſcit potiſſimas virtutes eſſe tres, ſcilicet humilitatem cum obedientia, religionem & charitatem, quare in ijs ſe aſſiduè exercet, ac præſertim in charitate: hæc enim eſt regina virtutum, earumq; nodus, vinculum & complexio. Quare qui omnia ſua ex charitate facit, eamque quotidie intendit, hic mirè in virtutibus & meritis creſcit, perinde vt qui aurum eligit pro argento, ære ceteriſque metallis, cùm omnia indifferenter ei offeruntur, vt ipſe capeſſat quod volet. Hoc ſuadet Apoſt. Coloſſenſibus c. 3. 14. di-
D cens: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Et Corinthijs epiſt. 1. c. 16. v. 14. *Omnia veſtra in charitate fiant.* & Galatis c. 5. 13. *Per charitatem Spiritus ſeruite inuicem.* Et Timotheo epiſt. 1. c. 1. 5. *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

IN DOCTRINA REPLEBVNTVR CELLARIA, VNIVERSA SVBSTANTIA PRETIOSA ET PVLCHERRIMA] Hebr. *in ſcientia penetralia replebuntur omni ſubſtantia pretioſa & pulchra*; Chald. *& ſuaui*; Vatabl *omnigenis opibus raris & amœnis*; Septuag. *per ſenſum & intelligentiam implentur cellaria ex omnibus diuitijs pretioſis & bonis*; Syrus, *replebuntur omni poſſeſſione, & gloria & voluptate.* *Doctrina*, ſiue ſcientia, idẽ eſt quod prudentia & induſtria, vti ſępiùs monui. Senſus ergo eſt. q. d. Prudentiæ opus & fructus eſt Primò, domũ & familiam exſtruere; Secundò, *Vers. 4.*

eamdem ſtabilire & roborare, vt dixi v. præced. nunc addo Tertiò, eiuſdem eſſe familiam inſtruere tum annona copioſa, tum ſupellectile pulchra & pretioſa: ſic enim domus & familia omnem ſuam perfectionem, omne ſuum decus & ornamentũ obtinebit. Significat ergo hęc tria eſſe operoſa & difficilia, ac proinde ad ea paranda opus eſſe magnâ prudentia & induſtria. Rurſum notat prudentiam præſcribere ordinem congruum in hiſce tribus ſeruandum: ſcilicet Primo, parandam eſſe domum & familiam, cuiuſque ſtatui & facultatibus commenſam; vt tot ſint famuli, ancillæ, clientes, equi, rhedæ, quot ſtatus requirit, & quot alere ſufficit. Secundò, eamdem roborandam eſſe tum operibus inter famulos & ancillas ritè partitis; tum procurando eorum probitatem, pacem & concordiam; tum prouidendo de annuo B cenſu & prædijs ad eos alendos neceſſarijs. Inde Tertiò, comparandam eſſe annonam & ſupellectilem decentem & lectam. Prouiſio enim vtriuſque in menſes & annos ſequentes oportuno tempore fieri debet, iuxta leges prudentiæ œconomicæ. Hic eſt genuinus ſenſus Vulgatę noſtrę. Caiet. & alij Hebraizantes, qui Hebrǣum יִכּוֹנָן *iiconan* vertunt non, *roboratur*, ſed *dirigitur* vel *diſponitur*, paulò aliter vertunt & explicant, vti dixi verſ. 3. ſed eòdem ſenſus redit. Huc alludens Siracides Eccli. 1. v. 21. *Omnem domum illius*, inquit, *implebit à generationibus* (frugibus & fructibus à ſe genitis & productis) *& receptacula à theſauris illius.* Exemplum eſt in Ioſeph, qui ſua ſapientia futuram famem præuidens, impleuit horrea Ægypti tritico, quo per ſeptem ſterilitatis annos aluit Ægyptum, & totum penè orbem, Geneſ. 41. 47. & ſequent.

Myſticè R. Leui: Cùm ſapientiæ, inquit, id eſt C ſanctæ legis, arcana penetraris, cellaria, id eſt intima hominis, putà mens replebitur bonis pulchris & pretioſis: longè enim glorioſior & iucundior eſt viro huius perfectionis poſſeſſio, quàm quælibet pretioſæ opes.

Præclarè has ſpiritales viri iuſti ſtrenuique opes deſcribens S. Proſper li. 2. de Vita contempl. c. 13. *Illæ nobis*, inquit *ſunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare poſſunt, pariter & munire, quas nec acquirere poſſumus inuiti, nec perdere, quæ nos contra hoſtiles impetus armant, à mundo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atque nobilitant; nobiſcum ſunt, intra nos ſunt.* Et ſtatim vt iſtas opes ampliſſimas clariùs manifeſtet, ſubdit: *Diuitiæ noſtræ credendæ ſunt pudicitia, quæ nos pudicos; iuſtitia, quæ iuſtos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; manſuetudo, quæ manſuetos; innocentia quæ innocentes, puritas quæ puros; prudentia, quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes; & charitas quæ nos facit Deo & hominibus charos, virtutum potentes, ſæculi contemptores, ac bonorum omnium ſectatores.*

VERS. 5. VIR SAPIENS, FORTIS EST: ET VIR DOCTVS, ROBVSTVS ET VALIDVS] R. Salomon, *ſemper viribus pollet ſapiens*; Aben Ezra, *vir ſapiens robore præditus inuenitur, & qui ſcientia præditus eſt, vires firmat & roborat.* Dixit ſapientiam ædificare, augere & ditare domos ac familias, nunc addit eamdem eſſe robuſtam, ac ſapientes facere fortes & validos ad quælibet ardua, vel conficienda, vel ſuſtinenda, etiamſi corpore infirmi ſint & inualidi.

Sapientia infirmos facit validos.

Ratio eſt, quia fortitudo corporea, qualis eſt taurorum conſiſtit in lacertorum robore; at fortitudo animi & virtutis, quæ priori præſtat tan- A tum, quantum animus præſtat corpori, quæque res maximas conficit & perficit, conſiſtit in ſapienti conſilio, directione, arte, induſtria: quæ per vires paruas & infirmas magna & miranda efficit, vti patet in bellis, de quibus verſ. ſequenti. Vnde hebr. eſt, *vir ſapiens eſt in fortitudine: & vir ſcientiæ, roborans potentiam*, vel præcisè, *ſurrigens virtutem.* Hebr. enim יְאַמֵּץ *amats* ſignificat ſurrigere & erigere vires corporis vel animi, eſſe ſtrenuum, eſſe erecto animo vel virtute. Prudens enim conſilium ſuggerit mille modos rem arduam conficiendi, itaque erigit & ſuggerit vires & animos ad rem fortiter conficiendam.

Ratio à priori.

Adde, ſapiens eſt *vir*, vt hìc ait Salomon: quare virili fortique eſt animo; hinc & virtus, quæ propria eſt ſapientis, à *viro* dicitur, quaſi virilitas. Audi S. Bernard. tract. de Vita ſolitaria ad Fratres de Monte Dei, longiuſculè ante finem: *Quid eſt virtus? filia rationis, ſed magis gratiæ. Vis enim quædam eſt ex natura, vt autem virtus ſit, habet ex gratia. Vis eſt ex iudicio approbantis rationis, virtus autem ex appetitu illuminatæ voluntatis. Virtus enim voluntarius in bonum adſenſus. Virtus eſt æqualitas quædam vitæ per omnia congruens rationi. Virtus eſt ad iudicium rationis vſus liberæ voluntatis.*

Secundo, Vatabl. ſic vertit & explicat: *Vir ſapiens in poteſtate eſt: & vir eruditus fortificat vires ſuas*, id eſt *vir ſapiens plurimum valet auctoritate, & ſubinde in ea creſcit.*

Tertiò, R. Leui ſic vertit & explicat, quaſi dicat, Vir fit ſapiens ob fortitudinem & robur; mortalis enim, ſapientiæ fit compos, ob vim qua eiuſdem mens pollet ad coërcendas materiæ cupiditates, eaſdemque prorſus expugnan- C das. *Vir doctus, robuſtus*, q. d. Qui autem doctrina refertus eſt, vires, quibus præſtat mens, firmat & roborat, vt ceteras facultates coërceat, atque in ſuam poteſtatem redigat, quod quidem euenit ob præſtantiam ſcientiæ, eiuſque incredibilem amorem, quo ad ſe doctum rapit, ita vt in ea ſtudium vigiliaſque ſuas collocet vniuerſas, eidemque inuigilet aſſiduè, ceteræque vires huic vni adipiſcendæ ſubijciantur. Hæc ille.

Quartò, Syrus, Chald. & Septuag. Hebr. מְאַמֵּץ *meammets*, id eſt *robuſtus*, legunt alio puncto מֵאַמִּיץ *meammits*, id eſt *præ robuſto* (eſt enim *min* comparationis: idem valens quod *præ* vel *melior*) ſic vertunt Chald. *melior eſt vir ſapiens robuſto, & vir ſcientiæ magis quàm qui accinctus fortitudine ſua*; Syrus, D *melior eſt ſapiens forti, & doctus gigante robuſto*; Septuag. *melior eſt ſapiens forti, & vir prudentiam habens agricola magno.* Ita Complut. & Regia, licet Vatic. vertant, *agro magno*: γεώργιον enim & agrum & agricolationem, indeque figuratè γεωργὸν, id eſt agricolam, ſignificat.

Videntur Septuag. hunc verſum nexiſſe præcedenti de annona & opibus quas parat ſapientia: quaſi dicant, Sapientia valida & potens eſt replere cellaria omni annona & re pretioſa, magis quàm ſtrenuus agricola, qui ſua induſtria penum implet omni frugũ & fructuum copia. Aut, ſi vertas *agro magno*, q. d. Plures fruges & opes parit ſapientia, quàm agricolæ gnauo pariat ager magnus diligẽter ab eo excultus: validior ergo & ditior ad replendã penum omni rerũ copia eſt ſapientia, quàm ſit ager magnus & fertilis. Comparat ſapientiam agro, quia optimus eſt prouẽtus qui ex agro colligitur.

gitur. Audi Ariſtot. lib.2. de Re familiari poſt initium: *Optimus prouentus eſt ille, qui de ijs quæ propria ſunt regionis, percipitur: proximus qui de mercatibus: poſtremus is qui ex annuis & in orbem redeuntibus.*

Sapiens eſt fortis tripliciter.

Sapiens igitur fortis eſt Primò, quia ſapienter fortia, v.g. bella vel heroica opera, aggreditur, eaque feliciter conficit; Secundò, quia fortiter cupiditates ſapienti ratione cohibet & refrænat. Nam vt ait Ariſtot. apud Anton. in Meliſſa p. 1. c.12. *Fortior eſt ille qui cupiditates, quàm qui hoſtes vincit: nam ſeipſum vincere difficillimum eſt. Fortis ergo eſt qui ſuperat hoſtes, ſed fortior qui voluptatibus ſuperior eſt: multi enim qui hoſtes vicerunt, à mulieribus victi ſunt,* vti Samſon, Dauid, Salomon, Alexander Magnus. Tertiò, quia aduerſa quælibet ſapienter, adeoq; fortiter tolerat: ſapientia enim facit excelſum & magnanimum.

Præclare Seneca ad Heluiam c.5. *Nec ſecunda,* inquit, *ſapientem euehunt, nec aduerſa demittunt.* Præclariùs S. Ambroſ. lib. de Iacob & vita beata c.8. *Manet,* inquit, *ſemper inter aduerſa & delectabilia virtus perfecta, neque aduerſa de perfectione eius quidquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni.* Et paulò pòſt: *Perfecti enim eſt viri communitatem naturæ ſuſtentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec ſuccumbere ijs quæ pleriſque terribilia & formidoloſa videntur, ſed quaſi fortem militem grauiſſimorum caſuum ſuſtinere incurſum, conflictus ſubire & quaſi prouidum gubernatorem nauem in tempeſtate regere, atque occurrendo inſurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium ſulcando vndas, quàm declinando.* hæc ille. E quibus ſatis apparet ſapientem virum non debere vitare pericula, ſed illis occurrendo ſuperare.

Eius ſymbolum eſt aſinus: cur. Exempla.

Hinc Hebræi, teſte Aldrouando in aſino; ſapientis ſymbolū dant aſinum, eò quòd inſtar aſini multa ſapienter, id eſt patienter & fortiter, perferre debeat. Meritò Ammonius Alexandrinus, magno Origene & Porphyrio diſcipulis clarus aſinum his condiſcipulum fertur adhibuiſſe: neque verecundatus Cleanthes appellatione huiuſmodi, confidentiſſimè reſpōdit: *Aſinus quidem ſum, ſed qui portare poſſum ſarcinā Zenonis.* Debet igitur ſapiens iuxta hunc ſenſum omnia libētiſſimè ferre: de ſuo enim filio Iacob dixit Gen.49. 14. *Iſſachar aſinus fortis;* Iſſachar autem præmium & mercedē ſignificat; hoc enim præmij ac mercedis loco ſapiens æſtimare debet, vt ſit aſinus fortis, nec laboribus defatigetur, ſed incommoda omnia libens ſubeat.

Vers. 6. QVIA CVM DISPOSITIONE INITVR BELLVM: ET ERIT SALVS VBI MVLTA CONSILIA SVNT] Probat virum prudentem eſſe fortem ex eo, quòd prudenti eius diſpoſitione & conſilijs bella gerantur & conficiantur. Eſt argumentum ab exemplo, vel à ſpecie ad genus.

Diſpoſitio in bello triplex.

Diſpoſitio hîc tripliciter accipi poteſt: Primò, pro gubernatione vel pro imperatore, qui exercitum gubernat & diſponit: Secūdò, pro ordine & acie, qua exercitus aptè congrueque diſponitur: Tertiò, pro cōſilijs, quibus bella inſtruuntur & diſponuntur. Hebr. enim *tachbulot* ſignificat gubernationem, ordinem & cōſilia, quibus nauis à nauarcho, & analogicè exercitus ab imperatore, vel reſp. à principe aut magiſtratu gubernatur, diſponitur, regitur. Sicut enim nauarchus gubernat nauim ſuo conſilio, induſtria & experientia, ſic & hiſce tribus dux gubernat exercitū, & rex regnū.

Primò.

Primò, ergo iuxta primum ſignificatum, ſic exA ponas: Conſilio atque arte imperatoris exercitus regitur, perinde ac nauis clauo & gubernaculo. Nam ſicut mirum eſt vnum hominem conuerſo clauo vaſtam nauim arbitrio ſuo in omnem partem impellere: ita etiam mirum eſt vnius imperatoris prudentia & arte integros exercitus coërceri atque regi. *Et erit ſalus vbi multa conſilia,* q.d. Imperator ſi ſaluum velit exercitū, multis prudentum & expertorum militum ducumque vtatur conſilijs. Id enim faciendum eſſe docet Vegetius lib.3. de Re milit. c.9. & 27. *Quid fieri debeat,* inquit, *tractato cum multis; quid vero facturus tandē ſis, cum paucißimis ac fideliſſimis, vel potiùs ipſe tecum.* Et Plutarchus in Moral. *Gubernator,* inquit, *optimos quærit nautas, eoſq; ſæpiùs in conſilium adhibet: ita etiam princeps eos aſciſcat conſiliarios, qui ad rempub. adminiſtrandam maximè idonei ſunt.* Ita præ alijs fecit Seuerus Imp. teſte Lampridio in eius Vita. B Porrò quantum valeat in bello dux prudens & rei bellicæ peritus, ſuo exemplo docuere Hannibal, Scipio, Alexander, Iulius Cæſar, & è fidelibus, Dauid, Iudas Machabæus, Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, qui ſua prudentia & peritia orbem victorijs & triumphis compleuere. Hinc auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. ſic vertit, *bellum per gubernatorum prudentiam feliciter adminiſtratur; ſubſidium autem ex prudenti conſultoq; corde petendum eſt.*

Secundò.

Secundò, iuxta ſecundum *diſpoſitionis* ſignificatum, ſenſus eſt, quaſi dicat: Bella gerēda ſunt non tam militum numero, quàm ordine & congrua diſpoſitione. Pauci enim in acie ritè diſpoſiti ſuperabunt multos, qui ſine ordine tumultuariè depugnant. Pulchrè id ex analogia fabricæ domus oſtendit Xenophon lib. de Dictis & factis Socratis: *Bonum,* inquit, *eſt imperatori, vt aciem ordinare perC quàm doctè ſciat. Quemadmodum enim lapides, ligna & regulæ inordinatè quidem proiecta ad nihil vtilia ſunt, eadem verò ſi rectè ſurſum deorſumq; ordinentur, domum fortem & nunquam ruituram componunt: idem de exercitu iudicium eſt. Nam militum confertiſſimæ phalāges niſi in ordinem redigantur, ad nihil præſtant: paucißimi autem bellatores ſi rectum ordinem & diſpoſitionem ſuſcipiant, validiſſimi atque inſuperabiles ſunt.* Hinc concludit, quòd, ſicut in domo ſumma & ima debent eſſe firmiſſima & fortiſſima, media autem minùs fortia, verbi gratia ex lateribus eſſe poſsūt: ſic quoq; in conflictu primam aciem & vltimam debere eſſe fortiſſimam, in medio autem collocandos *eſſe timidiores; vt à primis ducantur exemplo, & à poſterioribus vi impellantur in prælium.* Sapienter Macrinus apud Herodian. lib.4. *Arma,* inquit *corripiamus, &, vt mos eſt Romanis, ordines in acie ſeruemus, quippe in acie barbarorum incompoſita multitudo D & tumultuaria, ipſa ſe impediet ac premet,* Hinc videmus paucos Chriſtianos milites benè diſpoſitos, multa Turcarum agmina inordinatè & tumultuariè irruentia ſternere & profligare.

Denique Vegetius docet modum efficacem vincendi eſſe, ſi dux hoſtes inuadat imparatos, nec det eis tempus aciem aptè ordinandi. Idem lib.3. c.17. & 27. docet non eſſe perſequendum hoſtem iam fugientem, ſi in perſecutione periculum ſit ne ordines turbentur: *qui enim diſperſis ſuis inconſultè ſequitur,* inquit, *quam ipſe acceperat, hoſti vult dare victoriam.* Id Chriſtianis nuper accidit in Hungaria cum Turca depugnātibus, fruſtra ſuos, qui Turcas fugientes perſequebantur confuſis ordinibus, re-

uocante Sigiſmundo Principe Tranſyluaniæ. Et Belgis apud Neoportum cum Hollandis confligentibus, qui victoriam adepti præfidenter ſine ordine Hollandos perſequentes, ab eis cæſi, eiſdem victoriam tradidere.

Tertia.

Tertiò & maximè genuinè, *diſpoſitio* hic capitur pro conſilijs & ſtratagematibus, quibus bella gubernanda & diſponenda ſunt vt victoriam pariant, hæc enim propriè ſignificat Hebr. *tachbulot*, Vnde Pagnin. vertit, *in conſilijs facies tibi bellum*; Caietan. *in ingenijs conficitur bellum*; Septuag. *cum gubernatione*, id eſt cum ratione gubernandi, *fit bellum*; Chald. *quoniam in gubernaculis facies tibi bellum: ſalus autem erit in multitudine conſilij*. Minùs aptè Syrus, *quoniam in prouectione facies bellum*; aptiùs Vatabl. *quia induſtrijs facies bellum; & ſalus in multitudine conſiliariorum. q.d. Quia debes gerere bellum induſtriâ, quam dat ſapientia, quæ reddit hominem conſultum & induſtrium.*

Significat ergo Primò, in bellis plus valere prudentiam & ſtratagemata quàm copiam militum, aut eorum robur & vires: Secundò, bellum egere magna accurataque gubernatione, magnaque ducum & gubernatorum conſideratione, circumſpectione & ſolertia: Tertiò hoſtibus non temerè, neque inconſultò, ait auctor Catenæ Græcor. *obuiàm eundum eſſe, ſed consideratè maturéq; adhibita deliberatione, ſiue id fiat animæ viribus, ſiue quibuſcumque alijs.* Hoc eſt quod ait Euripides in Anthrope; *Viri prudentia ad bellum magnum momentum eſt, conſilium enim ſapienter initum multas manus vincit; imperitia cum multitudine deterius malum eſt.* Præclariùs Plutarch in lib. Contra vires corporis: *Quænam tibi*, inquit, *tanta felicitas videtur viribus pollere, vt eius cauſa naturam exiſtimes hominibus nouercam, brutis autem parentem fuiſſe: at hominibus propria vis in animi ratione conſiſtit, quæ & elephantes per ſiluas pedicis capit, frenat equos, ſubiugat boues, volucres deijcit arundinibus, & in profundo ſubmerſa retibus extrahit. Quis non Vlyſſes quàm Cyclops eſſe malit ad bellum?* Plura hac de re dixi c. 11. v. 14. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet; ſalus autem, vbi multa conſilia.* Quod enim ibi de populo & republ. hic de bello & exercitu dicitur. Et cap. 20. 18. *Cogitationes conſilijs roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella.*

Et erit ſalus vbi multa conſilia. *Salus* hic quælibet accipitur: quamlibet enim pariunt ſana conſilia. Quia tamē hic agitur de bello, propriè ſalus exercitus hic notatur, præſertim victoria. Vnde Tigurina vertit, *conſilijs enim bella geruntur, & victoria multitudine conſiliariorum paratur.*

Tentationes conſilio, non vi ſuperandæ.

Myſticè, in tentationibus & bellis ſpiritualibus, quæ gerimus contra diabolum, mundum & carnem, plus valet prudentia quàm vires. Prudentia enim docet libidinem ſuperandam eſſe non viribus illi reſiſtendo, ſed ſolertia eius cogitationes & incentiua fugiendo: dæmonis ſuggeſtiones vinci humilitate, ſi eas illicò Superiori vel viro prudenti detegas: mundum ſuperari, ſi pomparum eius inanitatem intuearis & conſideres, hoc eſt, videas & rideas: carnem domari, ſi eius appetitibus brutalibus contradicas, eamque maceres ieiunijs, chameunijs, id eſt humicubationibus, cilicijs, æſtu, frigore, ceteraque vitæ auſteritate. Vnde S. Antonius dictitabat diſcretionem eſſe omnium virtutum principem, vtpote quæ tentationes ſuperet, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, quæ virtutes ceteras conſeruet illæſas. *Omnium namque virtutum genetrarix, cuſtos moderatrixq; diſcretio eſt*, ait Moſes Abbas apud Caſſian. collat. 1. c. 4. qui deinde pluribus exemplis idipſum demonſtrat. Vide Aluarez de Paz tom. 2. tract. de victoria tentat. lib. 1. p. 3. c. 11. vbi decem imprudentia & ſtulta militaria conſilia recenſet, militi Chriſtiano prudenti fugienda.

Vers. 7.

EXCELSA eſt STVLTO SAPIENTIA, IN PORTA NON APERIET OS SVVM] Pro *excelſa* hebr. eſt רָאמוֹת *ramoth*: quod Primò, *excelſa* ſignificat; Secundò, *cornua vnicornis*, vel rhinocerotis; hic enim hebr. vocatur רְאֵם *reem*, quia cornua eius excelſa ſunt, & contra venena efficacia; Tertiò, *coralia*: ſic enim vertunt Pagnin. Vatabl. R. Dauid & alij. Iob 28. v. 19. R. Salomon hic cenſet *ramoth* eſſe gemmam maximi pretij. Denique Noſter Ezech. 27. 16. vertit, *ſericum*. Porrò *ramoth*, id eſt excelſa, eſt pluralis numeri: & ſic olim vocabantur templa & altaria Deo erecta in mōtibus & locis excelſis, ad quæ hic alludit, q.d. Sapientia ſtulto videtur eſſe ſacroſancta, & in excelſis tēplis abſcondita, ſibiq; inacceſſa. vnde ad eius portas non audet accedere.

Rurſum pro *ſapientia* hebr. eſt חָכְמוֹת *chachmot*, id eſt *ſapientiæ* in pluralitū vt ſignificet eſſe quidē vnam ſapientiam, ſed res multas cōplecti. Eadem de cauſa Deus vocatur *Elohim* & *Adonai* in plurali, quia ipſe, licet vnus ſit gubernator & dominus, tamen omnes & reges & dominos tranſcendit, eoſque eminenter in ſe complectitur: tum quia variæ ſunt ſpecies, partes, leges & dictamina ſapientiæ.

Stulto ardua ſapientia: cur.

Senſus ergo eſt, q.d. Sapientia practica, putà prudentia & virtus, ſtulto, id eſt imprudenti, qui ſuam phantaſiam & cupiditatem ſequitur, videtur eſſe excelſa, ardua & quaſi cognitu & practicatu impoſſibilis, ideoque facilius ſibi putat inuenire aut comparare cornu vnicornis, aut coralia, gemmaſque pretioſiſſimas, quàm ſapientiam & virtutem. coralia enim rara erant & in pretio. vnde Plin. l. 32. c. 2. *Quantum apud nos*, inquit, *Indicis margaritis pretium eſt, tantum apud Indos in coralio.*

Ratio à priori. Prima.

Ratio à priori eſt. Prima, quòd nonnulli adeò ingenio ſunt obtuſo, depreſſo & hebeti, vt alta ſapientiæ dogmata non capiant. Tales multi ſunt apud Indos, quin & apud Chriſtianos in locis montanis & inacceſſis, qui myſteria fidei, Deum, cęlū ignorant, nec ſermones de rebus ſalutis intelligunt, perinde ac ſi Hebræi vel peregrini forent.

Secunda.

Secunda, quòd multi ſunt inertes & pigri, vt nolint audiendi diſcendique, multò minùs exequendi ea quæ ſalutis ſunt, laborem capeſſere.

Tertia.

Tertia, quòd bonis terrenis & carnis voluptatibus ſint immerſi & demerſi, quo fit vt ea quæ ſpiritus ſunt, non capiant, nec ad cęleſtia & diuina mentem manuſque erigant.

Quarta.

Quarta, quòd multi ſunt ſuperbi, vt nolint ſe demittere ad audiendam ſapientiam; alij verò ex aduerſo ſunt puſillanimes, qui nolunt aſſurgere mentemq; erigere ad ſapientiæ dogmata & præcepta. Ita S. Auguſt. in pſal. 58. *Duplex*, inquit, *hominum genus eſt qui ad ſapientiam peruenire non poſſunt, ſuperbi ac puſillanimes. Eſt igitur ſapientia erga ſuperbos profunda* (quia ex faſtu nolunt ad eam ſe deprimere) *erga puſillanimes excelſa*, quia ex vilitate animi nolunt ad eam ſe erigere.

Quinta.

Quinta, quæ magis huic loco conuenit, eſt, quod inſipienter adeò celſam & ſublimem æſti-

mant

mant ſapientiam, vt ad eam ſe aſpirare poſſe deſperent: putant enim ſapientiam ſe altiorem & in cælis poſitam, dicuntque cum Iudæis illud Deut. 30.12. *Quis noſtrûm valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud* (mandatum Dei) *ad nos, & audiamus, atque opere compleamus?* Hinc Chald. vertit, *murmurat ſtultus aduerſus ſapientiam*: quaſi ſupra captum & vires ſuas ſit, illaque ei præcipiatur, quæ captu & factu ipſi ſit impoſſibilis. Hinc ſtultus *in porta non aperiet os ſuum*, q.d. Non audebit inter viros ſapientes & primores (quales ſunt iudices qui olim iudicia exercebant in portis vrbium) loqui vel hiſcere; ſed, vt ſtultus & ſtupidus, præ inſcitia & inſipientia obmuteſcet & obſtupeſcet, eritque velut noctua inter aues, velut anſer inter olores, velut aſinus inter leones.

Tacitè ſignificat Salomon præter ſapientiæ fructus iam aſſignatos, putà præter opes & ſplendorem familiæ, præter fortitudinem & victoriam, ſapientiam quoque afferre dignitates, cathedras, officia: ſapientes enim eliguntur in iudices, magiſtratus, rectores; ab hiſce verò munijs excluduntur inſipientes. Vnde Septuag. vertunt, *ſapientia & cogitatio* (vel *intelligentia recta*) *in portis ſapientum comperitur: non declinant ab ore* (Complut. *à lege*) *Domini, ſed cogitant in conſeſſibus*, id eſt, vt auctor Catenæ Græc. vertit, *in prudentum cœtum conſtituti, quid proponatur prudenter expendunt*. Hoc eſt, vt rectè explicat noſter Salazar: *In portis ſapientum*, id eſt in ſenatu & ſubſellijs iudicum, ſeu magiſtratuum, ſcientia & doctrina præſtantium, ſapientia ipſa præſidet, ac moderatur omnia, eiuſque auxilio iudices in ſententijs dicendis nec latû vnguem diſcedunt ab ore Domini, hoc eſt à legibus & ſtatutis, quas Dominus ore ſuo denuntiauit. In his verò vbi lex nihil ſanxit, ſed iudicis arbitrio tranſigenda ſunt, non temerè iudicant; ſed longâ cogitatione iuſtitiæ momenta librant, & ſic demum ſententias iuſtiſſimas pronuntiant.

Porrò vt intelligas quàm excelſa ſit hæc ſpiritalis ſapientia, audi ſeptem eius gradus, quos recenſet S. Auguſt. l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 7. *Timor Dei, pietas, dilectio Dei ſuper omnia, conſolatio Spiritus ſancti, deſiderium rerum cæleſtium, mori ſæculo, ac tunc demum in ſeptimi gradus faſtigio eſt vera ſapientia.* Hæc S. Auguſt. qui deinde ſingulos hoſce gradus ſigillatim & fusè explicat. Denique excelſa eſt ſapientia, ſi meras naturæ vires ſpectes; has enim longè tranſcendit; eadem verò facilis & plena eſt ſi vires gratiæ, quam Deus cuique præparat, conſideres: ſapientia enim, id eſt virtus & ſanctitas, gratiæ Dei eſt connaturalis, eiuſdemque cum ea rationis & ordinis: ſtulti autem metiuntur ſe viribus naturæ, ſapientes verò viribus gratiæ; quare illis ſapientia videtur excelſa & impoſſibilis, his vicina & facilis. Nam vt ait Sextus Pythagoræus ſent. 136. *Semper iuxta Deum eſt mens ſapientis: ſapientis mentem Deus inhabitat.* Et ſent. 104. *Sufficit ad beatitudinem agnitio Dei ſolius & imitatio.* Et ſent. 40. *Templum ſanctum Deo eſt mens pij, & altare optimum eſt cor mundum & ſine peccato.* Nam, vt ait Nazianz. iambico 8. *Qui ſe Deo dat, Deum accipit: talis enim eſt natura dantis Dei.* Et aliàs: *Sapiens eſt ſpeculum Dei lympidiſſimum: vt ſapiens Deum, ſapientis ſic animam ſequitur Deus.* Sicut enim herba dicta heliotropium, ſiue ſoliſequium, ſemper ſoli ſe obuertit, ac viciſſim ſol heliotropio: ſic anima ſapientis iugiter Deum reſpicit, & viciſſim à Deo reſpicitur:

Sapientia facilis viris: cur?

Gnome.

A *Sicut enim ſol oculorum, ita cordis lumen eſt ſapientia*, hoc autem lumen eſt Deus, Deique aſpectus, illuſtratio & gratia. Aurea eſt gnome Senecæ epiſt. 41. *Sicut ſolis radij contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt vnde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus vt propiùs diuina noſſemus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet, illuc ſpectat ac nititur.* Breuiùs, & diuiniùs S. Paulus: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, Philip. 3.20. vide ibi dicta.

Vers. 8. QVI COGITAT MALA FACERE, STVLTVS VOCABITVR] Pro *ſtultus*, hebr. eſt בַּעַל מְזִמּוֹת *baal mezimmot*, id eſt *vir machinationum*, vel dominus molitionum, qui ſcilicet excogitat artes, rationes, argutias, technas & fraudes malè agendi, alijſque nocendi; inuentor malorum, architectus & auctor B ſcelerum, qui non ex infirmitate, ſed ex propoſito mala alijs inferre deſtinat, imò ea excogitat, quomodo Apoſtolus philoſophos in Deum impios vocat *inuentores malorum*, Rom. 1.30. cùm enim pollerent ingenio & ſcientiâ ſæculari, ijs abuſi ſunt ad excogitandas nequitias, eaſque fictis rationibus defendendas, ſicut nonnulli ſodomiam & pæderaſtiam nequiter defenderunt. Noſter vertit, *ſtultus*, ſcilicet practicè, hoc eſt impius & ſceleratus, ſcilicet eximiè per antonomaſiam: talis enim eſt qui machinatur & excogitat artes malignandi & nocendi, vti faciunt qui excogitant modos duplicandi & triplicãdi vſuras, nouos contractus fraudulentos & iniuſtos, nouas artes circumueniendi emptores, nouas exactiones, & tributa iniqua, &c. atque aduocati verſuti, qui ſpe lucri excogitãt mille ſubtilitates & argutias ad mouendas lites etiam in re clara, ſiue ea ſit facti, ſiue C iuris. Hebr. enim בַּעַל *baal* ſignificat dominum, virum, habentem, poſſidẽtem, potentem, patronum, maritum. Talis enim eſt excogitator artium ad malefaciendum; hic enim eis quaſi dominatur & imperat. Vnde Chald. vertit, *habens aſtutiam peſſimam*; Syrus, *iniquus*; alij vertunt, *maritum* vel *coniugem malarum artium*. Sicut enim maritus ex vxore progignit proles, ſic hic ſuo ſubtili & maligno ingenio ex malis artibus, quibus ſe quaſi maritum deſpondit totumque addixit, progignit mille nocendi modos, mille mala opera & ſcelera.

Hinc & Caietan. vertit, *cogitantem ad faciendum malum, illum herum cogitationum malarum vocabunt*, cui ſcilicet velut malitiæ hero & domino malæ ſuæ cogitationes & inuentiones velut ſerui ilicò ſe ſiſtunt, famulãtur & obſequuntur; qui proinde D inſtar diaboli in regno nequitiæ excellit, dominatur & præſidet. Cogitatio enim eſt velut imperator, qui in corde velut in throno reſidet: vnde ſi bona eſt, imperat bona, ſi mala, imperat mala, vti docet S. Auguſt. præf. in pſal. 148. Addit Caiet. machinãtem mala vocari *herum cogitationum*, quia cogitationes illi famulantur ad optatum ſucceſſum, vt ſcilicet mala quæ deſtinat, reipſa opere perficiat. Ratio autẽ, inquit, quare cogitantes malum potiùs quàm cogitantes bonum fiunt votorum compotes, eſt multiplex. Nam & ipſe cogitans pronior eſt ad malum quàm ad bonum, ac per hoc propenſior & ſtudioſior eſt ad malum; & multitudo miniſtrorum idonea ad malum in promptu magis eſt quàm ad bonum; & bonum multa habet impedimenta quibus caret malum: quia bonum conſurgit ex cauſa integra, malum autem ex quolibet particulari defectu.

Cogitans malum citiùs exequitur quàm cogitans bonum: cur?

Igitur hæc gnome ſignificat Salomon, inquit Janſen. veniâ quidem dignum eſſe eum qui ex infirmitate & ignorantia labitur & peccat: at eum qui ſtudet mala facere, & cogitationes ſuas in hoc inſumit, ita vt ſit ex his de quibus dicit Propheta: *iniquitatem meditati ſunt in cubili ſuo*: quique nouas ſemper malefaciendi & nocendi rationes excogitat, infamiam magnam conſecuturum apud homines. Id enim ſignificatur cùm dicitur, ipſum vocandum ſceleratum, vel, vt Noſter vertit, *ſtultum*. Quamquam meritò *ſtultus* vocandus ſit talis, quòd ſalutis ſuæ nullam habeat rationem, nec timore iudicij diuini a malo propoſito ac cogitatione malefaciendi auocetur: aut quia vanitas cogitationum eius aliquando tandem innoteſcet. Cogitationes enim malæ, præſertim crebræ, deſtinatæ, & alijs noxiæ, animo celari nequeunt, quin erumpant in dicta & facta noxia quæ animo machinantur: quare cùm erumpunt, auctores earum ab omnibus ſtulti, id eſt impij & ſcelerati, nominantur, infamantur & damnantur.

Sancti nouos excogitant modos placendi Deo.

Porrò ſicut ſcelerati toti ſunt ad machinandum & excogitandum mala, vt videantur eſſe quaſi dæmones incarnati; ſic vice verſa eximiè ſancti toti ſunt, vt excogitent nouos modos, & rationes quibus magis placeant Deo, magiſque eius gloriam in animarum ſalute propagent, vti fecere S. Dominicus, S. Franciſcus, S. Ignatius (cuius hoc erat dictum, *Ad maiorem Dei gloriam:*) S. Xauerius, &c. Sapientia enim ſanctitas & charitas inſatiabilis eſt, creſcitque inſtar ignis, vt quo maior eſt, eo plura ambiat, & magis creſcere ſatagat.

Cogitatio stulti peccatum est: et abominatio hominum detractor] Hebr. *cogitatio mala*, vel *machinatio ſtultitiæ, peccatum eſt, & abominatio homini deriſor*; Pagnin. *cogitatio mala hominis ſtulti peccatum eſt*, Vatab. *facinus hominis ſtulti peccatum eſt, & irriſorem abominabuntur homines*; Chald. *aſtutia ſtulti peccatum eſt, abominatio viri ſapientis deriſor*; Syrus, *improbitas ſtulti peccatum eſt, & iniquos malitia reget*.

Primò, R. Salomon ſic exponit: *Cogitatio ſtulti*, id eſt conſilium ſtultum, eſt peccatū, quia qui illud ſequitur, peccati piaculo ſe obſtringit. Rurſum cogitatio & actio ſtulti peccatum eſt, ait R. Leui, quia illum obit abſque vlla deliberatione & conſilio: idem facit deriſor: omnis enim conſultatio deriſori eſt omiſſa, cùm in ridiculis tantùm rebus verſetur abſque vllo maturo promtoque conſilio; quare imprudenter agit committitque peccatum.

Secundò, Aben Ezra hunc verſum nectit præcedenti, tanquam eius det cauſam, q. d. Cogitans mala vocabitur ſtultus, quia ſtulti cogitationes nō niſi ad patrandum peccatum feruntur, quare qui illud patrare cogitat, ſtultus eſt & vocari debet.

Tertiò, Caiet. hunc verſum pariter nectit præcedenti, ſed alio nexu q. d. Populus laudat eum, qui cogitat mala, eumq; vocat *herum cogitationum*, quòd ei cogitationes ad felicem votorum ſuorum ſucceſſum famulentur, vt quæ cogitat, reipſa adimpleat, vti dixi v. præced. At in hac ſua opinione & laude grauiter errat populus, quia cogitationes ſtultorum, quales ſunt qui deſtinát mala, ſunt peccata, ideoq; vituperio digna, non laude; quin & ſtultus qui eò deuenit, vt ſit deriſor recteque facta irrideat, hic ſanè populo eſt abominabilis & deteſtabilis. Verùm hic ſenſus Vulgatæ verſioni aptari nequit, quæ mala cogitantem ab hominibus vocari *ſtultum* aſſerit, ideoque non laudari, ſed vituperari ab hominibus.

Quartò, noſter Salazar exponit, q. d. *ſtultus*, id eſt impius adeò ad malum pronus eſt, vt, cùm operis externi copia nō eſt, ſola animi cogitatione & deſtinatione grauiter delinquat: paſcit enim ſe cogitatione mala, cùm ſe voluptate & re mala paſcere nequit. Similiter iratus, qui alterum lędere reipſa nequit, gaudet eū lędere ſuis ſannis & irriſionibus.

Quintò, Janſen. valdè appoſitè explicat, q. d. Stultitia, id eſt improbitas, hominis aſſiduè ei cogitationes malas ſuggerit, vt nonnihil peccare libeat, ac bene agētes & monentes rideat, eiſq; detrahat. Pergit Sapiens, inquit, auocare à ſtultitia, Primùm quidē dicens, quòd omnis cogitatio quā ſtultitia homini ſuggerit, hoc eſt, omnis cogitatio ſtulti quatenus eſt ſtultus, eſt mala & peccatum, atque ad peccatum tendit, quod nō manebit impunitum. Secundò, ſubiungens eum, qui non tantùm malè cogitat, ſed etiam irridet bene monentes & conſulentes, hominibus eſſe abominabilem, vt de quo nulla ſit ſpes. Idem rectè dicitur & de detractore, qui cùm de omnibus malè loquatur, nunquam bene audit, ſed meritò omnibus eſt ingratus: quamquā ſingulariter illud intelligi poteſt de detractore, qui detrahit bene monentibus & docentibus ipſum; ſic enim idē erit detractor & irriſor. Significat ergo ſtultitiam fugiendam, vt cuius omnis cogitatio ſit mala, quæ ſi eò progrediatur, vt etiā ore irrideat bene conſulentes, ac alijs detrahat, ſe abominabilem faciet omnibus hominibus.

Dixerat Salomon v. 8. *Qui cogitat mala facere, baal mezimmot*, id eſt *vir machinationum vocabitur*: nunc explicat, quales ſint hæ eius machinationes, aitq; non eſſe bonas, ſed malas eſſeque peccata. Vnde pro *cogitatio* hebr. eſt זמת zimma, id eſt *machinatio ſtultitiæ* vel ſtulti, *eſt peccatum*. Significat ergo ſtultum, id eſt ſceleratum, ita ſuis malis cogitationibus & machinationibus agi & rapi, vt earum non tam dominus quàm ſeruus eſſe videatur, eò quòd eas cohibere nequeat, ſed inſtar equi effrænis eas explere & peccatum perpetrare ſatagat, adeoque bene monentes & corripientes irrideat, eiſque detrahat. Hoc enim inter ſapientes & ſtultos eſt diſcrimen, quòd vtrique licèt malis cogitationibus pulſentur, ſapientes tamen reſiſtendo eas ſtatim elidunt; ſtulti verò cōſentiendo eis obſecundant. Vnde S. Chryſoſt. hom. 4. in Geneſ. *Iuſti, ait, primam quamque malam cogitationem ſtrangulant: improbi autem eamdem excipiunt atque alunt.* Nota *ſtrangulant*: ſicut enim proditor aut ſerpens mox vt deprehenditur, ſtrangulatur, ne aliquod poſt ſe ſemen noxium relinquat: ſic mala cogitatio ilicò vt ſentitur ſuffocanda eſt, ne aliquam poſt ſe titillationem & tentationem peſtilentem relinquat. Impij ergo quia eam non ſuffocant, ſed alunt & indulgent; hinc cor & fauces eis pandunt, vt eas eloquantur, ac correpti corripientes irrident, eiſque detrahunt, quod apud homines infame eſt & abominabile.

Porrò Septuag. aliò abeunt: vertunt enim, *indiſciplinatis occurrit mors: moritur autem imprudens in peccato.* Eſt antitheſis illius quod apud eoſdem præceſſit: *Sapientes à lege Domini non deflectunt*, quaſi dicant, ait auctor Catenæ Græcor. Sapientes qui virtutum ſtudio incumbunt, omni diligentia & contentione illis incumbunt, neque leui de cauſa ab ea deflectūt: at homines ſcelerati & peſtilentes,

qui

quì peccatis & vitijs obſtinatè adhærent, eademque in fixum firmumque habitum iam verterunt, vſque ad vltimum vitæ halitum, hoc eſt, tantiſper dum mors illos excipiat, peccare & mala agere non deſiſtunt, adeoq; in peccatis ſuis extinguuntur. Id videre eſt in hæreticis, & ſimilibus qui prauis ſuis ſententijs, quas imbiberunt, obſtinatè & mordicus adhærent vſque ad mortem, quaſi poſſeſſi à ſpiritu erroris.

Cor ſemper cogitet bona. Moraliter, docet hic ſummam cogitationibus adhibendam eſſe curam, vt malæ arceantur, bonæ accerſantur, ex bonis enim ſequitur bona voluntas, bona ſermocinatio, bona operatio, vt ex malis mala. *Gnoma.* Huc faciunt ſententiæ Patrum apud Anton. in Meliſſa parte 2. c. 87. Clementis: *Non facinorum abſtinentia fidelem iuſtificat, ſed cogitationum caſtitas & pura ſinceritas.* Philonis: *Domus Dei, cogitatio ſapientis, at huius propriè vocatur Deus qui vniuerſorum eſt dominus, quòd in ea quaſi in regia inambulet.* S. Baſilij: *Primum beatiſſimum eſt, quod in corde noſtro purum; quia radix eſt omnium corporis actionum cordis conſilium.* Et alius: *Talis es qualia ſæpè cogitas; carnalis*, ſi carnalia; cæleſtis, ſi cæleſtia; ſuperbus, ſi ſuperba; humilis, ſi humilia.

Vers. 10. SI DESPERAVERIS LASSVS IN DIE ANGVSTIÆ, IMMINVETVR FORTITVDO TVA] Aliqui codices legunt *lapſus*; ſed corrigendum cum Roman. *laſſus*; hebr. enim eſt, *ſi remiſſus fueris*, vel *remiſſum te feceris in die anguſtiæ, anguſta erit fortitudo tua*; Caietan. *ſi laxaueris animum in die anguſtiæ*, vt ſcilicet ex parte illi cedas & ſuccumbas, *anguſta erit fortitudo tua.* Qui enim cœpit ſuccumbere, inquit, non erit ampliùs in amplitudine fortitudinis ſuæ, ſed eam diminuit & arctauit cedendo. Quod tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus verum eſſe experimur. Vatabl. *ſi ſis deiecto animo in die tribulationis, anguſta eſt virtus tua*, id eſt non poteris ferre tribulationem; Chald. *ſi remiſeris in die tribulationis, arctabitur fortitudo tua*; Symmach. *ceſſare quaſi deſperantem in hora tribulationis, tardi atque ignaui eſt*, Aquila, *ſi tardus vel ignauus fuiſti*; Theodot. *ſi remiſſus fuiſti*.

Syrus & Septuag. Complut. & alij nonnulli, hunc verſum nectunt ſequenti. Syrus enim ſic vertit, *in die anguſtiæ libera eos qui ad mortem ducuntur.* Vnde R. Salomon, Aben Ezra & Baynus: Si remiſſus, inquiunt, fueris in ſuccurrẽdo proximo, qui in anguſtijs eſt poſitus, tu pariter iuſto Dei iudicio deficies à tua fortitudine, & ad ſimiles anguſtias redigeris, quibus ſuccumbes; lex enim talionis eſt. *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Vnde Maximus ſerm. 45. *Noſtræ*, inquit, *beneficentiæ per omnes ſuas dimenſiones diuina exæquatur beneficentia*, vt quàm longa, larga & profunda fuerit tua beneficentia in egenos, tam longam, largam & profundam experiare viciſſim Dei beneficentiam in te, *vt in proximis noſtram beatitudinem & felicitatem veluti præludamus*, ait S. Auguſt. ſer. 20. de tẽp. iuxta illud pſal. 36. *Tota die miſeretur & commodat, & ſemen illius in benedictione erit.* Ex aduerſo de immiſericorde ait S. Iacob. c. 2. 13. *Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.*

Verùm, alij paſſim hanc gnomen vt ſeparatam, amplè & generatim, vt ſonat, accipiunt: ſed particulatim variè explicant, ita tamen vt omnes in vnam generalem expoſitionem terminentur & coëant.

Primò, ergo R. Leui ſic explicat: Si remiſsè te geſſeris in ſtudio ſapientiæ, ſanè tempore aduerſo vires tuæ imbelles erunt & impares, vt huiuſmodi calamitati poſſis obſiſtere; tum quia ſapientia eſt, quæ prudentibus rationibus & conſilijs animum roborat ad patientiam & conſtantiam in aduerſis; tum quia, vt ait R. Salomon, ſi remiſſus & deſes fueris in ſacra lege, angeli qui ſunt diuinę voluntatis miniſtri, haud vires tuas firmabunt, ſicque ab eis deſertus perdes robur, fieſque debilis & infirmus ad reſiſtendum tribulationi.

Secundò, Ianſen. Hebræa, inquit, ſic habent: *Si defeceris in die anguſtiæ, anguſta erit fortitudo tua*, q. d. Si cùm aduerſum quid acciderit, animo defeceris per impatientiam; id ex eo prouenit, quòd fortitudo animi tui ſit anguſta & exigua, non autem ex eo quòd aduerſitas ſit intolerabilis vel inſuperabilis, vti docet S. Chryſoſt. hom. 44. ad Pop. Hic ſenſus ægrè aptari poteſt Vulgatæ, quæ vertit in futuro, *minuetur fortitudo tua.*

Tertiò, alij cum Caietan. vertunt, *ſi laxaueris animum in die anguſtiæ, anguſta erit fortitudo tua*, ſicque explicant q. d. Si animi vigorem laxaueris in die tribulationis vacãdo delicijs & ſolatijs carnalibus, fies eneruis, delicatus & debilis ad reſiſtendum aduerſis: delicię enim laxando animum eius rigorem & vires diſſoluunt, itaq; armatum exarmant & inermem reddunt; auſteritas verò eum ſtringit & roborat. Sic deliciæ Campanæ fregerunt robur Hannibalis & Pœnorum, antea inuictum, vt à Romanis victus ſit & proſtratus: nimirum vbi rigor, ibi vigor; vbi voluptas, ibi laxitas & debilitas. *Vbi rigor, ibi vigor.*

Id expertus eſt S. Franciſc. de quo S. Bonauent. c. 5. Vitę eius: *Experientia*, inquit, *certa didicerat dæmones aſperitate terreri, delicioſis autem & mollibus veſtibus ad tentationem fortiter animari. Vnde cùm nocte quadam propter infirmitatem capitis, præter ſolitum ceruical de pluma poſitum haberet; dæmon in illud ingreſſus, ipſum vſque ad horam matutinam inquietauit.*

Quartò, alij valdè appoſitè cenſent Salomonem ſuadere, vt in die tribulationis mens ſe roboret, omnes vires ad ſe euocando, vt ijs ſtipata & munita quaſi collectis copijs tribulationi reſiſtat: ſic enim dux euocat omnes copias cùm hoſtis ingruit, vt totis viribus ei repugnet. Quare Hebr. *ſi remiſeris* vel *remiſſus fueris*, ſic exponas, q. d. Si in tentatione remiſeris ſolita pietatis & mortificationis exercitia; putà ſi dimiſeris orationẽ, ieiunium, pœnitẽtias, officia humilitatis, & charitatis; minuetur tua fortitudo, vt vix tentationi reſiſtere valeas.

Quintò, alij cenſent Salomonem hic ſuadere continuam laboris & pugnę exercitationem. Sicut enim milites robuſti fiunt quotidie arma tractando, laborando, pugnando; infirmi verò & inertes, ſi arma ponant, vacentque otio: ſic pariter fidelis robuſtus fit, ſi aſſiduis laboribus & dimicationibus contra aduerſa ſe exerceat; debilis verò, ſi quieti vacet & ignauiæ.

Sextò, noſter Interpres ſolerter & profundè pro Hebr. *ſi remiſſus fueris*, vel *ſi te*, id eſt animum tuum, *remiſeris*, vertit, *ſi deſperaueris laſſus.* Dat enim duplicem radicem & cauſam remiſſionis animi, de qua hic agitur. Prior eſt, diffidentia & deſperatio; ſecunda eſt laſſitudo. Cùm enim animus diffidit ſe poſſe ex anguſtia, quæ eum affligit, eluctari, aut poſſe eam ſuperare & vincere, eò quòd putat illã viribus ſuis eſſe ſuperiorem; tunc remittit ſuum vigorem & robur ſuſtinendi, fitq; remiſſus, eneruis & languidus. Rurſum cùm anguſtia diutiùs durat, animus mollis in ea toleranda delaſſatur: vnde re-

mittit & laxat ſuam contentionem reſiſtendi, ac laſſus incipit ei cedere & ſuccumbere. Igitur ſicut animi vigor & robur cõſiſtit in ſpe eluctandi vel vincendi; ſic animi languor, remiſſio, infirmitas & lapſus conſiſtit in deſperatione ſuſtinentiæ vel victoriæ. Spes enim extendit, dilatat & roborat animum, proponendo ei pręmium virtutis & triumphi: deſperatio verò eum contrahit, arctat & infirmat, id videre eſt in pugna militum, & in obſidione vrbium: quãdiu enim ciues ſperant ſe poſſe eã ſuſtinere, & hoſtem depellere, fortiter reſiſtunt: cùm verò de eo deſperant, animis cadunt, cogitantque de deditione. Senſus ergo eſt, q.d. Si in die anguſtiæ fractus fueris animo per deſperationem, fortitudo animi tui fit magis anguſta, hoc eſt, per eam deſperationem magis fiet infirmus ad euadendam incidentem anguſtiam. Vt hac ſententia monere velit, vt cùm premũt anguſtiæ, animum non deſpondamus, ſed animi magnitudine aduerſa ſuperare contendamus; iuxta illud Poëtę

Spes eſt cauſa fortitudinis, diffidentia infirmitatis.

Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.

Puſillanimis ergo, & quaſi deſperans, ſe ex tribulatione poſſe emergere, facit ſe debiliorem ad emergendum: victoria enim ſita eſt in magnanimitate, quam parit ſpes vincendi; quare ſpes eſt radix patientiæ & fortitudinis. Valet autem hæc ſententia ad erigẽdum animum; non tantùm cùm aduerſitatum externarum procellæ ingruunt, ſed etiam cùm conſcientia angitur ob criminum admiſſorum grauitatem: tunc enim non deijciendus animus, nec de Dei miſericordia deſperandũ, ſed per fiduciam in Dei miſericordia erigenda mens, ne penitus pereat robur animi. ita Lyran. Hugo, Ianſen. & Beda, quem audi: *Nihil execrabilius*, ait, *deſperatione, quam qui habuerit, & generales huius vitæ labores, &, quod maximè nocet in fidei certamine, conſtantiam fortitudinis perdit.* Et S. Iſidor. li. 2. de Summo bono c. 14. *Perpetrare*, inquit, *flagitium aliquod mors animæ eſt, ſed deſperare eſt deſcendere ad infernum.* Ex quibus S. Thom. 2.2. q. 20. art. 3. docet deſperationem eſſe maximum peccatorum, non in ſe: nam maius peccatum eſt infidelitas & odium Dei; ſed quia deſperatio eſt cauſa omnium peccatorũ; in hęc enim agit deſperatum. Hoc autem intellige non tantùm in eâdem anguſtia, tentatione & tribulatione, ſed & quauis alia poſtea obuentura: qui enim ſemel in vna tribulatione animum deſpõdit, ſternit viam, vt idem faciat in quauis alia; itaque vires imminuit vt ſuccumbat. Ratio eſt, quòd ſpes addit acuitque animum, itaque vires adiungit, & tentationem pugnamque extenuat: vice verſà deſperatio animum hebetat & retundit, itaque vires imminuit, & tentationem pugnamque adauget.

Ratio à priori.

Quocirca Pſaltes tentationis & tribulationis hoc ſuggerit ſcutum: *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino*, pſal. 26. v. vlt. & S. Petrus epiſt. 1. c. 5. v. 8. *Aduerſarius veſter tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*, & conſequenter fortes in ſpe: fortitudo enim fidei parit fortitudinem ſpei: qui enim viua fide credit Deum eſſe fidelem in promiſſis, quibus pollicitus eſt ſe ijs qui in ſe ſpem reponunt, ſeque in tribulatione inuocant, robur ad vincendum daturum; vtique illud ipſum firmiter à Deo ſperant, poſtulant, expectant & reipſa impetrant.

Exempla.

Hęc gnome experientiâ eſt teſtatiſſima, pręſertim in luctu cum dæmone. Id expertus Noſter S. Franc. Xauerius in itinere Iaponico, quod varijs

A artibus dæmon præſcius futuræ in ea meſſis fidelium, impedire conabatur, ſcribit in quadam epiſtola, ſe tunc reipſa didiciſſe, in tali tentatione nihil magis timendum, quàm diffidentiam: ſi enim quis fortis in ſpe diuinæ opis conſiſtat, illam ſentiet, & dæmonis ſuggeſtiones machinationeſque velut telas aranearum diſſlabit; ſin in ſpe titubet & diffidat, ſentiet dæmones acerrimè contra ſe inſurgere, vt vix repelli queant. Idem ſenſere & docuere priſci Aſcetæ in Vitis Patr. lib. 6, libell. 4. n. 29. ſenex quidam tentato dixit, tentationes fortiter eſſe ſuſtinendas, ſicut Ioſeph eaſdem viriliter pertulit, & Deus glorificauit eum vſque in finem. *Videamus*, inquit, *& Iob, quòd ſe vſque in finem non relaxauerit Deum timens; vnde eum nullus à ſpe Dei mouere præualuit.* Ibidem lib. 5. libel. 5. n. 10. *Abbatiſſa Sara*, inquit, *manſit tredecim annis fortiter à fornicationibus dæmonum impugnata, & nunquã orauit vt recederet ab ea huiuſmodi pugna: ſed ſolum hoc dicebat; Domine da mihi fortitudinem.* Et num. 15. ait ſenex: *Sunt in ſæculo Pancratiarij, qui cùm nimis cæſi ſteterint, & fortes apparuerint, coronas accipiunt. Aliquoties autem & vnus à duobus cæditur, & confortatus plagis cædentes ſe vincit. Vidiſti quantam virtutem per carnis exercitium acquiſiuit? Et tu ſta, & confortare, & Dominus expugnat pro te inimicum.*

B

S. Ephrem in Vita S. Abraham Eremitæ, ſcribit eum grauiter & diu à dæmonibus tentatum, omnes eius tentationes conſtanter contempſiſſe, dicendo: *Anathema tibi & omni virtuti tuæ pollutiſſime dæmon; gloria autem & honor Domino, ſoli ſancto ac ſapienti Deo, qui nobis dilectoribus ſuis te tradidit conculcandum, & idcirco verſutias tuas ſubſannamus atque contemnimus. Agnoſce ergo infirmiſſime & infeliciſſime dæmon, quia nos neque te, neque tuas pertimeſcimus phantaſias.* Subdit deinde dæmones varijs argumentis & machinis eum exagitaſſe, ſed irrito conatu, adeò vt ne pauorem quidem illi incuſſerint. *Magis autẽ*, inquit, *præliando alacritatem in eo, & charitatem apud Deum maximam ſuſcitabat. Diligens namque Deum ex toto animo, & conuerſationem ſuam ſecundùm voluntatem eius inſtituens, affluenter diuinam gratiam promeruit, & propterea non valebat diabolus lædere eum; perſeueranter namque pulſauerat, vt ei theſauri diuina gratia panderentur.* Quocircà cùm magnam videret dæmonum turbam in ſe irruentem, fidens & alacer pſallebat: *Circumdederunt me vt apes fauum, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini vindicabor in eis*, pſal. 117. Vide S. Baſil. in Regulis fuſiùs diſp. reg. 63. Caſſian. collat. 9. c. 22. & collat. 24. c. 25. vide & quæ fusè de tentationum remedijs dixi Eccli. 2. v. 1. & ſeq.

C

D

Idem per vmbram videre, & à Salomone didicere philoſophi, quorum hæc eſt ſententia: virum fortem aduerſis roborari, ſuamque fortitudinem exacuere, vti gladius acuitur cote: aduerſa enim ſunt cos fortitudinis. Ita Seneca epiſt. 24. *Acrior*, ait, *eſt ad occupanda pericula virtus, quam crudelitas ad irroganda.* Et epiſt. 72. *Virtutem enim intellige animoſam & excelſam, quam incitat quidquid infeſtat.* Et lib. de Gubern. mundi: *Auida eſt periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit cogitat.* Et epiſt. 114. *Fortitudo eſt munimentum humanę imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in hac vitæ obſidione perdurat.* Hinc illa: *Marcet ſine aduerſario virtus: multum adijcit ſibi virtus laceſſita.* Cicero l. 3. de Officijs: *Eſt fortitudinis proprium & magnitudinis animi, nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere: nihil quod* homini

Gnome Philoſophi, de fortitudine.

homini accidere poſſit, intolerandum putare. Et lib. 3. de Finib. *Qui magno animo eſt atque forti, omnia quæ cadere in hominem poſſunt, deſpicit, & pro nihilo putat. Atque iſte vir altus & excellens magno animo, verè fortis, infra ſe omnia humana ducit.* Chryſippus docebat dolere quidem ſapientem, ſed non cruciari, vtpote cuius animus malo non cederet. Græci dixere fortitudinem eſſe animam ſapientis. Plato rogatus quomodo animatū eſſe oporteat circa res aduerſas, reſpondit: *Ita vt quis prauidēdo caueat, ne in eas incidat: quòd ſi per imprudētiā in eas inciderit, nihil curet.* Virgil.

Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus.

Ouidius:

Apparet virtus arguiturque malis.

Lucanus: *Creſcit in aduerſis virtus.*

Silius Italicus:

Explorant aduerſa viros, perque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita cliuo.

Horatius:

Fortiaque aduerſis opponite pectora rebus.

Seneca Tragœdus:

Virtutis eſt domare quæ cuncti pauent.
Quemcumque fortem videris, miſerum neges.

Plautus:

Fortiter malum qui patitur, idem pòſt patitur bonum.

Porrò Septuag. hîc variant: nam pro eo quod v. præced. dictum eſt: *Abominatio hominum deriſor*, vel *peſtilens*, putà detractor, ipſi vertunt *immunditia autem* (infamiæ & abominationis hominum) *viro peſtilenti inquinabitur.* Deinde eodem tenore addunt Vatic. *in die mala & in die tribulationis quoadusque deficias.* q. d. Deriſor & detractor eſt odium Dei & hominum; quare incidet in tribulationem, in qua ab omnibus deſertus velut abominabilis, miſerè morietur & peribit. Auctor verò Catenæ Græc. hæc exponit de obſtinatis; qui ad finem vitæ in peccatis perſiſtunt, q. d. *In viro ſcelerato & peſtilente peccatum in modum habitus iam induratū atque infixum tantiſper perſtat, donec tandem in die iudicij corrumpantur, mortique ſempiternæ mancipetur.* Complut. autem & Regia τὸ *immunditia autem viro peſtilenti inquinabitur*, cum præcedentibus nectunt: deinde interpoſito colo nouam ordiuntur ſententiam: *In die mala & in die tribulationis quouſque deficiat* (dies illa) *erue eos qui ducuntur ad mortem*, quæ lectio plana eſt, ſed diſſidens à diſpunctione textus Hebræi & Latini Vulgari; licet eam ſecutus ſit Syrus, vt dixi initio huius verſus.

Vers. 11. Erve eos, qui ducuntur ad mortem: et qui traduntur ad interitum, liberare ne cesses] Hebr. *libera eos qui capti ſunt ad mortē, & nutantes ad interitum* (liberare) *ſi ceſſes*, id eſt ne ceſſes: *ſi* enim Hebræis ſæpè ſeruit negationi, valetque idem quod *ne* vel *non*. Pagnin. legit per interrogationem, *ſi ceſſabis?* q. d. Minimè ceſſabis. Chald. *redime eos qui capiuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interfectionem, prohibe*; Septuag. *& redimere eos qui interficiuntur ne parcas*, id eſt, ne tardes, ne cuncteris. Loquitur de ijs qui iniuſtè ducuntur ad mortem: nam ſi iuſtè, non conuenit, imò non licet, eos liberare & iuſtitiam impedire, vti docet D. Thom. 3. p. qu. 86. art. 10. ad 1. iuſtitia enim fit, vt ceteri terreantur, & metu ſimilis ſupplicij à ſcelere abſtineant: vnde illud, *Fiat iuſtitia & pereat mundus.* Ratio eſt, quia charitas dictat conſulendum eſſe proximo in fame aliaue neceſſitate conſtituto: ſumma autem neceſſitas eſt diſcrimen vitæ: quare illi ſuccurrendum eſt ex lege charitatis. Id ergo

A ſignificat hæc gnome, vt eos qui iniuſtè ducuntur ad mortem, liberemus, vel ſupplicando, vel conſulendo, vel pecunia redimendo, vel etiam vi armiſque eripiendo, ſi id fieri poſſit. Sic Ruben & Iudas liberarunt Ioſeph à morte, quàm fratres ei minabantur, Geneſ. 37. 21. & 26. & Daniel liberauit Suſannam à calumnia & morte, Daniel 13.

Ita S. Ambroſ. in pſal. 118. ſerm. 8. *Eripe*, inquit, *eum qui ducitur ad mortem, hoc eſt, eripe eum interceſſione eripe gratia tu ſacerdos, aut tu Imperator eripe ſubſcriptione indulgentiæ, & ſoluiſti peccata tua, eruiſti te à vinculis: vinculis enim peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.*

Rurſum S. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 36. & habetur 23. q. 3. c. 7. docet hanc liberationem innocentis eſſe actum veræ fortitudinis: *Non in inferenda*, inquit, *ſed in depellenda iniuria, lex virtutis eſt: qui*
B *enim non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio quàm ille qui facit. Vnde S. Moyſes hinc priùs orſus eſt tentamēta imbecillis fortitudinis repellere. Nam cùm vidiſſet Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem, defendit ita, vt Ægyptium proſterneret, atque in arena abſconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum qui ducitur ad mortem.* Ibidem Anaſtaſius & Damaſus Papa. *Qui poteſt*, inquiunt, *obuiare & perturbare peruerſos, & non facit, nihil eſt aliud, quàm fauere impietati eorum. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.*

Porrò, ſi charitas iubet hominem eripi à morte corporali, multò magis à ſpirituali & æterna, quare viri religioſi, ſacerdotes, imò quiuis fideles cùm quem vident peccatum mortale animo deſtina-
C re, aut illud iam perpetraſſe, & periculum eſſe ne in eo moriatur & damnetur, putent inſonare auribus ſuis: *erue eos qui ducuntur ad mortem*, imò ad gehennam. Vnde Beda: *Poteſt*, inquit, *accipi myſticè: Erue eos qui ab hæreticis decipiuntur, rectam fidem prædicando, libera bonorum operum exempla monſtrando, eos, qui à malè viuentibus Catholicis trahuntur ad interitum; ſed & ſi quos in certamine perſecutionis lapſos vel lapſuros aſpexeris, ſolicita hos exhortatione ad vitam reſtaurare ſatage. Si quos fame perituros, ſi quos algore videris, illis dato victu & veſtitu recrea.*

Sic & Caſſianus collat. 20. c. 13. hanc gnomen applicat tentatis: hi enim ducuntur à dæmone ad mortem gratiæ, quos proinde leniter tractandos, conſolandos & animandos docet exemplo cuiuſdam, qui durè arguens tentatum, mox eadem tentatione pulſatus, eidem penè ſuccubuit.

D Porrò ſolet Deus hoc peccatum talione punire, vt qui alios à morte liberare noluit cùm poſſet, idem periculum incurrat, nec inueniat qui eum liberet. Exemplum memoriale eſt apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirit. c. 167. Abbas Pœmen inquit Abbati Agathonico, ſe à feris deuorandum, cauſam addidit: *in prouincia noſtra*, inquit, *cùm eſſem (erant autem ambo Galatæ) paſtor ouium eram, & contempſi tranſeuntem peregrinum, & à canibus comeſtus eſt: cùm enim illum ſaluare poſſem, non feci, ſed dimiſi eum, & à canibus diſcerptus eſt, ſcioque quia & ego ita mori debeo. Quod & factum eſt; poſt tres enim annos à beſtijs, vt dixerat, & ipſe diſcerptus eſt.*

Non liberās à morte, eandem incurrit.

Similia plura & mira ſunt in Vita S. Ephrem, quæ breuiter recenſui Geneſ. 42. v. 21.

Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, redDetque homini iuxta opera sua] Vers. 12.

Hebr.

Hebr. *ſi dixeris, Ecce non nouimus hunc (vel hoc) nonne librans corda ipſe intelliget, & cuſtodiens animam tuã ipſe cognoſcet?* Septuag. *ſi autem dixeris, Neſcio hunc, ſcito quoniam Dominus omnium corda noſcit, & qui figurauit ſpiritum omnibus ipſe nouit omnia, qui reddit vnicuique ſecundum opera eius;* Aquila *nonne ponderans corda ipſe intelligit?* Lucifer, *& qui figurauit ſpiritũ omnibus illis.* Noſter pro *non nouimus hoc*, vertit, *vires non ſuppetunt*; quia qui non nouit modum liberandi innocentem à morte, huic vires non ſuppetunt ad eum liberandum. Vnde Syrus vertit *ſi dixeris neſcio* (eum liberare, id eſt non poſſum) *ſcito Deum cogitationes mentis tuæ introſpicere, & tui ſeruatorem ſcire, quod fortè poſſis eum liberare.*

Iam Primò, aliqui ſic exponunt q.d. Si verè & non ſimulatè dixeris, ad eripiendum neci proximum vires te deficere, ne propterea deficiat animus, ſed bonam voluntatem habeto: quia Deus qui corda hominum penitus callet, bonã cuiuſq; voluntatem probat & boni cõſulit, quoties operis facultas deeſt. Itaque illud *iuxta opera ſua*, perinde eſt ac, iuxta facultatem ſuam. q.d. Deus non operum quantitatem, ſed facultatem pendit, & licet opera abſint, voluntatẽ ſolam prẽmijs compenſat.

Secundò & genuinè, q.d. Si dixeris Vires non ſuppetunt ad liberandum innocentẽ à morte, vide ne hæc ſit calua excuſatio, quam prætexas tuæ negligentiæ vel torpidæ voluntati, vt cùm nolis moleſtias liberandi ſubire, dicas tibi vires liberãdi non ſuppetere; quia Deus qui inſpector eſt ſecretorum cordis, eiuſque fundum perſpicit, quique ſeruator eſt animæ tuæ, id eſt, qui animam tuam vti creauit, ita aſſiduè conſeruat, ne in ſuum nihilum, ex quo illam per creationẽ eduxit, relabatur, ac proinde intima animæ tuæ, vtpote à ſe creatæ & cõſeruatæ, peruidet, vt eum fallere eiq; fucum facere nequeas; hic, inquam, videt an hæc tua excuſatio ſit vera, an à te conficta, ideoque tibi ac ceteris reddet meritum præmium vel ſupplicium, non iuxta tua dicta & prætextus, ſed iuxta opera tua, vt, ſi innocentem à morte liberes, ipſe viciſſim te liberet à morte præſenti & æterna: ſin eum liberare nolis, falſoque dicas te non poſſe, ſinat te pari modo labi in periculum mortis vtriuſque, nec inuenire qui te liberet: cuius rei exempla paulò antè recitaui; hanc enim talionem tua crudelitas, quæ omnia charitatis iura violat, meretur.

Nota Deum vocari ſeruatorem animæ. Primò, quia eam conſeruat: Secundò, ſeruatorem, id eſt obſeruatorem, quia obſeruat omnia hominum cogitata & facta: Tertiò, quòd eam cuſtodiat & præſeruet à multis malis; vt hoc titulo, & eius beneficij cõmemoratione magis excitet ad viciſſim præſeruandum alios à morte, ceteriſque malis.

Porrò Septuag. & ceteri qui vertunt, *ſi dixeris, Non nouimus hunc*, &c. dupliciter exponi poſſunt. Primò, q.d. Non nouimus an hic ſupplicium mortis cõmeritus ſit an non, ac proinde eum liberare non audemus. Secundò, q.d. Si dixeris, Hic qui ducitur ad mortẽ, nullo amicitiæ vel cognationis fœdere mihi coniunctus eſt, ſed externus & ignotus: externis ergo qui illum norunt, eum liberandum relinquam. ſi inquam, dixeris, ſcito hanc eſſe caluam excuſationem; quia hic licet tibi ſit ignotus, Deo tamen eſt notus & clarus, qui eius liberandi curam tibi quaſi proximo demandauit: quare Dei, qui tibi animam & vitam inſpirauit, & aſſiduè conſeruat hac lege, vt tu eandem proximo conſerues, offenſam & indignationem incurres: q.d. Noti notus eſt. Nam à Deo, qui tibi tot nominibus notus eſſe debet, probè agnoſcitur; etenim lex amicitiæ hæc eſt, vt amicorum etiam familiares & notos amplectamur. Subdit: *Qui reddit vnicuique ſecundùm opera ſua* Deo, inquam, hæc gratia reddenda eſt, qui operibus paria refert, & ad eumdem modum nobiſcum agit, quo nos ipſi cum proximis noſtris.

Paulò aliter Septuag. explicat auctor Catenæ Græc. q.d. Omnes homines mutuò ſe noſcunt, cùm vnius ſint naturæ & figuræ. Si, inquit, dixeris: Non noui talem; redarguet te Deus mendacij, euadeſque duorum criminum reus, cædis nimirum & mendacij. Cùm enim mortales omnes vnius ſint originis, non poſſunt ſe mutuò non agnoſcere, cùm vnius quoque ſpeciei animantia bruta ſe inuicem agnoſcant & iuuent.

COMEDE FILI MI MEL, QVIA BONVM EST, *Vers.13.*
ET FAVVM DVLCISSIMVM GVTTVRI TVO: SIC *Vers.14.*
ET DOCTRINA SAPIENTIÆ ANIMÆ TVÆ QVAM CVM INVENERIS, HABEBIS IN NOVISSIMIS SPEM, ET SPES TVA NON PERIBIT] Septuag. *comede fili mel, bonus enim fauus, vt dulceſcat guttur tuum: ſic ſenties ſapientiam in animo tuo: ſi enim inueneris, erit bonus obitus tuus, & ſpes te non deſeret;* Chal. *ſic ſapiens eſto in animo tuo, quòd ſi inueniſti, primis venient nouiſſima meliora, & ſpes tua non conſumetur;* Hebr. & Syrus, *non ſuccidetur.*

Senſus eſt, q.d. Sicut eſus mellis & faui bonus & ſalutaris eſt ſtomacho totiq; corpori, æquè ac ſuauis palato, dulciſq; gutturi; ſic pariter ſapientia ſalutaris eſt animæ, æquè ac dulcis menti: atque in eo mel ſuperat, quòd mel veteraſcẽs aceſcat, & in acorem vertatur: ſapientia verò quo magis veteraſcit, eo magis dulceſcit. Huc alludens Iſaias c.7. v.15. de Chriſto ait: *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum & eligere bonum*, vide ibi dicta. Et ſponſa Cant. 5.1. *Comedi* inquit, *fauum cũ melle meo.*

Mel ſymbolum ſapientiæ & ſanctitatis. Nota. Mel ſymbolum eſt ſapientiæ veræ & practicæ, quæ homines facit virtute præditos, & ad cælum deducit; quæ proinde eſt ipſa prudentia, ſanctitas & charitas, idque ob multas vtriuſque analogias.

Primò. Prima eſt, quòd mel è cęlo depluat, ſitq; quaſi manna cęleſte. vnde Plinius lib. 11. c. 12. de melle loquens, *Siue*, inquit, *ille cæli ſit ſudor, ſiue ſiderum ſaliua.* Et c. 14. illud vocat *diuinum nectar.* vnde Virgil. 1. Georg. *Aërij mellis cæleſtia dona.* Idem lib. 14.

Aſiæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.

Rurſum Galenus lib. 7. de Simplic. medic. facult. c. 10. aſſerit ſaccharum eſſe mel. *Saccharum*, inquit, *quod ex India atque Arabia Felici conuehitur, in calamis, vt aiunt, concreſcit, & ipſum mellis eſt ſpecies.* Idem docet Plinius lib. 12. c. 8. & Dioſcor. li. 2. c. 104. Alij tamen, vt noſtri Conimbr. veriùs cenſent contrarium, ſcilicet mel ex rore concreſcere; ſaccharum verò ex ſucco cannarum gigni. *Saccharum an ſit mel.* Sic pariter ſapientia vera deſurſum eſt, ideoque Chriſtus de cælo deſcendit, vt eam in terris deferret, homineſque doceret, Baruch, 3. 38.

Qua ratione mel generetur. Audi mellis cauſas & generationem ex Varrone, Ariſtotele & Plinio phyſicè enarrãtes noſtros Conimbricenſes tract. 7. in Meteora c. 9. Quando vnà cum vapore illo tenui ex quo ros generatur, efferũtur, potiſſimum ſublucanis temporibus, partes quædam terræ ſubtiles, ex varia eiuſmodi partium

tium cum humido tenui commixtione, ſi humidum aqueum non multum diſſoluatur, gignitur ſuccus prædulcis, qui herbis, folijs, floſculis & terræ ſolo excipitur, atq; hic mel vocatur. Huiuſmodi liquore ſub prima aurora folia arborum roſcida inueniuntur; eodem perunctas veſtes & concretum capillum ſentiunt aliquando, qui noctu ſub dio fuere: eumdemque apes vteculis congeſtum in aluearia conuehunt, nec ex alio ſucco earum mel conſtat, vt docet Ariſt. l. 5. de Hiſtor. Animal. c. 22. Itaq; fauos eas conſtruere, inquit, è floribus, ceram ex arborum lacryma effingere, mella ex rore aëris colligere. Ac quòd mel ipſę nō faciant, ſed confectum exportent duplici argumēto concludit. Primò, quia vno aut altero die cellas melle repletas inueniunt apiarij. Item, quia in autumno mel ſibi detractum non reparant, cùm tamen illo etiam tempore flores ſuppetāt. At ſublato magna ex parte cibo, vel ad inopiam redactæ repeterent certè, qua vigent ſolertia & prouidentia, munus conficiendi mellis, ſi id conficerent è floribus. Nonnulli tamen quos refert Seneca epiſt. 84. arbitrati ſunt apes proprietate quadam ſibi ingenita, & quaſi fermento collectum rorem in ſaporem illum mutare: ſed amplectenda eſt ſententia Ariſtotelis, quam tuetur etiam Plinius loco citato.

Secunda. Secunda, mel conficitur vel potiùs colligitur ab apibus, quia caſtæ ſunt & virgines: vnde & mel à puris confici & tractari debere docet Plinius, Columel. Varro & alij. Hinc Pindarus in Pythijs apes *ſacras Cereris miniſtras* appellauit, alij *Nymphas ſacrificiorum præſides.* Sic pariter ſapientia amat, imò facit caſtos & virgines. Addit Plutarch. in Cōiugal. præceptis. *Apes eos malè excipiunt, qui recentes à muliebri copula ſuperueniunt; ſed mulieres quæ veneri operam dederint, acriùs inuadunt, quiq; vel vinum vel vnguenta olent*; ſic ſapientes & ſancti oderunt impuros & inceſtos, & ſubinde odorem eorum intolerabilem ſentiunt, vti ſentiebat S. Catharina Senenſis.

Tertia. Tertia, mel conficitur ab apibus pacificis, & mira concordia in ſuo aluear i collaborantibus & mellificantibus: ſic pariter ſapientia pacifica eſt, amat concordiam, fugit diſcordiam. Quocirca Chriſtianis in baptiſmo olim dabatur lac & mel: *Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus*, ait Tertull. & ex eo S. Hieron. Contra Luciferian. & Nazianz. orat. 17. *Chriſtiana charitas, ait, & animorū conſociatio incredibilis ab ipſis religionis cunabulis ſuſcipienda eſt, ijs præſertim, qui ſeriò Chriſtum volunt conſectari.* Huc facit quod ſcribit S. Iſidorus lib. 12.

Apis etymon. Orig. c. 8. *Apes, inquit, dictæ, vel quòd ſe pedibus inuicem alligent, vel quod ſine pedibus naſcantur: nam poſtea & pedes & pennas acquirunt*, quaſi *apis* ſit *ἄπους*, id eſt *expes*, hoc eſt, pedibus carens: primum enim *alpha* eſt priuatiuum, ſignificans *ſine* vel *carens.* Sic pariter ſapiens in terra ſit expes, & mentis pennis euolet in cælum ad Deum, vt ex floribus paradiſi mel diuinæ ſapientiæ colligat.

Quarta. Quarta, optimum mel conficitur ab apibus paruis. Audi Columellam lib. 9. de Re ruſtica c. 3. *Ariſtoteles, eiuſq; auctoritatem ſequens Virgilius maximè probat apes paruulas, oblongas, leues, nitidas, ardētes auro & paribus lita corpora guttis: moribus etiā placidis: nam quanto grandior apis atque etiam rotundior, tanto peior.* Ita vera ſapientia optimè diſcitur & docetur ab humilibus & manſuetis, iuxta illud Chriſti: *Confiteor tibi Pater, domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus* (ſęculi, putà ſuperbis

A philoſophis) *& reuelaſti ea paruulis*, Matth. 11. 25.

Quinta. Quinta, mel eſt ſuccus dulciſſimus, ſubtiliſſimus & ſaluberrimus, ait Plinius, qui proinde omnibus gratus eſt, omneſque cibos condit, dulcorat & ſapidos efficit: ſic & ſapientia omnibus rectà ratione vtentibus grata eſt & ſuauis, omneſque res, licet triſtes & aduerſas dulcorat, & leues ſapidaſque efficit. *Mel*, inquit Varro de Re ruſtica c. 16. *dulciſſimum quid eſt, & dijs & hominibus eſt acceptum: fauus enim venit in altaria, & mel ad principiū conuiuij, & in ſecundam menſam adminiſtratur.*

Sexta. Sexta, mel omnibus ſe immiſcens, omnium tamen ſapori ſe ſuamque dulcedinem accommodat, in vino enim habet dulcedinem vinoſam, in aceto acetoſam, in carne carneam, in farina farream, &c. ſic pariter ſapientia & ſanctitas omnibus rebus, temporibus, perſonis ſe attemperat; B quare alia eſt ſapientia iuuenum, alia ſenum, alia ſacerdotum, alia Religioſorum, alia virorum, alia feminarum, alia Prælatorum, alia principum, &c. in iuuenibus enim eſt iuuenilis & alacris, in ſenibus ſenilis & grauis, in ſacerdotibus ſacerdotalis; in Religioſis religioſa, in regibus regia, &c.

Septima. Septima, mel eſt beneficum, quia ſaluberrimum, plurimiſque morbis medetur, quos recenſet Plinius li. 11. c. 14. & Dioſcor. lib. 2. c. 101. *Medicamenta*, ait Plinius, *non mella gignuntur, oculis, vlceribus, internisq; viſceribus dona cæleſtia.* Et mox: *Non alia ſuauitas viſq; mortalium malis à morte vocandis, quàm diuini nectaris*, id eſt mellis. Et fuſiùs lib. 22. c. 24. *Aculeos, inquit, & omnia corpori extrahit, tubera diſcutit, dura concoquit, dolores neruorum mulcet, vlceraq; iam deſperantia cicatrice includit. Mellis quidem ipſius natura talis eſt, vt putreſcere corpora non ſinat, iucundo C ſapore atque non aſpero alia quàm ſalis natura: faucibus, tonſillis, anginæ, omnibuſque oris deſiderijs vtiliſſimum, areſcentiq; in febribus linguæ, iam verò peripneumonicis, pleuriticis decoctum: item vulneribus à ſerpente percuſſis, & contra venena fungorum.*

Idem docet, mel & mulſum, quod ex melle & aqua conficitur, facere ſanos & longæuos: *Multi, ait, ſenectam longam mulſi tantùm nutritu tolerauere, neque alio vllo cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo, Centeſimum annum excedentem eum D. Auguſtus hoſpes interrogauit, quanam ratione maximè vigorem illum animi corporiſq; cuſtodiſſet, at ille reſpondit: Intus mulſo, foris oleo. Varro regium cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulſo curetur.*

Sed & Ariſtoxenus, ait Pierius hierogl. 28. c. 8. Pythagoricos plurimùm melle vſos tradit. Neque tantùm calidi panis ſuffitu, Democritus vitam D dies aliquot in amicorum obſequium produxiſſe fertur, verùm & vapore mellis naribus admoto. Omnino autem ferunt quibus mellis vſus frequentior fuerit, vitam diutiùs producere, contrà verò qui cibis acidis delectentur, breuioris eſſe vitæ. Sanè Cytinos populos, qui ſcilicet Corſicam inſulam incolebant, longæuos vixiſſe tradit Athenæus, quòd aſſiduè mellis vterentur cibo. Nam & Diophanes, qui de Re ruſtica libros conſcripſit, longæuos euadere dicit, qui mellis eſitatione delectati fuerint. Præſtat verò in ſenecta ipſa plurimum pane & mellę paſci: neque enim ſolùm, vt is aſſerit, viuacitatem adiuuat; ſed & ſenſus omnes ſanos & integros cuſtodit. Sic pariter ſapientia eſt ſaluberrima, omneſque animæ, & ſæpè corporis, morbos perſanat, ac facit longæuos, imò æternos.

Octaua. Octaua, mel ſincerum eſt, purum & minimè fucatum,

catum, ideoque flauum & odoriferum: vnde illud Virgil. *Fragrantia mella thymo redolent.* Sic pariter ſincera & candida eſt ſapientia, omniſque fuci & ſimulationis expers. Has octo conditiones eodem ordine quo iam recenſui, ſapientiæ attribuit S. Iacobus cap. 3. v. 17. *Quæ autem deorſum eſt ſapientia*, inquit, *primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione.* Vide ibi dicta. *Apis*, inquit Varro de Re ruſtica c. 16. *minimè malefica, quòd nullius opus vellicans facit deterius; neque ignaua, vt non qui eius opus conetur diſturbare, reſiſtat.* Et mox cùm apes vocaſſet *Muſarum volucres*: *Neq; ipſæ*, ait, *ſunt inſcientes* (otioſę, inertes) *nec non oderunt inertes: itaque inſectantes à ſe eijciunt fucos.*

Nona. Nona, apes nulla re magis conſternantur, & in fugam vertuntur quàm fumo ſuppoſito: ſic ſapientia odit oſtentationem fumumque vanæ gloriæ; ac iactabundos ac glorioſos fugit. Hinc ſæpè Script. melli comparat ſapientiã, vt pſal. 118. 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Et Pſal. 18. *Iudicia Dei*, dicuntur *eſſe dulciora ſuper mel & fauum.* *Debora* quoque prophetiſſa Iudic. 4. 4. Hebr. *apis* interpretatur, vt ait Adamantius, putà Origenes. Et omnes Prophetæ, ait Pierius hierogl. 26. c. 14. ſub apis nomine comprehenduntur, earumque faui ea ſunt oracula, quæ literis mandauere. Atque hóc eſt bonum illud mel, quod comeſſe iubemur. Quicumque enim oracula ea diuina meditatione complectitur, ſcriptiſq; vatum noſtrorum ſermonibus alitur & recreatur, is mandatum illud diuinum exequitur, quo præceptum eſt, *Comede mel fili*, bonumque id eſſe reipſa protinus experitur. Quod autem de Chriſto aſſertore noſtro prædictum eſt, *mel comedet*, mel hic Adamantius noſtra de virtute colloquia ſignificare profitetur. Quotieſcumque enim de abſtinendo à voluptatibus, de domanda nequitia, de iuſtitia, de prudentia, ex animo diſſerimus, ſermonis iſtiuſmodi ſuauitate libentiſſimè paſcitur Deus, hoſque liquores aſſiduè ſitibundus inquirit: cui ſi nequitiæ, ſi puſillanimitatis, ſi ſcelerum & ſtultitię amarulenta pocula propinauerimus, guſtũ vt offenſus refugit, & vt fel odioſum auerſatur.

Debora, id eſt apis.

Decima. Decima, apes magno labore, molimine & induſtria texunt fauos & mella: ſic magno labore, diligentia & induſtria paranda eſt ſapientia. Sed cogitent ſapientes illud Pindaricum: *Olympios victores vitæ reliquum agere in terra melliflua*, putà in cælis; vbi felicitas eſt & copia bonorum omnium. Sicut enim Chriſtus *fauos poſt fella guſtauit*, vt ait Tertull. ſic & eoſdem Chriſtiani eius aſſeclæ guſtabunt.

Vndecima. Vndecima, mel optimum legitur ex thymo ſimilibuſque herbis odoratis. Vnde optimum mel eſt Hybleum, ita dictum ab Hybla vrbe & monte Siciliæ, qui thymo odorato abundat, ex quo apes paſtæ optimum mel conficiunt. *E ficu*, ait Vatabl. l. 2. de Re ruſtica c. 16. *mel inſuaue, è cytiſo bonum, è thymo optimum.* Ita ſapientia colligitur ex ſententijs præſtantibus Patrum, Doctorum, & præſertim auctorum S. Script. Horum enim ſapientiæ & ſanctitatis fama oculis & mentibus legentium vel audientium, ſuauiſſimũ doctrinę & pietatis ſenſum odoremq; aſpirat. Audi Dioſcoridem li. 2. c. 101. *Principem locum obtinet mel, quod Atticæ regionis eſt, præcipuè ex Hymetto, mox Cycladibus inſulis, & è Sicilia cognomine Hyblæum. Magis probatur dulcius, & acre odoratius, ſubflauum, nec humectum, graue, & minimè fluxum, quod ob ſequacem lentitiam non facile abrumpitur, tractumq; reſilit in digitos. Mel abſtergendi vim habet, ora venarum aperit, humores euocat, qua ratione in ſordida vlcera ſinuſq; commodiſſimè infunditur.* Sic pariter magis probatur ſapientia: quæ γλυκύπικρον, id eſt dulcedinem habet non fatuam & beticam, ſed cum acrimonia miſtam & acredine exacutam, quæque odorem ſuum longè lateque ſpargit, ac grauis eſt & ſolida, vt humores vitiorum è mente euocet & abſtergat.

Duodecima. Duodecima, mel ſi purum ſumatur, ſtomachum inflat, at cum alijs commixtum pituitam ſiccat; ventriculum purgat, nutrit, calefacit, & ſtomachum ad concoquendos cibos roborat, vti docent medici, & Hippocrates lib. 2. de Dieta: pari modo ſapientia ſola inflat, at charitate & virtutibus mixta, frigidam pituitam, id eſt phlegmaticam lentamque ſocordiam ſiccat & acuit: animi ſordes expurgat, nutrit ſpiritum; eumque calore diuino accendit, ac mentem ad quæuis aduerſa digerenda confirmat, iuxta illud Nazianz. *Patientia eſt decoctio moleſtiarum.* Patientia autem eſt ſapientia, aut magna ſapientiæ pars.

Rurſum mel vulneribus infuſum medetur, corruptioni reſiſtit, adeò vt etiam cadauera integra ſeruet ne putreſcant. Hinc olim Ægyptij corpora defunctorum melle condiebant, itaque ſeruabant incorrupta in plures annos. Simili modo ſapientia omnibus animi doloribus, mœroribus & paſſionibus medetur, corruptioni concupiſcentiæ reſiſtit, ac corpus hoc quod quaſi cadauer circumferimus, ne gula, luxuria, aliòve, vitio putreſcat, conſeruat, atque tandem corpus ipſum corruptibile quoque in reſurrectione faciet incorruptum, immortale & glorioſum.

Et favvm [dvlcissimvm gvttvri tvo] Hebr. *& fauum dulcem ſuper palatum tuum.* Fauus propriè eſt apum domus, & cellulæ, ita dictus à fouendo quòd in his ſobolem foueant, iuxta illud Virgil. 4. Georg.

Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras.

Rurſum faui continent mel, ideoque melliti non rarò toti cum melle comeduntur. Vnde Plinius: *Buccellam panis dedit & fauum mellis*, hoc eſt, fruſtũ operis apiarij melle plenum. Sic Chriſtus poſt reſurrectionem fauum mellis ab Apoſtolis exhibitum comedit. Lucæ 24. 42.

Fauus mellis eſt ſapientia mellita. Primò. Igitur fauus mellis ſignificat hîc ſapientiam mellitam eſſe, & dulciſſimam inſtar faui: Primò, quia vera ſapientia eſt cæleſtis & diuina, ideoque ſuauiſſimus animæ cibus: mentis enim cibus eſt tum veritas, præſertim cæleſtis & diuina. Vnde S. Auguſt. lib. 1. Contra Academ. c. 3. docet felicitatem conſiſtere in inueſtigatione veritatis: quid enim anima fortius deſiderat quàm veritatem? Tum puritas, charitas, paſſionum vacuitas, conſcientiæ pax & ſanctitas quam affert ſapientia. *Mel*, inquit S. Auguſt. in pſal. 80. *Sapientia eſt primatum dulcedinis tenens in eſcis cordis.*

Secundò. Secundò, quia ſapientia ſapientibus ſuis rationibus, conſilijs, conſiderationibus condit & dulcorat omnia, quantumuis aſpera & aduerſa, quæ ſapienti in hac vita quotidie occurrunt. Ita Beda: *Patet*, inquit, *facillimè, quare doctrina ſapientiæ melli comparetur, quia nimirum ſicut illud cibis; ita hæc doctrinis ceteris dulcedinem præſtat.*

Ter-

Tertiò, quia Deus ſapientiæ auctor cum ea miſcet conſolationes cæleſtes, quas mentibus ſapientum, id eſt ſanctorum, crebrò infundit, quæ omne mel ſuauitate ſuperant, iuxta illud S. Bernardi, *Ieſus meus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* Has expertus noſter B. Xauerius clamabat, *Satis eſt Domine, ſatis eſt, non enim capit cor terrenum tantam conſolationum cæleſtium affluentiam. Aut ergo eas aufer, aut transfer me ad te in paradiſum, vbi dilatato corde hauriam mare gaudiorum tuorum, quod electis tuis ab æterno præparaſti.* Et Pſaltes pſal. 30. verſ. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abſcondiſti timentibus te!* Et: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos,* pſalm. 35. verſ. 9.

Symbolicè Beda per mel accipit ſenſum literalem S. Script. per fauum allegoricum. *Hoc,* inquit, *inter vtriuſque ſignificantiam diſtat, quia mel quod in promptu eſt ad comedendum, moralem literæ ſuperficiem inſinuat; fauus autem, in quo mel de cera exprimitur, allegoricam locutionem figuratè denuntiat, vt ſubducto literæ velamine ſuauitas ſenſus ſpiritualis aliquanto cum labore vel mora percipiatur.* Hanc faui atque mellis differentiam hauſit ex Auguſt. in pſal. 118. ad illa verba: *Quam dulcia faucibus meis verba tua, ſuper mel & fauum ori meo!* Sic enim ait: *Melli eſt ſimilis aperta doctrina ſapientiæ: fauo verò quæ abſtruſioribus ſacramẽtis, tanquam de cellis cereis ore diſſerentis velut mandentis exprimitur.* Item Pſeudo Auguſt. ſerm. 14. de Verbis Domini, qui eſt Eradij Presbyteri: *Quando poſſumus de diuinis operibus quę leguntur intellectum alicuius myſticæ ſignificationis exſculpere, quaſi de abſtruſis fauorum cellis mella producimus.* Vice verſa auctor Catenę Grecorum per fauum accipit ſenſum literalem, per mel allegoriam: hæc enim in ſenſu literali ceu mel in fauo includitur. Per, *mel,* inquit, deſignat allegoriam, per *fauum* autem hiſtoriam: nam in illa veluti in cellula quadã ſublimior quidam ſenſus abſconditus latet; per guttur verò vegetabiles animæ vires. Is mel comedit, qui ex diuinis Literis vſum & adiumentum accipit; qui autem ex rebus ex quibus ſancti Prophetæ & Apoſtoli hauſerunt, doctrinam haurit, ille comedit fauum. Et quidem mel comedere cuiuſuis volentis eſt; verùm mellis fauum comedere, id ſolius puri mundique pectoris eſt. Senſus porrò vel guſtus ſapientiæ aliud nihil ſunt, quàm ipſamet ſapientiæ dogmata & decreta.

Mel ſunt patrum. Exempla.

Ruſum noſter Aluarez de Paz lib. 4. de dignit. perfectionis par. 3. cap. 38. per mel & fauum accipit ſancta virtutum exempla. Vita patrum noſtrorum, inquit, eſt mel, quia eius memoria ſuauiſſima eſt, & ſapor ſiue imitatio dulciſſima. Hęc nobis in menſa Religionis apponitur, dum mens noſtra exemplis perfectorum eruditur, & monitis Prælatorum accenditur, & lectione regularum ad eorum ſequelam & imitationem inuitatur. Comedamus hoc mel, quia reuerà bonum eſt, & noſtro cordi ſalutiferum, quia dulciſſimum eſt, & palato conſiderationis ſuauiſſimum. Comedamus inquam, illud, & vitam patrum noſtrorum ſequamur, quæ in hora mortis dabit nobis certam ſalutis ſpem, quę nequaquam nos decipiet, ſed in poſſeſſionem illius rei quam ſperamus deducet.

QVAM CVM INVENERIS, HABEBIS IN NOVISSIMIS SPEM, ET SPES TVA NON PERIBIT] Alludit ad conuiuia, in quibus nouiſſimo loco inferuntur & comeduntur bellaria mellita, vt placentæ mellitę & faui, ac ſimul ſolebant olim in fine menſarum eas condire ſapientibus colloquijs & diſſertationibus, vti dixi Eccli. 32. 4. Ruſum alludit ad mel, quod vetuſtate aceſcit. q. d. Mel ætate dulcorem perdit, vertitque in acorem, at ſapientia ſemper ſuam ſuauitatẽ retinet, imò quo antiquior, eo dulcior efficitur. Nam vt alia taceam: illa in nouiſſimis putà in ſenio & morte, dat certã ſpem adipiſcendæ felicitatis; hac autem ſpe nil dulcius, nil iucundius animæ accidere poteſt. Vnde Septuag. vertunt, *quòd ſi mel iſtud inueneris, finis* (vel *obitus*) *tuus bonus erit, neque ſpes tua te fallet.*

Duas alias appoſitas expoſitiones ſuggerit noſter Salazar. Prior eſt: Mel vtique vitam ſeruat adeò vt plures mellis auxilio ad multam ſenectam vegeti admodum ac robuſti peruenerint. Ergo Salomon ait: *Quàm cùm inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem,* id eſt, ad canos vſque peruenies, non quidem infirmus & imbecillis, ſed ſpe roboratus ac confirmatus. Vnde ex Hebræis nonnulli ſic vertunt, *habebis in ſenecta ſpem.* Poſterior: Mel quidem atque mellita, vt modò prænotabam, ſub finem conuiuij exhiberi ſolebãt. Ergo Salomon his verbis ſuadet, ne ſtudium ſapientiæ vnquam intermittatur, ſed hoc etiam in ſenectute tamquam mel in conuiuij clauſula adhibeatur. Quid inde? *Et habebis in nouiſſimis,* aut *in ſenecta ſpem,* vel, vt Chald. tranſtulit, *primis venient nouiſſima meliora,* id eſt, quemadmodum in conuiuio dulcia & ſalubria magis fercula ſub finem inferuntur: ita etiam doctrina atque ſapientia in ſenectute colenda eſt; ſic enim fiet vt ea vitę tuę clauſula ſuauior ſit atque ſanior, plena videlicet futurorum bonorum ſpe.

NE INSIDIERIS, ET QVÆRAS REQVIEM EIVS, VERS. 15.
IN DOMO IVSTI, NEQVE VASTES REQVIEM EIVS.
SEPTIES ENIM CADET IVSTVS, ET RESVRGET:
IMPII AVTEM CORRVENT IN MALVM] Noſter le- VERS. 16.
git רֶשַׁע *reſca,* id eſt, *impietatem;* iam alij punctis legunt רָשָׁע *raſca,* id eſt, *impie;* vnde vertunt, *ne inſidieris, ô impie, habitaculo iuſti, neque vaſtes* (Pagnin. *rapias;* Caietan. *deprædceris*) *accubitum* vel *cubile eius: iuſtus enim etſi ſepties cadat, reſurgit tamen: impij autem in malum corruunt;* Chal. *ne inſidieris impie habitaculo iuſti, neque proijcias domum habitationis eius;* Syrus, *neque diripias.*

Iuſti caſus eſt duplex, prior in pœnam vel calamitatem, in culpã poſterior: vnde duplex hic oritur ſenſus.

Prior de malo pœnæ, q. d. *Ne inſidieris,* ô impie, domui iuſti, *neque vaſtes eius cubile,* vt rapias eius vxorem vel filios, aut *accubitum,* id eſt quietem, vt turbes eius pacem: quia Deus eum tutatur: etſi enim ſinat eum ſepties, id eſt ſępiùs, in aliquas calamitates labi; tamen facit vt ex ijs ilicò fortior reſurgat, vti contigit S. Iob. *Impij autem corruunt in malum* proni, vt in eo iaceant & maneant ſine ſpe reſurgendi & emergendi. Ita Vatablus, Iuſtus, inquit, frequenter diſcrimini obijcitur, & euadit periculũ, iuxta illud pſal. 33. *Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Impij verò primo quoque periculo ſolent corruere. Sic & Iſidor. Clarius, Ianſen. & Salazar, quin & S. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. c. 31. *Septenarius numerus,* inquit, *pro vniuerſo ſæpè ponitur, ſicut ſcriptum eſt: Septies cadet iuſtus, & reſurget: quotieſcumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus* ad-

ad humilitatem per ducentibus intelligi voluit. Hoc eſt quod dicitur Iob. 5. 19. *In ſex tribulationibus liberabit te,& in ſeptima non tanget te malum.*

Præclarè Nazianz. orat. 27. *Eſt,* inquit, *quædam in fabulis arbor, quæ cùm caditur vires,& aduerſus ferrum certat, ac ſi de re noua nouo more loquendũ eſt, morte viuit,& ſectione pullulat, atque cùm abſumitur creſcit. Habetis fabulam, iure ſuo quiduis liberè confingentem. Mihi verò eiuſmodi quiddam planè eſſe vir philoſophus videtur: floret enim inter cruciatus, ac vitæ moleſtias virtutis ſegetem exiſtimat, atque in aduerſis geſtit & gloriatur: ſic nimirùm ſe comparans, vt neq; ob dextra iuſtitiæ arma, nec ob ſiniſtra flectatur, ſed in diuerſis rebus idem ſemper ſuique ſimilis permaneat, atque adeò probatior tanquam aurum in fornace reperiatur,* Et infrà inuictum & inſuperabilem iuſti animum deſcribens: *Nihil,* inquit, *philoſophia fortius eſt, nihil inexpugnabilius: omnia priùs cedent, quàm vt manus det philoſophus,* &c. *Vt in ſumma dicam, duo hæc arripi & ſuperari nequeunt, Deus & angelus, tertium eſt philoſophus, in materia materiæ expers, in corpore incircumſcriptus, in terra cæleſtis, in paſsionibus impatibilis, omnibus rebus vinci ſe facilè cedens præterquam animi magnitudine, & eo ipſo quòd vinci ſe patitur, eos qui ſuperiores ſibi eſſe videntur, deuincens.*

Tria inuicta, Deus, angelus, ſapiens.

Huic expoſitioni fauet textus Hebr. Vulgata, etſi diſſonare videatur, tamen eò quoque reuocari poteſt ſi ſic exponas: Ne inſidieris iuſto licet afflicto & tribulato, vt eum ad impietatem pertrahere ſatagas, neque turbes conſcientiæ eius pacem & tranquillitatem; quia, etſi ſepties, id eſt ſæpiùs, in tribulationes cadat, tamen ijs animo non deijcitur, vt à iuſtitia vel latum vnguem dimoueatur, ſed in ea conſtans & immobilis conſiſtit, ideoque hac ſua conſtantia omnes tribulationes diſpellit, ac velut adamas ictus malleorum eludit & reſpuit, imò ex ijs generoſior, animoſior & lætior reſurgit, vti contigit tribus pueris in fornace Babylonica, Daniel. 3. Hunc ſenſum innuunt Septuag. dum vertunt, *noli applicare impium ad paſcua iuſtorum* (S. Hieron. in Mich. *in tabernaculum,* S. Cyprian. lib. 3. Teſtim. *in habitaculum iuſtorum*, ſcilicet legit νόμῳ. id eſt habitaculum, pro νομὴν, id eſt paſcua; vtrumque ſignificat Hebr. נוה *neue;* Aquila & Theodot. *in decore iuſti*) *neque decipiaris pabulo ventris: ſepties enim cadet iuſtus, & reſurget: at impij infirmabuntur in malis.* Porrò auctor Catenæ Græcor. & Caſſian. coll. 14. c. 17. ſic Septuag. explicant, q.d. Paſcua iuſti ſunt ſermones ſecretiores de virtute & perfectione: hi non ſunt applicandi, id eſt explicandi impijs, ne margaritas proijciamus ante porcos.

Myſticè, requies vel cubile iuſti vocatur conſcientiæ mentiſque tranquillitas: in hac enim ſuauiter quaſi in lecto requieſcit: hanc proinde vetat hic turbari.

Secundò, planè & ſimpliciter, iuxta Vulgatam verſionem hæc accipias de caſu iuſti in culpam, q.d. Noli inſidiari iuſto, vt ſatagas per calumniam in eius domo aliquam grauem impietatem reperire, itaque turbare eius requiem & pacem: quia iuſtus, qui ſcilicet iuſtitiæ conſtanter adhæret, omnem impietatem procul à ſe repellit: etſi enim in leues & veniales aliquas culpas ſepties, id eſt ſæpiùs, cadat; tamen hæ iuſtitiam ei non adimunt, nec impietatem impingunt, atque ex his mox per pœnitentiam reſurgit. Impij autem in peccata mortalia corruunt, ex quibus viribus ſuis reſurgere nequeũt

A niſi peculiari Dei gratia præueniantur, & ad pœnitentiam erigantur.

Rurſum ea iterant, iiſque ſe velut porci luto inuoluunt & quaſi ſepeliunt: quare difficiliùs eſt vt ex ijs ad gratiam, quàm à morte ad vitam reſurgant. Et S. Greg. lib 6. in 1. Regum cap. 15. *De iuſtorum caſu ſcriptum eſt: Septies in die cadit iuſtus & reſurgit. Iuſtorum certè caſus quodammodo ſtatus eorum eſt, quia aliquando permittuntur cadere, vt ſemper valeant fortiùs ſtare: permittuntur vt in malis corruant, ne ſumma virtutum dona per elationem perdant. Hi profectò etſi verba Domini quandoque non implent, à Domino longiùs non recedunt, qui ad tempus relinquuntur, vt in æternum teneantur, & modico deſipiunt, ſed poſtmodum reſipiſcunt.*

Nota *lò caſus quodammodo ſtatus eorum eſt:* quia iuſti ex caſu ilicò reſurgentes magis in ſtatu gratiæ ſe

B obfirmant. Vnde in iuſtorum lapſu impletur illud S. Chryſoſt. hom. 12. in 1. ad Corint. *Peccatum ſi ad animam tuam diuertit, hoſpes ſit, non incolat:* quia iuſti ilicò peccatum expellunt, & ad ſtatum gratiæ redeunt, vt non tam cecidiſſe, quàm modicum ſe inclinaſſe videantur: moniti enim ſtatim pœnitent & reſipiſcunt, etiamſi lapſus fuerit grauis & lethalis, qualis fuit S. Petri negantis Chriſtum, & Dauidis dum occidit Vriam, & Bethſabee corrupit, qui ad primam Nathan vocem & correptionem exclamauit, *Peccaui.*

Iuſtus ergo cadens eſt ſicut arbor per procellam proſtrata, quæ idcirco profundiores in terra agit radices, ideoque ſtatim regerminat & pullulat: *euulſa enim cupiditate,* vt ait S. Auguſtin. *citò plantam recipit charitatis.* Vnde S. Bernard. ſerm. 1. in Cantic. *Vigilandum proinde,* inquit, *& vigilandum omni ho-*

C *ra. quia neſcimus qua hora ſpiritus venturus ſit, ſeu iterũ abiturus. It & redit ſpiritus, & qui ſtat eo tenente, deſerente cadat neceſſe eſt; ſed non collidetur, quia Dominus rurſum ſupponit manum ſuam. Et hæc alternare vices nõ ceſſat in his, qui ſpirituales ſunt, vel quos potiùs ſpirituales prouidè ipſe creare intẽdit, viſitans diluculo, & ſubitò probans. Denique ſepties cadit iuſtus, & ſepties reſurgit, ſi tamen cadat in die, vt ſe cadere videat, & cecidiſſe ſciat, & reſurgere cupiat, vt requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.*

Quocirca ex hoc loco, iuſtos non eſſe impeccabiles, ſed aliquando peccare, æquè ac diſtinctionem peccati in veniale & mortale (iuſti enim cor-

D ruunt in veniale ſaluâ iuſtitiâ, iniuſti in mortale, quod negarunt Iouinianus, Pelagius, Wiclepb, Caluinus & Lutherus) rectè colligunt Doctores Orthodoxi, vt Caſſian. collat. 22. cap. 13. Bellarm. lib. 1. de amiſſ. gratiæ c. 5. & alij: veniale enim conſiſtit cum iuſtitia iuſti, cum qua mortale conſiſtere nequit: iuſtus enim manens iuſtus ſepties cadit in peccatum veniale, & ab eo reſurgit. Scio S. Hiero. epiſt. 16. ad Ruſticum, de graui lapſu hunc locum intellexiſſe, dum ait: *Sed iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit.* Nihilominus de leuibus culpis, ac proinde de iuſto manente iuſto, communiter intelligitur, eſtque contextui magis conſentaneum. Dixerat enim Sapiens: *Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius;* & ſubdit, *Septies enim cadit,* vbi particula *enim* notat connexionem & cauſam prioris ſententiæ. Vnde ſenſus eſt: Non inuenies in iuſto impieta-

pietatem, quia licet ſepties in die cadat; ſunt offenſiones leues, à quibus per iuſtitiam ſuam facilè reſurgit. Hinc Aug. l. 11. de Trinit. c. 31. ita exponit: *Quotieſcumque cecideris iuſtus, non peribis.* Quod non eſſet verum, ſi de caſu, quo iuſtitia amittitur, ſermo eſſet: & ideo addit, *Quòd non de iniquitatibus,* (id eſt peccatis mortalibus) *ſed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit.* Quod ita accipiendum iudico, vt ſub his tribulationibus etiam occaſiones venialiter peccandi comprehendantur, tum quia hæ plus iuſtum humiliant, quàm tribulationes externæ: tum etiam quia condiſtinguit ibi Sapiens caſus iuſtorum ab impietate; ergo & à caſu impij corruentis in malum: ergo loquitur de caſu aliquo, qui licet ſit culpa, non tamen eſt impietas ſeu peccatum graue per quod cadens corruit in malum. Et ita exponit Gloſſa Ordin. & Beda Iacobi 3. & S. Thom. q. 7. de malo art. 2. ad 13.

Nota. Aliqui legunt, *ſepties in die cadit iuſtus.* Ita legit auctor Catenæ Græcorũ, Caſſian. collat. 22. c. 13. & nonnulli codices manuſcripti, ex quo colligunt nonnulli iuſtum ordinariè non poſſe ſe cohibere per vnum diem, quin in aliquod peccatum veniale, imò in ſeptem, id eſt plura, labatur. Verùm *τὸ in die* delendum eſt: nec enim eſt in Hebræo, nec in Septuag. & Vulgata Romana, ceteriſque impreſſis. Vnde iuſtos, præſertim cautiores & puritatis conſcientiæ ſtudioſos, poſſe aliquo tempore eſſe puros ab omni peccato veniali, docet S. Auguſt. l. 2. de Pec. mer. c. 2. & epiſt. 95. in fine, & Franc. Suarez tom. 3. de Gratia l. 9. c. 8. qui tamen negat hoc tempus eſſe longum. Domin. Soto aſſerit iuſtum ad vnum diem poſſe abſtinere à peccato veniali: alij ad tres vel quatuor horas. Vide ibidem Suarez n. 27.

Aliqui nunquam peccant deliberatè.

Rurſum iuſtos aliquos valdè perfectos, qui toti ſtudent puritati & ſanctitati, poſſe tota deinceps vita viuere ſine peccato veniali planè voluntario & deliberato, docet ibidem Suarez n. 25. Aluar. de Paz tom. 2. de extermin. mali l. 1. p. 1. c. 9. pag. 60. & 61. & Clemens Alexand. l. 1. Pædag. c. 2. Idque videntur feciſſe Apoſtoli poſt receptum in Pentecoſte Spiritum ſanctum. De S. Maria Oigniacenſi ſic ſcribit Cardinal. Iacobus de Vitriaco in Vita eius c. 6. *Ab exiguis venialibus culpis adeò ſibi cauebat, vt crebrò ad dies quindecim neque vnam inordinatam cogitationem in ſuo pectore poſſet reperire.* Et S. Chryſoſtom. homil. 20. in Matth. ad illud, *Fiat voluntas tua. Nihil enim eſt,* ait, *quod propter terrenarum rerum habitaculum, ad ſupernarum virtutum perfectionem homines prohibeat peruenire. Eſt quippe poſſibile, vt in terrarum adhuc regione degentes, quaſi iam in cælis habitent, ita cuncta perficiant.* Certè de Abbate Pambo multiſque alijs Anachoretis legimus, eos per multos annos ne vnum quidem verbum otioſum dixiſſe; potuere tamen illi otioſam vanamque cogitationem in animum admittere. Difficilius enim eſt cor cohibere quàm linguam.

Exempla.

Symbolicè, ſeptem iuſti lapſus recenſet Caſſian. collat. 22. c. 13. Ceterum iuſtos, inquit, non eſſe immunes à culpa, manifeſtè Scriptura pronuntiat, dicens: *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Quid enim aliud eſt cadere quàm peccare? & tamen cùm dicatur ſepties cadere, iuſtus nihilominus pronuntiatur, nec iuſtitię eius pręiudicat lapſus fragilitatis humanæ: quia multum intereſt inter ſancti & peccatoris hominis lapſum. Aliud enim eſt admittere mortale peccatum, & aliud eſt cogitatione, quæ peccato non careat, præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otioſi ſermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæſitare, aut ſubtili quadam cenodoxiæ titillatione pulſari, aut neceſſitate naturæ aliquantiſper à ſumma perfectione recedere. Hæc enim ſunt ſeptem lapſuum genera, in quibus vir ſanctus, licet nonnumquam cadat, tamen iuſtus eſſe non deſinit, quæ quamuis leuia videantur ac parua, tamen faciunt eum ſine peccato eſſe non poſſe, hucuſque Caſſianus.

Prou. 24.

Denique aliqui, ſed pauci, caſum iuſti accipiunt lethiferum in peccatum mortale. Vnde S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum: *Septies,* inquit, *cadit iuſtus & reſurgit. Si cadit, quomodo iuſtus? ſi iuſtus, quomodo cadit? ſed iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit: & non ſolùm ſepties, ſed ſeptuageſies ſepties delinquenti, ſi conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Cui plus dimittitur, plus diligit. Meretrix lacrymis pedes Saluatoris lauat, & in typum Eccleſiæ de Gentibus congregatæ meretur audire: Dimittuntur tibi peccata tua. Phariſæi iuſtitia perit ſuperbiâ, & Publicani humilitas confeſſione ſaluatur.* Iuſtus ergo etſi ſubinde cadat in peccatum graue, citò tamen reſurgit, & non tam reſurrectioni caſus, quàm caſui reſurrectio ſuccedit; quare ob reſurgendi ſollicitudinem & celeritatem, iuſti nomen non tam videtur perdere, quàm ad momentum abſcondere. Sic in Dauide tantum ſanctitatis ſplendorem non tam obſcurauit peccatum, quàm illuſtrauit pœnitentia, &, vt ait Theodor. quæſt. 25. in 2. Regum, *Regis admirabilem gloriam effecit ſplendorem,* &, vt ait S. Ambroſ. Apolog. 1. Dauid c. 2. *Nullum attulit lapſus impedimentum, ſed velocitatis incentiua cumulauit, & alacrior ad currendum ſurrexit.* Similia habet S. Chryſoſt. homil. 77. ad Popul. Rurſum S. Ambroſ. Apolog. 2. Dauid c. 3. *Si Dauid,* inquit, *infirmus, tu fortis? Si Salomon lapſus eſt, tu potes primus eſſe ſanctorum? Ergo ſi errauerunt iuſti, errauerunt tamquam homines, ſed peccatum ſuum tamquam iuſti agnouerunt.*

CVM CECIDERIT INIMICVS TVVS, NE GAVDEAS, ET IN RVINA EIVS NE EXVLTET COR TVVM (Chaldæus, *& cùm corruerit in malum, ne exultet cor tuum*) NE FORTE VIDEAT DOMINVS, ET DISPLICEAT EI, ET AVFERAT AB EO IRAM SVAM] Septuag. *ſi ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas ſuper illum, & in ſupplantatione eius ne extollaris: quoniam videbit Dominus, & non placebit ei, & auertet indignationem ſuam ab eo.*

Vers. 17. *Vers. 18.*

Prior verſus clarus eſt: vetat enim gaudium de calamitate inimici velut contrarium charitati, quâ omnes etiam inimicos propter Deum diligere debemus, eiſque optare bona & mala auertere; quare qui de fratris ſui licet inimici caſu lætatur, eidemque propter acceptum damnum inſultat, ſimilis eſt diabolo, qui neminem ſalute potiri deſiderat, ait auctor Catenæ Græcor. Loquitur enim de gaudio vindictæ priuatæ & propriæ, non publicæ: nam de publica vindicta (vti docet B. Antiochus homil. 58.) vtpote actu iuſtitiæ, gaudere licet; vnde ait, *inimicus tuus,* non Dei vel Eccleſiæ. Sic ſubmerſo Pharaone & Ægyptijs hoſtibus ſuis in mari rubro lætati ſunt Moſes & Hebræi, cecineruntque epinicion Deo Exodi 15. Idem fecit

Debora & Barac cæſo Siſara hoſte Iudæorum, Iudic. 5. Idem fecère Moſes & Ioſue cæſo Amalec, Exodi 17. v. 15. Machabæi cæſo Nicanore, Iudith cæſo Holoferne, Dauid ſubactis Philiſtæis, Ammonitis, Syris, ceteriſque hoſtibus, 2. Reg. 22. 1. & ſeq. Nimirum *lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*, pſalm. 57. v. 11. Salomoni ſuccinit Plutarch. l. de Vtilitate ex inimicis capienda, vbi inter alias hanc recenſet, quòd conuitia inimicorum moneant nos noſtrorum vitiorum, vt ea eluamus; vnde, inquit, ab Antiſthene dictum eſt rectè, *eum qui ſaluus eſſe debeat, opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehementiſſimis, quòd illi admonendo peccantes, hi criminando à vitijs auertant.* Sed quoniam noſtra ætate ad liberas reprehenſiones voce valdè exili eſt prædita amicitia, loquax in adulando, muta in caſtigando, audienda eſt nobis ex inimicis veritas: ſicut enim Telephus domeſtico deſtitutus remedio, vulnus hoſtili haſtæ ſanandum præbuit: ita quos defecit beneuolus caſtigator, ij vt inimici ſermonem audiant neceſſe eſt reprehendentis & prementis culpam, non animum maledicentis, ſed rem ipſam conſiderantis. Iaſonem Theſſalum qui volebat interficere, gladio vomicam eius aperuit, eaque ruptâ ſalutem homini attulit: ſic ſæpè conuitium ab irato aut inimico nobis inflictum animi morbum latentem neglectumue ſanauit.

Poſterior verſus dat cauſam prioris, ſed difficilem & obſcuram: videtur enim repugnare charitati, ſi cui dicas: Noli lætari de malo inimici ne Deus ab eo auferat iram ſuam, cùm charitas dictet optandum eſſe, vt ab eo licet inimico Deus auferat iram ſuam. Ira enim Dei incumbens inimico eſt grande eius malum, quod proinde charitas non optat, ſed auerſatur & deprecatur: charitas enim eodem amoris ſinu tam inimicos quàm amicos complectitur.

Primò, Beda reſpondet, τὸ *ſuam* referre non Deum, ſed inimicum. q.d. Noli gaudere de malo inimici, ne Deus auferat ab eo iram ſuam, quam ſcilicet inimicus tuus contra te concepit, quaque tibi velut aduerſario ſuo iraſcitur, hoc eſt, ne Deus ab eo auferat inimicitiam & odium tui, illudque conuertat in amicitiam & charitatem, vt ea te iam diligat velut amicũ, quem antea oderat velut inimicum. Tunc enim dolebis & erubeſces te priùs de eius malo exultaſſe, vtpote quem iam reconciliatum habes amicum, cuiq; optas omne bonum. Huc facit illud Biantis: *Ama tamquam oſurus, odito tamquam amaturus.* Poſterius enim huc ſpectat, docetque odium moderandum eſſe ſpe ineundæ vel redintegrandæ amicitiæ. Prius verò carpit Cicero l. d Amicitia, & Ariſtot. in Rhetor. Amicitia enim debet eſſe ſtabilis & perpetua, vt numquam in odium vertatur & deſinat.

Secundò, Caietan. Salomon, inquit, dirigit hoc mandatum ad imperfectos, &, vt inducat eos ad continendum ſeipſos à peccato gaudij de malo inimici, proponit eis periculum mali proprij, vt ſi non amore virtutis, ſaltem amore boni proprij abſtineant ab huiuſmodi peccato: declarat enim eis, quòd huiuſmodi lætitia videtur à Deo, & diſplicet Deo, vtpote peccatum; & fortè Deus ob hoc peccatum tuum deſinet punire inimicum tuum, quia lætitia tua eſt addere afflictionem afflicto, & inde ſuccedent ibi duo mala; alterum confuſionis, quia confundetur lætitia tua ceſſante irâ Dei ſuper inimicum: alterum, vitium inimici: quoniam ceſſante, irâ Dei ſuper illum, reparabit vires inimicus tuus. Non itaque ratio affertur contra charitatem, ſed vt homo imperfectus habendo rationem boni proprij hoc peccatum euitet: reuocatio enim iræ diuinæ ab inimico, non quatenus eſt bona inimico homini, ſed quatenus eſſet mala tibi, pro ratione affertur. Inimicus enim iam à Deo ſuis viribus reſtitutus fortiùs tibi reſiſtet, teque validiùs quàm antè impugnabit. Hoc damni referes ex tuo peruerſo de eius calamitate gaudio. Hæc Caietanus.

Tertiò, aptiùs & pleniùs, compeſcit hic Salomon gaudium de malo inimici. Primò, dicendo, quòd hoc diſpliceat Deo, quæ ingens eſt pœna. Secundò, quòd Deus auferet ab inimico iram, id eſt ſupplicium & calamitatem, quam illi ob peccata iratus inflixit, illumque reſtituet ſuæ integritati & proſperitati. Qua in re duo ſunt damna partis aduerſæ, putà gaudentis de inimici clade; priùs, quòd Deus caſtiget inimicum hoc eius gaudium, triſtitiâ & mœrore. Tantum enim dolebit & mœrebit inuidus de inimici felicitate, quantum antea gauiſus fuit de eiuſdem afflictione & infelicitate, eoq; magis, quòd cogitabit, Deum hoc mœrore caſtigare ſuam inuidiam inuidumque gaudium: vnde dicet. Vtinam ego prior ſponte caſtigaſſem malum hoc meum gaudium; nunc enim gauderem, tum quia ſponte hoc feciſſem, tum quia eliciuſſem actum charitatis; iam verò cùm Deus caſtigat præpoſterum hoc meum gaudium, me inuitum caſtigat, atque caſtigat meum peccatum, purà odium & inuidiam pro meis demeritis: inſuper me caſtigat mœrore felicitatis contrariæ, quam quotidie in inimico cogit me videre, & inuidia doloreque tabeſcere, quæ omnia magna crux & pœna ſunt gaudenti, vt longè magis crucietur proſperitate inimici, quàm prius lætatus fuit eius aduerſitate.

Quartò & pleniſſimè, cùm ait, *Ne fortè Dominus auferat ab eo iram ſuam*, tacitè intelligit, *eamq; transferat in te.* Vnde Hebr. habent, *ne fortè Dominus reuerti faciat*, ſcilicet ad te, *iram ſuam.* Solet enim Deus inuidos punire talione, vt malum quod optarunt inimico, & de quo gauiſi ſunt, in ipſos recidat, imò ab inimico in ipſos reuoluatur, quod mirè inuidos cruciat. Sic magna fuit crux Aman, quòd furcam a ſe paratam Mardochæo, illo procurante ipſemet conſcenderit, in eaque ſuſpenſus ſit. Hoc eſt quod Idumæis imprecatur Pſaltes pſalm. 136. *Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem, qui dicũt, Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* q.d. Excidium Hieroſolymæ illatum à Chaldæis reuolue, ô Domine, in Idumæos hoſtes noſtros, qui de eo exultarunt, nobiſque capris inſultarunt. Atque ita illud in eos reipſa Deus reuoluit: nam Chaldæi vaſtarunt Idumæos ſimili modo quo Iudæos, & Abdias ad Idumæos v. 12. *Non magnificabis*, inquit, *os tuum in die anguſtia*, id eſt, non inſultabis Hebræis in anguſtias à Chaldæis redactis. Cauſam ſubdit: *Quoniam ſicut feciſti, fiet tibi:* quiſquis enim miſero inſultat, talionem reportat. Similia plura occurrunt in Threnis & Prophetis.

Verè Tertull. l. 2. contra Marcion. cap. 18. *Nihil amarius quàm idipſum pati, quod feceris alijs*, præſertim ſi pœna inimici in te transferatur, vt te dolente ille exultet, imò tibi afflicto inſultet, ſicut tu

illi

illi inſultaſti. Talia quoque crebrò facta legimus & videmus. Nota eſt hiſtoria Sapricij, qui cùm duceretur ad martyrium, obuiaretq; ei Nicephorus inimicus poſtulans ei reconciliari; poſtulantem reſpuit, ideoque à Deo deſertus in morte fidem negauit, palmamq; martyrij perdidit, quam Deus in Nicephorum tranſtulit, vti narrat Metaphraſtes, & ex eo Surius die 9. Februarij. Hanc rationem affert Lyranus, Vatablus, Ianſen. quin & Beda, qui eam damnis ſpiritualibus adaptat: *Ne gaudeas*, inquit, *de caſu inimici, ne fortè Dominus ſuperbiam tuam, quæ illi abſque dubio diſplicet, hoc ordine deijciens, humiliet, vt te cadente in peccatū, ille reſipiſcens ſanetur*, vti contigit S. Nicephoro & Sapricio. Et Caſſian. collat. 5. c. 14. *Si ceciderit*, inquit, *inimicus tuus, noli gratulari: in ſupplantatione autem eius noli extolli, ne videat Dominus, & non placeat ei, & vertat iram ſuam ab eo; id eſt, ne perſpiciens elationē cordis tui, ab eius impugnatione diſcedat, & incipias derelictus ab eo, rurſus ab illa, quam per Dei gratiam antè ſuperaueras, paſſione vexari. Non enim oraſſet Propheta dicens: Ne tradas Domine beſtijs animam confitentem tibi*, (Pſalm. 73.) *niſi ſciſſet propter inflationem cordis quoſdam vt humilientur, eiſdem rurſum vitijs quæ vicerant tradi.*

Notanda S. Chryſoſt. ſententia homil. 24. in Matth. *Quanto maiori*, inquit, *inuidiâ laboras, tanto maiora illi offers bona, cui inuides. Deus enim qui omnia perſpicit, cùm viderit innocentem iniuriâ circumuentum, extollit multò magis, clarumq; illum facit, inuadentem autem deprimit: nam ſi eos qui ob inimicorum incommoda lætantur, non ſinit eſſe impunitos (ne gaudeas enim*, inquit, *caſu inimicorum tuorum: ne quando videat Deus & diſpliceat ei) multò maioribus profectò eos, à quibus innocentes per inuidiam exagitantur, ſupplicijs tradet. Interimamus ergo hanc peſtiferam beſtiam.*

(Virtus ulciſcitur inuidiam.) Accedit, quod, vt ait Iſidorus Peluſ. l. 3. epiſt. 181. ad Eutonium: *Hæc duo ad patientiam contumeliarum hortari debent. Primò, quòd eos qui contumeliam inferunt nihil æquè diſcruciat, vt eorum qui contumeliâ afficiuntur, patientia: Secundò, quòd nulla ratione ipſos æquè vlciſci queamus, quàm virtutem colendo.* Probat auctoritate viri ſapientis, qui *rogatus à quodam qua ratione hoſtem vlciſceretur, reſpondit: Si ipſe probum atque honeſtum virum te præbueris. Igitur qui virtutem & patientiam colit, mortiferas hoſtibus plagas infligit*, &c. Quocirca P. Iacobus Lainez, ſecundus Societatis noſtræ Præpoſitus generalis, cenſebat *optimam reſutandi maledicta rationem eſſe rectè factorum conſtantiam.* Idem cenſuit & fecit P. Petrus Caniſius, vti refert l. 2. Vitæ eius P. Sacchinus.

Vers. 19. NE CONTENDAS CVM PESSIMIS (Hebr. *cum malis* vel *malignis*) NEC ÆMVLERIS IMPIOS: QVO-
Vers. 20. NIAM NON HABENT FVTVRORVM SPEM MALI: ET LVCERNA IMPIORVM EXTINGVETVR] Alludit, imò citat illud patris ſui Dauidis pſalm. 36. 1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*; ibi enim in Hebræo ſunt eadem verba quæ hîc, præſertim אַל תִּתְחַר *al titchar*, quod Septuag. vertunt, *noli æmulari*; S. Hier. verò & Aquila, *ne contendas*; Symmach. *ne certes*; Theodot. *ne irriteris*; propriè *al titchar* ſignificat *ne iraſcaris*, ne indigneris, ne excandeſcas. Senſus ergo genuinus eſt. q. d. Ne ſuccenſeas, ne indigneris viris malis & malignis, nec æmuleris, id eſt, ne zelo inuidiæ contra impios mouearis, vt inuideas eis felicitatem, ob eamque te crucies & lancines. Poſſet Secundò, τὸ *ne æmuleris* ſic exponi. q. d. Ne zelo & amore impiorum mouearis, vt eos ſpe ſimilis feli-

A citatis imiteris, eorumq; vitam affectes, & mores impios ſecteris. Ita Chald. S. Cyrillus, Heſychius in pſalm. 36. Chald. enim ibi æquè ac hic vertit, *ne imiteris peſſimos*; Syrus, *ne inuideas ſceleſtis.*

Rationem reddit: *Quoniam non habebunt futurorum ſpem mali.* q. d. Impij non expectant poſt hanc vitam aliam felicem in cælo, ſed miſeram in gehenna; quare potiùs commiſeratione digni ſunt quàm ira, æmulatione & inuidia.

Noſter & Aquila vertunt, *ne contendas cum peſſimis* vel *malignis*; Symmach. *ne certes*, quia ex ira & indignatione ſequitur contentio: ſi enim indigneris malignis, facilè cum eis contendes & rixaberis, præſertim ab illis læſus: maligni enim ſunt malefici, quia aut verbis probra iaciunt in obuios, aut reipſa eos iniuriâ afficiunt, vnde læſus ab eis facilè contentionem & rixam cum eis contrahit. Quare monet eum hîc Salomon, vt nec iraſcatur malig-
B nis, nec cum eis contendat, ſed potiùs eorum dicteria & leues iniurias ſilens patiatur & diſſimulet, vt ſe in pace conſeruet, Deoque iudici cauſam remittat, ſuamque innocentiam commendet, ac ſe ſoletur cogitando breue fore impiorum regnum, cùm non habeant futurorum ſpem, vti habent pij & innocentes ab eis læſi. Non tamen vetat, quin innocens ab impijs grauiter in fama vel in bonis læſus, poſſit cum ijs iudicio contendere, vt ablatā ſibi famam vel bona repetat: alioqui enim improbi impunè contrà probos inſoleſcerent, ac probi ſuis omnibus pro libito improborum priuarentur. Ita Hugo, Salazar & alij.

Huc facit prouerb. Arabicum: *Ne iace ſagittas tuas in idolum ferreum*: id eſt, ne iace verba in hominem durum & præfractum, quales ſunt peſſi-
C mi, vt cum eis litiges & rixeris, vbi & vincere turpe eſt, & vinci turpius. Sicut enim ſagitta iacta in idolum ferreum, reſultans iaculatorem ipſum lædit; ſic præfracti & maligni proborum querelis & probris non læduntur, ſed ea potiùs in ipſos retorquent.

Aliter Ianſenius, Loquitur, inquit, Salomon de contentione, qua quis in animo ſuo ſecum contendit & diſputat, videns impiorum proſperitatē, qualem diſputationē & diſceptationem Propheta exprimit in ſe pſalm. 72. 2. & ſeq.

Quocirca impertinens eſt Lyranni expoſitio, quæ ſic habet: Ne contendas cum peſſimis, id eſt incorrigibilibus, verbo correctionis, quia hoc eſt inutile; ſed iudex debet cum talibus contendere pœnis, vt à malo arceantur & alij terreantur: de ira enim & contentione hîc agitur, non de cor-
D rectione.

Porrò addamus hîc aliorū verſiones & expoſitiones, quæ tamen eòdem redeunt. Primò, R. Salomon & Aben Ezra vertunt, *ne commiſcearis ſocietatemq; ineas cum impijs*, vt eorum actiones ſtudioſe imiteris; Secundò, R. Leui, *ne diſſidia cum perditis exerceas*, ne ab illis è medio tollaris; Tertiò, Caietan. *ne impliceris cum malis*; Quartò, Pagninus, *ne commercium habeas cum malignis*; Quintò, Septuag. *ne gaudeas in malefactoribus*, vel, vt vertit auctor Catenæ Græcor. *caue malefactoribus aduleris*, aut *peccatores æmuleris*; Sextò, Chaldæus, *ne imiteris peſſimos.*

QVONIAM NON HABENT IMPII FVTVRORVM SPEM] Hebr. *non erit nouiſſimum maligno*, quod Primò, Sept. ſic explicant: *non enim ſiunt poſteri maligno.* q. d. Noli inuidere impijs proſperita-

tem, quia cum breui Deus ſuccidet, non tantùm quoad ipſos, ſed etiam quoad poſteros, vt breui deleat omnes eorum filios & nepotes, planeq; eorũ ſtirpem, familiam & nomen aboleat, quæ ingens eſt pœna. Rex enim cùm ſceleratum punit, filios eius intactos relinquit: at Deus filios cum patribus tollit, vt nullos heredes poſt ſe relinquant. Alludit ad illud pſal. 36. 38. *Simul reliquiæ impiorum interibunt.* Et v. 28. *Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit.*

Secundò, Pagnin. & Caiet. vertunt, *quoniam non erit finis malo.* q.d. Noli impijs ſuccenſere & inuidere, quia hi priuandi ſunt fine ſuo propter quem creati ſunt, putà priuandi ſunt regno Dei. Aut q.d. In impijs ſunt duo; putà bonum & malum: bonum eſt proſperitas temporalis, quæ inſtar lucernę citò extinguitur: malum eſt pœna & gehenna æterna, quæ non habet finem, ſed in æternum perdurat. q.d. Noli impio inuidere felicitatem temporalem, quia expectat eum pœna æterna.

Tertiò, Vatabl. *nam malo tandem nihil ſupererit.* q.d. Omnis felicitas, opes, gloria impiorum citò pertranſit, vt nihil ex eis remaneat, ſed omnia inſtar fumi vel ſomnij euaneſcant, iuxta illud pſ. 75. 6. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.*

Quartò, Chald. *non erunt nouiſſima bona peſſimis*; Syrus, *quia non habebunt perditi extrema.* q.d. Non obtinget malo bona mors, bonum iudicium, bona ſors, putà felicitas & gloria cæleſtis. Et Baynus: Non erit impio merces, quia nullum eius fuit meritum, ſed multa demerita, ob quæ manent eum multa ſupplicia & tormenta in gehenna. Noli ergo à malefico qui te læſit, depoſcere vindictam, quia illam depoſcet Deus, ac pro temporali irrogabit perpetuam, pro leui grauem, pro terrena infernalem & igneam.

Denique S. Thomas 2.2. q. 18. art. 2. & 3. docet nec Beatos, nec damnatos, habere ſpem: non Beatos, quia ſpes eſt expectatio boni futuri: Beati autem beatitudinem habent præſentem, non futurã: *quod enim quis videt, quid ſperat?* Rom. 8. v. 24. Non damnatos, quia hi nõn poſſunt apprehendere beatitudinem vt ſibi poſſibilem: certi enim ſunt damnationem ſuam fore æternam. Soli ergo & omnes viatores ſperare poſſunt, quia poſſunt apprehendere beatitudinem, vt bonum futurum & ſibi poſſibile. In improbis tamen languida eſt ſpes, ſenſimque deficit & emoritur, vt tandem cadant in deſperationem, vti hîc ait Salomon.

ET LVCERNA (Septuag. λαμπτὴρ, id eſt *lampas, fax*) IMPIORVM EXTINGVETVR] *Lucerna*, id eſt gloria, felicitas, poſteritas impiorum morte extinguitur & in æternam infamiam, miſeriam & obliuionem conuertitur, vti fusè dixi c. 13. 9. & c. 20. Alludit ad illud Iob c. 18. 5. *Nónne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur.*

Myſticè, auctor Catenæ Grec. Lucerna, inquit, id eſt omnis illorum doctrina & celebritas fugax eſt, citoque inſtar fumi euaneſcit.

TIME DOMINVM FILI MI, ET REGEM (Syrus,
Vers. 21. *& regnato:* ſeruire enim Deo regnare eſt) ET CVM
DETRACTORIBVS NON COMMISCEARIS: QVO-
Vers. 22. NIAM REPENTE CONSVRGET PERDITIO EO-
RVM: ET RVINAM VTRIVSQVE QVIS NOVIT?]
Pro *detractoribus*, hebr. eſt שונים *ſconim*, id eſt mu-

A tantibus, iterantibus, alterantibus, variantibus quod varij variè explicant.

Primò, Septuag. pro *ſconim*, alio puncto legentes שנים *ſcenaim*, id eſt, *duobus*, aut certè *ſconim*, id eſt varios diuerſos, accipientes pro *ſcenaim*, id eſt duobus (duo enim ſunt primi varij, qui ſcilicet primò recedunt ab vnitate: binarius enim eſt primus numerus multitudinis) vertunt, *& cum duobus ne te miſceas*, id eſt, *neutri eorum* (putà nec Deo, nec regi) ſis inobediens. Secundò, alij vertunt, *& cum aliter agentibus* (qui ſcilicet non timent Deum & regem) *ne miſceas te.* Et ſic habent nonnulla exemplaria Vulgatæ editionis. Tertiò, Pagnin. *& cum iterantibus iniquitatem ne miſceas te.* Quartò, Chald. *& cum ſtultis ne miſceas te. Stultus* enim *ſicut luna mutatur*, Eccli. 27. 12. Quintò, Iſidorus Clarius *& cum variantibus ne miſceas te*; Caiet. *cum mutatoribus*; Aben Ezra, *cum varijs & inconſtantibus.* Sextò, Vatabl. *& cum his qui rerum nouarum ſunt ſtudioſi, ne miſceas te.*
B Septimò, R. Salomon Hebr. *ſconim* vertit, *duplicantes*; q.d. *Ne commiſcearis cum ijs qui duos deos, duaſq; poteſtates* (duo numina) affirmant. Octauò, R. Leui *ſconim* vertit, *mutantibus.* q.d. *Ne verſeris cum ijs qui commutant Dei regiſq; præcepta, hoc eſt, qui vtriuſque leges conuellunt, repugnantiaq; ijſdem præſtant.* Nonò, optimè Noſter Heb. *ſconim*, id eſt mutantibus, iterantibus, alterantibus vertit, *detractoribus*: detractores enim ſolent aliorum dicta factaq; ſecreta euulgare, mutare, alterare, hoc eſt aliter quàm geſta ſint narrare, & in peiorem partem interpretari. Hinc detractores Hebr. vocantur *ſconim*, id eſt mutatores, alteratores.

Porrò per *detractores* maximè intelligit eos, qui
C regibus & principibus detrahũt. His enim, vtpote conſpicuis, & tributa aliaq; onera imponentibus, vulgò homines maximè ſolent obtrectare: ſic enim cohæret hoc hemeſtichium cum præcedenti: *Time Dominum, fili mi, & regem.* Senſus ergo eſt q.d. *Time*, id eſt cole, reuerere, obedi, ama Deum quaſi ſummum rerum dominum, gubernatorem, iudicem & vindicem; ac deinde reuerere, obedi & ama regem vel principem, quaſi Dei in terris vicariũ, ac proinde cum ijs, qui vel Deo, vel regi detrahunt, ne cõmiſcearis, præſertim cùm, vt vertit, Vatabl. nouarum rerum ſunt ſtudioſi, vt regem regno deponere, & alium in ſolio collocare velint. Et, vt Aben Ezra, qui animo verſant varia conſilia, multaque machinantur in regis & regni perniciem. His enim velut perduellibus, ſeditioſis & læſæ maieſtatis reis, repentina imminet perditio: nec enim hæc
D rebellio diu latere poteſt: quare reges vbi eã reſciſcunt, omnes eius cõſcios morte atroci mulctant.

Significat ergo hæc gnome Primò, ordinem & gradum timoris & reuerentiæ, ſcilicet ante omnes & omnia ſummè timendum eſſe Deum; deinde, ſecundo loco, & longè inferiori gradu, timendum eſſe regem: rex enim cùm ſit homo, à Deo in infinitum diſtat.

Hinc Secundò, regi eſſe obediendum quando non pręcipit contraria Deo: ſi enim id faciat, ei dicendum eſt: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, Actor. 5. 29. Vnde R. Salomon ſic exponit: *Regem etiam qui corporis ſanguiniſq; concretione conſtat, verere, niſi quando te à diuino timore reuocabit: ſemper enim Dei timor cunctis præponendus.* Et R. Leui: *Deũ timore proſequere, eiuſq; præcepta & legem ſedulò obſerua: regem etiam verere, ſtatuta ſerua, nec ea paruipendas; ſed timorem diuinum regius ſubſequatur, nec diuino regis timor aduer-*

aduerſetur : nec enim rex timendus in ijs quæ diuino numini aduerſantur.

Nam vt ait S. Aug. ſerm. 6. de Verbis Domini : *Rex carcerem, Deus gehennam minatur.* Et Tertull. Apol. 36. *Cælum debellet imperator, cælum captiuum triumpho ſuo inuehat, cælo mittat excubias, cælo vectigalia imponat : non poteſt vtique. Ideo magnus eſt, quia cælo minor eſt ; illius enim eſt ipſe cuius cælum eſt, & omnis creatura. Inde eſt Imperator, vnde eſt & homo, antequam Imperator. Inde poteſtas illi, vnde ſpiritus,* &c.

Tertiò, ſignificat regi obediendum eſſe propter Deum : Deus enim iuſſit vt regi obediatur, adeoq; Deus regiam poteſtatem inſtituit, vt per eam appoſitè ad hominum conditionem totum regnum regat & gubernet, iuxta illud Rom. 13, 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo : quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et S. Petrus epiſt. 1. c. 2. v. 13. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum : ſiue regi, quaſi præcellenti ; ſiue ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum,* & mox : *Deum timete, regem honorificate.*

QVONIAM REPENTE CONSVRGET PERDITIO EORVM ; ET RVINAM VTRIVSQVE QVIS NOVIT ?] quando ſcilicet, quomodo & quanta futura ſit. Chald. *quoniam repentè veniet interitus eorum, & calamitatem amborum quis ſcit* ; Septuag. *ſubitò enim vlciſcentur impios, ſupplicia autem vtrorumque quis nouit?* Syrus, *& terminum annorum eorum quis nouit?* Heb. enim שני *ſcene & ambos & annos* ſignificat. Senſus eſt clarus. Solent enim reges in detractores & rebelles eorumq; complices, vtpote ſibi inſidiantes, & pacis publicæ perturbatores, ſtatim & ſeuerè animaduertere, vti iam dixi. Exempla hoc ſæculo plura ſpectauimus. Vnde τὸ *vtriuſque* refert detractorem & complicem, qui detractori commiſcetur. Tam enim rei ſunt mortis, rebelles qui detrahunt regi, quàm qui eis auſcultant, admiſcentur & obſequuntur. Aut *vtriuſque*, ſcilicet Dei & regis. q. d. Ruinam id eſt punitionem à Deo & rege infligendam quis nouit ? vt τὸ *ruina* ſumatur actiuè. Hebr. eſt פיד *pid*, id eſt clades, contritio, exitium certum & ineuitabile, à quo nulla obtingit liberatio vel redemptio. Ita Baynus, Ianſen. Aben Ezra. Vnde auctor Catenæ Græc. ex Septuag. ſic vertit, *Repente namque de hominibus impijs vindictam & pœnam exigunt Deus & rex : modum autem & rationem ſuppliciorum vtriuſque quis intelligit ?*

Alij qui ad quoſlibet detractores hanc gnomē extendunt, ſic explicant. q. d. *Vtrique*, id eſt tam detractori quam eum audienti, imminet grauis ruina : vterque enim grauiter peccat, ac proinde grauiter puniendus eſt, vel à Superiore, vel à Deo. Dum ergo detractor incipit detrahere, candidè & liberè ei dicito : Dum aliquod bonū fratris mei affers, libenter audio : ſin autem mala effutire vis, non audio, ſed abeo. Zelemus nos ipſos, ploremus peccata noſtra, curemus infirmitates noſtras ; aliorum verò dicta & facta, quæ ad nos non attinent relinquamus. Alleg. *vtriuſque*, id eſt derogantiū Chriſto qui eſt rex regum, *& decepti ab eis populi, ſiue lacerantium fidem hæreſiarcharū, & auſcultantium illis auditorum* grauis erit ruina & continuo, ait Beda.

Poſt hanc gnomen Septuag. Vaticani attexunt aliam, nimirum : *Verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit ; excipiens autem excepit illud* : quam Noſter repoſuit c. 29. v. vlt. vbi eam explicabo. Addunt deinde aliam quæ neq; in Hebræo, neq; in Noſtro, neque in Complut. & Regijs extat ; eſtq; hæc : *Nihil falſi de ore regis dicatur, & nihil falſi de lingua illius exeat : gladius lingua regis, & non carnea : quicumq; autem traditus fuerit, conteretur. Si enim irritatus fuerit furor eius, cum neruis homines abſumit, & oſſa hominum deuorat, & comburit tamquā flamma, ita vt ſint inepta eſui pullis aquilarū.* Quæ ſic exponi poteſt, vt nectatur verſui præced. q. d. Detractor & rebellis regi, ab eo agetur in ruinā & mortem, vt dixi : at nunc ad vos, ô reges, ſermonem conuerto, voſq; ſanctè moneo, vt exactè cauſam illius & ſimilium examinetis, ne quid falſi de ore procedat, quo ſecuti falſam informationem calumniatorum, ex præcipiti ira falsò & iniuſtè innocentem quempiam condemnetis : ſententia enim oris veſtri eſt ineluctabilis, vt nemo ei obniti, vel eam effugere poſſit : quia lingua veſtra eſt inſtar gladij, vt quos velit morti dedat. Quare lingua veſtra non tam carnea eſt, quàm ferrea vel fulminea : quicumque enim ab ea traditus fuerit morti, certò conteretur & perimetur. Quare furor regis irritatus eſt inſtar fulminis, quod cum neruis homines abſumit, & relictâ carne, vtpote molli, intactâ, oſſa, vtpote dura & ſibi reſiſtentia, deuorat, id eſt confringit & incinerat, velut flamma ſulphurea, ita vt non ſint edulia pullis aquilarum. Aquilæ enim, præſertim vulturinæ, cadaueribus hominum paſcuntur & inhiant, niſi ea fulmine ſint icta : fulmen enim corpora quæ afflat, tetro odore & ſapore inficit, ita vt nec aquilæ, nec aliæ aues carniuoræ, aut feræ ea guſtare velint, vti tradit Albertus Magnus, & Phyſici.

Eſt metaphora, quâ ſignificat regis furorem ita graſſari in eorum, etiam nobilum & principum, quibus iraſcitur, fortunas, domos & vitas, vt inſtar fulminis ea ſideret & perdat, nec quidquam filijs vel cognatis occiſi, qui nobiles & generoſi ſunt inſtar pullorum aquilæ, hæreditandum relinquat, ſed miſerijs & fame tabeſcere ſinat. Huic ſententiæ fauent ſequentia, quæ pariter ad iudices & principes, vt ex æquitate, nō ex irà vel paſſione iudicent, pertinent. Ait enim,

HÆC QVOQVE SAPIENTIBVS : COGNOSCERE (Syrus *accipere*) IN IVDICIO PERSONAM NON EST BONVM] Chald. *hæc quoque ſapientibus dico*, Septuag. *hæc autem dico vobis ſapientibus : cognoſcere & revereri faciem in iudicio non eſt bonum.* q. d. Hæc quoq; quæ ſubijcio ad ſapientes pertinent, putà ad iudices & principes, quorū eſt ſapienter ſubditos regere, ius dicere & rempubl. adminiſtrare. Vatabl. verò vertit, *hæc quoque ſapientum ſunt*, quaſi hic finiantur parabolæ Salomonis, ijſque attexantur ſequentes, quæ aliorum ſint ſapientū, vt Ithiel, Agur. Vchal, Lamuel, de quibus c. 30. & 31. Eſt enim hîc quaſi conuiuium ſapientiæ, de quo c. 9. 1. in quo ſapientes ſua ſapientiæ ſymbola & ſententias in commune alternis conferunt, vti fit in dialogiſmis. VERS. 23.

COGNOSCERE IN IVDICIO PERSONAM] Hebr. *agnoſcere vultum*, id eſt, habere rationem perſonarum & dignitatis cuiuſque non eſt bonum, id eſt, eſt peſſimum : perturbat enim omnem iuſtitiam totamque rempubl. Eſt mioſis : minus enim dicitur, ſed plus ſignificatur. Verè S. Bernard. l. 1. de Conſider. *Qui cognoſcit in iudicio faciem*, inquit, *à facie Dei vtiq; ſtare non poterit.* Et Ægidius Diacon. de Regim. princip. *Ne ſis ſpecularis, ſed opacus, ô princeps.* q. d. Ne inſtar ſpeculi vultus deformes amicorum, vel potentium, in animum tuum admittas : ſed eſto opacus vt omnium imaginem excludas, itaque ſincerè

cerè ex æquitate velut clauſis oculis iudices. De perſonarum acceptione plura dixi c.18.5. Iacobi 2. v.1. Rom.2.11. rurſum dicam c.28.27.

Vers.24. QVI DICVNT IMPIO; IVSTVS ES; MALEDICENT EIS POPVLI, ET DETESTABVNTVR EOS
Vers.25. TRIBVS. QVI ARGVVNT EVM, LAVDABVNTVR, ET SVPER IPSOS VENIET BENEDICTIO] Hebr. *benedictio boni*, id eſt magna & eximia benedictione, quæ ingentia eis bona afferet, cumulabuntur. Propriè hæc ſpectant ad ſapientes, id eſt iudices & principes, de quibus v. 23. ita docent Rabbini & Latini interpretes. q.d. Iudices & principes, qui in iudicio reſpiciunt perſonam, vt faueant diuiti præ paupere, amico præ inimico, ideoq; peruertũt iuſtitiam, vt impium pronuntient pium & iuſtum, his maledicent populi. Poſſet quoque verti, *hos perforabunt enſibus*. (Hebr. enim נקב *nakab*, propriè eſt perforare) non rarò enim populus indignans iudici iniquas ferenti ſententias, in eum inſurgit, eumque confodit & enecat. Ita Baynus.

Qui verò impium impietatis arguunt, vt eum vel corrigant, vel puniant, ad exemplum aliorum, hi laudabuntur tum à Deo, tum à populo: vnde hebr. eſt, *increpantibus* vel *caſtigantibus dulceſcet*, vel *pulcher & iucundus erit*, tũ Deus, vt ſupplet Pagnin. & Baynus. Vnde Aben Ezra: Qui nefariũ arguunt inquit, diuina voluptate ſuauitateq; perfundentur, vt qui ex iuſtitia in reos ſeueri fuerint, hi nectar diuinæ dulcedinis & miſericordiæ percipiant, tũ os populorũ, ait Caiet. q.d. Populis grati erunt iudices caſtigantes impios, ab eiſque laudabuntur, & pulchris iuſtitiæ elogijs ab omnibus, velut cõmuni omnium ordinum conſenſu ſuauiq; concentu celebrabuntur: & veniet ſuper eos benedictio, tum Dei, tum populi, putà fauſta imprecatio & acclamatio dicentium: viuat noſter iudex & princeps, qui impios adeò iuſtè caſtigat, & pios præmiat. Vide dicta c.17.15. ad illa: *Qui iuſtificat impiũ, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum.*

Chald. vertit, *corripientibus autem ſuaue erit*. q.d. Iudices iuſti qui corripiunt & caſtigant impios, ſentient ſuauitatem & dulcedinem tum laudis diuinæ æquè ac humanæ iam dictam, tum iuſtitiæ: iuſtitia enim eſt res pulcherrima & ſuauiſſima, vtpote quæ reipub. bonũ & decus in pace conſeruat & tuetur. Quare principes dum iuſtitiam exercent & reos plectunt, ex ea miram iucunditatem ſentiunt. Vnde Dauid exultans dicebat: *Feci iudicium & iuſtitiam*, pſal. 118. Idem moriturus Salomoni filio demãdauit, vt Ioab & Semei reos, quibus ipſe pepercerat, plecteret 3. Reg. 2.5.

Septuag. vertunt, *qui redarguunt impios, meliores apparebunt*, id eſt ceteris meliores à populo habebuntur, inquit auctor Catenæ Græc. Aut in bonitate, putà in iuſtitia & fortitudine creſcent per actus iuſtitiæ, quos fortiter neminem verentes exercent: aut ad meliores, id eſt digniores honorum officiorumq; gradus promouebuntur. Solent iudices & principes vereri, ne, ſi ſeuerè caſtigent impios, malè audiant apud populum, ſibiq; periculũ creent, ne ab amicis vel cognatis rei à ſe occiſi perimantur. At Salomon hic docet contrarium. q.d. Neminem vereare, ô iudex, ſed tuum officium ſtrenuè perage: Deus iuſtitiæ patronus te tuamq; vitam non ſolùm tutabitur, ſed & laudem gratiamque populi conciliabit, teque ad maiores dignitates euehet, ſi ſecùs faxis, incurres Dei iram: vnde fies odium & ludibrium Dei & hominum, ac dignitate, fortè & vitâ ſpoliaberis: ad Dei enim prouidentiam ſpecialem ſpectant iudices, vtpote in quorum manu eſt ius & iuſtitia, ac conſequenter & ſalus totius reipubl.

Poteſt Secundò, hæc gnome generatim ad omnes extendi, vt dicta ſit contrà adulatores, qui vitia aliorum, præſertim principum, excuſant, palpant & iuſtificant. q. d. Adulatores qui impio principi dicunt: Iuſtus es, omniaq; eius iniuſtè facta, iuſta, eſſe proclamant, his maledicent populi. Qui verò liberè vitia principum arguunt, hi à populis laudabuntur, & benedicentur à Deo & hominibus: ſolet enim populus deteſtari eos, qui vitia principum adulando fouent; amare verò & colere eos, qui illa arguunt, & arguendo tollunt vel minuunt. Vnde Diogenes Cynicus liberè allatrans vitijs regum, in honore fuit apud populum. Quocirca Alexander Magnus, alijq; principes Diogenem coluere, vt probitatis nomen & populi gratiam ſibi conciliarent. Quamobrem Syrus vertit, *pauperes iucunditate perfundentur*.

Quocirca Plinius appoſitè adulatorem comparat hyænæ l.7.c.2. *Hyæna*, inquit, *vocem humanam imitatur, & nomen alicuius edíſcit, quem euocatum laceret: ita quidam obſequio blandiuntur, donec in perniciem trahant.* Idem c.30. *Quod oleum*, ait, *eſt muſtis formicis, fereq; reliquis inſectis: id eſt adulatio ſtultis principibus. Siquidem oleo peruncta moriuntur illa: hi aſſentatione & obſequio palponum in exitium trahuntur ipſi, trahunt rempubl.* Idem l.7.c.24. *Cupreſſo non innaſcuntur ceraſtæ propter amaritudinem, nec buxo propter duritiem: ita peſtis adulationis fugit ſeuera ac triſtia ingenia, mollia captat & facilia.* Idem l.18.c.27. *Quemadmodum heliotropiũ herba ſemper in eam ſpectat partem qua ſol eſt, & eo condito florem contrahit: ſic nonnulli ad regis omnes nutus obſecundant, & in quodcumque viderint illũ eſſe propenſum, in id feruntur & ipſi.* Plura hac de re dixi Eccli.37.1.

Vers.26 LABIA DEOSCVLABITVR, QVI RECTA VERBA RESPONDET] Propriè τὸ *deoſculabitur* actiuè pertinet ad eum qui recta reſpondet, quod is quærentium & audientium labia deoſculetur. Nonnulli tamen τὸ *deoſculabitur* referunt ad audientem & quærentem, quaſi is recta reſpondentis labia deoſculetur. Vnde vertunt, *deoſculabuntur* in plurali, vt Hebr. *deoſculabitur* ſumatur diſtributiuè, pro quiſque deoſculabitur, id eſt, multi deoſculabuntur. Ita Chald. *Oſculabuntur*, inquit, *labia eorum qui reſpondent verba recta*. Sic & Septuag. Theodot. verò vtrumque complexus, καταφιληθήσεται, inquit, id eſt *labijs dabit*, vel *accipiet oſcula, qui recta verba profert*. Eſt enim verbum reciprocũ, quod tam actionẽ quàm paſſionem ſignificat: qui enim dat oſculum alteri, idem ab altero recipit; ſic & qui recipit, dat. oſculum enim eſt oſculantis & oſculati oſculũ. Adde Sept. & Chald. pro ישק *iiſſac*, id eſt, oſculabitur, videntur legiſſe ישקו *iiſſaku*, id eſt oſculabuntur.

Oſculum priſcis erat multiplex: Primum communis beneuolentiæ ſignum, quo amici amicos oſculari ſolent: Secundum ſingularis beneuolẽtiæ quo pater filiũ, magiſtrati diſcipulos, & diſcipuli magiſtros oſculabantur. Vnde pſalm 2.12. pro eo quod Septuag. vertunt, *apprehendite diſciplinam*, Hebr. & S. Hieron. habent, *oſculamini filium*, quia oſculum ſymbolum erat diſciplinæ & diſcipuli: ſic Iudas quaſi diſcipulus more communi oſculatus eſt Chriſtum, cùm obſculo eum prodidit. Tertiam obedientiæ & honoris, quo ſubditi oſculantur manum

Oſculum quadruplex. Primũ. Secundũ. Tertiũ.

num regis: principes verò & amici intimi os & labia eiuſdem. Sic Perſarum reges oſculo honoraſſe ſuos proceres & principes docet Xenophon l. 1. & 5. Pædiæ Cyri: ſic Dauid oſculatus eſt Berzellai ſibi amiciſſimum, vt eum præ alijs honoraret: ſic & Darius oſculatus eſt Zorobabelem 3. Eſdræ 4.
Quartò. 47. Quartum adorationis, quo oſculamur altaria, reliquias, & imagines Dei & Sanctorum.

Rurſum τὸ *recta* Primò, ſignificat *iuſta*; Secundò, vera; Tertiò, mollia & blanda; Quartò, appoſita, & quaſi è regione poſita, qualia ſunt reſponſa quæ quæſitis directè & ex æquo reſpondent, & quaſi parilia occurrunt, vt ea impleant, ſicut ſemicirculus implet ſemicirculum ſibi adæquatum, itaq; ijs planè & ex æquo ſatisfaciant. Hoc enim ſignificat Hebr. נֹכַח *nocach*. Ex his ſignificatis quatuor oriuntur ſenſus.

Primò, multi hæc connectunt præcedentibus, vt ſpectent ad integra rectaque iudicia iudicum & principum. Vnde Septuag. addunt τὸ *autem*: ſic enim vertunt, *labia autem oſculabuntur reſpondentia ſermones bonos*; & Vatabl. *labia deoſculabitur, qui reſpõdet verba iuſta.*

Senſus ergo eſt. q.d. Princeps, vel iudex qui in iudicio ſine perſonarũ acceptione *recta*, id eſt iuſta, reſpondet, æquam iuſtamque ſententiam proferendo, hic populi amorem & beneuolentiam ſibi conciliabit, perinde ac ſi eius labia ſuauiaretur & deoſcularetur. Eſt catachreſis: oſculari enim ſumitur pro conciliare, demereri, deuincire ſibi: verba enim iuſta verbis litigantium occurrunt velut oſculum oſculo; iuſtitia enim, iuſtaq; ſententia & deciſio eſt velut oſculum adæquans & concilians omnes lites, cauſas & controuerſias; quare dum eas ſoluit & cõciliat, eas oſculari videtur. Ita Beda: *Oſculum*, inquit, *pacis & amoris eſt ſignum: qui ergo reſpondet recta, labia deoſculabitur; quia quicumque neglecta acceptione perſonarum ſola iuſtitiæ verba ſequitur, iſte & inſipientibus grauis fortè videtur & auſterus; multos tamẽ cum quibus pacem habeat prudentes, multos qui ſua dicta cum amore amplectantur, inueniet. Sæpè & illos quos aduerſantes ſuis rectis aſſertionibus toleraverat, conuerſos poſtmodum ad meliora amicos recipiet & ſocios.* Sic & Gloſſa, Hugo, & alij. Hinc viciſſim populus iudici iuſta decernenti ita afficietur, ac ſi eius labia deoſcularetur, ait Aben Ezra: talem enim virum par eſt vt omnes diſſuauientur & oſculentur, ait R. Salomon.

Secũdo, Lyran. per *recta*, accipit vera. q.d. *Labia deoſculabitur*, id eſt pacem reformabit, cuius ſignum eſt oſculum, *qui recta*, id eſt vera, *reſpondet*: ille enim qui reſpondet ex tranſuerſo, veritatem fugiendo, non reformat pacem, ſed magis diſſipat eam. Vatabl. verò: Qui verax eſt, inquit, habetur eo loco, vt non ſolùm admittatur ad oſculum manus, ſed in arctam amicitiam recipiatur. Sicut enim matres cibum ore comminutũ ori infantuli inſtillant: ſic doctor ſapientiam ore labijſque ſuis digeſtam, ori auribuſque diſcipulorum infundit. Idem facit cõſultor dando conſilium dubio & perplexo.

Tertiò, alij pro *recta* accipiunt gratioſa, mollia, blanda. Vnde Septuag. vertunt, *ſermones bonos*. q.d. Iudex etſi condemnet reum, tamen ſi verbis blandis condemnationem hanc molliat, dicendo ſe dolere quòd ex allegatis & probatis conuictus cogatur eum damnare, alioqui paratum ſe in omnibus illi fauere & commodare; hic leniet aſperam condemnationis ſententiam, ac videbitur reum deoſculari; & pacis oſculo complecti, ſibiq; deuincire. Idem dicas de Superiore, magiſtro, & quouis alio, qui cogitur ſubditum vel diſcipulum reprehendere & caſtigare: hic enim ſi mollibus verbis caſtigationem condiat, omnem eius amaritiem abſterget, ac caſtigatum videbitur deoſculari, perinde ac ſi fel melle condiuiſſet. Idem dicas de quouis alio, qui quidlibet interroganti blandè & gratioſè reſpondet: hic enim videtur interrogantes oſculari, & viciſſim ab eis oſculum accipere. q.d. Talis erit omnibus gratus; ac cunctis erit in delicijs & amoribus, vt ſinguli cum eo conuerſari optent, & quaſi labia eius tam gratioſa exoſculentur. Vnde S. Chryſo. hom. de manſuetudine: *Manſuetus*, inquit, *gratus & amabilis eſt videntibus, gratus etiam & his, quibus ſolo nomine notus eſt. Neque facilè vllum inuenies, qui audiens laudari hominem manſuetum, illum videre & exoſculari non deſideret; & non habeat in aliqua lucri ſui parte, eius amicitiâ poſſe perfrui.*

Quartò, directè & adæquatè per *recta* accipias apta, appoſita, interrogationi ex æquo & ad amuſſim reſpondentia, quæ ſcilicet non tantùm iuſta ſint, vera & blanda; ſed etiam quæſtioni ita adæquata & conformia, vt eius difficultatem exhauriant planeq; illi ſatisfaciant, ac mentem quærentis adimpleant. Hoc enim ſignificat Hebr. *nocach*, vt iam dixi: adæquata enim reſponſio ita quadrat interrogationi, ſicut labium labio, & oſculũ oſculo. Qui ergo adæquatè reſpondet, ita labijs ſuis demeretur & mulcet interrogantem, vt eum deoſculari videatur. Vnde Tigurin. vertit, *ſi quis aptè reſpondet, perinde eſt ac ſi labijs oſcularetur*. Quare huius amicitiam, colloquium, conſilium & doctrinam omnes ambiunt, illiq; obediunt, quin & diſcipuli eius fieri cupiunt, ac vt tales manum eius, velut ſui magiſtri & conſiliarij exoſculari: oſculum enim, vti dixi, ſymbolum erat tum diſcipulatus, tum obedientiæ. Vnde Genei. 41. 40. pro eo quod Vulgata habet, *ad oris tui imperium cunctus populus obediet*; Heb. habent, *ſuper os tuum oſculabitur omnis populus*: Si ergo ad iudices & principes hanc gnomen arctes, ſenſus erit. q.d. Iudex & princeps appoſitè reſpondens, iudicans, diſcernens, ita ſubditos ceteroſque demeretur, ſibique conciliat, ac ſi labijs labia eorum deoſcularetur. Viciſſim ſubditi eos ita reuerentur & amant, vt eis manum oſculari, & per omnia obedientes eſſe ſatagant; quin & reges eoſdem ita diligunt, vt in amoribus & delicijs habeãt, ac vt tales ad oſculum labiorum admittant, atque ad maiores dignitates promoueãt, cùm ſciant populum his addictum eorum manus oſculari, ac per omnia obedire; quare per hos totum populũ in officio continent, ſibiq; tot ſub alternis reuerentię & obedientię oſculis deuinctum arctiùs aſtringunt.

Sin generatim hanc gnomen, vt ſonat, accipias, rectè eam adaptes cuilibet viro prudenti & veraci, ac præſertim conſiliarijs, magiſtris, confeſſarijs, &c. Hi enim cùm pœnitentibus, præſertim dubijs, anxijs, vel ſcrupuloſis, de quæſtionibus cõſcientiæ interrogantibus aptè & adæquatè reſpondent; omne dubium, omnem anxietatem, omnem ſcrupulum eis eximunt, ac conſcientiam pacant, ſerenant, lætificant, perinde ac ſi eidem oſculum pacis imprimerent, ac labia labijs oſculando coniungerent, imò compaginarent. Huic ſimilis eſt gnome c. ſeq. v. 11. *Mala aurea in lectis argẽteis, qui loquitur verbũ in tempore ſuo.* Talis fuit Chriſtus, de quo turbæ

Num-

Numquam ſic locutus eſt homo. Et S.Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, Ioan.6.69. Talis fuit S.Petrus, S.Paulus, ceterique Apoſtoli. Talis fuit S. Athanaſius, S. Antonius, S. Baſilius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciſcus, S. Ignatius, S. Xauerius; ad quos proinde vndiq; concurrebant ij qui veritatis, virtutis & ſalutis erant ſtudioſi, ex omni gente, ſtatu, ſexu, conditione, eiſq; ſuas proles ad ſapientiam & virtutem efformandas tradebant. Quare hi ipſorum non tantùm labia, ſed manus, pedes & veſtigia deoſculabantur, iuxta illud Iſaiæ vaticinium c. 49.23. *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ; vultu in terram dimiſſo adorabunt te, & puluerem pedū tuorum lingent.* q.d. Te ô Eccleſia, & Eccleſiæ doctor omnes diſſuauiabuntur & deoſculabuntur.

Quadruplex oſculum doctoribus delatum.

Quare quadruplex eis oſculum deferebant, & talibus etiamnum deferunt: Primò, amoris & beneuolentiæ; Secundò, diſcipulatus, quo velut diſcipuli ſuos magiſtros reuerentię ergò oſculabantur; Tertiò, obedientiæ, qua corū dictis velut cæleſtibus oraculis ad amuſſim obediebāt; Quartò, adorationis & venerationis, non latriæ, ſed duliæ, qua Sanctorum veſtes, imagines, & reliquias exoſculamur. Hinc oſculum humilitatis & ſubiectionis eſt ſymbolum.

Oſculi etymon.

Vnde ſi etymon ſpectes, diminutiuum eſt ab os: dicitur enim oſculum quaſi paruum os ſiue oſcillum; oſculando enim os coarctamus atq; minuimus, & quaſi ex ore oſculum facimus. Porrò cùm magiſter oſculū dat diſcipulo, videtur oſculando ſuum os & cor illi tradere, ſuique oris ſapientiam, facundiam, gratiam, affectum & amorem in eum transfundere. Vnde hoc ſponſi oſculū poſtulans ſponſa Cant.1.1. *Oſculetur*, inquit, *me oſculo oris ſui.* vbi vide S. Bernard.

Denique oſculum à labijs vel labris dictum eſt labratum, quale erat cùm populus principem veneraturus, manu labris admotâ, eamque deoſculans, illa deinde purpuram aut genua principis reuerenter contingebat. De quo Cuiacius l.11. Obſeruat. c.27. Rurſum manu ori admota deos per oſculum quaſi adorabant, vt patet Iob 31.27. Vnde adorationis etymon deriuat Lipſius l.2. Elect. c. 6. quaſi adorare ſit ad ora manum reuerenter admouere.

Vers.27. PRÆPARA FORIS OPVS TVVM, ET DILIGENTER EXERCE AGRVM TVVM ET POSTEA ÆDIFICES DOMVM TVAM.] *Opus* intellige agriculturæ, vt patet ex Hebr. qui ſic habet, *præpara foris opus tuum, & inſtanter vrge illud in agro tibi, poſtea & ædificabis domum tuam.* Aben Ezra vltimum & accipit pro *aut*. q.d. Aut, ſi tibi nullum foris ſit opus, domum tuam conſtrue. Verùm meliùs alij τὸ & per metatheſin traijciunt. q.d. *Et poſtea ædificabis*, id eſt licebit ædificare, *domum tuam.* Vnde Chald. *præpara foris opus tuum & ſtatues tibi illud in agro, & poſtea fabrica tibi domum.* Sic & Septuag.

Agricultura enim olim erat in vſu communi omnium, etiam nobilium & principum, vtpote ars innocentiſſima, vt ait S. Auguſt. & quæſtuoſiſſima. Sub ea tamen, vt ſpecie præcipua, omne aliud opus artis fabrilis aut cuiuſlibet alterius, æquè ac mercaturæ intellige. Præclarè Ariſtophanes in Pace, agriculturam ita celebrat:

O cunctis hominibus grata pacis
Fida nutrix promo opifera procuratrix,
Filia, & ſoror, hæc omnia me nominabat;
Sed quodnam tibi nomen eſt? Agricultura.

A Plura de ea dixi Gen.2.15. & Gen.9.20. Pro *diligenter exerce*, heb. eſt עַתְּדָה. *attеda*, id eſt, inſta, vrge, incumbe, inſtanter age & exerce. R.Salomon vertit, *hircos*. q.d. Opus agri exerce, deinde hircos gregeſque colloca in agro, ac demum ædifica, id eſt vxorem tibi adiunge; ſed errat: עַתּוּדִים *attudim* enim ſignificat hircos, non *attеda*.

Senſus ergo eſt. q.d. Ante omnia compara tibi ſumptus tum ad vitam, tum ad fabricam, ſi eam velis, neceſſarios, exercendo opus tuum, id eſt tuam artem, tuum opificium, quod commune omnibus olim erat agricultura, cui poſtea ſucceſſere variæ artes mechanicæ & mercatura: ac deinde ædifica domum tuam. Vnde Syrus vertit, *præpara in agro, & poſtea ædifica.* Docet ergo hæc gnome prudentiam œconomicam, ſcilicet priùs laborandum eſſe vt opes compares quàm domum fabrices, iuxta illud B Chriſti Lucæ 14.28. *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum? ne poſteaquam poſuerit fundamentū, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare.*

Contra hoc peccant nonnulli, præſertim Religioſi, qui temerè ampla monaſteria conſtruunt confiſi in eleëmoſynis fidelium, cùm non habeant reditus quibus fabricent, imò quibus viuant. Hic enim eſt defectus prudentiæ, quæ docet magis neceſſaria priùs comparanda eſſe, deinde ea quæ ad ſplendorem pertinent: præpoſterum eſt ſi ſecùs fiat; ex quo fit vt crebrò ingentia debita cōtrahere (quæ ſæpè poſteris ſoluenda cum magno onere & damno diſciplinę relinquuntur) aut opus inchoa- C tum cum dedecore & damno relinquere debeant: ſtudium enim fabricandi auertit eleëmoſynas fideliū. Dicunt enim fideles, præſertim mercatores: Fabrica hæc indicat vos eſſe diuites, nec egere eleëmoſynâ: nemo enim prudens tantam fabricam ordietur niſi diues. Quare idipſum Religioſis ſeuerè vetuit nuper S.D.N. Vrbanus VIII.

Igitur ſuadet hîc Salomon ante omnia diligenter colendum eſſe agrum, more priſci illius æui: pro cultura enim dabit meſſem & fructus: vnde illud præceptum agricolationis: *Laudes ingentia rura, exiguum colito.* Exiguus enim ager ſedulò excultus plus dabit frugum quàm magnus obiter ſubactus. Vnde Plinius l.18.c.3. *Antiqui*, inquit, *cenſebāt, ſatius eſſe minùs ſerere, & meliùs arare. Qua in ſententia & Virgilium fuiſſe video. Verumq; confitentibus latifun-* D *dia perdidere Italiam, iam verò & prouincias.* Huc facit hiſtoria vel apologus patris qui moriens filijs dixit, ſe in agro ingentem auri vim condidiſſe: illud ergo poſt mortem ſuam eruerent. Fecere filij, totumq; agrum ſuffodêre, ſed nihil auri inuentum, quia nihil conditum. At ager illo labore ſubactus ingentem dedit meſſem. Tum primus fratrum rem odoratus ad ceteros conuerſus: *Hic ille nimirum*, inquit, *theſaurus eſt, quem ſedulus nobis pater moriens reliquit noſter, ô fratres, labor & agricultura.*

Secundò, ſub hoc ſymbolo altius quid ſpectat Salomon. q.d. Præpara, id eſt priùs para tibi opus, id eſt artem operandi qua te tuoſq; alas, ac deinde ædifica domum, id eſt inſtrue familiam ducendo vxorem, ſuſcipiendo liberos, &c. qui enim cōtrarium facit, vt priùs ducat vxorem & familiam inſtruat, antequam ſciat artem eam ſuſtentandi, imprudens eſt, ac ſe ſuoſque famis & multarum ærumnarum periculis exponit.

Septuag.

Septuag. vertunt, *præpara in egreſſu* (vel *in egreſſum*) *opera tua, & præpara in agro, & vade poſt me, & ædificabis domum tuam.* q.d. ait S. Hieron. in c. 3. Sophon. Primo diluculo ſurge, vt incipias operari & agrum colere; itaq; præpara, id eſt præmitte opera tua futuræ domus fabricæ, quam animo deſtinas. q.d. Primo manè, id eſt à prima adoleſcentia tua, incipe laborare, vt vitæ neceſſaria tibi compares, ac deinde comparato ſumptu neceſſario ædifica, ſi lubet, domum tuam. Iubet ergo à teneris aſſueſcere labori, ac excutere otium & deſidiam, vt laborando quis artem addiſcat, vel agricolandi, vel fabricandi, vel quam aliam, qua ſibi in omnem vitam victum & cetera requiſita paret.

Addit Salomon: *Et vade poſt me.* q.d. Imitare me qui ab adoleſcentia cœpi laborare, cùm habenas regni tam operoſi & difficilis ſuſcepi adoleſcens duodecim, vt S. Ignatius cenſet; vel, vt alij, viginti annorum.

Auctor verò Catenæ Græc. ſic ex Septuag. vertit ſicq; explicat: *Para ad exitum opera tua, & excole agrum, & ſequere me, & inſtaurabis domum tuã.* Quæ dicit, huc ſpectare videntur, operare omnia tamquam moriturus: ſiue ergo agrum colueris, tamquam mortalis cole illum; ſiue lætus fueris, tamquam mortalis iucundus eſto. Quod ſi vitam rectè inſtituere volueris, me tamquam legiſlatorem ponè à tergo ſequere, hoc eſt, quodcumque lege caui, aut alias iuſſi, id fideliter exequere. Aliàs ſi ad futurarum rerum ſtatum proſpexeris, præſentem rectè modarabere. Itaque per iuſtitiam virtuteſq; & ſtudioſas actiones, quæ domus tua ſunt, me ſequaris. hæc in Catena. Sic & S. Cyrillus l. 3. in Ioannem c. 27.

Pleniùs S. Epiphanius cenſet hîc notari mortem & reſurrectionem: Para, inquit, in exitum opera tua; id eſt ad mortem, præpara te ad agrum, quia depoſitio corporis agri inſtar eſt, ob ſepulturã, & vitæ exitum. Vnde reſurrectionem oſtendens ait: *Et inſtaurabis domum tuam*, cùm deiecta in agrum domus corporis tui, in reſurrectione rurſus erigetur, iuxta illud Chriſti Ioannis 2. 19. *Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: ita S. Epiphan. l. 2. Contra hæreſ. c. 71.

Perperam R. Salomon per *opus* accipit S. Script. per *agrum* ſẽtẽtias doctorum, per *domum Talmud*: tempore enim Salomonis non erat *Talmud*, ſed illud poſt Chriſtum, imò contra Chriſtum à perfidis Iudæis conſcriptum eſt. Meliùs ſic exponas q.d. Antequam fabricare domum per verbi Dei prædicationem incipias, præpara opus tuum per ſtudium S. Script. Nam vt ait S. Baſil. in Ethicis regul. 26. c. 1. *Quidquid vel dicimus, vel facimus id teſtimonio diuinarum Litterarum confirmari debet, ad confirmationem fidei bonorum, & confuſionem malorum.*

Tropol. S. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 11. *Quid namque eſt*, inquit, *præparato opere agrum diligenter exteriùs exercere, niſi euulſis iniquitatis ſentibus actionem noſtram ad frugem retributionis excolere? & quid eſt poſt agri exercitium ad ædificium domus redire, niſi quòd plerumq; ex bonis operibus diſcimus, quantam vitæ munditiam in cogitatione conſtruamus? penè cuncta namq; bona opera ex cogitatione prodeunt, ſed ſunt nonnulla cogitationis acumina, quæ ex operatione naſcuntur. Nam ſicut ab animo opus ſumitur, ita rurſus ab opere animus eruditur. Mens quippe diuini amoris exordia capiens, imperat bona quæ fiant; ſed poſtquam fieri imperata cœperint, ipſis ſuis exercitationibus diſcit, cùm imperare bona inchoaue-* A *rat quantum minùs videbat. Foris ergo ager excolatur, vt domus poſtmodum extruatur: quoniam plerumque ab exteriori opere videmus, quantam ſubtilitatem rectitudinis in animo teneamus.*

Idem ex S. Gregor. tranſſcripſit hic Beda, Gloſſa & Hugo, qui per *agrum* accipit quoque corpus, per *domum* verò conſcientiam: Ianſen. verò per *agrum* accipit vitam actiuam, per *domum* cõtemplatiuam. q.d. Priùs exerce te in vita actiua ſeruiendo proximis in aſſiduis laboribus, ac per eos te præpara ad contemplatiuam, in qua quaſi in domo conquieſcas. Sicut enim labores iuuentutis præparant opes, in quibus conquieſcas in ſenectute: ſic pariter Martha ſternit viam Magdalenæ.

NE SIS TESTIS FRVSTRA CONTRA PROXIMVM TVVM: NEC LACTES QVEMQVAM LABIIS TVIS.] VERS. 28. Figur. *non teſteris temerè contra proximũ tuum,* B *nam labijs tuis perſuadebis.* Pro *lactes* hebr. eſt פִּתָּה *pitta*, quod Chald. vertit, *ne decipias*; Syrus, *ne blanditijs delineas*; R. Salomon, *ne ſermone tuo amicum tranſuerſum agas.*

Primò, Beda, Hugo, Lyran. Ianſen. cenſent hîc duo vitia ſibi oppoſita vetari, ſcilicet calumniam & adulationem, q.d. Noli per calumniam falſum teſtificari contra proximum tuum: noli viciſſim quemquam adulando lactare, vt tuis blanditijs eum decipias, & in ruinam agas. Hic ſenſus facilis eſt & obuius, ſatiſque conſtat lepos & neruus ſententiæ in antitheſi calumniæ & adulationis: q.d. Sicut calumnia eſt noxia, ſic & adulatio, & ſubinde magis; ne ergo vni aduleris, alteri verò calumnioſus ſis & iniurius; vtrumq; enim vitium eſt & nefas. Tantùm huic expoſitioni obſtat, quòd hebr. græcè & latinè non ſit, *teſtis falſus*, ſed *teſtis gratis* vel *fruſtra*, id eſt qui temerè ſine cauſa teſtatur, etiamſi C verum teſtetur. Fauent tamen illi Septuag. & Syrus, qui τὸ *gratis* exponũt per *falſum*: *Ne ſis teſtis falſus*, inquit: *in ciuem tuum, neq; dilateris in labijs tuis*, vt lato, plano & effronti ore falſum contra eum teſteris, vti ſolent facere mendaces & impudentes. Et Pagnin. *ne ſis teſtis mendax.* Sic & Septuaginta capite 1. verſu 11. & 17. Hebr. *chinnam* vertunt, *iniuſtè*.

Secundò, Baynus ſic vertit, *ne ſis teſtis falſus pro amico tuo contra proximum tuum, neque lactes eum labijs tuis*, id eſt, ne, vt lactes, id eſt blandiaris & faueas amico tuo, in eius gratiam falſum teſtificeris contra tertium, cum quo amico tuo lis eſt. Verùm *τὸ pro amico tuo* non eſt in textu.

Tertiò, Vatabl. q.d. Ne falſum teſteris contra proximum tuum, neq; lactes & pellicias tertium, vt hoc tuum falſum teſtimonium ſuo approbet & confirmet: hoc enim eſt duplex crimen falſi. Sic & D Aben Ezra. q.d. *Ne falſa teſteris, nec alium ad idem faciendum pellicias.*

Quartò, Rabbini & Pagnin. pro *lactes* vertunt, *conteras*. q.d. Ne falſum teſteris contra proximum tuum, neque eum hac falſitate tua conteras & euertas. Verum Hebr. *pitta* non ſignificat conterere ſed pellicere, lactare, ſeducere, decipere, perſuadere: פָּתַת *patath* autem ſignificat frangere, conterere: הֲפִתִּיתָ *haphittita* verò, quod hîc eſt in Hebræo, deſcendit à *pitta*, non à *patath*: fortè S. Hieron. legit הִפְתִּיתָ *hiphtita*: hoc enim propriè eſt *hiphil* à *pata* vel *pitta*.

Quintò, Caietan. q.d. Ne contra proximum teſtem te offeras fruſtra, id eſt non vocatus, non citatus, nulla neceſſitate adactus, vt tuo odio, inuidiæ

&

& maleuolentię, quam contra eum concepiſti, obſequaris: eſto enim verum dicas, tamẽ peccas odio & liuore, nec tam teſtis es quàm accuſator. Vnde Chald. vertit, *ne ſis teſtis accuſator aduerſus proximum tuum.* Huc vſque rectè Caiet. ſed ſequens hemiſtichium huic non coaptat.

Sextò ergo magis connexè & genuinè ex Hebræo ſic vertas & explices, vt vtrumque hemiſtichium ad vnum eundemque pertineat: *Ne ſis teſtis chinnam*, id eſt *gratis* vel *fruſtra, contra proximũ tuum, & lactabis labijs tuis.* q.d. Noli gratis, id eſt ſine cauſa, nec coactus, vt tuæ paſſioni & cupiditati obſequaris, ſecretò & occultè teſtari contra fratrem tuũ, eumque accuſare etiam de vero crimine, cùm interim publicè eum lactes, id eſt illi aduleris, teq; eius amicum & fautorem eſſe ſimules; hæc enim eſt fraus, hypocriſis & dolus.

Huic ſenſui, quem indicant Hebræa, facilè accommodes Vulgatam, ſi τὸ *quemquam* referas ad *proximum* qui pręceſſit, vt vnus idemque indicetur, q.d. Ne ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum, nec eumdem lactes labijs tuis, vt ſcilicet eum palàm lactando decipias, & ſecretò contra eum teſtimonium dicas. Si tamen omnino velis Vulgatam de alio & alio exponere, dicito duo vitia ſibi oppoſita hîc notari & vetari, ſcilicet noxę, ſiue inimicitię, & adulationis: q.d. Ne *fruſtra*, id eſt ſine cauſa, nõ citatus, contra aliquem teſtimonium dicas, eò quòd tibi ſit exoſus, vel vt amico tuo qui contra eum diſceptat patrocineris, neque rurſum aliquem vanis verbis, promiſſis aut laudibus lactes, ei adulando, eumque decipiendo, & in fraudem agendo. Videtur enim hîc magis agi de teſtimonio non quod in iudicio, quàm quod extra illud inter ſocios vel alios quauis de cauſa profertur.

Huic expoſitioni valdè fauet id quod ſequitur: *Ne dicas: Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, & reddã vnicuique ſecundum opus ſuum.* q.d. Ne dicas: Sine cauſa & vltro contra ipſum teſtatus ſum, vitiumque eius detexi, vel detectum aſſertione mea firmaui, eò quod ipſe aliàs contra me vltrò teſtimonium dixerit, ac contra me teſtis ſteterit, meumque lapſum prodiderit, aut proditum confirmarit. Rurſum eumdem vel alium verbis vanis lactaui & feſelli, quia ipſe aliàs ſimilibus me lactauit & feſellit. Ego enim vnicuique talionem reddo, & par pari refero, maledico & malefico me maledicum & maleficum exhibeo: beneuolo & benefico beneuolentiam & beneficentiam regero.

Vers. 29. Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum] vt mihi detrahenti, detraham, me lactantem lactem, & fraudantem fraudem, eo modo quo iã explicui. Septuag. *ne dicas: Sicut vſus eſt me, vtar eo; reddam autem ei in quibus mihi iniuriatus eſt.* Valdè innata eſt homini hęc propenſio per talionem par pari referendi, vt beneficis ſit beneficus, maledicis & maleficis ſe viciſſim exhibeat maledicum & maleficum: vnde & brutis animantibus eadem innata eſt, vt canibus, equis, bobus, quin & leonibus ac ſerpẽtibus. Corrigit & caſtigat eã hîc Salomon: Eſto enim in bono & beneficẽtia ſit bona, in malo tamen & maleficentia eſt mala: nulli enim ne inimico quidem licet malefacere. Hic enim eſt ſpiritus vltionis & vindictæ charitati repugnans. Adde, maleficentia in ſe eſt mala & peruerſa, tam in inferente quàm in regerente maleficium. Si enim quis maleficentiam, id eſt ſcelus, contra me exercuit, vtique perperam facio ſi ſcelus hoc eius imiter, & in me transſcribam, nec tam illi quàm mihi ipſi maleficus ſum: animam enim meam graui criminis, putà odij & maleficentiæ, reatu obſtringo, gehennæ obnoxiam reddo.

Præclarè S. Auguſt. ſer. 41. de Verbis Domini ſecundùm Matth. *Cùm humiliare dedignantur, vindicari volunt, quaſi pœna cuique prodeſſe poſſit aliena; læſus & iniuriam paſſus vindicari vult, de aliena pœna ſibi quærit medicamentum, & acquirit grande tormentum.* Nam vt ait idem Auguſt. *Magnum aliquid putas ſi te de inimico tuo vindicas: ſed ſi te vis vindicare de inimico tuo, ad ipſam iram te conuerte, quoniam ipſa eſt inimica tua, quæ occidit animam tuam.* Quare, vt idem alibi ait, orandus eſt Deus vt occidat non inimicum, ſed inimicitiam: hæc enim eſt ſancta vindicta.

Dices, Moſes permittit, imò ſancit, vindictam Exodi 21. 24. dicens: *Oculũ pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu*, &c. Quomodo ergo eam vetat hîc Salomon? Reſpõdetur: Moſes non ſancit vindictam priuatam, ſed publicam quæ fit à iudice, vt ipſe pœna talionis iniurias petulãtium compeſcat, non autem vt cuilibet det poteſtatem talionem reddendi, vt ſcilicet eum qui ſibi oculos exemit, pari modo exoculet, mutilãtem mutilet, &c. Salomon autem vetat vindictam, quæ priuata auctoritate fit. Rurſum Salomon reſecat libidinem vindicandi, Moſes ſancit talionem puniendi: hic enim eſt modus & limes, quem dictat iuſtitia. Porrò vindicta ſancta debet fieri animo dilectionis, non vltionis, vti docet S. Auguſt. in pſalm. 102. vt iuſtitia ſibi copulet charitatem, & charitas iuſtitię ſororietur. vide dicta Exodi 21. 24. & Eccli. 28. 1. & ſeq. & S. Auguſt. lib. contra Adimantum c. 17.

Per agrvm pigri hominis transivi, et Vers. 30.
per vineam viri stvlti: et ecce totvm re- Vers. 31.
plevervnt vrticæ, et opervervnt svperficiem eivs spinæ, et maceria lapidvm (Syrus, *ſepes lapidum*) destrvcta erat. Qvod
cvm vidissem, posvi in corde meo, et ex- Vers. 32.
emplo didici disciplinam] Pro *ſtulti*, Hebr. eſt *carentis corde*; Chald. *carentis intelligentia, & ecce pullulauit tota ſilua.*

Grammaticè & in cortice literæ, verba hæc vt ſonant accipienda ſunt de pigri ſocordia, damnis, & egeſtate. Alludit enim & proſequitur id quod dixit v. 27. *Diligenter exerce agrum tuum*, atque per antitheſim oſtendit in quãtas miſerias ſe conijciat, qui illum negligenter colit & exercet. Idque dupliciter. Primò, quia ob oculos ponit quod per experiẽtiam didicit, bona ſcilicet pigri per ipſius negligentiam & ſocordiam peſſum ire, vt qui viderit illius agrum repletũ vrticis, quòd ab eo relinqueretur incultus, vel illi neglexerit ſemẽ bonum immittere, vel poſt iniectum ſemen à zizanijs repurgare: viderit etiam vineam eius omnium incurſui & direptioni fuiſſe expoſitam, deſtructã ſcilicet maceriã lapidum ad cuſtodiam vineę potiùs cõgeſtã, ita vt quæ fructus adferre poterat bonos, nihil niſi malos protulerit, aut nullos. Secundò, quia ex his quæ vidit, prudenter apud ſe colligit, & pigris pręclicit imminentem eis egeſtatem. *Cùm vidiſſem*, inquit, *poſui in corde meo, & illius exemplo didici diſciplinam*, hanc ſcilicet quæ ſequitur, vt increparem pigritiam, eiuſque ſocordiam pungendo, ei dicerem: *Vſquequo piger dormies?* &c. ita Ianſen. Baynus, Caiet. Vatabl. & alij.

Iam ſub hoc quaſi cortice literæ & ſenſu grammatico,

matico, altiùs quid parabolicè ſignificat Salomon: Nimirum per pigritiam temporalem deſcribit pigritiam ſpiritalem, eiuſque damna & noxas, q.d. Sicut pedibus tranſiens per agrum pigri, vidi eius ſqualorē defectu culturę: ſic oculis mētis tranſiens luſtranſque vitam, animam & conſcientiam (hæc enim cuiuſque eſt ager, & prædium illi à Deo datum, imò elocatum ad culturam) hominis inertis, qui illam excolere negligit, non tantùm vacuam virtutibus & fructibus bonorum operum, ſed repletam quoque vrticis, carduis & ſpinis vitiorum omnium ac dęmonum, carnis & mundi incurſionibus & tentationibus expoſitam, eò quòd maceria ſiue ſepes eius ſit diruta. Sepes hęc eſt intrinſecus gratia & cuſtodia ſui, extrinſecus protectio Dei & angelorum: vtraque enim hac ſepe diſiectâ anima, ceu vinea diſiectâ ſepe, aperta patet beſtiarum & hoſtium id eſt tentationum & dæmonum, incurſibus, qui eam radicitùs depaſcuntur & demoliuntur; quo fit vt in extremam ſterilitatem & penuriā rerum omnium incidat, ac in morte eum opprimat omnis meritorum inopia: ideoq; ſubitò & ineuitabiliter relegatur in gehennam, vbi cum diuite Epulone in flammis ſitiens, nec guttā aquæ ad linguā refrigerandam inueniat. Sic ferè S. Gregor. lib. 30. Moral. c. 20. *Per agrum*, inquit, *hominis pigri, atque per vineam ſtulti tranſire, eſt cuiuſlibet vitam negligentis inſpicere, eiuſq; opera conſiderare, quam vrticæ vel ſpinæ replent, quia in corde negligentium prurientia terrena deſideria, & punctiones pullulant vitiorum, quia ſcriptum eſt: In deſiderijs eſt omnis otioſus. Maceria lapidum deſtructa erat, id eſt diſciplina patrum ab eius corde diſſoluta erat, atque ideo protinus adiunxit: Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo & exemplo didici diſciplinam.* Sic & Beda, Gloſſa alijque.

Hæc prior eſt agri & vineæ, putà conſcientiæ, propriæ cultura, vel potiùs culturæ neglectus: poſterior eſt agri & vineæ alienæ, putà Eccleſiæ, collegij, vel cœtus, cui quis præeſt quaſi Epiſcopus, Paſtor, Abbas, Prior, Rector, &c. cui proinde appoſitè parabolā hanc applices. q.d. Luſtrans oculis corporis vel mentis Eccleſiam vel cœtum pigri paſtoris ſiue rectoris: vidi eam ſcatere ſpinis ſcandalorum, errorum, ſcelerum, eiuſque ſepem dirutam, putà ſolutam diſciplinam, & legum cuſtodiam; quare impunè in eam irruere tum dæmones, tum hæreticos, tum homines ſceleratos, eamque vaſtare, ac ſuis hæreſibus & ſceleribus velut zizanijs contaminare, imò opplere.

QVOD CVM VIDISSEM, POSVI IN CORDE MEO, ET EXEMPLO DIDICI DISCIPLINAM] q.d. Hoc videns altè in cor demiſi, & exemplo eius ſtatui ſapere, vt non tantùm animum meum ſtrenuè expurgarē, ſed & alios mihi creditos omni ſtudio excolerem. Verè Cato: *Stulti*, ait, *multùm ſapientibus proſunt, quia eorum exemplo ſapere diſcunt; prudentes verò nihil conferunt ſtultis, quia hi illorum rectè facta non animaduertunt.* Vbi aduerte hunc quoque ſenſum eſſe literalem, vt patet ex Septuag. qui diſertè vertunt, *tanquam ager vir imprudens, & tanquam vinea homo egens ſenſu. Si dimiſeris eum, deſertus fiet, & ſilueſcet totus*, de quo mox plura. In parabolis enim duplex eſt ſenſus literalis: prior grammaticus, qui ipſa cortice literæ & parabolæ ſignificatur, qualis hîc eſt de agro & vinea, eiuſq; pigro cultore. Poſterior & potior parabolicus, qui rem per parabolam adumbratam ſignificat, qualis hîc eſt piger cultor animæ, vel Eccleſiæ: hunc enim ſignificat & adumbrat piger cultor agri, vel vineæ. Sic Iſaias c. 14. 12. caſum regis Babylonis parabolicè repręſentat per caſum Luciferi. *Quomodo*, inquit, *cecidiſti de cælo lucifer, qui manè oriebaris?* Et Ezechiel ca. 28. 14. decorem & ruinam regis Tyri adumbrat per decorem & lapſum Cherubini: *Tu*, inquit, *Cherub extentus & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulaſti*, &c. vide vtrobique dicta.

Cultor vineæ eſt cultor animæ. Primo.

Porrò aptè piger cultor agri vel vineæ ſignificat pigrum cultorem animæ vel Eccleſiæ. Primò, quia, vt ait Philo de Plantat. Noë: *Videamus quomodo in homine minore mundo ſapiētiſſimus opifex Deus arbores quaſdam condidit: primùm in corpore noſtro tanquam in bono agro ſenſuum ſcrobes præparauit, in quas vnumquemque tamquam mitem vtilemq; vitem indidit: auditum in aures, viſum in oculos, in nares odoratum, & ſuis quoſque locis ceteros. Atteſtatur autem huic meæ ſententiæ fatidicus Vates, qui in ſuis hymnis ſic loquitur: Qui plantauit aurem, non audiet?*

Secundo.

Secundò, quia, vt ait S. Bernardus ſerm. 63. in Cantic. *Homini eſt vinea quod vita & bona vinea iuſti: imò bona vinea iuſtus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum teſtimonium conſcientiæ, cui lingua torcular expreſſionis. Denique gloria noſtra hæc eſt, inquit, teſtimonium conſcientiæ noſtrę. Vides apud ſapientem vacare nihil. Sermo, cogitatio, conuerſatio, & ſi quid aliud eſt ex eo, quid ni totum Dei agricultura, Dei ædificatio eſt, & vinea Domini ſabaoth.* Et paulò antè citatā hac Salomonis gnome: *Audis*, inquit, *Sapientē irridentem ſtultum, quòd bona naturæ, & dona gratiæ, quæ fortè per lauacrum regenerationis acceperat, tamquam illam quam plantauit Deus, & non homo, primam ſuam vineam in non vineam negligendo redegit. Denique non poteſt vinea eſſe, vbi vita nōn eſt. Nam ſtultus quod viuit mortem potiùs quàm vitam eſſe cenſuerim. Quomodo vita cum ſterilitate? Arbor arida & in ſterilitatem verſa, nonne mortua indicatur? Et ſarmenta mortua ſunt. Et occidit, inquit, in grandine vineas eorum, monſtrās vitas priuatas, quæ ſterilitate damnatæ ſunt: ſic ſtultus eo ipſo quòd inutiliter viuit, viuens mortuus eſt. Soli itaq; conuenit ſapienti habere, vel potiùs eſſe vineam, qui vitam habet. Eſt lignum fructiferum in domo Dei, ac per hoc lignum viuens: ſiquidem & ipſa ſapientia, qua ſapiens dicitur & eſt, lignum vitæ eſt apprehendentibus eam.*

Pſalm. 77.

Tertiò.

Tertiò, ſicut vinea inculta non tantùm ſpinas & vrticas profert, ſed & tota ſilueſcit: ſic pariter anima inculta fit vepretum & ſilua horrida; quare ne id fiat, aſſiduè colenda & putanda eſt.

Quartò.

Quartò, ſicut ager cultus plus profert meſſis quàm accepit ſeminis: ſic & anima gratia Dei exculta, plures virtutum & meritorum fruges proferre debet, quàm primitus acceperit: alioquin infœcunda eſt & ingrata ſuo creatori, ſicut ingratus & ruſticus eſt, qui benefactori tantùm præciſè reſtituit quantum accepit; hic enim ex benefactore facit venditorem beneficij. Qui ergo benefactori gratus eſſe cupit, plus reſtituat quàm accepit. Audi Senecam epiſt. 81: *Ingratus eſt qui beneficium reddit ſine vſura.* Et nonnullis interiectis: *Beneficia inſipienti qui dat, perdit. Silueſtris ruſticitas creditum ſemen reſtituere non poteſt.* q.d. Ingratus eſt ruſticus, imò rus ſilueſcens, quod ſemen in eo ſatum non reddit cum fœnore, ſed deuorat & perdit.

Quintò.

Quintò, ſicut ager & vinea inculta in ſummam ſterilitatem & deſolationem tendit: ſic & anima pigra & torpida. Audi egregiè damna & exitium eius recenſentem S. Bernard. ſerm. 63. in Cant. *Hoc*

frigus, inquit, *ſi ſemel animã, animã quidem (vt aſſolet) incuriâ ſpiritus dormitantẽ peruaſerit, ac nemine deinde (quod abſit) inhibente ad interiora eius peruenerit, deſcẽderit in viſcera cordis & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupauerit conſilij ſemitas, perturbauerit iudicij lumen, libertatem adduxerit ſpiritus; mox (vt in corpore ſolet euenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lentiſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini: dantur poſtremò impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pauimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.*

Animæ pigræ torpor depingitur.

A

B

Porrò Septuag. ſic vertunt, *tanquam ager vir imprudens, & tanquam vinea homo egens ſenſu. Si dimiſeris eum, deſertus fiet, & ſilueſcet totus, & fiet derelictus: ſepes autem lapidum eius deſodientur.* Vel vt clariùs auctor Catenæ Græcor. *Tanquam ager ad culturam idoneus vir ſtultus, & tanquam vinea homo mẽtis inops: ſi incultam dimiſeris, euadet ſenſim horrida, planeq́; ſilueſcet, & tandem omnino deſeretur, lapideſq́ue materiæ eius effodientur.*

Vnde S. Ambroſ. hanc gnomen ex Septuag. citans & explicans de gratitudine lib. 1. Offic c. 31. *Imitanda*, inquit, *nobis eſt in hoc quoque natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiore ſolet numero reddere quàm accepit. Ideo eſt tibi ſcriptum: Sicut agricultura eſt homo inſipiens, & tanquam vinea homo egens ſenſu: ſi reliqueris eum, deſolabitur, &c.* (vſurpat Ambroſius tranſlationem Septuag.) *ſicut agricultura ergo etiam homo ſapiens, & tanquam fœnerata ſibi maiore menſura ſemina ſuſcepta reſtituat. Terra ergo aut ſpontaneos fructus germinat, aut creditos vberiori cumulo refundit, ac reddit.*

C

Pergunt Septuag. *poſtea* (Vatic. *nouiſſimè*) *ego quoque egi pœnitentiam, reſpexiq́, vt eligerem diſciplinam.* Vnde cenſent nonnulli totâ hac parabolâ ſuaderi pigro pœnitentiam, vt pigritiam pœnitentiâ diluat, & nouum efficaxq́; concipiat diligentiæ propoſitum. Ita auctor Catenæ Græc. *Obſerua*, inquit, *conſentaneum congruumq́ue ſermonis ordinem: niſi enim pœnitentiam egiſſet, diſciplinam non elegiſſet. Nam nemo antè diſciplinam elegit, quàm ſuper his quæ malè admiſit compungatur. Rei itaque præſentis ſcopus ad pœnitentiam tendit.* q.d. Ego videns damna pigri & pigritiæ in inculto agro & vinea, reflectẽs & aſſurgens ad animam meam in virtutibus tepidam & torpidam, cùm Deus eam mihi dederit, vt ſtrenuè velut agrum Dei ei excolerem, cœpi pœnitere & compungi, ac deſtinaui animo eligere diſciplinam, putà diligens ſtudium & exercitationem virtutum.

D

Ex hiſce verbis probabiliter S. Cyrillus catecheſi 2. & S. Hieron. in c. 43. Ezech. cenſent Salomonem poſt lapſum in idololatriam egiſſe pœnitentiam, eſſeq́; ſaluatum. *Peccauit*, inquit S. Hieronymus, *Salomon, licet poſtea egerit pœnitentiam*, ſcribens Prouerbia, in quibus ait: *Nouiſſimè ego egi pœnitentiam.* Vnde & c. 30. 2. pœnitens ait: *Stultiſſimus virorum ego ſum, & ſapientia hominum non eſt mecum.* Idem S. Hieron. initio Comment. in Eccleſ. aſſerit Hebræos tradere Eccleſiaſten eſſe librum Salomonis pœnitentiam agentis: vnde omnes huius mundi delicias expertus exclamat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Vide Pinedam lib. 8. de Rebus Salomonis cap. 1. ſect. 6. Maiorem vim haberet hoc argumentum, ſi certò conſtaret Prouerbia & Eccleſiaſten conſcripta eſſe à Salomone poſt lapſum, non ante.

VSQVEQVO PIGER DORMIES? VSQVEQVO DE SOMNO CONSVRGES?] Hæc verba in multis codicibus extant, ſed delent ea Rom. & Hebræa: quare tranſcripta eſſe videntur ex c. 6. v. 10. idq́; ſatis innuit 7ò *inquam*, quod ſequitur: *Parum, inquam*, nam alioqui illud præponendum erat, dicendumque: *Vſquequo, inquam, piger dormies?*

PARVM, INQVAM, DORMIES, MODICVM DORMITABIS, PAVXILLVM MANVS CONSERES, (complicabis quaſi iners) VT QVIESCAS; Chald. *parum applicabis manus tuas ad pectus, vt dormias*, ET VENIET TIBI QVASI CVRSOR (puta celerrimè) EGESTAS, ET MENDACITAS QVASI VIR ARMATVS] Hebr. & Chald. *quaſi vir ſcutatus*, id eſt ſcuto armatus, ideoque qui vinci & repelli nequeat. Septuag. *parum dormito, parum dormio, parũ manibus pectora demulceo. Quod ſi hac facere perrexeris, dicebã apud me, Veniet properè paupertas tua, & egeſtas tua quaſi expeditus curſor.*

Vers. 33.

Vers. 34.

Duplex eſt hic expoſitio, ait Ianſen. Quidam cenſent Salomonem hic docere, quid facere quis debeat, vt egeſtatem effugiat, videlicet quòd parum ei ſit dormiendum, hoc eſt, quòd pauco ſomno & quiete parua debeat eſſe contentus, id enim ſi fecerit, etiamſi egeſtas & inopia aliqua accedat, non adhærebit tamen ei, ſed veluti curſor & vir armatus, qui feſtinat procedere ad aciem belli, citò pertranſiet, eamque ſuâ diligentiâ facilè ſuperabit. Alij rectiùs intelligunt hic indicare Sapientem, per quid fiat vt quis in egeſtatẽ incidat, quam effugere & ſuperare non valeat: nempe per hoc quod quis nunc parum ſomno indulget, & rurſum modicum, ac iterum modicum. Modicum ſcilicet ibi, & modicum ibi, ſicque multis vicibus dormiendo parum, dormiat multum, tametſi parum ſe dormire dicat, hoc eſt, vbique & ſemper otioſus ſit, & moras nectat varias ſui otij cauſas prætexens. Nam ſomno, dormitatione & cõplexu manuum pigrorũ otium deſignat. Hac ergo ceſſatione & otio fit, vt & de improuiſo egeſtas adueniat, quemadmodum curſor aliquis ſubitò & inexpectatò adeſt, & eadem tanquam vir armatus opprimat ſic hominem, vt eam non poſſit effugere, ſed ab ea penitus conſumatur, *Fames enim*, inquit Heſiodus, *eſt indiuiduus comes hominis ignaui.*

Porrò hi duo verſus hic reperiuntur: ad verbum enim ijdem extant c. 6. v. 10. & 11. vbi eos explicui, quare hic iota non addam. Hi ergo acres ſunt ſtimuli quibus Salomon pungit pigrum, vt deſidiam excutiat ac laborare aſſueſcat: labore enim ſedulo & continuo ager quantumuis ſentico ſus & ſiluoſus expurgatur, ac ſuæ culturæ, ſemini & meſſi reſtituitur. Tritum eſt exemplum ſenis in Vitis Patrum, cui cùm quidam quereretur ſe vitijs oppletum, ac proinde de eorũ extirpatione deſperaret, iuſſit ille vt ſecum hortum quendam carduis ſentibuſque obſitum expurgaret, quotidie ergo operi manum admouendo ſenſim omnes extirparunt, hortumq́; plenè intra paucos dies expurgarunt. Tum ſenex ad iuuenem conuerſus: *Fac*, inquit, *ô fili, ſimiliter in agro animæ tuæ: quotidie aliquod*

vitium

vitium reſeca & extirpa, idq́; conſtanter vrge & continúa, itaque ſenſim omnia euelles, & animum primæuo nitori reſtitues.

Hôc capite Septuag. Vaticani valdè mutant ordinem, verſuſq; plures transponunt. Nam poſt v. 22. interponunt totum penè caput 30. vt patet intuenti, quod ſignum eſt has gnomas Salomonis olim ſparſas fuiſſe, & varijs vario ordine collectas, & collocatas. Idem faciunt Syrus & Arabicus, qui de more ſequuntur Septuag.

TERTIA PARS LIBRI.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

GLoria Dei & regum; cor regis inſcrutabile: iuſtitiâ firmatur thronus eius; ne te coram rege exalter; ne in iurgio ſecreta prodas; mala aurea ſunt verba opportuna: inauris aurea qui arguit ſapientem; quod frigus in meſſe, hoc legatus fidelis eſt hero; nubes ſine pluuia eſt promiſſa non complens; lingua mollis frangit duritiem; comede mel moderatè; falſum teſtimonium eſt iaculum in proximum; dens putridus eſt infidelis; acetum in nitro eſt cantus mæſto; quod tinea veſti hoc triſtitia eſt cordi; ciba & pota inimicum; facies triſtis fugat detrahentes; quod frigida ſitienti, hoc nuntius bonus amanti; ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria; vrbs ſine muro eſt neſciens cohibere linguam.

1. HÆ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ
regis Iuda. 2. Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inue-
ſtigare ſermonem. 3. Cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum
inſcrutabile. 4. Aufer rubiginem de argento; & egredietur vas pu-
riſſimum. 5. Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iuſtitia
thronus eius. 6. Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſtete-
ris. 7. Melius eſt enim vt dicatur tibi: Aſcende huc, quàm vt humilieris coram prin-
cipe. 8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò; ne poſtea emendare non
poſſis, cùm dehoneſtaueris amicum tuum. 9. Cauſam tuam tracta cum amico tuo,
& ſecretum extraneo ne reueles: 10. ne forte inſultet tibi cùm audierit, & expro-
brare non ceſſet. Gratia & amicitia liberant: quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias.
11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. 12. Inauris
aurea, & margaritum fulgens qui arguit ſapientem, & aurem obedientem. 13. Sicut
frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam ipſius re-
quieſcere facit. 14. Nubes & ventus, & pluuiæ non ſequentes, vir glorioſus, & pro-
miſſa non complens. 15. Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet
duritiam. 16. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas il-
lud. 17. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando ſatiatus oderit te.
18. Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum ſuum
falſum teſtimonium. 19. Deus putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die
anguſtiæ, 20. & amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina
cordi peſſimo. Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno: ita triſtitia viri nocet cordi.
21. Si eſurierit inimicus tuus ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: 22. prunas
enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi. 23. Ventus aquilo
diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem. 24. Melius eſt ſedere in an-
gulo domatis, quàm cum muliere litigioſa, & in domo communi. 25. Aqua frigida
animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. 26. Fons turbatus pede, &
vena corrupta, iuſtus cadens coram impio. 27. Sicut qui mel multum comedit, non
eſt ei bonum; ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. 28. Sicut vrbs
patens & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpi-
ritum ſuum.

VERS. 1. HÆ QVOQVE PARABOLÆ SALOMONIS, QVAS TRANSTVLERVNT VIRI EZECHIÆ REGIS IVDA] Syrus, *hæ quoq; prouerbia Salomonis profunda, quæ ſcripſerũt amici Ezechiæ regis Iuda*; Arabicus, *diſciplinæ Salomonis filij Dauid, quarum ſolutio eſt admirabilis, quas ſcribi petierunt amici Ezechiæ*. Pro *tranſtulerunt* hebr. eſt הֶעְתִּיקוּ *hetiku*, quod Primò, verti poteſt, *antiquarunt*, id eſt antiquitate donarunt, non nouas, ſed antiquas genuinaſque Salomonis eſſe teſtati ſunt. vnde R. Salomon vertit *confirmarunt*. Secundò, *adauxerunt*, multiplicarunt, locupletarunt. Tertiò, *roborarunt*, id eſt robur auctoritatis eis dederunt: Lyran. vertit, *fortificauerunt, imponendo eas*, inquit, *in libro autentico*; Quartò, Septuag. & Syrus vertunt, *tranſcripſerunt*; Quintò, Noſter, *tranſtulerunt*. Porrò R. Leui, *Ideo*, inquit, *hæ ſententiæ ſeorſim à ceteris collocatæ ſunt, quod* B *decerptæ fuerint ex ſapientum ſcitis & enuntiatis: ceteræ enim, quarum hucuſque facta eſt mentio, ea ratione & ſerie relatæ fuerunt, quam habent inter Salomonis pronuntiata*. Verùm errat; nam titulus harum parabolarum, æquè ac præcedentium, eſt: *Parabolæ Salomonis*. Vnde conſtat, ex ſcriptis Salomonis, non aliorum ſapientum, eas eſſe decerptas.

Quæres, quomodo viri Ezechiæ tranſtulerint has parabolas Salomonis? ſuppono non tranſtuliſſe eas de vna lingua in aliam, vti opinatus eſt Dionyſ. Carthuſian. Conſtat enim Salomonem ſcripſiſſe eas lingua Hebraica, atque eâdem huc tranſlatæ ſunt à viris Ezechiæ.

Communis interpretum ſententia eſt, ſequentes parabolas ante Ezechiam non fuiſſe copulatas præcedentibus, ſed in alia membrana, & fortè in varijs membranis & ſchedis fuiſſe conſcriptas: C Hebræi enim non ſcribebant in folijs diuerſis, quæ deinde in vnum volumen compinguntur, vti fit in libris modernis; ſed codicem totum ſcribebant in vna membrana, ex vna vel multis (ſi liber eſſet longus) pellibus compaginata, quam deinde in orbem circa cylindrum conuoluebant, reuoluebant verò & explicabant cùm eum legere vellent; vti Chriſtus reuoluit & explicuit codicem Iſaiæ Luc. 4. v. 17. Igitur ne parabolæ diſſectæ & diſperſæ perirent, aut robur & nomen Salomonis longinquitate temporis amitterent; curauit Ezechias eas conquiri, annectique ceteris Salomonis parabolis, & in eamdem cum eis membranam ſiue codicem tranſcribi. Itaque ante Ezechiam liber Prouerbiorum Salomonis finiebatur in ca. 24. Ezechias verò addidit c. 25. & ſequentia. ita D Lyran. Caietan. Ianſen. R. Salomon, Aben Ezra, & ceteri Hebræi, Græci & Latini.

Alter noſter Salazar cenſet enim librum hunc Prouerbiorum eſſe quoddam conuiuium ſapientiæ & ſapientũ Salomonis, in quo nimirum more priſco interloquantur alternis Salomon, Agur & Lamuel primi ſapientes illius æui. Cùm ergo hucuſque locutus ſit Salomon, vices loquendi ceſſit Aguro & Lamueli: vnde eorum ſententias ante c. 25. collocant Septuag. in codice Vaticano peruetuſto (licèt Noſter ſecutus Hebræa eas tranſtulerit in c. 30 & 31.) quibus expletis Salomon vices ſuas loquendi ſuamq; ſapientiam complendi reſumpſit, ac ſententias quæ hoc ca. & ſeqq. ponuntur, deprompſit. Porrò viri Ezechiæ vt ſententias Salomonis omnes coniungerent, eas huc tranſtulerunt, vt immediatè præcedentibus, quas Salo- A monis eſſe conſtat, necterentur, reliquas verò Aguris & Lamuelis, quæ olim interpoſitæ erant inter vtraſque (vti dixi) ſuſtulerunt, & poſt omnes ſententias Salomonis collocarunt cap. 30. & 31. *Tranſtulerunt* ergo, id eſt de loco in locum mutarunt, vt cùm prius ſequerentur ſententias Aguris & Lamuelis, iam eas præcedant, & proximè ceteris Salomonis parabolis cohæreant.

Hæc ſententia videtur probabilis & plauſibilis. Sic enim Plato in ſuo conuiuio Socratem, Pauſaniam, Phædrum, Eriximachum, & alios de amore diſſerentes; ac Plutarchus in ſuo epulo ſeptem Græciæ ſapientes de legibus diſputantes introducit. Verùm illi quædam obſtare videntur. Primùm, quòd Septuag. nullam Aguris & Lamuelis faciant mentionem, ſed hæc nomina non vt propria, verùm vt appellatiua accipiant & interpretentur, vti facit & Noſter. Deinde quòd poſt verba Aguris Septuag. intexant verba Salomonis, quæ nos habemus c. 24. 23. *Hæc quoque ſapientibus*, &c. Adde, multos per Agur & Lamuelem non alium intelligere quàm ipſum Salomonẽ, de quo plura c. 30. Sic hoc ſæculo viri docti varios S. Auguſtini, S. Gregorij, S. Baſilij, S. Cypriani, S. Bernardi, &c. libros vel tractatus diſperſos in vnum eorum volumen redegerũt, vt ſuis eos Auctoribus tribuerent.

Dico ergo, certius videri quod initio dixi, ſequentes parabolas ante Ezechiam fuiſſe ſeparatas à præcedentibus, & in alijs ſchedis vel membranis conſcriptas: Ezechiam verò curaſſe vt prioribus in eadem membrana & codice annecterentur, vt nomen & auctoritatẽ *Salomonis* & S. Script. æquè ac ceteræ obtinerent. vnde Hebr. הֶעְתִּיקוּ, *hetiku* verti poteſt, vt dixi, *antiquarunt & roborarunt*, id eſt robur antiquitatis eis addiderunt.

Addunt B. Hippolytus Martyr & Euſebius, viros Ezechiæ ſelegiſſe meliores ſententias & vtiliores Salomonis, eaſque huc tranſcripſiſſe, ceteras verò minus inſignes, minuſq; vtiles neglexiſſe & reliquiſſe. Sanè ſi ſequentes gnomas introſpicias, videbis eas præ ceteris quid acre, ſelectum, viuum, & igneum ſpirare. Quocirca Chald. hoc loco vertit, *parabolæ Salomonis profundæ*; Syrus, *abſtruſæ*. Vnde Aben Ezra ait has parabolas eſſe ſingulares, & maxima ſuauitate affluentes. Conſtat enim ex l. 3. Reg. c. 4. v. 32. Salomonem ſupra mille carmina, ſiue odas, & tria millia parabolarum dictaſſe. In hoc autem libro vix extant mille parabolæ, imò ſi à c. 10. vbi præcisè incipiunt parabolæ, eas numeres vſq; ad finem, præcisè inuenies dumtaxat 659.

Sed audi B. Hippolytum & Euſebium apud Anaſtaſium Nicenũ quæſt. 39. in Script. B. Hippolytus in Cantic. Canticor. inquit Anaſtaſius, aſſerit in diebus Ezechiæ regis Iuda, alios quidem libros fuiſſe electos, alios verò neglectos, idque probat ex c. 25. Prouerbiorum, vbi viri Ezechiæ dicuntur tranſtuliſſe quaſdam Salomonis parabolas; ipſe autem ait diſcretas deſcripſiſſe: *Vnde autem*, inquit, *ſelegerunt, niſi ex libris qui ſeruant in ter mille odis ſeu canticis canticorum? Ex ipſis ſapientes amici Ezechiæ elegerunt ea quæ pertinebant ad ædificationem Eccleſiæ*. Sic ipſe qui legit in Septuag. *αὗται αἱ παροιμίαι Σαλομῶντος αἱ διάκριτοι*, non, vt nunc legitur in editione Romana, *αἱ ἀδιάκριτοι*. habet enim: *Hæ ſunt prouerbia Salomonis diſcreta, quæ ſcripſerunt amici Ezechiæ regis*. Refert idem Athanaſius Epiſc. Nicenus, in eandem ſententiam Euſebium Pamphili in antiquitatis hiſtoria in hæc verba: *Libros autem Salomonis*

monis Prouerbiorum & carminum nomine in quibus de natura plantarum, omniſq; generis animalium, quæ in terra & aere verſantur, de ipſis etiam aduerſus omnes morbos remedijs diſſeruerat. Ea de cauſa ſuſtulit Ezechias; quòd morborum ſanationem ad ea referret populus, & nihil curaret à Deo petere curationes. Abulenſis quoque Hippolyto conſentiens: *De parabolis*, inquit, *& carminibus Salomonis fortè ſic res ſe habebat, vt magis eſſent curioſa & oſtentatiua magnitudinem ingenij, quàm vtilia, & maximè carmina, ideò non fuerunt in Scripturæ canonem tranſlata. Idem dicendum eſt de diſputationibus Salomonis de arboribus, de volucribus, de piſcibus & iumentis, quæ non fuerunt tranſcripta in canonem, quòd purè pertinerent ad philoſophiã naturalem, quæ directè ad mores non prodeſt. Vnde non conueniret ei quod dicit Apoſtolus: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum de iuſtitia*, &c. Hæc Abulenſis in lib. 3. Reg. c. 4. quæſt. 8.

Ex quibus Euſebij & Hippoliti verbis liquet, veram lectionem Septuag. hoc loco eſſe διάκριτοι, id eſt diſtinctæ, ſelectæ, diſcretæ, ſcilicet à minùs præſtantibus, minuſque vtilibus, vti dixi. Iam contrariè legitur ἀδιάκριτοι, id eſt indiſtinctæ, indiſcretæ, id eſt, vt explicat auctor Catenæ Græc. citra certum delectum collectæ. Parœmiæ, inquit, quæ vſque ad hunc locum expoſitæ ſunt, ab ipſomet Salomone in vnum corpus redactæ digeſtæque compertæ ſunt. At multæ adhuc aliæ ſententiæ in apophthegmatum ſpecie, ab ipſo Salomone depromptæ ſparſim ferebantur, quas amici Ezechiæ regis hinc inde, nullo ordine obſeruato, & in vnum quaſi faſcem redactas, regi Ezechiæ, quòd is pius admodum & religioſus haberetur, quaſi honorarium aliquod obtulerunt. Salazar, verò: Hæ parabolæ, inquit, vocantur *indiſtinctæ*, quia cùm ante Ezechiam à præcedentibus quas huc vſque audiuimus, diſtinguerentur per interpoſitas Aguris & Lamuelis ſententias, viri Ezechiæ excluſis ijs quæ erant Aguris & Lamuelis, ac in c. 30 tranſpoſitis, nexuerunt ſequentes præcedentibus, vt nulla eſſet auctorum diſtinctio, ſed omnes vni eidemque auctori, putà Salomoni, cuius reuera ſunt, indiſtinctè tribuerentur.

VIRI (id eſt famuli & officiales) EZECHIÆ] Ezechias enim pietatis & rerum ſacrarum valdè fuit ſtudioſus, vt patet 2. Paralip. c. 29. & 30. Vnde ſuis demandauit, vt libros ſacros, ac præſertim Salomonis, integros puroſq; & ſinceros conquirerent, tranſſcriberent, & ſuo quoque loco & ordine digererent: dedit autem curam huius rei Sobnæ ſcribæ ſuo, qui id diligenter cum ſuis præſtitit. ita Aben Ezra ceteriq; Hebræi. Vnde liquet hunc verſiculum, ſiue hanc epigraphen non eſſe Salomonis, ſed additam à Sobna, viriſque ab Ezechia ad colligendas haſce parabolas deputatis. Habet tamen hæc epigraphe auctoritatem canonicam, quia extat in Hebræo, Græco, Chaldæo, Syro, Latino, ac communi calculo comprobata eſt tam à Synagoga Iudæorum, quàm ab Eccleſia Chriſtianorum, ideoque intertexta eſt velut titulis ipſiſmet Parabolis.

An Iſaias Prouerbia conſcripſerit. Porrò inter hos Ezechiæ viros primarium fuiſſe Iſaiam Prophetam, vtpote Ezechiæ conſanguineum & perfamiliarem, multi autumant: imò Hebræi teſte Eugubino in c. 1. Geneſ. & Thalmudici, teſte Melchiore Cano li. 2. de Locis c. 11. quin & ipſe Eugubinus ac R. Moyſes Kimchi, tract. de Scriptor ſacr. librorum, aſſerunt Iſaiam fuiſſe ſcriptorem librorum Salomonis, præſertim Parabolarum, quaſi Salomon haſce parabolas non ſcripſerit, ſed dixerit, eaſque vulgus ore vſuque communi celebrarit, quas deinde Iſaias ſcripſerit, ac calamo poſteritati mandarit. Salomon enim fuit rex: regum autem non eſt ſcribere ſed eloqui, itaque dicta alijs ſcribenda relinquere. Inſuper fuit typus Chriſti, qui Euangelia non ſcripſit, ſed dixit, & viua voce docuit, ac Euangeliſtis ſcribenda reliquit. Fuit enim in Chriſto *decus linguæ, regnumq; loquendi*, vt loquitur Manilius.

Verùm contrarium docent ceteri omnes, idq; longè verius eſt, ſcilicet Salomonem immediatè hæc prouerbia ſcripſiſſe, vel certè ſcribæ excipienti dictaſſe. Id enim diſertè ipſe aſſerit Eccleſ. 12. 9. dicens de ſe in tertia perſona: *Eccleſiaſtes cùm eſſet ſapientiſſimus, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat. & inueſtigans compoſuit parabolas multas, quæſiuit verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos.* Alias harum parabolarum non tam Salomon, quàm Iſaias eſſet conſcriptor & auctor; ſicut S. Matthæus auctor eſt Euangelij à ſe conſcripti, etſi à Chriſto dicti & pronuntiati. Et qua ratione quæſo, populus tot centenas, imò millenas ſententias Salomonis, eaſque plenè diuerſas & diſparatas, per ducentos annos, qui à Salomone vſque ad Iſaiam interfluxerunt, tam integrè & exactè in mente & memoria conſeruaſſet?

Reſpondent aliqui: Prouerbia, Eccleſiaſten & Cantica à Salomone Hebræo carmine & metro eſſe conſcripta, vt mente retineri, & ore concini poſſent: carmina enim memoriæ facilè mandantur, quia certis numeris aſtringuntur. Ita cenſet Nazianz. poë. n. 33. de germanis Script. libris, dum ita canit:

> *Quinque metris conſtant, Iob, Dauid, tres Salomonis,*
> *Concio, & inſignes Cantus, Prouerbia ſacra.*

Concio, eſt Eccleſiaſtes. Quam eandem ſententiam eiſdem ferè verbis repetit Amphilochius ſuo carmine Iambico de Script. libris legendis. Et Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 18. dicens: *Tertius ſacrorum librorum quinquernio verſibus conſtat, nempe Iob, Pſalterium, Prouerbia Salomonis, eiuſdem Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum.* Neque à Satyrica poëſi alienum eſt, publicam morum corruptelam carpere, vitia peculiaria omnium reipub. ordinum notare, & ex abrupto ordiri, nec ſine indignatione & amarulentia. Quæ vt in Prouerbijs & Eccleſiaſte inueniuntur, ita propria eſſe Satyricorum poëtarum certiùs eſt, quàm vt probatione egeant. Verùm proœmio in Eccleſiaſten oſtendam, hæc oratione ſoluta, non carmine eſſe conſcripta. Adde, quòd S. Hieron. epiſt. ad Paulam Vrbicam cenſeat vltimam dumtaxat Prouerbiorum partem, ſcilicet c. 31. v. 10. vſque ad finem carmine eſſe conſcriptam: *Prouerbia Salomonis*, inquit, *extremum claudit alphabetum, quod Tetrametro Iambico ſupputatur ab eo loco in quo ait: Mulierem fortem quis inueniet?*

GLORIA DEI EST CELARE VERBVM ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM] Hebr. *gloria Dei eſt abſcondere verbum, & gloria regum ſcrutari verbum*; Arabicus, *gloria Dei velat intellectum, & gloria regis honorificat rem*, vel negotium. Vers. 2.

Appoſitè & piè pij regis Ezechiæ ſcribæ exordium huius partis Parabolarum ducunt à diuino cultu, & honore, ait Aben Ezra.

Aliqui *Tò celare* referunt ad hominem, non ad Deum,

Deum, q.d. Ad gloriam Dei ſpectat, quòd homo ex humilitate celet ſua benedicta vel benefacta: hoc ipſo enim eorum gloriã ſibi detrahit, & Deo adſcribit; aut potiùs q.d. Ad gloriam Dei pertinet quòd ſacerdotes & doctores nonnulla eius verba abſcondant, vt vulgus ea non intelligens admiretur & colat. Viciſſim glorioſum eſt regibus per ſe vel ſuos conſiliarios aut Prælatos inueſtigare & penetrare arcana quæ vulgus ignorat: ſic enim Dei, vulgi ſcientiam tranſcendentis, gloriam imitatur. Vnde Chald. & Syrus vertunt, *gloria Dei eſt qui abſcondit verbum, & gloria regum qui inueſtigat ſermonem.* Hinc ſacerdos dictus *μύστης*, quaſi celator, ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id eſt, quòd os clauderet, nec myſteria populo aperiret: diuina enim caſto ſunt honorando ſilentio, vt ait S. Dionyſ. Verùm antitheſis Dei & regum magis ſuadet τὸ *celare* referre Deum, non hominem.

Rurſum R. Leui ſic explicat; *Gloria Dei eſt celare verbum*: vis horum eſt, cum quiſpiam aliquid à Deo votis expoſcit, haudè Dei gloria eſſe, vt quæ poſtulat patefaciat, cùm Deus rerum omnium ſit conſcius; an non enim animaduertis vxorem Ieroboam diſſimulaſſe cùm ad Ahiam Silonitem accederet, atque antequam in eiuſdem conſpectum aduentaret, hunc quæ expetebat patefeciſſe, Deo illi arcana reuelante? *Gloria regum inueſtigare ſermonem*, q. d. Secùs verò ſe habet regum gloria: illi enim ritè inueſtigare debent quæ proponuntur, vt eius ad veritatis præſcriptum adminiſtrent. Hi enim illa tantùm perſpecta habent quæ exponũtur, cùm ſecùs in Deo accidat hæc R. Leui. Verùm hic ſenſus arctior & alienior eſt.

Dico ergo, ſenſus eſt q.d. Immenſa Dei maieſtas & gloria elucet in eo, quòd verba quædam, id eſt conceptus, cogitationes, & ſapientiam quandam maximè arcanam habeat, quam homines ſcrutari nequeunt: regum verò laus & gloria eſt ſcrutari ſermonem, vel, vt hebr. eſt, *verbum*, id eſt rem ac ſapientiam arcanam & abſconditam. Ratio diſparitatis eſt, quòd Deus ſit vti eſſentia, ſic & ſapientia ſumma, quæ res omnino, omneſq; intellectus creatos & poſſibiles hominum vel angelorum in infinitum tranſcendit. Decet ergo eius ſublimitatem & maieſtatem multa ſibi ſeruare & abſcondere, vt hominum reuerentiam acuat, eorumque venerationem ſibi conciliet. Reges verò, quia homines, parum habent ſapientiæ; multa tamen indigent ad regendum tot populos & vrbes: quare ipſorum eſt eamdem magno ſtudio inquirere & ſcrutari. Huc facit illud Sapientis: *Res diuinas decet ab hominũ vſu & viſu eſſe remotiſſimas, vt ſui ignoratione hominum admirationẽ & venerationem concilient.* Et illud Valerij Maximi lib. 2. c. 7. *Quidquid in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe conuenit.*

Verbum quadruplex. Primo.

Igitur per *verbum* generatim hic accipe ſapientiã: hæc enim eſt verbum mentis, tam in Deo quàm in regibus, quod deinde verbo oris proloquuntur. Particulatim verò *verbum* hoc & ſapiẽtia eſt multiplex. Quocirca Primò, per *verbum* hoc accipias verbum S. Scripturæ, q.d. Verbum S. Scripturæ, ac præſertim oracula Prophetarum ſunt arcana, ſymbolica & recondita, vt gloriam Dei apud homines velent & celent: regum verò eſt eadẽ retegere, veſtigare & perſcrutari, vt eorum arcanos ſenſus cognoſcant, alijſq; cognoſcendos tradant. Vnde Moſes, imò Deus, ſanxit, vt reges initio regni Deuteronomium ſibi deſcribant, illudque crebrò perlegant, Deuter. 17. 18.

Notat appendicem harum parabolarum collectam à viris Ezechiæ eſſe obſcuram & profundam, ac magis quàm eas quæ præceſſerunt inuolutam allegorijs, figuris & tropis, vti ex Chald. Syro & alij dixi v. 1. q.d. Dei gloria eſt ſuam ſapientiam celare his parabolis Salomonis: at tuum decus eſto, Ezechia rex, eaſdẽ colligere, veſtigare, ſcrutari; vti facis per Sobnam, eiuſq; ſocios: æquè ac decus Salomonis ataui tui fuit, eaſdem meditando ſcrutari & conſcribere. Quare inſulsè Rabbini nonnulli ex hac gnome fabulãtur, viros Ezechiæ reſecuiſſe parabolas Salomonis obſcuras, ſoliſque regibus perſpectas, faciliores verò & populo obuias dumtaxat collegiſſe. Hunc ſenſum dat S. Gregor. lib. 1. in Ezech. hom. 6. vbi tamen craſſum ſcriptorum eſt mendum; directè enim verbis Salomonis aduerſatur; ideoque corrigendum. *Tenebroſa aqua*, inquit, *in nubibus aeris, quia obſcura eſt ſcientia in Prophetis. Sed Salomonis voce atteſtante audiuimus, Gloria regum celare verbum, & gloria Dei eſt inueſtigare ſermonem, quia honor eſt hominum eorum ſecreta abſcondere, & gloria Dei eſt myſteria ſermonis eius aperire.* Mendum habes, quòd planè Scripturæ textum inuertit. Sic ergo corrige: *Sed Salomonis voce atteſtante audiuimus: Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inueſtigare ſermonem, quia honor eſt Dei ſecreta ſua abſcondere, & gloria hominum myſteria ſermonis eius aperire.* Vnde appoſitè ad hanc ſententiam ſubiungit: *Ipſa quidem per ſe Veritas diſcipulis ſuis dicit: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; id eſt, aperte exponite, quæ in allegoriarum obſcuritatibus auditis. Magnæ vtilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat quod capere non poteſt otioſus. Habet quoque aliud magis, quia Scripturæ ſacræ intelligentia ſi in cunctis eſſet aperta, vileſceret. Atque adeò in quibuſdam locis obſcurioribus tanto maiore dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigat animum quæſita.* Hoc eſt quod ait Clemens Alexandr. l. 1. Strom. magis dulciuſque ſapit verum ſtudio quæſitum, & labore paratum, ſicut venatoribus & canibus poſt longos curſus & venationis labores, ſuauiſſima accidit fera iam capta & poſſeſſa.

Secundo.

Secundò, per *verbum* hoc accipias myſteria & Sacramenta fidei; quale eſt SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, &c. hæc enim arcana ſunt, & omnẽ hominũ captum ſuperant. Vnde S. Athanaſius in Synopſi S. Scripturæ legit: *Gloria Dei operit vel obſcurat rationem*, q.d. Gloria SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ adeò ſublimis eſt & arcana, vt humana ratio in ea veſtiganda caliget, eiuſq; acies ad tam ſplendidũ ſolis increati iubar hebetetur & obſcuretur. Hinc S. Dionyſ. epiſt. 5. & de Diuin. nomin. docet Deum habitare in caligine, nec niſi per eam ſe patefacere mortalibus.

Notent hoc hæretici, diſcantque credere Deo dicenti ſe eſſe trinum & vnũ, Verbum eſſe incarnatum, in Euchariſtia eſſe vnum Chriſti corpus, &c. etiamſi ea non capiant: quia plus poteſt Deus facere quàm humana mens comprehendere. Scriptum eſt enim v. 27. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Captiuent ergo intellectum ſuum in obſequiũ fidei, imò Dei. Hinc Dei arcana gloria repræſentata fuit curru Cherubico, Ezech. 1. qui plenus eſt inuolucris, ſymbolis & ænigmatibus, ait R. Salomon. Porrò regum & principum,

pum; præſertim Prælatorum, eſt, hæc, quoad licet, putà in quantum ea Deus per Eccleſiam reuelauit, ſcrutari, tum vt ſubditos ea doceant, tum vt ea contra hæreticos defendant.

Tertiò. Tertiò, per *verbum* accipias rerum creationem, quæ verbo Dei facta eſt: *dixit* enim *& facta ſunt*, q.d. Deus in rebus creatis abſcondit ſuam ſapientiam, quam homines, præſertim reges & principes, veſtigare voluit, vt in ea Deum auctorem agnoſcant & celebrent. Hoc eſt quod ait Siracides Eccli. c. 3. 25. *Plurima ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* quis enim cauſam ventorum, niuis, grandinis, tonitrui, fulminis: item motus ſolis, lunæ & ſtellarum, æſtuum maris, & infinitorum ſimilium, præciſam & adæquatam aſſignare valeat. Et c. 43. 34. *Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis*, &c. *multa abſcondita ſunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius.* ita Aben Ezra.

Quartò. Quartò, & magis appoſitè, per *verbum* accipias decreta & iudicia quæ ab *elohim* (hoc enim nomen hîc eſt in Hebræo) id eſt à Deo iudice, gubernatore & vindice vniuerſorũ proficiſcuntur: horum enim rationes & cauſas penetrare ſæpè eſt difficile: v.g. cur nunc Aſſyrij, nunc Chaldæi, nunc Medi, nunc Perſæ, nunc Græci, nunc Romani rerum potiantur? cur Turcis Deus tot dederit victorias, regna & imperia? cur in particulari hunc faciat diuitem, nobilem, principem, regem, Pontificem; illum pauperem, vilem, plebeium, &c.? Regum tamen eſt hæc Dei iudicia, earumque cauſas quoad licet veſtigare, vt Deum revereri, colere, totique ab eo pendere diſcãt. Aut planiùs q.d. Gloria Dei eſt decretorum & iudiciorum ſuorum rationes celare, vt eminentem ſuã maieſtatem, ſapientiam, dominium & poteſtatem oſtendat: at verò regum eſt nihil decernere, nihil iudicare, niſi præuio exacto examine, vt conſtet legem vel ſententiam quam edituri ſunt, eſſe iuſtam, honeſtam, vtilem: alioqui enim multas ferent ſententias & leges iniuſtas, inhoneſtas, inutiles, quibus tam Deum quàm populum grauiter offendent, cum periculo ſeditionis vel rebellionis. Hic ſenſus valdè appoſitus, & verbis ipſius quaſi innatus videtur.

Aliqui ſic exponunt q.d. Glorioſum eſt apud plebem rudem & incapacem celare alta diuinitatis myſteria & iudicia, ne ab indignis & non intelligentibus ſpernantur & rideantur: at verò glorioſum eſt regibus, ſi ipſorum dicta factaque diligenter perquirantur, & perquiſita inueniantur æqua & recta. Verùm *Tò gloria regum eſt inueſtigare ſermonem*, propriè ſignificat veſtigationem hanc à regibus ipſis faciendam eſſe.

Aptiùs Caietanus: Opponuntur, inquit, honor Dei & honor regis penes actiones iſtas, videlicet celare verbum & inquirere verbum; itaque celare verbum eſt honor Elohim, & non regum; & è contrà inquirere verbum eſt honor regum, & non Elohim. Oportet enim hæc præintelligere, vt cognoſcatur ſenſus parabolæ. Cùm igitur verbum *Elohim* (hoc eſt Dei quatenus eſt iudex) ſit ipſum iudicium, conſequens eſt quòd celare verbum ſignificet occultare rationes iudiciorum. Et eſt ſenſus. Ad honorem ſummi iudicis ſpectat abſcondere rationes iudiciorum: occultiſſimæ ſiquidem nobis ſunt in particulari rationes diuinorum iudiciorum, quæ ſæpè exercet. Et inter Deum & reges diſparitas tanta eſt, quòd ad ignominiam regum ſpectat celare rationes iudiciorum ſuorum, quia

A debent manifeſtare quare ſic iudicant, quare illum damnant ad exilium aut mortem, &c. ad Dei autem honorem pertinet occultare rationes iudiciorum ſuorum; quia per hoc innoteſcit quòd nõ habet ſuperiorem aut parem; quòd non pendet dominium ſuum aut iuſtitia ſua à nobis, ſed à ſola ſua voluntate. Ad regum autem honorem ſpectat quærere aut inueſtigare verbum, hoc eſt, verborum, factorum & rerum notitiam ac veritatem: quod fas non eſt attribuere Deo. Inquirere enim eſt neſcientis: Deus autem in ſeipſo ab æterno omnia nouit. Huc pertinet illud Cleomenis: *Vulgi arbitrium ſuper principem eſt.* Rex enim pendet à regno & republ. Deus autem à nullo; imò totus orbis pendet à Deo, ſicut radius à ſole.

Simpliciùs Ianſen. q.d. Pertinet ad Dei gloriam quòd nihil debeat inquirere, cùm omnia ſciat, & B quòd, cùm omnia ſciat, non tamen omnia ſe mox ſcire declaret, ſed cuncta quæ aguntur modò & dicuntur apud homines, celet ac diſſimulet, ſuo tempore omnia reuelaturus, cùm omnia adducet in iudicium: hoc enim mirificè commendat eius patientiam & lenitatem, quòd qui omnia nouit, tanto tamen tempore omnia tegat, ac patienter ferat. Ne autem hoc exemplum in Deo imitari velint reges, qui in eius locum hîc ſunt conſtituti, ex oppoſito ſubijcit ad gloriam regum pertinere, inueſtigare ſermonem, hoc eſt, diligenter inquirere de ſtatu regni ſui, deque his quæ à ſubditis in regno ipſorum aguntur, vt quæ ſunt corrigenda ac punienda, corrigant ac puniant. Neque enim ignominioſum ſibi ducere debent inquirere de rebus, quamuis hoc ſit neſcientium, nec inſtar Dei ſe gerere debent, quaſi omnia ſcientes, nec C quæ nouerunt corrigenda inſtar Dei debent celare, ſed detegere ac punire. Senſus ergo eſt: Sicut ad gloriam Dei facit quod non debeat inquirere de re aliqua, ſed quòd, cùm omnia ſciat, celet tamen ea: ita ad gloriam regum è contrario facit, quòd, cùm fateri debeant ſe pleraque vt homines neſcire, diligenter ſcrutentur res ſcitu neceſſarias, vt inueſtigatas detegant & dirigant.

Quintò, per *verbum* aliqui accipiunt præceptum. Quintò. Vnde Septuag. vertunt, *gloria Dei eſt celare verbum: gloria autem regis honorat res*, vel, vt alij legunt, *honorat præcepta*; nimirũ pro πράγματα, id eſt res. Procopius & alij legũt, προστάγματα, id eſt præcepta: vnde auctor Catenæ Græc. vertit, *gloria regis mandata ſua magni facit*, non permittens vt quis ea impunè violet. Alij paſſim legunt, *gloria regis honorat præcepta eius*, ſcilicet Dei. q.d. Gloria Dei eſt celare præceptorum ſuorum rationes & cauſas, v.g. cur D iuſſerit ne quis veſtiatur veſte è lana & lino contexta, ne quis agrum ferat diuerſo ſemine, ne quis comedat primos fructus pomorum, &c. Leuit. 19. v. 19. & ſeq. ipſe enim abſolutus & ſummus eſt omnium dominus, atque ſapientiæ eius non eſt numerus: quare illi omnes, etiam reges, ceruices, rationẽ & iudicium humillimè ſubmittere debent, eiuſq; præcepta exoſculari, ac ſicubi fas eſt eorum rationes modeſtè veſtigare; vbi verò fas non eſt, in Dei arbitrio & iudicio conquieſcere. Rurſum noſter Pineda li. 3. de rebus Salomonis c. 6. n. 14. explicãs illud Sapientiæ c. 9. *Cogitationes enim mortalium timidæ*; Indicat, inquit, regum cogitationes in eam vnam rem inſumi debere, vt conſequi poſſint, quid velit Deus: cùm enim ille conſilia ſua & voluntates diligẽter inquiri velit, celat tamen aliquando,

quando, vt oſcitantibus & diſſidentibus non omnino pateant, ſicut ſcriptum eſt Prou. 25. 2. *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inueſtigare ſermonem*, videlicet illum ipſum quem Deus celat. Itaque proprium regum eſt cogitare & inueſtigare quid ille velit.

Myſticè Beda: *Gloria, inquit, Domini eſt in carne apparentis, humanitatis ſuæ infirmitatem, magis quàm diuinitatis æternitatem mortalium oculis oſtendere; & ſe potiùs operum miraculis, ac myſticis locutionibus quàm apertis aſſertionibus Verbum, id eſt Dei filium, fateri. Vnde multo ſæpiùs in Euangelio filium ſe hominis, quàm filium Dei appellare conſueuit. Et gloria fidelium eius diſcipulorum eſt diligenter eius inueſtigare ſermonem, quo ſe Deum etiam vbi patenter non dicit, myſticè ſignificat, quale eſt illud: Ego & Pater vnum ſumus, & cætera huiuſmodi. Denique celans Verbi æternitatem, & prætendens carnis infirmitatem, ait: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Cui rei eximius inueſtigator eius ſermonis, quem antea ſæpiùs audierat reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Nec paruam hac inueſtigatione meruit gloriam; nam protinus audiuit: Beatus es Simon Bariona, &c.*

Ex dictis liquet hanc gnomen Salomonis non aduerſari illi Raphaëlis Tobiæ 12. 7. *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt.* Per *ſacramentum* enim intelligitur ſecretum, quod rex omnino celari vult. per *opera Dei* verò illa quæ Deus hominibus oſtendit, illiſq; per angelos vel homines reuelari iubet. Hic verò tantùm dicitur, Dei gloriam eſſe quòd multa celet, eaque hominibus præſertim regibus veſtiganda relinquat: vnde patet vtrumque eſſe verum, nec poſterius priori aduerſari.

VERS. 3. CÆLVM SVRSVM, ET TERRA DEORSVM, ET COR REGVM INSCRVTABILE] Hebr. *cælorum in altitudine, & terræ in profunditate, & cordis regum non eſt inueſtigatio.* Chald. *cæli ſunt excelſi, & terra profunda, & cor regum inueſtigabile*; Syrus, *non inueſtigatur*.

Primò, R. Salomon exponit q.d. Sicut cæli ſublimitas & terræ profunditas inueſtigari nequeunt; Quoties enim, inquit, illi ius dicendum? quot etiam bella eidem gerenda? quibus omnibus prouida cura adſtet neceſſe eſt: quòd ſi linguæ omnes ſermonem ſererent, manuſque omnium ſcribendo vacarent, haud ſatis eſſent ad deſcribenda imperij grauia multaque negotia.

Huc accedit Baynus, qui ſic explicat, q.d. Rex non habet otium vt inueſtiget cælorum altitudinem, & terræ profunditatem, quia reipubl. negotia cor eius occupant, vt illa omnia ſcrutari penè ſit impoſſibile.

Secundò, Vatabl. contrariè exponit q.d. Vtrumque, ſcilicet tam cælum quàm terra, eſt in loco definito, ideoque vtrumque comprehendi poteſt; at cor regum quia indefinitum, & quaſi infinitum, nulla diſquiſitione comprehendi poteſt.

Tertiò, Aben Ezra hunc verſum nectit præcedenti, q.d. Gloria Dei celatur in cælorum altitudine, & terræ profunditate, ac rebus innumeris maximè varijs & pulcherrimis, quæ illorum ambitu continentur: quare cor regis ea ſcrutari & penetrare nequit, nec intelligere poteſt ea quæ ſurſum ſunt in cælis, nec ea quæ deorſum in terra. Ipſe ergo *inſcrutabile* accipit non paſſiuè, quod ſcilicet ab alijs ſcrutari nequit; ſed actiuè, quod ſcilicet cælos & terram ſcrutari non præualet. Vnde hebr. eſt, *cordis, vel cordi, regum non eſt ſcrutatio*, ſcilicet cælorum & terræ.

Quartò, R. Leui, q.d. Cælum ſummè eſt altum, & terra ſummè eſt profunda; & cor regis altius debet eſſe cælo, & profundius terrâ; debet enim eſſe quaſi immenſum, quod intueatur reipubl. totius æquè ac ſingulorum ſibi ſubditorum negotia complectatur, diſponat & expediat, ideoque inſcrutabile & imperueſtigabile.

Cor regum inſcrutabile.

Quintò, genuinè q.d. Sicut cæli ſublimia, & terræ profunda ſunt inſcrutabilia, &, id eſt *ſic*, pariter cor regum eſt inſcrutabile: τὸ enim *inſcrutabile* ad τὸ *cælum* & τὸ *terra* per zeugma repetendum eſt, vt patet ex Hebræo, atque vocula & hîc notat ſimilitudinem & comparationem, vti & alibi ſæpè in Prouerbijs, idemque valet quod *ſic, ſimili modo*: licèt enim Aſtrologi cælorum altitudinem & terræ profunditatem dimenſi ſint; tamen nullam certam & definitam vtriuſque menſuram aſſignare potuerunt: vnde magna eſt eorum varietas & diſſonantia, quam recenſet noſter Clauius in lib. 1. Sphæræ. Rurſum nullus perſcrutari potuit omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur; quare hæc perſcrutatio eſt curioſa, vana & inutilis, ait S. Auguſt. æquè ac curioſa & vana eſt inueſtigatio profundorum cordis regij conſiliorum. ita Beda, Hugo, Caietan. Ianſen. & ceteri paſſim.

Ratio à priori. Prima.

Ratio à priori eſt: Prima, quòd reges ingens habeant cor, id eſt ingentes animos & ſpiritus, vt maxima meditentur & animo deſtinent, vt Alexander Magnus animo deſtinabat totum orbem ſibi ſubiugare. Hæc autem conſilia ſcrutari eſt difficile, & ſæpè impoſſibile. Ita Ioannes Auſtriacus Caroli V. nothus, cùm ſecretò in Hiſpania educaretur, eſſetque puer, rogatus quiſnam ſuus eſſet pater: reſpondit ſe id neſcire, ſed magni viri alicuius ſe eſſe filium augurari ex ingenti corde & animis quos tum ſentiebat, & paulo poſt declarauit cùm Turcas anno Chriſti 1571. apud Echinadas, & Geuſios in Belgio apud Gemblacū anno 1577. ingenti clade cecidit.

Secunda.

Secunda, quòd in republica & regnis ſtos quotidie enaſcantur nouitates, noui motus, tumultus, conſpirationes, lites, difficultates, vt regis cor quotidie mille noua mente ſua verſare debeat conſilia, vt omnibus occurrat: hæc autem priuato perſcrutari eſt perdifficile.

Tertia.

Tertia, quòd cor regum in ſublimi quaſi æthere poſitum ſit mobile, variarumque paſſionum, informationum, adulationum ventis expoſitum, vt ſæpè decreta mutet, & quod hodie placuit cras diſpliceat: quare ſicut gallus in culmine turrium flabris ventorum aſſiduè rotatur & circumagitur, ſic & cor regis.

Quarta.

Quarta, quia reges affectant ſapientiam, maieſtatem & eminentiā ſuper omnes: vnde multa animo celāt, vt videantur omnibus eminere, omnibuſq; eſſe ſapientiores, atque vt ea quæ deſtinant feliciter exequantur: ad hoc enim mirè valet ſecretum.

Quinta.

Quinta, quòd Deus cor gyret & flectat quocunque vult, vt per eum ſua decreta, ſupplicia, vindictas exequatur, iuxta illud c. 21. 1. *Cor regis in manu Domini.* Sic Nabuchodonoſor cor à Deo agebatur ad punitionem & excidium gentium impiarum. Sic Attila aiebat ſe eſſe flagellum Dei. Conſilia autē & arcana Dei quis inueſtiget? Quare hæc gnome parallela eſt præcedenti. q.d. Gloria Dei eſt celare verbum, hoc autem celat in corde regis, vt per eum illud exequatur. Rurſus ſicut gloria Dei, ſic & regis, qui eſt quaſi Deus in terra, eſt celare verba & arcana cordis ſui. Notat præ alijs regibus Salomonem, cuius parabolas hic deſcribit: Salomon enim à Deo

à Deo accepit ſapientiam infuſam rerum omnium, ideoque hominibus ceteris inperueſtigabilem & impenetrabilem.

Dicit idipſum Salomon hoc fine & ſcopo, Primò, vt compeſcat curioſorum vanitatem. Sunt enim nonnulli otioſi & curioſi, qui aliud non agunt quàm ſcrutari & coniectare arcana conſilia regum & principum: qua in re & terunt tempus inutiliter, & ſæpè falluntur, quia cor regum inſcrutabile, ac quantum diſtat cælum à terra, tantum cogitationes regum eminent ſuperantque cogitationes priuatorum.

Secundò, vt doceat non eſſe ambiendas priuatas regum amicitias, familiaritates & fauores. quia cùm illi emineant inſtar cælorum, qui illis adhæret, inſtar cælorum aſſiduo cum ipſis motu rotatur; qui verò ab eis longiùs abeſt paucis contentus, quietus & firmus in terra conſiſtit: præſertim quia reges ſæpè intimos ſuos quos in altum & quaſi in cælum eleuarunt, ob paruam offenſam deijciunt, & in imam quaſi terram proſternunt. Id hoc ſæculo in omnium penè regum aulis factum vidimus quia corda regum ſunt mobilia & inſcrutabilia. Hoc eſt quod ait Pſaltes: *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus*, pſal. 145. 3.

Hinc Septuag. pro *inſcrutabile* vertunt, ἀνεξέλεγκτος, id eſt imperſcrutabile, vel *quod redargui non poteſt*, quia ſcilicet rex non habet ſuperiorem in terra, à quo redargui poſſit; aut *irreprehenſibile, omniue reprehenſione maius*, vt vertit auctor Catenæ Græc. tum quia cor regis nulli mortalium eſt planè perſpectum, tum quia nullius reprehenſionem admittit. q. d. Summa eſt regis in omnes poteſtas, vt quidquid faciat impunè faciat, & eſto innocentem deijciat aut veluti è cælo in terram deprimat, nullus eum culpare vel arguere audeat. Ita Philippus rex venenum iuſſit dari Arato, qui id præſentiſcens ad familiarē conuerſus: *O cephale*, inquit, *hæc ſunt præmia regiæ amicitiæ*. Antipater cũ didiciſſet Parmenionem ab Alexandro interfectũ, dixit: *Si Parmenio ſtruxit inſidias Alexandro, cui fidendum eſt: ſi non ſtruxit, quid agendũ?* Erat Parmenio velut alter Alexander in rebus militaribus. Si tantus amicus fefellit, non eſt tutum cuiquam amico fidere: ſi Alexander nihil commeritum ſuſtulit, præſtat à regũ negotijs abſtinere. ita Plutarch. in Apophth. reg. & impp. Antiſthenes rogatus quomodo ad rempublicam capeſſendam ſit eundum? Velut, inquit, ad ignem, ne nimis admotus exuraris procul amotus frigeſcas. ita Stobæus ſerm. 43.

Exempla.

Myſticè, rex eſt iuſtus & vir ſpiritualis, cuius cor regitur à Spiritu ſancto, ideoque magna & cæleſtia cogitat, ac proinde homini animali eſt inſcrutabile, iuxta illud 1. Cor. 2. 15. *Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* ita auctor Catenæ Græc. Beda verò ſic: *Sicut*, inquit, *altitudo cæli, & profunditas terræ conijci ab hominibus non poteſt, ita ſcientia Prophetarum & Apoſtolorum, qui arcana diuinitatis Spiritu ſancto reuelante cognouerunt, noſtræ fragilitatis capacitatem tranſcendit.*

VERS. 4. VERS. 5. AVFER RVBIGINEM DE ARGENTO, ET EGREDIETVR VAS PVRISSIMVM: AVFER IMPIETATEM DE VVLTV REGIS, ET FIRMABITVR IVSTITIA THRONVS EIVS] *Firmabitur in iuſtitia* dupliciter. Primo. q. d. Firma eſt iuſtitia regis & regni. Vnde Vatabl. vertit, *iuſtus erit rex*: Secundò, q. d. Firmum & ſtabile erit regis regnum, vtpote firmâ & ſtabili iuſtitiæ baſe ſubnixum.

Impietatem quadrupliciter accipias: vnde quadruplex hic oritur ſenſus. Primò, pro ſæuitia, minis & crudelitate. q. d. Sicut exterſâ ab argento rubigine argentum euadit nitidum, pulchrum & ſplendidum: ſic ſi rex depoſito vultu ſeuero, minaci & crudeli, induat mentem & faciem benignam, clementem, hilarem; inſtar argenti ſplendebit, ſuoque hilaritatis ſplendore ſubditorum animos ſibi deuinciet; quo fiet vt liberè & ſine periculo iuſtitiam exercere, ius dicere, & iniquos quoſlibet plectere valeat: cùm enim ab omnibus ametur, à nemine quid rebellionis vel mali metuet. Ita Beda: *Qui enim*, inquit, *præſunt populis, ſi volunt firmum eſſe ſolium ſuum, ſemper hilaritate & gratia plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti in muſſitationem incidant populorum.* Sic Iulius Cæſar, Auguſtus, Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, pluresque alij, ſua beneuolentia & hilaritate conciliarunt ſibi omnium animos, vt à ſe ſancitas iuſtitiæ leges, licèt ſeueras vltrò ſuſciperent. Sic nimirum ſapientia diuina *attingit à fine vſque ad finem fortiter*, dum *diſponit omnia ſuauiter*, Sapient. 8. 1. Scutum eſt illud Antigoni regis: *Nullum regni præſidium firmius ciuium beneuolentiâ.* Et illud Apollonij, qui rogatus à rege Babylonis, quâ ratione tutò regnaret, reſpondit: *Si multos honoraueris, paucis verò crediderus.* Et illud Themiſtoclis, qui cuidam admonenti: *Bene principatum geres Athenis ſi cunctis communis eſſe velis & manſuetus*, reſpondit: *Nunquam ei ſellæ inſederim, vnde nihilo plus à me ferrent amici quàm alieni.*

Impietas quadruplex. Primò.

Gratiam de regu beneuolentia.

Secundò, *impietatem* propriè accipias regis ipſius, q. d. Aufer à rege impietatem, quæ eſt quaſi rubigo argentei cordis regalis, illud obſcurans, exedens & corrumpens, ac facito vt rex ſit pietatis, virtutis & iuſtitiæ ſtudioſus; ſic fiet, vt iuſtitiam vbique exerceat, per eamque ſuum ſolium & regnum roboret & confirmet. Sic ſi Saul ex animo abſtuliſſet odium Dauidis, in iuſtitia firmaſſet ſolium ſuum.

Secundò.

Tertio, *impietatem*, metonymicè accipias pro impijs, vti eſt in Hebręo, Chaldęo, Syro, Septuag. Vatabl. Pagnino. Noſter enim legit רֶשַׁע *reſca*, id eſt impietatem: Chald. verò & moderni alij punctis legunt רָשָׁע *raſca*, id eſt impium: vnde ſic vertunt, *remoue ſcorias de argento, & egredietur conflatori vas*, ſcilicet pretioſum, quia conflatum & purgatum: *remoue impium coram rege, & dirigetur* vel *firmabitur in iuſtitia ſolium eius*, Chald. *colligite rubiginem de argento, vt egrediatur vas à conflatorio, & præparabitur in iuſtitia ſolium eius*; Syrus, *ſeternite ſcorias ab argento, vt egrediatur vas purum, confringetur iniquus ante regem*, &c.

Tertiò.

Senſus ergo eſt q. d. Aufer à conſpectu & conuerſatione regis impios conſiliarios, principes, amicos, adulatores qui praua ei ſuggerunt conſilia; ac eorum loco ſurroga conſiliarios, principes familiares, qui ſint probi, iuſti, ſapientes: horũ enim ſuggeſtione, exemplo & auxilio fiet, vt rex iuſta & ſancta ſanciat, eaque fortiter exequendo, iuſtitia & probitate ſe ſuumque regnum ſtabiliat. Ex aduerſo Iſaias c. 1. 23. excidium Hieroſolymæ, & regum Iuda tribuit malis conſiliarijs & principibus: *Principes tui*, inquit, *infideles ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Vnde illis excluſis alios probos ſe ſurrogaturum pollicetur, qui Ieruſalem priſtino nitori reſtituant. ſic enim ait

v. 25.

v.25. *Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum: & reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus, poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* Vide ibi dicta, & Ierem.6.29.& 30. vbi eadem metaphora argenti purgandi a ſcoria Iſraeli attribuitur.

Hic ſenſus valdè eſt appoſitus: tangit enim radicem omnis boni vel mali regiminis regum: radix enim eſt, boni vel mali conſiliarij, & familiares intimique regis: quales enim hi ſunt, talis erit & rex: ſi ergo iuſtos & probos ſibi rex aſciſcat, & expellat improbos, vtique in republ. vigebit probitas & iuſtitia, in eaque firmabitur regnum eius. ita R. Leui, Aben Ezra, Ianſen. & alij. Verè Plutarch. in Moral. *Adulator, inquit, principi ceu ſcoria argento tenuiſſimè miſcetur.*

Quartò. Quartò, amplè & generatim per *impietatem* accipias quælibet ſcelera, & ſceleratos, q. d. Sicut conflator, ſiue aurifex & argentarius per ignem tollit ſcoriam ab argento: ſic pariter rex per ſupplicium & vindictam in impios tollere debet de conſpectu ſuo & totius regni. quod ergo facit conflator in purgando argento à ſcoria, hoc faciat rex in purgando regno ab impijs. In republ. enim & regno mixtum eſt argentũ cum ſcoria, id eſt probitas cum improbitate, virtutes cum vitijs, probi cum improbis: ſeparet ergo eos rex, probos retinendo, improbos exterminando: ſic fiet vt iuſtitia & iuſti toto regno triumphent, ac proinde à nullo iniuſto quidquam regi vel alteri cuilibet metuendum erit. Vnde Septuag. vertunt, *percute argentum improbum vel adulterinum, & mundabitur mundum totum. Interfice impios à facie regis, & rectâ procedet in iuſtitia thronus eius.* Vbi nota *percute*: ſic enim continuâ percuſſione argẽtum purgatur à ſcoria, ſuæque puritati reſtituitur: ſic & reſp. ſi in ea percutiantur & interficiãtur improbi, iuſtitiæ, paci & felicitati reddetur. ita R. Salomon, Salazar, & alij.

Regis idea. Præclarè Diogenes Pythagoræus lib. de Regno apud Stobæum ſerm. 48. *Tria,* inquit *ſunt regis officia, imperare, iudicare, deos colere. Idcirco in rege perfecto, vt bonus ſit imperator, iudex & ſacerdos, requiritur: gubernatoris enim opus eſt ſeruare nauim, aurigæ currũ, medici ægrotantes, regis autem & imperatoris in bello periclitantes.* Et inferiùs: *Vt Deus ad mundum, ita ſe rex ad ciuitatem habet, & vt ciuitas ad mundum, ita rex ad Deum. Ciuitas enim mundi ſtructuram & harmoniam imitatur: rex autem nulli obnoxius & lex viua exiſtens, Dei figuram inter homines repræſentat. Perinde oportet regẽ à voluptate non vinci, ſed eius victorem eſſe. Rurſum qui alios regere volet, priùs ſuas affectiones regere diſcat.* Cauſam rege dignam ſubdit: *Conuenit enim vt alijs ſemper virtute præeat, & ſecundùm ipſam imperio dignus æſtimetur, non ſecundùm opes aut potentiam, aut vis armorum.* Vnde & hiſce concludit: *Itaque rex qui circa voluptates temperans, liberalis circa pecunias, prudenſq; & grauis in imperio fuerit, ille reuera rex erit: conſequetur hæc ſi primùm fuerit verendus tum aſpectu, tum auditu, & dignum ſe geſſerit imperio; deinde benignus colloquio, vultu & conferendis beneficijs: decet id quod agit, admirabile eſſe, vti regem oportet, vt eminentior ceteris quaſi diuinitatem quamdam præ ſe ferat.*

Myſticè, auctor Catenæ Græcor. *Qui turpia,* inquit, *carnis deſideria, prauoſq; eiuſdem ad libidinem impetus in ſe mactat, is mentem ſuam ad iuſtitiam componit, in qua Chriſtus Dei ſapientia & ſcientia requieſcit.* Chriſtus enim eſt rex mentium; ac mens ipſa rex eſt animæ totiuſque hominis.

Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum (Septuag. δυναςῶν, id eſt dynaſtarum, principum) ne steteris. Vers.6,
Melius enim est vt dicatur tibi, Ascende huc: quam vt humilieris coram principe] Pro *ne glorioſus appareas,* hebr. eſt אַל תִּתְהַדַּר *al thitaddar,* id eſt, ne te oſtentes, ne te ornes, ne te glorifices, vt vel ſplendore veſtium, vel famulorum, equorum, rhedarumque copia, vel ſapientiâ aut facundiâ, aliave re magnates te maiores imitari aut ſuperare velis, imò cum ipſo rege quaſi certare: omnis enim priuati hominis decor & ſplendor, dum maieſtati & ſplendori regis objicitur, hebetatur, refringitur & euaneſcit. Septuag. vertunt, μὴ ἀλαζονεύου, id eſt, *ne ſuperbias,* ne arrogantem te exhibeas. Roman. *ne glorioſum te oſtendas:* ἀλαζονεία enim eſt iactantia, ſtrepitus, faſtus, ſuperbia, oſtentatio, inſolentia, vaniloquẽtia. Chald. *ne ſplendidus ſis in conſpectu regis;* Syrus, *ne glorieris;* Caiet. *non te pulchrifacias, & in loco magnorũ ne ſteteris,* id eſt, vt Vatabl. *ne locum magnatum occupes, cùm magnus non ſis.* R. Salomon: Ne te magnificè iactes coram rege vt gloriam tuam oſtentes, atque ſuperbè te geras coram eo, qui tibi dignitate ſit ſuperior: ſatius enim eſt, vt tibi dicatur, Aſcende huc, quàm ſi abſque venia aliquem locum ingrediaris, & inde te recedere iubeant. Aben Ezra, *ne glorioſus appareas,* ne velut ille curru ſplendidus ſis; *& in locum magnorum,* vbi magnates verſantur, ne ingrediare & commorẽre. *Aſcende huc:* nam magis è re tua eſt vt dicatur tibi, Aſcende huc, & nobiſcum morare, quàm inſpectante rege e gradu deijciaris, cùm ab eius conſpectu te abire iuſſerint.

Agitur hoc verſu, vti & quinque præcedentibus, de rege eiuſq; conſeſſu inter magnates: ſicut enim v.2. regem comparauit cum Deo, ac tribus ſeqq. eundem comparauit cum ſubditis: ita hîc viciſſim ſubditos comparat cum rege, eoſq; docet modeſtiam, vt humiliter & reuerenter agant cum rege & magnatibus. Senſus ergo propriè eſt, q. d. Ne corã rege te tuaſq; veſtes, opes, nobilitatem, facundiam, bellicã artem, prudentiam, peritiam, &c. oſtentes, neve eius magnatibus te inſeras vel ingeras: ſic enim & regẽ & magnates tua ſuperba audacia offendes, atque ab vtriſq; humiliaberis, & deijcieris.

Ratio eſt, quòd ſuperbia & oſtentatio omnibus quidem exoſa ſit, ſed maximè regibus & dynaſtis: tum quia reges omnibus eminere volunt, nilque præ ſe magni faciunt aut mirantur. Vnde Cyrus apud Xenophontem docebat ſuos nihil admirari, vtpote qui magis admirãda viderint, & præ ceteris hominibus ſint admirãdi. Tum quia reges volunt maieſtatem ſuam ab omnibus agnoſci, & magna omnibus in rebus ſubmiſſione coli & ſuſpici; quare ſuperbos & oſtentatores velut qui tenebras maieſtati ſuæ offundant, deteſtantur, ex aduerſo amant modeſtos & humiles, qui ſua demiſſione reges honorãt, ac ſua exigua ſorte & ſtatu cõtenti nihil ambiunt: vnde eorũ ſapientia & induſtria per ſagacitatem qua pollent, perſpectâ, ipſos ad maiores honores pedetentim promouẽt, dicuntque, Aſcẽde huc. Hinc periculoſiſſimã tibi eſſe puta oſtentationem agendi, quippe ex qua exiſtit inuidia, magnus aulæ turbo. Ea igitur quæ agenda ſunt, age ſine vlla oſtentatione agendi. Sapienter ergo *Saluſtius Criſpus, cui ſuberat vigor animi ingentibus negotiis, eo acrior, quo ſomnum & inertiã magis oſtentabat,* ait Tacitus lib. 3. Annal. & Seneca in Oedipo:

Certiſſima

Certiſsima eſt regnare cupienti via,
Laudare modica, & otium ac ſomnum loqui.

Emanuel rex Luſitaniæ laudis eloquētiæ auidus, iuſſit Aloyſio Siluciræ ſibi ſcribere literas peregregias ad Pontificem, addiditq; ſe alias quoque ſuo marte & manu ſcripturum. A ſe ſcriptam epiſtolam regi obtulit Aloyſius, ea vbi recitata eſt, ſubriſit rex, manuq; Aloyſij comprehenſa: *Viciſti,* inquit, *Aloyſi, epiſtola tua planè digna eſt, quæ ob nitorē & acumen Romam mittatur: & mittetur: meam vix lectu dignam puto.* Erubuit Aloyſius, & gratijs de more actis, è veſtigio domum ſuā reuerſus, equos inſterni iubet, atque vnà cum liberis in ipſo meridie, nullo cibo prægustato, magnoque ſilentio ſolum vertit. Vt extra vrbē fuere, ſubſtitit paululùm Aloyſius, & ad liberos conuerſus *Aliò, aliò,* inquit, *ò filij nobis migrandum eſt: nec enim in eo regno diutiùs viuere licet, in quo ſciat rex me ſibi, ingenio ac doctrina præcellere.* Nempe vir prudens illud diuinæ ſapientiæ oraculum memoria tenebat: *Coram rege noli videri ſapiens.* Plura hac de re dixi Eccli. 7. v. 5.

Extat hac de re illuſtris apologus firmamenti & Saturni apud Cyrillum l. 2. Apol. moral. c. 24. cui titulus: *Contra pompoſos ex magnitudine gratiarū. Fixarum ſtellarum ſphæra,* inquit, *gloriabatur corporis ſui magnitudine, & motus velocitate, atque vniuerſalis virtutis granditate, nec non aſtrorum multitudine, cuius quidem pompam Saturnus intelligens, ita ei dixiſſe fertur: Gloriatio ſi falſa eſt, confuſio eſt vera. Sed dic mihi, rogo te, firmamentum, vnde tibi ſit tanta molis realitas, tāta motionis velocitas, tanta ſtellarum lucidit as & numeroſitas? At illud reſpondit: Ab intelligētia quidem vehor, à ſole illuſtror, vniuerſorum auctor me condidit, & in me ſidera ipſa idem fixit. Tunc Saturnus adiunxit: Nihil ergo habes quod ex te ſit, ſed totum aliunde ſumpſiſti. Cui illud: Fateor,* inquit. *Mox alter ſubiunxit, Cur igitur quaſi non acceperis, de communicatis tibi perfectionibus gloriaris, & alienæ gloriæ vſurpatrix erigeris? Non attendis, quod vbi pompoſitatis rapina ſapientem contaminat, nulla ſit vera gloria, cuius eſt bonitas vniuerſa. Sed falſo verum perdere, & per gloriam vanam in confuſionem incidere, maximè ſtultum eſt.* Deinde varijs parabolis ſcitiſq; gnomis idipſum corroborat: *Sic & dicendo,* inquit, *hoc tantum facit totum ſe ſuum, ac fallaci gloria foris depictum, intus te reddit gratia vacuum. Quamobrem quanto generoſior es, & in bonis tibi communicatis præſtantior, tanto ſis intra ſolidum humilitatis ſinum collecta latentior. Diues es, time furem, cum lynce theſaurum reconde, gratiarum ſpiritum ſub duarum velationum tunicis abſconde. Aurum es, ſub terra late. Pretioſiſsimus es rubinus, in petra belligij te reconde. Quid plura? fuge gloriam ſparſa lucis, & tunc cum nocliluca intrinſeco gloriæ ſplendore fulgebis. Quibus dictis, exhortator conticuit.* huc vſque Cyrillus.

Similia.

Myſticè, ſi apud regem, quanto magis apud Deum, qui eſt rex regum, & ſummè odit ſuperbos, humiliare nos oportet, ac meminiſſe conditionis noſtræ & fragilitatis, nec eximium ſanctitatis aut ſapientiæ locum nobis apud illum vendicare, nec in ipſius Eccleſia eminentem aliquem honoris gradum ambire? ne cogamur aut hic, aut poſtea coram Deo, angelis & iuſtis hominibus pudefieri, dum vel non aſſequimur deſideratum in Eccleſia honorem, vel aſſecuti deprehendimur inferiores eſſe munere ſuſcepto, vt alijs cedendum ſit dignioribus. Hoc eſt quod monet S. Petrus epiſt. 1. c. 5. 5. dicens: *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.*

A Antiſtropha huic gnome Salomonis eſt illa Chriſti, qui verus eſt Salomon, Lucæ 14. 8. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo; & veniens is qui te & illum inuitauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cùm rubore nouiſsimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſsimo loco: vt, cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperiùs, & erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.*

Et in loco magnorvm ne steteris] Præter ſenſum proprium iam datum, hos quoque addas, Primò, q. d. Ne ambias alta ſubſellia, magnas dignitates, primas præfecturas; ſed tuo licet modico vel mediocri gradu contentus quietè & modeſtè viue, donec à Deo vel à principe ad altiora euoceris. Vita enim priuata & humilis eſt beata, quia caret mille curis, diſtractionibus, periculis, quibus ſcatet vita aulica magnatum & principum. Idipſum verò expertus Ouidius lib. 3. Triſtium elegia 4. ita canit, imò gemit:

Vita priuata, vita beata.

Vſibus edocto ſi quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria vita:
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.

Et inferiùs:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.
Viue ſine inuidia, mollesq; inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

Denique noſter Salomon, imò per eum loquens Spiritus ſanctus Eccleſ. 4. 6. *Melior eſt,* inquit, *pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.*

Secundò, q. d. Noli contendere cum magnis de loco, vt, ſi illi locum aliquem occuparint, tu eodem ſtare velis, prætendaſque illum tibi deberi: hæ enim contentiones naſcuntur ex ambitione, creantque periculum duelli, imò non rarò belli cum publica magnaque multorum clade. Sanè in Belgio ſæpè vidimus vrbes ab hoſte occupari, ac exercitus potentes profligari aut diſſolui, eò quòd capitanei inter ſe de loco certarent, nec alter alteri cedere vellet. Quocirca Romani priſci hanc non generoſitatem, ſed ſtoliditatem cenſebant, eamq; morte puniebant. Sapienter & heroicè Damonides, cùm à chori magiſtro poſtremū in choro locum accepiſſet: *Euge* inquit, *chorage, reperiſti quo pacto & hic locus per ſe inhonoratus, fiat honorificus.* Et Ageſilaus puer, licet iam rex deſignatus, in ludo ſolemni à præfecto loco parum honorifico collocatus: *Bene habet,* inquit, *oſtendam enim non locum viros, ſed viros loco conciliare dignitatem.* ita Plutarch. in Lacon. Dionyſius rex cùm offenſus eſſet ab Ariſtippo philoſopho, hominem ad cœnam vocauit, & iuſſit eum in conuiuio infimum omnium accumbere. Hic Ariſtippus nihil offenſus: *Hunc,* inquit, *locum ò rex illuſtrare vis, ac honorificum reddere;* ſignificans non locum reddere hominem viliorem, ſed ex dignitate hominis honorem addi loco. ita Laërt. lib. 2. c. 8.

Contentio de loco vitanda.

Exempla

Tertiò, q. d. Noli ſubitò ambire magnos magiſtratus & ſubſellia, ſed initio paruos capeſſe, ab eiſq; gradatim ad maiores aſcende; ſic enim tandē ad ſummos euades. Ratio eſt. Prima, quòd omniū inuidiæ pateant qui ilicò ſumma ambiunt, ac ſaltu heteroclito ex humo in thronum transſilire nituntur. Secunda, quòd hic ſit ordo omnis naturæ, artis & diſciplinæ, vt à paruis pedetentim ad maiora fiat

Gradatim aſcende.

fiat progreſſio. Sic enim puer ſenſim creſcit, fitq; A adoleſcens, iuuenis, vir, & tandem ſenex. Sic fruges & fructus omnes ſenſim creſcunt: ſic in militia tiro fit miles, deinde decurio, mox vexillifer, inde centurio, inde chiliarcha, &c. Sic in Eccleſia nemo repentè fit presbyter vel diaconus, ſed per ſex minores Ordines velut gradus ſenſim eò aſcẽdit: ita enim in ſingulis probat ſuam virtutem, & ad maiorem gradũ ſe præparat & diſponit. Vnde S. Cyprian. lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum, laudat S. Cornelium, quòd gradatim per ſingulos officiorum ordines ad Pontificatum aſcenderit: *Non iſte, inquit, ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpè promeritus, ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit.*

Vers. 8. QVÆ VIDERVNT OCVLI TVI, NE PROFERAS IN IVRGIO CITÒ: NE POSTEA EMENDARE NON B POSSIS, CVM DEHONESTAVERIS AMICVM TVVM] Ex Hebræo verti quoque poteſt, *cùm dehoneſtarit te amicus tuus:* amicus enim à te læſus te viciſſim lędet, & probrum probro regerens, ſecreta & verecunda tua nudabit.

Eſt hîc triplex diſpunctio: Primò enim R. Leui, R. Salomon, Aben Ezra & moderna Biblia Hebręa *Io quæ viderunt oculi tui*, referunt ad v. præced. de rege & magnatibus. Secundò, Septuag. iſta a ceteris ſeiungunt, & ſubaudiendo verbũ *dicito*; gnomen ſeparatam cõſtituunt; vnde vertunt. *quæ oculi tui viderunt ea dicito: ne temerè prōruas in litem vel pugnã, ne ad finem facti te pœniteat.* Tertiò, optimè noſter Pagnin. Vatab. & alij ſequentibus annectunt.

Igitur Primò, Hebræi illis verbis omiſſis, & ad verſum præcedentem reiectis, ſic hanc gnomen efferunt. R. Salomon: *ne litem capeſſas contra amicum, vt non pudefias, quòd cum amico iure certaris, cum quo gratia certare debebas*; Chald. *ne ingrediaris ad iurgium citò, vt non contendas poſtea quando exaſperaueris amicum tuum*, vel *quando te exaſperauerit amicus tuus*; Syrus, *ne egrediaris ad iudicium velociter, ne, quãdo indicaueris, exprobret tibi amicus tuus*; Baynus, *ne egrediaris ad litem; ſed feſtina vt finem imponas, ne pudefaciat te amicus tuus*, præoccupando te, & ad amicitiam redintegrandam inuitando; Aben Ezra, *ne exeas ad litigandum niſi priùs cauſas expenderis, & eam iuſtam eſſe apud te decreueris, ne male audias apud amicos tuos, & litium conflator appelleris.*

Secunda diſpunctio Septuag. ambigua eſt, & tam ad præcedentem quàm ad præſentem verſum referri poteſt. Ad præcedentem q. d. Ne oſtentes te tuamq; ſapientiam coram rege, ſed ſi qua de re ab eo rogeris, candidè & ſimpliciter dicito ea quæ D viderũt oculi tui, id eſt ea quæ vidiſti vel audiuiſti: ſic enim arrogantis faſtum deuitabis, & modeſti veraciſque nomen apud eum obtinebis. Hic ſenſus valdè appoſitus eſt. Si ad præſentem referas, per iurgium accipe cauſam & litem ciuilem. q. d. Tu qui in lite teſtimonium apud iudicem dicis, ea tantùm depone quæ oculis tuis aſpexeris, & rurſus ex his quæ vidiſti, ne quid celeriter & imparatè in cauſa aliqua rogatus dixeris, ne ſera te poſtea pœnitentia dictorum capiat, tum ſcilicet cùm rerum liberare non poſſis: aut nolis: ne cõgaris retractare quod dixiſti, itaq; mendax habearis; vti faciunt multi, qui in re ſimiles ſunt crocodilis, canibus venaticis, ſimilibuſq; beſtijs, quæ cùm ſemel prædæ dentes infixerint, vix vnquã euellunt. ita Salazar. Huc facit illud: *Neſcit vox miſſa reuerti.*

Tertia diſpunctio noſtri commodiſſima, aptiſſimum & maximè connexum ſenſum exhibet. Monet enim, inquit Ianſen. ne quis per iurgium & contentionem publicum faciat alicuius crimen, etiamſi oculis ſuis illud conſpexerit, multò minùs ſi vano audierit tantùm rumore; ſed ſecundùm Chriſti præceptum cùm peccauerit frater aliquis, ſecretò moneatur: idque non per contentionem, ſed in ſpiritu lenitatis contra quorumdã morem, qui ſtatim vbi aliqua viderint in proximo, quæ ſint reprehẽdenda, mox cum iurgio & ſtomacho proferunt, ac palàm faciunt. Itaque notanda tria quæ hîc dicũtur, *Ne proferas*, & *In iurgio*, & *Citò*; neque enim crimina, maximè ſecreta, ſunt proferenda & publicanda, nec cum iurgio ſunt reprehendenda, nec citò aut præcipitanter, ſed tempore & loco opportuno. Quamquam illud *In iurgio* aliter accipi poſſit, videlicet non pro *cum iurgio*, aut *per iurgium*, ſed pro *inter iurgandum*, vt ſignificetur ſi litem aut contentionem aliquam habere cum aliquo cõtingat, cauendum, vt ne per impatientiam animi ac ſe vindicandi cauſa, quid etiam earum rerum quas vidit, effutiat contra alium, ne, cùm proximũ ſuum infamiâ aliquã aſperſerit, nõ poſſit id poſtea corrigere, & famam ereptam reſtituere, ſicque ſe & coram Deo obnoxium faciat magno peccato, & apud ſuum magno exponat periculo.

Sapienter Plutarch. in Moral. *Velut nauem, inquit, arreptam fluctibus anchora non licet ſiſtere, ita nec verbum in altum emiſſum.* Et rurſum: *Vt procliue non eſt auem è manu emiſſam recipere, ita nec dictum ſemel ab ore profectum.*

CAVSAM TVAM TRACTA CVM AMICO TVO, Vers. 9. ET SECRETVM EXTRANEO NE REVELES: NE C FORTE INSVLTET TIBI CVM AVDIERIT, ET EXPROBRARE NON CESSET] Pro *inſultet* hebr. eſt Vers. 10. יְחַסֶּדְךָ iechaſſedcha; quod propriè ſignificat, *ne in te pius & beneficus ſit*; ſed hîc & alibi per antiphraſin contrarium ſignificat. Vnde Tigurina vertit, *ne fortè audiens ſubtrahat à te beneficentiã*; Vatabl. & Pagnin. *probris ne afficiat te*; Chald. *ne exprobret tibi.*

Cauſa hîc quintuplici reſpectu, quintupliciter accipi poteſt: vnde quintuplex oritur ſenſus.

Primò enim Caietan. ſic ex Hebræo vertens, *lis tua lis ſocij tui, & ſecretum alterius ne detegas, ne exprobret tibi, & infamia tua non quieſcat*; ſic explicat: Charitatis plena monitio, vt litigioſam cauſam amici tui repures tuam, & ſimile huic eſt mandatum, vt ſecretum alterius non detegas, ſed tamquam ſecretum tuum habeas. Et ratio ſubditur: Ne propria fama damnum patiatur irreparabile, afficiente te contumeliâ audiente detegi ſecreta, cauſamque amici à te non æſtimari. Irreparabilitas enim famæ ſignificatur dicendo: *Infamia tua non requieſcet*; infames enim ſunt, & læſæ amicitiæ rei, qui amici ſecreta produnt, aut ei in lite & aduerſitate non opitulantur. hæc Caietan.

Secundò, R. Salomon q. d. Tu quidem iuſtè cauſam tuam cum amico iure proſequi potes, ſi ipſe tecum litigare velit, teque ad litigandum cogat; caue tamen ne in lite ſecretum eius reueles, vt probrum maiorum eius, qui iam vita functi ſunt, quod ceteri ignorabant, in lucem reuocet. Sic enim proditor amicitiæ & ſecreti audies, atque amicus à te læſus, ceterique hoc proditionis crimen tibi exprobrare non ceſſabunt.

Tertiò, Vatabl. q. d. Cauſam & litem tuam quam cum

cum alio habes, age non coram iudice, ſed coram amico, vt is amicè & ſecretò velut arbiter litem dirimat vel componat: ſi enim cauſam in iudicium deducas, omnium ſermonibus, iudicijs & dicterijs te expones, atque pericula diffamationum, expenſarum, aliorumque damnorum quæ lites conſequi ſolent, ſubibis.

Quartò, Hugo, Arboreus & Ianſen. Significatur, inquiunt, non debere quemquam nimis fidere ſibi in gerendis ſuis negotijs & cauſis, ſed ſi quod habeat negotium, maximè ſingulare & arduum, tractandū illud cum alio, non tamen cum quouis, ſed cum amico quopiam, de cuius fide non dubitetur, qui & bene conſulere velit & ſecretū ſeruare. Cauendum enim ne quis ſecretum ſuum homini extraneo, cuius integritas non ſit ſatis explorata, reuelet, ne fortè quod audiuit ſecretum, publicè obijciat, & ſine ceſſatione improperet. Huc accedit S. Thom. 2.2.q.189.art.10.ad 2. vbi docet cauſam temporalem tractandam cum amico temporali; ſpiritalem (qualis eſt ingreſſus Religionis) cum amico ſpiritali.

Quintò, & genuinè, hæc gnome pertinet ad litē & iurgium, de quo v. præced. q.d. Si quid cauſæ, litis, iurgij & querelæ habeas contra amicum, cum eo amicè & ſecretò illam pertracta, exponendo illi ea dicta vel facta ipſius, quæ tibi iniuria videntur, teque affligunt & cruciant, vt ipſe vel earum rationem reddat, vel veniæ petitione aliaue ſatisfactione læſionem ſarciat, & amicitiā redintegret: quare ſecreta hæc inter te & amicum diſſidia, ſecreta probra, ſecretas iniurias extraneo (cuius incerta & dubia eſt fides) ne reueles, vti imprudentes & impatientes facere ſolent, qui læſi ab amico, ilicò queruli eum apud obuios & exteros quoſlibet traducunt, eiuſq; iniurias ſibi ab eo illatas narrant & amplificant. Extraneus enim facilè te ridebit tibique inſultabit, & eadem diuulgare, imò in faciem tibi exprobrare non ceſſabit. Hoc eſt quod ſanxit Chriſtus Matth. 18.15. dicens: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ita Beda.

Hunc eſſe ſenſum patet ex Hebræo qui habet, *Litem tuam litiga* (Chald. *iudicia*) *cum amico tuo, & ſecretum alteri ne reueles; ne fortè exprobret tibi, & infamia tua non reuertatur*; Chald. *ne fortè exprobret tibi cùm audierit, & famam tuā peruertat*; Syrus, *& multi te iudicent*, id eſt vituperent & condemnent. Et ex Septuag. qui in Roman. & Complut. intricati & obſcuri ſunt; clarè verò ab auctore Catenæ Græc. ſic redduntur: *Si quādo probro te affecerit amicus tuus, diſſimula, retroq; ſecede; neque ob id illum aſperneris, ne conuitijs te appetat; adeoq; talis hinc rixa & inimicitia oborietur, quæ non facilè decedat, verùm diu multumq; inſtar mortis te infeſtet.* q.d. Si lis tibi inciderit cum amico, illumq; videris ira accenſum parturire verba indignationis plena, quæ in te euomat, tu prudenter abi & ſecede, dum ira eius deferueat, quo facto quietè cum ratione cauſam tuā cum eo age: ſi enim furenti obſiſtas, tu quoque furere incipies, eiuſq; furorem magis accendes, vnde fiet vt vtrimque multa probra iaciantur, quæ vtrumque apud audientes infament, & infamia ſemel cōtracta deinde deleri non poſſit. Huc facit ſymbolum Pythagoræ: *Cibum in ſcapham putridam ne ponas, id eſt ſecretum ne committas improbis & garrulis.*

Nota. Pro τὸ *rixa & inimicitia, &c. quę inſtar mortis te infeſtet*; Roman. & Complut. vertunt, *rixa tua*

A *& inimicitia non aberit, ſed erit tibi æqualis morti*: tum quia durabit vſque ad mortem. Amicus enim læſus ab amico improperio, reuelatione ſecreti & plagā doloſā, eſt irrecōciliabilis, vti ait Eccleſiaſt. c.22.27. tum quia inimicitia interimit amicitiam, quæ eſt quaſi vita amicorum; amans enim viuit in amato, & amicus in amico: anima enim magis eſt vbi amat, quàm vbi animat. *Sicut de Oreſte & Pylade traditur, ſi non fingitur, qui vellent pro inuicem, vel ſimul mori, quia morte illis peius erat non ſimul viuere*, ait S. Auguſtin. lib. 4. Confeſſ. cap. 5. Amicitia ergo eſt amicorum vita; inimicitia verò eorumdem mors. Tum denique quia perpetuæ inimicitiæ & rixæ, præſertim eorum qui antea fuerunt amici, ſunt moleſtiſſimæ, vt homo malit mori quàm in perpetuis litibus rixiſque viuere, ſimul & periculoſiſſimæ, ac non rarò in mutuas cædes

B deſinunt. Quocirca Moſes, imò Deus, Iudæis ita ſancit Leuit. 19.17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

GRATIA ET AMICITIA LIBERANT, QVAS TIBI SERVA, NE EXPROBRABILIS FIAS] Pro *liberant* græcè eſt ἐλευθεροῖ, id eſt libertate donant, ſeruitute liberant, liberum, ingenuum, liberalem, generoſum efficiunt. Hic verſus nō eſt in Hebræo: vnde & verſui præcedenti ſub eodem numero annectitur: ſed tranſcriptus eſt ex Septuag. vbi ſic habet: *Gratia & amicitia libertatem pariunt, quas, ne probris obnoxius fias, tibi ſerues, viaſq; tuas cuſtodi* εὐσυναλλάκτως, *id eſt conciliabiliter*, placidè, beneuolè, compoſitè, εὐσυνάλλακτος enim vocatur liberalis, placidus,

C facilis, compoſitus, benignus, beneuolus, qui ſuā beneuolentiā & compoſitione morum omnes ſibi deuincit & conciliat.

Dixerat Salomon non eſſe litigandum cum amico, ſed eius iniuriam vel diſſimulandam, vel ſecretò & amicè cum eo pertractandam, vt amicitia non diſſuatur, ſed fortiùs coaleſcat & redintegretur; nunc cauſam ſubdit, quòd gratia & amicitia ſint virtus & dos nobiliſſima, quæ hominem liberum, liberalem & generoſum efficiat, vt malit ſapiens eam ſeruare, & aliquid iniuriæ ab amico perpeti, quàm amicitiam frangere, & iniuriā lite proſequi vel vlciſci. Hoc enim eſt animi liberalis & generoſi, qui aliam parit libertatem, qua homo à metu, periculis, rixis, alijſq; mille malis, quæ ex inimicitiā conſequi ſolent, liberatur. Vnde Ianſen. ſic explicat: Significatur, inquit, gratiam & amicitiā,

D id eſt fauorem & beneuolentiā Dei & hominum, liberum & ingenuum reddere hominem, ita vt ſeruili timore ſibi malè non metuat, ſed per gratiam ac amicitiam Dei hominumq; ſecurus ſit, ac libero viuat animo, atque ſæpè à multis malis per illa liberetur: proinde meritò curam illorum habendam vt cuſtodiantur & firmentur, ne qui priùs bene munitus erat aliorum gratiā & amicitiā, illis amiſſis fiat exprobrabilis. Sic etiam cuique cuſtodiendas vias & actiones omnes, vt facilè cum ipſo tranſigi poſſit, nec durus ſit ac præfractus, ſed ſemper facilem ſe præbeat ac pacificum, ita vt etiamſi quid controuerſiæ incidat, facilè conciliationem admittat, ne ſciſſa amicitia poſtea non facilè reſarciri poſſit.

Vnde Septuag. addunt: *Cuſtodi vias tuas* εὐσυναλλάκτως, *id eſt compoſitè & conciliabiliter.* q.d. Ita mores tuos compone, vt omnium gratiam tibi concilies,

A lies, indieſque nouos tibi paras amicos, qui te diligant, protegant, promoueant. Qua in re vites imitari debemus: Vites enim, ait Plutarch. l. de Adulatorib. vitand. *effuſis palmitibus proxima quæque arbuſta clauiculis ſuis complexa, latiores fiunt: ſic plures per amicitiam ſibi adiungere feliciſſimum eſt.* Hinc Epaminondas teſte Æliano l. Variar. hiſtor. dicere ſolebat: *Non priùs interdiu diſcedendum è foro eſſe, quàm nouum aliquem amicum ad veteres adieceris*, idq; Scipionem Africanum factitaſſe perhibent. Socrate interrogante Crœſum, quid magni è regno eſſet cõſecutus? cùm ille reſpondiſſet: *Vt hoſtes vlciſcerer, & amicos beneficio afficerem: Multò*, inquit, *meliùs feciſſes ſi & illos tibi amicos aſciuiſſes.* Ita Maximus ſerm. 6. Sic cùm Pompeius hoſtes ferro perdomandos, amicos fauore colẽdos cenſeret; Iulius Cæſar meliùs vtroſq; beneficijs deuinciendos cenſuit. Maius enim meliuſq; eſt ex inimico amicũ facere quàm eum perdere & vlciſci. Porrò τὸ ἰσονομαλάκτως, id

Amicos multiplica. Gnoma.

B eſt *conciliabiliter*, egregiè explicat S. Bernard. ſer. 2. in feſto SS. Petri & Pauli. *Arbitror*, inquit, *quòd tu qui in congregatione es, bene viuis, ſi viuis ordinabiliter, ſociabiliter & humiliter. Ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, vt tu in omni conuerſatione tua ſolicitus ſis obſeruare vias tuas, & in conſpectu Domini, & in conſpectu proximi, cauens & tibi à peccato, & illi à ſcandalo: ſociabiliter, vt ſtudeas amari & amare; blandum te & affabilem exhibere, ſupportare nõ ſolùm patienter, ſed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quàm corporũ. Humiliter, vt, cùm hæc omnia feceris, ſpiritum vanitatis ſtudeas exſufflare, qui ex huiuſmodi naſci ſolet, & quantumcumq; illum ſenſeris, negare omnino conſenſum.*

Modus bene viuendi triplex.

C Vers. 11.

Mala avrea in lectis argenteis, verbvm dictvm in tempore svo] Noſter videtur legiſſe מִשְׁכָּבוֹת *miskabot*, id eſt lectis. Iam legunt מַשְׂכִּיּוֹת *maskiot*, id eſt cælaturis vel cancellis. Vnde Sept. vertunt, *malum aureum in monili ſardij*; Symmach. & Theodot. *in conſpicuis argenti*; Syrus, *pomum aureum in opere fuſili argenti*; Pagnin. *in picturis argenteis*; Chald. *in imaginibus argenteis*; Caiet. *in cæſuris*; alij, *in cælaturis*; R. Abraham, *in abſconditis*, vel *in theſauris argenti*; Vatabl. *in cælatis vaſis argenti*; Arias, *in thecis tranſparentibus argenti.*

Igitur primarum trium linguarum trina hîc eſt lectio & verſio, ac cõſequenter trinus ſenſus. Diſcrepant enim à ſeinuicẽ Latina, Hebrea & Greca, ac proinde cuique ſua danda eſt explicatio.

Primò, ergo Latinus Vulgatus interpres *mala aurea* ab aurifice fabrefacta accipere videtur, quæ ex lectis argenteis ſuſpenſa ſunt, hoc eſt, ad argen- D teum & cælatum lectorum operculum dependẽt. Sic enim Eſther 1. 6. rex Aſſuerus magnificentiæ cauſa in conuiuio ſuo regali lectulos apparauit aureos & argenteos, vt in ijs conuiuæ diſcumberent, in quibus elegantiæ cauſa mala aurea incidi vel affigi poterant, vt conuiuarum oculos paſcerent, ac ſimul ciborum orexim & appetitum acuerent. Senſus ergo eſt, ait Ianſen. Quemadmodum mala aurea affixa lectis argenteis, aut ab eis dependentia, exornant multùm lectos, recreant atque delectant, & propter varietatem & propter pretioſitatem & propter artis elegantiam: ita verbum opportuno tempore dictum multùm afficit audientes, & ipſum proferentem mirè exornat: verbum enim prudens ſi nõ dicatur ſuo tempore, eſt quidem quaſi pomũ aureum, ac in ſe multi pretij, ſed ſi iungatur tempori ſuo, quo commodè dicatur & opportunè, veluti aureum pomum eſt argenteis lectis inſertum, valdè ſcilicet recreans, homineſq; afficiens: antiquitus enim ditiſſimi & potentiſſimi reges lectos habebant aureos & argenteos, eoſq; mira varietate exornatos, vt habetur Eſther 1. Hebræa habent *verbum dictum in rotis ſuis*, hoc eſt, dictum debitis quibuſdam modis ac coloribus rhetoricis exornatum, quibus veluti rotis vehatur in audientium aures.

Hinc myſticè Beda, *Verba*, inquit, *prædicatoris appoſitè ad captum auditorum concinnata ſunt mala, quia de arbore vitæ, hoc eſt, de Dei ſapientia ſunt orta. Aurea, quia charitatem menti infundunt. Lectis etiam comparantur, quia requiem præſtant animabus audientium. Argenteis, quia ſplendore fulgent veritatis. Mala ergo aurea ſuperaddit ornatui lectorum argenteorum, quiſquis diuina eloquia ſpiritualibus plena ſenſibus atq; myſterijs, quibus ſuauiter animus paſcitur & accẽditur, opportuno* B *tempore ſuperaddit rudioribus ac ſimplicioribus doctrinis, per quarum cuſtodiam & hîc præſtatur pax animæ, & ad quietem peruenitur æternam.*

Minùs concinnè alij per *mala aurea* accipiunt pedes aureos lectorum, quos Clemens Alexandr. in Pædag. vocat χρυσοπίνκτυς, id eſt auro inſiſtentes, putà aureis pedibus ſubnixos. q. d. Sicut pedes lectorum tornati ex auro, ac rotundi, vt videãtur eſſe mala aurea, lectos tricliniorum tam ornant quàm ſuſtinent; ſic & verbum dictum in tempore ſuo. Minùs, inquam, aptè, tũ quia mala aurea dicuntur eſſe in lectis, non lecti incumbere malis aureis: tum quia tempus opportunũ dicitur potiùs ornare verbum ſapiens, quàm ab eo ornari.

Secundò, iuxta textum Hebræum, valdè appo- C ſitè verbum opportunè dictum comparatur malis aureis collocatis בְּמַשְׂכִּיּוֹת *bemaskioth*, id eſt in ſculpturis, cælaturis; vel cancellis argenti, quæ ſcilicet incluſæ ſunt thecis argenteis, ſed cancellatis, vt per cancellorum foramina malum aureum quod intrinſecus eſt, conſpiciatur: radix enim שָׂכָה *ſacha* ſignificat conſpicere & intueri res cælatas, pictas, figuratas & affabrè elaboratas. Vnde Symmach. vertit, *in thecis perſpicuis.* Fortè Noſter has thecas vocat *lectos* per hebraiſmũ, quia ſicut homo in lecto, ſic mala aurea in theca ſua requieſcunt. Iam ſi aurum ornandum erat pretioſo alio metallo, nullũ quidem opportunius quàm argentum, per cuius foramina ſubtiliſſima introſpici poſſet ſplendor auri, ſi quis attentè diſpiceret; ſin longiuſculè videret, nihil præter argentum videre videretur. Huc facit illud Cant. 1. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi* D *vermiculatas argento.*

Igitur Primò, ſicut mira eſt elegantia pomi aurei affabrè incluſi cancellis argenteis, quæ intuentium oculos inſigniter oblectat & rapit: ſic pariter mira eſt venuſtas ſententiæ grauis opportunè dictæ. Secundò, ſicut magnum eſt pretiũ auri inuoluti argento, ſic magnum eſt pretium ſententiæ prudenter prolatæ. Tertiò, ſicut in pomo aureo argenteis cancellis incluſo, magna eſt & concinna varietas auri, argenti, cancellorum, figurarum, ſculpturarum, &c. quæ mirè intuentes recreat: ſic pariter in dictis ſapientum magna eſt ſapientiæ, eloquentiæ, figurarum, troporum, ſimilitudinum copioſa varietas, & variegata copia, quæ audientes paſcit & recreat. Quartò, ſicut malum aureum interiùs latens, exteriùs cancellis argenteis velatur & ornatur, ita vt aſpicienti primò occurrat aſpectus argenti cancellati, deinde penitiùs perſpicienti

Verbum opportunum ſimile pomo aureo in theca argentea. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

occurrat ſpecies mali aurei interiùs latentis: ſic pariter ſermo ſapientis exteriùs decoram habet phraſim, & quaſi tegmen eloquentiæ, quæ argento ſonoro cōparatur: interiùs verò habet ſenſum reconditum ſapientiæ, quæ auro reſpondet. Id videre eſt maximè in parabolis, quales ſunt hæ Salomonis, quæ exteriùs elegantem parabolæ ſpeciē compoſitis & reticulatis verbis exhibent, ſed interiùs arcanum, putà parabolicum & ſymbolicum ſenſum penitiùs eas rimanti oſtentant.

Quocirca R. Moſes in libro *More hannebuchim*, id eſt doctore perplexorum, & ductore dubitantium c. 1. apud Galatinum l. 1. de Arcanis fidei c. 6. vertit, *ſicut malum aureum in reticula argenti, ſic verbum dictum ad duas facies ſuas*. q.d. Sicut malum aureum incluſum reticulo argēteo duas quaſi habet facies, vnam externam reticuli argentei, alteram internam & reconditam mali aurei: ſic & parabola duplicem habet ſenſum, vnum externū & apertum, qui eſt literalis; alterum internum & reconditum, qui eſt myſticus, putà allegoricus vel anagogicus, ſiue cabaliſticus. Vide igitur quanto artificio, & quàm exquiſitâ arte elaborari oporteat parabolā, quanto verborum ſplendore, quàm grauis ſententia exornandæ ei recondenda. Ita R. Leui, R. Salomon, Aben Ezra, Lyran. & noſter Pinede l. 3. de Rebus Salomonis c. 16.

Accedit verſio Tigurina, *mala aurea in cælatis vaſis argenteis, eſt verbum tempeſtiuè prolatum*; Vatabl. *mala aurea in cælaturis argenteis*. Additque: *Propriè, vox Hebræa ſignificat thecas, in quibus lapides pretioſi recluduntur, ita tamē vt videantur: Gallicè, claires voyes. Hæ autem thecæ fiebant ex argento, vbi erant foramina, per quæ poma illa aurea conſpicerentur à Salomone ipſo.* Veriſimile eſt tempore Salomonis, qui præ regibus omnibus abundauit auro & argento, has thecas in vſu fuiſſe in ornatu tum palatij regij, tum templi, tum priuatorum; ac fortè ea velut monilia ex collo geſtabant, vti modò nobiles geſtant bullas aureas & argenteas ſupra pectus, quæ ob rotūditatem à nonnullis poma aurea & argentea vocitantur. Alij per thecas haſce accipiunt abacos ſiue armaria & repoſitoria, in quibus Salomonis aurea ſupellex recondebatur, quæ ianuis reticulatis argenteis claudebantur, per cuius foramina videri poterat ſupellex aurea.

Caietan. vertit, *mala auri in cæſuris argenti, verbū ordinatum ſuper rotas auri*, ſicque explicat q.d. Sicut ſi quis artifex efformet arbuſculam, vel virgultum argenteum varijs interſectionibus quaſi ramis inciſum, producēs mala auri, non ſolùm pretioſum, ſed artificioſum pulchrumque ſpectaculum oculis intuentium exhibebit; ſic pariter qui ordinat verba ſuper rotas ſuas, audientium gratiam ſibi conciliat: eſt enim & pretioſus, & pulcher, ac mirandus ſermo ordinatus ſuper rotas ſuas, hoc eſt, ſuper loca topica, ſuper colores rhetoricos, ſuper phraſes modoſque loquendi elegantes & concinnos. Hæ enim ſunt rotæ ſermonis, quibus vehitur ſermo ad perſuadendum & inſtruendum auditorem. Ita Caiet.

Tertiò, Septuag. græcè vertunt, *ſicut aurea mala in monili ſardij*, vel, vt legit auctor Catenæ Græc. *quod malum aureum eſt monili ſardio, hic ſermo opportunus ſuo eſt auctori*. Aliqui hoc per hypallagen exponunt q.d. Quod monile ſardij eſt malo aureo, hoc ſermo opportunus ſuo eſt auctori. Nam ſardius eſt lapis pretioſus qui in palis annulorum aureorum velut gemma, vel in collaribus & catenis aureis velut bulla adiungi, & ſuper pectus dependere ſolet. Congruit enim ſardius cum aureo colore: eſt enim rubeus vt aurum: vnde ſimili phraſi ſubditur apud Septuag. *quod ſardius inſertus eſt aureæ mauri, hoc ſermo ſapiens eſt auri obſequenti*. Simili modo ait Eccleſ. c. 32. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & (ſic) comparatio muſicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi, ſic numerus muſicorum in iucundo & moderato vino*. Myſticè auctor Catenæ Græc. Sicut, ait, malum aureū congruit ſardio, ſic Dei cognitio congruit animæ caſtæ & puræ. Per aurum enim deſignatur cognitio, per ſardium honeſta actio.

Dubito an in Septuag. pro *σαρδίου* non legendum ſit *ἀργυρίου*, id eſt *argenti*. Sic enim habēt Hebræa, Chald. Latina, quin & Syrus qui ſequi ſolet Septuag. Tunc ſenſus foret appoſitus q. d. Sicut malum aureum annulo argenteo velut pala inſertum, aut catenæ argenteæ velut bulla appenſum, eamdem decorat & exornat: ſic pariter opportunitas ornat verbum, ſi videlicet illud congruo & opportundo loco & tempore proferatur. Hinc Syrus vertit, *ſicut pomum aureū in opere fuſili argenti*. Quod rurſum ſic exponas q.d. Sicut pomum aureum in phialia vel lance argento cælata poſitum, pulchrius & ſpecioſius apparet. Sic pariter verbū ſapiens opportuno tempore prolatum, nouum quemdā decorem acquirit, & ſeipſo pulchrius apparet. Huc quoq; poſſet reuocari lectio vulgata: Phiala enim vel lanx argētea Hebraicâ metaphorâ poteſt vocari lectus, quia in ea quaſi in lecto malum aureū decorè collocatur & requieſcit. Hic ſenſus valdè planus eſt & obuius: ſolent enim mala aurea tum fabrefacta, tum naturalia & viua in lancibus argenteis proponi, & conuiuis exhiberi.

VERBVM DICTVM IN TEMPORE SVO] Hebr. באפניו *beophnau*, id eſt *dictum in rotis ſuis*. At quid rotis cum verbis, & cum lectis argenteis? Reſpondetur alludi ad lectos rotatiles veterum, quales etiamnum videmus in domibus nobilium & principum, qui de vna aula in aliam, de vno triclinio in aliud per rotas illis ſubiectas facilè moueri & rotari poſſunt: lectus enim quadratus habet ſpeciem currus, cui rotæ infernè ſubijci queunt & ſolent; hic autē olim argenteis laminis obduci, vel operculo ex argento cælato tegi & onari ſolebat, & etiamnum ſolet apud principes; ſupernè verò quatuor columellis ad quatuor eius angulos inſiſtebāt capitella rotunda ex auro in ſpeciem pomorum, quæ proinde hìc *mala aurea* vocantur, quæ idcircò lecto & rotis argenteis incumbere & quaſi vehi videbātur. Rurſum *mala aurea* ex cælo, ſiue tecto lecti argentato ſuſpendi ſolebant. Senſus ergo eſt. q.d. Sicut mala aurea inſiſtentia, & quaſi vecta lecto rotiſq; argenteis, magnum ſui pretium æquè ac pulchritudinē intuentibus exhibent: ſic pariter verbum in rotis ſuis, id eſt in ſuis circumſtātijs circumſpectè, appoſitè & opportunè dictum, magnū audientibus exhibet ornatum & fructum: vti in primis patet in verbo Dei, quod interiùs animæ loquitur vt eam à peccato ad iuſtitiā, vel à iuſtitiâ & ſanctitate minore ad maiorem traducat. Iſta enim ſi dicantur congruè & opportuno tempore, animam conuertunt & ſanctificāt. Hæc enim eſt gratia efficax & congrua, quæ ſcilicet datur congruo tempore, congruaq; audientis diſpoſitione ad eam recipiendam, illiq; obediendum.

Verbum ſuas habet rotas; quom

Opportunitas ſermonis rota. Primò.

Portò verba opportunè dicta rectè dicuntur dicta in rotis ſuis. Primò, quia inſtar rotarum ſunt rotunda & aptè compoſita, vt nihil in eis ſit ſcabrum, nihil durum, nihil præfractum. Sic Cicero l. de Claris orator. *Verborum*, inquit, *apta, & quaſi rotunda connexio.* Et de Oratore: *Thucydides autem præfractior, nec, vt ita dicam, rotundus.* Et Iuuenal.

Aut curtum ſermone rotundo
Torqueat enthymema.

Et Horatius:

Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui.

Secundò. Secundò, quia inſtar rotarum concinnè decurrunt & voluuntur in animam audientis. *Tertiò.* Tertiò, quia inſtar rotarum nuſquam exorbitant, ſed in orbitis ſuis planè, ſecurè & celeriter rotantur. *Quartò.* Quartò, quia inſtar rotarum placidè ſuauiterque vehunt, tam verba, quàm ſenſus verborum ad aures mentemque audientium. *Quintò.* Quintò, quia, ſicut rota aptatur & æquatur orbitæ ſuæ, ſic & verbum aptandũ & æquandum eſt tempori & occaſioni.

B

Verbum ergo dictum in rotis ſuis eſt verbum concinnum, compoſitum & aptatum tempori. Hinc Hebræi per אֹפֶן *ophan*, id eſt rotam, metaphoricè ſignificant circumſtantiam, modum, occaſionem, congruentiam. Eſt metaphora ab aurigatione: quod enim eſt auriga in curru, hoc eſt mens in ſermone, mens enim eſt auriga linguæ & ſermonis. Opportunitas ergo, ſiue opportunum tempus, puta ſi verbum dicatur congruo modo, loco, tempore, &c. eſt quaſi rota quæ verbũ quaſi malum aureum vehit, & inſerit animum audientis: ſi enim idem verbum alio & importuno tempore dicatur, ab audiente non capietur, imò reſutabitur & reſpuetur, vti patet experientiâ. Hinc qui aliquid alteri perſuadere conantur, captant commodas occaſiones, & mollia fandi tempora.

C

Quocirca pro *verbum dictum in rotis ſuis*, id eſt *in tempore ſuo*, alij vertunt, *dictum in circumuolutione ſua*; Baynus, *in circumferentia ſua*; Paguin. *in modis ſuis*; alij, *in circumſtantijs ſuis*; Chald. & Vatablus, *verbum dictum opportunè*; Symmach. & Vulgata, *in tempore ſuo*; R. Salomon, *ſermo ſupra baſim pronuntiatus*, id eſt, *rectè fundatus & fixus*; Aben Ezra verò & R. Moyſes vertunt, *dictum in faciebus ſuis*, vel *in vtraque facie ſua*: cenſent enim א in אָפְנָיו *aphnau* non eſſe radicale, ſed heemanticum & aſcititium, vti eſt in אַשְׁמֻרָה *aſmura*, id eſt cuſtodia, *rad.* שָׁמַר ſcamar, id eſt cuſtodiuit. Conſequenter cenſent *aphnau* radicaliter idem eſſe quod פָּנָיו *panau*, id eſt facies ſuas, vel ad vtramq; faciem ſuam, vt ſit duale.

D

Iam *verbum dictum ad facies ſuas*, R. Moſes exponit dictum iuxta ſenſum literalem myſticum, id eſt dictum circumſpectè, quod ſcilicet antè quàm proferatur, reſpicit & circumſpicit omnes periſtaſes & circumſtantias loci, temporis & perſonarũ, vt non niſi opportuno tempore, vt vertit Noſter, ſe exerat & depromat.

Ex dictis liquet, mala aurea non naturalia, vera & viua qualia ſunt citria, aurantia & cydonia, ſed artificialia, putà ab aurifabro formata ex auro, paſſim ab interpretibus hîc accipi. Noſter tamen Salazar concinniùs & venuſtius mala aurea vera accipit, putà cydonia, quæ ſuo odore, æquè ac roſæ ceterique flores, conuiuas recreant, & ebrietati reſiſtunt, eaque de cauſa cum floribus ſolebant lectulis & menſis conuiuarum inſpergi, vti docet Athenæus lib. 3. *Multa mala*, inquit, *cydonia mittebant in thorum regi, multaq; myrti folia, roſarumq; ac violarum elegantes orbes*; vt ſenſus ſit. q. d. Quemadmodum *mala aurea*, id eſt cydonia aut melina, ſuper lectos argenteos, id eſt tricliniares, ſeu epulares, ad ſtipandos conuiuas miſſa, ebrietatem arcent; ſic etiam *verbum dictum in tempore ſuo*, vel *in rotis ſuis*, nimirum problema aliquod obſcurum opportunè inter epulas coniectum, mirificè conuiuarum ebrietati ſuccurrit, vel potiùs ipſam prohibet; nam ne mentes obtuſis mero capitibus ad illud ediſſerendum ineptæ reddantur, nullus non temperanter bibit.

Hæc expoſitio apta eſt, ſed arcta: arctat enim verbum opportunè dictũ ad problemata conuiuij. Quare meliùs generaliuſque Baynus accipit verbum congruæ amicæq; monitionis & correptionis. q. d. Quemadmodum mala ſuper lectulos triclinij argenteos coniecta conuiuæ temulentiam coërcent, & caput contra merum obfirmant: ita etiam beneuola & amica correptio morum tempeſtiuè adhibita, hominem ira aut aliquâ aliâ vehementi affectione correptũ deebriat ac ſibi reddit.

Generaliſſimè & pleniſſimè accipias hîc verbum quodlibet, ſiue monitionis, ſiue cõſilij, ſiue inſtructionis, ſiue conſolationis, &c. q. d. Sicut mala aurea lectulis argenteis inſperſa conuiuas recreant, roborant, paſcunt: ſic pariter verbum quodlibet congruè & opportunè dictum audientes recreat, roborat & paſcit. Huic ſimilis eſt gnome S. Chryſoſt. apud Maxim. ſer. 31. *Liberè loqui ſubinde etiam vulgares ſolent: at decenter & tempeſtiuè cum modo & prudentia licentiâ vti, hoc demum magni eſt & admirabilis animi.* Et illa Plinij l. 25. c. 5. in fine: *Vt elleborum tametſi efficax, tamen medici vetant dari ſenibus, aut pueris, aut exilibus, aut timidis: ita admonitio ſic eſt temperanda, vt ferre poſſit quem velis emendare; nec ſolum ſpectandum eſt vitium, ſed natura quoque eius, cuius vitio ſtudeas mederi.* Idem l. 5. c. 14. *Morus*, ait, *nouiſſima omnium germinat, & tamen paris inter primas; ita qui tempus optimum opperiuntur rei conficiendæ, etiamſi ſeriùs cœperint tamen maturiùs conficiunt.* Idem l. 11. c. 6. & 10. *Apes peragunt opus ſuum non ſtatis diebus, ſed quoties cæli commoditas inuitat, ita ſuo quoque tempore capienda eſt occaſio.*

INAVRIS AVREA, ET MARGARITVM FVLGENS, QVI ARGVIT SAPIENTEM, ET AVREM OBEDIENTEM] *Vers. 12.* Pro *margaritum fulgens* hebr. eſt חֲלִי כָתֶם *choli chatē*, quod Hebræi paſſim vertunt, *ornamentum auri obryzi*, vel *monile aureum*. Ita Pagnin. Caiet. Vatabl. & alij. Septuag. vertunt, *ſardium pretioſum*; Syrus, *ſardium bonum*; Chald. *vaſa ſmaragdina*; alij, *diadema*, vel *corona aurea*; alij, vt noſter, *margaritum fulgens*; alij, *orarium precatorium, placatorium aureum*, id eſt monile omnibus placens, omneſq; alliciens & placans. Rurſum pro *ſapientem* ex Hebræo verti poteſt cum Caiet. *ſapiens* in nominatiuo, vt ſapiens qui arguit, hîc cõparetur inauri aureæ & margarito fulgenti. Inſuper variant hîc priſci interpretes: aliter enim vertunt Septuag. aliter Chald. aliter Noſter. Trina ergo hîc verſio trinum pariter poſcit ſenſum.

Primò, Septuag. & ex eis Syrus vertunt, *quod pretioſus ſardius illigatus*, vel *inſertus eſt aureæ inauri; hoc ſermo ſapiens dimiſſus in aurem obedientem eſt auri.* Ita auctor Catenæ Græc. vbi corripiens & correptio, ſiue ſermo ſapiens, comparatur ſardio; correptus verò & edoctus qui ſermoni obedit, comparatur

paratur inauri aureæ.q.d. Sicut ſardius aptè componitur cum inaure aurea, illamque exornat; ſic pariter ſapiens monitor & monitio aptè componitur cum aure obediente, illamq; mirè condecorat. Ad hunc ſenſum Vulgatam Latinam accommodat Beda: *Rectè*, inquit, *humilis auditor inauri cõparatur aureæ, qui dum libenter increpanti & arguenti aurem accommodat, tam ſe ad recipiendam claritatem cæleſtis ſapientiæ præparat, iam ſupernæ lucis viſioni appropiat.* Poſtea verò ſubijcit de doctore: *Rectè doctor eruditus margarito fulgenti aſſimilatur, quia dum emendationem morum, dum ſupernorum ſcientiam deſiderantibus, ac piè quærentibus animis oſtendit, quaſi aureo ornatui maiorem inſuper gratioremq; fulgorem gemmæ ardentis adnectit.*

Huc pertinet verſio Caietani, *Inauris aurea & monile obryzi, arguens ſapiens ſuper aurem obedientem.* q.d. Correptio & diſciplina ornat tam corripientem quàm correptum, tam doctorem quàm docilem diſcipulum: huic enim qui aure eam excipit, eſt loco inauris aureæ; illi verò qui illam ore promit, eſt loco monilis & torquis aurei.

Secundò, Chald. vertit, *inauris aurea & vaſa ſmaragdina, correptio ſapiens in aure obediente.* Per *vaſa ſmaragdina* aliqui accipiunt pocula pretioſa è ſmaragdo, quibus diuites & nobiles in conuiuijs vtebantur, ijſque inuicem cum apprecatione ſalutis præbibebant. q.d. Sicut modimperator, ſiue herus & præfectus conuiuij, conuiuis propinat calicem pretioſum, v.g. ſmaragdis ornatum, in eoq; vinum præſtans, ſed acre & amarũ (Vnde Italorum prouerbium, *Il vino amaro te ſia caro*: amarum enim roborat ſtringitque ſtomachum, quem dulce vinum laxat & ſoluit) conuiuæ verò calicẽ hunc vt amoris ſymbolum, atq; ſalutiferum, cum ſimili ſalutis apprecatione auidè excipiũt & hauriunt: ſic quoque ſapiens doctor diſcipulo propinat amarã diſciplinam & correctionem, vt vitia eius reſecet, velut calicem vinumq; amarum, ſed pretioſum & ſalutiferum, quem proinde diſcipulus amanter auideque excipiat & hauriat oportet. Poſſunt tamen quælibet vaſa ſmaragdina hîc accipi: ſmaragdus enim & pretio & colore viridi effulgurans inter gẽmas eminet, mireq; omnium oculos recreat. Vide dicta Apocal. 21.19. vbi dixi ſmaragdum virentem eſſe inſigne virginitatis, eſſeque amuletum contra venena: ſic & correptio virginitatem animæ tuetur, eſtque amuletum contra omnia vitia

Tertiò, Noſter optimè ex Hebræo vertit, *inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem & aurem obedientem*; & Tigurin. *torques aureus & monile aureũ eſt, increpatio ſapientis auri obtemperanti.* Sic diſciplinam comparauit torqui aureo c. 1. 9. Senſus ergo eſt. q.d. Correptio ſeuera, ſed matura & amica, quã ſapiens opportunè adhibet audienti, ideoque obedienti, non vilis eſt & infamis, ſed res nobilis, pretioſa & pulcherrima inſtar inauris aureę & margariti fulgentis, quę proinde tam corripienti quàm correpto magno ornamẽto eſt, æquè ac ſaluti. Vnde Pagnin. clarè vertit, *vt inauris aurea, & ornamentum obryzi eſt, qui arguit ſapientem cui eſt auris obtemperans.* Noſter pro *ornamentum obryzi* meliùs vertit, *margaritũ fulgens*, quia inauris aurea propriè erat circulus inſtar annulli auri inſertus, ex quo dependebat margaritum ſplendidum velut monile, vti docet S. Hier. in Ezech. 16. & ex eo noſter Pineda in Iob c. 42. v. 11. n. 12.

Huic gnomæ ſimiles ſunt illæ ſapientum apud Maximum ſerm. 31. Hermis: *Reprehenſio ſi agnoſcatur, ò Imperator, ad cupiditatem eorum quæ priùs non norat, reprehenſũ ducit.* Iſocrates: *Sicut mel exulcerata mordet ſecundùm naturam verò conſtituti: ſuaue eſt; ita habet & oratio philoſophorum.* Ariſtonymi: *Qui ex oratione libertatem arguendi tollit, perinde facit, ac ſi ex abſinthio tollat acorem.* Phocionis: *Nec ſol è mundo, nec loquendi libertas ex hominũ congreſſu remouenda.* Anonymi: *Vt elleborum ſi parciùs ſumas, magis offendit, quod inhæreat viſceribus inficiatq; corpus; ſin copioſius ſumas, proderit; erumpet enim liberiùs: ita non eſt obiurgandus amicus, niſi ea vehementia quæ vitio liberet illius animũ. Nam lenior expoſtulatio contriſtat amicum nullo fructu.* Plutarchi in Moral. *Medici pharmacis amaris nonnihil ſacchari aſpergunt, vt ægros alliciant ad ea ſumenda: ita parentes obiurgationis aſperitatẽ lenitate debent mitigare.* Rurſum: *Vt lienoſis acria & amara proſunt, dulcia obſunt, ſic & vitioſis.*

Gnoma de correptione congrua.

Porrò ſeuerus monitor, & ſeuera monitio ſiue correptio, rectè comparatur inauri aureæ & margarito fulgenti. Primò, quia, ſicut inauris aurea pretioſa eſt, nec dedecorat, ſed ornat decoratque aurem; vnde inauris olim nobilitatis erat inſigne, vti ex Platone & Apuleio docet Rhodiginus l. 3. c. 25. ſic pariter correptio pretioſa eſt, nec infamat, ſed ornat & nobilitat audientem & obedientem: magna enim laus eſt, quòd pareat corripiẽti. Hoc enim ſignum eſt magnæ humilitatis & obedientiæ, æquè ac prudentiæ.

Correptio eſt inauris aurea. Primò.

Secundò, ſicut inauris perforat & pertundit aurem cum dolore, ac deinde firmiter auri adhæret, eamque aſſiduè vellicando ſtimulat, & ornat velut monile: ſic pariter acris correptio ferit tunditque aurem mentemque, imò intima mentis audientis, ac deinde fortiter illi adhæret; correptus enim hoc ſtimulo punctus reſipiſcit, & correptionem conſtanter retinet, nec eam ſibi excidere ſinit. Igitur ſicut ijs qui aures & auditum habent hebetem & obtuſum, affigitur inauris, vt ſuâ puncturâ hebetatam audiendi vim excitet & acuat: ſic ijs qui proprij ſunt cerebri & durioris ceruicis, adhibetur acris correptio, quæ ceruicem ſternat, eoſque legi obedientes faciat. Verè Plutarch. in Moral. *Remedia*, ait, *ſtatim mordent, vel offendunt, poſtea conferunt ſalutem & voluptatem. Ita ſalubria monita initio nonnihil ſunt amara, poſtea correctio iucundiſſima.*

Secundò.

Tertiò, olim in inaure, æquè ac in annulo incidebant nomen Dei ſui, vel rei ſummè amatæ: ſic pariter correptio hæc accipitur à ſapiente vt res ſummè vtilis, ſalutifera & dilecta, imò diuina & à Deo manans. Hoc eſt quod ait Deus per Oſeam c. 2. 13. *Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo.* Deus enim inauri inſculptus videbatur homini quaſi ad aurem ſemper aſſiſtere, illiq; in aurem loqui, & eum ſui cultus perpetim admonere. Hinc Iacob defodiens idola familiæ ſuæ, ſimul cum eis defodit inaures, Geneſ. 35. 4. Hinc & Gedeon ex inauribus fecit ephod, quod deinde Hebręi coluerunt vt idolum, Iudic. 8. 24. Et Aaron ex inauribus conflauit vitulum aureũ, Exodi 32. v. 2. & 4. Addit R. Abraham Hebræos inauribus incidere ſolitos id, quod ſemper in memoria & mente geſtare vellent. Igitur inauri comparatur correptio quia eã dat corripiens correpto, vt eius perpetuò ſit memor, ac iuxta eam mores corrigat, & vitam cõponat: ac ſimili modo acceptat eam is qui correptionem beneuolè excipit, illiq; obedit.

Tertiò.

Quartò. Quartò, inauri aureæ ſolet innecti margaritum A fulgens, quod mirè ornat aurem æquè ac inaurem: ac vtrumque ſanè pretioſum eſt, ſed ponderis exigui: nam qui vellet maſſam quamdam auri grauiſſimã auribus innectere aures minimè ornaret, ſed potiùs oneraret, & fœdè diſcerperet. Similis eſto correptio, non leuis pretij, ſed leuis tamen ponderis, vt ſcilicet ſit prudens & cordata, ſed tamen lenis & blanda, ne graui iræ vel triſtitiæ pondere ãnimum correpti premat, deprimat vel opprimat. Vide duodecim dotes margaritarum recenſitas Apoc. 21. 21. quas facile eſt adaptare correptioni & corripienti. *Cur mo.* Præclarè Plutarch. in Moral. *Quemadmodum medicus*, inquit, *vbi ſecuit carnem, non ſtatim deſerit ſectum, ſed rigat ac lenit: ſic qui acriùs obiurgauit, debet reliqua vitæ conſuetudine lenire eam moleſtiam.* Ibidem: *Pharmacum non adhibitũ in loco dolet abſque fructu: ſic obiurgatio non vt debet admota.* B *Atque idem facit amicus cum moleſtia, quod adulator cum voluptate. Lædit enim vterq.* Ibidem: *Vt Telephi vulnus eãdẽ haſtâ ſanatum eſt qua vulnus inflixerat: ita vulnus obiurgationis ab eodem ſanabitur qui fecit.* Alius: *Vt perniones & facit & tollit frigus: item igni ambuſta ſanat: ita amici obiurgantis oratio dolori quem facit, eadem medetur.*

Quintò. Quintò, inauris ſymbolum eſt diſciplinæ & obedientiæ; quia ſicut inauris inſeritur in aurem: ſic & verbum diſciplinæ ingeritur in aurem & mentem. Hinc de Chriſto dicitur pſal. 39. 7. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*; Heb. *perforaſti mihi*, nimirum ſubula ſeruituris, quia inaurem obedientiæ auribus meis appendiſti, mentiq; inſeruiſti. Vnde *tunc dixi, Ecce venio; In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quæ verba citat Apoſtolus Hebr. 10. v. 5. vide ibi dicta. C Hinc & illud Chriſti Patri obedientis vſque ad mortem crucis: *Dominus Deus aperuit mihi aurẽ, ego autem non contradico, retrorſum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me*, Iſaiæ 50. 5.

Sextò. Denique inauris ſymbolum erat reconciliationis & pacis: vnde amici Iob, qui cum eo diſceptantes eum ſæpiùs malè redarguerant, pœnitentes tulerunt ſinguli ad eum inaurem auream in ſignum reconciliationis, Iob 42. 11. Vnde & Plautus in Epidico: *Non meminiſti*, inquit, *me inaurem auream ad te adferre natali die.* Vbi Scholiaſtes: Solebant, ait, hi qui amicos per annum aliqua ratione læſerant, illos in die natali inaurium donatione placare, vt iniuriarum obliti cum eis in gratiam redirent. D Correptio ergo, quæ quaſi inauris aurea à corripiente datur, & à correpto accipitur, ſignificat eam amicè & placidè à corripiente dari, & à correpto accipi, vt ſi quæ priùs inter vtrumque interceſſerit iniuria aut ſimultas, hæc iam per correptionem oblitteretur, & priſtina amicitia redintegretur: per correptionem enim quaſi auris, imò os & mens corripientis, auri & menti eius qui corripitur, copulatur, ſociatur & vnitur.

Vers. 13. SICVT FRIGVS NIVIS IN DIE MESSIS, ITA LEGATVS FIDELIS EI, QVI MISIT ILLVM, ANIMAM IPSIVS REQVIESCERE FACIT] Hebr. *animam domini reuerti facit*; Septuag. *ſicut eruptio niuis meſſis tempore ardorem reſtinguit, æſtuq; laborantibus grata exiſtit, ita fidus legatus his qui miſerunt illum: ſiquidem animos illorum qui illo vſi fuerant, recreat & refocillat.* Ita auctor Catenæ Græc. Syrus, *ſicut quando deſcendit nix* A *in tempore meſſis æſtum refrigerat, ſic legatus*, &c. *animam heri reducit*; Chald. *animum domini ſui reficit*; Aben Ezra, *reducit*; *Quaſi domini animus*, inquit, *diſcedenti legato coniunctus fuiſſet; eo denique redeunte in domini corpus reductus ſit, quod is legatum fidum ſe præbuerit.* R. Leui, Sicut frigus, inquit, ex niue proueniens æſtatis tempore iucundiſſimum eſt, vitalemque calorem conſeruat, ne præ nimio aëris æſtu, qui illa tempeſtate immoderatus eſt, euaneſcat; eumdemq; ad intima corporis præcordia retrudit: ita legatus fidelis eum oblectat à quo miſſus fuerit, dominoque ſuo animum reddit, vitamq; præbet, cùm illius optata ritè abſoluerit, riteq; legationis negotia obierit. Hæc ille.

Quæres, quod ſit frigus niuis in die meſſis? cùm in æſtate & meſſe nulla ſit nix, ſed ſummus æſtus: *Nix æſtiua.* niſi Deus faciat miraculum, quale fecit B. Virgo B Romæ ſub Liberio Pontifice cùm ei locum baſilicæ S. Maioris in Eſquilijs ædificandæ, niue de cælo miſſa die 5. Auguſti, cùm in Vrbe ſummi ſunt calores, deſignauit & delineauit. Reſpondetur Primò, niuem à diuitibus in hieme colligi, vt *Primò.* in æſtate illi pocula & cyathos imponant, itaque frigidum vinum bibant: imò nonulli niuem vino miſcent, vt frigidius potent, etſi medici id vt valetudini & calori naturali noxium improbent. Vide Franc. Valeſ. de Sacra philoſ. cap. 61. Verùm hæ paucorum diuitum ſunt deliciæ, quæ ad meſſem & meſſores pauperes non pertinent. *Secundò.* Secundò, ventus, præſertim Aquilonaris, per montes & Alpes niue etiam in æſtate oppletos, frigus ex niuibus contrahens, illud defert ad ſubiectas valles & camporum meſſores, illoſque mirè refrigerat, vti Romæ, quæ montibus circumdatur, fieri experimur. Vnde ſignanter ait *frigus niuis*, id eſt ex niue è vento C contractum, non nix ipſa. *Tertiò.* Tertiò, nix ipſa ſubinde dum copioſa eſt, ex montibus niuoſis in campos illis ſubiectos deuoluitur, ibiq; metentes recreat, & æſtum reſtinguit.

Senſus ergo eſt. q. d. Sicut frigus à vento niuoſo, vel ab ipſa niue afflatum meſſoribus calore æſtuantibus ſudantibuſque æſtum mitigat, ac mirè eos recreat & refocillat, dum incendia ſolis refrigerat, ſudorem laborum tergit, & ardentes temperat anhelitus: ſic pariter legatus fidelis animã heri qui eum miſit ſollicitudine & curis æſtuantem, ab hoc curarum æſtu requieſcere facit, refrigerat & ſolatur. Sicut enim tale frigus valdè deſideratum & expectatum, recreat & reparat æſtuantium ac laborantium animos ſimul & corpora; ita & nuntius talis poſt negotium fideliter peractum reuerſus, D ſuo bono nuntio mittentis animam laborantem & anhelantem præ deſiderio reficit, tranquillamq; ac pacatam reddit; vel, vt habent Hebræa, *animam eius reſtituet*, quaſi ſcilicet collapſam & moræ impatientiâ languidam factam. Monet ergo hæc ſententia legatos ſui muneris, vt cogitent quanto deſiderio ſuſpenſi maneant qui miſerunt eos tantiſper, donec perficiant iniunctum officiũ, & quantum refrigerium ac ſolatium eis adferat fideliter ab eis obita legatio. Ita Ianſen. Baynus & alij.

Nota. Anima phyſicè à pleriſque vocatur ipſa reſpiratio, ſeu qui reſpirãdo attrahitur ſpiritus: atque Diogenes, vt tradunt qui de eius placitis ſcripſerunt, in eo aëre, animæ eſſentiam eſſe putauit. Sed vtrumque de animæ eſſentia ſentiat phyſicus, quia reſpirata vita ſeruatur, ipſam reſpirationem

animam

animam vocat, atque huius ipſius facilitatem ſeu tranquillitatem animæ requiem. Itaque facere animam requieſcere, eſt phyſicis reſpirationem facilem reddere; id verò fit igneum calorem extinguendo, atque hominem attemperando.

Legatus fidelis ſimilis niui in meſſe. Primò. Appoſitè comparatur ſollicitudo æſtui; frigus niuis legato fideli. Primò, quia ſicut æſtus corpus, ſic ſollicitudo animum vrit & cruciat; legatus verò fidelis inſtar niuis & auræ niuoſæ, hanc vſtionem & cruciatum lenit & ſopit: tum quia in eius fide requieſcit animus heri anxius & ſollicitus, tū quia reipsâ experitur per eum fideliter & feliciter negotia ſua curarum plena tranſigi & expediri. Rurſum ſicut frigus in æſtu ſummè deſideratur, ſic & legatus fidelis in rebus arduis & perplexis. *Secundò.* Secundò, quia, ſicut ventus eſt velox, & velociter frigus niuium ad meſſores profert: ita & legatus fidelis velociter res heri ſui perplexas conficit, eumque ſollicitudine leuat & pacat, vt placidè in eius fide cōquieſcat. *Tertiò.* Tertiò, ſicut meſſores ſudantes ingenti egent refrigerio, ad calorem enim eorum reſtinguendum nō ſufficit pluuia, nec aura lenis, ſed requiritur Aquilo niuoſus, qui niuali frigore intima penetret & peruadat. Vnde heb. צנה *ſinna*, ſignificat frigus acutū, quod inſtar haſtæ vel teli intima penetrat. Sic pariter ad anxias heri curas leuandas non ſufficit famulus vel nuncius quilibet, ſed requiritur legatus expertus & fidelis, in cuius fidem & ſinum omnes curarum æſtus reſignet & deponat. Aben Ezra *ſinna* vertit ſcutum, quia nunc velut ſcuto munit ſe meſſor contra æſtum; ſic & herus fide legati quaſi ſcuto munit ſe cōtra curas & anxietates negotiorum. *Quartò.* Quartò, ſicut frigus niuis in meſſe homines æſtu grauatos, & meſſores metēdo anhelantes, eo magis recreat, quo magis rarum, nouum & inexpectatum obuenit: ſic pariter legatus fidelis rarus eſt, & ſubinde ſuâ diligentiâ præuenit & ſuperat expectationē heri mittentis eum, eoque magis eum lætificat & exhilarat.

Talis legatus fuit Moſes, miſſus à Deo ad liberandum Hebræos ex Ægypto: hoc enim fideliter præſtitit, itaque tam Deum quàm Hebræos mirè recreauit. Item Ioſue qui miſſus à Deo & Moſe ad inducendum Hebræos in terram promiſſam, idipſum bellando fideliter compleuit. Talis quoque fuit Caleb, qui à Moſe miſſus cum Ioſue ad explorandam terram ſanctā, cùm ceteri exploratores dicerent eam eſſe inexpugnabilē, Dei ope expugnatu facilem oſtendit, ideoq; hi duo ſoli eam ingreſſi ſunt. Num. 13. v. 31. Talis noſtro æuo fuit Thomas Morus, qui legatus ab Henrico VIII. ſæpiùs miſſus in Galliam, Flandriam, ac tandem Cameracum, mirâ dexteritate pacem inter ſummos Chriſtiani orbis monarchas, magno Henrici, omniumq; ordinum gaudio & bono confecit, ſtabiliuitq; Vnde ab eo creatus Angliæ Cancellarius eidē in delicijs fuit, donec eius libidini reſiſtēs, capite ab eodem mulctatus glorioſum obijt martyrium.

Myſticè, talis legatus Deo Patri fuit Chriſtus, qui ab eo miſſus ad hominum redemptionem & ſalutem, idipſum fideliter præſtans, ſummè Deum, angelos & homines exhilarauit. Talis itē fuit Gabriel Archangelus nuntians, imò afferens B. Virgini incarnationem Chriſti. Tales quoq; fuere Apoſtoli à Chriſto miſſi ad conuerſionem Gentiū. Vnde Beda. *Legatus fidelis*, inquit, *doctor eſt Catholicus; qui autem mittit eum, Dominus. Porrò dies meſſis in æſtu, tempus eſt prædicationis inter ſermones perſequentiū, de quo dictum eſt: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Frigus niuis in meſſe, aliquantula eſt quies prædicantium à perſecutione repugnantium. Rectè ergo dicitur: Sicut frigus niuis in die meſſis, &c. quia ſicut optabile eſt prædicatoribus verbi, cùm ab infideliū rabie fortè aliquid refrigerij accipiunt, nec facultas docendi negatur: ita ipſi qui ad prædicandum eos miſit Domino gratū eſſe conſtat, cùm ſuſceptam ab eo legationem etiam inter aduerſa obſiſtentium fideliter complent.*

NVBES, ET VENTVS, ET PLVVIÆ NON SEQVENTES, VIR GLORIOSVS, ET PROMISSA NON COMPLENS] Hebr. *vapores, & ventus, & non pluuia, vir ſe iactans in dono falſitatis*; Chald. *dici nubium & venti, in quo non eſt pluuia, ſimilis eſt vir qui gloriatur in dono falſitatis*; Vatabl. *qui magnificè pollicetur, ſed præſtando fallit*; Sept. *ſicut venti, & nubes, & pluuiæ clariſſimæ, ſic qui gloriatur in dono mendaci*; Symmach. *in dono iniquo.* Vers. 14.

Hæc tria, ſcilicet nubes, ventus & pluuiæ non ſequentes, tripliciter conternari poſſunt: vnde triplex reſultat comparatio, & conſequenter triplex ſenſus. Primò planè, q. d. Sicut ſi nubes oriantur, & ventus imbrifer, qualis eſt Auſter, perflet, portendunt & quaſi promittunt pluuiam, & tamen ſubinde nil pluuiæ ſequitur: ſic eſt vir glorioſus qui multa promittit, & tamen ea non complet. Ita Chald. Vatabl. Pagnin. & alij paſſim.

Secundò ſic: Sicut ſi nubes denſentur, præſagium eſt pluuiæ, & tamen ſi cooriatur ventus validus (qualis eſt aquilo) nubes diſpellit & diſſipat, vt nulla ſequatur pluuia: ſic, &c.

Tertiò ſic, vt τὸ *non ſequentes* referatur tam ad nubes & ventum, quàm ad pluuias. q. d. ait Caiet. Sicut quandoque videntur orituræ nubes, oriturus ventus, & oritura pluuia, & tamen nil horum oritur aut ſequitur: ſic eſt qui multa promittit & parum præſtat. Hoc videntur voluiſſe Septuag. dum vertunt, *ſicut venti, nubes & pluuiæ clariſſimæ*, vel, vt Vatican. legit, *clariſſima*, vt ad omnia tria referatur, *clariſſima*, id eſt diaphana & ſubtilia, quia tenuia & exilia. q. d. Sicut ſe habēt venti clariſſimi, id eſt qui aërem ſerenant, nubeſque fugant: & ſicut nubes clariſſimæ, id eſt exiles, diaphanæ & ſubtiles, quæ leui aurâ ventoq; diſſipantur: & ſicut pluuiæ clariſſimæ, id eſt raræ, ſubtiles & exiguæ, vt iuſtam aquæ copiam, quæ requiritur ad terram irrigandā, non afferant: ſic ſe habet qui magnifica omnibus promittit. Hic enim omnibus ea præſtare nequit: quare fidem fallat, & paucis vel nulli quę promiſit præſtet, oportet. Hoc eſt quod ait Threuer. in Apophth. *Cùm celū manè rutilat, tempeſtatem præſagit; ſic quàm minimum expectandum eſt ab eo, qui plurima arroganter promittit.*

Iuxta primam conternationem, quæ planior magiſq; obuia videtur, ſenſus eſt q. d. Sicut nubes & ventus inanes & ſteriles, ſpe pluuiæ quam dederunt, fallunt homines cùm non ſequitur pluuia, maximè cùm auidè deſideratur ad æſtus refrigerium & terræ fertilitatem, ſicque homines maiori afficiūt poſtea triſtitiâ ac moleſtiâ: ita & qui multa promittit, quæ deinde non præſtat, cùm expectatione ſua homines fruſtretur, moleſtiam duplicem eis ingerit, cùm & expectare eos fecerit, & datæ expectationi non ſatiſfaciat. Appoſitè vir glorioſus in verbis & promiſſis ſuis cōparatur nubibus & vento, quòd nubes res ſint altæ, & ventus res videatur maximè inanis & nihili ac inſtabilis, vt ſignificetur illius ſuperbia & ventoſa inanitas atq; inconſtantia.

Rurſum, ſicut dies in quibus nubes atræ ſolem tegunt, & venti horridi cum fragore in terra perſonant, qui imbrem promittunt, nec tamen præſtant, atri ſunt, triſtes, melancholici & permoleſti: ſic pariter qui magna iactat & pollicetur, parumque reipſa exhibet, omnibus grauis eſt, & moleſtus, inuiſus & exoſus. Tales ſunt arrogantes oſtentatores & iactabundi. Ratio eſt, quòd ſuperbia & iactantia efficiat eos magniloquos vt ingentia ſupra vires promittant, quæ deinde præſtare nec velint, nec poſſint. Hinc omnia quæ multum habent oſtentationis, parum habent rei & veritatis; ac quę multum habent pompæ, parum dant vtilitatis & fructus: hic enim totus in pompā inſumitur: ſicut arbores & vites quæ foliorum luxuriem oſtentāt, parum dant vuarum & vini; quia totus earum ſuccus abit in folia. Prorſus eodem modo res hîc ſeſe habet.

Iuxta ſecundam conternationem noua datur cauſa, cur promiſſa quis nō præſtet, ſcilicet leuitas animi & inconſtantia, hanc enim repręſentat ventus Aquilo. q.d. Sicut Aquilo diſpellit nubes vapore grauidas vt pluuiam pariant, eaſq; facit vagas & ſteriles: ſic pariter leuitas animi facit, vt quis id quod pollicitus eſt non adimpleat; ſed cum promiſſionis factæ pœniteat, illamq; irritet & annullet, talis enim eſt inſtar venti & auræ mobilis, quę ilicò pertranſit, & locum ſtatumq; mutat. Id videre eſt in Religioſis qui per leuitatem animi Ordinem quem capeſſiuere, deſerunt fiuntq; apoſtatæ. Quocirca Superiores qui ſapiunt, nouitiorum indolem exactè introſpiciunt, ac ſi eos videant leues, mutabiles & inconſtantes, ad Regionem non admittunt. Huc facit illud Ouidij:

Mobilis Æſonide, vernaq; incertior aura,
Cur tua promiſſi pondere verba carent?

Iuxta tertiam conternationem, tria ſymbola, ſcilicet nubes, venti & pluuiæ impluuiæ, id eſt exiles & ſteriles, tres notant cauſas, cur quis promiſſa non præſtet. Primò, enim nubes vacuæ & inanes impluuiæ ſunt, quia carent materiā, puta vapore humido qui reſoluatur in pluuiam. Hæ ergo notant oſtentationem & arrogantiam fraudulentam, quæ cauſa eſt efficitq; vt arrogans & fraudulentus plura oſtentet & promittat, quàm in cenſu habeat & præſtare poſſit aut velit, vt alios decipiat & fallat. Secundò, venti mobiles, ideoq; impluuij, notant animi mobilitatem & mutabilitatē, quæ facit vt propoſitum mutent, & promiſſum retractent. Tertiò, pluuiæ graciles & ſteriles repręſentant imprudentiam & loquacitatem, qua fit vt quis non conſiderans nec dimetiens vires & opes ſuas exiles maiora ſpondeat, ac deinde præ inopia minora dare cogatur.

Huc pertinet illud Mercurij Triſmegiſti ad Statium apud Stobæum ſer. 11. de veritate: *Siquidem*, inquit, *inter homines, tres extāt cauſæ, propter quas pollicita violant & mentiuntur. Aut enim ſtatim à principio quiſpiam aliquid per fraudem dicit, aut eius quod dixit poſtea ipſum pœnitet, aut ad perſiſtendum inualidus eſt factus. Ex his primum praua voluntatis eſt, alterum imbecilli iudicij, tertium infirmæ facultatis. Hæc omnia Deus declinat: bonitatis ſtudio fraudem, conſtantiā reuocationē eius cuius ipſum pœnitere poſſet, poſtremò agendi efficaciā finis impedimentum.*

Symbolicè, Caſſianus collat. 15. c. 7. hanc gnomen adaptat ijs, qui iactant ſe de poteſtate faciendi miracula, vt eijciendi dæmones, cùm Chriſtianus non niſi in humilitate, quæ Chriſti eſt virtus, gloriari debeat: *Quapropter*, inquit, *numquam monachos probos, & morbo cenodoxiæ vacuos noſtri maiores eſſe dixerunt, qui ſeu, et ipſos exorciſtas corā hominibus profitentur, & inter admirantium turbas hanc, quam inmeruerunt, gratiam iactantiſſima oſtentatione diffamāt, ſed in caſſum: ſine dubio enim eueniet eis illud quod in Prouerbijs dicitur: Sicut venti & nubes & pluuiæ manifeſtiſſima ſunt, ita qui gloriantur in dato falſo. Ita ſi quis corā nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione ſignorum, ſed de ornatu morum debet apud nos eſſe laudabilis.*

Tropolog. hîc diſce quanta ſit vanitas & ſtultitia oſtentationis, mendaciſque promiſſionis. Hæc enim facit homines arrogantes, vanos, mendaces, infames, vt nemo deinceps eis credat, exoſos, inuiſos: hæc eos quos fefellit ex amicis facit inimicos. Chamæleon, ait Plinius l. 11. c. 31. maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus: ita quidam præter oſtentationem & ventoſam iactantiā nihil habent. Eleganter Plutarch. in Moral. *Vt oua plena*, inquit, *ſidunt, inania fluitant, ita qui veris virtutibus aut literis eſt præditus, minùs oſtentat ſe quàm qui ſecùs. Animantia quibus longa ſunt crura, iiſdem longum ſit collum oportet: ita qui magno ſtrepitu ſtudent vincere, longiùs rapiant neceſſe eſt vnde ſuppetat ſumptus. Vt ſol quo magis in alto eſt, hoc minores iacit vmbras; quo terræ propinquior, hoc maiores, puta manè ac veſperi. ita virtus quo maior eſt & excelſior, hoc minùs videri cupit, minuſq; ſeſe oſtentat: contrà qui minùs ipſa re valent, magis ſeſe dilatant oſtentatione.*

Idem in Apophth. *Cùm Leoſthenes*, inquit, *ciuitatem Athenienſium ad bellum perpuliſſet, magnificis ſpebus ad nomen libertatis ac principatus erectam; Phocion illius verba dicebat eſſe cupreſſis ſimilia, quæ ſublimes cùm ſint ac pulchræ, fructum non habent.* Nihil potuit dici accommodatius in ſermonem ſplendidè magnificeque pollicentem, ſed infrugiferum, quemadmodū cupreſſus arbor ſublimi compoſitoque in conum vertice procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix vlla eſt ſterilior. Quocirca ſapienter idem Phocion dicebat: *Non magna quidem promittenda ſunt, ſed magna facienda.* Ita Stobæus ſer. 1. de prudentia. Contrarium faciunt multi qui aureos mōtes, ac Crœſi opes pollicentur, cùm ne gry quidē præſtent. Aurea Pythagoræ vox extat: *Age res præclaras, nihil magnifici interim promittens.* Et illa Sixti philoſophi ſententia 187. *Age magna, non magna pollicens.* Sapientes enim ſunt ſilētes & humiles qui pauca dicunt, ſed multa faciunt: inſipientes verò ſunt loquaces & ſuperbi, qui pauca faciūt & multa iactant; hi ergo ſimiles ſunt cicadis, quæ ſemper cantillant, & nil operantur; illi apibus, quæ ſilent & mel ceramque conficiunt. Et illa Stobæi lib. de Moribus. *Antequam pollicearis delibera, & cùm pollicitus fueris, facito: nam poſtea non facere, fallere eſt. Vide ergo ne quis merito tuo te oderit.*

Vers. 15 PATIENTIA LENIETVR PRINCEPS, ET LINGVA MOLLIS CONFRINGET DVRITIEM] Syrus, *confringet oſſa*; Hebr. *in longitudine narium perſuadebitur gubernator, & lingua mollis confringet os*; Pagnin. *in longanimitate flectetur princeps, & verbum molle confringet os*; Vatabl. *longanimitate ſuadetur princeps*; Septuag. *in longanimitate proſperitas principis, lingua autem mollis conterit oſſa*; Aquila, *lingua autem ſimplex*, aliàs, *lingua tenera.*

Primò, R. Salomon hanc gnomen accipit de Dei ira precibus placanda. q.d. Quando Deus irā ſuam patienter differt, nec ſtatim pœnas repoſcit à crimi-

Marginal notes: *Stultitia oſtentationis.* — *Ex ſimilibus.* — *Gnoma.*

criminoſis, curandum eſt ſedulò, vt illum precibus & reſipiſcētiâ declinian:. *Et lingua mollis*, id eſt precibus vacans, miſerationemque excitans *confringet duritiem*, id eſt iudicis ſeueram ſententiam mitigabit. Hic ſenſus myſticus & ſymbolicus eſt potiùs quàm literalis; vnde eum more ſuo ſequens Beda, *quamuis*, inquit, *peccando Dominum offendiſti, potes tamen eius promereri clementiam, ſi aduerſa, quæ pro peccatis irrogantur, patienter pertuleris.*

Secundò, Aben Ezra vertit, *ob patientiam princeps seducitur*. Heb. enim יְפֻתֶּה *iephutte*, ſignificat *perſuadetur, lenitur, illicitur, ſeducitur*, &c. vt Chald. *lactatur*. q.d. Propterea quòd patienter ferat eos, à quibus ad iram fit inflammatus, nec ex eis vindictam ſumat, tunc illorum hoſtes hunc ſeducent, atque in illum vim habent, ac præualent. Horum igitur lingua mollis & blanda oſſa confringet. hæc ille. Verùm Noſter & alij paſſim meliùs vertunt, *patientia lenitur princeps*, non *ſeducitur*.

Tertiò, Janſen. Baynus, Caiet. vertentes, *lenietur*, hæc exponunt de patientia principis ipſius, non ſubditorum. Per *patientiam* enim hîc non ſignificatur tolerantia malorum, ſed longitudo ad iram, vt habent Heb. Vnde Septuag. vertunt μακροθυμία, id eſt longanimitas, vt gnome hæc ſignificetur principis iram leniendam per ſuam longanimitatem, hoc eſt, ſi non mox præceps ſit ad vltionem, ſed tardus ſit ad eam. Dum enim iram protrahit & non ſtatim punit, frequenter per ipſam dilationem ſedatur furor. Vnde cùm Theodoſius Imp. nimis feſtinus ad vindictam in ciuitatem Theſſalonicam grauiter ſæuijſſet, accepit ab Ambroſio legē huic ſententiæ conuenientem, nempe vt non niſi poſt aliquot dies ſententia principis data executioni mandaretur, vt videre eſt in Hiſtor. Tripart. l. 7. c. 30. & apud Theodoretum l. 5. c. 18.

Monet ergo Salomon priore parte huius ſententiæ principes, ne ſubitò proſiliant ad vltionem ſed longanimitate differant & temperent irā; poſteriore verò ſubditos, vt verbis mollibus & blandis infringant durum principum furorem. Aut ſi vtrumq; ad principem referre velis, lingua mollis eiuſdem frangit os vel oſſa, id eſt duritiem, duramque ceruicē ſubditorum: princeps enim non durè minans, ſed dulciter blandiens, efficit, vt ſubditi dura colla ſubmittant rigidis eius legibus, tributis, vectigalibus, ſimilibuſque oneribus. Rurſum R. Leui ſic exponit: Si princeps patiens ſit, iramque moderetur, inde fiet vt non niſi iuſtæ pœnæ ab eo inferantur. Atq; argumento id eſt, quòd, ſi nimiùm iræ indulgeat, æſtus hic vniuerſa eiuſdem negotia perturbaturus ſit, nemoque futurus qui eum à ſententia reuocare poſſit, ne ea præſtet ad quæ ab iræ impetu propellitur.

Huc pertinere videtur verſio Septuag. *in longanimitate proſperitas regibus*. q.d. Regibus omnis felicitas, omnis ſecuritas, omne bonum, ſitum eſt in longanimi patientia: hæc enim ſubditos hoſteſq; amicat, ſicut ex aduerſo ira & vindicta omnes inimicat: hæc rurſum regi principique rationem ſinceram mentemque pacatam, quia nihil melius ad rectum animæ ſtatum, & ad bonum reipub. regimen, conſeruat. Etenim, inquit, auctor Catenæ Græc. cùm reges multas quotidie querelas & controuerſias audire, multaſque cauſas cognoſcere compellantur; niſi leni patientique animo præditi fuerint, atque ita comparati vt in iram non ſtatim efferantur; non poterunt & ſibi, & ipſis quoq; rebus ac negotijs diſcernendis & diiudicandis, non maximum detrimentum afferre. Ceterum vt regem patientem eſſe decet, ita eumdem quoque ſagacem, & iudicandi gnarum eſſe oportet, quo nimirum aſſentatores è medio ſubmouere, placideq; & patienter deliberare & iudicare valeat.

Quartò, meliùs alij accipiunt hæc de patientiâ & lingua molli ſubditorum: ſi enim ſubditus longanimi patientiâ & tolerantiâ excipiat iram principis, eamque deinde verbis mollibus & ſuauibus leniat, vtiq; eam, licèt oſſeam & inſtar oſſis duram rigidamq; infringet. Quæ res ſanè mira eſt, ſcilicet vt res mollis durum inſtar oſſis confringat, nimirum *mollis humiliſq; ſermo eſt quaſi fulmen, quod omnia oſſea duraq; penetrat & ſternit*, vt aiebat S. Ægidius. Vnde R. Leui: Longanimitate, inquit, iræq; tolerantiâ lenitur princeps quando in ſubditos exarſerit; ſi quis nempe verba illius audiens haud excanduerit, ſed patienter illa pertulerit: nam inde fit, vt à ſe calamitatem arceat, quàm princeps moliebatur repentinam.

Rurſum ſignificat principem, quādo in quempiam irā efferueſcit, tolerantiâ leniri, cùm nimirū non ſtatim rogabitur vt det veniam & vitam ei cui iraſcitur, ſed aliquo temporis ſpatio iræ indulgere permittetur: ita enim fiet vt tempore ira ſubſidat, ac tunc ſi verbis mollibus rogetur, veniam concedat. Verba enim mollia iræ oſſa, id eſt duritiem acrimoniamque, demulcendo infringunt. Hæc R. Leui. Sic Abigaïl blando ſermone eblandita eſt & infregit irā Dauidis, 1. Reg. 25. Verè Plutarch. *Animæ morbidæ*, ait, *remedium eſt oratio: vt temperata aqua inflammationes, ſic lenis oratio irā ſedare ſolet*. Et Menander: *Nullum eſt iræ remedium, niſi apta amici oratio.*

Vidi Romæ virum religioſum & ſapientē, qui magno cuidam Eccleſiæ Præſuli erat à confeſſionibus, & ſimul à conſilijs. Hic dum Præſuli ſana ſuggereret conſilia, à quibus abhorrebat Præſulis animus vel cupiditas, ideoque ille excandeſceret multa ab illo acerba & acria verborum iurgia, quę ira ſuſcitabat, ſilenti & conſtanti tolerantia patiebatur: eâq; tandem vincebat animum Præſulis, vt deferueſcente cholera ſedatâ mente, eam damnaret, ac rationes à confeſſario propoſitas quietè cōſiderans, probaret & ſequeretur. Hunc imitentur principum confeſſarij & conſiliarij, ac reipſa diſcent quòd *patientia leniatur princeps*.

Chald. vertit, *in patientia ſpiritus lactatur princeps*, quaſi patientia reſpondentis, iratum principem reddat non minùs placidum, quàm infantulum lactaneum; vt ſicut infans epoto lacte conſopitur, ita princeps audito molli reſponſo à furore detumeſcat. Nota illud *princeps*, qui maximè voluntarius, & velut torrens in quam partem inclinauerit, vehementiſſimus, & proinde qui à ſolo Deo coërceri poſſit ac frænari: iuxta illud, *Sicut diuiſiones aquarum* (ſeu vt habent Septuag. *ſicut impetus aquæ*) *ita cor regis in manu Domini*, Prouerb. 21. 1.

Vertunt Septuag. *conterit oſſa*. pulchra antitheſi ad linguam ſine oſſe, & ipſa oſſa duriſſima: nam verbis molliſſimis duriſſima conteruntur.

Verè S. Chryſoſt. ſer. de manſuetudine tom. 5. *Quiſquis*, inquit, *furibundos vincere voluerit, fortiter ferat eorū iniurias*. Huc facit gnome Arabum cent. 1. n. 68. *Non fert iram is, cui gradus exaltati ſunt tunc adipiſcitur ſumma, cuius natura eſt iracundia*, id eſt iracunda. q.d. Sicut principes aliorum indignationē non ferunt,

ferunt, ita ad principatum non pertingunt, qui naturâ ſunt iracundi: multos enim offendunt.

Symbolicè, *princeps*, vel, vt alij vertunt, *gubernator*, eſt animus excelſus & generoſus, qui motus iræ quos ei ſuggerit vel iniuria illata, vel complexio cholerica, vel diabolus; nouit rationibus lenire, ſibique perſuadere vt iram patientiâ & manſuetudine ſuperans, illi dominari diſcat: vnde iræ ſuæ duritiem, id eſt robur & vehementiam, verbis mollibus in ratione ſolidâ ſúdatis eneruat & infringit, dum v. g. ſibi ipſi interiùs dicit cum Pſalte: *Quare triſtis es* (quare iraſceris: triſtitia enim iræ eſt comes & aſſecla:) *anima mea, & quare côturbas me?* Cur indignaris, ô anima mea, ob rem tam leuem? cur tibi ob feſtucam mentis quietem adimis, rationem offuſcas, charitatem lædis? Conſidera quantâ patientiâ Chriſtus iniurias atrociſſimas ſibi in vita & in morte illatas tulerit. Nam vt neruosè ait Sidonius Apollin. l. 9. epiſt. 4. *Quantaſlibet nobis anxietatum pateras vitæ propinet afflictio; parua toleramus, ſi recordamur quid biberit ad patibulum, qui inuitat ad cælum.* Hac Chriſti patientis & patientię conſideratione, omnes irarum motus leniebat & ſedabat S. Elzearius Comes Arriani, adeò vt ad quaſlibet etiam atroces famulorum iniurias immotus ἄχολος & ἀπαθὴς videretur.

Hinc Hebręa habent, *in longitudine narium lenitur princeps.* Tradunt enim Plinius & phyſici, animalia, & homines qui longas & latas habēt nares, eſſe longanimes, & tardos ad iram, eò quòd per latas nares facilè iræ fumos ſpiritusque bilioſos emittant & expirent. Hinc elephas, qui eſt rex animalium, quia proboſcidem & nares habet ingentes, & ad libitum flexiles, cùm cetera animalia habeant breues ac rigidas, lentus eſt tarduſq; ad iram vt dicat de eo Philoſophus: *Æqualis proboſcidi eius ira, nimirum eâdem longitudine prædita.* Talis ſit naſus & longanimitas principis, putà animi celſi & generoſi. Quocirca Sotion diſput. de ira: *Sapientibus & doctis*, inquit, *Heraclito pro ira lacrymæ, Democrito riſus mouebatur: vt enim naues egregiæ ſunt non quæ cælo ſereno nauigant, ſed quæ tempeſtati reſiſtunt & ſeruantur: ſic homines iræ reſiſtentes magni ſunt & fortes.* Et ipſe Democritus: *Ira*, inquit, *repugnare difficile eſt, vincere autem viri eſt optima ratione præditi.* Nam vt ait Ariſtot. apud Maximum ſer. 19. *Ira eſt perturbatio, belluarū motui ſimilis, quæ perpetuò premit, duraq; & violenta quadam vi prædita, homicidiorum cauſa, calamitatum ſocia, infamiæ & incommodorū conciliatrix, pecuniarum conſumptrix.*

Hinc rurſum pro *princeps* alij vertunt, *gubernator*, quia ſicut nauclerus nauis, tempeſtatum, ſic gubernator animæ, irarum motus ſulcare, frangere & componere poteſt. Vnde S. Chryſoſt. hom. 34. in Geneſ. *Manſuetudo*, inquit, *animam noſtrā in perpetua tranquillitate, & quaſi in portu conſtituit, & omnis recreationis ac quietis nobis occaſio eſt. Quid enim beatius quàm inteſtino liberari bello? nam quamuis plurima pace externa fruamur, ſi intra nos irarum naſcatur tempeſtas, tumultus & ſeditio, nihil externa pax proderit.*

Qui eiuſmodi ſunt, nō tantùm ſuos, ſed & aliorum irarum litiumque tumultus facilè ſedant & componunt. Vt huc peruenias, animum ab omnibus mundi illecebris auoces, & in vno Deo defigas oportet. Talis fuit S. Sabinus Canuſij in Apulia Epiſcopus ſub Iuſtiniano Imp. de quo hæc legimus in eius Vita: *Hic ab infantia ſe totū Deo mancipauit. Nam carnis ſpretis illecebris in diuinis meditatio-* [margin: § 9. Sabini longanimitas.]

A *nibus aſſiduus, nihil niſi quo pacto Deo placeret, curare videbatur. Erat cultor pietatis, iuſtitiæ amans, in pauperes & aduenas præcipuè liberalis. Orphanorum & viduarum pius pater, nec quiſquā ad eum adeò triſtis aliquando accidebat, quin lætus abiret; nemo iratus aut ſuperbus qui manſuetus & humilis non recederet.* Quocirca dono prophetię & miraculis clarus efulſit, quę recenſet S. Gregor. l. 2. Dialog. c. 15. & l. 3. c. 5. Ita ex monumentis Eccleſ. Capuanæ & Canuſinæ Philip. Ferrar. in Catal. Sanctorum Italiæ ad diem 9. Februarij. Nimirum ſicut *Tranquillus Deus tranquillat omnia*, vt ait S. Bernard. ſic vir iræ & paſſionū dominus, eaſdem facilè in alijs ſedat & componit.

MEL INVENISTI, COMEDE QVOD SVFFICIT TIBI (Hebr. *comede ſufficientiam tuam*; Syrus, *partem tuam*) NE FORTE SATIATVS EVOMAS ILLVD. [margin: Verſ. 16.] Septuag. *melle reperto, comede quantum ſat eſt, ne, ſi fortè*
B *nimium te obſaturaueris, euomere compellaris.* Ita auctor Catenæ Græcor.

Mel, quia calidum eſt & dulce, ſi ſobriè comedatur, corpus nutrit, vegetat, exhilarat, facitque longæuos, vt tradunt medici, ſin nimium & immodicè ſumatur, corpus grauat, nauſeam tam ſui quàm ciborum omnium mouet, bilem ciet (*nam dulcia ſe in bilem vertunt*) ventriculum ſoluit, & vomitum prouocat, vti docet Plin. l. 22. c. 24. & Galenus l. 3. de Diæta. Mel ſymbolum eſt cuiuſlibet rei ſuauis, dulcis & delectabilis. Igitur hæc gnome generalis ſignificat generaliter omne id quod delectat, ſiue corpus ſiue animum, moderatè ſumendum vt proſit: ſi enim immoderatè ſumatur obeſſe & quaſi mel verti in fel; ibi enim natura dulce amaro copulauit. Infomnioſum, ait Pie-
C rius Hierogl. 26. c. 8. mel apud Macronas memorat Xenophon quod qui copioſiùs ediſſent, & vomere & excernere cogebantur, neq; quidem omnino ſtare poterant.

Particulatim verò hæc gnome varijs rebus quæ oblectant, applicari poteſt.

Primò, voluptatibus corporis, quibus modicè ſumptis corpus reſtauratur; immodicè verò ſumptis grauatur, eneruatur, obruitur. Vnde voluptas mel eſt, ſed felle mixtum, putà eſt mel Corſicum, quod apes ex cicuta colligunt, ideoque venenatum, de quo Ouidius: [margin: Mel ſymbolum Primò, voluptatis.]

Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,
Melle ſub infami Corſica miſit apis.

Ita S. Chryſoſt. homil. 2. in Marcum, ait mel vetitum in ſacrificijs Leuit. 2. v. 11. *Quia*, inquit, *mel vo-*
D *luptatis indicium eſt & ſuauitatis: ſemper enim voluptas mortificat, ſemper voluptas Deo non placet.* Vnde conſtat inter mella apum dum moriuntur, cadauera & ſordes inueniri; ſicut omnis voluptas deſinit in ſordes & putredines.

Huc facit mel Heptacometarum, de quo noſter Cauſinus l. 9. Parabol. c. 8. Heptacometæ, inquit, ſiue Septempagani, mel legunt ex ſummis arborum ramis, quod homines adigit ad inſaniam. Huius cùm crateras Pompeianis militibus propinaſſent, à ſenſu alienatas tres eorum cohortes conciderunt, teſte Strab. l. 11. p. 377. n. 30. Simili modo voluptas mellis illecebra aucupatur, quos ferro deinde laniat. [margin: Symbola voluptatis.]

Impia ſub dulci melle venena latent.

Itaque reſpondendum eſt voluptati ad ſua lenocinia ſtimulanti, quod aſinus apud Phædrum hero iubenti ſibi reliquias hordei dari, quas porcellus repentè mactatus conficere non poterat:

Tuum

Tuum libenter prorſus appeterem cibum,
Niſi qui nutritus illo, & iugulatus foret.

Ita Phædrus libr. 5. c. 85. Videtur planè voluptas ſimilis illi Cinclopum fonticulo, cuius meminit Ariſtot. in Admirandis: *Habet*, inquit, *aquas mirè pellucidas, & puriſſ fontibus cõcolores. Verùm vbi animal quoduis ex illis guſtauerit, continuò moritur.* Quocirca Sixtus philoſophus ſententia 237. & medici hoc dant ſanitatis remedium & præceptum: *Ede citra ſatietatem: ebrietatem quaſi inſaniam fuge.*

Secundò, ſapientia. Secundò, *mel* hoc applices cum auctore Catenæ Græc. R. Leui, & Janſen. ſapientiæ perceptioni (vti Salomon ipſe applicat v. 27.) quæ animæ nõ modicam affert voluptatem, vnde ad eam ſuperiùs ſub ſimilitudine mellis Sapiens inuitauit dicens: *Comede fili mi mel, quia bonum eſt, ſic & doctrina ſapiẽtiæ animæ tuæ.* Et mox poſtea ſimili comparatione ad modum in cognitione ſeruandum adhortans: *Sicut qui mel*, inquit, *multum comedit, non eſt ei bonũ:* B *ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria*, vt videri poſſit hæc ſententia peculiariter exigere voluiſſe modum in percipienda ſapientia ſeruandũ. Iucunda enim eſt & ſuauis hominibus diuinorum eloquiorum lectio & meditatio, ijs potiſſimũ qui contemptis huius mundi bonis ad alteram vitam anhelant, ita vt dixerit Propheta: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.*

Huc pertinet prouerbium Arabum: *Guſta, cibaberis*, id eſt, guſta mel, ſimilemúe cibum, & ipſe te vocabit ad appetitum ſui; quod Galli dicunt, *En mangeant l'appetit vient.* Eſt adhortatio ad eos, quos magnitudo laboris deterret à ſtudio ſapientiæ & virtutis. Et tamen qui ex Scripturarum dulcedine plus præſumunt quàm valent concoquere, volentes ſapere plus quàm oportet, & nolẽtes ſapere ad ſobrietatem; frequenter etiã quæ bene intellexerunt amittunt, excidẽtes à recta fide, ſeſeq; C varijs malis animi & corporis inuoluentes, vt experiẽtia multa docet. Rectè enim cecinit Martial.

Quiſquis plus iuſto non ſapit, ille ſapit.

Et Cicero l. 2. Tuſcul. Neoptolemum apud Ennium ait dicere, *Neceſſe ſibi eſſe philoſophari, ſed paucis, nam omnino haud placere.*

Pulchrè autem Beda inſinuat ſingulariter per mel deſignari dulcedinem cæleſtis ſapientiæ, quòd hæc ſpiritualium patrũ officio, quaſi prudentiſſimarum apum labore hominibus miniſtretur. Huc facit illud vulgò tritum: *Omnis ſatietas mala, ſtudiorum autem peſſima.* Ita S. Gregor. l. 20. Moral. c. 10. *Mel inueniſti*, inquit, *comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſaturatus euomas illud. Dulcedinẽ quippe ſpiritalis intelligentiæ qui vltrà quàm capit comedere appetit, etiam* D *quod comederat euomit: quia dum ſumma intelligere vltra vires quærit, etiam quæ bene intellexerat amittit. Hinc rurſum dicit: Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui perſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Gloria quippe inuiſibilis conditoris, quæ moderatè inquiſita non erigit vltra vires, perſcrutata premit. Itaq; hæretici, qui de ſublimitate intelligentiæ quanto ampliùs repleri ambiunt, tanto ampliùs inaneſcunt.*

Tertiò, amicitia. Tertiò, R. Leui, R. Salomon, Caietan. quin & Beda, hanc gnomen nectunt ſequenti, quaſi ibi eius comparatio expleatur; vnde ibidem repetitur τὸ *ſatiatus*, vt per *mel* accipias amicitiam & amicũ. q. d. Vtere amicitia & amico, ſed moderatè quaſi melle: nam ſi immodicè cum amico conuerſeris, ipſe ſatiatus faſtidiet, ac tuam nimiam familiaritatem auerſabitur & reſpuet, iuxta illud Comici: *Nimia* A *familiaritas parit contemptum.* Atque tandem tuum mel in fel, id eſt tua amicitia non tantùm in tædium, ſed & in odium, vertetur, vt te tantum odiat, quantum antè amauerat.

Huc pertinet prouerbium Arabum: *Cùm fuerit amicus tuus mel, ne comede eum totum*, multi enim abutuntur lenitate & facilitate amicorũ. Quocirca talibus dicunt ſuadentq; Arabes: *Qui rogat amicum ſuum ſupra vires, meretur prohibitionem*, id eſt repulſam. Hinc rurſus ijdem ſuadent amico; *Ne ſis canis amicorum tuorum.*

Quartò, S. Bernard. ſerm. 47. inter breues, per *mel* accipit laudes humanas: *Meritò*, inquit, *non ab omni, ſed immoderato mellis huius edulio prohibemur. Eſt enim cùm vtiliter humanas laudes recipimus, fraternæ duntaxat intuitu charitatis, & ad ſalutem eorum, qui nobis propterea ſatiliùs acquieſcunt. Hac ergo parcitate ſeruatâ, mellis huius moderata comeſtio non nocebit. Si quid verò ampliùs eſt, à malo eſt, & in perniciem conuertetur. Inuncto enim melle immoderatiùs veſcitur, quiſquis apponens omnino cor ſuum fauore humanæ laudis inflatur, incraſſatur, impinguatur: à quo ſe Propheta ſanctus cuſtodiri deprecatur à Domino, non quidem mellis, ſed olei ſatis vicina appellatione ipſum quem prædiximus fauorem exprimens, vbi ait: Oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* Denique quo faſtidio mel hoc euomatur, ſubtexit, dicens: *Vis noſſe quando euomat immoderatus epulator mellis edulium, quod vſq; ad ſatietatem ſumens modum parcitatis exceſſit? Tunc ſine dubio laudes quibus ſatiabatur, non alium fructum quærens, ſed fauore ipſo contentus humano; tunc, inquã, multa cum anxietate euomit, quod cum pernicioſa delectatione comedit, cùm alium quemlibet laudari audiens, inuidiâ contabeſcit. Mens enim dedita vanitati, & arrogantiâ tumens, laudem alterius, ſuam reputat vituperationem.* Quartò, laudes. Pſal. 140.

Quintò, opum. Quintò, per *mala* accipias diuitias. q. d. Congere opes quæ ſatis ſint ad alendam familiam, quantum citra iniuriam iuſtè & honeſtè potes: nam quod vltrà congeſſeris, euomere tandem cum dedecore & damno cogêris, iuxta illud Plutarchi in Moral. *Congere aurum contra fas, contrahe argentum, extrue ambulationes, comple domum ſeruitijs, vrbem nominibus; vinum roganti, febricitanti, & bilioſo mellis copiam tribueris, vnde non confirmetur, ſed maximoperè lædatur.*

Sextò, conſolationis ſpiritualis. Sextò, per *mel* accipias delectationem orationis, meditationis & conſolationum ſpiritualium, hiſce enim moderatè non fruendum, ſed vtendum eſt, nam qui nimis ijs indulget, lædit caput & valetudinem, proprij durique fit cerebri, fit deſes, & otium captans, labores vitæ actiuæ refugit, &c. vti docent rerum ſpiritualium periti, ac quotidiana experientia. Oratio ergo dirigatur ad actionem, præſertim quam vel officium, vel obedientia, vel charitas exigit, & ſic oratio non minuetur, ſed creſcet & augebitur, tum quia in actionem ſanctam & proximos ſe effundet, tum quia actio nutrit acuitque orationem. Rurſum mortificatio præſtat orationi: quare oratio eius qui ſuam iram, impatientiam, proprium iudicium, &c. non mortificat, inanis eſt & inefficax, vt ergo oratio ſit fructuoſa & efficax, comitem adſciſcat ſibi mortificationẽ. Vnde S. Ignatius fundator Societatis noſtræ, cùm quidam laudaretur quòd vir eſſet multæ orationis, idipſum correxit, dicens: *Imò vir multæ mortificationis.*

Denique hanc gnomen adaptes cuiuis occupationi,

tioni, officio, negotio ſuaui & delectabili: huic enim modus adhibendus eſt, ne immoderatio noceat & lædat. Docet ergo Salomon ſi modicè eo vtaris, delectationem tuam fore durabilē; ſin immodicè, non duraturam, ſed vertendam in faſtidium, vt ergo ſuauitas tibi ſit perpetua, moderatè illâ vtere.

Ratio Prima. Ratio à priori eſt. Prima, quòd mel, atque omnes delectationes & res delectabiles huius vitæ limitatæ ſunt, modicæ & exiles, quare dū homo ijs nimis indulget, earum dulcedinem exhaurit, quâ exhauſtâ non reſtant niſi faſtidij & amaritudinis fæces. Quocirca mens hominis, quæ infiniti boni & diuinæ delectationis eſt capax, exhauſtâ vnius rei dulcedine aliam quærit & aliam, quæ infinitam hanc ſuam capacitatem impleat & ſatiet, atq; per omnia oberrans nullam inuenit niſi in Deo infinito & immenſo.

Secunda. Secunda, quòd, ſicut ſtomachus melle oppletus eo oneratur & deprauatur, præſertim quia mel nō tantùm habet dulcedinem, ſed & ſuum acorem: rurſum mel eſt aëreum & flatulentum, quare in ſtomacho ventoſitates creat & tormina, quæ eum lancinant & torquent, vt illud euomere ſatagat: ſic pariter omnis res delectabilis, ſi ſenſum vel potentiam oppleat, eam onerat & grauat ſua tam delectatione quā acore & vitio, quod annexum habet; quare creat grauedinem, faſtidium, dolorem, vomitum. Sicut enim cibus ideò tantùm ſapit & delectat, quòd expleat orexin & famem: quâ expletâ ſi plus ſumatur, oneri eſt & nauſeæ. Vnde S. Leo: *Subtrahe*, ait, *voluptati quod futurum eſt oneri*. Sic pariter quæuis alia delectatio eo vſq; delectat, quouſque eius fames & deſiderium animæ naturale expleatur: quâ expletâ quod additur tędio eſt & tormento. Atq; hæc eſt cauſa cur ſatietas pariat nauſeam, faſtidium & vomitum.

Tertia. Tertia, quòd ſenſus & potentiæ animæ ſint limitatæ virtutis, vnde vſque ad certum ſenſationis & delectationis terminum ſe extendere & intendere poſſunt: quem ſi per intemperantiam excedant, ſuperantur, obruuntur, eneruantur & corrumpūtur. Vnde illud Ariſtot. de Anima; *Vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum*. Contrà ſe res habet in cælo, vbi deſiderium viſionis & fruitionis Dei acuit ſatietatem, & ſatietas acuit deſiderium. Beati enim ſemper Deo ſatiantur, ideoq; Deum ſemper videre deſiderant: quia Deus ſolus eſt bonum immenſum animum implens & ſatians, ideoque ſummè ſemper deſiderabile. Rurſum Deus extendit animę capacitatem, vt tantum bonum capere poſſit, nec vmquam eo oneretur, laſſetur, ſed iugiter ad illud totis animæ medullis anhelet & aſpiret.

Quarta. Quarta, quòd, ſicut dulcedo mellis diſſoluit laxatq; ſtomachum, ideoque parit nauſeam tam ſui quàm aliarum epularum, ac vomitum, niſi modicè ſumatur: ſic pariter quæuis alia dulcedo & ſuauitas ſenſus potentiaſq; animæ diſſoluit ſi intemperanter vſurpetur, atq; tam ſui quàm omnium aliarum bonarum actionum & occupationum tædiū creat. Hæc eſt enim dulcedinis & delectationis immoderatæ proprietas. Dulcedo enim eſt nauſeabunda, & nauſeam parit, ſicut acredo parit horrorem & ſtuporem, niſi modicè capiatur. Auſterum verò quod propriè dulci opponitur, ſtomachum contrahit & roborat, & ſua auſteritate intemperantiā inhibet, nec niſi modicè ſumi poteſt.

Quinta. Quintam dat noſter Salazar: Sicut, inquit, in

A ſauis cum melle pariter putredines ſunt auſteri admodum ſaporis; ita etiam voluptatibus multi inſunt acerbi & amari angores, qui dulcedinem illarum corrumpunt. Rurſus quemadmodum ſæpè apes ipſæ melli tenaciſſimo immerſæ pereunt, ita etiam ſæpiùs homines voluptatibus dediti, ijſdemque ingurgitati, miſerrimum interitum ſibi accerſunt.

Adde, dulce graue eſſe, plus habere terræ & terrei; ideoq; aqua ſalſa vino dulci ſupernatat, non auſtero, vt docet Ariſtot. in Probl. ſect. 23. q. 26. Hinc mel in imo vaſis eſt optimum, quia eo deſcendit dulciſſimum, vtpote maximè terreum. Vice verſa oleum quia aëreum, in ſummo vaſis eſt optimum; vinum verò, quia medium inter aërem & terrā, in medio vaſis eſt optimum. Rurſum dulcia magis ſunt concocta, adeoque plus habent ſucci & alimenti; auſtera verò minùs ſunt concocta, ideoq; minus habent alimenti & plus excrementi, ideoque dulcibus citiùs implemur & ſatiamur, quàm auſteris, vt docet Ariſtot. Problem. ſect. 22. q. 2. & 3. Hinc fit vt dulcia citiùs impleant & ſaturent, ac paulò pòſt in faſtidium vertantur: quod enim poſt ſaturitatem ingeritur, faſtidio eſt & nauſeæ. Addit Galenus, dulcia vina lædere hepar & ſplenem; hepar enim oppilare, & craſſum reddere ſplenem, inſuper generare calculum in renibus. Rurſus ſaties nimia, inquit, vitales operationes impedit, & calculum renum gignit. Dulcia ſunt grauia quia terrea.

B

Vers. 17. SVBTRAHE PEDEM TVVM DE DOMO PROXIMI TVI, NE QVANDO SATIATVS ODERIT TE] Hebr. *pretioſum* (id eſt rarum: rara enim ſunt pretioſa & chara) *fac pedē tuum à domo proximi tui*; Septuag. *introduc pedem ad amicum tuum*; Chaldæus, *prohibe*; Symmach. *contine*; Vatablus, *reuoca pedem tuum*.

C

Hæc gnome deriuatur & clara eſt ex præcedenti, imò, vt nonnulli cenſent, eius eſt antapodoſis, ac parabolæ mellis applicatio & explicatio, vti ibidem dixi. Non vetat omnem ingreſſum in domum proximi vel amici: amicitia enim poſtulat familiarem conuerſationem, mutuamque viſitationem; ſed iubet ne nimis ſit creber & frequens, vt amico faſtidium & odium creet. *Vera amicitia*, ait Iſocrates apud Maxim. ſer. 6. *tria requirit maximè*: Primò, *virtutem, tamquam honeſtam*; Secundò *familiaritatem, vt iucundam*; Tertiò, *vſum tamquam neceſſarium: nam vbi indicatis, recipere debes, & congreſſu lætari, &, ſi egeas, vti*.

D Igitur ſi per proximum hîc accipias amicum, ſic expone. q. d. Ne nimis crebro ad amici domum vadas, ſed nimiam viſitationem raritate tempera, quantum amicitiæ leges & iura patiuntur: ſic enim fiet vt amico fias eo pretioſior & charior, quo rarior. Nam *rarum eſſe oportet quod diu charum velis*, ait Seneca libr. 1. de Beneficijs c. 15. Huc facit illud Martialis:

Nulli te facias nimis ſodalem;
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

Exemplum eſt in Vita Catonis: Munatio enim conquerenti, quòd in Cypro Catonem adire cupiens, parum ciuiliter ab eo repulſus eſſet, cùm illi nihil eſſet negotij, ſed intus cum Canidio fabularetur, ſic ſe purgauit Cato vt diceret: *Se vereri ne iuxta Theophraſti ſententiam, nimia amicitia cauſam aliquando daret odio.*

Sin proximum hîc quemlibet accipias, etiam non amicum, ſic expone. q. d. *Subtrahe pedem tuum*

de

de domo proximi tui, vt eam non ingrediaris niſi cù neceſſitas, vel vtilitas, ſiue tua, ſiue illius, ſiue publica, ſiue alicuius tertij, id poſtulat: ac etiam tum curato, vt non nimis crebrò ad eum introëas, ne parias ei ſatiem, quæ faſtidium & odium parit, præſertim dum, vt fieri ſolet, frequenter aliquid ab eo poſtulas. Petitiones enim hæ aſſiduæ amicis ſunt onerosæ & moleſtæ; vnde dum vident petitores aduentantes, animos vultumque contrahunt, ac ſeſe ſubducunt, domique ſe non eſſe ſimulant; ac quandoque dum nimis importuni & petaces ſunt, eos harpyias nuncupant, ac vt harpyias fugiunt.

Rara pretioſa. Accedit, quòd creber ingreſſus in domum vicini, moueat illi ſuſpicionē quòd ſecreta familiæ explorare velis, aut aliquid ex ea ſubducere, aut pudicitiæ vxoris vel filiarū inſidiari, &c. quæ omnia te illi inuiſum & exoſum faciūt. Igitur ſicut creber aduentus amici ad amicum faſtidioſus eſt, ita rarus pretioſus. Quod D. Hieronymus in epiſt. 2. ad Nepotianum ſub finem clericis eleganter inculcat: *Facilè*, inquit, *contemnitur clericus, qui ſæpè vocatus ad prandium non recuſat: nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Neſcio enim quomodo etiam ipſe, qui deprecatur vt tribuas; cùm acceperis, viliorem te iudicat: & mirum in modum ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteriùs veneratur.* Idem S. Hiero. epiſt. 85. ad Euagriū. *Omne*, inquit, *quod rarum eſt plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt: Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.* Denique Martial. lib. 4. epigram. 29. aliàs 22.

Rara iuuant: primis ſic maior gratia pomis:
Hyberna pretium ſic meruere roſa.

Myſticè, auctor Catenæ Græc. per *proximum* vel amicum accipit Deum, ſicque exponit. q. d. Arcaniora diuinitatis myſteria ne attingas, ne quando per mentis infirmitatem à ſpirituali cognitione excidas.

Vers. 18. IACVLVM, ET GLADIVS, ET SAGITTA ACVTA, HOMO QVI LOQVITVR CONTRA PROXIMVM SVVM FALSVM TESTIMONIVM] Pro *iaculum* hebr. eſt מֵפִיץ *mephits*, quod Chald. & alij paſſim vertunt, *malleum*; Sept. *clauam* à rad. פוץ *puts*, id eſt fregit, contriuit, diſperſit. Pro *acuta*, Septuag. vertunt ἀκιδωτὸν, quod Complut. vertunt, *ſpiculatas*; alij propriè, *in cuſpidinem definens*; S. Ambroſ. 3. Offic. cap. 16. *ſerrata*; S. Hier. contra Ruffinum, *pernicioſa*.

Senſus eſt. q. d. Falſus teſtis, qui falſum contra proximum dicit teſtimonium in iudicio, vel etiam extra iudicium, ita proximum lædit & ferit, perinde ac ſi iaculum vel telum eſſet, proximum configens & confringens, aut gladius eumdem confodiens vel diſſecans: aut ſagitta eumdem penetrans, & ſubinde lethaliter ſaucians ac perimens. Nam ſemper famam, ſæpè opes & bona, ſubinde quoque vitam ipſam recipit, ac proximo cauſa eſt vt is à iudice condemnetur, vel ab alio priuato occidatur. Inſuper ingenti doloris vulnere animum proximi ferit & ſauciat.

Nota Per hæc tria, ſcilicet iaculum, gladium & ſagittam, quaſi per arma olim maximè vſitata, ſignificat Primò, quoduis genus armorū, q. d. Lingua falſi teſtis eſt nocentior quibuſlibet armis & telis, quia ſæpè inſontes grauiter ſauciat & lædit: ac non rarò eis cauſa eſt mortis, & mortis cuiuſlibet, vt ſcilicet hic iaculo, ille gladio, tertius ſagittis, quartus laqueo, &c. necetur & perimatur.

Secundò, hæc tria acutiſſima notant acumen linguę falſi teſtis quòd ſcilicet inſtar iaculi, gladij, & ſagittæ ſit acutiſſima, ac intima nō tantùm corporis, ſed & animæ feriat, penetret, cruciet & ſecet iuxta illud pſal. 54. 22. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum; & ipſi ſunt iacula.* Et pſal. 56. 5. *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Et alibi: *Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes.*

Tertiò, quidam duas tantùm ponit ſimilitudines, ſcilicet gladij & ſagittæ: vertit enim *diſpergens gladius, & ſagitta acuta, qui loquitur contra proximum falſum teſtimonium.* q. d. Lingua falſi teſtis nocet feritq; eminùs velut ſagitta, cùm abſente reo falſum ei crimen impingit; eadem nocet feritque cominùs velut gladius, cùm coram reo apud iudicem falſum ſuum teſtimonium impudenter tuetur & confirmat.

Quartò, Lyranus, Dionyſ. Janſen. & alij paſſim tres ponunt ſimilitudines, primam iaculi ſiue mallei vel clauę, ſecundam gladij, tertiam ſagittæ, notantque malleo vel clauâ ſolere caput hominis contundi & confringi, gladio verò iugulum peti, ſagittâ denique cor transfigi, vt ſignificetur eum qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium perinde facere, ac ſi caput hominis malleo vel clauâ contunderet, gladio eum iugularet, aut denique ſagittâ cor transfigeret. Tria autem hæc diuerſos & omnes penè modos comprehendunt, quibus homo homini nocet, vt annotat Caietanus: malleus enim tundendo, gladius ſcindendo, ſagitta acuta penetrando nocet & occidit. Vnde ſignificatur omnigenum nocumentum quod excipitur à falſo teſtimonio: nocet enim & perſonæ, & famæ, & rebus.

Myſticè, Hæretici ſunt iacula gladij & ſagittæ acutæ, quia falsò citāt teſtimonia S. Script. ac perperam intelligendo deprauant, vt ijs peruertant mentes audientium, eaſque in hęreſim pertrahāt, quo fit vt nō vnam dumtaxat animam, ſed millenas & millenas, imò integras vrbes & prouincias perdant & interimant.

DENS PVTRIDVS, ET PES LASSVS, QVI SPERAT SVPER INFIDELI IN DIE ANGVSTIÆ, ET **Vers. 19.** AMITTIT PALLIVM IN DIE FRIGORIS] **Vers. 20.** Hebræa habent, *dens fractus, & pes luxatus eſt fiducia præuaricatoris in die anguſtiæ*; Chald. *dens malus, & pes laſſus*; Pagnin. *dens fractus, & pes labens*; Vatabl. *dens fractus, & pes non inſiſtens ſuo veſtigio*, Caiet. *& pes dimotus*; Sept. verò, *via mali & pes iniqui peribit in die mala.* Pro *laſſus* hebr. eſt מוּעֶדֶת *muadet*, id eſt nutans, vacillans, titubans: radix enim מָעַד *maad*, vti literis tranſpoſitis, ſic & ſignificatione cōtraria eſt verbo עָמַד *amad*. *Amad* enim ſignificat ſtare, conſiſtere; *maad* verò notat ſtandi vacillationem, titubationem, mutationem & inconſtantiam, ſignificatque nutare, labi, declinare in ruinā. Noſter pro מִבְטָח *mibtach*, id eſt ſpes, fiducia, videtur alijs punctis legiſſe. מְבַטֵּחַ *mebatteach*, id eſt ſperans, confidens; ſed eumdem facit ſenſum, aut potiùs ſolitâ Scriptur. phraſi abſtractum accepit pro cōcreto, putà *ſpes* pro *ſperans*. q. d. Qui fiduciam ponit in infideli, ſimilis eſt illi qui habet dentem putridum, & pedem laſſum, illiq; confidit & confidenter incumbit: denti quidem putrido ad maſticandum & comedendū, pedi verò laſſo ad ſtandum & incedendum. Eſt metonymia: Dens enim ponitur pro dentato, pes pro habente pedem laſſum. Aut vice

verſa *τὸ qui ſperat* ponitur pro *ſpes* vel *fiducia*, ſcilicet concretum pro abſtracto: ſpes enim in infideli eſt quaſi dens putridus & pes laſſus. Iam

Primò, Beda & Vatabl. per *præuaricatorem*, vel *infidelem*, accipiunt hominem: omnis enim homo eſt præuaricator & peccator, tum quia peccauit in Adamo originaliter, tū quia per ſe ſæpè peccat actualiter: quaſi Salomon doceat hic ſpem nō eſſe collocādam in homine, ſed in Deo, iuxta illud Ierem. 17. 5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum: Hic enim*, ait Beda, *rectè denti putrido, & pedi laſſo comparatur; quia qui illud vnicum homini bonum, hoc eſt adhærere Deo, & ponere in Deo ſpem ſuam, neſcit; iſte nec vitæ percipere cibum nec ad manſionem poteſt deſideratæ ſalutis pertingere. Et talis amittit pallium in die frigoris, quia etſi in ſerenitate vitæ præſentis, habitu religionis videtur indutus, vbi tamē diſtrictio iuſti iudicij ingruerit, nudus omnimodis ab ornatu iuſtitiæ patebit, nec eorum conſortio dignus, de quibus ſcriptum eſt: Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.*

Secundò, alij per *præuaricatorem* accipiunt impium, ſceleratum, &, vt Syrus vertit, *iniquum*: q.d. Qui fidit in impio & ſcelerato, ſimilis eſt illi qui manducat cibumque comminuit dente putrido, & illi qui incūbit pedi laſſo: ſicut enim hunc dens putridus & pes laſſus fallit onerique ſuccumbit, ſic & impius fallit ſpem confidentis in ſe. Chald. verò per *præuaricatorem* accipit prædonem: *Dens malus*, inquit, *& pes laſſus* (Syrus, *pes luxatus*) *ſic erit ſpes deprecatoris in die anguſtiæ*. q.d. Prædones ſperāt ingentes opes ex prędis; ſed ſpes hæc fallit eos cùm videbunt ſe ob prædas occidi, vel à iudice ſuſpendi.

Tertiò, propriè & genuinè Noſter per *præuaricatorem* accipit *infidele*, id eſt infidum & perfidum qui ſpem fallit. Tam ergo fidens infido, quàm ipſa fiducia collocata in infido, comparatur hic denti putrido, & pedi laſſo. Elegantiùs autem ipſa fiducia quę habetur in infideli, hoc eſt infido homine, comparatur denti putrido & confracto, ac pedi laſſo, quàm is qui ſuper illo ſperat, cùm ſignificandum ſit fiduciam talem, & ipſum in quo quis ſiſus eſt, in tempore neceſſario hominem deſtituere, ſicut dens talis & pes hominē in re neceſſaria deſtituit, nempe in manducatione & ambulatione. Bene tamen etiam iuxta Noſtram verſionem, is qui ſperat ſuper infideli, comparatur denti putrido & pedi laſſo, quia talis per ſuam fiduciam non poteſt ſibi ſuæque neceſſitati in die anguſtiæ prodeſſe, ſicut dens putridus & pes laſſus ſuum non poſſunt facere, cùm neceſſe eſt, officium. ita Ianſen. & alij.

Spes infida eſt dens putridus & pes laſſus. Prima.

Igitur prima & propria ratio huius analogiæ & comparationis, qua ſpes fallax, quæ collocatur in infido, comparatur denti putrido, & pedi laſſo, eſt quòd vtraque ſit infida. Sicut enim dens putridus manducantem, & pes laſſus ambulantem fallit & deſtituit: ſic pariter & infidus fidentem in ſe fallit & deſerit in die anguſtiæ, imò ſicut putredo corrumpit dentem ipſum, qui adeò validus eſt, vt nec ferro, nec igne lædatur. Vnde Ariſtot. li. 5. Hiſtor. anim. c. 7. *Os dentium*, ait, *adeò firmum, vt ſolum inter oſſa aciem ferri reſpuat*: ſic pariter infidelitas amici vel ſerui corrumpit omnem fidem & fiduciā heri, vt nemini deinceps credat aut fidat, itaque viuat in perpetua diffidentia, pauore & anxietate.

Secunda.

Secunda, quod dens putridus edenti, & pes laſſus ambulanti damnum creat; idem creat infidus fidenti in ſe. Sæpè enim per hanc perfidiam ingentia opum, famæ & vitæ damna incurrit.

Tertia.

Tertia, quòd dens putridus humoribus & catarrhis è capite in fibras eius labentibus ingentes dolores ciet, æquè ac pes luxatus ambulanti. Similes ciet perfidus hero ſuo. Audi Plinium li. 7. c. 16. *Dentes*, inquit, *inuicti ſunt ignibus, & flammis indomiti cauantur tabe pituitæ.*

Quarta.

Quarta, ſicut dens putridus fœtorem excitat in ore & ſtomacho, atque anhelitum putidum efficit quem aſtantibus aſpirat: ſic pariter perfidus infamiam affert hero, eumque omnium ſibilo & ludibrio exponit. Addit Plinius lib. 11. c. 36. *Hominum dentibus*, inquit, *quoddam ineſt virus. Namque & ſpeculi nitorem ex aduerſo nudati hebetant, & columborum fœtus implumes necant.* Multò magis virulenti ſunt dentes; & longè ampliùs amici perfidi.

Quinta.

Quinta, ſicut dens putidus ſuum putorem & corruptionem vicinis affricat, eoſque vitiat & corrumpit: ſic & perfidus ceteros heri ſui famulos vel ſocios perfidia ſua inficit & corrumpit. Quocirca Hippocrates lib. de Affectionibus ita ſtatuit: *Si corroſus fuerit dens & moueatur, illud eximatur.* Similiter de infido amico ait Plutarc. in Moral. *Amicum tollere, eſt dentem excutere.*

Sexta.

Sextam dat noſter Salazar. Scitum eſt, inquit, dentibus putridis ac luxatis pedibus id maximè proprium eſſe, vt temporum differentias in ſe exprimant; nam ſereno & candido cælo valent, cùm autem tempeſtas verti, & cælum nubibus obduci incipit, tunc quidem dolere ſolent. q.d. Sicut eiuſmodi pes vel dens nubilo tempore dolent, atque alter ad ambulandum, alius verò ad cibos terendos ineptus redditur: ita etiam infidus ſodalis reflante fortunâ, & aduerſo tempore deficit, & amicum deſerit.

Rurſum & preſſiùs dens putridus & pes laſſus tribuitur non ſeruo infideli, ſed hero qui in eo cōfidit & ſperat, vt vertit Noſter. q.d. Qui in perfidum ſeruum vel amicum ſpem ſuam contulit, dēti putrido, & pedi laſſo aut languido aſſimilis eſt, nam ſicut eiuſmodi dens atque pes cælo ſereno bene habent, nubilo autem cælo dolent maximè ac langueſcunt: ita etiam ille cùm proſpera adflat fortuna, amico ſuo iucundè fruitur, gaudet, ac validus eſt; cùm verò eadem reflat, & ſerenitas in nubilum vertitur, amico fugiente dolet plurimum & angitur.

Septima. Tria officia dentium.

Septima, dentes ſani, ideoque fidi tria ingentia bona pręſtant homini & animalibus. Primò, enim cibum maſticant & digerunt vt in ſtomacho pleniùs & planiùs concoquatur: prima enim digeſtio cibi fit in ore à dentibus. Secundò, vocem & loquelam efficiunt, eamque articulatam & ſermocinantem in homine. Tertiò, arma ſunt quibus ſe animal tueatur contra ſuos hoſtes; vnde brutorum arma non alia ſunt quàm dentes, vngulæ ſiue calces, & cornua. Hæc tria homini adimunt dentes putridi, ideoque infidi: nam inutiles ſunt, ad maſticationem, ad loquelam, ad morſum. Eadem tria adimit amicus vel ſeruus infidelis hero in ſe confidenti, ſcilicet opes & epulas, famam & gloriam, ac ſubinde ſanitatem & vitam.

Audi Plinium li. 7. c. 16. *Nec cibo tantùm & alimentis neceſſarij dentes, quippe vocis ſermonisque regimen primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ, ſerieque ſtructuræ, atque magnitudine mutilantes*

mo-

molientéſue aut hebetantes verba, & cum deſtuxione explanationem omnem adimentes. Audi & Ariſtot. lib. 3. de Part. animal. ca. 1. *Homo*, inquit, *ad vſum communem probè factos obtinet dentes, videlicet primores acutos vt ſecent; maxillares latos, vt molant: diſcriminant eos, vtroſq; hi qui canini appellantur mediâ inter eos naturâ conditionum & medium particeps vtriuſq; extremi eſt. Et canini ipſi partim acuti ſunt, partim lati: quod idem in cęteris quoq; animalibus eſt, quibus non omnes acuti habentur, ſed potiſſimùm locutionis gratia tales totq; numero dentes homo ſortitus eſt. Ad literas enim exprimẽdas plurimum conferunt primi dentes. Nonnulla animalia quod dictum iam eſt, cibi tantùm conficiendi gratia dentes obtinent; quibus autem & auxilio ſunt & robori dentes, hæc aut exertos habent, vt ſuiſant acutos pectinatim ſeſe ſtipantes, vnde ſerratis ea dentibus eſſe diximus.*

Sicut ergo putredo dentem, indéq; hominem & animal exarmat, nudumque & inermem hoſtibus objicit: ſic pariter infidelis herum in ſe fidentem eneruat, exarmat, hoſtibuſque perdendum tradit & prodit. Denique Galenus lib. de partibus, docet dentes putreſcere ex otio & inedia. Qui enim vna mandibula ſemper mãdunt, horum dentes molares alterius mandibulæ, vtpote otioſi, citiùs tabeſcunt & putreſcunt. Sic perfidia amici nõ rarò oritur ex otio & deſidia; hęc enim parit penuriam & famem, quæ eum adigit ad perfidiam, vt per eam vitæ neceſſaria acquirat. egeſtas enim vti facit fures, ſic & proditores.

VERS. 20. ET AMITTIT PALLIVM IN DIE FRIGORIS] Pro *amittit* hebr. eſt מַעֲדֶה *maade*, quod contrariæ eſt ſignificationis: propriè enim ſignificat addere, ornare, veſtire; hic verò ſignificat contrarium, ſcilicet veſtem adimere, detrahere, amittere, vti vertit Noſter. Pagnin. Vatablus, & alij paſſim: quare minùs aptè Caietan. vertit hîc, *ornatum*, puta *ſericum: Parans ſericum*, inquit, *in die frigoris*. q.d. Sicut ſericum, quia tenue, non arcet frigus, ſic nec amicus infidus auertit imminentem amico calamitatẽ. Eſt hęc tertia ſimilitudo. q.d. Sicut qui cibum ſumit cõſiſus in dente putrido, ocyùs dolorem ſentit & damnum; & ſicut qui graditur pede laſſo deficit in via; & ſicut qui amittit pallium in die frigoris, alget: ſic pariter nullum commodum ſentit, ſed multum damni & incommodi qui confidit in homine infideli, quales ſunt omnes homines inconſtantes ac leues & varij: horum enim vti animus, ſic & fides nõ ſolida eſt, ſed leuis, mobilis & infida. Nonnulli cẽſent hîc duas notari cauſas infidelitatis, cur ſcilicet quis fidem alteri datam fallat, nimirum fortunam aduerſam, & hanc ſignificari *die anguſtiæ*: ac ſimultatem & diſcordiam, & hanc ſignificari *die frigoris*, quo ſcilicet animus odij frigore rigeſcit. q.d. Qui fidit amico dubio in fortuna ſibi aduerſa, temerè facit, ſentietq; damnum, quia illa fugare ſolet amicos, facereq; deſertores: ſic & qui fidit amico, cum quo fouet ſimultatẽ & diſcordiam: hęc enim faciet eum infidum, vt pallium opis ſuę illi ſubtrahat, eumque velut nudum in die frigoris, id eſt afflictionis derelinquat.

Hebræi & Chaldæus ante hæc verba ponunt, *ſoph paſuc*, id eſt punctum, quaſi ea pertineant ad verſum ſequentem, cum quo proinde ea nectunt. Vnde Vatablus ſic vertit, *mæſto cordi carmen canere, perinde eſt atque detrahere veſtes tempore frigoris, aut nitrum aceto perfundere*; ſic & Pagnin. Verùm longè aptiùs Noſter ea nexuit huic verſui. Amicus enim infidus in aduerſitate, eſt inſtar pallij amiſſi in die frigoris. Quid enim hoc pallium ſimile habet cum corde mœſto?

ACETVM IN NITRO, QVI CANTAT CARMINA CORDI PESSIMO] Hebr. *acetum ſuper nitrum & cantans in canticis ſuper corde mali*, vel *malo*; Syrus, *ſicut qui proijcit acetum ſuper fidibus*, ſcilicet eas ſoluit, hebetatque eorum ſonum & concentum in teſtudine. R. Salomon: *Nitrum*, inquit, *eſt genus terrę mollis inſtar argillæ, ex qua figuli vaſa conficiunt: quòd ſi in eandem acetum decidat, diſſoluitur, neque vlli vſui eſſe poteſt*; Caiet. *ſicut acetum ſuper ſaponem*; Chald. alio abit, *ſicut*, inquit, *qui proijcit acetum ſuper nitrum, ita probat corda dolor*; Septuag. *ſicut acetum trahit inutile, ſic accidens in corpore paſſio cor contriſtat*.

Nota Primò. De nitro ita ſcribit Galen. libr. 9. Simplic. medic. *Nitrum dictum eſt ſuprà in medio eſſe aphronitri & ſalis virium, cęterũ vſtum potiùs ad aphronitrum accedit: vtpote exuſtione tenuius redditum. Deſiccat itaq; & digerit: & ſi intra corpus ſumatur, ſiccat & extenuat craſſos lentoſq; ſuccos, potentiùs multò quàm ſal.* Et Dioſcorides li. 5. c. 89. *Nitrum*, ait, *vim & vſtionẽ ſalis habet; tormina ſedat, ſi tritum cum cumino bibatur in hydromelite, febribus circuitu redeuntibus illinitur ante ſuſpectam acceſſionem; miſcetur emplaſtris, quæ extrahunt & diſcutiunt, extenuant, & lepras abſtergunt. Cum aqua autem calida aut vino infuſum inflationes purulentas, aures & ſonitus earumdem ſanat, ſordes expurgat cum aceto inſtillatum.* In quem Dioſcor. locum ita ſcribit Matthiolus: *Nitrum & ſpuma nitri, quorum antiquis maximus fuit in medicamentis vſus, diu ſanè eſt quòd ad nos conuehi deſierunt: proinde hallucinantur mea quidem ſententia* (alij enim cõtrarium ſentiunt, ſcilicet eſſe idem nitrum modernũ quod priſcum, ſed non adhiberi ad medicinas vti olim, ſeruire verò pulueri tormentario) *qui putant ſal nitrum vocatum, quo ad tormentorum bellicorum pulueres vtuntur, & ad fortiſſimas aquas conficiendas, quibus argẽtarij fabri aurum ab argento ſeparant, verum ac legitimum eſſe nitrũ, cuius meminere Theophraſtis, Dioſcor. Galenus, Plinius & antiquorum alij, ſi quidem id manifeſtè falſum demonſtrat Plin. lib. 31. c. 10. vbi fusè vetus nitrum deſcribit.* Porrò *in medicinis nitrum calefacit, extenuat, mordet, ſpiſſat, ſiccat & exulcerat*, ait Plinius lib. 31. cap. 10.

Nitri natura & vires.

Georgius Agricola de Re metallica lib. 12. modos cõficiendi nitrum ita colligit. Nitrum, inquit, fieri ſolet vel ex aqua nitroſa, vel ex diluto, vel ex lixiuio. Aqua etiã Nili in nitrarias deriuata, & eodem ardore ſolis detoſta vertitur in nitrum. At dilutum ex quo conficitur nitrum, fit ex aquis dulcibus terra nitroſa percolatis.

Beda, cuius verba tranſſcripſere Lyran. & Dionyſ. *Nitrũ*, inquit, *non multùm à ſalis Amoniaci ſpecie diſtat; nam ſicut ſalem in littore maris feruor conficit ſolis, durando in petram aquas marinas; quas maior vis vẽtorum, vel ipſius maris feruor in littoris vlteriora projecerit: ita in Nitria, vbi æſtate pluuiæ prolixiores tellurem infundunt, adeſt ardor ſideris tãtus, quòd ipſas aquas pluuiales per latitudinem arenarum concoquat in petram, ſalis quidem vel glaciei aſpectui ſimillimam; ſed nil gelidi rigoris niſi ſalſi ſaporis habentem, quæ tamen iuxta naturã ſalis in cauſmate durare, & in nubiloſo aëre fluere ac liqueſieri ſolet. Hanc indigenæ ſumentes ſeruant, & vbi opus extiterit pro lomento vtuntur.* Lomentum eſt farina fabacia, qua ad eruganda corpora vſa eſt antiquitas, item genus ſmigmatis, de quo Plin. lib. 33.

Cenſet ergo Beda & Lyran. nitrum dictum eſſe à Ni-

Nitri etymon.

à Nitria Ægypti prouincia, vbi abundat. Potiùs dixerim Nitriam dictam à nitro: nitrum verò eſſe Hebręum nomen; quòd æquè ac ſaccus, cornu, & ſimilia quædam nomina, ab Hebræis ad Græcos, Latinos, Ægyptios, Italos, Gallos & omnium penè nationum idioma & linguas tranſijt. Nitrum enim hebr. dicitur נֶתֶר *nether*, à rad. נָתַר *nathar*, id eſt remouit, tranſtulit; quòd maculas amoueat & extergat: ſicut Gręci νίτρον deriuant à νίζειν vel νίπτειν, id eſt lauare, abſtergere, purgare. Vnde illud: *Caput aſini ne laueris nitro*, id eſt ne in rem vilem rē pretioſam expendas. Vel potiùs à נָתַר *nathar*, id eſt ſalijt, exilijt, circumſilijt, eò quòd nitrum ſaliat & circumſiliat, perinde ac ſal in igne. Aberrat ergo Pagnin. & Caiet. qui ſecuti R. Dauidem cēſent nitrum eſſe alumen, quo lana dealbatur, aut ſaponem quo veſtes mundantur.

Vna parœmia contrarios habet ſenſus.

Nota Secundò: Quædam parœmiæ diuerſos B & contrarios admittunt ſenſus: variatis enim circumſtantijs, fine & modo, variatur veritas ſententiæ. Tales ſunt illæ c. 26. v. 4. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Et illæ Comici. *Ferendo veterē iniuriam, inuites nouam: ferendo veterē iniuriam, vites nouam.* Certis enim modis & circumſtantiis fit, vt prior iniuria nouā nunc inuitet, tunc vitet & euitet. Et illæ P. Syri: *Amici vitia ſi feras, facis tua: Amici vitia niſi feras, facis tua.* Pari modo hęc gnome contrarias admittit explicationes quas mox recenſebo.

Nota Tertiò, *cor mali* vel *malum* tripliciter accipi poteſt. Primò, pro corde triſti & mœſto: ſicut enim bonum accipitur pro iucundo, ſic malū pro triſti vt, *Sufficit diei malitia*, id eſt afflictio, triſtitia, *ſua*, Matth. 6. 34. Similia ſunt Eccli. 14. 10. & c. 22. C v. 27 pſal. 131. 1. & alibi. Vnde Symm. vertit, *ſicut acetum in nitro, qui cantat in canticis ad cor triſte*; Sept. *paſſio in corpore cor contriſtat.*

Secundò, *cor malum*, eſt cor iratum, indignabundum, cholericum.

Tertiò, *cor malum* eſt cor prauum, malignum, vitioſum, ſceleratum.

Acetum in nitro ad quid.

Tota difficultas eſt, quid faciat acetum in nitro. Iam enim vti nullus eſt nitri in medicinis vſus, ſic vix vlla aceti cum nitro commixtio. Aliqui cēſent acetum acuere nitrum, illique acrimoniam indere. acetum enim ſuum acorem cibis omnibus & potibus communicat. Vnde Iſidor. li. 20. Origen. c. 3. *Acetum dicitur*, inquit, *vel quòd acutum, vel quòd aqua mixtum: Vinum enim aqua mixtum in hunc ſaporem redigitur. Vnde & acidum quaſi aquidum, quia aqua lauantur vuę in torcularibus poſt expreſſum vinum. Eſt vilis potus & ſeruis aptus.* Accedit Galenus lib. 1. de D Simplic. medicam. & alibi, qui aſſerit acetum terrā fermentare, item exaſperare: *Acetum*, inquit, *mixtum cum attenuantibus auget illorum vim.*

Alij ex aduerſo cenſent acetum nitrum, nitrique vim, ſoluere & temperare: acetum enim validè refrigerat, ait Galen. lib. 3. de Simplic. medic. Idem libr. 1. & 2. Compoſit. medic. *Acetum*, ait, *incidit, diſcutit & reprimit, penetrat, ſiccat & detergit vt ſal, nec habet vim aſtringendi vt ſal.* Et Plinius lib. 23. cap. 1. *Aceto*, ait, *ſumma vis in refrigerando, non tamen minor in diſcutiendo, ita ſit vt infuſum terra ſpumet.* Hinc qui explodunt tormenta bellica, accendentes puluerem nitratum, ne illa vi ignis findantur & crepent, mox ea refrigerant aceto. Rurſum Plinius libr. 14. cap. 20. *Aceti nequitia*, inquit, A *ineſt virtus magnos ad vſus, ſine quibus vita mitior duci non poteſt.*

Vtraque ſententia vera eſt ſuo tempore, loco & modo. Acetum enim ex ſe habet acorem, quo omnia quibus miſcetur acuit. Idem tamen vim nitri infringit, ſoluit, liquefacit, ac viciſſim vis eius & acrimonia à nitro refringitur & temperatur. Audi Ariſtotel. libr. 4. Meteorol. cap. 3. *Nitrum autem & ſales ſolubilia humido: non omni autem, ſed frigido.* Acetum autem frigidum eſt, humidumque: ſoluit ergo & temperat nitrum, quod calidum eſt & ſiccum. Et Galen. lib. 3. de Medicam. compoſ. docet nitrum optimè ſolui aceti vino & aceto. Igitur acetum nitri vim temperat, ac viciſſim nitrum aceti acorem emollit. Quocirca medici tam nitri vim aceto infringunt, quàm aceti acorem nitro mitigant. Hinc & acetum pulueri nitrato ſiue tormētario infuſum, illius celeritatem remoratur & tardat. Porrò licet alterum alterius acrimoniam hebetet, vim tamen purgandi adaugets cùm enim vtrumque ſuam habeat purgandi vim, ſi commiſceantur, alterum alteri ſuam vim communicat, itaq; propriam exacuit. Quocirca aurifabri ad abſtergendas auri & argenti maculas ſordeſq; adhibent nitrum aceto mixtum. Deniq; hac mixtione olim priſci maximè vtebātur in medicinis. Vnde Dioſcorid. li. 5. c. 89. *Nitrum*, ait, *purulentas aures & ſonitus earum ſanat, ſordes expurgat cum aceto inſtillatum.* Idem docet Plinius lib. 31. c. 10. & Galen. li. 3. de Compoſ. medicam. Additque Plinius curare vitiligines, id eſt maculas per totum corpus reſperſas, item ſerpentum morſus, aliaq; vlcera, inſuper laſſitudinem membrorum: *Comprimit*, inquit, *& pruritus ſuffuſorum felle* (ictericorum, quibus fel è ſuo folliculo diffunditur ad membra exteriora) maximè cum aceto datum. Nunc

Prima expoſitio.

Primò, ſi per *cor malum* accipias mœſtum, multi cum Ianſenio ſic exponunt. q. d. Sicut acetum nitrum exacuit, illudque facit acrius & aſperius: ſic muſica muſicumque carmen magis exaſperat cor peſſimum, id eſt mœſtū nimis, iuxta illud: *Muſica in luctu importuna narratio*, Eccli 22. 6. Vnde S. Paulus monet *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*, Roman. 12. Fauere videtur, quòd nitrum tam colore atro quàm ſapore amaro & ſalſo, æquè ac acetum ſuo acore ſymbolum ſit triſtitiæ, & vt ait Galenus libr. 3. de Simplic. cauſ. *Bilis atra* (id eſt melancholia parens triſtitiæ) *mordax & calida eſt vt acetum & cinis.* Addit Caietanus, ſe experientia didiciſſe, ſapone, ſi acetum addatur, veſtes non mundari, ſed magis maculari. q. d. Sicut præpoſterè facit qui veſtes nitro, id eſt, vt ipſe ait, ſapone & aceto eluit, cùm aqua ſint eluendæ: ita præpoſterè facit qui afflicto cordi accinit carmina lætitię; non enim ea ratione tollit afflictionem, ſed auget, mitigaturus eam ſi cum lugente etiam lugeret. ſic & Aben Ezra.

Alij ex aduerſo meliùs ſic exponunt, q. d. Sicut acetum refringit lenitque vim nitri, ac nitrum vim aceti; ſic pariter ſuauis ſermo & cātilena infringit leniitq; ſenſim malitiam, id eſt mœſtitiam cordis, q. d. Hæc quatuor ſimiliter diſſimilia, & diſſimiliter ſimilia ſunt. Similia enim ſunt, quia, ſicut acetum nitro, aut ſali vel alumini admiſtum, ex medicorum ſententia valet ad curationem aurium purulentarum, earumque ſordes tergit, ac tinnitum tollit: ſic ſanè decantata carmina quæ ſcilicet carmina ſunt, id eſt habent numeroſam orationem

certis

uertis ſuauibus ſelectiſſimiſque verbis cõſtantem, valent ad curandas & leniẽdas ægritudines mœſti cordis: vti Dauid pulſans citharam, eaſdem abigebat à Saule, 1. Reg. 16. 23. Diſſimilia ſunt, quòd nõ ſit eadem aurium & animi curatio: nam auribus inſtillandum acetum cum nitro, quorum vtrumq; partem affectam acriter mordet & dolore compungit: è contrario cordi ægro ſuauiſſimę ſententiæ & carmina occinenda ſunt, quibus nihil inſit acrimonię, nihil mordacitatis. Huc accedit expoſitio R. Leui: Sicut, inquit, ex nitro & aceto veſtibus infuſo duplex vtilitas capitur, tum vt prorſus aboleatur macula, tum etiã vt aceti odore veſtes imbuantur, quo muccido ſituſq; remoueatur: ita cum quis multas variaſque cantilenas animo mœrore obruto canit, id aſſequitur, vt iucundis cãtionibus dolorem prorſus ex animo euellat, eumdemque præterea voluptate tumulet.

B Rurſum τὸ *acetum in nitro* notat modum, quò triſtitia, quam Caſſianus libro 10. vocat *cordis rubiginem*, per carmina leuari lenirique debeat, nimirum occinendo ei triſtitia oppreſſo primùm carmen mœroris & condolentiæ, deinde vbi excitari erigique cœperit occinendo ei carmen lætitiæ. Acetum enim mœrorem ſignificat, nitrum verò lætitiam & voluptatem.

Audi S. Gregor. lib. 3. Moral. c. 10. *Ordo*, inquit, *conſolationis eſt, vt, cùm volumus afflictum quempiam à mœrore ſuſpendere, ſtudeamus priùs mœrendo eius luctui concordare: dolentem namq; non poteſt conſolari qui non concordat dolori; quia eo ipſo quòd à mœrentis afflictione diſcrepat minùs ab illo recipitur, à quo mentis qualitate ſeparatur: ſed emolliri debet animus priùs, vt afflictio congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neque enim ferrum ferro coniungitur, ſi non vtrumq; exuſtione ignis liquetur*, &c.

C Idipſum ſignificat vox *carmina*. Sicut enim carmen longis breuibuſque pedibus conſtat, ita exactè ad numerum & menſuram compoſitis & modulatis, vt nec vna ſyllaba ſuperſit aut deſit: ſic conſolatio quę ingeritur mœſto, ex exhilaratione & condolentia omnibuſque quæ dicenda ſunt, ita concinnè & quaſi ad libellam componi debet, vt nil ſit vel nimium, vel diminutũ, ſed tota ſit inſtar affabrè compacti & modulati carminis, vel concentus muſici.

Secunda. Secundò, ſi per *cor peſſimum* accipias valdè exacerbatum, iratum & indignabundum, ſimili modo exponas, mutando nomen triſtitiæ in nomen iræ. Hæ enim duę paſſiones cognatæ ſunt & commiſtæ: ira enim communiter habet adiunctam triſtitiam: triſtatur enim & dolet quis de malo ob quod iraſcitur, viciſſim triſtitia comitem habet iram: iraſcitur enim quis malo de quo triſtatur.

D Aliqui ergo ſic exponunt. q. d. Sicut acetum vim nitri exacuit vt ebulliat, ſic carmina mordacia, putà dicteria & conuitia exacuunt cordis malitiam, id eſt irã & indignationem. Hoc enim, inquit Hugo, efferueſcit atque ebullit iraſcendo, crepitat murmurãdo. Vnde *aceto perfundere*, eſt acriter perſtringere & mordere, iuxta illud Perſij:

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Et illud Horatij lib. 1. Serm.

At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto.

Italum enim acetum, æquè ac vinum, præ ceteris aliarum regionum eſt præſtans, acre & mordax. Vnde prouerbium: *Acetum Hetruſcum*: ex acri enim & generoſo vino fit acre & generoſum acetum.

A Huc facit gnome R. Simeonis in *Pirke aueth*, id eſt in Apophtheg. patrum c. 4. *Noli* inquit, *fruſtra conari, vt eum blandis ſermonibus lenias in quo adhuc feruet iracundiæ ſpiritus: neq; in vanum ſtudeas amici tui mitigare dolorem, cùm adhuc ei extenſus ante oculos mortuus iacet, nec deuouenti ſe præ ira de voti abſolutione mẽtionem facias, nec denique videre eum aut conſolari quæras in feruore calamitatis ſuæ*. Hinc amici Iob venientes vt eum conſolarentur, plorauerunt, *& ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem*, Iob. 2. 13.

Alij & meliùs è contrario ſic exponunt. q. d. Sicut acetum nitro refractum, & temperatum curat ictericos, quorum bilis effunditur in membra, vti paulò antè ex Plinio dixi: ſic pariter carmina & ſententiæ placidæ, lenes, ſuaues & lętæ leniunt & curant cordis iracundiam. Vnde S. Gregor. Nazianz. in carm. de ira docet iram ſolui per lepores, riſum & iocos, ſicut glacies ſoluitur æſtu, cera calore, vini vis aqua:

Ira torridum, inquit, *iocis pete:*

Aduerſus iram nam ioco nihil fortius.

Exemplum eſt in S. Franciſco, qui in graui irâ & diſſidio magiſtratus Senenſis à ſuo Epiſcopo, Fratres ſuos miſit, qui vtrique parti ſuaui modulatione occinerent carmen ſiue canticum, quod ipſe Solis nuncupabat, adderentque: *Laudetur Dominus propter ea quæ mihi condonas ex amore*. qua carminis melodia, ac multò magis viri charitate & ſanctitate diſſidentes compuncti, poſitâ irâ in mutuos ruerunt amplexus. Ita habent Annales Ordinis S. Franciſci, & Speculum Vitæ eiuſdem c. 97.

Tertiò. Tertiò, ſi per *cor peſſimum* accipias valdè malignum & ſceleratum, S. Greg. lib. 1. in Ezech. homil. 9. ſic exponit: *Acetum ſi in nitrum effundatur, efferueſcit nitrum protinus & ebullit: ſic & peruerſa mens, quando per increpationem corripitur, aut ei per prædicationis dulcedinem bona ſuadentur. De correptione enim fit deterior, & deinde in murmurationis iniquitatem ſuccenditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci*. S. Gregorium ſecutus de more Beda eius verba hic tranſcripſit. Peſſimorum ergo & obſtinatorum mentes non ſunt carminibus, id eſt ſuaui monitione mulcendę, quia per illam exaſperãtur, inſaniores fiũt, & contra ſtimulum calcitrant: ſed terribili rugitu, minis & plagis vulnerandæ & contundendæ, ac veluti tonitru & fulmine percellendæ & confringendæ. Accedit R. Salomon. Carmen cordis peſſimi, inquit, eſt lex qua à præceptore diſcipulus flagitioſus imbuitur, qui illam non eſt ſeruaturus, ſed ex ea futurus nequior & deterior.

Alij ex diuerſo ſic exponunt: Sicut nitrum cum aceto inſtillatum purulentas aures & tinnitus earum ſanat, vti iam dixi ex Dioſcor. Galeno & Plinio, earumq; ſordes expurgat: ita & acres exhortationes, admonitiones, increpationes, quas Socrates apud Platonẽ in Charmide animi incantationes & carmina vocat, licet initio moleſtæ ſint, & acriter mordeant inſtar nitri aceto perfuſi; poſtea tamen vitia extergunt, eluuntq; ſordes animi, niſi quis prorſus in ijs ſit obſtinatus & immedicabilis, ac præſertim perturbationes animi, quaſi ſonitus aurium, prohibentes audire veritatem, ſanant. Durat verò hęc mordicatio, vſq; dum pars ſeneſcat & cute obducatur. ita Franc. Valeſ. lib. de Sacra philoſoph. c. 60. Huc facit verſio Chald. *ſicut qui acetum in nitrum proijcit, ita probat cor dolor ſicut argen-*

 tum

teum vas, q.d. Sicut nitrum aceto infuſum detergit rubiginem vaſorum aureorum & argenteorum, eaque priſtino nitori & ſplendori reſtituit: ſic pariter dolor quem infligit acris obiurgatio, caſtigatio, labor & afflictio, probat, id eſt probando abſtergit & purgat, cor, quod ex otio, luxu & laſciuia vitiorum rubigine obductum eſt. Pro *probat* enim chald. eſt מְצָרֵף *meſareph*, id eſt conflat & conflando purgat: ſicut aurifex in fornace conflat, & conflando expurgat aurum & argentum à ſcoria. Vnde pro *argenteum vas* meliùs ex Chald. vertas, *ſicut argentum in vaſe*, putà conflatorio, in igne excoquitur & purgatur: vt ſit noua hæc comparatio diſtincta à cōparatione aceti in nitro. Porrò ſicut aceti acrimonia nitro retunditur & temperatur, vt ſordes eluat: ſic acrimonia increpationis ſuauitate & blanditijs increpantis lenienda & condienda eſt, vt vitia animi abſtergat. Vnde Samaritanus vulnera euntis in Iericho curauit infundens eis oleum & vinum, putà oleum lenitatis, & vinum acrimoniæ, Lucæ 10.34.

Huc facit verſio Septuag. *ſicut acetum trahit inutile, ſic accidens paſſio in corpore cor contriſtat.* q.d. Sicut acetum è terra nitroſa exugit attrahitque nitrum: itaque ex terra ſterili & ſalſuginoſa facit fertilem habilemque ad ſementem & meſſem, vti docet Columella & alij de Re ruſtica: ſic pariter paſſio & pœna inflicta corpori peccatoris cor eius contriſtat & compungit, itaque fit, vt ex eo vitia inolita educat, illudque ſanitati & virtuti reſtituat. Auctor verò Catenæ Græc. ex Septuag. ſic legit, *ſicut acetum offecit dentibus, & fumus oculis, ita morbus qui corpori accidit contriſtat cor.* Quæ ſententia per ſe clara eſt & manifeſta.

SICVT TINEA VESTIMENTO, ET VERMIS LIGNO; ITA TRISTITIA VIRI NOCET CORDI] Hic verſus deeſt in Hebr. tranſſcriptus eſt ex Septuag. Chald. *ſicut tinea* (vel *teredo*) *in ligno, ſic ſtoliditas irritat cor hominis*; Origen. in c.13. Matth. *ſicut in ligno vermis, ſic dolor viri cor lædit*; S. Hieron. lib.1. contra Iouinian. *ſicut in ligno vermis, ita perdit virum ſuum vxor malefica.* Hæc enim eſt cauſa omnis triſtitiæ, vt iure ipſa triſtitia nuncupari poſſit, Eccli.25.17. Myſticè vxor malefica eſt mala conſcientia, de qua mox plura. S. Aug. lib.21. de Ciuit. Dei cap.9. *Sicut tinea veſtimentum & vermis lignum, ſic mæror excruciat cor viri.* Vnde ex hac gnome demonſtrat id quod dicitur de damnatis Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur*, appoſitè per vermem intelligi dolorem, qui mentem damnatorum velut vermis rodit & cruciat.

Triſtitia ſimilis tineæ. Primò.

Porrò aptè triſtitia aſſimilatur tineæ & vermi, Primò, quia ſicut tinea veſtem, & vermis lignum, ſenſim ſine ſenſu (ita vt arroſio non ſentiatur) arrodit, & tandem penitus conſumit: ita pariter triſtitia cor tum corporale cum toto corpore, tum ſpiritale, putà mentem hominis, ita ſenſim ſine ſenſu rodit & cruciat, vt tandem abſumat & interimat: vita enim hominis ſita eſt in corde. Vnde illud c.17.22. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*,

Secunda.

Secundò, quia ſicut tinea in ipſa veſte & ex ipſa veſte, ac vermis in ligno & ex ipſo ligno generatur, ita triſtitia in corde & ex ipſo corde naſcitur, ibique nutritur, alitur & fouetur. Tinea, ait S. Gregor.5. Moral.28. damnum facit, ſonitum non facit, ac de veſte naſcitur, & eandem veſtem de qua oritur, oriendo corrumpit: ſic & triſtitia tacitè in corde oritur, creſcitque; ac ipſum cor cum corpore exedit & conſumit. Vnde S. Antiochus homil.25. *Triſtitia vermis*, inquit, *eſt cordis, ſuammet exedens matrem.* Et infrà: *Quod ſi mens inertiâ animi eneruetur, mox triſtitia arrodere incipit hominis cor, iuxta ſententiam ſuperiorem, seu aſſolet pallium exedere tinea, vermis lignum in ligni quaſi eſſibus prognatus.*

Et S. Chryſoſt. epiſt.8. ad Olympiad. *Triſtitia*, inquit, *animarum crudele tormentum eſt, dolor quidam inexplicabilis, & ſuplicium omni ſupplicio vindictaque deterius. Nam & vermi eſt ſimilis venenato non ſolummodo carnem, ſed & animam ipſam petentis. Et tinea non ſolum ad oſſa, ſed & ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex non animam dilacerans, ſed vires animæ conſumens: & ingis nox, ac tenebræ profunda, & tempeſtas, & turbo, ſebris non apparens, omni igne validius incendens, & pugna requiem non habens.*

Adde, tinea ſeipſam cum veſte conſumit, vti & teredo: ſic pariter triſtitia ſeipſa paſcitur, & ſeipſam depaſcitur. Vnde Seneca de Conſol. ad Marciam ca.1. *Quemadmodum, ait, omnia vitia penitus ſidunt, niſi dum ſurgunt oppreſſa, ita quoque hæc triſtia & miſera, & in ſe ſæuientia, ipſa nouiſſimè acerbitate paſcuntur. & fit infelicis animi praua voluptas, dolor.*

Tertia.

Tertiam analogiam dat Caſſianus lib.9. de ſpiritu triſtitiæ cap.3. *Veſtimentum namque*, inquit, *tineis cum eſu attactum, nullius pretij vel honeſti vſus poterit vlterius habere commercium: itidemque lignum vermibus exaratum non iam ad ornatum vel mediocris ædificij, ſed ad combuſtionem ignis merebitur deputari. Ita igitur & anima, quæ edaciſſimis triſtitiæ morſibus deuoratur, inutilis erit vel veſtimento illi Pontificali, quod vnguentum Spiritus ſancti de cælo deſcendens priùs ad barbam Aaron, deinde in oram ſuam ſolere ſuſcipere ſancti Dauid vaticinio perhibetur, ſecundum illud: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſed nec ad ſtructuram templi illius ſpiritalis atque ornatum poterit pertinere, cuius Paulus architectus ſapiens poſuit fundamenta, dicens: Vos eſtis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Cuius qualia ſunt ligna, ſponſa deſcribit in Cantico Canticorum: Trabes, inquiens, noſtræ cypreſſus, tigna domorum noſtrarum cedri. Et idcirco huiuſcemodi ad templum Dei lignorum genera deliguntur, quæ ſunt & bona, fragrantia & imputribilia, quæque nec corruptelæ vetuſtatis, nec eſui vermium valeant ſubiacere.*

Pſal.132. 1.Cor.3. Ibidem. Cant.1.

Adde, ſicut vir veſte à tineis corroſa indutus non audet in publicum prodire, & ſicut trabs à vermibus eroſa non ſuſtinet molem ædificij, ſed ſub ea corruit, & in ruinam trahit totam domum: ſic vir triſtis ineptus eſt vt in publico verſetur, & publica negotia tractet: idem inualidus eſt vt domeſtica adminiſtret; quare curæ rei familiaris ſuccumbit, totamque familiam ſecum perdit. Vnde Ouidius exul & mœſtus lib.1. de Ponto ſic luget.

Eſtur (editur) *vitiata teredine nauis;*
Æquoreos ſcopulos vt cauat vnda ſalis:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.

Quarta.

Quartò, tineæ rei molli, putà lanæ, innaſcuntur, æquè ac teredines ligno tenero: ſic triſtitia innaſcitur cordi molli, infirmo, debili, puſillanimi. Audi S. Baſil. homil. de gratiar. actione: *Vt vermes plurimi innaſci ſolent tenerioribus lignis, haud ſecùs angor ipſe deiectioris animi in eos homines ſe inſinuat, qui molliore ſunt nec conſtanti ingenio.* Vnde Plinius li.16. c.41. *Teredines*, ait, *naſci prohibet in alijs amaritudo, vt cupreſſo, & oleaſtro, & cedro; in alijs durities, vt buxo: ita triſtitiam* arcet cordis robur, magnanimitas, ſeueritas. Qui

verò

verò cor habent inualidum, puſillum, depreſſum, terreſtre, carnale, vt opibus & delicijs terrenis inhientꝭ hi cùm illis adeò adamatis priuantur, ſtatim triſtantur & mœrent. Ex illis ergo oritur triſtitia, perinde ac tineæ oriuntur ex terreno puluere, ſitu & putredine. Idem puluis, ait Plinius lib. 11. c. 35. *in lanis* (linum enim tineas non ſentit) *& veſte tineas creat, præcipuè ſi araneus vnà includatur: ſitit enim, & omnem humorem abſorbens, ſiccitatem ampliat.* Idem lib. 27. cap. 7. *Abſinthium*, inquit, *veſtibus inſertum tineas arcet* ſuâ amaritie; eaſdem ſuo acore pellit allium in aceto mulſo coctum, vt idem docet lib. 20. c. 6. Et lib. 15. c. 8. aſſerit *veſtiarium contra teredines & noxa animalia amurcâ aſpergi.* Sic pariter vita ſeuera, excelſa, ſublimis arcet triſtitiam: hæc enim oritur ex otio, ignauia, deiectione animi & concupiſcentia. Vnde S. Gregor. li. 5. in 1. Reg. c. 14. triſtitiæ remedium aſſignat cogitationem & deſiderium bonorum cœleſtium: *Sic*, inquit, *acediæ vitium*, id eſt, *tædium cordis depellitur ſi ſemper bona cæleſtia cogitentur. Triſtere quidem mens nullatenus poteſt, quæ tam iucunda bona lætanter videt. Triſtitiæ enim anguſtioſum malum, ſpiritualis lætitiæ campo deuoratur: ſed tamen ipſa ſpiritualis lætitia ſe menti non infundit, quæ temporalis vitæ anguſtias tranſgrediendo contemplando non nouit. Bene quidem triſtitia vincitur, ſi temporalium laborum præmia videantur, quia vnde electa mens temporaliter ſe affligi conſiderat, inde gaudere in cæleſti patria æternaliter ſperat.*

Remedium triſtitiæ cogitare cæleſtia.

Puerile ergo, ſtolidum & ſtultum eſt de rerum temporalium damnis triſtari, cùm ſciamus per hæc nos bona cœleſtia & æterna lucrari. Vnde Chald. vertit, *ſicut teredo ligno, ſic ſtoliditas irritat cor hominis.* Verè S. Bernard. de Interiori domo: *Mala conſcientia deliciarum & voluptatum aſſiduus vermis eſt*, quia aſſiduè rodit gulæ & voluptatibus deditos, omnéque deliciarum ſenſum eis adimit & exedit. Denique Caſſian. lib. 9. de ſpiritu triſtitiæ cap. 13. hoc triſtitiæ pharmacum propinat. *Hanc ergo pernicioſiſſimam paſſionem ita de nobis expellere poterimus, ſi mentem noſtram ſpiritali meditatione iugiter occupatam futuri ſpe, & contemplatione repromiſſæ beatitudinis erigamus*, &c. *cùm æternarum rerum ac futurarum intuitu læti atque immobiles perdurantes, nec caſibus deiecti præſentibus, nec proſperis fuerimus elati, vtraque velut caduca, & mox tranſeuntia contemplantes*, vel, vt alij legunt, *contemnentes.*

Porrò triſtitia multiplex eſt, multiſque ex cauſis oritur, atque in omni locum habet hæc Salomonis ſententia. Triſtitia enim oritur ex multis curis, ſollicitudinibus, timoribus, anxietatibus, quibus abundant homines negotioſi, præſertim Prælati & Principes, qui proinde ijs ita terebrantur vti veſtis & lignum perforatur teredine. Sanè Carolus V. cùm regiminis pertæſus illud omne in Philippum filiū Bruxellæ transferret, coram toto Ordinum ſenatu illacrymás profeſſus eſt, ſe toto regiminis ſui tempore ne vel quadrantem horæ curis, moleſtijs & mœroribus vacuum habuiſſe, quo ſincerè cõquieſcere animumque laxare & exhilarare poſſet.

Maximè verò hæc triſtitiæ corroſio cernitur in peccatoribus, quibus mala conſcientia parit vermem, id eſt remorſum conſcientiæ, qui eos perpetuò corrodit, vt ſummè doleant, angantur & crucientur. Vnde S. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. c. 9. de eo verme qui præſertim in damnatis eſt, hunc locum explicat. Et S. Hieron. in Iſaiæ c. 66 *Vermis*, inquit, *qui non morietur, à pleriſque conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſupplicijs conſtitutos, quòd vitio ſuo atque peccato caruerint electorum bono, iuxta illud quod dicitur: Verſatus ſum in miſeria dum infigitur ſpina. Et in Prouerbijs. Tinea oſſium cor intelligens, & iterum ſub obelo. Sicut tinea veſtimentum, & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri.* Sicut ergo teredo, teſte Plutarcho in Sympoſ. oritur ex putredine, ſic triſtitia naſcitur ex cõſcientiæ per peccatum putrefactione. Albertus Magnus li. 19. c. 18. de Anima, refert Auicennam ſcribere, quod amicum habuerit, qui cùm vellet, ſcorpiones è putrefactis lignis generaret: ſic peccator dum vult ſuæ corruptæ propenſioni indulgere, creat ſcorpios & vermes triſtitiæ, qui animam rodunt. Plinius lib. 28. c. 3. *A ſcorpione aliquando percuſſi*, inquit, *nunquam poſtea à crabronibus, veſpis apibuſue feriuntur. Minùs miretur hoc, qui ſciat veſtem à tineis non attingi quæ fuerit in funere*; ita tinea acediæ & triſtitiæ non attingit eum, qui iugē habet memoriam funeris & mortis præſentis & æternæ, vbi *vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur*, Iſaiæ 66. Hæc enim memoria ſuperat omnes labores, dolores, angores qui triſtitiam parere poſſunt, itaque hominem extimulat, vt ardua quæque alacriter fortiterque capeſſat. Quocirca ſapienter S. Iſidor. lib. 3. de Summo bono; *Semper*, ait, *conſcientia ſerui Dei humilis eſſe debet ac triſtis, vt per humilitatem non ſuperbiat, & per vtilem mœrorem cor ad laſciuiam non feratur.*

Rurſum nonnulli per triſtitiam accipiunt inuidiam, quæ triſtatur de aliena felicitate, virtute & bono, ideoq; non aliud eſt quàm triſtitia inuida, ſiue triſtitia manans ex inuidia. Inuidia enim animum inuidi rodit & cruciat, ſicut tinea rodit veſtem, & teredo lignum. Vnde S. Chryſoſt. homil. 45. ad Popul. *Talis*, ait, *eſt huius vitij malitia, vt ſe patientem priùs offendat, & ſicut vermis de ligno naſcens ipſum priùs abſumat, ſic & inuidia illam priùs quæ ſe peperit animam corrumpit.* Et infrà: *Antequam ab externis hoſtibus, ab ipſo obſeſſus vitio tantùm non conſumitur, & tanquam occultis depaſtus dentibus, ita clanculum, vt ita dicam, abſumptus remanet.*

Quocirca S. Baſil. homil. de inuidia ait: Philoſophi inuidiam comparant ærugini quæ æs, & ferrugini, quæ ferrum cõſumit. Simili enim modo inuidia exedit inuidum, iuxta illud c. 14. 30. *Putredo oſſium inuidia.* Vide ibi dicta.

Salomonem de more ſecutus Eccleſiaſt. ca. 25. 17. *Omnis plaga*, inquit, *triſtitia cordis eſt.* Et c. 30. 24 *Triſtitiam longè repelle à te, multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.* Vide ibi dicta.

Vtrique ſuccinunt Philoſophi. Menander in Gnomis. *Cùm natura*, inquit, *cunctis hominibus multa mala hæreant, maximum triſtitia eſt malum. Nulla eſt, ſi quis rectè conſideret, quàm triſtitia maior ægritudo ſuapte natura inter humanas res.* Apollodorus in Paralogizomenis; *Non appellandus eſt felix qui pecunias habet plurimas, ſed qui non triſtatur.* Idem in Galatis: *Triſtitia inſaniæ vicina mihi eſſe videtur*, imò ipſa multos fecit facitq; dementes & inſanos. Phocion: *Multò ſatius eſt*, inquit, *humi cubantem viuere, ac bono quietoque animo eſſe, quàm perturbatum in aureo lecto.* ita Stobæus ſerm. 1. de prudentia. Diogenes autem Laërtius libr. 6. *Fortunæ*, inquit, *oppone animi fiduciam, legi naturam, affectibus rationem: hiſce enim tribus paratur & ſeruatur hominum tranquillitas.* Ariſtippus aiebat: *Neque de præteritis curam ſuſcipiendam, neq; de futuris. Solùm enim præſens in noſtra manu poſitum, non præteritum, neq; futurum: illud enim*

Gnomæ de malo triſtitiæ.

abijt,

abijt; hoc an euenturum ſit incertum eſt. ita Ælian. lib. 14. Variæ hiſtor. Antonius in Meliſſa p. 1. c. 72. & Maximus ſerm. 28. citant Plutarchum dicentem: *Thoraci tunicam, triſtitiæ verò mentem & rationem inducere oportet.* Et Theopemptũ: *Si quis plurimas opes poſſidens cum triſtitia vitam tranſigat, is certè fuerit omnium qui ſunt, quiq; ſaturi ſunt, hominum miſerrimus.* Et Epictetum: *Inſipientes tempus, ſapientes ratio mœrore liberat. Sapit qui non triſtatur propter abſentia, ſed gaudet præſentibus. Qui ob calamitates tum animo minimè ſunt triſti, tum reipſa maximè reſiſtunt, ij & ciuitatũ & priuatorum præſtantiſſimi ſunt habendi.* Et Euripidem: *Expers doloris nulli vita permanet.*

Vers. 21. Vers. 22. ET ESVRIERIT INIMICVS TVVS CIBA ILLVM: SI SITIERIT, DA EI AQVAM BIBERE: PRVNAS ENIM CONGREGABIS SVPER CAPVT EIVS, ET DOMINVS REDDET TIBI] Sub aqua & pane quẽlibet potum & cibum phraſi Hebręa intelligit. Id præſtitit Eliſæus, qui regi Iſrael de Syris hoſtibus ſuis ita præcepit: *Pone panem & aquam coram eis, vt bibant & comedant, & vadant ad dominum ſuum*, 4. Reg. 6. 22.

Alludere videtur ad medicos, qui phreneſi vel apoplexia ex frigore laborantibus, rigentibus & torpentibus, ad frigus hoc ſoluendum capiti fomenta calida, ac ſubinde teſtam vel acerram prunarum adhibent. Simili modo inimici qui frigent rigentque odio, beneficiorum congerie velut prunarum acerra calefaciendi ſunt, vt frigus odij mutent in calorem amoris. Vnde S. Auguſt. ſer. 163. de Tempore: *Carbones ignis congeres ſuper caput eius. Nam cùm*, inquit, *pœnitentiam cœperit agere, ſenſus rationabilis, hoc eſt caput ipſius, incipit charitatis igne ſuccendi: & qui priùs quaſi frigidus & phreneticus contra te cõſueuerat iracundiam retinere, ſpiritali calore de tua bonitate ſuccenſus, incipit toto corde diligere. Et Dominus reddet tibi*, ſcilicet rependet tibi beneficentiæ tuæ fructum, ait Aben Ezra: & beneficium beneficio compenſabit, ait R. Leui.

Aureum ergo S. Paulini eſt dogma epiſt. 6. ad Seuerum: *Memento*, inquit, *granum ſinapis (de quo ſemine ſumus) ſi conteratur, accendi magis, & tum demum in vim ſuam excitari. Quamobrem debemus quaſi naturę noſtræ in hoc reſpondere, vt aduerſis ſermonibus contriti inardeſcamus ad fidem, & eos ipſos qui nos vt minimos hominum, ſcilicet quaſi granum ſinapis (quod miniatum eſt ſeminum) frangere conãtur, vramus.* Hæc eſt ſancta & efficax vindicta de hoſte, cùm in eo hoſtilitatẽ igne amoris occidis, cumque amicum tibi efficis. Tria ergo bona ex ea reportabis, victoriam de hoſte tuo, lucrum proximi tui. Præmium à Domino tuo. Sic & Saul, poſtquam ex beneficio Dauid agnouit culpam ſuam, & dicens: *Iuſtior tu es quàm ego; tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala*; ſubiecit: *Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me*, 1. Reg. 24.

Didicit idipſum à Salomone & Hebræis Plato, & Plutarch. qui lib. de Vtilit. ex hoſtibus capiẽda: *Cęſari*, inquit, *cùm ſtatuas Pompeij deiectas erigi iuſſiſſet, Cicero dixit: Pompeij ſtatuas reſtituendis tuas defixiſti; laudatio enim inimici, laudanti maiorem quàm laudato conciliat laudem, &c. Et verò quænã alia exercitatio maiorem animis noſtris vtilitatem, aut affectionẽ conferat meliorem, quàm quæ ex eis inuidiam æmulationemque malignam aufert?* Imò ipſe Cicero Gabinium, à quo Vrbe expulſus fuerat, & Vatinium ſibi ſemper infeſtum duobus publicis iudicijs tutatus eſt; *Quia ſpecioſiùs aliquãto iniuriæ beneficijs vincuntur, quã mutui odij pertinacia penſantur*, ait Valer. Maxim. li. 4. ca. 2. Vbi plura huius rei Romanorum exempla recenſet.

Speciosa vindicta reddere bonum pro malo.

Symbolicè, Rabbini, ait R. Salomon, de mali concupiſcentia & fomite expoſuerunt. Si mali cogitatio fameſcet, teque ad eius cupiditatem criminibus explendã ſollicitarit, ad gymnaſij ſedem te ſubducito, ibique eius fami ſacræ legis panibus ſatisfacere curato aquaſque ſubminiſtra, diuinæ nimirum legis. Sunt enim velut prunę, quas tu ex huiuſmodi ſtatione aſſumis & hauris, vt in eiuſdem caput congeras.

Auctor verò Catenæ Græc. ſic exponit. q. d. Si inimicum cibes & potes, vres eum, ſcilicet diabolum, qui inimico eſt auctor omnis inimicitiæ: quia illum cruciabis, & ſummo dolore afficies. Noſtra enim charitas & ſanctitas cruciat diabolum, qui ardet odio, inuidia & malitia. Verùm hæc nec litteralia ſunt, nec ſatis cohærentia.

Citat duas haſce gnomas Apoſtol. Rom. 12. 20 vbi eas copioſè explicui, quare ea hîc non repetã.

VENTVS AQVILO DISSIPAT PLVVIAS, ET FACIES TRISTIS LINGVAM DETRAHENTEM] Hebr. *linguam abſconſionis*, id eſt, ſe abſcondentem & in ſecreto abſconditè detrahentem, inſtarq; ſerpentis mordentem. Vers. 23.

Pro *diſſipat* hebr. eſt תְּחוֹלֵל *techolel*, quod propriè à חול *chol* deriuatur, & ſignificat dolore afficiet, cruciabit, parturiet: ſin à חָלַל *chalal* deriues, ſignificat vulnerabit, occidet, perdet, fugabit, diſſipabit, interimet. Vnde duplex eſt hic verſio, & vna alteri ex diametro contraria. Multi enim vertunt, *Aquilo parturit pluuias*; alij verò cum Noſtro contrariè, *Aquilo diſſipat* vel perdit *pluuias*. Prius ſecutus Chald. vertit, *ventus Aquilo concipit pluuiam, ſic facies irati & lingua abſcondita* concipit iras, calumnias, vindictas, quas ceu pluuiam & grãdinem in eum cui offenſus eſt, effundat. Septua. *ventus Aquilo ſuſcitat nubes, facies autem ἀναιδὴς* id eſt *impudens* (in Vaticanis legitur, *imprudens*, chalcographorum, vt videtur, errore) aſpera, inuerecunda, procax, audax *linguam irritat*; Aquila, *ventus Aquilo parturit imbrem*. Sic & R. Salomon, ac R. Leui. Clariùs vertit Caiet. *Aquilo parturiet pluuiam, & faciem iracundam lingua abſconſionis*; alij cum Vulgat. pro *parturit* contrariè vertunt, *prohibet*, vel *diſſipat*. Vnde Vatabl. *ventus Aquilonaris pellit pluuias, at vultus ſeuerus linguam delatricẽ*. Si enim vultu ſeuero oſtendas tibi eam diſplicere, obmuteſcet, tum ex pudore & verecundia, tum ex remorſu malæ conſcientiæ, tum quia cœpit tibi placere, nec tibi ſibique parere triſtitiam. Pagnin. *ſicut ventus Aquilo fugat pluuias, ſic & facies iracunda linguam occultè detrahentem.*

Vtraque hæc verſio verum commodumq; capit ſenſum. Aquilo enim in locis Septemtrionalibus acer eſt, fugatque nubes & pluuias; in Meridionalibus verò, qualis eſt Iudæa, nubes cogit, paritque pluuias. Sicut vice verſa Auſter in locis Aquilonaribus generat pluuias; in Auſtralibus verò, vt in Africa, ſiccitatem & ſerenitatem affert. Ita R. Leui: Aquilo, inquit, in Ieruſalem humores ex mari conſurgentes adducit, cùm mare Iudææ ſit occiduum. Audi Ariſtot. lib. 2. Meteor. c. 3. *Aquilones*, inquit, *euaporoſi ſunt, quippe qui ab locis humidis & frigidis ingruant, atque ob id frigidi; ſed apud nos amœni tatiſq; cœli auctores ſunt, quod nubes deuehant & ebibãt. Contrà Auſtralibus in locis, ijs denique contrarijs in quę nubes impellant, aquoſi.* Et iterum in Problemat. ſectione

ctione 26. Aquilo, inquit, *Helleſponto atque Cyrenæ imbrem affert.*

Ruſum phyſici docent, imò reipſa ſæpe Romæ ceteriſque Europæ locis experimur, quòd Aquilo in æſtate ſubinde cogat nubes, ex eiſque nimbos, grandinem, tonitrua & fulgura proiiciat. Igitur ſic vertas, & ſic explices. q. d. Sicut Aquilo quandoque cogit nubes in æſtu, paritque nimbos & pluuias: ſic lingua detractrix parit nubili triſtitiæ, & lacrymarum nimbos.

Inſuper ſicut Aquilo quandoq; ciet grandines, fulgura & tonitrua: ſic lingua detractoris ciet iras & vindictam, tum illius cuius famæ detrahitur, tũ virorum proborum, tum ipſius Dei, cuius iracundiam inflammat, ait R. Salomon, ſic & Caiet.

Septuag. verò qui vertunt, *ventus Aquilo ſuſcitat nubes; facies autem impudens* vel *aſpera linguam irritat* ſic exponas q. d. Homo perfrictæ frõtis prouocat hominum linguas contra ſe. Rurſum q. d. Si Superior princeps, vel Prælatus ſubdito, vel cuiuis alteri faciem aſperam, moroſam vel procacem oſtendat, eum irritat & prouocat, vt intra ſe colligat irarum & maledictionũ vapores, quos datâ occaſione inter ſocios in ipſum turmatim vibret & eiaculetur, perinde ac Aquilo cogit nubes quæ in grãdinem, fulmina & tonitrua erumpunt. Quare Superiores nimis ſeueri & moroſi ſuâ ſæuitia & aſperitate cauſa ſunt multorum peccatorum, quorum Deo rationem reddent. Exagitant enim ſubditos vt in conuitia & maledicta, obedientiæ votorumque violationem audacter prorumpant.

Auctor verò Catenæ Græc. Sept. myſticè ſic exponit: Durus & indomitus ventus eſt diabolus; hic enim os impudens, vultumque omnis pudoris expertem indutus, varias Chriſti fidelibus excitat tentationes, animoſq; illorum ad malitiam & vitia allectat, ſed & linguam quoq; illorum ad blaſphemiam prouocat.

Secundò, longè meliùs Noſter, Pagnin. Vatabl. Aben Ezra & ceteri cõtrariè vertunt, *ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Aquilo enim ſuâ aſperitate communiter diſſipat nubes: ſic & facies triſtis diſſipat criminationes: quia, vt ait Beda, *ſi hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: ſi verò triſti vultu hæc audieris, vt dicit quidam vir Dei, diſcit non libenter dicere, quod didicerit non libẽter audiri.* Criminationes enim ſunt velut atræ nubes, quæ famam proximi offuſcant & obſcurant, quas Auſter loquacitatis inducit, iuxta illud Antonij in Meliſſa: *Vt Cæcias ventus nubes, ſic piorum vita, improborũ in ſe cogit conuitia.* Sed has fugat & diſſipat Aquilo ſeuerus & rigidus faciei triſtis & ſeueræ.

Facies triſtis ſimilis Aquiloni.
Primo.

Nota Primò. Appoſitè facies triſtis, vel, vt hebr. eſt, iracunda comparatur Aquiloni. Primò, quia ſicut Aquilo aſper eſt, ſæuus, ſiccus & horridus; ſic eſt quoq; facies triſtis & iracunda: vice verſâ ſicut Auſter iucundus eſt, gratus & humidus; ſic eſt quoque facies amœna, læta & hilaris.

Secundo.

Secundò, ſicut Aquilo fugat nubeculas, aëremque & terram ſerenat: ſic & facies triſtis & indignans fugat detractiones & criminationes priuatas & ſecretas, omniaque ſerenat, amœnat, exhilarat. Criminationes enim promit lingua abſconſionis, vt habent Hebr. id eſt occultè, ſecretè & abconditè detrahens, quæ proinde rectè comparatur nubi imbriferæ. Huius enim ſuperna pars, ait noſter Salazar, qua ſoli obuertitur, candida eſt ac

A ſplendida, acceptoſque radios per repercuſſionem in ſolem ipſum quodammodo reuerberat; inferna verò, quæ ad terram ſpectat, atra & obſcura ipſius ſolis candorem offundens: non aliter lingua detrahens erga præſentes candidam faciem ac iucundam præbet, eorum laudes libenter vſurpat, & per omnia illis probari cupit; abſentium verò ſplendorem famamq; denigrat & offuſcat, & in ipſorum probra & vituperia tota ſoluitur.

Tertiò, ſicut Aquilo in æſtu quandoque ciet grandines, fulmina & tonitrua; ſic & facies iracunda ſæpè erumpit in iurgia, obiurgationes & minas, quibus detrahentem laceſſit, propellit & fugat imò ſubinde ferit, vulnerat, necat. *Tertio.*

Vnde Aben Ezra Hebr. *techolel*, id eſt *diſſipat*, propriè & appoſitè vertit *cruciat*, q. d. Sicut Aquilo quaſi cruciat, ac dolorem imbecillitatemque pluuiæ infert, dum eã ita diſpergit & premit, vt prohibeatur ne in terras defluat, imò tota diffletur & B euaneſcat: ſic & facies irata cruciat detrahentem, eiuſque linguam maledicam, imbecillem, debilemque reddit, vt mala proloqui non valeat, nec audeat.

Nota. Pro *triſtis*, hebr. eſt נִזְעָמִים *nizamim*, id eſt perturbata, iracunda, accenſa, indignans: hæc enim magis fugat detractiones, quàm quæ ſolam triſtitiam præfert. Et quidem ſi detractor ſit Superior aut vir magnæ auctoritatis, ſufficit ei faciem triſtem oſtendere: ſin autem ſit æqualis, minor vel inferior, palàm vultu graui, ſeuero vel irato dicendum eſt ei: Si bona affers proximi, libens audio; ſi mala effutire vis, non audio. Hoc eſt quod ait S. Hier. epiſt. ad Ruſtic. *Sicut ſagitta*, inquit, *ſi mittatur contra duram materiem, nonnunquam in mittentem reuertitur, illudq; completur, Facti ſunt mihi in arcum prauum. Et: Qui mittit in altum lapidem, recidit in caput* C *eius: ita detractor cùm triſtem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, ſed obturantis aures ſuas, ilicò conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliua ſiccatur.*

Verùm quia Vita Sanctorum eſt viua interpretatio Scripturæ, meliuſque illa docetur & diſcitur facto quàm verbo, accipe eorum exempla quæ imiteris. S. Ioannes Eleëmoſynarius, ſi quis coram eo alteri detraheret, aliam induebat perſonam; ſin verò ille detrahere pergeret, præcipiebat cubiculario, ne ampliùs illi aditum ad ſe patefaceret, vt per eum ceteros erudiret. ita Leontius in eius Vita. *Exempla compeſcentium detractores.*

S. Pachomius audiens quem detrahentem, *auertens ſe ab eo velut à facie ſerpentis concitus abſcedebat, illud pſalmi frequenter inſonans: Detrahentem proximo ſuo occultè hunc perſequebar, pſalm. 10. Nullus (aiebat) bonus de ore ſuo profert quidquam mali, nec ſanctis* D *patribus venenato prorſus ore obloquitur. De qua re multis quidem Scripturis Dei monſtrabat indignantis offenſam. Præcipuè tamen Mariæ proferebat exemplum, quæ mox vti aduerſus Moſen querelas obtrectationis effudit, diuinum iudicium vitare non potuit.* Nam vt narratur Num. 12. leprâ cælitus percuſſa fuit. ita Dionyſ. in Vita Pachomij c. 27.

Maches Abbas in Vitis Patrum audiens detractionem, ilicò in ſomnum incidebat. Idem lib. 3. n. 133. Abbas Pœmen rogatus, *Quomodo poteſt homo vitare ne loquatur malum de proximo ſuo?* reſpõdit: *Ego & proximus meus duæ imagines ſumus, cum ergo meum perſpexero, & reprehendero me, inuenitur imago fratris mei apud me venerabilis: quando autem meam laudauero, tunc fratris mei imaginem prauam reſpicio. Tunc ergo de alio non detractio, ſi ſemper meipſum reprehendo,*

Gnome de uitanda detractione.

bendo, Dixit Abbas Hyperichius: *Melius eſt comedere carnes, & vinum bibere, quàm comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim ſuſurrans ſerpens Euam de paradiſo excuſſit, ita qui de fratre ſuo detrahit, non ſuam ſolùm, ſed & audientis animam perdit.* Solebat dicere Abbas Ioannes. *Paruam ſarcinam dimiſimus, id eſt nos ipſos reprehendere, & grauem portare elegimus, id eſt vt nos iuſtificemus, & alios condemnemus*, nimirum *ſui inſpector, proximi eſt laudator. ſui reprehenſio, ſola eſt hominis iuſtitia*, ait Abbas Pimenius.

Accipe & philoſophorum apophthegmata ex Antonio in Meliſſa p. 1. cap. 53. Plutarchi: *Quemadmodum gallina cùm ægrotaret, ad felem interrogantē eam tanquam ex beneuolentia quomodo valeret; rectè dixit, Si tu diſcedas: ſic ad eiuſmodi hominem, qui ſuper diſſenſione ſermonem mouet, & interrogat, & ſecreta aliqua ſuffodit, dicendum eſt: Atqui nihil ego in fratre deſidero, ſi nec ipſe calumniantes audiam, nec ille.* Socratis: *Loquacem & calumniatorem ne admittas; non enim ex beneuolentia id facit, ſed vt aliorum arcana tibi detexit, ſimiliter etiam quæ tu dixeris exponet alijs.* Moſchionis: *A multis malis traduci, neque verum, neque damnoſum eſt; ab vno autem bono reprehendi, & verum & vtile eſt.* Demonactis: *Cùm ſophiſta quidam culparet eum, & diceret: Cur mihi maledicis? reſpondit, Quoniam tu maledicentem non contemnis.*

VERS. 24. MELIVS EST SEDERE IN ANGVLO DOMATIS Chald. *in angulo tecti*; Syrus, *ſuper cornua tecti*) QVAM CVM MVLIERE LITIGIOSA IN DOMO COMMVNI] Syrus, *in domo diuiſionum*, Hic verſus hoc loco repetitur; eum enim audiuimus cap. 21. 9. vbi eum explicui. Pro *in angulo*, hebr. eſt פִּנַּת עַל. *al pinna*, id eſt ſuper angulum vel conum; vnde Latinum *pinnaculum*, id eſt culmen domus. q. d. Satius eſt ſedere in pinnaculo tecti, vbi ſummo periculo caſus, pluuiæ & ventorum moleſtiſſimè exponaris, quam habitare cum muliere rixoſa.

VERS. 25. AQVA FRIGIDA ANIMÆ SITIENTI, ET NVNTIVS BONVS DE TERRA LONGINQVA] Copula & hic, vti & crebrò in hoc libro, quia nectit ſimilia, valet idem quod *ſic, ſimiliter*. q. d. Sicut aqua frigida mirè grata eſt animæ ſitienti; ſic quoque nuntius bonus de terra longinqua mirè gratus eſt eum expectanti, vel audire cupienti. Pro *nuntius* hebr. eſt שְׁמוּעָה *ſcimua*, id eſt auditus, nuntium, nuntiatio. Sed eodem res redit, nūtius enim bonus eſt, qui læta affert nuntia audientibus. Pro *ſitienti* hebr. eſt עָיֵף *iaeph*, id eſt *laſſæ*, id eſt ex laſſitudine æſtuāti, exhauſtę, & ſitienti. Eſt metalepſis. Hebr. ergo ad verbum habent, *aquæ frigidæ ſuper animam laſſam, & auditus bonus de terra longinqua*: Chald. *ſicut aqua frigidæ animę laſſę, ſic nuntium bonum de terra remota*; Septuag. *ſicut aqua frigida ſitienti animæ eſt perincunda, ſic nuntius quoque bonus, qui de terra longinqua præſtò eſt, mirè eandem recreat.* ita auctor Catenæ Græcor.

R. Leui: Sicut, inquit, animus labori ſuccumbēs emolumentum fructumq; ſingularem percipit ex aquis refrigeratis, quibus reuocetur ad corporis intimas partes calor vitalis, qui ad motum diſperſus erat, ita ſingularem quis haurit vtilitatem ex iucūdo bonoque nuntio, quod ei de conſanguineis amicisue allatum ſit ex longè diſſitis regionibus: id enim animū reuocare videtur, quemadmodum ab aquis frigidis animus labore victus redditur vitæ.

Finis huius ſententiæ eſt vt doceat, ait Aben Ezra, quemque felicia fauſtaque narrare, & à triſtibus infauſtiſq; narrandis abſtinere. Rurſum vt moneat nuntios, cognatos & amicos, vt læta nuntia citò perſcribant vel proferant ad ſuos, quos ſciunt illa auidè anxieque expectare.

Senſus ergo eſt; ait Ianſen. q. d. Sicut aqua frigida hominem præ laſſitudine & ſiti valdè anhelantem ad aquam, & propemodum deficientem refrigerat, recreat & reſtituit, vireſque reparat: ita nuntius bonus ex terra longinqua rediens eū qui diu ipſum expectauit, & prę expectatione iam delaſſatus eſt, ac prę timore deficiens propemodum mirè delectat, ac veluti prębito potu, eius deſiderio cum voluptate ſatisfacit, collapſas animi vires reſtituens. Quod non omni nuntio bono hic tribuitur, ſed ei potiſſimum, qui aduenit ex terra lōginqua, quia vt talis & diutius & cum maiori anxietate expectatus eſt; ita reuerſus cum maiori lętitia & auiditate auditur & recipitur.

Hæc gnome ſimilis eſt illi v. 13. *Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Sic Iacob audito nūtio quod Ioſeph filius eius viueret, & dominaretur in Ægypto, reuixit ſpiritus eius, Geneſ. 45. 27.

Noſter Salazar *Iò de terra longinqua* repetit, iungitq; tam aquę frigidę quàm nuntio bono. Quam repetitionem etſi gnome abſolutè non exigat; ſi tamen addatur, gnomen aptiorem & neruoſiorem efficiet. q. d. Sicut viator aliquis in loco inaquoſo ſiti areſcens & laſſitudine deficiēs, vlteriuſque ad fontem progredi non valens, adductâ longo ex interuallo aquæ frigidæ potione reficitur, vires ac ſpiritum recuperat, ita etiam homo loco diſſitus, ex deſiderio optatæ rei ſitiens, diuturnâ expectatione laſſus, & à ſpe in deſperationem nimiam decidens, cùm quiſquam boni aliquid è lōginquo perlatum certò denuntiat, refrigerium, vires ac ſpiritum recipit.

Myſticè hæc gnome verior fuit & eſt in nuntijs ſpiritualibus, putà Prophetis, qui aduentum Meſſiæ annuntiarunt, atq; hoc nuntio lætiſſimo mirè pios Iudæos eum auidè expectantes recrearunt. qualis fuit Iſaias: vnde c. 40. 9. ait: *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem: dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus veſter: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet*, &c. Talis quoq; fuit Archangelus Gabriel annuntians B. Virgini conceptionem Verbi, qui mirè ipſam omneſque omnium ſæculorum fideles recreauit, dicendo: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur*, Lucę 1. 31. Talis fuit angelus nuntians paſtoribus Chriſti natiuitatem: *Ecce*, inquit, *euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.* Lucę 2. 10. Sed præ omnibus talis fuit ipſe Chriſtus, qui euangelium, id eſt lætum nuntium gratiæ & ſalutis, miſſus à Patre è cælo attulit, obtulitque mundo vniuerſo cùm Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Angeli quoque*, inquit Beda, *quotidie de terra longinqua, hoc eſt, à ſuperna patria deſcendentes, iuſtos vel in tentatione ſpe cæleſtium roborant, vel finitis tentationum certaminibus ad palmam perpetuæ retributionis inducunt.* Et Hugo. *Bonus nuntius*, inquit, *eſt bonus prędicator bonos rumores nuntians de terra longinqua, id eſt de patria cæleſti.*

Anagog. Auctor Catenę Græc. Nuntius, inquit, de carnis reſurrectione diuinarumque promiſſionum certitudine cęlitus allatus, non poteſt homini

iuſto

iuſtò non eſſe pergratus, animæque bene affectæ non oblectabilis. Sanè iuſto lętior accedere nequit nuntius, quàm qui nuntiat ei gloriam cæleſtem, de eaque ipſum ſecurum reddit. Vnde S. Franciſcus accepto cælitus nuntio, imò oraculo, de ſua prædeſtinatione & ſalute, exultauit in ſpiritu, & per ſeptem dies continuos quaſi impos ſui nec comedere poterat, nec bibere, ſed tantùm canere & iubilare Deo.

S. Nicolaus Tolentinas ſex menſibus ante mortem, ſingulis noctibus ſuauiſſimum angelorum concentum ſe ad cælum inuitantium audiuit: vnde identidem ingeminabat illud Apoſtoli: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, Philip. 1. Cùm verò diſſolutionis tempus inſtaret, in extremo ſpiritu voces fundere cœpit gaudentis & geſtientis: cuius inuſitati gaudij cùm Fratres qui aderant cauſam repoſcerent, attonitus ille vixque ſui compos præ magnitudine rei: *Dominus meus Ieſus Chriſtus*, inquit, *S. Matri ſuæ, & Auguſtino Patri noſtro innixus, dicit mihi: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudiū Domini tui.* In quibus verbis expirauit. Similia de morte fratris ſui Gerardi ſcribit S. Bernard. ſer. 26. in Cantic. Similia de lęto beatæ mortis feliciſſimiſq; nuntio dato Antonio ſui cœnobij monacho, Merulo, pluribuſque alijs recenſet S. Greg. 4. Dialog. c. 47 & ſeqq. ac præced.

VERS. 26. FONS TVRBATVS PEDE, ET VENA CORRVPTA, IVSTVS CADENS CORAM IMPIO] Hebr. *fons pede conculcatus, & vena exciſa, iuſtus nutans*, vel *corruens, ad faciem impij*; Chald. *ſicut qui obturat fontem, & corrumpit venam, ſic iuſtus cadens coram impio*; Sept. *ſicut ſi quis fontem obſtruat, & aquæ exitum diſperdat, ſic indecens eſt iuſtum cecidiſſe coram impio.*

Hæc gnome dupliciter accipi poteſt, putà de duplici caſu iuſti, id eſt de caſu in calamitatem, & de caſu in peccatum.

Primò, ergo de caſu in calamitatem ſic exponit Baynus & Ianſen. Per fontem & venā idem ſignificat: non enim de vena corporis humani, ſed magis de vena aquarum ſermo eſt, ſicut & ſuperiùs cùm dicitur c. 10. *Vena vitæ os iuſti*. Fons naturâ ſuâ limpidiſſimus, iucundiſſimus & vtiliſſimus limpiditatem ſuam, gratiam & vtilitatem perdit, dum cōculcatur & turbatur pede, ita vt puluis & lutum excitetur; aut dū aliàs corrumpitur iniectione ſeu admixtione aliquarum ſordium, aut obturatione venæ, ita vt aut non reddat aquam, aut nō copioſam, nec limpidam. Huic cōparatur iuſtus cadens coram impio, cadens, inquam, in carcerem, necem aliámue calamitatem, quam illi inflixit impius ipſum perſequens, & in calamitatem deijciens. Exemplum appoſitum Baynus dat S. Ioannem Baptiſtā, qui ab Herode coniectus in carcerem, & tandē capite plexus, fuit velut fons pede Herodiadis & puellæ ſaltatricis conculcatus, conturbatus & corruptus, vt ampliùs nō poſſet aquis ſalutaris doctrinæ bonorumq; exemplorum populum potaſe. Herodias ergo hunc publicum doctrinę fontē innumera commoda in populum effundentem conculcauit, corrupit & oppreſſit, atque os illud aureum quod erat vena vitæ & vitalium eloquiorum, eò quòd ab illo liberiùs de adulterio redargueretur, obturauit, occluſit & exſcidit.

Secundò, & meliùs, hanc gnomen accipias de caſu in peccatum. q.d. Cùm iuſtus vidente impio cadit in peccatum, eſt velut fons turbatus, & velut vena corrupta, tum quia exemplum corruptum & prauum alijs propinat: tum quia impius lapſum eius euulgat & exaggerat, itaq; lapſo infamiam & populo ſcandalum creat, quorum vtrumque ſępè eſt irreparabile. Rurſum & potiùs, caſum hunc iuſti coram impio accipias, quo iuſtus ab impio vel minis & pœnis, vel blanditijs, promiſſis & muneribus impellitur in peccatum; hoc enim innuit Hebr. מוט *mot*, id eſt mutare, inclinare, declinare, labi, cadere, ruere, ſcilicet impio impellente. Vnde Vatabl. pro *cadens* vertit, *credens impio*. Hoc autem varijs modis fit nimirum.

Iuſtus cadit coram impio. Primo. Primò, cùm iuſtus in adulterium, fornicationem, aliudue ſcelus in gratiam impij, aut ob terrorem minarūue impij prolabitur. Iuſtus enim eſt veluti ſpeculum virtutis: quare eius mores, verba & facta reipſa oſtendunt & damnant turpitudinem & mores corruptos impiorum, qui vt hoc ſuum dedecus tollant, iuſtum in ſuam naſſam & ſcelera pertrahere omni ſtudio conantur.

Secundo. Secundò, cùm iuſtus, pręſertim ſacerdos, Religioſus, doctor, &c. ob minas vel promiſſa impij, veritatem religionis deſerit, fitque hæreticus, vt qui antè fuerat præco fidei, iā fiat præco erroris, quales ſæculo elapſo fuere Lutherus, Caluinus, Brentius, &c. atque olim fuere Origenes, Tertullianus, & Hoſius Epiſcopus Cordubenſis pręſes Concilij Nicæni, qui in ſenectute minis Arrianorum adactus ſubſcripſit damnationi S. Athanaſij. Talis enim eſt quaſi fons turbatus, imo veneno lethali infectus, vt qui priùs fundebat aquas doctrinę ſalutiferæ, iam fundat lethiferæ, pluresque corrumpat & perdat, quàm orthodoxus exiſtens cōuerterat & ſaluarit. Hinc Beda, Gloſſa, Aben Ezra, hanc gnomen nectēres ſequenti, ſic explicant, q.d. *Euenit ſæpè, vt qui maiori prędiri ſcientia fulgebat ad vltimum plus volentes ſapere quàm fragilitati humanę cōceſſum eſt in inſipientiæ foueam decidant. Vnde adiungit: Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria*, vt non capiens myſteriū vnius deitatis in SS. Trinitate v.g. incidat in hæreſim Arrij Macedonij, Sabellij.

Tertio. Tertiò, *iuſtus* hîc accipi poteſt iudex & magiſtratus, qui minis vel muneribus impiorum corruptus, iniquas fert ſententias, & iura peruertit. Hic enim cùm priùs eſſet fons illimis & limpidus veritatis & iuſtitiæ, iam limo auaritiæ vel timiditatis vitiatus, lutulentus & cœnoſus fit fons falſitatis & iniuſtitiæ. Quare non minùs, imò longè magis, reipubl. & bono publico officit, qui iudicem iuſtum peruertit faciatque iniuſtum, quàm qui publicos reipubl. fontes vitiat, obturat vel exſcindit.

Beda per *impium* accipit diabolum, qui iuſtum ad peccatum impellit ex odio tum Dei, tum iuſti, tum ceterorum hominum. Iuſtus enim eſt velut fons purus, per quem Deus veram fidem, exempla virtutum, ſuaque dona & gratias in ceteros emanat: quare illum omni modo obſtruere vel vitiare conatur diabolus, vt tanta bona impediat, & tria contraria mala inducat; ſcilicet iniuriam & offenſam Dei, ruinam iuſti, & ſcandalum ceterorum. Bona enim vita iuſti, eſt quaſi fons manans iuges eius laudes per honeſta & ſancta eiuſdem opera, quæ cùm intercipit diabolus, ſimul eius laudes & famam intercipit. Nam vt ait S. Chryſ. homil. 24. ad Populum: *Bona hominis fama ex bona eiuſdem vita, velut ex fonte manat.*

VERS. 27. SICVT QVI MEL MVLTVM COMEDIT, NON EST EI BONVM: SIC QVI SCRVTATOR EST

MAIE-

MAIESTATIS, OPPRIMETVR A GLORIA] Hebr. חֵקֶר כְּבוֹדָם כָּבוֹד *cheker kebodam cabod*, id eſt, *ſcrutatio gloriæ eorum gloria*, vel *ſcrutatio grauitatis eorum, grauitas*. Quod varij variè vertunt, & explicant.

Primò, Septuag. *comedere mel multum non bonum: in pretio autē habere oportet ſermones glorioſos*. ſcilicet non curioſè & ſuperbè eos ſcrutando, ſed modeſtè admirando & venerando eos caſto ſilentio, vti docet S. Dionyſ. de Cæleſti hier. & de Diuinis nomin. Vnde auctor. Catenæ Græc. ſic vertit & ſic explicat, *vt multum mellis comedere non eſt bonum; ita doctrinam ſublimem ſobriè oportet guſtare, magnoque in pretio habere*. Inſinuat per hæc in diuinorum iudiciorum rationes parciùs inquirendum eſſe, neque dogmata de eiuſmodi rebus tradita, promiſcuè omnibus proponenda & quaſi proſtituenda, ſed dignis tantùm, eademque in magno in honore & reuerentia habenda. hæc ille.

B Secundò, Aben Ezra vertit, *qui iuſtorum gloriæ inueſtigandæ vacat, gloriam reportabit*. q. d. Sicut mellis nimius vſus nocet, moderatus tamen valdè prodeſt: ſic qui moderatè iuſtorum ſapientiam ſcrutatur, referet gloriam: in ſapientia enim iuſtorum eorum gloria ſplendorque conſiſtit: & hanc ſignificat mel, iuxta illud c. 24. 13 *Comede fili mi, mel, quia bonum eſt, &c. ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ*.

Tertiò, Pagnin. vertit, *ſicut mel comedere multum non eſt bonum, ſic inueſtigatio diuerſarum ſcientiarū non eſt gloria*, ſcilicet vera, ſed curioſa & vana.

Quartò, Caiet. ſic vertit, *ſicut mel comedere multum non eſt bonum, ſic ex aduerſo quærere honorem ipſorum honor*, ſicque explicat: Gloria, inquit, ipſorum, eſt gloria communis toti communitati, collegio, vrbi, reipubl. q. d. Propriam & ſingularem gloriā aucupari, inſtar mellis multi, dulce quidem eſt ac volupe, at inutile & noxium: at verò gloriam cōmunitatis vel reipub. veſtigare & venari, perquàm vtile eſt & honorificum.

C Quintò, alij vertunt, *ſicut comedere mel multum non eſt bonum; ſic ſcrutari glorias non eſt gloria*: nimirū proprias laudes & glorias aucupari vanitas eſt, non veritas; ſuperbia eſt non gloria.

Sextò, optimè & profundiſſimè, Noſter vertit, *ſicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria*; tum quia ſubtiliter intellexit ad aptam huius ſententiæ conformationem & comparationem, more Hebræo, repetendam eſſe negationem *non* hoc modo: *ſicut mel multum comedere non eſt bonum, ſic ſcrutatio gloriæ eorū* (id eſt rerum diuinarum, quæ ſolæ ſunt meræ & veræ) *non eſt gloria*. Vnde Chald. vertit, *comedere mel multum non eſt bonum, neque ſcrutari verba glorioſa*; & Vatablus, *quemadmodum multū mellis edere non eſt bonum: ſic qui gloriā eorū* (ſupple, cæleſtium rerum, diuinarumque, vnde ſolet peti gloria) *nimium ſcrutatur*, ſupple, *non eſt gloria*. nō eſt laudabile; & Symmach. *inueſtigare autem honorem ſibi & gloriam*, repete, *non eſt bonum*, vel multò magis non eſt bonum; Theodot. *inueſtiganti quoque per ea quæ glorificata ſunt, gloriam*, repete non eſt bonum.

D Aut potiùs Noſter litteram *mem* vltimam in כְּבוֹדָם *kebodam*, per diæreſim retulit ad vocem ſequentem כָּבוֹד *cabod*, ſicque legit כָּבוֹד מִכָּבוֹד חֵקֶר *cheker kabod micabod*, id eſt, *ſcrutatio gloriæ à gloria*, ſubaudi *opprimetur*: ac pro חֵקֶר *cheker*, id eſt *ſcrutatio*. legit alijs punctis חֹקֵר *choker*, id eſt *ſcrutator*.

Huc pertinet quod aliqui vertunt, *ſcrutari grauia*, hoc eſt, res graues & intellectu difficiles, vel glorioſas, *grauitas eſt*, vel graue eſt, hoc eſt, res ea hominem deprimit & opprimit, vt vertit Noſter. Senſus ergo eſt. q. d. Sicut mel rem per ſe optimam ſumere bonum eſt, ſi autē in ſumendo modus non ſeruetur, perniciem affert, cruciatum ſcilicet, rupturam & mortem (mel enim celerrimè vertitur in rubram bilem, quare qui auidiùs vſi ſunt melle ſæpè periculoſè inflammantur:) ita quamuis per ſe bonum ſit & iucundum maieſtatem ipſam diuinam, & cuiuſuis rei præclariſſimæ, ſiue in Scripturis, ſiue alibi, cognitionem deguſtare; tamen eam ſupra modum naturæ aut intellectui conuenientē perſcrutari, ſua claritate hominē opprimit & grauat in ſtultitiam, amentiam & errores ipſum præcipitando, non ſecùs quam ſolis claritas directè ipſam inſpicientem hominem excæcat, quæ alioquin reficit & illuminat. Ita Janſen. — *Scrutatio maieſtatis ſimilis melli nimis comeſo.* *Primò.*

Analogia ergo eius mellis, & ſcrutationis maieſtatis in eo conſiſtit, quòd, ſicut mel graue eſt, & ſi nimium ſumatur, hominem degrauat & obruit: ſic maieſtas gloriæ diuinæ ingens & immenſum eſt gloriæ pondus, quod infirmos mentis oculos hebetat, grauat, excæcat & opprimit. Vnde S. Gregor. li. 14. Moral. c. 12. vel, iuxta aliam ſectionem c. 14. *Dulcedo*, inquit, *mellis ſi plus quàm neceſſe eſt ſumitur; vnde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis etiam eſt requiſitio maieſtatis Dei, ſed qui plus illam ſcrutari appetit, quàm humanitatis cognitio permittit, ipſa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderatè mel ſumptum, perſcrutantis ſenſum dum non capitur, rumpit*, ex S. Gregorio tranſcripſit hæc Beda.

Secundò, ſicut mel, vtpote aëreum, flatulētum eſt, ideoque ſi nimis ſumatur, ventrem diſtendit, inflat, & tandem rumpit vt crepet: ſic & ſcientia inflat, charitas ædificat, ait Apoſtol. *Manducare mel multum non eſt bonū: magis enim inflat parum fundatū ſenſum ſcientia, quàm ædificat*, ait Fauſtus Regienſis in epiſt. cōtra Neſtorium. Sicut ergo mel nimium vertitur in tumidas ventoſitates & flatus: ſic & nimia ſpeculatio rerum diuinarum nata ex ſuperbia, vertitur in arrogantiam & faſtum. *Secundò.*

Tertiò, mel nimis comeſtum vertitur in bilem, quæ acriter inteſtina mordet, premit, cruciat, & ſubinde enecat opprimitque: ſic & nimia ſpeculatio diuinitatis vertitur in errores & hæreſes, quæ non tantùm ſpeculantem, ſed & plures alios, ac non rarò totam Eccleſiam grauant & cruciant, multoſque enecant & perdunt. Rurſum mel nimiæ ſpeculationis vertitur in bilem, id eſt irā, indignationem & inuidiam, quia ſpeculantes facit iracundos, indignabundos & inuidos, dum ſe ab alijs vident ſuperari, ac viciſſim aliorum contra ipſos inuidiam prouocat & irritat. *Tertiò.*

Quartò, mel nimium in faſtidium, nauſeam & vomitum vertitur: ſic nimium ſtudium, & nimia veſtigatio & contemplatio rerum diuinarum, fatigat cerebrum, indeque parit illarum faſtidium, vt homo ad eas nauſeans ijs ſpretis dedat ſe otio, carni & ventri, fiatque guloſus & carnalis, aut obſtupeſcens fiat phanaſticus, delirus & amens. Vnde illud: *Omnis ſatietas mala, ſtudiorum autem peſſima*. Et illud v. 16. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud*. vide ibi dicta. *Quartò.*

Quintò, mel repræſentat diuinæ maieſtatis dulcedinem immenſam, quæ non niſi à valentiſſimis ſtomachis, id eſt mentibus Beatorum, capi poteſt. *Quintò.*

Sextò, mel grauius eſt oleo, vino, aceto, cæteriſque *Sextò.*

quę liquoribus, qui proinde melli innatant. Vnde Galen.l. 1. de Alimęt. natur. *Mel, inquit, ponderi ſuo reliquis alimentis ſubſidit, & ad imum ſtomachū demittitur:* ſic pariter Dei maieſtas & gloria onus eſt & podus rebus omnibus grauius, imò res omnes velut anchora, firmans, degrauās & ſtabiliens. Vnde Hebr. eſt ænigma כָּבוֹד כָּבֵד *cabod cobed*, id eſt *gloria eſt grauitas*, quæ ſcilicet in ſe grauis res omnes graues efficit. Hæc omnia facilè adaptes honori & gloriæ, quàm vanè aucupātur homines. Hebręa enim diſpuncta vti Vulgatus diſpunxit, ad verbum habent *ſcrutatio gloriæ à gloria*, ſcilicet opprimetur.

Humilis poteſt ſcrutari diuina. Denique diſcretè & ſapienter hanc Salomonis gnomen pertractans S. Bernard. ſerm. 62. in Cantic. docet viros humiles contemplationi deditos non debere eam vereri, nec ob eam abſtinere à contemplanda Dei maieſtate. Cauſas tres affert:

Primò. Prima eſt, quòd illa contra elatos & ſuperbos ſit dicta: *Nec verearis, inquit, illud quod Scriptura minatur ſcrutatoribus maieſtatis, tantùm affer purum & ſimplicem oculum, non opprimeris à gloria, ſed admitteris, niſi non Dei, ſed tuam quæſieris gloriam: alioquin ſua quiſque opprimitur, non Dei gloria, dum procliuius in iſtā, ad illam leuare ceruicem non ſinitur, nimirum grauem cupiditate. Hac excuſsā ſecuri ſcrutemur in petra, in qua theſauri abſconditi ſapientiæ & ſcientiæ ſunt. Si adhuc dubitas, audi ipſam petram: Qui operantur, inquit, in me, non peccabunt.* (Eccli.24.) *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Ibi requiem inuenit manſuetus & ſimplex, vbi doloſus opprimitur, vel elatus & cupidus inanis gloriæ.* (Pſal.54.)

Secundò. Secunda, quia talis anima non tam maieſtatis quàm voluntatis diuinę eſt ſcrutatrix: *Nō opprimitur, inquit, quia non ſcrutatrix maieſtatis eſt, ſed voluntatis: nam quod maieſtati attinet, interdum quidē & in ipſam intendere audet, ſed quaſi admirans, nō quaſi ſcrutans: ſed & ſi quando per exceſſum rapi in illam contingat, digitus Dei eſt iſte dignanter leuans hominē, non hominis temeritas inſolēter Dei alta peruadens. Cùm enim Apoſtolus raptū ſe commemoret, vt auſum excuſet, quiſnam alter præſumat mortaliū, huic ſe diuinæ maieſtatis horrendo ſcrutinio proprijs intricare conatibus, & importunus contemplator pauenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde maieſtatis tamquam irruptores dici reor, non qui ſcilicet rapiuntur in eam, ſed qui irruunt. Ipſiſque opprimuntur à gloria. Ergo formidoloſa ſcrutatio maieſtatis at voluntatis tam tuta quàm pia. Quidni tota diligentia ſcrutando inſiſtem ſacramenta gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia ſcio.* (Actor.9.)

Tertiò. Tertium ſubdit, quòd talis non tam opprimatur, quàm imprimatur & conformetur glorię Dei. *Non me opprimet, inquit, gloria iſta, tota licet viribus intendentem in ſe, ego potiùs imprimar illi. Etenim reuelata facie ſpeculantes in eamdē imaginem trāſformamur de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Transformamur, cùm conformamur. Abſit autem vt in maieſtatis gloria, & non magis in voluntatis modeſtia, Dei ab homine conformitas præſumatur. Gloria mea hęc eſt, ſi vmquam de me audiero: Inueni hominem ſecūdum cor meum: cor ſponſi, cor patris ſui. Ipſum quod? Eſtote, ait, miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* (Lucæ 6.) *Hac forma, quam videre deſiderat, cùm Eccleſiæ dicit: Oſtende mihi faciem tuam: forma pietatis & manſuetudinis.*

Salomonem ſecutus Siracides c. 3. 22. *Altiora te, inquit, ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* vide ibi dicta.

Extat hac de re elegans emblema apud Alciatum inſcriptum: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Emble- (A) ma, inquam, aquilæ voraciſſimæ iecur Promethei exedentis, ſignificans curioſos maieſtatis cæleſtis & rerum diuinarum ſcrutatores, à Deo acriter puniri. Eius hi ſunt verſus: *Emblema Promethei.*

Caucaſeā æternùm propendens rupe Prometheus,
Diripitur ſacri præpetis ore iecur:
Et nollet feciſſe hominem, figulumq; peroſus
Accenſam rapto damnat ab igne facem.
Rodentur varijs prudentum pectora curis,
Qui cæli affectant ſcire Deûmq; vices.

Noctua. Rurſum noctua tenebris gaudet, & lucem ſolis non ſuſtinet: aquila verò hilariter, & cùm fructu oculos in iubar ſolis intendit. Dum noctua es vilis, & nondum ad ſpiritalem vitam acceſſiſti, nec te tuaſque paſſiones edomaſti, tenebras tuorum peccatorum aſpice, vt ea plores. Si quando verò (B) aquila factus fueris, & ad magnam virtutem contemplationemq; prouectus, diuinitatem contemplaberis, vt amore inflammeris.

SICVT VRBS PATENS, ET ABSQVE MVRORVM AMBITV, ITA VIR QVI NON POTEST IN LOQVENDO COHIBERE SPIRITVM SVVM.] *In loquendo* non eſt in Hebręo, Chald. & Septuag. Hebręa ergo ſic habent, *vrbs dirupta* (Chald. *diruta*) *ſine muro, vir cui non eſt cohibitio ſpiritui eius*; Caietan. *vir cui non eſt retentia ſpiritus*; alij, *prævaleſcentia* vel *dominium ſpiritus*; alij, *clauſura* vel *clauſtrum ſpiritus*. Hebr. enim מַעְצָר *matſar*, ſignificat dominium & imperium, quo quis rei cuipiam v.g. ſpiritui, pręualet, vt eum ad libitum retinere, cohibere, coërcere, conſtringere & conducere valeat. Vers.28.

Quæres, quis ſit hic *ſpiritus*? Primò, Vatabl. accipit iram: ira enim eſt vehemens ſpiritus impellēs (C) hominem ad aſpera verba, minas, geſtus & verbera q.d. Sicut vrbs mœnibus nudata, cuius ſcilicet murus eſt diruptus, non eſt ab hoſtibus tuta, ſed earum incurſibus patet: ſic & qui in iram procliuis eſt, neque eam cohibere valet, multorum malorum, quæ ſuggerit ira, incurſibus patet. *Spiritus cohibendus triplex. Primus ira.*

Secundò, Rabbini nonnulli per *ſpiritum* accipiunt ſuperbiam: ſuperbi enim altos gerunt ſpiritus, tumentque typho & ſpiritu arrogātiæ. Hi ergo cùm ſuo huic ſpiritui indulgeant, patent incurſibus hoſtium & malorum omnium, in quę ſuperbia hominem præcipitare ſolet, ac proinde ipſi ſimiles ſunt ciuitati muris nudatę, & hoſtibus expoſitæ: murus enim virtutum, & bonorum omnium homini eſt humilitas, iſque inſuperabilis, qui hominem contra omnes diaboli mundique inſultus fortiſſimè tutatur. *Secundus ſuperbia.*

Tertiò, alij adæquatè per *ſpiritum* accipiunt ge- (D) neratim quamlibet animi affectionem, auiditatē, incitationem & impulſum, præſertim cum vehementia, impetu, prurítu & ardore coniunctum, quem Græci ὁρμὴν vocant, Latini ſpiritum vel æſtum animi, qui genericus eſt, & latè patet: varias enim ſpecies ſub ſe comprehendit; alius enim eſt ſpiritus, id eſt auiditas, impulſus & impetus gulæ, alius luxuriæ, alius iræ, alius inuidiæ, alius curioſitatis, alius auaritiæ, alius ſuperbiæ, &c. Qui ergo hos coërcere, comprimere, concludere, inhibere, frænare, regere nequit, ſed iis indulget, imo ſinit ſe ab eis regi & abripi; hic ſimilis eſt vrbi, cuius dirupti ſunt muri, vt quiuis in eam liberè ingredi egredique poſſit, ac proinde hoſtium proditioni, prædæ & vaſtitati patet & obiecta eſt. Qui enim concupiſcentiis ſuis laxat habenas, nimiamq; eis libertatē indulget, nec eas cohibet fræno rationis *Tertius cupiditatis.*

& timoris Dei ſinit ab eis multa praua committi, quæ ipſi perniciem creant, taliſque expoſitus eſt ſuis hoſtibus, dæmonibus ſcilicet, & impijs quibuſque, qui ea ratione ipſum facile ſibi ſubiugare, & ad ſuam trahere voluntatem poſſunt. Sicut contra qui vallo timoris Dei, & retinaculo rectæ rationis ſuos affectus cohibet, veluti ciuitas eſt bene murata, vt ex qua non liberè progediantur actiones, nec in quam facilè patet hoſtium incurſus.

Ita R. Leui: Vir, inquit, qui ſibi pro arbitrio imperare nequeat, ſubactæ vrbi ſimilis eſt, mœnibuſque exſpoliatæ, quibus aditus prædonibus ſolerti cuſtodia prohibetur, qui ergo voluntatis ſuæ fræna non moderatur, plurimis calamitatibus eſt expoſitus, quòd in cupiditatum ſuarum voluntatiſque poteſtatem veniat: qui verò cupiditatibus ſuis imperat, muri vicem obit; prohibet enim ne direptor ſæuus ingrediatur animum ob turpes cupiditates.

Quare totum cuiuſque ſtudium eſſe debet, vt diſcat appetitibus ſuis, etiam bonis & ſpiritalibus dominari, vt diſcat eos moderari, regere, ſiſtere & flectere iuxta præſcriptum rectæ rationis & diſcretionis. Hic enim eſt vir prudens, ſapiens, purus, patiens, perfectus, imperturbabilis, dominus ſui, angelus in carne, imò Deus quidam terreſtris. Quare hac in re omnem ſuam operam vitamque impenderunt veteres aſcetæ & Anachoretæ, vt per eam puritatem cordis, in qua perfectio conſiſtit, aſſequerentur, ac intactum a cunctis perturbationibus cor cuſtodirent, Deoque in holocauſtum offerrent, vti docet Abbas Moſes apud Caſſian. collat. 1. cap. 6. & 7.

Noſter addens *τὸ in loquendo* (ſic & Aben Ezra) reſtrinxit hanc gnomē, & ſpiritum generalem ad ſpiritum & pruritum loquendi: quia hic in homine cupido & affectionibus æſtuante vehementiſſimus eſt, cohibituq; difficillimus; & quia hoc omnibus affectibus reſpondet, eoſq; tacitè in ſe comprehendit: omnes enim affectus maximè ſe exerunt per ſermonem & linguam. Quare qui linguā cohibere nequit, ſignū eſt eum affectus ſuos cohibere non poſſe; ac viciſſim qui affectus ſuos cohibere nequit, impoſſibile eſt vt linguā cohibeat, quin eos per verba iracunda, cupida, ſuperba, &c. patefaciat & prodat. Hic ergo incurſibus, mille malorū, quæ lingua incontinens parit, ſeipſū obiicit, eſtq; inſtar vrbis mœnibus nudatę, & cuilibet etiam hoſti ad ingreſſum & expilationē patenti. Vnde S. Gregor. in Paſtorali part. 3. admonit. 15. *Anima*, inquit, *totam ſe inſidiantis hoſtis vulneribus detegit, quam nulla munitio cuſtodiæ circumcludit. Vnde ſcriptum: Sicut vrbs patens*, &c. *quia enim murū ſilentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis, & cùm ſe per verba extra ſemetipſam eiicit, apertam ſe aduerſario ſuo oſtendit, quem tanto ille ſine labore ſuperat, quanto ipſa quæ vincitur, contra ſemetipſam per multiloquium pugnat.* Simili phraſi, inquit Iaſen. dicitur c. 29. 11. *Totū ſpiritum ſuum profert ſtultus.* Et certè qui adeò eſt intemperantis linguæ vel animi, vt ſine retinaculo rationis quiduis vbique dicat, bene ſingulariter ciuitati diruptæ, patenti & muris carenti aſſimilatur, quòd in eo nullum lateat ſecretum, ſed quæuis nimia libertate, è cordis ciuitate profundantur, cum maximo ſæpè hominis detrimento: quodq; talis eorum qui nocere volunt iniuriæ facile pateat & obnoxius ſit, vt qui ſuis ipſius verbis capiatur & inuoluatur. Monet ergo prouerbium, vnumquemq; debere ſe reputare velut ciuitatem quamdam cui multi inſidiantur, ac proinde quibuſdam retinaculis ac veluti muris omnes animi motus & affectiones, ac potiſſimùm linguā cohibendam, tum ne ex homine prodeant quæ non debent, tum vt ne ingrediantur qui admitti non debent, & quos non conuenit nobis dominari.

Multiloquiū mala.

Verè Henricus Harpius li. 1. in Cant. p. 2. c. 35. damna linguæ incontinentis recenſens, *Multiloquium*, ait, *eſt argumentum inſipientiæ, miniſter mendacij, manuductor ſcurrilitatis & leuitatis, potator detractionis, extinctor compunctionis, conditor acediæ, diſſipator deuotionis, obſcuratio orationis, frigefactio caloris & feruoris, extinctor pacis, & euerſor totius rectitudinis.*

Clauſura linguæ, Primò ſunt labia & dentes.

Quæres, quiſnam ſit murus ſiue clauſura ſpiritus & linguæ, eā ſepiens, & arcens hoſtes? Primò, S. Chryſoſt. homil. ad baptizandos, reſpōdet eſſe labia ac dentes. *Armetur*, inquit, *lingua aduerſus peccata tua, non aduerſus fratris plaga præparetur, & ideo Deus illam velut muro duplici voluit circumdari: nam dentium tegmine & labiorum cuſtodia continetur, ne verba improuidā garrulitate proferantur. Refræna igitur linguam, &, ſi non patitur retinere, dentium morſu quieſcat, & tamquam carnifici tradatur dentibus.*

Secundò eſt ratio lex & timor Dei.

Hic phyſicus eſt linguæ murus, nimirum retinaculum labiorum & dentium: accipe nunc murum eiuſdem ethicum. Secundò, alij cenſent murum hunc eſſe retinaculum rationis, conſilij, legis & timoris Dei. Vnde Septuag. vertunt *ſicut vrbs muros deiectos habens & non murata, ſic vir qui non cū conſilio quid agit.* Citat hanc gnomen iuxta Septuag. Caſſian. collat. 2. c. 4. ac per *conſilium* accipit diſcretionem & prudentiam, per quam ædificatur omnis fabrica virtutum.

Hinc Philo de Sacrif. Cain & Abel, *Sicut*, inquit, *vrbium tutiſſimum munimentum, viri fortes ſunt pro mœnibus ſtantes: ita etiam in minuſcula noſtrûm vrbe, quæ conſtat ex animo & corpore, pro firmiſſimo propugnaculo ſunt cogitationes amicæ prudentiæ.* Hinc & auctor Catenæ Græcor. Septuag. ſic clarè vertit, *vir qui circa delectum quiduis aggreditur, ſimilis eſt ciuitati dirutæ, muriſq; & mœnibus orbatæ.*

Tertiò eſt ſilentium.

Tertiò, alij cenſent murum hunc eſſe continentiam linguæ, moderationem in loquendo ac ſilentium. ita S. Gregor. verbis iam citatis. Et Iſidor. Peluſiota lib. 1. epiſt. 307. ad Caſſianum, citans explicanſque hanc Salomonis gnomen, ait: *Non cohibere linguam eſt relinquere hoſti portam apertam.* Lepidè B. Petrus Damiani epiſt. 39. ad Deſiderium, ait ſilentij violatores ſimiles eſſe crocodilo oſcitanti, cui tunc hoſtis hydrus (Plinius ichneumoni tribuit has inſidias) fauces ingreditur, & aluum erodit. Item oſtreo ſeſe ad ſolem incautè aperienti, cui primùm inſidiatur cancer, & calculum iniicit ne claudatur, deinde eius viſcera depaſcitur. tum concludit: *Qui* (Religioſus) *nimirum viuit, dum ſub ſilentij cenſura concluditur: perit autem, cùm ad loquendum immoderatiùs aperitur.*

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

STulto non conuenit gloria, ſed virga; reſponde ſtulto quandoque ſtultè, quandoque ſapienter; ſtulto non congruit legatio nec parabola, ſed ſilentium. iterans ſtultitiam eſt quaſi canis ad vomitum. ſicut oſtium vertitur in cardine, ſic piger in lectulo. miſcens ſe rixæ eſt quaſi auribus tenens canem. doloſè nocens amico dicit, ludens feci. *ſubtracto ſuſurrone iurgia quieſcunt. ſicut ligna ignem ſic iracundus ſuſcitat rixas. caue ſuſurronem, ſuperbum, inimicum, eſto ſe humiliet. qui operit odium, reuelabitur. qui fodit foueam, incidet in eam: os lubricum operatur ruinam.*

Summam horum omnium ad tria capita redigas: nam Primò, *à verſ. I. ad 13. agit de ſtulto & ſtultitia: Secundò, à v. 13. ad 18. agit de pigro & pigritia. Tertiò, à v. 18. ad finem agit de dolo & doloſo.*

1. QVomodo nix in æſtate, & pluuiæ in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria. 2. Si-
cut auis ad alia tranſuolans, & paſſer quo liber vadens: ſic maledictum fruſtra
prolatum in quempiam ſuperueniet. 3. Flagellum equo, & camus aſino, & virga in
dorſo imprudentium. 4. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei
ſimilis. 5. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. 6. Clau-
dus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium ſtultum. 7. Quo-
modo pulchras fruſtra habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum para-
bola. 8. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti ho-
norem. 9. Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti: ſic parabola in ore ſtul-
torum. 10. Iudicium determinat cauſas: & qui imponit ſtulto ſilentium, iras miti-
gat. 11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtul-
titiam ſuam. 12. Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit in-
ſipiens. 13. Dicet piger: Leo eſt in via, & leæna in itineribus: 14. Sicut oſtium
vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo. 15. abſcondit Piger manum ſub a-
ſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eam conuerterit. 16. ſapientior ſibi piger videtur
ſeptem viris loquentibus ſententias. 17. Sicut qui apprehendit auribus canẽ, ſic qui
tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius. 18. Sicut noxius eſt, qui mittit ſagit-
tas & lanceas in mortem. 19. ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo: & cùm fue-
rit deprehenſus, dicet: Ludens feci. 20. Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis:
& ſuſurrone ſubtracto, iurgia conquieſcunt. 21 Sicut carbones ad prunas, & ligna
ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. 22. Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia,
& ipſa perueniunt ad intima ventris. 23. Quomodo ſi argento ſordido ornare velis
vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata. 24. Labiis ſuis intelligitur
inimicus, cùm in corde tractauerit dolos. 25. Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne
credideris ei: quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. 26. Qui operit odium
fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio. 27. Qui fodit foueam, incidet in
eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. 28. Lingua fallax non amat verita-
tem: & os lubricum operatur ruinas.

VERS. 1. QVOMODO NIX IN ÆSTATE, ET PLVVIÆ IN MESSE: SIC INDECENS (alij legunt, *indecora*) EST STVLTO GLORIA] Symmach. & Theodot. *non decet inſipientem honor*; Caietan. *non eſt pulcher inſipienti honor*; Vatabl. *ſicut intempeſtiua eſt in æſtate nix, & in meſſe pluuia, ſic intempeſtiuus eſt honos qui ſtulto impenditur*; Septuag. *quomodo ros in meſſe, & quomodo pluuia in æſtate, ſic non eſt inſipienti honor* (*Non eſt*, id eſt non conuenit, non congruit, vti explicat auctor Catenæ Græc.) Arabicus, *ſicut ros qui eſt in meſſe, & ſicut pluuia in æſtate, ſic nõ eſt ſtulto honor.* A

Primò, aliqui ſic exponunt q.d. Sicut nix ſubinde cadens in æſtate, & pluuia decidens in meſſe, non durat nec ſatiat terram aridam & ſitientem, ſed ab ea & ab æſtu ilicò ſorbetur & euaneſcit: ſic pariter gloria collata ſtulto non durat, multò minus eius animam gloriæ ſitientiſſimam ſatiat, ſed ilicò tranſit & deperit, eumque vilem & ingloriũ derelinquit. Vtrumq; verum eſt, ſed huic loco impertinens. Ait enim ſic: *Indecens eſt ſtulto gloria.* quod longè differt a *?õ ſtulti gloria non durat: ſtultum gloria non ſatiat*: multa enim ſunt incedentia, & tamen non durant, nec ſatiant ſtolidos.

Secundo, ergo genuinè q.d. Sicut nix in æſtate & pluuia in meſſe indecora eſt, quia importuna: æſtatem enim decet calor, & meſſem ſiccitas; hiemem verò decet nix & pluuia, hæc enim eorum ſunt tempora opportuna & naturæ congrua: ſic pariter *ſtultum*, id eſt vecordem, imprudentem, vitioſum, improbum, non decet, id eſt dedecet, gloria. tum quia ille gloriæ eſt incapax, tum quia illi debetur probrum & vituperium, tum quia laudando vitioſos laudantur vitia; itaque reſtinguitur in ſapientibus ſtudium ſapientiæ & virtutis, dum vi-

dent in conferendis dignitatibus ſibi anteponi improbos, imò probi incipiunt improborum hypocriſim, fraudes & artes imitari, ut per eas magiſtratus & dignitates ipſorum aſſequantur. Vnde Æſchines apud Stobæum ſerm. de Republ. *Hoc,* inquit, *reputate, quod ſi munera & honores paucis, eiſq́; condignis & ſecundum leges contuleritis, multos vos habituros eſſe pro virtute certantes: ſi autem cuilibet cupienti, & his qui nihil egregium fecerint aut ſapuerint, gratificemini, ſpugi etiam ingenia corrupturos.* Notanda ſanè Principibus hæc ſententia.

Stulto noxij honores.

10 Rurſum indecens eſt ſtulto gloria, non tātùm quia incongrua & indecora, ſed etiā quia noxia; improbus enim nocet ſibi, dum gloriā ſuā abutitur ad faſtum, nocet aliis, dum alios premit & opprimit, nocet reipubl. dum eam expilat, & in eam ſuam improbitatem & vitia tranſſcribit. Igitur ſicut frigida nix vel pruina, quæ ſubinde cadit ſub initium æſtus & æſtatis, ſuo rigore primos flores & fructus protuberantes enecat, & ſicut pluuia in meſſe ſegetes iam maturas ſternit, humectat, putrefacit, corrumpit: ſic & honores collati ſtulto, in iuuenibus primos virtutis ardores hebetāt & enecant, dum vident ſtultitiam & improbitatem honorari: in viris verò maturos iam virtutum fructus corrumpunt, dum ſibi viuere volunt, nec rempub. capeſſere, utpote quam viderint à ſtultis regi: aut certè ſi ad eius regimen aſpirent, ſtultorum viam ineunt, & cum ſtultis ſtulteſcunt, & cum impiis impiè agunt.

Gnoma.

Salomonem & Hebræos ſecuti Græci, indignis honorem exhiberi hoc trito vetant dicterio: *Aſini caput ne laues nitro.* Et Publius Syrus hoc mimo *Leuior eſt ignorantia apud indignum gloria.* Et S. Hieron. ad Pammach. *De Cæſare,* inquit, *egregiè dixit Tullius cùm quoſdam ait ornare voluiſſe, non illos honeſtauit, ſed ornamenta ipſa turpauit.*

Exempla.

Vis exempla? accipe. Alfonſus Aragonum rex cognomento Sapiens, amico ſuadenti ut tranquillè & voluptuoſè viueret, nec tot ſe periculis obijceret, reſpondit: *Romani honoris templum virtutis tēplo iunxère, in quod niſi per virtutis templum introire nemini licebat, ut ignoſcerent ad honoris faſtigium non voluptatum viā, ſed virtutis, illā quidem aſpera & ſalebroſā enitendum eſſe.* ita Panorm. lib. 1. de Geſtis Alfonſi. Antiſthenes rogatus *quæ res urbi exitium portenderet?* reſpondit *cùm nullum eſt bonorum & malorum diſcrimen,* cùm ſcilicet nec boni honore, nec mali vituperio afficiuntur. Longè enim peius eſt indignum adhibere gubernaculis reipubl. quam ſi aſinum pro equo adhibeas aratro. ita Laërt. l. 6. cap. 1.

Cato Senior aiebat, *populum Romanum non tantùm purpuræ, verùm etiam virtuti plurimum conducere: quemadmodum enim tinctores eum potiſſimùm colorem inducunt, quo vident homines maximè delectari: ita iuuentus ad ea ſtudia potiſſimùm incumbit, quibus populus defert honores; honor enim non ſolum alit artes, verùm etiam virtutem.* Hoc pacto monebat populum, ut magiſtratus his demum committerent, qui de ſe virtutis ſpecimen dediſſent, ita fore ut quàm plurimi ſeſe ad egregia ſtudia conferrent. Idem, qui virtutem honore ſuo fraudarent, eos dicebat ipſam virtutem à iuuentute auferre, ſentiens præmiis animos iuuenum ad virtutem accendi; quæ ſi detrahas, ipſa virtus elangueſcit. ita Plutarchus in Roman. apophtheg.

Idem cenſuram petens, cùm ceteros competitores videret ſupplices populoq́; blandientes, ipſe clamabat populo opus eſſe medico auſtero validiſque remediis, proinde eligendum non qui iucundiſſimus eſſet, ſed qui inexorabilis. Atque hæc dicens ante omnes cenſor creatus eſt. Agnouit populus morbum ſuum, eoque Cato plus valuit obiurgando, quàm ceteri blandiendo. ibidem.

Auguſtus Cæſar Romanum admonuit magiſtratum, ut rempubl. committerent iis, qui vſu & experientiā rerum plurimum poſſent, nec eam ſinerent pendere ex cuiuſquam voluntate. Nihil enim in republica perniciosius eſſe putauit, quam ſi magiſtratus rerum imperitus dominium obtineat. ita Xiphilinus Dionis abbreuiator in Auguſto.

Myſticè Beda: *Hic verſiculus,* inquit, *ne indoctis honor docendi committatur, præmonet. Nix namq; æſtate, & pluuia in meſſe, ſunt perſecutiones infidelium in tempore prædicationis Euangelicæ, quæ dum grauiores ferè inſiſtunt, & calorem in multis impediunt dilectionis, & fruges bonæ operationis fœdant. Quibus rectè gloria quæ ſtulto confertur, eſſe ſimilis aſſeueratur: quia ſi indocto cathedra docendi tribuitur, æquè ſimiliter per hoc Eccleſia ut infidelium perſecutione læditur. quod eſſe veriſſimum Arianæ tempeſtatis calamitas probauit.*

SICVT AVIS AD ALIA TRANSVOLANS, ET PASSER QVO LIBET VADENS: SIC MALEDICTVM FRVSTRA PROLATVM IN QVEMPIAM SVPERVENIET] Beda, Lyranus & alij proponunt *nam,* & pro *alia* legunt *alta*: verùm & *nam* delent, & pro *alia* legunt *alta* codices Romani, idque magis conſentit Hebr. Chald. & Græc. Hebr. ad verbum ſic habent: *Sicut auis ad vagandum, & paſſer* (vel *hirundo,* ut vertunt Vatabl. Pagnin. Arias, R. Salomon, R. Leui & Aben Ezra) *ad volandum: ſic maledictio gratis non veniet.* Vers. 2.

In Hebr. hìc duplex lectio, alij enim legunt לא *lo* per *aleph,* id eſt, *non ſuperueniet*: alij verò legunt לו *lo* per *vau,* id eſt, *ſi ſuperueniet*; quare in ſpeciē contrariè vertunt. vtramque lectionem ſic nectit Aben Ezra: *lo,* inquit, cum *aleph* ſcribitur, & ſine *aleph* cum *vau* legitur, ut ſignificetur imprecationē illam in eum deuolutum iri a quo prolata fuerat, non autem in illum quem alter diris deuouerat.

Negatiuè legunt Biblia Regia, Chald. & Septuag. qui ſic vertunt, *ſicut aues auolant & paſſeres, ſic maledictum vanum)* id eſt vanè & falsò confictum) *non ſuperueniet vlli*; vel, ut auctor Catenæ Græcor. *ſicut aues & paſſeres citra vllam offenſionem volitant: ita ſtulta maledictio neminem cum offenſione inuadit.* Iam Primò, Caietan. ſic vertit & explicat, *ſicut auis vagari, & hirundinis volare eſt; ſic maledictio* (prolata) *non veniet.* q.d. Maledictum & calumnia in innocentem prolata ſine cauſa, eſt ſicut auis tranſuolans, quia nequaquam innocentem tangit, ſed mera quædam eſt velut auolantis verbi in aëre verberatio.

Secundò, Vatabl. *Vt paſſer,* inquit, *natus eſt ut fugiat, & hirundo nata eſt ut volet: ſic maledictio immeritò prolata non veniet, id eſt non lædet, quaſi dicat. Vt paſſer viſo arcu vel homine fugit, ut non lædatur, ſic non lædis maledicto, quæ immeritò mittitur in aliquem.*

Tertiò, noſter Salazar ſic: Sicut hirundines & alias aues, quæ regiones mutant, hiems ingruens numquam opprimit; ita etiam viros inſontes & innocuos ſeu maledicta, ſeu probra, ſeu conuitia, ſeu contumeliæ numquam afficiunt. Sicut enim aues illæ ad aprica præuolantes ab iniuriis temporum ſeſe vindicant: ita etiam iſti ad innocentiam

&

& probitatem (licet ſic dicere) confugientes, illatas ſibi contumelias, iniurias & probra facilè declinant.

Dices, Hirundo in hieme mutat regionem, at non paſſer qui ſuo loco remanet. Reſpondetur, paſſer generatim ſæpè ſumitur pro qualibet aue per ſynecdochen. Rurſum paſſer in hieme etſi regionem non mutet, mutat tamen locum frigidum in calidum: degit enim in antris & foraminibus calidis, vbi ſe abſcondit vt caleſcat.

Quartò, Chald. vertit, *ſicut paſſer qui volat, & ſicut volucris quæ volat; ſic maledictio non fruſtra veniet.* Nonnulli putant alludi ad aues rixoſas & pugnaces, quales ſunt paſſeres, accipitres, galli gallinacei, ac proinde illis hic rectè comparari maledicta, rixas & iurgia, q. d. Sicut auis rixoſa, v. g. paſſer tranſuolans vbique quiritatur, miſcetque rixas & pugnas, quibus tam ſe quàm alios affligit & lædit: ſic pariter maledicta, conuitia & iurgia, quæ maledici rixoſique vbique ſerunt, tam alios quàm ipſoſmet maledicos affligunt: conuitium enim conuitio, verber verbere repercutitur. Arbores reperiuntur quarum è ſucco, foliis, trunco, ramis aues enaſcuntur, roſtro obuios quoſque mordentes. Sic Vincētius in Speculo naturalis hiſtor. lib. 8. c. 40. Olaus lib. 19. c. 16. Ortelius in Scotia & Hibernia. Nō igitur vt aliæ fotu & incubatione naſcuntur, ſed ſponte ex arboribus nullâ præexiſtente materiâ, quæ aues aliorum iudicio ferre poſſet, educit. Haud aliter reperiuntur aliqui ad inſtar harum arborum, qui nulla occaſione de rebus nihil ad ſe pertinentibus quaſi aues pariunt rixarum & contentionis.

Porrò Pierius Hieroglyph. 24. tradit aues ad pugnandum & contendendum incitari allio in cibū dato, quod vile eſt, ſed acre & mordax: ita re leui viliq́ue, putà verbulo vno, ſed acri & mordaci, concitantur rixoſi ad rixas & iurgia. Vnde illud: *Ne edas allia.* Affirmatiuè verò vertit Noſter, *ſicut auis ad alia tranſuolans, & paſſer quolibet vadēs: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet;* Hebr. *ſuperueniet ei.* Sic & Beda, Baynus, Ianſen. & alij paſſim. Per *maledictū* accipe probrum, conuitium & iniuriam quamlibet: hoc enim ſignificat *maledictum* Eccli. 22. 30. & c. 29. 9. & alibi ſæpè, vt ibi dixi. Beda accipit mali imprecationem.

Primò ergo, Lyrán. Baynus, & Ianſen. ſic explicant: *Superueniet* ei, ſcilicet proferenti maledictū, non verò ei contra quē profertur. q. d. Sicut auis, vt paſſer vel hirundo, è nido ſuo ad alia & alia volat, redit tamen in nidum ſuum vnde auolauit: ita maledictio quæ fruſtra in aliquem profertur, ſuperueniet in illum, à quo progreſſa eſt, ita vt ea maledictio ſit ei contra quem dicta eſt, velut auis in aēre vagans; ei verò à quo emiſſa eſt, veluti auis in nidum ſuum reuerſa, quia redundabit in caput eius; & propter eam à ſe in alium prolatam maledictioni ipſemet ſubiacebit.

Huc accedit Beda: *Verba,* inquit, *rectè auibus comparantur, quòd ſonando per aëra tranſuolent, ab ore videlicet loquentis ad aures vſque audientis. Sed diſtant in eo, quia poteſt fieri, vt auis quolibet volans eo loco reſideat, vbi nil ei certæ neceſſitatis aut vtilitatis ſuppetat: verba autem quæ loquimur, non quolibet diſperſa in ventum defluunt atque euaneſcunt, ſed in auctorem ſuum cuncta reuertuntur, & vel bene prolata iuuant loquentem, vel malè edita grauant. Neque enim maledici regnum Dei poſſidebunt.* Subiungit deinde: *Non autem*

A *ſine cauſa dicit, maledictum fruſtra prolatum. Eſt enim maledictum iuxta diuinæ diſtrictionis iram in impios emiſſum, vt eſt illud S. Petri in Simonem Magum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: & ea quæ in apoſtatas & hæreticos Eccleſiaſtica animaduerſione proferuntur anathemata, de quibus Dominus eidem Eccleſiæ dicit: Quæcumque alligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis,* Matth. 16.

Sic maledictio Eliſæi in impios pueros ſe irridentes auctoritate propheticâ fulminata, fuit efficax pueroſque vrſis deuorandos obiecit 4. Reg. 2. v. 24. talis ergo non ſe habet inſtar auis auolantis, ſed inſtar gladij ſecantis, imò inſtar fulguris ſiderantis.

Secundò, *maledictum ſuperueniet ſic,* ſcilicet *ſicut auis tranſuolans,* vt ſcilicet eum in quem profertur
B non tangat, vel ſi tangat non hæreat, ſed auolet & tranſuolet inſtar auis, ſic ergo ſuperueniet, vt tranſuolet & ſuperuolet; itaque illicò redeat priſtinus famæ ſplendor & gloria.

Hic ſenſus valdè appoſitus eſt: tota enim vis conſiſtit in τῷ *ſicut* & *ſic*: eſt enim ſimilitudo, in qua maledictum volans comparetur aui huc illucq́ue inſtabiliter volanti, & ab vno loco mox ad alium tranſuolanti: ſic enim tranſuolat maledictum. Quare

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Educit enim tandem quaſi lumen Dominus iuſtitiam piorum, & iudicium eorum tamquam meridiem, vt eſt pſ. 36. 6. Vnde rectè Titus Veſpaſiani filius audiens ſibi quoſdam maledixiſſe dixit: *Ego cùm nihil faciam dignum propter quod contumelia afficiar, mendacia nihil curo.* Et S. Auguſt. epiſt. ad Secundinum:
C *Senti de Auguſtino quidquid libet; ſola coram Deo conſcientia me non accuſet.*

Tertiò, maledictum temerè prolatum, & generatim quaſi in aërem iactum in aliquem ſuperueniet, id eſt aliquem feriet, alicuius animū ſauciabit, qui proinde ſe eo læſum oſtēdet, & in maledicentem maledicta, aut etiam verbera regeret, vt hac gnome Salomon moneat & garrulos pronos ad irriſiones, ſcōmata & conuitia, quæ in quoſlibet iaciunt, vt ab iis abſtineant, nec putent illa in aërē iaci, ſed ſciant aliquos illis feriri & vulnerari, qui vltionem à maledicente expetent. Huic ſenſui fauet verſio Syri, *ſicut paſſer, & animal alatū volans in aëre: ſic maledictio errat & vagatur,* vt vagè hunc illumúe tangat & affligat inſtar fulminis vagi, quod hunc illumúe tangit, afflat & incinerat.

Ex dictis patet quòd ſiue affirmatiuè legas, *ſuperueniet;* ſiue negatiuè, *non ſuperueniet,* idem redit,
D vel certè eōdem coit ſenſus.

FLAGELLVM EQVO, ET CAMVS ASINO, ET VIRGA IN DORSO IMPRVDENTIVM] Pro *camus* hebr. eſt *meteg,* id eſt frænum, retinaculum, habena & lorum, ſiue in os inſertum, ſiue circum faciem & collum ligatum, quo animal cohibetur & regitur ne feratur pro libidine. Talis habena in aſino eſt lorum, vel funis capiti aſini alligatus. *Camus,* græca eſt vox κῆμος, idem ſignificans, ſed variis modis & formis: *camus* enim vocatur fiſcella è vimine, aut reticulum è funiculis plexum, quod equiſones equis, mulis & aſinis ad os circumponunt, impoſito in id hordeo, auena, fænóue, ita vt equi, muli, aſini in itinere nō ſubſiſtant quærendi pabuli gratia. Rurſum *camus* eſt capiſtrū, quo alligantur ora equorum & aſinorū ne mordeant, vel ne germina carpant. Inſuper *camus* eſt frænum, laqueus, funis,

VERS. 3.

Camus quid?

nis, qui collo capitique aſini alligatur, vt à ſeſſore A regi poſſit. Denique Septuag. Chald. & Syrus, Hebr. *meteg* vertunt, ſtimulum: ſic enim habent, *flagellum equo & ſtimulus aſino: ſic virga genti iniquæ;* Lucifer, *genti inſipienti,* Aquila *corpori dementis.*

Senſus ergo eſt q.d. Sicut flagello & fræno reguntur equi & aſini: ſic & imprudentes virga caſtigandi regendique ſunt, vt rectâ virtutis via ſtrenue incedant. Elegantiæ tamen causâ flagellum tribuit equo, camū (id eſt frenum) aſino, quia equi mirificè timent ſcuticam ſiue flagellum, adeò vt ſola eius intentatione & cōminatione excitentur ad curſum: aſini verò quia vagi ſunt & ſtolidi, indigent freno, putà loro vel fune ad caput alligato, vt à ſeſſore dirigantur ad rectâ incededū, necubi deflectant vel exorbitēt à ſemita: quia pigri egent camo, vt trahantur ad pergendum. Iidem gramini & pabulo inhiant: fræno ergo & capiſtro ab eo auocandi ſunt, vt omiſſâ pabulatione ſuo itinere B pergant. Similiter imprudens, quia vagus & ſtolidus æquè ac piger eſt, virgâ caſtigationis impellēdus eſt, vt impigrè incedat in ſtudio prudentiæ & virtutis. Eâdem cohibendus eſt à gula & deliciis quibus inhiat, vt ab iis auulſus ſtrenuè pergat in virtutis ſtudio. Igitur *flagellum* notat incitationem ad bona, *camus* refrænationem à malis, quorum vtrumque neceſſarium eſt imprudenti.

Adde, aſinos in Syria & Palæſtina longè noſtris eſſe viuaciores & generoſiores, ac aſſimilari equis & mulis, ideoque camo & fræno indigere. Quocirca legimus filios Iudicum & principum Iſrael inequitaſſe aſinis, vide Abdon Iudic. 12. 14. *Habuit,* inquit, *quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum.* Et Chriſtus Dominus, velut Meſſias rex Iſraelis inaugurandus in Ieruſalem, cum cum triumpho ingreſſus C eſt in die Palmarum inequitans aſinæ, Matth. 21. Huc facit illud Senecæ: *Nobilis equus vmbra virgæ regitur, ignauus nec calcaribus concitatur.*

Aliter reſpondent alij, ſcilicet per metatheſim tranſponi hîc voces, eaſque proinde ſic ſuo ordini eſſe reſtituendas. Sicut camus, hoc eſt frænum equo, & flagellum competit aſino: ſic & virga congruo dorſo imprudentium. Equi enim petulantia coërcenda eſt fræno, aſini verò tarditas incitanda flagello. Vtroq; eget inſipiens, qui vt equus laſciuit & currit ad vitia; vt aſinus verò tardus eſt ad virtutes; tarditatem ergo hanc virga extimulare, laſciuiam verò eâdem cohibere oportet.

Aliter quoque noſter Salazar, q.d. Correptio & ſupplicia ſtulto inflicta, ſi quidem ſtultus equi ad inſtar præceps ac ferox ſit; illum vtique incitant, D & ad vitia præcipitem magis ac ferocem efficiunt: ſi autem aſini in morem ſocordiâ & inertiâ torpeat, illum ſanè inertem magis ac ſocordem reddit animaduerſio.

Symbolicè Beda: *Quid per equum, inquit, niſi ſuperbum? & quid per aſinum niſi luxurioſum quemlibet figurat? & ideo neceſſe eſt vt per diuinum flagellum elatio humilietur ſuperborum, vt per infirmitatem carnis velut per camum cohibeatur voluntas lubricorum: vt qui ſponte conuerti nolunt, coacti flagellis conuertantur à vitiis, ſicut ait Propheta: In camo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.*

Plura de hac virga dixi c. 23. 13. & Eccli. 35. 25. ad illa: *Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſciplina, & opus ſeruo.*

Vers. 4. NE RESPONDEAS STVLTO IVXTA STVLTITIAM SVAM, NE EFFICIARIS EI SIMILIS] Hebr. *ne ti adæqueris.* Nam vt ait Plato in Dialog. de Amore: *Sapiens toto capite ſupra inſipientem attollitur.* Septuag. *noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne ſimilis ei fias.* Pro כְּאִוַּלְתּוֹ *keiuualto,* id eſt, *iuxta ſtultitiam ſuam,* Caiet. & alij legunt בְּאִוַּלְתּוֹ *beiuualto,* id eſt *in ſtultitia ſua:* litteræ enim ב & כ ſunt vicinæ & affines. Huc facit prouerbium Arabum: *Eſto cum paliuro oliua, id eſt, eſto cum ſtulto ſapiens, & cum inſano mentis compos.*

RESPONDE STVLTO IVXTA STVLTITIAM SVAM, NE SIBI SAPIENS ESSE VIDEATVR] Vers. 5. Hebr. *ne fortè ſit ſapiens in oculis ſuis;* Septuag. *ſed reſponde ſtulto ad ſtultitiam eius, ne videatur ſapiens apud ſe;* Chald. *ſed loquere cum ſtulto in ſapientia ſua, ne exiſtimet ſeipſum ſapientem;* Syrus, *alloquere ſtultum iuxta ſapientiam tuam,* &c. S. Cyprian. l. de Singul. cleric. *Reſponde inſipienti contra ipſius inſipientiam.* Græcum enim κατὰ non tantùm *ad* vel *iuxta*, ſed & *contra* ſignificat.

Primò, generatim has duas gnomas ſibi in ſpecie contrarias ſic concilies, & explices cum S. Hieron. l. 1. in Ezech. *Vtrumque, ait, pro temporū & perſonarum diuerſitate concordat, dū & ſtultus contemnitur, quia non recipit ſapientiam; & ſtulti ſuperbia aliâ decutitur ſtultitiâ, iuxta quod Apoſt. dixit 2. Cor. 12. Factus ſum inſipiēs, vos me coëgiſtis.* Senſus ergo eſt q.d. Eſt tempus quando non oportet ſtulto reſpondere iuxta ſtultitiā ſuam, cùm ſcilicet, ſi ei loquēti ſtulta, ſtulta reſpondeas, cū eo ſtuleſcere videberis, vel ſtultitiæ notā apud prudentes incurres. Eſt rurſum tempus quando oportet ſtulto reſpōdere iuxta ſtultitiam ſuam, cùm ſcilicet ille inſoleſcit, & ſibi videtur præ aliis ſapere: tunc enim retundēda eſt ſtulta hæc eius præſumptio, ne ſibi & audientibus noceat, idq; faciendum reſpondendo ei *iuxta ſtultitiam ſuam*, id eſt ſtultitiam ejus ſtultitiâ caſtigando. Sic hæreticorum ſtultas quæſtiones ſimili ſtultâ reſpōſione vel oppoſitione ſternimus, aliiſque ridendas exhibemus. Huc facit illud Catonis:

Inſipiens eſto, cùm tempus poſtulat, aut res:
Stultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt.

Exempla mox ſubiungam. Ita S. Paulus 2. Cor. 11. ſeipſum impensè dilaudat, eò quòd pſeudoapoſtoli ſeipſos extollerent & Paulum deprimerent: contra hos ergo cogitur ſeipſum laudare, vt ſuam contra eos auctoritatem tueatur: *Vtinā, inquit, ſuſtineretis modicū quid inſipiētiæ meæ.* Et c. 12. 11. *Factus ſum inſipiens, ait, vos me coegiſtis.* Inſipiētis enim eſt ſe laudare: ſed hanc inſipientiā vſurpauit Paulus ſapienter, quia eâ decuſſit inſipientiam, id eſt laudes pſeudoapoſtolorū. Sic Melania ſenior à præfecto Palæſtinæ ſpe pecuniæ incarcerata, dixit: *Ego illius quidē ſum filia, huius verò vxor, qui in terra fuit genere clarus; nunc autē ſum ancilla Chriſti. Vide ne meos in te comites. Oportet enim aduerſus ſtolidos tanquā cane & accipitre vti animi elatione, & in tempore eorū ſuperbiæ in ipſos immittere.* Vnde territus præfectus ſe excuſauit, & ipſā adorauit. ita Pallad. in Lauſiaca c. 117.

Ergo elatio ſtultorum elatione ſapientum retundenda eſt, vt ab iniuria compeſcantur metu mundi, qui Chriſtum non timent. Mundani enim leuibus & ſtultis rationibus mouentur, non ſolidis & ſapientibus; ſicut pueri concitantur vmbris nō rebus, pomo non auro, virgâ non gladio. Illorum ergo ſtultitia ſimili ſtultitiâ decutitur, & velut clauus clauo pellitur, cùm ſapientiā non capiant, nec curent. Simili modo auaro perſuadebis quod voles,

les, v.gr. frequentationem S. confeſſionis & communionis, non per rationes æternas promittendo ei regnum cælorum, ſed per rationes viles & temporales, promittendo ei opes terrenas; ac guloſo, promittendo ei delicatam menſam: ſuperbo, promittendo ei honores, &c. Talibus ergo vir prudẽs reſpondebit non iuxta ſuam ſapientiam, ſed iuxta illorum ſtultitiam. Breuiter, reſponde ſtulto appoſitè, ad capacitatem ſuam eum educendo: ne reſpondeas ſtulto, eius ſtultitiam imitando; ſic & ille ſtultus eſſe deſinet, & tu non fies.

Secundò, particulatim q.d. Eſt tempus cùm ſtultum ſtulteſcentem nõ oportet corripere. v.g. cùm irâ vel inſaniâ exæſtuat; qui enim eum tunc corripit, imprudens & ſtultus cenſebitur: quia tempus correptioni opportunũ non obſeruat. Et rurſum tempus quando eum corripere oportet, cùm ſcilicet *ſtultitia*, id eſt irâ & paſſio eius, ſubſedit, atque correptionis eſt capax. Sicut enim medicamenta corpori, ſic & correptionem animo non niſi congruo tempore adhibere oportet: alioquin morbum non ſanabit, ſed irritabit. Antiſtropha Salomoni eſt gnome Arabum: *Tege mercem tuam melle; & proiice eam in ciſternam luti*, id eſt, *concilia corda ſtultorum ſermone dulci.*

Tertiò & omnino genuinè, q. d. Ne ſtultè loquaris cũ ſtulto, ne illi aſſimileris & adæqueris, vt cum ſtulto ſtulteſcas: hanc enim rationem ſubdit Salomon. v.g. cùm ſtultus ſtulta, inſana, inhoneſta, erronea, &c. effutit, tu caue ne ſimilia effuties: cùm ille te probris & maledictis appetit, caue ne ſimilia in illũ regeras: ſic enim in vitio illi ſimilem te efficies. *Reſponde* tamen *ſtulto iuxta ſtultitiam ſuã*, id eſt eius vecordiam, iram ſcurrilitatem conuitia, errores, &c. ſapienter corripe, & cũ ratione redargue, vt ſtultitiam ſuam agnoſcat, & agnitam corrigat: præſertim ſi periculum eſt ne eâdem alios inficiat. Vnde notat Lyran. prępoſitionem *iuxta* hîc aliter & aliter accipi, nam in priori verſu ſignificat imitationem, in poſteriori exigentiam. q.d. Noli imitari ſtulta ſtulti dicta, ne fias ſtultus, id eſt vecors & impius; *reſponde* tamen *ſtulto iuxta iuſtitiam ſuam*, id eſt rationibus probis & validis inſipientiam eius confuta pro exigentia ſtultitiæ eius, vt illa ipſi demonſtretur, ipſeque eam videat & emendet. Vnde Caiet. priori loco legens *beinnalto*, id eſt *in ſtultitia ſua*: poſteriori verò *keinnalto*, id eſt *iuxta ſtultitiam ſuam*, ſic vertit, *ne reſpondeas ſtulto in ſtultitia ſua, ne ei ſimilis efficiaris; ſed reſponde ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne ſapiens ſibi videatur*. Et Vatabl. Si ſtulto, inquit, ſtulta effutienti loquaris, ne tu etiam ſtulta effutias: ſi probris te afficiat, ne tu illi malum pro malo rependas: redargue tamen ſtultum propter ſuam ſtultitiam, hoc eſt, oſtende ei ſtultitiã ſuam. Sic & R. Leui: *Ne reſpondeas ſtulto.* Quando ſtultus, inquit, te rei cuiuſpiam inſimulabit ob dementiã qua laborat, ne quidquam reſpondeas, cùm te aures præbere dedeceat eius lymphatis ſermonibus. *Ne efficiaris ei ſimilis*, ſi eius verba æſtimes, ita vt ab illis te moueri turbariue patiaris, dementiæ id erit tuæ. *Reſponde ſtulto.* Stulto reſponde, vt illum ab errore reuoces, quo in ſapientiæ rebus laborat. *Ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Quando huiuſmodi errore captus à vero alienam opinionem animo fouebit, haud tibi ſilentio vtendum eſt, cùm operę pretium ſit vt offendicula à mortalium conſpectu amoueas pro viribus.

Sic & Salonius, Beda, Janſen. Baynus, R. Salomon, Aben Ezra & alij paſſim. Huc facit illud Ciceronis contra Salluſtium: *Mihi ratio habenda eſt non quid Salluſtius merito debeat audire, ſed vt ea dicam quæ ego honeſtè effari poſſum.*

Denique S. Cyprianus epiſt. ad Demetrianum, cenſet ſtulto non reſpondendum ſilentio, vt ſilentes contemnamus, & inhibeamus eius ſtultiloquia, ſicut canis latratum cohibent tranſeuntes ei non oblatrando, ſed ſilenter tranſeundo. Eidem verò reſpondendum non diſputatione, ſed acri reprehenſione aut caſtigatione & verbere: ſtulti enim non niſi plagis emendantur. Sic enim ſcribit: *Oblatrantem te, & aduerſus Deũ, qui vnus ac verus eſt, ore ſacrilego & verbis impiis obſtrepentem frequenter Demetriane contempſeram, melius exiſtimans errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quàm loquendo dementis inſaniam prouocare. Nec hoc ſine magiſterij diuini & nominis auctoritate faciebam, cùm ſcriptum ſit: Noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne ſimilis fias illi.* Rationem ſubdit: *Nã cum ad me ſæpe ſtudio magis contradicendi quàm voto diſcẽdi venires, & clamoſis vocibus perſonans malles tua ingerere, quàm noſtra patiẽter audire, ineptũ videbatur congredi tecum, quando facilius eſſet, ac leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retũdere, quàm tuam rabiem tractatibus coërcere. Certè & labor irritus & nullus effectus, offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto, cùm nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire.*

Stulto reſponde ad ſtultitiam.

Idem S. Cyprian. tract. de Singul. cler. poſteriorem Salomonis gnomen ſic ex Septuag. legit, ſicque explicat: *Tales ergo* (nimirum ſtulti) *non per orationem, ſed per correptionem retinendi ſunt. Nam aduerſus eiuſmodi homines Salomon edocet nos, dicens: Noli reſpondere inſipienti ad ipſius inſipientiam; ne ſimilis fias illi; ſed reſponde inſipienti contra illius inſipientiam; vt non videatur ſibi ſapiens eſſe.*

Ita Chriſtus Iudæis ſtultè eum capere volentibus in ſermone, & quærentibus an liceret tributũ dare Cæſari, oſtenſa ſibi Cæſaris in nummo imagine, ſapienter iuxta ſtultitiam eorum reſpondit: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, Matth. 22. 21. Idem fecit ſtoliditatem Phariſæorum redarguẽs, Matth. 23. toto capite; & cũ ſtolidis Iudæis & Scribis diſputans, Ioann. 5. 19. & c. 6. 43. & c. 7. 27. & c. 8. 12. & ſeq. Et S. Paulus Elymã magum ſtultè ſuæ prædicationi reſiſtentem iuxta ſtultitiam ſuam coarguit, cæcitateq; percuſſit: *O plene omni dolo*, inquit, *& omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, nõ deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus*, Actor. 13. 10. Quin & diabolus Iudæos exorciſtas ſtultè volentes ſe, inſtar Pauli in nomine Ieſu ab energumeno eiicere, prudenter eorũ ſtultitiam confutauit: *Ieſum noui*, inquit, *& Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? & inſiliens in eos*, &c. *inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerẽt de domo illa*, Actor. 19. 15. Idẽ hoc ſæculo contigit Luthero dum vellet dæmonem expellere. Ita ludimagiſter Orthodoxæ Antiochiæ ſtultè rogatus à Libanio ſophiſta, Iuliani Apoſtatę amico: *Quid facit fabri filius?* (ita per ſcomma vocabat Chriſtũ Dominum) ſtultitię eius ſapienter reſpondit: *Iuliano loculum fabricatur*. Et verus fuit vates: nã paulò pòſt Iulianus occiſus in loculo ad ſepulcrum elatus eſt. ita Theodor. l. 3. Hiſtor. c. 18. Et Maris Epiſcopus Chalcedonis exprobrans Iuliano apoſtaſiam, cùm ab eo ſtolidè velut cæcus rideretur, audiretque: *Non te Galilæus tuus ſanabit?* prudenter ei iuxta ſtultitiam ſuã re-

Exemplã.

geſſit: *Gratias ago Deo quòd cæcus ſim, ne te apoſtatam oculis aſpiciam.* ita Sozom. lib. 5. c. 4. S. Baſilius ſatuè reprehenſus à Demoſthene coco Valentis Imp. Arriano, quòd ὁμούσιον crederet & doceret, ſubridens ſapienter ſatuo reſpondit: *Demoſthenem illiteratum hodie vidimus: tuum eſt iuſculorum curare condimenta, nam cùm aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire non potes.* ita Theodor. lib. 4. c. 17.

Feſtiuè, ſed ſalsè, nuper in Belgio frater quidã Franciſcanus, irriſus ab hæretico inſolente, alapâque percuſſus, cùm ſtultè is ipſi obiiceret, vt alteram maxillam feriendam offerret; Scriptum eſt enim, inquit: *Si quis te percuſſerit in dexterã maxillam tuam præbe illi & alteram*, Matt. 5. 39. Tu autem cũ tuis, Euangelij ad literam cuſtodem te profiteris. Mox frater ſagax & neruoſus ſapienter & fortiter ſtultitiam eius contudit; nam proſternens eum in terrã pugnis malè mulctauit, dicens; Scriptum eſt pariter: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Cùm tertius quis ſuperueniſſet, velletq; eos ſeparare: *Sine*, inquit: *doceo enim hæreticum hunc ſacras Scripturas, quas ſtultè citauit, ſanè intelligere. Scriptum eſt enim: Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.*

Vers. 6. CLAVDVS PEDIBVS, ET INIQVITATEM BIBENS, QVI MITTIT VERBA PER NVNTIVM STVLTVM] Hebr. *incidens pedes*, *rapinam bibens*, *mittens verba in manu ſtulti*; Regia, *decurtans pedes*; Vatabl. *detruncat pedes, & bibit violentiam, qui per ſtultum aliquid demandat*; Chald. *qui currit pedibus ſuis, bibens iniquitatem ſic eſt, qui mittit verba in manu ſtulti*; Septuag. *ex viis ſuis opprobrium facit, qui mittit verba per nuntium ſtultum*; Procop. *ex pedibus ſuis opprobrium facit*, &c. Syrus, *de ſub pedibus ſuis bibit iniquitatem, qui mittit nuntium ſtultum.* Pro *iniquitatem* hebr. eſt חָמָס *chamas*, id eſt vis, rapina, violentia, tyrannis, iniquitas, iniuſtitia, opprobrium, damnum: ſumiturque tam actiuè pro rapina, quã quis facit, quàm paſſiuè pro rapina, iniuria & probro, quod quis patitur. Sic Iob c. 15. 16. de impio dicitur: *Qui bibit quaſi aquam iniquitatẽ* & c. 34. 7. *Bibit ſubſannationẽ quaſi aquam*, hoc eſt, ab omnibus malè audit, ridetur & ſubſannatur. Pro *claudus pede*, Noſter legit מְקֻצֶּה *mekutſe*, quod eſt participium paſſiuum *pual* ſignificans *ſucciſus*, vt vertit Pagnin. vel *inciſus pede*, hoc eſt claudus: cui enim inciſi ſunt nerui & tendines genuum, hic neceſſariò claudus eſt & claudicat. Iã neruoſiùs aliis punctis legunt מְקַצֶּה *mekatſe*, quod eſt participium actiuum *piel*, ſignificans *incidẽs* vel *ſuccidens pedes*, vti vertunt alij iam citati.

Nota. Herus & ſeruus, mandãs & mandatarius mittens & miſſus, putà nuntius vel legatus, œconomicè cenſentur vnum, & ciuiliter computantur vt vna eademq; perſona, quia ſeruus, mandatarius, & miſſus omnia agit ex commiſſione & præſcripto ſui heri, mandantis & mittentis; quare quod vnus facit, errat vel peccat, alter quoque cenſetur facere, errare & peccare. Hinc Salomon hìc loquitur de mittẽte & nũtio miſſo complexũ quaſi de vno & eodem, eſto vnum epithetum magis cõueniat vni, alterum alteri. Nam *τὸ claudus* magis cõuenit nuntio; τὸ verò *bibens iniquitatem* magis conuenit mittenti; ſed quia hi duo ciuiliter ſunt vnum, hinc quod vni conuenit, tribuitur & alteri.

Senſus ergo eſt q. d. Mittens nuntium ſtultum ad negotia ſua peragenda, perinde facit ac ſi *claudum pedibus*, id eſt tardum, inualidum, ineptum & impotentem mitteret: ſtultus enim nõ poteſt prudenter ea peragere, quare multa imprudenter faciet, multos contra ſe & herũ mittentem ſe concitabit, multaque temerariè dicet & aget, quæ in mittentem transſcribetur, vt ipſe videatur bibere copioſam iniquitatẽ nuntij, ac conſequenter luat meritas eiuſdem pœnas probra & damna. Demus enim vt rectè referat ea quę ſibi commiſſa ſunt, at, ſi ſuper eis examinetur, non ſibi conſtabit, ſed vacillabit quaſi in vtramq; partem claudicans, multaque alia effutiet & faciet quæ hero infamiam & damna creabunt. Ad hæc ſinet ſe decipi & mille dolis & mendaciis imponi ſibi. Vnde R. Leui: Iniquitatẽ bibit, inquit, propter ea quæ à ſtulto referuntur. Quod quidem duplici ratione contingit, tum quidem quòd ſtultus ſermones non renuntiet, quemadmodum iuſſus fuerat; ex quo fiet vt mittenti grata non reſpondeantur, iiſque conſentientia quæ propoſita fuerant. Ideoq; iniquum ſe præbebit ei ad quem legatio deſtinata eſt, licet is crimine culpaque careat; id enim à legati dementia effectum fuit. Tum quòd ſtultus ſermones nõ referat vt iuſſus fuerat à reſponſum dante, ideoq; fiet vt negotia implicita ſint difficultatibus, conſentaneaque gratia deſtituantur. hæc R. Leui.

Igitur *τὸ claudus pedibus* cõplexim tribuitur mittenti, & nuntio miſſo; propriè tamen nũtio competit, ſed in mittentem transſcribitur: quia quod miſſus facit, cenſetur facere mittens, & quia cenſetur claudicare tam mente, id eſt vacillare iudicio & eſſe amens, quàm pede, qui ſtultum cui mens magis vacillat quàm pes, mittit; quia claudus, id eſt impotens ad negotia ſua tractandum, ſit oportet, qui non alium quàm claudum, id eſt ſtultum, habet quem mittat.

Iam neruoſiùs legunt & vertunt, *incidit* vel *truncat pedes*, ſcilicet *mittens*, *nuntio* quem mittit, q. d. ait Vatabl. Qui verba aut negotia magni momenti homini inſipienti ad alium deferenda tradit, ſimilis eſt ei, qui vt aliquò mittat quempiam pedes illi ſuccidit, id eſt eum mittit, qui aut numquam perueniet ad eum, ad quem deſtinatur; aut, ſi ad eum deuenerit, rem perperam aget vel dicet; atque adeò quidquid errauerit aut deliquerit, id bibere ac deuorare mittentem coget.

Addit Aben Ezra & Caiet. eum qui mittit ſtultum non tantùm ſtulto, ſed & ſibi ipſi pedes incidere & truncare: quia ſicut pedes ſibi ipſi ſuccidens, priuat ſe facultate ambulandi; ſic quoq; res ſuas tractans per ſtultum, priuat ſe facultate eaſdem per ſemetipſum peragendi: ſtultus enim ita eas intricat & peruertit, vt vix à quoquam extricari & in integrum reſtitui poſſint. Idem bibit iniquitatem, quia iniquè facta & geſta à ſtulto quem mittit, eorumque probrum & pœnæ in ipſum, vtpote qui miſit, deriuantur. Vlteriùs R. Salomon *τὸ incidens pedem* extendit ad quoſlibet negotij adminiſtros, q. d. Qui ſtulti operâ in legationibus vtitur, multorum pedes præcidet, quos denuo reponere debeat, vt rem à priore legato malè geſtã reparet. Idem verò iniquitatem bibit, quòd eidem amici iraſcantur ob ſtulti legationem.

Noſter Salazar ſubtiliùs cenſet *τὸ incidens pedem* ſignificare miſſionis pœnam, & pœnitentiam. q. d. Herus in pœnam miſſi à ſe ſtulti pœnam hanc erroris ſui à ſe exiget, vt pedem ſibi ipſi incidat, id eſt verberet & cruentet, volens nimirũ membra punire quæ ſibi detrimentum attulerunt: nam cùm poſſet pedes ſuos ad rem agendam mouere,

horum ignauia aut inertia calamitati aut infortunio cauſam dedit. A

Septuag. vertunt, *ex viis ſuis opprobrium ſibi facit, vel probrum refert; qui mittit verba per nuntium ſtultum*, ita auctor Catenæ Græcor. quia legatus ſtultus opprobrium eſt mittentis: mittens enim ſtultum cenſetur & ipſe ſtultus, quia ſtultè dicta factaque & errores nuntij quem mittit videtur probare. Procopius: *Ex pedibus ſuis opprobrium ſibi facit*: pedibus enim, & multò magis mente claudicat tam miſſus quàm mittens, ideoque magis ridetur quàm pedibus claudus, de quo Poëta:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Myſticè Beda: *Qui hæreticum*, inquit, *ſciens mittit ad prædicandum populis, claudus eſt pedibus, & iniquitatem bibens; quia & operis boni inceſſum amiſit, & interiora ſui ſenſus hauſtu ſtultitiæ deebriat.*

B Myſticè pariter B. Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 18. hanc gnomē explicat de iis qui indignos promouent ad prælaturas: *Claudus pedibus & iniquitatē bibens, qui mittit verba per nuntium ſtultū. Quibus nimirum verbis*, ait, *quid aliud videtur expreſſum, niſi vt carnaliter ſapienti, ac per hoc ſtulto cuilibet nō committatur prædicationis officium? de ſanctis enim prædicatoribus dicitur: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacē, euangelizantium bona! Itaque quilibet ordinator Eccleſiæ ſi dignos & idoneos in dignitate cōſtituit, quaſi pedibus rectis incedit. Per eos enim verbum ſpargendo circumquaq; diſcurrit, & quod per ſemetipſum nō valet agere, per illos ſatagit efficaciter adimplere. Sin autem carnales quoſque ac reprobos ordinare præſumat, hic claudus pedibus ambulat. Qui etiam iniquitatē bibere dicitur, quia dū verba ſanctæ prædicationis per ſtultū nuntium mittit, & contra Apoſtolum citò manus imponit, peccatis communicat alienis. Nam & ſi prudenter quiſque loquatur, ſi tamen non agit ipſe quod loquitur, in ſpirituali claudus itinere non immeritò indicatur.* hæc P. Damiani.

C

VERS. 7. QVOMODO PVLCHRAS FRVSTRA HABET CLAVDVS TIBIAS: SIC INDECENS EST IN ORE STVLTORVM PARABOLA] Pro *parabola* hebr. eſt מָשָׁל *miſcal*, id eſt *prædominans*, hoc eſt ſentētia illuſtris, erudita, grauis, acuta, præſertim ethica, quę mores hominū ad prudentiam & virtutem efformat, quales ſunt hæ Salomonis. vide dicta c. 1. v. 1. Hebr. ergo ſic habēt: *Eleuata ſunt crura à claudo, & (id eſt ſic) parabola in ore ſtultorum.* Pro *eleuata ſunt* hebr. eſt דַּלְיוּ *dalciu*, qui eſt imperatiuus à דָּלָה *dala* ſignificans haurite, eleuate, exaltate per ironiam. q. d. Fruſtra eleuabitis. Vel potiùs indicatiuus ſignificans, eleuata vel exaltata ſunt crura claudo: vnū enim crus eius altius eſt altero: ſicut ſitula vna altior eſt alterà, dum hauriunt aquā è puteo: vna D enim deprimitur, altera eleuatur. *Eleuata* ergo, id eſt inæqualia ſunt crura claudo, vt vertit Pagninus, Baynus & alij. Alij vertunt, *exhauſtæ ſunt*, id eſt aruerunt, vel ſiccatæ ſunt tibiæ claudi.

Primò, ergo ex Hebręo ſic vertunt & explicant nonnulli, quaſi ſignificet parabolam, id eſt ſententiā ſapientem & grauem non reperiri in ore ſtultis, ſicut rectus inceſſus nō reperitur in claudo: ſicut enim claudus incedendo claudicat, ſic ſtultus loquendo imprudentiam & inconſtantiam ſuam oſtendit. Vnde Chald. vertit *ſi dederis ambulationem claudo ſuſcipies verbū ab ore ſtulti*; Septuag. *aufer greſſum crurum & parabolam* (hoc enim ſignificat Gręcum [illegible], vt habent Complut. & auctor Catenæ Græc. pro quo minùs rectè alij legūt [illegible], id eſt, *iniquitatē*) *ex ore imprudentium*, hoc eſt vt clarè Symmach. *defecerunt tibiæ à claudo, & parabola in ore ſtulti*, Vatabl. *exaruerunt crura claudo*, &c.

A

Secundò, alij vertunt & explicant q. d. *Ablatæ ſunt tibiæ à claudo: ſic parabolæ in ore ſtulti*; q. d. Quod eſt corpus ſine tibiis, hoc eſt parabola ſine intellectu in ore ſtulti. Huc accedit Aben Ezra, qui vertit, *an eleuabunt extollentq; claudi crura, cùm in pedibus careat?* q. d. *Prouerbium abſque intelligentia eſt tamquā corpus carens pedibus. Aut ſicut attenuata ſunt crura claudi, ſic tenuis imbecillaq; eſt parabola ſine intelligētia.*

Tertiò, Salamon. q. d. Sicut claudo videntur crura cuiuſlibet viri altiora ſuis: ſic ſtulto parabola & ſapientia videtur altior ſe, vt ad eam ſe erigere, eamque prehendere nequeat.

Quartò, Vatabl. q. d. Eleuate & erigite claudum in pedes ſuos; tamen nō propterea rectus incedet aut greſſus reget, quinimò ſtatim concidens procumbet. Ad eundem modum ſi in ore ſtulti ac ſtolidi hominis perelegans & peracuta parabola ponatur, non propterea mente diſcurret, & ex acceptis ad alia ſcandet; ſed quamprimum vacillabit, & in abſurdiora dilapſus corruet. B

Quintò, meliùs alij vertunt, *eleuatæ*, id eſt *inæquales*, ideoq; incedentes *ſunt tibiæ claudo, ſic & parabola in ore ſtultorum*; quod Noſter clarè vertit, *quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorū parabola.* q. d. Sicut pulchræ tibiæ claudum non ornant ſed dehoneſtant, & ſpectantibus ridendum exponunt, eò quòd iis vti rectèq; incedere neſciat; ſed eis abutatur ad claudicationem, quę intuentibus ridicula videtur, & riſum mouet: ſic pariter *parabola*, id eſt ſentētia ſapiēs & grauis, ſtultū non decet, nec decorat, ſed dedecorat: quia ea rectè vti neſcit, ſed ea ridiculè abutitur ad ſuā C ſtultitiam, idq; Primò, quia eam profert non opportunè & congruè, ſed importuno tempore, locoq; incongruo. Sic Salomonē explicat Eccleſiaſt. c. 20. 22. dicens: *Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore ſuo.* vide ibi dicta. *Quid pulchra tibia claudo, hoc parabola ſtulto. Primò.*

Secundò, quià ſicut claudus tibiis pulchris, ſic ſtultus parabola pulchra rectè vti nequit, tū quia aliquid ei addit vel detrahit, ait R. Leui, tum quia rectè eam applicare neſcit, ſed ineptè & inconcinnè eam accommodat rei cui non debet, & modo quo non debet. *Secundò.*

Tertiò, ſicut claudus, licet pulchras habeat tibias, tamen inæqualiter ambulat, quòd vna tibia ſit breuior alterà, ideoq; claudicādo ſaltitat nunc pedem vnum longiorem attollens, nunc alterum breuiorem deprimens: ita pariter licet in ore ſtultorum ſit prudens aliquis ſermo, tamen cum aliis D eorum verbis nō conſentit; ſed velut inæqualibus tibiis ambulant & claudicant, dum poſt dictum aliquod ſapiēs ad ſuas nugas & ſtultitias reuoluūtur. Sermonis ſapiētis ergo neruos incidit ſtultitia ſtulti, dū poſt eum ſubnectit inconcinna, inepta, diſſoluta quæ non cohærent, quæque nec cælum nec terram tangūt, vt vulgò dicitur. Quare ſicut homo eſt monſtroſus, cuius mēbra ſunt inæqualia, vel debità proportione carētia: ſic monſtroſus eſt ſermo ſtulti, cuius partes ſūt inęquales, & iuſta proportione deſtitutæ. Sic Cicero de Claris orat. notans quemdam qui pulchris inepta miſcebat: *Actio*, inquit, *paululum, tum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat.* Huc facit prouerbium Arabicum cent. 1. n. 20. *Ne incarcera pauonē & columbam ſimul, id eſt, ne ſis modò cōpoſitus, modò diſſolutus, modò grauis, modò leuis & inſolens*; vti faciunt ſtulti, qui modò *Tertiò.*

grauęs

graues & compoſiti in dictis & verbis & incedunt quaſi pauones; modò leues & ridiculi volitant, vt columbæ.

Quartò. Quartò Baynus: Parabola, inquit, id eſt ſermo eruditus & elegans in ore ſtulti, cùm à vita eiuſdé & actione diſcordat, indecenter claudicat. Duo enim velut animæ crura ſunt, dictio & actio: quapropter cùm ſermo ſublimis eſt, & actio humilis, indecora admodum claudicatio, ac turpis pedum nutatio fit, qualibus dici poteſt illud Eliæ: *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi verò Baal, ſequimini eum.* 3. Reg. 18. Igitur hęc gnome in eos intorqueri poteſt, in quorum ore ſemper eſt Euangelium, quique illud ex officio aliis prædicant, cùm improbæ ſint vitæ, quales omnes Sapiens ſtultos vocat. Sancta enim hęc prædicatio illis indecens eſt, vt qui eâ nec ornentur, nec eamdem ornent, ſed inæqualitate dictorum & factorum dehoneſtent, quantum in ſe eſt, omnino claudis ſimiles, qui pulchras quidem habent tibias, ſed eis non pulchrè incedunt: claudicant enim & illi in duas partes, dum ore Deum, vita mundum prædicant. Ita Beda, Ianſen. & alij.

Hinc appoſitè B. Petrus Damiani lib. 1. epiſt. 18. hanc gnomen de prædicatoribus malè viuentibus exponit. *Quomodo,* inquit, *pulchras fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola. Pulchris planè nititur tibiis, qui luculenti nitet claritate ſermonis: ſed dum ſine bonis operibus accuratũ depromit eloquium, velut ſine greſſu promovet recta crura verborum. Quaſi pulchras ergo habet tibias ad videndum, ſed non vtiles ad gradiendum, qui podagricis vitiorum laqueis innodatus, ipſe quidem turpiter claudicat, dum alios vt agiliter gradiantur inuitat. In iſtorum ergo ſtultorum ore indecens eſt parabola, quia dum ſpiritualiter ſonant, & carnaliter viuant, eorum vita cum labiis non concordat: quos nimirum honeſta loquentes, ſed inhoneſtè viuentes prædicatio recta non liberat, ſed mordax conſcientia vehementer accuſat.*

VERS. 8. SICVT QVI MITTIT LAPIDEM IN ACERVVM MERCVRII: ITA QVI TRIBVIT INSIPIENTI HONOREM.] *Inſipientem* hic accipe tum phyſicè, id eſt dementem & ſtultum, tum ethicè, id eſt vitioſum & ſceleratum.

Pro *aceruum Mercurij* hebr. eſt מַרְגֵּמָה *margema,* quod deriuatur à רָגַם *ragam,* id eſt lapidare, lapides iacere, vel lapidibus obruere: vnde quadrupliciter vertitur. Primò, *aceruum lapidum*; Secundò, *purpura*; Tertiò, *funda*; Quartò, *aceruus Mercurij*: hinc quadruplex oritur verſio. Primò, *margema* hebræi paſſim interpretantur *aceruum lapidum.* q.d. Sicut qui lapidem, præſertim pulchrum, politum vel prætioſum proiicit in communem aceruum lapidum, ré facit inutilem; lapis enim vnus eſto prætioſus, in aceruo tot lapidũ nec numerum, nec pretium habet, imò nec apparet, nec agnoſcitur: ſic pariter rem inutilem facit, qui dat honorem inſipienti; perdit enim honorem, dum eum collocat in indigno, in quo nec pretium nec dignitatem habet. honor enim ſuum pretium habet in ſapiente & virtute prædito. Rurſum q.d. Qui ſtulto magiſtratum defert, totam remp. confundit & perturbat, eamque facit inſtar aceruι lapidum, qui non eſt aliud quàm rudis indigeſtaq; lapidum moles ſine lege, ſine ordine permixta & confuſa: ſic enim in republica eſt rerum omnium confuſio, cùm ſtulti, qui regi deberent, præſunt: ſapientes verò, quorum eſt regere, ſubſunt. Hic etiam aceruus poteſt dici *aceruus Mercurij*: quia enim olim aceruι plurimi erant dicati Mercurio, hinc videtur manaſſe vſus, vt quilibet lapidum aceruus vocaretur *Mercurij*: ſic enim ſæpe nomina ſacra ad res profanas ex vſu vulgi tranſlata ſunt.

Margema quatuor ſignificat. Primò.

Nonnulli hanc expoſitionem acuunt, per aceruum lapidum accipientes polyandrium, ſiue locum & ſepulturam cadauerum: in hunc enim ſolebant coaceruare lapides: ſepulcra enim & buſta plebeiorum habebant congeriem lapidum, vnde illud Virgilij:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus.

Sic ſenſus erit q.d. Sicut ſi mittas lapidem in polyandrion, non ornat locum, ſed ſordidatur à loco: ſic ſi des honorem ſtulto, non eum ornat, ſed ab eo ſordidatur, iuxta illud Ciceronis quod citaui v. 1. *Cæſar cùm quoſdam ornare voluit, non ipſos honeſtauit, ſed ornamenta ipſa turpauit.*

Vlteriùs alij aceruum hunc lapidum ſubtiliùs exacuunt, arctántque ad ſunctum lapidum aceruum, qui deſtinatus erat ad hoc, vt eo damnati ad lapidationem obruerentur: vt enim eos lapidaturi lapides haberent ad manum, faciebant eorum congeriem, ex qua lapides depromerent: quare hic aceruus Iudæis erat abominabilis. Sic ſenſus erit q.d. Sicut lapis miſſus in congeriem lapidum damnandorum fit abominabilis: ſic pariter abominabilis fit honor qui ſtulto tribuitur. Hic e de Achā lapidato à Ioſue c. 7. 26. dicitur: *Congregaueruntq; ſuper eum magnum aceruum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem.* Huc facit etymon *margema.* quod eſt à רָגַם *ragam,* id eſt lapidare, quaſi *margema* ſit aceruus lapidationis.

Rurſus alij *margema* vertunt, *aceruum margaritarum.* q.d. Sicut lapis pretioſus perdit ſuum decus, ſi in aceruo margaritarum ponatur & condatur: gémmæ enim ſuum habent ſplendorem ſi non in aceruo, ſed ſuo loco & ordine collocentur: ſic pariter honor ſtulto collatus ſuam perdit dignitaté, quia non ſuo & congruo, ſed indecenti & indecoro loco collocatur. Aut q.d. Sicut lapis ementitus, puta gemma adulterina mixta aliis gemmis & margaritis veris, eis fidem detrahit, facitque omnes de adulteratione & fictione ſuſpectas: ſic pariter ſtultus vnus politus in ſenatu, congregatione vel cœtu ſapientum, cæteris notam inurit & famam ſapientiæ derogat, omneſque facit de ſtultitia & ſcelere ſuſpectos.

Inſuper quidam vertit, *ſicut fragmentum teſtæ* (Chald. *lamnæ*) *in lapidum aceruum,* ſcilicet coniectum diſſipatur, imò in mille fruſta diſſilit illiſum ad lapides, vt planè conteratur & perdatur: ſic & dignitas ſi conferatur ſtulto, diſſilit, deſinitq; eſſe dignitas, ita vt nullus ſapiens eam velit, quia videt eam ſibi cum ſtulto communem, & à ſtulto iam profanam & vilem effectam.

Secundò. Secundò, Aben Ezra & R. Ioſeph hebr. *margema* accipiunt pro אַרְגָּמָן *argaman,* id eſt purpura, vel רִגְמָה *rigma,* id eſt ſplendor & gloria. q.d. Sicut ineptè facit qui lapidem abiectum purpura inuoluit, ſic & qui ſtulto honorem defert. qui enim lapidem inuoluit purpurâ, honorem ei defert: lapis enim ſtulto, purpura honori reſpondet. Rurſum q.d. Si quis lapidem, id eſt caput lapideum, vel ſtatuam lapideam principis, veſtiat purpurâ, ponatque in ſolio quaſi ius populis dicturam, rem facit ridiculam: nec enim lapidem honeſtat, ſed purpuram dehoneſtat: ſic pariter qui ſtultum ornat honore

nore magiſtratus,iudicis vel præfecti,rem facit ridiculam,imò noxiam:ſtultus enim hoc honore ritè defungi nequit,ſed ſtultè ſubditos reget,ſtultaſq; proferet ſententias,leges,edicta: iuxta illud, *Simia in purpura*: quare qui ſtulto confert magiſtratum, magiſtratum violat & contaminat.

Tertiò, Septuag. *margema* vertunt,σφενδόνην,id eſt fundam, qua lapides rotati in orbem magna vi funduntur,torquentur & vibrātur in ſcopum. *Qui alligat*, inquiunt, *lapidem in funda, ſimilis eſt ei qui dat inſipienti honorem*; Chald. *ſicut fragmentum lapidis in funda*, &c. Syrus, *ſicut lapis in funda, ſic qui laudat ſtultum*; Arabicus, *qui ligat lapidem in funda aſſimilatur illi qui tribuit ſtulto honorem*. Sic & Vatabl. Pagninus, Baynus, R. Salomon, & R. Leui, qui ſic explicat, q.d. Sicut lapis prætioſus non eſt ponendus in fūda vt abiiciatur: ſic nec conferendus ſtulto honor id eſt ſapientia, cùm illā ipſe ſit indignus: ſapientia enim vocatur honor, quòd in ea mortalium decus ſplendorque conſiſtat, iuxta illud c. 3.35. *Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exaltatio ignominia*. Fūda enim dicitur σφενδόνη à σπεύδειν, id eſt feſtinando, quòd feſtinatò rotetur & iaciatur: vnde σφεδανὸν vocatur τὸ τανυστικόν.

Senſus ergo eſt q. d. Sicut qui ligat lapidem in funda, vt proiiciatur, ſtultè facit: nec enim lapis ligatus proiici poteſt: ſic ſtultè facit, qui inſipienti dat honorem. Aùt potiùs q.d. Sicut qui lapidē ligat, id eſt fundæ imponit, & rotando ſtringit, vt validiùs & certiùs eiaculetur,hic eum proiicit, abiicit & perdit: lapis enim eiaculatus abiicitur, euaneſcit & perit: ſic honor tributus ſtulto non diu permanet,ſed ilicò abiicitur & perditur. Aut tertiò, magis appoſitè q.d. Sicut qui vibrat lapidē è fūda in ſcopum,ſæpe ſæpiùs ab eo aberrat,& in deuia torquet: ſic qui dat honorem ſtulto à ſcopo honoris, qui eſt vt is detur ſapienti & probo, aberrat, ac in deuia, putà in inſipientem, improbum & indignum, eum tranſmittit.

Rurſum S. Ambroſ. in pſalm. 104. ſub finem ſic verſionem Septuag. concinnat: *Libertas*, inquit, *ſapienti, non inſipienti conuenit; quoniam qui illigat lapidē in fundibulo ſimilis eſt ei qui dat inſipienti claritatem: ſeipſum vulnerat, atque ſibi potiùs dum intorquet iaculum affert periculum. Deinde ſicut tormento alterbatur, & geminatur malum ſaxi ruinā, ſic inſipientis in libertate ruina vehementior.* Mens S. Ambroſij eſt, q.d. Sicut is qui rotat fundam, affert ſibi periculum, ne rotādo lapidem in caput ſuum impingat: ſic qui ſtultum promouet ad honores, creat periculum ſuo capiti, ne ſcilicet populus à ſtulto læſus, inuadat eum qui ipſum promouit: in promouentem enim ſolent promoti lapſus & errata tranſcribi. Rurſum ſicut lapis fundā valido impetu cōtortus in altum, mox grauiore ruinā deſcendit, ferturque deorſum: ſic ſtultus ad honores euectus, grauiore lapſu in ima corruit: iuxta illud: *Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant:* ſicut enim lapidis, ſic & ſtulti locus eſt imus. Denique Adagiographus ſic adaptat q.d. Sicut qui lapidem fundæ impoſitum dat in manus ſtulti, dat ipſi arma, quibus alios ipſumque dantē feriat: ſic qui eidem dat dignitatem, dat ei lapidem quo alios & ipſum dantem vulneret: ſtulti enim dignitate neſciunt uti moderatè, ſed ea ad libidinem in aliorum perniciem abutuntur.

Funda pro pala annuli. Nonnulli valdè congruè Græcum σφενδόνη, id eſt funda, accipiūt pro pala annuli aurei, eandemque cenſent notari per hebr. *margema*, id eſt purpuram. Solet enim palæ annuli addi bracteola coloris purpurei, ne gemma palæ incluſa fulgore auri hebetetur & offuſcetur, ſed ſuum ſplendorē teneat, ſi coque colore exacuat. Sic ſenſus erit q.d. Sicut qui lapidem vulgarē ligat in pala ānuli aurei, abſurdè facit; ſic & qui dat honorem inſipiēti. Ita noſter Menochius in Hieropol. l. 2. c. 11. Nam σφενδόνη δακτυλίου eſt pala annuli, vt Cicero interpretatur apud Platon. lib. 2. Polit. Et Plinius fundam quoque hoc ſignificatu dicit, ut *funda*, ait, *includuntur perſpicua, cætera ſubiicitur orichalcum*. Eſt autem pala annuli funda, circulus ille auri vel alterius metalli, quo gemma annuli includitur, perinde ac fundæ ſinus lapidem eiaculandum includit.

Denique funda accipi poteſt pro ſacculo, crumenā & marſupio facto inſtar retis: vnde Macrobius: *Demiſſa*, ait, *in fundam pauperem manu, pauculos denarios protulit.* Funda enim ſubinde rete ſignificat, vt patet ex illo Virgil. 2. Georg. *& pro crumena.*

Atque alius latum fundâ iam verberat amnem
Alta petens, pelagoq; alius trahit humida lina.

Vbi Seruius: *Funda*, ait, *eſt retis genus dictū à fūdendo*. Conſequēter per lapidem accipias vel calculū rationum, quo ſcilicet mercatores ſupputant ſummas pecuniarum, vel lapides pōderum: olim enim lapidibus vtebantur pro ponderibus, & tam hos quàm calculos rationum includebant ſacculis & marſupiis. Si calculos rationum accipias, ſenſus erit q. d. Sicut calculus in ſe parui eſt valoris, ſed magni ob ſummā quā ſignificat: ſic ſtulto ad magiſtratum euecto deferendus eſt honor, non propter ſe, ſed propter Deum & communitatem, cuius perſonam repræſentat. ita D. Tho. 2. 2. q. 63. ar. 3. cuius verba mox recitabo. Sin lapides ponderum accipias cum noſtro Salazar, ſenſus erit q.d. Qui virum ſtultum & inſipientē ad honores, id eſt ad magiſtratum vel principatum extollit, vt ex iure publicā rem adminiſtret, perinde facit ac ſi pōdera marſupio includat, & incluſas obliget. q.d. Illo imperāte nullus erit iuſtitiæ locus, nihil ex iure, nihil æquitate geretur, ſed in omnibus ſumma temeritas erit. Itaq; Salomon ſtultos & inſipiētes homines à magiſtratu arcendos ideirco dicit, quia illos rēpubl. gerētibus ius & æquitas exulat: ac conſequēter exulant merces & mercatores, & mercatura, qua reipub. opes & rerū abundantia conſtat.

Ex dictis liquet σφενδόνην, id eſt fūdam, tria ſignificare: Primò fundam; Secundò palam annuli; Tertiò ſacculum & marſupium, triaq; hęc ſignificata aptè huic ſententiæ & ſimilitudini congruere, iuxta ſenſus quos aſſignaui.

Quartò, Margema eſt aceruus Mercurij. Probatur. Quartò, ſolerter noſter interpres *margema* vertit, *aceruum Mercurij*: eſto enim *margema* in genere ſignificet aceruum lapidum, vſu tamen vulgi appropriata fuit hæc vox ad *aceruum Mercurij*, vtpote olim apud Gentiles communiſſimū & celeberrimum, ac Iudæis notiſſimum. Id ita eſſe docet primò, noſter Interpres qui ſic vertit, eiuſque verſionem probauit & probat tota Eccleſia. Secundò, quia *margema* idē eſt quòd *Mercolis* רגמה *regama*, id eſt Mercurij (hunc enim Hebræi vocant *Mercolis*) aceruus. Tertiò, ita docent Rabbini in *Stepher amana*, cap. 20. & alibi, ac Speculum Hiſtoriale lib. 24. quos citat Ioannes Druſius, licèt in fide heterodoxus, ideoque minùs fauens Vulgato Interpreti, lib. 3. quæſt. c. 66. Et in claſſe Prou. l. 2. c. 34 & R. Salomon hîc: *Rabbini*, inquit, *eum qui legis doctrinā imbuat diſcipulum ineptum, ſimilem eſſe lapidē in Mercu-*

Mercurium iacienti affirmant. Sic & Mercerus hic (cuius verba mox recitabo) teſtatur veteres Hebræos *margema* vertiſſe, *Mercurium.* Idem docet Elias in Tisbi, R. Iſmael in Gemara, R. Nathan in Lexico Iuris Hebræorum.

Denique id magis conſtabit ex mox dicendis. Nec nouũ eſt in Script. citari deos Gentilium, ad eorumq; fabulas alludi. Sic enim alludit ad fabulam Titanum Iudith 16.8. *Nec percuſſerunt,* inquit, *eum* (Holofernē) *filij Titan* Et Iob vlt. v. 15. pro *cornu ſtibij*, quod erat nomen filiæ Iob; Septuag. vertunt, *cornu Amalthea*, id eſt cornu copioſum, diues, rerum omnium affluentia abundans. Fabulãtur enim poëtæ Amaltheam fuiſſe capram nutricem Iouis, è cuius proinde cornu Iupiter omne bonũ fundebat. ita Olympiod. & Nicetas ibidem, qui ſapienter aduertit: *Cùm Scriptura,* ait, *cornu copiæ, aut Sirenum, aut vallis Titanum aut gigantum mentionem facit; tantùm vtilitatem illis fabulis ſignificatam, non verò falſitatem vllam nobis propinat.* Sic & Nyſſenus hom. 9. in Cantic. Iam

Mercurij aceruus quis. Respondeo Primò. Quæritur quis ſit *aceruus Mercurij*? Primò, Beda, Arboreus Hugo, Lyran. & Gloſſa interlinearis per *Mercurij aceruos* lapidũ aggeres ſeu cumulos, ad Mercurij templum exædificandum collectos accipiunt, q.d. Qui hominem rudem & imperitum reipubl. præficit, aut illi docendi munus attribuit, peccat æquè ac illi, qui falſis idolis, congeſtis lapidibus, templa ædificant. Nam ſicut Mercurij fanum extruere idololatria eſt; ita etiam, inquit Hugo, idololatriæ quoddam genus eſt, inſipientem virum magiſtratum creare, iuxta illud Zachariæ 11. *O paſtor & idolum!* Audi Bedam: *Qui inſipienti, id eſt hæretico, honorē docendi confert, non minùs delinquit, quàm qui deos ac delubra Gentilium cultu veneratur inani.* Verùm hæc expoſitio videtur aliena & longè petita. Multò alienior, imò falſa & erronea eſt illa Merceri hoc loco: *Veteres Hebræi,* inquit, *margema accipiunt pro ſimulacro Mercurij, quod ex magna lapidũ mole factum eſſet: quo ſenſu Vulgatus Interpres vertit, aceruũ Mercurij, qualis eſt imago Chriſtophori, quæ magna mole lapidis in noſtris templis alicubi cernitur.* Vnde ipſe hunc locum cum Beza torquet contra inuocationem S. Chriſtophori aliorumque Sanctorum, ac venerationem imaginum eorumdem, q.d. Sicut abſurdè facit, imò peccat in Deum, qui ſtatuam Mercurij, qualis eſt Chriſtophori, lapidibus pretioſis ornat: ſic & peccat qui honorat ſtultum. Verùm hæc eſt hęreſis. Aliud enim eſt idolum & dij Gentium, aliud eſt S. Chriſtophorus & Sancti Chriſtianorum, eorumque imagines, vti oſtendi. 1. Corinth. 8 v. 4. Rurſum *margema* non ſignificat Mercurij ſtatuam, ſed *aceruum lapidum.* Denique S. Chriſtophori imaginem eſſe imaginem veri Sancti & Martyris, non autem emblema cuiuſlibet pugilis Chriſtiani, qui Chriſtum laborando & patiendo portet, vti volunt hæretici, fusè & efficaciter demonſtrat Ioannes Molanus libr. 3. de S. Pictur. & imagin.

Secundò. Secundò, Pagnin. vertit, *ſicut qui ligat vel mittit lapidem in cumulum lapidum,* &c. id eſt, inter honorem qui homini ſapienti exhibetur, & eum qui ſtulto impenditur, hoc intereſt; quod inter lapidē qui in ædificio affabrè conſtructo, loco aptauit ſuo, & inter eum qui in cumulum & aggerem lapidum temerè iacitur. q.d. Honor ſapienti impēſus aptiſſimè in illum cadit, & quaſi lapis ſuo cohærens loco ſpecioſus eſt; is verò qui ſtulto adhibetur, lapidē aliquem rudem temerè in aceruum proiectũ, & à ſuo loco emotum imitari videtur.

Tertiò, S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. Hugo & Lyran. per *aceruum Mercurij* accipiunt aceruum mercatoris, putà lapillos (pro quibus iam vtuntur nummis æreis) ſiue numerarios calculos, quibus ſummas pecuniarum ſubducunt & computant. Mercatores enim à mercibus dicti ſunt Mercurij. Vnde Fulgentius in Mythologia: *Omnis negotiator,* ait, *dicitur Mercurialis, quaſi mercium ſuarum curam habens.* Vide Gyraldum ſyntagm. 9. Audi S. Thom. *Quia Gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator aliquando mittit vnum lapillum loco centum marcarum; ita etiam honoratur Prælatus, qui ponitur loco Dei & loco totius communitatis, etiamſi improbus fortaſſe ſit.* Similia habet Lyran. quem vide, ſi libet, æquè ac Hugonem. *Tertiò.*

Noſter verò Salazar per lapides Mercurij accipit lapides quibus vtimur pro ponderibus, ad ponderandum res quaſlibet. q.d. Quiſquis ſtulto homini magiſtratum aut imperium defert, ei ſimilis eſt, qui lapides, hoc eſt pondera quibus res librari & appendi conſueuerunt, non quidem ad librandum adhibet, ſed in aceruum cogit ac colligit: id eſt, hoc efficit ne quid exactè & ex iure & iuſtitia peragatur, ſed quaſi ſublatis remotiſque ponderibus omnia temerè & confuſè fiant, vel hoc præſtat, vt, quemadmodum ſublatis ponderibus mercatura ceſſat; ita quoque iudicia ceſſent, & fora ſileant.

Quartò, ſimpliciter & genuinè: Aceruus Mercurij ſignificat lapides cōgeſtos tumulatim in honorem Mercurij, qui erat dux viæ ad indicandam viatoribus viam, quos Græci Hermæa & Hermacas, id eſt Mercuriales, vocabant, vt patet ex Nicandro in Theriacis, vbi Scholiaſtes: *Hermacas,* inquit, *poëta appellat lapides aceruatos in honorē Mercurij.* Et Heſychius: *Mercurialis aceruus,* inquit, *ſignificat cumulos lapidũ Mercurij, quos in viis aceruabant in honorem illius dei.* Solebant enim antiqui in biuiis aut triuiis ſtatuã Mercurij collocare, quò cùm perueniebant qui faciebant iter, ac mercatores pręcipuè quorum deus erat Mercurius, honoris gratia offerebant lapillum. Is vt viarum præſes, effingebatur trunco habitu, ex lapide rudi, in formam quadratam, hiſce Græcis verbis præſcriptis ὅδιος, id eſt *auſpicatus ad iter*; ὁδηγός, id eſt *dux viæ*: vnde ἐνόδιος teſte Heſychio, ſiue εἰνόδιος. Lapides hoſce ergo Hermam vocabant Græci, & acerui dicebantur ἕρμακες, *Viacum* vocant Latini: vetuſtiſſimi Iudæorum vocant *Mercolis* ſiue *Mercurium.* Citant ex Gloſſis Thalmudicis tractatu de Idololatria fol. 42. pag. 1. *Gentes quæ colunt lapidum aceruum, quem Mercolis vocant. Cultus autem eiuſmodi eſt: Quiſquis venit, proiicit lapidem in aceruum illum.* Vnde veterũ Hebræorum prouerbium ſimile huic Salomonio, imò idem cum eo erat: *Proiicit lapidem in Mercolis.* Nam *Mercolis* eſt Mercurius, aut potiùs aceruus lapidum Mercurio ſacer. Hinc in Lexico Hebr. Iuris dicitur: *Quid eſt beth* (domus) *Mercolis? eſt fanum idoli cuiuſdam quod Mercolis nominabatur, cuius cultus fuit proiectione lapidum, de quibus R. Iſmael in Gemara: Iſti, ait, ſunt lapides ſani Mercolis, vnus hinc alter illinc, tertius ſuper vtrumque iacet.* Meminit horum lapidum non ſemel auctor *Sepher amana* (id eſt libri veritatis) vt cap. 20. & alibi. *Quartò genuinè.*

Quare autem mercatores aut iter facientes Mer-

A Mercuriũ honoris ergò lapideo aceruo cumularent, ex antiqua fabula dimanauit, quam Didym. li. 16. Odyſſ. in hanc ſententiam grecè narrat, Anticlidemque narrat auctorem. Auctor item Etymologici hoc idem narrat. Stultus autem aptè vocatur lapis: quia, vt ait Plautus in Milite: *Nullũ hoc ſolidius eſt ſaxum.* Hoc ergo prouerbium vel manauit à ſuperſtitione & cultu Mercurij. q. d. Quemadmodum ad ſtatuam Mercurij lapides mittere honoris cauſa, ſumma dementia eſt, quia ſtatua Mercurij aut lapis eſt, aut lignum nihil ſentiens: ita ſtulto homini honorẽ tribuere inſcitia eſt. Enimuero ſtultus apud Terentium *caudex, & ſtipes, & lapis* appellari ſolet in Heautontimorumeno. Vel id manauit à pietate in viatores q. d. Simile eſt beneficium conferre in ſtultum (quoad remunerationẽ intellige) illi quo proſequitur viatorem, quiſquis lapidem in aceruum iacit in ſignum & indicium B viæ. Beneficium enim eſt peregrinaturis deinceps; ſed eorũ nemo imputat datori, quia ignoratur: ita beneficium perdis, ſi beneficium das ſtulto & fatuo, neſcit namque ille referre. Hinc fluxit apud Chriſtianos, vt iuxta cruces in itineribus lapides videamus accumulatos. Nã primi Chriſtiani, quò prauum antiquum morem extirparent, crucẽ pro Mercurio ſubſtituere cœperunt, & lapides cum magna reuerentia mittere in memoriam Caluarij montis, deducentes ſuperſtitionem illius ſæculi corruptiſſimi in veram pietatem & religionem; ſicque idololatriam fugarunt omnem.

Indi verò & Mahumetani adhuc retinent ſuperſtitionem illam proijciẽdorum lapidum, vt patet ex verbis, quæ apud Vincentium Bellouacenſem citata comperit Ioſephus Scaliger, & ipſe refert li. 5. de Emendatione temporum. Verba ſunt: C *Indiæ gentium, quæ Zechiam & Albarathuma dicuntur, antiqua conſuetudo fuit, nudos & decalneatos, magniſq; vlulatibus perſonantes ſimulacra dæmonum circuire, angulos oſculari, & proijcere lapides in aceruũ, qui quaſi pro honore dijs extruebatur. Inde enim eſt quòd in libro Salomonis dicitur: Qui proijcit lapidem in aceruum Mercurij. Faciebant autem hoc bis in anno, ſole ſcilicet exiſtente in primo gradu Arietis, & rurſus cùm eſſet in primo gradu Libræ, hoc eſt initio veris & autumni. Hæc ergo conſuetudo cùm ab Indis ad Arabas deſcendiſſet, eamq; ſuo tempore apud Mecham in Veneris honorem Mahumeth celebrari reperiſſet; ſic illam manere præcepit, cùm tamen cætera idololatriæ veſtigia remouiſſet.*

Lapis mniſurim quid Affinis, ſi non idem, lapidi *Mercurij* eſt lapis Chaldæorum ſuperſtitioſus, dictus *mniſurim*, de quo ita Zoroaſtres: *Quando*, inquit, *conſpexeris dæmonem terreſtrem* (tibi reſponſum expetenti) *accedere, incantans ſacrifica lapidem mniſurim.* Vbi Pſell. in ſcholijs D rem aperit: *Dæmones, ait, circa terram volitantes natura ſua ſunt mendaces. Quòd ſi ex his verum aliquem ſermonem audire cupias, aram appara, & ſacrifica lapidem mniſurim. Habet enim hic lapis vim aduocandi maiorem dæmonem, qui occultâ ratione materiali genio applicatus, verum inquiſitarum veritatem inſuſurrat, quam ille porrò homini interroganti profert. Indicat enim nomen ipſum, quo in aduocatione vtendum eſt, vnà cum lapidis ſacrificatione.* hęc Pſellus. Cui ſimilia Nicephorus ad li. Sineſij de Inſomnijs. Fuit hæc vaniſſima ſuperſtitio, putantium non omnes dęmones æquè mendaces, ſed aliquos veraces. Deinde & illud erroneum, quoſdam eſſe materiales, materia tenebroſa plenos, vt loquitur. Hic ergo magicus fuit ritus Chaldæorum.

Hæc & plura de aceruo Mercurij eruditè collegit Laurentius Ramires in Pentacontarcho c. penult. Huc facit adagium: *Mercurius triceps*, dici ſolitum in ambiguos & ancipites. Mercurius enim Gentilibus erat deus index viæ, quare in triuio tria ei dabant capita, & cuique inſcribebant quonam quodlibet caput, & quælibet via, (quam caput indicabat) duceret. Extat de hoc aceruo Mercurij elegans epigramma apud Alciatum hoc emblemate: *Quà dij vocant eundum.*

In triuio mons eſt lapidum: ſupereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij eſt igitur facies, ſuſpende viator
Serta Deo rectum qui tibi monſtret iter.
Omnes in triuio ſumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

Mercurius interpres deorum, princeps orationis & ſermonis, viatorumque numen credebatur, vnde eius ſtatuæ in biuijs triuijſque conſtituebantur ad indicanda viarum diſcrimina: viatores itaque ſtatuis ſolebant lapidum aceruos accumulare: ſic enim Deum putabant honorari, eâ ſcilicet re quæ in promptu eſſet & obuia, vel quòd ita viam repurgare viderẽtur, vel quòd eo lapidum cumulo Dei effigies pretereuntibus eſſet notior. Vlpianus annotat in oration. Demoſthe. aduerſus Leptinem, Hermas, id eſt Mercurios, eiuſmodi fuiſſe quadrangulos, ſuperiore parte Mercurij figuram gerentes, inferiùs inſcriptiones viarum oſtendentes, qua de re Gyral. Syntag. 90. & Cęlius Rhodiginus l. 28. c. 12. Adagiographus prouer. de Mercurio dextro, & *Mercuriale*, & *bifrons Mercurius*. Hoc autem emblemate quaſi ænigmate monemur, ea tantùm ſequenda eſſe, ad quę Deus & natura nos reddit idoneos, cùm ſummę fatuitatis & dementię ſit aliquid inuitâ, quod aiunt, Mineruâ ſuſcipere & proſequi. Hinc dicebat Cato apud Ciceronem, naturam optimam ducem eſſe ſequendam, nihilque aliud fuiſſe gigantum more bellare cum dijs, niſi naturę repugnare. Vnde & D. Paulus adhortatur, eam vt ſortem retineamus, in qua nos eſſe Deus voluit. Sed quoniam mentis humanę tanta eſt cęcutientia & ignoratio, vt quâ viâ ſit eundum, planè ignoret; ſupplici oratione & ſubmiſſo animo recurrendum eſt ad eum, qui eſt via, veritas & vita, quem qui ſequitur, in tenebris nõ ambulat: continuoq; illud Dauidicum repetendum: *Oſtende mihi Domine viam, in qua ambulem.* Certè & Socrates apud Platonem pergendum eâ ſolùm eſſe viâ, quâ Deus nos ducit, aſſeuerat. Porrò Mythologi ſacri per Mercurium, olim deorum nuntium, vel ſacras Literas, quę nobis diuinam voluntatem aperiunt, intelligunt; vel Prophetas & Doctores aptè diuina oracula nuntiantes, ex quibus orthodoxam ſalutis æternæ viam excipere eſt neceſſe, ſerta autem ſuſpenſa, honorem & reuerentiam illis exhibendam eſſe declarant.

Hinc Paulus à Lycaonijs vocatus eſt Mercurius, quia ipſe erat dux verbi, Act. 14. 11. Mercurius enim fuit Iouis ex Maia filius, deorum nuntius, &, vt canit Orpheus, Iouis angelus, indeq; dictus Mercurius, quaſi medicurrius, quòd medius curreret inter Deum & homines. Plura de Mercurio dixi Actor. 14. 11.

Sed redeamus ad aceruum Mercurij, cuius hìc meminit Salomon. Appoſitè ſanè eum qui honorat ſtultum, comparat viatori qui mittit lapidem non quemlibet, ſed pretioſum in aceruum Mer-

curij. Nam pro *qui mittit lapidem* hebr. eſt, צְרוֹר אֶבֶן *tſeror eben*, id eſt *ligaculum lapidis*, hoc eſt lapis, qui ligari ſolet in pala annuli, quod nulli fit niſi pretioſus ſit & gemmeus; vnde Vatab. vertit, *vt eſt incluſio lapilli in aceruo lapidum, ſic qui dat ſtulto gloriam*, q. d. Vt lapillus in pala annuli incluſus decorus eſt, indecorè autē in aceruo aliorum lapidum, ac præſertim Mercurij, iacet: ſic honor decorè collocatur in ſapiente, indecorè in inſipiente.

Stultum ſimilis Mercurio.

Prima. Primò enim ſicut indecens & ridiculum eſt gemmis ornare lapidem aut lapideam ſtatuam Mercurij, ac ante eam procumbere, eamque adorare: ſic & indecens ac ridiculum eſt ſtultum ornare, honorare & adorare, cum ipſe ſit bardus inſtar ſtipitis aut ſaxi.

Secundò. Rurſum ſicut ſaxum aut ſaxea ſtatua non ſentit ornamenta & honores ſibi impenſos, nec impendentibus gratias refert: ſic nec ſtultus eos pro dignitate æſtimat, nec impendentibus gratus eſt.

Tertiò. Tertiò, ſicut Mercurius viuus, fuit inuentor & præſes artium ſapientiæ & eloquentiæ, ac proinde honore dignus: ſtatua verò Mercurij, vtpote lapidea & inanimis nec fari, nec ſapere poterat, ideoque cultu & honore erat indigna: ſic pariter ſapiens quaſi viuus Mercurius honorē meretur, inſipiens verò quaſi fictus pictuſque Mercurius, qui in ſapiendo & loquendo eſt infās, honoris eſt incapax. Hinc priſci olim ſtatuam Mercurij manibus pedibuſq; mancam truncamque efformabant, imo deformabant. atq; homines ſtupidos, bardos, inſulſos & inſipientes, ſaxeos ligneoſque Mercurios vocitabant: vnde illud Iuuenalis in quemdam ſtolidum, ſatyra 8.

At tu
Nil niſi Cecropides, truncoq; ſimillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis diſcrimine; quàm quòd
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.

Senſus ergo eſt q. d. Qui inſipientem honorat, perinde facit ac ſi ſtatuam ſaxeam Mercurij manibus pedibuſq; trunci colat & veneretur: inſipiens enim eſt quaſi ſaxeus Mercurius brachijs tibijſq; truncus, ad agendum loquendumque ineptus & impotens.

Myſticè, B. Petrus Damiani lib. 1. epiſt. 8. ad Alexandrum II. Roman. Pontif. hanc gnomen exponit de ijs qui lucro deditos promouent ad prælaturas: *Et certè qui talis eſt*, inquit, *quoniam pro amore pecuniæ ſuum violat ordinem, indignus eſt proculdubio vt Eccleſiaſticam obtineat dignitatem. Vnde & Salomon ait: Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem. Nam quia apud Gentiles Mercurius Deus lucelli ſiue pecuniæ dicebatur, Aceruus Mercurij cumulus atq; congeries eſt nummorum. Et quia nummo regula monetalis imprimitur, quid per nummorum deſignatur aceruum, niſi regulariū, ac veræ ſanctitatis imaginem præferentium concio clericorum? Quid verò per lapidem niſi duram ſtolidam & inſenſibilem illius mentem accipimus, qui dum Deum eſſe indubitata fide non credit, ſpem ſuā in terrena qualibet poſſeſſione conſtituit? de quo*

Pſalm. 13. *per Prophetam dicitur: Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Huic autem inſipienti honor tribuitur, cùm ad Eccleſiaſtici gradus apicem quiſpiam non Deo, ſed pecuniæ deditus promouetur.* Addit deinde appoſitè: *Sed ſicut nummorū diſſipatur aceruus ſi deſuper lapis immittitur: ita per indigni, ſiue lapidei, paſtoris acceſſum quaſi conſpatus ordo deſtruitur regulariter gradientium, & in charitate obedientium Clericorum, grauatur enim mali paſtoris vmbraculo, & tanquam nummorum cæleſtium cumulus tartarei lapidis mole deprimitur. Stulto igitur & inſipienti denegandus eſt honor Eccleſiaſticus, ne ſanctorum Clericorum, tanquam nummorum ſpiritualium, mergatur aceruus.*

Huc facit auctor Catenæ Græc. qui ex Sept. ſic legit, ſicq; explicat: *Qui ſtulto impertitur gloriam, ſimilis eſt illi qui ligat pretioſum lapidem in funda. Stulti enim de re augenda anxij, opibuſq; cogendis, & quæſtui faciendo toto animi ſenſu intenti, nulla honeſti aut decori habita ratione turpia quæque conſectantur.*

QVOMODO SI SPINA NASCATVR IN MANV TEMVLENTI: SIC PARABOLA IN ORE STVLTORVM] Chald. *ſpina aſcendit in manu ebrij, & ſtultitia in ore ſtulti.* Pro *naſcatur* hebr. eſt עָלָה *ala*, id eſt aſcendit, hoc eſt, germinat vel quomodolibet inuenitur, extat, & prodit. Aptè ſtultus comparatur ebrio, quia ſicut hic, ſic & ille rationis eſt impos, nec iudicio, ſed phantaſiâ & cupiditate agitur. Parabola verò & ſermo ſtulti comparatur ſpinæ, quia inſtar ſpinæ pungit, ſauciat & lædit. Igitur — Vers. 9.

Primò, Hebræi nonnulli ſic exponunt q. d. Sicut eſt aliquod ſpinarum genus, quod manu ebrij geſtatum eum facit ſobrium; ſic parabola in ore ſtulti, eum ex ſtulto ſapientem efficit. Hoc ſpinæ genus putāt eſſe ſpinam regiam, qua vina condiri ſolere docet Plin. l. 13. 24. quia ſcilicet vim refrigerandi habet, per quam vim vini inhibet & infringit. Rurſum ſicut ſpina pungens manum ebrij, eū excitat vt euigilet & crapulam excutiat, ſic ſententia grauis & pia in ore ſtulti, id eſt impij, eum compungit vt impietatem abdicet. ita Baynus.

Secundò, alij Hebr. חוֹחַ *choach*, id eſt ſpina, vertunt manicas & compedes, ad ligandum reos & captiuos: *Choach enim ſignificat ſpinā, tum è terra natam, tum artificialem ex ferro, qua quis perforatur ac captiuus conſtringitur & retinetur*, aiunt Lexicographi. q. d. Sicut manicæ & vincula obueniunt ebrijs (ob rixas, iniurias, pugnas & cædes, quas in ebrietate commiſerunt) quibus manus eorū pugnaces vinciantur: ſic eadem obueniunt manibus ſtultorum, qui ſunt ſimiles ebrijs ob ſtultitias, & ſtultas iniurias quas alijs inferunt. Vnde Septua. vertunt, *ſpinæ naſcuntur in manu temulenti, ſeruitus verò in manu imprudentium.* Serui enim vinciuntur manicis ne manibus abutantur. Ita S. Ambro. libr. 2. epiſt. 7. *Recidenda*, inquit, *inſipienti poteſtas, non adijcienda libertas eſt: ſeruitus enim ei conuenit, ideoq; adijcit Salomon: Spinæ naſcūtur in manu inebrioſi* (hoc eſt valdè ebrioſi) *ſeruitus autem in manu imprudentis, quia ſicut ille ſuis vulneratur poculis, ita inſipiens ſuis factis: ille bibendo ſe peccato inſerit, iſte operando ſe culpæ adiudicat, & factis ſuis trahitur in ſeruitutem.*

Vbi Nota. Hebr. מָשָׁל *maſcal*, ſignificat propriè dominium, inde ſententiam prædominātem, qualis eſt parabola. Septuag. acceperunt *maſcal*, pro dominio quod eſt in domino, huic enim reſpondet ſeruitus in ſeruo. q. d. Sicut ſpinoſæ compedes & manicæ naſcuntur, id eſt aptè congruunt manibus ebriorum, ita vt in eis natæ videantur (id enim eſt naſci in manu, per catachreſin:) ſic pariter ſeruitus aptè congruit ſtultis, vt domino alicui ſubijciantur, qui eos ſeruitute conſtringat, ne ſtulta libertate ſua, liberaque & indomita ſtultitia abutantur in ſuam & aliorum perniciem. Sic dominium accipitur paſſiuè, quod ſcilicet ſtultus pati cogitur. Poſſet quoq; dominium accipi actiuè. q. d. Sicut ebrius ſuis rixis & pugnis, velut ſpinis, omnes cōfigit & ſauciat: ſic ſeruus ſi dominio potiatur, poſſitque alijs imperare, ipſos durâ ſeruitute premit, ac velut ſeruos tyrannicè tractat, affligit & cruciat: horum

horum ergo dura ſeruitus eſt in manu & arbitrio imprudentium.

Tertiò, alij *maſcal*, id eſt parabolam, accipiunt pro probro & conuitio. q.d. Sicut ebrius ſuis conuitijs velut ſpinis quoſuis obuios impetit: ſic & ſtultus in quoſlibet iacit parabolas, id eſt ſcommata & probra, quorum aculeis velut ſpinis omnes pungit & perforat. Vnde Chald. vertit, *ſpina deſcēdit in manu ebrij, & ſtultitia in ore ſtulti.* Simili phraſi ait Chriſtus pſal. 68. 12. *Factus ſum illis in parabolam*, id eſt in probrum & ludibrium. Et ſic *parabola* pro probro accipitur Ierem. 24. 9. 2. Paral. 7. 20. Iſaiæ 14. 4. & alibi.

Parabola eſt ſtulto velut ſpina. *Prima.* Quartò, & genuinè, q.d. Parabola in ore ſtulti ſe habet ſicut ſpina in manu ebrij, ob multas analogias. Prima eſt, quòd, ſicut ſpina naſcitur, id eſt natura ſua congruit manui ebrij, vt ex ea naſci videatur, vtpote quæ ſpinoſa ſit, id eſt aculeata, malefica, pugnax & noxia: ſic & parabola ſpinoſa natura ſuâ congruit ſtulto, qui inſtar ericij ſpinoſus eſt, id eſt aculeatus, pungens & ſaucians.

Secundò. Secunda eſt, quia, ſicut ebrius per ebrietatem ſuam ita decipitur, vt cùm putat ſe vel florem vel fructum aliquem decerpturum in horto, aut commune aliquod lignum tractaturum, incidat inopinatò in ſpinam, a qua læditur: cum multorum irriſione, ita & nopinatum eſt, vt in ore ſtultorum inueniatur aliqua prudentia, &, cùm inuenitur, nocet eis magis quàm prodeſt, ac riſū potiùs prouocat in alijs quàm venerationem. ita vt dicatur de eis illud veteris prouerbij: *Num & Saul inter Prophetas?* 1. Reg. 19. 24. præſertim dum carpunt vitia aliorum, quibus ipſimet æquè vel magis obnoxij ſunt. Verè Seneca: *Multi cùm alijs maledicunt, ſibi ipſis conuitium faciunt.*

Tertiò. Tertia eſt: ſicut ebrius manu tractans ſpinas & ſentes, eas non ſentit, cùm tamen à ſentiendo dictę ſint ſentes, quod vel leuiter tactæ ſenſum lædant: ſic & ſtultus, id eſt impius, ex parabola, id eſt ſententia graui & pia, quæ compunctionem mouet: nō compungitur, imò eius ſenſa non percipit, nec ſentit, ſed in ſua ſtoliditate & improbitate velut hebes & obtuſus permanet.

Quartò. Quarta & potiſſima: ſicut ebrius ſpinis ſuis tum realibus, tum myſticis, putà litibus & rixis, omnes pungit, vulnerat & lædit: ſic pariter ſtultus, etſi quandoq; parabolas, id eſt ſententias graues, proferat, tamen eas aptè ad aliorum ædificationem proferre nequit, ſed eas detorquet ad auditores ſtolidè & petulanter obiurgandos, ridendos, vexandos, & probris iniurijſque afficiendos, aut vt eis ſuos errores & vitia perſuadeat. Id patet in indoctis hominibus qui ſacras Scripturas legentes, & alijs prędicantes, eas deprauant ad ſuam ipſorum & aliorum perditionem, vt ait S. Petrus epiſt. 3. c. 3. 16.

Porrò auctor Catenæ Gręcor. qui ſequens Septuag. ac pro *parabola* legens *ſeruitus*, ſic explicat, Temulentus aſſiduæ ignauiæ ſeſe dedit, neque quidquam vnquam quod homine dignum ſit, facere ex animo proponit, adeoque animæ ſuæ manus, fundumque eiuſdem vniuerſum prorſus ſpinoſa & inculta relinquit. Amens autem & excors non intelligit, quod, aut quomodo, vel quatenus operandum ſit: nam cùm proprij ſenſus dominus nō ſit, ſine ratione & delectu operatur, ſi quid eſt tamen quod operatur. hæc ille.

Myſticè, B. Petrus Damiani lib. 1. epiſt. 18. hanc gnomen applicat prædicatoribus malæ vitæ: *Quomodo ſi ſpina*, inquit, *naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorum. Spina quippe in manu temulenti naſcitur, cùm illi qui huius vitæ amore eſt ebrius, reprehēſionis in mente aculeus generatur. In ore itaq; ſtultorum parabola quaſi ſpina eſt, quia dum aliud loquuntur, aliud agunt; mens eorum in ſemetipſa aliquando redarguitur, & quodam quaſi ſpinæ pungentis aculeo perforatur. Velut ſpina certè malè viuentis, & bene dicentis conſcientia pungit, dum in eo quod extrinſecus loquitur, quodam pudoris aut formidinis ſtimulo intrinſecus ſauciatur.*

IVDICIVM DETERMINAT CAVSAS: ET QVI IMPONIT STVLTO SILENTIVM, IRAS MITIGAT.] Vers. 16.

Hebræa hîc toto cęlo videntur diſſentire: ſic enim habent, רַב מְחוֹלֵל כֹּל וְשֹׂכֵר כְּסִיל וְשֹׂכֵר עֹבְרִים *rab mecholel col, veſocher keſil. veſocher oberim*, id eſt, *magnus creat omnia, & mercedem dat ſtulto, & mercedem dat tranſgreſſoribus.*

Primò, cum Ianſen. q.d. Deus ſicut magnâ ſuâ potentiâ omnia creauit, ita eâdem omnia gubernat, ac proinde non ſolùm ſapientes, ſed & ſtultos & tranſgreſſores legis ſuæ, tanquam ſuos mercenarios paſcit: quod vocat *dare mercedem*, quia, ipſe alit eos, ac ſi deberet eis eſcam tanquam eorum dominus, quemadmodum quiſpiam tenetur dare mercedem ſuis mercenarijs. Aut loquitur de mercede quam impijs reddit, tanquam omnium dominus & creator, iuxta eorum merita, irrogando ſcilicet & eis qui per ſtultitiam peccant aut ignorantiam, & eis qui per malitiam voluntariè tranſgrediuntur, commerita ſupplicia, ſiue hîc, ſiue in futura vita. Dat cauſam & radicem iuſtitiæ iuſtęq; vindictæ Dei, q.d. Ideo Deus præmiat bonos, ac paſcit ſtultos & impios, quia ipſe eoſdē creauit ſuâ omnipotentiâ: vnde in eos plenum ius herile acquiſiuit, vt poſſit debeatq; eos regere, bonos præmiando, malos cruciando. Eiuſdem enim eſt opus formare, & formatum dirigere & gubernare.

Secundò, R. Leui, q.d. Magnus, id eſt princeps, qui in iurgijs diſſenſioneque verſatur, omnes dolore afficit (hoc enim propriè eſt *meholel*) affligit & perdit: idem verò ſtultos nefarioſque præmijs cumulat, vt eos ſibi ſceleris ſocios adiungit. Idem alias explicationes adiungit, æquè ac Aben Ezra, R. Moſes, R. Salomon R. Baynus, ſed peregrinas & longè petitas.

Tertiò, Tigurina vertit, *egregius aliquis ac magnus vir conficit per ſe omnia: ſtultus autem mercede conducit tranſgreſſores*: alius, *magiſter exactè facit omnia; at conducens mercede ſtultum, conducit etiam tranſitores*, vel *tranſgreſſores*.

Quartò, planiùs & commodiùs Vatabl. vertit, *princeps coërcet omnes, & dat præmiū ſtulto, & dat præmium tranſgreſſoribus, id eſt dat ſingulis quod meruerūt, quales princeps, tales & ſubditi. Trāſgreſſores vocat nebulones, negligentes, ignauos.* Vbi Nota. Princeps hebr. vocatur רב *rab* id eſt *magnus*, vel propriè *multus*, & multiplex; quia vnus ipſe eſt inſtar multorum: multorum enim, imò omnium ſubditorum curā gerere, ac negotia & commoda procurare debet: quare valdè magno & capaci ingenio, æquè ac animo ſit oportet, vt omnia veſtigare, noſſe, dirigere valeat. Talis fuit Vlyſſes quem proinde Homerus vocat πολύτροπον, id eſt multiformem, multiuarium, multiplicem, quia verſatili erat ingenio, atque nouerat ſe in varias formas, modos & figuras vertere, vt omnibus perſonis, locis & temporibus ſe accommodaret. Sic Carolus V. cum Italis erat Italus, cum Hiſpanis Hiſpanus, cum Belgis

Belga, cum Germanis Germanus.

Hinc rurſum princeps & dux hebr. vocatur אלוף *alluph*, id eſt millenarius, quòd nō vnus & ſimplex, ſed multiplex & quaſi millenus eſſe debeat. Vnde Plato in dialogo de regno: *Cuſtos ſapiens*, inquit, *& boni vniuerſalis ſtudioſus, vnus eſt pro multis.*

Verùm Noſter alijs punctis legit Hebræa, ideóque aliter vertit, nec id mirum cum idem fecerint Septuag. Chald. Syrus, Theodot & Symmach. qui Noſtro ſuffragantur. Igitur Noſter Primò, pro רב *rab*, id eſt, *magnus* legit ריב *rib*, id eſt iudicium. Secundò, מחולל *meholel*, propriè ſignificat parturire, formare, perficere, compingere. Vnde Noſter vertit, *iudicium formas*, id eſt determinat, & determinando ad formam veritatis iuſtitiæq; redigit omnia controuerſa, putà omnes cauſas & lites. Tertiò, pro שכר *ſocher*, id eſt mercede conducit, legit שבר *ſcober*, id eſt confringit. q.d. Confringit ſtultum, id eſt ſtulti dicteria, ac iras & rixas, quas ijs ipſe ſuſcitauit; quod idem eſt cum eo quod vertit Noſter, *qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.* Aut potiùs שכר *ſocher* per *ſin*, accipit pro *ſocher*, per *ſamech*: *ſin* enim & *ſamech* eiuſdem prorſus ſoni ſunt, ideoque inter ſe commutantur: *ſocher* autem per *ſamech* idem eſt quod *claudens & obturans*, ſcilicet os ſtulti, illíque ſilentium imponens. Quartò, pro *eberim*, id eſt tranſgreſſores, legit, עברות *abarot*, id eſt iras: aut certè ab *abarot*, id eſt *iras*, deriuans *oberim* vertit *iratos*, quorum iras mitigat is qui ſtulto ſilentium indicit. Sic quoque legit Symmachus, qui vertit, *qui cohibet imprudentem, obſtruit iras eius*; & Theodot. *frænans imprudentem, frænat iras.*

Senſus eſt q.d. Sicut iudex cauſas liteſque decidendo, imponit eis finem & ſilentium: ſic pariter ſapiens iras rixaſque, quas ſtultus ſuâ ſtultâ dicacitate ſuſcitat componit & mitigat, vel ex parte, vel ex toto, dum ſtulto os claudit indicitq; ſilentium, q.d. Sicut iudicium iudicis finem litibus, ſic ſilentium ſtulto à ſapiente indictum, finem iris & rixis imponit. Rurſum ſicut iudex determinat cauſam adiudicando eam iuſtè litiganti, & abiudicando eam ſilentium que imponendo iniuſtè litiganti: ſic pariter ſapiens mitigat tollitque rixas & iras, dum ſtulto iniuſtè & imprudenter eas ſuſcitanti obſiſtit, & ſilentium imperat. Hac enim ratione eos, qui à ſtulto iniuſtè videntur, vexantur, ideoq; iraſcuntur & litigant, defendit, eoſque innocentes declarat, quo fit, vt ipſi iras liteſque deponant, vtpote in cauſa victores. Innuit ergo hęc gnome, lites & iurgia pleraque oriri ex ſtultorum, id eſt impiorum improbitate & dicacitate; quare illi obſiſtendum, & ſilentium indicendum à iudice vel ſuperiore: quod ſi fiat, ilicò lites ceſſaturas, & pacē omnibus fore reddendam. Hinc *iudex*, inquit S. Iſidor. li. 18. Origin c. 15. *dictus quaſi ius dicens populo, ſiue quòd iure diſceptet. Iure autem diſceptare eſt iuſtè iudicare, non eſt autem iudex ſi non eſt in eo iuſtitia. Accuſator vocatus quaſi adcauſator, quia ad cauſam vocat eum quem appellat. Reus à re quæ petitur nūcupatus, quia quamuis ſceleris conſcius non ſit reus, tamen dicitur, quamdiu in iudicio pro re aliqua petitur.* Et paulò antè: *Iurgium dictum quaſi iuris garrium, eò quòd qui cauſam dicunt, iure diſceptent. Lis à contententione limitis nomē ſumpſit: de quo Virg. Limes erat poſitus, litem vt diſcerneret agri.* Et anteriùs: *Forum exercendarū litium locus, à fando dictum, quaſi farum à fari. Cauſa vocatur à caſu, quo euenit. Eſt enim materia & origo negotij, necdum diſcuſſione & examine patefacta, quæ dum proponitur, cauſa eſt; dum*

A *diſcutitur, iudicium eſt, dum finitur, iuſtitia. Vocatur autem iudicium, quaſi iuris dictio, & iuſtitia, quaſi iuris ſtatus.*

Septuag. vertunt, *multis procellis iactatur* (Complut. *multùm æſtuat* concupiſcen ijs & paſſionibus) *caro imprudentium: conteritur enim extaſis.* (Complut. *ſtupor*) *eorum*, vel vt auctor Catenæ Græc. *ſiquidem inſania mentiſq; alienatio conſumit illos.* q.d. Siquidē malitia mentis iudicium tollit: anima enim per malitiam incraſſata & impinguata, ſenſum ſibi iudiciumq; ſincerum eripit, vt velut extatica & mente mota ac extra ſe poſita, inſanire videatur: quare multùm fluctuat grauiterq; quaſſatur, dum in varias tricas, rixas, peccata & pericula imprudenter ex peruerſitate vltrò ſe ingerit & inijcit; ita auctor Catenæ Græcor.

B Aliter noſter Salazar, qui hanc gnomen, Septuag. accipit de ira, quæ ſumma eſt animi hominiſque tempeſtas, q.d. Quemadmodum nauis fluctuans in mari amiſſo gubernaculo, ad ſcopulum illiſa dehiſcit ac mergitur: ſic etiam homo iratus abiecto conſilio, ac mente emotus, ad damna pleraque & incommoda, tanquam in ſcopulos aut ſyrtes impingit. Itaq; illud *conuertitur ecſtaſis eorum*, perinde eſt ac ſi dicat, Ipſi præ ecſtaſi & ſtupore conteruntur.

Chald. vertit, *multùm dolet caro ſtulti, & ebrius tranſit mare*; Syrus. *multum patitur caro ſtulti.* Idem vtriuſque eſt ſenſus, quia Septuag. vterque ſequitur. q.d. Stultus multa patitur, quia inſtar ebrij nauigantis in mari, qui cum vndis & fluctibus impetitè contendit, ſe mari diſcordiarum, litium & tumultuum huius ſæculi inſerit & immergit, ac vbique cum quibuſlibet diſputat, contendit rixa-

C tur. Nam vt ait Nazianz. in citato Iambico de ira:

O ira, feruor, dæmonis domus horridi,
Manifeſta vultus macula, turbo mentium,
Crapula, & aſile, tartari ad lacus ferens,
Horrenda legio, multiplex labes mali.

Et S. Chryſoſt. hom. 29. ad Populum: *Ebrietas quædam eſt ira, imò verò diffiſilior ebrietate, & dæmone miſerabilior.* Idem homil. 47. in Ioan. *Inter iram & inſaniam nihil intereſt, ſed breuis quidam dæmon eſt, imò quàm qui dæmoni vexantur grauior: ille enim veniâ dignus eſt; iratus nullâ ſed ſupplicijs innumeris; ſponte ſua in profundum perditionis defertur, & etiam ante futuram gehennam pœnas dat.*

Idipſum claris parallelis demonſtrat Seneca lib. 1. de Ira: *Vt furentium, ait, certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus inquietæ manus, color verſus, crebra & vehemētius acta*

D *ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus in ore toto rubor, æſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimūtur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridēs, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugituſq; & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & complosæ ſæpiùs manus, pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnáſque iræ minas agens, fœda viſu & horrenda facies deprauantium ſe atque intumeſcentium.*

Quæres, vnde iſta varietas verſionum; quid cauſę vt ab Hebręo ita diſſonent Septuag. Chald. & Noſter? Reſpondetur: Cauſa eſt varietas codicum Hebręorum. Septuag. enim in ſuis codicibus Hebræis pro שכר *ſocher*, quod priori loco ponitur, pro כ legentes ei affinem ב, per metatheſin legerunt בשר *baſcar*, id eſt caro: poſteriori verò

loco

loco pro שֵׁכָר *ſecher* legerunt שְׁבַר *ſcabber*, id eſt conteritur, contringitur. Denique pro עֲבָרִים *oberim* legerunt עֶבְרָם *ebram*, id eſt tranſitus, hoc eſt extaſis eorum, vel עֶבְרָתָם *ebratam*, id eſt ira eorum: ira enim eſt quaſi animi extaſis, vt eum extra ſe rapiat, vt homo non in ſua ratione, ſed extra ſe in furore & furijs poſitus videatur. Pro *ἐκστάσεις*, vnus codex habet *ἐκτάσεις*, id eſt extenſio. Chaldæus veroſimiliter priori loco pro *ſocher* legit *baſar*, id eſt caro: poſteriore vero loco pro *ſocher* per *ſin* legit *ſchicker* per *ſchin*, id eſt ebrius; & pro עֲבָרִים *oberim*, per diæreſin alijs punctis legit עֹבֵר יָם *ober iam* id eſt tranſiens mare.

Quare non mirum Noſtrum quoque aliter legiſſe, vti ſuperiùs oſtendi. Hinc diſce quanta olim codicum Hebraicorum fuerit varietas, ac proinde potiùs fidendum & credendum Vulgatæ Latinæ, quæ in omnibus exemplaribus eadem eſt, ſibique conſtat, quamque probauit tota Eccleſia, & vnanimis duodecim ſæculorum conſenſus.

Vers. 11. SICVT CANIS QVI REVERTITVR AD VOMITVM, SIC IMPRVDENS, QVI ITERAT (Syrus, *contemnit*) STVLTITIAM SVAM] Septuag. *ſicut canis ad vomitum ſuum regreſſus fit exoſus & exetrabilis, ita ſtultus quoque qui per innatam malitiam ad ſuum redit peccatum.* Ita auctor Catenæ Græc. Aquila, & Symmach. *ſic demens iterans in ſtultitia ſua*, id eſt iterans ſtultitiam ſuam. Hoc enim ſignificat hic hebraiſmus.

Iterantis *ſtultitiam*, id eſt imprudentiam & peccatum, fœditas hic ſignificatur tripliciter: Primò, quòd comparetur cani, qui eſt animal vile immundum & impudens: Secundò, quòd comparetur vomitui ſiue cani vomenti, quem omnes abominantur: Tertiò, quòd comparetur cani vomitum reſorbenti, quo nihil eſt deteſtabilius. Citat hanc gnomen S. Petrus epiſt. 2. c. 2. v. vlt. vbi multis eam explicui.

Denique canis cùm ſtomachum cibo, vel potiùs vermibus oneratum ſentit, vomitum procurat, mandendo herbam, quæ à cane canaria dicitur, de qua Plinius li. 25. c. 8. *Inuenerunt*, inquit, *canes canariam, qua faſtidium deducunt, eamq́; in noſtro conſpectu mandunt, ſed ita vt nunquam intelligatur quæ ſit; etenim depaſta cernitur.* Redeunt verò ad vomitum reſorbendum non ex fame, ſed ex innata ingluuie & voracitate, quæ tanta eſt vt rem fœdiſſimam, qualis eſt vomitus, appetant. Sic peccator dum conſcientià compungitur, ſentitque peccati onus & pondus, illud per pœnitentiã euomit: quod ſi illud iam euomitum repetat, id facit non ex cupiditate, ſed ex malitia, vt vertunt Sept. id eſt ex deprauata peccãdi cõſuetudine, qua v. g. ebrioſus ſe inebriare aſſuetus ad ebrietatem rapitur, etiam ſine ſiti cùm cibo & potu plenus eſt, ex prauo bibendi vſu & habitu. Quocirca S. Bernard. ſer. 3. de Aſſumpt. *Reuerſus*, ait, *ad vomitũ canis odibilis erit multò plus quam antè, & fiet filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum in eaſdem denuo ſordes inciderit.*

Audi eum ſerm. 59. in Cantic. relapſis metum incutientem: *Timeas quidem*, inquit, *pro accepta gratia, ampliùs pro amiſſa, longè plus pro recuperata*, & appoſitas de primo ac ſecundo timore cauſas reddens, de tertio attexit: *Iam ſi gratia propitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne fortè contingat recidiuum pati, iuxta illud: Iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat. Audis recidere, quàm incidere eſſe deterius?* *Perinde inualeſcente periculo inualeſcat & metus.* Et S. Chryſoſt. ſer. de lapſu primi hominis tom. 1. *Noli*, inquit, *peccare poſt veniam; noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam.* Et ſtatim ſingulorum cauſas reddens: *Cogita*, inquit, *grauiorem culpam eſſe poſt veniam, renouatum vulnus peius dolere poſt curã, moleſtiùs hominem ſordidari poſt gratiam.* Et rurſum horum mutationum peruerſitatem expendens: *Indulgẽtiæ*, inquit, *ingratus eſt, qui poſt veniam peccat: ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſum poſtquam curatus eſt, vulnerat: nec mundari meretur, qui ſeipſum poſt gratiam ſordidat.* Ac tandem huius grauitatem relapſis demonſtrans: *Graue eſt*, inquit *hominem inſtructum delinquere, grauiùs abſolutum peccare. Seruo peior eſt, qui patronum poſt datam libertatem offendit.*

VIDISTI HOMINEM SAPIENTEM SIBI VIDERI? MAGIS ILLO SPEM HABEBIT INSIPIENS] id eſt indoctus & imperitus, qui ſe doceri patitur, imò cupit & optat. Vers. 12. Hic ergo *ſpem habebit*, vel in ſeipſo, vel certè in animis hominum, hoc eſt, homines magis de eo ſperabunt. Vnde ex Hebræo vertas, *ſpes eſt de ſtulto magis quàm de illo*; clarè Chald. *ſi videris virũ qui ſapiẽs eſt oculis ſuis, melior eſt illo ſtultus*; & Vatabl. *ſi videris hominem qui ſibi ſapere videtur, de ſtulto meliùs ſperandum quàm de illo*, quòd ſcilicet *ſtultitiam*, id eſt peccata, deponet, & *ſapientiam*, id eſt virtutem, diſcet per pœnitentiam & morum mutationem. *Sibi ſapiens peior ſtulto.*

Ratio prima eſt, ſuperbia & philautia, qua laborat is qui ſibi ſapiens videtur, vt putet ſe omnibus eſſe ſapientiorem & meliorem, ac proinde à nemine diſcere, ſed omnes docere velit. *Ratio & priori. Prima.* Secunda, quòd Deus talibus, vtpote ſuperbis & ſibi præfidentibus, neget ſuam gratiam & lumen, itaq́; illos in ſua perfidia relinquat, excæcet & obduret, quo fit vt ſint indociles & incurabiles. *Secunda.* Tales fuere philoſophi, de quibus Apoſtol. Rom. 1. *Dicentes*, ait, *ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Et Iſaias c. 5. 21. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Tertia, quod tales, qui ſibi videntur ſapientes, vt de ſua ſibi placeant ſapientia, alios præ ſe contemnentes, aut ſunt frequenter omnium penè rerum imperitiſſimi, putantes ſe intelligere quæ non intelligũt; aut, etiamſi pleraque bene ſciant, tamen agnoſcere nolunt ſe pleraque neſcire, quæ ab alijs diſcere debeant: *Tertia.* quare nulla ſpes eſt vt aliquando ſapientes fiant: ſed *inſipiens magis illo ſpem habebit*, hoc eſt, magis ſperandum eſt de inſipientis alicuius, qui talis vulgò habetur, ſalute & ſapiẽtia adipiſcenda, quàm de illius. ita Ianſe. Tales fuere olim Scribæ & Pharisæi, qui putantes ſe ſummos eſſe legis & veritatis doctores, Chriſtum verum doctorem reſpuerunt: itaque in ſua cæcitate ſe obdurauerunt, æquè ac iã ſe in iudaiſmo obdurant eorum ſequaces Iudæi omnes. Tales quoq́; ſunt hæretici, præſertim hæreſiarchæ, & magiſtri ac Miniſtri, qui ſuperbiã tumidi putant ſe ſapientiſſimos, nec quidquam diſcere, ſed omnes docere volunt. Præclarè Quintil. lib. 1. *Nihil*, inquit, *peius eſt ijs, qui paulum vltra primas litteras progreſſi falſam ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nã & credere præcipiendi peritis indignantur, & velut iure quodã poteſtatis, quo ferè hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi, atque interim ſæuientes ſtultitiam ſuam perdocent. Nec minùs error eorum nocet moribus.* Tritum eſt illud: *Qui ſibi ſapit, ſummè deſipit.*

Porrò *ſapiens* & *inſipiens* hic notant prudentem & imprudentem, & conſequenter probum & improbum.

Vnde Secundò, hanc gnomen ſic exponas q.d. Magis ſperandū eſt de improbo qui ſuam improbitatem agnoſcit, quòd ad frugē ſe recipiet, quàm de probo, qui in ſua probitate gloriatur, quòd in ea ſit perſeueraturus. Exemplum eſt in Phariſæo venditante ſuam iuſtitiam, & Publicano agnoſcente ſuas culpas, quorum proinde vices ſortesque commutans Chriſtus ait: *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo*, id eſt præ illo: *in domum ſuam*, Lucæ 18.

Accedit, quòd qui ſibi ſapientes videntur, facilè à dæmone decipiuntur & perduntur; at qui ſuam inſipientiam agnoſcit, ducem & doctorem quærit, ideoque ſecurè incedit facileq; ſaluatur. Nota eſt Heronis hiſtoria apud Caſſia. collat. 2. c. 5. Is enim proptereà quòd in remiſſione ieiunij & ſilentij nunquam maiorum conſilijs & mandatis acquieuit, permiſſus eſt à dæmone miſerabiliter decipi. *Exempla.* Perſuaſit enim illi, vt in profundiſſimum puteum ſe conijceret, quo experimento probaret tāta eſſe merita ſua, vt nequaquam iam poſſet alicui diſcrimini ſubiacere. Paruit miſer conſilio hoſtis maligniſſimi, qui monitis amicorum & præceptis maiorum obedire noluerat, & ingenti caſu præcipitatus, in eâdem opinione, quòd angelo lucis credidiſſet, poſt tertiam diem miſerè vitam finiuit.

Similes Anachoretarum ſibi præfidentium lapſus recenſet ibidem Caſſian. cap. ſeq. Palladius in Lauſiaca cap. 31. narrat, Valentem Anachoretam ſibi ſapientem, putantemq; ſecum angelos verſari, Sacramentorum communionem contempſiſſe, & dæmonem ſaluatoris ſpecie ſibi apparentem adoraſſe. Idem c. 105. narrat Abrahamum à dæmone illuſum, credidiſſe ſe à Deo ordinatum eſſe ſacerdotem. Plures tales Sanctorum ſibi ſapientium caſus lugubres in Vitis Patrum.

Tertiò, S. Chryſoſt. homil. 39. ad Popul. hanc gnomen ſic exponit, q.d. Qui ſibi videtur ſapiens id eſt qui ſuperbus eſt, peior eſt fatuo. Quare ſuperbia eſt ſumma fatuitas: *Magnū*, inquit, *eſt elatio is malum: ſtultum eſſe melius eſt quàm inſolentem. Illic enim ſtultitia tantùm eſt mentiſq; tarditas: hic autē ſtultitia peior eſt & fatuitas cum furore. Stultus ſibimetipſi malū eſt, elatus & alijs peſtis: ex amentia hoc vitium naſcitur. Non poteſt eſſe ſuperbus qui fatuus non ſit: ſtultitia verò plenus eſt ſuperbus. Audi quemdam ſapiētem qui dicit: Vidi hominē apparentem eſſe prudentem apud ſeipſum, ſpem autem habet magis inſipiens eo. Vides, quòd non temerè dicebam eſſe malum fatuitate peius? ſpem enim, inquit, habet magis inſipiens eo. Proptereà Paulus quoq; dicebat: Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos*, Rom. 12.

Septuag. huic gnomæ annectunt, imò præmittunt hanc: *Eſt confuſio adducēs peccatum, & eſt confuſio gloria & gratia*, id eſt adducens gloriam & gratiā. Verùm eam delent Hebr. Latina, Chald. quin & Septuag. Complut. quare huc tranſlata videtur ex Eccleſiaſt. cap. 4. 25. vbi eam explicui.

Vers. 13. DICIT PIGER: LEO EST IN VIA, ET LEÆNA IN ITINERIBVS] id eſt in vijs & plateis, vt vertit Chal. quare ne me leo inuadat, domi me continebo, & otioſus pigerque deſidebo. Significat hæc gnome pigri inertiam qua vult domi deſidere, nec egredi ad opera & labores ſibi ſuiſque neceſſarios, prætexendo caluas excuſationes, putà terrores & pericula quæ non ſunt.

Pro *leo* hebr. eſt שָׁחַל *ſcachal*, quod Noſter & Septuag. transferunt, *leo*; Pagnin. & Vatabl. *pardus*. Sic enim ijdē vertunt Oseę 5. 14. alij *aſpis*; ſic enim reddunt ijdem & Noſter pſal. 90. 13. Septua. ergo ſic vertunt, *dixit piger miſſus ad viā, Leo eſt in vijs, & in plateis ſicarij*, qui homines prædaſque diſcerpunt inſtar leonum (inde enim leo hebr. vocatur אֲרִי *ari* ab אָרָה *ara*, id eſt diſcerpſit) Syrus, *dicit piger quando mittitur*, &c.

Hæc gnome hic iteratur: audiuimus enim eam c. 22. 13. vbi eam expl[ic]ui. A verſ. 1. huc vſque egit Salomon de ſtultitia & imprudētia, nunc gnomas nonnullas ſubiungit de pigritia vſque ad v. 17.

Myſticè, Hugo per *leonem* accipit diabolum, per *leænam* carnis delicias, quæ deſides & pigros à capeſſenda ardua & laborioſa virtutis via abſterrent.

Deniq; pigris & ſceleratis leo eſt leo, at ſedulis & Sanctis leo eſt canis: eis enim ſeruit & obſequitur ceu canis ſuo hero. Vt alia taceam, Ioānes Moſchus in Prato ſpirit. c. 181. narrat leonem Ioannī Anachoretę inter duas arctas ſepes occurrentem, illi iter aperuiſſe, & ſepes dorſo amouiſſe donec Ioannes tranſiret. ita leo iuſto iter ſine impedimento præbuit: poſt cuius tranſitum & ipſe de ſepe exurgens peregit iter ſuum.

Vers. 14. SICVT OSTIVM VERTITVR IN CARDINE SVO, ITA PIGER IN LECTVLO SVO] Hebr. *ſuper lectum ſuum*; Syrus & Vatab. *ſicut fores voluantur in cardine ſuo; ſic volutatur piger in lectulo ſuo*. Igitur Primò, analogiam oſtij in cardine, & pigri in lecto, ſic explicat Aben Ezra: Oſtium, inquit, aſſiduè in cardine voluitur tum cùm clauditur, tum cùm aperitur. Non diſſimili ratione piger in lectulo modò in hoc, modò in alium latus volutatur, nec ad ea comparanda conſurgit, quibus vitam ſuſtentet, ideoque deinde ſubditur: *Abſcondit piger manum ſub aſcella ſua.* *Piger in lecto voluitur ut oſtium in cardine. Primo.*

Secundò. Secundò, idem aliam analogiam aſſignat: Cardo, inquit, vertitur eò quòd patefactæ ſint fores, vt quiſque ad opus ſuum progrediatur, ſed tamen deſes adhuc in lecto deliciatur.

Tertiò. Tertiò, R. Leui hanc affert: Quemadmodum inquit, oſtium ſemper in cardine ſuo voluitur, nec vnquam ab eo auellitur: ita iners nimius eſt ſomni amator, cùm inertia ſomnum conciliet.

Quartò. Quartam dat Hugo: Sicut, inquit, oſtium dum mouetur in cardine, ſtridet: ſic piger dum à ſua deſidia extrahitur, ſtridet, id eſt murmurat, ſtrepit & clamat, iuxta illud Virgil. 1. Æneid.

Foribus cardo ſtridebat ahenis. Et lib. 6.
Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ.

Quocirca S. Ephrem Parænesi 22. *Piger*, ait, *aſſiduè obmurmurat, & ſeipſum deplorat*. Idem lib. de Virtut. & vitijs, *Pigritia*, ait, *murmurationi coniunctiſſima eſt: ſi quò enim piger mittatur, dicit, Leo eſt in via, in medio platearum occidendus ſum. Pigro ſemper excuſationes in promptu ſunt; ſi quod ei opus agēdum iniungitur, obmurmurat, & alios mox etiam peruertit, dicens: Et quorſum hoc? Cur iſtud vel illud? non expedit, inquiens, iſtud fieri. Si aliquò mittatur: Dānum, inquit, ex illo itinere proueniet. Si ad pſalmos decantandos excitetur, iraſcitur: ſi ad vigilias, ſtomachi vel capitis ſibi dolores pertexit: ſi illum admoneas: Teipſum, inquit, admone, de me erit ſicut Deo placuerit.*

Quintò. Quinta eſt, ſicut oſtium totum pendet à cardine, in eaque fixum firmumque hæret, & eſto voluatur; tamen ſemper cardini ſuo inſiſtit: ſic piger totus pendet à lecto deſidiæ ſuæ, in eoque fixus hæret, vt licèt in eo voluatur, mutetque ſua otia, & otioſas cogitationes, ſermocinationes & actiones; tamen eidem ſemper inſiſtat, nec vllius monitis aut

minis

minis ab eo ſe extrahi patiatur. Cardo enim & ſumma vitæ & voluptatis pigri, eſt otium, torpor & deſidia, in qua omne ſuum bonum & felicitatem collocat, vnde vltra eam ſe duci trahiue non ſluit. Hinc cardo dicitur quaſi cor oſtij, quo ſcilicet illud mouetur, ait Seruius. Hinc & de Ioue ait Seneca in Hippolyto.

Celerique polos cardine verſat.

Sic & cor pigri eſt ipſa pigritia: hic eſt cardo eius, hic polus, circa quem gyrantur omnia eius deſideria.

Sexto. Sextam dat Ianſen. quòd, ſicut oſtium in cardine hæret, ſed non quieſcit, quia crebrò voluitur, aperitur & clauditur: ſic piger ita deditus eſt otio, vt ne otium quidem otioſè & quietè ferre poſſit, ſed in eo inquietus volutatur: nam etiam cùm non dormit, nec lecto ei amplius opus eſt, vertitur in lectulo ſuo nunc in hoc, nunc in illud latus, adfixus pertinaciter lecto, ſed in eo inquietus, qui quieti tātùm & ſomno deſtinatus eſt. Pulchrè ergo pigritiei abſurditatem depingit, ſignificando pigrū etiam quiete vti inquietè; & nec tunc quietem relinquere poſſe cùm incipit eſſe moleſta.

Septimo. Septimam dat noſter Salazar: Sicut oſtium, inquit, in cardine viciſſim clauditur & aperitur: ſic etiam piger per vices quaſdam vult & non vult, iuxta illud c.13.v.4. *Vult & non vult piger*, id eſt, nūc laborē affectat, nunc detrectat. Hos pigri hominis contrarios valdè motus eruditè deſcripſit S. Auguſtin. ſerm. 22. de Verbis Apoſtoli, vbi pigritiam cum auaritia in viro inerte confligentem inducit. *Habes cum auaritia alterum onus pigritiæ, & iſta duo nequiſſima onera ſecum pugnantia premunt te, & dilaniāt te. Non enim paria imperant, non ſimilia iubent. Pigritia dicit, Dormi; auaritia dicit, Surge; pigritia dicit, Noli pati frigidos dies; auaritia dicit, Tolera in mari etiam tempeſtates: illa dicit, Quieſce; illa non ſinit quieſcere.*

Piger ergo nunc proponit è lecto ſurgere, & ad opus regredi, nunc ſeſe retrahit & lecto includit ceu cuniculus in ſuo antro, & pullus in ſuo nido, dum frigus vel quid aliud parum moleſtum ſentit. Vnde hęc ſententia ad literam, vt ſonat, veriſſima eſt in pigris, hieme in lucem multam in lecto ſtertentibus.

Denique ſicut oſtium in cardine mouetur, at non promouetur: ita pigri multa mouent, at nil promouent, nihil proficiunt, ne hilum in virtute progrediuntur, de quibus proinde Dauid, *In circuitu*, inquit, *impij ambulant*, pſalm. 11.9. tanquam beſtiæ in piſtrino quæ incedunt ſemper, procedunt nunquam: ita hi planè ſuam ſibi voluntatem, velut quoddam ſuarum actionum centrum quodammodo prefigunt: circa hoc centrum circumferuntur alia atque aliā obiecta amplexantes, nunquam tamen à ſua voluntate recedentes, & cùm ſemper in via ambulent, nunquam tamen ad patriam, quæ eſt vię terminus, appropinquant, de quibus conſule D. Bernard. tractatu de Diligendo Deo poſt med. & in ſuis Declamationibus item poſt med. & ſerm. 12. in pſalm. *Qui habitat*.

Myſticè hanc gnomen accipe de lecto prauæ conſuetudinis & vitiorum, in quibus quidam cum voluptate quieſcunt, volutantes ſeſe de vno vitio in aliud, & nunc quidem proponentes vitia relinquere, nunc verò in eadem relabentes, præ pigritia virtutis viam & labores arripere recuſantes.

Vers. 15. ABSCONDIT PIGER MANVM SVB ASCELLA SVA, (Septuag. & Syrus, *in ſinu ſuo*) ET LABORAT SI AD OS SVVM EAM CONVERTERIT] Pro *laborat* Symmach. vertit, *obtorpuit*. Eſt hyperbole, q.d. Adeò piger eſt deſes, vt videatur laborare & fatigari cùm manum ori admouet, vt illi famenti cibum ingerat. Rurſum eſt gradatio. Tres enim gradus deſidiæ affert. Primus eſt, v.13. *Dicit piger, Leo eſt in via.* Secundus maior eſt v.14. quòd voluatur in lecto ſicut oſtium in cardine. Tertius & ſummus eſt, quòd manum ſub aſcella condat, & laboret vt eā ori admoueat. Hunc verſum audiuimus c.19.24. vbi eum explicui. Nec mirum eūdem verſum hic ſubinde repeti: cauſa enim eſt, vel quòd à diuerſis collectę ſint hæ ſententiæ, vti præſentes à c.25. vſque ad finem libri collectæ ſunt à viris Ezechiæ, precedentes verò ab alijs: vel quia eadem ſententia varijs conuenit locis, varioque fine & ſcopo affertur, vti hic affertur ad gradationem iam dictam.

Myſticè Beda, *Pigro*, inquit, *labor eſt ad os manum ſuam porrigere, quia deſidioſus quiſque prædicator non vult hoc operari quod docet: manum quippe ad os porrigere, eſt voci ſuæ prædicationis opera concordare.*

Vers. 16. SAPIENTIOR SIBI PIGER VIDETVR SEPTEM VIRIS LOQVENTIBVS SENTENTIAS] Hebr. *ſapientior piger in oculis ſuis quàm ſeptem referentes iudicium exactum*; Chald. *quàm ſeptem reddentes rationem*; Septuag. paulò aliter, *ſapientior ſibi piger videtur eo, qui in ſaturitate refert nuntium*, Syrus, *ignauus qui ſibi ſapiens videtur, melior eſt ſeptem rationem reddentibus.*

Pro *ſententias* hebr. eſt טעם *taam*, id eſt guſtū, ſapor, indeque per metaphoram conſilium, iudicium, ratio, ſententia; hic enim eſt guſtus & ſapor animæ & mentis, item ſententiæ pulchræ, facetię, lepores, ſales: hi enim ſunt guſtus & ſapor aurium & auditorum, ſicut cibus ſale conditus ſaporē dat linguæ & palato. *Septem*, id eſt multis, imò omnibus: ſeptenarius enim eſt ſymbolum multitudinis & vniuerſitatis. Rurſum præciſè ſeptem, ſcilicet conſiliarijs regijs, regnique adminiſtratoribus. Alludit enim, vt rectè aduertit Aben Ezra, ad ſeptem conſiliarios regum olim celebres. Quia enim Deus in curia cæleſti habet ſeptem angelos primarios quaſi aſſeſſores, per quos velut ſummos cęli principes res omnes regit & adminiſtrat, vt patet Tob. 12.15. Zachar. 4.10. Apoc. 1.4. Hinc reges idē imitati ſunt in curia terreſtri, vt ſeptem diligerent viros, imò principes, ſapientiā præſtantes, quorum conſilio & operā vterentur in adminiſtrando regno. Tales ſeptem habuiſſe Aſſuerum regē Perſarum, patet Eſther 1.14. Plura de his ſeptem viris, tum cæleſtibus, tum terreſtribus dixi Apoc. 1.4.

Senſus ergo eſt q.d. Piger ſibi videtur eſſe ſapientiſſimus, adeoq; ſapientior ſeptem conſiliarijs regum, qui olim in toto regno ſapientiſſimi habebantur, eò quòd ipſi regnum adminiſtrarent: & tamen piger eſt ſtultiſſimus: componendo enim opponitur hic ſeptem ſummè ſapientibus, quibus nulli niſi ſummè ſtulti opponuntur. Piger enim ſuā inertiā perdet opes, ſanitatem, famam, vitam, conſcientiam, quę omnia lucratur, illiſque ſe ditat & beat vir laborioſus: hic ergo ſapiens eſt, ille ſtultus. Vnde S. Aug. ſer. 70. de Temp. *Videte*, ait, *fratres, attendite quàm feruenti animo hoſpites debeatis excipere. Ecce ipſe Abraham currit, uxor feſtinat, puer accelerat. Nullus eſt piger in domo ſapientis.* *Piger putat ſe ſapientiſſimum.*

Ratio à priori. Prima. Ratio à priori huius ſentētiæ eſt, quòd piger, vt dixi, ſummum bonum & felicitatem putet eſſe otium, quietem & deſidiam, quod cùm ſperni videat à ſapientibus, vtpote laborantibus & deſudanti-

dantibus in ſtudio ſapientiæ, & operatione virtu- A tum, hinc cenſet eſſe miſeros & inſipientes, ſeque omnibus eſſe ſapientiorē, &, vt Syrus vertit, *meliorem*, id eſt meliùs ſe habere, meliorem ſortem elegiſſe, ac eſſe feliciorem & beatiorem ceteris, præſertim principibus & conſiliarijs regum, qui mille ſubeunt labores, curas & dolores pro ſalute regis & regni, vt conſilia, modos & rationes inueniant & ineant, quibus vtrumq; tueantur, quod ipſe in quiete, otio, & deſidia vitam tranſigat.

Secunda. Secunda, quod pigri ſunt loquaces & garruli; cùm enim manu ſint otioſi, lingua negotiantur, eamq; exercent; quare ſibi eloquentes, facundi & ſapientes videntur, ceteriſque ſapientibus qui pauciloqui & tardiloqui ſunt, eſſe ſapientiores. Vnde aliqui pro *ſententias* vertūt, *facetias*, vel *lepores*: in his enim excellunt otioſi & nugoſi: nam vt ait S. Bernar. *Otioſa vita mater eſt nugarum, nouerca virtutum.* B

Tertia. Tertia, quòd pigri & otioſi ſint curioſi & dicaces. Cùm enim nihil agant; curioſè intuentur facta aliorum, eaque cenſurant, carpunt, rident: quare ſe quaſi cenſores omnium conſtituunt, itaque ſe ceteris plus ſapere arbitrantur: cenſor enim plus alijs quos cenſurat, ſapiat oportet. Hoc eſt quod ait Apoſt. 2. Theſſal. c. 3. 11. *Audiuimus*, inquit, *inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes*, id eſt, vt explicat Maxim. ſer. 46. *nihil operis ipſi facientes, ſed in aliena opera curioſè inquirentes.* Nā vt ait ibidem Theophyl. *Eorum qui nihil agunt, proprium eſt alienas ſciſcitari vitas.*

Porrò Septuag. vertunt, *ſapientior ſibi piger videtur eo, qui in ſaturitate refert nuntium*, quia pro שִׁבְעָה *ſceba* per *ſcin*, id eſt *ſeptem*, legerunt שָׂבְעָה *ſebua* per *ſin*, id eſt *ſaturitas*, ac טַעַם *taam* vertunt *nuntium*: hic enim noua afferens, ſaporem dat audientibus. q. d. C Mauult piger iners deſidere & famere, quàm alijs ſeruiendo & nuntia perferendo epulari & ſaturari, ſaltare & tripudiare. Græcum enim ἀγγελία & nuntium, & temulentorum ſaltationem tripudiumque ſignificat.

Verſ. 17. SICVT QVI APPREHENDIT AVRIBVS CANEM, SIC QVI TRANSIT IMPATIENS, ET COMMISCETVR RIXÆ ALTERIVS] A v. 13. huc vſque egit de deſidia & pigritia, nunc vſque ad finem capitis agit de impatientia, ira, odio, dolo & fraude. Hebr. *apprehendens aures canis: ſic tranſiens & ſe ingerens: trāſeundo ſuper litem non ſuam*; Pagnin. *ſic eſt qui tranſit, & iraſcitur in lite non ſua*; Chald. *ſic ille qui contendit in cauſa quæ non eſt ſua*: Septua. *ſicut qui tenet caudam canis, ſic ille qui præſidet alieno iurgio.*

D Omnes hæ verſiones in eumdem ſenſum conſpirant, & Vulgatam illuſtrant. Septua. pro *auribus* ponunt caudam, quia cauda in canibus valdè ſenſibilis eſt, neq; illa etiam cùm blandiuntur, ſe tangi aut teneri patiuntur. Cauda enim cani eſt inſtar alarū & remorum, ad omnem motum & ad omnem affectum ſignificandum, irati enim canes erigunt caudam, timidi demittunt, blandientes agitant, &c.

Non vetat ne quis interponat ſe rixæ, vt eam dirimat, & rixantes ſeparet. Hoc enim ſi prudēter fiat, exigit charitas in æqualibus, & iuſtitia in ſuperioribus: horum enim eſt lites & rixas ſedare, ac innocentes contra inuadentes defendere, vti Moſes defendit Hebræum iniquè inuaſum ab Ægyptio rixante, eum occidēdo, quia iam à Deo deſtinatus erat dux, imò liberator Hebræorum à tyrannide Ægyptiorum, vti docet S. Stephanus Actor. 7. 25.

A Vetat ergo ne quis temerè ex ira & impatientia ſe rixæ aliorum miſceat, vt ipſe cum rixantibus rixari incipiat, vel ſtudio rixandi, vti ſunt nonnulli rixoſi & pugnaces, qui quibuſlibet rixis & pugnis ſe miſcent, imò eas ambiunt & quærunt: vel quia fauet vni parti, eamque tueri vult, vel quia ſperat lucrum aut commodum aliquod, vel ex zelo indiſcreto, vel qualibet alia de cauſa: hoc enim propriè eſt commiſceri rixæ alterius, ſcilicet cum rixante rixari, & hoc ſignificat vox *impatiens*, & Hebr. מִתְעַבֵּר *mitabber*, id eſt *ira exardeſcens*, excandeſcens: Radix enim עָבַר *abar*, ſignificat tranſire: ſicut enim qui tranſit per ignem, corpore exardeſcit; ſic qui tranſit per iram, mente exardeſcit & excandeſcit. Hic ergo ſi rixæ ſe miſceat, eam magis accendit, eamq; in ſe prouocat & concitat: Nam vt ait Nazian. apud Anton. in Meliſſa p. 2. c. 71. *Solent* B *magno ſpiritu prædíti* (quales ſunt iracundi & rixoſi) *contumaciter præfractéq; reſiſtere, & ſicut flamma à vento excitata tanto magis accendi, quanto magis ſufflatur.* Et S. Chryſoſt. homil. de manſuetudine tom. 5. *Vir iracundus*, ait, *communis eſt hoſtis & ciuium & peregrinorum, quamuis leuiſſimè læſus, clamat, vociferatur, plagas occurrentibus intentat, dicenda & non dicenda loquitur, aſpectu toruo, inflata facie, lingua rabida*, &c. Hæc ſanè omnia canina ſunt.

Miſcens ſe rixæ tenet canem aur[ibus]. Primò. Hunc ergo Salomon aptè comparat ei qui auribus canem apprehendit: nam, vt rectè Ianſen. canis eſt animal maximè iritabile, nec aliâ re magis iritatur, quàm ſi auribus apprehendatur, parte ſcilicet minimè tractabili in canibus, quod qui faciunt, temerè contra ſe canem prouocant ad oblatrādum, inſurgendum & mordendum, cùm id facilè vitare poſſent, canem intactum relinquendo: C ita qui alijs inter ſe contendentibus ſe immiſcet in cauſa ad ſe non pertinente, dum vel vni parti ſtudet fauere, vel vtramque vult reprehendere, animos iam per contentionem iritatos & accenſos, vel alterum ipſorum facilè contra ſe adeò prouocat, vt iam vel ambo, vel alter, cum ipſo contendere incipiat, & in ipſum inſurgat, nonnumquam & lædat, cum tranſeundo, & cauſam eorum intactā relinquendo, omne incommodum effugere facilè poſſet. Monet ergo prouerbium, nō facilè quemquam ingerere ſeipſum debere aliorum cauſæ, ne temerè prouocet aliorum in ſe inimicitias & odia.

Secundò. Secundò, hæc comparatio notat rem eſſe ancipitem, & planè perplexam, miſcere ſe rixę alterius: ſicut qui tenet auribus canem, perplexus eſt, & neſcit quò ſe vertat: ſi enim tenere pergat, magis ca- D nem iritat, vt is impatiēs vel aures excutiat, vel caput retorquens tenētis ſe manum, vel, ſi id nequit, genua, coxas, vel pedes admordeat; ſin canem laxet, periculum eſt ne canis ab eo iritatus iniuriam ſuam vlciſcatur, ac auctorem eius inuadat & laceret. Sic pariter qui rixę ſe miſcere cœpit, perplexus eſt, & neſcit quid agat, ſi enim rixam proſequatur, facilè in ea lædet & lędetur: ſin ceſſet, ab alijs rixantibus, quos contra ſe inuitauit, inuadetur & ferietur. Hoc eſt quod vulgò dicitur: *Lupum tenet auribus, neque eum retinere, neque dimittere poteſt.* Quod Suetonius Tiberio Imp. adſcribit: *Cunctandi cauſa*, inquit, *erat metus vndique imminentium diſcriminum, vt ſæpè lupū ſe tenere auribus diceret.* Lepus enim quia prælongas habet aures, ijs commodè teneri poteſt; at lupus, quia aures habet prę corpore breuiores, teneri ijs nequit; neq; rurſum citra ſummum periculum è manibus dimitti bellua tam mordax: ſimi-

ſim-

lis eſt canis, pari modo miſcenti ſe rixæ, eam nec relinquere integrum eſt, nec proſequi tutum.

Tertiò. Tertiò, hæc comparatio notat in rixa periculum eſſe multiplex à caſu & verbere fortuito: ſicut enim canis morſus ſæpè eſt inopinatus & fortuitus: Vnde Belgæ de eo qui caſu incerto auctore læſus eſt, dicunt, *Canis eum momordit*: ſic pariter qui rixæ miſcetur, non tantùm ab inimico, ſed & ab amico aliiſque qui rixam ſedare volunt, ſæpè ictu fortuito vulneratur; & ſubinde occiditur: ſi enim vni rixantium faueat, alterum contra ſe concitat; ſi neutri, vtrumque; ſi vtrique, vtriuſque caſualibus ictibus ſe feriendum exponit. Vis eſt in *Tū rixa alterius*. Sicut canis proprius patitur quandoque ab hero ſe auribus teneri, & alienus non: ſic qui rixatur cum alio, nō patitur ſe ab alieno, cum quo nec amicitiam, nec quid aliud commune habet, teneri, vel in rixa impediri.

Quartò. Quartò, canes, quia impatientes, & quia aures habent delicatas, acriter dolent, ſi iis teneantur & premantur, præſertim dum rixantur: tunc enim rixa aures facit rigidas, quæ ſi comprimantur acriùs, dolent: ſic pariter rixantes ſunt tactus ſenſuſque acuti & delicati, vt leui verbere vel verbulo tacti, etiam ab amico qui rixam dirimere merè ſatagit, acriter doleant, & in auctorem inſurgant, eumque præcipites confodiant.

Quintò. Denique cenſent aliqui, hac gnome moneri, ne quis rixantes in ipſo rixæ feruore admoneat & corripiat, vtpote ſui impotes & admonitionis incapaces, ſed expectet dum æſtus iræ deferueat, vt ſibi mentique reddatur. Verùm nulla hic admonitionis vel correptionis fit mentio: aliud enim eſt impatientem ſe rixæ miſcere, quod ait Salomon; aliud imprudenter & intempeſtiuè rixantes corripere, quod aiunt ipſi.

Rurſum Beda & Hugo cenſent eum qui ſe miſcet rixæ alterius, comparari non tenenti canē, ſed ipſi cani qui auribus tenetur, q.d. Qui miſcet ſe rixæ alterius, eſt inſtar canis cuius aures vellicantur: ſic enim & ipſe auribus à rixantibus vellicatur, dū ab iis multa conuitia & probra auribus excipere cogitur, ideoque quaſi canis viciſſim eos allatrat & mordet.

Verùm ceteri aptiùs cenſent eum qui miſcet ſe rixæ comparari non cani detento, ſed homini canem auribus detinenti, iuxta ſenſum initio aſſignatum, ob cauſas quas adiunxit, & hoc verba ſonant, *Sicut qui apprehendit canem*, *ſic qui*, &c. nam tenens canem eſt quaſi tenens rixam; huius enim idea eſt canis.

Moral. de cauenda rixa. Salomoni ſuccinunt priſci ſapientes, philoſophi & poetæ. Eum imprimis de more ſecutus Siracides c.28.10. *Abſtine te*, inquit, *à lite, & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem: ſecundum enim ligna ſyluæ, ſic ignis exardeſcit: & ſecundum virtutem hominis, ſic iracundia illius erit.* vide ibi dicta. Iſocrates apud

Gnome. Anton. in Meliſſa p.2.c.68. *Praua ingenia*, ait, *ſolent eſſe contentioſa, vt non priùs faciant finem pugnæ & contentionis, quàm lethalem acceperint plagam, & ſupplicio memorabili afficiantur.* Demoſthenes à quodam cōuitiis laceſſitus: *Nolim*, ait, *tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo qui vincitur, ipſo victore eſt melior.* ita Stobæus ſer. 19. de patientia. Euripides in Proteſilao: *Altero*, inquit, *duorum colloquentium indignante, is qui ſe non opponit, plus ſapit.* Idē in Andromache: *A paruo initio lites magnas hominis lingua producit. Hoc verò ſapientes cauent, ne quid contentionis exiſtat.*

A Plautus in Perſa: *Stultitia eſt cui benè eſſe licet, eum prævertit litibus.* Comicus: *Migrat lis omnis vt migrat pecunia. Ne quære lite, fuge litem ſi potes. Non eſt ſuus qui litigat, ſed iudicis*, imò ſecum litigātis. *Vt canes rixari? tenue os inter ipſos abiice.* Nazianz. in carm. *de rebus ſuis*, docet eos qui ſe admiſcent litibus, aut noxam aut infamiam contrahere,

Vt qui ſe flammæ propiùs iunxere vapori,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore ſigna.

Iſidor. Peluſ. li.1. epiſt. 36.1. *Quid*, ait, *gigātes aduerſus teipſum armas? quid rabie percitos canes, quorum peſtiferi morſus ſunt, exaſperas? Quid maledicas linguas exacuis? quid tuam ipſius exiſtimationem commaculas cum illis te conferens, quibus nec vt mācipiis quiſquam mente præditus vti velit?* Cicero: *Perditiſſimi* inquit, *hominis eſt ſimul & amicitiam diſſoluere, & fallere eum qui læſus non eſſet, niſi credidiſſet.*

B Sicvt noxivs est, qvi mittit sagittas, et lanceas in mortem: ita vir qvi fravdvlenter nocet amico svo, et cvm fverit deprehensvs, dicit: Lvdens feci] Symmach. pro *qui fraudulenter nocet*, vertit, *vir fraudum*; S. Hieron. contra Ruffin. *qui inſidiatur amicis ſuis, cùm viſus fuerit, dicit, Ludens feci.* Vers. 18. Vers. 19.

Lanceas in mortem, id eſt lanceas mortiferas. *Lancea* eſt ſpiculum venabuli vel iaculi, ait Budæus: vnde hebr. eſt חץ *chets*, id eſt iaculum, ſagitta: lancea ergo eſt teli genus longiſſimum, ita dicta à latitudine ferri, vel potiùs à Græco λόγχη, id eſt lancea, haſta, ait Feſtus; vel vt Iſidorus, *Lancea dicta, quia æqua lance, id eſt æquabili amento ponderata vibratur.* *Lancea etymon.*

C Pro *noxius eſt* hebr. eſt מתלהלה *mitlahlah*, quod varii variè vertunt. Pagnin. appoſitè, *abſcondit ſe*; Tigur. *fatigat ſe*; Vatabl. *ſimulat ſe infirmum & debilem*; Noſter, *laborare & dolere facit*, id eſt *noxius eſt*. Radix enim להה *laha* ſignificat laborare, dolere, affligi; Septuag. *curat* vel *curatur*; Chald. *deiicit ſe*; Syrus, *faſtuoſus eſt*; Aben Ezra, *ſimulat ſe inſanum*; R. Leui, *ſicut*, inquit, *quiſpiam ſe labore feſſum, viriumq. expertem ad malum præſtandum præ ſe fert, qui cùm poſtea locum accommodatum inuenerit, ſcintillas igneas emittit, ſagittas & mortem iacit.*

Pro *ſagittas* hebr. eſt זקים *zickim*, quod R. Salomon, Aben Ezra. R. Leui & Pagnin. vertunt, *ſcintillas ignis*; Noſter vertit, *flāmas*, Iſaiæ 50.11. alii vertunt, *laqueos & compedes*; Chal. *ſagittas*. Igitur *zickim* ſignificat ſagittas ardentes, vel bolides & miſſilia ignita, qualia ab hoſtibus in vrbes vel naues iaciuntur, vt eas inflamment & comburant.

D Ex Hebræo ergo ſic vertas ad verbum, *ſicut abſcondit ſe iaciens ſcintillas, ſagittas, & mortem; ſic vir qui fraudauit ſocium ſuum, & dicit: Nonne ridens ego.* Tigurina, *vt qui ſe fatigat iaciendo flammas, tela lethalia*, &c. Chald. *ſicut ille qui deiiciens ſe mittit ſagittas acutas mortis, ſic ille qui fraudulenter decipit amicum ſuum, & dicit: Ludens ludebam*; Syrus, *ſicut faſtuoſi proiiciunt verba velut ſagittas acutas mortiferas.* Verſionem mox ſubtexam.

Senſus ergo eſt q.d. Sicut valdè nocet qui occultè ſagittas ignitas & lanceas mortiferas iaculatur in eos, qui nil tale timent aut ſuſpicantur: ſic pariter magis nocet, qui fraudulēter & latenter lædit amicum, quàm qui palàm & apertè, idq; Primò, quia ſicut cominus gladio te impugnantem, gladio & clypeo repellere potes; eminus verò te ſagittis impetentem repellere nequis: pari modo palàm te inuadentem deuitare potes, at non eum qui fraudulenter *Nocentior hoſtis occultus quàm opertus.*

dulenter te inopinantem, imò ignorantem inua- A dit. Secundò, ſicut hoſtis iaciens tela ignita in vrbem poſt meniana, pluteos & aggeres ſe abſcondens occultè graſſatur & perimit: ſic & qui fraudulenter lædit amicum, occultè & grauiſſimè eum ſauciat, vt eum agnoſcere, declinare & effugere nequeat. Quis enim læſionem ab amico timeat vel caueat? lædit ergo ineuitabiliter, qui inimicitiam occulit, & amicitiam ſimulat; quòd ſi læſio eiuſque auctor appareat vel deprehendatur, ita vt ſe celare vel excuſare nequeat dicit, *ludens feci*, iocari mihi fuit animus, non lędere; intentionem lædendi non habui, ſed improuisò & caſu lęſio præter mentem meam accidit.

Docet ergo hæc gnome multò minùs nocere apertos inimicos, qui apertè; quàm tectos & ſimulatione amicitiæ tectos, qui occultè nocent, ideoque eos velut peſtes eſſe indagandos & deuitan- B dos. Tales ſępè ſunt in aulis principum, imò ſubinde principum familiares & conſiliarij intimi, ſed nomine tenus, cùm reuera ſint hoſtes perfidi, & proditores nocentiſſimi, vtpote qui vix deprehendi & caueri queant.

Gnoma. Præclarè S. Baſil. apud Anton. in Meliſſa p. 2. c. 86. *Occulta malitia*, ait, *perniciosior eſt quàm aperta*. Et Philo *Quibus vires deſunt tyrannicæ naturæ homines, rem aſtu & inſidijs moliuntur*. Plinius li. 18. c. 17. *Orobanche*, ait, *cicer infeſta eſt & eruo, vt æra tritico, hordeo feſtuca quæ vocatur ægilops, lenti ſecuridaca: atque hæc quidem omnes complexu necant*: ita quorumdam amicitia peſtilens magis eſt, quàm inimicitia. Xenophon. lib. 5. Pędię Cyri, *Neque*, ait, *beneficium maius amicis præſtiteris in bello, quàm ſi inimicus ipſorum eſſe videaris; vel magis hoſtibus vllo pacto nocueris, quàm ſi amicitiā ipſorum ſimules*. Seneca li. de Prouidentia: *Nullæ*, ait, *ſunt occultiores inſidiæ, quàm hæ quæ latent in* C *ſimulatione officij: nam eum qui palàm eſt aduerſarius facile vitare poſſis; & Troianos equus ideo feſellit, quia formam miſericordiæ mentitus eſt*. Et Boëtius li. de Conſolatione: *Nulla peſtis eſt efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus*. Demonax apud Antonium in Meliſſa: *Pauciora*, ait, *mala contingunt hominibus ab inimicis, quàm ab amicis: inimicos enim cùm metuant, ab eis cauent: amicis verò aperti ſunt; vnde periculis exponuntur, & inſidijs ipſorum facilè capiuntur*. ita Anton. p. 2. c. 25.

Porrò Septuag pro *noxius eſt*, vertunt, *ἰώμενοι*, quod cùm ſit coniugationis mediæ, tam actiuè verti poteſt *curant*, quàm paſſiuè *curantur*. Actiuè clarè ſic vertit cum Complut. auctor Catenæ Grę-cor. *Qui ſpecioſis dictis inſidias amicis ſtruunt, haud abſimiles ſunt circulatoribus medicis. Nam vt hi glorioſa verba inter homines iactant, interim qui in ſermonē illorum* D *primus incurrit, ſupplantatur: ita illi callida oratione amicos circumueniunt, vbi autem in fraude deprehenſi fuerint, Ioco feci, dicunt*. Paſſiuè ſic vertunt Vaticani, *ſunt qui curantur, proijciunt verba in homines; qui autem occurrit verbo primus, ſupplantabitur; ſic omnes qui inſidiantur ſuis amicis; cùm autem viſi fuerint, dicunt: Quia ludens feci*.

Eſt ſimilitudo petita ab ægris phreneticis, qui in medicos ſe curantes ſtomachantur, & primò obuios verbis, ac ſubinde verberibus impetunt; q. d. Sicut phrenetici probra & maledicta in medicos iacientes, excuſantur per phrenesin: ſic fraudulenti nocentes alijs excuſant ſe, quòd præter intentionem per errorem id fecerint. Sin autem in re aperta id prætendere nequeant, dicunt ſę non A ſeriò, ſed ioco id feciſſe.

Denique Scholiaſt. Vatican. *ἰώμενοι* vertit, *inſanientes*. Nonnulli codices legunt *πειρώμενοι*, id eſt *Laceſſentes*, quod Scholiaſtes tribuit Symmacho, ſicut Aquilæ *κακοηθιζόμενοι*, id eſt *malè morati*.

Exemplum illuſtre huius ſententiæ eſt in Tryphone. qui vt ſe regem faceret Syriæ, Antiochum regem adoleſcentem ſuæ curæ fideique commiſſum perfidè & nequiter occidit, æquè ac Ionatham Iudę Machabęi fratrē cum filijs, 1. Machab. 12. 39.

CVM DEFECERINT LIGNA, EXTINGVETVR IGNIS: ET SVSVRRONE SVBTRACTO IVRGIA CONQVIESCENT.] Vers. 20. Hebr. *& in non ſuſurrone ſilebit contentio*. Pro *ſuſurrone* hebr. eſt נִרְגָּן *nirgan*, id eſt ſuſurro, delator, detractor, calumniator.

Senſus eſt clarus q. d. Sicut ligna fouent ignem, vt quo plus lignorū aggeritur, eo magis ignis creſcat & inardeſcat, lignis verò deficientibus deficiat B & emoriatur, vtpote carens fomento & pabulo: ſic pariter ſuſurrones fouēt lites, vt quo magis illi ſuſurrant & increſcunt, eo magis increſcant lites & iurgia; ijs verò deficientibus ceſſent & conquieſcant. *Suſurro* enim eſt, qui diſcordias inter amicos ſeminat, dum vni apud alterum viciſſim detrahit, eius dicta & facta referendo, & ſiniſtrè interpretādo ac exaggerando, imò ex ſe multa addendo & affingendo. Ipſe ergo eſt fomentum & flabellum odiorum & iurgiorum: eo verò amoto vtraque ſubſidunt & ceſſant. Quocirca Deus ſanxit Leuit. 19. 16. dicēs: *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo*. Et Dauid pſal. 100. 5. *Detrahētem*, inquit, *ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar*. Quin & Titus Imp. ſuſurrones & delatores cæſos flagellis ac fuſtibus in exilium deportari iuſſit.

Septuag. vertunt, *in multis lignis germinat* (id eſt C exurgit & creſcit inſtar germinis ſenſim pullulātis & proſerpentis; auctor Catenæ Græcor. *feruet*) *ignis; vbi autem non eſt diſſentiens, quieſcit rixa*. Pro *diſſentiens*, græcè eſt *δίθυμος*, id eſt bianimis, diſcors, non tantùm paſſiuè, ſed & actiuè, qui ſcilicet ſuis ſuſurris & criminationibus animos vnitos, ſeparat, & quaſi in duas partes diſſecat; itaque ſchiſma facit, ac lites & bella concitat: *δίθυμος* ergo eſt ſuſurro: hic enim Hebr. vocatur *nirgan*. Quare idem eſt ſenſus Septua. qui lectionis Hebraicę & Vulgatę. q. d. Sicut multa ligna excitant magnum ignem, ſic multi *δίθυμοι*, id eſt ſuſurrones, ſuſcitant multas lites. Vice verſa, ſicut detractis vel deficiētibus lignis deficit ignis; ſic deficiente *διθύμῳ*, id eſt ſuſurrone, ceſſant lites. Aliud ergo eſt *δίθυμος*, id eſt bianimis, diſcors; aliud *δίδυμος*, id eſt geminus, duplex, dubius, qui hebr. vocatur תְּאוֹם *teom*, vnde dictus eſt Thomas Apoſtolus, vtpote de fide reſurre- D ctionis Chriſti hæſitans & dubius. Ioan. 20. v. 24. Idē igitur eſt hebr. Thomas, quòd græcè *δίδυμος*. Latinè geminus, ait Angelus Caninius de Nomin. Hebr. noui teſtam.

δίθυμος & δίδυμος quid.

Ruſſus *δίθυμος* eſt diſſentiens: qui enim diſſentit ab altero, alterum & ſecundum ab eo habet animum, id eſt alterum iudicium, & conſequenter alterum & cōtrarium affectum, qui eſt cauſa diſſenſionis & litiū; quare eſto vnus laboret ira & odio; ſi tamen alter ab eo nō diſſentiat, ſed ei per omnia quoad licet conſentiat & obſecundet, ilicò prioris contra eum ira & odium ſubſidet & conquieſcit, omniſq; rixa ceſſabit. Et hoc ſignificant Septuag. dicentes: *Vbi non eſt δίθυμος, quieſcit rixa*. Quocirca Apoſtolus identidem monet fideles vt ſint *μονόθυμοι*,

μοι,id eſt, vt idem dicant & ſapiant, itaque pacem & concordiam colant,vt patet Rom.15.Philip.3. 2.Corinth.13.

Pro ἄθυμοσ alij legunt,ὀξύθυμοσ, id eſt,acuti animi,id eſt iracundus,præceps, rixoſus; vnde legunt,*vbi non eſt ὀξύθυμοσ,id eſt iracundus,cerebroſus, quieſcit rixa.* Ira enim eſt quæ ſuſcitat rixas: vnde quidam codex habet, *vbi autem eſt θυμὸς, id eſt ira & furor, non ceſſabit pugna.* De ſuſurrone plura dixi Eccli.5.16.& c.28.25.& ſequ.

Vers.21. Sicvt carbones ad prvnas, et ligna ad ignem, sic homo iracvndvs svscitat rixas] Hebr.*carbo ad prunas, & ligna ad ignem, & vir contentionum ad ſuccendendam litem;* Septuag.*craticula carbonibus, & ligna igni, vir autem maledicus ad tumultum rixæ.* ita Vatican. Complut. verò,*vir autem conuiciator ad turbationem rixæ;* Aquila, *vir autem ſuſurro;* Symmach.*vir doloſus;* Theodot.*vir murmurator.*

Senſus eſt clarus,q.d. Sicut carbones valent,imò nati factique ſunt ad prunas ardentes augendas & acuendas; ac ſicuti ligna valent ad augendum ignem:ſic ira & homo iracundus valet,imò natus factuſque videtur,ad excitandas rixas. Duo ſunt fomites rixę; prior eſt exterior, putà ſuſurro, hunc ſuſtulit v.præc.alter eſt interior,putà ira,quam hîc aufert.q.d. Aufer exterius flabellum rixæ,putà ſuſurronem; aufer & interius iritamentum,putà irã, atque omnem rixam ſuſtuleris: ira enim excitat iratum ad rixandum: rixa autem vnius prouocat rixam partis aduerſæ. Patet ex dictis v.præced. & c.15.18 vbi eãdem gnomen penè in terminis audiuimus. Heb.eſt *vir contentionum,* id eſt vir pronus ad contendendum,qualis eſt iracundus: ira enim ſuſcitat contentionem, contentio rixam, rixa pugnam,verbera & cædes. Sept. ἐσχάρα, id eſt focus Vatic.*craticula* tegens & continens focum)*carbonibus,& ligna igni,vir autem maledicus ad turbationẽ* vel *tumultum rixæ;* Aquila & Theodot.*ad ſuccendendam litẽ.* Pro *maledicus* grecè eſt λοίδορος,id eſt *conuiciator;* Aquila, *ſuſurro;* Symmach.*doloſus*, ἐσχάρα quoq; ſignificat *aram*,idque hîc eſt appoſitum; q.d.Sicut in ara ardet ignis,quo victimę Deo cremantur,ſic in ira ardet rixa,qua homines Marti,imò diabolo, mactantur & ſacrificantur.Ergo ira eſt ara diaboli,in qua ignis eſt rixa,ſacrificans iracundus,victimæ ſunt hominum cædes. Auctor Catenæ Græc. *Focus,inquit,deſtinatur carbonibus,& ligna igni:vir autē conuiciator valet ad concitandas turbas & ſeditiones.*

Rurſum ſicut carbones non tantùm accendunt, ſed & fuligine ſuâ fuſcant & denigrant:& ſicut ligna accenſa ſi reſtinguantur fumigant,ac carbones velut vſtionis notas retinent;vnde & torres vocãtur:ſic pariter pręter noxas acceptas in rixa,remanet nota infamiæ, præſertim ex probris & conuicijs à rixante in te iactis, quæ in multa tempora perdurat,& ſubinde eſt indelebilis.

Tertiò, Vatab.vertit,*carbo prunam & ligna ignem, contentioſus rixam incendit.* q. d. Ex carbone facilè fiunt prunę,carbo facilè in prunas vertitur,& ligna in ignem; ſic contentio ilicò tranſit in rixam.

Vers.22. Verba svsvrronis qvasi simplicia, et ipsa pervenivnt ad interiora ventris] Hanc gnomen audiuimus ca.18.8.vbi eam explicui. Aquila vertit,*verba ſuſurronis decipientia;* Symmach. *verba murmuratorum obiter dicta;* Theodot. *verba aſtuti quaſi ſimplicia;* Septuag. *ſermones aſſentatorum ſunt molles,penetrantq; vſque ad intimos viſcerũ*

A receſſus. Pro *aſſentatorum* græcè eſt κερκώπων,id eſt *caudatorum*,hoc eſt,cauda blandientium. Audi auctorem Catenæ Græc. Vox κερκώπων,id eſt aſtutorum,caudaue blandientium, ſumpta eſt à vulpibus;hæ namq; non aliâ arte ſimpliciores aues venari & capere ſolent,quàm vnâ hac:etenim caudâ oculis obtenſis fingunt ſe dormire, & interdum quoque verè dormiunt, eoque ſomni figmento ſimpliciora & infirmiora animantia alliciunt, temereque accedentia vel aduolantia intercipiunt.

Deniq; Syrus vertit,*verba iracundi perturbant,& ipſa pertingunt ad interiora cordis.* Pro *quaſi ſimplicia* heb.eſt כמתלהמים *kemithlahamim*,de quo R. Salomon. Vox hæc,inquit,idem eſt ac כמתלהמים *kemithlahamim*, id eſt ſuſurronis verba ſunt tanquam bellum gerentia. Rabbini verò hanc eidem interpretationem adhibuerunt,inquiuntque idem

B eſſe ac כמו לחם *chemoth lahem*,id eſt *verba delatoris ſunt tanquam mors illis.* Aben Ezra cenſet *kemitlahamim* per metatheſin poſitũ pro *kemithallamim*, id eſt ſicut percutientia vel malleantia הלם *halam* enim eſt tundere, percutere;& הלמות *halmuth* eſt malleus: vnde vertit, *verba ſuſurronis ſunt tanquam plagæ & vulnera.* Deniq; R.Leui: Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia,id eſt,inquit,quaſi interrupta:illud enim ſępiùs vſurpant,Haud tibi cuncta recẽſebo, haud totam rei ſeriem tibi expono; quæ quidem vehementem faciunt impreſſionem in auditoris animo, vt is ſibi perſuadeat quæ ab altero ſilentio prætermiſſa ſunt,longè grauiora eſſe ijs quæ narrata fuerint. hæc R.Leui.

Qvomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tvmentia cvm pessimo corde sociata] Vers.23.

C Hebr. *argentum ſcoriarum obductum ſuper teſtam, labia ardentia & cor malum.* Pro *tumentibus labijs* hebr.eſt דלקים *dolekim*,Symmach.vertit,*labia inflammantia;* Aquila & Theodot.*labia ardentia;* Pagni. *ſuccendentia lites;* Clarius,*labia blandientia;* Chald. *ſicut argentum ſaculentum,quo opertum eſt vas fictile, ſic labia incenſa cùm corde peſſimo.*

Quare minùs rectè Caiet.argentum hîc accipit id, quod in vaſe fictili per ignem ſcoria expurgatur.q.d.Sicut in vaſe fictili per ignem ſcoria ab argento dignoſcitur & ſeparatur: ſic in labijs prauis & malitia ardentibus proditur & dignoſcitur interna cordis malitia & prauitas. Minùs rectè, inquam quia Hebręi & interpretes omnes accipiunt hîc argentum non teſtæ incluſum, ſed teſtam tegens.

D Primò,ergo Ianſe.putat hac gnome ſignificari congruentiam labiorum tumentium cum corde peſſimo,q.d.Dignum patella operculum,vt vulgò dicitur,eſt os malum cordis mali, æquè ac ſcoria argenti vaſi fictili ſuperinducta. Prauum enim os congruit apteque reſpondet prauo cordi, & ſcoria congruum eſt tectorium teſtæ.

Secundò, Vatabl. cenſet eorumdem vilitatem notari. q.d. Sicut ſcoria argenti res vilis eſt, quia vili teſtæ obducitur: ſic vile eſt os prauum quod cordi prauo ſociatur & obducitur.

Tertiò, noſter Salazar cenſet notari eorumdem imbecillitatem & fragilitatem,q.d. Vir hypocrita, qui cor nequam ſubdolis verbis,& falſa probitatis oſtentatione contegit, ſimilis eſt fictili vaſi ſcorijs argenteis imbuto,quod exteriùs candorẽ argenti mentitur,intus verò teſtam lutumque decolorem includit: quod fortaſſe etiam argenti minimè lentam

tam firmitatem præ ſe fert, ſed re vera fragile eſt. Non aliter vir hypocrita & ſimilator, ſimplicitatem & animi candorem verbis, & reliqua conuerſatione oſtentat, dolos verò peruerſaſque affectiones deintus celat; æqui boniq; tenax foris apparet; ſed fragilis, & ad omnem malitiam labilis ac deciduus eſt.

Quartò, & maximè genuinè, hæc gnome ſignificat artes & fraudes quibus doloſi ſimulant & tegunt internam cordis malitiam, id eſt iram, odium & nocendi ſtudium, per verba amica & blanda, quibus amorem & ſtudium benè faciendi præ ſe ferunt. Vnde per *labia tumentia* intellige cum Clario adulantia & blandientia, aut potiùs doloſa & ficta, quæ ſcilicet interiùs in corde tument, &, vt hebr. eſt *ardent* ira, odio, malignitate; exterius verò in ore tument ſimulatione & ſimulato amore: ſed ita vt intermicent ſubinde, itaq; oſtendant interni odij ſigna: ignis enim odij in corde latens ſe celare nequit, quin aliquando in bullas & ſcintillas verborum, æſtuumque iracundorum & minacium erumpat. Hoc ergo comparat argento ſordido tegenti vas teſtaceum, hebr. *argento ſcoriarum*. Quod Aben Ezra interpretatur argento defæcato à ſcorijs & puro. Verùm alij paſſim accipiunt argentũ ſcoria mixtum, ideoque ſordidum: vel per hypallagen ipſam ſcoriam argenti, putà ramēta plumbi, ſtanni aut ſtibij, hæc enim tria mixta ſunt argento, cùm illud impurum è ſuis fodinis eruitur, ſuntque argenti ſcoria & fæx, vti docent rei metallicæ periti, ac nominatim Georgius Agricola lib. 9. & Plinius l. 34. Hoc autem ſtannum & ſtibium, ita cum argento erutum, ideoque impurum, adhiberi ſolet ad imbuenda vaſa teſtacea, ac præſertim eorum orificium, vt os illi admouens nõ teſtæ & luto, ſed ſtanno vel argento os admouere videatur. Talia vaſa in vſu eſſe etiamnum crebrò videmus. Hiſce ergo comparat *labia tumentia*, id eſt doloſa, manãtia ex corde peſſimo. Igitur hac comparatione ſignificatur dolus, quo ſua dicta contegunt inimici fraudulenti, præſertim ſuſurrones, vt decipiant, ſimulq; ipſa doli detectio, q.d. Sicut figuli ſubinde vaſi teſtaceo ſuperinducunt limbum vel cruſtam è ſcoria argenti, vt ſpecioſum appareat, ac eminùs videatur eſſe argenteum, non teſtaceum: ſic pariter fraudulentus teſtã, id eſt odium corde gerens, ſuperinducit illi quaſi limbum & cruſtam ſermones ſpecioſos, quibus amicitiam, imò ardēs deſiderium iuuandi alterum præ ſe fert, vt eum in fraudē & perniciem inducat: at ſicut, ſi cominus limbum argenteum teſtæ inductum intuearis, videbis non eſſe argentum, ſed ſcoriam & fæces argenti: ſic pariter ſi propiùs intuearis verba modoſq; loquendi, & geſtus fraudulenti, deprehendes eius fraudem, ac verba eius ſpecioſa eſſe ficta & doloſa, atq; ſub eis tegi teſtam odij & maleuolentiæ.

Rurſum ſicut limbus hic argenteus tenuis ſenſim vſu defricatur & deteritur, vt appareat nuditas teſtæ: ſic ſenſim fraudulentus in longiori colloquio, vel crebriore cõuerſatione, deterit ſuam verborum ſpeciem, ac interſerit agitque nonnulla, è quibus eius teſta, id eſt odium & maleuolentia, detegatur & denudetur: difficile enim eſt diu animũ tegere, nec prodere vultu, quin erumpat, ſeque pandat & oſtendat. Porrò cor maleuoli quod nil niſi terrena cogitat, rectè comparatur vaſi fictili, id eſt fragili, quod tum ab homine facilè conteritur, tum à Deo: iuxta illud, *Tanquam vas figuli confringes*

A *eos*, pſal. 2. 9. ita R. Salomon. Aben Ezra & R. Leui, Iſidorus Clarius & alij.

Hunc genuinum huius ſententiæ eſſe ſenſum patet. Primò, quia omnes hi verſus à v. 18. vſq; ad vltimum, ſpectant ad doloſos & ſuſurrones, eorũque fraudem & latens odium deſcribunt. Secundò, quia v. ſequ. (vbi eſt apodoſis, id eſt redditio & expoſitio huius ſententiæ) ita explicatur, dum ait: *Labijs ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos.* Tertiò, idem liquet ex Septuag. qui vertunt, *argentum datum cum dolo tanquam teſta reputatum: labia leuigata* (aliqui vertunt *doloſa*) *occultant cor triſte*, id eſt iratum & malignum, vti vertunt nõnulli. Sic *triſtis* pro irato ſumitur Eccli. 22. 27. vt ibidem pluribus oſtēdi: *Ad amicum*, inquit, *ſi aperueris os triſte*, id eſt, ſi locutus fueris moroſè & iracundè, *non timeas: eſt enim concordatio.* Senſus eſt q.d. Sicut ar-
B gentum cum dolo, id eſt doloſum, putà adulterinum, cùm ſcilicet datur ſcoria argenti pro argēto, primâ ſpecie fallit: putatur enim eſſe argentũ, cùm ſit ſcoria: at vbi propiùs inſpicitur, apparet id quod eſt, ſcilicet ſcoria, ac tum vileſcit inſtar teſtæ: ſic pariter *labia leuigata*, id eſt blanda & ſubdola aſſentatorum, *occultant cor triſte*, id eſt inimicum & malignum; at vbi inimicitiam & malignitatem celare nõ poſſunt, ſed eam dicterijs & geſtibus pandunt, ilicò proditur & reprobatur eorum dolus, adulatio & peruerſitas, quæ inſtar teſtæ ad lapides alliſæ diſſilit, diffringitur & euaneſcit. Hinc

Myſticè Beda: *Quid*, inquit, *per argentum ſordidum niſi ſcientia corrupta? & quid per vas fictile, niſi cor carnenum deſignatur? quod cùm de ipſa falſa ſcientia ſe ornare ſatagit, in ſua locutione contra veritatem tumet, & magiſter erroris fit.*

C LABIIS SVIS INTELLIGITVR INIMICVS, CVM IN CORDE TRACTAVERIT DOLOS] Chald. *& in interioribus ſuis reponit fraudulentiam.* Pro *intelligitur* hebr. eſt יִתְנַכֵּר *itnacker*, à rad. נָכַר *nachar*, id eſt agnoſci, intelligi, ſed *iitnacker* in *hitpael* eſt contrariæ ſignificationis: ſignificat enim *agnoſci, & incognitum eſſe*, putà alium præ ſe ferre & ſimulare, id eſt, verbo aut factis oſtēdere ſe alium quàm ſit: vtraque ſignificatio huic loco cõgruit. Eſt enim antapodoſis, id eſt redditio & explicatio parabolæ verſus præced. vt ibi dixi. q.d. Amicus falſus & doloſus, qui exteriùs ſe ſimulat amicum, cùm in corde foueat odium & inimicitiam, hic labijs & loquela alium ſe ſimulat, quàm reuera ſit, ſcilicet ſe eſſe amicum cum reuera ſit inimicus, & in corde tractet dolos, vnde verbis ſuis blãditur & adulatur, vt odium ſimulato amore contegat: ſed tandem ex iiſdem labijs ſuis proditur & intelligitur, quis &
D qualis ſit, ſcilicet quòd ſit amicus fictus, & verus inimicus: quia viri prudentes & ſolertes fictionem & ſimulationem facilè deprehendunt ex ſignis.

VERS. 24.

Signa hæc ſunt Primò, quòd ſimulatores qui odium tegere ſtudēt, compoſita & exquiſita quadam vti ſolent verborum mollitie & blanditie, ita vt planè appareat nõ eſſe veram, ſed fictam & fucatam. Vnde ſequitur: *Quãdo ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei.* Secundò, quia ijdē ſolēt eſſe inconſtantes in verbis. Tertiò, quia ijdem in facie laudant, à tergo vituperant. Quartò, quia odium latens ita tegi nequit, quin ſubinde per amarulenta verba, nutus & geſtus ebulliat & emicet. Quintum dant Septuag. cùm vertunt. *labijs omnia annuit inimicus, in corde autem ſuo fabricatur dolos.* Fictus enim amicus & adulator annuit omnibus dictis & factis amici,

Signa ficti amici. Primum. *Secundum.* *Tertium* *Quartum.* *Quintum.*

amici; illa laudans & in cælum extollens, cùm verus amicus laudanda moderatè laudet, vituperanda vituperet, ac liberè amicum ſui vitij & erroris admoneat. Denique omnia ſigna quæ adulatorem, produnt & doloſum amicum: omnis enim adulator fictus pictuſque amicus eſt, ac verus inimicus. Vide Plutarch. de Differentijs adulatoris & amici.

Verſ. 25. QVANDO SVBMISERIT VOCEM SVAM, NE CREDIDERIS EI: QVONIAM SEPTEM NEQVITIÆ SVNT IN CORDE ILLIVS] *Nequitia* hebr. תּוֹעֵבוֹת *toebot*, id eſt abominationes, execrationes; Chald. *mala*. Pro *ſubmiſerit* hebr. eſt יְחַנֵּן *iechannen*, id eſt gratioſam fecerit vocem ſuam; alij, *vocem dederis deprecantem veniam*, & pro gratia orantem. Radix enim חָנַן *chanan* ſignificat gratificari, miſereri, precari. Vnde varij variè vertunt. Pagnin. *quando extulerit orando vocem ſuam*; R. Dauid, *cùm gratificauit vocem ſuam*; Tigur. *quando voce ſua benignus eſt*; Chald. *ſi deprecatur voce ſua*; Septuag. *ſi te cognouerit voce magna*; S. Hier. contra Ruffinum, *ſi te rogauerit inimicus patens* (fortè precans) *voce magna*.

Submiſerit ergo non ſignificat ſubmiſsè in aurem ſuſurrarit, modeſtè ſuggeſſerit & admonuerit, ſed q. d. Quando ſubmiſſa & delicata voce, velut humilis ſupplex gratiam tuam captarit, aut pro erratis veniam popoſcerit. Vox enim demiſſa velut pudoris & humilitatis index, ſolet eſſe gratioſa & grata, qualis eſt virginũ & pœnitentium. Videtur enim præcipuè loqui Salomon de amico ficto, qui aliquando fuit publicus inimicus, ſed pœnitens fictè reconciliatus eſt, ita vt odium priſtinum mente conſeruet. Huic enim nulla ratione credendum eſt, quia *ſeptem*, id eſt multæ, *nequitiæ in corde illius*. q. d. Odium latens in corde ſuggerit illi multiplices, imò omnes artes & technas quibus fraudulenter tibi noceat, teque ſupplantet. Alij, q. d. Odium eſt inſtar ſeptem nequitiarum, quia omnes malitias & nocendi artes in ſe complectitur. Salomonem ſecutus Siracides c. 12. 10. *Non credas*, ait, *inimico tuo in æternum: & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum, & cuſtodi te ab illo*, &c. vide ibi dicta. Hugo per *ſeptem nequitias* accipit illas de quibus Chriſtus Lucæ 11. *Et aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*. Alij accipiunt ſeptem vitia capitalia. q. d. Inimicus occultus vt odium ſuum in te expromat, aduocabit ſeptem vitia; ſuperbiam, vt te deprimat; auaritiam, vt te bonis ſpoliet; iram, vt tecum rixetur; inuidiam, vt tuæ proſperitati ſuccenſeat; luxuriam, vt tuæ vxoris & filiarum caſtitati inſidietur; gulam, vt ſe tuis delicijs ſatiet; acediam, vt in tua neceſſitate pigrum & tardum ad ſuccurrendum ſeſe exhibeat.

Myſticè, Beda per inimicum doloſum accipit hæreticum: *Qui*, inquit, *cùm verba prædicationis ſuæ ficta humilitate ſubmittit, corda innocentium & minùs intelligentium demulcendo ſeducit*. Auctor verò Catenæ Græc. per inimicum accipit Satanam. Satanas, inquit, varijs modis nos rogat, & ad peccatum prouocat: modò namque immundos obſcenoſq; ſuggerit, diuerſaſq; voluptatum illecebras proponit; modò rurſum cladis aut calamitatis cuiuſpiam rumorem ſpargit; modò denique alia via in nos inuadit: cui viriliter reſiſtendum eſt, vt qui continuum & irreuocabile bellum aduerſum nos gerat, ſeptemque, hoc eſt, omnis generis nequitiam in corde ſuo verſet. Hæc ille.

Denique Caſſianus collat. 5. c. 25. per inimicũ

A accipit gulam: *Si te rogauerit*, inquit, *inimicus magna voce, ne conſenſeris ei: ſeptẽ enim ſunt nequitiæ in anima eius, id eſt ſi ſuperatus gaſtrimargiæ ſpiritus cœperit tibi ſua humiliatione blandiri, rogans quodammodo vt aliquid relaxans à cœpto feruore impertias ei, quod continentiæ modum, & menſuram iuſtæ diſtrictionis excedat, ne reſoluaris ſubiectione eius, nec arridente impugnationis ſecuritate, quâ videris paulisper à carnalibus incentiuis factus quietior, ad priſtinam remiſſionem, vel præteritas gulæ concupiſcentias reuertaris. Per hoc enim dicit ſpiritus ille, quem viceras: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et procedentes ex eo confeſtim ſeptem ſpiritus vitiorum, erunt tibi acriores quàm illa paſſio, quæ in primordijs fuerat ſuperata, quæ te mox ad deteriora pertrahant genera peccatorum.* Inimico, id eſt gulæ, ne credas.

QVI OPERIT ODIVM FRAVDVLENTER, REVELABITVR MALITIA EIVS IN CONCILIO] Hebr. Verſ. 26.
B *operiet ſe odium in deſolatione; manifeſta erit malitia illius in concione*; Septuag. *qui occultat inimicitiam, componit dolum: reuelat autem ſua peccata benè notus in confeſſionibus*; Symmach. *qui occultat odium per captiones, reuelabitur malitia eius in eccleſia*; Vatabl. *odium quod abdit ſe in ſolitudine, reuelari ſolet in cœtu*. Hinc patet in Septuag. Complut. ἐκκαλύπτει, non rectè verti, *celat, abſcondit*, cùm contrariè vertendum ſit, *reuelat, manifeſtat*, vti vertunt Vaticani. Hebr. Symmach. & Noſter. Pro *fraudulenter* hebr. eſt בְּמַשָּׁאוֹן *bemaſſaon*, id eſt *in deceptione*, à rad. נָשָׁא *naſa*, id eſt decepit; alij, *in deſolatione*, à rad. שָׁאָה *ſcaa*, id eſt deſolauit; alij, *in obſcuritate, occultè*; R. Salomon, *in tenebroſa vaſtitate*. q. d. Qui fraudes molitur in tenebris, reuelabitur in publico cõuentu; R. Leui, *in vaſta ſolitudine*, vbi fraus eſt ſecreta, & nullà cognita.

C Hucuſque malitiam fraudulenti amici deſcripſit, nunc eiuſdem pœnam adiungit, quod ſcilicet eius malitia, putà odium & fraus, ſit reuelanda publicè in concilio, ibique damnanda & perenni probro notanda.

Nonnulli, vt Dionyſ. τὸ *conſilio* per ſ. ſcribunt. q. d. Per conſilium, id eſt per prudentem inquiſitionem poterit deprehendi fraus: ſicut Iudas Machabæus & fratres eius ſæpè deprehenderũt dolos ſuorum aduerſariorum, vti narratur in libris Machab. Verùm τὸ *concilio* ſcribendũ eſt per c. vt patet ex Hebr. Rom. Septuag. Symmach. & ceteris. Per *concilium* ergo accipe conſeſſum iudicum & magiſtratus, item quemlibet ſeniorum aut populi cœtum. q. d. Fraudulentus celat ſuum odium & fraudes, putatq; eas fore ſecretas; at ſciat eas delatum iri ad iudices, ab eiſq; iuſta pœna mulctandas. Itẽ
D eas emanaturas ad cœtus populi, vt in ijs ipſe traducatur, fiatq; omnium fabula & probrum. Omnes enim odere fraudes & fraudulentos, eoſque è ſuo cœtu & repub. exturbandos cenſent. Nota eſt Dei vindicta iuſta, qua punit fraudes & ſcelera occulta per publicam infamiam & pœnam, quàm maximè expaueſcunt & horrent fraudulenti: optant enim ſua probra tegi & latere. Hoc ergo eſt quod ait Chriſtus Lucæ 12. 2. *Nihil opertum quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur*, tum hic ſæpè, tum ſemper in futuro iudicio, præſertim extremo, in quo pudẽdę fraudes & ſcelera à Chriſto toti mundo, id eſt omnibus angelis & hominibus, promulgabuntur: quæ ſumma erit reproborum verecundia, vt optent, dicantq; *montibus, Cadite ſuper nos; & collibus, Operite nos*, Apoc. 6.

QVI FODIT FOVEAM (Aquila & Symmach. Verſ. 27.

διαφθορὰν id eſt *corruptelam, pernitiem*) INCIDET IN EAM: ET QVI VOLVIT LAPIDEM, REVERTETVR AD EVM] τὸ *reuertetur* aliqui referunt non ad lapidem, ſed ad eum qui ipſum voluit. q.d. Sicut ſi quis lapidem è ſublimi loco in alicuius verticem demittat, ac viciſſim ipſe in ſublimi deuolutus in eumdem lapidem incurrat, illidaturque: ita is qui è faſtigio alicuius dignitatis ad quam euectus eſt, inferiores ſubditoſue homines damno afficit, hanc mercedem refert, vt inde deiectus, eadem quæ alijs intulit, damna ſufferre adigatur.

Verùm τὸ *reuertetur* referendum ad *lapidem*, non ad eum qui ipſum voluit, patet ex Hebr. תָּשׁוּב *taſcub*, id eſt *reuertetur*, quod eſt femininum, quod proinde cohæret cum אֶבֶן *eben*, id eſt lapide, pariter feminino, non cum וְגֹלֵל *vegolel*, id eſt *& qui voluit*, vtpote maſculino. Vnde Septuag. vertunt, *qui voluit lapidem, ſuper ſeipſum deuoluit eum*. Ita auctor Catenæ Græc. Senſus ergo eſt. q.d. Sicut fodiens foueam, vt capiat apros, lupos aliaſq; feras, ſæpè ipſe incautus in eamdem incidit; & ſicut qui voluit lapidem per trochleas vel rotas, aut tigna rotunda in altum, ſæpè caſu incautè laxatis trochleis vel rotis, lapis reuoluitur in rotantem, eumq; qui voluit, atque ipſum lædit vel opprimit: ſic pariter qui dolos alteri ſtruit, ipſe in ſimiles, imò eoſdem ſæpè incidit, vt fraude ſua, quam alteri machinatus eſt, ipſe comprehendatur & pereat, vti Aman ſuſpenſus eſt in cruce, quam parauerat Mardochæo, & Perillus offerens Phalaridi tyranno bouem æneum, vt igne ſubiecto in eo torreret homines, primus ab eodem in illum coniectus horrendè mugiit. Vnde Ouidius de Arte amandi:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Sic Abimelech, qui ſeptuaginta fratres occidit ſuper lapidē vnum, ictu lapidis à muliere occiſus eſt, Iudic 9.53. Hanc gnomen fusè explicui Eccli. 27.28 quare hic plura non addam. Hoc eſt quod vulgò dicitur: *Damnoſus alijs, damnoſus eſt ſibi.* Exemplum planè ad literam eſt in Saule, qui perſequens Dauidem velut regni æmulum, eique tendens laqueos & foueas, in ſpeluncam purgandi ventris cauſa ingreſſus, incidit in manum Dauidis ibidem latentis, qui proinde præcidit oram chlamydis eius, ſed vitæ pepercit, 1. Regum 24. v. 4. & ſeq. ita S. Iſidor. in 1. Reg. c. 17. Quare Dauidi, ſimilibuſq; dolum & fraudem patientibus, attribuas prouerbium Arabum cent. 2. n. 50. *Sors ſuper te cecidit, & ſors tua eſt*; vel, vt alij magis appoſitè vertunt, *ſagitta contra te ſagitta tibi eſt*. q.d. Quod contra te afferebatur, id pro te eſt: ſuo inimicum iugulas gladio. Memorabile eſt quod in Vita S. Eliſabethæ reginæ Luſitaniæ legimus, famulum quemdam ſocio gratiam reginæ inuidentem, illum apud regem accuſaſſe de adulterio cum regina: quare regem iuſſiſſe fabris, vt quem poſtero mane primum ad illos mitteret, illicò in ardentem fornacem conijceret. Miſit ergo accuſatum, at ille de more priùs Sacrum audiuit, interim rex ſubmiſit accuſatorem, vt videret an fabri iuſſa peregiſſent. At illi eum vt primò venientem in fornacem coniecerunt, quare in foueam quam ſocio innocenti parauerat, iuſta Dei vindicta ipſemet incidit. Plura talia extant in Vitis Sanctorum.

Vers. 28. LINGVA FALLAX NON AMAT VERITATEM: ET OS LVBRICVM OPERATVR RVINAS] Hebr. *linguā mendacij odiet contritionem ſui, vel conterentem ſe, & os blandum faciet impulſionem*, id eſt impellet ad caſum id eſt *operatur ruinas*, vt vertit Noſter. Pro *os lubricum*, hebr. eſt חָלָק *chalac*, id eſt diſpertitum, diffuſum, glabrum, lubricum, læue, blandum; Aquila, Symmach. & Theodor. λεῖον, id eſt *leuigatum*; Syrus, *os eiectionis*; Vatabl. *lingua fallax odit qui illam reprimit*, ſcilicet, confutando illam, conuincendoque per contrariam veritatem, vt vertit Noſter, Chald. & Septuag. Hebr. *contritio* alludit ad nucem: ſicut enim cortex nucis frangendo conteritur, vt nucleus appareat & eximatur: ſic fraudes doloſi confutando franguntur, vt latens ſub eis veritas, id eſt vana falſitas & ſimulatio, appareat & deprehendatur.

ET OS LVBRICVM OPERATVR RVINAS] q.d. Molles & leues homines, qui non amant veritatem, ſed falſas ſuas laudes, quas os lubricum adulatorum eis inſtillat, hi vtique per eas gratia ſentient damna & ruinas; ſicut qui per loca lubrica ambulat, ſæpè cadit & ruit in lutum, ſaxa & foſſas.

Per *os lubricum* Primò, Lyran. & alij accipiunt os quod non ſeruat ſecretum, ſed illud lubrica garrulitate effutit & effundit: vnde Septuag. vertunt, *os non tectum*, id eſt patens: hoc enim multis cauſa eſt damni & ruinæ, quaſi Salomon hîc duo vitia contraria notet & inſectetur. q.d. Praua eſt lingua fallax, quæ ſcilicet machinatur occultè malum, ſed exteriùs dolos ſuos celat, vt aduerſarium fallat, & incautum opprimat; praua, inquam, eſt, quia non amat, imò odit veritatem veramq; ſinceritatem & fidem: prauum pariter eſt *os lubricum*, quod ſcilicet nimis patulum eſt, omniaq; ſecreta effutit: hoc enim ſibi & alijs eſt cauſa ruinæ. Nec ergo doloſum ſilentiū, nec nimia loquacitas laudanda, ſed media virtutis via incedendum, vt nec per doloſum ſilentium veritatem abſcondamus, nec per garruſitatem arcana pandamus, ſed dicamus veritatem quæ ſine noxa dici poteſt, taceamus verò ſecreta quæ noxam afferre queunt.

Secundò, alij per *os lubricum* accipiunt os vanū & inconſtans, quod nunc aſſerit rem, nunc negat. Vnde Chald. vertit, *os biſidum* vel *bipartitum*; hoc enim lubricum eſt inſtar anguillæ, vt, ſi illud in aſſertione ſua tenere & comprehendere velis, lubricando elabatur, alia & alia, imò contraria aſſerendo. Hoc multos ſimplices, qui ei credunt, agit in ruinam. Vnde Septuag. vertunt, *os autem patens facit inconſtantiam.*

Tertiò, noſter Salazar per *os lubricum*, ſiue lene & molle, æquè ac per *linguam fallacem*, accipit os & linguam adulatoris. q.d. Adulator qui adulando fallit & multa mentitur, odit fugitque rigidum & auſterum veritatis amatorem, qui eius fallas adulationes redarguit & refutat; amat verò & ſequitur homines molles & lentos, qui ſuis laudibus licet falſis mirificè delectantur, iuxta illud B. Petri Chryſologi: *Vitijs ſemper ſeruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia; virtutibus verò auſtera & fortia ſunt amica.* Talis fuit indoles S Aug. qui de ſe ita ſcribit l. 9. de Trinit. *Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm ab adulatore laudari: nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis.*

Quartò, & genuinè, *os lubricum*, id eſt blandum & blanditijs fallēs, ac lingua fallax eſt os & lingua doloſi, qui doloſè odium in corde tegit, ac ore ſimulat amicitiam. De doloſo enim egit à v. 18. huc vſque. Huius enim blāditiæ inſtar olei lubrici illabuntur in mentes audientiū, eaſq; inungunt, deli-

niunt

niunt & fallunt. Senſus ergo eſt. q. d. Lingua mendax doloſi odit eos, qui dolos ipſius detegunt, & veram eius inimicitiam pandunt. Is enim ore ſuo lubrico, id eſt blando & ſimulato, non aliud quærit, quàm per blanditias hasce doloſè operari aliorum ruinam, ſed reuera magis operatur ſuam ipſius propriam.

Hæc gnome ergo duo ſignificat: Primò, doloſi ingenium, quòd amet dolos & fraudes, fugiatque eos qui illas detegunt; Secundò, eiuſdem damnũ & pœnam. Aut potiùs duo eius damna repræſentat: priùs, quòd ſuis mendacijs obſcuret perdatq; veritatem, ſinceritatem & fidem; poſterius, quòd ſua lubricitate & blandiloquentia inſtar ſerpentis aut veneni melliti illabens in animos hominum, eos ſecum agat in ruinam.

Vbi Nota cum Ianſen. *τὸ operatur ruinas* poſſe accipi, vel de ruinis aliorum quibus dolos ſtruit, vel de ruinis ſuiipſius. Priori modo ſenſus erit: Lingua mendax non amat veritatem ipſam conuincentem & redarguentem, ſed non obſtante veritatis reprehenſione, os quod blanditijs verbo- A rumque lenocinijs decipere conatur, pergit homines impellere in perditionem, ac in mala deijcere. Poſteriori modo ſenſus erit. Lingua mendax, vel homo qui delectatur linguâ mendaci, non amat veritatem quæ mendacium detegit & reprehendit, ideoq; os tale fallax operatur ſibiipſi perditionem, & in multa mala præcipitationem. Qui ſenſus præcedentibus magis conuenit, vt hactenus per aliquot verſus ſemper ſermo fuerit de linguæ fallacis, ac ad decipiendum compoſitæ vitijs ac pœna: de vitijs enim egit à v. 18. vſque ad v. 27. de pœna v. 27. & hoc 28.

Septuaginta *os lubricum* vocant *os patens*, id eſt omnibus apertum, obuium, amabile, blandum: *os patens*, inquiunt, facit *ἀκαταστασίαν*, id eſt ſeditionem, inconſtantiam, tumultum, confuſionem, turbatum rerum ordinem, hoc eſt *ruinam*, vt vertit Noſter & Chald. Chald. *os lubricum* vocat *os biſidum*, quia partitum in odium & amorem: corde enim odium celat, ore amorem præ ſe fert; vnde præſenti blanditur, abſenti maledicit. Doloſus ergo duplex habet os, ideoque bifidum.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

NOn gloriandum in craſtinũ, ne teipſum laudaueris, ira ſtulti intolerabilis, manifeſta correptio melior amore abſcondito. vulnera diligentis præſtant oſculis adulantis. anima ſaturata faſtidit mel. vicinus præſtat amico remoto. ſpondens pro extraneo capiat ab eo pignus. benedicens voce grandi ſimilis maledicenti. litigioſa mulier ſimilis tecto perſtillanti. vir acuit amicum. corda patent prudentibus. oculi inſatiabiles. homo probatur ore laudantis. ſtultus cõtuſus manet ſtultus. Verſ. 23. ad finem capitis laudat artem paſtoritiam, eiuſq́; frugalitatẽ.

1. NE glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies. 2. Laudet te alienus, & non os tuum extraneus, & non labia tua. 3. Graue eſt ſaxum, & onerosa arena: ſed ira ſtulti vtroque grauior. 4. Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit? 5. Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus. 6. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. 7. Anima ſaturata calcabit fauum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. 8. Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum. 9. Vnguento & varijs odoribus delectatur cor: & bonis amici conſilijs anima dulcoratur. 10. Amicum tuum & amicum patris tui ne dimiſeris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior eſt vicinus iuxtà, quàm frater procul. 11. Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem. 12. Aſtutus videns malum, abſconditus eſt: paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia. 13. Tolle veſtimentum eius, qui ſpopondit pro extraneo: & pro alienis, aufer ei pignus. 14. Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens maledicenti ſimilis erit. 15. Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur: 16. qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat, & oleum dexteræ ſuæ vocabit. 17. Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui. 18. Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius: & qui cuſtos eſt domini ſui, glorificabitur. 19. Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. 20. Infernus & perditio numquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. 21. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantis. Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit ſcientiam. 22. Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius. 23. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera: 24. non enim habebis iugiter poteſtatem: ſed corona tribuetur in generationem & generationem. 25. Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus. 26. Agni ad veſtimentum tuum: & hœdi ad agri pretium. 27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.

Vers. 1. NE GLORIERIS IN CRASTINVM, IGNORANS (quia ignoras) QVID SVPERVENTVRA PARIAT DIES] Hebr. *ne te laudes in craſtinum; quia non ſcis quid paritura*, vel *generatura ſit dies*, ſcilicet superuentura, id eſt craſtina; vel etiam hodierna, vt vertit Chald. *neſcio*, inquit, *quid paritura ſit hodierna dies*; Septuag. *ne glorieris ob futura in craſtinum*, vel *de iis quæ ad diem craſtinum expectantur: neſcis enim quid ſuperuentura ſit dies*. *Craſtinum* ſignificat quodlibet futurum in Scriptura per ſynecdochen. q.d. Ne glorieris de futuris, dicendo v. g. Cras Conuiuabimur, cras ibo ad nuptias, cras fiam conſul, Doctor, Canonicus, ſenator, Epiſcopus, vicerex, &c. cras ædificabo palatium, emam vineam, plantabo paradiſum, &c. cras fundabo hoſpitale, erigam collegium, inſtituam academiam: quia neſcis *quid pariet*, id eſt afferet, dies craſtina, imò hodierna. Neſcis enim an cras an veſpere viues, neſcis an eadem tibi tunc mens erit, quę modò eſt, neſcis an eadem occaſio faciendi tunc erit, quæ nunc eſt. Vetat ergo hæc gnome nimiam fiduciam futurorum, vtpote incertorum, ac proinde ne quis differat in futurum bona opera quæ mente deſtinauit: ſed ilicò ea exequatur, ne poſtea ea exequi nequeat.

Vbi Nota. Tempus dicitur parere metaphoricè, quia edit in lucem futura, eaq; facit præſentia; & metonymicè, quia profert cauſas ſecundas, quæ nouas res pariunt & cauſant: & quia ſeruit Deo, Deiq; ordinationi, quæ id quod mente concepit & decreuit, ſtato tempore edit & promit. q.d. Nō hoc fiet quod tu concipis, nec quod fatum decreuit, ſed id proferet dies, quod eſt à Deo conceptum. Propriè autem quæ caſu & fortuitò fiunt, dicuntur generari à tempore: quia tempus, quod, vt ait Ariſtot. eſt numerus motus primi mobilis, ex hoc motu adducit varias conbinationes ſtellarū, ventorum, qualitatum, aliarumq; cauſarum ſecundarum, quarum caſualis occurſus & concurſus cauſa eſt euentuum fortuitorum & contingentiū: caſus ergo & fortuna ſunt partus temporis.

Gnoma. Huic gnomæ affinis eſt illa Ben Sira in fine alphabeti ſecundi: *Ne te cruciet ærumna diei craſtini, quia neſcis quid paritura ſit dies*. Et illa Horatij:

Quis ſcit an adyciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora dii ſuperi?

Et illa Propertij:

Forſitan includet craſtina fata dies.
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Et illa Comici:

Neſcis quid ſerus veſper vehat.
Longa dies craſtina, viue hodie.

Et illa Ouidij lib. 3. de Arte amand.

Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas:
Nec bona tam ſequitur, quàm bona prima fuit.

Et illa Virgil. 3. Georgic.

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et illa Senecæ lib. de Breuitate vitæ c. 7. *Præcipitat quiſque vitam ſuam, & futuri deſiderio laborat, præſentium tædio. At ille qui nullū non tempus in vſus ſuos confert, qui omnes dies tamquam vitam ordinat, nec optat craſtinum, nec timet. Quid enim eſt quod iam vlla hora noua voluptatis poſſit afferre? Omnia vota ad ſatietatē percepta ſunt, de cætero fors fortuna vt volet ordinet; vita iam in tuto eſt. Huic adijci poteſt, detrahi nihil; & adijci ſic, ſicut aliquis ventre admodum ſaturo iam, ac pleno, aliquid cibi nec deſiderat, nec capit.* Idem epiſt. 1. ad Lucilium, *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus,* A *maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quòd mortē proſpicimus: magna pars eius iam præterijt, quidquid ætatis retro eſt, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te ſcribis, omnes horas complectere, ſic fiet vt minùs ex craſtino pendeas. ſi hodierno manum inieceris. Dum differtur vita, tranſcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt.* Idem: *Omnes*, ait, *vitam differentes incerta mors præuenit. Omnis igitur dies tamquam vltimus ordinandus eſt.*

Inſpice imaginem temporis cum hoc lemmate: *Quid longa ſperas? breue eſt quidquid hîc vides.* Sublimiùs Pſaltes pſalm. 94. 8. *Hodie*, inquit, *ſi vocem eius* (Domini) *audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Ex quo τὸ *hodie* vrget Apoſtol. Hebr. c. 3. v. 13. *Adhortamini*, inquit, *voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur.* Planiùs & pleniùs S. Iacobus c. 4. 13. B hanc Salomonis gnomen ceu paraphraſtes explicat dicens: *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in craſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor & ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Vbi plura hac de re dixi. Qui ergo ſapis, viue hodie, cras forſan moriture.

LAVDET TE ALIENVS, ET NON OS TVVM: EXTRANEVS, ET NON LABIA TVA] Septuag. *laudet te vicinus, & non os tuum: alienus, & non labia tua*; S. Auguſt. tract. 36. & 58. in Ioan. *non te laudet os tuū, ſed laudet te os proximi tui. Alienus* hebr. זר *zar*, vocatur exterius, putà qui eſt alterius cognationis, aut familiæ & domus, aut ciuitatis, aut gentis, aut fidei & religionis, quales Iudæis erant Gētiles, qui proinde vocabantur זרים *zarim*, id eſt alieni & alienigenæ. Idem vocatur נכרי *nachri*, id eſt incognitus C extraneus. Quare *nachri*, propriè non ſignificat hoſtem vel inimicum, ſed ad eum extendi poteſt, quia hoſtis eſt ſummè alienus, & quia hoſtes Iudæorum erant Gentiles, qui erant alienigenę. Hoc ipſo enim quo nati erant ex Eſau, Iſmaël, alijſque gentibus, non ex Abraham, Iſaac & Iacob, ex quibus prognati erant Iudæi, trahebant quaſi ab ipſa proſapia & parentibus alienationem, & quaſi naturale odium Iudæorum: vti etiamnum nonnullas gentes ab ipſo ortu naturaliter quaſi, certis alijs quibuſdam aduerſari, & quaſi naſci inimicas conſpicimus. Vers. 2.

Senſus ergo eſt, q. d. Non decet te laudare temetipſum, ſed digna laude gerere, quia ſuo ſplendore alios, præſertim extraneos compellant ad te laudandum, non quòd laudem hanc quæras & intendas, ſed quòd laus ex virtute etiam eo qui laudatur ignorante, imò inuito, naturaliter quaſi emanet & reſultet: propria enim virtutis dos eſt laus, iuxta illud Socratis apud Stobæum ſerm. 1. *Thus dijs, laus vero bonis viris debetur.* Et illud: *Virtus laudata creſcit.* Et illud S. Baſilij apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 51. *Præcipuum beneficium eſt in rebus honeſtis laudari: laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ ſupremū & finis eſt omnium quæ deſiderantur, & quò omnis viri boni motus refertur.* Igitur ſinas te laudari non à tuis cognatis, amicis domeſticis, ſed ab alienis & extraneis, atq; quo magis alieni à te fuerint, eo maior erit laus ſi te laudent. Vnde ſumma eſt laus, quæ ab inimicis alicui tribuitur. Illi enim non ſpe, non adulatione non amicitiâ, ſed veritate & magnitudine virtu- Laus propria ſordet. D

tum

tum mouentur ad te laudandum: laus ergo ab inimico extorta eſt pura.

Ratio à priori. Ratio à priori huius ſententiæ eſt, quòd ſeipſum laudare ſit vanum, ſuperbū & ſtultum. Hæc enim laus procedit à philautia, qua quis vti nimis amat, ſic & nimis laudat ſeipſum. Amor enim proprius hominē excæcat, vt omnia ſua licèt praua vel parua, æſtimet bona vel magna. Externi autē qui nullam habent nobiſcum coniunctionem, puriùs & ſinceriùs de noſtris rebus & factis iudicant. Vnde eorum iudicium, & laus vel vituperium verius eſt.

Omnes. Ita cenſent omnes ſapientes fideles & profani. fideles, vt S. Paulus, qui coactus ſuas laudes recenſere vt ſuum apoſtolatum tueretur: *Factus ſum,* inquit, *inſipiens, vos me coēgiſtis: ego enim à vobis debui commendari,* 2. Corinth. 11. 11. & Chriſtus: *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum: alius eſt qui teſtimonium perhibet de me,* Ioan. 5. 31. S. Chryſoſt. hom. 5. de laudibus Pauli, *Extrema, ait, dementia eſt nullâ imminente neceſſitate, & neceſſitate violentâ proprijs laudibus velle decorari.*

Lucas medicus vir diſertiſſimus, cùm orationē apud Alfonſum Aragonum regem eloquentiſſimam habuiſſet, eumque exquiſitis & heroicis laudibus extuliſſet, rex hæc audiens dixiſſe fertur: *Si vera ſunt Luca quæ de me prædicas, Deo optimo maximo gratias ago; ſin aliter, vera vt iſthæc faciat oro atque obſecro.* Innuens maximè decere reges, vt laudibus dignos vbique ſe præbeant. Ita Panorm. l. 1. de Reb. geſtis Alfonſi.

Exempla. Ageſilaus rex dictitabat ſibi iucundum eſſe ab hoſtibus laudari, qui non verentur vituperare ſi quid ipſis diſpliceat. Tales enim ſi quid laudant, iudicio laudant, non metu aut adulatione. Ita Plutarch. in Lacon. Themiſtius apud Stobęum; *Nulla,* inquit, *narratio tam odioſa eſt quàm ſuiipſius encomiū.* Hinc illud vulgò tritum: *In ore proprio laus ſordet.* Et illud Zenodoti: *Teipſum laudes mulier, ſicut Aſtydamas,* quod vſurpans Iulianus ep. ad S. Baſilium, *Laudaui meipſum,* inquit, *vt Aſtydamas.* Plinius Iunior l. 1. epiſt. 8. ad Saturninum: *Id quod magnificum referente alio fuiſſet,* inquit, *ipſo qui geſſerat recenſente vaneſcit.* Cauſam ſubijcit: *Hi qui benefacta ſua verbis adornant; non ideò prædicare quæ fecerunt, ſed vt prædicarentur feciſſe creduntur.* Cuidam apud Lyſandrum iactanti, quòd ipſum & laudibus eueheret, & aduerſus obtrectantes tueretur: *Duo,* inquit, *ſunt boues rurі, & tacentibus ambobus tamen certò noui vter ſit ignauus, vter ad laborem ſtrenuus.* Senſit veram virtutē non egere laudibus humanis, cùm ipſa ſecum ducat ſuam laudem ac decus. Ceterùm qui nihil gerūt præclari, his opus eſt præconibus. Ita Plutarch. in Laconicis.

Cùm Peſcennio Nigro Imper. creato quidam Panegyricum recitare vellet, Imperator dixiſſe fertur: *Scribe laudes Marij, vel Hannibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere; ſe autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari.* Ita Ælius Spartianus in eius Vita.

Huius ſententiæ veritatem pulchro galli & vulpis apologo, bellis ſimilitudinibus variegato, oculis ſubijcit Cyrill. l. 2. Apol. moral. c. 28. cui titulus: *Contra eos, qui ſeipſos commendant: Gallus,* inquit, *poſitus iuxta coruum, cùm intelligendi lumine, & pennarum ſpecie ventoſâ ſuperbiâ non parum eſſet inflatus, &* erecto polimito collo ſua ſe cœpit cantatione laudare, dixit ſ: *O quantus in cælo eſt fons ſapientiæ, ac vena ſplendoris, & ars primaria venuſtatis, quandoquidem nobis terrigenis tanta pulchritudinis & intelligentiæ dona tradiderit? Cui eruditè coruus ſic reſpondit: Cara quidem eſt intelligentia, & eſt iucunda venuſtas; ſed optima eſt ſapientia, ſine qua, aut ſibi non ſunt, aut nihil ſunt omnia. A ſapientioribus autem noſtris audiui, quòd luce lucem perdere, virtutemq; virtute, maxima ſit dementia. Vtique etiam laude laudationem amittere, idipſum eſt. Nimirū ab Ariſtotele laus definitur, eſſe ſermo illucidans virtutis magnitudinem, vnde nec minima virtus eſt, imò maximum vitium, laudare ſeipſum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, facti ſunt ſtulti* (Rom. 1. 22.) *Verumtamen ſapiens dum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Deinde idipſum ratione à priori demonſtrat. *Ratio à priori.* *Virtus enim vera, vt virgo pudiciſſima, ſine rubore ſe videri nō patitur, & quaſi ſtella rutilans ab apparente ſole abſconditur, & veluti chryſopraſium ſplendens in tenebris, ita erubeſcens laus in lumine occultatur. Igitur qui ſeipſum commendat, ſe vituperat, quia laus eius vitium generat, dum ſine ſplendore virtutis ac caſtitatis, hunc informem eſſe demonſtrat. Verùm ſi hoc aure intelligentiæ percepiſti, ſcriptū eſt* (Ioan. 8. 13.) *Tu teſtimonium de teipſo perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum. Atque in communi mundi lege pro ſe nemo ſuſcipitur, eò quòd linguæ libra priuati amoris ad ſe pondus attrahit. Eſt ergo laus propria dedecus, quia lingua ſibi teſtis non ſuſcipitur, aut mentitur. Quin & illud nos approbat, quod exaltat, hoc autem eſt laudū fugitiua humilitas* (Matth. 23. 12.) *Qui enim ſe humiliat, exaltabitur. Humilitas enim per ſemitam mundialis confuſionis atque caliginis, in finem lucidıtatis adducit.* Denique nouo dilemmate idipſum euincit, eoque gnomen Salomonis elucidat: *Sed ad quid te laudas? certè ſi notus es, agis ſuperfluum; ſi non notus, memento quòd latere deſiderat vera virtus. Verùm nec tempus laudandi quemquam eſt, donec viuit: nam commendatio vera non præterit, quam poſſeſſæ virtutis æternitas ſtabiliuit. Laudet ergo te os alienum* (Prouerb. 27. 2.) *accuſet te os tuum, humilitatis te approbet virtus, dies te cōmendet vltimus & æternus. Quibus auditis, gallus, quia ſe laudauerat, erubuit.*

Vers. 3. GRAVE EST SAXVM, ET ONEROSA ARENA: ET IRA STVLTI VTROQVE GRAVIOR] *Grauior,* id eſt moleſtior, magis premens & affligens, portatu & toleratu difficilior. Grauitas enim propriè eſt corporum, metaphoricè verò cùm ad animum transfertur, ſignificat moleſtiam, afflictionem, cruciatum. Hebr. *grauitas lapidis, & pondus* (vel eleuatio, aut cumulus) *arenæ, & ira ſtulti grauior eſt præ vtriſque;* Septuag. *grauis eſt lapis, & vix portabilis arena; ſed ira ſtulti vtroque eſt grauior.*

Primò, R. Salomon *iram ſtulti* accipit non paſſiuam, quàm ipſe in ſe habeat, ſed actiuam, quàm ipſe ſcilicet excitet & cauſet in Deo q. d. Ira Dei, quam ſua ſtultitia, id eſt impietate, ciet & prouocat ſtultus, id eſt impius, grauior eſt quouis ſaxo & arena: quia ipſe eamdem Dei iram & vindictā non tantùm in ſe & ſuos, ſed & in totam remp. imò in totum vniuerſum redundare facit. Subinde enim Deus totum populum caſtigat ob ſcelus vnius ſtulti & impij, vti caſtigauit ſacrilegium Achan proſternēdo caſtra tota Iſraelis, Ioſue c. 7. 13. Verùm alij paſſim accipiunt iram ſtulti paſſiuam, quę ſcilicet ſit & reſideat in ipſo ſtulto. Vnde

Secūdò, Lyran. exponit iram ſtulti grauem & importabilem eſſe ipſi ſtulto & ceteris ſtultis, non autem ſapientibus. q. d. Grauiſſimum ſanè ad portandum

tandum eſt ſaxum, & arenæ etiam pondus minimè leue, ſed tamen hæc duo ſtultus aliquis viribus pollens leuare poterit; at ira ſtulti longè grauior ac oneroſior eſt: illius enim pondus nullus ſtultus ſuſtinere poteſt.

Rurſum ira ſtulti grauior eſt ſaxo & arena, quia homo inſipiens nec magnam aliquam inſtar ſaxi ac vehementem indignationem, nec leuiores ac crebros iracundiæ motus (qui ſunt inſtar arenę minutæ) perferre poteſt.

Ira ſtulti intolerabilis, cur? Cauſa Prima.

Tertiò & genuinè, q. d. Ira ſtulti grauior eſt ſaxo & cumulo arenæ, ac vtroque oneroſior & importabilior ſapienti; multis de cauſis. Prima eſt, quia onus ſaxi & arenæ corpus grauat; ira verò mentem ſapientis premit & degrauat. Maiora autem & magis ſenſibilia ſunt onera quæ mentem, quàm quæ corpus affligunt.

Secunda.

Secunda, ſaxum & arena dorſo impoſita à ſapiente deponi & excuti poſſunt; at ira ſtulti nequaquam. Nam vt ait auctor Catenæ Græc. Stultus iratus ſe furore incenſum non animaduertit, atque ita vt animum ab ira ſeuocet, furoremque comprimat non laborat, imò eum amat & fouet. Credit enim ſe prudentem & intelligentem eſſe, adeoque iuſtè inſanire: hunc ergo ſtulti furorem in ſe concitatum patiatur ſapiens oportet.

Tertia.

Tertiò, quòd ſaxa & arenæ arte & inſtrumentis alleuari poſſunt, putà curru, equo, mulo vectari queunt; at ſtulti ira nulla re naturali (ſed ſola Dei illuminatione & gratia) nō dico tolli, ſed nec minui poteſt, præſertim quia ſtultus iram habet pro ratione, putatq; ſe iuſtè & cū ratione iraſci. Quocirca à nullo ſe moneri, doceri aut mitigari patitur, ſed planè iram ſuā explere ſatagit; quare iracunda, contumelioſa, indigna dicit & agit, quibus quoſlibet ferit & ſauciat, premit & opprimit, nec pacari aut teneri ſe ſinit. An non hic grauior & moleſtior eſt ſaxo & arena quantumlibet graui? ſtultus enim ſuas iras ferre & moderari nequit, ſed ijs totum ſe obrui ſinit, ac ſe captiuum dat & mācipat, vti fecit Nabal; qui ſtulta indignatione oppreſſus mortuus eſt. 1. Reg. 25. Eâdē deinde premit & opprimit alios, in quos ipſam effundit.

Quarta.

Quartam ſuggerit verſio Septuag. *Et vix portabilis arena.* q. d. Arena portari nequit, nec eleuata & conſtipata, vti aliqui ex Hebr. vertunt, vtpote nimis denſa, oneroſa & grauis; nec diuiſa & minuta, quia grana & arenæ minutà manibus quis complecti & ſtringere nequit, quin plurima per digitos elabantur. Sic pariter ira ſtulti ſi eleuata ſit & exaggerata, id eſt, ſi prodeat ex magno animi tumore & faſtu, tam intolerabilis & inſuperabilis eſt, quàm inſuperabilis eſt eiuſdē faſtus; ſin parua & inſtar arenæ minuta ſit, pariter intolerabilis eſt, quia inſtar arenæ eſt plurima & innumera: ob quaſlibet enim cauſas minimas ſtultus iraſcitur, imò ſine cauſa indignatur, vociferatur, rixatur, verberat, & pugnas ciet. Quis talem ferat? vnde ſequitur: *Ira non habet miſericordiā, nec erumpens furor; & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Ira ergo ſtulti grauior eſt ſaxo, quia irrationabilis, quia impetuoſa & immodica, quia implacabilis, & ſedari nequit; cùm ſapientis ira ſit rationabilis, moderata, placabilis, iuxta illud Ouidij:

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis ira:
Et faciles animos mens generoſa capit.

Quinta.

Quinta eſt, quòd grauitas ſaxi & arenæ natura ſua feratur, quidem ad centrū terræ, ſed ab extre- A ma terræ ſuperficie, eiuſq; grauitate inhibeatur & ſiſtatur, vt in ea cōquieſcat: at ſtulti ira reipſa tendit, multoſq; ſecum ducit ad ipſum terræ centrū, putà ad gehennam & ad æternos ignes. Vnde Salomonem ſecutus Siracides c. 22. 17. *Super plumbū,* inquit, *quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quàm fatuus? Arenā, & ſalem, & maſſam ferri facilius eſt ferre quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium.*

Myſticè Beda: *Graue admodum eſt,* inquit, *vel vno aliquo crimine capitali, quaſi vaſti cuiuſdam ſaxi pondere premi, vel quaſi glareis arenæ, innumeris peccatis leuioribus onerari; ſed vtroque grauior eſt ira ſtulti. Quia nimirum hæc, quo certiùs quàm ſint mala pateſcunt, eo acriùs animum compungunt: ira verò, quia non corporale, ſed ſpirituale eſt vitium, quo minùs deprehenditur, eo ampliùs grauat: vnde non abſolutè iram, ſed irā ſtulti dixit, Nam* B *ſapientes quomodo actus ſuos ac ſermones, ita mentis quoque motus ſolerter examinare & caſtigare ſatagunt.*

Bedam ſecutus Dionyſ. clariùs idipſum explicat, dum ait: Graue eſt ſaxū, vt lapis molaris quodcumq; mortale peccatum, quòd ſuo mox pondere trahit ad aliud, & impœnitentem præcipitat in gehennam. *Et oneroſa arena,* conglutinata, ſeu multiplicata, vel venialium multitudo; ſed ira ſtulti id eſt hominis vitioſi, vtpote ira per vitium, non per zelum, vtroque eſt grauior ad portandum hominibus, niſi ſapientibus ac perfectis. Multis enim mortalibus peccatis, nō omnibus, ira eſt grauior, coram Deo atque hominibus. Hæc Dionyſ.

IRA NON HABET MISERICORDIAM, NEC ERVM- Verſ. 4.
PENS FVROR: ET IMPETVM CONCITATI SPIRITVS FERRE QVIS POTERIT?] Hebr. *crudelitas indignationis, & inundatio naſi* C (id eſt iræ; hęc enim in naſo ardente ſe oſtendit) *& quis ſtabit ad faciem zeli?* Pro *zeli* heb. eſt קִנְאָה *kina*, id eſt zelus, item æmulatio, inuidia, zelotypia. Septuag. *crudelis eſt indignatio & acuta ira, ſed nihil ſuſtinet zelus;* Chald. *crudelitas eſt indignatio & inundatio iræ, ſed quis ſtabit coram zelo?* S. Hieron. contra Ruffinum, *ſed zelus impatiens eſt;* Scholiaſt. *ſed zelus vtriſque difficilior.*

Primò, aliqui hæc referunt ad iram ſtulti, quæ præceſſit q. d. Ira ſtulti non flectitur vllis monitis vel precibus, quæ eum ad miſericordiā moueant, nec furor eius erumpens & ſæuiens; quis enim ferre queat impetum furoris eius, ſiue ſpiritus eius furentis? qui inſtar ſpiritus venti validiſſimi, ſua vi & violentia omnia perflat & ſternit, nec à quoquam teneri aut cohiberi poteſt.

Secundò, alij hîc tres iræ gradus notari putant, D gradatim enim ira increſcit: Primò, enim eſt ira, quæ quamdiu durat, expers eſt miſericordię, capax tamē adhuc rationis, ita vt homo maneat compos ſui: Secundò, ira increſcens fit furor, vt iam homo ſui & rationis ſit impos, & agatur furore, furatque & ſæuiat velut inſanus: Tertiò, ira & furor fit zelus, cùm non tantùm corpus & rationem, ſed & ipſum ſpiritum occupat, fitque impetus concitati ſpiritus, vt vertit Noſter, cùm ſcilicet ſpiritus iratus & furens omnes animæ corporiſque vires inflammat, eaſque conuertit & traducit ad ſumendā vindictam, qualis eſt ira Luciferi & dæmonum, damnatorum & deſperatorum.

Tertiò, alij veriſimiliùs putant hîc zelum, id eſt inuidiam, componi, opponi & anteponi iræ & furori. Hebræi enim non diſtinguunt iram à furore, ſed tantùm iram, ſiue naſum, id eſt indignationem, opponunt zelo ſiue inuidiæ, quā noſter vocat *impetum concitati ſpiritus.* q. d. Grauis & portatu

diffi-

difficilis eſt ira & excandeſcentia, cùm erumpit & ſæuit, ac longè grauior & portatu difficilior eſt zelus ſiue inuidia: ira enim citò tranſit inſtar venti & flammæ, vt ait poëta: *Ira furor breuis eſt*; at liuor & inuidia ſedem figunt in anima quam occupant, totumq; concitant ſpiritum ad nocendum ei cui inuident: quare difficulter eradicari poſſunt. Vnde Pagnin. vertit, *crudelitas eſt in ira, & impetus in furore, & quis ſtabit coram inuidia?* & Vatabl. *crudelis eſt ira, & impetuoſa iracundia* (vel *inundatio*, id eſt impetus conuenit *iracundiæ*) *at quis conſiſtet ante inuidiam?* q.d. *Inuidiæ non poſſumus reſiſtere, quamuis iræ poſſimus & homini iracundo.* Vnde Caſſian. collat. 18. c. vlt. de inuidia hanc gnomen exponens: *Nam vſque adeò*, inquit, *incurabilis eſt iſta pernicies, vt blandimentis exaſperetur, inflatur obſequijs, muneribus irritetur, quia, vt idem Salomon ait, nihil ſuſtinet zelus. Quanto enim ampliùs alius aut humilitatis ſubiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ ſtimulis incitatur; qui non niſi ruinā aut mortem eius, cui inuidet, concupiſcit.* Probat id exemplo filiorū Iacob Ioſepho fratri inuidentium: *Denique illorum vndecim Patriarcharum zelus, in tantum nulla obnoxij fratris ſubiectione potuit deliniri, vt de his Scriptura commemoret: Inuidebant antē ei fratres ſui, eò quòd diligeret eum pater ſuus, & non poterant ei loqui quidquam pacificum; donec zelus eorum; qui nulla germani obſequentis atque ſubiecti ſuſtinuit blandimenta, mortem eius cupiens, vix poſſet venditionis fraternæ crimine ſatiari. Cunctis ergo vitijs, pernicioſiorem atque ad purgandum difficiliorem eſſe conſtat inuidiā, quæ ipſis remedijs, quibus reliqua extinguuntur, accenditur.*

Poſſet quoque per קִנְאָה *kina*, id eſt zelus, accipi zelotypia, hæc enim eſt feruor, culmen & ſummitas zeli. Vnde videmus maritos zelotypos vxorum ſuarū, ex zelo fieri maniacos & inſanos: zelotypiam enim hanc ſtatam & permanentem nemo cohibere, nemo vincere, nemo ſuſtinere poteſt. Ita auctor Catenæ Græc. Vnde Chald. *quis ſtabit coram zelo?* & Septuag. *nihil ſuſtinet zelus.* Vide de vi zelotypiæ dicta cap. 6. 34. Huc facit illud S. Chryſoſt. lib. de Virginit. *Nihil ab hoc zelo hominem poteſt abducere, ſed omni vel commodorum cura, vel incommodorum ſollicitudine violentior iſta procella eſt. Etenim ea morbi iſtius inſania eſt, vt neque ſumpto de eo ſupplicio, à quo læſus ſit, dolorem æger abijciat. Itaq; multi adultero ſæpè ſublato neq; iram, neq; angorem tolerare potuerunt. Sunt etiam qui vxore iugulatā ijdem manſerint, vel maiore rogo conſumpti.* Idem etiam hom. 38. in Geneſ. ſic habet: *Qui zelotypia laborant, & bonū pacis amittunt, turbas & fluctus ſibi quotidie excogitant, nullamq; voluptatem habere poſſunt, interno bello omnia confundente, multamq; amaritudinem eis inuehente.*

Adde, inuidiam & zelum eſſe potentiorem ira & furore, quia zelus vtitur ira, eaque velut cote ſe exacuit. Vnde Nazianz. orat. 1. in laudem S. Athanaſij: *Iram*, inquit, *zelus exacuit.* q.d. Naturalem ipſius iræ aciem zelus elimat & acuit, adeoq; coram zelo qui iram diſtringit, eamque ignit, vt ignitus effulgeret, imò fulminet, nullus immunis tutuſq; conſiſtere poteſt.

Gnome de inuidia.

Parallelæ huic ſenſui ſunt gnomæ ſapientum quas citat Antonius in Meliſſa p. 1. c. 62. & Maximus ſer. 54. S. Baſilij: *Nullus affectus pernicioſior animis hominum innaſcitur, quàm inuidia: nam vt ærugo ferrum, ſic inuidia quam infecit animā conſumit.* S. Gregor. Nazianz. *Vtinam pereat ex hominibus inuidia, habentium ſe conſumptio & affectorum ærugo! ſola inter affectus iniuſtiſſima, ſimul & iuſtiſſima: iniuſtiſſima, quia præclaris omnibus moleſta eſt; iuſtiſſima, quia lædit eos à quibus fouetur.* Socratis: *Inuidia eſt ſerra animæ.* Cleoboli: *Duo maximè ſunt cauenda, amicorum inuidia; & inimicorum inſidiæ.* S. Chryſoſt. *O inuidia mortis radix, multiplex morbe, cordis acutiſſime claue! Quis enim clauus acutiſſimus tam pungit, quàm inuidia cor occupatum vulnerat?* Quocirca Euripides in Phœniſſis: *Inuidia*, ait, *dea eſt peſſima & iniuſtiſſima, maliſq; gaudet, & bonis triſtatur.* Et Palladas apud Stobæum ſer. 38. exclamat: *O maximam inuidiæ improbitatem! inuidus odit fortunatum, quem Deus amat. Adeò ſtolidè, & per inuidiam errat: manifeſtè enim contra Deum ipſum pugnat, maximam iram ex inuidia recipiens. Amandus eſt enim quem Deus amat.*

Quocirca Abbas Paſtor in Vitis Patr. lib. 5. libello 10. n. 45. dicebat: *Non habites in loco, vbi vides aliquos habentes aduerſus te zelum: quia ibi non proficies.* Ceteri quoq; ſapientes docent, prudentis eſſe ſtudioſè fugere inuidiam & inuidos quoad licet, non ita iram & iratos, quia inuidia vix ſuperari poteſt, & declinari à præſente nequit.

Vis zeli quanta.

Denique Hebr. *kina*, id eſt zelus, poſſet hic generatim accipi tam de bono, qui in obiectum bonum, quàm de malo, qui in malum rapitur, vt ſignificetur vis & violentia zeli cuiuſlibet eſſe potentior & efficacior ira ac furore. q.d. Sæua & violenta eſt ira furibunda, at ſæuior & violentior eſt zelus, hic enim omnes obices diſijcit vel tranſcendit, nihilque ei reſiſtere valet; vti Apoſtoli zelo Dei armati, ſubiugarunt orbem Chriſto, & Elias zelo Dei ignitus, vicit iras Iezabelis, & exercitum Baalitarum. Vnde Eliſæus ei in cælum rapto ſuclamauit: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius*, 4. Reg. 2. 12. Mathathias, eiuſq; filius Iudas Machabæus hoc zelo inſtructus, parua manu vicit iras Antiochi, eiuſque ingentes debellauit exercitus. Ariſtonymus in diatribis: *Inuidia*, ait, *tamquam malus demagogus honeſtis actionibus obſiſtit.* Ioſephus in opere de captiuitate: *Nihil*, ait, *inter omnia bona tam firmum eſt, quod inuidiæ perpetuò reſiſtat.*

Angelos facit zelus.

Præclarè S. Ambr. in pſal. 118. *Angeli quoque*, ait, *ſine zelo nihil ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittunt prærogatiuam, niſi eam zeli ardore ſuſtentent.* Vnde Pſaltes pſ. 103. 4. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Et inferius: *Ipſe Deus pater ait: Zelans zelabo Ieruſalem zelo magno: quia Deus magnus, ideo & zelus magnus eſt, & pro vniuſcuiuſque potentiæ qualitate, ita & zelus aut mediocris aut magnus eſt: zelo vindicatur Ieruſalem, zelo Eccleſia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia poſſidetur. Dominus quoque Ieſus ait, Zelus domus tuæ comedit me, increpans Iudæos, quòd domum orationis fecerint ſpeluncam latronum & domū negotiationis.* Et nonnullis interiectis explicans illud Cant. 8. 6. *Fortis vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio. Durus*, inquit, *zelus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus ſicut inferi, per quem peccato morimur vt viuamus Deo.* Et S. Chryſoſt. homil. 52. in Acta de zeloſo ita loquitur: *Qui igne Chriſti captus fuerit, talis fit qualis eſt homo ſolus ſuper terrā habitans: adeò nihil curæ eſt ei gloria & ignominia, tētationes autem ſic contemnit, & flagella; & carceres, quaſi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum ſi adamantinum poſſideret corpus. Quæ autem ſuauia ſunt in hac vita, ita videt & non ſentit, ſicut nos ipſi mortui corpora mortua: Et ſicut muſcæ in medium flammæ non incidunt, ſed fugiunt: ita & affectiones illos accedere non audent.*

Zelus enim eſt inſtar ignis qui omnia deuorat;

& in ſe tranſmutat. Vnde Chriſtus de hoc zelo loquens: *Ignem*, ait, *veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Lucæ 12.49. Audiant Chriſtiani S. Auguſt. tract. 10. in Ioan. *Vnumquemque Chriſtianum zelus domus Dei comedat. Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contriſtare ſi zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis ſanctis quod nuſquam decet, prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quieſcere. Tamen, ſi amicus eſt, admoneatur leniter: vxor eſt, ſeueriſſimè refrænetur: ancilla eſt, etiam verberibus compeſcatur. Fac quidquid pro perſona potes.* Húc zelum charitatis oſtendit Chriſtus apparens Carpo, vt illi zelum iræ & indignationis excuteret, *Feri*, inquit, *me: paratus enim ſum rurſum ſalutis hominum cauſa mortem perpeti: mihiq; hoc pergratum eſt, dum alij homines non peccant*, vti refert S. Dionyſ. ep. 8. ad Demophilum.

Vers. 5. MELIOR EST MANIFESTA CORREPTIO, QVAM AMOR ABSCONDITVS] Septuag. *meliores correptiones manifeſtæ, quàm abſcondita amicitia*; Auctor libr. de Amicitia apud S. Auguſt. *meliores ſunt correptiones, quàm tacita amicitia*, id eſt quæ lapſus amici tacet & diſſimulat, nec eos corripit & caſtigat. *Manifeſta correptio* non eſt publica, ſed aperta & libera: opponitur enim occultæ, quæ fit in corde, vel à tergo eius qui reprehenditur.

Quæres, quinà *amor abſconditus*? Primò, auctor Catenæ Græcorum reſpondet eſſe amorem fictũ & ſimulatum: vnde hunc verſum nectens ſequenti, ſic vtrumque ex Septuag. vertit & explicat: Melior eſt aperta reprehenſio, quàm ſimulata amicitia: ſicut maiorem quoque fidem & beneuolentiam teſtantur amici vulnera, quàm voluntaria oſcula inimici. Nam cùm ex amore illud ſe facere confingat, neque tamen faciat (ſiquidem ex animo non amat, ſed odio habet) fœdè contra amicitiæ leges peccat. Alius ibidem: Vtiliores ſunt, ait, amicorum correptiones, & manifeſta eorum vulnera qui peccata palàm arguunt, quàm illorum oſcula & adulationes, qui illa diſſimulant & tegunt. Nam cùm placere & prodeſſe hac ratione velint, magis obſunt. Hæc auctor Catenæ.

Secundò, Beda & Salon. amorem abſconditum cenſent eſſe amorem venereum; hic enim præ ſui turpitudine ex pudore quærit latebras in quibus ſe abſcondat. q. d. *Multò melius eſt aliquem, vt corrigatur, manifeſtè increpare, quàm ſtudio ſimul peccandi occultè diligere.* Aut q. d. Longè ſatius eſt palàm corripi, id eſt vexari, verberari, necari ob ſtudiũ virtutis, v. g. caſtitatis, quàm occultè mala perpetrare, v. g. fornicari. Sic Suſanna maluit periculo calumniæ, & lapidationis ſe exponere, quàm fornicari cũ ſenibus, Daniel. 13. Et Ioſeph maluit longũ pati carcerẽ, quàm heræ amoribus conſentire, Gen. 39.

Tertiò, Lyran. & Dionyſ. Amor abſconditus, inquiunt, eſt amor habitualis, qui in actum non exit. q. d. Præſtat actus charitatis, qualis eſt correptio fraterna, habitui charitatis otioſo, qui nihil operatur.

Quartò, Aben Ezra: Amor abſconditus, inquit, eſt correptio occulta. q. d. Vtilior eſt correptio publica correptione priuata & occulta. In publica enim correptus pudore ſuffunditur, & vitium emendat: verum ſæpè contrarium accidit. Ex publica enim correptione potentes & magnanimi grauiùs irritantur, & in odium corripientis exardeſcunt, quia vident ſe infamari: quare vt ſuam famam & decus tueantur, peccatum ſuum defendunt, in eoque ſe obfirmant.

Quintò & genuinè: *Amor abſconditus* eſt amor delicatus & puſillanimis, qui in corde ſe abſcõdit, nec audet amicum errantem corripere ex verecundia, vel ne eum contriſtet; quomodo matres ſæpè amore femineo omnia indulgent filijs, nec audent eos peccantes reprehendere. Ita R. Leui, Ianſen. & alij paſſim. Senſus ergo eſt: Amor qui ſe prodit corripiendo vitia amici, præſtat amori abſcondito, id eſt latenti, qui ſe non prodit, nec vitia carpit, ſed diſſimulat, vel etiam ea tegit & abſcondit: prior enim eſt amor maſculeus, cordatus, efficax; poſterior eſt femineus, abiectus, iners & inutilis, quà de cauſâ etiam correptio quæ ab inimico manat, vtilior eſt, quàm amor amici abſconditus & vitia diſſimulans; ille enim vitia emendat, hic diſſimulat, abſcondit & fouet. Quare Plutarch. in Moral. *Quemadmodum Telephus*, ait, *quoniam carebat amico, coactus eſt ab hoſte petere remedium ad medelam vulneris; ita qui habens liberos amicos, à quibus admoneantur, ſæpenumerò ab inimicis audiũt ſua vitia.* Vnde pro *amor abſconditus*, hebr. eſt מְסֻתָּרֶת *meſuttaret*, quod ſi alio puncto legas מְסַתֶּרֶת *meſatteret*, idem eſt quod *amor abſcondens*, ſcilicet amici vitia. Imò Baynus τὸ *abſconditus* accipit pro *abſcondens*. Sic pſalm. 67. 17. vocantur *montes coagulati*, id eſt coagulantes. Et Iob 20. 16. *tenebræ abſconditæ*, id eſt quæ res celant & abſcondunt.

Significat ergo hæc gnome veri amoris & amicitiæ eſſe, corripere vitia amici: hoc enim exigit charitas, & lex correptionis fraternæ ſancita à Chriſto, imò ab ipſa indole & natura amoris & charitatis, Matth. 18. 15. *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et Eccleſiaſt. c. 19. 13. *Corripe*, inquit, *amicũ, ne fortè non intellexerit, & dicat, Non feci: aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe ex amore, non ex rancore*, ait S. Auguſt.

Audi Auctorem libr. de Amicitia c. 27. apud S. Auguſt. tom. 4. hunc locum ex S. Ambroſio elucidantem. *Non ſolum arguendi ſunt amici, ſed, ſi opus fuerit, obiurgandi. Obiurgandus eſt amicus, ſi veritatem aſpernatur, & obſequijs atque blanditijs in crimen appellatur. Sed monitio acerbitate, obiurgatio contumelia careat. Ambroſius: Si quid vitij in amico deprehenderis, corripe occultè: ſi te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerumque meliores quàm tacita amicitia. Etſi lædi ſe putet amicus, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim ſunt amici vulnera, quàm adulantium oſcula.* *Amicus corripias amicum peccantem.*

Gnoma. Præclarè S. Auguſt. ep. 1. ad Bonifacium: *Moleſtus*, ait, *eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio: ille ligando, iſte cædendo; ſed ambo diligẽdo. Si autem iſtos negligant, & perire permittant, iſta potiùs manſuetudo falſa, crudelitas eſt. Si enim equus & mulus, quibus non eſt intellectus, morſibus calcibuſq; reſiſtunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cùm inter dentes eorum & calces ſæpè homines periclitentur, aliquando vexentur, non tamen eos deſerunt, donec per dolores & moleſtias medicinales reuocẽt ad ſalutem: quantò magis homo ab homine, frater à fratre, ne in æternum pereat, non eſt deſerendus? qui correctus intelligere poteſt quantum ſibi præſtatur beneficium, quando perſecutionem perpeti querebatur.*

Quocirca Clemens Alex. lib. 1. Pædagog. c. 25. *Reprehenſio*, inquit, *eſt velut quædam chirurgia animæ. Admonitio, eſt veluti quædam diæta ægrotantis animæ.*

Cle-

Clemens verò Roman. lib. 2. Conſtit. Apoſt. c. 45. *Tu igitur*, inquit, *vti clemens medicus peccatores omnes cura, vtens accommodatis ad ſalutem medicamentis, non modò ſecando, vrendo, nouaculam adhibendo; ſed etiam alligando, exiccando, inijciendo medicamenta lenia, cicatricem obducentia, emolliendo ſermonibus conſolatorijs. Si vulnus altum fuerit, refi*ci*to ſuaui vnguento, vt repletum reliquis partibus æquetur: ſi ſordes collegerit, nouacula purgato, hoc eſt ſermone ad incidendū idoneo: ſi intumuerit, id acri collyrio cōplanato, hoc eſt iudicij minis: ſi ſerpat, cauterio cohibeto, tabemq; exedito ieiunij acrimonia.*

Idem cenſuere philoſophi. Diogenes Cynicus dicere ſolebat, non tantùm fidis amicis, ſed etiam acribus inimicis opus eſſe, eò quòd illi nos admoneant, hi verò noſtros errores, vitæq; noſtræ flagitia reprehendant atq; caſtigent. Ita Laërt. l. 6.

Memorabile & imitabile eſt quod ſubijcio. B Demades orator cùm vidiſſet Philippum regem, largiùs potum, cum amicis ſaltaſſe per mediam captiuorum turbam, eiſq; petulanter exprobraſſe ſuam calamitatem, liberè dixit: *Cùm ô rex fortuna tibi Agamemnonis perſonam impoſuerit, non pudet te factis agere Therſiten?* Ea vox potum regem in diuerſum vitæ genus immutauit.

Vers. 6. MELIORA SVNT VVLNERA DILIGENTIS, QVAM FRAVDVLENTA OSCVLA ODIENTIS] Hebr. *fidelia vulnera diligentis, & ſuppliciter adulantia oſcula odientis.* Vbi licèt non ſit expreſsè τὸ *quàm*, quæ eſt nota comparationis, tamen tacitè intelligitur. Eſt enim antitheſis, qua opponuntur & præponuntur vulnera diligentis oſculis odientis, eò quòd illa ſint fidelia & ſincera, hæc adulantia & ficta. Quis enim non videt fidelia meliora eſſe ſimulatis & fictis? vnde Septuag. comparationem hanc exprimentes vertunt, *fideliora ſunt vulnera amici, quàm ſpontanea oſcula inimici*; & Chald. *pulchra* vel *placida ſunt vulnera diligentis, mala oſcula odientis.* Quis enim bonū, imò pulchrum non præferat malo? C

Huic affine eſt prouerbium Arabicum: *Inimicitia ſapientis præſtat amicitiæ ſtulti*; illa enim corripit & emendat, hæc blanditur & perdit: *quare inimicus ſapiens præſtat amico ſtulto.* Et illud Catonis apud Cicer. l. de Amicit. *Multò meliùs de quibuſdam acerbi inimici merentur, quàm amici illi qui dulces videntur.* Porrò S. Auguſt. tract. 6. in Ioan. *Habeamus*, ait, *veram pacem cum proximis, habeamus pacem columbinam: oſculantur enim ſe columbæ, oſculantur & corui. In columbis vera pax, in coruis falſa pax, quia oſculantur & laniant.*

Pro *fraudulenta*, hebr. נַעְתָּרוֹת *natharoth*, quod D Chald. vertit, *mala*; Septuag. *ſpontanea*, id eſt amica, beneuola; Tigurin. *coacta*; Aben Ezra & Vatabl. *conferta, denſa, ſpiſſa*, ſolent enim ficti iterare & denſare oſcula; Pagnin. & Caiet. *multa*; Symmach. *turbata*; optimè Aquila, *ſupplicantia*, id eſt ſuppliciter blandientia, orantia & adulantia. Radix enim עָתַר *athar*, ſignificat ſupplicare, orare, diſſuauiari, ſiue ſuauibus verbis blandiri, vt quid impetres.

Senſus eſt clarus: probat enim id quod dixit v. præced. manifeſtam correptionem eſſe bonam, imò meliorē amore abſcondito, ex eo quòd meliora ſint vulnera amantis, quàm oſcula odientis. Significat ergo quòd ſicut odium habet oſcula amara, ita ex aduerſo amor habet vulnera ſuauia & dulcia. Talia ſunt vulnera mortificationis & charitatis ſe vel ſuos mortificantis. *Meliora* ergo, id eſt mitiora & ſuauiora, non ſolùm quia charitas vulnerat vt medeatur ægris, ſed quia ſua dulcedine inuoluta leniter & ſuauiter ferit: illa enim procedunt ex amore, hæc ex rancore & odio: illa ſanant, ac proinde nō tam vulnera ſunt quàm pharmaca, hæc ſeducunt, ac in laqueos & exitium inducunt; illa fidelia ſunt & ſincera, hæc fucata & fraudulenta: illa manant ex ſtudio ſaluandi, hæc ex animo decipiendi & perdendi. Vulnera amantis hebr. vocantur *fidelia*, tum quia ſincera ſunt, nō proditoria; tum quia ex fidelitate & fideli amore manant; tum ad fidelem finem diriguntur, vt ſcilicet amicus corripiatur & malis ſubducatur, ait R. Leui; tum quia fidem in amico excitant, vt is ſe amanti, eſto vulneranti, tutò & ſecurè credere & committere poſſit, ait Baynus: tum denique *fidelia*, id eſt firma & valida, quia eum qui caſtigatione indiget, publicè vulnerant, & contendunt vt emendentur, ait Aben Ezra.

Per vulnera intellige correptionem ſeueram, quæ animam percellit & ſauciat, atque caſtigationem etiam ſeriam, qua cùm opus eſt corpus verberetur, flagelletur & cruentetur.

Porrò vulnera infidelia vocant medici, vt Galenus, & ex eo Celſus l. 1. ea quæ curant quidem morbum, ſed partem inciſam lædunt, v. g. dum ita vena inciditur, vt neruus lędatur; fidelia verò, quę ita temperata ſunt, vt curent, non lædant, quæ ſcilicet non penetrant intima, ſed cutem tantùm aperiunt, vt carnem putridam eximant, integram verò non tangant. q. d. Correptiones quas amās amato ad eius bonum, putà ad vitiorum emendationem, exhibere tenetur, vulnera eſſe debent vitium tangentia & eximentia, non famam lædentia, ac proinde non iniurioſa, non iracunda, non exprobrantia, non conuiciantia: hæc enim plagas veteres nō curant, ſed nouas infligunt. Nam, vt ait S. Iſidor. l. 3. de Summo bono c. 91. *Qui delinquentem ſuperbo vel iniurioſo animo corripit, non emendat ſed percutit.* Vnde Chald. vertit, *pulchra* vel *placida ſunt vulnera amici*, tum quia placent correpto, cùm oſcula fraudulenti ſummè diſpliceant, tum quia eius animum ſerenant, placant, componunt ad modeſtiam, grauitatem omnemque decus & virtutem: ſic pulchra ſunt vulnera, quæ miles recipit ab hoſte, dum fortiter cum eo cominus decertat: hæc enim vulnera ſunt notæ & ſigna eius fortitudinis & generoſæ dimicationis. Pulchriora ſunt vulnera Martyrum, de quibus Poëta:

Pulchramq; petunt per vulnera mortem.

Hæc enim Martyres velut coronæ & laureæ triumphales ornant. Vnde S. Auguſt. l. de Conflictu vitiorum: *Genus*, ait, *quoddam martyrij eſt non ignobile, reprehendentes æquanimiter ferre.* Sicut ergo corpora Martyrum glorioſa in cælo, ſeruabunt vulnerum ſuorūm vibices & cicatrices, quaſi teſſeras ſuæ paſſionis, martyrij & triumphi (vti eadem de cauſa Chriſtus ſeruabit ſuas) vt eas in omne æuum Domino, Angelis & Beatis glorioſè oſtentent: ſic pariter qui correptiones, increpationes & caſtigationes ceu vulnera humiliter, patienter & amanter ſuſcipiunt, hi pulchras illarum vibices & notas martyrij æmulas, glorioſè in die iudicij toti mundo oſtentabunt.

Ex aduerſo fraudulēta oſcula inimici ſunt oſculanti probroſa, oſculato noxia & exitialia: de quibus Clemens l. 2. Pædag. c. 9. *Eſt aliud*, ait, *quoddam oſculum inceſtum, veneno plenum, ſanctitatem ſimulans. An neſcitis quòd etiam phalangia ſi ore tantùm tangant, graues dolores hominibus afferant?* Phalangium eſt genus

nus aranearum, quod ſi vel leuiter carnem tangat, venenum inſtillat, & per membra diſpergit, quod grauiter ea cruciat. Idem facit qui doloſè oſculatur amicum. Fraudulentum fuit oſculũ Iudæ quo prodidit Chriſtum, de quo S. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ ad illa verba: *Iuda oſculo filium hominis tradis?* ſic ſubnectit: *Amoris pignore vulnus infliges? charitatis officio ſanguinem fundis? & pacis inſtrumento mortem irrogas? ſeruus dominum, diſcipulus prodis magiſtrum, electus auctorem? Hoc eſt illud. Vtiliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.* Idem S. Ambroſ. l. 1. Offic. c. 34. *Beneuolentia,* inquit, *gladium iracundiæ extorquere conſueuit. Beneuolentia facit, vt amici vulnera vtilia magis quàm voluntaria inimici oſcula ſint, &c. Simul aduertimus etiam corruptiones in amicitia gratas eſſe, quæ aculeos habent, dolorem non habent. Compunguntur enim cenſorijs ſermonibus, ſed beneuolentiæ delectamur ſedulitate.*

Porrò hæc gnome varijs particularibus caſibus aptari poteſt. Primò pueris & diſcipulis. q. d. Meliora ſunt verbera patris & magiſtri filios vel diſcipulos peccantes caſtigantis, quàm oſcula ſociorum illos seducentiũ. Quocirca in Belgio parentes & magiſtri honeſtiores ita inſtituunt filios & diſcipulos, vt, poſtquam ab ijs vapularint, iubeant eos manum patris vel magiſtri, qui eos flagellauit, aut etiam ferulam vel virgas ipſas, quibus flagellati ſunt, oſculari, vt hoc modo oſtendant ſeſe humiliter amanter caſtigationem velut diſciplinam paternam ſuſcipere, omnemq; rancorem ex animo deponere, imò patri gratias agere, quòd hanc eis errati ſui medicinam ſalubrem propinarit. Imitantur hi S. Auguſt. cuius teſte Dionyſ. hoc loco, iſta eſt vox: *Si me poſſes docere quod neſcio, non ſolùm verbis reprehendentem, ſed & pugnis cædentem, deberem patientiſſimè ſuſtinere.*

Rurſum hæc gnome competit amico corrigenti lapſum vel errorem amici, vt S. Auguſt. correxit ſententiam S. Hieronymi, putantis S. Paulũ non verè, ſed ſimulatè reprehendiſſe S. Petrum Galat. 2. Hinc ipſe epiſt. 19. ad S. Hieron. *Neſcio,* inquit, *vtrùm Chriſtianæ amicitiæ putandæ ſunt, in quibus magis valet vulgare prouerbiũ: Obſequium amicos, veritas odium parit; quàm Eccleſiaſticum. Fideliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.*

Fraudulentũ pariter fuit oſculum Ioab 2. Reg. 20. 9. quo oſculans Amaſam ei dixit: *Salue mi frater: & tenuit manu dextera mentũ Amaſæ, & percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram.* His doloſis oſculis meliora erant vulnera Pauli, inceſtuoſum tradentis ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus eſſet in die Domini, 1. Corinth. 5.

Audi S. Chryſoſt. hom. de reprehenſionibus ferendis & conuerſione S. Pauli: *Sanè inimicum me laudantem quidem probo, amicum verò etiam reprehendentem amplector. Ille etſi me oſculetur inſuauis eſt, hic etſi vulneret amabilis: illius oſculum ſuſpicione plenum eſt, huius vulnus medicamenti vim habet. Propter hoc dicit quidam: Fideliora ſunt vulnera amici, quàm blanda oſcula inimici. Quid dicis? vulnera amicorum fideliora dicis: non enim ad naturam eorum quæ fiunt, ſed potiùs ad affectionem eorum, qui faciunt, attendit. Vis diſcere quomodo fideliora ſunt vulnera amici, &c. Oſculatus eſt Dominum Iudas; ſed oſculo ſuo prodidit venenum quod habebat os eius, malitiaq; impleta erat lingua eius. Paulus vulnerauit eum qui apud Corinthios ſcortatus fuerat, ſed ſaluauit, &c.*

Secundò, hæc gnome aptari poteſt reis, qui à iudicibus & magiſtratu puniuntur, putà flagellantur vel capite mulctantur. q. d. Meliora & fideliora ſunt vulnera inflicta reo à iudice, quàm oſcula fraudulentorum qui eos ad ſcelus illexerunt: vulnera enim hæc procedunt ex amore iuſtitiæ, quo iudex reum amat, ideoq; iuſtè plectit, ne deinceps peccent: & ex amore reipubl. vt cæteri timore ſimilis pœnæ à peccatis abſtineant, itaq; reſpubl. in pace & iuſtitia degat.

Vnde S. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium, ex hoc loco, & ſimilibus docet charitati Chriſtianæ non repugnare, ſed conſentaneum eſſe, vt principes cogant hæreticos redire ad fidem orthodoxã, propoſitis pœnis non tantùm confiſcationis bonorum, ſed & capitis vitæque: *Non omnis,* inquit, *qui parcit amicus eſt, neque omnis qui verberat inimicus: meliora ſunt verbera amici, quàm voluntaria oſcula inimici; melius eſt cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus moleſtus, ambos amat. Quis nos poteſt amplius amare quàm Deus? & tamen nos non ſolùm docere ſuauiter, verùm etiam ſalubriter terrere non ceſſat, fomentis lenibus, quibus conſolatur, ſæpè etiam mordaciſſimum tribulationis medicamentum adiungens.* Idem etiam contra literas Petiliani: *Malim,* inquit, *me obiurgatione miſericordi ſanari, quàm blanda adulatione, tanquam mihi caput vngatur, decipi atque peruerti: meliora enim ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.* Porrò verba hæc S. Aug. tranſlata ſunt in Ius canonicum, & habentur 5. q. 5. c. 2. in princip. & 23. q. 4. c. *nimium.*

Tertiò, hæc gnome aptari poteſt quibuſuis fidelibus, quos Deus caſtigat per tribulationes famis, morbi, belli, perſecutionum, &c. Hæc enim vulnera ſunt pharmaca, imò philtra Dei, quę Deus ex amore ſummo nobis propinat, vt à carne, mundo & peccatis ad ſe, id eſt ad ſpiritum, virtutem & cælum traducat, & cùm caro, mundus & dæmon illecebris ſuis velut fallacibus oſculis non decipiant, & in interitum ducant. Vnde S. Chryſ. hom. iam citata, vulnera à Deo Adæ inflicta opponens blandis diaboli oſculis, quibus per ſerpentem Adamum ſeduxit: *Verùm inquiramus,* inquit, *quomodo hoc dicturus non ſolùm in hominibus, ſed & in Deo, & diabolo habent locum. Ille enim amicus, hic inimicus; ille ſaluator & curam noſtri gerens, hic inimicus & deceptor. Et hic quidem aliquando dedit oſculum, ille vero vulnus inflixit. Et quomodo hic oſculatus eſt, & ille vulnerauit? Hic quidem dixit: Eritis ſicut dij, ille autem: Terra es, & in terram abibis. Vter igitur magis profuit, hunc qui dixit, Eritis ſicut dij; an ille qui dixit, Terra es, & in terrã abibis? Ille mortem interminatus eſt, hic immortalitatem promiſit. Atqui hic qui immortalitatem pollicitus eſt, è paradiſo eiecit; ille verò qui mortem comminatus eſt, in cælis innexit. Vides quomodo fideliora vulnera amici, quàm blanda oſcula inimici?* Subijcit deinde: *Proinde hoc primum declarare volui, quòd gratiam habeam his qui me arguunt. Amici enim ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, arguunt, non improbare volunt, ſed hoc faciunt vt emendent. Inimici autem etſi iuſtè reprehendunt, hoc tamen agunt non vt corrigant, ſed vt exſibilent: ſicut & illi dum laudant, hoc vnum ſpectant vt meliorem reddant; & hi dum laudãt, ſtudent quomodo ſupplantare poſſint.*

Quartò, hæc gnome aptari poteſt prædicatoribus veris ſeuerè in vitia detonantibus, & falſis qui vitijs potentũ adulantur. Vnde Philo Carpathius in cap. 6. Cantic. *Nec durum,* inquit, *illi eſt aſperius increpari, modò id Domino placiturum intelligat: vnde*

Salomon, *Meliora ſunt verbera diligentis, quàm fraudulenta oſcula inimici: hæc enim ad ſalutem perennem ſeruiunt, illa miſerrimè occidunt. Vtinam ab his verberibus aſſiduè cæderetur ſponſa Chriſti* (ſcilicet Eccleſia) *non enim tot (heu miſeri!) Chriſtiani quotidie per aſſentationes prædicantium miſerrimè perirent.* Et poſt nonnulla eos qui hæc vulnera ex amore auditoribus infligunt, ita condecorat: *Hi ſunt qui ſanctiſſimè cædunt, & ſaluberrimè vulnerant, & ab his cupiant peccatores ſibi vulnus infligi, & ab his velle curari: ab his enim ſatius eſt ad tempus occidi, quàm ab adulatoribus ad gehennam exoſculari.*

Et S. Ambroſ. in pſal. 118. octon. 5. *Nos quoque,* inquit, *vulnus confitemur, cùm prædicamus Chriſtum crucifixum, ſed bonus odor ſumus Deo, &c. Hoc vulnere Eccleſia vulneratur, cùm Saluatoris ſui prædicat mortem. ſed hoc vulnus eſt charitatis. Denique qui non credit negat, qui diligit confitetur. Manichæus negat, Chriſtianus fatetur, & ideo ſcriptum eſt: Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici. Pulchrè ergo dicis Eccleſia, Quia vulnerata charitate ego ſum. Nudemus membra noſtra bono vulneri, nudemus ſagittæ electæ. Sagitta hæc Chriſtus eſt, qui dicit: Poſuit me ſicut ſagittam electam. Bonum eſt ergo hac vulnerari ſagitta.* Ac deinde hæc vulnera adaptat Martyribus: *Non omnes,* inquit, *poſſunt dicere, quia vulnerati ſunt dilectione. Dicebant Apoſtoli, cùm pro Chriſto lapidarentur, & Chriſtum prædicarent. Dicebat Paulus, cùm ter virgis cæderetur, & die ac nocte Chriſtum adorandum Gentibus diſputaret. Dicunt hoc Martyres, qui vulnerantur pro Chriſto, & quia vulnerari pro eius meruerunt nomine, plus diligunt.*

Myſticè, idem S. Ambr. in pſal. 111. octon. 18. in fin. per *vulnera* accipit mortificationem carnis, quam fidelis amore Chriſti ſibi infligit, quæ melior eſt blanditijs, quibus caro doloſè nobis adulatur.

VERS. 7. ANIMA SATVRATA CALCABIT FAVVM, ET ANIMA ESVRIENS ETIAM AMARVM PRO DVLCI SVMET] Hebr. *& animæ famelicæ omne amarum dulce;* Septuag. *anima quæ in ſaturitate eſt fauis illudit, egenti etiam amara dulcia videntur;* Caſſian. collat. 12. cap. 14. & 15. legit, *animæ eſurienti;* Chald. *& animæ eſurienti quidquid amarum eſt dulce eſt;* Syrus, *animæ eſurienti etiam amara dulcia erunt.*

Grammaticè, ſiue in cortice literæ, hac gnome ſignificatur ſaturitatẽ parere ciborum faſtidium; famem verò afferre ſaporem & delectationem: qui enim ſatur eſt, faſtidit omnes cibos etiam delicatiſſimos; qui verò eſurit, omnes cibos quantumuis inſulſos & amaros, iudicat ſuaues & gratos. Vnde illud: *Optimum cibi condimentũ eſt fames, potionis ſitis.* Et illud: *Fames efficit vt crudę fabæ ſaccharum ſapiant: præter ſeipſam edulcat omnia fames.* Et illud Lucij: *Copia rerum faſtidium parit.* Hinc Socrates in multam veſperam inambulans ante fores, rogatus quid ageret? *Paro,* inquit, *condimentum in cœnam.*

Fames dulcorat cibum.

Parabolicè verò & pręcipuè, ſub hoc cortice & grammatico literę ſenſu, hac parabola, ſignificatur Primò, quantum diſtat, imò præſtet paupertas diuitijs, ac inopia opibus & rerũ copia. Diuites enim cùm omnibus abundent, ſemperque ſint ſaturi, etiam delicatiſſimos cibos faſtidiunt, ſemper aliquid quęrentes quod appetitum excitet, & palato ſapiat. Pauperes verò qui multam ſæpè eſuriem patiuntur, raroq; plenum habent ventrem, etiam ſiccum panem ac puram aquam auidiſſimè & cum voluptate ſumunt, quæque alijs inſipida ſunt & inſuauia, illis optimè ſapiunt. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt,* ait Iob c. 6. v. 7. Hinc facit prouerbium Arabum: *Omni calceo calceatur nudipes.* q.d. Pauper defectu meliorum, vilioribus quibuſque contentus eſt & gaudet.

Exempla clara ſubijcio. Ptolemæus Lagi filius, cùm peragranti Ægyptum comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, negauit vllum cibum vnquam ſibi viſum ſuauiorem. Aderat enim optimum condimentum fames. ita Cicero lib. 5. Tuſc. quæſt.

Exempla.

Darius in fuga cùm aquam turbidam & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit vnquam ſe bibiſſe iucundiùs. Nunquam autem vel perrarò ſitiens biberat. ita Cicero lib. 5. Tuſcul.

Artaxerxes cùm in fuga quadam direpto illius commeatu, aridis ficis & hordeaceo pane veſceretur, *Dij boni,* inquit, *eiuſmodi voluptatis hactenus inexpertus fui.* ita Plutarch. in Reg. & Imp. apophth. Artaxerxi iam ſiti deficienti Peribarzanes eunuchus, cùm aliud non liceret, à ruſtico quopiam ſordidum vtrem detulit, putris aquæ cotilas octo continentem; eam aquam cùm rex ebibiſſet, ſe nunquam vinum potaſſe iucundius, nec vllam aquam quamuis puriſſimam, ſibi viſam ſuauiorem confeſſus eſt.

Secundò, voluptatem conſiſtere non in rerum abundantia & ſaturitate, ſed fame & deſiderio. Sicut enim ſaturitas nauſeam, ſic fames & deſiderium pariunt voluptatẽ, cùm quis re deſiderata fruitur; deſideriũ enim omnia facit ſapida & dulcia. Quocirca bona huius vitæ magis æſtimantur ab hominibus ex appetitu & deſiderio ipſorum, quàm ex rebus ipſis. Sæpè enim videmus nos aliquid vehemẽter appetere, & vt illud aſſequamur, omnẽ laborem paruipẽdere, ac mirè gaudere dum illud adipiſcimur: at verò vbi, deſiderio expleto, re illa ſaturi ſumus, parui illam pendere, & tandem faſtidire. Docet hoc præclarè S. Chryſoſt. homil. *Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo: A prudentibus,* inquit, *ita definitur, quia hæc ſit ſola voluptas cum quis deſiderijs ſuis fruitur. Vbi verò frui deſiderijs non poteſt, dum vel ægritudo non, vel ſatietas ipſa deſiderari nõ facit, quæ oneroſa efficit abundantia, ſine dubio & voluptas in eis pariter & iucunditas perit. Denique conſidera ægros qui faſtidio perurgentur, quomodo, quamuis ſuaues eis & lauti apponãtur cibi, horrori tamẽ eos magis accipiunt, quàm voluptati. Sic ergo cùm per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter & voluptas ac iucunditas perimitur, quia non tam ciborum gratia, quàm deſiderij gignit ſatisfactio voluptatem. Vnde & ſapiens quis, atque in horum diſciplina philoſophari bene ſciens aiebat; Anima in ſatietate poſita fauis illudit, oſtendens etiam ipſe, quia voluptas non in natura, vt diximus, ciborũ, ſed in deſiderij vigore conſiſtit.* Probat deinde eleganter idipſum ex petra, quæ percuſſa à Moiſe Hebręis ſitientibus in deſerto aquam & potum dedit, pſal. 80. *Propter hoc & Propheta mirabilia enarrans, quæ in Ægypto geſta ſunt, quæq; in eremo, inter cetera etiam hoc dicit: De petra melle ſaturauit eos. Equidem nuſquam inuenimus mel fluxiſſe de ſaxo, quid ergo eſt quod dixit? Quoniam quidem poſt multam itineris defatigationem & laborem, ſitientes aquis frigidis è ſaxo fluentibus fruebantur, eaſq; multo cum deſiderio hauriebant. Hoc ipſo ergo quòd dulciſſimè & deſiderabiliter potandi cupiditas explebatur, aquas illas mel appellauit, non quòd natura aquarum fuerit commutata, ſed quòd dulcedo poculi inſtar mellis ſitientibus & deſiderantibus obtineret dulcorem.*

Voluptas non in ſatie. ſed in fame.

Idem locum habet in rebus ſpiritualibus. Multi enim

enim ex continua pia lectione & quotidiana cōfeſſione, communione, ſacrificio, horis, &c. ſaturitatem quamdam, & ex ea tædium nauſeamq; concipiunt, quibus remedium hoc dat Caſſianus, vt quotidie famem & deſiderium rerum ſpiritalium, licet earumdem, excitent, quaſi prima hæc, noua & hactenus inaudita eis foret pia lectio, collocutio, communio, iuxta illud Thomæ Theodidacti l. 4. de Imitatione Chriſti c. 2. *Ita magnum*, inquit, *nouum & iucundum tibi videri debet cùm celebras, aut Miſſam audis, ac ſi eodem die Chriſtus primùm in vterū Virginis deſcendēs homo factus eſſet, aut in cruce pendens pro ſalute hominum pateretur & moreretur.* Sed audi Abbatem Neſterotē apud Caſſian. collat. 14. c. 13. *Illud omni obſeruantia cuſtodire te conuenit, vt, etiamſi ea quæ optimè noſti fortè audieris in collatione proferri, non ex hoc quod tibi iam nota ſunt aſpernāter faſtidioſeq; ſuſcipias; ſed ea cordi tuo illa auiditate commendes, qua debent deſiderabilia ſalutis verba vel auribus noſtris indeſinenter infundi, vel de noſtro iugiter ore proferri. Euidens namque eſt tepidæ ac ſuperbæ mentis indicium, ſi verborum ſalutarium medicinam, quamuis ſtudio nimiæ aſſiduitatis ingeſtā, faſtidioſè negligenterq; ſuſcipiat. Anima enim, quæ in ſatietate eſt, fauis illudit; animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur.*

B Hinc Abbas Chæremon collat. 12. c. 5. propēdenti ad perfectionem quotidie acuendum eius deſiderium eſſe docet. Nam, inquit, *quem ſemel eius deſiderium accenderis, famem, ſitim, vigilias, nuditatem, cunctos labores corporis non ſolùm patienter, verùm etiā libenter ſuſtinere compellit. Vir enim in laboribus laborat ſibi, & vim facit perditioni ſuæ. Et iterum: anima autem egenti etiam amara dulcia videntur. Aliàs namque non poſſunt deſideria præſentium rerū reprimi vel auelli, niſi pro iſtis affectibus noxijs quos cupimus amputari, alij ſalutares fuerint intromiſſi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis abſq; alicuius deſiderij vel timoris, gaudij vel mœroris affectione ſubſiſtere, niſi hæc eadem in bonā partē fuerint immutata. Et idcirco ſi carnales cōcupiſcentias de cordibus noſtris deſideramus extrudere, ſpiritales earum locis plantemus protinus voluntates, vt his noſter animus ſemper innixus & habeat quibus iugiter immoretur, & illecebras præſentium ac temporalium reſpuat gaudiorū.*

C Tertiò, hæc gnome docet moderatè vtendum eſſe creaturis omnibus, licet iucundis, etiā ſtudijs & ſcientijs, quia voluptates commendat rarior vſus. Vnde illud: *Omnis ſatietas mala, ſtudiorum autem peſſima.* Audi S. Chryſoſt. orat. 6. de prouidentia, ſiue de fato, quæ extat ſub finem tomi quinti: *Si voluptatē quærimus, in eo quod ſatis, potiùs quàm in delicijs inueniemus. Audi quomodo in eo maior, quàm in his, & vberior voluptas eſt. Hæc enim moderari ſeipſam de cetero non poteſt, neque naturam ſanguinum idoneam ſibi inuenit, illa verò contrà ſibi moderari poteſt. Quis hoc ait? qui maximè ex omnibus eâ fruebatur. Animæ, inquit, vacuæ, quæ amara ſunt, dulcia videntur: anima ſatiata etiā cum fauo ludit: ſi enim in abundantia ne fauum quidem experimus, quid volupe poteſt eſſe de cetero? Si id quod ſuauiſſimum eſt, afferre voluptatem non poteſt, quid poteſt nos in voluptate conſtituere? quare ſi voluptatem quærimus, hîc magis, id eſt in paupertate, inueniemus.*

Moderatè vtere voluptate vt ſapias.

D Symbolicè aliqui ſic exponunt. q. d. Senes qui ſaturi ſunt voluptatum carnalium, eas calcant & faſtidiunt; at iuuenes qui eas eſuriunt, pro ijs omnem laborem ſuſcipiunt, dulcemq; æſtimant.

Myſticè, Beda, Salon. & Hugo: *Anima diuitum (qui habent conſolationem ſuam in hoc ſæculo, de quibus dicitur in Euangelio: Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis) anima, inquam, diuitum fauum calcat, quia pro terrenis bonis ſpernit dulcedinem regni cæleſtis: anima verò eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet, quoniam qui eſurit ac ſitit iuſtitiam, omnem huius vitæ aduerſitatem auidè ſumit pro amore cæleſtis patriæ.* Sic & auctor Catenæ Græcor.

Contrariè, ſed magis appoſitè Ianſen. vt ſaturitas in bonam partem, eſuries in malam capiatur. q. d. Qui iam ampliùs nō eſurit temporalia bona, ſed animo rebus diuinis adiuncto ſatur eſt de illis, contentus victu & amictu, & per illa iudicans cum Paulo ſe habere omnia, faſtidit hęc omnia terrena, quæ alij dulciſſima ducunt. Contrà verò qui inſatiabili tenentur vel honorum, vel voluptatum huius vitæ cupiditate, res iſtas caducas, & voluptates huius vitæ (quæ reuera ſunt amaræ ijs qui cæleſti ſapientiâ ſunt imbuti, & palatum non habent infectum) dulces iudicant, virtutibus animæ & cæleſtibus rebus eas anteponentes, quod verè eſt amarum pro dulci ſumere. Iuxta hanc enim adaptationem faſtidium eſt in eiſdem rebus, in quibus eſt ſaturitas; item eſuries earumdem rerum, quæ tamquam dulces ſumuntur: cùm in priori non ita ſit, quod tamen vera parabolæ intelligentia videtur requirere.

Accedit Dionyſ. Anima, inquit, ſaturata conſolatione interna ex cōtemplatione & guſtu ſummi & incircumſcripti boni calcabit fauum, id eſt omnia terrena oblectamenta.

Vers. 8. SICVT AVIS TRANSMIGRANS DE NIDO SVO, SIC VIR QVI DERELINQVIT LOCVM SVVM] Arabicus, *locum ſuum.* Nonnulli, vt Aben Ezra, Clarius, Baynus, Vatabl. hanc gnomen in bonam partem accipiunt. q. d. Sicut auis vt cibum quærat, de loco in locum auolat; atque tempore hiemis, vt frigus fugiat, in regionem calidam tranſmigrat: ſic pariter qui rebus ſuis ſtudet, non deſidet domi ſocors & piger, ſed inde euolat in forum, in agrum, imò in alienas regiones, vt ſibi ſuiſq; vitæ neceſſaria conquirat.

Verùm alij paſſim hanc gnomē in malam partem accipiunt. Taxat ergo eos, qui ſine iuſta cauſa ex animi leuitate, mobilitate & inconſtantia inſtar auium, temerè ex vno loco in alium & alium migrant, vti faciunt vagabundi. Heb. enim נָדַד *nadad* ſignificat vagari, agitari, fugere, celeriter tranſire. Vnde hebr. habent, *ſicut auis vagans à nido ſuo ſic vir vagans à loco ſuo*; Vatabl. *homo qui de loco ſuo migrat, ſimilis eſt paſſerculo derelinquenti nidum ſuum*; Syrus, *ſicut auis transferens nidum ſuum, ſic qui inſtabilis mutatur à loco ſuo.*

Dixi, ſine iuſta cauſa, quia iuſta cauſa facit vt mutatio loci ſit honeſta, vtilis & neceſſaria. Iuſta autem cauſa eſt triplex: Prima, neceſſitas; Secunda, vtilitas; Tertia, pietas. Neceſſitas eſt, cùm quis ob famem, peſtem, bellum, &c. locum mutat; vti fecit Noëmi ob famem peregrinans in Moab, quæ tamen ibidem maritum, filios & opes perdidit; ſed vnam Ruth ſecum reduxit & conuertit, ex qua prognatus eſt Chriſtus, Ruth 1. Rurſum neceſſitas eſt, cùm vrget perſecutio; vti Elias fugiebat perſecutionem Achab & Iezabelis, & S. Athanaſius exul & profugus toto orbe vagatus eſt per quadraginta ſex annos ob perſecutionem Arianorum. De talibus ait Apoſtolus Hebr. 11. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus nō erat mundus: in ſolitudinibus errātes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.*

Tres cauſæ mutandi locum.

Vtilitas

Vtilitas eſt, cùm quis cauſa mercaturæ abit in exteras regiones vt ſe ditet, & merces reipubl. vtiles adducat. Rurſum cùm quis creatur ſenator, Præſes, Epiſcopus, vice rex alterius vrbis aut prouinciæ.

Pietas eſt, cùm quis iuſſu Dei peregrinatur, vt fecit Abraham, Iſaac & Iacob; *confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram: expectabant enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus*, Hebr. 11. 11. Rurſum cùm quis ingreditur Religionem, in eaq; ex vno monaſterio vel collegio in aliud, ex vna prouincia in aliam mittitur: ſed hic vbique eſt domi; vtpote coſmopolita & ciuis mundi, qualem ſe eſſe dicebat Socrates. Religioſus enim vbique inuenit ſui inſtituti Patres & Fratres, vbique idem vitæ Religioſæ genus, eamdem diſciplinam, pietatem, charitatem, adeoque iuxta centuplum à Chriſto promiſſum centum domos, patres, matres, fratres pro vna quam Dei amore reliquit, recipit. Maior pietas eſt, cùm quis ex zelo euangelizandi peregrinatur ad hæreticos vel Paganos, v.g. ad Indos, Iapones & Sinas, vti fecerunt Apoſtoli, & hodie faciunt viri zeloſi Apoſtolicæ vitæ æmuli.

Porrò hiſce cauſis ceſſantibus, ex ſola animi mobilitate migrare de loco in locum, indecorum eſt, inutile & noxium, varijs de cauſis.

Mutare locum noxiũ. Primo. Prima eſt, quòd talis careat quiete & ſtatu, cum vbiq; ſit vagus & peregrinus: nuſquam enim habet propriã domum vel cubiculum, in quo quietè degat, ſed vbique eſt velut in hoſpitio & taberna communi. Hæc enim vaga vita miſera eſt, eoque miſerior quo manat à vago animo, cuius eſt index. Verè Seneca epiſt. 2. *Primum argumentum*, inquit, *compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari.* Et mox: *Nuſquam eſt qui vbique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt ijs, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur: non conualeſcit planta, quæ ſæpius transfertur, nihil tam vtile eſt, quod in tranſitu proſit.*

Secunda. Secunda eſt, quòd vagabundus non poteſt attendere educandis filijs, inſtruendæ & augẽdæ familiæ, comparandis vitæ neceſſarijs, quia in perpetuo eſt motu & mutatione, ideoque eſt inſtar auis, quæ nec opes nec familiam inſtruit, ſed in iugi eſt volatu, imò aue eſt deterior: auis enim dum oua incubat & pullos fouet, donec ij adoleſcãt, & cibũ ſibi quærere queant, manet in nido, vt pullis ſolatium: vagabundus autẽ & vxorem & filios & familiã deſerit, vnde neceſſe eſt eos rerum penuriã affligi. Quare ſimilis eſt ſtruthioni, de quo Iob c. 39. 13. *Penna ſtruthionis*, inquit, *ſimilis eſt pennis herodij atque accipitris: quãdo derelinquit oua ſua in terra, obliuiſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui, fruſtra laborauit nullo timore cogente, priuauit enim eam Deus ſapientia*, &c.

Tertio. Tertia eſt, quòd mutans locum perdit notos & amicos, vaditque ad incognitos & extraneos, qui nec illi fidunt, nec ipſe eis confidit: quare ſolus ſine amico, omnium ſæpè rerum indigus, ſine ſpe opis degit. Quocirca Plato Dial. 7. de Legibus ait: *Mutatio omnibus in rebus, præterquam in malis, eſt periculoſa.*

Quarta eſt, quòd, ſicut aues dum de loco in locum tranſuolant, ſæpè incidunt in retia, vel iaculis configuntur: ita qui peregrè vadit, legum & periculorum loci ignarus, ſæpè carceris, bonorum, famæ & vitæ diſcrimen incurrit. *Quarto.* Vnde Sept. vertunt: *ſicut cùm auis deuolarit à proprio nido ſic homo ſeruus fit cũ peregrinatus fuerit à proprijs locis.* auctor Catenæ Græcor. *ſicut auis cùm nidum ſuum deſerit, capturæ periculo ſe exponit: ita homo cùm à loco ſuo peregrè abit, in ſeruitutem abripi conſueuit nonnunquam*; Symmach. *cùm tranſlatus fuerit*, &c.

Quinta, ſicut auis commodiſſimè degit in ſuo nido, &, ſi inde auolet, in incommodiorem locum migret oportet: ſic & quiſque in ſuo loco & domo habitat cõmodiſſimè: quare ſi ex eo in alium tranſeat, in incommodiorem tranſeat neceſſe eſt. *Quinto.* Ad hæc: Sicut auis, inquit R. Leui, relicto nido ſæpè eo ſpoliatur, aliumque ſibi ſtruere cogitur: ſic qui ſuum locum temerè deſerit, rerum omnium penuria premitur.

Rurſum ſicut auis quæ hieme appetente nidum deſerit, in quo per æſtatem degerat, cum rurſus poſt hiemem redit, nidum euerſum prorſus & diſſipatum inuenit, adeò vt nouum conſtruere ac fabricare ipſi opus ſit: ita etiam homo quem à domo ſua & à domeſticis aliquãdo abeſſe contigit, cum iterum redux ædes ſuas repetit, omnem ſupellectilem, omnemque rem domeſticam confuſam & perturbatam inuenit, ita vt omnia inſtaurare opus ſit. ita Salazar. *Sexto.* Salomonem de more ſecutus Siracides Eccli. 29. 31. *Vita nequam*, inquit, *hoſpitandi de domo in domum: & vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget nec aperiet os.* Et c. 36. 28 *Quis credit ei qui non habet nidum, & deflectens vbicumque obſcurauerit?* &c. vide vtrobique dicta.

Myſticè Beda: *Sicut auis quæ negligit oua ſua, ſiue pullos quos fouerat aliorum animalium vel auium raptui dimittit: ſic miniſtrum ille qui cuſtodiam virtutum, in quibus proficiebat deſerit, earumdem virtutum, quas habere videbatur, immundis ſpiritibus ipſe proditor exiſtit.* *Myſticè.*

Quocirca hanc gnomen aptè attribuas ijs qui leuiter ſtudia, officia, occupationes, pia exercitia, imò ſtatum mutant, v.g. qui leuiter de vno monaſterio in aliud, de vno Ordine in alium, prætexentes maiorem quietem vel ſanctimoniam, tranſmigrant; cùm verè ea cauſa non ſubſit, ſed tantùm mobilitas & inconſtantia animi, quæ vbique eos comitantur. Stabilitas enim mentis & ſub inde loci (quam proinde multi cœnobitæ vouent) neceſſaria eſt ei qui contendit ad magnam virtutis & vitæ Religioſæ perfectionem.

Monet ergo hæc gnome, perſiſtendum eſſe in gradu & vocatione ſua ei, qui ſuã quietem, ſtabilitatem, ſecuritatem, profectum & perfectionem amet: hunc enim qui deſerit, incidit in mille turbationes, quibus fit inquietus, inſtabilis, dubius, deuius & pronus in lapſum. Sapienter Poëta:

Qua fueris poſitus in ſtatione mane,

Qui inſtabilitate ducti nunc hanc, nunc aliam artem profitentur, in nulla proficiunt. Idem eſt in ſtudijs, officijs, virtutibus.

Præclarè S. Baſilius Conſtitut. monaſt. cap. 22. *Omnis*, inquit, *prætextus, vt rationi diſſentaneus, præciſus eſt ei & ademptus, quia à ſpirituali cœtu ſegregare ſe velit. demonſtratumq; originẽ eiuſmodi conſilij nihil aliud eſſe quam vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, & indicium corruptelam inſtabilitatemq;.* S. Ephrem. Syrus ſic ſancit, *in loco habitationis tuæ, vel quẽ à Deo aſsigna-*

aſsignatum accepiſti, lubens permaneto, otium atque deſidiam à te repellens, cùm neque in loci mutatione atque diſtantia ſitum ſit vt paſsiones noſtras reprimamus, ſed in attentione & cura mentis.

Audi S. Bernar. epiſtola 32. ad Abbatem S. Nicaſij *Fr. Hugonem de Lanſania ore tuo & noſtro ſpiritu commonemus, non omni ſpiritui credere, & ne citò moueatur certa pro incertis deſerere, ſciens diabolum ſolis ſemper perſeuerantiæ inſidiari, quam ſolam virtutem nouit coronari, tutiuſq́ue eſſe in ea vocatione qua vocatus eſt ſimpliciter perſeuerare, quàm ſub ſpecie quaſi melioris boni, id quidem quod iam cœpit amittere, nec ad id quod præſumit fortaſsis ſufficere.* Denique S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. tranſitum ab vna Religione in alium improbat, niſi grauis cauſa ad id cogat. Plura hac de re dixi Eccli. 17. 24.

VERS. 9. VNGVENTO ET VARIIS ODORIBVS DELECTATVR COR: ET BONIS AMICI CONSILIIS ANIMA DVLCORATVR] Hebr. *& dulcedo amici à conſilio animæ*, vel *pro conſilio animæ*, vel, vt vertit Pagninus, *propter conſilium animæ*.

Primò, R. Salomon ſic explicat. q. d. Qui ita confirmat actiones ſuas, vt Deo iucundæ ſuaueſque contingant, præſtantiùs facit quàm ſi animi ſui cupiditates expleret. Verùm hæc expoſitio longiùs à verbis Salomonis abit.

Secundò, meliùs idem R. Salomon, Aben Ezra, R. Leui & Baynus ad verbum ex Hebræo vertunt, *vnguentum & ſuffimentum lætificabit cor, & dulcis eſt amicus quàm conſilium animæ*; vel, vt Vatabl. *& dulce conſiliū amici magis* (repete *lætificat* & exhilarat *cor* hominis) *quàm conſilium animæ*, ſcilicet propriæ, puta quàm conſilium proprium. q. d. Sicut vnguētum quo inungimur & odor opobalſami, thuris, aliorumque aromatum, quorum fragrantia animus recreatur, mirè exhilarat & reficit hominem: ſic pariter magis exhilarat animū amici ſuauitas, quando ei arcanum aliquod conſilium cōmunicabit, quā exhilaret conſilium, cuius ipſe ſibi auctor erat. Rationem dat R. Leui: Cur vnguentum, ſuffituſque varij odoris ſuauitate animum oblectent, ideo contingit, quòd res quodammodo extraneæ in animum illabantur: ita ſecreti ſuauitas cum amico communicata ad conſilium accipiendum, præſtantior eſt conſilio, quod quis ſecum ſine alterius ope deliberauit: quia vtrimq; communicatio ſuauis conſilij extrinſecus, & quaſi cælitus in animum amici illabitur.

Tertiò, Chald. vertit, *ſicut oleum bonum & aromata lætificant cor: ſic homo ſuauis amico ſuo in conſilio animæ ſuæ*. Syrus, *ſic vir qui delectat amicum conſilio animæ ſuæ*; quod clarè explicat Tigur. *& habere amicum ex animo conſulentem res dulciſsima eſt*. Magis enim placent & delectant amici beneuoli & blandi, quàm eruditi & prudentes in conſilijs.

Quartò, ex Hebr. planè vertas cum Pagnino *& dulcedo amici à conſilio*, id eſt *propter conſilium animæ*, id eſt, vt Noſter vertit, *& bonis amici conſilijs anima dulcoratur*. Pro *vnguento* hebr. eſt שֶׁמֶן *ſcemen*, id eſt oleum, quod quia principem in vnctionibus locum tenet, hinc ad quodlibet vnguentum ſignificandum per ſynecdochen extenditur. Si *oleum* hîc vertas, ſenſus erit. q. d. Sicut oleum lucet, paſcit, vngit: ſic amici conſilium illuminat mentem, paſcit voluntatem, affectus iræ & triſtitiæ vngit & lenit. Idem magis præſtant vnguenta ex opobalſamo alijſq; rebus pretioſis confecta. Pro *odoribus* hebr. eſt קְטֹרֶת *keteret*, id eſt thus incēſum, & quidquid ſuauem odorem ſuffitu ſuo exhalat. Senſus ergo eſt. q. d. Sicut vnguenta cor exhilarāt & odores caput cerebrumq; lętificant & corroborant: ſic pariter ſana & ſincera amici cōſilia cor mœrore, angore, ira, aliave paſſione oppreſſum excitant & lętificant, atque mentem illuminant, lætificant & confortant magis quàm conſilia, quæ mens propria cuique ſuggerit.

Conſilium ſimile aromati. Primò.

Secundò, Secundò, ſicut ſuaues odores & vnguenta confortando cerebrum, reſiſtunt ebrietati, eaque de cauſa olim ſolebant adhiberi in conuiuijs: ſic & ſana conſilia amici arcent pręcipitantiam & temeritatem, quæ ſunt quaſi animę inſipientis ebrietas, faciuntq; vt homo ſobriè, cautè & prouidè in ſuis rebus, præſertim dubijs & perplexis, procedat.

Tertiò, Tertiò, in rebus aduerſis ſana conſilia animum depreſſum & mœrentem erigunt, exhilarant inſtar vnguenti pretioſi; in proſperis verò ne inſoleſcat, velut aromate confortatur.

Quartò, Quartò, vnguentis & ſuauibus odoribus reſpiratione attractis redit quaſi anima, id eſt halitus vitalis antea languidus, proſtratus & emoriens, vt patet in animi deliquio: vnde illud Sponſæ Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*, q. d. Amoris languore penè emorior, odore ergo florū & malorum reuocate animam fugientem. Ratio eſt, quòd odorata omnia ſint calida, imò odor eſt calor, ait Ariſtot. in Problem. ſect. 12. n. 4. Calida autem vitam reuocāt: vita enim in calore & humore conſiſtit, quorum vtrumq; habent res odoratę, expirant ergo halitus & vapores ſuaues & igneos, qui mirè ſpiritus vitales & cerebrum reficiunt & roborant: ſic pariter bonum cōſilium animam mœrore & angore proſtratam, in corpus caputq; reuocat, ac in peccati lapſum procliuem in ſe reducit, vt ſibi & Deo in ſanctitate viuat & ſeruiat. Sic Paulus de ſe ceteriſque Apoſtolis ſana conſilia ad ſalutē dantibus, ait: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in ijs qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam*, 2. Corint. 2. 15. Sicut odor roſę ſcarabæum necat, hominem viuificat. Huc facit quod Plinius l. 7. c. 2. ex Megaſthene tradit populos eſſe in India dictos aſtomos, qui ſine cibo & potu ex ſolo halitu & odore florum, pomorum & radicum viuant: ſed ego id fabuloſum exiſtimo.

Aſtomi qui viuant ex odore.

Quintò, Quintò, res odoratę augent homini criſin & iudicium: excitant enim & roborant ſpiritus vitales & animales, qui cerebrum confortant ad rectè eligendum & iudicandum; idem facit ſanum amici conſilium. Hinc Ælius Verus Imp. lectulo ſuo minutulum reticulum folijs roſę (quę inter flores eſt odoratiſſima, vnde Græcè ῥόδον dicitur, quia, vt ait Plutarch. ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, id eſt ingēti odoris redundātia defluit) repletum ſibi ſubſterni iubebat, in quo Perſicis odoribus perunctus recubare cōſueuerat, vt hiſce odoribus excitaretur animus, & viuidum acueretur iudicium. Quin & Apuleius in Aſino aureo, fabulatur ſe ex homine in aſinum conuerſum, roſis toto orbe perquiſitis tā multa pertuliſſe incōmoda, donec demum oblatā earū copiā quas decerperet, humanę formę reſtitutus, priſtino decori, mēti & iudicio eſt redditus.

Sextò. Aromata magis odorata quæ

Sextò, Ariſtot. in Problem. ſect. 12. n. 7. & ſequ. docet acriùs olere & diutiùs aromata cinere ſuffita quàm igne, eò quòd ignis celeriter vires eorum domat & concoquit, itaque odorem alterat & commutat. Rurſum ſuauiùs olere aromata & flores

A flores è remoto quàm è proximo; item cùm mouentur: inſuper roſas ſuauiùs olere quibus vmbilicus eſt aſper quàm quibus læuis, eò quòd penè modum naturæ ſuæ ſint conſecutę: roſa enim natura ſua eſt ſpinoſa & aſpera. Sic pariter ſaniora & ſuauiora ſunt conſilia amici, quę matura & modeſta ſunt, quàm quæ ſunt ardentia & temeraria; itē quę aliquid aſperi habent & ardui præ delicatis & mollibus. Hinc & odorata ferè omnia ſapore ſunt amara, adeoq; quæ odore pollent, carent ſapore. Audi Plinium lib.21.cap.7. *Odorato ſapor rarò vlli non amarus; è contrario dulcia rarò odorata. Itaque & vina muſtis odoratiora, & ſilueſtria magis omnia ſatiuis. Quorumdam odor ſuauior è longinquo, propius admotus hebetatur, vt violæ. Roſa recens à longinquo olet, ſicca propius. Omnis autem verno tempore acrior, & matutinis: quidquid ad meridianas horas dies vergit, hebetatur. Nouella quoq; vetuſtis minus odorata. Acerrimus tamen odor omnium æſtate media. Roſa & crocum odoratiora cùm ſerenis diebus leguntur, & omnia in calidis quàm in frigidis.*

Porrò Septuag. aliò abeunt, nimirum pro רֵעֵהוּ *reehu*, id eſt amici ſui, alijs pūctis legētes רֹעָה *roah*, id eſt cōteritur, frangitur, rūpitur; ac pro עֵצָה, *atſa*, id eſt conſilium, legentes עָקָה, *aka*, id eſt afflictio, anguſtia, vertunt, *vnguentis & vinis & odoramentis delectatur cor: diſrumpitur autē à calamitatibus anima:* q.d. Qui genio indulgent vacantque delicijs, putà conuiuijs & ſympoſijs lautis, in quibus conuiuæ vnguntur vnguentis, & recreantur ſuffitibus pretioſis; hi quidem modico tempore cor oblectant: at dū in ijs opes exhauſerint, ad pauperiem redacti, in famem, nuditatem, labores & dolores incidunt, qui animam lancinant, & penè diſrumpunt. Vnde auctor Catenæ Græcor. vertit, *anima autem varijs caſibus* (hos enim ſignificat vox Gręca συμπτωμάτων. quod Complut. vertunt *ab accidentibus*) *iactata, tantùm non diſrumpitur.* Idem auctor per *cor* accipiens mentem, per *animam* vim concupiſcibilem & iraſcibilē, ſymbolicè ſic exponit. q.d. Cor, id eſt mens, quæ in cogitationes ſuas dominatum obtinet, varijs modis in ſapientiæ ſtudio ſe oblectat: hi enim ſunt vnguenta, vina & odoramenta cordis ſiue mentis. At cùm anima, id eſt concupiſcens aut iraſcens vis, principatum in anima tenet, tunc obſcuratur ac diſrumpitur, & ad nihilum redigitur.

Vers. 10. AMICVM TVVM, ET AMICVM PATRIS TVI NE DIMISERIS, ET DOMVM FRATRIS TVI NE INGREDIARIS IN DIE AFFLICTIONIS] Aquila, *in die anguſtiæ*; Hebr. *in die exitij*; Septuag. ἀτυχῶν, id eſt, *in infortunio exiſtens*; Chald. *in die interitus tui*; Syrus, *in die confractionis tuę*; Vatabl. *tempore calamitatis tuæ*; Pagnin. *in die contritionis tuæ*. Hebr. אֵיד *ed*, propriè ſignificat vaporem, nubē, aut potiùs gurgitē aquarum, vti oſtendi Geneſ.2.6. ac metaphoricè cladem & calamitatem, quæ ſubitò & improuiſò ceu nubes & gurges depluit & detonat, pręſertim ſummam & extremam, qualis eſt interitus, exitium vel excidium.

Aliqui hîc duos amicos intelligunt, ſcilicet vnū tuum, alterum patris tui. Simpliciùs alij vnum eūdemq; accipiunt. Monet ergo non dimittendum eſſe amicum veterem, nec diſſuendam eius amicitiam, *Amicum veterem ne dimitte.* qui fidem ſuam tibi multo tempore probauit, adeoque non heri acceptus, ſed ab olim hereditarius quaſi eſt amicus, qui ſcilicet non tantùm tuus, ſed & patris tui fuit amicus. Hunc enim noſti, huic certò fidere potes. Scis qua ratione cum eo agere debeas, expertus es eius probitatem, fidem, conſtantiam: illius conſilio, velut fragrantia odoramentorum, lætificabitur cor tuum. Deniq; amicitias immortales eſſe oportet. *Gnome.* Et veteres amicitiæ magis ſunt ſolidæ nouis & recentibus, ait Lyranus. Vnde Iſocrates ad Dęmonicum ait, *liberos heredes eſſe non modo facultatum, ſed etiam amicitiarum paternarū.* Et Cicero: *Amicitia*, inquit, *eſt optima & pulcherrima vitæ ſupellex.* Et Herodotus: *Pretioſiſſimus*, ait, *theſaurus eſt, & omnibus opibus antecellit amicus prudens & beneuolus.* Porrò cauſam cur amicus ſubinde amicum dimittat, dat Seneca epiſt.9. *Qui ſe ſpectat*, inquit, *& propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, ſic deſinet. Qui cauſa vtilitatis aſſumptus eſt, tamdiu placebit quamdiu vtilis fuerit.* Quam ſæpè, vt dicebat Plutarchus, B ſicut Hypſipylæ alumnus ille in prato ſedens, carpebat alium poſt alium florem, infantia inutilem reddente delectum: ita quiuis noſtrûm ſtudio quodam nouitatis, & præſentium faſtidio, recenti ſemper & quaſi virente capitur amico, ac ſubinde mutatur, multas ſimul imperfectaſque ordiens amicitias?

Myſticè R. Salomō: Deus, ait, eſt amicus Iſraelis & patris eius, putà Abrahæ: vnde vocatur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, qui proinde nunquam nec vllo caſu dimittendus eſt.

ET DOMVM FRATRIS TVI NE INGREDIARIS IN DIE AFFLICTIONIS] Nonnulli fratrem cenſent eſſe eumdem cum amico qui præceſſit: q. d. Adi domum fratris tui, id eſt amici tui, cùm ipſe te C iuuare, & tu ab eo iuuari potes, at cū res tuæ ſunt prorſus afflictæ & deſperatæ (putà *in die exilij tui*, vt habent Hebręa) vt nec ipſe te iuuare, nec tu ab eo iuuari queas, noli fruſtra eum adire & opem poſcere, ne pro hilaritate, quàm tibi afferre ſolet, moleſtias ei reponas, ac pro gratia tædia rependas. Rurſum noli illum adire, cùm adeundo illi periculum es creaturus, vt velut ſocius tuus in idem exitium, in quod tu detruſus es, tecū detrudatur. Alijs tamen caſibus in die afflictionis adeundus eſt amicus, vt opem & ſolatium impendat. Ad hoc enim contrahitur amicitia & amicus vt in rebus aduerſis afflictum amicum adiuuet & ſuſtētet, vti alibi oſtendi.

Secundò & planiùs, fratrem hîc propriè accipias: illum enim componit & poſtponit amico, q.d. Probatum veteremque amicum tuum & pa- D tris tui nullo modo dimiſeris: ille enim fidelior, amicior & vtilior tibi erit quàm frater: quare in die afflictionis adi potiùs amicum quàm fratrem: plus enim ſubſidij, conſolationis & auxilij hauries à cordato amico, quàm à fratre, qui vel longiùs abeſt, vel rariùs tecum verſatur, vel res tuas non nouit aut non curat, imò ſubinde ſimultates & lites tecum exercet. Vnde illud: *Fratrum quoque gratia rara eſt.* Ita ſæpè fit, at non ſemper, inuenire enim eſt fratres amiciſſimos, qui ſe ſuaque fratribus impendunt.

Docet ergo hęc gnome, quanti facienda & colenda ſit amicitia, vetuſq; amicus, vtpote cui plus fidere poſſis quàm fratri & à quo plus opis in aduerſis ſperare queas, quā à germano fratre, iuxta illud c.18.24. *Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit quàm frater.* vide ibi dicta. In calamitate enim ferè fratribus & cognatis inuiſum & moleſtū eſt, vt ſuum auxilium fratres vel cognati implorēt, vel

dixit ca. 19. 7. præſertim ſi remoti ſint, amicus autem vicinus. Vnde ſequitur.

MELIOR EST VICINVS IVXTA, QVAM FRATER PROCVL] Hebr. *bonus vicinus propinquus præ fratre longinquo*, Septuag. *melior* (auctor Catenæ Græc. *opportunior*) *eſt amicus qui propè, quàm frater qui longè*. Beda & Hugo per *vicinum* accipiunt amicũ. q. d. Melior eſt amicus fidus & cordatus, quã frater longè diſſitus. Maior enim eſt ſępè communio amicitiæ quàm fraternitatis. Inter fratres enim ſępè ſunt ſimultates, vti fuerę inter Iſaac & Iſmael, inter Iacob & Eſau, inter Ioſeph & fratres eius, Vnde R. Salomon ſic exponit. q. d. Ne, ô Iſrael, in prole Iſmaelis ſpem tuam reponas, quod ſint futuri tibi propinqui. Qua de re narrat deinde hiſtoriam, vel potiùs fabellam.

B Secundò & ſimplicius, *vicinum* propriè accipias, q. d. Plus opis ſperare potes à vicino beneuolo, quàm à fratre longè diſſito: tum quia vicinus opportunior eſt & ad manum, vt in neceſſitate tua illicò accurrat & ſuccurrat; frater verò remotus, quem proinde adire nequis; aut ſi adeas, ſerò poſt rem tranſactam ad eum peruenies. Tum quia vicinia continuæ communicationis, opiſque mutuæ plures quotidie occaſiones ſuggerit, cùm loci diſtantia inter fratres ſępè communicationem, indéque amicitiã, & opem mutuam minuat & deterat.

Vicinos tibi deuinci. Monet ergo hæc gnome Primò, ad amicitiam deligendos eſſe potiùs vicinos quàm remotos. Amicus enim crebrò cum amico conuerſetur oportet: quod non poteſt niſi ſit vicinus. Secundò, cum vicinis colendam eſſe ſi non amicitiam plenam, certè beneuolentiam, beneficentiam, & communicationem opis mutuę, cauendumque ne eos C offendamus, aut ſi offenſi ſunt, nobis reconciliemus; ſi reconciliari nequeant, de migrando in aliam viciniam cogitemus. Vnde S. Ambroſ. libr. 1. Offic. cap. 34. *Ad ſummum* inquit, *non omnibus eadem ſemper officia debentur, nec perſonarũ, ſed plerumque cauſarum & temporum prælationes ſunt, vt vicinum quis interdum magis quàm fratrem adiuuerit. Quoniam & Salomon dicit: Melior eſt vicinus in proximo, quàm frater longè habitans; & ideo amici plerumque ſe beneuolentiæ quiſque libentiùs committit, quàm fratris neceſſitudini, Tantum valet beneuolentia, vt plerumq; pignora vincat natura*. Quocirca S. Aug. ſerm. 1. de Tempor. docet vicinos ſubinde ad menſam eſſe inuitandos, vt maior cum eis coëat amor & beneuolentia. Idque faciunt viri honeſti & prudentes. Huc facit gnome ben Sira alphabeto 1. littera *reſch*: *Procul recede à* D *vicino malo, & ne annumereris ſocietati eorum. Nam pedes eorum ad malum currunt; nihilominus miſereat te vicinorum tuorum, licet mali ſint: & da illis de cibo tuo; quia eo tempore quo ad iudicium ſtabis, pro te teſtimoniũ dicent*. Huc quoque pertinet illud Catonis:

Vtilius regno eſt, meritis acquirere amicos.

Et illud Comici:

Melior eſt alauda in terra, quàm grus in cælo.

Gnoma. Salomonem de more ſecuti ceteri ſapientes & philoſophi, cenſent vicinitatem pro quadam affinitate cenſeri, eamque Terentius in Heauton. reputat in propinqua parte amicitiæ. Cicero libr. 1. Offic. *Vicinum*, inquit, *citiùs adiuueritis in fructibus percipiendis, quàm aut fratrẽ aut familiarem*. Herodotus li. 1. tradit Perſas illos imprimis obſeruare reuerenter qui proximè habitant, ſecundas tribuere his qui à primis proximi: atque ſic deinceps progrediẽtes, quo viciniores, hoc arctiori neceſſitudi-

A ne iunctos exiſtimare. Heſiod. in fin. lib. 1. cui eſt tit. Opera & dies, vicinos potiſſimùm ad conuiuium vocandos eſſe monet. Proinde apud D. Lucam ca. 15. 6. qui ouem inuenit quam perdiderat, veniens domum, conuocat amicos & vicinos (de conſanguineis autem nihil dicit) dicens illis: *Congratulamini mihi quia inueni ouem meam, quę perierat*, quod & repetitur in decretis Canonicis in cap. *pœnitentem*. 26. q. 7. Ex quo facilè poſſumus colligere arctiorem quodammodo & amicitiam & familiaritatem nobis eſſe cum vicinis, quàm cùm conſanguineis. Ideoq; ſacræ Literæ in ordine ſcripturæ vicinos cognatis anteponunt, Lucæ 1. ca. *Et audierunt vicini & cognati eius*.

Diſertis verſibus pluribus idipſum aſſeuerat Heſiodus de Operibus & diebus.

B *Si qua domi inciderit tibi res, tunc illicò omiſſis*
Adſunt vicini zonis: cinguntur at ipſi
Affines: noxa eſt vicinus vt improbus ingens;
Contrà ita maxima commoditas, ſi cõmodus adſit,
Deeſt honor huic, bona quem vicinia deficit, ac nec
Intereat bos; ni vicinus vbi improbus adſit.

Illam autem ſententiam *cladem eſſe malum vicinum*, tanquam prouerbialem adfert Callarus in epiſt. ad Calliclem, inter epiſtolas ruſticas Æliani. Quã quidem ſententiam cùm Spartiata quidem laudibus efferret, audiens Diogenes ille Cynicus: *Atqui*, inquit, *& Meſſenij periere, & eorum boues, in vicinia vobis conſtitutis*: quippe Meſſenam bello Lacedæmonij afflixerant auctor Pauſanias. Themiſtocles autem Athenienſium princeps, vt Plutarchus in Apopht. & in Vita ipſius retulit, cùm agrum venalem proſcriberet, ceteris commendationibus illud C addere præconem iuſſit, quòd vicinos bonos haberet, quaſi vicini commendatione futurus eſſet longè vendibilior. Cui & ſuffragatur quod ſcribit Cicero in epiſtolis ad Atticum li. 12. epiſt. eius lib. 27. omnium verò 258. *Domum tuam pluris video futuram vicino Cæſare*. Et illud Martial. lib. 6. epig. 9. *Exempla.*

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto,

Et alibi, ſcilicet lib. 7. epigr. 92.

Propter vicinum qui pretioſus erat.

Nec hic omittendum, extare apud Iouianum Pontanum in Actio dial. 1. exemplum inſtrumẽti veteris venditionis, in quo inter cetera illud ſcribitur: *Tribules ac vicinos bonos habet*, quos mox nominat. Multę gentes relicto ſolo patrio exterum petiuere, putà Achæi, Hiberi, Albani, Siculi, Pelaſgi, D Aborigenes, Arcades, non alia de cauſa, quàm quia malos vicinos ferre non potuerunt. Plin. li. 18. c. 5 *Agrum*, inquit, *paraturos ante omnia intueri oportet aquarum vim, & vicinum*: ſingula magnas interpretationes habent nec dubias. Palladius quoque qui de eàdem diſciplina ſcripſit li. 1. ca. 6. *Tria*, inquit, *mala æquè nocent, ſterilitas, morbus, vicinus*. Ante hos Plautus in Mercatore actu 4. ſcena 4.

Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus;
Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.

Et huc quoque alludit illud Virgilij ecloga 1.

Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

Et ecloga 9.

Mantua væ miſeræ nimiùm vicina Cremonæ.

Vnde & illud Martialis ſumptum eſt li. 8. epig. 55

Iugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ.

Scitum eſt illud Saluſtij in bello Iugurthino: *Vti quiſque potenti vicinus erat ſedibus pellebatur*. Et illud

De-

Demoſthenis aduerſus Calliclem: *Non erat quidquam, viri Athenienſes, pernicioſius quàm improbum vicinum, nec ſuis contentum eſſe nactum.* Cui aſtipulatur illud Ariſtidis in Themiſtoclem: *Sit ſalſuginoſa (vt aiunt) vicina:* quod citat Plato lib. 4. de Legibus de mala vicinia. Hęc & plura Tiraquellus lib. de Pœnis temperandis cauſa 23. Notum eſt quanta Cacus Auentini montis incola Palatinis finitimis damna intulerit. Quocirca ſapienter Cato libr. 1. de Re ruſtica ca. 5. villico commendat bonum commodumque vicinum, vtque eum ſibi conciliet & demereatur: *Frons,* inquit, *occipitio prior eſt. Vicinis bonus eſto: familiam ne ſineris peccare. Si te libenter vicinitas videbit, faciliùs tua vendes, operas faciliùs locabis, operarios faciliùs conduces. Si ædificabis, operis, iumentis, materiâ adiuuabunt. Si quid (bona ſalute) vſus venerit, benignè defendent.* Catonem ſecutus Columella lib. 1. Rei ruſticæ ca. 3. colono bonum vicinum dilaudat, citatque illud Heſiodi: *Nec bos intereat vicinus ſi improbus abſit.*

A

B

Denique Plutarch. lib. de Liberis educandis: *Si,* inquit, *iuxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.* Et Pindarus in Nemeis hym. 7. *Si vir viro eget, quid dicemus vicinum eſſe vicino animo conſtanti amicum? gaudium omni re dignum.* Et Alexander Aphrodiſeus: *Balbutire diſcit qui cum balbo aſſiduè verſatur.* Fugit S. Ioânes è balneo, in quo lauabatur Cherinthus hęreticus, nolens talem vicinum, ne cum eo, ſi terra dehiſceret, periret. S. Ambroſius perhibetur fugiſſe è villa, cùm audiret ab hero, eum nil infelicitatis in vita habuiſſe: *Fugiamus,* inquit, *à domus huius vicinia: nam tam felici magna infelicitas imminet.* Fugit, & ecce mox domus cælicus igne tacta conflagrauit.

VERS. 11. STVDE SAPIENTIÆ FILI MI, ET LÆTIFICA COR MEVM, VT POSSIS EXPROBRANTI RESPONDERE SERMONEM] Pro *poſſis* nonnulli cum Græcis & Hebræis legunt *poſſim,* ſed eôdem redit ſenſus: pater enim & filius cenſentur vna perſona ciuilis & œconomica: quare quod filius pro patre reſpondet, id eſt, dicit vel agit, hoc pater dicere & agere videtur, pręſertim cùm pater iam ſenex curam domus in filium transtulit, aut eo adminiſtro ad omnes res ſuas vtitur. Hebræa ergo ad verbum ſic ſonant, *eſto ſapiens fili mi, & lætifica cor meum & reſpondebo probris afficienti me;* Chald. *& reſpondebo verbum his, qui mihi exprobrant;* Septuag. *ſapiens eſto fili mi, vt lætetur cor tuum, & auerte à te exprobrabiles ſermones:* Symmach. *& reſpondebo probris afficienti me verbum;* Syrus, *& ceſſabit à me probrum mihi exprobrantium.*

C

Identidem Salomon poſt præcepta ſapientiæ inſerit adhortationes ad eorum ſtudium, vti ſolêt apud diſcipulos facere magiſtri, & apud filios parentes. Senſus ergo eſt, q. d. Naua, ô fili, operam ſapientiæ; quam tibi paterno affectu trado: ſic enim duplici bono & beneficio me afficies; Primò, lætitia cordis, id eſt cordiali, intima & ſumma: pater enim ſummè amat filium; vnde ſummè gaudet ſi ſapientiam, id eſt prudentiam & virtutem mente addiſcat, eamque opere exerceat. Secundò, honore: filius enim ſapiens & bene moratus honori eſt parentibus: quare ſi quis vel filium vel parentem calumnietur, filius pro patre reſpondebit, & calumnias tam de vitijs ſuis ex mala educatione patris contractis, quàm de malè adminiſtrata re familiari, aut iniuria alijs illata, ſiue patri, ſiue ipſi filio obiectas tam verbis, quam factis con-

D

futabit efficaciter, ac rei prudenter geſtæ rationem exactā aſſignabit. Stude ergo, ô fili mi, ſapientiæ, vt lætifices cor meum æquè ac tuum, vtque mihi ac tibi ſis honori, ac ab vtroque omne probrum dedecuſque ſtrenuè propellas.

ASTVTVS VIDENS MALVM, ABSCONDITVS EST: PARVVLI TRANSEVNTES SVSTINVERVNT DISPENDIA] Heb. *mulctati ſunt;* Pagnin. *puniti ſunt;* Sept. ζημίαν τίσουσιν, id eſt *pœnam ſoluent.* ita Cōplut. vel *damnum patientur.* ita Vatican. Chald. *penuriam ſuſtinent.* Hic verſus in Hebræo ad verbum idem eſt cum v. 3 cap. 22. vbi Noſter vertit, *callidus vidit malum, & abſcondit ſe; innocens pertranſijt, & afflictus eſt malo.* Quare innocens idem eſt quod paruulus, hebr. פתי *pethi,* id eſt ſimplex, rudis, inexpertus, imperitus. Vnde auctor Catenæ Grec. ex Sept. ſic clarè vertit: *aſtutus ab ingruentibus malis ſe ſubducit: ſtulti autem, qui quidem temerè aggrediuntur, detrimentum capiunt.* Cetera ibidem explicui; quare actum non agam. VERS. 12.

TOLLE VESTIMENTVM EIVS, QVI SPOPONDIT PRO EXTRANEO: ET PRO ALIENIS, AVFER EIVS PIGNVS] Extranei enim ſubinde inſidi in ſponſorem ſua debita transſcribunt, nec conueniri poſſunt, vt ſponſorem indemnem præſtent niſi per pignus. Vnde Sept. vertunt, *aufer veſtimentum eius: aduenit enim iniur eius, qui quidem aliena vaſtat;* Scholiaſtes *quorum aufer veſtimentum; nam cùm iniurioſi ſunt alij perniciem aſſerunt;* clarè auctor Catenę Grec. *tolle veſtimentum tuum: præſto eſt enim violentus oppreſſor, qui aliena diſperdit.* Legit hic Auctor cum S. Ambr. σου τοῦ, id eſt *tuum,* pro αὐτοῦ, id eſt *eius;* Aquila & Symmach. *quia ſpopondiſti alienum.* Audi S. Ambr. lib de Tobia cap. 20. myſticè hanc gnomen explanantem. *Hoc eſt veſtimentum, quod etiamſi oppignoraueritis, recipiendum in Prouerbijs ſanctus Salomon præcipit, dicens: Aufer veſtimentum tuum, prætérijt enim iniurioſus. Sapientię veſtimentū eſt ex illis veſtimentis, quæ ex byſſo & purpura ſapientia ſibi fecit, hoc eſt indumentum fidei, quod conſtat & prædicatione cæleſtium, & Dominicæ ſanguine paſſionis. Byſſo enim æthera ſignrantur, purpuræ ſpecie myſterium ſacri ſanguinis declaratur, quo regnum cæleſte confertur.* Et poſt nōnulla gnomen hanc ita pertexit: *Aufer veſtimentum tuum, aufer ſcilicet, ne damnum recipias imprudentiæ, & ne exutum te proprio veſtimento nequiſſimus ille cōmunis fœnerator agnoſcens; confuſione tui detegere conetur opprobrij, & perſuadeas tibi vt te folijs tegas, & nudum te eſſe conſpiciēns in Dei verearis venire conſpectum.* Fuſiùs verba Patrum cito, quia religioni duco ea decurtare; & ſi id fecero, ſenſum mutilabo. VERS. 13.

Hanc gnomen totidem verbis audiuimus c. 20. v. 16. vbi eam explicui.

QVI BENEDICIT PROXIMO SVO VOCE GRANDI, DE NOCTE CONSVRGENS MALEDICENTI SIMILIS ERIT] Hebr. *benedicens ſocio ſuo in voce grandi in mane manicando* (id eſt multo manè) *maledictio reputabitur ei;* Tigurin. *laudanti proximum ſuum magna voce, manè conſurgenti reputabitur ac ſi execratus eum fuiſſet;* Septuag. *qui benedixerit amicum manè, grandi voce, à maledicente nihil differre videbitur.* Syrus, *nō diſſimilis eſt illi qui maledixit.* Suppono maledicere & benedicere in Script. tripliciter ſumi; Primò, pro malè & benè precari; Secundò, pro vituperare & laudare; Tertiò, pro malefacere & benefacere. Iā Primò, R. Leui ſic exponit, q. d. cùm quis elata voce ſocio ſuo felicia precatur, idq; ſolemne habet, ita vt ſingulis diebus ſummo manè VERS. 14.

ad id præſtandum conſurgat, id inquam à Deo eidem maledictionis loco vertetur, quòd hominē velut Deum habeat, iiſq; laudibus ac benedictionibus hunc proſequatur ad eum morem, quo Deo impendi hæc oporteret.

Secundò, R. Salomon ſic exponit. q.d. Eſt qui amicum ob beneficia ab eo in ſe liberaliter collata, quotidie elata voce magnis laudibus proſequatur: ſed laudes hæ in vituperia conuertuntur, cùm de eodem mox rumor ſpargatur, eum prodigum eſſe & opibus nimis potentem, ita vt vniuerſi ab illo mutuum petant, atq; ita fiſcus regius in hunc excitatur ad diuitias eius emungendas. Sic & R. Leui, qui exemplo rem illuſtrat: Si Ruben, inquit, elatæ vocis præconio Simeonē proſequatur, quòd generoſi vini lagena ab eo donatus fuerit; cùm id improbus quiſpiam reſciuerit, Simeonem conueniet, eumq; rogabit huiuſce vini copiam faciat, ex quo pro beneficio quod in alterum contulit, iacturam faciet. hæc ille.

Tertiò, Aben Ezra hunc verſum nectens præcedenti de pignore, ſic exponit. q.d. Qui pro alieno fideiuſſerit, fœneratorem benedictione proſequetur elatâ voce, ita vt à ceteris audiatur, ad gratiam ab eodem ineundam, ne, cùm manè ſurrexerit ad negotia ſua peragēda, illi veſtes auferat. Verùm is infauſtè id precationis loco ducet, nec parcet quin veſtimenta tollat.

Quartò, Vatabl. q.d. Qui de nocte, id eſt intempeſtiuè & præproperè, iuuenem extollit grauibus laudum vocibus, ob exiguam virtutis ſpeciem & ſpecimē, quod præbet, huius laus vertitur in vituperium, cum iuuenis hiſce laudibus inſoleſcēs, vel à ſocijs ſeductus, à ſpecimine ſuo degenerabit, fietque degener & prauus, vel certè negligens & torpidus. Addit Beda: *Voce grandi proximo benedicit, qui eum fauore ſuperfluæ laudis extollit, vel malis actibus eius contra iuſtitiam fauendo, vel bona plus iuſto laudando; ſed hic maledicenti aſſimilatur, quia plurimum lædit eum, cui laudando ſiue in mala actione confidentiam tribuit, ſeu in opere recto ſimplicitatem puri cordis imminuit, vt videlicet bonum quod ſupernæ virtutis intuitu inchoaras, tranſitoriæ laudis amore conſummet.*

Quintò, alij *benedicere* & *maledicere* accipientes pro benefacere & malefacere, ac per *vocē grandem* intelligentes probra & obiurgationes, quas benefaciens arroganter iacit in pauperē, ſic exponunt. q.d. Qui beneficium in proximum collocat, atque eum ſimul ſuperbis ac conuitioſis ſermonibus violat, etiamſi alioqui tale beneficium non procraſtinet, ſed maturet ac properet, & ſtudioſè accurateque illud præſtet, eius certè donum damni ad inſtar dati obtinebit apud eum qui accepit.

Sextò & genuinè, hæc gnome eſt parabola, per quam grāmaticè & in corticè litteræ propriè notantur & ſuggillantur matutinæ & antelucanæ ſalutationes & acclamationes laudum & bonarum apprecationum, quas pauperes ſtipis cauſa, vel ambientes officium aliquod aut beneficium, deferebant diuitibus & potentibus, vt eorum gratiam & beneficentiam ſibi conciliarent, clamabant enim *Aue princeps liberaliſſime; Deus hunc diem tibi ſoſpitet, & proueheat, & beet,* &c. Verùm hæ acclamationes & benedictiones potiùs erant maledictiones: tum quia ſæpè fiebant ab iis qui infenſiſſimo in eos erant animo, irridendo potiùs quā verè bene precando, vti teſtatur Seneca lib. 6. de Beneficijs. Vnde qui palàm acclamabant laudes patronis, priuatim apud ſe inuicem eos vituperabant: tum quia patronorum burſas emungebant, poſtulando ab eis ſtipem vel penſionem: tum quia patronis dormire cupientibus clamore ſuo ſomnum excutiebant, aureſque obtundebant: denique non ex animo procedebant, ſed erant fictæ & ſimulatæ ad potentium gratiam captandam.

His antelucanas acclamationes vſitatas fuiſſe apud Romanos, manifeſtum eſt ex Seneca tragœdo in Hercule furente, Iuuenali ſatyra 5. Symmacho lib. 8. epiſt. 41. *Nondum,* inquit, *ante ianuas eminentiū poteſtatum vigilem noctem ſalutator expertus eſt.* & ex Seneca Philoſopho lib. de Breuitate vitæ c. 14. qui graphicè depingit quā nocturni hi ſalutatores moleſti & importuni eſſent: *Quidni,* inquit, *ab hoc exiguo & caduco temporis tranſitu in illa nos tota demus animo, quæ immenſa, quæ æterna ſunt, quæ cum melioribus communia? iſti qui per officia diſcurſant, qui ſe aliosq; inquietāt, cùm bene inſanierint, cùm omnia limina quotidie perambulauerint, nec vllas apertas fores præterierint, cùm per diuerſas domos meritoriam ſalutationem circumtulerint, quotumquemque ex tam immenſa & varijs cupiditatibus diſtricta, vrbe poterunt videre? quàm multi erunt, quorum illos aut ſomnus, aut luxuria, aut inhumanitas ſubmoueat? quàm multi qui illos, cùm diu torſerint, ſimulata feſtinatione tranſcurrant? quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obſcuros ædium aditus profugient? quaſi non inhumanius ſit decipere quàm excludere, quàm multi heſterna crapula ſemiſomnes & graues, illis miſeris ſomnum ſuum rumpentibus, vt alienū expectent, vix allleuatis labijs inſuſurratum millies nomen oſcitatione ſuperbiſſima reddent?*

Eaſdem apud Hebræos vſitatas fuiſſe, patet tum ex hac gnome ſalutationis, quæ apertè idipſum ſignificat; tum ex Rabbinis iam citatis; tum ex R. Tanchuma (quē citat R. Salomon) qui hanc gnomen accipit de Balaam, qui ſublimi voce Iſraelitis benedicens eoſdem tamen maledicere, id eſt ad cultum Beelphegor per ſpecioſas feminas pellicere, itaq; perdere ſatagebat, Num. 23. v. 11. & c. 25. 1. vti ibidem oſtendi; nam antelucanam & matutinam fuiſſe hanc Balaam benedictionem patet Num. 22. 41. Eandem inſinuat id quod c. 8. 34. ex ore ſapientiæ audiuimus: *Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei: qui me inuenerit, inueniet vitā, & hauriet ſalutem à Domino.* Et illud Sapien. 16. 28. *Oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Et pſ. 62. v. 1. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et illud Thren. 2. 19. *Conſurge, lauda in nocte, in principe vigiliarum.*

Grammaticè ergo Salomon hac gnome perſtringit nocturnos hoſce & importunos ſalutatores, quòd patronis caput obtūderent vt ſtipem vel alimoniam extunderent. Simili modo Columella li. 1. perſtringit eoſdem, hortaturque vt indecora hac turpique victitandi arte relicta agriculturam exerceant, eiuſque labore honeſtè ſibi victum parent: *An honeſtius,* inquit, *duxerim mercenarii ſalutatoris mēdaciſſimum aucupium, circumuolitantis limina potentiorum, ſomnumq; regis ſui rumoribus inaugurantis? Neque enim roganti quid agitur? intus reſpondere ſerui dignantur.*

Parabolicè verò ſub hoc cortice & grammatico literæ ſenſu altius quid ſignificat, ſcilicet benedictiones; id eſt nimias laudes & præconia, quæ grādi voce fiūt *nocte,* id eſt intempeſtiuè & importunè, eſſe fictas & ſimulatas aſſentationes, ideoque non

Intempeſtiuè laudare eſt vituperare.

non tam eſſe benedictiones & laudes, quàm maledictiones, id eſt irriſiones & vituperia. Qui nimis accuratè, inquit Vatablus, & magnificè laudat aliquē, videtur execrare: laudare aliquem nimis manè, id eſt antequam tibi perſpectus ſit, vitio vertitur. Cōmendatio intempeſtiua perinde habebitur vt maledictio. Tales ſunt laudes hypocritarū & adulatorum, qui eas confingunt, vt aliquid per eas mendicent aut extorqueant, quas proinde ſapienti auerſandas eſſe ſignificat, cùm ipſi non decus, ſed dedecus afferant; quandoquidem qui eas deferunt, fictè deferant, non ex amore, ſed ad ſuum lucrum, ideoque non tam laudatores quàm vituperatores ſint, imò irriſores. Vnde S. Aug in pſ. 69 *Duo*, inquit, *ſunt genera proſecutorum, ſcilicet vituperātium & adulantium: ſed plus proſequitur lingua adulatoris, quàm manus proſecutoris*; tum quia magis nocet: inflat enim hominem vt plus ſe eſſe & poſſe putet, quàm reuera ſit & poſſit; tum quia qui ſic hominem laudat, vituperio eum afficit: reipſa enim indicat ipſum eſſe vanum & vanæ gloriæ cupidum, ideoque venari laudes humanas, ac ſimul eſſe indignum alieno præconio ob defectū virtutis propriæ: quod non eſt laus, ſed vituperium, & contumelia, quare qui talis eſt, non tam laudator quàm calumniator & maledicus eſt: at vir ſapiens eum vt maledicum fugiet & repellet.

Gnomæ. Salomoni ſuccinunt cæteri ſapientes tam orthodoxi quàm philoſophi, citat eos Antonius in Meliſſa p. 1. ca. 51. & 52. vt S. Baſilius: *Ne nobis*, inquit, *ſtultè placeamus propter laudes quæ veritatem excedunt.* S. Gregor. Nazian. *Nimij honores redigunt aliquos ad nimiam ſuperbiam.* Clemens: *Aſſentatores beatum prædicabant ſapientem quemdam; ille verò dicebat ad eos: Si me laudare deſtiteritis, ex diſceſſu veſtro magnum aliquē meipſum cogitabo; ſi verò laudare non deſinitis, ex laude veſtra meam impuritatē conijcio: venatores canibus venantur lepores, ſtultos autem plerique capiunt laudibus.* Antigenes: *Cùm multi me laudant, tum nullius pretij meipſum exiſtimo; cùm verò pauci, bonum & egregium hominem.* Plutarchus: *Sicut corui cadauerum oculos effodiunt, ſic adulatores ſuis laudibus animos hominum corrumpunt. Lepori canis, amico adulator natura infeſtus eſt. Odio habeas adulantes, ſicut decipientes: vtrique enim vbi eis fides habetur, credentibus iniurij ſunt.* Diogenes rogatus quodnam animal peſſimè morderet? *Ferorum*, inquit, *calumniator, cicurum autē adulator.* Epictetus: *Satius eſt* εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας, id eſt, *In coruos quàm in adulatores incidere.* Phauorinus: *Sicut Actæonem nutriti ab eo canes, ita deuorantur ab adulatoribus nutritores eorum.* Pythagoras: *Gaude potiùs arguentibus quàm adulantibus, & tanquam deteriores inimicos adulatores auerſare.* Socrates: *Adulatorum beneuolentiæ tanquam hoſtibus dato tergo, fuge inſortunium.* Huc facit illud S. Ignatij apud Maxim. ſer. 43. *Vt ſanus, ait, ſum in his quæ ad Deum pertinent, vehemētius tamen verendum & cauendum ab ijs qui laudant me: laudantes enim me flagellant.* Et illud S. Chryſoſt. ibidem: *Qui improbitatem laudat, eam pœnitentiæ remedio fraudat.* Huc facit illud Euripidis in Oreſte: βάρος τι ἐστὶν αἰνεῖσθαι λίαν. id eſt, *onus eſt laudari valde.* Denique Chriſtus Lucæ 6. 26. *Væ*, inquit, *cùm benedixerint vobis homines.*

Vers. 15. TECTA PERSTILLANTIA IN DIE FRIGORIS, ET LITIGIOSA MVLIER COMPARANTVR] Septuag. *ſtillicidia eijciunt hominem in die hiemali de domo ſua, ſimiliter & mulier maledica maritum ex domo propria expellit.* Solebat enim ſpōſus ſponſam in domum ſuam traducere; ſed hæc ſi litigioſa ſit, ſponſum de domo propria expellit. Hanc gnomē audiuimus c. 19. 13. vbi eā explicui. *Aſſiduis quippe iurgijs*, ait S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. *& quotidiana garrulitate facit perfluere domum eius, & eijcit eum de ædibus ſuis, id eſt de Eccleſia.*

QVI RETINET EAM QVASI QVI VENTVM TENEAT, ET OLEVM DEXTERÆ SVÆ VOCABIT] Vers. 16. Ita Roman. Hebr. Chald. & alij. Malè ergo Lyran. & alij pro *vocabit* legunt, *euacuet*; alij, *euocet*. Hebr. ſic habent, *abſcondens eam abſcondit ventum, & oleum dexteræ eius vocabit*, vel *clamabit*.

Senſus eſt. q. d. Qui vxorem clamoſam & litigioſam cohibere velit vt taceat, perinde facit, ac qui conetur vētum impetuoſum manu tenere, aut certo loco claudere, aut intra viſcera terræ abſcōditum detinere ne erumpat & terram perflet. q. d. Sicut hoc, ſic & illud eſt impoſſibile. Sicut enim ventus teneri & abſcondi nequit, imò quo maiores inuenit obices & retinacula, eo maiori turbine erumpit & perrumpit, adeò vt arbores, domos & turres proſternat: ſic qui rixoſæ mulieri os claudere vel eam domi concludere velit, facit vt maiori impetu foras erumpat, & clamoribus non tantùm domum & familiam, ſed & viciniam impleat, concutiat & euertat, iuxta illud Perſij:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas
Pulſari,

Vi ergo, minis & verberibus coërceri nequit: perinde enim eſt ac ſi vento mineris, eumque verberes. Cedendum ergo viro vxoris clamoribus per taciturnitatem, modeſtiamque, grauitatem, donec illa tonitrua ſua detonet, & ſponte taceat & ſubſidat: vti faciebat Socrates detonante Xantippa. ita R. Salomon, Aben Ezra, R. Leui, Lyran. Baynus, Ianſen. & alij paſſim.

Præclarè S. Chryſoſt. apud Anton. in Meliſſa p. 2. cap. 34. *O malum*, inquit, *quouis malo peius mulierem improbam! Aſperi ſunt dracones, aſpides maleficæ, ſed mulieris aſperitas acerbior quàm ferarum. Improba mulier nunquam manſueſiet: ſi duriùs tractetur, furit, ſi blandiùs, tollitur & elata eſt. Ferrum coquere, quàm mulierem caſtigare faciliùs. Qui habet vxorem malam, ſuorum ſe peccatorum mercedem accepiſſe intelligat. Nulla in mundo bellua eſt, quæ cū muliere improba conferatur. Quid leone inter quadrupedes ferociùs? nihil quàm mulier improba. Quid crudelius dracone inter ſerpentia? quàm mulier improba.*

ET OLEVM DEXTERÆ SVÆ VOCABIT] Primò q. d. Mulier clamoſa & vaga coërceri nequit, ſicut vētus coarctari nequit, & ſicut oleum dextera cōtineri non poteſt, quin lubricitate ſua diffluat & effluat: vt proinde illa vocari poſſit ventus perflans, & oleum è dextera diffluens.

Secundò, *vocabit*, id eſt reuocabit, q. d. Mulier rixoſa à marito in domo compeſci nequit, vti cōpeſci nequit ventus: at ſi è domo eruperit, & à marito aufugerit, multò minùs in domū reuocari poteſt, ſicut oleum è dextera in cineres vel terram dilapſum & diffuſum, colligi & reuocari nequit.

Tertiò, Aben Ezra q. d. Maritus vt vxori iratæ, & clamoſæ quietem & modeſtiā perſuadeat, blanditur ei, vocabitque eam oleum dexteræ, hoc eſt vnguentum myrrhinum, quo dextera mulieris inungitur. Dicet ergo ei blandè: Veni dilecta mea, veni oleum dexteræ meæ. Vnde Chald. vertit, *vnguentum dexteræ eius vocatur.* Accedit noſter Salazar, qui

qui ſic explicat: *Qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat*, id eſt vir qui vxorem faſtu turgidam, difficilem & moroſam per vim & ſeueritatem continere ac coërcere velit, ei aſſimilis eſt qui ventum fugacem & lubricum comprimere ac cohibere contendat. *Et oleum dexteræ ſuæ vocabit*, q.d. E cõtra verò mariti lenitas & blanditię ipſam euocabunt, allicient & ad virum conuertent. Itaque *oleum dexteræ* appellat Salomon blandimenta, delinimenta ac poppyſmos: hi enim longe meliùs feminæ rigidæ duritiem demulcent atque emolliunt, quàm ſeueritas & acerbitas viri.

Quartò, R. Leui. q.d. Sicut qui dexteram ſuam vnguento odorato perfuderit, id celare nequit, cùm eius dextera ſuo odore idipſum vocet, id eſt prædicet & clamet, ſcilicet ſe eſſe vnguento delibutam: ſic pariter celari nequit rixa & iurgia vxoris, quia ſeipſis, id eſt ſuo ſtrepitu, ſua voce & clamoribus ſe produnt, clamantque illam rixari & iurgari. Perſtat in metaphora mulieris cùm dicit *vocabit*, vel *clamabit*: nam tribuit vnguento quod mulieri erat tribuendum, nempe clamorem. Ita Vatabl. qui vertit, *qui recondit eam, recondit ventum*, & (repete recondit) *oleum quod clamabit*. Hinc prouerbium: *Tria celari nequeunt, quia ſeipſa produnt faciuntq́; ſentiri. ſcilicet mulier, ventus, vnguentum*: mulier voce, ventus impetu, vnguentum odore.

Quintò, planè & genuinè, q.d. Velle vxorem rixoſam cohibere, eſt impoſſibile, perinde, ac ſi velis oleum fluidum & lubricum manu tenere, illudque vocare eique imperare ne è dextra elabatur, aut ſi elapſum fuerit, velle illud reuocare: ita Caietanus. Vnde Tigurina vertit, *qui cohibet eam, ventos cohibet, & dextera ſua oleo occurrit*, vt ſcilicet defluens cohibeat. Hebr. enim קָרָה *kara* per *he* ſignificat occurrere; קָרָא *kara* verò per *aleph* ſignificat vocare, clamare. Iam hæ duæ radices inter ſe commutantur, quia literæ *aleph* & *he* ſunt commutabiles.

Porrò Septuag. pro צֹפֵן *tſophen*, id eſt abſcondens, legentes alijs pũctis צָפוֹן *tſaphon*, id eſt Aquilo, ſiue Septentrio, quę eſt pars orbis frigore, gelu & niuibus abſcondita, atque pro שֶׁמֶן *ſcemen*, id eſt *vnguentum*, legentes שֵׁם *ſcem*, id eſt nomen, vertũt *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur*; & Chald. *ſicut viſus Aquilonaris grauis*; Aquila & Symmach. *abſconditus Aquilo ventus*; Syrus, *ventus Boreas grauis eſt, & de nomine dexter vocatur*.

Aquilo vocatur dexter: vnde? Senſus eſt. q.d. Aquilo ventus eſt frigidus, & rigidus: vocatur autem à nonnullis *themae*, id eſt *dexter*, à rad. יָמִין *iamin*, id eſt dextera, tunc quia ſi faciem conuertas ad Occidentem, ad dexteram habebis Aquilonem, ad ſiniſtram vero Auſtrum, ait S. Hieron. in Sophon. cap. 2. Sicut vice verſa ſi faciem conuertas ad Orientem, Aquilo tibi erit ad ſiniſtram; Auſter verò ad dexteram, ideoque paſſim in Script. (quę loquitur congruè ad ſitum Iudææ & noſtri hemiſphærij) Auſter vocatur *Theman*, id eſt dexter. Denique Antipodes conuerſi ad Orientem ad dexteram habent Aquilonem, ad ſiniſtram Auſtrum, tum quia qui habitant in Africa & locis calidis, gaudent Aquilone, eò quòd ipſe calores nimios illius climatis ſuo frigore tẽperet. Vnde Romæ omnes ad Aquilonem etiam in hieme ſuſpirant, ceu piſces ad aquam: Aquilo enim eſt ſalus & ſalubritas Romæ. Dexter ergo, id eſt proſper, ſaluber & fauſtus: dextera enim felicitatis & proſperitatis eſt ſymbolũ, ſicut ſiniſtra infelicitatis & aduerſitatis vnde Cicero lib. 2. de Diuinat.

A

Proſpera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Senſus ergo eſt. q.d. Vxor rixoſa eſt ſimilis Aquiloni rigido & impetuoſo, ſed ſicut Aquilo in calida regione habitãtibus & ęſtuantibus eſt dexter, id eſt proſper & fauſtus, quia æſtum tẽperat: ſic maritus ſi vxoris amore exæſtuet, facilè vxorẽ rixoſam perferet, tanquam amoris ſui flabellum, vt eum moderetur & temperet. Rurſum ſicut Aquilo in ſe aſper, à nonnullis tamen dexter vocatur: ſic vxor licet aſpera, ſi tamen à marito honoretur, & ad dexteram collocetur (vti ab honeſtis maritis fieri ſolet) vt ſit illi dextera, eoque & ſimilibus honorificis nominibus blandè compelletur, leniatur & mulceatur, fiet vt ponat aſperos ſuos mores, fiatque comis & beneuola. Ideo enim viris nonnullis vxores aſperæ videntur, quia ipſi in eas

B

aſperi ſunt aut frigidi, vt parum eas ament: quòd ſi valdè eas amarent, amor omnem aſperitatem in dexteritatem, id eſt lenitatem & facilitatem conuerteret.

Myſticè, Aquilo notat moleſtias & tribulationes, quæ in ſe aſperæ ſunt: ſed ſi ad occidentem, id eſt ad mortem, Purgatorium & gehennam, reſpicias, præ illis hæ dextræ, id eſt leues, faciles & felices videbuntur. *Aquilo notat tribulationes.*

Rurſum Aquilo notat impietatem, & impios, vtpote in quibus refrixit charitas, quique *obriguerunt frigore nequitiæ, & calorem fidei perdiderunt*, ait S. Hier. in c. 1. Ierem. *& impios,*

Inſuper per Aquilonem accipias detractorem & conuiciatorẽm, qui rigidè famam alterius perſtringit, vti Aquilo mordet aures & caput. q.d. Detractor inſtar Aquilonis ſæuit in famã proximi, ſed tamen ſæpè eſt dexter, id eſt fauſtus & felix, quia cauſa eſt vt proximus cautè viuat, ne quid in eo carpi poſſit, & vitium, ſi quod habet, emendat, quocirca non eſt odio habendus, nec calumniator vocandus, ſed ἐπιδέξιος, id eſt dexter, ingenioſus, expeditus, facetus. Tales enim ſolent eſſe dicaces, qui ſuis facetijs & ſalſis acuminibus alios mordent, & mordendo non rarò curant. *& detractorem,*

C

Denique auctor Catenæ Grec. Aquilo, inquit, eſt diabolus, qui dixit: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*, Iſaiæ 14. 13. Hic ab impijs & obſequentibus *dexter* vocatur, quia eis illecebras mundi & carnis propinat: à pijs verò vocatur *dexter*, id eſt felix & fauſtus, ſed per accidens, quia per tentationes quas eis obijcit, quaſque ipſi ſuperant, ipſis eſt occaſio felicitatis æternæ. *& diabolum.*

FERRVM FERRO EXACVITVR, ET HOMO EXACVIT FACIEM AMICI SVI] Hebr. *ferrum in ferro acuetur, & vir acuet faciem amici ſui*; Vatabl. *vt ferrum ferro committitur, ſic homo homini conſociatur*. Hebr. enim יַחַד *iachad*, ſi à rad. חָדַד *chadad* deducatur, ſignificat acuere; ſin à יָחַד *iachad*, ſignificat vnire, committere, conſociare; ſin à חָדָה *chada*, ſignificat exhilarare. Vnde Tertiò vertas, *ſicut ferrũ ferro expolitur, ſic vir exhilarabit faciem amici ſui*. Triſtitia enim eſt velut ferrugo animi & vultus, quæ ab amico exhilarante diſcutitur, expolitur & exhilaratur. Iam VERS. 17.

D

Primò, R. Leui & R. Salomon exponunt. q.d. Qui ſapientis præceptoris operà inſtruuntur, mutuis quæſtionibus acuũtur, vti quotidie fieri videmus in ſcholis per diſputationes philoſophicas & theologicas, in quibus reſpondens ab argumentante

tantæ dum rationibus ſtringitur, acutior redditur. Secundæ, Aben Ezra. q.d. Ferrum acuitur per ferrum aliud: ita pariter vir per alterius iram ad iram acuitur, cùm nimirum ad contentionem cum eodem exercendam excitatur, ob iram, qua ille ſit inflammatus. Vnde Sept. vertunt, *παροξύνει*, id eſt acuit, irritat, prouocat, exacerbat faciem amici. Eſt metaphora à fabris qui gladios, lanceas, cultros lima ferrea perfricando eliment. Baynus cum alijs hanc gnomen refert ad verſum præced. q.d. Sicut ferrum ferro acuitur, ſic vir rigidus ſi in rigidam & rixoſam vxorem incidat, alius alium ad iram rixamque exacuet: quare ne hoc fiat, lenitas & patientia vnius aſperitatem iramque alterius ceu lima excipiat, hebetet & obtundat, imò leniat & molliat. Vnde Vatabl. vertit, *enſis enſem acuit: ita vir exacuit iram amici ſui*, cum quo ſcilicet contendit. Oportet igitur cedere & dare locum iræ.

Arabes ſimile habent prouerbium: *Omnis rei corruptio*, inquiunt, *eſt à genere ſuo, adeò, ferrum ferro ſcinditur & finditur: non dentat ferrum, niſi ferrum.*

Alij q.d. Si vxor ſit aſpera, maritus conetur eam mollire, lenire ſcilicet per oleum dexteræ, vt dixit verſ. præced. quòd ſi lenitate olei non molleſcat, vir induat duritiem ferri, & aſperitatem aſperitate maiori verborum & verberum, ſi opus ſit, retundat & contundat. Quocirca Poëtæ Veneri procaci maritum dedêre Vulcanum fabrum ferrarium, qui eius procacitatem malleando contunderet. Ira enim eſt acuta, vti habent Septu. v. 4. & rectè acutici comparatur, quia omnia ſcindit, perdit & penetrat.

Tertiò Tigurina vertit, *vt ferrum ferro committitur, ſic homo homini conſociatur*. Quod aptè conſonat gnomæ præcedenti, eiuſq; dat remedium. q.d. Ex eo ſæpè vxores ſunt litigioſæ, quòd maritis ſuis ſint ditiores vel nobiliores: inde enim ſuperbiunt, voluntque maritis non ſubeſſe, ſed præeſſe. Vt ergo mariti hæc litigia effugiant, ducant vxores ſibi opibus, conditione & genere pares, vel inferiores, non ſuperiores. Sicut enim ferrum conſociatur & coaleſcit cum ferro, non cum auro vel argento: ſic pariter pares cum paribus coniugio ſociandi ſunt, vt in amore mutuo coaleſcant. Vnde illud Auſonij: *Par pari iugato coniunx: quod impar eſt, diſſidet.* Et: *Si vis nubere, nube pari.* Qua de re plura ſuperiùs dixi.

Rurſus, ſicut ferrũ cum ferro coaleſcit vi ignis, cùm ſcilicet ignitur, & ignitum malleatione cuditur, vt in vnum v.g. gladium, cultrum, lanceã, &c. coaleſcat: ſic pariter vir & vxor amore igniendi ſunt, vt in vnam familiam & perſonam œconomicam coaleſcant.

Poteſt quoque hæc Tigurinæ verſio adaptari cuius amicitiæ & conſociationi, in qua pares cum paribus ceu ferrum ferro optimè copulantur. & hoc ſignificat *τὸ faciem amici ſui*: ſub amico tamen viro & amicæ feminæ intelligendæ ſunt. Inter feminas enim quoque eſt amicitia: ſed vt ſolida ſit, inter pares ineunda eſt.

Quartò, noſter Salazar per ferrum accipit chalybem, quod eſt genus ferri duriſſimi: chalybs enim cum ferro miſcetur ad formandum gladium, cultrum, lanceam, &c. vt ferrum ex ſe lentum & flexile chalybis duritie fiat durum & rigidum, aptumque ad ſcindendum: ſic *homo exacuit faciem amici ſui*, id eſt, illam aduerſus omnes caſus, & ad omnes actiones roborat. Nã liceat ſic dicere: Duo ſingulares homines, etiamſi alter chalybeus ſit, &

A alter ferreus: hic tamen lentus ac flexibilis, ille fragilis erit: quòd ſi verumq; amicitia & familiaritas copulet, ad omnia ardua & difficilia bene temperati animatique erunt.

Hęc expoſitio elegans eſt, ſed non adeo reſpõdet Vulgatę, quæ vertit, *exacuit*: chalybs enim ferrum non acuit, ſed durum rigidumque efficit, meliùs reſpondet verſioni Tigurinæ, *vt ferrum ferro committitur, ſic homo homini conſociatur*: eſt enim cõmunio & conſociatio chalybis cum ferro.

Quintò, planè & genuinè. q.d. Sicut ferrum ſimili ferro, putà limâ acuitur: ſic homo hominem ſibi ſimilem exacuit in qualibet re, putà in ſciẽtiâ, arte, conſilio, induſtria & virtute. Poterat dicere ferrum cote acuitur. Vnde illud Horatij de Arte Poët.

Fungar vice cotis, acutum
B *Reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi;*

verùm maluit dicere, *Ferrum ferro acuitur*: tum quia cos non acuit ferrum, niſi iam fabrefactum & politum, v.g. cultrum vel gladium: ferrum autẽ, putà lima, acuit ferrum etiam rude & impolitum, dum ex eo fabricatur culter vel gladius: tum quia ferrũ ſimile & eiuſdem naturæ eſt cum ferro, nõ autem cos. Aptiùs ergo ſignificat hominem ſimilem in natura, arte & officio acuere alterum hominem in ijſdem ſibi ſimilem. Hæc enim gnome ſignificat, homines ſimiles à ſibi ſimilibus in eâdem arte vel occupatione exacui: vnde illud: *Vnus vir nullus vir*: exacui, inquam, conferendo, interrogando, diſputando, animando, inſtruendo, exhortãdo, &c. Exemplis res fiet clara.

In ingenio præceptor, imò diſcipulus, acuit condiſcipulum docendo, interrogando, argumentan-
C do: in argumentatione enim quaſi confricantur & colliduntur ingenia, itaque acuuntur. In conſilio vnus conſiliarius promendo ſua conſilia acuit cõſilia alterius conſiliarij: ideoque ait Salomon, *Salus populi, vbi multa conſilia*, quod enim vnus non videt, hoc vident & afferunt alij. In arte vnus faber acuit alium: quiſque enim ſuas habet rationes & modos fabricandi, quibus alter inſtruitur & acuitur: quiſque enim habet ingenium propriũ, quod inuenit rationes & modos ſibi proprios quos non inuenit alterius ingeniũ. Hoc eſt quod ait Euripides, *ὁ μιλία ἔτικε τέχνας*, id eſt, *collatio peperit artes*, collatio, inquam, ſententiarum, & colloquium hominum atque congreſſus. In prudentia vnus prudens acuit alium: quiſque enim ſua ſuggerit prudentiæ dogmata & monita. In virtute qualibet vnus acuit a-
D lium: caſtus acuit caſtum, humilis humilem, lætus lætum, animoſus animoſum efficit. Vnde S. Antonius cõſiderabat virtutem quæ in ſingulis eminebat, & ab vno diſcebat patientiam, ab alio humilitatem, à tertio charitatem, &c.

Quocirca S. Baſilius in Conſtitut. monaſt. c. 19. vitam cœnobiticam, vtpote ſocialem, præfert anachoreticæ & ſolitariæ, quòd in cœnobitica vnius alium iuuet, verboque & exemplo expoliat, quod non fit in ſolitaria. Hinc & Victor. Antioch. in c. 1 S. Marci, inter cõmoda vitę ſocialis hoc recenſet, quòd conuictu & aſſiduâ conflictatione plurium ferrei & quaſi chalybei euadãt illi, qui inter ſocios diu vixerunt: *Mox*, inquit, *& hac conflictatione velut ferrum induratus, fortior ſubinde euades*, &c. Societas enim in qua quiſque alium iuuare, eiuſque mores & imperfectiones ſuſtinere, imò curare debet, non ſolùm homines ceteroqui ferreos acuit & expolit

Vita ſocialis commoda.

ſed

ſed etiam quamlibet eorum puſillanimitatem vel animoſitatem, adeoque quamlibet infirmitatem ad ferri firmitatem roburque elimat. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſtes ca.4.9. *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.*

VERS.18. QVI SERVAT FICVM, COMEDET FRVCTVS EIVS: ET QVI CVSTOS EST DOMINI SVI (Syrus, *qui proſpicit domino ſuo*) GLORIFICABITVR] alij *honorabitur*, id eſt ad honores promouebitur. Pro *ſeruat* hebr. eſt נוֹצֵר *notſer*, id eſt cuſtodit, ſeruat: vnde Chriſtus vocatus eſt Nazarenus, id eſt cuſtos, ſeruator.

Sub cuſtodia curam & culturam intellige: q.d. Qui cuſtodit, id eſt curat & colit ficum, dicit tamẽ *ſeruat*, ſiue cuſtodit, potiùs quàm colit, quia ficus præ vite, olea &c. exiguam exigit culturam. Vitis enim debet ſeri, repaſtinari, aggerari, putari, folijs diſtringi, vt vuæ à ſole coquantur & matureſcant, &c. quorum nihil fit in ficu.

Obſequia ſimilia ficui. Vnde Sept. vertunt, *qui plantat ficum*: ficus enim vix aliam culturam quàm plantationem & ablaqueationem vti ceteræ arbores; qua radices earum circumfodiendo aperiuntur, & aëri exponuntur, requirit: ficus ergo exigua ſui cultura cultos dat fructus, putà ficus præſtantiſſimas: ſic qui ſedulò & fideliter colit dominum ei obſequendo, eiuſq; res ſibi commiſſas ſedulò curando, hic pro paruis officijs & obſequijs magnas ab hero percipiet mercedes & fructus, adeoque *glorificabitur*, id eſt, ſi ſeruus ſit, libertate donabitur. Nam vt ait Iulius Cæſar: *Nulla voluptas viris ingenuis ſuauior eſt libertate.* Et Seneca epiſt.79. *Ineſtimabile bonum eſt ſuum eſſe.* Sin liber ſit, ad magna officia, beneficia, honores & præfecturas ab hero promouebitur, vti quotidie in aula Romana eos qui Cardinalibus & Prælatis fideliter & ſtudiosè famulantur, ad magna promoueri cernimus. Hæc ergo gnome prudens conſilium dat famulis, vt ſcilicet heris ſuis fideliter & officiosè ſeruiant: ſic enim fore vt ab ijs ingentibus beneficijs & præmijs ornentur.

Primo.

Secundo. Secundò, arbor fici profert ficus, qui eſt fructus ſuauiſſimus & ſaluberrimus, omniumque arborum fructus antecellit, tum ſapore, tum ſalubritate, tum integritate: ſapore, quia melleum habet ſimilem mannę: ſalubritate, quia planè percoctus eſt, vnde nihil habet acerbum, indigeſtum & crudum, vti habent ceteri omnes: integritate, quia nullos habet acinos aut lapillos, vti habent omnes aliarum arborum. Sic fructus quos famuli ſeduli ab heris beneuolis & beneficis percipiunt, ſunt ſuauiſſimi, ſaluberrimi & integerrimi: adeoque dominus, putà Prælatus vel princeps, ſit inſtar fici oportet, vt ſcilicet ſuam dulcedinem dulceſq; fructus impertiat ſubditis, auſteritatem verò ſibi ſeruet, ideoque in apologo rhamni, ficus, licèt inuitata, noluit eſſe rex vel regina arborum, dicens: *Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſq; ſuauiſſimos, & ire vt inter cetera ligna promouear?* Iudic.9.11. Quo ſignificatur, eos qui ſua quiete dulcique contemplatione gaudent, refugere regimen aliorum, ne dulce otium cum moleſto negotio permutent.

Tertio. Tertiò, ficus eſt bifera: nam bis fert ficus, ſcilicet temporarias in autumno, putà in Septembri, vti faciũt ceteræ arbores, & præcoces in æſtate putà in Iunio & Iulio; hinc ficus non dat flores, ſed ſine flore ilico fructum producit. Addit Plin.li.13.c.18. ficus Chalcidicas eſſe triferas, ſiue ter in anno dare fructus: imò *ſunt*, inquit, *& hybernæ quibuſdam prouincijs*: ſic ſeruus qui fideliter ſeruit ſuo hero multiplicem ab eo mercedem recipiet, ſcilicet condictam iuxta pacta conuenta ſtato & condicto tempore, ac ante eam honeſtam tractationem, dona, munera & præmia, quæ honeſti heri famulis officioſis liberaliter præſtare ſolent, velut præcoquas ficus naciſcetur. *Admirabilis* (ait Plinius loco citato) *eſt pomi huiuſce* (fici) *feſtinatio, vnius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ.*

Quartò, ſtercoratio ficum fœcundat. Audi Plinium lib.17. cap.27. *Vberrimas ficus rubrica amurca diluta & cum fimo infuſa radicibus frondere incipientiũ, facit.* Et li.15.c.18. *Cato de ficis ita memorat: ficus mariſcas in loco cretoſo aut aperto ſerito, in loco autem craſſiore ſtercorato*, ſic & famuli ſi ad viliſſima obſequia ſeſe demittant, herorum gratiã & beneficentiam elucrantur. Addit Plinius: *Colitur ficus arbor in foro ipſo ac comitio Romæ nata, ſacra fulguribus ibi conditis, magiſq; ob memoriam eius, quòd nutrix Romuli & Remi conditoris appellata, quoniam ſub ea inuenta lupa infantibus præbens rumen, id eſt mammam.* *Quarto.*

Quintò, *ſeruat*, aliqui exponunt *expectat*, vnde vertunt, *qui expectat ficum, comedet fructum eius, & qui expectator eſt domini ſui, glorificabitur.* Nam qui cupit vt ficulnea copioſos proferat fructus, decutit primas eius ficus, ſeu groſſos, itaque poſteriores meliores & copioſiores expectat. Audi Columellam lib.5.c.9. *Si voles ficum quamuis non natura feram facere, & vberiores demum ex illa fructus carpere, tunc groſſulos prioremue fructum decutito, iterum alterum edet, quem in hiemem vſque differet.* Scholiaſtes addit: *Iterum alterum vberiorem reddet.* *Quinto.*

Hac de cauſa in lege veteri Leuit.19.23. ita de ficu ceteriſque arboribus fructiferis ſanxit Dominus: *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinãt immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt, egò Dominus Deus veſter.* vide ibi dicta.

Simili modo famuli vt ineant gratiã herorum, aliquanto tempore fideliter & officiosè eis ſeruiunt, paruam vel nullam ab eis exigendo mercedem: nam initâ eorum gratiâ, copioſiorem & pręſtantiorem recipient.

Myſticè, qui Deum & Chriſtum, eiuſq; voluntatem & leges, ac pręſertim Euchariſtiã, quæ quaſi ficus eſt Eccleſiæ præſtantiſſima, cuſtodit & colit; hic vtique ab eo omnem gratiam & gloriam conſequetur. Chriſtus enim in Euchariſtia eſt noſtra ficus, & noſtrum manna ſine labore continens in ſe omne delectamẽtum, & omnem ſaporis ſuauitatem, Sapient.16.20. Ioan.6.31. Ita auctor Catenæ Græcor. *Dominus*, inquit, *eſt ficus, fructus illius ſanat lepram. Qui ſermonem acceptum ſeruat, in honore & pretio erit.* Dulcedinem huius ficus guſtarat Pſaltes, cùm cecinit: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*, pſal 33. Et cùm exclamauit: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* pſal 30. *Ficus eſt Euchariſtia.*

QVOMODO IN AQVIS RESPLENDENT VVLTVS PROSPICIENTIVM, SIC CORDA HOMINVM MANIFESTA SVNT PRVDENTIBVS] Hebr. *ſicut aquis facies ad facies* (reſplendent,) *ſic cor hominis ad hominem.* Quæ verba, quia indeterminata ſunt, variè à varijs determinantur & explicantur, vti videre eſt apud Rabbinos & Latinos interpretes. E multis VERS.19.

paucas

paucas magis appoſitas & probabiles afferam.

Primò, R. Salomon explicat, q. d. Sicut aquæ faciem repræſentant, quam tu ijſdem offers, qua quod oſtendis reddunt: ita ſocio parem ſe præbet vir, vt, ſicut ipſe alteri ſe charum eſſe intelligit, ita viciſſim eum redamet, & beneuolum ei vultum præferat.

Secundò, Aben Ezra q. d. Sicut aquæ creſcunt ob alias quæ admiſcentur: ſic etiam facies propter faciẽ, id eſt furor furore alterius augetur: ita quoque viri cor malo cumulatur ob alterum, cuius cordi ſe inuiſum eſſe animaduertit.

Tertiò, Vatabl. vertit, *vt aquarum facies ad facies, ſic cor hominis ad homines*, ſicque exponit. q. d. Vt eadem aqua diuerſas reddit facies, ſic alia aliorum hominũ ſunt corda. Aut, ſicut in aqua vultus vultui reſpondet, ita cor hominis cordi hominis reſpondet. q. d. Sicut cor vnius hominis inclinat ad malum, ita & omnium aliorum corda ſimilia enim ſunt. Verùm nimis ampla, ideoq; frigida & inſipida eſt hæc expoſitio.

Quartò, R. Samuel hæc accipit de fraudulentis falſiſque amicis, qui vultu pręferunt amorem, corde tegunt odium: vertit enim, *quomodo in aquis facies ad facies, ſic cor hominis ad hominem*, q. d. Sicut facies in aqua apparens oculos fallit, qui non falſam imaginem, ſed ipſiſſimam rem ſibi intueri videntur: ſic quoque homines alij alios decipiunt, mendacia & fraudes ſub veritatis ſpecie ſibi mutuo offerentes.

Quintò, alij accipiunt hæc de mutabilitate & inconſtantia hominis. q. d. Sicut facies apparens in aqua mobilis & inſtabilis eſt, cumque ipſo aquæ motu mutatur & variatur aſſiduè: ſic pariter inconſtans & mutabile eſt cor hominis, vt ab altero homine certò & ſolidè conſpici nequeat, quia firmitatem & conſtantiam non habet, ſed in dies, horas, imò ſępè momentis ſingulis, mutat ſua propoſita & conſilia.

Sextò, alij ex aduerſo hęc referunt ad firmitatem quæ ex plurium cõſenſione naſcitur. q. d. Sicut aquæ aquis additæ maximam vim habent, & facies faciebus, id eſt viri viris adiuncti validiſſimi ſunt: ita etiam corda cordibus, id eſt ſentẽtiæ ſententijs cohærentes maximum ad perſuadendum pondus habent.

Septimò, Septuag. vertunt negatiuè, *ſicut non ſimiles facies faciebus, ita neque cogitationes hominum*. Origen. homil. 2. in Numeros legit; *ſicut diuerſi ſunt vultus vultibus, ita & diuerſa ſunt corda hominum*. Sic & auctor Catenę Gręc. Aquę enim agitatę & fluitantes agitant pariter ſpecies & facies in ſe receptas, vt non videantur eſſe eædem, ſed aliæ ab ijs quas repręſentant. Aut potiùs q. d. In aquis ijſdem apparent variæ variorum facies, & nulla eſt alteri ſimilis, ſed omnes diſſimiles: ſic pariter in eâdem domo, vrbe, conſeſſu ſunt multa hominum corda, mentes, cogitationes & ſententiæ; nulla tamen alteri eſt ſimilis, ſed omnes diſſimiles & diuerſæ. Hoc enim eſt quaſi naturę miraculum, quòd, cùm multi ſint ſimiles manibus, pedibus cęteriſq; mẽbris, nullis tamen ſit eadem facies, vti nec eadem vox, vt ſcilicet quiſque ab alio tam voce quàm facie dignoſci & diſcerni poſſit, vti pulchrè docet S. Aug. lib. 21. de Ciuit. c. 8. Vnde Perſius:

Singulis ſua eſt facies & vox ab alijs diuerſa.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Audi Originem hom. iam citata: *Alterius, ait,* A *mo-tus animi lenior eſt, mitis, placidus: alterius turbidus, elatior, petulantior. Alius cautus, ſollicitus, impiger: alius deſes, negligens, incautus. Et in his alius plus, alius minùs. Audeo dicere, quòd fortè quanta in ſpecie vultus ineſt diuerſitas hominibus, tanta & in animis inuenitur differẽtia, iuxta illud Salomonis: Sunt diuerſi ſunt vultus vultibus, ita & diuerſa ſunt corda hominum.* Sic legit Origen. paulò aliter ac Noſter, & dat exemplum: Eædem, inquit, ſunt litteræ & tamen in ijs ſcribendis tanta eſt diuerſitas, vt quiſque ex charactere proprio dinoſcatur, vnde eum quaſi chirographum literis ſuis ſubſignat. Sic & virtus eadem ab vno ſic, ab alio aliter apprehenditur & practicatur. *Intuere, ait, ſingulorum virorũ chirographa, & vide verbi gratia, quomodo animus Pauli propoſuit caſtitatem, & animus nihilo minus Petri: ſed eſt propria quædam caſtitas Petri, & alia caſtitas Pauli, etiamſi vna eademq; videa-* B *tur. Denique alterius ipſorum talis eſt caſtitas, quæ requirat macerari corpus, dicatq; Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè alijs prædicans reprobus efficiar: alterius autem caſtitas talis eſt, quæ iſtud fortè non timeat. Similiter & iuſtitia habet aliquid proprietatis in Paulo: habet & in Petro. Eodem modo & ſapientia ceteraq; virtutes.* Vnde illud: *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Excelſi.* Quod Eccleſia ſingulis ſanctis Confeſſoribus attribuit, quia in ſingulis enituit peculiaris aliqua virtus, vel virtutis eiuidem peculiaris ſpecies & modus.

Chald. verò ſic vertit, *ſicut aqua, & ſicut vultus qui non ſunt ſimiles ad inuicem, ſic cor filiorum hominum non eſt inter ſe ſimile.* q. d. Sicut vna eademque aqua diuerſis eam intuentibus diuerſas ſui exhibet redditque facies: ſic vna eademque quæſtio diuerſis C diuerſas ſuggerit reſponſiones, vt omnes in varias abeant ſententias, nec vnus cum alio per omnia conſentiat.

Denique Syrus vertit, *ſicut vultus vultui non ſunt ſimiles, ſic corda cordibus non ſunt ſimilia.* q. d. Ex diſſimilibus vultibus licet conijcere diſſimiles cordium affectiones: hæ enim in vultu velut in ſpeculo relucent: ſic ex ſignis phyſiognomicis quæ in vultu relucent, dignoſci poſſe, quis ſit magnanimus, quis timidus, quis mundus, quis luxurioſus, quis ingenioſus, quis ſanguineus, quis melancholicus, &c. Ariſtot. in Phyſiognomicis.

Octauò, optimè Noſter vertit, *quomodo in aquis reſplendent vultus proſpiciẽtium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* q. d. Specula ex ære, ſtanno, cryſtallo, ſæpè ſunt fallacia; alia enim augent rem obiectam, alia minuunt, alia diſtorquent: at ſpecu- D lum aquæ naturale eſt & ſincerum, ac planè rem repręſentat talem qualis ſibi obijcitur: ſic & corda hominum planè talia, qualia ſunt, cognoſcuntur à prudentibus. Vide de fallacia ſpeculorum Senecam lib. 1. Natur. q. c. 17. & S. Aug. epiſt. 150. ad Nebridium, & Plin. lib. 13. 9.

Corda hîc tum propria accipi poſſunt, tum aliena. De proprijs accipit Ianſen. & Salazar. q. d. Sicut aquę ſunt quaſi ſpeculum, quod ſpeciem faciei intuentis recipit, eamque reddit & repræſentat intuenti: ſic pariter cor, id eſt, mens & conſcientia, eſt quaſi ſpeculũ hominis, id eſt, affectionum hominis, quod eaſdẽ ipſi homini repræſentat: *Quemadmodum enim*, inquit Ianſen. *in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic vt vnuſquiſque ſuum ibi vultum tanquam in ſpeculo contẽplari poſſit, quem alioquin non videt: ita ipſi prudentes ſeipſos & ſua cognoſcunt corda, dum ad ea redeunt, & exacta conſideratione aduertunt*

Mens ſibi ipſi ſpeculum.

qualia ſint, expendendo ſcilicet ad quæ inclinentur, in quibus potiſſimùm occupentur & hæreant, vt ipſummet cor hominis, maximè apud prudentes, ſit homini & ipſi cordi pro ſpeculo, ſiue pro aqua limpida, in qua homo ſeipſum & cor intuetur, iuxta illud Pauli: Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Sicut ergo neceſſe eſt homini, ſi proprium vultum videre velit illum in ſpeculo videat, aut in aqua, aut alio ſimili: ita ſi quis qualis ſit cognoſcere velit, non poteſt id alibi meliùs cognoſcere quàm in propria ſua mente. Porrò ſicut in aqua, vtpote facilè mobili & agitabili, ſæpè ſpecies facierum hominũ cum motu aquę turbantur, alterantur, dimidiantur & confunduntur: ſic pariter in corde ſępè ſpecies ſui ipſius turbatur per paſſiones, quę ſunt quaſi fluctus, haſce ſpecies miſcentes & confundentes: ſi enim ira, odio, timore, liuore, cor agitetur, non ſincerè & planè poterit ſeipſum cognoſcere. Quare vt ſincerè ſeipſum videat, placidum & tranquillum, liberumque à paſſionibus & perturbationibus ſit oportet: ſic enim erit inſtar aquæ pellucidæ, & immotæ, quæ clarè & fideliter reddit & repræſentat res & facies tales, quales ſibi obijciuntur.

Ex affectu tuo metire alienum erga te. Rurſum corda aliena hîc accipias, idque bifariam. Primò, q.d. Sicut aquæ ſunt ſpeculum faciei tuę, vt illam tibi repræſentent: ſic pariter cor tuum eſt ſpeculum cordis alieni; vt, ſi ſcire velis quale ſit alterius cor, id eſt, affectus erga te, illud cogniturus ſis ex corde tuo, atque ex eo metiri cor alienum poſſis. Examina enim cor tuum, & vide quomodo illud erga alium affectum ſit: ſi illud videris erga alium beneuolum, amœnum, ſincerum, ſcito alium ſimile planè cor amore & beneuolentia plenum erga te gerere: ſin tuum cor videris ab alio auerſum, rancidum, amarulentum, ſcito pariter alterius quoque à te eſſe auerſum, & odio aut liuore rancidũ. Ratio eſt, quòd affectus odij & amoris corde ita regi non queant, quin per ſigna, puta per verba, vultus & opera, ſubinde erumpant, quæ dum alius videt, eoſdem affectus aſſumit, induit & rependit, magnes enim amoris eſt amor, & magnes odij eſt odium. Qui enim ſentit ſe amari amantem redamat; qui ſentit ſe odio haberi, odientem ſe viciſſim odit. Hinc ſæpè fit ex quadam quaſi antipathia vel ſympathia naturali, vt, cùm duo qui ſe inuicem amant, ſibi occurrunt, cor vtriuſque pandatur, dilatetur, exhilaretur, exultet: ex aduerſo cùm duo, qui ſe inuicem etiam tacitè oderunt, occurrunt, cor vtriuſque claudatur, ſtringatur, triſtetur, amareſcat.

Cor patet ex ore. Secundò, ſicut cor tuum eſt ſpeculum cordis alieni, ſic viciſſim cor alienum eſt ſpeculum ſui ipſius. q.d. Sicut aqua eſt ſpeculum in quo apparent vultus non ſolùm proprij, ſed & alieni, ita vt ex eis ipſos agnoſcas, etſi eos directè in facie non videas: ſic pariter cor hominis eſt ſpeculum, in quo apparent eius affectus erga alium: cor enim prodit ſe per geſtus, ſermones & actus, quibus velut in ſpeculo ſuos affectus odij, timoris, amoris, iræ, &c. alijs patefacit & oſtendit, ita vt viri prudentes ex verbis & actionibus cuiuſque conijcere & diſpicere poſſint internas cordis alieni affectiones. In Sanctis id clarum eſt. Sic enim S. Ludouicus & S. Ægidius ſocius S. Franciſci, ſe inuicem ſalutantes ſine verbis cordibus ſolis mutuò loquebãtur, ſuoſque amoris & pietatis affectus inuicem repræſentabant & inſpirabant. Sic S. Antonius, S. Catharina Senenſis, S. Hilarion, multique alij in Vitis Patrum ex ſolo vultu peruidentes cor cuiuſque, illius ſtatum & affectus dignoſcebãt. Idem in quibuſlibet prudentibus & ſagacibus locũ habet, ſed gradu inferiore. Prudentes enim facilè ex notis & ſignis fucum & impoſturam faciei, ſi quis ſit, deprehendunt. ita Lyran. Hugo, Dion. & alij.

Gnomæ. Huc faciunt illę ſapientum gnomę apud Antonium in Meliſſa p.1.c.48. Photij Patriarchę: *Speculo ſimilis eſt ſermo* (putà cor in ore & ſermone tralucẽs) *& ſicut in illo repræſentatur ſpecies corporis & forma, ita in colloquijs animæ forma expreſſa conſpicitur.* Iſidori Pelusiotę: *Quòd ſi ſermo & vita conueniant, totius vitę ſimulacrum perficient.* Theognidis: *In ſpeculis quidem faciei, in colloquijs character animæ videtur.* Romyli: *Sicut vas fictile ictu & ſono, ſic homo ſermone probatur.* Huc facit illud S. Ambroſ. de Elia & ieiunio c.10. *Index faciei plerumque eſt conſcientiæ, & quidam tacitus ſermo mentis, cùm aut peccato compungimur, aut integritate lætamur.* Nota. Solus Deus eſt cardiognoſtes, id eſt cordium cognitor & inſpector: quia ipſe ſolus omnes omnium angelorum, dæmonum & hominum cogitationes, volitiones, intentiones, etiam intimas, profundiſſimas & ſecretiſſimas, quę nullo ſigno produntur, peruidet & introſpicit. Ratio eſt, quia Deus ſolus mentem & volũtatẽ ſingulorum velut creator & conſeruator occupat, poſſidet & comprehendit: hinc & ipſe ſolus illabitur animę & menti, vt in ea operetur mentem illuminando, & voluntatem flectendo, quocumque ipſe voluerit. Prudentes tamen homines æque ac angeli, per nutus, voces, ſigna & geſtus poſſunt multas cordis cogitationes & intentiones probabiliter cognoſcere & conijcere: prudentiæ enim pars eſt ſolertia ſiue ſagacitas, hoc eſt, ſolers & ſagax coniectatio. Prudentię autẽ huius tres ſunt gradus. *Coniectationis tres gradus. Primus.* Primus eſt prudentię naturalis, quę ratione ac diſcurſu, & experientia naturali nititur, ac per illã coniectat de naturalibus cordium cogitationibus. *Secundus.* Secundus eſt prudentię ſupernaturalis, quæ fide, gratia, diſcurſu & experientia ſupernaturali nititur, qualem habent Chriſtiani & iuſti, ac per illam coniectãt etiam de ſupernaturalibus cordium cogitationibus. *Tertius.* Tertius eſt prudẽtię ſingularis & diuinæ quæ vocatur donum diſcretionis ſpirituũ, per quod Deus reuelat nonnullis eximiè Sanctis arcana cordium, vti reuelauit S. Antonio, S. Hilarioni, S. Franciſco, & ſimilibus; atque etiamnum reuelat viris magnis & Apoſtolicis, præſertim Confeſſarijs, per quod conſcientias pœnitentium ſubinde vſque ad fundum introſpiciunt, & latẽtes intentiones quas ipſi pœnitentes nõ vident vel tacent, in lucem proferunt, vt pœnitentes in ſpiritu ad ſuam ſalutem & perfectionem ſecuriùs dirigant. Vnde hoc donum, vel certè particula huius doni, officio eorum congruens, ipſis poſtulanda eſt à Deo.

Vers. 20. INFERNVS ET PERDITIO NVNQVAM IMPLENTVR (Hebr. *ſaturãtur*) SIMILITER ET OCVLI HOMINVM INSATIABILES] *Perditio* eſt mors quæ omnia perdit, & ſtatus mortuorum. Perperã R. Leui per *infernum & perditionem* accipit materiam primam, quæ nunquã formis expletur, ſed ſemper alias & alias appetit. Melius R. Salomon, *Nunquam*, inquit, *ſaturatur infernus & perditio, quo minùs ſceleratorum piacula recipiant admittantúe, quemadmodum oculi improborum nunquam ad ſatietatem expleri poſſunt, cùm aſſiduè prauæ propenſioni ad crimina ſollicitanti obtemperent, cupiditatibuſq; eius obſequi ſtudeant.*

Optimè Caietan. & Ianſen. per *oculos* accipiunt cupi-

cupiditatem tum viuendi, tum habendi: neutra enim vnquam ſatiatur, quin plura videre & habere cupiat. Cupiditas autē tribuitur oculis, quia oculi rerum pulchrarum & concupiſcibilium ſpecies & ideas ad phantaſiam, indeque ad mentem & voluntatem, transferunt, ac per eas in voluntate, earum cupidinem excitant: vnde illud, *Oculi ſunt in amore duces.* Significat ergo Sapiens cupiditatis grande malū, ſcilicet quod ſit inexplebilis & inſatiabilis, inſtar mortis & inferni, ac proinde nos eam odio proſequi debere velut mortem & infernum: ideoq; cohibendos & claudendos eſſe oculos, qui cupiditatum ſunt internuntij, imò illices & excitatores. Plura hac de re dicā c. 30. v. 15. & 16. Rurſum ſignificat frænum injiciendum eſſe cupiditati, vt ſit rationabilis & moderata; hæc enim ſatiari poteſt, cùm effrenes ſint inſatiabiles. Quocirca Plato lib. 5. de Rep. citat laudatque illud paradoxum Heſiodi: *Dimidium plus toto*, applicatq; tyrannis, auaris, ambitioſis, qui omnibus volunt dominari, & ſuos fines vndequaque dilatare; cùm ſatius eſſet ſuis paucisq; viuere contentum. Idem li. 3. de Legibus, vt oſtendat infinitam principum potentiam, nullisque finibus determinatam eſſe præſentem peſtem omnium imperiorum, ſubdit id ideo accidere, quòd ignorent principes cupidi & ambitioſi Heſiodū rectè dicere, *Dimidium ſæpè toti præſtare: quandoquidem damnoſum eſt, rem totam accipere: dimidium tantùm accipere, moderatum eſt; moderatum verò immodico & immoderato, tāquam potius peiori, ſanè antecellit.* Sic in litibus auari actores qui totam rem cupiunt, nolentes dimidio cum parte aduerſa tranſigere, ſæpè totam perdunt: quibus ſanè vtilius fuiſſet petere dimidium quàm totum, cùm ob dimidium quod recuſarunt, perdant totum quod auarè ambierunt. Plura in hanc rem vide apud Maximum ſerm. vltimo. Septuag. poſt hanc gnomen aliam addunt, quę non eſt in Hebræo, nec in Vulgata, ſcilicet hāc, *Abominatio eſt Domino obfirmans oculos, & indiſciplinati incontinentes linguâ, vel indocti., petulantis ſunt linguæ.*

Dimidium plus toto, quando & cur.

VERS. 21. QVOMODO PROBATVR IN CONFLATORIO ARGENTVM, ET IN FORNACE AVRVM: SIC PROBATVR HOMO ORE LAVDANTIS] Hebr. *conflatorium argento, & caminus auro, & vir ſecundùm laudē ſuam*; Sept. *probatio argento, & auro ignitio; Vir autem probatur per os laudantium eum*; Chald. *conflatorium eſt argento, & fornax auro, & vir ex ore laudantium eum*, ſcilicet probatur & iudicatur.

Primò, R. Salomon & Aben Ezra exponunt q. d. Sicut cognoſcitur bonitas vel prauitas auri & argenti per ignem quo conflatur: ſic pariter cognoſcitur bonitas & malitia alicuius ex ore laudantium. Si enim populus eum laudet, ſignum eſt eum eſſe probum & laudabilem; ſin vituperet, ſignum eſt eum eſſe improbum & vituperabilem. Vox enim populi, vox Dei.

Secundò, auctor Catenæ Græcor. *Vir*, inquit, *probatur & exploratur per os laudantium, hoc eſt, per id cognoſcitur, quòd neque extollitur in proſperis, neque deijcitur in aduerſis & triſtibus: nam boni laudant quia bonus eſt, mali autem laudant, quia malus eſt.* Hæc ille.

Tertiò, S. Auguſt. in pſal. 69. per os laudantis accipit os adulātis. *Duo*, inquit, *ſunt genera perſecutorum, vituperantium & adulātium: plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Nam & ipſum caminum dixit Scriptura. Certè cùm de perſecutione loqueretur Scriptura, dixit: Tanquam aurum in fornace probauit vos, de Martyribus interfectis: & ſicut holocauſti hoſtiam accepit illos. Audi quia & lingua adulantium caminus eſt: Probatio, inquit, argenti & auri ignis, vir autē probatur per os laudantium eum, Argenti, inquit, & auri, ignis ille, ignis & iſte, de vtroque te ſaluum oportet exire. Fregit te reprehenſor, factus es in fornace tanquam vas fictile.* Et mox: *Rurſus ſi laudaris ab adulātibus & aſſentantibus, & annueris eis, velut emens oleum, non ſecum portans, ſicut quinque virgines inſipientes, erit caminus fracturæ tuæ, etiam os laudantium te.*

Quartò, & genuinè, q. d. Sicut ignis oſtendit probitatem & puritatem vel impuritatem auri & argenti; ſic pariter laus oſtendit hominis virtutem aut vitium, veritatem, aut vanitatem. Sicut enim ſi aurum & argentum perſtet integrum, nullamque det ſcoriam, ſignum eſt eſſe purum; ſin ſcoriam det, ſignum eſt eſſe impurum: ſic pariter ſi quis ex laude ſuperbiat & intumeſcat, ſignum eſt virtutem ejus eſſe impuram & imbecillam: ſcoria enim virtutis eſt tumor & ſuperbia; ſin laudatus maneat in priſtina ſua humilitate & modeſtia, ſignum eſt eius virtutem eſſe purā & ſolidam. Humiles enim laudes ſui reſpuunt; vani & ſuperbi ijs inflātur & inſoleſcunt. Vera ergo virtus & laus eſt ſpernere laudem ſicut vera gloria eſt gloriam contemnere. hoc enim magni & celſi eſt animi, qui ſupra gloriam & res omnes eminet fixus in cælo. Hinc ſicut aurifices vt probent an aurum & argētum ſit purum, an impurum & mixtum, ſolent illud ponderare tam ante quàm poſt conflationem per ignem: ſi enim illud idem pondus reddat poſt eam quod dedit antè, euidens ſignum eſt eſſe purum; ſin minùs ponderet quàm antè, ſignū eſt fuiſſe vel adhuc eſſe impurum: ignis enim dempſit ab eo ſcoriam, ideoque minùs ponderat, ſic pariter ſi poſt laudes homo maneat idē, æquè ſcilicet modeſtus & grauis; ſignum eſt hominem eſſe probæ & ſolidæ virtutis; ſin poſt eos leuiter infletur, & vanè ſeſe extollat, ſignum eſt eius virtutē eſſe leuem, vanam, & inſtar venti tumidam. Os quoque eſt quaſi conflatorium, in quo laude, quaſi igne probatur virtus laudati. Leues enim & vani in eo ebulliunt, abeuntque in bullas & fumos vanitatis & ſuperbiæ, ac laudati cum alto ſupercilio ſe circumſpiciunt, ſinumque dilatant, pectus attollunt, brachia explicāt, & quidquid pulchri habent, cum faſtu oſtentant; imò plus æquo exaggerant & magnificāt; perinde ac pauones, vbi ſe ab hominibus inſpici aduertunt, inflant pectus, ac turgidi ſyrma caudæ expandunt, vt ſuos in ea ocellos, velut totidem ſtellas miro colore variegatas oſtentent. E contrario ſapientes & cordati, ſi laudentur, manent ijdem, inconcuſſi & inuariati, æquè ſcilicet humiles, compoſiti & graues; quia nec laudibus attolluntur, nec vituperijs deprimuntur. Verè Nazian. apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 51. *Nimiæ laudes*, inquit, *aliquos redigunt ad ſummam elationem.* Et S. Auguſt. in ſer. 5. de Verbis Domini ſecundùm Matth. *Laudes*, inquit, *iſtæ veſtræ grauant nos potiùs, & in periculum mittunt, toleramus illas, & tremimus inter illas.* Quin & Gentilis Seneca de Ira li. 2. *Laude*, inquit, *creſcit licentia, ſpiritus aſſurgit ſi laudatur, & in ſpem ſuam bonam adducitur, ſed eadem iſta inſolentiam & iracundiam generant.*

Laus probat cor cuiusque.

Rurſum ſicut ignis in conflatorio vrit, coquit, & quaſi cruciat aurum & argentum: ſic laus vrit & cruciat viros cordatos, tum quia verecundi ſunt &

Cordati cruciantur dum laudantur: cur

humiles, tum quia timent ne per eam ſuperbiant & euaneſcát, itaque virtutem cum laude diſperdant: tum quia metuunt, ne Deus, ſincerus operum inſpector, videat in eis defectus quos homines non vident, ideoq; vituperet opera quæ homines laudant. Vnde S. Auguſt. li. 10. Confeſſ. c. 36. *Qui*, inquit, *laudari vult ab hominibus, vituperãte te*, (Domine) *non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te.* Tum quia verentur ne laus hominum ſit eis loco mercedis, itaque perdant mercedem æternam quam expectant in cęlis. Ita S. Gregor. li. 22. Moral. c. 5. *At contrà*, inquit, *ſi cor veraciter humile eſt, bona quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit, & quia falſa dicitur metuit, aut certè ſi adeſſe ſibi ea veraciter ſcit, eo ipſo formidat ne ab æterna Dei retributione ſint perdita; expauet enim vehementer, ne ſpes futuri muneris in mercedem reputetur tranſitorij fauoris. Quia ex re agitur, vt electorũ animus magno laudum ſuarum igne cruciatur, atque ab omni temporis ſui rubigine merore cogitationis excoquatur: cautá enim conſideratione trepidat, ne aut de his de quibus laudatur, & non ſunt, magis Dei iudicium ſubeat; aut de his in quibus laudatur, & ſunt, competens præmium perdat.* Et poſt nonnulla id probat ex hac Salomonis gnome: *Vnde bene per Salomonem dicitur, Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis. Argentum quippe vel aurum, ſi reprobum eſt, igne conſumitur; ſi probum verò, igne declaratur: ſic nimirum eſt, & ſenſus operantis. Nam qualis ſit, in eo quod laudatur, oſtenditur: ſi enim ſe auditis ſuis laudibus extollit, quid iſte aliud quàm aurum vel argentum reprobum fuit, quẽ videlicet fornax linguæ conſumpſit? Si autem fauores ſuos audiens, ad ſuperni iudicij conſiderationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit, quaſi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excreſcit, & vnde incendium trepidationis ſuſtinet, inde clarius effulget*, &c.

Adhæc, ſicut aurum & argentum igne probatum nitidius & fulgidius reſplendet: ſic Sancti dum laudantur fulgidiores fiunt, tum ob cauſas à S. Greg. recenſitas, tum quia laus hæc eis ſtimulus eſt ad maiorem virtutem, iuxta illud: *Virtus laudata creſcit.* Nam vt ait S. Gregor. hom. 9. in Euang. *Cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Hinc vtile eſt laudare pusillanimes, vt per laudem animos abiectos erigant, & ad heroica laudum opera attollant, vti docet S. Grego. 3. part. Paſt. admonit. 9. *At contrà*, inquit, *puſillanimes aptiùs ad iter bene agendi reducimus, ſi quædã illorum bona ex latere requiramus, vt dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus, quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata caſtigat. Plerumque autem vtilius apud illos proficimus, ſi & eorum bene geſta memoramus. Et ſi quæ ab eis inordinatè geſta ſunt, non iam tanquam perpetrata corripimus: ſed quaſi adhuc ne perpetrari debeãt prohibemus: vt & illa quæ approbamus, illatus fauor augeat, & contra ea quæ reprehendimus, magis apud puſillanimes exhortatio verecunda conualeſcat.* Et alter S. Greg. putà Nazianz. apud Anton. in Meliſſa p. 2. c. 51. *Præcipuum*, ait, *beneficium eſt in rebus honeſtis laudari: laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem.* Ibidem S. Chryſoſt. *Laus*, ait, *propter egregia facta auget cupiditatem ad meliora.*

Puſillanimes laudandi vt fiant magnanimi.

Inſuper ſicut argentum in igne conflatur per plumbum: plumbum enim igne conſumitur, & argentum purum integrumque relinquit. Verùm quia plumbum ſemper aliquid argenti admixtum habet, illud ad argentum quod purgatur, accedit, illudque adauget, quo fit vt argentum ex conflatorio maius quàm fuerat antè, & adauctum prodeat, vti teſtantur aurifices & rei metallicę periti: ſic pariter Sancti dum laudantur, ex laude adaucti prodeunt, tum quia virtutes adaugent, vt laudi reſpondeant, tum quia per laudem humiliores fiunt, & ad Deum per gratiarum actionem aſſurgunt: ſciunt enim ſe ex ſe, putà ex corrupta ſua natura, nihil habere niſi concupiſcentiam & peccatum; ſi quid verò habent boni, id eis prouenire ex gratia Dei, cui proinde omne operis decus & laudem, vti debent, refundunt & aſcribunt, iuxta illud S. Pauli: *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. Corinth. 4. v. 7. Dicunt quoque cum Pſalte: *Non nobis Domine, non nobis ſed nomini tuo da gloriam*, pſal. 113. Et cum viginti quatuor ſenioribus mittunt coronas ſuas ante thronum Dei, dicentes: *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia*, Apoc. 4. 11. Talis fuit S. Greg. Nazian. qui de ſe ita ſcribit orat. 14. de pace: *Nec item me*, inquit, *vel laudatores vel vituperatores immutabunt. Quod enim ſum, hoc maneo, ſiue maledictis afficiar, ſiue laudibus in cælum vehar.* Et S. Auguſt. epiſt. 64. ad Aurelium: *Magnum eſt*, inquit, *de honoribus & laudibus hominũ non lætari, ſed omnem pompam inanem præcidere, & ſi quid inde neceſſarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium, ſalutemq; conferre.* Huc pertinet dogma Catonis in Diſtichis:

Exempla.

Cùm quis te laudet, iudex tuus eſſe memento:
Plus alijs de te, quàm tu tibi, credere noli.

Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam] *Scientiam*, id eſt prudentiam, probitatem & virtutẽ. Hæc gnome deeſt in Hebręo & Græco & nonnullis Latinis: habetur tamen in Vaticanis. Senſus eſt, q.d. Mens & cogitatio impij propendet in mala, vt ſcilicet malas ſuas cupiditates, iræ, gulæ, inuidiæ, libidinis, ſuperbiæ, &c. expleat, ideoque rationes & modos eas explendi ſtudioſè veſtigat & inquirit. Ex aduerſo cor recti & iuſti propendet ad bona, putà ad opera virtutum, quibus placeat Deo; ideoque ſtudioſè exquirit ea, vt indies magis Deo placeat, illique opera gratiora exhibeat, quibus Deum ſuum oblectet, iuxta illud Apoſtoli Roman. 12, 2. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*; quia de re plura ſuperiùs dixi.

Si contuleris stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius] Hebr. *ſi contunderis ſtultum in mortario, in medio farrum* vel *ptiſanarum in piſtillo, non recedet deſuper eo ſtultitia eius*; Chald. *etiamſi percuſſeris ſtultum plagis inter cætus, idq. piſtillo, non tranſibit ab eo ſtultitia eius*; Syrus, *ſi verberaris vecordem in conſeſſu, nihil ei lucraberis, neque ab eo ſtultitiam amouebis.* Huic affine eſt prouerbium Arabum cent. 2. n. 51. *Cauda canis non corrigitur, etiamſi contundatur in mortario.* Canis enim ſymbolum eſt inſolentię, rixę, fœditatis, & impudentię, quæ propria ſunt ſtulto. *Ptiſana* eſt hordeum decorticatũ, quod deinde aqua decoctum bibitur aut ſorbetur, & ſaluberrimum eſt, præſertim in febribus, vulgò hordeaceam aut hordeatum vocant. Audi Plinium lib. 18. c. 7. *Ptiſana ex hordeo vſus validiſſimus*

Vers. 22.

Ptiſana vſus.

ſaluber-

ſaluberrimuſq́, tantopere probatur: vnum laudibus eius volumen dicauit Hippocrates. Et lib. 22. ca. 25. *Hippocrates ptiſanam tantùm ſorbitionis cauſa laudauit, quoniam lubrica ex facili hauriretur, quoniam ſitim arceret, quoniam in aluo non intumeſceret, quoniam facilè redderetur, & aſſuetis hic ſolus cibus in febri, bis die poſſet dari.* Pro *ptiſanas* hebr. eſt רִיפוֹת *riphot.* id eſt, tarra, vel grana tritici contuſa, vel contundenda; vnde & far à frangendo dicitur, ait Varro. Rurſum *riphot* ſignificat hordeum & quoduis legumen, quod in mortario contunditur, vel vt à ſiliquis exuatur, vel vt iam exutum conteratur & comminuatur: radix enim ריף *ruph* ſignificat conterere, contundere. Septua. 2. Reg. 17. 19. *riphot* vertunt maſſa ficuum. Solebant enim Græci, &, vt videtur, Hebræi, ficus viles & fatuas in maſſas contundere, vt hoc modo maceratæ ſeruarentur ad vſum ſeruorum & mancipiorum. Sic ſenſus appoſitus erit, q. d. Sicut qui ficus fatuas, ſiue inſipidas, cõtundit, ab eis non tollit fatuum & inſipidum ſaporem, ac nihilo dulciores & ſapidiores efficit: ſic qui ſtultum verbis & verberibus ſæpius contuderit, non extundet ab eo inſipientiam, nec hilo eum ſapientiorem & meliorem efficiet. Vulgatæ verò (quæ communis eſt) verſionis hic eſt ſenſus: facilius purgaueris ptiſanas quàm ſtultum: hordeum enim magno quidem labore, & crebris pili ictibus in mortario tunditur, primò vt corticem ſiue ſiliquam exuat, deinde vt exutum conteratur & comminuatur: at tandem magno conatu repetitis ictibus ſiliquis reuera exuitur, ac conteritur & comminuitur: ſtultus verò nullis ictibus, nullis minis & flagellis adduci poteſt vt ſtultitiam exuat, vtque mores ſtultos, ſuperbos & prauos frangat & conterat: ſed durus, imò durior inſtar ſilicis vel adamantis, qui tundẽdo magis indureſcit, flagellis euadit. Hinc Aquila & Theodot. vertunt, *ſi cadas ſtultum in medio piſtorum in piſtrino.* Solebant enim ſerui & homines ſcelerati relegari ad piſtrinum, vt in eo frumenta cõtunderent & commolerent ad pinſendos panes, q. d. Etiamſi hominem ſtultum & peruerſum releges ad piſtrinum, vt in eo cum frumentis pilo à piſtoribus tundatur; non tamen extuderis illi ſtultitiam, adeò in ea pertinax hæret, vt illi inſita & innata videatur.

Septuag. non verbum verbo, ſed eundem ſenſum paraphraſticè reddentes vertunt, *ſi flagellaueris imprudentem in medio conſeſſus inhonorans, non auferes imprudentiam eius.*

Stulti & obdurati ſunt indociles.

Stultum & ſtultitiam accipe tum phyſicè, putà indocilem, hebetem, vecordem: tum ethicè, putà imprudentem, improbum, ſceleratum, obduratum: nec enim hebes doceri poteſt, eſto eum fuſtibus contundas; nec obduratus molliri, eſto plagis eum conteras. Vnde S. Gregor. ex hoc loco docet cum obduratis durè eſſe agendum. Sic enim ſcribit in Paſtor. parte 3. admon. 14. *Aliter admonendi ſunt,* inquit, *qui flagella metuunt, & propterea innocenter viuunt; atque aliter admonendi ſunt, qui ſic in iniquitate duruerunt, vt neque per flagella corrigantur. Dicendum namque eſt flagella timentibus, vt & bona temporalia nequaquam pro magno deſiderent, quæ adeſſe etiam prauis vident: & mala præſentia nequaquam velut intolerabilia fugiant, quibus hic plerumq; etiam bonos affici non ignorant.* Et inferiùs: *At contrà hi, quos ab iniquitatibus nec flagella compeſcunt, tanto acriori inuectione feriendi ſunt, quanto maiori inſenſibilitate duruerunt. Plerumque enim ſine dedignatione dedignandi ſunt, ſine*

deſperatione deſperandi, ita dumtaxat, vt & oſtenſa deſperatione formidinem incutiat, & ſubiuncta admonitio ad ſpem reducat. Diſtrictè itaq; contra illos diuinæ ſententiæ proferendæ ſunt, vt ad cognitionem ſui conſiderata æterna animaduerſione reuocentur. Audiant enim in ſe impletum eſſe quod ſcriptum eſt: Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.

Gnomæ.

Huc faciunt ſententiæ ſapientum: *Quid prodeſt aſino hinnitum docere? nam propterea rudere non deſinet.* Et illa Anuli in Picta Poëſi:

Indocile ingenium ſi pergas velle docere,
Infelix operam perdes, vt ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere fræno, &c.

Vnde concludit. *Ergo*

Deſine: nam nunquam ars naturam vincit, equuſq́;
Nuſquam ex degeneri fiet generoſus aſello.
Et nunquam ex ſtolido cordatus fiet in arte.

Rationem à priori dat Petrarcha dialog. 41. *Sic habe,* inquit, *omnes qui ſunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non poſſe vnum ingenium accendere, niſi aliquæ intus in animo ſcintillæ ſint, quæ præceptores ſpiritu excitatæ & auditæ, generoſum diſciplinæ fomitem arripiant; alioqui algidum in cinerem nequidquam flabis.*

Huc ſpectant parœmiæ: *Æthiopem dealbas. Suem doces. Caput cerebro vacuum erudis. Mens non ineſt Centauris. Midas auriculas aſini. Bœoticum ingenium.* Et illud Perſij:

Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit.

Phryx plagis emendatur. Piſtillo retuſior. Colophonium calceamentum.

Rurſum Eccleſiaſt. c. 21. 17. *Cor fatui,* ait, *quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Et c. 22. 7. *Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam.* Audi S. Gregor. loco iam citato: *Contra hos Propheta,* inquit, *Domino conqueritur dicens: Attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Hinc eſt quod Dominus dicit: Interfeci & perdidi populum iſtum, & tamen à vijs ſuis non ſunt reuerſi. Hinc rurſum ait: populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. Hinc voce flagellãtium Propheta conqueritur dicens: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata. Babylon quippe curatur, nec tamẽ ad ſanitatem reducitur, quando mens in praua actione confuſa, verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta ſalutis itinera redire contemnit. Hinc captiuo Iſraelitico populo, nec tamen ab iniquitate conuerſo Dominus exprobrat dicens: Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis.* Exempla huius ſententię ſunt in Iudæis & hæreticis, ceteriſque in peccato quopiam obduratis, vti fuit Pharao, qui nullis minis, nullis plagis monentur vt ſapiant, & perfidiam ſeclusiue deſerant.

Denique hanc gnomen commutes & adaptes ſapienti hoc modo: *Si contuderis ſapiẽtem in pila ſicut ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferes ab eo eius ſapiẽtiam,* id eſt, virtutem & conſtantiam. Ita Anaxarchus philoſophus cùm à Neocreonte Cypriorum tyranno, poſt alia acerbiſſima tormenta in mortario piſtillo ferreo tunderetur, generosè reſpondit: *Tunde, tunde Anaxarchi follem* (ita vocabat carnes & oſſa, quorum ſpiritus eſt anima) *Anaxarchum non tundis:* anima enim eſt immortalis & inuicta in ſapiente, quæ tundi nequit, ita refert Philo in libro *Quòd omnis probus ſit liber.* Idem dixerunt ſeptem fratres Machabæi, cum in ſartagine ab Antiocho tunderentur & frigerentur, 2. Machab. 7. Idem dixere Martyres in pila contuſi.

VERS. 23. VERS. 24. DILIGENTER AGNOSCE VVLTVM PECORIS TVI, TVOSQVE GREGES CONSIDERA: NON ENIM HABEBIS IVGITER POTESTATEM; SED CORONA TRIBVETVR IN GENERETIONEM ET GENERATIONEM] Hebr. *agnoſcendo agnoſcas facies pecoris tui, & pone cor tuum ad greges; quia non in ſæculum fortitudo, & an corona in generatione & generationem?*

Pro *poteſtatem* hebr. eſt חוסן *choſen*, id eſt, fortitudo, poteſtas, potentia, theſaurus, diuitiæ. Vnde Pagnin. vertit, *quia non in ſæculū diuitiæ ſunt duraturæ;* Chald. *quia non in perpetuum poſſeſſio, nec pax* (Tigur. *corona*) *ad perpetuam poſteritatem;* Septuag. *euidenter cognoſces animas gregis tui, & applicabis cor tuum tuis armentis; quoniam non in ſæculum viro robur & fortitudo, neq; tradit ex generatione in generationem*, hoc eſt, vt vertit auctor Catenæ Græc. *viri enim paſtoris imperium & robur non ſe protendit in æuum, neque de generatione in generationem vitæ pabulū adminiſtrabit illis;* Syrus, *paſcendis gregibus tuis oues tuas noſcito*, iuxta illud Chriſti: *Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*, Ioan. 10.

Huculq; Salomon dedit præcepta ethicâ, nunc dat œconomica quæ ſcilicet pertinent ad inſtruēdam alendamque familiam: quare commendat artem pecuariam & paſtoritiam, quę innocentiſſima eſt & antiquiſſima, vtpote nata cum homine. Abel enim filius Adæ fuit paſtor ouium, æquè ac Cain frater eius agricola, Gen. 4. ſic & ceteri Adę filij & nepotes paſtores pariter ouium & armentorum fuere, Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Ioſeph cum fratribus, Moyſes, Dauid, ceterique priſci Patriarchę, qui ex ijs ditiſſimi euaſere, imò principes & reges. Vnde Dauid canit de ſe: *Et elegit Dauid ſeruum ſuū, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum paſcere* (vt paſceret, id eſt, regeret quaſi rex) *Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hereditatē ſuam*, pſal. 77. 70. Magnus ille Spiridion ex paſtore ouium factus Epiſcopus Trimituntis, oues tamē paſcere nō deſijt: vnde ſanctitate & miraculorum frequentium gloriâ claruit in Concil. Nicęno. Sic Romulus ex paſtore factus eſt rex & conditor Romæ, ac primi Romani fuere paſtores & agricolæ. Vnde Camillus ab aratro vocatus eſt ad imperium. Audi Pliniū l. 18. c. 3. *Quęnā ergo* inquit, *tātę vbertatis cauſa erat? Ipſorum tunc manibus imperatorum colebantur agri (vt fas eſt credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: ſiue illi eâdem cura ſemina tractabant qua bella, eademq; diligentia arua diſponebant qua caſtra: ſiue honeſtis manibus omnia lætiùs proueniunt, quoniam & curioſiùs fiunt. Serentē inuenerunt dati honores Serranū, vnde cognomen. Aranti quatuor ſua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellātur, Cincinnato viator attulit dictaturam, & quidem vt traditur, nudo plenoq; pulueris etiamnum ore. Cui viator, Vela corpus, inquit, vt proferā ſenatus populiq; Romani mandata. Tales tum viatores erant, quod ipſum nomen inditum eſt ſubinde & ex agris ſenatum ducesq; arcerſentibus.*

Paſtoritia ars innocens & antiqua.

Exempla.

Igitur ad literam iubet Salomon patrifamilias, ſiue agricolæ & paſtori, vt curā diligentem habeat pecoris ſui: ſic dabit lac, lanam, carnes, corium, omniaque quę ad victum & veſtitum familię neceſſaria ſunt. Iubet quoq; diligenter inſpici vultum pecoris: quia in vultu pecoris, ęquè ac hominis, relucèt tota corporis complexio & cōſtitutio: vnde ex vultu colligas pecoris æquè ac hominis ſanitatem vel morbum, maciem vel pinguedinem, robur vel infirmitatem, &c. rurſum an ſtudioſè pabulum cibumque ore carpant & capiant; hoc enim ſignum

A eſt bonę valetudinis & roboris: an verò ſegniter & interpolatè, velut nauſeantes id faciant; hoc enim ſignum eſt inualetudinis & infirmitatis.

Impropriè quoque Vatabl. & alij nonnulli per *pecus* accipiunt opes pecuniam: opes enim priſcorum ſitæ erant in pecoribus: vnde & à pecore dicta eſt pecunia, quòd effigie pecoris ſignaretur, teſte Plinio lib. 18. 3. Rationem duplicem ſubdit. Prima eſt: *Non enim habebis iugiter poteſtatem.* Secunda eſt: *Sed corona tribuetur in generationem & generationem.* Ex Hebræo paſſim vtramque negatiuè vertunt, hoc modo, *neque enim perpetuus erit theſaurus, neque corona in generatione & generationē.* q. d. Etſi habeas opes, puta auri & argenti theſaurum, is tamen non erit perpetuus, nec diuturnus, quia ſenſim expendendo abſumitur; nec rarò furto, incendio, prædatione, ſimiliue caſu aufertur. Etſi

B quoque ſis princeps aut rex corona redimitus; tamen hic principatus & regnum tibi, & tuis poſteris non erit perpetuus: ſæpè enim nepotes, imò & filij patri in regno non ſuccedunt: imò patres ij & non rarò regno deijciuntur, vel ab æmulis & hoſtibus, vel à ſubditis, preſertim ſi tyrannicè eis dominentur. Gregum autem cura & cuſtodia paſtori quotannis continuam dat alimoniam, imò opes ingentes. Ergo pręſtare greges paſcere, quàm opibus aut honoribus vtpote incertis & inſtabilibus, incubare & indormire.

Verùm Noſter vertit, *non enim habebis iugiter poteſtatem*, ſcilicet paſcendi & alendi greges, quia ſeneſces, nec vires ſuppetent, vt eos paſcas. Vnde Varro l. 2. de Re ruſtica c. 17. paſtores vult eſſe iuuenes, fortes & validos, vt in campis cum gregibus peruigilare, eoſque per montes ſaltuſque ſequi, & à lupis feriſque defendere valeant.

C SED CORONA TRIBVETVR IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM] Pro *ſed* hebr. eſt ואם *veim*, id eſt, *etſi*, hoc eſt *neque*, vt paſſim vertunt alij. Noſter *veim* accipit pro כיאם *kiim*, id eſt *ſed*. Hebr. enim *vau* eſt generale, & ſignificat quālibet coniunctionem, qualis eſt *ki*. Senſus ergo eſt, q. d. Si diligenter paueris gregem, nanciſcéris magnas opes, quæ tibi parient coronam, id eſt, ingens decus & gloriam. Rurſum *coronam* propriè dictam, q. d. Fies pręſes & princeps paſtorum, quem Varro loco citato vult eſſe ceteris ſeniorem; hic enim quaſi princeps coronabatur, æquè ac pręſes conuiuij, Eccli. 32. 3. Hinc Romulus ſpiceam coronā dedit agrorū ſacerdotibus, qui inter agricolas & paſtores eminebant velut principes. Audi Plin. li. 18. c. 2. *Aruorum ſacerdotes Romulus in primis inſtituit, ſeq; duodecimum fratrem appellauit inter illos, ab Acca*

Coronã princeps paſtorum olim gerebat.

D *Laurentia nutrice ſua, ſpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in ſacerdotio ei pro religioſiſſimo inſigni data, quę prima apud Romanos fuit corona.* Pan verò princeps paſtorum à priſcis coronabatur corona è pinu in ſignum puritatis & virginitatis; huius enim ſymbolum eſt pinus, iuxta illud Virgilij:

Pronuba nec caſtos accendet pinus odores.

Vnde Propert. lib. 1.

Fagus & Arcadio pinus amata Deo.

Et Ouidius 14. Metamorph. *Pinu præcincti cornua Panes.* Pluribus idipſum probat Carolus Paſchalius li. 6. de Coronis c. 28. Idem l. 2. c. 3. docet agreſtia numina floribus coronari ſolita.

Inſuper fies propriè princeps & rex, olim enim cùm omnes pene homines eſſēt agricolę & paſtores, qui inter eos arte, induſtria & opibus excelle-

bat

Reges ex paſtoribus olim creabantur.

bat, creabatur princeps & rex. Denique corona gloriæ in cælo donaberis, de qua mox. Sic Abraham, Iſaac & Iacob fuerũt paſtores & ſimul principes, ſiue reges. Sic Moſes, Ioſeph, Dauid, ab ouibus vocati ſunt ad principatum Hebræorum & Ægypti, æquè ac Cyrus ad regnum Perſarum, vide dicta Exodi 3. 1.

Symbolicè per paſtores gregum accipe principes & prælatos hominum. Quod enim paſtores prçſtant ouibus, hoc Superiores & Prçlati præſtare debent ſubditis, nimirum cuiuſque vultum, id eſt, mores & actiones ſedulò intueri, dirigere, erudire, corrigere. Vnde pro *tuoſq́ greges conſidera*; Septuag. vertunt, *& applicabis cor tuum armẽtis tuis*; Aquila & Theodot. *pone cor tuum in armentis*, vt quaſi tota cordis tui intentiò ſit in armentis. Per *cor* accipe mentem & voluntatem: mentem, vt intentè conſideres quid gregibus vtile & proficuum ſit, voluntatem, vt illud eis ſingulari amore & cura procures. Quocirca Chriſtus Dominus aſcenſurus in cælum, S. Petrum relinquens ſui gregis, id eſt, ſuæ Eccleſiæ ſuorumq; fidelium, paſtorem, tertiò ab eo amorem popoſcit, dicens: *Petre amas me?* ac cùm ille tertiò reſpondiſſet: *Domine tu ſcis, quia amo te*, ei gregem ſuum paſcendum tradidit, dicens, *Paſce oues meas*. Ioan. 21. 17. Rationem ſubdit, quòd ſcilicet non habebunt iugiter poteſtatem eos paſcendi & regendi; ſed ſi pauco tempore paſtorali munere ſedulò perfuncti fuerint, accipient à Deo immarceſcibilem gloriç coronã, quam capiti eorum imponet princeps paſtorum Chriſtus Dominus, vt ait S. Petrus ep. 1. c. 5. 4. vide ibi dicta. Audi Bedã: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq́; greges conſidera. Paſtori*, inquit, *dicitur Eccleſiæ, Diligenter adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit, agnoſce animos actuſq́; ſingulorum, & ſi quid in eis vitij ſordidantis inueneris, citiùs caſtigare memento; non enim tu ſemper oues Dominicas paſcendi poteſtatem habebis, ſed æterna eſt corona, quam percipies, ſi commiſſum tibi gradum ſuo tempore bene miniſtraueris.*

Vers. 25. APERTA SVNT PRATA, ET APPARVERVNT HERBÆ VIRENTES, ET COLLECTA SVNT FOENA DE MONTIBVS] Hebr. *reuelata eſt herba, apparuit germen, collectæ ſunt herbæ montiũ*; Chald. *humiliatum eſt fœnum, & apparuit herba*, &c. Septuag. *adhibe curam his qui in campo ſunt, viridibus, & attondebis herbam & congrega fœnum aſtiuum*; Syrus, *apparuit ver*, putà Niſan ſiue Aprilis, qui ab aperiendo dictus eſt, quaſi terras hieme rigentes tepore ſuo aperiens, ait Seruius.

Demonſtrat quàm facilè à Deo & natura, paruo vel nullo labore hominis paretur cibus gregibus, vt eorum paſtum & artem paſtoritiam commẽdet à facilitate, mox eandem commendaturus à fructu & vtilitate: nam ſine foſſione hominis in vere terra ex rigore hiemis algens & rigida, tepore ſolis redeuntis calefacta aperit ſe, & germina herbaſque ad ouium & pecorum alimoniam producit. Vnde agricolæ pleriſque pluris faciunt prata quàm agros; & ex pratis tantumdem fructus colligunt, quantum ex agris. Facile eſt quoque paſcere gregem, cùm in alijs artibus magnus ſit labor artifici ſubeundus, vt agricolæ aratio, occatio, ſatio, meſſio, &c. mercatori mercium emptio, tranſportatio, venditio, diſtributio fabro, piſtori, ſartori, ſutori ingens & cõtinuus labor: fabricandi, pinſendi, ſarciendi, ſuendi, &c. Porrò dicit, *Collecta ſunt fœna de montibus*; licet enim ex vallibus plus fœni colligatur quàm ex montibus, tamen quod ex montibus colligitur, vtpote locis arentibus, & aqua deſtitutis, ſiccius eſt, ideoque ægrè putreſcit, ac in horreis ſeruari poteſt per totam hiemem: cùm aliud quod ex vallibus colligitur, humidius ſit, ideoq; citiùs putreſcat, nec adeò diu ſeruari poſſit. Hinc & oues capręque, quæ ſiccum amant pabulum, ne humore grauentur & ægrotent, amant gramina montium, velut ſicciora, ideoque ſaniora. Vnde illud Virgil.

> *Mille meæ Siculis errãt* (errando paſcuntur) *in montibus agnæ.*

Myſticè Salonius: *Aperta ſunt prata, quia per gratiam Saluatoris reuelata ſunt cæleſtia ſacramenta quãdo aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerent Scripturas: tunc apparuerunt herbę virentes, id eſt, nunç ſentẽtiæ Euangelicæ veritatis & gloriæ. Rurſus per montes ſignificãtur ſancti patres veteris Teſtamenti; per fœna ſcripta eorum. Collecta ſunt ergo fœna de montibus, quia ſcripta ſanctorum Patrum collecta ſunt ad pabulum ouium Dominicarum*, &c. Sic & Beda.

Tropolog. auctor Catenæ Græcor. *Agrum*, inquit, *vel pratum appellat hic mentem, virentes autem herbas, beneq́; olentes flores, virtutes quæ in illa exiſtunt. Harum porro rerum qui curam habent, is demetit herbã viridem, nempe Dei cognitionem. Per fœnum montanum cæleſtium ſanctarumq́; virtutum & poteſtatum cognitio deſignatur, quę infirmiori & rudi adhuc animarum conſtitutioni conuenit. Solent enim Scripturæ ſanctos montium nomine exprimere: vt, Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxiliũ mihi. Rurſum: Montes exultauerunt vt arietes, vtiq; propter Iſraelis ſalutem*, pſ. 113. 4.

AGNI AD VESTIMENTVM TVVM, ET HOEDI AD AGRI PRETIVM] Chald. *agni ſunt ad veſtimentum tuum, & hœdi ad negotiationem tuam*; Syrus, *in tributum tuum*; Septuag. *vt habeas oues in veſtes tuas, cole campum, vt ſint tibi agni*; Scholiaſt. *vt ſint tibi armenta boum.* Vers. 26. Oſtendit ex parabili pratorum eſca, quàm agni & hœdi ijs paſti parabilem dent eſcam & veſtem. q. d. ait Ianſen. *Agni tui ſunt tibi ad veſtimentum tuum, quia ex lana agnorum, ſub quibus oues omnes comprehenduntur, texuntur veſtimenta fiuntq́; ex pellibus eorum. Et hœdi ſunt tibi ad pretium agri, hoc eſt, quibus venditis perſoluere poteris pretium agri à te conducti, aut ſumptus agri colendi, aut quibus emere poteris fructus agrorum, vt triticum familiæ tuæ neceſſarium: quaſi diceret, Si diligenter gregem paueris, non erit neceſſe agros colere. Nam pretio hœdorum poteris agrorum fructus comparare.*

Sub agnis & hœdis ſynecdochicè intelligit vaccas, boues, equos, omniaque iumenta & pecora, quæ ingens dant lucrum. Sed præ ceteris meminit agnorum & hœdorum, quia hos ferè ſolos olim pauerunt primi orbis paſtores, vt Abel, Iacob, Moyſes, Dauid, &c. hos enim facilè eſt paſcere & regere, cùm maiora difficilè & ſæpè cum periculo regantur: aut, vt Vatabl. q. d. Vendes hœdos, & ex pecunijs conflabis ſeruos, qui colant agrum tuũ. Significat ex grege & pecoribus poſſe colligi cetera omnia ad victum neceſſaria.

Symbolicè, ſicut agni tonderi ſolent [illegible] lanam, vt ex ea fiat veſtis nõ autem excoriari: ſic princeps qui eſt populi paſtor, cum non grauet tributis & exactionibus nimijs, ſed moderata & neceſſaria tantùm ab eo accipiat, ita plura ab eo percipiet: opes enim populi ſunt opes principis. Vnde Tiberius Imp. Æmilium Rectum Ægypti præfectum reprehendit, quòd nimijs tributis populum onera-

Tonde pecus, non excoria.

ret: *Tondeto, ait, pecus, non deglubito.* ita Dion. Nicæus in Tiberio.

Myſticè Beda: *Agnos, inquit, innocentes, hædos pœnitentes nominat. Agnorum ergo vellere veſtieris, dum bonis obedientium diſcipulorum moribus paſtor ipſe proficeres, eorumq́; indubitata facta cernens, & in ornatu virtutum, & in calore dilectionis ipſe glorioſior exſtiteris. Hædis agrum comparabis, dum peccatores ad pœnitentiam vocando, ſublimiorem tibi in terra viuentium locum acquires.*

VERS. 27. SVFFICIAT TIBI LAC CAPRARVM IN CIBOS TVOS, ET IN NECESSARIA DOMVS TVÆ, ET AD VICTVM ANCILLIS TVIS] Hebr. *ſufficientia lactis caprarum in panem tuum, in panem domus tuæ, & vitas ancillis tuis;* Septuag. *fili à me habes verba fortia ad vitam tuam, & ad vitam miniſtrorum tuorum;* Aquila, *ad panem domus tuæ;* Symmachus & Theodot. *ad neceſſaria domus tuæ.*

Sub *lacte caprarum* intellige lac ouium atque etiam vaccarum, item butyrum, caſeum, ceteraque lacticinia. q.d. Eſto frugalis in victu & veſtitu: veſtire quoque velleribus agnorum, vt iiſdem veſtitus eſt Adam, Eua, ceterique primi homines, Gen. 3. 21: ac priſci Romani, quin & moderni agricolæ & paſtores Romæ accolæ, qui pura ouium vellera leuiter conſuta collo iniiciunt, itaque pectus & dorſum veſtiunt, veſcere verò lacte, butyro & caſeo gregis tui, vti priſci iiſdem veſcebantur ab Adam vſque ad Noë: ante diluuium enim homines abſtinuere carnibus, vti oſtendi Gen. 9. 3. Itaque Salomon hic ante oculos ponit ſimpliciſſimū & innocentiſſimum vitæ genus, quod Abel ceterique primi homines ſecuti ſunt, ex gregis lacte victitātes, & eius velleribus ſe veſtientes, vt oſtendat quàm paucis, quamq́ue ſimplicibus natura hominum cōtenta eſſe poſſit: ac redarguat inſatiabilem hominum gulam & luxum, qui delicias tota vrbe & orbe cōquirunt. Salomonem ſecutus S. Paulus: *Habentes, inquit, victum & quibus tegamur, his contenti ſimus,* 1. Timot. 6. 8. Quin & priſci Romani non pane & carne, ſed lacte & pultibus veſcebantur, vnde pultiphagi ſunt appellati. Audi Plinium l. 18. c. 8. *Pulte non pane longo tempore vixiſſe Romanos manifeſtum: quoniā inde & pulmentaria hodieq́; vocantur. Et Ennius antiquiſſimus vates, obſidionis famem exprimens offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat. Et hodie ſacra priſca atque natalium pulte fitilla conficiuntur.* Frugalitas hæc Romanos fecit ſanos, validos, opulentos, rerumq́ue dominos. Audi eundem Plinium lib. 18. ca. 6. *Summum prouidentiæ illorum fuit,* inquit, *vt quàm minimum eſſet impendij: præcipiebant enim iſta, qui triumphali denas argēti libras in ſupellectile crimini dabāt, qui mortuo villico relinquere victorias, & reuerti in ſua rura poſtulabant, quorum prædia colenda ſuſcipiebat reſp. exercitusq́; ducebant ſenatu illis villicante. Inde illa reliqua oracula, nequam agricolam eſſe quiſquis emerat, quod præſtare ei fundus poſſet. Malū patremfamilias, quiſquis interdiu faceret, quod noctu poſſet, niſi in tempeſtate cœli, peiorem qui profeſtis diebus ageret,*

Priſci lacte veſcebantur, non carne.

Præcepta agricolandi.

quod feriatis deberet, peſſimum qui ſereno die ſub tecto potius operaretur, quàm in agro. Eandem frugalitatem eſt hodie videre in Hollandis, quæ proinde eos vegetos, robuſtos, diuites efficit. Denique Columella libr. 2. de Re ruſtica, paſtorum fidem in eo reponit, vt lacte & caſeo contenti, oues aut agnos non mactent.

Natura neceſſaria poſtulat, non delicata.

Præclarè Seneca ſimplicem & parabilem victum commendans epiſt. 120. *Quidquid,* inquit *naturam excedit, ſcies eſſe precarium, non neceſſarium: eſurio, edendum eſt: vtrùm hic panis ſit plebeius, an ſiligineus, ad naturā nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult ſed impleri. Sitio, vtrùm hæc aqua ſit, quam ex lacu proximo excepero, an ea quam multa niue cluſero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturā nihil pertinet, illa hoc vnū iubet, ſitim extingui, vtrùm ſit aureum poculum vel cryſtallinum, an vitreum; an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert. Finem enim rerum ſpecta, & ſuperuacua dimittes. Fames me appellat, ad proxima quæque porrigatur manus. Ea ipſa mihi commendauit quodcumque comprehendero: nihil contemnit eſuriens.*

Myſticè Beda: *Tanta,* inquit, *inſtantia pecus tibi commiſſum paſce, ne tibi lac æſtate nouum, nec frigore deſit: ſed tibi ſemper tuiſq́; ſufficiat, id eſt, tam ſedulò doctrinæ inſta, vt etiam quoſdam pœnitentes ad officium docēdi proueheas: quatenus per illos, qui pridem pro fœditate vitiorum ad ſiniſtram iudicis videbantur eſſe ponendi, modò rationabile, & ſine dolo, lac verbi paruulis ſenſu miniſtretur. Fit autem lac caprarum ad victum ancillis, quando hi qui nondum amore perfecto, ſed adhuc timore ſeruili Domino deſeruiunt, per exemplum vel verba eorum qui per pœnitentiam ſalui facti ſunt, viuificis verbi epulis reficiuntur, atque vt ad maiora virtutum proficiant, incrementa iuuantur.*

Agni ſunt innocentes, hædi pœnitentes.

Symbol.

Symbolicè, lac ſignificat paſtores parua & ſimplicia dumtaxat à ſubditis accipere debere, ſcilicet quæ ad ſimplicem victum & veſtitum ſufficiant: lac, inquit, non ſanguis: quia hoc indigent pecora, non illo. Innuit quoque periniquum eſſe, ſi neceſſaria ouibus alimenta in paſtorum oblectamenta transferantur. Hinc illud c. 30. 34. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

Anagogicè.

Anagog. idem Beda ex quodam ſic exponit: *Aperta ſunt prata,* id eſt, *monumenta,* Chriſto moriēte. Matt. 27. *Apparuerunt corpora rediuiua: ſequeſtrati ſunt peccatores à ſanctis: ſcenum ad comburēdum de locis excelſis. Sequeſtrati ſunt agni ad dexteram, hædi ad ſiniſtram: agni ad veſtimentum regis, quia ipſe dixit: Inhabito in eis. hædi pro pretio ſanctorum quibus nocuerunt, ignibus venundantur.*

Porrò Septuag. pro *lac* vertunt, *verba fortia: Fili,* inquiunt, *accepiſti à me verba fortia, quibus tuam & tuorum miniſtrorum vitam ſuſtientes. Verba* hæc ſunt documenta œconomica hic tradita ad alendam familiam, vocantur *fortia,* id eſt ſeuera & frugalia, quæ te & fortem corpore, & robuſtum animo efficient: vtrumque enim præſtat frugalitas & parſimonia.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

FVgit impius, iuſtus vt leo confidit, peccata multiplicant principes, pauper calumnians pauperes parit famem. præſtat pauper ſimplex diuite prauo. epulo confundit patrem, vſurarius opes corrogat liberali; pauper prudens ſcrutatur diuitem ſibi ſapientem; regnante iuſto oritur gloria; iniuſto, ruina: confeſſio parit veniam; beatus ſemper pauidus; tyrannus eſt leo & vrſus; dux liberalis longæuus; homicida omnibus exoſus: labor parit ſatietatem, otium famem; feſtinans ditari fit reus; iudex iniquus pro pane vendit veritatẽ, corripiens inuenit gratiam; fur patris ſui eſt homicida: cupiditas ſerit lites, ſpes pacem & ſatietatem; ſtultus eſt audax, ſapiens eſt catus & cautus; liberalis ditatur, auarus depauperatur, regnante impio fugiunt iuſti, regnante pio multiplicantur.

1. FVgit impius, nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. 2. Propter peccata terræ multi principes eius: & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit. 3. Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames. 4. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum. 5. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. 6. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus. 7. Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui autem comeſſatores paſcit, confundit patrem ſuum. 8. Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas. 9. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 10. Qui decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet: & ſimplices poſſidebunt bona eius. 11. Sapiens ſibi videtur vir diues: pauper autem prudens ſcrutabitur eum. 12. In exultatione iuſtorum multa gloria eſt: regnantibus impijs ruinæ hominum. 13. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. 14. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum. 15. Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem. 16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius. 17. Hominem, qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi vſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet. 18. Qui ambulat ſimpliciter, ſaluus erit: qui peruerſis graditur vijs, concidet ſemel. 19. Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, replebitur egeſtate. 20. Vir fidelis multum laudabitur: qui autẽ feſtinat ditari, non erit innocens. 21. Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benefacit: iſte & pro buccella panis deſerit veritatem. 22. Vir, qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egeſtas ſuperueniet ei. 23. Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. 24. Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre: & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt. 25. Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia concitat: qui verò ſperat in Domino, ſanabitur. 26. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, ipſe ſaluabitur. 27. Qui dat pauperi non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. 28. Cùm ſurrexerint impij, abſcondentur homines: cùm illi perierint, multiplicabuntur iuſti.

VERS. 1. FVGIT IMPIVS, NEMINE PERSEQVENTE: IVSTVS AVTEM QVASI LEO CONFIDENS, ABSQVE TERRORE ERIT] Hebr. *fugerunt nemine perſequente impius*, id eſt, quiſque impiorum: *iuſti* (quiſque iuſtorum) *autem ſicut leunculus fidet*; Arabicus, *Impius fugit nemine abhorrente, iuſtus autẽ domans velut leo*. q. d. Sicut leo omnia animalia domat ſibique ſubijcit, ſic & iuſtus omnes terrores. Vatabl. *fugiunt nemine perſequente impij, iuſti vt leones confident*. S. Hier. in Micheæ 2. *nemine*, inquit, id eſt *dæmone perſequente*. Dæmon enim tam vilis & infirmus eſt, vt cenſeatur & vocetur nemo, quia *ex quo bene eſſe perdidit, ad non eſſe tetendit*, ait S. Greg. 14. Moral. 11. Sed hoc myſticũ eſt. Hebræis ſolemne eſt iungere A verbum plurale nomini ſingulari, cùm pluralitas, ſiue diſtributio in plures ſignificatur. Sic hic dicitur, *fugerunt impius*, id eſt, impij, ſiue quiſq; impiorum: *iuſti fidet*, id eſt, fident, ſiue quiſque iuſtorum fidet. Intellige iuſtum realem & ſolidum, qui in iuſtitia continuò perſeuerat & proficit: hic enim confidit vt leo, & quò magis proficit in iuſtitia, eo fit confidentior & animoſior: ſi verò in ea intepeſcat, intepeſcit pariter in eo confidentia & animoſitas.

Huius gnomæ veritas in omnibus pijs & impijs cernitur, ſed maximè in principibus: vnde Salazar per *impium* accipit tyrannum, per *iuſtum* verò regẽ iuſtum qui populum iuſtè regit, ſuumque cuique

Tyranni pauent. ius adminiſtrat. Tyranni enim vbiq; pauidi mille A timoribus & ſuſpicionibus agitantur, omniaque tuta timent, quia malè ſibi conſcij ſciunt ſe Deo & hominibus eſſe exoſos, rex verò iuſtus ſcit ſe Deo & hominibus charum, ideoq; à nullo metuit. Vnde Iob c.15.21. tyrannum deſcribens: *Sonitus*, inquit, *terroris ſemper auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur: non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndiq; gladium.* Quocirca Dionyſius tyrannus Demadi eius felicitatem laudanti inſtruxit opiparum conuiuium, ſed à tabulato gladium ceruici eius imminentem ſuſpendit, vt oſtenderet felicitatem tyrannorum eſſe infelicem vtpote quibus omni hora cędes immineat. Et Plato li.9. de Rep. *Tyrannus*, inquit, *intra ædium parietes formidoloſus velut mulier commoratur.* Cauſam *cur?* dat Phauorinus apud Stobæum ſerm. 49. *An fieri*, inquit, *poteſt vt Deum effugiant? certè quocumque fugerint, deprehendentur à iuſtitia.* Exempla ſunt in C. Caligula, Domitiano, Nerone, Dionyſio, Decio, Diocletiano, Maximiano, &c.

Leo impauidus: cur? Porrò cur leo ſit impauidus & nullum timeat, cauſa eſt quam dat Albertus Magnus in Leone: *Certè*, inquit, *leoni hos animos naturale robur non facit:* nam multi elephantes, imò multi tauri ſimul iuncti, ſunt leone fortiores. *Sequitur ergo, alias feras non leonis fortitudinē vereri, ſed naturale illius imperium & dominium recognoſcere*, ſicut aues omnes recognoſcunt aquilæ imperium. Senſus ergo eſt, ait Salazar, q.d. *Sicut omnes feræ leoni, naturale eius imperium veluti agnoſcētes vltro parent: ita etiam principi, qui naturale, iuſtum ac legitimum imperium gerit, omnes vltrò acquieſcunt, ita vt contra illum nec ſingulares ſubditos perfidè ac proditoriè, nec multitudinem per ſeditionem moueri contingat. Hæc enim eſt vis & potentia legitimi* C *ac iuſti imperij.*

Hic ſenſus valdè appoſitus eſt, ſed inadæquatus & æquo arctior. Cur enim verba Salomonis ad ſolos reges & tyrānos reſtringemus? pręſertim cùm Hebræa habeant: *Fugerunt impius*, id eſt, quiſq; impiorum: *iuſti fidet*, id eſt, quiſq; iuſtorum. Senſus ergo eſt q.d. Quiſq; impiorum pauet, ac ex pauore ſuſpicans malum ſibi imminere fugit; etiam dum nullum imminet, ac nemo eum perſequitur, idque non tantùm cùm in actu peccati verſatur, & actu ſcortatur, vel aliud nefas peragit, ſed etiam cùm à ſcelere quieſcit: ex aduerſo quiſque iuſtorum, qui ſolidè perfectéque iuſtus eſt, etiam in medijs perſecutionibus confidit vt leo, eſtque impauidus, ſicut impius vbique eſt pauidus. Hunc impiorum pauorem graphicè depingit Iob ca.15.21. & Sapiens Sapient.17.v.10. & ſequ.

Impius pauet, iuſtus impauidus: cur?

Ratio prima. Ratio à priori eſt: Prima, quia iuſtitia vtpote recta, innocens, inculpabilis, eſt libera & animoſa, iuſtoſq; facit generoſos & animoſos: iniquitas verò, vtpote praua, nocens, rea, eſt timida & pauida, ac iniquos facit pauidos & pallidos; quia, vt ait Plutarch. *Improbitas ex ſeipſa ſibi ſupplicium ſtruit.* Et Seneca epiſt.97. *Sceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Et aliuſ: *Conſcientia ante peccatum eſt frænum, poſt peccatum eſt flagrum.* Iuſtus ergo confidit vt leo, iniquus pauet vt lepus. Vnde Poëta:

Non fulminantis magna Iouis manus terrebit iuſtum: etiam

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ,

Iſto enim iuſtus ſit humilis & mitis vt ouis, tamen idem magnanimus eſt vt leo: nā vt ait S.Laurentius Iuſtinian. (vt habet eius Vita c.9.) *Humilitas ſimilis eſt torrenti, qui æſtate tenuior quaſi ſerpit; hieme verò & vere inundat: ſic humilitas in proſperis quidē exigua eſt, in aduerſis verò magnanima eſſe debet*, vti fuit *Magnanimitas S. Chryſoſt.* in S. Ioanne Chryſoſtomo, cùm throno deiectus ageretur in exilium. De quo audi ipſummet ep.9. ad Cyriacum, tomo 5. *Etenim ego*, inquit, *cùm à ciuitate fugarer, nihil horū curabam; ſed dicebam intra memetipſum: Siquidem vult regina me exulem, agat in exilium, Domini eſt terra & plenitudo eius. Et ſi vult ſecare, ſecet, idem paſſus eſt & Iſaias, ſubſcribar illi. Si vult in pelagus me mittere, Ionæ recordabor. Si vult in caminū inijcere, idem paſſi ſunt tres pueri. Si me feris vult obijcere, obijciat, Danielis in lacum leonibus obiecti recordabor. Si me lapidare vult; lapidet me, Stephanum habeo primum martyrem ſocium. Si & caput tollere vult, tollat, habeo ſocium Ioannem Baptiſtam. Si & ſubſtantiam auferre, auferat, nudus exiui de vtero matris meæ, nudus etiā abibo.* B *Me admonet Apoſtolus: Hominis perſonam Deus non accipit. Et ſi adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti vtiq; non eſſem. Armat me & Dauid dicens: Loquebar coram regibus, & non confundebar:*

Secunda, quòd iuſtitia pariat bonam ſecurāmque conſcientiam; iniquitas verò malam, ideoque timidam & anxiam. Bona enim conſcientia nil timet, mala ad omnia expalleſcit, iuxta illud Sap. 17.10. *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata cōſcientia.* Qua de re alibi dixi plura. *Secunda.*

Tertia, quia iuſti parui faciunt res omnes huius vitæ, ſiue proſperas, ſiue aduerſas, quas iniuſti magni faciunt, iuſti enim ſperant & anhelant ad opes cęleſtes; vnde eorum conuerſatio, mens, & ſpes in cælis eſt: quare nil in hac vita eſt eis terribile niſi peccatum. Ita S. Hilarion, vt ſcribit S. Hieron. in eius Vita, captus à latronibus, rogatus an timeret, reſpōdit: *Nudus latrones non timet. Et illi: Certè, aiunt, occidi potes. Poſſum, inquit, poſſum; & ideo latrones non timeo, quia mori paratus ſum.* Idē latronibus reſpondit S. Martinus & S. Dominicus. Hac de cauſa dixit Salomon c.12.21. *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo*, vide ibi dicta. *Tertia.*

Quarta, quia iuſti ſciunt ſe Deo eſſe cordi & curæ: Deo ergo nixi nil metuunt, dicunt enim cū S. Paulo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom.8.31. Hāc cauſam aſſignat Eccleſiaſt.c.34.16. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius*, vide ibi dicta. Hinc pro *leo* hebr. eſt כְּפִיר *kephir*, id eſt, leunculus, qui planè impauidus D eſt, longè magis quàm leo ſenior: tum quia necdū venatores & hoſtes expertus eſt vt leo: tū quia fames acris, qua aſſiduè laborat; & auiditas ſanguinis quem recēns deguſtauit, ideoque ſitit, acuit ei animos & iras: tum quia dētes habet acutiores & firmiores; nam per ætatem leonibus dentes non rarò cōteruntur vel excidunt, vnde illud Iob.4.10. *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorū leonū contriti ſunt*; tum quia ſub alis patris & matris, id eſt, leonis & leænę, ſecurus requieſcit. Ita iuſti requieſcunt ſub alis Dei, qui illis eſt pater & mater, ideoque ſunt interriti, iuxta illud pſal.90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, &c. *Scuto circūdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno: à ſagitta volante in die, à negotio perambulāte in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Et pſ.26 *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.* *Quarta.*

Hasce

Haſce rationes paucis aſſignat S. Greg lib 31. Moral. c. 14. *Iuſtus*, inquit, *quaſi leo confidens abſq; terrore erit: in occurſu enim beſtiarum idcirco leo non trepidat, quia prævalere ſe omnibus nōignorat; vnde viri iuſti ſecuritas rectè leoni comparatur, quia dum contra ſe quoſlibet conſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit: & ſcit quia cunctos aduerſantes ſuperat, quia illum ſolum diligit, quem inuitus nullo modo amittat. Quiſquis enim exteriora quæ etiam nolenti ſubtrahuntur, appetit, ſua ſe ſponte extraneo timori ſubſternit: infracta autem virtus eſt concupiſcentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus*, &c.

Quinta.

Quinta eſt, quòd Deus ſæpè terrores, panicos immittat ſceleratis, vti minatus eſt Iudęis, ſi à lege ſua deſciſcerēt, Leu. 26. *Qui*, inquit, *de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugiēt quaſi gladium: cadent, nullo perſequente & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrûm inimicis audebit reſiſtere: peribitis inter gētes, & hoſtilis vos terra conſumet. Quòd ſi & de ijs aliqui remanſerint, tabeſcent in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur: donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum, quibus præuaricati ſunt in me, & ambulauerunt ex aduerſo mihi.*

Tales pauores Deus immiſit Ægyptijs & Pharaoni per tenebras palpabiles, in quibus pariter immiſit in eos ſpectra & viſiones rerum horrendarum, quas fusè deſcribit Sapiens c. 17. v. 2. & ſequ. Tales quoque immiſit Madianitis ad clangorem Gedeonis & trecentorum ſociorū eius, Iud. 7. 21. ac Syris per Eliſæum, 4. Reg. 7. 6.

Ex aduerſo iuſtis & Sanctis Deus in rebus aſperis vel arduis ſubinde immittit tantas ſpes & animos, vt omnia audeant & intrepidè aggrediantur, imò hoſtibus omnino ſint terribiles. Tales animos immiſit S. Petro, S. Paulo ceteriſque Apoſtolis; S. Athanaſio qui vt leo reſtitit Arrianis, totiq; penè orbi: & noſtro ſæculo S. Ignatio & S. Franciſco Xauerio, qui innumeras & ingētes perſecutiones, Deo nixi, animosè & intrepidè ſuperarunt, quoſq; Deus non tantùm hominibus, ſed & dęmonibus terribiles effecit, iuxta illud ab eo promiſſum: *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant*, Deuter. 2. 25.

Analogia iuſti & leonis.

Prima.

Porrò aptè iuſtus impauidus comparatur leoni, Primò, quia *leo*, vt dicetur c. 30. 30. *fortiſſima beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Nam vt ait Ariſtot. li. 5. Hiſt. anim. c. 13. *Leo in venatu dum cernitur, nūquam fugit aut metuit; ſed etiamſi venantium multitudine cedere aliquando cogitur, ſenſim pedetentimq; diſcedit, crebrò ſubſiſtens atque reſpectans. Nactus vero opaca, fuga quàm maximè poteſt veloci ſe ſubtrahit; tum rurſus lentè incedit.* Ex Ariſtotele hęc deſcripſerūt Plinius. Ælianus & alij. Addit Plinius lib. 8. c. 36. *Inualidiſſimum vrſo caput, quod leoni fortiſſimum.* ſic iuſtus omne robur habet in capite, id eſt, in mente & voluntate generoſa & amore Dei armata.

Secunda.

Secundò, quia, vt ex S. Baſil. homil. 9. Hexam. ait S. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 3. *Leo naturæ ſuæ ſuperbus ferociā, aliarum ferarum generibus miſcere ſe neſcit, ſed quaſi rex quidam plurimorū dedignatur conſortium.* ita iuſtus dedignatur vitam ſæcularium, eſto delicatam, ſplendidam, pompoſam; quia omnia terrena arbitratur vt ſtercora.

Tertia.

Tertiam analogiam ſuggerit Chald. dum vertit, *iuſti autem ſicut leo, qui intendit cibo ſuo, ſperant in ſapientiā.* Leo enim ſecurus prędа ſua veſcitur, nec alias feras circumſtantes metuit vel aſpicit: vbi verò ſe ſatiauerit, reliquum feris ceteris comedendum dimittit. Sic iuſti toti intendunt iuſtitiæ & Deo: hic enim eſt cibus illorum, nec quidquam tim ēt quod illum illis auferat per quem ſperāt nanciſci ipſam ſapientiam, id eſt, gratiam, virtutem, gloriam, viſionem Dei, felicitatem, & omne bonum: atque huius ſui epuli myſtici reliquias communicant proximis, quibus ſuam ſapientiam aſpirant.

Quarta.

Quarta, quia leones contemnunt omnes feras, hoſtes & terrores, ac quo illi maiores ſunt, eo magis accreſcit illis confidentia & animus. Vidimus leonem, in quem immiſſi canes venatici & moloſſi, cùm vnus eum fronte apprehenderet, alij auribus, alij caudâ, alij dorſo, alij, pectore, immotum perſiſtere: ac cùm iam planè canibus circumdatus eſſet, ſingulos pedibus complecti, ac omnes ex ordine à primo ad vltimū ſigillatim lacerare & diſcerpere, ea facilitate & quiete, qua chartam diſcerpimus. Ita iuſto cū aduerſis & periculis creſcunt animi, iuxta illud: *Creſcit aduerſis agitata virtus.* Hinc iuſtus gaudet aduerſis, quod in ijs habeat materiā exercendæ virtutis, acuendiq; animos. Vnde animosè dicit cum S. Paulo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? certus ſum quia neq; mors, neque vita*, &c. Rom. 8. 35.

Sicut ergo leo confidit, quia videns feram æmulam confidit ſe illam proſtraturum, imò deſtinat eam ſibi prædam & eſcam: ſic iuſtus viſo hoſte & tentatione cōfidit, quia certa ſpe opis diuinę percipit victoriam & triumphum. Rurſum Ariſtot. lib. 2. Hiſto. animal c. 1. *Leoni*, inquit, *ceruix oſſe vno rigida conſtat, nec vertebris vllis iungitur.* Et lib. 4. de Part. animal. c. 10. *Collum*, ait, *ceteris animalibus flexibile, & vertebris compactū eſt: at lupo & leoni oſſe perpetuo riget: commodius enim ad robur, quàm ad ceteros vſus collum ijs eſſe natura voluit.* ita interrita & ad omnia terriculamenta inflexa eſt iuſtorum cōfidentia, ac perpetua conſtantia riget vigetque.

Exempla.

Spartiatarum dux & leo fuit Leonidas: qui cum trecentis ciuibus obiecit ſe toti Xerxis exercitui ad Temrmopylas, dicens ſuis: *Prandete hic commilitones, apud inferos cœnaturi.* ita Cicero in Tuſcul. Sic S. Leo leonina cōfidentia occurrit Hunnorū regi Attilæ, qui ſe vocabat *flagellum Dei*, eumq; repreſſit, & ex Italia diſcedere compulit, teſte Eutropio lib. 15. Chriſtianorum dux & leo fuit S. Ignatius: hic enim vt leo confidebat, cùm inter leones fugientes martyrij auidus dixit: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarū molar, vt panis mundus inueniar:* ipſe ergo leonibus fuit fortior, ac leonum leo. Vnde damnatus à Traiano, ad leones, eos nō tam ad duellum, quàm ad ſui conuiuium prouocans epiſt. ad Romanos, *De Syria*, inquit, *vſq; Romam pugno ad beſtias, in mari & in terra, nocte dieq; ligatus cum decem leopardis, hoc eſt, militibus qui me cuſtodiunt.* Et mox: *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitū, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne ſicut & aliorū Martyrum, non audeant corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Filioli ignoſcite mihi, quid mihi proſit, ego ſcio.* Et Paulò pòſt: *Nūc incipio diſcipulus eſſe Chriſti, nihil de his quæ videntur deſiderans, vt Ieſum Chriſtū inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar.*

Deniq; hanc gnomen luculenter & eleganter explicat

explicat S. Chryſoſt. hom. 8. ad Popul. quam audi. *Talis eſt peccantium conſuetudo, omnia ſuſpecta habent, vmbras tremunt, omnem ſtrepitum timent, & quemque putant ad ſe venire. Multos igitur ſæpè conſpicati peccatores, ad aliud miniſterium currentes ad ſe venire cogitauerunt: & alij alia inter ſe diſſerentibus, peccati ſibi ipſis conſcij putant illos de ſe ſermocinari. Talis enim res peccatum eſt, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pauidū facit & timidum peccatorem, ſicut iuſtitia contrarium. Audi igitur quomodo & huius pauorem, & illius libertatem Scriptura deſignauit: Fugit impius perſequente nemine, inquit. Quomodo perſequente nemine fugit? Intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc vndiq; circumfert: & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agentem: ſed quocumq; abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile. Sed nō talis iuſtus; ſed qualis, audi: Iuſtus tanquā leo, inquit, confidit. Talis erat Elias. Vidit igitur regem ad ſe venientem, & dicente illo. Túne es ille qui conturbas Iſrael? Non ego turbaui Iſrael, inquit, ſed tu, & domus patris tui. Verè iuſtus vt leo cōfidit. Si ut enim leo in regem tanquam vilem catulum quemdā inſurrexit.* Et nonnullis interiectis leonem vocans S. Paulum, ita pergit: *Talis erat leo & B. Paulus Act. 16. carcerem enim ingreſſus, ſolo clamore omnia fundamenta concuſſit, vincula roſit non dentibus, ſed verbis. Propterea non leones ipſos tantùm, ſed & aliud quid leonibus maius oportet appellare. Leo enim in retia ſæpè lapſus capitur: ſancti verò cùm ligantur, hinc fortiores fiunt. Sicut & hic beatus in carcere tunc fecit, ſoluens compeditos, parietes concutiens, carceris terrefaciens cuſtode, & pietatis verbo capiēs. Leo clamat, & omnes beſtias fugat, ſanctus clamat, & dæmones vndiq; expellit. Leonis arma, iubarum horror, unguium cuſpis, & dētes acuti: arma iuſti, ſapientia, temperantia, patientia, tolerantia, præſentiū contemptus omnium. Hæc arma quiſquis habet, non homines tantùm improbos, ſed & ipſas aduerſarias poteſtates deridebit. Meditare igitur homo ſecundùm Deum viuere, & nemo te vnquam ſuperabit. Sed etiam ſi omnium viliſſimus eſſe videaris, omnium eris potentiſſimus: ſicut ſi animi virtutem neglexeris, etiam omnium ſis potentiſſimus, omnibus inſidiantibus eris facilè expugnabilis.*

Obijcit S. Thomas 3. p. q. 15. ar. 7. ad 1. De Chriſto dicitur Marci 14. *Cœpit Ieſus pauere & tædere:* Chriſtus autē fuit maximè iuſtus: ergo in iuſtum cadit pauor & terror. Ac reſpōdet: *Iuſtus dicitur eſſe abſq; terrore, ſecundùm quod terror importat perfectam paſſionem, auertentem hominem ab eo, quod eſt rationis; & ſic timor non fuit in Chriſto, ſed ſolùm ſecundùm propaſſionem, & ideo dicitur quòd Ieſus cœpit pauere, quaſi ſecundùm propaſſionem, vt Hieron. exponit.*

Huc facit quod Ezechiel ca. 1. Cherubinis, qui ſunt typi iuſtorum, Apoſtolorum, & præconum Euāgelij, dat quatuor facies ſcilicet faciem hominis, leonis, vituli & aquilæ, vbi leo notat eorum fortitudinem: hæc enim habet aliquid leonini & ferocientis naturæ. *Miniſter ergo Euangelicus,* ait noſter Aluarez *debet eſſe homo, qui ſciat puſillis ac miſeris peccatoribus compati: leo, qui nouerit aduerſus peccata rugire, & comminationes diuinas terribiliter intonare: bos, qui poſſit ſollicitudinum onera ſuſtinere: & aquila, quæ contemplando cæleſtia valeat res terrenas effugere, & ad Deum ſublimiter euolare. Alio modo iſtas perfecti hominis facies expoſuit S. Gregorius. Omnis, inquit, qui in ratione perfectus eſt, homo eſt. Et quoniam ſemetipſum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus eſt. Quia verò ipſa ſua ſpontanea mortificatione contra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet (vnde ſcriptum eſt: Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit) leo eſt. Quia verò ſublimiter contemplatur ea, quæ cæleſtia atque terrena ſunt, aquila eſt.* hæc S. Gregor. homil. 4. in Ezech. vide dicta Ezech. 1.

Vers. 2. PROPTER PECCATA TERRÆ MVLTI PRINCIPES EIVS: ET PROPTER HOMINIS SAPIENTIAM, ET HORVM SCIENTIAM QVÆ DICVNTVR, VITA DVCIS LONGIOR ERIT] Hebr. *in præuaricatione terræ multi principes eius: & in homine intelligente & ſciente,* כן *ken,* id eſt *rectum,* vel *ſic prolongabit,* vel *prolongabitur,* ſcilicet principatus, vel ira principis. Chald. *in peccato terræ multi principes eius: & filij hominum qui intelligunt ſcientiam, durabunt;* hoc eſt, vt Syrus, *& viri iuſti qui ſciunt* (practicè, id eſt, faciunt) *iuſtitiam, longos facient dies ſuos;* Septua. *propter peccata impiorum iudicia & lites ſuſcitantur, vir autem aſtutus* vel *prudens, extinguit ea.* Pro *iudicia* græcè eſt κρίσεις, pro quo Complut. legunt βρίσεις, id eſt grauamina, oppreſſiones.

PROPTER PECCATA TERRÆ MVLTI PRINCIPES EIVS] Hoc eſt, inquiunt nonnulli, ex peccato Adæ orti ſunt principatus & regna, principes & reges: nam ante peccatum non fuêre: tunc enim omnes erant æquales, ac per iuſtitiam originalem quiſque ſe regebat, & in iuſtitia continebat: at vbi per peccatum ab ea exorbitarunt, opus fuit principibus, qui eos in orbitam reducerent, & in ea legibus, pœnis & præmijs continerent. Vnde S. Gregor. l. 21. Moral. c. 10. *Omnes,* inquit, *homines natura æquales ſumus, ſed acceſſit diſpoſitorio ordine vt quibuſdā prælati videamur, ipſaq; diuerſitas quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt diuinis iudicijs ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur.*

Alij Secundò, hæc accipiunt de polyarchia, q. d. Optimum regimen eſt monarchiæ; monarcha enim omnibus ſubditis præeſt, omneſque in officio & pace continet: at propter peccata hominum, præſertim ambitiones, orta eſt polyarchia, id eſt, plurium dominatus; ſiue optimatum, vti fit in ariſtocratia; ſiue populi, vti fit in democratia, in quibus crebræ oriuntur ſeditiones, ſchiſmata, tyrannides, cædes, aliaque ſcelera. Vnde monarchiam optimum eſſe regimen, & polyarchiam non tam regimen, quàm ſeditionem nuncupādam eſſe docet Plato de Legibus dialog. 8. & Ariſtot. l. 5. Politic. c. 12. Et Euripides in Archelao: *Regnum,* inquit, *deorum quædam vita videtur: nam præter immortalitatē reliqua habent omnia regnum,* id eſt, monarchia; nam in regno rex velut monarcha imperat.

Tertiò, alij accipiunt de diuiſione regni vnius in multos principatus, q. d. Sæpè ob peccata populi regnum vnum diuiditur in multos principatus. Sicut diuiſum eſt regnum Hebræorum in duo, ſcilicet in regnum Iuda & regnum Iſrael ſub Roboam ob peccata Salomonis, 3. Reg. 12. Talis enim regnorum diuiſio ſicut oritur ex peccatis regis & populi, ſic populo grauis eſt & damnoſa, quia ex ea oriuntur maiores ſumptus. Facilius enim eſt alere vnum regē regaliter, quàm duos vel tres: inde noua tributa & exactiones: nouæ leges, noua iura: & ſæpè cædes ac bella, dum quiſque ſtudet ſuos & regni fines dilatare, aut cum rege vicino odia & lites intercedunt, vti crebra fuere bella inter reges Iuda & Iſrael.

Verùm hi ſenſus omnes non cohærent cum verbis ſequentibus, nec cum ijs vllam habent antitheſin, quam aliæ gnomæ continent. Quare genuinus ſēſus antitheticus eſt. q. d. Ob peccata populi Deus facit, vt principes boni ſint breuis æui, itaque alij

& alij ſuccidant, qui populum nouis tributis, legibus, impenſis, oneribus, bellis grauẽt: at verò princeps ſapiens & probus cohibet peccata populi, itaque facit vt Deus in præmium tam populi quàm principis probi, vtriq; prolonget vitam, imperium & proſperitatem. Propter huius enim ſapientiam & ſcientiam eorum quæ dicuntur & aguntur in regno, hoc eſt, quia diligẽter ſcire omnem populi ſtatum ſtudet, ac prudenter proſpicit, vt in officio populus contineatur, & in religione, ideò eius vita longior erit. Superiùs enim dixit: *Auſer impietatẽ de vultu regis, & firmabitur in iuſtitia thronus eius.* Poteſt & ſic intelligi noſtra litera. Sicut ob peccata terræ multos cõtingit eſſe eius principes: ita ob ſapientiã alicuius cuius operâ vtitur princeps, & ſcientiam eorum, quę in ſententijs ferendis dicenda ſunt, vita ducis Dei munere prolongabitur. Aut propter ſcientiam eorum quę dicuntur à Deo, hoc eſt, propter ſcientiam mandatorum Dei: ob hanc enim in Deut. promittitur regni diuturnitas. ita Ianſen.

Alij per *ſcientiam eorum quæ dicuntur*, accipiunt publicorum ſcelerum cognitionem, eorum, inquam, ſcelerum quæ fama vulgauit: nam publica crimina ſubditorum coërcere, præcipuum regis munus eſt. Aut planè & ſimpliciter, *qui dicuntur*, ſcilicet à prudentibus conſiliarijs, & principi ſuggeruntur, q.d. Ob ſana & ſapientia conſilia, quę ſibi à ſapientibus ſuggeſta prudens princeps amplectitur & exequitur. q.d. Inſipientia & peccata abolent, mutant & multiplicant imperia: ſapientia verò & iuſtitia eadem firmat prorogat & prolongat, vt patet Deut. 17.20. Vnde clarè ex Hebræo cum nonnullis vertes, *propter hominem ſapientem & intelligentem prolongabitur*, ſcilicet regnum.

Nota. Per *hominis ſapientiam* ſignificat principis vel alicuius eminentis viri, cuius conſilio princeps omnia facit, ſapientiam. Aut ſingulare accipe pro plurali, q.d. Propter homines ſapientes, ſolertes & probos prolongabitur vita ducis, ſicut Ezechiæ regi prorogata eſt vita ad quindecim annos per conſilium & preces, Iſaiæ c. 38.

Vers. 3. VIR PAVPER CALVMNIANS PAVPERES, SIMILIS EST IMBRI VEHEMENTI (Syrus, *concutienti & proſternenti*; Aben Ezra, *ſemina diuellenti*) IN QVO PARATVR FAMES] Pro *calumnians*, hebr. eſt עֹשֵׁק *oſec*, id eſt, iniuriam faciens, opprimens iniuſtè, mulctando, rapiendo, ſpoliando, &c. Sic ergo habẽt Hebræa: *Vir pauper opprimens pauperes, pluuia trahens*, vel *detrahens, vt non ſit panis.* Ex Hebræo hæc referas tam ad principatum, quàm ad ducem & principem: vnde ex eo ſic vertit Pagnin. *vir pauper & rapiens pauperes eſt vt pluuia inundans, & non eſt panis*; & Vatabl. *vir pauper qui pauperes violentia opprimit, perinde eſt ac imber putrefaciens ſegetem vt nihil proueniat.* Doctus interpres cenſet hac gnome ſignificari, diuites ſæpè iniurios eſſe pauperibus, ideoque pauperes vt ſe tueantur, inter ſe conſpirare debere. Si enim ſe inuicem vexent, omnes res ſuas peſſumdabunt, atque ad ſummam famem redigentur. Rurſum principi curandum vt lites pauperum, præſertim agricolarum, impediantur, vel ocyùs illicò ſopiantur aut dirimantur, vt agricolationi, ex qua viuit reſp. vacare poſſint, ne tam ipſi quàm reſp. famem patiatur. Quare Plato in lib. de Repub. cẽſet agricolis dandos eſſe iudices vicinos & contribules, quos ipſi ſibi in arbitros deligant, ne, ſi vrbes & forenſes iudices adeant, agriculturam intermittere debeant, idque fit apud Turcas. Hinc Dionyſ. Halicarn. li. 2. *Diuiſo*, inquit, *vniuerſo agro in pagos, ſuum cuique præpoſuit ruralem magiſtratum* (Romulus Romę conditor,) *qui eos curaret, ſegnes colonos obiurgaret, mulctâ caſtigaret etiam, & de eorum controuerſijs iudicaret.*

Verùm dico, Hæc gnome propriè tangit eum, qui, cùm pauper ſit, pręficitur alijs pauperibus, ſiue vt gubernator, ſiue vt cẽſor, ſiue vt fiſcalis, ſiue vt prætor, ſiue quo alio titulo: qui cùm ſit pauper, vt ſuam paupertatem alienis pauperum bonis leuet, maciemque & famem opum expleat, pauperes viſque ad oſſa expilat. Hic enim hebr. vocatur גֶּבֶר *geber*, id eſt, *vir*, Septuag. ἀνδρεῖος, id eſt, virilis, fortis, potens, ſcilicet per curam, vel officium quod obtinet in plebeios & paganos, ſiue ruſticos pauperes. Atq; hic (vt rectè Ianſen.) comparatur pluuiæ, quæ cum vehementia magna inundat terram, eamque obruit, quæ & ſemina denudat, & ſegetes natas proſternit, ſicq; ſterilitas ſequitur, inopia & fames. Quæ ſimilitudo conſiſtit in duobus. Primò, in eo quòd, ſicut huiuſmodi pluuia ſua quadam vi & oppreſſione terræ inopiam inducit & famem: ita vir talis opprimens pauperem, inopiam ei adfert & famem ſua oppreſſione & iniuria.

Pauper expilans pauperes ſimilis imbri.

Primo.

Secundò, quòd, cùm pluuia in hoc à natura ſit data, vt terram ex ſeſe inopem & indigam fœcundet, & fertilitatem rerumque adferat abundantiam, contra naturam huiuſmodi vehemens & inundás pluuia ſterilitatis cauſa eſt: ita & cùm ex naturali quadam cõdolentia pauper pauperi conſolationem & opem debeat, naturæ ordine inuerſo ſua crudelitate deſolationem & inopiam adfert.

Secundo.

Tertiò, ſicut pluuia obiter vertit montes, indeque defluit in valles, eaſq; inundat, vt in torrentes coiens ſegetes ſternat, imò ſemina ſtirpitus euellat, itaq; agris extremam vaſtitatem inducat. Sic officialis pauper non audet affligere diuites & potentes: hi enim quaſi montes omnia tributa & onera decutiunt in valles, id eſt, in plebem & paganos, qui proinde planè depauperantur, & ad induſium rediguntur.

Tertio.

Quartò, ſicut pluuia inundans agros, inundat pariter vicinas vrbes: ſic qui expilat pauperes, expilat & ciues. Pauperes enim bonis exuti deſerunt agriculturam, & artes mechanicas: quare ciuitates fame & rerũ omnium inopia laborare neceſſe eſt.

Quarto.

Tacitè ergo Salomon monet hic principes & magiſtratus, vt pauperes, pręſertim cupidos & auaros, non præficiant munijs publicis, ne expilent pauperes (heb. *dallim*, id eſt, extenuatos, exhauſtos) ciues & agricolas, nõ tantùm cum ipſorum, ſed & cum totius reip. iactura & damno. Nam ſubinde pauperes expilati in deſperationem & furorem verſi, ipſos principes, potentes, mercatores & diuites inuadunt, ſpoliant, diripiunt. Exemplum eſt in Dionyſio ſeniore, *qui*, vt ait Plutarch. in Apophth. regum, *exegerat pecunias à Syracuſanis: deinde cùm videret illos lamentantes, obſecrantes, ac negantes ſe habere quod darent, indixit alteram exactionem, idq; iterum ac tertiò fecit. Ac poſteaquam vbi maiorem ſummam imperaſſet, audiret illos in foro obambulantes ridere, & ſtommata in regem iacere, iuſſit præfectos ab exigendo quieſcere. Iam enim, inquit, nihil habent, poſteaquam contemnunt nos.*

Exempla.

Grauem notam & cenſuram ſubijt Veſpaſianus Imp. quòd pauperem quemq; rapaciſſimum promouere ſoleret, vt mox citatũ condemnaret: vnde vulgò dictus eſt officiarios ſuos habere pro ſpongijs,

gijs, quòd veluti ſpongias & ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret. ita Sueton. in eius Vita. *Batto Dalmata à Tiberio interrogatus, cur toties cum ſuis defeciſſet, & Romanis tantam cladem intuliſſet? reſpondit: Vos in cauſa eſtis, qui ad greges veſtros cuſtodiendos non canes dediſtis aut paſtores, ſed lupos. Sentiens gubernatorum aut Cæſaris tyrannidem defectionis cauſam fuiſſe.* ita Dion in Auguſto.

Antigono occiſo, à quo ſæpe rerum potiti, omni iniuriarum genere Phrygios affecerunt. Agricola verò quidam agellum fodiens, rogatus quidnam faceret? Ego, ſuſpirans inquit, Antigonum refodio. ita Bruſ. l. 6. c. 21.

Quocirca Solon legiſlator Athenienſium ſanxit, vt ſoli diuites in magiſtratum adoptarentur, teſte Ariſtot. 3. Polit. 10. & Plutarch. in Vita Solonis. *Apud Indos quoque,* ait Noſter Octauianus, *ditiores rempubl. gubernabant, vt ait Plin. lib. 16. c. 19. & Solinus collect. cap. 60. idem præſtabant Carthaginenſes, vt ait Ariſtot. eodem 3. Polit. cap. 9. qui lib. 2. cap. 7. Lacedæmones carpit, quòd inopes ad ſummũ magiſtratum erigerent. Conſonat his quæ Iſaias habet ca. 3. Vocatus enim ad regnum reſpondit, In domo mea non eſt panis, neque veſtimentum quod ſatis eſſe, vt non eligeretur, exiſtimabat, nimirum verum eſt quod Silius Italicus habet lib. 13.*

Sceleri proclinis egeſtas.

Ideo Philemon poëta Comicus apud Stobæum ſer. 94. dicebat, inopiam promptam eſſe in perpetrandis malis, quare Eccleſiaſticus ipſe cap. 27. Propter inopiam, inquit, multi deliquerunt.

Huc facit Scipionis Æmiliani reſponſum apud Valer. Maxim. lib. 6. c. 4. *Cùm enim Seruius Sulpitius Galba, & Aurelius Cotta in ſenatu contenderent vter aduerſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, rogatus ſuam ſententiã Scipio, Neutrum inquit, mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil eſt ſatis: æquè malam tenentis imperium magiſtram iudicans inopiam & auaritiam. Cicero etiam duas eſſe res, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commouere ait, inopiam & auaritiam.*

Myſticè hæc gnome aptari poteſt ijs, qui cùm ſint infirmi & vitijs obnoxij, tamen eadem in alijs caſtigant. Sic enim fit vt qui ſibi nimis eſt indulgens, in alios nimis ſit rigidus. Tunc enim vir pauper opprimit pauperes.

Porrò, Septuag. vertunt: *fortis qui in impietatibus* (Hebr. רָשׁ *ras*, id eſt, pauper, per apocopen acceperunt pro רֶשַׁע *reſca*, id eſt impietas) *calumniatur pauperes, tanquam pluuia vehemens & inutilis*, id eſt damnoſa & noxia. Eſt meioſis. Per fortem accipe principem vel potentem quemlibet. q. d. ait Salazar: *Quemadmodum cùm pluuia vehemens decidit, collectis hinc & inde riuis torrentes redundãt, & agros longè lateq; implent, atq; adeò meſſes conuellunt & ſecum auferunt; quæ verò ea ratione collegerunt, non continẽt, ſed in alia flumina notiora, hæc verò in mare ipſum effundunt: ſic quicumq; per violentiam & iniuriam pauperes ſpoliant, nihil inde ditteſcunt: nã quæcumq; ab his contra ius faſq; euulſerunt, tamquam torrentes quidam rapidè in ditiores alios, velut in grandiora flumina deuoluunt, & hi rurſus in mare effundunt, quia vel morte deſeruntur, vel ob crimen aliquod fiſco adiudicantur.*

VERS. 4. QVI DERELINQVVNT LEGEM, LAVDANT IMPIVM: QVI CVSTODIVNT, SVCCENDVNTVR CONTRA EVM] Vatabl. *ſuccendent eis.* ita Roman. Minùs rectè aliqui legunt, *ſuccendunt*, etſi ſenſu non incommodo, q. d. Pij qui cuſtodiunt legem, non tantùm ſuccenduntur zelo iuſtitię contra impium & impietatem, ſed & eodem alios ſuccendunt, vt coniunctis ardoribus & viribus impios & impietatem exterminent. Hebr. eſt יִתְגָּרוּ *itgaru*, id eſt, *litem miſcebunt in eis*, contendent, confligent, copias contrahent, bellum gerent contra eos; Caietan. *excitabuntur contra eos*; Chald. *qui relinquunt legem gloriantur in impietate* (Syrus, *laudatur in iniquitate*:) *& hi qui cuſtodiunt legem, contendent cum eis*, ſcilicet impijs; Syrus, *magnificant ſeipſos*. Eſt antitheſis inter derelinquentes legem & cuſtodientes eam, quòd illi laudent impios, hi verò eis indignentur, q. d. Qui violant legem Dei, amant & laudant impios, tum quia ſibi in impietate ſunt ſimiles, tum quia regnum impietatis propagare ſatagunt, tum quia ijs ſe obarmant contra pios, & regnum pietatis, quod ipſi exhorrent. Vt enim alia taceam, vita piorum eſt tacita reprehenſio vitæ impiorum. Cùm ergo numero & virtute creſcunt pij, vituperantur & vilipenduntur, imò ſenſim exterminantur impij. Quare ne hoc fiat, impij gaudent & ſatagunt plures ſibi aſciſcere ſocios, eoſque facere ſibi in impietate ſimiles, vt contra pios ſe muniant.

E contrario pij qui cuſtodiunt Dei legem, irâ, vel potiùs charitate, & zelo ſuccenduntur contra impios, tum quia indignantur eorum impietati, & violationi legis diuinæ; tum quia eos reprehendunt, & ſeuerè verbis caſtigant, quin &, ſi poteſtatem habeant, pœnis & verberibus puniunt, vt eos emendent, aut certè vt alios ab eorum impietate abſterreant, tum quia alios eodem zelo ſuccendunt, &, vt hebr. eſt יִתְגָּרוּ *itgaru*, id eſt copias vireſque contrahunt ad impugnandum debellandumque impios cum impietate. Significat ergo, ſicut impij ardent ſtudio impietatis, ſic pios ardere zelo pietatis propagandæ: quare non ſufficere pio, ſi ſibi & Deo piè viuat, ſed & hunc zelum induere debere ad impietatem in alijs profligãdam. hoc enim exigit zelus honoris diuini & ſalutis proximorum. Hunc habebat Dauid cùm diceret pſal. 118. verſ. 136. & 139. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Et pſal. 100. 5. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar.* Et Elias 3. Reg. 19. 14. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt, &c.* Hoc zelo Phinees occidit Zambri, Mathathias Iudæum idololatrantem, S. Petrus Ananiam & Sapphiram, ac Simonem Magum acriter caſtigauit, imò Chriſtus Dominus ementes & vendentes eiecit è templo.

Porrò Septuag. ex præcedenti verſu ad hunc accerſentes ὡς *tanquã pluuia* ſic nectunt & vertunt, *Tanquam pluuia vehemens & inutilis, ſic qui derelinquentes legem laudant impietatem: qui autem diligunt legem, circumdant ſibi murum*, hoc eſt, vt vertit auctor Catenæ Græcor. Impij qui deſertâ lege Dei impietatem laudant & iunctis viribus propagant; ſunt ſimiles noxio impetuoſoque imbri, qui inſtar torrentis omnia ſecũ rapit: ſic enim impij pios ad ſuam impietatem rapere ſatagunt: at pij qui legem diligunt, valido muro ſe cingunt, vt contra hunc impiorum furorem ſe tueantur, ne ab eorum impietatis torrẽte abripiantur. Murus hic eſt duplex, ſcilicet cuſtodia legis diuinę putà conſtans & obfirmatus animus ad eam vſque ad mortem obſeruandam, ac inuocatio & protectio Dei. Qui enim legem Dei conſtanter cuſtodit, is quamdam impatibilitatem, Deiq; fauorem ſibi parit, qui illum viciſſim cuſtodit, tutumque ab hoſtibus reddit, ait

Deus eſt murus piorum.

auctor

A auctor Catenę Gręcor. Hoc eſt quod Deus nouę Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ, ac fideli pioq; cuilibet, promittit Zachar. 2. 5. dicēs: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Vide ibi dicta.

Huius gnomæ veritas patet in hæreticis, qui ſicut vulpes Samſonis caudis conſpirant, licet ore, verbis, hæreſibus & ſententijs diſcriminentur, vt Catholicos iunctis viribus oppugnent, & à fide ad hæreſin pertrahant: è contrario veri Catholici cō-tra eos ſe vniunt & muniunt, imò eis ſacrum bellum indicunt, vti iam à Sereniſſimo Imperatore Ferdinando II. in Germania, ac vicinis regibus in ſuis regnis acre & internecinum hæreſi bellum indici videmus. Hinc & Hebr. *iegaru*, id eſt, *litem mouent in eis*, ſic aliqui exponunt. q. d. Seminant in eis diſſidia, aut ſeminari & creſcere permittunt, vt ipſi ſe inuicem, velut Madianitæ Iudic. 7. mutuis litibus B & gladijs conficiant, ac diuiſi & penè confecti planè à Catholicis conficiantur. Bellum enim hæreticorum eſt pax & victoria Catholicorum.

Vers. 5. VIRI MALI NON COGITANT IVDICIVM: QVI AVTEM INQVIRVNT DOMINVM, ANIMADVERTVNT OMNIA] Hebr. *intelligunt omnia*; Chald. *intelligunt omnia bona*; Septuag. *in omni*. Pro *cogitant & animaduertunt*, hebr. eſt idem verbum יבינו *iabinu*, id eſt, intelligunt, prudenter cōſiderant & aduertunt. Per *iudicium* Primò, accipe id quod ęquum & iuſtum eſt. q. d. Improbi non conſiderant quid ſit æquum & iuſtum, quid æquitas & virtus poſtulet, ſed quid optet eorum cupiditas: qui autem ſtudēt Deo placere, ſtudioſè conſiderant omnia & ſingula, quæ ei placent vel diſplicent, vt illa amplectantur, hæc toto corde reſutent. Hæc enim eſt vna & vera ſapientia, intelligentia & ſcientia ſanctorum, C de qua Moſes Deuter. 4. 6. *Hæc*, ait, *eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna: nec eſt vlla natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Vnde Nazianz. orat. 14. *Prima* inquit, *ſapientia eſt vita proba & honeſta, Deoq; perpurgata, vel certè ſe purgans.* Et S. Chryſoſt. hom. 19. in ep. ad Coloſſ. *Nihil eſt eo ſapientius qui ex virtute ſe rectè gerit. Vide enim quomodo ſit philoſophus.* Ac deinde id oſtendit ex definitione philoſophię: *Ergo vir iuſtus rerum diuinarum & humanarū cognitionem habet: nouit enim quæ ſunt res diuinæ, & quæ humanæ; & ab his quidem abſtinet, illas verò exercet & operatur.*

Secundò, per *iudicium* accipias Dei vindictam & ſuppliciū, tum temporale quod irrogat impijs in hac vita, tum æternum & gehennale, quod irrogabit eis in die iudicij. q. d. Impij non cogitāt ter- D ribilia Dei iudicia & ſupplicia, quæ improbis ſolet infligere, & maximè quæ infliget in extremo iudicio: quocirca licenter impunè ſuas cupiditates ſequūtur, iuxta illud S. Brunonis fundatoris Carthuſianorum:

Sic viuunt homines tamquam mors nulla ſequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

At verò qui timent Deum, eiuſque voluntatem & legem inquirunt; hi omnia Dei iudicia, ac præſertim æterna bonorum pręmia, & impiorum tormenta, aſſiduè conſiderant & formidant: atque hâc conſideratione ad peccatorum fugam & ad virtutis ſtudium, velut acri ſtimulo iugiter ſeſe excitant & exſtimulant. Sanè hâc conſideratione iudiciorum Dei, & æternitatis beatiſſimæ, vel mi-

A ſerrimæ, nulla alia efficacior dari poteſt. Audiui ſenem quemdam valdè religioſum & timoratum dicentem: *Ego quotidie manè aſcendo ad cælum vt conſiderem Beatorum gaudia, ac deſcendo in infernum vt ſpectem damnatorum ſupplicia; itaq; ex matutina hac conſideratione toto die me ſentio perurgeri ad omne bonum, licet arduum & difficile.* *Stimulus acer ad bonum.*

MELIOR EST PAVPER AMBVLANS IN SIMPLICITATE SVA, QVAM DIVES IN PRAVIS ITINERIBVS] *Simplicitate ſua*, Hebr. תמו *tummo*, id eſt, innocentia, integritate; Paguin. *perfectione ſua*. Sic Iob c. 1. v. 1. dicitur *vir ſimplex*, id eſt integer, & *rectus*. *Prauæ* viæ vel itinera, ſunt prauæ actiones & mores. Septuag. *melior eſt pauper vadens in ſimplicitate diuite mendaci*, id eſt, iniuſto & fraudulento; Chald. *quàm ille qui peruerſus eſt in via & ipſe eſt diues*; Syrus, *pauper ambulat in ſimplicitate ſuâ, & diues in vijs obliquis.* Vers. 6.

B *Melior*, id eſt, præſtantior, ditior, felicior, ac reip. vtilior, eſt pauper rectè viuens, quàm diues peruerſè, quia ſummæ opes & ſumma felicitas eſt virtus & gratia Dei: vice verſâ, ſumma inopia & infelicitas eſt vitium & inimicitia Dei. Hinc apertè S. Greg. Nazianz. in carm. ad Nicobulū, in diuitem carentem ſapiētia & virtute intorquet illud vulgò dictum: *Simia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia.* Et illud: *Aſinus etiam auro onuſtus propterea rudere non deſinet.* Et illud: *Enſi plūbeo vt quid vagina aurea.* Huic verſui ſimilis, imò penè idem eſt ille c. 19. 1. Vide ibi dicta. Huc alluſit S. Iacobus epiſt. c. 1. v. 9. 10. & 11. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſuâ, diues autem in humilitate ſua: quoniā ſicut flos fœni tranſibit, &c. & diues in itineribus ſuis marceſcet.*

QVI CVSTODIT LEGEM FILIVS SAPIENS EST; Vers. 7. QVI AVTEM COMESSATORES PASCIT, CONFVNDIT C PATREM SVVM] Septuag. *cuſtodit legem filius intelligens; qui autem paſcit luxuriam, inhonorat patrem*; Chald. *qui ſocius eſt comeſſatorum*, (Syrus, *qui vana & inutilia præſtat*) *exacerbat patrem.*

Difficile eſt hîc aſſignare ſolitam antitheſin inter prius hemiſtichiū & poſterius. Primò, Ianſen. Sicut, inquit, ſapiens eſt ille filius qui cuſtodit legem Dei, quæ inter cetera vetat omnem luxum, præcipuè in iuuenibus, & proinde talis honore & lætitia afficit patrem, quia filius ſapiens lætificat patrem ſuum: ita qui alit comeſſatores, contra legem Dei faciens, ignominia afficit patrem ſuum, quia in patris ignominiam cedunt filij vitia, tamquam qui non benè inſtituerit filium. Rectè iſta dicuntur, niſi quòd antitheſis hæc nimis generalis ſit & longè petita; ſic enim ſuperbiam, iram, luxuriam, inuidiam, & quoduis vitium opponas legi, D quia lex omnia prohibet. Quocirca.

Secundò, ſtrictiùs noſter Salazar per *legem* accipit, non præceptum Dei, ſed hereditatis portionem à parentibus cuique filiorum relictam, quam *legitimam* vocant, eò quòd ſecundùm legem tam naturalem, quàm poſitiuam filijs debetur. q. d. *Qui legitimam ſuam, quam lex etiā retinere, ac minimè alienari præcipit, legi ipſi parens adſeruat, nec profundit; is certè filius eſt ſapiens, & parentibus ſuis glorioſus. Qui autem comeſſationibus acceptam à patribus hereditatē profundit, ad extremam inopiam redactus, dum inglorius obſcuruſq; mendicare, aut alijs inſeruire compellitur, dedecore afficit parentes ſuos.* Verùm nuſquam, quod ſciam, lex ſumitur pro legitima hereditatis paternæ portione filijs debita.

Tertiò ergo & planè, Vatablus *legem* ſumit pro

qualis ſint, expendendo ſcilicet ad quæ inclinantur, in quibus potiſſimùm occupentur & hæreant, vt ipſummet cor hominis, maximè apud prudentes, ſit homini & ipſi cordi pro ſpeculo, ſiue pro aqua limpida, in qua homo ſeipſum & cor intuetur, iuxta illud Pauli: Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Sunt ergo neceſſe eſt hominis. ſi proprium vultum videre velit illum in ſpeculo videat, aut in aqua, aut alio ſimilitudinis, ſi quis qualis ſit cognoſcere velit, non poteſt id alibi meliùs cognoſcere quàm in propria ſua mente. Porrò ſicut in aqua, vtpote facilè mobili & agitabili, ſæpè ſpecies facierum hominũ cum motu aquæ turbantur, alterantur, dimidiantur & confunduntur: ſic pariter in corde ſæpè ſpecies ſui ipſius turbatur per paſſiones, quæ ſunt quaſi fluctus, hasce ſpecies miſcentes & confundentes: ſi enim ira, odio, timore, liuore, cor agitetur, non ſincerè & planè poterit ſeipſum cognoſcere. Quare vt ſincerè ſeipſum videat, placidum & tranquillum, liberumque à paſſionibus & perturbationibus ſit oportet: ſic enim erit inſtar aquæ pellucidæ & immotæ, quæ clarè & fideliter reddit & repræſentat res & facies tales, quales ſibi obijciuntur.

Ex affectu tuo metire alienum erga te.

Rurſum corda aliena hic accipias, idque bifariam. Primò, q.d. Sicut aquæ ſunt ſpeculum faciei tuæ, vt illam tibi repræſentent: ſic pariter cor tuum eſt ſpeculum cordis alieni; vt, ſi ſcire velis quale ſit alterius cor, id eſt, affectus erga te, illud cogniturus ſis ex corde tuo, atque ex eo metiri cor alienum poſſis. Examina enim cor tuum, & vide quomodo illud erga alium affectum ſit: ſi illud videris erga alium beneuolum, amœnum, ſincerum, ſcito alium ſimile planè cor amore & beneuolentia plenum erga te gerere: ſin tuum cor videris ab alio auerſum, rancidum, amarulentum, ſcito pariter alterius quoque à te eſſe auerſum, & odio aut liuore rancidũ. Ratio eſt, quòd affectus odij & amoris corde ita regi nequeant, quin per ſigna, putà per verba, vultus & opera, ſubinde erumpant, quæ dum alius videt, eoſdem affectus aſſumit, induit & rependit, magnes enim amoris eſt amor, & magnes odij eſt odium. Qui enim ſentit ſe amari amantem redamat; qui ſentit ſe odio haberi, odientem ſe viciſſim odit. Hinc ſæpè fit ex quadam quaſi antipathia vel ſympathia naturali, vt, cùm duo qui ſe inuicem amant, ſibi occurrunt, cor vtriuſque pandatur, dilatetur, exhilaretur, exultet: ex aduerſo cùm duo, qui ſe inuicem etiam tacitè oderunt, occurrunt, cor vtriuſque claudatur, ſtringatur, triſtetur, amareſcat.

Cor patet ex ore.

Secundò, ſicut cor tuum eſt ſpeculum cordis alieni, ſic viciſſim cor alienum eſt ſpeculum ſui ipſius. q.d. Sicut aqua eſt ſpeculum in quo apparent vultus non ſolùm proprij, ſed & alieni, ita vt ex eis ipſos agnoſcas, etſi eos directè in facie non videas: ſic pariter cor hominis eſt ſpeculum, in quo apparent eius affectus erga alium: cor enim prodit ſe per geſtus, ſermones & actus, quibus velut in ſpeculo ſuos affectus odij, timoris, amoris, iræ, &c. alijs patefacit & oſtendit, ita vt viri prudentes ex verbis & actionibus cuiuſque conijcere & diſpicere poſſint internas cordis alieni affectiones. In Sanctis id clarum eſt. Sic enim S. Ludouicus & S. Ægidius ſocius S. Franciſci, ſe inuicem ſalutantes ſine verbis cordibus ſolis mutuò loquebãtur, ſuoſque amoris & pietatis affectus inuicem repræſentabant & inſpirabant. Sic S. Antonius, S. Catharina Senenſis, S. Hilarion, multique alij in Vitis Patrum ex ſolo vultu peruidentes cor cuiuſque, illius ſtatum & affectus dignoſcebãt. Idem in quibuſlibet prudentibus & ſagacibus locũ habet, ſed gradu inferiore. Prudentes enim facilè ex notis & ſignis fucum & impoſturam faciei, ſi quis ſit, deprehendunt. ita Lyran. Hugo, Dion. & alij.

Gnomæ.

Huc faciunt illæ ſapientum gnomæ apud Antonium in Meliſſa p. 1. c. 48. Photij Patriarchæ: *Speculo ſimilis eſt ſermo* (putà cor in ore & ſermone tralucẽs) *& ſicut in illo repræſentatur ſpecies corporis & formæ, ita in colloquijs animæ forma expreſſa conſpicitur.* Iſidori Peluſiotæ: *Quod ſi ſermo & vita conueniant, totius vitæ ſimulacrum perficient.* Theognidis: *In ſpeculis quidem faciei, in colloquijs character animæ videtur.* Romylis: *Sicut vas fictile ictu & ſono, ſic homo ſermone probatur.* Huc facit illud S. Ambroſ. de Elia & ieiunio c. 10. *Index faciei plerumque eſt conſcientiæ, & quidam tacitus ſermo mentis, cùm aut peccato compũgimur, aut integritate lætamur.* Nota. Solus Deus eſt cardiognoſtes, id eſt cordium cognitor & inſpector: quia ipſe ſolus omnes omnium angelorum, dæmonum & hominum cogitationes, volitiones, intentiones, etiam intimas, profundiſſimas & ſecretiſſimas, quæ nullo ſigno produntur, peruidet & introſpicit. Ratio eſt, quia Deus ſolus mentem & voluntatẽ ſingulorum velut creator & conſeruator occupat, poſſidet & comprehendit: hinc & ipſe ſolus illabitur animæ & menti, vt in ea operetur mentem illuminando, & voluntatem flectendo, quocumque ipſe voluerit. Prudentes tamen homines æque ac angeli, per nutus, voces, ſigna & geſtus poſſunt multas cordis cogitationes & intentiones probabiliter cognoſcere & coniectare: prudentiæ enim pars eſt ſolertia ſiue ſagacitas, hoc eſt, ſolers & ſagax coniectatio. Prudentiæ autẽ huius tres ſunt gradus. Primus eſt prudentiæ naturalis, quæ ratione ac diſcurſu, & experientia naturali nititur, ac per illã coniectat de naturalibus cordium cogitationibus. Secundus eſt prudentiæ ſupernaturalis, quæ fide, gratiâ, diſcurſu & experientia ſupernaturali nititur, qualem habet Chriſtiani & iuſti, ac per illam coniectãt etiam de ſupernaturalibus cordium cogitationibus. Tertius eſt prudẽtiæ ſingularis & diuinæ quæ vocatur donum diſcretionis ſpirituũ, per quod Deus reuelat nonnullis eximiè Sanctis arcana cordium, vti reuelauit S. Antonio, S. Hilarioni, S. Franciſco, & ſimilibus; atque etiamnum reuelat viris magnis & Apoſtolicis, præſertim Confeſſarijs, per quod conſcientias pœnitentium ſubinde vſque ad fundum introſpiciunt, & latẽtes intentiones quas ipſi pœnitentes nõ vident vel tacent, in lucem proferunt, vt pœnitentes in ſpiritu ad ſuam ſalutem & perfectionem ſecuriùs dirigant. Vnde hoc donum, vel certè particula huius doni, officio earum congruens, ipſis poſtulanda eſt à Deo.

Coniectatio- nis tres gra- dus. *Primus.* *Secundus.* *Tertius.*

Vers. 20.

INFERNVS ET PERDITIO NVNQVAM IMPLENTVR (Hebr. *ſaturãtur*) SIMILITER ET OCVLI HOMINVM INSATIABILES] *Perditio* eſt mors quæ omnia perdit, & ſtatus mortuorum. Perperã R. Leui per *infernum & perditionem* accipit materiam primam, quæ nunquã formis expletur, ſed ſemper alias & alias appetit. Melius R. Salomon, *Nunquam*, inquit, *ſaturatur infernus & perditio, quo minùs ſceleratorum piacula recipiant admittantúe, quemadmodum oculi improborum nunquam ad ſatietatem expleri poſſunt, cùm aſſiduè prauæ propenſioni ad crimina ſollicitanti obtemperent, cupiditatibuſq; eius obſequi ſtudeant.*

Optimè Caietan. &Ianſen. per *oculos* accipiunt cupi-

cupiditatem tum viuendi, tum habendi: neutra enim vnquam ſatiatur, quin plura videre & habere cupiat. Cupiditas autē tribuitur oculis, quia oculi rerum pulchrarum & concupiſcibilium ſpecies & ideas ad phantaſiam, indeque ad mentem & voluntatem, transferunt, ac per eas in voluntate, earum cupidinem excitant: vnde illud, *Oculi ſunt in amore duces*. Significat ergo Sapiens cupiditatis grande malū, ſcilicet quod ſit inexplebilis & inſatiabilis, inſtar mortis & inferni, ac proinde nos eam odio proſequi debere velut mortem & infernum: ideoq; cohibendos & claudendos eſſe oculos, qui cupiditatum ſunt internuntij, imò illices & excitatores. Plura hac de re dicā c. 30. v. 15. & 16. Rurſum ſignificat frænum inijciendum eſſe cupiditati, vt ſit rationabilis & moderata; hæc enim ſatiari poteſt, cùm effrenes ſint inſatiabiles. Quocirca Plato lib. 5. de Rep. citat laudatque illud paradoxum Heſiodi: *Dimidium plus toto*, applicatq; tyrannis, auaris, ambitioſis, qui omnibus volunt dominari, & ſuos fines vndequaque dilatare; cùm ſatius eſſet ſuis pauciſq; viuere contentum. Idem li. 3. de Legibus, vt oſtendat infinitam principum potentiam, nulliſque finibus determinatam eſſe præſentem peſtem omnium imperiorum, ſubdit id ideo accidere, quòd ignorent principes cupidi & ambitioſi Heſiodū rectè dicere, *Dimidium ſæpè toti præſtare: quandoquidem damnoſum eſt, rem totam accipere: dimidium tantùm accipere, moderatum eſt; moderatum verò immodico & immoderato, tāquam potius peiori ſanè antecellit*. Sic in litibus auari actores qui totam rem cupiunt, nolentes dimidio cum parte aduerſa tranſigere, ſæpè totam perdunt: quibus ſanè vtilius fuiſſet petere dimidium quàm totum, cùm ob dimidium quod recuſarunt, perdant totum quod auarè ambierunt. Plura in hanc rem vide apud Maximum ſerm. vltimo. Septuag. poſt hanc gnomen aliam addunt, quę non eſt in Hebręo, nec in Vulgata, ſcilicet hāc, *Abominatio eſt Domino obſirmans oculos, & indiſciplinati incontinentes linguā, vel indocti., petulantis ſunt linguæ.*

Dimidium plus toto, quando & cur.

VERS. 21. QVOMODO PROBATVR IN CONFLATORIO ARGENTVM, ET IN FORNACE AVRVM: SIC PROBATVR HOMO ORE LAVDANTIS] Hebr. *conflatorium argento, & caminus auro, & vir ſecundùm laudē ſuam*; Sept. *probatio argento, & auro ignitio; Vir autem probatur per os laudantium eum*; Chald. *conflatorium eſt argento, & fornax auro, & vir ex ore laudantium eum*, ſcilicet, probatur & iudicatur.

Primò, R. Salomon & Aben Ezra exponunt q. d. Sicut cognoſcitur bonitas vel prauitas auri & argenti per ignem quo conflatur: ſic pariter cognoſcitur bonitas & malitia alicuius ex ore laudantium. Si enim populus eum laudet, ſignum eſt eum eſſe probum & laudabilem; ſin vituperet, ſignum eſt eum eſſe improbum & vituperabilem. Vox enim populi, vox Dei.

Secundò, auctor Catenæ Græcor. *Vir*, inquit, *probatur & exploratur per os laudantium, hoc eſt, per id cognoſcitur, quòd neque extollitur in proſperis, neque deijcitur in aduerſis & triſtibus: nam boni laudant quia bonus eſt, mali autem laudant, quia malus eſt.* Hæc ille.

Tertiò, S. Auguſt. in pſal. 69. per os laudantis accipit os adulātis. *Duo*, inquit, *ſunt genera perſecutorum, vituperantium & adulātium: plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Nam & ipſum caminum dixit Scriptura. Certè cùm de perſecutione lo-* A *queretur Scriptura, dixit: Tanquam aurum in fornace probauit eos, de Martyribus interfectis: & ſicut holocauſti hoſtiam accepit illos. Audi quia & lingua adulantium caminus eſt: Probatio, inquit, argenti & auri ignis, vir autē probatur per os laudantium eum. Argenti, inquit, & auri, ignis ille, ignis & iſte, de vtroque te ſaluum oportet exire. Fregit te reprehenſor, factus es in fornace tanquam vas fictile.* Et mox: *Rurſus ſi lauderis ab adulātibus & aſſentantibus, & annueris eis, veluti emens oleum, non tecum portans, ſicut quinque virgines inſipientes, erit caminus fractura tuæ, etiam os laudantium te.*

Quartò, & genuinè, q. d. Sicut ignis oſtendit probitatem & puritatem vel impuritatem auri & argenti; ſic pariter laus oſtendit hominis virtutem aut vitium, veritatem, aut vanitatem. Sicut enim ſi aurum & argentum perſtet integrum, nullamque det ſcoriam, ſignum eſt eſſe purum; ſin ſcoriam det, ſignum eſt eſſe impurum: ſic pariter ſi B quis ex laude ſuperbiat & intumeſcat, ſignum eſt virtutem eius eſſe impuram & imbecillam: ſcoria enim virtutis eſt tumor & ſuperbia; ſin laudatus maneat in priſtina ſua humilitate & modeſtia, ſignum eſt eius virtutem eſſe purā & ſolidam. Humiles enim laudes ſui reſpuunt; vani & ſuperbi ijs inflātur & inſoleſcunt. Vera ergo virtus & laus eſt ſpernere laudem ſicut vera gloria eſt gloriam contemnere. hoc enim magni & celſi eſt animi, qui ſupra gloriam & res omnes eminet fixus in cælo. Hinc ſicut aurifices vt probent an aurum & argētum ſit purum, an impurum & mixtum, ſolent illud ponderare tam ante quā poſt conflationem per ignem: ſi enim illud idem pondus reddat poſt eam quod dedit antè, euidens ſignum eſt eſſe purum; ſin minùs ponderet quàm antè, ſignū eſt fuiſſe vel adhuc eſſe impurum: ignis enim dempſit ab C eo ſcoriam, ideoque minùs ponderat, ſic pariter ſi poſt laudes homo maneat idē, æquè ſcilicet modeſtus & grauis; ſignum eſt hominem eſſe probæ & ſolidæ virtutis; ſin poſt eos leuiter infletur, & vanè ſeſe extollat, ſignum eſt eius virtutē eſſe leuem, vanam, & inſtar venti tumidam. Os quoque eſt quaſi conflatorium, in quo laude, quaſi igne probatur virtus laudati. Leues enim & vani in eo ebulliunt, abeuntque in bullas & fumos vanitatis & ſuperbiæ, ac laudari cum alto ſupercilio ſe circumſpiciunt, ſinumque dilatant, pectus attollunt, brachia explicāt, & quidquid pulchri habent, cum faſtu oſtentant; imò plus æquo exaggerant & magnificāt; perinde ac pauones, vbi ſe ab hominibus inſpici aduertunt, inflant pectus, ac turgidi ſyrma caudæ expandunt, vt ſuos in ea ocellos, velut totidem ſtellas miro colore variegatas oſtentent. E D contrario ſapientes & cordati, ſi laudentur, manent ijdem, inconcuſſi & inuariati, æquè ſcilicet humiles, compoſiti & graues; quia nec laudibus attolluntur, nec vituperijs deprimuntur. Verè Nazian. apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 51. *Nimiæ laude*, inquit, *aliquos redigunt ad ſummam elationem.* Et S. Auguſt. in ſer. 5. de Verbis Domini ſecundùm Matth. *Laudes*, inquit, *iſtæ veſtræ grauant nos potiùs, & in periculum mittunt, toleramus illas, & tremimus inter illas.* Quin & Gentilis Seneca de Ira li. 2. *Laude*, inquit, *creſcit licentia, ſpiritus aſſurgit ſi laudatur, & in ſpem ſuam bonam adducitur, ſed eadem iſta inſolentiam & iracundiam generant.*

Laus probat cor cuiuſque.

Rurſum ſicut ignis in conflatorio vrit, coquit, & quaſi cruciat aurum & argentum: ſic laus vrit & cruciat viros cordatos, tum quia verecundi ſunt & humi-

Cordati cruciantur dum laudātur: cur.

humiles, tum quia timent ne per eam ſuperbiant & euaneſcāt, itaque virtutem cum laude diſperdant; tum quia metuunt, ne Deus, ſincerus operum inſpector, videat in eis defectus quos homines non vident, ideoq; vituperet opera quæ homines laudant. Vnde S. Auguſt. li. 10. Confeſſ. c. 36. *Qui,* inquit, *laudari vult ab hominibus, vituperāte te,* (Domine) *non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te.* Tum quia verentur ne laus hominum ſit eis loco mercedis, itaque perdant mercedem æternam quam expectant in cęlis. Ita S. Gregor. li. 22. Moral. c. 5. *At contrà,* inquit, *ſi cor veraciter humile eſt, bona quæ de ſe audit, aut minimè recognoſcit, & quia falſa dicitur metuit, aut certè ſi adeſſe ſibi ea veraciter ſcit, eo ipſo formidat ne ab æterna Dei retributione ſint perdita: pauet enim vehemēter, ne ſpes futuri muneris in mercedem reputetur tranſitorij fauoris. Quia ex re agitur, vt electorū animus magno laudum ſuarum igne tangitur, atque ab omni temporis ſui rubigine morore cogitationis excoquatur: cautâ enim conſideratione trepidat, ne aut de his de quibus laudatur, & non ſunt, magis Dei iudicium ſubeat; aut de his in quibus laudatur, & ſunt, competens præmium perdat.* Et poſt nonnulla id probat ex hac Salomonis gnome: *Vnde bene per Salomonem dicitur, Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis. Argentum quippe vel aurum, ſi reprobum eſt, igne conſumitur; ſi probum verò, igne declaratur: ſic nimirum eſt, & ſenſus operantis. Nam qualis ſit, in eo quod laudatur, oſtenditur: ſi enim ſe auditis ſuis laudibus extollit, quid iſte aliud quàm aurum vel argentum reprobum fuit, quē videlicet fornax linguæ conſumpſit? Si autem fauores ſuos audiens, ad ſuperni iudicij conſiderationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit, quaſi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excreſcit, & vnde incendium trepidationis ſuſtinet, inde clariùs effulget,* &c.

Adhæc, ſicut aurum & argentum igne probatum nitidius & fulgidius reſplendet: ſic Sancti dum laudantur fulgidiores fiunt, tum ob cauſas à S. Greg. recēnſitas, tum quia laus hæc eis ſtimulus eſt ad maiorem virtutem, iuxta illud: *Virtus laudata creſcit.* Nam vt ait S. Gregor. hom. 9. in Euang. *Cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Hinc vtile eſt laudare pusillanimes, vt per laudem animos abiectos erigant, & ad heroica laudum opera attollant, vti docet S. Grego. 3. part. Paſt. admonit. 9. *At contrà,* inquit, *puſillanimes aptiùs ad iter bene agendi reducimus, ſi quædā illorum bona ex latere requiramus, vt dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus, quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata caſtigat. Plerumque autem vtilius apud illos proficimus, ſi & eorum bene geſta memoramus. Et ſi quæ ab eis inordinatè geſta ſunt, non iam tanquam perpetrata corripimus: ſed quaſi adhuc ne perpetrari debeāt prohibemus: vt & illa quæ approbamus, illatus fauor augeat, & contra ea quæ reprehendimus, magis apud puſillanimes exhortatio verecunda conualeſcat.* Et alter S. Greg. putà Nazianz. apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 51. *Præcipuum,* ait, *beneficium eſt in rebus honeſtis laudari: laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem.* Ibidem S. Chryſoſt. *Laus,* ait, *propter egregia facta auget cupiditatem ad meliora.*

Puſillanimes laudandi vt fiant magnanimi.

Inſuper ſicut argentum in igne conflatur per plumbum: plumbum enim igne conſumitur, & argentum purum integrumque relinquit. Verùm quia plumbum ſemper aliquid argenti admixtum habet, illud ad argentum quod purgatur, accedit, illudque adauget, quo fit vt argentum ex conflatorio maius quàm fuerat antè, & adauctum prodeat, vti teſtantur aurifices & rei metallicę periti: ſic pariter Sancti dum laudantur, ex laude adaucti prodeunt, tum quia virtutes adaugent, vt laudi reſpondeant, tum quia per laudem humiliores fiunt, & ad Deum per gratiarum actionem aſſurgunt: ſciunt enim ſe ex ſe, putà ex corrupta ſua natura, nihil habere niſi concupiſcentiam & peccatum; ſi quid verò habent boni, id eis prouenire ex gratia Dei, cui proinde omne operis decus & laudem, vti debent, refundunt & aſcribunt, iuxta illud S. Pauli: *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. Corinth. 4. v. 7. Dicunt quoque cum Pſalte: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam,* pſal. 113. Et cum viginti quatuor ſenioribus mittunt coronas ſuas ante thronum Dei, dicentes: *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia,* Apoc. 4. 11. Talis fuit S. Greg. Nazian. qui de ſe ita ſcribit orat. 14. de pace: *Nec item me,* inquit, *vel laudatores vel vituperatores immutabunt. Quod enim ſum, hoc maneo; ſiue maledictis afficiar, ſiue laudibus in cælum vehar.* Et S. Auguſt. epiſt. 64. ad Aurelium: *Magnum eſt,* inquit, *de honoribus & laudibus hominū non lætari, ſed omnem pompam inanem præcidere, & ſi quid inde neceſſarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium, ſalutemq; conferre.* Huc pertinet dogma Catonis in Diſtichis:

Exemplū.

Cùm quis te laudet, iudex tuus eſſe memento:
Plus alijs de te, quàm tu tibi, credere noli.

Cor iniqvi inqvirit mala, cor avtem rectvm inqvirit scientiam] *Scientiam,* id eſt prudentiam, probitatem & virtutē. Hæc gnome deeſt in Hebręo & Græco & nonnullis Latinis: habetur tamen in Vaticanis. Senſus eſt, q.d. Mens & cogitatio impij propendet in mala, vt ſcilicet malas ſuas cupiditates, iræ, gulæ, inuidiæ, libidinis, ſuperbiæ, &c. expleat, ideoque rationes & modos eas explendi ſtudioſè veſtigat & inquirit. Ex aduerſo cor recti & iuſti propendet ad bona, putà ad opera virtutum, quibus placeat Deo; ideoque ſtudioſè exquirit ea, vt indies magis Deo placeat, illique opera gratiora exhibeat, quibus Deum ſuum oblectet, iuxta illud Apoſtoli Roman. 12, 2. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta;* quia de re plura ſuperiùs dixi.

Si contvleris stvltvm in pila qvasi ptisanas feriente desvper pilo, non avferetvr ab eo stvltitia eivs] Hebr. *ſi contuderis ſtultum in mortario, in medio farrum vel ptiſanarum in piſtillo non recedet deſuper eo ſtultitia eius;* Chald. *etiamſi percuſſeris ſtultum plagis inter cœtus, idq; piſtillo, non tranſibit ab eo ſtultitia eius;* Syrus, *ſi verberaris vecordem in conſeſſu, nihil ei lucraberis, neque ab eo ſtultitiam amouebis.* Huic affine eſt prouerbium Arabum cent. 2. n. 51. *Cauda canis non corrigitur, etiamſi contundatur in mortario.* Canis enim ſymbolum eſt inſolentię, rixę, fœditatis, & impudentię, quæ propria ſunt ſtulto. *Ptiſana* eſt hordeum decorticatū, quod deinde aqua decoctum bibitur aut ſorbetur, & ſaluberrimum eſt, præſertim in febribus, vulgò hordeaceam aut hordeatum vocant. Audi Plinium lib. 18. c. 7. *Ptiſana ex hordeo vſus validiſſimus ſaluber-*

Vers. 22.

Ptiſanæ vſus.

ſaluberrimuſq́, tantopere probatur: vnum laudibus eius volumen dicauit Hippocrates. Et lib. 22. ca. 25. *Hippocrates ptiſanam tantùm ſorbitionis cauſa laudauit, quoniam lubrica ex facili hauriretur, quoniam ſitim arceret, quoniam in aluo non intumeſceret, quoniam facilè redderetur, & aſſuetis hic ſolus cibus in febri, bis die poſſet dari.* Pro *ptiſanas* hebr. eſt ריפות *riphot*. id eſt, ſarra, vel grana tritici contuſa, vel contundenda; vnde & far à frangendo dicitur, ait Varro. Rurſum *riphot* ſignificat hordeum & quoduis legumen, quod in mortario contunditur, vel vt à ſiliquis exuatur, vel vt iam exutum conteratur & comminuatur: radix enim ריף *ruph* ſignificat conterere, contundere. Septua. 2. Reg. 17. 19. *riphot* vertunt maſſa ficuum. Solebant enim Græci, &, vt videtur, Hebræi, ficus viles & fatuas in maſſas contundere, vt hoc modo maceratæ ſeruarentur ad vſum ſeruorum & mancipiorum. Sic ſenſus appoſitus erit, q. d. Sicut qui ficus fatuas, ſiue inſipidas, cõtundit, ab eis non tollit fatuum & inſipidum ſaporem, ac nihilo dulciores & ſapidiores efficit: ſic qui ſtultum verbis & verberibus ſæpius contuderit, non extundet ab eo inſipientiam, nec hilo eum ſapientiorem & meliorem efficiet. Vulgatæ verò (quæ communis eſt) verſionis hic eſt ſenſus: facilius purgaueris ptiſanas quàm ſtultum: hordeum enim magno quidem labore, & crebris pili ictibus in mortario tunditur, primò vt corticem ſiue ſiliquam exuat, deinde vt exutum conteratur & comminuatur: at tandem magno conatu repetitis ictibus ſiliquis reuera exuitur, ac conteritur & comminuitur: ſtultus verò nullis ictibus, nullis minis & flagellis adduci poteſt vt ſtultitiam exuat, vtque mores ſtultos, ſuperbos & prauos frangat & conterat: ſed durus, imò durior inſtar ſilicis vel adamantis, qui tundẽdo magis indureſcit, flagellis euadit. Hinc Aquila & Theodot. vertunt, *ſi cædas ſtultum in medio piſtorum in piſtrino.* Solebant enim ſerui & homines ſcelerati relegari ad piſtrinum, vt in eo frumenta cõtunderent & commolerent ad pinſendos panes, q. d. Etiamſi hominem ſtultum & peruerſum reléges ad piſtrinum, vt in eo cum frumentis pilo à piſtoribus tundatur; non tamen extuderis illi ſtultitiam, adeò in ea pertinax hæret, vt illi inſita & innata videatur.

Septuag. non verbum verbo, ſed eundem ſenſum paraphraſticè reddentes vertunt, *ſi flagellaueris imprudentem in medio conſeſſus inhonorans, non auferes imprudentiam eius.*

Stulti & obdurati ſunt indociles.

Stultum & *ſtultitiam* accipe tum phyſicè, putà indocilem, hebetem, vecordem: tum ethicè, putà imprudentem, improbum, ſceleratum, obduratum: nec enim hebes doceri poteſt, eſto eum fuſtibus contundas; nec obduratus molliri, eſto plagis eum conteras. Vnde S. Gregor. ex hoc loco docet cum obduratis durè eſſe agendum. Sic enim ſcribit in Paſtor. parte 3. admon. 14. *Aliter admonendi ſunt*, inquit, *qui flagella metuunt, & propterea innocenter viuunt; atque aliter admonendi ſunt, qui ſic in iniquitate duruerunt, vt neque per flagella corrigantur. Dicendum namque eſt flagella timentibus, vt & bona temporalia nequaquam pro magno deſiderent, quæ adeſſe etiam prauis vident: & mala præſentia nequaquam velut intolerabilia fugiant, quibus hic plerumq; etiam bonos affici non ignorant.* Et inferiùs: *At contrà hi, quos ab iniquitatibus nec flagella compeſcunt, tanto acriori inuectione feriendi ſunt, quanto maiori inſenſibilitate duruerunt. Plerumque enim ſine dedignatione dedignandi ſunt, ſine deſperatione deſperandi, ita dumtaxat, vt & oſtenſa deſperatione formidinem incutiat, & ſubiuncta admonitio ad ſpem reducat. Diſtrictè itaq; contra illos diuinæ ſententiæ proferendæ ſunt, vt ad cognitionem ſui conſiderata æterna animaduerſione reuocentur. Audiant enim in ſe impletum eſſe quod ſcriptum eſt: Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.*

Huc faciunt ſententiæ ſapientum: *Quid prodeſt aſino hinnitum docere? nam propterea rudere non deſinet.* *Gnome.*
Et illa Anuli in Picta Poëſi:

Indocile ingenium ſi pergas velle docere,
Infelix operam perdes, vt ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere fræno, &c.

Vnde concludit. *Ergo*

Deſine: nam nunquam ars naturam vincit, equuſq́,
Nuſquam ex degeneri fiet generoſus aſello.
Et nunquam ex ſtolido cordatus fiet in arte.

Rationem à priori dat Petrarcha dialog. 41. *Sic habe*, inquit, *omnes qui ſunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non poſſe vnum ingenium accendere, niſi aliqua intus in animo ſcintillæ ſint, quæ præceptores ſpiritu excitatæ & auditæ, generoſum diſciplinæ fomitem arripiant; alioqui algidum in cinerem nequidquam flabis.*

Huc ſpectant parœmiæ: *Æthiopem dealbas. Suem doces. Caput cerebro vacuum erudis. Mens non ineſt Centauris. Midas auriculas aſini. Bœoticum ingenium.* Et illud perſij:

Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit.

Phryx plagis emendatur. Piſtillo retuſior. Colophonium calceamentum.

Rurſum Eccleſiaſt. c. 21. 17. *Cor fatui*, ait, *quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Et c. 22. 7. *Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam.* Audi S. Gregor. loco iam citato: *Contra hos Propheta*, inquit, *Domino conqueritur dicens: Attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Hinc eſt quod Dominus dicit: Interfeci & perdidi populum iſtum, & tamen à vijs ſuis non ſunt reuerſi. Huic rurſum ait: populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. Hinc voce flagellãtium Propheta conqueritur dicens: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata. Babylon quippe curatur, nec tamẽ ad ſanitatem reducitur, quando mens in praua actione confuſa, verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta ſalutis itinera redire contemnit. Hinc captiuo Iſraelitico populo, nec tamen ab iniquitate conuerſo Dominus exprobrat dicens: Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis.* Exempla huius ſententiæ ſunt in Iudæis & hæreticis, ceteriſque in peccato quopiam obduratis, vti fuit Pharao, qui nullis minis, nullis plagis monentur vt ſapiant, & perfidiam ſceluſue deſerant.

Denique hanc gnomen commutes & adaptes ſapienti hoc modo: *Si contuderis ſapiẽtem in pila ſicut ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferes ab eo eius ſapiẽtiam*, id eſt, virtutem & conſtantiam. Ita Anaxarchus philoſophus cùm à Neocreonte Cypriorum tyranno, poſt alia acerbiſſima tormenta in mortario piſtillo ferreo tunderetur, generosè reſpondit: *Tunde, tunde Anaxarchi follem* (ita vocabat carnes & oſſa, quorum ſpiritus eſt anima) *Anaxarchum non tundis*: anima enim eſt immortalis & inuicta in ſapiente, quæ tundi nequit, ita refert Philo in libro *Quòd omnis probus ſit liber.* Idem dixerunt ſeptem fratres Machabæi, cum in ſartagine ab Antiocho tunderentur & frigerentur, 2. Machab. 7. Idem dixere Martyres in pila contuſi.

VERS. 23. DILIGENTER AGNOSCE VVLTVM PECORIS A
VERS. 24. TVI, TVOSQVE GREGES CONSIDERA: NON ENIM HABEBIS IVGITER POTESTATEM; SED CORONA TRIBVETVR IN GENERETIONEM ET GENERATIONEM] Hebr. *agnoſcendo agnoſcas facies pecoris tui, & pone cor tuum ad greges; quia non in ſæculum fortitudo, & an corona in generatione & generationem?*

Pro *poteſtatem* hebr. eſt חוסן *choſen*, id eſt, fortitudo, poteſtas, potentia, theſaurus, diuitiæ. Vnde Pagnin. vertit, *quia non in ſæculũ diuitiæ ſunt duraturæ;* Chald. *quia non in perpetuum poſſeſſio, nec pax* (Tigur. *corona*) *ad perpetuam poſteritatem*; Septuag. *euidenter cognoſces animas gregis tui, & applicabis cor tuum tuis armentis; quoniam non in ſæculum viro robur & fortitudo, neq; tradit ex generatione in generationem*, hoc eſt, vt vertit auctor Catenæ Græc. *viri enim paſtoris imperium & robur non ſe protendit in æuum, neque de generatione in generationem vitæ pabulũ adminiſtrabit* B *illis*; Syrus, *paſcendis gregibus tuis oues tuas noſcito*, iuxta illud Chriſti: *Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*, Ioan. 10.

Huc uſq; Salomon dedit præcepta ethica, nunc dat œconomica quæ ſcilicet pertinent ad inſtruẽdam alendamque familiam: quare commendat artem pecuariam & paſtoritiam, quę innocentiſſima eſt & antiquiſſima, vtpote nata cum homine. Abel enim filius Adæ fuit paſtor ouium, æquè ac Cain frater eius agricola, Gen. 4. ſic & ceteri Adę filij & nepotes paſtores pariter ouium & armentorum fuere, Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Ioſeph cum fratribus, Moyſes, Dauid, ceterique priſci Patriarchę, qui ex ijs ditiſſimi euaſere, imò principes & reges, Vnde Dauid canit de ſe: *Et elegit Dauid ſeruum ſuũ, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum paſcere* (vt paſceret, id eſt, regeret quaſi rex) *Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hereditatẽ ſuam*, pſal. 77. 70. C Magnus ille Spiridion ex paſtore ouium factus Epiſcopus Trimituntis, oues tamẽ paſcere nõ deſijt: vnde ſanctitate & miraculorum frequentium gloriâ claruit in Concil. Nicęno. Sic Romulus ex paſtore factus eſt rex & conditor Romæ, ac primi Romani fuere paſtores & agricolæ. Vnde Camillus ab aratro vocatus eſt ad imperium. Audi Pliniũ l. 18. c. 3. *Quęnã ergo* inquit, *tãtę vbertatis cauſa erat? Ipſorum tunc manibus imperatorum colebantur agri* (*vt fas eſt credere*) *gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: ſiue illi eadem cura ſemina tractabant qua bella, eademq; diligentia arua diſponebant qua caſtra: ſiue honeſtis manibus omnia lætiùs proueniunt, quoniam & curioſiùs fiunt. Serentẽ inuenerunt dati honores Serranũ, vnde cognomen. Aranti quatuor ſua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellãtur, Cincinnato viator attulit* D *dictaturam, & quidem vt traditur, nudo plenoq; pulueris etiamnum ore. Cui viator, Vela corpus, inquit, vt proferã ſenatus populiq; Romani mandata. Tales tum viatores erant, quod ipſum nomen inditum eſt ſubinde & ex agris ſenatum ducesq; acerſentibus.*

Paſtoritia ars innocens & antiqua

Exempla.

Igitur ad literam iubet Salomon patrifamilias, ſiue agricolæ & paſtori, vt curã diligentem habeat pecoris ſui: ſic dabit lac, lanam: carnes, corium, omniaque quę ad victum & veſtitum familię neceſſaria ſunt. Iubet quoq; diligenter inſpici vultum pecoris: quia in vultu pecoris, ęquè ac hominis, relucet tota corporis complexio & cõſtitutio: vnde ex vultu colligas pecoris æquè ac hominis ſanitatem vel morbum, maciem vel pinguedinem, robur vel infirmitatem, &c. rurſum an ſtudioſè pabulum cibumque ore carpant & capiant; hoc enim ſignum eſt bonę valetudinis & roboris: an verò ſegniter & interpolatè, velut nauſeantes id faciant; hoc enim ſignum eſt inualetudinis & infirmitatis.

Impropriè quoque Vatabl. & alij nonnulli per *pecus* accipiunt opes pecuniam: opes enim priſcorum ſitæ erant in pecoribus: vnde & à pecore dicta eſt pecunia, quòd effigie pecoris ſignaretur, teſte Plinio lib. 18. 3. Rationem duplicem ſubdit. Prima eſt: *Non enim habebis iugiter poteſtatem.* Secunda eſt: *Sed corona tribuetur in generationem & generationem.* Ex Hebræo paſſim vtramque negatiuè vertunt, hoc modo, *neque enim perpetuus erit theſaurus, neque corona in generatione & generationẽ.* q. d. Etſi habeas opes, puta auri & argenti theſaurum, is tamen non erit perpetuus, nec diuturnus, quia ſenſim expendendo abſumitur; nec rarò furto, incendio, prædatione, ſimiliue caſu aufertur. Etſi quoque ſis princeps aut rex corona redimitus; tamen hic principatus & regnum tibi, & tuis poſteris non erit perpetuus: ſæpè enim nepotes, imò & filij patri in regno non ſuccedunt: imò patres ij ſi non rarò regno deijciuntur, vel ab æmulis & hoſtibus, vel à ſubditis, pręſertim ſi tyrannicè eis dominentur. Gregum autem cura & cuſtodia paſtori quotannis continuam dat alimoniam, imò opes ingentes. Ergo pręſtare greges paſcere, quàm opibus aut honoribus vtpote incertis & inſtabilibus, incubare & indormire.

Verùm Noſter vertit, *non enim habebis iugiter poteſtatem*, ſcilicet paſcendi & alendi greges, quia ſeneſces, nec vires ſuppetent, vt eos paſcas. Vnde Varro l. 2. de Re ruſtica c. 17. paſtores vult eſſe iuuenes, fortes & validos, vt in campis cum gregibus peruigilare, eoſque per montes ſaltuſque ſequi, & à lupis feriſque defendere valeant.

SED CORONA TRIBVETVR IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM] Pro *ſed* hebr. eſt ואם *veim*, id eſt, *etſi*, hoc eſt *neque*, vt paſſim vertunt alij. Noſter *veim* accipit pro כִּיאִם *kiim*, id eſt *ſed*. Hebr. enim *vau* eſt generale, & ſignificat quãlibet coniunctionem, qualis eſt *ki*. Senſus ergo eſt, q. d. Si diligenter paueris gregem, nanciſcêris magnas opes, quæ tibi parient coronam, id eſt, ingens decus & gloriam. Rurſum *coronam* propriè dictam, q. d. Fies pręſes & princeps paſtorum, quem Varro loco citato vult eſſe ceteris ſeniorem; hic enim quaſi princeps coronabatur, æquè ac pręſes conuiuij, Eccli. 32. 3. Hinc Romulus ſpiceam coronã dedit agrorũ ſacerdotibus, qui inter agricolas & paſtores eminebant velut principes. Audi Plin. li. 18. c. 2. *Aruorum ſacerdotes Romulus in primis inſtituit, ſeq; duodecimum fratrem appellauit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice ſua, ſpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in ſacerdotio ei pro religioſiſſimo inſigni data, quę prima apud Romanos fuit corona.* Pan verò princeps paſtorum à priſcis coronabatur corona è pinu in ſignum puritatis & virginitatis; huius enim ſymbolum eſt pinus, iuxta illud Virgilij:

Coronà princeps paſtorum olim gaudebat

Pronuba nec caſtos accendet pinus odores.

Vnde Propert. lib. 1.

Fagus & Arcadio pinus amata Deo.

Et Ouidius 14. Metamorph. *Pinu præcincti cornua Panes.* Pluribus idipſum probat Carolus Paſchalius li. 6. de Coronis c. 28. Idem l. 2. c. 3. docet agreſtia numina floribus coronari ſolita.

Inſuper fies propriè princeps & rex, olim enim cùm omnes pene homines eſsẽt agricolę & paſtores, qui inter eos arte, induſtria & opibus excellebat

Reges ex paſtoribus olim creabantur.

bat, creabatur princeps & rex.[a] Denique corona gloriæ in cælo donaberis, de qua mox. Sic Abraham, Iſaac & Iacob fuerũt paſtores & ſimul principes, ſiue reges. Sic Moſes, Ioſeph, Dauid, ab ouibus vocati ſunt ad principatum Hebræorum & Ægypti, æquè ac Cyrus ad regnum Perſarum, vide dicta Exodi 3. 1.

Symbolicè per paſtores gregum accipe principes & prælatos hominum. Quod enim paſtores pręſtant ouibus, hoc Superiores & Prȩlati præſtare debent ſubditis, nimirum cuiuſque vultum, id eſt, mores & actiones ſedulò intueri, dirigere, erudire, corrigere. Vnde pro *tuoſq́, greges conſidera;* Septuag. vertunt, *& applicabis cor tuum armẽtis tuis;* Aquila & Theodot. *pone cor tuum in armentis,* vt quaſi tota cordis tui intentio ſit in armentis. Per *cor* accipe mentem & voluntatem: mentem, vt intentè conſideres quid gregibus vtile & proficuum ſit; voluntatem, vt illud eis ſingulari amore & cura procures. Quocirca Chriſtus Dominus aſcenſurus in cælum, S. Petrum relinquens ſui gregis, id eſt, ſuæ Eccleſiæ ſuorumq; fidelium, paſtorem, tertiò ab eo amorem popoſcit, dicens: *Petre amas me?* ac cùm ille tertiò reſpondiſſet: *Domine tu ſcis, quia amo te,* ei gregem ſuum paſcendum tradidit, dicens, *Paſce oues meas.* Ioan. 21. 17. Rationem ſubdit, quòd ſcilicet non habebunt iugiter poteſtatem eos paſcendi & regendi; ſed ſi pauco tempore paſtorali munere ſedulò perfuncti fuerint, accipient à Deo immarceſcibilem glorię coronã, quam capiti eorum imponet princeps paſtorum Chriſtus Dominus, vt ait S. Petrus ep. 1. c. 5. 4. vide ibi dicta. Audi Bedã: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq́, greges conſidera. Paſtori,* inquit, *dicitur Eccleſiæ, Diligenter adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit, agnoſce animos actuſq́, ſingulorum, & ſi quid in eis vitij ſordidantis inueneris, citiùs caſtigare memento; non enim tu ſemper oues Dominicas paſcendi poteſtatem habebis, ſed æterna eſt corona, quam percipies, ſi commiſſum tibi gradum ſuo tempore bene miniſtraueris.*

VERS. 25. APERTA SVNT PRATA, ET APPARVERVNT HERBÆ VIRENTES, ET COLLECTA SVNT FOENA DE MONTIBVS] Hebr. *reuelata eſt herba, apparuit germen, collectæ ſunt herbæ montiũ;* Chald. *humiliatum eſt fœnum, & apparuit herba, &c.* Septuag. *adhibe curam his qui in campo ſunt, viridibus, & attondebis herbam & congrega fœnum æſtiuum;* Syrus, *apparuit ver,* putà Niſan ſiue Aprilis, qui ab aperiendo dictus eſt, quaſi terras hieme rigentes tepore ſuo aperiens, ait Seruius.

Demonſtrat quàm facilè à Deo & natura, paruo vel nullo labore hominis paretur cibus gregibus, vt eorum paſtum & artem paſtoritiam commẽdet à facilitate, mox eandem commendaturus à fructu & vtilitate: nam ſine foſſione hominis in vere terra ex rigore hiemis algens & rigida, tepore ſolis redeuntis calefacta aperit ſe, & germina herbaſque ad ouium & pecorum alimoniam producit. Vnde agricolæ plerique pluris faciunt prata quàm agros; & ex pratis tantumdem fructus colligunt, quantum ex agris. Facile eſt quoque paſcere gregem, cùm in alijs artibus magnus ſit labor artifici ſubeundus, vt agricolæ aratio, occatio, ſatio, meſſio, &c. mercatori mercium emptio, tranſportatio, venditio, diſtributio fabro, piſtori, ſartori, ſutori ingens & cõtinuus labor: fabricandi, pinſendi, ſarciendi, ſuendi, &c. Porrò dicit, *Collecta ſunt fœna de montibus;* licet enim ex vallibus plus fœni colli-

A gatur quàm ex montibus, tamen quod ex montibus colligitur, vtpote locis arentibus, & aqua deſtitutis, ſiccius eſt, ideoque ægrè putreſcit, ac in horreis ſeruari poteſt per totam hiemem: cùm aliud quod ex vallibus colligitur, humidius ſit, ideoq; citiùs putreſcat, nec adeò diu ſeruari poſſit. Hinc & oues capręque, quæ ſiccum amant pabulum, ne humore grauentur & ægrotent, amant gramina montium, velut ſicciora, ideoque ſaniora. Vnde illud Virgil.

Mille meæ Siculis errant (errando paſcuntur) *in montibus agnæ.*

Myſticè Salonius: *Aperta ſunt prata, quia per gratiam Saluatoris reuelata ſunt cæleſtia ſacramenta quãdo aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerent Scripturas: tunc apparuerunt herbę virentes, id eſt, nouę ſentẽtiæ Euangelicæ veritatis & gloriæ. Rurſus per montes ſignificantur ſancti patres veteris Teſtamenti; per fœna ſcripta eorum. Collecta ſunt ergo fœna de montibus, quia ſcripta ſanctorum Patrum collecta ſunt ad pabulum ouium Dominicarum,* &c. Sic & Beda.

Tropolog. auctor Catenæ Græcor. *Agrum,* inquit, *vel pratum appellat hîc mentem, virentes autem herbas, beneq́; olentes flores, virtutes; quæ in illa exiſtunt. Harum porro rerum qui curam habent, is demetit herbã viridem, nempe Dei cognitionem. Per fœnum montanum cæleſtium ſanctarumq́; virtutum & poteſtatum cognitio deſignatur, quę infirmiori & rudi adhuc animarum conſtitutioni conuenit. Solent enim Scripturæ ſanctos montium nomine exprimere: vt, Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxiliũ mihi. Rurſum: Montes exultauerunt vt arietes, vtiq; propter Iſraelis ſalutem,* pſ. 113. 4.

AGNI AD VESTIMENTVM TVVM, ET HOEDI AD AGRI PRETIVM] Chald. *agni ſunt ad veſtimentum tuum, & hœdi ad negotiationem tuam;* Syrus, *in* VERS. 26.
C *tributum tuum;* Septuag. *vt habeas oues in veſtes tuas, coIe campum, vt ſint tibi agni;* Scholiaſt. *vt ſint tibi armenta boum.* Oſtendit ex parabili pratorum eſca, quàm agni & hœdi ijs paſti parabilem dent eſcam & veſtem. q. d. ait Ianſen. *Agni tui ſunt tibi ad veſtimentum tuum, quia ex lana agnorum, ſub quibus oues omnes comprehenduntur, texuntur veſtimenta fiuntq́; ex pellibus eorum. Et hœdi ſunt tibi ad pretium agri, hoc eſt, quibus venditis perſoluere poteris pretium agri à te conducti, aut ſumptus agri colendi, aut quibus emere poteris fructus agrorum, vt triticum familiæ tuæ neceſſarium: quaſi diceret, Si diligenter gregem paueris, non erit neceſſe agros colere. Nam pretio hœdorum poteris agrorum fructus comparare.*

Sub agnis & hœdis ſynecdochicè intelligit vac-
D cas, boues, equos, omniaque iumenta & pecora, quæ ingens dant lucrum. Sed præ ceteris meminit agnorum & hœdorum, quia hos ferè ſolos olim pauerunt primi orbis paſtores, vt Abel, Iacob, Moyſes, Dauid, &c. hos enim facilè eſt paſcere & regere, cùm maiora difficilè & ſæpè cum periculo regantur: aut, vt Vatabl. q. d. Vendes hœdos, & ex pecunijs conflabis ſeruos, qui colant agrum tuũ. Significat ex grege & pecoribus poſſe colligi cetera omnia ad victum neceſſaria.

Symbolicè, ſicut agni tonderi ſolent ad lanam, vt ex ea fiat veſtis nõ autem excoriari: ſic princeps qui eſt populi paſtor, eum non grauet tributis & exactionibus nimijs, ſed moderata & neceſſaria tantùm ab eo accipiat, ita plura ab eo percipiet: opes enim populi ſunt opes principis. Vnde Tiberius Imp. Æmilium Rectum Ægypti præfectum reprehendit, quòd nimijs tributis populum onera-

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fugit impius, iuſtus vt leo confidit, peccata multiplicant principes, pauper calumnians pauperes parit famem, præſtat pauper ſimplex diuite prauo. epulo confundit patrem, vſurarius opes corrogat liberali; pauper prudens ſcrutatur diuitem ſibi ſapientem; regnante iuſto oritur gloria; iniuſto, ruina: confeſsio parit veniam; beatus ſemper pauidus; tyrannus eſt leo & vrſus; dux liberalis longæuus; homicida omnibus exoſus; labor parit ſatietatem, otium famem; feſtinans ditari fit reus; iudex iniquus pro pane vendit veritatẽ, corripiens inuenit gratiam; fur patris ſui eſt homicida: cupiditas ſerit lites, ſpes pacem & ſatietatem; ſtultus eſt audax, ſapiens eſt catus & cautus; liberalis ditatur, auarus depauperatur, regnante impio fugiunt iuſti, regnante pio multiplicantur.

1. Fvgit impius, nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. 2. Propter peccata terræ multi principes eius: & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit. 3. Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames. 4. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum. 5. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. 6. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus. 7. Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui autem comeſſatores paſcit, confundit patrem ſuum. 8. Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas. 9. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 10. Qui decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet: & ſimplices poſſidebunt bona eius. 11. Sapiens ſibi videtur vir diues: pauper autem prudens ſcrutabitur eum. 12. In exultatione iuſtorum multa gloria eſt: regnantibus impijs ruinæ hominum. 13. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. 14. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum. 15. Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem. 16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius. 17. Hominem, qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi vſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet. 18. Qui ambulat ſimpliciter, ſaluus erit: qui peruerſis graditur vijs, concidet ſemel. 19. Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, replebitur egeſtate. 20. Vir fidelis multum laudabitur: qui autẽ feſtinat ditari, non erit innocens. 21. Qui cognoſcit in iudicio faciem, non benefacit: iſte & pro buccella panis deſerit veritatem. 22. Vir, qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egeſtas ſuperueniet ei. 23. Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. 24. Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre: & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt. 25. Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia concitat: qui verò ſperat in Domino, ſanabitur. 26. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, ipſe ſaluabitur. 27. Qui dat pauperi non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. 28. Cùm ſurrexerint impij, abſcondentur homines: cùm illi perierint, multiplicabuntur iuſti.

Vers. 1. Fvgit impivs, nemine perseqvente: ivstvs avtem qvasi leo confidens, absqve terrore erit] Hebr. *fugerunt nemine perſequente impius*, id eſt, quiſque impiorum: *iuſti* (quiſque iuſtorum) *autem ſicut leunculus fidet*; Arabicus, *impius fugit nemine abhorrente, iuſtus autẽ domans velut leo*. q. d. Sicut leo omnia animalia domat ſibique ſubijcit, ſic & iuſtus omnes terrores. Vatabl. *fugiunt nemine perſequente impij, iuſti vt leones confident*; S. Hier. in Micheæ 2. *nemine*, inquit, id eſt *dæmone perſequente*. Dæmon enim tam vilis & infirmus eſt, vt cenſeatur & vocetur nemo, quia *ex quo bene eſſe perdidit, ad non eſſe tetendit*, ait S. Greg. 14. Moral. 11. Sed hoc myſticũ eſt. Hebræis ſolemne eſt iungere A verbum plurale nomini ſingulari, cùm pluralitas, ſiue diſtributio in plures ſignificatur. Sic hic dicitur, *fugerunt impius*, id eſt, impij, ſiue quiſq; impiorum: *iuſti fidet*, id eſt, fident, ſiue quiſque iuſtorum fidet. Intellige iuſtum realem & ſolidum, qui in iuſtitia continuò perſeuerat & proficit: hic enim confidit vt leo, & quò magis proficit in iuſtitia, eo fit confidentior & animoſior: ſi verò in ea intepeſcat, intepeſcit pariter in eo confidentia & animoſitas.

Huius gnomæ veritas in omnibus pijs & impijs cernitur, ſed maximè in principibus: vnde Salazar per *impium* accipit tyrannum, per *iuſtum* verò regẽ iuſtum qui populum iuſtè regit, ſuumque cuique

Tyranni pauent.

ius adminiſtrat. Tyranni enim vbiq; pauidi mille timoribus & ſuſpicionibus agitantur, omniaque tuta timent, quia malè ſibi conſcij ſciunt ſe Deo & hominibus eſſe exoſos, rex verò iuſtus ſcit ſe Deo & hominibus charum, ideoq; à nullo metuit. Vnde Iob c. 15. 21. tyrannum deſcribens: *Sonitus*, inquit, *terroris ſemper auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur: non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndiq; gladium.* Quocirca Dionyſius tyrannus Demadi eius felicitatem laudanti inſtruxit opiparum conuiuium, ſed à tabulato gladium ceruici eius imminentem ſuſpendit, vt oſtenderet felicitatem tyrannorum eſſe infelicem vtpote quibus omni hora cędes immineat. Et Plato li. 9. de Rep. *Tyrannus*, inquit, *intra ædium parietes formidoloſus velut mulier commoratur.* Cauſam dat Phauorinus apud Stobæum ſerm. 49. *An fieri*, inquit, *poteſt vt Deum effugiant? certè quocumque fugerint, deprehendentur à iuſtitia.* Exempla ſunt in C. Caligula, Domitiano, Nerone, Dionyſio, Decio, Diocletiano, Maximiano, &c.

Leo impauidus: cur?

Porrò cur leo ſit impauidus & nullum timeat, cauſa eſt quam dat Albertus Magnus in Leone: *Certè*, inquit, *leoni hos animos naturale robur non facit:* nam multi elephantes, imò multi tauri ſimul iuncti, ſunt leone fortiores. *Sequitur ergo, alias feras non leonis fortitudinē vereri, ſed naturale illius imperium & dominium recognoſcere*, ſicut aues omnes recognoſcunt aquilæ imperium. Senſus ergo eſt, ait Salazar, q.d. *Sicut omnes feræ leoni, naturale eius imperium veluti agnoſcētes vltro parent: ita etiam principi, qui naturale, iuſtum ac legitimum imperium gerit, omnes vltrò acquieſcunt, ita vt contra illum nec ſingulares ſubditos perfidè ac proditoriè, nec multitudinem per ſeditionem moueri contingat. Hæc enim eſt vis & potentia legitimi ac iuſti imperij.*

Hic ſenſus valdè appoſitus eſt, ſed inadæquatus & æquo arctior. Cur enim verba Salomonis ad ſolos reges & tyrānos reſtringemus? pręſertim cùm Hebræa habeant: *Fugerunt impius*, id eſt, quiſq; impiorum: *iuſti fidet*, id eſt, quiſq; iuſtorum. Senſus ergo eſt q.d.

Impius pauet, iuſtus impauidus: cur?

Quiſq; impiorum pauet, ac ex pauore ſuſpicans malum ſibi imminere fugit; etiam dum nullum imminet, ac nemo eum perſequitur, idque non tantùm cùm in actu peccati verſatur, & actu ſcortatur, vel aliud nefas peragit, ſed etiam cùm à ſcelere quieſcit: ex aduerſo quiſque iuſtorum, qui ſolidè perfectéque iuſtus eſt, etiam in medijs perſecutionibus confidit vt leo, eſtque impauidus, ſicut impius vbique eſt pauidus. Hunc impiorum pauorem graphicè depingit Iob ca. 15. 21. & Sapiens Sapien. 17. v. 10. & ſequ.

Ratio prima.

Ratio à priori eſt: Prima, quia iuſtitia vtpote recta, innocens, inculpabilis, eſt libera & animoſa, iuſtoſq; facit generoſos & animoſos: iniquitas verò, vtpote praua, nocens, rea, eſt timida & pauida, ac iniquos facit pauidos & pallidos; quia, vt ait Plutarch. *Improbitas ex ſeipſa ſibi ſupplicium ſtruit.* Et Seneca epiſt. 97. *Sceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Et aliuſ: *Conſcientia ante peccatum eſt frænum, poſt peccatum eſt flagrum.* Iuſtus ergo confidit vt leo, iniquus pauet vt lepus. Vnde Poëta:

Non fulminantis magna Iouis manus terrebit iuſtum: etiam

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ,

Etſi enim iuſtus ſit humilis & mitis vt ouis, tamen idem magnanimus eſt vt leo: nā vt ait S. Laurentius Iuſtinian. (vt habet eius Vita c. 9.) *Humilitas ſimilis eſt torrenti, qui æſtate tenuior quaſi ſerpit; hieme verò & vere inundat: ſic humilitas in proſperis quidē exigua eſt, in aduerſis verò magnanima eſſe debet*, vti fuit in S. Ioanne Chryſoſtomo, cùm throno deiectus ageretur in exilium.

Magnanimitas S. Chryſoſt.

De quo audi ipſummet ep. 9. ad Cyriacum, tomo 5. *Etenim ego*, inquit, *cùm à ciuitate fugarer, nihil horū curabam; ſed dicebam intra memetipſum: Siquidem vult regina me exulem; agat in exilium, Domini eſt terra & plenitudo eius. Et ſi vult ſecare; ſecet, idem paſſus eſt & Iſaias, ſubſcribar illi. Si vult in pelagus me mittere; Ionæ recordabor. Si vult in caminū inijcere, idem paſſi ſunt tres pueri. Si me feris vult obijcere; obijciat, Danielis in lacum leonibus obiecti recordabor. Si me lapidare vult; lapidet me, Stephanum habeo primum martyrem ſocium. Si & caput tollere vult; tollat, habeo ſocium Ioannem Baptiſtam. Si & ſubſtantiam auferre; auferat, nudus exiui de vtero matris meæ, nudus etiā abibo. Me admonet Apoſtolus: Hominis perſonam Deus non accipit. Et ſi adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti vtiq; non eſſem. Armat me & Dauid dicens: Loquebar coram regibus, & non confundebar.*

Secunda.

Secunda, quòd iuſtitia pariat bonam ſecuramque conſcientiam; iniquitas verò malam, ideoque timidam & anxiam. Bona enim conſcientia nil timet, mala ad omnia expalleſcit, iuxta illud Sap. 17. 10. *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata cōſcientia.* Qua de re alibi dixi plura.

Tertia.

Tertia, quia iuſti parui faciunt res omnes huius vitæ, ſiue proſperas, ſiue aduerſas, quas iniuſti magni faciunt, iuſti enim ſperant & anhelant ad opes cęleſtes; vnde eorum conuerſatio, mens, & ſpes in cælis eſt: quare nil in hac vita eſt eis terribile niſi peccatum. Ita S. Hilarion, vt ſcribit S. Hieron. in eius Vita, captus à latronibus, rogatus an timeret, reſpōdit: *Nudus latrones non timet. Et illi: Certè, aiunt, occidi potes. Poſſum, inquit poſſum; & ideo latrones non timeo, quia mori paratus ſum.* Idē latronibus reſpondit S. Martinus & S. Dominicus. Hac de cauſa dixit Salomon c. 12. 21. *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo*, vide ibi dicta.

Quarta.

Quarta, quia iuſti ſciunt ſe Deo eſſe cordi & curæ: Deo ergo nixi nil metuunt, dicunt enim cū S. Paulo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. Hāc cauſam aſſignat Eccleſiaſt. c. 34. 16. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius*, vide ibi dicta. Hinc pro *leo* hebr. eſt כפיר *kephir*, id eſt, leunculus, qui planè impauidus eſt, longè magis quàm leo ſenior: tum quia needū venatores & hoſtes expertus eſt vt leo: tū quia fames acris, qua aſſiduè laborat; & auiditas ſanguinis quem recèns deguſtauit, ideoque ſitit, acuit ei animos & iras: tum quia dētes habet acutiores & firmiores; nam per ætatem leonibus dentes non rarò cōteruntur vel excidunt, vnde illud Iob. 4. 10. *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorū leonū contriti ſunt;* tum quia ſub alis patris & matris, id eſt, leonis & leænæ, ſecurus requieſcit. Ita iuſti requieſcunt ſub alis Dei, qui illis eſt pater & mater, ideoque ſunt interriti, iuxta illud pſal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, &c. *Scuto circūdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno: à ſagitta volante in die, à negotio perambulāte in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Et pſ. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.*

Haſce

Haſce rationes paucis aſſignat S. Greg lib 31. Moral. c. 14. *Iuſtus*, inquit, *quaſi leo confidens abſq; terrore erit: in occurſu enim beſtiarum idcirco leo non trepidat, quia præualere ſe omnibus nõ ignorat; vnde viri iuſti ſecuritas rectè leoni comparatur, quia dum contra ſe quoſlibet conſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit: & ſcit quia cunctos aduerſantes ſuperat, quia illum ſolum diligit, quem inuitus nullo modo amittat. Quiſquis enim exteriora quæ etiam nolenti ſubtrahuntur, appetit, ſua ſe ſponte extraneo timori ſubſternit: infracta autem virtus eſt concupiſcentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus*, &c.

Quinta. Quinta eſt, quòd Deus ſæpè terrores, panicos immittat ſceleratis, vti minatus eſt Iudæis, ſi à lege ſua deſciſcerẽt, Leu. 26. *Qui*, inquit, *de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugiẽt quaſi gladium: cadent, nullo perſequente & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrûm inimicis audebit reſiſtere: peribitis inter gẽtes, & hoſtilis vos terra conſumet. Quòd ſi & de ijs aliqui remanſerint, tabeſcent in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur: donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum, quibus præuaricati ſunt in me, & ambulauerunt ex aduerſo mihi.*

Tales pauores Deus immiſit Ægyptijs & Pharaoni per tenebras palpabiles, in quibus pariter immiſit in eos ſpectra & viſiones rerum horrendarum, quas fusè deſcribit Sapiens c. 17. v. 2. & ſequ. Tales quoque immiſit Madianitis ad clangorem Gedeonis & trecentorum ſociorũ eius, Iud. 7. 21. ac Syris per Eliſæum, 4. Reg. 7. 6.

Ex aduerſo iuſtis & Sanctis Deus in rebus aſperis vel arduis ſubinde immittit tantas ſpes & animos, vt omnia audeant & intrepidè aggrediantur, imò hoſtibus omnino ſint terribiles. Tales animos immiſit S. Petro, S. Paulo ceteriſque Apoſtolis; S. Athanaſio qui vt leo reſtitit Arrianis, totiq; penè orbi: & noſtro ſæculo S. Ignatio & S. Franciſco Xauerio, qui innumeras & ingẽtes perſecutiones, Deo nixi, animosè & intrepidè ſuperarunt, quoſq; Deus non tantùm hominibus, ſed & dæmonibus terribiles effecit, iuxta illud ab eo promiſſum: *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant*, Deuter. 2. 25.

Analogia iuſti & leonis. Prima. Porrò aptè iuſtus impauidus comparatur leoni, Primò, quia *leo*, vt dicetur c. 30. 30. *fortiſſima beſtiarum ad nullius pauebit occurſum*. Nam vt ait Ariſtot. li. 5. Hiſt. anim. c. 13. *Leo in venatu dum cernitur, nũquam fugit aut metuit; ſed etiamſi venantium multitudine cedere aliquando cogitur, ſenſim pedetentimq; diſcedit, crebrò ſubſiſtens atque reſpectans. Nactus vero opaca, fuga quàm maximè poteſt veloci ſe ſubtrahit; tum rurſus lentè incedit.* Ex Ariſtotele hæc deſcripſerũt Plinius, Ælianus & alij. Addit Plinius lib. 8. c. 36. *Inualidiſſimum vrſo caput, quod leoni fortiſſimum.* ſic iuſtus omne robur habet in capite, id eſt, in mente & voluntate generoſa & amore Dei armata.

Secunda. Secundò, quia, vt ex S. Baſil. homil. 9. Hexam. ait S. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 3. *Leo naturæ ſuæ ſuperbus ferociã, aliarum ferarum generibus miſcere ſe neſcit, ſed quaſi rex quidam plurimorũ dedignatur conſortium.* ita iuſtus dedignatur vitam ſæcularium, eſto delicatam, ſplendidam, pompoſam; quia omnia terrena arbitratur vt ſtercora.

Tertia. Tertiam analogiam ſuggerit Chald. dum vertit, *iuſti autem ſunt leo, qui intendit cibo ſuo, ſperant in ſapiẽtiã.* Leo enim ſecurus præda ſua veſcitur, nec alias feras circumſtantes metuit vel aſpicit: vbi verò ſe ſatiauerit, reliquum feris ceteris comedendum dimittit. Sic iuſti toti intendunt iuſtitiæ & Deo: hic enim eſt cibus illorum, nec quidquam timẽt quod illum illis auferat per quem ſperãt nanciſci ipſam ſapientiam, id eſt, gratiam, virtutem, gloriam, viſionem Dei, felicitatem, & omne bonum: atque huius ſui epuli myſtici reliquias communicant proximis, quibus ſuam ſapientiam aſpirant.

Quarta. Quarta, quia leones contemnunt omnes feras, hoſtes & terrores, ac quo illi maiores ſunt, eo magis accreſcit illis confidentia & animus. Vidimus leonem, in quem immiſſi canes venatici & moloſſi, cùm vnus eum fronte apprehenderet, alij auribus, alij caudâ, alij dorſo, alij, pectore, immotum perſiſtere: ac cùm iam planè canibus circumdatus eſſet, ſingulos pedibus complecti, ac omnes ex ordine à primo ad vltimũ ſigillatim lacerare & diſcerpere, ea facilitate & quiete, qua chartam diſcerpimus. Ita iuſto cũ aduerſis & periculis creſcunt animi, iuxta illud: *Creſcit aduerſis agitata virtus.* Hinc iuſtus gaudet aduerſis, quod in ijs habeat materiã exercendæ virtutis, acuendiq; animos. Vnde animosè dicit cum S. Paulo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? certus ſum quia neq; mors, neque vita*, &c. Rom. 8. 35.

Sicut ergo leo confidit, quia videns feram æmulam confidit ſe illam proſtraturum, imò deſtinat eam ſibi prædam & eſcam: ſic iuſtus viſo hoſte & tentatione cõfidit, quia certa ſpe opis diuinæ percipit victoriam & triumphum. Rurſum Ariſtot. lib. 2. Hiſto. animal c. 1. *Leoni*, inquit, *ceruix oſſe vno rigida conſtat, nec vertebris vllis iungitur.* Et lib. 4. de Part. animal. c. 10. *Collum*, ait, *ceteris animalibus flexibile, & vertebris compactũ eſt: at lupo & leoni oſſe perpetuo riget: commodius enim ad robur, quàm ad ceteros vſus collum ijs eſſe natura voluit.* ita interrita & ad omnia terriculamenta inflexa eſt iuſtorum cõfidentia, ac perpetua conſtantia riget vigetque.

Exempla. Spartiatarum dux & leo fuit Leonidas: qui cum trecentis ciuibus obiecit ſe toti Xerxis exercitui ad Termopylas, dicens ſuis: *Prandete hic commilitones, apud inferos cænaturi.* ita Cicero in Tuſcul. Sic S. Leo leonina cõfidentia occurrit Hunnorũ regi Attilæ, qui ſe vocabat *flagellum Dei*, eumq; repreſſit, & ex Italia diſcedere compulit, teſte Eutropio lib. 15. Chriſtianorum dux & leo fuit S. Ignatius: hic enim vt leo confidebat, cùm inter leones fugientes martyrij auidus dixit: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarũ molar, vt panis mundus inueniar:* ipſe ergo leonibus fuit fortior, ac leonum leo. Vnde damnatus à Traiano, ad leones, eos nõ tam ad duellum, quàm ad ſui conuiuium prouocans epiſt. ad Romanos, *De Syria*, inquit, *vſq; Romam pugno ad beſtias, in mari & in terra, nocte dieq; ligatus cum decem leopardis, hoc eſt, militibus qui me cuſtodiunt.* Et mox: *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitũ, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne ſicut & aliorũ Martyrum, non audeant corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Filioli ignoſcite mihi, quid mihi proſit, ego ſcio.* Et Paulò pòſt: *Nũc incipio diſcipulus eſſe Chriſti, nihil de his quæ videntur deſiderans, vt Ieſum Chriſtũ inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar.*

Deniq; hanc gnomen luculenter & eleganter

explicat

explicat S. Chryſoſt. hom. 8. ad Popul. quam audi. A *Talis eſt peccantium conſuetudo, omnia ſuſpecta habent, vmbras tremunt, omnem ſtrepitum timent, & quemque putant ad ſe venire. Multos igitur ſæpè conſpicati peccatores, ad aliud miniſterium currentes ad ſe venire cogitauerunt: & alijs alia inter ſe differentibus, peccati ſui ipſis conſcij putant illos de ſe ſermocinari. Talis enim res peccatum eſt, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pauidū facit & timidum peccatorem, ſicut iuſtitia contrarium. Audi igitur quomodo & huius pauorem, & illius libertatem Scriptura deſignauit: Fugit impius perſequente nemine, inquit. Quomodo perſequente nemine fugit? Intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc vndiq; circumfert: & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agentem: ſed quocumq; abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile. Sed nō talis iuſtus: ſed qualis, audi: Iuſtus tanquā leo, inquit, confidit. Talis erat Elias. Vidit igitur regem ad ſe venientem, & dicente illo. Túne es ille qui conturbas Iſrael? Non ego turbaui Iſrael, inquit,* B *ſed tu, & domus patris tui. Verè iuſtus vt leo cōfidit. Sic ut enim leo in regem tanquam vilem catulum quemdā inſurrexit.* Et nonnullis interiectis leonem vocans S. Paulum, ita pergit: *Talis erat leo & B. Paulus Act. 16. carcerem enim ingreſſus, ſolo clamore omnia fundamenta concuſſit, vincula roſit non dentibus, ſed verbis. Propterea non leones ipſos tantùm, ſed & aliud quid leonibus maius oportet appellare. Leo enim in retia ſæpè lapſus capitur: ſancti verò cùm ligantur, hinc fortiores fiunt. Sicut & hic beatus in carcere tunc fecit, ſoluens compeditos, parietes concutiens, carceris terrefaciens cuſtode, & pietatis verbo capiēs. Leo clamat, & omnes beſtias fugat, ſanctus clamat, & dæmones vndiq; expellit. Leonis arma, iubarum horror, vnguium cuſpis, & dētes acuti: arma iuſti, ſapientia, temperantia, patientia, tolerantia, præſentiū contemptus omnium. Hæc arma quiſquis habet, non homines tantùm improbos, ſed & ipſas aduerſarias poteſtates deridebit. Meditare igitur homo ſecundùm Deum viuere, & nemo te* C *vnquam ſuperabit. Sed etiam ſi omnium viliſſimus eſſe videaris, omnium eris potentiſſimus: ſicut ſi animi virtutem neglexeris, etiam omnium ſis potentiſſimus, omnibus inſidiantibus eris facilè expugnabilis.*

Obijcit S. Thomas 3. p. q. 15. ar. 7. ad 1. De Chriſto dicitur Marci 14. *Cœpit Ieſus pauere & tædere:* Chriſtus autē fuit maximè iuſtus: ergo in iuſtum cadit pauor & terror. At reſpōdet: *Iuſtus dicitur eſſe abſq; terrore, ſecundùm quod terror importat perfectam paſſionem, auertentem hominem ab eo, quod eſt rationis; & ſic timor non fuit in Chriſto, ſed ſolùm ſecundùm propaſſionem, & ideo dicitur quòd Ieſus cœpit pauere, quaſi ſecundùm propaſſionem, vt Hieron. exponit.*

Huc facit quod Ezechiel ca. 1. Cherubinis, qui ſunt typi iuſtorum, Apoſtolorum, & præconum Euāgelij, dat quatuor facies ſcilicet faciem homi- D nis, leonis, vituli & aquilæ, vbi leo notat eorum fortitudinem: hæc enim habet aliquid leonini & ferocientis naturæ. *Miniſter ergo Euangelicus*, ait noſter Aluarez *debet eſſe homo, qui ſciat puſillis ac miſeris peccatoribus compati: leo, qui nouerit aduerſus peccata rugire, & comminationes diuinas terribiliter intonare: bos, qui poſſit ſollicitudinum onera ſuſtinere: & aquila, quæ contemplando cæleſtia valeat res terrenas effugere, & ad Deum ſublimiter euolare. Alio modo iſtas perfecti hominis facies expoſuit S. Gregorius. Omnis, inquit, qui in ratione perfectus eſt, homo eſt. Et quoniam ſemetipſum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus eſt. Quia verò ipſa ſua ſpontanea mortificatione contra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet (vnde ſcriptum eſt: Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit) leo eſt. Quia* A *verò ſublimiter contemplatur ea, quæ cæleſtia atque terrena ſunt, aquila eſt.* hæc S. Gregor. homil. 4. in Ezech. vide dicta Ezech. 1.

PROPTER PECCATA TERRÆ MVLTI PRINCIPES EIVS: ET PROPTER HOMINIS SAPIENTIAM, ET HORVM SCIENTIAM QVÆ DICVNTVR, VITA DVCIS LONGIOR ERIT] Vers. 2. Hebr. *in præuaricatione terræ multi principes eius: & in homine intelligente & ſciente,* כן *ken*, id eſt *rectum*, vel *ſic prolongabit*, vel *prolongabitur*, ſcilicet principatus, vel ira principis. Chald. *in peccato terræ multi principes eius: & filij hominum qui intelligunt ſcientiam, durabunt*; hoc eſt, vt Syrus, *& viri iuſti qui ſciunt* (practicè, id eſt, faciunt) *iuſtitiam, longos facient dies ſuos*; Septua. *propter peccata impiorum iudicia & lites ſuſcitantur, vir autem aſtutus vel prudens, extinguit ea.* Pro *iudicia* græcè eſt κρίσεις, pro quo Complut. legunt βρίσεις, id eſt grauamina, oppreſſiones.

B PROPTER PECCATA TERRÆ MVLTI PRINCIPES EIVS] Hoc eſt, inquiunt nonnulli, ex peccato Adæ orti ſunt principatus & regna, principes & reges: nam ante peccatum non fuêre: tunc enim omnes erant æquales, ac per iuſtitiam originalem quiſque ſe regebat, & in iuſtitia continebat: at vbi per peccatum ab ea exorbitarunt, opus fuit principibus, qui eos in orbitam reducerent, & in ea legibus, pœnis & præmijs continerent. Vnde S. Gregor. l. 21. Moral. c. 10. *Omnes*, inquit, *homines natura æquales ſumus, ſed acceſſit diſpoſitorio ordine vt quibuſdā prælati videamur, ipſaq; diuerſitas quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt diuinis iudicijs ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur.*

Alij Secundò, hæc accipiunt de polyarchia, q. d. Optimum regimen eſt monarchiæ; monarcha enim omnibus ſubditis præeſt, omneſque in officio & pace continet: at propter peccata hominum, C præſertim ambitiones, orta eſt polyarchia, id eſt, plurium dominatus; ſiue optimatum, vti fit in ariſtocratia; ſiue populi, vti fit in democratia, in quibus crebræ oriuntur ſeditiones, ſchiſmata, tyrannides, cædes, aliaque ſcelera. Vnde monarchiam optimum eſſe regimen, & polyarchiam non tam regimen, quàm ſeditionem nuncupādam eſſe docet Plato de Legibus dialog. 8. & Ariſtot. l. 5. Politic. c. 12. Et Euripides in Archelao: *Regnum*, inquit, *deorum quædam vita videtur: nam præter immortalitatē reliqua habent omnia regnum*, id eſt, monarchia; nam in regno rex velut monarcha imperat.

Tertiò, alij accipiunt de diuiſione regni vnius in multos principatus, q. d. Sæpè ob peccata populi regnum vnum diuiditur in multos principatus. Sicut diuiſum eſt regnum Hebræorum in duo, D ſcilicet in regnum Iuda & regnum Iſrael ſub Roboam ob peccata Salomonis, 3. Reg. 12. Talis enim regnorum diuiſio ſicut oritur ex peccatis regis & populi, ſic populo grauis eſt & damnoſa, quia ex ea oriuntur maiores ſumptus. Facilius enim eſt alere vnum regē regaliter, quàm duos vel tres: inde noua tributa & exactiones: nouæ leges, noua iura: & ſæpè cædes ac bella, dum quiſque ſtudet ſuos & regni fines dilatare, aut cum rege vicino odia & lites intercedunt, vti crebra fuere bella inter reges Iuda & Iſrael.

Verùm hi ſenſus omnes non cohærent cum verbis ſequentibus, nec cum ijs vllam habent antitheſin, quam aliæ gnomæ continent. Quare genuinus ſēſus antitheticus eſt. q. d. Ob peccata populi Deus facit, vt principes boni ſint breuis æui, itaque alij

& alij ſuccidant, qui populum nouis tributis, legibus, impenſis, oneribus, bellis grauẽt: at verò princeps ſapiens & probus cohibet peccata populi, itaque facit vt Deus in præmium tam populi quàm principis probi, vtriq; prolonget vitam, imperium & proſperitatem. Propter huius enim ſapientiam & ſcientiam eorum quæ dicuntur & aguntur in regno, hoc eſt, quia diligẽter ſcire omnem populi ſtatum ſtudet, ac prudenter proſpicit, vt in officio populus contineatur, & in religione, ideò eius vita longior erit. Superiùs enim dixit: *Aufer impietatẽ de vultu regis, & firmabitur in iuſtitia thronus eius.* Poteſt & ſic intelligi noſtra litera. Sicut ob peccata terræ multos cõtingit eſſe eius principes: ita ob ſapientiã alicuius cuius operâ vtitur princeps, & ſcientiam eorum, quę in ſententijs ferendis dicenda ſunt, vita ducis Dei munere prolongabitur. Aut propter ſcientiam eorum quę dicuntur à Deo, hoc eſt, propter ſcientiam mandatorum Dei: ob hanc enim in Deut. promittitur regni diuturnitas. ita Ianſen.

Alij per *ſcientiam eorum quæ dicuntur*, accipiunt publicorum ſcelerum cognitionem, eorum, inquam, ſcelerum quæ fama vulgauit: nam publica crimina ſubditorum coërcere, præcipuum regis munus eſt. Aut planè & ſimpliciter, *qui dicuntur*, ſcilicet à prudentibus conſiliarijs, & principi ſuggeruntur, q.d. Ob ſana & ſapientia conſilia, quę libi à ſapientibus ſuggeſta prudens princeps amplectitur & exequitur. q.d. Inſipientia & peccata abolent, mutant & multiplicant imperia: ſapientia verò & iuſtitia eadem firmat prorogat & prolongat, vt patet Deut. 17.20. Vnde clarè ex Hebræo cum nonnullis vertes, *propter hominem ſapientem & intelligentem prolongabitur*, ſcilicet regnum.

Nota. Per *hominis ſapientiam* ſignificat principis vel alicuius eminentis viri, cuius conſilio princeps omnia facit, ſapientiam. Aut ſingulare accipe pro plurali, q.d. Propter homines ſapientes, ſolertes & probos prolongabitur vita ducis, ſicut Ezechiæ regi prorogata eſt vita ad quindecim annos per conſilium & preces, Iſaiæ c. 38.

VERS. 3. VIR PAVPER CALVMNIANS PAVPERES, SIMILIS EST IMBRI VEHEMENTI (Syrus, *concutienti & proſternenti*; Aben Ezra, *ſemina diuellenti*) IN QVO PARATVR FAMES] Pro *calumnians*, hebr. eſt עשק *oſec*, id eſt, iniuriam faciens, opprimens iniuſtè, mulctando, rapiendo, ſpoliando, &c. Sic ergo habẽt Hebræa: *Vir pauper opprimens pauperes, pluuia trahens, vel detrahens, vt non ſit panis.* Ex Hebræo hæc referas tam ad principatum, quàm ad ducem & principem; vnde ex eo ſic vertit Pagnin. *vir pauper & rapiens pauperes eſt vt pluuia inundans, & non eſt panis*; & Vatabl. *vir pauper qui pauperes violentia opprimit, perinde eſt ac imber putrefaciens ſegetem vt nihil proueniat.* Doctus interpres cenſet hac gnome ſignificari, diuites ſæpè iniurios eſſe pauperibus, ideoque pauperes vt ſe tueantur, inter ſe conſpirare debere. Si enim ſe inuicem vexent, omnes res ſuas peſſumdabunt, atque ad ſummam famem redigentur. Rurſum principi curandum vt lites pauperum, præſertim agricolarum, impediantur, vel citò ſopiantur aut dirimantur, vt agricolationi, ex qua viuit reſp. vacare poſſint, ne tam ipſi quàm reſp. famem patiatur. Quare Plato in lib. de Repub. cẽſet agricolis dandos eſſe iudices vicinos & contribules, quos ipſi ſibi in arbitros deligant, ne, ſi vrbes & forenſes iudices adeant, agriculturam intermittere debeant, idque fit apud Turcas.

A Hinc Dionyſ. Halicarn. li. 2. *Diuiſo*, inquit, *vniuerſo agro in pagos, ſingulis cuique præpoſuit ruralem magiſtratum* (Romulus Romę conditor,) *qui eos curaret, ſegnes colonos obiurgaret, mulctâ caſtigaret etiam, & de eorum controuerſijs iudicaret.*

Verùm dico, Hæc gnome propriè tangit eum, qui, cùm pauper ſit, pręficitur alijs pauperibus, ſiue vt gubernator, ſiue vt cẽſor, ſiue vt fiſcalis, ſiue vt prætor, ſiue quo alio titulo: qui cùm ſit pauper, vt ſuam paupertatem alienis pauperum bonis leuet, maciemque & famem opum expleat, pauperes vſque ad oſſa expilat. Hic enim hebr. vocatur גֶּבֶר *geber*, id eſt, *vir*, Septuag. ἀνδρεῖος, id eſt, virilis, fortis, potens, ſcilicet per curam, vel officium quod obtinet in plebeios & paganos, ſiue ruſticos pauperes. Atq; hic (vt rectè Ianſen.) comparatur pluuiæ, quæ cum

B vehementia magna inundat terram, eamque obruit, quæ & ſemina denudat, & ſegetes natas proſternit, ſicq; ſterilitas ſequitur, inopia & fames. Quæ ſimilitudo conſiſtit in duobus. Primò, in eo quod, ſicut huiuſmodi pluuia ſua quadam vi & oppreſſione terræ inopiam inducit & famem: ita vir talis opprimens pauperem, inopiam ei adfert & famem ſua oppreſſione & iniuria. *Pauper expilans pauperes ſimilis imbri. Primò.*

Secundò, quòd, cùm pluuia in hoc à natura ſit data, vt terram ex ſeſe inopem & indigam fœcundet, & fertilitatem rerumque adfert abundantiam, contra naturam huiuſmodi vehemens & inundãs pluuia ſterilitatis cauſa eſt: ita & cùm ex natura, & quadam cõdolentia pauper pauperi conſolationem & opem debeat, naturæ ordine inuerſo ſua crudelitate deſolationem & inopiam adfert. *Secundò.*

Tertiò, ſicut pluuia obiter vertit montes, indeque

C defluit in valles, eaſq; inundat, vt in torrentes coiens ſegetes ſternat, imò ſemina ſtirpitus euellat, itaq; agris extremam vaſtitatem inducat. Sic officialis pauper non audet affligere diuites & potentes: hi enim quaſi montes omnia tributa & onera decutiunt in valles, id eſt, in plebem & paganos, qui proinde planè depauperantur, & ad induſium rediguntur. *Tertiò.*

Quartò, ſicut pluuia inundans agros, inundat pariter vicinas vrbes: ſic qui expilat pauperes, expilat & ciues. Pauperes enim bonis exuti deſerunt agriculturam, & artes mechanicas: quare ciuitates fame & rerũ omnium inopia laborare neceſſe eſt. *Quartò.*

Tacitè ergo Salomon monet hic principes & magiſtratus, vt pauperes, præſertim cupidos & auaros, non præficiant munijs publicis, ne expilent pauperes (heb. *dallim*, id eſt, extenuatos, exhauſtos)

D ciues & agricolas, nõ tantùm cum ipſorum, ſed & cum totius reip. iactura & damno. Nam ſubinde pauperes expilati in deſperationem & furorem verſi, ipſos principes, potentes, mercatores & diuites inuadunt, ſpoliant, diripiunt. Exemplum eſt in Dionyſio ſeniore, *qui*, vt ait Plutarch. in Apophth. regum, *exegerat pecunias à Syracuſanis: deinde cùm videret illos lamentantes, obſecrantes, ac negantes ſe habere quod darent, indixit alteram exactionem, idq; iterum ac tertiò fecit. Ac poſteaquam vbi maiorem ſummam imperaſſet, audiret illos in foro obambulantes ridere, & ſcommata in regem iacere, iuſſit præfectos ab exigendo quieſcere. Iam enim, inquit, nihil habent, poſteaquam contemnunt nos.* *Exempla.*

Grauem notam & cenſuram ſubijt Veſpaſianus Imp. quòd pauperem quemq; rapaciſſimum promouere ſoleret, vt mox citatũ condemnaret: vnde vulgò dictus eſt officiarios ſuos habere pro ſpon-

gijs,

gijs, quòd veluti ſpongias & ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret. ita Sueton. in eius Vita. *Batto Dalmata à Tiberio interrogatus, cur toties cum ſuis defeciſſet, & Romanis tantam cladem intuliſſet? reſpondit: Vos in cauſa eſtis, qui ad greges veſtros cuſtodiendos non canes dediſtis aut paſtores, ſed lupos. Sentiens gubernatorum aut Cæſaris tyrannidem defectionis cauſam fuiſſe.* ita Dion in Auguſto.

Antigono occiſo, interrogati ſunt rerum potiti, omni iniuriarum genere Phrygios affecerunt. Agricola verò quidem agellum fodiens, rogatus quidnam faceret: Ego, ſuſpirans inquit, Antigonum refodio. ita Bruſ. l. 6, c. 21.

Quocirca Solon legiſlator Athenienſium ſanxit, vt ſoli diuites in magiſtratum adoptarentur, teſte Ariſtot. 3. Polit. 10. & Plutarch. in Vita Solonis. *Apud Iudæos quoque*, ait Noſter Octauianus, *ditiores rempubl. gubernabant, vt ait Plin. lib. 16. c. 19. & Selenus collect. cap. 60. idem præſtabant Carthaginenſes, vt ait Ariſtot. eodem 3. Polit. cap. 9. qui lib. 2. cap. 7. Lacedæmones carpit, quòd inopes ad ſummũ magiſtratum erigerent. Conſonat his quæ Iſaias habet ca. 3. Vocatus enim ad regnum reſpondit, In domo mea non eſt panis, neque veſtimentum quod ſatis eſſe, vt non eligeretur, exiſtimabat, nimirum verum eſt quod Silius Italicus habet lib. 13.*

Sceleri proclinis egeſtas.

Ideo Philemon poëta Comicus apud Stobæum ſer 94. dicebat, inopiam promptam eſſe in perpetrandis malis, quare Eccleſiaſticus ipſe cap. 27. Propter inopiam, inquit, multi deliquerunt.

Huc facit Scipionis Æmiliani reſponſum apud Valer. Maxim. lib. 6. c. 4. *Cùm enim Seruius Sulpitius Galba, & Aurelius Cotta in ſenatu contenderent vter aduerſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, rogatus ſuam ſententiã Scipio Neutrum inquit, mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil eſt ſatis: æquè malam tenentis imperium magiſtram iudicans inopiam & auaritiam. Cicero etiam duas eſſe res, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commouere ait, inopiam & auaritiam.*

Myſticè hæc gnome aptari poteſt ijs, qui cùm ſint infirmi & vitijs obnoxij, tamen eadem in alijs caſtigant. Sic enim fit vt qui ſibi nimis eſt indulgens, in alios nimis ſit rigidus. Tunc enim vir pauper opprimit pauperes.

Porrò, Septuag. vertunt: *fortis qui in impietatibus* (Hebr. רש *ras*, id eſt, pauper, per apocopen acceperunt pro רשע *raſca*, id eſt impietas) *calumniatur pauperes, tanquam pluuia vehemens & inutilis*, id eſt damnoſa & noxia. Eſt mioſis. Per fortem accipe principem vel potentem quemlibet: q. d. ait Salazar: *Quemadmodum cùm pluuia vehemes decidit, collectis hinc & inde riuis torrentes redundãt, & agros longè lateq; implent, atq; adeò meſſes conuellunt & ſecum auferunt; quæ verò ea ratione colligerunt, non continẽt, ſed in alia flumina notiora, hæc verò in mare ipſum effundunt: ſic quicunq; per violentiam & iniuriam pauperes ſpoliant, nihil inde ditеſcunt: nã quæcunq; ab his contra ius faſq; euulſerunt, tamquam torrentes quidam rapidi in ditiores alios, velut in grandiora flumina deuoluunt, & hi rurſus in mare effundunt, quia vel morte deferuntur, vel ob crimen aliquod fiſco adiudicantur.*

VERS. 4. QVI DERELINQVVNT LEGEM, LAVDANT IMPIVM: QVI CVSTODIVNT, SVCCENDVNTVR CONTRA EVM] Vatabl. *ſuccendent ei.* ita Roman. Minùs rectè aliqui legunt, *ſuccendunt*, etſi ſenſu non incommodo, q. d. Pij qui cuſtodiunt legem, non tantùm ſuccenduntur zelo iuſtitię contra impium & impietatem, ſed & eodem alios ſuccendunt, vt coniunctis ardoribus & viribus impios & impietatem exterminent. Hebr eſt יתגרו *itgaru*, id eſt, *litem miſcebunt in eis*, contendent, confligent, copias contrahent, bellum gerent contra eos; Caietan. *excitabuntur contra eos*; Chald. *qui relinquunt legem gloriantur in impietate* (Syrus, *laudatur in iniquitate*;) *& hi qui cuſtodiunt legem, contendent cum eis*, ſcilicet impijs: Syrus, *magnificant ſeipſos*. Eſt antitheſis inter derelinquentes legem & cuſtodientes eam, quòd illi laudent impios, hi verò eis indignentur, q. d. Qui violant legem Dei, amant & laudant impios, tum quia ſibi in impietate ſunt ſimiles, tum quia regnum impietatis propagare ſatagunt, tum quia ijs ſe obarmant contra pios, & regnum pietatis, quod ipſi exhorrent. Vt enim alia taceam, vita piorum eſt tacita reprehenſio vitæ impiorum. Cùm ergo numero & virtute creſcunt pij, vituperantur & vilipenduntur, imò ſenſim exterminantur impij. Quare ne hoc fiat, impij gaudent & ſatagunt plures ſibi aſciſcere ſocios, eoſque facere ſibi in impietate ſimiles, vt contra pios ſe muniant.

E contrario pij qui cuſtodiunt Dei legem, irã, vel potiùs charitate, & zelo ſuccenduntur contra impios, tum quia indignantur eorum impietati, & violationi legis diuinæ; tum quia eos reprehendunt, & ſeuerè verbis caſtigant, quin &, ſi poteſtatem habeant, pœnis & verberibus puniunt, vt eos emendent, aut certè vt alios ab eorum impietate abſterreant, tum quia alios eodem zelo ſuccendunt, &, vt hebr. eſt יתגרו *itgaru*, id eſt copias vireſque contrahunt ad impugnandum debellandumque impios cum impietate. Significat ergo, ſicut impij ardent ſtudio impietatis, ſic pios ardere zelo pietatis propagandæ: quare non ſufficere pio, ſi ſibi & Deo piè viuat, ſed & hunc zelum induere debere ad impietatem in alijs profligãdam. hoc enim exigit zelus honoris diuini & ſalutis proximorum. Hunc habebat Dauid cum diceret pſal. 118. verſ. 136. & 139. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Et pſal. 100. 5. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar.* Et Elias 3. Reg. 19. 14. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt, &c.* Hoc zelo Phinees occidit Zambri, Mathathias Iudæum idololatrantem, S. Petrus Ananiam & Sapphiram, ac Simonem Magum acriter caſtigauit, imò Chriſtus Dominus ementes & vendentes eiecit è templo.

Porrò Septuag. ex præcedenti verſu ad hunc acceſſentes *tanquã pluuia* ſic nectunt & vertunt, *Tanquam pluuia vehemens & inutilis, ſic qui derelinquentes legem laudant impietatem: qui autem diligunt legem, circumdant ſibi murum*, hoc eſt, vt vertit auctor Catenæ Græcor. Impij qui desertà lege Dei impietatem laudant & iunctis viribus propagant; ſunt ſimiles noxio impetuoſoque imbri, qui inſtar torrentis omnia ſecũ rapit: ſic enim impij pios ad ſuam impietatem rapere ſatagunt: at pij qui legem diligunt, valido muro ſe cingunt, vt contra hunc impiorum furorem ſe tueantur, ne ab eorum impietatis torrẽte abripiantur. Murus hic eſt duplex, ſcilicet cuſtodia legis diuinę putà conſtans & obfirmatus animus ad eam vſque ad mortem obſeruandam, ac inuocatio & protectio Dei. Qui enim legem Dei conſtanter cuſtodit, is quamdam impatibilitatem, Deiq; fauorem ſibi parit, qui illum viciſſim cuſtodit, tutumque ab hoſtibus reddit, ait *Deus eſt murus piorum.*

auctor

auctor Catenę Grecor. Hoc eſt quod Deus nouę Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ, ac fideli pioq; cuilibet, promittit Zachar. 2. 5. dicēs: *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Vide ibi dicta.

Huius gnomæ veritas patet in hæreticis, qui ſicut vulpes Samſonis caudis conſpirant, licet ore, verbis, hæreſibus & ſententijs diſcriminentur, vt Catholicos iunctis viribus oppugnent, & à fide ad hæreſin pertrahant: è contrario veri Catholici cōtra eos ſe vniunt & muniunt, imò eis ſacrum bellum indicunt, vti iam à Sereniſſimo Imperatore Ferdinando II. in Germania, ac vicinis regibus in ſuis regnis acre & internecinum hæreſi bellum indici videmus. Hinc & Hebr. *iitgeru*, id eſt, *litem mouent in eis*, ſic aliqui exponunt. q.d. Seminant in eis diſſidia, aut ſeminari & creſcere permittunt, vt ipſi ſe inuicem, velut Madianitæ Iudic. 7. mutuis litibus & gladijs conficiant, ac diuiſi & penè confecti planè à Catholicis conficiantur. Bellum enim hæreticorum eſt pax & victoria Catholicorum.

Vers. 5. VIRI MALI NON COGITANT IVDICIVM: QVI AVTEM INQVIRVNT DOMINVM, ANIMADVERTVNT OMNIA] Hebr. *intelligunt omnia*; Chald. *intelligunt omnia bona*; Septuag. *in omni*. Pro *cogitant & animaduertunt*, hebr. eſt idem verbum יָבִינוּ *iabinu*, id eſt, intelligunt, prudenter cōſiderant & aduertunt. Per *iudicium* Primò, accipe id quod ęquum & iuſtum eſt. q.d. Improbi non conſiderant quid ſit æquum & iuſtum, quid æquitas & virtus poſtulet, ſed quid optet eorum cupiditas: qui autem ſtudēt Deo placere, ſtudioſè conſiderant omnia & ſingula, quæ ei placent vel diſplicent, vt illa amplectantur, hæc toto corde refutent. Hæc enim eſt vna & vera ſapientia, intelligentia & ſcientia ſanctorum, de qua Moſes Deuter. 4. 6. *Hæc*, ait, *eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſa præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna: nec eſt vlla natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Vnde Nazianz. orat. 14. *Prima* inquit, *ſapientia eſt vita proba & honeſta, Deoq; perpurgata, vel certè ſe purgans.* Et S. Chryſoſt. hom. 19. in ep. ad Coloſſ. *Nihil eſt eo ſapientius qui ex virtute ſe rectè gerit. Vide enim quomodo ſit philoſophus.* Ac deinde id oſtendit ex definitione philoſophię: *Ergo vir iuſtus rerum diuinarum & humanarū cognitionem habet: nouit enim quæ ſunt res diuinæ, & quæ humanæ; & ab his quidem abſtinet, illas verò exercet & operatur.*

Secundò, per *iudicium* accipias Dei vindictam & ſuppliciū, tum temporale quod irrogat impijs in hac vita, tum æternum & gehennale, quod irrogabit eis in die iudicij. q.d. Impij non cogitāt terribilia Dei iudicia & ſupplicia, quæ improbis ſolet infligere, & maximè quæ infliget in extremo iudicio: quocirca licenter impunè ſuas cupiditates ſequūtur, iuxta illud S. Brunonis fundatoris Carthuſianorum:

Sic viuunt homines tamquam mors nulla ſequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

At verò qui timent Deum, eiuſque voluntatem & legem inquirunt; hi omnia Dei iudicia, ac præſertim æterna bonorum pręmia, & impiorum tormenta, aſſiduè conſiderant & formidant: atque hâc conſideratione ad peccatorum fugam & ad virtutis ſtudium, velut acri ſtimulo iugiter ſeſe excitant & exſtimulant. Sanè hâc conſideratione iudiciorum Dei, & æternitatis beatiſſimæ, vel mi-

A ſerrimæ, nulla alia efficacior dari poteſt. Audiui ſenem quendam valdè religioſum & timoratum dicentem: *Ego quotidie manè aſcendo ad cælum vt conſiderem Beatorum gaudia, ac deſcendo in infernum vt ſpectem damnatorum ſupplicia; itaq; ex matutina hac conſideratione toto die me ſentio perurgeri ad omne bonum, licet arduum & difficile.* Stimulus acer ad bonum.

MELIOR EST PAVPER AMBVLANS IN SIMPLICITATE SVA, QVAM DIVES IN PRAVIS ITINERIBVS] *Simplicitate ſua*, Hebr. תֻּמּוֹ *tummo*, id eſt, innocentia, integritate; Pagnin. *perfectione ſua*. Sic Iob c. 1. v. 1. dicitur *vir ſimplex*, id eſt integer, & *rectus*. *Prauæ* viæ vel itinera, ſunt prauæ actiones & mores. Septuag. *melior eſt pauper vadens in ſimplicitate diuite mendaci*, id eſt, iniuſto & fraudulento; Chald. *quàm ille qui peruerſus eſt in via & ipſe eſt diues*; Syrus, *pauper ambulat in ſimplicitate ſuâ, & diues in vijs obliquis.* Vers. 6.

B *Melior*, id eſt, præſtantior, ditior, felicior, ac reip. vtilior, eſt pauper rectè viuens, quàm diues peruerſè, quia ſummæ opes & ſumma felicitas eſt virtus & gratia Dei: vice verſâ, ſumma inopia & infelicitas eſt vitium & inimicitia Dei. Hinc apertè S. Greg. Nazianz. in carm. ad Nicobulū, in diuitem carentem ſapiētia & virtute intorquet illud vulgò dictum: *Simia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia.* Et illud: *Aſinus etiam auro onuſtus propterea rudere non deſinet.* Et illud: *Enſi plūbeo vt quid vagina aurea.* Huic verſui ſimilis, imò penè idem eſt ille c. 19. 1. Vide ibi dicta. Huc alluſit S. Iacobus epiſt. c. 1. v. 9. 10. & 11. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſuâ, diues autem in humilitate ſua: quoniā ſicut flos fœni tranſibit, &c. & diues in itineribus ſuis marceſcet.*

QVI CVSTODIT LEGEM FILIVS SAPIENS EST: QVI AVTEM COMESSATORES PASCIT, CONFVNDIT Vers. 7.
C PATREM SVVM] Septuag. *cuſtodit legem filius intelligens; qui autem paſcit luxuriam, inhonorat patrem*; Chald. *qui ſocius eſt comeſſatorum*, (Syrus, *qui vana & inutilia præſtat*) *exacerbat patrem.*

Difficile eſt hîc aſſignare ſolitam antitheſin inter prius hemiſtichiū & poſterius. Primò, Ianſen. Sicut, inquit, ſapiens eſt ille filius qui cuſtodit legem Dei, quæ inter cetera vetat omnem luxum, præcipuè in iuuenibus, & proinde talis honore & lætitia afficit patrem, quia filius ſapiens lætificat patrem ſuum: ita qui alit comeſſatores, contra legem Dei faciens, ignominia afficit patrem ſuum, quia in patris ignominiam cedunt filij vitia, tamquam qui non benè inſtituerit filium. Rectè iſta dicuntur, niſi quòd antitheſis hæc nimis generalis ſit & longè petita; ſic enim ſuperbiam, iram, luxuriam, inuidiam, & quoduis vitium opponas legi,
D quia lex omnia prohibet. Quocirca.

Secundò, ſtrictiùs noſter Salazar per *legem* accipit, non præceptum Dei, ſed hereditatis portionem à parentibus cuique filiorum relictam, quam *legitimam* vocant, eò quòd ſecundùm legem tam naturalem, quàm poſitiuam filijs debetur. q.d. *Qui legitimam ſuam, quam lex etiā retinere, ac minimè alienari præcepit, legi ipſi parens adſeruat, nec profundit; is certè filius eſt ſapiens, & parentibus ſuis glorioſus. Qui autem comeſſationibus acceptam à patribus hereditatē profundit, ad extremam inopiam redactus, dum inglorius obſcuruſq; mendicare, aut alijs inſeruire compellitur, dedecore afficit parentes ſuos.* Verùm nuſquam, quod ſciam, lex ſumitur pro legitima hereditatis paternæ portione filijs debita.

Tertiò ergo & planè, Vatablus *legem* ſumit pro modo,

A modo. q. d. Qui in expenſis ſeruat modum, vt iuxta ſtatum & opes ex virtute temperantiæ moderetur ſumptus menſæ & familiæ; hic ſapiens eſt, quia temperans, & quia opes ſuas ſeruat ad maiores & meliores vſus, vt numquã egeat; ſed ſemper abundet. Qui autem comeſſatur conuiuando ac cõpotando, ac cum helluonibus ſua abligurit, hic inſipiens eſt, & confuſione afficit tam ſe, quàm parentes ſuos, tum quia parentibus aſcribũtur vitia, vti prodigalitas & comeſſatio filiorum, quaſi eam illis indulſerint, aut in ea illos educarint, tum quia comeſſationes hæ tam filium quam parentes ad inopiam & mendicam redigunt, vt cogantur mendicare. Sic *lex* ſæpè ſumitur pro norma, regula, forma & modo, vt cum Cicero ait 3. de Orator. *Hanc ad legem formanda nobis oratio eſt.* Et: *Difficilius eſt oratione vti, quàm verſibus, quòd in illis certa quædam & definita lex eſt, quam ſequi oportet.* Sicut enim virtus, ſic & lex in modo & medio conſiſtit.

B Denique per *legem* accipias legem temperantiæ & continentiæ, quæ virtus eſt generalis, & voluptatibus quibuſlibet modum ponit, eaſque certis limitibus circumſcribit, quos limites tranſgreditur comeſſator & helluo.

Vers. 8. QVI COACERVAT DIVITIAS VSVRIS ET FOENORE, LIBERALI IN PAVPERES CONGREGAT EAS] Lyran. τὸ *liberali* iungit cum *fœnore*. Fœnus enim liberale eſt, quod non ex pacto, ſed liberaliter vltra ſortem à mutuatario datur mutuanti ſiue fœneranti, quod quidem non eſt expreſsè contra iuſtitiam, ſæpè tamen eſt contra charitatem, cùm mutuans illud tacitè intendit & expectat; repugnat enim ſanctioni Chriſti: *Mutuũ date nihil inde ſperantes*, Lucæ 6. 35. Sic ergo explicat Lyran. Qui coaceruat diuitias ex vſuris & fœnore, eſto *liberali*, ſiue liberaliter dato, *in pauperes*, id eſt, contra pauperes, C *congregat eas*: nam pauperes æquè exhaurit, ac ſi ex pacto eaſdem vſuras exigeret. Verùm τὸ *liberali* nõ cohęret cum *fœnore*, ſed cum τῷ *in pauperes*: id patet ex Hebræo, Chald. & Sept. Hebr. enim habent, *multiplicans copiam ſuam in vſura & augmento, ad miſereſcendum egenis congregauit eas*; Chald. *miſerenti pauperum congregat ea*; Sept. *qui multiplicat bona ſua cum vſuris & excreſcentijs, ei qui miſeretur inopum, congregat ea*; Syrus, *relinquet ea illi qui pauperum miſereatur*. Iam

Primò, aliqui ex Hebræo ſic explicant. q. d. Qui vult multiplicare opes ſuas per vſuram fœcundam æquè ac ſanctam, hic eas expendit in miſerias pauperum; miſerendo enim pauperum meretur, vt Deus viciſſim eius miſereatur: quod enim datur pauperi, Deus ſibi datum æſtimat: quare cùm liberalitate ſe vinci non ſinat, plura rependet danti, D quam dans erogarit in pauperes. Vnde illud c. 19. 17. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis.* Verùm hic ſenſus coactus videtur, & verba inuertit.

Secundò, Vatabl. per *liberalem* accipit iudicem. q. d. Iudex ab vſurario repetit vſuras, vtpote iniuſtè acceptas, eaſq; reddit pauperibus, à quibus extortæ ſunt. Accedit R. Salomon ex R. Tanchuma: *Qui vſura, inquit, & fœnore diuitias coaceruat, id ad erogandum in pauperes facit; cùm enim magiſtratus reſciuerint, hunc iniquè partis opibus opulentũ eſſe, eum diuitijs ſpoliant, quibus pontes conſtruunt, viaſq; reficiunt; quod quidem eſt in pauperes pium beneficiumq; ſe exhibere.*

Deus opes auari deriuat in liberalem. Tertiò & genuinè. q. d. Qui opes ex vſuris coaceruat, non coaceruat eas ſuis heredibus auaris: nã *de malè quæſitis nõ gaudet tertius heres*; ſed alicui viro qui liberalis & munificus ſit in pauperes: Dei enim prouidentia ſolet transferre opes ab auaris & vſurarijs in liberales, tum ad caſtigandam eorum auaritiam & vſuram, tum vt opes à pauperibus per vſuras iniuſtè extortæ, à liberalibus ijſdem iuſtè pieque reddantur. Exemplum eſt in S. Ioanne Eleëmoſynario, Patriarcha Alexandrino, qui quia liberaliſſimus erat in pauperes, hinc Deus ad eum deriuabat auarorum & vſurariorum, quin & proborum miſericordiumque, opes. Sic ſæpè vſurariorum bona ſi ſine heredibus & inteſtati moriãtur, deuoluuntur ad Eccleſiæ Prælatos & Epiſcopos, qui poſt factam reſtitutionem poſſibilem, quæ ſuperſunt in pauperes erogant. Ita Alexander III. c. *Cùm tu*, tit. de vſuris, iubet *vt ea quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſint illi quibus debentur, aut eorũ heredes, dentur pauperibus: & vſurarij, eorumq; heredes Eccleſiaſticis pœnis ad hoc cogantur.* quod Nauarrus, Couarruuias, ceterique Doctores extendunt ad bona incerta, ex alijs delictis debita, vt ex furto, B rapina, damno dato, & iniquis contractibus, idque meritò, quia eadem vel maior eſt in his ratio: ne videlicet hominibus iniquis liceat ex iniquitate & iniurijs diteſcere. Vnde noſter Leſſius l. 2. de Reſtit. rat. rei acceptæ dub. 6. docet, bona incerta, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto, reſtituenda eſſe pauperibus, non iure naturæ, ſed iure poſitiuo vel cõſuetudine. Hinc patet vſuras eſſe illicitas & iniuſtas. Idem docuere Philoſophi. Vnde Ariſtot. l. 1. Polit. *Iuſtè, inquit, in odio eſt fœneratoria, quia nummo vtitur tamquam merce, & ex eo quod non fructificat natura, fructum capit. At commutationis causâ factus eſt nummus. Maximè igitur præter naturam eſt nummum fieri mercem.* Et Cato interrogatus *quid eſſet fœnerari?* reſpondit, *Quod hominem occidere.*

Huic gnomæ antiſtrophæ ſint hæ: *Si comportauerit* C *quaſi terram argentũ, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta; præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & argentum innocens diuidet*, Iob 27. 16. *Bonus relinquit heredes filios & nepotes: & cuſtoditur iuſto ſubſtãtia peccatoris*, Prouerb. 13. 22. *Peccatori autẽ dedit* (Deus) *afflictionem & curam ſuperfluã, vt addat, & congreget, & tradat ei qui placuit Deo*, Eccleſ. 2. 26. vbi ſurſum hac de re dicam. Notent hîc auari, viam & modum diteſcendi, nõ eſſe ſtudium & ſollicitudinem coaceruandi opes; ſed iuſtitiam & probitatem, ac præſertim liberalitatem & ſtudium eleëmoſynæ. Vis ergo te & tuos ditare, dita priùs pauperes Dei, ita te ditabit Deus viciſſim.

QVI DECLINAT (Syrus, *obturat*) AVRES SVAS NE AVDIAT LEGEM, ORATIO EIVS ERIT EXECRABILIS] Hebr. Aquila, Symmach. & Theodot. *etiã oratio ipſius abominatio*, Septuag. *& ipſe orationẽ ſuã abo-* D *minabilem fecit*; Syrus, *etiam oratio ipſius erit abominabilis*. q. d. Qui legem, quæ eſt interpres voluntatis diuinæ, non audit, id eſt, nõ ei obedit, hic meretur viciſſim nõ audiri à Deo, cùm eum orat; imò nõ tantùm vitia, ſed & oratio eius eſt Deo execrabilis. Ratio à priori Prima eſt, pœna talionis: Deus enim par pari refert, ſicut enim ipſe nõ vult audire Deum loquentem per legem, ſic Deus viciſſim ipsũ non vult audire ſibi loquentem per orationem. *Vers. 9. Non audiens pauperem non audietur à Deo, cum...* *Ratio à priori. Prima.*

Secunda, quia oratio volentis perſeuerare in peccato eſt peccatum, ideoque Deo abominabilis: eſt enim cõiuncta cum affectu peccati, ac proinde ſic orans videtur ridere Deum, talis enim reipſa dicit: Volo Deum colere & inuocare, & ſimul volo eumdem offendere & irritare, quare perinde facit ac Iudæi, qui flexo poplite Chriſtum adorabant, *Secundò.*

dicen-

dicentes, *Aue rex Iudæorum*: & ſimul eodem ore ipſum conſpuebant & colaphizabant. Quin & ſubinde videtur Deum facere ſocium ſceleris, vt cùm fures orant Deum, vt ſibi occaſionem largiatur multa furandi, adulter adulterandi, homicida occidendi inimicum, &c. Hæ enim orationes petunt, vt Deus faueat ſceleri, ideoq; ſunt blaſphemiæ, & ſummè Deo iniuriæ. Hinc illud pſ. 108. *Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum*, id eſt, in offenſam, vt oratio hominis tā impij magis offendat & exacerbat Deum, quàm placet, quia, vt ait ibidem S. Greg. hom. 27. in Euangel. oratio in peccatum eſt, petere ea quæ prohibet Deus, v.g. vt Deus vlciſcatur inimicos, occidat Chriſtum & Martyres: anima enim orationis eſt charitas. Nam pſal. illo 108. petunt orantque Iudas & Iudæi, vt Chriſti & Chriſtianorum nomen deleatur, ait ibidem Euthymius. Et S. Auguſt. ibidem: *Oratio*, inquit, *Iudæ fit in peccatum, quia non fiebat per Chriſtū, quem noluit ſequi, ſed perſequi*. Talis fuit oratio Antiochi iam quaſi condemnati & deſperabundi, orātis pro remiſſione non tam culpæ quàm pœnæ, 2. Machab. 9.13. *Orabat*, inquit, *ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Vnde auctor Imperfecti hom. 15. in Matth. *Ille*, inquit, *orat qui iam non peccat: qui autem rogat & peccat, non tam rogat quàm deludit Deum*. Vide S. Greg. 18. Moral. c. 5.

Tertia, Tertia, quia, ſicut aroma in ſe odoratum malè olet ſi in ſtercore, cloaca aut fimeto ponatur, eò quòd eius tetro odore inficiatur: ſic pariter oratio licet in ſe ſit odorata & grata Deo, tamen, quia ex corde peccatis putido, quod ſuos concupiſcentiæ fœtores exhalat, promanat; hinc eius putoribus maculatur, maleque olet coram Deo: bene autem olet, ſi ex corde puro, & virtutibus fragrante eliciatur.

Quarta. Quarta, quia qui manet in peccato, manet in hoſtilitate Dei, Deus autem hoſtem ſuum odit, nec eius preces acceptat. Quare qui in peccati affectu perſiſtens orat Deum, perinde facit ac Iudas, qui oſculatur Chriſtum, & interim eum prodit; aut ſicut qui vna manu blanditur amico, altera illum verberat vel occidit. Oratione enim quaſi oſculatur Deum, illique blanditur; prauo verò opere vel affectu Deum offendit, & quaſi verberat. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c. 34. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum*. Vide ibi dicta, & Prou. 15. 8.

Appoſitè Ambroſiaſter in c. 4. Apocal. *Ad eorū*, inquit, *cæcitatem demonſtrandam quamdam ſimilitudinem proponam. Homo quidam vſque ad collum defixus in limo tenebatur; cumq; vidiſſet quemdam prætereuntem, extendens manum clamabat, dicens, Miſerere mei, & extrahe me ab hoc luto. Cumq; manum porrigeret, vt iſtum extraheret, iſte manū, quam extenderat, ſub luto demerſit. Dumq; ille qui ad extrahendum venerat, recedere vellet: iſte iterum vt erueretur poſtulabat. Cumq; ille ſecūdò ad eruendum manum extenderet; iſte ſicut priùs manum ſub luto demerſit. Dumq; crebriùs hoc faceret, ille iratus dixit: Cur petis vt eruaris, cùm in tuo periculo perſiſtere velis? & quia interitum tuū diligis, poſſide quod elegiſti. Similiter iſti Deum deprecantur aſſiduè, vt à vitijs eruātur, & tamen iſta vitia ita amplectuntur, vt ab eis nullo modo diuelli poſſint*. Vnde ſubiungit iuſtum ſemper orare: quia quando mens ab oratione vacat, ipſa opera intercedunt; imò, quando dormit, opera eius in conſpectu Dei refulgent, & ipſa ſunt interceſſores apud Deum.

A Intellige hæc de ijs qui in peccati actu vel affectu obfirmati perſiſtunt: nam ſi quis cupiat è vinculis peccati egredi, rectè orat Deum, vt illi gratiam & vires id perficiendi largiatur: peccator enim id ſuis viribus præſtare nequit, ſed ad hoc eget potenti Dei gratia, quam proinde precibus implorare poteſt & debet. Ita D. Thomas 2.2. quæſt. 78. art. 2. ad 1. vbi obijciens ſibi illud cæci nati: *Scimus quia peccatores Deus non audit*, Ioan. c. 9. 31. & hanc Salomonis gnomen; reſpondet: *Oratio in impetrādo non innititur merito, ſed diuinæ miſericordiæ, quæ etiam ad malos ſe extendit: & ideo etiam quandoque peccatorū oratio à Deo exauditur. Vnde Auguſt. dicit ſuper Ioann. tractat. 44. quòd illud verbum cæcus locutus eſt, quaſi adhuc inunctus, id eſt, nondum perfectè illuminatus: nam peccatores exaudit Deus. Quod autem dicitur, quòd oratio non audientis legem eſt execrabilis, intelligendū eſt, quan-* B *tum eſt ex merito peccatoris: ſed interdum impetrat ex miſericordia Dei, vel propter ſalutem eius qui orat, ſicut auditus eſt publicanus, vt dicitur Lucæ 18. vel etiā propter ſalutem aliorum, & gloriam Dei.*

Hoc eſt quod terribili voce per Iſaiam c. 1. 15. Deus intonat: *Cùm extenderitis manus veſtras, auertā oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Efficax profectò ratio*, inquit noſter Aluarez, *& cui nulla tergiuerſatione ſatisfieri poſſit. Non exaudiam, quoniam manus peccatorum ſanguine, id eſt, peccatis & iniquitatibus plenæ ſunt, quibus (quod ad ſe attinet) iterū Chriſti ſanguinem fundūt. Egregiè enim dixit S. Baſilius: Hæc cauſa eſt cur Deus oculos auertere ſoleat, quādo manus extendimus, nimirum quòd indicia ſupplantationis occaſionem iræ præbeant. Quemadmodū ſi quis interfecto filio alicuius, quem ille in oculis ferebat, adhuc cruore cō-* C *ſperſas manus habens, extendat ipſas patri, etiā tunc ſtomachanti, petens in amicitiam vt ſe recipiat; nónne ſanguis filij, qui in manu eius apparet, qui filio necem attulit, ad iram magis incitabit eū, cui iniuria data eſt? Si pater eius petitionem non audiet, cuius manus videt ſanguine filij ſui pollutas; quo pacto Deus orationes iniquorum ſuſcipiet, quos ſcit in legem ſuam eſſe præuaricatores, & in ſeipſum iniurioſos, & in ſanguinem & merita filij vnigeniti ſui crudeles exiſtere?*

QVI DECIPIT IVSTOS IN VIA MALA, IN INTERITV SVO, (Syrus, *in foueam*) CORRVET: ET SIMPLICES POSSIDEBVNT BONA EIVS.] Vers. 10. τὸ *eius* non eſt in Hebræo, Chald. Septuag. Aquila & Theodot. nec in multis Latinis. Hebræa enim ſic habent, *errare faciens rectos in viam malam, in foueam ſuam ipſe* D *cadet, & integri hereditabunt bonum*; Chald. *in foueam cadet, perfecti autem & immaculati hereditabunt bona*; Septuag. *qui ſeducit rectos in viam malam, in corruptionem ipſe incidet; iniqui autem tranſibunt bona, & non ingredientur in ea*; Aquila & Theodot. *& ſimplices obtinebunt bona*.

Igitur delendo τὸ *eius*, gnome hæc generalis hunc dat ſenſum: Qui errare facit ſimplicē & iuſtum, ſeducendo eum in viam, vel per viam malā; per quam ſcilicet eum deducat in foueam aliquam & interitum ei paratum, ſiue is corporalis ſit, ſiue ſpiritalis, qualis eſt error, hæreſis, libido, rixa, &c. hic in illud ipſum malum, quod ſimplici, id eſt, recto & innocenti, parauit, incidet: ſimplices autem, id eſt, recti & doli expertes, ſeductore pereunte, & ſuis dolis capto, pro malo eis ſtructo, Deo eos protegente & dirigente, bonum recipient & poſſidebunt, vt v. g. pro errore capeſſant veritatem, pro hæreſi fidē, pro libidine caſtitatem, pro rixa pacē, in

in eaq; velut poſſeſſores firmentur & ſolidentur, &c. Igitur hæc gnome conſentit cum illa c. 26. 27. *Qui fodit foueam, incidit in eam.*

Vulgatæ verò verſionis quæ addit *τὸ eius*, vt arctetur hæc gnome ad fraudulentos, qui per dolos & fraudes alios ſuis bonis priuare ſatagunt, hic eſt ſenſus: *Qui decipit*, id eſt, decipere nititur (ſignificatur enim actus decipiendi inchoatus, non perfectus, vt patet ex ſequ.) iuſtos *in via mala*, id eſt, aliquâ fraude, arte, vel dolo, putà actione aliquâ peruerſa & fraudulenta, v.g. per conſilium, machinationem, vel contractum aliquem doloſum, vt opes eius ingenioſa fraude ſibi vendicet; hic *in interitu ſuo*, id eſt, per artem & fraudem ſuam, quâ alijs interitum & perniciem machinatus eſt, *corruet*, id eſt, malum quod iuſtis ſtruxit ipſe incurret, vt per fraudem, qua eos bonis ſpoliare putabat, ipſe met per eamdem bonis ſuis ſpolietur, illaque in iuſtos transſcribantur. Sic enim non rarò Dei prouidentia dolum & doloſos punit talione, vt dolus quē alijs parauerunt, in ipſorum caput recidat, ac qui doloſè iuſtorum bona ſurripere tentarunt, ipſis bona ſua cedere cogantur, vti Aman moliens per fraudem Mardochæum & Iudæos ſpoliare dignitate, bonis & vita, ijſdem ipſe cum ſuis per eoſdem ſpoliatus eſt.

Deus bona doloſorum in rectos transſcribit.

Hoc voluerunt Septuag. dum verterunt, *qui ſeducit rectos in viam malam, in corruptionem ipſe incidet: iniqui autem tranſibūt bona, & non ingredientur in ea*, q.d. Iniqui videbunt bona rectorum & iuſtorum, ad quæ per fraudes aſpirant; ſed non ingredientur in ea, nec ea poſſidebunt: quia ipſi per bona vel potius iuxta bona hæc dumtaxat tranſibunt, vt in tranſitu ea videant, ſed mox cum mœrore ea pertranſire & relinquere cogātur, perinde vt qui vult poſſidere aquam fluuij, fruſtra laborat: aqua enim hæc teneri nequit, quia iugiter fluit & tranſit, ilicoque præterfluit: tales prorſus ſunt diuitiæ, præſertim quæ iniuſtè & fraude doloque parantur; tranſeunt enim, fugiuntque ab iniquo poſſeſſore, & auolant ad iuſtos & rectos, ac viciſſim auari & doloſi tranſeunt per eas, alioq; putà in pauperiem, vel mortem & gehennam, abeunt, iuxta illud: *Dormierunt ſomnum ſuum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*, pſal. 75. 6.

Exempla.

Exemplum illuſtre eſt in Laban, qui volens circumuenire Iacob per pacta noua & iniqua, ijſdem Dei nutu circumuentus eſt. Audi ipſum Iacob loquentē vxoribus ſuis Gen. 31. 7. *Sed & pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimiſit eū Deus, vt noceret mihi. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oues varios fœtus, quando verò è contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Tulitq; Deus ſubſtantiā patris veſtri, & dedit mihi.* Deus enim eſt innocentiæ & iuſtitiæ tutor, ac nocentū & iniquorum vltor. Iuſtum eſt enim vt qui alium dolo circumſcribere conatur, ipſe eodem circumſcribatur: æquum eſt vt qui aliena appetit, ſua perdat: par eſt vt qui alterius bona per fraudem concupiſcit, ſua ei cedat. Sic Pharao & Ægyptij doloſè ſpoliantes & opprimentes Hebræos, eodem dolo ab eis ſpoliati & oppreſſi ſunt, Exodi. 12. 36. & c. 14. 27. Sic hiſce annis principes hæretici ſatagentes inuictiſſimum Imp. Ferdinandum, per clancularias conſpirationes & rebelliones ditionibus ſuis exuere, per eaſdem ſuis ab ipſo exuti ſunt. Similia crebrò legimus in Hiſtorijs.

Myſticè hæretici, luxurioſi, ceteriq; impij, qui rectos per fraudem in hæreſin, libidinem, aliaque ſcelera pertrahere conantur, itaq; eos ſpoliare cæleſti gloria, ac in gehennam pertrahere; ipſimet in gehennam corruunt, ac gloriam ſibi in cælis præparatam rectis & conſtantibus cedunt. Ita Baynus.

SAPIENS SIBI VIDETVR VIR DIVES: PAVPER AVTEM PRVDENS SCRVTABITVR EVM.] Varij variè exponunt. Primò, aliqui q.d. Diues videtur ſibi ſapere, eò quòd norit modum coaceruandi opes, etiam per contractus iniquos & vſurarios, quibus pauperum crumenas emungit: at pauper qui prudens eſt, hoſce modos & cōtractus ſagaciter odorabitur, eoſque deteſtabitur & fugiet. Vers. 11.

Secundò, alij. q.d. Diues videtur ſibi ſapiens, id eſt, prudens, honeſtus & probus, quòd honeſtè ſplendideq; alat familiam, at ne ſibi blandiatur de probitate: huius enim teſtes & iudices ſunt pauperes: probitas enim diuitis maximè conſiſtit in eleemoſyna, cuius teſtes ſunt pauperes. Vnde B. Chryſologus hom. de diuitijs & paupertate: *Diues*, inquit, *ſiue bonus, ſiue malus, in conſcientijs pauperum appares: talis eris, qualem te æſtimant pauperum greges.*

Tertiò, Rabbini & Baynus, q.d. Diues putat ſummam ſapientiam eſſe induſtriam congerendi diuitias: pauper autem qui verè ſapit, hoc eius iudicium ſcrutatur & damnat, dum cenſet ſapientiā non in opibus, ſed in opum cōtemptu conſiſtere, quod etiam cenſuère Philoſophi, vt Seneca epiſt. 119. Diogenes, Ariſtides, Crates, &c. Vnde Chald. vertit, *& pauper prudens contemnit eum.*

Quartò & genuinè, q.d. Diuiti opes addunt animos, eumq; inflant, vt putet ſe præ ceteris ſapere, præſertim quia a vulgo magnus & excelſus prædicatur, & ab adulatoribus prudens & felix nuncupatur: at pauper prudens hunc eius faſtum deſpiciens, per colloquia, quæſtiones & actiones ſcrutari poteſt, & nō rarò reipſa ſcrutatur, an præter diuitias vera ſapientia polleat, facileq; eius inſipientiam deprehendet, coarguet & damnabit. Tacitè innuit Salomonis diuitias eſſe impedimentū ſapientiæ, paupertatem verò eius eſſe incitamentum, tum quia diuitiæ inflant, faciuntq; ſuperbos; paupertas verò facit modeſtos & humiles. Sapientia enim vera eſt humilitas, ſicut inſipientia eſt ſuperbia & faſtus: tum quia diuitiæ amantem ſui cura cruciant, & deprimunt ad opes & res terrenas, vt de rebus altis, quas ſpectat ſapientia, non poſſint ſincerè iudicare: paupertas verò ab opibus expedita, liberè intendit opibus rebuſque melioribus & cæleſtibus: tum quia diuites abundant voluptatibus, vacantque gulæ & luxuriæ, quæ mentem hebetant & obtundunt: pauperes verò ſunt frugales & temperantes; temperantia autem mater eſt ſanitatis, ſanctitatis & ſapientiæ; vnde philoſophi opes abiecerunt, vt liberè ſerenâ mente philoſopharentur. Hinc Crates Thebanus ingens auri pondus proiecit in mare, dicens: *Mergo illud ne mergat me.* Teſte S. Hier. ep. 13. ad Paulinum, & ep. 33. ad Iulianum. Et Menander: *Beatus ille qui opes & mentem habet*, quia vtrumque habere eſt difficilè: opes enim mentem ſæpè opulento eripiunt. Tum quia Deus ita dona ſua diuidit, vt diuiti det opes, pauperi ingenium & ſapientiam. Hinc videmus pauperes eſſe ſapientiores, pientiores, ſanctiores diuitibus. Vnde S. Iacobus c. 2. v. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe.*

Opes obſtant ſapientiæ: cur?

Gnoma.

Præclarè

Præclarè S. Chryſoſt. homil. in pſal. 4. *Diuitiæ*, inquit, *ſunt vitiorum & errorum miniſtræ, paupertas autem mater philoſophiæ. Idq́; res ipſæ indicant quotidie, quòd pauperes ſint diuitibus prudentiores, & ſapientiæ amantiores*. Et Abbas ille in Vitis Patr. *Paupertas voluntaria*, inquit, *eſt animæ requies*. In quiete autem anima inuenit videtque verum, veramque ſapientiam. Hinc veteres Aſcetæ & Anachoretæ paupertatem & quietem profeſſi, euadebant ſanctiſſimi & ſapientiſſimi. Nota eſt hiſtoria pauperis apud Damaſc. in Vita Barlaam & Ioſaphat c. 4. qui profitebatur dicebatque: *Ego ſermonibus læſis medeor.* Vnde acceſtus à principe, qui ob ſermonem incautum iram regis & mortis periculum incurrerat, ſapiens ei dedit conſilium, quo & regem placuit, & mortem euaſit.

Rurſum ſignificat Salomon, diuites habere ſpecimen & pompam ſapientiæ, pauperes verò rem & medullam ſapientiæ. Diuites enim ſuo ſplendore veſtium, famulorum, palatiorum, exteriùs oſtẽtant grauitatem & ſapientiã: at pauperes ſcrutantur eius interiora, putà animũ & mentem, illamq; ſapientia ſæpè vacuam deprehendunt. Sic Diogenes ſcrutatus eſt, libereque carpſit Alexandri Magni ambitionem, eoque illum deduxit, vt diceret: *Si non eſſem Alexander, vellem eſſe Diogenes*. Quocirca Diogenes dictitabat *paupertatem ſubſidium eſſe ad philoſophiam, quia quæ philoſophia verbis perſuadere conatur, ad ea cogit paupertas*. Ita Stobæus ſerm. 93. Et Ariſton aiebat *paupertatem eſſe lucernam, quæ omnia mala demonſtret*. Xenophon: *Paupertas, ait, per ſe eſt docta philoſophia*. S. Chryſoſt. *Qui cum paupertate philoſophantur, magis magiſq́; Deo appropinquant*. Ita refert Anton. in Meliſſa p. 1. c. 33.

Denique *ſcrutabitur* per metalepſin ſignificat *iudicabit & condemnabit*. Iudex enim per ſcrutinium ſcelerum iudicat & condemnat reum. Sic iudex pauper, ſed prudens, ſæpè ſcrutatur, iudicat & condemnat diuites, quòd per vſuras, iniquos contractus & rapinas oppreſſerunt pauperes: paupertas enim præſtat iudicium ſincerum, quod cupiditas inficit & offuſcat. In diuite ergo ſunt multa fucis illita, multa auaritiæ, faſtus, & vitiorũ ſpecioſa tegmina; hæc retegit, vitiaq; ſub eis latentia ſcrutatur, oſtenditq; & damnat pauper prudentiâ pollens.

Maximè verò huius gnomę veritas apparebit in die iudicij; tunc enim Apoſtoli & viri Apoſtolici, qui in hâc vitâ fuerunt pauperes ſpiritu, iudicabũt & condemnabunt diuites ſuperbos & iniquos; vti Lazarus in ſinu Abrahæ cum eo damnauit diuitẽ Epulonem ardentem in gehenna, Lucę 16. 25. iuxta illud Chriſti promiſſum Matth. 19. 28. *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. Et Lucæ 16. 9. Chriſtus pauperes facit cæli ianitores, iudices, & pręſides, dicens: *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*: illis ergo pręſũt pauperes.

Verſ. 12. IN EXVLTATIONE IVSTORVM MVLTA GLORIA EST: REGNANTIBVS IMPIIS, RVINÆ HOMINVM] Syrus, *in exultatione, ſeu corroboratione, iuſtorum multa eſt laus; cùm conſurgunt impij, inueſtigatur filius hominis*. Exaltatio enim iuſtorum parit eorũdem exultationem: & exaltatio iuſtorum directè opponitur regno impiorum. Senſus ergo eſt. q.d. *Regnante iuſto floret reſpub.* Cùm iuſti exaltantur ad dignitates, officia, prælaturas, regimen & regnum, ideoq; exultant; exalta- A tur pariter & exultat tota Eccleſia & reſp. ideoque in ſumma eſt lætitia & gloria. E contrario cùm exaltantur & regnant impij, deprimitur, cadit & ruit communis hominũ vita & reſp. Ratio à priori eſt, quòd iuſti dum regnant, faciunt vt iuſtitia, probitas & pietas in republ. floreat: inde autem oritur pax, vigent commercia, exercentur ſtrenuè artes & agricultura; ex quibus oritur omniũ rerum copia & abundantia. *Ratio à priori.* Denique Deus reip. ob iuſtitiam & probitatem principum & ciuium, per omnia benedicit. Ex aduerſo dum regnant impij, inducunt in remp. ſuam impietatem, fraudes, ſcelera, ex quibus oriuntur ſchiſmata, ſeditiones, lites, bella, quæ fugant agricolas, opifices & mercatores; vnde neceſſe eſt ſequi pauperiem, famem & rerum indigentiam. Deniq; Deus principi & reip. impię maledicit. Sicut enim dominante iuſto regnat & triumphat iuſtitia & virtus; ſic dominante impio re- B gnat & triumphat impietas & ſcelus. Iuſtus enim princeps omnes ſubditos ſibi ſimiles, id eſt iuſtos, efficere ſatagit; impius verò impios. Vnde illud: *Qualis rex, talis populus*. Et

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Pro *gloria*, hebr. eſt תִּפְאֶרֶת *tipheret*, id eſt, gloria, decor, nitor, magnificentia, q.d. Cùm dominantur & exultant iuſti, omnia templa, fora, plateæ, curię, domus, negotia, merces, opificia, ſtudia, artes, ſtatus, ciues, omniaque quæ in repub. ſunt, exiſtunt ſplendida, glorioſa, decora, nitida, magnifica: cùm verò regnant impij, omnia hæc ruunt, fiuntque ingloria, fœda, ſpurca, vilia. *Exempla.* Sic imperante Conſtantino, Theodoſio, Carolo Magno, qui Chriſti fidem, Pontifices & Chriſtianos exaltarunt, com- C munis fuit orbis & vrbis exultatio, felicitas & gloria: ex aduerſo regnante Nerone, Decio, Diocletiano, Valente, Iuliano, communis fuit omniũ mœror, ſqualor, ſtrages & ruina. Tyrannorum enim eſt, ex aliorum damnis & ruina ſe ditare & magnificare. Vnde Ariſtot. l. 8. Ethic. 10. hæc tyrannorum propria eſſe dicit, *arma ciuibus adimere, multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus vrbem reddere, vexare nobilitatẽ, clàm euertere, & palàm in exilium pellere tamquam aduerſarios, & machinatores contra potentiam ſuam: vnde Periandri conſilium Thraſybulo datum, ſupereminentes ſpicas decerpere, quàm opportunum fuerit, id eſt, eminentiores ciuium de medio tollere.*

Pro *ruinæ hominum* heb. eſt יְחֻפַּשׂ אָדָם *iechuppat adam*, id eſt, *ſcrutabitur*, explorabitur, perquiretur *homo*; alij, *nudabitur homo*: cùm enim impij tyranni D aliquem ſcrutantur; eum nudant & ſpoliant; alij, *mutabitur homo*. Hinc Chald. vertit, *quando lætantur iuſti, multa eſt pulchritudo: cùm conſurgunt impij, inueſtigatur filius hominis.*

Vnde Primò, R. Salomon ſic explicat. q.d. Cùm dominantur impij, quilibet homo inueſtigatur & exquiritur ab eis, vt ad quodlibet eorũ ſcelus pertrahatur: impij enim cupiunt vt omnes ſuas flagitioſas actiones imitentur: putant enim par eſſe, vt ad ſuas actiones reliqui omnes etiam ſuas moderentur & conforment, vtpote eis ſubditi.

Secundò, Aben Ezra. q.d. Cùm impij euchuntur, explorabitur vir: impij enim ceterorum facultates explorant & violenter diripiunt.

Tertiò, R. Leui. q.d. Cùm exaltantur impij, pij fugiunt, abduntq; ſe in latebras: quare impij eos ſcrutantur & indagant, vt inde eos in lucem ad ſe educant & abſtrahant.

Quartò, Baynus q.d. Cùm regnant impij, omnes ad eorum impietatem ſe flectunt; quare tunc difficile eſt inuenire virum qui eis reſiſtat, & ſibi in probitate conſtet, ita vt, ſi lucerna omnes perſcruteris, vix vnum è mille ſis inuenturus. Vnde Caiet. vertit, *& ſurgentibus impijs mutatur homo*, q.d. Cùm regnant impij, homines etiam pij mutant mores, & ad regum impietatem ſe flectunt, vt Cõſtantio Arriano regnante plerique amplexi ſunt arrianiſmum. Et nuper in Anglia Henrico VIII. ſchiſmâ faciente ab Eccleſiâ, tota Anglia ſchiſma eius ſecuta eſt. Nam vt ait Soſipater apud Stobæũ ſerm. 46. *Quiſnam adeò quadratus eſt, qui per omnem fortunæ, rerum, ac imperiorum mutationem firmiter conſiſtat, accommodans ſe principibus ac ſubditis, ac ſibi ipſi concilians cunctos, & omnem vbiq; differentiam ad vnam rationem connectens?* Aut q.d. Cùm dominantur pij, felix & ſtabile eſt regnum, vnde ciues in eo læti manent & conſiſtunt: at verò dominantibus impijs, fugiunt eorum tyrannidem, ideòque domum mutant, & aliò ſe transferunt. Aut, vt Pagninus, q.d. Cùm regnant impij, homo mutabitur in veſtibus, id eſt, mutabit veſtes, aliumque habitum aſſumet, ne agnoſcatur, ſed vt ſeſe abſcondat & lateat. Rurſum per regem impium mutantur officia, cõmercia, leges, totuſque reip. ſtatus, vti nuper factũ vidimus in Anglia. Huc facit factum Diogenis, qui teſte Laërtio l. 6. *Quodam tempore lucernam laterna incluſam geſtãs obambulabat in foro clariſſima luce, quærenti ſimilis. Rogantibus quid ageret? Hominem*, inquit, *quæro, notans ſcilicet publicos ciuitatis mores ne homine quidem dignos eſſe.*

Quintò, Vatabl. vertit, *& ſurgentibus impijs explorabitur homo*. q.d. Regnantibus pijs omnes ſunt, vel ſimulant ſe eſſe pios & probos: quare tunc probitas alicuius explorari nequit: at ſi regnent impij, tunc exploratur hominis virtus & conſtantia. Si enim, cùm paſſim alij cedunt impietati & impio, ipſe vnus animosè vtrique reſiſtat, ſignum eſt eum magnæ & probatæ eſſe virtutis; qualis fuit Tobias, qui contribulibus ſuis euntibus ad adorandum vitulos aureos, ipſe ſolus ibat in Ieruſalem adoraturus Deum, Tob. 1. Vnde S. Gregor. l. 1. in Iob c. 1. *Inter malos*, inquit, *bonum eſſe immenſæ bonitatis eſt.* Hinc Septuag. vertunt, *per auxilium iuſtorum multa fit gloria: in locis autem impiorum capiuntur homines.*

Omnia hæc eòdem redeunt omniaque Noſter complexus eſt vertens, *regnantibus impijs ruinæ hominum*: hæ enim ruinæ contingunt per ſcrutiniũ, quo eos ſcrutantur impij, vt bonis ſpolient, nudoſq; cogant mutare domum & exulare, aut vt eos ad impietatem pertrahant.

Anagog. *in exultatione iuſtorum*, id eſt, Beatorũ, in regno cæleſti, vbi Sancti exultant gaudijs & hymnis ineffabilibus, ſumma eſt gloria Eccleſiæ, tam militantis, quàm triumphantis. Dico tam militantis, quia Eccleſia militans ingenti gloriâ celebrat eorum feſta, ac præſertim feſtum omnium Sanctorũ, (vti hoc die quo hæc ſcribo, illud celebramus Romæ magnificè in B. Mariæ ad Martyres, olim Pantheo) in quo eis accinit: *O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent ſancti, amicti ſtolis albis ſequuntur agnum, quocumq; ierit.* Alludit ad illud Dauidis patris ſui: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: exultationes Dei in gutture eorum*, pſ. 149. 5. S. Euergiſtus Archiepiſc. Colonienſis, vt habet eius Vita, ingrediens templũ

A S. Gereonis & ſociorum Martyrum, ſalutauit eos dicendo: *Exultabunt ſancti in gloria*: mox S. Gereon & ſocij è ſepulcris, quaſi applaudentes exultando reſponderunt, *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* De hâc eorum gloriâ ait Iſaias c. 64. 4. & ex eo S. Paulus 1. Corinth. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Hinc immenſa illa Sanctorum exultatio, iubilus & tripudium. Hebr. enim עלץ *alats* ſignificat exultare, tripudiare, geſtire, exilire præ gaudio, iubilare; vti faciunt Beati in cælis perenniter. Vice verſa in inferno, vbi regnat Lucifer & impij dæmones ſunt ruinæ & ſtrages æternæ tam hominum, quàm dæmonum. Vt enim taceam gehennæ incendia æterna, ibi ſunt odia, rixæ & pugnæ, tam dæmonum quàm hominum inter ſe, quibus ſe inuicem mordent & cruciant, imò diſcerperent, ſi poſſent.

B QVI ABSCONDIT SCELERA SVA, NON DIRIGETVR: QVI AVTEM CONFESSVS FVERIT, ET RELIQVERIT EA, MISERICORDIAM CONSEQVETVR.] Hebr. *tegens præuaricationes ſuas, non proſperabitur*, &c. Septuag. *qui cooperit iniquitatem ſuam, non proſperabitur: qui autem narrat redargutiones, diligetur*; Symmach. *qui enuntiat* (Aquila & Theodot. *confitetur*) *redargutiones, proſperabitur*, Chald. *miſerebitur eius Deus.* Verſ. 13.

Quæres, quam confeſſionem requirit & commendat Salomon? *Confeſſio laudat Salomon: quam?*

Aliqui cenſent eum exigere auricularem & Sacramentalem, quæ in lege nouâ fit confeſſario ad recipiendam peccatorum abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ. Ita Hugo, Dionyſ. Baynus &

C Caiet. Verùm hæc tempore Salomonis nondum erat inſtituta, nam poſt mille annos ſancita eſt à Chriſto. Dico ergo eum loqui de confeſſione, quę eſt iuris naturæ, eaq; duplici. Prior eſt, qua peccator pœnitens coram Deo confitetur peccata ſua, ſupplexq; ab eo poſtulat veniam & remiſſionem. Ita publicanus confitebatur dicendo: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Lucæ 18. 13. Ita Daniel c. 9. v. 5. confitetur ſua & populi peccata vt miſericordiam & liberationem è captiuitate Babylonicâ à Deo impetret. Ita Ieremias, Iſaias, ceterique Prophetæ, tres pueri in fornace Babyloniâ, Daniel 3. v. 29. Machabæi, alijque Sancti veteris teſtamenti in Scripturâ crebrò Deo humiliter confitentur peccata vt Dei gratiâ obtineant; nam vt ait S. Chryſoſt. hom. 20. de confeſſione: *Apud iudicem bonum*

D *confeſſio eſt mater indulgentiæ.* Rectè *mater*, quia ſicut mater cum dolore parit filium, ſic confeſſio cum dolore parit veniam. Ita Dauid quamdiu abſcondit ſuum adulterium & homicidium, Deo fuit exoſus; at vbi arguente Nathan, illud confeſſus eſt, dixitq; *Peccaui Domino*; ilicò gratiam conſecutus eſt, dicente Nathan: *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. 13. Vnde ipſe pſ. 31. 5. *Dixi*, inquit, *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Poſterior cõfeſſio eſt, qua quis de peccato ſuo à Superiore, vel pro alio, admonitus & correptus, illud humiliter agnoſcit & confitetur, ac emendationem ſpondet. Aut qualis qui alium læſit vel offendit, coram eo culpam agnoſcit, & veniam precatur, vt ei de offenſa ſatisfaciat, eumque ſibi reconciliet: ad veniam enim & reconciliationẽ nullum eſt efficacius remedium, quàm humilis culpæ confeſſio. Vnde ſenior in Vitis Patr. *Cum quem offendiſti*,

fendiſti, ait, *ibi dic Mea culpa*. Senſus ergo eſt.q.d. Humilitas confeſſionis confitenti & pœnitenti, veniam & condonationem, petenti eamdem, tum à Deo, tum ab hominibus impetrat. Ipſa enim eſt actus pœnitentiæ & contritionis, quæ etiam in lege nouâ ſine Sacramento re ipsâ ſuſcepto, cum ſolo eius voto & propoſito culpam abolet, vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 14.c. 4. Contritio enim eſt actus charitatis, quo quis Deum amans ſuper omnia ſummè dolet ſe eum offendiſſe: *charitas* autem *operit multitudinem peccatorum*, vt ait S. Petrus epiſt. 1.c.4.v.8.

Adde, Iudæis nō ſolo iure naturali, ſed poſitiuo quoque & diuino, præceptam fuiſſe in certis caſibus ſpecialem peccati cuiuſpiam confeſſionem, vti oſtendi Numer.5.v.7. & Leuit.5.v.5. Chriſtianis verò cōfeſſio cuiuſlibet peccati mortalis præcepta eſt à Chriſto in lege Euangelica, idq; appoſitè ad naturam peccati, confeſſionis & remiſſionis. Nulla enim virtus vel actio tam appoſita, &, vt ita dicam, connaturalis eſt ad impetrandam peccati veniam, quàm humilis eiuſdem confeſſio: hæc enim includit contritionē & ſatisfactionem: nam non parua ſatisfactio, & oſtentę compenſatio eſt ipſa eius cōfeſſio. Confeſſio ergo includit tres partes pœnitentiæ, ſiue tria officia pœnitentis, quæ ſunt cōtritio, confeſſio, ſatisfactio. Rurſum vt docet Tertull. libr. de Pœnitentia, confeſſio vice Dei fungitur: facit enim vt peccatum ſuum ipſe pœnitens confitendo iudicet & vindicet: atque ſeipſum damnans & caſtigans iram Dei præuenit, nihilque illi caſtigandum aut peragendum relinquit. *Confeſſionis dignitas.*

Adde, confeſſio eſt peccati retractatio, itaque congrua ad veniam diſpoſitio: pœnitens enim confitendo peccatum ſuum, illud reuocat, retractat, &, quantum in ſe eſt, deſtruit aboletque, quia de illo dolet, illudque refutat & deteſtatur: quare meretur vt Deus illud condonet, & per gratiam ſuam deſtruat. Qui verò peccatum ſuum non agnoſcit, ſed excuſat vel defendit, in eo ſe obfirmat, ideoque veniæ eſt incapax: tum ob eius ſuperbiā & faſtum: tum quia ipſe peccatum impœnitentiæ & defenſionis, peccato concupiſcentię, in quod lapſus eſt, addit & accumulat. Sic Saul nolens inobedientiam ſuam Samueli confiteri, qua contra Dei iuſſum pepercerat gregibus Amalec, ſed illam excuſans, iram Dei incurrit, ac regno & vita priuatus eſt 1.Reg.15. Et Cain nolens confiteri parricidiū Abelis fratris ſui, à Deo maledictus eſt, Geneſ. cap.4.

Senſus ergo eſt q.d. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non* proſperabitur, nec *dirigetur* ad eorum veniam, gratiam, virtutem & ſalutem: *qui autem ea confeſſus fuerit*, eo modo & ritu, quo lex ſua exigit, ac Deus pro varietate temporum inſtituit, v.g. vt Gentilis fide & gratiâ Dei illuſtratus confiteatur ea Deo, Iudęus ſacerdoti ſacrificanti, Chriſtianus ſacerdoti abſoluenti; ac ſimul ea reliquerit, vitamq; emendarit, hic eorum veniam, *miſericordiam* & gratiam *conſequetur*. Nam, vt ait S. Aug. in Sententijs n.240. *Apud miſericordiam Dei plurimum valet confeſſio pœnitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quem negando non fecit neſcium.* Igitur ex hoc loco non malè Theologi probant confeſſionem Sacramentalem, tum quia hæc præuiſa fuit à Spiritu ſancto, & per os Salomonis hîc adumbrata: tum quia gnome hęc generalis eſt, quę proinde cuique Eccleſię ſtatui aptanda eſt iuxta rationem & modum à Deo

A cuique præſcriptum. Iam autem Deus in ſtatu legis nouæ præſcripſit modum confeſſionis Sacramentalis, tamquam neceſſarium ad peccati remiſſionē, nec aliud peccati abolendi remedium eſſe voluit, quàm Sacramentum confeſſionis. Ergo illud peccatori vſurpandum eſt, ſi ritè pœnitere velit, & veniam gratiamque Dei conſequi: idq; inter alia ſignificat hîc Salomon actus & inſtinctus à Spiritu ſancto. Nam vt ait S. Cyprian. *Quod ignorat medicina, non ſanat.* Vide gnomas & exempla Patrum de confeſſionis fructu, quæ citaui Leuit.6.4.& in ep. S. Iacobi c.5.v.16.

Appoſitè S. Chryſoſt. apud Anton. in Meliſſa p.1.c.17. inter quinque expiandi peccati modos primum cōfeſſioni aſſignat. *Viæ*, inquit, *pœnitudinis ſunt quinque: Prima, agnitio & increpatio peccatorum. Secunda, proximis ſuos errores condonare. Tertia, quæ fit* B *per orationem. Quarta, per eleemoſynam. Quinta, per humilitatem animi.* Et rurſum: *Dum tempus*, inquit, *nos ſinit, præueniamus faciem Dei in confeſſione, vt mitem & placidum ipſum tunc videamus, & minaces illos angelos effugiamus. Peccatum ſi confitearis, minues; ſecùs, augebis.* Sic Iudæi peccata ſua Ioanni Baptiſtæ cōfeſſi ſunt, ac deinde ab eo baptizati, Matth.3.6.& Actor.19.v.18. fideles Apoſtolis peccata confeſſi ſunt. Verè S. Auguſt. in Sententijs n.118. *Melior eſt*, inquit, *in malis factis humilis confeſſio, quàm in bonis ſuperba gloriatio.* *Quinque modis expiatur peccatum.*

Beatvs homo qvi semper est pavidvs (Galatinus, *timoratus*:) qvi verò mentis est dvræ corrvet in malvm] Hebr. *beatitudines ſunt homini pauenti ſemper, & indurans cor ſuum cadet in malum*; Chald. *beatus vir qui veretur omnia per metum, durus autem corde incidet in malis*; Septuag. *beatus* C *vir qui omnia timet*: δι᾽ εὐλάβειαν, id eſt, *ob pietatem, metum & reuerentiam Dei*, qua veretur ne quâ in re eum offendat: vel, vt, Complut. *ob cautelam*, vel cautionem, qua prudens timens malum cautè illud declinat. Vnde Cicero Tuſcul.4. *A malis*, inquit, *natura declinamus, quæ declinatio ſi cū ratione fiat, cautio appellatur, quæ autem ſine ratione, metus.* Iam *Vers.14.*

Primò, Rabbini ſic exponunt. R. Salomon: *Beatus*, inquit, *ille qui ſemper pœnam ſuppliciumq; formidat: ita enim ſe à noxis continebit.* Aben Ezra: *Beatus*, inquit, *qui ſemper Deum veretur, nec in eumdem ſceleribus ſe obſtringit: qui verò animo ita eſt obfirmato, vt arguenti aures præbere nolit, eis calamitatibus obnoxius erit, quas ceteris ſe illaturum arbitrabatur.* R. Leui: *Ter felix qui eum paucas, quem timere oporteat: id enim in cauſa erit, vt accommodatis conſilijs incundis ſapienter ſe gerat, vt* D *calamitatibus, quas formidat, ſeſe ſubducat. Qui verò animo eſt peruicaci, ſibiq; pro Deo ſtatuit, quæ extimeſcenda eſſent, extrema patietur. An non liquet ob animum obſtinatū tum primò conſtructum, tum reſtauratum templum, prorſus abolitū fuiſſe? niſi enim Sedecias contumaci animo fuiſſet, & ſi regis Babylonis iugo collum ſuppoſuiſſet, haud tūc è noſtris ſedibus migrare coacti fuiſſemus, idemq; cenſendū eſt de reſtaurato templo; nec enim Romano Imperio ſubiecti fuiſſemus, nec eius iugum ferre cogeremur.*

Secundò, S. Greg. & ex eo Beda, Hugo, Dionyſ. & alij accipiunt hæc de pauore & metu extremi iudicij & ſupplicij. Audi S. Greg. homil.40. in Euang. *Sic præſentis vitæ agenda eſt lætitia, vt numquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria: quatenus dū mens pauida extremæ vltionis timore transfigitur, quantùm nunc præſens lætitia, tantùm pòſt ira ſubſequens temperetur. Hinc namq; ſcriptum eſt: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus; qui verò mētis eſt duræ, cor-*

ruet in malum: ſequentis enim ira iudicij tantum tunc diſtrictiùs portabitur, quantò & nunc, & inter culpas minimè timetur.

Tertiò, auctor Catenæ Græcor. accipit hæc de timore & reuerentiâ Dei, vnde ex Septuag. ſic vertit, & explicat: *Beatus vir qui quadam Dei reuerentia tactus extimeſcit omnia; aſt homo duri præfractiq; cordis, incidit in mala. Qui Dei timorem obtinet, ille,* inquit, *omnia quæ aliquod contagium, vel detrimentum animæ adferre poterant, formidat, ſuſpectaq; habet: adeoq; beatus cenſendus eſt. Aſt improbus neminem timet, atque ita in varia incidit incommoda.*

Interpres S. Chryſoſt. hom. 55. in Geneſin pro reuerentiâ vertit pietatem: *Beatus,* inquit, *qui timet omnia propter pietatem. Nam ſi nos cùm videmus famulum, qui noſtra cum diligentia timoreq; multo curat, maiorem erga illũ declaramus beneuolentiam; multò magis bonus Dominus propter hoc dicebat: Super illum reſpiciam qui tremit ſermones meos. Tremamus igitur, oro, & cum magno timore ſermones eius impleamus, nam eius ſunt ſermones. Et cùm didicerimus quæ illi placent, & quæ probat, ea obeamus, & tales, quales vult, fieri ſtudeamus.* Quænam illa ſint particulatim ſubnectit: *Quietẽ, manſuetudinem, humilitatem magnam exhibeamus, & omnia quæ ab eo mandata ſunt, cũ reuerentia adimpleamus, vt cùm approbarit affectionem mentis noſtræ, placatus noſtra obedientia, reſpicere etiã ſuper nos dignetur. Quod ſi nobis continget, erimus per omnia ſecuri. Dicit enim: Reſpiciam, hoc eſt, cura mea dignabor, manum porrigam, in omnibus auxiliator ero, vbertim in eum meam liberalitatem profundam.*

Beatus vbique pauidus.

Accedit Vatabl. *Beatus,* inquit, *qui iugiter pauet, ne offendat Deum.* Vbi Nota, τὸ *omnia,* & τὸ *ſemper,* vti habent Latina & Hebr. quod S. Chryſoſt. reſtringit ad Dei præcepta, q.d. Beatus qui timet, id eſt, ex timore & reuerentiâ Dei obſeruat omnia eius præcepta. Alij generatim exponunt. q.d. Omnia negotia, omnia opera, omnes perſonas, omnem ſexum, omnia contingentia verere & extimeſce, necubi Deum offendas. Dęmon enim in omnibus tibi tendit inſidias, vt in omnibus lateat peccati periculum. Hîc ſanè optimus & ſanctiſſimus eſt pauor & timor. Sic Iob c. 9. 28. *Verebar,* ait, *omnia opera mea ſciens quia non parceres delinquenti.* Et c. 31. 23. *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Et Dauid pſ. 118. 120. *Confige,* ait, *timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Et Eccleſ. c. 25. 15. *Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur? Timor Dei initiũ dilectionis.* Vide ibi dicta.

Exempla.

Quartò, generatim & adæquatè Ianſenius hæc accipit de timore & cautelâ in omnibus rebus adhibenda, quæ temeritati opponitur, vt is dicatur hic *beatus,* hoc eſt, felix, qui ſic in omnibus rebus eſt timidus, vt proſpiciat ne quid temerè aggrediatur, nec abſque debitâ deliberatione & cõſilio aliorum, ſollicitè cauens ne quid omittat eorum quæ requiruntur. Talis enim in negotijs ſuis proſperari ſolet; cùm cõtrà qui *mentis eſt duræ,* hoc eſt, obſtinato animo ſine aliquo metu res ſuas aggreditur, nihil curans quidquid ſuggeritur & conſulitur, ruit ſæpè in multa mala, & damna multa perferre cogitur.

Vbi Nota, Timor hîc non debet eſſe nimius: ſic enim fit anxietas & ſcrupulus, qui hominẽ vexat, exedit, & à rebus magnis deterret & auertit, agitque in deſperationem. Vnde Seneca epiſt. 56. *Imperitus eſt,* inquit, *qui omnibus rebus ſuis timet, ad omnẽ crepitum expaueſcens, quem vna quælibet vox pro fremitu accepta deijcit, quem motus leuiſſimi exanimant.*

Timor ſit moderatus vt ſit virtus.

Timor ergo hîc debet eſſe moderatus: timor enim hîc eſt virtus, ac proinde in medio duorum vitiorum extremorum, ſcilicet audaciæ durique cordis, quod impauidum nihil metuit, & nimiæ timiditatis poſitus: eſtq; animi ſapientis metus & cautio, qua omnia quæ contingere poſſunt, cautè præuidet & prouidet, necubi decipiatur, fallatur aut labatur: quare tutè & ſecurè in omnibus procedit cũ debita cautela, vt vertunt Septuag. Timor ergo hic non deſtruit, ſed efficit ſecuritatem, fiduciam & magnanimitatem. Sic mercatores cautè ineunt contractus, coëmunt merces, naues tranſmittunt, &c. vt pericula perdendæ ſortis euitent. Eamdem cautelam in commercijs adhibent ciues, opifices, ceteriq; prudentes viri, quia experientia docuit nimiam præfidentiam, temeritatem & audaciam multos decepiſſe & in ruinam egiſſe.

Denique piè & ſapienter S. Bernard. ſer. 54. in Cant. hanc gnomen accipit de timore conſeruandæ gratiæ. *In veritate,* inquit, *didici nil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo reuertetur, & hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Succedant viciſſim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundum quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterũ placata redire ſentietur. Cùm adeſt, time, ne non dignè opereris ex ea. Hæc monet Apoſtolus: Videte, inquiens, ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis.* Idem epiſt. 87. ad Ogerium: *Nolo te illud tamquam nullum, vel paruum malum negligere: imò ſemper timere ſemper pænitere, ſemper ſecurum non eſſe; ſicut ſcriptum eſt, Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Vides certè quem timorẽ tibi incutere nitor: non qui tibi ſit laqueus deſperationis, ſed qui ſpem acquirat beatitudinis. Eſt ſiquidem timor inutilis triſtis, crudelis, qui veniam quia non quærit, non conſequitur. Eſt ſiquidem timor pius, humilis, fructuoſus, qui cuilibet, quantumlibet peccatori, facilè miſericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & ſeruat humilitatẽ, ſed manſuetudinem ſed patientiam, ſed longanimitatem. Quem non delectat tam inclyta proles? Alterius verò miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus & deſperatio. Non hoc ergo, qui deſperationem; ſed illo, qui generat ſpem, timens, ne non timeres, vel parum timeres, tuam tibi culpam ſic rememorandam eſſe putaui.*

Vers. 15.

LEO RVGIENS ET VRSVS ESVRIENS, PRINCEPS IMPIVS SVPER POPVLVM PAVPEREM] Pro *vrſus* hebr. eſt דוב *dob*, quod Septuag. hîc & alibi vertunt, *lupus.* Pro *eſuriens* hebr. eſt שוקק *ſcokek*, id eſt *excurrens* præ fame ad diripiendum, deuorandum, putà *graſſans*; Pagnin. *auidus*; R. Salomon, *frendens*; Vatabl. *cum fremitu diſcurrens*; Chald. *clamans*, Septuag. *ſitiens*; Noſter, *eſuriens*; Aben Ezra, *more ferino diripiẽs*: præ fame enim & ſiti diſcurrit & graſſatur, vt famem ſitimque expleat. Pro *princeps* hebr. eſt מושל *moſcel*, id eſt, *dominator.* Pro impius eſt רשע *raſca*, quod Septuag. per apocopen legentes רש *raſ* vertunt, *inops, pauper*; Septuag. ergo ſic habent, *leo rugiens & lupus ſitiens, qui cùm inops ſit, tyrannizat gẽtem pauperum*: Chald. *leo rugit & vrſus clamat propter impium, qui dominatur ſuper populum pauperem*; Syrus, *vrſus dat vocem, quòd præficiatur iniquus populo pauperi.*

Rectè princeps impius & tyrannus comparatur leoni & vrſo, ſicut princeps pius comparatur cani

&

& paſtori ouium. Vnde Plato libr.2.de Republ. *Exiſtimaſne*, inquit, *differre naturam generoſi canis, & generoſi principis ad cuſtodiam agendum? Quorſum hæc? Vtrumque ipſorum ſagacem oportet eſſe ad ſentiendum, & velocem ad inſequendum; ac demum robuſtum, cùm aſſecutus fuerit, ad pugnandum capiendumq́.* Princeps ergo ſimilis eſt cani vigili & cuſtodi gregis, tyrannus verò leoni & vrſo inuaſori. Primò, quia, ſicut leo ſuo rugitu percellit cetera animalia & ſtupefacit, itaque capit, rapit & vorat: ac ſicut vrſus frendens ſuo fremitu terrefacit hinnulos & porcos: ſic & princeps impius ſuâ terrificâ voce, minaci vultu, & impijs edictis terrorem incutit plebi.

Tyrannus ſimilis leoni & vrſo.

Primò.

Secundò.

Secundò, leonis & vrſi ſumma eſt immanitas & ſæuitia, preſertim raptis catulis, Oſeæ 13.8. & cùm fament: ideoq; præ fame leones rugiunt, vrſi frendent. Leones fament, quia alternis tantùm diebus comedunt, ob quartanam, qua perpetuò laborant, teſte Ariſtotele & Plinio. Vrſi autẽ, quia per hiemem latent, nihilque comedunt, ait Ariſtot. lib.8. Hiſtor. c.17. Inde ergo vrſo per hiemem exinanito in vere ſumma exiſtit inedia & fames, adeò vt omnia voret, etiam formicas & apes. Hinc ab Ariſtot. ibidem c.5. vocatur omniuorus. Talis prorſus eſt tyranni immanitas, auaritia & cupiditas, vt ex omnibus rebus etiam vilibus & ſordidis captet lucrum, ſicut Veſpaſianus captabat ex vrina & ſordibus.

Tertiò.

Tertiò, in leone notatur tyranni crudelitas, in vrſo dolus & aſtutia. Vnde Plinius l.8.c.36. *Nec alteri*, inquit, *animantium in maleficio aſtutia ſolertior.* Hinc Apocal. 13.2. Antichriſtus qui erit verſutiſſimus, comparatur vrſo. Et Thren. 3.10. vocatur *vrſus inſidians*: quia, vt ait S. Ambroſ. l.6. Hexam. c. 4. *plena fraudis eſt fera.* Et ante eum S. Baſil. hom.10. Hexam. *Quoties*, ait, *dolus in anima doli fraudiſq́; concinnatrice ſibi delegit domicilium, nónne vrſo quodlibet in ſuo ſpelæo collatebrante eſt implacabilior?* Similiter lupi, vt vertunt Septuag. ſunt aſtuti & doloſi; nam ouilia oberrant, *ac ſomnum canum, abſentiam aut deſidiam paſtoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt citò ſtrangulent*, ait S. Ambr. in c.10. Lucæ. Quin & hyæna, quæ certa eſt ſpecies lupi, paſtorum nomina audiendo ediſcit, eoſq; deinde per nomen ex ouili euocat, perinde ac ſi homo quiſpiam eos euocaret: prodeuntes deinde inuadit & ſtrangulat, ac mox ouile perrumpens in oues graſſatur. Similis eſt crudelitas & aſtutia tyrannorum.

Quartò.

Quartò, leo noxia inuadit animalia; vrſus innoxia, putà oues & agnos: ita tyrannus tam probos quam improbos vexat, expilat & mactat. Vnde Antiſthenes apud Stobæum ſer.49. tyrannum ait eſſe peiorem carnifice; quia inquit, carnifex occidit dumtaxat reos & ſceleratos; at tyrannus inſontes æquè ac ſontes.

Quintò.

Quintò, tam leo quàm vrſus ſymbolum eſt rapacitatis & iniuſtitiæ, quia aliena inuadit, & rapit, mactat & vorat. Rurſum leo reliquias ſui prandij vrſis, lupis & feris deuorandas relinquit. Sic tyrannus eſt rapaciſſimus & iniuſtiſſimus, ac ſimiles ſibi magiſtratus & officiales rapaces & violentos creat, vt tyrannidis ſuæ congruos habeat ſocios & adiutores, vt docet Plato l.9. de Republ. Audi S. Ambroſ. ſerm.59. *Aiunt plerique lupos leonum ſubſequi ſolere veſtigia, & non longè ab eorum venatibus oberrare, ſcilicet vt rabiem ſuam rapinâ ſatient alienâ, & quod ex leonum ſaturitate remanet, id luporum rapacitate conſumatur. Sic & iſti auaritiæ lupi prædonum veſtigia ſubſecuti ſunt, vt quod illorum rapacitate ſuperauit, horum cederet ſeruari.* Rurſum vrſa ſæuior eſt vrſo, teſte Ariſtot. ſic vxores & concubinæ tyrannorum ſæpe ſæuiores & rapaciores ſunt ipſis tyrannis.

Ex hac auri eſurie euenit, vt princeps auarus nil faciat gratis, ſed ob res quaſlibet poſcat munera, imò præfecturas & officia pretio diuendat; quâ ex re non modica ſequuntur in republicâ damna. Quocirca Baſilius Imp. Exhort. ad Leonem filiũ c.33. præſcribit ne officia diuendat: *Auro*, inquit, *& muneribus venales honores & dignitates caue ne habeas, ſed eas dignis largire gratis: qui enim magiſtratum pretio emit, ſubiectos illi magiſtratus multo magis emit, vt muneribus quæ dedit fretus, ipſe audaciùs munera capiat. Proba igitur atque explora diligenter, atque ita demũ prouehe eos, qui ſine muneribus ambiunt, ſi vis à republica omnem ſordium & concuſſionis labem exulare.* Rationẽ neruoſam affert: *Nam qui dat*, inquit, *vt magiſtratũ capiat, quæſtum ſibi à magiſtratu captat: dat enim vt ius capiendi habeat, contra leges hoc agens, vt nullis legibus teneatur. Qui enim magiſtratum mercari didicerit, is numquam munera capere dediſcet, & ſine muneribus aliquid facere numquam volet: te autem corruptionis & ſordiũ habebit magiſtrum, quem debuerat habere vindicẽ. Neque ipſe ſolùm munera capiet, ſed eos etiam qui ſub ipſo erunt, munera capere coget.*

Princeps non vendat officia.

Sextò.

Sextò, leo & vrſus hinnulos, aliaſq; feras inter ſe dimicantes inuadunt, occupant & laniant: ſic tyranni gaudent ſubditorum diſſenſionibus, imò eas ſerunt & fouent, vt partem debiliorem iuuent, & fortiorem opprimant, quâ oppreſsâ debiliorem iam ſibi obligatam facilè occupant, vt facit Turca. Vnde Ariſtot. libr.5. Polit. c.11. *Calumniari*, inquit, *inuicem, & amicos committere cum amicis, & plebem cum nobilitate, & diuites inter ſeipſos, & ſubditos ad paupertatem redigere, tyrannicæ eſt prauitas, vt neq; ſumptus fiat in cuſtodia, & illi quotidianis moleſtijs occupati vacare non poſſint ad conſilia contra tyrannos ineunda.*

Septimò.

Septimò; Septuag. pro *princeps impius* vertunt, *princeps inops*; vnde iudicant cauſam rapacitatis & auaritiæ principum eſſe, quod ſint inopes, tenues & pauperes, vel quia prodigi, vel quia auari & inſatiabiles, vel quia ex infima plebe emergunt, & ad principatum aſſurgunt. Quare vt inſignem ſuam inopiam leuent, imò impleant, minima quælibet exigunt, ac pauperes vectigalibus & tributis exhauriunt vſque ad oſſa. Princeps ergo cui dominatur paupertas, eidem ſæpè dominatur rapacitas & impietas. Hinc rurſum Septuag. eos comparant lupo ſitienti, tum quia inopes ſemper ſitiunt opes, ſuntque inexplebiles & inſatiabiles: tum quia lupus ſitit ſanguinem animalium, ideoq; guttur inuadit vt ſtranguler & ſanguinem hauriat: ſic tyranni ſitiunt ſanguinem ſubditorum, omniaq; cædibus & ſtragibus implent. Vnde Ptolemæus Philadelphus dicebat, in tyrannide cùm multa alia eſſe grauia, tum illud maximè quòd immeritos occidere cogatur vtilitatis ſuæ gratia. Ita Stobæus ſer. 49. Ibidem Ælianus: *Tyranni*, ait, *omnia ſuſpicantur & metuunt. Sciunt enim quòd ſicuti ſues, ita & ipſi vitam omnibus debeant.* Quàm inopia ſit cauſa auaritiæ, ac proinde inopes nõ eſſe præficiendos reip. pluribus oſtendi v.3.

Octauò.

Denique leones, ac præſertim vrſi, pedibus valent, iiſque feras minores calcant, proterunt, peſſumdant: ſic tyranni maiores & potentes non audens

dent laceſſere, ſed pauperem plebem exagitant, & quaſi pedibus calcant & exterunt, quia nemo eis reſiſtere audet aut valet.

Exempla. Talis leo, vrſus & lupus pauperis plebis, præſertim Chriſtianorum, fuit Nero, Domitianus, Decius, Maximianus, Conſtantius, Iulianus. Vide S. Gregor. Nazianz. orat. in Iulian. S. Athanaſ. Luciferum Calar. & S. Hilarium contra Conſtantium. Talis ante Chriſtum fuit Nabuchodonoſor, de quo Ierem. c. 4. v. 7. *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit.* Et Ezechiel c. 19. 2. & ſeq. Ioachaz, Ioakim, Ioachin & Sedeciam reges Iuda cōparat leunculis, ac de Ioakim ait v. 6 *Qui incedebat inter leones, & factus eſt leo: & didicit prædam capere, & homines deuorare. Didicit viduas facere, & ciuitates eorum in deſertum adducere: & deſolata eſt terra, & plenitudo eius, à voce rugitus eius.* Vbi plures analogias leonis & tyranni aſſignaui. Hinc Bias interrogatus quodnam animal eſſet pernicioſiſſimum: *Sylueſtriū,* inquit, *tyrannus, domeſticorum autem adulator.*

Myſticè, leo, vrſus & lupus eſt diabolus, tyrannorum omnium princeps, inuentor & choragus, cuius ſæuitia, aſtutia, cupiditas, nequitia, ſuperat omnem leonum & ferarum crudelitatem, dolum & voracitatem.

Vers. 16. DVX INDIGENS PRVDENTIA, MVLTOS OPPRIMET PER CALVMNIAM: QVI AVTEM ODIT AVARITIAM, LONGI FIENT DIES EIVS] Hebr. *dux carens intelligentijs, multus oppreſſionibus; odiens auaritiam, prolongabit dies;* Chald. *& qui odit calumnias, prolongabuntur dies eius;* Septuag. *rex egens prouentuū, magnus ſycophanta; qui autem odit iniuſtitiam, longum tempus viuet;* Scholiaſtes pro *magnus ſycophanta* vertit, *abundans extorſionibus.* & addit, *Qui autem odit iniuſtitiam, vitam viuit;* Tigurin. *ſub ſtulto principe crebræ ſunt violentiæ: qui autem odit auaritiam* (Syrus *fraudem*) *diu imperabit;* Vatabl. *princeps carens prudentia, &* (id eſt, idcirco. q. d. Quia parum habet prudentiæ, ideo multum habet iniuriæ) *multus in iniurijs non prolongabit dies: at qui odit auaritiam, prolongabit dies.* Ex fine enim verſus exponitur eius principium: τὸ enim *prolongabit dies* per zeugma initio repetendum, & ob antitheſin negandum eſt, additâ negatione *non.* Alludit ad vrſum, cui teſte Plinio caput eſt debiliſſimum: ſic princeps oppreſſor, capite, id eſt, cerebro, iudicio & prudentia, eſt debiliſſimo.

Demonſtrat hæc ſententia, ait Ianſen. *qui ſint principes illi impij, qui ſe gerunt vt leones & vrſi, nempe qui indigent prudentia, qua intelligere deberent quod ſit eorum in ſubditos officium, & quâ in re ſit propriè ſita proſperitas, nempe ſi ſubditos habeant ſibi bene affectos, & amantes potiùs quàm metuētes. Qui ergo huiuſmodi caret prudentia, multos opprimet per calumniā, hoc eſt, per quamuis iniuriam, ideoq; multos ſibi faciet inimicos; vnde à ſuis deſertus facilè & ipſe ab hoſtibus ſuis opprimetur, vel, quod tyrannis ſolet euenire, à ſuis trucidabitur. Hoc enim in hac prima parte relinquitur intelligendum ex ſecunda parte. Qui autem odit auaritiam, & ideo non premit populum ſuum exactionibus, longi fient dies eius; ſiue, quòd Deus illius vitam propter pietatem prolongabit, ſiue quia talis à ſuis ſtipatus & dilectus, non ſolùm tutus erit à ſuorum inſidijs, ſed & ab hoſtium incurſu. Indicat ſententia errare principes, qui ad ſui tuitionem & conſeruationem vitæ ſuæ putant vndiquaq; cōparandas diuitias & opes, ideoq; multos expilant, numquam ſatiati.* Tales enim ſunt imprudentes & *deficientes intelligentijs,* vt habēt Heb. id eſt, multipliciter inſipientes, tum quia populum à ſe auertunt, cùm bonum principis ſit amare populum, & ab eo amari: tum quia eum expilando ſeipſos depauperant & expilant: opes enim principis conſiſtunt in opibus ſubditorum: tum quia rebellionis dāt cauſam, vt æmuli in eos inſurgant, imò totus populus eos vt tyrannos expellat, & principatu, vel etiam vita priuet, iuxta illud Poëtæ:

> *Ad generum Cereris* (ad Plutonem, putà ad inferos) *ſine cæde & ſanguine pauci*
> *Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.*

Tyrannos enim paruo tempore viuere & regnare conſtat ex hiſtorijs & iugi experientia. Vnde ipſi omnia formidant: ſciunt enim quòd vt ſues vitam ſuam multis debeant, vti paulò antè dixi. Hinc Thales ex longâ peregrinatione domum rediens, rogatus quid in ea noui vidiſſet: *Vidi,* inquit, *tyrannum ſenem,* quaſi id prodigioſum eſſet, inauditum, & penè miraculum. Ita Plutarch.

Porrò Septuag. vertunt, *rex egens prouentuū magnus ſycophanta,* id eſt, rex auarus, opumque auidus, eſt calumniator, oppreſſor, & expilator populi. Sycophanta enim ad literam idem eſt quod obſeruator & delator eius qui ficos furto ſuſtuliſſet, ita dictus ἀπὸ τοῦ σῦκα φαίνειν, id eſt, ab indicando eum qui ficos ederat: hinc ſycophanta pro mendace, cauillatore, quadruplatore & fraudatore ponitur. *Sycophanta quis.* Quod hinc originē habuit. E duobus ſeruis Græci cuiuſdam viri alter ficus, quæ domi paratæ erant, abſumpſerat: alter quis eas abſtuliſſet, ignorabat. Quærenti eas domino ſons innocentem accuſabat. Herus vt veritatem exploraret, haurire vtrumque ſubtepidam aquam iuſſit, deinde euomere. Tunc primum ſycophantæ ortum vocabulum: eo ita appellato qui ficos deuorauerat, culpamq; in innocentem cauillando ac mentiendó reiecerat. Feſtus, *Sycophantas,* inquit, *appellatos hac de cauſa dicunt, Atticos quondam iuuenes in hortos irrumpere ſolitos, ficoſq; deligere; quam ob cauſam lege conſtitutum fuiſſe, vt quicumque id feciſſet, capite plecteretur. Hanc igitur pœnam qui perſequerentur ob paruula detrimenta ſycophātas, hoc eſt ficorum edones, eſſe appellatos.* Hæc Sipontinus. Sycophantas ergo ad verbum vertas ficoſos, ficorum ſtudioſos, ficos numerantes, ficorum cuſtodes, ficis viuentes, de ficis calumniantes. Feſtus & Athenæus l. 3. Dipnoſop. teſtantur Athenis pœnam capitis conſtitutā ijs qui ficos furto tollerent, hinc ſycophantia vocatur calumnia, delatio falſa, accuſatio, dolus & circumuentio.

Talis ſycophanta fuit Conſtantius Imp. qui teſte Marcellin. l. 14. delatoribus non tantùm dictorum & factorum, ſed & ſomniorum aurem præbebat. Præcipuè verò indulſit Mercurio cuidam qui ſe ſpecie familiaritatis conuiuijs admiſcebat, & ſi quis nocturnum viſum effutiſſet, depravata narratione ad Conſtantium deferebat, adeò vt vix quiſpiam auderet fateri ſe dormiſſe, ac docti ōnulli ſortem ſuam deplorarent quòd apud Atlanteos nati nō eſſent, vbi negant videri ſomnia: quod & Stephanus fatetur in dictione *Atlantes.*

Maximus ſycophanta fuit Iulianus Apoſtata Conſtantij conſobrinus, qui miris artibus & dolis Chriſtianos circumueniebat, ac inter alia ſpoliabat eos bonis eo titulo, quòd ipſi ea è templis Gentilium rapuiſſent. Cumque id falſum eſſe oſtenderent, *Chriſtus veſter,* inquiebat, *vobis paupertatem conſuluit, & beatos pauperes prædicauit, eiſq; regnum cælorum promiſit: obedite ergo Chriſto & legi veſtræ, ac cedite* *Sycophantia Iuliani Apoſtatæ.*

mihi

mihi opes veſtras. Ita inuaſit prædia B. Gallicani, qui fuit gener Conſtantini Magni: ſed Chriſtus ſycophantiam detexit, imò vltus eſt: quotquot enim Gallicani prędia inuadebant, corripiebantur à dæmone, aut lepra tacti recedebant. Ita habet Vita B. Gallicani, & Baron. anno Chriſti 362.

Rex pauper eſt ſycophanta. Primò. Igitur *rex egenus prouentuũ magnus eſt ſycophanta*; Primò, quia auarus vilis & abiecti eſt ingenij, ideoque opibus ſubditorum per fraudem inhiat; cùm verus *rex non ſit*, inquit Ariſtotel. l. 8. Ethic. 10. *niſi ſit rex ſe ſufficiens, & bonis omnibus antecellat. Talis autem nullius indiget rei.* Subditos ergo potiùs ditat quàm ab eis ditetur. *Secundò.* Secundò, quia leui de cauſa eis litem intentat, vt ſycophanta ob ficus, captatque legum tranſgreſſiones, imò earum occaſiones ſuggerit, vt tranſgreſſores grauiter mulctet, & bona eorum ſibi vendicet & confiſcet. *Tertiò.* Tertiò, quia cauillatur & falſa crimina ſubditis imponit, aut ſubtili legum interpretatione culpam eis inijcit vbi verè non eſt culpa, teſte Ariſtot. l. 3. Polit. c. 6. idque facit per prætextus & ſpecies honeſtatis, nimirum falſa fucis, turpia phaleris indigent, hoc eſt, *Putre ſalſamentum origano* vel *aceto*, vt vulgò dicitur. An non talis ſycophanta?

Rex moderetur tributa minuendo ſumptus. Quocirca Phauorinus apud Stobæum c. 45. hoc ſycophantiæ & auaritiæ dedit remedium: vt non augeas tributa, minue ſumptus. *Si plura præſentibus deſidero,* inquit, *demam aliquid de præſentibus, & præſentia mihi ſufficiunt.* Hinc & Baſil. Imper. exhortat. ad Leonem filiũ c. 27. inculcat ei pecuniæ contemptum, & iuſtam vectigalium moderationem. Et Agapetus Diaconus in Admonitorio ad *Quartò.* Iuſtinianum Imper. c. 47. *Tutiſſimam,* inquit, *arbitrare ſalutis tuæ cuſtodiam, nulla quemquam ex ſubditis afficere iniuria; qui enim offendit neminem, ſuſpicioni habet neminem. Quòd ſi nulla quemquam afficere iniuria tutelam conciliat, longè magis beneficijs collatis id præſtabit; nam vt tutelam exhibet, ita charitatem non prodit.* Plutarch. *Nullum,* ait, *firmius principi præſidium, quàm vera & conſtans beneuolentia.* Philo: *Deus nullius indiget; rex ſolius Dei. Imitare igitur eum qui nullius eget, ac largiter impertire potentibus miſericordiam, non ſummo iure, nec reſtrictione cum ſupplicibus agens, ſed omnibus quæ ad vitam degendã pertinent petentibus præbens.* Agathon: *Tria meminiſſe decet magiſtratum; primò, ſe hominibus imperare; ſecundò, ex legibus imperare; tertiò, non ſemper imperaturũ eſſe.* *Munia regis veri.* Diodorus: *Regem bene ſuo munere fungentem decet eſſe iuſtum, magnanimum, veracẽ & liberalem in largiendo ac quauis cupiditate maiorem: ſupplicia leniora delicto, gratiam autem maiorẽ beneficio referre tum ſubiectis, tum amicis.* Auſonius: *Niti decet vt ſubiectis venerabilis magis, quàm terribilis eſſe videaris: illud enim grauitas, hoc verò feritas comitatur.* Hæc refert Anton. in Meliſſa p. 2. c. 1.

Verſ. 17. HOMINEM, QVI CALVMNIATVR ANIMÆ SANGVINEM, SI VSQVE AD LACVM FVGERIT, NEMO SVSTINET] Pro *lacum* hebr. eſt בּוֹר *bor*, id eſt ciſterna, puteus, lacus, ſumiturque pro ſepulcro & inferno. *Calumniatur*, id eſt per calumniam aut vim opprimit, & effundit *ſanguinem animæ*, id eſt ſanguinem, in quo eſt anima, id eſt vita. Eſt periphraſis homicidæ. Hebr. enim עָשַׁק *aſac*, id eſt *calumniatur*, ſignificat opprimere, vim inferre, fraudare, vi extorquere, per calumniam vim aut dolũ eripere: ſæpè enim quis occidit alium non gladio transfodiendo, ſed falſum teſtificando, vti faciunt falſi teſtes; aut iniquam capitis ſententiam ferendo, vti faciunt peruerſi iudices; aut apud principem aliumue potentem falsò accuſando, vt ab eo occidatur, vti faciunt inuidi & detractores, qui omnes ſunt homicidæ non phyſicè feriendo, ſed ethicè per calumniam curando vt ab alio interimatur. Hoc ſignificat Hebr. *aſac*, id eſt *calumniatur.* Iam

Primò, Rabbini ſic exponunt. R. Leui, q. d. Homicida ob multitudinem eorum, qui eum inſectabuntur vt capiant & plectant, ita diffugiet, vt ad ſepulcrum deſcendat, neque quiſpiam ſit qui cadentem ſuſtineat auxiliumq; ferat. q. d. Omnium odio & inſectationi erit expoſitus. R. Salomon: Homicida neque ab æthere, neque à terra, neque ab vllo hominum ſuſtinebitur, quin in lacum gehennæ trudatur. Aben Ezra: Qui violentus eſt in ſanguinem animæ, parricida nimirum & cædis patrator, à ſuis flagitijs in huiuſmodi calamitatem detrudetur, vt in foueam deſcendat necem ſibimet illaturus, ſeque in calamitoſum locum cõiecturus, neque verò vllus exiſtat à quo reuocetur. Rurſum q. d. Quia à ſeipſo & à diuitijs ſuis ſupplãtatus fuerit, propterea quòd humanum ſanguinem effuderit, donec in ſepulchrum inferatur ſedes mutans; hinc inde diffugiet ſibi ipſi maximè timens. Nemo enim hunc cùm ceciderit ſuſtinet, nec vlla in eum miſeratione mouetur, eò quòd diuinam imaginem in homine, quem occidit, labefactarit. Hæc Aben Ezra.

Secundò, Syrus vertit, *vir qui conſcius eſt ſanguinis animæ, ad electos confugiet, & non adiuuabunt illum.* Hebr. enim בַּר *bar* (vnde בּוֹר *bor*) purum, nudum, electum ſignificat. q. d. Homicida qui ſibi eſt conſcius effuſi ſanguinis, implorabit opem electorum tum cælitum, purà angelorum & Sanctorum, tum terrigenarum, putà hominum piorum & miſericordium; at nemo à pœna liberabit eum. Omnes enim exhorrent homicidium & homicidam, cupiuntque illum tanti ſceleris tam humano generi noxij, pœnas luere.

Tertiò, Septuag. vertunt, *qui in cauſa cædis pro altero ſpondet* (qui ſe vadem dat iudici pro homicida) *& exilio mulctabitur* (cùm homicida metuens pœnam capitis non ſe ſiſtet, ſed fugiet & in latebras ſe abdet) *& nulla vmquam ſecuritate potietur.* Amici enim & parentes occiſi eum vt homicidã, pro quo ſpopondit, perſequentur, & iugiter laceſſent.

Quartò, Chald. vertit, *filius hominis qui ſollicitus eſt de ſanguine animæ, ſi vſque ad lacum fugerit, non comprehendent eum.* q. d. Homo ſanguinis effuſi reus, ideoq; ſollicitus & anxius, eſto fugiat in antra, ſpecus & foſſas, v. g. in fodinas auri, argenti, æris, carbonum, quales ſunt Leodij, vt ibi ſe abſcondat, tamen nec carbonarij, nec ceteri qui in fodinis ſunt aut laborant, eum recipient, ſed vt communẽ hoſtem propellent, verentes ne & ibi quempiam ex ipſis occidat.

Quintò, Vatab. vertit, *qui violenter,* vel *per violentiam, ſanguinem fuderit, vſque ad ſepulcrum fugiet, & non retinebunt eum.* q. d. Homicida ſeſe in certum mortis periculum, vt à iudice, vel à cognatis eius, quem occidit, necetur, ſe conijcit, nec quis ab eo illum eripiet. Rurſum *ad ſepulchrũ fugiet:* quia multi homicidæ conſcientia ſceleris adacti, ſeipſos occidunt, aut iudici occidendos tradunt, vti Iudas proditor Chriſti ſeipſum ſuſpẽdit. Iuſtè enim qui aliorum fuit, etiam ſuiipſius fit carnifex. hæc enim cõgrua eſt ſceleris talio, Deique vltio.

Sextò, Lyran. q. d. *homicida ſi vſque ad lacum fugerit,*

geris, id eſt ſi vſque ad mortem & ſepulcrum pœnitere diſtulerit, *nemo ſuſtinet*, id eſt nemo poteſt ei auxiliari: quia poſt mortem non eſt locus pœnitentiæ & gratiæ. Verum hoc myſticum eſt.

Septimò, Pagnin. & Baynus vertunt, *homo oppreſſor in ſanguine animæ*, id eſt qui violenter alteri animam ex ſanguine & corpore per homicidium extorſit, *ad foueam fugiet*, putà ad antra & cauernas, vt ibi lateat ne teneant eum: ne ſcilicet eum capiãt & iudici plectendum ſiſtant. Spiritaliter multi homicidæ pœnitentes fugerunt ad antra & ſpeluncas, ibique tota vita auſteram egêre pœnitentiam, & ſancti euaſere, vti latro conuerſus ab Abbate, Apollo apud Pallad. in Lauſiaca c. 52. & alius apud Moſchum in Prato ſpiritali c. 166. & alius apud Ruffinum c. 16. quem S. Paphnutius per viſum vidit ſibi meritis æquari. Sic ſpiritaliter S. Magdalena, S. Pelagia, S. Maria Ægyptiaca, &c. quæ ſuis illecebris multorum animas occiderant, pœnitentes in antris vitam duxere angelicam. Mirum eſt quod de Maria infanticida ſcribit Ioãnes Moſchus in Prato c. 76. ſcilicet eâ fugiente ad nauim, eam ſtetiſſe vt nequiret progredi: eâ deinde in ſcaphã expulsâ & ſubmersâ, nauim curſum ſuum perfeciſſe. Idem c. 166. narrat latronem quemdam pœnitentem monaſterium adijſſe, ibique monachum effectum ſpectrum pueri vidiſſe, dicentis: *Cur me occidiſti?* quare ad ſæculum redeuntem poſtero die decollatum fuiſſe. Ita vltio homicidas ſequitur vſque ad aras.

Octauò, noſter Salazar ingenioſè, vt ſolet, per *lacum* accipiens puteum, cenſet hic alludi ad ritum veterem, quo ij qui alios iuſtè vel iniuſtè occiderant, lauabant manus, vt quaſi contaminati ſanguine effuſo eum abluerent, itaque puri ad aras & ſacra accederent, vti Pilatus lauit manus in condemnatione Chriſti. q. d. Homicida ſi priuatus ſit, erit omnibus execrationi, vt etiamſi fugiat ad puteum, eiuſque aquis ſe abluat, omnes tamen eum deteſtentur: ſin dux ſit aut princeps qui multorũ ſanguinem fudit, & contra ius talque innocentes capite damnauit, *ſi vſque ad lacũ effugerit*, etiamſi quotidie acceptis ex lacu aut puteo copioſiſſimis aquis manus ſuas luſtrauerit, *nemo ſuſtinet*, id eſt durum ipſius imperiũ ſubditi tolerare non poſſunt, atque adeò illum aut imperio aut vita priuant.

Homicidam omnes perſequuntur, etiam beſtiæ. Nonò ſolidè & genuinè. q. d. Homicida quaſi peſtis communis humani generis, ita eſt omnibus exoſus & execrabilis; vt lucem, ſolem, hominesq; fugiat; quin ſub terra in antra ſe abdat, vt velut ſocius ferarum cum eis habitet, quas feritate ſuperauit: nec tamen ibi erit tutus, ſed vbique pauidus & tremẽs, inſtar Cain parricidæ profugus, omnes auræ foliorumq; ſibilos, omnes auium garritus, omnem auræ ventiq; ſtrepitum expaueſcet, velut qui ſit odium Dei & hominum, ideoq; ab hominibus neci deuotus, vt tamquam iuſtitiæ victima, vindictæ diuinæ & humanæ ſuo ſanguine parentet; quin & beſtijs inuiſus ab eis neci dedatur aut

Exempla. prodatur. Exempla ſunt in Ibyco, qui cùm à latronibus in ſolitudine occiſus eſſet, grues eos qui auctores erãt ſceleris prodiderũt, qui & ſcelus morte luerunt. In Beſſo, cuius parricidium hirundines euulgarunt. In canibus, qui homicidas Pyrrhi & Heſiodi allatrarunt, itaq; prodiderunt: & in alijs pluribus quos recenſet Plutarch. l. de Sera numinis vindicta. Hinc leges ciuiles parricidio pollutis viuentibus adimunt elementa quatuor, dum iubent culeo inſutos inter fera animalia ſine vſu elementorum interire, vtpote qui eorumdem vſum ſuis parentibus ademerint, ideoq; ſint homines ſceleſti & catharmata mundi.

Hoc eſt quod ſeuerè ab olitanis ſæculis ſanxit Deus Geneſ. 9. 5. *Sanguinem animarũ veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, &c. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Vide ibi dicta.

Vers. 18. QVI AMBVLAT SIMPLICITER, SALVVS ERIT, (hebr. *ſaluabitur*:) QVI PERVERSIS GRADITVR VIIS, CONCIDET SEMEL] Hebr. *& peruerſus in vijs* (Caietan. *tranſuerſans vias*) *cadet in vna*; Chald. *& cuius inuerſæ ſunt viæ, corruet ſemel*; Septuag. *qui ambulat iuſtè, adiutus eſt; qui autem peruerſis vijs graditur, implicabitur*: vel, vt clariùs vertit interpres Catenæ Græc. *caue obſequaris genti iniquæ. Qui ambulat iuſtè, auxilium conſequetur: qui autem graditur vijs peruerſis, erroribus & tricis impluabitur*; Syrus, *concidet in foueam.*

Senſus eſt clarus. q. d. Qui in ſuis actionibus, quæ ſunt quaſi viæ huius vitæ, procedit ſimpliciter, hebr. תמים *tamim*, id eſt innocenter, innoxiè, candidè, integrè: hic eſto in obtrectatores, æmulos, aliaq; damna & pericula, quæ parit miſera hæc vita, incidat; tamen Dei ope ex illis ſaluabitur, & incolumis euadet; at verò qui in actionibus ſuis procedit prauè, diſtortè, malignè, doloſè; eſto ad tempus illæ proſperè & ex voto ſuccedant; tamen tandem in vna eorum corruet irreparabiliter, nimirum in aduerſitates incidet, è quibus emergere & reſurgere non poterit. Ergo τὸ *concidet ſemel*, duo ſignificat, Primò, q. d. Corruet in vna machinatione ſua, vt ſuis artibus doliſque capiatur; Secundò, corruet irreparabiliter. Ita Aben Ezra, R. Salomon & alij. Aliter R. Leui: corruet *ſemel*, id eſt *ſemper*: cùm enim, inquit, vna ſit via virtutis & boni, multæ verò ſint viæ vitij & mali, peruerſus autem viam boni deſerat, neceſſe eſt vt viam mali capeſſat, in eaque in malum corruat.

Antiſtropha Salomoni eſt gnome Iſaiæ c. 43. 2. *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te, quia ego Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus.* vide ibi dicta. Ita tres pueros Hebræos Deus in igne Babylonio illæſos ſeruauit, Daniel. 3. ac Ionam in ventre ceti. Idẽ Hebræos per mare rubrum quaſi per aridam deduxit, ſubmerſo in eo Pharaone inſequẽte. Exodi 14. Ioannes Moſchus in Prato c. 2. narrat ſenem quemdam tantæ virtutis fuiſſe, vt leones ſecum in eâdem ſpelunca ſuſciperet, cum eis ambularet, & cibum eis in ſuo ſinu præberet. Et c. 18. narrat vitam alterius ſenis, qui cum leonibus paſſim dormiebat. *Die vero quadam*, inquit, *tulit duos leonis catulos in eccleſiã, dicens fratribus. Si mandata Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiremus, iſta animalia profectò nos timerent: ſed propter peccatum ſerui effecti, nos illa timere comprobamur.*

Vers. 19. QVI OPERATVR TERRAM SVAM, SATVRABITVR PANIBVS: QVI AVTEM SECTATVR OTIVM, REPLEBITVR EGESTATE] Hebr. *qui vanos* vel *vacuos*, id eſt otioſos, *ſectatur, ſatiabitur paupertate*; Syrus, *qui ambulat poſt vanitatem* (otium vanum) *ſatiabitur egeſtate.* Eſt elegans antitheſis. q. d. Operans ſatiatur eſu panũ, otioſus verò ſatiatur, id eſt repletur, ſuâ fame & inediâ: laborãs abundabit opibus; piger & deſes abundabit & conficietur inopia.

Hanc

Hanc gnomen audiuimus c.12. 11. vbi eam abundè explicui.

Myſticè de otio ſpiritali bonorũ operum hanc gnomen exponit Caſſianus li.10.de ſpiritu acediç cap.2. *Otioſus*,inquit,*replebitur paupertate,vel viſibili ſcilicet, vel inuiſibili, quia neceſſe eſt otioſum quemque è diuerſis vitijs inuolutum teneri,& alienũ ſemper exiſtere à contemplatione Dei,vel diuitijs ſpiritualibus, de quibus*
1.Cor.1.5. *beatus Apoſtolus:Quia in omnibus*,inquit,*diuites facti eſtis in illo,in omni verbo,& in omni ſcientia.* Si hæc eſt otioſorũ paupertas,laborantium diuitiæ in verbo & in ſcientia conſiſtunt,nõ in verbo quod aërem verberet,neque in ſcientia, quæ mentem inflet, & in ſuperbiam efferat; ſed in verbo, quod mentes erudiat,& in ſcientia quæ doctorem ipſum & audientes ædificet. Hæc diuitijs ſtrenui operatores ignorantes docent, frigeſcentes accendunt, puſillanimes roborant, & ſibimetipſis nouos meritorum theſauros accumulant.

Vers.20. VIR FIDELIS MVLTVM LAVDABITVR: QVI AVTEM FESTINAT DITARI, NON ERIT INNOCENS] Hebr.*vir verax*,vel *fidelis, multus in benedictionibus*, Aquila,*vir fide faciens*; Chal.*viri fidelis multæ benedictiones*, Syrus, *fidelis benedicetur*) *qui cucurrerit in iniquitate vt ditetur, non erit innocens*; Sept. *vir fidelis multum benedicetur: malus autem non erit impunitus.*

Benedictio duplex eſt,verbalis & realis: verbalis, eſt laus & boni apprecatio; realis, eſt rerum copia; hinc duplex oritur ſenſus.

Prior,q.d.Qui fidelis eſt in actionibus, ac cum fide negotiatur,hunc omnes laudabunt,eique omnia bona acclamando apprecabuntur: qui verò feſtinat ditari, ideoq; dolis & fraudibus per fas & nefas opes corradit; hic non erit innocens, ſed vt nocens & fraudator culpabitur & damnabitur ab omnibus.ita Varabl.

Poſterior,q.d.Qui fidelis eſt in ſuis negotijs,hic *multus erit in benedictionibus*,id eſt cumulabitur rerũ copia vt opibus circũfluat: Deus enim omnia eius negotia proſperabit,vt quotidie eius fortunç promoueantur & creſcant: qui verò per fraudes & vſuras feſtinat ditari, hic non erit innocens, id eſt impunitus,quia opibus non tantùm ſperatis,ſed & quas habet priuabitur & depauperabitur.

S.Greg.exponit:*Non erit innocẽs*,ſcilicet à peccato. Audi eum 3.p.Paſtor.admon.21.*Cùm repleti homines cunctis ſimul opibus inardeſcunt,audiãs quod ſcriptum eſt: Qui feſtinat ditari,non erit innocens. Profectò enim qui augere opes ambit,vitare peccatum negligit,& more auium captus, cùm eſcam terrenarum rerum auidè conſpicit,quo ſtranguletur,peccati laqueum non agnoſcit.* iuxta illud Pauli: *Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationẽ,& in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia & nociua,quæ mergunt homines in interitum & perditionem*,1.Tim.6.9. Huic gnomæ ſimilem audiuimus c.13.11.& c.20.21.vbi eam explicui.

Vers.21. QVI COGNOSCIT IN IVDICIO FACIEM, NON BENEFACIT: ET (id eſt *quia*) ISTE PRO BVCCELLA PANIS DESERIT VERITATEM] Hebr.*cognoſcere faciem*,aut *vultum,non bonum: & ſuper buccellam panis præuaricabitur vir*; Chald. *æſtimare faciem non eſt bonum,& pro buccella panis peccabit vir*; Sept. *qui non reueretur facies iuſtorum,non eſt bonus, qui talis eſt buccella panis vendit virum.* ita Complut. Regij ceterique; quare in Vatican.mendosè pro *vendit virum*,irrepſit, *vendit vinum*; Syrus,*ob buccellam panis prodit virum*. Noſter pro *virum* vertit, *veritatem* paraphraſticè, quia cùm deſeritur veritas in iudicio, proditur & perditur vir,qui in eo falsò & iniuſtè damnatur; *In iudicio* non eſt in Hebræo,ſed ſubintelligitur,quia acceptio perſonarum maximè cernitur,maximeque nocet in iudicio.

Priorem partem huius ſententiæ audiuimus ca. 24.23.Senſus eſt.q.d. Accipere perſonam præſertim in iudicio, vt propter munera vel amicitiam amico adiudices cauſam, quæ parti aduerſæ ex iuſtitia erat adiudicanda,non eſt bonum,imò grande malum & nefas. Eſt meioſis. Nam,vt ait Cicero: *Exuit perſonam iudicis,quiſquis amicum induit.* Oportet ergo vt iudex clauſis oculis iudicet, nec vllius perſonam recipiat. Hac de cauſa Areopagitç iudicabant in tenebris noctu. Rationem ſubdit: *Et*,id eſt quia *talis pro buccella panis deſerit veritatem*,id eſt pro re parua paruique pretij & momenti veritatẽ cõmutat in falſitatem,æquitatem in iniquitatem, dum in gratiam amici falſam & iniuſtam contra partem aduerſam profert ſententiam. Omnis enim res eſto in ſe pretioſa,vilis eſt,ſi cum pretio veritatis & iuſtitiæ comparetur. Adde non pauci iudices iniqui pro re vili, vt pro munere vnius hœdi vel agni, peruertunt iuſtitiam. Adeò vilis eſt eis animus,vilis fides, vilis honos, vilis iuſtitia. Hoc eſt quod queritur Deus Ezech.13.19. *Violabant me*, inquit,*apud populum meum,propter pugillum hordei,& fragmen panis*, perinde ac aues & piſces capiuntur hamo per micam panis: per illam enim adeſcati vnco lethifero os inferunt;aut ſicut oues quç fruſto panis à lanione ducuntur ad macellum vt mactentur. Quare licet nonnulli Doctores aſſerant licere iudicibus accipere eſculenta & poculenta;id tamen taxat hic Salomõ; quia ſubinde ob ea peruertitur iudicium. Hinc Iuſtinianus Imper. §.*Oportet*, de mandat.princip. Authent. coll.3.ſanxit, *vt* prçfecti & iudices *nullum omnino,neque maius,neque minus donum* accipiant. *Oportet*,inquit, *te purè ſumentem adminiſtrationem,& ſine omni ſuffragio,& prç omnibus alijs mundas ſeruare manus Deo, nobiſq; & legibus,& nullum contingere lucrum, neque maius,neque minus*, &c.

De turpitudine acceptionis perſonarum,æquè ac munerum,dixi c.24.23.& alibi: per hæc enim corrũpitur & quaſi conſtupratur Aſtrça,id eſt iuſtitia,quã veteres inſtar virginis integerrimæ pingebant;vnde illud:*Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam, ſic qui facit per vim iudicium iniquum*, Eccli.20.2. vide ibi dicta.

VIR QVI FESTINAT DITARI, ET ALIIS INVIDET, IGNORAT QVÒD EGESTAS SVPERVENIET EI] Hebr. *feſtinus ad opes vir mali oculi, & non ſciet quòd egeſtas veniet ei*; Chald. *qui feſtinat ad ſubſtantiam,vir eſt oculi nequam*; Septuag. *feſtinat diteſcere vir inuidus, & non nouit quòd vir miſericors obtinebit eum*;Syrus,*feſtinat ditari oculo inuido.* Oculus nequam eſt oculus auari, qui vt ſe ditet, alijs lucrum inuidet & ſurripit, vt illud ad ſe deriuet, iuxta illud de auaro: *Nequius oculo quid creatum eſt? ideo ab omni facie ſua lacrymabitur*, Eccli.31.15.vide ibi dicta. Vers.22.

Significat Salomon auaritiam parere inuidiam, ac viciſſim inuidiam parere auaritiam; quocirca omnis auarus eſt inuidus,& omnis inuidus auarus vide S.Chryſoſt.homil.63.in Ioan. *Grauis*,inquit, *quidam affectus eſt inuidia: hic orbem terrarum innumeris impleuit malis. Hinc iudicia complentur,hinc honores & pecuniarum amor.* Et paucis interiectis: *Hic morbus auaritiam peperit,quæ omnia confudit, & iuſti-*

tiam corrupit. Dona enim excæcant oculos ſapientum, & tanquam frænum ori, auertunt & cohibent teſtimonia. Et S. Aug. tract. 8 in Ioan. *Si vis ditior eſſe quã alius homo, inuidebis ei, cùm videris tibi illum æqualem. Debes ergo velle omnes homines tibi æquales eſſe.* Et in pſ. 125 *Nemo*, inquit, *inuidet alteri in eo quod non vult vel eſſe, vel videri. Alius tibi inuidet, quia diues es, hic autem aut diues vult eſſe, vt tibi inuideat, aut diues putari vult.* A

Inuidia damna. Quocirca idem Auguſtinus ſæpè inculcat, efficax contra inuidiam pharmacum eſſe opum contemptum. Neruoſiùs S. Cypria. tract. de Zelo & liuore: *Latè patet*, inquit, *zeli multiplex & fœcũda pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum: inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorẽ. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana reducente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, iudicij dies non prouidetur.* hæc & alia multa Cyprian.

ET IGNORAT QVÒD EGESTAS SVPERVENIET EI] quia auaritia excæcat cor eius æquè ac inuidia, atque ideo in corradendis diuitijs per fas & nefas finem nõ facit. *Egeſtatem* accipe tum temporalem in hac vita, tum ſpiritalem in gehenna, vbi diues Epulo à Lazaro popoſcit guttam aquæ, nec accepit. *Iuſtè* enim *non accipit guttam, qui Lazaro negauit micam*, ait S. Aug. Porrò cauſas huius egeſtatis recenſui c. 13. 11. ad illa: *Subſtantia feſtinata minuetur.* Hic alia cauſa innuitur, nimirũ inuidia: cùm enim ipſe inuideat alijs, alij viciſſim inuident ipſi, ideòque ab eo lucrum auertere, eumque depauperare ſatagunt. Adde, iuſto Dei iudicio fieri, vt auarus inuidens alijs vt ſolus emineat & diteſcat, ceteri verò depauperentur, talione puniatur, nimirum vt ceteri diteſcant, ipſe ſolus depauperetur.

Sept. pro חֶסֶר *cheſer*, id eſt egeſtas, legentes חֶסֶד *cheſed*, id eſt pietas, miſericordia; vel potiùs חָסִיד *chaſid*, id eſt pius, miſericors, vertunt, *feſtinat diteſcere vir inuidus, & non nouit quòd miſericors obtinebit eum.* q.d. Auarus inuidens alijs lucrum, ſatagit coaceruare opes, & neſcit quòd Deus in pœnam auaritiæ illas auferet ab eo, & transſcribet in virum liberalem & miſericordem, qui in pauperes à quibus extortæ ſunt, eas refundat, iuxta illud v. 8. *Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.*

VERS. 23. QVI CORRIPIT HOMINEM, GRATIAM POSTEA INVENIET (aliqui legunt, *gratiam audiet*) APVD EVM, MAGIS QVAM ILLE QVI PER LINGVÆ BLANDIMENTA DECIPIT] Hebr. *arguens hominem poſt me, gratiam inueniet magis quàm blandiens lingua*; Chald. *qui corripit filium hominis, gratiam inueniet coram eo, magis quàm ille qui bifidus eſt lingua*; Septuag. *qui corripit hominis vias, gratias reportabit magis illo qui lingua gratificatur*; Aquila, *præ deliniente linguam.*

Pro *poſtea* Noſter legit אַחֲרֵי *achare*, id eſt poſt, poſtea; iam alio punctò legunt אַחֲרַי *acharai*, id eſt poſt me; R. Ioſeph. Kimchi apud Pagnin. legit אֹחֲרִי *ochari*, vt ſit *benoni* cum *iod* paragogico, id eſt retro aduerſum, tardantem, retrocedentem, reſilientem, ſcilicet à lege Dei, vnde vertit, *qui increpat hominem, qui retrocedit* (à via Dei, virtutis & legis) *gratiam magis inueniet, quàm is qui blanditur lingua*; Aben Ezra & Vatablus, *qui corripit hominem poſt me*, inquiunt, vt me meaſque leges ſequatur, vt ſint hæc verba Dei, aut Salomonis iubentis contra has ſuas leges peccantem corripi, & iuxta eas emendari corrigique. Baynus verò *Id poſt me* expoſuit. q.d. Qui peccantem acriùs corripit, gratiam correpti inibit, perinde ac ego Salomon prauos ſubditorum mores grauiùs caſtigare ſoleo, & tamen ipſis pergratus ſum.

Verùm anteferenda eſt Vulgata verſio, quæ commodiorem dat ſenſum. q. d. Qui corripit errantem, initio acerbitate correptionis eum mordet, affligit & cruciat, ſed vbi correptionis fructum correptus percipit, gratè eam accipit, imò corripienti gratias agit, vt vertunt Sept. quia per correptionem videt ſe mores prauos in probos commutaſſe, itàque euitaſſe grauia damna & pericula famæ, fortunarum, vitæ & gehennæ: at verò adulator blanda & ſuauia propinans eſto initio dele- B
ctet, tamen poſtea vbi auditor eius rixas & damna perſentiſcit, eum odit & deteſtatur. Adulator enim eſt *bifidus lingua*, vt vertit Chald. quia quaſi duplicem habet linguam, vnam, quâ præſens adulatur, aliam, quâ abſens calumniatur, vnam, quâ blanditur; aliam, quâ mordet: vnam, quâ lambit, aliam, quâ pungit. Huc facit illud cap. 27. 6. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* vide ibi dicta.

Ita videmus viros probos parentibus & magiſtris gratias agere, quòd in pueritia & adoleſcentia prauos ſuos mores & laſciuas cupiditates caſtigarint, ac ingenuè confiteri: Niſi me corripuiſſes, ô pater; niſi me caſtigaſſes, ô magiſter, perdidiſſem meipſum, ad furcam, imò ad gehennam iuiſſem: tibi ergo debeo meã probitatem, vitam, ſalutem. Ex aduerſo multi dum ob ſcelera ducũtur ad fur-
C cam, & plures in gehenna, maledicunt parentibus & magiſtris, quòd ſe malè agentes non corripuerint, dicũtque: Maledictus ſi pater qui me genuiſti, maledicta mater quę me peperiſti; quia ſi à puero mea vitia caſtigaſſes, non euaſiſſem prędo, adulter, homicida, nec torquerer in gehenna cum dæmonibus, ſed regnarem in cælo cum angelis.

Porrò initio moleſta cuilibet eſt correptio, vti declarat apologus, quem refert noſter Pontanus volum. 3. p. 1. c. 40. *Apologus veritatis.* Veritas olim toto orbe profuga, cùm erraret, ſub noctem aliquando ad caſam pauperculę anus diuertit. Ab ea hoſpitio perbenignè excepta interrogatur, quænam ſit? vndè, & quò tam ſerò? Illa, Sum veritas, ait, cui omnes inuident, & quam nullo conſiſtere loco patiuntur. Quid commeruiſti? omnium accuſo vitia, nihil diſſimulo. Et quia ſeſe reprehẽdi nemo ferre mo-
D deratè poteſt, hinc mihi fuga & exilium perpetuum. Quid deinde? poſt cœnulam dormitum eunt. Vni lecto ſe ambæ commendant. Ortâ luce cùm veſtes rurſum induerẽt, intuita veritas aniculam, altero oculorum orbatam eſſe animaduertit, nec vitium tacet. Iraſcitur illa, & veritatẽ cum impetu è tugurio expellens addit: Nõ mirum ſi nuſquam tibi locus, ſi te oderunt omnes, quando tam liberè omnibus vitia tua obijcere ſoles. Nuper quidã nobilis priuatã vitam agens, de illa familiariter colloquẽs cum Philippo II. Hiſp. Rege, eandem prætulit regiæ dignitati, quòd illa tribus magnis dotibus polleret, quibus careret regia: Primò, amicitia & amico vero, pro quo regi ſe ſubſtituunt adulatores; Secundò, veritate, quàm rarò audit rex, ſeductus à paraſitis; Tertiò, aurora

Muſis amica, cùm rex ſubinde in multam lucem dormiat.

Vers. 24. QVI SVBTRAHIT ALIQVID A PATRE, ET A MATRE, ET DICIT HOC NON ESSE PECCATVM, PARTICEPS EST HOMICIDÆ] Hebr. *diripiens patrem ſuum, & matrem ſuam, & dicens, Non eſt præuaricatio, ſocius eſt viri corrumpentis*; Chald. *ſocius eſt viri diſſipantis*; Sept. *qui abijcit patrem vel matrem, & videtur ipſi non peccare, hic conſors* (Aquila, Symmach. & Theodor. *particeps*) *eſt viri impij*; Syrus, *viro iniquo ſociatur*; Pagnin. *particeps eſt diſſipantis bona ſua*. Pro *homicidæ* hebr. eſt מַשְׁחִית *maſchit*, id eſt corruptoris, perditoris, exciſoris, vaſtatoris, *graſſatoris*, vt vertit Vatablus.

Primò, Lyran. Hugo, Dionyſ. cenſent hìc refutari errorem Scribarum & ſacerdotum, dicentium licitum, imò pium, eſſe ſi filij ſubtrahant alimenta debita parentibus indigentibus, modo ea dent templo & ſacerdotibus, quos refellit Chriſtus Matth. 15. 5. vt ſenſus ſit. q. d. Qui ſubtrahit, id eſt negat patri vel matri alimenta ad vitā neceſſaria, vt ea conferat templo, dicens id non eſſe peccatum, imò eſſe ſanctū, is ſocius eſt homicidæ, quia cogit parentes inedia mori. Accedit noſter Salazar qui ſic exponit. q. d. Qui parentum indigentiæ non ſuccurrit, atq; adeò illis debitum naturę ſubtrahit, cum homicidis, imò parricidis, cenſendus ac numerandus eſt, iuxta illud S. Ambroſij in auaros: *Si non paniſti, occidiſti.*

Verùm obſtat, quòd pro *ſubtrahit*, hebr. ſit גוזל *gozel*, id eſt rapit, furatur, prædatur, quod longè plus eſt quàm *negat vel non ſuccurrit*.

Secundò, ergo Caiet. vertit, *qui deprædatur patrem aut matrem, & dicit, Non eſt crimen, ſocius eſt viri deſtructoris*: qui ſcilicet deſtruit & expilat familiam & domum paternam.

Tertiò, Ianſen. & Baynus Hebr. *maſchit*, quod Noſter vertit, *homicidæ*, vertunt, *diſſipatoris*, vti vertit Noſter c. 18. v. 9. vt ſenſus ſit. q. d. Qui parentum bona ſuffuratur, idq; ſine delicti agnitione, ſocius eſt diſſipatoris, quia tali ſe coniungit, & cū tali etiā ipſe diſſipat paterna bona. Solent enim iuuenes ad hoc parentum bona ſuffurari, vt dilapident, & diſſipatoribus ſe coniungant. Et ferè tales fiunt poſtea egregij diſſipatores & homines perditi.

Fur bonorũ patris eſt ſocius homicidæ. Primo. Quartò & genuinè, Vulgata verſio filium furantem bona paterna vocat *ſocium homicidæ*, Primò, quia continuis furtis parentes exhaurit, itaque eos inopia æquè ac mœrore conficit & occidit, præſertim dum dicit id non eſſe peccatum, eò quòd parentum bona æſtimet ſua, quòd eorum futurus ſit heres. Qua in re grauiter errat, grauemq; iniuriam facit parentibus, eſto enim parentum bona ſint filijs debita, vt in ea poſt mortem ſuccedāt; necdum tamen filij eorum ſunt domini, multo minùs eorum habent adminiſtrationem, vt eis ad libitum vti poſſint. quare peccant mortaliter, ſi notabilem ſummam parentibus ſurripiant; hæc tamen notabilis ſumma debet eſſe maior in filio, quàm in famulo vel externo, quia pater plus indulget filio quam externo: vnde & facilius filius à reſtitutione excuſatur, vti doctè docet Petrus Nauarra, & ex eo noſter Leſſius li. 2. de Iniur. fortun. c. 13.

Secundò. Secundò, quia filij decoctores ſolent eſſe ſocij nebulonum, hominum perditorum, raptorum & ſicariorum. Rurſum rapina & diſſipatio bonorum paternorum ducit ad rapinas bonorum externorum, indeq; ad cædes & latrocinia. q. d. Filius de-

A coctor tandem euadit homicida, prædo & latro; ac vt talis capite plectetur, vel ſuſpendetur, vti ſæpè fieri videmus. Hinc Plato in Phædro, parentum violatores in inferno cum homicidis accenſet, ſimiliq́ue cum eis pœna multari affirmat.

Myſticè, R. Salomon: Qui, inquit, ſubtrahit animas à patre, id eſt à præpotenti Deo, & à matre, id eſt ab Eccleſia, qui ſcilicet auctor eſt vt illæ ſcelus cōmittant, & Deum furto petit, à quo filios auocat; hic ſimilis eſt homicidæ, putà Ieroboam, qui ſub Roboam ſchiſma fecit; & decem tribus à duabus ac à templo, Deiq́ue cultu ad cultum vitulorum aureorum in Dan & Bethel abduxit.

QVI SE IACTAT, ET DILATAT, IVRGIA CONCITAT: QVI VERÒ SPERAT IN DOMINO, SANABITVR. Hebr. *latus animæ miſcebit litem, & fidens in Domino, impinguabitur*; Aquila & Symmach. πλατύψυχος, id eſt *latus animæ*, ſiue latianimis, B *acuit litem*; Septuag. ἄπληστος, id eſt *inſatiabilis* (minùs appoſitè ad Hebr. Vatican. legit, ἄπιστος, id eſt *infidelis*) *vir iudicat temerè; qui autem confidit ſuper Dominum, in cura diligenti erit*. Vers. 25.

Quæres, quis ſit *latus animæ*, ſiue latianimis? Primò, Syrus vertit, *vir auidus & guloſus*; hic enim latus eſt anima, id eſt animæ gula & auiditate, qui vt eam expleat, debita contrahit, indeq́ue lites & iurgia concitat, quę gulam exinaniunt, vt pro eſcis litibus paſcatur; qui verò ſperat in Domino, alimēta, quin & delicias conſequetur, quibus animę ſuæ appetitum expleat, ſatiet & impinguet. Latus animæ quis? Reſp. Primò.

Secundò. Secundò, R. Leui per *latum animæ* accipit profuſum & prodigum: hic enim dilatat animā profuſione opum.

Tertiò. C Tertiò, Pagnin. *Latus animæ*, ait, eſt animoſus, audax & iracundus, qui proinde iurgia, rixas & pugnas concitat; ſed qui ſperat in Domino & implet illud, *Mihi vindicta, ego retribuā, dicit Dominus*, Deut. 32. 35. Rom. 12. 19. hic impinguabitur tranquillitate conſcientiæ, & pace cum omnibus hominibus, quantum in ipſo eſt.

Quartò. Quartò, Baynus: *Latus animæ*, inquit, eſt auarus, qui animam ſuam dilatat ad multa capienda & rapienda. Vnde Sept. vertunt, *inſatiabilis*: hic enim dum feſtinat diteſcere, & inſatiabili opum deſiderio laborat, dum multos afficit iniuria, multos habebit inimicos, & lites excitabit; ſed qui ſuper Dominum (ſic enim legunt Hebręi) ſpem collocauit, à nemine quidpiā rapit, mori potiùs eligens, quàm aliena deprædari; huic honeſtus & ſufficiēs victus nunquam deerit, imò delicijs affluet, ſi non corD poris, ſaltem anima illius pingueſcet & craſſeſcet cæleſti pinguedine, de qua loquitur Pſaltes, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*

Quintò. Quintò, Ianſen. *Latus animæ*, inquit, eſt ſuperbus & arrogans, vt vertit Chald. Nam per ſuperbiam animus hominis dilatatur & extēditur ſupra ſe ad honores huius mundi: quod ſecutus noſter Interpres vertit, *qui ſe iactat & dilatat*: hoc eſt, qui immodicus eſt ſui laudator, animū ſuum expandens ad honores, talis iurgia concitat: quia non patitur aliquem ſibi præferri aut æquari. Qui verò non extollitur in ſeipſo, ſed humiliter ſe Deo ſubijcit, ſpem omnem ſuam collocans in ipſum, talis *impinguabitur*, hoc eſt: proſperabitur in omnibus, Deo ipſi fauente, tranquillitate mentis perfruetur, &, vt nos legimus, *ſanabitur* ab omnibus malis, aut, vt potiùs legendum eſt, quemadmodum habent codices emendatiores, *ſanabitur.*

modo.q d. Qui in expenſis ſeruat modum, vt iuxta ſtatum & opes ex virtute temperantiæ moderetur ſumptus menſæ & familiæ; hic ſapiens eſt, quia temperans, & quia opes ſuas ſeruat ad maiores & meliores vſus, vt numquā egeat, ſed ſemper abundet. Qui autem comeſſatur conuiuando ac cōpotando, ac cum helluonibus ſua abligurit, hic inſipiens eſt, & confuſione afficit tam ſe, quàm parentes ſuos, tum quia parentibus aſcribūtur vitia, vti prodigalitas & comeſſatio filiorum, quaſi eam illis indulſerint, aut in ea illos educarint, tum quia comeſſationes hæ tam filium quàm parentes ad inopiam & mendicam redigunt, vt cogantur mendicare. Sic *lex* ſæpè ſumitur pro norma, regula, forma & modo, vt cùm Cicero ait 3. de Orator. *Hanc ad legem formanda nobis oratio eſt.* Et: *Difficilius eſt oratione vti, quàm verſibus, quòd in illis certa quadam & definita lex eſt, quam ſequi oportet.* Sicut enim virtus, ſic & lex in modo & medio conſiſtit.

Denique per *legem* accipias legem temperantiæ & continentiæ, quæ virtus eſt generalis, & voluptatibus quibuſlibet modum ponit, eaſque certis limitibus circunſcribit, quos limites tranſgreditur comeſſator & helluo.

Vers. 8. QVI COACERVAT DIVITIAS VSVRIS ET FOENORE, LIBERALI IN PAVPERES CONGREGAT EAS] Lyran. τὸ *liberali* iungit cum *fœnore*. Fœnus enim liberale eſt, quod non ex pacto, ſed liberaliter vltra ſortem à mutuatario datur mutuanti ſiue fœneranti, quod quidem non eſt expreſsè contra iuſtitiam, ſæpè tamen eſt contra charitatem, cùm mutuans illud tacitè intendit & expectat; repugnat enim ſanctioni Chriſti: *Mutuū date nihil inde ſperantes*, Lucæ 6.35. Sic ergo explicat Lyran. Qui coaceruat diuitias ex vſuris & fœnore, eſto *liberali*, ſiue liberaliter dato, *in pauperes*, id eſt, contra pauperes, *congregat eas*: nam pauperes æquè exhaurit, ac ſi ex pacto eaſdem vſuras exigeret. Verùm τὸ *liberali* nō cohæret cum *fœnore*, ſed cum τῷ *in pauperes*: id patet ex Hebræo, Chald. & Sept. Hebr. enim habent, *multiplicans copiam ſuam in vſura & augmento, ad miſereſcendum egenis congregauit ea*; Chald. *miſerenti pauperum congregat ea*; Sept. *qui multiplicat bona ſua cum vſuris & excreſcentijs, ei qui miſeretur inopum, congregat ea*; Syrus *relinquet ea illi qui pauperum miſereatur*. Iam

Primò, aliqui ex Hebræo ſic explicant. q.d. Qui vult multiplicare opes ſuas per vſuram fœcundam æquè ac ſanctam, hic eas expendit in miſerias pauperum; miſerendo enim pauperum meretur, vt Deus viciſſim eius miſereatur: quod enim datur pauperi, Deus ſibi datum æſtimat: quare cùm liberalitate ſe vinci non ſinat, plura rependet danti, quam dans erogarit in pauperes. Vnde illud c. 19. 17. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis.* Verùm hic ſenſus coactus videtur, & verba inuertit.

Secundò, Vatabl. per *liberalem* accipit iudicem. q.d. Iudex ab vſurario repetit vſuras, vtpote iniuſtè acceptas, eaſq; reddit pauperibus, à quibus extortæ ſunt. Accedit R. Salomon ex R. Tanchuma: *Qui vſura*, inquit, *& fœnore diuitias coaceruat, id ad erogandum in pauperes facit; cùm enim magiſtratus reſtinxerint, hunc iniquè partis opibus opulentū eſſe, eum diuitijs ſpoliant, quibus pontes conſtruunt, viaſq; reficiunt; quod quidem eſt in pauperes pium beneficiumq. ſe exhibere.*

Tertiò & genuinè. q.d. Qui opes ex vſuris coaceruat, non coaceruat eas ſuis heredibus auaris: nā *de male quæſitis nō gaudet tertius heres*; ſed alicui viro qui liberalis & munificus ſit in pauperes: Dei enim

Deus opes auari deriuat in liberalem.

A prouidentia ſolet transferre opes ab auaris & vſurarijs in liberales, tum ad caſtigandam eorum auaritiam & vſuram, tum vt opes à pauperibus per vſuras iniuſtè extortæ, à liberalibus ijſdem iuſtè pieque reddantur. Exemplum eſt in S. Ioanne Eleëmoſynario, Patriarcha Alexandrino, qui quia liberaliſſimus erat in pauperes, hinc Deus ad eum deriuabat auarorum & vſurariorum, quin & proborum miſericordiumque, opes. Sic ſæpè vſurariorum bona ſi ſine heredibus & inteſtati moriātur, deuoluuntur ad Eccleſiæ Prælatos & Epiſcopos, qui poſt factam reſtitutionem poſſibilem, quæ ſuperſunt in pauperes erogant. Ita Alexander III. c. *Cùm tu*, tit. de vſuris, iubet *vt ea quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſint illi quibus debentur, aut eorū heredes, dentur pauperibus; & vſurarij, eorumq; heredes Eccleſiaſticis pœnis ad hoc cogantur.* quod Nauarrus, Couarruuias, ceterique Doctores extendunt ad

B bona incerta, ex alijs delictis debita, vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus, idque meritò, quia eadem vel maior eſt in his ratio: ne videlicet hominibus iniquis liceat ex iniquitate & iniurijs ditereſcere. Vnde noſter Leſſius l. 2. de Reſtit. rat. rei acceptæ dub. 6. docet, bona incerta, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto, reſtituenda eſſe pauperibus, non iure naturæ, ſed iure poſitiuo vel cōſuetudine. Hinc patet vſuras eſſe illicitas & iniuſtas. Idem docuere Philoſophi. Vnde Ariſtot. l. 1. Polit. *Iuſtè*, inquit, *in odio eſt fœneratoria, quia nummo vtitur tamquam merce, & ex eo quod non fructificat natura, fructum capit. At commutationis cauſa factus eſt nummus. Maximè igitur præter naturam eſt nummum fieri mercem.* Et Cato interrogatus *quid eſſet fœnerari?* reſpondit, *Quod hominem occidere.*

C Huic gnomæ antiſtophæ ſint hæ: *Si comportauerit quaſi terram argentū, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta; præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & argentum innocens diuidet*, Iob 27.16. *Bonus relinquit heredes filios & nepotes: & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris*, Prouerb. 13.22. *Peccatori autē dedit* (Deus) *afflictionem & curam ſuperfluā, vt addat, & congreget, & tradat ei qui placuit Deo*, Eccleſ. 2.26. vbi ſurſum hāc de re dicam. Notent hîc auari, viam & modum ditereſcendi, nō eſſe ſtudium & ſollicitudinem coaceruandi opes; ſed iuſtitiam & probitatem, ac præſertim liberalitatem & ſtudium eleemoſynæ. Vis ergo te & tuos ditare, dita priùs pauperes Dei, ita te ditabit Deus viciſſim.

QVI DECLINAT (Syrus, *obturat*) AVRES SVAS NE AVDIAT LEGEM, ORATIO EIVS ERIT EXECRABILIS] Hebr. Aquila, Symmach. & Theodot. *etiā oratio ipſius abominatio*, Septuag. *& ipſe orationē ſuā abominabilem fecit*; Syrus, *etiam oratio ipſius erit abominabilis*. q.d. Qui legem, quæ eſt interpres voluntatis diuinæ, non audit, id eſt, nō ei obedit, hic meretur viciſſim nō audiri à Deo, cùm eum oratſimò nō tantùm vitia, ſed & oratio eius eſt Deo execrabilis. Ratio à priori Prima eſt, pœna talionis: Deus enim par pari refert, ſicut enim ipſe nō vult audire Deum loquentem per legem, ſic Deus viciſſim ipſū non vult audire ſibi loquentem per orationem.

Vers. 9. Non audiens pauperē non audietur à Deo, cur?

D

Ratio à priori. Prima.

Secunda, quia oratio volentis perſeuerare in peccato eſt peccatum, ideoque Deo abominabilis: eſt enim cōiuncta cum affectu peccati, ac proinde ſic orans videtur ridere Deum, talis enim reipſa dicit: Volo Deum colere & inuocare, & ſimul volo eumdem offendere & irritare, quare perinde facit ac Iudæi, qui flexo poplite Chriſtum adorabant, dicen-

Secunda.

dicentes, *Aue rex Iudæorum*: & ſimul eodem ore ipſum conſpuebant & colaphizabant. Quin & ſubinde videtur Deum facere ſocium ſceleris, vt cùm fures orant Deum, vt ſibi occaſionem largiatur multa furandi, adulter adulterandi, homicida occidendi inimicum, &c. Hæ enim orationes petunt, vt Deus faueat ſceleri, ideoq; ſunt blaſphemiæ, & ſummè Deo iniuriæ. Hinc illud pſ.108. *Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum*, id eſt, in offenſam, vt oratio hominis tā impij magis offendat & exacerbat Deum, quàm placet, quia, vt ait ibidem S.Greg.hom.27.in Euangel. oratio in peccatum eſt, petere ea quæ prohibet Deus, v.g. vt Deus vleiſcatur inimicos, occidat Chriſtum & Martyres: anima enim orationis eſt charitas. Nam pſal. illo 108. petunt orantque Iudas & Iudæi, vt Chriſti & Chriſtianorum nomen deleatur, ait ibidem Euthymius. Et S.Auguſt.ibidem: *Oratio*, inquit, *Iudæ ſiit in peccatum, quia non fiebat per Chriſtū, quem noluit ſequi, ſed perſequi*. Talis fuit oratio Antiochi iam quaſi condemnati & deſperabundi, orātis pro remiſſione non tam culpæ quàm pœnæ, 2. Machab.9.13. *Orabat*, inquit, *ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Vnde auctor Imperfecti hom.15.in Matth. *Ille*, inquit, *orat qui iam non peccat: qui autem rogat & peccat, non tam rogat quàm deludit Deum*. Vide S.Greg.18.Moral.c.5.

Tertia, Tertia, quia, ſicut aroma in ſe odoratum malè olet ſi in ſtercore, cloaca aut fimeto ponatur, eò quòd eius tetro odore inficiatur: ſic pariter oratio licet in ſe ſit odorata & grata Deo, tamen, quia ex corde peccatis putido, quod ſuos concupiſcentiæ fœtores exhalat, promanat; hinc eius putoribus maculatur, maleque olet coram Deo: bene autem olet, ſi ex corde puro, & virtutibus fragrante eliciatur.

Quarta. Quarta, quia qui manet in peccato, manet in hoſtilitate Dei, Deus autem hoſtem ſuum odit, nec eius preces acceptat. Quare qui in peccati affectu perſiſtens orat Deum, perinde facit ac Iudas, qui oſculatur Chriſtum, & interim eum prodit; aut ſicut qui vna manu blanditur amico, altera illum verberat vel occidit. Oratione enim quaſi oſculatur Deum, illique blanditur; prauo verò opere vel affectu Deum offendit, & quaſi verberat. Hoc eſt quod ait Eccleſiaſt. c.34. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum*. Vide ibi dicta, & Prou.15.8.

Appoſitè Ambroſiaſter in c.4.Apocal. *Ad eorū*, inquit, *cæcitatem demonſtrandam quamdam ſimilitudinem proponam. Homo quidam vſque ad collum defixus in limo tenebatur; cumq; vidiſſet quemdam prætereuntem, extendens manum clamabat, dicens, Miſerere mei, & extrahe me ab hoc luto. Cumq; manum porrigeret, vt iſtum extraheret, iſte manū, quam extenderat, ſub luto demerſit. Dumq; ille qui ad extrahendum venerat, recedere vellet: iſte iterum vt erueretur poſtulabat. Cumq; ille ſecūdò ad eruendum manum extenderet; iſte ſicut priùs manum ſub luto demerſit. Dumq; crebriùs hoc faceret, ille iratus dixit: Cur petis vt eruaris, cùm in tuo periculo perſiſtere velis? & quia interitum tuū diligis, poſſide quod elegiſti. Similiter iſti Deum deprecantur aſſiduè, vt à vitijs eruātur, & tamen iſta vitia ita amplectuntur, vt ab eis nullo modo diuelli poſſint*. Vnde ſubiungit iuſtum ſemper orare: quia quando mens ab oratione vacat, ipſa opera intercedunt; imò, quando dormit, opera eius in conſpectu Dei refulgent, & ipſa ſunt intercesſſores apud Deum.

Intellige hæc de ijs qui in peccati actu vel affectu obfirmati perſiſtunt: nam ſi quis cupiat è vinculis peccati egredi, rectè orat Deum, vt illi gratiam & vires id perficiendi largiatur: peccator enim id ſuis viribus preſtare nequit, ſed ad hoc eget potenti Dei gratia, quam proinde precibus implorare poteſt & debet. Ita D.Thomas 2.2.quæſt.78. art.2.ad 1. vbi obijciens ſibi illud cæci nati: *Scimus quia peccatores Deus non audit*, Ioan. c.9.31. & hanc Salomonis gnomen; reſpondet: *Oratio in impetrādo non innititur merito, ſed diuinæ miſericordiæ, quæ etiam ad malos ſe extendit: & ideo etiam quandoque peccatorū oratio à Deo exauditur. Vnde Auguſt. dicit ſuper Ioann. tractat.44. quòd illud verbum cæcus locutus eſt, quaſi adhuc inunctus, id eſt, nondum perfectè illuminatus: nam peccatores exaudit Deus. Quod autem dicitur, quòd oratio non audientis legem eſt execrabilis, intelligendū eſt, quantum eſt ex merito peccatoris: ſed interdum impetrat ex miſericordia Dei, vel propter ſalutem eius qui orat, ſicut auditus eſt publicanus, vt dicitur Lucæ 18. vel etiā propter ſalutem aliorum, & gloriam Dei.*

Hoc eſt quod terribili voce per Iſaiam c.1.15. Deus intonat: *Cùm extenderitis manus veſtras, auertā oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Efficax profectò ratio*, inquit noſter Aluarez, *& cui nulla tergiuerſatione ſatisfieri poſſit. Non exaudiam, quoniam manus peccatorum ſanguine, id eſt, peccatis & iniquitatibus plenæ ſunt, quibus (quod ad ſe attinet) iterū Chriſti ſanguinem fundūt. Egregiè enim dixit S.Baſilius: Hæc cauſa eſt cur Deus oculos auertere ſoleat, quādo manus extendimus, nimirum quòd iudicia ſupplantationis occaſionem iræ præbeant. Quemadmodū ſi quis interfecto filio alicuius, quem ille in oculis ferebat, adhuc cruore cōſperſas manus habens, extendat ipſas patri, etiā tunc ſtomachanti, petens in amicitiam vt ſe recipiat; nónne ſanguis filij, qui in manu eius apparet, qui filio necem attulit, ad iram magis incitabit eū, cui iniuria data eſt? Si pater eius petitionem non audiet, cuius manus videt ſanguine filij ſui pollutas; quo pacto Deus orationes iniquorum ſuſcipiet, quos ſcit in legem ſuam eſſe præuaricatores, & in ſeipſum iniurioſos, & in ſanguinem & merita filij vnigeniti ſui crudeles exiſtere?*

Vers.10. QVI DECIPIT IVSTOS IN VIA MALA, IN INTERITV SVO, (Syrus, *in foueam*) CORRVET: ET SIMPLICES POSSIDEBVNT BONA EIVS] *τὸ eius* non eſt in Hebræo, Chald. Septuag. Aquila & Theodot. nec in multis Latinis. Hebræa enim ſic habent, *errare faciens rectos in viam malam, in foueam ſuam ipſe cadet, & integri hereditabunt bonum*; Chald. *in foueam cadet, perfecti autem & immaculati hereditabunt bona*; Septuag. *qui ſeducit rectos in viam malam, in corruptionem ipſe incidet; iniqui autem tranſibunt bona, & non ingredientur in ea*; Aquila & Theodot. *& ſimplices obtinebunt bona*.

Igitur delendo *τὸ eius*, gnome hæc generalis hunc dat ſenſum: Qui errare facit ſimplicē & iuſtum, ſeducendo eum in viam, vel per viam malā; per quam ſcilicet eum deducat in foueam aliquam & interitum ei paratum, ſiue is corporalis ſit, ſiue ſpiritalis, qualis eſt error, hæreſis, libido, rixa, &c. hic in illud ipſum malum, quod ſimplici, id eſt, recto & innocenti, parauit, incidet: ſimplices autem, id eſt, recti & doli expertes, ſeductore pereunte, & ſuis dolis capto, pro malo eis ſtructo, Deo eos protegente & dirigente, bonum recipient & poſſidebunt, vt v. g. pro errore capeſſant veritatem, pro hæreſi fidē, pro libidine caſtitatem, pro rixa pacē, in

in eaq; velut poſſeſſores firmentur & ſolidentur, &c. Igitur hæc gnome conſentit cum illa c.26.27. *Qui fodit foueam, incidit in eam.*

Vulgatæ verò verſionis quæ addit τὸ *eius*, vt arctetur hæc gnome ad fraudulentos, qui per dolos & fraudes alios ſuis bonis priuare ſatagunt, hic eſt ſenſus: *Qui decipit*, id eſt, decipere nititur (ſignificatur enim actus decipiendi inchoatus, non perfectus, vt patet ex ſequ.) iuſtos *in via mala*, id eſt, aliquâ fraude, arte, vel dolo, putà actione aliquâ peruerſa & fraudulenta, v.g. per conſilium, machinationem, vel contractum aliquem doloſum, vt opes eius ingenioſa fraude ſibi vendicet; hic *in interitu ſuo*, id eſt, per artem & fraudem ſuam, quâ alijs interitum & perniciem machinatus eſt, *corruet*, id eſt, malum quod iuſtis ſtruxit ipſe incurret, vt per fraudem, qua eos bonis ſpoliare putabat, ipſemet per eamdem bonis ſuis ſpolietur, illaque in iuſtos tranſſcribantur. Sic enim non rarò Dei prouidentia dolum & doloſos punit talione, vt dolus quẽ alijs parauerunt, in ipſorum caput recidat, ac qui doloſè iuſtorum bona ſurripere tentarunt, ipſis bona ſua cedere cogantur, vti Aman moliens per fraudem Mardochæum & Iudæos ſpoliare dignitate, bonis & vita, iiſdem ipſe cum ſuis per eoſdem ſpoliatus eſt.

Deus bona dolo, orum in rectos transſcribit.

Hoc voluerunt Septuag. dum verterunt, *qui ſeducit rectos in viam malam, in corruptionem ipſe incidet: iniqui autem tranſibũt bona, & non ingredientur in ea*, q.d. Iniqui videbunt bona rectorum & iuſtorum, ad quæ per fraudes aſpirant; ſed non ingredientur in ea, nec ea poſſidebunt: quia ipſi per bona vel potius iuxta bona hæc dumtaxat tranſibunt, vt in tranſitu ea videant, ſed mox cum mœrore ea pertranſire & relinquere cogãtur, perinde vt qui vult poſſidere aquam fluuij, fruſtra laborat: aqua enim hæc teneri nequit, quia iugiter fluit & tranſit, ilicoque præterfluit: tales prorſus ſunt diuitiæ, præſertim quæ iniuſtè & fraude doloque parantur; tranſeunt enim, fugiuntque ab iniquo poſſeſſore, & auolant ad iuſtos & rectos, ac viciſſim auari & doloſi tranſeunt per eas, alioq; putà in pauperiem, vel mortem & gehennam, abeunt, iuxta illud: *Dormierunt ſomnum ſuum; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*, pſal. 75.6.

Exempla.

Exemplum illuſtre eſt in Laban, qui volens circumuenire Iacob per pacta noua & iniqua, iiſdem Dei nutu circumuentus eſt. Audi ipſum Iacob loquentẽ vxoribus ſuis Gen. 31.7. *Sed & pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimiſit eũ Deus, vt noceret mihi. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oues varios fœtus, quando verò è contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Tulitq́; Deus ſubſtantiã patris veſtri, & dedit mihi.* Deus enim eſt innocentiæ & iuſtitiæ tutor, ac nocentũ & iniquorum vltor. Iuſtum eſt enim vt qui alium dolo circumſcribere conatur, ipſe eodem circumſcribatur: æquum eſt vt qui aliena appetit, ſua perdat: par eſt vt qui alterius bona per fraudem concupiſcit, ſua ei cedat. Sic Pharao & Ægyptij doloſè ſpoliantes & opprimentes Hebræos, eodem dolo ab eis ſpoliati & oppreſſi ſunt, Exodi. 12.36. & c. 14.27. Sic hiſce annis principes hæretici ſatagentes inuictiſſimum Imp. Ferdinandum, per clanculàrias conſpirationes & rebelliones ditionibus ſuis exuere, per eaſdem ſuis ab ipſo exuti ſunt. Similia crebrò legimus in Hiſtorijs.

Myſticè hæretici, luxurioſi, ceteriq; impij, qui rectos per fraudem in hæreſin, libidinem, aliaque ſcelera pertrahere conantur, itaq; eos ſpoliare cæleſti gloria, ac in gehennam pertrahere; ipſimet in gehennam corruunt, ac gloriam ſibi in cælis præparatam rectis & conſtantibus cedunt. Ita Baynus.

SAPIENS SIBI VIDETVR VIR DIVES: PAVPER AVTEM PRVDENS SCRVTABITVR EVM.] Varij variè exponunt. *Versic.* Primò, aliqui q.d. Diues videtur ſibi ſapere, eò quòd norit modum coaceruandi opes, etiam per contractus iniquos & vſurarios, quibus pauperum crumenas emungit: at pauper qui prudens eſt, hoſce modos & cõtractus ſagaciter odorabitur, eoſque deteſtabitur & fugiet.

Secundò, alij. q.d. Diues videtur ſibi ſapiens; id eſt, prudens, honeſtus & probus, quòd honeſtè ſplendideq; alat familiam, at ne ſibi blandiatur de probitate: huius enim teſtes & iudices ſunt pauperes: probitas enim diuitis maximè conſiſtit in eleemoſyna, cuius teſtes ſunt pauperes. Vnde B. Chryſologus hom. de diuitijs & paupertate; *Diues*, inquit, *ſiue bonus, ſiue malus, in conſcientijs pauperum apparet: talis eris, qualem te æſtimant pauperum greges.*

Tertiò, Rabbini & Baynus, q.d. Diues putat ſummam ſapientiam eſſe induſtriam congerendi diuitias: pauper autem qui verè ſapit, hoc eius iudicium ſcrutatur & damnat, dum cenſet ſapientiã non in opibus, ſed in opum cõtemptu conſiſtere, quod etiam cenſuère Philoſophi, vt Seneca epiſt. 119. Diogenes, Ariſtides, Crates, &c. Vnde Chald. vertit, *& pauper prudens contemnit eum.*

Quartò & genuinè, q.d. Diuiti opes addunt animos, eumq; inflant, vt putet ſe præ ceteris ſapere, præſertim quia a vulgo magnus & excelſus prædicatur, & ab adulatoribus prudens & felix nuncupatur: at pauper prudens hunc eius faſtum deſpiciens, per colloquia, quæſtiones & actiones ſcrutari poteſt, & nõ rarò reipſa ſcrutatur, an præter diuitias vera ſapientia polleat, facileq; eius inſipientiam deprehendet, coarguet & damnabit. Tacitè innuit Salomonis diuitias eſſe impedimentũ ſapientiæ, paupertatem verò eius eſſe incitamentum, tum quia diuitiæ inflant, faciuntq; ſuperbos; paupertas verò facit modeſtos & humiles. Sapientia enim vera eſt humilitas, ſicut inſipientia eſt ſuperbia & faſtus: tum quia diuitiæ amantem ſui cura cruciant, & deprimunt ad opes & res terrenas, vt de rebus altis, quas ſpectat ſapientia, non poſſint ſincerè iudicare: paupertas verò ab opibus expedita, liberè intendit opibus rebuſque melioribus & cæleſtibus: tum quia diuites abundant voluptatibus, vacantque gulæ & luxuriæ, quæ mentem hebetant & obtundunt: pauperes verò ſunt frugales & temperantes; temperantia autem mater eſt ſanitatis, ſanctitatis & ſapientiæ; vnde philoſophi opes abiecerunt, vt liberè ſerenâ mente philoſopharentur. Hinc Crates Thebanus ingens auri pondus proiecit in mare, dicens: *Mergo illud ne mergat me.* Teſte S. Hier. ep. 13. ad Paulinum, & ep. 33. ad Iulianum. Et Menander: *Beatus ille qui opes & mentem habet*, quia vtrumque habere eſt difficilè: opes enim mentem ſæpè opulento eripiunt. Tum quia Deus ita dona ſua diuidit, vt diuiti det opes, pauperi ingenium & ſapientiam. Hinc videmus pauperes eſſe ſapientiores, pientiores, ſanctiores diuitibus. Vnde S. Iacobus c. 2. v. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe.*

Opes obſtant ſapientiæ: cur?

Gnome.

Præclarè

Præclarè S. Chryſoſt. homil. in pſal. 4. *Diuitiæ*, inquit, *ſunt vitiorum & errorum miniſtræ, paupertas autem mater philoſophiæ. Idq; res ipſæ indicant quotidie, quòd pauperes ſint diuitibus prudentiores, & ſapientiæ amantiores*. Et Abbas ille in Vitis Patr. *Paupertas voluntaria*, inquit, *eſt animæ requies*. In quiete autem anima inuenit videtque verum, veramque ſapientiam. Hinc veteres Aſcetæ & Anachoretæ paupertatem & quietem profeſſi, euadebant ſanctiſſimi & ſapientiſſimi. Nota eſt hiſtoria pauperis apud Damaſc. in Vita Barlaam & Ioſaphat c. 4. qui profitebatur dicebatque: *Ego ſermonibus læſis medeor*. Vnde accitus à principe, qui ob ſermonem incautum iram regis & mortis periculum incurrerat, ſapiens ei dedit conſilium, quo & regem placuit, & mortem euaſit.

Rurſum ſignificat Salomon, diuites habere ſpecimen & pompam ſapientiæ, pauperes verò rem & medullam ſapientiæ. Diuites enim ſuo ſplendore veſtium, famulorum, palatiorum, exteriùs oſtētant grauitatem & ſapientiā: at pauperes ſcrutantur eius interiora, putà animū & mentem, illamq; ſapientia ſæpè vacuam deprehendunt. Sic Diogenes ſcrutatus eſt, libereque carpſit Alexandri Magni ambitionem, eoque illum deduxit, vt diceret: *Si non eſſem Alexander, vellem eſſe Diogenes*. Quocirca Diogenes dictitabat *paupertatem ſubſidium eſſe ad philoſophiam, quia quæ philoſophia verbis perſuadere conatur, ad ea cogit paupertas*. Ita Stobæus ſerm. 93. Et Ariſton aiebat *paupertatem eſſe lucernam, quæ omnia mala demonſtret*. Xenophon: *Paupertas, ait, per ſe eſt docta philoſophia*. S. Chryſoſt. *Qui cum paupertate philoſophantur, magis magiſq; Deo appropinquant*. Ita refert Anton. in Meliſſa p. 1. c. 33.

Denique *ſcrutabitur* per metalepſin ſignificat *iudicabit & condemnabit*. Iudex enim per ſcrutinium ſcelerum iudicat & condemnat reum. Sic iudex pauper, ſed prudens, ſæpè ſcrutatur, iudicat & condemnat diuites, quòd per viuras, iniquos contractus & rapinas oppreſſerunt pauperes: paupertas enim præſtat iudicium ſincerum, quod cupiditas inficit & offuſcat. In diuite ergo ſunt multa fucis illita, multa auaritiæ, faſtus, & vitiorū ſpecioſa tegmina; hæc retegit, vitiaq; ſub eis latentia ſcrutatur, oſtenditq; & damnat pauper prudentiā pollens.

Maximè verò huius gnomę veritas apparebit in die iudicij; tunc enim Apoſtoli & viri Apoſtolici, qui in hac vitā fuerunt pauperes ſpiritu, iudicabūt & condemnabunt diuites ſuperbos & iniquos; vti Lazarus in ſinu Abrahæ eum eo damnauit diuitē Epulonem ardentem in gehenna, Lucę 16. 25. iuxta illud Chriſti promiſſum Matth. 19. 28. *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. Et Lucæ 16. 9. Chriſtus pauperes facit cæli ianitores, iudices, & prę ſides, dicens: *Facite vobis amicos de māmona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*: illis ergo prę ſūt pauperes.

Vers. 12. IN EXVLTATIONE IVSTORVM MVLTA GLORIA EST: REGNANTIBVS IMPIIS, RVINÆ HOMINVM] Syrus, *in exultatione, ſeu corroboratione, iuſtorum multa eſt laus; cùm conſurgunt impij, inueſtigatur filius hominis*. Exaltatio enim iuſtorum parit eorūdem exultationem: & exaltatio iuſtorum directè opponitur regno impiorum. Senſus ergo eſt. q. d.

Regnante iuſto floret reſpub.

Cùm iuſti exaltantur ad dignitates, officia, prælaturas, regimen & regnum, ideoq; exultant; exaltatur pariter & exultat tota Eccleſia & reſp. ideoque

A

in ſumma eſt lætitia & gloria. E contrario cùm exaltantur & regnant impij, deprimitur, cadit & ruit communis hominū vita & reſp. Ratio à priori eſt, quòd iuſti dum regnant, faciunt vt iuſtitia, probitas & pietas in republ. floreat: inde autem oritur pax, vigent commercia, exercentur ſtrenuè artes & agricultura; ex quibus oritur omniū rerum copia & abundantia. Denique Deus reip. ob iuſtitiam & probitatem principum & ciuium, per omnia benedicit. Ex aduerſo dum regnant impij, inducunt in remp. ſuam impietatem, fraudes, ſcelera, ex quibus oriuntur ſchiſmata, ſeditiones, lites, bella, quæ fugant agricolas, opifices & mercatores; vnde neceſſe eſt ſequi pauperiem, famem & rerum indigentiam. Deniq; Deus principi & reip. impię maledicit. Sicut enim dominante iuſto regnat & triumphat iuſtitia & virtus: ſic dominante impio regnat & triumphat impietas & ſcelus. Iuſtus enim princeps omnes ſubditos ſibi ſimiles, id eſt iuſtos, efficere ſatagit; impius verò impios. Vnde illud: *Qualis rex, talis populus*. Et:

Ratio à priori.

B

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Pro *gloria*, hebr. eſt תִּפְאֶרֶת *tipheret*, id eſt, gloria, decor, nitor, magnificentia, q. d. Cùm dominantur & exultant iuſti, omnia templa, fora, plateæ, curię, domus, negotia, merces, opificia, ſtudia, artes, ſtatus, ciues, omniaque quæ in repub. ſunt, exiſtunt ſplendida, glorioſa, decora, nitida, magnifica: cùm verò regnant impij, omnia hæc ruunt, fiuntque ingloria, fœda, ſpurca, vilia. Sic imperante Conſtantino, Theodoſio, Carolo Magno, qui Chriſti fidem, Pontifices & Chriſtianos exaltarunt, communis fuit orbis & vrbis exultatio, felicitas & gloria: ex aduerſo regnante Nerone, Decio, Diocletiano, Valente, Iuliano, communis fuit omniū mœror, ſqualor, ſtrages & ruina. Tyrannorum enim eſt, ex aliorum damnis & ruina ſe ditare & magnificare. Vnde Ariſtot. l. 8. Ethic. 10. hæc tyrannorum propria eſſe dicit, *arma ciuibus adimere, multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus vrbem reddere, vexare nobilitatē, clam euertere, & palàm in exilium pellere tamquam aduerſarios, & machinatores contra potentiam ſuam: vnde Periandri conſilium Thraſybulo datum, ſupereminentes ſpicas decerpere, quàm oportunum fuerit, id eſt, eminentiores ciuium de medio tollere*.

Exempla.

C

Pro *ruinæ hominum* heb. eſt יְחֻפַּשׂ אָדָם *iechuppas adam*, id eſt, *ſcrutabitur*, explorabitur, perquiretur *homo*; alij, *nudabitur homo*: cùm enim impij tyranni aliquem ſcrutantur; eum nudant & ſpoliant; alij, *mutabitur homo*. Hinc Chald. vertit, *quando lætantur iuſti, multa eſt pulchritudo: cùm conſurgunt impij inueſtigatur filius hominis*.

D

Vnde Primò, R. Salomon ſic explicat. q. d. Cùm dominantur impij, quilibet homo inueſtigatur & exquiritur ab eis, vt ad quodlibet eorū ſcelus pertrahatur: impij enim cupiunt vt omnes ſuas flagitioſas actiones imitentur: putant enim par eſſe, vt ad ſuas actiones reliqui omnes etiam ſuas moderentur & conforment, vtpote eis ſubditi.

Secundò, Aben Ezra. q. d. Cùm impij euchuntur, explorabitur vir: impij enim cæterorum facultates explorant & violenter diripiunt.

Tertiò, R. Leui. q. d. Cùm exaltantur impij, pij fugiunt, abduntq; ſe in latebras: quare impij eos ſcrutantur & indagant, vt inde eos in lucem ad ſe educant & abſtrahant.

Quartò, Baynus q.d. Cùm regnant impij, omnes ad eorum impietatem ſe flectunt; quare tunc difficile eſt inuenire virum qui eis reſiſtat, & ſibi in probitate conſtet, ita vt, ſi lucerna omnes perſcruteris, vix vnum è mille ſis inuenturus. Vnde Caiet. vertit, *& ſurgentibus impijs mutatur homo*, q.d. Cùm regnant impij, homines etiam pij mutant mores, & ad regum impietatem ſe flectunt, vt Cōſtantio Arriano regnante plerique amplexi ſunt arrianiſmum. Et nuper in Anglia Henrico VIII. ſchiſmā faciente ab Eccleſiā, tota Anglia ſchiſma eius ſecuta eſt. Nam vt ait Soſipater apud Stobæū ſerm. 46. *Quiſnam adeò quadratus eſt, qui per omnem fortunæ, rerum, ac imperiorum mutationem firmiter conſiſtat, accommodans ſe principibus ac ſubditis, ac ſibi ipſi concilians cunctos, & omnem vbiq; differentiam ad vnam rationem connectens?* Aut q.d. Cùm dominantur pij, fœlix & ſtabile eſt regnum, vnde ciues in eo læti manent & conſiſtunt: at verò dominantibus impijs, fugiunt eorum tyrannidem, ideoque domum mutant, & aliò ſe transferunt. Aut, vt Pagninus, q.d. Cùm regnant impij, homo mutabitur in veſtibus, id eſt, mutabit veſtes, aliumque habitum aſſumet, ne agnoſcatur, ſed vt ſeſe abſcondat & lateat. Rurſum per regem impium mutantur officia, cōmercia, leges, totuſque reip. ſtatus, vti nuper factū vidimus in Anglia. Huc facit factum Diogenis, qui teſte Laërtio l. 6. *Quodam tempore lucernam laterna incluſam geſtās obambulabat in foro clariſſima luce, quærenti ſimilis. Rogantibus quid ageret? Hominem*, inquit, *quæro, notans ſcilicet publicos ciuitatis mores ne homine quidem dignos eſſe.*

Quintò, Vatabl. vertit, *& ſurgentibus impijs explorabitur homo*. q.d. Regnantibus pijs omnes ſunt, vel ſimulant ſe eſſe pios & probos: quare tunc probitas alicuius explorari nequit: at ſi regnent impij, tunc exploratur hominis virtus & conſtantia. Si enim, cùm paſſim alij cedunt impietati & impio, ipſe vnus animosè vtrique reſiſtat; ſignum eſt eum magnæ & probatæ eſſe virtutis; qualis fuit Tobias, qui contribulibus ſuis euntibus ad adorandum vitulos aureos, ipſe ſolus ibat in Ieruſalem adoraturus Deum, Tob. 1. Vnde S. Gregor. l. 1. in Iob c. 1. *Inter malos*, inquit, *bonum eſſe immenſæ bonitatis eſt.* Hinc Septuag. vertunt, *per auxilium iuſtorum multa fit gloria: in locis autem impiorum capiuntur homines.*

Omnia hæc eòdem redeunt omniaque Noſter complexus eſt vertens, *regnantibus impijs ruinæ hominum*: hæ enim ruinæ contingunt per ſcrutiniū, quo eos ſcrutantur impij, vt bonis ſpolient, eoſq; cogant mutare domum & exulare, aut vt eos ad impietatem pertrahant.

Anagog. *in exultatione iuſtorum*, id eſt, Beatorū, in regno cæleſti, vbi Sancti exultant gaudijs & hymnis ineffabilibus, ſumma eſt gloria Eccleſiæ, tam militantis, quàm triumphantis. Dico tam militantis, quia Eccleſia militans ingenti gloriā celebrat eorum feſta, ac præſertim feſtum omnium Sanctorū, (vti hoc die quo hæc ſcribo, illud celebramus Romæ magnificè in B. Mariæ ad Martyres, olim Pantheo) in quo eis accinit: *O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent ſancti, amicti ſtolis albis, ſequuntur agnum, quocumq; ierit.* Alludit ad illud Dauidis patris ſui: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: exultationes Dei in gutture eorum*, pſ. 149. 5. S. Euergiſtus Archiepiſc. Colonienſis, vt habet eius Vita, ingrediens templū

A S. Gereonis & ſociorum Martyrum, ſalutauit eos dicendo: *Exultabunt ſancti in gloria*: mox S. Gereon & ſocij è ſepulcris, quaſi applaudentes exultando reſponderunt, *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* De hâc eorum gloriā ait Iſaias c. 64. 4. & ex eo S. Paulus 1. Corinth. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Hinc immenſa illa Sanctorum exultatio, iubilus & tripudium. Hebr. enim עלץ *alats* ſignificat exultare, tripudiare, geſtire, exilire præ gaudio, iubilare; vti faciunt Beati in cælis perenniter. Vice verſa in inferno, vbi regnat Lucifer & impij dæmones ſunt ruinæ & ſtrages æternæ tam hominum, quàm dæmonum. Vt enim taceam gehennæ incendia æterna, ibi ſunt odia, rixæ & pugnæ, tam dæmonum quàm hominum inter ſe, quibus ſe inuicem mordent & cruciant, imò diſcer-

B perent, ſi poſſent.

QVI ABSCONDIT SCELERA SVA, NON DIRIGETVR: QVI AVTEM CONFESSVS FVERIT, ET RELIQVERIT EA, MISERICORDIAM CONSEQVETVR] Hebr. *tegens præuaricationes ſuas, non proſperabitur*, &c. Septuag. *qui cooperit iniquitatem ſuam, non proſperabitur: qui autem narrat redargutiones, diligetur*; Symmach. *qui enuntiat* (Aquila & Theodot. *confitetur*) *redargutiones, proſperabitur*, Chald. *miſerebitur eius Deus.* Vers. 13.

Quæres, quam confeſſionem requirit & commendat Salomon? *Confeſſionem laudat Salomon: quam?*

Aliqui cenſent eum exigere auricularem & Sacramentalem, quæ in lege nouâ fit confeſſario ad recipiendam peccatorum abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ. Ita Hugo, Dionyſ. Baynus &

C Caiet. Verùm hæc tempore Salomonis nondum erat inſtituta, nam poſt mille annos ſancita eſt à Chriſto. Dico ergo eum loqui de confeſſione, quæ eſt iuris naturæ, eaq; duplici. Prior eſt, qua peccator pœnitens coram Deo confitetur peccata ſua, ſupplexq; ab eo poſtulat veniam & remiſſionem. Ita publicanus confitebatur dicendo: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Lucæ 18. 13. Ita Daniel c. 9. v. 5. confitetur ſua & populi peccata vt miſericordiam & liberationem è captiuitate Babylonicā à Deo impetret. Ita Ieremias, Iſaias, ceterique Prophetæ, tres pueri in fornace Babyloniā, Daniel 3. v. 29. Machabæi, alijque Sancti veteris teſtamenti in Scripturā crebrò Deo humiliter confitentur peccata vt Dei gratiā obtineant; nam vt ait S. Chryſoſt. hom. 20. de confeſſione: *Apud iudicem bonum*

D *confeſſio eſt mater indulgentiæ.* Rectè *mater*, quia ſicut mater cum dolore parit filium, ſic confeſſio cum dolore parit veniam. Ita Dauid quamdiu abſcondit ſuum adulterium & homicidium, Deo fuit exoſus; at vbi arguente Nathan, illud confeſſus eſt, dixitq; *Peccaui Domino*; ilicò gratiam conſecutus eſt, dicente Nathan: *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. 13. Vnde ipſe pſ. 31. 5. *Dixi*, inquit, *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Poſterior cōfeſſio eſt, qua quis de peccato ſuo à Superiore, vel pro alio, admonitus & correptus, illud humiliter agnoſcit & confitetur, ac emendationem ſpondet. Aut qualis qui alium læſit vel offendit, coram eo culpam agnoſcit, & veniam precatur, vt ei de offenſa ſatisfaciat, eumque ſibi reconciliet: ad veniam enim & reconciliationē nullum eſt efficacius remedium, quàm humilis culpæ confeſſio. Vnde ſenior in Vitis Patr. *Cùm quem offendiſti,*

fendiſti, ait, *ilicò dic Mea culpa*. Senſus ergo eſt q.d. Humilitas confeſſionis confitenti & pœnitenti, veniam & condonationem, petenti eamdem, tum à Deo, tum ab hominibus impetrat. Ipſa enim eſt actus pœnitentiæ & contritionis, quæ etiam in lege nouâ ſine Sacramento re ipsâ ſuſcepto, cum ſolo eius voto & propoſito culpam abolet, vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. Contritio enim eſt actus charitatis, quo quis Deum amans ſuper omnia ſummè dolet ſe eum offendiſſe: *charitas* autem *operit multitudinem peccatorum*, vt ait S. Petrus epiſt. 1. c. 4. v. 8.

Adde, Iudæis nõ ſolo iure naturali, ſed poſitiuo quoque & diuino, præceptam fuiſſe in certis caſibus ſpecialem peccati cuiuſpiam confeſſionem, vti oſtendi Numer. 5. v. 7. & Leuit. 5. v. 5. Chriſtianis verò cõfeſſio cuiuſlibet peccati mortalis præcepta eſt à Chriſto in lege Euangelica, idq; appoſitè ad naturam peccati, confeſſionis & remiſſionis. Nulla enim virtus vel actio tam appoſita, &, vt ita dicam, connaturalis eſt ad impetrandam peccati veniam, quàm humilis eiuſdem confeſſio: hæc enim includit contritionẽ & ſatisfactionem: nam non parua ſatisfactio, & oſtenſę compenſatio eſt ipſa eius cõfeſſio. Confeſſio ergo includit tres partes pœnitentiæ, ſiue tria officia pœnitentis, quæ ſunt cõtritio, confeſſio, ſatisfactio. Rurſum vt docet Tertull. libr. de Pœnitentia, confeſſio vice Dei fungitur: facit enim vt peccatum ſuum ipſe pœnitens confitendo iudicet & vindicet: atque ſeipſum damnans & caſtigans iram Dei præuenit, nihilque illi caſtigandum aut peragendum relinquit. *Confeſſionis dignitas.*

Adde, confeſſio eſt peccati retractatio, itaque congrua ad veniam diſpoſitio: pœnitens enim confitendo peccatum ſuum, illud reuocat, retractat, &, quantum in ſe eſt, deſtruit aboletque, quia de illo dolet, illudque refutat & deteſtatur: quare meretur vt Deus illud condonet, & per gratiam ſuam deſtruat. Qui verò peccatum ſuum non agnoſcit, ſed excuſat vel defendit, in eo ſe obfirmat, ideoque veniæ eſt incapax: tum ob eius ſuperbiã & faſtum: tum quia ipſe peccatum impœnitentiæ & defenſionis, peccato concupiſcentię, in quod lapſus eſt, addit & accumulat. Sic Saul nolens inobedientiam ſuam Samueli confiteri, qua contra Dei iuſſum pepercerat gregibus Amalec, ſed illam excuſans, iram Dei incurrit, ac regno & vita priuatus eſt 1. Reg. 15. Et Cain nolens confiteri parricidiũ Abelis fratris ſui, à Deo maledictus eſt, Geneſ. cap. 4.

Senſus ergo eſt q.d. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non* proſperabitur, nec *dirigetur* ad eorum veniam, gratiam, virtutem & ſalutem: *qui autem ea confeſſus fuerit*, eo modo & ritu, quo lex ſua exigit, ac Deus pro varietate temporum inſtituit, v.g. vt Gentilis fide & gratiâ Dei illuſtratus confiteatur ea Deo, Iudęus ſacerdoti ſacrificanti, Chriſtianus ſacerdoti abſoluenti; ac ſimul ea reliquerit, vitamq; emendarit, hîc eorum veniam, *miſericordiam* & gratiam *conſequetur*. Nam, vt ait S. Aug. in Sententijs n. 240. *Apud miſericordiam Dei plurimum valet confeſſio pœnitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quem negando non fecit neſcium*. Igitur ex hoc loco non malè Theologi probant confeſſionem Sacramentalem, tum quia hæc præuiſa fuit à Spiritu ſancto, & per os Salomonis hîc adumbrata: tum quia gnome hęc generalis eſt, quę proinde cuique Eccleſię ſtatui aptanda eſt iuxta rationem & modum à Deo

A cuique præſcriptum. Iam autem Deus in ſtatu legis nouæ præſcripſit modum confeſſionis Sacramentalis, tamquam neceſſarium ad peccati remiſſionẽ, nec aliud peccati abolendi remedium eſſe voluit, quàm Sacramentum confeſſionis. Ergo illud peccatori vſurpandum eſt, ſi ritè pœnitere velit, & veniam gratiamque Dei conſequi: idq; inter alia ſignificat hîc Salomon actus & inſtinctus à Spiritu ſancto. Nam vt ait S. Cyprian. *Quod ignorat medicina, non ſanat.* Vide gnomas & exempla Patrum de confeſſionis fructu, quæ citaui Leuit. 6. 4. & in ep. S. Iacobi c. 5. v. 16.

Appoſitè S. Chryſoſt. apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 17. inter quinque expiandi peccati modos primum cõfeſſioni aſſignat. *Viæ*, inquit, *pœnitudinis ſunt quinque: Prima, agnitio & increpatio peccatorum. Secunda, proximis ſuos errores condonare. Tertia, quæ fit* B *per orationem. Quarta, per eleemoſynam. Quinta, per humilitatem animi.* Et rurſum: *Dum tempus*, inquit, *nos ſinit, præueniamus faciem Dei in confeſſione, vt mitem & placidum ipſum tunc videamus, & minaces illos angelos effugiamus. Peccatum ſi confitearis, minues; ſecùs, angebis.* Sic Iudæi peccata ſua Ioanni Baptiſtæ cõfeſſi ſunt, ac deinde ab eo baptizati, Matth. 3. 6. & Actor. 19. v. 18. fideles Apoſtolis peccata confeſſi ſunt. Verè S. Auguſt. in Sententijs n. 118. *Melior eſt*, inquit, *in malis factis humilis confeſſio, quàm in bonis ſuperba gloriatio.* *Quinque modis expiatur peccatum.*

BEATVS HOMO QVI SEMPER EST PAVIDVS (Galatinus, *timoratus*:) QVI VERÒ MENTIS EST DVRÆ CORRVET IN MALVM] Hebr. *beatitudines ſunt homini pauenti ſemper, & indurans cor ſuum cadet in malum*; Chald. *beatus vir qui veretur omnia per metum, durus autem corde incidet in malũ*; Septuag. *beatus* C *vir qui omnia timet*: δὶ ευλάβειαν, id eſt, *ob pietatem, metum & reuerentiam Dei*, qua veretur ne quà in re eum offendat: vel, vt, Complut. *ob cantelam*, vel cautionem, qua prudens timens malum cautè illud declinat. Vnde Cicero Tuſcul. 4. *A malis*, inquit, *natura declinamus, quæ declinatio ſi cũ ratione fiat, cautio appellatur, quæ autem ſine ratione, metus*. Iam *Vers. 14.*

Primò, Rabbini ſic exponunt. R. Salomon: *Beatus*, inquit, *ille qui ſemper pœnam ſupplitiumq; formidat: ita enim ſe à noxis continebit.* Aben Ezra: *Beatus*, inquit, *qui ſemper Deum veretur, nec in eumdem ſceleribus ſe obſtringit: qui verò animo ita eſt obfirmato, vt arguenti aures præbere nolit, eis calamitatibus obnoxius erit, quas ceteris ſe illaturum arbitrabatur.* R. Leui: *Ter felix qui eum paueat, quem timere oporteat: id enim in cauſa erit, vt accommodatis conſilijs ineundis ſapienter ſe geras, vt* D *calamitatibus, quas formidat, ſeſe ſubducat. Qui verò animo eſt pertinaci, ſibiq; pro Deo ſtatuit, quæ extimeſcenda eſſent, extrema patietur. An non liquet ob animum obſtinatũ tum primò conſtructum, tum reſtauratum templum, prorſus abolitũ fuiſſe? niſi enim Sedecias contumaci animo fuiſſet, & ſi regis Babylonis iugo collum ſuppoſuiſſet, haud tũc è noſtris ſedibus migrare coacti fuiſſemus, idemq; cenſendũ eſt de reſtaurato templo; nec enim Romano Imperio ſubiecti fuiſſemus, nec eius iugum ferre cogeremur.*

Secundò, S. Greg. & ex eo Beda, Hugo, Dionyſ. & alij accipiunt hæc de pauore & metu extremi iudicij & ſupplicij. Audi S. Greg. homil. 40. in Euang. *Sic præſentis vitæ agenda eſt lætitia, vt numquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria: quatenus dũ mens pauida extremæ vltionis timore transfigitur, quantum nunc præſens lætitia, tantùm poſt ira ſubſequens temperetur. Hinc namq; ſcriptum eſt: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus; qui verò mẽtis eſt duræ, cor-*

Ttt 4 *ruet*

ruet in malum: ſequentis enim ira iudicij tantum tunc diſtrictiùs pertabitur, quantò & nunc, & inter culpas minimè timetur.

Tertiò, auctor Catenæ Græcor. accipit hæc de timore & reuerentiâ Dei, vnde ex Septuag. ſic vertit, & explicat: *Beatus vir qui quadam Dei reuerentia tactus extimeſcit omnia; aſt homo duri præfractiq; cordis, incidit in mala. Qui Dei timorem obtinet, ille, inquit, omnia quæ aliquod contagium, vel detrimentum animæ adferre poterant, formidat, ſuſpectaq; habet: adeoq; beatus cenſendus eſt. Aſt improbus neminem timet, atque ita in varia incidit incommoda.*

Interpres S. Chryſoſt. hom. 55. in Geneſin pro reuerentiâ vertit pietatem: *Beatus*, inquit, *qui timet omnia propter pietatem. Nam ſi nos cùm videmus famulum, qui noſtra cum diligentia timoreq; multo curat, maiorem erga illũ declaramus beneuolentiam; multò magis bonus Dominus propter hoc dicebat: Super illum reſpiciam qui tremit ſermones meos. Tremamus igitur, oro, & cum magno timore ſermones eius impleamus, nam eius ſunt ſermones. Et cùm didicerimus quæ illi placent, & quæ probat, ea obeamus, & tales, quales vult, fieri ſtudeamus.* Quænam illa ſint particulatim ſubnectit: *Quietẽ, manſuetudinem, humilitatem magnam exhibeamus, & omnia quæ ab eo mandata ſunt, cũ reuerentia adimpleamus, vt cùm approbarit affectionem mentis noſtræ, placatus noſtra obedientia, reſpicere etiã ſuper nos dignetur. Quod ſi nobis continget, erimus per omnia ſecuri. Dicit enim: Reſpiciam, hoc eſt, cura mea dignabor, manum porrigam, in omnibus auxiliator ero, vbertim in eum meam liberalitatem profundam.*

Beatus vbique pauidus. Accedit Vatabl. *Beatus*, inquit, *qui iugiter pauet, ne offendat Deum.* Vbi Nota, τὸ *omnia*, & τὸ *ſemper*, vti habent Latina & Hebr. quod S. Chryſoſt. reſtringit ad Dei præcepta, q. d. Beatus qui timet, id eſt, ex timore & reuerentiâ Dei obſeruat omnia eius præcepta. Alij generatim exponunt. q. d. Omnia negotia, omnia opera, omnes perſonas, omnem ſexum, omnia contingentia verere & extimeſce, necubi Deum offendas. Dęmon enim in omnibus tibi tendit inſidias, vt in omnibus lateat peccati periculum. Hic ſanè optimus & ſanctiſſimus eſt pauor & timor. *Exempla.* Sic Iob c. 9. 28. *Verebar*, ait, *omnia opera mea ſciens quia non parceres delinquenti.* Et c. 31. 23. *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Et Dauid pſ. 118. 120. *Confige*, ait, *timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Et Eccleſ. c. 25. 15. *Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur? Timor Dei initiũ dilectionis.* Vide ibi dicta.

Quartò, generatim & adæquatè Ianſenius hæc accipit de timore & cautelâ in omnibus rebus adhibenda, quæ temeritati opponitur, vt is dicatur hic *beatus*, hoc eſt, felix, qui ſic in omnibus rebus eſt timidus, vt proſpiciat ne quid temerè aggrediatur, nec abſque debitâ deliberatione & cõſilio aliorum, ſollicitè cauens ne quid omittat eorum quæ requiruntur. Talis enim in negotijs ſuis proſperari ſolet; cùm cõtrà qui *mentis eſt duræ*, hoc eſt, obſtinato animo ſine aliquo metu res ſuas aggreditur, nihil curans quidquid ſuggeritur & conſulitur, ruit ſæpè in multa mala, & damna multa perferre cogitur.

Vbi Nota, Timor hìc non debet eſſe nimius: ſic enim fit anxietas & ſcrupulus, qui hominẽ vexat, exedit, & à rebus magnis deterret & auertit, agitque in deſperationem. Vnde Seneca epiſt. 56. *Imperitus eſt*, inquit, *qui omnibus rebus ſuis timet, ad omnẽ crepitum expaueſcens, quem vna quælibet vox pro fremitu accepta deijcit, quem motus leuiſſimi exanimant.*

Timor ſit moderatus vt ſit virtus. Timor ergo hìc debet eſſe moderatus: timor enim hìc eſt virtus, ac proinde in medio duorum vitiorum extremorum, ſcilicet audaciæ durique cordis, quod impauidum nihil metuit, & nimiæ timiditatis poſitus: eſtq; animi ſapientis metus & cautio, qua omnia quæ contingere poſſunt, cautè præuidet & prouidet, necubi decipiatur, fallatur aut labatur: quare tutè & ſecurè in omnibus procedit cũ debita cautela, vt vertunt Septuag. Timor ergo hic non deſtruit, ſed efficit ſecuritatem, fiduciam & magnanimitatem. Sic mercatores cautè ineunt contractus, coëmunt merces, naues tranſmittunt, &c. vt pericula perdendæ ſortis euitent. Eamdem cautelam in commercijs adhibent ciues, opifices, ceteriq; prudentes viri, quia experientia docuit nimiam præfidentiam, temeritatem & audaciam multos decepiſſe & in ruinam egiſſe.

Denique piè & ſapienter S. Bernard. ſer. 54. in Cant. hanc gnomen accipit de timore conſeruandæ gratiæ. *In veritate*, inquit, *didici nil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo reuertetur, & hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Succedant viciſſim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundùm quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterũ placata redire ſentietur. Cùm adeſt, time, ne non dignè opereris ex ea. Hæc monet Apoſtolus: Videte, inquiens, ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis.* Idem epiſt. 87. ad Ogerium: *Nolo te illud tamquam nullum, vel paruum malum negligere: imò ſemper timere, ſemper pœnitere, ſemper ſecurum non eſſe; ſicut ſcriptum eſt, Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Vides certè quem timorẽ tibi incutere nitor: non qui tibi ſit laqueus deſperationis, ſed qui ſpem acquirat beatitudinis. Eſt ſiquidem timor inter illos triſtis, crudelis, qui veniam quia non quærit, non conſequitur. Eſt ſiquidem timor pius, humilis, fructuoſus, qui cuilibet, quantumlibet peccatori, facilè miſericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & ſeruat humilitatẽ, ſed manſuetudinem, ſed patientiam, ſed longanimitatem. Quem non delectat tam inclyta proles? Alterius verò miſera ſoboles eſt pertinacia, immoderata triſtitia, rancor, horror, contemptus & deſperatio. Non hoc ergo, qui deſperationem; ſed illo, qui generat ſpem, timens, ne non timeres, vel parum timeres, tuam tibi culpam ſic rememorandam eſſe putaui.*

LEO RVGIENS ET VRSVS ESVRIENS, PRINCEPS IMPIVS SVPER POPVLVM PAVPEREM] *Vers. 15.* Pro *vrſus* hebr. eſt דוב *dob*, quod Septuag. hìc & alibi vertunt, *lupus*. Pro *eſuriens* hebr. eſt שוקק *ſcokek*, id eſt *excurrens* præ fame ad diripiendum, deuorandum, putà *graſſans*; Pagnin. *auidus*; R. Salomon, *frendens*; Vatabl. *cum fremitu diſcurrens*; Chald. *clamans*, Septuag. *ſitiens*; Noſter, *eſuriens*; Aben Ezra, *more ferino diripiẽs*: præ fame enim & ſiti diſcurrit & graſſatur, vt famem ſitimque expleat. Pro *princeps* hebr. eſt מושל *moſcel*, id eſt, *dominator*. Pro impius eſt רשע *raſca*, quod Septuag. per apocopen legentes רש *ras* vertunt, *inops*, *pauper*; Septuag. ergo ſic habent, *leo rugiens & lupus ſitiens, qui cùm inops ſit, tyranniʒat gẽtem pauperum*; Chald. *leo rugit & vrſus clamat propter impium, qui dominatur ſuper populum pauperem*; Syrus, *vrſus dat vocem, quòd præficiatur iniquus populo pauperi.*

Rectè princeps impius & tyrannus comparatur leoni & vrſo, ſicut princeps pius comparatur cani

&

& paſtori ouium. Vnde Plato libr. 2. de Republ. *Exiſtimáſne*, inquit, *differre naturam generoſi canis, & generoſi principis ad cuſtodiam agendum? Quorſum hæc? Vtrumque ipſorum ſagacem oportet eſſe ad ſentiendum, & velocem ad inſequendum; ac demum robuſtum, cùm aſſecutus fuerit, ad pugnandum capiendumq́.*

Tyrannus ſimilis leoni & vrſo. *Primò.*

Princeps ergo ſimilis eſt cani vigili & cuſtodi gregis, tyrannus verò leoni & vrſo inuaſori. Primò, quia, ſicut leo ſuo rugitu percellit cetera animalia & ſtupefacit, itaque capit, rapit & vorat: ac ſicut vrſus frendens ſuo fremitu terrefacit hinnulos & porcos: ſic & princeps impius ſuâ terrificâ voce, minaci vultu, & impijs edictis terrorem incutit plebi.

Secundò.

Secundò, leonis & vrſi ſumma eſt immanitas & ſæuitia, præſertim raptis catulis, Oſeæ 13. 8. & cùm famem: ideoq́; præ fame leones rugiunt, vrſi frendent. Leones fament, quia alternis tantùm diebus comedunt, ob quartanam, qua perpetuò laborant, teſte Ariſtotele & Plinio. Vrſi autē, quia per hiemem latent, nihilque comedunt, ait Ariſtot. lib. 8. Hiſtor. c. 17. Inde ergo vrſo per hiemem exinanito in vere ſumma exiſtit inedia & fames, adeò vt omnia voret, etiam formicas & apes. Hinc ab Ariſtot. ibidem c. 5. vocatur omniuorus. Talis prorſus eſt tyranni immanitas, auaritia & cupiditas, vt ex omnibus rebus etiam vilibus & ſordidis captet lucrum, ſicut Veſpaſianus captabat ex vrina & ſordibus.

Tertiò.

Tertiò, in leone notatur tyranni crudelitas, in vrſo dolus & aſtutia. Vnde Plinius l. 8. c. 36. *Nec alteri*, inquit, *animantium in maleficio aſtutia ſolertior.* Hinc Apocal. 13. 2. Antichriſtus qui erit verſutiſſimus, comparatur vrſo. Et Thren. 3. 10. vocatur *vrſus inſidians:* quia, vt ait S. Ambroſ. l. 6. Hexam. c. 4. *plena fraudis eſt fera.* Et ante eum S. Baſil. hom. 10. Hexam. *Quoties*, ait, *dolus in anima doli fraudiſq́, concinnatrice ſibi delegit domicilium, nónne vrſo quodlibet in ſuo ſpelæo collatebrante eſt implacabilior?* Similiter lupi, vt vertunt Septuag. ſunt aſtuti & doloſi; nam ouilia oberrant, *ac ſomnum canum, abſentiam aut deſidiam paſtoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt citò ſtrangulent*, ait S. Ambr. in c. 10. Lucæ. Quin & hyæna, quæ certa eſt ſpecies lupi, paſtorum nomina audiendo ediſcit, eoſq; deinde per nomen ex ouili euocat, perinde ac ſi homo quiſpiam eos euocaret: prodeuntes deinde inuadit & ſtrangulat, ac mox ouile perrumpens in oues graſſatur. Similis eſt crudelitas & aſtutia tyrannorum.

Quartò.

Quartò, leo noxia inuadit animalia; vrſus innoxia, putà oues & agnos: ita tyrannus tam probos quàm improbos vexat, expilat & mactat. Vnde Antiſthenes apud Stobæum ſer. 49. tyrannum ait eſſe peiorem carnifice; quia inquit, carnifex occidit dumtaxat reos & ſceleratos; at tyrannus inſontes æquè ac ſontes.

Quintò.

Quintò, tam leo quàm vrſus ſymbolum eſt rapacitatis & iniuſtitiæ, quia aliena inuadit, & rapit, mactat & vorat. Rurſum leo reliquias ſui prandij vrſis, lupis & feris deuorandas relinquit. Sic tyrannus eſt rapaciſſimus & iniuſtiſſimus, ac ſimiles ſibi magiſtratus & officiales rapaces & violentos creat, vt tyrannidis ſuæ congruos habeat ſocios & adiutores, vt docet Plato l. 9. de Republ. Audi S. Ambroſ. ſerm. 59. *Aiunt plerique lupos leonum ſubſequi ſolere veſtigia, & non longè ab eorum venatibus oberrare, ſcilicet vt rabiem ſuam rapinâ ſatient alienâ, & quod ex leonum ſaturitate remanet, id luporum rapacitate conſumatur. Sic & iſti auaritiæ lupi prædonum veſtigia ſub-*

A *ſecuti ſunt, vt quod illorum rapacitate ſuperauit, horum cederet ſeritati.* Rurſum vrſa ſæuior eſt vrſo, teſte Ariſtot. ſic vxores & concubinæ tyrannorum ſæpe ſæuiores & rapaciores ſunt ipſis tyrannis.

Princeps non vendat officia.

Ex hac auri eſurie euenit, vt princeps auarus nil faciat gratis, ſed ob res quaſlibet poſcat munera, imò præfecturas & officia pretio diuendat; quâ ex re non modica ſequuntur in republicâ damna. Quocirca Baſilius Imp. Exhort. ad Leonem filiū c. 33. præſcribit ne officia diuendat: *Auro*, inquit, *& muneribus venales honores & dignitates caue ne habeas, ſed eas dignis largire gratis: qui enim magiſtratum pretio emit, ſubiectos illi magiſtratus multo magis emit, vt muneribus quæ dedit fretus, ipſe audaciùs munera capiat. Proba igitur atque explora diligenter, atque ita demū proueche eos, qui ſine muneribus ambiunt, ſi vis à republica* B *omnem ſordium & concuſſionis labem exulare.* Rationē neruoſam affert: *Nam qui dat*, inquit, *vt magiſtratū capiat, quæſtum ſibi à magiſtratu captat: dat enim vt ius capiendi habeat, contra leges hoc agens, vt nullis legibus teneatur. Qui enim magiſtratum mercari didicerit, is numquam munera capere dediſcet, & ſine muneribus aliquid facere numquam volet: te autem corruptionis & ſordiū habebit magiſtrum, quem debuerat habere vindicē. Neque ipſe ſolùm munera capiet, ſed eos etiam qui ſub ipſo erunt, munera capere coget.*

Sextò.

Sextò, leo & vrſus hinnulos, aliaſq; feras inter ſe dimicantes inuadunt, occupant & laniant: ſic tyranni gaudent ſubditorum diſſenſionibus, imò eas ſerunt & fouent, vt partem debiliorem iuuent, & fortiorem opprimant, quâ oppreſſâ debiliorem iam ſibi obligatam facilè occupant, vt facit Turca. C Vnde Ariſtot. libr. 5. Polit. c. 11. *Calumniari*, inquit, *inuicem, & amicos committere cum amicis, & plebem cum nobilitate, & diuites inter ſeipſos, & ſubditos ad paupertatem redigere, tyrannicæ eſt prauitas, vt neq; ſumptus fiat in cuſtodia, & illi quotidianis moleſtijs occupati vacare non poſſint ad conſilia contra tyrannos ineunda.*

Septimò.

Septimò; Septuag. pro *princeps impius* vertunt, *princeps inops*; vnde iudicant cauſam rapacitatis & auaritiæ principum eſſe, quod ſint inopes, tenues & pauperes, vel quia prodigi, vel quia auari & inſatiabiles, vel quia ex infima plebe emergunt, & ad principatum aſſurgunt. Quare vt inſignem ſuam inopiam leuent, imò impleant, minima quælibet exigunt, ac pauperes vectigalibus & tributis exhauriunt vſque ad oſſa. Princeps ergo cui domi- D natur paupertas, eidem ſæpè dominatur rapacitas & impietas. Hinc rurſum Septuag. eos comparant lupo ſitienti, tum quia inopes ſemper ſitiunt opes, ſuntque inexplebiles & inſatiabiles: tum quia lupus ſitit ſanguinem animalium, ideoq; guttur inuadit vt ſtranguler & ſanguinem hauriat: ſic tyranni ſitiunt ſanguinem ſubditorum, omniaq; cædibus & ſtragibus implent. Vnde Ptolemæus Philadelphus dicebat, in tyrannide cùm multa alia eſſe grauia, tum illud maximè quòd immeritos occidere cogatur vtilitatis ſuæ gratia. Ita Stobæus ſer. 49. Ibidem Ælianus: *Tyranni*, ait, *omnia ſuſpicantur & metuunt. Sciunt enim quòd ſicuti ſunt, ita & ipſi vitam omnibus debeant.* Quàm inopia ſit cauſa auaritiæ, ac proinde inopes nō eſſe præficiendos reip. pluribus oſtendi v. 3.

Octauò.

Denique leones, ac præſertim vrſi, pedibus valent, iiſque feras minores calcant, proterunt, peſſumdant: ſic tyranni maiores & potentes non audent

dent laceſſere, ſed pauperem plebem exagitant, & quaſi pedibus calcant & exterunt, quia nemo eis reſiſtere audet aut valet.

Exempla. Talis leo, vrſus & lupus pauperis plebis, præſertim Chriſtianorum, fuit Nero, Domitianus, Decius, Maximianus, Conſtantius, Iulianus. Vide S. Gregor. Nazianz. orat. in Iulian. S. Athanaſ. Luciferum Calar. & S. Hilarium contra Conſtantium. Talis ante Chriſtum fuit Nabuchodonoſor, de quo Ierem. c. 4. v. 7. *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit.* Et Ezechiel c. 19. 2. & ſeq. Ioachaz, Ioakim, Ioachin & Sedeciam reges Iuda cōparat leunculis, ac de Ioakim ait v. 6 *Qui incedebat inter leones, & factus eſt leo: & didicit prædam capere, & homines deuorare. Didicit viduas facere, & ciuitates eorum in deſertum adducere: & deſolata eſt terra, & plenitudo eius, à voce rugitus eius.* Vbi plures analogias leonis & tyranni aſſignaui. Hinc Bias interrogatus quodnam animal eſſet pernicioſiſſimum: *Silueſtriū,* inquit, *tyrannus, domeſticorum autem adulator.*

Myſticè, leo, vrſus & lupus eſt diabolus, tyrannorum omnium princeps, inuentor & choragus, cuius ſæuitia, aſtutia, cupiditas, nequitia, ſuperat omnem leonum & ferarum crudelitatem, dolum & voracitatem.

Verſ. 16. DVX INDIGENS PRVDENTIA, MVLTOS OPPRIMET PER CALVMNIAM: QVI AVTEM ODIT AVARITIAM, LONGI FIENT DIES EIVS] Hebr. *dux carens intelligentijs, multus oppreſſionibus; odiens auaritiam, prolongabit dies;* Chald. *& qui odit calumnias, prolongabuntur dies eius;* Septuag. *rex egens prouentuū, magnus ſycophanta; qui autem odit iniuſtitiam, longum tempus viuet;* Scholiaſtes pro *magnus ſycophanta* vertit, *abundans extorſionibus.* & addit, *Qui autem odit iniuſtitiam, vitam viuit;* Tigurin. *ſub ſtulto principe crebræ ſunt violentiæ: qui autem odit auaritiam* (Syrus *fraudem*) *diu imperabit;* Vatabl. *princeps carens prudentia, &* (id eſt, idcirco. q. d. Quia parum habet prudentiæ, ideo multum habet iniuriæ) *multus in iniurijs non prolongabit dies: at qui odit auaritiam, prolongabit dies.* Ex fine enim verſus exponitur eius principium: τὸ enim *prolongabit dies* per zeugma initio repetendum, & ob antitheſin negandum eſt, additâ negatione *non.* Alludit ad vrſum, cui teſte Plinio caput eſt debiliſſimum: ſic princeps oppreſſor, capite, id eſt, cerebro, iudicio & prudentia, eſt debiliſſimo.

Demonſtrat hæc ſententia, ait Ianſen. *qui ſint principes illi impij, qui ſe gerunt vt leones & vrſi, nempe qui indigent prudentia, qua intelligere deberent quod ſit eorum in ſubditos officium, & quâ in re ſit propriè ſita proſperitas, nempe ſi ſubditos habeant ſibi bene affectos, & amantes potiùs quàm metuētes. Qui ergo huiuſmodi caret prudentia, multos opprimet per calumniā, hoc eſt, per quamuis iniuriam, ideoq; multos ſibi faciet inimicos; vnde à ſuis deſerens facilè & ipſe ab hoſtibus ſuis opprimetur, vel, quod tyrannis ſolet euenire, à ſuis trucidabitur. Hoc enim in hac prima parte relinquitur intelligendum ex ſecunda parte. Qui autem odit auaritiam, & ideo non premit populum ſuum exactionibus, longi fient dies eius; ſiue, quòd Deus illius vitam propter pietatem prolongabit, ſiue quia talis à ſuis ſtipatus & dilectus, non ſolùm tutus erit à ſuorum inſidijs, ſed & ab hoſtium incurſu. Indicat ſententia errare principes, qui ad ſui tuitionem & conſeruationem vitæ ſuæ putant vndiquaq; cōparandas diuitias & opes, ideoq; multos expilant, numquam ſatiati.* Tales enim ſunt imprudentes & *deficientes intelligentijs,* vt habēt Heb. id eſt, multipliciter inſipientes, tum quia populum à ſe auertunt, cùm bonum principis ſit amare populum, & ab eo amari: tum quia cum expilando ſeipſos depauperant & expilant: opes enim principis conſiſtunt in opibus ſubditorum: tum quia rebellionis dāt cauſam, vt æmuli in eos inſurgant, imò totus populus eos vt tyrannos expellat, & principatu, vel etiam vita priuet, iuxta illud Poëtæ:

Ad generum Cereris (ad Plutonem, putà ad inferos) *ſine cæde & ſanguine pauci*
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Tyrannos enim paruo tempore viuere & regnare conſtat ex hiſtorijs & iugi experientia. Vnde ipſi omnia formidant: ſciunt enim quòd vt ſues vitam ſuam multis debeant, vti paulò antè dixi. Hinc Thales ex longâ peregrinatione domum rediens, rogatus quid in ea noui vidiſſet: *Vidi,* inquit, *tyrannum ſenem,* quaſi id prodigioſum eſſet, inauditum, & penè miraculum. Ita Plutarch.

Sycophanta quis? Porrò Septuag. vertunt, *rex egens prouentuū magnus ſycophanta,* id eſt, rex auarus, opumque auidus, eſt calumniator, oppreſſor, & expilator populi. Sycophanta enim ad literam idem eſt quod obſeruator & delator eius qui ficos furto ſuſtuliſſet, ita dictus ἀπὸ τοῦ σῦκα φαίνειν, id eſt, ab indicando eum qui ficos ederat: hinc ſycophanta pro mendace, cauillatore, quadruplatore & fraudatore ponitur. Quod hinc originē habuit. E duobus ſeruis Græci cuiuſdam viri alter ficus, quæ domi paratæ erant, abſumpſerat: alter quis eas abſtuliſſet, ignorabat. Quærenti eas domino ſons innocentem accuſabat. Herus vt veritatem exploraret, haurire vtrumque ſubtepidam aquam iuſſit, deinde euomere. Tunc primum ſycophantæ ortum vocabulum: eo ita appellato qui ficos deuorauerat, culpamq; in innocentem cauillando ac mentiendo reiecerat. Feſtus, *Sycophantas,* inquit, *appellatos hac de cauſa dicunt, Atticos quondam iuuenes in hortos irrumpere ſolitos, ficoſq; deligere; quam ob cauſam lege conſtitutum fuiſſe, vt quicumque id feciſſet, capite plecteretur. Hanc igitur pœnam qui perſequerentur ob paruula detrimenta ſycophātas, hoc eſt ficorum edones, eſſe appellatos.* Hæc Sipontinus. Sycophantas ergo ad verbum vertas ficoſos, ficorum ſtudioſos, ficos numerantes, ficorum cuſtodes, ficis viuentes, de ficis calumniantes. Feſtus & Athenæus l. 3. Dipnoſop. teſtantur Athenis pœnam capitis conſtitutam ijs qui ficos furto tollerent, hinc ſycophantia vocatur calumnia, delatio falſa, accuſatio, dolus & circumuentio.

Talis ſycophanta fuit Conſtantius Imp. qui teſte Marcellin. l. 14. delatoribus non tantùm dictorum & factorum, ſed & ſomniorum aurem præbebat. Præcipuè verò indulſit Mercurio cuidam qui ſe ſpecie familiaritatis conuiuijs admiſcebat, & ſi quis nocturnum viſum effutiſſet, deprauata narratione ad Conſtantium deferebat, adeò vt vix quiſpiam auderet fateri ſe dormiſſe, ac docti ōnulli ſortem ſuam deplorarent quòd apud Atlanteos nati nō eſſent, vbi negant videri ſomnia: quod & Stephanus fatetur in dictione *Atlantes.*

Sycophanta Iulianus Apoſtata. Maximus ſycophanta fuit Iulianus Apoſtata Conſtantij conſobrinus, qui miris artibus & dolis Chriſtianos circumueniebat, ac inter alia ſpoliabat eos bonis eo titulo, quòd ipſi ea è templis Gentilium rapuiſſent. Cumque id falſum eſſe oſtenderent, *Chriſtus veſter,* inquiebat, *vobis paupertatem conſuluit, & beatos pauperes prædicauit, eiſq; regnum cælorum promiſit: obedite ergo Chriſto & legi veſtræ, ac cedite mihi*

mihi opes veſtras. Ita inuaſit prædia B. Gallicani, qui fuit gener Conſtantini Magni: ſed Chriſtus ſycophantiam detexit, imò vltus eſt: quotquot enim Gallicani prędia inuadebant, corripiebantur à dæmone, aut lepra tacti recedebant. Ita habet Vita B. Gallicani, & Baron. anno Chriſti 362.

Rex pauper eſt ſycophanta. Primò. Igitur *rex egenus prouentuũ magnus eſt ſycophanta*; Primò, quia auarus vilis & abiecti eſt ingenij, ideoque opibus ſubditorum per fraudem inhiat; cùm verus *rex non ſit*, inquit Ariſtotel. l. 8. Ethic. 10. *niſi ſit ex ſe ſufficiens, & bonis omnibus antecellat. Talis autem nullius indiget rei.* Subditos ergo potiùs ditat quàm ab eis ditetur. *Secundò.* Secundò, quia leui de cauſa eis litem intentat, vt ſycophanta ob ficus, captatque legum tranſgreſſiones, imò earum occaſiones ſuggerit, vt tranſgreſſores grauiter mulctet, & bona eorum ſibi vendicet & confiſcet. *Tertiò.* Tertiò, quia cauillatur & falſa crimina ſubditis imponit, aut ſubtili legum interpretatione culpam eis inijcit vbi verè non eſt culpa, teſte Ariſtot. l. 3. Polit. c. 6. idque facit per prætextus & ſpecies honeſtatis, nimirum falſa fucis, turpia phaleris indigent, hoc eſt, *Putre ſalſamentum origano* vel *aceto*, vt vulgò dicitur. An non talis ſycophanta?

Rex moderetur tributa minuendo ſumptus. Quocirca Phauorinus apud Stobæum c. 45. hoc ſycophantiæ & auaritiæ dedit remedium: vt non augeas tributa, minue ſumptus. *Si plura præſentibus deſidero*, inquit, *demam aliquid de præſentibus, & præſentia mihi ſufficiunt.* Hinc & Baſil. Imper. exhortat. ad Leonem filiũ c. 27. inculcat ei pecuniæ contemptum, & iuſtam vectigalium moderationem. Et Agapetus Diaconus in Admonitorio ad *Cautio.* Iuſtinianum Imper. c. 47. *Tutiſſimam*, inquit, *arbitrare ſalutis tuæ cuſtodiam, nulla quemquam ex ſubditis afficere iniuria; qui enim offendit neminem ſuſpicioni habet neminem. Quòd ſi nulla quemquam afficere iniuria tutelam conciliat, longè magis beneficijs collatis id præſtabit; nam vt tutelam exhibet, ita charitatem non prodit.* Plutarch. *Nullum*, ait, *firmius principi præſidium, quàm vera & conſtans beneuolentia.* Philo: *Deus nullius indiget; rex ſolius Dei. Imitare igitur eum qui nullius eget, ac largiter impertire potentibus miſericordiam, non ſummo iure, nec reſtrictione cum ſupplicibus agens, ſed omnibus quæ ad vitam degendã pertinent petentibus præbens.* Agathon: *Tria meminiſſe decet magiſtratum: primò, ſe hominibus imperare; ſecundò, ex legibus imperare; tertiò, non* *Munia regis veri.* *ſemper imperaturũ eſſe.* Diodorus: *Regem bene ſuo munere fungentem decet eſſe iuſtum, magnanimum, veracẽ & liberalem in largiendo ac quauis cupiditate maiorem: ſupplicia leuiora delicto, gratiam autem maiorẽ beneficio referre tum ſubiectis, tum amicis.* Auſonius: *Nitidecet vt ſubiectis venerabilis magis, quàm terribilis eſſe videaris: illud enim grauitas, hoc verò feritas comitatur.* Hæc refert Anton. in Meliſſa p. 2. c. 1.

VERS. 17. HOMINEM, QVI CALVMNIATVR ANIMÆ SANGVINEM, SI VSQVE AD LACVM FVGERIT, NEMO SVSTINET] Pro *lacum* hebr. eſt בור *bor*, id eſt ciſterna, puteus, lacus, ſumiturque pro ſepulcro & inferno. *Calumniatur*, id eſt per calumniam aut vim opprimit, & effundit *ſanguinem animæ*, id eſt ſanguinem, in quo eſt anima, id eſt vita. Eſt periphraſis homicidæ. Hebr. enim עשק *aſac*, id eſt *calumniatur*, ſignificat opprimere, vim inferre, fraudare, vi extorquere, per calumniam vim aut dolũ eripere: ſæpè enim quis occidit alium non gladio transfodiendo, ſed falſum teſtificando, vti faciunt falſi teſtes; aut iniquam capitis ſententiam ferendo, vti faciunt peruerſi iudices; aut apud princi-A pem alium vte potentem falsò accuſando, vt ab eo occidatur, vti faciunt inuidi & detractores, qui omnes ſunt homicidæ non phyſicè feriendo, ſed ethicè per calumniam curando vt ab alio interimatur. Hoc ſignificat Hebr. *aſac*, id eſt *calumniatur*. Iam

Primò, Rabbini ſic exponunt. R. Leui, q. d. Homicida ob multitudinem eorum, qui eum inſectabuntur vt capiant & plectant, ita diffugiet, vt ad ſepulcrum deſcendat, neque quiſpiam ſit qui cadentem ſuſtineat auxiliumq; ferat. q. d. Omnium odio & inſectationi erit expoſitus. R. Salomon: Homicida neque ab æthere, neque à terra, neque ab vllo hominum ſuſtinebitur, quin in lacum gehennæ trudatur. Aben Ezra: Qui violentus eſt in ſanguinem animæ, parricida nimirum & cædis patrator, à ſuis flagitijs in huiuſmodi calamitatem B detrudetur, vt in foueam deſcendat necem ſibimet illaturus, ſeque in calamitoſum locum cõiecturus, neque verò vllus exiſtat à quo reuocetur. Rurſum q. d. Quia à ſeipſo & à diuitijs ſuis ſupplãtatus fuerit, propterea quòd humanum ſanguinem effuderit, donec in ſepulchrum inferatur ſedes mutans; hinc inde diffugiet ſibi ipſi maximè timens. Nemo enim hunc cùm ceciderit ſuſtinet, nec vlla in eum miſeratione mouetur, eò quòd diuinam imaginem in homine, quem occidit, labefactarit. Hæc Aben Ezra.

Secundò, Syrus vertit, *vir qui conſcius eſt ſanguinis animæ, ad electos confugiet, & non adiuuabunt illum.* Hebr. enim בר *bar* (vnde בור *bor*) purum, nudum, electum ſignificat. q. d. Homicida qui ſibi eſt conſcius effuſi ſanguinis, implorabit opem electorum tum cælitum, putà angelorum & Sanctorum, tum C terrigenarum, putà hominum piorum & miſericordium; at nemo à pœna liberabit eum. Omnes enim exhorrent homicidium & homicidam, cupiuntque illum tanti ſceleris tam humano generi noxij, pœnas luere.

Tertiò, Septuag. vertunt, *qui in cauſa cædis pro altero ſpondet* (qui ſe vadem dat iudici pro homicida) *& exilio mulctabitur* (cùm homicida metuens pœnam capitis non ſe ſiſtet, ſed fugiet & in latebras ſe abdet) *& nulla vmquam ſecuritate potietur.* Amici enim & parentes occiſi eum vt homicidã, pro quo ſpopondit, perſequentur, & iugiter laceſſent.

Quartò, Chald. vertit, *filius hominis qui ſollicitus eſt de ſanguine animæ, ſi vſque ad lacum fugerit, non comprehendent eum.* q. d. Homo ſanguinis effuſi reus, ideoq; ſollicitus & anxius, cito fugiat in antra, ſpe-D cus & foſſas, v. g. in fodinas auri, argenti, æris, carbonum, quales ſunt Leodij, vt ibi ſe abſcondat, tamen nec carbonarij, nec ceteri qui in fodinis ſunt aut laborant, eum recipient, ſed vt communẽ hoſtem propellent, verentes ne & ibi quempiam ex ipſis occidat.

Quintò, Vatab. vertit, *qui violenter*, vel *per violentiam, ſanguinem fuderit, vſque ad ſepulcrum fugiet, & non retinebunt eum.* q. d. Homicida ſeſe in certum mortis periculum, vt à iudice, vel à cognatis eius, quem occidit, necetur, ſe conijcit, nec quis ab eo illum eripiet. Rurſum *ad ſepulchrũ fugiet*: quia multi homicidæ conſcientia ſceleris adacti, ſeipſos occidunt, aut iudici occidendos tradunt, vti Iudas proditor Chriſti ſeipſum ſuſpẽdit. Iuſtè enim qui aliorum fuit, etiam ſuipſius fit carnifex. hæc enim cõgrua eſt ſceleris talio, Deique vltio.

Sextò, Lyran. q. d. *homicida ſi vſque ad lacum fugerit,*

gerit, id eſt ſi vſque ad mortem & ſepulcrum pœnitere diſtulerit, *nemo ſuſtinet*, id eſt nemo poteſt ei auxiliari: quia poſt mortem non eſt locus pœnitentiæ & gratiæ. Verum hoc myſticum eſt.

Septimò, Pagnin. & Baynus vertunt, *homo oppreſſor in ſanguine animæ*, id eſt qui violenter alteri animam ex ſanguine & corpore per homicidium extorſit, *ad foueam fugiet*, putà ad antra & cauernas, vt ibi lateat ne teneant eum: ne ſcilicet eum capiãt & iudici plectendum ſiſtant. Spiritaliter multi homicidæ pœnitentes fugerunt ad antra & ſpeluncas, ibique tota vita auſteram egêre pœnitentiam, & ſancti euaſere, vti latro conuerſus ab Abbate, Apollo apud Pallad. in Lauſiaca c. 52. & alius apud Moſchum in Prato ſpiritali c. 166. & alius apud Ruffinum c. 16. quem S. Paphnutius per viſum vidit ſibi meritis æquari. Sic ſpiritaliter S. Magdalena, S. Pelagia, S. Maria Ægyptiaca, &c. quæ ſuis illecebris multorum animas occiderant, pœnitentes in antris vitam duxere angelicam. Mirum eſt quod de Maria infanticida ſcribit Ioãnes Moſchus in Prato c. 76. ſcilicet eâ fugiente ad nauim, eam ſtetiſſe vt nequiret progredi: eâ deinde in ſcaphã expulsâ & ſubmerſâ, nauim curſum ſuum perfeciſſe. Idem c. 166. narrat latronem quemdam pœnitentem monaſterium adijſſe, ibique monachum effectum ſpectrum pueri vidiſſe, dicentis: *Cur me occidiſti?* quare ad ſæculum redeuntem poſtero die decollatum fuiſſe. Ita vltio homicidas ſequitur vſque ad aras.

Octauò, noſter Salazar ingenioſè, vt ſolet, per *lacum* accipiens puteum, cenſet hîc alludi ad ritum veterem, quo ij qui alios iuſtè vel iniuſtè occiderant, lauabant manus, vt quaſi contaminati ſanguine effuſo eum abluerent, itaque puri ad aras & ſacra accederent, vti Pilatus lauit manus in condemnatione Chriſti. q. d. Homicida ſi priuatus ſit, erit omnibus execrationi, vt etiamſi fugiat ad puteum, eiuſque aquis ſe abluat, omnes tamen eum deteſtentur: ſin dux ſit aut princeps qui multorũ ſanguinem fudit, & contra ius ſalque innocentes capite damnauit, *ſi vſque ad lacũ effugerit*, etiamſi quotidie acceptis ex lacu aut puteo copioſiſſimis aquis manus ſuas luſtrauerit, *nemo ſuſtinet*, id eſt durum ipſius imperiũ ſubditi tolerare non poſſunt, atque adeò illum aut imperio aut vita priuant.

Homicidam omnes perſequuntur, etiam beſtiæ.

Nonò ſolidè & genuinè. q. d. Homicida quaſi peſtis communis humani generis, ita eſt omnibus exoſus & execrabilis; vt lucem, ſolem, hominesq́; fugiat; quin ſub terra in antra ſe abdat, vt velut ſocius ferarum cum eis habitet, quas feritate ſuperauit: nec tamen ibi erit tutus, ſed vbique pauidus & tremẽs, inſtar Caïn parricidæ profugus, omnes auræ foliorumq́; ſibilos, omnes auium garritus, omnem auræ ventiq́; ſtrepitum expaueſcet, velut qui ſit odium Dei & hominum, ideoq; ab hominibus neci deuotus, vt tamquam iuſtitiæ victima, vindictæ diuinæ & humanæ ſuo ſanguine parentet; quin & beſtijs inuiſus ab eis neci dedatur aut prodatur.

Exempla.

Exempla ſunt in Ibyco, qui cùm à latronibus in ſolitudine occiſus eſſet, grues eos qui auctores erãt ſceleris prodiderũt, qui & ſcelus morte luerunt. In Beſſo, cuius parricidium hirundines euulgarunt. In canibus, qui homicidas Pyrrhi & Heſiodi allatrarunt, itaq; prodiderunt: & in alijs pluribus quos recenſet Plutarch. l. de Sera numinis vindicta. Hinc leges ciuiles parricidio pollutis viuentibus adimunt elementa quatuor, dum iubent culeo inſutos inter fera animalia ſine vſu elementorum interire, vtpote qui eorumdem vſum ſuis parentibus ademerint, ideoq́; ſint homines ſcelesti & catharmata mundi.

Hoc eſt quod ſeuerè ab olitanis ſæculis ſanxit Deus Geneſ. 9. 5. *Sanguinem animarũ veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, &c. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Vide ibi dicta.

Qvi ambvlat simpliciter, salvvs erit, (hebr. *ſaluabitur:*) qvi perversis graditvr viis, concidet semel] Hebr. *& peruerſus in vijs* (Caietan. *tranſuerſans vias*) *cadet in vna*; Chald. *& cuius inuerſæ ſunt viæ, corruet ſemel*; Septuag. *qui ambulat iuſtè, adiutus eſt; qui autem peruerſis vijs graditur, implicabitur*: vel, vt clariùs vertit interpres Catenæ Græc. *caue obſequaris genti iniquæ. Qui ambulat iuſtè, auxilium conſequetur: qui autem graditur vijs peruerſis, erroribus & tricis implicabitur*; Syrus, *concidet in foueam.* Verſ. 18.

Senſus eſt clarus. q. d. Qui in ſuis actionibus, quæ ſunt quaſi viæ huius vitæ, procedit ſimpliciter, hebr. תמים *tamim*, id eſt innocenter, innoxiè, candidè, integrè: hîc eſto in obtrectatores, æmulos, aliaq; damna & pericula, quę parit miſera hęc vita, incidat; tamen Dei ope ex illis ſaluabitur, & incolumis euadet; at verò qui in actionibus ſuis procedit prauè, diſtortè, malignè, doloſè; eſto ad tempus illæ proſperè & ex voto ſuccedant; tamen tandem in vna eorum corruet irreparabiliter, nimirum in aduerſitates incidet, è quibus emergere & reſurgere non poterit. Ergo τὸ *concidet ſemel*, duo ſignificat, Primò, q. d. Corruet in vna machinatione ſua, vt ſuis artibus doliſque capiatur; Secundò, corruet irreparabiliter. Ita Aben Ezra, R. Salomon & alij. Aliter R. Leui: corruet *ſemel*, id eſt *ſemper*: cùm enim, inquit, vna ſit via virtutis & boni, multæ verò ſint viæ vitij & mali, peruerſus autem viam boni deſerat, neceſſe eſt vt viam mali capeſſat, in eaque in malum corruat.

Antiſtropha Salomoni eſt gnome Iſaiæ c. 43. 2. *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus.* vide ibi dicta. Ita tres pueros Hebręos Deus in igne Babylonio illæſos ſeruauit, Daniel. 3. ac Ionam in ventre ceti. Idẽ Hebræos per mare rubrum quaſi per aridam deduxit, ſubmerſo in eo Pharaone inſequẽte. Exodi 14. Ioannes Moſchus in Prato c. 2. narrat ſenem quemdam tantæ virtutis fuiſſe, vt leones ſecum in eâdem ſpelunca ſuſciperet, cum eis ambularet, & cibum eis in ſuo ſinu præberet. Et c. 18. narrat vitam alterius ſenis, qui cum leonibus paſſim dormiebat. *Die vero quadam*, inquit, *tulit duos leonis catulos in eccleſiã, dicens fratribus. Si mandata Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiremus, iſta animalia profectò nos timerent: ſed propter peccatum ſerui effecti, nos illa timore comprobamur.*

Qvi operatvr terram svam, satvrabitvr panibvs: qvi avtem sectatvr otivm, replebitvr egestate] Hebr. *qui vanos* vel *vacuos*, id eſt otioſos, *ſectatur, ſatiabitur paupertate*; Syrus, *qui ambulat poſt vanitatem* (otium vanum) *ſatiabitur egeſtate.* Eſt elegans antitheſis. q. d. Operans ſatiatur eſu panũ, otioſus verò ſatiatur, id eſt repletur, ſuâ fame & inediâ: laborãs abundabit opibus; piger & deſes abundabit & conficietur inopia. Verſ. 19.

Hanc

Hanc gnomen audiuimus c.12. 11. vbi eam abundè explicui.

Myſticè de otio ſpiritali bonorũ operum hanc gnomen exponit Caſſianus li.10.de ſpiritu acediæ cap.2. *Otioſus*, inquit, *replebitur paupertate, vel viſibili ſcilicet, vel inuiſibili, quia neceſſe eſt otioſum quemque è diuerſis vitijs inuolutum teneri, & alienũ ſemper exſiſtere à contemplatione Dei, vel diuitijs ſpiritualibus, de quibus*
1.Cor.1.5. *beatus Apoſtolus: Quia in omnibus*, inquit, *diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia.* Si hæc eſt otioſorũ paupertas, laborantium diuitiæ in verbo & in ſcientia conſiſtunt, nõ in verbo quod aërem verberet, neque in ſcientia, quæ mentem inflet, & in ſuperbiam efferat; ſed in verbo, quod mentes erudiat, & in ſcientia quæ doctorem ipſum & audientes ædificet. Hæc diuitijs ſtrenui operatores ignorantes docent, frigeſcentes accendunt, puſillanimes roborant, & ſibimetipſis nouos meritorum theſauros accumulant.

Vers.20. VIR FIDELIS MVLTVM LAVDABITVR: QVI AVTEM FESTINAT DITARI, NON ERIT INNOCENS] Hebr. *vir verax*, vel *fidelis, multus in benedictionibus*; Aquila, *vir fide faciens*; Chal. *viri fidelis multæ benedictiones*, Syrus, *fidelis benedicetur*) *qui cucurrerit in iniquitate vt ditetur, non erit innocens*; Sept. *vir fidelis multum benedicetur: malus autem non erit impunitus.*

Benedictio duplex eſt, verbalis & realis: verbalis, eſt laus & boni apprecatio; realis, eſt rerum copia; hinc duplex oritur ſenſus.

Prior, q.d. Qui fidelis eſt in actionibus, ac cum fide negotiatur, hunc omnes laudabunt, eique omnia bona acclamando apprecabuntur: qui verò feſtinat ditari, ideoq; dolis & fraudibus per fas & nefas opes corradit; hic non erit innocens, ſed vt nocens & fraudator culpabitur & damnabitur ab omnibus. ita Vatabl.

Poſterior, q.d. Qui fidelis eſt in ſuis negotijs, hic *multus erit in benedictionibus*, id eſt cumulabitur rerũ copia vt opibus circũfluat: Deus enim omnia eius negotia proſperabit, vt quotidie eius fortunæ promoueantur & creſcant: qui verò per fraudes & vſuras feſtinat ditari, hic non erit innocens, id eſt impunitus, quia opibus non tantùm ſperatis, ſed & quas habet priuabitur & depauperabitur.

S.Greg. exponit: *Non erit innocẽs*, ſcilicet à peccato. Audi eum 3.p. Paſtor. admon.21. *Cùm repleti homines cunctis ſimul opibus inardeſcunt, audiãt quod ſcriptum eſt: Qui feſtinat ditari, non erit innocens. Profectò enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus, cùm eſcam terrenarum rerum auidè conſpicit, quo ſtrangulетur, peccati laqueum non agnoſcit.* iuxta illud Pauli: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, 1.Tim.6.9. Huic gnomæ ſimilem audiuimus c.13.11.& c.20.21.vbi eam explicui.

Vers.21. QVI COGNOSCIT IN IVDICIO FACIEM, NON BENEFACIT: ET (id eſt *quia*) ISTE PRO BVCCELLA PANIS DESERIT VERITATEM] Hebr. *cognoſcere faciem*, aut *vultum, non bonum: & ſuper buccellam panis præuaricabitur vir*; Chald. *æſtimare faciem non eſt bonum, & pro buccella panis peccabit vir*; Sept. *qui non reueretur facies iuſtorum, non eſt bonus, qui talis eſt buccella panis vendit virum.* ita Complut. Regij cæterique; quare in Vatican. mendosè pro *vendit virum*, irrepſit, *vendit vinum*; Syrus, *ob buccellam panis prodit virum.* Noſter pro *virum* vertit, *veritatem* paraphraſticè, quia cùm deſeritur veritas in iudicio, proditur & perditur vir, qui in eo falsò & iniuſtè damnatur; *To in iudicio* non eſt in Hebræo, ſed ſubintelligitur, quia acceptio perſonarum maximè cernitur, maximeque nocet in iudicio.

Priorem partem huius ſententiæ audiuimus ca. 24.23. Senſus eſt. q.d. Accipere perſonam præſertim in iudicio, vt propter munera vel amicitiam amico adiudices cauſam, quæ parti aduerſæ ex iuſtitia erat adiudicanda, non eſt bonum, imò grande malum & nefas. Eſt meioſis. Nam, vt ait Cicero: *Exuit perſonam iudicis, quiſquis amicum induit.* Oportet ergo vt iudex clauſis oculis iudicet, nec vllius perſonam recipiat. Hac de cauſa Areopagitæ iudicabant in tenebris noctu. Rationem ſubdit: *Et*, id eſt quia talis *pro buccella panis deſerit veritatem*, id eſt pro re parua paruique pretij & momenti veritatẽ cõmutat in falſitatem, æquitatem in iniquitatem, dum in gratiam amici falſam & iniuſtam contra partem aduerſam profert ſententiam. Omnis enim res eſto in ſe pretioſa, vilis eſt, ſi cum pretio veritatis & iuſtitiæ comparetur. Adde non pauci iudices iniqui pro re vili, vt pro munere vnius hœdi vel agni, peruertunt iuſtitiam. Adeò vilis eſt eis animus, vilis fides, vilis honos, vilis iuſtitia. Hoc eſt quod queritur Deus Ezech.13.19. *Violabant me*, inquit, *apud populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis*, perinde ac aues & piſces capiuntur hamo per micam panis: per illam enim adeſcati vnco lethifero os inſeruntur; aut ſicut oues quæ fruſto panis à lanione ducuntur ad macellum vt mactentur. Quare licet nonnulli Doctores aſſerant licere iudicibus accipere eſculenta & poculenta; id tamen taxat hic Salomõ; quia ſubinde ob ea peruertitur iudicium. Hinc Iuſtinianus Imper. §. *Oportet*, de mandat. princip. Authent. coll.3. ſanxit, *vt* præfecti & iudices *nullum omnino, neque maius, neque minus donum* accipiant. *Oportet*, inquit, *te purè ſumentem adminiſtrationem, & ſine omni ſuffragio, & præ omnibus alijs mundas ſeruare manus Deo, nobiſq; & legibus, & nullum contingere lucrum, neque maius, neque minus*, &c.

De turpitudine acceptionis perſonarum, æquè ac munerum, dixi c.24.23. & alibi: per hæc enim corrũpitur & quaſi conſtupratur Aſtræa, id eſt iuſtitia, quã veteres inſtar virginis integerrimæ pingebant; vnde illud: *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam, ſic qui facit per vim iudicium iniquum*, Eccli.20.2. vide ibi dicta.

VIR QVI FESTINAT DITARI, ET ALIIS INVIDET, IGNORAT QVÒD EGESTAS SVPERVENIET EI] Vers.22. Hebr. *feſtinus ad opes vir mali oculi, & non ſciet quòd egeſtas veniet ei*; Chald. *qui feſtinat ad ſubſtantiam, vir eſt oculi nequam*; Septuag. *feſtinat diteſcere vir inuidus, & non nouit quòd vir miſericors obtinebit eum*; Syrus, *feſtinat ditari oculo inuido.* Oculus nequam eſt oculus auari, qui vt ſe ditet, alijs lucrum inuidet & ſurripit, vt illud ad ſe deriuet, iuxta illud de auaro: *Nequius oculo quid creatum eſt? ideo ab omni facie ſua lacrymabitur*, Eccli.31.15. vide ibi dicta.

Significat Salomon auaritiam parere inuidiam, ac viciſſim inuidiam parere auaritiam; quocirca omnis auarus eſt inuidus, & omnis inuidus auarus vide S.Chryſoſt. homil.63. in Ioan. *Grauis*, inquit, *quidam affectus eſt inuidia: hic orbem terrarum innumeris impleuit malis. Hinc iudicia complentur, hinc honores & pecuniarum amor.* Et paucis interiectis: *Hic morbus auaritiam peperit, quæ omnia confudit, & iuſti-*

tiam corrupit. Dona enim excæcant oculos ſapientum, & tanquam frænum ori, auertunt & cohibent teſtimonia. Et S. Aug. tract. 8 in Ioan. *Si vis ditior eſſe quā alius homo, inuidebis ei, cùm videris tibi illum æqualem. Debes ergo velle omnes homines tibi æquales eſſe.* Et in pſ. 125 *Nemo,* inquit, *inuidet alteri in eo quod non vult vel eſſe, vel videri. Alius tibi inuidet, quia diues es, hic autem aut diues vult eſſe, vt tibi inuideat, aut diues putari vult.* Quocirca idem Auguſtinus ſæpè inculcat, efficax contra inuidiam pharmacum eſſe opum contemptum. Neruoſiùs S. Cypria. tract. de Zelo & liuore: *Latè patet,* inquit, *zeli multiplex & fœcūda pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum: inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorē. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana reducente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, iudicij dies non prouidetur.* hæc & alia multa Cyprian.

Inuidia damna.

ET IGNORAT QVÒD EGESTAS SVPERVENIET EI] quia auaritia excæcat cor eius æquè ac inuidia, atque ideo in corradendis diuitijs per fas & nefas finem nō facit. *Egeſtatem* accipe tum temporalem in hac vita, tum ſpiritalem in gehenna, vbi diues Epulo à Lazaro popoſcit guttam aquæ, nec accepit. *Iuſtè* enim *non accipit guttam, qui Lazaro negauit micam,* ait S. Aug. Porrò cauſas huius egeſtatis recenſui c. 13. 11. ad illa: *Subſtantia feſtinata minuetur.* Hîc alia cauſa innuitur, nimirū inuidia: cùm enim ipſe inuideat alijs, alij viciſſim inuident ipſi, ideoque ab eo lucrum auertere, eumque depauperare ſatagunt. Adde, iuſto Dei iudicio fieri, vt auarus inuidens alijs vt ſolus emineat & diteſcat, ceteri verò depauperentur, talione puniatur, nimirum vt ceteri diteſcant, ipſe ſolus depauperetur.

Sept. pro חסר *cheſer*, id eſt egeſtas, legentes חסד *cheſed*, id eſt pietas, miſericordia; vel potiùs חסיד *chaſid*, id eſt pius, miſericors, vertunt, *feſtinat diteſcere vir inuidus, & non nouit quòd miſericors obtinebit eum.* q.d. Auarus inuidens alijs lucrum, ſatagit coaceruare opes, & neſcit quòd Deus in pœnam auaritiæ illas auferet ab eo, & tranſcribet in virum liberalem & miſericordem, qui in pauperes à quibus extortæ ſunt, eas refundat, iuxta illud v. 8. *Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.*

VERS. 23. QVI CORRIPIT HOMINEM, GRATIAM POSTEA INVENIET (aliqui legunt, *gratiam audiet*) APVD EVM, MAGIS QVAM ILLE QVI PER LINGVÆ BLANDIMENTA DECIPIT] Hebr. *arguens hominem poſt me, gratiam inueniet magis quàm blandiens lingua;* Chald. *qui corripit filium hominis, gratiam inueniet coram eo, magis quàm ille qui biſidus eſt linguas;* Septuag. *qui corripit hominis vias, gratias reportabit magis illo qui lingua gratificatur;* Aquila, *præ deliniente linguam.*

Pro *poſtea* Noſter legit אַחֲרֵי *achare*, id eſt poſt, poſtea; iam alio puncto legunt אַחֲרַי *acharai*, id eſt poſt me; R. Ioſeph. Kimchi apud Pagnin. legit אֹחֲרִי *ochari*, vt ſit *benoni* cum *iod* paragogico, id eſt retro auerſum, tardantem, retrocedentem, reſiliētem, ſcilicet à lege Dei, vnde vertit, *qui increpat hominem, qui retrocedit* (à via Dei, virtutis & legis) *gratiam magis inueniet, quàm is qui blanditur lingua;* Aben Ezra & Vatablus, *qui corripit hominem poſt me,* inquiunt, vt me meaſque leges ſequatur, vt ſint hæc verba Dei, aut Salomonis iubentis contra has ſuas leges peccantem corripi, & iuxta eas emendari corrigique. Baynus verò *τὸ poſt me* exponit. q.d. Qui peccantem acriùs corripit, gratiam correpti inibit, perinde ac ego Salomon prauos ſubditorum mores grauiùs caſtigare ſoleo, & tamen ipſis pergratus ſum.

Verùm anteferenda eſt Vulgata verſio, quæ commodiorem dat ſenſum. q. d. Qui corripit errantem, initio acerbitate correptionis eum mordet, affligit & cruciat, ſed vbi correptionis fructum correptus percipit, gratè eam accipit, imò corripienti gratias agit, vt vertunt Sept. quia per correptionem videt ſe mores prauos in probos commutaſſe, itaque euitaſſe grauia damna & pericula famæ, fortunarum, vitæ & gehennæ: at verò adulator blanda & ſuauia propinans eſto initio delectet, tamen poſtea vbi auditor eius rixas & damna perſenſiſcit, eum odit & deteſtatur. Adulator enim eſt *biſidus lingua*, vt vertit Chald. quia quaſi duplicem habet linguam, vnam, quâ præſens adulatur, aliam, quâ abſens calumniatur, vnam, quâ blanditur; aliam, quâ mordet: vnam, quâ lambit; aliam, quâ pungit. Huc facit illud cap. 27. 6. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* vide ibi dicta.

Ita videmus viros probos parentibus & magiſtris gratias agere, quòd in pueritia & adoleſcentia prauos ſuos mores & laſciuas cupiditates caſtigarint, ac ingenuè confiteri: Niſi me corripuiſſes, ô pater; niſi me caſtigaſſes, ô magiſter, perdidiſſem meipſum, ad furcam, imò ad gehennam iuiſſem: tibi ergo debeo meā probitatem, vitam, ſalutem. Ex aduerſo multi dum ob ſcelera ducūtur ad furcam, & plures in gehenna, maledicunt parentibus & magiſtris, quòd ſe malè agentes non corripuerint, dicūtque: Maledictus ſit pater qui me genuiſti, maledicta mater quę me peperiſti; quia ſi à puero mea vitia caſtigaſſes, non euaſiſſem prędo, adulter, homicida, nec torquerer in gehenna cum dæmonibus, ſed regnarem in cælo cum angelis.

Porrò initio moleſta cuilibet eſt correptio, vti declarat apologus, quem refert noſter Pontanus volum. 3. p. 1. c. 40. Veritas olim toto orbe profuga, cùm erraret, ſub noctem aliquando ad caſam pauperculę anus diuertit. Ab ea hoſpitio perbenignè excepta interrogatur, quænam ſit? vndè, & quò tam ſerò? illa, Sum veritas, ait, cui omnes inuident, & quam nullo conſiſtere loco patiuntur. Quid commeruiſti? omnium accuſo vitia, nihil diſſimulo. Et quia ſeſe reprehēdi nemo ferre moderatè poteſt, hinc mihi fuga & exilium perpetuum. Quid deinde? poſt cœnulam dormitum eunt. Vni lecto ſe ambæ commendant. Ortā luce cùm veſtes rurſum induerēt, intuita veritas aniculam, altero oculorum orbatam eſſe animaduertit, nec vitium tacet. Iraſcitur illa, & veritatē cum impetu è tugurio expellens addit: Nō mirum ſi nuſquam tibi locus, ſi te oderunt omnes, quando tam liberè omnibus vitia tua obijcere ſoles. Nuper quidā nobilis priuatā vitam agens, de illa familiariter colloquēs cum Philippo II. Hiſp. Rege, eandem prætulit regiæ dignitati, quòd illa tribus magnis dotibus polleret, quibus careret regia: Primò, amicitia & amico vero, pro quo regi ſe ſubſtituunt adulatores; Secundò, veritate, quàm rarò audit rex, ſeductus à paraſitis; Tertiò, aurora Muſis

Apologus veritatis.

Muſæ amica, cùm rex ſubinde in multam lucem dormiat.

Vers. 24. Qvi svbtrahit aliqvid a patre, et a matre, et dicit hoc non esse peccatvm, particeps est homicidæ] Hebr. *diripiens patrem ſuum, & matrem ſuam, & dicens, Non eſt præuaricatio, ſocius eſt viri corrumpentis*; Chald. *ſocius eſt viri diſſipantis*; Sept. *qui abijcit patrem vel matrem, & videtur ipſi non peccare, hic conſors* (Aquila, Symmach. & Theodor. *particeps*) *eſt viri impij*; Syrus, *viro iniquo ſociatur*; Pagnin. *particeps eſt diſſipantis bona ſua*. Pro *homicidæ* hebr. eſt משחית *maſchit*, id eſt corruptoris, perditoris, exciſoris, vaſtatoris, *graſſatoris*, vt vertit Vatablus.

Primò, Lyran. Hugo, Dionyſ. cenſent hîc refutari errorem Scribarum & ſacerdotum, dicentium licitum, imò pium, eſſe ſi filij ſubtrahant alimenta debita parentibus indigentibus, modo ea dent templo & ſacerdotibus, quos refellit Chriſtus Matth. 15. 5. vt ſenſus ſit. q. d. Qui ſubtrahit, id eſt negat patri vel matri alimenta ad vitã neceſſaria, vt ea conferat templo, dicens id non eſſe peccatum, imò eſſe ſanctũ, is ſocius eſt homicidæ, quia cogit parentes inedia mori. Accedit noſter Salazar qui ſic exponit. q. d. Qui parentum indigentiæ non ſuccurrit, atq; adeò illis debitum naturę ſubtrahit, cum homicidis, imò parricidis, cenſendus ac numerandus eſt, iuxta illud S. Ambroſij in auaros: *Si non paviſti, occidiſti.*

Verùm obſtat, quòd pro *ſubtrahit*, hebr. ſit גזל *gozel*, id eſt rapit, furatur, prædatur, quod longè plus eſt quàm *negat* vel *non ſuccurrit*.

Secundò, ergo Caiet. vertit, *qui deprædatur patrem aut matrem, & dicit, Non eſt crimen, ſocius eſt viri deſtructoris*: qui ſcilicet deſtruit & expilat familiam & domum paternam.

Tertiò, Ianſen. & Baynus Hebr. *maſchit*, quod Noſter vertit, *homicidæ*, vertunt, *diſſipatoris*, vti vertit Noſter c. 18. v. 9. vt ſenſus ſit. q. d. Qui parentum bona ſuffuratur, idq; ſine delicti agnitione, ſocius eſt diſſipatoris, quia tali ſe coniungit, & cũ tali etiã ipſe diſſipat paterna bona. Solent enim iuuenes ad hoc parentum bona ſuffurari, vt dilapident, & diſſipatoribus ſe coniungant. Et ferè tales fiunt poſtea egregij diſſipatores & homines perditi.

Fur bonorū patris eſt ſocius homicidæ. Primò. Quartò & genuinè, Vulgata verſio filium furantem bona paterna vocat *ſocium homicidæ*, Primò, quia continuis furtis parentes exhaurit, itaque eos inopia æquè ac mœrore conficit & occidit, pręſertim dum dicit id non eſſe peccatum, eò quòd parentum bona æſtimet ſua, quòd eorum futurus ſit heres. Qua in re grauiter errat, grauemq; iniuriam facit parentibus, eſto enim parentum bona ſint filijs debita, vt in ea poſt mortem ſuccedãt; necdum tamen filij eorum ſunt domini, multo minùs eorum habent adminiſtrationem, vt eis ad libitum vti poſſint. quare peccant mortaliter, ſi notabilem ſummam parentibus ſurripiant; hæc tamen notabilis ſumma debet eſſe maior in filio, quàm in famulo vel externo, quia pater plus indulget filiọ quam externo: vnde & facilius filius à reſtitutione excuſatur, vti doctè docet Petrus Nauarra, & ex eo noſter Leſſius li. 2. de Iniur. fortun. c. 13.

Secundò. Secundò, quia filij decoctores ſolent eſſe ſocij nebulonum, hominum perditorum, raptorum & ſicariorum. Rurſum rapina & diſſipatio bonorum paternorum ducit ad rapinas bonorum externorum, indeq; ad cædes & latrocinia. q. d. Filius de-

A coctor tandem euadit homicida, prædo & latro; ac vt talis capite plectetur, vel ſuſpendetur, vti ſæpè fieri videmus. Hinc Plato in Phædro, parentum violatores in inferno cum homicidis accenſet, ſimiliq; cum eis pœna multari affirmat.

Myſticè, R. Salomon: Qui, inquit, ſubtrahit animas à patre, id eſt à prępotenti Deo, & à matre, id eſt ab Eccleſia, qui ſcilicet auctor eſt vt illæ ſcelus cõmittant, & Deum furto petit, à quo filios auocat; hic ſimilis eſt homicidæ, putà Ieroboam, qui ſub Roboam ſchiſma fecit, & decem tribus à duabus ac à templo, Deique cultu ad cultum vitulorum aureorum in Dan & Bethel abduxit.

Qvi se iactat, et dilatat, ivrgia concitat: qvi verò sperat in Domino, sanabitvr. Vers. 25. Hebr. *latus anima miſcebit litem, & fidens in Domino, impinguabitur*; Aquila & Symmach.
B πλατύψυχος, id eſt *latus anima*, ſiue latianimis, *acuit litem*; Septuag. ἄπληστος, id eſt *inſatiabilis* (minùs appoſitè ad Hebr. Vatican. legit, ἄπιστος, id eſt *infidelis*) *vir iudicat temerè; qui autem confidit ſuper Dominum, in cura diligenti erit.*

Quæres, quis ſit *latus anima*, ſiue latianimis? *Latus anima quis? Reſp. Primò.* Primò, Syrus vertit, *vir auidus & guloſus*; hic enim latus eſt anima, id eſt animæ gula & auiditate, qui vt eam expleat, debita contrahit, indeque lites & iurgia concitat, quę gulam exinaniunt, vt pro eſcis litibus paſcatur; qui verò ſperat in Domino, alimẽta, quin & delicias conſequetur, quibus animę ſuæ appetitum expleat, ſatiet & impinguet.

Secundò. Secundò, R. Leui per *latum anima* accipit profuſum & prodigum: hic enim dilatat animã profuſione opum.

C *Tertiò.* Tertiò, Pagnin. *Latus anima*, ait, eſt animoſus, audax & iracundus, qui proinde iurgia, rixas & pugnas concitat; ſed qui ſperat in Domino & implet illud, *Mihi vindicta, ego retribuã, dicit Dominus*, Deut. 32. 35. Rom. 12. 19. hic impinguabitur tranquillitate conſcientiæ, & pace cum omnibus hominibus, quantum in ipſo eſt.

Quartò. Quartò, Baynus: *Latus anima*, inquit, eſt auarus, qui animam ſuam dilatat ad multa capienda & rapienda. Vnde Sept. vertunt, *inſatiabilis*: hic enim dum feſtinat diteſcere, & inſatiabili opum deſiderio laborat, dum multos afficit iniuria, multos habebit inimicos, & lites excitabit; ſed qui ſuper Dominum (ſic enim legunt Hebręi) ſpem collocauit, à nemine quidpiã rapit, mori potiùs eligens, quàm aliena deprædari; huic honeſtus & ſufficiẽs victus nunquam deerit, imò delicijs affluet, ſi non cor-
D poris, ſaltem anima illius pingueſcet & craſſeſcet cæleſti pinguedine, de qua loquitur Pſaltes, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*

Quintò. Quintò, Ianſen. *Latus anima*, inquit, eſt ſuperbus & arrogans, vt vertit Chald. Nam per ſuperbiam animus hominis dilatatur & extẽditur ſupra ſe ad honores huius mundi: quod ſecutus noſter Interpres vertit, *qui ſe iactat & dilatat*: hoc eſt, qui immodicus eſt ſui laudator, animũ ſuum expandens ad honores, talis iurgia concitat: quia non patitur aliquem ſibi præferri aut æquari. Qui verò non extollitur in ſeipſo, ſed humiliter ſe Deo ſubijcit, ſpem omnem ſuam collocans in ipſum, talis *impinguabitur*, hoc eſt: proſperabitur in omnibus, Deo ipſi fauente, tranquillitate mentis perfruetur, &, vt nos legimus, *ſaluabitur* ab omnibus malis, aut, vt potiùs legendum eſt, quemadmodum habent codices emendatiores, *ſanabitur*.

Sextò.

Sextò, noſter Salazar: *Latus animæ*, inquit, duo ſignificat, ſcilicet ſuperbum & auarum. Hinc vulgata vertit, *qui ſe iactat & dilatat*: nam verbum *iactat* faſtum ſuperbię, verbum *dilatat* auaritiæ cupiditatem innuere videtur. Hic ergo ſuperbus ſimul & auarus homo excitat iurgia, vel miſcet lites, ſcilicet intra ſeipſum: duo nimirum vitia continet, quæ ſibi inuicem lites intentant. Superbia enim profuſos ſumptus poſcit ad venditationem glorię; auaritia verò è contrà ſumptus inhibet, ac ſordidum hominem reddit.

Septimò. genuinè.

Septimò & genuinè: *Latus animæ* eſt cupidus. Anima enim eſt inferior animæ pars, in qua reſidet appetitus & concupiſcentia; animus verò eſt pars animę ſuperior, in qua reſidet ratio, mens & ſpiritus: vnde ab anima quæ nobis communis eſt cum brutis, dicimur animales, ſicut ab animo & ſpiritu ſpirituales. Aliud ergo eſt latitudo cordis, putà magnanimitas, quę fuit in Salomone, 3. Reg. 4. 29. ac magna charitas, quę fuit in S. Paulo, cū diceret: *Os meum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt*. 2. Corint. 6. 11. aliud eſt latitudo animę, id eſt cupiditatis, hæc enim eſt mala & praua. *Latus* ergo *animæ* eſt, qui magnis deſiderijs æſtuat, qui multa concupiſcit, qui omnes vires dilatat vt cupiditates ſuas expleat. Porrò latitudo hæc animæ, ſiue cupiditas eſt triplex, putà; Prima eſt cupiditas honorum, quę dicitur ambitio; Secunda opum, quæ dicitur auaritia; Tertia voluptatum, quę dicitur gula & luxuria. Vnde illud 1. Ioā. 2. 16. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. *Latus* ergo *animæ* trifariā dicitur: Primò enim ſignificat ambitioſum; Secundò, auarū; Tertiò, guloſum & luxurioſum, & ſic omnes aliorum expoſitiones iam datas lato & generali hoc ſenſu cōplectimur. Hinc Sept. vertunt, ἄπληστος, id eſt inſatiabilis, talis enim eſt omnis cupidus & cupiditas. Hinc & noſter, vt hæc omnia complecteretur, ſolerter vertit, *qui ſe iactat & dilatat*. Superbus enim ſe iactat & oſtentat vt pauo, auarus & guloſus dilatant gulam cupiditatis ſuæ, vt lupus fame tabeſcens.

Igitur ſenſus eſt. q. d. *Latus animæ*, id eſt ſuperbus & ambitioſus *qui ſe iactat*, item *qui dilatat* hiatum ſuę concupiſcentię, putà auaritię, gulę & luxuriæ, id eſt auarus, guloſus & luxurioſus; hic vt ſuam vel ambitionem, vel auaritiam, vel gulam & luxuriam expleat, confidens in eàdem anima ſua, id eſt in animæ ſuæ ſagacitate, viribus & robore, cum omnibus lites & iurgia cōcitat, ex quibus fit vt & honoribus quos ambiuit, & opibus ac delicijs quas concupiuit, priuetur, maneatque inanis, ieiunus & ſiccus: lites enim hominē exhauriunt & emaciant. Qui verò ſperat in Domino, ab omnibus hiſce ſanabitur, ac honores, opes & eſcas, quæ illi abundè ſufficiant, conſequetur, ijſque impinguabitur, vt habent hebr. vnde videri poſſet in Vulgata pro *ſanabitur*, legendum *ſatiabitur*, vel *ſaginabitur*, ſi ſic aliqui libri haberent, quia id conueniret cum verbo *impinguabitur*. Verùm eſt veriſimile noſtrum Interpretem hîc, vt & aliàs ſecutum Gręca, quę habent, ἐν ἐπιμελείᾳ ἔσται, hoc eſt, *in cura erit*, vel *curabitur*, itaq; vertit, *ſanabitur*: ſignificans eum Deo curante ſanum fore, & liberum ab omnibus perturbationibus.

Nota ex Sept. τὸ *qui autem ſperat in Dominum, in cura diligenti erit*, ſcilicet ipſius Dei. Vnde auctor Catenæ Græcor. clarè vertit, *qui confidit in Domino, is Domino curæ erit*, hoc eſt, inquit, *is in animi & corporis ſanitate à Domino conſeruabitur*. Sperantis ergo in ſe Deus eſt prouiſor & curator, iſq; exactus & diligens, iuxta illud pſ. 54. 3. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Nā Deus res eius curabit, perinde ac ſi ſuæ eſſent & proprię. Diligens enim cura, ait Iuriſconſultus, eſt, cùm quis eâ curâ curat res, alienas quâ proprias, quo fiet vt rebus omnibus abundet, ac nullius indigēs αὐτάρκης, id eſt ſibi ſufficiens, nihilq; appetens, ſuis contentus lætè & beatè viuat, quod proprium eſt Dei.

Spes nos locat in cura Dei.

Magna hęc dignitas, magnus fructus ſpei, quòd ſperantem collocet in cura & ſinu Dei, Deumque eius faciat curatorem, id eſt ſollicitum in omnibus cuſtodē & prouiſorem. *Cura* enim eſt vehemens & anxia ſollicitudo, ita dicta, ait Feſtus, *quod cor edat* vel *quòd vrat*, vnde Ennius apud Cicer. de Senect.

Curámue leuaſſo,
Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa.

Sicut ergo tutor & curator gerit curam ſollicitam pupilli ſuæ fidei commiſſi: ſic Deus ſimilem gerit ſperantis in ſe: ſpes enim illum curæ Dei tradit, Deuſq; in ſuam curam eum acceptat, vt in ea ſecurè cōquieſcat, iuxta illud: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*. Rurſum ſicut paſtor curam habet ouium ſibi creditarum, ſic Deus curam habet ſperantium in ſe, vt illi fidenter dicere queant cum Pſalte: *Dominus regit me* (Hebr. *paſtor meus*) *& nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit*, pſal. 22. v. 1. quare qui tangit ſperantem in Deum, cor Dei tangit, iuxta illud: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* Zachar. 2. v. 8. Vide ibi dicta. Cura ergo noſtri vrit oculos, vrit cor Dei. Quocirca S. Petrus epiſt. 1. c. 5. 7. adhortatur fideles dicens: *Omnē ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis*. Et S. Paulus Philip. 4. v. 6. *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcāt apud Deum*. Nam vt ait Pſaltes, pſal. 39. 18. *Dominus ſollicitus eſt mei*. Ita S. Ioannes Silentiarius irruentibus Saracenis fugere noluit dicens; *Si Dominus mei curam non gerit, vt quid viuo? ſin autem gerit, quem timebo?* Teſtis eſt Cyrillus in eius Vita.

Moral. diſce hîc cupidum dilatare fauces cordis & corporis ſui, vt omnia rapiat & ſorbeat, ideo ſibi iurgia & bella quibus pereat, acceſſere; hinc infernus pariter, vt eum eiuſq; latas vaſtaſque cupiditates excipiat, dilatat ſeipſum. Audi Iſaiam ca. 5. v. 14. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino: & deſcēdent fortes eius*, &c. ad eum, & c. 30. 33. *Topheth*, id eſt gehenna, dicitur *præparata, profunda & dilatata: nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrēs ſulphuris ſuccendens eam*. Ignis enim cupiditatis accendit & dilatat ignem gehennæ, vt in eo perpetim ardeat & comburatur. At verò qui ſperat in Deo, dilatat in eo res & ſpes ſuas, vt in eo placidè & ſecurè cōquieſcat, ſciens ſe ſpes ſuas à Deo per preces obtēturum, & votorum ſuorum compotem futurum, iuxta illud pſ. 80. 11. *Dilata os tuum, & implebo illud*. Spes ergo in Deum eſt ſecuris reſecans omnes inquietas cupiditates: ſperans enim in Deum, illo vnico contentus viuit: ſcit enim ſe in Deo omnia poſſidere. Quare tacitè ſecureque ſibi dicit: *Sufficis tu Deo tuo, ſufficiat tibi Deus tuus*.

S. Laurentius Iuſtinianus ſæpè monebat, *Nunquam amittendam de Deo fiduciam: illam eſſe in qua animæ vita conſiſteret*, ita habet eius Vita.

Hoc

Hoc eſt quod ait Paulus 1. Timot. 6. 17. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendũ.* Quin & Seneca epiſt. 119. *Quanti, ait, animi res eſt, ſolum nihil petere, nulli ſupplicare & dicere: Nihil mihi tecum fortuna, non facio mei tibi copiam.* Et epiſt. 120. *An parum habet qui tantùm nõ alget, non eſurit, non ſitit? plus Iupiter non habet. Nunquam parum eſt quod ſatis eſt. Nunquam multum eſt quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo, quærit quod ſuum faciat, ſcrutatur maria ignota, in Oceanum claſſes mittit nouas, &, vt ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inuentus eſt qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Tanta eſt cæcitas mentium.*

Ex dictis collige hoc axioma: *Cupiditas eſt mater iurgiorum & bellorũ, indeq; paupertatis & inopiæ:* hæc enim indiuidua eſt bellorum comes & aſſecla: B *mortificatio verò, & abdicatio cupiditatis eſt mater tranquillitatis & pacis,* qua quis in Deo Deiq; prouidẽtia confidens & conquieſcens, ab eo nanciſcitur omnem rerum ſufficientiam, imò abundantiam. Hoc eſt quod acriter fidelibus inculcat S. Iacobus c. 4. 1. *Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis.*

Et S. Chryſoſt. homil. de S. Philogonio cæliſtum felicitatem deſcribens, *Vbi, inquit, non eſt Meum ac Tuum, frigidum* (vtpote calori fraterni amoris repugnans) *illud verbum, & quidquid eſt malorum, in vitam noſtram inuehẽs, innumeraq; gignens bella.* Quin & Seneca epiſt. 120. iam citata: *Nihil, ait, mi Lucili, intereſt, vtrùm non deſideres, an habeas: ſumma rei in vtroque eadem eſt: non torqueberis.* Vnde illud C Italorum: *Deſiderare ſa penare, non deſiderare ſà non penare.*

Vers. 26. QVI CONFIDIT IN CORDE SVO, STVLTVS EST: QVI AVTEM GRADITVR SAPIENTER, IPSE SALVABITVR] Perperam quidam pro *ſaluabitur* legunt *laudabitur.* Nam hebr. eſt, *& ambulans in ſapientia, ipſe euadet;* Chald. *qui ambulat in ſapientia, protegetur à malo;* Sept. *qui confidit in audacia cordis, ipſe eſt imprudens: qui autem ambulat ſapientia, ſaluabitur.* Hæc gnome ſimilis & affinis eſt præcedenti.

Confidens in corde ſuo, quis? Reſp. Primò.

Quæritur, quis eſt is qui confidit in corde ſuo? Primò, Lyranus & Hugo cenſent eſſe eum, qui confidit in ſapientia ſua. q. d. Qui faſtu tumens præfidit ſapientiæ ſuæ; hic ſtultus eſt, iuxta illud c. 26. 12. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habebit inſipiens:* qui autem ipſam in ſe ſapientiam ſequitur, hic ſaluabitur. Innuit ſapientiam D ſitam eſſe non in ſuperbia, nec in præfidentia ſuæ ſapientiæ, ſed in regulis ſapientiæ à S. Scriptura & Patribus traditis.

Secundò.

Secundò, Caiet. per *cor* accipit cordis cupiditates. q. d. Qui confidenter ſequitur ſuas cupiditates, hic ſtultus eſt: qui verò ſequitur dictamina ſapientiæ, id eſt legis diuinæ, hic ſaluabitur, eritque beatus in cælis.

Tertiò.

Tertiò, meliùs Ianſenius per *cor* accipit cordis iudicium & conſilium. q. d. Qui confidit in conſilijs cogitationibus cordis ſui, ita vt ea ſequatur in omnibus actionibus ſuis, nullius quærens ſententiam, ſed ſuo innixus iudicio; talis ſtultus eſt, & per ſuam ſtultitiam in multa incidet pericula & mala: qui autem graditur ſapienter, ita vt nõ ſuum cor, ſed ſapientiam habeat ducem ſuarum actio- A num; talis ſaluabitur, ita vt vel non incidat in mala, vel, ſi incidat, liberetur ab eis per ſuam ſapientiam, & Dei gratiam.

Quartò. Genuinè.

Quartò & genuinè, notat hîc temerarios & præſumptuoſos. q. d. Qui præſidit cordis ſui imaginationibus, id eſt conſilijs & viribus quas ipſe ſibi imaginatur & fingit, ideoque audacter & temerè ſe conijcit in tentationes & pericula; hic ſtultus & demens eſt, quia in ijs ſuccumbet & corruet: qui verò graditur ſapienter, id eſt prouidè & cautè vt pericula declinet, hic diſcrimina & lapſus euadet, ac ſaluabitur. Eſt metalepſis: nam per *confidere in corde*, ſignificat confidenter pericula aggredi, in eáque temerè irruere.

Confidere pro audere.

Sic *confidere* pro audere, & audacter aggredi ardua, ſumitur c. 28. v. 1. cum dicitur, *Iuſtus quaſi leo confidens,* & c. 14. 16. *Stultus trãſilit, & confidit,* & 2. Machab. 15. 7. *Machabæus autẽ* B *ſemper confidebat.* Quin & Cicero Tuſcul. 3. *Qui fortis eſt, idem & confidens.* Terent. in Phorm. *Homo confidens, illum dij omnes perduint.* Vbi Donatus: Confidens, ait, eſt improbus, audax, temerarius. Plautus in Amphitr. *Qui me eſt alter audacior homo, aut qui confidentior?* Virgil. Georg. 4.

Nam quis te iuuenum confidentiſſime, id eſt audaciſſimè, *noſtras Iuſſit adire domos?*

Præſidens & audax impinget.

Hunc eſſe ſenſum liquet ex Septua. ex quibus auctor Catenæ Græcor. ſic clarè vertit, *Qui in cordis ſui audacia ſpem ponit, ſtultus eſt: qui autem ambulat prudenter & cautè, ſalutem conſequetur,* ſicque explicat. q. d. *Stultus meritò vocatur, qui audaci cordi ſuo confidit, quia plus tribuit temeritati quàm iudicio: plus tur ſum iniquitati quàm æquitati.*

Salomonem de more ſecutus Siracides c. 3. 27. *Qui amat periculum,* inquit, *in illo peribit.* vide ibi C dicta.

Audi & Senecam Tragœdum in Hercule furente.

Nemo ſe tutò diu
Periculis offerre tam crebris poteſt,
Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando inuenit.

Hinc videmus natatores natandi peritiſſimos, natando caſu aliquo perire, & optimos milites pugnando.

QVI DAT PAVPERI, NON INDIGEBIT: QVI DESPICIT DEPRECANTEM, SVSTINEBIT PENVRIAM] Hebr. *qui dat pauperi, non deficiet, & abſcondenti oculos ſuos multitudo maledictionum;* Chald. *& qui prohibet oculum ſuum à paupere, multæ erunt maledictiones eius;* Sept. *qui autem auerterit oculum ſuum in multa erit penuria.* Vers. 27.

Hæc gnome clara eſt. Ratio à priori eſt, quia vt dixi c. 19. v. 17. *Fœneratur Domino, qui miſeretur* D *pauperis.* vide ibi dicta, & S. Chryſoſt. homil. quòd *eleëmoſyna eſt ars omniũ quæſtuoſiſſima.* Eleëmoſyna ergo non depauperat, ſed ſummè ditat. Audi S. Cyprian. hanc gnomen eleganter pertractantem homil. de opere & eleëmoſyna: *Si vereris ac metuis, ne, ſi operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad inopiã redigaris, eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecurus; finiri non poteſt vnde in vſus Chriſti impenditur, vnde opus cæleſte celebratur. Non hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de ſanctarum Scripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur enim per Salomonem Spiritus ſanctus ac dicit: Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui autẽ auertit oculum, in magna penuria erit, oſtendens miſericordes atq; operantes egere non poſſe, magis parcos ac ſteriles, ad inopiam poſtmodum deuenire.*

Sanè mirum eſt, diuites fideles, cùm fidem ha-

beant, reipſa & factis non cedere huic Salomonis oraculo, Deique promiſſo. Deus tibi, ô mercator, promittit augmentum opum, ſi eas pauperibus communices. Non credis Deo aſſeueranti & promittenti? cautionem exigis? En cautio tibi eſt hæc Salomonis ex Dei ore aſſeueratio, chirographum tibi eſt S. Scriptura. Audi & S. Baſilium homil. 6. *Imitare*, inquit, *homo vel terram, vt illa fructus proferto, vt ne illâ conſpiciaris eſſe deterior, quæ inanimis eſt; ſanè illa non in ſuum vſum aut commodum, ſed in tuū miniſtrare contendit; tu autem quem debueras oſtendere beneficentiæ fructum, illum tibi ipſi congregaſti: nam benefactorum gratia in dantes reuertuntur: dediſti eſurienti, tibi conſuluiſti: quod dediſti, ad te cum auctario reuertetur: quemadmodum enim frumentum in terrā cadens lucrum proijcienti parit; ſic & panis in eſurientem porrectus multam impoſterum tibi reddet vtilitatem.* Exempla huius rei pete ex Gregorio Turon. lib. 5. Hiſtor. Franc. c. 19. ex Vita S. Ioannis Eleëmoſynarij. ex S. Greg. l. 2. Dialog. c. 29. ex Sophronio in Prato ſpirit. ca. 185. 195. & 201.

Porrò ponderanda ſunt verba Hebręa, quæ habent: *Et abſcondenti oculos à paupere multitudo maledictionum.* q. d. Multi putà Deus, angeli, dæmones, & homines, maledicunt auaro & immiſericordi, tum verbis, tum factis, quia ei malefaciunt, vt in pauperiem, infortunia & aduerſa multa incidat; priuant eum donis & gratijs tam ſpiritalibus quàm corporalibus, tam præſentibus quàm æternis. Maximè autem maledicunt & diris eum deuouent pauperes, quibus negat eleëmoſynam, vti maledixerunt Troilo auaro, teſte Leontio in Vita S. Ioannis Eleëmoſynarij. Denique in die iudicij Chriſtus ſeptem maledictionibus oppoſitis totidem operibus miſericordię, quæ immiſericordes neglexerunt, eis maledicet, dicens: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum*, &c. Matth. 25. 41.

Multiplicem verò auarorum paupertatem iuſtitiæ & virtutum, deſcribit S. Chryſoſt. homil. 15. in epiſt. ad Hebr. & alibi: *Sunt*, inquit, *peregrini terdo, ſunt debiles animo, ſunt mente cæci, inobedientia ſurdi, & cæteris paſſionibus ſpiritualibus ægrotātes, quorum anima omnem eſcam ſpiritualem abominantur, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.*

Hinc videmus auaros immiſericordes in multas ærumnas, lites, infortunia, damna incidere, adeoque acerbè cum paupertate non rarò conflictari: liberales verò & miſericordes bonis omnibus affluere.

Communicans ſapientiam, eam adauget.

Myſticè R. Salomon hęc accipit de eleëmoſyna ſpiritali. q. d. Doctor qui ſuam doctrinam alijs communicat, non indigebit, ſed ſemper affluet conceptibus ſapientiæ, vt eos alijs impertiat; qui verò auarè eam ſibi ſeruat, ſentiet eius inopiam & defectum. Idem dicas de concionatore, conſultore, confeſſario, &c. Ratio eſt duplex; Prior, quòd doctrina exercitio, putà docendo, augetur. Vnde illud: *Qui alios docet, docet ſeipſum.* Poſterior, quòd Deus doctori ſtrenuo in præmium ſui laboris & doctrinæ, noua aſſiduè lumina inſtillet, vt ea alijs communicet.

Ratio à priori. Prima. Secunda.

VERS. 28. CVM SVRREXERINT IMPII, ABSCONDENTVR HOMINES: CVM ILLI PERIERINT, MVLTIPLICABVNTVR IVSTI] Hugo τὸ *abſcondentur* accipit imperatiuè pro *abſcondantur*, q. d. Suadeo & iubeo iuſtis, vt, cùm regnant impij, abſcondāt ſeſe, tum vt vitę ſuæ conſulant, tum vt melioribus temporibus ſe reſeruent, quibus perſecutione ceſſante collapſam in ea fidem & pietatem reſtituant: tum ne animos & furorem impiorum ſe perſequentium irritent, itaq; perſecutio increſcat, & in omnes deſæuiat. Ita ſanxit Chriſtus Apoſtolis: *Cùm*, inquit, *perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*, Matth. 10. 23.

Exemplum fugæ fuit S. Athanaſius, cuius vita per 46. annos in Epiſcopatu Alexandrino non fuit aliud quàm aſſidua fuga & latebrę. vide eumdem in Apolog. de fuga ſua, & S. Aug. tract. 46. in Ioannem, & epiſt. 180. vbi fusè docet quando fuga ſit conſilij, quando præcepti; quibus licita, quibus illicita. Hinc damnandus eſt liber Tertulliani de Fuga, quo probare contendit illicitum eſſe fugere perſecutionem, quem ſcripſit poſt lapſum in hæreſim Montaniſtarum.

Verùm τὸ *abſcondetur* futurum eſt, non imperatiuus, ac proinde rei euentum ſignificat, non præceptum. q. d. Cùm ad regnum vel gubernationem aſſurgunt & euehuntur impij, quaſi per antipathiam (qua calor fugit frigus, & frigus calorem, ac quodq; contrarium fugit aliud ſibi oppoſitum) fugiunt & abſcondunt ſeſe homines, vt declinent impiorum tyrannidem, nimias exactiones, vexationes, &c. Maximè iuſti: tum quia, inquit Ianſen. in carcerem conijciuntur ab impijs regnantibus: tum quia vltrò ſe dant in exilium, ſolumq; patriū vertunt, vt impiorum furorem & perſecutionem declinent: tum quia etiam in patria manentes ſe continent in ſilentio. Vnde Arabicus vertit, *in locis impiorum ſtatus iuſtorum coarctatur.* Cōtrà, cùm impij perierint, & in eorum locum pij ſurrexerint, iuſti multiplicantur, tum quia qui priùs iuſti erant & latebant, palàm & vbique ſe non verentur exhibere: tum quia eorum exēplo & doctrina multi ad iuſtitiam amplexandam excitantur. Docet hęc ſententia quātum interſit qui præſint. Sic regnante Achab cum ſua Iezabel, abſconditi ſunt Prophetę Domini in ſpeluncis: ipſis verò perditis tēpore Iehu multiplicati ſunt iuſti: & in hoc gratiæ tempore perſecutione tyrannorum ſæuiente in Chriſtianos, latibula quęſierunt Chriſtiani, qui ſublatis tyrannis multiplicati ſunt. Sed & noſtra ætas oſtendit quomodo ſilere, latere & fugere pijs neceſſe ſit, vbi regnant hæretici.

Ratio eſt, quòd impij, dum regunt, ſuam impietatem propagare, omneſque ſibi ſimiles, id eſt impios, efficere ſatagunt, tum per exemplum vitæ, tum per impias leges, tū per ruinas & pœnas, tum per honores & præmia, quæ ſui ſequacibus proponunt, tum per officiales impios quos ſibi adſciſcūt: quo fit vt multi puſillanimes & timidi cedant, & eorum impietati ſe conforment; qui verò ſolide pij ſunt, fugiant & ſe abſcondāt. Ex aduerſo dum regunt, pij, ſuam pietatem ſpargere, omneſq; probos & pios efficere conantur; quare plerique omnes vt ipſis placeant, pietati ſtudent, vel ſtudere ſe ſimulant; impij verò abeunt, & latebras quærunt. Tanti eſt princeps bonus vel malus, vt, ſi bonus ſit, omnes penè ſubditi ſint boni; ſi malus, mali: iuxta illud,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

magnum enim dat auctoramētum rex virtuti aut vitio. Et illud: *Princeps eſt animata lex.* Lex multum poteſt, dum ciues cohibet & in officio continet: at inanimis eſt: ſi animetur per vitam principis, effica-

Princeps eſt animata lex.

efficaciſſima erit vt eamdem omnibus aſpiret, omneſque faciat principi ſimiles, probos & ſanctos. non tantùm præſentes, ſed & poſteros. Poſthuma enim principis pij fama perennat, & ad multos annos ſui memoriam, laudem & ſtimulum ad imitandum tranſmittit.

Sapienter Agapetus Diaconus in admonit. ad Iuſtinianum Imp. nu. 49. *Quæ ſubditis*, inquit, *verbo quaſi lege præſcribis, hæc tu præueniens reipſa præſtitiſti, vt verbis, quibus perſuades, integra quoque vita adſtipuletur. ſic enim commendabile tuum aſſeuerabis imperiũ, ſi & ratiocineris non ſine opere, & opereris non ſine ratione.* Et n. 53. *Quantum poteſtate ceteris antecellis, tantum factis etiã emicare ante alios contende: perſuaſiſſimum*

A *enim habe, eam abs te poſtulari honeſtorum rationẽ, quæ magnitudini virium proportione reſpondebat.* Et n. 61. *Sicut à Deo omnibus hominibus es prælatus, ſic magis omnibus eum honeſtare feſtina.*

Denique hęc gnome ſimilis, & penè eadem eſt cum illa v. 12. *In exultatione iuſtorum multa gloria eſt: regnantibus impijs ruina hominum.* vide ibi dicta.

Porrò Septuag. vertunt, *in locis impiorum gemunt iuſti: in illorum autem perditione abundabunt iuſti. Gemunt*, tum quia dolent dominari impios & impietatem, ac ad Deum aſſiduis gemitibus ſuſpirant vt eam tollat, tum quia ab impijs vexantur, ridentur, ignominia afficiuntur, ſpoliantur, incarcerantur, & non rarò vita priuantur.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Corripientem ſpernens citò interibit, in multitudine iuſtorum lætatur; impiorum gemit populus; rex iuſtus erigit terram, auarus deſtruit, blandus rete tendit; nouit iuſtus cauſam pauperum; peſtilentes diſſipant vrbem, ſapientes ſeruant; contendenti cum ſtulto nulla requies; totum ſpiritum profert ſtultus, ſapiens reſeruat, principis gaudentis mendacijs miniſtri ſunt impij; pauperis & diuitis Deus eſt illuminator: regis iuſti thronus æternus: virga tribuit ſapientiam; iuſti impiorum ruinas videbunt; erudi filium tuum, & refrigerabit te; deficiente prophetiâ, diſſipatur populus; ſeruus verbis non eruditur; loquax inſipientior ſtulto; ſeruus delicatè habitus, fit contumax; ira multiplicat peccata; ſuperbum ſequitur humilitas, & humilem gloria; particeps furis odit animam ſuam, timens hominem corruet; ſperans in Domino ſubleuabitur; magis timendum Dei iudicium, quàm potentum; abominantur pij impios, & impij pios.

1. VIro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet in-
teritus: & cum ſanitas non ſequetur. 2. In multiplicatione iuſtorum lætabitur
vulgus: cùm impij ſumpſerint principatum, gemet populus. 3. Vir, qui amat ſapien-
tiam lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcorta, perdet ſubſtantiam. 4. Rex iu-
ſtus erigit terram, vir auarus deſtruet eam. 5. Homo, qui blandis fictiſque ſermoni-
bus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus eius. 6. Peccantem virum iniquum
inuoluet laqueus: & iuſtus laudabit atque gaudebit. 7. Nouit iuſtus cauſam pau-
perum: impius ignorat ſcientiam. 8. Homines peſtilentes diſſipant ciuitatem: ſa-
pientes verò auertunt furorem. 9. Vir ſapiens, ſi cum ſtulto contenderit, ſiue iraſca-
tur, ſiue rideat, non inueniet requiem. 10. Viri ſanguinum oderunt ſimplicem: iuſti
autem quærunt animam eius. 11. Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens
differt, & reſeruat in poſterum. 12. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, om-
nes miniſtros habet impios. 13. Pauper & creditor obuiauerunt ſibi: vtriuſque illu-
minator eſt Dominus. 14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æ-
ternum firmabitur. 15. Virga atque correptio tribuit ſapientiam: puer autem, qui
dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam. 16. In multiplicatione impio-
rum multiplicabuntur ſcelera: & iuſti ruinas eorum videbunt. 17. Erudi filium tuum,
& refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. 18. Cùm prophetia defecerit, diſſipa-
bitur populus: qui verò cuſtodit legem, beatus eſt. 19. Seruus verbis non poteſt eru-
diri: quia quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit. 20. Vidiſti hominem velo-
cem ad loquendum? ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correptio. 21. Qui de-
licatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem. 22. Vir ira-
cundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum procli-
uior. 23. Superbum ſequitur humilitas: & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. 24. Qui
cum fure participat, odit animam ſuam: adiurantem audit, & non indicat. 25. Qui
timet hominem, citò corruet: qui ſperat in Domino, ſubleuabitur. 26. Multi requi-
runt faciem principis: & iudicium à Domino egreditur ſingulorum. 27. Abomi-
nantur iuſti virum impium: & abominantur impij eos, qui in recta ſunt via. Verbum
cuſtodiens filius, extra perditionem erit.

Vers.1. VIRO, QVI CORRIPIENTEM DVRA CERVICE CONTEMNIT, REPENTINVS EI SVPERVENIET INTERITVS, ET EVM SANITAS NON SEQVETVR] Chald. *vir qui non recipit correptionem, & indurat ceruicem ſuam, citò conteretur* (Syrus, *repentè profligabitur*) *& non erit ei medicina;* Hebr. *vir increpationum indurans ceruicem repentè conteretur, & non ſanitas*, vel *non medela*, id eſt conteretur inſanabiliter, irreparabiliter & immedicabiliter citra vllum remedium, ait Aben Ezra, R. Leui & R. Salomon.

Quæritur, quis ſit vir increpationum? Rabbini aliqui actiuè accipiunt, q. d. *Vir increpans* alios delinquentes, Vnde Sept. vertunt, ἐλέγχων, id eſt corripiens, vt transferunt Complut. *Melior eſt*, inquiũt, *vir corripiens*, ſcilicet leniter, *viro duræ ceruicis*. Nam vt explicat auctor Catenæ Græcor. *Qui dexterè reprehendit, ſanat; qui verò pro ceruicis ſuæ duritia conuiciatur, non tam ſanat quàm irritat, & propter ruborem, quem temerè ingerit, quos obiurgat, impudentes reddit*. Hunc lenem correptionis modum ſancit Apoſtolus Galat. 6. 1. *Fratres*, inquit, *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, eiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris* vide ibi dicta.

Et S. Gregor. 2. parte Paſtor. c. 10. & S. Chryſ. homil. 30. in epiſt. ad Hebr. *Non vides*, inquit, *medicos quando vrunt vel ſecant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent: multò magis corripientem oportet hoc agere, vt manſuetus et lenis ſit*, vt acerbitatẽ pilulæ tam amaræ, lenitatis ſaccharo circumliniat & edulcoret.

Rabbini verò ſic exponunt, *Vir increpans obdurans ceruicem*. q. d. Si is qui alios increpat, vt eos legi & diſciplinæ ſubdat, ſipſemet eius iugum dura ceruice excutiat, faciatque illa quæ in alijs obiurgat, hic *ſubitò conteretur, & non ſanitas*: id eſt in caſum aliquem incidet, quo planè conteratur, vt ſanari & reparari nequeat.

Verùm ceteri omnes τὸ *vir increpationum* paſſiuè accipiũt, vt idem ſit, quod vir increpitus, vt vertit Pagnin. Sic & Chald. quin & Sept. nam τὸ ἐλέγχων non eſt participium à verbo ἐλέγχω, ſignificans *corripiens*, increpans; ſed eſt nomen plurale à ſingulari ἔλεγχος, id eſt *correptio*, increpatio. Vnde Vatabl. ex Sept. vertit, *melior eſt vir correptionum*, id eſt crebro correptus, qui corripi ſe ſinit, qui correptiones placidè excipit, *viro duræ ceruicis: repentè enim ardente eo non eſt medela*. Eſt metaphora à bobus & tauris, qui dura ceruice feroces iugum excutiunt. q. d. Qui frequẽter ob vitia increpatur, vel ab homine per verba, vel à Deo per flagella & verbera, aut per internas inſpirationes; & tamẽ inſtar tauri indurat ceruicem, vt in vitijs perduret & increpationes obſtinatè reſpuat; huic repentinus ſuperueniet interitus, & eum ſanitas nõ ſequetur: quia vel in rixa ab inimicis cædetur, vel in ſcelus aliquod graue incidet, ob quod à Deo vel à iudice morte mulctabitur. Exẽplum eſt in Pharaone, qui decies increpitus à Moyſe vt dimitteret Hebræos, quos tyrannicè opprimebat, cùm ille obduraret ceruicem, Moſiq; & Deo obduratus reſiſteret, Deus ceruicem eius confregit, mergens eum cum omnibus ſuis in mari rubro, Exodi 14. Sic Ophni & Phinees luxurioſè viuentes ſæpè correpti ab Heli patre ſuo, cùm nihilominus in ſcelere perſeuerarẽt, ambo vna die repentè in prælio occi ſunt, 1. Reg. 4. 11. Nota eſt cædes & damnatio Vdonis Archiepiſcopi Magdeburg. eò quòd à Deo increpitus: *Vdo, Vdo ceſſa à ludo, luſiſti ſatis Vdo*, in ſua tamen luxuria perſiſteret.

Spernens correptionē peribit.

Exempla.

Sic ſæpè videmus filios parẽtum monita & reprehenſiones ſpernentes, ſenſim in ſcelera ruere, ac tandem furtum, homicidium, aut ſimile facinus deſignare, ob quod à iudice capite mulctentur. Ratio à priori eſt: Prima, quòd tales, vt dixi, in ſcelere ſe obdurent, vt ex minori in maius pedetentim labantur, quo fit vt tandem aliquid enorme morte puniendum admittant. Secunda, quòd hanc pœnam mereatur contemptus correptionis & dura ceruix correpti. Hæc enim cùm leni correptione non ſinit ſe flecti, ſed ſuperbè & durè illi obluctatur, malleo contundenda, aut ferro recidenda eſt. Tertia eſt iuſtum Dei iudicium, quo correptionis & gratiæ ſuæ neglectum, æquè ac obſtinationem in malo, vlciſcitur, vt ſinat talem ruere in exitium, tum corporis, tum animæ.

Ratio à priori. Prima.

Secunda.

Tertia.

Porrò interitus hic tum temporalis eſt, putà mors; tum æternus, putà damnatio in gehenna: ſæpè enim talis præoccupatur morte temporali, & non rarò æterna, à qua reuocari nequit: *In inferno enim nulla eſt redemptio*. Et meritò. Quia enim correptus præuidere noluit & effugere interitum, iuſtè ei inexpectatus ſuperuenit; & quia cùm ſanari poſſet, medicinam ſalutarem non recepit, cùm ſanari volet, ſanitatem non conſequetur.

Baynus verò interitum hic myſticum & ſpiritalem accipit, quo ſcilicet anima labitur in peccatum enorme, ita vt ex eo non reſurgat, ſed in eo moriatur & damnetur. q. d. Præfractus, qui ſuæ opinioni & prudentiæ præſidit, ac ſuis deſiderijs mordicus inhæret, vt monita omnia reſpuat; hic tãdem in peccatum mortale corruet, quo confringetur irreparabiliter, ſicut vas vitreum aut teſtaceum ſaxo illiſum in minutiſſima fruſta diſſilit, vt redintegrari nequeat. Ita ſanè fieri vidẽmus in ſæcularibus, clericis & Religioſis, qui Superiorum reprehenſiones ſpernunt, vt tandem in grauia ſcelera labantur, imò ſubinde apoſtatent ab Ordine, quin & à fide & Eccleſia, fiantque hæretici & miniſtri, quales multos hæc tulit ætas.

Quæres, cur Sept. vertunt, *melior eſt vir correptionum viro duræ ceruicis?* τὸ enim *melior* non eſt in Hebræo, Chaldæo & Vulgata. Reſp. Septuag. pro מַקְשֶׁה *maſſe*, id eſt *obdurans*, legerunt alio puncto cũ daghes מִקְּשֵׁה *mickeſce* id eſt *præ duro*. Sic ergo ad verbum vertêre ex Hebræo, *vir correptionum præ duro ceruice: præ*, id eſt præſtat, hoc eſt, melior eſt eo qui durus eſt ceruice. q. d. Melior eſt qui ſinit ſe corripi, quã qui dura ceruice correptioni obſtrepit. Subdunt cauſã: *Repẽtè enim eo ardente non eſt medela*. q. d. Sæpè enim monitus & increpitus exardeſcet in impatientiam, iram, rixam, obſtinationem, vt ſcelera ſua excuſare, & quaſi virtutes defẽdere velit: quare tunc nulla curationis eius ſupereſt ſpes; nõ enim admittit medicinam, putà correptionem. Tales ſunt Iudæi, qui ſuæ perfidiæ reprehenſores audire nolunt, ſed ſurda aure inſtar aſpidum obſtinatè in iudaiſmo perſiſtunt, ideoq; ſunt incurabiles. Tales quoq; fuere Phariſæi increpationibus Chriſti obluctãtes, & opera Spiritus ſancti adſcribentes diabolo, quorum proinde peccatum fuit in Spiritum ſanctum, quod non remittitur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, Matth. 12. 32.

IN MVLTIPLICATIONE IVSTORVM LÆTABITVR VVLGVS (Syrus, *multiplicatur populus*, tum numero, tum cenſu, tum virtute: CVM IMPII SVMPSERINT *Vers.2.*

PSERINT

ᴍᴇʀɪɴᴛ ᴘʀɪɴᴄɪᴘᴀᴛᴠᴍ, ɢᴇᴍᴇᴛ ᴘᴏᴘᴠʟᴠѕ] *In* A *multiplicatione*, hebr. בִּרְבוֹת *birboth*, id eſt *multiplicari*, hoc eſt, in magnificari & exaltari iuſtos, cũ ſcilicet iuſti dominantur, & conſequenter ſubditi eorum exemplo & iuſſu (hæc enim eſt multiplicatio iuſtorum) ſtudent iuſtitiæ, itaq; iuſti multiplicantur: opponitur enim impiorum principatui. Nam hebr. רַב *rab & rabbi*, id eſt multus, non tantùm eſt quantitatis & numeri, ſed & qualitatis & potentię, ac ſignificat idẽ quod magnus potens, princeps; vnde רַבִּים *rabbim* vocantur optimates & principes Iſaię 41. & Iob c. 16. Clarè ergo vertit Pagnin. *cùm dominati fuerint iuſti, &c.* Chald. *in multitudine iuſtorum, &c.* Sept. *dum laudantur iuſti, lætabantur populi; imperantibus autem impijs gemunt viri.* Aquila, *in multiplicatione iuſtorum.*

Igitur hæc gnome concinit, & quaſi eadem eſt B cum illa c. 28. v. 12. *In exultatione iuſtorum multa gloria eſt; regnantibus impijs ruinæ hominum.* Vnde R. Salomon. *Multa gloria*, ait, *eſt multiplicatio iuſtorum.* Significat ergo quantum bonum populi & reipub. ſit princeps probus, & quãtum malum improbus, ac proinde tam electoribus curandum vt probum eligant, quàm electo ſatagendum, vt probitate pręcellat: ſic enim ſibi populi beneuolẽtiam, obedientiam, reuerentiam conciliabit, vt alacriter & lętè per omnia ſibi obediat: ſin ex aduerſo ſit improbus, populi odium, inobedientiam, contemptum ſibi accerſet, vt ægrè & coactè ſibi obtemperet, imò cum principatu, vel etiam vitâ priuare ſatagat.

Sub probo principe exultat populus: cur: Cauſa. Prima.

Cauſa eſt Prima, quòd probus princeps populum benignè habeat, nec tributis grauet, ſed eius commodis magis quàm ſuis conſulere ſatagat. Quid ni ergo ſub tali lætetur populus? Improbus C verò populum durè tractet, oneribus premat, exhauriat, vt ſe ditet & exaltet; quid ni ergo ſub eo gemat populus, &, vt Caiet. vertit, *ſuſpiret*, & ad alium clementiorem anhelet.

Secunda.

Secunda, quòd probus princeps faciat vt ſubditi pariter ſint probi, itaq; multiplicentur iuſti, & regnet iuſtitia & virtus, vnde pax ſumma, cõcordia & amor ciuium conſequitur, ſic vt ciuitas videatur eſſe felix & beata inſtar paradiſi. Ex aduerſo improbus princeps ſubditos facit improbos, vt omnes paſſim ſint impij, regnetq; impietas & vitia, ex quibus diſcordiæ, lites & ſeditiones oriuntur, vt videatur ciuitas eſſe aula vel atrium inferni.

Tertia.

Tertia eſt, quod Deus ſępè benedicat, omnique bono cumulet ſubditos ob probum principem, maledicat verò & malefaciat D eiſdem ob improbum. Ita R. Leui. Hinc Chriſti ortum & regnum dilaudant Prophetæ, quòd ſub eo regnatura ſit iuſtitia, pax, felicitas, in eaque exultaturi ſint populi. Exultationem hanc & iubilum graphicè depingit Pſaltes pſal. 71. 7. *Orietur*, inquit, *in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna, &c.* Vide v. 17. *Et benedicentur*, ait, *in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Et Iſaias c. 35. 1. *Lætabitur*, ait, *deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron, &c.*

Sic ſub pijs Imperatoribus, Pontificibus & Prælatis fuit communis populi lætitia, & quaſi totius orbis ouans exultatio, vt ſub Conſtantino, Theodoſio, Carolo Magno, ſub Siluestro, Leone, Gregorio Magno Pontificibus; ſub S. Auguſtino, Hieronymo, Baſilio, Chryſoſtomo; ſub A S. Benedicto, Romualdo, Bernardo, Dominico, Franciſco, Ignatio. Nam vt ait Sapiens ca. 6. 26. *Multitudo ſapientiũ ſanitas eſt orbis terrarum.* Et Ruffinus proœmio ad vitas Patr. *Quis dubitet mundum precibus ſtare Sanctorum?* tunc ergo iubilando dicebant cum Pſalte pſal. 64. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione accingentur.*

Audi quid de S. Antonio, eiuſq; Religioſorum multiplicatione ſcribat S. Athanaſ. *Erant*, inquit, *in monte tanquam tabernacula plena diuinis choris pſallentium, legentium, orantium, qui infinitam regionem quãdam, & oppidum à mundana conuerſatione ſeiunctũ videbantur incolere. Quis tum monachorum agmen aſpiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio, ſed multitudo abſtinẽtium & certamen officiorum erat, non ſtatim in eiuſmodi vocẽ* B *erumperet? quàm bonę domus tuæ Iacob, tabernacula tua Iſrael tanquam nemora obumbrantia, tanquam paradiſus ſuper fluuios, tanquam tabernacula, quæ fixa ſunt à Domino, tanquam cedri Libani circa aquas*; Num. 23. Rectorem enim ſuum ſequuntur ſubditi, patrem filij, magiſtrum diſcipuli, ducem milites.

Porrò quàm hoc naturæ ſit conſonum, & ex eius quaſi principijs promanans, declarat Seneca ep. 90. *Naturæ eſt*, inquit, *potioribus deteriora ſubmittere. Multis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehemẽtiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris ceteros mares vincit. Elephantorum gregem excellentiſſimus ducit. Inter homines in ſummo eſt optimus: ideoq; ſumma felicitas erat gentium, quibus non poterat potentior eſſe niſi melior. Tantùm enim quantum vult poteſt, qui ſe niſi quod debet non putat eſſe.* — *Oritur id ex principijs naturæ.*

C Vɪʀ ǫᴠɪ ᴀᴍᴀᴛ ѕᴀᴘɪᴇɴᴛɪᴀᴍ, ʟᴇᴛɪꜰɪᴄᴀᴛ ᴘᴀᴛʀᴇᴍ ѕᴠᴠᴍ: ǫᴠɪ ᴀᴠᴛᴇᴍ ɴᴠᴛʀɪᴛ (Hebr. *paſcit*) ѕᴄᴏʀᴛᴀ, ᴘᴇʀᴅɪᴛ ѕᴠʙѕᴛᴀɴᴛɪᴀᴍ] — Vᴇʀѕ. 3. — Chald. *qui adhæret* (Syrus, *qui aſſociatur*) *meretrici.* Sapientia pręſertim iuuenum, ſita eſt in continentia & temperãtia, quę moderatur brutas voluptates gulæ & luxurię, ad quas feruore naturę & ſanguinis rapitur iuuentus. Vnde S. Hieron. ad Euſtoch. *Adoleſcentia*, ait, *& vinum duplex voluptatis incendium.* Senſus eſt ergo. q. d. Iuuenis ſapiens qui ſtudet continẽtiæ & caſtitati, hic ſua probitate magno gaudio afficit patrem; quia cum caſto corpore & mente caſtum quoque integrumq; ſeruat patrimonium: è contrario iuuenis vecors, qui indulget ventri & veneri, hic ſuas & patris opes cum meretricibus prodigit & dilapidat, ideoque ſe penuria, patrem D mœrore afficit: meretrices enim exhauriunt opes licet ampliſſimas, ſciuntque mille artes quibus ab amaſijs eas emungant, imò extorqueant: ac libido cęca eſt & prodiga, vnde iuuenes ea acti omnia in meretrices profundunt. Exẽplum eſt in filio prodigo, qui omnia ſua cum eis viuendo luxurioſè conſumpſit: quare ad extremam famem redactus coactus eſt agere ſubulcum, & paſcere porcos, Lucæ 15. De quo elegãter Chryſologus, *Quæ compoſita fuerant patre moderante, prodigente filio diſſipantur: Moritur virtutibus, qui vitijs creſcit; ſepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini, creſcit infamia.* Porrò filius prodigus rectè opponitur ſapienti, quia prodigus eſt inſipiẽs & ſimilis furioſo: vnde vt tali Iure Cęſareo datur curator in leg. *his qui in eá*, cauſ. 12. §. 1. Hinc Tiberius Imp. teſte Dione li. 57. ſenatori cuidam luxurioſo & prodigo curatorem dedit, quaſi pupillus foret, imò amens & furioſus. Hinc

&

& §. *ſi adoleſcens*, l. 12. li. 17. tit. 1. ſancitur, vt is qui adoleſcenti luxurioſo mutuo dat nummos, nō habeat ius eos repetendi; quia ſciens ac volens dedit eos iuueni prodigo, certiſſimè illos perdituro. Vide quæ de artibus & damnis meretricum dixit Salomon c. 7. v. 6. & ſeq.

Vers. 4. REX IVSTVS ERIGIT TERRAM, VIR AVARVS DESTRVIT EAM] Hebr. *rex in iudicio ſtare facit terram, & vir oblationum diruet eam*; Chal. *rex in iudicio ſtabilem facit terram, vir impius diſſipat eam*; Sept. *rex iuſtus erigit prouinciam, vir autem iniquus deſtruit*; Vatabl. *iudicio rex ditionem firmam facit, at qui tributa extorquet, deſtruit eam.*

Pro *vir auarus* hebr. eſt איש תרומות *is terumot*, id eſt *vir eleuationum*, hoc eſt, *oblationum*. Hinc paſſim in Script. *teruma* vocatur donum vel munus, quod Deo per ſacerdotem eleuatis manibus offerebatur.

Quæres, Quis ergo hic eſt *vir terumot*, ſiue eleuationum?

Vir eleuationum quis? Reſp. primò. Primò, R. Salomon vertit, *vir eleuationum*, id eſt vir ſuperbus, qui non veretur fore, vt à quoquā in iudiciū vocetur, vnde pro libito & faſtu ſuo iudicat, itaque iudicium peruertit. Hic ſanè deſtruit rempubl.

Secundò. Secundò, alij, *vir eleuationum* vel *oblationum*, inquiūt, eſt princeps vel iudex, qui res ſacras diripit, & oblationes Deo factas ſibi aſſcribit. Hic ſanè euertit Eccleſiam, & conſequenter rempub. Religio enim & pietas eſt fundamentum reipubl. vt ſi illam tollas, hanc ruere neceſſe ſit. Tales ſunt non pauci, qui prędia & rura Eccleſię inuadūt, ac prouentus Eccleſiaſticos ſuo applicāt fiſco, quos Deus punit talione, vt qui Eccleſiaſtica inuadunt, perdant propria & ſæcularia, vt contigit Henrico VIII. Anglię regi. Huc facit quod ſcribit R. Salomon: *Rabbini, inquit, illud pronuntiarūt, iudicem ſi regi ſimilis ſit, quem nec amicos ſibi comparare, nec munera oblata recipere neceſſe ſit, hac ratione terram firmare: quòd ſi ſimilis ſit ſacerdoti per areas oberranti ad primitias poſtulandas, eamdem diripere & perdere.*

Tertiò. Tertiò, Aben Ezra, *is terumot* vertit, *vir exactionum*, qui tributa exigit. Cōſtat autem tributa, quę à populo princeps refert, eſſe ſextam ephæ partē, q. d. Rex cùm iuſtè ſe gerit, terram firmam ſtabilemque reddit; ſed qui tributa ampliora ſumit quàm certo ordine menſuraque conſtitutum ſit, eamdem demolitur. Sic & Vatabl.

Quartò. Quartò, Septuag. & Syrus vertunt, *vir iniquus*, qui æquitatē & leges violat; Aquila & Theodot. ἀνὴρ ἀφαιρεμάτων, id eſt *vir demptionum* vel *oblationum*, qui aliena dēmit, vel oblata ambit & occupat.

Quintò. Quintò, Baynus vertit, *vir munerū*: Rex, inquit, iuſto iudicio creatus, hoc eſt, legitimè electus, putà qui bonis artibus, ſiue virtutibus, aut legitima ſucceſſione peruenit ad regnum; hic illud ſtabiliet, id eſt, diu regnabit in populo; ſed vir munerum, qui per largitionem & munera euectus eſt ad principatum, hic deſtruet terram, id eſt, expilabit populum terræ.

Sextò. Genuinè. Sextò & genuinè, *vir terumot*, id eſt *oblationum* eſt *vir munerum*, qui ſcilicet nō dat, ſed ambit & accipit munera, putà *auarus*, vt vertit Noſter, ideoque *iniquus* vt vertunt Sept. & *vir demptionum*, id eſt demens ſubditis dona & bona, vt vertit Aquila & Theodot. q. d. Rex qui iuſtè iudicat, iuſteque adminiſtrat regnum; hic illud faciet ſtabile, diues,

A felix & proſperum: at qui recipit munera, quibus placatus ſcelera dimittit impunita, permittit fieri mala, bonos viros opprimit, ſontes abſoluit, inſontes iniuſtè condemnat. Rurſum qui officia & magiſtratus confert non dignis, ſed indignis offerentibus dona; hic ſanè deſtruet rempub. & populum terræ ſibi ſubiectæ. Talis enim Primò, ſubditos grauabit & excoriabit, vt munera, quę pro principatu dedit (vti ea ſolēt dare auari, vt illo diteſcāt) à ſubditis recuperet in triplum, imò in decuplum, vt ait Iuſtinianus Imp. Et talis ſubditos velut mācipia munerum pretio à ſe coëmpta durè & indignè tractabit. Tertiò, hac ratione via aperitur, vt boni & prudentes, qui nō poſſunt vel nolunt dare munera, ab officijs excludantur; improbi verò & inſipientes, ſed diuites, per munera eadem obtineant.

B Scripſit hac de re inſigne opuſculum ad Duciſsā Brabantiæ S. Thomas Aquinas, vbi planè diſſuadet illi, ne magiſtratus pretio licitetur & vendat.

Nota. Hebr. יעמיד *iaamid*, id eſt ſtare facit, ſtatuit, ſtabilit terram, alludere ad centrum terræ, eique comparare regem, vel potiùs iudicium regis. q. d. Rex iuſtus ſtabilit terrā inſtar centri, vel potiùs per iuſtitiam quaſi per centrum. Sicut enim centrum teſte Ariſtot. lib. 1. de Cęlo, terrę & corporibus omnibus, quę ad illud tēdūt, confert triplex beneficium, ſcilicet vnitatem, conſeruationē & quietē; ſic & rex per iuſtitiam, quam omnibus vnam eandemque adminiſtrat, omnes in eādem ſibi vnit, & in concordia, amoris ſeditionibus, cōſeruat, ac quietem à bellis hoſtibuſque quos ab eis propulſat, tribuit. Ex aduerſo vir auarus, id eſt tyrannus, regis nomine indignus, vt vir priuatus potiùs vocandus ſit quàm rex, qui muneribus vendit *Iuſtitia eſt centrum regni per tres dotes.*

C iuſtitiam, ſubditos quaſi a ſuo centro auellit facitque excentricos, ac pro vnitate affert diſcordiam & ſchiſmata, pro conſeruatione ruinam & exitiū, pro quiete ſeditiones & tumultus. Vnde noſter Salazar: Sicut corpora, inquit, à centro ſeparata nō quieſcunt, ſed vi ſua ad vlteriora nituntur, ita etiā ciues tyrannum principē nacti, incredibilem vim ſuſtinent, atque adeò in ipſius obedientia non diu perſiſtunt, ſed inquieti ac mobiles alium cogitant, & alium affectant. Rurſum, ſicut corpora à cētro diſſita, à contrarijs ſuis corrumpi ſolent: ita etiam imperia quæ ad tyrannos principes deuenerunt, ab externis hoſtibus petita, faciliùs euerti ac deſtrui ſolent. *Tyrannus facit populum excentricum.*

Hanc tyrannidis eſſe indolem & proprietatem docet Plato, Plutarchus & Ariſt. li. 5. Polit. c. 10. Quocirca Agapetus Diaconus admonit. ad Iuſtinian. Imp. identidem ei commendat iuſtitiam & *Rex ſit iuſtus & beneficus. Gnoma.*

D beneficium in ſubditos. *Solis profectò*, inquit, *partes ſunt, illuſtrare radijs orbē, principis verò virtus eſt, egenorum miſereri. Porrò his clarior eſt imperator, qui pius eſt. Ille namque cedit ſuccedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non concedit indulgētiæ quidquam, ſed lumine veritatis iniquitatis occultè coarguit.* Et Plutarch. in Moral. *vt Deus*, inquit, *in cælo pulcherrimum ac iucundiſſimum ſui ſimulacrum conſtituit ſolem: ſic in republica principem, qui prudentia, iuſtitia, benignitate ſe erga omnes repræſentet.* Sixtus Pythagoræus in Sententijs ſent. 15. *Sapiens vir*, inquit, *& pecuniæ contēptor ſimilis eſt Deo.* Et ſent. 33. *Reuereatur vitā tuam mundus: nihil admittas quod tibi inuehat notam.* Alius: *Theologia Chriſtianorum tria præcipua quadam in Deo ponit, ſummam potentiam, ſummam ſapientiam, ſummam bonitatem.* *Rex vt Deus dotes imitetur.*

nitatem. Hunc ternarium pro viribus abſoluat oportet. Nam potentia ſine bonitate mera tyrannis eſt, ſine ſapiẽtia pernicies, non regnum. Primùm igitur des operam, vt quandoquidem potentiam fortuna dedit, quàm maximã ſapientiæ vim tibi compares, vt vnus omniũ optimè quid expetendum, quidue fugiendum ſit perſpicias. Denique vt quàm maximè prodeſſe ſtudeas omnibus: nam id eſt bonitatis. Poteſtas, autem ad hoc potiſſimùm tibi ſeruiat, vt quantum cupis prodeſſe, tantumdem & poſſis, imò plus velis quàm poſſis. Porrò nocere hoc minùs veliſ, quo magis potes. A

Vers. 5. HOMO QVI BLANDIS FICTISQVE SERMONIBVS LOQVITVR AMICO SVO, RETE EXPANDIT GRESSIBVS EIVS] ita Roman. & cæteri impreſſi; manuſcripti tamen pro *eius* legunt *ſuis*, & ſic vertit R. Leui, Aben Ezra & Sept. Hebræum enim pronomen affixum tam eſt reciprocum quàm abſolutum, vt tam *ſuis* quàm *eius* verti poſſit.

B Noſtra ergo Vulgata verſio, quæ habet *eius*, ſignificat cauendam eſſe aſſentationem tã aſſentato, quàm amico aſſentanti. q.d. Is qui amico blãdis & ad aſſentationem cõpoſitis ſermonibus adulatur, non amicus eſt, ſed adulator & hoſtis, quia vel ſciens, vel neſcius; vel ſimpliciter, vel fraudulenter, rete & laqueum expandit moribus & actibus eius cui adulatur. Facit enim vt is ſuperbiat, & maiorẽ ſe putet, quàm reuera ſit, vtque vitia quæ adulator excuſat vel laudat, pro virtutibus habeat & exerceat. Eſt metaphora à venatoribus, qui aues & feras reti expãſo illaqueant. Sicut enim aues & feræ laqueo hoc capiuntur & necantur: ſic adulatione capiuntur & necãtur animæ inſipientum. Ita Plutarch. tract. de differentia adulatoris & amici: *Adulator*, inquit, *trahit, & in laqueum inijcit imitando.* Et, poſt pauca: *Nec ferã moratur, ſed ipſum in plagas conijcit, & indagine cingit venatorẽ.* vide ibi plura. Senecæ Natur. q. lib. 4. in præfat. *Nec adulatoribus latus præbeas: artifices enim ſunt ad captandum ſuperiores*: (in artem qua venatores ipſos ad retia pertrahunt) *Mihi crede, capieris, ſi proditioni eorũ ipſe te tradis.* Plato verò in Gorgia: *Adulator, inquit, optimi nullã habet curam, ſed ſemper eo quod dulciſſimũ eſt, quaſi hamo incautam illaqueat mentem, & vſque adeò decipit*, &c. Hęc

Philautia adulationis. eſt philautia hominis, vt, etiamſi ſciat adulatorem adulari, & impudenter falſa dicere, ac mentiri ſplendidè; tamen eo delectetur, ſuiſq; falſis laudibus ab eo decantatis palpetur & gaudeat. Grauiter Seneca epiſt. 59. *Citò*, ait, *nobis placemus, ſi inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus, nec ſumus modica laudatione contẽti: quidquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tanquam debitum prẽdimus: optimos nos eſſe, ſapientiſſimos affirmantibus aſſẽtimur, cùm ſciamus illos ſæpè mentiri.* Non minùs verè ac grauiter de Tranquill. c. 10. *Quis ſibi verum dicere auſus eſt? quis non inter laudantium blandientiumq́; poſitus greges, plurimùm tamen ſibi ipſi aſſentatus eſt?* Ergo quòd adulatorum deceptione ſeducamur, ex noſtro errore noſtraque aſſentatione manat. *Amor proprius* (inquit Plutarchus) *facit, vt quiſque ſui ipſius aſſentator cùm ſit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult eſſe ſibi atque accedere teſtem adſtipulatoremque.* Quocirca ſapienter Diogenes apud Dionem orat. 3. de regno: *Omnium, ait, vitiorum turpiſſimum inuenias adulationem; etenim id quod honeſtiſſimum iuſtiſſimumq́; in vita eſt corrumpit, nempe laudem, vt iam amplius haud videatur credibilis, neque vera: aut (quod omnium peſſimum eſt) virtutis præmia vitio attribuit. Itaq; multò peius faciunt,* A *quàm qui corrumpunt monetã, qui vitentem fide carere faciunt.* Et inferiùs: *Qui pauperem laudat vt diuitẽ, ipſe quidẽ mentitur, laudato autem paupertatem exprobrat.*

Vulgatæ accedit Chald. qui vertit, *vir qui diuiditur* (Heb. enim חלק *chalac* & blandiri ſiue adulari, & diuidere ſignificat) *à ſocio ſuo, rete expandit greſſibus eius.* q.d. Qui per litem, iram vel odium ſeparat ſe ab amico, hic machinatur ei laqueum, id eſt fraudẽ & dolum, quo eum decipiat & ſupplantet.

Hebr. eſt, *vir leniens, vel blandiens, ſuper ſocium ſuum, rete expandit greſſibus eius*, q.d. Ideo lenibus vtitur verbis, & blanditur proximo ſuo, vt per has blanditias eum decipiat, vel aliquid ab eo impetret quod ſibi commodum, danti graue eſt & incommodum. Monet ergo blanditias & blandiloquos cauendos, quia ferè decipere intendunt, vel aliquid extorquere, id ita eſſe quotidie experimur. Blanditiæ ergo ſunt dulces, & melliti laquei imprudentium. Vnde Cato in Diſtichis, Salomonem ſecutus ita monet.

Noli homines blandos nimiùm ſermone probare:
Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Et inferiùs:

Sermones blandos blæſoſq́; cauere memento,
Simplicitas, veri forma eſt; fraus, ficta loquendi.

Huc facit gnome Syrorũ & Arabum cent. 1. n. 97. *Quando audieris vnum de te loquentem bonum, quod in te nõ eſt, ne credas* (ne in ſinu gaudeas:) *loquetur enim & malũ de te, quod in te non eſt.* Hinc mollire ſermones, ſiue blandiri, in Script. idem eſt quod decipere: vt, *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*, pſ. 54. 22. Sic Dalila blanditijs ſuis Samſonem ſeduxit & in mortem induxit, Iudic. c. 14. 15. C Similia ſunt Prouerb. 2. 16. & c. 6. 26. & c. 23. 31. & c. 7. 23.

Pari modo qui hoſti doloſè propinant venenum, id porrigunt in vinis dulcibus delicatiſque, & pateris auratis. Vnde Iuuenalis:

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Olim enim Setina vina (ex oppido Setia nõ longè à Roma) erant delicatiſſima, vnde illa bibebat Auguſtus Cęſar; iam mutato ſitu oppidi, mutatæ ſunt perieruntque hæ vinorum eius deliciæ.

Septua. verò Vatic. qui habent *ſuis*, ſic vertunt, *qui præparat ad faciẽ amici ſui rete circumdat illud pedibus ſuis* quæ ſententia neruoſior eſt, monetq; aſtutos & fraudulentos, qui alijs tendunt inſidias, & D machinantur fraudes, vt ijs abſtineant, eò quòd hę fraudes in eorũ caput recaſuræ ſint. q.d. Qui amico ſuo machinatur per inſidias malum, ipſe eodẽ velut reti ſuo illaqueabitur & capietur, iuxta illud c. 28. 10. *Qui decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebunt bona eius.* Et c. 26. 27. *Qui fodit foueã, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Hoc enim eſt iuſtum Dei iudicium ac iuſta talionis pœna, vt doloſi ſuis dolis quos alijs tetenderunt, illaqueentur, vt ibi dixi, iuxta illud pſ. 34. 8 *Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſum.*

Porrò Septuag. Complut. & Regij ſic habent, *qui præparatur ad vultum amici ſui, rete circumiaciet ei pedibus ſuis.* Verùm hæc lectio obſcura & implexa eſt, diſſidetque ab Hebræo, Chald. Vulgata, quin & à Sept. Vaticanis, & ab auctore Catenæ Græcor. qui omnes delent τὸ ei; fortè quia pronomen Hebræum, vt dixi, tam verti poteſt *eius* quàm *ſuis*.

Aliquis

Aliquis ad marginem Septuag. adiunxit *τὸ ἐιμι* vel *εἰ*, vt vtramque verſionem indicaret, quod poſtea in textum irrepſit.

Vers.6. Peccantem virum iniquum involvet laqueus: et iustus laudabit atque gaudebit] Hebr. *in præuaricatione viri mali laqueus, & iuſtus præconia ducet & lætabitur*, Caiet. *& iuſtus cantabit atque gaudebit*; Chald. *vir malus in peccato ſuo capitur, &c.* Sept. *peccanti viro magnus laqueus, iuſtus autē in gaudio atque lætitia erit*; Aquila, *in peccato viri iniqui offenſio*; Symmach. *in iniuſtitia viri malum ſcandalum*. *Offenſio & ſcandalum* hic tum actiuè accipi poſſunt q.d. Iniquus ſua iniquitate offēdit & ſcādalizat proximos; tum paſſiue, q.d. Iniquus in ſua iniquitate offendet, ſcādalizabitur & capietur, heu t mus in eſca decipulæ capitur & ſcandalizatur, inde enim vox ſcādali deducta eſt, vt aliàs dixi. Et hic poſterior ſenſus cōformior eſt Hebręo, Chal. Vulgatæ & Sept. vnde Pagnin. vertit, *propter præuaricationem viri veniet ei malus laqueus: iuſtus autem laudabit & lætabitur*; Vatabl. *ipſi malo ſua tranſgreſſio laqueus eſt: iuſtus autem ouat & gaudet.*

Iniquus ſuo rete illa queatur quis? Resp. Primò. Quæres, quis hic vocetur *peccans & vir iniquus*, qui ſuo peccato & iniquitate illaqueatur? Primò, Baynus intelligit fraudulētum & doloſum, de quo v. præcedēti, cui hunc verſum ipſe annectit, q.d. Rete expanſum ab adulatore non impediet greſſus alicuius, ſed iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus ſuorum verborū conſtringitur. Vel neruoſiùs, q.d. Vafer & fraudulentus cū rete alteri parat, ipſe ſibi inijcit laqueum, quo ſtranguletur & præfocetur: fraudes enim in fraudulentum recidunt, ipſumque præfocant.

Secundò. Secundò, Aben Ezra intelligit rebellem: rebellio enim hebr. vocatur פשע *peſca*, id eſt præuaricatio. Solent enim rebelles in rebellione ſua capi, & ob eam à principe capite mulctari.

Tertiò. Tertiò, R. Leui intelligit ſcandaloſum, quò alios ad ſua ſcelera pellicere ſatagit, iuxta illud, *Væ ſceleſto, væ ſceleſti vicino*. Hic enim velut peſtis reipub. ob hoc ſcandalum morte puniri & exterminari ſolet; ſicut hæreticos dogmatizantes, qui ſcilicet alios ad ſuas hęreſes ſollicitant plecti videmus. De his ait Deus Ierē. c. 5.26. *Inuenti ſunt in populo meo impij inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros: ſicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plenæ dolo.*

Quartò. Quartò, noſter Salazar intelligit deſperantem: huic enim ſua deſperatio eſt laqueus id eſt peccatum grauiſſimum & immedicabile: quod eum necat & ſuffocat: ſicut videmus deſperantes ſeipſos ſæpè laqueo præfocare, aut aquis ſubmergere. Deſperatio ergo primò animā, deinde corpus ſtrangulat. Ex aduerſo vir iuſtus ſpe erectus prę gaudio geſtit, & in Dei laudes erūpit. Senſus ergo eſt. q.d. Peccatorē maximorum criminum reum, ſæpè ſua ipſius conſcientia ad deſperationem adducit, & collum laqueo inſerere cogit ſuo ipſius damnatū iudicio. Sic Iudas proditor admiſſi ſceleris cōſcientiā ſtimulatus, ſibi ipſi laqueū inijcit. Hęc apposita, ſed inadæquata & partialis eſt explicatio. Deſperatio etiam tantùm eſt pars & ſpecies vna peccati, quod vti varias ſpecies alias continet, ita varios præter deſperationem ſibi nectit laqueos.

Quintò. Quintò, ergo plenè & adæquatè quemlibet hic peccantem accipias, ſcilicet peccato graui & enormi, qui in alios iniurius, malignus & maleficus eſt. Hic enim hebr. vocatur רע *ra*, atque iniuriam notat פשע *peſca*, id eſt præuaricatio. Docet ergo hæc gnome peccatum ſimile eſſe eſcę, ad quā dum aduolant aues, mures & feræ, reti vicino vel laqueo implicantur & capiuntur. Simili enim modo peccatum ſuam habet eſcam & illecebram, nimirum voluptatem gulæ, luxuriæ, ambitus, vindictæ, &c. ſed cum ea peccatorem criminis vnco perfodit, tenet & capit, iuxta illud Sapient. 14.11. *Creaturę Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Voluptas eſca peccati.

Vncus hic eſt reatus peccati, quo ſe peccans dęmoni obſtringit, itaq; Dei ſeſe obnoxium ac gehennę reum efficit. Vnde ſequitur perpetuus cōſcientiæ mœror & angor, infamia, pœna iudicis, milleq; ærumnæ, vel a Deo, vel ab hominibus, in peccatorem immiſſæ. Hoc eſt quod Salomonem ſecutus Iſaias ait c. 5.18. *Væ, ait, qui trahitis iniquitatē in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Et Iob c. 18.9. *Tenebitur, inquit, planta illius laqueo, &c. abſconditа eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.* Et Salomonis pater Dauid: *Funes, inquit, inferni circumdederunt me; præuenerunt me laquei mortis*, 2. Regum 22.6. vide dicta c. 5.22. ad illa: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, &c.* Vncus peccati reatus.

Iustus laudabit atque gaudebit] Hebr. *iubilabit & lætabitur*: tum quia gaudet ſcelera & ſceleſtos puniri ex zelo iuſtitiæ: tum quia ab vtriſque ſe liberatum videt: tum denique quia iuſtitia lætus lætam habet conſcientiam, ac ſecurus gaudia & præmia tum præſentia, tum æterna à Deo expectat. Caiet. *Cantabit atque gaudebit*, vt alludatur ad illud Iſaiæ 53.8. iuxta Sept. *In ſiticuloſa terra erit fons aquæ, illic erit lætitia auium.* Cyrill. autem ad hæc alludens verba: *Fōs, ait, aquæ viuæ Chriſtus ſaluator, in illo factus eſt auium concurſus & lætitia. Aues hīc dicit, qui vltra res terrenas euolant, & qui libertate ſpiritus vtuntur, qui alti ſunt propter virtutem, & quæ ſuprà ſunt ſapiunt.*

Verè & piè S. Aug. in Sententijs num. 90. *Non poteſt, inquit, quiſquam fraudari delectationibus ſuis, cui Chriſtus eſt gaudium. Æterna enim exultatio eſt, quę bono lætatur æterno.* Et nu. 13. *Chriſtiano rectè gaudendi cauſa non præſens ſæculum eſt, ſed futurum. Et ita vtendum eſt temporalibus, ne obſint æternis, vt in via qua peregrini ambulant, hoc placeat quod ducit ad patriā.* Plura de hoc iuſtorum gaudio dixi c. 15. v. 15. ad illa: *Secura mens quaſi iuge conuiuium.*

Vers.7. Novit iustus causam pauperum: impius ignorat scientiam] Pro *cauſam* hebr. eſt דין *din*, id eſt iudicium, hoc eſt, litem & cauſam forenſem quæ in iudicio diſceptatur. Vnde patet maximè hic de iudice & aduocatis agi, q.d. Iuſtus iudex & aduocatus curæ & cordi habent, ideoq; diligenter ſcrutatur cauſas forenſes pauperum, vt earum iuſtitiam & æquitatem à radice & fundamentis cognoſcant, tueantur & decidant. At iniuſtus & impius iudex vel aduocatus non curat lites pauperum, quia ab eis parum lucri ſperat, ideoq; non veſtigat eorum rationes & fundamenta, imò affectat earum ignorantiā, ne cogatur pro eis ſtare contra diuites & potentes, quorum munera & gratia ambit: quales increpans Iſaias c. 1.23. *Pupillo, inquit, non iudicāt, & cauſa viduæ nō ingreditur ad eos.* Cōtra id quod ſancit Propheta pſal. 81.3. *Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate.* Vnde hebr. eſt לא יבין *lo iabin*, id eſt *non diſcernit*, ſcilicet בין *ben*, id eſt inter æquum & iniquum, inter lucem diuitis & pauperis, inter legem generalem & caſum Iuſti agunt cauſas pauperum.

ſum particularem; ſed omnes vnâ generali lege & ſententiâ inuoluit, itaque pauperes ſæpè excipiendos iniuſtè condemnat. Talis iuſtus fuit S. Iob di- *Exempla.* cens cap. 29. 16. *Pater iram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.* Talis fuit S. Ludouicus IX. rex Franciæ, qui metuens ne cauſæ pauperum negligenter à iudicibus audirentur, ipſe ſingulis hebdomadis eaſdem audiebat, diſcernebat & diiudicabat. Idem fecit S. Iuo, qui totum ſe gratis addixit patrocinio pauperum, ac proinde quaſi patronus pauperum in Sanctorum numerum eſt relatus. Hac de cauſa in multis academiis gradum Doctorum aut Licentiæ in iure ſuſcepturi, ac tribunalium aduocati, iurant ſe pauperum cauſas gratis acturos, imò Romæ ſtipendiis publicis deſignantur aduocati, qui pauperum lites gratis peragant. Huc ſpectat illud Democriti apud *Gnome.* Antonium in Meliſſa p. 2. c. 7. *Optimus iudex eſt qui citò intelligit & lentè iudicat: alterum enim beneuolentiæ eſt, alterum verò diligentiæ exquiſitæ.* Præclarè Theodoricus rex apud Caſſiodor. lib. 5. Variarum cap. 20. *Inter glorioſas, ait, reipubl. curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante reuoluimus, cordi noſtro eſt leuamen humilium contra potentiam ſuperborum.* Et Plinius in Paneg. Traiani: *Rex eſt, cuius imperij maieſtas ſalutis eſt tutela.* Et alius: *Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice ſua fungatur.*

Porrò Septuag. vertunt, *nouit iuſtus iudicare pauperibus: impius autem non cogitat ſcientiam*; Complut. *non cogitat cauſam*; Regia, *non intelligit iudicium.* Adduntque: *Et pauperi no ineſt mens cognóſcens*, vel *ſolertia*, vt vertit auctor Catenæ Græcor, quæ verba non ſunt in Hebręo, Chaldæo, Vulgata: quare vel paraphraſticè à Septuag. ſunt addita, vel certè ex alia verſione adiecta. Si enim pro רֶשַׁע *raſca*, id eſt *impius*, per apocopen legas רָשׁ *ras* (vt alibi legiſſe Septuag. ſuperiùs adnotaui) id eſt *pauper*, & reliqua quæ ſequuntur eidem addas, prodibit hic ſenſus: *Pauper non intelligit ſcientiam*, id eſt *pauperi non eſt mens cognoſcens*, quaſi dicat: Ideò iuſtus iudex vel aduocatus ſcrutatur ius pauperis, quia pauper per ſe vel ſimplex eſt, ſtupidus aut ſtolidus; vel ignorans, aut ignaris iuris: eo ergo magis eius miſeretur, magiſque curæ habet tam miſeri cauſam, eiq; ſedulò ſtudet, vt eius æquitatem veſtiget & tueatur. Hoc eſt quod de Salomone in typo Chriſti, qui regum & principum fuit idea, cecinit Dauid pſ. 71. 12. *Qui liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor.*

Vers. 8. HOMINES PESTILENTES DISSIPANT CIVITATEM: SAPIENTES VERÒ AVERTVNT FVROREM] Hebr. *viri irriſionum* (id eſt irriſores; Syrus, *illuſores*, qui omnia humana & diuina irrident, ideoque peſtilentes) *efflant*, vel *ſufflant*, *ciuitatem*: *ſapientes verò reuerti faciunt naſum*, id eſt iram & furorem. Pro *diſſipant* hebr. eſt יָפִיחוּ *iapichu*; id eſt *efflant*; Chald. *loquuntur mendacium.* Vulgò enim *ſufflare* dicuntur, qui mentiuntur: ſicut enim ſufflando concitamus ventum, ſic mentiendo nil niſi vanitatem & mendacium efflamus; Symmach. *incenderunt*; Septuag. *exuſſerunt*; alij, *fluctuare faciunt*; Vatabl. & Pagnin. *illaqueant*, vt *iapichu* alludat ad פַּח *pach*, id eſt laqueus.

Primò, Aben Ezra ſic exponit, q. d. Deus ob deriſores parat ciuibus laqueos, quibus implicentur: ſapientes verò ob prudentiam, qua pollent, diuinam iram ſedant, laqueoſque deuitant.

Secundò, R. Leui: Deriſores, ait, iurgia diffidia- que ſerunt, quibus perditur ciuitas: ſapientes verò pacem conciliare ſtudent, iramque & æſtum, quo quis in alterum exardeſcit, prorſus deliniunt. Et Vatabl. Illuſores, ait, ſunt exitio ciuitati, at ſapientes auertunt iram à ſannionibus excitatam.

Tertiò, Hebræi, qui *iapichu* vertunt, *efflant*, vel *ſufflant*, vel *fluctuare faciunt*, cenſent eſſe metaphoram à vento, q. d. Sicut validi venti, præſertim contrarij; dum inter ſe conflictantur, ſternunt arbores, euertunt turres, lacerant vrbes, naues in mari collidunt & confringunt, atque altos tollunt ad ſidera fluctus: ſic pariter homines tumultuoſi & ſeditioſi concitant rixas, ſchiſmata & ſeditiones, quibus tota ciuitas collidatur & conquaſſetur: at verò ſapientes ſua prudentia & tranquillitate hos fluctus motuſque ſedant, ac ciues paci, ciuitatem integritati reſtituunt.

Quartò, Septuag. Symmach. & alij, qui *iapichu* vertunt, *incendunt* vel inflammant, cenſent metaphoram duci vel à folle, vel à flabris ventorum. q. d. Sicut folle ſufflando excitatur ignis, qui totam lignorum ſtruem, imò ſiluam aut domum, plateam, vrbem, proſerpendo comburat: ſic pariter ſuſurrones, qui ſerunt inimicitias, diſcordias & lites, ſunt quaſi folles & flabella, quæ iras & lites inter ciues ſuccendunt, vt tota ciuitas rixis exæſtuet, abeatque in pugnas & cædes: at verò ſapientes hoſce folles comprimunt, ac malitiam & pacem ciuitati reddunt.

Quintò, Noſter *iapichu* vertit, *diſſipant*, id eſt diſflant, metaphora ſumpta à paleis & ſtipulis. q. d. Sicut ventilator tritici ventilando difflat & diſſipat paleas, vt tenues vaneſcant in auras: ſic pariter ſuſurrones & ſeditioſi, ſuis ſuſurris & tumultibus vulgus leue & mobile agitant ventilantque, vt ſeditiones concitet, quibus diuites ſpolientur, probi necentur, potentes fugentur, itaque ciues diſpereant & euaneſcant: at verò ſapientes ſua ſapiẽtia & grauitate hoſce tumultus pacant, ac plebem cũ ſenatu conciliant, itaque ciuitati concordiam & tranquillitatem reſtituunt: vti Romæ olim fecit Menenius Agrippa, qui plebem à ſenatu diſſidẽtem & ſecedentem in Auentinum montem, eò quòd à ſuſurronibus concitata quereretur ſe à ſenatu opprimi, per apologum ventris & membrorum, quem recitaui 1. Corinth. 12. 23. cum ſenatu conciliauit, vrbique pacem reddidit.

Præclarè Epictetus apud Stobæum ſerm. 43. *Sicut*, inquit, *faces in portu ſublatæ magna flãma in paucis cremiis* (rebus combuſtibilibus) *excitata, nauibus per mare errabundis multum auxilij ferunt: ſic & viri ſplendidi in vrbe periclitante paucis ipſis rebus contenti, magnis beneficiis ciues afficiunt.* Exemplo ſit mulier ſapiens Thecuitis, quæ vrbem Abelam à rebelle Seba inſeſſam ſua ſapientia à rebellione liberauit, ac Ioab & Dauidis bellum diſcuſſit, 2. Reg. 20. Moſes quoq; & Aaron ſæpè auerterunt iram Dei ab Iſraele, vt & Phinees occidens peſtilentes cultores Beelphegor fornicantes cum Madianitidibus, qui eam concitarant, Num. 25.

VIR SAPIENS, SI CVM STVLTO CONTENDERIT, SIVE IRASCATVR, SIVE RIDEAT, NON INVENIET REQVIEM] Hebr. *vir ſapiens iudicium ſubiens cum viro ſtulto, & iraſcetur & ridebit, & nõ requies*; Chald. *vir ſapiens contendens cum viro ſtulto, ſiue iraſcatur, ſiue rideat, non conteretur*, Sept. *vir ſapiens iudicabit gentes: vir autem nequam ſuccenſens deridetur & non terret*; Syrus, *non fert moleſtè*, vel *non indignatur.* *Vers. 9.*

Primò, R. Salomon per virum ſapientem accipit Deum, qui cum ſtultis, id eſt impiis, contendit iugiter ſine requie.

Secundò, Baynus, q.d. Stultus eſt incorrigibilis, aliorum enim monita vel ridendo, vel iraſcendo explodit; quare non verbo, ſed fuſte & verbere contundendus & emendandus eſt.

Tertiò & genuinè, τὸ *ſiue iraſcatur ſiue rideat*, refer ad ſapientē corripientem, non ad ſtultum correptum. Senſus ergo eſt, ait Ianſen. q.d. Si ſapientem ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, diſceptare contigerit cum viro ſtulto, hoc eſt homine improbo, ſiue ſapiens iraſcatur, ſiue rideat, hoc eſt, ſiue ſeriò agat, ſiue ioco; ſiue ſeriis verbis iuſtam ſuam indignationem oſtendat, ſiue ridendo declaret ſe contemnere Illius improbitatem; ſiue durè cum illo agat, ſiue blandè & benignè, non inueniet requiem, id eſt non facilè ab illo liberabitur, non facilè illi ſatisfaciet, vt ab illius impetitione ſit habiturus quietem. Prouerbium docet, ſtultum & improbum eſſe implacabilem & incorrigibilē, quare ſapientibus cautè declinandum eſſe à contentionibus cum eo. Exemplum eſt in Phariſæis, cum quibus Chriſtus contendens numquam potuit quietem ab eis obtinere, cùm nunc durè eos increparet, nunc blandè eis ſatisfacere ſtuderet. Stulti enim quaſi feræ ſtolidæ & ſtupidæ nec blanditiis verborum, nec minis plagiſue verberū ad ſapientiam virtutemque transferri ſe ſinunt: ſapientes verò, vtpote animo & iudicio pollentes, vtriſque ad honeſtatem excitantur. Huc facit illud Sixti Pythagoræ: *Neque vox in piſcibus, neque virtus in hominibus imperitis quærenda.* Et illud Crateris: *Stulti ſimiles ſunt terebris, eò quòd niſi vinculis & neceſſitate coacti officium ſuum non faciant.* Et illud: *Phryx non niſi plagis emendatur.*

Porrò Septuag. vertunt, *vir ſapiens iudicabit gentes: vir autē nequam ſuccenſens deridetur, & non terret,* q.d. Vir ſapiens facilè regit populos: tū quia prudens eſt & moderatus: tū quia ſuo exemplo ſubditis præit, qui proinde eū ſequuntur, & libenter obtemperant, at verò nequam & improbus nil à ſubditis impetrat, ſed, eſto eis immorigeris ſuccenſeat, ab eiſdem deridetur, neque minando terret, parui habetur & contemnitur: tum quia ſubditos grauat legibus, tributis & oneribus: tum quia imprudens eſt, tum quia ſubditis dat ſcandalum & malæ vitæ exemplū, ſeuera præcipiendo, & diſſolutè viuendo. Vnde auctor Catenæ Græcor. Septuag. ſic clarè vertit, *vir ſapiens rectè iudicat populum: vir autem improbus ira incenſus deridiculum ſe facit, nec vlli terrorem incutit.* Hinc diſce probitatem plurimùm valere ad regimen, & ad impetrandam à ſubditis obedientiam, hanc enim impetrat prudentiæ & virtutis opinio, æquè ac vitæ exemplū. Vnde Plutarch. in Moral. principem componit cum lege & iure, *Tot tantorumq́, inquit, bonorum & munerum, quæ dij largiuntur, nullus eſt fructus aut vſus rectus ſine lege, iure & principe. Ius finis eſt legis: principis opus lex: princeps autem imago Dei cuncta adminiſtrantis.* Vnde Cato peſſimum dicebat eſſe principem, qui ſibi ipſi imperare nequiret, vt rationi, legi & virtuti ſe ſubderet: qua enim ratione talis alios ſibi legique ſubdet?

Probitas valet ad regimen.

VERS. 10. VIRI SANGVINVM ODERVNT SIMPLICEM: IVSTI AVTEM QVÆRVNT ANIMAM EIVS] Pro *ſimplicem* hebr. eſt תם *tam*, id eſt *integrum*, immaculatum, incorruptum; Syrus, *innocentem*; Septuag.

A ὅσιον, id eſt *ſanctum*. Hic autem maximè notat iuſtum iuſtitiæ propugnatorem & vindicem, qui ſcilicet iniuſtos prædones & homicidas acriter increpat, & ſi magiſtratu fungitur, eos inſectatur & morte mulctat: hunc enim vt vitæ ſuæ perniciem oderunt homicidæ.

Senſus eſt q.d. Viri ſanguinarij & homicidæ oderunt virum innocentem & virtutis ſtudioſum, tum quia moribus ſuis contrarius eſt, eoſq; tacitè vita ſua condemnat: quia ergo delectantur ſcelerata vitâ, hinc virtutem & virtute præditos oderunt. Vnde Chald. vertit *viri ſanguinem effundentes oderunt ſimplicitatem, recti autem quærunt eam*, tum quia bonis eius inhiant, ideoque illius velut in prædam ſibi expoſiti vitæ inſidiantur, *iuſti autem quærunt animam eius:* ſtudent vitæ eius conſeruan-

B dæ, vtpote quæ ſibi & toti reipub. ob exemplum, conſilium, preces & merita apud Deum ſit vtiliſſima, tum denique, quia, vt dixi, ſicarij oderunt viros integros, qui iura tuentur & iniurios præſertim homicidas perſequuntur: eos ergo vt ſuos iudices & carnifices immitiſſimos odiis inſectatur.

Nota τὸ *quærunt animam eius*, variè exponitur. Primò Tigurina vertit, *rectis autē vita eius curæ eſt*. Secundò, Syrus: *recti amant eum:* ſcilicet, amant cū eo verſari & loqui, vt ab eius anima ſapiente & ſancta inſtruantur, dirigantur, ſanctificentur, ac conſilium, conſolationē, opem accipiant. Tertiò, Vatabl. *recti quærunt voluntatem eius*, id eſt, ſtudent ei in omnibus obſequi. *Anima* enim ſæpè metonymicè ſignificat animę deſideria & cōſilia. Vnde R. Salomon, *Vox hæc*, ait, *charitatem & beneuolentiam ſignificat, eamdemq; vim habet quam illa Dauidis*

C *ab Abiathar*, 1. *Reg.* 22. 23. *Si quis quæſierit animam meam, quæret & tuam, id eſt qui mihi beneficiis gratificabitur, tibi etiā gratificabitur.* Sed alius illius loci eſt ſenſus: *anima* enim ibi vitā ſignificat. Quartò, R. Leui, *Iuſti*, ait, *quærunt animam ſuam*, vt ſcilicet expleant ſancta animę ſuæ deſideria. q.d. Omni modo tentant illa, quæ deſiderant exequi. Quintò Aben Ezra, Salazar & Baynus, q.d. Animam, id eſt vitam, iuſto ab homicidis ereptam requirent & vindicabunt recti & æqui iudices, nec permittent homicidas graſſari impunè, vt ſanguinem proborum fundant, q.d. Hoc in primis ſpectat ad iudices æquos, vt, ſicut cauſas pauperum, ne à diuitibus opprimātur, ſcrutantur & tuentur; ſic & viro ſimplice, id eſt innocente, iuſto & integro, interfecto inquirant & puniant cædis auctores, vt ſanguinem innocentis vlciſcantur. Hoc ſenſu dicitur

D pſ. 141. 5. *Non eſt qui requirat*, id eſt vlciſcatur, *animam meam*. Et Ezech. 3. 20. *Sanguinem verò eius de manu tua requiram*, & alibi ſæpè. Cùm enim ſimplices & innocentes ſint modeſti & patientes, nec ſuas iniurias vindicent, par eſt, vt id faciant iuſti iudices, vt iuſtitiæ læſæ tum humanæ tum diuinæ, per ſontium pœnam ſatisfiat. Vnde Phocylides: *Sceleſti*, inquit, *iuſtè necati, victimæ ſunt Iouis.*

Ex his ſenſibus maximè genuinus eſt primus & vltimus. Vtrumque ſic connectas, q.d. Sicarij oderunt virum integrum, qui fortiter ſtat pro iuſtitia quam ipſi violant, ideoque in eius necem conſpirant, vti Phariſæi conſpirarunt in necem Chriſti. Vnde hæc eorū vox eſt Sap. 2. 12. *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, &c. morte turpiſſima condemnemus eū.* At iuſti, præſertim iudices & magiſtratus, vice verſa conſpirant, vt vitam

vitam viri integri tueantur, & ſi illa ipſi ab homicidis erepta ſit, vindicetur, & talione puniatur, etiam ſi mors illius multorum cæde, qui mortis auctores vel adiutores fuere, luenda & expianda ſit.

Hæc gnome veriſſima eſt in probis ſeduliſque prætoribus & magiſtratibus, qui ſicarios perſequuntur: hos enim cane peiùs & angue oderunt ſicarij, ac eos ad necem quærunt: iuſti verò, præſertim iudices & præſides, tales circumdant, vt eorum vitam tueantur; quod ſi occidantur, acriter necis reos puniunt. Sic Dauidis innocentis, & prędones perſequẽtis, vitam tuebantur Gethæi & ſtipatores ſexcenti, adeoque Saulem illi inſidiantem occidiſſent, ni Dauid prohibuiſſet, 1. Reg. 24. 5.

VERS. 11. TOTVM SPIRITVM SVVM PROFERT STVLTVS SAPIENS DIFFERT ET RESERVAT IN POSTERVM] Nota. *Spiritus* in Script. multa ſignificat. Primò, mentem & ſenſa animi; Secundò, ſapientiam; Tertiò deſideria & cupiditates animi; Quartò ſecreta mentis; Quintò, animum animique vires & impetus. Iuxta quintuplicem hanc *ſpiritus* acceptionem quintuplex oritur ſenſus.

Spiritus quintuplex.

Primò. Primo ergo R. Salomon *ſpiritum* accipiens pro mente ſic explicat: Cùm ſtultus totam mentem ſuam depromat, accedit ſapiens, eumque improbat, compeſcit & deprimit reſponſis ſuis.

Secundo. Secundo, Aben Ezra per *ſpiritum* accipiens ſapientiam, & per אָחוֹר *achor*, id eſt *poſterius*, accipiẽs cor hominis, quod eſt poſt labiorũ pronuntiationem, ſic exponit, q. d. Vniuerſos ſcientiæ ſpiritus exerit ſtultus, ceteriſq; diuulgat: iuxta illud: *In corde prudentis requieſcit ſapientia, & in ſtulti corde dignoſcetur:* ſed ſapiens ſcientiæ ſpiritum continet cohibetque corde, quod eſt poſt organa pronuntiationis, nec eam ſtulto euulgat, vt teſtatur illud: *In corde prudentis requieſcit ſapientia.*

Tertiò. Tertio, R. Leui per *ſpiritum* accipiens deſideria & cupiditates, ſic exponit: In cupiditates ſuas ſtultus ſe effundit, ſeque dat præcipitem: ſapiens verò eas ratione refrænat & cohibet: quare qui ſapit, illam abſcondit & cohibet. Verè S. Ephrem ſerm. ad pietatem bonaque opera exercentes: *Ille verè diuinus eſt philoſophus*, inquit, *qui omni tempore prauis ſuis concupiſcentiis reſiſtit; nam qui ſolo nomine ſapientiæ ſibi blanditur, inſipiens hic prorſus ac ſtultus reputabitur, quòd de tam modicis paſſionibus ipſe inquietari atque torqueri velit.*

Quartò. Quartò, Caietan. & Baynus per *ſpiritum* accipientes ſecretum, interpretantur, q. d. Nullum maius ſtultitię argumentum, quàm non poſſe ſeruare ſecretum: totum ſtatim effutire quidquid animo quis concepit, ſumma ſtultitia eſt; quare ſapiens illud reprimit & mente recondit, iuxta illud c. 17. 27. *Pretioſi ſpiritus vir eruditus*: & c. 25. 28. *Qui poteſt loquendo cohibere ſpiritum ſuum.*

Quintò. Quinto, Chald. per *ſpiritum* accipit iram & furorem; irati enim ſpiritus & fumos naribus efflant; vnde vertit, *omnem furorẽ profert ſtultus, at ſapiens in prudentia reprimit eum*; & Vatabl. *omnem iram ſuam effundit ſtultus: ſapiens autem poſtea pacat eam.* Quod dupliciter accipi poteſt: Primo, de ira ſtulti; q. d. Stultus litigans & excandeſcens effutit quidquid illi bilis ſuggerit, at ſapiens redditâ ratione pacat eum, vt bile poſitâ miteſcat. Secundò, de ira ipſius ſapientis, q. d. Stultus nequit cohibere iram, at ſapiens eam prudenti ſilentio & conſideratione reprimit. Vnde Symmach. vertit, *in nouiſſimo mitigat eam.* Accedunt Septuag. qui pro *ſpiritum* vertunt θυμὸν, quod S. Hieron. & ex eo Caſſianus vertunt, *iram*. Audi Caſſian. collat. 16. c. 27. *Totam iram ſuam profert ſtultus, ſapiens autem diſpẽſat per partes, id eſt, ſtultus quidem vltionem ſui iræ perturbatione ſuccenditur: ſapiens autem paulatim eam maturitate conſilij ac moderationis extenuat & expellit. Tale eſt & illud quod ab Apoſtolo dicitur: Non voſmetipſos vindicantes, chariſſimi, ſed date locum iræ, hoc eſt, nequaquã ad vindictam iracundiâ cogente tendatis; ſed date locum iræ, hoc eſt, non ſint corda veſtra ſic impatientiæ & puſillanimitatis anguſtijs coarctata, vt violentã commotionis procellã, cùm irruerit, ſuſtinere non poſſint: ſed dilatamini in cordibus veſtris, ſuſcipiẽtes aduerſos iracundiæ fluctus in illis extentis ſinibus charitatis, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, & ita mẽs veſtra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in ſe conſiliorum ſalutares receſſus, in quibus receptus quodammodo atq; diffuſus teterrimus iracundię fumus, protinus euaneſcat.* Et poſt nonnulla: *Hæc eſt enim natura iræ, vt dilata langueſcat & pereat, prolata vero magis magiſq; conflagret.* Docet ergo hic Salomon efficax iræ remedium eſſe, ſi vltio, verba aſpera, rixæ, &c. ad quæ ira extimulat, differantur, vt maturiùs conſiderentur: ira enim eſt velut flamma, quæ vbi efferbuit, ilicò deferueſcit & ſubſidit. Optimum ergo iræ remedium eſt mora, præſertim quia per eam ratio euigilat; & multa prudenter conſiderat, quæ iræ tumultus reprimant, illoſque per partes carpant & diſſipent: hoc enim eſt iram fallere, & fallendo eludendoque eneruare. Idem docuere Philoſophi. Ariſtot. *Vt ira coquatur*, inquit, *tempore opus eſt, nec aliud ſalubrius remedium occurrit.* Athenodorus hoc monitum Auguſto Cæſari velut monile aureum dedit: *Quoties iraſceris nihil dicito vel agito, donec viginti quatuor alphabeti literas recitaueris.* Simile documentum dedit S. Ambroſius Theodoſio Imp. cum ſubitâ irâ iuſſiſſet Theſſalonicenſes, qui ſtatuam ſuam deiecerant, occidi. Seneca lib. 2. de Ira cap. 26. *Maximum*, ait, *remedium irę eſt mora, nec ab illa pete initio vt ignoſcat, ſed vt iudicet: deſinet, ſi expectat: nec vniuerſam illam tẽtaueris tollere: graues habet impetus primos: tota vincetur, dum partibus carpitur.* Idem libr. 3. cap. 12. *Nemo ſe differt: atqui maximum iræ remedium dilatio eſt, vt primus eius feruor relangueſcat, & caligo quæ premit mentem, aut reſideat, aut minùs denſa ſit. Quædam ex his, quę te præcipitem ferebant, hora, non tãtùm dies, molliet, quædam ex toto euaneſcent.* Præclarè Nazian. in Iambicis: *Patientia*, ait, *moleſtiarum decoctio eſt.* Hic ſenſus rectè cadit in verſionem Chald. Vatabli & Septuag. at minùs commodè in Vulgatam, quæ habet, *Sapiens autem differt & reſeruat in poſterum:* nec enim ira differendo reſeruanda eſt, ſed planè extinguenda.

Ira ſinu charitatis ſuffocanda.

Ira remedium eſt mora.

Gnoma.

Porrò S. Gregor. 3. p. Paſtor admonit. 10. per *ſpiritum* accipit impatiẽtiam, quam reſeruari ait in poſterum, dum vltimo Dei iudicio remittitur. *Audiant*, inquit, *impatientes, quod per Salomonem rurſum dicitur: Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, ſapiens autem differt & reſeruat in poſterum. Impatientiâ quippe impellente agitur, vt totus foras ſpiritus proferatur, quẽ idcirco perturbatio citiùs eijcit, quia nulla interiùs diſciplina ſapientiæ circumcludit. Sapiens autem differt & reſeruat in poſterum: Læſus enim in præſens ſe vlciſci non deſiderat, quia etiam tolerans parci optat; ſed tamen iuſtè vindicari omnia extremo iudicio non ignorat.*

Sextò genuinè. Sextò & genuinè, Septuag. Hebr. רוּחַ *ruach*, id eſt ſpiritum, vertunt θυμὸν, id eſt *animum*, animiq;

vim, energiam, efficaciam, impulſum, feruorem, æſtum, qui hominem ſtimulat & agitat ad illa quæ animo concepit, præproperè eloquendum vel operandum. q. d. Stultus omnes animi ſui vires, impetus & æſtus expromit, vt nihil ſibi ſeruet, ſed totum ſe effundat & exhauriat: at verò ſapiens animi ſui vires & impulſus retinet reprimitque, &, vt aliqui ex Hebræo vertunt, *retrorſum agit*, vt totum ſe non exhauriat, ſed aliqua ſibi ſeruet, quę deinceps expromat, & per partes diſpenſet, vt vertunt Septuag. Stultus, ait Caietan. impetu agitur, ſapiens impetum reprimit & fræno rationis moderatur. Sic videmus ſtultos omnem ſuam ſcientiam ſimul & ſemel effundere, ac poſtea velut infantes obmuteſcere; rurſum in agendo omnem ſuam induſtriam vireſque ſimul & ſemel expromere, ac mox velut ſtupidos torpere & hebeſcere. Ex aduerſo ſapientes ea quæ ſciunt, pedetentim per interualla enarrare, vt ſemper dicendi & docendi eis materia ſuperſit. Rurſum in agendo moderatos eſſe, ac vires ſuas temperare, & per partes ſucceſſiuè exercere, quo fit vt diu operari valeant, & induſtriam vireſque operando adaugeant. Vnde ex Hebr. vertas, *ſapiens autem in poſterum promouet eum*, ſcilicet ſpiritum ſuum: Hebræum enim שׁבח *ſcabach*, cōtraria ſignificat, ſcilicet promouere & cohibere, item laudare & glorificare. Vnde cum Caiet. vertas, *ſapiens autem in poſterum laudabit*, vel *glorificabit eum*, id eſt laudabilem & glorioſum efficiet ſpiritum ſuum & animum, dum ſcilicet ſenſim eius vires expromit, vt ſemper operari valeat: itaque eius virtutem & energiam continua operatione, iugique exercitio auget & exacuit. Natura enim operādo progreditur, opuſque ſuum pedetentim podit & perficit, idem facit gratia. Vnde in arboribus primò producit frondes, mox flores, deinde fructus, eoſque ſenſim format, auget, maturat. Ex aduerſo cùm arbor vel vitis luxuriat, totamque ſe in folia effundit, nil ſibi ſeruat ſucci, quod in flores & fructus conferat: quare ſterilis eſt & infrugifera: idem fit ſi vno anno in fructibus luxuriet, totamque vim ſuam exhauriat: mox enim ſterileſcit & exareſcit. Idem fit in aqua & lacte, quod in olla igni impoſitum feruore ignis ebullit, & totum penè ſe effundit vt ignem extinguat, ac mox planè detumeſcit & ſubſidit. Similes prorſus ſunt feruores tironum, qui ſubitò ebulliunt, ſed mox ſubſidunt. Exempla huius ſententiæ quotidiana ſunt in tironibus, qui viam virtutis inchoant, ac præſertim in nouitijs Religionum, qui præpropero feruore nimijs ieiunijs, pœnitentijs, orationibus caput corpuſque fatigant, ac omnes vires ſuas conſumunt, quo fit vt langueſcant tum corpore, tum ſpiritu, fatiſcant & tabeſcant, vtque vigor ille concidat, & in morbos corruant, fiantque infirmi, enerues, torpidi & inepti ad omnia. Vnde ſapienter eos moderationis admonet S. Baſil. tract. de Virgin.

Feruor tironum vt flamma euaneſcit.

VERS. 12. PRINCEPS, QVI LIBENTER AVDIT VERBA MENDACII, OMNES MINISTROS HABET IMPIOS] Primò, Baynus hæc accipit de mendacijs adulatorum, q.d. Princeps, qui paſcitur adulationibus aſſentatorum, miniſtros habet impios: impij enim ſunt aſſentatores, qui vitia principis quaſi virtutes adulando laudant, quo fit vt princeps vitioſus & tyrannus euadat, & rempubl. opprimat.

Secundò, alij accipiunt hæc de eo cui princeps iraſcitur vel offenſus eſt, ac proinde de eodem libenter audit falſas accuſationes & criminationes, vt eum perdat. cùm enim id ſciunt ſubditi, ſtudent ei obſequi, ac multa falſa in eum comminiſcuntur, vt principis gratiam ineant cum damno innocentis, & pernicie reip. Verùm hic ſenſus arctior eſt.

Tertiò, ergo adæquatè & genuinè, *mendacium* hic planum & plenum accipe, putà non iocoſum: nec officioſum; ſed pernicioſum, quod ſcilicet alijs graue iniuriam & damnum vel in bonis, vel in fama, vel in vita affert, quale eſt cùm quis alteri in re graui detrahit, aut eum calumniatur, vel falsò accuſat de crimine, ob quod infamia vel bonis mulctandus eſt, aut incarcerandus, vel vita priuandus. Princeps enim qui calūnias & falſas accuſationes libēter audit, facit vt miniſtri tales quærant & fingāt, vt ei placeant, quo fit vt innocens opprimatur iuſtitia peſſum detur & euertatur. Hunc eſſe ſenſū liquet ex Septu. qui vertunt, *rege audiente ſermonem iniuſtum, omnes ſubditi iniuſti*; Hebr. *dominator, qui attēdit ſuper verba falſitatis, omnes famulos habet impios.* Nam vt ait Eccleſiaſt. c. 10. 2. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis rector ciuitatis, tales & inhabitātes in ea.* vide ibi dicta. Hinc in aulis principum malorum, miniſtros videmus ſe eis in malitia conformare, imò ſatagere vt eis ſint peiores.

Nota. Pro impios hebr. eſt רשׁעים *reſcaim*, id eſt inquietos, tumultuantes, turbulentos, putà litium non tā compoſitores, quàm ſtructores & incitatores, mendaces, neq; tam veritatis quàm impoſturarū ſtudioſos, cupidos, auaros: ideò ſanè *in loco iudicij* nō ſolùm eſt impius iudex, ſed iudicioſum ſubſellia plena ſunt iniquiſſimis ſycophantis & nefarijs delatoribus, improbis miniſtris, tabulis non tam veracibus quàm verboſis, cauſidicis non tam veritatis quàm ſui lucri cauſam dicentibus. Deniq; forum plenum eſt auaritia & calumnia, vt Iſaias c. 59. 4. cōquerebatur: *Non eſt qui inuocet iuſtitiam*, quippe iuſtitia exul abeſt à ſuo loco: potiùs implorans præſens impietatis & iniquitatis auxilium. Vel, *Non eſt qui inuocet iuſtè*, qui vocet alium iuſtè in ius. Hoc eſt quod velut grande ſcelus & piaculum deplorat Eccl. c. 3. 16. *Vidi ſub ſole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem*, vt thronum iuſtitiæ poſſideat impietas & iniuſtitia, in eoq; velut regina imperet & dominetur, hoc eſt, vt ſolium Dei occupet Lucifer, ac ſolium Chriſti occupet Antichriſtus, vt ibidem pluribus dicam. Vide dicta c. 17. 7. ad illa: *Non decent ſtultum verba compoſita, nec principem labium mentiens.*

Pręclarè Agapetus Diaconus Iuſtinianum Imp. ita admonet n. 41. & 42. *Æqua lance tam ad amicos, quàm ad inimicos vergens iudicandi munus obito, neque bene ſentientibus de te gratificans ob beneuolentiam, neq; maleuolis reſiſtens propter inimicitias: quoniam eiuſdem eſt abſurditatis, & ſecundùm iniqua petentem dare litē, etiamſi ſit amicus; & iniuriam iuſto inferre, etiamſi ſit inimicus: malum enim vtrobiq; ſimile eſt, tametſi in contrarijs inueniatur.* Vnde cōcludit: *Intenta mente auſcultare debent rerum iudices. Difficilis namq; captu eſt iuſti inuentio, facileq; effugere ſolet non admodum attendentes: quod ſi prætermiſſa dicentium eloquentia, dictorumq; neglecta verſimilitudine, ad penitiſſimā intentionum profunditatem penetrauerint, ſic demum haurient quod ab ipſis quæritur, geminique inſontes erunt delicti, neque ipſi honeſtum prodendo, neque alijs id vt committant concedendo.*

VERS. 13. PAVPER ET CREDITOR OBVIAVERVNT SIBI: VTRIVSQVE ILLVMINATOR EST DOMINVS]

MINVS] Hanc gnomen audiuimus cap. 22. 2. niſi quod pro *illuminator* ibi ſit *operator*, ſed vtrumque eòdem redit. Illuminator enim eſt creator & prouiſor, qui lucis vſuram & vitam vtrique largitur, conſeruat, dirigit, proſperat, beat: lux enim ſymbolum eſt vitæ, lætitiæ: gratiæ, felicitatis, omniſque boni. Vnde hebr. eſt, *vtriuſque oculos Dominus illuſtrat*, vt ſcilicet lucis huius vſurâ fruātur, iuxta illud Iob. 3. 20. *Quare miſero data eſt lux?* & c. 38. 15. *Auferetur ab impijs lux ſua*, id eſt vita; & alibi ſæpè *Illuminator* ergo idem eſt quod fautor, cuſtos & beneficentiſſimus prouiſor; vel, vt Baynus, nutritor. q. d. Vtrumq; nutrit & paſcit Dominus, iuxta id quod Ionathas fame deficiens guſtato melle ait: *Illuminati ſunt oculi mei:* id eſt paſtus & refectus ſum, vt oculi fame, defectu ſpirituum viſiuorum caligantes, iam melle refecti illuſtrarentur & exhilararentur, 1. Reg. 14.

Pro *creditor* hebr. eſt אִישׁ תְּכָכִים *is tecachim*, quæ vox hîc tātùm reperitur; vnde incertum quid propriè ſignificet. Rabbini, Pagnin. Baynus, Caietan. & alij paſſim vertunt, *vir contritionum*, vel *fraudum* vel *vſurarū* (hę enim ſummæ ſunt fraudes, quia ſub ſpecie commodatę pecunię multiplicatum lucrum exigunt) qualis actiuè eſt *fœnerator*, vt vertunt Septuag. & *creditor*, vt vertit Noſter. Caietan verò & Aben Ezra paſſiuè capiunt, vt idē ſit quod *vir contritus*, fraudem paſſus afflictus &, vt Syrus, *dolore affectus*. Hic iungitur pauperi, quia afflictus afflicto ſociari ſolet, vt mutuò ſe inuicem ſolentur per ſpē in Deum, eiuſq; inuocationem: Deus enim vtriuſque deſolati, & afflictione quaſi excæcati eſt illuminator, id eſt conſolator, prouiſor & exhilarator. Alij cum Chald. *secachim* à תּוֹךְ *toch*, id eſt, *medium* deriuantes, vertunt, *vir medietatum*, id eſt mediocris fortunæ vir, vel vir fraudum: *toch* enim, id eſt medium vel intraneum, Hebræis ſubinde notat fraudē, eò quòd in medio, putà pectoris, occultetur & concinnetur in corde. R. Leui vertit, *vir perplexus*: huius enim Deus illuminat oculos, cùm eius perplexitates & ſcrupulos mentem eius illuminando diſſoluit; alij vertunt, *vir intermedius* vel *mediator*, ſcilicet ad faciendam miſericordiam. Magis credendum noſtro Interpreti, qui vertit *creditor*; & Septua. qui vertunt, *fœnerator*, & alijs qui vertunt, *vir vſurarum*. Diuites enim ſępè ſunt vſurarij, & fœnerantur pauperibus, vnde qui hîc vocatur *creditor* & *fœnerator*. cap. 22. 2. vocatur *diues*.

Myſticè Baynus: Deus, ait, illuminat oculos pauperi, cùm luce gratię ſuę ei oſtendit quantum bonum, Deiq; donum ſit paupertas, vt illam patienter ferens mereatur opes æternas. Creditoris verò oculos illuminat, dum ei oſtendit quātum donum ſit beneficentia, quà pauperi ſuccurritur: vt hæc gnome pauperes moneat patientiæ, creditores & diuites beneficentiæ; vtroſque ſpei in Deum & confidentiæ, vt ſe reſignent diuinæ prouidentiæ. Hanc enim notat τὸ *illuminator*. Vnde Septua. vertunt, *fœneratore & debitore ad inuicem conuenientibus*, ἐπισκοπὴν, id eſt *inſpectionem*, vel *viſitationem*, *facit vtriuſque Dominus*, hoc eſt, vtroſque inſpicit & viſitat, vtriſque de neceſſarijs prouidet & proſpicit.

Myſticè rursū pauper eſt ſubditus, qui doctrina eget, & reuerentiam ac obediētiam debet: creditor verò Prçlatus, qui doctrinam erogat, creditque & committit ſubdito: vtriuſque illuminator eſt Dominus; hunc enim illuminat, vt recta doceat; & illum, vt per os iſtius quæ Deo ſunt placita, videat & intelligat.

REX QVI IVDICAT IN VERITATE PAVPERES, THRONVS EIVS IN ÆTERNVM FIRMABITVR] *Vers. 14.* Sub pauperibus intellige & diuites: qui enim iudicat in veritate pauperes, ait Caiet. multò magis in eâdem iudicabit diuites: ſolent enim pauperes à diuitibus opprimi: diuites enim gratia & potentia valent apud principes & iudices, eoſq; muneribus corrumpunt, vt pro ſe contra pauperes ſententiam ferant. Rex ergo qui diuitum potentiam non veretur, nec munera reſpicit, ſed in veritate ius dicit pauperi, ac æquam pro eo profert ſententiam, huius thronus firmabitur *in æternum*, id eſt per totam vitam, vt ſcilicet quamdiu viuit iudicatque in veritate, perpetuum obtineat regnum. Vnde Aquila vertit, *in poſterum*; Theodot. *in ſæculum*. Rurſum *in æternum*, quia regnum eius transferetur in poſteros per multa ſęcula, vti tranſlatum fuit regnum Dauidis vſque ad gentis excidium per Chaldæos. Adhæc, *in æternum*, quia perpetua regni eius tam æqui & iuſti apud poſteros perennabit fama & gloria. Denique *in æternum* cum Chriſto rege regum in cælis regnabit.

Solerter aduertit Baynus: Sapientia diuina, inquit, longè alijs quàm humana ſemper incedit veſtigijs: nā in humana opibus & potentia diuitum, gratia atque amicitia ad regnum peruenitur, armis verò & munitionibus ſtabiliri ſolet & retineri diadema. Contrà hęc cæleſtis planè Salomonis ſapiētia, pauperum defenſione quàm diutiſſimè ſolium firmari poſſe docet: quòd qui pauperibus patrocinatur, Dei opt. max. vice in terris quodammodo fungitur. Nā pauperum peculiarem defenſionem ſibi vendicat Dominus, iuxta illud: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*, pſal. 9.

Porrò Septua. pro לָעַד *laad*, id eſt *in perpetuum*, alio puncto legentes לְעֵד *laed*, vertunt, *in teſtem*, vel *in teſtimonium: principis*, inquiunt, *iudicantis in veritate pauperes, ſedes eius in teſtimonium conſtituetur*, vt ſcilicet ſubditi ad veritatem à ſe dictam confirmandam citent in teſtem regem, regiſque dictum velut oraculum infallibile, perinde ac in veritatis à nobis aſſertæ teſtimonium iurando citamus Deū in teſtem, dicendo: Teſtor Deum me vera dicere. Rurſum, *ſedes eius in teſtimonium conſtituetur*, vt ſcilicet thronus eius habeatur, & ſit infallibile teſtimonium veritatis, vtque rex è throno iudicans & definiens quippiam, non tā ipſe, quàm veritas ipſa per eum loqui, iudicare & definire videatur.

Moral. hîc diſce quàm veritas & veracitas, præſertim æquitatis & iuſtitiæ, regi debeat eſſe cordi & curæ. *Veritas regi ſit curæ.* Primò, quia rex eſt vicarius Dei, & quaſi vicedeus in terris: Deus autem eſt ipſa prima, increata & eſſentialis veritas. *Primo.* Vnde S. Dionyſ. apud Anto. in Meliſſa p. 1. c. 2. 21. *veritas*, inquit, *eſt Deus, vtpote vnum, non multa ſecundùm naturā. Verùm quippe eſt vnum, mendacium autem multiplex.* *Gnoma.* *Nā & Chriſtus inquit Ioan. 14, Ego ſum via, veritas & vita.* Ibidē Euagrius: *Veritatem tacere*, inquit, *eſt aurum ſepelire.* Hinc Dei iuſſu Moſes in Rationali pontificis inſculpſit, *Doctrina & veritas*, Exo. 28. 30. *Pythagoras dicebat hæc duo diuinitus hominibus data eſſe longè pulcherrima, veritatē amplecti, & beneficio operam dare: &* addebat, *vtrumq; cum deorum immortalium operibus comparari poſſe.* ita Ælianus lib. 12. de Varia hiſtoria. *Idem interrogatus, quid Deo ſimile facerent homines? Cùm veritatem exercent, reſpondit.* ita Stobæus ſer. 9.

Secundò, quia veritas veraque iuſtitiæ adminiſtratio *Secundo.*

ſtratio eſt baſis & columen reipub. Ex hac enim oritur ciuium inter ſe cõcordia, pax æquitas: probitas, ſanctitas. Vnde princeps iudicũ apud Ægyptios ſapphirum è collo geſtabat, cui inſcripta erat Veritas. Audi Ælian. li. 14. Variar. hiſtor. *Eum omnium hominum eſſe iuſtiſſimum & ſinceriſſimum oportebat, qui circa collum imaginem ex ſapphiro gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur Veritas. Ego verò iudicem non tam in lapide ſculptam aut expreſſam virtutẽ circumferre, quàm in animo menteq́; inſitam & infixam habere, velim.* Cuius quoque rei meminit Diodor. li. 2. c. 1. ſcribens in veſtibulo illo Simandij Ægyptiorum regis, *triginta ligneas iudicum ſtatuas poſitas, & in medio iudicandi principem, cuius à collo ſuſpenſa veritas penderet, & oculis eſſet ſubclauſis librorum cumulo circumſtante.* Addit verò Diodor. *Hæ imagines præſeferebant iudices integros eſſe debere, prætorem ſolam inſpicere veritatem.*

Tertiò. Tertiò, quia veracitas regi conciliat ſubditorum amorem & reuerentiam; fallacia verò odium & contemptum. Vnde Plinius in Panegyr. Traiani: *Nunquam*, inquit, *deceptus eſt princeps, niſi qui priùs ipſe decepit.*

Alfonſus Aragonum rex ſemper hoc in ore habuiſſe fertur, *Tantum valere ad fidem debere vnius principis viri verbum, quantum priuatorum iuſiurandum.* Veritas enim licet omnibus curæ eſſe debeat, principum tamen præcipuum debet eſſe ornamentum. Panormit. lib. 1. de Geſtis Alfonſi.

Æſchines contra Timarchum, *veritatem rem adeò validã eſſe* dicebat, *vt omnes humanas cogitationes facilè ſuperet.* ita Stobæus ſer. 9. Demoſthenes interrogatus, *Quid Deo ſimile haberent homines*? reſpõdit: *Benefacere, & veritatem amare* ita Maximus ſerm. 8. Tritum eſt illud Zorobabelis Dario regi propoſitum: *Forte eſt vinum, fortior eſt rex, fortiores ſunt mulieres, fortiſſima eſt veritas, ſuper omnia enim hæc vincit*, 3. Eſdræ 3. 10.

Error Platonis regi vtendum eſſe mendacio. Errat ergo grauiter non tantùm contra fidem, ſed & contra politiam Plato, dum li. 5. de Repub. ſcribit: *Crebro mẽdacio & fraude vti imperantes debere ad ſubditorum commodum.* Verba Platonis ſunt hæc: *Multiplici mendacio magiſtratum inſtructum eſſe debere, varioq́; errore, quo ad ſubditorum vtilitatem abutatur: diximus autem huiuſmodi omnia, velut pharmacum vtilia eſſe.* Et Plinius li. 12. epiſt. dicens: *Decipere pro moribus temporum prudentia eſt.* Et ille apud Plutar. in Apoph. aſſerens, *Pueros quidem talis circumueniri oportere, at viros iuramentis.* Hæc atheorum & Machiaueliſtarum impia, imperita & imprudentia ſunt axiomata, quę paſſim hîc confutat Salomon, politiæ doctor, & Politicorum princeps, eademq́ue damnat Eccleſia, imò omnis reſpub. benè conſtituta. Vide S. Auguſt. li. Contra mendacium, vbi docet nullo caſu licere mentiri. Et epiſt. 8. *Mentiri*, inquit, *non licet nec pro laude Dei.*

Vers. 15. Virga atqve correptio tribvit sapientiam: pver avtem, qvi dimittitvr volvntati svæ, confvndit matrem svam] *Sapientiam* hîc practicam ſiue ethicam intellige, putà morum compoſitionem, honeſtatem, virtutem, Septua. *plagæ & correptiones dant ſapientiam: puer autem errans confundit parentes ſuos*; Aquila & Symmachus, *iuuenis autem dimiſſus*; Chal. *puer qui non recipit correptionem.* Sub *matrem* intellige & patrem. Vnde Syrus vertit, *puer qui non caſtigatur, pudefacit patrem ſuum*: nominat tamen matrem præ patre, quia ad matrem ſpectat puerorum educatio & inſtitutio;

A quare ſi ipſa eam negligat, filiumq́; ſuæ voluntati dimittat, ab eo pudefiet. Sicut Iſmaël, ait R. Salomon, pudefecit Agar matrem ſuam, dum vexans Iſaacum, à Sara & Abraham iuſſu Dei vnà cum matre domo expulſus, eandem magno dedecore, æquè ac miſeria & mœrore affecit, Geneſ. 16.

Huc pertinet prouerbium Arabum: *Iocus* (colluſio) *auſert reuerentiam.* Itali dicunt: *Baldezza di padrone, capello di matto.* Pergunt Arabes: *Ne lude cum optimate, ne iraſcatur tibi; neque cum infimate, ne audeat ſuper te*, id eſt ne te abutatur.

Significat hæc gnóme puerum eſſe inſtar pulli equini, petulantem, laſciuum, & ſuæ phantaſiæ ac cupiditati obſequentem, quare ſicut pullus fręno, calcari, flagello domatur, vt hero ſeruiat: ſic correptione & caſtigatione, putà verbis & verberibus, *Puer domandus vt pullus equinus.*
B domandus formanduſque eſt puer, vt non cupiditati, ſed rationi & doctrinæ obſequi diſcat; alioquin inſtar pulli indomiti fiet proteruus, peruicax, & ſeſe in omne ſcelus & dedecus pręcipitem dabit, eoque ſecum trahet patrem & matrem. Ita R. Leui: Flagellis, inquit, & correptione puer ſapiẽntia, excolitur, ita enim honeſtis moribus informatur; quibus ſi careat, nulla ſemita relinquitur, ad ſapientiam obtinendam: puer autem qui ſuæ voluntati permittitur, tum rectâ inſtitutione, tum ſapientiâ caret, atque ideo matri probro eſt ob improbitatem ſuam, præcipuè verò cùm in eandem plerumq́ue improbitatis culpa reijciatur, vniuerſis affirmantibus id ab illa effectum fuiſſe, quæ puerum à teneris rectè non imbuerit. hæc ille.

Salomonem ſecutus Plutarch. li. de Officio auditoris, docet puerum caſtigandum & formandum
C ſicut caſtigatur & formatur pullus equinus, vt ſeſſori ſit tractabilis, flexilis & commodus. Prudenter verò monet Seneca li. 2. de Ira: *Plurimum*, inquit, *proderit pueros ſtatim ſalubriter inſtituere: difficile autem eſt regimen, quia dare debemus operam, ne aut irã in illis nutriamus, aut indolem retundamus.* Et poſt nonnulla concludit: *Sic itaque inter vtrumq́; regendus eſt, vt modò frænis vtamur, modò ſtimulis.* Sanè nimis ſeueri parentes naturam indolemq́ue puerorum nimia caſtigatione hebetant, obtundunt, indurant, duroſq́ue & peruicaces efficiunt: nimis verò lenes & blandi, quales plures ſunt, eamdem cupidinibus ſuis tradunt, vitiant & corrumpunt. Plura de educatione & caſtigatione puerorum dixi cap. 10. 1. & c. 23. 13. & fuſiùs Eccli. 30. 1. & ſeqq.

In mvltiplicatione impiorvm mvltiplicabvntvr scelera: et ivsti rvinas eorvm videbvnt] **Vers. 16.** Hebr. *multiplicabitur præuaricatio.*
D Cauſa eſt, quòd impius impio ad ſcelus auxilium præſtet, animoſq́; & audaciam addat, qui ſi ſolus eſſet, inualidus eſſet, & timeret in ſcelere deprehẽdi & puniri. Rurſum multitudo impiorũ inducit licentiam peccandi, eiuſque impunitatem, quòd nemo multitudinẽ plectere audeat; inſuper multitudo auctoritatem & decus conciliat ſceleri: quo enim quiſque eſt ſceleratior, eo ſe videt pluribus placere, eſſeq́ue in pretio, quaſi qui choragum impietatis eorum agat. At ne pij hac impiorum multitudine percellantur, eamq́; in impietate ſequantur & æmulentur, eos in pietate corroborat Salomon, dum ſubdit: *Et iuſti ruinas eorum videbunt*, q.d. Breue erit impiorum gaudium, breue impietatis regnum; quia mox à Deo vindice punientur, perdentur & in ruinam agentur: quam iuſti videbunt & gaudebunt, tum ob impietatis ſupplicium & excidium,

cidium, tum ob ſuam Iuſtitiæ ſortem ſanctam & beatam, quæ eos à communi impiorum excidio ſeparauit & vindicauit.

A

Septuag. pro יראו iiru, id eſt, videbunt, alij punctis legentes ייראו iireu, id eſt, timebunt, à ירא iare, id eſt timet, vertunt, iuſti autem illis cadentibus timidi fiunt: vel vt auctor Catenę Gręcor: in illorum ruina conſternantur iuſti, id eſt grauitate ſupplicij impiorum percelluntur & cohibentur iuſti, ne eorum ſcelera imitari cogitent.

Gnome hæc affinis eſt illi vt 2. *In multiplicatione iuſtorum lætabitur vulgus: cùm impij ſumpſerint principatum, gemet populus.* Et illi v. 6. *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus: & iuſtus laudabit atq; gaudebit.* Et illi c. 28. 12. *In exultatione iuſtorum multa eſt gloria, regnantibus impijs ruinæ hominũ.* Exemplum eſt 1. Machab. 1. 55. vbi per Antiochum multiplicatis in Iudęa impijs, multiplicata narrantur ſcelera, ſed eorum cum Antiocho celeris & horrenda fuit ruina, vt patet 2. Machab. 9.

VERS. 17. ERVDI FILIVM TVVM, ET REFRIGERABIT (Hebr. *requieſcere faciet*) TE, ET DABIT DELICIAS ANIMÆ TVÆ] Septuag. *erudi filium tuum, & requiem dabit tibi, & dabit ornatum animæ tuæ.*

Nota τὸ *erudi*, hebr. יסר *iaſſer*, id eſt corripe, caſtiga, erudi; propriè ad cupiditatum caſtigationem, & morum cõformationem pertinet: poteſt tamen quoque ad artes & ſcientias referri: filius enim à patre eruditus, ac ad ſcholas amandatus, ſi doctus & ſapiens euadat, Primò, patri magnæ eſt conſolationi & refrigerio, vt in eo quaſi in baculo ſenectutis ſuæ, imò quaſi in centro & complemento votorum ſuorum, placidè conquieſcat. Secundò, eidem eſt in *delicijs animæ*, id eſt ſummis & profundis, quæ ad intima animæ penetrant, eaque deliciola voluptate mirifque oblectamentis perfundant & repleant. Tertiò, eidem eſt magno ornamento, vt vertunt Septua. quia per filium doctum & eruditum, qui ob ſcientiam fit doctor, Epiſcopus, ſenator, præfectus, gubernator, &c. reipub. pater honoratur, laudatur, ornatur, ac per filium nomen & fama eius in multos annos celebratur. ac ſubinde in multa ſæcula perennat. vide dicta Eccli. 30. v. 1. & ſeq. vbi eadem penè eſt ſententia, imò plures aliæ in eamdem rem.

Huc ſpectat prouer. Arabum cent. 2. num. 66. *Rami, quando correxeris eos, rectificantur: trabs autem non lenteſcit, quando correxeris eam*, id eſt, tenera ætas flecti dirigique poteſt, at indurata corrigi nequit, Hoc eſt quod Gallicè dicitur, *Vieil arbre malaisé à redreſſer.*

VERS. 18. CVM PROPHETIA DEFECERIT, DISSIPABITVR POPVLVS: QVI VERO CVSTODIT LEGEM, BEATVS EST] Chal. *in multitudine impiorum diſſipabitur populus*; Septuag. *non erit enarrator* (auctor Catenę Gręcor. *qui legem interpretatur*) *genti iniquæ: cuſtodiens autem legem beatiſſimus.* Pro *diſſipabitur* hebr. eſt יפרע *iipara*, id eſt, vt Caiet. *nudabitur*, vel, *ſpoliabitur, populus*; Pagnin. *rebellis erit*; Syrus, *ſcindetur populus*; alij, *retrocedet*; Baynus, *ceſſat & otioſus eſt populus.* Omnia huic loco quadrant: nam vbi deficiunt Prophetæ, & pij doctores & concionatores, primò populus ceſſat à bonis operibus, deinde deficit & recedit à religione; mox ſcinditur in ſectas & ſchiſmata, ilicò rebellat ſuis paſtoribus, itaque tandem nudatur omni virtute omnique bono ſpiritali, & ſæpè temporali.

Quæres, quænam hæc eſt prophetia?

Primò, Rabbini ad literam propriè dictam accipiunt. Hanc enim ſignificat Hebr. חזון *chazon*, id eſt *viſio*: vnde Prophetę vocati ſunt videntes, quòd futura & abſcondita acuto & illuminato à Deo mentis oculo eminùs viderent, & proſpicerent. Prophetæ autem priſci, vt Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, &c. non tantùm erant veri Prophetæ, ſed & doctores, concionatoreſque à Deo miſſi ad populum, vt eius idololatriam & ſcelera caſtigarent, & ad fidei legiſq; ſtudium reducerent, minando & prædicendo captiuitatem, aliaſque pœnas à Deo infligẽdas, ac proponendo libertatem, pacem, ceteraque præmia à Deo, ſi legem ſeruarent, promiſſa & reuelata. Quare prophetiæ defectus rectè hic opponitur legi, legiſq; ſtudio & obſeruationi. q. d. Cùm defecerint Prophetæ, qui populum in idola & vitia abeuntem corripiant, doceant, refrænent, minando futuras pœnas, & promittendo futura præmia ſibi à Deo reuelata; tunc populus effrænis in idololatriam, ſuaſq; cupiditates vagus abibit, & diſſipabitur in varios errores & ſcelera, ob quę in captiuitatem Aſſyriacam, Babylonicam, Romanam, &c. abducetur. Cùm verò fuerint Prophetæ virique ſancti quorum monitis & exemplo populus, vel quilibet priuatus obediẽs legem cuſtodiat: tunc felix & beatus erit: quia pœnas à Deo legis præuaricatoribus intentatas euadet, & præmia eius obſeruatoribus promiſſa conſequetur.

Prophetia multipliciter dicitur. Primò.

B

Hunc ſenſum confirmat rei euentus. Cùm enim Iſraelitæ ſub Oſee & Sedecia regibus contempſerunt Prophetas, comminantes captiuitatem Aſſyriacam & Babylonicam, abeuntes ad idola & ſcelera; tunc in eandem abducti, ac per Aſſyriam ac Babyloniam diſperſi fuere. Quamdiu verò eoſdẽ audiuere ſub Dauide, Salomone & ceteris, tamdiu incolumes, opulenti & felices in Iudæa perſtitere. ita R. Salomon, R. Leui, Aben Ezra & alij. Sic ſub Heli pontifice & principe, ob nequitiam filiorum eius deficiente prophetiâ, diſſipatus eſt populus & traditus Philiſthęis. 1. Reg. ca. 2. & ſeq. Vnde Deus tunc ſuſcitauit Samuelem, qui populum Deo & paci reſtitueret: quia *ſermo Dei erat pretioſus* (id eſt rarus) *in diebus illis, non erat viſio manifeſta*, 1. Reg. 3. 1. Hoc eſt quod Deus interminatur per Iſaiam cap. 29. 9. *Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini & non ab ebrietate. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum: & reſpondebit: non poſſum; ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti literas, diceturq; ei: Lege, & reſpondebit: neſcio literas*; quod explicans ſubdit: *Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Hac de cauſa Elias Propheta ab Eliſeo nuncupatus eſt *currus Iſrael, & auriga eius*, quia ipſe velut currus vehebat, protegebat & aurigabat populum per legis ſtudium ad felicitatem & omne bonum, 4. Reg. 2. 12.

C

D

Secundò, Beda, Hugo, Caietan. Baynus, Vatabl. Ianſen. per *prophetiam* accipiunt interpretationem ſacrę Scrip. Sic Franc. Suarez tract. de Fide diſp. 8. ſect. 3. n. 5. Prophetia enim latè patet, & cõplectitur interpretationem S. Script. doctrinam ſacram, concionem, pſalmodiam, &c. vti dixi 1. Corint. 14 v. 1. Senſus ergo eſt, q. d. ait Beda: *Cùm ceſſauerit ſacerdotalis* *Secundò.*

cerdotali eruditio, ſoluetur continuò diſciplina diuinæ legis, qua populus ad beatitudinis prœmia pertingere debuerat. Significat ergo, ait Ianſen. populum diſſipandum, cùm prophetiam, hoc eſt Prophetarum oracula, & in illorum locum concionatorum ſacram doctrinam recipere recuſabit, vt deficere prophetiam ſit, eam ampliùs non admitti, nec recipi: cùm enim hoc fit, tunc neceſſe eſt vt populus diſſipetur, hoc eſt, diſpergatur in varios errores & ſectas, ac ſeparetur à vera religione & pietate. *Qui verò cuſtodit legem*, populus ſcilicet, *beatus eſt* q.d. Beatus ergo & felix ille populus, qui legis Dei rationem habet eamque obſeruare ſtudet. Secundò, q.d. Cùm, demerentibus hominum peccatis, ita per diuinam vltionem fieri contigerit, vt prophetia & ſacra doctrina deficiat, & hominibus ſubtrahatur; certè tunc malè erit illi populo: diſſipabitur & diſtrahetur in varios errores, ſectas, vitia & diſſenſiones. Eſt enim hæc vel maxima Dei vltio, & multorum malorum in republica ſeminarium, quòd ſubtrahat ſinceram ſuæ voluntatis annuntiationem. Vnde per Amos c. 8. minatur ſe miſſurum famem in terram, non panis, ſed audiendi verbum Dei.

Tertio. Tertiò, noſter Salazar per *prophetiam*, æquè ac per *legem* accipit veram religionem verumque Dei cultum. q.d. Si deſit in populo prophetia, id eſt religio & veri numinis cultus, continuò pax ſoluitur & in factiones plebs ſecatur, ruitque reſp. *Religio vna*, ait Philo in Vita Moſis, *ciuiū animos adſtringit, & contubernia ſocietateſq; confirmat.* Seneca in epiſt. 95. *Primum*, inquit, *militiæ vinculū eſt religio.* Liuius lib. 5. *Omnia proſpera euenient colentibus Deos, aduerſa ſpernentibus.* Plinius lib. 14 *Religione vita conſtat.* Cicero action. 5. in Verrem, *Omnes religione mouētur*, *Hæc illa lux doctrinarum*: ſic enim Ciceronem vocat Plinius lib. 17. c. 5. Flauius Vopiſcus lib. 2. *Romanorum reſp*, inquit, *inter multorum imperia per religionem ſtetit. Qui verò cuſtodit legem, beatus erit*, id eſt populus veram religionem obſeruans fortunatiſſimus erit, vti fuere Hebræi quamdiu Deum verum ſincerè coluerunt, teſte S. Auguſt. lib. 3. de Ciuit. cap. 34.

Omnes hæ explicationes eòdem tendunt.

Myſticè nōnulli ſic exponunt, q.d. Cùm defecerit, id eſt expleta fuerit prophetia, id eſt oracula Prophetarum per ortum & mortem Chriſti, diſſipabitur populus Iudaicus: quia vaſtata à Tito Iudæa diſpergetur per totum orbem. Deficit enim prophetia quæ eſt de futuro, cùm impletur & tranſit in præſens vel præteritum, iuxta illud Daniel. 9. 24. *Impleatur viſio & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum.*

VERS. 19. SERVVS VERBIS NON POTEST ERVDIRI, QVIA QVOD DICIS INTELLIGIT, ET RESPONDERE CONTEMNIT] Hebr. *quia intelligit, & non reſpondet*, nec verbo, nec facto, id eſt nō obedit, non facit quæ ei ab hero iubentur. Septua. *verbis non erudietur ſeruus durus: nam etſi intellexerit, non obediet*; Syrus, *ſcit enim ſe non eſſe verberandum*, vel *vulnerandum*; Chald. *qui cognoſcit iugum, nec patitur.*

Seruum ergo intelligit qui ſeruili eſt indole, vt nil faciat niſi plagis & flagris adactus. Hinc ſeruilis metus nomen accepit, qui nil facit amore boni, ſed omni timore mali, putà metu caſtigationis. Seruus enim qui herum amat, illique ex amore obſequitur, non tā ſeruus eſt quàm liber & libertus. Vnde ſeruus ille apud Euripidem in Helena ait: *Nomen quidem non habeo liberum, ſed animum.* Et ille apud

A Sophoclem, *Etſi corpus*, inquit, *ſeruum ſit, mens tamē libera eſt.* Qualem proinde benignè ab hero tractādum eſſe docet Eccleſiaſt. cap. 33. nam cùm v. 28. dixiſſet; *Seruo maleuolo tortura & compedes*, de beneuolo ſubdit v. 31. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta.* vide ibi dicta. Serui ergò alij ſeruile habent ingenium, ſuntque hebetes, & ſtupidi, hi docendi ſunt quantum fert eorum capacitas: alij ſeruilem habent voluntatē, putà duram, præfractam, rebellem, cuius proinde durities, inobedientia & rebellio plagis contundenda eſt. Huc facit adagium: *Phryx plagis emendatur*, dici ſolitum in barbaros, ſeruiliq; ingenio homines, qui non pudore, neque monitis, ſed verberibus redduntur meliores, cùm contrà generoſus animus, vt ait Seneca, rectiùs ducatur quàm trahatur. Phrygia enim multa dabat mancipia.

B Vnde prouerbium: *Phrygium mācipium.* Huc quoque facit illud apud Macrobium in Saturnal. *Quot ſerui, tot hoſtes*: tum quia olim hoſtes victi captique ſeruituti addicebantur: vnde vocabantur mancipia quaſi manu capta, & hæc prima ſeruitutis & ſeruorum eſt origo: tū quia *dimidium mentis ſeruis ademit Iupiter*, vt ait Homer. Odyſ. 5. & ex eo Plato lib. 6. de Legibus. *Nihil enim integrum*, inquit, *neque ſanum habet animus ſeruilis. Nam nihil oportet credere his hominem qui ſapiat: ſi quidem Poëta doctiſſimus ait:* *Serui dimidio mentis carent.*

Dimidio mentis deprivat Iuppiter illos,
Seruilis quoſcumque viros ſors ceperit vnquam.

Tum quia ſicut verus amor libertatis eſt alumnus, ſic merus timor ſeruitutis eſt aſſecla: odit enim quiſquis metuit. Vnde genuinum quoddā odium inſitum videtur ſeruis in dominos. Hinc Euripides in Alcmæone. *Quiſquis*, ait, *fidem habet ſeruo, per quàm ſtultus eſſe videtur.*

C Quocirca ſapienter Philo hic monitum dat ſeruis libro, *Quis diuinarum rerū heres? Eſt*, inquit, *ſerui laus maxima, nihil ex iuſſis dominicis contemnere, ſed impigrè induſtrieq; vel ſupra vires conari cuncta exequi ex illius animi ſententia. Serui etiam audire debent potiùs quàm loqui, ad quos nimirum dicitur: Tace & audi præceptum pulcherrimum.* Vnde, vt idem ait: *Nemo tam inſanit, quàm qui ſeruus cùm ſit, domino aduerſatur.* eum enim contra ſe irritat, itaque non niſi probra & flagra ſibi accerſit. Vide monita quæ hac de re ſeruis dat S. Paulus Epheſ. 6. 5. Coloſſ. 3. 22. & S. Petrus epiſt. 1. c. 2. v. 18.

Symbolicè, S. Augu. epiſt. 48. & 50. per ſeruum accipit hæreticum, qui ſuæ imaginationi & hæreſi ſe mācipauit & ſeruum addixit. Vnde ex hac gnome probat hæreticos, quia verbis & argumētis cedere nolunt, pœnis cogendos, vt fidem Orthodoxam, quam perfidè deſeruerunt, reſumāt. Sic enim

D ait epiſt. 50. *Proponunt nobis*, inquit, *quidam ſententiā ſecularis auctoris* (Terentij in Adelphis) *qui dixit, Pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo, quàm metu. Hoc quidem verum eſt, ſed ſicut meliores ſunt quos dirigit amor, ita plures ſunt quos corrigit timor. Nam vt de ipſo auctore iſtis reſpondeatur, apud illum etiam legunt: Tu niſi malo coactus, rectè facere neſcis. Porrò autem diuina Scriptura & propter illos meliores, dixit: Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Et propter hos inferiores, qui plures ſunt, ait: Verbis non emendabitur ſeruus durus: ſi enim & intellexerit, non obediet. Cùm dixit, verbis eum non emendari, non eum iuſſit doceri, ſed tacitè admonuit vnde debuit emendari. Alioqui non diceret, Verbis non emendabitur, ſed tantummodo diceret, Non emendabitur.*

Rurſum

Rurſum Beda: *Seruus*, inquit, *eſt quilibet peccator hec̃ic quidem intelligens, ſed in opere veritatis abſque flagelli diſciplina reſpondere contemnens. De talibus ait Veritas, ſeruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, dignè plagis vapulabit multis* Lucæ 12.

Vers. 20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQVENDVM? STVLTITIA MAGIS SPERANDA EST, QVAM ILLIVS CORREPTIO] *Homo velox ad loquendum*, ait Beda, Hugo, Lyran. Caiet. & alij, eſt garrulus, futilis, vaniloquus, qui præceps eſt & prurit ad loquẽdum; vnde effutit quidquid ei in buccam venit: quare ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm correctio: quia multa dicit futilia, vana inepta, quæ eius ſtultitiam indicant & adaugent: tum quia ijs quæ dicit, totus intendit, nec alios ſinit ſuum ſermonem interrumpere, quare eorum correptionem nõ audit, nec curat. Hanc cauſam dat Beda: *Graue quidẽ*, inquit, *vitium ſtultitiæ, ſed non leuius verboſitatis. Nam ſæpè cõtingit, vt idiota aliquis citiùs verba ſalutifera correptionis accipiat, quàm is, qui affluentia præditus ſermonis, magis ſua quæ nouit, vel quæ noſſe autumat, iactãter proferre, quàm dicta ſapientum audire contendit.* q. d. Talis eſt incorrigibilis, quia ſibi placens, totus ſuis quæ loquitur, intendit: quare aliorum monitis quibus corrigeretur, attendere nequit.

Secundò & potiùs, *homo velox ad loquendum* eſt, qui ſibi præ alijs ſapere videtur, ideoque quauis re propoſita ſuum iudicium præcipitanter interponit & anteponit ceteris, quare eorum ſententiam non expectat, nec rem ſatis examinat & conſiderat; ſed ſententiam præcipitat, quo fit vt ſæpè ea dicere & docere velit, quæ non didicit & neſcit, eaque deinde tueri velit, nec ſinit ſe corrigi. Quocirca à tali nil expectandum, niſi vt ſtultitiam ſuam magis magiſque loquendo prodat, imò multa parerga, abſurda, falſa, ſtulta proferat, ac magis ſtulteſcat. Hæc enim gnome eſt eadẽ cum illa c. 26. 12. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiẽs.* Ibi enim cauſa indicatur, ſcilicet quòd ſibi ſapiens videatur, hic verò effectus notatur, ſcilicet quòd ſit velox ad loquendum, ideoque ſtultus & incorrigibilis. Talem S. Iacobus monet dicens c. 1. 19. *Sit autẽ omnis homo velox ad audiendum, tardus autẽ ad loquendum.* Et Eccleſiaſt. c. 4. 34. *Noli citatus eſſe in lingua tua.* Et c. 19. 28. *Eſt tacens & ipſe eſt prudens.* Et c. 20. 5. *Eſt tacens, qui inuenitur ſapiens: & odibilis, qui procax eſt ad loquendum.*

Hoc vitium ſe deteſtatum eſſe ſcribit Nazianz. orat. 1. apologet. *Hæc cùm nobiſcum*, inquit, *ipſi, non peſſimis fortaſſe conſiliarijs, beneuolis quidẽ certè, colloquuti, præſtabilius eſſe duximus, cùm ea quæ dicenda & facienda eſſent neſciremus, ea diſcere, quàm neſcientes docere. Præclarè enim cum eo agitur, cui vel in profundam ſenectutem canus ſermo veniat, eamq; vim habẽs, vt recenti adhuc in pietate animæ adiumento eſſe poſſit.* Cauſam ſubdit: *Nam certè alios docere aggredi priuſquam ipſi ſatis edocti, valdè ſtultorum, aut temerariorum hominũ eſſe videtur: ſtultorum quidem, ſi ne inſcitiam quidem ſuam cognoſcunt; temerariorum, ſi cùm eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur.*

Audi & Neſterotem Abbatem apud Caſſian. collat. 14. c. 9. *Eſto ergo per omnia citus ad audiendum, tardus autẽ ad loquendum, ne cadat in te illud quod notatur à Salomone: Si videris virũ velocem in verbis, ſcito quia ſpem habet magis inſipiens quàm ille. Nec quemquã verbis docere præſumas, quod operè antè non feceris. Hic enim nos ordinem tenere debere etiam exemplis ſuis Dominus noſter inſtituit, de quo ita dicitur: Quæ cœpit Ieſus* A *facere & docere. Caue ergo ne ante actum proſiliens ad docendum, in illorum numero deputeris, de quibus in Euangelio Dominus ad diſcipulos loquitur: Quæ dicunt vobis ſeruare & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.*

STVLTITIA MAGIS SPERANDA EST QVAM ILLIVS CORREPTIO] Primò, aliqui ſic exponunt, q. d. Magis ſperanda, id eſt timenda & expectanda eſt eius ſtultitia, quòd ſcilicet fiet ſtultus, quàm quòd correptus ſeſe corriget. Sic *ſperare* pro timere ſumitur per catachreſin apud Virgil. 1. Æneid.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate deos memores fandi atque nefandi.

Vbi Seruius: *Sperate*, inquit, id eſt timete abuſiuè. Idem lib. 4. Æneid.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem:

dolor enim non ſperatur, ſed timetur: ſperamus enim bona, timemus triſtia & aduerſa.

B Secundò, alij q. d. Ab homine ad loquendum veloci, ſi quem monere aut corripere debeat, potiùs ſperanda & expectanda eſt ſtulta quàm vera vtiliſq; correptio, vt ſcilicet adulетur potiùs quàm corripiat, aut exaſperet quàm emendet delinquẽtes. In tanta enim profuſione & velocitate verborum multa improuidè miſcet, quæ adulentur vel exaſperent.

Tertiò, alij, q. d. Plus ſperandum eſt de ſtultitia, quàm de velocis ad loquendum correptione, hoc eſt, plus efficiet in corripiendo ſtultitia, quàm loquacitas, putà ſtultus quam loquax. Stulto enim, ſi quid effutiat ineptè, condonatur, quia ſtultus eſt; ſi quid dicat aptè, excipitur cum plauſu, at loquaci, qui ſapit, nihil condonatur.

Quartò & genuinè, *correptio* ſumenda eſt paſſiuè non actiuè, q. d. Maiorem de ſe correctionis ſpem C præbet ſtultitia, quàm velocitas ad loquendum, putà loquacitas: ſtultitia ipſa in ſtultis hominibus maiorem de ſe exhibet ſpem, quòd corripi, & per correptionem corrigi ſe ſinat, quàm exhibeat ipſe velocis ad loquendum correptio & correctio. Hoc eſt, ſtultus faciliùs corripietur & corrigetur quàm velox ad loquendum. Ratio eſt, quia ſtultus neſcit ſe ſtultum, vnde oſtenſa ſibi ſtultitiâ eam damnabit, & ſapientiam à ſapiente exhibitam amplectetur. Ita R. Leui, Stultus, inquit, ſua ſtoliditate animaduerſa, conſilio in ſuis negotijs vtitur; ſed præceps neminem conſulit, cùm ſibi ſatis ſuperq; ſapere videatur. Hic ergo neminem audit, ſed omnes præ ſe ſpernit, quaſi ſapientum octauus, imò primus; cenſet enim ſe plus omnibus ſapere, ideoq; incorrigibilis eſt. Sic & auctor Catenæ Græcor. *Velox enim*, inquit, *& præceps, ponit id eſſe quod non eſt, atque ideo ab illius quod eſt, ſpe alienus eſt. De ſtulto au-* D *tem ſpes eſt fore, ut ſtultitiam aliquando deponat, nempe vbi de veritate edoctus fuerit.*

Hunc eſſe ſenſum liquet Primò, ex Hebræo, qui ſic habet: *Spes ſtulto eſt præ illo*, Chald. *melior eſt ſpes de ſtulto, quam de illo*: Syrus, *ſcito hoc meliorem eſſe ſtultũ*: Septuag. *cognoſce quia ſpem magis habet inſipiens.* Secundo, ex c. 26. 12. vbi hęc gnome ſic effertur. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpẽ habebit inſipiens.* Tertio, quia codices manuſcripti, Rabanus & Beda pro *ſtultitia* legũt, *ſtultitiæ* in genitiuo, hoc modo: *Stultitiæ magis ſperãda eſt, quàm illius correptio*, hoc eſt, faciliùs ſperes ſtultitię ſtulti, quàm velocis ad loquendum, correptionem & correctionem, quę lectio ſanè plana eſt, planeque reſpondet Hebręo, Chald. Syro & Septuag. Hinc Iſidorus Cla-

rius

tius hanc gnomen ſic emendauit: *Stulti magis ſpectanda eſt, quàm illius correctio.* ita Ianſen. & Franc. Lucas in Notat. hîc n. 189.

Remedium loquacitatis eſt, libra rationis.

Remedium verboſitatis & velocitatis ad loquendum opportunum ſuggerit S. Gregor. lib. 8. Moral. 2. nimirum libram rationis & præmeditationis, vt illa pēſemus, quæ dicere cogitamus, ne ſi id negligamus, auditores illa pēſent & reprobent. *Is qui loquitur*, inquit, *de verbis ſuis auditoris ſententiā expectat, & quaſi eius iudicio ſupponitur, à quo auditur. Qui igitur in dictis ſuis reprobari metuit, ipſe priùs debet examinare quod dicit, quatenus inter cor & linguam æquus quidam diſcretuſq; arbiter ſedeat, ſubtiliter penſitans ſi verba recta cor offerat, quæ vtiliter ſuſcipiens ad auditorum iudicium lingua producat.* Et poſt pauca ſic ſcribit: *Si in eo quòd ad nos per greſſum locutionis exitis, reprehendi non vultis, intus iuſtitiæ librā tenete, vt tantò foris quod dicitur ex veritatis pondere placeat, quanto hoc interiùs trutina diſcretionis penſat.* q. d. Tibi ipſi eſto verborum tuorum librator, ne ſi quid impręmeditatum & inconcinnum effutias, prudens auditor eorum ſit libripens, eaq; exactè ad libram iudicij expendens, vt futilia, inſulſa, ſtulta reprobet, rideat & condemnet. Plura de hac libra dixi Eccli. 28. v. 29 & c. 19. v. vlt. & initio c. 23. Appoſitè Plutarc. libr. de Offic. auditoris, præcipites ad loquendum comparat puerperis abortientibus, quæ ante tempus fœtum emittunt, ideoque imperfectum, mancum, debilem & parum vitalem: ſic enim præcipitatio loquendi, ſermonis non tam partus & ortus, quàm abortus eſt; ideoque mutila, hiulca, futilia & inepta effundit, imò effutit. Item gallinis præproperè oua parientibus: hę enim oua edunt ſubuentanea id eſt euanida & ſterilia. Sic enim verboſitas euanida eſt & ſterilis, nullumque fructum affert dicenti vel audienti.

Loquaces ſimiles abortienti.

VERS. 21. QVI DELICATE A PVERITIA NVTRIT SERVVM SVVM, POSTEA SENTIET EVM CONTVMACEM] vt obſequia heri detrectet, imò velit haberi & tractari quaſi filius, adeoque eſſe heres heri ſui. Hoc enim ſignificat Hebr. מָנוֹן *manon*, id eſt arrogans ſibi ius filiationis: נין *nin* enim eſt filius; vnde Hiſpanicum *niño*. Vnde Tigur. vertit, *poſtremò ius filiorū occupare molietur*; Vatab. *nouiſſimè eius erit filius*, id eſt *volet haberi pro filio*; Pagninus, *in nouiſſimo erit ſuperbus perinde ac filius*, imò litem mouere poterit filijs, vt cum ipſis ſit heres, allegans ius præſcriptionis, quòd ſcilicet à puero alitus & habitus ſit quaſi filius, itaque tacitè à patre ſit adoptatus, ac tanto tempore ius filiationis & hereditatis pręſcripſerit. Sic Siba ſeruus Miphiboſeth filij Saulis, indulgenter ab eo habitus, partem hereditatis eius inuaſit, dum herum apud Dauidem accuſando, ab eo eandem obtinuit, 2. Reg. 19.

Significat ergo hæc gnome, ait Ianſen. eum qui ſeruo ſuo nimis eſt familiaris, nimiſque indulget, delicijs ciborum eum nutriens, & veſtitus ſplēdore ornās, ac otium ei permittēs, poſtea pro pręſtitis beneficijs experiri illum ſibi magis rebellem; proinde ſubindicat prouerbium, patresfamilias diligenter circumſpicere debere, vt ſic à principio agant cum ſeruis ſuis, vt ſibi quàm maximè vtiles & morigeros habeant. Indicat item prouerbiū, eos qui ignobilis ſunt conditionis & animi, proſperam fortunam ferre non poſſe, eaq; abuti ad inſolentiam & ſuperbiam. Videre eſt illud in populo Iudaico, qui cùm ſeruilis eſſet cōditionis, de ſeruitute Ægyptiaca liberatus, poſt multa ac magna bene-

A ficia, quibus ab exitu de Ægypto fuit affectus, factus eſt cōtumax & rebellis, iuxta vaticiniū Moyſis in ſuo cātico: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deū factorē ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo*, Deut. 32. 15.

Salomonem ſecutus Siracides c. 33. 25. de ſeruis ita ſancit: *Cibaria, & virga, & onus aſino: panis & diſciplina, & opus ſeruo*; vbi plura hac de re dixi. Quin & Plato dial. 6. de Legibus, docet duriùs tractandos ſeruos, ne molliores fiant: *Allocutio omnis*, inquit, *ad ſeruos quodammodo imperium ſit, neque iocus vllus cum illis habeatur: quod multi ſtultè facientes, dum delicatiùs eos nutriunt, difficiliorem viam ſibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt.*

Septuag. pro מָנוֹן *manon* videntur legiſſe מָאוֹן *maon*, id eſt dolor, q. d. Erit hero dolori, ſicut Beniamin matre moriente natus, inde vocatus eſt *Benon* vel *Benoni*, id eſt filius doloris. B Septua. ergo ſic vertunt, *qui deliciatur puero famulus erit, nouiſſimè autē dolebit ſuper ſe*. Sicut doluit filius prodigus, cū poſt conſumpta bona in delicijs & luxurijs, coactus eſt mendicare & paſcere porcos, Lucę 15. Et Chald. *qui delicijs indulget à pueritia, ſeruus euadet, & ad extremū euertetur*; Syrus, *ad extremum gemet*; Symmac. *& in nouiſſimo erit murmuratio*. Huc facit quod ſcribit Celſus li. 4. *Caducus morbus*, inquit, *pueris ex delicioſa educatione contingere ſolet.* Denique Septuag. *manon* fortè acceperunt quaſi conflatū ex מן *man*, id eſt pars, vel manna, & און *on*, id eſt dolor, q. d. Qui delicatè ſe nutrit, tādem pars & ſors eius erit dolor, hoc eſt, incidet in morbos, egeſtatem, ęrumnias, aliosq; dolores. Aut *manna*, id eſt dulces eius delicię fient dolor, id eſt vertentur in dolores. C Litera enim *aleph* quæ eſt in און *on*, quia quieſcens, ſæpè eliditur & omittitur.

Tropol. ſeruus animæ eſt corpus: qui ergo illud delicatè nutriet, ſentiet illud ſibi contumax & rebelle, vt ſuis delicijs addictum nolit animæ; obſequi ad orandum, meditandum, ceteraque opera pœnitentiæ & virtutum arduarum obeundum; ſed potiùs animæ dominari velit, illamque trahere ad ſuas cupedias. Dicat ergo animi ſui cultor, liber & dominus, cum Philoſopho: *Ad maiora natus ſum, quàm vt me corporis mei mancipium efficiā.* Et: *Magna corporis cura, magna virtutis eſt incuria.* Crates teſte Maximo ſerm. 27. conſpicatus adoleſcentulum athleticum vino, carne & exercitatione corpulentiorem: *O miſer*, inquit, *deſine aduerſus temetipſum carcerem munire.* Ibidē Diogenes ait: *Quibus in ædibus magna eſt ciborum copia, ibi multi ſolent eſſe mures & feles: ſic ea corpora quæ multum cibi capiunt, ſolent plures morbos contrahere.* D Ibidem S. Baſil. *Venter*, inquit, *eſt perfidus mercator* (Gręcè συναλλάκτης, id eſt permutator, qui cum alio cōtrahit, paciſcitur, vel merces commutat) *penus nihil conſeruans: multarum verū appoſitarum incommodum retinens: res ipſas autē non conſeruans.* Rurſum S. Baſil. apud Antoniū in Meliſſa p. 2. c. 39. *Cùm corpus, ait, bene habitū eſt, & multa carne grauatur, neceſſe eſt infirmam & imbecillem eſſe mentē ad proprias functiones: contrà cùm anima benè habet, & exercitatione rerum bonarum ad ſuā magnitudinem attollitur, conſequens eſt vt corporis habitus emarceſcat.* Sicut emarcuit in ipſomet S. Baſil. qui, orationibus, ſtudijs, ieiunijs attritus, nihil in corpore pręter pellem & oſſa habere videbatur. Pergit S. Baſil. *Robur ſatanæ, ait Iob c. 40. in lumbis ſitū eſt, & potentia eius in vmbilico ventris.* Ibidem S. Chryſoſt. *Frugalitas*, inquit, *& alimentum eſt, & voluptas, & ſanitas: nimium verò*

Gnome de malo delicata nutritione.

verò noxam,faſtidiũ & morbum gignit. Sapienter verò Nazianz.cum ſuo corpore ita diſſerit orat.16. *Cui quonam modo coniunctus ſim haud equidẽ ſcio, quoq; pacto ſimul & imago Dei ſim,& cum cœno voluter. Quod & cùm pulchra valetudine eſt, bello me laceſſit ; & cùm bello premitur, mœrore me afficit. Quod & vti conſeruũ amo, & veluti inimicum odi atque auerſor. Quod & vti vinculum fugio,& vt cohærens vereor: ſi debilitare illud & conficere ſtudeo, iam nõ habeo quo ſocio & opitulatore ad res præclariſſimas vtar;ſin contrà,vt cũ ſocio & adiutore mitiùs agam,nulla iam ratio occurrit, qua rebellantis impetum fugiam,atque à Deo non excidam; compedibus degrauatus,vel in terrã detrahentibus,vel in ea detinẽtibus. Hoſtis eſt blandus & placidus,& inſidioſus amicus. O miram coniunctionem & alienationem! Quod metuo amplector, quod amo pertimeſco. Antequam bellum geſſerim,in gratiam redeo: antequã pace fruar,ab eo diſſideo.* Qui ergo ſapit carnem ſuam edomet ieiuniis & ciliciis,ac S.Paulum imitetur dicentem : *Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne fortè,cùm aliis prædicauero,ipſe reprobus efficiar,* 1.Corinth.9.27.

VERS.22. VIR IRACVNDVS PROVOCAT RIXAS: ET QVI AD INDIGNANDVM FACILIS EST, ERIT AD PECCANDVM PROCLIVIOR] Hebr. *vir naſi miſcebit litem , & auctor excandeſcentiæ multus præuaricatione ;* Chald. *& viri furioſi multa ſunt peccata;* Septuag. *vir indignabundus ſuſcitat contentionẽ,& vir iracundus effodit peccatum.* Pro *ſuſcitat* legunt aliqui codices ὀρύσσει , id eſt *fodit rixam;* Symmach. *iritat pugnã;* Syrus, *iracundus multiplicat peccata.* Perperam R.Salomon accipit rixas Dei,q.d. Iracundus Dei iram & iudicium in ſe aduocabit. Non enim agitur hic de ira Dei, ſed de rixis hominum, quas iracundus prouocat.

Prius hemiſtichium audiuimus cap.15.v.18.poſterius idem quod prius dicit, ſed illud aliis verbis repetit & exagerat , nimirum quòd indignabundus procliuis ſit vt ruat in multa peccata cordis,oris & operis;cordis, ſcilicet in internas murmurationes,excandeſcentias,impatientias,cogitationes vindictæ,&c.oris ſcilicet in clamores,iurgia,conuicia,lites,maledicta;operis,ſcilicet in pugnas,rapinas,cædes,&c. Hoc eſt quod ait S.Iacobus c.1.20, *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur ;* ſed omnem iniuſtitiam & iniquitatem diaboli,qui totus ardet ira, & omnes ad iram ſuccendit. Vnde Nazianz. in carmine de Ira :

Iraſcor, inquit, *iræ, dæmoni intus condito.*

Iratus enim videtur eſſe dæmon incarnatus : nam ita ſæuit,clamat, furit, pugnat, &c. ac ſi non homo,ſed dæmon eſſet. Nam vt ait S.Ephrem tract. de virtutibus & vitiis $.de iracundia : *Ex ira mens perturbatur, ſenſus debilitatur, & cogitationes vindictæ fluminis inſtar ſcaturiunt.*

Porrò Septuag.vertunt, *vir iracundus effodit peccatum,* vbi τὸ *effodit* magnam habet energiam & emphaſim. Sicut enim foſſor qui effodit terram , vt theſaurũ vel rem reconditam eruat, profundè fodit,& multum terræ fodiendo exhaurit,donec ad theſaurum perueniat:ſic pariter iracũdus profundè cogitat & ſcrutatur tum grauitatem iniurię ſibi factæ, tum grauem & condignam eius vltionem ; quare multos iræ,ſuperbię,inuidię motus ex corde irato quaſi effodit,ac multas vindictæ rationes & modos comminiſcitur, donec ad commodum & condignum vindictæ modũ in quo acquieſcat, perueniat. Rurſus iracundus contumeliam vel iniuriam ſibi olim illatam,& longa obliuione ſepultam demerſamq́ue eruderat, atq; iterum iterumq́ue memoria repetens vlciſcendi libidinem , illa recordatione incitat & exacuit:imò iræ indulgẽs, alia etiam delicta & crimina quælibet obliuioni iam tradita,renouare velut effodiendo,eique, cui iraſcitur, in faciẽ obiicere & exprobrare ſolet, ita Salazar, Baynus, Iãſen.& alij. Vnde hac phraſi effodiendi in ira vtuntur Belgæ, Germani, cæterę́q; nationes, dum dicunt : Iracundum effodere & eruere veteres iniurias, obliuione iamdiu obrutas.

SVPERBVM SEQVITVR HVMILITAS (non quæ ſit voluntaria & virtus,ſed inuoluntaria & coacta, quæ ſit pœna,putà humiliatio,depreſſio,vilipẽſio) ET HVMILEM SPIRITV SVSCIPIET GLORIA] Neruosè Hebr. *ſuperbia hominis humiliabit eũ,& humilis ſpiritu aſſequetur gloriam ;* Chald. *& qui ſubmiſſus eſt ſpiritu, diuidet gloriam,* Septuag. *contumelia virum humiliat ; humiliter autem ſentientes firmat gloria Dominus,* Syrus, *demiſſo humilitas honores multiplicat.* VERS.23.

Pro *ſuſcipiet* hebr. eſt יִתְמֹךְ *itmoch*, id eſt ſuſtinebit, ſuſtentabit. q.d. Humilis etiam cùm deprimetur, ſuſtinebitur,ne honore ſpolietur; vel, qui animo eſt demiſſo,à diuina gloria ſuſtinebitur,ait Abẽ Ezra. Gloria ergo humiles ſuſcipit,id eſt ſurſum capit & rapit ſurſum, eleuat ad altos honorũ gradus,& eleuatos ibidẽ retinet, ne quo caſu deorſum labãtur. Vnde R. Salomon: Animo ſubmiſſus,ait, proximè accedit ad gloriam, illamq; ſemper fouebit, vel potiùs ab ea fouebitur. Eſt proſopopœia:gloria enim hic inducitur quaſi perſona, puta quaſi agonotheta,humilibus in agone humilitatis ſtrenuè decertantibus, attribuens ſuum decus & lauream,imò ſuum gradũ & locum, ſcilicet vt ad excelſum gloriæ gradum thronumq́ue eleuentur,in eoque ſecum vnà conſideant. Pariles enim comites ſunt & aſſeclæ , gloria & humilitas, atq; ex aduerſo ignominia & ſuperbia. Vnde ſuperbia hic inducitur quaſi iudex vel carnifex ſuperbum humilians & deiiciens. Sicut igitur aquila pullos ſuos alit,excipit eleuatq́ue in altum, atque ibi detinet & ſuſtinet ne prolabantur : ſic pariter gloria alis humeriſque ſuis excipit , & in altum eleuat humiles, ibique ſuſtentat & firmat, ne quis caſus eos deprimat. *Humilitas glorificat, ſuperbia probro afficit.*

Huc alluſit verus Salomon Chriſtus Dominus dicẽs: *Omnis qui ſe exaltat,humiliabitur;& qui ſe humiliat,exaltabitur,* Lucæ 14. 11. Nihil hac ſententia in re verius, nihil tamen in praxi difficilius. Scimus,imò credimus , omnes quotquot fideles ſumus,Salomoni & Chriſto,aſſerentibus viam verã & ſecuram ad gloriam eſſe humilitatem,viam verò ad ignominiam eſſe ſuperbiã ; & tamen conamur eniti ad gloriam ſuperbè nos noſtraq; oſtentando & magnificando; humiliare verò & deprimere æmulos noſtros,vt eis cõflemus ignominiã: cùm iuxta hanc Salomonis & Chriſti gnomẽ,hac ratione nobis per ſuperbiam conciliemus ignominiam, humilitatis verò gloriam, ſæpè in hac vita, ſemper in futura. Quantus hic error , quanta abuſio filiorum Adæ ! ait S.Bernard.

Denique hæc gnome concinit cum illa c.16.18. *Contritionem præcedit ſuperbia,& ante ruinam exaltatur ſpiritus.* Et c.18.12. *Antequam conteratur,exaltatur cor hominis:& antequam glorificetur, humiliatur.* vide vtrobique dicta. Ratio eſt , iuſtum Dei iudicium, qui iuſta congruaque talione ſuperbos caſtigat depreſſione & ignominia ; humiles verò præmiat celſitudine & gloria.

Septuag.

Septuag. vertunt, *ſpiritu humiles gloria firmat Dominus*, dum ſcilicet eos continet in humilitate, ne per gloriam ſuperbiant, itaque vtramq; perdant; ſeu vt, quanto fiunt glorioſiores, tãto fiant & humiliores, vtpote qui gloria ſe indignos & confuſione dignos autumant, omnemque ſuam virtutẽ & gloriam vni Deo Deique gratiæ aſcribunt. Chald. vertit, *& qui ſubmiſſus eſt diuidit gloriã*, id eſt tam copioſam recipit gloriam, vt eam cũ aliis diuidere queat, imò optet & velit. Superbi enim indoles eſt, omnem gloriã ſibi ſoli ſervare, imò alienã rapere & ſibi attribuere: humilis verò indoles eſt, gloriam ſuam aliis cedere, eamque cùm aliis partiri & diuidere, alioſq; gloriæ ſuæ ſocios aſciſcere, eiuſque participes efficere. Syrus, *demiſſo humilitas honores multiplicat.* q.d. Vna humilitas multos parit honores, honoratur enim à Deo, ab angelis, ab omnibus hominibus, idq; non vno, ſed multiplici honore, tum temporali, tum æterno. Rurſum humilis ſicut multiplicat humilitatis actus, ſic per eos adauget & multiplicat ſibi gloriam: nihil enim ita glorioſum eſt atque præclara agere, & humiliter de ſe ſentire: hoc enim propriũ eſt gloriæ obiectum. Quocirca humilis quo præclariora agit, eo humilius de ſe ſentit, eoque maiori laude & gloria dignum ſe efficit.

Nota. Primus huius axiomatis, quòd Deus ſuperbos humiliet, & humiles exaltet, auctor fuit S. Iob c. 22. 29. dicens: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos* (humiles enim demittũt oculos ex demiſſione animi) *Ipſe ſaluabitur*, Idem confirmat hìc Salomõ, & Chriſtus Lucę 18. 14. & B. Virgo canens in ſuo Magnificat: *Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles.* Hi ergo quatuor hominũ ſapientiſſimi hanc gnomen aſſeuerarunt, vt eorum teſtimonio cedat & conuincatur omnis hominum incredulitas & differentia. Humilem igitur ſpiritu in ſuum hoſpitium, imò thronũ, excipiet gloria, præſertim cùm Deus angelis, imò Seraphinis (quibus inſertus eſt humillimus S. Frãciſcus) cũ inſeret, ac in cælo & terra totoq; mundo, etiam inferno, illuſtrem & glorioſum efficiet. Sunt enim ſuperbia & humilitas quaſi duæ lãces, quarum ſi ſuperbia aſcendat & creſcat, homo decreſcit & deſcendit: ſi verò humilitas deſcendat & ſe deprimat, homo in magnam dignitatem aſcendit. Exemplo ſint primi vtriuſq; choragi & anteſignani S. Michael & Lucifer. Lucifer enim arroganter dicens: *In cælum conſcendam, &c. ſimilis ero Altiſſimo*, Iſaiæ 14. 13. mox audiit v. 15. *Verũtamen ad infernum detraheris in profundum laci*: Michael verò humillimè dicẽs מִי כָּאֵל *mi ca el*, id eſt *quis vt Deus?* primatum inter angelos & thronum Luciferi occupauit. Eamdem ducum ſuorum ſortem expectent humiles, qui militant ſub vexillo S. Michaelis; & ſuperbi, qui militant ſub ſignis Luciferi. *Ipſe enim eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*, Iob 41. 25.

Humilitas S. Petri Alexandr. exaltata.

Exemplum illuſtre ſuggerit hodierna dies 26. Nouemb. qua recolimus memoriã S. Petri Patriarchæ Alexandrini & Martyris, qui ſingulari ſua humilitate & charitate meruit Primò honorẽ & amorem totius populi, vt pro eo è carcere liberãdo contra præſidis exercitũ depugnaturus fuiſſet, niſi ipſe modũ mortis ſententiam contra ſe latam inſcio populo exequendi præſuli ſuggeſſiſſet; Secundò, meruit martyriũ, vt Chriſtus illi apparens illud ipſi præſignificaret, ac ſimul inſtantem Arrij hæreſim reuelaret; Tertiò, vt in morte eius cælitus

A audiretur vox: *Petrus primus Apoſtolorũ, Petrus vltimus Martyrũ* inter Epiſcopos Alexandriæ. Quartò, ipſe quoad vixit Patriarcha, in eccleſia præ humilitate numquam in throno patriarchali conſidere voluit, ſed in eius dumtaxat ſcabello; quòd throno ſe indignũ diceret, in quo ſederat S. Marcus, totque ſancti Patriarchæ. Vnde meruit vt corpus eius poſt mortem in eodẽ throno à fidelibus collocaretur, ſedit ergo in throno iam Martyr, qui non ſederat Epiſcopus. Quot quantæq; hìc eius gloriæ? omitto enim eas quas in cælis recepit.

Vers. 24. QVI CVM FVRE PARTICIPAT ODIT ANIMAM SVAM: ADIVRANTEM AVDIT, ET NON INDICAT] Hebr. *execrationẽ audiet, & non annuntiabit*; alij legunt, *periurium audiet*, &c. Chald. *iuſiurandum defertur ei, & non confitebitur*; Septuag. hunc verſum cũ ſequenti ſic nectunt: *Qui participat furi, odit animã ſuam: ſi autẽ iuramentum propoſitũ audientes non an-*

B *nuntiauerunt, timentes & reueriti homines, ſupplantati ſunt: qui autẽ confidit in Domino lætabitur. Supplantati ſunt*, id eſt ſupplantabuntur adeò certò, ac ſi iam ſupplantati eſſent, certò ſubuertentur, vt habent Complut. Regij & auctor Catenæ Græcor.

Paſſim interpretes ſimpliciter & planè hanc gnomen accipiunt de furis ſocio qui furti eſt particeps. Sunt enim nõnulli adeò hebetes vel cupiditate cæci, vt putent, vel putare & ſibi perſuadere velint, furari quidem eſſe peccatum; at vbi iam res furto ſublata eſt, ſine peccato à ſe vſurpari poſſe, quòd iam extra heri poteſtatẽ ſit; imò ſatius eſſe vtilla à ſe innocente, quàm à fure nocente, qui eã iniuſtè rapuit, occupetur. Hunc errorẽ conuellit hìc Salomon, docetq; tam reum eſſe furti ſocium, qui participat in furto, quàm furem qui furtum committit. Ratio eſt, quod furi & furto coopera-

C tur. Idẽ eſt in alio quouis ſcelere: qui enim participat in ſcelere, ſceleri & ſceleſto cooperatur, ac proinde & ipſe ſcelus committit, & ſceleſtus eſt. Senſus ergo eſt, q.d. Qui cũ fure rem furto ab eo ſublatam partitur, odit animam ſuã: quia pro exiguo lucro temporali animã ſuam maculat peccato furti, illamque ream facit gehennæ, ac inſuper infamiæ, & pœnæ temporariæ à iudice infligendæ eam obnoxiam reddit.

Societas furti multiplex.

Variis autem modis quis partiri poteſt cum fure nimirum, Primo, ſi herus mittat famulum vel filium ad furandum, vt ſe ditet. Secundo, ſi cum fure habeat ſocietatem ad furandum: eſt enim in nonnullis locis & vrbibus ſocietas furum, ſicut eſt mercatorum, in qua ſicut hi lucra, ſic fures cum

D ſociis furta diuidunt. Tertio, ſi furi præbeat receptum, putà hoſpitium, ad quod diuertat, vt ſecurus furetur. Quartò, ſi rem à fure ſublatam diuendat & diſtrahat, vt nummos conficiat.

ADIVRANTEM AVDIT, ET NON INDICAT] Eſt hæc alia ratio cur partiens cum fure oderit animã ſuam, quia ſcilicet violat iuſtitiam & iudicium publicum, ac ſæpè eſt periurus. Audit enim adiurantem iudicem legitimè & iuridicè, vt indicet furem eiuſq; ſocios & participes, & tamen non indicat, ne ſeipſũ prodat. Iudex dupliciter adiurat, Primò, cùm eum, quem citat, cogit, iurare quòd non ſciat quis rem furatus ſit, quique eius ſint ſocij. Vnde Chald. vertit, *iuſiurandum defertur ei, & non fatetur*: & Septuag. *ſi autẽ propoſito iuramento non annuntiauerint, timentes & verẽtes ipſos homines, ſupplantabuntur.* Secundo, cùm reum, v.gr. furem, eiuſque ſocios, metu religionis violãdæ, aut vltionis vel ma-

ledicti or

ledictionis diuinæ incurrendæ; ſub obteſtatione hominis diuini adigit & aſtringit ad dicendam veritatem, an ſcilicet rem furati vel inter ſe partiti ſint. hoc enim propriè eſt aliquẽ adiurare. Quare reus legitimè à iudice adiuratus tenetur dicere veritaté. Vnde Tobias c.9.5.ait Raphaëli: *Vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum ſpernere non poſſum.* Sic Caiphas adiurauit Chriſtũ, dicens: *Adiuro te per Deum viuum; vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei.* Vnde Chriſtus non tam metu iudicis, vtpote cui non ſuberat, quàm reuerentia nominis diuini, per quod adiurabatur, ilicò reſpondit ſe eſſe Chriſtum; Matth.26.63. ſimilis erat adiuratio adulteræ in lege veteri Num. 5. 19. Quare minùs rectè & frigidè Pagnin. & Vatabl. vertunt: *audit execrationem, & non indicat.* q. d. *Qui particeps eſt furti, malè audit ab hominibus: qui eum execrantur, nec audet conqueri ſe malè audire.*

Secundò, aliqui per partientem cum fure accipiunt teſtem, vnde ex Hebræo ſic vertunt *partiens cum fure, odiens animam ſuam: adiurationem audiet & non annuntiabit.* q. d. Teſtis adiuratus à iudice vt prodat furem, ſi eum non indicet, ſed celet & abſcondat, cenſetur partiri cum fure, & odire animam ſuam; tum quia graui periurio animã vulnerat, tum quia in cauſa eſt ne furtum prohibeatur; ac ne domino res ſua reſtituatur: vtrumque autem ſatis eſt, vt in ipſius furti conſortium vocetur, cenſeaturque cum fure diuidere, & rei furtiuæ eſſe particeps. Huc quoque vocari poſſet Vulgata verſio, ſi nonnulla ſuppleas, hoc modo: *Qui cum furè participat, odit animam ſuam.* Talis autem eſt teſtis, qui iudicem *adiurantem audit*, vt furem prodat, & tamẽ *eum non indicat.* Verùm hic ſenſus multa ſupplet, quæ non ſunt in textu. Quare prior ſenſus, vti ſimplicior & planior, ſic & germanior videtur, nec idcirco iacet & marcet; ſed ſuum habet vſum, ſuam vim & pondus, vti liquet ex dictis. Vnde eumdem furti ſocium increpans Salomonis pater Dauid ait: *Si videbas furẽ, currebas cum eo,* pſ.49.18.

Deut.25. QVI TIMET HOMINEM CITÒ CORRVET: QVI SPERAT IN DOMINO SVBLEVABITVR] Hebr. *pauor vel tremor hominis dabit laqueum: & fidens in Domino eleuabitur;* Chald. *calumnia filij hominis accerſit ei offendiculum; & qui ſperat in Deo, roborabitur.* Septuag. hunc verſum nectunt præcedenti, vti paulò antè dixi. Vnde hanc gnomen iteratò quaſi ſeparatam ſic efferunt: *Impietas* (qua quis magis hominẽ veretur quàm Deum, ideoq; in quælibet ſcelera, etiam hæreſis & idololatriæ, prolabitur) *dat prolapſionem: qui autẽ confidit in Domino ſaluabitur;* Syrus, *magnus eris.* Aben Ezra tripliciter explicat. Primò, q. d. *Sperantem in ſe Dominus à timorem injiciente ſubleuabit.* Secũdò, q. d. *Dominus timore eum percellet, laqueiſq; implicabit, quos pauperibus irretiendis collocarat.* Tertiò, q. d. *Timore anxium, nec in Deo ſpem ſuam collocantem, mala quæ formidabit, deprehendent.* R. Leui, q. d. Formidoloſus incidet in hominem ſceleſtum, qui eius formidinem animaduertens, ei damnum perniciemque inferet. Verùm *timor* hominis hîc non actiuè, quo ſcilicet homo quippiam timet & formidat, ſed paſſiuè, quo ſcilicet homo timetur & formidatur, accipiendus eſt; vnde Noſter vertit, *qui timet hominem.* ſic & Septuag. Loquitur de timore nimio & inordinato, quo quis adeò timet hominem, vt eius metu legem Dei deſerat, & peccet, maliſq; Deum quàm hominẽ offendere. Qui enim ſic timet hominem, in grauia mala corporis

A & animæ corruet, à quibus liberabitur is qui timet Deum magis quàm hominem, & in Deo ſpem ſuam collocat. Neruoſè ex Hebr. vertit Vatabl. *pauor hominum injicit laqueum* (pauido,) *qui autem confidit in Domino, exaltabitur.* Exaltari eſt ſeruari quaſi in arce & loco ſublimi. Eſt metaphora ſumpta à militibus, qui imminente hoſte ſeſe in loca alta recipiunt, quaſi ad tutum confugium & aſylum: tale enim eſt Deus ſperãtibus in ſe, & ab hominibus quos timent; confugientibus ad ſe. Vnde Dauid Deum ſæpè vocat משגב *miſgab*, id eſt altitudinem, exaltationem, locum editum, & hoſtibus inacceſſum, munitionem altiorem, quàm vt tranſcendi vel capi poſſit; refugium tempore perſecutionis aut belli; vt pſal.17.3. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Et v.17. *Miſit de ſummo, & accepit me; &c. eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.* Deus enim ſperantes in ſe ſeruat, &
B omnem timorẽ hominũ ab illis propulſat, ac mala quæ ab eis vel aliunde quomodolibet timeri poterant; planè diſpellit; vt diſpulit à Dauide mala & necem, quam ei identidem machinabatur Saul.

Antitheſis exigebat vt diceret: *Qui timet Dominum;* ſed maluit dicere. *Qui ſperat in Domino*, quòd ſpes ſemper iuncta ſit timori: Deo autem gratior eſt ſpes in illum exigens hominem, quàm timor deprimens. Sic pariter pro *Qui timet hominem*, dicere potuiſſet. *Qui ſperat in homine, citò corruet:* hi enim duo affectus, putà ſpes & timor, ſunt comites indiuidui, vnuſque ex alio naſcitur: ſpes enim acquirendi bonum ab aliquo, parit timorem cum offendendi, ne bono ab eo ſperato priuetur.

Pauor ergo homini pauenti eſt laqueus, qui eum ſtringit, illaqueat & quaſi ſtrangulat; tum *Pauor pauido eſt laqueus.*
C quia illi cauſa eſt vt Deus offendat, & animam ſuam laqueo huius pauoris illaqueet, & necet: tum quia gratiam hominis, quem nimis expauit, non acquirit, ſed eius indignationem ſæpè incurrit, ac in malum, quod per humanum timorem declinare ſatagit, iuſto De iudicio incidit: tum quia in alia grauia corporis & animæ damna impingit, quæ velut laquei eum irretiunt & ſuffocant, ac præſertim quia laqueum æternæ damnationis & gehennæ ſibi innectit.

Eſt qui ſic explicet, q. d. Quiſquis hominũ gratiam ambitioſè aucupatur, & illis ſeruiliter diſplicere timet, ei perſimilis eſt qui collum ſuum inſeruit laqueo, quia iugiter ſuſpenſus hæret, quamdiu ex hominum voluntate, metu & ſtudio placendi pendet: atqui eo modo pendere, perinde eſt ac ſuſpendi, & quaſi aſſiduè ſtrangulari: qui timet enim, obſeruat omnes eius quẽ timet, nutus, geſtus, verba, actus, &, ſi ſolito ſeueriores viderit, angitur, tre-
D pidat, cruciatur: quare quot per diem habet angores, pauores, metus, trepidationes, tot habet laqueos, qui fauces non corporis, ſed animæ ſtringunt, & quaſi ſtrangulant. Idcirco appoſitè pauor & metus rectè comparatur laqueo: ſicut enim laqueus collum, ſic pauor animã ſtringit & angit, vt vocem, ſpiritũ, motum & vitam intercludat. Hoc eſt quod ait Pſaltes pſal.52.6. *Deũ non inuocauerũt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* q. d. Timuerunt non timenda, metuerũt homines in quibus nil eſt quod iuſtum metũ ciere queat: *quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* En triplex grãdis ruina, quam parit ſtudium placendi hominibus ſcilicet omnium oſſium confractio, confuſio, & Dei

A

aſpernatio ſiue reprobatio, ait S. Bernard.) vel quiſquis eſt auctor: ſtylus enim arguit non eſſe S. Bernardi) ſerm. de Miſeria humana.

VERS. 26. MVLTI REQVIRVNT FACIEM PRINCIPIS: ET IVDICIVM A DOMINO EGREDITVR SINGVLORVM] Hebr. *multi requirunt faciem dominantis: & à Domino iudicium viri.* ita & Syrus Chald. *& à facie Domini iudicium viri;* Septuag. *multi colunt facies ducum: à Domino autem fit iuſtum viro.*

Iudicium Dei multiplex.

Quæres, quodnam iudicium ſingulorum, quod à Domino egreditur?

Prima.

Primò, *iudicium* Hebræis ſæpè idem eſt quod ſors, conditio, ſtatus, fortuna. Vnde Vatabl. vertit, *à Domino proficiſcitur ſors vniuſcuiuſque*, vel *fortuna & conditio*: q. d. Multi & magni ait Aben Ezra, ambiunt faciem, id eſt gratiam & beneuolentiā principis, vt ab eo ad ſtatus, dignitates, officia & opes

B

euehantur: verum à Domino pendet cuiuſque ſors ſtatus & officium; cùm illius ſit cuique admetiri ſuum gradum & honorem, ſuam dignitatem & vilitatem, ſuas opes & inopiam, q. d. Ergo magis ambienda eſt facies, id eſt gratia & beneuolentia Dei, quàm principis. Deus enim eſt mundi rector, hominum arbiter, orbis œconomus, officiorum diſtributor, ſtatuum partitor, opum diſpenſator, qui cuique ſuam menſurā opum, bonorū, officiorum admetitur & diſpenſat, prout ipſi placuerit. Deus etiam regit corda regum & principum, vt cuilibet eamdē menſurā, quæ ipſi placuerit, diſtribuant. Hoc eſt quod agnoſcit & orat Pſaltes pſal. 30. 16. *In manibus tuis ſortes meæ.* q. d. Status, caſus, euentus, viciſſitudo rerū mearū, vt diuitiæ & paupertas, ſeruitus & principatus, ſanitas & infirmitas, honor & abiectio, pax & bellū, ait Theodor. hæ, inquam, & quælibet aliæ ſortes, ſtatus & cōditio-

C

nes non à fortuna, non à principibus, ſed à tua, ô Domine, prouidentia pendent, regūtur & diſpenſantur; vnde ab illa ſortē meā poſtulo & expecto.

Hic ſenſus valdè appoſitus & germinus eſt, ac hanc gnomen nectit præcedenti, imò eius dat cauſam, q. d. Ideo qui timent homines, corruent; qui verò timent & ſperant in Domino, exaltabuntur, quia non hominum, ſed Dei eſt cuique ſuam ſortem bonam & malam miſeramque diſtribuere. Deus autem ſperantes in ſe amat, ideoque bonam eis ſortem diſpenſat, eoſq; ſubleuat & exaltat: Eos verò, qui ſe poſthabito timent homines, in eiſque ſperant, odit, ideoq; eis ſortem miſeram attribuit, vt in multas ærumnas corruant. Nota. Requirere faciem principis vel Dei, eſt ambire & captare beneuolentiam principis vel Dei. Hoc ſenſu ait Pſaltes pſal. 26. 8. *Faciem tuam Domine requiram.* &

D

pſal. 104. 4. *Quærite faciem eius ſemper.* & alibi ſæpè. Fauor enim & beneuolentia alicuius, in eius facie vultuq; ſereno & beneuolo apparet & reſplendet.

Secunda.

Secundò, *iudicium* vocatur id quod æquum & iuſtum eſt, vt vertūt Septuag. q. d. Multi ſuæ cauſæ litiſque ius & iuſtitiam requirunt à principe, ideoq; eius faciem, id eſt beneuolentiam ſibi conciliant, vt in iudicio rem ritè perdat & ſibi adiudicet: at non animaduertunt iudicium, id eſt iuris adminiſtrationem, iudiciſque & principis ſententiam pendere à Deo magis quàm à principe. Quare qui ſapit, illam à Deo efflagitet, ad quem iudicij ius ſpectat; cùm princeps à Deo regatur, illiſq; quæ Deus ſuggerit mentem accommodet, iuxta illud c. 21. 1. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Ita R. Leui, R. Salomon, & Iāſen. qui

A

ſic explicat, q. d. Multi ſtudent placere principibus, qui tantùm ſunt iudices quorumdā, & in quibuſdam cauſis: at multò magis quærēda eſt facies, id eſt fauor Domini, vtpote à quo omnes & ſinguli ſunt iudicandi, quique etiam iudicum iudicia examinabit, &, ſi iniuſta ſint, retractabit, ac iniuſtè damnatis ſuum ius reſtituet. Accedit & Salazar, qui *faciem requirere*, accipit pro gratiam & fauorem alicuius aucupari per munera, putà iudicem vel principem donis ſibi conciliare vel corrumpere, iuxta illud pſal. 44. 13. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* q. d. Quamuis principes & magiſtratus muneribus inflexi iniuſtā ſententiam ferant, non ideò acta res eſt, & cauſa perfecta; adhuc enim reſtat extremum illud iudicium, cui tam princeps, quàm is qui illum donis corrupit ſubijci

B

oportet, vt ex iure abſoluātur, aut damnētur. Hoc autem eſt ipſius Dei ſuauiſſimum & incorruptiſſimum arbitrium, quod effugere nulli integrum eſt.

Tertia.

Tertiò, per *iudicium* aliqui accipiunt Dei iudicium extremum. q. d. Multi timent iudicia hominum, & iudicum, ideoque eorum gratiam venantur: at hæc parui momenti ſunt; ſummi verò momenti eſt iudicium extremum, quod Deus feret de anima cuiuſque, eiuſq; meritis vel demeritis, vt eam adiudicet cælo vel inferno per omnē æternitatem, de quo tamen homines parum cogitant & curant. q. d. Quantæ dementiæ eſt exilia hominum iudicia vereri, & Dei iudicium, à quo pendet æterna noſtra ſalus vel miſeria, non formidare, ideoq; eius gratiam vel bona opera non ambire! O vanitas! ô ſtupor hominum! ô mentes amentes!

Hic ſenſus cordatus eſt, pius & profundus. Extremum enim Dei iudicium antonomaſticè voca-

C

tur *iudicium.* Primò, quia vltimum erit & ſummum, à quo nulla cadit appellatio. Secundò, quia ſinceriſſimum & æquiſſimum: in illo enim ſcrutabitur Deus Ieruſalem in lucernis. Tertiò, quia efficaciſſimum & planè ineuitabile: ilicò enim bonos conſignabit cælo, malos inferno. Quartò, quia longiſſimum, immenſum & æternum: durabit enim quamdiu durabit Deus per omnia ſæculorum ſæcula. Quis ergo non timebit te tuumque iudicium, ô rex ſæculorum, in cuius manu eſt ſingulorum vita & mors, electio & reprobatio, ſalus & perditio, felicitas & infelicitas totius æternitatis? *Timete* ergo *Dominum omnes gentes, tribus, linguæ & populi, puſilli & magni, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum*, Apoc. 14. 7.

VERS. 27. ABOMINANTVR IVSTI VIRVM IMPIVM: ET A-

D

BOMINANTVR IMPII EOS, QVI IN RECTA SVNT VIA] qui rectè viuendi viam & conſuetudinem ineunt, ait R. Salomon. Hebr. *abominatio iuſtorum vir iniquitatis, & abominatio impij rectus via;* Septuag. *abominatio iuſtus vir viro iniuſto, abominatio autem iniquo recta pergens via.*

Concludit Salomon hac gnome ſuas parabolas qua inſtar S. Auguſt. duas ciuitates conſtituit ſibi contrarias, vnam Dei, alterā diaboli; vnam iuſtorum, alteram impiorum, inter quas perpetua eſt lis & bellum. Iuſti ergo abominantur & inſectantur impios, ac viciſſim pij iuſtos, tum ob morum diſſimilitudinem & repugnantiam: tum quia iuſti ſatagunt propagare regnum probitatis. Probitas ergo ne improbitati victa ſuccumbat, ſemper in armis excubare, & improbitatis ſatellites nō tantùm depellere, ſed & expellere nitatur oportet, eſt enim

inter

inter vtramque internecinum odium & diſſidium. Iuſti igitur non oderunt impios, ſed eorum impietatem; impij verò oderunt iuſtos, æquè ac iuſtitiam & pietatem. Vnde Syrus vertit, *impij rectas ſemitas abominantur.* Hic eſt piorum & impiorum ἄσπονδος πόλεμος, & irreconciliabile bellum: *quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad belial?* 2. Cor. 6. 14. Hinc dinoſcat quiſque an iuſtus ſit, an impius. Si enim impios & impietatem abominatur, iuſtus eſt; ſin pios & pietatem inſectatur, impius eſt. Videat ergo quiſque vtrius regni ciuis ſit, pietatis an impietatis, Dei an diaboli. Fructum & finem ſubdit, quòd regni impietatis terminus ſit perditio, pietatis verò liberatio à perditione. Huic gnomæ ſimilem audiuimus c. 21. 8 *Peruerſa via viri,* inquit, *aliena eſt: qui autem mundus eſt, rectum opus eius.*

Verbvm cvstodiens filivs, extra perditionem erit.] Hic verſus deſideratur in Hebręo, Chald. & Septuag. Complut. Tranſſcriptus eſt ex Septuag. Vatican. qui eum habent cap. 24. in fin. v. 22. ante *Hæc quoque ſapientibus.*

Igitur hæc gnome eſt quaſi coronis & clauſula Parabolarum Salomonis, ſignificans earum fructum & præmium, vt hoc quaſi epiphonemate opus ſuum concludat, omnibuſque commendet, q.d. Quicumque hæc mea parabolarum verba, id eſt monita, dogmata & præcepta mente cuſtodierit, vt ea opere exerceat, & iuxta eas omnes ſuos actus componat, & dirigat; hic euadet perditionem impijs ea præuaricantibus paratam in gehenna, atque felicitatem gloriamque ſempiternam ab æterno pijs legem Dei (quàm hiſce parabolis cōplexus ſum) ſeruantibus decretam conſequentur. Quàm ergo cuique chara eſt anima, animæq; ſalus æterna, tam chara ſint & hæc mea verba & præcepta: hæc enim indicant viam rectam in cælum ad ſalutem & felicitatem perennem, iuxta illud c. 12. 28. *In ſemita iuſtitiæ, vitæ iter autem deuium ducit ad mortem.*

Citat hanc gnomen S. Auguſt. l. de Mendacio ad Conſentium c. 18. Et nonnulla addit, quæ ferè conſonant cum ijs quæ habent Septuag. Vatican. c. 24. 22. Sic enim habet Auguſt. *Verbum excipiens*

A *filius à perditione longè aberit: excipiens autem excipiet illud ſibi, & nihil falſi de ore illius procedit.* Pro quo Vaticani c. 24. 22. habent, *nihil falſi de ore regis dicatur, & nihil falſi ex lingua ipſius exeat;* pluraque addunt, quæ regem concernunt, quorum ſenſum reddidi c. 24. 22. S. Auguſt. verò omiſſo τῷ *Nihil falſi de ore regis dicatur,* ſequentia, ſcilicet, *Nihil falſi ex lingua ipſius exeat,* vel, vt ipſe legit, *exit,* ſiue *procedit,* attexuit filio excipienti verbum: quaſi non regi, ſed cuilibet hæc dicantur, ad commendandum ſtudium veritatis & odium mendacij, ſcilicet vt probet numquam licere mentiri; vnde per *verbum* accipit Chriſtum, qui eſt veritas. De eo igitur ipſe ſic exponit: *Dicet aliquis, non aliud hic accipiendum eſſe quod poſitum eſt. Excipiens verbum filius, niſi Verbum Dei, quod*

B *eſt veritas. Ergo excipiens veritatem filius à perditione longè aberit, referturq; ad illud quod dictum eſt: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quòd verò ſequitur: Excipiens autem excipit illud ſibi, quid aliud inſinuat, niſi quod Apoſtolus dicit: Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & tunc in ſemetipſo habebit gratiam, & non in altero? Qui enim excipit verbum, id eſt veritatem, non ſibi, ſed vt hominibus placeat, non eam cuſtodit cùm eis videt poſſe placere mendacia. Qui autem excipit ſibi, nihil falſum de ore ipſius procedit; quia etiam cùm placet hominibus mendacium, non mentietur illi, qui veritatem non quà illis, ſed quà Deo placeret, excepit ſibi. Itaque non eſt cur hic dicatur: Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium.*

Igitur mens S. Aug. eſt Verbum Dei eſſe Chri-

C ſtum qui eſt veritas, ac proinde eum qui Chriſtum cuſtodit, cuſtodire pariter veritatem, vt ſit verax tam ſermone, quàm opere; ideoque talem tam longè abeſſe à perditione, quàm abeſt Chriſtus qui eſt Ieſus, id eſt Saluator, ipſaque ſalus & vita iuxta id quod Iudæis ait Chriſtus Ioan. 6. 40. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et c. 8. 24. *Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Et v. 51. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Et c. 17. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Hic ſenſus ſublimis eſt, ſed myſticus potiùs quàm literalis.

QVARTA PARS LIBRI.

Prima enim cœpit cap. 1. Secunda cap. 10. Tertia cap. 25. Quarta hoc cap. 30.

QVarta hæc pars elegantiſſima eſt & pulcherrima, æquè ac difficillima & obſcuriſſima. Priores enim tres partes continent Prouerbia & Parœmias claras, ac antitheſibus & ſimilitudinibus perſpicuas & illuſtres: hæc verò continet ænigmata & gryphos inſignes, ſed arcanos & perdifficiles, tum ex phraſi quæ inuoluta eſt & ænigmatica; tum ex ſenſu & materia, quæ ſublimis eſt & profunda. Meritò ergo Salomon, vt præſtantiſſimam, vltimo libri loco reſeruauit, vt hanc velut auream coronidem operi ſuo imponeret.

CAPVT TRIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SAlomon in perſona Agur vocat ſe ſtultiſſimum virorum, celebratq́ elementa & opera Dei incomprehenſibilia. Inde v. 11. ſex gryphos, ſiue ænigmata, proponit per totidem quaterniones. Primus quaternio eſt quatuor generationum peruerſarum, v 11. Secundus ſanguiſugæ & quatuor inſaturabilium, ſcilicet inferni, oris vuluæ, terra & ignis, v. 15. Tertius quatuor viarum difficilium, ſcilicet viæ aquilæ in cælo, viæ colubri ſuper petram, via nauis in mari, & viæ viri in adoleſcentia, v. 18. Quartus quatuor commouentium terram, quæ ſunt ſeruus, ſtultus & ancilla, dominantes ac odioſa mulier, v. 21. Quintus eſt de quatuor terræ minimis, & tamen ſapientiſſimis, ſcilicet formica, lepore, locuſta & ſtellione, v. 24. Sextus de quatuor quæ bene gradiuntur, quæ ſunt leo, gallus, aries, & rex, v. 29.

1. VErba Congregantis filij Vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum
quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus, ait: 2. Stultiſſi-
mus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. 3. Non di-
dici ſapientiam, & non noui ſcientiam ſanctorum. 4. Quis aſcendit
in cælum, atque deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligauit
aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? quod nomen eſt
eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti? 5. Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſpe-
rantibus in ſe: 6. ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniariſq; mendax.
7. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequā moriar. 8. Vanitatem, & verba mendacia
longè fac à me. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo
neceſſaria: 9. ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut
egeſtate cōpulſus furer, & periurem nomen Dei mei. 10. Ne accuſes ſeruum ad do-
minum ſuum, ne fortè maledicat tibi, & corruas. 11. Generatio, quæ patri ſuo male-
dicit, & quæ matri ſuæ non benedicit. 12. Generatio, quæ ſibi munda videtur, & ta-
men non eſt lota à ſordibus ſuis. 13. Generatio, cuius excelſi ſunt oculi & palpebræ
eius in alta ſurrectæ. 14. Generatio, quæ prò dentibus gladios habet, & commandit
molaribus ſuis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. 15. Sanguiſu-
gæ duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, Affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum, quod num-
quam dicit: Sufficit. 16. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua: ignis
verò numquā dicit: Sufficit. 17. Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partū
matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. 18. Tria
ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: 19. Viam aquilæ in cælo, viam colu-
bri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. 20. Talis eſt
& via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: Non ſum operata
malum. 21. Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere: 22. Per ſeruum
cùm regnauerit: per ſtultum cùm ſaturatus fuerit cibo: 23. Per odioſam mulie-
rem

rem cùm in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillam cùm fuerit heres dominæ ſuæ. 24. Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. 25. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: 26. lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum: 27. regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas: 28. ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. 29. Tria ſunt, quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter: 30. leo fortiſſimus beſtiarum, & nullius pauebit occurſum: 31. gallus ſuccinctus lumbos: & aries: nec eſt rex, qui reſiſtat ei. 32. Eſt qui ſtultus apparuit poſtquam eleuatus eſt in ſublime: ſi enim intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum. 33. Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem: & qui prouocat iras, producit diſcordias.

Verſ. 1. VERBA CONGREGANTIS FILII VOMENTIS. VISIO, QVAM LOCVTVS EST VIR, CVM QVO EST DEVS, ET QVI CVM DEO SECVM MORANTE CONFORTATVS, AIT] Multi τὸ *congregantis*, *vomentis*, &c. accipiunt vt nomina non appellatiua, ſed propria, vnde & in Biblijs Romanis ſcribuntur maiuſculis litteris C. & V. quare ex Hebræo ſic vertunt, *verba Agur filij Iake, prophetiam dixit vir ad Ithiel & Vchal.* ita Chald. ſic ferè & Syrus, *verba Agur*, inquit, *filij Iake, qui recipit prophetiam & corroboratus eſt, & dixit ad Ithiel*; Aquila, *ad Ethel, & perfice*; Theodor. *ad Ethel, & potero*, &c. ita & Vatabl. Pagnin. Baynus, Ianſen. & Aben Ezra, qui proinde cenſēt hæc verba non eſſe Salomonis, ſed Agur, qui tempore Salomonis floruit ſapientia, probitate, auctoritate, atq; hanc ſuam doctrinam tradidit Ithiel & Vchal, duobus diſcipulis vel ſocijs ſuis, ideoq; Salomonē eius ſapienter dicta in ſuum librum huc tranſtuliſſe, vel ab alio quopiam illa Salomonis libro eſſe addita. Quam ſuam ſententiam veriſimilem faciunt, tum quòd tria accuratè hinc expreſſa ſint nomina, patris, filij & diſcipulorum, quæ non niſi contortè appellatiuè accipi poſſint: tum quòd adeò diſſimilis ſit hic ſtylus, & ſermo à reliquo ſermone & ſtylo Prouerbiorum: tum denique quòd prophetia dicatur, & viſio, cùm Salomon hoc libro non Prophetam egerit, ſed iuuenum inſtructorem. Alij ex aduerſo contendunt hæc omnia, æquè ac præcedentia, nō eſſe Agur, ſed ipſius Salomonis, ideoq; nomina *Agur, Iake, Ithiel & Vchal*, quæ propria videntur, appellatiuè eſſe accipienda, vt ſignificent proprietates & dotes Salomoni conuenientes, vti eas appellatiuè accepit & expoſuit tam Noſter quàm Septuag. Eccleſia enim & Patres hæc, æquè ac præcedentia, tribuunt Salomoni, citantq; nomine Salomonis, non Aguris. Ita Beda, Lyran. Hugo, Arboreus, Dionyſ. Peltanus & alij.

Ego inter vtramq; ſententiam medius incedo, & vtramque in concordiam redigo. Dico ergo, ſicut in parabolis Euangelicis Chriſti Domini & aliorum, duplex eſt ſenſus; prior eſt grammaticus, ſiue corticis literæ vel parabolæ; poſterior parabolicus & præcipuus, qui per grammaticum ſiue corticem literæ parabolicè ſignificatur, & per parabolam velut per imaginem & ideam ſibi ſimilem repræſentatur, ſic pariter hic accidit. Eſt enim hæc parabola vel ænigma Salomonis, in quo ſenſu grammatico, ſiue in cortice parabolæ, alludit ad virum ſua ætate ſapientia inſignem, putà ad Agur, quaſi is hic ſuos diſcipulos vel familiares, Ithielem & Vchal inſtruat, ſuamq; ſapientiam doceat. Imò Salomon Agurem hoc c. & c. ſeq. Lamuelem vt interlocutores inducit. Sicut Plato in Dialogis & A Plutarchus in Sympoſijs (eſt enim & hoc ſympoſium, ſiue conuiuium ſapientiæ Salomonis) varios inducunt interlocutores, vt Socratem, Protagoram, Menonem, &c. In Aguris ergo & Lamuelis perſona loquitur hic Salomon: eorum enim nomen & perſonam induit, vt nominis ſignificata ſibi attribuat. Ac probabile eſt, gryphos & ænigmata huius capitis dictata fuiſſe ab Agure, ſed ea ſua facit & in ſe transſcribit hic Salomon, imò ea confirmat, eiſque ſuum dat calculum, pondus & auctoritatem.

Senſus grammaticus v. 1. Sub hoc ergo grammatico ſenſu & cortice nominum propriorū, Aguris, Iake, Ithielis & Vchal, parabolicè ſignificat res arcanas, dum nomina hæc B propria interpretatur, eorumque ſignificata ſibi aſſcribit. q. d. Verba Aguris, id eſt Salomonis, qui fuit Agur, id eſt congregans: & filius Iake, id eſt vomentis quia ipſe ſuam ſapientiam hîc congregauit, eamq; in paucos quaternarios contraxit, ac ſuam mentem ſenſuſque in Deum collegit, vt eius lumina diuina abundè hauriret, eiuſq; plenus illa deinde alijs pleno ore eructaret, tanta abundantia, vt eam euomere videretur, perinde ac fornax non abſurdè, ſed eleganter dicitur vomere ſcintillas & ignes, quia illos copioſè eiaculatur. & Virgil. ait: *Vmbo vomit aureus ignes.* Et: *Purpuream vomit ille animam.* Æneid. 9. & Ouid. epiſt. 18. *Fluctus vomit atque reſorbet Scylla.* Et l. 1. Faſtorum: *Flammas ore vomit Cacus.* C Sicut ergo gurgites & fontes egurgitant vomuntque aquarum copiam cum impetu: ſic Salomon vomit hîc aquas ſapientiæ velut fons exuberans.

Parabolicus. Significat ergo τὸ *filius vomentis*, id eſt abundās vomitu (ſicut *filius iniquitatis* dicitur abundans iniquitate) Salomonis mentem adeò diuinis reuelationibus fuiſſe colluſtratam & repletam, vt inſtar abundantis vomitu cogeretur eructare, & toti mundo profundere hæc ſalutaria dogmata, quæ collecto ſpiritu quaſi plenus muſto didicerat & hauſerat à Deo: ſicut Apoſtoli recepto Spiritu ſancto in Pentecoſte, quaſi pleni muſto eructabant magnalia Dei, vt viderentur ea vomere, eſſeque D ebrij. Hinc hanc doctrinam vocat prophetiam, quia cælèſti lumine acceperam, dicitque *leithiel*, id eſt *per Ithiel*, id eſt per hoc quòd mecum eſt Deus, (nam אִתִּי *itti*, ſignificat, *mecum*, אֵל *el*, id eſt *Deus*) & *Ithiel*, id eſt Deo mecum exiſtente & morante, *Vchal*, id eſt potero. q. d. Cōfortatus à Deo potero altam hanc ſapientiā edere & deprōmere, ſicut de facto eam edo & depromo. vnde Caiet. ſic ad verbum ex Hebræo appoſitè ad Noſtram verſionem transfert. *Verba collecti filij vomentis: Prophetia, dictum viri per mecū el* (id eſt Deus) *mecū el, potero.* Sic Salomon Eccleſ. 1. 1. vocat ſe *Eccleſiaſten*, id eſt cōcionantem, conuocantem, & congregantem, docentemq;

Eccleſiam, ſiue cœtum fidelium. Planiùs *Leithiel* exponas, *cui nomen eſt Ithiel*, id eſt *mecum eſt Deus*, hoc eſt, vt vertit Noſter, *cum quo eſt Deus*. *Lamed* enim initiale articulus eſt datiui caſus, *Ithiel* verò idem eſt quod *mecum Deus*.

Symbolicus. Sub hoc ſecundo parabolico ſenſu, qui genuinus eſt & literalis, latet tertius ſymbolicus altior & ſublimior, quo Salomon aſſurgit ad Deum & Chriſtum, Salomonis antitypum, quem proinde vocat *Ithiel*, id eſt mecum Deus. Cum Chriſto homine enim fuit diuinitas & perſona Verbi. Vnde Chriſtus ab Iſaia c. 9. vocatur *Emmanuel*, id eſt nobiſcum Deus: Igitur Salomon hic adumbrat, & per vmbram horum nominũ obſcurè repræſentat myſterium SS. Trinitatis. *Agur* enim, id eſt congregans, eſt Deus Pater, in quo eſt formaliter & radicaliter omnis collectio ſapientiæ, & totius B diuinitatis ac ſanctæ Trinitatis congregatio. Vnde vocatur *filius vomentis*, id eſt ex abundantia maieſtatis & gloriæ eructans, & quaſi vomens, id eſt profundens gignenſq; *Ithiel*, id eſt filium. Hic enim dicit *Ithiel*, id eſt *mecum Deus*: quia in Chriſto inhabitat *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, Coloſſ. 2. 9. Hic etiam profundit ſpiratq; *Vcbal*, id eſt Spiritum ſanctum: huius enim nomen & vox eſt *Vcbal*, id eſt *potero*, quia Spiritus hic validiſſimus & potentiſſimus eſt, vt nemo eius vi & efficaciæ reſiſtere valeat. Repetitur & geminatur τὸ *ithiel* ob geminam in Chriſto naturam, diuinam & humanã.

Symbolum SS. Trinitatis.

Hoc ergo eſt ænigma SS. Trinitatis: huius enim myſteriũ non apertè, ſed per inuolucrum obſcuri huius ænigmatis, Salomon prudenter Iudæis rudibus & craſſis hoc ſchemate adumbrare, imò celare C voluit & abſcondere, ne, ſi clarè illud enuntiaret, ab ipſis non caperetur, ſed rideretur, exploderetur & fortè blaſphemaretur. Hæc ita ſe habere liquet ex ſeqq. v. 4. & 5. vbi deitas omnipotentiam, ac S. Trinitatem, & nominatim generationem Filij clarè exprimit, dicens, *Quod nomen eſt eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti?* In quo ſecutus eſt Dauidem patrem ſuum, dicentem pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo* (putà Deus Pater Deo Filio) *Sede à dextris meis*: vnde ex hoc loco Chriſtus conuicit Phariſæos. Nunc ſigillatim ex ordine verba expendamus ſingula.

VERBA CONGREGANTIS] *Agur*, ſi etymon ſpectes, eſt *paul* ſiue participiũ paſſiuum coniugationis *cal*, ſignificãs *congregatus, collectus, contractus*. Poteſt tamen actiuè ſumi pro *congregans, colligens, contrahens*, præſertim dũ nomen eſt. Aliqui *Agur* vertunt D *peregrinum*, aduenam: גור *gur* enim ſignificat peregrinari, vt *aleph* ſit heemanticum & aſcititium: verũ minus appoſitè huic loco congruit hoc etymon.

Salomon eſt Agur, id eſt congregans. Primò. Sed cur Salomon vocatur *Agur*, id eſt congregans, vel congregatus & collectus?

Reſpondet Primò, Caiet. eum vocari collectũ, quòd mentem vireſq; & ſenſus omnes colligeret, & in Deum reuocaret, vt diuinos ſapientiæ ſatus exciperet, quos abundè in alios profunderet, & quaſi diuino muſto plenus euomeret: אָגַר *agar* enim ſignificat frumenta à paleis excuſſa & pura in horrea congregare, ac muſtum in dolia condere.

Secundò. Secundò, Lyran. cenſet Salomonem dici congregantẽ, quòd Iſraelitas ſibi ſubditos ſua ſapientia in vnum regnum, vnamq; ſynagogam congregarit & confœderarit, vt nulla ſeditio aut rebellio eius regnũ concuſſerit. Nam vt ait Agapetus Diaconus in admonit. ad Iuſtinian. Imp. *Vnum regis &*

A *agricolæ ſtudium, vna cura eſt congregare: hic quidem ſerit frumentum, & frumenta congregat, ille verò beneficia ſerit, & ciues conducit.*

Tertiò. Tertiò, Hugo *congregantem* cenſet idem eſſe quod Eccleſiaſten, qui ſcilicet populum ad concionem euocat, & ad eos verba facit. Verùm hæc alieniora & remotiora à mente Salomonis, & à ſcopo huius loci videntur.

Quartò. Quartò, & magis appoſitè, Hebr. *agar* ſignificat colligere frumenta: vnde *agur* vocatur collector publicæ annonæ frumentariæ: hinc Arabes etiamnũ collectores hoſce vocant *Agori*. Similis congregator & collector annonæ ſpiritualis, putà doctrinæ & ſapientiæ fuit Salomon, vt eam in populos diſtribueret, vti facit hoc libro, iuxta illud Chriſti de ſeruo fideli, *quem conſtituit dominus ſuper familiam* B *ſuam, vt det illis in tempore tritici menſurã*, Luc. 12. 42.

Huc facit illud Platonis in Protagora: *Doctrina ceu frumentũ acceſſiones habet*. q. d. Sicut frumẽtũ, quoties ad modiũ venit & menſuratur, toties arctius & cumulatius inuenitur (vti patet experienti) donec iuſtum ſtatumq; ſui terminũ acquirat: ſic qui doctrinã in alios effundit, eamdẽ auget & cumulat.

Huc accedunt alij, qui τὸ *congregantis* exponunt de fructu auditorum, alluſione ad meſſem meſſorum. q. d. Sicut meſſores amplã colligunt meſſem: ſic ego Salomon amplum auditorum fructum ſerendo, & docendo hæc mea dogmata, collegi.

Quintò genuinè. Quintò & genuinè, dicitur Salomon *cõgregans*, id eſt collector & compilator, quia ſententias graues, elegantes, certas, eximias non ab alio, ſed à ſe compoſitas in hoc volumen, velut grana à paleis C excuſſa, euentilata & pura in horreum congregauit. Propriè verò dicitur *congregans* reſpectu ſententiarum huius capitis & ſequentis, quia illæ præ ceteris ſunt ſelectæ & illuſtres, & quia eas in breues quaterniones adunauit denſauitque, vt paucis verbis multa arcana & ſublimia ſignificaret, ſicut multa ſpicarum meſſis, per trituram excuſſis paleis & culmis, in pauca redigitur grana, quæ denſata in horreũ inferuntur; ac ſicut multa grana molita excuſſis cribro ſiliquis ſiue furfuribus, in paucam farinam ſiue pollinem contrahuntur: aut ſicut vuæ torculari expreſſæ reiectis racemis, acinis & vinaceis parũ dant liquoris præſtantis, putà vini, quod collectum & denſatũ in dolia congregatur. Radix enim *agar*, alludit ad גָרָה *gera*, id eſt attraxit, contraxit, vnde ſignificat congregationẽ, qua res multæ in paucas cõtrahũtur & denſantur. Hinc אִגֶּרֶת D *iggeret* vocatur epiſtola, quòd in ea multæ res paucis ſcribantur & contrahantur, vt ad amicos perferantur. Vnde notat Aben Ezra *Agur*, id eſt Salomonem, hic cõpilare & condenſare ſententias illuſtres, quarũ ſingulæ ſint quadrimembres, eò quòd quaternis rebus conflentur & conſtent, excepta vna v. 7. quæ bimembris eſt, & duabus tantùm rebus conflatur; licet ſi rectè conſideres, in eadẽ inuenire ſit quaternionẽ, ſcilicet eam quaternis rebus, vt ceteræ, conſtare. Nã & prima ſententia, quæ primis ſex verſiculis abſoluitur, quaterna cõtinet, putà quatuor elementa, nimirũ cælos quorum nomine ignis intelligitur (qui proximè ad cælos accedit, imò veteres cenſuere ſolẽ eſſe ignem, vti dixi Eccli. 43. 3.) ventum ſiue aërem, aquã & terram. Salomon ergo vocatur hic *Agur*, id eſt cõgregans, contrahens, denſans, quia omnes haſce ſententias in breues & paucos quaternarios rerũ multipliciũ ſimilium vel diſſimilium denſauit & contraxit.

Denique

Denique *congregans* accipi poteſt pro colligás: ſegetes enim congregantur, dum in manipulos & faſciculos colligantur. Colligans autem idem eſt quod ſententias inuolucris parabolarum & ænigmatú inuoluens, adſtringens & celans, nec eas plana narratione explanans & explicans, iuxta illud Iſaiæ 8.16. *Liga teſtimoniũ ſigna legẽ.* q.d. Ne clarè edicta mea Iudæis enũties, ſed parabolis ea inuolue & tege. Itaq; τὸ *congregans*, id eſt *colligans*, notat ſequentes parabolas eſſe gryphos & ænigmata.

FILIVS VOMENTIS] Id eſt plenus vomitu, ita repletus delicijs & vinis, vt eas eructet & euomat. Sicut enim ſi quis largiter comedat res multi ſucci multæq; ſubſtantiæ, ſed in paruam quantitatem denſatas & contractas, vti ſunt pultes, gallinæ aut veruecis ſuccus cõtuſus, diſtillatus, & in exiguum liquorem cõtractus (quod vulgò piſtum ſiue ſublimatum, vel quintam eſſentiam vocant) vina generoſa, &c. parua earum quantitate ita ſtomachũ infarcit impletq; vt, dum ſtomachus ſingula reſoluit, enucleat & cõcoquit; diſtendatur & accendatur nec poſſit ea continere, ſed cogatur euomere: ſic pariter mens Salomonis hiſce ſententijs denſatis, & multa ſignificantibus plena, tumida & infarta non tam eas eloquitur, quàm eructat & euomit, ob earum copiam, denſitatem, prẹſtantiam & vim, æquè ac animi ardorem & impetum, vt eas expromat, alijſq; infundat & imprimat. Porrò Plinius l. 11. 37. docet illa animalia dumtaxat vomere, quæ interiorem ventrem habent anguſtum, qualia ſunt homo & canis: *Subeſt*, inquit, *venter ſtomachum habentibus, ceteris ſimplex ruminantibus geminus, ſanguine carentibus nullus. Inteſtinus enim quibuſdam ab ore incipiens, quadam via eodem reflectitur, vt ſepiæ & polypo. In homine adnexus infimo ſtomacho ſimilis canino. His ſolis animalium inferiore parte anguſtior, itaque & ſola vomunt, quia repleto propter anguſtias ſupprimitur cibus: quod accidere non poteſt ijs, quorum ſpatioſa laxitas eum ad inferiora tranſmittit.* Sic pariter Salomoni inferior mentis venter, qui res humanas contemplatur, anguſtior erat, præſertim zelo & ardore ſuperioris, in mente, vt ita dicam, ventris eum coarctãte, ac perurgente ad contemplandas res diuinas & cæleſtes, quare anguſtiæ hæ coëgerunt eum eructare, & quaſi euomere in bonum & ſalutem ſubditorum, omniumque hominum. Aliqui, vt Aben Ezra & Oſorius, pro *filij vomentis*, vertunt *filiũ obedientis*, vel *obedientia*. Hoc enim ſignificat Hebr. בִּן יָקֶה *bin iake*: ſi illud à יָקָה *iaka*, id eſt audire, obedire, deriues. Vnde Aben Ezra: Salomon, inquit, vocatur *filius iake*, id eſt Dauidis, cui populi auſcultabant & obtemperabant, aut potiùs qui Deo per omnia auſcultabat & obtemperabat. Vnde à Deo vocabatur, *vir ſecundum cor Dei.* Verùm Noſter & alij paſſim *iake* deriuant à קוא *ko*, id eſt vomuit, vt *iod* ſit heemanticum, non radicale. Vertendum ergo, *filij vomentis.*

Quenam animalia vomunt?

Igitur τὸ *vomentis* ſignificat redundantiã ſapientiæ & ſpiritus in Salomone, vt eam quaſi cõtinere non valens, cogeretur pleno ore & gutture effundere & quaſi vomere, perinde ac Dauid dicens pſ. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* q.d. Præ copia & præſtantia ſapientiæ diuinæ, quam cælitus hauſi, non poſſum eam cohibere, quin eam eructem, & cum impetu proloquar. Alludit ad muſtũ vini generoſi, quod æſtuans & bulliẽs ſupernè per orificium emittit igneos vapores, halitus & bullas, adeò vt, ſi orificium hoc claudas, vinum ſuo æſtu

A ipſa vaſa diſrumpat. Spiritus enim vini æſtuantis vale contineri nequit. Similis erat ſpiritus Dauidis & Salomonis, ac ſimilis eſt cuiuſuis viri Apoſtolici & zeloſi. Huc facit illud Rhodigini l.21.c.8. vomentes olim vocatos, qui non præmeditata oratione, ſed ex tempore aliquid profarentur: *Hodie*, inquit, *proponas, tras vero audias: non enim ſum ex vomentibus, ſed ex accuratè dicentibus.* Prophetæ verò, qualis erat Dauid & Salomon, quia Spiritu ſancto afflante ex tempore ſua dogmata proloquebantur, inter vomentes cenſeri poterant. Idem Rhodiginus l.21.c.44. Palaton, ait, pictor pinxit Homerum vomentem, reliquos verò Poëtas circumſtantes, atq; exorbentes quæ ille ore & pectore funderet: qualem etiam Ouidius eleg. 8. Amor. eumdem deſcribit, velut perenniter ſcaturientem, reliquoſq; Poëtas ex illo *ingeniorum fonte*, vti eum B vocat Plinius lib. 17. c. 5. bibentes, *cuius*

Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

Addamus hic aliorum aliter opinantium expoſitiones.

Primò, R. Leui: Salomon, inquit, vocatur *congregans, filius vomentis*, quòd apud ſe collectas haberet cogitationes contrarias in grauiſſimis quæſtionibus, euomereq; voluerit oneroſum & inutile pondus cogitationum, quæ ad veritatis normã exactæ non eſſent, vt eas reſeruaret ſibi, quæ vtiles eſſent, veritatiq; conſentirent. q.d. Salomon euomuit vanas cogitationes & deſideria cõcupiſcentiæ, vt in cor vacuum congregaret & coaceruaret cogitationes ſanctas & deſideria cæleſtia.

Secundò, Hugo: Salomon, inquit, eſt *filius vomentis*, id eſt filius Dauidis ex Bethſabee: *Bethſabee* enim, vel vt Hebræi pronuntiant, *Bat ſceba*, idem C eſt quod *filia ſaturitatis*; filius ergo vomentis idem eſt quod filius exſatiatæ & ſaturæ, quia ſcilicet Salomon delicijs ſeſe exſaturauit vſque ad faſtidium &, vomitum. q.d. Appoſitè Salomonis mater dicta eſt *Bethſabee*, id eſt filia ſaturitatis, quia ipſa paritura erat filium, qui ſe omnibus mundi voluptatibus exſatiaret vſq; ad nauſeam & vomitum. Hoc omen habuit Bethſabee nomen.

Tertiò, idem Hugo: Salomon, inquit, vocatur *filius vomentis*, id eſt Dauidis, qui vt periculum capitis euaderet, ſaliuam vomens ſimulauit ſtultitiã coram rege Achis, 1. Reg. 21. Vnde appoſitè ſubditur, *Stultiſſimus virorũ ego ſum*: q.d. Appoſitè ego Salomon genitus ſum à Dauide qui ſtultitiam ſimulauit, quaſi ſtultus à ſtulto, vt ſtultitia patris ſimulata, omen & præſagium foret veræ ſtultitiæ D filij, cùm ipſe idola adorauit.

Quartò, vir eruditus cenſet τὸ *vomentis* alludere ad morem veterum, quo in cõuiuijs olim dicturi ſententiam, & ſapientiam ſuam deprompturi, vt ſereniùs id facerent, priùs ſtomachum caputque cibo & vino grauatum vomitu leuabant. Vnde Plutarch. in Sympoſio docens in conuiuio philoſophandum, conſulit vomitum ei qui aptè & eruditè dicere velit, cùm caput vino oneratum ſentit. Agur ergo, id eſt Salomon, vocatur *filius vomentis*, quia ex vomitu leuato capite, & expeditis ſenſibus, ad docendum proſilierat. Verùm hæc ſententia Epicuro quàm Salomone dignior videtur.

Quintò, alij per vomitum putant notari ſeueritatem & acrimoniam harum parœmiarum, quòd ſint ſatyricæ, acriuſque vitia & vitioſos perſtringant: hoc enim vulgò vocamus euomere quid in quempiam. Sic Cicero Philip. 5. *In me abſentem*, inquit,

quit, *orationem enomuit*, id eſt inuectiuam in me habuit. Vnde Septuag. paraphraſticè vertunt, *mea verba fili mi, timeto, & ſuſcipiens ea pœnitentiam age.* Hæc enim verba non rectè omiſſa à Complutenſ. & Regijs habent codices Vaticani c. 24. cum toto hoc cetero capite, quibus non alia reſpondet quàm iſta, *Verba congregantis filij vomentis*, vt patet conferenti textum Hebræum, Græcum & Latinum. Senſus ergo eſt. q. d. Cùm verba mea exceperis ô fili, timor Dei aſtringat & congreget ad ſe & ad Deum mentem tuam, vt præteritorum peccatorũ pœnitentiam agas, itaq; ea euomas & expellas. q. d. Verba mea ſunt catapotia ſiue pharmaca catarthica, quæ ſtomachũ mentis timore ſancto commouent & compungunt; itaq; vomitum peccatorum per pœnitentiam eliciunt & prouocant.

Sextò, alij per vomitum cenſent notari pœnitentiam Salomonis. q. d. Ego Salomon cõgregaui mihi opes, delicias & voluptates totius mundi; at omnium vanitatem expertus earum me tæduit, eaſque nauſeabundus reſpui & quaſi euomui, ac pœnitentiam agens vitam præteritam damnaui, dixiq; *Stultiſſimus virorum ego ſum.* Ita R. Salomon, R. Leui, Arboreus, & noſter Pineda l. 8. de Rebus Salomon. c. 1. ſect. 6. Hinc ſicut vis vomitus ciet lacrymas, ideoque Plinius ait vomitum leuare ſtomachum, ſed nocere oculis: ſic pœnitentia lacrymas exciuit Salomoni. Quocirca in laminis Eliberitanis nuper inuentis, linguâ Mozarabum inſcriptum legitur de Salomone: *Et fleuit ſcelus ſuum vehementi fletu, & condonatum eſt ei*, vti citat Pineda: eſto alij de laminarum iſtarum fide dubitent. Addunt ijdem, Salomonẽ amiſſum per peccata prophetiæ ſpiritum recepiſſe per pœnitentiam, ideoq; ſubiungere: *Viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus.* Hæc illi non improbabiliter, at incertè. De Salomonis enim pœnitentia & ſalute nil certi ſtatui poteſt: quæcumque enim ad vtramque aſtruendã à multis proferũtur, vel ambigua, vel incerta ſunt. Vtramque ergo Deus voluit hominibus eſſe incertam, vt eis ſanctum timorem incuteret, eoſq; metu pio ſemper ſuſpenſos dubio & terribili Salomonis exemplo detineret.

Alleg. *filius vomentis*, putà Salomonis, fuit Chriſtus Dominus verus Salomon, qui eius ad inſtar Euangelium docuit, imò eructauit parabolas, nec niſi in parabolis loquebatur turbis, *vt impleretur quod dictum erat per Prophetam* (Dauidem pſ. 77. 2.) *dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi*, Matt. 13. 35.

Visio, qvam locvtvs est vir, cvm qvo est Devs] Hebr. *onus dictum viri ad Ithiel. Onus*, hebr. מַשָּׂא *maſſa*, vocatur prophetia minax & oneroſa, quæ à Deo velut onus graue humeris populorum imponitur, vti dixi Iſaiæ 13. 1. inde extenditur ad quamlibet prophetiam etiam fauſtam & lætam. Hæc enim vocatur *onus*, quia, vt ait Dionyſ. Prophetæ *diuina patiebantur*, id eſt non tam agebant quàm ſuſtinebant, patiebantur & portabant ſpiritus diuini vim & impetum. Hinc pro *vir* hebr. eſt גֶּבֶר *geber*, id eſt potens, robuſtus, qui ſcilicet ad portandum hoc onus vires habet firmaq; latera. Vnde ex Hebræo vertas, *onus*, ſiue *prophetia dicta à viro*, dicente, *Per mecum Deus, mecum Deus, & potero.* Inſinuat enim Salomon myſterium SS. Trinitatis. q. d. Illuſtret me Deus Pater, illuſtret me Deus Filius, illuſtret me Spiritus ſanctus, & ſic præualebo & potero dignã ijſdem effari.

Porrò hæ parabolæ & ænigmata huius capitis vocantur *onus*, id eſt *viſio & prophetia.* Primò, per catachreſim quia obſcuræ ſunt & arcanæ ideoq; illuſtrante Spiritu ſancto reuelatæ & dictatæ à Deo inſtar prophetiæ. Secundò, propriè, quia verè futura enunciant, ſed obſcurè per ænigmata, enunciant enim filij Dei incarnationem, natiuitatẽ paſſionem, aſcenſionem in cælum, &c. vti patebit v. 4. in fine, & v. 19. Quocirca Salomon à S. Epiphanio hæreſi 67. vocatur *propheta beatiſſimus*: S. Gregor. Nazian. quoque eum Prophetis ceteris annumerat tract. de Veris & germanis Script. libris, æquè S. Aug. l. 2. de Doctrina Chriſt. c. 8. & l. 17. de Ciuit. c. 20. diſertè aſſerit, *Salomonem in tribus ſuis libris prophetaſſe.* Sic & Theophyl. l. 2. de Fide, ac Pſellus Præfat. in Cant. Denique Chald. Paraphraſtes ſic Eccleſiaſten orditur: *Verba prophetiæ, quæ prophetauit Eccleſiaſtes. Ipſe eſt Salomon filius Dauid.* *Salomon hic prophetat.*

Rurſum vocatur *onus*, quia caſtigationem concupiſcentiæ per legem & diſciplinam Dei proponunt, quæ ſanè homini in natura corrupta ingens eſt onus, præſertim quia violantibus eam intentat pœnas graues, tum in hac vita, tum in gehenna.

Hinc pro *quam locutus eſt*, hebr. eſt נְאֻם *neum*, id eſt dictum certum & indubitatum, certaq; fide inſtar prophetiæ à Deo reuelatæ credendum, quod S. Paulus 1. Timoth. 1. 15. vertit vocatq; πιστὸς ὁ λόγος, id eſt *fidelis*, ſiue fidus certuſq; *ſermo.* Vnde ſicut prophetæ & Paulus, ſic & Salomon hîc dicturus res certas & indubitatas, imò oracula Dei, præmittit τὸ *neum*. q. d. Quod dicturus ſum certiſſimũ eſt, & omni fide dignum, quia Dei eſt oraculum.

Cvm qvo est Devs, et qvi Deo secvm morante] Hebr. לְאִיתִיאֵל לְאִיתִיאֵל *leithiel leithiel*, id eſt, *Per mecum Deus, per mecum Deus*, qua geminatione ſignificat Salomon ſe copioſam Dei illuminationem accepiſſe, vt Deo plenus, ac à Deo potentiſſimè afflatus eructaret, & quaſi euomeret hęc Dei oracula. Rurſum ea non ſemel, ſed iterum & iterum ſibi eſſe reuelata à Deo, ſimul impellente vt ea depromeret & eructaret. Septuag. paraphraſticè vertunt, *hæc dicit vir credentibus Deo, & quieſco*, & Arabicus, *hos ſermones dicit homo ijs qui credunt & abſtinuerunt*: cum credentibus enim Deus eſt per fidem & gratiam. q. d. Ego hæc Dei oracula ijs enuntio, qui Deo credunt: hi enim mihi pariter Deo afflato, & ex ore Dei loquenti credent. *Et quieſco*, id eſt ſic parabolis meis finem impono, ac finito dicendi & ſcribendi labore, perfectoque opere conquieſco.

Confortatvs] Hebr. eſt אֻכָל *vchal*, id eſt *potero*; nam eſt futurum *cal* à יָכוֹל *iachol*, id eſt potuit, prçualuit, vicit, ſuperauit. Vnde Theodot. & Caiet. vertũt, *potero*, vel *præualebo*; Aquila verò vertit *perfice*, quia *Vchal* deriuat à כָּלַל *calal*, id eſt perfecit. Huc ſpectant Septuag. vertentes, *& quieſco*; vel, vt auctor Catenæ Græc. vertit, *nunc finẽ facio* q. d. Finito perfectoq; operè ceſſabo & quieſcam. Hæc verſio ſymbolicè valdè congruit Spiritui ſancto: ipſe enim eſt *vchal*, id eſt perfectio, ſiue terminus & complementũ SS. Trinitatis, æquè ac Chriſti Domini, Apoſtolorum & fidelium omnium: hos enim charitate, zelo, omniq; virtute, gratia & gloria cumulat ac perficit. Denique Tertiò, alij *vchal* deriuant ab אָכַל *achal*, id eſt comedit, ac pro אֻכָל *vchal*, alio puncto legunt אֹכַל *ochal*, id eſt comedãs hoc eſt, comedo vel comedi: quod rectè reſpõdet *vomẽtis*. q. d. Ego id eructo & quaſi euomo,

quod

quod affatim Deo me cibante & inebriante comedi, quoque totum mentis ventrem & ſtomachum oppleui, & quaſi ſaburraui.

Vers. 2. STVLTISSIMVS VIRORVM SVM ET SAPIENTIA HOMINVM NON EST MECVM] Pro *ſtultiſſimus* hebr. eſt בָּעַר *baar*, id eſt tardus, ſtupidus, ſtolidus, pecuinus, animalis, qui inſtar pecudis hinc inde oberrat, nec ſe regere ſua ratione valet, ſed ductore & rectore opus habet. *Baar* enim deriuatur à בְּעִיר *beir*, id eſt pecus, animal, brutum, à depaſcendo ita dictum: *baar* ergo eſt qui pecudem ſapit, qui animalem vitam agit, qui bruti mores refert. Igitur Heb. ad verbū habent, *quia bardus ego ſum præ viro* (quolibet id eſt præ viris omnibus) *& hominum intelligentia non eſt mihi*; Septuag. *inſipientiſſimus enim ſum omnium hominum, & prudentia hominum non eſt in me*; Syrus, *quoniam egentiſſimus ego ſum cogitationum*; Vatabl. *ſtupidior quidem ego ſum quàm quiſquam alius*; Baynus, *cùm ſtultior ſim quouis, & non ſit intelligentia hominis mihi*. Heb. incipiunt à כִּי *ki*, id eſt quia, nam enim, vt vertunt Septuag. q.d. Ideo ego hîc in perſona mea nō loquor, ſed in perſona Aguris, cumque à Deo confortatum induco loquentem, quia ego cùm meipſum penitus conſidero, video me eſſe bardum, amentem, infantem & elinguem: Noſter tamen omiſit τὸ *quia*, quia Hebr. *ki* ſæpè per pleonaſmum redundat, tantumq; dat initium ſermoni. q.d. Equidem bardus ſum, & ſtupidum me agnoſco præ ceteris hominibus. Iam

Primò, Rabbini apud Lyran. Arboreus, Pineda & alij v. 1. citati, cenſent hæc eſſe verba Salomonis de luxuria & idololatria ſua dolentis & pœnitentis, quaſi ipſe hîc ſeipſum accuſet, quòd, cùm ſapientiâ ſummâ à Deo dotatus fuiſſet, tamen ſe ad tantam inſipientiam abiecerit, vt inter concubinas velut ſus ſeſe volutans, eis placendi ſtudio deos eorum, id eſt lapideas & aureas ſtatuas, adorarit. q.d. Accuſo me, quòd, cùm ceteris plus ſapere debuiſſem, plus omnibus deſipui, & qui vnum Deum colere debui, idola adoraui, imò toti populo idololatriæ choragus & magiſter extiti. Sed mirum cuipiam videatur, ſi Salomon hîc pœnitet, cur peccatum ipſe idololatriæ publicum & ſcandaloſum, cuius eum pœnitet, hîc non nominet, & nominatim retractet damnetque, vt ſcandalum quod populo dederat, amoueat & tollat: hoc enim vera pœnitentia iubet & exigit. Vnde hanc Rabbinorum ſententiam refellit Lyran. qui cum Abulenſi aliiſque cenſet Salomonem in idololatria mortuum impœnitentem, eſſeq; damnatum. Quia, inquiunt, ſi pœnituiſſet, debuiſſet deſtruere templa idolorum à ſe fabricata: hoc autem non fecit, quia illa ſteterunt vſque ad Ioſiam, qui ea euertit, 4. Reg. 23. ſed de hoc plura alibi.

Secundò, R. Salomon cenſet Salomonem ſe vocare ſtultum, eò quòd ſapientiæ ſuæ confiſus, contra præceptum Dei dicentis Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, quod citat hîc Salomon v. 6. multa verbis Moſis addiderit vel detraxerit. Verùm hac in re ſtultior & ſtolidior Salomone eſt R. Salomon: conſtat enim Salomonem has parabolas ex inſtinctu Dei dictaſſe, nec ijs eum quid addidiſſe contrarium, vel detraxiſſe neceſſarium legi Moſis, ſed potiùs eam explicaſſe & inculcaſſe.

Tertiò, R. Leui autumat Salomonem ſe nuncupare inſipientem, eò quòd cæleſtiū orbium ſcientiam non habuerit, ideoq; explicando ſubderet:

A *Quis aſcendit in cælum atque deſcendit?* Hinc eumdem dicere de Eccleſiaſte, id eſt de ſeipſo, c. 12. 10. *Quæſiuit verba vtilia*, vt nimirum voce de cælo delapſa ſibi reſponderetur, quod tamen non eſt conſecutus. Rurſum Salomon poſtulauit æquari ſummis Prophetis in patrandis miraculis, vt omnibus elementis dominaretur. Hoc autem ab eo flagitari nefas erat, quod tamen alijs licebat, vt Moyſi qui in cælos aſcendit & deſcendit; Aaroni qui ſpiritū cohibuit, iuxta illud: *Et ſtans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit* in ſeditione Core, quem viuum terra abſorbuit, & plaga in ceterum populum deſæuijt. Num. 16. 48. Eliæ, qui veſtimentis aquas prohibuit, 4. Reg. 2. 14. Ioſue, qui firmauit terræ terminos, cùm ſol in Gabaon fixus conſtitit, Ioſue 10. 13. Verùm hæc, æquè ac illa R. Salomonis, inſulſa ac ſtolida ſunt.

B Quartò, auctor Catenæ Græc. ex Septuag. ſic vertit, *nunc finem facio, ſum enim mortalium omnium ſtultiſſimus, neque vlla humana prudentia in me extat*, ſicque explicat. q.d. In poſterum morum doctrinam vobis tradere, ac ad illam vos ampliùs exhortari, deſiſtam, quia mortaliū ſum ſtultiſſimus, hoc eſt, Deo diuina ſapientia me illuſtrante omnis humanæ prudentiæ iacturam feci, ac vera ſapientia à Deo mihi infuſa ſuſtulit ex me omnem falſi nominis ſcientiam.

Huc accedit expoſitio S. Gregorij Nazianz. orat. 29. poſt initium: *Stultiſſimus ſum virorū: Significat*, ait, *Salomon nullam ſe propriam habere prudentiā, ſed diuina & perfectiori ſapientia afflari. Siquidem & Paulus cùm aiebat Galat. 2. Viuo autē iam non ego, viuit verò in me Chriſtus; non vtique de ſeipſo quaſi mortuo*

C *loquebatur, ſed tamquam de eo qui præſtantiorem quàm vulgus mortuum ſoleat, vitam ageret, vtpote qui veræ vitæ, nulloq; mortis fine circumſcriptæ particeps eſſet.*

Quintò & genuinè, Salomon licet ſapientiſſimus mortalium, vocat tamen ſe inſipientiſſimum, ex modeſtia & ſtudio humilitatis; quia humiliter de ſe ſentiens, ex ſeipſo talem ſe agnoſcebat, omnē verò ſapientiam ſuam non ſibi, ſed Deo, à quo illam infuſam acceperat, & cuius illa erat, iure aſcribebat. Similì ſenſu S. Paulus (vti & S. Franciſcus) licet ſanctiſſimus, vocat ſe primum peccatorum, 1. Timoth. 1. 15. Humilis enim de ſeipſo ſenſus ſua parui, aliena magni æſtimat. Senſus ergo eſt: *Stultiſſimus virorum ego ſum*, id eſt mihi eſſe videor, dū ſcilicet me, ac mea, quæ ex meipſo habeo, ſecluſa Dei illuminatione ſpecto, dum ſapientiæ meæ paruitatem intimè perpendo ac penetro, eamque

D cum mea ignorantia, tum cum diuina ſapientia comparo; videor mihi eſſe ignorantiſſimus, adeoque abyſſus ignorantiæ & ſtultitiæ, quodque ceteri, quorum ita mihi perſpecta ignorantia non eſt longè ſint me ſapientiores, præſertim in ſapientia practica, atque in cognitione ſui, & Dei. Vnde putant Hebræi, Salomonem ſuæ idololatriæ & peccatorum conſcium, pœnitentem hæc dixiſſe, licet eos refellat Lyranus.

Summa, hiſce verbis docere nos vult Salomon, ſapientiam veram maximè ſitā eſſe in cognitione ſui, ſuæq; miſeriæ & inſipientiæ, atque humili de ſeipſo ſenſu & æſtimatione. Sic Socrates rogatus quid ſciret, reſpondit: *Hoc vnum ſcio quòd nihil ſcio.* Imò alius idem rogatus reſpondit, addiditq; ſe ne hoc quidem, quòd ſcilicet nihil ſciret, ſcire. Sic S. Auguſt. aiebat: *Domine norim te, norim me*: in his duobus enim ſumma ſapientiæ practicæ conſiſtit.

Et

Et S. Franciſcus: *Domine*, inquit, *quis tu? quis ego? tu abyſſus ſapientiæ, entis, omniſq; boni; ego abyſſus inſipientiæ, nihili, peccatorum, omniſq; mali.* Hunc eſſe ſenſum liquet ex eo quod mox immenſam Dei ſapientiā & potentiam in rerum omnium creatione & gubernatione, præ ſua obſtupeſcens ſubdit: *Quis aſcendit in cælum,* &c. *quod nomen eius, & quod nomen filij eius ſi noſti?*

Myſticè S. Hieron. l. 2. contra Pelagium & S. Aug. epiſt. 49. cenſet Salomonem hîc loqui in perſona Chriſti: Chriſtum ergo vocare ſe ſtultiſſimum, tum quia noſtras ſtultitias, cupiditates ac ſcelera in ſe luenda & expianda ſuſcepit: tum quia ſapientia Chriſti mundo videtur ſtultitia. Chriſtus enim docuit verbo & exemplo beatos eſſe pauperes, lugentes, eſurientes, perſecutionem patientes, &c. quæ omnia mundanis videntur eſſe ſtulta. Vnde Chriſtus ait pſal. 68. 6. *Deus tu ſcis inſipientiam meam.* Et Paulus 1. Corinth. 1. 23. *Nos autem*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutē, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Hoc eſt quod ait hîc Salomon: *Et ſapientia hominum non eſt mecum.*

Vers. 3. NON DIDICI SAPIENTIAM, ET NON NOVI SCIENTIAM SANCTORVM] Hebr. videntur contrarium dicere; habent enim, *Et noui ſcientiam ſanctorum.* Itaque legunt nonnulli codices Latini, ac Beda, qui ſic explicat. q. d. Polleo ſapientia non humana & ſtudio acquiſita, ſed diuina & cælitus mihi indita, &, vt ait Vatabl. *Expers ſum humanarum artium, at diuinarum gnarus ſum.* Vnde Septuag. vertunt, *Deus docuit me ſapientiam, & ſcientiam ſanctorū cognoui.* Sic & Arabicus. Verùm repetendum ex priori hemiſtichio τὸ *non*, ac legendū cum Romanis negatiuè: *Et non noui ſcientiam ſanctorum:* prima enim negatio ad ſequentes omnes ſententiæ partes, ſæpè apud Hebræos per zeugma extenditur, vt pſal. 142. 7. *Ne auertas faciem tuam à me, &* (non) *ſimilis ero* (ſim) *deſcendentibus in lacum,* id eſt, ne auertas à me faciem, neq; me ſimilem mortuis efficias. Pſal. 43. 19. *Non receſſit retro cor noſtrum, &* (non) *declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Pſal. 1. 5. pſal. 9. 19. Prouerb. 24. 28. in Hebræo, & ſæpè alibi. Iam aliqui ſic exponunt. q. d. Cùm difficultatem eorum quæ dicturus ſum, conſidero, hæreo & quaſi obſtupeſco: video enim meam ignorantiam, & ad illa declaranda ineptitudinem, meq; ſtultiſſimum agnoſco, quia careo ſapientia humana, quæ docendo & diſcendo acquiritur: careo & ſcientia diuina, quam Deus Sanctis infundit: nec enim ſapientiam meo marte didici, aut ſtudio acquiſiui, nec tantam cælitus hauſi, quanta ad ea quæ enuntianda ſuperſunt requiritur; ſed eam ſapientiā Sanctorum, qualem quantamq; ſcilicet habuere ſancti Prophetæ, longè inferiorem & imparem profiteor. Verùm planiùs exponas eo modo quo dixi v. 2. q. d. Quod ad me attinet, videor mihi ex me meiſq; ingenij & naturæ viribus, mortalium eſſe inſipientiſſimus; etſi enim ex infuſa mihi cælitus ſapientia ſim omnium ſapientiſſimus, tamen hoc totum eſt donum Dei, quare illud mihi non arrogo, nec meum eſſe cenſeo; ſed totum Deo auctori, cuius in ſolidum eſt, regero & refundo. Reſtat ergo vt ex meipſo mihi videar bipedum hominumq; ſtultiſſimus.

Vers. 4. QVIS ASCENDIT IN CÆLVM ATQVE DESCENDIT? QVIS CONTINVIT SPIRITVM IN MANIBVS A SVIS? QVIS COLLIGAVIT AQVAS QVASI IN VESTIMENTO? QVIS SVSCITAVIT OMNES TERMINOS TERRÆ? QVOD NOMEN EST EIVS, ET QVOD NOMEN FILII EIVS, SI NOSTI] Syrus præponit: *Dic mihi quis aſcendit,* &c.

QVIS CONTINVIT SPIRITVM IN MANIBVS SVIS] Hebr. *quis collegit ſpiritum in pugillis ſuis;* Pagnin. *in volis ſuis;* Septuag. *in ſinu ſuo;* Chald. *quis tenuit ventum in pugillis ſuis;* Aquila, *quis collegit ſpiritum in palmis,* Symmach. *quis congregauit ventos in pugillis?*

QVIS COLLIGAVIT AQVAS QVASI IN VESTIMENTO?] Chald. *quaſi in pallio;* Syrus, *in ſudariolo;* Septuag. *quis conuertit aquas in veſtimento?* vel, vt legit auctor Catenæ Græcor. *quis vniuerſam aquam quaſi intra veſtimentum concluſam in vnum coëgit.*

QVIS SVSCITAVIT OMNES TERMINOS TERRÆ?] Hebr. *quis ſtatuit omnes fines terræ;* Septuag. *quis te-*B *nuit omnia extrema terræ;* Chald. *quis ſtatuit terminos terræ;* Syrus, *quis conſtituit validos terræ?* auctor Catenæ Græcor. *quis in omnem terræ ſummitatem dominatum obtinuit?* Iam

Primò, Rabbini apud Lyranum hæc omnia de Moyſe exponunt: *Quis aſcendit in cælū atque deſcendit?* q. d. Quis Moyſi par aut ſimilis extitit qui in montem Sina cælo proximum conſcendit, ibique cum Deo collocutus legē eius ad nos deſcendens detulit? *Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis?* quis aërem & ventos habuit ſibi ſubiectos, vt inſtar Moſis eos virga verberans, culices & cinīphes eliceret, qui totam Ægyptū opplerent? *Quis colligauit aquas quaſi in veſtimento?* ſicut fecit Moyſes diuidēs aquas maris rubri, vt tranſiret populus Iſrael, cui proinde aquæ fuerunt pro muro à dextris & a ſiniſtris, Exodi 14. *Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ?* ſicut fecit Moſes, qui in erectione tabernaculi ſuis C meritis immiſit terrorem omnibus gentibus Chanaan, vt in ea Hebræos per Ioſue collocaret, ipſiq; omnes eius regiones firmiter poſſiderent, iuxta illud Deut. 2. 25. *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos. Quod nomen eſt eius?* q. d. Si dicatur quòd alius ante Moſen extitit, qui ſimilia portenta patrarit, declaretur quis ille fuerit, & quod fuerit nomen eius. Et ſi reſpondeatur, eum eſſe vita functum, & nomen eius datum obliuioni, declaretur *quod nomen filij eius?* quænam ſcilicet fuerit genealogia, ac filiorum & nepotum propago, per quam illius ad nos fama tranſmiſſa eſt; cumque nemo talis reperiri aut nominari poſſit, ſupereſt vt concludamus neminem extitiſſe Moſi parem aut ſimilem; atque idcirco cùm Moſes ex ore Dei in Deut. c. 17. 16. & ſeq. prohibuerit ne rex Iſrael multiplicaret ſibi equos, aurum, argen-D tum, vxores, &c. & tamen ego Salomon fecerim contrarium; hinc liquet me fuiſſe ſtultiſſimum virorum, vti dixi. Hæc Rabbini.

Verùm hæc omnia rectè cōfutat Lyran. Nulla enim Moſis hic fit mentio, nec Moſes aſcendit in cælum, ex eoq; deſcendit, nec omnes terræ terminos, ſed exiguam terræ portionem, ſcilicet Chananæam, dumtaxat tradidit Hebræis, &c. Igitur hæc & cetera ſoli Deo competunt, vt patebit ex ſimilibus Scriptur. ſententijs, quas mox citabo.

Dico ergo, Salomonem ex ſua inſipiētia & infirmitate aſſurgere, & admirari immēſam Dei potentiam & ſapientiam, vt oſtendat ſe comparatum Deo eſſe inſipientiſſimum & ſtultiſſimum, atque in his duobus conſiſtere veram ſapientiam, ſcilicet vt cognoſcas quis ſis, & quis ſit Deus, ac dicas cū Auguſt.

Auguſt. *Domine nouerim te, nouerim me*; ſcilicet nouerim me eſſe inſipientiſſimum, infirmiſſimum, miſerrimum qui nihil ſcientiæ, entis aut virtutis habeo ex me, ſed quidquid habeo, totum eſt ex dono Dei. Nouerim deinde te eſſe ſapientiſſimum, potentiſſimum, optimum, adeoque ens entium, ſcilicet te eſſe immenſum & increatum entis pelagus, in quo eſt infinita entis cuiuſlibet amplitudo, à quo ſingula entia creata exiguum ſuum eſſe emendicant & hauriunt, iuxta illud: *Ego ſum, qui ſum*, Exodi 3. 14. vide ibi dicta.

Porrò hæc interrogatiuè proponit Salomon: *Quis aſcēdit?* &c. tum quia hìc gryphos & ænigmata ſua affert: hi autē per interrogationem proponi ſolent: tum quia ſolet Scriptura infinitam Dei ſapientiam & potentiam, quæ incomprehenſibilis & inexplicabilis eſt, non affirmatiuè enarrare, ſed interrogando contemplari & admirari. Sic enim de ea interrogat Iſaias c. 40. 12. *Quis mēſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molē terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? quis adiuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit & oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.* Sic Eccleſiaſticus c. 1. 2. interrogat: *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi quis dinumerauit? altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? ſapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit? Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis cognouit?* Hiſce gnomis monetur homo, vt Dei comparatione cognoſcat ſuam tum inſipientiam, tum infirmitatem, Deoq́; ſoli, qui omnia ſolus poteſt & nouit perfectè, omnem tribuat ſapientiam. Sic & Iob c. 28. 20. *Vnde ergo*, inquit, *venit ſapientia? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerūt: Auribus noſtris audiuimus famā eius. Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum illius: ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt, reſpicit. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura.*

Igitur Salomon hìc per compendium perſtringit totū opus creationis & gubernationis vniuerſi, vt ex eo oſtendat incomprehenſibilē Dei ſapientiam & potentiam, quæ in eo mirè reſplendet, vt ex eo gradatim aſſurgamus ad cōtemplandum & admirandum abyſſum longè maiorē ſapientiæ & potentiæ, quæ in ipſo Deo latet abſcondita. Celebrat enim hìc opus creationis cælorū & elemētorum, ſub quibus corpora cetera mixta quæ ex elementis cōflata ſunt, intelligit: ſub cælis enim comprehendit ignē, ſub ſpiritu aërem, ſub aqua & terra elementum vtriuſque. Senſus ergo eſt. q. d. Profeſſus ſum me eſſe ſtultiſſimum & vacuum ſapientia, cùm meam ignorantiam cōfero cum immenſa Dei ſapientia. Hanc enim conſiderans non video, cur ego vel quis alius ſe ſapientē æſtimare, ſibique ſapientiam aliquam arrogare poſſit. Etenim eſtne quiſquam qui in cælum aſcenderit, vt ibi cælorum ordines, motus, ſtellas ordinatè diſponeret, ac deinde deſcenderet in terras vt eadem hominibus enarraret? Eſtne quiſquā qui *continuit manibus ſpiritum*, id eſt aërem & ventos plurimos & validiſſimos, qui maria terraſque perflant, arboreſque, naues, turres; arces & vrbes deijciunt & ſternunt? Eſtne quiſpiam qui ligarit aquas tam quæ in mari quàm quæ in aëre ſunt, in ſuis alueis & nubibus quaſi in veſtimento? Eſtne quiſpiam qui *ſuſcitauit*, id eſt erexit, conſtituit & ſtabiliuit *omnes terminos terræ*? id eſt totum orbem? nónne ſolus Deus, qui hæc omnia poteſt & fecit: ipſe enim cælos aſcendit, omnia ſupergreſſus, omnia luſtrans, quantumuis alta, ſicut dicit Amos. *Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam.* & Pſalmiſta: *Qui aſcendit ſuper cælum* Amos 9.
cæli ad Orientem. Ipſe eſt qui deſcendit, quia ſicut Pſal. 67.
dicit Iob: *Ipſe fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt, reſpicit.* Ipſe eſt qui ventū continet in manibus ſuis; & cuius curſum & impetum nullus, quantumuis potens aut ingenioſus, cohibere poteſt vllis machinis & obſtaculis, ipſe cohibet & tenet in manu omnipotentiæ ſuæ, emittens cùm vult vētos de theſauris ſuis, qui, vt habet Iob, *fecit ventis pondus*: ipſe eſt qui ligauit *aquas velut in veſtimento*. Quia, ſicut dicit Pſalmiſta: *Congregat ſicut in* Pſal. 32.
vtre aquas maris. Ergo ſolus Deus eſt cælorū, ventorum, aquarum & terræ dominus, opifex, creator & gubernator inuiſibilis & immenſus, qui lucem habitat inacceſſibilem. Vnde de eo more ſuo interrogans ſubijcit: *Quod eſt nomen eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti?* Nomē Dei proprium eſt arcanum, incomprehenſibile & ineffabile, multò magis arcanum eſt nomē filij eius. Alludit ad nomen *Iehoua*, quod eſt ineffabile, iuxta illud Exodi 6. 3. *Nomen meum Adonai* (hebr. *non indicaui eis.* vide ibi dicta. Mox ſingula penitùs expendam.

Allegor. S. Auguſt. epiſt. 49. ad Deo gratias, in reſponſ. ad quintam eius quæſtionem, docet Salomonem hic contra Iudæos modernos docere, Deum nō eſſe vnum in perſona, ſicut eſt vnus in eſſentia; ſed in vna eſſentia duas, imò tres habere perſonas, ac deinde de Dei filio, putà Chriſto incarnato, totum hunc locū ſic myſticè exponit: *Quodam*, inquit, *loco Prouerb. dicitur: Quis aſcendit in cælum atque deſcendit? quis collegit ventos in ſinu?* &c. *Horum duorū quæ in extremo conſideraui, vnum retulit ad Patrem, quod nomen eſt ei? propter quod dixerat? Deus docuit me ſapientiam; & alterum euidenter ad Filium, cùm ait: Quod nomen filij eius? propter cetera quæ de Filio magis intelliguntur, hoc eſt, Quis aſcendit in cælū, & deſcendit? quod Paulus ita commemorat: Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Pergit deinde cetera, eidem aptare: *Quis collegit ventos in ſinu? id eſt animas credentium in occultum atque ſecretum, quibus dicetur: Mortui enim eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quis conuertit aquam in veſtimento, vt dici poſſet: Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Quis tenuit fines terræ? qui dixit diſcipulis ſuis: Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vſque ad fines terræ?*

Qvis ascendit in cælvm et descendit?] Caiet. vertit, *quis inſtar aſcendentis & deſcendentis cæleſtes ſphæras contorquet?* Nam cùm hæ, inquit, ab Oriente ad Meridiem ſurſum ferri & aſcendere videantur, à Meridie verò ad Occidentem occidere & quaſi deſcendere; Deus etiam earum motor, cum eis pariter aſcendere & deſcendere videtur. Verùm hic ſenſus arctior & alienior videtur. Aptiùs & pleniùs Lyran. & alij, per hunc Dei aſcenſum & deſcenſum cenſent ſignificari omnimodam Dei gubernationem, quâ tam ſupera, quàm infera regit & gubernat. q. d. Solus Deus omniſcius & omnipotens eſt, qui non mutatione loci (eſt enim vbique & immenſus) ſed ſua ſapientia & operatione, quaſi aſcendit in cælū, & deſcēdit, dum in creaturis cæleſtibus & ſublunaribus, ſummis æquè ac imis operatur, dum ſcilicet ſurſum ſapientiſſimè cælos conſtituit, ordinat, ſtellis ornat, mouet, regit, guber-

gubernat, ac deorſum in aëre, terra & mari omnia animata æquè ac inanimata creat, paſcit, conſeruat, fœcundat, &c. Alludit ad Deut. 33. 26. *Aſcenſor cæli auxiliator tuus: magnificentia eius diſcurrunt nubes: habitaculum eius ſurſum, & ſubter brachia ſempiterna.* Et ad illud Amos 9. 6. *Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam.* vide vtrobique dicta.

Allegoricè verò, propriè Chriſtus deſcendit de cælo, cùm per incarnationem in vterum Virginis terramque ſeſe demiſit, atque inde aſcendit, cùm poſt reſurrectionem coram Apoſtolis glorioſus in cælum conſcendit, iuxta illud Chriſti Ioan. 3. 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.* Et illud Pauli Eph. 4. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ* (in infernum?) *qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia.*

QVIS CONTINVIT SPIRITVM MANIBVS SVIS] Beda *ſpiritum* quemlibet accipit, putà angelos, dæmones, animas, q. d. Deus ſolus eſt qui omnes hoſce ſpiritus *manu*, id eſt poteſtate ſua, *continet*, putà frænat, regit, moderatur, vt nihil agant niſi quod ipſe voluerit, id eſt decreuerit aut permiſerit. Meliùs alij per *ſpiritum* accipiunt ventum, vt vertunt Septuag. & Symmach. Mira enim eſt ventorum agilitas, ſubtilitas, contrarietas vis & impetus, adeò vt montes vrbeſque ſuccutiant. Vnde Script. ſolet Dei ſapientiam & potentiam commendare, ex eo quòd ambulet ſuper pennas ventorum, id eſt eos regat, imò eis quaſi inequitando dominetur, & aurigando præſideat. Hinc & poëtæ fabulantur Æolum ventis præeſſe eoſque frænare, & in caueas antraque velut in carceres concludere. Ergo Septuag. vertunt, *quis colligit ventos in ſinu ſuo?* Heb. *in pugillis ſuis.* q. d. Deus ventos ita agiles ſubtiles & labiles, æquè ac impetuoſos & perſtrepentes, vt nemo ijs reſiſtere queat, pugno ſuo claudit & concludit, vt ad nutum aperta manu eos quò libuerit emittat, clauſâ verò comprimat & tranquillet. τὸ *in ſinu* ſignificat ventos eſſe in arcanis Dei. Cur enim Auſter flet à Meridie, Aquilo à Septemtrione, Eurus ab Oriēte, Zephyrus ab Occidente, cur Typho res in orbem circumagat, cur Præſter ſit fulmineus, vt domos loco moueat, alioque transferat, &c. Phyſici cauſas naturales planas & adæquatas, quæ mēti ſatisfaciāt, dare nequeunt; ſed hoc pertinet ad ſecreta Dei, qui ventorum dominus eos ad libitum mouet, flectit, gyrat, mutat, cohibet & ſedat. Sicut ergo ſecreta cōdimus ſinu, ſic Deus ventos quaſi ſinu ſuo cōdit, hoc eſt, in arcano ſuæ potentiæ & ſapiētiæ reſeruat & cōtinet.

QVIS COLLIGAVIT AQVAS QVASI IN VESTIMENTO?] Primò, Caiet. per *aquas* accipit pluuias, fontes & fluuios: pluuiæ enim videntur ſtillare è cælo, ſicut pannus madidus ſtillat guttas. Idem cenſent nonnulli teſte Ariſtot. de fontibus & fluuijs, quòd ſcilicet ſicut pannus impoſitus cantharo exugit liquorem canthari, vt ſe humectet, itaq; eum attollit, ac deinde extra cantharum eumdem per ſtillas emittit: ſic pariter terra licèt altior ſit mari, tamen quia fungoſa & ſpongioſa eſt, exugat & attrahat aquas è mari, eaſque imbibendo attollat, quas deinde per fontes & fluuios certis locis diſtillet & emittat.

Secundò, meliùs alij per *aquas* accipiunt ſuperas, quæ in nubibus atris quaſi in veſtimento nigro colligantur; adeò vt ſolem, ſtellas & lunam nobis abſcondant; dum verò hoc nubium veſti-

A mentum à Deo aperitur & quaſi ſcinditur, erumpunt aquæ per pluuias & imbres. Hoc eſt quod ait Iob c. 26. 8. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.*

Tertiò & optimè, per *aquas* accipias aquas maris, ſtagnorum & fluuiorum, de quibus canit Pſaltes pſal. 32. 7. *Cōgregans ſicut in vtre aquas maris*, quia nimirum eas congregauit in vnum locum, vt appareret arida, terminum illis ponens, ne tranſirent illum, neque conuerterentur operire terrā. Vnde & Dominus ſuam ſapientiam & potentiam commendans ad deprimendum Iob inter cetera dicit Iob 38. 8. *Qui concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens: cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia: & dixi, vſque huc venies, & non procedes ampliùs,* B *& hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Vnde auctor Catenæ Græc. ſic explicat. q. d. Quis per ſapientiam potentiam ſuam fluxæ & inconſtanti rerum naturæ & conditioni ſtabilitatem & conſtantiam indidit? vtique ſolus Deus.

Myſticè, Chriſtus Dominus ventum continuit in manibus ſuis, & aquas colligauit quaſi in veſtimento, cùm imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, Matth. 8. cumq; pedibus calcans fluctus maris ſuper eos ambulauit, Matth. 14.

QVIS SVSCITAVIT OMNES TERMINOS TERRÆ?] Primò, Beda per *terminos terræ* accipit animalia, plantas, gentes, omniaque quæ terræ terminis clauduntur. q. d. Quis omnia animata, æquè ac inanima conſeruat, fouet, fœcundat, vt his areſcentibus & emorientibus, alia & alia ſerie continuâ naſcantur & ſuccedant? vtique non alius niſi Deus.

C Secundò, meliùs alij per *terminos terræ* accipiunt terminos, quibus terra maris vndas fluctuſq; coërcet, vt ipſa eis emineat, iuxta illud Gen. 1. 9. *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida.*

Tertiò & optimè accipias hæc de immobilitate terræ. hanc enim ſignificat Hebr. הֵקִים *hekim*, id eſt ſtatuit, ſtare fecit. q. d. Quis terrā in aëre quaſi pendulam ita ſtabiliuit, vt nulla ventorū, inundationum, aliarumúe rerum vi loco ſuo moueri queat, ſed ipſa immobilis conſiſtat, imò ſit centrum totius vniuerſi, quod omnibus ſuum ſtatū, ſuamq; immobilitatē affert? vtique non alius id præſtat, niſi Deus. Alludit ad illud Iob 38. 4. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?* &c. *Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidē angularē eius?* Et ad illud pſal. 103. 5. *Qui fundaſti terrā ſuper* D *ſtabilitatē ſuam: non inclinabitur in ſæculū ſæculi.* Deus enim ſtatuit terram in centrum vniuerſi, vt in eo terminarentur & firmi conſiſterent omnes orbes elementorum & cælorum, qui illud circumdant. Rurſum Deus ipſi terræ ſtatuit terminos, ſcilicet vt ab Oriente terminaretur mari Eoo & India; ab Occidente mari Occiduo & Italia, Gallia, Germania; à Septemtrione mari glaciali ac Norwegia; à Meridie mari Auſtrali & Africa, &c.

QVOD NOMEN EST EIVS, ET QVOD NOMEN FILII EIVS, SI NOSTI?] Eſt gryphus ſiue ænigma, q. d. Dic mihi tu qui te ſapientem æſtimas, & ſapientiam tibi arrogas, quod eſt nomē eius, qui, vt dixi, cælos, ſpiritū, aquas & terram creauit, ſuoque loco ordinatè conſtituit, moderatur & gubernat? Dices, nomen eius eſſe Deus. At quid ſibi vult hoc nomen Deus? cuius eſſentiā ſignificat? quæ, qualis &

quanta

quanta eſt hæc eius eſſentia? vtique eam comprehendere nequis. Fateare ergo te nomen Dei non comprehendere, multo minùs nomen filij eius: vnde ait, *Si noſti?* q. d. Imperfectè noſti, perfectè non noſti.

Alludit ad nomen tetragrammaton, quod Hebræis erat incognitum, quia ineffabile. Videbant enim illud in Bibliis ſcriptũ quatuor literis conſonantibus, nimirũ יהוה, ac neſciebant quibus vocalibus, & quo ſono pronuntiari deberet, an *Iehoua*, an *Iebene*, an *Iebu* an *Iebo*, an quo alio modo: qui verò id ſciebant, vt myſtæ & myſteriorum conſcij quales erant pontifices & legiſperiti, hi præ reuerentia non pronuntiabant, nec alios qua ratione pronuntiandum eſſet, docebant: ideoque Iudæi quoties occurrebat יהוה, vice eius legebãt *Adonai*, id eſt Dominus, qua re ſignificabat Deus nõ tantum ſummam reuerentiam deberi nomini ſuo, illudque caſto myſticoque ſilentio venerandum, ſed etiam rem nomine ſignificatam, putà eſſentiam Dei, eſſe incomprehenſibilem, vti dixi Exod 6.3. Igitur imperfectè & quaſi per vmbram cognoſcimus nomen Dei, plenè autem & propriè illud non cognoſcimus. Non enim cognoſcimus Deum niſi per relationem & reſpectũ ad creaturas, v. g. quòd Deus ſit ille, qui cælum, terram & omnia quæ in eis ſunt, creauit, conſeruat, regit & gubernat: ac ſicut creaturas perfectè non cognoſcimus, ſic multò minùs cognoſcimus Deum creatorem: multò adhuc minus qualis in ſe ſit Deus, cuius ſcilicet eſſentiæ & quantæ maieſtatis in ſeipſo: minimè omnium autem cognoſcimus SS. Trinitatem, & pluralitatem perſonarum in eò, ſcilicet quòd Deus non tantùm ſit Deus, ſed & Pater generans Filiũ, & cum eo ſpirans Spiritum ſanctum.

Vnde D. Thomas 1. p. q. 13. art. 1. ſequ. citato hoc Prouerbij loco, docet nullum dari nomen, quod perfectè Dei naturam ſignificet & repræsẽtet. Ibidẽ Frãc. Suarez & Gabriel Vaſquez: Nul-
Nullum eſt Dei nomen illi adæquatũ lum inquiunt, eſt nomen quod adæquatè explicet naturam Dei, multò minùs naturam & proprietatem filij Dei. *Generationem* enim *eius quis enarrabit?* Iſaiæ 53.8. Ratio D. Thomæ eſt, quòd Deum in
Ratio à priori. ſe videre & cognoſcere nequeamus, ſed tantùm ex creaturis gradu facto ad earum auctorẽ Deũque creatorem mente aſcendamus. Creaturæ autem in infinitum à Deo diſtant, magiſque imperfectè eum repreſentant, quàm vmbra ſolem. Quare omnia nomina ex creaturis Deo indita, imperfectè dumtaxat & tenuiter Dei naturã ſignificant & repreſentant, tenuiſſimè autem S. Trinitatem. Hinc S. Dionyſ. c. 1. de Diuin. nomin. *Dei*, ait, *neq; nomen eſt, neque opinio.* quod quæſt. citata ad 1. explicans S. Thomas, *Deus*, inquit, *dicitur nõ habere nomen, & eſſe ſupra nominationem, quia eſſentia eius eſt ſupra id quod de Deo intelligimus, & voce ſignificamus.*
Dei definitio ex S. Auguſt. Hinc Cicero Tuſcul. 1. & ex eo S. Auguſt. 22. Ciu. 20. Deum ita definit: *Deus eſt mens quædã ſoluta & libera ſecretà ab omni concretione mortali, omnia ſentiẽs & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno.* Sed audi S. Dionyſ. *Hoc Theologi cùm intelligerent, eam* (diuinitatẽ) *& vt nomine vacantem laudant, & ex omni nomine: vt vacantem quidem nomine, velut cùm aiunt diuinitatẽ ipſam in vna myſticarum ſymbolicæ diuinæ demonſtrationis viſionum, obiurgaſſe eum qui interrogaſſet, Quod eſt nomen tuum? & quaſi eum ab omni Dei nominis cognitione abducentem dixiſſe: Cur quæris nomen meũ, quod eſt mirabile? An non nomẽ hoc verè planeq; mirabile eſt, quod omne nomen ſuperat, quod vacat nomine quod ſuper omni nomine, quod nominatur ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro, tamquam fundamento collocatum eminet?* Sic & Triſmegiſtus loquens de ineffabili Dei maieſtate, Deum eſſe ἀνώνυμον, id eſt, innominem & innominabilem dixit.

Annon ergo rectè præ Deo, & coram Deo ſe conſiderans Salomon, ait: *Stultiſſimus virorum ego ſum, & ſapientia hominum non eſt mecum?* Tertull. quidem l. 3. contra Marcion. ſub medium, ait, *Dei nomẽ eſſe quaſi naturale diuinitatis*; quia, vt ait, S. Iuſtin. in Expoſit. fidei: *Si eſſentiam diuinam intelligere velis, Dei nomine expreſſeris.* Sed tamen S. Auguſt. in pſ. 85 *Quæris*, inquit, *quid ſit Deus? Quod oculus nõ vidit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit?* Quin & Plato ex Triſmegiſto teſte S. Cyrillo l. 1. contra Iulian. & Nazianz. orat. 2. de Theolog. *Deum*, inquit, *intelligere quidem difficile eſt, loqui autem impoſſibile*, Et S. Athanaſ. in ep. de Nicenæ Synodi decret. poſt mediũ: *Cùm audimus*, inquit, *vocabulum Deus, nihil aliud niſi ipſam incomprehenſibilem Dei ſubſtantiam ſignificari intelligimus.* Nã vt ait S. Auguſt. ſer. 1. de Verbis Apoſtol. *Vniuerſa Deus præcellit: ſi quæras magnitudinem, maior eſt. ſi pulchritudinem, pulchrior: ſi dulcedinẽ, dulcior; ſi ſplendorem, fulgidior; ſi iuſtitiã, iuſtior: ſi fortitudinem, fortior; ſi pietatem, clementior.* Et Nyſſen. l. ad Ablabium: *Quod prorſus eſt infinitum, nulla re definitur; ſed omni ratione infinitas effugit definitionem.* Quocirca Euagrius audiens nonnullos de Deo & SS. Trinitate curioſè diſputantes, *diuinitatẽ nequaquã definiendã eſſe reſpondit: ideoq; quod ineffabile eſt ſilentij tantùm oratione eſſe adorandum.* ita Socrates l. 6. Tripart. c. 21. Et Attalus Martyr à tyranno interrogatus: *Quod nomen haberet Deus?* reſpondit: *Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur; qui autem vnus eſt, non indiget nomine.* ita Euſeb. l. 6. Hiſtor. c. 3. Cogitari ergo poteſt Deus, planè nominari non poteſt. Nam vt ait Sixtus Pythagoreus in Sentent. n. 45. *Omne tempus, quo de Deo non cogitas, hoc puta te perdidiſſe.* Idem dixit S. Dominicus, & ex eius diſciplina S. Thomas Doctor Angelicus.

Vide S. Auguſt. l. de Cognit. veræ vitæ cap. 18, *Deus ineffabilis.*
& ſerm. 38. de Verbis Dom. & l. 15. de Trinit. c. 2. vbi inter cetera ait; *Excedit ſupereminentia deitatis nõ ſolùm vſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem: verius enim cogitatur Deus quàm dicitur, & verius eſt quàm cogitetur: Non parua autem notitiæ pars eſt, ſi antequam ſcire poſſimus quid ſit Deus, poſſimus ſcire quid non ſit.* Audi Arnobium l. 3. contra Gentes: *Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum tranſit & corrumpitur ſensũ, nec habet propriæ ſignificationis notã, quod noſtris dicitur verbis, atque ad negotia humana compoſitis. Vnus eſt hominis intellectus de Dei natura certiſſimus, ſi ſcias & ſentias nihil poſſe de illo mortali oratione depromi.* Idem 18. *Eloquar*, ait, *quemadmodum ſentio: magnitudinem Dei qui ſe putat noſſe, minuit; qui non vult minuere, non nouit.* Quocirca Ægyptij in Hieroglyphicis pingebant crocodilum & ciconiam lingua carentes, vt ſignificarent Deum eſſe ineffabilem. Simonides rogatus ab Hierone: Quid eſſet Deus? ſpatium vnius diei ad reſpondendum petiit, deinde duorum mox quatuor, ac deinceps duplicatum ſemper poſtulauit, negans vllum ſatis eſſe: *Quo enim diutiùs conſidero*, inquit, *eo res videtur obſcurior*, vti refert Cicero l. 1. de Natura Deor.

ET QVOD NOMEN FILII EIVS] Hinc contra

Iudæos ex Salomone conſtat, Deum habere filiũ, ideoque plures in Deo eſſe perſonas, ſcilicet Patrem & Filium. ita S. Auguſt. epiſt. 49. q. 5. Quod enim Rabbini id eludere conantur dicentes, Salomonem loqui non de Deo rerum opifice, ſed de viro ſapiente, aut de Moyſe, qui hoc Dei opificiũ plenè cognouerit, q. d. Quis vir adeò ſapiens eſt aut fuit, qui hæc quæ dixi de cælis & elementis à Deo conditis plenè pernouerit: *Et quod nomen illius?* ſi dicas eum vita functum; *quod nomen filij eius?* Hęc certè friuola ſunt & meræ nugæ, ad eludendum hoc argumentum confictæ. Liquet enim clarè Salomonem non loqui de ſapiente, ſed de Deo res omnes potentiſſimè creãte, & ſapientiſſimè gubernante, ideoque de eo quærit, *Quod nomen eſt eius, & quod nomen filij eius?* q. d. Noſtis, ô rudes Iudęi, aliquatenus Deum creatorem, at Deum eſſe patrẽ ac habere filium nõ noſtis. Pauciſſimi enim Rabbinorum & ſapientum tempore Salomonis planè & diſtinctè cognouerunt myſterium SS. Trinitatis: vnde moderni Iudæi & Rabbini, æq; ac Turcę & Gentiles, idipſum omnino pernegant. Multò minùs norant *nomen*, id eſt rem nominatam & dignitatem Filij, quòd ſcilicet ipſe ſit ὁμόουσιος & cõſubſtantialis Patri; proinde illi coæuus æterna generatione productus, par & æqualis, quòd ipſe ſit imago Patris, quòd *ſit ſplendor gloriæ, & figuræ ſubſtantiæ eius, portanſq; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquãdo angelorũ: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Hebr. 1. 3.

Noſter Salazar per *nomen* accipit perſonã: per nomẽ enim perſona vna ab alia ſecernitur & dignoſcitur. q. d. *Quod eſt nomẽ*, id eſt quæ perſona Dei Patris, *& quod nomẽ*, id eſt quęeſt perſona *Filij*, qua ſcilicet Filius diſtinguatur à Patre. Nã eſſentia & cetera omnia indiſcreta ſunt, eademq; in Patre & Filio. Subtiliùs & præciſiùs Barth. Torres, & ex eo noſter. Molina 1. p. q. 40. art. 2. diſp. 2. membr. 3. initio, reſpõdet duo eſſe nomina relatiua propria Filio Dei, vnum nomen filij, alterum nomen Verbi: atq; hoc ſecundum fuiſſe magis occultum in veteri teſtamento de eoque inquirere Sapientem quaſi de occulto, quod poſteà per S. Ioan. apertiſſimè manifeſtatum eſt in nouo teſtamento, dũ, dixit: *In principio erat Verbum: & Verbũ caro factum eſt.* Vnde S. Ignatius epiſt. 8. ad Philip. *Vnus*, inquit, *eſt filius, Verbum, Deus. Quod nomen illi & quod nomen filio eius, vt cognoſcamus?* Pro quo noſter vertit, *ſi noſti.*

Verbum diuinum Iudæis incognitum.

Porrò Sept. pro *filij* vertunt, *filiis* in plurali, quia myſterium SS. Trinitatis apud Iudæos incredulos abſcondere voluerunt. Aut certè pro *filiis* legendũ *filij* in ſingulari: ſic enim conſtanter legunt Hebr. Chald, Vulgata, Aquila, Symmach. Theodot & ceteri, & codex vnus Septuag. citatus à Caraffa in notis ad Septuag. Vatican. quin & S. Aug. ep. 49.

Meminit ſolius Filij non Spiritus ſancti, tum ne multitudine tot perſonarum in SS. Trinitate Iudæos rudes hebetaret & offenderet; tum quia hîc agitur de ſapientia Dei: hæc autem appropriatur Filio, tum quia per verbum Deus creauit cælum & vniuerſa: *verbo* enim *Domini cæli firmati ſunt*, pſal. 32. 6. Filius autem eſt Verbum notionale & perſonale Dei Patris; tum deniq; quia Filius Iudæis erat promiſſus, quaſi venturus Meſſias & redemptor. Hinc notat duplicem Filij generationem, di-

A uinam & humanam, duplexque eius nomen: quà Deus enim, vocatur Verbum; quà homo, vocatur Ieſus Chriſtus. q. d. Noſti quod ſit Verbum, & quis ſit Ieſus Chriſtus? imò quòd verbum ſit Jeſus Chriſtus? Hinc eius incarnationem, paſſionem, aſcenſionem tacitè adumbrat per ſymbola aquilæ, colubri, nauis, virginis v. 19. vti ibidem videbimus

Adde, ſymbolycè notari hîc Spiritum ſanctum, cùm dicit: *Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis?* Spiritus enim, putà ventus, ſymbolum eſt Spiritus ſãcti, qui in ſpecie venti validi, & linguarum ignearum deſcendit ſuper Apoſtolos in Pentecoſte, Actor. 2. Vnde de eo dictum eſt Geneſ. 1. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Spiritus ſanctus enim eſt Spiritus Patris & Filij indiuiduus, qui proinde à Patre & Filio nec eſſentia, nec operatione, nec quo alio modo ſeparari poteſt. *Eadem*, ait S. Aug. l. 1. de Doctrina Chriſt. c. 5. *tribus eſt æternitas, eadem in-* B *commutabilitas, eadem maieſtas, eadem poteſtas. In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto vnitatis æqualitatiſq; concordia. Et tria hæc vnum omnia propter Patrẽ, æqualia omnia propter filiũ, connexa omnia propter Spiritum ſanctum.*

OMNIS SERMO DEI IGNITVS, CLYPEVS EST Vers. 5.
SPERANTIBVS IN SE: NE ADDAS QVIDQVAM Vers. 6.
VERBIS ILLIVS, ET ARGVARIS INVENIARISQ; MENDAX] Pro *ignitus* hebr. eſt צְרוּפָה *tſerupha*, quod propriè ſignificat conflatus, & conflando excoctus, defæcatus & purgatus, ſicut in fornace per ignem conflatur aurum, vt ſublatis fæcibus & ſcoriis, purum, nitidum, & ſplendidum exeat. Septuag. *omnia verba Dei ignita: protegit autem eos qui reuerentur ipſum*; Chald. *omnes ſermones Dei conflati* (Syrus, C *electi*) *& auxiliatur confidentibus in ſe.*

Quæres Primò, quomodo hi verſus cohæreant cum præcedentibus? Reſpondetur quia Salomon fecit mentionẽ Filij Dei, putà Verbi æterni; hinc illi attexit, quomodo Verbum quod ab æterno erat apud Deũ, in tempore emanarit ad homines per ſermones S. Scripturæ, legis & Prophetarum, vt Dei Patris voluntatem, viamque ad felicitatem nobis annuntiaret. Hi enim ſermones prodeunt à Verbo Dei velut radius à ſole, aqua à fonte, calor ab igne. Rurſum, quia ſapientiam Dei relucentẽ in cęlis & elementis celebrauit; nunc eamdem celebrat quatenus ſe hominibus communicauit per ſermonem ignitum, quo protegit ſperantes in ſe: propter hominem enim creauit cælum ceteraque vniuerſa. Simili modo Salomon cap. 8. v. 27. cum dixiſſet Dei ſapientiam conſtituiſſe cælos, æthera D firmaſſe ſurſum, libraſſe fontes aquarum, appendiſſe fundamenta terræ, mox de eàdem ad homines deſcendente ſubiicit verſ. 31. *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. nunc ergo filij audite me.* Sic & Baruch. cap. 3. cùm diu inquirens originem & locum ſapientiæ, tandem v. 32. eum aſſignaſſet, dicens: *Qui ſcit vniuerſa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia ſua, qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus & quadrupedibus: qui emittit lumẽ, & vadit;* ſubiicit v. 37. *Hic adinuenit omnẽ viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Similiter Job cap. 28. poſt verba ſuperiùs citata, quibus ſapientiam Deo naturalem & propriam aſſerit, ſubiicit v. 26. *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus: tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inueſtigauit. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapien-*

ſapientia; & recedere à malò, intelligentia. Similiter facit Eccleſiaſt. c. 24. cùm enim v. 5. dixiſſet ſapientia: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens*, &c. ſubijcit v. 12. *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium*, &c. *In Iacob inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices.* Quibus omnibus ſignificat, Deus, ſapientiam pro fine & ſcopo, imò pro domo & templo elegiſſe homines, putà fideles & ſanctos, vt eos repleret Dei cognitione, timore & amore, itaque eos perduceret ad ſalutem & gloriam: atque hac de cauſa cælos, elementa, ceteraque creaſſe, vt ex his homo Deum Deique ſapientiam, potentiam & bonitatem agnoſceret, amaret, coleret; eique per omnia ſeruiret & obediret. itaque ab eo præmio æternæ felicitatis donaretur. Idem facit hic Salomon.

Sermo Dei ignitus primò, quòd purus.

Quæres Secundò, cur ſermo Dei dicatur *ignitus*? Reſp. *Ignitus*, id eſt conflatus, defæcatus, & purus. hoc enim ſignificat Hebr. *tſerupha*, & Græcum πεπυρωμένον. Vnde Symmach. & S. Hieron. pſal. 17. 31. vertunt, *ſermo Dei probatus.* Alludit enim ad vaſa chymica, quibus per ignem aurum & argentum à ſcoria excoquendo purgantur, vt fiant pura & nitida. Hoc enim ſignificat *tſerupha.* Vnde *Sareptà* dicta eſt vrbs Sidoniorum, quòd in ea frequentes eſſent officinæ conflatoriæ ad conflandũ metalla. Senſus ergo eſt q. d. Verba Dei, putà tam præcepta quam promiſſa Dei, adeò ſunt vera, pura, ſincera, certa, perinde ac ſi eſſent aurum igne eliquatum, conflatum & ab omni fæce expurgatum. Simili enim modo, imò longè magis verba Dei ſunt defæcata, & pura ab omni contagione non tantùm falſitatis, fraudis & ſimulationis, ſed & varietatis ac ſuperfluitatis, vt nihil ſit quod eloquiis diuiniis deſit, aut abundet, nihil quod reprehendi poſſit, ideoque ſequitur: *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris.* Vnde & lex Dei vocatur *immaculata*, græcè, ἄμωμος, id eſt irreprehenſibilis; hebr. תְּמִימָה *temima*, id eſt integra, inculpata; perfecta, pſ. 18. 8.

Quocirca Deus (ad Deum enim id pertinet, nõ ad ſermonem, cùm ſermo hebr. ſit feminini generis, in ſe autẽ maſculini) *clypeus eſt ſperantibus in ſe*, quia ſcilicet amorem, opem & protectionem à ſe, ſua præcepta ſeruantibus, & in ſe ſperantibus promiſſũ verè, integrè, certò ac tutò præſtat, nec ſinit ſpe ſua fruſtrari illos qui ſperant in eũ, vt Dauidi in ſe ſperanti miram à Saulis perſecutione liberationem, item regnum ac regni perpetuam in poſteros propagationem, à ſe promiſſam reipſa præſtitit. Hunc eſſe ſenſum conſtat ex pſal. 17. 31. vbi eadem in Hebr. ſunt verba quæ hic. Ibi autem Sept. vertunt, *eloquia Domini igne examinata, protector eſt omnium ſperantium in ſe*; Symmach. *locutio, Domini probata*, Sic & S. Hieron. vbi S. Baſil. *Eloquia*, inquit, *igne examinata vocat probata, veracia & à mendacio libera* Sic & Theodot. Euthym. & alij ibidem. Et clariùs pſalm. 11 7. *Eloquia*, inquiunt, *Domini, eloquia caſta*; (ſicut) *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

Pro *clypeus* hebr. eſt מָגֵן *magen*, id eſt *ſcutum, clypeus*; Sept. vertunt ὑπερασπίζει, id eſt proteges, propugnabit, ſtrenuè defendet: vnde ὑπερασπιστὴς eſt protegens alterius latus clypeo, armiger, latero, ſatelles, protector, auxiliator, defenſor. Talis fideli in ſe ſperanti ſeq; inuocanti eſt Deus, quia potentia fideque ſua quaſi prætento clypeo ſuum ſupplicem ſeruat, tuetur ac propugnat, Hic ſenſus maximè proprius eſt & genuinus.

Secundò, quia auditores accendit.

Secundò tamen S. Ambroſ. in pſal. 118. v. 140. ad illa: *Ignitum eloquium tuum vehementer. Ignitũ*, inquit, quia igne zeli & charitatis auditores accẽdit: *Quem ergo ignem Dominus ſparſit in nouo teſtamento? Qui ſecretos mentium diuina ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporẽ fidei ac deuotionis adoleret, qui cupiditatẽ virtutis accenderet.* Et breui interuallo: *Bonus*, inquit, *ignis qui calefacere nouit, neſcit exurere niſi ſola peccata. Hoc igne Apoſtolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum; hoc igne pretioſi illi lapides illuminantur, fænum autẽ & ſtipula conſumitur. Mundat ergo hic ignis animũ, conſumit errorẽ.* Et rurſus infrà: *Hoc igne vrebatur rubus, & non conſumebatur; vrit enim ſermo diuinus vt corrigat conſcientiam peccatoris, non exurit vt perdat.* Vnde ſequentia, vbi docet ignẽ hunc tria potenter efficere ſcilicet purgare, illuminare, inflammare. Accedit Caſſiodor. in pſal. 17. 31. *Eloquia*, inquit, *Domini igne examinata: quaſi dicat, Flamma fidei lex ſuperna diſcutitur, quando ſciendi deſiderio diuina eloquia perquiruntur. Sic & Ieremias Propheta eloquia Domini mirifica definitione concluſit, dicens cap 23. 29* Nõnne *verba mea ſicut ignis, dicit Dominus, & ſicut ſecuris concidens petram*, Noſter pro *ſecuris* vertit, *malleus*

Tertiò, quia cor expurgat.

Tertiò, S. Hieron in pſal. 17. v 31. cenſet eloquia Dei dici ignita, *nõ quòd ipſa*, inquit, *in ſe ſint examinata ab igne, aut quòd fuiſſent inquinata; ſed quòd qui illa acceperit, faciant eum vt aurum mundum purificatum per ignem. Quid enim paleis ad triticum?* Ierem. 23 28. *Quid ſcoriæ ad argentum* ait S. Auguſt. in Collat. diei tertiæ contra Donatiſtas. Igitur verba Dei hoc ſenſu dicuntur ignita, quia vt ignis caſtigant, excoquunt & extergunt ex anima ſcoriam, id eſt cupiditates & vitia: hinc vocantur ſagittæ, quia cor feriunt, cruciant & vulnerant. Vnde Origenes in pſalm. 37. ad illa verba: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Qui ergo*, inquit *loquitur ſermones Domini, ſagittas iaculatur, & cùm loquitur corripiens & caſtigans, correptionis iaculo cor penetrat audientis.* Neruoſiùs & elegantiùs S. Auguſt. in pſalm 7. ad illa verba: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus*, &c. ſic ait: *Sagittæ potentis acutæ verba Dei ſunt. Ecce iaciuntur & transfigunt corda: ſed cùm transfixa fuerint corda ſagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur: nouit Dominus ſagittare ad amorem & nemo pulchriùs ſagittat ad amorem, quàm qui verba ſagittat*, &c.

Denique quidquid efficit ignis, id efficit ſermo Dei. Conſidera ergo dotes & proprietates ignis, præſertim in conflandis purgandiſque metallis, vt auro & argento, eaſque myſticè attribue ſermoni Dei, putà S. Scripturæ, legi, inſpirationi & promiſſis Dei. Vnde Didymus in pſalm. 17. 31. *Eloquia, Dei*, inquit, *dicuntur ignita, quia ita mentem ſuccendunt, vt terrenarum rerum & cogitationum paleas abſumant.* Auctor verò Catenæ Græcor. hic *Omnes*, ait, *ſermones Dei ſunt igniti: nam & omne ſpinoſum & ſurculoſum igne ſuo abſumunt, & quod mundum & repurgatum eſt palàm oſtendunt, & ad ſalutem obtinendam ſat ſunt.* Rurſum ignis notat efficaciam & ſubtilitatem verbi Dei, quòd intima animæ penetret, afflet, purificet, illuſtret & igniat, iuxta illud Pauli: *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis*, Hebr. 4. 12. Similes ſunt prædicatores verbi Dei zelo ardẽtes

tes qui ſermone Dei accenſi, velut ignei non niſi A ignes cæleſtes ſpirant,quibus auditores illuminẽt purificant, igniunt & inflammant. Inſuper ſicut ignis aurum argentumque excoquens,illud reddit excellentiſſimum & pretioſiſſimum : ſic & ſermo Dei excoquens affectus animi,illos reddit præſtãtiſſimos ſummique pretij apud Deum & homines putà cæleſtes & diuinos, iuxta illud de Chriſto promiſſum Malachiæ 3. 2. *Ipſe enim quaſi ignis conflans,& quaſi herba fullonum:& ſedebit conflans, & emundãs argentum,& purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum,& quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.* vbi plura hac de re dixi.

Tropolog. de igne tribulationis.

Tropolog S.Auguſt.in pſalm.17.31. *Eloquia Dei* cenſet dici *ignita, Quia,* inquit, *igne tribulationis probantur. Protector eſt omnium ſperantium in ſe,quaſi dicat. Et omnes qui non in ſeipſis ſed in illo ſperant, eàdem tribulatione non conſumuntur: ſpes enim ſequitur fidem.* Ruffin.in eumdem pſalm. *Via Dei impolluta,* inquit, B *verbo eius in tribulatione probata: ſpes illius certa & firma,qui protegit ſperantes in ſe,ne deſiciant in tentatione. Teneamus ergo hanc viam,& mundabimur :cuſtodiamus eius eloquia,& non errabimus; figamus in ipſo ſpem noſtram, & ſecuri ſub eius protectione ambulabimus.* Et S.Gregor.l.4.Moral.28, *Eloquium Domini,* inquit, *argentum igne examinatum dicitur: quia ſermo Dei ſi in corde figitur,tribulationibus probatur.* Hine de Ioſeph dicitur pſalm. 104. 20. *Eloquium Domini inflammauit eum.* q. d. Oraculum Dei per inſomnia, ac ſtudium legis diuinæ cauſa fuit Ioſeph,vt coqueretur & probaretur igne tribulationis, dum propter illud à fratribus ipſi inuidentibus venditus tredecem annos ſeruiuit in Ægypto,donec anno ætatis trigeſimo à Pharaone carcere liberatus, factus eſt princeps Ægypti. C

Clypevs est omnibvs sperantibvs in se] nimirum ipſe Deus, vt dixi. Alludit ad Geneſ.15. 1.vbi Deus ait Abrahæ: *Noli timere Abraham, ego protector tuus*(hebr..*ego ſcutum tuũ*)& *merces tua magna nimis.* Poſſet tamen quoque ad ſermonem Dei referri: hic enim eſt clypeus hominis cõtra omnes tentationes: tũ quia promiſſio Dei, præſertim vitæ & gloriæ æternæ,animat fideles ad omnia tentamenta mũdi,carnis & diaboli fortiter repellenda: tum quia præcepta Dei timorem eius mentibus indunt,qui omnes hoſtium inſultus diſpellit. Sic Chriſtus tentatus à diabolo obiecit ei clypeũ ſermonum Dei,dicens: *Scriptum eſt: non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* Matth.4. Idem fecit S. Paula teſte S. Hieron. in eius Vita,ceteriq; Sãcti Hoc eſt quod ait S. Paulus: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere,* Epheſ.6.16. Ita Salonius, *omnis ſermo,* inquit, *diuinæ auctoritatis Idcirco igneus clypeus dicitur, quia corda electorum,qui ſpem ſuam in Deo ponunt,& igne charitatis accendit,& ſcientia veritatis illuminat,& ſordes vitiorum quas in eis reperit,conſumit & purgat,ac ab inſidiis hoſtium cũctiſq; defendit aduerſitatibus.* D

Ne addas qvidqvam verbis illivs] q.d. Ideo verbis diuinis inſiſtendũ eſt,quia qui ab illis deflectit,in mendacia deerrat:quia ipſa pura, vera, tornata perfectaque ſunt; vt nihil illis addi aut demi poſſit. *Verba Dei,* ait Procop. *cùm plena & perfecta exiſtant,nullum auctarium admittunt.* Intellige nihil addi poſſe quod eis repugnet vel deroget: ſic enim ſe explicat Salomon dum ſubdit: *Ne arguaris inueniariſq; mendax.* Cùm enim verbũ Dei ſit veriſſimum, quicumque illi addit aliquid repugnans, neceſſe eſt vt falſum dicat & mentiatur. Rurſum nihil eis addi poteſt quaſi dictum à Deo, vt vendites verbum tuum eſſe verbum Dei, vti faciebant olim Scribæ & Phariſæi,ſuas traditiones inũtiles,& legi Dei contrarias pro verbo Dei vẽditantes;& nunc faciunt hæretici, qui verba Dei hæretica expoſitione vitiant & corrumpunt, dum ſua ſomnia & deliria obtrudunt pro verbo Dei: qui proinde velut falſarij S.Scripturæ à Deo iudicabuntur & damnabuntur. Nam vt ait S.Chryſoſt.hom.10.in Matth. *Non addas verbis Dei, &c. qui autem hoc auſus fuerit, ſe ſapientiorẽ eſſe putat quã Deum,& incipit eſſe falſus teſtis, quia illud dicit quod nec auris audiuit,nec oculus vidit.* Cùm ergo à poſterioribus,ab Apoſtolis,atque ab Eccleſia quædam Dei populo dicta,ſcripta & prædicata ſunt, quæ prioribus Dei verbis non fuerunt expreſſa; nihil additum eſt verbis Dei, quia & illa quæ acceſſerunt verba Dei ſunt. Cùm interpretes explanant verba Dei,nihil addunt verbis Dei,cùm ſuas explanationes nolint recipi pro verbo Dei,niſi quatenus cum verbo Dei conſonant atq;conueniunt. nec ſua addunt,quaſi verba Dei non ſufficiãt,ſed quia non ab omnibus intelliguntur. Ita Ianſen. Plura de hac gnome dixi Deuter.4.2.Apocal.22. 18.Galat.1.8.

Dvo rogavi te, ne deneges mihi anteqvam moriar] Non quaſi petat dumtaxat ante mortem horum duorum compos fieri, aut ante mortem de præteritis luxuriis & idololatria pœnitere(vnde aliqui ex hoc loco contendunt, Salomonem ante mortem ſcelerum ſuorum egiſſe pœnitentiam;)ſed quòd per omnem reliquam vitam vſque ad mortem hæc duo ſibi præſtari cupiat,q. d.Continuis precibus à te flagito,vt duo hæc quę ſubiiciam,mihi non deneges,ſed concedas,vt *antequã moriar,*id eſt quamdiu ſuperſtes ero, quamdiu non moriar ſed viuam, hæc duo mihi ſemper adſint & numquam deſint:nam vt in morte & poſt mortem illa mihi deſint,parum curo. Vnde Heb, habent, *duo poſtulaui à te,ne prohibeas à me antequam moriar;* Septuag. *ne auferas à me gratiam antequam ego moriar.* q.d. Non auferas à me hanc gratiam duplicem,quam poſtulo quoad vixero, ſed gratioſè & beneuolè vtramque mihi ſemper elargire. Vers. 7.

Vanitatem et verba mendacii longe fac a me: mendicitatem et divitias ne dederis mihi, tribve tantvm victvi meo necessaria] *ne* ſcilicet,ait Beda, *copia vel inopia tranſeuntium rerum in obliuionem decidam æternorum.* Vers. 8.

Tranſit ab intellectu ad affectum. Dixit quanta in cælo totoque mundo operetur ſapientia, & à quo ſit poſtulanda,ſcilicet à verbo Dei;nũc oſtẽdit eius vſum & praxim, ſcilicet quid ſapientiam conſecuto ordinariè ſit petendum ad vitam rectè tranſigendam,ob quam ſapientia quæritur, & ad quam verbum Dei traditum eſt, Demonſtrat id ſuo exemplo dicens, *Duo rogaui te,* &c. Aliqui duo hæc eſſe cenſent,primum, *Vanitatem & verba mendacij longè fac à me:* ſecundum, *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.* Per *vanitatem* autem Pagnin. accipit *vanum.* id eſt, *otioſum verbum;* auctor Catenę Græc. *verbum ſtultum,* putà ſtultiloquiũ; Chald. *detractionem,*quia detractor eſt inſtar cenotaphij,id eſt ſepulcri vacui, quod exteriùs repræſentat ſepulturam cuiuſpiam, ſed interiùs corpore ſepulto caret,

caret, eſtque inane & vacuum. Sic enim detractor A multa fingit dicitque quæ exteriùs famā alterius lædant, ſed interiùs re ipſa, putà veritate carent, ſuntque inania, vana & falſa. Alij per *vanitatem* intelligūt vanas opiniones, errores & hæreſes, quaſi ab iis præſeruari optet Sapiens: duo enim hęc optanda ſunt: Primò, vt de Deo rectè ſentiamus, Secundò, vt rectè vtamur diuitiis & paupertate, ne in alterutro Deum offendamus.

Rurſum noſter Salazar per *vanitatem*, vel *verbum vanum* cenſet promiſſionem violatam notari. q.d. Verbi dati aut oblatæ fidei violationem, & mendacium amoue longiùs à me: vtrumque enim principe indignum crimen eſt, atque adeò ab illo procul eſſe debet, ita vt ne remotiſſima quidem eius ſuſpicio in illum cadat. Hinc. Caſſiodor. in Variis, *Maieſtas regis*, ait, *numinis auctoritatem ſortiri, & vox iſtius oraculi locum habere debet*: ſi enim vel B ſemel mentiatur & fidem fallat, nemo deinceps ei fidem habebit. Huc facit prouerbium Syrorum & Arabum cent. 2. n. 49. *Qui notus eſt veritate, recipitur eius mendacium: & qui notus eſt mendacitate, non recipietur eius veritas.* q.d. Eam vim opinio habet vt ei qui vera ſolet loqui, etiam cùm mentitur credamus; ei verò qui ſæpiùs mentitur, etiam tunc cùm verum dicit, fides non habeatur. Hoc lucrantur mendaces, perfidi & periuri, vt perdant famam & fidem, nec eis credatur etiam dum vera effantur & iurant. Et n. 48. *Omitte mendaciū vbi videris quòd tibi profuturum erit: nam nocebit tibi. Et tuum eſt hærere veritati, vbi videris quòd ipſa nocebit tibi, quia ipſa proderit tibi.* & cent. 1. n. 72. *Veritas eſt magnificentia* (id eſt magnifica) *mendacium autem vilitas. Veritas eſt ſanitas, mendacium infirmitas*, id eſt debile & infirmum, quia ad lucem veritatis euaneſcit.

C Verùm profundiùs & germaniùs alij ex Hebręo *vanitatem* & *mendacium* referunt ad mendicitatem & diuitias, quæ ſequuntur, & per illa explicant, q.d. Rogo te Domine, vt mihi duo concedas: Primò aufer à me diuitias, quæ impellunt ad vanitatē & faſtū; Secundò, aufer à me paupertatem, quæ impellit ad verba mendacij & periurij Explicat, dum rationem vtriuſque ſubdit: *Ne fortè ſatiatus illiciar ad negandū Dominum*, ſcilicet dicendo: *Quis eſt Dominus*? hoc eſt, ne fortè deſeram Deum, & deficiam ad idola: hæc enim ſunt *vanitas*, id eſt planè inania & vana: ipſa quoq; apoſtaſia eſt vanitas, id eſt vana ſuperbia & faſtus, quo quis ſpernit Deum, vti fecit Salomon per delicias & concubinas à Deo apoſtatans ad deos Gentiū. *Aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei*, negando ſcilicet furtū D cùm adiuratus fuero, hoc autē eſt incidere in exitialia verba mendacij: ad mentiendum enim ſæpè impellit paupertas. Ita Lyranus, quē audi: *Duo rogaui te Domine: vanitatem, quæ eſt annexa proſperæ fortunæ, & verba mendacij, quæ frequenter annectuntur aduerſæ, longè fac à me, & idem repetit per alia verba: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi*, &c. Itaque ſub exemplo diuitiarum & paupertatis Salomon hîc orat, & orare nos monet, vt nec proſperitate extollamur, & inducamur ad vanitatem ſuperbiæ ac Dei neglectum cum idolorum cultura; nec per aduerſitatem deprimamur ad inhoneſta & mendacia, inter quæ maximum eſt peierare nomen Dei, hoc eſt, Deum facere teſtem falſitatis.

Hinc aliqui Hebr. שוא *ſcau*, id eſt *vanitatem*, vertunt, *irruptionem*, impetum, temeritatem, præcipitantiam. radix enim שאה ſignificat irrumpere cū A impetu & præcipitare) qua ſcilicet diuitiis inſolēs & tumidus irrumpam in thronum Dei, atque arroganter cum Lucifero dicā: Quis eſt Dominus? quis mihi dominetur? ego ſum ſimilis Altiſſimo, imò Deus in regno meo, vti dicebat Pharao, Exodi. 5. & rex Tyri Ezech. 28. 2. *Deus*, inquit, *ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris.* Ita hunc locū explicat S. Baſil in Regulis fuſiùs diſput. interrog. 20. *Salomon*, ait, *hic diuitias ſaturitatem, egeſtatem verò ſummam rerum ad vitam neceſſariarum inopiam definit, nimirum ex eo quòd dicit neceſſaria, medium quid inter egeſtatem & abundantiam rerū ad vſum neceſſariarum declarans.* Et S. Ambroſ. in pſal. 118. octonario 8. *Hæc enim*, inquit, *tentamenta duo maxima S. Salomō oratione ſua declarauit & rogauit, vt poſſet excludere, dicens: Diuitias autē & paupertatem ne dederis mihi, ſed ordina mihi quæ opus ſunt, & quæ abundent, ne* B *repletus mendax fiam, & dicam: Quis me videt: aut pauper rapiam & periurem nomen Dei. Potes igitur tu iſta tentamenta contemnere quæ formidauit Salomon; qui ſapientiā poſtulauit, & meruit? Diues erat, timuit extolli: pauper fieri formidauit, ne paupertatis neceſſitate abſtinētiæ gratiā non teneret.* Probat id exemplis. *Quam multi qui videbantur ſancti eſſe, ceciderunt ab altitudine cordis ſui? Quàm multi aliqua neceſſitate deiecti, non potuerunt contenti eſſe in iniuria, qui fuerant virtutū exercitio roborati? Rarus Iob inuenitur in terris, qui & diuitias amiſit & filios, & vibicibus corporis exarabatur, cùm vermes toto corpore fluerent, à Dei tamen charitate nō potuit ſeparari.* Et S. Bern. ſerm. 2. in Domin Palmar. *Licèt*, inquit, *multos occidat aduerſitas, tamē multò plures extollit proſperitas: ſicut ſcriptū eſt, Cadent à latere tuo mille, ſiniſtro ſcilicet, per quod ſignatur aduerſitas: & decem millia, id eſt multò plures, à dextris tuis, in* C *quibus proſperitas deſignatur.. Denique quia vtrobique periculum eſt, orat Sapiens & dicit: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ne fortè aut diuitiæ extollerent in ſuperbiam; aut paupertas deiiceret in impatientiam.* Mediocritas optanda.

Simile fuit votum Catharinæ reginæ Angliæ, vxoris Henrici VIII. quæ deinde iniuſtè ab eo repudiata vitam martyrio perſimilem egit. de qua ita ſcribit Sanderus l. 1. de Schiſmate Anglic. Solebat Chatarina ſæpiſſimè apud ſuos dicere, fortunā ſe nec aſperrimam, nec leniſſimam, ſi daretur optio, electuram; cùm vtraq; ſuas tentationes ac pericula habeat; ſed mediam potiùs ac temperatam: ſi tamen alterutra eligenda eſſet, malle ſe triſtiſſimā quàm blandiſſimam: infelicibus enim raro deeſſe conſolationem, fortunatiſſimis ferè ſemper mentem. Gnoma.

D A Salomone hanc ſententiam didicit accepitque Plato & Philoſophi: Plato enim lib. 3. de Legibus. *In quocumque*, inquit, *hominum cœtu nec inopia, nec diuitiæ ſunt, huic iuſtiſſimi mores aderunt; neq. enim ibi contumelia aut iniuria locum habet.* Exemplum eſt in Sparta, à qua Lycurgus ſuſtulit opes & inopiā, ideoque optimos & iuſtiſſimos habuit ciues. S. Baſilius tractat. de Legendis libris Gentilium citat gnomen Theognidis dicentis:

Non ego diuitias, non opto magna, ſed adſint
Parua, modò vt viuam lætus & abſque malis.

Simile eſt votum Socratis apud Platonem in fine Phædri: *O amice Pan*, inquit, *& omnes qui hunc locū incolitis Dij, date mihi vt pulcher intus efficiar, & quæcumq; extrinſecus habeo, intrinſecus ſint amica: Diuitem autem ſapientem ſolum exiſtimem: Tantum verò mihi ſit auri, quantum nec ducere, nec ferre queat alius quàm vir temperans.* Nam vt ait S. Ambroſ. in l. 6.

Hexam.c.8 citans hanc Salomonis gnomen: *Fugienda & cauenda ſunt tentamenta mundi, ne pauper deſperet, ne opulentus inſoleſcat.* Maximus ſerm.13.citat S.Chryſoſt, dicentē: *Diues eſt non qui multa poſsidet, ſed qui non multis indiget.* Et Philonem: *Vir bonus & paucis egens, in mortis & naturæ immortalis cōſinio quodam eſt. Nam indiget quidem propter mortale corpus, ſed non multis propter animum immortalitatis appetentem.* Democritum: *Sumptuoſam menſam apponit fortuna: quæ ſatis ſit, temperantia* Denique Apoſtolus 1 Tim. 6.6. *Eſt*, inquit, *quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*, id eſt cum animo ſibi ſufficienti, ſuiſque licet modicis contento. vbi plura hac de re dixi.

Dices, Salomon erat rex opulentiſſimus; regi autem non eſt timenda paupertas, cùm regem neceſſe ſit opibus abundare. Reſpondent aliqui cum Ianſenio, hæc eſſe verba Agur, non Salomonis; ſed hoc confutaui v.1. Alij meliùs cenſent Salomonē hîc induere perſonā cuiuſlibet priuati & plebeij, vt eum doceat modum orandi, ſcilicet petere alimenta neceſſaria, vt liber ſit tam à copia quàm ab inopia. Hoc enim maiori hominum parti, & communi eorum vitæ minùs perfectæ magis conſonū & contemperatum videtur. Nam pauci perfecti nec diuitias nec paupertatem metuunt, ſed dicunt cum Paulo: *Scio & humiliari, ſcio & abundare (vbiq; & in omnibus inſtitutus ſum:) & ſaturari & eſurire, & abundare, & penuriam pati*, Philip.4.12. Et cū Pſalte: *Proba me Domine* (penuria & afflictione) *& tenta me: vre renes meos & cor meum*, pſal.25.2. Id verum eſt: vnde S.Chryſoſt. hom 18 in epiſt ad Hebr. & S.Ambroſ.in pſal.118.octon 8. dicunt hæc verba Salomonis conuenire hominibus veteris Teſtamenti, quia imperfecti erant.

Poteſt tamen hæc gnome accipi, vt dicta in perſona regis Salomonis, tū quia rex poteſt excidere ſolio & regno, fieriq; priuatus, vti accidit Mithridati, Tigrani, Antiocho, Deiotaro, Perſeo, Ptolemæo, Cleopatræ, aliiſq; regibus à Romanis deuictis, tùm quia rex ſæpè eſt pauperior priuato; quia, etſi multas habeat opes, tamen plures habet officialium, vrbium, fabricarum, bellorum expenſas, ita vt ad illas opes regales non ſufficiant: vti hodie in nonnullis regnis oculis cernimus. opes enim illæ æſtimandæ ſunt, quæ ſunt liberæ ab onere expenſarum. Quare mercator habens centum millia aureorum libera, ſæpè ditior eſt rege qui annuè quindecim colligit milliones, ſed omnes obligatos ad ſoluenda debita, bellorum expenſas, alioſque regni ſumptus. Hinc ſubinde egeſtas cogit reges furari & prædari, non florenos vel aureos, ſed integras vrbes, prouincias & regna, dum vel aliena inuadunt, vel propria per tributa vel præſides & milites expilant.

Dices Secundò, Salomon hîc videtur vituperare & damnare paupertatem Religioſorum ac Ordines Mendicantium. Reſp. Nequaquam, ſed modum viuendi ſuæ ætati congruum præſcribit, qui ſcilicet conueniebat Iudæis; quin & maiori Chriſtianorum parti, qui eſt moderatè viuere, ita vt neceſſaria ſuppetant, ſuperflua abſint: hic enim modus communi hominum generi congruit, eſtque ſalutaris. Chriſtus autem huic perfectius vitæ genus adiunxit, cùm ſuaſit paupertatem Euangelicā tam exemplo, quàm verbo. Vnde ipſe ait: *Ego autē mendicus ſum & pauper*, pſal. 39.18. Et, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autē hominis nō habet vbi caput reclinet*, Mat.8.20. Porrò hæc paupertas Chriſti longè alia eſt à paupertate quā deprecatur Salomon: hæc enim eſt inuoluntaria & coacta, qualis eſt mendicorum; Chriſti verò eſt voluntaria & libera, quam ſcilicet Apoſtoli & Religioſi ſponte aſſumunt exemplo Chriſti tū humilitatis ſtudio, tum vt affectum ab opibus rebuſque terrenis auocent, eumq; totum in Deum & res diuinas transferant. ita reſpondet S.Thom.3 p.q.40 art.3. ad 1. Quocirca Chriſtus ait Matth.5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnū cælorum.* Vide Hieron. Platum lib.1 de Bono ſtatus Relig. c.9. & l.2. c.8. Addit Bellarm. lib.2. Monachis c.46. Salomonē loqui de mendicitate quæ expoſita eſt periculo, at talis non eſt Religioſorum, qui ſciunt certò nil ſibi defore, quia Chriſtus eis promiſit centuplum in hac vita. Matth.19. Imò videntur Religioſi, inquit, ad literam petere quod Sapiens petit; nec enim volunt diuitias, & ideo eas relinquunt; nec tamen volunt mendicitatem periculoſam, qua moriantur fame: & ideo dicunt, *Tribue tantùm victui meo neceſſaria.*

Myſticè, hæc de diuitiis & mendicitate ſpiritali, putà de exceſſu & defectu ſapientiæ, virtutum, conſolationum & gratiarum accipiunt S. Hier. in c.2. Eccleſ. & S.Bernard. ſer. 68. in Cant. quem audi, *Pernicioſa paupertas, penuria meritorum: præſumptio autem ſpiritus, fallaces diuitiæ: & ideo, Diuitias & paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens.* Audi & S. Hieron. *Non ſolùm temporalis lætitia, ſed etiam ſpiritualis, eſt tentatio poſsidenti, ita vt aliquando indigeam angelo corripiente & angelo ſatanæ, qui me colaphizet, ne hinc eleuer Vnde & Salomon ait: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi.*

Tantvm tribve victvi meo necessaria] Hebr. eſt verbum טָרַף *taraph*, id eſt prædari, rapere, carpere, cibare. Vnde ad verbum ſic vertas, *carpere me fac panem ſtatuti mei*, vel *panem mihi demēſum*, id eſt meæ neceſſitati ſufficientē & commenſum, iuxta illud quod orare nos docuit Chriſtus Matth.6.11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Græcè eſt *panem ἐπιούσιον*, id eſt ſubſtantialem vel ſubſtantiuum, id eſt ad ſubſtantialem noſtram pertinentem, ſcilicet quotidie neceſſarium vt in vita ſubſiſtamus, quem alij cibarium vocant. Ita S.Chryſoſt. S.Baſil. Theophyl. Euthym. & alij in Matth.c.6. Vnde Syrus vertit, *panē indigētiæ noſtræ.* Vox ergo *carpere* ſignificat hunc panem quotidie per partes petendum & carpendum eſſe frugaliter & tenuiter, ſicut boues, oues & iumenta quotidie carpunt puta gramina, ex iiſque victitant. Alij, *ciba me cibo congruentiæ meæ*; Aquila, *inſtitue mihi victum ſufficientem*; Chald. *enutri me pane ſufficienti mihi*; Septuag. *conſtitue mihi quæ neceſſaria & ſufficientia*; S. Ambr. in pſal.118.octon.8. *ſed ordina mihi, quæ opus ſunt, & quæ abundent*, id eſt, conſtitue mihi neceſſaria vitæ non arctè & parcè; ſed largè & abundanter, quamquam alij legendum cenſeant, *nec abundent*: hoc enim exigere videtur antitheſis: petit enim ſufficientia, deprecatur ſuperflua: ſufficientia, inquam, naturæ, non auaritiæ: auaritiæ enim nihil ſufficere poteſt, etiamſi totum mundum, vt eſt luxurioſa, poſſideat.

Præclarè S. Auguſt. ſerm. 15. de Diuerſis cap. 15. *Iſtæ*, inquit, *iniuſtæ diuitiæ dicuntur, nō quia iniuſtū eſt aurum & argentum; ſed quia iniuſtum eſt eas diuitias putare quæ non auferunt egeſtatem. Tanto enim quiſque ardebit egeſtate, quanto magis eas diligēs maiores habuerit. Quomodo ergo ſūt diuitiæ, quibus creſcentibus creſcit inopia*,

inopia, quæ amatoribus ſuis quanto fuerint ampliores, nõ auferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditatem? Diuitem tu putas, qui minus egeret ſi minus haberet? Probat id exemplis: *Nam vidimus quoſdã, cùm haberent paruam pecuniam, paruis lucris fuiſſe contentos: ſed poſtquã cœpit eis abundare verũ quidem corpus auri & argenti; ſed tamẽ falſæ diuitiæ, cùm parua obtuleris, iam recuſant, credis iam eos eſſe ſatiatos: ſed falſum eſt. Nam maior pecunia fauces auaritiæ non claudit, ſed extendit; non irrigat, ſed accendit, poculum reſpuunt, quia flumium ſitiunt.*

Notat Caiet. in 3. part. q. 40. art. 3. Salomonem hîc *neceſſaria* ponere vt medium quid inter diuitias & paupertatem, vt qui neceſſaria dumtaxat habeat, nec diues nec pauper ſit cenſendus, ſed medius inter vtrumque: ac proinde Religioſum, qui pauper eſt, & paupertatem profitetur, debere carere non tantùm ſuperfluis, ſed & ſubinde neceſſariis: his enim non rarò indiget is qui verè pauper eſt.

Benedictio S. Franciſci. Idem quod Salomon hîc precatur, imprecatus eſt & impetrauit S Franciſcus hoſpiti ſuo in villa Tyſi, quinto à monte Aluerniæ milliario. Cùm enim ab eo beneuolè hoſpitio fuiſſet exceptus, eius domui benedixit, prædixitque eius progeniei à generatione in generationem duraturæ, neque diuitias neque paupertatem Deum daturum, ſed quæ commodæ vitæ & victui eſſent neceſſaria. Antiqui hujus vaticinij adhuc recens eſt in dicto loco memoria, domus illa vocatur S Franciſci, omnibuſq; Franciſcanis tranſeuntibus patet ad hoſpitium, eſtque hoſpitalis & liberalis, vti narrat Lucas Waddingus in Annalibus Minorũ anno Chriſti 1215. n. 11. *Habentes ergo*, vt ait Apoſtol. *alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*, 1. Timot. 6. 8. Vbi egregiè S. Hieron. excurrit in hunc modum: *Nudi nati ſumus, nudi etiam morituri: quidquid hîc inuenitur, hîc relinquetur. Non eſt noſtrum, quod non ſemper noſtrum eſt. Tamquam peregrini ergo ſufficienti vſu contenti ſimus: illas diuitias acquiramus, quas nobiſcum ad cæleſtem patriam ferre poſſimus. Habentes alimenta, &c. Sufficientiam priùs dixerat, quidquid his amplius eſt, diuitiis deputetur.* hæc S. Hieronymus.

VERS. 9. NE FORTE SATIATVS ILLICIAR AD NEGANDVM, ET DICAM: QVIS EST DOMINVS? AVT NECESSITATE COMPVLSVS FVRER, ET PERIVREM NOMEN DEI MEI] Hebr. *ne fortè ſatier & negem*, vel *mentiar, & dicam*; Septuag. *ne ſaturatus mendax fiam, & dicam, Ecquis me videt?* Pro *periurem*, hebr. eſt *apprehendam nomen Domini*; ſcilicet vt eo quaſi clypeo apprehenſo tuear meum mendacium, quo nego furtum à me commiſſum, ac me de eo accuſantes eludam. Pagnin *& aſſumam in vanum nomen Domini*, Chald. *violem nomen Dei mei*; Septuag, *peierem*.

Cauſa cur opes recuſandæ. Prima. Cauſam cur diuitias deprecetur dat, quòd illæ pariant rerum copiam, gulam & ſatiem, quæ gignit faſtũ, qui ſenſim intumeſcens adeò creſcit, vt neget Deum, omneq. numen, ac dicat: Quis eſt Dominus qui mihi opes adimat? aut iis pro libito ad omnem gulam & luxuriam vti fruique me vetet? Hæc enim eſt ratio cur diuites & voluptuarij negent Deum, quia ſcilicet volunt liberè ſine metu pœnæ & vindictæ indulgere ſuis cupidinibus & libidinibus, & quia ſciunt Deum illas vetare, iiſq; minari grauiſſimas pœnas in gehenna: hinc vt eius metum excutiant, libereq; epulentur & luxurientur, dicunt: Non eſt Deus, non eſt numen, non eſt prouidentia quæ me videat, iudicet, damnet, puniat.

A Hæc enim eſt cauſa atheiſmi, cur ſcilicet voluptuarij fiant athei, juxta illud pſalm. 13. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Cauſam ſubdit. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* q. d. Quia corruperunt ſua ſtudia, id eſt cogitationes, actiones & mores, ideo negarunt Deum, ne eius vindictam extimeſcerent.

Secunda. Altera ratio eſt, quòd auari & diuitiarum cupidi opes ſuas ament colantque quaſi idolũ; ſemper enim de iis parandis, ſeruandis, augendis cogitant, illiſque omnes affectus, ſtudia & labores impendunt, illarum cupiditati per omnia obediunt, atq; in eis omne bonum vltimumque finem collocant: quare earum cauſa Dei cultum negligunt, eius præcepta violant, ac tandem ejus prouidentiam negant Vnde auaritia ab Apoſtolo vocatur *idolorum ſeruitus*, Epheſ. 5. 5. vide ibidem S. Chryſoſt. homil. 18. & hom. 6. in epiſt. ad Roman. vbi do-
B cet auaros verè eſſe idololatras, quia auri idolum in mente ſibi efformarunt, illique & corpus & ani-animam ſacrificant.

Tertia. Tertia ratio eſt, quòd vnum ſcelus ducat ad aliud, & minus impellat ad maius, quo fit vt diues creſcens in ſuperbia, auaritia, gula, iniuſtitia, omnique ſcelere, tandem labatur in hæreſim, atheiſmũ, idololatriam, vti lapſus eſt Salomõ, ac hoc ſæculo multos prolapſos vidimus. *Opes dantur ad atheiſmũ cur?* Hæc enim eſt iuſta Dei vindicta, qua vnum ſcelus alio punit, ac tandẽ ſceleratos ſinit ruere in atheiſmum vel idololatriam: ſciũt enim ſcelerati idola eſſe lapidea & lignea nec habere vim ſe vindicandi & ſceleſtos puniendi; quare malunt illis ſeruire, vt ſint impunes, quàm Deo vero, qui acerrimus eſt vindex ſcelerum. Hoc
C eſt quod Ephraim ait apud Oſee c. 12. 8. *Diues effectus ſum: inueni idolum mihi: omnes labores mei nõ inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* q. d. Effinxi mihi idolum, quod in omni meo opere & labore nullis me legibus aſtringet, ac proinde nullius me ſceleris arguet, nullis me pœnis mulctabit. Hinc S. Ambr. l. 2. Offic. c. 7. *Auaritia*, inquit, *perfidiæ vicina eſt.* Et S. Aug. lib. 5. de Ciuit. docet olim homines ab idolis ad Dei cultum paupertate conuerſos, ac paupertate in eo creuiſſe, per opes verò à fide in perfidiam relabi. Exemplum eſt in Hebr. qui epulantes & ſaturi deſciuerunt à Deo, & fabricarunt ſibi idolum vituli aurei, juxta illud Exodi 32. 4. & 6. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, dicentes: *Iſti ſunt dij tui Iſrael qui te eduxerũt de terra Ægypti.* & illud Deut. 32. 15. *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit: impinguatus, dilatatus dereliquit Deũ*
D *factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in diis alienis.* Similiter guloſus & luxurioſus pro idolo habet ſuam gulam & luxuriã, juxta illud Philip 3. 19. *Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Nam vt ait eleganter Tertull. cõtra Pſychicos: *Deus illis venter eſt, & pulmo templũ, & aqualiculus altare, & ſacerdos coquus, cuius tota charitas in cacabis feruet, tota fides in culinis calet, tota ſpes in ferculis iacet.*

Opes ſunt occaſio ſcelerũ. Moraliter hîc diſce opes, licet in ſe nec bonæ, nec malæ ſint, ſed adiaphoræ, multis tamẽ eſſe occaſionem & illecebram ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, iniuſtitiæ & impietatis, idque ob innatam homini ad hæc concupiſcentiam. Vnde Anton. in Meliſſa 1. part. c 31. citat de iis Patrum, & ſapientũ gnomas. *Gnomæ.* S. Chryſoſtomi: *Pauper non tam deſiderat neceſſaria, quàm ſuperflua diues: nec rurſus tantam vim aut facultatem habet pauper ad exercendum improbitatem, quantam diues. Si quis cupiditate ſuperior vincitur à pecuniis, nec cupi-*

cupiditatem quidem ſæpè vincit, ſed à natura accepit, vt paruũ ei moleſtia ſit hæc: non enim omnes ſimiliter luxurioſi ſunt. Radix omnium malorum eſt pecuniæ ſtudiũ: *deſiderium enim diuitiarum eſt periurium, furtum, rapina, ſcortatio, inuidia, cædes, odium fratrum, bellum, auaritia, ſimulatio, adulatio.* Gregorij Niſſeni: *Honeſtè poßidere pauca, multò præſtabilius eſt, quàm improbè multa poßidere. Nulla lucrandi ſatietas vnquã oboritur, ſed quod ſubinde accipitur, materia & fomentũ maioris deſiderij fit.* Clementis: *Optimæ ſunt opes inopia cupiditatũ.* Phil. *Diuitiarum decus non in loculis ſitum eſt, ſed in auxilio egentibus exhibendo.* Nili: *Ne velis diteſcere ea cauſa vt liberalis ſis in pauperes: Deus enim iuſtum iubet miſereri ex iis quæ habet.* Plutarchi: *Vt veſtes talares corpora, ſic opes immodicæ animas impediunt. Equus generoſus nõ ex apparatu pretioſo iudicatur, ſed qui natura ſit egregius; neque vir honeſtus, qui magni pretij poßidet opes, ſed qui* B *generoſo animo ſit.* Democriti: *Aßidua ineſt cunctis hominibus diuitiarũ cupiditas: non acquiſita enim cruciat, acquiſita verò curis fatigat, perdita denique triſtitia conficit. Naturales diuitiæ conſtãt pane & aqua, & parabili corporis tegumento; ſuperfluæ verò infinitã in animo cupiditatis vexationẽ habent.* Euſeb. *Diuitiæ multis malis quaſi velum prætexunt.* Chilonis: *Quid eſt opulentia? Theſaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis ſuppeditatio.* Ipſius Chriſti: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Matth. 19. 24. S. Pauli: *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; græcè φιλαργυρία, id eſt amor pecuniæ, 1. Tim. 6. 10. Maximus verò ſerm. 12. inter alios perplures citat gnomen Luciani:

Editus in lucem nudus ſum, nudus abibo:
Quid fruſtra ſudo, funera nuda videns?

C Additque, Ariſtides cognomento Iuſtus, cùm quidam ei diues paupertatem exprobraret: *Mihi,* inquit, *paupertas nihil mali videndum præbebit, tibi autẽ diuitiæ turbas non paucas.* Hiero cùm vituperaretur, quòd cùm multos rhetoricari docuiſſet, ipſe egeret: *Atqui,* inquit, *diteſcere non docui eos, neq; pecuniæ ſtudere.* Muſonius: *Crœſi quidem & Cyri theſauros nunquam extremæ paupertati obnoxios damnabimus; vnum autem ſolum diuitem credimus ſapientem, vt qui poßit vbique tantum reperire, quantũ indigentia poſtulat.* Xenophon philoſophus: *Paupertatem per ſe doctam philoſophiam eſſe dicebat: quæ enim hæc verbo ſuadet, illa opere cogit. Multorum malorum tegumentum eſt opulentia.* Idem *diuitem & indoctum ſordes inargentatas eſſe dicebat. Etiamſi fueris terræ decem millium cubitorum dominus, mortuus tamen eris trium aut quatuor: ſunt quidam qui non in hac preſenti vita viuunt, ſed magno ſtudio præparant, quaſi alteram vitam ſint acturi, non* D *hanc præſentem.*

Paupertas eſt philoſophus gratis.

Opum damno.

Rurſum Anton. in Meliſſa c. 33. & 34 citat illud S. Baſilij: *Gaudeas, ô homo, in penuria, quia Lazari bona te ſequentur. Aurum eſt laqueus animorum, hamus mortis, eſca peccati. Pauper eſt laqueus animorum: multorum autem indigos facit cupiditas inſatiabilis. Quémadmodum ebriis magis magiſq; occaſionem bibendi vinũ bibitũ præſtat: ſic etiam homines recenter ditati cùm multa poßideant, plura deſiderant, ex ipſa rerum acceßione morbum fouentes, & ſuum eis ſtudium vertitur in contrariũ. Quidquid vides, quidquid imaginaris, aurum eſt. Hæc tibi dormienti ſomnium, & vigilanti cogitatio eſt: nam vt qui per inſaniã delirant non ipſas res vident, ſed quæ eis affectio ſuggerit, imaginantur: ſic animus tibi auaritia detentus, nihil quàm aurum & argentum videt, & ſuauius quidem aurũ, quàm ſol conſpectui tuo ſe offert.*

Denique Secundus Philoſophus interrogatus A ab Adriano Imp. *Quid ſunt diuitiæ?* reſpondit: *Auri pondus, curarum adminiſter, inſatiabilis inuidia, deſiderium inexplebile, inuiſa concupiſcentia. Quid paupertas? odibile donum, ſanitatis mater, curarum remotio, ſapientiæ inuentrix, abſque ſollicitudine felicitas.*

Paupertatis incommoda.

Cauſam verò cur paupertatem deprecetur, ſubdit Salomon, dicens: *Ne egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei*: paupertas enim vt ſe ditet, procliuis eſt ad furtũ, quod vt tegat mentitur, vtq; mendacio credatur, addit iuramentum, & peierat. Hinc videmus pauperes & mendicos furaces, tertio quoque verbo iurare & ſæpè peierare.

Huc faciunt gnomæ ſapientum quas recitat Maximus ſerm 12. Cratonis: *Nulla maior eſt in vita calamitas paupertate.* Et Simonidis, qui rogatus vtrum magis expetendum, diuitiæ an ſapientia? *Neſcio,* inquit: *Video tamen ſapientes diuitum ianuas frequentare,* Et Theognidis:

Non fruſtra te Plute colunt, venerantur & omnes:
Namque tibi facile eſt non leue ferre malum.

Et Euripidis in Danaë. *O aurum pulcherrima felicitas hominibus,* Ariſtotelis: *Paupertas multis eget, inſatiabilis cupiditas omnibus.* Democratis: *Si non multa concupiſcas, pauca etiam multa videbuntur: exigua enim appetentia paupertatem opulentiæ parem efficit.* Sixti, non Pontificis (vt voluit Ruffinus, ſed Pythagorei ſentent. 90. *Contentus eſto mediocribus.* S. Cypriani lib. 5. epiſt. 2. *Dum inſatiabiles multum volumus, totum perdimus.*

Vers. 10. Ne accvses (Syrus, *ne prodas*) servvm ad dominvm svvm, ne forte maledicat tibi, et corrvas] Hebr. *ne crimineris lingua,* aut *crimen imponas ſeruo apud dominum ſuum, ne fortè maledixerit tibi, & delinquas;* Chald. *ne maledixerit tibi, & reus peragaris;* Septuag. *ne tradas ſeruum in manus domini, nequando maledicat te, & delearis,* Illa verò extrema, *Ne delearis,* Aquila, Symmac. & Theodot. ſic vertunt, *ne pecces, ne dilinquas.* Hebr. enim אשם *aſcam* ſignificat Primò, delinquere, peccare; Secundò, reum peccati peragi; Tertio, ob peccatum puniri & deſolari: alludit enim vti literis & voce, ſic & ſignificato ad שמם *ſcamam*, id eſt deſolari. Aliqui vertunt, *ne affleris* vel *exuffleris*, quia *aſcam*, inquiunt ſignificat propter culpam vel pœnam eſſe efflandũ & exſibilandum, vt cum afflatu quodam fiat abominationi & horrori ſpectantibus. Iam

Primò, Rabbini, & ex iis Baynus, hanc gnomen limitant ad ſeruum Gentilium, qui ad filios Iſrael confugiebat, vt à gentiliſmo conuerſus ad iudaiſmum proſelytus fieret, quẽ proinde non reddendum hero Gentili, ſed apud Iudæos libertate donandum ipſi arbitrantur, de eoque accipiunt illud Deuter. 23 15 *Non trades ſeruum domino ſuo qui ad te confugerit: habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requieſcet: ne contriſtes eum.*

Secundò, meliùs & pleniùs Lyran. Hugo, Ianſen Arboreus & alij, hæc accipiũt de quolibet ſeruo, quem vetat accuſari apud herum temerè & ſine graui cauſa, præſertim ex dicacitate vel odio, vt illi noceas, illumq́ue per herum affligas. Hoc enim crudelitatis eſt, & hoc ſignificat Hebr. תלשן *talſcẽ*, id eſt linguauit, lingua detulit, à rad. לשון *laſcon*, id de lingua: & ſic vulgò dicimus, loquaces & detractores longiorẽ æquo habere linguam. Nam alioqui lex iubet Deuter. 22. aberrantem bouem vel ouem reduci ad dominum, quanto magis ſeruum? quis enim hæc ſibi fieri nolit? vitia ſeruorum ſuorum quis nolit cognoſcere? ad vtriuſque commodum

dum ſpectat, ſi quid delinquat ſeruus vt herus intelligat. Reddit huius præcepti rationem: *Ne fortè maledicat tibi, & corruas* vel *delinquas. Ne maledicat*, id eſt, ne tibi malè precetur, ne te execretur, q. d. Non minùs metuenda eſt maledictio pauperis & impotentis iniuſtè læſi, quàm vires & opes diuitum: habent enim Deum vltorem impotentes, & viduæ & orphani, ceterique qui humana deſtituuntur ope, præſertim dum ad eum clamant, eique ſuam iniuriam corde grauiter ſaucio commendant: quo fiet vt Deus eos exaudiens ſinat te, qui eos iniquè accuſaſti, in ſimile malum corruere ſimiliterq; affligi. Vnde Salomonem de more ſecutus Eccleſiaſt. c. 4. 3. *Cor inopis*, inquit, *ne affixeris, & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum*, Pro *ne corruas*, valdè appoſitè cum Chaldæo vertas, *ne reus agaris*, q. d. Noli temerè accuſare ſeruum apud herum, ne ſeruus à te accuſatus tibi maledicat, id eſt malè de te loquatur, teque pariter accuſet, & occultum aliquod facinus pandat, ob quod reus agaris, damneris & puniaris, talis enim eſt indoles ſeruorum. Hic ſenſus valdè appoſitus eſt. A ſimili idem dicas de quouis ſubdito vel inferiore: Noli ſubditū temerè accuſare apud Superiorem, ne ipſe pariter de te malè loquatur, teque accuſet & reum peragat: vnde & Vatabl. vertit, *ne fortè maledicat tibi, & pecces. q. d. Ne poſteaquam peccaueris, contingat tibi maledictio*, vt ſit hyſteron proteron.

Docet hæc gnome, nullum eſſe quantumuis vilem ſpernendum vel lædendum, quòd nemo tam vilis ſit, qui ſe vindicare & lædentem viciſſim lædere nequeat. Vnde illud: *Canis in ſuo fimeto, & mendicus ſuo in loco poteſt plurimùm*. Quot heri à ſeruis, quot principes à cerdonibus cæſi ſunt?

Myſticè Beda: *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Hunc ergo ille Domino ſuo tradit, qui quemlibet delinquentem & reſipiſcere volentem, ſua exhortatione aut exemplo præterita delicta repetere ſuadet.* Sic & auctor Catenæ Græcor.

Vers. 11. GENERATIO, QVÆ PATRI SVO MALEDICIT,
Vers. 12. ET QVÆ MATRI SVÆ NON BENEDICIT. GENERATIO, QVÆ SIBI MVNDA VIDETVR, ET TAMEN
Vers. 13. NON EST LOTA A SORDIBVS SVIS. GENERATIO, CVIVS EXCELSI SVNT OCVLI, ET PALPEBRÆ
Vers. 14. EIVS IN ALTA SVRRECTÆ. GENERATIO, QVÆ PRO DENTIBVS GLADIOS HABET, ET COMMANDIT MOLARIBVS SVIS, VT COMEDAT INOPES DE TERRA, ET PAVPERES EX HOMINIBVS] Subiungit hic Salomon alia vitia imprimis cauenda, multa docens & philoſophans per quaternaria potiſſimùm ſex. Et primùm quidem ponit quatuor *generationes*, hoc eſt, genera hominum, quæ inſinuat maximè deteſtanda eſſe, ob vitia ſingulariter mala, ait Ianſen.

Qui ergo hanc gnomen præcedenti attexere ſatagunt, nodum in ſcirpo quærunt, eamque magis extenuant & obſcurant quàm illuſtrant. Hæc ergo gnome vti & ceteræ, illuſtris, per ſe ſola conſiſtit. Hinc enim incipiunt gryphi & ænigmata ſex, quorum quodque quadrimembre eſt, & quaternario clauditur.

Dor. i. generatio, tria notat. Hebr. דור *dor*, id eſt *generatio*, tria ſignificat: Primò, ætatem hominis; Secundò, ſæculum; Tertiò, genus hominum. Hinc tripliciter hæc gnome exponitur.

Primò, Primò, de quatuor ætatibus hominis; ſcilicet pueritia, adoleſcētia, iuuentute, & virili ætate: pueritiæ enim congruit prima gnome, quia ſolēt pueri parentibus obſtrepere: adoleſcentiæ congruit ſecunda, quia adoleſcentes videntur candidi & puri, & tamen ob bullientē ſanguinem proni ſunt in iras, rixas, libidines: iuuentuti congruit tertia, quia iuuenes ſpiritoſi ſunt & animoſi, ideoq; excelſa ambiunt & ſubinde maiora viribus: virili ætati congruit quarta, quia viri vt vxores, proles & familiam alant, non rarò expilant alios præſertim inopes & pauperes. Cenſent ergo hoc eſſe ſymbolum quatuor ætatum vitæ hominis. Verum hic ſenſus longè petitus & alienus videtur.

Secundò. Secundo, alij per *dor* accipiunt ſæculum, quaſi hic notet quatuor mundi ſæcula, quibus præcipua quatuor ſcelera viguerunt. Primo enim ſæculo ante Abraham viguit idololatria: ſecundo poſt Abraham vſque ad Chriſtum viguit iudaiſmus, & Iudæorum hypocriſis: tertio poſt Chriſtum viguit hæreſis vſque ad tempora S. Gregorij: quarto poſt S. Gregorium viguit vigetque improbitas, oppreſſiones & tyrannides Chriſtianorum. Prima ergo generatio notat idololatras: hi enim patrem ſuum, id eſt Deū, & matrem ſuam, hoc eſt Eccleſiam, maledictis proſcindunt. Secunda generatio Iudæos notat, qui propterea quòd carnem deforis externis quibuſdam lauacris & baptiſmatibus eluunt, ſibi munditiem arrogant, cùm tamen ſordes animi minimè deponant. Tertia generatio hæreticos adumbrat, quos faſtus, ſuperbia & elatio animi à vera fide deficientes in tam diſſimiles ſectas compulit. Quarta generatio malos Chriſtianos innuit, qui ab omni miſericordia & manſuetudine alieni viſcera induūt ferrea, & in proximos ſæuitiem exercent. Verùm hæc expoſitio myſtica potiùs eſt quàm literalis, vt myſtica tamen non incommoda, imò congrua eſt.

Tertiò, genuinè. Tertiò & genuinè *dor* hic, vti & alibi, ſignificat genus & conditionem variorum hominum: quorum præcipua quatuor vitia hic deſcribuntur, ſcilicet Primò, ingratitudo & impietas in parentes; Secundò, hypocryſis fictaq; ſanctimonia; Tertiò, ſuperbia & faſtus; Quartò, iniuria, vis & oppreſſio pauperum: hæc enim quatuor maximè totum orbem exagitant & turbant, ac Deo præ ceteris exoſa ſunt ideoque ea ſingulis, vt ab iis ſibi caueant, proponit hic Salomon. Generatio ergo, ſcilicet praua, & peruerſa & impia, eſt quadruplex. Vnde Septuag. clarè vertunt, *filius malus*, vel vt auctor Catenæ Græc. *ſoboles proleſq; mala patri maledicit, & matri non benedicit. Soboles proleſq; mala iuſtum ſeipſam indicat: neque tamen exortas ſui ſordes abluit. Soboles mala elatos præ ſe fert oculos, ſuiſq; ſeſe palpebris extollit. Soboles mala dentes habet ſimiles gladiis, & molares inſtar forcipis* (vel *bidentum, bipennium aſciarum*: omnia enim hæc ſignificat vox τομὶς) *ſcindentes, vt deuoret, & è terra abſumat infirmos & humiles, & pauperes eorum ex hominibus tollat.*

Quatuor genera inſignium peccatorum. Primum. Prima ergo *generatio*, id eſt genus, ait Ianſen eſt eorum, qui per ſummam ingratitudinem peccant in eos quibus maxima debetur gratia. *Generatio*, inquit ſubaudi *eſt*: hoc eſt, quoddā eſt genus hominum, & ſunt quidā, qui ſuo patri etiam malè precātur, aut de eo malè loquuntur: & ſimiliter matrī nōn benedicunt, ſicut deberent, ſed contrà maledicunt. *Secundum.* Secundum genus eſt eorum, qui falsò ſibī vendicant ſanctimoniam. *Generatio*, inquit, *quæ ſibi munda videtur, cùm non ſit lota à ſordibus ſuis*; hoc eſt,

ſunt

ſunt qui ſe mūdos eſſe putant, cùm tamē immundi-tias ſuas nō abluerint: quod fit vel quia ignorant immunditias ſuas & vitia, vel quia eas non curant. A

Tertium. Tertiū genus eſt eorum, qui tanta inflati ſunt ſuperbia, vt ipſo etiam vultu geſtuque exteriori illam planè præ ſe ferant, nec eā in animo occultare valeāt. *Generatio*, inquit, *cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in altum ſurrectæ*, ipſo oculorum habitu declarantes ſe alta petere, omneſq; præ ſe contemnere. Quartū genus eſt eorum, qui tantæ ſunt crudelitatis, vt feras imitentur, & quaſi humanam carnē dentibus ſuis edant, quos exprimit dicens: *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet*, hoc eſt, cuius dentes ſunt quaſi gladij; quo nihil aliud ſignificatur, quàm quoſdam adeò crudeliter in alios ſæuire, ad perdendum eos ſiue facto, ſiue verbo, aut ad diripiendum eorum bona, & excoriandum eos, vt videantur ferarum more eos dentibus ſuis diſſecare & commandere, atq; confringere molaribus ſuis. B

Quartum.

Noſter in Hebr. legit, מְאַכְּלוֹת *meackelot*, id eſt deuorantes, ſiue *commandentes molares eius*, hoc eſt *commandit molaribus ſuis*: iam aliis punctis legunt, מַאֲכָלוֹת *maachalot*, id eſt cultros vnde vertunt *cultros habet molares*, id eſt, dentes molares habet acutos, vt non tam dentes quam cultri acutiſſimi eſſe videantur. Eſt metaphora. q. d. Deuorant & expilant pauperes tam crudeliter, ac ſi inſtar ferarum dentibus velut cultris eos dilaniarent & diſſecarēt. Hoc quartum genus ceteris tribus eſt deterius adeoque omnium peſſimum & ſæuiſſimum, ideoque quarto & vltimo loco ponitur quaſi culmen & apex malitiæ. Sic in ſequentibus quaternariis, quod quarto loco ponitur, in eis eſt ſummum.

Hunc eſſe ſenſum liquet, tum ex ipſis cuiuſlibet in hoc quaternione ſententiæ verbis, tum ex ſequentibus: quartam enim auarorum & raptorum generationem explicat, dum ilicò ſubdit: *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, Affer*, Primam verò, ſcilicet impiorum in parentes, generationē proſequitur, dum ſtatim poſt *ſanguiſugam*, quaſi ad caput generationum quatuor rediens, ſubiicit v. 17. *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui*. Secundā deinde generationem hypocritarum perſequitur, v. 18. 19. 20 præſertim dum nominat, *Viam viri in adoleſcentia*, additq; *Talis eſt via mulieris adulteræ quæ comedit, & tergens os ſuum dicit, Non ſum operata malum*. Tertiam denique faſtu ſublimem generationem pertexit v. 21. & 22. eiuſdem dans exempla: *Per tria*, inquit, *mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere: per ſeruum cùm regnauerit: per ſtultum cùm ſaturatus fuerit pane: per odioſam mulierem cùm in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillam cùm fuerit heres dominæ ſuæ*. C D

Duodecim ſtatuum duodecim vitia. Simili ſchemate ſingularum generationum, ſiue ſtatuum, abuſus & vitia eleganter per earumdem antitheſes digeſſit S. Aug. vel quiſquis eſt auctor (nam alij aſſcribunt S. Cypriano, alij Climaco, alij aliis) tract. de 12. Abuſionibus c. 9. *Primus*, inquit, *abuſionis gradus eſt, ſi ſine bonis operibus ſapiēs & prædicator fuerit, qui quod ſermone docet, actibus complere negligit. Secundus, ſi ſine religione ſenex eſſe inuenitur. Tertius ſi adoleſcens ſine obedientia deprehēditur. Quartus eſt, diues ſine eleemoſyna. Quintus eſt, femina ſine pudicitia. Sextus eſt, dominus ſine virtute. Septimus eſt, Chriſtianus contentioſus. Octauus eſt, pauper ſuperbus. Nonus eſt, rex iniquus. Decimus eſt, Epiſcopus negligens. Vndecimus eſt, plebs ſine diſciplina. Duodecimus eſt, populus ſine lege*. Quæ deinde ſingula copioſè proſequitur.

A Nota v. 12. *Non eſt lota à ſordibus ſuis*, Noſter cum Hebr. legit מִצֹּאָתוֹ *mittſoato*, id eſt à ſordibus ſuis: Sept. verò alio puncto legerūt, מִצֵּאתוֹ *mittſeato*, id eſt ab exitu ſuo: vnde vertunt, *exitum ſuum nō lauit*; vel, vt auctor Catenæ Græc. *exortûs ſui ſordes nō abluit*. Alludit ad ſecūdinas & ſordes, quibus inuoluti pueri naſcuntur, dum ex vtero matris in lucem prodeunt, à quibus ilico obſtetrices eos abluunt, iuxta illud Ezech. 16. 4. *In die ortus tui nō eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua nō es lota in ſalutē, nec ſale ſalita*.

Per *ſordes exitus* accipe concupiſcentiam cuique innatam & propriam. Alij enim ex parentibus trahunt complexionem cholericam, ac proni ſunt in iram; alij ſanguineam, ac proni ſunt in libidinem; alij phlegmaticam, ac proni ſunt in pigritiam; alij melancholicam, & proni ſunt in triſtitiam. Porrò difficile eſt cuique hanc ſuam complexionem, illique inſidentem concupiſcentiam ſuperare, quia quaſi ingenita eſt & connaturalis cuique: vnde pauciſſimi ſunt etiam viri ſancti, qui eam ita mortificent, vt non repullulet, juxta illud: B

Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.

Hinc pro magno, & penè pro miraculo, habetur, quod legimus in Vita S. Ignatij fundatoris Societatis Ieſu, ipſum ſcilicet, cùm natura eſſet cholericus, ita perdomuiſſe naturam & choleram, vt videretur lentus & phlegmaticus. Alij hanc partem referunt ad ſpurios: his enim libido, leuitas & vitia parentum non rarò ita adhærent, vt ex hoc ſolo eos ſpurios eſſe dignoſcas. Ratio eſt, quia parentum intemperantia & libido inficit ſemen, ex quo geniti filij inſita illi parentum vitia contrahunt: & eſto quandoque ad tempus ea corrigant; tamen datâ occaſione vel tentatione in illa relabuntur. Vnde Septuag. vertunt, *& non lauit exitum ſuum*. q. d. Eſto ſpurius ſubinde rectè viuat, tamē nequit eluere paternam maculam & vitium inolitū, quod à parte in ortu ſuo contraxit, quin in illud recidat. Vnde Baldus in c. fin de tranſlat. Epiſcop. circa mediū. *Spurius*, inquit, *legitimatus, aut aliqua ratione nobilitatus, ſimilis eſt ægro curato à vulnere, cuius aliqua ſemper remanet cicatrix*. Et clarè Sapiens cap. 4. v. 6. *Ex iniquis enim ſomnis*, inquit, *filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes ſuos in interrogatione ſua*. Idem à Salomone didicere philoſophi. Vnde Plutarch. tract. de Nobilit. *Abſurda eſt*, inquit, *ſophiſtarum contra nobilitatem calumnia, qui vulgaria etiā & omnibus notiſſima non conſiderant; nempe quòd generandæ ſobolis gratia generoſi equi & canes emantur, item vitium, olearum, & reliquarum arborum optima quæque ſemina: homini autem nihil ad futuram ſucceſſionem generis nobilitatem conferre putant, ſed tantùm valere ſiue barbaram, ſiue Græcam originem. Neque credunt latentia quædam principia & ſemina virtutis in generatione liberis communicari, vt Telemacho Vlyſſis, de quo Homerus clariſſimo vocabulo vtens dixit: Inſtillata patris virtus tibi; tamquam aſſereret ad paucas ſeminum guttas paternæ virtutis bona confluere*.

Spurij vitioſi. *Ratio à priori.* *Generoſi.*

Xenophon de ſcriptis Theognidis: *Indicabat*, ait, *non hominem, non aliud quid bonum futurum, niſi ex bonis parentibus prognatū. Arietes, aſinos & equos, ô Cyrne, generoſos quærimus, & vnuſquiſque cupit hæc animalia ex bono genere parare ſibi*. Ariſtot. l. 3. Polit. c. 6. docet ex nobilibus & ingenuis viris conſtituendā eſſe ciuitatem, cauſamque dat, quod ex iis prodeant viri generoſi qui ciuitatem illuſtrent. *Inſuper*, ait, *conſentaneum eſt ex melioribus ortos eſſe meliores: eſt enim generis virtus, nobilitas*.

Deni-

Nobiles mũdi tumidi.

Deniq; tertiam generationem eorum, qui altis A inceduut ſuperciliis, nonnulli attribuũt mundanæ nobilitati & nobilibus, qui celſis oculis, faſtuq; tumidi, deſpiciunt plebeios: vti faciunt Brachmanes apud Indos, qui in hodiernum diem ita genere ſuo inflantur, vt cum plebeiis nec loqui, nec veſci, nec habitare dignentur. Et Naires apud Calecutum, qui velut nobiles à plebeio ſe tangi nõ patiuntur, ſed ſi caſu à quo tangantur, eum fuſte vel gladio mulctant, teſte Oſorio lib. 1. de Geſtis Emmanuelis.

Gnoma.

Salluſt. in Iugurth. *Metello*, ait, *quamquam virtus, gloria & alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat illi contemptor animus & ſuperbia, commune nobilitatis malum.* Cicero act. 7. in Verrem: *Hominum nobilium,* ait, *non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ fauet: nullis noſtris officiis beneuolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura & genere diſiuncti ſunt, ita diſsident à nobis animo &* B *voluntate, quemadmodum ſanguine.*

Plutarch. in Moral. id declarat ſimilitudine duarum auium, ſpini ſcilicet & hori: *Inter agathallos,* inquit, *& acanthides* (ſic vocat huiuſmodi auiculas) *tantum eſt odium, vt ſi ſanguis earum vi miſceatur, continuò ſecernat ſe, ac diſsiliat: ſic inter patricios & plebem, ſi quando pro rerum vſu coniungantur & conſpirent, durat tamen vſque odium naturale.*

Vera nobilitas eſt virtus. Gnoma.

Verùm hic faſtus nõ eſt indoles veræ nobilitatis, ſed vitium. Vera enim nobilitas eſt modeſtia, animique demiſſio. Vnde Diogenes rogatus: *Quinam hominũ eſſent nobiliſsimi:* reſpondit: *Qui diuitias, gloriam, voluptatem, denique vitam contemnunt, & vincunt contraria, paupertatem, infamiam, dolorem, & mortem.* Demoſthenes: *Nobiles,* ait, *& honeſtos in primis decet, vt perſeuerent habere pulchritudinem, in facie, temperantiam in anima, in vtriſq; fortitudinem, & in verbis gratiam.* Ita Stobæus ſerm. 89. Ariſtot in Polit. l. 6. c. 5. *Gratioſorum,* ait, *& mentem habentium nobiliũ eſt, ſuſcipere egenos, & occaſionem præbentes conuertere* C *ad res agendas.* Sublimiùs S. Baſil. apud Maxim. ſer. 63, *Non poſſumus,* inquit, *patres & maiores nobiles dicere: nam veritatis lex cuiuſq; requirit laudes: non enim idcirco equus eſt celer, ſi ex celerrimis natus ſit: ſed quemadmodum ceterorum animalium in ſe quodque ſpectatur, ſic viri laudes teſtatæ ſunt ex ſuis cuiuſque præclaris factis.* Et S. Gregor. Nazianz. ibidem:

Famæ malæ pudeat: malum non te genus,
Moueat: genus pridem tuum computruit.
Genus vel ad finem trahas,
Vt vel bonus, vel ex bonis ſis editus.

S. Chryſ. *Non maiorum nobilitas ſed animi virtus nobilem & ſplendidum efficere ſolet.* Greg. Nyſſen. *Generoſitas & grauitas ſuperbiæ, cum latere cognationẽ habet,* vel, vt citat. Anton. in Meliſſa part. 2. c. 74. *Generis nobilitas & faſtus ſuperbi cogitationẽ habent cum figlinis lateribus,* nimirũ quia omnes homines in Ada- D mo, ex luto, vt lateres originem ducunt: ex *adama* enim, id eſt terra & luto, formatus eſt protoplaſtus, indeque dictus *Adam*, quaſi homo ab humo.

Vers. 15. SANGVISVGÆ DVÆ SVNT FILIÆ DICENTES: AFFER, AFFER. TRIA SVNT INSATVRABILIA, ET

Vers. 16. QVARTVM QVOD NVMQVAM DICIT, SVFFICIT: INFERNVS, ET OS VVLVÆ, ET TERRA QVÆ NON SATIATVR AQVA: IGNIS VERO NVMQVAM DICIT, SVFFICIT] Septuag. repetunt geminantq; τὸ *& aqua;* ſic enim habent: *Et terra quæ non ſatiatur aqua, & aqua & ignis non dicent, Sufficit,* ita Vatican. & Complut. licet auctor Catenæ Græcor. deleat τὸ *& aqua,* ſicut delent Hebr. Chald. Vulgata, & ceteri. Pro *os vuluæ* hebr. eſt *clauſura vuluæ*, putà A eiuſdem orificium anguſtum, ait Vatabl. Alij accipiunt mulierem ſterilem, cuius vuluam concluſit Dominus, & tamen ardenter cupit habere prolem, qualis fuit Anna mater Samuelis.

Nonnulli v. 15. à duobus ſequentibus diſtinguunt, & conſequenter cenſent duplex hîc eſſe ænigma, vnum ſanguiſugæ, alterum trium vel quatuor inſaturabilium: alij verò hos tres verſus connectunt, vt vnum idemque ænigma proponant. Quod vt liquidius fiat:

Aluka qui. Reſp. Primò.

Quæritur Primò, quid ſignificet Hebr. עֲלוּקָה *aluka*, quod Noſter vertit, *ſanguiſuga*?

Primò. Aben Ezra Hebr. *aluka*, id eſt ſanguiſuga, per metatheſin accipit pro עֲקִילָה *akula*, id eſt prauitas, tortuoſitas, peruerſitas, radix enim עָקַל, *akal*, ſignificat eſſe prauum, tortuoſum, peruerſum: vnde B nonnulli putant hac voce notari crocodilum, qui tortuoſus eſt, ſæuus & peruerſus, ideoq; dicit, Affer, Affer: quia alia vno ictu glutit & deuorat, alia ſenſim mandit & dentibus comminuit. Iam crocodilus ſymbolum eſt mortis, quia mors inſtar crocodili ſæuit in omnes, & alios quidem cito interitu, alios lento morbo & tabe conſumit.

Secundò.

Secundò R. Saadia & alij apud Pagnin. in Lexico, *aluka* vertunt, *priuationem*, q. d. *Priuationis duæ filiæ ſunt, Affer, Affer.* Hoc eſt mors alios vita priuat in vtero materno, alios poſt natiuitatem ex vtero.

Tertiò.

Tertiò, alij apud R. Salomonem *aluka*, cenſent eſſe ſynonymum שְׁאוֹל *ſceol*, id eſt inferni, & deſcenſus: huius duæ filiæ ſunt, gehenna & hortus deliciarum, quorum alter aſſiduis vocibus ſceleratos, alter verò iuſtos ſibi depoſcit. Nam tempore Salomonis omnes, etiam iuſti, poſt mortem deſcendebant ad inferos, expectantes Chriſtum, qui pre- C tio mortis ſuæ cælum eis reſeraret; iuſtis ergo limbus patrum erat quaſi hortus deliciarum. Verùm hæc omnia Rabbinica ſunt figmenta.

Quartò genuinè.

Conſtanter enim Septuag. Chald. Noſter, Symmach. & alij paſſim *aluka* vertunt *ſanguiſugam* ſiue hirudinem. Vnde & Arabes (quorum lingua affinis eſt Hebrææ) hirudinem vocant *aleka*, & Germani, Angli, Belgæ *egel*.

Duæ filiæ ſanguiſugæ quæ?

Quæritur Secundò, quænam ſit hæc ſanguiſuga ſiue hirudo, & quæ eius filiæ? ſuppono per duas filias alludi ad duo ſanguiſugæ ora, quibus ob ingẽtem ſugendi auiditatem prædita eſt, vt magis ſugere ſuamq; auiditatem explere queat. Vnde Plin. l. 30. c. 10. *Ergo,* ait, *ſugẽtia ora forcibus præcipidũt.* Imò Berchorius ex S. Iſidor. os hirudinis eſſe tribus quaſi angulis diſtinctum, vt tribus partibus carnem incidat, & ſanguinem ſugat. Duæ ergo filiæ D metaphoricè hîc vocantur duplex os, & duplex auiditas ſugendi. Nam propriè hirudo non generat, nec habet filias; ſed naſcitur ex aqua limoſa æquè ac limaces: licet Aldrouandus dubitet an non quandoque oua emittat, è quibus filias excludat.

Duplex os hirudinis ſignum eſt eam duplicem habere guſtũ, eò quòd ſanguis dulciſſimè ei ſapiat. ſic enim Ariſtot. ex eò quòd ſerpentes bifidam habeant linguã, colligit eos duplicẽ habere guſtum. imò Andreas Veſalius, inſignis Anatomic. aſſerit hirudini eſſe fiſtulam in ore, qua cutem terebret, vt ſanguinẽ quem ſitit hauriat. Alij hirudini dant linguam biſulcam & fiſtulatam, quam penitus carni infigat. Aldrouandus tom. de Inſectis c. de hirudine, ait eam habere os inſtar aculei, & quidem triſulci, quo triſulcum vulnus carni infligit.

Iam

Reſpondeo Primò. Iam Primò, Beda, Hugo, Lyranus & Salonius per *ſanguiſugã* accipiunt diabolum, qui, inquiunt, *ſiti peccãdi ac peccata ſuadendi ſemper accenditur.* Hinc duæ eius filiæ, ſunt duæ ſpecialis humani generis illecebræ, luxuria videlicet & phylargyria. Sicut enim hirudo non bonum, ſed corruptum ſanguinem ſugit: ita diabolus non niſi malas haſce cupiditates ſitit, vt eaſdem in homine excitet. Alij per *ſanguiſugam* accipiunt auaritiam, alij concupiſcentiam. Verùm hæc omnia myſtica ſunt.

Secundò. Secundò, phyſicè aliqui per haſce ſanguiſugas, ſiue quatuor inſaturabilia, intelligunt generationem rerum: nam infernus ſiue ſtatus mortuorum, repræſentat rerum corruptionem & mortem: os vuluæ earumdem generationem & ortum, quorũ vtrumque vſque ad finem mundi durat & durabit, nec vmquam expletur. Reliqua duo elementa, putà terra & ignis repræſentat res per quas fit generatio & corruptio, ſcilicet per terram, dum humorem & aquam in ſe aſſiduè ſuſcipit, ac per ignẽ, qui omnia calefacit, ſemper agit, cunctaque in terra agitat, fœcundat, immutat. Verùm hæc ſymbola ſunt rei phyſicæ, non ethicæ, quam hìc præcipuè ſpectat Salomon.

Tertiò genuinè. Dico ergo hos tres verſus eodẽ ſpectare, ideoque non duo, ſed vnum idemq; eſſe ænigma ſanguiſugæ & quatuor inſaturabilium, ac proinde ſanguiſugam notare quatuor inſaturabilia, vt idẽ ſit ſanguiſuga quod inſatiabilitas, ſiue inexplebilis auiditas: huius enim idea & ſymbolum eſt ſanguiſuga, iuxta illud:

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Id ita eſſe liquet Primò, quia tam Hebræi quàm Romani eodem v.15 comprehendunt tam ſanguiſugæ filias, quàm tria, imò quatuor inſaturabilia. Secundò, quia id ſignificant Hebræa, & planè euincunt Septuag. ſic enim vertunt, *ſanguiſugæ tres erant filiæ admodum dilectæ, & tres illæ non explebant illam, & quarta dicere nequibat,* Satis eſt. Hoc eſt ænigma: iam eius ſolutionem totidem numeris ſubiiciunt dicendo: *Tria ſunt inſatiabilia, & quartum numquam dicit, Sufficit: Infernus, amor mulieris, & terra aqua non ſaturata, ſed ignis quoque & aqua numquam dicunt, Sufficit.* & clarè Arabicus: *Sanguiſuga tres habet filias amabiles, diligens eas ſummo amore, & has tres non ſatiauit, & quartæ non dedit ſufficientiam, vt dicat, Satis eſt mihi. & ſunt: Infernus, & amor mulieris, & terra dura quæ non eſt ſatiata imbre, & aqua & ignis numquam dixerunt, Sufficit.*

Sanguiſuga cum duabus filiabus idem quod tria vel quatuor inſaturabilia. Idẽ erit ſenſus in Latina Vulgata, ſi ſanguiſugam ad numerũ voces: ipſa enim cum duabus filiabus erit tertia, ſicq; tres ſanguiſugæ præcisè reſpondent tribus inſaturabilibus, cum iiſque in re idẽ ſunt. Ex quibus omnino apparet, quatuor inſaturabilia eſſe eadem cũ duabus filiabus ſanguiſugæ: quatuor enim illa primùm numero binario, deinde ternario, & deniq; quaternario deſignantur. q.d. Duo ſunt inſaturabilia, & quæ numquam dicunt Sufficit, ſed dicũt, Affer, Affer; imò tria ſunt inſaturabilia, imò quatuor. Eſt enim hìc & in ſequẽtibus quaternariis gradatio, ac talis modus loquendi, qualis eſt apud Amos, qui ſimilibus vſus

Amos c. 1. eſt quaternariis in deſcribendis plurium gentium ſceleribus, cùm dicit: *Super tribus ſceleribus, & ſuper quatuor*; pro eo quod eſt, Tria sũt ſcelera, imò quatuor, propter quæ non conuertã vel non parcam. Sic & Prou.6. vbi nos habemus: *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius*; Hebr.

A non eſt *ſeptimum*, ſed *ſeptem*, q.d. Sex ſunt, imò ſeptem, quæ odit Dominus, & deteſtatur anima eius.

Vnde pro eo quod nos habemus, *& quartum numquam dicit, Sufficit*: hebr. eſt, & (Vatabl. *imò*) *quatuor numquam dicunt, Satis eſt.* Duæ ergo ſanguiſugę filiæ dicentis *Affer, Affer*; vel, vt hebr. eſt, *da, da*, ſunt prima duo inſaturabilia, putà infernus & os vuluæ: hęc duo vocãtur duæ filiæ ſanguiſugæ, quia ſicut ſanguiſuga duo habet ora, quæ ſanguine ſatiari nequeunt, ſic & infernus ac os vuluæ ſunt quaſi duo ora quæ numquã ſaturantur, iuxta illud:

Infernus inſatiabiliter caua guttura pandit.

Hinc infernus hebr. vocatur שְׁאוֹל *ſceol*, quod ſemper poſtulet: שָׁאַל *ſcaal* enim eſt poſtulare: Latinis vocatur Orcus, quòd omnes ad mortem vrgeat, ait Feſtus, vt poſt mortem eos glutiat. Igitur in-

B fernus, id eſt mors, perditio & ſtatus mortuorum, ait Ianſen. (cito eius verba, quia clara, conciſa, ſolida) eſt velut os omnia deuorans, nec vmquam ſatiatur, ita vt ſemper reipſa dicat, Affer, & eius nomen rectè dici poſſit הַב *hab*, vt eſt hebraicè, hoc eſt *da*. Similiter & os vuluæ; quia concupiſcentia mulieris ſemper deſiderat viri congreſſum; ita vt reipſa dicat *Affer*, & dici etiam poſſit nomen eius *hab*, id eſt *da*. Inſatiabilis enim eſt mulieris libido, iuxta illud Poëtæ:

Delaſſata quidem, ſed non ſatiata receſſit.

Hebræa non habent, *os vuluæ*, ſed *clauſio vuluæ*, vel *vteri*, hoc eſt matrix impedita, contracta & ſterilis, vt ſignificetur inſatiabile deſiderium mulieris ſterilis, cuius Dominus concluſit vterum ne pariat: hæc enim concubitus magis eſt auida quàm ceteræ, tum propter deſiderium habendæ prolis, tum

C quòd fœcundæ & grauidæ naturaliter non appetant concubitum, cùm ſint vtero quaſi ſtomacho pleno, vt docent medici; ſterilium verò matrix non dilatetur per conceptum, maneatque vacua. Duæ ergo prædictæ filiæ hirudinis ſunt ex numero quatuor inſaturabilium. Tertium inſaturabile eſt terra, quæ nõ facilè ſaturatur aqua, quam ſemper imbibit, maximè ſabuloſa. Quartum eſt ignis, qui appoſitione lignorum non extinguitur, ſed magis magiſque ſemper accenditur, ſemperque ampliùs & ampliùs conſumit & vorat.

Verùm ſub hoc ſenſu phyſico literali, & ſub hoc cortice literæ, ethicum inſigne latet ſymbolum, quod nunc indagandum eſt.

Quæritur ergo Tertiò, quid ethicè & ſymbolicè ſignificet ſanguiſuga cum duabus filiabus, ſiue quatuor inſaturabilia, putà infernus, os vuluæ, *Sanguiſuga & quatuor inſaturabilia quæ?*

D terra quæ aqua non ſatiatur, & ignis?

Reſpondeo Primò ſanguiſuga ethicè ſignificat concupiſcentiam, cuius duæ, imò tres & quatuor filię inſaturabiles, ſunt quatuor primaria vitia, ſiue vitioſæ cupiditates, putà ira, libido, auaritia & ambitio, è quibus quatuor quaſi radicibus ceterę cupiditates & vitia oriuntur. Vnde S. Aug. de Ciuit. Dei lib.14.c.15. *Libido*, inquit, *generale vocabulum eſt omnis cupiditatis. Eſt enim libido vlciſcendi, quæ ira dicitur: eſt libido habẽdi, quæ auaritia nominatur: eſt libido ſeu appetẽtia delectabiliũ, quæ luxuria dicitur: eſt libido gloriandi & dominãdi, quæ iactãtia ſeu amlatio appellatur.*

Prima ergo eſt ira & inuidia, ſiue vindictæ & nocendi cupiditas, quæ rectè per infernum horridum, & tenebroſum ſignificatur, quòd mortem deſideret; nec morte ipſa ſatiari poteſt, ſed ſemper in alterius malum & perniciem concitatur, omnia arrodens, omnia deſtruens. Secunda eſt concupiſcentia *Reſp. Primò, infernus eſt ira, os vuluæ eſt libido, terra eſt auaritia, ignis eſt ſuperbia.*

ſcentia carnis per os vuluæ rectè deſignata, quòd in ea maximè vigeat, vt dictum eſt: libido enim in vtroq; ſexu non extinguitur, nec ſatiatur ipſo vſu ſed eius deſiderium vſu magis excitatur. Tertia eſt *concupiſcentia oculorum*, vt vocat Ioannes; vt Paulus φιλαργυρία, auaritia ſcilicet, quę terrę cōparatur, quòd omnino terrena ſit, terrenis tantùm inhęrēs rebus, ad cuius etiam ſimilitudinem nunquam ſatiatur diuitijs, ſicut illa, maximè arenoſa, quamuis multa aqua in ſe ſuſcepta, parata eſt ſemper amplius ſuſcipere. Vnde & hydropico auarus comparatur, eique accommodatur illud:

1. Ioan. 2. Gloſſ. 3.

Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

Quarta eſt cupiditas gloriæ, quæ ſuperbia eſt, rectéq; igni aſſimilatur, quòd, ſicut ignis ſemper alta petit, ita & ſuperbia: & ſicut ignis omnia deuorat, ita ſuperbia omnia ſibi ſubijcere cupit, nec ſatiatur omnibus etiā ſibi ſubiectis, ſemper vlteriora petens: ſicut patuit in Alexandro, qui cùm ſubiecto à ſe orbe audiuiſſet philoſophos de alijs mundis diſputantes, ingemuiſſe dicitur, quaſi dolens vnum tantùm ſibi ſubiectum eſſe.

Huc accedit Anaſtaſius Nicenus in Quæſt. S. Scripturæ quęſt. 41, qui Septuag. ſecutus: *Hirudini* ait, id eſt, *peccato, tres ſunt filiæ dilectæ, fornicatio, inuidia, idololatria.* Huc pertinet illud S. Auguſt. (vel quiſquis eſt auctor: ſtylus enim arguit non eſſe S. Auguſt. Hipponenſis Epiſcopi) lib. de Salutar. docum. ca. 49. *Tria ſunt in hoc mundo deteriora omni malo: Anima peccatoris cum peccato perſeuerans, quæ nigrior coruo eſt, & mali angeli qui eam rapiunt, & infernus in quem ducitur. Nō ſunt enim deteriora his tribus. Eadem enim anima metu futuri iudicij expaueſcens, & putredinem ſuam inſpiciens, dicit: Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Iterū tria ſunt quibus in hoc mundo non ſunt meliora: anima ſancti in bonis operibus perſeuerans, quæ ſpecioſior eſt ſole, & ſancti angeli qui eam ſuſcipiunt; & paradiſus in quem ducitur, & expectatio regni cæleſtis. His tribus non ſunt meliora in hoc mundo. Angeli enim ſancti delectant animam ſpiritali cantico, ſicut Pſalmiſta ait: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti Domine, habitabit in tabernaculis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate. Hæc frater chariſſime meditemur.*

Sanguiſuga typus concupiſcentiæ. Primò.

Hinc concupiſcentiæ ſymbolum appoſitum eſt ſanguiſuga: Primò, quia ſicut hęc in aqua limoſa voluitur, ac impensè ſitit ſanguinem; ſic & concupiſcentia tota eſt carnalis & terrena, atq; in carne & ſanguine volutatur, nec niſi carnalia cōcupiſcit. *Secundo.* Secundò, vtraque eſt inſatiabilis, nec patitur retardari ſuas appetitiones, ſed quàm celerrimè & creberrimè eas explet. *Tertiò.* Tertio, vtraq; mollis eſt & delicata. *Quarto.* Quarto, ſanguiſuga purum ſanguinem non tangit, ſed tabidum & corruptum, eoque delectatur: ſic & concupiſcētia non niſi prauis deſiderijs, cogitationibus, operibus gaudet. v.g. iratus nō cogitat niſi iniurias ſibi irrogatas: omnia etiā candidè facta, ſiniſtrè interpretatur quaſi facta ex odio: quęrit modos vlciſcendi, &c. guloſus non cogitat niſi de ventre & ſordibus, luxurioſus non niſi de ſpurca libidine, &c. *Quinto.* Quintò, ſanguiſugæ ſugendo ſanguinem, hominem tandem exhauriunt & enecant. Eſt genus ſanguiſugarum, quod Germani ab equo vocāt *roſſeglen*, eò quòd nouē illarum equū interimant: ſic concupiſcentia vires corporis & animi exhaurit, hominiq; cauſa eſt mortis pręſentis & æternę. *Sexto.* Sexto, ſaguiſuga tenaciter adhæret cor-

A pori, vnde dicitur hirudo ab hęrendo (licet quantitas diſſentiat; *hirudo* enim breuem habet primā, *hæreo* longam) ait Pontanus, ſic concupiſcentia tenaciſſimè adhæret animæ, vt faciliùs dentem ex ore quàm concupiſcentiam ex anima excuſſeris. *Septimo.* Septimo, ſanguiſuga eſt venenata, vnde ſolent eā chirurgi priùs aqua dulci macerare, vt in ea venenum ponat, teſte Galeno tom. 5. claſſe 6. cap. 1. ſic concupiſcētia venenum eſt animę, illam inficiens, corrūpens, & perimens. *Octauo.* Octauo, ſanguiſuga fiſtulam habet in ore, qua cutim perforat: ſic concupiſcentia habet aculeum, quo conſcientiam vulnerat. *Nono.* Nono, ſaniſuga in vere per teporem aëris & aquæ generatur, idque prouido Dei naturæque conſilio, vt ſanguini eodem tempore & eadem de cauſa abundanti & bullienti occurrat, cumque ſugendo minuat, ne inflammationes, febres, & morbos

B cauſet: ſic in vere ob ſanguinem feruentē exardeſcit concupiſcentia iræ, gulæ, libidinis, ſuperbię: &c. *Decimo.* Decimo, hirudo mouetur rependo, vt reptile, ſcilicet nūc extendendo, nunc contrahendo caudam ad caput: ſic concupiſcentia repit humi, dum terrena ambit, & circa ea nunc ſe extendit, nūc ſe contrahit & inuoluit. *Vndecimo.* Vndecimo, ſanguiſugę cùm carni adhęreſcunt, quanto magis trahuntur, tantò fortiùs inſident donec rūpantur: ad hęc corruptum ſanguinem ebibunt, itaq; alios ſanando ſeipſas occidunt, ait Aldrouandus. Idem facit concupiſcentia, præſertim inuidiæ & irę quę dum alios mordet, eos à vitijs ſanat, & ſeipſam liuore tabefacit ac conſumit. *Duodecimo.* Duodecimò, ſanguiſuga fumi eſt impatiens, vnde vt eam detrahāt fumum adhibent, quem cùm ſentit, ſponte abcedit, ait Aldrouandus, ſic cōcupiſcentia cohibetur fumo iræ Dei

C & gehennæ, vbi ignis & fumus tormentorum aſcendit in ſecula ſeculorum, teſte Iſaia cap. 30. 33. & S. Ioanne Apoc. 14. 11. Dum enim quis hęc ſeriò meditatur, concupiſcentiam compeſcit: ſibi enim dicit: *Caue modicum quod delectat, vt vites æternum quod crucias.* *Decimotertio.* Decimotertio, ſanguiſugę ſunt duę filiæ dicentes, Affer, Affer, hoc eſt, duo ora aſſiduè ſugentia: concupiſcentiæ duo ſunt officia, ſcilicet ſibi indulgere; & alijs nocere; ſe amare, & alios odiſſe; ſua retinere, & aliena rapere; ſe ſatiare, & alios lædere & exhaurire. *Decimoquarto.* Decimoquartò, S. Iſidor. lib. 12. Origen. cap. 5. *Sanguiſuga, ait, vbi vſpiam adhæſerit, ſanguinem haurit, & cùm nimio cruore maduerit, id euomit quod hauſit, vt recentiorem denuo ſugat:* ſic cupiditas vbi adepta eſt quod concupiuit, id nauſeando reſpuit, ac nouas delicias quęrit, velúti cùm guloſi euomūt delicias & vina, vt nouis

D ſe ingurgitent. *Decimoquinto.* Decimoquinto, Galenus loco citato docet ſanguiſugas delicijs ſanguinis ineſcatas, cùm tenaciùs adhęreſcunt, reuelli inſperſo ſale aut cinere: tunc enim ſponte decidere: ſic recta ratio & ſapientia, cuius ſymbolum eſt ſal, ac cineris, (id eſt mortis) memoria reſtinguunt ſitim cupiditatis. Hæc omnia quæ de concupiſcentia in genere dixi, cuilibet particulari cupiditati, putà iræ, gulæ, luxuriæ, auaritiæ, ſuperbiæ, &c. accommodes, & mutato nomine appropries. *Decimoſexto.* Denique ſanguiſuga os habet inſtar trianguli, quod vulnus infligit triangulare, vt ad oculum patet: ſic concupiſcentia tria infligit vulnera, ſcilicet corpori, animæ & menti.

Charitas inſatiabilis.

Porrò cupiditati ſiue concupiſcentię opponitur charitas, putà amori carnis amor Dei, quæ multò magis inſatiabilis eſt: quia nullis terminis, nullis

A

meritis,nullis progreſſibus,nullis laboribus,nullis periculis,nullis tormentis ſatiatur,quin ſẽper maiora pro Deo ſibi dilectiſſimo & pati & agere cõcupiſcat. Charitas ergo eſt ſanguiſuga,quę ſemper dicit, Affer, Affer labores & dolores, virtutes & merita,animas & populos,quos ad Dei cultum & ſalutẽ traducam. Ipſa pariter capacior eſt inferno, fertilior ore uuluę,ſitiẽtior terra ſabuloſa,igne ardentior,iuxta illud Cant.8.6. *Fortis eſt vt mors dilectio,dura ſicut infernus ęmulatio,lãpades,eius lampades ignis atq; flammarũ. Aquæ multę non potuerunt extinguere charitatẽ,nec flumina obruent illam:ſi dederit homo omnẽ ſubſtantiã domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpeciet eã.* Talis fuit charitas inſatiabilis S. Pauli,de qua plura dixi procemio in Epiſtolas eius,& procem.in Acta Apoſt. Talis pariter fuit charitas S.Dominici,S.Franciſci,S.Ignatij,S.Xauerij.

Ira eſt ſanguiſuga inſatiabilis.

B

Igitur prima ſanguiſuga eſt ira,tum ob analogias iã recenſitas; tum quia ad ſe interiùs ex omnibus partibus allicit ſanguinem,eumq; accendit: vnde iratis extimæ partes pallent. *Nã his qui ad vindictã anhelant,ita circũ pręcordia ſanguis feruet,quaſi vi ignis ebulliat & exæſtuet,* ait S. Baſil. ho. de ira,tũ quia *ira eſt homicidij mater,& homicidij bibax,* ait S. Chryſoſt. in c.6. Matth. Rurſum ira in quatuor inſaturabilibus rectè cõparatur inferno, tum quia eſt cauſa iniuriarum & cędium,quę homines tranſmittunt ad ſepulcrum & infernum,iuxta illud Chriſti: *Qui dixerit* (proximo,qui iraſcitur) *Fatue, reus erit gehenna ignis,* Matth.5.22. Tum quia ira ſimilis eſt incendio gehennæ, vt homo iratus videatur eſſe dæmon infernalis furore ardens,ſicut ait Nazian. in carm. de ira,& S.Baſil. homil. de ira: *Sicut*, inquit, *qui charitatem habet, Deum in ſe habet: ita qui odium & iram habet,dæmonem in ſe continet.*

Iratus ſimilis dæmoni.

Ira furia.

C

Audi & Senecam li.2. de Ira: *Qualia*, inquit *poetæ inferna monſtra finxerunt, ſuccincta ſerpentibus & igneo flatu; quales ad bella excitanda pacemq; lacerandam teterrimæ inferi exeunt furiæ; qualem Cerberum tricipitem.flammas vomentem; talem nobis iram figuremus.*

Inſuper ſicut ignis inferni vrit,ſed non lucet,ideoque ardentiſſimus eſt,ſed obſcuriſſimus,teſte S. Baſil. in pſal. 28. ſic ira accẽdit animum,ſed rationem obtenebrat,vt homo non videat quid agat.

Gula eſt ſepulcrum & infernus.

Porrò nonnulli per *infernum* accipiunt gulam: quia hæc Primò,inſatiabilis eſt vt infernus; Secũdò corpora tabefacit,putida facit & cõſumit,velut ſepulchrum & infernus: vnde Nazianz. in carm. de diuerſis vitæ gener. *Non epulum*, inquit, *adeo,ne ſerò domum redeam,& ventrem ſepulcri adinſtar vinus referam.* vide S. Chryſoſt. homil.29. in Matth.

Luxuria eſt ſanguiſuga.

D

Secundò,luxuria eſt ſanguiſuga,quia ſanguinem optimũ(tale enim eſt ſemen) ac ſpiritus nobiliſſimos abſumit, hominemque facit pallidum, lùridum,exanguem. Vnde Theocritus idyll.2.

Heu crudelis amor,noſtro ſaturate cruore,
Summæ affixa cuti velut hunc ſuxiſſet hirudo.

Rursũ luxuria denotatur per os uuluæ,præſertim meretricis, quod inſaturabiliter ipſa appetit, vti notant Beda, Hugo, Arbor. Caiet. Ianſen. & alij. Hinc Sept. pro *os vuluæ* vertũt *amor mulieris.* Vnde & S. Hier. cõtra Iouin. ex Sept. legẽs, *amor mulieris,* ſic ait, *Non hic de meretrice,nõ de adultera dicitur; ſed amor mulieris generaliter accuſatur,qui ſemper inſatiabilis eſt,qui extinctus accenditur,& poſt copiam rurſum inops eſt.animumq; virilẽ effeminat,& exceptâ paſſione quam ſuſtinet,aliud non ſinit cogitare,nec ipſo vſu extinguitur, ſed immoderatiùs ac vehementiùs inflammatur.*

A

Auaritia eſt ſanguiſuga.

Tertiò,per ſanguiſugam accipias auaritiam; hæc enim eſt tertia filia,vt vertunt Septuag. ſanguiſugę,id eſt cupiditatis: ſanguiſuga enim ſugere non ceſſat,donec totam ſe ſanguine repleat; tunc verò ſugere deſinit,& decidit. Vnde Plin. *Decidunt ſatietate,pondere ipſo ſanguinis detractæ.* At auari cupiditas nullis opibus ſatiatur,ſed quo plures habet,eo plures deſiderat,iuxta illud:

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Rurſum auarus inter quatuor inſaturabilia ſimilis eſt terrę,pręſertim aridę & ſabuloſæ,quæ non ſatiatur aqua,ſed pluuiã etiam copioſam ilicò haurit & ſorbet,vt ſtatim exareſcat, & nouum imbrẽ ſitiat: ſic enim auarus,eſto ingentes opes acquirat, velut arena eas haurit,& maiores ſitit. Et ſicut arena licet aquis rigata nullũ fert fructum: ſic nec auarus opibus licèt abundans,quia eas in arca recondit,nec in egenos erogat. Pereunt ergo in eo & cum eo opes, ſicut perit aqua rigans arenam.

B

Vnde S. Chryſoſt. auarum comparat hydropico hom.15. in epiſt.1. ad Corin. *Rectè*, ait, *quidam dixit auaros eſſe hydropicos: quomodo enim illi multã aquam ferentes in corpore magis vruntur,ita etiam auari multas circumferentes plures pecunias concupiſcunt. Cauſa autem eſt: neq; illi in quibus conuenit locis aquã habent, neq; iſti diuitias in quibus conuenit affectionibus & cogitationibus.* Aſſerit S. Chryſoſt. hydropicos aquâ vri,quia ſcilicet in eis aqua quæ ſtomachum & vitalia refrigeraret, trahitur ad extima, vt reſideat inter carnem & cutem; quo fit vt vitalia refrigerio aquæ deſtituta,calore ardeant & ſitiant aſſiduè: ſic & auaritia, quo maiores habet opes, eo maiores appetit,& quaſi ardens ſitit. Vnde S. Chryſ. hom. de Lazaro, auarum dicit magis ardere & ſitire, quàm diues Epulo in inferno, qui petijt guttam aquæ vt linguam flammantem refrigeraret, Luc. 16. Idem hom.28. in Matth. auarorum cupiditatem confert cum ardorẽ ſitique febricitantium.

C

Apologus auaritiæ.

Quocirca rationem à priori huius ſententiæ ex eâdem hydropiſi petitam, per apologum vulpis hydropicę & muſtelę medicę,phyſicè & eleganter aſſignat Cyrillus li.3. Apologorum moral. c.8. cui titulus: *De cauſa & cura inſatiabilis auaritiæ: Vulpes,* ait, *hydropis onere ſquallida languens,reparandę ſanitati medicinam & medicum inquirebat. Verùm cùm muſtelã obuiam habuiſſet, eius gnara diligentiæ,ipſi mox propoſuit languoris querulã quæſtionem: Memor ſum,inquit, qualiter olim dente tuo vitam de laqueo mortis,quaſi nouiter nata receperim; quare nunc grauis morbi lethalis obſeſſa periculis, priſtinis tuis confiſa beneficijs, ad conſilium ſagacitatis tuæ recurro. Cui muſtela non ingratè reſpondit: Quòd ſi cuipiam profuerim,neſcio; ſi verò beneficium ſuſcepi,huius ſemper reminiſcor. Expone ergo morbum,quia ſi ſciuero, lubens pandam curationis modum. Tunc vulpes gratias agens dixit: Languorem,mi ſoror, inextinguibilis ſitis patior, in quo hæc duo potiſſimum miror: vnum eſt,quòd cùm bibo,plus ſitio: aliud eſt,quòd extenuatis vitalibus,deforis ſola cutis intumuit. Cui magiſtra reſpondit: Putabã certè tantâ te, ſoror,arte calliditatis aliquantulum in medicinalibus eruditam: ſed video te Hippocraticæ diſciplinæ totaliter eſſe ignaram.* Cauſam deinde veram hydropis ex principijs Phyſicę & Medicinæ,eiusq; curationem aſſignat: *Languor enim tuus,non vt æſtimas, ſitis; ſed fames membrorum eſt: quoniam in te flammâ temperati caloris infra ſuum modum remiſſâ,minor fit hepatis digeſtio,& tunc aquam pro ſanguine gignit, ſuoq; membra incremento priuantur,atque areſacta membra vitalia,fameſcentia pro cibo*

Cauſa.

ſanguinem

ſanguinem concupiſcunt. Verùm tu errans in huiuſmodi iudicio, appetitus famem putans corporis ſitim eſſe, dum pro cibo laticē dones, eo magis digeſtiuam facultatem debilitas. Propter hoc chariſſima, etiamſi Danubium ebiberes, minimè hanc ſitim extingueres, ſed potiùs augeres, cùm iuxta Galeni ſententiā, latex organa carnis ſubſtantialiter non humectet. Deinde hęc omnia adaptat auaritię, quæ ſpiritalis, ſed vera & mera eſt hydropiſis: Nā, inquit, *cùm in anima eius* (auari) *per cupiditatis exceſsiuum incendium, charitatis proportio corrūpatur, ac digeſtiua vis electionis aberret; perdito humoris ſubſtātialis ſanguine, ſitibunda ſtatim ariditas deriuatur in mentem. Verùm cùm eſuriens mentis appetitus fluxa bona tēporalia, quaſi potum pro cibo cupiat, & pro ſubſtantialibus & æternis bonis peruerſa cura pecunię poculū ſubminiſtret, ſitis magnæ cupiditatis accenditur. Quoniā mundanis opulentijs ſpiritus ariditas non minuitur, ſed augetur. Accēdunt enim affectum eo grauiori auiditate, quo falluntur boni apparitione, quia cùm bonum ſolidum affectetur, & apparens tribuatur, bonitatis ſolida ſubſtantiâ minimè repertâ affectus vehementiùs inflammatur. Natura quippe prouocat deſideria mentientia deſideratum. Igitur ſi mundus eſſet poſſeſsio animæ cupiditatis creſcentis, rapax auaritia plus ſitiret, ac mētis ſubſtantiâ tabeſcente, foris tātùm inanis gloriæ cutis intumeſceret. Quemadmodum ergo auarus, ſi charitatis largitate cupiditatem extinxerit, ſatiatur: ſic hydropicus naturali calore confortatus, ſi arida membra citò rorauerit, mox curatur.* Denique ſicut ſanguiſuga rapinâ ſanguinis noxij, quem ſugit, crepat, ſeque interimit: ſic & auarus opes, quas rapuit, euomit ſæpè cum anima, vti ex eodem Cyrillo oſtendi cap. 1.22.

Curatio.

Ambitio eſt ſanguiſuga.

Quartò, ſanguiſuga, ſiue ſanguiſugę filia, eſt ambitio, quia ipſa inſtar hirudinis ſugit & ad ſe rapit omnes ſenſus, ſanguinē, ſpiritus & vires tam animæ, quàm corporis, omnes enim ad ſe aduocat, vt excogitet & exequatur modos & rationes, quibus honores quos ambit, aſſequatur. Hæc ergo præ ceteris tribus eſt inſatiabilis. vnde de ea prę ceteris tribus dicitur. *Et quartum quod nunquam dicit, Sufficit.* Pro *ſufficit* hebr. eſt הון *hon* id eſt *ſatis eſt*, item ſubſtantia, opes, diuitiæ, vt vertit Caietan. & Aben Ezra. q.d. Ignis vrendo nullas opes acquirit, ſed potiùs omnes perdit, omnemque ſubſtantiam annihilat. Talis eſt ambitio, quæ nullo honore ſatiatur, quia honor non habet ſubiectum & ſubſtantiam; ſed ilicò tranſit & euaneſcit in nihilum. Septuag. *hon* vertunt hoc loco, vt Noſter, *ſufficit*; alibi verò vertunt, gloria, pòſſeſſio, ſubſtantia, requies (quod huic loco congruit: quia nec ignis, nec ambitioſus vllam habet requiem) potētia, copia, pretium: quia omnia non igni, nec alteri rei creatæ, ſed ſoli Deo competunt. Deus ergo eſt nobis *hon*, id eſt ſufficientia, ſubſtantia, copia & abundantia omnis boni, ideoque vocatur *Saddai, cornu copiæ.*

Rurſum ſanguiſuga cùm caudam ad os trahit, tumeſcit; cùm verò os vlteriùs promouet, extenuatur & fit gracilis: ſic ambitioſus adepto honore intumeſcit; at cùm ad maiorem aſpirat, humilis fit, vilis & ſupplex.

Ambitionis & ignis quatuor analogia. Prima. Secunda. Tertia.

Hinc rurſum ambitio inter quatuor inſaturabilia aptè cōparatur igni, ob igneam eius vim: quia ignis ad inſtar, Primò, ſurſū nititur, vt alta honorū culmina conſcendat: Secundò, quo plures honores & magiſtratus adepta eſt, eo acriùs inflammatur, vt plures & maiores ambiat, altiuſque conſcendat. Tertiò, ſicut ignis terrę incluſus eam quatit, & terræ motum concitat: ſic ambitioſus, qui humi iacet, omnia mouet, omnes turbat, omnia concutit, vt dignitates concupitas adipiſcatur.

Quarto.

Quartò, ſicut ignis ſua ſubtilitate & efficacia omnibus rebus ſe inſinuans, eas depaſcitur; ſic & ambitio ſubtiliter omnibus actionibus ſe inſerēs, eas ſibi incorporat, vnit & ignit. vnde Climacus apud Anton. in Meliſſa, part. 2. c. 74. *Ieiunās*, inquit, *inanis gloriæ cupidus ſum; abdo me vt ignotus ſim, tanquam prudens rurſus gloriam appeto. ſplendidè veſtitus, ab illa vincor; vili habitu tectus, rurſum gloriam cupio; loquens vinco; tacens rurſus victus ſum: vtcumq; proieceris iſtū tribulū, aculeus ſtat rectus.* Quocirca ſapienter Theopompus à Pylijs ſummos honores ſibi delatos reſpuit, dicens: *Mediocres honores ipſum tempus auget, immodicos abolet*, docens celſi animi eſſe ſpernere ſumma, & omnibus in rebus modum eſſe optimū. Quin & illud acutè perſpexit, quę ſubitò creſcunt in altum, non eſſe diuturna; quod genus ſunt betæ & cucurbitæ: ceterùm quæ paulatim augeſcunt, ea ferre ætatem, veluti quercum & buxum. ita Plutarch. in Lacon. Ambitioſi ergo tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant, ait Philiſtion.

Porrò Salomon quatuor harum capitalium cupiditatum ingens malum, videlicet inexplebilem inſatiabilitatem, ob oculos poſuit, vt ab illis nos abſterreat, doceatque eas mortificandas eſſe & reſecandas: vt quid enim ſtudeamus vindictæ, libidini, auaritiæ, ambitioni, quæ non ſatiant, ſed acriùs ſemper animum irritant, laniant & cruciant? Abdicemus igitur ea à nobis, & miram animæ pacem, ſatiem & gaudium adipiſcemur in Deo noſtro, dicemuſque cum Pſalte: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.*

Reſpōſ. Secundò. ſanguiſuga propriè eſt auaritia.

Secundò, ſpeciatim & adæquatè per ſanguiſugam cum duabus, imò tribus & quatuor filiabus inſaturabilibus, rectè accipias auaritiam, de qua proximè in quarta praua generatione v. 14. facta eſt mētio, vt per hæc quatuor inſaturabilia declaretur inexplebilis auarorum & raptorum conditio, indoles & mores. Vnde ſimili modo ſeqq. verſibus Salomō proſequitur tres priores prauas generationes, & nominatim primam filiorum maledicentium parentibus proximo verſu, dicens: *Oculum qui ſubſannat patrem, &c. ſuffodiant eum corui.* ita Caiet. Auaritia, inquit, eſt ſanguiſuga, quia hęc ſāguinem, illa opes & ſubinde cruorem pauperum exſorbet. Duo habet ora, ſcilicet vim & fraudem: nam quòd cutem carnemque cū dolore perrumpunt vis eſt, quòd autem ſanguinem non copiosè ſed exiliter & ſenſim exugunt, nec vulneris veſtigium relinquūt, ingens eſt fraus. Similiter duo ora, ſiue duę filię, auaritię ſunt, retinere proprium, & rapere alienum: aut vendere iuſtitiā, & vendere gratiam, ait Caiet. vti faciunt auari iudices, præfecti, procuratores prouinciarum, quos proinde vulgò ſanguiſugas vocant, eoſq; donis ſatiant, vt ijs pleni pecunias malis artibus non emungant.

Apologus Tiberij de muſcis, id eſt præfectis exugentibus ſubditos.

Quocirca Tiberius Imper. cùm eos non facilè mutandos, nec niſi defunctis ferè ſucceſſores dandos exiſtimaret, apologo vſus eſt huiuſmodi, teſte Ioſepho libr. 18. Antiqu. Iudaic. cap. 8. Muſcæ cateruatim aduolantes, conuulnerati cuiuſdam vlcera contexerant. Hunc quidam fortè prætereiens miſeratus, operam ei ſuam in muſcis abigendis obtulit, putabat enim præ virium imbecillitate ipſum eas depellere non poſſe. Orat ſaucius vt ſe ita ſineret. Mirante altero, quid eſſet quòd ab hac moleſtia liberari nollet; reſpondit ille, *Imò his depulſis*

depulſis maiore afficiar moleſtia & crucient; aliæ enim hic ſuccedent recentes muſcæ & famelicæ, quæ me iam antè mali habitum planè perdent; at iſtæ quæ mihi nunc inſident, iam nonnihil remiſſiùs ſugunt ſanguinem, quo ſcilicet fermè exſaturatæ ſunt. Sic ergo, inquit Tiberius, *ego quoque prouincialibus conſulere cupio, ne multorum præſidum rapinis nimiùm vexentur & deglubātur, quod fieret omninò, ſi crebrò illi mutarentur; accedente ad innatam cupiditatem etiam citò diſcedendi metu: malo igitur ditatos rapinis relinquere, quàm nouos ſubſtituere.* Apologum hunc ab Æſopo mutuatus eſt Tiberius. Ille enim ad Samios, cùm patrocinium præſtaret cuidam tribuno pleb. qui capitis arceſſebatur ob peculatum, ſimilem quemdam pro eius defenſione apologum attulit de vulpe in voraginem delapſa, ac prohibente erinaceum ne muſcas caninas à quibus obſidebatur, à ſe depelleret, vt auctor eſt Ariſtot. li. 2. Rhetor. 20. Elegantior & neruoſior erit apologus, ſi pro muſcis hirudines ſanguiſugas ſubſtituas.

Rurſum auaritia aptè comparatur quatuor inſaturabilibus, putà inferno, ori vuluæ, terræ quæ non ſatiatur aqua (Septua. addunt, *& aqua*: aquam geminant, vt inexplebilem opū ſitim in auaro denotent) & igni. Inferno ob rationes, quas paulò ante ex S. Chryſoſt. recitaui: ori verò vuluæ, quia tanta eſt cupiditas auri, quanta veneris. Addit S. Bernard. de Conuerſione ad Clericos c. 22. *Non prius*, inquit, *ſatiabuntur corda auro, quàm aura corpora ſatientur.* Cur auarus terræ, quæ aqua non ſatiatur comparetur, paulò antè dixi. Idem verò confertur igni. Nam, vt ait S. Baſil. hom. 21. in varios Scripturæ locos; *Auaritiæ malum ſtare neſcit, ſed ignis naturæ ſimile. Ignis enim poſtquam incendium attigit, omnem properat abſumere materiam, nec priùs deſiſtere poterit quàm materia defecerit. Auarum autē quid retinere poterit? igne vehementior eſt: omnia continuando finibus ſuis occupat; ea quæ ſunt vicini ſibi aufert. Mox vbi aliū ſortitur vicinum, & quæ illius ſunt ad ſe rapit. Nō ob ea quæ poſſidet lætatur, ſed ob ea quibus caret angitur, neque iis quæ congregauit fruitur, ſed cupiditate plura conſequendi ſe magis excruciat.* Eâdem ſimilitudine vtitur hom. 6 & 7. in diuites & auaros, & orat. 15. de auaritia. Itaque ſicut ignis, quo plus pabuli, eo plus roboris acquirit, vt violentior graſſetur; & quo plura vorat, eo inſatiabilior helluatur: ita & auarus quo plures opes congerit, eo pluribus congerendis appetentior incumbit.

Sanguiſuga eſt maledicentia.

Tertiò, S. Chryſoſt. hom. 49. de maledicentia: Sanguiſuga, inquit, eſt maledicentia, quæ corruptum humorem, id eſt vitioſos mores proximi, auidè bibit, & alijs hauriendos propinat: huius duæ filiæ ſunt, detractio & contumelia. *Omnes*, inquit Chryſoſt. *auerſantur maledicum, vt eum qui lutum redolcat, vt hirudinē, quæ tetro ſanguine; & ſcarabæum, qui ſtercore, id eſt alienis malis aluntur.* Addit Plin. li. 32. ca. 10. *Aliquando ſanguiſugæ ex morſu affixa relinquunt ora, quæ cauſa vulnera inſanabilia facit, ſicut Meſſallinum è conſularibus patricijs, cùm ad genua admiſiſſet.* Quòd nonnulli adaptant Superioribus, cùm mordaciùs caſtigant defectus ſubditorum: hi enim plagas altè in animo ſubditorum defigunt, ideoque inſanabiles efficiunt, vtpote alta mente repoſtas. Quapropter vti medici hirudinum virus aquis dulcibus temperant & diluunt, ac deinde eas corpori admouent: ſic Superiores correptionis aſperitatem blandis charitatis viſceribus, lenibuſque verbis mitigent & edulcorent.

Quartò. ſanguiſuga eſt propria voluntas.

Quartò, S. Bernard. in Declamation. ad illa: *Ecce nos reliquimus omnia*, ſub initium: Sanguiſuga, ait, eſt propria volūtas, eius filiæ ſunt auaritia & ambitio: *Auaritia*, inquit, *& appetitus laudis ſibi inuicem aduerſantur: nam quod illa congregat, hic diſpergit: hæc autem tam diſſimilia mala ex vna radice pullularunt, propriæ ſcilicet voluntatis: huius enim ſanguiſugæ duæ ſunt inſatiabiles filiæ, clamantes, Affer, Affer, ſiquidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate ſatiatur, vt ſcriptum eſt, Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu. Fuge ſanguiſugam hanc, & omnia reliquiſti.* Quin imò propria voluntas etiam opera bona quibus inhæret, inficit, vitiat & corrumpit. Vnde S. Bernard. ſerm. 71. in Cant. ponderans illa Iſaiæ cap. 58. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra*, exclamat: *Grande malum propria voluntas, quo fit vt bona tua tibi bona non ſint.*

Rabbinorum expoſitiones.

Quæres Quartò, quomodo ſanguiſugæ filias, ſiue quatuor inſaturabilia, putà infernum, os vuluæ, terram quæ non ſatiatur aqua, & ignem explicent Rabbini, Cabaliſtæ & ſimiles?

Prima.

Reſp. Primò, Aben Ezra, quem ſequitur Baynus, hæc quatuor refert ad quatuor generationes prauas paulò antè recenſitas, quaſi ſingularum hic pœna aſſignetur. Prima enim generatio filiorum maledicentium parentibus inferno, id eſt morti & ſepulcro, addicitur; hoc eſt, breuioris vitæ pœna mulctatur: nam qui negligit eos, per quos vita donatus eſt, propter huius beneficij contemptum, debet ipſo priuari. Secundæ generationi immundæ, hoc eſt filijs ſpurijs atq; nothis, *conſtrictio vuluæ*, id eſt ſterilitas interminatur. Ita enim decet, vt degener plantatio ſterilitate & infœcunditate afficiat, iuxta illud Sap. 4. 3. *Spuria vitulamina non dabūt radices altas.* Tertia verò generatio filiorū, qui natalium ſuorum gloriâ inſoleſcunt, paupertate caſtigatur, hoc notat Iò *& terra quæ nō ſatiatur aqua*, nimirum terra arida & ſitiens, atque adeò fructus nullos reddens. Itaq; hi frugum inopiâ id eſt paupertate mulctantur: paupertas enim ſuperborum faſtum ſuperciliumque deprimit. Quarta generatio auarorum, pauperes atque humiles deuorantium, igni addicitur, nimirum gehennæ, vt hi quibus egeni in pabulum cedunt, ipſi quoque æterni incendij pabulum fiant & fomentum.

Verùm hæc longè petita & aliena videntur.

Secunda.

Secundo, alij hæc quatuor referunt ad quatuor elementa, quæ nulla actione, conuerſione, mixtione explentur & ſaturantur. Verùm deeſt hîc aër: hūc enim nec infernus, qui eſt in terra; nec os vuluæ, quod pariter eſt terreſtre, repræſentare poteſt. Rurſum alij per hæc quatuor putant notari quatuor complexiones humorum in corpore. Alij enim ſunt cholerici, hos repræſentat infernus: alij phlegmatici, hos repræſentat os vuluæ: tum quia mulier eſt phlegmatica, tum quia ſemen eius eſt aqueum, alij ſunt ſanguinei, qui rubent vt ignis: alij ſunt melancholici, qui atri ſunt vt terra: melācholia enim eſt præ ceteris terreſtris affectio animum grauans, & deorſum premens. Ergo quemadmodum terra arens pluuias ebibit, ſic etiam triſtitia lacrymis nutritur & fouetur. Item ſicut terra aquis ſemel perfuſa iterum areſcit, & aquas identidem ſitit: ſic etiam grauior triſtitia nunquam lacrymis exſaturatur, ſed priores ebibens alias poſt alias impensè ſitit.

Tertia.

Tertiò, nonnulli hæc quatuor in bina ſecant, eaque hoc modo combinant. Infernus & os vuluæ repræ-

repræſentant hominum ortum & interitum: os vuluę enim ſignificat ortum, infernus interitum, q.d. Omnis homo qui naſcitur ex muliere, interit vaditq; ad inferos: terra, quæ aquâ non expletur, ſignificat arbores, herbas, plantas quas progignit: quæ omnia tandem ſiccantur, fiuntque pabulum ignis. Vt hiſce quatuor notet rerum omniũ vanitatem, quòd ſcilicet omnes res poſtquã ortæ ſunt intereant, fiantque pabulum vel inferni, vel ignis, vti in fine mundi omnia comburentur per ignem conflagrationis. Hoc eſt quod ait Eccleſ. c. 33. 15. *Contra malũ bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virũ iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & vnum contra vnum.* Hinc ſenſui phyſico congruè incumbit ethicus. q.d. Os vuluę, id eſt luxuria, ducit homines ad infernum: terra quæ aquâ non expletur, id eſt auaritiâ, ducit pariter homines ad ignem gehennæ. Quocirca S. Chryſoſt. ſcortationem & meretricem inferno comparat: ſic enim ait tract. 86. in Ioan. *Mulierum genus temerariũ eſt & inferno ſimile, & inferno eius aſſimilatur cupiditas: tunc ceſſat, cùm amãtem omnibus rebus ſpoliauit; imò ne tunc quidem, ſed magis conuiciatur & inſultat iacenti.* Tam ergo meretrix, quàm infernus nunquam dicit *Sufficit.* Vnde S. Auguſt. tract. 107. de Tempore: *Infernum,* inquit, *& amorem mulieris rectè coniungit Script. Inferni ignem tenebit domus meretricis. Pro inferis ponitur domus meretricis, quia neminẽ repellit, omnem intrantem ad ſe trahit.* Et S. Hieron. exclamat: *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius finis gehẽna?* Similitèr iuxta ſecundam combinationem terræ cum igni, auarum igni gehennæ comparat idem Chryſoſt. homil. 29. in Matth. *Auarus,* inquit, *in omnes vt mors inſiliens, omnes vt infernus deglutiẽs, communis generis humani hoſtis, quippe qui nullum hominem eſſe vellet, vt omnia poſſideret.* Hinc S. Lucas c. 16. narrans diuitis Epulonis & auari cruciatus, ait: *Eleuans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Lazarum,* &c. *In tormentis erat* (inquit Chryſoſt.) *& oculos ſolos liberos habebat, vt alterius diuitias poſſet aſpicere, propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur, quia non habebat quod alius tenebat: aliorum diuitiæ, eorum qui in paupertate ſunt, tormenta ſunt.*

Quartò, alij cenſent hæc quatuor combinata notare tũ vitiorum inter ſe pugnam, tum vitioſorũ æmulationem & inuidiam: nam inferno, id eſt iræ, ſæpè reſiſtit os vuluæ, id eſt luxuria & amor mulierũ: terra ſine aqua, id eſt auaritia, reſiſtit igni id eſt ambitioni: quia nõ vult dare munera & opes ſuas expendere, vt honores quos ambitio ſuggerit aſſequatur. Rurſum dum quis velut ignis ambit dignitatem quampiam opulentam, mox exurgit terra, id eſt quiſpiam auarus, iſque non vnus, ſed decem, qui eamdem ambit, imò mercatur & emit.

Verùm hęc omnia partim Cabaliſtica, partim contorta ſunt ideoque alieniora à quatuor inſaturabilibus: quare quæ tertia quęſtione recenſui, appoſita & genuina videntur.

Vers. 17. OCVLVM, QVI SVBSANNAT PATREM, ET QVI DESPICIT PARTVM MATRIS SVÆ, EFFODIANT EVM CORVI DE TORRENTIBVS, ET COMEDANT EVM FILII AQVILÆ] Pro *ſubſannat* hebr. eſt verbum לעג *laag*, id eſt irridet, balbutit, ſubſannat, ſiue ore & lingua balbutiendo, ſiue linguá extendendo, ſiue oculis annictando, ſiue quo alio modo & geſtu. Oculi enim omniũ affectuum ſunt indices, ideoque deſpectus & irriſio in oculis pręcipuè cernitur, q.d. Filius qui parentes ſuos videns & agnoſcens, apertis toruiſque & ſuperbis oculis proteruè deſpicit, imò irridet & inſultat, meretur à coruis lacerari & exoculari. Nominat oculum, vt indicet nefas eſſe vel oculis toruis parentes aſpicere, vt inde colligendum relinquat, quantum ſit parricidium violentas in eos manus inijcere. Pro *partum* hebr. eſt יקהת *iickehat*, id eſt *obedientiam*; alij, *doctrinam*; alij, *expectationem*; Aben Ezra vertit, *ſocietatem*, q.d. Qui matris ſocietatem conſortiumque aſpernatur; R. Salomon & Caiet. vertunt, *rugas*; Septuag. & Syrus, *ſenectam*.

Per *partum* aliqui accipiunt fratrem eâdem matre natũ q.d. Sicut ſcelus eſt deſpicere matrem, ſic & fratrẽ: quia frater eiuſdem matris eſt partus: ac proinde qui fratrem deſpicit, deſpicit & matrem, quę eum ſecum peperit & genuit: filius enim eſt imago matris, eamque velut idea & ſpeculum repræſentat. Quid ergo iniquius, quàm fratrem iiſdem viſceribus formatum, alitum, genitum derelinquere, deſpicere & odio proſequi? Verùm melius per *partũ* propriè accipias labores & dolores partus, quos ſcilicet mater cùm filiũ concipit nouem menſibus in vtero geſtauit ac peperit, plurimos & acerbiſſimos pertulit: qui enim eos deſpicit, mortalium ingratiſſimus & perfidiſſimus eſt. Ratio à priori eſt, quòd parentes ſint principium & cauſa filiorum, à quibus ſcilicet filij totum ſuũ eſſe, totam naturam ſuam, omniaque quæ habent acceperunt. Quare parentes filijs ſunt inſtar creatoris Dei, eiuſq; vices gerunt in terra, ac viua quædam Dei ſunt ſimulacra, imò terreſtres quidam dij & numina, vti ait Plato: quare dignitas parentũ à filijs nunquam ſatis æſtimari, nec vllis officijs nec beneficijs penſari poteſt: quia omnia quod rependunt, id à parẽtibus acceperunt, ac parentum proinde magis eſt, quàm filiorũ. Vnde Herodes apud Stobæum ſerm. 79. (qui Xenophontem, Muſonium, Ariſtoxenum, Socratem, Platonem, alioſq; in hanc rem citat) *Vt igitur,* ait, *in promptu habeamus quibus officijs erga parentes adſtringamur, ſummariam hanc ſententiam ſemper animo verſare oportet: quòd parentes deorũ nobis imagines ſunt, & per Iouem dij lares, ſeu domeſtici, beneficiorum auctores, cognati, creditores, domini, & amici conſtantiſſimi: ſunt enim eorum imagines certiſſimæ, & ſimilitudinem eorum nobis referunt, meliùs quàm vllius artis facultas exprimere poſſit: cùm tãquam dij domus, patroni & nobis familiares ſint.* Vnde concludit: *Filios exiſtimare debere ſe in domo patria veluti fano quodam editos, & ſacerdotes ab ipſa natura conſecratos eſſe, vt parentum cultui operam darent.* Qui ergo parentes lædunt, non tantùm immanes ſunt parricidæ parentum, ſed & in naturam ac Deum ipſum iniurij, cùm viua eius ſimulacra violent.

EFFODIANT EVM CORVI DE TORRENTIBVS] Solent enim corui, vtpote ſicci, calidi & ſitibundi, iuxta torrentes degere, vt ſeſe crebrò aquis proluant, humectẽt, bibant, refrigerent. Senſus eſt q.d. Filius parentes ſubſannans dignus eſt qui ſuſpendatur, eat in malam crucem, affigatur patibulo, vt ibi à coruis exoculetur & deuoretur iuxta illud Horatij. *Nõ paſces in cruce coruos.* Hinc vulgò dicitur. *Ito ad coruos,* id eſt in malã crucem, vbi coruos paſcas: qui enim in parentes impius eſt & crudelis, lõgè impietior & ſęuior erit in exteros: vnde videmus filios in parentes inhumanos, euadere fures, homicidas, proditores, prædones, &c. Qua-

re oculus in parentes impius & ſęuus, meretur ab impijs ſæuiſque coruis effodi & vorari.

Coruus oculos inuadit: cur. Quęres cur præ ceteris auibus & feris nominat coruos & aquilas? Reſp. Primò, quia corui oculos inuadūt, & roſtro laniant, ſiue quia hi eis ſunt eſca ſuauiſſima, ſiue ex malignitate, ſiue ex imaginatione, ne ſcilicet videatur earum ſæuitia, eruunt oculos, vt liberè deinde in exoculata & cæca corpora graſſentur.

Corui maligni. Primò, Docent hoc de coruo tum phyſici, vt Ælianus lib. 2. de Animal. ca. 51. tum experientia ipſa. Vnde Catullus:

Effoſſos oculos voret atro gutture coruus:
Inteſtina canes, cetera membra lupi.

Imò coruus pugnās cum aſino & taurō, quos hoſtes habet ſe robuſtiores, ad eos vincendum aſtu vtitur: alis enim eos verberans oculos inuadit, itaque exoculatos & cęcos facilè ſuperat. Audi Ariſtot. li. 9. Hiſtor. animal. cap. 1. *Coruus tauro & aſino aduerſarius eſt, quippe qui aduolans ferias, & oculos eorum laceret.* Iſidorus quoque li. 12. Origin. c. 7. docet coruos in cadaueribus primùm oculos eruere. Hinc & illud Ariſtophanis in Auibus, *Coruus adueniens peieranti, clàm aduolans, eijciet oculum verberans.* Cauſam dant nonnulli, quòd corui in oculis vel pupillis effigiem ſuam, quaſi in ſpeculo intuentes, inuidia & ira inflammentur, perinde ac ſi alios ſibi aduerſarios conſpicerent; indeq; dici Gręcè *coraces* à pupillis figendis: κόραξ enim dicitur à κόρη, id eſt pupilla. ita ipſi.

Secundò. Secundò, quia corui & aquilę ob ſiccitatem, calorem, neruos & vires ceteris auibus ſunt longæuiores, teſte Plin. li. 7. c. 8. Ariſtot. & alijs. Iure ergo coruis lōgęuis perimendus datur filius in vitæ datores impius, vt ei longęuitatem adimant, eumque vt vita indignum cita morte perimant. Albertus Magnus, & ex eo Aldrouandus, tradunt coruum viuere centum & octo annos.

Tertiò. Tertiò, quia corui in pullos inhumani ſunt, ęquè ac pulli in parentes: appoſitè ergo impiorum filiorum ſunt tortores & carnifices. Audi S. Greg. li. 30. Moral. c. 8. *Coruus editis pullis (vt fertur) eſcam planè prębere diſſimulat, priuſquam plumeſcendo nigreſcant, eoſq; inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem ſua ſimilitudo videatur.* Idem aſſerit S. Aug. & alij Patres ad illa verba pſal. 146. *Qui das iumētis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eū.* Qui addunt, pullos muſcis & culicibus præteruolantibus paſci, Caſſiodorus etiam rore cęleſti. Vlteriùs addit Ariſtot. li. 6. Hiſtor. animal. c. 9. *Coruus*, ait, *pullos nido expellit*; cogit enim vix volantes egredi & cibū ſibi quęrere, ne ipſe eos alere cogatur, imò nō permittit eos in ſua regione ſi arctior ſit, conſiſtere, ne ſibi eſcam pręripiant, vt diſertè docet idem Ariſtot. li. 9. Hiſtor. animal. c. 31. Vnde Ælianus & Plinius aiunt hoc fertilitatis agrorum eſſe ſignum, cùm coruorum copia in eis obuolitat: vbi enim granorū copia eſt, corui coruos plures degere patiuntur. Huc facit apologus Æſopi, *Coruus*, ait, *ægrotās dixit matri: Mater precare Deum, nec lamentare. Cui mater: Et quis*, ait, *ô fili, miſerebitur tui? cuius enim tu carnes non comedeſti? Apologus ſignificat, eos qui in vita multos habent inimicos, amicum in neceſſitate inuenturos.*

Quartò. Quartò, quia coruini pulli immites in ſuos parentes, ſimiles pullos progignunt, quos in ſe ęquè immites & ſęuos experiūtur: ſimili modo filij impij in parentes ſimiles ſibi filios procreant, quos

A proinde partim ex praua educatione, prauoque exemplo, partim iuſta Dei vindicta, æquè in ſe impios & crudeles ſentiunt, præſertim in ſenio, iuxta illud: *Mali corui malum ouum.* Quinimò pulli coruini ob voracitatem & ſæuitiam, deficiente eſca, parentes coruos inuadunt, laniant & vorant. Vnde illud Philis de Dotibus animal.

Coruus autem malos fœtus alens,
Quos ipſe (oua excludens) excuſſis) genuit) generis cauſa,
Cùm vrget vel breue famis tempus,
Cibum ſeſe fœtibus alimenti loco infert.

Ælianus quoq; lib. 2. cap. 49 docet coruos à pullis in ſenio deſeri & fame cōfici, eò quòd ipſi pullos in nido deſeruerint. Idem li. 3. c. 43. ait pullos coruorū prę voracitate & ingluuie, ne quidem parentibus parcere, ſed eos necare & deuorare, B quare grauiſſimi parricidij rei culeo inſui merentur, ait Aldrouandus in coruo. Noſter Nicolaus Cauſinus lib. 6. Parabol. hiſtoriæ. cap. 49. Corui, inquit, meminerunt ſe cùm pulli eſſent, à parentibus fuiſſe deſertos, famiq; expoſitos, ita parentes ſuos ſenio confectos deuorant. *Coruini* igitur *pulli* ſignificant alios negligentiæ parentum vltores. Tacitè ergo parentes monet hic Salomon, vt piè educent filios, ſi eos in ſe pios experiri velint: ſi enim impiè & coruinè eos educent, impios & coruinos in ſe ſentient, vt impietatem parentum vlciſcantur, & talione puniant.

Quintò, quia coruus eſt auis fœda, furax, atra, rapaciſſima, infauſta: vnde à S. Hiero. vocatur *ales teterrima*: hoc ipſo ergo quo impij in parentes cōparantur, imò traducūtur coruo; ſignificatur nihil eis eſſe magis abominabile, nihil contēptius, nihil C turpius. Hinc coruus græcè dicitur κόραξ à κόρος, id eſt niger; vel à κάρα, id eſt caput, quia caput habet grande; vel à κόρη, id eſt pupilla, quòd oculos inuadat; aut, vt Rhodogin. lib. 7. cap. 5. ἀπὸ τοῦ κινεῖν κόρας, id eſt ab aſſiduo pupillæ motu. Suidas à κρώζειν, id eſt crocio vel crocito; quia vox corū eſt crocitatio: ingemināt enim τὸ κρὰ κρὰ ſeu cras. Sic & Varro Latinū *coruus* affine docet verbo *crocio*. Iſidorus verò, li. 12. Origin. c. 7. *coruos* dici putat à *cordis voce*, quòd videlicet vocem promant ex pectore, eamque expectorantes grunniant, ſuaque voce proditi rapiantur. Alij Latinum coruus & Gręcum κόραξ deriuant ab Hebręo עֹרֵב *oreb* vel *goreb*, quod, vt ſaccus, cornu, & alia nonnulla nomina, ab Hebręa lingua, ad pleraſq; ceteras tranſlatum videtur. Vocatur autem coruus *goreb*, quia miſtum habet calorem inter lucidum & nigrum; D vel quia obſcuritatem veſperæ refert, veſpere volat: עֶרֶב *ereb* enim vel *gereb* eſt veſpera, vel, vt alij *oreb* dicitur ab עֲרָב. *Arab*, id eſt Arabia, & עַרְבִי *Arabi*, id eſt Arabs, quòd inſtar Arabum prædetur & latrocinetur. Imò nonnulli ab *oreb* per aphæreſin deriuant verbum *rapio*: vnde Germanicè *coruus* vocatur *raab*, Belgicè *raue*.

Corui ſunt dæmones. Hinc appoſitè coruus ſymbolum eſt dęmonum, qui pariter atri ſunt, maligni, rapaces, impij, hominemque exoculant & excæcant; vnde & ſæpè dæmones in ſpecie coruorum apparuere, & etiamnum apparent. Sic Beda hic per *coruos* accipit dæmones, q. d. Filios in parentes impios inuadent dæmones, qui eos rapient ad tartara; vbi oculos eorum, quibus parentes ſubſannarunt, velut feroces corui roſtro pungent & excarnificabunt.

Myſticè,

Myſticè, S. Gregor. lib. 18. Moral. c. 19. *Oculum qui ſubſannat, &c. Peruerſi quippe*, inquit, *dum diuina iudicia reprehendūt, ſubſannant patrem ſuum. Et quilibet hęretici dum prædicationem ſanctæ Eccleſiæ contemnunt, deſpiciunt partum matris ſuę. Corui verò de torrētibus veniunt, dum prædicatores veri ad defenſionē ſanctæ Eccleſiæ à ſacrorū librorum fluentis procedunt, qui etiam rectè corui vocati ſunt, quia nequaquam de iuſtitiæ luce ſuperbiunt; ſed per humilitatis gratiam peccatorum in ſe nigredinem confitentur; qui videlicet corui oculum ſubſannantis effodiunt, quia prauorum ac pertinacium hominum intentionem vincunt.*

Tropolog. de rebellibus. Tropolog noſter Aluarez de Paz lib. 5. p. 3. c. 6 de Extermin. mali. Quiſnā, inquit, ſubſannat patrem ſuum? qui turgidus ſuperbiâ nō obedit prælato ſuo, & quis deſpicit partum, id eſt laborem in pariēdo ſiue parturitionem matris ſuæ? qui vt ſuę voluntati ſatiſfaciat, non obediendo, diſciplinam Religioſam ſubuertit. Hic dignus eſt qui in crucē agatur, imò qui in ęterna ſupplicia deſtinetur, vbi dæmones peccati nigredine coruis, & rapacitate aquilis ſimiles, oculos eius effodiāt; vt ſolem iuſtitiæ nō videat, & omnia eius bona carnibus ſimilia diſcerpant. An nō fur ſi rem magni valoris ſurripiat, legibus ita ſtatuentibus in crucem agitur, ſiue furca ſuſpēditur? Sed fur eſt, & rei magni valoris, ſcilicet voluntatis Deo conſecratæ, vſurpator, qui prælatis non obedit. Ideoque S. Bonau. ait: *Te prælato dediſti propter Dominū, & propter regnum cęlorum, & iam non es tuus, ſed eius cui te vendidiſti: & ideo nihil tibi licet agere de te ſine eius volūtate. Ipſe enim eſt dominus voluntatis tuę, & contrectatio rei alienę inuito domino furtum eſt; fur autem cælo non appropiat.* Hęc S. Bonau. tract. de Inter. homine cap. 2.

Addit Salomon: *Et comedant eum filij aquilæ.* Cenſent R. Salomō & Aben Ezra, aquilas eſſe pios in pullos & in parentes, ideoq; iuſtè hîc eis filios in parētes impios tradi deuorādos, vt piæ aues impietatem vindicent. Ceterùm ſunt & aquilę nonnullę in pullos & parētes inhumanæ, & ſęuæ, vnde illud de aquila apud Ariſtot. lib. 1. de Hiſtor. animal. ca. 31. *Tres parit, atque duos nido ejicit, educat vnum.* & li. 9. c. 32. *Aquilæ*, ait, *alunt pullos ſuos donec poteſtas volandi ſiat, tum nido eos expellunt: poſt regione, quam ipſi genitores incolunt, tota exterminant.* Quare quibus de cauſis iam dixi impios filios tradi coruis, ob eaſdem traduntur & aquilis.

Exemplum huius gnomes appoſitum recenſet Greg. Turon. oculatus teſtis, Merouei, qui rerum nouarū ſtudioſus & regni auidus, à patre Chilperico rege Francorū diſſidens, ab eodem attonſus fuit, & monaſterio incluſus: ex quo profugiēs, Turonas ad templum S. Martini, à Greg. Turonenſi beneuolè exceptus, ibidē hoc omen quaſi fulmen accepit, quod hiſce verbis refert ipſe Greg. lib. 5. Hiſtor. Francię c. 14. *Merouęus verò de patre atq; nouerca multa crimina loquebatur: quę cùm ex parte vera eſſent, credo acceptū non fuiſſe Deo, vt hæc per filium vulgarentur, ſicut in ſequentibus cognoui. Quodam enim die ad conuiuiū eius accitus, dum pariter ſederemus, ſuppliciter petijt aliqua ad inſtructionem animæ legi. Ego verò reſerato Salomonis libro, verſiculum qui primus occurrit, arripui, qui hæc continebat: Oculum qui aduerſus aſpexerit patrem, effodiant eum corui de conuallibus. Illo quoq; non intelligente, conſideraui hunc verſiculum à Domino præparatū*, ac iuxta eum infelix fuit Merouei exitus. Nam à patre Chilperico velut coruus à coruo oculorum luce vitaque priuatus eſt, teſte Paulo

A Æmilio in Vita Chilperici; vbi & addit Chilperico par pari redditum, cùm à Fredegonde vxore ſua coruina interemptus eſt.

TRIA SVNT DIFFICILIA (Hebr. *abſcondita*, vel *mirabilia*, vti vertit Aquila, itaque legit S. Ambroſ. de obitu Valent. in Chald. *occulta*; Septua. *tria ſunt impoſſibilia mihi intelligere*; Vatabl. *tria ſunt excellētia ac ſupra captum meum*) MIHI, ET QVARTVM PENITVS IGNORO: *Vers. 18.* VIAM AQVILÆ IN CÆLO (Septuag. *veſtigia aquilæ volantis*) *Vers. 19.* VIAM COLVBRI SVPER PETRAM (perperam multi codices legunt, *ſuper terram*) VIAM NAVIS IN MEDIO MARI (Hebr. *in corde maris*; Septuag. *ſemitas nauis nauigantis*) ET VIAM VIRI IN ADOLESCENTIA] Arabicus, *veſtigia aquilæ volantis, & circuitum ſerpentis ſuper petram politam, & decurſus nauis decurrentis per mare, & vias hominis in adoleſcentia.*

Tertium ænigma quatuor difficilium intellectu. Tertius hic eſt gryphus tertiumque ænigma B obſcuriſſimum, æquè ac elegantiſſimum & diuiniſſimum.

Eſt hîc duplex lectio. Antiqui enim codices, & Vaticani cum Beda & alijs multis legunt, *in adoleſcentia*; ac Septu. ἐν νεότητι, id eſt *in iuuentute*; Syrus, *in iuuenta*; ſicque legit S. Ambroſ. Anaſtaſ. Nicen. Iſidor. Peluſiot. & alij mox citandi. Altera lectio eſt; *& viam viri in adoleſcentula*: ſic legunt codices manuſcripti, Hugo, Iſidor. Clarius, Ianſen. & alij, quos citat Frāc. Lucas, in Notis hîc: hebr. enim eſt בְּעַלְמָה *bealma*, id eſt *in virgine*, & ſic vertit Pagnin. *alma* enim ſignificat adoleſcentulam abſconditam (עלם. *alam* enim eſt abſcōdere) & viro incognitā, qualis eſt virgo, vti oſtendi Iſaiæ 7. 14. ad illa, *Ecce virgo* (hebr. *alma*) *concipiet*; & ſic tranſtulit S. Matth. c. 1. 23. vnde & Chald. hîc vertit, *& viam viri in virgine*; & Symmach. ἐν νεάνιδι, id eſt *in adoleſcentula*. Suſpicatur Franc. Lucas in Notis hîc Septua. C primitus vertiſſe ἐν νεάνιδι, id eſt *in iuuencula*; quod poſtea corruptum ſit ἐν νεότητι, id eſt in *iuuentute*, indeq; fortè deriuatum Iô *in adoleſcentia*, quod habent multi codices Vulgatæ. Hæc enim mutatio & lapſus vti vicinior, ita facilior & pronior eſt, quàm ex עַלְמָה *alma*, id eſt *adoleſcentula*, in עלמות *almut*, id eſt *adoleſcentiam*. Atque hęc lectio cōtinet ſenſum ſublimem, & perſpectu difficilem, imò impoſſibilem, nimirum incarnationem Verbi in virgine, vt meritò de ea dixerit Salomō ceteroquin ſapientiſſimus, *Et quartum penitus ignoro*; cùm *via viri in adoleſcentia*, ex quotidiano vſu & experientia, cognitio videatur eſſe facilis, certè nō adeò difficilis. Vtraque ergo lectio grauibus fulcitur auctoribus, ac proinde vtraq; explicanda venit.

Prima eorum interpretatio. Prior lectio. *Et viam viri in adoleſcentia*, Primò, D hunc ſuggerit ſenſum planum & plauſibilem, de mobilitate adoleſcentiæ, & vaga inſtabilitate adoleſcentum, ob feruorem ætatis & ſanguinis, q. d. Sicut via aquilæ, colubri & nauis obliquæ ſunt & tortuoſæ, atque difficulter inueniuntur, quia nullum remanet veſtigium earum: ita *& via* hoc eſt, vitę ratio, quam quis in adoleſcentia ſua ſequitur, difficulter intelligitur; adeò enim inſtabilis eſt via hominis in adoleſcentia, ita ſe adoleſcens per omnes horas in diuerſa torquet, & nunc huc, nunc illuc rapitur, vt difficile ſit id comprehendere, & animaduertere quò tendat, & in quibus verſatus ſit.

Porrò via aquilę in cęlo eſt inſtabilis, via colubri ſuper petram terramq; vaga & lubrica, via nauis in mari fluida & fluctuans: quare tribus hiſce

rebus & elementis graphicè depingitur, & quaſi in imagine repræſentatur vaga via mentis inſtabilis, quæ nunc vagatur in cupiditate gloriæ mundanæ, nunc in cupiditate rerum terrenarum, nũc in cupiditate libidinum & rerum venerearum, in quibus velut in aquis homines volutantur & immerguntur. A

Rurſum hic aquilæ, colubri & nauis gryphus, ſignificat ſapientiam, conſilium & omnem ſublimiorem doctrinam cogitationemque, quę ſimilis eſt aquilę, per adoleſcentes & adoleſcentiam velut per mobilem aërem tranſuolare, ita vt nullum ſui veſtigium imprimat. Prudentiam, quam coluber ſua vafritie repręſentat, per eandem ætatem velut per petram ſerpere & labi, ſic vt nulla poſt ſe indicia relinquat: cuſtodiam, conſtantiam, propoſita bona, omnemque virtutem per eandem tranſire, inſtar nauis mare ſecantis, quæ nullam mari notã B infigit. Ita vt hęc omnia ſignificent, nihil firmiter in adoleſcentia hærere per modum habitus, ſed omnia per eã tranſcurrere & elabi, vt ex eo quòd vides adoleſcentem hodie probum, pudicum, ſobrium, &c. ſtatuere nequeas an talis craſtino die futurus ſit; neſcias pariter quid mente tegat, quos affectus, amores, vel odia animo celet; ſicut adultera adulterinos amores ſtudioſè abſcondit. Vnde de ea ſubditur: *Talis eſt via mulieris adulteræ*, &c. Quocirca S. Chryſ. hom. 84. in Matth. vitam noſtrã aſſerit inſtabilem magis fluctuare, quàm fluctuet oceanus & Charybdis: *Adoleſcentium fluctus*, inquit, *pueritiæ ſuccedunt, qui vehementiùs ſicut Ægeum mare concupiſcentię ventis exaggeratur, quæ quidem ætas potiſſimum correctione destituitur, non ſolum quia maioribus turbationũ fluctibus cęditur, ſed etiam quia pædagogus tunc & magiſter ſubtrahitur*. C vide Ariſtot. li. 8. Ethic. cap. 3. vbi hanc adoleſcentiæ mobilitatem deſcribit; ex qua concludit, nullum ex ea certum ingenij, indolis & morum in ſequenti vita futurorum argumentum capi poſſe. Nam vt ait Homerus Iliade 3. *Semper iuniorum mentes pendent*.

Huc accedit Pineda li. 3. de Rebus Salomonis cap. 2. Hæ quatuor res, inquit, inter ſe ſimillimæ ſunt, & imaginem vltimę, id eſt quartæ, repręſentant. Priorum enim trium, putà aquilæ, colubri & nauis, viæ & proceſſus tortuoſi ſunt & obliqui, & nunc huc, nunc illuc torquentur per momẽta: nauis præſertim in medio mari contrarijs impetitæ ventis, rapidis impulſæ fluctibus, qui vel rectum curſum impediunt, vel nauim, id eſt adoleſcentiã, demergunt in interitum. Illud enim ſignificat apud quoſdam לב *in medio maris*. D At ſi ſapientia cõtingat adoleſcenti, ea erit inſtar gubernaculi ad dirigendum curſum, & ſuperandos fluctus, cùm ipſa eadem dicatur fuiſſe Salomoni inſtar littoris, ad quod alliduntur & infringuntur ſuperbiſſimi maris ęſtus, id eſt adoleſcentiæ perturbationes & impetus cupiditatum rapidiſſimarum. Audi Scripturã. *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multã nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quę eſt in littore maris*, 3. Reg. 4. 29. Salomõ enim in adoleſcentia cœpit regnare poſt mortem patris Dauidis, anno ętatis 18. vti ibidem docet Pineda, & ſub initium regni poſtulauit impetrauitque à Deo ſapientiam, 3. Reg. 3. 11.

Secunda. Secundò, alij ex aduerſo per hęc tria, imò quatuor, cenſent notari miram adoleſcentię & adoleſcentis probè inſtituti, cordati & ſtrenui inſtar viri (hunc enim ſignificat Hebr. גבר *gaber*) virtutem A & vigorem. q. d. Res admiratione digna eſt, quòd aquila mole corporis grauis ſolis alis per aëra ſe libret, & in altũ euolet: quòd coluber pedibus carens, velociſſimè per petras & ſaxa lubricando ſerpat & currat: imò altas rupes, arbores, domos ſine ſcalis vel clauis ſubito cõſcendat: quòd nauis grãdibus ſarcinis onerata, mari velut piſcis innatet, & quaquauerſum ad libitũ naucleri ſe circumagat: quin & ventis, procellis & fluctibus ſulcãdo obluctetur, eoſq; calcando ſubigat, at magis admiranda eſt via *gaber*, id eſt, viri, putà cõuerſatio matura & proba adoleſcẽtis virilis & generoſi, qui in adoleſcentia virtutę pręcoci, vincit annos & pręcurrit ætatem. Hęc enim ſimilis eſt, imò tranſcendit generoſitatem aquilæ, colubri, nauis & naucleri: iuuenis enim in carne viuens, & carni dominans, dũ ſuperna meditatur, & conuerſationem habet in B cælis, eſt aquila terram deſpiciens, & in ſublime euolans. Idem prudenter & circũſpectè in omnibus ſeſe gerens, cùm prudentiam necdum per experientiam didicerit, eſt quaſi coluber aſtutus, qui teres & pedibus carens, inſitâ à natura agilitate ſolerter fugiens ſaxa tranſcurrit, & rupes cõſcendit. Idem tẽtationes carnis & mundi cautè declinans vel fortiter ſuperans, eſt velut nauis acta à perito nauclero, quę procellas & fluctus vel ſulcando, vel obluctando ſuperat, ac directè in portum fertur.

Tertiò, noſter Salazar putat hiſce quatuor deſignari velocem adoleſcentiæ, & ætatis voluptatũque eius decurſum, q. d. Aquila per aëris leuiſſimã regionem velociſſimè fertur, ſerpens per terrã leuiſſimè labitur: nauis per aquas maris molliſſimè, ſimul atque ocyſſimè ruit; ſed tamen longè velo- *Tertia.* C ciùs ac leuiùs vir ex adoleſcẽtia ad alias ętates fertur, labitur, ruit: quia iuuenis quid ſibi temporis abeat, non ſatis attendit, atque adeò iuuentus inopinantem illum & quaſi aliud agentem fugit.

Simili ſchemate Sapiens c. 5. v. 10. celerem ętatis humanæ lapſum comparat naui aquam pertranſeunti, & aui aërẽ ſecanti, æquè ac Iob. c. 9. v. 26. & alij eam cõparant ſerpenti per ſaxa fugienti. Vnde Chaldæi per ſerpentem in orbem glomeratũ, & caudam ſuam ore mandentem, annum ſemper fugientem, circulantem & in orbem redeuntem repræſentabant; vti teſtis eſt Horus Apollo in ſerpente. Rurſum ſicut difficilè, imò impoſſibile, eſt aquilam, colubrum, nauim per eandem prorſus viam retrocidere & reuerti: ſic perdifficile eſt, vt adoleſcens viam voluptatum quam iniuit relegat, viam virtutis capeſſat, ſeque ad bonam frugem D conuertat. Quid enim aliud eſt iuuenis gloriæ cupiditate elatus, niſi aquila ſublime volans? quid adoleſcens terrena & caduca bona impensè appetens, niſi coluber per terram ſerpens? quid deniq; iuuenis delicijs ac voluptatibus diffluens, niſi nauis per aquas ruens?

Myſticè, Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 417. *Tria ſunt*, inquit, *quæ intellectu aſſequi nequeo, & quartum penitus ignoro, inquit Salomon; viã aquilę volantis, hoc autem eſt diuina Filij natura, quę nullo humano ingenio comprehendi poteſt. Et veſtigia ſua non cognoſcentur, ait diuinus ſpiritus in Pſalm. Vidit autem hanc aquilam ipſe* *Deuter. 32.* *quoq; Moſes, pennis ſuis populum in deſerto contegentem.* *11.* *Et viã ſerpentis in petra. Obliquę at ſinuoſæ ſerpentis illius viæ ſunt, qui mãdati tranſgreſſionem nobis inſuſurrauit, quæ quidẽ peccata ſunt, nec viam in petra inuenerunt: petra autem Chriſtus eſt, qui cùm carnem induit, mutationis omnis expers manſit. Neq; enim peccatũ fecit,*

ſcit, neque inuentus eſt dolus in ore eius. Viam nauis in medio mari, hoc eſt, diuinę incarnationis omnibus ſalutē afferentis, quę nauis inſtar, mortis abyſſū peragrauit. atq; quidem genus noſtrum ab ea reuocauit, ipſius autem mortis ſemita in inferno minimè inueniebatur. Viā viri in adoleſcentia. Per iuuentutē hoc loco reſurrectionem à mortuis intelligit, cum nimirum corruptio immutabitur, ac natura ad ſtatum ab omni corruptione atque interitu alienum iuueneſcet. Hunc tu ſtatum quære.

Minus appoſitè hæc quatuor Iſidorus ibidem accommodat diabolo eiuſque tentationibus. Magis appoſitè auctor. Catenæ Græcor. *Per aquilam,* inquit, *accipe Chriſtum: per aquilæ veſtigia incomprehenſum eius è cælis deſcenſum, & ad eoſdem rurſum aſcēſum: per ſemitas nauis, admirabilem illius ex matre virgine exortum: per viam denique anguis, diabolicas tentationum vires & operationes.*

Via viri in adoleſcentula, quot Reſponſ. Prima

Poſterior lectio, *Et viam viri in adoleſcentula,* ſcilicet *alma,* id eſt *virgine,* vt habēt Hebręa & Chald. Primò, à noſtro Gaſpare Sāchez in c. 7. Iſaię. v. 14. ſic exponitur, q. d. Faciliùs inuenies viā aquilæ in aëre, & viā colubri in ſaxis, & viam nauis in mari, quàm viā virorum ad ianuam virginis illius, quæ nunquam ſe viris videndam offert, imò eos auerſatur & fugit, ideoque eſt *alma,* id eſt abſcondita. Rurſum, ſicut poſt tranſitū aquilæ, colubri & nauis nullū in aëre, petra & mari remanet tranſitus veſtigium: ſic in virgine, cuius mens eſt illibata & pura cogitatio, affectus aut memoria viri nulla ſui veſtigia figit; ſed illicò hæc omnia dilabuntur & diffluunt. Quo ſignificatur optimam virginitatis cuſtodiā eſſe, primò, firmum & conſtans eius ſtudium; ſecundò, fugam virorū, vt domi ſe celet & abſcondat; nec enim eam decipere poterunt iuuenes petulantes, quæ omnium conſpectum & colloquium velut ſerpentinum auerſatur & horret.

Secunda.

Secundò, vice verſa Ianſen. cenſet hæc verba reſpōdere illi generationi ſecundę de qua dixi v. 12. *Generatio quæ ſibi mūda videtur, & non eſt lota à ſordibus ſuis.* Nimirū eſt generatio quædam, quæ cùm impura ſit atque impudica, tamen pudicitiā & illibatam quandam puritatem præſefert, hæc autē eſt virgo conſtuprata ſui copiam faciens, & cōiugata adulterum admittens: vtraque enim facinus ſuum tegere ac diſſimulare contendit. Itaque ait: Sicut in aëre, petra & aqua nullas itineris ſui expreſſas notas dimittunt aquila, ſerpens atq; nauis: ſic etiam viri ad virginem ingreſſus nullum veſtigium apparere ſolet, propter nimiū ſtudium celandi id, quod ſine capitis periculo euulgari non poteſt. Itaque iuxta hunc ſenſum Hebr. *alme* non ſignificat adoleſcentulam corruptā, ſed virginem ſcilicet nō quę iam ſit virgo, ſed quę ante cōgreſſum fuerit, imò in ipſo cōgreſſu inuenta ſit virgo.

Tertia.

Tertiò, alij ſic explicant, vt Salomon ſuadeat parētibus vigilem & exactam filiarum virginum cuſtodiam; eò quòd, ſicut aquilæ, colubri & nauis molliſſimus & leniſſimus eſt per aëra, rupes & mare ingreſſus & inceſſus, adeò vt non ſentiatur: ſic pariter viri ad virginem introitus ſit leniſſimus & ſecretiſſimus, vt omnes etiam parētes fallat. Rurſum, ſicut aditus viri ad virginē eſt occultus, ſic & abceſſus: nullū enim relinquit ſui veſtigiū in viro; in virgine verò etiamſi nōnulli putent manere veſtigium membranæ diſruptæ, quæ ante copulam virginale ſecretum tegebat, eratq; virginitatis ſignaculum, tamē idipſum negant alij, vt Franc. Valleſius medicus, vti oſtendi Deuter. 22. v. 17. & 18.

Sub hoc humili abiectoque litteræ cortice & grammatico eius ſenſu, altius quid ſpectauit Salomon, nimirū incarnationem & natiuitatem Verbi diuini in B. Virgine: hāc enim ſignificat Hebr. *alma,* ad quā ingreſſus eſt *gaber,* id eſt vir Chriſtus nuntiante Archangelo Gabriele, ita nuncupato, quòd nuntiaret *gaber el,* id eſt virum Deum, putà Verbum incarnatū. Hoc enim fuit mirabile, difficile & incomprehenſibile myſterium, ſiue portētum ſęculorum omnium, iuxta illud Ierem. 31. 22 *Creauit Dominus nouum ſuper terram: femina circumdabit virum.* Et Iſaias c. 7. 14. Achaz regi hoc ſignū ſignorū maximum exhibet, dicens: *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Et c. 53. 8. *Generationē eius quis enarrabit?* Quod ergo B. Virgo adimplens hāc abaui ſui Salomonis prophetiā, accepto à Gabriele nuntio admirans dixit, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* atque angelus ei reſpondit, id opus fore non hominis, ſed ſpiritus ſancti, *Spiritus ſanctus,* inquit *ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obūbrabit tibi.* idē prorſus primus vaticinatur hìc Salomon, ac tam ſublime myſterium obſtupeſcēs, ſe modū eius planè ignorare confitetur: vnde ipſe à Patribus Propheta nuncupatur, imò ipſe ſe Prophetam nuncupauit: hoc cap. v. 1. dum hoc ſuum eloquium vocauit viſionem, id eſt oraculum & prophetiam. Vox enim Hebr. *gaber* id eſt *vir robuſtus,* nulli propriè puero vel adoleſcenti, ſed ſoli Chriſto naſcenti competit tum ob diuinitatis ſuę fortitudinem; tum quòd ab inſtanti ſuę cōceptionis ſecundùm animam omnino fuerit perfectus: nec enim myſterio videtur carere, quòd nō ſit dictum, Via adoleſcentis ſiue iuuenis in adoleſcentula, quemadmodum iuxta illum priorem literalē ſenſum videbatur dicendum, ſed *via viri.* Certè in nullū alium iſtud veriùs competere poteſt quàm in Chriſtum eiuſq; matrem virginem. Iuxta quem ſenſum reliquæ tres viæ rectè intelliguntur adductæ, vt per illarum exemplum quarta illa via, & præ alijs magis mirabilis, meliùs intelligeretur & aduerteretur, ſcilicet quòd, quemadmodū auis in aëre volat, ſerpens ſuper petram repit, nauis trāſit in mari ſine aliqua aëris, vel petræ, vel aquæ corruptione, vel diuiſionis alicuius ſigno relicto: ita & via illa viri contingit ſine virginis læſione & corruptione. Ita hunc locum de Chriſto in Virgine incarnato explicarunt veteres Rabbini, ac inter eos R. Haccados, id eſt Sanctus, apud Galatin. lib. 7. de Arcanis fidei c. 15. Lyran. Ianſen. Franc. Suarez 3. p. q. 28. art. 1. & ſp. 5. ſect. 1. & alij.

Igitur Salomō hìc *viam viri in virgine,* id eſt Verbi in ea incarnationē, adumbrat tribus ſimilibus, ſed ænigmatibus, nimirū per viam aquilæ in cęlo, per viam colubri in petra, per viam nauis in mari. Vnde colligas Chriſtum eſſe aquilam, colubrum, nauim; B. Virginem eſſe cælum, petram, mare.

Chriſtus eſt aquila, coluber, nauis; B. Virgo eſt cælum, petra, mare.

Chriſtum eſſe aquilam, quę regina eſt auium, ex vtriuſq; analogijs liquet. Audi S. Ambr. tract. in c. 30. Prouerb. ſub finem: *Aquila intelligitur Chriſtus, qui volatu ſuo deſcendit ad terras, quod animalis genus non nutritur, niſi priùs caſtitas comprobetur matris, vt apertis oculis abſque palpitatione totum aſpiciat ſolem; hoc enim animal comparatur Saluatori, quòd cùm aliquid rapere voluerit, non veſtigijs obambulat terras, ſed excelſum eligit locum: ſic & Chriſtus alta cruce ſuſpenſus, tonanti ſtrepitu & terribili volatu impetum ad inferos fecit, ſanctoſq; rapiēs ad ſuperna remeauit.* Chriſtū pariter eſſe colubrum, qui ſcilicet formā peccatoris ſuſce-

ſuſcepit, ſed veneno peccati caruit, imò illud ſuo ſanguine expiauit, liquet ex illo Ioan. 3.14. *Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitã æternam.* Chriſtum eſſe nauim mercium cæleſtium, quæ omnes fideles & ſanctos per mare huius ſęculi vehit ad portum ſalutis æternę, docet ibidem S. Ambr. *Chriſtus*, inquit, *eſt nauis, in qua aſcendunt omnium credentium animæ, quæ vt firmiùs inter fluctus euehatur, de ligno fabricatur, & ferro configitur: hoc autem eſt Chriſtus in cruce. ſed dicit nauem ſine veſtigio, quia Verbum Dei verum & efficax per aurẽ penetrat ad viſcera ſine læſione, & homine aſſumpto Verbũ inter homines naſcitur, ſine ſui diminutione, & Maria virgo generat ſine corruptione. Tranſit ergo nauis per mare, & nulla in vndis veſtigia remanent, quia venit Chriſtus de cælo, aure concipitur vtero portatur, & talis virgo Maria remanſit poſtquam peperit, qualis antequam Verbum aure conceperat, & vtero geſtauerat.*

B.Virgo eſt cælum & thronus Verbi.

Beatam Virginem verò eſſe cælum liquet, quia in ea ceu in throno cæleſti omni decore & gratia adornato, per nouem menſes reſedit Deus, putà Verbum diuinum (*vbi enim Deus eſt, ibi cælum eſt: vbi Papa, ibi Roma*, inquiunt Canoniſtæ) quod ſicut aquila celerrimè & ſublimiſſimè in illam aduolauit, cùm, illâ dicente: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, eodem temporis inſtanti in eandem è ſinu Patris deſcendit, carnem è carne eius aſſumpſit, ac ſeipſum corporauit. Beatam Virginem eſſe petram limpidam puritatis, & fortitudinis, & conſtantiæ, manifeſtum eſt. Eandem eſſe mare ſapientiæ & virtutum docent Patres. Vnde & *Maria*, vel, vt Hebræi pronuntiant, *Miram* vel *Mariam*, idem eſt, quod altitudo maris, vti nõnulli volunt; licèt alia plura & veriora ſint eius etyma. Hic tibi latum, ô lector, campum aperio, tum in laudes B. Virginis excurrendi, tum incarnationis Verbi in Virgine modum contemplandi & admirandi. Conſidera enim hinc dotes aquilæ, colubri & nauis; eaſque attribue Chriſto: inde expendè dotes cæli, petræ vel rupis, & maris, eaſque attribue B. Virgini, & verè abyſſum ſapientiæ in hoc ænigmate latere conſpicies.

Myſticè, Lyran. per viam aquilæ in cælo intelligit ſignificatam Chriſti in cælis aſcenſionem. Per viam colubri ſuper petram eius reſurrectionem: qui cùm tanquam ſerpens pependerit in cruce, in reſurrectione è ſepulcro ſurrexit clauſo, ita vt in ſignato ſaxo deſuper poſito nullum appareret reſurrectionis veſtigium. Per viam nauis in medio mari, ipſius cõuerſationem in hoc mundo procelloſo & turbulento, in quo expoſitus fuit apud Iudæos varijs tempeſtatibus, ex vno loco in aliũ inſtabiliter ſemper vagatus. Hæ enim omnes viæ, ſicut & via conceptionis ac natiuitatis eius, excedunt hominis captum.

Aliter hæc Chriſto adaptat Anaſtaſius Nicenus in Quæſt. Script. quæſt. 43. ſic enim ait: Quis intelliget & mente comprehendet *viam aquilæ volantis in cælo, id eſt, Chriſti aſcenſionem: viam ſerpentis ſuper terram, nempe veſtigium peccati in corpore Chriſti: & ſemitas nauis per mare, nempe Eccleſiæ, vtpote quæ in hac vita tanquam in mari, ſpe in Chriſtum per crucem gubernatur: & vias viri in iuuentute, nempe eius qui natus eſt ex Spiritu ſancto & Virgine? Ecce enim vir oriens nomen eius*, Zachar. 6. v. 12.

Elegantiùs, pleniùs & fuſiùs S. Ambroſ. totum hoc ænigma de Chriſto pertractat tract. in c. 30. Prouerb. ſiue de Salomone, qui extat ſub finem to. 8. vbi per viam aquilæ in cælo, accipit Chriſti deſcenſum in terras Virginiſq; vterum, ac rurſum eiuſdem aſcenſum in cælum: per viam colubri in petra, immunitatem Chriſti (hic enim eſt petra) à peccato & ſeruitute diaboli: per viã nauis in mari, Chriſti tum incarnationem, tum crucem, tum Eccleſiam: per viam viri in adoleſcentia, Chriſti vitam & conuerſationem in hoc mundo. Sed audi ipſummet reſonantem: primum emblema aquilæ ſic Chriſto attribuit: *Quaſi verò ſit facile vt ſuſpenſa aquila in altum celeri elatione pennarum plauſus ſui, & lapſus veſtigia manifeſta conſtituat, aut via ſignet in vacuo, & lineam ſui volatus figat in liquido. Aquilã in hoc loco Dominum debemus accipere. Etſi enim poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam præſentibus Apoſtolis Dominus noſter aſcendit in cœlum, tamen cuius hominis tam altus ſenſus & tantus eſt, vt explicare poſſit, quomodo illa tãta maieſtas de cælo aut venire dignata fuerit; aut redire? cùm hoc ſolũ nobis ſcire liceat, quòd aut venit, aut redijt. Quis enim cognoſcere poteſt, quemadmodum Verbum in Virginem venit, vt repente conceperit, vt tam felicem fœtum partus virginalis effunderet, vt hominem Deus indueret, quem totus mundus non poteſt nec ſufferre, nec capere? id eſt quod Salomon ait, veſtigia aquilæ volantis, id eſt Chriſti Domini aduenientes ad terram, ac redeuntis ad cælos veſtigia comprehendi enarrariq; non poſſe.*

Secundum emblema ſerpentis in petra Chriſto ſic adaptat: *Hanc petram Chriſtum Dominum noſtrũ, eſſe ambigere non debemus; ſerpens autem ex ipſo nomine, quod ſit callidior omnium beſtiarum quæ ſunt ſuper terra apparet quod eſt diabolus; qui ideo ſerpens dicitur, quod occultè ſerpat, & quod ſenſus hominis tenuiter illabendo pertentet. Hic ergo in corpore hominis, quod omnipotens induerat Dominus, nulla malitia ſua potuit imprimere veſtigia, quamuis illud auſus fuerit ſæpe tentare.* Et in appendice docet ſerpentem ſeduxiſſe Adam & Euam, quia ex puluere conditi erant puluerei & terreni; non vero Chriſtum, quia ipſe ex petra erat petrinus. *Potuit*, ait, *& ad ipſum tentandum aggredi, ſed Chriſtus non obtemperauit, ac diaboli verba contempſit, ideo ſerpens in petra veſtigium non fecit.*

Tertium emblema viæ nauis ſic Chriſto aſcribit: *Nauem adæquè Eccleſiam debemus accipere in ſalo huius mundi conſtitutam, quæ crebris ventorum flatibus, id eſt tentationum plagis ac verberibus, fatigatur; quã turbidis fluctus, id eſt huius ſęculi poteſtas conatur ad ſaxa perducere: quæ etſi vndarũ fluctibus ſæpè vexatur, nunquã tamen poteſt ſuſtinere naufragiũ, quia in arbore eius, id eſt in cruce, Chriſtus erigitur. In puppi pater reſidet gubernator: prorã paraclitus ſeruat Spiritus. Hanc per anguſta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id eſt duodecim Apoſtoli, & ſimilis numerus Prophetarũ.*

Subdit deinde, nauim hanc omnes ſcopulos, procellas, piratas & ventorum flabra ſuperare: *Sed quod ait vias nauis nauigantis, propriè ſignificat, quòd in tempore perſecutionis miro modo comprehendi omnino non poſſit: quia ſcilicet viuida per interitum, & diues per damna reddatur, quæ ob hoc multis in locis ſoli comparatur aut lunæ, quæ etſi tunditur, non mouetur, aut, ſi moueatur, reſurgit;* ſcilicet luna recedens à ſole, luce orbeque minuitur; accedens deinde, rurſum augetur, & quaſi reſurgit.

Deinde quartum emblema viam viri in adoleſcentia ſic de Chriſto proſequitur: *Vir iſte Chriſtus Dominus noſter eſt: hic eſt vir, cuius viæ nõ poſſunt cognoſci in iuuentute. Quis enim æſtimare animo poſſit, quãta ille opera exercuerit, cùm ſecundùm hominem moraretur*

in

in terris, quæ itinera virtutum duxerit, quas vias bene- A
ficiorum circa humanum genus fuerit ingreſſus?

Tropolog. quadriga virtutum. Tropol. per quadruplicem hanc viam accipias quadrigam virtutum, qua imus, imò trahimur ad felicitatẽ æternam. Scilicet per viam aquilæ in cęlo ſignificatur prudentia: huius enim ſymbolũ eſt aquila, vtpote quę mira pollet oculorum ad videndũ & præuidendum acie, ſicuti prudentię eſt prouidere & proſpicere omnia actioni commoda vel noxia. Per viam nauis in mari ſignificatur fortitudo, qua contra fluctus & procellas tentationum mundi huius fortiter incedimus. Per viam viri in adoleſcentia ſignificatur temperantia, qua adoleſcentiæ æſtus & cupiditates moderamur. Per viã colubri in petra ſignificatur iuſtitia, quæ cuique ſuum tribuit: ſicut coluber repens per petram nil
B illi adimit, ſed ſua omnia relinquit. Vis ergo ire in cęlum, viam virtutis capeſſe: hac iuêre Sancti omnes, Apoſtoli, Martyres, Virgines, Confeſſores.

Sed age Sanctos de via recta percũctemur. Dic Abraham, dic Iſaac, dic Iacob, quo compendio in
Hebr. 11. cęlum euaſiſtis? *Fide in terra quaſi in aliena habitauimus in caſulis, confitẽtes quia peregrini & hoſpites ſumus ſuper terram: expectabamus enim fundamenta habentẽ ciuitatẽ, cuius artifex & conditor eſt Deus.* Dic Moſes, dicite Prophetę, Eremitę, dicite aquilę, imò angeli
Ibidem. terreſtres: *Circuiuimus in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cauernis terrę. Elegimus affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimantes theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebamus enim in re-*
Ephes. 2. *munerationem.* Dic S. Paule, quam viam raptus in cælum iniſti? *Fratres iam non eſtis hoſpites & aduenę,*
Philip. 1. *ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Cupio diſſolui* C
Rom. 8. 18. *& eſſe cum Chriſto. Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram glo-*
2. Cor. 4. *riã, quæ reuelabitur in nobis: quod enim momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra mõdum in ſublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Dic S. Se-
Thr. 1. 12. 13. baſtiane: *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam, direxit in me filias pharetræ ſuę:* altiùs me cęlorum quàm telorum iacula penetrarunt. Dic S. Franciſce: *Fratres magna promiſimus, maiora promiſſa ſunt nobis: ſeruemus hæc, aſpiremus ad illa. Voluptas breuis, pœna perpetua: modica paſſio, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.* Tanta eſt gloria quã expecto, vt omnis me pœna, omnis paupertas, omnis macies, omnis labor, omnis infirmitas, omnis tentatio, omnis crux delectet. Dic S. Laurenti,
Psal. 16. 3. quæ te via duxit in orbẽ? *Igne me examinaſti, & non* D
eſt inuenta in me iniquitas. Ita cor meum in Deo, in cælo defixum, vt igne examinatus, aſſatus, toſtus, citiùs animam, quàm cælum prodigerem. Dic S.
S. Ambros. serm. 90. Agnes: *Carnis ſpurcitias & tyranni minas immaculato & inflexo calle tranſiui: & ecce ad te venio, quem amaui, quem quęſiui, quem ſemper optaui. Illi ſum iuncta in cælis, quem in terris poſita tota deuotione dilexi.* Dicite Machabæi, vetus inuictum fratrum Martyrumq́;
2. Mach. 7. agmen: *Tu quidẽ ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. E cælo iſta poſſideo, ſed nunc propter Dei leges hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo*
Ibidem. *me ea recepturum ſpero.* Dic mater, dic virago: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis: ſed enim creator mundi, qui formauit hominis natiuitatem, quiq́; inuenit omnium originem, & ſpiritum: vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam; ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis*

A *propter leges eius. Fili mi miſerere mei, quæ te nouẽ menſibus in vtero portaui, lac triẽnio dedi, alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto nate vt aſpicias ad cælum, vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, qui modico dolore ſuſtentato, ſub teſtamento vitæ æternæ effecti ſunt, mortem ſuſcipe, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.*

Hos ſequamur, hos imitemur, his nos obarmemus, ſi bellum, ſi tentatio, ſic infirmitas, ſi melancholia vrgeat, vt in ſuburbijs cæli, in atrijs Dei noſtri aſſiduè verſemur. Incipe eſſe ô anima, quod futura es, angelorũ ſocia deſtinata es, angelicè viue, auidiſſimè te Cuſtos angelus, te Sancti omnes, tot charorum numerus expectat: curre, propera, feſtina. Expectat te B. Virgo, mater tua, expectat te Chriſtus Dominus, deliciæ tuæ, expectat te Deus
B Pater, vt quaſi filiã hereditate ſua, ab æterno prędeſtinata, te donet: expectat te Deus Filius, vt in tuos quaſi ſponſæ dulciſſimæ amplexus & oſcula ruat: expectat te Spiritus ſanctus quaſi gratiſſimã amicam, vt omni gloria, omni gratia, omni decore te veſtiat & ornet. Quid moraris? è ſalo & ſolo, è cœno hoc in cælum euola. Egredere, ô anima, de papilione corporis tui, vt in oſtio ſtãs videas pertranſire gloriam Domini, è carcere hoc in cælum euolanti B. Virgo mater Domini occurret choris comitata virgineis, te amplexabitur, te in ſuos recipiet, tibi cũ omnibus ſuis applaudet: cùm omnes angeli tuam gloriã admirãtes acclamabunt: *Quæ* *Cant. 8. 5.*
eſt iſta quę aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? cùm iucundiſſimè inſpicient te omnes filiæ Sion, ſalutabunt, & beatiſſimam prędicabunt, cùm iubilabunt omnes filij Dei; cùm illa 144. millia in conſpectu throni & ſeniorum, te-
C nentes citharas cantabunt canticum nouum, tuq́; *Apoc. 14.*
triumphatrix præcinẽs: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in* *Exodi 15.*
mare. cùm ipſe ſponſus cum myriadibus Sanctorum occurret: *Surge, veni, propera amica mea, formoſa* *Cant. 2. 13.*
mea, columba mea. Iam hiems tranſijt, imber abijt & receſſit. Veni de Libano, veni, coronaberis. Tũc abſterget omnem lacrymam ab oculis tuis, tunc labor & dolor, tentatio, ærumna, humiliatio, pœnitentia, bilis, phlegma, melancholia non erunt vltrà. Tunc *Isaiæ 61. 3.*
pro ſpinea corona capiti tuo auro gemmiſq́; fulgentem imponet, tunc oſculabitur te oſculo oris ſui, tunc dabit tibi *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, palliũ laudis pro ſpiritu mœroris.* Tunc ſecura & exultabunda in amplexus ſponſi euolabis, & cũ iubilo dices: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam eum. Gaudens gaudebo in Domino,* *Ibid. vers. 10.*
D *quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento lætitię circumdedit me, & quaſi ſponſam decorauit me corona.*
Hęc creberrimè meditemur, hîc aſſiduè cum Sanctis, cum angelis verſemur: hîc ſit cor noſtrum, hîc lingua noſtra, hîc omnes vię & vota noſtra, vt poſt breuem & inanem hanc vitam, poſt pauculos annos, vtinam poſt pauculos dies & horas, vtinam hac ipſa die & hora, in Sanctorum omnium ſocietatem in cælis recipiamur, & fruamur eo qui eſt amor noſter, finis & deſiderium, Deus noſter benedictus in ſæcula. Amen.

TALIS EST ET VIA MVLIERIS ADVLTERÆ, VERS. 20.
QVÆ COMEDIT, ET TERGENS OS SVVM DICIT: NON SVM OPERATA MALVM] Hæc gnome vel poteſt præcedentibus connecti, velut eis ſimilis eo modo, quo iam expoſui; vel ab eis ſeparari & per ſe ſola conſiſtere. Nam, vt rectè aduertit

Ian-

lanſe. vox *talis* non ad præcedentia, ſed ad ſequẽtia referri põteſt, q.d. *Talis eſt via*, id eſt huiuſmodi agendi modus eſt mulieris adulterę, quem ſcilicet ſubiungo, nempe, *comedit & tergit os ſuum*, &c. In Hebręo enim non eſt *quæ comedit*, ſed tãtùm *comedit*. Et ſic optimè conſiſtit myſterium natiuitatis Chriſti in verſu præc. Senſus ergo eſt q.d. Hic eſt genius, hæc indoles, hic mos & vſus mulieris adulteræ, nimirum inſtar guloſæ alicuius, quæ furtim comedit rem vetitam, tergit os ſuum, vt nullum comeſtionis veſtigiũ appareat, ac præ ſe fert continentiam, dicitque. Non comedi rem furtiuam, *non ſum operata malum*, id eſt, non commiſi adulterium. Honeſtè enim voluptatem copulæ adulteri ſignificat per metaphoram (ſimilis metaphora & catachreſis eſt c. 5. 15. & c. 9. 17.) comeſtionis rei furtiuę, quia adultera furtum committit, tum quia corpus ſuum marito obligatũ tradit adultero, tum quia adulteri corpus ſibi alienum vetitumq; furatur. Adde, ſolere adulteras cũ adulteris conuiuari, itaq; ſe ad adulterium incitare: gula enim ſternit viam ad luxuriam, ac venter mero æſtuans deſpumat in libidines, vt ait S. Hier. Porrò adulteræ, vt gulam & adulterinos amores celent, ſolent epulationes cum adulteris abſcondere, oſque ſuum tergere, ac dicere: Nõ ſum epulata cum adultero.

Myſticè Anaſtaſius Nicenus qu. 43. iam citata, per adulteram accipit Eccleſiam è Gentibus idololatris collectam: *Talis*, inquit, *eſt conuerſatio Eccleſiæ Chriſto credentis, quæ fornicata in idolis, ipſis renuntians & diabolo, cùm peccata abluerit, & acceperit remiſſionem, dicit ſe nihil mali feciſſe*. Sic & Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 417.

Elegantiùs & luculentiùs S. Ambroſ. tract. in cap. 3. Eccleſiaſt. ſer. 1. de eleëmoſyna, qui extat ſub finem tom. 2. *Scilicet de anima per baptiſmum abluta dixiſſe Salomonẽ puto: euiuſmodi eſt iniqua via mulieris meretricis, quæ cum ſe abluerit, nihil ſe dicit feciſſe prauum. quod de hac planè dictum eſt, quæ poſtea quàm fonte abluta eſt Saluatoris, delictorũ vitia non meminit, virtutem prædicationis aſſumit, & viua aqua diſtergens maculas ſuas, ad euãgelizandum non conſcientia peccati retrahitur, ſed fidei calore cõpellitur. Nihil enim dicit ſe feciſſe prauitatis, dũ ſit nuntia veritatis, & oblutione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat caſtitatem.* Cauſam ſubdit: *Hæc enim virtus eſt Chriſti domini, vt peccator qui eius vnda ſe lauerit, denuo in Virginẽ reparatus, non meminerit antè quod fecerit, rediuiuâ natiuitate infantiæ innocentiã præſe ferat, ſitq́; virgo fide Chriſti, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Similia, imò eadem habet S. Ambroſ. ſer. 42. inter communes, & tract. in c. 30. Prouerb. ſiue de Salomone.

VERS. 21. PER (Chald. *propter*) TRIA MOVETVR TERRA,
ET QVARTVM NON POTEST SVSTINERE: PER
VERS. 22. SERVVM CVM REGNAVERIT: PER STVLTVM CVM
VERS. 23. SATVRATVS FVERIT CIBO: PER ODIOSAM MVLIE-
REM CVM IN MATRIMONIO FVERIT ASSVMPTA: ET
PER ANCILLAM CVM FVERIT HERES DOMINÆ
SVÆ] Hebr. *ſub tribus tremit terra; & ſub quarto non poteſt ſufferre*; Septuag. *per tria concutitur terra, quartum autem non poteſt ſufferre*: Symmach. *quatuor autem non poteſt ferre*. Septuag. vltima duo tranſponunt, & mulierem odioſam, quarto vltimoq; loco, velut peſſimam præ tribus ceteris collocant: ſic enim habent, *Si famulus regnet, & imprudens ſaturatus fuerit cibis, ſi famula eiecerit ſuam ipſius dominam, & odibilis mulier ſortita fuerit virum bonum*. Septuag. more ſuo ſequitur Syrus.

Quartus eſt hic gryphus, ſiue quartum quaſi ænigma quatuor intolerabilium. *Quartum ænigma quatuor intolerabilium.*

Per *mulierem odioſam* intellige moroſam, iracundam, rixoſam, cerebroſam, ſuperbam, incontinentem, quæ ſuo faſtu, ira, impatientia, maliſque moribus ſe facit exoſam, vt marito totique familiæ ſit odio & horrori; cùm ex aduerſo bona vxor debeat eſſe amabilis, omniumque amorem ſua modeſtia & gratia ſibi conciliare.

Pro *mouetur* hebr. eſt נִרְגְּזָה *nirgeza*, id eſt mouetur, tremit, fremit: רָגַז *ragaz* enim vti literis, ſic & ſignificato alludit ad רָגַשׁ *rogas*, & רָעַשׁ *raas*, id eſt tremere, contremiſcere, conturbari, pauere, iraſci, tamque de animatis, quàm de inanimatis dicitur. Vnde Septuag. *nirgeza* & *ragaz*, nunc vertunt, ad iram incitari, nunc exacerbari, nunc iritari, nunc turbari & conturbari, nunc pauere, nũc cõtriſtari, nunc defatigari, nunc ſollicitum eſſe, nunc concuti, nunc obſtupeſcere. Vatabl. hoc loco vertit, *ſtomachatur terra*; Chald. *commouetur*; Syrus, *ſub tribus nutat terra*. Alludit ad terræ motum, quo terra concutitur, fremit & tremit ob aërem & ventos incluſos, qui inter ſe conflictantes ſub terra, eam alioqui immobilem ſuccutiunt, vt domos, turres, templa ſubruant, ac ſubinde videantur terram è centro ſuo conuellere, quod reuera in terrę motu fieri nonnulli Philoſophi cenſent, vti oſtendã Eccleſ. 1. 4. Similis eſt in domo & republ. terræ, id eſt terræ incolatum, putà ciuium & domeſticorum, non tam corporum, quàm animorum motus & turbatio, cùm ſeruus dominatur hero, ſtultus ſapiẽti, vxor viro, ancilla dominæ; hi enim ſuperbia tumidi, cupiditate hiantes, imprudentia cęci, noua ſorte & dignitate elati, non ſe capientes inſoleſcunt, omnia inuertunt, peruertunt, ſuſque deque miſcent; quocirca motus, ſeditiones, tumultus in domo vel republica concitãt, vt ipſa à fundamentis conuelli & quaſi excentricari videatur: omnes enim ad impotentem, iniquum, tyrannum, arrogantem eorum dominatum indignantes fremunt & frendent, ac velut contra furias facibus furoris accenſi ſæuiunt & furunt: vnde & רֹגֶז *regez*, idem eſt quod commotio, tortor, tremor, ira, furor.

Ratio eſt. Prima, quòd indignum & contra naturam videatur herum ſubijci ſeruo; ſapientem cuius erat regere, regi à ſtulto; maritum ſeruire vxori, dominam ancillę: ſerui enim ob indolem & mores ſeruiles proprium eſt ſeruire, domini verò & dominæ dominari, vt docet Ariſtot. lib. 1. Politic. ca. 4. quare ſi ſecùs fiat, natura videtur inuerti & eſſe mundus inuerſus. *Ratio à priori. Prima.*

Secunda, quòd ſerui, ſtulti, feminæ & ancillæ dominantes non capiant ſe ſuamq; ſortem & fortunam, ſed velut emotæ mentis exiliant, limitesq; omnes tranſiliant, ac veluti inſani bacchentur, ideoq; multa indigna, alijſque iniuria committant, quibus omnes contra ſe concitant, iuxta illud: *Secunda.*

Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum.

Vnde Plato li. 6. de Legibus: *Contrà etiam dicitur*, inquit, *nihil in animo ſeruiente integrum eſſe, nec quidquam ſeruorum generi eſſe demandandum, quod & ſapientiſſimus Poëtarum* (Homerus) *teſtatur nobis, cùm de Ioue ſic loquitur, Dimidium mentes Iuppiter illis aufert, qui ſeruitutis ſorti ſubiecti ſunt.*

Similiter ſtultus ſi ſaturetur cibo, id eſt, delicijs & vinis, eſt intolerabilis, tum quia ſtultus, tum quia ſtultitiam eius acuit ſaturitas & vinum. *Saturitatis enim germana proles eſt petulãtia*, ait Philo: vti vide-

videmus in vitulis ſaturis, quorum ſaltus & geſtus petulantes imitantur ſtulti ſaturi & ebrij: ſub ſaturitate intelligitur opulentia & diuitiæ, quas in ſe abſonum eſt ſtultum habere, vt quæ non deceant eum, qui eis rectè vti non poteſt, ſed debeantur ſapienti qui earum rectum nouit vſum. Nam, vt ſuprà dictum eſt, *quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cùm ſapientiam emere non poſſit?* Nec eſt tantùm hæc res in ſe abſona, ſed hinc in terra magna prouenit turbatio, quòd ſtulti diuitijs abutentes multa inſolèter committant, alios deſpicientes & iniuria afficientes, ac per hæc alios ad indignationem ac zelum concitantes. Exemplum eſt in Nabal marito Abigail, cuius nomen hoc loco ponitur pro ſtulto: nam *nabal* hebr. ſtultum ſignificat.

Tertia. Tertia, quòd ſerui, ſtulti, feminæ & ancillæ dominantes non agantur ratione, ſed paſſione & cōcupiſcentia, quæ dum armatur poteſtate & imperio, in omnes impunè æquè ac imperioſè graſſatur: quare tunc domus vel regnum non regitur æqua ratione, ſed impotenti & effræni concupiſcentia: hæc enim regit ſeruum, qui regit domum vel regnum: omnes autem ſubditi, quia homines rationales, volunt regi humana ratione, non paſſione: hæc enim eſt humana hominum regendi ratio, ſi ſecùs fiat, non ratio, ſed cupiditas regit domum vel rempubl. ideoque non principatus eſt, ſed tyrannis, quam omnes oderunt, ac propter eam iraſcuntur & tumultuantur, vt ſe in libertatem vindicent. Audi S. Auguſt. l. 4. de Ciuit. c. 3. *Proinde iuſtus etiamſi ſeruiat, liber eſt; malus autem etiamſi regnet, ſeruus eſt: nec vnius domini, ſed, quod grauius eſt, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus vitijs cùm ageret Scriptura diuina: A quo, inquit, quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt.*

Denique nihil ſerui, ait auctor Catenæ Græc. quod ad regnum adminiſtrandum idoneum ſit adferunt, vt ſunt humilitas, ſcientia, experientia, aliaque eiuſmodi. Regnauit ſanè ſeruus Ieroboam, at tanta mala hic perpetrauit, quanta nullus antè, vel poſt ipſum, vt rerum exitus demonſtrauit. Simile exemplum fuit in Eutropio ſeruo, qui Arcadio Imper. in delicijs, ſub eo Imperium adminiſtrauit tanto faſtu & inſolentia, vt à populo furente ad necem appetitus confugiens ad aſilum templi, ibi vix S. Chryſoſtomi oratione ſeruatus ſit, vt ſuperiùs ex Baron. & alijs enarraui.

Porrò planè intolerabile eſt, quod vertunt Septuag. *Et ſerua cùm dominam ſuam eiecerit*, vt ſcilicet ſerua dominæ à ſe eiectæ thorum, thronum, ius, opes & regnum inuadat, vti Agar Saram dominam ſuam deſpexit, eiuſque locum inuaſit, ac ideo iuſſu Dei ab Abrahamo domo pulſa eſt, Gen. 16.

Igitur parabola hæc docet, hinc omnia turbari in mundo, quòd his qui ſubeſſe & regi, quiq; inopia premi & contemni deberent, imperium obtingit, dominium, rerum abundantia & honor. Quod & in nobis ipſis viſu venit: commouetur enim ob id terra cordis noſtri, quòd carnalis affectus, qui ſpiritui deberet ſeruire, imperat rationi; quòd ſtultæ & brutæ portioni nimis indulgetur ſaturitatis; quòd odioſa caro in nimio habetur honore, & quæ ancilla eſſe deberet, dominari vult. Ita Ianſen. Baynus, & alij.

Allegor. Allegor. auctor Catenæ Græc. per hęc quatuor accipit peccatum ſiue culpam quatuor ſæculorum ſibi ordine ſuccedentium, ſcilicet diluuij Noëtici, Sodomorum, Ægyptiorum & Iudæorum. Igitur

A culpa, inquit, quæ natura ſua ſerua eſt, ſeruumque efficit, iam olim regnauit in mortali hominū corpore, ſemel quidem vniuerſalis diluuij tempore, mox verò ætate Sodomorum terræ ſuæ vbertatē modeſtè ferre non valentium, nec non exteris peregriniſq; hominibus ex mera petulantia vim adferentium. Hinc rurſum ſub odioſa Ægypto: hæc enim virum bonum, nempe Ioſephum nacta, ingrata extitit. Ioſeph namque ne fame interirent, omnibus frumenti menſuram diſtribuebat, deque omnibus benè mereri ſtudebat, verùm ſuperbia ebria, filios Iſrael nihil tale meritos per ſummam iniuriam & contumeliam miſerrimè diuexabat & opprimebat. At verò ancilla quæ dominam ſuam expulit, eſt terrena Ieruſalem, propter frequentes captiuitates, quas apud gentes perpeſſa eſt, appellata omnium ſerua vel ancilla; hæc autem eiecit dominam ſuam, ſacram nimirum Chriſti Dei carnē, deicida & dominicida effecta.

B Porrò quòd alius quidam ibidem ſic explicat: Per tria, hoc eſt per Patrem & Filium & Spiritū ſanctum, terra commouetur & gubernatur; quartum autem non poteſt ferre: neque enim in diuinis eſt quaternitas, ſed Trinitas tantùm cuius gloriam & maieſtatem vniuerſa creatura ferre non poterit. Vt ergo myſteria hæc Sapiens nos doceat, ait: *Tria ſunt, quæ terra ferre non poteſt.* Hæc, inquam, explicatio ſenſui litterali non inhæret, imò aduerſatur, ideoque incongrua eſt, inſulſa & indigna, vt mirum ſit eamdem reperiri apud Anaſtaſium Nicenum quæſt. 45. quis enim audeat SS. Trinitatē comparare ſeruo, ſtulto, ancillæ, ſuis heris dominantibus?

C Tropol. per hęc quatuor accipias concupiſcentiam animalem & brutam, rationi mentique rebellem & dominantem, quæ quadruplex eſt: nam carnalis appetitus, qui ſeruire debuerat, imperat rationi & corpori, quod de ſe inſtar eſt bruti: quidquid petit vſque ad ſaturitatem ingeritur & odioſa caro in nimio habetur honore, & ſenſualitas dum ſuis delicijs ferè totum tempus præripit, videtur fieri heres rationis, ſcilicet dominæ ſuæ. Per hæc quatuor cordis noſtri terra turbatur, quòd cùm aliqua cæleſti luce perfunditur, ea cou indigniſſima ferre non poteſt. Tropol.

Hoc eſt quod ait Philo lib. de Mundi opificio: *Ratio infeſtata à concupiſcentia ex regina fit ſubdita, & ſerua ex domina, & exul ex ciue, & mortalis ex immortali.* Sicut enim inter vxorem & maritum ob inæqualitatem & diſſimilitudinem aſſidua ſunt iurgia:

D ſic & inter concupiſcentiam & rationē, ſiue mentem & ſpiritum, eamdem ob cauſam continua ſunt bella. Quid enim magis inæquale quàm ratio & concupiſcentia? hæc terrena, degener, imo congener brutis; illa verò ſpiritualis, generoſa, & angelos ipſos cognatione attingens: hæc pauper omnino & indiga; illa diues & opulenta: huius mores aliquando rigidi & iracundi, nonnumquam molles & effeminati, aliquando faſtuoſi & ſuperbi, nonnumquam humiles & depreſſi, quæ non coniugi ſuo ſolùm, ſed ſibi etiā ſemper diſſimilis eſt; at rationis mores ſeueri & graues cū ſuauitate coniuncti. Ergo in tanta morū diſſimilitudine, & conditionis inæqualitate nulla poteſt eſſe conſenſio. Hinc liquet quantā oporteat eſſe rationis conſtātiam & robur ad cōcupiſcentiæ motus frænandos & coërcendos: ſi enim hæc rationem pānū robuſtam & vegetam experiatur, ſic ſe habet erga illā, ſicut

ſicut vxor contumax erga virum imbellem ac mollem. Ita Salazar. Vnde Thalaſſius ad Paulinũ: *Sicut*, inquit, *abſurdum eſt ſubeſſe bonum dominum improbo ſeruo, ita & abſurdum corruptibilis corporis mancipium eſſe mentem.* Vidit idipſum Cicero l.2. de Officijs, cuius verba recitat S. Ambroſ. l.1. Offic. c.47. *Eſt*, ait, *in animis omnium molle quoddam, demiſſum, humile, eneruatum quodammodo & languidũ: ſi nihil eſſet aliud nihil eſſet homine deformius: ſed preſtò eſt domina omnium, regina ratio, quæ cõnixa per ſe, & progreſſa longiùs fit perfecta virtus. Hæc vt imperet illi parti animæ, quæ obedire debet, videndum eſt viro, velut ſeruo dominus velut imperator militi, velut parens filio.*

Symbolicè. Symbolicè noſter Salazar, hæc quatuor tribuit Prælatis & principibus: ſic enim aliquid obſcurũ & ænigmaticum, vti ceteri hi quinq; gryphi, continent. q.d. *Per tria mouetur terra*, id eſt impellitur ac mutat reſpublica, *& quartum non poteſt ſuſtinere*, tria ſcilicet illam concutiunt, quartum omnino ipſam euertit. *Per ſeruum cùm regnauerit*, nimirum per principem, qui ſuarum cupiditatum ſeruus eſt: hic enim rempubl. continere, & iuſtè adminiſtrare non poteſt. Nam principem & regem non facit purpura, non diadema, non ſceptrum, non turba famulorum, non pompa equorum & curruum: ſed vt ait Seneca Tragœd. 2.

Rex eſt, qui poſuit metus
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et numquam ſtabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Rex eſt, qui metuit nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Ratio eſt, quòd regni gubernatio refertur ad id quod in rege regnat, ipſumque moderatur: nam quod regem ipſum regit, eiuſque voluntatem impellit, id ſanè quaſi à fortiori regnum gubernat. Si ergo ratio & virtus, cuius eſt omnia ſapienter & iuſtè conſtituere, in rege imperat, regnum vtique ratio & virtus regit; ſi autem è conuerſo cupiditas & vitia in principe imperium teneant, illumq; ſibi ipſis mancipent, cupiditas vtique ac vitia regnum gubernant, &c.

Vers. 24. QVATVOR SVNT MINIMA TERRÆ, ET IPSA
Vers. 25. SVNT SAPIENTIORA SAPIENTIBVS: FORMICÆ, POPVLVS INFIRMVS, QVI PRÆPARAT IN MESSE
Vers. 26. CIBVM SIBI: LEPVSCVLVS, PLEBS INVALIDA, QVI COLLOCAT IN PETRA CVBILE SVVM: REGEM LO-
Vers. 27. CVSTA NON HABET, ET EGREDITVR PER TVR-
Vers. 28. MAS SVAS: STELLIO MANIBVS NITITVR, ET MORATVR IN ÆDIBVS REGVM.

QVATVOR SVNT MINIMA TERRÆ] Hebr. *quatuor ipſa minima terræ, & ipſa ſapientia ſapienter edocta;* Pagnin. *& ipſa perinde ſapiunt, at ſi ſapientiam eſſent edocta;* Arabicus, *quatuor ſunt contemptibilia terræ, & ſunt ſapientiſſima præ ſapientibus.* Vulgata, *formicæ populus infirmus, &c.* Hebr. *formicæ populus non fortis, & præparauerunt in æſtate panem ſuum;* Septuag. *formicæ quibus non eſt fortitudo, & præparant verè cibum ſuum.* *Formicæ* enim nomen hic eſt pluralis numeri, vt patet ex Hebræo: ſignificat enim cœtum formicarum, qui typus eſt populi infirmi.

Pro *lepuſculus* heb. eſt שפן *ſaphan*, id eſt abſconditus, vel ſe abſcondens, quæ vox tria ſignificat: Primò, chœrogryllum, vt vertunt hîc Sept. Secundò, ericium vel erinaceum, ſiue porcellum hortenſem, ſpinoſum, qui ſpinis ſuis poma configit, iiſq; ſe onerat; Tertiò, lepuſculum ſiue cuniculum, vt

A vertit Syrus: hic enim paruus eſt lepus. Vide dicta Leuit. 11. v.5.

Porrò lepores & cuniculi ſunt ſapientes, id eſt ſolertes vt fugiant canes, & abdãt ſe in antris ſuis. Vnde Ariſtotel. l.1. Hiſtor. animal. c.1. *Alia animantes*, inquit, *ingenioſa ſunt & timidæ, vt ceruus, lepores, cuniculi:* timor enim facit cautos, ſolertes, prouidos, vt malum quod timent effugiant. Hinc & *menſibus quatuor frigidiſſimis latent, nec per id tempus quidquam comedunt*, ait idem l.8. c.15. Hinc & lepus, vt ait Plinius, animaliũ villoſiſſimus, cor habet maximum, vt & cetera timida, apertis oculis dormit, cùm eius eſus faciat ſomniculoſos & formoſos. Lepus græcè dicitur λαγωὸς à λάγνος, id eſt ſalax, luxurioſus, fœcundus: talis enim lepus eſt: vnde ſimul mas eſt & femina, plurimoſq; edit fœtus, id-

B que crebrò. Hebr. dicitur ארנבת *arnebet* ab ארב *arab*, id eſt inſidiari, & רנה *rana*, id eſt ſtrepere, quòd venatores & inſidiantes eum perſequantur cum clamore & ſtrepitu, vlulatuque turbarum & canum, iuxta illud Horatij 2. Serm. ſatyra 4.

Fœcundi leporis ſapiens ſectabitur armos;

armi enim eius & pulpamentum ſunt admodum delicata. Latinè dicitur lepus, cuius etymon dans Varro l.3. de Re ruſtica c.12. *Lucius Ælius*, inquit, *putabat leporem dictum à celeritudine, quòd leuipes eſſet; ego arbitror à Græco vocabulo antiquo, quòd eum Æoles Bœotij λέποριν appellabant.* Sic & Gellius l.1. c.18.

REGEM LOCVSTA NON HABET] Hebr. *rex non eſt locuſtæ, & egreditur dimidians totum ipſum*, id eſt dimidians totas ſuas turmas & acies, hoc eſt, tota diſtributa in ſuas cohortes & phalanges. Pagnin.

C *& egreditur adunata tota ipſa;* Chald. *& congregantur omnes in vnum;* Syrus, *congregantur omnes velut vnũ;* Sept. *ſine rege eſt locuſta, & pergit in acie ab vna iuſſione ordinatè;* Symmach. *& tamquam calculus tota*, id eſt, egreditur ordinatè, vti calculi ordine collocantur in computum; Aben Ezra, *locuſta egreditur glomerata, & agminatim collecta;* alij, *egreditur aculeata;* Arabicus, *in exercitu ſuo imperium ſuum.*

STELLIO MANIBVS NITITVR] Hebr. eſt שממית *ſcemamith*, quod Primo, Arabicus, R. Salomon, R. Leui, Marinus & alij vertunt, *araneam:* hæc enim manibus quaſi telám texit; vnde laboris eſt ſymbolum, & in domibus quoq; regum habitat. Vnde Chald. vertit, *aranea manibus tegumenta facit, & captu faciles habitat in munitionibus regum;* Aquila, *manibus capiens* vel *tractans;* alij, *vtrimque manibus apprehendens;* Vatabl. *araneus vtrumque latus apprehendens;*

D R. Leui & R. David, *aranea pedibus carminat*, ſicut carminatur lana & fila dum pectuntur, & pectendo à ſordibus repurgantur. Secundò, Aben Ezra, Pagninus, Ianſen. & alij vertunt, *ſimiam*. Hęc eñim voce & ſignificato aſſonat voci *ſcemamith:* ſimia quoque pedibus velut manibus vtitur, & ſubinde bipes velut homo graditur cõcinnè & gratioſè, ac hominis mores & geſtus decorè imitatur; ideoq; ob ingenij ſui dexteritatem, & humanæ prudentię imitationem regibus eſt recreationi, & in delicijs. Tertiò, Noſter vertit *ſtellio*. Sic & Sept. qui vertunt, ἀσκαλαβώτης, (vitioſè in Cõplut. & Regijs legitur καλαμώτης) vel ἀσκάλαβος ab ἀσκαλος, id eſt circulus; quia ſcilicet circulis quibuſdã aureis, velut ſtellis, diſtinctus ac varius eſt; vnde & ſtellio vocatur, vel, vt alij, quia in orbẽ incedit, & circulatim progreditur. Animal eſt paruum ſimile lacertæ, de quo dixi Leuit. 11. 30. Vide & Plinium l.30. c.10. & Ariſtotel. in Hiſtor. animal. Hebr. dicitur *ſcema-*

Leporis ſapientia.

Etymon.

Scemamith quid? Reſp. Primò, eſſe araneam.

Secundò, eſſe ſimiam.

Tertiò, genuinè eſſe ſtellionem.

ſcemamith à שמם *ſcamam*, id eſt admirari, obſtupeſcere, quod dum homines videt, hæreat, & quaſi admirans conſiſtat, aut quod homines ſuis ſtellis & geſtibus in admirationem rapiat.

Quintum ænigma quatuor minimorũ.

Quintus eſt hic gryphus, ſiue ænigma quatuor minimorum. *Quatuor*, inquit, *ſunt minima terræ*, hoc eſt, ex minoribus terræ animalibus, quæ tamẽ *ſunt ſapientiora ſapientibus*, hoc eſt, quæ ex inſtinctu naturæ exercent quædam ſapientiæ opera, magis quàm hi qui nomen ſapientis profitentur, aut quàm homines qui verè ſapientiæ ſunt capaces: quia ita ſibi proſpiciunt quaſi ex ſapientia aliqua operarentur; & quia nos ſapientiam docent: vnde & idcirco poſſunt dici *ſapientiora ſapientibus*, quòd ſua actione ſingulari docent ſapientes ſapientiam, & ab eis non docentur. Rurſum, quòd ceteris animantibus ſint ſapientiora, id eſt ſagaciora & ſolertiora. Ita Ianſen. Baynus & alij.

Sapientia ſita in ſolertia.

Docet ergo hic Salomon imitari ſapientiam quatuor minimorum, quo ſignificat Primò, ſapientiam non conſiſtere in mole corporis, nec in robore, nec in pulchritudine, nec in quauis alia re; ſed in ſolertia ſolertique actione, qua quiſque ſibi de rebus neceſſarijs prouidet, quam videre eſt in hiſce quatuor minimis. Secundò, docet nos Dei ſapientiam & potentiam admirari in minimis: nam, *In minimis lucet Dei ſapientia.* vt ait S. Aug. magis elucet Dei ſapiẽtia in exili ape, formica, culice, muſca, quàm in cælo: non ſolùm quia illa animata eſt, cælum inanime; ſed etiam quia in culice, v. g. ſunt oculi, cor, ſtomachus, ceteraq; membra, quæ in alijs animalibus, & tamen hæc oculus viſu diſtinguere nequit, quæ Deus & natura reipſa diſtinxit. Vnde Poëta:

Eminet in minimis maximus ipſe Deus.

Tertiò, docet nihil ſpernendum ob paruitatem vel imbecillitatem, cùm parui præ magnis ſæpè polleant ingenio, ſapientia, acrimonia, ſpiritu, virtute. *Natura nuſquam magis, quàm in minimis eſt*, ait Plinius l. 11. c. 2. Sic & virtus nuſquã magis quàm in minimis oſtenditur. Et Ariſtotel. l. 9. Hiſtor. animal. c. 7. *Omnino*, ait, *ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ ſimilitudinem, magiſq; in minori genere, quàm in maiori videris intelligentiæ rationes.* Tertull. l. 1. contra Marcion. c. 14. *Animalia minutiora*, ait, *maximus artifex de induſtria ingenijs aut virtutibus ampliauit: ſic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate ſecundùm Apoſtolum. Imitare (ſi potes) apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina.* Et D. Hieron. ad hæc diuini Pſaltis verba: *Impleta eſt terra poſſeſſione tua*, (*Pſal. 103. v. 24.*) ſic habet: *Et reuera omnia opera Domini plena ſunt ſapientia; quando enim videmus formicã ſcire quando hiems venit, & reponit ſibi eſcam; & iterũ culicem tam minutum habere oculos, ventrem & vniuerſa membra ſicut & nos habemus, &c. nónne hæc ſunt admiratione digna & ſapientiâ plena, videlicet cùm rerum natura nuſquã magis quàm in minimis mira ſit? Vnde Salomon quoq; regũ ſapientiſſimus, hoc genus minimorũ animantiũ inprimis obſtupuit: Quatuor, inquiens, ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ populus infirmus.*

Sapientia formicarum. Primò.

Hæc autem ſapiẽtia elucet Primò, quòd in formicis non ſit rex, vti eſt in apibus; ac proinde nõ habeant ducem, ſed quæque ſuopte inſtinctu & motu agat. Apes ergo habent monarchiã; formicę democratiam & remp. *Secundò.* Secundò, hæc reſpub. eſt quaſi caſtrenſis. Vnde vrbes quaſi ſub terra ſibi ædificant formicæ inſtar caſtrorum, ea ſolertia, proportione, menſura, diſtributione, vt eas intuitus Simon Maiolus Epiſcopus Vulturiac. vti ipſe ſcribit Diebus canicul. colloq. 7. magis eas miratus ſit, quàm fabricam Neapolis aut alterius ciuitatis pulcherrimæ. *Tertiò.* Tertiò, formicæ ſuas vrbes in tria quaſi habitacula diuidunt, in quorum ſcilicet vna vitam degunt ac communiter comedunt; in altero alimenta ſua quaſi in horreo vel granario recõdunt; in tertia mortuos ſuos ſepeliunt, ait Plutarch. inſigni ſanè amoris, beneuolentiæ bonitatiſque argumento. Ælian. l. 6. de Animal. c. 43. addit quartum ſcilicet gynecæũ, vbi feminæ pariant. *Quartò.* Quartò, formicæ turmatim incedunt, ſed miro ordine, aſtutia & pace: vacuæ enim onuſtas non ſpoliant, nec eis quidquam ſurripiunt, ſed quæq; ſibi colligit. *Aliæ*, inquit Ælian. l. 2. c. 25. *ad legenda grana eunt, aliæ onus portantes redeunt, at ſummo cum honore & modeſtia* (hoc imitentur fideles & Religioſi) *aliæ alijs de via decedunt*, in primis quidem expeditæ onus gerentibus. Et alibi rurſus: *Formicæ in primis ſedula atque operoſa animalia, tanto laborandi ſtudio tenentur, idq; abſq; vlla excuſatione & prætextu, quo vti ſolent ignaui, vt ne noctes quidẽ in ſuo opere ceſſent, modò ſit plena luna; nec verò quemadmodum homines, inertiæ fugaq; laborandi excuſationes prætendunt, &c.* Exactiùs verò ſingularum opera depingens, cùm cauernarum illarum artem deſcripſiſſet ac vſum, addit, *tertiã granorum aceruis deſtinant*, cùm tamen ab Iſchomacho & Socrate rei œconomicæ peritis nihil tale didicerint. Cùm autem tamquam ad pabulandum proficiſcuntur, natu grandiores ſimiliter eas atque exercitus duces ducunt; vt ad ſegetes peruenerunt, adoleſcentiores ſub ſtipula ſtant; duces verò aſcẽdunt, & ſpicas abſciſſas inferioribus deijciunt; hæ verò circumſtantes diſtrahunt ſimul & ex ſuis glumis, & vaginis grana incluſa explicant; neque ad excutiendum vllo inſtrumento egent, neq; ad ventilandum viris, neque ventis ad purganda à ſordibus grana, ex frumentis quæ homines exarant ſeruntq; cibos ſibi conficientes, humanis laboribus fruuntur. Hoc eſt quod admirãs Virgil. 4. Æneid. Ita de ijs canit:

It nigrum campis agmen, prædamq; per herbas
Conuectant calle anguſto, pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Caſtigantq; moras, opere omnis ſemita feruet.

Quintò. Quintò, formicæ cæleſtium notionem quamdam habent, ac ſæpè cælum ſuſpiciunt, præſentiuntque ventos & imbres: vnde tunc domi ſe continent. Quocirca Ælianus l. 1. c. 22. eas aſtrologiæ peritas aſſerit: Plinius l. 11. 30. eis tribuit vaticinam præſenſionem. *Sextò.* Sextò, formicę dum ſeneſcunt & oneri ſuccumbunt (nam tunc alas emittunt, vt homo canos capillos) è reipub. adminiſtratione abeunt, & in eminentem locum teſte Alberto Magno l. 26. auolant, velut faſtidientes terrena, ad cæleſtia. Plura de induſtria formicarum dixi c. 6. 6.

Paruorum elogia.

Rurſum maxima animalia horrent pauentque à minimis, vt elephas à mure, leo à gallo gallinaceo, crocodilus ab ichneumone, aſinus ab acanthide aue, ait Aldrouandus l. 5. Ornithol.

Gratia paruis comes eſt, ait S. Greg. Nazianz. Auctor Hilariorum de paruo canit:

Ea paruulorum eſt indoles, vt corpore
Sit animus illis (illis) *grandior pedes decem.*

Parui enim ſunt acres & magnanimi, nec corpus exile animos eorum capit. Claudianus de gente Alana:

Cui natura breues animis ingentibus artus

Finxerat, immaniq; ocu'os infecerat ira.
Vulneribus pars nulla vacat, praciſaq; cunctis
Gloria fœdati ſplendet iactantior oris.

Et Statius Thebaid. 1: *Sed non & viribus infrà*
Tydea fert animus, totoſq; infuſa per artus
Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

De eodem ex Homero Virgil.
Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Xantippus Lacedæmonius breuis ſtaturæ ita laudatur à Silio Italico:
Exiguis vigor, admirabile, membris
Viuidus, & magnos niſu qui vinceret artus.

Quid minutius carbunculis? quid breuius adamãte? quid hyacintho magis puſillum? Et tamen nihil his nobilius pretioſiuſue reperitur. Denique mundum circumſpice, & perſpicies omnes penè res orbis magis virtute, quàm magnitudine æſtimari. Edgarus rex Britanniæ, cùm ob corporis paruitatem à Rinando Scotorum rege contemneretur, eum prouocauit ad duellum, ac veniã petere coëgit, vti narrat Fulgoſus l. 3. c. de ſuiipſius contemptu. Perſius quanto minor eſt, tanto elegantior: quanto minus habet ponderis, tanto plus obtinet auctoritatis. Vnde de eo Martialis:

Sæpiùs in libro memoratur Perſius vno,
Quàm leuis in tota Marſus Amazonide.

Puſilli viri ter maximi fuere Philippus Macedo Xantippus Lacon, Vlyſſes, Ageſilaus fortes animis & corpore; ſed ſuper omnes S. Paulus. Côtrà Satyricus ridet *longum inualidi collum*. Vide quæ de paruis dixi Eccli. 11. 3. & Zachar. 4. 10. & prolegom. in Prophetas Minor.

Maximum in minimo eſt Verbum incarne. Denique ænigma celebre eſt, *Quodnam eſt maximum in minimo? Eſt verbum abbreuiatum*, vt ait Iſaias c. 10. & incarnatum, ſ utà Verbum infans, puer ſapiens, Deus lactens, iacens in præſepio, ceu lepuſculus, ceu formica, locuſta ſtellio in antro, vbi magnus Dominus & laudabilis nimis, factus eſt puer paruulus & amabilis nimis, &, vt ait Fulgentius ſerm. 1. de Epiphan. *Quis eſt iſte rex Iudæorũ? pauper, & diues; humilis, & ſublimis; qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus; paruulus in præſepio, immenſus in cælo; vilis in pannis, pretioſus in ſtellis.*

Indicat ergo Salomon paruos & infirmos non eſſe aſpernendos, nec ipſos ſeſe abijcere & melioris ſortis ſpem deponere debere: quia ſi quis prudentiâ & ſapientiâ polleat, fieri poteſt, & ſæpè fit, vt pauper neceſſaria ad victum copioſè paret, & vagus ſeu aduena domum commodamq; habitationem ſibi conſtruat, & imbellis caſtra militiamq; ſequatur, ac demum plebeius & degener honeſtiſſima reipubl. munia obeat, & inter aulicos ac regni proceres locum teneat. Hæc igitur Salomon quatuor animalium exemplo haud difficilia eſſe euincit. Quocirca ſapienter R. Ben Azai in *Pirke aboth c. 4. Nullum*, inquit, *hominem ſpernas vmquam, aut rem quampiam nihili facias, quantumuis tibi nullius ponderis eſſe videatur: cuique enim rei ſuus locus eſt & vſus, ſicut & cuilibet homini ſuum tempus.*

Iam propriùs & particulatim hoc emblema expendamus.

Dico ergo illud eſſe triplex, ſcilicet ethicum, œconomicum, politicum, ac repræſentare triplicem ſapientiã, ſcilicet ethicam, œconomicam, politicam vt cuiuſuis ſtatus & ordinis homines informet.

Ænigma hoc docet ethicam, œconomicam, & politicam.

Ethicam, quia docet quemlibet priuatum prudentiam ad vitam rectè inſtituendam, vt vir honeſtus probuſque euadat: œconomicam, quia inA ſtruit maritum vel herum ad domum ritè gubernandam, vt probus paterfamilias efficiatur: politicam, quia erudit tum ciues, quomodo politicè debeant viuere; tum magiſtratus, quomodo politicè rempubl. gubernent, vt probi fiant ciues & gubernatores. Singula conſideremus.

Ethicam, Primò. Ethicè accipit Caietan. Baynus, Ianſen. Docet, inquiunt, hic Salomon nos imitari formicæ ſedulitatem & labores, vt ijs victum corpori & animæ comparemus: nam hæc eſt prima prudentiæ cura. Idipſum autem nullum animal facit neque tempeſtiuiùs, neque ſagaciùs, neque diligentiùs, quam formica. Vnde ad eam pigros ſuos c. 6. 6. miſit Salomon dicens: *Vade ad formicam ò piger*. Hic autem præter ſedulitatem, meminit etiam imbecillitatis, dicens, *Populus infirmus*, vt ne quis temerè prætexat corporis infirmitatem, quaſi per eam non poſſit curare quæ ſunt vitæ neceſſaria, ſignificans laborem B improbum omnia vincere, ſi opportuno tempore ſit ſuſceptus, vti formica *parat in meſſe*, vel *in æſtate cibum ſibi.*

Secundò. Secunda ſapientiæ pars eſt, vt nobis de commoda habitatione prouideamus. Docet eam ſecundum animalculum, *lepuſculus, plebs inualida*. Lepuſculus enim, ſiue cuniculus, in petra vel cauernis petroſis, loco ſcilicet tutiore minuſque acceſſo, ſibi cubile & manſionem deligit, vt qui ſuis viribus fidere non poteſt, eo loci ſecurus ſit. Illi enim venatores vbique inſidiantur, eò quòd ipſe ſit menſarũ decus, & conuiuantium deliciæ. Vide Martial. l. 14. menſarum lautitiam pingens ita canit:

Inter aues turdus, ſiquis me iudice certet:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Tertiò. C Poſt curam annonę & ſecurę habitationis, danda eſt opera, vt in pace & concordia viuamus cum proximis atque cum eis charitatis & amicitiæ vinculo colligemur. Docet id tertium animal locuſta, quæ naturæ ductu gregatim de agro in agrũ ſumma concordia egreditur; & cùm ducem non habeat, tamen proficiſcendi tempus, incedendi ordinem, quieſcendi ſtationes & caſtra, mouendi opportunitatem non minùs ſeruat, quàm ſi ducem ſigno dato ſequeretur.

Quartò. Quartum animal, quod & ipſum ſingularem docet ſapientiam, eſt ſtellio. *Stellio*, inquit, *manibus nititur*: ſtellio ſua induſtria & quaſi ingenio, ſuaq; gratiâ ſuâ decorè lucidis guttis quaſi ſtellis reſplẽdet, docet modum conciliandi ſibi principum fauorem & honores, eſſe induſtriam & ſingularis gratiæ demonſtrationem: ſicut ſtellio ſingulari ſua D induſtria, aſtu & gratia pedibus quaſi manibus rependo, & ſtellulis collucendo, conſpicuus eſt & admirandus regibus: manus enim notant opus, induſtriam & laborem, quibus parandus eſt fauor & gratia principum.

Igitur vt ſummatim omnia colligam, ſenſus eſt. q. d. Ex formicis aſſiduè laborantibus vt cibum in hiemem comparent, diſce, ô homo, prudentiam laborandi & comparandi tibi annonam, tum corpori, tum animæ neceſſariam, ex lepuſculo ſiue cuniculo diſce prudentiam habitandi ſecurè in loco tuto & commodo. Ex locuſta diſce, quantum ſit bonum concordiæ: ex ſtellione comitatem, gratiã & ſplendorem bonorum operũ quibus tibi principes Deumq; concilies. Locuſtæ enim cùm non habeant ducem vel regem, vti habent apes: tamen ita concordes ſunt & conſpirant in vnum, vt vnà egrediente, ceteræ omnes turmatim egrediantur,

ſummo

ſummo agmine, ordine & quiete, ac integras prouincias depaſcantur, perinde ac ſi ab vno duce tunc euocatæ eſſent & vna iuſſione excitæ, vt vertunt Septuag. Quare pulcherrimum ſunt ſymbolum & incitamentum pacis & concordiæ.

Oeconomicè. Oeconomicè hæc quatuor ſignificant totidem patrisfamilias officia, quorum primum eſt, ſtudioſè *Primò.* rem familiarem curare & augere: ſecundum, *Secundò.* prolem ritè ſuſcipere & educare: tertium, *Tertiò.* tam inter domeſticos pacem conciliare, quàm cum vicinis eamdem facere & colere: quartum, *Quartò.* magiſtratibus honorem & obſequium debitum deferre. Diſcat ergo paterfamilias à formicis prouidere familiæ, ideóq; omnes qui in ea ſunt vtili labore occupet, nec quemquam inertem in otio vitam agere permittat, vti formicæ omnes ſuas domeſticas cogunt laborare.

Diſcat à cuniculo prolem ſuſcipere & educare. Cuniculus enim fœcundiſſimus eſt, ac ſingulis menſibus copiam fœtuum parit, adeò vt femina ſemper ſit grauida. Ex fœtibus autem nullum ſpernit, ſed omnes lactat & nutrit: hinc eorum amore ſe euiſcerat & exhaurit, vitamque ſuam valdè abbreuiat. Ad hæc fœtuū cauſa domos & rupes ſuffodit, vt antra profunda excauet, ceteris animalibus imperuia, in quibus tutè & cōmodè eos collocet. Denique per omnia eis proſpicit, fouet, protegit quaſi benigna & pia mater. Cuniculus ergo typus eſt œconomiæ, bonique patris & matrisfamilias, quę prolem ſollicitè educat, ac tam corporis quàm animæ alimenta & commoda procurat & ſubminiſtrat.

Diſcat à locuſta pacem cum domeſticis & vicinis colere, imò conciliare, vt nulla inter eos ſit lis, nulla ſimultas, nullum odium, ſed omnes in familiæ bonū nitantur, ac agminatim velut locuſtæ ad illud concurrant & collaborent; ſic & domum & rempublicam faciet inuictam & inſuperabilem.

Diſcat à ſtellione palatia regum adeunte, & eorum gratiam captante; principibus & magiſtratibus deferre, ſuaq; obſequia offerre, & eorum gratiam ſibi conciliare: ſic & magiſtratum principemque fulciet, & ab eo viciſſim fulcietur & promouebitur. Igitur ſtellionis exemplo degeneres & infimæ conditionis homines adhortatur, ne cadant animis, nec ad ſupremos honores aſpirare deſinant, quaſi id prorſus impoſſibile ſit.

Politicam. Politicè hæc ſpectant ad rempubl. eiuſq; principem: ideò enim proponitur formicarum, cuniculorum & locuſtarum agmen inſtar populi vel gē- *Primò.* tis, non autem ſingulare animal. Docetur ergo reſpublica curandum eſſe ſibi, vt omnes in ciuitate ſint ſeduli & laborioſi: deinde vt commodum ſibi *Secundò.* locum deligat, eumq; muniat vt ſecurè poſſit habitare: tum vt concordiam inter ciues retineat, quę *Tertiò.* cōtra omnes hoſtes ſit fortis & munita. Poſtremò, vt cum capite ſuo & principe ipſi bene conueniat, *Quartò.* & viciſſim princeps ſedulus ſit & vigilans, quod benè docet aranea telam texens, quæ ideò intelligi poteſt dici in domibus regum eſſe, vt doceat reges ſedulitatem. Idem docet ſtellio, manibus aſſiduè laborans & prorepens.

Hinc appoſitè noſter Salazar per hæc quatuor animalia accipit quatuor hominum genera, quæ rempub. conſtant, fouent & promouent, nimirum per formicas coaceruantes grana, accipit agricolas qui fruges parant cibumque reipubl. Vnde Plato in Phædone conſtituens μετεμψύχωσιν, Pythago-

A ricam, ſiue animarum poſt mortem in alia corpora & animantia, quorum mores in vita imitati ſunt, tranſmigrationem, aſſerit agricolarum animas migrare in formicas; quia earum laborem dum viuerent, agros colendo imitati ſunt. Per lepuſculum accipit ciues in vrbibus, quaſi in antris ſuis degentes, & ciuitatem ciuiliaque officia & opificia curantes, per locuſtas accipit milites, qui vrbem & rempub. ab hoſtibus defendunt: locuſtarum enim exercitus, ordines, acies & phalanges militiam quamdam prę ſe ferunt, imò ipſarum forma galeatos milites refert. Hinc locuſtæ cum ſerpentibus bella gerunt, eoſque necant: *Serpentem*, inquit Plinius l. 11. c. 89. *cùm libuit necant ſingulæ, faucibus eius apprehenſis morſicus.* Per ſtellionem accipit aulicos: ſtellio enim circa aularū fores & forium cardines

B verſatur. A ſtellione ergo diſcant aulici gratiam agendi & conuerſandi, vt omnium fauorem ſibi concilient: item eius ingeniū & aſtutiam imitentur, vt ab æmulis & periculis ſibi caueant. Ad hæc eius vim & efficaciam vſurpent: nam vt ait Galenus l. de Theriaca ad Piſonem c. 9. *Multa ſunt quæ ſolum inſpecta vim ſuam oſtendant, vt ſtellio: quem ſi ſcorpiones intuentur, immobiles, & demū mortui redduntur.* Et Philes: *Et ſtellionem perditor, fur ſcorpius,* ſubaudi metuit vel odit.

Inter araneum & ſtellionem bellum eſſe, & araneos deuorari à ſtellione, tradit Ariſtot. l. 9. Hiſt. animal. c. 1. & Plinius l. 11. c. 26. qui & addit ſtelliones quodammodo chamæleontium habere naturam, vt rore tantùm viuant, præterquam araneis. Adiungit Ariſtot. ſtellionem araneis paſci, eaſque

C capere miro aſtu: nam ad telas earum arrepere, illaſque vellicare & concitare; mox araneas motu excitas aduolare, quaſi muſcas capturæ ſint, ſicq; à ſtellionibus latentibus inuadi & deuorari: ſimili modo cordati aulici araneis & ſcorpionibus, id eſt venenatis ſermonibus, machinationibus, conſilijs, actibus hominum factioſorum cautè & fortiter ſeſe opponant, eaque diſſipent & diſturbent.

Caueant verò ſtellionis inuidiam, qua pellem quam exuit deuorat, vt homini præſens comitialis morbi remedium præripiat, teſte Plinio l. 30. c. 10. caueant eius dolos & fraudes, à ſtellione enim dolus & fraus vocatur crimen ſtellionatus. In aulis enim viget inuidia, dolus & fraus, cùm is qui potentior eſt debiliorem ſupplantat, eiuſq; conſilia & poſtulata miris artibus ſuffodit, & euertit: ac officia ſolus præripit, nec ſi nouis maioribus ho-

D noratur, vetera alijs cedit, ſed omnia velut ſtellio ſibi vſurpat & deuorat, vt ſit gurges & vorago beneficiorum & officiorum.

Formicæ ergo & locuſtæ ſunt typus reip. ſiue democratiæ & popularis imperij, quod maximè in æqualitate & vnione mutua conſiſtit, vnde de eo ita cenſuere ſeptē Gręcię ſapientes apud Plutarch. in eorum Conuiuio. *Primus Solon: Mihi*, inquit, *videtur ciuitas maximè fore beata, & conſeruatura popularem ſtatum, in qua iniuriæ alicuius auctorem non minus illæſi, quàm qui læſus eſt in ius rapiant atq; puniant. Secundus Bias dixit, eum popularem reipub. ſtatū eſſe optimum, in quo legem vniuerſi tamquam tyrannū metuant. Thales: Vbi neque diuites nimis, neq; pauperes ſint ciues. Anacharſis: In qua cùm reliqua omnia æqualia habeātur, virtuti tamen potior vitio deterior conditio deferatur. Quintus Cleobulus pronuntiauit, populū maximè fœlicitū eſſe, vbi ciues reprehenſionem magis metuant quàm legem. Sextus Pittacus: Vbi magiſtratum gerere non licet* *Quæ reſp. optima?* *Gnome ſeptem ſapientum.*

malis, licet bonis. Conuerſus deinde Chilo: *Ea,* inquit, *optima eſt reſpublica, in qua maximè leges, minimè oratores audiuntur.* Rurſum vltimus omnium Periander, *de doctis horum ita cenſuit: videri ſibi omnibus his pronunciatis eam commendari popularem reipubl. formam, quæ ſimillima ſit optimatum in ciuitate gubernationi.*

Myſtic. ſenſ. Myſticè, Hugo quatuor hæc animalia ait notare quatuor hominum ſpecies, in quibus excellit ſapientia, ſtilicet per formicas ſignificari monachos, per lepuſculos doctores, per locuſtas anachoretas, per ſtellionem ſimplices Chriſtianos ac deinde ſingula ſingulis adaptat.

Secund. S. Gregor. verò l. 21. Moral. c. 12. emblema locuſtæ Gentibus adaptat. *Regem locuſta nõ habet. Quia* videlicet, inquit, *derelicta gentilitas aliena dudum à diuino regimine extitit, ſed tamen ordinata poſtmodum contra aduerſantes ſpiritus, ad fidei bellum proceſſit.* Idem l. 6. c. 5. de ſtellione ſic ait: *Stellio manibus nititur, &c. plerumque enim aues quas ad volandum penna ſubleuat in vepribus reſident; & ſtellio qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus regis ædificium tenet. Quia nimirũ ſæpè ingenioſi quique dum negligentiá torpent, in prauis actionibus remanent, & ſimplices quos ingenij penna non adiuuat, obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis leuat. Stellio ergo qui manibus nititur, in regijs ædibus moratur, quia illo ſimplex per intentionem recti operis peruenit, quò ingenioſus minimè aſcendit.*

Tertiò. O quanta, & quàm pulchra ac magna animalia terræ cauernas inhabitant, & in antris horridis delitescunt, & domos regias adire non curant: at ſtellio animalculum vile, quia manibus nititur, quia nimirum curat in alta quæque conſcendere, in domo regia locum requietionis accepit. Ita multi viri graues, ob inſignem doctrinam, eloquentiam & gubernationis peritiam nominati, in imo iacent, **C** & ob ſuam oſcitantiá in quadam vitæ obſcuritate, & in abyſſo quodam imperfectionum commorãtur; cùm tamẽ ſtellio, id eſt vir ignarus & contemptibilis, qui mundum deſpicit, & diligenter in omnem virtutem incumbit, arcem Domini, id eſt perfectionem, obtineat. Qui dexteritatem habet ad ſæculi negotia tractanda, hoc negotium ſuę ſalutis omittit, ex quo pendet vt domus regis, id eſt patrię cæleſtis, & puritatis vitæ, ſit habitator.

Quartò. Caſſian. Collat. 10. c. 10. ex Septuag. pro *lepuſculus* legens *erinaceus,* per eũ intelligit Chriſtianos & Religioſos perfectioni ſtudentes, qui in petra, id eſt in Chriſto, eiuſque paſſione meditando commorantur. De quibus dicitur pſal. 103. *Montes excelſi ceruis, petra refugium erinacijs. Eò quod,* inquit, *quiſquis in ſimplicitate atque innocentia perſeuerans, nulli eſt* **D** *noxius vel moleſtus, ſed ſua tantùm ſimplicitate contentus, ſolummodò ſe ab inſidiantium præda deſiderat communiri velut erinaceus ſpiritalis effectus, iugi Euangelicæ illius petræ velamine protegatur, id eſt memoriá Dominicæ paſſionis, prædictiq; verſiculi inceſſabili meditatione munitus, infeſtantes inimici declinet inſidias. De his ſpiritalibus erinaceis & in Prouerbijs ita dicitur: Et erinacij gens inualida qui fecerunt in petris domos ſuas. Et reuera quid Chriſtiano inualidius? quid monacho infirmius, cui non ſolùm nulla iniuriarum vindicta ſuppeditat, ſed ne leuis quidem tacitaq; commotio ſaltem intrinſecus pullulare conceditur.*

Tropolog. Tropol. ſapientiã obtinent minima, id eſt planè humiles: in humilitate enim conſiſtit vera ſapientia. Vnde vtriuſque hîc quatuor ſpecies recenſentur, quas ita ex Beda proſequitur noſter Aluarez de Paz l. 4. p. 1. c. 7. de humilitate: Formicæ, in- **A** quit, puſillæ ſunt corpore, magnæ viribus, quæ onera duplo maiora ſe portant, populuſq; infirmus vocantur, quoniam ad maiora animalia collatæ imbecilles eſſe videntur. Hæ latebras amant, & non niſi ad aliquod neceſſarium exeunt. In æſtate cibaria parant, & in cellis promptuarijs à ſe factis recondunt: morſu ſecant, ne renaſcantur: madefacta, ſereno cælo, ne putreſcant, in medium proferunt: noctibus diebuſque laborant, & mutuo ſe iuuant, vt vicaria ope ditiores euadant. O magnam ſapientiam puſillorum animalculorum, quam humilis non à formicis, ſed à Deo ipſo humiliũ præceptore hauſit: ille externa ſpecie paruus eſt; nec enim reſiſtit malo, imò ſi quis percutit illum in dexteram maxillam, præbet ei & aliam; cui ab hominibus laudari non placet: ſed virtute eſt magnus, qui in Deo confiſus ardua ac difficilia, ſi ad ea vocetur, abſq; vlla trepidatione præſumit. Liben- **B** ter abſconditus manet, ſed ſi gloria Dei ac proximorum vtilitas poſtulet, in publicum prodite, & inter magnos huius mundi loqui non metuit. Dũ vita comes fuerit, quæ ſibi pro æſtate conceditur, quia ſe pauperem putat, merita parat, quibus in hieme mortis diteſcat. A meritis ſuis omnia ſuperflua & vanę oſtentationi ſeruientia reſecat, ne germen inanis gloriæ pullulaſcat. Si opera, quæ fecit, aliquas imperfectiones habeant, conſumendas iuſtitiæ ſoli præſentat. Semper laborat, quia numquam ſe ſatis perfectũ exiſtimat. Et iuuari ab alijs non refugit, quia in rectè factis nullum ſibi honorem inquirit. An non videtur tibi iſte ſapientior mundi ſapientibus, cui tanta congregandorũ meritorum acceſſit induſtria?

Secunda ſpecies altior eſt lepuſculorũ, ſiue cuniculorum, qui ſcilicet ita ſunt humiles, vt planè ſuis viribus diffiſi cõfugiant ad petram, id eſt omnes ſuas ſpes defigant in Chriſto, in eoq; euadunt fortes & magnanimi. Talis erat Dauid dicens 2. Reg. 22. 2. *Dominus petra mea, & robur meum, & ſaluator meus: Dominus fortis meus, ſperabo in eum.* Hæc eadem humilis quiſque proclamat: Mihi fugienti tu Domine petra es, in quà conſiſto: mihi trepidãti arx munitiſſima es, huius protectionis muris cingor atq; defendor: mihi opem imploranti liberator es, cuius inuictâ potentiâ ab vnguibus leonũ me perſequentium eripior. Si infirmus ſum & impotens, nihil curo, quia tu fortis meus es: ſi ſolitarius relinquor, nihil refert, quia tu ſpes mea es: ſi hoſtes ignita tela in me iaculentur, alacer ſum & ſecurus, quia tu ſcutum meum es: ſi in me facto impetu irruant, eos facilè in fugam cõuerto, quoniam tu vice gladij & lanceæ in manu meà es.

Tertia ſpecies eſt locuſtarum, turmatim, ordinatè, quietè & concorditer procedentium. Talis eſt humilium congregatio, quorum quilibet, cùm ſe ſibimetipſi ſufficientem non reputet, aliorũ fratrum iuuamẽ poſcit, & eis charitatis vinculo vniri contendit. Et quaſi regem non habeat, quia non timore Prælati, ſed amore fratrum & notitia ſuæ neceſſitatis edoctus, pacem cum alijs tenet, & ab omni diſcordia & ſingularitate diſcedit. Per turmas humiles egrediuntur, quoniam licèt in ſtudijs ſpiritualibus æquales nõ ſint, ſed magis vnus, alius minùs dono diuinæ familiaritatis emineat; tamen in labore corporis, & externa obſeruãtia diſciplinæ nemo ſe ſubtrahit, ſed vniuerſi ac ſi æquales meritis eſſent, ſocialiter viuunt. Hinc & S. Aug. in pſal. 108. expoſit. 2. per locuſtas accipit iuſtos, vel

ob

ob multitudinem, vel quòd tranſierint de loco in locum. Sunt igitur humiles ſicut locuſtæ in hoc, quòd ſunt animalia munda; in hoc quòd à rebus terrenis ad deſideria cæleſtia ſaliunt; in hoc quòd non timore ſuperioris alicuius oppreſſi, ſed propriæ imbecillitatis cognitione incitati, non ſoliuagi, ſed alijs aggregati procedunt.

Quarta ſpecies eſt ſtellionis, quod eſt reptile vile, ſimile lacertæ. Hic eſt humilis, qui ex vili ſui æſtimatione infimo loco ſedet, ſed virtutibus ſuis quaſi ſtellulis quibuſdam ſplendet. Hic ergo licet parum valeat, licet nihil ſapiat, illud tamen didicit, mundũ ridere, eius honores & dignitates fugere, ac ſummum honorem (ſicut verè eſt) Dei amicitiam & familiaritatem reputare. Pro hac aſſequenda manibus nititur, & ſummis conatibus ac deſiderijs hunc verum honorem, hanc veram gloriam obtinere conatur. Conſtat ex his, humilitatem veram eſſe ſapientiam; ſiquidem docet opes cæleſtes lucrari in habitatione tutiſſima, nimirum in Dei protectione reſidere, fraternitatem diligere & verum honorem à falſo diſcernere. Humiles profectò ſunt minimi terræ, quia nolunt in terra magni eſſe, vt magnitudinem habeant in cælis: ſed ſunt ſapientiores ſapientibus, quia illud ſciunt virtutis ſummum, & ad illud aſpirant, quod vani ſapientes ignorant. Humilitas denique non tantùm vera, ſed & ſola ſapientia eſt, quam ipſe (vt iam diximus) in mundum veniens ſuos fideles edocuit, dicens: *Venite ad me, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, Matth. 11. 28.

Talis ſtellio fuit Paulus Simplex, S. Franciſcus, S. Bonauentura & ſimiles. Stellio enim eſt ſimplex & humilis, ſed induſtrius & laborioſus, qui doctũ otioſum & vanum in cælo præcedet.

Chriſtus eſt formica, lepus, locuſta, ſtellio. Denique hęc omnia prę ceteris vni competunt Chriſto: Chriſtus enim eſt formica per ſedulitatem, prudentiam & prouidentiam, qua ſuis fidelibus & Eccleſiæ de omnibus ad ſalutem proficuis proſpicit. Ipſe eſt lepuſculus vel cuniculus per fœcunditatem, qua omnes gentes per ſuum ſanguinẽ in baptiſmo regenerat, eaſq; in excelſis petræ ſciſſuris, id eſt in ſacris paſſionis ſuę vulneribus collocat, vt ab omni hoſtium incurſu ſint tutæ & ſecuræ. Ipſe eſt locuſta per concordiam & ordinem, qua populos ſibi contrarios in vna Eccleſia quaſi fratres ordinatè aſſociat, imò ſibi realiter in Euchariſtia vnit & incorporat. Ipſe eſt ſtellio per gratiam, qua omnium animos ſibi conciliat & ſubiugat. Vnde quidam cenſent ſtellionem repræſentare Chriſtum in natiuitate paruulum, ſicut enim ſtellio manibus, ſic paruuli manibus & pedibus nituntur & reptant, & ſicut ſtellio in aulis regum habitat, ſic Chriſtus in aula SS. Trinitatis degit, quaſi *vnigenitus qui eſt in ſinu* Patris, Ioan. 1. imò quà homo merito humilitatis & paſſionis ſuę exaltatus aſcendit in cælum, ſedetq; ad dexteram Dei.

Verſ. 29. TRIA SVNT, QVÆ BENE GRADIVNTVR, ET
Verſ. 30. QVARTVM QVOD INCEDIT FELICITER: LEO FORTISSIMVS BESTIARVM, AD NVLLIVS PAVE-
Verſ. 31. BIT OCCVRSVM: GALLVS SVCCINCTVS LVMBOS SVOS: ET ARIES: NEC EST REX, QVI RESISTAT EI.

TRIA SVNT QVÆ BENE GRADIVNTVR, &c.] Hebr. *tria ſunt inceſſum bonificantia, & quatuor bonificantia iter*; Septuag. *tria ſunt quæ proſperè vadunt, & quartum quod benè incedit*; Aquila, Symmachus & Theodot. *tria ſunt bonum facientia greſſum.*

LEO FORTISSIMVS BESTIARVM, &c.] Heb. *leo fortis vel potens animalibus, & non reuertetur à facie omnium*; Septuag. *catulus leonis fortior beſtijs, qui non auertitur neque horret beſtiam*; Aquila, Symmach. & Theodot. *qui non horret à facie cuiuſquam*; Vatablus, *hæc tria bene incedunt, imò quatuor bellè incedunt: leo qui heros eſt inter belluas, nec à cuiuſquam conſpectu fugit: canis venaticus, aries, & rex alcum.* Sic & Pagnin. *Tria*, inquit, *ſunt optimi inceſſus, & quatuor optimæ itinerationis: leo fortis inter animalia, & non reuertetur à facie omnium: lelaps accinctus lumbos: vel aries, & rex alcum cum eo*; Syrus, *catulus leonis neque fugatur, neque conuertitur à quoquam: gallus qui deambulat inter gallinas: aries qui primus ante greges incedit; & rex qui loquitur inter populos.*

Pro *gallus ſuccinctus lumbos*, heb. eſt זרזיר מתנים *Zarzir motnaim*, id eſt, *zarzir lumborum*, hoc eſt pręcinctus lumbos. Per quod aliqui accipiunt animal lumbos ſtringẽs, arctans & quaſi ſuccingens, qualis eſt apis & veſpa, item formica. Alij accipiunt animal quod graciles habet lumbos, ideoque agiles, quale eſt lelaps, ſiue canis venaticus & leporarius, qui dicitur *zarzir*, id eſt diſtractor, à rad. בזר *bazar*, id eſt diſtraxit, diſcerpſit, quòd ſuo robore animalia quæ venatur laceret & diſcerpat vt deuoret. Verùm Noſter optimè vertit *gallum*: hic enim inter aues in inceſſu eminet: incedit enim erectus compoſitè, geneoſè, regiè, quaſi lumbis ad iter, imò ad prælium præcinctis. Vnde & Chald. vertit, *& gallus inter gallinas ſuccinctus*; Septuag. *& gallus conſcendens gallinas alacer*; Aquila & Theodot. *& gallus dorſo ſuccinctus*; Symmach. *& gallus ſuccinctus lumbos.*

Pro *aries* hebr. eſt תיש *thais*, id eſt hircus, vel aries: vterque enim egregiè incedit, gregemq; præcedit, & ducit, iuxta illud: *Dux gregis ipſe caper.* Vnde Arabicus, *& aries qui præcedit gregem.*

NEC EST REX (perperam aliqui legunt, *res quæ*) QVI RESISTAT EI] Heb. *& rex alkum cum eo.* Vnde Vatabl. & Pagnin. τὸ *alkum* accipiunt vt nomen proprium regis, eo tempore illuſtris, imò nonnulli cenſent Salomonem ſe vocare *Alkum*, quòd omnes omnium ætatum reges opibus, robore, felicitate, gloria ſuperarit, vt nemo coram eo ſtare, id eſt illi æquari vel reſiſtere poſſet. Marinus in Lexico ſuſpicatur *alkum* eſſe nomen animalis cuiuſdã, ſic dicti à corporis fortitudine, contra quod nullum aliud animal inſurgere audeat; quod etiã hac de cauſa regis nomine ornetur, & fortè, inquit leonis eſt deſcriptio, ſed alterius ſpeciei à ליש *lais*, diuerſæ. Alij *alkum* vertunt *akem*, quæ vulgo magna beſtia vocatur, cuius vngula medetur morbo caduco. Ceteri *alkum* accipiunt vt appellatiuum, conflatum ex *alkum*, id eſt, non ſtare, vel non ſurgere: vnde vertunt, *& non inſurgere cũ eo*, id eſt rex fortis, in quẽ nullus inſurgere auſit. Chald. *rex qui ſtat & loquitur in domo populi ſui*; Sept. *& rex qui concionatur in gente*: legerunt עמו *ammo*, id eſt in gente, vel populo; iam legunt עמו *immo*, id eſt *cum eo*; Arabicus, *& rex qui poſt ſe ducit populos*, vel *qui deſponſat*, id eſt copulat, *ſibi populos.*

Hinc liquet, quartũ quod benè incedit eſſe regem. Vnde Lyran. Dionyſ. Clarius, Ianſen. & alij cenſent in vulgatam irrepſiſſe mendum, ſicque verba eſſe tranſportanda: *Et rex, nec eſt qui reſiſtat ei.* Verùm vetuſti codices plerique, ac in primis Romæ correcti conſtanter habent: *Nec eſt rex qui reſiſtat ei.* Quæ verba vt conformentur Hebræo, Se-

ptuag. Chald. & cæteris interpretibus, ſic exponenda ſunt. q.d. *Nec eſt rex*, ſcilicet habens aliquem, *qui reſiſtat ei*, id eſt *ſibi*: rex enim eſt quartum quod præ cæteris tribus magnificè & regaliter incedit, vt nemo ei reſiſtere velit aut valeat. Vel cũ Franc. Luca in notis hîc, *& rex* vt à caſu abſolutum (quomodò ſuis nominibus vtuntur Hebræi) per antiptoſin ponitur pro datiuo *regi*. q.d. *Nec eſt regi, qui reſiſtat ei*, hoc eſt, *nec eſt qui regi reſiſtat*: *ei* enim ei Hebræo redundat: quod perinde eſt ac ſi dixeris, *Et rex, nec eſt qui reſiſtat ei*: vel, vt habent Hebræa, Chald. & Septuag. *& rex, nec eſt qui ſtet* vel *ſurgat coram eo*, id eſt cõtra eum. Alioqui enim ineptè diceretur de ariete vel gallo, *Nec eſt rex qui reſiſtat ei*: quis enim rex adeo imbellis eſt, vt reſiſtere nequeat arieti vel gallo? igitur hæc particula per ſe conſiſtit, quartumq; benè incedens aſſignat, ſcilicet regem, qui idcirco tribus cæteris benè gradientibus, putà leoni, gallo, arieti adiungitur, vt dotes eximias quæ in illis animalibus cernuntur, ſibi imitandas proponat. Iam horum quatuor ſignificata ſenſumq; veſtigemus. Hoc enim eſt ſextum ænigma benè gradentium.

Sextum ænigma benè incedentiũ. Prima eius expoſitio. Primò, Hebræi per quatuor hæc feliciter incedentia, putant hieroglyphicè ſignificari quatuor monarchias, earumq; felicitatem & magnificentiam, ſcilicet per leonem notari monarchiã Aſſyriorum & Chaldæorum, quam leoni comparauit Ieremias c.4.7. dicens: *Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit.* Nabuchodonoſor enim victorias victorijs, gentes gẽtibus accumulans inceſſit vt leo, cui nemo reſiſtere poſſit. Per *gallum*, vel, vt Hebræi vertunt, *canem venaticum*, accipiunt monarchiam Perſarũ: hæc enim cœpit à Cyro, qui infans ab auo Aſtyage expoſitus fertur lactatus à cane, ac venationi ferarum per canes impensè ſtuduit, teſte Xenophonte: nã venatio græcè dicitur ζύρα, vnde Cyrus. Per arietem vel hircum intelligunt monarchiam Græcorum, quia hæc cœpit ab Alexandro Magno, quẽ Daniel c.8.21. comparat hirco, dicens: *Porrò hircus caprarum rex Græcorum eſt.* Cauſas ibidem aſſignaui. Denique per *regem non leuari cum eo*, vt ex Hebræo vertũt, intelligunt imperium Romanorum, qui Tarquinio Superbo vltimo rege expulſo, per conſules & ſenatũ adminiſtrarunt rempub. ea felicitate, vt ad ſummum imperij faſtigium conſcenderit. Verùm hæc licèt non ineptè dicantur, tamen longè petita videntur: præſertim cùm tempore Salomonis, qui hæc ſcripſit, non extaret monarchia Chaldæorum, multò minùs Perſarum, Græcorum & Romanorum: ipſe enim haſce omnes ætate præceſſit. Imò tunc Roma necdum erat in rerũ natura: condita enim eſt ſub Ioatham rege Iuda 228. poſt Salomonem annis.

R. Salomonis expoſitio. Huc pertinet expoſitio R. Salomonis, qui quinque hæc emblemata ſiue quaternarios, qui à v.15. huc vſque propoſiti ſunt, de iiſdem quatuor monarchijs exponit. Audi eum: Allegoricè, inquit, quinq; hæ partes ſingulis quaternis conſtantes, de quatuor regnis exponuntur, propterea quòd eorum imperium firmatũ fuerit in Iſraelitas ob eorumdem ſcelera, quibus diuinam legem quinque libris comprehenſam violarant, vt ideo quinquies eorum facta ſit mentio. *Infernus.* Regnum Babylonicum inferno innuitur, iuxta illud quod de Nabuchodonoſore vſurpatur: *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam.* (*Habac. 2.5.*) *Os vuluæ*, conſtrictio vuluæ: hoc eſt Medorum imperiũ, cum per illam tempeſtatẽ Iſraelitæ fœtus ſuſcipere nequirent, vt teſtatur illa: *Miſſæ ſunt per curſores regis, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos.* (*Eſther 3.13.*) *Terra quæ non ſatiatur aqua*, id eſt Græcorum regnum, cui numquam ſatis fuit in Iſraelitas leges ſuaſq; edicta exitij ſancire. *Ignis.* Hoc eſt regnum Eſau, quod ira inflammatum incendia Iſraeliticæ gentis edidit: ita vt eâdem die mulieres cũ ſuis infantibus è medio tolli iuſſerit. *Viam aquilæ in cælo.* Hæc eſt Babylon, aquila ingens, aliſque latè ſeſe effundens. *Viam colubri.* Hic eſt Medus. *Viã nauis in medio mari.* Pertinent hæc ad Græcos, qui citiſſimi erant ad leges ferendas. *Viam viri in adoleſcentia.* Hi ſunt Perſæ vel Romani, qui ſui imperij nullum vmquam finem futurum affirmarunt. *Talis eſt via mulieris adulteræ.* Hęc eſt calamitas, cuius ſibi opifex fuit Iſraelitica gens, ſuperſtitioſum idolorum cultum à Deo recedens amplexata, ex quo pœnas haſce ingruentes in ſeſe experta fuit. Hæc enim illud iactabat, *Nullo me crimine obſtrinxi*; ex quo inuicẽ illud à Deo reſponſum: *Ideo iudicio meo es obnoxia, quòd crimine te carere affirmaris.* *Mouetur terra*, id eſt Iſraelitæ *per ſeruũ*. Pertinet id ad Nabuchodonoſor, qui ſeruus fuit Merodach Baladan, eiq; ab epiſtolis inſeruiuit. *Per ſtultum cùm ſaturatus fuerit.* Hic eſt Aſſuerus, qui 180. dierum ſpatio epulas regias exhibuit. *Per odioſam mulierẽ.* Ad Græcos id eſt referendum. *Per ancillam cùm fuerit heres dominæ.* Referendũ eſt ad poſteritatẽ Eſau, quem Iacobo fas erat inſeruire, cùm tamen ſecùs res ſucceſſerit. *Formicæ populus infirmus*, id eſt Zorobabel, vt teſtantur illa: *Ecce terra Chaldæorũ, talis populus nõ fuit.* (*Iſaia 23.13.*) *Præparat in meſſe cibum ſibi.* Nabuchodonoſori aliquando Dei honorem detulit per ætatẽ Merodach Baladan, qui literas ad Ezechiã perſcribens, inquit, *Salus Ezechiæ, ſalus ciuitati Ieruſalem, ſalus Deo magno Nabuchodonoſor.* Ergo qui illi erat ab epiſtolis eo fortè die aberat, cumq; rediiſſet, eorum quæ geſta fuerant conſcius factus, inquit: *Deum magnũ appellatis, illumq; poſtremò deſcribitis?* Ergo poſt nuntium excurrens, illum reduxit. Quare propter huiuſmodi curſum ad regnum euectus eſt. Is ergo meſſis tempeſtate alimenta ſibi præparauit formicam imitatus. *Lepuſculus plebs inualida.* Hi ſunt Medi & Perſæ, qui quidem cubile in petra collocarunt, propterea quòd templum Hieroſolymiticũ ædificarint. *Stellio manibus.* Romani, poſteritas Eſau, innuuntur, iuxta illud: *Manus autem Eſau.* (*Geneſ. 27.*) *Moratur in ædibus regis.* Romani enim Hieroſolymiticũ templum ingreſſi, idem funditus deleuerunt: *Leo fortis.* Hic eſt Nabuchodonoſor, iuxta illud: *Aſcendit Leo de cubili ſuo.* (*Ierem. 4.*) *Gallus ſuccinctus lumbos.* Hi ſunt Medi & Perſæ, qui ſimul conſpirantes lumbos accingẽtes Balthaſarem interfecerunt, eidemq; regnum eripuerunt. *Aries.* Hi ſunt Græci, qui huiuſmodi voce ſunt appellati, iuxta illud: *Porrò hircus caprarũ rex Græcorum eſt.* (*Daniel 8.21.*) *Nec eſt rex.* Spectant hæc ad Perſas, qui illud de ſe vſurpabant: *Ego ſum, & non eſt præter me alius*: (*Iſaia 47.8. & 10.*) ijs enim nemo vires ſuas apponere audebat: vbi *alkum* ſignificat, *nemo poterat ei obſiſtere.*

Confutatur. Huc vſq; ad verbum R. Salomon. Verùm hæc partim aliena ſunt, partim falſa, vt quòd per Eſau & Idumæos accipit Romanos, quaſi Iulius Cæſar & Romani prognati ſint ab Idumæis, quæ magna eſt hiſtoriæ inſcitia ac calumnia, partim incerta, & fabuloſa, vt quod ait Nabuchodonoſor fuiſſe ſeruum Baladan Merodach, cũ inter vtrumq; interceſſerint centũ anni & ampliùs; nã Baladan regnauit ſub Ezechia rege Iuda; Nabuchodonoſor verò ſub Ioakim, qui quintus fuit rex poſt Ezechiã.

Secundò,

Secunda interpretatio.

Secundò, alij per hæc quatuor *feliciter*, id eſt proſperè, quoad humanam felicitatem: ſed perperam & prauè quoad futuram & diuinam incedentia, putant notari quatuor vitia regum, nimirum per leonem indicari regum faſtum, iram & ſæuitiā, iuxta illud c. 20. 2. *Sicut fremitus leonis, ità & terror regis.* Per gallum notari regum libidinem; gallus enim eſt animal ſalax. Vnde Septuag. vertunt *gallus conſcendens feminas alacer.* Aut, vt Salazar, gallus obliuionem & memoriæ defectum notat, qui inter præcipua regum vitia referri debet. Nihil enim, inquit ipſe, principibus ac regibus ſolemne magis, quàm ſubditorum officia & merita obliuiſci: ita enim ferunt regum ſuperbi mores, vt omnia ſibi deberi exiſtiment, & nullius ſe officijs obſtringi putent: hinc obliuio & memoriæ defectus, quem gallus notat. Aiunt enim illum præ ceteris animātibus immemorem eſſe; inde natum vulgare illud apud noſtrates prouerbium: *Memoria de gallo*, & Phyſiognomici tradunt eos, quorum capita temporibus compreſſis gallos imitātur, labilis admodum memoriæ eſſe. Per arietem inſinuari regum imprudentiam, pertinaciam & ſtoliditatem: nihil enim ſtolidius oue & ariete. Denique iniuſtitiam & tyrannidem eorum notari cùm dicitur: *Nec eſt qui reſiſtat ei.* q.d. Rex agit omnia pro libito, quæcumque ei libent pariter licent, nemo eſt qui ſe ei opponat.

Tertia & genuina.

Tertiò & genuinè: Sicut Salomon v. 11. & deinceps propoſuit quinque emblemata ſiue quaternarios, primo, quatuor generationum peruerſarū; ſecundo, quatuor inſaturabilium; tertio, quatuor cognitu difficilium; quarto, quatuor intolerabilium; quinto, quatuor minimorum ſapientiſſimorum, per quæ quaſi phyſica ſymbola aliquid ethicū & morale repræſentat: ita & hic proponit ſextum emblema benè incedentium, per quod phyſicè ſignificat quatuor hæc, ſcilicet leonem, gallum, arietem & regem benè & feliciter, id eſt honeſtè, compoſitè, cōcinnè, decorè, firmiter æquè ac prudenter, expeditè, animoſè, potenter, efficaciter & feliciter incedere: adeò, vt cuilibet eorum nihil eiuſdē ſimiliſue generis æquari, vel ſeſe opponere aut reſiſtere audeat: bonus enim felixque inceſſus in incedendo tum honeſtatem & compoſitionem, tum decorem & elegantiam, tum prouidentiam, tum agilitatem, tum firmitatem, tum robur & efficaciam, tum ſucceſſum & felicitatem inceſſus denotat. Leo enim incedit erecta ceruice, generoſè explicatis iubis, caudam velut lanceam vibrans, gradu magnifico velut rex ferarum, adeò vt eum incedentem ceteræ aduerſis oculis aſpicere non ſuſtineant, ſed protinus diffugiant & in latebras ſeſe abdant. Gallus pariter incedit alta ceruice, & erectis criſtis: certat cum gallis gloriæ ſtudio, canit in victoria principem ſe oſtendens: excitat ſuo cantu homines è lecto, lucemq; adeſſe nuntiat: gallinis maritali adeſt affectu, eas defendens. Dicitur autē gallus ſuccinctus lumbos, quia paratus ad ingreſſum & pugnam, quòd ſcilicet per lumborum fortitudinem promptus ſit ad certamen, & procreationem. Denique gallus in ſua area gallinis pulliſque dominatur, nec patitur riualem, ſed ſolus in ſua area & ſterquilinio, vt vulgò dicitur, imperat. Aries ſimiliter toto grege maior, cornibus armatus, compoſitè & animoſè incedit, imò gregem totum præcedit ducitq; adeò vt omnes oues eum velut principem ſtudioſè ſequātur, præſertim quia eius modeſtiam & clementiam adamant. Rex denique regali habitu & inceſſu, ſceptro, purpura & diademate coronatus regaliter incedit ſtipatus illuſtri aulicorum, ſtipatorum, militum, equorumq; phaleratorum, auratorū curruum & rhedarum acie & pompa, vt nemo ei ſe componere vel opponere auſit. Hæc phyſicè.

Sub hoc phyſico ſchemate ethicè & moraliter repræſentat Salomon, qualis debeat eſſe rex, eiuſque incedendi & procedendi modus, dum eum componit inceſſui leonis, galli & arietis, nimirum regem debere imitari leonis fortitudinem, vt eius magnanimitatem prę ſe ferat, qua tamen vtatur ad ſubditorum tutelam, non abutatur ad tyrannidē: leo enim nō ſæuit niſi irritatus ſubiectis ſciens parcere. In gallo proponitur imitanda vigilantia, ad quam & ſuos iugiter excitare debet. In ariete vel hirco monetur, quòd ſubiectos bōnis exēplis prę-ire, bonis legibus ad ea quę recta ſunt ducere, & ad eorū defenſionem ſe hoſtibus obijcere obligetur.

Rex ſit magnanimus vt leo, vigilans vt gallus, præeat vt aries.

Ceteras trium horum animalium dotes regi imitandas, mox ſubijciam.

Porrò Salomon non ſolùm regem, ſed ſub eo quemlibet ſuperiorem, imò quemuis priuatum informat. Dat enim ſub hoc ſchemate cuilibet exemplar morum & vitæ rectè inſtituendæ. Igitur hæc ſententia politicè dat formā regendæ reipubl. œconomicè dat formam regendæ familiæ, ethicè dat formam regendæ animæ: tam enim magiſtratus in repub. quàm pater in familia, & priuatus quiſq; in ſeipſo eſt quaſi rex: primi regnum eſt reſpublica, ſecundi familia, tertij anima.

Politicè quid ſignificet leo, gallus & aries;

Politicè ergo princeps in republica, Epiſcopus in diœceſi, Abbas in monaſterio, Rector in collegio vel congregatione ſit leo per fortitudinem & magnanimitatem, vt contra feras, id eſt hæreticos, latrones ceteroſque ſceleratos rugiat & ſæuiat. Idem ſit gallus per vigilantiam, vt omnes ad labores excitet, nec patiatur riualem, vel æmulum qui ſubditos à ſe auertat & peruertat; ſed pro ijs inſtar galli acerrimè dimicet. Idem ſit aries per manſuetudinem, grauitatem & modeſtiam, qua ſubditis virtutis exemplo præeat. Idem ſit rex per ſapientiam, qua iuſtè & congruè ſubditos regat, ſapienterque omnia adminiſtret.

œconomicè.

Oeconomicè, pater familias ſit leo in domo ſua, vt ab ea feras, putà ſcelera vitiaque ſuperbiæ, inuidiæ, diſcordiæ, litium, murmurationum, odiorum, &c. profliget. Sit gallus, vt ius matrimonij ſeuerè tueatur, nec adulteris aditum ad gynæceum permittat, ſed illud caſtum ſeruet, ex eoq; proles honeſtè procreet, educet, multiplicet, quibus de veſtitu ceteriſq; ad corpus & animam neceſſarijs vigilanter prouideat. Sit aries per comitatem & beneuolentiam ac virtutum exempla vt domeſticis ſingulari omnis honeſtatis & probitatis exēplo præeat. Sit denique rex per prouidentiam, æquitatem & iuſtitiam, qua vxori, filijs, ſeruis & ancillis ea quæ iure debita ſunt præſtet; quare ſingulos & ſingula obeat, viſitet, luſtret tueatur, cuſtodiat, protegat & promoueat. Sic fortiter incedit vt leo, vigilanter vt gallus, comiter vt aries, ſapiēter vt rex. Sic bonus felixq; per omnia eius erit inceſſus, dū in verbis honeſtatem, in actionibus concinnitatē, in corripiendo lenitatem, in puniendo ſeueritatem, in cuſtodiendo vigilantiam, in prouidendo ſedulitatem, in imperando prudentiam, in regendo æquitatem præ ſe fert.

Ethicè

Ethicè.

Ethicè, quiſque in animæ ſuæ republ. & regno A incedat fortiter vt leo, ſapienter vt gallus, temperanter vt aries, iuſtè vt rex. Notantur hîc ergo quatuor virtutes cardinales, ſcilicet fortitudo, prudentia, tẽperantia & iuſtitia, quibus veluti quatuor rotis optimè incedunt & progrediuntur piorum hominum vitæ & curſus ad felicitatem properãtes æternam. In leone fortitudinem quis dubitat indicatam, quæ omnia huius mundi ſeu proſpera ſeu aduerſa facilè contemnit, nihil timens, neq; ab inſtituto curſu deflectens quidquid euenerit, vt eſt hæc mortalis vita pluribus incommodis obnoxia. Accinctum lumbos quodcumque ſit animal (Noſter gallum accipit) continentiam ſignificat, qua carnales reſtringimus affectiones, tãto magis idonei & habiles ad cæleſtem curſum, quantò minùs carnis illecebris laxamus fræna. In ariete verò, ſeu hirco, qui dux gregis eſt, & reliquũ vulgus videtur quodammodo gubernare non abſurde prudentiã B poſſumus intelligere: quæ virtus cùm rectè diſpẽſet omnia, & futurorũ rationem habeat, ſpiritualem curſum plurimum iuuat. In rege deniq; quocũ nemo congredi poteſt, vel contra quem nemo poteſt inſurgere, iuſtitiam amplectimur virtutum omnium reginam: quæ tanta æquitate, tam iuſta menſura & pondere omnia librat, vt nemo quantumuis alioqui alienus à virtute, iuſtitiam poſſit accuſare aut condemnare. Nam quæ tribuit vnicuiq; quod ſuum eſt, de omnibus bene meretur, malè verò de nemine. Sicut ergo rex, cui nullus reſiſtere poteſt, qui nullum formidat, nullius precibus vel minis cedit: ſic & iuſtitia cùm ſincera eſt & integra, nec precibus, nec lacrymis, nec promiſſis, nec terroribus ſe flecti ſinit. Ita Baynus, Ianſen. & alij. Iã ſingula particulatim & minutiùs expendamus.

Leo typus fortitudinis, gallus temperantiæ, aries prudentiæ, rex iuſtitiæ.

Quatuor hæ virtutes abumbratæ ſunt quatuor C Cherubinis, ſtipantibus currum prouidentiæ & gloriæ Dei, Ezech. 1. qui faciem & ſpeciem habent quatuor animalium, ſcilicet leonis, bouis, aquilæ & hominis, quibus totidem hîc animalia Salomonis ex æquo reſpondent: leoni enim reſpõdet leo, boui aries, aquilæ gallus, homini rex. vide dicta Ezech. 1. ſub finem capitis qu. 3. Præclarè Seneca in Octauia, regis officia ita paucis complectitur:

Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere; tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.

Rex incedit vt leo.

Primò.

Leo fortiſſimvs beſtiarvm ad nvllivs pavebit occvrsvm] Primò, Ariſtot. loco citato: *Leo*, inquit, *ambulat tardè & magnificè, ac mouens ſe in ſpatulis cùm ambulat*, ſic rex & Prælatus in actione non ſit leuis & præceps, ſed grauis, tardus, ma- D gnificus.

Secundò.

Secundò, leo ad nullius vrſi, pardi, tigridis, lupi alteriuſue feræ pauet occurſũ, ſed omnes pauidos efficit & percellit: ſic rex ſua ſapientia & robore ſe faciat impauidum & conſtantem, vt omnibus ſui pauorem metumq; incutiat. Vnde Aben Ezra *vò nec eſt rex qui reſiſtat ei*, ſic exponit. q. d. Tunc rex felici greſſu incedit, cùm nemo ad bellum inferendum inſurgit, reſque feliciter ſuccedunt, eò quòd iuſtitiæ tramiti inſiſtens, nullum aduerſarium hoſtemque habeat: vti nullum in regno ſuo habuit Salomon, quẽ aliqui nomine *alkum* hîc, quaſi per ænigma indicari autumant, vti dixi.

Tertiò.

Tertiò, Ariſtot. l. 9 Hiſtor. animal. c. 44. *Leo*, ait, *dum cernitur, numquam fugit; ſed ſi venatorum multitudini cedere cogitur ſenſim pedatimq; diſcedit, crebrò ſub-* A *ſiſtens atque reſpectans. Nactus verò opaca, fuga quàm maximè poteſt veloci ſe ſubtrahit, donec in aperta deueniat, tum rurſus lentè incedit.* Sic rex ſi quando bellis vel aduerſis preſſus & oppreſſus cogatur cedere, honeſtè, conſtanter & decorè id faciat, ne fuga ignominioſa maieſtati regiæ notam timiditatis & puſillanimitatis inurat, vti Iuſtinianum monet Agapetus Diacon. *Quemadmodum* enim ait, *leone ſubſiſtente ac reſpectante hærent venatores: ſic etiam principe conſtanter agente, malorum impetus franguntur.*

Quartò.

Quartò, Ariſtot. l. 2. Hiſtor. animal. c. 1. *Gradiuntur*, inquit, *pedatim leones, nimirum ſiniſter pes manuſq; non tranſit dextrum, ſed ſubſequitur more camelorũ*: ſic rex ſiniſtra poſtponat dextris, hoc eſt, turpia honeſtis, improuida prudẽtibus, dubia certis, caduca æternis, humana diuinis; ac dextros, id eſt ſapientiores & meliores in gubernãdo, præferat ſiniſtris, id eſt minùs bonis minuſque ſapientibus.

Quintò.

B Quintò, S. Gregor. Nazianz. in carm. de virtute humana aſſerit leonem pedum ſuorum veſtigia cauda euerrere & abolere, ne à venatoribus ea cerni queant, vt ipſum perſequantur: ſic rex conſilia ſua tegat & celet, ne ab aduerſarijs deprehendi & euerti poſſint. Plurimum enim ad regimen valet ſecretum.

Sextò.

Sextò, Plinius l. 8. c. 16. leoni hæc generoſitatis dat elogia: *Generoſitas maximè in periculis deprehenditur; non in illo tantummodo, quod ſpernens tela diu ſe terrore ſolo tuetur ac velut cogi teſtatur: cooriturq; non tamquam periculo coactus, ſed tamquam amentiæ iratus. Illa nobilior animi ſignificatio, quamlibet magna canum & venantiũ vrgente vi, contemptim reſtitanſq; cedit in campis, & vbi ſpectari poteſt.* Sic rex in periculis ſit intrepidus, ijſq; acuatur eius animus, vt & alios ad robur exacuat: nam *creſcit aduerſis agitata virtus*, ni- C mirum quæ vera eſt & heroica. Eleganter & ſapienter R. Iuda in *Pirke auoth* id eſt in Apophth. patrum: *Audacem*, inquit, *te oportet eſſe vt pardum, alacrẽ & expeditum pedibus quaſi capream; ſicut aquilam, regiam & ſolarem volucrem, omnia præ agilitate corporis penetrantem; denique adinſtar leonis ſtrenuum ac bellicoſum fortem & magnanimum ad mandandum executionẽ Dei ac patris tui voluntatem.*

Extat apud noſtrum Iac. Pontanum volum. 3. Progymn. p. 1. c. 43. cuius titulus, *Leontarchia*, ſiue *leonis inter beſtias principatus*, inſignis hâc de re diſſertatio, & leonis cum elephante de primatu contentio; in qua cetera animalia omnia leoni cauſam adiudicant, eumq; vt ſuum principem adorant, vnde idem tandem facit elephas, ſeque à leone vinci profitetur, eiq; vltro ſeſe ſubmittit.

D Gallvs svccinctvs lvmbos svos] Appoſitè quaſi per gradationem à leone aſcendit ad gallum, quia hic terror eſt leoni, vti mox oſtendam. Gallus pompaticè incedit: nam in inceſſu altè crura eleuat, vt maiori energia pedes figat: hinc à Poëta vocatur *altigradus*. Rurſum *cùm limẽ intrat*, inquit Ælianus, *tametſi altiſſimum exiſtat, criſtam inclinat ne criſta vſpiam offendatur*, criſta enim ipſi eſt pro diademate, quare ſtudioſè eam intactam ſeruat, vt obſtacula & pericula etiam remota declinet. Sic rex prouidus ſit, vt non tantùm vicina & certa, ſed & remotã dubiaque hoſtium & aduerſitatum diſcrimina eminus proſpiciat, auertat & diſcutiat. Rurſum gallus cantu ſuo exultans ſuperbit, leoni omnium animalium ferociſſimo aſpectu ſuo terrorem incutit, regnum in quacumque ſit domo exercet, ternas diſcernit horas, quaſi gnarus aſtrorum, ait Aldro-

Galli inceſſus regius.

Aldrouandus initio l. 14. Ornithol. Iam ſingula hæc pluraque alia minutim digeramus, & regi Prælatoque aptemus.

Rex ſit ſimilis gallo. Primò. Primò, in gallo mirus eſt amor erga gallinas & pullos, mira eorum cura, vt pro eis certet vſque ad mortem: ſimilem habeat rex curam regni & ſubditorũ, vt pro eis vitam ſi opus eſt, impendat. Audi Aldrouandum l. 14. Ornithol. Gallus, ait, optimi patrisfamilias exemplar eſt: is enim non vigilem tantùm ſeſe ſuorumq; præbet cuſtodem, & manè dum tempus eſt, ad quotidianum inuitat laborem: ſed ipſe primus exilit, non tam voce, quàm reapſe quid faciendum ſit oſtendens: ipſe omnia vertit, omnia explorat, omnia diſpicit, & ſimulatq; aliquid eſcæ nactus eſt, gallinas & pullos ad paſcendum conuocat; interim ceu pater quidam & ſympoſiarchus excelſus adſtat, & ad epulandum inuitat, hoc vnum ſemper curæ habens, vt ſuis ſit quod edant. Interea ipſe diſquirit ecquid in proximo reperiat, quo reperto rurſus ſuam familiam citat alta voce. Accurrunt ilicò. Ille ſublimem ſe gerens, & vndiq; circumſpiciens ecquid hoſtile vſquam appareat, totam cohortem circumit, & obiter granũ aliquando vnũ ſibi ſumit, non citra inuitationem: vt ſe ſui ſequantur. Porrò zelotypia & amor galli erga gallinas ſibi ſubiectas, inquit Rhodiginus, gallum toties noctu excitat, & ideò canit, vt cantu ſuo ſe adeſſe teſtetur: ſimili ratione zelus & amor erga regnum, probum regem principemq; peruigilem efficiat.

Secundò. Secundò, gallus miro pollet præſagoque, vt ita dicam, ingenio, induſtria & ſolertia. Hanc imitetur rex. Audi Plinium l. 10. c. 21. *Galli*, inquit, *proximè gloriam ſentiunt, & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoq; ſomno natura genuit; norunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartaq; caſtrenſi vigilia ad curas laboremque reuocant. Nec ſolis ortum incautis ſinunt obrepere, diemq; venientem nuntiant cantu, ipſum verò cantum plauſu laterum. Imperitant ſuo generi, & regnum in quacumque ſunt domo exercent. Dimicatione paritur hoc quoque inter ipſos, velut ideo tela agnata cruribus ſuis intelligentes.* Ælianus etiã non ſolis tantùm, ſed lunæ etiam ortu lætari gallinaceos ſcribit, vbi ait: *Gallinaceum exoriente luna, quaſi diuino quodã ſpiritu afflatum bacchari, atque exultare ferunt. Oriens autem ſol numquam ipſum fallit, tum vehementiſſimã voce contendens, ſemet magis magiſq; cantando vincere conatur.* Ita Ælian. l. 4. c. 29. Hinc illud Iob c. 38. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* Galli enim cantus diem & noctem ſapienter diſtinguit, perinde ac ſi intellectu præditus foret.

Tertiò. Tertiò, mira eſt galli magnanimitas, præſertim in duello & pugna: hanc induat rex. Audi Aldrouandum loco citato: Laus gallo maxima, inquit, in animo pluſquam regio, adeò vt Oppianus auium omnium pugnaciſſimum vocare non ſit veritus: cuius nimirum tam excelſus animus eſt, tanta animi conſtantia, vt non vitæ, quæ omnibus animalibus cariſſima eſt, pericula tantùm ſubire, ſed perdere etiam eam malit, quàm alterius imperium iugumq; vel ad vnicum tantummodo temporis momentum pati. Sciuit hoc Themiſtocles, ſciuerunt maiores noſtri, qui anniuerſarijs ſolemnibuſque gallorum pugnis ſolenni ritu inſtitutis, perpetuos hos eſſe voluerunt gallorum imitatores. Aiunt verò non leonem modò ad eorum cantum, ſed & baſiliſcum expauſceres quod an verũ ſit, vt parui refert; ita certum eſt nullum animal maiori animo & excelſiori, vel caput criſtatum, & caudam erectam falcatamq; gerere, vel certamen inire: in quo frequenter antè moritur quàm aduerſario cedat. Quare iure merito Marti, bellorum pugnarumq; deo, ſacer habitus fuit, & prouerbialiter *ἄρεως νεοττός*, hoc eſt, *Martis pullus*, vocatur, quaſi ad bella pugnaſque magnoperè propenſus.

Porrò in pugna galli mirâ vtuntur arte & geſtibus: dum enim pugnant, naturæ ductu terram feriunt, & plumas circum collum erigunt, pennaſq; caudæ quantum poſſunt ſurſum atque deorſum vibrant, aſſilientes interim, quò magis calcaribus ſuis, quæ ob id ceu tela in cruribus agnata teſte Plinio agnoſcunt, hoſtem feriant.

Ab eiuſmodi certamine vulgare extat adagium, *Gallus ſuſilis*, in eum qui ſemel victus redintegrat certamen, quod ſanè ſæuiſſimum in gallo conſpicitur. Vnde dicebat D. Aug. *Cùm ecce ante fores aduertimus gallos gallinaceos, ineuntes pugnam nimis acrẽ.* *Lib. 1 de Ordine, tom. 1.* Et paulò pòſt pugnam ita deſcribit: *Vt in ipſis gallis erat videre intenta proiectius capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautiſſimas euitationes, & in omni motu animalium rationis expertum nihil non decorum: quippe alia ratione deſuper omnia moderante: poſtremò legem ipſam victoris ſuperbum cantũ, & membra in vnum quaſi orbem collecta, velut in faſtum dominationis.* Sed doctiſſimè idem certamen hiſce verſibus quàm breuiter Angelus Politianus complexus eſt in Ruſtra.

Et regnum ſibi marte parant, quippe obuia roſtris
Roſtra ferunt, crebriſq; acuunt aſſultibus iras:
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſans
Infeſto, aduerſumq; affigunt corpore pectus.
Victor ouans cantu palmam teſtatur, & hoſti
Inſultans victo, pauidum pede calcat iniquo:
Ille ſilet, latebraſq; petit, dominumq; ſuperbum
Ferre gemit: comes it meritò plebs cetera regi.

Ælianus l. 4. c. 29. *Quòd ſi*, inquit, *palma contingit, ſtatim in victoria canunt, ſeq; ipſi principes teſtantur*, &c. *Cælumq; ſola volucrum aſpicit, crebrò in ſublime caudam quoq; falcatam erigens.* Et Plinius: *Si ex certamine victoriam reportarit, tum oculorum eminentia, tum ceruice erecta, ſimul & cantus contentione inſolenter effertur, & triumphanti ſimilis eſt.* Quocirca Miltiades Athenienſes contra Perſas ad prælium excituit propoſito gallorum duellantium ſpectaculo. *Spectatã enim*, inquit Philo, *in brutis patientiã, pertinaciq; contentionẽ vſque ad necem pugnantibus inuicto pectore correptis armis eam expeditionẽ ſuſceperunt, quaſi bellaturi cum ingenti ſtrage hoſtium, contemptis mortibus & vulneribus, vt ſaltem inſepelirentur libero ſolo patriæ. Nihil enim ad rem grauiter gerendam magis excitat, ac deteriorum victoria maior quàm ſperari poterat.* Tradit item Diogenes Laërtius Socratem Iphicrati duci animos adieciſſe, cùm ei oſtendiſſet gallos gallinaceos tonſoris Midæ aduerſus eos qui erant Calliæ pennis ac roſtro dimicantes. Huc facit ſymbolum Pythagoræ: *Gallum nutrias, ne tamen ſacrifices, id eſt, milites alas ad vrbis tutelam, ſed eos ſacris ne adhibeto.*

Quartò, gallus formidini eſt leoni; imò Plinius l. 29. c. 4. tradit à leonibus & pantheris non attingi eos, qui iure galli peruncti fuerint, maximè ſi ei allium admiſceatur. Rurſum gallum metuit aſpis, ſimia, baſiliſcus: ſic rex ſit formidabilis maleficis. *Quartò.*

Quintò, gallus eſt animal ſolare, miramq; cum ſole habet ſympathiam: hunc enim ad omnes mundi angulos feſtinantem, exortiuum, occiduũ & meridianum voce admodum vocali, & alarum applauſu *Quintò.*

applauſu congratulantis in morem ſæpenumerò ſalutat & reſalutat.

Rurſum gallus ſymbolum eſt vigilantiæ, vnde pluuias & tempeſtates præſentit: eas autem in primis præſagit, cùm paulò poſt ſolis occaſum, vel primis horis noctis, ſtatim à veſpertino crepuſculo, inſolens in rauciſonum cucurritum, non ſine alarum motu indefeſſus prorumpit: *Gallinacei*, inquit Ælianus, *ceteræq; domeſticæ aues alarũ percuſſione concrepantes & cucurriẽtes, & ſua quadam voce obſtrepentes, tempeſtatem nunciant.* Rationẽ eius alias aſſignauimus, quòd ſcilicet Auſter vnà cum vaporoſo aëre vocalia inſtrumenta vt ſenſim replet, ita multa pituita infarcit: cuius motum ſentientes galli, per eum cæli & corporis ſtatum facilè rauceſcunt. Ceterum vt grauante hac ſarcinula, vocis & motus præſidio ſeſe exonerent, ad cantum modo inſolito ſtimulantur. Adde, ſi videbitur, laryngis per humidum aëris ſtatum dilatationem, quæ vt vocem grauiorem, ita raucam & clangoſam ſolet reddere. Sic rex futura famis, belli, ſeditionum, &c. pericula ſagaciter proſpiciat, & diſcutiat. Præclarè S. Ephrem in ſerm. aſcetico ad imitationem Prouerb. *Non exiguum*, inquit, *damnum ſibi conciliat paſtor, qui extra ouile dormit ouium: ſomnolentia enim paſtorum, luporum eſt gaudium.*

Sextò. Sextò, gallus acuti eſt viſus, acremque habet oculorum aciem. Argumento eſt, quòd vnico tantùm oculo ſurſum eleuet, ſemper rapaces aues, infenſiſſimos hoſtes ſuos obſeruet, ne ex improuiſo vel pullum aliquem, vel gallinam, aut ipſummet ex area abripiant: altero verò diligentiſſimè minutiſſima quæq; in locis etiam parum lucidis diſquirat. Ita rex vno oculo cælum Deumque intueatur necubi eum offendat, & dæmonis rapinæ pateat; altero regnum inſpiciat, vt ſubditis de rebus omnibus prouideat: ſed ita vt prior oculus regat poſteriorem, vt ſcilicet cura religionis cultuſque Dei dirigat curam terrenorum. Recta enim ratio dictat, infera à ſuperis, terrena à cæleſtibus, humana à diuinis debere gubernari.

Septimò. Septimò, gallus maximè geſtit & pompaticè incedit exoriente lunâ: tunc enim inquit Ælianus, quaſi diuino quodã afflatus ſpiritu ouat & exultat; quare videtur regi à luna, eique ſe per omnia ſubdere & conformare: vnde iuxta lunæ motum & vices cantum iterat & innouat. Sic rex humanæ mutabilitati, cuius ſymbolũ eſt luna, ſeſe accommodet, & quaſi ſe ſubdat, vt pro mutatione rerũ & temporum, conſilia, edicta, actiones & ſtudia mutet, illiſque adaptet.

Octauò. Octauò. S. Aug. l. 1. de Ordine tradit gallos in pugnam nõ proſilire, niſi vt gallinas ſibi ſubditas, areamque ſibi concreditam tueantur. Docent ergo galli regem, non mouere bellum vt aliena inuadat, ſed vt ſua ab alijs inuaſa recuperet, vel tueatur. Vnde Varro tradit gallos generoſiores pugnã non ordiri, nec priores hoſtem inuadere, ſed aggredientibus fortiter repugnare.

Et aries] qui gregem præit ducitque manè ad paſcua, & ad ſtabulum ſerò reducit. Vnde Varro *totius*, inquit, *gregis oculus eſt aries*. hinc aries prudentiæ & prouidentiæ eſt ſymbolum. Vnde Pauſanias in Corinth. narrat Corinthi æneũ Mercurij ſimulacrum fuiſſe, cui aries ex oppoſito adſiſtebat vt ſignificaretur, inquit, eloquentiæ, cuius præſes erat Mercurius, iungendam eſſe prudentiam. Rurſum aries, etſi in oues quas ducit, ſit comis & manſuetus, tamen in hircos & arietes riuales eſt ferox & pugnax. Quocirca Pierius hierogl. 10. c. 29. Quantum, ait, in agno manſuetudinis, tantum in ariete ferocitatis experimur. Simul enim ac cornua acereuerunt, pugnaciſſimi fiunt, neque ſe tantùm in ſuo genere laceſſunt, incurſanteſq; inuicẽ arietant; verùm & homines impetunt, in bellumq; prouocant. Hinc Marti cæleſtis aries dicatus. Romani quoque bellum cuipiam indicturi arietem per fecialem præmittebant, quem in hoſtiũ fines immitteret. Pari modo rex ſuis benignus, hoſtibus ſit formidabilis, iuxta illud Virgilij de Marcello, cuius imperandi artem hiſce duobus comprehendit, Æneid. 6.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Arietis & regis ſymbola. Primum. Addamus hic alias arietis dotes regi imitandas. Primò, elephantum furentem conſpecto ariete inſania ſolui, & manſueſcere, tradit Plutarch. lib. 2. Sympoſ. q. 7. Addit Ælian. elephantum exhorreſcere arietis cornua, atque hac ratione à Romanis fugatos fuiſſe elephantos Pyrrhi Epirotarũ regis obiectu arietum. Pluribus idipſum docet Aldrouandus in Elephanto: ſic ſubditorũ iras & tumultus ſedet rex ſua mãſuetudine & vultus hilaritate. Qua in re imitetur Deum, nam vt ait S. Bernard. *Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt.*

Secundum. Secundò, Albertus Magnus ſcribit ſi cornua arietis ſepeliantur ad radicem fici arboris, fructus in ea citiùs matureſcere. Et Antonius Mizaldus ficum, ne fructus amittat, arietis cornibus circa radices obrui iubet, teſte Aldrouando tract. de Oue: ſic rex bonus ſua fortitudine mixtâ clementiâ fœcundat ditatque ſubditos.

Tertium. Tertiò, nota eſt arietis cum lupo antipathia, odium & bellum, quæ etiam poſt mortem durat, præſertim in pelle, lana & chordis. Vnde Pythagoras auctor eſt, ſi pellis arietis lupinæ apponatur defluxuram lanam arietinę; chordę ex neruis arietum mixtæ chordis ex neruis lupinis ſonũ non edunt. Oppianus ſcribit, ſi ex lupina pelle feceris tympanũ, id inter cetera pulſatum ſolum reſonabit ſilentibus arietinis & ceteris vtcumq; priùs ſonoris. Scribit Albertus l. 1. Hiſtor. animal. c. 38. ſi funiculũ ex inteſtino lupi ſepeliueris in terra, ouile pecus eò tranſire prohibebis, etiamſi fuſte adigatur. Notum eſt illud Alciati:

Cetera muteſcunt, coriumq; ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.

Hanc antipathiam cum hæreticis, quos lupis rapacibus comparat Chriſtus, ſimilibuſq; reipublic. peſtibus rex imitetur, vt eos vbique perſequatur & exterminet.

Quartum. Quartò, Ægyptij Ioui Hammonio appingebãt cornua arietis. Vnde ad eius imitationem priſci Gentiles in ſepulcris eiuſdẽ cornua inſculpebant: Ægyptij enim Hammonem velut ſalutiferum ſalutiſq; deum mirè venerabantur. Quin & priſci arietis pelle tecti, eique indormientes oracula ex ſomnijs captabant, vti ex Pauſania & Virgilio docet Aldrouandus in Oue: aries enim miſericordię, manſuetudinis, beneuolentiæ & beneficentiæ diuinæ eſt ſymbolum. Hanc imitetur rex.

Quintum aries ſymbolum heroum. Quintò, heroum ſymbolum fuit aries. Saporis regis geſtamen celebrat Ammianus, aureo capitis arietini figmento elaboratum. Quod & inſigne militiæ, & quaſi ſodalitatis cuiuſdã ſuæ, recentiſſima memoria (inquit Pierius Valerianus hierogl. 10.

10.cap.26.) Carolus fortiſſimus Burgundionum Dux, Caroli V.Imperatoris auus adſciuit, aureum arietis caput ſingulis pro geſtamine imponendo, & arietini capitis cognomento ſodalitatem vocādo: eam Toſſionis aurei vulgò appellarunt (*l'ordine del Toſone*) quòd ea locutio caput arietinum lingua patria deſignaret. Nummum reperire eſt Galheni Imp. in quo aries expreſſus cernitur inſcriptione addita IOVI CONS. AVG. Sebaſtianus Erizius alium depingit nummum Antinoi, magnum Græcum æreum, & ab excellenti quodam ſculptore factum, cum iſtiuſmodi literis ANTINOOC HPΩC, id eſt Antinous heros: oſtendit ab altera parte arietē pulcherrimè expreſſum cum quibuſdam literis, quæ tamen propter temporis iniuriā eroſę legi nō poſſunt. Hic, inquit, nummus à Gręcis fuit excuſus honoris ac memoriæ gratiâ poſt mortem Antinoi, ac fortaſſe vt Adriano Imper. cui ille erat in delicijs, abblandirentur, qui vbique terrarum ſtatuas ei erigebat. Heroës hoſce rex æmuletur, vt ipſe arietum ſit aries, & heroum heros, putà heroum choragus & dux ad heroica quæq; facinora generosè capeſſenda.

Ita S. Ephrem in Encomio S. Baſilij, cum comparat arieti: *Arietem*, inquit, *aliquando vidi, cui pulchra erat pellis, & cornua ratione prædita diuinitus loquentia, ad quem ego propiùs cum multa anxietate accedens, paruum filum ex ipſo ſenſim abſtuli. Sapiens hic eſt & fidelis Baſilius. Baſilius enim verè greſſus eſt virtutum, liber laudum, vita miraculorum: qui in carne gradiens, ſpiritu incedebat: beryllium*(beryllo gemma conſtans)*plectrum myſticæ citharæ, regionē ſanctorum angelorum oblectans, certus agnus matricis ſuæ, Spiritus ſancti agrum ac hortum illuſtrans; deſiderio atq; amore exultans ac florem ex ima radice pretioſiſſimæ crucis decerpens: præſepe ſacrorum dogmatum, lingua verborum, membrana pulchra diuinæ ſapientiæ, quæ de cælo diuinas elementorum impreſſiones accepit.*

Sextò & Martyriũ. Sextò. patientiæ & martyrij ſymbolum eſt ouis & aries, vtpote qui nulli nocet & nocentes tolerat, iuxta illud Chriſtiani Poëtæ:

Hic ſcopus vnus erit cunctis prodeſſe, nocere
Nulli, & amare bonos, ac tolerare malos.

Item hoc alterum:

Iuuare cunctos, ac nocere nemini.
Eſt ſumma vitæ Chriſtianæ regula.

Quemadmodum & Cicero *virum bonum* eſſe dicit *eum, qui proſit omnibus, noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria.* alibi additur ex Claudiano ad Adrianum, *mens ignara nocendi.* Pingit denique idem ouem, ſiue agnum, quem lupus mordicus prehenſum tenet, cum verbis, FIT SVAVIOR:

Dum premitur iuſtus, fit gratior hoſtia Olympis
Sic quoque fit morſu, ſuauior agna, lupi.

Hinc S.Aug. Apoſtolos vocat arietes gregis Dominici, qui illi viam præiuere in cælum per victimam martyrij. Horum patientiam, fortitudinem & zelum imitetur rex & Prælatus quilibet. Quæ enim de rege dixi, mutato tantùm nomine cuiuis principi, Epiſcopo, Prælato, Paſtori, rectori imò cuilibet priuato adapta.

Allegor. hæc quatuor animalia notant Chriſtum. Allegor. hęc quatuor optimè cōpetunt Chriſto, qui eſt leo de tribu Iuda, Rex regum, & Dominus dominantium, cui proinde nemo reſiſtere poteſt: qui tāquam gallus vigil excubat, & peccatores vt à peccati ſomno euigilent ſuſcitat, clamādo, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* (*Ephes.5.14.*) Ipſe eſt & per arietē illum ſignificatus, qui inter vepres hærebat cornibus ſuis, & pro Iſaac, id eſt fidelibus & electis, immolatus eſt, Geneſ.22. Ipſe denique eſt aries, imò paſtor qui ante oues vadit, & pro eis animā ſuam ponit, Ioan.10. Ita S.Aug. li.12. contra Fauſtum cap.42. qui ſic hanc gnomen legit, ſicq; explicat: *Catulus leonis fortior iumentis, hoc eſt, paruulus maioribus: ſi non aſcendit in cruce recumbens, cùm inclinato capite reddidit ſpiritum? ſi non dormiuit vt leo? quia in ipſa morte non eſt victus, ſed vicit: & vt catulus leonis? inde enim mortuus eſt, vnde & natus.* q.d. Ideo Chriſtus moriens dicitur catulus leonis, quia ab initio ad mortem natus & morti deſtinatus eſt. Sic etiam auctor Catenæ Græcor. hæc quatuor attribuit Chriſto.

Tropolog. Tropolog. S.Greg. (quem more ſuo ſequitur Beda & Salon) li.30. Moral. cap.3. vel iuxta aliam editionē 5. per *leonem* accipit Chriſtum, per *gallum* doctores & prædicatores, per *arietem* ſacerdotes. *Ipſe*, inquit, *hoc loco leo ponitur, de quo ſcriptum eſt, Vicit leo de tribu Iuda. Qui fortiſſimus beſtiarum, quia in illo hoc quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Qui ad nullius pauet occurſum. Dicit enim: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Gallus ſuccinctus lumbos, id eſt prædicatores ſancti inter huius noctis tenebras verum mane nuntiātes. Qui ſuccincti lumbos ſunt, quia à membris ſuis luxuriæ fluxa reſtringunt: in lumbis quippe luxuria eſt. Vnde & eiſdem à Domino dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti. Et aries, nec eſt rex qui reſiſtat ei. Quem alium hoc loco arietem accepimus niſi primum intra Eccleſiam ordinem ſacerdotum? De quibus ſcriptum eſt: Afferte Domino filios arietum; qui per exempla ſua gradientem populum, quaſi ſubſequentem ouium gregem trahunt. Quibus ſpiritualiter recteq; viuētibus nullus rex ſufficit omnino reſiſtere, quia quilibet perſecutor intentionem eorum non valet præpedire: ſciunt enim ad eum quē deſiderant & anxiè currere, & moriendo peruenire. Ponitur ergo primus leo, ſecūdus gallus, tertius aries. Apparuit enim Chriſtus, deinde ſancti prædicatores Apoſtoli, & tūc demum ſpiritales patres Eccleſiarū Prępoſiti, videlicet duces gregum, quia doctores ſequentium populorum.* Addit deinde quartum, quod feliciter, id eſt proſperè, quoad temporalia; ſed non bene, imò peſſimè, quoad ſpiritalia incedit, eſſe ſtultum eleuatum in ſublime, putà Antichriſtum, de quo v.ſeq. Verùm meliùs ceteri omnes, quartū bene & feliciter (hæc enim vnum idemque ſunt: pro vtroque enim in Hebræo eſt eadem vox מֵטִיבֵי *metibe*) incedens, cenſent eſſe regem. vti dixi.

Vers.32. EST QVI STVLTVS APPARVIT, POSTQVAM ELEVATVS EST IN SVBLIME: SI ENIM INTELLEXISSET, ORI SVO IMPOSVISSET MANVM] Pro *eſt* nonnulli legunt *&*, vnde hunc verſum nectunt præcedenti, quaſi hic aſſignetur quartum feliciter incedens, ſcilicet ſtultus eleuatus in ſublime, per quem S.Greg. 30. Moral. cap. 3. intellexit Antichriſtum, qui à dæmone eleuabitur, fietque monarcha mundi.

Verùm pro *&* legendum *eſt*, vti legunt codices Vaticani & ceteri emendati. Hebr. eſt, *ſi ſtultè egiſti in eleuando te, & ſi cogitaſti, manum ad os*, ſcilicet pone & ſile: vbi prius אִם *im*, id eſt *ſi*, ex phraſi Hebræa eſt negantis, ſignificans *ne, non.* vnde Chald. vertit *ne te extollas, ne ſis inſipiens*, vel, *ne elatus in altū liberè & inſipienter agas, aut loquaris*, vt ſtulti ſolent; quod Noſter clarè vertit, *eſt qui ſtultus apparuit poſtquam elatus eſt in ſublime.* Hebr. נָבָל *nabal*, ſignificat ſtulteſcere, item cadere, defluere & marceſcere, ac de herbis & floribus dicitur, vt ſicut literis & voce, ſic

DISCORDIAS] Pro *qui fortiter premit, emungit, prouocat*; hebr. idem eſt nomen מיץ *mits*, id eſt emulſor, emunctor, expreſſor; vel, vt alij, emulſio, emūctio, expreſſio. Hebr. ergo ſic habent, *quia emulſor lactis educit butyrum, emunctor naſi elicit ſanguinem & emunctor furorum producit litem*; Septua. *mulge lac, & erit butyrum: ſi autem expreſſeris nares, exibit ſanguis; ſi autem extraxeris ſermones, exibunt lites & rixæ*; Chal. *quia qui exprimit lac, elicit butyrum, & de expreſſione furoris exit ſanguis, & de naribus vultus exit contentio.* Aquila quoq; pro *naſo* vertit *furorem*, quia hic maximè in naſo flammante cernitur, Syrus, *à pinguedine lactis erit butyrum; & ſi compreſſeris manum ſuper pruritum, egreditur ſanguis: ita ex contentione facierum procedunt lites*; clarè Vatabl. *certè vt concuſſio frequens lactis exprimit butyrum, & vehemens emunctio naſi exprimit ſanguinē; ita & irritatio iræ vehemens excitat contentionem.* Hinc patet Primò, minùs rectè Bedam, Lyran. Hugonem & alios vtrumq; prius hemeſtichium, referre ad vbera: q.d. *Qui fortiter premit vbera, exprimit butyrum: & qui eadem vehementer emungit elicit ſanguinem.* Conſtant enim ex Hebræo & Septua. priorem emulſionem ad vbera, poſteriorem ad nares referri; qui enim nimis mucum è naribus emungit, tandem pro muco emungit, ſanguinem. Perperam quoq; Baynus pro *vbera* legit *vtrem*, eò quòd butyrum non mulgeatur ex vberibus, ex lacte verò in vtre pulſata eliciatur butyrum. Nam omnes codices Latini habent *vbera*. Ex vberibus enim ſimul cum lacte mulgetur butyrum, butyrū enim cum lacte commiſtum eſt, eiuſque eſt quaſi adeps & pinguedo, quę in vtre ligneo per crebram concuſſionem à lacte ſeparatur, denſatur & fit butyrum, Denique perperam Lyran. per *butyrum* accipit adipem. q.d. Qui nimis fortiter mulget premitq; vbera, tandem pro lacte quod deficit, emungit ipſum vberum adipem & pinguedinem; licet enim hoc verum ſit & appoſitum, tamen butyrum non ſignificat adipem. Iam.

Qui valdè emungit elicit ſanguinē: quo ſenſu.

Reſp. Primò. Primò, Caiet. per emulſionem & emunctionem accipit dictaturā, de qua explicuit & verſum precedentem, quę ruina fuit Romanæ libertatis, dum Iulius Cæſar vſurpauit ſibi dictaturam perpetuā, id eſt vrbis & orbis imperium. Vox enim *quia*, inquit, dat cauſam verſus præcedentis. Ratio ſiquidem quare Roma & viluit & cecidit à libertate, fuit dictatura: & quoniam dictatura boni quādoque effectus fuit, & quandoq; mali, ideò affertur vna eademque actio proferens quandoque bonum, & quandoque malum: emulſio ſiquidem lactis inuenitur proferēs bonum, putà butyrum: ex emulſo enim lacte reſultat butyrū, rurſus emulſio inuenitur effectrix mali: nam emulſio naſi profert ſanguinem. Et hinc tertio loco applicat ad propoſitum dicendo, quòd emulſio furorum profert litem. Ad literam enim emulſio furorum Cæſaris & Pompeij protulit litem, quam oportuit bello dirimere cum iactura Romanæ libertatis. Verùm hæc explicatio, vti dixi v. præced. aliena videtur & coacta.

Secundò. Secundò, alij hanc emulſionem & emunctionem accipiunt hominis in ſeipſo. q.d. Qui nimis fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, id eſt qui nimis vehementer vrget ſtilatque ſuum ingenium, indolem, naturam, ſiue ad ſcientiam & ſtudium, ſiue ad ieiunia, pœnitentias, vigilias, &c. ſiue ad quid aliud ſuæ complexioni vim inferendo; hic exprimit butyrum, id eſt omnem naturæ vigorem, robur & vires exugit, vt ex viuida fiat effœta, ex læta tetrica, ex benigna iracunda & contentioſa. Verum hic ſenſus a ſcopo Salomonis alienior videtur.

Tertiò. Tertiò, alij aptiùs emunctionem lactis referunt ad eos qui naturæ ſunt facilis & benignæ; emunctionē verò narium ad eos qui indolis ſunt aſperę & cholericę. q.d. Sicut qui nimis premit vbera, cum lacte exprimit butyrum, id eſt omnem pinguedinem & adipem: ſic qui nimis premit benignos & manſuetos, acriuſq; eos vrget vel obiurgat, hic eis exprimit omne robur, omnem animum & vires, facitq; vt fiant puſillanimes & deſperent. Qui verò aſperos & cholericos nimis vrget & increpat, hic elicit ſanguinem, id eſt prouocat eorum iram & ſæuitiam.

Quartò. Quartò, alij lac referunt ad amicos, ſanguinem ad inimicos. q.d. Sicut qui lac nimis premit & cōcutit, elicit butyrū: ſic qui petax eſt, & amicos nimijs poſtulationibus vel querelis vrget, hic omnē ab eis exprimit gratiam, vt eis fiat inuiſus & exoſus: qui verò inimicos acriùs inſectatur & arguit, hic eorum contra ſe iram & furorem concitat.

Quintò. Quintò, Ianſen. tam lac & butyrum quàm nares & ſanguinem refert ad idē, putà ad iram & contentionē. Loquitur, inquit, Sapiens de duplici vehementi emulſione, altera lactis ex vberibus, altera muci ex naribus. Et his cōparat tertiam, quia expreſſio irarum producit diſcordias. q.d. Sicut per emulſionē lactis ſimul educitur butyrum, & ſicut per emunctionem narium, ſi vehemens eſt, educitur ſæpè & ſanguis: ita ſi quis nō cohibeat cogitationes ſuas & conceptam iracundiam, ſed per ſtultitiā ſuam emulgeat eam, & exprimat verbis iracundis & minabundis, volens ſemper ius ſuum proſequi: aut potiùs qui verbis importunis prouocat aliorum iras, ſimul producet & excitabit ſibi diſcordias & contentiones contra alios. Monet ergo hęc parabola cōprimendam iracundiam, & ori manum imponendam, cum quis exagitatur malis vel ſuperbis cogitationibus. Huc accedunt Hebraizantes, qui lac accipiunt non in vbere, ſed in vtre cōcuſſum vt exprimatur butyrum. q.d. Sicut lac liquidum & molle, in vtre diu vehementerque cōcuſſum, tandem indureſcit & in butyrum concreſcit: ſic etiam manſueti & benigni, ſi vehementiùs à Superiore vel alio quouis exagitentur, corripiantur aut verberentur, indureſcunt, indignantur & exaſperantur. Hæc expoſitio valdè reſpondet Hebræo.

Sextò. Sextò, noſter Salazar tam lac quàm ſanguinem refert ad nimis acrem correptionem, & ad nimiā vectigalium & tributorum exactionem. q.d. Sicut is, qui eadem vbera vehementiùs comprimit, exhauſto lacte ſanguinem extrudit: ſic etiam principes, qui ſubditos ſuos nimia ſeueritate compeſcit, & pluſquam ſatis eſt legibus premit; non vtique bonos mores & iuſtam viuendi rationem illis ſuadet; ſed eorumdem iram & furorem in ſe cōcitat, & impatientes animos ad bella & ſeditiones cogitandas exacuit. Simili ratione monet hæc gnome, tributa à ſubditis parcè admodum exigenda; ſubditos vberum in morem mulgendos eſſe, non emungendos & exhauriendos: nam vbi ſe exhauriri vident, ſeditiones cogitant.

Huc facit Alexandri Magni reſponſum apud Plutarch. in Apophth. qui cuidam ſibi ſuggerenti, vt maiora tributa populo ſuo imponeret: *Odi*, inquit,

quit, *oliterem, qui radicitus olera exſcindit*. Et Tiberij Cæſaris apud Maximum ſer 13. *Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere*. Ita ipſe more ſuo eleganter & ingenioſè: niſi quòd non ſatis aptè hîc per expreſſionem butyri intelligitur expreſſio adipis, id eſt fortunarum à ſubditis: aliud enim eſt butyrũ, aliud adeps. Rurſum lactis bonum & fructus eximius eſt, quòd contuſum det butyrum. Butyrum enim eſt flos, ſuccus & pinguedo lactis: quare butyrum non malę, ſed bonę rei & nominis eſt ſymbolum & omen.

Septimo Genuinè.

Septimò ergo planè & genuinè, lac pertinet ad virtutem modeſtiæ & manſuetudinis, ſanguis ad vitium ſuperbiæ & aſperitatis. Hebr. enim כִּי *ki*, id eſt *quia*, indicat hîc dari cauſam eius quod dixi v. præced. ſtultum eleuatum in ſublime prodere ſuã ſtultitiã ſtultè & ſuperbè loquendo, agendo, imperando. Vnde priorem lactis & butyri parabolã non applicat Salomon, ſed velut obuiam & facilem legenti applicandam relinquit; poſteriorem verò naſi & ſanguinis applicat, quia propoſito eius ſeruit, ſcilicet vt illã probet ſtulti eleuati ſtultitiã. Senſus ergo eſt. q. d. Sicut qui fortiter trahẽs vbera mulget lac, & ex eo fortiter concuſſo elicit butyrũ, ſic qui modeſtè, ſuauiter & blandè loquitur, atque huic blandè loquendi modo fortiter & cõſtãter inſiſtit, prçſertim ſi rex ſit & princeps, dum quid grauiùs imperat vel poſtulat, hic cõciliat ſibi audientes & ſubditos, eoſque velut leni ſuauique butyro paſcit & recreat, ac viciſſim ab eis butyrũ, id eſt pinguedinem, gratiam, dulcedinem, amorẽ, officia, tributa elicit & impetrat. Ex aduerſo ſicut qui acriùs emungit nares, eductis ſordibus & muco prolicit ſanguinem: cùm enim natura plus pituitæ, quod emungenti ſuggerat, non habeat, exhauſta vrgenti ſuggerit ſanguinem qui ſibi reſtat: ſic pariter qui ſordida, putà ſuperba, iracunda, minacia, contumelioſa proloquitur, parit contentiones, lites & rixas ac præſertim rex & princeps, qui duris imperijs, oneribus, minis & ſupplicijs vexat ſtimulatq; populum; hic eum ad rebellionem, ſeditionem & cædes ſuſcitat, vt indignans tandem graſſetur in ipſam principis familiam, omniaque ſanguine & flammis populetur & vaſtet.

Monet ergo hæc gnome reges, & quoſlibet alios, vt ſubditorum, familiarum & ceterorum quorumlibet beneuolentiam ſibi concilient modeſtè, leniter & blandè imperando, agendo, loquendo; vitent verò eorum maleuolentiam, vtpote quæ vtriſque diſſidium, rixam & extremam perniciem afferat. Quare rex, & quiuis alius in ſubditos ceteroſque durus & ſæuus, ſtultus eſt & deſipit; qui verò in eos comis eſt & benignus, hic ſapit tum ſibi, tum toti populo.

Hunc eſſe ſenſum liquet Primò, ex Septuag. dum vertunt, *emulge lac, & erit butyrum: ſi autem expreſſeris nares, exibit ſanguis*. Quę verba ſatis ſignificant aliò pertinere lac & butyrum, ſcilicet ad modeſtiam & blanditiem ſermonum, aliò nares & ſanguinem, putà ad duritiem & ſæuitiam loquendi, agendi & imperandi. Idem ergo hîc dicitur quod cap. 15. 1. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.*

Secundò, idem liquet ex Hebræo, vbi in tertio membro, putà in applicatione parabolæ, אַפַּיִם *appaim*, id eſt *iras*, & nomine & ſignificato reſpõdet אַף *aph*, id eſt *naſo*, ex quo elicitur ſanguis, de quo dictum eſt in ſecundo membro: planè verò

A diſſidet à חֶמְאָה *chema*, id eſt butyro, quod nominatum eſt in membro primo.

Tertiò, quia ita hæc ſecernunt & opponunt S. Gregor. tam Magnus, quàm Nazianz. Beda, auctor Catenę Grçcor. Gloſſa, Ianſen. Baynus & alij. Quocirca huic expoſitioni inſiſtens S. Greg. 2. Moral. c. 1. myſticè ſic exponit: *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum*, &c. *Vbera quippe fortiter premimus, cùm verba ſacri eloquij ſubtili intellectu penſamus, qua preſſione dum lac quærimus, butyrum inuenimus, quia dum nutriri vel leni intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis vngimur, quod tamen nec nimiè, nec ſemper agendum eſt, ne, dum lac quæritur ab vberibus, ſanguis ſequatur. Plerumq; etenim dum verba quidam ſacri eloquij pluſquam debent diſcutiunt, in carnalẽ intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehemẽter emungit, quia carnale efficitur hoc,* B *quod ex nimia ſpiritus diſcuſſione ſentitur.* Huc pertinet illud D. Gregor. Nazianz orat. 1. *Mulge lac, ait ille, & erit butyrum, id eſt ſedulò exquire, & fortaſſe in his ſuculentius aliquid inuenies.*

Hæc gnome varijs aptatur.

Porrò hæc gnome generalis eſt, quare varijs aptari poteſt, vt magiſtris plagiarijs in diſcipulos ſæuientibus, & ſanguineis plagis errata caſtigãtibus: confeſſarijs, qui nimijs penitentijs & præceptis penitentes arctant: rectoribus, qui nimijs legibus, reprehenſionibus, nimiſque rigida diſciplina ſubditos ſtringunt, quibus competit illud: *Si ſtrinxeris, erumpit*, hi enim ſubditos vel in deſperationem vel in furorem & rebellionem adigunt, cauſaque ſunt vel occaſio multorum ſcelerum, vt murmurationum, detractionum, inobedientiæ, conſpirationũ, &c. Præfectis, qui in milites nimis acerbi ſunt: C telonarijs, qui nimium vectigal exigunt & emungunt: magiſtratibus, qui in ciues deſæuiunt, &c. Vnde Dionyſ. *Per hæc*, inquit, *edocetur, quòd non debemus nimiùm importunè ab alio aliquid poſtulare, nec eum qui bonæ eſt voluntatis immoderatiùs moleſtare, vel nimis acriter increpare, ne exaſperetur, & totũ neget quod petebatur; ſicq; viſcera pietatis extrahantur ab eo, quæ nomine exprimimus butyri, & vitã animæ (quæ eſt gratia Dei) amittat. Hinc Seneca loquitur: Nihil petas, quod negaturus es; nihil neges, quod petiturus es.* Itemque: *Furor fit patientia ſæpiùs læſa.* Et: *Denuo bonus animus læſus, grauiùs multò iraſcitur.*

Vnde S. Greg. in epiſt. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, vt habetur diſt. 4. c. fin. Eccleſiaſticis præſcribens, vt ieiunium Quadrageſimæ inchoẽnt à Dominica Quinquageſimæ, excipit laicos & ſęculares, qui illa Dominica, & duobus ſe- D quentibus diebus ſolent celebrare Bacchanalia, ac vino & carne ſe ingurgitare. *Nec à tali conſuetudine*, inquit, *auerti poſſunt, & ideo cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne fortè peiores exiſtant, ſi à tali conſuetudine prohibeantur, vt enim ait Salomon: Qui multum emungit, elicit ſanguinem.* hæc S. Gregor.

Exempla.

Denique exempla huius ſententię ſunt in Iulio Cęſare, qui nimio faſtu emungens ſenatum, nullique è ſenatoribus ſalutantibus aſſurgens; ac perpetuam dictaturam, Imperatoris nomen, cognomen patris patriæ, regiam poteſtatem, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtra, imò ſedem auream in curia, templa, aras ſimulacra, puluinar, flaminem, &c. ſibi arrogans, omnium iram & inuidiam ſibi conflauit; quo factum eſt vt ſexaginta ſenatoribus in eius necem cõiurantibus, in ſenatu 23. vulneribus confoſſus, velut tyrannus & patrię oppreſſor mactatus ſit, vti fuſè narrat Suetonius in

eius

eius Vita ca.76.& ſequent. Et in C. Caligula, qui cum in quoſlibet ſæuitia, libidine, rapinis, extorſionibus, cædibus ad libitum graſſaretur, monitus ab Antonia auia, vt modeſtiùs ageret, táquam parum eſſet non obedire: *Memento*, ait, *omnia mihi & in omnes licere; oderint, dum metuant*. Infenſus turbæ ſibi aduerſanti exclamauit: *Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet*, vt ſcilicet eam vnico ictu amputaret. Caſſio Chęreę tribuno & familiari ſuo arridens, cauſam rogatus, dixit: *Rideo, ait, quia caput tuum in manu mea eſt, vt illud ad libitum tibi tollam*; quare ab eodē præuentus, gladio percuſſus trucidatuſque eſt. Et in Nerone, qui ſenatores proſcri- A bens, ſpolians, occidens, ab eiſdem hoſtis patriæ iudicatus, fugiens ne ab inſequentibus comprehēderetur, ipſe ſibi pugione in pectus adacto necem conijcere coactus eſt. ita Sueton. in Caio & Nerone. Exempla quotidiana quilibet cernere & notare poteſt in prouincijs, vrbibus, congregationibus, quibus pręſident homines imprudentes, ſuperbi, inhumani, auari, rigidi & ſæui, qui ſubditorum iras & ſeditiones ſua aſperitate in ſe prouocant. Nota eſt hiſtoria Roboam, qui minans ſe tributis & oneribus emunctuṙum populū, decem tribus à ſe domoque Dauidis in perpetuum auertit, ac regno Iſraelis excidit, 3. Regum 12.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SAlomon recenſet monita ſibi à matre data de cauendo vino & mulieribus, deq́; ſectanda beneficentia & iuſtitia. Inde v. 10. in matris gratiam & laudem, mulierem fortem & ſtrenuam, ac in ea matrem matriſq́; dotes depingit & celebrat,

1. VErba Lamuelis regis. Viſio, qua erudiuit eum mater ſua. 2. Quid dilecte
mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? 3. Ne dederis
mulieribus ſubſtantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos reges. 4. Noli regibus,
ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas:
5. & ne forte bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pau-
peris. 6. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo: 7. bibant,
& obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius. 8. Aperi os
tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt: 9. aperi os tuum, de-
cerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem. 10. Mulierem fortem quis
inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. 11. Confidit in ea cor viri ſui,
& ſpolijs non indigebit. 12. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vi-
tæ ſuæ. 13. Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.
14. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem ſuum. 15. Et de nocte
ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. 16. Conſidera-
uit agrum, & emit eum: de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. 17. Accinxit
fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. 18. Guſtauit, & vidit quia
bona eſt negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. 19. Manum ſuam
miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. 20. Manum ſuam aperuit ino-
pi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. 21. Non timebit domui ſuæ à frigoribus
niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. 22. Stragulatam veſtem
fecit ſibi: byſſus & purpura indumentum eius. 23. Nobilis in portis vir eius, quan-
do ſederit cum ſenatoribus terræ. 24. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tra-
didit Chananæo. 25. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſi-
mo. 26. Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. 27. Conſide-
rauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. 28. Surrexerunt filij eius,
& beatiſſimam prædicauerunt; vir eius, & laudauit eam. 29. Multæ filiæ congre-
gauerunt diuitias: tu ſupergreſſa es vniuerſas. 30. Fallax gratia, & vana eſt pulchri-
tudo: mulier timens Dominum, ipſa laudabitur. 31. Date ei de fructu manuum
ſuarum: & laudent eam in portis opera eius.

Verſ. 1. VERBA LAMVELIS REGIS] Sicut Salomon ca. præced. in hoc ſapientiæ quaſi ſympoſio, inducit Agurem loquentem elegantię cauſa, & tamen in Agure ipſe loquitur Salomō: ſic hîc inducit Lamuelem interloquentē, & tamen in Lamuele non alius loquitur quàm Salomon. Sic Plato in ſuis dialogis inducit Protagoram, Socratem, Cratylum, & alios interloquentes, & tamen in ijs non alius loquitur quā ipſe Plato. Sic hodie multi ſcribūt libros & dialogos, in quibus inducūt loquen- B tes Philotheum, Philotimum aliaſq; perſonas veras, vel fictas, vt ex earum ſignificato vel analogia libri argumentum & ſcopum indicent, itáque ſuauiùs in animos legentium influant. Ergo *verba Lamuelis*, id eſt Salomonis: ita omnes Hebręi, Gręci & Latini: nec enim vllus alius apud Hebræos vel exteros inuenitur rex, qui dictus ſit Lamuel. Theodotion vertit, *verba Rebuel*, quia *lamed* ſubinde mutatur vel deprauatur in litteram *reſch*.

Quæres, cur Salomon vocatur *Lamuel*? Reſp. *Salomon eſt Lamuel.*

Variæ ſunt analogiæ & cauſæ, ob varia Lamuelis A etyma.

Reſp. Primò. Primò enim Baynus cenſet *Lamuel* idem eſſe quod *lemoel*, id eſt *cui eſt Deus*: R. Salomon verò autumat *Lamuel* idem eſſe quod לְאֵל *leel*, id eſt *Deo* vel *Deo*: Salomon enim fuit Dei quaſi peculium, imò filius, vnde typus fuit Chriſti ex ſe naſcituri. Hinc de vtroq; dicitur à Deo: *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium*, 2. Reg. 7. 14. Rurſum Salomon à puero Deo fuit dilectus, dicatus & conſecratus, vnde ab eo per Nathan vocatus eſt *Iedidia, id eſt amabilis Domino, eo quòd diligeret eum Dominus*, 2. Reg. 12. 25. Sic rex Melchiſedec Gen. 14. vocatur ſacerdos *leel elion*, id eſt Dei Altiſſimi, ſcilicet conſecratus Deo omnipotenti; *el* enim ſignificat Deum qui potens eſt per eſſentiam & omnipotentiam, ita vt ab eo omnis poteſtas, vis & robur hominum, angelorum & creaturarum omnium, ceu B radius à ſole dimanet: ſic vt hoc nomine omnis creatura arctiſſimè Deo obſtricta ſit ad eum amandum, colendum, gratias agendum, inuocandum, omnibuſque corporis & mentis viribus ſeruiendum.

Secundò. Secundò, Syrus *Lamuel* decurtans vertit *muel*, ſicut Galli decurtantes nomen *Emmanuel* dicunt Noël: vnde diem natalem Chriſti vocant *Noël*. *Verba Muelis regis Prophetæ*, inquit Syrus. Iam *Muel* dicitur quaſi מֵאֵל *meel*, id eſt *à Deo*, ſcilicet electus, euectus & conſecratus rex, regum omnium potentiſſimus, ditiſſimus, ſapientiſſimus. *Verba Lamuelis* ergo, hoc eſt verba eius, qui à Deo creatus ſit rex. ita R. Leui.

Tertiò. Tertiò, *Lamuel* alij dici cenſent, quaſi לְמוּד אֵל *lemud el*, id eſt doctus à Deo, vt litera *daleth* durior euphoniæ cauſa elidatur: Salomon enim ſapientiam à Deo infuſam accepit, quam hic depromit. C Vnde Septua. pro דִּבְרֵי *dibre*, id eſt *verba*, legentes דְּבָרַי *deuarai*, id eſt *verba mea*, vertunt, *verba mea profecta ſunt à Deo, quæ velut oraculum didici à matre mea.* ita auctor Catenæ Græcor.

Quartò. Quartò, *Lamuel* vel *lamoel*, vti vocatur v. 4. dici poteſt, quaſi לְעִמּוֹ אֵל *lemmo el*, id eſt *cũ illo eſt Deus*: vnde poſteà filius eius Chriſtus, qui ei in regno Iſraelis, id eſt Eccleſiæ fideliũ, ſucceſſit, dictus eſt Emmanuel, id eſt *nobiſcum Deus*, Iſaiæ 7. ita Aben Ezra. Sic Salomon c. præced. v. 1. vocatus eſt *Ithiel*, id eſt *cum quo eſt Deus*. ita Beda, Lyran. & alij. Hinc Lamuelis nomẽ alludit ad id quod Nathan Propheta dixit Dauidi: *Quomodo fuit Dominus cũ domino meo rege, ſic ſit cum Salomone*, 3. Reg. 1. 37. Et ad illud angeli ad Gedeonem: *Dominus tecum, virorum fortiſſime*, Iudic. 6. 12. Hoc etymon, æquè ac illud primo loco recenſitum, valdè eſt plauſibile. D

Quintò. Quintò, alij *Lamuel* cenſent componi ex אֵם *em* & אֵל *el*, q. d. *Cui in matrem fuit Deus.* Salomonem enim Deus amauit, inſtruxit, euexit quaſi mater.

Sextò. Sextò, Ianſen. cenſet *Lamuel* eſſe deflexũ à *Salomon*, ac ſignificare *ipſi Deus*, vel *cum ipſo Deus*. Vnde Aquila vertit, *verba Lammun*, id eſt Salomõ. Omiſſa eſt enim prima litera S, & additũ eſt nomen Dei *el*, & videri poteſt hoc nomen matrem ei tribuiſſe, poſtquam videret Deum eſſe cum eo: quoniam in verbis matris nomen hoc ponitur, vt quæ priùs vocauit eum Salomonem, nunc omiſſis quibuſdã & quibuſdam additis, vocauerit eum *Lamuel*. Dicuntur autem verba ſubiuncta eſſe *verba Lamuelis*, cùm mox dicat eſſe verba matris ſuæ, ſiue quòd ſint ab ipſo deſcripta, ſiue quòd ad ipſum pertineant, tanquã ad ipſum peculiariter à matre dicta.

Septimò. Denique *Lamuel* alludit ad *Samuel*. Sicut enim *Samuel* dictus eſt quaſi à matre Anna ſterili *poſtulatus & impetratus à Deo*, 1. Reg 1. 20. ſic Salomõ dictus eſt *Lamuel*, quaſi datus à Deo Deoq; dicatus. Rurſum Salonius *Lamuel*, vertit, *in ipſo Deus*, quia Salomõ fuit typus Chriſti, in quo *plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter*, Coloſ. 2. v. 9. Hugo cẽſet quòd Salomon infans vel paruulus, à matre vnicè eum diligente ex delicijs amoris, delicato nomine vocatus ſit *Lamuel*, vti pueri à matribus inflexo pauliſper nomine proprio, alio vicino deliciosè compellantur. Aben Ezra cenſet nomen *Lamuel* à matre cũ his monitis datum Salomoni poſt mortem patris Dauidis, cùm in ipſam tota filij cura recumberet, vt eum formaret ad regnum, regendi enim dat præcepta, ac proinde Salomonem non paruulo, ſed grandiori, & iam proximè regnaturo à matre illa data videntur.

VISIO QVA ERVDIVIT EVM MATER SVA] Pro *viſio* hebr. eſt מַשָּׂא *maſſa*, id eſt *onus*, Aquila, *pondus*; Symmach. *aſſumptio*; S. Ambro. ad virgines, *admonitio*; Chald. *prophetia & correptio, qua erudiuit eum mater ſua.*

Hebræi, quos ſequitur Arboreus & Dionyſ. tradunt hęc à Bethſabee matre Salomoni per correptionẽ dicta fuiſſe, eò quod ille prima die nuptiarum cum filia Pharaonis, qua & templum dedicatum eſſe aiunt, cùm largiùs genio vinoq; indulſiſſet, totam noctem audiendis organis ceteriſque muſicis inſtrumentis inſomnem tranſegiſſet: ex quo poſtridie ad horam vſque quartam diei ſomnum cœpit, quo factum fuerit vt vſque in horam diei quartam, præter morem reiecta & dilata fuerit oblatio ſacrificij iugis, quod ex lege primo mane offerri debebat; eò quòd ipſe templi claues ſub ceruicali ſuppoſitas haberet. Vnde amanter, ſed acriter matrem corripuiſſe eum ceu filium, dicendo: *Quid dilecte mi?* &c. q. d. Quid tuis, ô fili, voluptatibus adeò indulges, vt eis diuina officia poſtponas? Verùm hæc fabellam redolent, & Iudæorum ſomnia videntur.

Cur hæc dicta vocetur viſio? Quæres, cur hæc Bethſabee matris Salomonis inſtructio & admonitio ad filium vocetur *viſio*, id eſt prophetia? Reſp. Varij varias dãt cauſas. *Reſp. prima.* Prima eſt, quòd vera & certa, æquè ac grauis & pia ſit inſtar prophetię, vt ſit catachreſis. ita Vatabl. *Secunda.* Secunda, quòd Bethſabee videns Salomonis complexionem, indolem & mores in gulam & venerem procliues, coniectaret id quod euenit, ſcilicet Salomonẽ fore mulieroſum, vinolentum & voluptuarium, ideoq; hęc eius vitia, cuius iam indicia cernebat, caſtiget. Cõiectores enim vocantur diuini, & Coniectare ſubinde vocamus diuinare vel prophetare: quia coniector idẽ facit quòd Propheta, nimirum attingit & prædicit id quod verum eſt, licèt Propheta id faciat ex reuelatione diuina, cõiector ex ſagacitate & indicijs naturalibus. *Tertia.* Tertia, quòd Bethſabee hæc acceperit à Nathan, qui verè erat Propheta: Nathan enim hæc videtur ſuggeſſiſſe matri, vt ijs imbueret Salomonem. ita Caiet. *Quarta.* Quarta, quòd matres & patres filijs ſint quaſi Dei vicarij, &, vt ait Plato lib. 12. de Legib. *Dei ſimulacra*, imò dij quidam terreſtres; quare eorum monita & conſilia ea reuerentia & obſeruantia à filijs excipienda ſunt, quaſi eſſent Dei oracula, vt vertunt Sept. Itaque ea ſe hæc à matre excepiſſe teſtatur hic Salomon. ita Baynus.

Quinta

Quinta.

Quinta propria & genuina eſt, quòd Bethſabee hęc dictarit Salomoni ex inſtinctu Spiritus ſancti illo enim afflata velut propheriſſa hęc dixit & docuit Salomonē. Id patet ex eo, quòd hęc eius monita ſint pars Prouerb. id eſt ſacræ Scripturæ, ideóq; fide diuina credenda quaſi verba Dei & Spiritus ſancti, idq; non tantùm quatenus referuntur à Salomone, ſed etiam quatenus dicta ſunt à matre. Salomon enim verba non ſua, ſed matris refert in ſuum hunc ſacrum & Canonicum Prouerb. librum, eaque vocat *viſionem*, id eſt doctrinam per reuelationem à Deo acceptam, putà oraculum Dei. Mouit enim Spiritus ſanctus mentem & os Bethſabee ad hoc eloquendum, quia præuidebat Salomonis in mulieres & vina prolapſum, ideóque eum præmonendo præcauere volebat. Sic omnes ſcriptores Hagiographi vocantur. Prophetæ, & quælibet S. Scriptura, etiam hiſtorialis & ethica, à S. Petro epiſt. 2. ca. 1. v. 20. vocatur *prophetia*, id eſt reuelatio rei arcanæ, ſiue oraculum Dei. Nam vt ait Philo lib. de præm. & pœnit. *Propheta eſt interpres Dei dictantis oracula.* Addunt Baynus Ianſen. Pineda & alij, Bethſabee verè proprieque fuiſſe prophetiſſam, ac ex reuelatione Dei prçuidiſſe Salomonis ruinā, ideóq; tam ſollicitè de ea hìc filium prçmonere. Vide Pinedam lib. 1. de Reb. Salomonis c. 4. n. 8. & ſeq vbi docet Bethſabee, poſt adulterium cum Dauide pœnituiſſe, fuiſſeq; feminam probam & Deum timentem, ideóq; vocari ancillam Dei: *Deus*, inquit Salomon Sapient. 9. 5. *patrum meorum, quoniā ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuę.*

Bethſabee fuit prophetiſſa.

Porrò Bethſabee hìc monet Salomonem de quatuor rebus ipſi maximè neceſſarijs: Primò, vt caueat à mulieribus; Secundò, vt caueat à vino tam ipſe, quàm omnes proceres; Tertiò, vt in afflictos ſit clemens & liberalis; Quartò, vt iuſtitiam præſertim pauperum tueatur.

Myſtice, Beda per matrem accipit Dei gratiam quæ interiùs hanc ſapientiam docuit Salomonem, vt & ipſe eamdem alios doceret. Auctor Catenæ Grçcor. per matrem accipit ſapientiam, quaſi ipſa Salomonem ceu filium hìc inſtrueret.

VERS. 2. QVID DILECTE MI, QVID DILECTE VTERI MEI, QVID DILECTE VOTORVM MEORVM] Hebr. *quid fili mi, quid fili vteri mei, quid fili votorum meorum?* Chald. *quale væ fili mi? væ fili vteri mei, væ fili votorum meorum?* q. d. Magnū væ, id eſt magnus dolor, magna pernicies tum præſens, tum æterna tibi, ô fili, imminet, ſi ſequaris vina & mulieres, in quas te procliuem video. Sept. *quid fili ſeruabis? quid? dictiones Dei primogenite tibi dico fili: quid fili mei ventris? quid fili mearum orationū?* Syrus, *væ fili mi.* τὸ *quod* ter repetitur ad pathos, vt mater vehementiam amoris ſui filio indicet, ac hæc documenta vehementer ei commendet & inculcet. Supplendum eſt hìc verbum aliquod: hoc enim deſideratur, quod varij variè ſupplent. Sunt ex Hebræis, inter quos eſt R. Leui, qui putant hanc fuiſſe matris ſponſionem, quæ rogata à filio poſt mortem patris, vt aliquid ab eo peteret reſpondit: Quid fili mi, & quid fili vteri mei, non quem educaui, vt filia Pharaonis educauit Moyſen, ſed quē peperi? quid petam niſi vt ne des mulieribus fortitudinem tuam? Alij tum tandem putant matrem his verbis vſam erga filium, cùm videret eū multas accipere vxores, præſertim alienigenas: ſed cum hanc admonitionem & correptionem matris tamquam prophetiam proponat nobis; meliùs intelligimus etiamnum puerum his verbis fuiſſe inſtructū Salomonem à matre, tanquam diuinante qualis futurus eſſet, quod ad amorem mulierum ſpectat. *Quid fili mi, & quid fili vteri mei?* Supplendum eſt aliquid. Quid fili mi cogitas, vel quem animum habes in me, quæ te portaui in vtero, quæ pro te vota feci? Alij ſic: *Quid mi, quid fili vteri mei?* ſupp. facis, qui multiplicas tibi vxores, & tantoperè deditus es amoribus mulierum? Alij ſic: *Quid fili mi,* ſupple, petam abs te? Quid, inquam, petam, quæ geſtaui te in vtero meo, quòd te nutriuerim & educauerim? Mihi magis arridet, vt ad ea quæ ſequuntur referantur hæ interrogationes, vt ſit ſenſus; Quid fili mi, & quid fili vteri mei potiſſimùm te admoneam pro maximo quo te proſequor amore? quid à te petam vel exigam vt facias? vtique non aliud, quàm id quod ſubiungo: *Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam,* &c.

Vnde auctor Catenæ Grçgor. iuxta Sept. ſic clarè vertit, *quid fili, quid tandem cuſtodies, niſi ſermones Dei? quid fili primogenite (te enim compello) quid fili vteri mei? quid fili votorum meorum aliud te moneam, quam ne mulieribus dederis diuitias tuas?*

QVID DILECTE MI] Pro *dilecte* hebr. eſt בְּרִי *beri*: quod Primò, Septuag. vertunt, *fili*; *bar* enim chaldaicè ſignificat filium. Secundò, *bar* (vnde *beri*) hebr. deriuatur à בָּרַר *barar*, id eſt, mundus, purus, electus, dilectus fuit; vnde vertunt, *quid munde, pure, electe, dilecte mi?* q. d. Tu, ô Salomon adhuc innocens es, purus, & mundus: quid ergo commendabo tibi aliud, quàm vt talis per ſobrietatem & caſtitatem permaneas? Caue igitur ne te cum mulieribus coinquines, vt puritatem & innocentiam puerilem deperdas, eamq; cum libidine & ſcortatione commutes. Rurſum tu es dilectus & electus à Deo in regem Iſraelis: vide ergo vt eum diligas amore ſpiritali, & caueas ab amore contrario, putà carnali mulierum. Sept. vertunt, *quid fili mi primogenite?* Fuit enim Salomon primogenitus Dauidis ex Bethſabee, quæ plures alios poſt Salomonem filios Dauidi peperit, vti oſtendit noſter Pineda li. 1. de Rebus Salom. c. 8. Rurſum *primogenite*, id eſt ſpecie, pulchritudine, prudentia & cęteris omnibus ornate, & ſecundum mea vota ad tantam eminentiam euecte, ideóque præ ceteris dilecte. auctor Catenæ Græcor.

QVID DILECTE VTERI MEI] Solent matres vt delicias amoris filijs oſtendant, iiſque ipſos vrgeant ad ſibi obtemperandum, refricare dolores, faſtidia, metus & pericula, quæ pro ipſis per nouē mēſes ſuſtinuere, cùm eos vtero geſtarunt. Ita mater Machabæorum: *Fili*, inquit, *miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi,* 2. Macha. 7. 27. Rurſum noſter Pineda li. 1. de Rebus Salomonis cap. 6. cenſet per *vterum*, non tantùm conceptum & partum, ſed & lactationem notari. q. d. Ego te vtęro meo cōcepi & genui: ego quoque in ſinu meo quaſi ad pectus & vterum continuè te geſtaui, lactaui, foui, nec te alijs lactandum dedi, vt faciunt nonnullæ nobiles & delicatæ matres; ſed ipſa è meis viſceribus meo ſanguine, putà meo lacte te alui, vt totus quantus quantus es, meus ſis in ſolidum, nullamque ſubſtantiam, carnem & ſanguinem niſi meam poſſideas; quare par eſt vt pariter hæc mea monita tua facias, tuæque menti penitus inſcribas.

QVID DILECTE VOTORVM MEORVM] *Vota* *Vota matris.*

 hic

Primo. hic Primò, accipi poſſunt deſideria. q.d. O fili exoptatiſſime, quem omnibus votis & deſiderijs cõcupiui, cuius bonum totis animæ medullis opto & deſidero. ita Vatablus & Ianſen. *Secundo.* Secundò, Baynus & Caietan. q.d. O fili tot votis & deſiderijs expetite, tot ſuſpirijs & lacrymis à Deo poſtulate, vt non ſis minùs deſideriorum meorum filius quàm vteri mei, vtpote quem animo magis quàm corpore enixa ſum. Audi ergo hæc mea, quę adeò de tua ſalute ſollicita ſum, extrema monita & vota. *Tertio.* Tertiò, Beda legit, *quid electe votorum meorum?* q.d. O fili electe & euecte iam ad regnum, quod ego omnibus votis tibi deſideraui & procuraui. *Quarto,* Quartò, *votorum*, ſcilicet pro quo multas preces & vota Deo nũcupaui, vt iuxta promiſſa Dei feliciter naſcereris, feliciùs educareris, feliciſſimè regnares. Ante natiuitatem enim Deus promiſerat Dauidi ex Bethſabee filium, cui nomen futurum erat Salomon, eique regnum, opes, gloriam omniaq; bona deſtinarat, vt patet 2. Reg. 7. Bethſabee ergo orabat & vota nũcupabat, vt Deus ſua hęc de Salomone promiſſa exhiberet & compleret. *Quinto.* Quintò, nonnulli cenſent Bethſabee fuiſſe ſterilem, ideoque per preces & vota obtinuiſſe à Deo per miraculum fœcunditatem & natiuitatem Salomonis. Ita Rupertus in c. 2. Matth. *Septem matres, ait, fuiſſe ſteriles ſacra Scriptura memorat, Saram & Rebeccam, Rachel, & eam quæ peperit Samſon, Annam matrem Samuelis, Bethſabee quæ fuit mater Salomonis, & Eliſabeth quæ peperit præcurſorẽ Domini, qui ex iſtis nati fuerunt, magni fuerunt, & in pleriſque (vt iam dictum eſt) admirabiles quaſdam ſimilitudines Domini prætulerunt de virginitate naſcituri, quæ naturaliter ſterilis eſt & nõ parit, videlicet Iſaac & Iacob, Ioſeph & Samſon, Samuel, Salomon & Ioannes.* Verùm id rectè refutat noſter Pineda loco citato ca. 7. Nam ex Scriptura liquet, Bethſabee illicò ex adulterio Dauidis concepiſſe prolem: ergo naturaliter erat fœcunda: nam quis dicat Deum adulteræ ſterili, in ipſo adulterio fœcunditatem per miraculum conceſſiſſe? Sic enim viſus fuiſſet Deus adulterium probare, illiq; cooperari, quòd ergo dicitur ipſa *ſanctificata ab immũditia*, intellige quòd purificata fuerit à ſordibus menſtrui, à quibus lege veteri & Euãgelica purificantur puerperæ. *Sexto.* Sextò, idem Pineda, quem ſequitur Salazar, cenſet Bethſabee cùm videret prolem, quam ex adulterio Dauidis conceperat, ilico morte à Deo percuſſam, fuiſſe perculſam, ac metuiſſe vehementer ne pari modò ſecundus filius, putà Salomon, ſimili nece feriretur, ideoq; pro eius vita ſolicitam preces & vota nuncupaſſe, qua de cauſa, inquiunt, illum filium votorum ſuorum appellat, id eſt, quem nõ ſolùm ex vtero editum pepererat, ſed in dies etiam votis ac precibus quodammodo reparturiebat. Huc ſpectat lectio Septuag. qui habent, *quid fili mearum orationum?* Itaque Salomon orationum filius dicitur, ſiue quia precibus illum mater à Deo obtinuit, ſiue etiam quia editum iam in lucem mater precibus à præcoci morte vindicauit, ſiue etiam quia regnum, ſapiẽtiam & probos mores eidem mater precibus ſuis exorauit. Quapropter affirmare licet orationem vnà cum Bethſabee Salomonis matrem fuiſſe, aut etiam cõmatrem: ſic enim in homil. de Anna & Samuele S. Chryſoſt. aſſerit orationem in procreando, alendo & educando Samuele Annæ commatrem extitiſſe.

Vers. 7. NE DEDERIS MVLIERIBVS SVBSTANTIAM TVAM, ET DIVITIAS TVAS AD DELENDOS REGES] Hebr. *ne dederis mulieribus robur tuum, & vias tuas ad delendos reges;* Chald. *ne dederis mulieribus fortitudinem tuam, & vias tuas filiabus regum;* Sept. Vatic. *ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & mentem tuã & vitam in ſeram conſilij mutationem;* Complut. & Reg. æquè ac Theodot. εἰς μεταμέλειαν, id eſt *in pœnitentiam*. Pro *ſubſtantiam* hebr. eſt חילך *chelecha*, id eſt *robur tuum*, vel *virtutem tuam;* Aquila Symmach. & Theodot. *pecunias tuas:* in his enim robur ſuum conſtituunt diuites; Sept. *opes tuas*.

Igitur Primò, per *ſubſtantiam* accipias opes. q.d. Ne opes tuas, ô Salomon, profundas in mulieres; meretrix enim eſt abyſſus & vorago, quæ opes quantumuis magnas & regias vorat & ſorbet.

Secundò, *ne dederis ſubſtantiam*, id eſt robur, carnem & ſanguinem tuum mulieribus: libido enim & fornicatio exhaurit corporis vigorem, ſpiritus & ſanguinem, illudque emaciat & conſumit, imò lue venerea multiſque morbis inficit, vt dixi c. 5. v. 9. & ſeq.

Senſus ergo eſt. q.d. Noli, ô fili mi, mulierum potentum contagio integerrimas regis vires, atq; ampliſſimas regni tui opes delere & extinguere. Vera fuit vates Bethſabee: vero enim pręſagio diuinauit Salomonis per mulieres lapſum & exitiũ. Porrò pro *diuitias*, Hebr. & Chald. habent, *vias tuas ad delendos reges*. Primò & genuinè. q.d. Ne incas illas vias, hoc eſt ne capeſſas illas actiones, quibus eneruari, deleri & perdi ſolent reges: actiones hæ ſunt fornicationes, comeſſationes, ebrietates, profuſiones opum æquè ac virium in meretrices & mulieres. Hę enim regibus adimunt robur mentis & corporis, iudicium, prudẽtiam, ſanitatem, æquè ac ærarium exhauriunt, vt ſumptus ad rempublicam tuendam neceſſarios non habeant, fiantque inopes, ignaui, viles, imbelles & contemptibiles, quæ certa eſt pernicies regum & regnorum, dum reges voluptatibus dediti regnum negligũt, regnique opes in ſuas delicias & luxurias abſumũt. Vnde Chald. vertit, *ne des vias tuas filiabus regum*, vt copuleris amore carnali filiabus principum, præſertim regum vicinorum Chananæorum, quod lege à Deo vetitum eſt, vti reipſa immemor huius moniti materni, eis copulatus eſt Salomon cum graui ſua culpa, æquè ac pœna, 3. Reg. 11. 1.

Syrus, *ne des vias tuas cibis regum*. Ergo vetat gulam & libidinẽ, quibus ſe dedere ſolent reges, qui opibus regijs ad luxum & licẽtiam carnis abutuntur. Hoc enim hemiſtichium pendet à priori, *Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam*, illudq; inculcat & exaggerat oſtendendo eius effectus & damna, ſcilicet quòd mulieres perdunt regum opes, famam dignitatem, robur & vitam. ita Hebręi, Beda, Ianſe. Baynus & alij. Exempla ſunt in Dauide, Samſone, Sardanapalo, Hercule & ipſo Salomone: hiſce enim mulieres ademerunt ſapientiam, ſanctitatem, robur, vigorem, omneque decus: imò eos effeminarunt, hoſtibuſque prodiderunt & perdiderunt.

Secundò, alij q.d. Noli, ô Salomon, tuas opes & vires profundere in mulieres, ne hoc tuo exemplo deleas & perdas reges, regumq; ac tuos inprimis, proceres & conſiliarios, vt illi pariter ſua in meretrices profundant. Potens enim eſt regis exemplum: illud enim ſubditi proceres intueri & imitari ſolent.

Tertiò, alij cenſent hîc diuerſum à præcedenti, nouum-

nouumq; eſſe monitum de colenda pace cum vi- A
cinis.q.d. Noli,ô Lamuel,bellũ mouere vicinis re-
gibus,vt eos euertas,& regna eorũ in te transferi-
bas:hoc enim ſuperbũ & iniuſtum eſt; ſed potiùs
ſtude paci & amicitię, vt quietè & diutinè regnes
ſiſque vti nomine,ita reipſa Salomon,id eſt pacifi-
cus. Hoc enim ſapiens pacis conſilium dedit Beth-
ſabee Salomoni, ne in belli moleſtias & damna tã
ſe,quàm reges genteſque vicinas conijceret. Idq;
ſecutus Salomon regnum effecit pacificum,opu-
lentum & fortunatum.

Porrò Sept. vertunt, *ne dederis mentem tuam & vitã in ſeram conſilij mutationem*,vel,vt habet auctor
Catenæ Græcor. *ne mentem vitamque tuam ei ſtudio
mancipes,cuius poſtea te pæniteat*,quod fiet,ſi opes vi-
reſq; tuas in mulieres prodigas,vti præceſſit. Qua
ratione hæc verſio conſentiat cum Hebræo non
ſatis liquet. Aliqui ſic adaptantes Septua.inquiunt, B
ex Heb.verterunt,*ad delendum reges*,id eſt,ad dele-
tionẽ & obliterationem regum.q.d. Ne vias illas
& viuẽdi rationes ineas, quę cogunt reges ſtylum
vertere,id eſt ſententias, & conſilia mutare; vt ſit
metaphora ab his,qui quod ſemel in tabulis exa-
rarunt,conuerſo ſtylo detergere & delere cogun-
tur. Alij cenſent Sept.more ſuo Hebręa non ver-
botenus, ſed quoad ſenſum paraphraſticè reddi-
diſſe:alibi enim non rarò magis paraphraſten quã
interpretem agunt. Verior ratio eſt,quòd Septua.
per מְלָכִין *melachin*,id eſt *reges*,intellexerunt *conſiliũ*.
q.d. *Ad delendum conſilium*,hoc eſt ad ſeram conſilij
mutationem. Vnde mox ſubdunt,*cum conſilio om-
nia fac*. de quo mox plura.

VERS. 4. NOLI REGIBVS, ô LAMVEL, NOLI REGIBVS
DARE VINVM: QVIA NVLLVM SECRETVM
EST, VBI REGNAT EBRIETAS] Hebr. *non re-* C
*gum,ô Lamuel,non regum bibere vinum, & gubernato-
rum non eſt ſicera*; Chald. *obſerua te à regibus, ô La-
muel,obſerua te à regibus qui bibunt vinum, & à poten-
tibus qui bibunt ſiceram*; Sept. paulò aliter, *cum conſi-
lio omnia fac, cum conſilio vinum potas; potentes iracun-
di ſunt, vinum autem non bibant*, S. Hier. in c. 5, Iſaię
ſic reddit verba Sept. *potentes verò ſi iracundi ſint, vi-
num non bibant*.

Pro *nullum ſecretum* hebr. eſt לְרוֹזְנִים *lerozenim*
id eſt *principibus ne des ſiceram*. Hebr. enim אִי *e valet*
אֵין *en*, id eſt *non*, ait Aben Ezra & ceteri. Videtur
Noſter in Hebr. legiſſe וְלֹא רוֹזְנִים *velo rozenim*,
id eſt *quia non ſecretarij*, ſcilicet ſunt, *vbi eſt ebrietas*:
vnde vertit, *quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrie-
tas*. *Rozenim* enim ſecretarios & ſecretorum ſcru-
tatores ſignificat, vt patet Iſaiæ 40. 21. ita Ianſen. D

Quæres,cur Septua. pro *Noli regibus dare vinum*
vertunt, *cum cõſilio omnia fac*: Hebr. enim *melachim*,
ſignificat *reges*.non *conſilium*. Reſp. Hebr. *melachim*,
id eſt *reges*, ſignificat quoque *conſilium*, מֶלֶךְ *melech*,
id eſt regnare,ſignificat quoq; conſulere,eò quòd
verè regnare ſit cõſulere reipub.ſiue cum conſilio
& prudentia rempubl.gubernare. Vnde rex idem
eſt qui cõſultor & prudens gubernator,vti multis
oſtẽdit Daniel. 4. 24. iuxta illud S. Baſilij apud An-
ton. in Meliſſa p. 2. c. 1. *Propriũ eſt regis,in quibus præſit
proſpicere. Regnum eſt legitima præfectura*. Idque planè
hic & Eccleſ. 2. v. 12. ſignificant Septuag. dum pro
melachim, id eſt reges, vertunt, *conſilium*: quare
pro אַל *al*, id eſt *non* legerunt אֶל *el*, id eſt *ad cum*.
Vnde appoſitè vertunt, *cum conſilio omnia fac, & cum
conſilio vinum bibe*, putà ſobriè, parcè & moderatè,
quantum ſanitas mentis & corporis requirit. q.d.

Caue, ô fili mi, Salomon rex, à mulieribus æquè
ac à vinolentia, quia vtræque auferunt conſilium
maturamq; deliberationem & prudẽtiam, quæ in
rege ad ſapienter regẽdum requiritur vel maximè,
iuxta illud Oſee 4. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrie-
tas auferunt cor*, vti pluribus ibidem oſtendi. Atque
hac de cauſa in regibus maiora ſunt peccata &
culpæ quàm in plebeis,quia ſcilicet impediunt ſa-
num conſilium, quod ſummè regibus ad rectè re-
gẽdum eſt neceſſarium, vti docet D. Thomas 2. 2.
q. 149. ar. 4 in corp. Vnde auctor Catenę Gręcor.
ſic Sept. explicat. q.d. Vino potiùs & crapulæ tute
imperes, quàm imperium illorum ſubeas: nam ſi
iſthuc feceris, ab honeſto, quod natura vel ratiò
dictat, non facilè excides. Occuperis autem circa
veræ vitis vinum, hoc eſt circa diuinarum Scriptu-
rarum interpretationem, rerumq; naturæ conſtan-
tium conſiderationem, magnoque iudicio & men-
tis deliberatione in ea incumbas.

Hinc patet ſenſus Vulgatę verſionis *Noli regibus,
ô Lamuel, dare vinum*, quæ verba prima fronte vidẽ-
tur nõ Salomoni interdicere vinum, ſed iubere vt
Salomon alijs regibus vinum interdicat. Verùm
hic ſenſus parergus eſt, imò abſurdus. In Iudæa e-
nim vnus dumtaxat rex erat Salomon; apud Gen-
tiles vicinos, plures quidem erant reges, ſed his vi-
no interdicere nequibat Salomon. Hinc nonnulli
cenſent matrem hic ſuggerere Salomoni, ne regi-
bus, id eſt præfectis, iudicibus & conſiliarijs ſuis
permittat vinum, vt ſobrij ſana dent conſilia, ea-
que teneant ſecreta, ac rempubl. ſapienter admi-
niſtrent.

Verùm, cùm mater hic inſtruat Salomonem,
ceteraque monita ad ipſummet dirigat, hoc quoq;
ad ipſum dirigere non eſt dubium. Senſus ergo
eſt. q.d. Noli regibus, id eſt tibi ipſi, ô fili mi Salo-
mon, qui es rex, tuiſque regijs conſiliarijs (qui *me-
lachim* quoque, id eſt reges, vocãtur: regnare enim
eſt conſulere reipubl. vt paulò antè dixi) dare vi-
num, ſcilicet in magna copia, vt fiant temulenti,
vinolenti vel ebrij; nã vinum moderatè ſumptum
acuit ingenium, conſilium, & ſapientiam ad rectè
gubernandum. Eſt euphemiſmus: feſtiuè enim &
decore, honoris cauſa Salomoni loquitur mater
non in ſecunda, ſed in tertia perſona more vete-
rum Hebræorum, quẽ hodie præ ceteris nationi-
bus Germani ſequuntur, qui dum viris honoratis
loquuntur, nõ dicunt in ſecunda perſona, Domine
facito hoc vel illud; ſed in tertia, Dominus faciat
hoc vel iſtud. Odioſum enim & ruſticũ eſt tuiza-
re, & dicere, Tu ô rex vel princeps abſtine vino.

Hunc eſſe ſenſum liquet ex Hebręo, ex quo ſic
paſſim vertunt, *non eſt regum ô Lamuel, non eſt regum
vinum*: hoc eſt, nõ eſt tuum, ô Salomon, qui es rex,
indulgere vino, ſed vacare ſapientiæ, & ſapienti Iſ-
raelis gubernationi. Vnde & quod Noſter ſubdit
in plurali, *Ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum*;
Hebræi efferunt in ſingulari, *Ne fortè bibat, & obli-
uiſcatur ſtatuti*, id eſt, ne fortè bibas tu, ô rex fili mi
Salomon, & obliuiſcaris ſtatuti, ſcilicet præcepti,
& iuris diuini vel humani. Hinc Chald. clarè ver-
tit, *ne fortè bibas, & peruertas rationem*.

Noſter Vilalpando in Ezech. c. 27. v. 15. p. 19.
lit. D. putat שֵׁכָר *ſechar*, id eſt ſicera inebrians, &
ipſa ebrietas, alludere ad אֶשְׁכָּר *eſcar*, id eſt donum,
pretium, munus, quaſi hic vetetur principibus &
iudicibus, ne accipiant munera, quia munera eos
inebriant inſtar vini, vt iuris obliuiſcantur, illudq;
peruer-

peruertant, vinum ergo hîc accipi pro munere inſtar vini dementante, per catachreſin. Verùm ex antecedent. & ſequent. liquet hæc omnia ſpectare ad vinolentiam, non ad acceptionem munerum.

Reges caueant à vino. NOLI REGIBVS, ô LAMVEL, NOLI REGIBVS DARE VINVM] Iterat *Jo regibus* ad pondus & emphaſim, q. d. Omnino omnibuſque modis reges arcendi ſunt à vinolentia, tum quia planè dedecoroſum & probroſum eſt, ſi rex, cuius eſt regere regnum, ſit ebrius & regatur à vino; tum quia regum eſt omnia cum ratione, iudicio & conſilio facere, vt vertunt Sept. Sobrij ergo ſint oportet, non ebrij & rationis conſilijque impotes. Idem à Salomone didicit Plato, qui lib. 3. de Republ. *Ab ebrietate itaque*, inquit *omnibus diximus abſtinēdum: ſed tamen cum alij, tum maximè cuſtodi nō conceditur, vt ebrietate grauatus vbi terrarum ſit neſciat. Nempe ridiculum eſſet cuſtode indigere cuſtodem.* Cuſtodem vocat principem, quia principis eſt inſtar cuſtodis vigilare, & ab hoſtibus cæteriſque malis cuſtodire ſubditos. Et Solon, qui Athenienſibus hanc tulit legem: *Princeps ſi deprehendatur ebrius, morte mulctetur.* Item Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 11. tradit apud Indos lege ſimiliter cautum, vt concubina, vel alia quælibet mulier, regem temulentum occidens, hæc donaretur munere, vt ſucceſſori nuberet. *Exempla.* Exemplum eſt in Alexandro Magno, qui ex temulentia Clitum ſibi chariſſimum & fideliſſimum occidit. de quo S. Aug. Exhort. ad ſacras virgines: *Innumerabiles quidem*, inquit, *iugum dominationis diu recuſantes, vinolentia in alienum redegit arbitrium; Alexander omnium victor à vino victus eſt.*

O LAMVEL] Tacitè hîc Bethſabee aliam dat cauſam, cur Salomon cæterique reges abſtinere debeant à potatione, quòd ſcilicet ſint *Lamueles*, id eſt vicarij Dei in terris, cum quibus & in quibus eſt, imperatque & gubernat Deus. Deus autem planè exors carnis, vtpote purus ſpiritus, horret vinolentos & ebrios. Ebrietas enim facit iracundos, & furioſos inſtar dæmonum. Vnde S. Aug. ſerm. 24. eum vocat *dæmonem blandum*. S. Chryſ. hom. 1. ad Popul. *Ebrius*, ait, *dæmon eſt voluntarius*. Rurſum S. Baſil. hom. 16. de ingluuie & ebrietate, *Ebrietas*, inquit, *non ſuſcipit Dominum, Spiritum ſanctum depellit. Nam vt fumus fugat apes, ſic crapula fugat dona Spiritus ſancti.*

QVIA NVLLVM SECRETVM EST VBI REGNAT EBRIETAS] Hæc eſt prima ratio expreſſa, ob quam Bethſabee Salomoni & regibus interdicit vinum, quòd ſcilicet vinolentia detegat arcana eorum conſilia, quo fit vt tumultus, ſeditiones & bella concitentur. *Quod enim latet in mente ſobrij, hoc natat in ore ebrij.* Quocirca ad hunc Salomonis locum alludens S. Auguſt. ad ſacras virgines: *Ebrius*, inquit, *vultu deiecto ſupinus accumbit, & nullo alio cogente præter vinum cordis ſui arcana patefacit, & amicorum commiſſa ſecreta in medium producit.* Pondera illud, *nullo alio cogente præter vinum*, q. d. Vinum ad proditionem ſecreti ebrium non tam agit, quàm cogit.

Gnome. Nimirum *ſpeculum formæ eſt æs, animi autem vinum*, ait Æſchines apud Maximum ſer. 30. Hac de cauſa nonnulli principes ſolent inebriare eos quos ſuſpectos habent, vt ab ebrijs expiſcentur & extorqueant arcana eorum conſilia. Nam vt ait Plato in Sympoſio: *Vinum & cum pueritia, & ſine pueritia veridicum eſt.* Hinc illud Poëtæ: *Et vino tortus & ira.* Torquentur enim quodammodo homines vino & ira, potiſque & irati arcana ſibi commiſſa interdum enuntiant. Ita ode 21. lib. 3. Horatius canit:

> *Tu lene tormentum ingenio admoues*
> *Plerumque duro: tu ſapientium*
> *Curas, & arcanum iocoſo*
> *Conſilium retegis Lyæo.*

Rectè verò Plato 1. de Legibus, nullum ait eſſe tormentum minùs ſumptuoſum, minuſq; noxium ac periculoſum quàm vinum, ad explorãdos hominum affectus & mores. Appoſitè rurſum Horat. ad Piſones:

> *Dicuntur reges magnis vrgere culullis,*
> *Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant.*

Vnde ὠμηστὴς Διόνυσος, id eſt crudelis Bacchus, Græcis dicebatur, nō tam quia olim viui homines ea ſacrificarentur, quàm quòd excruciet qui ſeſe illi dicarūt, id eſt ebrios. Et Διόνυσος dictus quaſi τὸν νοῦν, hoc eſt τὸν νοῦν νύσσων, id eſt, mentem feriens, pungens, lancinans, vulnerans. Anacharſis in conuiuio apud Platonem ita dormiens decubuit, vt quę procreationis cauſâ natura corpori affinxit ſiniſtra manu, os verò dextrâ comprimeret, quòd bene poti hominis linguam valentiore fręno exiſtimaret indigere. Quocirca veteres picam Baccho ſacram fecerunt dicaruntque, teſte Natali Comite li. 1. Mythol. ca. 11. Pica enim eſt garrula & quidquid audierit refert. Idē facit ebrius, vnde Horat.

> *Arcanum demens detegit ebrietas.*

Nam *in vino veritas.*

Sapienter Seneca epiſt. 84. *Quemadmodum*, inquit, *muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in ſummā partem vis caloris eiectat: ſic vino exæſtuante, quidquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne ſecretum quidem; quod ſuum alienumq; eſt, pariter effundunt.* *Ebrium ſecreta enudat arcana.* Egregiè Ambr. hanc eandem vini vīm contemplans dixit libr. de Elia & ieiun. ca. 17 *Plerique vino vtuntur vt eculeo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ ſtatum, ſalutem ciuium, defenſionis ſuæ prodant conſilia. Quis inter cyathos texit quod latere cupiebat?* Cuius rei ſi exempla quæras, notum illud M. Craſſi. Is enim, vt Dio li. 51. bellum contra Dacos & Baſtarnas exercens, admiſit eorum legatos, & conuiuio ſatis lauto excepit: qui vino pleni ſua omnia conſilia denudarunt. Sic etiam Bonoſus Imp. barbarorum legatos propinato vino ebrios reddebat, extorquebatq; quæcumque vellet, vt ait Flauius Vpiſcus. Ebrij enim nullum ſecretum tegere norunt; imò, & qui retegunt, ebrij ſunt cenſendi: ebrij enim eſt & inſipientis ſecretum ſuum aperire, ſed maximè extraneo.

Aliam rationem cur reges abſtinere debeant vino, dant Septuag. dum vertunt, *potentes iracundi ſunt, vinum autem non bibant.* Vinum enim accendit iram & bilem, & iracundos agit in furorem. *Acuit iram.* Vnde Plato li. 8. de Republ. *Ebrius vir*, inquit, *tyrannicum gerit animum; quin etiam furioſus & extra ſe poſitus, non ſolùm hominibus, ſed & dijs imperare contendit, ſperatq; ſe id conſecuturum.* Ac cauſam ſubijcit, quòd ebrietas acuit animos & iras, quæ pariunt tyrannidem & furorem. Verè Eratoſthenes apud Stobæum ſer. 18. de incontinentia: *Vinum*, inquit, *igni aqualem habet vim vt hominem ſubierit, quem conturbat vt Libycum mare Aquilo vel Auſter; itaque prodit licentia in mentis receſſu, animumq; vniuerſum concutit.* Tillius Cimber vinolentus erat, ideoque iracundus, & iugi dominijque impatiens: quare in Iulij Cæſaris cædem

cædem cum ſocijs coniurauit, dicens: *Ego quemquam feram, qui vinum ferre non poſſum?* vti refert Seneca epiſt. 84.

Vers. 5. *Iudicium peruertit.* ET NE FORTE BIBANT, ET OBLIVISCANTVR IVDICIORVM, ET MVTENT (commutent) CAVSAM FILIORVM PAVPERIS] Hebr. *ne fortè bibat, & obliuiſcatur ſtatuti* (iuris & iuſtitiæ) *& mutet iudicium filiorum afflictionis.* Loquitur mater Salomoni in plurali, & in tertia perſona honoris cauſa, vt dixi. q.d. Ne fortè tu cum tuis conſiliarijs bibens vinum, fias temulentus, & per temulentiam obliuiſcaris iuris & iuſtitiæ; itaque mutes & tranſuertas cauſas pauperum. Vnde clarè Chaldæus vertit, *ne fortè bibas & peruertas rationem tuã, & mutes iudicia omnium filiorum pauperũ*; Sept. *ne obliuiſcantur ſapientiæ, & rectè iudicare non poſſint imbecilles*, vel, vt auctor Catenæ Græcorum, *ne infirmos ac debiles conterant*; Syrus, *à regibus caue*, vel, *ne bibas & obliuiſcaris inueſtigationis, & obliuiſcaris iudicij filiorum pauperis.*

Cauſa. phyſica. Cauſa phyſica eſt, quòd ebrietas mentem ſopit, imò mergit & ſepelit in vino, vt homo iam ſit rationis impos, nec tã homo, quàm brutum: quare ſapientiæ, iuris, iuſtitiæ, cauſarum, rerumque omnium eum capit obliuio. Fumis enim vini turbatum habet cerebrum, qui ſpecies phantaſię obnubilant, confundunt & commiſcent, vt pro veris falſa imaginetur, & videre ſibi videatur. *Ethica.* Cauſa ethica eſt, quòd ebrietas faciat hominem leuem, petulãtem, irę & amori obnoxium, vt ſopitâ iam ratione in gratiam amici cõpotoris, multa promittat & faciat quæ iuri & honeſtati aduerſantur.

Gnome. Quocirca S. Chryſoſt. apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 41. *Illis*, inquit, *qui in ebrietate & luxuria viuunt, dies in caliginẽ nocturnam vertitur, non quidem extincto ſole, ſed mente ipſorum per ebrietatẽ obfuſcatâ. Ebrietas eſt rectæ rationis alienatio, & delirium, & ſecundùm animã ſanitatis perditio. Vinum immodicè potum luxuriæ fomes eſt, voluptatum ſuppeditatio, lues iuuẽtutis, animæ venenũ, rationis extinctio, virtutis alienatio.* Ibidẽ Clemens: *Omnis vinoſus*, inquit, *inferior eſt ira, & mẽte vacuus.* Ibidẽ S. Baſil. *Vinum à Deo*, inquit, *datum temperantibus donum ad conſolationem infirmitatis, laſciuientibus nunc factum eſt inſtrumẽtum luxuriæ. Ignis ille qui carni ex vino innaſcitur, fomes fit ignitorum iaculorum inimici: rationem enim & mẽtem vinum demergit; affectus autem & voluptates, vt oleum flammã, accendit.* Et mox: *Ebrietas dæmon eſt ſponte admiſſus per voluptatem in animos. Ebrietas mater eſt malitiæ, impugnatio virtutis; hęc ex forti timidum facit, ex modeſto laſciuum, iuſtitiam ignorat, prudentiam abolet. Nam ſicut aqua pugnat igni, ſic immoderatio vini mentem ſobriam extinguit. Ebriorũ graues ſunt ſomni, profundi & ſuffocationis, imò reuera morti vicini: vigiliæ verò ipſorum minus etiam quam ſomni ſenſuum habent: vita enim eis inſomnium eſt, qui cùm tunicam non habeant, neque quod in craſtinum comedant, regnant tamen, & exercitibus imperant in ipſa ebrietate, & vrbes ædificant, & pecunias diſtribuunt.* Idem homil. de ieiunio: *Ebrietas*, inquit, *vt ſomnum affert mortis germanum, ita vigiliam habet obliuioſam ſomnis adſimilem.*

Quocirca Deus ſacerdotibus, dum ſacris funguntur, vino ſub pœna mortis interdicit Leuit. 10 v. 9. *Vinum*, inquit, *& omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras: & vt habeatis ſcientiã diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum: doceatiſq; filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus ſum ad eos.* Atq; hac de cauſa Nadab & Abiu, quia temulenti pro igne ſacro ignem profanum obtulerunt, eodem igne cremati ſunt, vti ibidem oſtendi.

Vers. 6. DATE SICERAM MOERENTIBVS, ET VINVM
Vers. 7. HIS QVI AMARO SVNT ANIMO: BIBANT, ET OBLIVISCANTVR EGESTATIS SVÆ (Chald. *detritorum veſtium*,) ET DOLORIS SVI (Sept. *laborum ſuorum*, Symmach. *moleſtiarum ſuarum*) NON RECORDENTVR AMPLIVS] quamdiu ſcilicet vinum, vel vis vini in eis fuerit, ait Galatinus lib. 5. de Arcanis fidei c. 7. vbi pluribus exemplis probat τὸ *amplius* vel *vltra*, non ſemper æternum aut longum, ſed ſubinde breue tempus ſignificare. Septua. *date inebriatiuum his qui in mœroribus, & vinum bibere his qui in doloribus.* In Hebræo pulchra eſt paronomaſia inter שֵׁכָר *ſechar*, id eſt *ſicera* ſiue vinum, & לֹא יִזְכָּר *lo yzcar*, id eſt *non recordetur*: q.d. *ſechar* ſiue ſicera tollit זֵכֶר *zecher*, id eſt memoriam dolorum & angorum.

Mœrenti da vinum: cur? Primò. Primò, pro *mœrentibus* hebr. eſt לְאֹבֵד *leobed*, id eſt *pereunti*, id eſt damnato ad mortem, inquiunt Hebręi & Arboreus: his enim dari ſolet vinum, vt mœrores ſuos mitigent, roburque mentis & corporis colligant ad tolerandum ſupplicia, iuxta illud Amos 2. 8. *Et vinum damnatorum bibant in domo Dei ſui.* Sic Iudæi Chriſto crucifigendo dederunt vinum myrrhatum ad perferendum crucis tormentum Marci 15. 23. Vnde Vatabl. vertit, *dãnatis date vinũ, &c. vt calamitatis ſuę non recordentur*; Syrus, *vt iniuſtitiæ & calamitatis non reminiſcantur.* Scilicet Bethſabee diſſuadet Salomoni & iudicibus vinum, argumẽto petito à contrarijs. q.d. Vinum pertinet ad reos, eoſq; qui morte ob ſcelera mulctandi ſunt: indecens ergo & indignum eſt, vt iudices qui eos morte mulctant, in reorum locum ſubeant, vinumque bibant. Audi Galatinum ex libro Sanhedrin. lib. 8. de Arcan. fidei c. 19. *Dixit R. Raſda, quòd egreſſurus occidendus potabitur puluere incenſi in ſcypho vini, quatenus ſepararentur ſenſus eius ab eo, ſicut dictum eſt Prouer. 31. Date ebriatiuum perdito, & vinum amaro animo. Erant autem in Ieruſalem mulieres honeſtæ, quæ hæc ſponte mittebant.*

Secundò. Secundò, alij per *mœrentes* accipiunt lugentes qui ſcilicet lugent mortem patris, fratris, ſororis vxoris; his enim de more datur vinum, vt mœrorem pellant vel mitigent. Vnde Ierem. ca. 16. inter extremas Hebræorum calamitates aſſignat, quòd vino ad temperandum luctum deſtituerentur: *Et non dabunt*, inquit, *illis potum calicis, ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre.* Ita noſter Hieron. Prado in Ezech. c. 44.

Tertiò. genuinè. Tertiò & genuinè, quoſlibet mœrentes hic accipe cum S. Chryſ. & alijs paſſim. Hi enim hebr. vocantur *pereuntes*, quia mœrore conficiuntur & cõtabeſcunt vt propè perire videantur, ait R. Leui. Ad hoc enim Deus poſt diluuium docuit Noẽ modum cõficiendi vinum ex vuis, vt eius & filiorum mœrorem ob inductum mundo diluuium, & rerum omnium exterminium, hilaritate vini temperaret, Geneſ. 9. 20. Vinum enim dolorum obliuionem inducit, phãtaſiam recreat, mentem exhilarat. Nec mœrentibus magnum periculum eſt ab ebrietate, quia mœror ebrietati reſiſtit. Vnde Hippocrates & medici docent, triſtes & melancholicos ægrè vino vinci & inebriari, ſed id facilè contingere ſanguineis, & in lætitiam effuſis. *Mœſti ægrè inebriantur: Cur?* Audi S. Chryſoſt. homil. 29. in Geneſ. qui explicans illud

Geneſ.

Geneſ. 9.20. *Cœpitq́; Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineã, bibenſq́; vinum* (copioſiùs) *inebriatus eſt.* Cauſam aſſignat: *Quia,* inquit, *magna tenebatur triſtitia, & ſibi ipſi conſolationem inde excogitare volebat, ſicut & ſapiens quidam dicit: Date vinum ijs qui in triſtitia, & ſiceram ijs qui in dolore, monſtrans quòd nullum tam præſens eſt triſtitiæ remedium, atque vini vſus; tantùm vtilitatem eius ne perdat intemperantia. Quòd autẽ in triſtitia & mœrore fuerit iuſtus ille, videns ſeipſum in tanta ſolitudine, & illorum hominum corpora ante oculos proiecta, & commune omnium ſepulcrum hominibus & brutis factum, quis contradiceret? Mos enim Prophetarum & iuſtorum omnium eſt, non ſolùm pro ijs dumtaxat dolere, qui ſibi proximi ſunt, ſed & pro reliquis omnibus.*

Vinum datum à Deo ad remediũ triſtitiæ.

Idem S. Chryſ. homil. de caſtitate & ſobrietate: *Vinum moderatum,* ait, *debilem ſtomachum reficit, vires deficientes reparat, algẽtem frigore calefacit, vulneribus infuſum medetur, antidotis etiam diuerſiſq́; medicamentis adiunctum ſalutem operatur, triſtitiã remouet, languores animi delet, lætitiam infundit, conuiuas honeſta miſcere colloquia facit: paulò ampliùs verò ſumptum quodammodo conuertitur in venenum.* Et poſt nonnulla: *Ruſticanum quidem, ſed ſanum dictum: Vini medicamentum plus iuſto ſumptum, venenum eſſe cognoſcitur.* Salomonem de more ſecutus Siracides: *Vinũ* inquit, *in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem, ab initio Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum.* Eccli. 31.35. vide ibi dicta. Alcæus Lyricus ſic de vino canit:

Gnome.

Vinum enim, quia obliuia dolorum inducit, Semelæ & Iouis filius
Hominibus dedit. Infunde miſcens vinum,
Vnam ad aquæ menſuram duas addens meraci;

vt ſcilicet in cyatho duæ partes ſint vini, tertia ſit aquæ. Idem;

Nullam aliam ſeueris arborem priùs vite.

Ex quo Horatius:

Nullam, Vare, ſacra vite priùs ſeueris arborem.

Xenophon in Symphoſio: *Vinũ ita mœrores ſopit, vt mandragora hominem beneuolentiam autem, non aliter quàm oleum flammam excitat.* Epictetus apud Maximum ſerm. 30. *Cicadæ,* inquit, *canoræ, cochleæ autem mutæ, gaudent tamen hæ humectatione, illæ verò calore: hæ prouocantur rore, & in eũ exeunt, illas contrà excitat ſol ardens, & in eo canunt. Itaque ſi vis & muſicus, & ex omni parte aptus vir exiſtere, cùm in compotationibus vino animus irrigatus fuerit, tum eum progredi & contaminari ne ſinito: at cùm in cõfeſſibus à ratione animus incenſus fuerit, tũ & diuinare & iuſtitiæ oracula canere iube.* Hac de cauſa vini repertor dictus fuit Liber, vel quòd det licentiam & libertatem loquendi, vel quòd liberet à curis, ait Seneca libr. de Tranquill. animi. de quo vide Iacob. Pontanum libr. 2. Progymn. Vnde Horatius ode 7. lib. 1.

O fortes, inquit, *maioraq́; paſſi*
Mecum ſæpè viri, nunc vino pellite curas.

Idem lib. 2. ſatyr. 5.

Ducere ſollicitæ iucunda obliuia vitæ.

hoc eſt, ait Lambinus, *potare, ſeu haurire obliuia curarum.* Et Anacreon:

Quando vinum bibo, dormiunt curæ.

Et Ouidius:

Vina parant animos faciuntq́ue caloribus aptos;
Cura fugit multo diluiturq́; mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit:
Tunc dolor & curæ, rugaq́; frontis abit.

Et Plato lib. 1. de Legibus: *Vinum,* inquit, *hauſtum continuò hominem ſeipſo lætiorem atque hilariorem reddit.* Socrates apud Xenophontem in Sympoſio: *Atque vt bibamus,* inquit, *viri, etiam mihi valdè placet. Reuera enim vinum rigans animos, curas quidem, non ſeciùs atq; mandragora homines, ſopit.* Panyaſis apud Athen. lib. 2.

Eſt cibus igni par, vinum mortalibus ipſum,
Cuiuſuis medicina mali, medicina dolorum,
Maxima lætitiæ pars, & ſplendoris in ipſis.

Denique S. Aug. ad Virgin. cap. 1. *Vinum,* inquit, *triſtitiam remouet, omnes animi languores delet, lætitiam infundit, conuiuas honeſta colloquia miſcere facit.*

Neq; hoc ignorauit Lutherus, hæreſum noſtrĩ æui fax, qui, vt refert Cochlæus, cum acres ob nouatam fidem, & adinuentam hæreſim, aſſiduoſque pateretur conſcientiæ ſcrupulos, vt eos vino ſopiret vel extingueret, quotidie perpotabat & pergræcabatur ſtrenuè, vt videretur ſemper vinolentus & temulentus: atque ſuæ perfidiæ aſſeclis, qui ſimilibus conſcientiæ ſcrupulis exagitabantur, idẽ remedium ſuggerebat, vt ſcilicet ſcrupulos vino obruerent, ſed fruſtra: nam ex ebrietate euigilantibus, & iam ſobrijs viuaciùs recrudeſcebant ſcrupuli, atque mordaces mentis angores, eos acriùs mordebant & diſcruciabant: malam enim conſcientiam, & perfidiam aſſiduè mordentem, nec vinum, nec res vlla mundi ſanare poteſt, niſi vera fides dumtaxat & pœnitentia.

Tropolog. Neſteros Abbas apud Caſſian. collat. 14. c. 17. ex Sept. *Date μέθην,* hoc eſt, inquit, *ebrietatem* (id eſt *inebriamentum,* vt vertunt Vatican. putà *ſiceram inebriatiuam*) *his qui in triſtitia ſunt,* &c. *id eſt, his qui pro pœnitudine actuum priſtinorum mœrore atq; triſtitia deprimuntur, ſpiritalis ſcientiæ iucunditatẽ velut vinum quod lætificat cor hominis, affluẽter infundite, eoſq́; ſalutaris verbi crapula refouete, ne forti ingiſtate mœroris, ac lethali deſperatione demerſi, abundantiore triſtitia abſorbeantur qui eiuſmodi ſunt.*

Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt] Vatabl. *patrocinare ſilenti in cauſa ſua;* alij, *loquere pro muto;* Aben Ezra, *propter eum qui effari nequit, tu loquere. Mutus* ergo vocatur, qui ad tribunal vocatus, ius ſuum tueri vel præ pudore non audet, vel præ imperitia neſcit, quales ſunt peregrini, pupilli, ruſtici, viduæ: quæ ab אלם *illem,* id eſt mutus vel ligatus, cui ſcilicet lingua eſt ligata ne fari queat, vocantur אלמנות *almanoth,* quòd ligatæ ſint vel mutæ, vt ſuas iniurias propulſare, ſuumq; ius per rationes & leges tueri non valeant. His enim iudex & princeps debet eſſe patronus, ac pro eis loqui, eorũq; ius contra potentes & eloquentes defendere: vti fecit S. Iuo pauperũ aduocatus, S. Ludouicus rex Franciæ, & S. Iob: *Auris audiens,* inquit, *beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi: eò quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum,* &c. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & dentibus illius auferebam prædam,* Iob. 29. 11. Ita paſſim interpretes.

Vers. 8.

Quare minùs genuinè aliqui per *mutum* accipiunt taciturnum & ſeruantem ſecretum. q. d. Tua ſecreta nulli reueles niſi muto, id eſt ſilenti, qui ſecretum non effutit; ſed ſilens in mente condit & conſeruat: ſilens enim videtur elinguis & mutus. Verùm hîc non agitur de ſeruando ſecreto, ſed de

tutandis

tuendis miſeris qui ſe tueri neſciunt. Vnde Chal. vertit, *aperi os tuum his qui non peruertunt iudicium*, imò ius habent, quòd explicare & probare nequeunt.

Septuag. per *mutum* accipiunt verbum Dei: *Aperi*, inquiunt, *os tuũ verbo Dei, & iudica omnes ſanè vel integrè*. q.d. Verbum Dei exaratum in S. Scriptura elingue eſt, inanime, & quaſi mutum, quia leges iudiciales & iura ſcriptis chartis tabuliſq; S. Scripturæ continentur, nec fari ſeque tueri queunt. Tuum ergo ô rex & iudex, eſt ea animare & vocalia efficere, vt ea ore tuo enunties, promulges, defendas, ac ex eis iuſtam ſentẽtiam proferas, ſontes damnando & puniendo, inſontes abſoluendo & præmiando. Rex ergo & iudex, eſt os verbi Dei, æquè ac iuris & iuſtitię, quod illam velut mutam, facit vocalem, ſonoram & formidabilem. Aliter alij, cenſent enim Septuag. pro *muto* in datiuo vertiſſe *mutus* in nominatiuo, ſcilicet *aperi os tuum mutus*, hoc eſt, non tua, ô rex, ſed Dei verba proferre debes: noli ergo ex cerebro tuo loqui, ſed mutus & tacens expecta à Deo quidquid dicturus es; ac tunc demum dictata à Deo verba dicito: Dei enim poteſtate & vice fungeris, eius nomine ius dicis & cauſas iudicas; ergo ſic loquere vt Deum decet, cuius vices geris: vtere ſcilicet verbis Dei, hoc eſt, ad eum modum integrè ac iuſtè ſententiam profer, ac ſi Deus ipſe ex ſolio ſentẽtiam proferret: Deus enim per iudicem velut per os ſuum loquitur, & iuſtum iudicium enuntiat. Verùm prior expoſitio, vti plenior, ita germanior eſt.

Et cavsis omnivm filiorvm qvi pertransevnt] Minùs rectè Tigurin. vertit, *aperi os tuum muto, in iudicio omnium eorum qui prouocant*, ſcilicet ad tuum tribunal & iudicium. Hebr. enim eſt בְּנֵי חֲלוֹף *bene chaloph*, id eſt *filiorum mutationis* vel *tranſitus*. Quòd Primò, Pagnin. vertit, *omnium filiorum mundi*: hi enim in perpetua ſunt mutatione ac aſſiduè tranſeunt tenduntque ad mortem. Omnis ergo homo eſt filius mutationis, quia à vita tranſit in mortem, à morte in immortalitatem. Vnde Vatabl. vertit, *in cauſa omnium filiorum interitus*, id eſt mortis, q.d. Omnibus eſto æquus, omnes ex æquitate iudica; neminem verere, eſto is potens, diues & princeps ſit, quia omnes ſunt mortales breuiq; morientur, iuxta illud: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terrã, quæ non reuertuntur*, 2. Reg. 14. 14. Et illud: *Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat & tranſeat, veſpere decidat, induret & areſcat*, pſal. 89. 6. Et illud Iob 14. 1. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore*, &c. *fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*.

Filij mutationis, qui ſint. Primò.

Secundò.

Secundò, Chald. vertit, *iudica cauſas peruerſorum*: hi enim ſunt *filij mutationis*, quia iura peruertunt, eaque in iniurias mutant & conuertunt.

Tertiò.

Tertiò, alij per *filios mutationis* accipiunt eos, quorum fortuna cõmutata eſt, vt ex proſperitate & opibus deiecti ſint in aduerſitatem & pauperiem: horum enim ſors miſerior eſt ſorte eorum qui nunquam felices vel opulenti fuere, ideoque magis miſeranda & ſubleuanda. Huc accedit R. Salomon: *Qui pertranſeunt*, ait ſunt populi, quorum auxilium præterit & irritum euaſit.

Quartò.

Quartò, alij per *filios commutationis* accipiunt reos, qui vitam cum morte commutant. q.d. Vide ô Salomon, ô rex, ô iudex, ne quem præcipitanter morti adiudices; à morte enim non eſt commutatio & reditus in vitam, ſed ſemel occiſus in æternũ manet occiſus; quare vide ne quem temerè inauditâ cauſa condemnes: ſic enim facilè inſontem & iuſtum condemnabis. Ita Aben Ezra: *Bene chaloph*, inquit, *ſunt morti adiudicati ob capitale ſupplicium: horum igitur cauſam ritè ſolerterq; diſcutiendam curato*.

Quintò. Genuinè.

Quintò, propriè & genuinè *filij mutationis* vel *tranſitus* vocantur peregrini. Hi enim cùm à patria abſint, ſintq; apud exteros, nullum habent notum vel patronum, neſciũt iura loci, ab indigenis parui fiunt, facileque ab improbis opprimi vel circumueniri queunt. Principis ergo eſt eorum patrocinium ſuſcipere, eoſq; velut ſuos protegere & promouere. Exponit quod dixit: *Aperi os tuum muto*. Peregrini enim peregrè ſunt quaſi elingues & muti, præſertim quia ſæpè linguam loci non intelligunt, aut eloqui neſciunt.

Myſticè, S. Hieron. (vel potiùs Rabanus) in c. 1. Threnor. ad illa: *O vos omnes qui tranſitis per viam: Hinc*, inquit, *per Salomonẽ dicitur: Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt: muti enim dicuntur, qui prædicatorum verbis contradicendo minimè reſiſtunt, qui etiam pertranſeuntes ſunt, quia intentionem mentis in amore vitæ præſentis dedignantur agere*. Aliter Beda: *Os*, inquit, *aperire muto, eſt populo Gentium fidei verbum prædicare, qui diuina eloquia priùs perſonare neſciebant*.

Vers. 9.

Aperi os tvvm, decerne qvod ivstvm est, et ivdica inopem et pavperem] Hebr. *aperi os tuum, & iudica iuſtitiam, & iudicium afflicti & egeni*; Chald. *& ius redde pauperibus, & iniuriã patientibus*; Septuag. *& iudica pauperem & imbecillum*. Addunt priſci codices: *Et vindica inopem & pauperem*. Quæ verba à quopiam per modum gloſſæ adiecta fuere. *Iudica* enim idem eſt quod *vindica* inopem & pauperem à vi & oppreſſione diuitum: regis enim eſt pauperum iura tueri contra potentiã diuitum; cùm ipſi contra eos ſe defendere nequeant. Tu ergo, ô Lamuel, cum quo eſt Deus, in terris vices Dei exerce, de quo ait Pſaltes: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*. Præclarè S. Chryſoſt. apud Anton. in Meliſſa part. 2. ca. 6. *Non in pretioſa veſte & zona*, inquit, *nec in præconis voce cernitur princeps, ſed in eo quod collapſa reficiat, quæ malè conſtituta ſunt corrigat, ac in iniurioſos animaduertat, nec patiatur à potentioribus ius auferri*. Et Epictetus: *Nihil eſt quod magis eum, qui præeſt, deceat, quàm vt neminem vel ſuperbè contemnat, vel indecorè admiretur, ſed ex æquo omnibus præſit*.

ALTERA PARS CAPITIS, ET VLTIMA LIBRI.

HVc vſq; audiuimus monita Bethſabee data Salomoni filio: nunc Salomon matri vices rependit, ac matris occaſione mulierem fortem, id eſt inſignem matrē familias, in eaque ipſam met matrem graphicè depingit & celebrat. Sicut Chriſtus accepto teſtimonio à S. Ioanne Baptiſta, quòd ipſe eſſet Meſſias & agnus, qui tollit peccata mundi, Ioanni vicem rependit, hęc ei dans encomia: *Quid exiſtis in deſertum videre?* &c. *Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciē tuam; qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta*, Matth. 11. 7. ita Vatablus, Baynus, Aben Ezra, Ianſen. & alij.

Alij cenſent hæc quoque eſſe verba Bethſabee, quaſi ipſa poſtquam monuit Salomonem de cauēdis mulieribus, nunc eum doceat qualem ambire debeat vxorem, ac quot illa quantiſque dotibus pollere debeat. ita Caiet. Verùm prius quod dixi verius eſt.

Porrò elegantiæ cauſa verſus hi ſunt alphabetici: primus enim incipit à prima litera *aleph*, ſecundus à ſecunda litera *beth*, & ita conſequenter per 22. verſus, qui à totidem literis Hebraicis ordine alphabetico inchoantur. Idem fit in Threnis Ieremiæ, vbi cauſam aſſignaui, & in Pſalmis nonnullis, vt 25. 34. 37. 111. 112. 118. 145. S. Hier. ad Paulam Vrbicam cenſet hæc omnia ad finem cap. Iambico tetrametro eſſe conſcripta: cuius metri quænam olim apud Hebræis fuerit ratio, numerus, pedes & menſura, iam ignoramus.

Allegoricè depingit hic Salomon Eccleſiam, quæ vxor eſt Chriſti, veri Salomonis, & materfamilias fidelium omnium. ita auctor Imperfecti apud Chryſo. hom. 23. in Matth. S. Greg. 33. Moral. 22. vel iuxta aliā editionem 16. Beda, Salonius, Gloſſa, Arboreus, Baynus & alij, quin & S. Ambr. in fin. tom. 2. editionis Romanæ, fusè totum hoc caput Eccleſiæ adaptat; ſed hic commentarius penè ad verbum idem eſt cum ſer. 45. S. Auguſt. de diuerſis, magiſque redolet ſtylum S. Auguſt. ac S. Auguſtino tribuitur à Poſſidio & Beda Rom. 8. & à Doctoribus Louanienſibus, qui hos S. Auguſt. ſermones velut nouos primi ediderunt. In textu tamen aliter ſæpè vertit legitque hos Salomonis verſus S. Ambroſius, aliter S. Auguſt. Rurſum S. Ambroſ. vberior eſt, & plura habet, quàm S. Aug.

Appoſitè ergo Chriſtianos alloquitur S. Epiphanius in ſuo Ancorato. *O vos orthodoxi & Eccleſiæ filij, veritatis filij, ſapientis & fortiſſimæ mulieris illius filij, cuius gloria eſt apud Salomonem dicentem: Mulierem fortis quis inueniet?* Prouerb. 31. *Velut rara ſit, imò potius vna, fortem mulierem intelligite Eccleſiam Dei, veſtram matrem, qua nihil fortius eſt, vt quæ moriatur per ſingulas excitatas perſecutiones, pro nomine viri ſui*, hæc Epiphan.

Tropol. depingit animam ſanctam heroicis virtutibus deditam, ac ſignatim B. Virginem, cui hęc applicat S. Bernard. ſerm. 9. inter paruos, & fuſiùs ſerm. 2. ſuper *Miſſus eſt*; ſic & auctor Catenæ Græcorum.

Symbol. mulier fortis eſt ſapientia, item S. Script. cui hæc adaptat Lyran. ex R. Salomone.

Rurſum mulier fortis eſt virtus heroica, ſiue virtutis perfectio. ita R. Leui. Audi noſtrum Pinedam lib. 2. de Reb. Salomonis ca. 4. num. 10. Monetur, inquit, à matre Salomon, ne accipiat coniugem de terra Chanaan dum ait: *Ne dederis mulieribus* (Chananæis, profanis doctrinis, voluptatibus, falſæ religioni) *ſubſtantiam tuam, & vias tuas ad delendos reges*; ſed vacā ſapientię, quę reges amplificat. Suadet igitur vt *mulierē fortem* accipiat *de vltimis finibus & procul*: ipſa eſt ſapientia. Hinc eius dotes alphabetario carmine deſcribit, vt ipſa etiam elementa literaria cum ſapientię ſtudio coniungantur, & puerum ab ipſa alphabetaria tabella ſapientiæ & pietati aſſuefaciat.

Scripſit de muliere forti ingentem librum Albertus Magnus, quo ſingula capitis verba fusè examinat, ex iiſque diſcurſus & conceptus morales elicit, quibus magnam concionibus materiam ſuppeditat.

Vers. 10. Aleph.

MVLIEREM FORTEM QVIS INVENIET?) q. d. Inuentu eſt non impoſſibilis, ſed difficilis, quia paucæ tales ſunt, & velut rara auis in terris) PROCVL ET DE VLTIMIS FINIBVS PRETIVM EIVS] Marcus Antonius Abagarus ex vetuſtiſſimis Biblijs ante annos 800. Armenorum lingua & charactere ſcriptis legit: *Mulierem ſani cerebri quis inueniet? pretioſior ea eſt lapidibus pretioſis*. Pro *muliere* hebr. eſt אשת *eſeth*, id eſt mulierem vel vxorem: de coniugata enim & matrefamilias hîc agi patet ex ſequenti: *Confidit in ea cor viri ſui*, &c.

Mulier fortis quo'. Reſp. prim.

Pro *fortem* hebr. eſt חיל *thail*, id eſt roboris, virtutis, ſtrenuitatis. Vnde Primò, aliqui vertunt, *mulierem diuitiarum*, diuitiæ enim ſunt robur & fortitudo diuitis, Prouer. 18. 11. Ita Aben Ezra, qui vertit, *mulierem diuitias parentem*, q. d. *Quis inuenire queat mulierem rem facientem, roburq́; parantem præ ſapientia qua ſit exculta?*

Secundò.

Secundò, alij vertunt, *mulierem exercitus*, id eſt mulierem validā & militarem: vnde de ea ſubdit *Et ſpolijs non indigebit*. q. d. Fortitudine ſua ampla ab hoſtibus ſpolia referet, quales olim fuere Amazones, quæ tractādo arma bellicoſiſſimæ euaſerunt, de quibus Valer. libr. Argonaut. *Qualem Mauortia vidit Amazon, Mauortia*, id eſt bellicoſa vel Marte genita, vti ipſę de ſe iactabant. Et Virgil. 1. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.
Pentheſilea furens.

Sic Lycurgus legiſlator Spartæ corpora virginum curſu, lucta, diſci & telorum iactu exercebat. Rogatus, hanc cauſam dedit: *Vt in valido corpore fœtus validas agens radices, pulchrè adoleſcat, ipſæq́; deinde mulieres robore in partu ſata, eius dolores, & cōiugij domuſque labores facilè ſuſtineant & ſuperent, vtq́; ſi neceſſitas poſtulet, pro ſe ſuiſq́; liberis & patria poſſint pugnare, & præliari.* Hinc Gorgo Leonidę vxor cuidam dicē-

ti;

ti: *Solæ vos Lacænæ viris imperatis?* reſpondit, *Solæ enim nos viros parimus.* ita Plutarch. in Lycurgo & in Apophtheg. Lacon. Similes Amazones & Lacænas noſtra vidit videtque ætas. Sanè durior & ſeuerior educatio filiarum facit eas robuſtas, animoſas, ſtrenuas, generoſas, vti experientia quotidiana docet: *Sauromatæ vxoribus ceu dominis per omnia parent: virginem non priùs locant ad nuptias, quàm hoſtem occiderit,* ait Nicolaus de Moribus gentium.

Tertiò.

Tertiò, Septuag. melius vertunt, *γυναῖκα ἀνδρείαν*, id eſt *mulierem virilem* putà viraginem, quæ virtute cum viris certet, imò viros ſuperet; Chald. *mulierem bonam*; Vatab. *mulierem maſculam*; alij propriè & genuinè, *mulierem ſtrenuam, induſtriam, heroicam*, putà heroinam; alij, *omni virtute cumulatam*; Baynus *mulierem validam ad res gerendas.* Solent enim mulieres eſſe puſillanimes & timidæ, vnde mulier dicta eſt quaſi mollier. *Quare mulier fortis* ait Hier. Oſorius, dicitur, *quæ muliebrem ſuperat infirmitatem: nam ferè mulierum genus infirmum & molle eſt, mulieremq́ue à mollitie dictam paſſim docet Etymologorum turba; ergo femina quæ muliebrem, id eſt mollem & imbecillem, naturam vicit, & conditione ſua ſuperior exſtitit, hæc mulier fortis appellatur, ſeu mulier virtutis.* Hebr. enim *chail*, vocatur ſtrenuitas induſtria, vigor tam mentis quàm corporis, qui ſcilicet in labore & exercitio conſiſtit, ac cum dolore enititur, & quaſi parturit (radix enim חיל *chol*, ſignificat parturire, & cum dolore eniti) facinora & actus heroicos. Mulier ergo *chail*, id eſt virtutis & ſtrenuitatis eſt, quæ in operando eſt ſtrenua, in patiendo magnanima, in regendo diſcreta & ſapiens, in cõſolando blanda, in mercando induſtria, in prouidendo ſollicita, quæ maritum alit, ſolatur, ditat, beat: quæ proles ſeuerè educat in lege & timore Dei, quæ ſeruos & ancillas in officio & concordia continet, quę domum & familiam prudenter moderatur, ei de victu & veſtitu prouidet, eam locupletat. Talis fuit Salome, mater ſeptem Machabęorum 2. Machab. 7. Talis fuit S. Felicitas, talis S. Symphoroſa, quæ ſeptem filios erudiuere ad martyrium. Talis fuit Nonna mater S. Gregorij Nazianz. de qua ipſe in funere patris ſic ait: *Diuinam Scripturam dicentem audiui: Mulierem fortem quis inueniet? qua in ſententia externi quoque ſunt; ſi quidem illorum hoc eſt, nullam proba vxore meliorem rem cuique euenire poſſe, nec rurſus improbâ peiorem.* Porrò probam definit eam, quæ pia eſt erga Deum; & induſtria ſedulaque erga familiam, ac ab vtroque matrem dilaudat: difficile enim eſt vtrumq; copulare, pietas enim quietem & otium, ſedulitas ſolicitudinem & negotium requirit.

PROCVL ET DE VLTIMIS FINIBVS PRETIVM EIVS] Hebr. Noſter fortè legit מפנינים *mippinnanim*, id eſt *ab angelis*, id eſt *vltimis finibus* (פנה *pinna* enim angulum & finem ſignificat) *pretium eius*: iam alij punctis legunt מפנינים *mippeninim*, id eſt *præ margaritis*, ſiue *vnionibus pretium eius*; Septua. *pretioſior eſt lapidibus pretioſis quæ talis eſt*; Chal. *pretioſior eſt lapidibus optimis*; alij, *pretioſior eſt rubinis*, ſiue *carbunculis*; Vatab. *feminam virtute præditam quiſquis nactus fuerit, mercem habet gemmis procul petitis pretioſiorem.* Iam

Primò, aliqui ſic exponunt. q. d. Mulier fortis res adeò rara & pretioſa eſt vt in vltimis terræ finibus ſit inquirenda, indeque arceſſenda & euocanda. Sic regina Saba dicitur *veniſſe à finibus terræ*, id eſt à longinqua regione, ad Salomonem, vt eius ſapientiam audiret, 3. Reg. 10. 1. & Matth. 12. 42.

Secundò, planius & germanius. q. d. Mulier fortis, id eſt ſtrenua & induſtria, rara res eſt rarique pretij, vti ſolent eſſe ea quæ de vltimis Indorum terris afferuntur: pretium enim eius tantum eſt, vt cum pretioſiſſimis gemmis & margaritis, quæ ex remotiſſimis orbis partibus adducuntur, æquiparandum ſit. Vnde ex Hebræo legentes *mippeninim* iam vertunt, *longinquum ab vnionibus pretium eius*, id eſt, longè ſuperat pretium vnionum ſiue margaritarum. Aut quod eòdẽ redit, q. d. Pretium mulieris fortis adeò magnum, carũm & rarum eſt, vt de vltimis terræ finibus petendum ſit: nihil enim quantumuis pretioſum in terra noſtra eſt, quod pretium mulieris fortis adæquet; ſed à longè petendum eſt, quod ei in pretio debeat comparari & adæquari. hoc eſt, mulier fortis eſt res pretioſiſſima, cuius pretium vix æſtimari, difficilius inueniri poteſt, quia pretium auri & argenti ſuperat, ac cum pretio gemmarum certat, imò illud ipſum vincit & tranſcendit.

Alludit ad priſcam vxorum coëmptionem. Olim enim mariti vxores dato pretio coëmebant ab eorum parentibus, vti Oſee ca. 3. v. 2. vxorem ſibi emit quindecim argenteis. vide ibi dicta. Et Iacob emit Rachelem, ſeruiẽdo pro eo Laban patri eius ſeptem annis, Gen. 29. 27. Senſus ergo eſt, q. d. Si vxorem ſtrenuam & virilem dato de more pretio iuſto emere velis, nulli parcas expenſæ, quia talis omne pretium ſuperat. Hinc Septuag. vertunt, *pretioſior eſt lapidibus pretioſis, quæ talis eſt*; hebr. *pretioſior eſt margaritis.* Quale & quantum ſit pretium margaritarum, ac Sanctorum qui per eas repręſentantur, præſertim B. Virginis, per multas vtrorumque analogias oſtendi Apoc. 21. 21. Syrus, *pretioſior eſt lapillis pretioſiſſimis, quibus nullum par pretium eſt.*

Myſtice. mulier fortis eſt Eccleſia.

Allegoricè, S. Ambr. in hoc Prouerb. caput ſub finem tom. 2 per mulierem fortem accipit Eccleſiã per eius virum Chriſtum, per filios Martyres. *Congruit*, inquit, *dici Martyrum fortitudo mulieris: niſi enim ipſa fortis eſſet, eius pignora in paſſione defeciſſent.* Et S. Aug. ſer. 217 de Tempore: *Mulierem fortem quis inueniet? quod dixit, Quis inueniet, difficultatem inueniendi, non impoſſibilitatẽ oportet intelligi. Mulier iſta fortis Eccleſia eſt. Quomodo non eſt fortis, quæ ab initio mundi tãtis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur? Mulierem fortẽ quis inueniet? Quis alius niſi Chriſtus? Non autem eam fortem inuenit, ſed inueniendo fortem fecit. Nam vt eam inueniret, nonaginta nouẽ dimiſit in montibus, & quæſiuit vnam quæ errauerat, & humeris ſuis impoſitam ad ouile proprium reuocauit.* Et fuſiùs ſer. 218. *Mulierem fortem quis inueniet? Difficile eſt inuenire eam, & difficile eſt neſcire eam. Nonne ipſa eſt ciuitas in monte, quæ abſcondi non poteſt? quare ergo dictum eſt, Quis inueniet? cùm dici debuerit, Quis non inueniet? Sed tu ciuitatẽ in monte poſitam vides, vt autem in monte ponitur, inuenta eſt: ipſa eſt enim ouis illa quæ perierat.* Et nonnullis interiectis: *Et poſtquam eam inuenit, non ſolummodo de ſpinis peccatorum ſuorum eripuit, ſed etiam lapidibus pretioſis ornauit. Ideo de ipſa dicitur: Pretioſior eſt lapidibus pretioſis.* Concludit deniq; aſſignans eius lapides pretioſos, ceu mundum muliebrẽ: *Sunt in Eccleſia lapides pretioſi, & ſemper fuerunt, docti ſcilicet, abundantes ſciẽtiâ & eloquentiâ, & omni inſtructione legis. Pretioſi planè iſti lapides ſũt: de ipſis fuit Cyprianus, de ipſis fuit Ambroſius, & cæteri eorum ſimiles. Ex eorum numero quidam errauerunt ab ornatu huius mulieris.* Eadem penè ad verbum habet S. Ambroſ.

loco iam citato; quare ex alterutro in altero tranſcripta eſſe videntur.

Luculentiùs magiſque patheticè Beda, qui per pretium mulieris fortis, id eſt Eccleſiæ, accipit Chriſtum, qui pretio ſanguinis ſui eam redemit: hoc autē pretium procul fuit, quia de cælis venit. Addit deinde: *Quamuis & ita rectè poſſit intelligi, pretiū ſanctæ Eccleſiæ procul poſitum fuiſſe, quia Incarnatio Verbi Dei, conuerſatio inter homines, paſſio ac reſurrectio longè à noſtræ eſſet naturæ conditione diſcreta; quoniam videlicet ille & quando voluit, & de qua voluit matre natus eſt, & ſine peccato vixit in mundo, & quando voluit, & qua voluit morte diſceſſit à mundo, tempuſq; reſurrectionis & aſcenſionis ſuæ in poteſtate habuit, & cetera huiuſmodi, in quibus tam procul eſt à nobis, quàm cælum diſtat à terra.*

Tropolog. Mulier fortis eſt B. Virgo.

Tropolog. Mulier fortis, imò heroina omnium fortiſſima, ac Martyrum princeps & regina eſt B. Virgo, quę vt ait S. Bernard. ſerm. 9. inter paruos, *adeo fortis fuit, vt illius ſerpentis caput contereret, cui à Domino dictum eſt: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Quocirca B. Maria eſt margarita, quæ omne pretiū ſuperat, pluris enim valet quàm omnes angeli & homines munduſq; vniuerſus, &, vt ait S. Aug. *Ornamenti ſui ipſa pretium eſt.* Quę rectè vnio dicitur, quia ſibi ſuæq; carni, & conſequenter toti generi humano filium Dei, & comitanter totam S. Trinitatem vniuit & copulauit in perpetuum. Idem S. Bernard. ſer. 2. ſuper *miſſus eſt: Cui,* inquit, *hæc victoria* (contriti ſerpentis) *ſeruata eſt niſi Mariæ? Quam verò aliam Salomon requirebat, cùm dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Nouerat quippe Sapiens huius ſexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen & Deum legerat promiſiſſe, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per feminā, vinceretur per ipſam, vehementer admirans aiebat: Mulierem fortē quis inueniet? quod eſt dicere: Si ita de manu feminæ pendet & noſtra omniū ſalus & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria; fortis omnino neceſſe eſt vt prouideatur, quę ad tantum opus poſſit eſſe idonea. Sed mulierem fortem quis inueniet? At ne hoc quæſiſſe putent deſperādo ſubdit prophetando: Procul & de vltimis finibus pretium eius, hoc eſt, non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terra, ſed de cælo; nec de cælo proximo terris, pretium fortis huius mulieris, ſed à ſummo cælo egreſſio eius.*

& anima ſancta.

Rurſum mulier fortis, eſt anima ſancta & religioſa, præſertim quæ actionem contemplationi iungit. Vita enim actiua eſt quaſi ancilla, contemplatiua eſt quaſi filia pulchra & delicata, at vtraq; ſimul eſt quaſi mulier fortis vxor Chriſti: ipſum namque contemplationis ſtringit amplexibus, ac ſua doctrina, prędicatione & actione multos ei filios gignit, educat & gubernat. Talis rara eſt, & inuentu difficilis. Huius indumentum eſt fortitudo patientiæ, & decor iuſtitiæ: fortitudo tuetur decorem, & decor ornat fortitudinem. Vide noſtrum Aluarum de Paz libr. 2. de Vita ſpirituali part. 2. cap. 19.

VERS. 11. Beth.

CONFIDIT IN EA COR VIRI SVI, ET SPOLIIS NON INDIGEBIT] *Confidit*, id eſt ſecurè in vxore ſtrenua conquieſcit cor mariti; quia certus eſt non tantùm de eius caſtitate, ſed & de eius fide & ſtrenuitate: in eam ergo cordis ſui curas & ſollicitudines de prouidendo familiæ reſignat; illi opes ſuas, arcana ſua, reſq; omnes vel actas vel agendas tutò credit & cōmittit. Magna enim eſt mariti crux & anxietas, ſi vxorem de fide ſuſpectam, aut pigram vel improuidā habeat: tunc enim tota domus cura in maritum recidit, nec tantùm domus, ſed vxoris ipſius: timet enim maritus ne vxor res ſuas prodigat, aut cum amicis vel amaſijs epulando cōſumat, aut in ſuos cognatos furtim diſpenſet, aut per imprudentiā negligendo diſſipet, quare mille, vt ita dicam, oculis eius actus ceu Argus obſeruat, vt vix aliud agere queat, nec animus ei ſit ad quippiam magni aggrediendum. Hiſce omnibus maritum exonerat vxor prudens & ſtrenua, quæ proinde marito confidentiam, quietem, ſecuritatem & gaudium inenarrabile affert.

ET SPOLIIS NON INDIGEBIT] ſcilicet vir, non vxor. Heb. enim יֶחְסָר *iechſar* eſt maſculini generis vnde virū reſpicit, non vxorem. Poteſt tamen ad vtrumque referri, ſi ſic ad verbum ex Hebręo vertas, *& ſpolium non deficiet*, ſcilicet tam viro quàm vxori, Chald. *& non ſpoliatur, neque indiget.* Iam

Spolia quæ? Reſp. Primo.

Primò, per *ſpolia* aliqui accipiunt annonam, & cibos ad alendam familiā neceſſarios. Vnde Syrus vertit, *& dactylis non indigebit.* Dactylis enim, qui fructus eſt palmæ, Syri, Iudi & Ægyptij victitant, vtpote quibus ſuppetit palmarum copia, quæ eis victum & veſtitum ſuppeditant. Vnde S. Paulus primus Eremita, S. Antonius, S. Macarius, ceteriq; Anachoretę in Thebaide dactylis, quos paucos per diem ſumebant, per multos annos vixerunt.

Secundò.

Secundò, alij per *ſpolia* accipiunt opes & bona quælibet. Vnde R. Salomon vertit, *& bonis non carebit*; Vatabl. *re domeſtica non egebit*; Tigurin. *res eius non decreſcunt*; Aben Ezra, *mariti animus in ea confidit quòd rem familiarem adminiſtret; quare ſupellectilem quæ ab ea paratur, nunquam deſiderabit.*

Tertiò.

Tertiò, noſter Salazar per *ſpolium* accipit veſtem ſcutulatam, quæ à ſcuto dicitur, quòd ſcutorum formis ſit inſignita. Scuta autem ſolent eſſe ſpolia belli, q. d. Vxor ſtrenua nō indiget ſcutulatâ veſte & monilibus, ſed nuda & indotata à marito duci poteſt: tum quia illi dos ſufficiens eſt induſtria & ſtrenuitas propria: tum quia ipſa virilis eſt: ideoq; ornamenta illa muliebria ceu feminea & vilia, quę tam ſtudioſè ſectantur mulieres vanæ & philocoſmæ, vtpote veris prudentiæ & virtutum ornamentis deſtitutæ, deſpicit atque contemnit, omnemque ſui cultum collocat in ſapientia, probitate & ſtrenuitate.

Quartò.

Quartò, Ianſen. propriè *ſpolia* accipit, q. d. Vir huius ſtrenuæ vxoris non opus habebit vt ad caſtra procedat, fiatque miles ad captanda hoſtium ſpolia, vt ex ijs ſe alat & ditet: quia vxor ſtrenua affatim opum ei ſuggeret, vt eas ex ſpolijs hoſtium cum tanto ſui impendio & periculo quærere non debeat.

Quintò.

Quintò, Luiſius Legionenſis tract. de muliere forti, per *ſpolia* accipit mercaturam & merces, quia non rarò mercatores merces & opes ex ſpolijs, putà ex vſuris, fraudibus & iniuſtis contractibus, quibus alios ſpoliant, cōgerunt, q. d. Vir iſte felix, cui diligens ac ſollicita vxor contigit, augendæ rei familiaris ſpem in ipſa reponens, ſatis ſibi ducet agros colere & fructus decerpere, quos tellus ſponte affert; negotia verò & mercaturam exercere ad quęſtus ampliores percipiendos, opus ſibi eſſe non exiſtimabit.

Sextò genuinè.

Sextò, planiùs & plenius, q. d. Confidit in ea cor viri ſui, quòd ipſa ſibi & familiæ ſuæ induſtria de rebus neceſſarijs abundè prouidebit, ita vt ſpolijs non indigeat; ſed loco ſpoliorum armis partorum ſint

ſint illi fruges & opes labore vigoreq́; ſuo partæ. Nominat *ſpolia*. Primò, quia perſiſtit in metaphora *mulieris fortis*; hebr. חַיִל *chail*, id eſt militaris & bellicoſę, cuius ſpolia ſunt manuum, non hoſtium: ſuis enim manibus diripit lucra ingentia inſtar ſpoliorum. Secundò, quia olim primę Hebręorum opes conflatæ fuere ex ſpolijs, quibus ſpoliarunt Ægyptum. Exodi 12.36. & Chananęos, cùm per Ioſue eos deuicerunt, & Chananæam occuparunt. Hinc per catachreſin Hebręi quaſlibet opes vocant *ſpolium* vel prędam, vt patet v. 15. Sic etiamnum Arabes, Tartari, Coſaki, alijq́; plures viuunt ex rapto: vnde omnes eorum opes ſunt ſpolia. Tertiò, *Is ſpolia* notat tum virtutem mulieris, tum opum copiã. q. d. Mulier fortis ſuo valore & ſapientia res ad familiam neceſſarias viro ſibique comparabit non minore induſtria, nec minore virtute quàm ſi victis hoſtibus aſportaſſet ſpolia; quare rebus omnibus affluet, perinde ac ſi optima ab hoſte ſpolia retuliſſet: nam captis vrbibus magna & varia rerum ſuppellex victoribus cedit, quæ ſpolia dicuntur. ita Baynus. Hinc Septua. *& bonis vel honeſtis ſpolijs nunquam indigebit*. vbi auctor Catenę Gręcor. Eius, inquit, prouętus & fructus appellantur honeſta ſpolia ad differentiam malorum, qualia ſunt quæ iniuſtè comparantur.

Allegor. Allegor. Cor Dei & Chriſti confidit in Eccleſia, quam ſibi deſpõdit, quia per gratiam & chariſmata ſua eam fortem & ſtabilem efficit, vt contra omnes dæmonis & impiorum impugnationes fidelis & ſancta perſeueret vſque in finem mundi, imò in æternum. Ita S. Ambroſ. li. 6. in Lucam poſt initium: *Confidit*, inquit, *in ea vir ſuus. Videmus quid hæc viro faciat ſuo, quod opus eius; quod ſit obſequium; vt confidat in ea Chriſtus. Bona vxor virum ſuum veſtit. Veſtiat Ieſum fides noſtra corpore ſuo, veſtiat carnem eius diuinitatis ſuæ gloria: ſicut & illa bina veſtimenta fecit viro ſuo, vt in præſenti & in futuro ſæculo honorificet eum. Non mediocris hæc femina, cuius tale textrinum eſt; quam non mollia lanæ fila carpentem ſed pretioſa virtutis penſa tractantem vir eius inueniat, quę manus extollat in noctibus, & ad librã dirigat opus, morumq́; ſuorum pondus examinet, geſtorum quoque nouerit ſeruare non menſuram glorioſi ſubtegmen laboris intexens.* Cauſam ſubijcit amorem & expectationem ſponſi, putà Chriſti. vnde ait: *Solicita quando vir redeat, anxia atque ſuſpirans, & iam cum viro ſuo eſſe deſiderans, dicens: Moras facit vir meus venire, feſtinabo ipſa ad eum; occurram ei facie ad faciem, cùm venire cœperit in gloria ſua. Veni Domine Ieſu, vt inuenias ſponſam tuam, non contaminatã, non adulteratam; quæ non violauerit domum tuam, non mandata neglexerit. Dicat tibi: Inueni quem dilexit anima mea, introducat te in domum vini (vinum enim lętificat cor hominis) inebrietur ſpiritu, agnoſcat myſterium, loquatur oraculum.*

Rurſum S. Auguſt. ſerm. 45. de Diuerſis (extant inter nouos à Louanienſibus editos) quia ad verbum idem reperitur apud S. Ambroſ. in hunc Prouerb. locum ſub finem tom. 2. editionis Romanę, ſiue Sixtinæ: *Planè confidit*, inquit, *& vt confidamus & nos, docuit. Commendauit enim Eccleſiam vſque ad terminos orbis terrarum per omnes gentes, & à mari vſque ad mare.* *Pſal. 79.* *Hæc ſi non vſq; ad finem perſeueraret, in ea cor viri eius non vtique confideret.* Et poſt nonnulla: *Mulier hæc ſpolijs non indiget, non quia non quærat, ſed quia abundat multis. Vndique mundum ſpoliat; rapit vndique trophæa diabolo. Ideo dicit viro ſuo, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo: Exulto ego in verbis tuis ſicut qui inuenit* *Pſal. 118.*
A *ſpolia multa. Quemadmodum ſpolijs indigebit, quæ vndique rapit, vndique trahit, vndique acquirit, vndique operatur bona.*

Sic & Beda, qui & cauſam addit. Nouit enim inquit, ſpiritum gratiæ, quem dedit; nouit virtutem charitatis, quam eius præcordijs infudit. Vnde ei dicitur à ſpõſo Cant. 8.6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio.*

Idem ab eodem ſponſo Tropolog. dicitur cuilibet animæ fideli & ſanctæ, quæ totam mentem, totum amorem & affectum in Chriſto ceu ſponſo defixit. Vnde S. Ægidius ſocius S. Franciſci rogatus: *quænam eſſet via ad ſanctitatem?* Reſpondit: *Vna ad vnum, vna ad vnum*; ſcilicet vna anima vni Deo detur, tota & in ſolidum, quanta quanta eſt; ſic euadet ſancta, imò cæleſtis & diuina, vt in ea ceu in templo ſuo confidat & conquieſcat Deus, ac viciſſim ipſa in Deo & Chriſto ceu ſponſo amãtiſſimo confidat & conquieſcat; vti præ cæteris feciſſe S. Agnetem legimus in eius Vita apud Ambroſ. ſerm. 90. & li. 1. de Virgin. Anima enim ſancta perfectè Deum & Chriſtum amans, tota ſe in eius amorem effundit & transfundit: quare non aliud cogitat quàm ipſum, quem in omnibus rebus contemplatur & amat; nec in ijs amat aliud quàm ipſum, vnde æqualiter ipſum amat in omnibus tam aduerſis quàm proſperis: quia Chriſtum ſuum reperit tam in monte Caluariæ, quàm in monte Tabor. Sicut ergo in monte Caluariæ non amat crucem, ſed Chriſtum crucifixum; ſic in Tabor non amat gloriam, ſed Chriſtum glorioſum: illi enim dicit, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* *Via ad ſanctitatem quæ.*

C Rurſum mulier fortis eſt B. Virgo, in qua vir eius, putà S. Ioſeph, poſt planè perſpectam eximiam eius ſanctitatem, & conceptionem de Spiritu ſancto ex angeli reuelatione cognitam, planè cõfiſus eſt & conquieuit. *De B. Virgine in qua confidit vir Ioſeph.* Hinc graues Theologi aſſerunt Ioſepho, mox vt coniugium inijt cum B. Virgine ob tantæ virginis & matris Dei reuerentiam, exemptum fuiſſe omnem libidinis fomitem & ſenſum, ita vt ne primos quidem eius motus perſentiſceret. Ita cenſent Ioannes Eckius ſerm. de S. Ioſeph, Iacobus Chriſtopolitanus in *Magnificat*, Gerſon. ſer. de Natiu. Virginis & alij. Porrò idipſum, putà fœdis hiſce motibus ſeſe liberum, vtique perſentiſcebat ipſe Ioſeph; idque non antè, ſed à coniugio B. Virginis ſibi obtigiſſe aduertebat; illam ergo vt virginem diuinam reuerebatur; omnemq́; poſt Deum in illam ſpem & fiduciam collocabat.
D Rurſum Spiritus ſanctus fuit quaſi vir B. Virginis, quia in ea operatus eſt conceptionem Chriſti, fecitq́; in ea quod in alijs mulieribus efficit vir. *& Spiritu ſancto.* Vnde cùm B. Virgo angelo nuntiãti Chriſti incarnationem reſpondiſſet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* occurrit angelus, & virum aſſignauit Spiritum ſanctum, dicens: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, vt ſcilicet totus tota ſua plenitudine in te illabatur, itaque in te confidat, id eſt confidenter & ſecurè in te habitet, tibi ſua dona omnia communicet, tibi ſeipſum omniaque ſua credat & committat; imò Verbum cum tota deitate ceu ſuppoſitum, imò depoſitum diuinum, in te confidenter collocet & deponat. Vnde S. Laurent. Iuſtin. agens de nuptijs B. Virginis, ait Spiritum ſanctum & Ioſephum ſic officia inter ſe partitos fuiſſe, vt cura & cuſtodia corporis Virginis ad Ioſephum pertineret; animi autem

autem curam & cuſtodiam ſibi ſumeret Spiritus ſanctus. Deniq; in ea confidit cor ſpiritus ſancti, quia eam peccatorum aduocatam conſtituit, per quam plurima eorum, qui à peccatis eius ope ſaluantur, ſpolia acquirit, cuius rei innumera ſunt exempla: vnde ipſa vocatur *ſpes peccatorum, & fiducia miſerorum.*

VERS. 12. Gimel. *Vxor ſtrenua reddet viro bonum quod?*

REDDET EI (ſcilicet viro, vt patet ex Hebr. xan *hu*, quod eſt maſculinum) BONVM ET NON MALVM, OMNIBVS DIEBVS VITÆ SVÆ] quibus ſcilicet viuit ipſa mulier, vt patet ex Hebræo, q.d. Non ad aliquot dies, menſes vel annos, ſed conſtanter per omnem vitam vxor ſtrenua reddet marito bonum & non malum.

Reſp. Primo. Primò, Aben Ezra ſic exponit, q.d. Mulier ſtrenua marito bona rependit, eò quòd maritus in eandem ſpem ſuam reijciat in eaque confidat, nec vnquam de ea malè mereatur. Huc accedit Baynus, q.d. Vxor viro pro confidentia, qua illam ſibi deuinxit, reddet ei fidem, non perfidiam, vt ſcilicet bona ei retribuat, non mala, quod ſinceram & liberalem vxoris indolem arguit, ac magnanimitatis eius eſt indicium, eò quòd amore ſe vinci non ſinat, ſed amorem amore penſet, obſequia obſequijs ſuperet.

Secundo. Secundò. Vatabl. q.d. Vxor maſcula virum ſuum ſemper lætitia afficit, quia facit vt iugiter gaudeat ob bona, quæ ei aſſiduè procurat. *bonum* enim ſæpè ſignificat lætum, ſiue iucundum, ſicut *malum* ſignificat triſte & moleſtum; vt cùm dicitur. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* Et, *Sufficit diei malitia*, id eſt afflictio & triſtitia ſua, Matth. 6. 34.

Tertio. Tertiò, alij. q.d. Vxor proba viri opes non diſſipabit, ſed cumulabit & augebit, idq; faciet vt bonum bono rependat, quo ſignificat Salomon, virum ita beneuolum & beneficũ eſſe debere vxori, vt ſua beneuolentia & beneficentia prouocet, & quaſi cogat illam, vt eandem ſibi reddat & retribuat. quòd ſanè prudens eſt conſilium: hæc enim eſt optima ratio cōciliandi pacem & concordiam inter coniuges, ſi obſequijs inter ſe certent. Vir ergo præueniat vxorem beneficijs, vxor eadem, imò maiora illi repēdat: *Magnes enim amoris eſt amor.* Et *Si vis amari, ama.* Nullum enim potentius telum ad extorquendum amorem, quàm amor.

Quarto. Quartò, Ianſen. *bonum* quodlibet accipit, q.d. Mulier fortis reddet viro bonum, & non malum: hoc eſt iuxta confidentiam, quam vir de ea habet, reddet hæc mulier viro bonum, idque ſine alicuius mali permixtione, nec id ad breue tempus, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ: ergo & poſt mortem mariti, ſi ipſam ſupereſſe cōtingat, non obliuiſcetur eius, ſed piè ſemper erga illum affecta perſiſtet. Bonum autem quod mulier viro reddit, eſt animi ſecuritas, & per illam cordis lætitia, vitæ longæuitas, rerum domeſticarum procuratio & conſeruatio, &c. Sic & Eccleſiaſt. ait c. 26. 1. *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virũ ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit.* Et v. 16 *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit: diſciplina illius datum Dei eſt.*

Quinto. Quintò, preſſiùs & ſtrictiùs noſter Salazar hæc accipit de vxore, cui ſeuerus, moroſus & durus obtigit maritus, q.d. Licèt maritus acerbus vxorem generoſam obiurget, carpat, ſuccenſeat; ipſa tamen adeò lenis & magnanima eſt, vt omnia ſuſtineat, & bona placidaque verba malis & acerbis regerat, itaq; vincit mariti aſperitatem, vt ex iracundo fiat mitis & blandus, vti B. Monica mater S. Augu. ſua lenitate domuit iras Patritij ſui mariti, vt refert S. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. Qua de re pulchrum exemplum viperæ, quæ dum copulatur cum murena, priùs venenum euomit, affert, & coniugibus imitandum proponit S. Baſil. hom. 7. Hexam. *Vipera, inquit, ob nuptiarum venerationem virus euomit, tu duritiam, in feritatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non depones?*

Igitur hic eſt heroicus manſuetudinis, patientiæ, & magnanimitatis gradus, qua vxor viro bonum pro malo, mollia pro aſperis, humilia pro ſuperbis blanda pro iracundis rependit. Nimirum hominis eſt, bonum pro bono regerere; ſancti & angeli eſt, bonum pro malo reponere; vice verſa Ethnici eſt, malum pro malo reddere; barbari & dæmonis eſt, malum pro bono retribuere. Omnes hi ſenſus appoſiti ſunt, primus tamen planior eſt, quartus plenior, quintus preſſior & profundior.

Porrò R. Leui *Iò reddet* vel retribuet, accipit impropriè pro dabit, largietur, quomodo ſubinde in Script. accipitur *Iò* retribuere pro tribuere, *ἀποδιδόναι* pro *διδόναι*, ſcilicet compoſitum pro ſimplici, nulla habita ratione meriti vel recompenſæ. Vnde exponit q.d. Vxor gnaua virum ſibi beneficijs demeretur, eò quòd eius ſeruituti & obſequio ſe prorſus demittat & mancipet, neque vnquam ſeruitutem defugiat. Hinc & Septuag. Complut. vertunt, *operatur enim viro ſuò bonum, & non malum tota vita ſua*; Vatican. *operatur enim viro bona in omni vita ſua.* q.d. Mulier pigra, vel moroſa & rixoſa moleſtat virum, eumq; ſtimulat ad mala puta ad iram, triſtitiam, deſperationem: at mulier ſedula, & viri amans, illi cooperatur ad omne bonum: quia eum in aduerſis ſolatur & erigit, in difficilibus animat, in perplexis ſanum ſuggerit conſiliũ. Quare ſicut boues idem trahentes iugum, ſe inuicem ſolantur, animant, roborant, vt currum frugibus onuſtum facilè trahant, quem alteruter ſolus trahere nequiret: ſic vxor eodem iugo matrimonij coniugata, (vnde & coniunx dicitur) & copulata cum viro, eius labores & dolores compatiendo & conſolando alleuiat, imò in ſe tranſſcribit, vt iunctis vtrimque viribus facilè omnes tolerent & ſuperent; itaque iugum coniugij paribus animis & paſſibus alacres & læti ducant. S. Auguſt. ſer. 45. de diuerſis legit: *Operatur viro ſuo bona & nō mala*, & Syrus, *fecit ei bonum*; & auctor Catenæ Græcor. *tota vita viro conciliat bonum, & non malum.* q.d. Vt viri gratiam captet bona ſemper operatur, nunquam mala, hoc ſignum eſt probæ indolis, æquè ac virtutis: fideliũ enim & Sanctorum hoc axioma proprium eſt, quod omnibus actionibus velut præmeditatum præferunt: *Omnibus bene, nulli malè facito: De omnibus bene merere: Omnes amicos beneuolentia retine, inimicos officijs tuis concilia & fac amicos.* Docuit idipſũ Chriſtus verbo & exemplo, qui nulli licèt inimiciſſimo vindictam optauit, multò minùs intulit, ſed omnibus ſuam doctrinam & gratiam obtulit. Vnde de eo ait S. Lucas Actor. 10 38 *Tranſijt benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo: quoniã Deus erat cum illo.* Deus enim omnibus benefacit, nulli malè, ideoq; eſt & vocatur Deus, quia *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, Matth. 5. 45.

Allegor. de Eccleſia & anima ſancta. Allegor. Eccleſia, & anima ſancta ſponſo ſuo Chriſto reddit bonum, & non malum: quia ſtudet bonis

A bonis operibus,& cauet à malis, vt ei placeat, ideoq; bona bonis accumulare ſatagit, vt eis magis magiſque ſuam gratiã, & Chriſti gloriam magnis quotidie incrementis adaugeat. Ita S. Ambroſ. in cap. 31. Prouer. ſub finem to. 2. *Hinc mulier iſta*, inquit, *quia exſpoliat mundum, rapit gentes, tota vita operatur bonum; verùm non ſibi, ſed viro: vt quæ iã non ſibi viuat, ſed qui pro omnibus mortuus eſt & reſurrexit. Viro ergo operatur bonũ, illi ſeruit, illi deuota eſt, illum diligit, illi placere ſemper ſtudet. Non ſe ornat, nec propter ſuos, nec propter alienos oculos: non quærit hominibus placere: non quærit quæ ſua ſunt: operatur omnia viro ſuo.* Huc accedit Beda: *Reddit quippe*, inquit, *anima Chriſto bonum, cùm perceptis ab eo vitæ muneribus rectè viuendo reſpondet : cùm ea quæ ipſa ſcire vel ſatere ab illo adiuta potuit, etiam alijs intimare ſatagit.*

B. Virgo Ioſepho retribuit omne bonum.

B Rurſum mulier hæc eſt B. Virgo, quæ Ioſepho ſponſo, eò quòd virginitatis ſuæ fuerit in cõiugio cuſtos, retribuit omne bonum. Audi S. Bernard. ſerm. de S. Ioſepho : *Amplius autem, quia omnia quæ ſunt uxoris ſunt viri, credo quòd beatiſſima Virgo totum theſaurum cordis ſui, quem Ioſeph recipere poterat, ei liberaliſſimè exhibebat.* Et poſt nonnulla: *Quantas, putas exhortationes, cõſolationes, promiſſiones, illuminationes, & æternorũ bonorum reuelationes recepit in tranſitu ſuo Ioſeph à ſanctiſſima ſua ſponſa Maria?* Hac de cauſa B. Virgo Ioſepho cooperata eſt ad omnem virtuté, gratiam & gloriam, vti explicare pergit S. Bern. *Quomodo*, inquit, *cogitare poteſt mens diſcreta, quòd tãta vnione vniret menti tantæ Virginis aliquam animã, niſi ei virtutum operatione ſimillimam? vnde credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in virginitate, profundiſſimũ in humilitate, ardentiſſimum in charitate, altiſſimum in contemplatione*, &c.

VERS. 13. Daleth.

C QVÆSIVIT LANAM ET LINVM, ET OPERATA EST CONSILIO MANVVM SVARVM] Hebr. *quæſiuit lanam & lina, & fecit in voluntate manuum ſuarum*; alij, *in beneplacito manuum ſuarum*; Chald. *& operata eſt iuxta voluntatem manuum ſuarum*; Septuag. *filans lanam & linum, fecit quod vtile eſt manibus ſuis*; Syrus, *veſtigauit linteum*, ſeu *tunicam: operata eſt eius manus quodcumque libuit.*

Conſilium manuum multiplex.

Senſus clarus eſt q. d. Studuit lanificio: vnde non expectauit donec maritus ei lanam & linum coëmeret, vel obtruderet; ſed vltrò ipſa vtrumque quæſiuit, vt inde veſtes laneas & lineas cõficeret, quibus virum, filios & domeſticos decorè veſtiret. Hoc eſt quod ſubdit: *Et operata eſt conſilio manuum ſuarum*, id eſt, manus iuxta voluntatem eius operatę ſunt, ita vt manus tam promptæ forent ad opus quàm volũtas, perinde ac ſi manibus inſita fuiſſet
D voluntas & promptitudo operandi. Eſt hypallage. Ita Aben Ezra: operata eſt, inquit, in voluntate manuum, quaſi manibus volẽdi facultas inſit, vt è contra in manibus pigri eſt nolitio, vt ita dicam, operandi. Et Vatab. *in beneplacito*, inquit, *manuum, quia complacet ſibi & delectatur opere manuum ſuarum*, Tigurin. *operatur cum voluptate manibus ſuis*; vt enim opus ſit facile, fructuoſum & conſtans, voluntas adſit oportet.

Secundò, R. Emmanuel vertit, *fecit voluntatem manibus ſuis*, id eſt, quidquid voluit ex lana & lino confecit: tanta erat eius operandi in lino & lana dexteritas, vt voluntas non materiam, ſed materia voluntatem & manum ſequeretur, vt quidquid illa vellet, ilico dexteritate manuum in lucem proderet, & fieret.

Tertiò, Noſter vertit, *conſilio*, id eſt induſtria, peritia & dexteritate manuum ſuarum. q. d. Mirã pollet manuum, ęquè ac mentis induſtriã, ad eximiè & dexterrimè filãdum, texendum, & quodlibet opus textile conficiendum. Ars, enim, putà habitus & dexteritas filandi, texendi, fabricandi, &c. tum in mente manus ad opus dirigente, tum in ipſis manibus operantibus, quæ ex aſſidua operatione habitum & facilitatem operandi induerunt, conſiſtit. Sic de Beteleel architecto tabernaculi ait Deus Exodi 31. 2. *Impleui eum ſpiritu Dei ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt.*

Rurſum *conſilio*, id eſt prudentia prudentique electione. q. d. Prudenter operatur manibus non res futiles & inutiles, ſed ſerias & vtiles quę ad domeſticorum veſtitum conferant. Vnde Septuag. vertunt, *& fecit quod vtile eſt manibus ſuis.* Multæ enim nugoſę & curioſę mulieres operãtur res nugoſas & curioſas; ſed inutiles, imò illecebroſas & noxias: at mulier hæc prudens non niſi vtilia, ſana & ſancta operatur. Hoc eſt eius cõſilium, hęc eius ſapientia & prudentia. Hinc Plato in Sympoſ. Salomonem ſecutus, πόρον, id eſt opum Deum, fecit filiũ μήτιδος, id eſt conſilij: conſilio enim parantur opes. Illecebroſa ſunt pepla & ſindones adeò ſubtiles, vt per eas corporis forma & nuditas trãſluceat, quæ proinde carpens S. Hieron. epiſt. 7. ad Lætam de inſtitut. filiæ ſic ait: *Spernat bombycum telas, Serum vellera & aurum in fila lenteſcens: talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur.*

Moral. de lanificio fœminarum.

Moraliter diſcant hîc mulieres, ſe ſuaſque filias linificio & lanificio aſſuefacere: hoc enim proprium eſt feminarum opus, vt ad hoc natæ & à naturæ fictæ factęque videantur, idq; duplici fine & fructu, Primò, ad fugam otij; Secundò, ad cuſtodiam honeſtatis & caſtitatis. Operi enim dum intendunt, amaſios fugiunt, eiſque attendere nequeunt. Quocirca ab omni æuo ſtrenuarum mulierum, etiã principum & reginarum, hæc in lana & lino fuit occupatio.

Exempla.

Laudatur Anna vxor Tobiæ, quòd ibat quotidie ad opus textorũ, Tob. 2. ca. S. Hieronymus inſtituens virginem Demetriadem: *Habeto*, ait, *lanã ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila deducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alueolis fuſi vertãtur.* Et alibi ad Lætam de inſtitutione filiæ: *Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere.* Ex veteri Romanorum more Thalaſſij nomen in nuptijs crebrò iactabatur, vt videlicet hac nuptiali voce prouocarentur nouæ nuptæ, exhortarenturque ad opus & lanificium, vt Varro & Iuba, & Plutarchus tum in Romulo, tũ in Quæſtionibus c. 29. & Feſtus Põpeius tradiderunt: ταλάσιον enim ſignificabat lanificium, ait Plutarch. vnde Latinis *thalaſſio*. Quam vocem crebrò occinebant ſponſæ, illamque ſignum fuiſſe lanificij teſtatur Varro, ſcilicet thalaſſionem veteres vocaſſe quaſillum vas lanificijs aptum. Hinc Thalaſſio apud Romanos erat Hymenęus, putà virginitatis Deus, inquit Seruius: virginitatis enim cuſtos eſt lanificium. Sed & ſponſæ (quod ſcribit Varro, & Plutarchus poſtremo à me citato loco, & Plinius lib. 8. c. 48.) colum ſecum in domũ ſponſi inferebant & fuſum, virorumque ianuam lana coronabant ac cingebant: hac quoque ceremonia nuptiali indicantes, lanificium à nuptis in domo maritali exercendum eſſe. Item apud eoſdem Romanos in pelle lanata nouæ

nupta cōſidere ſolebat, quo teſtaretur lanificijs officium ſe præſtituram viro, vt refert ipſe Pompeius. Quin ipſi Romani apud Caię Cęciliæ ſtatuam æream, in templo M. Ancij ſitam, colum, lanam & fuſum confixerunt, pudicitię & induſtrię eius certa monumēta. Auctores M. Varro & Plinius loco iam citato, & Plutarch. in Problem. dicto c.29. Ea eſt autem, vt ſcribit idem Pompeius, quæ, antequam Romam veniſſet, Tanaquil vocabatur, vxor Tarquinij Priſci Romanorum regis, quæ tantæ probitatis fuit, vt id Caię nomen boni ominis cauſa frequentarent nubentes, quam ſummam aſſeuerant fuiſſe lanificam. Cuius etiam rei meminit Caius Titus Probus in epitome 10. lib. Valerij Maximi, ſi non titulus eius libri fallax ſit: vbi & illud prętereà dicit, ideò inſtitutum fuiſſe, vt noua nupta ante ianuam mariti interrogata quænam vocaretur, Caiam eſſe ſe diceret. Nō multò pòſt tempore Lucretiam nocte ſera lanæ deditam, inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem, Collatinus maritus iuueneſq; Tarquinij inueniunt: quod pro ſigno probitatis accipi voluit Liuius, paulò ante finem lib. 1. ab Vrbe condita: & Plinius, aut quiſquis eſt auctor lib. de Viris illuſtr. in Tarquinio & Collatino; & Seruius in eum locum Virgil. lib. 8. Æneidos:

Nec non Tarquinium eiectum.

Sed & eandem hiſtoriam recenſens Ouidius lib. Faſtorum ſecundo, ait:

Inde cito paſſu petitur Lucretia: cuius
Ante thorum calathi, lanaq; mollis erat:
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant.

Theano Pythagorico, Brotini Crotoniatę (vt Plotino placuit) aut ipſius Pythagoræ (vt Theocritus maluit) vxor interrogata, quam potiſſimè vxorem commendaret; reſpondit illud Homericum: *Telam texentem & meum* (id eſt viri: nam Agamemnon eſt qui loquitur) *lectum inſtruentem.* ita Athenæus Naucratita, & Stobæus ſerm.72. Apud eundem Homerum lib.4. tum Odyſſeæ, tum Iliados, Helena lanificium exercet. Et lib.5. eiuſdem Odyſſeæ, Mercurius Calypſo nympham, Atlantis filiam, texentem reperit. Et li.6. Areten Alcinoi regis vxorem in foco ſedētem, cum ancilis & penſa purpurea torquentem inuenit Nauſicaa ipſius filia. Herodotus in Calliope tradit Xerxem rēgē regum, ab Ameſtri vxore donatum amiculo quod ipſa texuerat. Curtius quoque li.5. memoriæ prodidit, Alexandrum veſtes Macedonicas ad ſe ex Macedonia miſſas, cum his qui eas cōfecerant, tradi Siſigambi matri Darij iuſſiſſe, eamque admoneri præcepiſſe, vt, ſi cordi veſtes eſſent, eis neptes aſſuefaceret. Ad quam vocem cùm lacrymæ obortæ prodidiſſent animum aſpernantis id munus (quippe cùm non aliam contumeliam magis Perſarum feminæ accipiant, quàm admouere lanæ manus) Alexander ea re cognita ad eam peruenit: &, *Mater*, inquit, *hanc veſtem qua indutus ſum, ſororum non ſolum donum, ſed etiam opus vides: noſtri decepère me mores. Caue, obſecro, ne in contumeliam accipias ignorantiam meam.* Apud Terentium in Andria, Simonis ſenis ad Soſiam libertum hæc verba ſunt:

Primùm hæc pudicè vitam, parcè ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.

Huc facit illud Ouidij ad Leandrum:

Tortaq; verſato ducentes ſtamina fuſo,
Feminea tardas fallimus arte moras.

Et Claudianus in eo Epigrammate, quod de equo A Honorij Imp. edidit, loquens de Serena regina vxore Stiliconis:

Et medium te zona liget, variata colorum
Floribus, & caſiæ manibus ſudata Serenæ.

Tranquillus memorat Auguſtum Cæſarem ita filiam & neptes inſtituiſſe, vt lanificio ſe aſſuefacerent. Idemque feciſſe Carolum Magnum, ſcribit Eginhardus illius Cancellarius in Vita ipſius. Alibi item teſtatur ipſe Plutarch. Auguſtum ipſum non temerè alia veſte, quàm domeſtica vſum eſſe, ab vxore, & ſorore, & filia & neptibus confecta. Plutarch teſtimonio Bibuli aſſeuerat, Brutum ad bellum exiturum, Porciam vxorem interpellātem ad colum & telam remiſiſſe, vſum verſibus, quos Homerus Hectori Andromachen alloquenti aſſignat Iliad.22. vbi narrat ipſam dum telam orditur, lamenta eiulatuſque è turri ob mortem mariti audiuiſſe. B Nota eſt caſta heroina Penelope Vlyſſis vxor quæ abſente marito ob formam à procis appetita vt eos falleret, dicebat ſe nulli nupturam niſi priùs telam, quam orſa erat, pertexuiſſet: quare interdiu telam texebat, ſed noctu eamdem retexebat, vt nunquam eam pertexeret. Denique Virgilius li.8. Æneid. ita caſtam probamque feminam pingit:

Cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerua,
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulaſq; ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum vt ſeruare cubile
Coniugis, & poſſit paruos educere natos.

Hæc & plura Tiraquellus lege 10. connubiali nu. 38. & ſeq.

Porrò Carolus Magnus rogatus, cur filias lanificio occuparet? duas cauſas dedit. Primo, vt otium vitarent; Secundò, vt, ſi ad paupertatem per reſtantem C & aduerſam fortunam redigerentur, hoc opere ſibi victum pararent. ita Eginhardus. Hoc in opere eminuit S. Eliſabetha, Andreæ Hungarorum regis filia, quæ per ſummam iniuriam à cognatis caſtris & poſſeſſionibus ſpoliata, lanam manibus operabatur & linum, vt de ſui laboris impendio ſe aleret, & pauperes, quorum erat ancilla, vt mater veſtiret. Ita nobiliſſimis orta natalibus mundo ſe fecit ignobilem, vt nobilitaretur in cęlis, pro corona ſuſcipiens cinerem, cilicium pro faſcia pectorali, fuſum lanę & lini pro ſceptro. Vnde & meruit in cęlum defixa, videre Dei filium Ieſum ad ſe inclinatum cælis patentibus, cumque inter alia conſolationis lenimenta audire dicentem: *Si tu vis eſſe mecum, ego ero tecum, & à te nullatenus ſeparabor.* D ita habet eius Vita.

S. Eliſabetha lanam & linum operans: cur

Poëtę deas ipſas linum lanamque tractare aſſerunt. Narrat Ouid. lib.6. Metamorph. Arachnen Idmonis filiam, eò quòd deam Palladem in lanificio prouocare auſa eſſet, ab ea ſuperatam, verſam eſſe in araneam, quæ priſtinam adhuc telæ ſeruat artem; vnde & aranea Græcè vocatur ἀράχνη.

Dixi fuſum feminarum eſſe decus, nam virorum eſt dedecus. Vnde Dauid Ioab homicidæ imprecatus eſt: *Nec deficiat de domo Ioab tenēs fuſum*, 2.Reg. 3.29. q.d. Poſteri Ioab ſint effeminati, vt ad vile & muliebre exercitium filandi redigantur, eoque victum ſibi quærere cogantur. Sic Sardanapalo probrum fuit & exitium, quòd cum Artabanus dux militum inter concubinas purpuram nentem inueniſſet; illum enim regno & vita priuauit. Hinc Eutropium eunuchum Arcadij Imp. pędagogum, ideoque imperij rectorem, ita perſtringit Claudianus:

Fuſus virorum dedecus.

Quid

Quid te turpiſsime bellis
Inſeris aut ſeui pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius ſtudiis hærere Mineruæ.
Tu telas non tela pati, tu ſtamina noſſe,
Tu ſegnes operum ſolers vrgere puellas,
Et niueam dominæ penſis inuoluere lanam.

Idcirco Narſeti viris multis fortiori, Iuſtiniani Imperatoris illa ſuo impotens minitata, ſe illum gynæceo penſis & quaſillis addicturam: quam ignominiã vir ſtrenuus, grauiter cum Romani imperij clade vindicauit. Exemplum ingens ne, qui ſuperiores ſunt, in ſubditos temerè linguam laxent.

Allego.

Allegoricè S. Auguſt. ſerm. 217. de Tempore: Mulier fortis, id eſt Eccleſia, inquit, & anima ſancta operatur lanam, id eſt carnalia & temporalia; & linum, id eſt ſpiritualia & æterna: vtraque enim in hac vita fidelibus neceſſaria ſunt. Sed audi S. Auguſt. *Quid eſt lana, quid linum? Lana carnale aliquid, linum verò ſpiritale ſignat, quia in ordine veſtimentorum, interiora ſunt linea veſtimenta, lanea verò exteriora. Lana etiam de commiſtione animalium naſcitur, linum verò ſine carnis voluptate de terra procreatur, imò caſtitatis imaginẽ præferre videtur. In tantum vt ſacerdotes veteris teſtamenti ex præcepto legis, propter caſtitatis indicium, lineis femoralibus vterẽtur. Ergo in lana carnale aliquid, in lino verò ſpiritale ſignificatur. Pro laude etiam ponuntur. Inuenis enim hominem porrigentem manu eleëmoſynas pauperi, nec tamen de Deo ibi cogitantem, ſed hominibus placere cupientem, laneam veſtẽ quæ videri poteſt habet, interiorem lineam non habet. Inuenis alium dicentem ſibi, Sufficit mihi conſcientia mea, Deum colo, Deum adoro quid mihi opus eſt ad eccleſiam ire, aut viſibiliter Chriſtianis miſterijs lineam vult habere ſine tunica. Non benè neq; commendat talia mulier iſta. Inuenit hæc mulier lanam & linum, & fecit vtile. Multi inueniunt, ſed non faciunt vtile manibus ſuis. Cùm libenter auditis, inuenitis; cùm benè viuitis, facitis.* Eadem penè ad verbum habet S. Ambr. in c. 31. Prouer. ſub finem tom. 2. qui & addit: *Operari carne, & non operari ſpiritu, quamuis bonum videatur, vtile non eſt: operari verò ſpiritu, & non operari carne, pigrorum eſt, &c. Tene ſpiritualia, & carnalia ſpiritualiter operare.*

Lana carnalia opera, linum ſpiritalia notat.

Lana eſt pietas, linum carnis maceratio.

Beda verò per lanam accipit ſimplicitatis & pietatis opera, per linum caſtigationem carnis: linum enim varijs modis macerando, tundendo, pectendo, carminando, &c. præparatur & quaſi caſtigatur. *Poſſunt, inquit, in lana, qui ouinus eſt habitus, omnia pietatis & ſimplicitatis operã, quæ proximis impendimus, accipi. Poteſt in lino, quod ex terra virens oritur, ſed longo ac multiplici exercitio amittit humorem natiuum, atque ad gratiã noui candoris peruenit, caſtigatio noſtræ carnis intimari: cuius dum ingenitas vitiorum ſordes per continentiam excoquimus, dignam profectò eam, qua Chriſtum induamus, efficimus, iuxta illud Apoſtoli. Quotquot ergo baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Quærit ergo mulier fortis lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, cùm Eccleſia ſancta ſollicitè, perquirit quibus ſe pietatis fructibus exerceat, quomodo à carnalibus emundet illecebris. Et hoc vtrumque conſilio prudentiſſimo, hoc eſt ſupernæ ſolummodo retributionis facit intuitu.*

De B. Virgine. Primo.

Rurſum opus lanæ & lini optimè conuenit B. Virgini. Primò planè ad literam: nam vt ait Epiphan. Presbyter Conſtantinop. in Vita Virginis: *Et ipſa docilis, & amans doctrinam, & non ſolùm in ſacris literis ſed etiã in lana & lino ſerico & byſſo laborabat. Erat præterea in ſapientia & intelligentia ſuper omnes illius ſeculi adoleſcentulas, cunctis admirationi, quæ & verò conficeret ea, quorum vſus in templo erat ſacerdotibus.* Et Anſel. in libr. de Vita Virgin. *Opus verò manuum eius,* inquit, *erat lana, lini & ſerici.* Hinc & Moniales in monaſterijs, exemplo B. Virginis, magnam diei partem in opere manuali, lanam & linum operando, tranſigunt. Idem virginibus feminiſque deuotis ſuadent, imò iubent, prudentes Confeſſarij: quæ enim eo relicto totas ſe dedere volunt orationi, lectioni, contemplationi, cerebrũ, quod feminis eſt debile, affligunt & lędunt, fiuntque phantaſticæ, anxiæ, ſcrupuloſæ, maniacæ, ſuperbæ, deliræ, vti experientia multa didici.

Secundò.

Secundò, Allegor. quia vt ait S. Epiphan. lib. 3. contra hæreſ. longiùs à principio, explicans illud Iob c. 38. iuxta Septua. *Qui dedit mulieribus texturæ ſapientiam, & variegandi ſcientiam? Mariæ datum eſt,* ait, *vt pepererit nobis agnum & ouem, & ex gloria ipſius agni & ouis, factum eſt nobis velut ex vellere in ſapientia per virtutem ipſius, indumentum incorruptibilitatis.*

Tertiò.

Tertiò, Tropolog. Nam vt ait Proclus Cyzicenus Epiſc. de Natiuit. Chriſti (extat initio Concil. Epheſini.) *Hæc ſola pons eſt, per quem Deus ad hominẽ deſcendit: hæc admirandæ illius œconomiæ tela, ex qua & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt; cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus, netrix virtus ex alto obumbrans, lana vetuſta villoſaq; Adami pellis, trama impollita Virginis caro, radius textoris immenſa geſtantis gratia, artifex verbum per auditum illapſum.* Trama eſt ſubtegmen, & (vt ait Sergius) filum quod intra ſtamen currit. Trama dicta, vt ait Varro, *quòd phrygionis tranat veſtimentum.* Pro *tranat* videtur legendum *trameat*, id eſt, *tranſmeat*, ſiue *penetrat*.

Quartò.

Quartò, Anagog. Quia lana repræſẽtat vitam actiuam, linum ſubtile contemplatiuam; vtramq; operata eſt, & in eminenti gradu exercuit B. Virgo, quę in omni opere Martham Magdalenæ mirifica harmonia perfectè aſſociauit.

Vers. 14. He.

Facta est qvasi navis institoris de longe portans panem svvm] Hebr. *fuit ſicut nauis circumeuntis, de longè adducet panem ſuum;* Chal. *facta eſt ſicut nauis mercatoris, cuius è longinquo affertur cibus;* Septuag. Vatic. *facta eſt tanquam nauis mercaturam exercens de longè: congregat autem hæc vitam;* Complut. & Regij habent, *congregat autem hæc diuitias;* Syrus, *tanquam nauis mercatoris à longinquo mercimonia aduehens. Inſtitor* ergo vocatur mercator, eò quòd è mutandis mercibus opibuſq; ſedulus inſtet, vel quia negotio ſuo inſiſtit, inquit Vlpian. Vnde & domos vrbeſq; circumit (ideoque hebr. vocatur *ſocher*, id eſt circitor vel circuitor) ſingulis ſuas merces offerens, & vt eas emant vrgens & inſtans.

Senſus ergo eſt, q. d. Mulier hęc ſtrenua operando lanam & linum, ſimilis eſt nauibus mercatorum, quia ſicut illæ pannos, telas, aliaq; merces in longinquas orbis partes deferunt, pro quibus ex eiſdem locis referunt alias merces, vnde mercatores ſibi victum & neceſſaria cõparant: ita & illa à longè ſibi parat panẽ ſuum, hoc eſt victum familiæ neceſſarium, quia pro his quæ manibus ſuis operata eſt, cõparata ſibi etiam quę ex longinquo afferuntur, danſq; exteris pannum à ſe cõfectum, accipit ab eis frumentum in cibum: ipſa ergo cùm domi maneat, nec cum mercatoribus extremos currat ad Indos: tamen velut nauis quædam neceſſaria à longè aduehens, etiam ipſa, ſua exteris communicando, portat de longè panem ſuum.

Analogia mulieris ſtrenuæ &.

Igitur analogia nauis & mulieris ſedulæ in his conſiſtit,

nauis. *Prima.* conſiſtit. Primò, ſicut nauis frumentaria ex Sicilia vel Ægypto (quod olim erat horreum Italię) frumenta deuehit in Italiam: ſic mulier hęc panem, id eſt cibum quemlibet inuehit in domum ſuã. Rurſum ſicut naues Indicæ ex India in Hiſpaniam & Europam deferunt aromata, aurum, argentum, aliaſque merces pretioſas: & ſicut nauis Iaponica quotãnis ex India Luſitanis, & Religioſis in Iapone degentibus & euangelizantibus defert annonã totius anni, adeò vt ſi nauis pereat, periclitẽtur omnes Religioſi, qui in Iapone ſunt de victu & vita: ſic pariter mulier hęc quemlibet cibum & ſupellectilem familiæ neceſſariam procurat, ita vt ab illa omnium, qui in domo ſunt, victus & vita pendeat. Hinc eam comparat naui, non currui, quia vna nauis plus vehit quàm centum, imò mille currus.

Secunda. Secundò, ſicut nauis merces domeſticas in longinquas oras vehit & vendit, indeque alias reuehit; itaque duplex facit lucrum: ex vtriſque enim lucratur: ſic pariter mulier hæc ſuos pannos & telas, quas per ſe ſuoſque texuit, per oues & mercatores in exteras regiones, vbi cariores ſunt, mittit & diſtrahit. indeq; merces alias comparat, quibus familiam alat, vel quas diuendat; itaq; duplex, vel triplex, lucrum facit. Imò, vt notat Baynus, in eo ſuperat naues, quòd ipſa domi ſecurè conſiſtens, hęc omnia per mercatores vel famulos & ancillas efficiat, cùm naues longiſſimas regiones peragrare & oberrare debeant, idque cum perpetuo ſui & mercium periculo ne naufragium patiantur, aut à piratis capiantur.

Tertia. Tertiò, ſicut nauis nunquam, ne noctu quidem nautis dormientibus, quieſcit, ſed ſemper nauigat, ac circumit & obit varias regiones, ſingulis ſuas merces proponens, & indigenis ad eas emendum inſtans: ſic mulier ſtrenua nunquam quieſcit, ſed ceteris dormientibus ipſa vigilat, ſemper ſollicita, omnibus inuigilans, iugiter cogitãs quomodo domui de omnibus proſpiciat; ideoque aſſiduè perdia & pernox operatur & laborat, nec vnquam in opere fatigatur aut laſſeſcit.

Quarta. Quartò, ſicut naues non vno alteróue anno, ſed quamdiu durant, ſubeunt maria, merceſque vehunt & reuehunt: ſic mulier ſedula tota vita ſua ſibi ſimilis eſt, ſemperque laborat vt res familię curet & adaugeat, nec quieſcit niſi in morte, quaſi iam peracto nauigationis ſuæ curſu.

Quinta. Quintò, ſicut naues è remotiſſimis regionibus merces raras & pretioſas aduehunt, quo fit vt Veneti, Antuerpienſes, Genuenſes, ceterique maris accolę, qui nauigationi & mercaturę vacant, domi ſuę habeant opes & delicias quaſlibet, ac quidquid alicubi præclarum vel pretioſum eſt; quia omnia per naues ſibi afferri curant: ſic pariter mulier ſtrenua domum inſtruit non tantùm carne, vino, telis, pannis illius regionis, ſed & ex remotis ea quę ad familiæ non tantùm neceſſitatem, ſed & ſplendorem faciunt, accerſit.

Sexta. Sextò, mulier hęc comparatur non vni naui, ſed nauibus in plurali, vt habent Hebręa, putà claſſi integrę, quæ ingentem mercium copiam affert: quia ipſa licèt vna inſtar eſt multorum, ac per ſe, perq; filios, ſeruos & ancillas plura conficit, quàm multi ſimul iuncti in ſuis familijs efficiant.

Allegor. Allegor. & Tropol. hæc omnia facile eſt adaptare Eccleſiæ & animæ ſanctæ, mutato dumtaxat nomine mulieris in nomẽ Eccleſię vel animæ. Eccleſia enim ceu nauis omnis generis annonã fide-

A libus affert, putà verbum Dei, Sanctorum exempla, conciones, exhortationes, Sacramenta, ac præſertim Euchariſtiam, quæ eſt panis vitalis manducantibus afferens vitam præſentem & æternam. Audi Bedam: Nauis, inquit, *per mare peregrina, vt illic venditis quę attulerat, cariora ad domum reportet: ſic nimirum ſancta Eccleſia, ſic anima quæque perfecta virtutũ diuitijs gaudet onuſtari, quibus maiora diuinæ gratiæ dona meretur. Optimum namque eſt commercium, cùm bona quæ valemus operãtes, primo hanc à Domino mercedem recipimus, vt ad maiora ſemper agẽdi proficiamus; dehinc vitam percipiamus ſempiternam. Facta ergo eſt anima ſancta quaſi nauis inſtitoris, quæ tranſit deſiderio fluctus ſeculi præſentis, ſolaq; ſe in cælis accipere ſperat æterna gaudia, & pro his abundantiùs adipiſcendis quidquid vales inſtanter agere, quidquid aduerſum occurrit, fortiter ſuperare contendit.*

B Audi & auctorem operis Imperfecti in S. Matt. apud S. Chryſoſt. hom. 23. *Facta eſt tanquam nauis mercaturæ longinqua, id eſt Eccleſia, quę nauigantibus Apoſtolis, gubernãte Domino, flante Spiritu ſancto, prędicationis verbo vbiq; diſcurrit, portans ſecum magnum & inæſtimabile pretium, quo omne genus humanum, vel potiùs totum mundum ſanguine Chriſti mercata eſt, de quo idem Salomon c. 30. 19. retulit dicens, veſtigium nauis pelagizantis inueniri non poſſe, oſtendens conuerſationem Eccleſiæ non terrenam eſſe, ſed cæleſtem, iuxta id quod Apoſt. ait: Noſtra conuerſatio in cælis eſt,* Philip. 3.

Pari modo eadem adaptes B. Virgini, quæ in domum, id eſt in Eccleſiam, inuexit panem viuificum, putà Chriſtum Dominum, dum eum peperit in Bethlehem: id eſt in domo panis. Vnde S. Gregor. hom. 8. in Euang. *Bene*, inquit, *in Bethlehem naſcitur, id eſt in domo panis: ipſe enim eſt qui ait: Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi,* Ioan. 6. Ipſa ergo *de* *De B. Virgine.* *Primo.*

C *longè*, id eſt de cælis per vitæ huius pelagus portat panẽ ſuum. τὸ enim *de longe* notat diſtantiam inter Verbum & humanam naturam, quam ſibi hypoſtaticè vniuit in vtero huius mulieris benedictæ. Rectè verò panem hunc vocat *ſuum*, quia ſola abſque viri opera illum concepit, quem in Bethlehem per partum ſuum virgineum, tanquam ex naui in omnium vtilitatem expoſuit, vt eo in Euchariſtia paſcamur. Rurſum ipſa velut nauis inſtitoris plena fuit mercibus cęleſtibus, putà omni virtute & gratia. Vnde Damaſcen. orat. 1. de dormit. Virg. *Hæc eſt*, inquit, *quæ gratiæ abyſſum inuenit, & duplicẽ virginitatis nauẽ incolumem ſeruauerat, animamq; non minùs quàm corpus incolumẽ cuſtodierat.* Tertiò, B. Virgo etiã dormiens mente vigilabat intenta orationi & amori diuino, iuxta illud in Cant. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quocirca perdia & pernox augebat virtutum merita & lucra, quibus fideles & Eccleſiam ditauit. Quartò, B. Virgo velut materfamilias Eccleſiæ aſſiduè è cælo, illi de omnibus proſpicit; quia apud filium omnem illi gratiam expoſcit & impetrat. Ipſa eſt quæ animauit S. Athanaſium, vt Eccleſiam defenderet contra Arrianos, S. Cyrillum contra Neſtorianos, S. Auguſtinum contra Pelagianos, S. Dominicum cõtra Albigenſes, S. Ignatium contra Lutheranos. Ipſa eſt quæ ſtatis temporibus Religiones nouas ſuſcitat, vt Eccleſiam ſeneſcentem nouo doctrinæ & virtutum ſplendore renouent & illuſtrent. qua de re vide Hier. Plat l. 1. de Bono ſtatus Relig. c. 34. *Secunda.* *Tertia.* *Quartò.*

D

ET DE NOCTE SVRREXIT, DEDITQVE PRÆDAM DOMESTICIS SVIS, ET CIBARIA ANCILLIS SVIS] Hebr. *& ſurrexit adhuc nocte* (dum adhuc

nox

nox eſſet) *dedit que prædam domui ſuæ, & ſtatutum puellis ſuis*. A

Pro *præd in* hebr. eſt טרף *tereph*, quod propriè eſt eſca ferina, diciturque de feris; quæ venando prædantur minores feras & iumenta, eaque diſcerpunt & deuorát. Inde per catachreſim transfertur ad quamlibet eſcam animalium & hominum, præſertim quę venando, id eſt laborando & ſudando, comparatur. Eſt metaphora à leonibus & feris, quorum omnis cibus prędando acquiritur, eſtque præda.

Pro *cibaria* hebr. eſt חק *choc*, id eſt demenſum, ſtatutum, conſuetum, à rad. חקק *chacac*, id eſt ſtatuere deſcribere, definire: vnde tam ad ſtatum cibum, quàm ad ſtatum penſum referri poteſt. Hinc Chal. vertit, *dedit penſum ancillis ſuis*; Syrus, *dedit opus puellis ſuis*; Theodot. *dedit conſtitutionem puellis ſuis*; Septu. *dedit opera puellis ſuis*. *Choc* ergo tam penſum operis, quàm demenſum cibi, putà portionem & cibum definitum, hoc eſt ſtatuti panem & eſcam in dies conſtitutam ſiue ordinatam, ideoque ordinariam ſignificat. B

Senſus ergo eſt q.d. Mulier hæc ſtrenua & prouida non ſtertit in multam lucem, ſed ante auroram noctu ſurgit, vt ſeruis & ancillis, filijs & filiabus ceteriſque domeſticis pręparet tribuatque cibos, vtq; totius diei operas & penſa inter eos partiatur, ſinguliſq; ſua diſtribuat & adæquet, ſcilicet ne quid perdant lucis & temporis; ſed id totum operi impendant. Quare ſeruis ituris ad agros colendos, vel aliud opus ſummo manè, imò noctu, maturiùs dat ientaculum, ac ſimul cibos aſſignat, quos in agrum deferant, ibiq; comedant, ne, ſi domum ad prandium reuertantur, tantillum temporis perdant & operi ſuffurētur. Ancillis pariter ſuis in aurora penſa lanę, lini & operarum diſtribuit, ac annonam aſſignat, vt expeditæ ſint ad opus, illique totum diem inſumant. Hæc enim ſunt ſigna, imò actus magnæ prouidentiæ, ſedulitatis & ſtrenuitatis in matrefamilias. C

Cibi vocantur prædæ. Primò. Porrò cibos hoſce vocat *prædam*. Primò, quia noctu obiter quaſi capiuntur & rapiuntur. Alludit enim ad leones & feras, quę poſt cœnam nocte digeſtam rurſum famelicę, in tenebris & aurora exeunt venatū & prędatum, vt alias feras & animalia, ceu prædam capiant & deuorent. Sic Iob. 24. 5. dicitur: *Alij quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum vigilantes ad prædā* (Hebr. *aurorantes prædæ* vel *rapinæ*) *præparant panem liberis*. Hinc vocantur lupi veſpertini, id eſt nocturni, qui noctu prædātur, de quibus multa dixi Habacuc 1. 8. & Ierem. 5. 6. Ita quoque mulier hæc leonina, ſummo manè cibos hoſce ſeruis & ancillis obiter capiendos, & quaſi rapiendos parat, vt ad iter opuſq; ſint expediti & celeres. *Secundò.* Rurſum *præda* ſignificat, hoſce cibos magna induſtria & labore mulieris comparari; ac non niſi labori inſigni ſeruorum & ancillarum velut mercedem attribui. *Qui enim non laborat, non mãducat*, ait Apoſt. Hinc, vt ait S. Ambroſ. lib. de Abraham: *In domo ſapientis nemo piger eſt*. Olim matres in Balearibus inſulis pueris non dabant cibum, niſi eum eminus propoſitum fundæ iactu deieciſſent, tum vt eos labori aſſuefacerent, tū vt in arte ſagittandi exercerent, in qua proinde tam eximij euaſere, vt ſcopum quemlibet non fallente, ſed certo ictu contingerent, imò pilum in coma capite illæſo ferirent; quocirca in prælio fundibularij extitere hoſtibus formidabiles. D

Tertiò, ſicut leo & leæna prædam quam venatus eſt, nō ipſe ſolus comedit, ſed in partes diſcerpit, atque catulis ſuis ſiue leunculis diſtribuit: ſic mulier hæc cibos induſtria ſua partos, in ſeruos & ancillas partitur, ſed ſeorſim, non miſtim, ſcilicet primò ſeruis dat טרף *tereph*, id eſt carnem ferinam putà eſcas duriores; deinde ſeorſim ancillis dat cibaria leuiora. Vbi nota eius honeſtatem & pudicitiæ ſtudiū, quæ ancillas à ſeruis ſeparat, vt mutuos aſpectus, colloquia, aliaſque luxuriæ inter eos illecebras amoueat; ac ſimul diſcretionem, qua cuique annonam congruam attribuit. *Tertiò.*

Quartò, pro *& cibaria ancillis ſuis*; Septuag. Chald. Syrus & alij vertunt, *& penſum operarum ancillis ſuis*. Hebr. enim חק *choc*, tam penſum operarum, quàm demenſum eſcarum penſo operarum, velut mercedem merito laborique reſpondentem ſignificat: quo innuit mulierem ſapientem, hanc legem fixiſſe ancillis ſuis, vt non priùs demenſum eſcarum ſiue ſtatutum cibum ſumant, quàm penſa operarum perſoluerint. *Quartò.*

Moral. hic diſce matrisfamilias dotem eſſe vigiliam, vt, ſicut ille ait, vltima eat cubitum, prima ante alios, & ante lucem ſurgat, qua in re mulierum indolem tráſcendat oportet: mulier enim natura ſua phlegmatica eſt, ideoque lenta, tarda; ſomnolenta, adeò vt Comicus eam ex mora natam aſſerat. Sic enim ait Pleuſides Plautinus in Milite:

Mulier profectò nata eſt ex ipſa mora:
Nam quæuis alia, quæ mora eſt æquè, mora
Minor ea videtur, quàm quæ propter mulierem eſt.

Et Terent. in Heautont.

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Secùs eſt in hac muliere virili, quæ virago eſt, & non tantùm mulieres, ſed & viros virtute & vigilantia ſuperat. Vnde vigilantia in emblematibus pingitur quaſi matrona & virgo, dextrâ tenens librum, ſiniſtrâ virgam cum lucerna accenſa; aſtat ei grus pede altero eleuato ſuſtinens lapidem, vt, ſi quo caſu in ſomnum incidat, lapidis ruentis ad pauimentum alliſu ſtrepituque excitetur & euigilet.

Rurſum vxor hæc ſuis dat cibum noctu, vt innuat totum diem dandum labori & operi, noctem verò neceſſariæ refectioni. Ita S. Antonius, S. Hilarion, ceteriquę Anachoretæ cibum non per diem, ſed veſpere & noctu ſumebant, idque duabus de cauſis. Prior erat, vt totam diem operi vel manuali, vel mentali, putà orationi, ſtudio, lectioni & contemplationi impēderent, nec ab eo per cibum impedirentur: venter enim cibo onuſtus mentem hebetat, vt nequeat acumine ſuo vti, & ſublimia ſcrutari. Poſterior, quòd vereeundarentur, & quaſi indignum ducerent hominem & ſeruum Dei comedere per diem, quodq; ſol eum comedentem aſpiceret. Viliſſima enim hominis actio eſt comedere, vtpote in qua mens hominis nata ad ſpiritualia & cęleſtia, deprimitur ad terrena & carnalia, ſimiliſq; eſt brutis. Vndę ſanctus ille Anachoreta in Vitis Patrum pudore effuſus, lacrymabatur, cùm cibum ſumeret, eò quòd noctu eſcam porcorum & animalium ſumere cogeretur, qui per diem cibo veſcebatur angelorum.

Allegor. S. Auguſt. ſer. 45. de Diuerſis, hæc exponit de Eccleſia, æquè ac de anima ſancta. *De noctibus*, inquit, *exurgit: noctes tribulationes ſunt, ſed cui hac? De noctibus ſurgit, id eſt in tribulationibus proficit, &c. & dedit eſcas domui ſuæ: in noctibus præbuit ſe imitandam, faciens docuit quod faciendum dixit.*

Rurſum

Rurſum Beda: Nox, inquit, *dicata eſt quieti, dies labori. Sic Eccleſia & anima ſancta quaſi nocte, quieſcit, cum intermiſſa ad tēpus ſollicitudine externa, ſibimet vacare ſeq; ipſam ſpiritualiter incipit curare vel lectionibus videlicet ſacris, vel orationibus ac lacrymis ſeſe, vel alijs huiuſmodi ſtudijs ſecretiùs exercendo. Surgit autē de nocte, cùm in eiſdem ſuis fidelibus, ad agendam etiam proximorum curam ſe ſollicitè accingit. Quod fraternæ adminiſtrationis opus duobus modis exercere cōſueuit: quia & eos qui foris errabant, ad fidei gratiam conuocat; & illos qui fidei Sacramentis iam ſunt imbuti, vt bonis operibus ampliùs inſiſtant, excitare non deſinit. Vnde benè dicitur: Dedit prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Dat namque prædam domeſticis ſuis, cùm eos quos ab antiquo hoſte docendo eripere potuit, ſocietati illorum, qui in fide præceſſere, conciliat: dat & ancillis cibaria, cùm humiles quoſque, & debito timore ſua iuſſa ſeruantes, ne pio labore laſſeſcant, ſupernæ mercedis commemoratione reficit.*

De B. Virgine. Porrò hæc omnia murato nomine adapta B. Virgini, quæ noctu excipiens incarnationis Verbi ab Archangelo nuntium, illi aſſenſum præbens, Verbum in ſe corporauit, vt illud in eſcam nobis proponeret in Euchariſtia. Rurſum ſuam gratiam & merita, quæ in nocte huius vitæ innumera & quaſi immenſa, per actus intenſę charitatis, humilitatis, patientiæ, ceterarumque virtutum comparauit, nō ſibi ſoli ſeruauit, ſed in Eccleſiam fideleſque omnes diſpēſauit, & in dies diſpenſat. Nam vt ait S. Bern. *De plenitudine illius omnes accepimus.* Inſuper eminentes Sanctos noctu, id eſt ante ætatē, pręuenit, vt à puero, imò ab vtero, incipiant vacare Deo & pietati, vti de S. Ioanne Baptiſta, S. Nicolao, S. Dominico, & alijs legimus: quare tunc eis virtutū penſa diſpenſat, vt ea ſenſim illi creſcentes ætate & meritis pertexant & perficiant.

VERS. 16. *Zain.* CONSIDERAVIT AGRVM, ET EMIT EVM: DE FRVCTV MANVVM SVARVM PLANTAVIT VINEAM] Hebr. *cogitauit agrum, & accepit eum*; Aben Ezra, *de agro emendo cogitationem ſuſcepit*; Chald. *cogitauit in conſilio, & accepit agrum*; Vatabl. *contemplatur agrum*; Tigur. *conſultat de agro, & emit eum*; Septuag. *conſiderans agrum emit eum, & de fructibus manuum ſuarum emit poſſeſſionem*; Syrus, *agriculturam meditatur.*

Dupliciter hic verſus accipi poteſt: Primò, de agro à vinea ſeparato, q. d. Mulier hæc prudens & ſedula ex pretio telarum & pannorum quos confecit, emit tam agrum, quàm vineam, id eſt agrum, ad ſementem & meſſem frumenti, vineam, ad vindemiam vuarum & vini: atque ita familiæ tam de cibo, quàm de potu, putà tam de pane quàm de vino proſpexit. Vbi Nota τὸ *conſiderauit*, q. d. Non temerè, non fortuitò, ſed maturè & conſultò emit agrum, nimirum priùs exactè conſiderauit conditionem, commoditatem & fertilitatem agri, æquè ac vtilitatem pretij quo venalis offerebatur: quare agrum fertilem bono viliq́ue pretio emit. Rurſum ſimili modo emit vineam, in eaq́ue vites conſeri curauit, aut certè eas in parte agri iam empti ad vites apti cōſeuit. Sic videmus in Lombardia in eodem agro vites ſegetibus & arboribus immiſtas, magna elegantia & fructu. Idem enim ager fert frumentum, vuas, poma & pira.

Secundò, accipi poteſt de agro in vineam commutato. q. d. Cōſiderauit agrum quemdam ob tenuem frumenti prouentum ab heris negligi, paruique æſtimari; quare emit eum vili pretio, atque ex eo vineam effecit: quia conſiderans eum, perſpexit glebas eius, & eum vitibus, quàm ſegetibus eſſe aptiorem, & vuarum quàm frumenti feraciorem, quare ex inculto cultum, ex ſterili fertilem effecit, quę ſanè egregia eſt eius induſtria ac ſolertia. Frumētum enim exigit ſolum craſſum & pingue, vites verò ſolum gracile & tenue. Audi Virgil. 1. Georg.

Altera frumentis quoniam fauet, altera Baccho,
Denſa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo.

Planiùs clariuſque Theophraſtus lib. 2. c. 25. *Pratenſe & arenaceum*, ait, *vitibus percommodum eſt, & in ſumma ſolutum, leue, tenue.* Audi & Columellam in lib. de arboribus ca. 13. *Locis aridis, & macris, & ſiccis vitem ſere, natura feracem & validam, crebriſq; acinis: quòd ſi pingui agro validas vites depoſueris, pampinis magis eluxuriabunt, & qualemcumq; fructum tulerint, ad maturitatem non perducent.* Et lib. 3. c. 5. ait: *Vitiarium faciendum in terra mediocri potiùs quàm pingui.*

Anagogicè. Anagog. S. Auguſt. ſer. 45. inter nouos Louan. per *agrum* accipit cælum, cæleſtemque gloriam, quam Eccleſia & anima fidelis mercatur & emit labore manuum ſuarum, putà laborando, & accumulando multa bona opera, præſertim charitatis & patientiæ. Cōſiderat enim & proſpicit, quòd *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Allegor. Allegor. Beda per *agrum & vineam* accipit primitiuæ Eccleſiæ propagationem, Eccleſia enim à Chriſto fundata in Iudæa, cœpit ſe propagare & plantare per vicinas prouincias & gentes, eaſque per noualia ſpiritualium agrorum & vinearum excolere, indeque meſſem & vindemiam magnam fidelium, virginum, Martyrum & Confeſſorum colligere.

B. Virgo ager & vinea. Hęc omnia adaptes B. Virgini, quæ Primò, in ſeipſa plantauit agrum & vineam, cùm corpus & animā aſſidua virtutum omnium operatione excoluit. *Secundò.* Secundò, ipſa agrum & vineam primitiuæ Eccleſiæ ſua ſapientia, prouidentia, meritis & exemplis plantauit adeoq́ue fertilem effecit, vt in omni ſanctitate effloreſceret, ac viros Apoſtolicos Martyres & virgines proferret, imò vt omnes fideles viuerent vitam non tantùm Chriſtianam, ſed & Religioſā in paupertate, caſtitate & obedientia, vti fecere Eſſęi ſub S. Marco Alexandrię, & Hieroſolymitę Chriſtiani ſub S. Petro, vt patet Actor. c. 2. & 3. & 4. vbi plura hac de re dixi. Rurſum ipſa per omnia ſęcula propagauit agrum Eccleſiæ per alias & alias gentes, ac in eis plantauit vineas ſanctarum ſelectarumq́ue congregationum, præſertim Religionum, & Religioſorum diuerſorum Ordinum, qui vino ſuæ deuotionis, caſtitatis & charitatis Eccleſiam inebriarent. Inſuper ipſa ex agro & vinea ſua profert fidelibus in Euchariſtia *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, vt ait Zach. c. 9. 17. *Tertiò.* Tertiò, ipſa fideles ſingulos quaſi agros & vineas nouellas in fide & ſanctitate excolit: nullus enim fidelium & Sanctorum eſt, qui nō ſuam fidem & ſanctitatem, qualiſcumq; & quantacumque ea ſit, debeat B. Virgini: ipſa enim à Chriſto cōſtituta eſt materfamilias, cuius proinde filij, quos ipſa Chriſto parit, alit & prouehit, ſunt omnes fideles & iuſti. Porrò ſicut mulier illa ſapiens ſua ſagacitate tellurem aptam ſemini facit agrum, tellurem verò feracē vuarum facit vineam: ſic & B. Virgo quemq; fidelium ad eam virtutem, ſtatum & perfectionem dirigit prouehitque, ad quam per naturā & gratiam maximè propendet,

maxi-

maximeque idoneus & aptus videtur. Qua in re illam imitentur Prælati, principes, rectores Religionum, & quilibet Superiores, vt ſubditos applicent illis munijs, ad quæ eos per indolem & gratiam maximè habiles & procliues animaduertunt: naturam enim ſecundante gratiâ magnum quid producitur: ſin hæc duo diſſideant & gratia naturę ſit diſſona, parum proficitur: iuxta illud,

Tu nihil inuita facies diſcéſue Mineruâ,

id eſt natura. Quis enim perpetuò naturę obluctari, & velut aduerſo flumine remigare, ventiſque contrarijs perpetim nauigare valeat?

Vers. 17. Chet. ACCINXIT FORTITVDINE LVMBOS SVOS, ET HONORAVIT BRACHIVM SVVM] Hebr. *cinxit in fortitudine lumbos ſuos, & confirmauit brachia ſua ad opus;* Septua. *præcincta fortiter lumbum ſuum, firmauit brachia ſua ad opus;* Aquila & Theodot. *accinxit fortitudine ſua* τὸν νῶτον, id eſt *humerum*, vel *armum*, vel *dorſum ſuum.* Pro *roborauit*, Symmach. vertit ἐκραταίωσεν, id eſt *ſolidauit;* Aquila & Theodot. ἐσκλήρωσεν, id eſt *indurauit calloſq́; obducere fecit;* Vatablus *fortiter lumbos ſuos accinxit;* Aben Ezra, *renes ſuos illa ſuccinxit quaſi robore ſeſe inſtruxerit.*

Primò, S. Auguſt. ſer. 45. Beda, Salonius & Hugo, per cingulum hoc mulieris ſtrenuæ accipiunt mortificationem & caſtitatem: in lumbis enim eſt origo ſeminis & luxuriæ, vti docent medici. Lumbos ergo ſuccingere in fortitudine, eſt fortiter carnis concupiſcentias reſtringere & cohibere. Vnde Beda: *Actio boni operis Domino acceptabilis eſſe non valet, ſi non fluxa luxuriæ quis priùs ſimul à carne & à mente reſtringat.* Sic & S. Greg. in illud Lucæ 12. *Sint lumbi veſtri præcincti. Tunc*, inquit, *lumbos reſtringimus, cùm carnis luxuriã per continentiam coarctamus.* Hinc zona olim virginitatis erat inſigne, quam proinde ſoluebant coniugatę. Verùm hic propriè non à caſtitate, ſed à fortitudine laudatur hæc virago; concomitanter tamen à caſtitate, quia ſicut libido vires exhaurit & eneruat, ſic caſtitas eaſdem firmat & roborat, vti experientia docet. Vnde *caſtra* militum fortium dicta ſunt à *caſtitate*, vel à *caſtratione* libidinis, vti alibi oſtendi. Caſtitas ergo facit fortem hanc viraginem.

Secundò & genuinè, alludit ad cingulum, quo viragines & viri, præſertim profecturi, laboraturi, vel pręliaturi lumbos ſuccingunt, vt eos in ſe infirmos, molles & fluxos cingulo aſtringant, denſent, firment & roborent: ita pariter cingulo ſuccingit ſe hæc virago, vt robur vireſque colligat; tum vt domum, agrum & vineam veloci fortique greſſu obeat luſtretque; tum vt opera robuſta robuſto corpore menteque capeſſat. Quare & cingulo, & per cingulum magis ipſa fortitudine, ſe accingit: hæc enim ipſi eſt cingulum, & velut baltheus militaris, quo ad opera heroica ceu miles ad prælia ſe accingit, animumq́; & robur exacuit. Significatur ergo hac catachreſi, quòd hæc virago naturam femineam mollemque excitet & extimulet ad virile robur, tum mẽtis, tum corporis. q. d. Virile robur, viriles animos excitauit & induit, vti fecit mater ſeptẽ Machabęorum, *femineæ cogitationi maſculinum animum inſerens*, filioſque fortiter exhortans ad martyrium, 2. Machab. 7. 21. Vide quæ de cingulo militis Chriſtiani fusè dixi Epheſ. 6. v. 14.

ET ROBORAVIT BRACHIVM SVVM] q. d. Robuſtè brachia ſua exeruit ad robuſtos labores, quos exercuit: hoc enim roboris exercitio augetur robur. Vnde Milo Crotoniates nobilis pugil, quotidie brachijs portando vitulum, cùm ille ætate & mole creſceret, ſenſim per exercitium creſcente pariter brachiorum robore, ijſdem portauit eundem adultum & bouem effectum. Huc facit quòd Plato lib. 5. de Repub. & lib. 8. de Legibus, doceat viragines militiæ adſcribendas, ideoque exercendas in circo, & ludo equeſtri: atq; in Critia aſſerit tales olim fuiſſe, quæ in deas ob ſua fortia facinora relatæ ſint. Verùm plus æquo mulieribus tribuit Plato, dum eodem libr. 5. de Republ. vult eas viris omnibus eſſe communes ad maiorem ciuium vnionem, in quo planè vir ſapiens delirat.

Myſticè S. Auguſtin. ſerm. 45. de Diuerſis, ſiue inter nouos à Louanienſibus editos, hæc applicat Eccleſiæ & animæ ſanctæ. *Succincta*, inquit, *fortiter lumbos, firmauit brachia ſua, verè fortis. Vide ſi non eſt ancilla, quàm deuotè ſeruit, quàm paratè ne fluctuantes ſinus carnalium concupiſcentiarum impediant operantẽ, ſuccinxit lumbos, vt nihil ſuperfluum calcet, dum in opere feſtinat: ibi enim caſtitas mulieris huius zonæ præcepti conſtricta, ſuccincta fortiter lumbos ſuos, firmauit brachia non defectura.*

Porrò hæc omnia adaptes B. Virgini, cuius virginitas & fortitudo diuina enituit, tum in itineribus, laboribus, paupertate, perſecutionibus, quas ab Herode & Iudæis pro Chriſto infante fortiter pertulit: tum in conſtantia, qua Chriſto crucifixo vſque ad mortem aſtitit, omniaque tormentorum genera, quæ Chriſtus patiendo, ipſa compatiendo pertulit: tum quòd in Pentecoſte cum Apoſtolis, imò præ Apoſtolis, induta ſit virtute ex alto, ac Spiritum receperit in ſumma fortitudinis plenitudine: vt ſcilicet ipſa poſt Chriſti mortem omnes Apoſtolorum dolores, omnes fidelium cruces, totumq; Eccleſiæ pondus ſuſtineret: quod & reipſa præſtitit. Vide dicta c. 8. v. 14. ad illa, *Mea eſt fortitudo.* Fuit ergo ipſa quaſi Atlas Eccleſiæ primitiuæ, vti & eſt modernæ. *De B. Virgine.* *B. Virgo Atlas Eccleſiæ.*

GVSTAVIT ET VIDIT QVIA BONA EST NEGOTIATIO EIVS: NON EXTINGVETVR IN NOCTE LVCERNA EIVS] Hebr. *guſtauit quòd bona circuitio eius, non extinguetur, &c.* Septua. *guſtauit quia bonum eſt operari, & non extinguitur lucerna eius totam noctem;* Vatab. *percipiens opus ſuum eſſe frugiferum, etiam nocte operatur*, Aben Ezra, *ſolerti ratione & conſilio* (טעם *taam* enim, id eſt guſtus, etiam conſilium & rationem ſignificat; quia ſicut guſtus ſapit & diſcernit cibos, ſic ratio ſapit & diſcernit res commodas ab incommodis) *deprehendit, & intellexit negotiationi vacare vtiliſſimum eſſe.* Alij *taam* vertunt, *ſupputauit apud ſe negotiationes*, id eſt impenſas & lucra, ac vidit, id eſt certò collegit artem quęſtuoſam ſe exercere. Vers. 18. Tet.

Guſtauit ergo, id eſt experientia didicit, ac velut guſtu ipſo clarè ſenſit, quãtum & quàm ſuaue eſſet lucrum negotiationis ſuæ & diligentię in operanda lana & lino: præſertim dum ex ijs emit agrũ & vineam, indeque vinum guſtauit & bibit: quare totam penè noctem operi impendit ad lucernam; ideoque eam non permiſit extingui. Tò *guſtauit* ſignificat Primò, conſideratione & computum expenſarum & lucri; Secundò, crebrã experientiam, quòd ſcilicet crebrò ingens lucrum ex lanificio & linificio reportarit & ſenſerit; Tertiò, guſtum & oblectationem: lucrum enim labore partum, velut proprium, propriæque induſtriæ fructus mirè ſapit, & velut ſaccharum labores condit, ſapidoſque efficit, cùm lucrum ἄπονον, id eſt ſine labore obte-

obueniens,v.g.ex hereditate aut donatione, velut alienum & extrinſecum parum delectet, & quaſi inſipidum ſit; quod enim magno ſtetit rarum & carum eſt;quod vltrò obuenit, parui æſtimatur.

Porrò olim feminas ſtrenuas cum ſuis puellis & ancillis non tantùm per diem, ſed & noctu ad lucernam vacaſſe lanificio & linificio, patet ex dictis v.13. Vnde Virgil.1.Georg.

Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſciuere hiemem.

Et Ouidius lib.2.Faſtor. Lucretiam à Tarquinio adultero noctu ſic inuentam refert:

Inde cito paſſu petitur Lucretia, cuius
Ante thorum calathi,lanaq; mollis erat.

Et ruſus in epiſtola ſic Penelope ad Vlyſſem:

Nec mihi quærenti ſpatioſam fallere noctem,
Laſſaret viduas pendula tela manus.

Id imitentur Paſtores, Prælati, viriquę zeloſi, vt cum paſtoribus Bethlehemiticis ſuper gregem ſuum peruigilent;ſic merebuntur cum eis primi videre Chriſtum naſcentem,imò reſurgētem & venientem ad iudicium:hoc enim vel ſummo manè, vel noctu peragendum eſt, iuxta parabolam virginum prudentum noctu lampadas accenſas habentium, & ſpōſum expectantium. *Media*,inquit, *nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiàm ei,*&c. *& quæ paratæ erant,intrauerunt cum eo ad nuptias,* Matth.25.6.

Nocturnorum origo. Quocirca Eccleſia celebrabat olim in feſtis Martyrum vigilias: noctu enim peruigilabant fideles in oratione ad templa & ſepulcra Martyrum. Hinc Nocturni in officio Eccleſiaſtico, quos etiamnum Religioſi permulti noctu decantant: qua in re imitantur Chriſtum, qui per diem prædicabat,veſpere verò ſecedens in montes pernoctabat in oratione. Vnde myſticè auctor Catenę Grecor. Per lucernam, ait, mentem puram & contemplationi deditam, doniſque ſpiritualibus ornatam accipe.

S. Genouefa lucerna ab angelo accenſa. Memorabile eſt quod de S.Genouefa legimus in eius Vita,cùm ſingulis ſabbathis ſoleret pernoctare in oratione, ac quadam vice nocte pergeret ad baſilicam S.Dionyſij ſua opera conſtructam, cereus illi & ſociabus prælucens extinctus,ipſa orante ilicò cælitus ab angelis rurſus fuit accenſus. (Idem contigit S.Gudulæ,quæ fuit filia S.Amelbergę ſororis Pipini,eſtque Bruxellenſium aduocata, vt habet eius Vita apud Surium ad diem 8. Ianuarij.) Vnde eius imagini aptè ſubſcribi ſolet hic verſus: *Non extinguetur in nocte lucerna eius*,pręſertim quia ipſa ſplendore ſanctitatis,iugis orationis, abſtinentiæ & miraculorum toti Galliæ, imò orbi,præluxit & prælucet. Ideoq; S.Simeon Stylites per literas eius ſe precibus commendauit, ac S.Remigius,Clodouæus,Clotildis, aliįque principes & Prælati illi coæui,magno eam in honore & pretio habuerunt, adeò vt Pariſienſes eam iugiter vt patronam colant, eò quòd prętet alia ab eorum vrbe Attilam & Hunnos, qui ceteram Galliam vaſtabant,ſuis orationibus auerterit.

Moral. de nocturna vigilia & labore. Olim in Oriente erat monaſterium *Acœmetarum*, id eſt non dormientium ſed,ſemper in Dei laudibus peruigilantium,vti fecit S.Simeon Stylites,& S.Daniel eius aſſecla,aliįque;nimirum *vita Sanctorum vigilia:* vita breuis eſt,æternitas longa,tam ergo noctu quàm diu operemur bonum, vt merita & gloriam accumulemus in omne æuum duraturam.

A Salomonem ſecutus Plato: *Nemo dormiens*,inquit,*vlla re dignus eſt*,ita refert Laërt.l.3.&Philippus rex Macedonum,cùm in exercitu quodā tempore obdormiſſet,experrectus: *Tutò*,ait,*dormiui,vigilat enim Antipater*;ſignificans non eſſe regum indulgere ſomno,prętertim in bello,niſi habeant fidum vigilum præfectum. ita Plutarch.in Apopht. Verè Philo apud Anton.in Meliſſa p.1.c.42. *Somnus*,ait, *velut publicanus dimidium vitæ nobiſcum partitur.* Et Democritus apud Maxim.ſer.29. *Temperantes*, ait, *& ſtudioſi nunquam dormitant, etiamſi ſua ſtudia in multam noctem producant: non enim ſomnus tanquam dominus quidā eos impellit, ſeruitem vino ſubactam & in ſeruitutem redactam,quaſi cum contumelia deprimens; ſed liberi & recti permanent: cùm autem ſomnum petunt,eum pura mente recipiunt,neque proſperitatibus elati,neque vllis rebus aduerſis deiecti:æqualiter*
B *enim vtraque hæc fert animus ſobrius, neutroq; horum ſe vinci patitur; itaque & ſuauiſſimè dormit omni dolore vacuus,& ſomno non intercepto.*

Symbolicè, *non extinguetur in nocte*,id eſt in aduerſis, tentationibus & perſecutionibus, viraginis lucerna,id eſt lętitia,ratio,conſilium,gloria,poſteritas felicitas,horum enim ſymbolum eſt lucerna, vti dixi c.20.27.& c.24.20. *Symbol.*

Allegor.S.Auguſt.ſerm.45.de Diuerſis: Eccleſiæ lucerna in nocte,ait,eſt ſpes in tribulatione & ærumnis huius vitæ:hęc enim ſpes eam illuminat, animat,corroborat,vt conſtans in virtute & bonis operibus perſiſtat,expectans lucem & diem beatæ immortalitatis. *Vt in tenebris*,inquit,*nō deficiamus,ſed per patientiam expectemus:quod non videmus ſperemus. Tota ergo nocte ardeat lucerna noſtra. Et quia qui nobis* *Allegor.*
C *quotidie loquitur verbum,oleum infundit,ne lucerna extinguatur; ideo quotidie audiamus verbum, ſuſcipiamus oleum,ſuſtentemus lucernas ardentes,vt docet Dominus: Et lucernæ ardentes in manibus veſtris*, Lucæ 12. *Sit enim mulieris fortis huius exemplum imitabimur.*

Audi & Bedam: *Guſtauit*,inquit,*Eccleſia,& quælibet anima perfecta, id eſt intimo mentis deſiderio cognouit, quia bona eſt negotiatio vitæ immarceſcibilis,quam relictis illecebris temporalibus æternam mercemur in cælis. Guſtauit autem*;*id eſt apertè didicit, quia bonum eſt per inſtantiam prædicandi, quoſcumque valet ad viam veritatis adducere, atque ideo nullis tribulationum tenebris, nec ipſa morte poteſt lucerna deuotionis eius extingui. Eorum namq; lucerna nocte extinguitur,quamuis in die videatur ardere, qui, ſicut Dominus ait, ad tempus credunt, & in tempore rationis recedunt.*

Subdit deinde, per noctem poſſe accipi quietē
D orationis & contemplationis, q.d. *Lucerna Eccleſiæ & animæ ſanctæ non extinguitur in nocte quia & cùm à negotio quieſcit actionis,vacat liberiùs luci ſupernæ cōtemplationis; cumq́ue à publicis ceſſat operibus, curas ſe ardentiùs vel auditus ſanctæ lectionis,vel laudibus mancipare diuinis, iuxta exemplum videlicet mulieris induſtriæ,quæ non ſolùm interdiu neceſſarijs ſolet inſtare laboribus,ſed & noctu ſæpiùs accenſo lumine lucernæ parilem rei familiaris agere curam.*

Optimè hæc accommod. s B.Virgini. Primò, quia ipſa tam noctu,quàm diu vacabat orationi,& amori diuino,ceteriſq; bonis operibus,iuxta illud Cantic.5.2. *Ego dormio,& cor meum vigilat.* Vnde S. Bernar.ſer.2.de Aſſumpt. opponens illam virginibus fatuis,quæ veniente ſponſo caruerunt oleo ad lampades ſuas accendendas, *Non ſic*,inquit,*mulier illa fortis,quæ ſerpentis caput contriuit: habes enim poſt multa in laudibus eius, quia nō extinguetur in nocte lucerna* *B.Virginis nocturna lucerna. Primò.*

lucerna ipſius. In ſugillationem hoc dicitur fatuarum, A *quæ veniente media nocte ſponſo, conqueruntur ſerò, & dicunt, Quia lãpades noſtræ extinguuntur. Proceſſit igitur glorioſa Virgo, cuius lampas ardentiſſima ipſis quoque angelis luci miraculo fuit, vt dicerent, quæ eſt iſta? &c. clariùs enim ceteris rutilabat, quam repleuit oleo gratiæ præ participibus ſuis Chriſtus Ieſus filius eius, &c.*

Secundò, quia Chriſto in cruce morienti, cùm Apoſtoli de eius reſurrectione diffiderẽt & deſperarent, in ſola B. Virgine mãſit lucerna, id eſt certa fides & ſpes reſurrectionis, quòd ſcilicet tertio die reſurgeret vti promiſerat. Atque hoc repræſentat Eccleſia, inquit Amalarius in officio Eccleſ. hebdomadæ ſanctæ, cùm cereos duodecim extinguit, vnicumque accenſum reſeruat: ſcilicet ſignificat in duodecim Apoſtolis obſcuratam, vel extinctam fuiſſe fidem & ſpem reſurrectionis Chriſti; in B. Virgine verò viuam & ſplendidam permanſiſſe. B Vnde S. Cyrillus ſer. contra Neſtorium, eam vocat *lampadem inextinguibilem*. Deipara ergo fidem tempore Dominicæ paſſionis, veluti in nocte tribulationis & anguſtiæ, ſibi propter filij cõpaſſionem nimis tenebroſa, ſolidam atq; ardentem ſeruauit, quod ſatis oſtẽdit, dum filio in cruce ſuffixo fortiter aſtitit; neque eius crucem erubuit domi ſe abdendo, ſed palàm in publicum prodijt, & vt Chriſti paſſionibus magis communicaret, illum ſecuta ſtabat iuxta crucem eius. Cum ceteris autem mulieribus ad vngendum corpus eius (quem firma fide tertia die reſurrecturum credebat) nequaquam acceſſit, vt propterea de muliere illa forti dictum ſit: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.*

Tertiò, quia dum moreretur, illicò reſurrexit, ac tam corpore, quàm anima felix & glorioſa aſſumpta eſt in cælum: quare mors illi non tam mors C quàm vita fuit. Lucerna ergo, id eſt vita, eius non fuit morte extincta, ſed magis accenſa. Vnde Damaſcen. orat. 2. de Aſſumpt. *Tu ſola nobis*, inquit, *in terra conſolatio relicta es, & te viuente ſimul viuere, & moriente ſimul mori beatum eſt, quid autem moriente dicemus? tibi enim mors quoque ipſa vita eſt, ac vita præſtantior, atque hanc vitam incomparabiliter antecedens.*

Quartò, quia B. Virgo & dum viueret, & multò magis iam in cælis, pro omnium fidelium hominumque ſalute ſollicita, perdia & pernox laborat & peruigilat, efficitq; vt ſinguli pro ſua ſalute ſollicitè peruigilent. Quò S. Bernard. adaptat illud: *Ad lumen eius ambulabit in nocte.* Hoc eſt, inquit, fauor illius & gratia mihi pro face & lumine erunt, ad huius ſæculi nocturnas tenebras diſpellendas. Ipſa D ergo eſt velut Pharus luminibus circumdata, fidelibus in nocte & mari huius ſæculi nauigantibus portum ſalutis oſtendens. Quid ni? cùm S. Paulus ſingulis fidelibus dicat Philip. 2. 15. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.*

Denique S. Bernardus ſer. 2. de Pentecoſte: *Ad illam*, inquit, *ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium omnium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo, vt reſarciantur, & qui in inferno, vt eripiantur; qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur; qui ſequentur, vt glorificẽtur, &c. In te enim angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternũ. Meritò in te reſpiciunt oculi omnis creaturæ quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat recreauit.*

Vbi Nota B. Virginem vocari *negotium omnium ſæculorum*: Primò, paſſiuè & obiectiuè, quia ſcilicet ad ipſam tendunt omnia ſæcula, vt ad eam ornandam & coronandam omnia ſæcula negotiati id eſt perpetuò voluiſſe, laborare & operari videantur. Secũdò, actiuè, quia ipſa eſt *negotium*, id eſt negotiatrix apud Deũ pro fidelibus cuiuſuis ſæculi, idque facit tanta cura & ſtudio, vt non tam negotiatrix, quàm ipſum negotium cuiuſq; eſſe videatur; adeò enim cordi habet cuiuſque ſalutis negotium, ac ſi ſua propria res & negotium ageretur; quare inſtar ipſius negotij nunquam otiatur, ſed negotiatur intentè & aſſiduè. *B. Virgo negotium omnium ſæculorum duplenter.*

MANVM SVAM MISIT AD FORTIA, ET DIGITI EIVS APPREHENDERVNT FVSVM] Septuag. *cubitos ſuos extendit ad vtilia, & manus ſuas ad fuſum.* q.d. Ita conſtanter fila ducit, vt manus ad fuſum firmatas & alligatas habere videatur. VERS. 19. Iod.

Pro *fortia* hebræè כישור *kiſcor*, quod Rabbini, Vatab. Pagnin. & alij paſſim vertunt, *colum*, vel *verticulum*; Chald. *vertibulum*. Per quod accipi poteſt vel annulus ille lapideus, qui infernè fuſo inſeritur tum ad pondus, vt deſcendat & fluat; tum vt rotunditate eius faciliùs fuſus gyretur, vel rota, quæ vna manu circumacta, fila quæ altera manu nentur, fuſo circumducit; qua proinde vtuntur honeſtiores & ditiores feminę, tum ad facilitatem nendi, tum vt breui tempore multa ſtamina filaq; conficiant & accumulent.

Verùm Noſter meliùs vertit, *fortia*. Nam Symmach. Aquila & Theodot. vertunt, *ἀνδρεῖα*, id eſt *virilia*; Septua. *vtilia*. Heb. enim כשר *caſcar* ſignificat rectum eſſe, congruere, conuenire. Hinc כישור *kiſcor* eſt rectitudo, congruentia, conuenientia, decorum, vtile, item induſtria rectè faciendi, quæ eſt vera fortitudo. Significat ergo, quòd virago hęc manus extenderit ad opera ſibi congrua, decora, vtilia, induſtria, & cõſequenter fortia. Per quę tum generatim quęlibet opera heroica muliebria accipe, tum ſpeciatim opus lanificij & linificij, quod magnam induſtriam & fortitudinẽ requirit. Vnde de eo explicans ſubdit: *Et digiti eius apprehenderunt fuſum.* Nullum enim opus mulieribus eſt conuenientius, decẽtius, honeſtius, dignius, vtilius, quàm nere & texere, vt patet ex dictis v. 13. hoc enim inſigne ingenium artemq; requirit: hoc quoq; forte eſt, tum ob cauſas iam dictas, tum quia magnam corporis animique conſtantiam requirit, vt mentem æquè ac brachia ad aſſiduè filandum & texẽdum virago hæc obfirmet, vtque omnem vitam huic labori impendat, imò noctes integras in eo peruigilet. Quocirca Poëtę Palladem, ſiue Mineruam deam, fecerunt pręſidem tum nendi & texẽdi, tum bellandi, tum ſtudendi. Eidẽ ergo deæ tribuerunt hæc tria, linum cum lana, arma & literas: quia induſtria texendi fortes ſimul ac doctas mulieres in genere ſuo, ſiue iuxta ſtatum gradumque ſuũ, efficit. Vnde Exodi 35. 25. *Sed & mulieres doctę*, inquit, *quæ nouerant, hyacinthum, purpuram, &c.* Hinc *fuſus*, ait S. Iſidor. lib. 19. Orig. c. 29. *dicitur, quòd per ipſum fundatur, quod netum eſt. colum quòd ſit in longitudine & rotunditate quaſi columna.* Mulieri ergo arma ſunt colus, & fuſus, ijdem illi ſunt liber ſapiẽtiæ, honeſtatis & virtutis. Paulò aliter, ſed moraliter explicat B. Petrus Damiani opuſcul. 15. cap. 1. *Manum ſuam*, ait, *miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum, quia videlicet huius vitæ idoneus executor ſic ſe per maiora opera ex deſiderij feruore dilatat;*

Minerua dea bellandi, nendi & ſtudendi, curat

vt etiam cautius quæ ſunt minima non relinquat.

Allegor. Allegor. S. Auguſt. ſer. 45. de diuerſis, hæc adaptans Eccleſiæ & fidelibus, docet eos continuè ducere fuſum, cùm aſſiduè intendunt bonis operibus in præſenti, vt multa colligāt merita quaſi ſtamina, nec ea differant in futurum, cùm hoc incertum ſit, & ſæpè non eueniat; idq; ex eo quòd per modicum hunc laborem præſentem ſperent certò ſe conſecuturos ingentia prēmia in futuro ſęculo. *Diligenter*, inquit, *attende in lanificio duo inſtrumenta, colum & fuſum. In colo quidem lana inuoluta eſt, quæ fila ducēda tranſeat in fuſum: quod in colo inuolutum eſt, adhuc in ſiniſtra eſt, & nondum in fuſo eſt; quod in fuſo collectum eſt, iam præteritum eſt; opus ergo tuum in fuſo ſit, & non in colo, in colo enim eſt quod facturus es, in fuſo quod feciſti. Vide ergo ſi habes aliquid in fuſo; ibi enim firmantur brachia tua, ibi erit fortis conſtantia tua, ibi ſecurus Deo dices: Da quia dedi, dimitte quia dimiſi, fac quia feci. Quod pendet in colo, ad fuſum trancitendum eſt; non autem quod collectum eſt in fuſo, ad colum reuocandum eſt. Ergo vide quid agas vt habeas in fuſo, vt brachia tua firmes in fuſo, quod te conſoletur, quod te confirmet, quod tibi det fiduciam deprecandi & ſperandi.*

Parcarum trium ſymbolum. Hoc vt repræſentent Poëtæ, conſtituunt tres Parcas, quę nēdo homini vitę dies & ſortes, quaſi ſtamina diſtribuunt, vt cum diebus vitæ cuiuſque educant pariter eius ſortes, actiones ſcilicet & paſſiones. vita enim in actione conſiſtit: viuere enim eſt ſe mouere & agere. vnde otioſus qui nil agit, mortuus potiùs videtur quàm viuus. Hinc Poëta tres Parcas depingit:

Clotho rotat fuſum, Lacheſis net, at Atropos occat.

Nā, vt ait Apuleius. *Tres Parcæ, tria fata ſunt numero, cum ratione temporis facientia, ſi poteſtatem earum ad eiuſdem temporis ſimilitudinē referas. Nam quod in fuſo perfectum eſt præteriti tēporis habet ſpeciem: & quod torquetur in digitis, momēti præſentis indicat ſpatia: & quod nondum ex colo tractum eſt, ſubactumq; cura digitorum futura & conſequētis ſæculi poſteriora videtur oſtendere.* Lachesim dictam eſſe putant, quaſi ſortem, quia λαγχάνω græcè *ſortior* deſignat; Atropon, quia reuerti non poſſit; Clothon, quoniam contorta & coordinata omnia teneat. Hæc enim nomina ipſa lingua Græca oſtendunt. Hinc Martial. lib. 1.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obſeruant quem ſtatuēre diem. Rurſum
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ, ait Virgil. 4. eclog.

Decorè quiſque pro gradu ſuo operetur. Porrò quiſque operari debet *vackiſor*, id eſt in rectitudine & congruentia, vt ſcilicet operetur congruè ad ſuam perſonam, vocationem & gradum: nimirum rex operetur regaliter, ciuis ciuiliter, Religioſus religiosè, ſacerdos vti decet ſacerdotem, miles vti decet militem, ſenator vti decet ſenatorem, &c. idque perfectè & excellenter: ſic quiſque perſonam ſuam aget decenter & eximiè.

Myſticè fuſus eſt recta intentio. Rurſum per *fuſum* qui rectus eſt & rectè rotatur, Hugo accipit rectitudinem intentionis, quę opera etiam indifferentia rectificat, ſanctificat, vt quo rectior & ſanctior eſt intentio, eo rectius & ſanctius ſit opus; intentio enim eſt quaſi forma & anima operis. *Digiti*, inquit, *huius manus ſunt omnes electi, qui apprehendunt fuſum, id eſt rectitudinem intentionis, per quam omnia opera quaſi fila in orbem æternitatis retorquent. Hic autem notari debet, quòd per ſiniſtram temporalia, per dexteram ſpiritualia & æterna bona ſignificantur. Itē per colum ſignificatur vita temporalis, per fuſum intentio boni operis: colus quidē in ſiniſtra ponitur,*

A *& fuſo lana vel linum in dexteram retorquetur, quod eſt rectè nere: hoc autem fit quādo temporalia & humana ſic exercentur, vt per bonam intentionem quaſi in filum ducta, ad æterni ſpiritualiſq; meriti conditionem tranſeant.* Inſuper auctor Catenæ Græcor. *Fuſus, ait, eſt mens pura, quæ virtutem virtuti, dogmaq; dogmati continuè attexit.*

Hæc omnia mutato nomine adaptes B. Virgini, quæ fortia, id eſt ſuæ dignitati congruentia & heroica, charitatis, dilectionis inimicorum, vt Iudæorum qui Chriſtum occiderant, patientię, &c. opera aſſiduè exercebat, qualia decebat operari matrem Chriſti, ac nominatim corporaliter aſſiduè ducebat fuſum, vt telas conficeret pro templo, & Chriſto filio ſuo: ſpiritaliter verò in omni opere bono habebat fuſum, id eſt rectiſſimam intentionem, æquè ac aſſiduam continuationem, atque eorum inter ſe aptam connexionem & ordinem, vt inter *De B. Virgine.*
B ſe pulchrè connexa & ordinata, eſſent, inſtar filorum in fuſo. Hæc enim tria, ſcilicet rectitudinem, continuationem & connexionem, ſiue ordinem actionum repræſentat fuſus. Quare quotieſcumque illi bene operādi occaſio offerebatur, eam arripiebat, ex illa quaſi ex colo bona opera, velut ſtamina efficaci operatione in fuſum, id eſt in cumulum meritorum ſuorum, tranſmittebat. Rurſum quoties illi bonum deſiderium à Deo immittebatur, continuò ex eo quaſi ex colo & lino fila efficacis operationis educebat. Nobis tot occaſiones, tot bona deſideria ingeruntur, ſed velut linū in colo hærēt; quia ex eis ſtamina bonarum actionum non educimus, ac interim ſtamina vitę noſtrę ad finem decurrunt; quare in morte fuſum meritorum noſtrorum exilem & gracilem reperiemus, ſerò pœnitebimus. *Fuſus tria notat.*

C Anagog. Beda per colum, qui eſt in dextra, accipit vitam æternam, per fuſum qui in ſiniſtra, vitam pręſentem. *Sæpè*, inquit, *in Script. dextera vitam perpetuam, læua præſentia Deo dona ſignificat, opulentiam videlicet rerum, pacem tēporum, ſoſpitatem corporum, ſcientiam quoque Scripturarum, & cæleſtium perceptionem ſacramentorum. Hæc & huiuſmodi bona cùm Domino largiente percepimus, quaſi lanā colo inuolutam in læua geſtamus. At cùm ea prę amore cæleſtium ſalubriter exercere incipimus, iam lanā Agni immaculati de colo in fuſum, de læua in dexteram trancimus, quia de donis noſtri redemptoris, de exemplis operum eius ſtolam nobis gloriæ cæleſtis, ac veſtem charitatis nuptialem facimus.* Et inferiùs: *Et bene dicitur, Apprehenderunt, vt viuaciùs commendetur quanto ſtudio, quāta feſtinatione in huius vitę incerto, pro certis apud Dominū præmijs agere debeamus.* *Anagogicè.*

D Tropolog. Martyres, virgines, Religioſi robuſtos, viriles & martios gerunt ſpiritus, ideoq; manum mittunt ad fortia; quid enim fortius quàm beſtias, ignes, cruces ſuperare, imò ambire? quid fortius quàm in carne quaſi ſine carne, inſtar angeli viuere? quid fortius quàm ſeipſum vincere, ſe totum Deo conſecrare, virtutes omnes, omnemque perfectionem, omnes dotes opeſque terræ & cæli inuadere & diripere?

MANVM SVAM APERVIT INOPI, ET PALMAS SVAS EXTENDIT AD PAVPEREM] Hebr. *manum ſuam extendit ad afflictum, & manus ſuas miſit ad egenum*: Chald. *manum ſuam extendit ad inopem, & brachia ſua miſit in iniuriam patientibus.* Septua. *manus ſuas aperuit pauperi, & palmam extendit inopi.* Vers. 20. Caph.

Pro *palmam* græcè eſt καρπὸν, quæ vox & fructum, & cōmiſſuram ſiue iuncturam brachij cum manu,

manu, quam Latini poſt Græcos carpum vocant, & conſequenter palmam ſignificat. Vnde S. Auguſt. legit, *& fructum ſuũ porrexit inopi.* Verùm hoc loco palmam ſignificare, non fructum, patet ex Hebræo, Chald. & Vulgata. Pro *aperuit* hebr. eſt פָּרְשָׂה *paras*, id eſt, extendit, diſtendit, expandit, quæ vox liberalitatem huius viraginis notat. q.d. Manum, quam aliæ mulieres timidæ nequando egeant, curuam & clauſam (hanc enim ſignificat Heb. כַּף *caph*) habere ſolent; hęc virago nõ tantùm aperuit, ſed & liberaliter ad obuios quoſq; expandit, imò & ad remotos diſtendit, idque fecit non ſolum benefaciendi, ſed & ſibi ſuæque familiæ conſulendi ſtudio. Sciebat enim nihil ita opes familiæ augere ac eleẽmoſynam, vtpote cui Deus benedicit, nec tantùm par pari, ſed & decuplum ſimplo rependit. Vide S. Chryſoſt. homil. *Quod eleẽmoſyna eſt ars omnium artium quæſtuoſiſsima.* Septuag. vertunt, *carpum ſuũ extendit pauperi*; quod aliqui ſic explicant, q.d. Pauperi non tantùm pręſentem dabat eleẽmoſynam, ſed & futuram quaſi data per carpum fide pollicebatur. Solebant enim veteres, teſte Clemente Alexandr. cùm alicui ſe oſtringerent & fidem darent, carpum manu tenere, alterique cui fidem dabant premendum præbere: vt hoc ritu fidei obſtrictæ nodus exprimeretur.

S. Auguſt. *καρπὸν* vertens, *fructum*, ſic explicat, q.d. Fructum, putà lucrum quod ex opere manuũ ſuarum collegit & conflauit, non ſibi ſeruauit, nec tantùm in familiam alendam expendit; ſed & in pauperes diſtribuit, quo ſignificatur ingens viraginis huius opera, & operę lucrum, æquè ac eius animus & beneficentia, vt hęc illi ſuppar, & ex æquo commenſa foret. Id præſtitit B. Nonna mater S. Gregorij Nazian. de qua ipſe ita ſcribit orat. 19.

B. Nonna mater Nazianz. effuſa in pauperes,

Solas has tutas atque ab omni ſurreptione immunes opes ducebat, nimirum Deo & pauperibus effundere opes, ac præſertim conſanguineis, qui fortunis ſuis tanquam flore quodam excidiſſent: quibus quod neceſſe eſſet dumtaxat præbere, non calamitatis depulſionem, ſed monimentum eſſe indicabat; liberaliùs autem & prolixiùs eos iuuare, id demum firmi honoris, ac perfectiſsimi ſolatij eſſe.

& B. Gorgonia,

Et B. Gorgonia, filia B. Nonnę, ſororq; S. Gregorij Nazian. de qua ipſe ita ſcribit orat. 11. *Quænam liberaliorem egentibus manum porrexit. Equidem Iobi quoque verba de ea iactare non dubitem: Oſtium eius viatori omni patebat, nec foris iacebat peregrinus. Cæcorũ oculus erat, claudorum pes, pupillorum mater. De ipſius porrò erga viduas humanitate ac miſericordia quid maius dicere neceſſe eſt, quàm quòd hunc fructum hinc tulit, vt vidua minimè vocata ſit? Illius domus propinquis inopia laborantibus hoſpitij communis loco erat. Illius opes pauperibus omnibus non minùs communes erant quàm ſuæ cuique facultates: diſperſit, dedit pauperibus, atque ob diuini promiſsi firmitatem ſummamq; veritatem multa in cæleſtia horrea condidit, ac perſæpè de multis bene merendo Chriſtum ipſum excepit.*

& S. Paula.

S. Paula adeò effuſa fuit in pauperes, vt opes quas habebat maximas, exhauſerit, ac moriens ingentia debita filiæ S. Euſtochio perſoluenda reliquerit; imò quod optaret ei obtigerit, vt in aliena ſindone ſepeliretur; teſtis eſt S. Hieron. in eius Epitaphio.

S. Oſvvaldi manus incorrupta.

Memorabile eſt quod legimus de S. Oſwaldo rege Angliæ, eius manum ob eleẽmoſynas largè erogatas, poſt mortem manſiſſe incorruptã. Audi de eo Bedam li. 3. Hiſtoriæ Anglor. *Cùm die ſanctæ Paſchæ cum Aidano Pontifice*, id eſt Epiſcopo, *conſediſ-*

ſet ad prandium, poſituſq; eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus, regalibus epulis refertus, iamq; eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, intrauit ſubitò miniſter ipſius, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, & indicauit regi, quia multitudo pauperum vndecumque adueniens maxima per plateas ſederet, poſtulans aliquid eleemoſynæ à rege. Qui mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus iuſsit: ſed & diſcum confringi, atque eiſdem minutatim diuidi præcepit. Quo viſo Epiſcopus qui aſsidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquam inueteraſcat hæc manus, quod & ita iuxta vota benedictionis eius prouenit. Nam cùm interfecto illo in pugno, manus cum brachio à cetero eſſet corpore reſecta, contigit, vt hactenus incorrupta perduret. Denique in vrbe regia, quæ à regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo incluſa argenteo in eccleſia S. Petri ſeruatur, ac digno à cunctis honore veneratur.

Simili modo dextera manus S. Stephani primi Hungarorum regis & Apoſtoli, qua largas dabat eleẽmoſynas, poſt mortem manſit incorrupta, ab angelo reuelata, & à proceribus regni debito cultu honorata, vti habet eius Vita. Vita functus tranſijt ad ſuperos anno Domini 1038.

Allegoricè Beda: *Eccleſia*, inquit, *aperuit manum inopi, cùm myſteria fidei ignorantibus per operarios veritatis reuelauit. Palmas extendit ad pauperem, cùm longè lateque prædicatores ad imbuendos æternæ ſalutis indigenas per nationes diſperſit.*

& B. Virgo.

Porrò hæc omnia facile eſt accommodare B. Virgini, cuius eleẽmoſynas, miſericordiam & liberalitatem celebrant omnium ſæculorum hiſtoriæ, omnes nationes, omnis ætas & ſexus; quam proinde tota Eccleſia quotidie hiſce vocibus inclamat, & hiſce elogijs eius opem implorat: *Salue regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalue.* Nam vt ait S. Anſel. *charitatem, & miſericordiã velut alumnas ſuas vlnis fouet.* Et S. Bernar. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Marię non trãſiret.* Vnde S. Bonauent. *Sicut oculi*, inquit, *ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominam noſtram donec miſereatur noſtri.*

NON TIMEBIT DOMVI SVI (domeſticis ſuis) A FRIGORIBVS NIVIS: OMNES ENIM DOMESTICI EIVS (Heb. *omnis domus eius*) VESTITI SVNT DVPLICIBVS] Pro *duplicibus* hebr. eſt שָׁנִים *ſcanim*, quod Chald. Pagnin. & alij vertunt, *coccinum.* Sic enim habet Chal. *non timebunt filij domus eius à niue: quoniam omnes domeſtici eius veſtiti ſunt coccino*, id eſt veſtibus coccineis. q.d. Omnes veſtiti ſunt veſtibus pretioſis, quanto magis neceſſarijs ad arcendum frigus? ita Vatablus. VERS. 21. Lamed,

Verùm indecorum videtur, vt hæc virago viles ancillas operibus lanæ liniique addictas, ac ſeruos culturæ agri & vineæ deputatos, veſtiat pretioſo cocco; præſertim quia coccus etſi calidus, tamen ſimplex & ſubtilis eſt; quarè minùs arcet frigus quàm veſtis craſſa & ſuffulta.

Igitur noſter meliùs vertit, *duplicibus*: Hebr. enim *ſcanim* deſcendit à שָׁנָה *ſcana*, id eſt mutare, iterare, geminare, vnde *ſcanim* ſignificat geminatum & duplex; vel, ſi alijs punctis legas, שְׁנַיִם *ſcenaim* idem eſt præcisè quod *duabus* vel *duplicibus.* Vnde Septua. nectentes cum מַרְבַדִּים *marbaddim*, quod ſequitur v. proximo, vertunt, *διπλᾶς*, id eſt *binas*, vel *duplices*; ſed priſci codices Septua. conſentiunt cum Vulgata, vnde Caſſian. collat. 14. c. 8. legit ex Septuag. *omnes enim qui apud eam ſunt, veſtiti ſunt dupliciter.* Per *duplices* veſtes alij accipiunt vnam æſtiuam

leuiorem, alteram hiemalem craſſiorem & calidiorem; alij, vnam veſtem detritam & veterem, aliam nouam & villoſam. Verùm propriè accipias veſtes duplices, ſcilicet binas & geminas, aut ſimplices, ſed ſuffultas. In hieme enim ſolent ditiores veſtes multiplicare, & binas veſtes induere, aut certè vnam pellibus vel panno ſuffultam, vt ſit inſtar duarum ad pellendum frigus. Rurſum *duplicibus* accipi poteſt pro multiplicibus, cuius ſignificatus alibi plura collegi exempla. Significatur enim hic prouida viraginis cura & liberalitas, qua domui & domeſticis de multiplici ſupellectile, annona & veſte copioſè proſpicit. Illorum enim decus & decora veſtis ſunt decus ipſius viraginis. Nam vt ait S. Chryſoſt. *Integra familia integri adinſtar cuiuſdam corporis obtinet, cuius caput vir & vxor, reliqui autem domeſtici* (ſcilicet filij & filiæ, ſerui atque famulæ) *alia membra componunt. Ergo qui ſeruos ſuos indecorè nudos, aut detritis obſoletisq; veſtibus amictos eſſe ſinit, ſui corporis bonam partem dedecore afficit.*

Adde, hoc eſſe lucrum viraginis & familiæ. Cùm enim domeſtici ab ea contra frigus veſtibus muniti ſunt, calent ferventque ad opus: quare duplo plus operis cõficiunt, quàm conficerent ſi nuditate & frigore algerent & torperent. Audiat hæc Religio, cuius hæc mulier typum gerit, & Abbates, Priores & Rectores Religionum, ac manus ſuas Chriſti pauperibus, Religioſis filijs ſuis, qui propter Chriſtum pauperes ſe fecerunt, aperiat, & eis neceſſaria cum magna charitatis ſignificatione prouideat, ne à parentibus vel amicis ea emendicare, aut aliunde ea ſibi comparare, cum paupertatis, famæ & diſciplinæ iactura cogantur.

Hanc gnomen inſigni apologo teſtudinis & muris ſuis parabolis inſarto, Cyrillus illuſtrat li. 1. Apolog. moral. ca. 7. cuius titulus: *Semper cum tuo onere perge: Mus,* inquit *per cellarium feſtino greſſu diſcurrẽs, teſtudini lento paſſu pergenti obuiauit. Cuius quidem congruam grauitatem mox ſtultus deridens, ironicè cum illuſione ſic dixit: Quid ſoror tam rapida velocitate incedis? Cui illa moto capite illuſorem deludens, ad veritatem reſpondit: Ego ſic pergo, quoniam onerata ſum armis meis. Tum ille: Stultum eſt tantum onus vbique portare. At illa: Imò ſtultum eſt quod indicas non ſentire, ac ſtolidũ magis nondum ſecutum ab hoſtibus, inermem ſaltando diſcurrere: nimirũ ex naturæ prouidentia tota corticis pondere circumquaq; vallata, domum, murum & clypeum, cùm neceſſitas inſtat, mihimet ipſi reperio, & mendicando ſuffragia non diſcurro. Tu verò leuis, quia inermis es, cùm hoſtis tibi vngula furibunda occurrerit, hinc inde quærẽdo ſuffragia, ſtupidus curris; ac ſubitò præuentus ab hoſtili multitudine peris, ſi nõ inueneris vbi mox abſcondaris. Quid ergo de lethifera leuitate lætaris?* Idem deinde ſimilitudine nautarum, equi, maris, terræ & ſtipulæ confirmat, aitque: *Attẽdite igitur, quòd ventorum leuitas in profundum ſæpe nautam ſubmergit; & belliger equus, niſi ſit pondere aggrauatus, haud ſecurus in hoſtium cuneũ ſe immittit, maris vnda fluctuoſa leuitate ſemper circumfluit; & tellus ſua ponderoſitate quieſcit, leuis ſtipula flatu ventorum inquieta reuoluitur, & lapillus ſua grauitate firmatur. Igitur frater mi, tibi tua ſit leuitatis grata tẽpeſtas, mihi mea ponderoſitatis chara trãquillitas. Placet certè vbique ſuaue tegmen protectionis, ac ſemper habere mecum onus leue ſaluti. Quibus dictis recedens, deriſoris ſui riſum conuertit in luctum.*

Apologus grauitatis.

Similia.

Porro Septuag. non ad verbum, ſed paraphraſticè vertunt: *nõ eſt ſollicitus de his quæ in domo vir eius, ſicubi moratus fuerit* (niue intercludente reditum), *omnes enim qui apud eam degunt, probè ſunt induti rectèque conſtituti:* ita auctor Catenæ Græcor. q. d. Vir omnem domeſticorum circa victum & veſtitum ſollicitudinem in vxorem, quæ virago eſt, reijcit. Scit enim ab ea omnibus de cibo & veſtibus abundè proſpici, ac in primis ſibi, vepote marito, vnde ſubdunt Septuag. *binas veſtes fecit viro ſuo.*

Allegor. Beda & ex eo Gloſſa: Eccleſia, inquit, & anima fidelis veſtitur duplici veſte, ſcilicet Primò, doctrina & virtute; Secundò, ſapientia & patientia; Tertiò, gratia & bonis præſentis vitæ, ac gloria futuræ; Quartò, fide & operibus; Quintò, Chriſti Sacramentis & exemplis. Audi Bedam: *Veſtiti ſunt duplicibus: quia promiſſionem habent vitæ quæ nunc eſt & futuræ: nunc in peregrinatione temporali diuino auxilio, ne deficiant, adiuti; tunc in patriæ perpetis habitatione diuinæ gratiæ viſione, vt felices ſemper viuant, alleuati. Itẽ domeſtici eius induti veſte ſunt duplici, vna operis, altera mentis, fidei habentes factorumq́; velamina, Sacramentis videlicet ſui redemptoris imbuti, & informati exemplis. Sic enim fit illud Apoſtoli, Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Poſſumus autẽ frigora nimis tormenta æterna intelligi, quæ igne & frigore mixta eſſe legimus, cùm dicitur: Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Fletum quippe oculis ignis & fumus; ſtridorem verò dentibus ſolet frigus gignere. Vnde & beatus Iob de pœnis reproborum loquens æternis: Ad calorem, inquit, nimium tranſibunt ab aquis niuium. Sed ab his Eccleſia domui ſuæ non timebit: quia quicumque pereunt, ad domum illius non pertinebant, nec veſte ipſius ſpirituali erant induti, tametſi myſterijs eius ad tempus videbantur inſtituti.* Iob 24. 19.

Rurſum Hugo: *Duplex,* inquit, *veſtis eſt bonum opus cum recta intentione, qua veſtiti ſunt viri Eccleſiaſtici. Hypocritæ verò penulas habẽt, id eſt veſtes ſimplices ſine ſuffultura, quia bona opera faciunt, ſed non recta intentione.* Idem Hugo: *Duplex veſtis,* inquit, *eſt hiemalis & æſtiualis. Veſtem hiemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluuiam & grandinem tentationum & perſecutionum: eiuſmodi ſunt patientia, manſuetudo, humilitas, & alia id genus. Æſtiualem dico virtutes, quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contemplationi, qualis eſt charitas, pietas, deuotio, ſapientia.*

Inſuper Eccleſia & anima fidelis contra frigus niuis, id eſt acediæ & torporis, veſtitur duplici charitate, ſcilicet Dei & proximi, quæ proinde eſt coccus bis tinctus, ait S. Gregor.

Porro S. Ambroſ. libr. 2. ad Gratian. in proœmio, per duplices veſtes accipit ſacerdotales, quaſi eas imitata ſit hæc virago, vt ſacram earum ſignificationem ſibi ob oculos poneret. *Bona enim & illa,* inquit, *quæ textrinũ indumenti ſacerdotalis oſtendit, vel lex ſcilicet, vel Eccleſia, quæ binas veſtes fecit viro ſuo ſicut ſcriptum eſt, vnam operis, alteram mentis, fidei intexens factorum velamina. Itaq; alibi ſicut legimus, aurum prætexit, & poſtea hyacinthum ac purpuram cum cocco ſubiungit & byſſo. Rurſus alibi ex hyacintho & ceteris priùs floſculos formas, aurumq; ſubuectis, & vnus eſt habitus ſacerdotis; vt iiſdem coloribus micans gratiæ decorisq; diuerſitas ordinis diuerſitate reſplendeat.* Prouerb. 31. Exodi 28.

Idem S. Ambroſ. in c. 31. Prouer. per binas veſtes geminam de Chriſto fidem accipit: Chriſtum enim tã Deum quàm hominem credimus & confitemur. Denique S. Bernard. lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium, per duplices veſtes accipit fortitudinem & decorem: fortitudinem in conſcientia, decorem in fama: *Dominus,* inquit, *regnauit, de-*

corem

corem induit, induit Dominus fortitudinem. Tu quoque eſto fortis in fide, decorus in gloria, & probaſti te imitatorem Dei. Fortitudo tua, fiducia fidelis conſcientiæ; decor tuus, ſplendor bonæ opinionis. Ita, quæſo, induere fortitudine: etenim gaudium Domini fortitudo tua. Porrò ſpecie tua & pulchritudine tua nihilominus tanquam propria ſimilitudine delectatur. Induere veſtimentis gloriæ tuæ, veſtire duplicibus, quibus domeſticos ſuos fortis illa mulier induere conſueuit. Non ſit in conſcientia nutans infirmitas modicæ fidei, non ſit in ſancta manus mala ſpeciei; & veſtire duplicibus, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam animam tuam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.

Symbol. Caſſianus collat. 14 c. 8. per duplices veſtes accipit duplicem S. Scripturæ ſenſum, ſcilicet literalem & myſticum: vtroque enim ſe veſtit ornatque Eccleſia.

B. Virgo veſtita duplicibus: quibus? Hæc omnia facilè eſt adaptare B. Virgini. ipſa enim veſtita fuit veſte duplici & coccinea bis tincta, id eſt ardenti charitate Dei & proximi, iuxta illud pſ. 44. *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus*, putà omniũ virtutum varietate. Interioris enim hominis, putà mentis, veſtis aurea eſt charitas; exterioris hominis verò veſtis eſt modeſtia & continentia. quæ ceteras virtutes complectitur. Rurſum ipſa duplici veſte, ſcilicet vita actiua & contemplatiua, dotata fuit. Porrò pretioſiſſima fuit eius charitas, tum quia ſuperueniens in eam Spiritus ſanctus, qui per eſſentiam, imò ex vi proceſſionis ſuæ eſt increatus amor & charitas, totum ſe cum illa Virgini infudit: tum quia ipſa continuos & ardẽtes huius amoris actus eliciens, eam immenſis incrementis adaugebat: tum quia ipſa heroico charitatis actu crebrò & quaſi aſſiduè ſe cum filio, Deo in holocauſtũ morti pro ſalute hominum deuouebat: cuius actus vndequaque pretium & meritum erat ingens, & nobis incomprehenſibile.

Eàdem veſte ipſa ornat ſibi deuotos, eaque rurſus duplex eſt, quia tam Chriſti, quàm B. Virginis virtutibus eos veſtit & induit, iuxta illud S. Bonauenturæ in Pſalter. *Mariam induite quotquot diligitis eam: hæc luceat in moribus, ſplendeat in actionibus.*

Porrò quomodo duplex veſtis, id eſt ardens & continuus charitatis actus, excludat omne frigus niuis, id eſt peccati, oſtendam in fine verſus ſequ.

Inſuper ſicut Eua, vt ait S. Bernard. ſer. de Laudibus S. Mariæ, *ſuperneſtiuit carnem filiorum ſuorum, ſicut diploide, confuſione ſua: de manu quippe illius duplicis mali ſemen terra noſtra ſuſcepit, ſcilicet iniquitatem & culpam in anima, calamitatẽ in corpore*: ſic ex aduerſo B. Virgo duplici veſte contraria nos donat, ſcilicet gratiâ & gloriâ, tam corporis quàm animæ. Hęc ergo eſt diploïs fulgida, quã ſuis tribuit Virgo glorioſa. Quocirca illi optimè conuenit verſio Septuag. *non eſt ſollicitus de his quæ in domo vir eius, ſicubi moratus fuerit; omnes enim qui apud ipſam veſtiti ſunt*: quia ſcilicet Chriſtus Eccleſię & fidelium adminiſtrationem vſque ad diem iudicij, quo ipſe poſt longam moram omnes iudicaturus redibit, cõmiſit B. Virgini, vti docet S. Germanus, S. Bernard. S. Bonauent. & alij.

Rurſum Doctor priſcus pius & eruditus, ex hoc loco docet eos, qui in hac vita peculiari deuotione ſeruierunt B. Virgini, ab ea ſingulari gloria quaſi veſte duplici donandos in cęlo: *Sicut*, inquit, *ſerui regij & reginæ in curia regia, certis veſtibus & inſignibus deaurati procedũt, per quæ agnoſcuntur eſſe ſerui regis vel reginæ, ac ſpeciali purpura veſtiti ambulant: ita in curia cæleſti ſerui B. Virginis ſpeciali ornatu & gloriâ, qua præ alijs diſcernuntur, quòd ſint ſerui Mariæ, fulgebunt, iuxta illud Prouerb. vlt. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.*

Denique nonnulli per duplices veſtes accipiunt duplicatum meritum ſingularum actionũ B. Virginis. Nam Franc. Suarez 3. p. q. 37. a. 4. diſp. 18. ſect. 2. & 4. cenſet B. Virginem in vita continuè meruiſſe, & in gratia creuiſſe: frequentiſſimè enim & quaſi aſſiduè actus charitatis intenſiſſimos eliciuiſſe, itaq; eos per meritum conduplicaſſe, idque continua intenſione & conduplicatione: qua factum eſt, vt in fine ad immenſum charitatis & meritorum cumulum peruenerit. Docet enim Deiparãm ſecundùm omnes gradus intenſionis habitus charitatis & gratiæ ſemper operatam fuiſſe, adeò vt præexiſtens iam habitus totã vim ſequenti actu exhauriret. Probat hoc Primò, exemplo angelorum, qui dum viatores eſſent, idipſum præſtiterũt: intenſiſſimè enim & continuo amore amarunt & coluerunt Deum; ita vt actualis amor habitui ſuo eſſet commenſus & adæquatus, illumque exhauriret; quod autem angelis aut alicui creaturæ eſt conceſſum, id matri Dei congruè denegari nequit. Secundò, probat idipſum ratione, quia nihil erat in Virgine, quod vim iſtam habitus hebetaret, non diſtractio, non tentatio, non concupiſcentia, nõ grauedo corporis, quę in nobis actus retundũt & hebetãt, vt nemo hominum ſit, qui aſſiduè tantum amet Deum, quantum ex habitu charitatis, quem habet, amare poteſt. Ergo dicimus B. Virginem in primo inſtanti habuiſſe habitum charitatis & gratiæ intenſum vt mille (infuſus eſt enim illi maior habitus quàm ſupremo Seraphino) ac eliciuiſſe actum charitatis vt mille; illo actu meruit totidẽ gradus adijci habitui charitatis, eumq; duplicari: Deus ergo ilicò eum duplicauit, fecitque intenſum vt bis mille. Secundo operationis ſuæ inſtanti ex habitu hoc intenſo vt bis mille, elicuit actum æquè intẽſum vt bis mille: meruit ergo totidem, ſcilicet bis mille gradus adijci habitui charitatis, vt iã is eſſet intenſus vt quatuor mille. Tertio operationis inſtanti eidem ex ęquo cooperata, elicuit actum intenſum vt quatuor mille: meruit ergo augmentum aliorum quatuor mille, vt iam acciperet habitum intenſum vt octo mille. Et ſic ſemper actui adæquando habitum, continuò eum conduplicauit, vt quarto inſtanti habitus foret intenſus vt ſedecim millia, quinto vt 32. millia, ſexto vt 64. millia, ſeptimo vt 128 millia, octauo vt 256 millia, nono vt 512. millia, decimo vt 624. millia, vndecimo vt 1244. millia, duodecimo vt 2496. millia: & ita conſequenter per progreſſionẽ arithmeticam, qua numerus & pretium exiguum poſt paucas progreſſiones creſcit in immenſum. Inde colligit Suarez, B. Virginem extremo charitatis actu, quem elicuit moriens, maiorem gratiam & gloriã meruiſſe, quàm omnibus actibus totius vitæ præcedentis. Sic enim in progreſſione arithmetica vltimus numerus conduplicatus multitudine ſuperat omnes præcedentes.

Hæc ſupputatio pia & probabilis eſt, ac Deo poſſibilis; at non vſquequaque certa, tum quia incertum eſt, an continuò per ſingulas operationes totius vitę per 72. annos tam intẽſos actus elicuerit B. Virgo, vt ſemper habitum adęquarent & exhaurirent: pręſertim cùm id non fecerit Adam in ſtatu innocentiæ, nec fortè feciſſent angeli per 72. *Moderatio ſententiæ.*

 annos,

annos, ſi eorum ſtatus viæ & merendi tam diu duraſſet: potentia enim creata flexilis & libera non videtur ferre tam longam & continuam attentionem, intentionem & contentionem; eſt enim extrema, ideoque violenta: vnde nullum eius extat exemplum, tum quia actus in homine non tam crebro innouantur, ſed ijdem in contemplatiuis durare ſolent ad plures quadrantes & horas: tum quia incertum eſt, an actus vt tria mereatur augmentum habitus vt tria, præſertim vt id ilicò detur in hac vita: nam meritum actuum ſupernaturalium videtur reſpondere actioni phyſicæ actuum naturalium: actus autem naturales non augent, nec duplicant habitũ niſi illo ſint intenſiores. Potuit vtique Deus per continuos & vehementes gratiæ impulſus voluntatem Virginis ita excitare & roborare, vt non tantùm habitum actum adæquaret, ſed & ſuperaret, vtque tam diu, quàm noctu actus ardentiſſimos aſſiduè eliceret & conduplicaret; ſed an reipſa hæc præſtiterit non certò liquet. Certum eſt, multa extraordinaria nobis incognita in B. Virginem Deum contuliſſe priuilegia, quæ matrem Dei decebant; ſed quæ preciſè, qualia & quanta fuerint, nulli hactenus reuelauit, quare varij varia opinantur & coniectant.

VERS. 22. Mem.

STRAGVLATAM VESTEM FECIT SIBI: BYSSVS ET PVRPVRA INDVMENTVM EIVS] Hebr. pro *ſtragulatã veſtem* eſt מַרְבַדִּים *marbaddim*, quod Aquila & Theodot. vertunt, *periſtromata*; Symmach. & Vatabl. *tapetia*; Chald. *ſtrata fecit ſibi*; Syrus, *lectulum* (lectiſternium) *fecit ſibi*: minùs rectè Pagnin. *torquem fecit ſibi*. Noſter ergo optimè vertit, *ſtragulatam veſtem*. Radix enim רָבַד *rabad*, ſignificat ſternere, & ſternendo ornare: vnde *marbaddim* ſignificat ſtragula ornata & variegata. Nam Varro de Lingua Latina: *Quidquid inſternebant*, inquit, *à ſternendo ſtragulũ vocatur*. Valla l. 6. c. 46. Stragula, inquit, eſt genus veſtis, ſiue quidquid inſternitur lecto, equo vel alij, vt altari, parieti, pulpito, &c.

Porro veteres hæc ſtragula varia textura, acupictura & vario delineamento figurarum conficiebant & exornabant, ideoque erant pretioſa; vnde Tibullus lib. 1. eleg.

Nam neque tunc pluma, nec ſtragula picta ſoporem.

Hinc iter ſtragula numerãtur tapetia Turcica & Belgica, affabrè varijs figuris inciſa vel acupicta. Vnde Iſidor. lib. 19. cap. 26. *Stragulum*, ait, *veſtis eſt diſcolor, quod manu artificis diuerſa varietate diſtinguitur. Dictum autem quod in ſtratu & amictu aptum ſit, de quo Salomon: Stragulatã veſtem fecit ſibi.* Et c. 7. 16. *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto.* vbi in Hebr. idem eſt verbum רָבַד *rabad*, quod hîc. Veſtis ergo ſtragulata eſt veſtis diuerſis figuris, coloribus, licijs variegata per variam ſiue texturam, ſiue acupicturam, ſiue inciſuram, &c.

Senſus ergo eſt, q. d. Virago hæc non tantùm ſimplices telas & pannos, lineos laneoſque neuit & texuit pro domeſticis ſeruis & ancillis, ſed & pretioſa ſtragula, putà tapetia, lectiſternia, frontalia, &c. vel texendo, vel acupingendo opere phrygionico eleganter, elaborauit, ijſque domum inſtruxit & adornauit, vti ijſdem domos nobilium principum videmus inſtrui & adornari.

BYSSVS ET PVRPVRA INDVMENTVM EIVS] q. d. Sua induſtria ſibi æquè ac marito, vt habent Sept. & filijs byſſinas & purpureas veſtes confecit, qua in re ſacerdotales veſtes imitata eſt: hæ enim contextæ erant ex byſſo & purpura: vt ſignificarent ornatum ſuum eſſe ſacrum & myſticum, ſicut enim ſacerdos ijs ornatus ad placendum Deo: ſic & illa ſimilibus ſe decorè ornauit ad placendum, tam Deo, quàm marito. Byſſus enim cãdore ſuo pudicitiam purpura flammeo colore amorem cõiugalem repræſentat. Vnde olim velum, quo ſponſæ in nuptijs velabantur, candidum erat & purpureum, indeque flammeum vocabatur, vt Iſidorus & alij teſtantur. Byſſo ergo ſuam caſtitatem, purpura ſuum amorem præ ſe fert & profitetur.

Flammeum quid.

Byſſus eſt caſtitas, purpura charitas.

Allegor. hæc adaptes Eccleſiæ: vnde S. Ambroſ. lib. de Tobia cap. 20. *Sapientiæ veſtimentum*, inquit, *eſt ex illis veſtimentis, quæ ex byſſo & purpura ſapientia ſibi fecit: hoc eſt, indumẽtum fidei conſtat ex prædicatione cæleſtium, & Dominicæ ſanguine paſsionis. Byſſo æthera figurãtur, purpura ſpecie myſterium ſacri ſanguinis declaratur, quo regnum cæleſte confertur.* Idem in c. 31. Prouerb. *Fecit & de byſſo & de purpura indumenta ſibi. De byſſo propter candidam confeſsionem, de purpura propter glorioſam paſsionem. Huius byſſum cùm oramus agnoſcimus, huius purpuram in Martyribus collaudamus.* Eadẽ ad verbum habet S. Auguſt. ſerm. 45. de Diuerſis.

Accedit Beda, qui per veſtem ſtragulatam, accipit varia virtutum, imò virtutis cuiuſque ornamenta. Humilitas enim ornatur, & quaſi variegatur, modeſtiâ, verecundiâ, ſilẽtio, &c. charitas ornatur eleẽmoſynâ, beneficentiâ, liberalitate, zelo, &c. & ſic de cæteris virtutibus. Byſſus eſt caſta & pura conuerſatio, purpura eſt ſanguinis pro Chriſto & pietate profuſio. Eccleſia enim in pace habet lilia candida & quaſi byſſina virginum, in bello roſas purpureas Martyrum.

Stragulata virtutum.

Vbi Nota byſſum veterum fuiſſe linum præſtantiſſimum, ex quo telæ pretioſæ, quales iam ſunt Hollandicæ & Cameracenſes, conficiebantur, vti oſtendi Exodi cap. 25. 4. Linum autem, quia variè carpitur, tũditur, maceratur, carminatur, ſignificat carnis caſtigationem, qua caſtitas conſeruanda eſt. Audi Bedã: *Quia byſſus*, inquit, *de terra virens oritur, ſed per exercitationes longas ac multifarias, amiſſo humore ac virore natiuo ad decorem candidæ veſtis perducitur. Purpura autẽ regalis eſt habitus. Byſſo induitur Eccleſia, cùm caſtigant corpora ſua electi, & ſeruituti ſubijciunt: purpura autem cùm eamdem continentiam non ob fauorem vulgi, ſed ad acquirendam beatitudinem regni perẽnis exercent. Sed hic virtutum habitus in præſenti quidẽ neſcientibus videtur contemptibilis, ſed in futuro qualis fuerit manifeſtè patebit. Vnde pulchrè in Apocalypſi ſua Ioannes Sãctorum ſe voces audiſſe refert dicentium: Gaudeamus & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum.*

Apocal. 19.

Hæc omnia eminenter habuit B. Virgo, cuius veſtis erat byſſus; id eſt virginitas pluſquã angelica; & purpura, id eſt charitas ardentiſſima. Veſtis ſtragulata fuit varietas ſanctarum inſpirationum & deſideriorum, quam tum angeli phantaſiæ, tum Deus ipſe menti ipſius iugiter ingerebãt, ad quaſlibet virtutum heroicarum actiones ſtrenuè obeundas, ſed præcipuè ad iugem & continuum, ardentemque Dei amorem. Hunc enim in illa extitiſſe à primo inſtanti conceptionis cõtinuum, imò creſcẽtem ſemper, & per ſui meritum aſſidua progreſſione, ſi non ex æquo geminatum & cõduplicatum, certè valdè augeſcentem, docent Franc. Suarez, Gabr. Vaſquez, Barradius, Caniſius, Salazar & alij. Porrò cùm hic actus amoris Dei initio conce-

B. Virginis byſſus & purpura.

conceptionis in ea tam intenſus fuerit, vt ſuperarit A omnes actus amoris diuini, quos elicuerũt ſummi angeli, etiam Cherubini & Seraphini in termino viæ ſuæ, qui vtiq; fuere intenſiſſimi: hoc enim decebat eam, quę à Deo deſtinata erat, & proximè futura mater Dei. Hinc colligunt eam continuo hoc diuini amoris incremento, ad tantum charitatis incremẽtum, imò incendium, & ad tantum meritorum culmen in fine vitæ, putà anno ætatis ſuæ 72. cõſcendiſſe, vt ſi in vna lance bilancis collocarentur omnia omnium Sanctorum & angelorum, etiam Seraphinorũ, opera ac merita; in altera verò vnius B. Virginis; hęc illi præponderaret. Rurſum hinc colligunt B. Virginem, etſi liberi ſemper fuerit arbitrij, vt peccare poſſet (quam tamen peccandi potentiam Virgini adimunt S. Bonauen. Richard. Marſilius, Almainus, & alij) ad maius eius meritum, nunquam tamen peccaſſe ne minimo B quidem peccato veniali, vti ſentit tota Eccleſia, teſte Concil. Tridentino: quia ſcilicet Deus eam, exteriùs amouendo occaſiones peccatorum, & interiùs ſuggerẽdo aſſiduè mentis eius ſanctas cogitationes & deſideria, ita ſecurè certoque dirigebat & acuebat, vt non niſi ſancta cogitaret, deſideraret & operaretur. Intellectui enim eius tot pias illuminationes, ac voluntati tot ſanctas affectiones iugiter immittebat, vt omne peccatum exhorreſceret velut diabolum, vtq; ad virtutum omnium, præſertim amoris Dei, actus feruentiſſimos, inſtar torrẽtis continuò raperetur, nec vires capitis & mentis in hoc ardore vnquam remitterentur aut laſſarentur, ſed potiùs augerentur & acuerentur.

B. Virgo plus habuit gratiæ quam omnes angeli & homines ſimul.

Quomo. Exemplum.

Hoc eſt quod de ea in ſenſu myſtico ait Eccleſ. c. 24. v. 41. *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuij dioryx, & ſicut aquaductus exiui de paradiſo.* vide ibi dicta. Et S. Aug. cuius verba recitat & ſequitur Bonauen. in Speculo c. 14. *Quis,* inquit, *dubitare poteſt, omnino in charitatis affectionem tranſiiſſe viſcera Mariæ, in quibus ipſa, quæ Deus eſt, charitas nouem menſibus corporaliter requieuit?* q.d. B. Virgo videtur charitate non tam imbuta, quàm informata & animata, adeoque eſſe ipſiſſima charitas, ſicut ferrum ignitum, non tam ferrum eſſe videtur quam ignis.

Accedit Damaſcenus orat. 1. de Natiuitate: *Sanctam omnem,* inquit, *& cum animi vtilitate coniunctã cogitationem habes; contrà ſupernacaneam omnem & animis exitioſam, antequam guſtes, expuis.* Deinde ſingulas ſenſuum actiones recenſens: *Oculi,* inquit, *eius ſemper ad Dominum, perenne ac inacceſſum lumen intuentes: aures diuinum ſermonem hauriunt, ac ſpiritus cithara delectantur,* &c. *Cor purum ac labis expers, Deum ſpurcitie omni carentem cernens, ipſiusq; cupiditate ſemper flagrans.* Addit deinde eam Dei cognitione ſuperare Cherubinos, & amore Seraphinos, ideoque repræſentatam Moſi per rubum qui ardebat & non comburebatur, Exodi 3. Denique Galatinus lib. 7. de Arcanis fidei ex priſcis Rabbinis, quem citat & laudat noſter Caniſius lib. 1. de B. Virgine c. 13. *Inter ceteras,* inquit, *perfectiones eo prophetia ſpiritu donata eſt, vt, ſi fortè aliquid inconceſſum ſeu illicitum vel viſura vel auditura eſſet, illicò eius aures & oculi claudere:ntur, ita vt ſenſus eius vel membra nonniſi diuinæ voluntati deſeruire viderentur.*

Cauſa duplex puritatis in Virg. Prima.

Cauſa ergo immunitatis ab omni peccato, etiam veniali, in B. Virgine fuit duplex. Prior, protectio & iugis aſſiſtentia Dei: quæ ita ſenſus eius mẽtemque regebat, vt prohiberent omnes illicitos concupiſcentiæ motus, etiam indeliberatos & primò primos, vti fiebat in Adamo ante peccatum quamdiu manſit in ſtatu innocentiæ. Atq; hæc propriè eſt cauſa, cur in ea ſopitus, imò extinctus, fuerit fomes concupiſcentiæ; at non ſufficiens ad non peccandum omninò. potuiſſet enim extincto licet fomite, vti nihilominus libertate ſua ad malum & peccare, vti fecit Adam. Altera ergo & adæquata cauſa, cur non peccarit vnquam, fuit ſtragulata veſtis, id eſt ardentiſſima eius charitas, amorque Dei continuus, qui ab ea procul omne frigus niuis, id eſt peccati cuiuſlibet, longè diſpulit. Sicut enim ardor continuus opponitur niui, eamque excludit: ſic amor continuus opponitur peccato, illudque excludit. Dico continuus, quia ſi intermittatur ardor & amor, remittetur calor, & amor, fietque tepor, ac ſubeunte frigore fiet nix, imò gelu & glacies frigidiſſima. Docet id hic ad v. præced. Albertus Magnus, qui aſſignans cauſam phyſicam cur nix ſit frigidiſſima, eiuſque generationis modum ex Ariſt. lib. 2. Meteor. deſcribens. *Nix,* inquit, *generatur ex vapore calido in media regione aëris vehemẽter eleuato, cuius ſignificatio eſt, quia cadit lata ad modum lanæ carminatæ: hoc enim contingit ei, quia calor nubis tãtus eſt, quòd frigus non vincit niſi partem & partem, & non totum per partes magnas, ita vt totũ indurare poſſit. Similiter quantum ad qualitatem, eſt frigida vehementer: quia regula eſt, quòd quanto aliquid calidius fuerit, tanto efficitur frigidius cùm calor expellitur. Calor enim qui ante influit, aperit poros, ita vt abundanter, & vbiq; frigus ingrediatur, & ita multum capit frigoris. Huius ſignum eſt, quòd calida aqua profundius conſtringitur & congelatur frigore, quàm in toto frigida.* C *Quantum verò ad colorem eſt alba, eò quòd ſit ex humido puro diſgregatò primò per calorem nubis, & poſtea congelato per frigus. Albedo enim cauſatur a frigore ipſius, & humidi perſpicuitate & luciditate.* Quæ deinde ſingula myſticè peccato & peccatoribus accommodat. Simili modo ethicè videmus eos qui in Religione, zelo, ceteriſque virtutibus feruentes & flagrantiſſimi fuere; ſi hunc feruorem intermittant, fieri tepidos, ac tandem maximè torpidos, frigidos & rigidos: perinde ac ij qui incaluerunt in hypocauſto, ſi in aërem frigidum exeant, in poros calore apertos ſubintrante frigore, fiunt frigidiſſimi: imò in grauiſſima ſcelera prolabuntur, vti Lucifer ex ardẽtiſſimo Seraphino factus eſt teterrimus cacodæmon: ſic Iudas ex Apoſtolo factus eſt Chriſti proditor; Lutherus ex monacho doctore & concionatore factus eſt hęreſiarcha. Vnde S. Aug. ait ſe non D inueniſſe meliores ijs qui profecerunt in monaſterijs; nec peiores ijs qui defecerunt in monaſterijs.

Secundò.

Calida fiunt frigidiſſima.

& feruentiſſimi tepidiſſimi.

Verùm B. Virgo quia Seraphicis amoris æſtibus iugiter ardebat, nullum dedit locum frigori aut tepori, ſed ijs aſſiduè magis exarſit; quare procul ab ea fugit omne peccatum, etiam tenuiſſimum, omniſq; tentatio, ſicut muſcæ fugiunt ab olla feruente & bulliente, vt ait quidam Sanctorum: præſertim quia oculi eius, mens, ſenſus & affectus defixa & abſorpta erant in verbo incarnato, putà in Chriſto Domino filio ſuo. Nam vt ait S. Cyprian. tract. de Natiuit. Chriſti: *Præſentia paruuli ſic eorum qui aderant oculos occuparat, ſic illuminauerat animos; ſi corda illexerat, vt in hoc ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet euagari & mendicare per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat.* Et poſt nonnulla: *Poſſidebat* (Spiritus ſanctus) *domum ſuam, & templum, quod ſibi*

ſibi conſecrauerat, adornabat: ſeruabat ſacrarium ſuum, & ſanctimonia thalamum honorabat, lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcentiarum ludibria abigebat. legem mentis lex carnis non infeſtabat; rebellio nulla quietem ſpiritus affligebat. Paruulus ſugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons ſacri pectoris defæcatum edulium ori mundiſſimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant, eratq; vtrimque mera iucunditas, cùm pia ſancta matris & deuota humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur.

Vers. 23. Nun. NOBILIS IN PORTIS VIR EIVS, QVANDO SEDERIT CVM SENATORIBVS TERRÆ] Hebr. נוֹדָע *noda*, id eſt *notus*, id eſt illuſtris, conſpicuus, *in portis maritus eius, cùm ſederit cum ſenioribus terræ*, id eſt cum principibus, ait Vatabl. nam olim ſeniores erant principes & iudices regionis. Chald. *notus in preminens vir eius*; Syrus, *inter vrbes maritus eius celebris*; Septuag. *conſpicuus autem vir eius in portis, quandocumq; ſederit in conſeſſu cum ſenioribus habitatoribus terræ*; putà cum ſenatoribus & iudicibus: hi enim pro tribunali conſidebant in portis, vt tam aduenis & ruſticis, quàm ciuibus faciles darent ad ſe aditus, vti alibi dixi. Noſter pro *notus* aptè & eleganter vertit *nobilis*, id eſt excellens & illuſtris: *nobilis* enim dicitur quaſi *noſcibilis*, quia ſua dignitate & virtute paſſim notus eſt, omnibuſque cognitus. vnde Cicero pro Flacco: *Ceteri*, ait, *homines apud vos noti, inter ſuos nobiles.* Et pro Cælio: *Clodia*, inquit, *non ſolùm nobilis, ſed etiam nota.* Et Plautus in Pſeudol. *Cum iis mihi nec locus, nec ſermo conuenit: iis numquam nobilis fui*, id eſt cognitus.

Nobilis quaſi noſcibilis.

Laudauit viraginē ex ſeipſa, nunc laudat à marito. q. d. Ipſa in ſe nobilis eſt nobilitate virtutum & actionum illuſtrium; nobilis eſt pariter nobilitate mariti, imò ipſa maritum honeſtat & nobilitat, tū quia ſuo labore & induſtria virum & familiam honeſtat, ditat, illuſtrat: diuites enim fiunt nobiles, & alleguntur in ſenatum: tum quia ipſa ita curat domum, vt maritum omni cura domeſtica liberet, iſque poſſit ſe totum addicere negotijs reipubl. in ſenatu, quod illuſtrium & nobilium eſt: nam vt ait Plato in Menone: *Viri eſt adminiſtrare rempubl. mulieris familiam.* tum quia byſſo & purpura eum decorè & ſplēdidè veſtit, vti paulò antè dixit, vt nobili amictu inter ſenatores illuſtris emineat; veſtitus enim nobilis facit hominē ſpectabilem & nobilem, prǽſertim apud vulgus. Tum deniq; quia, vt ait R. Leui, cùm vir eius inter ſapientes aſſederit, ſapientia conſpicuus erit, eò quòd ab vxore ſua prudente eximiè ſit ad comparandam ſapientiam exicultus & inſtitutus: ipſa enim viro, vti opes ſic & conſilia ſuggerit, ac ſuas virtutes ſuique decus, famam & nomen in maritum transſcribit, vt omnes propter viraginem ita celebrem virum honorent & nobilitent.

B. Nonna viro pietatis magiſtra. Id præſtitit B. Nonna S. Greg. Nazianz. mater & Gregorij ſenioris vxor, de qua ita ſcribit Nazian. orat. 19. in funere patris. *Huic mulier Dei beneficio conceſſa non modò adiutrix, ſed & dux & anteſignana fuit; mirum cum vita & ſermone ad optima quæq; per ſeipſam ducens: ac ceteris quidē in rebus vt matrimonij leges ferebant, viro ſuo parere optimum eſſe iudicans, fidei autem & pietatis magiſtram quoq; ſe præbere haudquaquam erubeſcens.* Et mox: *Vnam nobilitatem in pietate ſitam eſſe cenſebat, atq; in eo, vt vnde ortum habuimus, & quo tādem peruenturi ſumus, intelligamus.* Ma-

A trem ſanctam ſecuta eſt filia S. Gorgonia, ſoror S. Gregorij Nazian. quam ipſe orat. 11. hiſce elogijs ornat: *Gorgoniæ patria fuit ſuperna Ieruſalem* (fuit ergo nobiliſſima, quia cæleſtis) *ciuitas inquam illa quæ oculis minimè cernitur, verùm animo & mente intelligitur, in qua ciuium munere fungimur, & ad quam omni celeritate properamus, cuius ciuis Chriſtus eſt, & conciues frequens ille cœtus & Eccleſia primitiuorum, qui in cælis deſcripti ſunt, & circum magnum vrbis conditorem per gloriæ contemplationem feſtos dies celebrant, ac ſempiternam choream agitant: nobilitas autem, diuinæ imaginis conſeruatio, atq; archetypi imitatio, quam ratio & virtus efficiunt, purumq; deſiderium eos, qui ſupernarum rerum verè ſtudioſi ſunt, quotidie magis ac magis quantum ad Deum attinet, informans; ac deniq; cognitum habere, & quinam, & quam ob cauſam facti ſumus.* & S. Gorgonia.

Sic S. Cęcilia nobilitauit ſuum ſponſum S. Valerianum, dum eum Chriſtianum, ſanctum & illu- S. Cæcilia.
B ſtrem Martyrem effecit. Sic S. Clotildis nobilitauit Clodouęum, primum regem Francorum Chriſtianum, ac S. Pulcheria Theodoſium fratrem & Marcianum maritum Imp. quando eos Dei cultores & pios, ideòque hoſtium victores, potentes & glorioſos reddidere. S. Clotildis. S. Pulcheria.

Allegoricè Eccleſiæ maritus Chriſtus Dominus merito humilitatis ſuę, qua iudicatus & damnatus à Pilato, velut ignobilis, imò infamis latro crucifixus eſt; *nobilis*, id eſt illuſtris apparebit, quando iudex glorioſè ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, cum Apoſtolis velut ſenatoribus & aſſeſſoribus iudicaturus orbem. ita S. Aug. Beda, Salon. & alij Nobiles enim ſunt Apoſtoli & ſimiles, qui cæleſtia terrenis præferunt: ignobiles verò ſunt mundani, qui terram cælo, lutum auro, humana diuinis, temporalia æternis anteponunt, vti ait S. Gregor. explicans hęc Salomonis verba lib. 19. Moral. c. 16. Allegor.
C B. Virginis quoque ſponſus, putà S. Ioſeph, erit in hoc cōſeſſu nobilis, quia poſt B. Virginem cenſetur inter primos Sanctos: quare in die iudicij inter Prophetas & Apoſtolos conſidebit, imò inter primos angelorum ordines illuſtris & conſpicuus apparebit. Alij per maritū Virginis accipiunt Spiritum Sanctum, qui inter ſenatores, id eſt inter duas perſonas SS. Trinitatis, ſcilicet Patrem & Filium, tertius nobilis eſt, imò illis per omnia par & æqualis. Hic enim cum eis conſedit in B. Virgine, cùm in ea incarnationem Verbi operatus eſt, iuxta illud Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

SINDONEM FECIT ET VENDIDIT, ET CINGVLVM TRADIDIT CHANANÆO] Chald. Vatabl. Vers. 24. Samech.
& R. Salomon *mercatori*. Sic & Septuag. Vaticani,
D Complut. & Regij, ſed in Catena Græcor. ſic habent Septuag. *ſindones, texuit, & tradidit Phœnicibus: zonas autem, & vendidit Chananæis.* Additque auctor: *Sindon contexitur ex lino*; Pagnin. *linteum fecit & vendidit, & cingulum tradidit negotiatori*; Vatab. *linteum, id eſt telam, texuit.* Nam Hebr. סָדִין *ſadin* vnde Latinum & Grǽcum *ſindon*, ſignificat linteū & linteamen, vti vertit Noſter Iſaiæ 3. 22. ſed ſubtile & pretioſum: vnde Septua. Iſaiæ 3. 22. vertunt, *byſſum*: byſſus enim veterum erat linum ſubtiliſſimum & candidiſſimum; vti dixi v. 22. Fortè *ſadin*, dictum à Sidone (litera *tſade*, quæ initialis eſt in Sidone, conuerſâ in vicinum *ſamech*, quæ eſt prima in *ſadin*) vrbe Phœniciæ, quòd in ea ſindones hæ præſtantiſſimæ texerentur: vnde & Martial. lib. 4. epigr. 19. Sadin & ſindon quid. Eius etymon.

Ride-

Ridebis, inquit, *ventos hoc munere tectus, & imbres:*
Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Tyrus enim adiacebat Sidoni: licet enim aliqui ſindonē putant vocari Tyriam, quòd Tyrio murice ſiue purpura eſſet tincta; tamē alij cenſent ſindonem ita dici, quòd in Tyro & Sidone conficeretur. Ita Theodor. Gaza in libr. 4. Theophraſti Hiſtor. plant. ca. 9. *Sindon*, inquit, *veſtis ex lino ita dicta, quia primùm in Sidone vrbe huiuſmodi amictus fuerit coeptus, ob id Tyria à Martiale dicta: erant enim vicinæ vrbes Tyrus & Sidon.* Accedit Syrus, qui pro *ſadin*, id eſt *ſindon*, vertit, *veſtem xylinā*. Xylon enim eſt frutex exiguus laniger, ex quo telæ conficiuntur, de quo Plin. l. 19. c. 1. *Superior pars Ægypti*, inquit, *in Arabiā vergens gignit fruticem, quem aliqui goſſipion vocant plures xylon, & ideo lina inde facta xylina*, id eſt goſſipina. vide Ruellium l. 2. c. 150. Fauet S. Ioannes Euangel. c. 19. 40. vbi de Ioſepho ab Arimathia corpus Christi ſepeliente cum ſocijs, ait: *Ligauerunt illud ἐν ὀθονίοις*, id eſt *linteis cum aromatibus*, pro quo S. Matth. 27. 59. ait: *Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda*, atque ſindonem hanc lineam fuiſſe patet: quia ipſa etiamnum Taurini talis viſitur; & magna veneratione colitur.

Poſtea Græci & Latini nomen *ſindon* ad certum veſtis elegantis genus ſignificādum traduxerunt, cùm propriè *ſadin* Hebr. indeque Græcum & Latinum *ſindon* linteum, ſiue telam lineam ſubtiliorem ſignificet. Vnde rectè eam *vendidit*, quia non decebat illam ea veſtiri, vtpote per quam tam ſubtilem nuditas eius corporis appareret, quod contrarium erat eximiæ eius honeſtati & pudicitiæ. Hinc Clemens Alexandr. libr. 2. Pædagogi ca. 10. feminis caſtis ſindones vetat: *Non eſt enim ampliùs*, inquit, *tegumentum mollis & delicata veſtis, quæ nudam figuram non poteſt occulere. Eiuſmodi enim veſtis in corpus incidens, molliùs ipſi corpori imprimitur & applicatur, figuræ carnis inſtar adhærens, & mulieris typum ita exprimit, vt vel non videnti manifeſta ſit tota conſtitutio corporis.*

Zona priſcis Palæſtinis cur vſitata.

Porrò cingulum, ſiue zona, Palæſtinis ceteriſq; Orientalibus, qui pro femoralibus & thorace tunicis vtuntur, communis & celebris eſt: tunicam enim fluidam laxamq; zona corpori aſtringunt & ſuccingunt; ideoque zonam velut conſpicuum tunicæ redimiculum ſolebant acu pingere, lilijs, floribus, ſimilibuſque figuris partim aureis, partim argenteis, partim purpureis & byſſinis intexere. Vnde Homerus Veneris zonam deſcribens? *Soluit*, inquit, *de pectore zonam, textilem, picturatam.*
Et mox:

——Sinuiq; tuo ſuccingito zonam
Contextam variè.

Baltei etymon.

Hinc zona dicta *balteus* quaſi *bullateus*: balteus enim erat cingulum è corio, bullis ex auro, byſſo, purpura, gemmis, &c. ornatum. Vnde Liuius: *Auratæ*, inquit, *vaginæ, aurata baltea illis erant.* Et Virgil. 5. Æneid.

Alter Amazoniam pharetram, plenamq; ſagittis
Threicijs, lato quam circùm amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Senſus ergo eſt, q. d. Virago hæc omni arte & modo rem ſuam & familiæ auxit, vnde ſindones pretioſas, à ſe ſuiſque contextas, ac cingula affabrè acu picta & elaborata vēdidit, & vendenda tradidit *Chananæo*, id eſt mercatori, indeq; magna confecit lucra. Chananæi enim eò quòd mari eſſent vicini, mercaturæ maximè erant dediti. Vnde in Script. *Chananæus* idem eſt quod mercator, vt patet Zach. 14. 21. Iſaiæ 23. 8. vbi pro *mercator* hebr. eſt *Chananæus*. Idem patet ex Tyro & Tyrijs, qui mercaturæ & nauigationi fuere addictiſſimi. Tyrus enim erat emptorium Chananææ, putà metropolis Phœniciæ. ita Chald. R. Salomon, Aben Ezra, R. Leui, Vatabl. Pagnin. & alij paſſim. Exemplū illuſtre rurſum dedit B. Nonna mater S. Gregorij Nazianz. quæ omnes numeros mulieris ſtrenuæ adimpleuit, de qua proinde ita ſcribit Nazian. orat. 19. *Iam cùm aliæ rei familiaris augendæ laude, aliæ pietatis gloria excellant (vtrumque enim aſſequi difficile eſt) vtroq; nomine mulieres omnes ſuperauit: tum quòd vtrumque horum ad ſummum vſque præſtiterit, tum quòd ſola duo iſta complexa fuerit. Rem enim domeſticam induſtria & ſolertia ſua, iuxta leges mulieri forti à Salomone ſtatutas ita auxit, quaſi pietatem colere neſciret: Deo rurſum ac diuinis rebus ita ſe addixit, tanquam à rerum domeſticarum procuratione plurimùm abeſſet: neque ab alterutro horum quidquam impedita eſt, quo minùs alterum impleret, quin potiùs vtrumque alterius ope fulciuit & confirmauit.*

Armena verſio apud Abagarum habet, *fecit animæ ſuæ cingulum, & ſibi zonam*, ſiue *cingulum*. q. d. Tā ſponſo ſuo, quàm ſibi fecit cingulum, quo ſignificaret, mutuo coniugij & coniugalis amoris vinculo ſeſe eſſe conſtrictos. Sponſum enim vocat animam ſuam, quia eum amabat vt animā ſuam, quo & viuebat informata. Anima enim magis eſt vbi amat quàm vbi animat; ſic amans enixè alterum, vocat eum ſuam animam, ſuum corculum.

Sindon quid Allegor.

Allegor. S. Gregor. li. 33. Moral. c. 16. *Quid*, inquit, *ſignatur per linteum ſindonis, niſi ſubtilis intextio ſanctæ prædicationis? In quo molliter quieſcitur, quia mēs in illa fidelium ſpe ſuperna refouetur. Vnde & Petro animalia in linteo demonſtrantur, quia peccatorum animæ miſericorditer aggregatæ in blanda fidei quiete continētur. Hanc ergo ſindonem Eccleſia fecit & vendidit, quia fidem quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectæ conuerſationis accepit. Quæ & Chananæo cingulum tradidit: quia per vigorem demonſtratæ iuſtitiæ fluxa opera Gentilitatis aſtrinxit, vt hoc quod præcipitur, viuendo teneatur: Sint lumbi veſtri præcincti. Prædicatores ergo ſuos Dominus quærendo, ancillas inuenit, permutando amicos facit, ditando negotiatores exhibet.* Hæc ex S. Greg. more ſuo ad verbum tranſcripſit Beda & Salonius.

Sindon B. Virginis.

Porrò B. Virgo ſindonem fecit & vendidit, cum exemplo & verbo docuit coniugatas maritis ſe ſubdere, eiſq; obedire, & per omnia obſequi: huius enim ſymbolum eſt ſindon, putà velum lineum, quod in capite geſtant, iuxta illud Apoſtoli, *Debet mulier velamen*, vel *poteſtatem, habere ſuper caput*: hoc enim velum ſymbolum eſt eam ſubiacere poteſtati viri, 1. Corinth. 11. 10. vide ibi dicta. B. Virgo enim Ioſepho humillimè ſe ſubiecit & obediuit, vti docet S. Ambroſ. in c. 1. Lucæ.

Rurſum & aptius ſindon ſymbolum eſt puritatis & virginitatis, quam ipſa pretio humilitatis, abſtinentiæ & orationum vendit virginibus: ipſa enim virginum eſt anteſignana & virginitatis præſes. Cingulum verò, quia lumbos, in quibus origo eſt libidinis & cōcupiſcentiæ, aſtringit, ſymbolum eſt mortificationis & pœnitentiæ: quam B. Virgo tradit lapſis in luxuriam & incontinentiam, vt illam in caſtitatem & continentiam commutent, itaque ſint Chananæi, id eſt commutatores & negotiatores, qui mercem cum merce, putà concupiſcentiam

tiam cum pœnitentia, luxuriam cum continentia commutent.

VERS. 25. Ain. FORTITVDO ET DECOR INDVMENTVM EIVS; ET RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO] Septuag. *fortitudinem & honeſtatem induit: & gaudebit in diebus nouiſsimis*; Syrus, *exultabit in die extremo.* Pro *decor* heb. eſt הָדָר *hadar*, id eſt decus, decor, decentia, pulchritudo, ſplendor, magnificentia; Septuag. vertunt, εὐπρέπεια, id eſt decor, forma, honeſtas, ornatus. S. Ambro. & S. Auguſt. mox citandi per *fortitudinem* accipiunt purpuram: hęc enim fortis eſt; per *decorem* verò byſſum: hęc enim decora eſt, vt hîc idem dicatur quòd v. 22. *Byſſus & purpura indumentum eius*, verba eorum mox recitabo. Poſſet vice verſa, vt ordo verborum ordini vtrimque reſpondeat, per *fortitudinem* accipi byſſus veterum, quæ fortis erat adeò vt igni inſiſteret, & in eo illæſa inſtar asbeſti permaneret, vti dixi Exodi 25. 4. per *decorem* verò purpura: hęc enim mirè decora eſt. Tripliciter hunc verſum explicãt interpretes. Primò, aliqui fortitudinem accipiunt internam, decorem verò externum: Secundò, alij vtrumque internum: Tertiò, alij vtrumque externum accipiunt.

Primò, ergo Lyran. *Fortitudo*, ait, eſt conſtantia mentis; *decor* eſt exterior modeſtia & honeſtas. Et Caiet. *Fortitudo*, ait, eſt habitus fortitudinis, qui medium tenet inter audaciam & timiditatem, qui mentem viraginis veſtit, eoq; ipſa exteriùs apparet in actibus ſuis fortis, ſimul & decorum ſeruans modeſtiæ atque auctoritatis: grauitatem enim decoram præ ſe fert. q. d. Virago hęc veſtitur interiùs virtute fortitudinis, exteriùs grauitate decorâ. Accedit R. Leui: Induit, inquit, fortitudinis & decoris veſtes, quia corporis cupiditates forti continẽtia coërcet, & decorè prĕclareque mores inſtituit, eò quòd ſanctæ legis ſemitas inierit.

Virtus à vi & viro dicta quaſi virilitas. Secundò, alij per *fortitudinem & decorem* accipiunt omnem virtutem & probitatem mẽtis: virtus enim à vi & viro, cuius eſt virilitas & fortitudo, dicitur, quaſi actio & opus viri fortis & ſtrenui. Vnde Cicero Tuſcul. 2. docet virtutem propriè ſignificare fortitudinem virilem. *Appellata eſt*, inquit, *à viro virtus: viri autem propria maximè eſt fortitudo.* Et l. 5. de Finibus: *Virtus*, inquit, *eſt vis illa, qua res cuius eſt virtus, perfecta eſt.* Et ad Plancum lib. 10. *Omnia ſumma conſecutus es virtute duce, comite fortuna.* Et Virgil. l. 5. Æneid.

Tunc pudor incendit vires, & conſcia virtus.

Senſus ergo eſt, q. d. Hæc virago ſindonem non induit, ſed vendidit, quia non decebat eam veſte tam ſubtili indui, nec ipſa gaudet ornatu externo veſtiumq; ſplendore; ſed internum virtutum virilium & fortium amictum ambit, eoque lõgè pulchriùs ſe veſtit & ornat: per hunc enim virilis efficitur, vt iam non tam femina, quàm virago, in ò vir eſſe videatur, iuxta id quod monet & ſancit S. Petrus ep. 1. c. 3. 3. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorũ cultus; ſed qui abſcõditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Idem docet S. Chryſoſt. in pſal. 44. vbi addit feminas licet deformes, poſſe hanc virtutum formam & pulchritudinem ſibi accerſere, eamque in immenſum augere, cùm externam ſæpè non poſſint: inſuper cultum externum magnis ſumptibus ſtare, internum verò ſola voluntate parari.

Ornat virtus, non veſtis.

Tertiò, alij meliùs accipiunt fortitudinem & decorem externum; ſed ab interno manantem. q. d.

A Virago hęc non curat ſindones & veſtes pretioſas ſed grauiter, modeſtè & honeſtè ſe veſtit, vti decet feminam fortem & virilem: quare in omnibus eius geſtibus & actibus reſplendet fortitudo, id eſt grauitas, maturitas, robur & vigor virilis animi, & decor, id eſt morum honeſtas, decus & gratia; perinde ac ſi eius amictus eſſet ipſa fortitudo & decor, inquit Aben Ezra, quæ internam animi fortitudinem & virtutum decorem indicant & oſtendunt. Quare nõ luxuriat illa corporis ornatu, vti ceteræ mulieres philocoſmę; ſed virtutibus ſe comit, nẽpe fortitudine & honeſtate, ac totius vitæ decore ornari gaudet, magis quàm veſtibus ſumptuoſis. Atque inde prouenit, ait Baynus, quòd ſemper ſit læta, imò quo diutiùs viuit, vel vſq; ad extremam ſenectutem; ſemper creſcentibus animi virtutibus creſcit illius lætitia, & gaudium conſcientiæ ſecu-
B ræ. Mulierculæ quæ florem ætatis delicijs tranſigunt, & curioſo corporis ornatu ſeſe delectant, & pulchritudine ſibi placent, vbi temporis iniuria flos ętatis emarcuerit, vbi rugata facies nullo ſtibio aut purpuriſſo niteſcere velit, vbi vetulæ contemni cœperint; deficiẽtibus ſimul viribus & pulchritudine mœrent, infelices iam corporis & animæ deſtitutæ dotibus: quando ſapiens mulier potiſſimùm gaudet, inſtante poſtremo die, quo laborum præmia ſe recepturam nouit.

Fauet huic expoſitioni, quòd in Septuag. Vatican. ante hunc verſum prĕmittatur: *Os ſuum aperuit attẽtè & legitimè, & ordinem poſuit linguæ ſuæ*, & ſubiungatur: *Os ſuum aperuit ſapienter & congruenter legibus.* Quę videntur eſſe duę interpretationes vnius
C eiuſdemque ſententiæ. Nam pro vtroque Hebr. Vulgata & Septua. Complut. habent hunc dumtaxat, qui proximè ſequitur: *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.* q. d. Virago hæc fortis & virilis, ęquè ac decora & gratioſa eſt tã in agendo, quàm in loquendo, adeoque fortitudine & decore amicta videtur: nam loquitur ſapienter, ideoque conſtanter & fortiter; atque clementer, ideoq; decorè & gratioſè. Fauet & auctor Catenæ Grĕcor. qui hunc verſum ſequenti nectens ex Septuag. ſic legit: *Fortitudinem & decorem induit, lætaq; & iucunda erit in diebus nouiſsimis. Os ſuum aperit cautè & legi conſentaneè, ordinemq; & modũ præſtituit linguæ ſuæ*, ac deinde ſic explicat: *Videtur hoc loco exponere virilia ſapientiæ facta. Primò enim aperit os ſuum prudenter & ornatè. Mox eutaxiam venuſtumq; ordinẽ præfigit linguę ſuæ. Hinc in operibus miſericordiæ, aliſq;
D honeſtis actionibus ſeſe fortem virilemq; oſtendit. Ex quo tandem ſequitur, vt nouiſsimis diebus, quando nimirum bonis operibus plena hinc excedet, gaudeat. Tunc enim bonæ honeſtaq; illius actiones apud omnes manifeſtabuntur & magnificabuntur, multiſq; & magnis præmijs remunerabuntur.*

Diſce hîc *modeſtiam eſſe veſtem & purpuram virtutum.* Ipſa enim prodit & manat ex interna animi virtutibus præditi compoſitione, illamq; ornat ac alijs oſtendit: atque hæc eſt viraginis huius veſtis, quam per periphraſin deſcribẽs ait: *Fortitudo & decor indumentum eius.* virilis enim modeſtia & grauitas in omnibus geſtibus, verbis & actionibus relucens cum decore & gratia, veſtis eius eſt & cyclas pulcherrima. Quam proinde Tertull. feminis imitandam & induendam proponens libr. de Habitu feminarum: *Pudicitiæ*, inquit, *atq; honeſtati Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri: tãta enim debet eſſe plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitũ, & eructet* *Modeſtia eſt purpura virtutum.*

à con-

à conſcientia in ſuperficiem, vt & foris inſpicias quaſi ſupellectilem ſuam. Subiungit deinde: *Prodite vos iam medicamentis & ornamentis inſtructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundia & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermones Dei, annectentes ceruicibus iugũ Chriſti, caput maritis ſubijcite, & ſatis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquã in auro placebunt: veſtite vos ſerico puberratis, byſſino ſanctitatis, purpurã pudicitiæ, taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorẽ.*

Allegor. Primo. Allegor. S. Greg. in pſal. 4. Pœnit. Eccleſia, ait, & anima fidelis veſtitur fortitudine, vt tentationibus reſiſtat; ac decore, id eſt ſplendore iuſtitiæ, vt operibus iuſtitiç effulgeat. Rurſum fortitudo mẽtem perſeuerantem deſignat, qua quis aduerſus ſe pugnat; & decor nitorem puritatis, quo ſemetipſum exornat. Ideo autem vnius & eiuſdem veſtis fortitudo & decor pares eſſe dicũtur: quia qui perſeuerantiæ in ſui abnegatione obliuiſcitur, minimè perfectè virtutis pulchritudine decoratur. Quinimò dum homo priùs ſe abnegans atque mortificans, ab ſtudio abnegationis ceſſat, paulatim ex munditia ad immunditiam, & ex magna perfectione ad magnas imperfectiones declinat, Eſtque ſimilis ſtatuæ per ſomnum à ſuperbo illo rege conſpectæ, quç in auro cœpit & in luto finiuit, Daniel. 2.

Secundo. S. Auguſt. verò ſerm. 45. de Diuerſis, & pleniùs S. Ambroſ. in ca. 31. Prouerb. ſub fin. tom. 2. c. 10. *Fortitudinem*, inquit, *& honeſtatem induit. Honeſtatem tanquã byſſum, fortitudinem tanquam purpuram: quia fortis lætatur in paſſione, quia honeſta: ſpecioſi pedes euãgelizantium pacem.* (*Iſaia 12.*) *Et lætata eſt in diebus vltimis. In diebus vltimis lætatur, quia in mundo hoc iugiter tribulatur. Quare pulchrè ſcriptum eſt: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* (*Matth. 5.*) *Et Dominus ad diſcipulos: In mundo preſſuram habebitis.* (*Ioan. 16.*) *Et: Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* (*Ibidem.*) *Sine tribulatione vnde haberes purpureum indumentum? Hinc ſciſcitanti Prophetæ, Quare rubra ſunt veſtimenta tua, & indumenta tua calcati torcularis? reſpondet, Torcular calcaui ſolus, &c.* (*Iſaia 63.*)

Tertio. Vberiùs Beda, & ex eo Gloſſa: *Fortitudo*, inquit, *ad tolerandam peruerſorum improbitatem; decor ad exercendam virtutum gratiam. Decor, quia operatur iuſtitiã: fortitudo, quia perſecutionem patitur propter iuſtitiam: & ideo ridebit in die nouiſſimo, id eſt gaudebit in retributione regni cæleſtis, quæ dolebat in certamine vitæ præſentis. Mos etenim Scripturæ eſt pro gaudio riſum ponere ſicut & Dominus ait: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* (*Luca 6.*) *Et beatus Iob: Os autem veracium replebitur riſu.* (*Iob 8.*) *Similem ſanè huic ſententiã Propheta de Domino ac Saluatore huius fortiſſimæ mulieris poſuit, dicens: Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem.* (*Pſalm. 92.*) *Cùm enim prædicaret Euangelium regni, alijs placebat, alijs diſplicebat: alij bene loquebantur, alij detrahebant, lacerabãt, mordebant, conuiciabantur. Ad eos ergo quibus placebat, decorem induit; ad eos quibus diſplicebat, fortitudinem. Imitare ergo & tu Dominum tuũ, vt poſſis eſſe veſtis ipſius: eſto cum decore ad eos, quibus placent bona opera tua: eſto fortis aduerſus detractores.*

De B. Virgine. Primo. Porrò hæc omnia, & ſigillatim tres ſenſus initio datos, facile eſt aſſignare B. Virgini. Nã ipſa iuxta primum ſumma pollebat mentis conſtantia & fortitudine; interiùs ac exteriùs pari modeſtiâ & decore in omnibus nutibus, actibus, loquelis & geſtibus, iuxta illud pſalmi 44. *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circũamicta varietatibus.*

Secundo. Secundò, iuxta ſecundum excellebat omni virtute & probitate. habebat enim omnes virtutes in actu heroico, prout decebat matrem Dei. vide dicta cap. 8. 14. ad illa: *Mea eſt fortitudo.* *Tertio.* Tertiò, iuxta tertium, ipſa eius corporis ſpecies ſimulacrũ erat mentis, figura probitatis. *Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci*, ait S. Ambroſ. li. 2. de Virgin. Audi S. Bonauen. in Speculo B. Virginis lect. 2. ex D. Bernardo: *Non ſic*, inquit, *timent hoſtes viſibiles caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum; fluunt & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſollicitam imitationem.* Et D. Bernardinus ſerm. 51 art. 3. cap. 2. *B. Virgo terror eſt dæmonum.* *Sicut magnus ignis effugat muſcas, ſic ab ardentiſſima Virginis mente & inflammatiſſima charitate effugabantur dæmones, & pellebantur in tantum, quòd ſolùm in modica non erãt auſi reſpicere mentem eius, nec de magno ſpatio illi propinquare.* Et Richardus Victorinus c. 26. in Cantic. *Virgo*, inquit, *tenebrarum principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere eamq; tentare non præſumpſerint: deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis: ſtupebant immunem à peccatis.*

Et ridebit in die nouiſſimo] Primò, aliqui per *diem nouiſſimum* accipiunt ſabbatum, q. d. Hçc virago ſtrenuè operatur per omnes dies hebdomadç, vnde in vltimo, putà in ſabbato, iuxta legẽ feriatur, & partis lucris fruitur, ridet & gaudet.

Secundò, alij accipiunt hiemem. q. d. Operatur in æſtate, vnde quieſcet in hieme, & inſtar formicæ lautè viuit eſcis paratis in æſtate. Verùm hæc frigida ſunt.

Tertiò, meliùs Baynus, Ianſenius, & alij per *diem nouiſſimum* accipiunt ſequentem ætatem, & poſteriora tempora: Hebr. enim אַחֲרוֹן *acharon*, id eſt nouiſſimum, ſignificat tempus ſequens, futurum & poſterum.

Quartò, propriè & præciſè per *diem nouiſſimum* accipias ſenectam, & vltima vitæ tempora. q. d. Mulieres pigrç, quç in iuuentute otiantes ſtertuerunt, egent & mœrent in ſenecta. At hæc virago quia in iuuentute ſtrenuè laborauit, hinc in ſenecta opibus abundat, ideoque ridet & ouat.

Denique per *diem nouiſſimum* accipias mortem, q. d. Virago hçc probè & ſtrenuè operata eſt omne bonum per totam vitam: quare in morte bene ſibi conſcia, & ſperans præmia cæleſtia, nõ triſtabitur, ſed ridebit & exultabit, canetque cum S. Simeone & cum S. Maria Ægyptiaca cycnæum illud: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* *Riſus Sanctorum in morte.* Exemplum ad litteram eſt in S. Sabina, quæ S. Pionij (vt habent eius acta priſca, quæ probat Baron.) in martyrio fuit ſocia, die prima Februarij. *Exempla.* Cùm enim Pionius præfectis diceret: *Vtinã vobis perſuadere poſſem vt fieretis Chriſtiani; illi riſu ſoluto dixerunt: Tu verò ne id feceris, ne viui comburamur. Grauius & acerbius inquit Pionius, eſt poſt mortem igne comburi ſempiterno. Arridenteq; Sabina, Æditus & ſatellites eius dixerunt: Rides? Ita Deo placet, inquit illa: Chriſtiani enim ſumus: & qui fide ſunt in Chriſtum firma atque conſtanti, riſu ridebunt perpetuo: cumq; illi minarentur lupanar, reſpondit: Sancto Deo id erit curæ.*

Sancta Mechtildis in morte ter impugnata à dæmonibus: ter fleuit; ſed ter defenſa à ſanctis angelis ter riſit, ridenſque & ouans velut victrix &

& triumphatrix ſpiritum Deo reddidit, teſte Engelhardo in eius Vita. Ita S. Gorgonia, teſte eius fratre S. Gregorio Nazianz. orat. 11. placida lætaque obdormiuit in Domino, iubilans: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.*

S. Gertrudis ſub morte per viſum vidit ſe recipi in ſinum Chriſti, ab eoq; cordi ſuo applicari, mox accedere viciſſim ſanctos angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Virgines, ac ſingulos ſua dona & gratias quibus excelluerunt, illi cõmunicare; quibus circumdata & penetrata cùm foret medullitus, Chriſtus eandem tam ſimilem ſibi reddebat, quàm ferrum ignitũ ſimile efficitur igni. Ita habet eius Vita li. 4. c. 34. quantum ergo eius erat tunc gaudium, quantus riſus & iubilus?

S. Tharſilla, amita S. Gregorij, moriens vidit S. Felicem Pont. atauum ſuum, qui ei *manſionem perpetuæ claritatis oſtendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis* B *manſione ſuſcipio, quæ mox febre correpta ad diem peruenit extremum. Cùm ſubitò illa ſurſum reſpiciens Ieſum venientem vidit, & cum magna animaduerſione cœpit circumſtantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Ieſus venit. Cumq; in eum intenderet quem videbat, ſancta illa anima è corpore eſt egreſſa. Tantaq; ſubitò fragrantia miri odoris aſperſa eſt, vt ipſa quoque ſuauitas cunctis oſtenderet illuc auctorem ſuauitatis veniſſe*, ait S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 17. Similia habet eodem lib. c. 13. de Galla Symmachi conſulis filia, & cap. 15. de Romula, in cuius morte *ante eius cellulam duo chori pſallentium conſtiterunt pſalmodia cantus dicebant viri, & feminæ reſpondebant; ſicq; ſancta illa anima carne ſoluta eſt quæ ad cælum ducta, quanto chori pſallentium altiùs aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia leniùs audiri, quouſq; & eiuſdem pſalmodiæ ſonitus, & odoris ſuauitas elon-* C *gata finiretur*, ait S. Gregor.

S. Maria Oigniacenſis moriens riſit, & ouans irriſit mortem: nã vt ſcribit oculatus teſtis Cardinalis Iacobus de Vitriaco lib. 2. Vitę eius cap. 13. *Præ gaudio diutiſſimè ſubridens, ſubmiſſa voce cantabat: Quàm pulcher es rex noſter Domine! In eo gaudio poſtquam diu perſtitit cantando, ridendo, & interdum plaudendo manibus, tandem ad ſe reuerſa: Mirabilia, inquit, dicerem ſi auderem.* Et inferiùs: *Dulci voce cantauit Alleluia; & tota ferè nocte illa tanquam ad epulas inuitata, fuit in iubilo & exultatione: ac paulo poſt iterum cantans Alleluia, in vigilia S. Ioannis Baptiſtæ (qua & creditur S. Ioannes Euangeliſta migraſſe è ſæculo) circa horã nonam, qua Chriſtus in cruce ſpiritum Patri reddidit, ipſa quoq; ad Dominum migrauit, nullo vnquam mortis dolore vultus Angelici hilaritatem amittens, anno Domini 1213 ætatis 36.* Hæc Cardinalis fuſiùs, ex D quibus pauca excerpſi.

B. Virgo mortua eſt præ deſiderio & gaudio.

Multò magis B. Virgo in morte, viſo Chriſto ſuo, & ab eo euocata; *Veni electa mea, gaudens & ridens ſoluta eſt corpore, & perrexit ad Dominum*, ait S. Ildefonſus ſerm. 3. de Aſſumptione; imò graues auctores cenſent illam ex nimio Chriſti videndi deſiderio, amore & gaudio animã exhalaſſe. Vnde S. Damaſc. in orat. 1. de Virg. dormit. exclamat: *O miraculum ſanè naturã præſtantius! ô res ſummæ admirationis plena! Mors quæ odio & execrationi priùs erat, hic commendatur ac beata cenſetur; quæ olim luctum & mœrorem, lacrymaſq; & triſtitiam afferebat, nũc gaudij & lætæ celebritatis cauſa eſt.* Et paulò pòſt: *Quocirca*, inquit, *non te mors beatam reddidit, ſed ipſa mortem exornaſti, vt quæ eius mœſtitiam ſuſtuleris, ac mortem gaudium eſſe plenum feceris.* Et orat. 2. de ea- A dem dormit. ſic ſcribit: *Vt enim antequam vllo partus dolore afficeretur peperit, ita etiã ipſius è vita diſceſſus doloribus caruit.* Vnde concludit: *At proinde ſacram tuam migrationem mortem haudquaquam appellabimus, ſed ſomnũ aut peregrinationem, vel, vt aptiori verbo vtar cum Domino præſentiam.* Idipſum ex reuelatione ipſius Deiparæ facta S. Brigittæ lib. 6. Reuelat. c. 62. confirmatur. *Parans*, inquit Deipara, *me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus paſſus fuerat, cumq; quadam die animus meus ſuſpenſus eſſet in admiratione diuinæ charitatis; tunc anima mea in ipſa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quòd vix ſe capere poterat, & in ipſa conſideratione anima mea à corpore fuit ſoluta.*

Vers. 26.

OS SVVM APERVIT SAPIENTIÆ, ET LEX CLEMENTIÆ IN LINGVA EIVS] Hebr. *os ſuum aperuit in ſapientia, & lex pietatis ſuper lingua eius*; Chald. & B Theodot. *& lex gratiæ in lingua eius*; Sept. Vatic. *os ſuum aperuit attentè & legitimè, & ordinem poſuit linguæ ſuæ*; Complut. verò, *os ſuum aperuit ſapienter & legaliter: at eleemoſynæ eius in lingua eius*; Vatab. *ſapiẽter loquitur, & eſt gratioſa.* Pro *clementia* hebr. eſt. חֶסֶד *cheſed*, id eſt pietas, gratia, charitas, beneuolentia, beneficentia, gratitudo, bonitas, ſanctitas.

Explicat hic quod dixit v. præced. *Fortitudo & decor indumentum eius*, nimirum grauitatem & decorã modeſtiam huius viraginis maximè elucere in verbis ſapientibus & clementibus. Solent enim mulieres, quia otioſæ & curioſæ, eſſe loquaces & garrulę: & quia parui prę viris ſunt cerebri, ac paſſionibus aguntur; hinc multa imprudenter, dicaciter & procaciter effutiunt & vociferantur. Secùs facit virago hæc, quæ mentem æquè ac linguam C ſuam domuit & caſtigauit ſapientia & pietate: ſapientia, vt nil inſipiens, pietate, vt nil iniurium vel noxium loquatur.

Vox *aperuit* notat eam clauſum habere os & obſignatum ſilentio, quod nil niſi clauis ſapientiæ reſeret. Rurſum τὸ *aperuit ſapientiæ*, innuit ſapientiam habitare in corde eius, illudque quaſi animare, mouere, regere & aurigare, vt non tam virago quàm ſapientia ipſa per os eius loqui & per manus eius operari videatur. Ita S. Mechtildis adeò rectè *ſeruabat ſilentium, vt eam mutam putares: ſin loqueretur, tanta id gratia faciebat, vt cum angelo te colloqui exiſtimares*, ait Engelhardus in eius Vita cap. 5.

Lex clementiæ quæ. Reſp. Primò.

ET LEX CLEMENTIÆ] Primò, q. d. In verbis non eſt aſpera, moroſa, clamoſa, iracunda; ſed lenis, blanda, modeſta, ſuauis: hanc enim legem ſi- D bi clementiæ fixit, vt cum omnibus benignè & clementer loquatur: quare hæc clementię lex quaſi dictatrix menti inſidens & præſidens, linguam eius moderatur & regit, vt non niſi clementia & beneuola, quæ ei ſuggerit & dictat, promat & lingua proferat.

Secundò.

Secundò, Chald. Theodot. & S. Ambroſ. in c. 31. Prouerb. vertunt, *lex gratiæ.* q. d. Gratioſam ſe exhibet in loquendo, vt non tam ipſa, quàm gratia per os eius loqui videatur.

Tertiò.

Tertiò, Hebr. *cheſed* propriè ſignificat pietatem, id eſt pium affectum, quo quis parentes, conſanguineos, domeſticos proſequitur. q. d. Materfamilias hęc in virũ, filios, ſeruos & ancillas pia eſt, beneuola & benefica: quare viri labores & mœrores beneuolis verbis ſolatur & abſtergit. Rurſum Filiorum, ſeruorum & ancillarum lites & iurgia a-

micis

blicis ſermonibus ſedat & componit, vt ipſa videatur totius familiæ eſſe pax, cōcordia & amor mutuus; quia omnibus haſce virtutes verbis & factis inſtillat, quare ſi quis ab alio læſus ſit vel offenſus, curat vt offendens humiliando ſe, vel veniam petendo, offenſo ſe reconciliet, ac offenſus offendēti clementer culpam condonet, & priſtinam amicitiā redintegret. Sic Abigail ſua placida & blanda oratione Dauidis iras ſedauit, vt parceret Nabal & domui ſuæ, 1. Reg. 25. 24. & Eſther regina ſimili oratione, placauit animum Aſſueri, & ad clementiam, vt Iudæis innocentibus parceret, inflexit.

Quartò. Quartò, *cheſed* cum Sept. vertas, *eleëmoſynam* & miſericordiam & cum Tigurina *beneficentiam*. q. d. Virago hęc aſſiduè in lingua, æquè ac mente & manu habet nomen eleëmoſynæ; quia aſſiduè eā omnibus commendat, iubetq; ſuis vt nulli petenti eam denegent. ita Aben Ezra. Rurſum cum manu non poteſt, lingua dat eleëmoſynam, blandis verbis afflictum ſolando, inſtruendo, animando, conſilium dando, commendando, &c. Denique in omnes eſt benefica, ſibique fixit legem beneficentiæ, vt quibuſcumque poteſt benefaciat.

Quintò. Quintò, R. Leui per *cheſed* accipit pietatem in Deum. q. d. Hæc virago aſſiduè in lingua habet Deum, piaque verba de Deo, Deique in homines & totum mundum beneficentia: aſſiduè enim eam prædicat & celebrat, ceteroſque ad eandem celebrandam inuitat & excitat. Hinc rurſum *cheſed* vertas bonitatem & ſanctitatem, q. d. Nō niſi bona & ſancta eloquitur, vt omnes ad ſanctitatem impellat; quare os eius videtur organum, & lingua eius eſſe plectrum Spiritus ſancti, iuxta illud S. Petri epiſt. 1. c. 4. 11. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Vide ibi dicta.

Os S. Gertrudis, os Spiritus S. Sic S. Gertrudis pia & ſancta cuilibet dabat monita ſalutis, adeoq; non tā ipſa quàm Spiritus ſanctus per os & linguam eius loqui videbatur. Quare omnes ad illam velut ad cæleſte oraculum concurrebant, ac quolibet veniente, eiuſque auxilium vel conſilium poſtulante, antequam ipſe qua in re id poſtularet, ediceret, Spiritus ſāctus ei ſuggerebat quid reſpōdere, quid conſulere & eloqui deberet. ita habet eius Vita. Similia legimus de S. Catharina Senenſi, cuius verba efficacia erant & ardentia, vt nullus peccator eis reſiſtere poſſet; nec quiſquam niſi melior effectus, ab ea recederet.

Clementia effectus ſapientiæ. Nota Clementiā iungi ſapientię, quaſi effectum cauſæ: vera enim ſapientia mouet hominē ad clementiā & beneficentiam. q. d. Virago hæc loquitur ſapienter, ideoque clementer: ſapientia enim ipſa docet clementiam & miſericordiam, vtpote quæ ſit virtus & dos propria Deo, quæque homines faciat diuinos, & quaſi deos, iuxta illud Nazianz. orat. 16. *Eſto calamitoſo Deus.*

Hanc legem ſapientiæ & clementiæ S. Hieron. vel potiùs S. Paulinus, inculcat Celātiæ matronæ: *Sermo*, inquit, *in omnibus ſit moderatus & parcus, & qui neceſſitatem loquendo magis indicet quàm voluntatem. Ornet prudentiam verecundia: quodq; præcipuum in feminis ſemper fuit, cunctas in te virtutes pudor ſuperet. Diu autem conſidera quid loquendum ſit, ne quid dixiſſe pœniteat: verba tua ponderet cogitatio, & lingua officiū animi libra diſpenſet. Vnde Scriptura dicit: Aurum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua.* Eccli. 28. 29.

Deinde de lege clementiæ iſta illicò ſubiungit:

A *Nunquam malum verbum de ore tuo procedat, quæ ad cumulum benignitatis iuberis etiam maledicentibus benedicere: Miſericordes, inquit, modeſti, humiles, non reddētes malū pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.* 1. Petri 3. 8. *Mentiri antē atq; iurare lingua tua prorſus ignoret, tantuſq; in te ſit veri amor, vt quidquid dixeris iuratum putes.* Ac tandem concludit: *In omni igitur actu atque verbo quieta mens & placida ſeruetur: ſemperq; cogitationi tuæ Dei præſentia occurrat: ſit humilis animus ac mitis, & aduerſus ſola vitia erectus.*

Legem hanc clementiæ egregiè didicerat S. Monica mater S. Auguſtini, quæ per eamdem iras & choleram mariti ſui cicurauit, atque ex leone ouem effecit, imò ex Pagano Chriſtianum: quin & eandem legem ipſa alias matronas docebat, quæ doctrinam eius ſecutæ cum maritis, in iugi pace
B & amore vitam felicem agebant, vti narrat S. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 29.

Verùm præ omnibus matronis, viris & angelis legē hanc ſapientiæ & clementiæ ſeruauit & docuit, ſeruatq; & docet B. Virgo, quæ, vt ait S. Ambroſius li. 2. de Virgin. *corde erat humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior.* *B. Virgo clementiſſima.* Et S. Damaſcen. orat. 1. de Natiuit. *Sermo eius*, inquit, *iucundus ex leni anima progrediens.* Et S. Bonauen. in Speculo cap 8. *Maria*, inquit, *manſuetiſſima fuit per lenitatem, patientiſſima contra omnem aduerſitatem.* Clemētiæ eius in peccatores & afflictos innumera extant exempla. Quocirca Eccleſia eā in hymno *Salue regina* ita ſalutat & inuocat: *O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.* Et in hymno *Aue maris ſtella: Virgo ſingularis inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mi-*
C *tes fac & caſtos.* Et S. Bernar. ſer. in illud Apocal. 12. *Signum magnum: Nihil*, inquit, *auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt offerens lac & lanam.* Et mox *Quod ſi (vt verè ſunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena māſuetudinis & miſericordiæ quæ ad eam pertinent, inueneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricē benigniſſima miſeratione prouidit.* Cauſam dat S. Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *B. Mariam*, inquit, *velut ignis ferrum, Spiritus ſanctus totam decoxit, incanduit & igniuit: ita vt in ea Spiritus ſanctus flāma videatur, nec ſentiatur, niſi tantùm ignis amoris Dei.* Quid enim amor tātus niſi amabilia, blanda, clementia exhalat? ſcilicet vt nec à ſole auferri poteſt lux, vt non luceat; nec ab igne calor, vt non adurat; ita nec à Virginis Dei matre clemētia, vt miſericors & pia non ſit, quia ipſa innatam, inuiolabilem, ſempiternam ſimul cum dignitate matris Dei, legem cle-
D mentiæ diuinitùs accepit. In lingua eius hæc eſſe dicitur, eò quòd in continuis ſupplicationibus ad Deum filium effuſis, admirabilem iſtam & maternam pietatem demonſtrat. Quapropter ipſa omnes ad ſe inuitans: *Tranſite*, inquit, *ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & fauum*, Eccli. 24. 26. vide ibi dicta.

Allegor. Beda hæc attribuit Eccleſiæ, & animæ ſanctæ: *Os ſuum aperuit ſapientiæ*, inquit, q. d. *Ad hoc tantùm loquens os aperuit, vt ſapientiam doceret, iuxta illud Apoſtoli: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Ephes. 4. *Vel certè os cordis aperuit ad diſcendā ab ipſa ſapientia interiùs veritatem, quam alios foris doceret. Vtrique autem ſenſui, quia vtrumq; fecit Eccleſia, congruit aptè quod ſequitur: Et lex clementiæ in lingua eius: illa videlicet, vt non ſtatim more legis Moſaicæ peccantes puniret, ſed miſericorditer ad pœnitentiæ remedia* vo-

vocaret. Cuius exēplum clementiæ ab ipſo Deo & Saluatore noſtro manifeſtè percepit, cùm oblata ei peccatrice muliere: Si quis, inquit, ſine peccato eſt, primus mittat in illam lapidem. Et ſic eam à crimine quod patrarat, ſub conditione ampliùs non peccandi, miſeratus abſoluit.

VERS. 27. Tſide.

CONSIDERAVIT SEMITAS DOMVS SVÆ, ET PANEM OTIOSA NON COMEDIT] Hebr. *ſpeculans vias domus ſuæ, & panem pigritiæ non comedit;* Chald. *manifeſtæ ſunt viæ domus eius;* Septuag. Complut. *anguſtæ ſunt viæ domus eius, cibos autem otioſa non comedit;* ſed Vatic. ſic, *conſtrictæ* (græcè στενάι, id eſt ſtrictæ, præcluſæ, obſeptæ, firmæ, ſolidæ) *manſiones domorum eius, cibos autem pigros non manducauit;* Symmach. *conſiderat itinera domus ſuæ;* clarè Vatabl. *ſpeculatur ſtatum domus ſuæ, & panem ignauiæ* (Scholiaſtes Græcus, *panem ſocordiæ;* Chald. *panem pigredinis*) *non edit;* R. Salomon, *obſeruat diligenter quæ familiæ ſuæ opus ſint.*

Pro *conſiderauit* hebr. eſt צוֹפִיָּה *tſophia*, id eſt ſpeculata eſt, perſpexit, diſcooperuit, apertis oculis circumluſtrauit. Vnde צוֹפֶה *tſophe* eſt ſpeculator (inde patria Samuelis vocatur *Ramathaim ſophim*, id eſt ſpeculatorum) מִצְפֶּה *mitſpe*, eſt ſpecula: vnde *maſpha* vocata eſt vrbs Leuitarum, ſita in monte quaſi ſpecula Iſraëlis. Porrò radix צָפָה *tſapha*, eſt contrariæ ſignificationis: ſicut enim paſſim ſignificat ſpeculãdo aperire, ſic & ſubinde ſignificat obductis laminis tegere, claudere & operire, vt patet Exodi 36. 34. hinc Sept. vertunt, *clauſæ* vel *arctæ & conſtrictæ viæ domus eius.*

Notatur hîc propria dos & præcipuum officium matrisfamilias, quod eſt ſpecula, ac quaſi è ſpecula proſpicere & circumluſtrare totã domum, omneſque domeſticos, atque ab ijs inertiam omniaque noxia arcere, & ſedulitatem omniaque bona procurare: per *ſemitas* enim *domus* accipe tum oſtia, cubicula, angulos domus; hæc enim omnia luſtrat, & vigilat excubatque ne quid in domum ſe inſcia inferatur noxium, vel efferatur furtiuum; tũ vias, id eſt actiones domeſticorum; metonymicè, q. d. Materfamilias hæc diligentem domus & familiæ ſuæ curam gerit, excubat, ſpeculatur & circumſpicit actiones & mores domeſticorum ſuorum, quid ſcilicet, quale & quantum agant, num torpeſcant otio, num litibus, crapulæ, libidini ſe dedant, quare ad hæc ritè excludendum, omnes vrget ad laborem & opus tum verbo, tum magis præſens exẽplo: quocirca *panem otioſa* (Hebr. *panem luxuriæ* vel *ſocordiæ*) *non comedit*, ſed panem multis curis & laboribus conditum meritumque parcè ſumit, & alijs laborantibus ſumendũ diſtribuit. Pigris enim & otioſis intentat illud Apoſtoli: *Qui non laborat, non manducet.* Virago ergo prudenter fame caſtigat otium & otioſos; hos enim fames cogit laborare. Celebre apud Romanos erat illud Appij Claudij: *Negotium meliùs populo Rom. committi quàm otium;* idem fideli cuilibet dicatur.

Vxor vigilat in domo.

Ratio à priori eſt, quòd cura domus propriè incumbat vxori, ſicut negotia externa marito, vti dixi v. 21. Hoc eſt quod ait Ariſtot. li. 1. de Re famil. c. 3. *Diuinâ prouidentiâ vtriuſq; natura, viri ſcilicet ac mulieris, ordinata eſt ad ſocietatem. Alterum enim robuſtum fecit, alterum imbecillius: hoc quidem ob timorem cautius, illud verò propter fortitudinẽ pugnacius: & hoc quidẽ vt foris ſuppeditaret, quæ neceſſaria ſunt; illud autẽ vt intus eadem conſeruaret.* Præclariùs S. Hieronymus, vel potius S. Paulinus, Celantiam ita inſtruit: *Familiam tuam ita rege & conſule, vt te matrem magis tuorum quàm dominam videri velis, à quibus benignitate potiùs quàm ſeueritate exige reuerẽtiam. Fidelius & gratius ſemper obſequium eſt quod ab amore, quàm quod à metu proficiſcitur. Præcipuè autẽ in coniugio venerabili atque immaculato Apoſtolica regulæ ordo teneatur. Seruetur inprimis viro auctoritas ſua, totaq; à te diſcat domus, quantum illi honoris debeat. Tu illum dominum obſequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonſtra, tanto ipſa honoratior futura, quanto illum ampliùs honoraueris. Caput enim, vt ait Apoſtolus, mulieris eſt vir, nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate.*

Ratio à priori.

Coloſſ. 3.

Alleg. Prælatus quilibet diligenter conſideret Eccleſiam, vel congregationem ſibi commiſſam. A conſideratione enim pendet omne bonum, ab inconſideratione omne malum tam Prælati, quàm Eccleſiæ, vti graphicè docet S. Bernardus libris quinque quos de Conſideratione eximios ſcripſit ad Eugenium Pontific. vbi inter cetera lib. 1. ante finem ſic ait: *Et primùm quidem ipſum fontem ſuum, id eſt mentem de qua oritur, purificat conſideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, cõponit mores, vitam honeſtat & ordinat: poſtremò diuinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente reſideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc eſt quæ in proſperis aduerſa præſentit, in aduerſis quaſi non ſentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ eſt.* Subdit deinde ab ea pendere omnes virtutes: *Ibi etiam aduertere tibi eſt ſuauiſſimum quemdam concentum complexumq; virtutum atque alteram pendere ex altera: ſicut hoc loco vides fortitudinis matrem eſſe prudentiam, nec fortitudinem, ſed temeritatem eſſe quemlibet auſum, quem non parturiuit prudentia. Hæc item eſt quæ inter voluptates & neceſſitate media quaſi quadam arbitra ſedens, vtrimque certis limitibus diſterminat fines, illis aſſignans & præbens quod ſat eſt, illis quod nimis eſt demens, & ſic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt temperantiam. Nempe intemperantem ipſa conſideratio cenſet tam eum, qui neceſſarijs pertinaciter denegat, quàm qui indulget ſuperfluis. Non ergo eſt temperantia in ſolis reſecandis ſuperfluis, & in admittendis neceſſarijs.*

Prælatus incubet in Eccleſia.

Conſiderationis officia.

Tropol. S. Gregor. 35. Moral. c. 15. cuius verba de more tranſſcribit Beda, & plura adiungit, per hanc conſideratione ſemitarum, id eſt actionum, accipit examen conſcientiæ, quod ad animæ purgationem & profectum vtiliſſimum eſt. *Semitas,* inquit, *domus ſuæ conſiderat, quia cunctas ſuæ conſciẽtiæ cogitationes ſubtiliter inueſtigat. Panem otioſa non comedit, quia hoc quod de ſacro eloquio intelligendo perceperat, ante æterni iudicis oculos exhibendo operibus oſtẽdit. Item domus foris mulieris, habitatio eſt patria cæleſtis. Semitæ domus illius præcepta iuſtitiæ, quibus ad æternæ vitæ mãſionem peruenitur. Quas profectò ſemitas anima bene cõſiderat, cùm & diligenter quibus actibus ad ſuperna peruenire debeat, inſpicit, & quæ agenda didicit, ſedula exercere non deſinit.* Proſequitur deinde ea quæ ſequuntur, & ſigillatim explicat. *Panem quoque otioſa non comedit, cum ſacrificium Dominici corporis percipiens ſtudet imitari actu, quod in myſterio celebrat, multum ſollicita ne indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, iudiciũ ſibi manducet & bibat, ſed vt patiendo pro Chriſto, ac lacrymas fundendo, bonis quoque actibus inſiſtendo, paſſionum exempla ipſius quãtum valet ſequatur.*

Tropolog.

Porrò

A Porrò Septuag. vertunt, *conſtrictæ ſunt manſiones domus eius.* q. d. Virago hæc conſtringit & claudit horreum, penum, abacum, &c. eorumque clauem ſibi ſeruat, vt cuſtodiat annonam & ſupellectilem, ne ad eam acceſſus vel furibus, vel domeſticis ad eam efferendam & diſſipandam pateat.

Moral. Prælatus & Princeps gnauus ſtringit diſciplinam, arcteque ſeruari vult omnes leges & ordinationes, itaque facit vt floreat reſp. nam *vbi rigor ibi vigor:* ignauus verò laxat diſciplinam & leges itaque rempubl. diſſipat. Solebat Carolus V. Imper. vrbem quamlibet ingrediens, ex tribus coniicere, an in ea vigeret politia, foretque bonum regimen; conſiderabat enim an gnauus in ea eſſet Paſtor, prætor & præceptor: gnauus enim Paſtor ſeuerè tuetur diſciplinam Eccleſiæ, prætor reipubl. præceptor ſcholæ, vt iuuentus rectè erudiatur & formetur. Et S. P. N. Ignatius ex tribus coniiciebat, an in monaſterio vel collegio quolibet vigeret religio, ſcilicet conſiderabat an in eo exactè ſeruaretur clauſura, nitor & ſilentium: hæc enim tria aiebat certa eſſe indicia bonæ diſciplinæ.

Tria indicia bonæ diſciplinæ in vrbe vel collegio.

Symbolicè auctor Catenæ Græcor. hæc applicans B. Virgini, per anguſtias vel conſtrictas eius ſemitas accipit eius virginitatem, & virginalem clauſo vtero partum.

S. Auguſt. ſerm. 45. de Diuerſis, pro *conſtrictæ* vertit, *ſeueræ conuerſationis domus eius, cibos autem pigros non comedit: Seueræ, inquam, fortes, diſtrictæ: non eſt vbi diffluatur, non amat diſſolutionem; & meritò tantum acquiſiuit, quia cibos pigros non comedit.* q. d. Virago hæc ſeuerè tuetur domus ordinem & diſciplinam, ideoque non molli otio, ſed ſeuero labori omnes aſſuefacit, ipſaque exemplo eis præit, quare panes non pigros, ſed ſudore elaboratos partoſque comedit. *Eſt* ergo, inquit S. Ambroſ. in hunc Prouerb. locum: *Mulier hæc laborioſa, vigilans, ſollicita, ſurgens de noctibus, anxia ne lucerna extinguatur, in tribulatione fortis, promiſſis nondum acceptis patiens, digitos ſuos ad fuſum formans, panem pigra non manducās: ſed poſt labores iſtos quid erit ei? Surrexerunt filij eius & ditiores facti ſunt. Dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 15. Seminatur corpus in ignobilitate, ſurget in gloria. Tunc ditabuntur filij eius: Para ergo te diuitias* (dotes membrorum glorioſas) *reſurrectionis accipere.* Sic ipſe legit ex Septuag. ſicque explicat.

Hæc applices B. Virgini, cuius ſeuera & rigida fuit vita in ieiunijs, orationibus, lacrymis, perſecutionibus, doloribus, paſſionibus. Vnde S. Bernar. in Meditat. ſuper *Salue Regina: O certè vita,* inquit, *amabilis, vita deſiderabilis, vita delectabilis! ò vita quæ mentis tuos cæleſtibus alimentis? qui enim vult te habere, ſe affligat, delicias reſpuat, delicata quæque contemnat; & qui ampliùs mortificatus fuerit, te ampliùs poſſidebis.*

Huc facit quod S. Brigitta narrat B. Virginem ſibi reuelaſſe, nullam ſe gratiam à Deo accepiſſe, niſi præuio magno labore, precibus & lacrymis, ideoque eamdem hortatur ac quoſuis fideles vt iiſdem medijs gratiæ dona ſibi procurent: non enim aliam eſſe viam ad gratiam, quàm mortificationem & crucem.

B. Virgo auſtera vita.

Vers. 28. Koph. SVRREXERVNT FILII EIVS, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERVNT; Chald. *beatitudinem illi dederunt*) VIR EIVS, ET LAVDAVIT EAM] Hebr. אשר *aſcar* in *piel* ſignificat & beare vel beatum prędicare, ac ditare: opes enim diuites faciunt felices & beatos. Vnde Sept. Complut. vertunt, *ſurrexerunt filij eius, & ditati ſunt;* Vaticani verò, *eleëmoſyna autem ſuſcitauit filios eius, & ditati ſunt;* auctor Catenæ Græcor. *eleëmoſynæ eius ſuſcitarunt liberos eius, & ditati ſunt.*

Hebr. קם *kam*, id eſt ſurrexerit, ſtetit, ſępè non corporis ſe erigentis ſtantiſue ſitum, ſed exiſtentiā dumtaxat & præſentiam, vel actionis initium & inchoationem ſignificat. q. d. Surrexerunt filij, id eſt, virago hęc non eſt ſterilis, nec illiberis, ſed plures inſignes habet filios, qui exiſtentes & præſentes videntesq; matrem tam ſedulam, ſtrenuam & opulentam, cœperunt eam celebrare & beatiſſimam prædicare. Poteſt tamen hoc loco *kam* & *kamu*, id eſt *ſurrexerunt*, propriè accipi, idque habet emphaſim. Primò, q. d. Filij totam noctem ſine cura, quietè & iucundè dormierent, manè ſurrexerunt, inquit Aben Ezra, inueneruntq; matrem B ijs dormientibus noctu peruigilaſſe, lanā & linum pexuiſſe, filaſſe, texiſſe, cibaria famulis & ancillis præparaſſe, reſque totius domus in diem futurum decorè & eximiè ordinaſſe, imo eius induſtria tā ſe quā domeſticos omnes veſtibus duplicibus, rebuſq; omnibus abundare: quare ſe cum domeſticis felices & beatos tali matre, matrem verò beatiſſimam prædicauerunt, vtpote cui omnis hæc laus, omne domus decus & gloria debetur.

Secundò, *ſurrexerunt*, inquit Baynus, id eſt adoleuerunt & creuerunt filij, nō ſolum ætate & ſtatura corporis, ſed & virtutibus quas à matre didicerunt, indeque honoribus, dignitatibus & glorias quibus omnibus non tam voce quàm facto apud omnes celebrarunt matrem, ac reipſa illam prędicarunt beatiſſimam, vtpote quæ tam beatos genuiſſet, aluiſſet & effeciſſet liberos: ſolet enim prolium educatio incumbere matri; quare eorū probitas, dignitas & gloria matri iure tribuitur. Vir etiam non tantùm voce, ſed etiam moribus ſuis mulierem hanc dilaudare & commendare dicitur; quia viri facilitas, lenitas & ſuauitas morum ad vxorem magna ex parte ſpectat, & ab illius moribus pendet.

Porrò Septuag. Complut. vertunt, *ſurrexerunt filij eius, & ditati ſunt.* q. d. Mater tantas opes colligit, vt, cum filij ducta vxore ſurgerent, id eſt è domo materna in propriam migrarent, diuitem eis dotem & hereditatem aſſignarit, vt filij ab ea adeò ditati beatiſſimam matrem prædicarent, & laudibus in cælum veherent. Septuag. verò Vaticani habent, *eleëmoſyna autem ſuſcitauit filios eius.* q. d. Mulieres timidę, ideoque auaræ ſua retinent, nec dant pauperibus etiam poſcentibus eleëmoſynas, ne per eas depauperentur: at hæc virago ſapiens & magnanima largiter dedit eleëmoſynas poſcentibus, æquè ac non poſcentibus: ſciebat enim per has ſe & ſuos à Deo fore benedicendos, & magna cum fœnore ditandos. Itaque reipſa factum eſt: nam eleëmoſynæ eius *ſuſcitarunt*, id eſt ad magnas opes & honores filios euexerunt: hūc enim eſſe eleëmoſynæ fructum docet S. Chryſ. homil. *quòd eleëmoſyna ſit ars omnium quæſtuoſiſſima*, ac S. Baſilius homil. in diuites auaros. S. Ioannes Eleëmoſynarius, & alij quos ſuperiùs citaui.

Tropol. auctor Catenæ Gręcor. *Nullus*, inquit, *apud illam claudicat aut cæſpitat: nam ſi quos in flagitium aliquod prolapſos animaduertit, ſtatim pro ſua pietate & clementia è ſordibus in quibus iacent, excitat illos, opibuſq;* Tropolog.

opibuſq́, ſpiritualibus auget. Quare etiam vir eius laudat & admiratur illam.

Anagogica Anagog. Sancti qui in hac vita ſedent lugentes in cinere & ſacco pœnitentię, in cælo ſurgent, imò reſurgent in ſtola gloriæ, ibique beatam prædicabunt matrem ſuam Eccleſiam nunc militantem, tunc triumphantem. Eandem vir ſuus, putà Chriſtus, laudabit *videns eam cum tanta multitudine filiorū diuitum in reſurrectione mortuorum*, ait S. Auguſtinus ſer. 45. de Diuerſis. Et Beda: *Surgunt*, ait, *filij Eccleſiæ, & beatiſsimam eam prædicant, cùm cæleſtibus bonis ſublimati quanta ſit illius patriæ beatitas, cuius participes eſſe meruerunt, aſpiciunt, & hanc debita laudatione in diuina viſione concelebrant. Laudat eam vir eius, cùm bona quæ ipſe donauit, remunerat. Quibus autem verbis eā laudes conſequenter oſtenditur, cùm dicitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

B. Virgo beatiſſima celebratur. Hæc omnia facilè adaptes B. Virgini. Ipſam enim beatiſſimam prædicauit Chriſtus filius eius, tum verbo, tum operè & moribus. Chriſtus enim ſuā indolem cum natura hauſit à B. Virgine: quare actiones & mores Chriſti repręſentarunt actiones & mores matris; ac virtus, beatitudo & gloria Chriſti repræſentat virtutē, beatitudinem & gloriam matris. Vnde illa in Euangelio exclamabat: *Beatus venter qui te portauit & vbera quę ſuxiſti.* Tota enim laus filij in matrem redit, & vt ait Salomon: *Gloria patris* (& matris) *eſt filius ſapiens.* Rurſum S. Ioannes, quem Chriſtus moriens ſibi ſubſtituit, filiumq; B. Virgini arrogauit, eam beatam prædicauit cùm eius eximiam ſanctitatem ſua ſanctitate expreſſit. Idem fecere S. Germanus, Damaſcenus, Ildefonſus, Anſelmus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Ignatius, aliique innumeri, qui B. Virgini ceu deuotiſſimi filij, eius præconia per ſe & ſuos verbis factiſque celebrarunt, & indies celebrant, indéq; eximia gratiarum dona ęgitus hauriunt. Nā vt ait S. Bonauent. in Pſalterio: *Iucundus homo qui non ſatiatur in laude tua: exortum eſt in corde illius lumen Dei, Spiritus ſanctus illuminat intelligentiam eius.* Denique omnes omnium ſæculorū in Eccleſia fideles mirè amant & glorificant B. Virginem. Hinc nulla penè eſt ciuitas, quæ non habeat templum in honorem Virginis dedicatum: nullum templum, quòd nō habeat ſacellum, vel altare, vel imaginem B. Virginis: nulla Eccleſia, quæ non ei quotidie *Salue regina*, ſimileſue hymnos & laudes accinat imò tota Eccleſia eā aſſiduè ſalutat: *Benedicta tu in mulieribus, &* (id eſt *quia*) *benedictus fructus ventris tui.* Hoc eſt quod ipſa ſpiritu prophetico pręuidens pręcinuit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Nam vt ait Damaſcen. orat. 2. de Natiuit. *Virgo omnium encomiorum legem excedit, nec, ſi omnes toto orbe diſperſa linguæ in vnum coeant, eius laudes oratione conſequi poſſent.* Nimirum.

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſidera cælo.

Rurſum vir eius, putà Spiritus ſanctus, laudauit laudatque eam, cùm omnes Prophetas, Apoſtolos & Sanctos in eius laudes excitauit. Hinc vbique Congregationes & Religiones in honorem Virginis erexit, quæ iugiter eius officium concinerēt & laudes deprædicarent, vti inter alias facit Ordo Carmelitarum, Annuntiatarum & Seruitarum, qui toti cultui & Virgini addicti, dicti ſunt Seruitæ quaſi ſerui Virginis.

Vers. 29. Reſch. MVLTÆ FILIÆ CONGREGAVERVNT (Chald. *poſſederunt*) DIVITIAS: TV SVPERGRESSA ES VNIVERSAS] Hebr. *multæ filiæ fecerunt* חיל *chail*, id eſt

A *virtutem, ſtrenuitatem, fortitudinem, gloriam, opes & tu aſcendiſti ſuper vniuerſas ipſas.* Hinc Septuag. vtramque *chail* ſignificationem complexi, vertunt, *multæ filiæ acquiſierunt diuitias, multæ fecerunt virtutem: tu autem excellis, vel eminens & ſupergreſſa es vniuerſas*: hoc eſt, excellenter & eminenter, ſiue eminus, ſupergreſſa es vniuerſas, eſt hendiadys. S. Auguſtinus ſer. 45. de Diuerſis legit, *multæ filiæ fecerūt potentiam, tu autē ſuperaſti & ſuperpoſuiſti omnes.* Poſſet quoque verti, *multæ filiæ fecerunt exercitum*, id eſt copiam filiorum, ſeruorum, ancillarum, *ſed tu ſuperaſti omnes*, quia multos genuiſti filios, & plures comparaſti ſeruos & ancillas, vt ex illis exercitum conflare & inſtruere poſſis, ac acie contra hoſtes decertare valeas, vti fecit Abraham Geneſ. 14. Armena verſio apud M. Anton. Abagarum habet, *multæ filiæ congregauerunt magnificentiam, acquiſierunt*

B *iuſtitiam.*

Senſus ergo eſt, q.d. Tu tua ſtrenuitate & heroicis facinoribus, paraſti tibi robur, decus, gloriam, & opes, quātas nulla cęterarum mulierum, ſed ijs omnes tranſſcendis & ſuperas. Eſt hęc laus viraginis, quā, vt, pręceſſit, laudat eam vir ſuus, ait Beda, & filij beatiſſimam prædicant, dicendo ſcilicet, quòd ipſa ſuo *chail*, id eſt vigore, valore, induſtria, robore, opibus, ceteris feminis longè antecellat. Id præſtitit B. Gorgonia ſoror S. Greg. Nazianz. cui hoc ipſe dat elogium orat. 11. *Et vt quoſdam fuiſſe demus, qui vna aliqua virtute cum ipſa contenderent, at hoc certè nomine omnes vicit, quòd vna virtutes omnes complexa ſit. Sic enim omnia præſtitit, vt ne mediocriter quidem vnum quiſquam alius: ſit autem ad ſummum ſingula, Vt vel vnum ſolum pro omnibus abundè ſufficeret.* *Virtus eximia S. Gorgoniæ.* Vnde ſigillatim nonnulla recenſens exclamat: *O*

C *ſqualidum corpus, & indumentum virtute ſola florēs! O anima corpus penè ſine cibo, velut materiæ expers retinētem! O noctes inſomnes, & pſalmorum cantus, & ſtationem ex die in diem indeſinentē, &c. O lacrymarum fontes, quæ ex afflictione ſeminabātur, vt in exultatione meterent! ô nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum peruadentē! ô ſpiritus feruorem ob orationis deſideriū, nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras formidantem! ô femineam naturam, quæ propter communne ſalutis certamen virilem naturam ſuperaſti, atque illud conſpicuum feciſti, maſculum & feminam corporis, non item animæ diſcrimen eſſe! ô ingentem poſt baptiſmum caſtitatem, & ſponſam Chriſti animā in puro corporis thalamo! ô amarum guſtum, & Euam, tum generis noſtri, tū peccati ma-*

D *trem, & impoſtorem ſerpentem, & mortem illius continentia ſuperatam! ô Chriſti exinanitionem, & ſerui formam, & paſsiones ipſius mortificatione honoratas.*

Symbolicè Lyran. hanc gnomen, *Tu ſupergreſſa es vniuerſas*, de S. Scriptura accipit, quæ plures & vtiliores veritates includit, quam omnia ceterorum ſcriptorum monumenta. Hinc S. Auguſt. in pſal. 130. explicans illud 1. Corint. v. 10. *Abundantius omnibus laboraui: Paulus*, inquit, *plus omnibus laborauit, quia copioſius omnibus ſcripſit.* Alij enim Apoſtoli non ſcripſerunt, alij nec tantùm, nec tanta gratia ſcripſerunt. Vbi ergo plus ſcribitur, plus laboratur; quaſi vnus ſcribendi labor tantus ſit, vt nullus alius quantumuis importunus cum illo conferendus videatur.

Allegor. S. Auguſt. S. Ambroſ. & Beda hæc accipiunt de Eccleſia, quę omnes filias, id eſt Synagogam Iudæorum, ſcholas Philoſophorū, ſectaſque hæreticorum omnium (quæ filiæ vocantur, *Allegor.*

quia

quia idem baptiſma, eundem Deum confitentur, ſed malè ob hæreſim)de ſuis ieiunijs, orationibus, eleëmoſynis, quin & prophetis & miraculis gloriantes, longè vera fide, ſapientia, virtute, gratia & gloria tranſcendit. *Multę*, inquit S. Ambroſ. *fecerũt potentias, multæ locutæ ſunt linguis, ſciuerunt myſteria, dæmonia excluſerunt, res ſuas pauperibus diſtribuerunt, corpora ſua ignibus cremanda tradiderunt: tamen, quia charitatem non habuerunt, inflatæ ſunt, & laude & præmio defraudatæ remanſerunt. Hæc verò mulier & flore & fructu abundat, quia charitate plena eſt, quam ſpiritus fructum teſtatur Apoſtolus ad Galatas, ipſa eſt botrus vineæ dilectæ; ab ea enim procedunt ceterarum perfectiones virtutum, quas Apoſtolus ad Galatas enumerat dicẽs: Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax patientia, longanimitas, &c. Verùm quia in his filijs, quæ & potentias fecerunt defuit charitas, ideò illis dicitur: Fallaces gratia, & vana ſpecies; quia ſine charitate ſunt ſicut æramentum reſonãs, & ſicut cymbalum tinniens: nihil ſunt, nihil virtutes proſunt. Igitur fallaces gratiæ. Iſta verò quia quæſiuit quid intelligeret, quia intellectum cuſtodiuit, meritò ſapiens commendatur.*

Galat. 5. Cantic. 1. Galat. 5.

Tropolog. hæc adaptes animæ heroicæ, qualis fuit S. Pauli, S. Auguſtini, S. Athanaſij, S. Dominici, S. Franciſci, S. Ignatij, &c. qui communes ceterorum Sanctorum virtutes, gratiam & gloriam, per illuſtriorem Dei gratiam & per heroicas virtutum operationes tranſcenderunt. Igitur in hac viragine deſcribitur emblema heroicæ animæ & virtutis, cui ſingulas gnomas ex dictis facile eſt adaptare.

Tropolog.

Singulariter verò & eximiè hanc Salomonis gnomen B. Virgini ſic adaptant Patres & Doctores. Primò, S. Bernardin. tom. 2. concionum ſer. 2. de B. Virgine: *Maria Virgo*, inquit, *ſanctiſſima quæ Saluatorẽ genuit, peperit & aluit; quæ iugiter eius adhæſit lateri, quæ comes indiuidua nullo ferè abfuit itinere, quæ intẽſa præ ceteris inuigilauit verbo, & operi eius, ſola Saluatoris actuum inſignia opera, melliflua prædicationis genera, inaudita contra mundum, & peccatum, & tartareum zabulũ diuinæ ſeueritatis acerrima eloquia, quòd eis diu inter fuit ſpecialiùs vidit, ſecretiùs audiuit, citiùs agnouit, propenſiùs retinuit, & Apoſtolis alijſq; diſcipulis locupletiùs edidit, diligentiùs retulit, meliùs indidit, fideliùs tradidit.* Probat id ex hac gnome. *Hinc eſt quod de ea legitur in Euangelio: Maria autem conſeruabat omnia verba hęc, conferens in corde ſuo. Hinc in eius laudibus legitur: Multæ filiæ cõgregauerunt diuitias, tu ſuper greſſa es vniuerſas: licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet Apoſtolis omnia nota faceret vt amicis; quædã tamen credendum eſt præ ceteris matrem ſuam, quemadmodum dilexiſſe, ita etiam propenſiùs erudiſſe, quędam ei ſecretiùs intimaſſe, frequenter eam ad montem myrrhæ & ad colles thuris ſublimaſſe, in cellã vinariam occultaſſe, ſui, prout nouit & voluit gloriam deificam, & ſupercæleſtem reuelaſſe notitiam. Vnde Ioannes in Apocal. ca. 4. De throno, ait, procedebant fulgura, voces & tonitrua, quia mater filij Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidiùs ebibit, fideliùs credidit, ſinceriùs luculentiuſq; alijs edidit.*

De B. Virgine. Primò,

Secundò, S. Bonau. in Speculo cap. 2. *Mariæ*, inquit, *Deus præparauerat non ſolum magnitudinẽ ſed & multitudine bonorum in cælo, ita vt nullus angelus, nullus Sanctorum ei æquari poſſit in multitudine & congregatione bonorum cæleſtium, iuxta illud: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas. Si filias iſtas intelligamus animas ſanctas, vel intelligentias angelicas; nunquid non ſupergreſſa eſt diuitias omnium, cùm ipſa ſit primitiua Virginum, ſpeculum Confeſſorum, roſa Martyrum, regiſtrum Apoſtolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, regina angelorum? Quid enim de diuitijs omnium horum deſuit? Si Hieronymus enim ait, Mariam ſi diligentiùs aſpicias, nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris & gloriæ, quod in ea non reſplendeat.* Idem c. 8. *Et quia Dominus*, inquit, *opulentiſſimus opulentiſſimè eſt tecum, ideo tu es opulentiſſima ſiue ditiſſima ſecum; vt ita verè dici tibi poſſit illud Prouerb. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha filia Catharina, & multę aliæ filię, & multę aliæ virgines ſanctæ, & multæ animæ iuſtæ congregauerunt diuitias virtutum & gratiarum, diuitias meritorum & præmiorum; ſed Maria vniuerſi diuitijs ſupergreſſa eſt excellentiſſimè vniuerſas.* Et ca. 10. *Supergreſſa*, inquit, *eſt Maria cunctas filias, ſupergreſſa eſt in natura ſupergreſſa eſt in gratia, ſupergreſſa eſt in gloria vniuerſas filias, id eſt vniuerſas animas, & vniuerſas intelligentias angelicas.*

Secundò. Prou. 31.

Tertiò, S. Bernardinus tom. 2. concionum ſer. 51. ar. 3. ca. 10. dicit B. Virginem actu illo fidei & obedientiæ, quo angelo Chriſti incarnationẽ annuntianti aſſenſit, & aſſentiẽdo ſeſe condignè diſpoſuit, ac de congruo meruit vt eſſet mater Dei, plus meruiſſe quàm meruerunt omnes angeli & Sancti in omnibus actibus ſuis, quia ſcilicet (vt explicat Suarius diſp. 12. ſect. 4.) eo actu meruit ſaltem de congruo eam dignitatem (maternitatem Dei) cui excellentior gratia & gloria quodammodo debebatur. Verba S. Bernardini hæc ſunt: *Si quis*, inquit, *conſiderat ad tantum myſterium finalem virginei conſenſus terminum, clare intelliget, quod omnis dignitas & perfectio incluſa in hoc quod eſt eſſe matrem Dei, tam mente, quam carne comprehendatur in eo, quod quidem tranſcendit in merito in infinitũ, quidquid aliud ſub Deo homine cogitari vel dici poteſt. Si igitur terminus tã ineffabilis fuit ſuo merito proportionatus, oportet quod meritoria perfectio huius conſenſus fuerit perfectioni ſui termini pariter proportionata.* Ex hoc principio hanc cõcluſionem infert: *Ex his igitur colligi poteſt, Virginem Beatã in conceptionis filij Dei conſenſu plus meruiſſe, quàm omnes creaturas, tam angelos quàm homines in cunctis actibus, motibus ac cogitationibus ſuis, nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, niſi ſecundùm varios ſtatus & gradus gloriam ſempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum ſpiritus, cunctarum ſcientiarum, interpretationes ſermonum, ſpiritus prophetiæ, diſcretiones ſpirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filij Dei: meruit quòd ſit ſtella maris, porta cæli, & ſuper omnia quòd regina miſericordiæ nuncupetur, ac talis nominis conſequatur effectum. Vnde meritò Prouerb. vlt. de ipſa B. Virgine Salomon ait: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

Tertiò.

Quartò, Patres docent B. Virginem gratia & gloria omnes omnino ſãctos homines & angelos, etiã Cherubinos & Seraphinos, longè ſuperare, ac nullam creaturam cum illa comparari poſſe; vtpote quæ à ſolo creatore Deo ſuperatur. Ita D. Epiphan. in orat. de laudib. Virg. *Solo Deo excepto*, inquit, *cunctis ſuperior exiſtis.* D. Greg. lib. 1. Regum cap. 2. *Mons fuit beatiſſima Virgo, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ ſublimitate tranſ-*

Quartò.

ſcendit. D. Damaſcen. ſer. de natiuit. Virgin. *Hodie*, inquit, *mundi ſalus inchoauit, exultate montes, hoc eſt ratione prædite naturæ, queq; ad ſpirituali· contẽplationis faſtigium aſſurgitis: ſiquidem clariſſimus Dei mons paritur, mons, inquam, ille qui collem omnem ac montem, id eſt angelorum atque hominum ſublimitatem exuperat.*

Quinto. Quintò, omnes conſentiunt B. Virginem ſicut gratia, ſic quoque dignitate & honore ſuperare omnes angelos & homines; quia tota Eccleſia hos colit dulia, B. Virginẽ verò hyperdulia, quæ proximè accedit ad latriam, quâ colitur Deus. Iunge iam ſimul omnes honores, qui ſingulis angelis & hominibus debentur ac deferuntur, omnes erunt duliæ, nec vnquam pertingent, quantumcumque increſcant, ad hyperduliam B. Virgini debitam: quia hęc altioris eſt ordinis; quare omnes alias dignitates in vnum conflatas tranſſcendit, ſicut aurum dignitate tranſſcendit omne argentum, & cęlum tranſſcendit omnia elementa & corpora elementaria.

Ratio à priori. Ratio à priori eſt, quòd B. Virgo colatur vt mater Dei: hæc enim cùm ſit dignitas immenſa, lõgè omnes alias tranſſcendit, hinc ei honor pariter & *Maternitas Dei quanta ſit dignitas.* cultus, qui cæteros omnes tranſſcendat, debetur. Maternitas Dei enim eſt dignitas incomparabilis & incomprehenſibilis. Ipſa enim eſt conſanguinitas cum Deo, eaq; proxima, ſumma & arctiſſima: quare per eam B. Virgo eleuata eſt, facta quaſi ordinis diuini, vt eundem Deum habeat filium ſibi conſubſtantialẽ in humanitate, quem Deus Pater ſibi habet ὁμοούσιον & cõſubſtantialem in diuinitate. Quare ſicut ei dicit Deus Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: ſic idem eidem dicere poteſt B. Virgo. Ipſa ergo præ ceteris omnibus propriè eſt *mater, filia, ſponſa Dei*, putà mater Dei Filij, filia vnigenita Dei Patris, ſponſa Spiritus ſancti. Quid ergo quantumque eſt eſſe matrem Dei? Eſt eſſe maternitate quodãmodo ſuperiorem Deo, eſt parere & gignere Deum, eſt Deo dare ſuam ſubſtantiam, ſuam eſſentiam, ſuum corpus, ſuam carnem & ſanguinem; eſt habere ius maternum in Deum, velut ſuum infantem & prolem; eſt Deum habere ſibi ſubditum ceu filium, vt Deus eam vocet genitricem ſuam, eam colat vt matrem, amet vt matrem, ei obediat vt matri: rurſus vt eam exornet illis dotibus & gratijs, quę & matrem Dei & Deum filium decent: honor enim filij pendet ab honore matris. Quare ſicut matrem regis, decet eſſe reginam tanto filio dignam: ſic pariter Dei matrem decet eſſe Deo dignã. Sicut enim turpe eſſet regi habere matrem eo indignam, vilem & abiectam: ſic pariter turpe eſſet, ſi Deus haberet matrem ſe indignam, nec ijs ornatã dotibus quæ Deum decent. Hinc matris Dei decus obſtupeſcens S. Bernardus exclamat homil. 1. ſuper *miſſus eſt: Vtrimque ſtupor, vtrimque miraculum. & quòd Deus feminæ obtẽperet, humilitas abſque exemplo; & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.*

Idipſum liquet rurſum ex eo, quòd dignitas vnionis hypoſtaticę humanitatis cum Deo, in Chriſto ſit planè immenſa, quæ omnes omnium creaturarum dignitates & excellentias in vnum cõflatas longè ſuperat: facit enim hunc hominem, putà Ieſum, eſſe Deum. Huic autem vnioni intimè & proximè cooperata eſt B. Virgo, dum Verbum æternum è ſuis viſceribus corporauit, & carne ſua *Deus nil poteſt face-* induit. Maternitas ergo eius proximè accedit ad Verbi incarnationem. Vnde ſicut nihil hac vnione, ſic nec maternitate Dei quidquam præſtãtius, *vt maternitate Deipara præſtantius quid creet* vel ab ipſo Deo fieri poteſt, vti docet D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quòd humanitas Chriſti ex hoc, quòd eſt vnita Deo; & beatitudo creata ex hoc, quòd eſt fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc, quòd eſt mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Ex quibus colligas, quòd, licet maternitas Dei ſicut & viſio Dei, ſit dos & dignitas entitatiuè & abſolutè finita, vtpote quæ recipitur in intellectu & natura creata, quæ cũ ſit limitata & finita, doni infiniti non eſt capax; tamen obiectiuè & reſpectiuè ſit infinita, quia ſcilicet vtraque reſpicit tenditq; in obiectum infinitum, quod eſt Deus. Hinc eſſe matrem Dei, in morali hominum ęſtimatione & conceptu cenſetur eſſe dignitas immenſa: quare ita vocatur à S. Epiphanio, Anſelmo, Damaſceno & alijs, quia omnes alias dotes & dignitates quibuſuis hominibus & angelis datas, longè tranſſcẽdit, & à ſola vnione hypoſtica Chriſto communicata ſuperátur.

Sexto. Sextò, ex hac radice & fundamento omnia Virginis Deiparæ chariſmata & priuilegia profluunt, inter quę graues Doctores, vt Franc. Suarez, Salazar & alij cenſent eſſe hoc, quòd B. Virgo ſua gratia ſuiſq; meritis ſuperet omnem omnium angelorum & hominum gratiam ac merita non tantùm ſeorſim ſumpta; ſed etiã adunata, & in vnum cumulum collecta, vt ſi in vna bilancis lance ponerẽtur iſta omnia, in altera verò ſolius Virginis, hęc illi præponderaret. Vnde cõſequitur ipſam magis Deo eſſe gratam, dilectam & in pretio, quàm ſint *Preces B. Virginis efficaciores precibus omnium Sanctorum Curiæ* omnes homines & angeli ſimul ſumpti: quare eius preces pluris valere apud Deum, quàm valeãt preces omnium hominum & angelorum. Mater Dei enim dignior eſt vt exaudiatur à Deo, quàm ſint omnes homines & angeli ſimul.

B. Virgo materfamilias Eccleſiæ. Ratio à priori eſt dignitas maternitatis iam aſſignata, quæ planè hanc pręcellentiã quaſi iure ſuo depoſcere videtur. Accedit, quòd, ſicut materfamilias, quà talis, dignior eſt omnibus ſuis filijs, ſeruis & ancillis ſimul ſumptis, tanquam mater, caput & princeps totius familiæ: ſic & B. Virgo à Chriſto cõſtituta materfamilias ſuæ Eccleſię, omnibus eius filijs & fidelibus, etiam ſimul ſumptis dignior ſit oportet. Vnde S. Irenæus: *Quid eſt*, inquit, *quod ſine Mariæ conſenſu non perficitur incarnationis myſterium? quia nempè vult illam Deus omnium bonorum eſſe principium.* Et S. Greg. lib. 1. Reg. cap. 2. *Mons fuit Beatiſſima virgo, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ ſublimitate tranſſcendit.*

regina angelorum. Inſuper B. Virgo, quę mater Dei effecta eſt regina omnium angelorum & hominum, vt omnes ei ſe ſubijcere, eiuſq; ſe ſubditos, imò ſeruos profiteri, atque illam ceu dominam, principem & pleno iure reginã ſuam agnoſcere debeant, imò gaudeant & optent. Atqui honor & dignitas reginæ ſuperat omnes dignitates Ducum, Baronum, Comitum illi ſubditorum, etiam ſimul ſumptas, quia eſt tranſſcendens & altioris ordinis, ac par regiæ maieſtati. Ergo pariter B. Virgo, quia regina cæli & terræ, regia hac maieſtate ſuperat omnes dignitates omniũ angelorum & hominum, vtpote ſibi ſubditorum, etiam adunatas & in vnum conflatas.

mediatrix fidelium. Deniq; B. Virgo quia mater Dei à S. Anſelmo & Patribus vocatur, & reuera eſt, mediatrix totius Eccleſiæ & omnium fidelium; quia ipſa proximè coope-

cooperata eſt incarnationi Verbi, & conſequenter redemptioni noſtræ. Rurſum per illã ceu matremfamilias & mediatricem, Deus Martyribus diſtribuit fortitudinem, Virginibus caſtitatem, Apoſtolis zelum, Confeſſoribus patientiam, Anachoretis auſteritatem, Religioſis humilitatem, paupertatem, obedientiam; coniugibus continentiam & fidem coniugalem, ac ceteris fidelibus ſuas dotes, virtutes & gratias cuique congruas & proprias. Quare haſce omnes ipſa perfectiùs & eminentiùs in ſeſe habeat oportet; ſicut cauſa vniuerſalis, v.g. cælum eminenter in ſe continet omnes perfectiones corporum elementarium, quas ipſa cauſat & producit; quare ſicut cælum ſuperat omnia terrena, ignis calore ſuperat omnem calorem à ſe productum, & ſicut ſol ſuo ſplendore vincit & obſcurat omnem lucem aëris & ſtellarum, vtpote à ſe productá: ſic pariter gratia, & conſequenter gloria B. Virginis, ſuperat omnem gratiam & gloriam fidelium omnium. Rurſum ſicut caput ſenſum, rationem, motum & directionem influens in cetera membra, ijs omnibus etiam ſimul ſumptis longè antecellit (plus enim habet rationis & ſapientiæ ſolum caput, quàm omnia membra ſimul ſumpta) ſic etiã gratia B. Virginis gratiam ceterorum omnium ſimul ſumptorum præcellat oportet; quia eſt gratia capitis, quam proinde non ſibi ſoli accepit, ſed velut caput eandem in ceteros fideles pro cuiuſque capacitate transfundit.

Gratia B. Virginis eſt gratia capitis.

Porrò etiamſi nec Chriſtus gratiam & gloriam angelis meruerit, nec illam eis B. Virgo impetrarit aut diſtribuerit, vt propriè angelorum mediatrix dici nequeat: hactenus tamẽ mediatrix eorum dici poteſt, quod vna ſit in cęlis Eccleſia, angelorum & hominum beatorum; quare cùm Chriſtus & B. Virgo effecerint, vt ruinæ angelorum, lapſu dæmonum factæ per homines ſarcirentur, vnaq; integra & plena, omnibus numeris perfecta & beata Eccleſia triumphans ex vtriſq; conflaretur; hinc fit vt Chriſtus angelorum mediator, & B. Virgo mediatrix dici queat, quia magnũ eis bonum contulit, ſcilicet reipub. & Eccleſię eorum laceræ redintegrationem, indeq; gaudia mutua, quæ beatitudinem angelorum accidentalem mirè adaugent. Gaudent enim mirificè angeli de Apoſtolorum zelo & fructu, de Martyrum inuicta conſtantia, de angelica Virginum caſtitate, &c. atque eorum merita, triumphos, gloriam & pæmia ſua æſtimant per communionem charitatis & Eccleſiæ. Hæc enim facit, vt, quod vnius Beati eſt, id alterius quoque fiat, adeoque quiſque beatus fruatur & gaudeat de bono alterius, perinde ac ſi id ſuum proprium que foret. Quare cùm omnes angeli ſimul, hanc ſuę ruinæ per homines reſtaurationẽ mereri & impetrare nequiuerint, ſed id pręſtiterit Chriſtus, & poſt perq; Chriſtum B. Virgo. hinc ſequitur plus eam apud Deum gratia valere, pluſq; ab eo impetraſſe, ipſis etiã angelis, quàm omnes angeli ſimul iuncti ſibi impetrare potuerint, ac proinde B. Virginem tam gratia quàm gloria, omnes angelos ſimul ſumptos tranſcendere & ſuperare. Vnde S. Anſelm. ait per B. Virginem totum mundum eſſe erectum, & totam rerum naturam eſſe renouatam. Et B. Petrus Damiani ſer. de Aſſump. ad illa: *Electa vt ſol: Electa*, inquit, *ſed prælecta vt ſol, quia ſicut ſol ſolus orbem illuminas, ſic hæc ſola ſolidiori lumine & angelos & homines illuſtrat*. Deniq; S. Bernard. *Maria*, inquit, *omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam.*

B. Virgo mediatrix angelorum qua ratione.

FALLAX GRATIA ET VANA EST PVLCHRITVDO: MVLIER TIMENS DOMINVM IPSA LAVDABITVR] Hebr. *mendaciũ gratia, & vanitas pulchritudo: mulier timens* (vel *timor*: vtrumque enim ſignificat Hebr. יִרְאַת *yrath*, q.d. Cui eſt timor Domini, vel qui ita timet Dominum, vt videatur eſſe ipſe timor) *Domini ipſa laudabitur*; Syrus, *mentitur decor, infructuoſa eſt pulchritudo*, &c. R. Salomon, *mulier haud laudibus extollenda quòd forma præcellat, cùm omnia ſint quid inane & merum mendacium; mulier verò quæ Deum vereatur, hæc ſolùm laudibus eſt celebranda.* Idẽ per mulierem hanc myſticè accipit S. Script. & legem Dei. Sept. hic variant. nam Vaticani habent, *fallaces gratiæ, & vana pulchritudo: mulier enim intelligens benedicitur: timorem autem Domini iſta laudet*, quę vltima videntur eſſe duplex verſio eiuſdẽ ſentententię Hebręæ. Complut. & Regij, *mendaces gratiæ, & vana pulchritudo non eſt in te*, &c. S. Ambr. *fallaces* (S. Aug. *falſę*) *gratiæ, & vana ſpecies: mulier prudens* (S. Augu. *ſapiens*) *benedicitur: timorem autem Domini iſta laudet*: ſicq; myſticè exponit. q.d. Vanæ ſunt virtutes ſine charitate, timor enim Dei filialis, eſt amor & charitas. Auctor Catenæ Græcor. ſic legit, ſicq; myſticè explicat: *Mẽdaces gratiæ, & vanæ mulieris pulchritudo nulla eſt in te: mulier prudens apud omnes bene audit. Ipſa autem timorem Domini laudet & extollat. Multæ inquit, ſunt artes & diſciplinæ externæ ſapientiæ, quę hominẽ ad ſe pelliciunt & diſtrahunt. Verùm diuina ſapientia vera illa & ſalutari pulchritudine ornata, excellit omnes. Timorem autem Domini laudet, &c. Anima, inquit, quæ hanc ſapientiam adepta eſt, non ſe efferat, ſed Deum timeat & laudet, vt qui omnis cognitionis auctor & parens ipſi extiterit.* Vers. 30. Schin.

Gratia eſt gratioſa venuſtas, ſiue decor & concinnitas, tum corporis, tum geſtuum & actionum, qua quis in habitu, inceſſu, ſermone & actione ita decorè ſe gerit, vt intuentium amorem ſibi conciliet, eiſque acceptus & gratioſus exiſtat: ſic feminæ benè educatæ ſolent eſſe gratioſæ in dicendo & agendo, omniquе geſtu & habitu. *Pulchritudo eſt, bona illa concinnitas in compoſitione membrorum, floris inſtar ſuperinductam ſibi gratiam habens*, ait S. Baſilius apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 60. Pulchritudo in tribus ſita eſt: primò, in iuſta corporis quantitate, qualitate & complexione; ſecundò, in congrua membrorum proportione; tertiò, in grata coloris ſuauitate.

Gratia quid.

Pulchritudo in tribus ſita.

Senſus eſt q.d. Ceteræ mulieres laudem quærunt vanam ex ſua gratia, & laudari cupiunt à ſua pulchritudine; at hęc virago laudem verum aucupatur ex timore Dei. Vana enim dos, & vana laus, eſt pulchritudo; at vera laus & vera dos laudanda, eſt timor Dei, ideoque ipſa præ ceteris ipſa laudabitur. Solent enim feminæ pònere ſuum decus in gratia morum & pulchritudine corporum, tum naturali, tum aſcititia quã ſibi aſciſcunt, oblinien do faciem purpuriſſo, ceruiſſa, alijſque pigmentis & fucis: item veſtiendo ſe byſſo, monilibus, catenis aureis, vnionibus, armillis, ceteroque mundo muliebri. At omnis hæc gratia eſt fallax & vana, citoq; tollitur & euaneſcit. Quocirca virago hæc decus ſuum ponit non in gratia & pulchritudine, ſed in timore Dei, qui manet in ſæculum ſæculi, atque Dei & angelorum gratiam & gloriam, laudemque æternam illi conciliat.

Secun-

A Secundò, q.d. Gratia & pulchritudo corporea, quam adeò ambiunt homines & feminæ, fallax eſt & vana: vera enim gratia & pulchritudo ſita eſt in virtute, quã affert timor Dei, illa enim pulchritudo corpus dumtaxat ornat: at hæc virtutis tam animam quàm corpus condecorat, ideoque præ illis ab omnibus laudari & celebrari ſolet, virtus enim ſola eſt laude digna: vnde à Poëtis per metonymiam virtus vocari ſolet laus. Præclarè S. Greg. Nazianz. apud Anton. in Meliſſa p. 1. cap. 60. *Pulchritudinem*, inquit, *existima animi ornatum.* Et S. Chryſ. *Non in corporis forma, ſed in moribus & modeſtia pulchritudo ſita eſt.*

Pulchritudo vana.
Primò.

Nota. Gratia & pulchritudo vocatur mendax, falſa, fallax & vana: vel, vt neruoſiùs habent Hebr. mendacium ſiue falſitas, & vanitas. Primò, quia breuis eſt & caduca, fugax & euanida: citò enim per ætatem, morbum, laborem, aliudue accidens B deperit & euaneſcit. Mentitur ergo ſe eſſe rem realem & ſtabilem, cùm reuera ſit vmbratica & inſtabilis. Vnde Poëta:

Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur illa ſuo.

Sicut ergo radij ſolares, per vitrum rubrum tranſparentes apparent rubri, cùm reuera tales nõ ſint, ſed vitrum mentiatur eos eſſe rubros: & ſicut ſepulcra intus plena putoribus, vermibus & cadaueribus, exterius mẽtiuntur ſe eſſe pulchra, putà alba & aurea; ſic feminæ pulchræ & coopertæ, vt meretrices, externo fuco mentiuntur ſe eſſe pulchras; cùm interiùs ſint plenæ ſordibus, putoribus intolerabilibus, ac morbis & lue venerea quam amaſiis afflant, vt verè meretrix non ſit aliud, quàm ſepulcrum dealbatum, & caro ſpurca per cutem ſpecioſè tralucens. C

Secundò.

Secundò, quia gratia & pulchritudo fallit, decipit & deijcit ipſas feminas gratioſas & pulchras; quia facit eas ſuperbas, moroſas, intemperantes. Vnde illud:

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam.

Pulchræ enim cupiunt omnibus ſuam formam oſtentare, ideoque omnium concupiſcentias & tentationes in ſe prouocant. Vnde Naſo:

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ

quia formoſæ ægrè ſunt caſtæ: nam iuuenes & mœchi earũ formæ inſidiantur. Hinc Ariſtippus philoſophus conſultus à quopiam, an vxorem ducere deberet, negauit, rationemque attulit dicens: Vel duces deformem, vel formoſam, ſi deformem habebis ποινήν, id eſt pœnam; ſi formoſam, habebis κοινήν, id eſt communem multis. ita Anton. in D Meliſſa p. 2. c. 34. Vide S. Chryſoſt. homil. de muliere & pulchritudine tom. 5. & hom. 20. in epiſt. ad Epheſ.

Feminæ ſe deformantes ſtudio caſtitatis.

Quocirca legimus in Vitis Sanctorum, virgines & viragines caſtas petijſſe à Deo, vt ab eis hanc illecebrã pulchritudinis tolleret, ac ſeſe efficeret deformes, atque impetraſſe; alias oculos ſibi eruiſſe, naſos truncaſſe, vibicibus faciem deformaſſe, vt inceſtis tentationis anſam præciderent. Nam vt ait Leucippus apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 60. *Pulchritudo acutiùs telo vulnerat, & per oculos in animam defluit.* Et anonymus ibidem: *Eximia forma multis etiam criminibus ſcatet.* Ita S. Ebba Abbatiſſa Col-

Exempla.

linghammenſis cœnobij in Anglia anno 870. Danis Angliam inuadentibus, vt eorum laſciuiam effugeret, ſeſe cum omnibus monialibus naſo & labro ſuperiore truncauit: quare Dani furentes ipſas A cum cœnobio concremarunt: itaque pro virginitate martyrij lauream adeptę ſunt, vti ex Matthęo Weſtmonaſterienſi refert Baron. tom. 10. ad annum Chriſti 870. Sophronius vel potiùs Ioannes Moſchus, in Prato Spirit. cap. 60. narrat virginem ob oculorum pulchritudinem à iuuene appetitã, effodiſſe ſibi oculos, eoſq; iuueni miſiſſe: quo viſo ille compunctus, ſæculum deſeruit, & probatiſſimus factus eſt monachus. Idem fecit Sanctimonialis quędam, de qua ſcribit Iacobus de Vitriaco Cardin. quæ adamata à principe, ob oculorũ ſpeciem, eos ſibi euulſit, ac in diſco principi deſtinauit: *Habeto*, inquit, *oculos quos deſideraſti, modò meos cordis oculos intactos atque illæſos relinquas.* Quod exemplum poſt Vitriacum recenſet Vincentius Bellouac. in Speculo morali lib. 1. p. 3. diſt. 96. illudque in Anglia contigiſſe teſtatur; principẽ verò illum B fuiſſe Richardum Angliæ regem, qui ſe monaſterium cõbuſturum minabatur, niſi ſibi Sanctimonialis adeo formoſa dederetur.

Tertiò.

Tertiò, quia gratia & pulchritudo fallit & dementat mentes virorum & iuuenum, vt velut amẽtes illas inſanè adament, & velut effrænes equi ad equas adhinniant; itaque cum eis caſtitatem, ſanitatem, virtutem, conſcientiam, famam, cælum deperdant, ac feminini & inceſti fiant, mortemq; præſentem & æternam in gehenna ſibi æquè ac feminæ quam adamarunt, accerſant. Huc facit illud Theophraſti, quod citat S. Hiero. lib. 1. contra Iouinian. *Pulchra*, inquit, *citò adamatur: difficulter autẽ cuſtoditur quod plures amant: nihil tutum eſt, in quod totius populi vota ſuſpirant: alius forma, alius artificio, alius facetijs, alius liberalitate ſollicitat. Aliquo modo vel aliquando expugnatur, quod vndique inceſſitur.* Et infrà: C *Omnis quantumuis circumſpecta & prudens cuſtodia, luditur.*

Pulchritudinis epitheta.

Quocirca quid eſt *gratia*, quid *pulchritudo*? Reſpondeant ſapientes tam Patres quam philoſophi, quos citat Maximus ſerm 44. Anton. in Meliſſa p. 1. c. 60. Stobęus p. 2. ſer. 66. & 63. & Tiraquell. l. 2. connub. num. 10. & ſeq. S. Hier. *Pulchritudo eſt obliuio rationis.* Socrates: *Pulchritudo eſt modici temporis tyrannis.* quòd formæ gratia mox deſtoreſcat. Idem: *Formoſorum oſcula vitanda ſunt quaſi animalium morſus venenatorum.* Theophraſtus: *Pulchritudo eſt tacita deceptio*, quòd abſque verbis perſuadeat. Euripides in Helena: *Pulchritudo eſt res infelix.* Xenophon. lib. de Amore: *Pulchritudo eſt ignis, qui tangentes vrit, diſtantes inflammat. Eſt autem animæ cultus diſciplina, & mens ad prudentiam compoſita.* Petrarcha D lib. 1. de Remed. vtriuſque fortunæ: *Pulchritudo eſt velum oculis, laqueus pedibus, viſcus alis, vt nõ facilè vera diſcernat, nec virtutem ſequatur, nec in altum anima euolet. Eſt hoſtis domeſticus, raptor quietis, materia laboris, tormentum libidinis.* Proclus li. de Anima ait: *Animæ deceptæ propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur & depereunt.* S. Chryſ. epiſt. ad Theod. lapſum: *Pulchritudo*, ait, *eſt gypſum ſepulcro inductum, id eſt phlegma ſanguine mixtum pulchrè per pellem pellucens.* Detrahe pellem, & videbis quàm putida ſubſit caro, quale ſterquilinium ſit in ventre, quale phlegma per os, nares, oculos, &c. diſtillet. Omitto vomicas, gangrænas, carcinomata, flatus, fœtores, pædores.

Rurſum Bion apud Laërtium lib. 4. cap. 7. *Forma*, ait, *eſt bonum alienum*, ſentiens extra hominem eſſe, quod ipſe ſibi nec dare poteſt, nec tueri datum, animi bona verè noſtra ſunt. Theocritus: *Forma*

mo eſt eburneam detrimentum, quòd grata quidem ſit aſpectui, ſed multorum incommodorum cauſa. Carneades: *Forma eſt regnum abſque ſatellitio*, quòd formoſi impetrent quidquid volunt, nullâ adhibitâ vi. Refert hæc Laërt. libr. 5. cap. 1. & Stobæus ſerm. 63.

Iſocrates eos qui pulchrum habent corpus, animam autem malam, dicebat optimam habere nauim, gubernatorem autem prauum. Æſopus: *Ne mihi formam*, ait, *ſed mentem aſpice.* ita Maximus ſerm. 44. Alius: *Forma eſt flos iuuentæ, qui deſloreſcit in ſenecta.* Sicut roſa floret manè, marcet veſpere. Vide roſeum vultum iuuenis, eumque confer cum rugis caniſque ſenectæ. Seneca in Hippolyto:

Vt fulgor teneris qui radiat genis.
Momento rapitur, nullaq; non dies.
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax.

Philo libro de Prouidentia: *Ob formoſitatem corporis*, ait, *ſe iactare, & laudes aucupari, mentis compos nemo poterit, quæ breui adeò extinguitur tempore, vt antequam floreſcat deſloruiſſe videatur.* Denique S. Greg. Nazianz. orat. 31. *Pulchritudo*, ait, *eſt temporis & morbi ludibrium*: nam vt ait Boëtius libr. 3. de Conſol. proſa 8. *triduanæ febris igniculo poteſt diſſolui.*

Pulchritudo corporis refert pulchritudinem animi.

Nota. Non negat Salomon pulchritudinem & gratiam eſſe decus viraginis, ſed tantùm aſſerit id eſſe fallax & caducum, cùm verum ſolidumque eius decus ſit ſapientia & virtus, quam parit timor Domini. Ceteroqui forma corporis ſæpè index & ſpecimen eſt formæ animi. Quocirca Bartholomæus Capranus Mediolanenſis Archiepiſcopus idcirco ſe miniſtros forma præſtantes quæſiuiſſe dicebat, *quoniam turpes animi turpia corpore incolerent; improbitatem autem in egregio corpore rarò compertam eſſe*, ait Æneas Syluius lib. 2. de Geſtis Alfonſi. vnde illud:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Et illud Ouidij:

Pulchra verecundo ſuffundens ora rubore,

quę eſt virginum pulchritudo. Bion: *Forma*, inquit, *mulieres ornat, virum autem robur.* Menander. *Si naturæ decus mores exornent boni, duplo amore accedens capitur.* Plato: *Senſus omnes formoſus delectat.* Ariſtoteles: *Pulchritudine homines magis, quàm quauis epiſtola commendantur.* Plutarch. *Pulchritudo corporis opus eſt animæ, gratificantis ei decus formæ.* hæc & plura Stobæus ſerm. 65. Hinc S. Aug. l. 15. Ciuit. 22. aſſerit pulchritudinem eſſe donum Dei.

Vera pulchritudo eſt timor Dei.

Igitur damnat pulchritudinem aſcititiam, quam ſibi parant feminæ philocoſmæ; naturalem verò formam non damnat, ſed fallacē & fugacem eſſe docet, ac, ſi comparetur cum timore Dei & virtute longè illi eſſe poſtponendam, cùm virtus ſit vera ſolidaque animi corporiſq; forma & pulchritudo, vti docet S. Petrus epiſt. 1. c. 3. v. 3. & ſeq. vbi plura hac de re dixi, æquè ac Iſaiæ 3. ſub finem cap.

Exempla.

Notat hoc optimè B. Nonna mater S. Gregorij Naziā. de qua ipſe ita ſcribit orat. 19. *Illa eſt*, inquit, *quæ cùm aliæ mulieres ob formę elegantiā tam natiuam, quàm fictam & aſcititiam gloriari atque animis efferri ſoleant; ipſa contrà hanc vnam quæ in anima diuinaq; imagine ſiue tuenda, ſiue pro viribus repurganda, poſita eſt, pulchritudinem agnoſcebat, pictos autem & arte quæſitos ornatus ad ſcenicas mulierculas abijciebat.*

Matrē ſapientem ſecuta eſt ſapiens filia S. Gorgonia: de qua idem ita loquitur orat. 11. *Non illam* A *aurum arte ad eximiam pulchritudinem elaboratum ornauit, non flauæ comæ tum apparentes, tum ſublucentes, non crinium nodi & impoſituræ, pretioſum caput ſumma cum infamia ſcenam efficientium, non circumfluentis & pellucidæ veſtis magnificentia, non lapidum ſplendores & gratiæ propinquum aërem colorantes, ac formas lumine circumfundentes, non pictorum artes & præſtigiæ, ac vilis & paruo conſtans pulchritudo, terrenuſq; fictor in contrarium fabricans, inſidioſiſq; coloribus Dei figmentum obducens, & per honorem infamiam inurens, ac diuinam formam meretricium procacibus oculis idolum proponens, vt adulterina pulchritudo naturalem imaginem, quæ Deo ac futuro æuo ſeruatur, ſurripiat. Verùm cùm externos multos & varios mulierū ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus ſuis, atque intus conditio ſplendore præſtantiorem agnoſcebat. Vnus illi rubor placebat* B *quem pudor affert, vnus candor quem parit abſtinentia. Nam pigmenta & fucos, ac viuas tabulas, & fluxam formæ venuſtatem ſcenicis & triuialibus relinquebat, quibuſq; probrum ac dedecus eſt erubeſcere.*

Mvlier timens Devm ipsa lavdabitvr] à vera ſolidaque animi pulchritudine, quæ conſiſtit in timore Dei & virtute: virtus ergo ſola eſt laudabilis, ac vera laus decuſque viraginis. Sept. vertunt, *timorem autem Domini iſta laudet*, q. d. Laudent aliæ philocoſmæ & vanę ſuam gratiam & pulchritudinem genarum, oculorum, vultus, &c. at hæc cordata virago laudet timorem Dei, in quo omne ſuum decus formamque ſapienter collocauit. De hoc ergo glorietur, hunc celebret, hunc omnibus verbo & magis opere deprædicet, vt diſcant illum ſibi accerſere, ac relictâ vanâ corporeæ pulchritudinis cura, illo ſeipſas longè ſpecioſiùs exornare.

C Sapienter S. Bernar. ſer. 1. de S. Victore: *Quæ ſine virtute*, inquit, *eſt gloria, profectò indebita venit, præproperè affectatur, periculosè captatur. Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ eſt. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, quam illa nō parturiuit: ſola eſt, cui gloria debetur iure, & ſecurè impenditur.*

Vbi Nota. Virago hæc tantæ eſt ſapientiæ, virtutis, nominis & famæ, vt non tam ipſa laudetur à timore Dei, quàm ipſa eum laudet & cōmendet. Sic enim viragines & viri eminentes ſuo verbo & exemplo legibus, regulis & virtutibus dant pondus, auctoritatem, decus & laudem ipſaſque aliàs à vulgo neglectas & parui æſtimatas appretiant, auctorant & velut canonizant; ſic Chriſtus ſua auctoritate addidit pondus, auctorauit, & quaſi canonizauit paupertatem, humilitatem, patientiam, crucem, martyrium, quarum dignitas & pretium D ab hominibus ignorabatur, imò quæ vt viles & ignobiles cōtemptui habebantur, quando ipſe ſemetipſum humiliauit & exinaniuit formam ſerui accipiens, naſcens in ſtabulo, reclinatus in præſepio, pauperem vitam agens, patiēs opprobria, tormenta & mortem crucis, moriens in patibulo. Vnde eum ſecuti ſunt omnes Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Anachoretæ, Virgines, Religioſi. Hinc S. Bernar. ſerm. 1. in Vigilia natiuit. loquens de paupertate: *In terris*, ait, *abundat & ſuperabundat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei filius concupiſcēs deſcendit, vt eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam. Adorna thalamum tuum Sion, ſed humilitate, ſed paupertate.* Sic B. Virgo auctorauit virginitatem, humilitatem, ceteraſque virtutes, quando ipſa noluit eſſe mater Dei niſi perſiſteret virgo; vnde virginitatis, nuncu-

paro

ſibi conſecrauerat, adornabat: ſeruabat ſacrarium ſuum, & ſanctimonia thalamum honorabat, lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcentiarum ludibria abigebat. legem mentis lex carnis non infeſtabat, rebellio nulla quietem ſpiritus affligebat. Paruulus ſugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons ſacri pectoris defæcatum edulium ori mundiſſimo infundebat. Sed & cor matris quaſdam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant, eratq; vtrimque mera iucunditas, cùm pia ſanctæ matris & deuota humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur.

Vers. 23. Nun. NOBILIS IN PORTIS VIR EIVS, QVANDO SEDERIT CVM SENATORIBVS TERRÆ] Hebr. נוֹדָע noda, id eſt notus, id eſt illuſtris, conſpicuus, in portis maritus eius, cùm ſederit cum ſenioribus terræ, id eſt cum principibus, ait Vatabl. nam olim ſeniores erant principes & iudices regionis. Chald. notus in prouinciis vir eius; Syrus, inter vrbes maritus eius celebris; Septuag. conſpicuus autem vir eius in portis, quandocumq; ſederit in conſeſſu cum ſenioribus habitatoribus terræ; putà cum ſenatoribus & iudicibus: hi enim pro tribunali conſidebant in portis, vt tam aduenis & ruſticis, quàm ciuibus faciles darent ad ſe aditus, vti alibi dixi. Noſter pro notus aptè & eleganter vertit nobilis, id eſt excellens & illuſtris: nobilis enim dicitur quaſi noſcibilis, quia ſua dignitate & virtute paſſim notus eſt, omnibuſque cognitus. vnde Cicero pro Flacco: *Ceteri*, ait, *homines apud vos noti, inter ſuos nobiles.* Et pro Cælio: *Clodia*, inquit, *non ſolùm nobilis, ſed etiam nota.* Et Plautus in Pſeudol. *Cum iis mihi nec locus, nec ſermo conuenit: iis numquam nobilis fui*, id eſt cognitus.

Nobilis quaſi noſcibilis.

Laudauit viraginē ex ſe ipſa, nunc laudat à marito. q.d. Ipſa in ſe nobilis eſt nobilitate virtutum & actionum illuſtrium; nobilis eſt pariter nobilitate mariti, imò ipſa maritum honeſtat & nobilitat, tū quia ſuo labore & induſtria virum & familiam honeſtat, ditat, illuſtrat: diuites enim fiunt nobiles, & alleguntur in ſenatum: tum quia ipſa ita curat domum, vt maritum omni cura domeſtica liberet, iſque poſſit ſe totum addicere negotiis reipubl. in ſenatu, quod illuſtrium & nobilium eſt: nam vt ait Plato in Menone: *Viri eſt adminiſtrare rempubl. mulieris familiam.* tum quia byſſo & purpura eum decorè & ſplēdidè veſtit, vti paulò antè dixit, vt nobili amictu inter ſenatores illuſtris emineat; veſtitus enim nobilis facit hominē ſpectabilem & nobilem, præſertim apud vulgus. Tum deniq; quia, vt ait R. Leui, cùm vir eius inter ſapientes aſſederit, ſapientia conſpicuus erit, eò quòd ab vxore ſua prudente eximiè ſit ad comparandam ſapientiam excultus & inſtitutus: ipſa enim viro, vti opes ſic & conſilia ſuggerit, ac ſuas virtutes ſuique decus, famam & nomen in maritum transſcribit, vt omnes propter viraginem ita celebrem virum honorent & nobilitent.

B. Nonna viro pietatis magiſtra.

Id præſtitit B. Nonna S. Greg. Nazianz. mater & Gregorij ſenioris vxor, de qua ita ſcribit Nazian. orat. 19. in funere patris. *Huic mulier Dei beneficio conceſſa non modò adiutrix, ſed & dux & anteſignana fuit; nimirum eum vita & ſermone ad optima quæq; per ſeipſam ducens: ac ceteris quidē in rebus vt matrimonij leges ferebant, viro ſuo parere optimum eſſe iudicans, fidei autem & pietatis magiſtram quoq; ſe præbere haudquaquam erubeſcens.* Et mox: *Vnam nobilitatem in pietate ſitam eſſe cenſebat, atq; in eo, vt vnde ortum habuimus, & quo tādem peruenturi ſumus, intelligamus.* Ma-

A trem ſanctam ſecuta eſt filia S. Gorgonia, ſoror S. Gregorij Nazian. quam ipſe orat. 11. hiſce elogijs ornat: *Gorgoniæ patria fuit ſuperna Ieruſalem* (fuit ergo nobiliſſima, quia cæleſtis) *ciuitas inquam illa quæ oculis minimè cernitur, verùm animo & mente intelligitur, in qua ciuium munere fungimur, & ad quam omni celeritate properamus, cuius ciuis Chriſtus eſt, & conciues frequens ille cœtus & Eccleſia primitiuorum, qui in cælis deſcripti ſunt, & circum magnum vrbis conditorem per gloriæ contemplationem feſtos dies celebrant, ac ſempiternam choream agitant: nobilitas autem, diuinæ imaginis conſeruatio, atq; archetypi imitatio, quam ratio & virtus efficiunt, purumq; deſiderium eos, qui ſupernarum rerum verè ſtudioſi ſunt, quotidie magis ac magis quantum ad Deum attinet, informans; ac deniq; cognitum habere, & quinam, & quam ob cauſam facti ſumus.*

& S. Gorgonia.

Sic S. Cæcilia nobilitauit ſuum ſponſum S. Valerianum, dum eum Chriſtianum, ſanctum & illuſtrem Martyrem effecit. Sic S. Clotildis nobilitauit Clodouęum, primum regem Francorum Chriſtianum, ac S. Pulcheria Theodoſium fratrem & Marcianum maritum Imp. quando eos Dei cultores & pios, ideoque hoſtium victores, potentes & glorioſos reddidere. *S. Cæcilia. S. Clotildis. S. Pulcheria.*

B

Allegoricè Eccleſiæ maritus Chriſtus Dominus merito humilitatis ſuę, qua iudicatus & damnatus à Pilato, velut ignobilis, imò ii famis latro crucifixus eſt; *nobilis*, id eſt illuſtris apparebit, quando iudex glorioſè ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, cum Apoſtolis velut ſenatoribus & aſſeſſoribus iudicaturus orbem. ita S. Aug. Beda, Salon. & alij. Nobiles enim ſunt Apoſtoli & ſimiles, qui cæleſtia terrenis præferunt: ignobiles verò ſunt mundani, qui terram cælo, lutum auro, humana diuinis, temporalia æternis anteponunt, vti ait S. Gregor. explicans hęc Salomonis verba lib. 19. Moral. c. 16. *Allegor.*

C B. Virginis quoque ſponſus, putà S. Ioſeph, erit in hoc cōſeſſu nobilis, quia poſt B. Virginem cenſetur inter primos Sanctos: quare in die iudicij inter Prophetas & Apoſtolos conſidebit, imò inter primos angelorum ordines illuſtris & conſpicuus apparebit. Alij per maritū Virginis accipiunt Spiritum Sanctum, qui inter ſenatores, id eſt inter duas perſonas SS. Trinitatis, ſcilicet Patrem & Filium, tertius nobilis eſt, imò illis per omnia par & æqualis. Hic enim cum eis conſedit in B. Virgine, cùm in ea incarnationem Verbi operatus eſt, iuxta illud Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

SINDONEM FECIT ET VENDIDIT, ET CINGVLVM TRADIDIT CHANANÆO] Chald. Vatabl. & R. Salomon *mercatori*. Sic & Septuag. Vaticani, Complut. & Regij, ſed in Catena Græcor. ſic habent Septuag. *ſindones, texuit, & tradidit Phœnicibus: zonas autem, & vendidit Chananæis.* Additque auctor: *Sindon contexitur ex lino;* Pagnin. *linteum fecit & vendidit, & cingulum tradidit negotiatori;* Vatab. *linteum, id eſt telam, texuit.* Nam Hebr. סָדִין *ſadin* vnde Latinum & Grecum *ſindon*, ſignificat linteū & linteamen, vti vertit Noſter Iſaiæ 3.22 ſed ſubtile & pretioſum: vnde Septua. Iſaiæ 3.22. vertunt, *byſſum*: byſſus enim veterum erat linum ſubtiliſſimum & candidiſſimum; vti dixi v.22. Fortè *ſadin*, dictum à Sidone (litera *tſade*, quæ initialis eſt in Sidone, conuerſâ in vicinum *ſamech*, quæ eſt prima in *ſadin*) vrbe Phœniciæ, quòd in ea ſindones hæ præſtantiſſimæ texerentur: vnde & Martial. lib. 4. epigr. 19. Vers. 24. Samech.

D

Sadin & ſindon quid. Etymon.

Ride-

Ridebis,inquit,*ventos hoc munere tectus,& imbres:*
Nec ſit in Tyria ſindone tutus eris.

Tyrus enim adiacebat Sidoni: licet enim aliqui ſindoné putant vocari Tyriam, quòd Tyrio murice ſiue purpura eſſet tincta; tamé alij cenſent ſindonem ita dici, quòd in Tyro & Sidone conficeretur. Ita Theodor. Gaza in libr. 4. Theophraſti Hiſtor. plant. ca. 9. *Sindon*, inquit, *veſtis ex lino ita dicta, quia primùm in Sidone vrbe huiuſmodi amictus fuerit cœptus, ob id Tyria à Martiale dicta: erant enim vicinæ vrbes Tyrus & Sidon.* Accedit Syrus, qui pro *ſadin*, id eſt *ſindon*, vertit, *veſtem xylinã.* Xylon enim eſt frutex exiguus laniger, ex quo telæ conficiuntur, de quo Plin. l. 19. c. 1. *Superior pars Ægypti*, inquit, *in Arabiã vergens gignit fruticem, quem aliqui goſſipion vocant plures xylon, & ideo lina inde facta zylina*, id eſt goſſipina. vide Ruellium l. 2. c. 150. Fauet S. Ioannes Euangel. c. 19. 40. vbi de Ioſepho ab Arimathia corpus Chriſti ſepeliente cum ſocijs, ait: *Ligauerunt illud ἐν ὀθονίοις*, id eſt *linteis cum aromatibus*, pro quo S. Matth. 27. 59. ait: *Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda*, atque ſindonem hanc lineam fuiſſe patet: quia ipſa etiamnum Taurini talis viſitur, & magna veneratione colitur.

Poſtea Græci & Latini nomen *ſindon* ad certum veſtis elegantis genus ſignificãdum traduxerunt, cùm propriè *ſadin* Hebr. indeque Græcum & Latinum *ſindon* linteum, ſiue telam lineam ſubtiliorem ſignificet. Vnde rectè eam *vendidit*, quia non decebat illam ea veſtiri, vtpote per quam tam ſubtilem nuditas eius corporis appareret, quod contrarium erat eximiæ eius honeſtati & pudicitiæ. Hinc Clemens Alexandr. libr. 2. Pædagogi ca. 10. feminis caſtis ſindones vetat: *Non eſt enim ampliùs*, inquit, *tegumentum mollis & delicata veſtis, quæ nudam figuram non poteſt occulere. Eiuſmodi enim veſtis in corpus incidens, molliùs ipſi corpori imprimitur & applicatur, figura carnis inſtar adhærens, & mulieris typum ita exprimit, vt vel non videnti manifeſta ſit tota conſtitutio corporis.*

Zona priſcis Palæſtinis cur vſitata.

Porrò cingulum, ſiue zona, Palæſtinis ceteriſq; Oriẽtalibus, qui pro femoralibus & thorace tunicis vtuntur, communis & celebris eſt: tunicam enim fluidam laxamq; zona corpori aſtringunt & ſuccingunt; ideoque zonam velut conſpicuum tunicæ redimiculum ſolebant acu pigere, lilijs, floribus, ſimilibuſque figuris partim aureis, partim argenteis, partim purpureis & byſſinis intexere. Vnde Homerus Veneris zonam deſcribens? *Soluit*, inquit, *de pectore zonam, textilem, picturatam.*
Et mox:

——Sinuiq; tuo ſuccingito zonam
Contextam variè.

Baltei etymon.

Hinc zona dicta *balteus* quaſi *bullateus*: balteus enim erat cingulum è corio, bullis ex auro, byſſo, purpura, gemmis, &c. ornatum. Vnde Liuius: *Auratæ*, inquit, *vaginæ, aurata baltea illis erant.* Et Virgil. 5. Æneid.

Alter Amazoniam pharetram, plenamq; ſagittis
Threicijs, lato quam circùm amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Senſus ergo eſt, q.d. Virago hæc omni arte & modo rem ſuam & familiæ auxit, vnde ſindones pretioſas, à ſe ſuiſque contextas, ac cingula affabrè acu picta & elaborata vẽdidit, & vendenda tradidit *Chananæo*, id eſt mercatori, indeq; magna confecit lucra. Chananæi enim eò quòd mari eſſent vicini, mercaturæ maximè erant dediti. Vnde in Script. *Chananæus* idem eſt quod mercator, vt patet Zach. 14. 21. Iſaiæ 23. 8. vbi pro *mercator* hebr. eſt *Chananæus*. Idem patet ex Tyro & Tyrijs, qui mercaturæ & nauigationi fuere addictiſſimi. Tyrus enim erat emptorium Chananææ, putà metropolis Phœniciæ. ita Chald. R. Salomon, Aben Ezra, R. Leui, Vatabl. Pagnin. & alij paſſim. Exemplũ illuſtre rurſum dedit B. Nonna mater S. Gregorij Nazianz. quæ omnes numeros mulieris ſtrenuæ adimpleuit, de qua proinde ita ſcribit Nazian. orat. 19. *Iam cùm aliæ rei familiaris augendæ laude, aliæ pietatis gloria excellant (vtrumque enim aſſequi difficile eſt) vtroq; nomine mulieres omnes ſuperauit: tum quòd vtrumque horum ad ſummum vſque præſtiterit, tum quòd ſola duo iſta complexa fuerit. Rem enim domeſticam induſtria & ſolertia ſua iuxta leges mulieri forti à Salomone ſtatutas ita auxit, quaſi pietatem colere neſciret: Deo rurſum ac diuinis rebus ita ſe addixit, tanquam à rerum domeſticarum procuratione plurimùm abeſſet: neque ab alterutro horum quidquam impedita eſt, quo minùs alterum impleret, quin potiùs vtrumque alterius ope fulciuit & confirmauit.*

Armena verſio apud Abagarum habet, *fecit animæ ſuæ cingulum, & ſibi zonam*, ſiue *cingulum*. q.d. Tã ſponſo ſuo, quàm ſibi fecit cingulum, quo ſignificaret, mutuo coniugij & coniugalis amoris vinculo ſeſe eſſe conſtrictos. Sponſum enim vocat animam ſuam, quia eum amabat vt animã ſuam, quo & viuebat informata. Anima enim magis eſt vbi amat quàm vbi animat; ſic amans enixè alterum, vocat eum ſuam animam, ſuum corculum.

Sindon quid Allegor.

Allegor. S. Gregor. li. 33. Moral. c. 16. *Quid*, inquit, *ſignatur per linteum ſindonis, niſi ſubtilis intextio ſanctæ prædicationis? In quo molliter quieſcitur, quia mẽs in illa fidelium ſpe ſuperna refouetur. Vnde & Petro animalia in linteo demonſtrantur, quia peccatorum animæ miſericorditer aggregatæ in blanda fidei quiete continẽtur. Hanc ergo ſindonem Eccleſia fecit & vendidit, quia fidem quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectæ conuerſationis accepit. Quæ & Chananæo cingulum tradidit: quia per vigorem demonſtratæ iuſtitiæ fluxa opera Gentilitatis aſtrinxit, vt hoc quod præcipitur, viuendo teneatur. Sint lumbi veſtri præcincti. Prædicatores ergo ſuos Dominus quærendo, ancillas inuenit, permutando amicos facit, ditando negotiatores exhibet.* Hæc ex S. Greg. more ſuo ad verbum tranſſcripſit Beda & Salonius.

Sindon B. Virginis.

Porrò B. Virgo ſindonem fecit & vendidit, cum exemplo & verbo docuit coniugatas maritis ſe ſubdere, eiſq; obedire, & per omnia obſequi: huius enim ſymbolum eſt ſindon, putà velum lineum, quod in capite geſtant, iuxta illud Apoſtoli, *Debet mulier velamen*, vel *poteſtatem, habere ſuper caput*: hoc enim velum ſymbolum eſt eam ſubiacere poteſtati viri, 1. Corinth. 11. 10. vide ibi dicta. B. Virgo enim Ioſepho humillimè ſe ſubiecit & obediuit, vti docet S. Ambroſ. in c. 1. Lucæ.

Rurſum & aptius ſindon ſymbolum eſt puritatis & virginitatis, quam ipſa pretio humilitatis, abſtinentiæ & orationum vendit virginibus: ipſa enim virginum eſt anteſignana & virginitatis præſes. Cingulum verò, quia lumbos, in quibus origo eſt libidinis & cõcupiſcentiæ, aſtringit, ſymbolum eſt mortificationis & pœnitentiæ: quam B. Virgo tradit lapſis in luxuriam & incontinentiam, vt illam in caſtitatem & continentiam commutent, itaque ſint Chananæi, id eſt commutatores & negotiatores, qui mercem cum merce, putà concupiſcentiam

tiam cum pœnitentia, luxuriam cum continentia commutent.

VERS. 25. Ain. FORTITVDO ET DECOR INDVMENTVM EIVS: ET RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO] Septuag. *fortitudinem & honeſtatem induit: & gaudebit in diebus nouiſſimis*; Syrus, *exultabit in die extremo.* Pro *decor* heb. eſt הָדָר *hadar*, id eſt decus, decor, decentia, pulchritudo, ſplendor, magnificentia; Septuag. vertunt, εὐπρέπεια, id eſt decor, forma, honeſtas, ornatus, S. Ambro. & S. Auguſt. mox citandi per *fortitudinem* accipiunt purpuram: hęc enim fortis eſt; per *decorem* verò byſſum: hęc enim decora eſt, vt hîc idem dicatur quòd v. 22. *Byſſus & purpura indumentum eius*, verba eorum mox recitabo. Poſſet vice verſa, vt ordo verborum ordini vtrimque reſpondeat, per *fortitudinem* accipi byſſus veterum, quæ fortis erat adeò vt igni inſiſteret, & in eo illæſa inſtar asbeſti permaneret, vti dixi Exodi 25.4. per *decorem* verò purpura: hęc enim mirè decora eſt. Tripliciter hunc verſum explicāt interpretes. Primò, aliqui fortitudinem accipiunt internam, decorem verò externum: Secundò, alij vtrumque internum: Tertiò, alij vtrumque externum accipiunt.

Primò, ergo Lyran. *Fortitudo*, ait, eſt conſtantia mentis; *decor* eſt exterior modeſtia & honeſtas. Et Caiet. *Fortitudo*, ait, eſt habitus fortitudinis, qui medium tenet inter audaciam & timiditatem, qui mentem viraginis veſtit, eoq; ipſa exteriùs apparet in actibus ſuis fortis, ſimul & decorum ſeruans modeſtiæ atque auctoritatis: grauitatem enim decoram præ ſe fert. q. d. Virago hęc veſtitur interiùs virtute fortitudinis, exteriùs grauitate decorâ. Accedit R. Leui: Induit, inquit, fortitudinis & decoris veſtes, quia corporis cupiditates forti continētia coërcet, & decorè pręclareque mores inſtituit, eò quòd ſanctæ legis ſemitas inierit.

Virtus à vi & viro dicta quaſi virilitas.

Secundò, alij per *fortitudinem & decorem* accipiunt omnem virtutem & probitatem mētis: virtus enim à vi & viro, cuius eſt virilitas & fortitudo, dicitur, quaſi actio & opus viri fortis & ſtrenui. Vnde Cicero Tuſcul. 2. docet virtutem propriè ſignificare fortitudinem virilem. *Appellata eſt*, inquit, *à viro virtus: viri autem propria maximè eſt fortitudo.* Et l. 5. de Finibus: *Virtus*, inquit, *eſt vis illa, qua res cuius eſt virtus, perfecta eſt.* Et ad Plancum lib. 10. *Omnia ſumma conſecutus es virtute duce, comite fortuna.* Et Virgil. l. 5. Æneid.

Tunc pudor incendit vires, & conſcia virtus.

Senſus ergo eſt, q. d. Hæc virago ſindonem non induit, ſed vendidit, quia non decebat eam veſte tam ſubtili indui, nec ipſa gaudet ornatu externo veſtiumq; ſplendore; ſed internum virtutum virilium & fortium amictum ambit, eoque lōgè pulchriùs ſe veſtit & ornat: per hunc enim virilis efficitur, vt iam non tam femina, quàm virago, imò vir eſſe videatur, iuxta id quod monet & ſancit S. Petrus ep. 1. c. 3. 3. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorū cultus; ſed qui abſcōditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Idem docet S. Chryſoſt. in pſal. 44. vbi addit feminas licet deformes, poſſe hanc virtutum formam & pulchritudinem ſibi accerſere, eamque in immenſum augere, cùm externam ſæpè non poſſint: inſuper cultum externum magnis ſumptibus ſtare, internum verò ſola voluntate parari.

Ornat virtus, non veſtis.

Tertiò, alij meliùs accipiunt fortitudinem & decorem externum; ſed ab interno manantem. q. d. Virago hęc non curat ſindones & veſtes pretioſas ſed grauiter, modeſtè & honeſtè ſe veſtit, vti decet feminam fortem & virilem: quare in omnibus eius geſtibus & actibus reſplendet fortitudo, id eſt grauitas, maturitas, obur & vigor virilis animi, & decor, id eſt morum honeſtas, decus & gratia; perinde ac ſi eius amictus eſſet ipſa fortitudo & decor, inquit Aben Ezra, quæ internam animi fortitudinem & virtutum decorem indicant & oſtendunt. Quare nō luxuriat illa corporis ornatu, vti ceteræ mulieres philocoſmę; ſed virtutibus ſe comit, nēpe fortitudine & honeſtate, ac totius vitæ decore ornari gaudet, magis quàm veſtibus ſumptuoſis. Atque inde prouenit, ait Baynus, quòd ſemper ſit læta, imò quo diutiùs viuit, vel vſq; ad extremam ſenectutem; ſemper creſcentibus animi virtutibus creſcit illius lætitia, & gaudium conſcientiæ ſecuræ. Mulierculæ quæ florem ætatis delicijs tranſigunt, & curioſo corporis ornatu ſeſe delectant, & pulchritudine ſibi placent, vbi temporis iniuria flos ętatis emarcuerit, vbi rugata facies nullo ſtibio aut purpuriſſo niteſcere velit, vbi vetulæ contemni cœperint; deficiētibus ſimul viribus & pulchritudine mœrent, infelices iam corporis & animæ deſtitutæ dotibus: quando ſapiens mulier potiſſimùm gaudet, inſtante poſtremo die, quo laborum præmia ſe recepturam nouit.

Fauet huic expoſitioni, quòd in Septuag. Vatican. ante hunc verſum pręmittatur: *Os ſuum aperuit attētè & legitimè, & ordinem poſuit linguæ ſuæ*, & ſubiungatur: *Os ſuum aperuit ſapienter & congruenter legibus.* Quę videntur eſſe duę interpretationes vnius eiuſdemque ſententiæ. Nam pro vtroque Hebr. Vulgata & Septua. Complut. habent hunc dumtaxat, qui proximè ſequitur: *Os ſuum aperuit ſapientia, & lex clementiæ in lingua eius.* q. d. Virago hæc fortis & virilis, ęquè ac decora & gratioſa eſt tā in agendo, quàm in loquendo, adeoque fortitudine & decore amicta videtur: nam loquitur ſapienter, ideoque conſtanter & fortiter; atque clementer, ideoq; decorè & gratioſè. Fauet & auctor Catenæ Gręcor. qui hunc verſum ſequenti nectens ex Septuag. ſic legit: *Fortitudinem & decorem induit, lætaq; & iucunda erit in diebus nouiſſimis. Os ſuum aperit cautè & legi conſentaneè, ordinemq; & modū præſtituit linguæ ſuæ*, ac deinde ſic explicat: *Videtur hoc loco exponere virilia ſapientiæ facta. Primò enim aperit os ſuum prudenter & ornatè. Mox eutaxiam venuſtumq; ordinē præfigit linguę ſuæ. Hinc in operibus miſericordiæ, alijſq; honeſtis actionibus ſeſe fortem virilemq; oſtendit. Ex quo tandem ſequitur, vt nouiſſimis diebus, quando nimirum bonis operibus plena hinc excedet, gaudeat. Tunc enim bonæ honeſtæq; illius actiones apud omnes manifeſtabuntur & magnificabuntur, multiſq; & magnis præmijs remunerabuntur.*

Modeſtia eſt purpura virtutum.

Diſce hîc *modeſtiam eſſe veſtem & purpuram virtutum.* Ipſa enim prodit & manat ex interna animi virtutibus præditi compoſitione, illamq; ornat ac alijs oſtendit: atque hæc eſt viraginis huius veſtis, quam per periphraſin deſcribēs ait: *Fortitudo & decor indumentum eius.* virilis enim modeſtia & grauitas in omnibus geſtibus, verbis & actionibus relucens cum decore & gratia, veſtis eius eſt & cyclas pulcherrima. Quam proinde Tertull. feminis imitandam & induendam proponens libr. de Habitu feminarum: *Pudicitiæ*, inquit, *atq; honeſtati Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri; tāta enim debet eſſe plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitū, & eructet*

à con-

à conſcientia in ſuperficiem, vt & foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam. Subiungit deinde: *Prodite vos iam medicamentis & ornamentis inſtructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermones Dei, annectentes ceruicibus iugũ Chriſti, caput maritis ſubijcite, & ſatis ornatæ eritis. manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquã in auro placebunt; veſtite vos ſerico pubertatis, byſſino ſanctitatis, purpurá pudicitiæ. taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorẽ.*

Allegor. Primo. Allegor. S. Greg. in pſal. 4. Pœnit. Eccleſia, ait, & anima fidelis veſtitur fortitudine, vt tentationibus reſiſtat; ac decore, id eſt ſplendore iuſtitiæ, vt operibus iuſtitię effulgeat. Rurſum fortitudo mẽtem perſeuerantem deſignat, qua quis aduerſus ſe pugnat; & decor nitorem puritatis, quo ſemetipſum exornat. Ideo autem vnius & eiuſdem veſtis fortitudo & decor pares eſſe dicũtur: quia qui perſeuerantiæ in ſui abnegatione obliuiſcitur, minimè perfectè virtutis pulchritudine decoratur. Quinimò dum homo priùs ſe abnegans atque mortificans, ab ſtudio abnegationis ceſſat, paulatim ex munditia ad immunditiam, & ex magna perfectione ad magnas imperfectiones declinat. Eſtque ſimilis ſtatuæ per ſomnum à ſuperbo illo rege conſpectæ, quę in auro cœpit & in luto finiuit, Daniel. 2.

Secundo. S. Auguſt. verò ſerm. 45. de Diuerſis, & pleniùs S. Ambroſ. in ca. 31. Prouerb. ſub fin. tom. 2. c. 10. *Fortitudinem, inquit, & honeſtatem induit. Honeſtatem tanquã byſſum, fortitudinem tanquam purpuram: quia fortis lætatur in paſsione, quia honeſta: ſpecioſi pedes euãgelizantium pacem.* (*Iſaiæ 12.*) *Et lætata eſt in diebus vltimis. In diebus vltimis lætatur, quia in mundo hoc iugiter tribulatur. Quare pulchrè ſcriptum eſt: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* (*Matth. 5.*) *Et Dominus ad diſcipulos: In mundo preſſuram habebitis.* (*Ioan. 16.*) *Et: Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* (*Ibidem.*) *Sine tribulatione vnde haberes purpureum indumentum? Hinc ſciſcitanti Prophetæ, Quare rubra ſunt veſtimenta tua, & indumenta tua calcati torcularis? reſpondet, Torcular calcaui ſolus, &c.* (*Iſaia 63.*)

Tertio. Vberiùs Beda, & ex eo Gloſſa: *Fortitudo, inquit, ad tolerandam peruerſorum improbitatem; decor ad exercendam virtutum gratiam. Decor, quia operatur iuſtitiã: fortitudo, quia perſecutionem patitur propter iuſtitiam: & ideo ridebit in die nouiſsimo, id eſt gaudebit in retributione regni cæleſtis, qua dolebat in certamine vitæ præſentis. Mos etenim Scripturæ eſt pro gaudio riſum ponere, ſicut & Dominus ait: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* (*Lucæ 6.*) *Et beatus Iob: Os autem veracium replebitur riſu.* (*Iob 8.*) *Similem ſanè huic ſententiã Propheta de Domino ac Saluatore huius fortiſsimæ mulieris poſuit, dicens: Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem.* (*Pſalm. 92.*) *Cùm enim prædicaret Euangelium regni, alijs placebat, alijs diſplicebat: alij bene loquebantur, alij detrahebant, lacerabãt, mordebant, conuiciabantur. Ad eos ergo quibus placebat, decorem induit; ad eos quibus diſplicebat, fortitudinem. Imitare ergo & tu Dominum tuũ, vt poſsis eſſe veſtis ipſius: eſto cum decore ad eos, quibus placent bona opera tua: eſto fortis aduerſus detractores.*

De B. Virgine. Primo. Porrò hæc omnia, & ſigillatim tres ſenſus initio datos, facile eſt aſsignare B. Virgini. Nã ipſa iuxta primum ſumma pollebat mentis conſtantia & fortitudine; interiùs ac exteriùs pari modeſtiâ & decore in omnibus nutibus, actibus, loquelis & geſtibus, iuxta illud pſalmi 44. *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circũamicta varietatibus.*

Secundo. Secundò, iuxta ſecundum excellebat omni virtute & probitate. habebat enim omnes virtutes in actu heroico, prout decebat matrem Dei. vide dicta cap. 8. 14. ad illa: *Mea eſt fortitudo.* *Tertio.* Tertiò, iuxta tertium, ipſa eius corporis ſpecies ſimulacrũ erat mentis, figura probitatis. *Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci*, ait S. Ambroſ. li. 2. de Virgin. Audi S. Bonauen. in Speculo B. Virginis lect. 2. ex D. Bernardo: *Non ſic*, inquit, *timent hoſtes viſibiles caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum; fluunt & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſollicitam imitationem.* Et D. Bernardinus ſerm. 51. art. 3. cap. 2. *Sicut magnus ignis effugat muſcas, ſic ab ardentiſsima Virginis mente & inflammatiſsima charitate effugabantur dæmones, & pellebantur in tantum, quòd ſolum in modica non erãt auſi reſpicere mentem eius, nec de magno ſpatio illi propinquare.* (*B. Virgo terror eſt dæmonum.*) Et Richardus Victorinus c. 26. in Cantic. *Virgo*, inquit, *tenebrarum principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere eamque tentare non præſumpſerint: deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis: ſtupebant immunem à peccatis.*

ET RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO] Primò, aliqui per *diem nouiſsimum* accipiunt ſabbatum, q. d. Hęc virago ſtrenuè operatur per omnes dies hebdomadę: vnde in vltimo, putà in ſabbato, iuxta legẽ feriatur, & partis lucris fruitur, ridet & gaudet.

Secundò, alij accipiunt hiemem. q. d. Operatur in æſtate, vnde quieſcet in hieme, & inſtar formicæ lautè viuit eſcis paratis in æſtate. Verùm hæc frigida ſunt.

Tertiò, meliùs Baynus, Ianſenius, & alij per *diem nouiſsimum* accipiunt ſequentem ætatem, & poſteriora tempora: Hebr. enim אַחֲרוֹן *acharon*, id eſt nouiſſimum, ſignificat tempus ſequens, futurum & poſterum.

Quartò, propriè & præciſè per *diem nouiſsimum* accipias ſenectam, & vltima vitæ tempora. q. d. Mulieres pigrę, quę in iuuentute otiantes ſtertuerunt, egent & mœrent in ſenecta. At hæc virago quia in iuuentute ſtrenuè laborauit, hinc in ſenecta opibus abundat, ideoque ridet & ouat.

Denique per *diem nouiſsimum* accipias mortem, q. d. Virago hęc probè & ſtrenuè operata eſt omne bonum per totam vitam: quare in morte bene ſibi conſcia, & ſperans præmia cæleſtia, nõ triſtabitur, ſed ridebit & exultabit, caneţque cum S. Simeone & cum S. Maria Ægyptiaca cycnæum illud: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.* (*Riſus Sanctorum in morte.*) Exemplum ad litteram eſt in S. Sabina, quæ S. Pionij (vt habent eius acta priſca, quæ probat Baron.) in martyrio fuit ſocia, die prima Februarij. (*Exempla.*) Cùm enim Pionius præfectis diceret: *Vtinã vobis perſuadere poſſem vt fieretis Chriſtiani; illi riſu ſoluto dixerunt: Tu verò ne id feceris, ne viui comburamur. Grauius & acerbius inquit Pionius, eſt poſt mortem igne comburi ſempiterno. Arridenteque Sabina, Æditums & ſatellites eius dixerunt: Rides? Ita Deo placet, inquit illa: Chriſtiani enim ſumus: & qui fide ſunt in Chriſtum firma atque conſtantes, riſu ridebunt perpetuo: cumque illi minarentur lupanar, reſpondit: Sancto Deo id erit curæ.*

Sancta Mechtildis in morte ter impugnata à dæmonibus: ter fleuit; ſed ter defenſa à ſanctis angelis ter riſit, ridenſque & ouans velut victrix

& triumphatrix ſpiritum Deo reddidit, teſte Engelhardo in eius Vita. Ita S.Gorgonia, teſte eius fratre S.Gregorio Nazianz.orat.11.placida lætaque obdormiuit in Domino, iubilans: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.*

S.Gertrudis ſub morte per viſum vidit ſe recipi in ſinum Chriſti, ab eoq; cordi ſuo applicari, mox accedere viciſſim ſanctos angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Virgines, ac ſingulos ſua dona & gratias quibus excelluerunt, illi cõmunicare; quibus circumdata & penetrata cùm foret medullitus, Chriſtus eandem tam ſimilem ſibi reddebat, quàm ferrum ignitũ ſimile efficitur igni. Ita habet eius Vita li.4.c.34. quantum ergo eius erat tunc gaudium, quantus riſus & iubilus?

S.Tharſilla, amita S.Gregorij, moriens vidit S. Felicem Pont. atauum ſuum, qui ei *manſionem perpetuæ claritatis oſtendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis manſione ſuſcipio, quæ mox febre correpta ad diem peruenit extremum. Cùm ſubitò illa ſurſum reſpiciens Ieſum venientem vidit, & cum magna animaduerſione cœpit circumſtantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Ieſus venit. Cumq; in eum intenderet quem videbat, ſancta illa anima è corpore eſt egreſſa. Tantaq; ſubitò fragrantia miri odoris aſperſa eſt, vt ipſa quoque ſuauitas cunctis oſtenderet illic auctorem ſuauitatis veniſſe*, ait S.Greg.lib.4. Dialog.cap.17. Similia habet eodem lib.c.13.de Galla Symmachi conſulis filia, & cap.15. de Romula, in cuius morte *ante eius cellulam duo chori pſallentium conſtiterunt pſalmodia cantus dicebant viri, & feminæ reſpondebant; ſicq; ſancta illa anima carne ſoluta eſt quæ ad cælum ducta, quanto chori pſallentium altiùs aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia leniùs audiri, quouſq; & eiuſdem pſalmodiæ ſonitus, & odoris ſuauitas elongata finiretur*, ait S.Gregor.

S.Maria Oigniacenſis moriens riſit, & ouans irriſit mortem: nã vt ſcribit oculatus teſtis Cardinalis Iacobus de Vitriaco lib.2.Vitę eius cap.13. *Præ gaudio diutiſſimè ſubridens, ſubmiſſa voce cantabat: Quàm pulcher es rex noſter Domine! In eo gaudio poſtquam diu perſtitit cantando, ridendo, & interdum plaudendo manibus, tandem ad ſe reuerſa: Mirabilia, inquit, dicerem ſi auderem.* Et inferiùs: *Dulci voce cantauit Alleluia; & tota ferè nocte illa tanquam ad epulas inuitata, fuit in iubilo & exultatione: at paulo poſt iterum cantans Alleluia, in vigilia S. Ioannis Baptiſtæ (qua & creditur S.Ioannes Euangeliſta migraſſe è ſæculo) circa horã nonam, qua Chriſtus in cruce ſpiritum Patri reddidit, ipſa quoq; ad Dominum migrauit, nullo vnquam mortis dolore vultus Angelici hilaritatem amittens, anno Domini 1213. ætatis 36.* Hæc Cardinalis fuſiùs, ex quibus pauca excerpſi.

B Virgo mortua eſt præ deſiderio & gaudio.

Multò magis B.Virgo in morte, viſo Chriſto ſuo, & ab eo euocata; *Veni electa mea, gaudens & ridens ſoluta eſt corpore, & perrexit ad Dominum*, ait S. Ildefonſus ſerm.3. de Aſſumptione; imò graues auctores cenſent illam ex nimio Chriſti videndi deſiderio, amore & gaudio animã exhalaſſe. Vnde S.Damaſc.in orat.1.de Virg.dormit.exclamat: *O miraculum ſanè naturã præſtantius! ò res ſummæ admirationis plena! Mors quæ odio & execrationi priùs erat, hic commendatur ac beata cenſetur; quæ olim luctum & mœrorem, lacrymaſq; & triſtitiam afferebat, nũc gaudij & lætæ celebritatis cauſa eſt.* Et paulò pòſt: *Quocirca*, inquit, *non te mors beatam reddidit, ſed ipſa mortem exornaſti, vt quæ eius mœſtitiam ſuſtuleris, ac mortem gaudium eſſe plenum feceris.* Et orat.2.de eadem dormit.ſic ſcribit: *Vt enim antequam vllo partus dolore afficeretur peperit, ita etiã ipſius è vita diſceſſus doloribus carnis.* Vnde concludit: *At proinde ſacram tuam migrationem mortem haudquaquam appellabimus, ſed ſomnũ aut peregrinationem, vel, vt aptiori verbo vtar cum Domino præſentiam.* Idipſum ex reuelatione ipſius Deiparæ facta S.Brigittæ lib.6. Reuelat.c.62. confirmatur. *Paruam*, inquit Deipara, *me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus paſſus fuerat, cumq; quadam die animus meus ſuſpenſus eſſet in admiratione diuinæ charitatis, tunc anima mea in ipſa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quòd vix ſe capere poterat, & in ipſa conſideratione anima mea à corpore fuit ſoluta.*

Vers.26. Os ſuum aperuit ſapientiæ, et lex clementiæ in lingua eius] Hebr. *os ſuum aperuit in ſapientia, & lex pietatis ſuper lingua eius*; Chald.& Theodot. *& lex gratiæ in lingua eius*; Sept. Vatic. *os ſuum aperuit attentè & legitimè, & ordinem poſuit linguæ ſuæ*; Complut. verò, *os ſuum aperuit ſapienter & legaliter: at eleemoſyna eius in lingua eius*; Vatab. *ſapiẽter loquitur, & eſt gratioſa.* Pro *clementia* hebr. eſt. חֶסֶד *cheſed*, id eſt pietas, gratia, charitas, beneuolentia, beneficentia, gratitudo, bonitas, ſanctitas.

Explicat hîc quod dixit v.præced. *Fortitudo & decor indumentum eius*, nimirum grauitatem & decorã modeſtiam huius viraginis maximè elucere in verbis ſapientibus & clementibus. Solent enim mulieres, quia otioſæ & curioſæ, eſſe loquaces & garrulę: & quia parui pręviris ſunt cerebri, ac paſſionibus aguntur; hinc multa imprudenter, dicaciter & procaciter effutiunt & vociferantur. Secùs facit virago hæc, quæ mentem æquè ac linguam ſuam domuit & caſtigauit ſapientia & pietate: ſapientia, vt nil inſipiens, pietate, vt nil iniurium vel noxium loquatur.

Vox *aperuit* notat eam clauſum habere os & obſignatum ſilentio, quod nil niſi clauis ſapientiæ reſeret. Ruſum τὸ *aperuit ſapientiæ*, innuit ſapientiam habitare in corde eius, illudque quaſi animare, mouere, regere & aurigare, vt non tam virago quàm ſapientia ipſa per os eius loqui & per manus eius operari videatur. Ita S. Mechtildis adeò rectè *ſeruabat ſilentium, vt eam mutam putares: ſin loqueretur, tanta id gratia faciebat, vt cum angelo te colloqui exiſtimares*, ait Engelhardus in eius Vita cap.5.

Lex clementiæ quæ? Reſp. Primò.

Et lex clementiæ] Primò, q.d. In verbis non eſt aſpera, moroſa, clamoſa, iracunda; ſed lenis, blanda, modeſta, ſuauis: hanc enim legem ſibi clementiæ fixit, vt cum omnibus benignè & clementer loquatur: quare hæc clementię lex quaſi dictatrix menti inſidens & præſidens, linguam eius moderatur & regit, vt non niſi clementia & beneuola, quæ ei ſuggerit & dictat, promat & lingua proferat.

Secundò.

Secundò, Chald. Theodot. & S.Ambroſ. in c. 31. Prouerb. vertunt, *lex gratiæ.* q.d. Gratioſam ſe exhibet in loquendo, vt non tam ipſa, quàm gratia per os eius loqui videatur.

Tertiò.

Tertiò, Hebr. *cheſed* propriè ſignificat pietatem, id eſt pium affectum, quo quis parentes, conſanguineos, domeſticos proſequitur. q.d. Materfamilias hęc in virũ, filios, ſeruos & ancillas pia eſt, beneuola & benefica: quare viri labores & mœrores beneuolis verbis ſolatur & abſtergit. Rurſum Filiorum, ſeruorum & ancillarum lites & iurgia amicis

micis ſermonibus ſedat & componit, vt ipſa videatur totius familiæ eſſe pax, cōcordia & amor mutuus; quia omnibus halce virtutes verbis & factis inſtillat, quare ſi quis ab alio læſus ſit vel offenſus, curat vt offendens humiliando ſe, vel veniam petendo, offenſo ſe reconciliet, ac offenſus offendēti clementer culpam condonet, & priſtinam amicitiā redintegret. Sic Abigail ſua placida & blanda oratione Dauidis iras ſedauit, vt parceret Nabal & domui ſuæ, 1. Reg. 25. 24. & Eſther regina ſimili oratione, placauit animum Aſſueri, & ad clementiam, vt Iudæis innocentibus parceret, inflexit.

Quartò.

Quartò, *cheſed* cum Sept. vertas, *eleëmoſynam* & miſericordiam & cum Tigurina *beneficentiam*. q.d. Virago hæc aſſiduè in lingua, æquè ac mente & manu habet nomen eleëmoſynæ; quia aſſiduè eā omnibus commendat, iubetq; ſuis vt nulli petenti eam denegent. ita Aben Ezra. Rurſum cum manu non poteſt, lingua dat eleëmoſynam, blandis verbis afflictum ſolando, inſtruendo, animando, conſilium dando, commendando, &c. Denique in omnes eſt benefica, ſibique fixit legem beneficentiæ, vt quibuſcumque poteſt benefaciat.

Quintò.

Quintò, R. Leui per *cheſed* accipit pietatem in Deum. q.d. Hæc virago aſſiduè in lingua habet Deum, piaque verba de Deo, Deique in homines & totum mundum beneficentia: aſſiduè enim eam prædicat & celebrat, ceteroſque ad eandem celebrandam inuitat & excitat. Hinc rurſum *cheſed* vertas bonitatem & ſanctitatem, q.d. Nō niſi bona & ſancta eloquitur, vt omnes ad ſanctitatem impellat: quare os eius videtur organum, & lingua eius eſſe plectrum Spiritus ſancti, iuxta illud S. Petri epiſt. 1. c. 4. 11. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei*. Vide ibi dicta.

Os S. Gertrudis, os Spiritus S.

Sic. S. Gertrūdis pia & ſancta cuilibet dabat monita ſalutis, adeoq; non tā ipſa quàm Spiritus ſanctus per os & linguam eius loqui videbatur. Quare omnes ad illam velut ad cæleſte oraculum concurrebant, ac quolibet veniente, eiuſque auxilium vel conſilium poſtulante, antequam ipſe qua in re id poſtularet, ediceret, Spiritus ſāctus ei ſuggerebat quid reſpōdere, quid conſulere & eloqui deberet. ita habet eius Vita. Similia legimus de S. Catharina Senenſi, cuius verba efficacia erant & ardentia, vt nullus peccator eis reſiſtere poſſet; nec quiſquam niſi melior effectus, ab ea recederet.

Clementia effectus ſapientia.

Nota Clementiā iungi ſapientię, quaſi effectum cauſæ: vera enim ſapientia mouet hominē ad clementiā & beneficentiam. q.d. Virago hæc loquitur ſapienter, ideoque clementer: ſapientia enim ipſa docet clementiam & miſericordiam, vtpote quæ ſit virtus & dos propria Deo, quæque homines faciat diuinos, & quaſi deos, iuxta illud Nazianz. orat. 16. *Eſto calamitoſo Deus*.

Hanc legem ſapientiæ & clementiæ S. Hieron. vel potiùs S. Paulinus, inculcat Celātiæ matronæ: *Sermo*, inquit, *in omnibus ſit moderatus & parcus, & qui neceſſitatem loquendo magis inducet quàm voluntatem. Ornet prudentiam verecundia: quodq; præcipuum in feminis ſemper fuit, cunctas in te virtutes pudor ſuperet. Diu autem conſidera quid loquendum ſit, ne quid dixiſſe pœniteat: verba tua ponderet cogitatio, & linguæ officium animi libra diſpenſet. Vnde Scriptura dicit: Aurum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua*, Eccli. 28. 29.

Deinde de lege clementiæ iſta illicò ſubiungit: *Nunquam malum verbum de ore tuo procedat, quæ ad cumulum benignitatis iubens etiam maledicētibus benedicere: Miſericordes, inquit, modeſti, humiles, non reddētes malū pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes. Mentiri autē atq; iurare lingua tua prorſus ignoret, tantuſq; in te ſit veri amor, vt quidquid dixeris iuratum putes* Ac tandem concludit: *In omni igitur actu atque verbo quieta mens & placida ſeruetur: ſemperq; cogitationi tuæ Dei præſentia occurrat: ſit humilis animus ac mitis, & aduerſus ſola vitia erectus.*

1. Petri 3. 8.

Legem hanc clementię egregiè didicerat S. Monica mater S. Auguſtini, quæ per eamdem iras & choleram mariti ſui cicurauit, atque ex leone ouem effecit, imò ex Pagano Chriſtianum: quin & eandem legem ipſa alias matronas docebat, quæ doctrinam eius ſecutæ cum maritis, in iugi pace & amore vitam felicem agebant, vti narrat S. Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 29.

B. Virgo clementiſſima.

Verùm præ omnibus matronis, viris & angelis legē hanc ſapientiæ & clementiæ ſeruauit & docuit, ſeruatq; & docet B. Virgo, quæ, vt ait S. Ambroſius li. 2. de Virgin. *corde erat humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior*. Et S. Damaſcen. orat. 1. de Natiuit. *Sermo eius*, inquit, *iucundus ex leni anima progrediens*. Et S. Bonauen. in Speculo cap 8. *Maria*, inquit, *manſuetiſſima fuit per lenitatem, patientiſſima contra omnem aduerſitatem*. Clemētiæ eius in peccatores & afflictos innumera extant exempla. Quocirca Eccleſia eā in hymno *Salue regina* ita ſalutat & inuocat: *O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria*. Et in hymno *Aue maris ſtella: Virgo ſingularis inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos*. Et S. Bernar. ſer. in illud Apocal. 12. *Signum magnum*: *Nihil*, inquit, *auſterūm in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt offerens lac & lanam*. Et mox *Quid ſi (vt verè ſunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena māſuetudinis & miſericordiæ quæ ad eam pertinent, inueneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricē benigniſſima miſeratione prouidit*. Cauſam dat S. Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *B. Mariam*, inquit, *velut ignis ferrum, Spiritus ſanctus totam decoxit, incanduit & igniuit: ita vt in ea Spiritus ſanctus flāma videatur, nec ſentiatur, niſi tantùm ignis amoris Dei*. Quid enim amor tātus niſi amabilia, blanda, elementia exhalat? ſcilicet vt nec à ſole auferri poteſt lux, vt non luceat; nec ab igne calor, vt non adurat; ita nec à Virginis Dei matre clemētia, vt miſericors & pia non ſit, quia ipſa innatam, inuiolabilem, ſempiternam ſimul cum dignitate matris Dei, legem clementiæ diuinitùs accepit. In lingua eius hæc eſſe dicitur, eò quòd in continuis ſupplicationibus ad Deum filium effuſis, admirabilem iſtam & maternam pietatem demonſtrat. Quapropter ipſa omnes ad ſe inuitans: *Tranſite*, inquit, *ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & fauum*, Eccli. 24. 26. vide ibi dicta.

Allegor. Beda hæc attribuit Eccleſiæ, & animæ ſanctæ: *Os ſuum aperuit ſapientiæ*, inquit, q.d. *Ad hoc tantùm loquens os aperuit, vt ſapientiam doceret, iuxta illud Apoſtoli: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Vel certè os cordis aperuit ad diſcendā ab ipſa ſapientia interiùs veritatem, quam alios foris doceret. Vtrique autem ſenſui, quia vtrumq; fecit Eccleſia, concinit aptè quod ſequitur: Et lex clementiæ in lingua eius: illa videlicet, vt non ſtatim more legis Moſaicæ peccantes puniret, ſed miſericorditer ad pœnitentiæ remedia* vo-

Epheſ. 4.

Porrò Septuag. vertunt, *conſtrictæ ſunt manſiones domus eius*, q. d. Virago hæc conſtringit & claudit horreum, penum, abacum, &c. eorumque clauem ſibi reſeruat, vt cuſtodiat annonam & ſupellectilem, ne ad eam acceſſus vel furibus, vel domeſticis ad eam efferendam & diſſipandam pateat.

Tria indicia bonæ diſciplinæ in vrbe vel collegio.

Moral. Prælatus & Princeps gnauus ſtringit diſciplinam, arcteque ſeruari vult omnes leges & ordinationes, itaque facit vt floreat reſp. nam *vbi vigor ibi vigor*: ignauus verò laxat diſciplinam & leges itaque rempubl. diſſipat. Solebat Carolus V. Imper. vrbem quamlibet ingrediens, ex tribus coniicere, an in ea vigeret politia, foretque bonum regimen; conſiderabat enim an gnauus in ea eſſet Paſtor, prætor & præceptor: gnauus enim Paſtor ſeuerè tuetur diſciplinam Eccleſiæ, prætor reipubl. præceptor ſcholæ, vt iuuentus rectè erudiatur & formetur. Et S.P.N. Ignatius ex tribus coniiciebat, an in monaſterio vel collegio quolibet vigeret religio, ſcilicet conſiderabat an in eo exactè ſeruaretur clauſura, nitor & ſilentium: hæc enim tria aiebat certa eſſe indicia bonæ diſciplinæ.

Symbolicè auctor Catenæ Græcor. hæc applicans B. Virgini, per anguſtias vel conſtrictas eius ſemitas accipit eius virginitatem, & virginalem clauſo vtero partum.

S. Auguſt. ſerm. 45. de Diuerſis, pro *conſtricta* vertit, *ſeueræ conuerſationis domus eius, cibos autem pigros non comedit: Seueræ, inquam, fortes, diſtrictæ non eſt vbi diffluatur, non amat diſſolutionem; & meritò tantum acquiſiuit, quia cibos pigros non comedit*. q. d. Virago hæc ſeuerè tuetur domus ordinem & diſciplinam, ideoque non molli otio, ſed ſeuero labori omnes aſſuefacit, ipſaque exemplo eis præit, quare panes non pigros, ſed ſudore elaboratos partoſque comedit. *Eſt* ergo, inquit S. Ambroſ. in hunc Prouerb. locum: *Mulier hæc laborioſa, vigilans, ſollicita, ſurgens de noctibus, anxia ne lucerna extinguatur, in tribulatione fortis, promiſſis nondum acceptis patiens, digitos ſuos ad fuſum formans, panem pigra non manducãs: ſed poſt labores iſtos quid erit ei? Surrexerunt filij eius & diuites facti ſunt. Dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 15. Seminatur corpus in ignobilitate, ſurget in gloria. Tunc ditabuntur filij eius: Para ergo te diuitias* (dotes membrorum glorioſas) *reſurrectionis accipere*. Sic ipſe legit ex Septuag. ſicque explicat.

Hæc applices B. Virgini, cuius ſeuera & rigida fuit vita in ieiunijs, orationibus, lacrymis, perſecutionibus, doloribus, paſſionibus. Vnde S. Bernar. in Meditat. ſuper *Salue Regina: O certè vita*, inquit, *amabilis, vita deſiderabilis, vita delectabilis! ò vita quæ nutris tuos cæleſtibus alimentis? qui enim vult te habere, ſe affligat, delicias reſpuat, delicata quæque contemnat; & qui amplius mortificatus fueris, te amplius poſſidebit.*

B. Virgo auſtera vita.

Huc facit quod S. Brigitta narrat B. Virginem ſibi reuelaſſe, nullam ſe gratiam à Deo accepiſſe, niſi præuio magno labore, precibus & lacrymis, ideoque eamdem hortatur ac quoſuis fideles vt iiſdem medijs gratiæ dona ſibi procurent: non enim aliam eſſe viam ad gratiam, quàm mortificationem & crucem.

VERS. 28. Koph. SVRREXERVNT FILII EIVS, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERVNT; Chald. *beatitudinem illi dederunt*) VIR EIVS, ET LAVDAVIT EAM] Hebr. אשר *aſcar* in *piel* ſignificat & beare vel beatum prædicare, ac ditare: opes enim diuites faciunt felices & beatos. Vnde Sept. Complut. vertunt, *ſurrexerunt filij eius, & ditati ſunt*; Vaticani verò, *eleëmoſyna autem ſuſcitauit filios eius, & ditati ſunt*; auctor Catenæ Græcor. *eleëmoſynæ eius ſuſcitarunt liberos eius, & ditati ſunt*.

Hebr. קם *kam*, id eſt ſurrexerit, ſtetit, ſæpè non corporis ſe erigentis ſtantiſue ſitum, ſed exiſtentiã dumtaxat & præſentiam, vel actionis initium & inchoationem ſignificat. q. d. Surrexerunt filij, id eſt, virago hęc non eſt ſterilis, nec illiberis; ſed plures inſignes habet filios, qui exiſtentes & præſentes videntesque matrem tam ſedulam, ſtrenuam & opulentam, cœperunt eam celebrare & beatiſſimam prædicare. Poteſt tamen hoc loco *kam* & *kamu*, id eſt *ſurrexerunt*, propriè accipi, idque habet emphaſim. Primò, q. d. Filij totam noctem ſine cura, quietè & iucundè dormierent, manè ſurrexerunt, inquit Aben Ezra, inueneruntque matrem ijs dormientibus noctu peruigilaſſe, lanã & linum pexuiſſe, filaſſe, texiſſe, cibaria famulis & ancillis præparaſſe, reſque totius domus in diem futurum decorè & eximiè ordinaſſe, imo eius induſtria tã ſe quã domeſticos omnes veſtibus duplicibus, rebuſque omnibus abundare: quare ſe cum domeſticis felices & beatos tali matre, matrem verò beatiſſimam prædicauerunt, vtpote cui omnis hæc laus, omne domus decus & gloria debetur.

Secundò, *ſurrexerunt*, inquit Baynus, id eſt adoleuerunt & creuerunt filij, nõ ſolum ætate & ſtatura corporis, ſed & virtutibus quas à matre didicerunt, indeque honoribus, dignitatibus & gloria; quibus omnibus non tam voce quàm facto apud omnes celebrarunt matrem, ac reipſa illam prædicarunt beatiſſimam, vtpote quæ tam beatos genuiſſet, aluiſſet & effeciſſet liberos: ſolet enim prolium educatio incumbere matri; quare eorũ probitas, dignitas & gloria matri iure tribuitur. Vir etiam non tantùm voce, ſed etiam moribus ſuis mulierem hanc dilaudare & commendare dicitur; quia viri facilitas, lenitas & ſuauitas morum ad vxorem magna ex parte ſpectat, & ab illius moribus pendet.

Porrò Septuag. Complut. vertunt, *ſurrexerunt filij eius, & ditati ſunt*. q.d. Mater tantas opes colligit, vt, cum filij ducta vxore ſurgerent, id eſt è domo materna in propriam migrarent, diuitem eis dotem & hereditatem aſſignarit, vt filij ab ea adeò ditati beatiſſimam matrem prædicarent, & laudibus in cælum veherent. Septuag. verò Vaticani habent, *eleëmoſyna autem ſuſcitauit filios eius*. q.d. Mulieres timidę, ideoque auaræ ſua retinent, nec dant pauperibus etiam poſcentibus eleëmoſynas, ne per eas depauperentur: at hæc virago ſapiens & magnanima largiter dedit eleëmoſynas poſcentibus, æquè ac non poſcentibus: ſciebat enim per has ſe & ſuos à Deo fore benedicendos, & magna cum fœnore ditandos. Itaque reipſa factum eſt: nam eleëmoſynæ eius *ſuſcitarunt*, id eſt ad magnas opes & honores filios euexerunt: hũc enim eſſe eleëmoſynæ fructum docet S. Chryſ. homil. *quòd eleëmoſyna ſit ars omnium quæſtuoſiſſima*, ac S. Baſilius homil. in diuites auaros. S. Ioannes Eleëmoſynarius, & alij quos ſuperiùs citaui.

Tropolog.

Tropol. auctor Catenæ Grecor. *Nullus*, inquit, *apud illam claudicat aut ceſpitat: nam ſi quos in flagitium aliquod prolapſos animaduertit, ſtatim pro ſua pietate & clementia è ſordibus in quibus iacent, exitat illos,*

opibuſq; ſpiritualibus auget. Quare etiam vir eius laudat & admiratur illam.

Anagogica

Anagog. Sancti qui in hac vita ſedent lugentes in cinere & ſacco pœnitentię, in cælo ſurgent, imò reſurgent in ſtola gloriæ, ibique beatam prædicabunt matrem ſuam Eccleſiam nunc militantem, tunc triumphantem. Eandem vir ſuus, putà Chriſtus, laudabit *videns eam cum tanta multitudine filiorũ diuitum in reſurrectione mortuorum*, ait S. Auguſtinus ſer. 45. de Diuerſis. Et Beda: *Surgunt*, ait, *filij Eccleſiæ, & beatiſſimam eam prædicant, cùm cæleſtibus bonis ſublimati quanta ſit illius patriæ beatitas, cuius participes eſſe meruerunt, aſpiciunt, & hanc debita laudatione in diuina viſione concelebrant. Laudat eam vir eius, cùm bona quæ ipſe donauit, remunerat. Quibus autem verbis eã laudet conſequenter oſtenditur, cùm dicitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

B. Virgo beatiſſima celebratur.

B Hæc omnia facilè adaptes B. Virgini. Ipſam enim beatiſſimam prædicauit Chriſtus filius eius, tum verbo, tum opere & moribus. Chriſtus enim ſuã indolem cum natura hauſit à B. Virgine: quare actiones & mores Chriſti repræſentarunt actiones & mores matris; ac virtus, beatitudo & gloria Chriſti repræſentat virtutẽ, beatitudinem & gloriam matris. Vnde illa in Euangelio exclamabat: *Beatus venter qui te portauit & vbera quę ſuxiſti.* Tota enim laus filij in matrem redit, & vt ait Salomon: *Gloria patris* (& matris) *eſt filius ſapiens.* Rurſum S. Ioannes, quem Chriſtus moriens ſibi ſubſtituit, filiumq; B. Virgini arrogauit, eam beatam prædicauit, cùm eius eximiam ſanctitatem ſua ſanctitate expreſſit. Idem fecere S. Germanus, Damaſcenus, Ildefonſus, Anſelmus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Ignatius, aliique innumeri, qui B. Virgini ceu deuotiſſimi filij, eius præconia per ſe & ſuos verbis factiſque celebrarunt, & indies celebrant, indeq; eximia gratiarum dona cęlitus hauriunt. Nã vt ait S. Bonauent. in Pſalterio: *Iucundus homo qui non ſatiatur in laude tua: exortum eſt in corde illius lumen Dei, Spiritus ſanctus illuminat intelligentiam eius.* Denique omnes omnium ſæculorũ in Eccleſia fideles mirè amant & glorificant B. Virginem. Hinc nulla penè eſt ciuitas, quæ non habeat templum in honorem Virginis dedicatum: nullum templum, quòd nõ habeat ſacellum, vel altare, vel imaginem B. Virginis: nulla Eccleſia, quæ non ei quotidie *Salue regina*, ſimileſue hymnos & laudes accinat imò tota Eccleſia eã aſſiduè ſalutat: *Benedicta tu in mulieribus, &* (id eſt *quia*) *benedictus fructus ventris tui.* Hoc eſt quod ipſa ſpiritu prophetico D prȩuidens prȩcinuit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Nam vt ait Damaſcen. orat. 2. de Natiuit. *Virgo omnium encomiorum legem excedis, nec, ſi omnes toto orbe diſperſæ linguæ in vnum coeant, eius laudes oratione conſequi poſſent.* Nimirum.

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſidera cælo.

Rurſum vir eius, putà Spiritus ſanctus, laudauit laudatque eam, cùm omnes Prophetas, Apoſtolos & Sanctos in eius laudes excitauit. Hinc vbique Congregationes & Religiones in honorem Virginis erexit, quæ iugiter eius officium concinerẽt & laudes deprædicarent, vti inter alias facit Ordo Carmelitarum, Annuntiatarum & Seruitarum, qui toti cultui & Virgini addicti, dicti ſunt Seruitæ quaſi ſerui Virginis.

VERS. 29. Reſch.

MVLTÆ FILIÆ CONGREGAVERVNT (Chald. *poſſederunt*) DIVITIAS: TV SVPERGRESSA ES VNIVERSAS] Hebr. *multæ filiæ fecerunt* חיל *chail*, id eſt A *virtutem, ſtrenuitatem, fortitudinem, gloriam, opes & tu aſcendiſti ſuper vniuerſas ipſas.* Hinc Septuag. vtramque *chail* ſignificationem complexi, vertunt, *multæ filiæ acquiſierunt diuitias, multæ fecerunt virtutem: tu autem excellis*, vel *emines & ſupergreſſa es vniuerſas*: hoc eſt, excellenter & eminenter, ſiue eminus, ſupergreſſa es vniuerſas, eſt hendiadys. S. Auguſtinus ſer. 45. de Diuerſis legit, *multæ filiæ fecerũt potentiam, tu autẽ ſuperaſti & ſuperpoſuiſti omnes.* Poſſet quoque verti, *multæ filiæ fecerunt exercitum*, id eſt copiam filiorum, ſeruorum, ancillarum, *ſed tu ſuperaſti omnes*, quia multos genuiſti filios, & plures comparaſti ſeruos & ancillas, vt ex illis exercitum conflare & inſtruere poſſis, ac acie contra hoſtes decertare valeas, vti fecit Abraham Geneſ. 14. Armena verſio apud M. Anton. Abagarum habet, *multæ filiæ congregauerunt magnificentiam, acquiſierunt* B *iuſtitiam.*

Senſus ergo eſt, q. d. Tu tua ſtrenuitate & heroicis facinoribus, paraſti tibi robur, decus, gloriam, & opes, quãtas nulla ceterarum mulierum, ſed ijs omnes tranſſcendis & ſuperas. Eſt hęc laus viraginis, quâ, vt, prȩceſſit, laudat eam vir ſuus, ait Beda, & filij beatiſſimam prædicant, dicendo ſcilicet, quòd ipſa ſuo *chail*, id eſt vigore, valore, induſtria, robore, opibus, ceteris feminis longè antecellat. Id præſtitit B. Gorgonia ſoror S. Greg. Nazianz. cui hoc ipſe dat elogium orat. 11. *Et vt quoſdam fuiſſe demus, qui vna aliqua virtute cum ipſa contenderent, at hoc certè nomine omnes vicit, quòd vna virtutes omnes complexa ſit. Sic enim omnia præſtitit, vt ne mediocriter quidem vnum quiſquam alius: ſit autem ad ſummum ſingula, Vt vel vnum ſolum pro omnibus abundè ſufficeret.* Vnde ſigillatim nonnulla recenſens exclamat: O C *ſqualidum corpus, & indumentum virtute ſola florẽs! O anima corpus penè ſine cibo, velut materiæ expers retinẽtem! O noctes inſomnes, & pſalmorum cantus, & ſtationem ex die in diem indeſinentẽ, &c. O lacrymarum fontes, quæ ex afflictione ſeminabãtur, vt in exultatione meterent! ô nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum peruadentẽ! ô ſpiritus feruorem ob orationes deſiderũ, nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras formidantem! ô femineam naturam, quæ propter commune ſalutis certamen virilem naturam ſuperaſti, atque illud conſpicuum feciſti, maſculum & feminam corporis; non item animæ diſcrimen eſſe! ô ingentem poſt baptiſmum caſtitatem, & ſponſam Chriſti animã in puro corporis thalamo! ô amarum guſtum, & Euam, tum generis noſtri, tũ peccati matrem, & impoſtorem ſerpentem, & mortem illius continentia ſuperatam! ô Chriſti exinanitionem, & ſerui formam, & paſſiones ipſius mortificatione honoratas.*

Virtus eximia S. Gorgoniæ.

Symbolicè Lyran. hanc gnomen, *Tu ſupergreſſa es vniuerſas*, de S. Scriptura accipit, quæ plures & vtiliores veritates includit, quàm omnia ceterorum ſcriptorum monumenta. Hinc S. Auguſt. in pſal. 130. explicans illud 1. Corint. v. 10. *Abundantius omnibus laboraui: Paulus*, inquit, *plus omnibus laborauit, quia copioſiùs omnibus ſcripſit.* Alij enim Apoſtoli non ſcripſerunt, alij nec tantùm, nec tanta gratia ſcripſerunt. Vbi ergo plus ſcribitur, plus laboratur; quaſi vnus ſcribendi labor tantus ſit, vt nullus alius quantumuis importunus cum illo conferendus videatur.

Allegor.

Allegor. S. Auguſt. S. Ambroſ. & Beda hæc accipiunt de Eccleſia, quę omnes filias, id eſt Synagogam Iudæorum, ſcholas Philoſophorũ, ſectaſque hæreticorum omnium (quæ filiæ vocantur,

quia

quia idem baptiſma, eundem Deum confitentur, ſed malè ob hæreſim)de ſuis ieiunijs, orationibus, eleëmoſynis, quin & prophetis & miraculis gloriantes, longè vera fide, ſapientia, virtute, gratia & gloria tranſcendit. *Multę*, inquit S. Ambroſ. *fecerūt potentias, multæ locutæ ſunt linguis, ſciuerunt myſteria, dæmonia excluſerunt, res ſuas pauperibus diſtribuerunt, corpora ſua ignibus cremanda tradiderunt: tamen, quia charitatem non habuerunt, inflatæ ſunt, & laude & præmio defraudatæ remanſerunt. Hæc vero mulier & flore*

Galat. 5. *Cantic. 1.* *& fructu abundat, quia charitate plena eſt, quam ſpiritus fructum teſtatur Apoſtolus ad Galatas, ipſa eſt botrus vineæ dilectæ; ab ea enim procedunt ceterarum perfectiones virtutum, quas Apoſtolus ad Galatas enumerat dicēs:*

Galat. 5. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax patientia longanimitas, &c. Verùm quia in his filijs, quæ & potentias fecerunt defuit charitas, ideò illis dicitur: Fallaces gratiæ, & vana ſpecies; quia ſine charitate ſunt ſicut æramentum reſonās, & ſicut cymbalum tinniens: nihil ſunt, nihil virtutes proſunt. Igitur fallaces gratiæ. Iſta verò quia quæſiuit quid intelligeret, quia intellectum cuſtodiuit, meritò ſapiens commendatur.*

Tropolog. Tropolog. hæc adaptes animæ heroicæ, qualis fuit S. Pauli, S. Auguſtini, S. Athanaſij, S. Dominici, S. Franciſci, S. Ignatij, &c. qui communes ceterorum Sanctorum virtutes, gratiam & gloriam, per illuſtriorem Dei gratiam & per heroicas virtutum operationes tranſcenderunt. Igitur in hac viragine deſcribitur emblema heroicæ animæ & virtutis, cui ſingulas gnomas ex dictis facile eſt adaptare.

De B. Virgine. Primo, Singulariter verò & eximiè hanc Salomonis gnomen B. Virgini ſic adaptant Patres & Doctores. Primò, S. Bernardin. tom. 2. concionum ſer. 2. de B. Virgine: *Maria Virgo*, inquit, *ſanctiſſima quæ Saluatorē genuit, peperit & aluit; quæ iugiter eius adhæſit lateri, quæ comes indiuidua nullo ferè abfuit itinere, quæ intēſa præ ceteris inuigilauit verbo, & operi eius, ſola Saluatoris actuum inſignia opera, melliflua prædicationis genera, inaudita contra mundum, & peccatum, & tartareum zabulū diuinæ ſeueritatis acerrima eloquia, quòd eis diu inter fuit ſpecialiùs vidit, ſecretiùs audiuit, citiùs agnouit, propenſiùs retinuit, & Apoſtolis alijſq; diſcipulis locupletiùs edidit, diligentiùs retulit, meliùs indidit, fideliùs tradidit.* Probat id ex hac gnome. *Hinc eſt quod de ea legitur in Euangelio: Maria autem conſeruabat omnia verba hęc, conferens in corde ſuo. Hinc in eius laudibus legitur: Multæ filiæ cōgregauerunt diuitias, tu ſuper greſſa es vniuerſas: licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet Apoſtolis omnia nota faceret vt amicis; quædā tamen credendum eſt præ ceteris matrem ſuam, quemadmodum dilexiſſe, ita etiam propenſiùs erudiſſe, quędam ei ſecretiùs intimaſſe, frequenter eam ad montem myrrhæ & ad colles thuris ſublimaſſe, in cellā vinariam occultaſſe, ſui, prout nouit & voluit gloriam deificam, & ſupercæleſtem reuelaſſe notitiam. Vnde Ioannes in Apocal. ca. 4. De throno, ait, procedebant fulgura, voces & tonitrua, quia mater filij Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidiùs ebibit, fideliùs credidit, ſinceriùs luculentiuſq; alijs edidit.*

Secundo. Secundò, S. Bonau. in Speculo cap. 2. *Mariæ*, inquit, *Deus præparauerat non ſolum magnitudinē, ſed & multitudinē bonorum in cælo, ita vt nullus angelus, nullus Sanctorum ei æquari poſſit in multitudine & congregatione bonorum cæleſtium, iuxta illud: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas.* *Prouer. 31.* *Si filias iſtas intelligamus animas ſanctas, vel intelligentias angelicas; nunquid non ſupergreſſa eſt diuitias omnium, cùm ipſa ſit primitiua Virginum, ſpeculum Confeſſorum, roſa Martyrum, regiſtrum Apoſtolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, regina angelorum? Quid enim de diuitijs omnium horum deſuit? Si Hieronymus enim ait, Mariam ſi diligentiùs aſpicias, nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris & gloriæ, quod in ea non reſplendeat.* Idem c. 8. *Et quia Dominus*, inquit, *opulentiſſimus opulentiſſimè eſt tecum, ideo tu es opulentiſſima ſiue ditiſſima ſecum; vt ita verè dici tibi poſſit illud Prouerb. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha, filia Catharina, & multę alię filię, & multę alię virgines ſanctæ, & multæ animæ iuſtæ congregauerunt diuitias virtutum & gratiarum, diuitias meritorum & præmiorum; ſed Maria vniuerſi diuitijs ſupergreſſa eſt excellentiſſimè vniuerſas.* Et ca. 10. *Supergreſſa*, inquit, *eſt Maria cunctas filias, ſupergreſſa eſt in natura ſupergreſſa eſt in gratia, ſupergreſſa eſt in gloria vniuerſas filias, id eſt vniuerſas animas, & vniuerſas intelligentias angelicas.*

Tertiò, S. Bernardinus tom. 2. concionum ſer. 51. ar. 3 ca. 10. dicit B. Virginem actu illo fidei & obedientiæ, quo angelo Chriſti incarnationē annuntianti aſſenſit, & aſſentiēdo ſeſe condignè diſpoſuit, ac de congruo meruit vt eſſet mater Dei, plus meruiſſe quàm meruerunt omnes angeli & Sancti in omnibus actibus ſuis, quia ſcilicet (vt explicat Suarius diſp. 12. ſect. 4.) eo actu meruit ſaltem de congruo eam dignitatem (maternitatem Dei) cui excellentior gratia & gloria quodammodo debebatur. *Tertiò.* Verba S. Bernardini hæc ſunt: *Si quis*, inquit, *conſiderat ad tantum myſterium finalem virginei conſenſus terminum, clarè intelliget, quod omnis dignitas & perfectio incluſa in hoc quod eſt eſſe matrem Dei, tam mente, quam carne comprehendatur in eo, quod quidem tranſcendit in merito in infinitū, quidquid aliud ſub Deo homine cogitari vel dici poteſt. Si igitur terminus tā ineffabilis fuit ſuo merito proportionatus, oportet quod meritoria perfectio huius conſenſus fuerit perfectioni ſui termini pariter proportionata.* Ex hoc principio hanc cōcluſionem infert: *Ex his igitur colligi poteſt, Virginem Beatā in conceptione filij Dei conſenſu plus meruiſſe, quàm omnes creaturas, tam angelos quàm homines in cunctis actibus, motibus ac cogitationibus ſuis, nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt merere, niſi ſecundùm varios ſtatus & gradus gloriam ſempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum ſpiritus, cunctarum ſcientiarum, interpretationes ſermonum, ſpiritus prophetiæ, diſcretiones ſpirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filij Dei: meruit quòd ſit ſtella maris, porta cæli, & ſuper omnia quòd regina miſericordiæ nuncupetur, ac talis nominis conſequatur effectum. Vnde meritò Prouerb. vlt. de ipſa B. Virgine Salomon ait: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

Quartò. Quartò, Patres docent B. Virginem gratia & gloria omnes omnino ſāctos homines & angelos, etiā Cherubinos & Seraphinos, longè ſuperare, ac nullam creaturam cum illa comparari poſſe; vtpote quæ à ſolo creatore Deo ſuperatur. Ita D. Epiphan. in orat. de laudib. Virg. *Solo Deo excepto*, inquit, *cunctis ſuperior exiſtis.* D. Greg. lib. 1. Regum cap. 2. *Mons fuit beatiſſima Virgo, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ ſublimitate tranſ-*

ſcendit. D. Damaſcen. ſer. de natiuit. Virgin. *Hodie*, inquit, *mundi ſalus inchoauit, exultate montes, hoc eſt ratione prędite naturę, quęq; ad ſpiritualis contēplationis faſtigium aſſurgitis: ſiquidem clariſſimus Dei mons paritur, mons, inquam, ille qui collem omnem ac montem, id eſt angelorum atque hominum ſublimitatem exuperat.*

Quintò. Quintò, omnes conſentiunt B. Virginem ſicut gratia, ſic quoque dignitate & honore ſuperare omnes angelos & homines; quia tota Eccleſia hos colit dulia, B. Virginē verò hyperdulia, quæ proximè accedit ad latriam, quâ colitur Deus. Iunge iam ſimul omnes honores, qui ſingulis angelis & hominibus debentur ac deferuntur, omnes erunt duliæ nec vnquam pertingent, quantumcumque increſcant, ad hyperduliam B. Virgini debitam: quia hęc altioris eſt ordinis; quare omnes alias dignitates in vnum conflatas tranſſcendit, ſicut aurum dignitate tranſſcendit omne argentum, & cęlum tranſſcendit omnia elementa & corpora elementaria.

Ratio à priori. Ratio à priori eſt, quòd B. Virgo colatur vt mater Dei: hæc enim cùm ſit dignitas immenſa, lōgè omnes alias tranſſcendit, hinc ei honor pariter & cultus, qui cęteros omnes tranſſcendat, debetur. *Maternitas Dei quanta ſit dignitas.* Maternitas Dei enim eſt dignitas incomparabilis & incomprehenſibilis. Ipſa enim eſt conſanguinitas cum Deo, eaq; proxima, ſumma & arctiſſima: quare per eam B. Virgo eleuata eſt, facta quaſi ordinis diuini, vt eundem Deum habeat filium ſibi conſubſtantialē in humanitate, quem Deus Pater ſibi habet ὁμούσιον & cōſubſtantialem in diuinitate. Quare ſicut ei dicit Deus Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* ſic idem eidem dicere poteſt B. Virgo. Ipſa ergo præ ceteris omnibus propriè eſt *mater, filia, ſponſa Dei*, putà mater Dei Filij, filia vnigenita Dei Patris, ſponſa Spiritus ſancti. Quid ergo quantumque eſt eſſe matrem Dei? Eſt eſſe maternitate quodāmodo ſuperiorem Deo, eſt parere & gignere Deum, eſt Deo dare ſuam ſubſtātiam, ſuam eſſentiam, ſuum corpus, ſuam carnem & ſanguinem; eſt habere ius maternum in Deum, velut ſuum infantem & prolem; eſt Deum habere ſibi ſubditum ceu filium, vt Deus eam vocet genitricem ſuam, eam colat vt matrem, amet vt matrem, ei obediat vt matri: rurſus vt eam exornet illis dotibus & gratijs, quę & matrem Dei & Deum filium decent: honor enim filij pendet ab honore matris. Quare ſicut matrem regis, decet eſſe reginam tanto filio dignam: ſic pariter Dei matrem decet eſſe Deo dignā. Sicut enim turpe eſſet regi habere matrem eo indignam, vilem & abiectam: ſic pariter turpe eſſet, ſi Deus haberet matrem ſe indignam, nec ijs ornatā dotibus quæ Deum decent. Hinc matris Dei decus obſtupeſcens S. Bernardus exclamat homil. 1. ſuper *miſſus eſt*: *Vtrimque ſtupor, vtrimque miraculum, & quòd Deus feminæ obtēperet, humilitas abſque exemplo; & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.*

Idipſum liquet rurſum ex eo, quòd dignitas vnionis hypoſtaticę humanitatis cum Deo, in Chriſto ſit planè immenſa, quæ omnes omnium creaturarum dignitates & excellentias in vnum cōflatas longè ſuperat: facit enim hunc hominem, putà Ieſum, eſſe Deum. Huic autem vnioni intimè & proximè cooperata eſt B. Virgo, dum Verbum æternum è ſuis viſceribus corporauit, & carne ſua induit. *Deum nil poteſt facere* Maternitas ergo eius proximè accedit ad Verbi incarnationem. Vnde ſicut nihil hac vnio- A ne, ſic nec maternitate Dei quidquam præſtātius, *re maternitate Dei præſtantius quam naturæ* vel ab ipſo Deo fieri poteſt, vti docet D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. *Dicēdum*, inquit, *quòd humanitas Chriſti ex hoc, quòd eſt vnita Deo; & beatitudo creata ex hoc, quòd eſt fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc, quod eſt mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Ex quibus colligas, quòd, licet maternitas Dei ſicut & viſio Dei, ſit dos & dignitas entitatiuè & abſolutè finita, vtpote quæ recipitur in intellectu & natura creata, quæ cū ſit limitata & finita, doni infiniti non eſt capax; tamen obiectiuè & reſpectiuè ſit infinita, quia ſcilicet vtraque reſpicit tenditq; in obiectum infinitum, quod eſt Deus. Hinc eſſe matrem Dei, in morali hominum ęſtimatione & conceptu cenſetur eſſe dignitas immenſa: qua- B re ita vocatur à S. Epiphanio, Anſelmo, Damaſceno & alijs, quia omnes alias dotes & dignitates quibuſuis hominibus & angelis datas, longè tranſſcēdit, & à ſola vnione hypoſtica Chriſto communicata ſuperātur.

Sextò. Sextò, ex hac radice & fundamento omnia Virginis Deiparæ chariſmata & priuilegia profluunt, inter quę graues Doctores, vt Franc. Suarez, Salazar & alij cenſent eſſe hoc, quòd B. Virgo ſua gratia ſuiſq; meritis ſuperet omnem omnium angelorum & hominum gratiam ac merita non tantùm ſeorſim ſumpta; ſed etiā adunata, & in vnum cumulum collecta, vt ſi in vna bilancis lance ponerētur iſta omnia, in altera verò ſolius Virginis; hęc illi præponderaret. Vnde cōſequitur ipſam magis Deo eſſe gratam, dilectam & in pretio, quàm ſint omnes homines & angeli ſimul ſumpti: quare eius *Preces B. Virginis efficaciores precibus omnis Sanctorum Curiæ* C preces pluris valere apud Deum, quàm valeāt preces omnium hominum & angelorum. Mater Dei enim dignior eſt vt exaudiatur à Deo, quàm ſint omnes homines & angeli ſimul.

B. Virgo materfamilias Eccleſiæ. Ratio à priori eſt dignitas maternitatis iam aſſignata, quæ planè hanc pręcellentiā quaſi iure ſuo depoſcere videtur. Accedit, quòd, ſicut materfamilias, quà talis, dignior eſt omnibus ſuis filijs, ſeruis & ancillis ſimul ſumptis, tanquam mater, caput & princeps totius familiæ: ſic & B. Virgo à Chriſto cōſtituta materfamilias ſuæ Eccleſię, omnibus eius filijs & fidelibus, etiam ſimul ſumptis dignior ſit oportet. Vnde S. Irenæus: *Quid eſt*, inquit, *quod ſine Mariæ conſenſu non perficitur incarnationis myſterium? quia nempè vult illam Deus omnium bonorum eſſe principium.* Et S. Greg. lib. 1. Reg. cap. 2. D *Mons fuit Beatiſſima virgo, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ ſublimitate tranſſcendit.*

Regina angelorum. Inſuper B. Virgo, quę mater Dei effecta eſt regina omnium angelorum & hominum, vt omnes ei ſe ſubijcere, eiuſq; ſe ſubditos, imò ſeruos profiteri, atque illam ceu dominam, principem & pleno iure reginā ſuam agnoſcere debeant, imò gaudeant & optent. Atqui honor & dignitas reginæ ſuperat omnes dignitates Ducum, Baronum, Comitum illi ſubditorum, etiam ſimul ſumptas, quia eſt tranſſcendens & altioris ordinis, ac par regiæ maieſtati. Ergo pariter B. Virgo, quia regina cæli & terræ, regia hac maieſtate ſuperat omnes dignitates omniū angelorum & hominum, vtpote ſibi ſubditorum, etiam adunatas & in vnum conflatas.

Mediatrix fidelium. Deniq; B. Virgo quia mater Dei à S. Anſelmo & Patribus vocatur, & reuera eſt, mediatrix totius Eccleſiæ & omnium fidelium; quia ipſa proximè coope-

cooperata eſt incarnationi Verbi, & conſequenter redemptioni noſtræ. Rurſum per illã ceu matremfamilias & mediatricem, Deus Martyribus diſtribuit fortitudinem, Virginibus caſtitatem, Apoſtolis zelum, Confeſſoribus patientiam, Anachoretis auſteritatem, Religioſis humilitatem, paupertatem, obedientiam; coniugibus continentiam & fidem coniugalem, ac ceteris fidelibus ſuas dotes, virtutes & gratias cuique congruas & proprias. Quare haſce omnes ipſa perfectiùs & eminentiùs in ſeſe habeat oportet; ſicut cauſa vniuerſalis, v.g. cælum eminenter in ſe continet omnes perfectiones corporum elementarium, quas ipſa cauſat & producit; quare ſicut cælum ſuperat omnia terrena, ignis calore ſuperat omnem calorem à ſe productum, & ſicut ſol ſuo ſplendore vincit & obſcurat omnem lucem aëris & ſtellarum, vtpote à ſe productã: ſic pariter gratia, & conſequenter gloria B. Virginis, ſuperat omnem gratiam & gloriam fidelium omnium. Rurſum ſicut caput ſenſum, rationem, motum & directionem influens in cetera membra, ijs omnibus etiam ſimul ſumptis longè antecellit (plus enim habet rationis & ſapientiæ ſolum caput, quàm omnia membra ſimul ſumpta) ſic etiã gratia B. Virginis gratiam ceterorum omnium ſimul ſumptorum præcellat oportet; quia eſt gratia capitis, quam proinde non ſibi ſoli accepit, ſed velut caput eandem in ceteros fideles pro cuiuſque capacitate transfundit.

Gratia B. Virginis eſt gratia capitis.

Porrò etiamſi nec Chriſtus gratiam & gloriam angelis meruerit, nec illam eis B. Virgo impetrarit aut diſtribuerit, vt propriè angelorum mediatrix dici nequeat: hactenus tamẽ mediatrix eorum dici poteſt, quod vna ſit in cęlis Eccleſia, angelorum & hominum beatorum; quare cùm Chriſtus & B. Virgo effecerint, vt ruinæ angelorum, lapſu dæmonum factæ per homines ſarcirentur, vnaq; integra & plena, omnibus numeris perfecta & beata Eccleſia triumphans ex vtriſq; conflaretur; hinc fit vt Chriſtus angelorum mediator, & B. Virgo mediatrix dici queat, quia magnũ eis bonum contulit, ſcilicet reipub. & Eccleſię eorum lacerę redintegrationem, indeq; gaudia mutua, quæ beatitudinem angelorum accidentalem mirè adaugent. Gaudent enim mirificè angeli de Apoſtolorum zelo & fructu, de Martyrum inuicta conſtantia, de angelica Virginum caſtitate, &c. atque eorum merita, triumphos, gloriam & pæmia ſua æſtimant per communionem charitatis & Eccleſiæ. Hæc enim facit, vt, quod vnius Beati eſt, id alterius quoque fiat, adeoque quiſque beatus fruatur & gaudeat de bono alterius, perinde ac ſi id ſuum propriumque foret. Quare cùm omnes angeli ſimul, hanc ſuę ruinæ per homines reſtaurationẽ mereri & impetrare nequiuerint, ſed id pręſtiterit Chriſtus, & poſt perq; Chriſtum B. Virgo, hinc ſequitur plus eam apud Deum gratia valere, pluſq; ab eo impetraſſe, ipſis etiã angelis, quàm omnes angeli ſimul iuncti ſibi impetrare potuerint, ac proinde B. Virginem tam gratia quàm gloria, omnes angelos ſimul ſumptos tranſcendere & ſuperare. Vnde S. Anſelm. ait per B. Virginem totum mundum eſſe erectum, & totam rerum naturam eſſe renouatam. Et B. Petrus Damiani ſer. de Aſſump. ad illa: *Electa vt ſol: Electa*, inquit, *ſed prælecta vt ſol, quia ſicut ſol ſolus orbem illuminat, ſic hæc ſola ſolidiori lumine & angelos & homines illuſtrat.* Deniq; S. Bernard. *Maria*, inquit, *omnibus miſericordiæ ſinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam.*

B. Virgo mediatrix angelorum: qua ratione.

Vers. 30. Schin.

FALLAX GRATIA ET VANA EST PVLCHRITVDO: MVLIER TIMENS DOMINVM IPSA LAVDABITVR] Hebr. *mendaciũ gratia, & vanitas pulchritudo: mulier timens* (vel *timor*: vtrumque enim ſignificat Hebr. יראת *yrath*, q.d. Cui eſt timor Domini, vel qui ita timet Dominum, vt videatur eſſe ipſe timor) *Domini ipſa laudabitur*; Syrus; *mentitur decor, infructuoſa eſt pulchritudo*, &c. R. Salomon, *mulier haud laudibus extollenda quòd forma præcellat, cùm omnia ſint quid inane & merum mendacium; mulier verò quæ Deum vereatur, hæc ſolùm laudibus eſt celebranda.* Idẽ per mulierem hanc myſticè accipit S. Scripturã & legem Dei. Sept. hîc variant. nam Vaticani habent, *fallaces gratiæ, & vana pulchritudo: mulier enim intelligens benedicitur: timorem autem Domini iſta laudet*, quę vltima videntur eſſe duplex verſio eiuſdẽ ſententenctię Hebręæ. Complut. & Regij, *mendaces gratiæ, & vana pulchritudo non eſt in te*, &c. S. Ambr. *fallaces* (S. Aug. *falſæ*) *gratiæ, & vana ſpecies: mulier prudens* (S. Augu. *ſapiens*) *benedicitur: timorem autem Domini iſta laudet*: ſicq; myſticè exponit. q.d. Vanæ ſunt virtutes ſine charitate, timor enim Dei filialis, eſt amor & charitas. Auctor Catenæ Græcor. ſic legit, ſicq; myſticè explicat: *Mendaces gratiæ, & vanæ mulieris pulchritudo nulla eſt in te: mulier prudens apud omnes benedicitur. Ipſa autem timorem Domini laudet & extollat. Multæ inquit, ſunt artes & diſciplinæ externæ ſapientiæ, quę hominẽ ad ſe pelliciunt & diſtrahunt. Verùm diuina ſapientia vera illa & ſalutari pulchritudine ornata, excellit omnes. Timorem autem Domini laudet, &c. Anima, inquit, quæ hanc ſapientiam adepta eſt, non ſe efferat, ſed Deum timeat & laudet; vt qui omnis cognitionis auctor & parens ipſi extiterit.*

Gratia eſt gratioſa venuſtas, ſiue decor & concinnitas, tum corporis, tum geſtuum & actionum, qua quis in habitu, inceſſu, ſermone & actione ita decorè ſe gerit, vt intuentium amorem ſibi conciliet, eiſque acceptus & gratioſus exiſtat: ſic feminæ benè educatæ ſolent eſſe gratioſæ in dicendo & agendo, omnique geſtu & habitu. *Pulchritudo eſt, bona illa concinnitas in compoſitione membrorum, floris inſtar ſuperinductam ſibi gratiam habens*, ait S. Baſilius apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 60. Pulchritudo in tribus ſita eſt: primò, in iuſta corporis quantitate, qualitate & complexione; ſecundò, in congrua membrorum proportione; tertiò, in grata coloris ſuauitate.

Gratia quid.

Pulchritudo in tribus ſita.

Senſus eſt q.d. Ceteræ mulieres laudem quærunt vanam ex ſua gratia, & laudari cupiunt à ſua pulchritudine; at hęc virago laudem verum aucupatur ex timore Dei. Vana enim dos, & vana laus, eſt pulchritudo; at vera laus & vera dos laudanda, eſt timor Dei, ideoque ipſa præ ceteris ipſa laudabitur. Solent enim feminæ ponere ſuum decus in gratia morum & pulchritudine corporum, tum naturali, tum aſcititia quã ſibi aſciſcunt, oblinien do faciem purpuriſſo, ceruiſſa, aliiſque pigmentis & fucis: item veſtiendo ſe byſſo, monilibus, catenis aureis, vnionibus, armillis, ceteroque mundo muliebri. At omnis hæc gratia eſt fallax & vana, citoq; tollitur & euaneſcit. Quocirca virago hæc decus ſuum ponit non in gratia & pulchritudine, ſed in timore Dei, qui manet in ſæculum ſæculi, atque Dei & angelorum gratiam & gloriam, laudemque æternam illi conciliat.

Secun-

Secundò, q. d. Gratia & pulchritudo corporea, quam adeò ambiunt homines & fœminæ, fallax eſt & vana: vera enim gratia & pulchritudo ſita eſt in virtute, quā affert timor Dei, illa enim pulchritudo corpus dumtaxat ornat: at hęc virtutis tam animam quàm corpus condecorat; ideoque præ illis ab omnibus laudari & celebrari ſolet, virtus enim ſola eſt laude digna: vnde à Poëtis per metonymiam virtus vocari ſolet laus. Præclarè S. Greg. Nazianz. apud Anton. in Meliſſa p. 1. cap. 60. *Pulchritudinem*, inquit, *exiſtima animi ornatum.* Et S. Chryſ. *Non in corporis forma, ſed in moribus & modeſtia pulchritudo ſita eſt.*

Pulchritudo vana. Primo. Nota. Gratia & pulchritudo vocatur mendax, falſa, fallax & vana: vel, vt neruoſiùs habent. Hebr. mendacium ſiue falſitas, & vanitas. Primò, quia breuis eſt & caduca, fugax & euanida: citò enim per ætatem, morbum, laborem, aliudúe accidens deperit & euaneſcit. Mentitur ergo ſe eſſe rem realem & ſtabilem, cùm reuera ſit vmbratica & inſtabilis. Vnde Poëta:

Forma bonum fragile eſt, quantumq́; accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur illa ſuo.

Sicut ergo radij ſolares, per vitrum rubrum tranſparentes apparent rubri, cùm reuera tales nō ſint, ſed vitrum mentiatur eos eſſe rubros: & ſicut ſepulcra intus plena putoribus, vermibus & cadaueribus, exterius mētiuntur ſe eſſe pulchra, putà alba & aurea: ſic feminæ pulchræ & coopertæ, vt meretrices, externo fuco mentiuntur ſe eſſe pulchras, cùm interiùs ſint plenæ ſordibus, putoribus intolerabilibus, ac morbis & lue venerea quam amaſiis afflant, vt verè meretrix non ſit aliud, quàm ſepulcrum dealbatum, & caro ſpurca per cutem ſpecioſè tralucens.

Secundo. Secundò, quia gratia & pulchritudo fallit, decipit & deijcit ipſas feminas gratioſas & pulchras; quia facit eas ſuperbas, moroſas, intemperantes. Vnde illud:

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq́; ſuperbia formam.

Pulchrę enim cupiunt omnibus ſuam formam oſtentare, ideoque omnium concupiſcentias & tentationes in ſe prouocant. Vnde Naſos

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ

quia formoſæ ægrè ſunt caſtæ: nam iuuenes & mœchi earū formæ inſidiantur. Hinc Ariſtippus philoſophus conſultus à quopiam, an vxorem ducere deberet, negauit, rationemque attulit dicens: Vel duces deformem, vel formoſam, ſi deformem habebis ποινὴν, id eſt pœnam; ſi formoſam, habebis κοινὴν, id eſt communem multis. ita Anton. in Meliſſa p. 2. c. 34. Vide S. Chryſoſt. homil. de muliere & pulchritudine tom. 5. & hom. 20. in epiſt. ad Epheſ.

Femina ſe deformantes ſtudio caſtitatis. Quocirca legimus in Vitis Sanctorum, virgines & viragines caſtas petijſſe à Deo, vt ab eis hanc illecebrā pulchritudinis tolleret, ac ſeſe efficeret deformes, atque impetraſſe; alias oculos ſibi eruiſſe, naſos truncaſſe, vibicibus faciem deformaſſe, vt inceſtis tentationis anſam præciderent. Nam vt ait Leucippus apud Anton. in Meliſſa p. 1. c. 60. *Pulchritudo acutiùs telo vulnerat, & per oculos in animam defluit.* Et anonymus ibidem: *Eximia forma multis etiam criminibus ſcatet.* Ita S. Ebba Abbatiſſa Collinghammenſis cœnobij in Anglia anno 870. Danis Angliam inuadentibus, vt eorum laſciuiam effugeret, ſeſe cum omnibus monialibus naſo & labro ſuperiore truncauit: quare Dani furentes ipſas

Exempla.

A cum cœnobio concremarunt: itaque pro virginitate martyrij lauream adeptę ſunt, vti ex Matthęo Weſtmonaſterienſi refert Baron. tom. 10. ad annum Chriſti 870. Sophronius vel potiùs Ioannes Moſchus, in Prato Spirit cap. 60. narrat virginem ob oculorum pulchritudinem à iuuene appetitā, effodiſſe ſibi oculos, eoſq; iuueni miſiſſe: quo viſo ille compunctus, ſæculum deſeruit, & probatiſſimus factus eſt monachus. Idem fecit Sanctimonialis quędam, de qua ſcribit Iacobus de Vitriaco Cardin. quæ adamata à principe, ob oculorū ſpeciem, eos ſibi euulſit, ac in diſco principi deſtinauit: *Habeto*, inquit, *oculos quos deſideraſti, modò meos cordis oculos intactos atque illæſos relinquas.* Quod exemplum poſt Vitriacum recenſet Vincentius Belloυac. in Speculo morali lib. 1. p. 3. diſt. 96. illudque in Anglia contigiſſe teſtatur; principē verò illum B fuiſſe Richardum Angliæ regem, qui ſe monaſterium cōbuſturum minabatur, niſi ſibi Sanctimonialis adeo formoſa dederetur.

Tertiò, quia gratia & pulchritudo fallit & dementat mentes virorum & iuuenum, vt velut amētes illas inſanè adament, & velut effrænes equi ad equas adhinniant; itaque cum eis caſtitatem, ſanitatem, virtutem, conſcientiam, famam, cælum deperdant, ac feminini & inceſti fiant, mortemq; præſentem & æternam in gehenna ſibi æquè ac feminæ quam adamarunt, accerſant. Huc facit illud Theophraſti, quod citat S. Hiero. lib. 1. contra Iouinian. *Pulchra*, inquit, *citò adamatur: difficile autē cuſtoditur quod plures amant: nihil tutum eſt, in quod totius populi vota ſuſpirant: alius forma, alius artificio, alius facetijs, alius liberalitate ſollicitat. Aliquo modo vel aliquando expugnatur, quod vndique incesſitur.* Et infrà: C *Omnis quantumuis circumſpecta & prudens cuſtodia ludatur.* *Tertio.*

Pulchritudinis opprobria. Quocirca quid eſt *gratia*, quid *pulchritudo*? Reſpondeant ſapientes tam Patres quam philoſophi, quos citat Maximus ſerm 44. Anton. in Meliſſa p. 1. c. 60. Stobęus p. 2. ſer. 66. & 63. & Tiraquell. l. 2. connub. num. 10. & ſeq. S. Hier. *Pulchritudo eſt obliuio rationis.* Socrates: *Pulchritudo eſt modici temporis tyrannis.* quòd formæ gratia mox deſloreſcat. Idem: *Formoſorum oſcula vitanda ſunt quaſi animalium morſus venenatorum.* Theophraſtus: *Pulchritudo eſt tacita deceptio*, quòd abſque verbis perſuadeat. Euripides in Helena: *Pulchritudo eſt res infelix.* Xenophon. lib. de Amore *Pulchritudo eſt ignis, qui tangentes vrit, diſtantes inflammat. Eſt autem anima cultus diſciplina, & mens ad prudentiam compoſita.* Petrarcha D lib. 1. de Remed. vtriuſque fortunæ: *Pulchritudo eſt velum oculis, laqueus pedibus, viſcus alis, vt nō facilè vera diſcernat, nec virtutem ſequatur, nec in altum anima euolet. Eſt hoſtis domeſticus, raptor quietis, materia laboris, tormentum libidinis.* Proclus li. de Anima ait: *Animæ deceptæ propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur & depereunt.* S. Chryſ. epiſt. ad Theod. lapſum: *Pulchritudo*, ait, *eſt gypſum ſepulcro inductum, id eſt phlegma ſanguine mixtum pulchrè per pellem pellucens.* Detrahe pellem, & videbis quàm putida ſubſit caro, quale ſterquilinium ſit in ventre, quale phlegma per os, nares, oculos, &c. diſtillet. Omitto vomicas, gangrænas, carcinomata, flatus, fœtores, pædores.

Rurſum Bion apud Laërtium lib. 4. cap. 7. *Forma*, ait, *eſt bonum alienum*, ſentiens extra hominem eſſe, quod ipſe ſibi nec dare poteſt, nec tueri datum, animi bona verè noſtra ſunt. Theocritus: *Forma*

ma eſt eburneum detrimentum, quòd grata quidem ſit aſpectui, ſed multorum incommodorum cauſa. Carneades: *Forma eſt regnum abſque ſatellitio*, quòd formoſi impetrent quidquid volunt, nullâ adhibitâ vi. Refert hæc Laërt. libr. 5. cap. 1. & Stobæus ſerm. 63.

Iſocrates eos qui pulchrum habent corpus, animam autem malam, dicebat optimam habere nauim, gubernatorem autem prauum. Æſopus: *Ne mihi formam*, ait, *ſed mentem aſpice.* ita Maximus ſerm. 44. Alius: *Forma eſt flos iuuentæ, qui deſloreſcit in ſenecta.* Sicut roſa floret manè, marcet veſpere. Vide roſeum vultum iuuenis, eumque confer cum rugis caniſque ſenectæ. Seneca in Hippolyto:

Vt fulgor teneris qui radiat genis.
Momento rapitur, nullaq; non dies.
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax.

Philo libro de Prouidentia: *Ob formoſitatem corporis*, ait, *ſe iactare, & laudes aucupari, mentis compos nemo poterit, quæ breui adeò extinguitur tempore, vt antequam floreſcat deſloruiſſe videatur.* Denique S. Greg. Nazianz. orat. 31. *Pulchritudo*, ait, *eſt temporis & morbi ludibrium*: nam vt ait Boëtius libr. 3. de Conſol. proſa 8. *triduanæ febris igniculo poteſt diſſolui.*

Pulchritudo corporis refert pulchritudinem animi.

Nota. Non negat Salomon pulchritudinem & gratiam eſſe decus viraginis, ſed tantùm aſſerit id eſſe fallax & caducum, cùm verum ſolidumque eius decus ſit ſapientia & virtus, quam parit timor Domini. Ceteroqui forma corporis ſæpè index & ſpecimen eſt formæ animi. Quocirca Bartholomæus Capranus Mediolanenſis Archiepiſcopus idcirco ſe miniſtros forma præſtantes quæſiuiſſe dicebat, *quoniam turpes animi turpia corpore incolerēt; improbitatem autem in egregio corpore rarò compertam eſſe*, ait Æneas Sylvius lib. 2. de Geſtis Alfonſi. vnde illud;

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Et illud Ouidij:

Pulchra verecundo ſuffundens ora rubore,

quę eſt virginum pulchritudo. Bion: *Forma*, inquit, *mulieres ornat, virum autem robur.* Menander. *Si natura decus mores exornent boni, duplo amore accedens capitur.* Plato: *Senſus omnes formoſus delectat.* Ariſtoteles: *Pulchritudine homines magis, quàm quauis epiſtola commendantur.* Plutarch. *Pulchritudo corporis opus eſt animæ, gratificantis ei decus formæ.* hæc & plura Stobæus ſerm. 65. Hinc S. Aug. l. 15. Ciuit. 22. aſſerit pulchritudinem eſſe donum Dei.

Vera pulchritudo eſt timor Dei.

Igitur damnat pulchritudinem aſcititiam, quam ſibi parant feminæ philocoſmæ; naturalem verò formam non damnat, ſed fallacē & fugacem eſſe docet, ac, ſi comparetur cum timore Dei & virtute longè illi eſſe poſtponendam, cùm virtus ſit vera ſolidaque animi corporiſq; forma & pulchritudo, vti docet S. Petrus epiſt. 1. c. 3. v. 3. & ſeq. vbi plura hac de re dixi, æquè ac Iſaiæ 3. ſub finem cap.

Exempla.

Notat hoc optimè B. Nonna mater S. Gregorij Naziā. de qua ipſe ita ſcribit orat. 19. *Illa eſt*, inquit, *quæ cùm aliæ mulieres ob formę elegantiā tam natiuam, quàm fictam & aſcititiam gloriari atque animis efferri ſoleant; ipſa contrà hanc vnam quæ in anima diuinaq; imagine ſiue tuenda, ſiue pro viribus repurganda, poſita eſt, pulchritudinem agnoſcebat, pictos autem & arte quæſitos ornatus ad ſcenicas mulierculas abijciebat.*

Matrē ſapientem ſecuta eſt ſapiens filia S. Gorgonia: de qua idem ita loquitur orat. 11. *Non illam*

A *aurum arte ad eximiam pulchritudinem elaboratum ornauit, non flauæ comæ tum apparentes, tum ſublucentes, non crinium nodi & impoſturæ, pretioſum caput ſumma cum infamia ſcenam efflutentium, non circumfluentis & pellucidæ veſtis magnificentia, non lapidum ſplendores & gratiæ propinquum aërem colorantes, ac formas lumine circumfundentes, non pictorum artes & præſtigiæ, ac vilis & paruo conſtans pulchritudo, terrenuſq; fictor in contrarium fabricans, inſidioſiſq; coloribus Dei figmentum obducens, & per honorem infamiam tuurens, ac diuinam formam meretricum procacibus oculis idolum proponens, vt adulterina pulchritudo naturalem imaginem, quæ Deo ac futuro æuo ſeruatur, ſurripiat. Verùm cùm externos multos & varios mulierū ornatus cognitos haberet; nullum tamen moribus ſuis, atque intus conditio ſplendore præſtantiorem agnoſcebat. Vnus illi rubor placebat*

B *quem pudor affert, vnus candor quem parit abſtinentia. Nam pigmēnta & fucos, ac viuas tabulas, & fluxam formæ venuſtatem ſcenicis & triuialibus relinquebat, quibuſq; probrum ac dedecus eſt erubeſcere.*

Mvlier timens Devm ipsa lavdabitvr] à vera ſolidaque animi pulchritudine, quæ conſiſtit in timore Dei & virtute: virtus ergo ſola eſt laudabilis, ac vera laus decuſque viraginis. Sept. vertunt, *timorem autem Domini iſta laudet*, q. d. Laudent aliæ philocoſmæ & vanę ſuam gratiam & pulchritudinem genarum, oculorum, vultus, &c. at hæc cordata virago laudet timorem Dei, in quo omne ſuum decus formamque ſapienter collocauit. De hoc ergo glorietur, hunc celebret, hunc omnibus verbo & magis opere deprædicet, vt diſcant illum ſibi acceerſere, ac relictâ vanâ corporeæ pulchritudinis cura, illo ſeipſas longè ſpecioſiùs exornare.

C Sapienter S. Bernar. ſer. 1. de S. Victore: *Quæ ſine virtute*, inquit, *eſt gloria, profectò indebita venit, præproperè affectatur, periculosè captatur. Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ eſt. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, quam illa nō parturiuit: ſola eſt, cui gloria debetur iure, & ſecurè impenditur.*

Vbi Nota. Virago hæc tantæ eſt ſapientiæ, virtutis, nominis & famæ, vt non tam ipſa laudetur à timore Dei, quàm ipſa eum laudet & cōmendet. Sic enim viragines & viri eminentes ſuo verbo & exemplo legibus, regulis & virtutibus dant pondus, auctoritatem, decus & laudem ipſaſque aliàs à vulgo neglectas & parui æſtimatas appretiant, auctorant & velut canonizant; ſic Chriſtus ſua auctoritate addidit pondus, auctorauit, & quaſi canonizauit paupertatem, humilitatem, patientiam, crucem, martyrium, quarum dignitas & pretium

D ab hominibus ignorabatur, imò quæ vt viles & ignobiles cōtemptui habebantur, quando ipſe ſemetipſum humiliauit & exinaniuit formam ſerui accipiens, naſcens in ſtabulo, reclinatus in præſepio, pauperem vitam agens, patiēs opprobria, tormenta & mortem crucis, moriens in patibulo. Vnde eum ſecuti ſunt omnes Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Anachoretæ, Virgines, Religioſi. Hinc S. Bernar. ſerm. 1. in Vigilia natiuit. loquens de paupertate: *In terris*, ait, *abundat & ſuperabundat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei filius concupiſcēs deſcendit, vt eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam. Adorna thalamum tuum Sion, ſed humilitate, ſed paupertate.* Sic B. Virgo auctorauit virginitatem, humilitatem, ceteraſque virtutes, quando ipſa noluit eſſe mater Dei niſi perſiſteret virgo; vnde virginitatis, nuncu-

paro

pato eius voto, prima vexillum ſuſtulit, quod deinde tot agmina virginum ſecuta ſunt: ſic Religioſi Doctores & gradu eminentes, auctorant Ordinis ſui diſciplinam, obedientiam, paupertatem, officia humilia, cùm ipſi ea obeunt ac iunioribus eadem obeundi exemplo prælucent.

Allegor. Allegor. S. Aug. ſerm. 45. de Diuerſis: *Fallax*, inquit, *gratia, & vana ſpecies mulieris, quia ſi charitatem non habeo, nihil ſum, &c. Timorem autem Domini ipſa collaudat, ipſaq́; benedicitur: collaudat illud, vnde benedicitur. Quid collaudat? timorem Domini quo perducta eſt ad ſapientiam. Initium enim ſapientiæ timor Domini. Timorem autem Domini ipſa collaudet, laborioſa tot laudibus, inter tot ſcandala patiens, prouida ad expectandum, fortis ad tolerandum, conſtans ad perſeuerandum. Laboribus finitis, date illi de fructibus manuum ſuarum. Quid date? Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi.*

B. Virgo pulcherrima. Ruſum hanc gnomen adaptes B. Virgini, quæ corpore fuit eximiè præclaro & pulchro, non fœminea & illecebroſa, ſed grati, decora, venerabili & auguſta pulchritudine, qualem præferunt imagines eius à S. Luca depictæ, quas hîc Romæ ſpectamus & veneramur. Eadem patet ex egregia phyſiognomia membrorum eius, quam graphicè ex Epiphanio presbytero depingit Nicephorus li. 2. Hiſtor. cap. 23.

Ratio prima. Ratio fuit prima, quia ipſa per miraculum à ſterilibus ſenibuſque parentibus concepta, non tam parentum, quàm Dei & Spiritus ſancti fuit opus. Spiritus ſancti autē opera ſunt perfecta, pulchra, eximia. Ita Albertus Magnus apud Dionyſ. Carthuſ. li. 1. de laudibus Virgin. ar. 3. *Quemadmodum*, inquit, *corpus Chriſti, quod Deus ſupernaturaliter per ſeipſum formauit, eſt perfectiſſimum atq; pulcherrimum in natura, quoad fieri potuit ſecundùm ſtatum viæ; ſic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimū ſecundùm ſtatum viæ, quod natura per ſe operans facere poteſt; ideo dicimus quòd, ſicut Chriſtus fuit ſpecioſus forma præ filijs hominum: ſic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum, & quòd ipſa habuit ſummum & perfectiſſimum, quod potuit eſſe in mortali corpore femineo, ſecundùm ſtatum viæ operante naturâ.* hæc Albertus.

Ipſe Dionyſ. ibidem art. 35. *A planta*, inquit, *pedis vſq; ad verticem capitis, nihil penitus fuit in Virgine neq; in corpore, neq; in anima indecens, reprehenſibile, indecorum, imò totum fuit diuinæ ſapientiæ formatum pulcherrimè, circumciſum ab omni ſuperfluitate, pleniſſimè ac ſpecioſiſſimè operatum. Nempe ſicut Chriſti humanitatem propter eius perſonalem cum Deo vnionem, decuit omni perfectione naturæ & gratiæ in termino excellentiæ præfulgere: ita ipſius genitricis perſonam poſt vnigeniti ſui humanitatem oportebat in omnibus ſic ornari. Quoniam poſt hypoſtaticam in Deo coniunctionem, non eſt alia tam vicina, vt vnio matris Dei cum Deo filio ſuo.* hæc Dionyſ. Idem art. 36. exiſtimat Virginis ſanctiſſimæ vultum ſplendore quodam illuſtratum, eiuſque carnem ſuauem odorem ſpiraſſe.

Secunda. Secunda, quia ipſa ceu mater formauit corpus Chriſti, quod fuit ſpecioſiſſimum, iuxta illud pſal. 44. *Specioſus forma præ filijs hominum: diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Chriſti ergo ſpecies & pulchritudo deriuata eſt à ſpecie & pulchritudine matris: hanc enim magis à matre quàm à patre trahere ſolent proles, vtpote quæ in earum vtero formantur ex earum viſceribus; quare ſæpè proles ſolent magis matriſſare, quàm patriſſare, magiſq; matris linea-

A menta, mores & geſtus, quàm patris referre, iuxta illud: *multum de patre decoris, Plus de matre feras.*

Tertia. Tertia, quia interna mentis pulchritudo transfundebat ſe in corpus Virginis, quo fiebat vt diuina eius puritas & ſanctitas luminoſa in facie radiaret. Simile de S. Antonio ſcribit S. Athanaſius.

Pulchritudo animæ B. Virginis. Porrò ſi tanta fuit corporis B. Virginis pulchritudo, quanta fuit animæ & mentis. lege Cantica Cantic. & id videbis: illa enim in Canticis præ cæteris Eccleſiæ fidelibus deſcribitur & depingitur. Vnde illud c. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ratio à priori eſt, quòd ipſa fuerit thalamus Verbi ex ſe incarnati, atq; conſequenter totius S. Trinitatis. Quid Dei throno pulchrius? Nam vt ait S. Aug. tract. 32. in Ioann. *Sicut animus facit decus in corpore, ſic Deus in animo.* Et mox: *Decus*
B *ergo corporis animus, decus animi Deus.*

Ruſum animi decor in virtutum omnium ſplendore, ac diuinæ gratiæ præcellentia conſiſtit: B. Virgo autem gratia & virtutibus omnes homines & angelos longè tranſcendit. Nihil ergo creatum in cælo & terra, illa fuit nobilius, illa pulchrius.

Gnomæ Patrum. Accipe nunc Patrum & Doctorum de vtraque Virginis forma ſenſa & dicta S. Greg. Nazianz. in Tragœdia *Chriſtus patiens*, ſic de ea canit:

Eheu pudicas inter & pulcherrimas,
Atque venerandas prima, virgo eadem
Et parens Maria!

Et rurſum ex perſona chori:

O virgo formæ quæ nitore ceteras
Præis, puella nobilis, quæ baiulans
Infantem vtero (vt tu refers) tuo Deum,
C *Theſaurum eodem baiulaſti maximum.*

S. Ephrem orat. de Deipara eam vnam pulcherrimam vocat, quæ cæli manna geſtat. Epiphan. orat. de laudib. Virg. eam his verbis compellat: *Quæ ſolo Deo excepto cunctis ſuperior exiſtis, formoſior es ipſis Cherubim & Seraphim, & omni exercitu angelico.* Andreas Cretenſis oratione de dormit. Deiparæ, his eam elogijs exornat: *Eximia pulchritudo à Deo ſculpta, ſtatua rectè deſcripta, viui archetypi imago.* Gregorius Nicomedienſis oratione de oblatione Deiparam ſic affatur: *O pulcherrima pulchritudo omniū pulchritudinum! ô Dei genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum!*

Richardus Victor. ca. 26. in Cantica B. Virgini dat puritatem angelicam & vultum angelicum. S. Bonauent. in Litanijs ſic eam vocat & inuocat: *Sancta Maria feminarum pulcherrima.* Idem in Spe-
D culo: *Dicamus*, inquit, illud Cantic. 5. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum! & ecce ipſa reſpondens ſtatim dicit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: ipſe candor lucis æternæ. Candidus quidem eſt diuinitate, rubicundus autem humanitate; candidus quoque conuerſatione, rubicundus paſſione. Ecce quàm pulcher fructus, propter hoc benè dicit de ipſo Auguſtinus: Pulcher in cælis; pulcher in terris: pulcher in Patre Verbum, pulcher in matre caro & Verbum; hæc autem pulcherrima arbor Maria, non ſolùm habet pulcherrimum fructum ventris, ſed etiam pulcherrimos habet fructus mentis: de quibus Apoſtolus ad Galatas c. 5. ſcribens ait: Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.*

Idem docent S. Antoninus 4. p. titul. 15. cap. 11. Caniſius li. 1. de B. Virgine cap. 13. Suarez tom. 2.

in

in 3.part.diſp.2.ſect.2. Barradius lib 6.cap.9. Denique S. Brigitta in ſerm. angel. c.13. *Quemadmodum*, inquit, *Deus & angeli de Virginis animæ venuſtate gratulabantur in cæliſtita etiam gratiſſima eius corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus vtilis fuit conſolatoria in terris.* Et libr.5. poſt interrog.9. Chriſtus Dominus ſingula ſuæ genitricis membra dilaudat, & myſticè eorum pulchritudinem declarat. Et lib.1.c.51. matri ſuæ hæc dixiſſe perhibetur: *Angeli conſiderant alter alterius pulchritudinem, & pulchritudinem omnium animarum, & omnium corporum admirantur; ſed animæ tuæ pulchritudinem vident eſſe ſuper omnia quæ creata ſunt, & corporis tui honeſtatem excellere omnes homines qui creati ſunt, & ſic omnes angelos, & omnia quæ creata ſunt, excellit pulchritudo tua.*

Addit S. Ambroſ. lib. de Inſtit. virg. cap.7. loquens de Deipara: *Tanta*, inquit, *erat eius gratia, vt non ſolùm in ſe virginitatis gratiam ſeruaret, ſed etiam his quos viſeret integritatis inſigne conferret: viſitauit Ioannem Baptiſtam, nec immeritò manſit integer corpore quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit.* Alenſis 3.part. ſuæ Theol.q.9.nu.2. art.5. *Beata Virgo*, inquit, *ſuo aſpectu concupiſcentiæ motus extinxit.* S. Tho. in 3.part.diſt.3.q.1.art.2.quæſtiunc.1. ad 4. *Gratia*, inquit, *ſanctificationis in B. Virgine non tantùm repreſſit in illa motus illicitos, ſed etiam in alijs efficaciam habuit, ita vt quamuis eſſet pulchra, à nullo vmquam potuerit concupiſci.*

Denique Rupertus lib.3. in Cant. in illud c.4. *Quàm pulchra es amica mea! oculi tui columbarum*, ſeptem Deiparæ virtutes in ſeptem corporis membris ſignificatas eſſe animaduertit, propter quas à ſponſo laudatur, & formoſa ab angelis & hominibus iure optimo reputatur: *O pulchritudo*, inquit, *admirabilis, quam ſic admiratur & collaudat pulcherrimus auctor pulchritudinis; ſeptem præconijs conſiderauit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum & vbera, & pro ſingulis dilectis ſingula decantauit dignæ collaudationis capitula: laudatur in oculis ſimplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labijs doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in vberibus tuis admiranda cum fœcunditate virginitas.*

S. Dionyſius B. Virg. penè deam cenſuiſſet.

Quocirca S. Dionyſ. Areopag. conuerſus à S. Paulo, ab eoque miſſus ad B. Virginem, eius confeſtim aſpectu tanta eſt ſuauitate perfuſus, tantáque admiratione correptus, ex ea quam in Virgine pluſquam mortalem perſenſit dignitatem; vt, niſi à magiſtro Paulo (nam ſic ad eum ipſe ſcripſit) fuiſſet de varietate informatus, deam procul dubio exiſtimaſſet, ac pro dea habitam adoraſſet. Tanta erat vniuerſæ Eccleſiæ de B. Virgine opinio ea, ad eius virtutes concepta exiſtimatio, vtpote quæ vel ipſo vultu Dei matris præ ſe ferret dignitatem, omneſque ſe intuentes ſua componeret maieſtate, internoſque affectus miris modis mitigaret. Circumfertur hac de re epiſtola S. Dionyſij ad S. Paulum, quam recitat noſter Chriſtoph. à Caſtro in Hiſt. Deiparæ c. 19. in qua inter cetera ſic ait: *Ductus fui ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, & tam me immenſus diuinus ſplendor circumfulſit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, neque ſpiritus poſſet tottus ac tantæ æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit & ſpiritus, tantæ gloriæ maieſtatis oppreſſus. Teſtor, qui aderat in Virgine Deum, ſi tua diuina concepta mente non me docuiſſent; hanc ego verum Deum eſſe credidiſſem: quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò feliciſſimus deguſtaui.*

DATE EI DE FRVCTV MANVVM SVARVM ET LAVDENT EAM IN PORTIS OPERA EIVS] Aquila, *laudabunt eam in portis opificia eius*; Septuag. Vatican. pro *manuum* habent, *labiorum: Date*, inquiunt, *ei de fructu labiorum ſuorum.* Verùm Regij, Complut. S. Ambroſ. S. Auguſt. & auctor Catenæ Græcor. ex Septuag. legunt *manuum* non *labiorum*, hæcque videtur priſca & ſincera Septuag. verſio. Reſpondet enim Hebræo & Vulgatæ, ac Aquilæ, Symmach. & Theodot. qui conſtanter vertunt, *manuum*. Quare Septuag. vertunt, χειρῶν, id eſt *manuum*, quod deinde à ſcribis deflexum videtur in χειλῶν, id eſt *labiorum*. Vers 31. Thau.

Senſus ergo eſt, q.d. Cùm virago hæc manibus ſtrenua, tot opes ſibi & familiæ peperit, digna nunc eſt vt ijs perfruatur. Date ei ergo bibere vinum delicatum, quod protulit vinea quam ipſa plantauit: date illi veſtem byſſinam & purpuream: veſtite illam ſindone, quam ipſa manibus ſuis filauit & texuit: menſam opiparam illi inſtruite ex annona omnigena & pretioſa, quam ipſa ſuo labore comparauit: gaudeat ſupellectile aurea & argentea, quâ ipſa domum ſua induſtria adornauit. Scriptũ eſt enim: *Labores manuum tuarum manducabis; beatus es, & bene tibi erit*, pſal.127.2.

Secundò, Aben Ezra: *Date*, inquit, *ſcilicet laudes ei*, id eſt laudate eam, iuxta illud, *Date Domino Deo veſtro gloriam*, Ier.13.16. &, *Date gloriam laudi eius*; pſal.65.2. Sic ſenſus erit, q.d. Date laudem operibus eius, quæ manibus operata eſt, imò ipſa eius opera laudent eam in portis, coram cœtu magiſtratus populique totius.

Si cum Septuag. Vatican. pro *manuum* legas, *labiorum*; ſenſus erit, q. d. Date id eſt offerte ei fructum ſermonum ſuorum, quibus ſuos ad Dei timorem, prudẽtiam & probitatem inſtruxit: offerte illi proles, ſeruos, ancillas, &c. eius inſtructione benè moratos, probos, induſtrios, vt de ijs velut fructibus ſuis gaudeat, ac propter illos ipſam laudate & celebrate. Rurſum orationis, rectéque loquendi & ſermocinandi copiam ab illa petite & accipite, ait auctor Catenæ Græc. Aut q. d. Hæc virago labijs ſuis non eſt abuſa ad conuicia, iurgia, rixas; ſed bene ijs vſa ad Dei laudem & proximorum vtilitatem: nulli detraxit, ſed de omnibus honeſtè locuta eſt; nulli maledixit, ſed omnibus benedixit. Ergo ſimili modo nullus de ea malè loquatur, omnes eam laudent, omnes eam benedicant nemo maledicere, aut malè de ea loqui audeat.

ET LAVDENT EAM IN PORTIS OPERA EIVS] q. d. Iactent alij patrum & auorum facta, opes, decora, ab ijſque ſe laudent: at heroina hæc ſua, non aliena promit, ab ijſque ſe laudabilem efficit. Nam cùm ſit grauis, modeſta & verecunda, de ſe modeſtè ſentit, nec ipſa verbis ſe iactat; ſed opera eius ſtrenua & magnifica, ipſâ etiam tacente, loquuntur eius laudes; idque non tantum domi, vt ex ijs laudetur à domeſticis; ſed etiam *in portis*, id eſt palàm & in publico magiſtratus iudicumque conſeſſu, vbi viri ſapientes & nobiles eius opera heroica admirantes celebrant, & laudibus in cælum vehunt: idque tum ad eius laudem & gloriam, tum ad

aliorum exemplum, vt eius laus ceteris ſit ſtimulus ad virtutem.

Septuag. eodem ſenſu vertunt, *& laudetur in portis vir eius*, q.d. Iudices & principes populi, qui in portis more priſco conſidere ſolent, laudant & felicem prædicant eius virum, qui talem vxorem & viraginem nactus ſit, quæ tot bonis, opibus, famâ & gloriâ ipſum, totamque ipſius familiam cumularit.

Alleg. & Anagog. Eccleſia & anima ſancta audiet in hora mortis, & in die iudicij à Chriſto iudice, & à ſanctis angelis: *Date ei de fructu manuum ſuarum*; ſcilicet, date ei mercedem & gloriam pro merito heroicorum operum, quæ manibus operata eſt. Ita Salonius: *Hæc, ait, ſunt verba Chriſti dicenda ad angelos in die iudicij: date ei de fructu manuum ſuarum & laudent eam in portis opera eius*: vt ſcilicet in portis cæli inſcribantur fortia eius facinora, quæ æternam eius laudem omnibus cæli incolis perpetuò repræſentent, vt ipſi illa Deumque in illis perpetim laudent & celebrent. Eius victoriæ & trophæa quæ retulit de mundo, carne, diabolo inſculpantur valuis paradiſi, velut perennia virtutis & fortitudinis eius, Deique gratiæ encomia.

Opera in cælo laudant Beatos, qua ratione.

Imò ſicut Chriſtus in cælo ſeruabit ſacra ſuæ paſſionis & vulnerum ſtigmata, ſic & Sancti ibidem ſuas oſtentabunt vibices & cicatrices, quaſi perennes Dei ſuique laudes & præconia. Ibi craticula ignea laudabit S. Laurentium, ſagittæ S. Sebaſtianum, crux S. Andream, &c. Ibi enim quemque laudabunt non verba, ſed verbera; non dicta, ſed facta; non linguæ, ſed manus & opera.

Hoc cogita ô Chriſti athleta dum arduum opus aggrederis, cùm dura ingruit tentatio, perſecutio, mors, martyrium. Propone tibi æternam laudem & gloriam, quam, ſi illud ſuperes, conſequeris; labor & dolor breui tranſibit, ſed merces & gloria eius perennabit in omne æuum: laudabunt te Deus, angeli & cælites vniuerſi quòd teipſum viceris, quòd mundum calcaris, quòd tormenta ſuperaris, *Momentaneum enim & leue tribulationis noſtræ, æternũ gloriæ pondus operatur in nobis*. Vnde S. Greg. lib. 6. Mor. c. 15. cuius titulus eſt: *Dies iudicij eſt porta regni. De his portis*, inquit, *Salomon iterum dicit: Date ei de fructu manuum ſuarũ, & laudent eam in portis opera eius. Tunc quippe ſancta Eccleſia de fructu manuum ſuarum accipit, cùm eam ad percipienda cæleſtia laboris ſui retributio attollit. Tunc eam ſua opera in portis laudant, quãdo eius membris in ipſo regni aditu dicitur; Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & cooperuiſtis me. Filij igitur huius ſtulti ante portam elati ſunt, ſed in porta conterentur; quia amatores huius ſæculi in præſenti vita ſuperbiunt, ſed in ipſo regni aditu æterna animaduerſione feriuntur.* Accedit Beda: Date, inquit, ei mercedem in cælo, quia fructum ſpiritus proferre ſatagit, ſcilicet charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, modeſtiam, continentiam, fidem, patientiam.

Matth. 25.

Audi S. Ambroſ. in hunc Prouerb. locum, & S. Aug. ſerm. 45. de diuerſis: *Laudatur in portis vir eius. Portus noſtrorum laborum eſt videre Deum, laudare Deum. Hoc docet Ioannes in apocalypſi dum beati in regno cælorum ſe mutuò inuitantes, dicunt: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo. Non ibi dicetur, Labora, veſti ſeruos, veſti teipſam, orna te purpura, da eſcam ancillis, attende ne extinguatur lucerna, ſollicita eſto, ſurge de noctibus, aperi manum pauperi, trahe de collo in-*

Apocal. 19.

A *fuſum: non erunt opera neceſsitatis, vbi nulla indigentia: non erunt opera miſericordiæ, vbi nulla miſeria. Non enim frangis pauperi panem, vbi nemo mendicat; non ſuſcipis peregrinum, vbi quilibet in patria quieſcit: non viſitas ægrotum, vbi omnes perpetua potiuntur ſanitate; non veſtis nudum, vbi cuncti æterna veſtiti ſunt luce; non mortuum ſepelis; vbi omnes ſine termino viuunt.* Subijcit quale erit in beato otio Sanctorum negotium. *Nec tamen iſta non agendo erit otioſus. Quid ergo facies? Docet Propheta: Vt videam voluptatem Domini: videbis quem deſideraſti, eumq; laudabis indeficienter. Hunc recipies fructum. Tunc potieris illa vna, quam popoſciſti dicens: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ. Tunc mors vltrà non erit, neque luctus, neque dolor. Tunc laus, exultatio & gaudium comprehendet, & fugiet dolor, & triſtitia & gemitus. Tunc erit Deus omnia in omnibus. Tunc laudabitur in portis vir eius; quia beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te, qui viuis & regnas in æternum. Amen.* B

Pſal. 26. Ibidem. Iſaia 35. Apoc. 21. 1. Cor. 15. Pſal. 83.

Hæc omnia facile eſt adaptare B. Virgini, quæ tranſſcendentium laborum & dolorum ſuorum fructum & gloriam præ omnibus Sanctis & Angeli percipit in cælo, ibique ob heroica ſuæ humilitatis, patientiæ, charitatis, &c. opera laudatur ab angelis & cælitibus omnibus. Audi S. Ioan. Damaſcen orat. 2. de Dormit. B. Virginis loquentem de eius aſſumptione in cælum. *Hodierno*, inquit, *die choreas agunt Angeli, plaudunt Archangeli, Virtutes concelebrant, Principatus exultant, Poteſtates lætantur, Dominationes gaudent, Throni feſtum diem agunt, Cherubim laudibus efferunt, Seraphim gloria afficiunt; nec minùs ipſi gloria afficiuntur, cùm gloriæ parentis gloriam tribuunt.* Et poſt nonnulla aſſerit, angelos omnes C dormitioni Virginis interfuiſſe: *Quantumcumque enim*, inquit, *ſummo regi aſtent, illius tamen matrem, & omnibus rebus conditis excellentiorem ſtipare oportebat.* Idem orat. 1. de Natiuit. alloquens S. Ioachim & Annam: *Vos*, inquit, *angelis ſuperiorem, nunc autem angelis dominantem filiam extuliſtis*. S. Athanaſius ſer. de Deipara: *Beatam*, inquit, *te prædicant omnes angelorum & terreſtrium hierarchiæ, quæ & in cælis benediceris, & in terris beata prædicaris.* Et ſingularum hierarchiarum benedictiones, quibus eam celebrant, aſſignat S. Ephrem ſerm. de laudib. Virgin. *Aue*, inquit, *canticum Cherubim & Seraphim, & hymmodia angelorum: aue præclariſſimum hierarchiarum cæleſtium ornamentum.* Sophron. inter opera S. Hieronymi de Aſſumptione Virg. *Hæc*, inquit, *ducitur terribilis vt caſtrorũ acies ordinata, multis freta & vallata ſanctorum* D *agminibus: ſiquidem terribilis ſuis facta virtutibus, vt caſtrorum acies admodum ordinata, hinc inde angelorum ſanctorum fulta præſidijs, pulchra vt luna, imò pulchrior quàm luna; quia iam ſine defectu ſui coruſcat cæleſtibus illuſtrata fulgoribus.* S. Aug. ſerm. 35. de Sanctis: *Si cælum*, inquit, *te vocem, altior es: ſi matrem gentium dicam, præcedis: ſi dominam angelorum vocitẽ, per omnia te eſſe probaris.* S. Epiph. ſerm. de laudib. Deiparæ: *Conſpicio*, inquit, *Virginem ab angelis adorari. Gabriel imprimis ſalutat: Aue gratia plena.* Et infrà: *O Virgo incomprehenſi myſterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicaſti: Virgo ſublimior facta, & ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto regi, à Deo in honore habita tamquam ancilla digna & mater.* S. Bonauent. in Cantico: *Tibi*, inquit, *omnes Angeli & Archangeli, tibi Throni & Principatus fideliter deſeruiunt: tibi omnes Poteſtates & virtutes cælorum, & vniuerſa*

B. Virgini ut laudent cælites.

vniuerſæ Dominationes obediunt: Tibi omnes chori: tibi Cherubim & Seraphim exiſtentes aſsiſtunt, tibi omnis angelica creatura inceſſabili voce proclamat: Sancta, ſancta, ſancta Maria Dei genitrix, mater & virgo S. Bernardinus tom. 1. concion. 61. art. 1. c. 6. *Tot*, inquit, *creaturæ ſeruiunt glorioſæ Virgini Mariæ, quot ſeruiunt Trinitati; omnes nempe creaturæ quemcumque gradum teneant in creatis, ſiue ſpirituales vt angeli, ſiue rationales vt homines, ſiue corporales vt cœli & elementa, ſiue damnati, ſiue beati, omnia quæ diuino imperio ſunt ſubiugata, glorioſæ Virgini ſunt ſubiecta. Ille enim qui filius Dei eſt & Virginis, benedictæ matri famulatur in terra*, iuxta illud Lucæ 2. *Erat ſubditus illis.* Claudat Sanctorum agmen Doctor Angelicus, qui 1. p. q. 25. art. 3. ad 4. aureum hoc B. Virgini dat elogium: *B. Virgo ex hoc quòd eſt mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt fieri aliquid melius ea.*

S. Gregorius Nazianz. in Diſtichis: *Perpetuam ſempiternæ gloriæ curam habe; nam hæc præſens quotidie homines fallit.*

Boëtius lib. 2. de Conſolat. *Finiti atque infiniti nulla vmquam poterit eſſe collatio. Ita fit vt quamlibet prolixi temporis fama, ſi cum inexhauſta æternitate cogitetur, non parua ſed planè nulla eſſe videatur.*

Habacuc 3. *Incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.*

Sixtus Philoſ. in Sentent. *Immortales crede te manere in iudicio honores & pœnas.*

Si octoginta aut centum annos laborantes in opere Dei vixerimus, non pari tempore regnaturi ſumus in futuro, ſed pro prædictis annis omnium nobis ſæculorum regna tribuentur. S. Anton. apud Athanaſ.

Nullus labor durus videri debet, nullum tempus longum, quo gloria æternitatis acquiritur. Angeli apud Bedam lib. 3. Hiſtor. c. 19.

Alcam iacis de æternitate, iactus vnicus & irreuocabilis eſt: vide ergo vt pro ſenione non cœnum, ſed cælum iacias.

Beati habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

VIVE ÆTERNITATI.



INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR
VEL ELVCIDANTVR.

Prior numerus paginam, ſecundus columnam innuit, litteræ additæ reſpondent litteris intercolumnalibus: ſicubi vnicus tantùm eſt numerus, eum ad priorem referri ſignum eſt.

EX GENESI.

CAp.1.v.1. In principio creauit Deus cælum & terram pag. 178. col. 2. lit. b

2.v.7. Factus eſt homo in animam viuentem. 572.2.a

4.1. Poſſedi hominem per Deum. 87.1.a. 178.1.a

v.24. Septuplum vltio dabitur de Cain. 144.1.c

5.v.2. Maſculum & feminam creauit eos. 456.1.b

11.27. Thare genuit Abram, Nachor & Aran. 86.1.b

13.9. Ecce vniuerſa terra coram te eſt. 367.1.b

22.2. Tolle filium tuum vnigenitum. 85.2.d

40.22. Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens 588.1.b

41.v.40. Ad oris tui imperium cunctus populus obediat. 669.2.c

43.6. In meam hoc feciſtis miſeriam, vt indicaretis ei & alium vos habere fratrem. 439.2.d

EX EXODO.

Cap.5.21. Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone. 226.2.b

13.16. Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua. 148.2.b.d

20.v.7. Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini fruſtrà. 141.2.d. 478.1.a

EX DEVTERONOMIO.

Cap.10.12. Et núc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum? 109.1.a

EX LIBRO IOSVE.

Cap.24.14. Nunc ergo timete Dominum, &c. 109.1.a

EX LIBRO IVDICVM.

Cap.12.v.3. Poſui animam meam in manibus meis 470.1.b

EX LIBRIS REGVM.

Lib.1.cap.3.v.1. Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis. 446.1.b

19.9. Factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul. 400.1.d

22.23. Si quis quæſierit animam meam, quæret & tuam. 794.2.b

26.9. Quis extendet manum in chriſtum Domini, & innocens erit? 266.1.b

Lib.2.cap.3.v.29. Non deficiat de domo Ioab tenens fuſum. 872.2.d

21.17. Non extingues lucernam Iſrael. 529.2.d

Lib.3.cap.4.v.5. Azarias erat ſuper eos qui aſſiſtebant regi. 612.2.c

4.29. Dedit quoque Deus Salomoni latitudinem cordis quaſi arenam maris. 4.2.b

EX LIBRO I. PARALIPOMEN.

Cap.3.5. Porro in Ieruſalem nati ſunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethſabee filia Ammiel. 85.1.b.d

29.1. Salomonem filium meum vnicum elegit Deus. 86.1.a

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap.12.v.7. Sacramentum regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare honorificum eſt. 678.1.b

EX LIBRO IOB.

Cap.1.v.1. Vir ſimplex & rectus. 474.1.a. 514.2.d

5.19. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. 144.1.c

20.v.11. Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. 588.2.b.c

v.26. Tenebræ abſconditæ. 740.2.c

28.v.25. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura. 369.1.a

29.v.3. Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum. 530.1.b.c

34.v.7. Bibit ſubſannationem quaſi aquam. 716.1.c

38.37. Concentum cæli quis dormire faciet? 191.2.b

40.10. Ecce, Behemoth, quem feci tecum. 35.1.b

v.14. Ipſe eſt principium viarum Dei. 178.1.b

EX LIBRO PSALMORVM.

Pſal.1.6. Nouit Dominus viam iuſtorum. 286.1.b

5.13. Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. 292.2.b

11.9. In circuitu impij ambulant. 727.1.c

11.17. Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, purgatum ſextuplũ. 239.2.c

13.1. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. 823.2.a

v.2. Vt videat ſi eſt intelligens aut requirẽs Deum. 427.1.c

v.3. Contritio & infelicitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt. 454.2.c

13.3. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. 131.1.d

16.10. Adipem ſuum concluſerunt. 266.1.c

17.16. Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. 302.1.a

v.28. Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. 582.1.a

v.27.Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. 556.1.c
18.8.Lex Domini immaculata. 919.1.b
21.21.De manu canis vnicam meam. 85.2.d
24.14.Firmamentum eſt Dominus omnibus timentibus eum. 80.2.a
26.8.Faciem tuam Domine requiram. 806.1.c
30.16.In manibus tuis ſortes meæ. 417.2 b.c 806.1.b
31.4.Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. 441.1.a
35.4.Noluit intelligere vt bene ageret. 427.1.c
36.1.Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. 79.2.c.630.2.d
v.16.Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. 395.2.b
37.10.Domine ante te omne deſiderium meum. 367.1.b
39.7.Aures autem perfeciſti mihi. 690.1.b
v.9.Legem tuam in medio cordis mei. 95.2.d
40.1.Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem. 427.1.b
43.19.Non receſſit retro cor noſtrum, & declinaſti ſemitas noſtras à via tua. 814.1.c
44.1.Eructauit cor meum verbum bonum. 811.1.d
48.7.Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. 110.2.c
50.12.Cor mundum crea in me Deus. 178.2.a
52.6.Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. 805.2.d
55.9.Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. 333.2.b
61.10.Mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant. 252.2.a.b
67.5.Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum. 88.1.c
v.17.Montes coagulati. 740.2.c
v.19.Accepiſti dona in hominibus. 155.2.d
68.12.Factus ſum illis in parabolam. 723.1.a
71.14.Honorabile nomen eorum coram illo. 446.1.b
72.6.Operti ſunt iniquitate & impietate ſua. 151.2.c
73.15.Tu ſiccaſti fluuios Ethan. 3132.d
85.11.Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum 85.2.c
88.15.Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. 17.2.a
104.20.Eloquium Domini inflammauit eum. 820.1.b
109.3.Tecum principium in die virtutis tuæ. 23.2.d.179.1.c.193.2.a.401.2.a
Ibid. In ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. 94.2.b
111.9.Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 550.1.c
115.5.Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. 546.1.b
118.105 Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. 137.1.a
v.109.Anima mea in manibus meis ſemper. 470.1.b
v.140.Ignitum eloquium tuum vehementer. 819.2.a
23.3.Fortè viuos deglutiſſent nos. 30.2.a
127 3.Filij tui ſicut nouellæ oliuarum. 281.1.a
136.7.Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem, qui dicunt, Exinanite vſque ad fundamentum in ea. 664.2.c
139.12.Vir linguoſus non dirigetur in terra. 255.2.b
141.5.Non eſt qui requirat animam meam. 794.2.d
142.7.Ne auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. 874.1.c
143.5.Tange montes, & fumigabunt. 525.1.c

EX PROVERBIIS.

*Cap.*16.1.Hominis eſt præparare animam. 195.2.a
25.1.Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda. 2.1.d

EX ECCLESIASTE.

*Cap.*3.20.Omnia pergunt ad vnum locum. 580.2.c

EX CANTICIS.

*Cap.*1.3.Memores vberum tuorum. 117.1.d
2.v.5.Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. 746.2.b
4.4.Sicut turris Dauid collum tuum. 205.1.d
6.8.Vna eſt matris ſuæ, & electa genetrici ſuæ. 85.2.d
7.2.Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. 203.1.d.206.2.b
8.1.Vt inueniam te foris. 152.1.c
v.12.Vinea mea coram me eſt. 367.1.b

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

*Cap.*8.3.Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. 4.2.a.b

EX ECCLESIASTICO.

*Cap.*7.3.Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum. 144.1.c

EX ISAIA.

*Cap.*7.14.Ecce virgo concipiet. 836.2.b
8.16.Liga teſtimonium, ſigna legem. 811.1.a
40.10.Opus illius coram illo. 367.1.b
45.6.Ego Deus formans lucem, & creans tenebras. 178.2 d
49.23.Erunt reges nutritij tui, *&c.* vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem, *&c.* 670.1.a
58.6.Diſſolue colligationes impietatis. 591.1.b
59.4.Non eſt qui inuocet iuſtitiam. 798.2.c
60.7.Offerentur ſuper placabili altari meo. 331.2.d

EX IEREMIA.

*Cap.*1.10.Conſtitui te hodie ſuper gentes, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas. 46.1.b.180.1.a
50.23 Quomodo confractus eſt malleus vniuerſæ terræ? 505.2.c
25.10.Perdam lumen lucernæ. 529.2.c

EX DANIELE.

*Cap.*2.9.Quòd interpretationem fallacem & deceptione plenam compoſueritis. 424.2.d
9.24.Impleatur viſio & prophetia. 800.1.c

EX OSEE.

*Cap.*2.13.Viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo. 689.2.d
4.2.Maledictum & mendacium & furtum & adulterium inundauerunt. 134.2.a
4.3.Et piſces maris congregabuntur. 319.2.c
6.6.Miſericordiam volui, & non ſacrificium. 166.2.a
7.1.Quia operati ſunt mendacium. 134.2.a

12.1.

12.1.Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum. 223.1.d
Ibid. v.8. Diues effectus ſum, inueni Idolum mihi, omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem. 823.2.c

EX AMOS.

*Cap.*1.9.Super tribus ſceleribus,& ſuper quatuor. 282.1.d

EX ABDIA.

v.12. Non magnificabis os tuum in die anguſtiæ. 664.2.d

EX HABACVC.

*Cap.*1.10.Tyranni ridiculi eius erunt. 253.2.c
v.13. Quare taces deuorante impio iuſtiorem ſe? 536.1.b
3.14.Sicut eius qui deuorat pauperem. 536.1.b

EX ZACHARIA.

*Cap.*1.4. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. 195.2.a

EX MALACHIA.

*Cap.*1.3. Eſau odio habui. 341.2.b

EX S. MATTHÆO.

*Cap.*6.3. Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. 102.2.a
v.9.Sanctificetur nomen tuum. 458.1.d
v.11.Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 822.2.c
v.34.Sufficit diei malitia ſua. 365.2.b.700.1 c 870.1.b
7.6.Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. 207.2.b
v.23. Numquam noui vos. 333.1.c
10.16.Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 18.2.c.d
25.29.Omni habenti dabitur, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur.177.2.d
26.69. Petrus ſedebat foris. 152.1.c

EX LVCA.

*Cap.*1.37.Non erit apud Deum impoſſibile omne verbum. 312.1.c
v.48.Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. 168.1.c
15.6. Conuocat amicos & vicinos, dicens, 748.2.a

EX IOANNE.

*Cap.*1.1.In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. 198.2.b
v.4. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. 402.2.b
v.14.Gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. 243.1.c
2.19 Soluite templum hoc,& in tribus diebus excitabo illud. 200.2.d
8.44.Quia mendax eſt, & pater eius. 504.1.c
12.25. Qui odit animam ſuam in hoc mundo. 341.2.b
17.11.Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo.458. 887.2.a
19.40. Ligauerunt illud in linteis cum aromatibus, 887.1.b

EX ACTIS APOSTOLORVM.

*Cap.*24.12.Neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem. 198.1.b

EX EPISTOLIS S. PAVLI.

*Rom.cap.*8.24.Spes quæ videtur, non eſt ſpes.311.1.c
1.*Cor.c.*6.7. Delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. 467.2.c
*c.*11.29.Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. 616.2.d
15.50.Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. 96.1.c
2.*Cor.c.*9.9.Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 550.1.c
*Epheſ.cap.*2.10.Creati in operibus bonis. 209.1.d
*Coloſſ.*1.12. Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.
2.*Tim.cap.*2.19.Cognouit Dominus qui ſunt eius. 286.1.b
*Hebr.cap.*6.5. Virtutes ſæculi venturi. 110.2.c
11.4. Defunctus adhuc loquitur. 572.1.d
12.5.Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. 66.2.d

EX EPISTOLA S. IACOBI.

*Cap.*4.v.6. Deus ſuperbis reſiſtit. 404.1.c

EX APOCALYPSI S. IOANNIS.

*Cap.*21.27.Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium. 134.2.a
22.15.Omnis qui amat & facit mendacium, 134.2.a

INDEX RERVM

ET

VERBORVM MEMORABILIVM

QVÆ IN HOC COMMENTARIO

CONTINENTVR.

ABbacyrus quotidie ob omnibus corripi, & probris exagitari geſtiebat. 279.2.a.b *Abel unde dictus ſit.* 533.2.c *Abel & Caini munera in eo diſcrepabant, quod ille cor ſuum Deo offerret, non hic.* 635.1.b.c

Abiectio animi ira deterior eſt. 460.2.c

Abigail ſua humili oratione iram Dauidis leniuit. 105.2.c.489.1.a.892.1.a

Abraham cedens Lot nepoti meliorem regionem Pentapolis, à Deo in Chanaan ditatus fuit. 298.2.a *eius obedientia.* 381.2.d *quomodo dominus totius terræ factus ſit.* 423.1.d *vir fuit fidelis.* 513.2.d

Abramius eremita omnes dæmonum tentationes contempſit. 656.2.b

Abſalom ob patrem afflictum miſerè perijt. 503.2.c

Abſinthium ſymbolum eſt meretricis. 107.1.c.2.a *eius amarities.* 2.a *arcet tineas.* 703.1.a

Abſorbere *in Script. capitur pro funditus abolere.* 30.2.c

Abuſiones duodecim recenſentur. 305.2.d

Abyſſus triplex ſtatui poteſt. 74.2.b.c *abyſſi gyro vallatæ quænam intelligantur.* 107.2.d

Academia fuit conſtructa à Salomone in atrio templi. 197.2.c *eius columnæ ſeptem denotant ſeptem artium liberalium cathedras. ibid. imò & ipſas artes.* 198.1.a *an fuerit in parte templi Orientali. ibid.b fuit hæc matrix omnium academiarum. ibid.*

Acceptio perſonæ euertit iuſtitiam. 453.2.d *Dei & Chriſti iudicium peruertit.* 454.1.a *dat graue ſcandalum toti reip.* ibid.b

Acclamationes fauſtas olim diuitibus clientes pauperes manè dabant. 750.1.d

Accuſans ſeipſum, incipit eſſe iuſtus, etſi ſit peccator. 465.2.d *accuſans peccatum, pœnam excuſat.* 467.1.a

Accuſator dictus quaſi ad cauſatus. 724.1.d

Acediæ ſpiritus non inuadit de morte cogitantem. 703.2.b *eius comites & indices.* 456.1.b vide Pigritia.

Acedi deſideria inutilia. 570.1.c.2.d vide Piger.

Aceruí lapidum dicati erant Mercurio, & dicebantur Mercurij. 718.2.a.720.1.a.b. & ſeqq.2.c.d

Acetum unde dicatur: ad quid id in nitro adhibeatur: ſuum acorem rebus omnibus & potibus communicat. 700.1.c *terram fermentat & exaſperat: aliæ eius vires. ibid.d. & ſeqq. temperat & infringit vim nitri.* 2.a *eſt ſymbolum mœroris.* ibid.c aceto perfundere *eſt idem quod acriter perſtringere.* 701.1.d *Italicum acetum eſt præſtans & acre. ibid. terram ſterilem, reddit fertilem.* 704.1.b *ſtuporem & dolorem affert dentibus.* 246.2.a.b

Achan furatus pallium conturbauit totum Iſraelem. 379.2.c

Achatius monachus obediens, poſt mortem apparens, dixit ſe ob obedientiam viuere. 576.1.a

Acida vitam abbreuiant. 659.2.d

Acies ritè diſpoſita præualet inconditæ multitudini. 661.2.b.d *quomodo ea ſit inſtruenda.* ibid.c

qui eſſent monachi Acœmetæ. 92.2.a.878.1.d

ἀκόλαστος *quàm varia ſignificet: unde formetur.* 507.1.c

Acredo paris horrorem & ſtuporem. 696.1.d

Actio comitem habere debet contemplationem. 15.2.a *& præcedat contemplationem.* 88.1.a *actiones ſuas ad Dei honorem referens, impletur gratia & virtute à Deo.* 66.1.d *ſunt ea per ſapientiam ordinandæ.* 183.1.a *ſunt agendæ ex mente & voluntate Dei.* 98.2.d *actiones iuſtorum à Deo diriguntur, impiorum infauſtæ ſunt.* 280.1.a *actio viri probi videtur ei recta, at ſæpè Deus in ea aliquem defectum deprehendit.* 549.1.d *actio nulla tam eſt praua, quin alicui prauo recta videatur. ibid.* 2.b *actio contemplationi miſcenda eſt.* 618.1.b.c *ſequatur ea ſermonem.* 718.1.a *actiones omnes hominis patent Deo.* 388.1.d.ibid.2.a *quomodo ab eo proſperentur.* 396.1.b *ab eodem diſponuntur, ordinantur, & ſtabiliuntur.* 533.2.a *tam naturales quàm ſupernaturales. ibid.a.b idq; diuerſimodè. ibid.c.d actiones filiorum tribuuntur parentibus.* 424.1.c *actiones omnes iuſti non ſunt peccata.* 517.2.c

Actores ſatius eſſet cum aduerſarijs de dimido paciſci, quàm totum velle. 757.1.b

Actus internus virtutis cuiuſlibet Deo eſt gratior quàm externa ſacrificia. 394.1.a *ipſe liberos ſanctoſq; actus iuſtorum peculiari ſua gratia præuenit, & ad perfectionem dirigit; & prauos impiorum dirigit, ne nimis exorbitent.* 417.1.a.b

Acumen in Scriptura exponenda non vſque adeo probatur. 10.2.a

Adagia & adagiones quæ dicantur. 19.1.a

Adam ob colloquium cum ſerpente ad labores ſubeundos damnatus eſt. 409.1.b.c *non fuit androgynus.* 456.1.b *peccati ſui culpam tacitè retorſit in Deum.* 477.1.a *carnis rebellionem ſenſit ob inobedientiam.* 477.2.d *ei propterea animalia parêre recuſarunt.* 574.1.a *an Salomone ſapientior fuerit.* 4.2.c

Adamantis natura deſcribitur. 69.2.a.b *an coniugum amorem foueat.* 426.1.d

quomodo nihil Addi poſſit verbo Dei. 820.1.d.2.a

Aditus facilis adeuntibus dandus. 438.1.c

fideles Adminiſtratores rerum alienarum ſunt pauci. 513.1.b *iniqui adminiſtratores facultatum alienarum ſæpè rationem poſtea reddere coguntur.* 526.1.b

Admonitio peccantis commodè eſt temperanda. 688.2.c *requirit ea aurem obedientem.* 689.1.a vide Correptio.

Adoleſcentia eſt omnium ætatum periculoſiſſima. 14.2.a. *in ea ſtudendum virtuti, ut ea fruamur in ſenio.* 225.1.a. *ea vocatur æſtas & meſſis. ibid. eius vitia, & virtutes in ſenium vſque homini adhærent. ibid.b. adoleſcentiæ via eſt incognita, cur.* 835.2.d. *eius inſtabilitas.* 836.1.a. *nihil in ea firmum. ibid.b. ei*

ſapientia

ſapientia eſt neceſſaria. ibid.c

Adoleſcentum ſapientia eſt quadruplex. 19.2.a eorum quatuor theſauri. ibid.1.b ſi ſint faſtuoſi, ſunt retundendi. 371.1.d adoleſcens probus & maturus quàm ſit laudabilis. 836.2.c ſi diſſolutus, ægrè reſipiſcit. ibid.c adoleſcentibus maximè diabolus inſidiatur. 589.2.b quatuor ijs ſunt commendanda. ibid. vide iuuenis.

Adorare quid propriè ſit iuxta Lipſium. 670.1.c

Adorationis oſculum datur altaribus, reliquijs & imaginibus Sanctorum. 669.1.a

Adriani moles qua occaſione dicta caſtellum S. Angeli. 164.2.a

Aduerſis naſcitur vera ſolidaq; amicitia. 436.1.d in ijs vir fortis perſeuerat immotus. 662.1.a

mali Adulantur principibus plerumque. 479.1.c.d

Adulatio cauenda tam adulato quàm adulanti, cur. 791.1.b adulatio falſa pudefacit laudatum. 303.2.d

Adulatores proximum decipere moliuntur. 257.1.d annuunt oculis. 230.1.a ſunt noxij & polypo ſimiles. ibid.b.& 439.2.c eorum effigies & deſcriptio. 338.2.c in ſecunda fortuna manent, in aduerſa amicum deſerunt. 341.2.b.c adulatores principum, omnia eorum vitia laudant & colorant. 243.2.d ſunt regum ruina: cur lupis comparentur, & ſorices palatij dicantur. 399.2.a tandem odium regum incurrunt. ibid.c.d item populi. 668.2.a laudant vitia & vitioſos. 433.2.d ad nutum eius, cui adulantur, verba & vultus ſuos mutant. 439.1.d ſimiles ſunt polypo, lunæ, planetis. ibid.& ſeqq. ſæpè ſunt odio ijs quibus adulantur. 2.a ſunt ſimiles vulpibus, canibus, cercopithecis. 455.1.b.c eorum verba plena ſunt veneno. ibid.d eaq; ſunt quaſi vulnera. ibid. numquam magis adulantur, quàm cùm obiurgant. 2.a ſunt regibus probro. 479. 1.c.2.a lingua mendaci corrogant opes. 553.2.c ſimiles ſunt hyænæ & oleo & heliotropio. 668.2.b ſunt à rege ſubmouendi. 681.2.d quibus ſignis dignoſcantur à veris amicis. 732.2.d. & ſeqq.733. 1.b amant homines molles & credulos. 714.2.d fictè hominem laudant, ideoque ei nocent. 751.1.a ſunt cauendi. ibid.c.d quàm ſint noxij. 757.1.d duplicem habent linguam. 782.2.b non amici ſunt, ſed hoſtes. 791.1.b cur verbis blandis vtantur. 2.a adulator quidam regis Henrici VIII. ei in peccato inceſtus applauſit. 504.2.d

Adultera plerumque venefica eſt. 281.2.d adulteram dimittere, non conſilij tantùm, ſed & præcepti eſt. 471.2.b ſed pœnitens à marito in gratiam admittenda, ſi velit agere clementer. ibid.d

Adulter ſæpè mortem incurrit ob ſuum adulterium. 142. 1.a.144.2.a animæ ſalutem prodigit. 144.2.a eius inopia mentis in quo ſita ſit. ibid.& ſeqq. peior eſt bruto, & vipera deterior. 144.2.c eius cæcitas. ibid.d.& ſeqq. eſt ſimilis porco. 416.1.a

Adulteri ſæpè in flagranti delicto moriuntur. 159. 1.a.b olim igne cremabant. 142.1.a.144. 2.a quæ ipſis in primitiua Eccleſia pœnitentia eſſet præſcripta. 145.1.b apud omnes gentes ſunt infames. ibid.c

Adulterini filij ſæpè ſunt malè morati, dignitatibus arcentur, & ad ſacerdotia ſunt inhabiles. 115.1.a.b

Adulterium cur vocetur furtum. 213.2.b.840.1.a eſt etiam nocentius & grauius furto. 144.1.d eius damna. 54.1.b.c ſæpè morte punitur. 109.2.c eſt velut ignis in ſinu. 141.2.c.d ipſum tandem erumpit, & adulterium infamat. ibid.d hominem ratione & iudicio priuat. 144.2.b.c eius culpa eſt patientia debilis, etſi non inſaniæ. 145.1.d nullis in veteri lege hoſtijs poterat expiari. 146.2.a adulterium omnia mala ſecum vehit. 472.2.b id celare adultera cupit. 837.1.c.840.1.a maritus adulterio vxoris conniuens vel diſſimulans, eſt impius. 471.2.a

Aduocati ſubtiles leges ciuiles ſuis tricis mirè eludunt. 442.1.a ſi iniuſtam cauſam defendant, lingua mēdaci congregant theſauros. 553.2.c aduocati pro pauperibus Romæ ſpeciatim deſignati ſunt. 493.1.a

Ægyptij ſua dogmata hieroglyphicis ſuis celabant. 13.1.b

Ælius Verus Imp. dormiebat inter roſas, cur. 746.2.d

S. Æmilianus Martyr Trebienſis è corpore truncato lac loco ſanguinis fudit. 27.1.c

Ænigma ſpecies eſt parabolæ. 13.1.d ænigmatibus gaudebant priſci. 23.2.a ænigmata varia Auſonij & Thaletis. ibid.a.b ænigma cordis à dæmone proceſſum. 635.1.b ænigmata ſeptem Ven. Beda. 407. 1.d vide Parabola.

Æquitas propria ſapientiæ dos eſt. 169.2.b ipſa eſt in omni re, tam in iudicio, quàm in delectatione onerum & honorum ſeruanda. 251.2.b æquitas, iudicium, & iuſtitia quî differant. 16.2.c.d.& ſeqq. ſæpè idem ſunt. 17.1.b.2.c

Ærumnæ huius vitæ ſunt cauſa & materia compunctionis. 333.2.c

Æſculanus erat deus æris. 240.1.c

Æſopus rectè dixit ſe neſcire, quò iret. 532.2.a Æſopi tragœdi filius luxu fuit notiſſimus. 632.2.a

Æſtas ſymbolum eſt iuuentutis. 225.1.a.b item occaſionis rem bene gerendi. ibid.c & præſentis vitæ. ibid.d in æſtate laborandum in tempus hiemis. 224.2.d

Æſtus maris pro varietate locorum eſt varius. 564.2.a & ſeqq.

Ætas humana citò labitur & tranſit. 836.2.b.c ætas puerilis diſciplinæ eſt capax. 497.2.b ætas ſenilis velut corona eſt. 412.1.d ætatum quatuor hominum ſymbola. 825.1.d

Æternitas eſt in rebus animatis vitæ perpetuitas. 70.1.c ea ſoli Deo conuenit. ibid. æternitas eſt quaſi punctum indiuiſibile, ſemper durat vnum idemq;. 186.1.d ipſa radix eſt iuſtorum. 280.1.c

Æther quid propriè dicatur. 189.1.a eius miracula. ibid.b quomodo in eo ludat Deus. 192.2.c

Ætna ſymbolum oris meretricij. 599.2.d.600.1.a

Affectus quantitatem ponderat Deus in operum patratione. 338.2.d.390.1.b affectus vitioſus ſæpè bonum opus vitiat. 540.1.d ex affectu noſtro alienus erga nos metiendus. 756.1.b affectus carnalis ſubeſſe debet rationi, non præeſſe. 841.1.d affectus animi, & maximè amor, in oculis cernitur. 442.2. c.d.592.2.d affectus odij & amoris per ſigna ſubinde, id eſt verba & opera, erumpunt. 756.1.c.d affectus cum impetu & feruenter edomandi. 457.2.b per renes denotantur. 629.2.d eos vincens potior eſt viro forti. 413.2.b.c & velut ciuitas bene murata. 710.1.a.b affectus nimios viri temperet vxor. 489.2.b affectus ſapientia ſunt regendi. 101.1.d

Afflictio iuſtorum in morte finitur. 257.1.a afflictio etiam labor dicitur. 409.2.c

Afflictis non ſunt carmina lætitiæ accinenda. 700.2.c.d ſunt tamen per ea curandi. 701.1.b eos iuuat, fouet & conſolatur Deus. 797.1.b

Agape qualе eſſet conuiuium in primitiua Eccleſia. 361. 2.c

Agapeta

Agapetæ quæ ſint, & quàm noxiæ ijs quibuſcum habitant. 142.2.b.c
Agathocles ex figulo factus Siciliæ rex, in figlinis vaſis ſemper cœnabat. 481.2.c
Agenda, ſunt ſolicitè præmeditanda. 396.1.b
nihil Agendum ex ira vel odio & dolo. 340.1.d
Ager bene cultus dominum locupletat. 318.2.d *ager diligenter colendus eſt.* 770.2.c *commendabilis eſt à bono vicino.* 748.2.b *quæ agro noceant. ibid.d ager emptus non retinebatur vltra annum. iubilei.* 611.1.c *eius termini non ſunt transferendi. ibid.2.d agri in Lombardia vitibus, ſegete, & arboribus ſimul conſeruntur.* 878.1.d
Ageſilaus rex Lacedæmoniorum mendacium maximè abominabatur. 425.2.a *ipſe adhuc puer loco, ſe indigno collocatus, non tulit indignè.* 683.2.c
Aggeres arenarum quare vocentur capita. 187.2.b
Agnorum ſtoliditas. 157.2.a *agni parabilem dant eſcam & veſtem.* 761.2.c *eos paſcere eſt facile. ibid.d ſymbolum ſunt innocentiæ.* 76.1.a.2.b
Agricolæ per formicas denotantur. 845.1.d *eorum lites vt ſopiantur & dirimantur, curet princeps.* 767.1.d
Agricultura erat olim in vſu, etiam apud principes. 670.1.d.2.a *eius præcepta.* 762.1.d *mercaturæ præponitur.* 287.1.c.320.1.d *eſt ars neceſſaria & innocentiſſima. ibid. &* 670.1.d.2.a
M. Agrippa quare ab Auguſto rebus gerendis admotus ſit. 612.2.d
Agur vbi in Prouerbijs Salomonis loqui incipiat. 604.1.b 675.1.d *an quædam ediderit prouerbia ſigillatim, quæ Salomon ſuis adiunxerit.* 809.1.b *an quædam Prouerbia conſcripſerit, an ſolum introducatur vt interlocutor.* 2.2.d. *& ſeqq.*
Ala vox ab axilla deriuatur. 510.2.c
Ἀλαζονεία propriè eſt iactantia, faſtus. 682.2.a
Dux Albanus princeps nonnullos in Belgio ad conuiuium vocatos cepit, eoſq. paulò poſt capite multauit. 619.2.c
Alchimiæ inuentor non eſt Salomon. 71.1.d
Alchymiſtæ promittunt multa, non præſtant. 553.2.c
B. Alcuini diligentia & ſtudium in rebus bonis. 222.1.d
Alcyõ in pullos immitis, Deo eos videtur credere. 629.1.c
S. Alexander S. Antoninam è lupanari liberauit mutatus cum ea veſtibus. 289.2.d
Alexander Magnus deum ſe prædicantibus vnde diceret ſe hominem videri. 111.1.b *iracundiam vincere non potuit.* 414.1.c *fuit vinoſus.* 644.2.b *Clitum amicum temulentus & ex ira occidit.* 608.1.b.862.1.b *etiam Parmenionem ſuum.* 681.1.c *eius clementia.* 541.2.d *eius inſatiabilitas.* 829.1.b *hirco comparatur.* 848.1.c *indutus eſt veſte lanea confecta à ſororibus.* 872.1.c
Alexander Pheræus eſt ab vxore interfectus. 146.2.b
Alexander Dux Parmenſis quanti ſecretum fecerit ad res magnas perficiendas. 375.1.b
S. Alexius maluit latêre in angulo domus paternæ quàm mundi pompis implicari. 757.2.c
Alfonſus Alburquercius in graui tempeſtate puero innocente arrepto nihil timebat. 229.2.a
Alfonſus Aragonum rex manibus proprijs laborare non recuſauit. 285.1.c *eius de rege diſcere nolente ſententia.* 20.2.a *eius dictum de bonis conſiliarijs.* 356.2.c.d *pericula prætulit vitæ voluptuoſæ.* 712.1.c *mirè erat lenis.* 542.1.c *eius modeſtia, auditis ſuis laudibus.* 737.1.b
Alfonſus VIII. Caſtellæ rex maximam de Saracenis ope B. Virginis refert victoriam. 175.2.a
Aliena mulier eſt adultera. 52.2.c
Aliena damnamus, propria laudamus. 522.2.b.c *alieni te laudent, non domeſtici & amici.* 736.2.d. *& ſeqq.*
Alimenta neceſſaria, non opes nimiæ à Deo petenda. 822.1.a.b
Allium in aceto mulſo coctum pellit tineas. 703.1.a
Aloë eſt odorata. 154.1.b
B. Aloyſius Gonzaga qua arte ſermones de rebus pijs induceret. 209.1.c *cur cum bilance pingatur.* 331.1.a *caruit ſenſu libidinis.* 518.2.b
Aloyſius Silueira audiens regem Luſitaniæ à ſe in conſcriptione epiſtolæ victum, illico aula & regno exceſſit. 633.1.a
ex Alpibus varij oriuntur fluuij. 453.1.a
Alphabetico ordine in Script. multa ſunt ſcripta. 866.1.b
Altare eſt menſa Dei. 201.2.a.d *altaria olim ſuper Martyrum ſepulcra conſtruebantur.* 163.2.c
Alternatio occupationum leuat laboris tædium. 303.1.c
Altilia ſunt pecudes ſaginatæ. 203.1.b
Amalthea cornu quid dicatur. 720.1.a
magis ne Amandus amicus, an frater? 473.1.c.2.a
amans perſuadebet quidlibet cuilibet. 406.2.c
Amantes transfiguntur ſagitta doloris & amoris, eiuſq. multiplicis. 158.2.b.c *ſimiles ſunt ſeruis ſtolidis. ibid.d ſunt amentes.* 120.1.a.144.2.b
Amaſiæ ſæpè occidunt adulteros. 159.1.b
Amazones bellaces erant mulieres. 866.2.d
Ambitio eſt mater bellorum. 309.1.a *via eſt quæ homini videtur recta, & nouiſſima eius deducunt ad mortem.* 335.1.b *eſt cauſa litium, ruinæ & contritionis.* 438.2.b.d *eius ſymbolum eſt ſanguiſuga.* 831.1.b. *& ſeqq. eſt inſatiabilis. ibid.c eius & ignis analogiæ. ibid.d omnibus operibus ſe immiſcet. ibid.2.a*
Ambitioſus ſanguiſugæ comparatur & igni. 831.1.d
S. Ambroſius viro felici vſquequaque eſt malum ominatus. 43.2.b.c *quomodo in Salomonem ſcripſerit.* 9.1.b *ſecreti ita fuit ſeruans, vt ne fratri quidem ſuo id reuelaret.* 260.1.b *quoslibet facilè admittebat. & ad bonam frugem reducere ſatagebat.* 276.1.d *ſcripta ſua cenſuræ Sabini ſubijcit.* 290.2.a *eius in morte fiducia.* 354.2.c *eius qualis ſit ſtylus ac ratio loquendi.* 360.1.c *eius adhuc pueri ori inſederunt apes.* 408.1.d *puer præluſit ſe fore ſacerdotem.* 520.1.b *fugit à domo viri cui nihil aduerſi aliquando acciderat.* 749.1.a *Theodoſio Imp. ſuaſit vt ſententias mortis differret.* 795.2.c
Ambulare in ſpiritu idem quod proficere eſt. 515.1.a
Amicitia propriè non eſt inter hominem & bruta. 286.1.c *eius ſummus eſt gradus pro amico mori.* 298.2.d *fit conſtans.* 436.1.b *honeſtatis, non vtilitatis cauſa iniri debet. ibid.b.c naſcitur in proſperis, ſed in aduerſis exploratur & ſolidatur. ibid.d & ſeqq.* 435.2.d. *& ſeqq. eam diſſoluere cupiens, quærit cauſas ob quas id iuſtè facere videatur.* 448.2.c.d *non rumpenda, ſed paulatim diſſuenda.* 449.1.a *eam colens magis iuuabit amicum quàm frater.* 472.2.b.c *ipſa velut quædam fraternitas.* 473.1.a *numquam in odium verti debet.* 664.1.d *eſt dos nobiliſſima proinde eſt inuiolata ſeruanda.* 685.2.c.d *eâ eſt moderatè velut melle vtendum.* 695.1.d.696.2.c *non eſt bilioſo iucunda.* 699.1.d *variæ de ea gnomæ.* 473.1.a.b *vetus præſtat nouæ.* 749.2.a *amicitia cum Deo reddit omnes homines amicos.* 395.1.a *amicitia quorumdam peſtilens magis eſt quàm inimicitia.* 730.1.b *amicitia vera quanta ſit facienda.* 747.2.d. *& ſeqq. amicitiæ priuatæ regum non ſunt ambiendæ.* 681.1.a *ſunt periculoſæ. ibid.c*

Amicus

Amicus amicum iuuans per ceruum repræſentatur. 119.2.d *amicus pro amico vitam periculo poteſt obijcere ex charitate.* 298.2.c *amici tales recenſentur.* ibid. *amicum deſpiciens, oſtendit ſe inſipientem.* 258.2.b *amicus fictus amici ſecreta alijs reuelat ſed fidelis commiſſa celat.* 259.2.b *amici ficti damnoſiores ſunt inimicis publicis.* 79.2.a *hi amicitiam nonniſi ob commoda colunt.* 341.2.b *ſimiles ſunt hirundinibus.* ibid.c *amici pauperes non ſunt deſpiciendi.* ibid.a.b *amicus eſt alter ego.* 473.1.a *iuuet amicum in aduerſis.* 436.1.c.d *eius causâ bona propria negligenda ſunt.* ibid.c *ſi amicum iuuet, magis amat quàm frater.* 472.2.a.b.c *hinc ferè magis diligendus, quàm frater & pater.* 473.2.b *tamen ei non eſt vſquequaque fidendum.* 478.2.d *eius vitia tacenda, virtutes euulgandæ.* 528.1.b *cum eo ſunt negotia communicanda.* 685.1.a *ab amico læſus, cum ipſo clàm rem componat, extraneo iniuriam non narret.* 685.1.a.b.d.2.c *eo non eſt abutendum per nimiam familiaritatem.* 695.1.d. 686.2.c *nimis multa ab eo petenda non ſunt.* 697.1.a *amicum corripiendo maiorem ei amorem oſtendit quàm eius errata diſſimulando.* 740.2.a.b.& ſeqq. 742.1.c.d *vulnera amici ſunt ſuauia.* 741.1.d *quomodo eum corripere debeat.* 2.b *amicum errantem corrigat.* 742.1.c.d *amicus beneuolus quomodo animum oblectet.* 746.1.c.d *quatenus in rebus afflictis adeundus & non adeundus ſit.* ibid.2.b *tamen tunc is potiùs adeundus quàm frater, cur.* ibid.c *quia magis iuuabit.* ibid.d.& ſeqq. *non eſt nimijs poſtulationibus vel querelis vrgendus.* 855.2.b *amicus vetus & nouus non facilè dimittendus.* 747.1.d *cur amicus amicum ſubinde dimittat.* 2.a *amicus verus in aduerſis noſcitur.* 436.2.d.& ſeqq. *amici ficti ſigna.* 732.2.d. 733.1.b *in amico perfido ſpem ponens quæ damna ſentiat.* 698.1.d.& ſeqq. 699.1.b c d *ſe inuicem amici oſculantur in ſignum beneuolentiæ.* 608.2.d *amici ſunt multiplicãdi.* 686.1.a *amicorum fidorum multa paria recenſentur.* 473.1.c *amici multi ſunt diuitum, pauperum pauci.* 477.2.a *quomodo amici noxij ablegandi.* 449.1.a *amici ollares ſequuntur fortunam.* 477.2.a.b

Ammonius Alexandrinus diſcipulis ſuis aſinum adhibebat. 551.1.c

Amor mouet affectum cordis. 46.2.a *amoris emblema eſt alueolus apum.* 106.1.c *amor amorem prouocat.* 117.2 a *is igne repræſentatur.* 141.1.a *& ſphinge.* 156.1.d.2.a *eius quanta potentia.* 155.1.d *eius paradoxa & axiomata.* 172.1.d *amoris ſtatera ſit recta, nec præponderet amor mundi.* 252.1.b *amor gaudium cauſat.* 333.1.a *eſt ſanitas cordis.* 350.2.b *amoris cæci emblemata.* 111.1.a *hic eſt otioſorum negotium.* 287.2.c *amor erga coniugem nimius, fit adulterinus.* 117.1.c.2.a *amor eximius parit ecſtaſin.* 194 1.b *amor Chriſti erga genus humanum.* 193.2.b.c *amor Dei eſt remedium acediæ.* 373.2.d *eo in anima refrigeſcente putreſcit anima.* 227.1.a *vnde amor B. Virginis in Chriſtum, & Chriſti in B. Virginem ſummus fuerit.* 86.1.d *amor eſt pondus animæ.* 389.1.c *corde deſignatur: is cogit ſapientem omnes in docendo moleſtias ſuperare.* 407.2.d *debet eſſe gratuitus, non mercenarius.* 436.2.d *animum amati dilatat, & cogit redamare amantem.* 462.2.a *eius eſt amare alterum.* 88.472.2.c *amor ingenioſus miros excogitat modos ad animas ſaluandas.* 559.2.d *amor eſt pretium amoris.* 560.1.a *eſt illex amoris.* 428.1.d *& magnes amoris.* 756.1.c *ſi ſit ſincerus, omnium corda ad ſe attrahit.* 598.2.a *eſt vinculum, nodus & anima coniugij.* 489.2.a *amor quo Deus amatur, idem eſt cum eo quo proximus.* 436.2.a.b *ille ſatiat mentem.* 500.2.c *amor noſter ſe erga omnes homines extendat.* 619.1.c *amor erga amicum oſtenditur, ſi peccata eius corripit.* 740.2.a.b *amor cordis Deo dandus.* 635 1.c.2.a.b *amor carnalis eſt negotium otioſorum.* 570.2.d *quærit latebras.* 740.1.c *quis amor abſconditus dicatur.* ibid.b.& ſeqq.

Amplexus luxurioſi ſunt proxima diſpoſitio ad concubitum 155.1.c

Anachoretæ ſilentium & abſconſionem ſectabantur. 233.1.a *abſtinebant vino* 643.1.d *hinc multi fuere longæui.* 71.2.b. 441.2.b *toti erant in appetitu ſuo refrænando.* 710.1.b *viuebant dactylis.* 868.2.b *cibum veſpere, non per diem ſumebant.* 875.2.c *eorum multos, tradidit Deus peculiari angelorum curæ.* 627.1.d

Anates paluſtriæ ſilueſtres in retia ducunt. 159.2.d

Anaxarchi conſtantia in tormentis. 759 2.d

Ancilla dominam ſubuertens, res eſt intolerabilis. 841.1.c

Ancillæ miſſæ à ſapientia vt vocarent ad arcem, ſunt diuerſæ facultates, quæ in academia arcis Sion tradebantur. 198.1.a *quæ ſint ancillæ eius miſſæ ad inuitandum omnes ad ipſius conuiuium.* 204.2.a

androgyni ſunt qui vtrumque habent ſexum. 456.1.a

ἀγγελία *& nuntium & temulentorum ſaltationem ſignificat.* 728.1.c

Angeli exiliter tantùm laudant & glorificant Deum. 174.1.d *in ſolum Deum intenti ſunt.* 206.1.d *vno verbo tantum dicunt, quantum homines mille.* 239.1.b *gaudent ſanctis colloquijs.* 239.1.d *boni ſunt nuntij.* 315.1.d *gaudent ſuper pœnitentia peccatoris.* 333 2.a.b Angelus mortis *in Script. dæmonem ſignificat.* 400.1.d *angelorum mediatrix qua ratione dici queat B. Virgo.* 897.1.b.c *angeli ei morienti adfuere.* 802.2.c

Angliæ totius ſtatus mutatus per impium regẽ. 684.1.a.b

vox Angulus *deriuatur ab anguſtia.* 556.2.d *angulus domatis, qui præfertur cohabitationi cum muliere litigioſa, quatuor denotat.* ibid.

Anhelans vehementer, validus eſt ad onera ferenda. 461.1.a.2.a

Anima vna etiam hominis viliſſimi quanti ſit pretij. 276.1.c *anima colenda eſt vt terra.* 287.2.c *anima ſancta eſt ſponſa Dei.* 118.2.d. 490.1.c *eſt domus Dei.* 199.2.b *Chriſtum decorat quaſi corona.* 281.1.a *cur dicatur lux.* 307.1.d *& anima impij lucerna,* 2.a *anima ſanctificata ad vomitũ reuerſa eſt ſimilis ſui circulum aureum in naribus habenti.* 268.2.c *anima viri vnde dicatur pretioſa.* 140.2.a *anima dignè communicantis ſit triclinium Sapientiæ æternæ.* 199.2.d.& ſeqq. *quinam eius ſint conuiuæ myſtici.* 209.1.a *anima in laborando magis patitur & fatigatur quàm corpus.* 409.1.d *non eſt ex traduce.* 494.2.b.c. 529.1.a *eſt ſpiraculum hominis & ſpiritus.* 537.2.d *eius lux alia naturalis, alia ſupernaturalis.* 540.1.a *eam Deus qui creauit, poteſt eripere.* 494 2.b *eius contentio ob luctam charitatis & concupiſcentiæ.* 433.2.a *eius vita & mors à lingua oritur.* 469.1 a.b *ea nobis inprimis curanda.* 475.2.c.d *eius cultor eſt velut cultor vineæ.* 673.2.a.& ſeqq. *quomodo quiſque ſuam animam regere debeat.* 850.1.a *eius alimentum eſt doctrina & diſciplina.* 633.1.d *à verbis Dei expurgatur.* 819.2.b *& penetratur.* ibid.d *eius quæ ſint veſtimenta.* 633.1.a *tropologicè*

pologicè in muliere forti deſcribitur. 866.1.d. 868.1.c. 869.2.a totam ſe vni det Deo. ibid.2.b Chriſto reddit bonum. 870.2.d quomodo operetur lanam & linum. 873.1.a.b eſt velut nauis de longè annonam comparans. 874.1.d tribulationibus proficit. 875.2.d quomodo lumbos ſuccingat, & roboret brachium ſuum. 877.2.a eius lucerna non extinguitur. 878.2.c qua duplici veſte induatur. 882.2.a.b qua fortitudine & decore veſtiatur. 889.1,a in morte à Chriſto laudabitur ob opera quæ viuens præſtitit. 911.1.a Deus vocatur animæ ſeruator. 658.1.d anima pigri in quæ mala ruat. 673.1.a.b.2.c. 680.1.a anima in amantibus eſt vna. 886.2.b quæ animæ ſcientia dicatur. 475.1.c.d anima ſicca ſapientiſſima. 508.2.c anima ſæpè ſignificat animæ deſideria & conſilia. 794.2.b cura animarum ſuſcepta deberet gemitum in animis ſuſcipientium excitare, non plauſum. 437.2.d

Animas afflictas, oppreſſas, cæcas & ſcrupulis implicatas, ſuſcipiunt, ſubleuant & illuminant ſancti. 276.1.c earum conuerſores, etſi aliquid ſibi ſordium in conſcientia contrahant, fructus tamen colligunt vberiores. 326.1.c animæ in Purgatorio pœna damni mirè torquentur, imò aliquæ ſolam deſiderij pœnam habent. 311.2.d

Animalia parua aſtutiora magnis. 19.1.a.b animalia pleraque morſu pugnant. 411.2.a animalia breues habentia nares, ſunt infirma; at longas & latas, fortia. 482.2.d. & ſeqq. cur in fœtus ius vitæ & necis habeant. 494.2.c Adamo peccanti parere noluere. 574.1.a omnia horrent pericula. 594.1.c eorum arma ſunt dentes, vngulæ, cornua. 698.2.d omnia timent leonem. 485.2.a maxima pauent à minimis. 843.2.d quænã animalia vomant. 811.1.c

Animus hominis quodammodo ſtatera eſt. 252.2.a ei vnde debeatur virtus. 263.2.b animus ſanus facit corpus & carnem ſanam. 350.1.b ſuam ſanitatem, quietem, lætitiam & ægritudinem, turbationem & mæſtitudinem communicat corpori. ibid.c animus ſenſitiuus deſcribitur. ibid.d animum vincere quàm nobilis ſit victoria. 414.1.c.d animi triſtitia eſt penè incurabilis. 440.1.c eius ſenſa non ſunt temerè loquendo effundenda. 445.2.c animus virilis facilè mala omnia ſuſtinet. 460.2.d. & ſeqq. animus fucatus diu tegi nequit. 732.1.d eius deſcriptio. ibid. & 733.1.b.d.2.c animi impetus in re aliqua efficienda non eſt ſtatim totus expromendus, ſed per partes diſpenſandus. 796.1.a animus donantis ſuperet donum datum. 426.2.c

Annæ Bolenæ aſtus & vafrities. 212.2.a

Annonæ flagellatores grauiter peccant, & à Patribus vehementer perſtringuntur. 271.2.b.c ſæpè à plebe cæduntur. 272.1.a annonam neceſſariam familiæ ſapiens comparet. 650.1.b

Annuere ſolent homines varijs de cauſis. 229.2.d annuens oculo dat dolorem: habet id locum in oculis laſciuis. ibid. item in adulatoribus. 230.1.a

Annulus ſponſalis ſymbolum eſt amoris coniugalis. 148.2.c annulo ſolebat incidi effigies ſponſi vel amici. ibid. & 689.2.c.d

Anni vitæ tam longæuitatem quàm ſanitatem ſignificant. 58.1.a.b

S. Anſelmus affectu commiſerationis mouebatur erga beſtias. 286.2.c

Anthropophagi deuorant homines. 536.2.a

Antichriſtus erit monarcha mundi. 853.2.c.d

Antigoni regis Macedonum clementia. 542.1.a

Antinous Adriano Imp. in delicijs fuit, hinc illi variæ ſtatuæ erectæ. 853.1.a

Antiochi Epiphanis oratio Deo abominabilis fuit. 771.1.b

Antipathia varia in rebus naturalibus. 623.1.c.d lupi & ouis durat etiam poſt mortem. 852.2.c

Antliæ vſus in aqua haurienda. 514.2.b.c

M. Antonini Imp. lenocinium in vxoris Fauſtinæ adulterio. 471.2.d

S. Antonius quomodo ad Chriſtum ſit conuerſus. 168.1.c ſemper in virtutibus creuit. 122.1.b in Deo confidens dæmonum ſpectra non curabat. 229.1.d. 430.1.d vultu erat ſemper hilari ex continua lætitia mentis. 440.1.c. 900.2.a item eius monachi. 789.2.a

S. Antonij Patauini lingua poſt mortem diu integra reperta eſt. 241.1.c

S. Anuph Abbas omnia quæcumque voluit à Deo ſciuit. 80.2.b

Apes ſibi & alijs laborant, docent homines facere eleemoſynas. 128.1.b ſunt ſymbolum B. Virginis. ibid.c habent regem: deteſtantur inertes & ſegnes. ibid.d ſunt typus Religioſorum. ibid. 129.2.a vocantur diuinæ. 128.2.a quæ in iis homini ſint imitanda. ibid.b varius earum labor. ibid.c earum natura deſcribitur. ibid.c.d ſunt prudentiæ & caſtitatis ſymbolum. 408.1.d mel legunt è floribus odoratis. ibid. id in fauis condunt & cera incruſtant. 2.c. 129.1.d regem habent, eumq́; aculeo carentem ac placidum. 485.1.b tempore pluuio intra alueare ſe continent. 584.2.c mel non conficiunt è floribus, ſed rore aërio: nec id faciunt, ſed confectum exportant. 128.1.c. 659.1.a ſunt caſtæ. 659.1.b ſunt pacificæ: vnde ſint dictæ. ibid.c paruæ optimum mel conficiunt. ibid.d non ſunt maleficæ, nec ignauæ. 660.1.a fugantur à fumo. ibid.b

ἀφοβία quid ſignificet. 371.1.a

S. Apollinaris mulier inter monachos veſtitu virili egit. 152.1.c

Apollo quadrimanus & quadriauris quid denotaret. 95.2.c

Apologi ſpecies ſunt parabolarum. 13.2.a apologi morales Cyrilli elegantes ſunt. 10.2.b apologus vulpis & corui. 20.2.c prædonum. 31.1.a vrſi & bouis. 32.1.a alius vulpis & corui. 34.2.c ſanguiſugæ & formicæ. 37.1.a ouis & cerui. 90.2.c elephantis & viperæ. 121 2.b paſſeris & turturis. 117.2.b cicadæ & formicæ. 127.1.c muſcæ & araneæ. 139.2.a porci & felis. 146.1.a hominis & ſatyri. 168.2.b corui & vulpis & ſimiæ. 210.1.b ſerpentis & agricolæ. 215.2.b pauonis & erinacii. 233.1.b.c ſatyri & chamæleontis. 2.a aucupis & viperæ. 254.2.d vulpis & formicæ. 261.2.b araneæ & bombycis. 264.1.b.c pauonis & corui. 268.1.d lupi & bouis. 270.2.b ſimiæ & vulpis. 285.b.c piſcatorum. 294.2.b Crocodili & aniculæ. 305.1.b cucurbitæ, oleæ & palmæ. 310.2.a.b agricolæ & filiorum. 319.1.a vulpis & animalium. 335.2.b voluptatis & doloris. 336.2.a bouis & porci. 338.2.d ſimiæ & vulpis. 380.1.c capreæ & leonis furentis. 400.2.b vulpis & galli. 449.1.c.d ſimiæ cauda carentis. 455.1.c equi & bouis. 476.1.c.d pueri & matris. 495.1.d corui & ſerpentis. 554.1.b & caſſitæ. ibid. apis & araneæ. 555.1.c olei & aquæ. 565.1.a vrſi, agni, columbæ. 595.1.c cameli cornua ambientis. 624.1.a apis & bubonis. 644.2.b firmamenti & Saturni. 683.1.b.c galli & vulpis. 737.1.d. & ſeq. de veritate omnibus inuiſa. 782.2.c vulpis & muſtelæ. 830.2.c

muſcarum vulnera lingentium. 831.2.d teſtudinis & muris. 882.1.c.d
Apoplexias quis propriè dicatur. 441.1.a
Apoſtaſia eſt mera vanitas. 821.1.e
Apoſtatæ partes & munia. 131.1.c is nihil facit Deo placens. 2.a idem eſt Salomoni qui impius. 132.2.d apoſtatæ acerbis vuis & fumo repræſentantur. 247.2.c apoſtatæ à fide & Religione ſunt velut fons pede turbatus. 707.2.b
Apoſtemata quomodo curentur. 545.1.c.2.a
Apoſtolici viri fuere ob concordiam inexpugnabiles. 467.1.c linguis ſuis ignem tam ſibi quàm ſuis omnibus vitam gratiæ & gloriæ conciliant. 468.2.c margaritis coferuntur. 523.2.d ſunt velut Cherubini Ezechielis quadrifaciales. 766.1.d in compitis & foris prædicant. 36.1.a
Apoſtoli ſunt veluti binnuli ceruorũ ob varias analogias. 119.2.c in vijs, portis & tribunalibus Chriſti fidem prædicarunt. 163.1.a.b ſunt vertices Eccleſiæ. 2.a in quo ſapientiam, Chriſtum, Deiparam imitentur. 128.2.c cur vocentur ancillæ Dei. 204.2.b quales fuerint concionatores. 236.1.d eorum ſonus exiuit in omnem terram. 241.1.b fuere nuntij fideles Dei. 315.1.d & boni nuntij. 383.1.d ſunt miniſtri intelligentes Dei. 357.2.b & piſcatores, venatores, meſſores myſtici. ibid. Apoſtoli ſuam prædicationem obſignarunt patientiâ. 482.1.c qui eos affligit, Chriſtum affligit. 445.1.a equo denotantur. 578.2.c poſt receptum Sp. ſanctum non commiſere venialia deliberatè. 663.1.b fuerunt fideles Dei legati. 691,1.d per quadrifaciales Cherubim Ezechielis repræſentantur. 766.1.d etſi pauperes, in die iudicij condemnabunt diuites ſuperbos & iniquos. 773.1.c fuere velut arietes. 853.1.d
Appetitus rationi pareat. 468.2.a.710.1.b & tunc per vxorem morigeram denotatur. 471.1.c appetitus mali nobis eſt innatus. 558.1.d appetitu expleto res appetita vertitur in nauſeam. 743.2.c.d
Aprilis dictus eſt ab aperiendo. 761.1.c
Aqua non facit globum à terra ſeparatum. 188.1.a ipſa vbique terrarum reperitur, ſi effodiatur terra. 189.1.d aquæ ſuper firmamentum ſitæ vallatæ ſunt ſurſum gyro cæli empyrei, & deorſum circulo cæli ſiderei, ſeu primi mobilis. 188.1.c cur eæ ibi ſint poſitæ. ibid. aqua quomodo librentur. 189.1.c.d aquas diuidere in plateis quid metaphoricè & ſymbolicè ſignificet. 115.1.c.d aquæ furtiuæ cur ſint dulciores. 213.1.b aquæ quietæ & ſtagnantes, dicuntur mortuæ. 230.2.c aqua faciem obiectam refert. 755.1.a.2.c.d aqua communis non eſt in proprios vſus deriuanda. 432.2.a aquam in clepſydra dimittere eſt dare licentiam perorandi & initium. 433.1.c aquæ fontium per venas fluentes quodammodo percolantur. 453.2.a aquæ ſunt medicæ quòd per venas metallicas fluant. ibid. à terra è mari attrahuntur. 816.1.d ſuperæ ſunt initio mundi diuiſæ ab inferis. 546.1.a & tunc Deus eas omnes vnum in locum congregauit. 816.2.a
Aquila pullos ſuos educat ſeuerè. 629.1.b non edit carnes fulmine tactas. 667.2.b altiſſimè ceteris auibus ſuperuolat. 622.1.d.2.a.c.623.1.a per eam opes denotantur. 622.2.c.d.& ſeqq. volant eæ celerrimè. ibid.d. earum celeritas, robur, dominium. ibid. earum aliæ proprietates. 623.1.a b.c mirum quid de earum pennis. ibid.c.d.2.a ſunt nonnullæ in parentes piæ, aliæ duræ. 835.1.c ſunt typus Chriſti, & in quo. 837.2.d.838.2.a
Aquilo eſt Romæ ſalubris & vitalis, cur. 648.2.a quia Cornel. in Prouerb. Salom.
ibi per æſtatem auram frigidam inducit à montibus niue oppletis. 690.2.b lenitatis eſt ſymbolum. 692.1.b in Septemtrionalibus locis acer eſt, fugat nubes & pluuias, in Meridionalibus eaſdem parit. 704.2.d in Iudæa humores è mari adducit. ib.d. aſper, ſiccus & horridus eſt. 705.1.d aërem & terram ſerenat. ibid. in æſtu quandoque grandines, fulmina & tonitrua ciet. ibid.a.2.a cur vocetur dexter. 752.1.c.d eo gaudent qui in calidis locis habitant. ibid. d.2.a varia denotat. 2.b.c
Arachne lanificij arte cum Pallade certans, eſt in araneam mutata. 872.2.d
Aranea laboris eſt ſymbolum. 842.2.c.845.1.d eſt cibus ſtellionis. 845.2.b
Aratio tria denotat in peccati analogia. 551.2.c
Arbor vitæ repræſentat virtutem in genere. 73.1.b & qua in re. ibid.c.d ea deſcribitur: hæc myſticè eſt ipſa ſapientia & iuſtitia, item ſapiens & iuſtus. 275.2.c qualis ſit arbor virtutum. 274.1.d quæ eius folia & fructus. 2.a arbor myſtica eſt Chriſtus in cruce. ibid.b
Arcana ab ebrijs denudantur. 640.2.d.641.2.c.642.2.d vide Secretum.
Ἀρχὴ tam principium quàm principatum & præcipuum ſignificat. 993.2.c 433.1.d
Arcus triumphales eriguntur deuictis hoſtibus. 536.2.c.d
Arena portari nequit nec conſtipata, nec diuiſa. 738.1.c
Ἀρετὴ vox vnde deriuetur. 59.2.b
Argentinus erat deus præſes argenti. 240.1.d
Argentum electum quod ſit. 239.2.a eius eruendi & purgandi ratio: ibid.b.c quid in Script. denotet. ibid.c eius candor & nitor, eius pretium. 240.1.b quando id cœperit. ibid.c eius ſoliditas. ibid.d eius puritas. 2.a eius ſonus. 241.1.a argentum igne exploratur. 757.2.a eius bonitas vnde colligatur. ibid.a.b igne euadit nitidius. 758.1.c plumbo in igne conflatur. ibid.d ei è fodinis eruto admixta ſunt plumbum, ſtibium, ſtannum. 732.1.b
Aries generosè incedit, gregemq; ducit. 849.1.d.852.1.d eſt prudentiæ & prouidentiæ ſymbolum. 852.1.d eſt in riuales ferox & pugnax. 2.a eius cornua terrent elephantes, & ficui proſunt. ibid.b eius antipathia & bellum cum lupo. ibid.c, eius pelli indormientes priſci captabant oracula: eſt ſymbolum miſericordiæ & beneficentiæ diuinæ, item heroum. ibid.d item patientiæ & martyrij. 853.1.c item ſacerdotum. 2.a.b arietes ſunt in venerem propenſi. 157.2.b
Ariſtippus à Dionyſio tyranno loco conuiuij infimo collocatus non tulit id inique. 683.2.d quid dixerit de vxore ducenda. 898.1.c
Arnobius quare ſubinde in ſcriptis gentilizet. 8.2.b
Aromatibus & floribus aſpergunt meretrices lectum ſuũ. 154.1.b quæ & quando magis redoleant. 746.2.d
Ἀῤῥαβὼν ab Hebræo araba deducitur. 76.2.b
Arripi ſapientiam vult Salomon quo ſenſu. 88.2.a
Arrogantes volunt videri diuites, & ſunt pauperes. 305.2.d arrogans omnis Deo exoſus eſt. 393.1.b eſt æmulus Dei. ibid.b ſed ab eo mox punitur. ibid.c omnia ſibi licere & debere æſtimat. 551.1.b.c
Ars fallendi plerumque fallentem delectat. 214.1.a artes vetitæ myſticè ſunt aquæ furtiuæ. 214.1.c artes prauæ non locupletant. 309.2.a artis quiſque ſuæ dictamina ſequens, in eius exercitio non errabit 397.1.b ars comparanda ante vxorem. 670.2.d

2.d artes mechanicæ ſunt à paupertate adinuentæ. 581.1.c ars architectonica ædificat domum. 648.1.d
Dux Arſchotanus inutili operâ iuxta Louanium multos pauperes occupauit, ne otiando malum committerent. 409.2.a
S. Arſenius malè olentem aquam ſemper penes ſe aſſeruabat. 155.1.a ſemper lacrymabatur. 333.2.d magiſter fuit Imp. Arcadij. 356.2.b
Artaxerxes Longimanus rex Perſarum vitium ſuæ manus dextræ benignè eſt interpretatus. 39.1.c in ſiti bibens aquam putrem, prætulit eam vino. 743.2.b
Articulos caſuum ſæpè Hebræi commutant. 588.1.b
Artifex non patietur inopiam. 612.2.b artifex vnus acuit alium: quiſque enim habet ſuas rationes & modos artis, quos alter non habet. 753.2.c
cur Aruſpex viſo aruſpice rideat. 625.2.b
cur ſtellio dicatur ἀσκαλαβώτης. 841.2.d
Aſcella dicitur diminutiuè quaſi parua ala. 501.2.c
Aſcetæ priſci vino abſtinebant. 643.1.c vide Anachoretæ, continuò in virtutibus proficiebant. 222.1.d
Aſilus piſcis vexat thynnos. 336.1.d
Aſini Mauritij ſymbolum ſunt initio feruentium, poſt intepentium. 310.1.b
Aſinocamelus prouerbium in quos dicatur. 556.1.c.d aſinus ſymbolum eſt pigri. 457.1.b & ſapientis. 651.1.c mirè formidat leonem. 599.1.a fræno & camo opus habet. 714.1.a aſini Palæſtinæ ſunt viuaces & generoſi. ibid.1.b
ἀκοντία varia ſignificat. 507.1.a
Aſpar Leonem Imp. redarguit quòd promiſsis non ſtetiſſet. 425.1.d
in Aſpero colle iuxta Louanium quàm mira B. Virgo præſtiterit. 167.2.b.c
Aſsiſtentes regi, ſunt eius intimi & conſiliarij. 612.2.b.c
Aſſuefaciendi ſunt pueri virtutibus & probitati. 589.1.c.d
ἄστεγος metaphoricè dicitur garrulus. 228.1.d
Aſtomi an viuant ſolo odore, & ſine cibo. 746.2.c
Aſtutia duplex eſt, bona & mala. 18.1.c.d ea in bellis eſt neceſſaria. 2.d. & ſeqq. ſæpè capitur pro cautione, ſolertia, conſilio. 167.1.a
qui olim Aſyliæ iure Romæ gauderent. 608.2.d
Atalanta virgo fuit ab vrſa enutrita. 430.2.a
S. Athanaſius Epiſcopus Alexandr. quadraginta annis toto orbe ob perſecutionem Arrianorum vagatus eſt. 744.2.d. 786.2.a intrepidè toti penè orbi reſtitit. 765.1.c
Atheiſmus eſt centrum impietatis & peccati. 24.2.a eius cauſa ſunt opes & voluptates. 823.2.a.b
Athenodorus quod iræ domandæ dogma dederit. 795.2.c
Attonitus quis propriè dicatur, & vnde vox deducatur. 411.1.d
Atrium erat templum laicorum. 197.2.a
Attentio cordis eſt modus acquirendi ſapientiam. 45.2.b 46.1.b.d.2.a.
Auaritia eſt dilatatio cordis, cur. 550.2.d eſt quoque lucerna impiorum. ibid.a vincitur ab eleëmoſynario. 594.2.b nihil ei ſufficit. 822.2.c eſt idolorum ſeruitus. 823.2.a terrena eſt, nec vnquam ſatiatur. 829.1.a. 830.2.a.b. 831.1.b. 2.c eſt veluti ſanguiſuga. 831.2.c eius filiæ. ibid.d confertur igni. 832.1.b
Auarus dæmoniaco ſimilis eſt. 219.1.c ab opibus iniuſtis quaſi captiuatur. 256.1.a eius ſpes in morte perit. ibid.d dum aliena inuadit, non euadet ſupplicia. 266.1.d nec ſic euadet ditior, ſed pauperior. 270.1.c.d replet domum ſuam litibus, iurgijs, murmurationibus ſubditorum, item priuatione opum. 379.2.b ei omnia ſubtrahuntur. 66.1.c etiam ſibi vitæ alimenta denegat. 263.2.c eſt etiam in conſanguineos crudelis. 2.c
Auari diuites ſunt qui inopiam ſimulant, ne cogantur ſplendidè viuere. 302.2.c cur ſua in pauperes erogare timeant. 342.2.d ſæpè ſe laboribus conficiunt. 410.1.a ſuis non ſunt contenti. 423.1.a promittunt & donant pauca. 424.2.b vti lucro, ita nec labore ſatiantur. 457.2.a paucos habent amicos. 477.2.c omnibus odio ſunt. 479.1.d ſunt verè pauperes, etſi ſint diuites. 499.2.c etiam proprium defraudant genium. 502.1.d caduca inhiantes, amittunt æterna. 531.2.c eos clamantes ad ſe Deus non exaudit. 560.2.c ſua tenacitate multos offendunt. 561.1.c cur mœreant & paueant. 562.2.b eorum ſpinæ & laquei. 586.2.b ferunt ægrè de ſuis cibis comedi. 624.2.b.d. 625.1.b.c.2.c cum eis non comedendum. 625.1.c.d eorum opes ad liberalem iuſto Dei iudicio deueniunt. 770.1.d plerumque ſunt inuidi. 781.2.d iuſto Dei iudicio ſæpè non diteſcunt. 782.1.b ſunt læti animo, quia multa capiunt & rapiunt. 783.2.c. 784.1.a ſemper iurgia concitant. 784.1.c.d eis omnes in cælo, terra, gehenna maledicunt. 786.1.b ſunt pauperes iuſtitia & virtutibus. ibid.c in varias incidunt ærumnas, lites, damna. ibid. Dei cultum negligunt. 823.2.a ſunt inſatiabiles. 830.2.a.b. 831.1.b. 2.c. 832.1.b. igni infernali conferuntur. 833.1.b
Auctoris in hiſce Commentarijs methodus. 9.2.d & ſeqq.
Audaces vocantur peſtis & peſtilentes. 569.2.c ſæpè impingunt. 70.2.b
Audire audiendo idem eſt quod rectè tenere. 521.1.a
Auditores à Deo mouentur, vt perſuadeantur. 387.1.d auditorum doctrinæ quæ ſint partes. 514.1.b auditor ſimplex verbi & factor, melior erudito malè viuente. 474.2.c
Auditus ſenſus eſt diſciplinæ. 406.2.a quia eo ſapientia & doctrina percipitur. 531.2.c parat ſapientiam. 20.1.d
Auertitur impius à Deo, Deiq́; lege, timore & diſciplina. 42.2.d & ipſe alios auertit. 43.1.a
Aues ſtolidæ temerè ſe in retia dant. 34.1.b.c aues ab auibus decipiuntur. 159.2.d aues bibentes cur colla reſupinent. 213.1.a aues pullos voce & cantu ſuo ad canendum erudiunt. 633.2.d. allio ad pugnam incitantur. 713.1.c tamdiu in nido manent donec pulli cibum ſibi quærere queant. 745.1.c.d ex eo abiò volantes, in varia incidunt incommoda. 2.a.b quæ aues pullos ſeuerè educent. 629.1.b. nonnullæ ex arboribus naſcuntur. 713.1.b
S. Auguſtinus à quolibet edoceri & diſcere voluit. 20.2.b auditâ vitâ S. Antonij ad continentiam ſe conuertit. 168.1.c furatus eſt pira, non ob pira, ſed ob artem quæ erat in furto. 214.1.b ſub hæreſi fuit

matri

matri ſuæ mœrori. 218.2.a S, Hieronymum de dubijs S. Scripturæ conſulere ſolitus fuit 290.1.d quis eius ſit ſermo & ſcribendi ratio. 360.1.d eius lingua à Deo in concione directa fuit ad conuertendum quemdam Manichæum. 387.2.b Dei inſtinctu forte Biblia aperuit. 417.1.c ſuis peccatis matri ſuit mœrori. 444.1.b cur ad menſam lectionem & diſputationem adhiberet. 620.2.b ad nulla accedebat conuiuia. ibid. quæ eſſet eius oratio. 813.2.d.815.1.a

Auguſti Cæſaris clementia. 401.2.d filiam ac nepotem aſſueſecit lanificio. 872.2.a eo in Syriam profecto concepta eſt B. Virgo. 187.1.a hic ad conſilium priuatum etiam amicos adhibebat. 261.1.a

In Aula vigent doli, fraus, inuidia. 845.2.c

Aulici recta dent principibus conſilia. 399.2.b per ſtellionem denotantur, quid ab eo debeant diſcere. 845.2.b.c

Aures cuſtodiendæ ne pateant detractoribus. 422.1.b ſunt inſtrumentum ſapientiæ parandæ. 462.1.c ijs medetur acetum nitro mixtum. 700.2.b.d.70.1.a auribus apprehendere canem tutum non eſt. 728.2.b.c hæ illi rigent dum rixatur, alioquin delicatæ ſunt. 727.1.b

Aurifaber aurum camino explorat. 420.2.d

Auroræ proprietates: ei iuſti comparantur. 93.2.a.& ſeqq. vnde dicatur. 94.1.a

Aurum in India eruunt formicæ ex arena. 126.1.a aurum ophaz, eſt aurum obriſum & optimum. 175.2.b aurum deorum omnium potentiſſimus. 234.1.b aurum igne examinatur. 398.2.d.757.2.a eius bonitas vnde colligatur. 757.2.a.b.758.1.a auri venæ indicia quæ ſint. 519.2.d eius quanta ſit vis. 442.1.a.b

Auſter in locis Aquilonaribus generat pluuias, in Auſtralibus adfert ſiccitatem. 704.2.d eſt iucundus, gratus & humidus. 705.1.d cur in Scriptura vocetur theman, id eſt dexter. 752.1.d

Auſteritas vna quam vſurpamus, via eſt ad aliam. 68.2.a

Auſterus ſapor ſtomachum contrahit & roborat, nec niſi modicè ſumi poteſt. 696.1.d auſtera minus habent alimenti, plus excrementi. 2.b

cur Aui nepotibus magis coronentur, quàm patres filijs. 424.1.a.b cur magis eos diligant, quàm hi filios. 630.1.b

Auxilium Dei requiritur vt bona propoſita executioni mandentur. 396.1.b.c

Axilla diminutiuè dicitur quaſi paruaala. 501.2.c

Axiomata vocantur principia ſcientiarum. 13.2.c

ἄξιον quàm varia ſignificet. 72.2.b

Azohora Arabibus eſt lucifer à rad. zahar, id eſt ſplendere: forſan hinc dicitur aurora Latinis.

Bacchus cur dicatur crudelis. 862.2.a eius quatuor filiæ & noxæ. 638.2.d eius nauis deſcribitur eiuſq; inſtrumenta & remiges. 643.2.c.d

Balaam peſſimum conſilium regi Moab ſuggeſſit. 215.2.c eius linguam & verba direxit Deus ad benedicendum Iſraeli, 386.1.c ei manè benedixit. 750.2.c

Balearicorum peritia in funda tractanda. 588.2.a quia à puero eâ cibum edendum conijciebant. 875.1.d

Balſamum putredinem arcet: cuius rei ſit ſymbolum. 227.2.a

Baltaſſar compotatione ſua perdidit monarchiam Babyloniorum, quam Nabuchodonoſor erexerat. 297.1.a

Balteus erat cingulum è corio, vnde dictus. 887.2.d

Baptiſmus hæreticorum non eſt inualidus. 216.2.b 364.2.c

Barba intonſa ſymbolum erat pœnitentiæ. 121.1.c

Barbari nonnulli filios occidunt. 494.2.c

Barlaam Eremita quo aſtu ad Ioſaphat aditum ſibi parârit. 462.2.b

cur Bartholomeus Capranus Archiepiſc. Mediolan. famulos forma præſtantes ſeligeret. 899.1.b

Baſilicæ priſcæ Romæ adhuc ſuperſunt, palatijs euerſis. 334.2.c

Baſiliſcus ſerpens deſcribitur. 641.2. & ſeqq. enecatur à ſpeculo. 642.1.b eſt inuidiæ typus & imago. 351.2.c

S. Baſilius in quo Achilli comparetur. 64.2.c eius ſermo fontem perennem repræſentat. 452.2.c eius pallor & macies è ieiunio. 443.1.b.802.2.d ſcitè reſpondit Demoſtheni coquo ipſum conuicianti. 716.1.a in quo fuerit ſimilis arieti. 853.1.b

Baſilius Imp. Conſtantinop. Saracenos Deiparæ auſpicio cædit. 175.1.d

Beati qui viuentes Deum ardenter videre deſiderarunt, eo poſſeſſo ſummè delectantur. 316.2.b in cælo non iurant. 327.1.d ſunt rex & dominus mundi. 423.1.b non habent ſpem. 666.1.c ob eorum exultationem ſumma eſt gloria Eccleſiæ triumphantis & militantis. 774.1.d

Beatitudo cæleſtis promiſſa filijs parentum ſanctorum. 515.2.a ea animam non exſatiat, ſed ſui deſiderium ſemper exacuit. 696.1.c

Ven. Beda eſt comment. in Prouerbia S. Hieronymo aſſcriptus. 9.1.b eius in morte vox. 354.2.d

Belgæ Catholici cæſi ab Hollandis apud Neoportum ob ordines non ſeruatos. 652.1.a

vox Belial vnde deriuetur. 131.1.a quàm varia ſignificet. ibid. filij Belial qui dicantur. ibid.b.c ſignificat hominem legis iugum excutientem. 405.1.b

in Bello plus valet aſtutia quàm fortitudo. 18.2.d B. Virgo in bellis inſignem gloriam conſecuta eſt. 175.1.b belli directio ſimilis directioni nauis. 516.2.b in eo plus valet ars quàm robur. 527.1.b in eo triplex requiritur diſpoſitio. 651.1.d non mouendum vt aliena inuadantur. 852.1.d iniuſtum regibus cauendum, ſi pacificè regnare velint. 861.1.a

Beltrandus Ferrerius in venere exſpirauit, 159.1.d

Benedicere quis poteſt diuerſimodè. 271.1.a benedicere in Script. tripliciter ſumitur. 751.2.d

Benedictio tam in rebus conſiſtit quàm in verbis. 592.2.b.c & quæ vtraque. 781.1.b benedictio, id eſt bona precatio iuſtorum, ciuitatibus prodeſt. 258.1.b.2.d benedictio ſæpè capitur pro rerum affluentia. 257.2.d item pro beneficentia. 258.1.b

S. Benedictus regulis ſuis quidquam à quoquam addi vetuit. 612.1.d monachum à dæmone vexatum virgâ liberauit. 628.2.c

Benedicti Ordinis quantæ fuerint diuitiæ. 243.1.b ipſe per quos celebratus. 258.2.a

Benefaciendum citò, nec donum differendum. 78.2.d & ſeqq.

Beneficentia cur torqui adaptetur. 59.2.d. & ſeqq. eius encomium & gradus. 78.2.b.c eſt quaſi fons. 231.1.d beneficentia larga videtur eſſe latitudo cordis, æquè ac domus & familiæ. 462.2.d eâ homines & Deus conciliantur. 479.1.a eam ore prædicant multi, opere præſtant pauci. 513.1.a.b ea in Script. vocatur

catur iuſtitia. 574.1.c *ea egeno exhibita prouocat Dei in nos beneficentiam.* 655.1.d

Beneficia accepta maioribus ſunt compenſanda. 673.2.d *eorum obliuio refricat veteres iniurias, & nouas ſuſcitat.* 432.2.d *qui beneficia à Deo poſtulat, priùs eipſum accuſet.* 464.1.d *ad beneficia Eccleſiaſtica ineptum promouens ad reſtitutionem damnorum ſecutorum tenetur.* 505.1.d

Benefici eſſe omnes volunt. 499.1.b *beneficus, diuinus, imò Deus terreſtris, vocatur.* 595.1.b.c *dominus pecuniæ ſuæ.* 78.2.a *ſpargendo dona fit ditior.* 270.1.d *& à Deo benedicitur.* ibid.d

Beneuolentia regia ſoli lucenti comparatur. 401.2.b *item pluuiæ vernæ.* ibid.c *eſt regnorum firmamentum.* 479.1.a *reges decet & rectores.* 681.2.a *auro & argento præſtat.* 579.2.a *vultu ſe prodit.* 806.1.d *beneuolentia ſubditorum conciliatur lenitate.* 856.1.c

Benignitas decet reges. 681.2.a

Benigni non ſunt nimis acriter obiurgandi. 855.2.a.c *benignus in pauperes à Deo benedicitur, etſi nihil eis det.* 592.2.c

S.Bernardi inceſſus & habitus fuit modeſtus & diſciplinatus. 152.1.b *ſua dicendi agendiq́ gratia ſchiſma Petri Leonis ſuſtulit.* 258.2.a *eſt in ſtylo ſuauis & mellitus.* 360.1.d *eius morientis monita adſuos.* 375.2.c *iuuenis pudicitiæ ſuæ fuit ſedulus cuſtos.* 641.2.a *an ſit auctor ſermonis de miſeria humana.* 806.1.a

Beſſi parricidium hirundines euulgarunt. 780.1.d

Beſtias vincit obediens. 577.1.a

Bethſabee nominis omen. 811.2.c *dat filio Salomoni præcepta regendi.* 858.2.a *cur monita eius dicantur viſio.* ibid.c *præuidit filij mulieroſitatem & vinolentiam.* 858.2.c.859.1.a.2.a.860.2.b *fuit propheteſſa.* 859.1.a.b *adulterij pœnitens, fuit deinde mulier proba.* ibid.1.b *quanto affectu filio monita dederit.* ibid.d.& ſeqq. *cum ipſamet lactauit.* 2.d *cur eum vocet filium votorum.* 860.1.a.& ſeqq. *non fuit natura ſterilis.* ibid.b *diſſuadet filio vinolentiam.* 861.2.a.b

Bezæ ſycophantia in inuocationem Sanctorum. 720.1.b

Biantis de lingua hominis iudicium. 446.2.c.469.2.a

Biblia olim in menſa apud Hebræos exponebantur. 201.2.c

Bilances iudicij quæ dicantur. 398.1.c.d

Bilingues Deo ſunt odibiles. 168.2.b *& proinde homini fugiendi.* ibid. *bilinguis eſt ſuſurro, adulator, murmurator.* 454.2.d *eſt bicors.* 455.2.c. vide *Detractor, Lingua.*

cur cum Bilioſo non ſit ineunda amicitia vel ſocietas. 609.1.d.2.c

Bilis cos eſt virtutis. 127.1.d *bile carentia ſunt longæua.* 350.2.b

Binarius eſt primus numerus multitudinis. 666.2.a

Biuium rectè eri comparatur: biuium adoleſcentiæ. 587.2.a *biuium Herculis quod ſit.* 211.1.b

Blanca regina ſancta filium Ludouicum ſanctum reddidit. 218.2.b *regno ſuo mirè profuit.* 323.1.d

Blandiloqui ſunt plerumque deceptores. 528.1.c.d *cauendi ſunt.* 791.2.a

Blandimenta plus nocent quàm tormenta. 29.1.a *rectè oleo comparantur.* 106.2.c

Bombyx ſymbolum viri iuſti in quo. 337.2.d *eius transformatio typus eſt reſurrectionis.* ibid. *bombycum nutrix vna alit totam domum.* 323.1.b

Bona temporalia non dant veram felicitatem. 56.2.c *ex charitate negligi poſſunt ob maius bonum amicitiæ, at non ſpiritalia.* 298.2.c *ijs immiſta ſunt mala & dolores.* 336.1.d *ea Iudæis promiſit Deus.* 43.2.d.56.2.b.58.1.c *ſed ſpiritualia Chriſtianis.* 44.1.a.56.2.b.70.2.b.220.2.a.b *illa per ſiniſtram denotantur, æterna per dexteram.* 70.2.d *bona Eccleſiaſtica cùm ad laicorum domos transferuntur, eas earumq́ opes deuorant.* 380.1.b *bona impij ab eo ad iuſtum auolabunt.* 275.1.a vide *Diuitiæ, Opes.*

S.Bonifatius monachus Camaldulenſis ad martyrium adſpirauit. 203.2.c

Bonitas Dei elucet in mundi creatione. 75.1.a

Boni non debent cubitum concedere niſi præſtito bono. 92.1.d *bonus oculo dicitur de benigno in pauperes.* 591.2.b *quis ſit vir bonus.* 883.1.c *boni neſciunt adulari, hinc pauciora à principibus obtinent.* 479.1.c.d *boni ſoli amant ſeipſos.* 480.2.a

Bonoſus Imp. vino explorauit ſecreta barbarorum. 862.2.c

Bonum ſæpè ſumitur pro iucundo & læto. 365.2.b *bonum & felix cur vocetur dextrum.* 101.2.d *bonum difficiliùs executioni mandatur quàm malum.* 653.2.d *bonum pro malo hoſtibus rependendum.* 704.2.a *quod bonum viro accedat ab vxore proba.* 870.1.a.& ſeqq. *bonum ſæpè capitur pro læto & iucundo.* ibid.b *bona communia in proprios vſus qui detorquet, cauſa eſt litium.* 432.2.b *bona ſpiritualia diues non curat, ſed iuſtus; at caduca & temporalia hic negligit, ille in pretio habet.* 459.2.b

Bos animal eſt ſtolidum. 157.2.a *erat priſcis arationis & fertilitatis ſymbolum.* 325.1.d *eius dotes quadrant doctori & concionatori Euangelico.* 2.b *typus eſt laboris.* 325.2.c *eſt animal innocens.* ibid. *alijs laborat, non ſibi.* ibid. *eſt validus.* ibid.d *eſt cibi frugalis.* ibid. *eſt ſymbolum Religionis & martyrij.* 326.1.a *in inceſſu & aratione lentus eſt, ſed exactus.* 326.1.b *boues validi requiruntur ad colendam terram.* 325.1.c

Brachmanum modernorũ apud Indos ſuperbia. 827.1.a

Buccella ſicca cum gaudio melior eſt quàm domus plena victimis. 418.1.a.& ſeqq. *quomodo id myſticè accipiatur.* 419.2.b

Bullæ ex collo in cor pendulæ inſcribebant veteres nomen Dei ſui vel amici. 61.2.b

Burgum dictum à Græco πύργος. 458.1.a

Burgundus vnde dictus ſit. ibid.

Butyrum eſt pinguedo lactis. 855.1.b *non tamen pro adipe capi poteſt.* ibid.c.866.1.a

Byſſus veterum fuit linum præſtantiſſimum. 884.2.b 886.2.d *igni reſilebat.* 888.1.a *eſt ſymbolum pudicitiæ & caſtitatis.* 884.2.a

CAchinnus liberior peccato viam pandit. 243.1.d

S.Cæcilia fuit mulier diligens & corona viro ſuo. 281.1.c *nouem eius coronæ.* ibid.d *conuertit ſponſum ſuum Valerianum ad fidem.* 471.1.b.886.2.a

Cæcitas mentis eſt quoddam peccantium profundum; ſequitur ea ex conſuetudine. 451.2.a

Cæcitas & caligo peccatorum. 95.1.c.d

Cædes deliberata graue ſcelus eſt. 134.2.d

Cæleſtis gloriæ dilatæ deſiderium Sanctos mirè excruciat. 311.2.b.c *ipſum eſt cauſa compunctionis.* 333.2.c *ea menſæ comparatur.* 204.1.a

Cæleſtium cogitatio arcet triſtitiam. 703.1.a.b *cæleſtis gloriæ*

gloria eſt Sanctis quaſi gemma pretioſiſſima. 427.1.d
Cælibatus præſtat rixoſo coniugio. 557.1.b
Cæli diſtantia à terra. 376.2.b eſt elementis præſtantius, quia altius. ibid.d cælum eſt vrbs fortium & fortitudinis, quia in illam parandus eſt aditus fortitudine. 234.2.b & quia in ſe eſt fortiſſima. ibid.c cælum empyreum eſt immobile. 188.1.c.d cælorum concentus eſt myſticus, non muſicus. 191.2.b quomodò in cælis ludat Deus. 192.2.c cælum creatum à Deo pro iuſtis. 391.1.c eius influxus an ſit cauſa bonæ fortunæ. 532.2.d eius altitudo incerta eſt. 680.2.a obedienti cedit. 575.1.c emitur laboribus. 876.2.b eleemoſynarijs promittitur. 594.2.b ibi fugantur omnes vmbræ vanitatis. 459.2.a
Cæſares Romanam remp. perdiderunt. 854.1.d
Caia Cæcilia eſt eadem quæ Tanaquil. 872.1.a
Caij Cæſaris occidendi præſagium. 99.2.a
Cain noluit ſeipſum accuſare, & ideo permiſſus diabolo. 464.2.d.465.1.b ob parentes afflictos percuſſus eſt à Deo membrorum tremore. 503.2.b vnà cum dono cor ſuum Deo non dedit. 635.1.b.c
Calamitates ſunt iuſtis merita, impijs ſupplicia. 404.2.c eas adauget prior felicitas. 112.1.d
Calani epiſtola ad Alexandrum Magnum ſapientum libertatem oſtendit. 420.1.d
Calculis olim ſortes iaciebantur. 415.2.d & iudices ſententiam condemnationis vel abſolutionis dabant. 526.2.b an calculi numerarij intelligantur per aceruos lapidum. 719.2.b.720.2.a
Caleb fuit legatus fidelis à Moſe miſſus. 691.1.c
in Calice Euchariſtico aqua vino eſt miſcenda. 202.2.d
Calida vitam reuocant & conſeruant. 691.2.b cur dein fiant frigidiſſima. 835.2.b
Caligula Imp. ob ſæuitiam omnibus exoſus, cæſus eſt à ſuis. 857.1.a
Callidus tam eſt verſutus & vafer, quàm prudens & cautus. 583.2.a
Callis eſt iter pecudum. 56.1.b
Calliſthenes ab Alexandro ob libertatem dicendi eſt occiſus. 469.2.a
Calor cauſa agilitatis, magnanimitatis, ferュoris. 456.1.c his ſi intermittatur oritur tepor. 885.2.a.b
Caluinus in Deum reijcit omnia hominum opera tam mala quàm bona. 476.2.d docet neminem in hac vita verè eſſe iuſtum. 517.2.c
quis Calumniari pauperem dicatur. 602.1.c
Calumniam mendacem execratur iuſtus. 303.2.c
Calumniator perinde facit ac ſi proximum gladio confoderet. 292.2.a inſipiens eſt, ſibiq; malum creat. 237.1.a ſibi adfert mortem, vitam verò calumniam æquo animo patienti. 469.2.b dat ſæpè calumniæ ſuæ pœnas. 481.1.a
Caluitium domus eſt prudentiæ. 713.1.d
Camelus mercibus onuſtus ſymbolum eſt diuitis & diuitiarum. 624.1.b
Camus diuerſa ſignificat in equorum vſu. 413.2.d
Cancellorum in feneſtris vſus. 150.1.c
Cancri incedunt obliquè, vel retrorſum. 52.1.d cautè ſe à periculo ſubducunt. 584.1.d
Candor placet regibus. 598.1.a mira eius vis. 228.2.c.229.1.b
Canum luxuria & impudentia. 157.2.c.d prouerbia ab ijs deducta. ibid.d canis reuerſus ad vomitum ſymbolum eſt peccatoris peccata iterantis. 725.1.b.c vomitum procurat, & eum reſorbet ex innata ingluuie. ibid.c cauda oſtendit ſuos affectus. 728.1.d maximè irritatur ſi auribus apprehendatur. 1.b.c quia eas habet delicatas. 729.1.b eſt idea rixæ. ibid.c eſt ſymbolum inſolentiæ, rixæ, fœditatis, impudentiæ. 758.2.d canis venaticus deſcribitur. 747.2.b canes ſæpè homicidas dominorum indicarunt. 780.1.d
Canities eſt ſenibus inſtar coronæ. 412.1.c eſt eorum dignitas. 542.1.d.& ſeqq. dicta eſt à candore. 2.a
an Cantica Canticorum metro ſint conſcripta. 677.2.b.c
Cantus meretricius quàm ſit noxius. 106.2.b cantus infringit mœſtitiam animi. 700.2.d.701.1.a
Capilli cani decorant ſenes. 542.2.a docent eos moderationem paſſionum & affectuum. 2.b
Capitolium fuit arx Romanorum. 458.1.a
in Capitulis monachi virgâ caſtigantur. 628.2.c
à Capite deriuatur ſanitas vel infirmitas corporis. 401.1.d
Capræ ſumma montium iuga petunt. 116.2.d breuis ſunt vitæ. 157.2.c
Captiuæ puellæ ſunt plerumque virgines; ideo raptores ijs magis inhiant. 213.2.d
Carbones ſunt indicium theſauri reperiendi. 48.1.a ſymbolum ſunt flabellorum iræ. 731.1.b.c
Cardamum ceteras herbas ſibi vicinas cogit exareſcere; alia eius nomina. 623.1.d
Cardo dicitur quaſi cor oſtij. 727.2.a
Cardines terræ qui vocentur. 187.1.d
Carmina valent ad curandas animi ægritudines. 700.2.d.701.1.c quale fuerit olim Hebræorum carmen. 866.1.b
Carnales ſunt velut pueri. 36.2.c.d.& ſeqq. vide Libido, Voluptas.
Caro ſæpè capitur pro toto homine. 96.1.c metonymicè pro anima & concupiſcentia. ibid. in Scriptura ſignificat propinquos. 263.1.c.2.a caro mulieris eſt velut prunæ ardentes. 141.1.a.142.2.d caro & ſanguis Chriſti verè eſt in Euchariſtia. 202.2.b.c caro domanda ieiunio & aſperitate. 802.2.c.& ſeqq. carnem eiuſq; concupiſcentiam vincit obediens. 573.2.b.c caro Chriſti in Euchariſtia facit homines diuinos & igneos. 619.1.a carnium eſu abſtinuerunt primi homines. 762.1.b
S. Carolus Borromæus diœceſi ſuæ optimos præfecit paſtores. 22.1.b in pauperes mirè liberalis fuit. 380.1.c Eccleſiam Mediolanenſem ſanctam reddidit. 205.2.d
B. Carolus Flandriæ Comes à dardanarijs quibuſdam frumentarijs Brugis cæſus eſt. 272.1.b
Carolus audax Dux Burgundiæ ordinem Velleris aurei inſtituit. 853.1.a
cur Carolus Magnus filias aſſueſecit linificio. 872.2.a.b
Caroli IV. erga litteras amor & ſtudium. 20.2.b
Caroli V. Imp. gnome de mundi lætitia. 337.1.a ne vel quadrantem horæ curis vacuum habuit toto tempore regiminis ſui. 703.1.d omnium nationum ingenioſe accommodabat. 723.2.d è tribus P.P.P. bonum reip. regimen colligebat. 893.1.a
Carthaginenſes filios ſuos Saturno immolabant. 485.2.d
κάρυον, id eſt nux, dicitur à κάρα, id eſt torpedine. 154.2.b
Caſti mirè placent Deo. 597.1.a.d
Deus Caſtigat ſuos varijs de cauſis. 67.1.a. & ſeqq. caſtigare omittens filium ſuum, eum odit. 320.2.c
Caſtigatio quanti ſit meriti & boni. 67.2.b.c ea filio quantum proſit. 321.1.a.b caſtigatio impiorum reddit ſtolidum ſapientem. 558.2.b caſtigatio filium emendat etiam contumacem. 485.1.d.2.a at ea ſit moderata. 681.2.c.628.2.c.d eius negligentia eſt cauſa damnationis filiorum. 629.1.d eam Superior mollibus verbis condiat. 669.2.a vide Correptio.

Caſtitatis pulchritudo. 146.1.b.c ipſa ſoror eſt ſapientiæ. 149.2.b.c pro amici caſtitate licet vitam periculo exponere. 298.2.d caſtitas cordis & verborum placet Deo & regibus. 596.1.c vbi caſtitas ibi omnis puritas, ſinceritas, virtus. ibid.d caſtitas per humilitatem cuſtoditur. 600.1.d.2.d reddit ea fortes. 877.1.c
Caſus dominatur in rebus dubijs & incertis. 466.1.a
Catechiſtæ matres imitentur. 407.2.d
Catena Græcorum PP. in Prouerbia commendatur. 9.1.d Catena trium Hebræorum Rabbinorum quantæ auctoritatis. 9.2.b
quàm S. Catharinæ Senenſi Chriſtus fuerit familiaris. 80.2.c diu ſola Euchariſtia vixit. 221.1.a ex vnica communione animæ dominium adepta eſt. 617.1.c eius alloquio ad ſanam mentem omnes redibant. 891.1.c
Catharinæ reginæ Angliæ votum circa proſperam & aduerſam fortunam. 821.2.c
Catholici gaudent de Catholicorum victorijs. 316.1.d Catholicus malus eſt velut nuntius piger. 247.2.c
quid Cato reſponderit Munatio amico parum ciuiliter ab eo repulſo. 696.2.d
Catuli ferarum parentum efformationem ſuſcipiunt & ſequuntur. 633.2.d
Cauda in canibus eſt valdè ſenſibilis, & ea omnem affectum indicant. 728.1.d
Cauſa vocatur à caſu. 724.1.d cauſa prima debet ſupplere defectum ſecundarum. 416.2.d has diſponit Deus, vnamquamque iuxta conditionem ſuam. 477.1.c cauſas pauperum defendunt viri iuſti. 792.2.d. 793.1.a.c
Cautela negotiorum tractationi præmiſſa proſperum eorum facit ſucceſſum. 776.1.d
Cedrus medetur putredini. 227.2.a eſt ſymbolum æternitatis & immortalitatis. ibid.
tria Celari nequeunt, mulier, ventus, vnguentũ. 752.1.b
quanta ſit Celebritas B. Virginis in Eccleſia. 894.1.b.c
Celeritas nimia ſugillatur. 310.1.c.d
Cellarum apum concinna conſtructio. 408.2.c
Celſa vitanda, quia ruinæ proxima. 435.2.b
Cenodoxia monachis fugienda. 692.2.a
Centrum eſt ſymbolum peccati inueterati. 451.1.d centrum terræ an rectè vocetur caput puluerum terræ. 187.2.a an id vocari queat abyſſus. ibid.d
Centuplum promiſſum omnia relinquenti propter Deum. 422.1.d centuplum reddit Deus eleëmoſynarijs. 490.2.b.c
Κεπφόμαι ſignificat efferri, leuiter circumagi. 157.1.a
Cepphus auis eſt marina, leuiſſima; prouerbialiter ſumitur pro decepto & ſtolido. 157.1.a.b. & ſeqq.
Ceraſtes ſerpens deſcribitur. 641.1.c.d
Cercopizare idem quod adulari. 455.1.d
Cercopes erant populi in Epheſo notæ fraudulẽtis. 455.1.d
è Cerebro oritur ſemen naturale. 111.1.b
Cerei in Deiparæ honorem accenſi in eccleſia S. Mariæ Maioris olim in pondere non minuebantur. 164.2.b cur, cùm Cerei duodecim in officio Maioris hebdomadæ extinguantur, vnus accenſus maneat. 879.1.a
Certantes & laborantes ſoli cælos ſubeunt. 222.2.a
Certitudo de beatitudine adipiſcenda mirè hominem recreare debet. 706.2.d
Ceruа comes & nutrix fuit S. Ægidij. 117.1.a eſt cerua ſymbolum amoris coniugalis. ibid.1. & ſeqq. 2.d. & ſeqq.
Cerui proprietates & natura deſcribitur. 2.d. & ſeqq. vnde dicatur græcè ἔλαφος. 118.2.a quamdiu viuat. ibid.c eſt ſymbolum Chriſti. 119.1.d & Eccleſiæ & amici. 2.d amore cerua ardet, ideò à venatore facilè capitur. 158.2.a.b eius ſtoliditas. ibid.d
Chaldæi Hebræum ש mutant in ת. 12.1.a
Chalybs ferrum durat. 753.1.d
Chamæleon ſymbolum eſt ambitioſi. 223.2.b
Chananæus idem eſt quod mercator, quia Chananæi mercaturæ maximè deditі erant. 887.1.d.2.a
Charitas eſt primaria omnium virtutum. 99.2.c eſt ſapientiæ principatus. 241.a.b eſt ſanitas cordis. 350.2.b celat delicta & lites fugit. 231.2.b charitas iuſtorum quàm ſit ampla. 282.2.d dilatat viam hominis ad Deum. 463.1.a oleo repræſentatur. 567.2.c caſtitatem puriorem reddit. 596.1.d virtutum regina eſt & nodus. 389.2.b 649.2.c vulnerat vt medeatur. 741.1.d eſt inſatiabilis. 829.2.d charitas hoſti exhibita vincit diabolum. 704.2.a charitas hominis ſancti reddit opus bonum eximium vel pretioſum in oculis Dei. 389.1.a.c.2.b creſcit inſtar ignis in viris ſanctis. 654.1.b ea ſe extendit ad proximum. 394.1.d charitas Chriſti erga fideles in Euchariſtia. 619.1.a charitas B. Mariæ Virginis immenſa fuit. 883.1.b vide Amor.
Charites tres horarum ſunt ſorores, eæ matrimonio neceſſariæ. 470.2.d. & ſeqq. ſunt filiæ Iouis & Veneris. 28.1.b
Charopus color quis ſit. 443.1.a
Charybdis vnde vocetur: eſt ſymbolum libidinis. 108.1.c
Cherubinorum Ezechielis facies quatuor ſymbolicè explicantur. 766.1.d denotant hi virtutes quatuor cardinales. 850.1.c
Chiliaſtæ cenſebant Sanctos per mille annos in terra cum Chriſto regnaturos. 56.2.d
Chilpericus deſidia ſua perdidit regnum Francorum, quod Pharamundus vigore ſuo inchoarat. 297.1.a
Cholerici ſunt puſillanimes. 349.1.c inepti ſunt ad regendum. 446.2.a non ſunt nimis acriter increpandi. 855.2.a
quam Choream angelorum Mahometani monachi vocent 439.2.a
χρῆμα dicitur à χρῆσθαι, id eſt vti. 66.1.c
Chriſtiani in quo ſerpentis aſtutiam debeant imitari. 18.2.c inter cruces ſolantur ſe ſpe bonorum cæleſtium. 44.1.a.b ijs potiùs quàm Iudæis ſapientia vitam æternam & veras diuitias & gloriam cõfert. 70.2.c cur ijs fugienda vnguenta & delicioſi odores. 54.1.c eſt ipſis promiſſa terra viuentium in cælis. 249.2.a Chriſtiani primi floribus coronari nolebant. 281.1.b qualis eorum eſſet menſa. 201.2.a ſint imago Chriſti. 617.2.c ſunt domini Iudæorum. 590.2.b.c ſapidum de ſe Chriſto epulum præbeant. 617.1.d Chriſtiani ficti ſubducunt ſe in periculis pro fide imminentibus, at ſinceri in ijs morti ſe exponunt. 583.2.a.b Chriſtiani Hieroſolymitani vrbis excidium euaſerunt ſecedendo in vrbem Pellam. 566.2.a
Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinæ naturæ. 617.2.c
S. Chriſtophorus verus fuit Sanctus & Martyr: non eſt emblema pugilis cuiuſuis Chriſtiani Chriſtum portantis laborando & patiendo. 720.1.c.d
Chronologia Salomonis. 4.1.a.b
Chryſaorius in morte inducias ſibi dari fruſtra Petijt. 121.2.b
Cibus integer in ſtomachum tranſmiſſus eum onerat. 537.1.d cibus nobis incorporatur. 619.1.a.b cibus delicatus eſt panis mendacij. 2.a.b cur cibi à muliere forti in domeſticos diſpertiti vocentur præda. 875.1.a. & ſeqq.

M.Cicero in aduerſarios ſuos benignus fuit. 704.1.d
Cyneas Pyrrho regi orator & conſiliarius fidus fuit. 356.2.d huius dominandi libidinem ſcitè repreſſit. ibid.
Cinguloſe accingunt laboraturi, profecturi, pugnaturi 877.1.c id erat Palæſtinis in vſu idq; acu pictum. 887.2.c ſymbolum eſt pœnitentiæ & mortificationis. ibid.d vide Zona.
Circulus figura perfectiſſima eſt. 50.2.a circulus aureus in porco, eſt formæ venuſtas in laſciua. 267.2.c
Circumcelliones hæretici Imperatorem in Catholicos irritare conati, eum vindicem ſenſerunt. 484.2.c
quomodo Circumdandæ collo miſericordia & veritas. 59.2.a.b
Ciſterna varia ſymbola. 112.2.d.& ſeqq.
Citò dandum. 78.2.d.& ſeqq.
Ciues concordes vrbem tutantur & propugnant. 466.2.d per leporem denotantur. 845.2.a
Ciuilis & ſocialis ſit vita hominum. 126.1.d
Ciuitas Dauid cur vocetur arx. 205.1.b.c ciuitas omnis habere debet pauperes & diuites. 582.1.b.c ciuitates laborant inedia, cùm pauperes oppreſſi artes ſuas deſerunt. 767.2.c
Clades pijs paratas ſubeunt iniqui & impij. 566.1.a.b pij ſæpè euadunt clades communes reipubl. ibid.d clades Chriſtianorum in Hungaria contigit ob eorum in perſequendis Turcis fugientibus inordinationem. 651.2.d
Claudus pedibus ſymbolum eſt nuntij ſtulti, & eum mittentis. 716.2.b.c claudum dedecorant tibiæ pulchræ. 717.2.b.c in inceſſu ſaltitat. ibid.c
Clauſtra linguæ naturalia & ethica quæ. 710.2.b.c
Cleanthes cur dictus ſit aſinus. 651.1.c
Clemens dicitur quaſi colens mentem. 265.1.c qui clemens eſt, virtutum ſe capacem reddit. ibid.
Clementia excellit inter opera iuſtitiæ. 265.1.a.b ex ea omnis bonitas & ſanctitas promanat. ibid.b regibus optimum ſatellitium eſt. 411.1.b.541.1.b.& ſeqq. omnium bonorum eſt mater. 541.2.c eſt effectus ſapientiæ. 891.1.c
Clepſydra olim ex aquæ fluxu fiebat: ad eam actores in iudicio & accuſatores perorabant. 433.1.b.c
Clerici ſuperbientis funeſtus interitus. 404.2.d clerici otioſi laborem pij operis reformidantes, ipſum ideo omittunt. 599.1.d.2.a eorum mores & veſtitus inordinatus ſugillatur. 185.2.b
Clotildis regina maritum ſuum vnà cum regno ad Chriſtum conuertit. 323.1.d.886.2.b
Clytemneſtra Agamemnonem ob pellicatus ſuſpicionem interfecit. 106.2.b
Cochleæ quomodo ſibi ab hoſtibus caueant. 584.2.a
Codex iuris ciuilis videtur liber oraculorum. 397.1.c
In Cœmeterium ſolent lapides coaceruari. 718.2.a
Cœna ſapientum olim ſapientibus ſententijs condiebantur. 197.1.b.201.1.d.202.1.a
Cœnobitica vita potior eſt anachoretica. 467.1.d eius commoda, 753.2.d
Cogitanda ſemper bona ſunt. 655.1.a.433.2.c
Cogitantes mala cauendi ſunt. 411.1.c cur cogitans malum certiùs id exequatur, quàm cogitans bonum. 653.2.d
Cogitata exitum optatum non conſequuntur ſine conſultatione. 375.2.b
Cogitatio bona vel mala eſt radix omnis boni vel mali. 282.2.b.378.1.b ex ea Deus metitur amorem. 378.d cogitatio eſt triplex. 97.2.d cogitatio iuſti fertur ad virtutem, impij verò ad peccata. 235.1.d.654.2.a cogitatio turpis & libidinoſa eſt velut ignis in ſinu ardens. 141.1.b eius remedium. ib.c cogitatio Dei vbique præſentis quanti ſit momenti. 62.1.b.c.d cogitatio à ſolo Deo perſpicitur & ordinatur. 388.2.b.539.1.c
Cogitationes ſuas ſequens, ſemper aget malè, ac de vna impietate procedet ad aliam. 278.2.b à primordijs cogitationum pendent opera totius diei. 136.2.a circa eas maxima eſt cura adhibenda. 378.1.c cogitationes ſoli Deo ſunt notæ. 366.2.a.b earum radix examinanda, & hac cognitâ eæ eradicandæ. 379.1.d cogitationes bonæ Deum & angelos oblectant. ibid. 378.1.a.b.d eæ excludunt motus prauos animi. 98.2.a cogitationes ſanctæ ſunt habendæ ante ſomnum. 136.1.d cogitationes iuſtorum quomodo ſint iudicia. 282.1.b.2.a cogitationes impuræ ſunt tela ignita diaboli. 91.2.d cur eæ Deo maximè diſpliceant. 378.1.a.b.d.2.c ſunt eæ maximè illecebroſæ. ibid. ſunt oratione ſuperandæ. 379.1.c ex ijs ſequitur egeſtas ſanctorum deſideriorum, gratiæ & virtutis. 130.1.d cogitationes malæ vocari poſſunt machinationes malæ, item ſimulationes, doli, fraudes, item obſcenæ & vitioſæ. 378.2.b.c.d cogitationes moroſæ, quibus voluntas planè vel ex parte conſentit, ſunt peccata, etſi in opus non exeant. 1.d cogitationes ſuas homo in animo diſponit & ordinat. 386.1.a ſi eæ euagari permittantur, oritur in mente diſtractio & inquietudo. 433.2.a quiſque cogitationes ſuas non ſequatur. 497.2.d humanas cogitationes facile ſubuertit Deus. 498.1.a eæ renibus repræſentantur. 630.1.a eæ deducunt ad cogitatorum deſideria & actiones. 631.2.d in corde velut rex dominantur. 653.2.d quomodo cogitationes probi & improbi differant. 652.2.a idem ſeduli & pigri. 653.1.b quales ſunt cogitationes iuſtorum. 395.2.d cogitationes obfirmatæ ſignum ſunt perfectæ malitiæ. 411.2.b cur cogitationes collectæ & ſtrictæ pariant abundantiam. 552.1.d cogitationes venereas nemo non ſentit. 518.2.b cogitationes malæ crebræ & deſtinatæ animo, celari nequeunt. 654.1.a has Sancti ſtatim eliduns, ſtulti & impij ſequuntur. ibid.2.c ſed ſtatim ſunt ſuffocandæ. ibid.d cogitationes bonæ ſunt filij & nepotes ſpirituales animæ. 631.2.b à cogitationibus primis qualibet in re pendet copia vel inopia. 553.1.c
Cogito eſt verbum frequentatiuum à cogo. 62.1.b
Cognitio ſui vera eſt ſapientia. 308.2.d.660.1.c
qui quod certò Cognouit eloquitur, indicat quod æquum & iuſtum eſt. 291.2.d
Colloquium cum muliere noxium eſt. 139.1.c.142.1.b.c ipſum cauendum. 142.1.b colloquio pio inter eſt diuina ſapientia. 167.1.d.168.1.b.c colloquijs bonis delectatur Deus. 660.1.a
Coluber typus eſt Chriſti. 837.2.d.838.2.b
Columbarum ſtoliditas. 213.1.a
Columnas marmoreas habent templa Romana. 197.1.a columnæ templi Salomonici quæ eſſent. 2.a.b quæ ſint ſeptem columnæ Eccleſiæ. 168.2.b.c columnæ ſeptem domus ſapientiæ quæ ſint myſticè. 2.b.& ſeqq. 199.2.a.c.d
Colus eſt telum muliebre. 879.2.d
Coma intonſa erat ſignum pœnitentium. 121.1.c
cur Comeſſatio iuuentuti cauenda. 632.1.a.b.c comeſſatio filiorum cedit in parentum probrum. 770.1.a
Commentarius in cap. XXXI. Prouerb. Ambroſio aſcriptus videtur eſſe S. Auguſtini. 866.1.c.867.1.d
Commentatores Prouerbiorum Salomonis. 9.1.b
Commiſeratio naturalis homini à natura eſt inſita, at ſupernaturalis ſupernaturaliter ei inſeritur. 499.1.d

Communia non ſunt vſibus priuatis deputanda. 432.2.b
Communicans edit Chriſtum, & editur à Chriſto. 616.2.b.617.1.c
Communicans dignè fit domus & templum ſapientiæ. 199.2.d
Communio bonorum erat in primitiua Eccleſia, & nunc eſt in Religionibus. 31.2.c
poſt Communionem mens intro recolligenda. 617.1.a
Communitatis Religioſæ bona. 467.1.d
Comparatio frequens occurrit in Salomonis Prouerbijs. 13.1.c in ea ſitus eſt lepos prouerbij. 14.1.d à diuerſis rebus ea petitur. 2.a
Compedes aureas geſtant aulici & amantes. 158.1.c
Complexio bona & firma quantum vitæ conducat. 500.2.a complexionem ſuam trahunt plerique à parentibus. 826.2.a an complexiones quatuor hominis per quatuor inſaturabilia Salomonis repræſententur. 832.2.d
Componere ſæpè idem eſt quod fingere. 424.2.d
Compunctio animi ſemper mirum & cæleſte in ſe continet gaudium. 332.2.c ipſa ſancta eſt, animamq́; Deo conciliat. ibid. procedit ex amore Dei. 333.1.a certam adfert ſpem beatitudinis, & gaudij cæleſtis quaſi prægustus eſt. ibid.d recreat Deum, angelos & Sanctos omnes. 2.a eius materia multiplex eſt. ibid.b.c
Computare annos vitæ in dextera & ſiniſtra ſolebant veteres. 70.1.d
Concentus cæli eſt eiuſdem apta diſpoſitio, motus & circulatio. 191.2.b
Conchæ quomodo ſe à polypis ſubducant. 584.
è Concilio Epiſcoporum clamoſi & contentioſi eijciendi. 595.2.b
Conciones breues potiores ſunt prolixis. 238.2.c
Concionator in omnes affectus ſe transformet. 38.1.b horam concionis excedens auditoribus tædium creat, ſibi fatigationem. 238.2.c ne ſit nimis blandus, ſed ſæpè vitia coarguat. 236.1.b.c imitari debet ſeminantem. 363.2.d.& ſeqq. doctrinam quam docet, euentilet ab omni cupiditate. 364.1.a eam ex intimo cordis ſenſu depromat, nec recitet ad verbum prout eam memoriter didicit. ibid. concionetur ſpe fructus ſuo tempore colligendi. ibid.b non moueatur auditorum paucitate vel multitudine. ibid.c oret Deum, vt linguam dicentis dirigat. 387.2.b.d dulciter & amoroſè peccantes corripiat. 406.2.c eius gloria ſunt auditores bene diſciplinati. 424.2.a accommodet ſe loco, tempori & perſonis. 452.2.c ſenſim, non ſimul omnia, documenta ſua inſtillet. 453.2.b ſua lingua vitam gratiæ & gloriæ auditoribus conciliet. 498.2.b opere ſuo doctrinam aſtruat. 502.1.d.592.2.a equo repræſentatur. 578.2.c fontes imitetur. 604.2.d opportunè ſua dicat. 686.2.a.687.2.d bene viuat oportet. 718.1.b ſi eſt malæ vitæ, eſt velut ſtultus habens parabolam in ore. 723.1.d liberè vitia carpat, non aduletur potentibus. 742.2.d per gallum denotatur. 853.2.a.b concionatores efficaces ſunt mallei peccatorum. 506.1.a ijs deficientibus mala in rep. inualeſcunt. 799.1.d
Concordiæ quanta vis. 466.2.c.d eius quanta bona. 468.1.d decet ea Chriſtianos. 659.1.c concordia fratrum valida & inexpugnabilis eſt. 468.1.b ea euadit potens inſtar regni. ibid.c eſt ſtudioſè conſeruanda. ibid. concordiam familiæ procuret vxor. 489.2.c.d concordia colenda cum proximis, domeſticis & vicinis. 844.2.c
Concorpores ſimus Chriſto in Euchariſtia. 619.1.b.c
in Concubitu ipſo multi occubuere. 159.1.a
Concupiſcentia eſt velut meretrix. 53.2.a.160.2.c 215.2.c.637.2.b eſt tribulatione coërcenda. 236.1.a quàm ſit noxia. 53.2.c.105.2.d.106.2.d 140.2.c.143.2.b non habet mentem. 144.2.b exſiccat omnem virorem virtutis. 225.1.b opponitur veræ ſapientiæ. 211.1.d eſt ſtulta & clamoſa. 2.c.d concupiſcentia interna mulieris lege veteri fuit vetita. 138.2.b concupiſcentijs indulgens incidit in egeſtatem & ignominiam. 315.2.a concupiſcentia ſeriò vincenda, non remiſſe. 457.2.b ſi non regatur à prudentia, res peſſima eſt. 475.1.a.b non debet delicijs indulgere. 481.2.d nemo ea caret. 518.1.d maximè erga res venereas. 2.b.d hæc ſæpè exhalat fœdas imaginationes. ibid.d per renes denotatur. 629.2.d eſt latro. 637.2.b per ſanguiſugam repræſentatur: eius quatuor filiæ. 828.2.d idq́; per varias analogias denotatur. 829.1.c.d.& ſeqq. eſt ea in nobis quadruplex, non debet dominari. 841.2.c inter eam & rationem aſſidua ſunt bella. ibid.d concupiſcentia innata cuique difficulter ſuperatur. 826.2.a quo ſenſu ſit puero colligata. 601.1.b.c.d hæc ei deforis aduenit. ibid.c ligat filios Adam per omnem vitam. ibid.b quomodo hæc illis adimenda. 2.b eam ſuperans, fortior eſt forti duce. 413.2.c ac ei obſequens, omnium rerum poſſeſſione ſpoliatur. 525.1.c & ſimilis eſt vrbi hoſtibus patenti. 709.2.d vide Cupiditas.
Condemnans iuſtum iudicio mentis, multorum eſt malorum cauſa. 433.2.b
Conditio par ſit inter coniuges. 489.1.c ſi ſit diſpar, quid agendum ei qui inferioris eſt conditionis. ibid.d conditio ſua cuique à Deo datur. 806.1.a.b
Confeſſarij ſæpè orent Deum, vt dirigat linguam ipſorum. 387.2.b.d appoſitè pœnitentibus reſpondentes, videntur ijs quaſi oſculum pacis imprimere. 669.2.d ſæpè penetrant fundum conſcientiæ ſuorum pœnitentium. 756.2.c eos nimijs præceptis & pœnitentijs non grauent. 856.2.b
Confeſſio veritatem ac Deum honorat. 463.2.d ſit prima apud Deum, & apud homines. 464.1.d procedat ex corde ſincero. 2.b ipſa à culpa & pœna liberat. 464.2.c refellit ac compeſcit dæmonem. ibid. peracta cum dolore parit veniam. 774.2.c.775.1.b.c includit tres partes pœnitentiæ: quomodo vice Dei fungatur: eſt peccati retractatio. 775.1.b confeſſio ſpecialis peccati alicuius Iudæis quibuſdam in caſibus fuit præcepta. ibid.a confeſſio Sacramentalis gratiam, veniam & ſatisfactionem vel in re, vel in toto debet antecedere. 465.1.a an ea à Salomone prædicta ſit, & à Spiritu ſancto præuiſa. 774.2.b.c.775.1.d ea peccatori eſt vſurpanda ſi velit veniam & gratiam Dei conſequi. 775.2.a confeſſio mortalium eſt Chriſtianis præcepta à Chriſto. 1.b.2.c confeſſio humilis redarguenti reddita Deum iratum placat. 359.1.d
quis ſit in corde ſuo Confidens. 785.1.c.a
Confidere capitur ſubinde pro audere. 785.2.a
Confiteri peccata laudabile eſt. 465.1.a
Congregari ad patres eſt idem quod mori. 637.2.c
Congregare in Script. ſæpè ſumitur pro perdere. 319.2.c
Coniectationis cordis alieni tres ſunt gradus. 756.2.c
Coniuges delectationem copulæ moderari debent. 117.2.b mutuo onera coniugij ferant. 118.1.b.870.2.b.c ob Coniuges ſibi incongruos multi damnantur. 488.2.d coniuges Deum ament & colant, itaque fiet vt inter ſe conueniant. 490.1.a ſic eum experientur fauto-

rem

rem. 557.1.a.b *ſint pares.* 553.1.c *amens ſe inuicem.* ibid.2.b.c

Conſcientia vmbilico repræſentatur. 64.1.c *ipſa quomodo ſtatera recta & doloſa ſit.* 252.1.d *eius pax omnem pacem ſuperat.* 58.1.c *dat fiduciam & ſecuritatem.* 44.2.c *ipſa ſummum eſt bonum huius vitæ.* 369.2.b.370.1.b. & ſeqq. *hæc magna eſt hominis conſolatio.* 317.2.d *conſcientia criminis admiſſi quantus tortor.* ibid.b *conſcientiæ manifeſtatio quæ à Religioſis ſit Superiori, ſuadetur.* 391.1.b *conſcientia peccati ſana eſt.* 441.1.a *eſt animæ ſtomachus.* 500.2.b *eam amittunt obdurati peccatores.* 451.2.c *eius angoribus cruciantur iniqui opum corroſores.* 554.1.b.2.d *conſcientia hominis inertis repletur vrticis ſpinis vitiorum omnium ac dæmonum: eius ſepes quæ.* 673.1.a *conſcientia bona pax & gaudium.* 419.1.d 441.2.a 500.2.c.563.1.a *reddit hominem longæuum.* 441.2.b *eſt cubile iuſti.* 662.1.d *ea non decet ſtultos, ſed turbatio.* 481.1.b *conſcientia mala mirè hominem excruciat.* 702.1.c *maximè peccatorem.* 703.1.d *conſcientiarum cognoſcendarum donum confeſſarij à Deo identidem petant.* 756.2.d

Conſecrandi poteſtas omnibus omnino ſacerdotibus, etiam indignis, conceſſa eſt à Chriſto. 617.2.b

Conſiderationis officia & partes. 892.2.b *vocatur in Script. ignis.* 240.2.b

quales Conſiliarios reges ſibi ſeligant. 356.1.d.2.a *imprudentes & fatui damna toti reip. inferunt.* 2.b *ſecretum taceant.* 375.1.b *quare mali conſiliarij cauendi, boni ſubrogandi.* 376.1.d.681.2.d *ſint ſecreti tenaces.* 514.2.d *vera & ſana dent ijs conſilia.* 399.2.b *prudentes quanti omni in re ſint momenti.* 527.1.b.d.2.a

Conſilium quanti referat in re agenda. 261.1.b.2.d *in eo habitat ſapientia.* 167.1.b.c *conſilio aliorum acquieſcentes pacem habent.* 308.2.c.d.309.1.a *conſilium ſolet eſſe arcanum.* 375.1.a *id requiritur in re ardua perficienda.* ibid.2.b *conſilia non numero, ſed maturitate æſtimanda.* 260.2.d *non propria, ſed aliena, ſi modò bona ſint, ſunt ſequenda.* 376.1.b *conſilio Dei hic pauper eſt, ille diues in hoc mundo.* 582.2.a *conſilia propria ſequens ſtultus eſt, & ſæpè in mala & pericula incidit.* 785.1.d *conſilia ſua celans mala vitat plurima, & pleraque ſibi comparat bona.* 480.1.b *conſilia hominum varia ſunt & incerta, Dei certa & ſtabilia.* 498.1.a.c *ſua homo diuinis ſubſternat.* ibid.b *Deus orandus vt conſilia noſtra dirigat.* ibid. *conſilia de futuris pendent à multis cauſis ſecundis contingentibus.* 498.1.d *conſilium viri profundæ aquæ comparatur.* 513.2.d *conſilium in bello plus valet quàm robur.* 527.1.b.c.2.a 642.1.b *conſilia regum moderatur Deus pro libitu.* 547.1.a.2.b.c *quod ea ſunt noxia à Deo irato prouenit, & proinde ipſe iratus placandus pœnitentia.* 1.d.2.d.548.1.c *ſua conſilia taceat rex.* 850.2.b *conſilij tarditas probatur.* 612.2.d *conſilium amici ſimile aromati.* 746.1.d *conſilia modeſta & matura ſuauiora ſunt ardentibus & temerarijs.* 747.1.a *conſilia impiorum infringuntur, ſi diſſipentur.* 537.2.a *conſilia Chriſti non capiunt mundani & animales homines.* 514.2.a *quod ſit conſilium manuum mulieris ſtrenuæ.* 871.1.c

in Conſolandis afflictis per carmina quis modus ſeruandus. 701.1.b *conſolantes afflictum verbo vel re, à Deo pariter conſolationem recipient.* 290.1.a

Conſolatio concinna & velut ad libellum compoſita afflicto adhibenda. 701.1. *conſolationes ſpirituales oleo denotantur.* 567.2.d *quomodo ea hominem vitioſum in Religione mutent.* 568.1.a.b *ſed inimicæ non ſunt ſectandæ.* 695.2.a *ſunt melle dulciores.* 697.1.a

qualis Conſonantia inter virum & vxorem requiratur. 488.2.a.b.& ſeqq. vide *Coniuges, vxor.*

Conſortium improborum & proborum magni eſt in vtramque partem momenti. 317.1.c vide *Conuerſatio, Societas.*

Conſtantia iuſtorum in aduerſis. 246.1.c.d *eorum conſtantia mentis.* 282.1.d *conſtantia animi mirè hominem ad vitia virtuti contraria ſuperanda confortat.* 463.1.a *quomodo pariat timorem Domini.* 585.1.a.b *conſtantia iuſtorum in aduerſis mirabilis.* 662.1.a.b

Conſtantinopolis eſt B.Virgini dicata. 171.2.b *iuſto Dei iudicio in feſto Pentecoſtes à Turcis capta.* 736.1.d

Conſtantini Imp. lex de terminis agrorum. 611.2.a

Conſtantius Imp. etiam ſomniorum delatoribus credebat. 778.2.c.d

Conſuetudo ſenſum mali adimit. 429.1.a *conſuetudo peccandi adfert quamdam neceſſitatem.* 451.1.b *eius malum & periculum.* ibid.b.d *eſt velut lectus peccare pergentium.* 727.1.d

Conſultandum maturè. 147.2.a

rex ſit Conſultor bonus & prudens. 861.1.d.2.a.c

Contemplatio eſt ſterilis ſine actione. 15.2.c *contemplatione gaudet prudens.* 531.1.a *ea actione miſcenda eſt.* 618.1.b.c vide *Vita.*

Contemplatiua vita per ſapientiam denotatur in Prouerbijs. 149.2.d *contemplatiui ſunt velut aues in ſublime volantes.* 33.1.d

Contemplatiui humiles diuinam maieſtatem poſſunt contemplari. 709.1.a.2.a

Contemptibiles ſæpè ad ſummam perfectionem connituntur. 846.1.c

ex Contemptu aliorum oritur opprobrium. 450.2.c *contemptus Dei oritur ab obduratione & contumacia peccantium.* 451.2.a

cum impijs non eſt Contendendum. 665.2.a.& ſeqq.

Contentionis auctor, auctor eſt omnium litium inde ſequentium. 432.1.a *contentiones fratrum ſunt irreconciliabiles.* 466.1.c.467.2.d *cur.* 468.1.a

Contentus ſuis, felix eſt. 285.1.a.b *& diues.* 499.2.c *hic etſi pauper, habet animi quietem.* 305.1.a

Continentia parit timorem Dei, opes, gloriam. 585.1.a

Contingentia libera Deus regit. 417.1.a

Contorſio labiorum dolum & fraudem ſapit. 474.1.b

Contraria alijs ſemper ſentiens, amat rixas. 439.1.c

Contritio etiam ſine Sacramento reipſa ſuſcepto cum ſolo eius voto culpam abolet. 775.1.a

Contumeliæ non eſt per contumelias reſpondendum. 259.1.a.b *ex odio celato oritur.* 237.2.a *contumeliæ in qua re ſint echo ſimiles.* 422.1.c *innocentem non afficiunt.* 712.1.d.& ſeqq. *duo ad earum patientiam ſtimuli.* 665.1.c.2.b

cum ſapientibus Conuerſans ſapiens euadit, cum improbis improbus. 317.1.a

Conuerſatio crebra ſua ſenſa & affectus inſtillat ei cum quo verſatur. 317.1.a *conuerſatio aſperorum hominum eſt labendi occaſio.* 314.1.c *conuerſatio cum muliere eſt velut ignis in ſinu.* 142.1.b.c *eſt cauenda.* 2.d

Conuerſio ad Deum nullo modo eſt differenda. 122.1.a

Conuertere volens animas, Deum roges vt cœpta ſua dirigat. 387.2.b.d *cur iuſtus impios conuertere conetur.* 559.2.c.d

Conni-

Conuitia inimicorum quæ in re nobis proſint. 664.1.a.b exacuunt iram & indignationem. 701.1.d innocuos non tangunt. 712.1.d.& ſeqq.713.2.a recidunt in conuiciantem. 713.1.c conuitij victoria paratur modeſta culpæ confeſſione, aut miti reſponſo. 358.2.a

Conuitiator verè eſt inſipiens. 237.1.b Aquilone denotatur. 752.2.b

Conuictus hominum nititur rectitudine & æquitate. 555.2.c

Conuiuium ſapientiæ quod ſit. 2.2.c.197.1.a.b quid hoc myſticè deſignet.201.2.a conuiuium ex amore, non liuore inſtruendum. 371.2.c eius forma & anima eſt amor & beneuolentia. ibid. cur militibus olim conuiuium daretur. 205.2.a conuiuium ſacrum ex victimis Deo immolatis ſacris lectionibus & ſermonibus condiebatur. 201.2.d.207.1.a conuiuia egeſtatem pariunt corporalem & ſpiritualem, atque inde oritur dolor. 565.1.c.747.1.b conuiuium auari nihil dat voluptatis & honoris ſed doloris & dedecoris plurimum, & nauſeam creat. 625.1.c.d.2.c.d conuiuia principum ſunt periculoſa. 614.2.a.d conuiuia ebrioſorum deſinunt in rixas & cædes. 638.1.d ad conuiuij finem eduntur bellaria milliia. 661.2.a.b in ijs olim vnguenta & flores adhibebantur. 564.1.b.746.2.a.747.1.b

Cor hominis velut mare eſt, voluntas nauis. 21.2.b cor ſymbolum & ſedes eſt ſapientiæ. 46.2.b.470.2.a eſt velut fons.114.2.a.116.1.a.473.1.b.c.d eſt propriè vena vitæ & mortis. 231:1.a velut bilanx eſt. 252.1.c ei inſcribenda miſericordia & veritas. 60.1.d.2.b eſt omnia cuſtodia cuſtodiendum. 96.2.a.& ſeqq.97.2.a ex eo malæ & bonæ cogitationes procedunt. 96.2.a eius cuſtodia maioris momenti quàm linguæ aut manus. 97.1.c eſt id cuſtodiendum à tripli cogitatione. 2.d eius inſtabilitas. 98.1.d eſt id vniendum cordi Chriſti. 2.b cordis humani proprietates. 99.2.d id ſemper aut creſcit aut decreſcit. 241.2.b habet cum ore magnam affinitatem. 231.1.a cor ſibi conſcium ſecreti mœroris,non facilè capitur ſolatijs externis. 332.1.a.b ager cordis ſeminandus bono ſemine, non malo. 343.1.c cor generat ſpiritus vitales, eoſq́; in ſingula membra immittit. 351.1.a ipſum imprimis cuſtodiendum. ibid. cor gaudens facit faciem hilarem & decoram. 367.2.c cor bonum, vocatur pura & ſancta conſcientia,iucunda & læta mens.368.2.d cor ſenſitiuum quale ſit. 350.1.d cor ſymbolum eſt mentis,ſapientiæ, amoris. 470.2.a.& ſeqq. fonti comparatur, maximè cor ſapientis. 473.1.b.c.d eſt primum viuens, & vltimum moriens. 469.1.a.b eſt vitæ principium. 548.2.b habet magnam ſympathiam cum oculis. 634.2.c 640.2.b cur cor hominis Deus imprimis ſibi depoſcat.634.2.d.635.1.a.b.& ſeqq. eius præparatio ad bonum, pertinens ad ſalutem prouenit à gratia Dei. 386 2.c ipſe cor omnium in manu ſua habet. 394 2.b quo igne id ab eo probetur. 421.1.a eius ſcrutatio ad plenam Dei prouidentiam ſpectat. 420.2.d.549.1.d.658.1.b id planè ab altero nequit perſpici. 755.1.c quæ cordis munditia regum animos ſibi conciliet. 596.1.a.& ſeqq.2.a parit ea munditiem & honeſtatem verborum. 2.b ea placet etiam Chriſto.597.1.b qua ratione id mundum reddere poſſimus. 592.2.b eſt origo omnium paſſionum. 440.2.b ſemper bona cogitet. 655.1.a difficilius id eſt cohibere quàm linguam. 663.1.d id patet ex ore. 756.1.d expurgatur à verbis Dei. 819.2.b eſt quaſi ſpeculum humanarum affectionum. 755.2.d ipſum tamen ſæpè fallit. 756.1.a ſit placidum & quietum.ibid.b cor iuſti affectus ſuos moderatur, eſt regnum in quo regnat Deus. 548.2.c cor malum cogitat malum. 132.1.d.134 2.b quàm in eo diuerſimodè ſe gerat. 134.2.c cor impiorum quomodo pro nihilo ſit. 241.1.d. & ſeqq. quomodo id ſemper decreſcat. 2.b corda omnium angelorum, dæmonum & damnatorum ſunt in manu Dei. 366.2.c.& ſeqq. item omnium hominum. 367.1.a cor malum quod dicatur. 700.1.b.c cor maleuoli rectè comparatur vaſi fictili. 732.1.d cor ſapientis eſt profundum. 524.1.a item crater ſapientiæ. ibid.b cur cor regum ſit inſcrutabile. 680.2.b.c.d ipſum à Deo flectitur quocumque vult. ibid.d eſt in manu Domini vt aqua. 546.1.a & ſeqq. 547.2.a.b.d.548.1.d.2.b

quare pupillæ vocentur græcè Κόραι. 147.2.b

Cordati cruciantur dum laudantur. 757.2.d

S. Cornelius per omnes officiorum gradus ad Pontificatum ſummum euectus eſt. 684.1.a

Cornelius Muſius à S. Cornelio petijt ei in martyrio aſſimilari. 203.2.d

Corona erat præmium ſapientiæ. 27.2.b & triplicis dignitatis inſigne. ibid.d ſymbolum eſt perfectionis & cumuli, item victoriæ. 280.2.a.b item laboris, ſtrenuitatis & regni. ibid. integritatis, virtutis & perfectionis. ibid.d corona Chriſti carnea & ſpinea quænam ſit. 281.1.c corona coronabantur ſponſi in ſignum amoris & concordiæ, & gaudij nuptialis. 280.2.b item vt victoria de libidine innueretur. ibid.b & regnum mariti in familiam. ibid.c item copia liberorum. ibid.d corona gratiarum myſtica eſt catena virtutum. 25.2.b.28.1.c corona regni cæleſtis debetur obedientibus. 26.1.b coronas quinque dat ſapientia. 89.1.d

Corona ſenum multiplex eſt. 28.1.b.c.& ſeqq.

Coronabatur olim princeps paſtorum. 760.2.c

Corpus totum fœminæ eſt quaſi ignis. 142.2.d.143.1.c.d corpus laboribus & pœnitentijs ſubigendum eſt. 287.2.d animo ſubijci debet & ab eo regi. 481.2.d id delicatè non eſt enutriendum. 802.2.c corpus Chriſti eſt quaſi domus in qua habitauit. 199.1.a corpus glorioſum Sanctorum eſt anagog. domus Dei. 200.2.c.d corpus Chriſti & anima eſt in Euchariſtia, & multa alia per concomitantiam. 617.2.c.d id ibi eſt impoſſibile. 618.1.c alia eius dotes. 2.b eſt ibi ſine membrorum commixtione aut confuſione. ibid. c

Correctionem æquo animo admittens, amat ſcientiam morum honeſtatem, & virtutem. 277.1.b & gaudet animi pace. 278.1.b gloriam conſequitur. 315.2.b quanta ea ſit momenti. 279 1.b.c.d eam ſuſcipiens cor poſſidet. 384.1.b ſapiens eam libenter ſuſcipit & ambit. 208.2.a.b.235.2.b ex illa is proficit. 208.2.d cur ea ſecreto facienda. 231.2.c correctio vitiorum ſummum animæ bonum eſt. 383.2.d

Correptio Dei fit diuerſimodè. 66.2.c correptio moleſta eſt impijs cupedias ſectantibus. 365.2.b eius commoda & bona. 287.1.d correptionem contemnentium tres ſunt gradus. 112.1.a.c hi infelicem habebant rerum ſucceſſum. 312.1.b hi ſunt fidelibus fugiendi vt peſtes. 367.1.c correptionem vir iuſtus & ſapiens benignè admittit. 576.2.d.689.2.c eo amanda vt medicina. 577.1.a

ſi tem-

ſi tempeſtiuè adhibita, hominem paſſione abreptum ſibi reddit. 688.2.b ornat tam corripientem quam correptum. 689.1.b.d eius vtilitas. 2.a eſt velut inauris aurea. ibid.d. 690.1.d ſit lenis & blanda. 690 1.a.b.788.1.a.b correptio operta præſtat amori abſcondito. 740.1.b.741.1.d correptio amici melior quàm blanditia adulantium. 740.1.c melior priuata quàm publica. ibid.d correptio inimici vtilior eſt, quàm amor amici vitia carpere non audentis. 2.a correptio ſeuera vocatur vulnus. 741.2.b correptio amici qualis eſſe debeat. ibid. æquo animo tolerata, cedet in gloriam in die iudicij. 741.2.d eſt moleſta correptio. 782.2.a.c eam ſpernens per obdurationem, malè peribit. 788.1.c.d cur. 2.a vide Correptio, Increpatio, Doctrina.

Correptores diligendi ſunt. 67.2.d

Correptus obediat corripienti. 305.1.a.2.b & agat ei gratias. 689.2.a.b correptus à Superiore ſi culpam agnoſcat, veniam ſtatim obtinet. 774.2.d ſe corripi gaudens præſtat obſtinatè correptioni obluctantibus. 788.2.c

Corripiens aliquod vitium in proximo, debet illud priùs in ſeipſo corrigere. 464.1.c corripiens impatienter damna ſuſtinebit. 497.1.a eſt amandus vt medicus. 577.1.a.b corripiens proximum manifeſtè pacem ſæpè conciliat. 230.2.b

Corſicum mel eſt venenatum. 694.2.c

Corui degunt iuxta torrentes. 833.2.d cur primò oculos inuadant. 834.1.a.b eis aduerſantur aſinus & taurus: eorum longæuitas. ibid.b ſunt in pullos inhumani. ibid.c.d à quibus in ſenio comeduntur. 2.a eſt auis rapax, atra, infauſta. ibid.b & dæmonis typus. ibid.d eorum vox vnde formetur: qui ab Hebræo oreb, & cur. ibid.c coruus crocitando prædam ſuam amittit. 296.1.d

Crapulæ damna & dedecora. 288.1.b. & ſeqq.

M.Craſſus Dacorum ſecreta vino explorauit. 862.2.c

Craſtinum in Script. ſignificat quodlibet futurum. 736.1.a

Creare Hebræi ſumunt pro facere, elicere, concipere. 178.1.d.2.c & pro gignere. 2.d

Creata à Deo omnia ſunt propter iuſtos. 391.2.a creata multa quæ hominum captum tranſcendunt. 679.1.a

Creatio mundi oſtendit Dei bonitatem & ſapientiam. 75.1.b.815.1.c.d ei fuit facillima, etſi arduum ſit opus. 186.1.c inter eam & Verbi Incarnationem eſt mutua contradependentia. 180.2.a.b

Creaturæ omnes prædicant Deum. 162.2.d ſunt victimæ Dei. 183.1.d earum ordo & diſpoſitio, à ſapientia deriuatur. 184.1.a omnes ſunt ſapientiæ & prouidentiæ Dei commiſſæ. 191.1.d ipſis fidentes potiùs quàm creatori, paſcunt ventos. 224.1.d creatura omnis refertur ad ſuum creatorem. 391.1.d & ab eo habet omnem ſuam eſſentiam & bonum. 2.c.d eius felicitas eſt quòd eum amet, colat & glorificet. 382.2.a moderatè ijs vtendum vt ſapiens. 744.1.c ex earum ſingulis pij Deum agnoſcunt & laudant. 423.1.a eas omnes Deus ſua ſapientia gubernat. 815.2.d ex ijs eam nonniſi imperfectè cognoſcimus. 817.1.c omnes intereunt. 830.1.a

non Credendum adulatoribus, mala conſulentibus, detractoribus, ſuſpicionibus temerarijs. 338.2.c credendi leuitas taxatur. 338.1.c.2.a

Credens in Deo, miſericordiam diligit. 342.2.c.d

Creditores commercia caueant extraneorum. 525.1.d olim habebant ius & poteſtatem in debitorem eiuſ mancipium, etiam in eius filios. 591.1.a.b. & ſeqq. etiam eum torquebant, ac ſecabant. ibid.d

praxis Creſcendi in omni virtute per feruida eius deſideria. 269.1.d

quæ citò Creſcunt non ſunt diuturna. 310.1.a.2.a.b 831.2.b vide Opes.

Crimina aliena non ſunt in iurgio publicanda. 684.2.a.d

Criminationes à facie triſti diſſipantur. 705.1.c

Criminatores falſi ſæpè ſubeunt pœnam quam alijs parabant. 565.1.c

Criſtam gallus ſtudiosè intactam ſeruat. 850.2.d

Crocodilus quomodo oua ſua in tuto ponat. 584.2.b diaboli eſt typus. 598.2.c & eius voracitas ſymbolum mortis. 827.2.b

Crudelitas capitur ſubinde pro immiſericordia. 264.1.a.b dicitur à crudelitate, & quare. ibid.b

Crumena cur vocetur nomine fundæ. 759.2.a.d

Crurifragium olim crucifixis inferebatur per malleos. 505.2.b

Crux Chriſti fuit currus triumphalis patientiæ & obedientiæ. 573.1.a ligno vitæ denotatur. 73.2.c allegoricè per menſam ſapientiæ. 202.1.c crux eſt doctrina & beatitudo. 68.1.c cruces patientem probant impatientem deſtruunt. 225.1.c denotantur æſtate. 2.a crucem primi Chriſtiani in vijs loco Mercurij ſtatuerunt. 721.1.b

Cucurbita ſymbolum præmaturi incrementi. 310.1.c.2.a

Culpa peccati poſt actum remanens eſt velut funis eius. 120.2.c culpa ſequitur peccantem, eumq; iugiter pungit: 317.2.a culpa minor alia maiore caſtigatur. 403.2.d culpæ & feminis ſimilitudo. 591.2.d eius confeſſio reconciliat offendentem offenſo. 774.2.d

quis Culter ſit in gutture ſtatuendus in conuiuio principis. 614.1.a.2.a.c.615,1.a

Cultor animæ eſt velut cultor vineæ vel agri. 673.2.a.b & ſeqq.

Cultores B.Virginis bene de ſalute ſua ſperent. 182.2.b

Cultura perficit rem omnem. 456.2.d

Cultus Dei fideli ante omnia quærendus. 394.2.d non eſt idolis impendendus. 110.1.a cultus B.Virginis ſemper prodeſt. 195.2.c.d

Cunctatio in conſilio prodeſt. 531.2.a

Cuniculum, vide Lepus.

Cupiditas ſeipſa perimit. 37.2.a eſt inſatiabilis. 55.32.2.1.a.& ſeqq. eſt ſtulta. 221.2.c & clamoſa. ibid.d eſt velut meretrix. 215.2.b eſt via quæ videtur recta, at nouiſſima eius deducunt ad mortem. 335.1.b.c eius initijs eſt obſtandum. ibid.d cupiditas opum eſt inſatiabilis. 370.2.d

Cupiditates ſunt aquæ furtiuæ, cur. 214.2.d ſunt cauſæ perturbationum. 295.1.a illis ſeruiens rex, verè ſeruus eſt. 297.1.c ijs addicti obturant aures ſuas diſciplinæ & monitis ſalutaribus. 194.2.d illis obſequi cupiunt impij. 316.1.b cupiditas in homine triplex eſt. 784.1.b eſt iurgiorum mater & paupertatis. 785.1.a qui eam ſequitur, ſtultus eſt. ibid.d.795.1.c ei obſequens crimine ſe obſtringit. 475.1.b refrænans eam, ſapiens eſt. 795.1.c ſi ei obſequaris, inſoleſcit; ſi reſiſtas, miteſcit. 602.2.b eſt inexplebilis, ideo eſſe debet moderata. 757.1.a eſt nobis cohibenda. 709.2.d 831.2.b vide Concupiſcentia. cupiditas opum eſt belluina. 434.2.b

Cupidi-

Cupidinis ſchema. 211.2.c d.& ſeqq.

Cupidus, eſt pauper. 305.1.b *cur dicatur latus animæ.* 784.1.a.b *isq́; eſt triplex.* ibid.c *omnia capere deſiderat.* 2.c

Cupreſſus arbor ſymbolum multa pollicentium, nihil præſtantium. 692.2.b.c

Cura pungit vt ſpina. 441.1.a.b *quæ dicatur cura diligens.* 784.2.a *cura eſt vehemens ſollicitudo, vnde ita dicta.* ibid. *compellit vini potus.* 864.1.d *cura adhibenda in puerorum natura corrupta cohibenda.* 601.2.c.

Curculio qualc ſit animalculum, & vnde dictum. 272.2.a

Curioſitas in diuinis ſcrutandis Deo diſplicet. 708.2.a 709.1.d.2.a

Curioſorum vanitas in regum conſilijs indagandis taxatur. 681.1.a

Curſores ſunt ijdem qui miniſtri regum & iudicum. 129.2.d

Cuſtos ſapientiæ & prudentiæ inueniet bona. 480.1.c

Cyneas orator Pyrrhi regis Epirotarum ſua eloquentia multas vrbes ei ſubiecit. 569.1.a

Cypriani qualis ſit ſtylus & phraſis. 360.1.b

Cyrilli apologi morales à quo editi, & quàm ſint elegantes. 102.b.c

S.Cyrillus Alexandr. à B.Virgine fuit armatus. 168.1.a

Cyrus minor Perſarum rex hortum ipſe per ſe coluit. 287 1.d *fit dictus eſt à ſole.* 516.2.a *cur propinatum ſibi vinum non ebiberet.* 644.2.a *à cane nutritus venationis fuit ſtudioſus.* 848.1.b

D*Actylis viuunt plerique in Oriente.* 868.2.b

Dæmon peccati periculum & infamiam ſubtiet dum tentat, at ſpecioſum & gratum ſenſibus homini obijcit. 31.1.c. *eſt hominis hoſtis acerrimus & tyrannus.* 110.1.c *eſt omne malum.* 112.2.b *eſt myrmicoleon.* 126.2.c *quomodo fornicantibus ſingulis annis imponat.* 121.2.d *ſuit princeps omnis apoſtaſiæ & inobedientiæ.* 131.1.a *eſt fons nequitiæ & inſcitiæ, & apud eum eſt vena mortis.* 216.2.c *eſt teſtis iniuſtus & infidelis.* 327.2.c *quomodo illudat in gehenna peccatori.* 41.1.a.331.2.b *dæmon præcurſor matutinus, quis ſit.* 99.1.b.c

Dæmones cur vocentur gigantes. 215.1.a *ſunt iurati Dei hoſtes.* 2.b *cur in homines ſæuiant.* ibid. *gaudent otioſis verbis.* 239.2.a *ſunt auarorum heredes.* 272.1.d *eorum intima ſecreta Deus nouit.* 366.2.c.d *obediunt amicis Dei.* 393.1.a *vincuntur ab obediente, cur.* 573.1.b.c *diligunt inobedientem.* ibid.d. *vincuntur ab eleemoſynario.* 594.2.c *damnatis apud inferos illudunt.* 645.2.b *homines ſuis conſilijs ad mala impellunt.* 648.1.a *omnes ſunt mendaces.* 721.1.d *Mariam Virginem timent.* 889.2.a vide *Diabolus.*

Dalila quomodo importunitate ſua Samſonem dicatur occidiſſe. 570.2.a

Dama eſt capres, vel capreolus ſilueſtris. 124.2.a

Damnati, cur vocentur gigantes. 215.1.a.b *in ijs non manent ſemina virtutum.* 112.1.d *ſumme torquentur ira, inuidia, angore & remorſu conſcientiæ.* 352.1.c *eorum ſecreta ſingula nouit Deus.* 366.2.c.d *non habent ſpem.* 666.1.c

Damnationem impiorum decernit Deus ob præuiſa peccata. 392.2.d *eam impedit pœnitentia.* 409.2.d *euitat eius pericula obediens.* 575.2.a

Damnum iuſto imminens à Deo ſæpè deuoluitur in impium. 566.2.a

Damocles in cœna Dionyſij, didicit regum vitam eſſe plenam metu. 615.1.a.764.1.a

Damonides loco indigno collocatus, non eſt indignatus. 683.2.c

Damon & Pythias alter, pro altero mori fuit paratus. 298.2.c

Dandum citò, nec donum differendum. 311.1.b *quantum, quoties, quibus quomodo Dandum,* 593.1.a

Δανείζω eſt vel fœnerari, vel mutuare citra vſuram. 492.1.a

Dans à Deo accipit. 271.1.a

Dardanarij annonæ vnde dicantur. 271.2.b *ſæpè à populo decipiuntur & occiduntur.* 272.1.c

Darius Codomannus ignauo luxu perdidit monarchiam Perſarum, quam Cyrus virtute ſua fundarat. 297.1.a *bibens aquam turbidam, negauit ſe vnquam bibiſſe iucundius.* 743.2.a

Dauidi Deus omnes inimicos amicauit. 394.2.c *eius manſuetudo quàm fuerit fortis.* 414.1.b *hac ſolium ſuum firmauit.* 541.2.d *eius zelus contra impios.* 768.2.c *tam viuens quàm moriens acria ſalutis & ſapientiæ monita dedit Salomoni.* 84.2.b *an multos habuerit filios ex Berſabee.* 85.1.b.& ſeqq. *ſimulando ſe ſtultum, periculum mortis euaſit.* 289.1.d

Debitoris pauperis pignus olim ante veſperam erat reddendum. 524.2.d *oppigneratus tradebatur creditori nexus apud Romanos.* 591.1.a *etiam torquebatur & ſecabatur.* ibid.d *debitorem eſſe apud Perſas turpe eſſe ducebatur.* 2.a *eius miſeria.* ibid.b

Deceptor dilatat labia ſua. 528.2.a

quare Hebræi Decimas offerrent. 65.2.a. & ſeqq.

Decoctores ſolent fieri fures, raptores & ſicarij. 733.1.d

Decor conuerſationis externæ tegit, ornat, ſeruat decorem virtutum mentis internarum. c 337.2.d *decor morum & formæ conciliat mulieri gloriam.* 262.2.d

Decreta & iudicia Dei penetrare difficile eſt. 679.1.b.d *cur ipſe ea reuelare non teneatur.* 2.a *quàm æqua decreta regum ſint potentia.* 516.1.a

Defectus & exceſſus in omni re adiunctum habet vitiũ. 519.1.c.

Defigere manus, eſt ſe vadem dare creditori. 610.2.b

Deglutire in Script. capitur pro funditus delere. 30.2.c

Delator ſeminat diſcordias, etiã inter principes. 411.1.a *pungit eum quem accuſat.* 435.1.b *ſermones factaq́; aliena ad alios deferens, ſimilis eſt mercatori.* 528.1.a *delator quidam iniquus quot malorum extiterit cauſa.* 497.1.c vide *Lingua, Suſurro.*

Delectabilia moderatè ſumenda. 694.2.b.696.1.a

Delectationes furtiuæ maximè in venere, cur ſuauiores. 213.2.c *delectationes moroſæ in agone mortis recurrentes ſunt multis cauſa damnationis.* 268.2.c

Deliberatio rebus agendis præmittenda eſt. 776.1.d *matura eſt ſignum prudentiæ.* 854.2.a

Deliciæ eneruant virtutem. 84.2.b *viam ad libidinem ſternunt.* 153.1.d *ſpinæ ſunt.* 373.2.d *ſæpè in nauſeam vertuntur.* 337.2.c *deliciæ Dei cum hominibus quadruplices ſunt.* 193.1.a.b *non decent ſtultum.* 481.1.a *cur.* ibid.d *ſed ſapientem.* 2.a *enecant ſpiritum.* 565.2.a *eius vigorem & vires diſſoluunt.* 655.2.b *ſunt mendaces.* 619.2.a & ſeq.620.1.a.& ſeqq. *ea maximè de eſcis intelliguntur.* 619.2.d vide *Voluptas.*

Delicioſorum corpora magis fœtent, quàm ſobriorum & caſtorum. 227.1.c

qui Delictum aliorum celat, facilè pacem conciliat inter diſſidentes: qui verò id refricat, ſeparat & ſeipſo & à ſe inuicem amicos. 428.1.a *fama proximi inde pendet.*

pendet. ibid.1.a

Demades orator Philippum regem Macedoniæ corripiens, eum ſapere docuit. 741.1.a

Demens inſtar bruti plerumque temperans eſt. 481.1.d

Demetrius rex Berenices uxoris iuſſu interemptus eſt. 146.2.b *alius Demetrius cognomento Nicator, eſt à Cleopatra uxore interfectus.* ibid.

quæ Democratia optima ſit. 845.2.d

Democritus quibus rebus vitam ad dies aliquot protraxerit. 659.2.d

Demoſthenes elaborata pronuntiabat. 381.1.a

Dentes ferri aciem reſpuunt. 698.1.d *catarrhi in eos decidentes acres dolores cient: ſi putidi ſint, aſpirant grauem fœtorem.* 2.a *ijs ineſt virtus.* ibid. *vicinis afflant ſuum malum.* ibid.b *dentes exprimunt in ſe temporum differentias.* 698.2.b.c *tria præſtant bona homini.* ibid.d.& ſeqq.

Deriſorem qui erudit, exponit ſe ſuaq; ludibrio, & ſibi notam imprudentiæ acceſſit. 207.2.b *in cauſa eſt ut deriſor grauiùs peccet, & irritat eum ut ſimilia in erudientem vitia regerat.* ibid.c.208.1.b *deriſor in Prouerb. ſæpè eſt idem quod impius & nefarius.* 569.2.d *ſtatim in iracunda verba prorumpit.* ibid.a *ſeminat lites.* 595.1.d *eſt è cœtu eijciendus.* 2.a.b *eſt velut ſimia.* 528.1.a *deriſor bene monentium abominabilis eſt.* 654.2.b vide *Impij, Stultus.*

Deſertum potius eſt uxore rixoſa, cur. 566.2.d *eius bona.* 567.1.a

Deſiderari *ſubinde idē eſt quod deficere, deeſſe.* 499.2.b

Deſiderium ſerium requiritur ad ſapientiam comparandam. 46.1.c.2.d *deſiderium rei bonæ iuſtis à Deo venit & adimpletur.* 244.2.b *deſiderium virtutis alicuius eſt praxis in ea proficiendi.* 269.1.d *deſiderium boni eſt triplex, honeſti, vtilis, delectabilis.* 270.1.a *deſiderij adimpletio mirè animam ſatiat.* 316 2.a *deſiderium impiorum rebus terrenis non ſatiatur.* 322.1.a *deſiderium patriæ cæleſtis eſt cauſa & materia compunctionis.* 333.2.c *item videndi Dei.* ibid. *deſiderium id eſt in anima, quod fames in ſtomacho.* 427.1.a *ipſum homo conformet voluntati diuinæ.* 498.1.b *deſideria concupiſcentiæ ſubinde valdè ſunt vehementia.* 570.2.b *quo ſenſu necent pigrum.* 1.c.d.2.c *deſiderium cæleſtium pellit triſtitiam.* 703.1.b *deſiderium rerum ſpiritualium identidem renouandum & augendum.* 744.1.a

Deſidiæ gradus tres. 727.2.a vide *Otium.*

Deſperabilis *in Script. ſubinde ſumitur pro deſperatus.* 448.2.c

Deſperatio veniæ & ſalutis eſt profundum peccatorum naſcitur ex Dei contemptu & obduratione. 452.1.a *parit vitam infernalem.* ibid.c *eſt noxia in aduerſis, & in peccatorum recogitatione.* 656.1.a.b *quomodo ſit maximum peccatorum.* ibid.c *ſemper animam, ſæpè & corpus ſtrangulat.* 792.1.c

Deſperati vident ſubinde dæmones, & locum ſibi cum eis in inferno paratum. 452.1.c

Deſpicere quid propriè ſit. 134.1.b *deſpicere plus eſt quàm ſpernere.* 39.2.b

Detractio iuſto eſt odioſa. 303.2.c *cœno porcorum comparatur.* ibid. *ea gaudentes paſcunt ventos.* 224.1.d *quàm graue eius ſit peccatum.* 324.2.b 705.2.d *eam qui cauet, cum Deo & hominibus pacem habebit.* 312.2.c *quæ in re ſit mannæ ſimilis.* 422.1.a *quàm graue ſit malum.* 705.2.d & ſeqq. *verè eſt ſtultiloquium & vanitas.* 820.2.d *impeditur à vultu ſeuero.* 321.1.d.2.a

Detractor negotiatori aſſimilatur. 259 2.a *ei non ſunt præbendæ aures.* 100.1.b *verè eſt inſipiens.* 237.1.b *ſe in futurum obliget.* 312.2.b.c *eſt peruerſus lingua.* 705.1.b *verba eius ſunt quaſi verbera & vulnera.* 455.2.a *ſua lingua tres occidit vno ictu.* 469.1.c *res aliter narrat ac geſta ſunt.* 521.2.c *adfert ſibi mortem, vitam patienter calumnias ſuſtinenti.* 469.2.b *ſuſcitat iurgia.* 595.1.d *edit carnes proximi ſui.* 632.2.d *paſſim apud omnes malè audit.* 654.2.b *cur vocetur alterator.* 666.2.b *ei & eum audienti grauis imminet ruina.* 667.1.c.d *quomodo retundendus.* ibid.1.d *ſi auditor vultum ſeuerum ei oſtendat, tacebit.* 704.2.c *Aquilone denotatur.* 752.2.b *ſi ſit ſuperior, ſufficit ei faciem triſtem oſtendere; ſi æqualis vel inferior, verbis eſt arguendus.* 705.2.b *detractores regis cur populo exoſi.* 666.2.c vide *Conuicia, Delator, lingua, Maledicus.*

Deuorare ſæpè ſumitur pro ſpoliare. 536.1.b *qui deuorare preces, vota, verba dicantur.* 2.a.b.c *quid ſit orationem, quid nomen deuorare.* ibid.d *quid deuorare ſanctos, & qui id faciant.* 535.2.c.d.& ſeqq. 536.1.a.2.a.b

Deuoratores pauperum ſummè ſunt crudeles. 826.1.a.b

Deuorare verbum priſcis fuit in vſu. 535.1.b

Deuotionis mater eſt compunctio. 334.1.b

Deus eſt ſæpè inuocandus à rectoribus omnibus. 23.1.a *vocat ſuos diuerſimodè.* 38.1.c *quatuor de cauſis manus extendit.* 2.a.& ſeqq. *ſemper dat, non accipit.* 39.1.b *in eum non cadit paſſio.* 40.1.c *quomodo delectari & gaudere dicatur vindicta impiorum.* ibid.d *ridet ſui irriſores.* 2 c *eſt eſſentialis & immenſa pulchritudo.* 51.1.c *neminem deſerit, niſi ab eo priùs deſeratur.* 58.2.b *dat rei ſpem, vires & ſucceſſum.* 61.2.b *dirigit actiones noſtras, ſi nos ei obſequamur.* 62.2.c *caſtigat ſuos quatuor de cauſis.* 67.1.a.& ſeqq. *ſolus replet animæ noſtræ capacitatem.* 69.1.d *eſt ſuis ſecura poſſeſſio.* 74.1.b *habet omnipotentiam & ſapientiam tum phyſicam, tum ethicam.* 2.d *omni potenti dat ſemper aliquid.* 79.1.c *eſt animæ ſponſus.* 119.1.a *omnia intuetur, etiam abdita.* 120.1.c.2.b 150.1.d *cuſtodit & diligit ſuos vt pupillam oculi.* 148.2.a.172.1.c *colit colentes ſe.* 162.1.d *ſapientiæ ſuæ leges toti mundo prædicat.* 2.d *pijs intereſt colloquijs & lectioni.* 168.1.c *dat regibus ius regendi & regnum.* 170.1.c *immenſam habet gloriam in ſe & in S. Trinitate.* 174.1.c *non decreuerat creare mundum, angelos & hominem, & Adæ lapſum permittere, niſi ſimul Chriſti incarnationem decernendo, ad Adæ lapſum reſtaurandum.* 180.2.b *in illo non eſt vlla diſtinctio temporis, ſed inſtans ſemper durans vnum & idem.* 186.& ſeqq. *eſt nobis in omni loco præ oculis habendus.* 62.1.b 2.a.361.1.d *nouit intima inferni, dæmonum, damnatorum ſecreta, vti & arcana oculis humanis.* 366.2.a.& ſeqq. *immittit ijs cogitationes & volitiones quales voluerit.* 367.1.a *auertitur ab ijs qui ſe ab ipſo auertunt.* ibid.d.382.1.b.c *vicinus eſt iuſtis.* 382.1.b.c *hominis verba ordinat & diſponit.* 386.1.a.b *ab eo eſt ſalutis hominis initium.* ibid.2.a *actiones omnes hominum perſpicit.* 388.2.a *omnium operum tam bonorum quàm malorum pondus menſurat.* 389.1.c *eſt auriga cordis, oris, operis.* ibid.d.387.2.c *opera noſtra ſunt ei commendanda, vt illa proſperet.* 390.2.b.c *omnia debent ad ipſum referri.* 391.2.a *eſt prima cauſa efficiens, exemplaris & finalis rerum omnium.* ibid.a *quid in rerum creatione ſpectarit.* ibid. *eſt*

vltimus rerum omnium finis. ibid.d operatur omnia propter ſuam gloriam increatam, non propter creatam. 392.1.c.d neminem ad damnationem deſtinat. 2.a.b vult omnium ſalutem. ibid.b in eo omnium animi vniuntur. 394.2.b ſuis omnes inimicos amicat. 395.1.a eſt primus & ſummus legiſlator. 397.1.c vult pondera æqua inter homines ſeruari. 398.1.b ſuperbis reſiſtit. 404.1.c.2.a in eo collocanda fiducia de rei agendi felici ſucceſſu. 405.2.c ſortes tripliciter temperat. 416.1.d eius prouidentia dirigit omnia humana. 2.a.c.d quomodo actus liberos iuſtorum & impiorum dirigat. 417.1.a b quorum potiſſimùm curam habeat. ibid.b ſæpè voluntatem ſuam per ſortes patefacit, & tunc potiſſimùm eas dirigit. ibid.c cordis eſt ſcrutator. 36.2.d 420.2.d quo pacto id exploret. 421.1.& ſeqq. eum poſsidens poſsidet totum mundum. 423.1.b eſt iuſtitia increata, & ab eo manat omnis creata iuſtitia hominum & angelorum. 433.2.c quomodo ſit frater Iſraelis. 437.1.a omnibus ſe æqualem præbet. 454.1.a eſt iuſtorum refugium. 458.1.a.& ſeqq. 459.1.a cuique ſuam fortunam diſpenſat. 470.2.c non eſt cauſa & auctor peccati. 476.2.c.d.477.1.c.d cauſas ſecundas quomodo diſponat. 477.1.c caſtigat periuros & mendaces. 478.1.c.d omnia curat. magis tamen magis neceſſaria. 488.1.a diligit coniugium in quo viget amor. 489.2.a viro bono prudentem dat vxorem. 488.1.a.b.c.489.2.d ſibi datum reputat, quod datur pauperi. 492.1.c fit debitor eleëmoſynario. ibid.c.d.2.b.c.493.2.c.d promiſsionem ſuam dat ei pro cautione. 493.1.c.d eſt vitæ & necis dominus. 494.2.b eius conſilia certa & ſtabilia ſunt. 498.1.a.d quod ipſe ſtatuit certò euenit. 2.a in rebus dubijs & perplexis ab eo conſilium petendum. ibid.b ſolus animam ſatiat. 500.2.c nocentes & innocentes diuerſimodè flagellat. 506.1.a peccatores ſua gratia præuenit. 510.2.a eius proprium eſt miſereri. 514.1.c eſt velut in ſolio iudicij ſedens. 516.2.c iuuat iniuriam patientes. 532.2.a.b dirigit iuſtos in naturalibus & ſupernaturalibus. 533.2.b.c dirigit greſſus iuſti vt boni ſint & felices. 534.2.b.c. 535.1.c fortuna bona & mala ab ipſo proficiſcitur. 534.2.c.d eſt ex ſe miſericors, iuſtus eſſe cogitur ob ſcelera. 541.2.a eſt ſenum imago. 542.2.d.& ſeqq. eſt rex mentium. 547.2.c in eius manu eſt cor regum. ibid.b.c.& ſeqq. operum noſtrorum fundum penetrat. 549.1.c verus cordium ſcrutator & ponderator eſt. 2.a.420.2.d.756.2.b eſt auctor omnis virtutis & boni. 549.2.c.534.1.c odit doloſos & fraudulentos. 556.1.b.c in duros eſt durus. 560.2.c.772.1.d gaudet iuſtitia & indicio. 562.1.b voluntatem facit hominis obedientis ei. 575.2.c.d rerum magnarum peculiarem curam habet. 578.1.a eius conſilio hic eſt pauper, ille diues. 582.2.a vnicuique ſecundùm opera retribuit. 592.1.d omnem duplicitatem auerſatur, & amat puritatem & candorem. 597.1.d.2.a eius oculus omnia intuetur. 520.2.c.598.1.1.c.d parta iniuſtè à ditioribus aufert. 603.2.a eſt pupillorum & paruulorum tutor & vindex. 627.1.b.c 772.1.d quomodo nobis dederit cor ſuum. 635.1.a eſt ſeruator animæ noſtræ. 658.1.c multa eius arcana homines ſcrutari nequeunt. 678.1.c.679.1.b celat ſua iudicia, idq; ſpectat ad maieſtatem & gloriam eius. 679.2.a.b ſub eo nos humiliari oportet. 683.1.d eſt piorum murus. 768.2.d plura rependit danti pauperibus. 770.1.c pios tuetur ab aſtu & machinationibus impiorum. 780.2.c refugium eſt & aſylum ſperantium in ſe. 784.2.b.c 805.2.a.819.1.c.d.820.1.c ab eo efflagitanda eſt ſententiæ pronuntiatio per os iudicis. 806.1.d eius infinita ſcientia & ſapientia. 813.2.c.814.2.d.815.1.a.b.d.2.b.817.1.d.& ſeqq. quod eius ſit nomen. 816.2.d cur ipſum ſit ineffabile. 817.1.a.b eius eſſentia planè cognoſci nequit. ibid. & ſeqq. eius definitio. ibid.d eſt prorſus ineffabilis. 2.c.d eſt nobis ſufficientia. 831.1.d omnibus benefacit, nulli malè. 870.2.d cur maternitate B. Virginis nil facere poſsit præſtantius. 896.2.a

Dextera pars potior eſt ſiniſtra, cur. 70.1.a.b per dexteram datam fides datur & ſancitur. 2.a eius vſus & ſymbola. ibid.b dexter proſperitatem, bonum, amicos, honores ſignificat. 101.2.a.d.& ſeqq. 752.1.d

Diabolus vincitur humilitate. 415.2.a.b ſæpè varijs ſpectris Sanctos terrere ſatagit. 430.2.d eſt pater mendacij. 504.1.c cur vocetur impius. 571.1.d item teſtis falſus. 572.2.a adoleſcentibus maximè inſidiatur. 589.2.b item otioſis. 599.1.a eſt ex animæ regno eyciendus, quia eius pacem euertit. 595.2.d nobiſcum calumnioſè & iniquè agit. 602.2.b ſaluti noſtræ ſummopere inuidet. 625.1.a eius verſutia & fucus detegendus eſt. 648.1.b charitate hoſti exhibitâ vincitur. 704.2.a eſt velut ventus durus. 705.1.b nos varijs modis ad peccandum prouocat. 733.1.d iuſtos imprimis ad peccatum ſollicitat. 707.2.d per myrmicoleonem & crocodilum repræſentatur. 598.2.c item per Aquilonem. 752.2.c item per ſanguiſugam. 828.1.a item per coruum. 834.2.d cur dicatur nemo. 863.1.a eſt omnium tyrannorum princeps & choragus. 878.1.a vide Dæmon.

Dialogi conuiuales priſcis in vſu fuere. 2.2.c.d.& ſeqq. cur ij ſint ſuccincti. 3.1.b

Diana Gentibus erat pudicitiæ ac viarū præſes. 163.2.d

Dicere Dei eſt idem quod facere. 258.1.b

Dictamus herba deſcribitur, medetur ea ceruis ſagitta ictis. 159.2.a.b eſt pœnitentiæ ſymbolum. ibid. item virginitatis & B. Virginis: vnde dicatur virginale. ibid.c

Dictatura perpetua Romam perdidit. 854.1.c.855.1.d

Dicteria mordacia ſæpè morbis animæ medentur. 545.2.a.b exacuunt cordis malitiam, iram & indignationem. 701.1.d

Dictio hominis à Deo dirigitur. 386.1.b vide Sermo, Verbum.

δίδυμ☉ idem quod geminus, duplex. 730.2.c

S. Didymus pro caſtitate S. Theodoræ vitam expoſuit. 298.2.d

Dies, tempus eſt ambulandi & negotiandi. 136.1.c

Difficultas rei habendæ, eius deſiderium adauget. 214.1.c difficultates in via virtutis occurrentes ſunt perfringendæ, eæ ſpinis comparantur. 372.2.d.373.1.d.& ſeqq. 2.b.c

Diffidentia de victoria animum remiſſum reddit. 655.2.d.& ſeqq.

Digito medio ſummus oſtenditur contemptus. 132.1.a digiti decem refricant decem præcepta decalogi. 149.1.a

Dignitas in indigno, eſt ornamentum in luto. 269.1.a

Dignis dandum, non indignis. 78.2.b dignitas hominis conſiſtit in ratione & natura rationali. 555.2.b dignitas non eſt danda ſtulto, quia ea ab ipſo ſordidatur. 718.1.d.2.a.& ſeqq. 719.1.a.b.& ſeqq. 2.b.c 721.1.a.722.1.a dignitates auro diuenditæ mala adſe-

la adferunt plurima. 777.2.a vide Honor, Officium.

Dij Gentilium in Script. aliquando citantur. 720.1.a

Dilapidator rerum ſuarum, ad extremam penuriam redigetur. 275.1.a

Dilatatio cordis eſt propriè impiorum, qua omnia ſibi licere & deberi exiſtimant. 551.1.b.c

Dilatio rei ſperatæ animum affligit. 311.1.d.& ſeqq.

Diligentes ſua ſtrenuitate parant ſibi opes & dominium. 221.2.b.d.296.2.d.299.1.c.553.1.a.b paruum peculium labore ſuo adaugent. 304.2.d eorum fundi accuratè coluntur. 373.1.b

Diligentia parat diuitias. 130.1.b.c eam homo diſcat à formica. 124.2.d.& ſeqq.127.1.c

Diluculum rebus agendis & meditandis eſt commodum. 172.2.b

Dilutum vinum cordi prodeſt & ſanitati. 201.1.a

Dimenſiones quatuor profundi peccatorum. 451.2.d

Dimidium plus toto eſt, cur & quando. 757.1.b

Diocletianus Imp. abdicato imperio agriculturæ ſe dedidit 287.1.d

Diogenes vnde dictus ſit Cynicus. 157.2.c liberè reprehendens reges in honore fuit apud populum. 668.2.a ſic Alexandri Magni ambitionem carpſit. 773.1.b eius gnome de lurconibus. 632.2.a.b

S. Dionyſius Areopagita B. Virginem penè Deam cenſuiſſet. 901.1.c.d

S. Dionyſius capite plexus caput truncatum aliquouſque manibus geſtauit. 26.2.b

cur Dionyſius tyrannus ſcelerum pœnas non dederit in vita. 218.2.a

Dionyſius Syracuſanus ſuos exactionibus nimijs exhauſit. 767.2.d

vnde dicatur Bacchus Διθυρος. 862.2.a

Dipſas ſerpens in ijs quos mordet, ſitim accendit. 641.1.d

Directio Dei ſupernaturalis, eſt multiplex. 533.2.c.d

Diſciplina eſt gemma cæleſtis & præſtantiſſima. 427.1.d detur pueris, non ſenibus. 589.1.b.c per inaurem denotatur. 690.1.b ei attentio adhibenda eſt. 628.1.b.c vtilis eſt diſcipulo & correpto. 689.1.c ea in omni congregatione ſeruanda eſt. 893.1.a diſciplinæ bonæ in vrbe vel collegio tria indicia. 893.1.a

Dirigo in Script. idem eſt ſubinde quod proſpero. 255.2.b

Diſcendum ſemper & à quolibet. 20.2.b.d

Diſciplina propriè eſt vitiorum paſſionumq́ caſtigatio. 15.2.d incipientibus competit. 2.a eius bona. 320.2.c ea quantum boni homini adferat. 384.1.a diſciplina Dei multiplex eſt. 66.2.c.67.1.a

Diſcipulus, qui magis verborum diligit ornatum, quàm ſcientiam, nihil reportat fructus. 480.1.d patienter magiſtrum audiat. 482.1.d ſuum magiſtrum affligens ſibi probrum & infelicitatem accerſit. 503.2.d olim magiſtros oſculabantur. 668.2.d

Diſcordias ſeminant impij. 131.1.c.132.1.d eas ſeminans ſocius eſt diaboli & Antichriſti. 235.1.d.669.2.c quæ ſint diſcordiæ faces. 411.1.a eam introducens, quærit lites. 438.1.c.2.d affinitatem habet cum inuidia & ſuperbia. ibid.2.b

Diſcretio mirè valet ad perfectionem virtutis. 649.2.a eſt virtutum princeps. 652.1.d diſcretio eſt ſpecies prudentiæ. 16.1.a ea digitis denotatur. 149.1.b

Diſpoſitio maximè facit ad eloquentiam. 524.1.c.d diſpoſitio in bellis triplex eſt. 631.1.d maximè in acie diſponenda requiritur. 2.b.c

Diſputationes ſcholares acuunt ingenium. 752.2.d 753.2.c

Diſſenſionibus ſubditorum gaudent tyranni, eáſque fouent & ſerunt. 777.2.b

Diſſentiens ab altero alium ab eo affectum habet, qui eſt cauſa litium. 730.2.d

Diſſimulans multa, aptus eſt ad regendum. 446.1.d diſſimulat in lapſu alieno vir ſapiens. 483.2.d

Ditat ſolus Deus. 242.2.d

Diteſcere volens etiam minima lucra captet. 221.2.d diteſcendi nimium ſtudium eſt iugis animæ cruciatus, & hominem ad illicita compellit. 620.2.c ipſum moderandum eſt. ibid.d.& ſeqq.622.2.a id mox euaneſcit. 622.1.a diteſcendi optima ratio eſt iuſtitia, liberalitas & eleëmoſynæ ſtudium. 620.2.a

δίψυχος eſt bianimus & ſuſurro. 730.2.c item diſſentiens. ibid.d vide Bilinguis.

Diues nihil habens, quis dicatur. 395.1.d diues ſemper in gaudijs eſt. 369.1.b non ſatiatur opibus. 370.2.b ſæpè reuera non eſt diues. 304.2.d diues opibus ſæpè eſt inops virtutibus. 306.1.a diues dictus quaſi diuus. 595.1.c diues putat ſe per opes inuictum, tutum & ſecurum eſſe. 234.1.a.458.1.a.b item tectum & vallatum. ibid.c eius cæcitas in amandis opibus. 2.b ob eas tumidè & imperioſè loquitur. 472.1.a.b.c durè reſpondet. ibid.c.d à plerìſque timetur & amatur. 478.2.c ſi in conuiuia opes impendat, ad egeſtatem redigetur. 564.2.b item ſi pauperes opprimat. 608.2.b paupere eget ad ſuſtentationem vitæ. 582.1.b.c.d.2.b.c 583.1.a amet pauperes. 583.1.c inuicem egent alter alterius ope. 581.1.a diuiti dans ſæpe ad inopiam redigitur. 602.2.d eius commercium qualiter ſectandum. 622.1.d non eſt in eo ſperandum. 623.2.b.c quo ſenſu ſibi videatur ſapiens. 772.2.a.b eius bonitas in eleëmoſyna ſita eſt. ibid.b habet ſpecimen & pompam ſapientiæ, non medullam. 773.1.b multa habet fucata. ibid.c cur Deum neget. 823.1.d opes amat ceu idolum. 2.a cadit in omnia vitia ibid.b quis diues Deo ſit. 590.2.a diues doloſus, plerumque iniuſtus impius, prauus. 474.1.c.2.b diues opibus, non eſt ſemper diues in gratia. 581.2.b.c verè diues eſt qui nil appetit, ſuis contentus. 413.2.b diues & pauper vterque à Deo conditus. 581.1.b.2.c ab inuicem diſſident. 2.d vterque opus eſt Dei. 582.2.d ſint ſua ſorte contenti. 583.1.a quærant opes cæleſtes. ibid.d diuites dominari volunt pauperibus ob opes. 589.2.d & ſeqq. & quomodo. 590.1.b ſolent eligi in magiſtratus. ibid. meritò in eum cooptantur. 768.1.a.b modeſtè imperent pauperibus. 590.1.d terrenas opes præponunt cæleſtibus. 744.1.d

Diuina concipimus vt humana ſolemus. 178.1.d

Diuinatio vox vnde deriuetur. 396.2.b ſic olim vocabatur iudicium rei obſcuræ. 397.2.a

Diuinitas poſſedit humanitatem Chriſti per vnionem hypoſtaticam. 180.1.b humanitas ei ſubordinata eſt. 183.2.c diuinitatis eſt ſe ſuaq́; alijs communicare. 355.2.a diuinitas lucerna denotatur. 529.2.b.c diuinitas Chriſti è patientia eius colligi potuit. 483.2.a dulcedo diuinitatis non poteſt capi niſi à mentibus Beatorum. 708.2.d

Diuina arcana abſcondenda ſunt. 678.1.a.b non ſunt nimis curioſè ſcrutanda. 708.2.a.b ſed poſſunt ab humilibus inquiri. 709.1.a

Diuini vocantur coniectores. 858.2.d

Diuiſiones aquarum multiplices à Deo factæ ſunt. 546.1.a.2.a.& ſeqq. diuiſio regni in multos, populo grauis & damnoſa eſt, 766.2.d

Diuitiæ iniuſtè partæ non ditant. 81.1.a ea cito auolant,

lam. 222.2.c *cur hominem affligant & inquietent.* 219.1.a.b *ſunt diuiti quaſi munimentum & vallum.* 233.2.b *earum vtilitas in quo ſita.* ibid.d *iuſtis prouenient ſanare Dei.* 242.2.c *non proſunt in die iudicij.* 255.1.a *præſtantiores ſunt nobilitate.* 285.1.a *qui in ijs confidit, inani nititur fundamento.* 274.1.a *pro earum ratione appretiamur homines.* 406.1.d *addunt diuiti animos & robur.* 2.a *facilè hominem à quolibet malo liberant.* ibid. *& à capitis periculo.* ibid.c *à Deo dantur vt ritè expendantur.* 345.2.a *ineptis cùm cedunt, iniuriam quodammodo ſibi fieri putant.* ibid.b *parant diuiti multos amicos.* 477.2.a.b.478.2.d *earum commoda.* 590.1.a.b *diuitiæ terrenæ animum non ſatiant, nec beant.* 647.2.a *quæ diuitiæ ſpirituales & veræ ſint.* 781.1.a vide Opes.

Diuortium ab vxore Chriſtianis licet. 407.1.c

Docens alios docet ſeipſum. 406.1.c.594.1.a.786.1.d *doceat cum amore.* 407.2.d.& ſeqq. *ſi alios quis doceat, ſignum eſt magni profectus.* 629.2.c.630.1.b.c *doceat nemo niſi qui plenè didicerit.* 407.1.b

Docilis dicetur, cùm videt alios caſtigari. 559.1.a *qui eſt Docilis, omnibus placet.* 314.1.b

Doctor imitetur ſeminantem. 363.2.d *doctor ſapientiæ nullis minis vel blanditijs à veritate docenda auocari debet.* 37.2.d *ea ſine doctore non diſcitur.* 88.1.b *ſit concha, non canalis.* 453.1.d *per modica præcepta doceat ſapientiam, non ſimul omnia effundat.* 2.b *ſi bona habeat verba, nulla facta, nullam à Deo referet mercedem.* 480.1.d *ſit patiens.* 482.1.c *ad Deum omnia ſua referat.* 602.1.b *non faciens ea quæ docet, pudeſit.* 410.1.a *hominum corda exploret & probet.* 421.1.b *doctor falſus & verus quomodo differant quoad doctrinæ durationem.* 573.1.a *doctori ſalutis oſculum quadruplex debetur.* 670.1.a.b *doctores cur coronentur.* 27.2.c *ſunt ianitores ſapientiæ.* 195.1.a *tantum in proximum effundant, quantum à Deo acceperunt.* 115.2.a *ſunt velut ancillæ Dei, & cur.* 204.2.b *doctores ſancti per hinnulos repræſentantur.* 119.2.c *& doctores Eccleſiæ per ſeptem columnas domus ſapientiæ.* 198.2.d *doctores ſancti multos pariunt amicos.* 477.2.d *doctores diuina oracula nuntiantes, ſunt nobis ceu Mercurij.* 721.2.d *doctoris in Religione ſua humilitate Ordine ſui diſciplinam auxerant.* 900.1.a

quid de Doctrina ſenſerit Ariſtoteles. 19.2.b *doctrina & prudentia qui differant.* 16.1.a.& ſeqq. *doctrina legis diuinæ & Chriſtiana lacte deſignatur.* 28.2.c *pluuiæ comparatur.* 112.1.b.c *& ciſternæ.* 2.d *argento deſignatur.* 239.2.c *doctrina moralis eſt velut fons.* 114.1.a *eſt pura intentione prædicanda.* 115.2.c *eſt verè magna.* 165.1.d *& velut menſa.* 203.1.d *doctrina ſapiens & ſancta docentem & diſcipulum Deo & hominibus reddit acceptum.* 313.2.c *doctrina fallacium & mendacium ſemper ſuſpecta eſt.* 314.1.d *doctrina prudentium eſt facilis.* 328.1.b.c *doctrina ſine eloquentia parum alijs prodeſt.* 406.2.b.c *eam plus æquo iactans, ſæpè ignominiam ſibi accerſit.* 435.1.d *placida & modica prodeſt, nimia & vehemens obeſt.* 453.2.b *eius fructus, dulcis, labor difficilis.* 522.2.d *eſt vita probanda.* 592.2.a *eius pulchritudo in quo ſita ſit.* 604.2.a *ruminanda eſt poſt auditionem.* ibid.a.b *charitate & virtutibus mixta prodeſt animæ; ſine illis inflat.* 434.2.c.660.2.a.b *ingreditur in aures & mentem auditorum.* 628.1.c.d *eſt in ſenectute colenda.* 661.2.b *doctrina ſapientum & ſtultorum diſcrimen.* 407.1.c *quando pro doctrina licitum ſit pretium accipere.* 634.1.a *doctrina erronea eſt myſticè adultera.* 471.2.d *doctrina ſacræ neglectus mala adfert reip.* 800.1.a *doctrina ſana & cana eſt velut mater grandæua.* 633.2.a vide Sapientia, Scientia.

Doctus ab indocto qui differat. 85.1.a *docti ſed immunda vita, comparantur ſui annulum aureum in naribus habenti.* 268.2.a.b *qui feſtinatò ſatagunt euadere docti, nihil vel parum proficiunt.* 309.2.d *docti viri ſermo quàm ſit efficax.* 408.2.a.b *quia eum mira arte condit & conſtruit.* ibid.c.d *docti ſunt plerumque modeſti & taciturni.* 447.2.a vide Sapiens.

Dogmata Chriſti fuere parœmiæ & parabolæ, & cur. 14.2.c

Dolium perforatum eſt meretricis ſymbolum. 636.2.a

Dolones ſunt gladij fallaces, dicti à dolo. 254.2.a

Dolor naſcitur ex iniquitate. 294.1.c *nullus dolor iuſtum contriſtat.* 2.b *dolorem animæ ſuæ premit ſapiens.* 332.1.c *dolor profundus peccatorum pudorem abſtergit.* 545.1.c

Doloſus per Proteum deſignatur. 555.2.d *eius via quomodo aliena ſit.* ibid.b.c *induit formas variorum animalium.* ibid.d.& ſeqq. *incidit in fraudes & dolos, Deo permittente, quos iuſto ſtruxit.* 556.1.b 772.1.a.b *maximè in proprios.* 791.2.c.d.792.1.b *ore blando tegit internam cordis malitiam.* 732.1.a.c.2.b *quàm eius blanditiæ ſint noxiæ.* 734.2.d.735.1.a *in vijs & actionibus ſuis non proſperabitur.* 780.2.b *doloſi ſunt plerumque otioſi.* 297.1.b vide Fraudulentus.

Dolus Deo diſplicet. 378.2.b *ſæpè recidit in caput ipſum ſtruentium.* 556.1.b.734.1.b.772.1.a.b

Domiducus quis eſſet priſcis deus. 535.1.b

Dominari meretur qui bene ſeruiuit. 460.1.b

Dominatus lucernâ denotatur. 529.2.d *dominatus impotens & arrogans domum & remp. perturbat.* 840.2.b.c.841.1.a

Domini quales ſe erga famulos præbere debeant. 754.1.d

in S. Dominici adhuc pueri ore ſederunt apes. 408.1.d *à B. Virgine contra Albigenſes pugnaturus fuit inſtructus.* 168.1.a

B. Dominicus Loricatus quotidie in pœnitentijs ſuis creſcebat. 304.2.a

Dominium Chriſti vt hominis in res omnes creatas, & omnes omnium hominum & angelorum actiones, erat ſummi cuiuſdam ordinis. 170.2.d

Domitianus Imp. ob ſæuitiam ſuis inuiſus, tandem eſt à domeſticis interfectus. 400.2.c *erat pauidus & ſuſpicax.* 486.1.d

S. Domneo Martyr capite imminutus, ipſum ſublatum manibus proprijs geſtauit. 27.1.a

Δόμος & δῶμα inter ſe ſignificato differunt. 462.1.d

Domus ſapientiæ quænam ſit. 197.1.a.b *myſticè deſignat humanum corpus, quod Filius Dei ſibi aſſumpſit.* 199.1.a *item mundum.* ibid.b *item vterum B. Virginis.* 2.a *& animam ſanctam.* ibid.b *ſapiens domus conſtitutio quæ eſſe debeat.* 197.1.d *domus ſpiritalis quænam ſit, & eius partes.* 323.1.d *domus impiorum citò deletur.* 334.2.c *domum altam ædificantes ſibi ruinam accerſunt.* 435.1.a *domorum æqualis altitudo vrbis ſeruit elegantiæ, & vicinorum commoditati & paci.* 438.1.d *in ijs ædificandis ſpectanda aura & aër.* 648.2.a *domus nimis altè præ alijs eminens, cauſa eſt litis.* 438.1.d.2.a *domus prudentia, arte, virtute ædificatur.* 648.1.c.d 2.b *item præparatur, inſtauratur.* 2.d *item abſoluitur & roboratur.* 669.1.a.b *eius optimum*

nuum regimen quod ſit. ibid.c *domus vicini & proximi crebrò non eſt frequentanda.* 696.2.d.697.1.a *domus turbatur per impotentem dominatum.* 457.841.2.b.c

S. *Donninus decollatus caput ſuum manibus ad iactum lapidis geſtauit.* 27.1.a

Donum modicum cum hilaritate præſtat magno cum triſtitia dato. 371.2.a.d *dona Dei ſunt diuiſa per ſingulos.* 10.1.b *dona Spiritus ſancti roborant Prælatos Eccleſiæ & ſingulos fideles.* 198.2.c *ea per columnas domus ſapientiæ denotantur.* ibid.119.2.a *donum ab animo donantis æſtimationem, vim, & pondus accipit.* 426.2.c.592.2.d *dona conciliant gratiam & acceſſum iudicis vel principis.* 426.1.b.c 2.a.c.462.1.d *quo ſenſu dilatant viam dantium.* ibid.2.a *prouocant item amorem.* ibid.b vide *Munus.*

Δορκὰς dicitur à δέρκειν, id eſt videndo. 124.2.b

Dormire neceſſitatis eſt, diligere dormitationem pigritiæ. 521.2.a

Duciſſa quædam Veneta odoribus raris delectata, poſtea toto corpore computruit. 154.2.d

Dulcedo nauſeabunda eſt. 696.1.b.d *aliæ eius proprietates.* 2.a.b

Dulcia ſunt grauia quia terrea. 696.2.a *iis citiùs ſatiamur quàm auſteris.* ibid.b

Dura pati fortius eſt, quàm fortia agere. 414.2.b.c

Duri durè tractandi. 224.2.b

Dux belli peritus qualis eſſe debeat. 527.1.a.c *non ſit feſtinus.* 476.1.b *in Deo potiſſimam ſpem collocet.* 577.2.d *eius conſilio regitur exercitus.* 661.2.a

S. E*bba Abbatiſſa ſe cum omnibus ſuis naſo & labro ſuperiore truncauit, vt caſtitatem tueretur.* 898.1.d

Ebion hæreticus, rectè ſic dictus, id eſt pauper, quia pauperrimè & tenuiter de Chriſto ſentiebat. 499.2.b

Ebrietatis damna & dedecora. 288.1.b.& ſeqq.2.a.b *dat occaſionem hoſti inuadendi & capiendi arces & vrbes.* 1.d *ebrietas ſæpè capitur pro ſanitate & affluentia.* 270.2.d *ebrietas facit hominem ridiculum.* 507.1.a *ei rationem eripit.* ibid.b *eſt mater luxuriæ, tumultus & omnium vitiorum.* 2.b *eius deſcriptio.* 508.1.a.b.863.1.c *eius damna.* 638.1.b.c.& ſeqq 639.2.d.644.2.d.645.2.c.646.1.a c. *eius comites & filiæ.* ibid.d *eius effectus.* 507.2.d 639.1.c.2.a.d.640.1.b.2.c.641.2.a.b. 642.1.c.d 2.a.863.1.b.c *eſt dæmon voluntarius.* 644.1.c *verberibus è cerebro pellitur.* 645.2.c *ei reſiſtunt vnguenta.* 746.2.a *dedecet reges & rectores.* 862.1.a.b *facit iracundos & furioſos: detegit arcana conſilia.* ibid.c.& ſeqq.2.b.513.1.d

Ebrij omnia & omnes rident. 507.1.a. *ſunt tumultuoſi.* 2.d.538.1.c *quàm ſint probroſi & infames.* 508.1.c.d.645.2.c *eorum ingluuies.* 508.1.b.2.a *eorum proteruia & veſania.* 509.2.c *ſunt liuidi, luridi, moroſi, & varias beſtiarum ſpecies induunt.* 638.1.c.d *linguam moderari neſciunt: cæſpitant, nec recta incedunt.* 2.a *ſepeliunt ſe & rationem.* ibid.b *ſunt viuum cadauer, & dæmone peiores.* 2.b *verberant ſine cauſa & verberantur.* ibid.c *eorum oculi rubent, liuent, ardent, caligant.* 639.1.b.c.2.c a.b 642.2.c *eorum aſſidua potatio.* 639.2.c.d *paludibus ſimiles ſunt.* ibid.d *nudant ſecreta.* 259.2.c 288.1.b.640.2.d.641.2.c.642.2.d.862.1.c.2.c *iis videntur omnia recta, tametſi praua.* 641.1.a *omnibus horrori ſunt.* 642.1.a *comparantur baſiliſcis.* ibid.& ſeqq. *eorum mores inconditi ſimiles* *ſunt inſanis.* ibid.c.d *ſunt ſimiles nauarchæ dormienti, & in mari fluctibus iactato.* 643.2.b.d.645.1.b *eorum pericula & vomitus.* 644.1.a.b *ſunt inſenſibiles ad plagas.* 645.2.c *ſunt typus ſtulti,* 722.2.a.b.c *& ſerui ebrietatis.* ibid.c *peiores ſunt beſtiis.* 643.1.a.645.2.d *& ſimiles dæmoniacis.* 645.2.d *poſt ſomnum iterum vina quærunt.* 646.1.a.b *rerum omnium obliuiſcuntur.* 863.1.b.c *eorum temeritas.* ibid.d *ebrius prodit animi arcana.* 259.2.c.288.1.b *corpus nudat, multa dicit agitq; inſulſa.* 288.1.b *eius vomitus & ſordes: uxorem & filios ad inopiam redigit.* ibid.c

Eccleſia *vox ſignificat congregationem.* 112.1.c *Eccleſia eſt velut mater noſtra.* 25.1.d *eſt in incipientibus vt aurora, in proficientibus vt luna, in perfectis vt ſol.* 95.1.a *eſt velut ceruа chariſſima.* 119.2.d *per apem denotatur.* 129.1.a *templo & Synagogâ Iudaicâ deſignatur.* 197.1.d.198.1.d *eſt à Chriſto in monte Sion cœpta erigi.* 198.1.d *eius ſeptem columnæ quæ.* 2.b.c *eſt arx.* 205.1.b *eſt munita inſtar arcis, & quare.* 2.a *eſt inſtar mulieris ſedulæ.* 281.1.a *allegoricè domus iuſti eſt.* 163.2.a *cur dicatur eſſe vidua.* 377.2.b.c *Eccleſia militans pendet à triumphante.* 75.1.c.d *potior eſt ſynagogâ Iudæorum* 557.2.a *velut menſa eſt.* 615.1.d *eſt à Chriſto prudenter ædificata & roborata.* 649.1.d *ſub inerte rectore ſcatet ſpinis errorum, ſcandalorum, ſcelerum.* 673.1.c *in muliere forti allegoricè deſcribitur.* 866.1.c.867.2.c *eius pretium.* 867.2.d *in ea confidit Deus & Chriſtus, & facit eam fortem & ſtabilem.* 869.1.b *eius aduentum ipſa expectat.* ibid.c *Chriſto ſponſo ſuo reddit bonum.* 870.2.d *quomodo operetur lanam & linum.* 873.1.a.b *eſt velut nauis mercatoria de longè portans annonam.* 874.1.d.& ſeqq. *quomodo de nocte ſurgere dicatur.* 876.1.a *quomodo ſe paulatim diffuderit.* a.b *in perſecutionibus ſperat liberationem.* 878.2.b *eius lucerna non extinguitur.* ibid.b.c *qua duplici veſte veſtiatur.* 882.2.a *eius veſtis byſſus & purpurea.* 884.2.a *quomodo veſtiatur fortitudine & decore.* 889.1.a.& ſeqq. *quàm ſit clemens in docendo.* 891.2.d *laudabitur à Sanctis in cælo & à Chriſto.* 894.1.a *ſuperat omnes Iudæorum & philoſophorum ſcholas.* 2.d *eius rectores qui affligit, Chriſtum affligit.* 445.1.a

Eccleſiaſtes qui ſit, & vnde ſic dicatur liber Salomonis. 1.1.c *an conſcriptus à Salomone poſt lapſum in idololatriam.* 680.2.a *an carmine.* 677.2.b

Eccleſiaſtici liber cur Salomoni aſcribatur. 8.1.a

Eccleſiaſtici ſe ſuoſq; ditantes ſugillantur. 380.1.a *domum ſuam conturbant, & ſcandalizant Eccleſiam.* ibid.d

Echinus in globum conuolutus, typus eſt innocentiæ. 229.2.a *intra ſpinas ſuas latitans hoſtem non timuit.* 984.2.a

Echſmen ſymbolum eſt torpidi & torporis. 456.1.d.2.

Edere, eſt hominis viliſſimum opus. 875.2.d

Edgarus rex Britanniæ ob paruitatem contemptus hoſtem veniam petere coëgit. 844.1.b

S. *Edmundus illectus à femina ad concubitum, illam virgis cecidit.* 156.1.c

S. *Edmundus Campianus Societ. Ieſu ad furcam damnatus cecinit præ gaudio.* 355.1.a

Educatio mollis filios eneruat. 118.1.b *ea cauenda & nimia ſeueritas.* 494.2.d *ſeruilis educatio facit ſeruiles.* 495.1.b *at delicata multa parit mala.* 802.2.c *educationis prauæ mala.* 588.2.c *educatio-*

educationis ſeuerioris vtilitas. 494.2.a hæc facit ſtrenuos & robuſtos. 629.1.a.b.867.1.a & ſanctos. 629.1.d
Egeſtas accedit Deo maledicente. 242.2.d egeſtatem corporalem & ſpiritualem pariunt epulæ. 565.1.c 2.a vide Paupertas.
Elatio animi noſtri ex bono opere ſæpè ſolet à Deo deprimi. 549.1.d
Eleazarus ſenex præclarum iuuentuti exemplum dedit obſeruantiæ paternarum legum. 544.1.a
Electores regem eligant iræ potentem, non iracundum. 485.1.a.b
Eleëmoſyna ſæpè nomina iuſtitiæ in Script. dicitur. 16.2.c.265.1.a eá nos ſemper amiciri oportet. 59.2.a eam dantes nihil amittunt. 116.1.b ſed ditantur. 66.1.a.& ſeqq.221.2.c.270.1.c.171.1.a. eſt in manu iuſti velut fons vitæ. 231.1.c liberat à morte æterna. 255.1.b.2.d expedit ab amore diuitiarum. 2.d fructum ſtabilem producit. 264.2.d eſt quaſi ſeminatio. 270.1.c item ſacrificium. 271.1.d quos fructus in miſericorde proferat. 274.1.c eſt animæ redemptio. 307.1.a eius commendatio: prouocat Dei miſericordiam. 342.1.d facit nos homines diuinos. 2.b & rectà ad regnum cæleſte perducit. 255.2.b 363.1.d expiat peccata. 380.2.c remittit venialia, & pœnam mortalium. ibid.d eleëmoſyna Deo eſt gratior quàm ſacrificia. 393.2.b & homini vtilior. ibid. modica cum hilaritate melior eſt magnâ cum triſtitia. 419.2.d viam ad Deum ſternit. 462.2.d eius vis & laus. 463.1.b facit vt Deus miſereatur eleëmoſynarij. 491.2.d 492.1.a eſt fœnus fructuoſiſſimum. 492.1.c pro ea ſe Deus obſtringit ad vſuram eius ſoluendam. 493.1.d ingens fructus & cenſus eſt. 499.1.a ſine non bono facta, non placet Deo. 513.1.d in occulto erogata extinguit iram Chriſti iudicis. 561.2.a.b non depauperat, ſed ditat. 767.2.d.593.2.d.770.1.c 783.2.d.& ſeqq.881.1.a.893.2.d cur vocetur nomine iuſtitiæ. 562.2.a non iuuat manentem in peccato. 571.2.d quomodo danda ſit, & quibus, & quoties. 593.1.a.b 2.b.c ea ſi ſit hilaris, ſupplet quæ ceteris actionibus deſunt. 2.d vincit eam accipientem. 594.2.a vincit auaritiam & peccata; expugnat cælum. ibid.b vincit aurum, opes, dæmones, Deum. ibid.c.d eſt Deo familiariſſima. ibid.d eleëmoſyna ſpiritualis dignior eſt corporali. 594.1.a
Eleëmoſynarius conſulit honori diuino. 65.1.c eius opes adaugentur à Deo. 2.d Deo prouidente fame non emorietur. 220.2.c in Script. peculiariter dicitur ipſe iuſtus. 226.1.c eum Deus facilè admittit. ibid.d emit cælum vili pretio. 234.2.d. tam proximis quàm alienis benefacit. 263.2.c euadit omnia ſupplicia. 266.1.d eſt inſtar fontis. 271.1.a eſt ſacerdos myſticus. ibid.d meretur vitam longam. 276.1.a.b eſt nunc beatus in ſpe, re futurus in cælo. 342.1.b non moritur impœnitens. 2.c ei Deus opes multiplicat. 492.2.d certum apud eum repoſitum habet cum ſorte lucrum. 493.1.b hic proles eius & familiam alit & ditat. 2.a.515.2.b dans Deo quæ eius ſunt, recipit pro eo fœnus & lucrum. 493.2.c.770.1.d deuincit ſibi animos accipientium ſtipem. 594.1.c item Deum ſibi conciliat. 2.a variæ eius victoriæ. ibid.b.c.d
Elementa an ſint inſaturabilia. 832.2.c omnia Deum prædicant. 162.2.d elementis quatuor paſcuntur quatuor animalia. 368.2.c
Elementaria corpora non rectè vocantur abyſſi. 188.1.c
Elephas eſt princeps inter animalia. 178.1.b ſymbolum eſt moderationis linguæ. 239.1.b lentus eſt ad iram. 694.1.b timet cornua arietum. 852.2.a
quis vir Eleuationum vocetur. 790.1.b.& ſeqq.
S. Eliſabetha Andreæ Hungarorum regis filia lanam & linum operata eſt. 872.2.a
S. Eliſabetha regina Luſitaniæ regno ſuo mirificè profuit. 323.1.d
Elocutio etiam propoſitorum ad eloquendum, prouenit à Dei gratia. 386.2.d
Eloquentia ſapientia neceſſaria eſt. 406.1.c.2.b ipſa auro pretioſior eſt. 523.2.c ei iungenda prudentia eſt. 852.1.d eloquentia varia eſt velut theſaurus impietatis. 219.2.d ea pollent multi ſapientes. 359.2.c & illa eos propriè decet. ibid.& ſeq. ipſa varia eſt & multiplex. 360.1.a
Eloquium Dei in Script. argento repræſentatur. 239.2.a
S. Elzearius memoriâ Dominicæ paſſionis iram domuit. 291.1.d ad omnes iniurias erat immotus. 694.1.b
Emendationis propoſitum velut laqueus eſt. 123.2.b
Ementes, rem extenuant, vendentes extollunt. 522.2.a
Eminere alijs volens, omnium incurrit odia. 438.2.a.b
Empedocles quomodo ventos noxios ſtiterit. 223.2.a in Ætnam inſilit volens Deus haberi. 600.2.d
Emungens nimis naſum elicit ſanguinem. 855.1.b
S. Emygdius Epiſcopus Aſculanus, caput reciſum, & manu ſublatum ad trecentos paſſus geſtauit. 27.1.b
ἔννοια variam habet ſignificationem. 621.2.a
Enthymia Democriti quæ ſit. 369.2.d
S. Ephrem fuit à meretrice modeſtiam edoctus. 107.2.d
Epicureorum dogmata mortem præſentem & æternam adferunt. 313.1.d
Epigraphe capiti XXV. Prouerbiorum præfixa eſt à Sobna, eſtq; canonicæ auctoritatis. 677.1.d
Epiſcopatus quàm ſit graue onus. 437.2.a
Epiſcopus eſt ſymbolicè ſol. 516.2.a.b.c pro Epiſcopo inepto ſpondens, omnium animarum eius culpa pereuntium reus eſt. 505.1.d Epiſcoporum incuria & inſcitia mirè Eccleſiam afflixit. 457.1.a ſunt fideiuſſores pro ſalute ſubditorum. 123.1.c
Epulæ lautæ hominem ad libidinem pertrahunt. 153.1.c ſæpè ſunt ferales & cruentæ. 371.2.d pariunt inopiam. 564.2.b.d.565.1.c maximè ſpiritualem. 565.2.a ſcatent mendacijs, adulationibus, fraudibus. 620.2.b
diues Epulo quia in Lazarum durus, à Deo non eſt exauditus. 560.2.d
Equites in bello validiſſimi ſunt. 577.2.c
Equus myſticè eſt mens contra vitia certans, item hominis anima & corpus. 578.2.b item paſſiones & virtutes. ibid.c equus mirè timet flagella. 714.1.a ſtupeſcit calcans lupi veſtigium. 585.2.d equus quidam ex timore concepto ferociam exuit. 586.1.a
Errantes à via doctrinæ & iuſtitiæ damnabuntur cum dæmonibus. 563.2.c.d
Errata ſubditorum moderatè ſunt caſtiganda. 628.2.c
Error eſt filia præcipitationis. 531.2.b.c error in moribus eſt, quo quis licitum & honeſtum putat, quod illicitum & inhoneſtum eſt. 335.1.a error peccantium eſt practicus, id eſt erronea electio & operatio mali culpæ. 343.2.d habet tamen ordinariè comitem vel anteceſſorem errorē in intellectu. 344.1.a
Eruditione doctrinæ quid propriè denotetur. 16.1.d de ea variæ ſententiæ. 19.2.b
Eſau odium in Iacob ad poſteros propagauit. 468.1.a
ἐσχάρα tam focum quàm aram ſignificat. 731.1.c
cur Eſquilinum montem B. Virgo elegerit. 163.2.b.c

eius

eius elogium. ibid.d.& ſeqq.
Eſſæi de die laborabant & ſtudebant, noctu modicum cibi & ſomni capiebant. 92.2.a cur olim fuerint longæui. 442.2.b vino abſtinebant. 643.1.d
Et ſæpe in Script. capitur pro ſic, ita. 523.2.b.706.1.c ponitur ab Hebræis pro qualibet alia coniunctione. 511.2.c & pro autem. 523.2.b
Ethica olim per breues gnomas tradebatur. 3.1.b ſola ſapientiæ nomen meretur. 19.1.c diuerſimodè à Salomone nominatur. 20.1.b multas ea partes complectitur. ibid.b eſt velut fons. 144.1.a
Eua peccatum confitens, veniam inuenit. 464.2.d
Euagrius philoſophus poſt mortem apparens dixit ſibi ob eleëmoſynas abundè ſatisfactum. 494.1.b
Euangelij & legis Moſaicæ harmonia. 389.2.b euangelium velut lumen eſt. 137.2.b
Euchariſtia lignŭ vitæ deſignatur allegoricè. 73.2.b ea indignè communicantibus ſit panis impietatis. 92.2.d in menſa ſapientiæ adumbratur. 202.1.c.2.b.c eius effectus admirabiles. 240.1.d reddit nos aduerſus dæmones terribiles. 205.2.b eſt ore tum corporali, cum ſpiritali comedenda. 207.1.a ad eam omnes inuitantur ibid. expreſſus eius typus eſt manna. ibid.b ſedat famem vitiorum, item animæ amantis, & non rarò famem corporis. 220.2.d eius ſacrificium vim maximè habet ex opere operato. 364.2.c non eſt in odio Dei ſuſcipienda. 372.1.a euchariſtiæ ſacrificium vim habet ex ſeipſo. 394.1.a præſtat omnibus legis veteris victimis. 419.2.c eius præſtantia ex ſe ipſa. ibid. per menſam principis repræſentatur. 616.1.c.& ſeqq. eſt conuiuium Chriſti. 2.b in ea falluntur ſenſus. ibid.c in ea ſumma requiritur attentio, diſcretio & fides. ibid.d eius effectus. 617.1.c eius decem miracula. 2.a.& ſeqq. in ea latet Chriſtus abſconditus. 618.1.a in ea dat ſe nobis totum. ibid.b ea paſſim & vbique cuilibet patet & obuia eſt. 2.c ceu ficus eſt. 754.2.c eſt panis vitæ. 874.2.a.b
Euentus fortuitos regit Deus. 416.2.d
S. Euergiſto Archiepiſc. Colonienſi S. Gereonem laudanti applauſere Sancti de tumulis ſuis. 774.2.a
Eumelia mater S. Baſilij moribus erat compoſita. 63.2.b
Euomere capitur & pro dictis perſtringere. 811.2.d
εὔστροφος & εὐστροφία quid ſint. 357.1.b
Eutropius ſeruus quàm impotenter ſit dominatus. 841.1.c fuit effeminatus. 872.2.d
Exaltans ſe præ alijs, omnibus exoſus eſt, & humiliabitur. 438.2.a.b
Examen mentis diuinæ perſpicit corda hominum. 421.1.a examen conſcientiæ facit ad animæ purgationem & profectum. 892.2.c
Excandeſcentia eſt temulentiæ ſpecies. 508.2.b
Excellentiæ cupido radix eſt litium & diſcordiarum. 438.2.b
Excelſa dicuntur templa in locis excelſis erecta. 652.2.b
Exceſſus & defectus omni in re habet adiunctum vitium. 519.1.c
Excuſationes friuolæ impotentiæ vel infirmitatis ſunt ſymbolicè panni laceri. 633.1.b
Executio operis optata à ſolo Deo prouenit. 387.1.b & ſeqq. 578.1.a eſt ea in omni re difficilis, præparatio facilis. 577.2.d
Exempla ſancta velut menſa ſunt. 203.1.d item velut tauri altiles. 2.a mirè proſunt ad virtutem ingenerandam. 320.1.a exempla virtutum ſunt velut mel. 661.1.d
Exercitia pietatis torpidi ob difficultatem exhorreſcunt. 699.1.c.d non ſunt facilè mutanda. 745.2.c
Exhortationes acres initio moleſtæ ſunt, poſtea verò meriti proſunt. 701.2.d
Exitij ſedes propria eſt anima & domus impiorum. 555.1.a hinc ijs ſemper id impendet. 559.1.c.d
Experientia in ſenibus reperitur. 412.2.a
Exprobrabilis tam ſignificat vituperandus, quàm probra iaciens. 448.2.d
Exſpectatio iuſtorum læta eſt, & quare. 248.1.b.c.d exſpectatio odorationi comparatur. 2.a exſpectatio inhiantium cupiditatibus in morte peribit. 256.2.b exſpectationis adimpletio quàm ſit grata exſpectanti. 426.2.d
Extranea mulier eſt adultera. 52.2.c
cum Extraneo eſt anceps negotiatio. 624.2.b
Ezechias rex parabolas Salomonis diſperſas in vnum codicem transſcribi iuſſit. 676.1.c.2.b.677.1.b.c fuit pietatis & rerum ſacrarum ſtudioſus. 677.1.c

FAbius Gurges vnde dictus. 632.2.b
Q. Fabij Maximi cunctatio profuit Romanis. 476.1.c
Fabrica cœpta perficienda. 456.2.d fabricæ priſcæ Romanæ quàm ſint ex arte conſtructæ. 648.1.d
Fabula vide Apologus.
Facies ſua ſingulis eſt ab alijs diuerſa. 755.1.d facies triſtis diſſipat criminationes. 703.1.c Aquiloni comparatur. ibid.d.& ſeqq.
Facta reſpondeant dictis. 718.1.a.b
Fallaces ſæpe patent aliorum dolis & contumeliæ. 422.1.c vide Fraudulenti.
Fallacia mulieris, ſunt eius blanditiæ, fictiones, artes & fraudes. 104.2.b
Falſitas vna non tantùm veritati, ſed & alteri falſitati opponitur. 293.2.a
Fama mala & infamia fideli deuitanda. 128.2.b fama virtutum & ſanctorum exemplorum & operum recreat audientes. 382.2.c item eum qui ea habet. ibid.d fama parentum eſt fama filiorum, & vice verſa. 424.2.a famam cordati magni faciunt. 428.1.d eius claritas lucernâ deſignatur. 528.2.c poſt mortem creſcit & perennat. 578.1.c opibus præſtat. 579.2.a.580.1.b.c
Fames homines cogit laborare. 409.2.a ſequitur ex otio. 491.1.b ipſa cruciat & enecat pigrum. 570.2.a paris ſaporem ciborum & dulcorem. 743.1.c.d.2.b fames ſpiritualis quæ dicatur. 220.2.d
Familia impiorum citò delebitur. 334.2.c familiæ ſplendor, dignitas, nobilitas à parentibus ad filios tranſmittitur. 487.2.d familiæ cura non excuſat ab eleëmoſyna. 493.2.b ædificatur & roboratur prudentia, item arte, induſtria, & virtute. 648.1.c.2.a.b 649.1.a.b quæ ſit optima familia. 649.1.c in ea adhibendus ordo. 650.1.a familiæ ſuæ prouidere debet paterfamilias. 845.1.a
Familiares impij regem deprauãt. 663.2.d. vide Amici
Familiaritas mulierum eſt velut ignis in ſinu. 142.1.b eſt ea cauenda, cur. ibid.2.b.d vide Conſortium.
Famuli obſequentes ſolent à dominis ad altiora promoueri. 754.1.c & multa dona accipere. 2.a ad viliſſima ſe demittant. ibid.b
Far dicitur à frangendo. 759.1.a
Faraotes Indorum rex agros coluit. 287.1.d
Faſcinator faſcinum maximè geſtat in oculis. 592.2.d 640.2.a
Faſtus animi quo pacto retundendus. 404.2.b peccato ſequente deprimitur. 403.2.d oculis ſe prodit elatis. 134.1.b.c
Fatui non loquuntur niſi ſtulta. 359.2.d

Fatum fuit philoſophis Deus vel Dei prouidentia: huic omnia tam bona quàm mala tribuebant. 477.1.a

Fauor præſtat auro. 680.1.c

Fauus dictus eſt à fouendo: eſt apum domus & cellulæ. 276.2.c *arte inſigni ab ijs conſtruitur.* 408.2.c *faui ſunt melliti & ſæpè toti cum melle eduntur.* 660.2.c

Fel eximebatur olim, dum in connubijs Iunoni pronubæ ſacrificabatur. 117.2.d

Felicitas iuſtorum ſolida eſt & perdurat, at impiorum modica & breuis eſt. 307.2.b *recreat omnes.* 257.2.a *felicitas terrena deducit in ruinam & interitum* 335.1.d *felicitas miſcetur infelicitati in hoc mundo.* 416.2.a *lucernâ repræſentatur.* 530.1.b.d *felicitas impiorum & ſuperborum eſt peccatum.* 551.1.d vide *Proſperitas.*

S. *Felicitas ſuos ſeptem filios ad martyrium animauit.* 136.1.a.408.2.b

Feminæ in omni genere animalium aſtutiores & inſidioſiores ſunt maribus. 430.1.c *feminæ quidquid ſciunt, ſtatim effutiunt,* 511.2.d *in pulchritudine morum & corporis, decus ſuum ponunt.* 897.2.d *& eâ ſuperbiunt.* 898.1.c *deformes virtutis ornamento pulchreſcunt.* 888.1.d *ſint moribus modeſtæ & pudicæ.* 2.d *nonnullæ ſe deformarunt ſtudio caſtitatis.* 898.1.d vide *Mulier.*

Fenellæ pomum tangentes iaculis confodiebat. 336.1.b

P. *Ferdinandus à Salazar in Prouerbia ſcripſit, de eius commentario iudicium.* 9.2.c

Ferdinandus II. Imp. malleus hæreticorum eſt. 341.1.d *eius felicitas, potentia, gloria.* 356.1.c *eius reſponſum cuidam religionis libertatem poſcenti. ibid. qua arte Sileſios ad fidem Catholicam pellexerit.* 5[illegible]6.2.b *acre hæreſi bellum indicit.* 769.1.c *ab hæreticis exagitatus eos mirè exagitauit.* 772.1.d

Feræ catulos ſuo efformant ad omnes actiones naturæ ſuæ congruas. 633.2.d

Fermenti qualitates competunt corripi nolenti. 228.1.b *fermentum ſubinde pro malitia capitur.* ibid.c

Ferrum chalybe dureſcit. 753.1.d *lima exacuitur.* 2.a

Fertilitatis indicium eſt cornorum copia. 834.1.d

Feruentes ſæpè fiunt tepidiſſimi. 885.2.c *ſeruiunt Deo cum gaudio.* 130.2.c

Feruores nouitiorum intempeſtiui citò conſumuntur. 310.1.c.d *feruores nimij initio non probantur.* 796.1.c

Feſſa vrbs Africæ vnde cognominata ſit. 175.2.b

Feſtinandum lentè. 310.1.c *feſtinatæ diuitiæ non ſunt ſtabiles.* 309.2.c.d *feſtinans plus æquo ſerò ad finem peruenit.* 476.1.b *feſtinatur ad hereditatem tripliciter.* 531.1.c

Feſtinatio ſignum eſt imprudentiæ. 476.1.a.b *feſtinatio præpropera quam nociua ſit.* 531.2.a.b *nimia non eſt durabilis.* 310.1.b.2.a

Feſtinus ſemper ad defectum & penuriam tendit. 552.1.c.2.a.d

Ficus exiguam requirit culturam. 754.1.b *eius fructus quàm dulcis, ſapidus, integer. ibid.c ipſa eſt bifera, nec dat flores. ibid.d ſtercoratione fœcundatur.* 2.a *primus eius fructus decutiendus.* ibid.b *eſt typus Ven. Euchariſtiæ. ibid.c ei proſunt cornua arietina.* 752.2.b *ficus viles in maſſas olim contundebantur ad vſus mancipiorum.* 759.1.a. *earum raptores dicti ſunt ſycophantæ.* 778.2.b.c

Fides an nomine ſapientia vocari poſſit. 15.1.b *error in fide videtur homini rectus, at eius nouiſſima deducunt ad mortem.* 335.2.a

à *Fideiubendo ſibi cauet iuſtus.* 262.1.b

Fideiuſſio prudens eſt opus beneficentiæ, temeraria verò cauenda. 122.1.b vide *Sponſio.*

Fideiuſſor liberet ſe quantocyùs ab obligatione ſponſionis. 123.2.d *quare diſcurrere & anxius eſſe debeat, & amicum ſtimulare.* 124.1.a.b *multis moleſtijs afficitur & damnis.* 162.1.a

an *Fideiuſſoris pignus tolli licitum fuerit.* 524.2.d *fideiuſſor pro extraneis non ſit temerarius & præceps.* 525.1.b *cum fideiuſſoribus non eſt familiariter agendum.* 610.2.c

Fideli ſeruit totus mundus. 422.2.d *eo is vtitur ad neceſſitatem, non luxuriam. ibid. & ad ſalutem.* 423.1.b *fideles ſunt Chriſti corona.* 412.2.a *fidelis vir quis dicatur.* 513.2.c *tales viri fideles aliquot recenſentur. ibid.d tales requirit Deus.* 514.2.b.c *fidelis arcana celat.* 528.1.b *ab omnibus laudatur.* 781.1.b *à Deo in omnibus proſperatur. ibid.c fideles non iurant nec mentiuntur.* 327.1.c

Fidelitas decet reges. 425.1.c d.2.b *eos fidelitas in verbis contra calumniantes tuetur.* 541.1.a *ea rariùs inuenitur quàm miſericordia.* 513.1.a.& ſeqq. 2.a.b.c.514.1.d.& ſeqq.2.b

Fidens Deo totum poſſidet mundum. 422.2.b.c

Fides ſanctiſſimum hominis bonum eſt. 525.2.b *eſt amicitiæ baſis & cuſtos.* 436.2.c *maior adhiberi ſolet ei qui prior ſuam cauſam expoſuit.* 43.1.c *eius obſtringendæ ſignum.* 881.1.b *fidei fortitudo parit fortitudinem ſpei.* 656.1.d *fidei profeſſio conſtans Deo donante fit.* 387.2.a *eam prædicare maius eſt quàm credere.* 406.1.b *eius limites, quos patres fixêre, non ſunt tranſgrediendi.* 611.2.d.612.1.c *multa eius myſteria captum hominum ſuperant.* 678.2.c.679.1.c

Fiducia in perfido fidentem deſtituit. 698.1.c *fiducia in Deum animam dilatat.* 784.2.a.d *cauſa eſt fortitudinis.* 346.2.b.347.1.a

Filius Dei eſt ſapientia increata perſonalis Dei, quam ab æterno poſſedit, & per quam creauit omnia. 178.2.a.b *quo ſenſu is creatus dicatur. ibid.c fuit ab æterno, & increatus. ibid.d eius productio modò vocatur generatio, modò creatio.* 179.1.a.b *quomodo dicatur Patris pullus. ibid.c conſtitutus eſt ab eo princeps operum eius. ibid.d ab eo creandi poteſtatem, & in creaturas dominium & ius accepit. ibid. & ſeqq. per aſſumptionem humanitatis non eſt mutatus.* 184.1.b *æterna eius generatio à Patre per intellectum.* 186.1.b *ad eius ideam Pater omnia architectatus eſt. ibid. ab eo ſemper gignitur & genitus eſt. ibid.d hominum amore factus eſt homo.* 193.1.b *luſit ab æterno coram Patre.* 2.a *quomodo appelletur adoleſcens aut puer coram Patre ludens. ib. a.b præluſit ſuæ incarnationi. ibid. in quo eius deliciæ cum filijs hominum eluceant. ibid. ædificauit ſibi humanitatem quaſi domum.* 199.1.a.200.1.b *dicitur Patris imago, character, ſapientia.* 301.1.c *eſt coæuus Patri & conſubſtantialis.* 818.1.a.b

Filij proprium eſt erudiri doctrinâ patris. 300.2.b *ipſe eſt fabrica patris.* 301.1.b *ſi à patre non caſtigatur, fit ſegnis & rebellis.* 320.2.c *ipſe & pater cenſentur vna perſona ciuilis.* 749.1.c *de filij inſtitutione non deſperandum, eſto ſit hebes.* 494.1.d *eius vita è vita parentis traducitur.* 529.1.a *eſt parentum portio.* 515.1.c *non inhiet opibus patris ante eius mortem.* 531.1.a.b *eius profectus eſt gaudium patris.* 629.2.c.630.1.b *eum ſemper audire debet, eiq; auſcultare, & quoad poteſt, obedire.* 504.1.b.633.2.c *dum ab eo caſtigatur, benefi-*

cium

cinm accipit. 497.2.b.742.1.b à paterna caſtigatione & educatione pendet eius ſalus. 529,1.d materni iuris ſemper ſit memor. 553.2.a parentibus omnia debet. 533.2.b.c hinc ſi eos deſpiciat, meretur in crucem agi. ibid.d.834.1.a.b modum ſeruans in expenſis eſt ſapiens, at qui prodigus, confuſione ſe, & parentes dolore afficit.638.1.b.770.1.a filius diues non bene inſtitutus, neſciet opibus uti. ibid.a filius ſapiens parentes lætitiâ, ſtultus triſtitiâ afficit. 373.1.d quis ſapiens & ſtultus filius Salomoni dicatur. 218.1.a filius ſapiens eſt decus & doctrina patris. 301.1.a.b imò is ſæpè patrem docet. ibid.d filius ſuſcipiens doctrinam patris eſt ſapiens. ibid.c filius ſtultus deridet correptionem patris ſui. 362.1.d filius ſapiens patrem afficit lætitia & honore.424.1.a.634.1.b.c.749.1.c habet longam poſteritatem. 529.1.c parentibus eſt conſolationi, voluptati, ornamento. 799.1.b.c imò iis longæuitatem adfert. 424.1.d filius continens patrem lætitia, incontinens mœrore afficit. 789.2.c filius ſtultus mœror eſt parentibus ob indocilitatem. 479.2.c item ignominiæ. ibid.d filius peruerſus patrem prouocat ad iram, matrem ad dolorem. 444.1.a eorum ſæpè indignationem incurrit. ibid.b.c in cauſa eſt vt patri aduerſa contingant. 487.1.a.b imò etiam ei adfert mortem. 424.1.d de eius tamen emendatione non eſt deſperandum. 494.1.d 495.1.a nec eſt contumelia ad indignationem prouocandus. 495.1.b caſtigandus eſt moderatè. ibid.c.2.d non eſt lædendus, nec mutilandus. 1.c nec interficiendus. 2.a id qui facit, ſeipſum plectit. ibid.d filius imprudens non eſt Deo offerendus, ſed prudens. 505.1.b filius qui ſua proteruia patrem affligit, & matrem domo fugere cogit, ignominioſus planè eſt. 503.1.c eſt natura hoſtis, & honeſtatis inimicus. 2.a regno & dominatu exuetur. 530.1.a immorigeros habebit ſuos filios. 834.1.d ſi paterna bona ſuffuretur, an ſit ſocius homicidæ, & quatenus ad reſtitutionem teneatur. 783.1.c.d parentes & auos debito honore proſequatur. 424.1.a.d

Filiorum virtus & vitium in parentes proximè redundat 218.1.a magis matrem quàm patrem imitantur. ibid.c ſunt decus & gloria parentum. 280.2.d ſæpè decoquunt auarè à parentibus congeſta.309.1.d ſi ſequantur parentum peccata, non erunt impuniti. 266.1.c ſed benè morati decus iis adferunt, 115.1.c. eorumq; ductum & conſilium ſequuntur. ibid.c iis qui parentibus obediunt, vita donantur longa, opulentia & ſanitate. 26.1.b filij timoris Dei, ſunt ſummè timentes Deum. 347.1.b filij caſtorum parentum ſortiuntur felix coniugium. 116.1.d filij adulterini apud omnes ſunt infames. 145.1.d filij improbi ſæpè matres mœrore enecant. 228 2.b proborum filiorum præmium eſt habere patres diu ſuperſtites. ibid.c filij à patre moriente quaſi lampadem vitæ, virtutis, opum & gloriæ accipiunt. 402.1.d ſæpè ob parentum integritatem honorantur, & ab alijs benedicuntur. 515.1 d filij proborum parentum Deo ſunt curæ. ibid.1.a & beati. ibid.b.d.2.a item miſericordium. 131.2.b.c.ibid. qui dicantur filij mutationis vel tranſitus. 865.1.c. & ſeqq.

de Finibus agrorum ſæpè populi certarunt. 611.1.c.d finis in omni re ſpectandus eſt. 330.2.c

Firmamenti concauum & conuexum quantum diſtet à terra. 376.2.b

Fiſcus rapit quod non accipit Chriſtus. 603.2.a

Flagella omnia quibus flagellamur, ad Deum ſunt referenda. 606.1.a timent equi flagella. 714.1.a

Flagellabantur olim in rota torti. 538.1.b

qui dicantur Flagellatores annonæ. 271.2.b

Flandri Germanicum S.mutant in T. 12.1.a

Flagitioſo vno caſtigato ſapiant reliqui. 502.2.c

Flammeum erat velum ſponſarum in nuptiis. 884.2.a

Flauus color è tribus alijs componitur, placet iis oculis. 640.1.c

cur Flores lectis conuiualibus & menſis olim inſpergerentur. 688.1.d quando flores magis redoleant. 747.1.a

Flumen eſt ſymbolum verborum ſapientis. 453.1.b.d flumina ex mari orta eodem redeunt. 547.1.a

Fluuij quomodo findi & diuidi dicantur. 74.2.c ſunt quaſi plateæ terrarum. 187.1.d quatuor fluuij paradiſi denotant quatuor virtutes cardinales. 73.1.b

Fœnerari tam eſt mutuare quàm dare ad vſuram. 492.1.b.589.2.d fœnerator Domino qui miſeretur pauperis. 492.1.c.d.493.1.d

Fœneratoris inſatiabilitas. 590.1.a cur hebraicè vocetur ab eleuando. 591.1.a

Fœneratarius fit ſeruus fœnerantis. 590.2.d

Fœniculum oculorum aciem acuit. 362.2.a

Fœnum montanum præſtat eo quod ex vallibus colligitur. 761.2.a

quod vocetur Fœnus liberale. 770 1.b

Folia quid ſymbolicè ſignificent. 337.2.c.d folia arboris virtutum quæ ſint. 274.2 a quæ arboris vitæ, id eſt Chriſti in cruce erecti. ibid.b

Fomes peccati omnibus inhæret. 518.1.d is maximè in rebus venereis cernitur. 2.b

Fons dicitur à fundendo: idem dicitur vena. 453.1.b eſt ſymbolum cordis. ibid.d.& ſeqq. fontium proprietates. ibid.& ſeqq. fons quomodo turbetur. 707.1.c fons Ciclopum bibentes necat. 695.1.a fons vitæ eſt, qui iugiter aquas limpidas effundit.230 2.c fontes in terra ſunt à Deo librati, & quomodo. 189.1.c fontes myſticè ſunt varij. 113.2.b

Foramina peccatoris quæ ſint. 632.2.c

Foris aliquando idem eſt quod, in limine. 152.1.c

Forma mulieris nemo debet ineſcari. 105.1.b.c quàm ea ſit illecebroſa. 138.2.c eſt ea viro ex animo eradenda. 141.1.d ipſa eſt velut ignis. 2.a quàm ſit potens & efficax. 899.1.a eius breuitas. ibid.b vide Pulchritudo.

Formicarum dotes homini ſunt imitandæ. 124.2.d parant in æſtate ſibi cibum pro hieme. ibid. frumentum deferunt in ſuas cellas.125.1.b grana incidunt: erodunt oculos ſeminis: grana ſeligunt meliora. ibid.c tempeſtatem & ſerenitatem præſentiunt. ibid.d earum natura deſcribitur. 2.a 843.1.d temperamento ſiccæ ſunt: carent ſanguine: laborant aſſiduè. ibid.c aurum eruunt in India. 126.1.a habent oculos: inuicem amant & iuuant. ibid.c habent ductores, non duces. ibid.d tetros odores fugiunt & oderunt. 126.2.a in ſenio volant. ibid.b & tunc fortificantur & creſcunt: onera arte multiplici reddunt facilia portatu. ibid.d hieme fruuntur cibo repoſito. 127.1.a à vino ſtatim inebriantur: ſunt mortis prænuntiæ. ibid. Ægyptijs erant ſymbolum trium illuſtrium dotum. ibid.b bilis eſt ipſis laboris ſtimulus. ibid.d rectam ſequuntur ſemitam, licet obliquando viam. 2.a earum ſapientia in quibus eluceat: earum ordo, aſtutia, opera. 2.a.d 846.2.a quæ in re nobis imitandæ. 844.2.a.d 845.1.a.d ſunt typus agricolarum. 845.1.d & demo-

democratia. ibid.d & monachorum. 846.1.a *item humilium.* 2.a *item Chriſti.* 847.1.c *vnde formetur vox formica.* 125.1.b

Fornicari dicitur à fornicibus meretricum. 54.2.d

Fornicationis tentationes per cordis cuſtodiam excluduntur. 98.1.b.c *eius ſex ſunt damna.* 106.1.c.2.a.b *eius remedium vnicum eſt fuga.* 109.1.b *ipſa laqueus eſt, quem dæmon omni hominum generi tendit.* 138.2.a *eius interna concupiſcentia etiam lege veteri vetita fuit. ibid.b ipſa quàm ſit breuis.* 140.2.b *eius turpitudo & ignominia.* 145.2.c

Fornicator quomodo in peccato moriatur. 121.2.a.d *quæ ei eſſet in primitiua Eccleſia pœnitentia præſcripta.* 145.1.b.c *fornicatores vnde ægrè reſipiſcant.* 216.1.a

Fornix eſt arcus triumphalis. 538.2.c *item furca.* 539.1.a *fornicem incuruare ſuper impios quid ſit.* 537.2.b.c

Fortium laus & gloria apud homines. 413.2.c *fortes aduerſis roborantur.* 656.2.d

Fortitudo propria eſt ſapientiæ. 169.2.c *an ſit maior virtus patientiâ.* 413.2.b *alia in agendo, alia in ſuſtinendo ſita eſt. ibid.d per leonem denotatur.* 850.1.a *fortitudo animi conſiſtit in ſapienti conſilio, directione, arte.* 650.2.a *manet ea perfecta & conſtans in aduerſis & proſperis.* 651.1.b *creſcit laboribus & pijs exercitijs.* 655.2.c.d 656.2.b

Fortuita etiam à Deo reguntur. 416.2.b.c.417.1.a *in ijs Dei ſubſidium implorandum.* 417.1.b.c

Fortuna impiorum citò conuertitur. 283.2.d *fortunam veteres vt deam inuocabant.* 416.2.b *ſed ea nihil eſt, Deo dirigente omnia. ibid.c non eſt cauſa felicitatis vel infelicitatis.* 534.2.c.d *eius rota eſt inſtabilis.* 538.2.b *qui fortunam ſuam impendio exaltare vult, acerſit ſibi ruinam.* 435.1.b

Forum dictum à fando. 724.1.d

Foſſa profunda per catachreſin denotat perniciem extremam, in quam incidit meretricum ſectator. 600.1.a *& foſſæ ſunt plerumque habitacula meretricum.* 636.1.b

Franciſcanus quidam cæſus ab hæretico, ſcitè ei par pari regeſſit. 716.1.a

S. Franciſcus quomodo tentationem carnis edomuerit. 143.2.a *erat amore Dei ebrius: canticum amoris eius.* 194.1.b.c *ſpe gloriæ ſe in pœna ſolabatur.* 248.1.c *pium ſe erga beſtias oſtendit.* 286.2.c *non timuit latrones.* 307.1.a *eius morientis vox.* 354.2.d *eius humilis de ſe ſenſus.* 361.1.c *concionabatur tam feruenter ad paucos atque ad multos auditores.* 364.1.c *omnes ad cælum vocabat.* 377.1.b *de ſua prædeſtinatione factus certior ad aliquot dies mira exultauit lætitia.* 383.2.b 707.1.a *ſuo ſpiritus robore carnem infirmam ſuſtinebat.* 461.1.d *quantam linguæ cuſtodiam à ſuis vellet obſeruari.* 496.2.d *fuit pauper cenſu & ſpiritu, & ideo in honore.* 475.2.a.b *rigore in corpus fiebat valentior in ſpiritu.* 655.2.b *carminibus per fratres ſuos cantatis diſſidentes inuicem reconciliauit.* 791.2.b *quæ eius oratio eſſet.* 814.1.a *benedixit hoſpiti, à quo benignè hoſpitio exceptus, eiuſque progeniei.* 823.1.b

S. Franciſcus Xauerius omnibus fiebat omnia, vt omnes Chriſto lucrifaceret. 450.1.c *quibus modis animas conuerterit.* 560.1.d *eius obedientia.* 574.2.a.c *in tentatione maximè cauebat diffidentiam.* 656.1.d. *per Indorum filios ſæpè parentes conuertit.* 301.1.d

Franciſcus Brianus Henrico VIII. Angliæ regi in ſuis à moribus inceſtis applauſit. 244.1.a

Francorum lex priſca circa ebrios. 638.1.d

Frater fratrem aduerſis iuuare debet. 435.2.d.436.1.a *frater verus in aduerſitate maximè ſe fratrem oſtendit.* 435.2.d *vnde dictus ſit frater.* 436.1.a 467.2.b *frater à fratre adiutus eſt quaſi ciuitas firma.* 466.1.d.2.a.c.467.2.d *frater ſæpè minùs iuuat fratrem pauperem, quàm amicus.* 747.2.c d *inter fratres ſæpè ſunt ſimultates.* 748.1.a *fratrem deſpicere grande ſcelus eſt.* 883.2.a *frater idem ſubinde eſt quod ſimilis.* 456.2.b *fratrum lites ſunt grauiſſimæ.* 466.1.c.467.2.d *cur.* 468.1.a *fratres pauci vniti æquiualent multis ciuibus vrbem propugnantibus.* 466.2.c.467.2.b *fratres inuicem contendentes ſunt velut vrbes hoſti peruiæ.* 467.2.c *fratrum amor an præualeat amori amicorum.* 473.1.c.2.a

Fraternitas ſummus coniunctionis eſt gradus poſt parentes. 468.1.c

Fraudulenti diu nequeunt latère: ſemper ſunt pauidi, & dein ſiunt confuſi. 229.2.c *à teſtimonio ferendo repelluntur.* 292.1.b *annuere ſocijs oculo ſolent, pede plodere, & digito loqui.* 132.1.b.230.1.d *omnia ſua agunt per dolos.* 282.1.a *opibus ſuis excidunt, quas iniquè corraſère.* 247.2.b *verbis ſuauibus proximum decipiunt.* 411.1.b *ſunt peruerſi lingua.* 439.1.b *eorum laquei varij.* 554.1.b.c 734.2.d *ſermonibus ſpecioſis tegunt odium cordis.* 732.1.a.c *ſubinde detegunt ſuam virulentiam. ibid.d.2.b ſunt omnibus odio.* 733.2.d *ſuiſmet laqueis ſæpè capiuntur.* 791.2.c.792.1.b

Fraudulenter amicum lædens, grauiſſimè ei nocet. 730.1.a.d

Fraus cauſa eſt egeſtatis. 221.2.a *ipſa Deo maximè exoſa eſt.* 265.2.a *cauſat triſtitiam.* 294.1.a.b *fraudes initio ſunt ſuaues, poſtea tam dicentem quàm audientem cruciant.* 526.1.a *retorquentur in caput illas machinantium.* 566.1.c *omnibus ſunt exoſæ.* 728.2.d *doloſorum confutatione pateſcunt.* 734.2.a vide *Dolus.*

Frigidus ſpiritu eſt moderatus in loquendo. 445.1.c 446.1.d *frigidi apti ſunt ad regendum.* 446.1.d

Frigus cauſa eſt timoris & torporis. 456.1.c *famem hebetat & ſedat.* 501.2.d *quod frigus niuis in æſtate ſit.* 690.2.a.b *quàm id gratum ſit. ibid. c per id deſignatur nuntius fidelis.* 691.1.a.b *frigus ex phreneſi vel apoplexia contractum pellitur per calida fomenta.* 704.1.b

Fructus ſapientiæ qui ſint externi & interni. 175.2.d. *fructus arboris virtutum qui ſint.* 274.2.a *qui arboris vitæ, id eſt Chriſti in cruce erecti. ibid.b fructus verborum & operum ad ſuum redit auctorem.* 289.2.d *fructus oris eſt duplex.* 488.2.a

Frugalitas præſtat menſæ opiparæ cum iurgio. 419.1.a *frugalitas priſcorum Romanorum* 762.1.a

Frumentum ſub menſura ſemper adaugetur. 810.2.b *frumentum exigit ſolum craſſum & pingue.* 876.2.a *illud abſcondere, vel omne coëmere, vt carius vendatur, inhumanum eſt, & contra charitatem & iuſtitiam legalem.* 271.2.b *frumentum auarè ſeruatum, & pauperibus denegatum ſæpe malè perit.* 272.1.d *ſed tempore famis illud alijs diſtribuens, Dei & hominum gratiam acquirit.* 2.a

Fruſtra *diuerſam habere poteſt ſignificationem.* 29.2.a *& ſeqq. non ſignificas doloſè.* 30.1.c.32.2.d

Fuga vniũ remedium fornicationis. 109.1.b *in perſecutione quando & quibus ſit licita & illicita.* 786.1.a

Ful-

Fulgentius mythologus an ſit Epiſcopus Ruſpēſis.639.1.a
Fulica auis deſcribitur. 157.1.a.b.d
Fulmine tacta cadauera ab aquila non vorantur. 667.2.b fulmen in pede aquilæ quid denotet. ibid.d
Fumus elicit oculis lachrymas.246.2.a.d eſt ſymbolū peccati: eius proprietates peccato adaptantur. 247.1.d
Funda iaciuntur lapides.719.1.a.b.c capitur & funda pro pala annuli. ibid.d item pro crumena. 2.a.c
Fundamenta ſolida altæ domui ſunt neceſſaria.435.1.a fundamenta terræ ſunt eiuſdem centrum. 190.2.c
Fundatores Ordinum in quo Deum, Chriſtum & Deiparam imitentur. 182 2.c eis aſcribitur omnis aſſeclarum virtus & opera. ibid.d ſapienter ſuas familias fundarunt. 649.1.d
Fur vox deriuatur à furuo. 29.2.d furem quomodo Salomon ſeptuplum redditurum pro furto dicat, ſecus ac lex iubeat. 144.1.b.c furum inſidiæ quomodo fruſtra ſint. 32.2.c fures ſolent ſocijs annuere. 230.1.c fur ſibi ipſi damnum creat.497.1.a furis ſocius etiam furti reus eſt. 804.2.b fur ſæpè eſt periurus. ibid.d fur bonorum patris eſt ſocius homicidæ, quo ſenſu. 783.1.c.d
Furari parentibus ſolitus fit poſtea dilapidator. ibid.
Furfures dicti videntur à furari. 213.2.a
Furtiua venus cur magis delectet. 213.1.d furtiua omnia magis delectant. 2.c.d
Furtum rei notabilis eſt peccatum mortale.143.2.d quomodo dicatur à Salomone non grandis eſſe culpa. ibid. eſt minus adulterio. 144.1.d furta furi ſunt velut retia, quæ ipſummet illaqueant. 34.1.a furtum oritur ex otio.521.2.c furto ablata malè perire ſolent. 118.1.c cur ea Deo non ſint offerenda. 502.1.a furti ſocietas multiplex eſt. 804.2.c
Fuſus vnde dicatur. 879.2.d tria repræſentat. 880.2.b eſt virorum dedecus. 872.2.d
Futurorum nimia fiducia cauenda. 736.1.b

GAbriel angelus velut bonus nuntius ſalutem hominibus & toti orbi attulit. 315.1.c fuit fidelis Dei legatus. 691.1.d & bonus nuntius. 706.2.c
qui S.Gallicani prædia inuaſere, à dæmone ſunt correpti. 779.1.a
Galli inceſſus generoſus. 847.2.b.849.1.d.850.2.d eſt animal ſalax. 849.1.a eſt immemor. ibid. eius deſcriptio. 849.1.d.850.2.d.& ſeqq. regem eiuſq; partes repræſentat. 850.2.d.& ſeqq. eſt terror leoni. 850.2.d.851.1.d.2.d eius amor in pullos. 851.1.a eius zelotypia & amor erga gallinas : eſt ingenio præſago & ſolers. ibid.b eius in pugna magnanimitas. ibid.d.& ſeqq. miram habet cum ſole ſympathiam, eumq; in omni cæli parte ſalutat. 2.d pluuias & tempeſtatem præſagit. 852.1.a acuti eſt viſus. ibid.b exoriente luna geſtit. ibid.c non pugnat niſi vt gallinas ſuas tueatur. ibid.d
Garrulitas otioſa parit egeſtatem. 344.2.b.c nocet tam loquenti, quàm audientibus. 854.2.b
Garruli oſtendunt ſuam inſipientiam. 447.2.b ſecreta amicorum produnt. 828.1.b ægrè ad taciturnitatem & correctionem reducuntur. 801.1.a.2.c ſunt plerumq; adulatores: nihil eis condonatur. 2.b abortienti ſimiles ſunt. 802.1.b quomodo tecto carere dicantur. 228.1.d
Gaudentes de inimici malo, ſæpè in illud ipſum Deo vindice incidunt. 664.2.c.665.1.a.b
Gaudium ſapientis moderatum eſt. 334.2.a gaudium cordis mirificè ad contemplationem confert. 367.2.a gaudium perfectè nouit is qui poſt dolorem eius fit compos. 332.2.b gaudij cæleſtis compotes redduntur ſoli lugentes, non impœnitentes. 334.1.b.c eſt id purum & plenum, terrenum vero deſinit in luctum. 337.2.a gaudia iuſtorum quanta ſint. 244.2.b gaudia mundi mixta ſunt dolori. 336.1.a b.d quænam eius rei cauſa. ibid.c gaudium ſolum eſt in ſalute & tranquillitate. 418.1.a 419.1.a.792.2.c comes eſt confidentiæ, ſecuritatis, animoſitatis. 562.1.b id renibus denotatur. 529.2.d ſolidum è ſola naſcitur virtute. 563.1.a.630.1.d id excitat timor Dei. 500.2.a gaudium cæleſte quàm amplum & latum ſit. 628.1.d
Gebhardus Abbas brachium miraculosè ſanatum feminæ deuotæ oſculandum præbens, idem rurſus ſenſit obrigeſcere. 155.1.d
Gedeon molli reſponſo Ephraimitas iratos ſibi reconciliauit. 358.2.a
γηγενεῖς dicuntur gigantes. 563.2.a
Gemmæ debent ſuo loco collocari. 718.2.c
S.Gemulus Martyr caput amputatum manu ſuſtulit.27.1.b
Generandi vis vmbilico denotatur. 64.2.b
Generatio Chriſti, tum æterna, tum temporalis, rori aſſimilatur. 94.2.b.d eſt à Deo patre peracta vt principium viarum eius in opera eius. 179.2.c.d generatio renibus repræſentatur. 650.1.a generatio duplex filij Dei. 818.1.d quæ quatuor generationes prauæ. 825.1.c.d earum pœna congrua iuxta Rabbinos. 832.2.b
Generoſitas indolis à parentibus deſcendit. 826.2.c.d
Generoſus facilè tolerat ſuam infirmitatem. 460.2.b item aliam quamlibet. ibid.d 461.2.b iræ dominatur 694.1.a eſt ſimilis leoni. 599.1.b
S.Geneſius Martyr ſanguine ſuo baptizatus eſt. 355.1.b
S.Genouefæ cereus fuit ab angelo redaccenſus: eius ſanctitas illuſtris: eſt Pariſienſium patrona. 878.1.c.d
Gentes nonnullæ naturaliter quibuſdam certis aduerſantur. 736.2.c
Gentiles multa à Salomone dogmata mutuati ſunt. 5.1.b.8.1.b eorum libri S. Scripturæ debent ancillari. 8.2.a.b omnia eorum opera non ſunt peccatum. 355.2.d eorum religio eſt cultus idolorum. ibid. dominati ſunt Iudæis, & ad Chriſtum conuerſi hereditatem Eccleſiæ cum eis diuiſerunt. 420.2.b ſunt ſymbolum ſeductoris hominum. 556.1.a eorum ſcientia non eſt præponenda ſacræ. 457.1.d magis Deum dilexere quàm Iudæi. 473.2.c eos Iudæi vocabant alienigenas. 736.2.c
γεώργιον & agricolationem & agricolam ſignificat.650.2.d
Georgius Caſtriottus labijs præmorſis in prælium ruebat præceps. 411.2.d
γέρας & γεραίρειν, id eſt honor eximius & venerari, aptè ad ſenes torquentur. 412.2.c
S.Gerardus quomodo ad Religionem Ciſtercienſem ſit vocatus. 39.2.a
S. Gerontio Epiſcopo iubente cerua lac comitibus ipſius præbuit. 117.1.b
cum S. Gertrude Iſlebienſi mirè deliciabatur Chriſtus. 193.1.c.d
S.Gertrudis in ſinum Chriſti ſub mortem recepta eſt 890.1.a cuique pia ſalutis dabat monita. 891.1.b
SS.Geruaſij & Protaſij Martyrum conſtantia. 69.2.b.c
Geſtus inconditi quàm ſint reprehenſibiles. 131.2.c
Gigantum nomine vocantur dæmones & damnati, cur. 54.2.c cur gigantes dicti ſint terræ filij. 215.1.a

eos

eos Scriptura collocat in inferno. ibid.b erant Gentilibus gens impia deos negans. ibid. habent pedes ſerpentinos. ibid.2.a gigas in Script. tria ſignificat 564.2.a cur per gigantes mortui & dæmones denotentur. 563.2.a ſunt ſymbolum hæreticorum. 564.1.a.& ſeqq. gigantes Script. vocat homines valdè improbos. 2.a

Gignere & genuiſſe, gigni & genitum eſſe, idem ſunt in diuinis. 186.1.d

Glacies ſymbolum ſuperbiæ eſt. 586.2.a

Gladio tripliciter quis percuti poteſt. 545.1.a cur gladij vocentur laminæ. 586.1.d

Gloria dicitur quaſi claria. 174.1.c gloria propria dos & laus piorum. 82.2.b & indiuidua virtutis comes & aſſecla. 174.1.c gloria Dei eſt in noſtris actionibus omnibus ſpectanda. 2.a quantum eam promouemus, tantum promouemus & propriam. ibid.b gloria impiorum putreſcet. 226.2.c gloria piorum inſtar lucis omnes exhilarat, at impiorum breuis & exigua eſt. 307.2.c gloria Beatorum quæ ſit. 174.1.d gloria cæleſtis labore vitæ paranda. 234.2.a gloriam nullam addere Deo homines poſſunt. 391.2.c propter gloriam ſuam increatam omnia is creauit & operatus eſt. 1.d.392.1.c.d gloria, quam ei creaturæ omnes dant, ei omni iure debetur & hæc tam patens eſt, quam tacita. 392.1.d cur tamen propter hanc nihil Deus ſit operatus. ibid.d gloria per lucernam repræſentatur. 528.2.c cur dedeceat ſtultum. 711.2.a eſt ei quoque noxia. 712.1.d ſequitur humiles. 803 2.b.c gloria Dei eſt in omnibus operibus maximè ſpectanda. 389.2.c gloria cæleſtis continet dominium totius mundi. 423.1.b gloriam propriam aucupari noxium eſt, at communitatis vtile & honorificum. 708,1.c

Gloriari de innocentia nemo debet. 518.1.a

Glorioſum eſt iniurias deſpicere, & quaſi non videre. 484.1.b glorioſus multa promittens, & ea non implens, ſimilis eſt nubi à ventis pluuijs coactæ, & pluuiam non danti. 691.2.b.& ſeqq.

Gnomæ Prouerbiales breuitate ſua lectoris ingenium exercent. 263.2.d

Godefridus Bullionius ope B. Virginis Saracenos profligat. 175.1.d

Gordianus ſenior Imp. natura mitis erat. 286.2.c

S. Gorgoniæ morientis vox. 354.2.d eius in pauperes liberalitas. 881.1.c eius nobilitas ſpiritualis. 886.2.a placidè defuncta eſt. 890.1.a eius eximia virtus. 894.2.b de ſola animæ pulchritudine fuit ſollicita. 899.1.d

Gradatio fit in honoribus. 683.2.d

Græci pueros & moratos coronabant. 27.2.d item triennes & ſexennes, quare. 28.1.b

Gratiæ præuenienti adſcribendum eſt ſalutis initium, & bona voluntas. 195.1.d.2.a.b gratia Dei & hominum debetur obedienti. 25.2.d gratiæ Dei quatuor ſunt partes. 38.2.a,b ea ad ſingulos actus datur. 63.1.a neceſſitas illius oſtenditur. 102.1.c eſt velut fons 114 1.c eſt radix & ſemen gloriæ. 280.1.b ipſa ſuper caput iuſti eſt. 225.2.c.d gratia tam formæ quàm morum in fœmina maximè requiritur. 262.2.a.d gratiarum copia datur obedientibus. 26.1.b gratias fingebant veteres alatas, quæ ad homines aduolarent. 59.1.a

Gratia ſæpè miſericordiam ſignificat. 578.1.a gratia oleo repræſentatur. 567.2.c gratia Dei eſt initium ſalutis. 2.1.d & boni ſermonis: 2.b.c requiritur vt opera cogitata felicem habeant ſucceſſum. 396.1.a.d.2.a eius incertitudo. 518.1.b eſt lux animæ ſupernaturalis. 540.1.b.c.2.a ipſa ei pro reſpiratione eſt. 1.d.2.a rebus omnibus potior eſt. cur. 580.2.a.b eius elogium & effectus. ibid.b quanto cum timore conſeruanda ſit. 776.2.b.d naturam perficit. 649 2.a gratia ſubſequens magis neceſſaria quàm præueniens. 396.1.b.c à congrua pendet noſtra ſalus & felicitas æterna. 534.1.b gratiam & charitatem in bonis operibus maximè ſpectat Deus. 389.1.a gratia B. Virginis eſt gratia capitis. 807.1.b gratia corporis quid ſit. 2.c gratia dicendi reges & principes ſibi conciliat. 596.2.a.b gratia principum paranda per induſtriam. 844.2.c.d.845.1.c gratiæ gratis datæ dantur per actualem Spiritus ſancti motionem. 387.2.c qui gratijs abundat, latère gaudeat. 299.1.c.d quas gratias vxor bona in familiam inducat. 87.1.a gratiæ agendæ Deo pro omni bono opere, & pro proſperis æquè atque aduerſis. 390.1.d.2.a

Gratioſitas eſt melior auro & argento. 579.1.a.2.a eius elogium. 2.a arcet inuidiam, parit amorem. 580.1.a

Gratioſus in verbis ab omnibus amabitur. 669.2.a

Gratitudo oſtendenda poſt acceptum beneficium. 673.2.d 674.1.b

Grauidæ non appetunt concubitum, quia plenæ. 828.2.b

Grauitas ordinata potior nimia celeritate. 476.1.c grauitas etiam ad animum transfertur. 737.2.c grauitas externa potior leuitate timida. 882.1.c.d

Gregorius Bæticus fuit ſchiſmaticus, at proinde eius ſcripta paruæ ſunt auctoritatis. 9.1.d

S. Gregorius Magnus in communi lue B. Virginis imaginem in ſupplicatione iuſsit deferri, eaq; ceſſauit. 164.1.d.258.1.c ſuum raptum è monaſterio ad pontificatum deplorat. 206.1.d Mauritium Imp. ſua humilitate & patientia fregit. 258.1.d.350.1.a eius elogium. 346.1.b excellit morali ſenſu. 360.1.d bona Eccleſiæ in alimenta pauperum expendit. 380.1.c

Gregorius VII. Pontifex gratia compunctionis fuit priuatus ob contactum monile neptis ſuæ. 152.2.c

Gregorius XIII. Pontifex quatuor viros integros & ſpectatæ virtutis Eccleſiæ regimini præficiebat. 22.1.b

S. Gregorio Nazianz. per viſum apparuere ſapientia & caſtitas. 59.1.b.149.2.d ſuo diſceſſu Epiſcoporum lites ſedauit. 432.1.b eius oratio riuum imitatur. 452.2.c

Gregorius XV. Pontifex quid Cardinali Bellarmino annos plurimos ei apprecanti reſponderit. 413.1.c

S. Gregorius Thaumaturgus à S. Ioanne iuſſu B. Virginis fuit edoctus. 167.2.d

Greſſuum directio à ſolo Deo prouenit. 396.1.c greſſus ſignificant opera, ſtudia, actiones & totum vitæ inſtitutum. 533.2.a ij diriguntur à Deo. ibid.a.c

Grex dominum quotannis ditat. 760.2.b.c

Grues tempeſtatem præſagientes à mari ad mediterranea loca deuolant. 584.2.c Ibyci interfectorem prodidere. 780.1.d

Gryphi ſpecies ſunt parabolarum. 13.1.d

Gubernationis ratio tempori eſt accommodanda. 22.1.d

Gubernator imitari debet nauclerum. 21.2.d.& ſeqq. 260.2.c vbi gubernator prudens eſt, ibi populus proſperè agit. 260.1.d quàm talis ſit reip. neceſſarius. 261.1.a talis reip. prodeſt, mali obſunt. 325.1.c gubernatores abſtineant vino. 644.1.d & ſeqq. vide Prælatus, Rectores, Superiores.

S. Gudula

S.Gudulæ lucerna extincta, fuit ab angelo redaccenſa. 878.1.c

Gulæ proles & comites. 592.1.a ea cauenda conuiuio apud principem. 614.1.a.2.b.c.615.1.b d.a ducit ad paupertatem, & per quos gradus. 632.2.a eius inſatiabilis vorago. ibid. eſt magnus hominis inimicus. 733.2.a eſt velut ſepulcrum & infernus. 830.1.c

Gulonum varia exempla. 632.2.b.c

Guloſi quos morbos contrahant. 545.1.b rediguntur ad inopiam, inde dolorem animi contrahunt. 747.1.b ſemper iurgia comitant. 783.2.b.784.1.c.d pro Deo habent ſuam gulam. 814.2.d non ſatiantur vnquam. 321.2.c

Guſtus ſymbolum eſt diſcretionis. 267.1.b

Gyrus ſpatium eſt gloriæ impij. 283.1.d

de HAbitatione commoda ſibi quiſque proſpiciat. 844.2.b

Habitudo bona animi reddit corpus habile & ſanum. 350.1.b.c

Habitus peccandi ſunt quaſi funes peccatorum. 121.1.a

Hæreſiarchæ plerique dæmonem habent paredrum. 564.1.c eorum ſuperbia & obſtinatio. 725.2.d

Hæreſis eſt velut meretrix. 153.1.d.154.1.a.160.2.c 600.2.b eſt ſpirituale adulterium. 146.2.c eſt contraria veræ ſapientiæ. 211.1.d eſt ſtulta. 2.c item clamoſa. ibid.d eſt illecebroſa. 212.1.c.d eſt plena fallacia & impoſtura, item occulta. 214.1.c.d eius origo eſt libido. 215.2.d ex hæreſi formata pauci ad veram redeunt fidem. 55.2.b probat orthodoxorum in fide conſtantiam. 421.2.b ſecuta eſt rebellionem. 429.1.c ob eam à Deo prouinciæ diuerſimodè affliguntur. 564.1.b eius parens eſt diabolus. ibid. per luxuriam punitur. 600.1.d numquam primum eſt peccatum. ibid.c quo ſæculo maximè inualuerit. 825.2.b ſæpè profligatur à fidelibus doctoribus. 569.1.a hæreſes natæ è nimis curioſa ſpeculatione. 708.2.c

Hæreticus mendacijs nititur. 223.1.a & paſcit ventos. ibid. eſt teſtis mendax myſticè. 346.2.a iam conuerſus, deſinit eſſe impius. 283.1.a hæretica vxor non eſt ducenda à Catholico. 488.2.c cur. ibid.d hæreticorum ſermo venuſtus eſt, ſed ſtolidus. 157.1.c eorum fama poſtuma parit proles ſibi ſimiles. 227.1.d fumo & aceto comparantur. 247.2.c eorum impoſtura: eam detegit vera fides & Theologia. 257.1.d ſemper inter ſe habet iurgia. 308.2.c ſapientiam veram etſi quærant, non tamen inueniunt; quia extra Eccleſiam quærunt & malè. 328.2.a ſunt in credendo tardi 338.2.b ſemper in dogmatibus ſuis euariant. 383.2.d validè baptizant. 264.2.c.d ſunt ſuperbi. 377.2.c eorum bona ſæpè cedunt Dei nutu Catholicis. 378.1.d ſi obſtinati, vi pœniſq; ad orthodoxam fidem ſunt cogendi. 208.2.d hæretici vnius vrbis deſiderant hæreticos aliarum potiri victorijs contra orthodoxos. 288.2.d.316.1.d hæretici ſacras Scripturas deprauare conantur. 410.1.b ſunt bellorum faces, & titiones gehennæ. 411.1.a ſermonibus ſuauibus innocentes ſeducunt. ibid.c ſcientia Scripturæ ijs obeſt. 434.2.c plerumque Eccleſiaſticorum vitia prætexunt ſuæ ab Eccleſia defectioni. 449.1.c lacerant Eccleſiam, & Turcis viam pandunt. 467.1.c multis mortem animæ attulere. 468.2.d ſuis rixis euertunt domum Eccleſiæ. 487.1.b patrem Deum dehoneſtant, & matrem Eccleſiam irritant. 503.2.c ijſque bellum indicunt. 564.1.a propinant auditoribus panem mendacij. 526.1.d eorum Eccleſia litigijs plena eſt. 557.2.a errantià via doctrinæ comparantur gigantibus. 564.1.a.& ſeqq ſunt ſuperbi & theomachi. ibid.a à Deo deturbantur in tartara: eorum pater eſt diabolus, mater libido. ibid.b dæmonem ſuperant malitia & perfidia. ibid.c eorum locus eſt in profundo inferni. ibid. citò cum ſua doctrina pereunt. 573.1.a veritati præfractè reſiſtunt. 576.2.c ſunt ab Eccleſia eijciendi, eò quòd eius pacem turbent. 595.2.c eorum doctrina à Deo ſubuertitur. 598.1.a per meretricem denotantur. 600.2.b non eſt cum ijs de Scriptura loquendum. 626.1.a plerique in ſua hæreſi emoriuntur. 655.1.a credant, etſi non intelligant fidei myſteria. 678.2.d ſunt gladij, ſagittæ, iacula acuta. 697.2.c ſunt inimicus doloſus. 733.1.d quo pacto ſint à principibus ad fidem orthodoxam cogendi, etiam pœna capitis viſæq; propoſita. 740.2.a.800.1.a iunctis viribus Catholicos oppugnant. 769.1.a eorum bellum pax eſt Catholicorum. ibid.b ijs dominantibus fugiunt aut latent Catholici: cupiunt enim omnes ſibi reddere ſimiles. 786.2.c verbum Dei deprauant, ſua ſomnia ei addendo. 820.2.a ſunt rebelles filij matris Eccleſiæ. 835.1.a à regibus ſunt exagitandi. 852.2.c hæreticos Germanos ſua obedientia vicit P. Caniſius. 574.2.a.b

Halcyon auis eſt ſpei emblema. 61.2.d

Halitus ad dentes alliſus efficit vocem & ſermonem. 445.2.d halitus validus facilè fert onera grauia. 460.2.d at languidus redit vnguentis & odoribus ſuauibus. 746.2.b

Hariolus dictus quaſi fariolus, à fando. 625.2.b

Harmonia viri & vxoris in quo ſita ſit. 488.1.b.c ea eſt ſextuplex. 2.a.& ſeqq.

ἁρμόζω verbum dicitur de coniugibus, eò quòd coniungantur & conglutinentur. 191.2.a idem eſt quod, congruo, adapto, quadro, conglutino, tempero. 488.1.b vox eſt muſicorum. ibid.

Hatto Archiepiſcop. Mogunt. pauperes vocans mures, à muribus comeſtus eſt. 272.1.a

Hebetes ſunt duri & aſperi. 314.c.b & indociles. 759.1.d

Hebetudini ſuorum compatitur iuſtus. 286.1.b

Hebraicorum codicum Bibliorum quanta ſit varietas. 725.1.a

Hebræi priſci ſua dogmata inuolucris quibuſdam inuoluebant, & quare. 13.1.b in parabolis & ſtrophis diſcipulos ſuos exercebant. 16.1.d.2.a noctem in tres diuiſere vigilias. 97.1.c in rhytmis poſteriore hemiſtichio explicant prius. 19.1.d.25.2.c.42.2.c.109.2.a.165.1.b futurum ſæpè capiunt pro imperatiuo. 59.1.d gaudent ſimilitudinibus. 60.1.b præteritum vſurpant pro quolibet tempore. 84.1.b & numerum cardinalem pro ordinali. 133.1.c & infinitiuum pro quolibet modo. 375.1.a res inter ſe comparantes, maiorem aſſerunt, minorem negant. 166.1.d verba realia vſurpant pro mentalibus aut verbalibus. 179.2.d frequenter mutant perſonas, 329.1.b.c ſua vina aqua diluebant. 639.2.d eorum libri erant vna membrana in orbem circa cilindrum conuoluta. 676.1.c ipſis. frequens eſt enallage generum & perſonarum. 388.1.b in carmine & verſu conciſè loquuntur, & multa ſubintelligunt, lectori ſupplenda. 392.1.c regimen genitiui capiunt pro nominatiuo. 398.1.d ſim-

ſimplici vtuntur pro quolibet compoſito. 439.1.a verba contactus conſtruunt cum ablatiuo, mediante præpoſitione in. 449.2.b imperatiuum ponunt pro futuro. 521.1.c carent caſibus. 524.2.c 527.2.d 590.1.c.597.2.a.848.1.a vinum vocant mixtio. 639.2.d & colorem oculum. 640.1.d femininum genus vſurpant pro neutro. 642.2.c verbum plurale iungunt nomini ſingulari, cùm pluralitas ſignificatur. 763.2.a ipſis pronomen abſolutum & reciprocum idem eſt. 791.1.a.2.d

Hebræa nomina quolibet caſu verti poſſunt. 315.2.c 343.2.c

HEBRÆARVM VOCVM SYLLABVS.

Aleph & he litteræ ſæpè inter ſe commutantur. 361.2.a.752.1.c

Aba & deſiderare, & egere ſignificat; hinc deducitur ebion id eſt pauper. 499.2.b.638.1.b ab Aba, formatur Latinum aueo. 499.1.b

Aboi formari poteſt ab ab & oi, vel ab aba. 638.1.b

Acharon denotat tempus ſequens & futurum. 889.2.c

Adonai in plurali, id eſt domini, vocatur Deus. 35.1.b

Agur & agar quid ſignificet. 810.1.c.d.2.a.c inde formatur iggeret, id eſt epiſtola. 2.c

ab Alal, id eſt meditari, facere, moliri, formatur olel, id eſt puer, quod ſemper aliquid moliatur, & taalulim, id eſt ludicra puerilia. 519.2.a

Alkum an proprium an appellatiuum ſit nomen, an ſic dictus Salomon, an alce animal. 847.2.c

Alma deriuatur ab Alam, id eſt abſcondere, deſignat virginem abſconditam, viroq; incognitam. 835.2.b 836.1.c.2.a

Aluka propriè eſt ſanguiſuga. 827.2.a.& ſeqq.

Amad & maad ſignificatione & litterarum tranſpoſitione ſibi contraria ſunt. 697.2.d

Aph tam faciem & nares, quàm iram ſignificat. 358.1.a

Aritſim potentes communiter ſignificat & fortes, per catachreſim tyrannos & prædones 262.1.d

Arneuet, id eſt lepus, deriuatur ab arab & rana. 842.2.b

Arum tam callidum quàm conuolutum ſignificat, & ſic vocatur ſerpens qui Euam decepit. 18.1.b

Aſcam varia ſignificat, & alludit litteris & ſignificato ad ſcamam. 824.2.a

Aſcer à duplici radice poteſt deſcendere. 631.2.c

Aſcur, id eſt greſſus, alludit, imò quoad thema idem eſt cum oſcer, id eſt felicitas, ſucceſſus rectus. 338.1.d

Aſec idem eſt quod ſycophantam agere. 602.1.c

Ats tam feſtinus eſt quàm piger. 552.1.c cur verterit noſter piger, niſi legerit atſel, id eſt piger, vel loats, id eſt non tardus. 2.d.& ſeqq.

Auen ſignificat malum tum culpæ, tum pœnæ eam conſequentis. 591.2.c

Aula vox generalis omne prauum denotat, propriè tamen iniuſtitiam & iniuriam quæ alteri infertur. 591.2.c

Baal eſt dominus, vir habens, potens, patronus, maritus. 653.2.b.c.

Baar, id eſt bardus, vnde deriuetur. 813.1.d à Bacar fit latinum vacca. 125.1.b

Bar & filium & purum ſignificat. 859.2.b

Belial vnde deriuetur, & quid ſibi velit. 131.1.a

Bor eſt ciſterna, puteus, lacus, & metaphoricè ſepulchrũ, infernus. 779.1.d

Cachas vocatur mendacium, id eſt tenuitas & macies: alludit ea vox ad ſacach, id eſt oblitus eſt, & ad chaſach, id eſt obtenebratus eſt, quia in mendacio memoriæ confuſio, & mentis obſcuritas concurrunt. 327.1.a

Carats propriè eſt inciderе, & per metaphoram oculis annuere. 230.1.c

Cazab, id eſt mendacium, litteris & ſignificato alludit ad caſaph, id eſt præſtigium, faſcinum. 327.1.c

Chachmot eſt ſapientia in plurali: quod vſurpant Hebræi ſæpè pro ſingulari. 652.2.b

Chail tam ad robur mentis quàm corporis refertur. 110.2.b.866.2.c.867.1.b.869.1.a.894.2.a

Chamas, id eſt rapina, violentia, iniuſtitia, tam pro actiua quàm paſſiua capitur. 716.1.c

Charas quàm varia ſignificet. 511.1.a

Charuts, id eſt robuſtus, ad diuerſa transferri poteſt. 552.1.c.2.a.c

Chaſats lapillum aſperum ſignificat, non calculum arithmeticum, condemnatorium, aut libralem. 526.1.d alludit ad katſas, & ad chatſa: hinc ſagitta dicitur chets, id eſt diuidens. ibid.

Charutſim, id eſt fortes & viriles, deriuatur à rad. charats id eſt acuere, exercere vim. 221.2.c

Chem tam miſericordiam, quàm gratiam ſignificat. 580.1.a

Cheſed & cheſer ſæpè inter ſe confunduntur, & quid vtraque vox ſignificet. 355.2.c.d.& ſeqq. cheſed tam in bonam quàm malam partem accipitur. 498.2.d & diuerſam pietatem denotat. 890.2.d.891.1.a.b

Chibbel malum, rudentes, & clauum nauis ſignificat à rad. chabal id eſt nauem gubernare. 643.2.a

Chinnam ſignificat fruſtra, gratis, non doloſè. 30.1.b 32.2.d

Choach tam ſpinas quàm compedes denotat. 762.2.b

Coch tam penſum operarum quàm ciborum eſt. 875.1.a.2.a

Choreph propriè eſt probrum, metaphoricè hiems. 511.1.a

Conem de quacumque aptatione dicitur, quæ firmitatem & ſoliditatem includit. 533.2.a

Conen, id eſt præparare, etiam capitur pro creare, facere, ſtabilire. 74.1.d

Dor, id eſt generatio, tria notat. 825.1.d

Ed, id eſt teſtis, an à iaad, id eſt deſpondere, deriuetur. 405.1.a.c eſt item vapor, nubes, gurges aquarum; metaphoricè clades, calamitas, interitus. 747.1.d

Ekeb plantam pedis, finem, mercedem, ſemper ad extremitatem habito reſpectu, ſignificat. 584.2.d

El eſt nomen Dei potentis per eſſentiam. 858.1.a & in plurali elohim. 652.2.b

Elohim, id eſt iudices, in numero plurali vocatur Deus. 34.1.b

En tam oculum quàm fontem ſignificat ſatis congruè. 95.2.d

Geha pro diuerſitate deriuationis, diuerſa denotat. 440.1.a

Gera, id eſt trahit, inde deducitur megera, id eſt ferra à trahendo: eſt item gargarizare, inde garon vocatur guttur. 372.1.c

Gibbor propriè de fortitudine corporis capitur. 413.2.c

Goel eſt propinquus, conſanguineus, vindex, aſſertor. 627.1.a

Gol propriè eſt tripudium. 52.1.a

Habel & bahal per metatheſin penè idem eſt. 530.2.c

Halam, id eſt percutere, eſt propriè fabrorum. 454.2.a, 455.1.a inde dictum halmut, id eſt malleus. 455.2.b.505.2.a.645.2.b.731.2.b

Haskel, id eſt intelligere, ſæpè pro prudenter agere in

Scrips.

Script. accipitur. 427.1.b
Hauuat variam habet ſignificationem. 221.1.c
Hon modò ſufficit, modo opes, gloria, requies, ſubſtantia à Septuag. vertitur. 831.1.
Ialits diuerſa denotat. 331.1.b
Ies idem eſt quod ens, ſiue id quod eſt. 176.2.c
Iachad triplicem habere radicem poteſt. 752.2.d
Iake optimè deriuatur à ko, id eſt vomit, non à iaka, id eſt obedire. 811.1.c.d
Iaruts pro diuerſa deriuatione diuerſa ſonat. 457.2.d
Iegotein triplicem habet radicem & ſignificationem. 554.2.a
Iehoua erat Iudæis Dei nomen ineffabile. 817.1.a
Iteonan diuerſimodè à varijs vertitur. 648.2.d.649.1.b.650.1.b
Iitnacker verbum eſt contrariæ ſignificationis. 519.2.a.c
Iod ſæpè eſt paragogicum, non pronomen affixum. 517.2.c
Iſallachat propriè eſt patina vel frixorium, metaphoricè aſcella. 501.1.d.2.b
Iſcha, id eſt mulier, formatur ab eſch, id eſt ignis. 141.1.a
Iſcha & iſch ſunt coniugij vocabula, & continent nomen Dei ia in ſe, à quo ſi abſit ia, fit es & es, id eſt ignis. 557.1.a
Iſchon dicatur pupilla. 147.2.b.148.1.a.528.2.b
Kaab vel kieb quomodo differant. 66.2.d
Kaba quid propriè ſibi velit. 608.2.b.c.d
Kana conſtructum cum lamed ſignificat zelare, & aliquid ardenter ambire; cum beth, ſignificat inuidere. 630.2.c
Kara per he vel aleph in fine qui differant. 752.1.c
Kaſcab magnam ſignificat attentionem, hinc in Scriptura auribus tribuitur. 46.1.d
à Keſel, id eſt ſtultitia, mutabilitas, deducitur keſil, id eſt Orion ſidus, dictum ab inconſtantia. 77.1.d item per antiphraſin firmitudinem & conſtantiam ſonat. 2.a item ilia, lumbos, ſpondylum. ibid.b
Ki ſæpè per pleonaſmum redundat, alioquin commodè orationem orditur. 813.1.b
Kiſcor diuerſa ſignificat. 879.2.a.b
Kinna pro varietate conſtructionis, diuerſa ſignificat. 79.2.c
Kopher propriè eſt expiatio, redemptio. 565.2.b.d
Laac qualem balbutiem & ſubſannationem notet. 833.1.d
à Lacach, id eſt accipere, deriuatur lechach, quod tam ſermonem qui accipitur à loquente, quàm donum quod à donante accipitur, ſignificat. 155.2.d
Lamed ſæpe mutatur vel deprauatur in reſch. 857.2.b
Lamuel nomen vnde deriuetur. 858.1.a & ſeqq.
Lanaoth triplicem habet ſignificationem. 381.1.a
Lua tam loqui, quàm præcipitare eſt vorãdo. 536.2.b.c
Maade eſt contrariæ ſignificationis. 699.1.b
Madon tam litem quam iudicium & iuſtitiam ſignificat. 433.1.b
Maoz & fortitudo, & locus munitus dicitur. 248.2.c
Margema, quatuor diuerſa ſignificat, maximè Mercurij aceruum. 718.1.c.d.719.2.d eius etymon eſt ragam. 718.1.c.2.b alij id accipiunt pro argeman, id eſt purpura. 2.d alij pro funda. 719.1.a.& ſeqq.
Maria vox vnde dicatur. 190.1.b.& ſeqq.
Maſcal, id eſt dominium, capitur etiam pro ſententia eximia. 722.2.d.723.1.a
Maſchit propriè deſtructorem ſignificat, non deceptorem. 356.2.c
Matmon, id eſt diuitiæ, dicitur à tamam, id eſt abſcondere. 47.1.b
Medanim pro diuerſa deriuatione diuerſa ſignificat. 135.1.d
Melach tam regnare quàm conſulere eſt, apta analogia. 861.1.b.d
Mercolis Hebræis vocatur Mercurius. 719.2.d.720.2.d
Metſod arcem & munimentum ſignificat, item rete & venationem. 288.2.c
Meliſa, id eſt interpretatio, duplicem habet radicem. 23.1.c
Miſle deriuatum à maſcal, id eſt dominatus eſt, regnauit, idem eſt quod gnome, illuſtres ſententiæ. 12.1.a item quod parabola, ſimilitudines, comparationes, adagia, ænigmata. ibid.b.c vocis eius vis & ratio declaratur. 13.2.b.c
Mitrappe pro diuerſa radice varia ſignificat. 456.2.b 457.1.d
Muſar propriè eſt diſciplina & correptio. 15.1.d
Nabal tam ſtultè agere, quàm deſtruere ſignificat. 853.2.d
Nachal fluuium & torrentem, non ſtagnum ſignificat. 452.1.d
Naſach tam fundere, effundere, libare, quàm principem ſiue laicum, ſiue ſacrum, inaugurare & ordinare ſignificat. 183.1.c.d
à Nathar, id eſt, amouit, deriuatur nitrum. 700.1.a
Nechea diuerſam habet radicem & ſignificationem. 460.1.c
Neged ſi adiunctum habeat min, eſt procul recedere; ſi lamed, ſignificat rei acceſſum. 329.1.a
Netſach, id eſt finis & victoria, deriuatur à natſach, id eſt vincere. 572.1.b
Nezem tam monile eſt ex auribus pendulum, quàm ex fronte vel naribus. 267.1.a.2.b
Nir tam aratio, quàm cogitatio & cultura, ſonat. 551.2.b
Nirgeza diuerſimodè à Septuag. vertitur. 840.2.a
Niſpe contraria ſignificat: primò, congregare: deinde, adimere. 319.2.c
à Nots, id eſt auolare, deriuatur nets, id eſt accipitur. 151.1.d
Orob an ſit etymon vocis coruus vel corax. 834.2.c
Patha tam allicere eſt, quàm dilatare. 528.1.b.d.2.a
Paz per aphæreſin litteræ o idem eſt quod ophaz, ſignificatq; tam aurum optimum, quàm lapidem pretioſum. 175.2.b
Peninim multa & diuerſa pretioſa ſignificat. 69.1.b 523.& ſeqq.
Peti, id eſt perſuaſibilis, hebraicè vocatur paruulus & ſimplex, à rad. pata, id eſt ſuadeo. 18.1.a.28.2.a
Peninim non ſolùm gemmæ ſunt, ſed & vniones. 523.2.d.& ſeqq.
Pitta eſt lactare, decipere, perſuadere: non eſt idem cum patath, quod eſt conterere, frangere. 671.2.d
Rab, id eſt multus, non tantùm eſt quantitatis & numeri, ſed & qualitatis, id eſt potens, magnus. 789.1.a vnde & ſic vocatur, princeps. 723.2.d item aliuph id eſt millenarius. 724.1.a
Rachimim, id eſt viſcera, metaphoricè ad miſerationes transfertur. 285.2.d
Ragaz diuerſimodè à Septuag. vertitur. 840.2.a
Ramoth & excelſa, & cornua vnicornis & coralia, & ſerum ſignificat, eſtq; numeri pluralis. 652.2.a.b
Ranan eſt radix & taronna, id eſt iubilat. 35.1.d
Rekim tam inanes, quàm inania ſignificat. 287.1.b
Rephaim cur dicantur dæmones & damnati apud inferos. 54.2.c vertitur & gigantes, & mortui, & dæmo-

dæmones in Script. 563.2.a ita dicti ſunt à rippa, id eſt à percellendo. ibid.
Reſcit non tantùm principium ſed & caput & principatum ſignificat. 23.2.c.178.1.b.179.1.c item alia. 181.1.b
Rib tam litem, rixam, quàm iudicium notat. 454.1.b
Riphot idem eſt quod grana tritici contuſa, à rad. ruph id eſt contundere, frangere: ſignificat item maſſas ficuum, cur. 759.1.a
Samech & ſin litteræ eiuſdem ſunt ſoni, & facilè inter ſe commutantur. 724.1.b
Sachal diuerſa ſignificat. 425.2.d an à radice ſcachar, id eſt mancitare, deriuetur. 427.1.b
à Sardin videtur deriuari Latinum ſindon, eius etymon. 886.2.d.887.1.d
à Salua, id eſt pax, tranquillitas, formatur Latinum ſalue. 418.1.a
Saphan triplex animalculum ſignificat. 842.1.d
Scaar tam per ſin quàm ſchin diuerſas res denotat. 240.2.b.d.625.2.b d.626.1.a
Scabach contrariæ ſignificationis eſt. 796.1.b
Scachac eſt momentum, æther, puluis minutiſſimus, item calum: qua de cauſa. 188.2.d
Scachal modò leo, modò aſpis, modò pardus vertitur. 726.1.d
Scalis & ſcal ſcim idem eſt quod tertius à principe, triarij, triumuiri. 606.1.a
Scanim tam coccinea, quàm duplicia ſignificat. 881.2.c.d
Scemamith vertitur modò aranea, modò ſimia, ſed optimè ſtellio. 842.2.c.d vnde deriuetur vox. 843.1.a
Scemen, id eſt oleum, ad omne pingue tum in carnibus, tum in aromatibus refertur. 564.2.b.566.2.b
Scena diuerſas habere radices poteſt. 521.2.c
Scheol propriè infernus eſt, non foſſa aut ſepulcrum. 30.1.d.366.1.c.d.629.1.a
Schit, id eſt ornatus, etiam ſpina verti poteſt. 151.2.c
Schoa, id eſt tumultus, impetus, dicitur à ſcaa, id eſt repentè corruere, impreſſionem facere. 41.1.b
Scochad non ſemper munus, ſæpè etiam mercedem ſignificat. 427.1.c
Sconim cur diuerſimodè vertatur. 666.2.a.b
Scucha ab vno interprete etiam diuerſimodè vertitur. 636.1.a
Siphte, id eſt labia, ſæpè eſt feminini generis, ſubinde tamen maſculini. 237.1.a
Suilam id eſt ſcala eſt radix ꝟ meſilla. 403.2.b
Taam eſt guſtus, ſapor, inde per metaphoram iudicium, ratio, ſententia. 727.2.b.728.1.b.877.2.c
Tachbula non funes, nec funambulos, ſed vel gubernacula vel conſilia ſignificat, à radice chabal. 21.1.b.c.260.2.a
Tachbulot, id eſt gubernacula, alludit ad chibbel, id eſt funes & rudentes, & ad chobel, id eſt gubernator. 526.2.d.551.1.d.652.1.a
Techath quam habeat radicem. 428.2.a
Techolel duplicem habet radicem, tam chol quam chalal. 704.2.b
Tereph tam de eſca ferina, quàm de alia qualibet dicitur. 875.1.a.2.a
Teruma eſt donum Deo per ſacerdotem eleuatis manibus oblatum. 790.1.a
Thora, id eſt lex, deducitur à iara, id eſt ſagittam emittere. 136.2.d vel ab hora. id eſt docuit. 138.1.a
Toch, id eſt medium ſubinde fraudem denotat. 797.1.c
Tochen triplicem habet ſignificationem. 387.2.d
Tſapha eſt contrariæ ſignificationis. 892.1.b
Tſinnim ſpinas, ſudes, tribulos, lanceas, arma, frigus ſignificat, eò quòd hæc omnia ſint acuta. 586.1.d
Tulciia quàm diuerſa ſignificet. 49.1.b.c.169.2.a.b
Vau cùm copulat ſimilia, idem eſt quod ſic. 33.2.a generale eſt & quamlibet coniunctionem ſignificat. 760.2.c
Vchal quam habeat deriuationem. 812.2.d
Veim, id eſt etſi neque, ſubinde pro ſed accipitur. 760.2.c
Zach, zacha, zecuchith, omnia munditiem ſonant. 518.1.c.d
Zamam, id eſt excogitare, eſt radix ꝟ meſimmim, id eſt vafrities, aſtutia. 19.1.d
Zar & nachri, id eſt extraneus, quomodo diſtinguantur ab inuicem. 524.1.a.736.2.b.c
Zara verbum eſt contrariæ ſignificationis. 363.2.d
Zickim ſunt ſagittæ ardentes, vel miſſilia ignita. 729.2.c
Hecate aconitum inuenit. 281.2.d
S. Helena Conſtantinum fil. ad fidem Chriſti conuertit. 471.1.b.488.2.b
Heli nimia indulgentia in filios in cauſa fuit vt populus ſit traditus hoſtibus. 799.2.c
Heliotropium typus eſt adulantium. 668.2.b.c
S. Henricus II. Imp. virgo B. Virgini carus fuit. 164.2.c vnde dictus Claudus. ibid.b imperium B. Virgini ſubiecit. 172.1.a
Henricus VIII. Angliæ rex S. Thomam Cantuarienſem excanonizauit, & quo prætextu. 449.1.d ſacras res omnes inuaſit, ſed vindicem Dei manum ſenſit. 790.1.b
B. Henricus Suſo ſapientiam viſibili ſpecie puellæ vidit ſibi apparentem. 635.2.c
Hepta cometarum mel comedentes ad inſaniam redegit. 694.2.d
Heraclytus philoſophus vnde dictus ſit Obſcurus. 23.1.d
Heraclius Imp. ope Deiparæ Perſas profligauit. 175.1.c
S. Herculanus Epiſcopus Peruſinus multos poſt mortem dies repertus eſt integer & incorruptus. 27.1.d
Herculis bicium. 211.1.b
Hereditantur vitia & virtutes. 84.1.c
Hereditas citò parta caret ſucceſſu & felicitate. 530.2.c.d hereditas à patre relicta non eſt nimis augenda. 612.1.a
Heri olim digitis crepitantibus iuſſa ſua ſeruis indicabant. 132.1.b
Hermæa & Hermaces quid priſcis eſſet. 720.2.c.721.2.b
B. Hermannus Ioſephus ita B. Virgini fuit familiaris, vt ab ea in ſponſum fuerit aſſumptus. 80.2.c
Hermaphroditi ſunt qui vtrumq; habent ſexum. 456.1.a
Hermes vnde dictus ter maximus. 707.1.c
Hermodorus pro mercibus vendebat ſcripta Platonis. 480.2.d
Hero anachoreta ſibi ſoli ſapiēs miſerè lapſus eſt. 726.1.a
Herodias Ioan. Baptiſtam curauit de medio tolli. 707.1.d
Heroes per arietem deſignantur. 752.2.d
S. Hieronymus interpres libri Prouerbiorum, in eo ſæpè ab Hebræo deflectit. 6.1.a.2.a in ea non ſcripſit. 9.1.b erga præſepe Domini mirè affectus fuit. 164.1.b.c eius in morte vox. 354.2.c eius ſermo doctus & antiquitatis exemplis abundans. 360.1.c ad eum variæ quæſtiones ex ſacra Script. reſoluendæ mittebantur. 607.2.d
Hieronymus Siciliæ rex publicum conſilium nulla de re conuocauit aut conſuluit. 261.1.d
S. Hilarion egregius munerum contemptor fuit. 661.2.c captus à latronibus mortem non timuit. 764.2.c 307.1.a

Hilaritas animi vultum & corpus totum reddit pulchrum. 440.1.c.d eſt in danda eleëmoſyna neceſſaria. 593.1.b hilaritas regis ſimilis eſt rori. 486.2.a

S. Hildegardis etiam non orantis preces Deus exaudijt. 244.2.c

Hinnulus eſt pullus caprarum & ceruarum. 117.1.a

Hircus duplex in feſto expiationis fuit figura piorum & impiorum. 566.2.a

Hirundinum in nidificando ſapientia. 403.1.b ſymbolum ſunt amicorum ollarium. 477.2.b & falſorum. 341.2.c

Hirudo vide Sanguiſuga.

Hiſtrix quomodo ſe in periculo immunem præſtet. 584.2.a

Hædos paſcere facilius eſt quàm armenta. 761.2.c.d hædi ſunt pœnitentium typus. 762.1.a.2.b

Hollandi frugales ſunt. 565.1.d

Homerus quando natus ſit & floruerit. 4.1.b.c cur dictus vomere ſua. 811.2.a

Homicida omnium odio & inſectationi eſt expoſitus. 779.2.a.c ſemper diffugiet ſibi maximè timens. ibid.b hominum piorum & angelorum opem fruſtra implorat. ibid. nemo ei, etiam intra abditas cauernas, latibulum præbebit. ibid.c etiam in certum mortis periculum ſe conijcit, vel etiam ſibi ipſi manus infert. ibid.d cum omnes perſequuntur, etiam beſtiæ: id exemplis probatur. 780.1.c.d eorum multi pœnitentes ad ſpeluncas confugientes, ibi tota vita auſteram egêre pœnitentiam. ibid.a homicidas perſequitur umbra occiſi. 317.2.b

Homicidium quàm graue ſit ſcelus. 134.2.a an eo grauius ſit ſuſurratio. 133.1.d etiam ſit per calumnias. 779.1.d

Homo velut ſtatera eſt, in quo anima & corpus ſunt bilances. 252.2.b eſt quaſi arbor inuerſa. 274.1.d ipſe ſibi interitum creat. 34.2.b homines exiliter glorificant Deum. 174.1.d quomodo in illis ludat Deus. 192.2.d.193.1.a per ſe ſoli non poſſunt ad Deum conuerti ſine gratia præuenien-te. 195.2.a.b homo natus ad laborem poſt & ob peccatum. 409.1.d eſt mutationi obnoxius. 865.1.c naui comparatur. 643.2.c nihil monit comparatione Dei. 813.2.c.814.2.d.815.1.a.b.d alter alterum in qualibet re exacuit. 753.2.a.b per ſe intelligere nequit quid ſibi ſit agendum, quid in dubio eligendum. 534.1.d homo omnis, peccator eſt. 698.1.a ſapientia diuina cupit ſe ei communicare. 818.2.c.& ſeqq. homines omnes eiuſdem ſunt originis. 658.2.a homines immaniores ſunt belluis. 486.1.b hominibus placentes in grauia mala incurrent. 805.1.d.2.c.d.806.1.c homines primi vino abſtinuere. 643.1.c qui homines terræ, & homines cæli, vocentur. 663.2.b

Honeſtatis tres hoſtes, gula, inertia, luxuria. 664.2.c

bonum Honeſtum præſtat vtili. 436.1.b

Honor diuerſimodè accipitur. 109.1.b.c.d ad honorem ſubiectus inferiores damno non afficiat. 734.1.a honor non mouet virum cordatum, ſed cruciat. 757.2.d.& ſeqq. honor ſapienti, & ſtulto impenſus qui differant. 720.1.d.722.1.a.b honor Dei in omnibus operibus maximè eſt intendendus. 390.2.d.& ſeqq. honòres qui ambiunt, ſibi ruinam accerſunt. 435.1.c honores alti non ſunt tuti. 683.2.a ad eos gradatim eſt aſcendendum. ibid. 2.d ſtultum non decent. 711.2.a.718.1.d 719.1.a.b ab eo ſordidantur. 718.2.a.& ſeqq. imò ſunt ei noxij. 712.1.a. debentur viris ſapientibus. ibid.d honores nimij meræ ſunt adulationes. 751.1.a.b ad eos etiam aſpirent infimi. 845.1.c ad eos ſubitò euecti ne moliantur res nouas. 854.1.d

Honoratus eſt qui alios honorat. 413.2.b

Honorius Auguſtodunenſis in Salomonem ſcripſit. 9.1.c

Hordeaceus potus vſui eſt in medicina. 758.2.d.759.1.a.b

Horti coli cœpti, porro colendi ſunt. 456.2.d

Hoſius Cordubenſis in ſenio ceſſit minis Arrianorum. 707.2.b

Hoſpitalitas non tam in epulis, quàm in animo officioſo conſiſtit. 371.2.b

Hoſpites quales quærendi. 371.2.b

Hoſtia pacifica maiori ex parte cedebat offerenti. 153.1.c hoſtiæ impiorum triplicem habent defectum & vitium. 571.2.a.d.& ſeqq. vt hoſtia ſit grata Deo, tria requiruntur. ibid.b

Hoſtis occultus nocentior eſt quàm apertus. 729.2.d 730.1.a hoſtis fugiens non eſt turbatis ordinibus perſequendus. 651.2.d hoſtes in bello vincit obediens. 574.1.d hoſtes beneficijs afficiendi ſunt. 704.1.b.c hoſtes olim bello capti addicebantur ſeruituti. 800.2.b

Humanitas Chriſti ex Virgine rori comparatur. 94.2.d eſt domus Verbi diuini. 198.2.d fuit ea aſſumpta à Chriſto velut corona. 281.1.b velut equus eſt, cui diuinitas inequitauit. 578.2.c humanitas homini eſt congenita. 499.1.c.d

in ſecreto ſe Humilians coram Deo, & apud homines ſe deprædicans, eſt apud Deum abominabilis. 533.1.c.d humiliari nos ſub Deo oportet. 683.1.d

Humiliatio gradus eſt ad gloriam. 385.2.c

Humilis capax eſt ſapientiæ. 206.2.d.328.2.c gaudet ſui contemptu. 253.1.d & ideo gloriam ſibi conciliat. ibib. nemini ſe præponit, omnibus poſtponit, hinc verè ſapiens eſt. 1.d.2.a irriſus tacet: eius conatus promouet Deus. 2.b libenter ſe corripi ſuſtinet. 278.1.b. ideoq; à Deo gratiam meretur. 2.c humiles ſuas opes modeſtè tegunt. 305.2.d. libenter aliorum conſilijs acquieſcunt. 308.2.c.d humilis corde etiam minimos næuos ſuos perſpicit. 388.1.c præſtantior eſt eo qui virtutibus abundat, ſed arrogans eſt. 500.1.b eius magnanimitas. 585.2.d poteſt diuina ſcrutari. 709.1.a diuinam voluntatem ſcrutatur. ibid.b in omnibus operibus ſuis proſperatur. 783.2.d inter humiles præſtat agere quàm inter ſuperbos. 405.1.b.2.a ſubinde Dei nutu affliguntur. 404.2.c ſunt mites. 405.2.a & in loquendo modeſti, in Dei arcana penetrant. 446.2.a.b regibus placent. 682.2.d optimè diſcunt virtutem. 659.1.d in gloria magis ſe humiliant. 804.1.a gloriam ſuam cedunt alteri, & de ſe ſentiunt humiliter. ibid.a.b per formicas denotantur. 846.2.a item per cuniculos & locuſtas. ibid.c.d item per ſtellionem. 847.1.a eorum ſtudia, mores & geſtus. 846.2.a.b.847.1.a in ſolo Deo confidunt. 846.2.c ſunt verè ſapientes. 585.2.a 847.1.b humilia ſunt ſtabilia. 435.2.b

Humilitas Deo & hominibus eſt grata & honorata. 253.1.c tranſcendit omnem principum dignitatem. 2.d eſt fundamentum gloriæ. 254.1.a.384.2.d in ea ſumma conſiſtit prudentia & aſtutia. 19.1.c conducit ad alias virtutes parandas. 278.2.d eſt vera ſapientia. 308.2.d.585.2.a.772.2.c eſt cauſa concordiæ & pacis. 309.1.a præcedit gloriam, & gloria humilitatem. 385.1.a

de humilitate varia axiomata. ibid.c.& ſeqq. humilitas B. Virginis. 168.2.d.& ſeqq. humilitas eſt ſalutaris, & homini tranquilla. 405.1.b.c acer ad eum ſtimulus. 404.2.b nutrix eſt pacis & dilectionis. 405.1.d. per eam acquiritur dominium paſſionum. 415.1.a.2.a eſt fundamentum celſitudinis. 435.2.c eſt optima morborum omnium animi & corporis medicina. 438.2.c ſecuritatem præſtat. 460.1.d glorificat hominem. ibid.803.2.b.c.804.1.c dat donum caſtitatis, & minuit ſenſum libidinis. 518.2.c.600.1.d.2.b eſt fundamentum, radix & parens timoris Domini. 585.1.c eſt mater ſapientiæ. 846.1.d.847.1.b eius merces eſt dominium. 586.1.c ſemper eſt animoſa. 764.2.a humilitas confeſſionis confitenti & pœnitenti veniam petenti impetrat eamdem à Deo & hominibus. 775.1.a humilitas Chriſti in Euchariſtia. 617.2.d

Humor radicalis deficit ex triſtitia. 440.2.d humores coniugum congruere debent. 488.1.d

Hungari ad nomen B.Virginis ſuppliciter caput inclinant. 171.2.d

Hungaria regnum B. Virginis appellata. 171.2.c

Hyacinthus gemma an amorem conciliet. 426.1.d

Hyades ſtellæ dicuntur ἀπὸ τοῦ ὕειν, quòd pluuias adducant. 77.1.d

Hyblæi mellis præſtantia. 777.1.d

Ὕδρας tria ſignificat. 111.1.a.b.c

Hydrargyri origo. 239.2.c

Hydropicus ſymbolum eſt auari. 830.2.b.c

Hydropis cauſa. 830.2.d & curatio. 831.1.a

Hyæna typus eſt adulatorum. 668.2.b eius aſtutia. 777.1.c.b

Hypanis fluuius ſymbolum eſt voluptatis. 336.2.c

Hyperdulia B.Virginis debita tranſſcendit omnes honores Sanctis & angelis debitos. 896.1.a

Hyperi vertigo prouerbium quid ſignificet. 640.2.d

Hypocriſis eſt aperto odio deterior. 237.1.d

Hypocritæ ore præferunt amicitiam, callidè celāt odium. 237.1.a myſticè ſunt teſtis mendax. 346.2.a inſidiantur operibus laborantium. 126.2.c eorum mores. 131.2.d amicitiam ſimulando annuunt oculo. 230.1.d hinc alium afficiunt mœrore. 2.b hypocrita in ſe fragilis eſt. 731.2.d eius ſigna. 732.2.d fictè laudat. 751.1.a ſibi ſanctimoniam vendicat. 825.2.d

I.

Iacoponus quare iugiter lacrymaretur. 560.1.b

Iactantia de peccatis, eſt altitudo profundi peccatorum. 451.2.d

Iaponum in fide tuenda conſtantia & martyria. 326.1.d filios, quos alere nequeunt, occidunt. 494.2.c

Iapyges cum Tarentinis ob limites certarunt. 611.1.c.d

Ibyci interfectorem grues prodidere. 780.1.d

Icterus ſi ſpectetur, ſanat ictericos. 210.2.c.d

Ideæ in Deo ſunt ordinatiſſimæ. 183.2.b

Idola colebantur comeſſationibus & libidinibus. 55.1.d ſunt vanitas. 821.1.c

Idololatria prouenit à nimietate opum. 823.2.b.c ea ante Abraham viguit. 825.2.a

Iecur ſedes amoris & concupiſcentiæ. 158.2.a.c.159.1.a eſt fons ſanguinis. 159.1.a & ſymbolum voluptatis & gloriæ. ibid.b

Iehoua erat Hebræis nomen Dei,& aſylum. 458.1.d

Ieroboam in quo fuerit filius Flakus. 444.1.c regnando perdidit Iſraelem. 841.1.c

Ieruſalem quatuor diuerſas res allegoricè denotat. 606.2.c Ieruſalem captiua dici poteſt ſerua. 841.2.a

Ieſus eſt nomen proprium Verbi incarnati dans ſalutem omnibus ad ſe confugientibus. 458.2.c.d

Ieſus Chriſtus fuit in Salomone repræſentatus. 1.2.c crebris vſus eſt parabolis. 14.2.a vbique prædicauit regnum Dei. 35.2.b.36.1.a quomodo olim ſuos vocarit, iam verò vocet. 38.1.d eſt Dei Patris Sapientia. 48.2.d.49.2.c eius pulchritudo. 51.1.d ipſe eſt lignum vitæ. 73.2.b fuit vnicus Patri cæleſti, & matri terreſtri. 86.1.c vnicè matrem dilexit. ibid.d vnde vocari poſſit tener. 2.a fons eſt. 113.2.d eſt ſymbolicè ceruus gratiarum. 119.1.d.& ſeqq. pro peccatis noſtris fideiuſſit. 123.1.c adeſt & iuuat viros Apoſtolicos. 162.2.a eſt doctor ſapientiæ. 165.2.a eius humilitas. 168.2.d per eum reges iuda regnarunt, & ipſum decebat è regibus naſci. 170.2.c quà homo, habet directum dominium tam temporale, quàm ſpirituale. ibid. præeſt angelis totiq; mundo. ibid.d in hac vita iure ſuo vti noluit. 171.1.a matri communicat dominium rerum omnium. ibid.d diligentes ſe diligit. 172.1.a eſt fructus omni auro & lapide pretioſo pretioſior. 176.1.b Deus ab æterno creauit & poſſedit eum, id eſt creare & poſſidere decreuit. 180.1.b.c etiam quà homo, eſt & dici debet, filius Dei. ibid.b eſt princeps operum Dei. ibid.c an prædeſtinatus à Deo ante præuiſionem peccati originalis. ibid.d reſpectu gratiæ & ſtatus ſupernaturalis fuit prior lapſu Adæ & creatione mundi. 2.c fuit princeps omnium operum ſupernaturalium Dei. ibid. eſt principium omnis virtutis. 181.1.a eſt primus ſanctorum, primitiæ ſanctitatis, princeps hominum & angelorum: cauſa, & origo omnis ſanctitatis & gloriæ. ibid.b viam in cælum ſuo nobis exemplo præiuit. ibid.c fuit noui ſæculi principium. ibid.d omnes eius potentiæ, cogitationes, verba & actiones fuere ordinatiſſimæ. 183.2.d fideles & Eccleſiam ordinatiſſimè regit ibid. quà homo, fundatus eſt. 184.1.c ab æterno decretus eſt fundamentum Eccleſiæ. ibid.d nos homines vnicè diligit. 193.1.a.b eius erga nos amor. 2.b fuit is maior quàm erga angelos. ibid.d amore illo fuit quodammodo ebrius. 194.1.a eius victima fuit multiplex, & multas ſuſtinuit mortes. 202.2.a eius os eſt vena vitæ. 231.1.c fuit forma concionatorum. 236.1.c eius lingua fuit argenti inſtar electa. 241.1.a eſt arbor vitæ in cruce erectus. 274.2.b animas quaſlibet ſuſcipiebat. 276.1.c eſt radix iuſtorum. 280.1.b caro aſſumpta, fuit ei inſtar coronæ. 281.1.b cur coronatus ſit ſpinis. ibid.c fuit fidelis nuntius. 315.1.d paupertatem honorauit & quaſi deificauit. 353.1.a eam velut conſilium Euangelicum ſanxit. ibid.b quomodo dicatur verbum opportunum. 376.1.c eius obedientia. 381.2.a eſt regum Rex: in iudicio errare nequit. 397.2.c eius ira in die iudicij quàm ſit atrox futura. 400.2.d quà Verbum, eſt vita Patris, Spiritus ſancti, & omnium creaturarum, quà homo, vita angelorum & hominum. 402.2.a eſt gloria totius Eccleſiæ. 412.2.a per manſuetudinem habitat in mentibus noſtris. 415.1.c quomodo ſe nobis fratrem oſtenderit. 437.1.a eius in facie elucebat ſapientia diuinitatis. 443.1.a cùm docebat, accommodabat ſe carnalibus audientium conceptibus. 450.1.a omnibus ſe præbuit æqualem. 454.1.a ſpiritus robore carnis infirmitatem ſuperauit. 461.1.c verè ſe nobis amicum oſtendit. 472.2.d cum omnes ob

dona

dona data coluere & dilexere. 479.1.b   eius incredibilis patientia. 483.2.a   erit in die iudicij impijs vt leo, pijs vt ros lenis. 486.2.c   eſt velut rex in ſolio iudicij ſedens. 516.2.c.d   extitit ſponſor pro debito Adami & hominum. 525.1.c   modos inopinabiles excogitauit ad impios à peccatis abſtrahendos. 559.2.d   ipſe iuſtus pro omnibus impijs eſt paſſus. 566.2.c   eius obedientia vſque ad mortem. 573.1.a   patitur in pauperibus. 608.2.b.c   eius incarnatio menſâ denotatur. 614.1.a   mirè ſe in Euchariſtiâ humiliat. 617.2.d   totum ſe nobis in ea dat. 618.1.b   eſt in ea impaſſibilis. ibid.c   item inſenſibilis actiuè & paſſiuè. ibid.d   naturaliter quidem, ſed non ſupernaturaliter. 2.a   eius in ea erga nos dignatio. ibid.b   in ea omnes fideles totius orbis paſcit. 619.1.a   illius erga nos charitas communicantis nobis ſuam vitam & ſpiritum. ibid.   cur Euchariſtiam inſtituerit. ibid.c   carnem humanam aſſumendo factus eſt noſter frater, proximus, cognatus. 627.2.a   eſt pauperum & pupillorum vindex. ibid.a.b   item propinquus, frater, conſanguineus. ibid.c   nihil ſcripſit manu, ſed ore docuit. 677.2.a   infirmitatem ſuæ humanitatis vbique inculcauit dum vixit. 680.1.a   fuit legatus fidelis Deo Patri. 691.1.d.706.2.d   eius in iniurijs patientia. 694.1.a   quomodo ſtultis Phariſæis reſponderit ſubinde. 715.2.c   quomodo in paſſione cœperit tædere & pauere. 766.1.c   quàm eius regnum fuerit felix & pacificum. 789.1.d   adiuratus à Caypha reſpondit. 805.1.a   veritas eſt. 807.2.a.b   eius vtraque natura à Salomone ſymbolicè denotatur. 810.1.b   eius ſtultitia vnde eluceat. 814.1.a   eius incarnationem è Virgine prædixit Salomon. 837.2.a   eſt aquila, coluber, nauis. ibid.d. & ſeqq.   earumq; viæ ei adaptantur. 838.1.c.d. & ſeqq.   per formicam, leporem, locuſtam, ſtellionem denotatur. 847.1.c   item per leonem, gallum, arietem, regem. 853.2.a   ſuo ſanguine ſibi Eccleſiam comparauit. 868.1.a   omnibus bene fecit, nulli malè. 870.2.d   eſt Eccleſiæ maritus, & quidem nobilis. 886.2.b   quo pacto dici poſſit angelorum mediator. 897.1.b.c   verbo & exemplo virtutem auctorauit. 899.2.c   fuit forma pulcherrimus, vnde. 900.1.d

Iethro qua occaſione ſit factus proſelythus. 502.2.d

S. Ignatius Martyr intrepidè leones ad ſui deuorationem prouocauit. 765.2.c.d

S. Ignatius de Loiola lectis vitis Sanctorum eſt conuerſus. 168.1.d   ſpe in Deum nixus res arduas moliebatur. 347.1.a   in rebus peragendis Deo nitebatur. 405.2.d   quam praxim ſuos docuerit mundanos conuertendi. 450.1.b   etſi natura cholericus, iram mirè perdomuit. 826.2.b   in ſolarium domus aſcendit cœlum contemplaturus. 557.2.c   varios modos adinuenit homines à vitijs retrahendi. 560.1.a   è tribus induijs bonam monaſterij diſciplinam colligebat. 893.1.b

Ignauia opus inchoatum non promouet, ſed deſtruit. 450.2.c.451.1.c   vide Piger, Pigritia.

Ignauus opera ſua diſſipat & diſperdit. 450.2.c

Ignis eſt ſymbolum amoris carnalis. 141.1.a   ignem libidinis qui vicerit, facilè ignem vincet corporeum. 143.2.b   ignis, quo ſapiens examinat dicenda, eſt circumſpectio, & gratia Chriſti & charitas. 240.2.b.c   ignis in ſtatu quid ſit. 141.1.b   ignis verus an ante cœlum à Deo ſit poſitus, vt per eum animæ beandæ tranſeant. 421.2.c   ignis an viuus & viuax ſit. 529.1.d   Deum decet. 2.a   igni addebatur extenſis in tortura. 538.1.b   ignem vincunt obedientes. 574.2.d   igne probatur auri argentique bonitas. 757.2.a.b   non ſatiatur, ſed ſemper appetit vt ardeat. 828.2.c   ſymbolum eſt ambitionis & ambitioſi. 831.1.c.d   item auaritiæ. 832.1.b.c.833.1.b   deuorat & deuorabit omnia creata. 833.1.a   quo igne Deus corda probet. 421.2.a   quis ignis coniugij præſens & futurus. 557.1.a.b   ignis verborum Dei quàm ſit efficax. 819.2.a.b.c. & ſeqq.

Ignobilis conditionis homines proſperitatem ferre nequeunt. 802.1.d

Ignominia ſequitur ſuperbum. 253.1.b.803.2.b.c   naſcitur propriè ex peccato. 263.1.b

Illecebræ potentes ſunt ad lapſum procurandum. 29.1.a   illecebræ meretriciæ. 151.1.b. & ſeqq.

Illuminator pauperum eſt Deus. 797.1.a.2.b

Illuſor vocatur omnis impius, & cur. 80.1.a.b   illuſores illudet Deus. 81.2.d

Imbecillitas virium animi adulterorum. 144.2.b

Immiſericors in pauperes à Deo non admittitur. 226.1.c   omnia ſua abligurit & in propinquos crudelis eſt. 263.1.d   etiam ſeipſum lædit. ibid. & 2.d   dicitur crudelis. 264.1.a   alios experitur immiſericordes. 558.2.a   non ad preces ſolum, ſed & ad clamorem pauperum aures obturat. 560.2.b   quam propterea pœnam ſit ſubiturus. ibid.b.c.561.1.a

Immodeſtia geſtuum & morum ſugillatur. 131.2.c

Immunditiesp peccati & adulterij. 141.2.c.d

Immunitatem maleficio concedentes, ſæpè ſibi & domui ſuæ damnum creant. 438.1.a

quomodo ſe homo præbere poſſit Impaſſibilem. 618.1.d

Impatientis & patientis diſcrimen. 340.1.a.b.c   alia eorum quoad iram antitheſis. 349.2.a.b. & ſeqq.   impatiens duplicat malum, maliq; ſenſum. 483.1.b   ſuſtinebit damnum: at ſi in impatientia alium raptet & vellicet, maiora damna incurret. 496.2.a.b   ſibi eſt carnifex. 497.1.b.c   vincitur à varijs malis & hoſtibus. 532.2.b.c

Impatientia temeraria ingens ſæpè damnum creat. 497.1.c.d   vnde impatientia in aduerſis proueniat. 271.2.a

qui bene Imperare vult, antè bene ſeruierit oportet. 22.2.c.d

Imperatiuus Hebræis ponitur pro futuro. 655.1.c

Imperatoris bellici conſilio & arte regitur exercitus. 652.2.a   Imperatores Græcorum in inauguratione ſolemniter iurabant, ſe veritatem dicturos. 425.1.d   in Imperatorum apotheoſi, ex pyra, in qua eorum corpora cremabantur, aquila emittebatur. 623.2.d   Imperatores pij orbem lætificant. 789.1.d   imperatori olim lampas præferebatur. 138.1.c

Imperium lucerna denotatur. 529.2.d

Impietas peccatorem quomodo ſupplantet. 304.1.d   impietas etiam in poſteris punitur à Deo. 666.1.a   ea à rege exulare debet. 681.2.b.c   Aquilonis denotatur. 752.2.b   ſemper eſt pauida, & impios facit pauidos. 764.1.d   dat malam conſcientiam. 2.b   impietas iniquorum diſplicet iuſtis. 807.1.d   vide Improbitas.

Impius odit veritatem. 165.2.d   eſt apoſtata à Deo & lege. 131.1.b   eſt vir noxius. 131.1.d   loquitur fraudulenta. 2.a   ſæpè repentina ruina opprimitur. 132.2.c   in quæ ſcelera proruat. 133.1.b. & ſeqq.   eum Salomon vocat ſtultum. 218.1.a   corripi recuſat. 227.2.c.d   ideo labijs cæditur, id eſt plagas ſibi accerſit. ibid. & ſeqq.   laborando ſibi tormenta adauget. 235.1.d   à tribulatione

bulatione & clade abripitur. 245.1.c breuis eſt eius vita. ibid.d.248.1.a eſt velut procella. 245.2.a.& ſeqq. eius fama poſt mortem exſtinguitur. 246.1.a non effugiet ſupplicium Dei. 265.2.d 266.1.b.c cur non mereatur diu viuere 276.1.a paucos vel nullos relinquit heredes eoſq; miſeros. 279.2.b eſſe nequit ſtabilis. 280.1.c in omni peccato diſſimulat & conniuet. 303.2.b quotidie fit deterior. 304.1.c excuſsit timorem Dei. 323.2.b.c deſpicit timentes Deum, & ipſum Deum. ibid.d.& ſeqq. ſuo vitio ſibi deſpectum conciliat. 324.1.c configitur verbis hominis ſapientis magis quàm ſagittis. 329.2.c et omnia ſunt aduerſa. ibid.d leges & iura contemnendo, graues ſibi calamitates accerſit. 339.2.a.b in malitia ſua expellitur de vita. 354.1.a.2.a cupedijs paſcitur, iiſque magis & magis ſe implicat. 368.2.a auidè excipit inſulſas fabulas & nugas. ibid.b eius vita tota miſera eſt. 369.1.a quidquid corde fouet, ore temerè effutit. 381.1.a præceptis obluctatur, & cùm arguitur obmurmurat. 381.1.d cur, ſi obſtinatus, non ſit arguendus. 208.1.a odit correptionem & corripientem. ibid.b.d.& ſeqq. ob vnius impij ſcelus ſæpè totus populus caſtigatur. 737.2.d impium in iudicio præponere pro graue eſt ſcelus. 453.2.c.d

Impij Dei timorem & ſapientiam deſpiciunt. 24.2.a in die iudicij maximè à Deo plectentur. 41.1.d ſolam timent mortem. ibid.b.2.a eorum poſt mortem vita in tormentis. 2.b eorum ſera pœnitentia. ibid.c eorum ſtudia & conſilia infelices habent ſucceſſus. 42.2.a eorum impietas ſecundùm demerita caſtigatur. ibid. puniti, Deum inuocantes pro remiſſione pœnæ non culpæ, non exaudiuntur. 41.2.c.d cur exaudiri non mereantur. 42.1.b incedunt vt cancri obliquè. 52.1.d.2.a iniquè terram occupant ethicè. 56 2 d ſed non ciuiliter. 57.1.a inuiti à terra auelluntur, vtpote terrenis affixi. ibid. ſæpè carent bonis tum temporalibus, tum ſpiritualibus; ſubinde tamen temporalibus abundant. 81.1.d.2.a eos ſequitur ignominia & probrum. 82.1.c.2.a.b ſunt fugiendi. 91.2.c ſemper intenti ſunt vt noceant. 92.1.a.c bibunt vinum iniquitatis, & edunt panem impietatis. 2.a.b in multis diuitijs ſemper ſunt pauperes & inquieti. 177.1.b.c plurimas occaſiones bene agendi elabi ſinunt. 209.2.a viſis ſanctis indignantur. 210.2.d eorum nomen non perennat. 226.2.a.b eorum verba omnem ſpirant iniquitatem. 230.2.d & ſeqq. 231.2.d ſunt illiberales, & duri. 231.1.c loquuntur inſipientia & impura. 240.1.a.b quidquid in corde habent, ore effutiunt. 241.2.c.d hinc mortem ſibi accerſunt. 242.1.a nolunt iuſtis auſcultare. ibid.b anxiè ditantur. 2.c per riſum operantur peccatum & ſcelus. 243.1.c.2.a.b ipſum ſtudio captant, & quaſi recreationis cauſa. 2.c ſunt inconſtantes. ibid.d ob nequitiam ſuam ſemper timent. 248.2.d.249.1.b incidunt in laqueum, quem alijs tetenderunt. 254.1.d eorum mors ipſis acerba, pijs læta accidit. 255.1.d ſunt etiam in proximum iniuſti, quia impij in Deum. 2.a non habent proſperos ſucceſſus. ibid.b in morte ſpem omnem priorem amittunt. 256.1.d poſt mortem primùm cruciari incipiunt. 257.1.b.c iuſtos affligendo pœnas ſibi adaugent. ibid.c eorum clade lætantur omnes. 2.b.c.d habent os peruerſum. 258.1.a malis ſuis conſilijs, rixis, dolis reſp. euertunt. ibid.d eorum merces & fructus operis eſt mendax & euanidus. 264.2.b ſimiles ergo ſunt araneæ. ibid. ſemper furorem in alios exercere ſtudent. 269.1.b & plura mala facere quàm faciant. ibid.c ſunt arbores ſteriles. 274.1.d quia in re pijs ſubſeruiant. 275.2.a pro ſuis ſceleribus grauiter in gehenna caſtigabuntur. 276.2.c 343.2.a pios ſtudent priuare vita. 282.2.c eorum gloria breuis eſt. 283.1.c & eorum ſubſiſtentia tenuis, quia mox euertuntur, & citò deficiunt. 2.a.b eorum domus & familia citò deficit. ibid. in ſeipſos ſunt crudeles. 287.1.a deſiderant alios impios roborari. 188.2.d nihil ſublime & cæleſte cogitant. 289.1.b eorum voluntas à varijs cupiditatibus inuaditur. ibid. iuſtos opprimere & bonis ſpoliare ſtudent. ibid.c ſua garrulitate ſibi malum & ruinam creant. ibid.d eorum molitiones in pios à Deo euertuntur. 294.1.a dolent vbi deberent lætari, & lætantur vbi dolere. 298.1.c plerumque præmaturè moriuntur. 301.2.a ſunt in alios iniqui & violenti. ibid.d ſed id poſtea Deo vindice luent. ibid. eorum ſapientia, virtus, lætitia & proſperitas lucernæ comparatur. 307.2.b.a & 308.1.a.b eorum via eſt dura & ſaua. 313.2.d & difficulter corrigitur. 314.1.a delectantur rebus malis. 316.1.d eorum opes non rarò cedunt iuſtis. 318.1.c eorum fames non ſatiatur. 321.2.b & cur. ibid. numquam habent ſolidum gaudium. 335.2.c ſæpè fiunt ſupplices iuſtis etiam in hac vita. 341.1.c ſunt inſtabiles & vagi. 363.2.c.d eorum victimæ Deo placere nequeunt. 364.2.b.365.1.c.d cur ijs Deus diuitias concedat. 371.1.c Deus ab ijs longè abeſt, cur. 382.1.b.c.d eos & impietatem deteſtatur ſapientia. 165.2.c.d dicuntur impij propriè, qui peccati callum obduxere. 450.2.b ad eorum ſupplicium omnes creaturæ conſpirabunt. 391.2.b quomodo gloriæ Dei ſeruiant. 392.2.c ſcrutantur modos & artes nocendi proximo. 410.2.a et etiam lingua & manu nocent, ſed ſimul ſibi ipſis. ibid.a.b ante diem moriuntur. 412.1.a cur hîc proſperè agant. 416.1.b.c verè ſerui ſunt. 420.1.b in tribulatione deficiunt. 421.1.d toto mundo abutuntur ad ſuas concupiſcentias. 423.1.b habent tantùm ciuile rerum ſuarum dominium. ibid.d ſunt in verbis infidi. 425.1.c virgis & flagellis ſunt corrigendi. 428.2.a non ſequuntur ductum rationis. ibid.b peccant ex malitia & obſtinatione. ibid.c verbis non mouentur, ſed exſpectant flagella. ibid.d ijs tamen magis indurantur. 714.1.d quærunt rebellionem. 429.1.c ſaniores ſunt vrsâ cùm corripiuntur. 2.c vtrorumq; analogia. 430.1.a.c.d eorum in pauperes immiſericordia. 1.d.2.a.b vitia virtutum nomine palliant. 434.1.b diuitiæ ijs non proſunt, cùm ex ijs non fiant ſapientiores. ibid.d veram ſcientiam habere non poſſunt. 2.d nonniſi terrena bona ſpectant. 443.1.c longiſſimè abſunt à virtute. ibid.d ſequuntur vias ſuæ concupiſcentiæ. 2.a ſibi diſsimiles cenſent improbos, at ſimiles probos. 444.2.a Dei & Sanctorum amicitiæ renuntiant, & quo pretextu. 449.2.a.b vident viam virtutis, quia ſuo genio inconuenientem. 450.2.a in probos probra & contumelias iaciunt. ibid.c aſsiduo peccandi vſu in profundum impietatis barathrum dilabuntur. ibid. eorum cæcitas. 451.1.a quibus gradibus in tartarum ruant. 452.1.c aduerſis oppreſsi Deum incuſant. 476.2.b.d.& ſeqq. ſunt penè incurabiles. 502.2.b ſunt velut helluones

ſcelerum. 504.2.c à Deo & hominibus caſti-
gantur, tum in hoc mundo, tum in alio. 505.2.a.c
terrenam felicitatem ſectantes, amittunt æternam.
533.1.c.d eorum vires & conſilia infringuntur, ſi
diſſipentur. 537.2.a tribus ſupplicijs à Deo mul-
ctantur. 544.2.d & gradatim maioribus. 545.
1.a ſunt ob peccata ſua plerumque timidi, dolentes
& puſillanimes. 443.1.b.550.2.b.562.2.b
764.1.a eorum gloria & excellentia eſt pecca-
tum, quale. 551.1.d arant impietatem. 2.c
ſunt alieni à recto, dignitate hominis, Deo, conuictu
hominum, ſeipſis. 555.2.b.c ex indole ſua deſide-
rant improbitatem. 558.1.c propenſiores ſunt
ad malum, quàm pij potentes ad eos conuertendum.
559.2.a dolent cùm iuſtitia adminiſtratur. 562.
1.c.d erunt in gehenna ſocij dæmonum. 563.
2.c quomodo diſtinguantur ab iniquis. 565.2.c.d
quomodo damnentur pro rectis. ibid. ſunt velut
hoſtia pro peccato iuſti. 566.1.a.2.a eorum ho-
ſtiæ triplex habent vitium. 567.2.a cur Deo
non placeant. ibid.b.c vultum obfirmant in ma-
lum. 576.1.d reprehendentem non ferunt, &
peccata ſua tuentur. 2.a aliæ eorum proprieta-
tes dum corripiuntur. ibid. nequitiæ ſuæ dupli-
cem pœnam luunt. 586.2.a ambulant vias dif-
ficiles, frigidas & periculoſas. 1.d ſemper pijs
nocere volunt. 2.c eorum ſpinæ & laquei paſſi-
ui qui ſint. ibid. prout in alios ſæuierunt, pu-
niuntur à Deo vel iudice. 592.1.c.d eorum fe-
licitati non eſt inuidendum. 630.2.c.d.665.
1.d.2.c.666.1.a.b eorum ſocietas non eſt am-
bienda. 647.2.a excogitant artes nocendi &
malignandi. 653.2.b ſæpè delinquunt cogita-
tione, cùm ſe re mala paſcere nequeunt. 654.2.a
cogitationibus ſuis parent, etſi malis. ibid.c vſque
ad mortem malè agere non deſinunt. 655.1.a
in grauia mala facilè incidunt, & vix reſurgunt.
662.1.d.2.a commiſeratione potiùs digni ſunt,
quàm æmulatione. 665.2.a non habent ſpem.
666.1.c eos princeps regno ſuo expellat. 682.
1.b in ijs non eſt ponenda ſpes. 608.1.b cur
iuſtos ad peccatum ſolicitent. 707.2.a eos dede-
cet gloria. 711.2.a. & ſeqq. eorum ira quàm
ſit grauis. 737.2.d.& ſeqq. excogitant modos
explendi ſuas cupiditates. 758.2.c ſunt indoci-
les. 759.1.d Deus ijs ſæpè terrores panicos im-
mittit. 765.1.a non cogitant Dei iudicia. 769.
1.b.c ijs regnantibus pereunt reſp. 773.2.
a.c cupiunt omnes ſibi reddere ſimiles. ibid.d
786.2.c eorum impietatem omnes affectantur.
774.1.a ijs regnantibus fugiunt iuſti. 786.
2.b at ijs pereuntibus multiplicantur. ibid.c
eorum multitudo quàm ſit reip. noxia. 798.2.d
eorum gaudium breue eſt. ibid. oderunt iuſtos.
806.2.d per filios rebelles repræſentantur.
836.1.a
Implere Hebræis ſæpè idem eſt quod plenè dare. 176.2.d
Impœnitentia peccatorum deſcribitur. 451.2.b
Improbitas ſtudio aſſumpta peior eſt feritate naturali.
430.2.a eius natura & indoles deſcribitur. 558.
1.c.d
Imprudens ſibi præfidens, alios renuit conſulere. 290.1.b
in ſuis actionibus ſæpè impingit. 475.2.b.476.1.a
in damna incidens, Dei prouidentiam accuſat, non ſe.
476.2.c temerè omnia effutit, & nihil ſecreti
ſeruat. 480.1.a per parentes ſtudioſè congeſta,
ſtatim conſumit prodigaliter. 567.2.b vide
Stultus.
Impudentes aliter admonendi, aliter verecundi. 428.2.c
Impudentia mater eſt ſcelerum. 495.1.c propria
meretricum eſt. 212.2.a abijcit pudorem &
virtutem. 315.2.d
Impudicæ mulieris geſtus. 132.1.c
Impuri puros impuros eſſe iudicant. 562.2.d
Impuritas animi Deo placere nequit. 487.2.c
In præpoſitio ſæpè in Script. ſubauditur. 178.1.b
Inaures priſcorum quales eſſent. 689.1.d ſymbolum
ſunt correptionis. 2.b item obedientiæ. 690.
1.b & pacis. ibid.c erant inſigne nobilita-
tis. 689.2.b eis inſculpebatur nomen Dei vel
rei ſummè amatæ. ibid.c
Incarnatio Chriſti fuit à Deo decreta & prædeſtinata poſt
Adami lapſum. 180.2.a fuit ea finis, decor, for-
ma creationis hominum & angelorum, & totius vni-
uerſi. ibid.b Dei menſâ repræſentatur. 616.1.a
hanc prophetauit Salomon. 737.2.a eius mira-
bilia. ibid.b fuit ea prorſus incognita & difficilis
intellectu. ibid.c
quatuor ſcilicet Incedentia. 848.1.b.& ſeqq.
quid denotent. 849.1.b.c
Inceſſus bonus & felix quid denotet. 849.1.c
Incidere labijs eſt geſtus malum alteri machinantis. 411.
2.c
Incipiendum ſemper à Deo. 61.1.b
Inclinare cor quid propriè ſit. 46.1.d.47.1.a
Incogniti multi mundo, noti ſunt Deo. 233.1.b
Inconſtãtes in verbis ſibi & alijs noxam creant. 734.2.c
Incorrigibiles an & quando docendi & corripiendi ſint.
207.2.b
Incredibilis ſæpè in Script. ſumitur pro incredulus.
448.2.b
ſine Increpatione homo in deuia aberrat. 236.1.b eam
benignè admittens fit prudens & ſapiens. 362.2.a
eam non ferens eſt exoſus, & deſperatæ ſalutis. 365.
2.b.c eam libenter audiens, inter ſapientes age-
re gaudet, & honorari meretur. 383.2.c acris ini-
tio moleſta eſt, poſtea vitia extergit. 701.2.d blan-
ditijs lenienda & condienda eſt. 702.1.a.b vide
Correptio.
ab Incunabulis ſunt pueri docendi. 586.2.b
Incurius ſua negligit, & diſſipari ſinit. 456.2.b
quid ſit Incuruare fornicem ſuper impios. 153.2.b
India B. Virgini eſt à Luſitanis dedicata. 172.1.a.b
Indigens corde quis dicatur. 258.2.a indigens eſt mi-
ſericors. 517.2.c & magis quàm diues. ibid.d
vide Pauper.
Indigni non ſunt ad prælaturas promouendi. 717.1.b
Indociles plagis non ſapiunt. 759.1.d. & ſeqq.
Indocti nomen meretur ſuperbus. 570.1.a indoctis
docendi munus committi non debet. 712.2.a
indocti pij potiores ſunt doctis impijs. 285.1.b
Induſtria & induſtrius quid propriè ſint. 19.2.d
induſtria in bello plus valet robore. 527.1.c.d ipſa
domum ædificat. 648.1.d
Inertia corporalis & ſpiritualis eſt fugienda. 130.1.a
Infames generant poſteros ſerpentinos. 227.1.d
Infamia impiorum putredo eſt. 229.2.c.& ſeqq.
vnde ipſa oriatur. ibid.c.d infamia parentum
etiam in filios redundat & vice verſa. 424.2.a
infamia metus angit iniquarum opum poſſeſſores.
554.1.d
Infernus ſcopus impiorum eſt. 31.1.a domus eſt li-
bidinoſorum. 55.1.b & ſentina malorum. 112.
1.b eſt regio mortis. 160.2.a.b eius atro-
ces pœnæ. 160.2.c.d in eo nulla eſt redemptio.
256.2.a cur dicatur perditio. 366.1.b eſt
vltima

vltima & ima pars mundi. 377.1.d. *eſt profundum peccatorum.* 452.1.c. *ab obediente vincitur.* 575.1.d.2.a. *ibi ſunt odia, rixæ & pugnæ perpetuæ tam dæmonum, quàm hominum inter ſe.* 774.2.a. *eſt inſaturabilis.* 828.2.a.

Infidelis pauper eſt, etſi totum poſſideat mundum. 422.1.c.d. *infidelem vxorem non ducas Chriſtianus* 483.2.c. *cur.* ibid.d.

Infidelitas per luxuriam punitur. 216.1.d *remp. euertit.* 425.2.b

Infidus ob perfidiã in lites & graues pœnas incidet. 439.1.d. *fidentem in ſe fallit in die anguſtia.* 698.1.d *nemo ei fidit.* ibid.

Infinitiuus apud Hebræos pro omni tempore, modo, numero & perſona capitur. 283.1.a

Ingenioſi ſunt verbis parci, ſed factis efficaces. 239.1.d *ingenioſi quæ ſint ſigna.* 442.2.d

Ingenij vis, potentia, & effectus. 19.2.d *ipſum eſt habitus prudentiæ.* 20.1.a *ſæpè ex oculorum & vultus phyſiognomia cernitur.* 442.2.d *eius velocitas laudatur in inueniendis conſilijs in ſubito periculo.* 613.1.a *non eſt nimis vehementer vrgendum.* 855.1.d

Ingenui non debent mentiri. 425.1.d

Ingratitudo in beneficium etiam à Deo punitur. 431.1.b

Ingredi ad mulierem ſæpè capitur pro cum illa conuerſari. 142.1.b

Inimicitia inter amicos orta eſt irreconciliabilis, moleſtiſſima & periculoſiſſima. 685.2.a

Inimicos iuſtis Deus amicat. 394.2.a *optima inimicorum nobis conciliandorum ratio.* 395.1.a *exemplo Chriſti in Euchariſtia à nobis diligendi ſunt.* 618.2.c *in quo nobis proſint.* 664.1.a *de eorum ruina quatenus ſit lætandum.* 663.2.d.664.1.c.d 2.a.& ſeqq. *beneficijs afficiendi ſunt.* 704.1.b *inimici aperti minus nocent, quàm occulti.* 729.2.d 741.1.b.c.& ſeqq. *proſunt, etiam dum vitia noſtra carpunt.* 740.2.a.b.741.1.a

Iniqui & impij quomodo differant. 565.2.c *iniqui in alios, etiam alios ſauos experientur.* 592.1.c vide *Impius.*

Iniquitas ſæpè capitur pro pœna iniquitatis. 226.2.b *iniquitatis patratio efficit vt non videatur bonum.* 247.1.c *ipſa viam impiorum reddit curuam.* 255.2.a *æternam ſemper, & ſæpè præſentem mortem adfert.* 264.2.d *non proſperat.* 279.2.c *parit dolorem.* 294.1.c *non placet iuſto.* ibid.d vide *Peccatum.*

Initia omnia ſunt ardua. 393.2.c

Iniuriæ memoria accendit vindictam & iram in iracundo. 299.2.d.372.1.c.d *iniuria frangitur ſubmiſſione mitiq; reſponſo.* 358.1.c *ſoluit amores.* 449.1.a *iniurias allatas æquo animo perpeti glorioſum eſt.* 483.2.d.484.1.b *eas condonare ſancta eſt vltio.* 484.1.a *ſapiens eas paruipendit.* ibid.c.d *iniuria vniuerſis eſt periculoſa, etſi facienti nihil adferat periculi.* 506.2.a *eam patienter ferens variam refert victoriam; ſed eam non ſuſtinens, vincitur* 532.2.a.c.& ſeqq. *eius memor, eſt homo iniquus, cur.* 569.2.c.d *iniuria prior ſubinde inuitat, ſubinde vitat nouam.* 700.1.b *iniuriæ iudicibus illatæ, principi quodammodo inferuntur* 444.2.b *iniuria à fratre illata videtur eſſe acerbior.* 468.1.a

Iniuſtitia, regnorum & regum eſt ruina. 355.2.c

Iniuſtus eſt qui vel vnum ſcelus admittit. 204.2.a *iniuſti opum corraſores à Deo caſtigantur.* 219.2.c vide *Impius.*

Innocens inter vitæ pericula ſecurus agit. 249.1.b innocens *per metalepſin ſubinde idem quod impunitus.* 478.1.a *innocentes ſæpè vident ſuis oppreſſores pœnas dare Deo vindice.* 609.1.a.b *eorum liberatio eſt actus veræ fortitudinis.* 657.2.a.b *quatenus ab impijs grauiter læſi, poſſint cum ijs iudicio contendere.* 665.2.b

Innocentia nihil timet, ſed confidens eſt. 228.2.c.229.1.a.b *eius ſymbolum eſt ſalamandra.* 2.a *eius lemma.* ibid. *iuſtos dirigit ne decipiantur.* 254.1.d *de innocentia ſua nemo verè gloriari poteſt.* 518.1.a *ipſa aſylum eſt.* 608.2.d *eſt quaſi galea.* ibid.

Inopia mentis adulterij in quo ſita ſit. 144.2.a.b *inopia præſtat rerum copiæ.* 643.1.d *eſt cauſa auaritiæ.* 677.2.c.d vide *Paupertas.*

Inſaturabilia quatuor quæ ſint. 828.1.b.& ſeqq. *quid ethice & ſymbolicè denotent* 2.c.d.& ſeqq.

Inſenſibilitas Chriſti in Euchariſtia tum paſſiua, tum actiua. 618.1.d *quamquam non ſupernaturaliter eam & homo conſectari ſtudeat.* 2.a *ſequitur ex peccato conſuetudine roborato.* 646.2.b.c

Inſidiæ impiorum aduerſus pium à Deo diſſipantur. 221.1.b

Inſipiens in Prouerbijs capitur pro impio. 131.1.c *inſipientes ſemper iurgantur, & proprium ſequuntur cerebrum.* 308.2.d *habent innatam malitiam, nec ſinunt ſe ab ea auelli, ea gaudent & fruuntur, eamq; alijs communicant.* 340.2.b *inſipiens eſt garrulus & gratulus.* 480.2.c.d *dicitur ſaxeus igneusq; Mercurius.* 762.1.b.c vide *Imprudens, Stultus, Impius.*

Inſpirationes Dei negligens permittitur labi in grauia mala. 152.1.d

Inſtabilitas tum mentis, tum pedum, propria meretricum eſt. 571.1.a

Inſtita erat tenuiſſima faſciola ſtolæ extremitatem ambiens: ea vtebantur matronæ honeſtæ. 153.2.a

cur Inſtitor dicatur mercator. 873.2.c

Inſtitutio pueri ſimilis tirocinio militum. 588.2.a *inſtitutio parentum magni momenti eſt in filijs.* 135.2.b *inſtitutio bona reddit homines gratioſos.* 313.2.d

Integritas eſt tutum aſylum. 608.2.d

Intellectu difficilia ſunt quatuor. 855.2.b.& ſeqq. *intellectus habitus ſunt quinque.* 15.1.a *intellectus integer requiritur ad probitatem vitæ.* 314.1.b *intellectus iuſtorum à Deo illuminatur, vt virtutis dignitatem magis cognoſcat.* 343.2.d *intellectus ſæpe errat ſpeculatiuè.* 344.1.a

Intelligentia lux eſt, ea in impijs extinguitur. 307.2.a

Intemperans eſt hebes vt brutum. 508.2.d

Intentio recta in omnibus actionibus habenda. 62.1.c *intentio mentis à ſolo Deo peruidetur & libratur.* 388.2.c *ipſa opus bonum reddere malum, vel indifferens reddere bonum malumùe poteſt.* ibid.c.390.1.c 649.2.b *quo ipſa melior, eo melius eſt opus.* 389.1.d *intentio recta in omnibus operibus habenda.* 390.1.a *per ſuſum denotatur.* 880.1.d *dat operi formam & animam.* ibid. *intentio mala vitiat oblationem hoſtiæ bonæ.* 571.2.d

Interfectio filij à patre eſt immane parricidiũ. 495.2.a.b

Interiora colenda ante exteriora. 475.2.a

Interlocutores in ſympoſijs varij ſunt. 809.2.a

Interrogatio ſapiens indicium eſt animi ſapiẽtis. 447.1.b

Intolerabilia quatuor quæ ſint. 840.2.a

Inuicta tria, Deus, angelus, iuſtus. 662.1.b

Inuidia hominem conficit & exedit. 350.1.b.2.d *eius tollendæ rationes.* 350.2.c *non tantùm alijs, ſed & inuido*

& inuido ipſi mala eſt. 351.1.d *eſt putredo oſſium.* 2.d *principum inuidia quàm ſit noxia.* ibid. *inuidia cauenda in amore amicorum.* 473.2.b *eam virtus vlciſcitur.* 665.1.c *animum inuidi mirè rodit & cruciat, in tinea denotatur & æruginì.* 703.2.b.c *eſt grauior irâ & furore.* 738.2.d.739.1.d *difficulter ex animo euelli poteſt.* 739.1.a 2.b *eius effectus.* 1.d *eius damna.* 782.1.a.b

Inuidi effigies & forma. 350.1.c *eius ſymbolum eſt baſiliſcus.* 351.2.b.c *inuidi maximè geſtant virus in oculis.* 592.2.d *multa ſuſpicioſa imaginantur.* 624.2.a.625.2.c *cum iis non eſt comedendum, etſi inuitent.* 625.1.a.626.1.b *nec ipſi ſunt inuitandi.* 626.1.c.d *gaudentes malo alieno, ſæpè Deo puniente in illud incidunt.* 664.2.c *ſunt declinandi, non irati, cur.* 739.2.b *inuidus omnis eſt auarus.* 731.2.d *Dei iudicio non diteſcit.* 782.1.b

Inuitans ad conuiuium ſæpè mentitur autorem, vel ad ſuum commodum. 620.2.b

Inuocare ſapientiam quid ſit. 46.2.c.47.1.a

Inuocatio Dei iuſto eſt velut turris fortiſſima. 458.2.b *inuocatio B. Virginis nunquam fit fruſtra.* 195.2.c.d

S. Ioachimi cum S. Anna gaudium in coniugio. 116.2.b

Ioannes Abbas qua via ad perfectionem venerit. 26.2.a *ſolâ Euchariſtiâ diu vixit.* 221.1.a *adhuc monachus iuſſus leænam adducere, vinctam ad monaſterium adduxit.* 575.1.b *alter Ioannes aridum ſtipitem iuſſus irrigare, eum eundem viuentem vidit.* ibid.

S. Ioannes Apoſtol. cum Cherintho hæretico in eodem balneo lauari noluit. 586.2.d.749.1.b

Ioannes Auſtriacus ex ingentibus animis collegit ſe magni cuiuſdam filium eſſe. 680.2.b

cur S. Ioannes Baptiſta puer in deſertum abierit. 236.1.a *fuit forma concionatorum.* ibid.c *moriens triplicem euaſit anguſtiam.* 289.2.a *bonus fuit nuntius & quare.* 383.1.c *cur dictus ſit lucerna.* 530.1.a

P. Ioannes Baptiſta Romanus in naufragio cedens Iudæo tabulam, ea lege, vt, ſi enataret, fieret Chriſtianus, vterque Dei ope enatauit. 298.2.b

S. Ioannes Calybita obſcurus in angulo delituit. 557.2.c

S. Ioan. Chryſoſtomi oratio fluminis comparatur. 452.2.c *vnde ita dictus.* 523.2.c *eius magnanimitas.* 764.2.a

S. Ioannes Columbinus lectâ vitâ S. Mariæ Ægyptiacæ, ſæculo valedixit. 168.1.d

Ioannes Commenus Imp. ope B. Virginis inſignes victorias retulit. 171.2.d

S. Ioannes Damaſcenus à B. Virgine fuit inſtructus aduerſus iconomachos. 168.1.a

S. Ioanni Eleëmoſynario apparens miſericordia, eum liberalem in pauperes effecit. 59.1.a.b *eius ardens in pauperes affectus.* 60.1.c *viſâ eleëmoſynâ, factus eſt in pauperes effuſus.* 463.1.b *quo plus in eos erogabat, eò duplo amplius recipiebat.* 492.2.d 594.1.d *quomodo detractores coërceret.* 705.2.c *ad eum auarorum opes deueniebant.* 770.2.a

Ioannes Gerſon Cancell. Pariſienſis pueris erudiendis ſeriò incumbebat. 207.1.a

Ioannes Parmo in ſolitudine ſine cibo viuere dum cupit, ſpe ſua fruſtratus eſt. 624.1.c

Ioannes Silentiarius magnam in Deo ſpem habuit. 784.2.c

Ioannes de Tampes, alias De temporibus, quot annis vixerit. 441.2.b

Ioannes Zimiſces Imp. Deiparæ præſidio victoriam de barbaris retulit. 172.1.a

è Ioſionis monachi defuncti ore quinque enatæ ſunt roſæ cum inſcriptione nominis Maria. 250.2.a

Ioſeph patriarcha obediendo patri meruit donum prophetiæ, & principatum Ægypti. 28.1.a *quàm prudenter ſe in omnibus geſſerit.* 284.1.c *eius fortitudo in quo emicuerit.* 414.1.a *quæ crimina fratribus impegerit iuxta Rabbinos.* 479.2.a *fratres verè accuſauit.* ibid.d *ſeruus licet, ob ſapientiam & prophetiam ad principatum Ægypti fuit euectus.* 481.2.c

S. Ioſepho mox à coniugio cum B. Virgine exemptus fuit omnis fomes libidinis. 869.2.c *ab ea omne bonum accepit.* 871.1.b *cenſetur inter primos Sanctos.* 886.2.c

Ira cur vocetur furor. 259.1.b.c *eam ſapiens celat, ſtultus ſtatim prodit.* 290.2.b.d. & ſeqq. *hi tripliciter à ſe inuicem quoad iram differunt.* ibid.c.d *ea ratione obedit in ſapiente.* 290.2.c *is eam ideò in animo refrænat.* ibid.d *eius ſedandæ ratio.* 291.1.d 2.a *eam premens eſt verſutus, & proinde metuendus.* 340.1.c.d *ira ex corde aſcendit in caput & nares.* 358.1.a *molli reſponſo frangitur, duro exacerbatur.* 358.1.2.c *naſcitur ex ſuperbia alterius, aut iniuria.* 1.c *habet quid magnanimi.* 2.a *eius quinque remedia.* ibid.b *eam vincere ingens virtus eſt & gloria.* 359.1.b *tria homini eripit.* 372.1.d *ira Dei manet impios in vita, & poſt mortem.* 270.1.a *omnium paſſionum eſt vehementiſſima.* 414.1.c *eam domare quàm ſit heroicum.* ibid.b. 415.1.d *vincitur conſilio & celeritate.* 415.1.b *prodit ſe naribus.* 482.1.a *impedit quo minùs animus verum cernat.* 2.a *eam differre, extinguere eſt.* ibid.b *eſt quaſi furia.* 485.2.c.833.1.b *per eam omnia animalia ſuam feritatem exſuperant.* 485.2.c *ad eam procliuis, damna & pœnas incurret.* 495.2.c 496.1.a.c *inſipientiam hominis prodit.* 570.1.a.b *ceu virga eſt, qua iratus in alios ſæuit, & per eam ipſe plectetur.* 592.1.b *quæ ex illa ſequantur damna.* 609.2.c.d. & ſeqq. 803.1.d *eſt velut laqueus animæ & vitæ.* 610.1.a.b *eius deſcriptio.* ibid.c *eſt belluina.* 694.1.c *eius ſpiritus cohibendus eſt.* 709.2.b *hominem in multa mala trudit.* 724.2.b.c *eſt quædam ebrietas & inſania.* ibid.c *ſuſcitat rixas.* 731.1.a.b *eſt ara diaboli.* ibid.c *per gradus paulatim increſcit.* 738.2.c.d *vna alteram accendit.* 753.1.a *acuta eſt.* ibid.b *eam ſtultus ſtatim prodit, ſapiens premit.* 795.1.d *eſt in ſinu charitatis ſuffocanda.* 2.a *eius remedium eſt mora.* ibid.b *inferno denotatur.* 828.2.d.830.1.d *eſt ſanguiſuga inſatiabilis.* 830.1.b *quid ſit propriè ira in ſinu.* 561.2.d *hanc euellit munus in ſinum emiſſum.* ibid. *inter amicos ſolet eſſe grauiſſima.* 610.1.a *iræ Dei in ſceleratos varij gradus.* 545.1.a *huius ſignum eſt incidere in meretricem:* 600.2.c *& in hæreſin.* 2.c *Dei ira precibus placanda eſt.* 693.1.a *ira regum grauis & acerba eſt.* 400.1.d *eſt ſimilis rugitui leonis.* 484.2.c.485.1.c. & ſeqq. *ſed eam doment.* 484.2.b *hanc prouocans peccat in animam ſuam.* 509.2.c.d *ipſa quàm ſit grauis.* 2.a.b *ea permittenda tempore ſubſidere.* 693.2.b *ira ſocij eſt toleranda, non excitanda.* 709.2.a *ira & triſtitia ſunt comites.* 701.1.c.d *ira ſtulti grauis eſt tum ipſi met, tum cæteris ſtultis.* 737.2.d. & ſeqq. item

item ſapientibus, & cur. 738.1.a.& ſeqq. ira ſapientis rationabilis eſt. ibid.b

Iracundia ex ebrietate plerumque oritur. 508.2.b ſoluitur per lepores, riſum, iocos. 701.2.a eſt cohibenda. 855.2.c rationem offuſcat. 247.1.a

Iracundorum in vultu turpitudo. 271.2.a corripiendi ſunt poſt iræ motum. 340.1.c videntur à dæmone poſſeſſi. 2.a iniuriam ſibi dictam aut factam aſsiduè ruminant, & ideo ſuſcitant lites. 372.1.c.d iracundus iracundiæ ſuæ damna illicò ſentit. 496.2.d plerumque citò placatur. 561.2.d cum eo non eſt amicitia ineunda. 609.1.d cur. ibid. & 2.c cum eo conuerſans, eius lites & iras in ſe ſuſcipit, quas is habet contra tertium. 610.1.b.c parum aptus eſt ad amicitiam. ibid.c.d ſtatim ad rixas procolat. 728.2.b quare dicatur latus anima. 729.2.c incidit in multa peccata cordis, oris, operis. 803.1.c meditatur ſemper vindictam. ibid.d & veteres iniurias in memoriam identidem reuocat. 2.a

Irati quare labia mordeant. 411.2.c ſibi inuicem probra & vitia oggerunt. 510.1.a non ſunt blandis ſermonibus leniendi, ſed poſt iram ſedatam. 701.2.a quando corripiendi, & quando non. 715.1.a eorum geſtus, ſchema, imago. 724.2.c.d ſunt ſimiles dæmoni. 730.1.b irati ſchema & geſtus. 291.1.a

Irrationalia muta voce glorificant Deum. 392.1.c.d

Irriſores habent mores iucunditos. 131.2.d annuunt oculis, & irriſo dant dolorem, & ſæpè ſibi. 230.1.b.c

Irriſoribus iudiciorum Dei, ea maximè propter hanc culpam parata ſunt. 505.2.a

Iſaac puteos ſuos Geraritis cedens, alium meliorem à Deo obtinuit. 298.2.a

Iſaac monachus ſua patientia obſeſſum à dæmone liberauit. 415.2.b

Iſaias non tam Propheta quàm Euangeliſta videtur. 383.1.d an fuerit ſcriptor Prouerbiorum. 677.1.d 2.a.b

in S. Iſidori Hiſpal. pueri adhuc ore apes ſederunt. 408.1.d

Iſraelitæ quia Prophetis noluerunt auſcultare, in captiuitatem abducti ſunt. 799.2.b.c

Iudæi nullam habebant cum Gentibus communionem. 5.1.b ſunt inuitati ad conuiuium cæleſte per legem Moyſis. 202.2.b iis etiam promiſſa fuit cæli gloria, & comminata gehenna. 376.2.c credebant duo poſt mortem eſſe animarum receptacula. 377.1.d eorum fames tempore obſidionis Ieruſalem. 220.1.c.d eorum bona ceſſerunt Gentibus in ſanguine Chriſti iuſtificatis. 318.2.b eorum in Chriſtum odium. 31.1.a ſub ſuo Meſſia ſperant hereditatem terræ & terrena bona. 56.2.d quare iis prædicarint Apoſtoli. 207.2.c in Chriſtum ingrati etiamnum hodie mulctantur. 431.1.c deſeri paulatim cœpere tempore Chriſti. 479.1.b veritate deſertâ malunt adhærere fabellis mendacium Rabbinorum. 526.2.a ſed id in inferno acriter luent: in fine mundi adhærebunt Antichriſto. ibid.b ſeruiunt Chriſtianis. 590.2.b.c ob obſtinationem ſunt incurabiles. 788.2.d Iudæis priſcis in certis caſibus præcepta fuit ſpecialis peccati alicuius confeſſio. 775.1.a.2.b

Iudex impios caſtigans eos liberat ab impietate. 282.2.d iudices olim in portis ſedebant. 36.1.d iudex dictus quaſi ius dicens populo. 724.1.d iudex iniuſtè iudicans grauiter delinquit, & ad reſtitutionem tenetur. 434.1.a auro accepto plerumque in partem dantis propendet. 442.1.a.b.c talis olim apud Romanos morte mulctabatur. ibid.d talis bis peccat. 444.2.a & lingua mendace diſceſit. 553.2.b non vult aurum ſibi palàm dari, cur. 561.1.d eſt velut fons corruptus. 707.2.c iudex non debet iudicari à priuato. 444.1.d in iudicio non ſit perſonarum acceptor. 666.2.d.& ſeqq. 781.2.a eſt hoc graue ſcelus. 69.2.d.& ſeqq. graue reip. dat ſcandalum, & viam pandit iniuſtitiæ & auaritiæ. 454.1.b hoc ſæpe pro re vili peruertit iuſtitiam. 781.2.b an eſculenta & poculenta dona accipere poſſit licitè. ibid. iuſtitiam & veritatem ſectetur. 798.1.a tueatur viduas & pauperes. 864.2.c.d teſtes ad iuramentum adigit, Dei interpoſito nomine. 478.1.d abſtineat vino. 644.1.d.& ſeqq. iudex iniquus falſis teſtibus patrocinatur. 504.2.d at impios plectens remp. liberat ſceleribus. 559.2.a & hic Deo & hominibus gratus eſt. 767.1.b.c.d at ſi iis parcat, Dei iram incurrit. 2.a ſententiam condemnationis blandis verbis molliat. 769.1.d qui iudicem ad iniquam ſententiam cogit, tandem ſuæ falſitatis dat pœnas. 572.2.c iudex iuſtus eſt prædonibus & ſicariis exoſus. 794.2.a.b vlciſcitur viri iuſti necem. ibid.c.d.795.1.a iudices olim in portis vrbium ſedebant. 608.1.b iudices dandi agricolis vicini & contribules. 767.1.d

non Iudicandum niſi vtrâque parte auditâ. 463.2.b

Iudicans rectè & iuſtè, populum ſibi demeretur. 669.1.b.2.c item reges. 2.c

Iudicantes iuſtè ſtateram rectam tenent. 251.2.c

Iudicium exſtinguitur à libidine carnali. 144.2.b iudicium & diſcretio in Scrip. vocatur ignis. 240.2.b iudicium rationis quando rectum, quando doloſum ſit. 252.1.b iudicium deprauatum aliter de rebus quibuſuis cenſet atque oportet. 294.1.d iudicio proprio & alieno non eſt fidendum. 335.2.b ſuo nemo debet præfidere, maximè in rebus propriis. 375.2.c iudicio ſuo quiſque gaudet. ibid.d iudicium practicè erroneum ſequens electio voluntatis, pariter errat, fitq; erronea. 344.1.c iudicium, æquitas & iuſtitia quomodo differant. 16.2.c & ſeqq. ſæpè idem omnino ſunt. 17.1.b.2.c iudicia iuſtorum quæ dicantur. 282.1.b.d hæc diademati comparantur. ibid.b in die iudicii ſera eſt pœnitentia. 41.2.d iudicium Hebræis ſæpè idem quod æquitas. 395.1.d.806.1.a.d ſubinde ſignificat lites & contentiones. 467.2.c aliquando eſt idem quod iuſtitia, & vindicta Dei 504.2.b iudicio iniquo contra ſe lato acquieſcens egregiam refert victoriam. 572.2.d iudicia iudicum à Dei iudicio & ſententia pendent. 806.1.a in iudicio particulari & vniuerſali omnium conſcientias explorat Deus. 421.2.b in die iudicii impii acriter ab eo caſtigabuntur. 505.2.d tunc etiam minutiſſima quæque examinabuntur. 526.1.c tunc pateſcent omnes fraudes fraudulentorum. 733.2.d eius pauor Chriſtianos perterrere debet. 775.2.d eſt id maximè timendum. 806.2.b & cur. ibid.a id, eiuſq; vindictam non recogitans impii. 769.1.b.c eius tamen recordatio acer eſt ſtimulus ad bonum. 2.a iudicium facere, gaudium eſt iuſto, & pauor impiis. 562.2.c.d iudicium & mens euertitur ab ebrietate. 863.1.a iudicia hominum parum curanda ſunt. 806.2.b iudicia Dei ſunt æqua & iuſta. 368.2.a quæ iudicia parata ſint deriſoribus. 505.2.a.b iudicia Dei arcana penetrare difficile eſt, penetrare tamen ſatagunt reges. 679.1.b.d

ea non

ea non ſunt temerè inquirenda. 708.2.a

Iudith ſua forma, pudicitia, & virtute gloriam obtinuit. 262.2.d

Iuglandis & quercus antipathia. 623.1.d

Iuliani Apoſtatæ afflictio contra Eccleſiã fuit velut nimbus citò pertranſiens. 245.2.b ſummus fuit ſycophanta. 778.2.d

Iulij Cæſaris clementia. 542.1.b etiam hoſtes beneficijs afficit. 686.1.a fuit in Pompeium benignus. 704.1.d remp. Romanam perdidit. 854.1.c.855.1.c ſuo faſtu omnium odium incurrit. 856.2.d rarò conſilium ſenatus adhibuit. 261.1.d

Iumentorum ſuorum compaſſione mouetur iuſtus. 286.1.a.c iumenta magnum dant paſtori lucrum. 761.2.c.d

quid B. Iuniperus dixerit de in ſe probra iacientibus. 236.2.a

Iunius Brutus filios ſecuri percuti iubens reprehenditur. 495.2.b

S. Iuo fuit pauperum patronus. 793.1.a.864.62.d

Iupiter dictus quaſi iuuans pater. 595.1.c cur ei aquila ſacra ſit. 623.1.b quis Iupiter Terminalis Romæ eſſet. 611.1.d Iupiter Hammon cum cornibus arietinis pingebatur. 852.2.d

Iuramenta quatenus fidelibus illicita. 327.1.d

Iurare non licet, niſi cogat hominis incredula diffidentia. 327.1.c in paradiſo iurare non licebat, ſicut nec licet Beatis in cælo. ibid.d

Iurgia ſeminare quàm ſit noxium. 132.1.d iurgium dictum quaſi iuris garrium. 724.1.d iurgia peiora ſunt paupertate. 419.1.a

Iura alterius parochiæ non ſunt inuadenda. 612.1.b

Iuſtitia ſæpè capitur pro complexione omnium virtutum. 17.1.c.d.220.1.b hæc liberat iuſtos ſæpè à morte præſenti, ſemper ab æterna. 219.1.d.220.1.b.255.1.a.b iuſtitiæ Chriſtianæ partes ſunt duæ. 17.2.a.b eius via eſt leuis. 56.1.d ipſa ſemper in homine poteſt creſcere. 93.1.d eſt via regia ducens ad vitam. 299.2.d eſt quintuplex. 220.1.a cuſtodit iuſtum. 304.1.c.d iuſtitia & æquitas decet rectores reip. 21.2.d ipſa terram ſceleſtem deſerens cælos adijt. 59 1.c eâ ſtant regna & imperia. 173.2.c in æqualitate præciſa conſiſtit. 251.1.b.2.b eius decus & ſchema. 2.c iuſtitia Dei nullum ſinit ſcelus abire impunitum 317.2.d quomodo eleuet maximè reges, regna & reſpublic. 355.2.c.356.1.a cur ſit maxima virtutum moralium. 362.2.c ſæpè in Script. pro eleëmoſyna accipitur. 265.1.a.b.562.2.a quomodo differant iuſtitia, iudicium, æquitas. 16.2.c.& ſeqq. iuſtitia propriè dicta virtus eſt ius ſuum cuique reddẽs. 562.1.b quantum regnis proſit. 399.1.c eſt eius centrum tripliciter. 790.2.b facit aſſeclas ſuos longæuos hic, & in futuro æternos. 403.2.a eos ad extremam ſenectutem deducit. 412.1.a eam in iudicio forenſi euertens grauiter peccat. 434.1.a cuſtodit reges. 541.1.b.& ſeqq. & quibus in rebus eam poſſint oſtendere. ibid. c.d grauiter eam lædit qui ineptum ad officia promouet. 505.1.c cauſat in eam exercente gaudium, & affert laudem. 668.1.c.d pater iuſtus imbuit ea filium. 515.1.b peruertitur per munerum acceptionem. 781.2.c vigeat in tribunali. 796.2.c eius partes & munia per regem denotantur. 850.1.b Iuſtitia omnis, id eſt ſanctitas. à Deo prouenit, eſt opus gratiæ, non naturæ. 517.2.d eſt animoſa, iuſtoſq. facit animoſos. 764.1.d dat bonam conſcientiam. 2.b iuſtitiã & miſericordiã explicat Script. omne officium virtutis. 550.1.c iuſtitia Dei elucet in eo quòd neminem damnet niſi ob peccata. 392.2.d ea in omnes æqualis eſt. 723.2.b iuſtitia capitur & pro qualibet virtute. 393.2.b.395.2.a.550.1.c 562.2.b

Iuſtus in omni actu meritorio eget actuali motione Spiritus ſancti. 63.1.a creſcere poteſt in iuſtitia. 93.1.d auroræ comparatur. 2.a.& ſeqq. creſcit ſenſim. ibid.b 94 1.b vndequaque captat anſam ſe ampliùs iuſtificandi. 209.2.a mundo vtilis eſt, iniuſtus inutilis. 210.2.b ſolo aſpectu iuſtitiam afflat. ibid.c fame non moritur. 220.1.c eſt intrepidus. 229.1.b.& ſeqq. laborat vt vitam ſuſtentet. 235.1.c item vt augeat vitam gratiæ & gloriæ. ibid.d in tentatione & calamitate manet firmus. 245.1.c 249.2.a cur diu viuere dicatur. 225.1.d omnem cladem ſuperat. 2.c nihil timet. 249.c.b diu in mundo viuet. ibid. eſt quadrato lapidi ſimilis. 246.1.c eſt fundamentum mundi. ibid. ipſe eiuſq; poſteri in ſuis domibus multis annis firmi agent. 249.1.d ſapientiam ore profloquitur. 2.b nil loquitur niſi præmeditatum & opportunè. ibid.c.250.1.c magnum verbis ſuis profectum facit. 249.2.d eſt in verbis parcus, & in ijs ſe accommodat ruditati diſcipulorum, & plura corde reſeruat quàm ore proferat. 250.1.a loquitur Deo placita, ideoq; omnibus placet. ibid.b.2.a.b Deo dirigente euadit laqueos impiorum. 254.2 a.257.1.a.b.d.2.a item ſua prudentia. 289.1.d mortem non timet. 255.1.c poſt mortem tranſit ad gloriam. ibid.d fugit omne impij commercium. 262.1.c corpus ſuum edomat & ſubiugat, & animæ ſuæ ſaluti conſultum eſſe cupit. 262.1.c.264.1.a ex bonis propoſitis, quæ manè concepit, ſemper quietus & iucundus eſt. 273.2.a ſemper virtutis ſuæ imitatores progignet. 274.1.b eſt arbor fructifera & ſemper virens. 2.a item arbor vitæ. 275.2.b profert iuſtitiæ fructus ſua ſapientia & virtute. ibid.c meretur vitam longam, & deinde beatam æternitatem. 276.1.a.301.2.a felicem & copioſam poſt ſe relinquit poſteritatem. 279.2.d nulla aduerſitate commouetur. 280.1.b.c.194.2.b cuique ſuum ius tribuit. 282.1.d.2.a etiam vult impium ſaluare ſibi inſidiantem. 2.c qualem corporis curam gerat. 286.2.a cæleſtia deſiderat. 289.1.b eius voluntas à prauis deſiderijs eſt impenetrabilis. ibi. eius opes tutæ ſunt ab inſidijs impiorum. ibid.c omni virtute pollet. 294.2.a potior eſt diuite, honorato, nobili. 298.1.a diſtit ab amico etiam iuſto. ibid. ad vtramque fortunam commodum & beneuolum ſe præbet. ibid.b ſua commoda proximi commodis poſtponit. ibid.d fructus iuuentutis in bona ſenecta percipiet. 301.2.a omne peccatum reprehendit. 303 2.b fit diues & honoratus. 315.2.d quo ſenſu comedendo ſatiet animam ſuam. 321.2.a.b & quare. ibid.b timet Deum. 323.1.c ſi quem peccantem videt, excuſat, & ſecretò benignè corripit. 331.2.c facilè credit, nec fraudem ſuſpicatur. 338.1.a.b ſperat in morte ſua, cur. 354.1.b.c.2.b.d quotidie in bonis animi & corporis corroboratur, hinc omnia aduerſa tranſcendit. 362.2.b ſemper in lætitia eſt. 369.1.a & ſecurus. 2.a.d præmeditatò reſpondet. 381.1.a.b.c eſt obediens, & iuſſa tum Dei, tum hominis benignè admittit. ibid.c diuerſimodè obedientiam meditatur. 381.2.a.b prior eſt in lite ſua, quo ſenſu. 463.1.c.d.& ſeqq.

confidens iuſtitiæ cauſæ ſuæ prior adit iudicem. ibid.d rem ſuam omnem ei aperit, & verè. 2.a in hiis principio cauſam ſimpliciter iudici aperit: præoccupat iudicem, ne ab alijs malè informetur in veritatis præiudicium. 2.b ita ſe accuſat omnia aperiens, vt aduerſarius dein adueniens nihil vltrà habeat quod arguat. 464.1.a iuſtum ſe eſſe nemo certò ſcire poteſt. 518.1.b

Iuſti ditantur tum temporalibus, tum ſpiritualibus bonis; ſubinde tamen illis carent. 81.2.a.& ſeqq. ſemper ad Deum reſpiciunt, & cum eo ambulant. 94.1.d eos ſæpe miraculosè aluit Deus in nouo teſtamento. 220.2.a affluunt bonis omnigenis. 226.1.a eorum recordatur Dominus. 2.a.b ſemper ſancta & ſalutaria loquuntur quæ corde volunt. 230.2.c.d 239.2.d.241.2.d eorum lingua inſtar argenti eſt. 240.1.a.& ſeqq. conſtanter veritatem proloquuntur. 2.a eorum dignitas eſt, quòd cælo decorem afferant. 248.2.a eos roborat virtus & ſanctitas. ibid.d eorum opera à Deo proſperantur. 255.2.a eorum felicitate gaudent ciues omnes. 257.2.a.c in ſua opulentia ſunt benefici. ibid.d ſi ſint opulenti, ciuitatibus mirificè proſunt. 258.1.a & eorum benedictio eas à malis tuetur. ibid b.c eas ſuis monitis conſilijs, exemplis tuentur. ibid. eorum opus & fructus operis, eſt certus, ſtabilis, fidelis. 264.2.b ſunt ſimiles in eo apibus. ibid.c ſemper deſiderant bonum facere & benefacere. 269.1.b.c anhelant ad beatitudinem cæleſtem. 270.1.a in hac vita ob leues noxas ſubinde grauiter caſtigantur. 276.2.c eorum radix & iuſtitia, Deo protegente, contra impiorum conatus, inualeſcit. 289.1.a ſæpè in hac vita affliguntur. 294 2.c omnes tribulationes tamen æquo animo ferunt. ibid. quia res omnes huius mundi parui æſtimant. ibid. d refrænant ſuas cupiditates, quæ ſunt cauſa peccatorum & perturbationum. 295.1.a pacem animi rebus omnibus anteponunt, ſciunt ſe ſuaque Deo eſſe curæ. ibid.b mentem habent in Deo defixam. ibid.c ſua animi ſerenitate mundi huius moleſtias & aduerſa facile excutiunt. 307.2.b.374.1.a eorũ ſapientia virtus, dignitas, lætitia, felicitas luci amplæ comparatur. 307.2.d eos delectat fuga mali, & virtutis operatio 316.1.c mentem habent plenam ſanctis deſiderijs. 316.2.b eorum heredes ſunt filij & nepotes non extranei. 318.1.b & ipſi ſæpè ſunt heredes impiorum. ibid.c ſunt manſueti. 324.2.d quia Deo accepti hoſtias offerunt non pro peccatis ſuis, ſed ſpontaneas, ad gratiam eius ſibi conciliandam. 331.2.d & ſeqq. eorum domus & familia ſemper efflorescit 334.2.c fabricando bonum virtutis, fabricant ſibi bonum gloriæ cæleſtis. 343.2.a permittente Deo plerumque ſunt pauperes. 371.1.c omnes in via virtutis occurrentes difficultates ſingillatim perfringunt. 373.1.a.d ipſis via virtutis facilis & complanata videtur, ibid.d ijs propè adeſt Deus. 382. 1.b.c.d ipſi ſæpè toti ciuitati ſuis precibus proſunt. 2.a propter iuſtos omnia creata ſunt. 391.2.b.c ipſi ſunt coagulum ciuitatis ſuæ. 394.2.a ijs Deus amicos inimicos. ibid. quomodo diſponant vias ſuas. 395.3.d in die iudicij Chriſtum beneuolum experientur. 510.2.d cur hic à Deo affligantur. 404. 2.c.416.1.c tribulatione probantur. 421.1.d eis omnes creaturæ ſeruiunt. 423.1.a ſua ſorte ſunt contenti: terrena omnia calcant pedibus Deum ſpectantes: in creatis ſingulis eum agnoſcunt. ibid. habent dominium rerum & opum totius mundi proprium & velut naturale. ibid.d abominantur mendacia. 425.1.c nullis mouentur terroribus. 430. 2.c.431.1.a eorum oculi ſunt ſereni, læti, hilares. 443.1.a.b ſpectant bona & præmia cæleſtia. ibid.c virtutis ſunt vicini & familiares. ibid.d leges Dei ſemper intuentur in ſuo capite Chriſto. 2.a offendere illos non eſt bonum 444.2.c à Salomone vocantur docti, ſapientes & eruditi. 445.1.c per quam ſcalam in cælum aſcendant. 452.1.d currunt ad Deum quaſi ad arcem in tribulatione. 458. 1.a.459.1.a ſi quid per infirmitatem peccarint, ſtatim ſe accuſant & condemnant. 463.2.c antequam alios accuſent, ſeipſos increpant. ibid.d tegunt laudes ſuas, ſed vitia detegunt. 464.1.b eorum filij Deo etiam curæ ſunt, & beati. 515.1.b.d 2.a omnes eorum actus non ſunt peccata. 517. 2.c eorum claritas in tenebris mortis eluceſcit magis. 530.1.c diriguntur à Deo. 533.2.b inter impios agentes, eorum domui benedicunt. 559. 1.d eorum externam pompam vilipendunt, quia vident quàm iniquè lucrentur. 2.b eos omnimodis conuertere ſtudent: quæ ipſos ad hoc rationes impellant. ibid.c.d.768.2.b gaudent cùm iuſtitia adminiſtratur. 562.1.c.d cur perpetuo in gaudio agant. 2.b pro ipſorum delictis luunt impij. 566.1.a ſed in particulari alioqui pro illis pœnas dant. ibid.b ſæpè tamen ipſi pro impijs & per impios affliguntur. 2.c quod oleum in domo eorum abundet. 567.2.a.c.d bene beateq; viuunt in hoc ſæculo. 568.2.a ſua fiducia in Deum ſubrigant vrbes armis indomabiles. ibid.c ſunt ob operationem ſuam in rerum copia & gaudio. 571.1.c confidenter enarrant ſuas victorias. 572. 2.b liberantur à malo quod falſo teſtimonio eis paratur. ibid.a ſi errati moneantur, ipſum agnoſcunt. 576.2.c.662.2.b aliæ eorum proprietates dum corripiuntur. 576.2.a prudenter ſe à peccatoribus & peccandi periculis ſegregant. 584. 1.b ſemper habent ſpem. 631.1.c quomodo cadant ſepties in aduerſa, & reſurgant. 661. 2.d.& ſeqq. cadunt in leues noxas. 662.1.d.2.a non ſunt impeccabiles. 2.d poſſunt ad aliquod tempus ab omni peccato veniali carere. 663.1.b ſi in aliquod peccatum graue cadant, citò conantur emergere. 2.b cadentes in calamitatem coram impio, ſunt velut fons pede conculcatus. 707.1.c item cadentes in peccatum. 2.a & qui ſint hi iuſti. ibid.a.b.c in ſua iuſtitia glorianteſ peiores ſunt improbo ſuam improbitatem agnoſcente. 726. 1.a præponunt æterna temporalibus. 747.2.a explorant modos Deo magis in dies placendi. 758.2.c confidunt vt leones. 759.2.a.764.1.c.2.c.766.1.a res huius vitæ tam proſperas quàm aduerſas parui faciunt 764.2.b ſpem & animum magnum in aduerſis ab eo accipiunt. 765.1.c eorum & leonis analogia. ibid.& ſeqq. omne robur habent in mente voluntate Dei armata: ſæcularium vitam dedignantur. ibid.d ſoli Deo & iuſtitiæ intendunt. 2.a in aduerſis creſcunt ijs animi. ibid.b in tentatione confidunt ob ſpem opis diuinæ. 2.b ſunt quadrifaciales vt Cherubim Ezechielis. 766. 1.d eorum murus eſt Deus. 768.2.d exquirunt omnia Dei iudicia. 769.1.d ijs regnantibus florent regna & vrbes. 773.1.d.786.2.d fugiunt & gemunt regnantibus impijs. 786.2.b 787 2.a cur gaudeant impijs punitis. 792. 2.b tuentur cauſas pauperum. ibid.d amant iuſtos iudices. 794.2.b oderunt impiorum impietatem. 806 2.d.& ſeqq. iuſti omnes ſanctitatem ſuam B. Virgini acceptam referunt. 876.2.d

cur

cur Iuuenes præcellant ingenij acumine. 10.2.a eorum vecordia. 150.2.d.& ſeqq. iuuenes à meretricibus ſollicitati, quid agant. 156.1.b iuuenum amantium veſania deſcribitur. 156.2.d.157.1.d.& ſeqq.158.1.a.b.d.2.a.b.d.159 2.d.160.1.a iuuenes nugis & vitijs aſſueti, difficilè ſapientiam percipiunt. 328.2.b ſunt corona ſenum, cur. 412.2.a ſenem honorent. ibid.d & eum interrogent. 447.2.a robur ſuum exerceant, eo vtantur ad reip. bonum. 543.2.c ſit ipſis id ſtimulus ad virtutis opera. ibid. audiant diſciplinam. 631.2.c ſi labantur in amores meretricios, labuntur velut in foueam. 636.1.b ſæpè mortem corporis incurrunt. ibid.c non ſunt nimis laudandi ob periculum deprauationis forſan ſecuturæ. 750.1.b eorum ſapientia ſita in temperantia & continentia. 789.2.c iuuenes olim ſapientiæ ſtudioſi vino abſtinebant. 643.1.c iuueni luxurioſi mutuo dans pecuniam, ius non habet eam repetendi. 790.1.a

Iuuentutis viror & decus perit fornicando. 109.2.a in ea laborandum pro ſenectute. 125.1.b.127.1.c.224 2.d.225.1.a eſt edocenda pra ſenectute, & cur. 173.2.a iuuentutis incautæ emblema. 150.2.c.d iuuentutis & ſenectutis diuerſa ſtudia & officia vtraque habet ſuas dotes. 543.2.a altera alterius ope viciſſim opus habet. ibid.b vtriuſque elogia. 544.1.b.c iuuentus diſciplinæ capax eſt. 589.1.b ex ea hauriuntur, mores reliquæ ætatis. 589.2.a.b quanta eius ſit laſciuia. 601.2.d

Iynx auis fertur iuuenes in ſui amorem trahere. 139.2.c

K

Kαρπὸς tam fructum quàm brachij iuncturam ſignificat. 880.2.d

Kόραι tam pupillas quàm puellas ſignificant. 528.2.d

Kόραξ id eſt coruus, dicitur à κόρα, id eſt pupilla. 834.1.b.2.c alia eius etyma. 2.c

à Κύριος dictum Sire vel Sieur vel Seigneur. 412.2.c

L

LAban Iacobum circumuenire ſtudens ſuis dolis eſt circumuentus. 772.1.c

Labia ſunt linguæ clauſtra. 710.2.b ea contorquens non vult agere ſincerè, ſed decipere. 1.b ea mordere ſignum eſt perfectæ peruerſitatis. 656.b.c

Labor omnia vincit. 47.1.d continuatus dulceſcit. 127.1.c in iuuentute eſt aſſumendus. ibid. virtutem & ſapientiam parit. 126.1.b item opes, imperium, & omnium bonorum abundantiam. 130.1.b.2.a.296.2.d.299.1.d labore parandæ ſunt virtutes. 234.1.d labor tenuium potior eſt otio inerti diuitum. 235.1.b labor proprius nobilitat, non auorum. 285.1.d labore parta non tam citò depereunt. 309.1.d.2.a labor bone repræſentatur. 325.2.c is hominis eſt dignitas. 344.1.d parit is ſuapte natura aliquod lucrum. 2.b.c labor homini eſt pœna poſt peccatum, conducit etiam minuendæ concupiſcentiæ. 409.1.d.2.a moderandus eſt, nec nimius aſſumendus ad opes congerendas, ſed qui ſufficiat ad victum lucrandum. 2.b labor parit omne bonum, & abundantiam. 491.1.b.c.521 1.d.2.a labore parta ſtudioſius ſeruantur. 530.2.d labor continuus omnes difficultates euincit. 674.2.d.844.2.b labore emitur cælum. 876.2.b labor etiam moleſtiam ſignificat. 409.2.c item fraudem, iniquitatem, iniuriam. 647.1.a

Laborandum vt quæratur victus. 409.1.c.2.a.844.2.a idque à prima adoleſcentia. 671.1.a & Cornel.in Prouerb.Salom. quamdiu viuimus. 880.1.a laborando ſimus valentiores corpore & ſpiritu. 655.2.c laborandum in hac vita, vt in altera gloriæ opes comparemus 234.1.d 303.1.c

Laborans ſibi ſufficiens, melior eſt ſplendido eſuriente domi. 284.2.b.c laborare debent qui edere & diteſcere volunt. 325.1.c laborans ſatiabitur panibus, deſes conficietur inopia. 780.2.d laborans laborat ſibi, id eſt animæ & corporis bono. 410.1.c

Laborioſa vita potior otioſâ nobilium. 285.1.c laborioſi ſtatim poſt deſiderium conceptum manum operi admouent. 303.1.b

Laborioſus vocari poteſt vir robuſtus. 551.1.c

Labratum vocatur oſculum, vnde. 670.1.c

Lac eſt ſanguis concoctus, & primum infantis nutrimentum. 28.2.b quod lac præſtantiſſimum. ibid. lac ſymbolum eſt puræ & ſimplicis doctrinæ. ibid.c lac dabatur ſapientiæ diſcipulis initiandis in Ægypto à vaſe in modum mammæ femineæ. 203.2.a lacte veſcebantur priſci, non carne. 762.1.a.b

Lacænæ maritos captiuos mutato cum eis habitu liberarunt. 299.1.a erant validæ & fortes. 866.2.d

Lacedæmonij mirè fuere concordes. 466.2.d explorabant puerorum indolem. 520.1.b erant in liberorum caſtigatione ſeueri. 602.1.a in puerorum inſtitutione fuere ſingulares. 321.1.b vide Sparta.

Lacrymarum ſanctarum vis & gaudium. 332 2.c.d 333.1.c eas Deus caras habet. 333.2.b

Lactare per metaphoram eſt ineſcare, decipere. 28.2.a

Læditur omnis homo à ſe ipſo. 295.1.c

Læſus iniuriâ ad Deum ſolum reſpiciat: 532.1.d eius panoplia & victoria quintuplex. 2.a.& ſeqq.

Lætitia luce declaratur. 307.2.b lætitia impiorum fallax eſt. ibid. lætitia capitur metonymicè pro amplitudine & vbertate. 308.1.c lætitiam animi celat ſapiens. 332.1.c ea ad contemplationem mirè confert. 367.2.a eius cauſa eſt bona conſcientia. ibid. eſt comes indiuidua puritatis. 369.2.d lætitia rei bonæ viſæ vel auditæ corpus ſimul & animum recreat. 383.1.b eſt flos, decor, & quaſi vita animæ. 440.2.a ea per totum corpus redundat. ibid.b eius alij effectus. ibid. c.d.481.1.c.d eſt optima morborum omnium medicina. 440.1.b redundat ea ex corde in vultum. ibid.c item in corpus. 2.a.b lucernâ deſignatur. 530.1.b.d

Λαγὼς, id eſt lepus, deriuatur à λάγνης. 842.2.a

Laici vide Sæculares.

Lampas olim Patriarchis & Imperatori præferebatur. 138.1.c tradebatur in ſtadio curſoribus. 529.1.b lampades accenſæ olim in nuptijs præferebantur ſponſis. 539.2.a

Lamuel vbi in Prouerbia Salomonis loqui incipiat. 675.1.d Lamuel eſt Salomon ipſe. 857.1.b.2.b vnde ſic dictus. 858.1.a.& ſeqq.

Lana ſemel tincta ſuum colorem retinet. 588.2.d quid tropologicè deſignet. 873.1.a.b.c

Lanceæ quod ſit etymon. 729.2.b

Lanificium eſt opus feminarum. 871.1.c.2.c

Lanx metaphoricè vocari poſſet lectus. 687.2.b

Lapides olim ponderum erant loco. 251.1.a.398.1.a.2.b 426.2.c.519.1.a.719.2.b.720.2.b lapides terminales agris apponi iuſſit Numa Pompilius. 611.1.d lapides coaceruabantur in locum aliquem vt lapidationi ſeruirent. 718.2.b lapis pretioſus non eſt proijciendus in aceruum lapidum communium. 1.d lapis multicium Chaldæorum ſuperſtitioſus

 quis.

quis. 721.1.c lapidem verberare prouerbium de quibus dicatur. 429.1.a

Lappones ventos mercatoribus vendunt. 223.2.b eorum chorea ſymbolum eſt gaudij mundani. 336.1.b

Lapſus ſeptem iuſtorum qui ſint, poſt quos tamen non deſinunt eſſe iuſti. 663.2.a

Laquei varij quibus vinciuntur opum per fraudem corrogatores. 554.1.b.& ſeqq. qui laquei peccatorum. 586.2.a.b laqueus ſymbolum eſt timoris. 805.2.c.d

Largitiones liberales conciliant honorem. 462.2.d

Larus, vide Cepphus, Fulica.

Laſciuia mulierum eſt velut circulus, quo à viris laſciuis circumaguntur ad ſuas libidines. 267.2.b.c

Latebræ ſunt illecebræ facinoris. 29.2.d eas ſectantur impij. 35.1.c

Latere quàm ſit tutum. 233 1.c.d

Latitudo in conſtructione molis alicuius reſpondere debet longitudini. 435.2.c cordis & animæ latitudo quî differant. 784.1.b

Latrones dicti ſunt à latere quod ſtipant. 29.2.d.77.1.c 637.1.c ſolent ſocijs oculo annuere. 230.1.c ſunt typus meretricis. 637.1.c.d

Latus animâ quis dicatur, & iurgia concitare. 783.2.b.c

Laudare intempeſtiuè eſt quodammodo vituperare. 750.2.d laudari omnes cupiunt, vituperari nemo. 523.1.c

S. Laurentius Deo & Eccleſiæ fidelis diaconus fuit. 514.2.c

Laudis ſectator tres caueat hoſtes, gulam, luxuriam, inertiam. 564.2.c laus hominum quatenus captanda. 695.2.a data explorat hominis bonitatem. 757.1.c.d 2.a eam ſpernere vera laus eſt. ibid.2.b virum ſapientem non titillat, ſed cruciat. 2.d.& ſeqq. laus proprio in ore ſordet. 464.1.a.736.2.c.d vera eſt quæ ab inimico proficiſcitur. 736.2.d.737.1.b

Lecti mollities eſt puluinar diaboli. 153.2.d ſed durior decet Dei ſeruos. ibid. lectus ſponſoris à creditore tolli nequit, ſi alia habet minùs neceſſaria. 610.2.b non venit in generali hypotheca bonorum. ibid.c lectus quadratus habet ſpeciem currus. 687.2.c lecti olim aurei & argentei erant in vſu. 686.2.a.687.2.c ijs etiam flores & poma inſpergebantur. 688.1.d

Legatio ad viros graues non eſt imponenda ſtulto. 425.1.b

Legatus fidelis multis ſalutem adfert. 314.2.d legati principum quales eſſe debeant. 357.1.b ſui principis ſecreta celant, aliorum expiſcantur. 514.2.d ſi diſerti, ſæpè eloquentia vrbes inexpugnabiles ad deditionem compellunt. 568.2.d ſunt inuiolabiles. 608.2.d ſi fideles, oblectant eum à quo miſſi ſunt. 690.2.a.c ſunt ſimiles niui in meſſe. 691.1.a.b legatus ſtultus opprobrium eſt mittentis. 717.1.a

Legiſlatores gentium fingebant ſecum dijs colloqui. 393.2.a

Legitima filijs iure & ex lege debetur. 769.2.d

Lemniæ mulieres viros tum ſuos, tum vniuerſos obtruncarunt. 146.2.c

cur Lenæ dici poſſint ſerpentes. 215.2.a.b

Lenis animus virtutum omnium ſe reddit capacem. 265.1.c

Lenitas & ſanitas cordis, opponitur iræ & inuidiæ. 350.2.a.

Lenones ſimplices puellas donis ſeducunt. 411.1.b

Lenocinium in viro eſt ingens probrum. 471.2.a.b

Leo habet oſſa ſolida. 63.2.c ſimiam non fert, hinc eius paſtione febri liberatur. 82.1.a parcit proſtratis. 358.2.a eſt ſymbolum fortis iuſtitiæ. 399.1.c & regis. 484.2.d maximè ob rugitum. 509.2.c eſt pronus ad iram, & ipſa grauis eſt. 485.1.c fortis eſt, & fortitudo acuit iram eius. ibid.d ſuo rugitu terrefacit omnia animalia. 2.a.775.1.a per iram efferatur. 485.2.b præ rabie emoritur, & moriens gemit: eius rugitus eſt necis prænuncius. ibid.d ſæpe integras prouincias vaſtat, & in ſenecta in homines graſſatur. 486.1.a quomodo iras & fremitus exuat. ibid.b niſi ſtimuletur non iraſcitur. 509.2.d quàm ſit terribilis. 599.1.b maximè dum famet. 775.1.a cur ſit impauidus. 764.1.b quomodo fuga ſe ſubducat. 765.1.c.d.850.2.a animalium ceterorum dedignatur conſortium. 765.1.d ſecurus præda ſua veſcitur: contemnit omnes hoſtes. 2.a eius & iuſti analogia. 765.1.c.& ſeqq. variæ eius propter ætates & natura. ibid.850.1.c.d.& ſeqq. habet collum oſſeum. 765.2.c alternis tantùm diebus comedit. 775.1.b eius rapacitas. ibid.c pedibus valet. 2.d eius generoſus inceſſus. 849.1.c eſt rex animalium. 850.2.c metuit gallum. ibid.d.851.1.d.2.d leones ſeruierunt aliquando Sanctis. 726.2.a

S. Leo Magnus intrepidè Attilæ Hunnorum regi reſiſtit. 765.2.c ſua dicendi facundia Attilam compeſcuit, ne Romam vaſtaret. 258.1.d eius in loquendo grauitas & rotunditas. 360.1.d

Leo IV. Pontifex Vrbem à peſtifero ſerpente liberauit per publicas litanias. 164.2.c

Leonidæ Spartani animus ingens. 765.2.c

Lepus ſapiens eſt vt fugiat canes: eius natura deſcribitur. 842.2.a vnde vox lepus deducatur. ibid.b quid nos doceat. 844.2.b.d eius fœcunditas. 842.1.a eſt typus œconomiæ boni, patris & matrisfamilias. ibid. item doctorum. 846.1.a item humilium. 2.c item Chriſti. 847.1.c

Lethargus ſequitur ex torpore. 490.2.a

Leui vnde dictus ſit. 28.1.a

Leuitas mentis Religioſo quàm ſit noxia. 109.1.b ea maioribus vitijs aditum patefacit. 335.2.d eius damna. 336.1.a leuitas animi in cauſa eſt vt promiſſa ſua ſponſor non impleat. 692.1.b ea vento denotatur. ibid.c

Leunculus magis rugit ad prædam quàm leo grandæuus. 484.2.c.509.1.b.c & eſt magis impauidus. 764.2.d

Lex vox vnde deriuetur. 138.1.a lex vocatur eſſentia vel ſubſiſtentia. 49.1.c.75.2.b eſt in ſe leuis, ſed noſtro vitio fit grauis. 56.1.c inter omnia Dei dona ſummum eſt. 84.1.a die, noctuq. & mane memoranda. 136.1.b.2.a.c.148.2.c.d lucerna eſt, lux & via vitæ. 136.2.c.d.137.1.a.d.2.b.138.1.b cuſtodienda vt pupilla. 148.1.b.c hominem dirigit in omni actione. ibid.d omne bonum, virtutem & honeſtatem continet. ibid. non fuit ante mundum à Deo creata. 178.1.c eam ſpernens, ſe obnoxium facit iudicio. 312.1.c quomodo ſit ſuperior iuſto. 377.1.c lex prima de honorandis parentibus eſt, cur. 24.2.d lex omnis non eſt per ſe cuilibet clara & perſpicua. 137.2.d lex naturalis omnibus à Deo indita velut fons eſt. 114.2.c lex creata eſt participatio legis increatæ. 138.1.b lex omnis regum à lege æterna Dei deriuatur. 170.2.a lex vetus eſt à Chriſto euecta & perfecta. 181.1.c lex ſæpè ſumitur pro modo, norma, regula,

regula. 770.1.a non proportione legitima hereditatis. 769.2.d lex hominum corda examinat. 421.1.b eam contemnentes mortem incurrent. 491.2.a cur vocetur via. ibid.b tres ob cauſas cuſtodienda eſt. ibid.c eſt liberi hominis anima. 491.2.c & velut obſtetrix. 562.1.d leges omnes regum deriuantur à lege æterna quæ eſt in Dei mente. 397.1.d eas, ſi ſint æquæ, Deus propugnat, earumq; ſenſum tuetur contra iniquos. 598.2.a.b lex Dei eſt theſaurus deſiderabilis. 568.1.c per menſam repræſentatur. 615.2.b.& ſeqq. eam violantes, amant & laudant impios. 768.2.a at eam cuſtodientes zelantur contra impios. ibid.b eam non audiens, non meretur audire à Deo. 770.2.d leges iudiciales ſunt viæ regiæ, quas ſecùs interpretans vel corrumpens, init diuerticula. 442.1.a

quis verè Liber ſit. 590.2.c.d

cur Liber dictus ſit repertor vini. 864.1.d

Liber quæſtionum noui & veteris teſtamenti, an ſit S. Auguſtini. 315.2.b librorum trium Salomonis argumentum: 1.1.b.& ſeqq. iidem myſticè explicati. 2.a.b hi omnes vocantur Sapientia. 4.2.d.& ſeqq. eorum ordo quoad ſcriptionem. 5.2.d libri hæreticorum ſunt velut ignis, eorum lectio quàm ſit noxia. 143.2.b.c libris impijs nihil deteſtabilius. 227.1.d at piorum lectio vel auditio oſſa impinguat. 382.2.b libris tribus Salomon ſapientiam tradidit. 606.1.d libri Hebræorum quales eſſent. 676.1.c

Liberalis promiſſa liberaliter præſtat. 424.2.b multos habet amicos. 477.2.c.478.2.b.c.479.1.d.561.2.a ſua dando, non fit pauperior. 270.1.c 594.1.c 2.a meretur euchi ad principatum. 478.2.b etiam optimates eum rogant. ibid.c omnes eum amant. 479.1.d dando munera potenti, eius iras auertit. 561.1.c adeò aliena non appetit, vt etiam ſua elargiatur. 571.1.c

S. Liberalis fuit in pauperes effuſus, & miracula plurima patrauit. 594.1.b

Liberalitas regia virtus eſt. 463.1.a.478.2.b magna eſt efficacia ad animos emolliendos. 561.2.a 580.1.a

Liberi infames & inhoneſti dedecorant parentes. 439.2.c.d vide Filij, Proles.

Libertas eſt noxia. 90.2.a

Libertini cupiditatē ſuā ad omnia extendunt. 551.1.b.c

Liberum arbitrium probatur. 101.1.c.102.1.c.192.2.a.b non eſt initium ſalutis. 195.1.2.a.b.386.2.a.b

Libido carnalis eſt inter concupiſcentias vehementiſſima. 52.2.d totam animam ad ſe capit. ibid. vires animi & corporis exhaurit. 53.2.a.c.110.2.a vincitur fugâ. 53.1.d ducit ad mortem. 55.1.b ob eam maior hominum pars damnatur. ibid. pauci ex ea emergunt, nec ſine ſingulari Dei gratia. 2.a.b eſt dæmon voluntarius. ibid.c facit hominem animalem & brutum. ibid.d eſt fulcrum & baſis inferni. 108.1.a.b mortem accelerat, & multiplicem. ibid.b hominem facit luridum. 109.2.a cur vocetur crudelis. 111.1.a quàm noceat corpori & valetudini. 111.1.b eſt omnis mali origo. 112.1.b vſque ad ſenium homini adhæret. 120.2.c.121.2.a ignis eſt 141.1.a 143.1.a eum qui ſuperauit, facilè ignem vincet corporeum. 143.2.b eſt amens. 144.2.a hominem inebriat ac dementat. ibid.1.155.1.b cauſat ignominiam, infamiam, dolores, mala tam corporis quàm animi. 112.1.a.b.145.2.b tenebras quærit. 151.1.b cur ſapientia contraria ſit. 52.2.c.d.211.1.c eius ſtrepitus & inquietudo. 212.1.a non ſatiat ſed ſitim exacuit. 113.2.a.213.2.c.d ſanctiſſimos & fortiſſimos domuit. 215.1.c.d viam ad alia ſcelera ſternit. 2.d libido eſt inter coniuges moderanda. 117.2.b eius noxa. ibid.c eius titillatio neminem non inuadit 518.2.b libido mater eſt hæreſis. 564.1.b rationis lumen in nobis exſtinguit. 637.1.d eſt filia ebrietatis. 642.2.d. 643.1.a.b non ſatiatur vſu. 829.1.a per os vuluæ denotatur. ibid. 830.1.d deducit rectà ad infernum. 833.1.b corporis vigorem exhaurit. 860.2.b.877.1.c libido mulieris eſt inſatiabilis. 828.2.b vide Adulterium, Fornicatio, Meretrix.

Libidinoſi robore corporis, & vigore mentis destituuntur. 53.1.a ægrè ad ſanam mentem redeunt. 55.2.b.c 108.2.b non ſunt fœcundi in matrimonio. 110.2.a eorum ſera pœnitentia. 111.2.d canibus aſſimilantur. 157.2.c.d in inferno ceteris damnatis grauiùs punientur. 216.1.b eorum ſpinæ & laquei. 586.2.a.b vide Fornicarij, Adulteri.

Librare aquas quid ſit. 189.1.c librare item eſt eiaculari, & graue facere. 2.b

Lignum vitæ vide Arbor.

quomodo animæ patrum in Limbo aduentum Christi tam diu expectantes affligerentur. 311.2.c

Lima ferrum rude & impolitum acuit. 753.2.a.b

cur Limbus argenteus inducatur vaſi teſtaceo. 732.1.c

Limbus patrum erat iuſtis hortus deliciarum. 827.2.c

Limites agrorum & poſſeſſionum non ſunt plus æquo extendendi. 611.1.b quanta eſſet eorum cura priſcis. ibid.c

Lingua à Deo dirigitur. 386.2.d.387.1.a.c.d.2.c.396.1.c non cuſtodita, cauſa eſt litium. 432.1.d 433.1.a ſi non poſſit loqui vtilia, ſe vertit ad probra, detractiones & contumelias. 433.1.a eam moderans vir eſt ſapiens. 445.1.d 2.c.d eſt in homine optimum & peſſimum. 446.1.c.469.2.a ſibi & alijs vitam vel mortem, bonum vel malum adfert. 463.2.b.c.470.1.d eius perfectio vltimò acquiritur. 469.1.a.b eſt vltimum viuens, & primum moriens. ibid. eam qui poteſt cohibere, poterit & reliquos affectus ſuos cohibere. 710.1.c eius clauſura ſunt labia, dentes, ratio, lex, timor Dei, ſilentium. 710.2.b.c lingua bona loquenti copioſum adfert fructum. 470.1.d conciliat vitam præſentem & æternam audienti. 469.2.b & ſibi, & ei de quo loquitur. ibid.c eius cuſtodia neceſſaria paradiſum amiſſum recuperare volentibus. 302.1.b.362.1.c lingua detractorum gladio & ſagittis comparatur. 133.2.b lingua detractrix parit triſtitiam & lacrymas, item iram & vindictam. 705.1.a præſentibus adulatur, abſentes mordet. 2.a lingua impiorum, quia noxia profert, meretur exſcindi, ac de facto ſæpè exſcinditur. 249.2.c lingua iuſtorum inſtar argenti eſt. 240.1.a.& ſeqq. quæ bona operetur. 2.d lingua ſapientium eſt inſtar hydrargyri. 241.1.c tam proprios quàm alienos dolores ſanat. 292.2.d quo ſenſu hæc ornet ſapientiam. 359.1.d.& ſeqq. ordinatè ſapientiam eloquitur. 2.a eamq; honorat & commendat. ibid.b lingua placabilis eſt in ſe ſana, & inſtar fructus arboris vitæ. 361.2.c hæc omnes animi ægritudines in alijs curat & ſanat. ibid.d lingua immitis & iracunda alios deſtruit, & ſe lædit.

ibid. lingua ſanans iram aut dolorem, eſt ſuauis & grata. 1.a quæ ſit lingua ſana. 262.1.b lingua ebrij loquitur laſciua. 643.1.b linguæ incontinentis voto cruciatur. 569.1.c lingua fallax ſectatur animos ſibi ſimiles. 421.2.d linguæ falſi teſtis nocentior eſt quibuſlibet armis & telis. 697.1.d quamq; ea ſit acuta. 2.a nocet eminus & cominus. ibid. lingua maledica eſt incendium. 410. 2.c lingua mendax eſt ſextuplex. 553.2.b non amat veritatem. 734.2.a.735.1.a.2.a lingua mollis frangit iram. 693.2.a

Linificium eſt opus feminarum. 871.1.c.2.c.d

Linum non ſentit tineas. 703.1.a quid allegoricè deſignet. 873.1.a.b.c eſt ſymbolum caſtigationis carnis. 884.2.c

Lis vox dicta à contentione limitis. 724.1.d liti dans initium, cauſa eſt omnium malorum inde ſequentium. 431.2.b eius initia ſuccidenda, nec ipſa vlterius proſequenda. ibid.c.d.432.1.a non tam citò componitur, quàm inchoatur. 431.2.d ea fugienda. 432.1.b.c non temere aſſumenda, & inchoata cum honore ſuccidenda. 510.1.b eius damna. ibid.b.c niſi ſuccidatur, fit immortalis & irreconciliabilis: in quo ſimilis ſerpenti ſit. ibid.c lis externa parit litem internam cum animo. ibid.d lites multa generant peccata. 437.2.b plerumque oriuntur ex impiorum improbitate & dicacitate. 724. 1.d lites fratrum ſunt grauiſſimæ & inexpugnabiles. 466.1.c.467.2.d quare. 468.1.a & ſeqq.

Literæ quieſcentes Hebræis ſæpè commutantur. 631.2.c

Lites iniuſtas pauperibus intentans, non erit impunitus. 266.2.a

non Litigandum cum impijs & malignis. 665.2.a.b

Litigantium plurimæ & continuæ expenſæ ſunt. 233.1.d ſibi mutuo probra & vitia oggerunt. 510.1.a eorum anima perpetuis eſt in motibus. ibid.d

Littera Pythagoræ exponitur. 102.1.a

Littorius in hominibus ſpem ponens, ab hoſte prælio victus & vinctus eſt. 535.1.c

Liuidi oculi qui vocentur. 639.1.a

Liuor vulneris abſterget mala, quo ſenſu. 544.2.b.& ſeqq.

conuentio de Loco vitanda quietis cauſa. 683.2.c.d recte locus mutatur ob tres rationes. 744.2.d loci ſtabilitas neceſſaria ad virtutis perfectionem. 745. 2.c

Locuſta quid homines doceat. 844.2.c.d.845.1.b.d earum turmæ. 842.2.b.844.2.c.d.845.2.a.846. 2.d ſunt typus militum. 845.2.a & anachoretarum & Gentilium. 846.1.a & humilium. 2.d item Chriſti. 847.1.c

Lomentum eſt farina fabacea, eius erat vſus ad erugancla corpora. 699.2.d

Longanitas timori Dei tribuitur vt merces. 585.1.c eius tria documenta. 440.2.c datur à melle. 659. 2.d.661.2.a.b

Longanimes ſunt magnanimi & tardi ad iram. 349.1.a longanimis eſt vir prudens. 446.2.b eſt magnanimus. 483.1.d longitudo narium ſignum eſt prudentis; longitudo animi ſapientis. 483.1.a longitudo dierum ſymbolicè denotat æternam beatitudinem. 70.2.c

Loquacitatis remedium eſt libra rationis. 802.1.a

Loquaces multos offendunt, & parum proficiunt, non ſunt apti ad regendum. 446.1.d perſtringuntur. 480.2.c eorum phyſiognomia. 528.1.b tales prodere ſolent arcana. ibid.c muliebs hoſtium patent incurſibus. 710.1.c ſunt ſimiles abortienti. 802.1.b loquax ſæpè à vero & recto aberrat. 228.2.a vide Garrulus, Lingua.

Loquela prudens magnam requirit circumſpectionem. 239.1.b

quod eſſe tempus debeat Loquendi. 296.2.b in loquendo inconſideratus, incurret mala. 302.1.c loquendi ad alios praxis. 408.1.a loquendi pruritus in homine vehementiſſimus eſt, & difficillimus cohibitu. 710.1.c loquens ſine Deo nihil perſuadere poteſt audientibus. 387.1.c.d.& ſeqq. loquens ſuperbè & arroganter quærit ſibi ruinam. 437. 2.c.d

Lot poſteritas Iſraelitis non accenſebatur. 448.1.b

Lucerna dicitur à luce. 137.1.a eius & lucis differentia. 2.a.& ſeqq. lucerna ſymbolum eſt ſapientiæ, virtutis, lætitiæ & proſperitatis impiorum. 307.2.b.c.308.1.a.b cur ea dicatur extingui. 308.1.b.c quarum rerum ſit ſymbolum. 528.2. c.d. & ſeqq. 539.2.b.551.2.d.666.1.d.878.2.b. cur lucernæ teſtaceæ in ſepulcris Martyrum olim ponerentur. 529.2. cur lucerna Domini dicatur ſpiraculum hominis. 539.1.c è lucerna ſuperſtitioſè omen olim captabant an proles eſſet futura vitalis, nec ne. 2.c ad eam operabantur olim ſtrenuæ mulieres cum ancillis & puellis. 878.1.a

Lucerna piſcis eſt ſymbolum linguarum Apoſtolicarum. 241.1.b.c

S.Lucia oculos ſibi eruit, & eos amaſio miſit. 212.2.c

Lucifer ſtella comes & aſſecla eſt ſolis. 94.1.d

Luciferi ſuperbia quantoperè ſit humiliata. 804.1.c.d

Lucretia fuit lanifica. 872.1.b

Lucrum ſerio ſectantur mercatores. 522.2.c.d lucrum è labore proprio dulcius eſt eo quod ſine labore prouenit. 877.2.d

Luctus propeccatis quàm ſit ſalutaris. 332.2.c.333.1.b.c

S.Ludgardis fuit Chriſto Ieſu in delicijs. 193.2.a

Ludimagiſter quidam Antiochenus Catholicus ſcitè reſpondit Libanio ſophiſtæ cauillanti. 715.2.d

S.Ludouicus rex Franciæ viduis & miſeris ſemel in hebdomade per ſe ius dicebat. 516.1.c.793.1.a

Ludouicus Pius Imp. B.Virginem vnicè coluit. 171.2.c

Lugentes in funere bibant vinum. 863.2.c

Lumbi ſunt ſymbolum concupiſcentiæ. 64.1.c illos conſtringere metaphoricè eſt concupiſcentias carnis reſtringere. 877.1.b

Luna matrem repræſentat. 530.1.d

Lupanar dictum à lupis, id eſt meretricibus. 637.1.a eſt ſcelerum ſpelæum. 638.1.a lupanaria olim ſiebant in ſpecubus & fornicibus. 54.2.d ſunt officinæ diaboli. 215.2.c

Lupo quanta ſit rapiendi & nocendi vis. 32.1.d typus eſt aſſentatoris. 399.2.a eius calcaneus equum ſtupefacit. 585.2.d eum tenere auribus periculoſum eſt. 728.2.d eſt aſtutus & doloſus. 777. 1.c cur lupi non procul à leone paſcantur & oberrent. 777.1.d ſitiunt ſanguinem animalium. 2.d eorum cum ouibus antipathia. 842.2.c

Luſitanus quidam aulicus falsò alium accuſans vt eum perderet, ſibimetipſi malum accerſiuit. 734.1.d

Luſus Dei in orbe terrarum in quo conſiſtat. 192.1.b iſque luſus eſt quadruplex. 2.b.c

Lutherus conſcientiæ remorſus hauſto vino tentauit obruere. 864.2.a

Lux quomodo differat à lucerna. 137.2.a lux iuſti quæ dicatur. 307.1.d lux quarum rerum ſit ſymbolum. 2.a.b. & ſeqq.401.1.a.530.1.d quare & quomodo hæc lætificet. 308.1.b ea ſemper creſcat

creſcit & magis clareſcit. ibid. lux animæ alia naturalis, alia ſupernaturalis. 540.1.a.b
Luxuria amaritudo & damna. 107.1.c.2.a.b eius apologus, damna, cauſa. 111.2.b.c breuis eſt eius voluptas. 140.2.c fugiendo vincitur. 378.2.c.d luxuria omnem luxum ſignificat. 507.1.d luxuria eſt pœna hæreſis & ſuperbiæ. 600.1.d non ſolum petulantes, ſed & homicidas facit. 636.1.c eſt ſanguiſuga. 830.1.d vide Fornicatio, Libido, Meretrix, Venus.
Luxurioſus pro deo habet ſuam luxuriam. 823.2.d
Lychnis gemma ſymbolum eſt lucernæ legis. 137.1.d
S. Lydwina habuit burſam Christi indeficientem. 594.1.a

S. MAcarius Abbas dæmones non timebat. 87.1.d
Matthes Abbas audita detractione illicò in ſomnum incidebat. 705.2.d
Nic. Machiauelli impia axiomata. 541.2.c
Matronenſe mel inſomnioſum eſt. 694.2.b
Mæcenatis in ſtylo laſciuia. 524.1.d
Magi paſcunt ventos. 223.a.b
Magiſtratus eſt legem Dei populo proponere, tueri, vindicare, & leges humanas condere. 138.1.b magiſtratum detrectantes ad eum promouendi. 22.1.c eius elogium. 109.1.d eum violans, principem violat. 444.2.b quomodo magiſtratus regere debeat. 849.2.b non eſt dandus ſtulto & indigno. 718.1.d.719.1.a.& ſeqq. nec detur eum dono ementibus. 790.2.a.b
Magiſtri cur crebrò ſuos auditores excitare debeant. 95.2.a.b dent diſcipulis occaſiones proficiendi in doctrina. 209.1.c in diſcipulos non nimis ſæuiant. 856.2.b eos oſculari ſolent. 668.2.d.670.1.a
Magnanimitas exaltat oculos, & dilatat cor ad mala perferenda. 550.2.d omnia aduerſa ſuperat. 656.2.d
quis Magnanimus dicatur. 461.1.a.b non vindicat iniurias, ſed contemnit. 482.2.d.& ſeqq.
Magnes cur dictus lapis amoris, & amor: vnde dictus magnes. 462.2.a.b an ſit viuus & animatus: eius vis augetur mole, frangitur frigore, imbre, glacie, non allio. ibid.b
Magnitudine animi mala ſuperanda ſunt. 656.1.a.b & per hæc illa creſcit. 2.c.d
Magnus ſpiritu quis dicatur. 461.1.a.b
Mahumetani etiamnum lapides in acerrnum mittunt. 721.1.b
Maieſtatis ſcrutatio ſimilis eſt melli nimis comeſto. 708.2.a
S. Malachias re pauper, ſpe diues, ampla monaſteria ædificabat. 421.2.c
S. Malchus qua conſideratione ad monaſterium profugus redierit. 125.2.a
Maledicentia eſt velut ſanguiſuga, eiuſq; filia. 832.1.c.d
Maledicere patri vel matri perinde eſt. 528.2.b id qui facit, erit obſcurus & inglorius. ibid.c & priuatus lumine rationis. ibid.d maledicere in Script. tripliciter ſumitur. 749.2.d
Maledictio Dei cauſa eſt egeſtatis. 242.2.d
Maledictum patientiâ repercuſſum in ſuum redit auctorem. 237.1.c in Script. ſumitur proconuicio. 713.1.c maledicta innocentes non afficiunt. 712.2.d.& ſeqq. 713.2.a recidunt in maledicos. ibid.c.d comparantur aui ex vno loco in alium tranſuolanti. 2.b ſemper aliquem lædunt, etſi non deliberatè. ibid.c
Maledicus in parentes, erit illiberis. 529.1.b.c.d &
priuatur æterna vita. 2.b extinguit in mente lumen pietatis. ibid.c eſt infelix. 530.1.b meretur parentes amittere. 2.a
Malefacere nulli licet, ne quidem inimico tuo. 672.1.d
Malefica mulier quæ dicatur. 281.2.c
Maleficentiæ gradus quatuor. 78.2.c ea ſugillatur. 79.2.a
Maleficium non ſatiat. 92.2.c
Malè parta citò dilabuntur. 531.1.a.603.1.a vide Opes.
Maligni ſunt malefici. 665.2.a
Malitiæ perfectæ ſigna. 411.2.b deuiat à natura rationali. 555.2.b nihil habet pacatum. 152.2.b
Mali cogitant mala. 132.1.d iacebunt ante pedes iuſtorum in futuro æuo. 341.1.a malos bonis ſubijci magnum eſt bonum, non tantùm bonorum, ſed & malorum. 341.1.d at cùm illi bonis dominantur, ſignum eſt maledictionis diuinæ. ibid. ſoli oderunt ſe. 480.2.a malus oculo denotat auarum, inuidum, doloſum, guloſum, malitioſum. 624.2.d.& ſeqq. 626.1.c.d vide Impius.
Mallei gehennæ quales ſint. 505.2.c
Malum impendens qui contemnit, exitum ſubibit. 312.1.c mali contagium maius eſt quàm boni. 317.1.b mala quæ peccantem maneant. 244.2.a mala nunquam fieri poſſunt bona, etſi optima intentione facta. 388.2.c in ſuum recidunt auctorem. 410.2.b mala pro bonis reddens, meretur vt pro his paria mala recipiat. 431.2.a.591.2.d mala declinat prudens. 435.1.d malum indagans ex dictis factiſq; alienis, amat lites & diſſidia. 437.2.d id alteri machinans, ſæpè eſt infortunatus: at ipſum exequens, ſæpè in idipſum incidet. 439.1.b dat materiam victoriæ. 532.1.c in malo alterius lætatus, ſæpè in idem vel ſimile incidit, 423.2.a malum augetur ira & vindictâ. 483.1.d ſæpè impius malum pro pio patitur. 565.2.d malum ſubinde pro triſti accipitur. 700.1.b.870.1.b
Mancipia dicta quaſi manu capta. 800.2.b vide Seruus.
Mandata Dei ſunt iuſta & æqua. 308.2.a eorum rationes & cauſas celat, ijs tamen omnes, etiam reges, debent parere. 629.2.d ijs corda hominum explorantur. 421.1.b dicuntur viæ, cur. 491.2.b ea ſeruantes cuſtodiunt vitam cum præſentem, tum æternam: aſpernantes, mortem incurrunt. ibid. vide Lex.
Manè ſunt diei totius opera deſignanda. 273.2.a.b quod qui facit, magna ſibi parat merita. 272.2.d mane viget mens & ingenium. 273.1.c mane vltimum eſt poſt diem mortis. 42.1.a
Manichæi damnabant agriculturam. 287.1.d cur finxerint duos deos. 477.1.d
Manna expreſſus typus eſt Euchariſtiæ. 202.1.b
Manſuetudo reddit hominem aptum regno Dei. 265.1.c.d ei gratiam conciliat. 314.1.b eſt cordis ſanitas. 350.2.a manſuetudo efficaciſſimum remedium eſt contra omnia vitia. 352.1.a manſuetudinis quanta ſit vis. 585.2.b.c.d cur ei detur calcaneus. 586.1.a.b animum in perpetua quiete conſtituit. 694.1.d
Manſuetus potentior eſt viro forti, vrbes expugnante. 414.1.b calcat opes & honores. 586.1.a affricat alteri manſuetudinem ſuam. 609.2.b omnibus eſt amabilis & gratus. 669.2.a aliorum doloribus & paſſionibus medentur. 350.2.d.& ſeqq.
Manus ſymbolum eſt ſocietatis. 266.2.c.d manus ſuas Deus multis de cauſis extendit. 38.2.a.& ſeqq.

manus quarum rerum ſit ſymbolum. ibid. manus in manu non erit innocens, *quid ſibi velit.* 365.2.*c.*& *ſeqq.*266.1.& 2. *manus linguæ quæ ſit vitam & mortem continens.* 470.1.*a.b* manus defigere *eſt vadem ſe dare creditori.* 610.2.*b* *cur manus abluerent homicidæ iuſti vel iniuſti.* 730.1.*b.c*

SS. *Marcus & Marcellianus à S.Sebaſtiano ſunt in martyrio corroborati.* 408.2.*b*

Mare rubrum quomodo diuiſerit Deus. 546.2.*a* *mare ſuperatur ab obediente.* 574.2.*c* *maria an vocari poſſint abyſſi.* 188.1.*a* *ea Deus certa lege & gyro metatus eſt. ibid.* *maris termini qui vocentur.* 189.2.*d* *mare myſticum triplex.* 21.2.*a* *mare mortuum vnde dicatur.* 230.2.*c*

Margaritarum pretium. 69.1.*c* *margaritum appendebatur inauri aureæ.* 689.1.*d.*690.1.*a*

Maria *quàm diuerſa ſignificet, & vnde vox deriuetur: ac deriuatio & ſignificatio quælibet B. Virgini accommodatur.* 190.1.*b.a.* & *ſeqq.*

B. *Maria mater Dei eſt Pandora verè.* 28.1.*a* *quare filium ſuum ſummè dilexerit, & ipſe illam.* 86.1.*d* *eſt ancora Eccleſiæ.* 95.1.*b* *per apem repræſentatur.* 128.1.*c* *eius cultus remedium eſt contra tentationes carnis.* 156.1.*a.*159.2.*c* *eſt idea ſapientiæ, & mater ſapientiæ æternæ.* 163.2.*b* *cur in monte Eſquilino coli voluerit. ibid.* *magna prædicauit.* 165.2.*b* *præeſt Concilijs & pijs congregationibus ipſius nomine erectis.* 167.2.*a* *item ſanctis cogitationibus. ibid.b* *fuit Religioſa, & Religioſos & Religiones protegit: præeſt eruditæ & eruditioni cuilibet. ibid.d* *quos doctos ipſa docuerit.* 168.1.*a* *odit ſuperbos, quia ſummè eſt humilis.* 2.*c.d* *mores eius quàm ſancti & ſpectabiles.* 169.1.*d.* *eſt noſtra Minerua & Amazon.* 2.*c* *fuit cælum & firmamentum. ibid.d* *eſt mundi regina, cur.* 171.1.*b* *habuit ob Filij Dei maternitatem dominium in omnia. ibid.c* *habet hoc titulo Deiparæ. ibid.d* *ab omnibus gentibus vocatur domina.* 2.*a* *diligentes ſe ſummè diligit.* 172.2.*c* *eius charitas eſt ardentiſſima. ibid.* *Chriſtianos mirificè complectitur. ibid.d* *habitus & actus, quo dirigit eos, eſt in ea maximus.* 173.1.*a* *Eccleſia illi eſt commiſſa. ibid.b* *filium ſuum in cruce obtulit Deo pro totius mundi ſalute. ibid.c* *quæ hominibus contulerit beneficia: pueros & à teneris illi ſeruientes maximè diligit. ibid.d* *eius quanta ſit gloria.* 174.2.*c.d* *eius gloria à bellis.* 175.1.*b.c* *eſt mediatrix & auctrix noſtræ redemptionis & ſalutis: filij ſui vitam, dolores & mortem Deo obtulit ex ardentiſſima charitate.* 176.1.*c* *ipſa eſt altare & ſacerdos. ibid.d* *quàm multos tum gratiarum, tum hominum ſanctorum fructus ediderit, & aſſiduè edat.* 2.*a* *eſt princeps operum Dei, & ab initio decreta.* 181.2.*a.b* *accepit à Deo principatum gratiæ, gloriæ ſanctitatis & dominij: facta quoque ab eo eſt primitiæ operum eius. ibid.b.c* *in eius vtero perfectum eſt maximum operum Dei.* 182.1.*a* *eſt microcoſmus gratiarum. ibid.b.*& 188.2.*c* *eſt ſolium gloriæ Dei.* 182.1.*c* *quomodo dicatur primus homo. ibid.d* *eſt mundus ſpecialiſſimus, & cæli terræq; myſterium: eſt reparatrix totius mundi.* 2.*a* *cælum terræ reconciliauit: nemo in cælum aſcendit, niſi ipſa conſentiente, adiuuante, dirigente. ibid.b* *nouo Chriſtianorum ſæculo dedit exordium. ibid.* *ab æterno eſt à Deo ordinata.* 184.2.*a* *fuit ordinata ſacerdos myſtica, & in omnibus ſuis cogitationibus, verbis & actionibus ordinatiſſima: ſanctos & ſanctas congregationes ordinat & diſponit. ibid.b* *eſt caſtrorum acies ordinata: fuit conſanguinea SS. Trinitatis. ibid.d* *coniunxit hominem Deo.* 185.1.*a* *eſt omnium mater quadrupliciter. ibid.b* *eius conceptio eſt principium omnium operum ſupernaturalium Dei.* 186.2.*b* *eſt idea perfectionis, virtutis & ſanctitatis, exemplar decoris & gratiæ, abyſſus miraculorum. ibid.c.d.*181.2.*b* *fuit à Deo ab æterno prædeſtinata non ſolum vt eſſet ſancta ſed & mater ſanctorum.* 186.2.*d* *quot annis ante Chriſtum ſit concepta.* 187.1.*a* *eſt cælum animatum, idq; quintuplex.* 188.2.*b.c.*191.2.*c* *eſt aquæductus gratiarum.* 189.2.*c* *Chriſtum quomodo ambierit.* 190.1.*b* *fuit mare dolorum in paſſione Chriſti. ibid.d* *eſt doctrix fidelium. ibid.* *eſt pluuia maris, domina maris, celſior mari.* 2.*a* *quo pacto centrum dici poſſit.* 19.1.*b* *eſt à Deo in omni ſapientia & ſanctitate enutrita, & in iiſdem omnes homines enutrit & promouet.* 2.*c* *eſt mundus diuinus. ibid.* *in varijs figuris veteris teſtamenti fuit adumbrata.* 194.2.*a* *eius deliciæ ſunt eſſe cum Deo & filijs hominum. ibid.* *eam qui quærit ilico inuenit.* 195.2.*c.d* *qui verò illam non reueretur, eius vltionem ſentiet.* 199.2.*a* *eſt in Eccleſia Chriſti materfamilias. ibid.* *eius vterus allegoricè eſt domus ſapientiæ.* 199.2.*a.*200.1.*c.*2.*b.c* *quomodo eum ad hoc Deus diſpoſuerit & adornarit. ibid.*1.*b.c.*2.*a* *quomodo nobis menſam inſtruxerit & propoſuerit.* 204.1.*a* *quomodo miſceat vinum aqua, & iugulerit filios ſuos. ibid.b* *inuitat omnes ad vitam excelſam & contemplatiuam.* 206.2.*a* *fuit crater continens & propinans nobis carnem & ſanguinem Chriſti. ibid.b* *ſecretum ſemper captauit.* 123.1.*a* *inceſſanter mortem optabat vt Deo frueretur.* 311.2.*c* *ædificat Eccleſiam numero & virtute fidelium.* 323.2.*a* *omnium hominum mater eſt.* 465.1.*d* *pro omnibus intercedit.* 2.*a.b* *omne bonum inuexit in familiam Ioſephi, & totum orbem & Eccleſiam* 471.1.*d* *mortua creditur præ deſiderio videndi Chriſti, & præ gaudio.* 570.2.*b.*890.1.*d* *fuit cælum, petra, mare.* 837.2.*d.*838.1.*b* *fuit verè mulier fortiſſima, & Martyrum regina.* 868.1.*a* *eius valor & pretium rectè vocatur vnio. ibid.b* *in ea confidit S.Ioſeph & Spiritus ſanctus.* 869.2.*c.d* *eſt peccatorum aduocata.* 870.1.*a* *Ioſepho ſuo retribuit omne bonum.* 871.1.*b* *operata eſt manu lanam & linum.* 873.1.*d* *item ſpiritualiter.* 2.*a.b* *fuit dedita vitæ actiuæ ſimul & contemplatiuæ. ibid.c.*883.1.*b* *eſt velut nauis afferens panem viuificum.* 874.2.*b.c* *fuit plena omni virtute & gratia. ibid.c* *merita ſua ſemper adauxit, idq; in bonum Eccleſiæ. ibid.d* *ei de omnibus neceſſarijs proſpicit: Religiones nouas ad eius ſubſidium ſuſcitat.* 876.2.*d* *eſt eius atlas.* 877.2.*c* *& eius materfamilias.* 896.2.*c* *fidelibus ſua merita communicat: Sanctos eximios ante ætatem præuenit.* 875.1.*b* *eſt ager & vinea.* 876.2.*c* *Eccleſiam fœcundam & florentem reddidit. ibid.* *fideles quoſque ad conuenientem ſanctitatem promouet. ibid.* 879.1.*c.*2.*a* *die noctuq; incubuit orationi.* 878.2.*d* *de filij ſui reſurrectione numquam vacillauit.* 879.1.*a* *mox à morte reſurrexit. ibid.b* *eſt negotium omnium ſæculorum.* 2.*a* *eius opera corporalia & ſpiritualia erant continua, & recta cum intentione peragebantur.* 880.2.*a* *eius miſericordia & liberalitas.*

litas. 881.2.b ardens eius charitas in Deum & proximum. 883.1.b.884.2.d.885.1.a.2.a.d huius actus immensè adaugebat. 883.1.b.884.2.d ſibi deuotos virtutibus induit. 883.1.c eos petu-hars gloria in cælo donat. ibid.d an per ſingulas actiones ſuas ſemper meritum duplicarit. 2.a b vltimo charitatis ſuæ actu meruit maiorem gratiam & gloriam, quàm omnibus præcedentibus. ibid.d varia priuilegia ei data, quæ nobis ſunt incognita. 884.1.b plus habuit gratiæ, gloriæ & honoris quàm omnes angeli & homines ſimul. 885.1.a.895.2.d & ſeqq.897.1.a.b numquam vel in minimo peccauit. 885.1.a ſemper ſancta cogitabat. ibid b 884.2 d videtur ipſiſſima charitas. 885.1.c cur ab omni peccato fuerit immunis. ibid.b.d.2.d amor eius in Deum. 884.2.d.& ſeqq.885.2.d Verbi incarnati conſpectus eam iugiter inflammabat. ibid.2.d.& ſeqq. ſuo Ioſepho ſe humillimè ſubiecit. 887.2.d eſt virginum dux & præſes virginitatis. ibid. eius fortitudo & decora modeſtia. 877.2.b.889.1.d eius pulchritudo corporis. 889.2.a.900.1.b.c.& ſeqq. eſt terror dæmonum. 889.2.a quàm fuerit & ſit clemens. 891.2.b vitam egit rigidam & auſteram. 893.1.c ab omnibus laudatur, à Chriſto, angelis & hominibus. 894.1.b.c quàm ſit in terra celebris. ibid.c tranſſcendit gloria omnes Sanctos. 895.1.b.c.& ſeqq. ſuo in opus incarnationis aſſenſu plus meruit quàm omnes angeli & Sancti omnibus ſuis actibus. 2.b eius dignitas ex eo quòd ſit mater Dei. 896.1.b.c ſuis meritis ſuperat omnium angelorum & hominum merita, & plus valent eius preces quàm horum preces. 2.b 895.1.b.c eſt regina angelorum, & mediatrix fidelium. 896.2.d virtutes & gratias omnes habuit in eminenti gradu. 897.1.a qua ratione ſit mediatrix angelorum. ibid.b.c quantum boni mundo præſtiterit. ibid.d omnes virtutes auctorauit. 899.1.d fuit in conceptu opus Spiritus ſancti. 900.1.b corpus habuit vndequaque perfectum. ibid.b.c in filium ſuam pulchritudinem deriuauit. ibid. quanta animæ eius pulchritudo fuerit. 2.a fuit Dei thronus. ibid. dicta varia Patrum & Doctorum de vtraque eius forma. ibid.b. & ſeqq. habita penè eſt dea à S.Dionyſio. 901.1.c.d quia vultus eius ſpirabat quid maieſtatis plenum. ibid. in cælo ab omnibus angelis & cælitibus laudatur. 902.2.b.c

S. Mariæ Ægyptiacæ morientis vox. 354.2.d

S.Maria Magdalena de Chriſto mirè anxia & ſollicita fuit. 172.2.b paſcebatur ſuis lacrymis. 333 1.d

Maria infans cidâ nauem ingreſſâ, ea progredi non potuit; ſed eâ in mare expulsâ, confeſtim progreſſa eſt. 780.1.b

Maria Oigniacenſis ſollicitè cor ſuum cuſtodiebat. 99.2.d ex contactu manus virilis è deuotione, motus primos carnis ſenſit. 155.1.c eius in morte vox. 354.2.d de ſalute ſua facta certior, extra ſe præ gaudio quaſi rapta fuit. 383.2.b ad dies multos nullam cogitationem inordinatam habuit. 763.1.c moriens riſit, & ridens eſt mortua. 890.1.c

S.Marina falsò diffamata, ſed patiens, obſeſſam quamdam à diabolo liberauit. 415.2.c

Maris Epiſc. Chalcedonis ſcitè reſpondit Iuliano Apoſtatæ cæcitatem exprobranti. 715.2.d

Maritus rex eſt vxoris & fa[illegible]. 280.2.c et quatenus e[illegible] clericum occidere [illegible]at, non tamen citra culpam apud Deum. 146.1.c.d adulteram retinens ſtultus & impius eſt. 471.2.a.b eius magna crux eſt vxor ſuſpecta de fide, vel pigra & improuida. 868.1.d ſit vxori ſuæ beneuolus. 870.1.c vide Vxor.

Martinus non timuit captus à prædonibus. 307.1 a 764.2.c pauperem veſtiens, Chriſtum veſtiſſe viſus eſt. 353.2.d eius morientis vox. 2.b. 354.2.c

S.Martinus I.Pontif. in templo S.Mariæ Maioris à morte fuit præſeruatus. 164.2.b

Martyres adamanti aſſimilantur. 69.2.b ſunt victimæ quas Deus ſibi mactauit. 203.2.d cælum carò emunt. 234.2.d eorum lingua conſtanter Deum coram tyrannis profitebatur. 240.2.c bobus repræſentantur. 326.2.a eorum in morte ſua ſpes. 355.1.a.b.c Martyres ſunt qui vitam diuinam agunt. 327.2.d Martyres nonnulli iam mortui caput manu geſtarunt. 26.2.b nonnulli enecti ſunt fame, ſecùs ac Dominus olim promiſit. 220.1.d 2 a præferendi ſunt ſapientibus priſcis. 420.1.d Deum quàm maximè dilexerunt. 436.2 b mentis fortitudine carnis imbecillitatem ſuſtentarunt. 461.1.d ibant ad tormenta læti, cur. 362.2.c à ſuis vulneribus in cælo decorantur. 741.2.c eorum fortitudo & viriles animus. 880.2.d

Martyrium ſine ſanguine triplex eſt. 617.1.d martyrium oue deſignatur. 853.1.c martyria olim dicta ſunt templa. 163.2.c

Mater tractat filium blandiùs & conniuentiùs. 218.1.b hinc de eius improbitate mœret. ibid. cur eum teneriùs amet. ibid.c. 374.1.c magis dolet de eius proteruia quàm pater. 374.1.c matrem eſſe Dei quanta ſit dignitas. 171.1.d mater filijs immorigeris non iraſcitur, ſed dolet. 444.1.a.b mater ſeneſcens ſæpe à filijs maioribus contemnitur. 633.1.d ſed contrà eſt lætificanda. 634.1.d ad eam maximè ſpectat puerorum educatio & inſtitutio. 798.1.d matris familias prouidentia colligitur ex diſtributione operum & cibariorum in domeſticos. 875.1.c ſit vigilans. 2 b omnes domus partes circumluſtret. 892.1.b.c & clauem earum ſeruet. 893.1.a

Materfamilias prudens ædificat domum, quo ſenſu. 323.1.a

Materia formæ præparari debet certis qualitatibus. 489.1.b

Maternitas Dei, quantæ ſit dignitatis. 896.1.b.2.a

Mathias Houius Archiepiſc. Mechlinenſis Prouerbia Salomonis aſſiduè voluebat in itinere: eius elogium. 5.1.c.d

Matrimonium eſt inſtitutum ad ſedandam ſitim libidinis. 113.1.d.2.b gratiam confert in ſtatu legis nouæ. 1.d eius finis & fructus eſt ſoboles copioſa & honorata. 115.1.a eſt in lege noua Sacramentum, ideoq; ſanctum & inuiolabile. 144.2.c id felix eſt vbi vir & vxor boni in vnum conſpirant. 470.2.d vnde matrimonia moleſta & infauſta ſint. 488.1.d quare in cælis copulari dicantur. 489.2.d non ſunt ineunda inter minorennes. 505.1.b

quomodo Matrona honeſta ſe gerat & ornet. 152.1.a

Matutinum tempus opportunum eſt inſtitutioni. 320.2.d & quæ tunc diſcuntur, tota in die inhærent: tunc etiam animus eſt ſedatior. ibid.

Matutina pluuia in Script. quæ dicatur. 401.1.b matutinæ clientum ſalutationes erant priſcis in vſu. 750.1.d

S.Mauritius erat ſermone ſilens, & ſilentio loquens. 259.1.d

S.Mau-

S. Mauritius dux ſuos milites ad martyrium obeundum animauit. 408.2.b
Maximiliani I. Imp. vox de vera nobilitate. 185.2.a
S. Mechtildis in Chriſti corde omnem inueniebat requiem. 351.2.d in morte viſit ab angelis defenſa. 889.2.d ſilentij fuit tenaciſſima. 890.2.c
Mediatrix fidelium eſt B. Virgo. 896.2.d an & angelorum, 897.1.b
in Medio eſt virtus. 64.2.a
cur Mediocritas vmbilico deſignetur. 64.2.a opum optima eſt, & optanda. 821.2.b.823.1.a
Medulla eſt oſsium fomentum & firmamentum. 163.2.b.64.1.a.b 408.2.b
Mel ſobriè ſumptum ſalubre eſt. 128.2.b putredini medetur. 227.1.d eſt ſymbolum bonitatis, affabilitatis, beneficentiæ. ibid. mellis effectus. 408.1.d eius vſus in medicinis. 2.a.659.2.b oſſa vegetat. 408.2.a ſymbolum ſapientiæ eſt & ſanctitatis. 658.2.c.& ſeqq. pluit è cælo. ibid.c eius generatio. ibid.d colligitur ab apibus. 408.1.d.659.1.b maximè à paruis. 659.1.d eſt ſuccus ſubtiliſsimus & ſaluberrimus. 2.a omnium ſapori ſe accommodat. ibid. eſt ſincerum & non fucatum. ibid.d optimum ex thymo legitur. 660.1.d eius præſtantia vnde colligatur. 2.b alijs rebus commixtum prodeſt, purum obeſt. 660.2.a cadauera præſeruat à putrefactione. ibid.b eſt ſymbolum voluptatis. 694.2.c item ſapientiæ. 695.1.a item amicitiæ. ibid.d item laudum humanarum. 2.a quæ in ſtomacho mala procreet. 696.1.b.d mel optimum eſt in imo vaſis. 2.a eius nimius eſus nocet. 494.2.b 708.1.b.2.a.& ſeqq. ipſum in ſe graue eſt. 708.1.d & ſeqq.
Melancholici multa triſtia & horrida imaginantur. 724.2.a.725.2.c per terram denotantur. 832.2.d ægrè vino vincuntur. 863.2.d
Melania cur genus ſuum aliquando dilaudarit apud præfectum Paleſtinæ. 714.2.d
Meliora debent præeſſe deterioribus, non è contra. 789.2.b
in Membro per quod quis peccauit, maximè punitur. 525.2.c membra Chriſti in Euchariſtia ſuam habent connexionem, ordinem & diſpoſitionem. 618.2.c.d quæ membra à quibus planetis regantur. 629.2.d
Memoriæ labilis quod ſit ſignum. 849.1.b quâ arte iuuetur. 149.1.b
Mendacium triplex eſt. 134.1.c mendacium pernicioſum, Deo & hominibus valdè inuiſum eſt. ibid.d mendacium in Scriptura ſumitur ſæpè pro fraude & fallacia. 2.a ei aſſuetus nihil eminet, ſed potiùs ſibi obeſt. 223.1.c ſimile id eſt vento & paſtori ventorum. ibid.2.d.& ſeqq. id ſtatim deprehenditur, nec durabile eſt. 293.1.c quando Deo & proximo noxium, eſt peccatum mortiferum. 303.2.d & ſeqq. eſt euanidum, item faſcinum & præſtigium. 327.1.b eius nomina hebraicè. ibid.b.c ſemper eſt illicitum. 327.2.b mendacium omne deteſtatur Deus. 295.2.d dedecet quoſlibet, at maximè principes & ingenuos. 424.2.d 425.1.c.d 797.2.d.798.1.c.821.1.a mendacium eſt maximè probroſum. 425.1.c.d mendacium pernicioſum perfectum eſt mendacium. 481.1.a
Mendaces paſcunt ventos. 222.2.b.d mendacia eleganter concinnant. 224.1.b è diabolo fraudes & dolos concipiunt. ibid. eloquuntur quidquid in buccam venit. 293.2.c addunt mendacium mendacio. 293.2.a.c mendax Hebræis idem eſt quod fallax & euanidus. 264.2.a mendacio paſcitur & auſcultat. 421.2.d eſt peruerſus linguâ, & velut figulus. 439.1.a non effugiet vindictam vel hominum, vel certè Dei. 478.1.c eſt inconſtans, & aſſerta mox negat. 2.a mendax in iudicio eſt ons eſt: efflat mendacia cum impetu; dignus eſt cui flatus intercludatur: diu latere nequit. 478.2.a eſt filius & membrum diaboli. 504.1.c quis eius ſit panis. 526.1.a ei etiam vera dicenti non creditur. 821.1.b vide Impius, Teſtis.
Mendicitas periculoſa non eſt Religioſorum propria. 822.2.a
Mendici non ſunt calumniandi. 603.1.d
Menenius Agrippa plebem ſenatui narratione apologi reconciliauit. 793.2.c
Mens ædificat animam omni virtute. 323.1.d mens bona velut fons eſt. 114.1.d mens ſana generat ſpiritus ſanos, viciata vitioſos. 351.1.b mens ſicca ſapientiſſima. 125.2.c mens corde denotatur, ab ea vita animæ procedit. 407.2.a mens ſapientis dirigit os eius. ibid. mens dum rectè agit, & ceteras potentias rectè agere cogit, rex eſt. 398.2.a 517.1.a eius facies eſt decora. 443.2.b eius intima patent Deo. 539.1.c eſt velut lux à Deo immiſſa homini. 540.1.a.2.b per ventrem repræſentatur. 604.2.c eius rex eſt Deus. 547.2.c liberum tamen ea habet arbitrium. ibid. eius arcanum viro prudenti latibulum eſt. 584.2.a ipſa in homine gubernaculum tenere debet in mari tentationum. 645.1.c.d ſibi ipſi ſpeculum eſt. 755.2.d mens bene ſibi conſcia quantum ſit bonum. 419.1.d ſed ea quæ in peccato eſt, numquam eſt quieta. 2.a mens prudentum eſt grauis, ſtabilis, compoſita, ſtultorum leuis & vaga, & vtraque in oculis ſe prodit. 442.2.c huius via vaga eſt. 836.1.a
Menſa ſapientiæ, eſt myſticè menſa Euchariſtica. 199.1.a.b.201.2.b.616.1.c item altare. 201.2.a b.d typus eſt Eccleſiæ. 615.1.d & ſapientiæ. 2.b item incarnationis Filij Dei. 616.1.a menſa ſymbolum eſt alimoniæ, deliciarum & omnium bonorum. 1.c menſa panum propoſitionis ambiebatur à corona palmi. 205.2.b menſa pauperis & diuitis in quo differat. 371.1.d menſa principis eſt mendax & fallax, cur. 619.2.a.& ſeqq.
Menſuras inæquales odit Deus, eas qui habet peccat in iuſtitiam. 519.1.a menſura iuſta in emendo vendendoq; adhibenda. 251.1.b.2.b idq; Deo volente. 1.c
Mentiens eſt teſtis fraudulentus. 291.2.d
Mentiuntur impij imprudenter, & leui de cauſa. 504.2.c.d mentiri nullo in caſu licitum eſt. 798.1.d 807.2.a
Mercator dictus à Mercurio. 720.2.b mercator opibus inhians, non ſapientiæ, ſtultus eſt. 434.2.b eius labores & pericula. 522.1.b gaudet de ijſdem, 2.a laudat propria, damnat aliena. ibid.c vtiliter ex vno loco in alium migrat. 745.1.a mercator iuſtus pauper præſtat locupleti iniquo. 474.2.b mercator prudens diteſcit, temerarius depauperatur. 552.1.d at iniquus lingua mendaci congregat theſauros. 544.2.c
Mercatura cedit agriculturæ, & ipſa fraudibus ſubiacet. 320.1.d mercatura virtutis eſt præſtantiſſima. 68.2.d
Merces eſt quaſi præmium labori congruum & debitum. 427.1.c merces timentium Dominum partim æ-
ſerua.

terna, partim temporalis eſt. 631.1.d æterna eos maximè animat. 2.a hæc ſolatur labores Chriſtianorum. 902.1.c

Mercurius Hebræis dicitur Mercolis. 719.2.d Mercurij aceruus quis dicatur. 720.1.b.& ſeqq.2.b.c eſt deus mercatorum. 2.a.c & viatum præſes. ibid.c.721.2.a effingebatur tunc trunco habitu ex vili lapide. 720.2.c.722.1.b colebatur lapidis vnius iniectu ad aceruum. 720.2.d cur ita coleretur, & vnde is ritus dimanarit. 721.1.a.2.b quis Mercurius myſticus ſit Chriſtianis. 2.d quis priſcus Mercurius eſſet, & vnde dictus. ibid. deus eſt artis & fallaciæ. 214.1.a

Meretrix vocatur mulier mala & extranea. 138.2.a quàm vile eius ſit pretium. 139.2.d.140.1.c ipſa loculos exhaurit, & redigit ad paupertatem. 140.1.a eius ſermo eſt mellitus. ibid.b ea animam viri perdit. ibid eius vilitas & propuditum. 2.a plerumque pauper eſt. ibid.b vocatur ignis. 143.1.c eius ſordes & fœtor. 146.1.a eius domus ducit ad mortem. 54.2.b hæc item eſt domus gigantum. ibid.c ipſa mortem adfert. 55.1.b.108.1.b in ſphinge adumbratur. 156.1.d 2.a contraria eſt ſapientiæ. 211.1.c eſt ſtulta & clamoſa. 2.c.d eſt inops & egena. 212.1.b eſt impudens. 2.a formam oſtentat. ibid.b viam ſternit ad gehennam. 215.2.d.108.1.b eſt laqueus inferni. 216.1.a maritum deuorat. 281.2.d vocatur limax. ibid. contraria prorſus eſt ſapientiæ & virtuti. 634.2.b eius domus ſcatet iurgijs & litigijs. 557.1.d eius os eſt quaſi vorago profunda & Ætna. 599.2.d ipſa eſt foſſa profunda, in quam demerguntur omnia hominis bona. 600.1.a.636.1.a in eam incidit, cui Dominus iratus eſt. 600.1.b.c qua arte amaſios ſuos detineat & illaqueet. 635.2.d eſt mors. 636.1.b & ſepulcrum. ibid.c & ſordes. ibid.d & pernicies, nugacitas, dolium perforatum. 2.a & puteus. ibid.b eius inſidiæ. 637.1.a in ea omnium ferarum congeries: eſt vorax & velut ſiren. ibid.b inſidiatur vt latro. ibid.c.d.637.2.b.c magna raptrix eſt. 637.1.d eſt ſcelerum ſpelæum. 254.1.a rectà ad inferos deducit. 833.1.b exhaurit opes ampliſſimas. 789.2.d.860.2.a.d

Meretrices ægrè conuertuntur ad Deum. 55.2.d earum artes. 104.2.b.105.1.a.b.2.a.b earum pulchritudo ſæpè eſt aliena & fucata. 105.1.a earum blanda & oſcula & vnguenta. 106.1.c verba earum ſunt inſtar mellis & olei. ibid.d caſtus earum ſunt ſibilus ſerpentum. 2.b quæ damna animæ inferant. 107.1.c remedium aduerſus earum illecebras & ſpeciem. 2.c earum fornices olim erant in antris, & mortuorum ſepulcris. 108.2.b earum in magnates imperium. 109.1.d quem honorem homini auferant. ibid.c.d cur vocentur crudeles. 2.c.d exhauriunt opes amaſiorum ſuorum. 110.2.b non extinguunt æſtum libidinis. 113.2.a fœtum plerumque impediunt. 115.1.a ſoboles ſæpè ſupponunt. 2.b earum amor eſt inhoneſtus, infauſtus, breuis, illiberis. 116.2.b.117.2.b gaudent videri. 150.2.b vecordes iuuenes & habitu & oculis dignoſcunt. 151.1.a ſunt callidæ. ibid.c earum habitus laſciuus. ibid. earum ornatus & habitus qualis ſit. 2.b ſolent ſe ornatas amaſijs ſuis exhibere. ibid. mille norunt & excogitant artes ad incautos alliciendos: ſunt garrulæ & vagæ. ibid.d nequeunt domi conſiſtere. 152.1.b aromatibus & floribus reſpergunt lectos ſuos. 154.1.b.c ſemper vnguenta circumferunt quia putent. 2.a.b pauca dant vt maiora accipiant. 155.2.d illarum verba blanda ligant animos amaſiorum. 156.1.a olim talaris addebant crepitaculum. 158.1.a earum illicia. 212.1.c.213.1.a in illarum domibus dominantur dæmones. 215.1.c ſunt velut ſerpentes. 2.c.b ſæpè lue venerea computreſcunt. 281.2.a meretrices ſecretæ habitant in receſſibus & locis ignotis. 160.1.b Romæ habitum habebant à matronis diuerſum. 151.2.b

Merita bonorum operum colligenda ſunt in hac vita. 511.1.d.2.c merita B. Virginis propè infinita ſunt. 895.2.b.d

Merouens in patrem Chilpericum contumax, pœnas dedit iuſto Dei iudicio. 835,1.c.d

Meſſis illa vera eſt quæ ſemen ſuum reddit multiplicatum & nouum. 264.2.b

Meſſores in æſtate indigent refrigerio. 691.1.b

Metallorum magna eſt inter ſe vicinitas. 239.2.b

Methonenſes quomodo noxios Africi flatus ſedent. 223.2.a

Metiri ſe ſuo pede ſolet ſapiens. 649.1.a

cur S. Michael cum libra pingatur. 389.1.a eius humilitas exaltata fuit. 804.1.d

Micipſa moriens filios ad concordiam eſt hortatus. 467.1.b

Migrare temerè ex vno loco in alium non eſt bonum. 744.2.c ſed noxium. 745.1.b.& ſeqq.

Milites Deum potiſſimùm in bello ſibi propitium reddant. 577.2.d non ſunt nimis durè habendi. 856.2.b

Milo Crotoniata aſſiduo exercitio vires adauxit. 877.1.d

Miltiades ſpectaculo gallorum pugnantium ſuos ad prælium excitat. 851.2.c

Miluus hibernis menſibus latet. 584.2.b ſymbolum eſt boni nuntij, & quare. 383.1.c

Mimi cuiuſdam veteris lepos. 577.1.a.b

Mineruæ cerebro Iouis natæ myſtica applicatio. 186.1.b

Minima terræ ſunt ſapientiſſima. 843.1.a.& ſeqq. in minimis Dei ſapientia elucet. ibid.b & naturæ vis. ibid.c

quis Miniſter regis intelligens dicatur. 356.1.d miniſtri imprudentes ſæpè ſapienti obtingunt. 224.2.b

Miracula decem Ven. Euchariſtiæ. 617.2.a.b.& ſeqq.

cur vino Miſceatur aqua. 639.2.d

Miſer ſemper malos habet dies. 368.2.d

Miſerationes impiorum ſunt crudeles. 286.1.a

Miſeriæ noſtræ fuere deliciæ Chriſti. 193.2.b miſeria eſt obiectum miſericordiæ. 356.1.a peccatum variam inuehit miſeriam. ibid.b miſeriam alienam optimè ſentit is qui eam in ſe eſt expertus. 499.2.c.d

cur Miſericordia torqui aſſimiletur. 59.2.d.& ſeqq totum mundum complectitur. 60.1.c poſt mortem defunctos comitatur. 263.2.b facit nos homines diuinos 342.2.b miſericordia in Scriptura ſignificat opus indebitum & gratuitum. 380.2.b.343.2.a miſericordia iuſtorum etiam in iumenta ſe extendit. 286.1.a.c hanc præcepit olim Deus. 2.a.b miſericordia & veritas quænam ſint virtutes. 58.1.c.& ſeqq. his omne virtutum genus Scriptura complectitur. 2.a miſericordia & iuſtitia quid in Scriptura ſignificent. 343.2.a.513.1.d.550.1.c.568.1.d miſericordia Deo gratior quàm victima. 393.1.d.550.1.c.d

eam

eam exercere facilius eſt, quàm ſeruare iuſtitiam. 513. 1.b ea tuetur reges. 541.1.b.& ſeqq. quibus in rebus eam poſſint oſtendere. ibid.c eſt index iuſtitiæ iuſti viri. 550.1.b c ea oleo repræſentatur. 567.2.d eius oculi ſunt columbini. 592.2 b apologus de miſericordia. 593.1.c.d

Miſericors defraudat genium ſuum, vt in alios ſit miſericors. 263.1.d animæ ſuæ quomodo benefaciat 2.a.b Deum ſibi debitorem facit. ibid.b in alios etiam benignus eſt. ibid.d eſt beatiſſimus. 342.1.b.c miſericordiam à Deo conſequetur. ibid d eamq; in ſe prouocat. 343.2.c diuinus fit. 514.1.c & miſericordem experitur Deum. 560.2.c.561.1.a bene beateq; viuet 568.2.a miſericordiam meretur. 594.1.a vide Eleëmoſynarius.

Miſſiones ſerenlorum erant olim in vſu. 632.1.b

Mites virtutibus tenaciter adhærent. 586.1.b mitis cur appelletur vir boni intellectus. 314.1.d

Mithræ ſacerdotes docebant in ſaxea ſpelunca. 198. 1.a eius diſcipuli panis oblatione initiabantur. 202.1.b

Mittens & miſſus nuntius cenſetur ciuiliter vna perſona. 716.1.d 2 b qui ſtultum mittit, perinde eſt ac ſi claudum mitteret. 2.b.c qui propterea ſibi ipſi iraſcitur. ibid.d

Mixturam vocant Hebræi vinum. 629.2.d eius mixtura ſtatim cerebrum ferit. 640.2.c

Mnizuram lapis Chaldæorum ſuperſtitioſus quis eſſet. 721.1.c.d

Modeſtia vox vnde deriuetur: quid ſit. 585.1.a eſt iuncta timori Domini. ibid.d eius effectus. 586. 1.b.c eſt purpura virtutum. 888.2.d

Modicum cum iuſtitia præſtat multis opibus iniqui. 395. 2.a.b modicum habentis quies. ibid.b

Modicum iuſti potiùs eſt quàm multum impij. 371. 1.a

Modulo ſe ſuo quiſque metiatur. 621.2.c.d

Modum excedentes labuntur, & ruina ſua ſe inuoluunt. 435.1.c

Mœchus. vide Adulter.

cur Mœrentibus dandum vinum. 863.2.b cur dicantur pereuntes. ibid.d

Mœſtitia cordis ſuaui ſermone pellitur. 700.2.d.701. 1.a vide Triſtitia.

Molendinum lapides ſuos atterit, ſi non habet frumentum quod molat. 433.1.a

Mollia omnia impetum elidunt & infringunt. 158 1.b

Mollire ſermones eſt blandiri. 791.2.b

Monachi olim cor imprimis cuſtodiebant. 99.1.a monachus ſemper aliquid operis faciat. 128.2.d monachi pauperes Deo inſtigante eleëmoſynis piorum aluntur, nec famè enecantur. 220.2.b exiſtiment ſe omnium peripſema. 278.1.b monachus quidam à Superiore iuſſus in fornacem ardentem ingredi, illæſus in ea perſtitit. 574.2.d alij obedientes, feras ſubiugarunt. 575.1.b quam vocent Monachi Turcici choream angelorum. 439.2.a

Monarchia optimum regimen eſt. 766.2.c monarchiarum ſeries & viciſſitudo fit Deo dirigente. 578. 1.b monarchiæ quatuor non denotantur rectè per quatuor feliciter incedentia. 848.1.b.c nec per alia ænigmata priora. ibid.d.& ſeqq.

Monaſteria ſunt formicaria. 125.2.d ea, vbi vigent ſtudia, clarent caſtitate & diſciplina Religioſa. 149.2.d

Moniales vtiliter in lino & lana operantur. 873.2.a

S. Monica ſacra Synaxi ſumpta erat amore ebria. 194. 1.b quomodo pacem inter diſſidentes amicas conciliaret. 428.2.b Patricium coniugem ac filium Auguſtinum ad Chriſtum reduxit. 488.2 b ſua modeſtia viri iras moderabatur. 489.2.c.870.2.a.891. 2.a ancillæ dicterio omnem vini cupidinem ex animo eraſit. 543.2.a

Monita, conſilia & exempla iuſtorum ciuitatem exaltant. 258.1.c monita ſalubria monitum ad mentem reducunt. 689.2.b.c cur monita Bethſabee ad Salomonem vocentur viſio. 858 2.c.d

Monogamia præſtat polygamiæ. 115.1.b

Monopolæ deuorant homines viuos. 30.2.d

cur in Monte Chriſtus legem nouam promulgarit. 167. 1.a montium radices videntur terræ infixæ. 185.2.d

Morbi animi quomodo curentur. 543.1.b.c

Mores ſuos ordinans, eſt diſcipulus ſapientiæ & B.Virginis. 185.1.c.d mores coniugum ſint pares & congrui. 488 1.d mores ſuos ad viri mores componat prudens vxor. 489 1.a morum grauitas decet ſenes 543.2.c.d mores probi formoſos condecorant. 899.1.c

Morituris detur vinum, cur. 863 2.b

Mors impiorum qualis ſit. 41.2.a.b mors ſancta vitam ſanctam conſequitur. 354.1.b mors fortes educit ſalutis vel damnationis cuiuſque noſtrûm. 417.2.a eam horrent iniqui opum corraſores. 454.1.c eius domus eſt propriè in inferno. 455. 1.a ab obediente vincitur. 575.1.d ab Hebræis vocatur congregatio. 637.2.c in omnibus operibus eſt nobis præ oculis habenda. 671.1.b eius memoria fugat ſpiritum acediæ & triſtitiæ. 705.2.b eſt extrema perditio. 756.2.d crocodilo denotatur. 827.2.b ad eam iniuſtè damnati, re vel conſilio liberandi ſunt. 655.2.a mors intentatur legem præuaricantibus. 491.2.b mors animæ plerumq; à lingua vitio incipit. 469.1.a.470.1.b mortem ſpiritualem à proximo auertat fidelis. 657. 2 b

Mortales omnes ſumus. 865.1.c

Mortificatio omnia difficilia perrumpit. 67.1.d è diametro voluptati opponitur. 159.2.b velut victima eſt, eaque quotidie immolanda, & vino orationis condienda. 203.2.d mortificatio affectuum communicanti neceſſaria eſt, & Euchariſtiæ effectus eſt. 617.1.c ipſa potior eſt oratione. 695.2.d eſt mater pacis. 785.1.b vltrò aſſumpta animæ prodeſt. 743.1.b viam ſternit ad gratiam impetrandam. 893.1.d

Mortificatus vir vocari poteſt ſpiritus conſignati. 446. 2.c

Moſcouitæ ebrios verberant. 645.2.d

Motus concupiſcentiæ venereæ ſunt homini connaturales. 518.2.c.d motus angeli & animæ triplex eſt. 50. 2.b motus principium eſt à dextra parte. 101. 2.d motus calorem virtutis & charitatis acuit. 227.1.c

Moyſes fuit fidelis Dei ſeruus. 514.1.a & legatus fidelis. 691.1.c eius elogium & geſta. 814. 2.b.c

B. Moyſes Eremita laſciuiam carnis edomare nullo modo potuit. 121.2.c

Mulier inſtar ſirenis incantat etiam mentem ſapientium. 52.2.b vincitur fuga aſpectus & colloquij. 53. 1.d eius amoribus implicatus difficillimè ſe ab eis expedit. 55 2.a habet quid ſerpentinum. 105. 1.b eius adſcriptio. ibid.c.2.c.55 2.c eius oculis ineſt faſcinum. 139.1.c eius forma eſt ceu ignis in ſinu. 141.2.a.b.142.2.d eius conuerſatio quàm

ſit noxia. 142.1.a.b ea cauenda eſt. ibid. eius varia epitheta. 152.2.c.d etiam ſenes & caſtos per omnem vitam perdit. 160.1.c.d eſt malorum peſſimum. 2.a cur condita ſit facie venuſta, & cur ſtulta effecta poſt formæ venuſtatem. 268.1.b ſi improba & laſciua, ingens adfert dedecus & probrum. 263.1.a mulierem fatuam dedecet nec conuenit pulchritudo. 267.1.b.c 2.c mulier impudica pulchritudinem formæ deturpat. 1.d 2.c hæc ſui comparatur. 2.a.d analogiæ vtriuſque. ibid d hæc nonniſi laſciuiam cogitat. 267.2.d & ſeqq. eſt impudens & indocilis. 268.1.a mulier mala virum facit contabeſcere. 281.2.b ſæpè tales viris venena propinant. ibid.c mulier diligens quænam ſit. 280.2.a hæc virum, ornat, tegit, roborat, lætificat. ibid. mulier prudens ædificat domum ſuam, quo ſenſu. 323.1.a.b mulierum cauſa maior hominum pars damnatur. 215.2.a.637. 2.d mulieres pulchræ ſine dote nubunt. 262.2.a eæ apud homines ſunt in gloria. ibid.d mulier malum neceſſarium eſt. 470.2.c natura eſt ſuperba, loquax & dicax. 387.1.d eſt iracunda. 609.1.d libidine non ſatiatur. 828.2.b.830.1.d eſt natura mollis & timida. 867.1.a.b vtilia opera faciat, non nugacia. 871.2.b tractat lanam & linum. ibid.c ſemper nectit moras. 875.2.b viro ſubſit. 887.2.c perdit regum opes, famam, robur, vitam. 860.2.a.d mulier bona quæ dicatur. 470.2.b ea rara eſt. ibid. eius opera & dotes. ibid.b.d.471.1.a mulier rixoſa omnes cæli tempeſtates exprimit. 556.2.b viro cauſa eſt damnationis animæ. ibid.c ei præfertur præſens corporis periculum. ibid.& 557.1.a nequaquam compeſci poteſt. 751.2.b.& ſeqq.752.1.a.b eſt ſimilis vento impetuoſo. 2.a mulier diues ſuperba eſt. 557.1.c mulier nequam eſt ſanior ſeris. 567.1.a mulier odioſa quæ vocetur. 840.2.a

Mulier fortis difficilis inuentu eſt. 866.2.b quæ mulier fortis dicatur. ibid.c.d.867.1.b eſt res rara. 867.1.d eius pretium. 2.a vir in ea confidit. 868.1.d nec is indigebit ſpoliis. 2.b.d quod bonum illa huic reddat. 870.1.a.& ſeqq. operata eſt linum & lanam, quæ ipſa quæſiuit. 781.1.c eius & nauis varia analogia. 873.1.d.& ſeqq. ante auroram ſurgit vt ſuis de cibo proſpiciat. 875.1.b.& ſeqq. eius in hoc diſcretio. 2.a.c emit agrum & vineam. 876.1.c cur lumbos cingulo ſuccingat. 877.1.b.c eius in indigos beneficentia. 881.1.a.b.891.1.a ſuis de duplici & multiplici veſte proſpicit. 882.1.a.b parauit in domus ornamentum pretioſa ſtragula. 884.1.d à viro nobilitatur, eumq; viciſſim nobilitat. 886.1.c cur ſindonem vendiderit. 887.1.b induit fortitudinem & decorem. 888.1.b.c eius ornatus internus virtutum. ibid. eius grauitas, maturitas, vigor animi: hinc ſemper gaudet. 2.a in ſenectute fruitur laboribus ſuis. 889.2.c eſt in verbis ſapiens, clemens, gratioſa. 890.2.b.c.d familiam in pace conſeruat. 891.1.a ſancta & pia loquitur. ibid.b domum ſuam ſedula circumluſtrat. 892.1.b.c ſuos labori aſſuefacit. 893.1.b eſt à filiis dilaudata, & prædicata à viro ſuo. 2.b.c eleemoſynis ſibi opes parauit. ibid.d parauit ſibi robur, decus & gloriam. 894.2.b in timore Dei decus ſuum poſuit. 897.2.d 899.2.b & eum laudauit. 899.2.c meretur frui ſuis laboribus. 901.2.b lingua ſua non eſt abuſa. ibid.c laudatur palàm ob opera. ibid d vide Femina, Mater.

Mulſum quàm ſit ſalubre. 669.2.c

Multiloqui facilè labente linguâ in peccatum labuntur. 238.1.c.2 b

Multiloquium quod vetetur. 237.2.c quale ſit vitium, & in quo ſitum. 238.1.c eſt cauſa peccati. 2.a ſemper tendit ad delictum. 344.2 b eius noxa. 710.2.a

cur Multiplicatio impiorum noxia ſit reip. 798.2.d

Multitudo angelorum, beatorum, ſtellarum & creaturarum oſtendit Dei magnificentiam. 348.1.c multitudo ordinata regum eſt decus, non incompoſita & inordinata. 2.c

Mundana omnia ſunt mera mendacia. 37.1.a ea in morte amittit impius. 256.2.c ſunt vmbratica & fugacia. 459 2.a mundani terrenis inhiantes amittunt æterna. 531.1.a palliant ſua vitia nomine virtutum. 549.1.b eorum ſtultitia ſimili ſtultitiâ pellitur. 2.c.d.714.2.d terrenas voluptates præponunt cæleſtibus. 744.2.a

quæ Munditiies cordis amicet regem. 596.1.a.& ſeqq. illa vt & oris perplacet Deo. 597.1.b.d

Mundus eſt domus Dei. 199.1.d mundi gaudia mixta ſunt dolori. 336.1.a.b quæ eius rei cauſa. ibid.c eius honor quàm ſit breuis & mutabilis. 336.2.d mundus totus ſeruit fideli. 422.2.d creatus eſt ad vſum fidelium. ibid. eum poſſidet qui Deum habet. 423.1.b quia celſa ſpectat, & humilitatis negligit fundamenta, hinc cito ruit. 435.2.b mentem ſatiare nequit. 500.2.c eum vincit obedientia. 573.2.b eius pompa & voluptas mendax eſt. 620.1.a.& ſeqq.

Munera deteſtans vitam agit quietam. 379.2.d munera regum contemnentes, regibus fuere ſuperiores 380.1.d infatuant accipientes. 425.2.d.& ſeqq. 561.1.d rectè dantur iudici in cauſa iniqua. 441.2.d ea dans plerumque iniuſtam fouet cauſam; ea accipiens, iniquam pronuntiando ſententiam impius eſt. ibid. habent vim etiam in iudices æquos. 442.1.a ea quibus iudicum gratia quæritur, ſunt vetita; non illa quibus via ad obtinendum ius ſibi debitum, ad magnates ſternitur. 462.2.c clàm data principi vel iudici, ſedant eorum iras. 561.1.d.562.1.a eoſque excæcant. 861.2.d comparantur piſciculo torpedini. 561.2.c munus in ſinu quid ſit. 562.1.a ipſum in ſinum iræ ti ingerendum. ibid. vide Dona.

Murus piorum duplex eſt, legis cuſtodia, & Dei protectio. 768.2.d

Muſica non oblectat mœſtos. 700.2.c cur eam puer diſcere debeat. 602.1.b

Muſtum vini generoſi quàm ſit potens. 811.1.d

Mutabilitas animi vento repræſentatur. 692.1.c

Mutare locum è neceſſitate vtile eſt. 744.1.d

Mutuum accipiens fit quaſi ſeruus mutuantis. 590.2.d quando erubeſcat & palleſcat. 591.2.a.b

Myſteriſmus eſt irriſio. 42.1.c

Myrmecia dici poſſunt gymnaſia. 125 1.b

à Μύρμηξ deriuatur vox formica. 125.1.b

Mirmicoleon cibo formicarum inſidiatur, eumq; in hieme comedit. 126.2.c quid ſit: eſt typus diaboli. 598.2.c

Myrmidones populi vnde ita dicti ſint. 127.2.a

Myrrha aſterguntur lecti & veſtes. 154.1.b
Myſteria diuina non ſunt humano ſenſu rimanda. 621.2.b *rudi plebi non ſunt reuelanda.* 679.1.c *myſteria arcana fidei non ſunt inſipientibus committenda.* 226.2.b

N *Abuchodonoſor aſſimilatur leoni.* 848.1.b.2.c *non fuit ſeruus Baladani Merodach.* 2.b.d
Naires *Calecutani quàm ſint arrogantes.* 827.1.a
Narciſſus *flos torporis eſt ſymbolum.* 490.2.c
Nares *latæ & arctæ longanimitatem vel iracundiam denotant* 482.1.a.2.d.694.1.b *earum longitudo ſignum eſt ſapientiæ.* 483.1.a *ſignum ſunt lenitatis, vel excandeſcentiæ.* 339.2.c
Narſes *dux B.Virginis mirè fuit ſtudioſus.* 171.2.c *vnde hac inſignes dedit ei victorias.* 175.1.b *contumeliam Imperatricis per grauem Rom. Imperij cladem vindicauit.* 873.1.a
Naſus *eſt dicatus ſubdolæ irriſioni.* 42.1.c
die Natali *amicos læſos inanium donatione placabant animi offendentes.* 690.1.c
Nathan *fuit verus & naturalis Salomonis frater.* 85.2.a
Nationes *bellicoſæ ſunt bibaces.* 508.1.d
Naturæ *lapſæ infirmitas.* 55.2.b *naturam quiſque ſuam examinet in ſtatu, officio, & occupatione deligenda.* 330.2.b.c *natura omnes pares ſumus, diues æquè ac pauper.* 581.2.d.& ſeqq. 532.2.d.& ſeqq. *naturam vincit eleemoſyna & beneficentia.* 595.1.a *à gratia perfici debet.* 649.2.a *ipſa eſt vt dux ſequenda.* 721.2.c *opus ſuum ſenſim perficit.* 796.1.b.c *eius vis in minimis ſe exerit.* 843.1.d *natura hominum paucis eſt contenta.* 762.1.b *neceſſaria poſtulat, non delicata.* 2.a
Nauarchus *dormiens in medijs fluctibus ſymbolum eſt ebrij qui rationem perdidit.* 643.2.d.& ſeqq. 645.1.b
Naucleri *partes & munia.* 21.2.d.& ſeqq. *eaſ. gubernatoribus rerumpubl. accommodantur.* ibid.
Nauis *mare ſulcans eſt velut auis ſulcans aera.* 22.1.d *malo, clauo, rudentibus maximè gubernatur.* 643.2.a *nauis myſtica hominis.* 644.1.c.645.1.c.d *nauis ſymbolum Chriſti eſt.* 838.1.a.2.c *nauis & mulieris ſtrenuæ analogia.* 873.2.d.& ſeqq.
Nazaræi *vino abſtinebant.* 643.1.d
Neceſſaria *quærenda, non ſuperflua.* 822.1.a.2.c *ijs etiam ſubinde caret Religioſus.* 823.1.a
Negatio *prima ad ſequentes omnes ſententiæ partes apud Hebræos ſæpè extenditur.* 814.1.c
Negligentia *in re familiari & publica quantoperè noceat.* 457.1.a vide *Pigritia.*
Negotium *quibuſdam eſt otio vtilius.* 287.2.c
Nepotes *probi ſunt decus & corona ſenum & auorum.* 412.1.d.423.2.d.424.1.a *per lucernam repræſentantur.* 529.1.a
Nere *eſt opus mulieres decens.* 879.2.c
Nero *pugnas gladiatorum ſpectabat interpoſito viridi ſmaragdo.* 426.1.c *fuit velut leo ob iracundiam.* 485.1.b *eius initio imperij clementia.* 542.1.b *ſibi necem conſciuit.* 857.2.a *quo viſo mortem ſibi ſenſerit imminere.* 127.1.b *conſilium ſenatus nulla in re exquiſiuit.* 261.1.d
S. Nicolaus *Epiſcopus infans ieiunauit.* 520.1.b
S. Nicolaus *Tolentinas ſemeſtri ante mortem quot noctibus concentum angelorum audiuit.* 707.1.a *eius morientis vltima verba.* 354.2.d
Nidus *auium quid homines doceat.* 403.1.a
Nigredo *oculorum ſignum eſt copiæ humoris aquei.* 148.1.a *ea neceſſaria ad colores videndos congregandos.* ibid.b
Nitri *natura & vires deſcribuntur.* 699.2.a.b *vnde conficiatur.* ibid.c *vnde dicatur.* ibid.d.& ſeqq. *eſt nomen Hebræum* 700.1.a *non eſt alumen.* ibid. *eius vſus cum aceto.* ibid.d.2.a.b *eſt triſtitiæ ſymbolum.* 2.c
Nix *æſtatis quæſit.* 690.2.a *à diuitibus vino in æſtate nix admiſcetur.* ibid.b *hiemi congruit, non æſtati.* 711.2.a.712.1.b *cur ſit frigidiſſima, candida, eius generatio.* 885.2.b
Nobilis *dicitur quaſi noſcibilis.* 886.1.b *nobiles mundani ſunt tumidi.* 827.1.a *nobiles ſint bene morati.* 84.1.c *nobiles foris ſplendidi, domi tenues ſigillantur.* 305.2.b
Nobilitas *vera ſita eſt in labore, non in deſidia & otio.* 285.1.d *eſt virtus.* 827.1.b
quæ Nocturnorum *origo in Eccleſia ſit.* 878.2.b
Nomen *ſæpè in Script. ſignificat rem nominatam.* 458.1.d *quod nomen Domini ſit turris, ad quod confugiens iuſtus exaltatur.* ibid.1.d *ipſum aſylum eſt.* ibid. *id eſt ipſe Deus.* ibid.d *item omnipotentia eius & protectio.* 2.a *item nominatio Dei.* ibid.b *nomen proprium Dei eſt arcanum.* 815.2.b *cur id ſit incognitum.* 817.1.a.b *nullum eſt nomen ei adæquatum.* ibid.c *eius nomen tetragrammaton erat Iudæis ineffabile.* 817.1.a *nomen bonum eſt melius quàm diuitiæ.* 579.2.a *ipſum procurandum.* 580.1.c.d
Nomina *dualia & pluralia apud Hebræos, quæ carent ſingulari, vel magis vſitata ſunt in duali vel plurali quàm in ſingulari, tam ſingulare, quàm plurale vel duale ſignificant.* 236.2.d
Νόμος, *id eſt lex, dicitur νέμειν.* 138.1.a
Nonna *mater S.Gregorij Nazianz. Gregorio marito fidei & pietatis fuit magiſtra.* 489.1.a.886.1.d *tota erat in domeſticis procurandis & diuinis.* 618.1.b *fuit ſtrenua mulier.* 867.1.c.887.2.a *eius in pauperes munificentia.* 881.1.c *de ſola anima exornanda laborauit.* 899.1.d
Noſſe *ſeipſum quanti referat.* 475.1.c.d
Notitia *perfecta Dei per arborem vitæ myſticè denotatur.* 276.1.b
Nouale *eſt nouus ager, iſq; tripliciter dicitur.* 319.1.d *noualia typus ſunt inſtructionis puerilis.* 589.1.d
Nouiſſima *impiorum bona non ſunt.* 666.1.b
à Nouitiatu *pendet tota deinceps vita in Religione.* 553.1.c
Nouitiorum *in Religione quæ fiat mutatio.* 568.1.a *ne ſint initio nimis feruentes.* 796.1.c.d *eorum feruores nimij non ſunt durabiles.* 310.1.a *cogitationes ſuas & tentationes Superiori aperiant.* 379.2.a
Nox *propria eſt impij.* 92.1.b
de Nocte *laborandum eſt.* 878.1.b
Noxij *ſunt puniendi ad exemplum aliorum.* 506.1.a 2.a
Nubes *ſapientia Dei concreſcunt.* 74.2.b *à Deo ſunt in aëre ſuſpenſæ.* 189.1.b *nubes & venti ſymbolum ſunt multa ſpondentis, nihil dantis.* 691.2.d.& ſeqq. *item arrogantiæ & mutabilitatis.* 692.1.c *nubes ſupernè candida & ſplendida, eſt, infernè atra & obſcura.* 705.1.d *aquas continet, quas deinde Deo iuſſu in terram depluat.* 816.1.d
Nugacitas *meretricum.* 636.2.a

Numm

Numus dictus quaſi νόμος, id eſt lex. 219.2.b *unde dictus ſit munera.* ibid.

Nunc *diuerſimodè accipitur.* 108.2.d

Nuntium bonum non tantùm aures mulcet, ſed & mentem recreat. 383.1.a.b.706.1.d.2.a.b

Nuntius fidelis oblectat eum à quo miſſus eſt. 890.2.a.c *cur frigori in meſſe comparetur.* 891.1.a.b *nuntium ſtultum mittens perinde facit ac ſi claudum, tardum, ineptum, impotentem mitteres.* 716.1.d.2.c *quæ mala is mittenti creet.* 716.2.a *nuntius piger moleſtiam & noxam creat ijs qui miſerunt eum.* 236.2.b.c *comparatur aceto & fumo.* ibid.c *nuntius infidelis infideliter agens à rege ſæpè plectitur, at fidelis ſibi incolumitatem conciliat.* 314.2.c.d *item qui fraudes maligni annuntiat, ijs detectis ipſe dat pœnas.* 315.1.a

noua Nupta olim viri ianuam lana coronabat. 280.2.c

Nuptiale conuiuium, à Chriſto in parabola propoſitum eſt myſticè menſa Euangelicæ doctrinæ, & maximè Euchariſtiæ. 203.1.a

Nux dicitur à nocendo. 154.2.b *è nucibus fit oleum & vnguentum.* ibid.c

O*Bduratio peccantium deſcribitur.* 451.2.b

Obediens Deo pacatas habet omnes animæ ſuæ potentias. 395.1.b *obediens loquetur victorias quo ſenſu.* 572.2.c.d *vincit dæmones.* 573.1.c *mundum, carnem.* 2.b *ſeipſum.* 574.1.b *homines.* ibid.d *mare, ignem.* 2.c.d *terram & beſtias.* 575.1.a *cælos, infernum.* ibid.c *tentationes, mortem & gehennam.* ibid.d *Deum.* 2.c *præ ceteris Sanctis gloria decoratur.* 575.2.b *loquitur & viuit in perpetuum.* ibid.d

Obedientis in obediendo certamina. 26.2.a *filius obediens patri, filios quoque habebit obedientes.* 45.2.a *obediens verus quis ſit.* 381.2.b.c *obediendi ratio.* ibid.

Obedientia ornat obedientem. 25.2.c *eius corona eſt multiplex.* ibid.& ſeqq. *ſuadet omnigenas virtutes.* ibid.d *mirè in cælis coronatur.* 26.1.c.d *eius elogium.* ibid.d *obedientia filiorum erga parentes probam eorum indolem oſtendit.* 27.2.a.b *obedientia eſt vera ſapientia.* 380.2.d *eius fructus & neceſſitas.* 381.2.d *eius gradus.* ibid.b *eius victoria.* 572.2.d *eius potentia & vis.* 573.1.b *vincit reliquas virtutes.* 574.1.b.575.1.b.2.b *facit nos in Deo omnipotentes.* 575.2.c *infernum ſuperat* 575.1.d.2.a *per inaurem repræſentatur.* 690.1.b

Objurgatio acris detergit vitiorum rubiginem. 702.1.a *æquo animo eſt admittenda.* 236.2.a vide *Correctio.*

Oblationes Chriſtianorum vim ſuam habent ex opere operantis. 364.2.d

Obſcuritas eruta parit dulcedinem. 23.1.d.2.a

Obſequia ſimilia ſunt ficui. 754.1.b.& ſeqq.

Obſtinati in malo ſæpè dum conſilium quærunt, non inueniunt. 328.2.a *non ſunt ſuaui monitione mulcendi, ſed acriter contundendi.* 701.2.c *ſunt indociles.* 759.1.d.& ſeqq. *plerumque malè pereunt, & à Deo deſeruntur.* 788.2.a *mortem æternam incurrunt.* ibid.b *in grauia etiam peccata & ſcandaloſa corruunt.* ibid.b.c *& tandem ea quaſi virtutes defendunt.* ibid.d

Obturare aurem idem eſt quod non audire. 560.1.b

Occaſio rei benè gerendæ æſtate denotatur. 225.1.c *dum obuia eſt, eſt apprehendenda.* 209.2.a *eſt tempus actionis opportunum.* 449.1.b *eius definitio.* ibid. *ea captanda eſt perſuadere aliquid conanti* 688.1.b.c.2.b.c *non item occaſio bene agendi.* 830.2.b

Occultari volunt Sancti. 233.1.a.d

Ocni fabula moraliter expoſita. 457.1.b

Oculi & cor magnam habent ſympathiam. 634.2.c *eorum vis in cor.* 640.2.b *dirigunt hi hominem incedentem.* 634.2.d *vini ſplendore & colore alliciuntur ad eius potum.* 640.2.a *ab eo ſunt auertendi.* ibid.b *auertendi quoque à conſpectu rei turpis & meretricis.* 642.2.b *ſunt cupiditatum illices & internuncij.* 757.1.a *per eos omnes affectus indicantur.* 833.1.d *cur eos primùm lauient corui.* 834.1.a.b *eorum extollentia ſuperbiam denotat.* 551.1.b *oculus bonus, & bonus oculo dicitur de benignis & liberalibus.* 592.2.b *oculi Dei ſunt prouidentia, fauor, gratia, ira, indignatio, vindicta: illi ſunt in omni loco per eſſentiam, præſentiam & potentiam: hi oculi ſunt mens & intuitus Dei.* ibid.b *oculi Dei quam ſcientiam ſeruent.* 597.2.d *oculi miſericordiæ ſunt columbini.* 592.2.b *oculis toruis parentes ſuos aſpicere nefas eſt.* 833.2.a *oculi ſunt in amore tam bono, quàm malo duces.* 100.1.d *magna eorum vis ad cor vulnerandum.* 2.a.d *oculi cordis & mentis maximè ſunt coërcendi.* ibid.c *primæ adulterij tela ſunt.* 138.2.c *ad eos regendos apologus & tria dogmata.* 139.2.a.b *quare ijs homines annuant.* 229.2.d *maximè id faciunt laſciui & libidinoſi.* ibid. *oculi ſublimes denotant vel impudentiam, vel ſuperbiam & faſtum.* 134.1.b *oculi fœminarum cauendi.* 212.2.c *eorum vis.* 139.1.b.c.d *oculus conſiderationis vbique nobis eſt adhibendus.* 126.1.c *oculus mundi eſt Deus.* 361.1.a *oculi nomine vocant Hebræi colorem.* 640.1.d *oculus auari eſt inuidus.* 781.2.d *oculi ebriorum ſuffunduntur, ſuffodiuntur, confunduntur, & obtunduntur, quo ſenſu.* 639.1.d.2.a *videntur natare.* 1.a.b *oculi ignei ſignum ſunt audaciæ & impudentiæ.* ibid.b

Odium ſuſcitat rixas, & eo laborans, æmulum ſemper carpit. 231.2.b *odium pateſcens melius eſt quàm occultum.* 237.1.c *odium eſt ſimile carbonibus cinere tectis.* 340.1.d *odium aliquando capitur pro deſpectu, faſtidio; minore amore.* 341.2.b *varias nocendi artes in ſe complectitur.* 733.1.c *eſt magnes odij.* 756.1.c *odium in coniugio prouenit à diabolo.* 489.2.a *odium in dominos videtur ſeruis inſitum.* 800.2.b

ὅδιος & ὁδηγὸς erant epitheta Mercurij. 720.2.c

Odorata omnia ſunt calida 746.2.b *augent hominis iudicium.* ibid.c *ſapore ſunt amaro.* 747.1.a *odorata nocent.* 134.2.b

Odores animum oblectant & cerebrum confortant. 746.1.b.d.2.a.b

Oeconomi boni fiunt boni politici. 612.2.d

Offenſæ obliuione ſepultæ ſi refricentur, recrudeſcunt. 428.1.b

Offerre nos totos in tota vita, & in qualibet eius parte Chriſto debemus. 618.1.b

Officia duo iuſtitiæ Chriſtianæ. 56.1.b

Officiales ſolent regem ſuum imitari. 157.1.c *quales ab eo ſeligendi ſint.* 612.2.c *officiales pau-*

peres mirè populum vexant & exſugunt. 541.2.a & ſeqq.

Officium regendi alios ambiens ſibi acerſit ruinam. 435.1.c ob id dolendum, non ridendum eſt. 437.2.a ineptum ad officia promouens grauiter in remp. peccat. 605.1.c ad officia ſtatu celſiora non eſt aſpirandum. 623.2.d.& ſeqq. rex iniquus habet ea venalia. 777.2.a quæ inde damna ſequantur. ibid.

οἶμος tam viam quàm verbum ſignificat, atque ab hac voce formatur vox παροιμία. 12.1.c.d.2.a

Olea inter arbores principatum tenet. 567.2.a

Oleum ſignificat in Script. quidquid eſt pingue tam in aromatibus, quàm epulis. 564.2.b.746.1.d eius proprietates. 106.2.c id ſymbolum eſt blanditiarum. ibid. item lucubrationis & ſtudij. 567.1.d eius vſus quadruplex; eſt ſymbolum abundantiæ. 2.a & adulantium. 568.2.b item gratiæ & charitatis. 567.2.c at miſericordiæ, eleëmoſynæ & conſolationum ſpiritualium. ibid.d oleum optimum eſt in ſummo vaſis. 696.2.a oleum dexteræ quid ſignificet. 751.2.d. & ſeqq.

Olera cum charitate appoſita, potiora ſunt vitulo ſaginato ex odio. 371.2.a

Omne Hebræi etiam pro binario ſumunt. 580.2.c

Onera mentis grauiſsima ſunt. 738.1.a

S. Onuphrius curatorem habebat angelum. 627.1.d

quiſque pro ſtatu ſuo Operetur decore. 880.1.c

Operarius diligens per formicas denotatur. 127.2.c

Opes dum in pauperes effunduntur retinentur. 116.1.c opibus ſtudentes ſæpè iuſtitiam & Dei legem violant. 66.2.a hæ per ſiniſtram ſapientiæ denotantur. 70.2.d ciſternæ aſsimilantur. 113.1.a propriè ſunt iuſtorum & proborum. 177.1.b cur vocentur impiæ. 218.2.c.& ſeqq. cur hominem vexent & pungant. 219.1.a.b à Deo datæ afferunt animi quietem, ſecùs opes mundanæ. 243.1.a à Deo dantur dignis. 270.2.d. labore partæ proprio, ſunt chariores hereditate relictis. 299.1.d ijs vti & parcere poſſe ſuo tempore, magna eſt prudentia. 305.1.d opes veræ ſitæ ſunt non in copia auri, ſed fidei & virtutum. 306.1.a.b in res vanas expenſæ minuuntur; item nullo labore partæ. 309.1.c item vanis prauiſq; artibus acquiſitæ. 2.a citò partæ, citò diffluunt, cur. ibid.c.d qui opes pauperibus negant, ſæpè eas extraneis congerunt & aſſeruant. 319.1.b ſapientem inſtar coronæ decorant. 345.1.c.d.2.d & pium maximè, non impium. 2.a.& ſeqq. earum neceſſitas. ibid.a ſunt fortitudo diuitum. 363.1.a 459.1.a eæ iniuſtis à Deo & ſapientia congregantur & conſeruantur. ibid.d ea ab ijs rite in ipſorum vſus, & eleëmoſynas expenduntur. ibid. eæ tranſeunt à patre in filios & nepotes. ibid.c opes quas afferant turbationes, lites, angores. 371.1.a modicæ faciunt modeſtos & humiles, immodicæ audaces & ſuperbos. ibid. hæ ſunt damnoſæ, illæ diuturnæ. ibid.b opes fraude partæ citò pereunt. 33.1.a.264.2.c.297.1.b.2.d.298.1.d.299.2.b.309.1.b non proſunt, ſed obſunt poſſidenti. 219.1.c eas pater ad filium non tranſmittet. 274.2.d.279.2.d.363.1.d opes impiorum diſturbantur & diſpereunt. 363.1.b quin & ipſi eas inutiliter conſumunt. ibid.c opes iuſtorum ſtabiles ſunt & firmæ. 280.1.a.299.2.b eæ ciuitatem exaltant. 258.1.a eæ à Deo benedicuntur. 297.2.d opes ſpiritales gratia & virtutum ſemper dat ſapientia. 174.1.b opes modicæ iuſtæ præſtant magnis iniuſtis. 385.2.a opibus vti neſciens pauper eſt, qui vti nouit, diues. 423.1.b quomodo ex ſtulto non proſint, quia ijs ſapientiam emere nequit. 434.1.d imò ei obſunt. 2.a.772.2.c.841.1.b ſine ſapientia ſunt vanæ & noxiæ. 434.2.a ab hac regi debent. ibid.c ſunt vmbraticæ & fugaces. ibid.d.2.a ſæpe domino ſunt mortis cauſa. 2.b ipſis agnata ſuperbia eſt. 472.1.b ijs cognata ſunt fraus, vſura, iniuſtitia, prauitas. 475.2.a ſunt vitiorum miniſtræ. 773.1.a.823.1.c.d ſunt ſpernendæ, ne inuidiam & nomen auari afferant. 580.1.a ſunt bonum infimum. ibid.2.a ſed moderatas ſibi quiſque laborando paret. 590.1.b iuſtis artibus parandæ ſunt. 621.1.a ipſæ ſapientiæ ſtudium & amorem imminuunt. ibid.b cogitatio eſt ab illis auocanda. ibid.c ipſæ poſſidentem non ſatiant. ibid. ſunt parandæ per artes & induſtriam. ibid.d.622.2.a ab vno ad alium auolant. 622.1.b idque ad modum aquilæ in cælum euolantis. ibid.d eæ quæ vires ſuperant, non ſunt expetendæ. ibid. aquilis comparantur. ibid.c.d ſunt homini comparandæ ante fabricam. 670.2.a modicæ proſunt, nimiæ obſunt. 695.2.c varijs caſibus ſubiacent. 760.2.a eas coaceruare ſtudens vix erit immunis à peccato. 781.1.c nimiæ non ſunt optandæ. 821.2.a.b.& ſeqq. cur dicantur iniuſtæ. 822.2.c proficiſcuntur ab induſtria. 871.2.b cur ſint recenſendæ. 823.1.d cur ducant ad atheiſmum. 2.b earum mala & damna. 824.1.d opes vſura & fraude partæ, ſunt panis mendacij. 525.2.a ſunt eæ cauſa inquietudinis conſcientiæ. ibid.b carent ſucceſſu & felicitate. 530.2.d dominis ſunt laquei & pedicæ mortis. 553.2.c.d eæ etiam ſunt & vocantur vanitas. ibid.d ſunt cauſa damnationis æternæ. 554.1.a earum domini varijs laqueis cruciantur. ibid.b.c & ab ijs ſæpè deorſum trahuntur. 2.c peregrinantur ab vno ad alium. 555.1.b tamdiu oberrant donec ad iuſtum velut ad legitimum dominium perueniant. ibid.772.1.a b.c ſuperant hæ omne auari ſtudium & conatum. 622.2.c ſed & proprias enecant & eripiunt. 623.1.a.c.624.1.b oculorum aciem auari eludunt. 623.1.a.b auolant citò, & collabuntur 622.2.b.d.647.2.a.648.2.b.c opes auari iuſto Dei iudicio in liberalem deriuantur. 770.1.d opes vſurariorum, ſi inteſtati moriantur, item ex alijs delictis debitæ, ad Epiſcopos & Eccleſiam deuoluuntur. 770.2.a.b opes ab Hebræis vocantur ſpolia, cur. 869.1.a opes priſcorum erant ſitæ in pecoribus. 760.2.a opes ſpirituales quæ ſint. 650.1.c opes cæleſtes quærendæ tam diuiti quàm pauperi. 583.1.d vide Diuitiæ.

Opifices pauperes præſtant diuitibus iniuſtis & prauis. 474.2.b

S. Opilius puer Placentinus orans ab angelorum cinctus eſt multitudine. 81.1.b

Opiniones nouas proferre ſtultitiæ ſignum eſt. 450.1.d

ὅπλα non tantùm arma, ſed & organa & inſtrumenta ſignificat. 329.2.b

ab Oportunitate pendet rei ex voto ſucceſſus. 449.1.c eu ſimilis rota eſt. 688.1.a.b

Optima, Deo ſunt offerenda. 505.1.b

Opus bonum poteſt reddi malum ob malam intentionem. 388.1.d.2.a.b.c operis decor & præſtantia elucet

elucet in eius modo, ordine, perfectione. 818.2.d opere ipſo lex eſt adimplenda. 149.1.b opera verbis conſentiant. 365.2.d.& ſeqq. opera gratiæ ſunt tum gratiæ, tum liberi arbitrij. 48.2.d opera bona à vanitate ſunt circumcidenda. 125.1.c ſemper homini adſunt & iuuant. 136.2.b iuſto ſpem addunt in morte. 256.2.a quomodo & qua intentione facienda ſint. 308.2.a moralia opera infidelium non ſunt peccata. 297.1.c opera tepida quæ damna creent. 297.1.d opera hominum iudicij ſui trutina expendet Deus. 388.1.d.2.b.d pro quantitate gratiæ, quæ eſt in operante, ea meritur. 2.d ei opera omnia ſunt commendanda, vt ipſe ea dirigat. 390.2.b.c.391.2.a ea varijs modis ab eo diriguntur. 533.2.a.& ſeqq. eorum principium pendet à fine & medio. 456.2.c omni carere debent vitio. 457.1.d & habere moderationem. 2.a reſpondeant linguæ. 470.1.c.d operibus pijs ſatisfacimus pro pœna peccato debita. 394.2.b de eorum bonitate homines ſibi blandiri non debent. 549.1.d.2.a ſunt ea facienda in hac vita, poſt vitam non erit faciendi opportunitas. 511.1.d ea ſola pariunt gaudium. 563.1.a.b Deum ſibi propitium reddunt. ibid.c ea pigri ob laborem ſibi putant impoſſibilia. 599.1.c ea laudant in cælo Beatos. 899.1.b opera omnia Dei ad iuſtum pondus ſunt facta. 398.1.c.d.2.a opera carnalia & ſpiritualia lana & lino repræſentantur. 873.1.a.b.c

Oportunitas in monendo & docendo ſapienti captanda eſt. 209.1.b ea beneficia auget plurimum. 273.1.c

Oportunus vox vnde deriuetur. 375.2.d

Oracula captabantur ab indormientibus pelli arietinæ. 852.2.d

Orandus Deus vt greſſus noſtros dirigat. 534.1.a.2.a.b

Oratio ſomno præmittenda: erit ea munimen contra nocturnas illuſiones. 136.1.d quæ ſit oratio ſaluberrima. 49.2.b oratio claudicat, cùm operatio ei non reſpondet. 228.1.d orationes noſtræ vim habeant ex opere operantis, non ex opere operato. 364.2.d oratio eſt velut munus Deo oblatum. 426.2.d facta ad Deum eſt quaſi turris celſiſſima. 458.2.b ſæpè plenè à Deo impetrauit. 860.1.b dirigatur ad actionem. 695.2.d oratio volentis in peccato perſeuerare eſt peccatum, & Deo abominabilis. 770.2.d.& ſeqq. oratio pauperis & diuitis ad Deum, quomodo differat. 472.1.b oratio blanda dono gratiam conciliat. 593.1.b hæc valet ad animi ægritudines curandas & leniendas. 700.2.d

Oratoris tria ſunt officia. 408.1.d.2.a auditorem ſuum ſolet reddere attentum, beneuolum, docilem. 166.1.b.c.607.1.c oratores Græciæ, Demoſthenes flumini, Iſocrates riuo, Æſchines fonti comparantur. 452.2.c quæ oratorum Latinorum & Græcorum ſingulorum proprietas in dicendo fuerit. 360.1.a

Orbita & axes rotarum appoſitè ad animam transferuntur. 50.1.d.2.a orbita eſt ſymbolum vitæ & viuendi rationis planæ. 535.2.a

Orcus dicitur ab vrgendo. 828.2.a

Ordinata Deo placent. 183.2.a

Ordo ſummum eſt vniuerſi bonum. 183.2.a.185.1.d dat rebus omnibus ſtabilitatem. 184.1.b ordo ſapientiæ Dei. 183.2.a.b ordines verborum imperfectorum affinium ſæpe Hebræi committunt. 316.2.d ordo verborum ſapientis valdè eſt efficax. 524.1.c.d ordo in acie quanti ſit momenti. 651.2.b maximè in hoſte fugiente proſequendo. ibid.d ordo in familiæ adminiſtratione & curatione ſeruandus eſt. 650.1.a.b

Ordinum Religioſorum fundatores in quo Deum, Chriſtum & Deiparam imitentur. 182.2.c habent merita non ſolùm vitæ propriæ, ſed & omnium ſui aſſeclarum poſt mortem. ibid.d ſinguli per aliquos viros inſigniter celebrati ſunt. 258.2.a nonnulli B. Virgini peculiariter ſunt deuoti. 894.1.d

Organa ſunt hydraulica & anemaulica. 224.1.d

Ornare ſæpè idem eſt quod laudare. 359.2.b

Ornatus meretricum, eſt velut ſpina. 151.2.c.d

Os ſynecdochicè capitur pro capite & vultu. 226.1.b os hominis in primis eſt cuſtodiendum. 100.1.b os ſæpe iuſſum & imperium ſignificat. 258.1.a oris cuſtodia quæ ſit & dicatur. 302.1.b.c os impij eſt velut ſtagnum putiſcens, & mare mortuum. 230.2.c.d.& ſeqq. os peruerſum quod dicatur 131.2.a os prauum quod appelletur. 100.1.b id aptè congruit prauo cordi: eius vilitas & fragilitas. 731.2.d os haurire debet ſapientiam à corde. 407.2.c ſæpè homini magnam creat moleſtias. 409.2.c os & ianua habent inter ſe analogiam. 437.2.c eius fructus ſunt verba, & damna, bonaque ex ijs dimanantia. 468.2.a.b ore quidam victum ſibi parant & quæſtum faciunt. ibid.b qui os cuſtodit, cuſtodit animam ab anguſtijs. 569.1.b.c os Hebræis metaphoricè initium & aperturam denotat. 587.2.c os eruditum fundit gemmas. 523.1.d & aurum. 2.a eſt crater ſapientiæ. 524.1.b os iuſti gazophylacium eſt ſapientiæ. 568.1.c os meretricis eſt vorago profunda. 599.2.d item os barathri, veſtibulum inferni. 600.1.b quod os lubricum dicatur. 734.2.b.c.d os laudantium quaſi conflatorium eſt. 757.2.c quomodo os ſtultiſſit contritio. 454.2.b.c ore loqui eſt cordatè loqui. 521.1.a

Oſculum tam eſt dantis quàm accipientis. 668.2.d id priſci dabant varijs de cauſis. ibid. eſt humilitatis & ſubiectionis ſymbolum: vnde dicatur. 670.1.b oſcula fraudulenta inimici ſunt oſculanti probroſa, oſculato noxia. 741.2.d oſcula cauenda, etiam fratrum & ſororum. 152.2.a.b

ὀσ.ὀνης aliquando capi poſſet pro ὅσια, id eſt exequia. 354.1.c

Oſor diſciplinæ verè inſipiens eſt 277.2.b.& ſeqq.

Oſſa ſæpè ſignificant vires animæ. 382.2.c oſſa per medullam fouentur & roborantur. 63.2.b.64.1.a

Oſtentatio regibus imprimis eſt excuſa. 298.2.b.c.d nube mani denotatur. 682.1.c eius quanta ſit ſtultitia. 2.a.b

Oſtentatores ſunt magniloqui & inanes. 692.1.a

Oſtium & os habent inter ſe analogiam. 437.2.c oſtium in cardine voluitur typus eſt pigri in lecto ſe voluentis. 726.2.b.& ſeqq.

Oſtrea quomodo à cancro ſibi caueant. 584.1.d

S. Oſualdi regis manus inlæſis incorrupta, quia in pauperes fuit effuſa. 881.1.d

Otioſi mundum deſtruere conantur. 457.1.c maximè à diabolo infeſtantur. 599.2.a veſtiuntur laceris veſtibus. 632.1.b.d merentur fame emori. 892.2.d otioſi multa machinantur mala. 130.2.d otioſus cur vocetur ſtultiſſimus. 287.2.a tota ſuum otium impendit in nuda deſideria, nec ad operandum vnquam accedit. 362.1.d vide Piger.

Otium tum corporale, tum ſpirituale fugiendum. 130.1.a.303.1.d *malorum plurimorum eſt cauſa.* 235.1.b *id docet otioſus.* 287.1.b *hominem ad famem necemq́; redigit.* 287.2.a *facit mentem ignauam hebeſcere.* ibid.b *parit detractiones, calumnias, furta, eſtq́; omnis mali cauſa.* ibid. *cauſa paupertatis eſt.* 478.2.d.521.1.d.2.a.674.2.c *eius damna.* 456.1.c.490.2.a.491.1.b *opus inchoatum non promouet, ſed diſſipat.* 456.2.c *eſt mater cupidinum & malarum cogitationum.* 571.1.a.2.a *deſideria acuit & accendit.* 570.1.d.2.a *varias laboris apprehenſiones & difficultates pigro ſuggerit, ne eum ſuſcipiat.* 599.1.b.c *eſt ſumma voluptas pigri.* 727.1.a.2.d

Ouis vide *Aries.*

S. P*Achomius ſerpentes & ſcorpiones calcabat illæſus.* 78.1.a *libidinis tentationem expugnare non potuit.* 121.2.b *ſi quem detractorem audiret, ilico recedebat.* 705.2.c

Pacifici placent regibus. 596.1.b *ſemper gaudent.* 294.1.b.c *animam tum ſuam, tum aliorum poſſident.* 372.2.c

Pædagogus liber Clementis Alexandr. unde dictus ſit. 18.2.a

Pala annuli cur dicatur funda, & ei indatur bracteola coloris purpurei. 719.1.d.2.a

Palabra *vox Hiſpana deriuatur à* Parabola, *quaſi* parabla 13.1.a

Palæſtini longas geſtabant tunicas, eaſq́; cingulo ſuccinbant. 887.1.c

Παλαιστής tam pugilem quàm palmum ſignificat. 205.2.b

Palatia antiqua Romæ penitus conciderunt. 334.2.c

Palatini quinam regi ſint utiles. 356.1.d.357.1.b

Pallas dea bellandi, nendi, ſtudendi. 879.2.d

Palmus maior hebraicè cur vocetur ridens, & minor triſtis. 308.1.c

Palpebra volans inſtar auium. 139.1.b

Pambo Abbas quid de obedientia cenſeret. 574.1.a *per multos annos verbum otioſum non protulit.* 663.1.d

Pan princeps paſtorum olim corona pinea coronabatur. 760.2.d

Pandora erat dea, cui omnes dij & deæ dona dederunt. 28.1.c

Panis erat pretium meretricis olim. 140.2.b *panis mendacij quis dicatur.* 525.2.a.& ſeqq. *panis auari eſt panis mali oculo.* 624.2.d.625.1.c *carentia panis occidit pigrum famelicum.* 570.2.b

Panni lanei ſemper primum colorem retinent. 588.2.b

Παροιμία tam in bonam quàm malam partem capi poteſt. 18.1.c

Panthera & hyænæ antipathia. 623.1.c

S. Paphnutius *Abbas ſua humilitate dæmonem ab energumeno expulit.* 415.2.a

Pari nubendum. 489.1.c.d *par pari in malis retribuere malum eſt.* 532.1.a *par pari nobis refert Deus.* 657.2.c.658.2.a

Parabola quid propriè ſit. 12.2.d.13.2.d *quinque eius ſunt ſpecies.* 13.1.a.& ſeqq. *ſæpè in Scriptura voces parabola, prouerbium, parœmia confunduntur, & pro eodem ſumuntur.* 12.1.b *ſunt Salomoni parabolæ & comparationes frequentes.* 13.1.a.2.b *parabolas à ſe propoſitas Chriſtus explicauit in poſt parabola.* 33.2.a *quot parabolas Salomon compoſuerit, an ea libro Prouerbiorum contineantur.* 4.1.d *parabolarum ſenſum Apoſtoli Chriſto interpretante diſcebant.* 514.1.a *in iis duplex eſt ſenſus litteralis, unus externus & apertus, alter internus & reconditus.* 673.1.d.687.1.b.809.1.d *parabola non decorat ſtultum, ſed dedecorat.* 717.2.b *in ore eius eſt velut ſpina in manu ebrij.* 723.1.a.b.& ſeqq. *parabola ſubinde capitur pro probro & conuicio.* ibid.a *parabolæ Salomonis præter ſenſum litteralem alium habent arcanum & tropologicum.* 522.2.b.523.1.a *quomodo à viris Ezechiæ regis tranſlatæ & compilatæ ſint.* 676.1.b.c *eæ ante huius tempora erant ſeparatæ.* 2.b *quæ ne ſparſæ perirent, eas in unum ſaltem corpus collegit Ezechias.* 677.1.b.a *earum fructus* 807.1.b

Paradoxa doctrina Chriſti. 514.2.a.b

Παράκλητον quid propriè ſit. 150.2.b

Paradiſus denotat animam ſanctam. 73.1.b

Paraſiti ſemper egeni ſunt. 345.1.a *ſunt regnorum ruina.* 399.2.a

Parcæ tres hominis vitam filant. 880.1.b

Parcitas ſermonum quid requirat. 445.2.b

Parentes filijs potius proſpiciant de ſapientia & virtute, quàm de opibus & prædijs 87.1.a *eos qui colit, colit Deum.* 374.1.d *ſunt parentes filijs dij quidam terreſtres.* 2.a *ſtudioſe educent filios & nepotes.* 218.2.a.424.1.a.d.834.2.b *filios inſtituant & caſtigent.* 444.1.b *lætantur ob eorum probitatem, ob improbitatem dolent.* 439.2.c *olim filium proteruum ducebant ad iudicem.* 495.2.b *filius eos affligens, dignus opprobrio eſt.* 503.1.c.2.a *eorum afflictio eſt infelicitatis præſagium.* 2.a *eorum decus & dedecus, eſt decus & dedecus filiorum.* 2.a *ſunt quaſi domeſtica numina & oracula.* ibid.b *de filijs maximè ſunt ſolliciti.* 915.1.a *in iis præmiantur vel puniuntur, bene aut malè agentes.* ibid. *iis vitam tradunt.* 529.1.b *pro iis per fas & nefas diteſcere ſatagentes, ſpe ſua ſæpè fruſtrantur.* 531.1.a *illicitè quid parentibus ſubtrahitur ut templo detur.* 783.1.b *iis victum ſubtrahens particeps eſt homicidæ quo ſenſu.* ibid.b.c *iis maledicentes peſſima ſunt generatio.* 825.2.d *eos toruè aſpicere & deſpicere, & grande nefas.* 833.2.a.b *ſunt filijs inſtar creatoris Dei.* ibid.b.c *& quaſi Dei vicarij.* 858.2.d *parentes probi filijs gloriam conciliant.* 424.1.a.b *ſunt reges familiarum ſuarum.* ibid.b *ne ſint in liberos nimis blandi.* 629.1.a.b *ſic enim exponunt eos periculo inferni.* ibid.d *ſed ſeueri nimis indolem eorum hebetant & indurant.* 798.2.c vide *Mater, Pater.*

Parœmiæ quid propriè ſint. 5.1.c.12.1.c.d.2.a.b & ſeqq. 13.1.a.2.c *ſæpè ea vox confunditur cum parabola & prouerbio.* 12.1.b *eius definitio.* 14.1.b *eæ ſolebant in vijs & plateis decantari.* 35.1.d *ſubinde contrarios habent ſenſus.* 700.1.b vide *Parabola.*

Parricidis viuis quatuor elementa adimuntur. 880.1.d

Parſimonia parit abundantiam. 565.1.d

Parthenium herba non eſt eadem cum dictamo. 159.2.c

Particeps ſceleris, ei cooperatur & ſceleſtus eſt. 804.2.c

Partus ceruarum difficilis eſt. 118.1.c

à Paruis ad maiora aſcendendum. 683.2.d *parui præ magnis pollent ingenio, ſpiritu, virtute.* 843.1.c.2.d *tales recenſentur.* 844.1.b *non ſunt contemnendi.* ibid.c

per Paruulum *hebraicè intelligitur ſimplex, imperitus, docilis.* 559.1.a *paruulorum poſſeſſiones non ſunt occu-*

occupanda. 626.2.d paruuli ſenſu plurimi ſunt, 165.1.b.c

Paſcere ventos quid ſit. 223.1.d.2.a paſcit omnes Deus, malos æquè ac bonos. 777.2.b

Paſſer in Script. ſæpè generatim pro qualibet aue ſumitur: mutat hieme locum frigidum in calidum. 713.1.a

Paſsionis Dominicæ recordatio optimus eſt iræ ſedandæ modus. 291.1.b paſsiones edomitæ reddunt corpus ſanum. 356.1.b ſin inualeſcunt, ipſum exedunt. ibid. omnes eas moderatur ſapientia. 71.2.b eas domare heroicum eſt. 414.1.a.c d.415.1.d ſunt eæ non ſolùm in animo, ſed & in corpore. 440.2.b ipſis ſeruiens non debet in principem & Prælatum eligi. 481.2.d equo repræſentantur. 578.2.c earum victoria ſequitur ex ſacra communione. 617.1.c iis acti non bene dominantur. 841.1.b

Paſtores ſpondent pro animabus fidelium. 123.1.d.124.1.c paſtores tepidi ſugillantur. 320.1.b ſint iuuenes & validi. 760.2.b eorum princeps olim coronabatur. ibid.c.761.1.a pro paſtore inepto ſpondens, omnium animarum eius culpa peccatorum reus eſt. 505.1.c.d eos decet vita auſterior. 525.1.d ſint [illegible] ore præditi. 560.2.a ponunt animas ſuas pro ſalute ſubditorum. 611.1.a diligentem eorum curam habeant, ipſoſque inſpiciant. 760.1.d proſpiciant eorum ſaluti neceſſaria. 761.1.a.b ab iis accipiant neceſſaria, non ſanguinem. 762.2.b vigilent ſuper gregem ſuum. 878.1.b paſtor bonus manet periclitantibus ouibus, at hypocrita fugit. 583.2.b.c

Paſtoritia ars quàm ſit facilis. 761.1.d eſt innocens & antiqua. 760.1.b

Pater cur lætetur de filio probo. 218.1.a pater in filio quaſi viua ſui imagine repræſentatur. 301.2.a.b pater filium peccantem non caſtigans eum odit. 320.2.a pater non debet omnia in rigore & exactè obſeruari curare, ſed in nonnullis conniuere. 275.1.b pater crudelis ſæuiens in filios, eos à ſe effugat. ibid.a pater probus relinquet probos poſt ſe filios. 515.1.a.b pater moriens ſine liberis habebatur olim infauſtus. 529.1.b pater monachus filium in furnum conijcere iuſſus à Superiore, eumdem indemnem inde eduxit. 574.2.d pater & filius cenſentur vna perſona ciuilis. 749.1.c pater & mater diuerſimodè amant & educant filios. 24.2.d Pater æternus quomodo generarit filium ſuum. 179.1.b

Patres in filiorum diſſolutione potiùs iraſcuntur, quàm dolent. 444.1.a in eos habent ius quaſi regium. 424.1.b idque iure generationis. 633.2.c debent eos erudire iure naturæ. ibid. item eos alere in anima & corpore. ibid.d gaudent ob eorum probitatem. 634.1.b.c eos caſtigando præſtant iis beneficium. 742.1.b non habent ius ad eorum vitam. 494.2.b ii ſunt in filiis infelices, qui in ſuos patres diri extitere. 503.2.b Deum repræſentant. ibid. filio minorenni non deſpondeant vxorem. 505.1.b.c Deum iis relinquant curatorem. 515.2.b.c in iis viuunt. 629.2.c inuigilent potiùs filiis bene inſtituendis, quàm locupletandis. 320.2.a pluris æſtimant ſapientiam filiorum, indeque maiorem lætitiam de eorum ſapientia concipiunt, quàm matres. 374.1.c antiqui patres multa ſuis laboribus & ſtudio reliquere poſteris. 320.1.c quem Græci Patres ſinguli ſtylum habeant. 360.1.a.b item Latini. ibid.d vide Parentes, Mater.

Paterfamilias eſt velut ſol in ſua familia. 516.2.a.b.c ſeruo non nimis indulgeat. 802.1.d eius officia. 845.1.a.b.& ſeqq. quæ animalia in quibus debeat imitari. 849.2.c.d in gallo repræſentatur. 851.1.a

Patibula fornicata quæ ſint. 539.1.a.b

Patiens, quia iniurias factas non retulit, iras ſedat & mitigat. 372.1.d patiens & impatiens quomodo inuicem differant quoad iram. 349.2.a.b.& ſeqq. 362.1.b patiens melior eſt forti. 413.2.c quomodo. 414.1.a ad aduerſa vitæ huius ſe comparat & munit. 483.1.b ea æquanimiter tolerat, vt animæ pacem aſſequatur. ibid.c ſibi eſt medicus & medicina. 497.1.b.c variam refert victoriam. 532.2.a & ſeqq.

Patientia potior eſt virtus quàm fortitudo. 413.2.b.c animum aduerſus dolores mortis & timorem firmans, eſt pars fortitudinis integralis, eaque præcipua. ibid.d vincit dolores. 415.2.a ex ea noſcitur prudentia. 482.1.d.2.c.483.2.b eius tres ſunt gradus 483.2.b eſt ſapientiæ pars. 660.2.b per ouem denotatur. 853.1.c in morbo, eſt longum martyrium. 617.2.a patientia dolorum reddimur fortes & validi. 67.1.c ea exercetur moleſtiâ aliorum. 350.1.b efficaciſſimum eſt remedium contra carnis vitium & reliqua omnia. 352.1.a.b

Patriarchis quinque olim lampas præferebatur. 138.1.c Patriarchæ primi vino abſtinuere. 643.1.c fuere paſtores ouium & armentorum. 760.1.b.761.1.a

Patrimonia ampla dum cedunt filiis imprudentibus, ſæpè euertuntur & pereunt. 319.2.d

Pauciloquentia commendatur. 232.2.c

Pauciloquus plerumque habetur ſapiens. 232.2.d quomodo animam cuſtodiat. 302.1.b

Pauidus vbique beatus eſt. 776.1.b.c

S. Paula morbos corporis valido ſpiritu ſuſtentabat. 461.1.d S. Scripturæ verbis ſe tentatione animabat. 820.1.c in pauperes fuit effuſa. 881.1.d

S. Pauli caput præciſum lac pro ſanguine fudit. 27.1.b cordis latitudine totum mundum complectebatur. 60.1.d erat vt apis operoſus & diligens. 129.1.b amore Chriſti fuit ebrius. 194.1.b qualis fuerit concionator. 236.1.d accommodabat ſe audientium captui. 450.1.b varios excogitauit modos animas ſaluandi. 560.1.c quare ſeipſum aliquando laudarit. 714.2.c ſtultis quomodo aliquando reſponderit. 715.2.c fuit leonina generoſitate. 766.1.b

S. Paulus primus Eremita per coruum à Deo in deſerto alitus fuit. 110.2.b

Paulus Simplex Eremita ſimplici obedientia ad omnium virtutum culmen euaſit. 26.1.a in obedientiæ virtute varia miracula patrabat. 575.1.a

Pauor comes eſt triſtitiæ. 562.1.b

Pauper vox vnde deriuetur. 233.2.c pauper ob egeſtatem ſemper eſt pauidus. ibid.b.c ei quod denegatur, ſæpè malè perit. 272.1.c.d quauis acriore increpatione percellitur. 306.2.c non ſuſtinet increpationem. ibid.b declinat ſæpè periculum, eò quòd ſit pauper. ibid.c in eo latet Deus. 154.1.a ſemper habet dies malos. 369.1.b.2.a eſt viua imago Chriſti pauperis. 353.1.b pauper ſpiritu eſt mundi dominus, & ſimilis Deo. ibid.c eſt diues gratia & virtutibus. ibid.d ſuper omnia creata eleuatus degit in cælo. 2.d imitatur Dei & Chriſti puritatem, ſanctita-

ſanctitatem & perfectionem. 2.b eſt Saluatoris nummularius. ibid.c non habet dies malos. 369.2.a pauper ſibi ſufficiens melior eſt & ſapientior glorioſo panem domi non habente. 284.2.b pauper multas habens diuitias, quis dicatur. 305.1.d pauperem hunc & illum eſſe vult Deus. 352.2.c pauperem deſpiciens, exprobrat factori eius. 419.2.b eſt potiùs iuuandus quàm templa adornanda. 393.2.a ſuppliciter quid poſtulat à ditioribus. 472.1.a vbique timidus & ſupplex eſt. ibid.b.c ſi ſimplex & ſincerus, melior, ſanctior, quietior eſt diuite doloſo. 474.1.b.c.2.a paucos habet amicos. 477.2.a.b.478.2.d eum fratres & amici oderunt & deſerunt. 478.2.d ei benefaciens mutuum dat Deo, quod amplo cum fœnore ab ipſo eſt recepturus. 492.1.b totus ex deſiderijs conflatus videtur. 499.2.b quomodo mendaci ſit melior. 498.2.c.& ſeqq.499.2.d.500.1.b ſi lucrum ſympoſiis decoquat, non ditabitur. 564.2.b diuitis ope & liberalitate indiget. 581.1.a.582.1.b.c & ſeqq.2.b.c.583.1.a eſt ſponte accedendus vt ei eleëmoſyna detur. 581.1.d amatur à diuitibus. 583.1.b pauper opibus non ſemper eſt pauper in gratia. 581.2.b.c in eo magis apparet ars Dei quàm in diuite. ibid.d.& ſeqq. eſt ei benefaciendum pro viribus. 592.2.c.d.593.1.a cum calumnians ad inopiam redigitur. 602.1.c.d.2.d & opprimetur ab alio diuiore. 603.1.b.c eius vindex & tutor eſt Deus. 608.1.c.d.2.a.797.1.a hunc qui eum vexat, Chriſtum vexat. 608.2.b.c non eſt opprimendus in iudicio. 608.1.c nec affligendus. 825.1.a caueat diuitum conſortia & conuiuia. 614.1.c non ſe æquet ijs in victu ſupellectile, veſtitu, familia. 611.2.a non eſt ad reip. regimen & principatum euehendus. 777.2.c cur pauperes pauperibus non ſint dandi in præfectos. 767.2.a ſunt hi ſimiles imbri vehementi. ibid.d & ſeqq. pauperes expilati ſæpè in ipſos principes inſurgunt. 767.2.d eorum cauſas agunt iuſtè iudices & aduocati. 792.2.d.793.1.a.c ſi rex eos foueat, diu regnabit. 797.2.a pauper rectè viuens præſtantior, ditior, felicior, vtilior eſt, quàm diues peruersè. 769.2.b hic diuitis dolos Dei nutu euadit. 772.2.a ad veram ſapientiam pertinget. ibid.d.773.1.b pauperum ſpiritu vindex & tutor eſt Deus. 627.1.c hi erunt in die iudicij iudices diuitum iniquorum. 773.1.c pauper & diues, vterque à Deo creatus. 581.1.b.2.c inuicem contrarij ſunt. 2.d vterque eſt opus Dei. 582.2.d vterque ſit ſua ſorte contentus. 583.1.a qui pauperem amicum odit, oſtendit ſe non eſſe verè amicum, & ad amicitiam ineptus eſt. 479.2.a

Pauperes ſunt domini diuitum. 78.1.d ſæpè ſunt diuites virtutibus. 306.1.a ſunt beati. 342.1.b non ſunt opprimendi. 352.1.d.2.c eos ſibi Deus arrogat. 2.a.353.1.a cur pleroſque Deus voluerit eſſe pauperes. 352.2.a eos qui opprimit, Deum carpit. ibid.c ipſe eorum peculiarem gerit curam. 353.1.a

Paupertas ſequitur inertiam. 129.2.b.130.1.a.b eius violentia. 129.2.d eſt incommoda, niſi Dei amore toleretur 233.2.d eſt tamen magna ſecuritas. 369.1.b fiet tolerabilis, ſi in ea ſecura mens inueniatur. 2.b.c paupertati Euangelicæ nihil in victu & veſtitu deeſt. 220.2.b eam vbertate ſpiritualium bonorum Deus compenſat. 270.2.a à Chriſto eſt ſtabilita. 822.1.d paupertas ſpiritus non eſt adaugenda per luxum & voluptates. 603.2.c paupertas creata eſt à Deo æquè ac opulentia. 352.2.a.c à Chriſto eſt ſancita vt conſilium Euangelicum. 353.1.b paupertas potior eſt quàm ſtultitia. 474.1.b.2.a ei cognata eſt ſanctitas, innocentia, ſimplicitas. 475.2.a eius damna experiuntur, qui eam ægrè ferunt. 497.1.b ipſa minus malum eſt quàm mendacium. 500.1.a duo confert homini bona. ibid. ſequitur gulam. 632.2.a præſtat diuitijs. 743.1.d ſtimulus eſt ad ſcientiam. 772.2.c.d.& ſeqq. præſtat iudicium ſincerum. 773.1.c inducit ad mentiendum. 821.1.d eſt philoſophia realis. 824.1.c eius incommoda. 2.a.590.1.b

Pax Hebræis omnia bona & gaudia ſignificat. 58.1.b 72.2.c pacem turbantes & lacerantes, ſæpè graues dant pœnas, hîc & in futuro. 132.2.b illius quantum bonum ſit. 185.1.d eam poſſidet iuſtus, eamq; alijs aſpirat 242.1.c pax animi eſt ſummum vitæ bonum. 195.1.d pax maius eſt bonum omnibus delicijs 619.1.a.d gignitur à patientia. 483.1.c pacem ab aduerſario poſcens prior, oſtendit ſe magnanimum. 5[illegible].2.a pacis inter coniuges conciliandæ optima r[illegible]. 870.1.c

anima Peccans relinquit Deum ducem & ſponſum pubertatis ſuæ. 54.2.a qui peccant ex certa ſcientia, non peccant ex errore. 344.1.c

Peccans deliberatè fit apud homines infamis. 654.1.a

Peccare dicitur quaſi pellicare. 342.1.b

Peccator ſuæ miſeriæ eſt auctor & faber. 42.2.b à diabolo videtur quodammodo poſſeſſus. 55.2.c eſt eius equus & mancipium. 120.2.d dat annos ſuos diabolo. 110.1.b & vires animæ peccato. 111.1.c.d ſemper pauidus eſt & trepidat. 249.1.b peccator pœnitens lætificat patrem Deum, & matrem Eccleſiam. 218.2.c peccator conuerſus incipit eſſe alius, quàm fuerat. 283.1.b peccator amicitiæ Dei & Sanctorum renuntiat. 449.2.a & quas occaſiones ad hoc prætexat. ibid.b calamitate preſſus Deum incuſat. 476.2.b peccatum item ſuum ei adſcribit. ibid.d. & ſeqq.477.1.b dæmones quibus in vita auſcultauit, habebit ſocios in gehenna. 563.2.c.d iniquitatem metet, quia eam ſeuit. 592.1.b dormitat quodammodo in medijs mortis & gehennæ periculis. 645.1.d 2.a eum lancinat conſcientiæ remorſus. 703.1.d vbique & omnia timet. 766.1.a quomodo eius oratio Deo diſpliceat. 770.2.d & ſeqq. ſed peccato valedicere cupiens, rectè Deum orat. 771.2.a quomodo eum Deus non audiat. ibid. peccatoris obſtinati deſcriptio & impietas. 450.2.d fit infamis & probrum cæli ac terræ. 451.1.a eius impœnitentia. ibid.d eius cæcitas. 2.a eius obduratio. ibid.b peccator ſi peccata confiteatur, à Deo & hominibus miſericordiam conſequetur. 774.2.c.775.1.b & tunc fit alius ab eo qui fuit. 840.1.c & potior eſt multo tepeſcente. 420.2.b.c talis compatiatur alijs peccatoribus. 499.2.d per S. communionem in aliam perſonam ſe transformet oportet. 617.2.b peccator relapſus quàm ſit abominabilis. 725.1.b.c peccatorum inſignium genera ſunt quatuor. 825.2.d.& ſeqq. vide Impius.

Peccatores duobus modis lactant eos quos decipiunt. 29.1.d ſibi ipſi tendunt laqueos. 33.2.d parant ſibi malum. 343.1.c.d parant ſibi infernum. 34.2.a eorum caligo. 95.1.d ob abſentiam Chriſti putant ſe poſſe impunè peccare, ſed decipiuntur.

inpinuntur. 155.2.*c* *ſunt hoſtes animæ ſuæ.* 196.1.*a.b* *ſunt à via aberrantes inſtar errantium vel ebriorum.* 343.1.*a* *peccatores graues etſi conuerſi, mox tamen ſæpè relabuntur.* 304.1.*d* *peccatores Romæ ad limina Apoſtolorum ſupplices peccati veniam emerentur.* 341.2.*a*

Peccatrices multæ pænitentes, in antris auſteram vitam egerunt. 780.1.*b*

Peccatum eſt obliquitas & iniquitas. 17.2.*b* *in eo eſt auerſio à Deo Deiq; lege, & conuerſio ad proſperitatem bonorum temporalium.* 42.2.*d* *ipſum eſt hominis acerrimus hoſtis & tortor.* 110.1.*c.d* *quas ei vires eripiat.* 111.1.*d* *ſine eo ad multos dies viuere nemo poteſt.* 238.2.*b* *comparatur id aceto & vuæ acerbæ ac fumo.* 247.1.*d* *eſt priuatio entis.* 2.*c* *id quomodo illudat peccatori.* 331.2.*a.b* *multiplicem inuehit miſeriam.* 356.1.*b* *vnum trahit ad aliud, & hoc ad aliud.* 821.1.*b* *ipſum ignis eſt.* 147.2.*d* *eſt morale adulterium.* 148.2.*c* *peccatum in Scriptura ſæpè ſumitur pro hoſtia quæ pro expiatione peccati offertur.* 331.2.*d*.455.2.*d* *peccatum quoduis mortiferum eſt adulterium ſpirituale.* 146.2.*c.d* *Deo confitendum vt illud condones.* 391.1.*a* *eſt plerumque punitio ſuperbiæ.* 403.2.*d*.404.1.*b* *in delectatione ſua quaſi pungendo mentem lancinat.* 441.1.*b* *eſt panis lapidoſus.* 525.2.*c.d* *& quaſi centrum ob quatuor analogias.* 451.1.*d* *eius auctor non eſt Deus.* 476.2.*d*.477.1.*a.c.d* *id fugere honorificum eſt.* 483.2.*a* *à peccato nemo mundus, quo ſenſu.* 517.2.*d* *nec ſine eo diu viuere quis poteſt.* 518.1.*c* *deletur per eleëmoſynam.* 493.2.*d*.594.2.*b* *quinque modis expiatur.* 775.2.*a* *ſimile & eſcæ, ſed vnà cum ea peccatorum vnco, id eſt reatu, perfodit.* 792.2.*a* *ex vno labimur in aliud.* 404.1.*d* *vnum per aliud punitur.* 600.1.*c*.823.2.*b* *dum homo id cogitat, de miſericordia non deſperet.* 656.1.*b* *eſt vinum amarum.* 641.2.*d*. *peccati conſuetudine roborati fructus eſt inſenſibilitas.* 646.2.*b* *in peccati ſtatu manens per pietatis opera Dei iram placare nequit.* 571.2.*c* *hic Deum orans, ſimilis eſt Iudæ proditori.* 771.1.*a.c* *ſed è peccati ſtatu egredi cupiens, rectè Deum orat.* 2.*a* *peccatum non agnoſcens, ſed defendens, in eo ſe affirmat.* 775.1.*c* *ex peccato adæ orti ſunt principatus & regna.* 766.2.*b* *peccata ſua impius pijs affingit & affricat.* 540.2.*c* *peccata filij patri imputantur.* 495.1.*d* *peccatum aliud veniale aliud mortale.* 662.2.*c* *vnum mortale præponderat innumeris venialibus.* 738.2.*a*

Peccata admiſſa recolens, non poteſt non triſtari. 334.2.*a.b* *peccata purgantur per opera virtutis, tum debita, tum indebita.* 380.2.*b* *faciunt intercapedinem inter Deum & hominem orantem.* 382.1.*a* *peccata tum propria, tum aliena, ſunt materia compunctionis.* 333.2.*b*

cur Pecora *ſua curet iuſtus, eiſq; de neceſſarijs prouideat.* 286.1.*c.d* *pecora ingens dant lucrum paſtori.* 721.2.*d*

Pecuaria ars innocens & antiqua eſt. 760.1.*b.c*

Pecunia dicta à pecore. 760.2.*a* *eius cupidi non ſunt ad Prælaturas promouendi.* 722.1.*c* *inferior eſt ſapientiâ.* 166.1.*d* *eſt iuſtè comparanda.* 219.2.*c* *amatores ſuos captiuat.* 256.1.*a* *eius corraſores ſemper anxij ſunt.* ibid.*b* vide Opes.

S.Pelagia ante pænitentiam, in meretricio curabat ſe per vrbem geſtari. 212.1.*b*

S.Pelagia virgo ſe cum matre & ſororibus in flumium præcipitem dedit. 420.2.*a.b*

Pelagius I. Hiſpaniæ rex Deiparæ ope Saracenos profligat. 175.1.*c*

Penelopes tela *prouerbium quid ſibi velit.* 457.1.*a* 872.2.*b*

Pennæ aquilarum quàm ſint voraces. 623.1.*a* *vnde id eueniat.* ibid.*d*

Perditio ſedem propriam habet in domo impij. 555.1.*a*

Peregrinatio euangelizandi cauſa vtilis eſt. 745.1.*b* vide *Locus, Migrare, Vagabundus.*

Peregrina eſt nomen proprium meretricis. 152.1.*d*

Peregrini non ægrè ferunt ſe rideri & probris impeti. 484.1.*c* *debent à principe defendi.* 865.2.*b*

Perfectio nobilior eſt regum nobilitate. 89.2.*a.b* *ad perfectionem chriſtianiſſimi vocat ſuos omnes Deus.* 205.2.*c* *ipſius deſiderium in ijs adimplet.* 244.2.*c* *perfectio virtutum eſt velut gemma gratiſſima.* 427.2.*a* *hominem contra omnia mala communit & tuetur.* 459.2.*c* *ſapientiâ triplici ædificatur.* 649.1.*d*.& *ſeqq.* *eius poſſeſſio homini iucunda eſt.* 650.1.*c*

Perfectus quis propriè dici queat. 15.2.*c* *ipſe ſolum Deum quærit.* 119.1.*b.c* *qui citò perfecti in re aliqua euadere conantur, mox deficiunt.* 309.2.*d*

cur Perfecti cum peruerſis nonnunquam debeant conuerſari. 609.2.*b* *qui perfecti eſſe volunt, diuitias nec ambiunt, nec paupertatem metuunt.* 822.1.*b.d*

Perfidia remp. euertit. 425.2.*b*

in Perfido non eſt ſperandum. 698.1.*c*

in Periculis omnibus ad Deum confugere debemus. 498.2.*b* *pericula vir ſapiens cautè declinet.* 583.2.*c* & 584.1.*a*.& *ſeqq.*2.*c* *periculum mortis incurrunt, qui alium à morte liberare detrectant.* 657.2.*d* 658.1.*c*

Perillus primus à Phalaride tauro ſuo eſt incluſus. 734.1.*b*

Periuri lædunt falſo ſuo teſtimonio proximum. 292.2.*a*

Perſæ filijs vt ſeruis olim vtebantur. 494.2.*d* *quos amicos primo haberent loco, quos ſecundo.* 748.1.*d* *reges ſuos ſine dono adire non poterant.* 462.2.*b* *eorum reges proceres oſculo honorabant.* 669.1.*a* *eorum feminæ peroſum habebant lanificium.* 872.1.*d*

Perſecutioni & perſecutori non eſt indignandum. 431.1.*c.d* *perſecutionis tempore iuſti conſultò ſe abſcondunt.* 786.1.*d* *perſecutio purgat mentes & linguas Confeſſorum & Martyrum.* 240.2.*c* *perſecutiones Eccleſiæ quæ ei damna inflixerint.* 245.2.*b*

Perſeuerantia magnum Dei donum eſt. 49.2.*b* *eius præclara elogia.* 58.2.*a*

Perſona vna in SS. Trinitate eſt alteri intima. 178.2.*a* *perſonæ commutatio crebra eſt in phraſi Scripturæ.* 329.1.*b.c* *perſonarum trinitas in Deo oſtenditur.* 815.2.*b*

Perſonarum acceptio in iudicio peſſima eſt. 667.2.*d* & *populo exoſa.* 668.1.*a* *quàm ſit noxia.* 781.2.*a* *maximè ſi ſit perſona impia.* 453.2.*c.d* *in tertia perſona Hebræi viros honoratos alloquebantur.* 861.2.*a*

Perſonalitas in SS. Trinitate Iudæis fuit incognita. 818.1.*b.c.d*

Pertinacia peccantium deſcribitur. 451.2.*b*

Perturbationes animi ab acri increpatione ſanantur. 701.2.*d*

Perverſus idem eſt qui vafer, doloſus, fictus. 555.2.a *eſt à ſeipſo alienus.* ibid.d *perverſus lingua quis dicatur.* 439.1.a

Pervertens alios deterior eſt Ethnico. 556.1.a.b

Pervicacia adverſus redarguentes, Deum ad iram concitat. 359.1.c

quis Pede loqui dicatur. 131.2.b *pedes bene dirigendi præceptum.* 139.2.c *pes eſt ſymbolum actionis & operis.* 476.1.a

Peſcennius Niger Imp. panegyricum ſibi noluit recitari. 737.1.d

Peſſimorum mentes non ſunt ſuavi munitione mulcendæ. 701.2.c

Peſtilentes ſunt deriſores rerum ſacrarum & ſanctorum. 502.2.b

non debent nimis multa ab amico peti. 697.1.a

S. Petrus in carcere dormiebat poſtridie capite plectendus. 229.2.a *S. Pauli correptionem humiliter audiuit & ſuſcepit.* 290.1.d *lupinis ſolùm veſcebatur.* 325.2.d *qualis fuerit concionator.* 236.1.c *ei commiſſæ oves à Chriſto paſcendæ.* 761.1.b

B. Petri de Alcantara in morte vox. 354.2.d.385.2.a

S. Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris humilitas quomodo ſit exaltata. 804.1.d

S. Petrus Chryſologus unde ita dictus, quo viſo creatus Archiepiſc. Ravennas. 523.2.c

P. Petrus Caniſius diſſidia, lites, odia ſua blandiloquentia perſanabat. 292.2.d *obedientiâ ſuâ vicit hæreticos.* 574.2.a

P. Petrus Faber tam in vita quàm morte fuit obedientiæ victima. 26.1.a

Phalangium enecat cum riſu. 336.1.c *phalangium genus aranearum noxium eſt.* 741.2.d

Pharao exemplar eſt vindictæ rebellium. 429.2.a *eius obſtinatio.* 576.2.c *ob eam malè periit.* 788.1.d

Phariſæi è philautia quadam in ſua cæcitate ſe obdurarunt. 725.2.c *horum obſtinatio tempore Chriſti.* 788.2.d *verbo Dei addebant ſuas traditiones.* 820.2.a

Phiala nomine metaphoricè vocatur lectus. 687.2.b

Philautia plerique laborant. 409.1.c *ea laborat homo maximè audito adulatore.* 791.1.c

Philippus II. Hiſpaniarum rex dictus eſt Prudens. 446.2.a *iræ fuit potens.* 484.1.a

Phil. Melanchthon Deo aſcribit bona & mala opera hominum. 476.2.d

Philomelæ formicarum ovis convaleſcunt ægrotæ. 126.2.b

Philoſophi priſci ab Hebræis ſuam hauſere ſapientiam. 198.1.b *philoſophorum Athenienſium qualia eſſent convivia.* 202.1.a *Philoſophi omnia fato tribuebant tam bona quàm mala.* 477.1.a *carentes veris virtutibus, gratia & gloria, ſectatores ſuos amiſere, fide inclareſcente.* 2.d *à vinolentia, gula, luxuria ex amore ſapientiæ abſtinuerunt.* 509.1.a *eorum multi opes ſprevere, ut toti philoſophiæ vacarent.* 633.2.c *cur facilè diteſcant.* 523.2.b *philoſophus idem eſt quod vir conſtans & mortificatus.* 559.1.b

Phlegmatici apti ſunt ad regendum. 446.2.a *ſunt aquei.* 832.2.d

Φλὲψ, id eſt vena, dicitur à Φλύειν, id eſt redundare. 453.1.b

Phrenetici ægri in medicos ſe curantes ſtomachantur. 730.1.d

Phrygia dabat multa mancipia. 800.2.c

Phylacteria Iudæorum quænam eſſent, & quem ad uſum adhiberentur. 148.2.b.149.1.a *& quatenus ea à Chriſto carpantur.* 149.1.a

Pica eſt avis Baccho ſacra, cur. 562.2.b

Pictoria ars in umbris & coloribus ſita eſt. 459.1.d

Pietatem colere rex imprimis debet. 681.2.b *pietas aliquando ſuadet peregrinationem ex uno loco in alium.* 745.1.a *ab omni liberat adverſitate.* 289.1.a *pietas in parentes eſt proxima pietati in Deum.* 24.2.d

Piger eſt mollis & diſſolutus, opera ſua diſſipat. 455.2.d 457.1.b.c *horret laborem, otium ſectatur.* 456.1.a *eſt effeminatus.* ibid.b *eſt ſimilis Ocno.* 457.1.b *& aſino.* 635.1.a *manus condit ſub axilla.* 501.2.b *præ extrema ignavia manum ori applicare vix ſuſtinet, ut famem pellat.* 501.2.c.d.727.2.a *non vult laborare ut cibum comparet.* 501.2.d *in meſſe panem petens, à nullo accipit.* 511.1.b.c *non erubeſcit ob penuriam exprobratam.* ibid.b *in hieme ob frigus laborare negligit.* ibid.c *ob otium ad egeſtatem redigitur.* 553.1.d *ex uno deſiderio in aliud labitur.* 570.1.d *fames & egeſtas [illegible] conſumunt.* 2.a.b *in ſuis deſideriis moritur.* 1.c *hæc eum aſſiduè cruciant, & ad mortem diſponunt.* ibid.d *imò ob hæc ſæpè ſibi mortem conſciſcit.* 2.c *ne cogatur laborare, fingit mille inanes metus & pericula.* 598.2.c.d.599.1.b *eius ager & vinea ob ſocordiam peſſum eunt.* 672.2.c.d *eſt flagellis regendus.* 714.1.a.b *indiget etiam fræno, quia debet à vitiis retrahi.* ibid.c *in lecto volvitur velut oſtium in cardine.* 726.2.b.& ſeqq. *etiam quiete utitur inquietè.* 727.1.b *eius contrarii motus.* ibid. *multa movet, ſed non promovet.* ibid.c *ipſe ſibi etiam videtur ſapiens.* 2.b.d.& ſeqq. *putat ſe beatiorem conſiliariis regum.* 728.1.a *eſt loquax & garrulus.* ibid. *item curioſus & dicax.* ibid.b *piger ſpiritualis non vult labores virtutum ſubire, & ideo in deſideriis ſuis moritur.* 570.1.d.2.d *incidit in mortem animæ, quin & mortem æternam.* 1.d.571.1.a *pigri in divino obſequio & hîc & in futuro ſuſtinent detrimentum.* 130.2.b.c *pigri ſunt ſomnolenti.* 129.1.d *ſunt torpidi, & evadunt fures.* 221.2.a *creant ſibi ſuo torpore paupertatem.* 234.1.c *ſua pigritia à fortibus ſubiugantur.* 296.2.d *quia nolunt laborare, nihil eorum quæ petunt obtinent.* 392.1.d *volunt & nolunt.* 2.a *eorum voluntas eſt torpida & languida, ut neſciatur, an velint an nolint.* 2.b *quidquid optant, optant inefficaciter.* ibid.b.c *eorum agri ac prædia inculta ſunt.* 273.1.b *ipſis videtur via virtutis dura, ardua & implexa.* 373.1.d vide Otioſi.

Pignus ſumendum ab ignoto pro quo fideiubes. 524.2.b

Pigritia effeminat. 456.1.b *eius comites & indices.* ibid. *reddit hominem torpidum.* ibid.d.2.a *opus cœptum deſtruit.* 2.c *pigritiæ damna.* 456.1.c.490.2.a.491.1.b *eius emblema.* 502.1.a *tota diffluit in cogitationes & otia.* 570.1.a *mater eſt mœroris, tædii, deſperationis.* 2.c *murmurationi eſt coniunctiſſima.* 726.2.c *pigritia ſpiritus quanta adferat mala.* 673.1.a *mater eſt egeſtatis.* 221.2.a.b *quantoperè animæ noceat.* 247.1.a *eius remedium eſt audire, legere, meditari verbum Dei.* 373.2.c

Pii venerentur ſapientiam. 24.2.a *lucem amant & oculos hominum.* 35.1.c *à Deo in temporalibus*

[...]bus proſperantur. 43.2.d *in aduerſis ſunt ſecuri & intrepidi.* 44.2.a.b *non umquam conqueruntur de impiorum proſperitate.* 79.2.d *iis nonnumquam dantur opes & gloria, nonnumquam negantur.* 173.2.d *eos tuetur Deus ab inſidijs impiorum.* 221.1.b.294.1.a *ſed ab his ad ipſorum probationem exercentur.* 224.2.a *at non nocent illis fraudulenta molimina ipſorum.* 294.1.a *in morte confidunt.* 354.2.c.d *eorum verbis reſpondent facta.* 360.2.a *pauca dicunt, ſed multa præſtant. ibid.* *ſua pietate vrbes armis indomabiles ſubiugarunt: probatur id exemplis.* 568.2.c.d *quomodo ſub regno impiorum inueſtigentur.* 773.2.d.774.1.c *pium eſſe inter improbos, ſignum eſt magnæ & probatæ virtutis.* vide *Iuſti, Sancti, Sapiens.*

Pilus vnus ſæpè ſtrangulat comedentem. 626.1.c

Pindarus princeps Lyricorum qua morte obierit. 159.1.d

Pinna Hebræis & angulũ & pinnam ſignificat. 556.1.d

Pinus ſymbolum puritatis & virginitatis eſt. 760.2.d

Piſces maiores minores deuorant. 603.1.b

Piſtillo nudior, caluior, retuſior *prouerbia quid ſibi velint.* 640.2.c.d

ad Piſtrinum relegantur homines contumaces. 759.1.c

Pitho fuit dea perſuaſionis. 212.1.c

Pittaci Mitylenæi clementia. 542.1.a

Placens Deo placari ſibi inimicos à Deo ſentit. 395.1.a *placet ſibi quiſque in conſilijs ſuis.* 409.1.a

Placidi ſunt coagulum ciuitatis. 394.2.a

Plagæ homini mentem & oculos aperiunt. 544.2.b.c 545.2.b.c vide *Tribulatio.*

Plato multa eſt è Salomone mutuatus. 2.2.c *mortis memoria ſtimulabat ſuos ad omnem honeſtatem.* 300.2.a *mendacium probans ſugillatur.* 304.1.a *docet regibus ſubinde licere mentiri.* 798.1.c *grauiter delirat dum vxores omnibus communes eſſe vult* 877.2.a

Plaudere eſt manibus pulſare in ſignum lætitiæ. 437.1.d

Plebeij ſæpè ſunt opulentiores principibus proportionaliter. 305.2.c

Plumbum liquatum ſecernit aurum à ſcoria. 421.1.c *eo argentum in igne conflatur.* 758.1.d.2.a

Pluuia in Palæſtina duplex eſt, in autumno & vere, vtriuſque ratio. 401.1.b *verna eſt ſymbolum regiæ clementiæ.* 2.c *pluuia ſterilis repræſentat imprudentem promiſſorem.* 692.1.c *pluuiæ vehementis noxa.* 767.2.b.c

Pœmen Abbas prædixit ſe à feris liberandum, quia alium ipſe noluit liberare à feris. 667.2.d *diaconum ſuum à dæmone petitum molli reſponſo liberauit.* 359.1.b

Pœna peccato annexa eſt velut funes. 121.1.c *ſemper perſequitur peccatorem.* 317.2.d *pœnæ gehennæ ſunt funes peccatorum.* 121.1.d *pœnæ impiorum tendunt ad Dei gloriam.* 392.2.c *pœna nocentium tuetur innocentes.* 506.1.a *ſapiens pœnam noxæ impoſitam prudenter declinat.* 584.1.a

Pœnitens gaudet compungi, & lacrymis quaſi epulis paſcitur. 333.1.b

Pœnitentia auroræ aſſimilatur. 94.1.a *dictamo herba repræſentatur.* 159.2.a.b *eſt in hac vita numquam ſera, ſi vera.* 41.2.c *eſt conuerſio à peccato ad Deum.* 357.2.a *pœnitentiæ labor perditionem profligat.* 409.2.d *pœnitentia modica cum mentis hilaritate melior eſt magna corporis afflictione cum murmuratione.* 419.2.d *pœnitentiam in hac vita agere nolens, poſtea non habebit ad hoc tempus.* 511.2.a *iam amara eſt, at in cælo dulceſcet.* 522.1.c *eius vis in peccatis abolendis.* 545.1.c *eius tres partes.* 775.1.b *pœnitentiæ ſunt proportionandæ viribus corporis.* 621.2.c vide *Compunctio.*

Politici ſunt ſeditionum folles. 411.1.a *regnandi cauſa ius violant.* 425.2.b

Pollex dexter morſus iram & malum indicat. 411.2.d

Πῶλος non modo pullum equinum, ſed & cuiuſuis animalis ſignificat. 116.2.d

Polyarchia non tam regimen quàm ſeditio eſt. 766.2.b

Polygamia Iudæis erat licita. 115.1.b

Polypus quomodo hoſtem declinet. 584.1.a

Poma aurea fabrefacta lectos argenteos exornant. 686.1.d.688.1.d *poma aurea & cidonea olim menſis inſpergebantur.* ibid.1.d.cur.2.b

Pompa plerumque nihil habet vtilitatis & fructus. 692.1.a *pomparum mundanarum fugacitas.* 622.1.c

Pompeji ob magnitudinem gratiæ, ſugillantur. 683.1.b.c

Pondera cur eſſe debeant ænea vel lapidea. 251.1.a *eorum æquitatem inculcat Deus. ibid.c* *pondera vocantur etiam libramenta.* 189.2.b *ponderum ius à Deo eſt.* 398.1.b *ea in æqualia odit: ea qui habet, peccat in iuſtitiam.* 519.1.a

Pontifex Hebraicus erat verus iudex controuerſiarum iuris. 397.2.c *Pontifices noui teſtamenti in decretis fidei & morum, Chriſto dirigente, errare nequeunt. ibid.d* *Pontifices pij orbem lætificant.* 789.1.d

Populus exultat ſub principe bono. 789.1.c *ſcitè foliis arborum comparatur.* 260.1.d *eius incrementum, multitudo, proſperitas, regis eſt dignitas & laus.* 347.2.d *& robur.* 348.1.a *eius decrementum, infelicitas, paucitas, regis & probrum & ruina. ibid.a.b* *cur eius iudicium circa res gerendas princeps exquirere debeat.* 375.2.a

Porci fœditas & natura. 267.2.d.& ſeqq. *huic laſciuæ mulieres comparantur.* ibid.

iudicia olim fiebant in Portis. 36.1.d

Porticus templi Salomonici erant tres ſingulæ XLV. habebant columnas. 197.2.b

iudices in Portis olim ius dicebant. 608.1.b.886.1.b

Poſſeſſio capitur pedis impoſitione. 586.1.a *poſſeſſio ſpiritualis quæ ſit.* 650.1.c *poſſeſſio rei acquiritur emendo.* 86.2.d *poſſeſſio ſecura eſt Deus.* 74.1.b

Poſt formicam apis *prouerbium quid ſignificet.* 129.1.b

Poſteri per lucernam repræſentantur. 529.1.a

Potatores videntur in vino habitare. 639.2.c.d

cur Potentem plerique timeant & ament. 478.2.c *hic pauperem non opprimat.* 608.1.d *in potente non eſt ſpes defigenda.* 623.2.b.c

Potentia ſæcularis eſt velut gladius, quo peruerſi iuſtos opprimunt. 587.1.a *potentia pernicioſa pennis aquilinis repræſentatur.* 623.1.c.2.a *potentiæ omnes obediunt obedientibus Deo.* 395.1.b *omnes potentiæ animæ, ſenſus, vires, cogitationes, actiones Deo offerendæ ſunt.* 617.2.d *non ſunt nimietate obruendæ vel eneruandæ.* 696.1.c *potentia creata non poteſt eſſe longa & continuò attenta.* 884.1.a

Poteſtas virgâ denotatur, eaq́; hominem premit & opprimit. 592.1.c *poteſtas regnandi deſcendit à Deo.* 170.1.d

Præcepta Dei ſeruans liber erit à pœna. 312.1.c

Præceptoris inſtitutio ſimilis eſt perpendiculo. 435.2.a

Præcipitantia quàm ſit noxia. 531.2.a.b

Præcocia citò flacceſcunt. 531.2.c

Præda

Præda nomine vocantur cibi à muliere forti ſeruis & ancillis dati. 875.2.c.& ſeqq.

Prædantes alium tandem fiunt præda. 254.1.c

Prædatus innoxios fit alijs præda. 254.1.c.603.1.a.b.d 2.a.b

Prædeſtinatio Caluiniſtarum refutatur. 392.2.a.b *prædeſtinatio filiorum pendet ab educatione parentum* 629.1.d *prædeſtinationis ſuæ nuntium qui accipit, eſt quòd gaudeat.* 383.2.b

mos Prædicandi in foris & compitis, viris Apoſtolicis eſt & fuit in vſu. 26.1.a.b

Prædicatione alios fraudare, eſt ſpiritualiter frumenta recondere. 172.2.b

Prædicatores è locis editis ad populum concionantur. 163 1.c *ſunt velut ancillæ Dei, & ad Dei cultum & Eccleſiam omnes vocant.* 204 2.b *bobus repræſentantur.* 325.2.a.b.c *debent alì à fidelibus.* ibid.d *prædicatores doctrinæ veræ & ſalutiferæ teſtes ſunt veraces.* 346.2.a *prædicatores ſuperbi & arrogantes in increpando, ſigillantur.* 324.2 c vide Concionator.

Prædones ſimiles ſunt auibus pennatis & rapacibus. 34.1.d *quibus verbis alios ad ſui ſocietatem pelliciant.* 29.2 a.& ſeqq.30.2.a.b.31.1 c.2.b *eorum immanitas.* 30.1.c *cum ijs verſari eſt periculoſum.* 32 1.c.d *ſibi ipſis tendunt laqueos.* 33.2.c.d *viatorem doloſè in auia deducunt, vbi eum exſpoliant.* 411.1.b

Præfecti auari prouinciarum rectè ſanguiſugæ appellantur. 831.2.d

Præfidens ſuo ingenio aliorum monita ſpernit, nec quidquam vult addiſcere. 328.2.c

cur Prægnantes *ex femella ſint moroſæ & iracundæ.* 487.1.d

Prælaturam ambientes ſibi ruinam accerſunt. 435.1.c *non eſt ea danda indignis.* 717.1.b *nec lucro deditis.* 722.1.c

Prælatus dominetur paſsionibus ſuis. 481.2.d *eſt velut ſol.* 516.2.a.b.c *eum decet vita auſterior.* 525.1.d *ei maledicens, eius proſperitas exſtinguitur.* 530.2.a

Prælati ſunt fideiuſſores pro ſalute ſubditorum. 123.1.c *prælati prout ſunt, ſic ſunt & ſubditi.* 351.2.c *ne ſint inuidi.* ibid. *habeant linguam quæ aliorum morbis medeatur.* 362.1.a *actionem miſceant contemplationi.* 618.1.c *cuiuſque ſubditi vultum, mores & actiones inſpiciant.* 761.1.a *eorum gloria ſunt ſubditi bene morati.* 424.2.b *in leone repræſentantur, per multas analogias.* 849.1.c.d *excubent in Eccleſia.* 892.2.a *diſciplinam ſeruari faciant.* 893.1.a *Prælati pij orbem lætificant.* 789.1.d vide *Epiſcopus, Paſtor.*

Præmia tum huius, tum futuræ vitæ Deus rependit pro menſura meritorum. 398.2.b

Præs & vas quomodo inuicem diſtinguatur. 610.2.d

Præſens tempus ſæpè ponitur pro futuro. 411.1.d

Præſentia Dei vbique habenda. 62.2.a.360.2 d *ea virtutis eſt ſtimulus.* 150.2.a

Præſepe Domini viſitur Romæ in templo B. Mariæ Maioris. 164.1.b

Præuaricatio Hebræis ſæpè idem eſt quod diſcordia, rebellio, ſchiſma, apoſtaſia. 437.2.b

Præueniens partem offenſam, magnanimus eſt. 510.2.a

ante Præuiſionem *peccati neminem decreuit Deus damnare.* 292.2.a.b

Praga in feſto omnium Sanctorum ab Imp. Ferdinando II. occupata. 536.1.c

quomodo Preces Sanctis *factæ dicantur deuorari.* 536.2.b.c vide Oratio.

Pretioſus in Script. ſæpè idem eſt quod rarus. 446.1.b pretioſus ſpiritu *quis vocetur.* 445.1.d.446.2.a *pretioſa ſapiens comparat & aſſeruat.* 567.2.b

Pretium meretricis vix eſt vnius panis. 140.1.c *id quàm eſſet exiguum.* 2.a

Priapus an idem ſit cum Moloch, eiuſque cultus. 55.1 d

Primitias ſingulis quare Iudæi Deo offerrent. 65.1 d *quis primitias ſpirituales Deo offerat.* 2.b

Primogeniti ſemper in regno & principatu ſuccedunt. 412.2.c

princeps fortes & ſapientes deligat iudices & officiales. 22.1.b *reipubl. bonum ſpectet, non ſuum.* 2.a *princeps bonus regnum florens reddit, malus exhaurit & peſſumdat: aliæ vtriuſque contrarietates.* 348.1.b *princeps Deo nitatur, ab eoq; ſe regi ſinat.* 397.2.a *indignationem in aliquem conceptam exteriùs oſtendere non debet.* 400.1.b *eum dedecet mendacium.* 424.2.d 425.1.a *eius verbo nititur & regitur reſp.* 425.1.c *ſua dicta honeſtè retractare nequit.* ibid.d *acriter in rebelles ſæuit.* 429.1.d *eum offendere non eſt bonum, quia Deus eius iniurias æque vindicat ac parentum.* 444.2.c *cur antonomaſticè vocetur iuſtus.* ibid.d *eum percutiens totam remp. percutit.* ibid. *eum decet liberalitas.* 478 2.b *eum colit vir bonus, adulatur improbus.* 479.1.c *ſæpè ex ira, ſi ſe vlciſci nequeat, apoplexia tangitur & exanimatur.* 485.2.d *amat ſecreti tenaces conſiliarios.* 514.2.d *eius decreta æqua quantum auctoritatis habeant.* 516.1.a *ei maledicentis lucerna extinguetur.* 430.2.a *eius miniſtris ſecretò danda ſunt munera.* 561.1.d *à principe epulo lauto exceptus, gratum ſe illi præbere debet.* 414.1 b *quæ attentio in hoc conuiuio adhibenda.* 2.a.b *eius menſa periculoſa eſt.* 615.1.c *eius epulæ ſæpè veneno inficiuntur.* 620.1.a *quare ei detur à ſubditis oſculum.* 669.1.a.670.1.c *iram moderetur, & caſtigationem differat.* 693.1.b.c *non fert aliorum indignationem.* 2.b *magno ingenio & capaci animo ſit oportet.* 723.2.d *debet dominandi appetitum moderari.* 757.1.b *ſubditos non grauet tributis & exactionibus.* 761.2.d.855.2.d *debet publica ſubditorum ſcelera coërcere.* 767.1.b *curet vt pauperes & agricolæ careant litibus.* ibid d *nec eos aſperè alloquatur, ſed blandè.* 856.1.b.c *ſit tutor pauperum, miſerorum & viduarum.* 864.2.d 865.2.c *non ſit in iudicando præceps.* 865.2.a *peregrinos tueatur.* ibid.b *eſt animata lex.* 786.2.d *veritas ei ſit cordi.* 797.2.d *qua arte eius gratia colligenda ſit.* 844.2.c *princeps ſacras res inuadens, Eccleſiam & remp. euertit; ſed à Deo tabione punitur.* 790.1.b *princeps ſibi imperare neſcius, peſſimus eſt.* 794.1.d *princeps adulatoribus auſcultans, ſit improbus, & improbos habet miniſtros.* 796.1.d *ſi paſcatur mendacibus calumnijs, cauſa eſt vt miniſtri talibus innocentes opprimant.* 2.a *princeps impius Deum ſentiet iratum, itaq; regnum opprimet calamitas.* 773.2.a.b *vrſo & leoni comparatur.* 776.2.d.& ſeqq. *& pius cani.* 777.1.a *eſt peior carnifice.* ibid.d *nil facit gratis, ſed ob quidlibet exigit munera.* 2.a *quis ſit princeps impius.* 778.1.c.d *princeps blandus facit vt ſubditi ei pareant in legibus & oneribus.* 693.1.c.d *principes ſint benefici.* 60.1.a *ſunt fideiuſſores pro ſalute ſubditorum.* 121.1.c *eorum dotes quatuor.* 168.2.b.170.1.b *regnum & regendi ius*

di ius à Deo accipiunt. 170.1.c *ſæpè ſunt pauperes & vnde.* 305.2.c *cur in multis opibus ſint pauperes.* 319.1.d *eos peius eſt inuidere quàm inuideri.* 351.2.d *principes qui conſulere alios nolunt, nihil perficiunt, rei gerendæ occaſione iam elapſa.* 375.1.c *principes boni ob peccata populi citò ex hac vita tolluntur.* 766.2.d *at ſub populo bono diu imperant.* 767.1.a *faciunt totum regnum bonum, contra mali.* 786.2.d 789.1.b *ſub bonis exultat populus & reſp. ſub malis gemit.* 789.1.b.c *principes ſeueri cauſa ſunt multorum malorum in ſubditis.* 705.1.b *principes ſancti fuere ſubinde Prophetæ veri.* 397.1.d *pleriſque principes in antiquo teſtamento fuere paſtores.* 761.1.a vide Rex.

Principium *capitur aliquando pro principatu, & eo quod eſt aliqua in re præcipuum ac princeps.* 23.2.c.d. 87.2.c. 178.1.b. 179.1.c *quomodo principium ſapientiæ ſit, eam poſſidere.* 87.1.c.d.& ſeqq.

S. Priſco fame afflicto ceruus lac præbuit. 117.1.b

Probare *per metalepſin multa ſignificat.* 420.2.d

Probitas præſtantior eſt libertate. 420.1.a *eius eſt omnibus bonum, nulli malum facere.* 558.1.d *ea familias adauget & roborat.* 648.2.b *plurimum valet ad regimen.* 794.1.d

Probrum proximi non eſt in lucem proferendum: id qui facit, in charitatem peccat. 237.1.a *probra non ſunt probris retundenda.* 258.2.d *amicitiam diſſoluunt.* 449.1.a

Probus Salomoni vocatur ſapiens. 218.1.a vide Iuſtus.

Probus Imp. milites laborioſos requirebat. 185.1.c

Procella eſt ſymbolum impij. 245.2.a.b

Procus iuxta angulos domus amaſiarum obambulans. 151.1.b

S. Proculus Martyr Bononienſis caput reciſum à terra ſuſtulit & geſtauit. 27.1.b

Prodigi ſua conſumunt viuendo luxurioſè: ſunt furioſo ſimiles, hinc dantur ijs curatores. 789.2.d

Proditores ſolent ſocijs oculo annuere. 230.1.c *cauendi ſunt.* 527.2.d *eorum domus funditus delentur, & ſale aſperguntur.* 539.1.a

Profectus filij diſcipuli eſt gaudium patris & magiſtri. 629.2.c. 630.1.c

Profundum peccatorum quid dicatur. 451.1.a.b.2.a.d *eius dimenſiones.* 2.d

Prolium educatio propriè matrum eſt. 893.2.c *quia & plus matrem quàm patrem referunt.* 902.1.d *proles ex vxore quærenda eſt, non aliunde.* 115.1.a

Promethei lucē è cælo furantis fabula exponitur. 539.2.c

Promiſſa non præſtans propriam quærit ruinam. 438.1.b *ea tribus de cauſis non implentur.* 692.1.d

Promiſſionis mendacis ſtultitia. 692.2.a.b

Promittens multa, nec ea implens, ſimilis eſt nubi ab Auſtro coactæ, nec pluuiam danti. 697.2.b.& ſeqq. *promittens aliquid temerè, poſtea remorſu conſcientiæ pungitur, ſi id implere nequeat.* 292.2.b

Pronomen reciprocum Hebræis eſt idem quod abſolutum. 324.1.b *pronomina* mihi, tibi *apud Hebræos & Latinos per pleonaſmum ſæpè redundant.* 605.2.c

Propenſio ſpectanda eſt in puerorum inſtitutione. 587.2.b

Prophetæ in montibus degebant. 163.1.b *cur vocentur ancillæ Dei.* 204.2.b *fuere legati eius fideles.* 315.1.d *frequenter mutant perſonas inter ſcribendum.* 329.1.c *quales fuerint prædicatores.* 236.1.d *Meſſiæ aduentu nuntiato, exſpectantes eum Iudæos mirè recrearunt.* 706.2.c *eorum oracula ſunt velut faui.* 660.1.b *cur dicti ſint, Videntes.* 799.2.a *ijs ceſſantibus inualeſcit iniquitas.* ibid.b *erant velut concionatores à Deo ad peccantem populum miſſi.* 799.2.a *cur dici poſſint vomentes.* 811.2.a *diuina patiuntur.* 812.1.d *quid differant conicctoribus.* 858.2.d

Prophetia quàm varia ſignificet. 799.2.d *tam læta quàm minax vocatur* onus. 812.1.d

Propinqui apud Hebræos quod iūs haberent. 627.1.a

Propoſita bona manè ſunt concipienda. 273.2.a *ab ijs pendet felix totius diei decurſus.* ibid.b

[illegible] *tam faciem quàm perſonam ſignificat.* 192.2.a

Proſperitas impiorum in magnam deſinit calamitatem. 43.1.b.c *ea magis timenda quàm aduerſitas.* 2.a *maius ab illa periculum ſapienti quàm ab hac* 1.d *ipſa impijs non eſt inuidenda.* 79.2.d *enecat virtutem.* 227.1.c *ſemper eſt mixta aduerſitati.* 337.1.a.b *eſt filijs promiſſa ad bonos parentes.* 131.1.d *proſperitas non eſt impijs inuidenda* 630.2.c.d. 631.1.c. 647.2.a *ea breuis eſt.* 666.1.a.b *inducit Dei contemptum.* 821.1.d.& ſeqq.

Proſtibulum eſt domus mortis & gehennæ. 160.2.b

Proteus eſt forma gubernatorum. 260.2.a *eſt ſymbolum doloſorum.* 555.2.d

Protoplaſti ob linguam non cuſtoditam paradiſo ſunt pulſi 362.1.c

Prouentus impiorum è labore vſurpatur ab ijs ad peccatum. 235.1.c *prouentus optimus eſt qui ex agro colligitur.* 650.2.d

Prouerbium quid ſit propriè. 12.1.b *ſæpè cum parabola & parœmia confunditur.* 1.b *prouerbium vnde dicatur.* 13.2.d.& ſeqq. *eius definitio.* 14.1.b *in quo eius gratia conſiſtat.* ibid.d *prouerbia multa de loquacibus.* 480.2.d *Prouerbiorum Salomonis ſtylus & profunditas.* 438.2.c *eorum elegantia.* 667.1.c *ſunt diuiſa in tres partes.* 606.2.b *an carmine ſint conſcripta.* 677.2.b

Prouerbiorum libri quod ſit argumentum. 1.1.b.& ſeqq. 2.1.b *eius authoritas canonica.* 2.1.a *eſt à Salomone conſcriptus, ſed quædam prouerbia ſunt ab alijs digeſta & diſpoſita.* ibid.d *eius partes primariæ ſunt duæ.* 2.b *eius gnomæ non habent ordinem & connexionem.* 3.1.a. *quo ſtylo ea ſint conſcripta.* ibid.c *olim in ſynagogis decantabantur.* ibid. *eorum liber quomodo inſcribatur* 2.a.b *quàm variam contineant materiam.* ibid.b *notant quid ſæpè fiat, non quid ſemper.* ibid.c *eorum ſapientia.* 4.2.a.b *vocantur à Patribus ſapientia Salomonis.* ibid.c *eorum dignitas & vtilitas.* 5.1.c *quis eorum ſcribendorum finis & ſcopus.* 2.b.c *omnium virtutum documenta tradunt.* ibid.c *an accenſenda ſint hagiographis, an propheticalibus.* ibid.d *ſunt velut oracula.* 14.1.c *in ijs ſæpius Dei attributa inculcantur.* 15.1.d *in ipſis quæ lateat elegantia ſæpè poſterius eorum membrum oppoſitio eſt prioris, apertè, vel occultè.* 217.1.a. 229.1.a *in ijs nonnullæ gnomæ ſunt meræ ſimilitudines, quædam etiam ſunt de euentis huius vitæ.* 217.2.a *nonnullæ ſunt comminatoriæ, aliæ promiſſoriæ; quædam ethicæ, quædam œconomicæ, aliæ politicæ: non habent connexionem aut ordinem.* ibid. *eius gnomæ breuitate ſua acutæ ſunt.* 263.2.d

Prouidentia tam futura quàm præſentia circumſpicit. 475.2.b *prouidentiæ diuinæ nititur homo in omnibus operibus ſuis.* 390.2.d. 498.1.b.c *ipſa non eſt in-*

cuſanda ob iuſtorum afflictionem, impiorum proſperitatem. 416.1.b.c ipſa regit res humanas. 2.b.c curat ſtudia, affectus & opera hominis in hac vita. 534.2.c pios ab omni malo tuetur. 597.2.d ei ſe reſignent tam pauper, quàm diues. 797.1.d menſæ op paræ aſſimilatur. 203.1.c

Proximum deſpiciens ſtolidè facit. 258.2.b.c ſed eius vitia velanda ſunt. ibid.d proximum egentem deſpiciens peccat ſuperbia & inhumanitate. 342.1.a qui Proximum aliter cenſurat ac ſe, duplici vtitur pondere 519.1.b.d proximi carnem edit detractor. 632.2.d proximus in vitæ periculo conſtitutus eripiendus eſt. 657.1.d proximus non nimis crebrò adeundus, maximè vt quid ab eo petatur. 697.1.a

Prudens & prudentia vnde dicantur. 61.1.d prudens ſocium loquentem non deludit. 259.1.b dum reprehendit, ſanat, non vulnerat: ſecus imprudens. 292.1.d cuilibet famæ temerè non credit. 296.1.d cur dicatur thronus intelligentiæ. ibid.& ſeqq. omnia agit conſideratè. 314.2.a facilè diſcit & docet prudentiam, ſiue doctrinam. 328.1.b.c ad actiones ſuas reflectit, vt eæ ſint rectæ. 330.1.a non facilè omni verbo & conſilio credit. 338.1.d ita operatur, vt fructum expectet à ſolo Deo. 405.2.d loquitur rarò. 445.2.a.b & conſideratè. ibid.c.d orditur ſermonem à ſui vituperio. 464.1.a ad omnes actiones reflectit. 475.2.b lentè ad opus progreditur. 476.1.a ſeipſum à multis malis & infortunijs immunem præſtat. 480.1.a tardus eſt ad iram & vindictam. 482.2.a.b.d.483.1.b quare in actionibus ſuis ſit proſper. 534.2.c præuidens pericula, illa prudenter declinat. 583.2.c 584.1.a.b rationes commodas inuenit, & vitat contrarias. 648.1.d vide Sapiens.

Prudentia & doctrina qui differant. 16.1.a.& ſeqq. prudentia decet præfectos & gubernatores. 21.1.d 2.c parat opes & gloriam. 173.2.d. eſt virtutum princeps, regina, lux. 209.2.c.210.1.b de ea apologus. 210.1.b à prudentia in loquendo & agendo quiſque noſcitur. 284.1.a quid ea requirat in loquente. ibid.b. prudentia ſapientis eſt intelligere actiones ſuas: at impiorum, eſt machinari dolos & fraudes; ſed hæc illorum ſapientia ſumma eſt inſipientia. 330.1.c prudentia in dicenda ſententia tam in conſilio, quàm extra illud, ſeruanda. 376.1.a prudentia agendi vel dicendi conſiſtit in particulari, imò indiuidua rerum periſtaſi. ibid. in ſenibus viget. 412.2.a reddit onera ſpiritus portatu facilia. 461.2.d non præſentia ſolùm, ſed & præterita ac futura proſpicit. 475.2.b eſt oculus animæ. ibid. & mater prudentiæ. 482.1.b dictat miſericordiam. ibid. reddit hominem longanimem & dominum iræ. 2.c eius ſignum eſt longitudo narium. 483.1.a eius elogium & encomium. 567.1.c eſt virtutum omnium modus, hinc ei modus poni nequit. 620.2.d ædificat & perficit domum tum materialem, tum ciuilem. 648.1.c.2.d.649.1.a.b eſt in conflictibus & bello adhibenda. 652.1.b item in bello ſpirituali. ibid.d non reperitur in ore ſtulti 717.1.d nec eum decet. 2.b prudentia naturalis poteſt corda aliena penetrare tripliciter. 756.2.c in ariete deſignatur. 850.1.b vide Sapientia.

Pruritus ſymbolum eſt voluptatis. 525.2.d

Pſittacus biennio primo vitæ facilè addiſcit, in ſenio obſtupeſcit. 589.1.c.629.2.a

Ptiſana quid ſit: eius vſus in febribus. 758.2.d

Ptolemæo Lagi optimè ſapuit panis cibarius in fame. 743.2.a

πτωχὸς deriuatur à πτώξ, id eſt pauper à pauidus. 233.2.c

Pubertas quare ſit noxia & periculoſa. 54.1.c.d

Pudicitiæ elogia. 115.1.c theſaurus pretioſus eſt. 737.1.a vix ſtat cum forma. 898.1.c 2.b

Pudor impedit hominem ne peccata confiteatur. 465.1.a is per pœnitentiam curari debet. 545.1.c etiam ipſæ animæ morbum ſanat. 2.a eſt virtutis comes. 315.2.c.d.& ſeqq.

Puella indiget duce & cuſtode, cur. 54.1.c puellæ innuptæ ſua tegunt vitia. 470.2.c

Pueri etiam in certaminibus coronas accipiebant. 26.2.a ſunt ſchema hominum carnalium. 36.2.c.d ſunt obliuioſi. 78.2.a eorum mentes ſunt vanæ & ſtolidæ. 86.2.b ſæpè martyrium obiere & ambiere. 135.2.b facilè diſcunt, & quæ didicere vſque ad ſenium retinent. 172.2.a B. Virgini cariſſimi ſunt. 173.1.d.2.a ignaui, & imperiti, & cupidi quæ ſint neceſſaria. 18.2.a.b ſunt ad Chriſtum adducendi. 207.1.c non facilè capiunt præcepta ſapientiæ. 328.1.d ſunt in credendo faciles. 338.1.b.c ab ijs eſt ſuſcipienda bona diſciplina patris & matris. 25.1.a à puero ſtudendum virtuti. 84.2.d eorum natura non facilè ex operibus cognoſcitur. 519.2.b ſæpè ſunt alij in pueritia, quàm futuri ſunt in ſenio & ætate virili. ibid.520.1.c.587.1.d.2.d.588.1.a.b.2.d ex primis eorum operibus facilè colligitur qualia eorum ſint futura opera in ætate maiori. 519.2.c ſæpè diſſimulant ſua interna vitia 136.2.c eorum cura maxima in rep. habenda. ibid. plerumque retinent modum viuendi, quem à teneris imbiberunt. 587.1.d probitas eis inſtillanda ſenſim, idque ab incunabulis. 587.2.a.589.2.a & pro propenſione cuiuſque. 587.2.b & cùm ratione vti incipiunt. ibid.c eorum mens eſt quaſi tabula raſa. ibid. ſtatim Deo ſunt dedicandi. 588.1.a cùm ratione vti incipiunt, tenentur ad Deum conuerti per actus virtutum. ibid.d eorum inſtructio velut tirocinium militis eſt. 2.a & velut tinctura. ibid.d item innouatio. 589.1.a ſunt petulantes, ideo pædagogo opus habent. 589.2.a ſunt velut animal brutum, vnde virga in rectam ſunt compellendi. 601.1.b.c eorum natura ex ſe bona eſt. ibid.c eorum mens eſt leuis & volatica. 2.b quanta ſit eorum laſciuia. ibid.d cur doceri debeant muſicam. 602.1.b virgâ refrænandi ſunt. 628.2.a.b & ita à morte liberantur. ibid.d.& ſeqq. ſunt domandi ceu pullus equinus. 798.2.a.b

Pueritia eſt aurora totius vitæ. 320.2.d præludit virilitati. 520.1.a.c

Pugna eſt laqueus cædium. 610.1.b

S. Pulcheria virum ſuum & fratrem pios reddidit & potentes. 886.2.b

Pulchritudo meretricis ſæpè eſt fucata, & aliunde mutuata. 105.1.a pulchritudo mulieris quàm ſit illecebroſa. 138.2.c ab illa ſunt oculi auertendi. 134.1.a.141.2.a ea mulieri loco dotis eſt. 262.2.b eaque eſt fulcrum gloriæ tam ſuæ quàm viri. ibid.b non conuenit ea mulieri ſtultæ, & cur. 267.1.b.c hanc mulier impudica deturpat. ibid.d hæc auro ſplendenti comparatur. 2.a.b item circulo aureo ſuum. ibid.c item gladio. ibid.d pulchritudo corporea in tribus ſita eſt. 897.2.c

tur vana ſit. 898.1.a.c *ineſcat mentes virorum.* 2.b *eius epitheta.* ibid.c.d *pulchritudo corporis ſæpè eſt ſpecimen formæ animi.* 899.1.b *pulchritudo vera eſt timor Dei.* ibid.d vide *Forma, Mulier.*

Pulli animum parentibus per omnia obſequuntur & audiunt. 633.2.d *pulli coruorum vndenam in nido viuant.* 834.1.c *ſunt in parentes immites* ibid.d.2.a.b

Pulpito rectè prædicatur verbum Dei. 36.1.c

Pulſus arteriarum qualis in triſtibus, qualis in lætis. 440.2.c

Pulus tineas procreat. 703.1.a

Punitio impiorum per iudicem vel regem, Deo & populo placet. 668.1.b.c

Pupillæ etymon, Latinum, Græcum, Hebraicum. 147.2.b *ipſa tribus propugnaculis munitur.* 148.1.c *eius vſus.* ibid. *totum mundum in ſe continet.* ibid.d

Pupillorum iura non ſunt violanda. 626.2.d *ſunt Deo curæ.* 627.1.a.b

Puritani Angli dictorum ſunt ſeruantes, etiam in malo. 532.1.b

Puritas cordis Deo gratiſſima eſt. 597.2.a *puritas verborum Dei.* 819.1.b

Purpuræ non eſt lapis inuoluendus. 718.2.d *ipſa charitatis eſt ſymbolum.* 884.2.a

Puſillanimis aduerſam fortunam vix ſuſtinet. 460.1.d 2.b *imò nec ipſe ſuſtinetur.* 2.c.d *nihil ferre poteſt.* 461.1.c *eſt laudandus, vt magnos animos induat.* 758.1.c

Puſillanimes ſunt parui animi & impatientes. 149.1.c

Puſillanimitas cauſat animi debilitatem. 656.1.a.b

Putei eo ampliùs redundant, quo plus aquæ ex iis hauritur. 514.1.a *puteus profundus & anguſtus eſt typus meretricis.* 636.2.b

Putredo corrumpit dentes, alioqui inuiolabiles. 698.1.d *putredinis remedium mel eſt.* 227.1.d *& cedrus & balſamum.* 2.a

Putrefactio vnius partis inficit alias. 226.2.c *vnde ipſa fiat.* ibid. *quid ſit: primò putreſcunt humida, deinde ſicca: omnia putreſcunt præter ignem.* ibid.d *res putreſcunt faciliùs æſtate quàm hieme, in tepore quàm in feruore, in quiete quàm in motu.* 227.1.a

Pyrrhus Epiri rex ob dominandi libidinē periit. 357.1.a

Pythagoras aurea corona ſolitus redimiri ob inſignem ſapientiam. 27.2.d *otii fugam ſuis ſuadebat.* 127.1.c

Q*Vadrageſimale ieiunium à quo die ſit inchoandum* 856.2.c

Quadrimembres parabolas vſurpat Salomon in cap. xxx 810.2.d

Quæſtionum Hebr. in libros Regum liber an ſit propriè S.Hieronymi. 4.1.d *Quæſtio vna diuerſas ſuggerit reſponſiones.* 755.2.b *quæſtiones conuiuales non ſunt continuæ, ſed diſſectæ & ſolutæ.* 606.2.d *eæ olim erant in vſu.* 607.2.d.625.2.a *quid in earum ſolutione obſeruandum.* 614.2.a *quæſtiones vndequaque mittuntur ad ſapientes & doctores reſoluendæ.* 607.2.c

quod in Quaternariis gryphorum Salomonis vltimo loco ponitur, eſt in eis ſummum. 826.1.b.828.1.d

Quercus & iuglandis antipathia. 623.1.d

Quies animi eſt fructus iuſtitiæ. 295.1.d *oritur à timore & amore Dei.* 500.2.d *quies ab hominum turbis condixit ad contemplationem cæleſtium.* 557.2.d.& ſeqq.

Quietæ vitæ commoda. 419.1.b.c

R*Abbini in Ioſeph Patriarcham iniurii ſunt.* 479.2.a *eorum pauci nouerunt SS. Trinitatis myſterium.* 818.1.b *id moderni negant.* ibid.

Radix iuſtorum eſt gratia, Deus, Chriſtus, æternitas. 280.1.b.c

Rapere ſomnum quid ſit. 92.1.c *rapere idem eſt quod abripere ſe, vel raptim repottare, item raptim ac feſtinanter ducere* 496.1.c.d *item per vim aut feſtinanter, ſiue cum ira trahere, euellere, auferre.* 2.a

Rapina rapit direptores, quo ſenſu. 554.2.b *eſt velut ſerra conſcientiam diſſecans.* ibid.c *eius damna.* 270.2.c

Raptores alienorum & ſacrorum plerumque ad paupertatem rediguntur. 497.1.a.b *opprimuntur à fiſco & exactionibus principum.* 603.1.c.d *ſperant ſe in morte facturos reſtitutionem, itaq́; ſibi imponunt.* 536.1.a.b *raptores opum iniquarum miro erga eas affectu detinentur.* 554.1.b *mortem horrent.* ibid.c *timent infamiam, & punitionem iudicis.* *heredes eorum in male parta ſuccedunt.* ibid.d *ſemper habent vermem conſcientiæ.* 2.d

ex Rapto non eſt hoſtia offerenda. 572.1.a b

Rara ſunt pretioſa, & cara. 213.2.c.d.697.1.a.b

Ratio in capite, quaſi in arce à Deo eſt collocata. 163.1.c *non eſt concupiſcentiæ ſubdenda.* 254.2.d *eius ſanitas eſt ſanitas cordis.* 350.2.b.c

vſus Rationis cùm incipit in puero, tunc eſt erudiendus. 587.2.c *eam eripit vinum.* 508.2.c *eius naufragium fit in ebrietate.* 644.1.b.645.1.b.c *eâ tunc amiſſâ in quæ pericula homo incurrat.* 644.1.a.b *ipſa eſt velut rex, in homine ſolium regni & iudicii occupet.* 517.1.a *per lucernam repræſentatur.* 528.2.d.534.1.a *eius tribunal in homine eſt.* 555.2.c *ratio & concupiſcentia iugiter inter ſe digladiantur.* 457.2.d *quàm fortiter illa huius motus debeat deprimere.* ibid.

Raucedo vocis gallinaceorum vnde proueniat. 841.1.d

Reate eſt vmbilicus Italiæ. 64.2.a

Reatus poſt culpam peccati remanens, eſt velut funis 120 2.d *eſt peccati vncus.* 792.2.a

Rebellio per dæmonem vel carnificem plectitur. 429.1.d *item per quemuis alium fortiorem, à quo contundatur* 2.b *rebellio in regem maximè & ſtatim punitur.* 666.2.c.667.1.b.2.b

Rebellis ſtudio quærit mala, & nonniſi mala. 429.1.c *ſibi potiùs quàm Superiori malum creat.* ibid.d *ſemper in ſua rebellione pergit.* 2.b *ſolet ob eam capite mulctari.* 792.1.c

Reconciliatio per inaurem repræſentatur. 690.1.c

Rector omnis nauclerum imitetur. 21.2.d.& ſeqq. *regendorum inclinationi ſe accommodet.* 22.2.b *Deum ſæpè inuocet.* 23.1.a *multis magniſq́; conſiliis & modis regendi opus habet.* 260.2.a *ſit proinde Proteus.* ibid. vide *Princeps, Rex.*

Rectores reipubl. abſtineant vino. 644.1.d.& ſeqq. *eos ſequuntur ſubditi.* 789.2.b vide *Prælati.*

à Recto alienum eſt opus peruerſi. 555.2.b *recta verba quæ dicantur.* 669.1.a rectum *in Script. ſæpè capitur pro iucundo & placenti.* 641.1.b

Reddere malum pro malo non eſt actus iuſtitiæ, ſed vindictæ. 532.1.b.c vide *Par, Talio, Vindicta.*

Regere homines quàm ſit difficile. 260.2.a.b

Regina cæli lætare *hymnus, vnde initium habuerit.* 164.1.d

Reginæ pia regnum ſuum omni bono cumulans. 323.1.a

Regnãtibus impijs magna mala in orbem & vrbes incũbunt. 773.2.b.c.d eos ſubditi imitantur. 774.1.a.b

Regna æternâ deſignantur. 529.2.d eorum gubernationem potiſſimum curat Deus. 578.1.a ea ſingulis propè ſæculis de vna familia in aliam tranſeunt. ibid.b non ſunt familijs perpetua, cur. 760.2.b orta ſunt ex peccato Adæ. 766.2.b ſæpè ob populi peccata in multos diuiduntur principatus. ibid.c.d eorum centrum eſt iuſtitia. 790.2.b

S. Regnerus Martyr Populonienſis reciſum caput è terra ſuſtulit, & manu geſtauit. 27.1.b

Regnum plus damni patitur à miniſtris malis ſub rege bono, quàm ſub rege malo à bonis miniſtris. 356.2.c

Regulæ monaſticæ à ſanctis fundatoribus dictatæ, conferũt aſſeclis ſuis vitam ſanctam & glorioſam. 313.1.d eis non eſt perfectius quid addendum. 612.1.c.d

Relapſus grauior lapſa eſt. 451.1.b.c

Religio eſt arx Eccleſiæ. 205.2.d.& ſeqq. cur dicatur ſpecula vel Sion. 206.1.b religionis conſonantia prima ſit inter coniuges. 488.2.b religionis vera propugnatio tuetur reges. 540.2.c.d eam rep. deficiente populus in vitia & factiones abit. 800.1.b Religio vna præ alia potiùs homini congruit. 488.1.a ex vna ad aliam non eſt facilè tranſeundum. 745.2.c.746.1.a Religiones in quibus viget obedientia, ſunt inuictæ. 574.2.a penè omnes inſtinctu & ope B. Virginis ſunt inſtitutæ. 206.2.a.b

in Religioſo ſtatu animo quies maximè locum habet. 295.2.b

Religioſos Ordines B. Virgo ad Eccleſiæ ſubſidium ſubmittit. 874.2.d.876.2.c

Religioſus quidam quomodo tentationem ſpecioſæ cuiuſdam mulieris iam mortuæ vicerit. 139.1.a

Religioſi angelorum ſtatum imitandum ſuſcepere. 206.1.c ſinant ſe à Deo regi. 61.2.d cum in omnibus rebus ſibi præſentem proponant. 62.2.a in ſtudio virtutum & zelo animarum formicas imitentur. 127.2.b item apes. 126.1.a ad ſumma & perfecta conitantur. 148.2.a ſæpe tædio continuæ obedientiæ tentantur ad vitam ſolitariam. 214.2.c Deo ſunt curæ, ab eoq́ ſenſus accipiunt. 243.1.b ament correctionem, obiurgationem, caſtigationem. 279.1.b Religioſi zeloſi quantum in Eccleſia laborent. 326.1.d Religioſorum paupertas eſt voluntaria. 822.2.a eam colentes, ſunt præſtantiores diuitibus doloſis. 474.2.b ſi concordes ſint, omnes æmulos & dæmones ſuperant. 467.1.d prout ſe geſſere in nouitiatu, ſic erunt deinceps in vita. 553.1.c.588.2.b à ſui victoria incipiant orbis conuerſionem. 574.2.b opes ſpernant, vt Chriſtum ſequantur. 633.2.d malefaciunt, ſi amplas domos conſtruant confiſi in eleëmoſynis fidelium. 670.2.b ſi ex vno loco in alium iuſſu Superiorum migrent, non incurrent notam leuitatis. 745.1.a per erinaceum denotantur. 846.1.c eorum martius ſpiritus. 880.2.d ſi ſingularia ſectentur & appetant, ſemper in angoribus viuunt. 438.2.c Religioſi torpidi, laborem boni operis exhorreſcentes, cum ſubire reformidant. 599.1.d qui præfracti ſunt erga Superiores, fiunt plerumque apoſtatæ. 788.2.c & digni ſunt infernali ſupplicio. 835.1.a.b

qui in medio nauis Remigant, maximè nauim mouent. 461.2.d

Remiſſio animi oritur vel ex diffidentia, vel ex laſſitudine. 655.2.d.& ſeqq.

Remorſus conſcientiæ lancinat peccatores. 703.1.d

Renes quid ſymbolicè denotent. 629.2.d.& ſeqq. vnde ſint dicti. 630.1.a

Reprehenſio prudentium & imprudentium quomodo differat. 292.1.d

Reprehenſores vitiorum principis, populo grati ſunt. 668.2.a

Repudij libellus erat Iudæis olim licitus. 487.1.c

Requirere faciem Dei vel principis, eſt eorumdem beneuolentiam captare. 806.1.c.2.a

Res humanæ velut in orbem eunt. 193.1.a res habitæ vileſcunt, amiſſæ ſunt in pretio. 522.1.b

Reſpiratio cauſat vitam. 445.2.d cur vocetur anima. ea 690.2.d

Reſpondere idem eſt Hebræis quod loqui. 386.1.c reſpondens antequam audiat, ſæpè reſpondet inſubidè. 460.1.b reſpondens adæquatè ad mentem interrogantis, cum videtur exoſculari. 669.1.a.2.b reſpondendum, & non reſpondendum, ſtulto iuxta ſtultitiam eius. 714.2.b

Reſponſio lenis iram frangit irati. 358.1.b.372.2.a.b aſpera eam accendit. 358.1.b

Reſpublica velut mare eſt. 21.2.c eius ſalus conſiſtit in ſapientia regentium, & obedientium ciuium. 261.1.a ſenibus committenda. 412.2.b floret regnante iuſto, at impio regnante cadit & perit. 773.1.d.2.a turbatur per iniquum dominatum. 840.2.b.c.841.1.a quid reſp. curare & præuidere debeat. 845.1.c.d quæ ſit optima reſp. 2.d vide Regnum.

Reſtitutio rei alienæ domino legitimo potior eſt quàm eleëmoſyna ex ea. 513.1.d

Retaliatio in malis noxia eſt. 533.1.a

Rete fruſtra auibus iacitur, quo ſenſu. 32.2.c.& ſeqq.

qualis Reuerentia in ſacra ſynaxi adhibenda ſit. 617.1.a

Reus nuncupatus à re quæ petitur. 724.1.d reus à iudice punitus beneficio afficitur. 742.2.a legitimè à iudice adiuratus, dicere debet veritatem. 805.1.a reo ad mortem damnato dabatur vinum. 863.2.b

Rex dicitur à regendo. 506.2.d vel rectè agens. 517.1.a

Regem qualia verba deceant. 13.2.c eius decus eſt multitudo & magnitudo populi. 347.2.d.348.2.b reges ſuum regnandi ius & regnum à Deo accipiunt. 170.1.c gerunt Dei vices. ibid.d iuſtè regnent & ſanctè. 2.a reges pij à Deo multitudine populorum donantur. 348.2.b reges myſtici qui ſint. 170.2.b verè rex eſt qui ſe regit, & à ratione regi ſinit. 345.2.d quæ eius officia & partes. ibid. b.c.& ſeqq.682.1.c.779.1.c.865.2.c ſit in dictis & pronuntiatis ſuis verax. 396.2.a dubia iuris reſoluat & interpretetur. ibid.d à Deo in reſponſis ſuis dirigitur. ibid. eſt eius internuntius. 397.1.b eius ſententia eſt oraculum. ibid.c.d à Deo debet regi vt bene regat. 2.a aſſentatores deuitet quaſi peſtem. 399.2.b in eos tandem deprehenſâ fraude ſæuit. ibid.c.d.& ſeqq. eius indignatio eſt mortis nuntius. 400.1.c ſi ſit placidus & beneuolus, omnium amorem ſibi conciliat. 401.1.b tunc eius vita in ſecuro eſt. ibid.c eius vultus ſerenus & latus ſubditos recreat, contrà mœſtus & iratus conſternat. ibid. regat animi ſui affectus. ibid.d ab eius amore vel ira ſubditorum vita vel mors dependet. ibid. in quo ſolem imitetur. 2.b in primo regni aditu ſolet eſſe beneficentior. 402.1.c non debet mentiri. 425.1.a.2.c repræſentat Deum. 1.d eſt velut ſol. 516.2.a.b & angelus ſummus. ibid.d eſt ſummus iuſtitiæ præſes. 444.2.d iure ſuo exigit munera. 462.2.d eius ira eſt ſimilis

ſimilis rugitui leonis famelici. 484.2.c.485.1.c.d.& ſeqq. 509.1.d.2.a.c hinc per leonem repræſentatur. 484.1.d iram compeſcat. ibid. ſit mitis & placidus. 485.1.b natura pronus eſt ad iram. ibid.c vmbris iniuriarum feritur: in eo iræ iuncta potentia eſt. ibid.d eius edicta omnes terrens. 2.a per iram furit. ibid.d ex ira integras vrbes & totum regnum expilat & vaſtat. 486.1.a ad minimas vmbras expaueſcit. ibid.c eius beneuolentia & hilaritas ſimilis rori ob multas analogias. 486.2.a.b eius ſæuitia velut imber procelloſus eſt. ibid.b eius iram prouocans peccat in animam ſuam. 509.1.c.d eſt ei obediendum. 666 2.d idq; propter Deum. 667.1.a at contra Deum aliquid iubenti non eſt obediendum. 509.2.a ſolo ſuo intuitu omnia ſcelera & ſceleſtos fugat. 515.2.d.516.2.a quadrupliciter ſedet in ſolio iudicij. 516.1.b & tunc dirigitur à Deo. ibid.d ſæpè per ſe iudicet, nec credat omnia prætoribus & iudicibus inferioribus. 516.1.b.d obeat ſubinde ſuas prouincias. 2.a thronum iudicij collocet in metropoli. ibid.b eius facies bonis eſt iucunda, malis terribilis. ibid.c eius dotes & qualitates. 517.1.b ſit patiens & lentus ad iram. 693.1.b.c.694.1.c eius iram verbis lenibus infringant ſubditi. 693.2.a à ſolo Deo poteſt cohiberi. ibid.d. regis exemplum omnes ſequuntur. 773.2.b.774.1.a.860.2.d tributa moderetur ſumptus minuendo. 779.1.b cum tueatur amor & beneuolentia ſubditorum. ibid.b.c quanam in re miſerior ſit plebeijs. 782.2.d ſi ſit per munera electus, expilat populum. 790.1.d qui per dona ſcelera dimittit impunita, & indignis ob largitiones officia confert, deſtruit populum & regnum. 2.a.b ſit iuſtus & beneficus: tres Dei dotes imitetur. ibid.d eum dedecet promiſſi violatio. 821.1.a.b ſit magnanimus, vigilans, ductor ſuorum. 849.2.a leoni aſſimilatur in multis analogijs. 850.1.d.& ſeqq. item gallo. 2.d.& 851.1.a.b.2.d item arieti. 852.2.a.& ſeqq. nec nimis blandus ſit, nec ſeuerus. 854.2.c.d eius ſeueritas excitat contentiones & rixas in populo. 856.1.c regibus olim faces & ignes præferebantur. 529.2.d deuictis hoſtibus erigunt arcus triumphales & trophæa. 538.2.c ſepulcra impiorum deſtruunt. ibid.d eorum quanta ſit potentia in bonum & malum. 539.1.b eos cuſtodit veræ religionis propugnatio. 560.2.d & tuentur iuſtitia & clementia. 561.1.b.& ſeqq. ſemper potiùs in miſericordiam propendeant. 2.b quomodo cor eorum à Deo diuidatur. 546.1.a.& ſeqq. ſæpè eorum conſilia impia in ipſos reuoluit. 2.a eorum decreta à Dei voluntate deriuantur. 547.1.b eos mala conſulere ſinit Deus, cùm genti cuipiam iratus eſt; bona verò, cùm ei fauet. 547.1.d.2.d eorum corda ſunt in manu Dei. 2.b.c.d ſinant ſe ab eo regi. 548.1.a eorum gratiam qui ambit, priùs Deum oret. ibid.d eorum cor ira & cupiditate æſtuans eſt inſtar fluuij impetuoſi. ibid.d ei à Deo immittuntur ardores ad id capeſſendum quod ipſe per eos vult peragere. 2.a eos ipſe contra hoſtes & inſidias tuetur. ibid.b ſi fideles exonerent, & hæreticos onerent, conſulto faciunt, vt ſic eos ad fidem compellant. 566.2.b eorum puritas & honeſtas colligitur è miniſtris puris & honeſtis. 596.2.d quos eligere officiales debeant. 612.2.c ſunt proximè poſt Deum timendi. 666.2.c eorum furor eſt inſtar fulminis. ibid.b.c perſonas non accipiant. ibid.d ſapientiam inquirant & ſcrutentur. 678.1.c item fidei myſteria. 2.d.& ſeqq. item Dei arcana iudicia. 679.1.b.c & regni ſtatum. 2.b nihil decernant & iudicent, niſi maturè deliberatum. 679.1.c cur iudiciorum ſuorum rationes debeant manifeſtare. ibid.d.2.a eorum cor inſcrutabile eſt. 680.1.c.2 a.c.d magnos habent animos & ſpiritus. ibid.b habent cor mobile, & ſæpè neceſſariò mutari debent ob nouos ſucceſſus. 2.c affectans ſapientiam & eminentiam ſupra ceteros, reguntur à Deo. ibid d. eorum amicitia priuata non eſt ambienda. 681.1.a nolunt reprehendi, etſi male faciant. ibid.b.c præſtent ſe gratioſos & beneuolos. 2.a ſunt tales quales eorum conſiliarij. 682.1.a veram eis nemo ſe iactat. 2.b non ferunt ſuperbiam. ibid.c.d excidere poſſunt regno, & fieri priuati. 822.1.b ſæpè ſunt pauperes, cur. ibid.c non ſequantur ſuas cupiditates. 842.1.b quid in rep. ſpectare & curare debeant. 845.1.d eorum quatuor ſunt primaria vitia. 846.1.a.b facilè ſuorum obſequia obliuiſcuntur. ibid.a generosè incedunt. 2.a quibus vijs & actionibus perdantur. 860.2.b non debent temerè mutare ſua conſilia. 861.1.b caueant à nimio vino. ibid.d.2.a.c.862.1.a eos & regna Deus maximè curat. 578.1.a in bellis ſomno non indulgeant. 878.2.a qui ſit rex myſticus. 399.2.c rex probus abominatur omnem iniuſtitiam. 399.1.b delectatur candore, veracitate, corde puro. 596.1.a.b at improbi hypocriſi & adulatione. ibid.b item puritate & integritate. 2.b.c tali regnante floret Eccleſia & orbis, ex aduerſo impio regnante ſequitur eorumdem mœror, ſqualor, ruina. 773.2.b.c.& ſeqq. rex pauper eſt ſycophanta, opibus ſubditorum per fraudem inhiat, leui de cauſa eis litem intentat, falſa crimina eis imponit. 779.1.a rex ſæuus à ſuis petitur inſidijs. 400.1.a cur ex paſtoribus olim reges crearentur. 761.1.a reges multi vno in regno cauſa ſunt bellorum & variarum exactionum. 776.2.d reges Iudæorum debebant ex lege Dei populum regere. 397.2.a regi aſſiſtere, eſt eſſe familiarem. 612.2.b vide Princeps.

Rhetores qua arte memoriam iuuent. 149.1.b

Rhetorica non vetatur à Salomone multiloquium carpente. 238.1.a

Rhythmus Prouerbiorum elegantiam iuuat. 14.2.c

S.Richardus Angliæ rex depoſito regno Chriſtum pauperem ſecutus eſt. 605.1.c

quomodo Deus dicatur Ridere ſui irriſores. 40.2.c.d

vbi Rigor, ibi vigor eſt. 655.2.b

Riſus Sanctorum in morte. 889.2.c riſus impiorum deteſtabilis eſt. 52.1.a.c magno timore mixtus eſt. 244.2.a item magnis doloribus, & tandem deſinet in luctum. 335.2.c riſus nimius opportunitatem ſceleribus præbet. 243.1.d ſpiritus vitales diſſoluit. 336.2.c

Riui fiunt vel à Deo & natura, vel manu hominum. 547.1.c

Rixæ ſunt fugiendæ. 432.1.a eas ſedare magna prudentia eſt. 454.1.d eſt ijs abſtinendum etiam poſt honoris læſionem. 510.1.b qualiter ijs ſe interponere fas ſit. 728.1.d 2.a.c.& ſeqq. eæ ſunt ſummoperè cauendæ. 729.1.d.& ſeqq. earum duo ſunt fomites, ſuſurro & ira. 731.1.b

Rixantes dirimere eſt Superiorum: ijs ſe immiſcere non eſt tutum. 728.1.d.& ſeqq. ſæpè ſeipſos ſuis rixis affligunt. 713.1.b ſæpè vno verbo ad

nixas conſitantur. ibid.c

Robertus Holcos an in Prouerbia ſcripſerit. 9.2.b

Roboam rex ob nimiam ſeueritatem regno Iſraelis excidit. 857.2.a

Robuſtus idem eſt in Scrip. quod ſedulus. 552.1.c & integer. 2.a item diligens. ibid.c.553.1.a

ῥόδον unde dicta ſit roſa Græcis. 746.2.d

Romæ crebræ ſunt lites de aquis fontium. 432.2.c Roma creuit per concordiam Romuli & Remi. 468.1.c eius reſp. periſt ob perpetuam dictaturam, 854.1.c 855.1.c Romæ menſurarum idea exſtat in Capitolio. 251.2.d

Romani ſua fortitudine acquiſierunt orbis imperium. 297.1.a Romani pietate ac religione ſe ceteris gentibus præponebant. 568.2.d gaudent Aquilone ob ſalubritatem. 752.1.d Romani primi proceres fuere agricolæ. 760.1.c velleribus ouium induebantur. 762.1.b item lacte & pultibus veſcebantur. ibid.c non ſunt prognati ab Idumæis. 848.2.d

S. Romula placidè in Domino defuncta eſt. 390.1.b

Romuli lex de terminis agrorum. 611.2.a corona ſpicea coronauit ſacerdotes agrorum. 760.2.c

Ros vertitur in margaritam in concham dilapſus. 486.2.a aliæ eius proprietates. ibid. eſt pinguis & pinguem ſuccum germinibus & plantis inſtillat: ſuauiter & ſenſim herbis illabitur: ibid.b roris natura exponitur. 94.1.a 2.b

Roſa inter flores eſt odoratiſſima. 746.2.d quæ roſæ ſuauiùs oleant. 747.1.a

Roſarij Sodalitas eſt à S. Dominico erecta. 167.2.a

Roſimunda mœcha tam amaſium quàm ſeipſam veneno ſuſtulit. 159.1.c

Rotarum circumactio ſuper corpora reorum erat olim in vſu. 537.2.b.c rotæ fornix quis ſit. ibid.c rota erat item priſcis genus torturæ & ſupplicij: ipſa deſcribitur. ibid.d quomodo id ſupplicium irrogaretur. 538.1.a.b in rotis etiam damnati apud inferos torquentur. ibid.c in iis fit plerumque oſſifragium. ibid. rotæ ſymbolum ſunt opportunitatis. 688.1.a eæ etiam lectis adhibentur. 686.2.c rota fortunæ ſæpè conuertitur. 581.2.b 590.1.d

Rubedo oculorum vnde proueniat. 639.1.b

Rubri & ruſi coloris multæ ſunt ſpecies. 640.1.c.d

Rudolphus Sherwinus Martyr Anglus in morte cecinit. 355.1.a

Rugitus leonis quàm ſit terribilis. 485.2.a huic comparatur ira regis. 1.c.d hic eſt mortis prænuntius. 2.d vide Leo.

Ruminanda ſunt prius omnia quàm in animum demittenda. 338.2.d ruminatio animalium doctrinæ accommodatur. 604.2.b

Rupella in feſto omnium Sanctorum eſt occupata. 536.1.b

SAbbato datur quies non ſolum hominibus, ſed & iumentis. 286.2.b

S. Sabina in morte riſit. 889.2.d

S. Sabinus Canuſini Epiſc. longanimitas. 694.1.d venenum dum bibit innoxius, qui illud porrexit eodem momento alibi defunctus eſt. 566.1.d

Saccharum non eſt mel. 658.2.d

in Sacculis olim ſeruabantur pondera. 398.1.a.2.b

Sacerdos conſecrans gladio quodammodo diſſecat & immolat, Chriſtum. 617.1.b ſacerdotes Aaronici ſacrificaturi vino abſtinebant. 863.1.d ſacerdotes olim accenſas lampades præferebant. 529.2.d per arietem repræſentantur. 853.2.a.b Sacerdotes quales eſſe vità debeant. 291.2.b.c

Sacerdotium lucernà repræſentatur. 529.2.c

Sacra non ſunt in profanos vſus conuertenda. 535.2.d

Sacramenta ſeptem ſunt ſeptem myſticæ columnæ Eccleſiæ. 198.2.b

Sacrificabant veteres inter epulas. 201.1.d olim inter ſacrificandum ſacerdotes canebant Dei laudes & hymnos voce & muſicis inſtrumentis. 201.2.d

Sacrificium eſt ſummus Dei cultus. 201.2.b eo peracto inſtruebatur epulum. 201.2.a.d.735.1.a ſacrificium Euchariſticum valet ex opere operantis, ſed magis ex opere operato, & vi ſua. 364.2.c ſacrificiâ Iudæorum vim ſuam habebant ex opere operantis. 364.2.b nec proderant homini in ſtatu peccati. 365.1.c ſacrificia & vota ſunt actus religionis. 65.2.a ſacrificij externi dignitas menſuratur dignitate interni actus deuotionis ex qua manat. 394.1.a ſacrificium epulo olim claudebatur. 735.1.a

quare Sæculares præcedant multos Religioſos in regno Dei. 320.1.b

Sæculum hoc velut mare eſt, homo quilibet nauis. 21.2.b

Sagacitas pars prudentiæ eſt. 756.2.c

Sagæ plures ſunt quàm ſagi. 281.2.d

Sagittas duplices infligunt meretrices, amoris & doloris. 158.2.a.b

Salamandra eſt amoris hieroglyphicum. 155.2.a item innocentiæ ſymbolum. 229.1.d

Salethus Crotonienſium princeps commiſſo adulterio viuus in ignem inſilijt. 142.1.a

Salix ſymbolum præmaturi incrementi. 210.1.a

Salome mater Machabæorum fuit fortis mulier. 867.1.c

R. Salomon inter Rabbinos percelebris eſt. 9.2.b

Salomon fuit ſapientium omnium magiſter & princeps. 1.1.a fuit trinomius. ibid.b tres eius libri. ibid. & ſeqq. cùm Prouerbia ſcripſit, habuit ſpiritum prophetiæ. 2.1.c an ea dictarit tantùm, an verò conſcripſerit & digeſſerit. ibid. & ſeqq. ipſius ſunt omnia quæ libro Prouerbiorum continentur. 3.1.a verè fuit Propheta. ibid.c fuit auctor libri Prouerbiorum. 4.1.a eius ſapientia & ſcientia ibid.2.c fuit ea diuina. 1.c.d.5.1.b qua ætate floruerit. 4.1.a. & ſeqq. nulla dogmata hauſit à Gentilibus philoſophis 5.1.a quo ordine ſuos libros ſcripſerit. 2.d eius dogmata ſecuti ſunt poſteri ſapientes. 6.2.c ipſe auctor eſt libri Prouerb. ideoq; ei ſuum nomen præfigit, idq; primus inter omnes ſcriptores ſacros, & quare. 11.1.a & ſeqq. cur ſe Dauidis filium vocet. 2.a cur vſus ſit hoc obſcuro orationis genere. 12.2.a videtur ſua prouerbia diebus feſtis ad populum eſſe concionatus. 16.1.a induit in iis perſonam nunc patris, nunc pædagogi. 25.1.b præuidit Deum incarnandum. 35.2.b vnde ſit dubia eius ſalus. 56.1.b non eſt inuentor alchymiæ. 71.1.d cur vocetur tenellus patris. 84.1.d. & ſeqq. an is fuerit moriente patre puer. 2.a fuit corpore delicato, & optimo temperamento: fuit docilis & flexilis. ibid.c quomodo vocetur vnigenitus. 85.1.b & ſeqq. fuit matri vnicè dilectus. 2.b fuit heres regni. ibid.d videtur fuiſſe primogenitus. 86.1.a filius fuit pœnitentiæ, ideoq; à parentibus vnicè dilectus. 86.1.b per ſapientiam factus eſt regum maximus & glorioſiſſimus. 174.1.a academiam in atrio templi ſui conſtituit. 197.2.c an ipſemet in ea ſapientiam ſit profeſſus. 198.1.c & quoto anno regni ſui: dictauit in ea parabolas & prouerbia

uerba ſua. ibid. eius magnificentia in numero, opibus, fortitudine militum & famulorum. 348.1.c plenam cum omnibus vicinis tam inimicis quàm amicis pacem habuit. 394.2.c fortitudine iuſtitiæ regni ſolium firmauit. 399.1.c lectorem & auditorem ſuum ſubinde inter docendum compellat & excitat. 603.2.d doctrinam ſuam commendat. 604.2.a.606.1.d 607.1.b.c.d.2.c quo ætatis anno ad regnum euectus ſit. 971.1.a an poſt lapſum in idololatriam egerit pœnitentiam. 674.1.d quot parabolas dictarit, multæ earum perierunt. 676.2.c ipſe eas ſcripſit, aut ſaltem dictauit. 677.2.a an etiam ſit auctor vltimorum duorum capitum Prouerb. 809.1 b.c vocatur congregans & filius vomentis. 2.b.c.810.1.d.& ſeqq. 811.1.a.c 2.& ſeqq. eius ſapientiæ redundantia & ſpiritus. 811.1.b.d eius ſtultitia. 2.c eius pœnitentia & ſalus dubia eſt. 812.1.c 813.1.c 820 2.b fuit verè Propheta. 812.2.a.837.2.b & Deo per plenus. 812.2.c cur ſe ſtultiſſimum vocet. 813.1.b.c.& ſeqq. eius humilis modeſtia. 2.c.d pauperatem & nimias opes deprecatur. 820 2.b.c.821.1.c.d.2.a eius ſapientia initio regni. 836.1.d cur dictus ſit alkum. 847.2.c qua ætate vixerit. 848.1.c cur ſe Lamuelem vocet. 857.1.b.2.b.& ſeqq. fuit quaſi peculium Dei, & ei à puero dilectus. 858.1.a.d eſt à Deo electus rex: accepit ab eo ſapientiam. ibid.b fuit typus Chriſti. ibid.a.2.a an prima nuptiarum nocte in cauſa fuerit vt ſacrificium matutinum æquo ſeriùs ſit oblatum. 2 b eius vinolentiam & mulieroſitatem prævidit mater Bethſabee. ibid.c.859.1.a fuit ei primogenitus ex Dauide. 859.2.c fuit ei filius votorum. ibid.d.& ſeqq. item filius orationum. 860.1.d alienigenis mulieribus copulatus regnum perdidit. 2.c matrem ſuam deprædicat & deſcribit ſub typo mulieris fortis. 866.1.a

Salonius an fuerit filius Eucherij Lugdunenſis. 9.1.c ſcripſit in Prouerbia. ibid. è Ven. Beda multa transſcripſit. 272.2.b fuere duo, vnus Beda poſterior, alter anterior. ibid.c

Salutis initium eſt à præueniente gratia, non à libero arbitrio. 195.1.d.2 a.b & à Dei gratia. 386.2.a ſalus animæ in omni ſtatu & officio conſideranda. 330.2.b.c ſalus filiorum pendet à caſtigatione parentum. 629.1.d.2.a

Salutationes matutinæ clientum priſcis erant in vſu. 750.1.d ſalutatio angelica reiterata B. Virgini gratiſſima eſt. 250.2.a

Samſon prodendo ſuum ſecretum Dalilæ robur amiſit. 109.2.b

Samuel dictus quaſi poſtulatus & impetratus à Deo. 858.2.a

Sancta canibus non ſunt danda. 626.2.b.c

Sancti ſtatim à morte ad Dei conſpectum admittuntur. 56.2.c in omnibus à Deo diriguntur. 62.2.d laboribus & crucibus redduntur apti ad æternam gloriam. 67.1.d in fine mundi non pauebunt ob caſus inopinatos tunc euenientes. 77.1.b ſunt Dei ſecretarij. 80.1.d res hæc probatur exemplis 2.a.b eorum propria dos eſt gloria. 82.2.b.c à pueris dederunt operam virtuti. 85.1.a in Deum & Chriſtum quodammodo transformantur. 94.2.b in ſenio maximè ſapiunt. 126.2.d mortem inſtantem ſemper proſpiciunt. 127.1.b ignem libidinis igne corporeo exſtinxere. 143.1.d ſunt reges. 160.2.b qualem ipſis gloriam communicet Deus. 174.2.a in montibus & rupibus egerunt. 163.1.b eorum intelligentia & ſapientia ſita eſt in timore, cultu & reuerentia Dei. 209.2.b ipſi quoque circa ea ſunt conſulendi. ibid. virtutes ſuas celant. 2 2.2.d & latere cupiunt. 233.1.a.b ſunt pacifici & tranquilli. 242.1.d ſua eloquentia vrbes & regna ſæpè ab exitio liberant. 258.1.d ſitiunt Deum. 269.2.c.d ſuſcipiunt animas, eaſq; iuuant & ſubleuant. 276.1.c ſæpè vno verbo afflictis medentur. 292.2.d ſunt peritiſſimi virtutis artifices. 308 1.d eorum exempla alios ad imitationem excitant. 320.1.a ſunt aues pennatæ myſticè. 33.1.b.c timore Dei armati vicerunt tyrannos & ſupplicia & aduerſa. 346.2.d affliguntur vt à Deo exaltentur. 404.2.c non ſunt perſequendi. 535.2.a.c munera ijs temerè vouendæ. ibid.b quomodo propriè deuorentur. 536.2.b.c cum ijs eris ſanctus. 549.2 b ſunt velut aquilæ. 623.2.d nouos excogitant modos placendi Deo. 654.1.b oderunt impuros & inceſtos. 659.1.c ſæpè ſibi inuicem ſolis cordibus loquebantur, cogitata ex ſolo vultu dignoſcebant. 2.a.c dum laudantur, fiunt fulgidiores. 758.1.c & ſanctiores. 2.a confidunt vt leo. 765.1.c.d.& ſeqq. 766.1.a.b in morte rident. 889.2.c in cælo ob opera laudantur. 902.1.b oſtentabunt ibi vulnera & cicatrices ſuas. ibid. Sancti omnes ſuam ſanctitatem B. Virgini acceptam referunt. 876.2.d Sancti illuſtres virtute, communes tranſcendunt. 895.1 b Sancti omnes veteris teſtamenti præluſerunt B. Virginis ſanctitati. 184.2.a cum Sanctis nonnullis eximijs Chriſtus mirè eſt delicatus. 193.2.d eos inebriat & quodammodo amentes facit. 194.1.a vide Iuſti.

Sanctimoniales cur ſint longææ & vegetæ. 441.2.b ſanctimonialis quædam ſtudio caſtitatis ſibi oculos eruit & amaſio miſit. 898.2.a

Sanctitas præſtat opibus multis. 395.2.a ſenectutem mirè condecorat. 413.1.c lucerna repræſentatur. 529 2.b tutum eſt aſylum. 608.2.d eſt quaſi galea. ibid. facilis eſt. 653.1.d melle denotatur. 658.2.c.d.& ſeqq. omnibus rebus, temporibus & perſonis ſe accommodat. 659.2.a quæ ſit via ad ſanctitatem recta. 869.2.a roborat iuſtos, & impios percellit. 248.2.d

Sanctus eſt velut rex ob domitas paſſiones. 89.1.d eius fortitudo eſt Deus ipſe. 149.1.a.b ſanctus ſæculi eſt velut formica. 127.2.c

in Sanguine vita conſiſtit. 159.1.a

Sanitas corporis pendet ex ſanitate partium teneriorum & duriorum. 63.2.b

Sanna & ſanna quid ſibi velint. 40.1.c

Sapere nemo ſibi videri debet. 63.1.c ſapere vltra quàm ſatis ſit, via eſt ad hæreſin. 476.1.a ſapit, qui periculo alieno ſapit. 502.2.c.d qui ſapere ſibi videtur, verè ſtultus eſt. 801.1.b.c.2.c & peior eſt ſtulto. 725.2.b.c

Sanguinei facilè à vino vincuntur. 863.2.d

Sanguis in rixa effuſus iram accendit. 458.2.a

Sanguiſugæ deſcriptio, eiuſq; auiditas ſanguinis: non generat. 827.2.c.d.829 2 c.d.& ſeqq. quid per eam repræſentetur. 828.1.a.b.& ſeqq.2.c.d.& ſeqq. 829.1.c.& ſeqq. 830.1.b.d.2.a.831.1.b.2.c.832.1.a.2.a

Sapiens libenter audit & diſcit. 20.2.a opus ſuum omni ex parte luſtrat, & moderatur. 60.2.d diligit correctionem & corrigentem. 208.1.c.d.& ſeqq.

eſt ei danda occaſio ſapientiæ & virtutis. 2.c ipſe vltro ſe in virtute promouet. 209 1.a ex omni re captat occaſionem proficiendi. ibid.d tam ſe quàm alios regere poterit. 224.2.c libenter corripitur. 227 2.c.d nec temerè loquitur. 228. 1.a abundat ſapientia. 231.2.d.& ſeqq. non loquitur niſi ſapientiam. 232.1.a.b eam modeſtè abſcondit. 2.b libenter ſe diſciplinæ ſubijcit. 235.2.b in odio & amore apertus eſt. 237. 2.a in fornace diſcretionis expurgat ſua verba. 240.2.b ſapientiæ auxilio mala declinat. 244. 1.b cauet ſibi ab improbo. 243.1.c in riſum non diſſoluitur. 2.a ſapientia ei leuis eſt. ibid.c mane vacat Deo per orationem & ſtudium. 273.1.c tunc & diei totius opera diſponit. 2.b alios conſulit, eorumq́; conſilia ſequitur: quia ſe nihil putat ſcire, alios omnia. 290.1.b ſequitur indicium rationis: non eſt durs cerebri. ibid.c verbo aſperiore tactus ſtatim non iraſcitur. 290.2.c iram in animo refrænat. ibid.d eam in corde premit, ne foras prorumpat. 291.1.a putat ſatius iram condonare, quàm vlciſci. ibid.c nihil temerè promittit aut vouet. 292.2.c ſcientiam ſuam celat, & quare. 296 1.b tradit præcepta vitæ. 313. ſermones prudenter diſponit, itaque ſibi gratiam conciliat. 329.2.b pœnas & ſupplicia veritus, declinat à malo. 339.2.a eius zelus in ſapientia communicanda. 355.2.a qui propterea ex ea nihil deperdit, ſed eamdem adauget. ibid. habet cor ſapientia plenum & imbutum. 363.2.c ſemper ſui ſimilis eſt. ibid.d imitari debet ſeminantes. ibid. ſemper quærit honeſtatem & virtutem. 368.2.a imò eam auide ab omnibus haurit. ibid.b in gaudio non agit immoderatè. 347. 2.d ſurſum ſemper os habet, cor & manus. 376. 2.b ſapiens vnus eminens ceteros ſapientes cohoneſtat. 346.1.a ſapiens ſedat iratos, etiam reges. 400.2.b ſemper in ſapientia ſua proficiat. 406.1.b docendo alios, obtinet nomen prudentis. 2.a cor prius planè imbuat ſapientia quàm eam alios verbo & exemplo doceat. 407.1.c etiam cum fame ſapientiæ ſtudet. 410 1.c ſolus liber eſt. 420.1 b.c quomodo eius ſint omnia. 423. 1.a verbo corrigitur. 428.2.a & cur. ibid.b c ſi peccet, peccat ex infirmitate vel ignorantia. ibid.c nullis mouetur terroribus. 430. 2.c.d eſt parciſſimus in verbis, ſed multa facit. 446.1.c.480.2.c.d 692.2.c eius verba comparantur profundo flumini, torrenti redundanti, fonti ſcaturienti. 452 2.b idq́; pro varietate loci, temporis & perſonarum. ibid.c eius cor & mens eſt velut fons ſapientiæ. 452.2.d.453.1.a.b.c dolores patienter ſuſtinet. 460.1.d ratione ſe dimi finit. 2.c Doctrinæ diligenter vacare ſtudet. 462.1.b audit diligenter doctores. ibid.c ſi habet ſapientiam, habet Deum, eſtq́; beatus. 475.1.a maturus eſt & lentus. 476.1.b eſt patiens. 482.1.a.483.1.b.c eſt magnanimus. 483.1.c omnem deſpicit iniuriam. 2 a.484.1.c.d nudis verbis correptus reſipiſcit. 503.1 a doctrinam ſuam celat. 514 1.a.b facilè alterius ſecretum expiſcatur. 514.1.c.d.2.b.c ſed ſuum celat. 1.d facilè poteſt diteſcere. 523.2.b dotes habet gemmarum. 524.1.a eius os & cor eſt crater ſapientiæ. ibid 1.b.c ſapit, caſtigato impio. 558.2.c ſua prudentia & prouidentia comparat ſibi quidquid ad vſum familiæ requiritur. 567.2.a.b totus à Deo pendere debet, & illi fidere. 577.2.b eminus proſpicit hoſtium inſidias, arma, molimina, fraudes. 586.2.d eſt fortis, & quibus in rebus. 651.1.a eius ſymbolum eſt aſinus. ibid.c in quo ſimilis eſt apibus. 692. 2.c.d rixas à ſtulto excitatas ſopit. 724 1.c eſt mirè laborioſus. 727.2.d ſuis in laudibus manet inconcuſſus. 757.2.d in aduerſis eſt conſtans. 759 2.d tumultus reip. ſua prudentia ſedat. 793.2.a.b.c declinet litem cum ſtulto. 794.1.b ſpiritum ſuum reprimit & reſeruat. 765.1.b.c in agendo loquendoq́ue moderatus eſt. 796.1.b vide Iuſtus, Prudens.

Sapientes eliguntur ad reip. gubernacula. 170.2.b.653. 1.b eorum eſt regere. 275.1.b diligenter ſibi cauent à ſtultis. 324.2.a opes diſpertiunt in eleëmoſynas. 345.2.b vtuntur eis quaſi domini earum. ibid.c ijs fiunt ſapientiores & ſanctiores. ibid. cur ſapientes huius mundi appellentur paruuli. 340.2.d ſapientes iudicant ex æquitate. ibid b.c olim ſibi inuicem in conuiuijs quæſtiones proponebant. 607.2.d

Sapientiæ liber cuius ſit auctoritatis. 1.2.c ſapientiæ nomine dicuntur omnes libri Salomonis & maximè Prouerbia. 4.2 c.d

Sapientia quomodo à diſciplina diſtinguatur. 15.1.a quid ipſa propriè ſit. ibid. in libris ſapientialibus capitur pro doctrina morum. ibid.c ea compeitt perfectis. 2.a ſapientia vera ſeipſam ignorat. 63.1.d eſt ſacerdos Dei quodammodo. 183.1.d eſtq́; in ſe ordinatiſſima, & creaturas omnes optimo ordine diſponit & gubernat. ibid. quomodo parturire dicatur. 186.1 c.d Deum extimulauit ad res in tempore creandas: eius opera ſunt ardua. ibid.c eius ſtabilitas. 187.2.c produxit cælos & abyſſos cæleſtes. 188.2.a res creatas gubernat, alit, & quamque ad finem ſuum dirigit, velut œconomus vel artifex. 191.1.d ipſa communicata alijs magis excreſcit. 271.1.c

Sapientia creata & participata, à Deo eſt ab æterno creata, id eſt creari decreta, & poſſeſſa. 179.2.d per eam Deus omnia creauit. 177 2.c ipſa mirè ordinata eſt. 183.2.d elementis ſuum dedit ordinem. ibid.

Sapientia creata, id eſt prudentia & virtus, quomodo in plateis clamet. 35.2.d.& ſeqq. ſola præſtat tranquillitatem. 44.1.b diuerſis nominibus appellatur à Salomone in Prouerbijs. 46.1.a.48.2.d 210.1.a eſt in corde abſcondenda velut cimelium. 46.1.c eſt velut theſaurus. 47.1.b.c ea tota perdiſcenda. 2.b.c eſt donum Dei. 48.2.b prouenit ex Dei reuelatione: inſuper requiritur interna Dei illuminatio. ibid.c paranda ſtudio & oratione. ibid.d cultores ſuos præſeruat ne cadant. 49.2.a amantes ſui amat, ſpernentes ſpernit. 59.1.c à Deo ſperanda & poſtulanda eſt. 61. 2.a primum eſt diſcenda quàm docenda. 68.1.d eius negotiatio quàm ſit præclara. 2.d.& ſeqq. quàm ſit pretioſa. 69.1.c eſt velut adamas. 2 a.b vitam prolongat quintupliciter. 71.2.a.b eius dotes & membra. 72.1.a.b eius viæ ſunt pulchræ. ibid.c.d eſt velut lignum vitæ. 73.1.c.d quomodo det gratiam faucibus. 75.2.c eam poſſidere eſt principium eius. 87.1.c.d.& ſeqq. à doctore diſcenda eſt. 88.1.a eſt arripienda. 2.a ſuis clientibus dat cumulos gratiarum, & aduerſus mala qualibet tuetur. 89.1.b.c dat eiſdem quintuplicem coronam. ibid.d eſt inſtar fontis. 114. 1.a cornu & hinnulo comparatur. 118.2.c

cur

cur vocetur ſoror. 149.1.d eſt nobis congenita. ibid. eſt ſoror mentis & rationis. 2.a eſt vt ſponſa complectenda. ibid. eſt ſoror caſtitatis. ibid.b repugnat ex diametro libidini. ibid. cœlentes ſe colit. 162.1.d vbique & ad omnes prædicat. 2.c eſt auro & gemmis potior. 166.2.a.c habitat in conſilio. 167.1.b eius comites variæ. 169.2.b.c reges illuminat & dirigit. 2.a eius fructus externi & interni. 175.2.c.d eius dictamina ab æterno in Dei mente ordinata ſunt. 184.1.d eius menſa & victimæ. 201.1.c.d eſt ſcientia rerum ſanctarum. 209.2.b apud ſapientem inuenitur. 231.2.d.& ſeqq. parit prudentiam. 244.1.b ſapientem coronat velut diadema. 345.2.a.355.1.d ſapientiæ nidi myſtici qui ſint. 403.1.d eius duo ſunt munia, eam habere & proferre: poſcit eloquentiam. 406.1.c ea alijs non eſt inuidenda. 2.a quo magis in alios depromitur à ſapiente, eo in eo magis creſcit. 407.1.a in eo continuas ſapientiæ aquas ſcaturit. ibid. eſt fons vitæ ipſam poſſidenti. ibid.b eſt etiam in alios effundenda ibid.c dirigit os ſapientis, vt ſapienter loquatur. 2.c opibus præſtat. 434.2.b ſine doctore conſtructa, multis erroribus depreſſa labaſcit. 435.2.a quis eius ſit decor & pulchritudo. 443.2.b.c eam ſectans, ſapientibus ſe adiungit. 448.1.b eſt propria poſſeſſio viri ſapientis, eſt ei in pretio, nec à quopiam ei inuito poteſt auferri. 462.1.c paratur diligenter audiendo, & ſtudioſè meditando. ibid. dilatat animum. 463.1.a qui ea paſcitur, per eam fiet poſſeſſor cordis, & diligit animam ſuam. 480.1.c.d.2.c facit hominem iræ potentem & patientem. 482.1.b naſcitur ex patientia. ibid.2.c hæc eius menſura eſt. 483.2.b ſapit & guſtat aduerſa. ibid.c vſu & eruditione in puero creſcit. 497.2.b.c docet ſenes. ibid.c.542.1.d naſcitur ex temperantia. 508.2.d ei comparanda quæ ſint neceſſaria. 514.1.b vincit fortitudinem corporis. 568.2.b quo ſenſu à Salomone tripliciter deſcripta ſit. 606.2.a.b.d ſapientia triplici domus ædificatur. 648.1.b ſapientes reddit fortes ad quælibet ardua conficienda & ſuſtinenda. 650.1.d parit opes & fruges. 2.d cur ſtulto ſit ardua. 652.2.c.d eſt excelſa. 653.1.c in quo ſit melle dulcior, & melle repræſentatur. 658.2.b.& ſeqq.660.2.c.d.695.1.a eſt dulcis guſtatu. 660.2.d omnia aſpera dulcorat. ibid. in ſenio dat ſpem certam adipiſcendæ felicitatis. 661.2.a in ea percipienda modus eſt adhibendus. 699.1.a.b non in opibus, ſed in earum contemptu ſita eſt. 772.2.b ipſam hæ impediunt. ibid.c eius ductum ſequens, tutò incedet in operibus ſuis. 785.1.d eam communicans eam adauget. 786.1.d ſymbolicè in muliere forti deſcribitur. 866.2.a docet clementiam. 891.1.d vide Doctrina, Prudentia, Scientia, Virtus. ſapientia & iuſtitia firmant & prolongant imperia. 767.1.b ſapientia Dei eſt increata, infinita & omnipotens. 577.2.b comprehendi nequit. 814.2.d.815.1.a.c

Sapientia increata, id eſt Deus, quomodo ad homines prædicet. 35.2.a creauit & firmauit terram & cælos. 74.2.c diligentes ſe diligit. 172.1.c ſemper exſtitit in Deo. 177.2.a eam Deus habuit ab æterno, & per illam fecit omnia. 178.1.c.d quomodo is ſapientiam peperiſſe dicatur. 186.1.d centri terræ ipſe centrum eſt. 191.1.a magis gaudet ſuis attributis, quàm creaturis. 192.1.d ludit quadrupliciter in creaturis. 2.b in quibus is luſus conſiſtat. ibid.c.d eius deliciæ ſunt cum filijs hominum. 193.1.a.b eſt auctor voluntatis bonæ, & gratiæ. 195.1.d.2.a.b eſt dominus & rector ventorum. 223.2.c ipſe tranquillus tranquillat omnia. 242.1.d ipſe ſolus hominem ditat. 2.d ſimplices & innocentes dirigit. 254.2.b eſt ſimplex. ibid.c eius nomen proprium eſt clemens. 265.1.d omnis malitia & duplicitas ei diſplicet, maximè fictio & ſimulatio. 2.a eſt deſiderium iuſtorum. 269.2.c item eorum radix. 280.1.b quos diligit, caſtigat. 320.2.d eius videndi deſiderium eſt materia compunctionis. 333.2.c. ſuam magnificentiam oſtendit in multitudine angelorum, beatorum, & creaturarum. 348.1.c gerit curam pauperum. 352.2.a.& ſeqq.353.1.a omnia intuetur præterita, præſentia, futura. 360.2.d omnes homines intuetur. 361.1.a vide Deus.

Sapientia increata eſſentialis, poſſeſſa & creata eſt à Deo ab æterno. 178.1.c.& ſeqq. ordinat in Deo omnia eius attributa, & omnes perſonarum proceſſiones. 183.2.a item omnia Dei decreta & rerum faciendarum ideas. ibid.b.186.1.a delectatur intuitu rerum creatarum per ſingulos dies. 192.1.a

Sapientia increata notionalis & perſonalis eſt Filius Dei: hanc poſſedit Deus ab æterno per generationem, & per eam creauit omnia. 178.2.a.b.186.1.a ea eſt ordinatiſſima. 183.2.b.c luſit ab æterno apud Patrem. 192.1.a vide Ieſus Filius Dei.

Sapientia humana inſtar fucatæ meretricis eſt. 105.1.a ſapientia humana diuinæ collata, potiùs eſt inſipientia: diuinæ voluntati illa ſubſeruit. 577.1.c.2.b.c nulla ſapientia impij Deo valet reſiſtere. 1.d ſapientiæ opinione ſe oblectare nefas eſt & ſtultum. 481.1.b ei præfidens, ſtultus eſt. 785.1.c ſapientia vera ſita in ſui cognitione. 813.2.d nec non in ſolertia. 843.1.b

Sapo mixtus aceto veſtes non purgat, ſed maculat. 700.2.c

Saporem non habent adorata. 747.1.a

Sapphirus gemma gratiam & amorem conciliat. 426.1.c cur pueris appenderetur, eſtq́; Dei ſymbolum. 76.1.a

Sapricius inimico Nicephoro reconciliari nolens palmam Martyrij amiſit, quam Nicephorus adeptus eſt. 665.1.a

Sardanapalus ob luxum & ignauiam excidit imperio Aſſyriorum. 297.1.a inter concubinas purpuram neuit. 872.2.d

Sardius gemma rubet vt aurum. 687.2.a huic comparatur ſermo ſapiens. 688.2.d

Sarepta vrbs Sidoniorum vnde nomen inuenerit. 819.1.b

Saturitas parit ciborum faſtidium. 743.1.c facit ſeruos inſolentes. 840.2.d.& ſeqq. ea datur à timore Dei. 500.2.c capitur pro abundantia. 65.2.d

Satyrus frater S. Ambroſij quàm ſimplex & ſincerus eſſet. 265.2.a.b parcus & ſobrius erat. 565.1.d

Saul ira æſtuans velut energumenus fuit. 400.1.d Dauidi inſidias ſtruens, in huius tandem manus incidit. 734.1.c peccatum nolens agnoſcere, Dei iram incurrit. 775.1.a

Saxa

Saxa alligabantur tortis in cataſta. 538.1.b
Scala peccantium quæ eos in infernum deduxit. 452.1.c
& contrà ſcala iuſtorum in cælum. ibid.d
Scandalum dans alijs vindictam Dei ſentiet. 592.2.a
& eſt à iudice puniendus. 792.1.c
quantum ſchiſmata Eccleſiæ nocuerint. 133.2.c
Scientia paulatim moderato labore comparanda. 310.1.a *ſcientia rerum ſanctarum ſola vera eſt prudentia & intelligentia.* 209.2.c *at vana eſt theſaurus impietatis.* 219.2.d *modica cum charitate & humilitate potior eſt magnâ cum contentione & ſuperbia.* 371.2.d.405.2.a *ſine virtute nil prodeſt.* 434.2.c *eſt proprium animæ bonum & vitale.* 475.1.b *optimè mens & cor ducitur.* 479.2.d *eius pretium.* 523.2.b.c *ea vtendum moderatè vt ſapias.* 744.1.c *ſcientia practica paſſim in Prouerb. denotatur per intellectum, ſapientiam, ſenſum.* 462.1.b *ei cor & aures dandæ.* 628.1.a *quæ dicatur ſcientia animæ.* 475.1.c.d.2.b *ſcientia ſanctorum & iuſtorum quæ dicatur.* 2.e *ſcientiæ Gentilium non ſunt cum diuina comparandæ.* 5.1.a.b *cur hæ vocentur ancillæ Theologiæ.* 205.1.a vid: *Doctrina, Sapientia.*
Sciurus quo facto filios ad concordiam excitarit. 467.1.a
Sciolus deterior ſtulto eſt. 881.1.b.c.2.c
Scita quæ dicantur. 14.1.b
Σκολιός & Σκολιάζω quid ſibi velint. 435.1.a
Scortum vide *Meretrix.*
Scribendi modum quiſque proprium habet, & ab alijs diuerſum. 755.2.a
Scriptores ſacri ſcribunt triplici fine, & triplici fructu. 607.1.c.d
Scriptura ſacra ad Gentium ritus non eſt accommodanda. 8.2.b *in recenſendis filijs non ſeruat ordinem temporis & generationis.* 86.1.b *eius ſcientia paranda aſſiduâ lectione.* 88.2.c *eſt velut ciſterna & fons.* 114.2.b ... *non eſt tota clara legentibus.* 137.2.d *eſt velut menſa.* 201.2.b.615.2.b.& ſeqq. *quomodo ſlatera recta & doloſa ſit.* 252.1.c *phraſibus & moribus hominum ſe accommodat.* 366.2.b *illius modica ſcientia melior eſt, quàm ampla ſæcularis.* 419.2.b *in ea tamen non oportet plus ſapere quàm oportet.* 695.1.b.c *Scriptura eſt velut theſaurus.* 568.1.b.c *eius ſententias loco ſuo proferre poſſe, perutile eſt.* 605.1.b *quatuor habet ſenſus.* 606.2.b.c *optimum doctrinæ & pietatis odorem exhalat.* 660.1.d *eius ſenſus litteralis melle, allegoricus fauo denotatur. vel contrà.* 661.1.b.c *eſt abſcondita & arcana.* 678.1.d *ea eſt à regibus exquirenda.* 1.d.2.a *nobis velut Mercurius eſt.* 721.2.d *non debet ab indoctis legi.* 723.1.d *eius verba non ſunt nimis ſubtiliter excutienda.* 756.2.a *quàm ampla ſit.* 894.2.d *ſcriptura omnis, etiam hiſtorialis, vocatur prophetia.* 859.1.a
Scrupuloſi nunquam cum gaudio comedunt. 419.2.a
Scrutatio maieſtatis ſimilis melli nimis comeſto. 708.2.a
Scylla unde dicta ſit. 103.1.c *eſt ſymbolum iræ.* ibid.
Scyrus lapis integer enatat, comminutus mergitur. 468.1.d
Secretum celandum: quod qui celat, fidelis amicus eſt. 259.2.b.c *& fidelis Spiritui ſancto.* 260.1.a *ſecretum non careat conſilio.* 375.1.b *id in conſiliario maximè requiritur.* ibid. *ſecreta cur magis delectent.* 213.2.c *quo ſenſu ſit facilius ſecreta cordium ſcire quàm inferni.* 166.2.a.& ſeqq. *ſecretum celans ſtudet amicitiæ, id reuelans eam deſtruit.* 427.2.d *ſecretum amici non eſt prodendum.* 684.2.d *id non eſt cum extraneo communicandum.* 685.1.a *quo ſenſu ſecretum cum amico communicatum animum exhilaret.* 646.1.c *id reuelans cauſa eſt inimicitiæ, odiorum & litium.* 432.1.d *& explorator.* 527.2.c *item proditor, delator, adulator.* ibid.2.b *ſibi & alijs cauſa ruinæ eſt.* 734.2.b *id ſtatim effutire ſtultiſſimum. eſt.* 795.1.c *ſecreta prodit imprudens, prudens celat.* 445.2.b.480.1.a.b.568.1.d *ſecretum alterius ſcire difficillimum eſt.* 514.1.b.c *eius expiſtandi praxis.* 2.d *ſecreti tenaces conſiliarij à principibus magni fiunt.* ibid. *ſecretum plurimum valet ad regimen.* 850.2.d *id proditur ab ebrietate.* 862.1.c.& ſeqq.
S.Secundina Martyr Anagnina cæſa pro ſanguine lac fudit, & odorem ſuauiſſimum exhalauit. 27.1.a
Securitas filia eſt virtutis. 77.2.d.& ſeqq. *vnde ſecuritas conſcientiæ naſcatur.* 369.2.c.d
Securus aliquando capitur pro immunis. 369.1.c
Sedere in ſolio iudicij quatuor denotat. 516.1.b
Seditioſi ſæpè falſitatis ſuæ dant pœnas, vel per plebem, vel per Deum. 481.1.a *ſunt flabella ſeditionum rixarum.* 481.2.a.b
Segnities opus cœptum non promouet, ſed deſtruit. 456.2.c.457.1.a vide *Pigritia, otium.*
Segullum eſt terræ genus in ſummo ſolo, è quo metallarij cognoſcunt ſubeſſe venam auri. 520.1.a
vnde vox Seigneur *deriuetur.* 412.2.c.d
Seminis & culpæ analogia. 591.2.d *ſemina mala fœcundiora ſunt bonis.* 592.1.a *ſeminis genitalis origo.* 630.1.a *eius crebra effuſione multi ſpiritus vitales effunduntur.* 110.2.a *vnde ipſum oriatur, & diuerſum ad diuerſa membra efformanda requiritur.* 111.1.b
Semita idem eſt quod ſemi iter. 403.2.b *ſemitæ æquitatis quæ dicantur.* 89.2.d.90.1.b
Semitariæ meretrices quæ vocentur. 160.1.c.212.2.d
Senatori quæ ſint neceſſaria. 167.1.d
Senatus à ſenibus dictus. 412.2.b
in Senectute ſectandum otium quietis & tranquillitatis. 126.2.b *ſenectus iuſtorum ſuauis & ſapida eſt.* 301.2.a *ſenectus ſancta eſt venerabilis, & velut corona.* 412.1.a *eſt requies laborum & caſuum.* 413.1.a *eſt decor ſenum.* 542.2.c.d *eam decet morum grauitas & ſanctitas.* ibid.543.1.c.d *eſt imago antiquitatis Dei.* 542.2.d *careat animi perturbationibus.* 543.1.a *pellet ſapientia.* ibid.b *ſenectus bona quæ ſit.* ibid.d *quæ eius partes & officia.* 2.a.b *in quo iuuentute opus habeat.* ibid. *eſt indocilis.* 589.1.b
Senes valent iudicio & conſilio. 10.2.a *eorum corona ſextuplex.* 412.1.b.c *coronantur canis, ætate, nepotibus.* ibid.c.d *& prudentia.* 2.a *olim coronabantur.* 1.b *reip. regendæ præficiuntur.* 2.b *cupiditatum ſuarum monſtris domitis, coronam laudis promerentur.* 413.1.a.b *eorum corona ſunt nepotes.* 424.1.b *eos decet ſapientia.* 497.2.c *eorum conſilia ſunt ve-*

hæc oracula accipienda. 542.2.d ſunt inter iuuenes quaſi Dei. ibid. dominentur paſſionibus animi. 543.1.a vnde ſint reges. ibid.b pollent ſapientia. ibid.b cernunt magnam ex ſe propaginem: proſpiciunt & prænuntiant futura. ibid.c ad beatam vitam anhelare debent. ibid.d eorum conſilium & exemplum quàm ſit vtile. 2.c

Senior idem eſt quod dominus. 412.2.c ſeniores olim erant iudices & principes regionis. 886.1.a

Senium dictum à ſenſu, quia ſenes valent prudentiâ. 542.1.d

Senſus cuſtodiendi ne cor inficiant. 98.1.d ſenſus debet rationi ſubyci, & ab ea regi. 481.2.d ſenſibus homo vti debet ad Dei honorem & beneplacitum. 520.2.b qui ſenſus ſint adminiſtri intellectus & voluntatis. 521.1.a.b ſunt limitatæ virtutis, hinc per intemperantiam eneruantur. 696.1.c ſenſus ſacræ Scripturæ quadruplex eſt, & qui ſinguli. 606.2.b ſenſus litteralis melle, allegoricus ſauo deſignatur, vel contrà. 661.1.b.c ſenſus genuinus ſemper interpreti eſt ſectandus. 10.1.a.b

quæ Sententiæ libri Prouerbiorum exſtent in Hebræo, quæ non. 6.1.c ſententiæ eius non ſignificant ſemper, ſed quid ſæpè eueniat. 220.1.d in eo multæ non ſunt connexæ. 102.2.b multæ quoque ex vno loco in alium ſunt tranſlatæ. ibid. cur ſententia regis dicatur oraculum. 397.1.c ſententia aliqua bella & ſapida ſæpè melancholiam leuat aut tollit. 461.2.d ſententia oportunè producta magnam habet venuſtatem. 686.2.d.687.2.d ſententia grauis non reperitur in ore ſtulti. 717.1.d nec eum decet. 2.b ſententiæ S. Scripturæ quàm ſint vtiles. 605.1.b cur ſententiæ eædem ſubinde in libro Prouerbiorum repetantur. 727.2.a

Senties dictæ à ſentiendo. 723.1.c

Sentiens mœrorem, non ita eum alteri exponere poteſt atque ipſe ſentit. 332.2.a

Sepes animæ & conſcientiæ. 673.1.a

Septem regni adminiſtratores & conſiliarios primarios habebant reges priſci. 727.2.c.d

Septenarius numerus ſymbolum eſt plenitudinis. 198.2.b & multitudinis. 727.2.c

Septies cadit iuſtus quo ſenſu. 661.2.d.& ſeqq.

Septuagintà ſæpè non tantùm interpretes, ſed & paraphraſtæ ſunt. 3.2.d.861.1.d ſæpè à Noſtro euariant & quare. ibid. multa in ipſis exſtant quæ non ſunt in Hebræo. 6.1.a an ſint ſcriptores hagiographi. ibid.b verſio eorum errores quoſdam habet. 4.1.a olim fuit Vulgata, ideoq; canonica ſcriptura. 6.2.b ſæpè vocibus Græcis nouum tribuunt ſignificatum. 354.1.c ſunt antiquiſſimi & doctiſſimi. 448.2.a at eorum codices ſunt vitiati pluribus in locis. 565.1.a

Septuplum capitur pro multuplum. 144.1.c

in Sepulcris extra vrbes habitabant olim lupæ viliores. 55.1.a ſepulcrum dealbatum typus eſt meretricis comptæ, ſed putreſcentis. 636.1.c.d

C. Sergius Orata vnde dictus ſit. 432.2.b

Sergius Abbas agricolam iniuriantem leni reſponſo placauit, & monachum fecit. 359.1.b

Sermo prauus fugiendus. 100.1.c eſt velut ignis in ſinu. 141.2.b ſermo ſtultorum multos habet defectus. 228.1.c quis ſermo opportunus dicatur. 375.2.d.376.1.b.c in ſermone noſcitur prudentia vel imprudentia viri. 284.1.c ſermo hilaris & ſuauis animum animat & viuificat. 297.2.a ſermo terribilis quis ſit; quæ damna creet à ſuperiore in ſubditum prolatus. ibid.b ſermo ſapientis ſapientiam redolet. 359.2.a facit audientium mentem rectam. ibid.b ſermones puri Deo ſunt grati & placent. 377.2.d quomodo ſint recti ſermones ſapientiæ. 166.1.a ſermo omnis vtilis à Dei gratia proficiſcitur. 387.1.d eius variæ ſpecies. 408.2.d ſermonem moderans vir eſt ſapiens. 445.1.d.2.c.d ſermones cauſant homini bonum vel malum, præmium vel ſupplicium. 468.2.b.d ſunt manus linguæ. 470.1.a ſermonibus ſpiritualibus anima repletur. 468.2.a ſermo hominis pij eſt clara lux. 539.2.a per eum homo ſecreta ſua alteri pandit. ibid. ſermo opportunus a ſapiente prolatus magnam habet energiam. 686.2.d.& ſeqq. 687.1.b.d.2.b.d.688.2.b.c ſermo ſapiens dedecet ſtultum. 717.2.b.c.d maximè cùm vita eiuſdem & actio diſcordat. 718.1.a ſermo rarus decet ſapientem. 446.1.a ſermo dulcis in quatuor rebus conſiſtit. 406.2.b eſt velut fauus mellis. 408.1.c.d eius effectus. ibid.2.a ſæpè laborem ab homine tollit. 409.2.d cur ſermo Dei dicatur ignitus. 819.1.a.2.a.b.c.& ſeqq. eſt clypeus contra omnes tentationes. 820.1.c vide Sententia, Verbum.

quæ Serotina pluuia in Palæſtina dicatur. 401.1.b

Serpentis aſtutia in quo ſita ſit. 18.2.c.d cur hebraicè vocetur arum, id eſt aſtutus. 296.2.b quàm ſit prudens, eius velocitas per plana. 330.1.d 2.a cur pectore & ventre repere dicatur myſtico ſenſu. 378.2.a cum inſectatur ceruus. 118.1.d ſerpentes ſymbolum ſunt dæmonum 215.2.a item meretricum. ibid. ſunt acri viſu, & vnde. 362.2.a morſu pugnant & necant. 411.2.d eorum aſtutia & vafrities. 584.1.b.c ſerpente necato fugantur reliqui ſerpentes. 502.2.c à ſerpente morſus dolorem initio non ſentit. 641.1.d ſerpens in orbem reuolutus annum ſemper redeuntem repræſentat. 836.2.c ſerpenti qui Euam decepit graues pœnas Deus inflixit. 502.2.c

Seruitus conuenit ſtultis. 722.2.d ſeruitus cordis veram dat ei libertatem. 384.1.d

Serui obiurgati & durè habiti fugam parant. 274.2.d illorum curam gerit iuſtus. 286.1.b Serui flagellis aſſueti illa nihili faciunt. 429.1.a eos non decet præeſſe principibus. 481.1.c.2.a eorum eſt ſeruire, non dominari. 1.d ſeruus ſi dominetur, fit ſuperbus & inſolens. 481.2.a.840.2.d 841.1.c hic ſæuit in liberos & potentes. 481.2.a at non ſeruus qui animo & ſapientia pollet. ibid.b & hi humiles ſunt & modeſti. ibid.c ſerui pro naturali ſua indole ab hero docendi ſunt. 800.2.a dimidio mentis an careant. ibid.b non ſunt delicatè ab initio nutriendi. 802.1.c.2.a non ſunt temerè apud herum accuſandi. 824.2.d 825.1.b ſeruus prudens iram viri prudentis ſedat. 460.2.c ob ſapientiam reges filios ſtultos heri ſui. 420.1.a ex amore hero obſequens, verè liber eſt. 800.1.d.2.c talis eſt ab eo bene tractandus. 2.a ſeruus & ſtultus inter ſe comparantur. 481.1.c ſeruus Gentilis ad Hebræos fugiens retinendus erat, nec hero reddendus. 824.2.a

Seruius Tullus ſextus Rom. rex ſerua natus fuit, ſed indole ingenua. 481.2.b
Setina vina erant olim delicatiſſima, non modò. 791. 2.c
Seuerus Imp. moriens filios ad concordiam hortatus eſt. 467.1.b nil ſtatuit vnquam abſque peritorum aſſenſu. 291.1.a
Si Hebræis ſæpè idem eſt quod ne vel non. 657.1.d
Sicarij oderunt virum iuſtitiæ tenacem. 794.1.a.d & ſeqq.
Sicera vocatur omnis potus inebrians. 507.2.c
in Sidone vrbe Phœniciæ ſindones præſtantiſſimæ conficiebantur. 886.2.d
Silentium decet diſcipulos. 104.1.a index & effectus eſt animi maturi & diuini. 239.1.a & animi ſapientis. 446.2.d eius elogium. ibid. interdum reſponſi loco ſeruit. 259.1.c eius pœnitentia melior pœnitentia ſuper ſermone. ibid. ſilentij ruptura cauſa eſt litium. 432.1.c eius encomium. 447.2.a.b præſtat requiem. 569.1.d id in menſa principis ſeruandum eſt. 614.2.c.& ſeqq. eius violator ſimilis eſt crocodilo oſcitanti. 710.2.d eſt id clauſura linguæ. ibid.
Simeon & Leui in ſororis ſtupro vindicando ſæuiores fuerunt vrſis. 430.2.b ſua ira magnum ſibi damnum crearunt. 497.1.c
S. Simon Salus ſcortationem meretricum dato ijs pretio redimebat. 276.2.b
S. Simeon Stylites vſque ad mortem in columna ſtetit. 163.1.b ſemper in ea aſcendit altiùs & altiùs, & in ea mortuus eſt. 377.1.a.b quibus Euangelij verbis ad vitam monaſticam ſit incitatus. 168.1.c
Simia ob geſtus decoros eſt homini in delicijs. 842.2.d cum leo non fert. 82.1.a
Similitudinibus abundat Salomon in Prouerbijs. 13.1.c
Simonides quid de Deo ſentiret. 817.2.d
Simplex tam pro ſincero, integro & candido accipitur, quàm pro rudi & inſipiente. 474.1.a.583.2.a ſimplicem in interitum tam ſpiritualem, quàm temporalem pertrahens, in illum incidet. 771.2.d contrà ſimplex bonum oppoſitum recipiet. ibid. ſimplices & humiles ſuo alloquio dignatur Deus. 61.1.b à Deo diriguntur & proteguntur. 254.2.b ad eum proximè accedunt. ibid.
Simplitas in Scripturæ expoſitione ſectanda. 10.2.a ipſa Deo propria eſt. 254.2.c capitur ſubinde pro larga miſericordia. 515.2.b
Simpliciter & innocenter in ſuis actionibus ambulans, Dei ope incolumis erit. 780.2.b.c ſimpliciter ambulans, ambulat confidenter. 228.2.c.229.1.b
Simulatio Deo inprimis diſplicet. 265.2.a
Simulatores amicitiæ vnde dignoſcantur. 732.2.d
Sinceritas in miniſtris placet regibus. 596.1.a.597.1.a Deo placet. 378.2.b
Sincerus à Deo benedicitur. 271.2.a eſt velut aurum mundum. 299.2.a vocari poteſt purus, mundus, limpidus. 555.2.a
Sindon videtur deriuari ab Hebræo ſadin. 886.2.d ea primùm Sidone confecta. 887.1.d quid propriè ſit. ibid.b
Siniſtra an dextera ſit potior. 70.1.a.b eius ſymbola. 2.b ipſa aduerſitatem, inimicos, crucem & ignominiam denotat. 101.2.a.102.1.b typus eſt infelicitatis & aduerſitatis. 752.1.d
Sinus vocatur vas cauum in quod ſortes iaciuntur. 416.2.a
Sion cur vocetur arx. 205.1.b.c
Siracidis cum Salomone conſonantia & harmonia. 6.2.c.& ſeqq.8.1.a
Sirenum fabula moraliter expoſita. 106.2.a ſymbolum ſunt meretricis. 599.2.d
Siſois Abbas cum confidentia Deum pro diſcipulo orauit. 229.1.c
è Smaragdinis vaſis olim potabatur. 889.1.b
Smaragdus eſt amuletum contra venena. 889.1.b
Sobrietatis elogia. 509.1.a hominem ditat. 564.2.b.c.565.1.c.d eſt ea in menſa principis ſeruanda. 614.2.c.& ſeqq. eius elogia & effectus. 640.1.a
Socialis vitæ commoda. 753.2.d
à Societate proborum ſe ſegregare noxium eſt. 227.1.c ſocietas hominum eiuſdem farinæ non eripiet impium à pœna & punitione. 266.2.c à ſocietate pendet ſalus & damnatio æterna hominis. 337.1.c ſocietas concors ſtat, diſcors diſſipatur. 468.1.d ſocietas hominum in ratione rectitudinis conſiſtit. 555.2.c vide Sodales. Conſortium.
Socij mali reddunt hominem malum. 609.2.b
Socratis inuicta patientia in aduerſis & iniurijs. 484.2.b è ſuæ Xantippes iurgijs tolerantiam diſcebat. 487.2.a.556.2.c.751.2.c
Sodales mali quàm ſint noxij. 29.1.a.32.1.c.d per ſodales ſuos B. Virgo mira in Eccleſia operatur. 206.2.b vide Societas, Conſortium.
Sodalitatibus præeſt B. Virgo. 167.2.a Sodalitas Confalonis Romæ à S. Bonauentura eſt erecta. ibid.b
Sol quid manè hominibus oriens inclamet. 93.2.b manè apparet pulcherrimus. ibid.c eius intenſus curſus. 94.1.c eſt ſymbolum Dei. ibid. ſolis menſa apud Ægyptios deſcribitur. 201.1.c 202.1.a ſolis proprietates regi adaptantur. 516.2.a.b is item patrem repræſentat. 630.1.d ſol lucens & deficiens eſt typus regiæ beneuolentiæ & indignationis. 401.2.b
Solertes à regibus ad magnas dignitates euehuntur. 612.2.b
Solertia reddit onus leue. 127.1.a
Sollicitudo alia bona, alia mala eſt. 256.1.c ſollicitudo viri fortis animum deijcit. 297.2.a ſollicitudo acuit induſtriam quærendi modos rei bene conficiendæ. 344.2.d ſollicitudo temporalium nimia diſplicet Deo. 395.2.c mirè animum lancinat. 441.1.b.c comparatur aſini. 691.1.a.b auget triſtitiam. 703.1.d
Solitudinis elogia. 419.1.b eius bona & commoda. 567.1.a
quale Solum vitibus, quale frumento conueniat. 876.2.a
Somnia ſunt iuxta hominis affectum & propenſionem. 76.2.d
Somnus eſt imago mortis. 76.2.a ſomni amor parens eſt ſocordiæ. 521.1.d.2.a is fugiendus diſcere volenti. 674.2.b otium pigrorum ſomno denotatur. ibid.c
Sono argenti bonitas exploratur. 421.1.a
Sopater magus incantationibus ſuis ventos retinuit. 223.2.a
συφερετων quid ſignificet, vnde vox deriuetur. 508.2.d
Sopor parit penuriam & famem, diſſoluit neruos & omnia membra, vertitur in lethargum. 490.2.a

ingenium

ingenium mentemq́; corrumpit. ibid.d eſt mortis imago. ibid.e

Sordes meretricum. 636.1.d.2.c

cur Sorores nomine dicatur ſapientia. 149.1.d

Sortes hominum variæ Deo diſponente ordinantur. 398 2.c res multæ tantum ſorte tranſigi queunt. 417.1.c eas ſæpè direxit Deus. ibid. eæ dirimunt controuerſias & lites. 465.2.d.466.1.a ſorte ſua ſint contenti diues & pauper. 583.1.a nam ſuacuique à Deo datur. 806.1.a.b hinc ea cuique eſt retinenda. 761.2.c ſortes in ſinum mittere quid ſit. 415.2.d eas Deus tripliciter temperat. 416.1.d & peculiari cura regit. 2.d

Sortiendi mos priſcus. 415.2.d 416.2.a

Sparta nec diues erat, nec pauper, ideò bene morata. 821. 2.d ibi erant ſenes in honore. 412.2.b.c

ex Specie externa non facilè homo iudicãdus eſt. 305.1.b

Speculæ mentis ſunt variæ. 97 2.d

Speculantes fiunt arrogantes, hæretici, iracundi, inuidi. 708.2.c

Speculatio non rarò cauſat impatientiam. 482.1.a nimia rerum diuinarum ſpeculatio nata ex ſuperbia vertitur in arrogantiam. 708.2.c item in hæreſes & errores. ibid.

Speculi obiectu retunditur halitus venenoſus baſiliſci. 642.1.b.c ſpeculum aquæ minimè fallax eſt. 755.2.c

Sperantium recta ſpes tandem in rem vertetur. 631. 1.c.d ſperans in infideli comparatur denti putrido & pedi & laſſo. 698.1.c ſæpè per eum damna incurrit & infamiam. 2.a ſperans in Domino nulla premetur inedia. 783.2.c.784. 1.d.2.a.d

in homine non eſt ſperandum. 698.1.a.699.1.c

Sperare pro timere capitur interdum. 801.2.a

rei Speratæ conſecutio mentem replet magna lætitia. 311.1.c.d

prout Spes eſt, ita & res. 176.2.c ſpes ponitur ſubinde pro re ſperata. 311.1.c tunc dicitur eius dilatio mentem cruciare. ibid. ſpes cauſat delectationem ex apprehenſione rei ſperatæ. 312. 1.a eſt prænuntia beatitudinis. 337.2.c rectè comparatur filo. 338.1.a inſtar clypei tuetur ſperantem. 347.1.a eius quanta ſit fortitudo. ibid.d ſpes pij & impij quomodo differat. 354.2.b.c ſpes omnis in qualibet actione & periculo in Deo ex toto corde collocanda. 61.1.d quæ in rebus ſæculi, & hominibus mundanis ponitur, eſt mendacium. 223.1.b ſpes bonorum temporalium vana eſt, & ſperantes deludit; æternorum vera, ſtabilis, & certò aduenit. 310.2.d ſpes impiorum inſtabilis, piorum ſecura, fidens, ſtabilis. 43.2.d ſpes impiorum eſt anxia & crucians. 248.1.c imò hi ſpe ſua excidunt. ibid. totum ſpes vitæ in morte perit. 256.1.d ſpes cor dilatat ad omnes, & omnia, & oculos exaltat. 550. 2.c ſpes eſt cauſa fortitudinis. 656.1.a.d ſpem non habent damnati, nec beati. 666.1.c ſpes in infido eſt velut dens putridus & pes laſſus. 697 2.d.698.1.a.d.& ſeqq.699.1.b.c ſpes non eſt in homine locanda. 698.1.a nec in impio. ibid.b ſpes in Deo collocanda pro bono rei cuiuſlibet ſucceſſu. 405.2.c ſpes timentium Dominum erit in nouiſſimo, quo ſenſu. 631. 1.b quænam illa ſit. ibid.c nos ſolatur in laboribus. ibid.d nos locat in cura Dei. 784.2.a.b eſt ei gratiſſima. 803. 2.b.806.1.b ſpes magna iuſtorum prouenit à Deo. 765.1.c ſpes & timor ſemper ſunt coniuncta. 805.2.b

Sphinx ſymbolum amoris & meretricij. 156.1.d ipſa deſcribitur. ibid.& 2.b

Spinæ dorſi vſus, & vnde rigeat. 63.2.c ſpinis ſuos Chriſtus in hac vita coronat. 281.1.b ſpina regia vini vim inhibet. 722.2.b ſpinæ conueniunt ebrijs quo ſenſu. ibid.b.c.d.723.1.a ſpinæ peccatorum quæ ſint. 586.2.a

Spithi auis odium cum Hero. 827.1.b

Spiridion ex paſtore ouium factus eſt Epiſcopus Trinithuntis. 760.1.c

Spiritualis viri arcana nequit carnalis comprehendere. 681.1.d ſpiritualia dona cum proximis communicantes copioſius ea à Spiritu ſancto recipiunt. 271. 1.b

Spiritus ſignificat vim, impetum, æſtumq́; animi. 38.1.a ſpiritus affectus vultu ſe prodit. 367.2.c.d ſæpè faſtum & ſuperbiam ſignificat. 387.1.c etiam amorem, zelum, feruorem. 445.2.b diuerſimodè in Script. accipitur. 795.1.b ſpiritus in homine eſt duplex, ſpiritualis & corporalis, & vterque eſt opifex ſermonis. 445.2.c internum ſpiritum ſolus perſpicit Deus. 388.2.b.539.1.c ſpiritus mala alia ſunt ab intrinſeco nata, alia ab extrinſeco aduenientia. 460.2.a quomodo vtraque quis ſuſtineat. ibid. ſpiritus portat infirmitates tam ſpirituales quàm corporales, tam ſuas quàm alienas. 461.2.b ſpiritus vitalis hominis facit vultum & corpus viuidum, lætum & latum. 440.2.b eſt velut lumen deriuatum à ſpiritu vitali qui eſt in Deo. 539.2.b & velut lampas. 2.d hic per gratiam Dei penetrat ſecreta mentis. 540.2.b ſpiritus triplex nobis cohibendus eſt. 709.2.b.c ſpiritus cuiuſlibet actionis quanti faciendus. 389.2.b cur ſpiritus viri taciturni vocatur pretioſus. 446.1. a.b ſpiritus ſcientiæ vocatur ſcientia animæ. 475.1.d

Spiritus ſanctus fons eſt, eius aqua dona illius ſunt. 113. 2.c pullo columbino deſignatur. 119.1.d in Deiparam deſcendit cum omnibus ſuis virtutibus eſſentialibus. 200.2.a eius dona expugnant linguam iuſti. 240.2.c huic tribuitur omnis honeſta, beneuolentia & amicitia. 260.1.a eum expellit triſtitia animi. 367.2.d auctor eſt roboris virilis & generoſitatis ſpiritus. 461.1.d 2.a eſt perfectio SS. Trinitatis. 812. 2.d à Patre & Filio eſt indiuiduus. 818. 2.a fuit quaſi vir B. Virginis. 869.2.d 886.2.c curauit animam eiuſdem. 870. 1.a

Splendores ſanctorum Chriſti qui ſint; tam quoad eius generationem ſpiritalem, quàm perſonalem. 94.2.b.c

Spolia mulieris fortis quæ vocentur. 868.2.b.& ſeqq.

Sponſa ſæpè vocatur ſoror. 149.2.a.b

Sponſi & ſponſæ olim coronabantur. 89.1.d ſponſus nuptiarum cæleſtium eſt Chriſtus. 203.1.b ſponſis Romanis olim tedæ accenſæ præferebãtur. 539. 2.c ea iactabant ſe lanificas & linificas. 871.2.d

Sponſionem ſapiens ſubterfugit, ſtultus eã factã plaudit. 417.1.d

Sponſor pro alio ſuſcipit in ſe obligationem ſoluendo alienum debitum. 417.1.d inijcit ſibi vincula. 610 2.b vide Fideiuſſor.

Spurcitiæ apologus. 146.1.a.b

Spurij parentibus ſunt dedecori & ad beneficia Eccleſiaſtica inhabiles. 115.1.a ijs adhærent vitia parentum. 826.2.b

Stannum plerumque argento in ſodinis admixtum eſt. 732.1.b.c

Stare coram rege, eſt regi eſſe familiarem. 612 2.b

Stationarij milites qui vocentur. 458.1.b

Stationes Eccleſiæ vnde nomen ſumpſerint. 458.2.c

Statuæ Imperatorum dabant ad ſe confugientibus ius aſyliæ. 608.2.d

Status matura deliberatione eſt aſſumendus: hoc faciunt ſapientes, negligunt ſtulti. 330.2.b *cur ſtatus perfectionis ſit arx Eccleſiæ & ciuitas Chriſti.* 205.2.d.& ſeqq. *eſt cælum quoddam terreſtre.* 206.1.a *cur dicatur ſpecula vel Sion.* ibid.b *ſtatus hominum varij iuſto iudicio à Deo ordinantur.* 398.2.c *ſuus cuique ab eo datur.* 806.1.a.b *quilibet ſuam habet crucem & martyrium.* 617.1.d *ſtatu ſuo quiſque ſit contentus.* 624.1.a.b.c *is non temerè eſt mutandus.* 745.2.c.d *ſtatus naturæ congruus aſſumendus eſt.* 649.2.a *ſtabilis ſtatus facit ad quietem mentis.* 745.1.b 2.c *ſtatuum duodecim vitia totidem.* 826.1.d

Statuta rerumpubl. Eccleſiarum, Religionum, Ordinum, monaſteriorum, quos fundatores conſtituerunt, non ſunt tranſgredienda. 612.1.a c

Stellio deſcribitur. 842.2.d.844.2.c.845 2.b 846.1.a.b *quid nos doceat.* 844.2.c.d 845.1.c.d.2.b.846.1.a.b *eius aſtutia.* 845.2.b *& inuidia.* ibid.a *Chriſtum repræſentat.* 847.1.c

Stellionatus crimen quid ſit. 845.2.c

S. Stephani regis Hungarorum manus poſt mortem manſit incorrupta. 881.2.b *B. Virgini mirè fuit addictus.* 171.2 c

Steriles ſunt plerumque inſatiabiles. 828.2.b

Sterilitas multarum matrum in veteri teſtamento à Deo amota fuit per partum filij. 860.1.b.c

Stoicorum quæ eſſent dogmata. 15.2.b.313.2.a

Stomachi bona digeſtio confert ad ſanitatem. 500.2.a.b

Stragulum dicitur quidquid inſternitur. 884.1.c *ea erant olim precioſa.* ibid.

Stratagemata in bello multum valent. 526.2.d.527.1.c *plus poſſunt quàm robur militum.* 568.2.b 652.1.a.b *in re bellica requiruntur.* 19.1.b

Strenuus ſimilis eſt leoni. 599.1.b *eſt magnanimus, & apud reges gratioſus.* 612.2.a

Strophæ quid ſint: ſunt ſpecies parabolarum. 13.1.b *in illis diſcipulos ſuos exercebant Hebræi.* 16.1.d & 2.a

Structuræ omnes ad libellam & perpendiculum dirigendæ ſunt. 101.1.a.b

Studium omnia rimatur & penetrat. 47.1.d *ſtudium nimium rerum diuinarum vertitur in bilem, faſtum, errores, faſtidium, indignationem, inuidiam,* 708.2.c.d

Stultitia corona ſtultorum eſt. 345.1.c.d *illis hæc gaudium eſt.* 374.2.c *elucet in oculis & vultu ſtulti.* 442.2.b *quæ ſtultitia colligata ſit in corde pueri* 601.1.a.b *hæc virga & flagello coërcetur, & tolli poteſt.* ibid.b.c.2.a

Stultus labijs vocatur is qui effutit quidquid in buccam venit. 227.2.d.& ſeqq. *ſtultus ad ſapientiam diſcendam virga & monitione adigendus eſt.* 232.1.a *ob inſipientiam ſemper caſtigatur.* ibid.b.c *temerè omnia effutit.* 2.b *hinc ſemper irridetur.* ibid.c *quamprimùm ſcientiam ſuam profert, cur: itaq; ſtultitiam prodit.* 296.1.c *quidquid audit, credit & effutit.* ibid.d.2.a *ſine conſilio & temerè ſua aggreditur, & ideò ſæpè impingit.* 314.2.b *dum alios laceſſit & vexat etiam ſe vexat.* 324.2.d *illius conuerſatio ſugienda.* 329.1.d.2.a *non reflectit ad opera ſua, hinc ſæpè in ijs impingit.* 330.1.b *quaſi ludens perpetrat peccatum, & cùm de eo arguitur, arguentem ridendo eludit.* 331.2.a *aliena peccata per riſum commemorat.* ibid.b *non vult Deum pro peccatis ſuis per hoſtiæ oblationem ſibi reddere propitium.* ibid.d *gaudet de ſuis ſtultis cogitationibus, ſermonibus, operibus.* 374.2.b *neſcit ſuas paſſiones moderari: gaudet rebus ſecundis.* ibid. *ſtultus vnus ſua ſtultitia dedecorat totum cœtum tam ſapientum, quàm inſipientium* 346.1.a *ſtultus in libro Prouerbiorum eſt impius ſequens ſuas concupiſcentias.* 481.1.d *hic verè eſt ſeruus, & ſeruire debet ſapienti.* 420.1.b.c *eum non decent verba ficta & iactabunda.* 424.2.d *nec ſermones graues & magnifici.* 425 1.a.717.2.b *eſt quaſi animal brutum.* 428.2.b *peccat ex malitia & obſtinatione.* ibid.c *cùm à ſuis concupiſcentijs abducitur aut corripitur, ſæuior & damnoſior eſt vrſa.* 429.2.c *vrſo comparatur.* 430.1.a.c.2.a *ſi ſileat, cur ſapiens videbitur.* 446.2.c.d *duobus modis ſibi ſuæq; famæ conſulit.* 447.1.b.2.b *non recipit verba ſenſata, ſed vana, leuia, ſtulta.* 449.2.c.d *nihil ei placet, niſi quod ipſe ſenſit: vult vt cum ſe ſtulto doctor ſtulteſcat.* ibid.d *vix poteſt ad ſapientiam aſſurgere.* 450.1.a. *eum docens debet ſe eius ineptis conceptibus, quoad licet, conformare.* ibid. *rixis ſe temerè immiſcet, vt eas adaugeat.* 454.1.c 724.1.c.2.b *eoq; ipſe vapulat.* 454.2.b *iactatur fluctibus paſſionum.* 476.2.b *Deo ſuum infortunium adſcribit.* ibid.c.477.1.b *plerumque habet conſcientiam turbidam.* 481.1.b *eſt ſeruus ſuæ ſtultæ cupiditatis.* ibid.c *non decent eum deliciæ.* ibid.c.d *nonniſi, imò vix, verberibus ſapit.* 428.2.a.759.1.b.502.2.b.d.& ſeqq. *ſæpè tamen ijs ictus callum obducit.* 428.2.d *videns pœnam & infortunia impiorum, & ſapientis proſperitatem, fit ſapiens.* 558.2.c d *temerè in pericula ſe induit.* 583 2.c & ſeqq. *cur ei virtus & prudentia ſit ardua.* 652.2 c.d *pauca facit, multa iactat, in quo ſimilis eſt cicadis.* 692.2.c.d *ei reſpondendum & non reſpondendum iuxta ſtultitiam eius, quo ſenſu.* 714.2.a.b.715.1.b.c.2.a *cum eo non eſt ſtulteſcendum.* 715.1.b.c *eius tamen ſtultitia & errores corrigendi* ibid. *non habet prudentes ſermones.* 717.1.d *ei non eſt honor dandus.* 718.1.d.& ſeqq.719.1.a.& ſeqq.2.b.c 720.1.b.2.b.721.1.a *allectus in cœtum ſapientum, ceteris notam inurit ſtultitiæ.* 718.2.c *aptè vocatur lapis.* 721.1.722.1.a *eſt ſimilis Mercurio.* 722.1.a *item ebrio.* 2.a *iacit in omnes ſcommata.* 723.1.a.c *caret prudentia.* ibid.b *quàm eius ira ſit intolerabilis ſapientibus.* 738.1.a.& ſeqq. *laudibus euaneſcit & delectatur.* 757.2.c *eſt incorrigibilis.* 794.1.a.b *ſuis ciuibus eſt deriſui & contemptui.* ibid.c *quomodo totum ſpiritum ſuum proferat.* 795.1.b.& ſeqq. *omnem animi vim & impulſum ſtatim expromit.* 796.1.a *ſi ſaturetur, fit intolerabilis.* 840.2.d

Stulti amant res nugaces. 37.1.c *debent regi à ſapientibus.* 275.1.c *ſæpè tamen contrà fit, nihilominus illi his ſeruiunt.* 2.a *ſunt ſuperbi, putantq; ſe ſolos ſapere.* 290.1.b *amant ſuas cupiditates.* ibid.c *ſunt duri cerebri & pertinaces.* ibid.

verbo

verbo aſperiore puncti, illicò excandeſcunt. 2.c *iram in corde coquunt, & in furorem prorumpunt,* ibid. *dedidicerunt pudere.* 357.2.b *inconſideratè effutiunt ſtultitiam.* 360.2.c vide *Impius.*

Stupidus aptè vocatur ſaxeus Mercurius. 722.1.b.c

Stuprum puellæ omnimodis celare ſtudent. 837.1.c

Subditi bene ſe gerentes lætificant Superiores. 218.2.c *hi ſubditorum ſuorum curam gerant.* 286.1.b *regum ſuorum decretis pareant.* 397.1.c *cur.* 547.1.b *eos venereri debent.* 484.2.d *ſunt benignè ab ijs habendi.* 541.2.c *modeſtè & reuerenter cum ijs agant.* 682.2.b.c *eorum manum oſculantur.* 668.2.d *nimijs tributis grauandi non ſunt.* 855.2.d. *nec nimijs legibus & nimia diſciplina.* 856.2.b *ſubditi obſtrepentes Superiori humaniter eos corripienti, incident in ſeuerum.* 429.2.a *ſi ſuos Superiores affligant, ſibi probrum & infelicitatem accerſunt.* 503.2.d *non ſunt apud eos accuſandi temerè.* 825.1.b

Sublinere os eſt adulando decipere. 106.2.c

Subſannare eſt probra & ſannas ceu ſtulto irrogare. 40.1.b

Subſtantia feſtinata quæ dicatur. 309.1.b.2.a.c

bonus rei cuiuſlibet Succeſſus ita à Deo ſperandus, vt tamen cum humana prudentia peragatur. 405.2.c *& ſeqq.*

Suculæ ſtellæ dicuntur ab Hebræo keſil *per metatheſin.* 77.1.d

Sufficientia à Deo petenda ſunt, non ſuperflua. 822.1.a.2.c

Superbia Deo & hominibus exoſa eſt. 253.1.c *progignit lites & iurgia.* 308.2.b.405.1.d.2.a *& cur.* ibid.d. *& ſeqq.* *frangitur humilitate.* 358.1.c *ea gradus ad ruinam eſt.* 385.2.c *eam punit Deus per peccata ſubſequentia.* 403.2.d 404.1.b *cur vocetur iniuria Dei.* 404.1.b *eſt cauſa omnium malorum.* ibid.c 510.2.a *eius grauitas.* 404.1.d *eſt ſignum reprobationis.* 2.b *eſt omnibus exoſa.* 438.2.a.b *principibus maximè eſt exoſa.* 682.2.b *radix eſt detractionis.* 521.2.d *& exaltatio oculorum.* 551.1.a *& inſipientia.* 585.2.a.726.1.c *& ſanguiſuga.* 831.1.b.c *in glacie denotatur.* 586.2.a *eius proles.* 592.1.a *per luxuriam punitur.* 600.1.d *naſcitur ex opinione magna ſui.* 723.2.b *virtutis eſt ſcoria.* 757.2.b *probro hominem affuit.* 803.2.b.c *alta petit, igni confertur, nec ſatiatur.* 829.1.a

Superbum ſequitur ignominia. 253.1.b *dolet cùm deſpicitur.* ibid.c *contumeliam ſibi accerſit.* ibid.d 2.a *eſt inſipiens.* 1.d *quare ſapientiam non aſſequatur.* 328.2.b.c *ſuperbi per aues denotantur.* 34.2.a *deſpiciunt & contemnunt alios.* 134.1.b 253.2.a.324.1.c *ſe deſpicientes deſpiciunt.* 253.2.b *paſcuntur honore & opinione ſui.* 223.1.d *quomodo eos puniat Deus.* 253.2.c *ſemper ſua iactant cùm ſæpè parum vel nihil habeant.* 305.2.b *eorum familias & opes Deus euertit.* 377.2.a *à Deo deprimuntur.* 388.1.c *per humiles conteruntur.* 404.2.d *quare altam & vagam habeant imaginationem.* 551.1.b *ſuum faſtum vbique oſtentant.* 2.b *ſtatim in verba & facta contumelioſa prorumpunt.* 569.2.a.570.1.a.b *omnibus iniurij ſunt.* 569.2.b *ſunt ſtolidi, cur.* ibid. 2.d. *& ſeqq.* *ſectantur honorem, ſed incurrunt infamiam.* 570.1.b *ſunt plerumque in pauperes violenti.* 608.1.d *quibus hoſtium & malorum incurſibus pateant.* 709.2.c *diuina caſtigatione humilia ſapiunt.* 714.1.d *ſemper iurgia concitant.* 783.2.d.784.1.c.d *ſunt animæ laſi.* 783.2.784.1.a *deſtruunt iudicium.* 790.1.b *omnem gloriam ſibi ſeruant.* 804.1.a

Supercilia ſunt oculorum propugnaculum. 148.1.c

Superiores excitare ſuos debent verbo & exemplo. 124.1.d *quatenus eos ſubinde notare debeant.* 150.1.d *eos ſæpè monere & corripere debent, & quare.* 208.2.b.832.1.d *dent eis occaſiones proficiendi.* 209.1.c.d. *ſunt fidelium patres & matres ſpirituales.* 25.1.d *ne ſint nimis ſuaues.* 236.1.b *imitari debent Proteum.* 429.2.a *& quædam animalia.* 849.2.b *per paſtores ouium repræſentantur.* 761.1.a *ſubditis munia iniungant indoli conuenientia.* 877.1.a *vigilare debent.* 878.1.b.892.2.a.b *ſi ſint nimis ſeveri & moroſi, cauſa ſunt multorum peccatorum in ſubditis.* 705.1.b *Superiores Religionum ſuis de rebus neceſſarijs proſpiciant.* 882.1.b vide *Prælatus, Princeps, Subditi.*

Supplicia Deus infligit ad menſuram ſcelerum. 398.2.b *ea peccantibus omnibus æqualiter irrogat.* 723.2.b *ſupplicia infliguntur reis ad terrorem aliorum.* 505.2.b.c

Sus immunda ſymbolum eſt impudicæ mulieris. 267.2.a.b *item ſtulti.* ibid.d *item guloſi & immundi.* 268.1.a *item indocilitatis & impudentiæ.* ibid.

Suſceptores in baptiſmo vel Confirmatione, eos pro quibus ſponderunt, inſtruant & dirigant ad bonum. 124.1.c

Suſcipere *in Script. capitur pro opitulari, dirigere, fouere, protegere.* 275.2.d

Suſpicere quid propriè ſit. 39.2.b

Suſpicaces ſunt plerumque obnoxij ei vitio, quod in altero imaginantur. 625.2.d

Suſpicio vana ſæpè iram concitat. 485.1.d

Suſtinere dura patiendo, maius eſt quàm eadem aggrediendo alijs inferre. 413.2.d.414.2.b.c

Suſurratio grauiſſimum ſcelus eſt. 133.1.b.c *an ſit homicidio grauius.* ibid.d. *& ſeqq.* *tollit fraternum amorem.* ibid.d *ex ea multæ ſequuntur cædes.* 2.a *varia peccata ex ea oriuntur.* ibid. *euertit ciuitates, reſpubl. collegia.* ibid.c *eſt grauior detractione & contumelia.* ibid.d

Suſurro laborat vt amicitias diſſoluat. 410.2.d *& vt iurgia ſuſcitet inter amicos, & ea foueat.* 595.1.d.730.2.b *eius molimina.* 410.2.c *principes ſæpè ad bella concitat.* 411.1.a *eius verba ſunt quaſi verbera & vulnera.* 455.2.a *odij & noxæ malignitatem deriuat in intima cordis.* ibid.b *duplex habet cor & linguam.* ibid.c *ſæpè peruerſitatis ſuæ dat pœnas.* 481.1.a *ſunt è rep. eijciendi.* 595.2.a.b *ſunt velut carbones.* 731.1.b *quo modo eorum verba videantur ſimplicia.* 2.b vide *Detractor, Lingua.*

Sycophanta quis propriè ſit, vnde ea vox primùm promanarit. 778.2.b *quis eius vſus.* ibid.602.1.a

Symbola epulonum & potatorum olim erant in vſu, & modo ſunt. 632.1.c *ſymbola Pythagoræ vnde ſint enata.* 13.1.c.d

Συμπεριφέρεσθαι *& conuerſari, & facilem ſe præbere ſignificat.* 274.2.c

S. Symphoroſa ſeptem filios ad martyrium educauit. 136.1.a.408.2.b

Sympoſia quare deuitanda. 632.1.a.c.d *ea ad paupertatem deducunt.* 638.1.c

Synagoga *vox ſignificat cœtum.* 112.1.c *ſynagoga eſt parabolicè domus ſapientiæ.* 197.1.d *ea Eccleſiam repræſentat.* ibid.

Syra verſio Bibliorum quæ modò exſtat, è Græco videtur traducta. 6.2.c

T*Abernacula ſunt domus mobiles, eáq; propriæ iuſtorum.* 334.2.d.& ſeqq.

Tabulis inſcribebatur ante vſum chartæ. 60.1.c

Taciturnitas homini ſtulto pro ſapientia eſt. 447.2.a vide *Silentium.*

Taciturni doctrina rara eſt. 445.1.d *is ſe videtur mutus.* 864.2.d *cur eius ſpiritus vocetur pretioſus.* 446.1.a

Tactus mulieris quàm ſit noxius. 142.1.b.c.155.1.c

Tædium in rebus ſpiritualibus quo pacto curandum. 744.1.d

Talionis lex quæ ſit. 496.2.c.d *ea gaudent homines.* 666.1.d

Talmud conſcriptum poſt tempora Chriſti. 671.1.c

Tanaquil regina eadem cum Caia Cæcilia. 872.1.a

Tantali fons apud Indos quis eſſet. 202.1.b

Tapetes varias continent figuras. 153.2.b

à Tarantalis morſi tripudiando emoriuntur. 52.1.b

cur Tartari nonnulli infantes ſuos lacte canum alant. 28.2.b

Taurus quo pacto à lanionibus decipiatur. 157.1.d

Tectum ſynecdochicè domum ſignificat. 556.2.a *tecta ſunt in Palæſtina plana, non culminata.* ibid.

Tedas accenſas tradebant curſores in ſtadio proximè ſequentibus. 529.1.b *præferebantur eæ ſponſis.* 539.2.c

Telonarij nimia vectigalia non exigant. 856.2.b

Temerarius in multa corruet pericula. 785.2.a.b

Temperantia acuit ingenium. 71.2.b.508.2.d *mater eſt ſanitatis, ſanctitatis, ſapientiæ.* 772.2.d *per animal ſuccinctum lumbos denotatur.* 850.1.a

Temperare tria ſignificat. 416.1.d *ſic tripliciter Deus fortes temperat.* ibid.& ſeqq.

Tempeſtatis deſcriptio. 245.2.a.b

in Templo potiſsimum Deus cum hominibus habitat. 192.1.b *ipſum eſt domus ſapientiæ parabolicè.* 197.1.d *omnes eius partes ei accommodantur.* ibid. *in eo docet ſuos.* 2.a *porticus atrij eius habebant ſeptem præcisè columnas.* ibid. *in eo Chriſtus & Apoſtoli legem nouam docuere.* 163.1.a *cur id vocetur arx.* 205.1.b *vt templo detur, nihil parentibus ſurripiendum eſt.* 783.1.a.b *templum S. Mariæ Maioris Romæ à B. Virgine niue in Auguſto ſubmiſſa deſignatum ædificari.* 690.2.b. *quam ſit celebre eius reliquiæ, miracula, honor.* 164.1.a.b.c

Tempus quomodo futura parere dicatur, ſeruit Deo & eius ordinationi. 736.1.b *eius fugacitas & volubilitas.* ibid.d *temporum differentias dentes in ſe exprimunt.* 698.2.b

Tenacitas depauperat. 270.2.a

Tendicula tenditur auibus & feris. 29.2.c

per catachreſin luridi, viles, pauperes vocantur Tenebroſi. 612.2.a

Tentatio carnalis peior eſt fornace Babylonia. 143.1.a *eius vis.* ibid.b *quos tentationibus ſeculi terminos Deus ponat.* 190.1.a *tentationes huius vitæ ſunt cauſa & materia compunctionis.* 333.2.c *immittuntur iuxta vires naturæ & gratiæ.* 398.2.d *ijs exploratur robur iuſtorum.* 399.1.a.421.2.d *eas ſuperans verè vir fortis eſt.* 413.2.a *quælibet ab obediente vincuntur.* 575.1.d *ſunt conſilio, non vi ſuperandæ.* 652.1.d *in ijs intendenda ſunt pietatis exercitia.* 655.2.c *ſunt fortiter tolerandæ.* 656.2.a *nemo ſe in eas vltro poteſt conijcere.* 785.2.a *ſunt in ſui initio cognoſcendæ.* 648.1.a

Tentati leniter tractandi ſunt. 657.2.a

Tepidus in bonis operibus in die iudicij mendicabit. 511.2.a

Tepor in diuinis valdè eſt animæ noxius. 130.2.c.227.1.c *tepor ſequitur nimium feruorem.* 310.1.b

Termini maris ſunt eminentiora terræ, & moles arenariæ. 189.2.d. *ijdem dicuntur oſtia & vectes.* 190.1.a. *terminos agrorum transferre eſt contra ius gentium & naturæ.* 611.1.c *Terminus qui Deus Romanis eſſet.* ibid.d.2.b.c

Ternarij numeri myſteria ex Rabbinis. 606.1.c *ipſe eſt ſymbolũ multitudinis & perfectionis.* 606.1.b

Terra meritò vocari poteſt Pandora. 28.1.c *per ſapientiam Dei formata eſt.* 74.1.d. *in imo fundata eſt in ſeipſa.* 190.2.c.d *Dei nutu hæret in mundi medio ſuſpenſa, & in vacuo firmatur.* ibid.d. *an motu librationis moueatur.* 191.1.a *quomodo in ea ludat Deus.* 192.2.d *terra tum præſens, tum futura in cælis debetur Sanctis.* 56.2.d *terræ profunditas incerta eſt.* 680.2.a *ipſa aquis ſupereminet.* 816.1.d.2.c *eſt immobilis.* 2.c *eſt centrum totius vniuerſi.* 2.d *qui eius ſint termini.* ibid.

Terræmotus quos effectus cauſet. 840.2.b

Tertullianus docens nefas eſſe in perſecutione fugere, errat. 786.2.b *nimio caſtitatis amore pro hæreſi Montani aduerſus Catholicos ſcripſit.* 145.2.a

Teſta liquoris quo ſemel eſt imbuta, odorem ſemper retinet. 788.2.d

Teſtamenti vtriuſque conſenſus. 389.2.a *ſunt velut duo Dei labia: hinc errare nequeunt.* 397.2.d

Teſtis audita & viſa deponat. 684.1.d *Deum ſpectatorem habet.* 598.1.d *fallere aſſuetus etiam in iudicio mentietur, ſecùs qui mendacium auerſatur.* 292.1.a.326.2.c *qui vult haberi teſtis fidelis, abſtinet à mendacio.* 326.2.d *hic numquam ex propoſito mentitur, at doloſus facilè mentitur.* ibid. *teſtis fidelis nullis precibus vel minis ad mentiendum adduci poteſt, at mendax mentitur ſponte.* 327.1.a *teſtis verax audacter teſtimonium profert, at qui inter teſtandum hæſitant, hi ſe produnt mentiri.* 292.1.b *teſtis fidelis liberat animas à varijs malis.* 346.1.c *at falſus eas opprimit.* ibid.d *teſtis verax quomodo à falſo dinoſcitur.* ibid. *falſus vnde potiſsimùm agnoſcatur.* ibid. *teſtis conſideratus verum teſtatur, inconſideratus de veritate non laborat, ſed facilè mentitur.* 293.1.b.2.a.c *teſtes falſi ægrè falſum teſtantur.* 135.1.a.292.1.b *hi perdunt ſæpè innoxios.* 135.1.c *ſunt quaſi fornax accenſa.* ibid.b.c *Deo diſplicent.* 295.2.d *teſtis falſum teſtatus pœnam talionis falſarijs iure ſtatutam non euadet.* 478.1.b *manus ſaltem Dei non effugiet.* ibid.c *lædit ſanctitatem Dei ſuo periurio.* ibid.d *deridet iudicium.* 504.1.d *& ipſum riſui & ludibrio exponit.* 2.a *luet ſuam falſitatem in gehenna.* ibid.b *lingua ſua mendaci corrogat theſauros.* 553.2.b *dedidicit pudere.* 576.1.c *proximum lædit inſtar iaculi vel gladij.* 697.1.c *etiam*

iam inſtat mallei caput contundentis. 2.b mendacijs ſuis ſe perdet, quia ſibi non conſtabit, at verax ſemper idem dicet & teſtabitur. 572.1.c ille vel à iudice, vel à Deo perdetur, huic verò vita longa donabitur. ibid.d.2.a.b.c teſtes duo in iudicio abſoluunt vel damnant reum. 470.1.c
Teſtimonium falſum contra proximum cauendum 671.2.b.c.672.1.a.b eius varia damna. 697.2.b hoc Dei prouidentia ſubuertit, at verum tuetur & propugnat. 598.1.b
Teſtudines intra teſtam ſe à periculo abſcondunt. 584.1.d ſymbolum ſunt bonæ matrisfamilias. 152.1.b
Texere eſt opus decens feminas. 879.2.c
Thalaſſium & thalaſſio voces ſpectant ad lanificium muliebre. 871.2.c.d
S. Tharſilla moriens à Chriſto recepta eſt. 890.1.b
Thebææ legionis Martyres capita reciſa geſtarunt vſque ad locum ſepulturæ. 27.1.d
Thecæ argenteæ, per quarum foramina auratæ figuræ viſebantur, olim erant in vſu. 687.1.b.c
Themiſtocles quid de ſuo feroci adoleſcentis ingenio diceret. 321.1.c
Theodoricus rex Arrianus à ſpectro ſibi apparente morbum & mortem incurrit. 544.2.d
Theodorus Abbas in omni timore erat intrepidus. 78.1.a.229.1.c
Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus factus eſt hæreticus. 2.1.b
Theodoſius Imp. iniurias ſibi illatas deſpexit & ignouit. 484.2.a eſt monitus ab Ambroſio mortis ſententiam in alios latam ad dies aliquot differre. 693.1.b Theodoſij iunioris clementia. 542.1.b
Thermæ Diocletiani à Martyribus ſunt ædificatæ, eæq; conuerſæ ſunt in templum S. Mariæ Angelorum. 334.2.c.d
Theſaurus capitur tam pro repoſitorio, quàm pro re repoſita. 176.2.d theſauri & ſapientiæ analogia. 47.1.b.c theſauri olim per carbones & cineres reperiebantur. 48.1.a.232.1.d theſauri quare inſatiabiles vocentur. 370.2.b qui theſauros per linguam mendacem corrogent. 553.2.b.c theſaurus deſiderabilis à ſapiente comparatur & aſſeruatur. 567.2.b
S. Thomas Apoſtolus vnde dictus Didymus. 730.2.d
S. Thomas Aquinas omni libidinis ſenſu caruit. 518.1.b eius pueritia indicabat eius ſtudium. 520.1.b
S. Thomas Cantuarienſis à miniſtris regijs regi placere volentibus interfectus. 400.1.c
B. Thomas Morus in ampliſſimis honoribus non multum auxit annuum cenſum. 612.1.a fuit legatus fidelis regi ſuo Henrico VIII. 691.1.c.d & miniſter. 358.2.b.c
Thymus optimum ſuppeditat mel. 660.1.d
Thori iniuria maxima eſt. 146.1.d
Tiberius Imp. vinoſus fuit. 644.2.b cur non facilè præfectos prouinciarum mutaret. 831.2.d
Tibiæ pulchræ dedecent claudos. 717.1.d.2.b.c
Tillius Cimber ab ebrietate actus eſt in necem Iulij Cæſaris. 862.2.d
Timens Deum non timet dæmonem, quia à Deo protegitur. 501.1.a.b quæ eius ſit ſpes. 631.1.b.c nihil ei deerit. 783.2.c.784.1.d.2.a.d ita Timendus non eſt homo, vt propterea Deus offendatur. 805.1.d
Timidi quæ ſint ſigna & inditia. 456.1.a timidi & frigidi natura cauent ſibi à periculis. 339.2.d
Timor filialis eſt cuſtos virtutis & charitatis. 48.1.b is cauſatur à ſcientia infuſa. ibid.c timor an ſit in cælo: erit ibi timor filialis & ſecuris. 44.1.c.d timor impiorum poſt ſcelus patratum ingens eſt. 244.2.a timor eſt nuntius iræ & vindictæ diuinæ. 245.1.a timoris remedium. 431.1.a ipſe timido eſt velut laqueus. 807.2.b.c timores panici impiorum quales. 765.1.a timor noſter, vt ſit virtus, debet eſſe non anxius, nec audax, ſed moderatus. 776.1.d.2.a timor ſeruilis quis ſit. 809.1.d.2.b
Timor Dei duplex eſt, ſeruilis & filialis. 47.2.d vterque per ſapientiæ ſtudium intelligitur. ibid. & ſeqq. eſt principium ſapientiæ, tam ſeruilis, quàm filialis. 23 2.d.& ſeqq. is deprimit præſumptionem. 63.2.a vmbilico repræſentatur. 63.2.d.64.1.c odit inhoneſtatem & malitiam. 168.2.a principium ſapientiæ eſt. 209.2 b.c eius effectus. 210.1.a hominem ſtimulat, vt in via Dei ambulet. 323.2.b peccatum omni ſtudio fugit. 339.2.b parit fortitudinem & fiduciam. 346.2.b.347.1.c eſt fons vitæ, gratiæ & immortalitatis. 2.b hic ſi quando intermittitur, homo ſuccumbit tentationibus. 347.2.c ſed cum illis etiam vmbram peccati vitat. ibid. hic præſtat opibus. 370.2.c facit mentem quietam, eam ſatiat & explet. ibid.d præſeruat à peccato committendo. 380.2.b docet veram ſapientiam, & virtutem. 384.2.a.c timor Domini ducit ad beatam vitam. 500.1.c quatuor eius fructus. 2.a.c.& ſeqq. intrepidus eſt, & omnem alium timorem excludit. 501.1.c.d adfert longitudinem dierum, opes & gloriam. 585.1.c mentis faſtum edomat. 2.d.& ſeqq. is vbique præ oculis habendus: & eum qui habet, à Deo benedicitur. 776.1.a.b.c ipſe vera eſt pulchritudo. 899.1.d.2.b
Tinea ſymbolum eſt triſtitiæ. 702.1.d.& ſeqq. naſcitur in veſte & ex ipſa. ibid.d ſeipſam vnà cum ipſa conſumit. 2.a.b innaſcitur rei molli. ibid.d qua re arceatur. 703.1.a
Tintinnabula geſtabant olim meretrices in calceis. 158.1.a modò geſtant ea ſtulti. ibid.b item rei capite mulctandi. ibid.c
Tirocinio militiæ ſimilis eſt inſtructio pueriliſ. 588.2.a
Titulus libri Prouerbiorum eſt ab ipſo Salomone ei præfixus. 11.1.a non ab alio additus. 12.1.a
Titus Imp. contumelias non curabat. 713 2.b ſuſurrones in exilium deportari iubebat. 730.2.b
Tobias gratiam inuenit coram Salmanaſar. 394.2.c
Tonitru percellit ſceleſtos & peccatores 245.2.d
Torpedo piſciculus ſymbolum eſt torpidi. 456.1.d 490.2.c
Torpor ſimilis piſci torpedini & echeneidi. 456.1.d hebetat animam. 490.2 b torporis ſpiritualis ſchema. 502.2.a is deſcribitur. 674.1.a
Torques ſunt præmium ſapientium. 27.2.b torques notat ſex dotes ſapientiæ. 59.2.d eius ſex proprietates. ibid.& ſeqq.
Tortura per vinum eſt facilis & expedita. 862.1.d.2.a
Totum cupiens, ſæpè totum perdit. 432.1.b
Tragœdiæ triplex eſt argumentum. 337.1.c tragœdia vitæ humanæ totidem habet. ibid.
Traianus Imp. iuſtitiæ cultor eximius fuit. 251.2.c eius bonitas & clementia. 400.2.c

Trama quid ſit, & vnde dicta. 873.2.b

Tranſſubſtantiatio in Euchariſtiæ Sacramento reperitur. 617.2.b

Triarij in bello fortiſſimi erant milites. 606.1.b

Tribulatio eſt diſciplina & doctrina. 68.1.a *tribulationes ſunt velut æſtus.* 225.2.a *ſunt via ad cælum.* 235.2.c. & ſeqq. *eas viribus tum naturæ, tum gratiæ Deus admetitur.* 398.2.d *ijs ceu camino explorat robur iuſtorum.* 399.1.a 421.1.c.d *hæ ipſorum animum expurgant.* 544.2.a.b.545.2.b.c.820.1.a.b *in die tribulationis mens omnes ſuas vires colligat ad ei reſiſtendum.* 655.2.c *tribulationes à Deo immiſſæ proficiſcuntur ex amore eius, & ad maius bonum noſtrum.* 742.2.c *Aquilone denotantur.* 752.2.b

Tribunal conſcientiæ quod, quæ eius perſonæ. 282.1.c

Tributis non ſunt ſubditi onerandi. 761.2.d.790.1.c.855.2.d *id propriè tyrannorum eſt.* 777.2.c

SS. Trinitas velut fons eſt. 113.2.c *eius conſanguinea fuit B. Virgo.* 184.2.d *eius ſymbolum.* 810.1.a *id Salomon Iudæis tacitè ſignificat.* ibid.b.812.1.d *ipſa prorſus incognita nobis eſt.* 817.1.b *vti & priſcis Iudæis.* 818.1.b *Turcæ eam negant & moderni Iudæi.* ibid. *non habet quartum, inſulſè conſertur impotenter dominantibus.* 841.2.b

Triplicitet *capitur ſubinde pro multipliciter, plenè, perfectè.* 607.1.a.b

Triſti non ſunt carmina læta occinenda. 700.2.c.d *triſtes non facilè inebriantur.* 863.2.d triſtis *pro irato ſumitur ſubinde.* 732.2.a

Triſtitia cordis fugat Spiritum ſanctum. 367.2.b *facit faciem luridam & triſtem.* ibid.c *eius cauſa eſt mala conſcientia.* 367.2.d *quàm ea ſit noxia.* 368.1.a.b *eius remedium ſpes eſt, & cogitatio æternæ gloriæ.* ibid.c *animum viri magnanimi ſternit.* 297.2.a *eſt quædam ægritudo, morbos adauget, & medicinæ vim elidit.* 440.1.d *eam ſuperans vir fortis eſt.* 414.2.c *nuſquam eſt, niſi vbi eſt aduerſitas & iurgium hominis.* 418.1.a.419.1.a *hebetat oculos mentis & corporis.* 440.1.d *item corpus reddit luridum, languidum, debile.* 2.b *exedit oſſium medullas.* ibid.d. & ſeqq. *alij eius effectus & damna.* 441.1.b.c.d.2.a.702.1.d 2.a.b.c.703.2.d *quomodo per carmina leuari debeat.* 701.1.b *ipſa cum ira cognationem habet.* ibid.c.d *per tineam & vermem deſignatur.* 702.1. & ſeqq. *ſeipſam depaſcitur.* 2.b *animam reddit inutilem.* ibid. *innaſcitur cordi infirmo & debili.* ibid.c *pellitur cogitatione cæleſtium.* 703.1.b *item vino.* 864.1.d.2.a *alia eius remedia.* 701.1.c.2.b *multis ex cauſis oritur.* 703.1.c.d

Trituratio apud multas gentes fit rotis & equis. 541.2.b

Trochlea & τροχαλία ſupplicij genus deſcribitur : id in martyrijs erat frequens. 538.1.d.2.a

Τροχὸς & τροχίζεσθαι *quid priſcis eſſet in tortura.* 539.2.d

Triphon ſub pallio amicitiæ hoſtilitatem tegens, ſe regem Syriæ conſtituit. 730.2.a

Tumultus oritur ex ebrietate. 507.2.d

Tunica oculorum quadruplex eſt. 148.1.c

Turba noxia principibus eſt. 348.2.c

Turbulentus vnus totam vrbem turbare poteſt. 595.1.d *tales ſunt è cœtu, Eccleſia, rep. domo eijciendi.* 2.c.d

Turcæ creuere per diſsidia Chriſtianorum. 467.1.c *eorum chorea in orbem qualis ſit.* 52.1.b *Turca deſolationem & vaſtitatem terris infert.* 348.1.d.

Turris quædam peculiaris à Dauide extructa in arce Sion. 205.2.c *turres habebant veteres in vrbibus, & pagis, ad quas ingruente hoſte confugiebant.* 457.2.d. *turris Babel fuit velut arx.* 458.1.a

Turtur qua herba pullis ſuis à lupo proſpiciat. 584.2.c

Tyrannis eſt omnibus odioſa. 841.1.b

Tyranni ſuos tributis onerantes, exteros à regno fugant, ſuum, non populi, commodum quærunt. 348.1.b.d *eorum mores.* 2.a. *tyranni myſtici ſunt qui motus carnis potenter opprimunt.* 170.2.b. *impietate ſe & regnum euertunt.* 399.1.d. *eorum quis fuerit exitus.* 486.1.d. *omnia appetunt, numquam ſunt ſaturi.* 757.1.b *ditant ſe ruinâ aliorum.* 773.2.c. *leoni & vrſo comparantur.* 776.2.d.777.1.a. & ſeqq. *terrorem incutiunt plebi.* 777.1.a *eorum auaritia & cupiditas.* ibid.b. *item crudelitas.* ibid.c. *rapacitas & iniuſtitia.* ibid.d *gaudent ſubditorum diſſentionibus, & eas fouent.* 2.b *populum exactionibus grauant.* ibid.c *potentes non audent laceſſere.* ibid.d *plerumque à populo de medio tolluntur, hinc ſemper pauent.* 778.2.a. & ſeqq. *faciunt populum excentricum.* 790.2.c *tyrannus quidam ſuperbus quomodo ad modeſtiam ſit traductus.* 405.1.a

Tyrij erant mercaturæ deditiſſimi. 887.2.a

V*Adimonium & vadari quid ſint.* 610.2.d

V*æ gemitum inſignem denotat cum tunſione pectoris & comploſione manuum.* 638.1.a.b

Vagabundus caret quiete & ſtatu. 745.1.b *non poteſt attendere familiæ, nec filijs.* ibid.c *eſt ſimilis ſtruthioni : perdit notos & amicos, & ignotis fidere non poteſt.* ibid.d *ſæpè carceris, famæ & vitæ diſcrimen incurrit.* 2.a *rerum omnium premitur inopia, incidit in varia incommoda.* ibid. *poſtliminio ad ſua reuerſus reperit omnia turbata & confuſa.* ibid.b

V*agus vox vnde deriuetur.* 152.1.a

Valens anachoreta à dæmone turpiter illuſus eſt. 726.1.b

Vallis filij Ennon deſcribitur. 55.1.c.d

Vas Hebræis omne inſtrumentum & organum eſt. 523.1.d.624.1.b *vas, adis, idem eſt quod ſponſor, vnde dicta vox.* 610.2.d

Vbera nimium preſſa dant ſanguinem. 855.1.b. *ſunt illices amoris.* 111.1.d

Vdo Archiepiſc. Magdeburgenſis increpitus non pœnitens. 788.1.d

Vecte onera ingentia facili negotio portantur. 855.2.c *maximè ſi is habeat fulcrum.* ibid.

Vectigalia moderetur rex. 779.1.b.c

Velleribus ouium induebantur primi hominum. 762.1.b

Velocitas ſit in rerum executione. 612.2.d *item in conſilijs ſubitis inueniendis* 613.1.a *eſt efficax ad res magnas ritè conficiendas, ſi maturo conſilio dirigatur : illius alia commoda.* 2.a

Velo immiſſo leones capiuntur. 486.1.b velum mulicbre quid denotet. 887.2.d

Vena dicitur à veniendo. 453.1.b venæ auri inditia. 519.2.d

ad Vendendæ rei commendationem facit bona vicinia. 748.2.b.c

Vendentes, merces ſuas extollunt, ementes extenuant. 522.2.c ſæpè in eo contra iuſtitiam peccant. ibid.d

Veneficæ plurimæ ſunt, pauci venefici. 281.2.d

Veneficium & adulterium cognata ſunt. 281.2.d

Venenata animalia cum alienis coëunt. 144.2.c

Venenum lacti immiſtum planè lethale eſt: cur. 28.2.d oleo inditum citò in intima corporis peruadit. 455.1.d id in dulci vino propinatur. 791.2.c

Veniali peccato nemo diu carere poteſt. 518.1.c id conſiſtit cum iuſtitia iuſtorum. 662.2.d at ipſum eos valdè humiliat. 663.1.a ſine peccato veniali deliberato poſſunt valdè perfecti viuere. ibid.c

Venter metaphoricè capitur pro mente & conſcientia. 468.2.c.604.2.c

Ventus leuis & fluidus eſt, ac celerrimè pertranſit. 223.2.d vtres diſtendit, & aues facit canoras. 224.1.a quàm ſæpè ſit validus. ibid.c venti Theodoſio Imp. in prælio Deo diſponente propitij fuere. 223.2.d ventos paſcere quid ſit. 223.1.c.2.a ventus impetuoſus cohiberi nequit vel retineri. 751.2.a ventos moderatur & regit Deus, ſunt in eius arcanis. 816.1.b.c

Venus græcè dicta eſt à ſpuma, cur. 53.1.c eius ſchema & emblema. ibid. vox Venus vnde dicatur. 53.1.a.b.107.1.d vires & ſanguinem exhaurit. 109.2.a.110.2.a eius vſus epilepſiæ comparatur. 55.2.d multos occidit. 159.1.c Venus Libitina colebatur Romæ in æde Libitinæ. 2.a vnde dicatur. 55.1.a

Vera dicens quodammodo iurat. 327.2.a

Verax ſolet in teſtem aſſumi. 292.1.a verax qui meditatò veritatem eloquitur, ſemper in veritate conſiſtit. 293.1.d nihil dicit quin verum eſſe comperit. 2.c placet Deo. 295.2.d mendacem & mendacium abominatur. 421.2.d omnium ſit amicus. 669.1.d etiam mentiens verum dicere putatur. 821.1.b

quomodo Verbera ebrietatem diſcutiant. 645.2.c

Verboſus vide Garrulus.

Verbo Dei ſatiatur anima pij. 321.2.d verbum increatum eſt lumen, creatum lucerna. 137.2.b verbum Hebræis ſæpè ſignificat rem verbo ſignificatam. 312.1.c

Vicinitas pro quadam affinitate cenſetur. 364.1.d vicinitas impij cauenda. 202.2.d

à Vicino beneuolo plus opis ſæpè venit quàm à fratre longè diſſito. 364.1.b cum vicino potiùs amicitia & beneuolentia ineunda quàm cum remoto: is non eſt offendendus. ibid.

Verba quomodo fiant ſtatera doloſa vel recta. 252.2.a verba blanda rectè oleo comparantur. 106.2.c verba ſalutifera monitorum & confeſſariorum ſunt velut venæ effundentes ſalutares aquas. 231.1.b verba inepta, otioſa & iurgoſa vetantur. 237.2.c verba ſapientis candida & nitida ſunt. 240.1.b item pretioſa. ibid. item ſolida. 2.a & pura ab omni miſtione ſalſitatis. ibid.b ſunt velut aqua profunda fluminis vel torrentis. 452.2.d 453.1.b.c.d. non niſi bene limata ad os veniunt 2.a ſpirant virtutes varias. ibid.b verba tarditate penſanda, & ad rationis obruſſam examinanda ſunt. 446.1.c ſunt fructus oris. 468.2.a cauſant bonum vel malum. ibid.b.d qui verbis nudis paſcitur, paſcitur vento. 480.1.b.c.2.c verba veracia & fidelia decent principem. 425.1.a verbum opportunè dictum multum afficit audientes, & proferentem mirè exornat. 686.1.d eſt ſimile pomo aureo in theca argentea. 2.d.& ſeqq. quas habeat rotas. 687.2.c.d.688.1.a.b quod ſit verbum oportunum. 688.1.d verba detractoris ſunt vulnera, quomodo ſint ſimplicia. 455.2.a.b ſunt item verbera & malleí. ibid.b verba blanda iram leniunt. 468.2.b.693.2.b conciliant gratiam. 856.1.b verba munda indicant cor eſſe mundum. 596.2.c quæ dicantur verba compoſita. 425.1.b verba iuſtorum quanti ſint pretij. 249.2.d ſunt ea pauca, & bene expenſa. 250.1.a verba aſpera lenibus leniuntur. 297.2.b.c verba Hebræorum ſæpè ſignificant actum non realem, ſed mentalem vel verbalem. 46.1.a item actum non completum, ſed inchoatum vel mente conceptum. ibid.b

Verboſitas egeſtatem parit. 344.2.b.c

Verecundia auocat à vitijs. 315.2.d.& ſeqq.

Verecundi aliter monendi, quàm impudentes. 428.2.c

Veritas etiam ſui oſoribus in honore eſt. 8.1.b ſtabilis eſt & æterna. 293.1.b eſt inuicta & adamantina, & inſtar ſilicis, cur. ibid.d vna & eadem ſemper perſeuerat. 293.2.b omnem aſcititium ornatum reijcit. ibid.c veritas & miſericordia quæ virtutes. 58.1.c.d veritas eſt triplex, vitæ, doctrinæ, iuſtitiæ: item cordis, oris & operis. 2.a veritas ſignificat in Scriptura opus debitum. 343.2.a.380.2.b veritas Hebræis capitur pro ſoliditate. 264.2.a veritas, doctrina, ſapientia, intelligentia, ſenſus, diſciplina in libris Salomonis idem ſunt. 628.1.a.633.2.a veritati nec addendum quid, nec detrahendum eſt. 519.1.a ea decet reges. 425.1.c.2.a hi debent eam tueri. 1.d.797.2.d hæc eos contra querelas ſubditorum cuſtodit. 540.2.c.541.1.a ipſis etiam places. 596.1.a eſt baſis reip. 798.1.a conciliat principi ſubditorum amorem. ibid.d præualet mendacio. 572.2.b veritatem fidei, ſine morum, in orbe & Eccleſia ſua integram per doctores Deus tuetur. 598.1.a.d illa etſi ad tempus lateat, tandem tamen caput effert. 2.a quanti ſit facienda. 633.2.b cur non poſſit, nec debeat vendi. ibid.d & qui eam vendant. 634.1.a eſt ſuauiſſimus animæ cibus. 660.2.d omnibus exoſa eſt. 782.2.c veritas prima Chriſtus eſt. 807.2.b.c

Vermis ſymbolum eſt triſtitiæ. 702.1.d.& ſeqq. naſcitur in & ex ligno. ibid.d maximè in tenerioribus. 2.d vermes naſcuntur è putredine 217.1.c vermes qui folijs veſcuntur nendo fila conficiunt. 337.2.d vermis conſcientiæ in damnatis non moritur. 352.1.c

Verſipellis quis appelletur. 340.1.c

Verſus Prouerbiorum carentes notâ numeri, non exſtant in Hebræo. 6.1.c.2.a

Verſutus quis propriè dicatur, vnde vox formetur. 340.1.b ſubinde idem eſt quod cautus, prudens. 296.1.a

Vertiginoſis omnia videntur gyrari. 624.2.b

Veſpaſianus Imp. expilatores prouinciarum ditatos condemnabat, remq́ue eorum fiſco addicebat. 623.2.b 767.2.d

Veſtalis ignis vitam diuinam præ ſe ferebat. 629.2.a

Veſtes animæ quæ ſint. 633.1.a *quæ veſtes duplices dicantur.* 881.2.d. & *ſeqq.* *quid allegoricè denotent.* 882.2.a.& *ſeqq.* *quæ veſtis ſtragulata vocetur.* 884.1.c *veſtes ſubtiliores equo, carpuntur à Patribus.* 887.1.c

Veſtimus ſymbolum eſt oris meretricij. 599.2.d

Vetatio acuit rei vetitæ deſiderium. 213.2.c.d

Veternus peccati vnde ſequatur, quamq́; ſit grauis. 646.2.b.c

Via impiorum plena eſt ſpinis auaritiæ, gladijs detractionis, laqueis adulationis, & lapidibus contentionis. 374.1.b *rectà tendit ad inferos.* 376.2.a *ea declinanda.* 91.1.c.d *non eſt recta, ſed peccatum.* 551.2.d *ea eſt via ad inferos.* 556.1.c *eſt peruerſa & aliena.* 555.2.a *eſt aliena à recto. ibid.* & *à dignitate hominis. ibid.b* & *à Deo. ibid.c* *viarum præſides qui eſſent priſcis.* 535.1.d. *via, qua nos Deus vocat, eundum.* 721.2.c *via iuſtorum eſt recta, occulta & arcta.* 403.2.a.b *cur dicatur ſemita & hebraicè ſcala.* 403.2.a.b *via dextera eſt virtutis via.* 102.2.d.& *ſeqq.* *via vitij & virtutis quomodo differant.* 335.1.c *via ſalutis initio arcta eſt, poſtea fit lata & plana.* 90.1.d *eſt alta, eleuata, ardua, difficilis.* 376.2.a *via vitæ eſt ſupernaturalis.* 377.1.c *via triplex, terrena, media, cæleſtis.* 94.2.a *via trita & communi ſemper incedendum Religioſo.* 125.2.c *item recta.* 127.2.a *viæ ſapientiæ ſunt pulchræ.* 72.1.c.d.2.b *viæ tres ad cælum, & tres ad mortem ducunt.* 89.2.c *viæ hominum à Deo diriguntur, ſtabiliuntur, perficiuntur.* 533.2.a.c.d *quomodo via omnis viri videatur ei recta.* 549.1.a.b *via doctrina eſt via iuſtitiæ, hac itur ad virtutem.* 563.2.b *via vitiorum eſt frigida, id eſt laborioſa, ardua, periculoſa, plena curis & doloribus.* 586.1.d *via aquilæ in cælo, colubri in petra, nauis in mari, Chriſto adaptantur.* 836.2.d.837.2.c.838.1.c.d.& *ſeqq.* *via viri in adoleſcentia quæ ſit.* 837.1.b.& *ſeqq.* *qua via in cælum Sancti iuerint.* 839.1.b.& *ſeqq.*

Viatus erat nomen Mercurij. 720.2.c

Viator aliquando idem eſt quod lictor vel apparitor. 129.2.c *viatoribus inſidiantur meretrices.* 212.2.d *viatores addebant ſtatuæ Mercurij in triuijs ſtanti lapidem.* 720.2.d.721.1.a.2.b *viatores ſoli habere poſſunt ſpem beatitudinis.* 666.1.c

Vicinitas pro quadam affinitate cenſetur. 748.1.d *vicinitas impij cauenda.* 586.2.d

à Vicino beneuolo plus opis ſæpè venit quàm à fratre longè diſſito. 748.1.b *cum vicino potiùs amicitia & beneuolentia ineunda quàm cum remotoris non eſt offendendus. ibid.* *vicini ſunt ſubinde ad menſam inuitandi. ibid.c.2.a* *cum ijs arctior nobis familiaritas eſt quàm cum conſanguineis. ibid.* *vicinos malos multæ gentes ferre non valentes, aliò commigrarunt.* 2.c *bonos eos habere ſatagat villicus.* 749.1.a

Viciſſitudo gaudij & doloris in rebus mundanis. 336.2.a.b.337.1.b

Victima pacificè pars potiſſima cedebat offerenti. 201.2.a *victima corde carens mortem portendit.* 99.2.a *victima Chriſti omnes victimarum ſpecies eſt complexa.* 202.2.a *victimæ opiparas dapes ſignificant & carnes.* 419.1.a *victimas poſtponit Script. miſericordiæ.* 550.1.c

Victoria Pragenſis cælitus parta eſt. 536.1.c.d *victoriæ in bello à Deo prouenire debent.* 577.2.d *eæ ſunt cauſæ viciſſitudinis regnorum.* 578.1.b *victoria hominis patientis multiplex eſt.* 532.2.a.b *victoria contra tentationes fit per gratiam Dei.* 578.1.c *victoria naualis à Turcis relata ſub Pio V. Deiparæ eſt aſſcribenda.* 175.2.a

Victus ſpiritualis quis ſit. 521.2.b

Videndo videre *ſignificat dilucidè videre.* 521.1.a

cur Viduæ Deo ſint curæ. 377.2.a *ſint vniuiræ. ibid.d* *repræſentant Eccleſiam. ibid.* *ſunt ſtimulus virginibus ad virginitatem ſeruandam. ibid.c* *cur vocentur mutæ.* 864.2.c *vidua Sareptana Eliam paſcens, vicit naturam, famem, mortem, & Abrahamum.* 595.1.a

Vigilantiæ emblema. 875.2.c

Vigilantius eſt ab Aſtione ad parentes ipſius miſſus, vt eos de ipſius morte mœrentes ſolaretur. 234.2.b

Vigiliæ Romanis diurnæ & nocturnæ erant quatuor. 97.1.b *Hebræis & Græcis tres. ibid.c* *Vigiliæ in feſtis Martyrum olim vſitatæ.* 878.1.b

Vilis etiam non eſt lædendus aut ſpernendus. 825.1.b

Vincula poſſeſſorum iniquarum opum. 554.1.b.c

Vindicta eſt opus animi feminei. 483.1.c *vindictæ genus eſt reddere malum pro malo.* 532.1.b.c *vindicta ſancta eſt iniuriam condonare.* 484.1.a 686.1.b.c 2.a *de vindicta priuata inimici gaudere illicitum eſt, non de publica.* 663.2.d *vindicta de inimico omnis illicita eſt.* 672.1.d.2.a *Moſes priuatam vindictam non ſancit, ſed publicam quæ à iudice fit. ibid.b* *fieri ea debet animo dilectionis, non vltionis. ibid.* *vindicta diuina tenebris denotatur.* 530.1.c

Vinea hominis myſtica eſt anima ſua. 673.2.a.& *ſeqq.*

à Vino abſtinent ſancti & pij. 127.1.a *vinum aqua miſcebant veteres.* 201.1.a *ſapientiæ vinum conuiuijs miſcet & propinat.* 201.1.b & *quid hoc ſignificet. ibid.* *vinum dictum à vi.* 507.1.b *homini mentem eripit. ibid.* *eius effectus. ibid.c.d.2.a.640.1.b.2.c.641.2.a 642.1.d.663.1 b.c.662.2.d* *cur dicatur prodigum.* 507.2.a *eſt quid tumultuoſum: item indomitum. ibid.b* *ei immiſtus eſt ſanguis quatuor animalium.* 508.1.a *rationis & ſapientiæ lumen exſtinguit.* 2.c *excitat paſſiones appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis ibid.d.* 862.1.b *eſt mel ori, fel capiti.* 509.1.b *mœrentem exhilarat, & curas ſoluit.* 564.2.d *ſecreta pandit; hinc reis torquendis dabatur.* 507.2.c 614.2.c.615.1.a *eius mala & damna.* 507.2.b.638.1.a.b.& *ſeqq.* 639.1.b.c. 644.2.d. 645.2.c *id Hebræis dicitur mixtio.* 639.2.c *ſpiritoſum eſt, & ſpiritus ſuos per bullas eiaculatur.* 640.2.a *eius mixtura ſtatim inebriat. ibid.c* *ingreditur blandè.* 641.1.b.2.a *ſerpente damnoſius eſt & peſtilentius.* 507.1.b.641.2.a *eſt velut baſiliſcus. ibid.d.* & *ſeqq.* *ſuo intuitu nos rapit.* 642.1.a *parit libidinem & concupiſcentiam.* 507.2.b.642.2.d.643.1.b *qui vini potu mortem incurrerint.* 644.2.d *ſitim exacuit & accendit.* 646.1.b *diuites et ad-*

ei admiſcent niuem per æſtatem. 690.2.d id in medio vaſis eſt optimum. 696.2.a eſt datum à Deo ad triſtitiæ remedium. 862.2.b.c.d 863.2.d.864.1.a eius moderatus vſus prodeſt, nimius nocet. 861.2.c.862.1.a.864.1.a.b vinum omne, etiam album, flaueſcit. 640.1.c vini oculus quis dicatur. ibid.d vina Palæſtina rubent. 640.1.c qui olim vino abſtinuerint. 643.1.c.d vinum dulce lædit hepar & ſplenem. 696.2.b vinum amarum præſtat dulci. 689.1.b

Vipera poſito veneno cum murena congreditur. 144.2.c.d

Viri labore ſibi opes parare debent. 262.2.b.d vir cogitationum quis dicatur. 339.2.d.340.1.b viri quidam illuſtres ſunt corona ſuæ Eccleſiæ & Ordinis. 346.1.b viri & filij hominum in Scriptura ſacra quomodo diſtinguantur. 165.1.a.b Vir in Scriptura fortem ſtrenuumq; ſignificat. 452.2.b item probum, honeſtum, & virtutis ſtudioſum. 549.1.c vir fortis nullis cedit malis. 461.1.a.b viri Ezechiæ quo ſenſu parabolas Salomonis tranſtulerunt. 676.1.b.d

Virago generoſa deſcribitur. 867.1.a.& ſeqq.

Vires portant pondus. 461.2.b

Virga indigent pueri vt ſtoliditatem & imprudentiam exuant. 601.1.b.c virga diſciplinæ debetur pijs, virga iræ impijs. 2.c virga frænum puerorum eſt. 628.2.a.b eſt ſymbolum diſciplinæ. ibid.b cur eis quadret. 629.1.a eius verber non eſt lethale. ibid. virga parentum eſt cauſa electionis ad gloriam. ibid.d quæ vocetur virga iræ impium conſumens. 592.1.b.c

quæ Virginitatis optima cuſtodia ſit. 837.1.b an eius aliquod in corpore extet ſignum. ibid.1.d

Virgines in adoleſcentia maximas patiuntur tentationes æquæ ac inſidias caſtitatis. 54.1.a.213.2.d oculos ſuos cuſtodiant. 100.2.b ſint prudenter & laborioſæ. 126.2.c fugiant virorum conſpectum & alloquium. 837.1.b ſunt à parentibus cuſtodiendæ. ibid.d manuali operi incumbant. 873.2.a eas Plato voluit exerceri in paleſtra & circo. 877.2.a virgines Chriſtianæ præferendæ fortibus Ethnicis. 420.1.d

Virtus eſt rectitudo & æquitas. 17.2.b eius via eſt ſemita ob quatuor analogias. 50.2.c eaq; via letus eſt tribus de cauſis. 56.1.d eſt ſummè pulchra. 51.1.c.2.a.72.1.d è cordis imo procedat oportet. 60.2.a illius mercatura eſt præſtantiſſima. 68.2.d ipſa eſt velut adamas. 69.2.a.b prolongat vitam, quomodo. 71.2.a.b arbori vitæ aſſimilatur. 73.1.c facit ſomnum iucundum. 76.1.d.2.a aufert timorem. 77.2.d meretur gloriam hic & in futuro. 82.2.b.d ei ſtudendum à pueris. 84.2.d non in nuda ſpeculatione & cognitione, ſed in exercitio & praxi conſiſtit. 87.2.d mirè hominem nobilitat. 89.2.a hominem non delaſſat, ſed ei vires auget. 90.1.c.d eſt vita formalis & cauſalis. 2.b.c conſiſtit in medio. 102.2.c eſt adinſtar ceruæ. 118.2.c eſt perfectio rationis. 149.2.a animos viriles poſcit, non effeminatos. 165.1.c auro eſt potior. 166.1.d eſt veritas. 208.1.c ea ſenſim addiſcitur. 209.1.b illius ſchema & habitus. 211.2.b lucem & oculos ambit. 214.2.d virtus virtuti eſt addenda. 222.1.a.b.2.a vna alteram attrahit. 304.2.a.b eius ſtudioſi ament correptionem. 279.1.b cribrata euadit purior. 236.1.b iuſtos proſperat & ſtabilit. 279.2.c.d ei qui detrahit, obligat ſe iræ diuinæ & condemnationi. 312.1.d Ipſa ſe contemnentem contemnit. 2.a comitem habet pudorem. 315.2.c omne eius officium eſt vel debitum vel indebitum. 343.2.a de ea non ſufficit loqui, ſed inſuper operandum eſt. 344.2.c.d.345.1.b roborat iuſtos, & impios conſternat. 248.2.d eius ſectator directore & ductore opus habet. 261.1.d paulatim comparanda moderato labore. 310.1.a diſſoluit egeſtatem & ignominiam. 315.2.d pios delectat, impios contriſtat. 316.1.c.d inſtanter eſt à nobis conſectanda. 365.2.a cauſa eſt veræ lætitiæ. 367.2.d iuſtorum virtus lux eſt, at impiorum nonniſi lucerna. 307.2.c.d virtus parua exercita ex amore Dei potior eſt ea quæ ſine eo exercetur. 372.1.a virtus propria nobilitat, non auorum & maiorum. 285.1.d virtus & voluptas ſunt velut duæ zelotypæ in nobis habitantes. 150.1.b virtutis alicuius perfectio conſiſtit in voluntatis promptitudine. 269.2.a.b virtus à Salomone ſcientiæ & doctrinæ nomine vocatur. 445.1.c eſt dicta à vi & viro, quaſi virilitas. 549.1.c,659.2.a.888.1.c ipſa hominem ornat, non veſtis. 888.1.d.2.a omne eius officium Script. exprimit per iuſtitiam & miſericordiam. 550.1.c eius via ridetur ab impijs. 450.2.a exercitio redditur facilis. 393.2.b.c non in ſpeculando, ſed in faciendo iuſtitiam conſiſtit. ibid.d. omnes, etiam hoſtes, in admirationem ſui & amorem rapit. 394.2.a elucet in facie & oculis viri prudentis. 442.2.b eius decor & maieſtas. 443.2.b eius exercitio incumbere negligentes, fiunt in bonis ſpiritualibus pauperes. 491.1.b labor eius eſt difficilis, fructus ſuaues. 522.1.c.2.a eius auctor Deus eſt. 549.2.c ſola parit gaudium. 463.1.a.b.630.1.d homo in eam ingreditur, & in hominem ipſa. 628.1.c eius capacitas & amplitudo. ibid.d myſticè eſt terra deſerta. 567.1.b familias adauget & roborat. 648.2.b eius vis in vigore ſpiritus conſiſtit. 649.2.b ſemper perfecta & conſtans manet. 651.1.b cur ſit ſtulto ardua. 652.2.c.d eſt tamen in ſe facilis. 653.1.d omnia aduerſa dulcorat. 659.2.a eſt ſalubris animæ. ibid.d eſt fuci expers. 670.1.a fugit iactabundos. ibid. eſt paranda labore & induſtria. 660.1.c. eius effectus in anima. 2.b eius exempla velut mel ſunt. 661.1.d eſt omni ſtudio, labore & pretio comparanda. 633.2.c ei prorſus contraria eſt meretrix. 634.2.b eius propria dos laus eſt. 736.2.d non eget laudibus humanis. 737.1.c 2.b.c eius ſcoria eſt ſuperbia. 757.2.b virtus, vera eſt nobilitas. 827.1.b eius pulchritudo tam animam quàm corpus condecorat. 898.1.a quæ virtus ſit optima. 660.2.a ea virtus eſt ſequenda ad quam quiſque natura eſt aptus. 649.2.a in virtute vnus acuit alium. 753.2.c virtus eadem diuerſimodè à ſingulis practicatur. 755.2.a

Virtutes exercitio fiunt faciliores. 50.2.a hinc earum iter ſimul ſpatioſum & arctum eſt. ibid. item arduum & præceps. 2.b in omnibus ſe ſinunt flecti, gyrari & regyrari. ibid. omnia amara reddunt dulcia. 51.1.b ſunt quaſi angeli è cælo miſſi. 59.1.a ſunt quaſi fontes. 95.2.d corpus ſanant & roborant. 96.1.c inter ſe rectum tenere debent ordinem & menſuram. 101.1.b per dextram denotantur. 102.1.a.2.a.c ea-

rum actus diuerſi ſunt pro diſparitate præparationis, tum gratiæ, tum voluntatis. 195.2.a ea non ſunt paſſim iactandæ. 232.2.d ſunt homini iuſto validi munimenti. 234.1.d laudatæ & celebratæ creſcunt. 382.2.d virtutum omnium prærogatiuam habuit Chriſtus. 180.2.c.d ſemper virtutes meliores ſunt ſeligendæ. 125.1.c earum actus & doctrina in pace exponenda, in tentatione & perſecutione abſcondenda. ibid.d in illa colligendæ ſunt, in hac ijs vtendum. 127.1.a ſpirituales ſunt diuitiæ. 307.1.a.b equo denotantur. 578.2.c tegunt vitia. 427.2.d ad earum ſtudia natura repugnans violenter adigenda eſt. 628.1.a.b virtutes cœptæ non ſunt deſerendæ. 745.2.c virtutes nobis celſiores non ſunt conſectandæ. 623.2.d virtutes noſtræ & proximi eodem modo habendæ. 519.1.b virtutes quatuor cardinales per vias aquilæ, ſerpentis, nauis, & viri in adoleſcentia denotantur. 839.1.a item per quatuor bene incedentia. 850.1.a item per quatuor Cherubim currus Dei. ibid.c

Viſio Dei ligno vitæ adumbratur; ea merito virtutum paratur. 73.2.a

an Viſio fiat emiſſione an receptione ſpecierum ab obiecto. 519.2.d cur monita Bethſabeę ad filium vocentur viſio. 858.2.c.d

Vita omnium bonorum ſummum eſt. 79.1.c vita præſens æſtate denotatur, vita futura hieme. 225.1.d ſapientia vitam longam Chriſtianis & iuſtis promittit, item gloriam & opes ſpirituales. 70.2.b.c 249.1.d vita multiplex à corde initium habet. 99.1.d vita humana eſt continua tragœdia, definitq; in luctum, maximè in morte. 337.1.c vita & conuerſatio iuſtorum lætificat Deum angelos & homines. 308.1.c vita impiorum breuis eſt. 276.1.a vita omnium creaturarum eſt in Chriſto velut in fonte. 402.2.a.b vita hominis in calore conſiſtit. 441.1.a vita hæc multa aduerſa includit. 483.1.b vita vera eſt vegeta, ſana, longæua. 500.1.d vita noſtra lucerna repræſentatur. 529.1.c.d. 539.2.b eſt quaſi lumen deriuatum à luce vitali quæ eſt in Deo. 539.2.b ſummum eſt bonum. 580.1.b vita præſens hiemi comparatur, futura, in cælo æſtati. 511.2.b vita per ſocietatem cum iracundo illaqueatur. 509.2.c. 510.1.a vita filij traducitur ex vita parentis. 529.1.a eius tamen ius non habet pater. 494.2.b vita in actione ſita eſt. 880.1.b vita reſpondeat verbis. 718.1.a vitæ ſtatum ſingularem quærens modum viuendi ſecundùm deſiderium ſuum vndique inueſtigat. 448.2.a vitæ bonæ præmium eſt longæuitas. 424.1.c proba vita ex probitate manans, eſt bona, vti quidem videtur, non ex ipſo, ſed ex Deo. 549.2.c vita & mors periclitatur in lingua. 470.1.b vita priuata præſtat honoribus. 683.2.a vitam præſentem & æternam adfert timor Dei. 500.2.c vita litigioſa vita canina eſt. 487.1.d vitæ cœnobiticæ & ſocialis commoda. 753.2.d vita actiua eſt tropolog. mulier litigioſa. 557.2.b eſt contemplatiuæ præmittenda. 671.2.a ei contemplatiua præſtat. 567.1.c ad contemplatiuam ducit. 88.1.a vita actiua & contemplatiua ſunt duæ partes adæquatæ virtutis. 15.2.b & ab eodem Deo procreatæ: ſunt ſorores. 150.1.a vita actiua & contemplatiua ſimul eſt mulier fortis vxor Chriſti. 868.1.d lana & lino indicantur. 873.2.b vitæ cæleſtis ſpes Sanctos ad ardua ſubeunda animauit. 631.2.a vita Chriſti quadruplex eſt. 402.1.a vita tota Chriſti menſa deſignatur. 616.1.a vita glorioſa iuſtorum velut lux eſt. 307.2.c.d

S. Vitalius labore manuum fornicationem meretricum redimebat. 276.2.a

Vitis magno indiget labore & cultura. 754.1.b exigit ſolum tenue & gracile. 876.2.a

Vitioſi ſunt ſuſpicioſi. 625.2.c eorum inter ſe æmulatio. 831.1.c vide Impij.

Vitium eſt declinatio à medio. 102.2.d.& ſeqq. vitium vnum attrahit aliud. 304.2.a.b vitium eſt mendacium practicum. 208.1.d gignit impudentiam. 315.2.c.d facilius addiſcitur quàm virtus. 317.1.b vitia per dextram denotantur. 102.1.a. 2.a.c cauſantur in ſui ſectatoribus famem. 220.2.d vitia proximi ſunt diſſimulanda, quod qui facit, ſapiens eſt. 258.2.d vitijs ſæpè ijſdem implicamur, quæ in alijs inclementiùs damnamus. 287.1.a vitiorum imperium quàm ſit illuſtre. 414.1.d.2.d vitium eſt velut mulier procax & linguax. 567.1.b vitia virtutum nomine palliant peruerſi. 434.1.b hi abominabiles ſunt Deo. ibid.c vitia etiam inter ſeſe pugnant. 833.1.c vitium quòd in proximo reprehenditur, priùs in ſe corrigat reprehendens. 464.1.c.d vitia omnia in puero continua eruditione & caſtigatione tolluntur. 494.1.d quæ vitia fugienda laudem conſectanti. 564.2.c vitia principum fouentes populo diſplicent, ea reprehendentes verò placent huic. 632.2.a vitia proximi & noſtra æqualiter ſunt ponderanda. 519.1.b vitijs quibuſdam obnoxij ea in alijs rigidè carpere non debent. 384.1.b vide Peccatum.

Vitulus in curru Cherubico Ezechielis myſticè exponitur. 326.1.a

bene Viuendi modus triplex eſt. 768.1.b

non Vlciſci facit hominem ſimilem Deo. 484.1.d vide Vindicta.

Vlyſſes aures obturans ad cantus ſirenum, eſt vir ſapiens infractus ad illicia meretricum. 106.2.a fuit multiformis & multiuarius. 723.2.d. cur. 357.1.b

Vmbilici vſus, & eius ſymbolum. 63.2.c.& ſeqq. vnde ſit dictus. 64.2.a vmbilicus veneris quæ ſit gemma, eius vires. 426.1.d

Vmbra eſt corporis imago. 459.1.d eſt maior re. 2.a vmbra pictoriæ ad quid adhibeantur. 1.d.2.a.b

cur Vnguenta Chriſtiani fugere debeant. 154.1.c.d.2.c quod ſit vnguentum pudicitiæ. 1.d creant vnguenta citam canitiem. 2.a cor exhilarant. 746.1.b.& ſeqq. reſiſtunt ebrietati. 2.a

quomodo dicatur Salomon Vnigenitus. 85.1.b.2.b.d & ſeqq.

Vnionis hypoſtaticæ humanitatis in Deo quanta ſit dignitas. 896.1.d

cur Vniones intima dicantur. 524.1.a

Vocat Deus ſuos diuerſis modis. 38.1.c vocare proprium eſt vocis, hinc appropriatur Verbo, id eſt filio Dei. ibid.d diuerſimodè vocat nos Deus, mundus, diabolus. 2.a

Vocatio Dei ad perfectionem non ſpernenda. 39.1.c eam qui negligit, ſpernit Dei ſapientiam, bonitatem, maieſtatem. ibid. eius neglectæ vltio. ibid.d in Vocatione ſua cuique perſiſtendum. 745.2.c.d

Vocatus eſt nomen Iſraelis. 46.2.c

Voluntas efficax ſapientiæ comparandæ, eius eſt principium. 87.1.d voluntas eſt cauſa vitæ moralis, id eſt, virtutis. 99.1.d eſt tamquam rex in homine. ibid. voluntas vacandi virtutibus à ſolo Deo æquè grata eſt, atque opus ipſum. 269.2.a voluntas reſoluta alicuius virtutis comparandæ eſt optima ratio eius aſſequendæ 302.2.d voluntas à Deo ſolo perſpicitur & ponderatur. 388.2.b eam flectit & regit Deus. 395.1.a intellectui ſe ſubijciat. 468.2.a à Deo immediatè ex parte ipſius potentiæ neceſſitari poteſt, nihilominus relinquitur ea ſuæ libertati. 548.1.a non poteſt deſiderare niſi bonum. 558.2.a ipſa quaſi regina, omnibus ſenſibus, potentijs, membris imperat. 640.2.d voluntatem bonam reputat Deus pro facto. 658.1.b voluntatem propriam vincere eſt nobiliſſima victoria. 574.1.b.c hæc eſt velut ſanguiſuga. 832.2.a voluntas Dei omnia noſtra conſilia diſſipat inſtar fumi. 498.1.b hanc nemo euertere vel impedire poteſt. 2.a

Voluptatis damna. 53.2.c eius illecebræ ſunt noxiæ. 105.2.d.106.2.d eius breue gaudium. 107.1.a.b quomodo in plateas proiicere dicatur. 150.2.b ipſa cauſa eſt hæreſis. 154.1.a quibus verbis ſectatores ſui alliciat. 156.1.b illius idea & habitus. 211.2.a eius ſuadela. 212.2.c eius iritamentum. 214.2.b ipſa vuæ acerbæ comparatur. 247.1.d item, fumo. ibid.& ſeqq. eſt via quæ videtur recta, at eſt deuia à recto. 335.1.b eius initijs obſtandum. ibid.c.d iaculis dolorum affectas ſuos configit. 336.1.c ei innatus eſt dolor & mala. ibid. eſt implicata ſpinis. 373.2.d ipſa & virtus iugiter intra nos digladiantur. 150 1.b voluptas carnalis tripliciter luitur à libidinoſo. 55.2.d.& ſeqq. ea quàm ſit breuis. 140.2.b.c in fine amara eſt. 525.2.b.d eſt prurirui ſimilis. ibid.d.& ſeqq. eſt fallax. 620.1.a.b.& ſeqq. deſinit in dolores. ibid.b.c eſt velut meretrix & latro. 637.2.b eſt velut vinum in ſtomacho amareſcens. 641.2.d hominem dementat. 646.2.a.c eſt mel felle mixtum. 694.2.c. eius ſymbola. ibid.d eius dulcedo quàm ſit noxia & acerba. 696.1.a & ſeqq.2.a eſt ſita non in ſatie, ſed fame. 743.2.b eſt eſca peccati. 792.2.a voluptates ſectatoribus ſuis noxam adferunt. 37.1.b iiſdẽ in nauſeam vertuntur puniente Deo. 42.1.d voluptates omnes huius vitæ ſunt modicæ & exiles. 696.1.a ſenſum granant tam ſua dulcedine quàm acore quem habent annexum. ibid.b tamdiu delectant, quoad naturale animæ deſiderium ſit expletum. ibid.c ſenſus potentiaſque animæ ſua nimietate diſſoluunt, & ſui tædium creant. ibid.c.d

Voluptuarij ſæpè ſibi miſerrimum interitum accerſunt. 696.2.c voluptuarij cur negent Deum. 823.1.d

Vomere flammas & ignes, & illos copioſè emittere. 809.2.b.c quid ſit vomere ſententias. 811.1.b quæ animalia vomant. ibid. vomere dicuntur qui ex tempore proloquuntur. 2.a

Vomitus nocet oculis, prodeſt ſtomacho. 812.1.b

Vorago peccatorum quæ ſit. 313.2.c

Vota Deo promiſſa, debent adimpleri. 123.2.a vota ſuorum etiam tacita, Deus exaudit. 244.2.c vota iuſtorum placent Deo. 364.2.b.365.1.d vota crebra Sanctis non ſunt facienda. 535.2.a vota ſacrilegorum Deo diſplicent & irrita ſunt. 3.d vota eludere impium eſt & laqueus. 536.1.a votum temerarium eſt vouenti laqueus. 537.1.c & qui tale facit, bis deuorat Sanctos & ſancta. ibid.

Vouens aliquid quod implere nequit, aut non vult, perpetuo conſcientiæ remorſu angitur. 292.2.b

Vox Apoſtolorum quàm eſſet ſonora. 241.1.b vox ſua ſingulis eſt ab alijs diuerſa. 755.1.d vox demiſſa pudoris & humilitatis eſt index, 733.1.b

Vredo ventus eſt vrens, ſiccans frumenta. 225.1.b

Vrſa ferocior eſt vrſo, præſertim raptis catulis. 429.2.d eius amor in catulos quos informes lambendo format. 430.1.a.b eius natura deſcribitur. ibid.& ſeqq. doli ac ferociæ eſt ſymbolum. ibid.c eſt memor iniuriæ, nullâ miſericordiâ flectitur. ibid.d ſpecie virginis & infantis manſueſcit. 2.a multum habet phlegmatis quo ſæuitiam diluat. ibid. eſt ſymbolum terroris & ſollicitudinis. ibid.c.d frendens terrefacit porcos & hinnulos, ſænit raptis catulis & in fame, maximè poſt hiemem in vere. 777.1.a.b eius aſtutia. ibid.b innoxia animalia inuadit. ibid.c eſt ſymbolum rapacitatis & iniuſtitiæ. ibid d vngulas habet validas. 2.d eſt ſymbolum diaboli. 778.1.b caput habet debiliſſimum. ibid.c vrſi Ruſſiæ melli inhiantes mortem ſibi accerſunt. 336.1.c

S. Vrſicinus caput præciſum ſuis manibus detulit ad locum ſepulturæ. 26.2.d eſt à S. Vitali in martyrio obeundo confortatus. 408 2.b

Vrſinus presbyter in morte etiam ab vxore olim ſua tangi noluit. 155.1.c

Vſuram odiens vitam ducit quietam. 380.1.a ea eſt illicita & iniuſta. 770.2.b

Vſurarius vigeſimam partem vltra ſortem iure lucri accipit. 492.2.a tam ſortem quàm vſuram exponit ſæpè periculo perdendi. 493.1.a ſolum ad vſuram ſe obſtringit. ibid.d.2.a vſurariorum bona, ſi inteſtati moriantur, deuoluuntur ad Eccleſiæ Prælatos. 770.2.a

Vſus rei eſt eius viua poſſeſſio. 177.2.d

Vterus Deiparæ fuit velut domus ſapientiæ. 199.2.a 200.1.b.2.b.c quomodo illa eum ſibi in habitaculum præpararit. 200 1.b.c

Vulcanus cur Veneri maritus ſit datus. 753.1.b

Vulgata Prouerbiorum verſio ſæpè ab Hebræo deuiat. 6.1.a.b.2.a ea non eſt omnino pura puta. 101.2.c Vulgata Bibliorum verſio non poteſt facilè cum Septuaginta verſione conciliari. 6.2.b & hi Septuag. interpretes ſi quando conſentiunt, præferendi reliquis omnibus. 153.2.c Vulgata verſio Latina quàm ſit probatæ fidei. 725.1.b

Vulgi rumores conſectantes paſcunt ventos. 224.1.d vulgus quia multiuarium, difficilè regitur. 260.2.a

S. VVillibaldus I Eiſtettenſium Epiſcop. verſabat identidem Prouerbia Salomonis. 605.1.b eius dotes & virtutes. ibid.d

Vulnera quo pacto ſanentur. 545.1.b.c.2.a vulnus ferra inflictum difficilè coaleſcit. 554.2.d vulnera amoris ſunt ſuauia. 741.1.d item fidelia. 2.a quæ ſint vulnera infidelia medicis, quæ fidelia. ibid.b fidelia ſunt vulnera amici. ibid.a

Vulpes cauda decipit incauta animalcula. 455.1.b eius aſtus in captandis animalculis. 731.2.a

Vultures è vento oua ſubuentanea concipiunt. 224.1.b

Vultus eſt index ſpiritus & animi. 367.2.c.440.2.c.d 442.2.c.760.1.d vultus lineamenta denotant cordis affectiones, & complexionem hominis. 755.2.c

2.c.760.1.d vultus iucundus indicium eſt interni gaudij. 440.1.c
S. VVolſtanus appetitus ad libidinem à nobili quadam femina, eam fugauit à ſe inflicta alapa. 52 2.d 156.1.b
Vxor puteo & ciſternæ diſſimilatur. 113.1.b.c ea diligenda, cum eaq; lætandum. ibid.c.115.2.b gaudium ex vxore Deo placitum eſt. 116.1.b ipſa eſt fœcunda ſi maritus non ſectetur mœchas. ibid. d. amanda eſt à viro. 117.1.c ceruæ comparatur. 2.d.& ſeqq. diligat filios. 118. 1.d ſit timida & diſcreta. 2.b ducenda bene morata, non opulenta. 268.1.c vxor ſapiens ſua diligentia familiam ſuam egregiè inſtruit & auget. 323.1.b.c inſipiens verò deſtruit. ibid.c vxor mala robur mariti exedit & conſumit. 281.2.b vxor cautè diligenda eſt. 557. 1.b pietati & religioni viri ſe accommodet. 488.2.b.c & moribus eius ſe conformet. 489. 1.a nullum amet præter ipſum. 2.a nimios eius affectus temperet. ibid.b familiam in pace conſeruet. ibid.c exempla talium coniugum. ibid.d.& ſeqq. vxor eſt par opibus, genere, conditione ducenda. 489.1.c.d.753.1.c ipſa viri mores aſperiores ferat, nec malum malo regerat. 870.1.d 2.a eius labores & dolores conſolando alleuiet. 2.c ei ſubſit. 489.1.c.887.2.c vigilet in domo & omnia circumluſtret. 892.1.b.c iuuenes vxorem ducturi, Dei gratiam petant. 490. 1.b vxores olim coëmebantur dato pretio. 867. 2.b vxor aliena eſt puteus anguſtus. 636.2.d vxorem bonam qui nactus eſt, rem raram & bonam fortunam nactus eſt. 470.2.c eam dat Deus pro libito cui vult. ibid.471.1.d ſæpè bonum & probum virum efficit. 471.1.a talis eſt cauſa omnis boni, felicitatis & iucunditatis à Deo danda marito. ibid.c illa in familiam quoque deriuat. ibid.d talis viro prudenti & probo à Deo præparatur. 488.1.c eſt ſingulare Dei donum. ibid.a.b.c eſt à Deo petenda. ibid. vxor bene morata, ſatis dotata eſt, eſto careat dote. 866. 2.c viri opes adauget. 870.1.c vxor moleſta eſt omnis triſtitiæ cauſa. 702.1.c vxor rixoſa domeſticos domo eijcit. 487.1.a.d virum exedit. ibid.b virum ad diuortium cogit. ibid.c peior eſt deſerto. 566.2.d talis ſi ametur, fortè lenietur. 752.2.a ſi leniri non poſſit, aſperitas eſt aſperitate retundenda. 753.1.b vxores nonnullæ maritos adulterantes occiderunt. 146.2.b

XErxes rex Perſarum ob innumeras. & inconditas ſuas copias perijt. 348 2.d
Xylon frutex eſt laniger, è quo telæ conficiuntur. 887. 1.a

ZElotypi ſubinde fiunt maniaci. 739.1.c
Zelus capitur pro zelotypia aliquando. 739.1.c zeli vis quanta ſit. 2.b facit angelos. ibid.c eſt velut ignis deuorans omnia. ibid.d zelus charitatis erga proximos vnicuique ſectandus. 740. 1.a zelus piorum aduerſus impios. 768.2.b.c zelus quorumdam Sanctorum. ibid.c zelus nimius cauendus ac torpor. 101.2.a.b
Zona ſignum erat virginitatis. 877.1.c. priſcis Palæſtinis erat vſitata, hinc eam acu pingebant. 887.1.c
Zopyrus quàm fidus amicus regi Dario fuerit. 597.1.a

INDEX
MATERIARVM MORALIVM
QVÆ HOC TOMO
VBERIVS DEDVCVNTVR:

Verbis Euangelij per Dominicas, Feſtos dies, & Ferias nonnullas occurrentis accommodatarum, in gratiam & vſum concionantium.

DOMINICA I. ADVENTVS.

ERVNT SIGNA IN SOLE. Sub finem mundi erunt in cælo ſigna. cap. 3. verſ. 25.

VENIENTEM CVM POTESTATE. Iudicij extremi horror hominem à peccando reuocat. c. 28. v. 14

QVIA PROPE EST ÆSTAS. Vita præſens hiemi, futura æſtati comparatur. c. 20. v. 4.

CÆLVM ET TERRA TRANSIBVNT. Quæ ſint fundamenta terræ & maris. c. 8. v. 29. quomodo ſit illorum concentus in fine ſæculi futurus diſcors. v. 30

VERBA AVTEM MEA NON TRANSIBVNT. Hæc quidem de verbis Dei, at verba hominum prolata in ventos & auras abeunt, quia vana. c. 19. v. 3. *Reliqua vide notata Domin. XXIV. poſt Pentecoſten, & in Indice Rerum v.* Iudicium, Iudex.

DOMINICA II. ADVENTVS.

PAVPERES EVANGELIZANTVR. Pauper ſpiritu eſt diues, & ſimilis Deo. c. 14. v. 31. Paupertas præſtat diuitijs. c. 27. v. 7. quæ illa incommoda includat. c. 30. v. 9. Pauperes ſunt præoccupandi vt aliquid ijs detur. c. 22. v. 2. *Vide Indicem Rerum v.* Pauper, Paupertas.

Chriſtus factus eſt pauper, quo pauperes quaſi ſui ſimiles tueretur. c. 23. v. 11

QVID EXISTIS IN DESERTVM VIDERE? Opportunè laudauit hic Chriſtus Ioannem, quia intempeſtiuè laudare vituperare eſt. c. 27. v. 14

QVID EXISTIS? Chriſtus Ioannem abſentem laudauit: porro laus audita oſtendit qualis quiſque in corde ſit. c. 27. v. 21. viri probi cruciantur dum laudantur. ibid.

MOLLIBVS VESTITVM, quia Ioannes veſtitus erat exuuijs cameli. Nutritio delicata nocet puero c. 29. v. 21.

IN DOMIBVS REGVM SVNT. Aulici quid à ſtellione diſcere debeant. c. 30. v. 28. ſequen.

PLVSQVAM PROPHETAM. Prophetæ fuere boni nuntij, maximè qui Meſſiæ aduentum nuntiarunt. c. 25. v. 25

QVI PRÆPARABIT VIAM. Dirigit greſſus noſtros Deus. c. 20. v. 24. quia homo neſcit qua via ſibi eundum ſit. ibid.

DOMINICA III. ADVENTVS.

TV QVIS ES? Sic ſe quiſque interroget; hinc officia ſtatui incongrua non ſunt aſſumenda, ſed ſuo quiſque ſtatu contentus ſit. c. 23. v. 5

TV QVIS ES? Sapientia vera ſita in ſui cognitione. c. 30. v. 2. Examen conſcientiæ prodeſt animæ. c. 31. v. 27

CONFESSVS EST. Confeſſio ſit prima apud Deum & homines. c. 18. v. 17. *Vide notata Domin. XIII. poſt Pentecoſt.*

FERIA IV. QVAT. TEMPOR. ADVENTVS.

Chriſtus propter carnem aſſumptam factus eſt noſter propinquus. c. 23. v. 11. ipſe vt Verbum Dei, erat Iudæis incognitus. c. 30. v. 4. cur ſeipſum in terris reuelarit. v. 5. Humanitas eſt thronus eius. c. 9. v. 1

FILIVS ALTISSIMI VOCABITVR. Quomodo Dei filius creatus dicatur. c. 8. v. 22

BVTYRVM ET MEL COMEDET. Mellis proprietates & bona. *Vide notata Feria III. poſt Paſcha, & in Indice Rerum v.* Apis, Mel Butyrum & lac ſunt doctrinæ ſymbolum. c. 1. v. 10

DOMINICA IV. ADVENTVS.

PARATE VIAM DOMINI. Ioannes omne genus hominum in deſerto docebat, & vnumquemque ſtatui ſuo congruè monebat. Monitio enim congrua animum recreat, & mirè potens eſt. c. 25. v. 11. & 12.

ERVNT PRAVA IN DIRECTA. Omnes ſe recta via ambulare putant. c. 21. v. 2

OMNIS COLLIS HVMILIABITVR. *Vide notata Dominica X. poſt Pentecoſt.*

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

ASCENDIT AVTEM ET IOSEPH CVM MARIA DESPONSATA SIBI. Deipara Ioſepho ſuo obediendo docuit coniugatas maritis ſuis obſequi & ſe ſubdere. c. 31. v. 24

NON ERAT EI LOCVS IN DIVERSORIO. Ergo ſeceſſit in ſtabulum, cùm tamen lepuſculus nos doceat de habitatione commoda nobis proſpicere. c. 30. v. 26

Vterus B. Virginis domus eſt Dei. c. 9. v. 1. patuit illa nobis menſam filium pariendo. v. 2

Humanitas Chriſti corona eius carnea fuit. c. 12. v. 4. item thronus eius. c. 9. v. 1. Deliciæ Dei eſſe cum filijs hominum, & non cum angelis. c. 8. v. 31. fuit amore ebrius. ibid. *Vide notata Feria IV. Quatuor Tempor. Aduentus.*

ET VERBVM ERAT APVD DEVM. Sapientia increata ab æterno apud Deum fuit. c. 8. v. 22. quomodo Chriſtus creatus dicatur. ibid.

HOC ERAT IN PRINCIPIO APVD DEVM. Filius Dei ſemper gignitur & genitus eſt. c. 8. v. 25

OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT. Chriſtus eſt princeps operum Dei, item omnium ſupernaturalium, omniſque virtutis. c. 8. v. 22

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Svrge et accipe pvervm. Deum curatorem filio relinquat pater, vti hic Deo Patri paruulus Ieſus curæ fuit. c.20.v.7

Et esto ibi. Mutatur tribus de cauſis locus vtiliter, id alioquin facere noxium eſt. c.27.v.8

Occidit omnes a bimatv et infra. atque in his proprium filium. Porro reges non ſint ad vltionem præcipites. c.25.v.5. Patres barbari filios ſuos necant. c.19.v.18

DOMINICA INFRA OCT. NATIVIT.

Et hæc vidva erat. Viduæ cur Deo ſint curæ. c.15.v.25

Conferens in corde svo. Doctrina audita poſtea eſt in mente conferenda, & opere exercenda. c.22.v.18

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

Vocatvm est nomen eivs Iesvs. Nomen Dei eſt aſylum. c.18.v.10. & protegit ipſum inuocantes. c.19.v.23. Nullum eſt nomen Dei adæquatum quod eius naturam exprimat. c.30.v.4 *Vide notata in Indice Rerum v.* Ieſus Chriſtus.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Avdiens qv. regn. Archelavs, &c. secessit in partes Galilææ. Regnantibus impijs, iuſti ſe ſubducunt. c.28.v.28

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ecce magi venervnt. Magi paſcunt ventos quo ſenſu. c.10.v.4

Herodes. Eius typus eſt vulpes & vrſa, cur? c.17.v.12.

Tvrbatvs est. Tyranni ſemper pauent vt & peccatores. c.19.v.12.c.28.v.1

Et omnis Hieros. cvm illo. Regnantes impij ſuam improbitatem propagare contendunt. c.28.v.28. Seditioſi regna ſuis rixis & motibus ſcindunt. c.29.v.8

Sciscitabatvr ab eis. Sapiens explorat aliorum ſecreta. c.20.v.5. myſteria Dei imperueſtigabilia non ſunt temerè ſcrutanda. c.23.v.4

Clam vocatis. Sapiens celat arcanum ſuum. c.12.v.23. Regum cor cur ſit inſcrutabile. c.25.v.3.

Didicit ab eis. Reges debent habere bonos conſiliarios. c.14.v.35

Vt et ego veniens. Mentitur Herodes fraudulentè. Ficto amico non credendum. c.26.v.25 eius pœna. ibid. Fraudulenti omnibus ſunt odio. v.26. ſæpè cadunt in laqueos quos alijs pararunt. v.27.c.29.v.5.& 6. oderunt eos qui ipſorum fraudes detegunt. c.26.v.28

Avrvm thvs. Quæ ſint indicia venæ auri. c.20 v.11.

Ne redirent. Cor regum eſt in manu Dei. c.21.v.1.

Responso accepto. Dirigit Deus noſtros greſſus. c.20.v.24

Per aliam viam. Quomodo via impij ſit aliena. c.21.v.8

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

Cvm factvs esset Iesvs annorvm dvodecim. A puero virtuti ſtudendum. c.4.v.3. Filij ſunt diligenter inſtituendi. c.6.v.20. Pueri non nulli ſuam tegunt indolem. c.20.v.11. Pueritia præludit virili ætati. ibid. multi pueri à teneris ſigna præmonſtrarunt virtutis cui futuri erant addicti. ibid. Adoleſcens quam viam ſemel iniit, eam retinebit. c.22.v.6. Puer eſt à primo vſu rationis inſtituendus, Deo dedicandus, virtuti aſſuefaciendus, moderatè eſt caſtigandus. ibid.& v.15. Inſtitutio prima ſemper puero adhæreſcit. v.6. Virga eſt frænum pueri. c.23.v.13. Impedit hæc ne ipſe damnetur. ibid. puer domandus vt pullus equinus. c.29.v.15. Filius doctus gaudio & refrigerio eſt matri ſuæ. c.29.v.1. cur pueritia ſit periculoſa. c.1.v.4. concupiſcentia ei eſt colligata. c.22.v.15. Seuera educatio facit robuſtos. c.23.v.13. Indoles bona deſcendit à parentibus. v.25

In comitatv. Viri ergo ſeorſum à mulieribus incedant, nec alter alterius negotijs ſeſe immiſceat. c.31.v.13.

In medio doctorvm. Senes vtpote prudentes decet canities. c.20.v.29. Senex ſit inter iuuenes quaſi Deus. ibid. eum decet morum grauitas. ibid. Senectutis & iuuentutis quod ſit diſcrimen. ibid. ſenem ægrè quidquam doceas. c.22.v.6. *Vide plura in Feſto purificationis B.Virginis.*

Doctrina moralis velut fons eſt. c.5.v.15. reddit hominem Deo & hominibus acceptum. c.13.v.15. facit tardum ad iram. c.19.v.11. Scientia animæ quæ dicatur. c.19.v.2

Doctorvm. Doctoribus quadruplex datur oſculum. c.24.v.26. doctor vera docens adfert vitam. c.18.v.21

B. Virgo intereſt eruditis congregationibus & doctrinis. c.8.v.12. promouet ad omnigenas virtutes & doctrinas. ibid.

Avdientem et interrogantem. Conſcius ſui nihili & inſcitiæ, libenter alijs auſcultat. c.13.v.10.

Avdientem. Auribus ſapientia percipitur. c.1.v.5.c.18.v.15.

Svper prvdentia et responsis. Prudentia & doctrina qui differant. c.1.v.3

Pater tvvs et ego. Chriſtus fuit vnigenitus Patris & matris, eiſque dilectus. c.4.v.3. Parentes ſunt filijs inſtar Dei creatoris. c.30.v.17. Filij ijs rebelles à coruis laniabuntur. ibid.

Qvia in his qvæ Patris mei svnt op. me esse. Piæ occupationes & exercitia facilè non ſunt mutandæ. c.27.v.8. In vocatione & gradu primo perſiſtendum eſt. ibid.

Erat svbditvs illis. Conſilia ſua homo Deo ſubſternat. c.19.v.21. vir obediens multas loquitur victorias. c.21.v.28

Obedientiæ corona multiplex. c.1.v.9. eam meditatur iuſtus. c.15.v.28

Conservabat omnia in corde svo. Secretum prodens verè eſt inſipiens. c.10.v.18. at ſapiens celat. c.12 v.15. ipſum celandum, tum proprium, tum alienum. c.11.v.13

Proficiebat. Sancti ſunt velut aurora, & à Deo magis magiſque illuſtrantur. c.4.v.18. Doctrina ſenſim eſt paranda. c.13.v.11

Sapientia. Sapientia eſt theſaurus. c.2.v.4 eſt lignum vitæ. c.3.v.18. per eam regnant reges. c.8.v.16. qui ſint nidi ſapientiæ. c.16.v.16 propriè ipſa ſenum eſt. c.19.v.20. reddit infirmos validos. c.24.v.5. eſt ſtulto ardua. v.6 opes ei obſtant. c.28.v.11

Ordo ſapientiæ Dei. c.8.v.23. Sapiens ſolus liber eſt. c.17.v.2. eſt velut flumen ſapientiæ. c.18 v.4. ipſe ſolus eſt patiens. c.19.v.11. compara-

tur

tur vaſi pretioſo.c.20.v.15. eiuſque os velut crater eſt. ibid. *Vide notata in Indice Rerum v.* Sapientia, Doctrina.

GRATIA. Chriſtus eſt ceruus gratiarum. c.5.v.19.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

NVPTIÆ FACTÆ SVNT. Spirituales nuptiæ Religioſi cum Deo. c.5.v.19

Vxor propria dat marito puram voluptatem. c.5.v.15.& ſeqq. eius & ceruæ analogiæ. v.19. *vide notata Sabbato poſt Dom. III. in Quadrageſ. & in Indice Rerum v.* mulier, Femina, Vxor.

VINVM NON HABENT. Vti B. Virgo nonniſi rariſſimè & quàm pauciſſimis locuta eſt, ſic & nobis pauciloquium ſuadetur.c.10.v.14. quod multiloquium vetitum ſit. v.19. Vt hic Deipara à benignitate eſt ſponſorum miſerta, ſic & nos ipſa amat, & quare.c.8.v.17. eſt mirè clemens. v.26. eſt noſtra mediatrix. v.19. eſt omnium noſtrùm mater. v.23. adeſt ipſam inuocantibus.v.31. eius miſericordia erga fideles. c.31.v.20

BONVM VINVM PONIT. Quod ſit vinum ſapientiæ. c.9.v.2. Vino olim torquebantur rei quia ipſum ſecreta pandit..c.23.v.2. eius color non eſt aſpiciendus. v.31. ingreditur blandè, eſt ſimile ſerpenti: inficit ſpiritus, & ſanguinem inflammat. vt baſiliſcus venena diffundit: eius malignitas ibid. vinum dedecet reges & rectores. v.34. eſt dandum mœrentibus. c.31.v.6. hi ægrè inebriantur. ibid. id bibendum moderatè. v.7. pellit curas. ibid.

ET CVM INEBRIATI. *Vide de ebrietate notata Dominica Quinquageſimæ, & in Indice Rerum v.* Vinum, Ebrietas.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

VIDE NEMINI DIXERIS. Delicta delinquentium celans, eorum amorem ſibi cōciliat.c.17.v.9

DOMINE PVER MEVS. Herus hic, eſto erga ſeruum beneuolus, docet tamen non eſſe ſeruo nimis familiariter vtendum. v.29.v.21. Patriſfamilias partes & officia. c.30.v.25.& ſeqq. v.30.31. Sermo lenis & beneuolus, maximè in principe, conciliat animos ſubditorum. c.30.v.33. *Vide Indicem Rerum v.* Seruus, Dominus, Sermo.

SED TANTVM DIC VERBO. Dicere Dei eſt efficax. c.11.v.11

DICO HVIC, VADE, ET VADIT. Sapiens ſolus liber eſt, nec ſeruit. c.17.v.2.c.29.v.19. obſequia domino exhibita ſimilia ſunt ficui. c.27.v.18. Seruitus quàm ſit probroſa & odioſa. c.29.v.19

NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL. Qui ſint viri fideles, & tales difficulter inuenire eſt. c.20.v.5.

FILII AVTEM REGNI EIICIENTVR FORAS. Sæculares ſæpè eos virtutum actus exercent quos Religioſi negligunt. c.13.v.23. Iudæi adhærentes fabulis reiecta fide Chriſti, à Deo repudiati ſunt. c.20.v.17. Neglectæ vocationis vltio grauis eſt. c.1.v.24.26.& 27. Impij iniquè terram occupant. c.2.v.21

IN TENEBRAS EXTERIORES. Qui ſunt in inferno, tenebris & obliuione inuoluti videntur periiſſe. c.15.v.11. Infernalium pœnarum atrocitas. c.7.v.27. *Vide notata Feria II. poſt Domin. I. in Quadrageſ. & Indicem Rerum verbo* Infernus, Damnati.

IBI ERIT STRIDOR DENTIVM. Dentium tria officia. c.25.v.19

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

MOTVS MANVS FACTVS EST. Animi motus ſunt ad Dei voluntatem ordinandi. c.8.v.23. cupiditates nobis ſunt compeſcendæ.c.25.v.28. concupiſcentia turbat totam terram & hominem. c.30.v.21. *Vide Indicem Rerum v.* Concupiſcentia, Peccatum.

Impius eſt velut procella. c.10.v.25

IN MARI. Mare myſticum triplex eſt. c.1.v.5

DOMINE SALVA NOS. Tribulatio docet hominem ſapere. c.10.v.17. Caſtigationes Dei ſunt vt vulnera amici. c.27.v.6

QVID TIMIDI ESTIS MODICÆ FIDEI? An & quis timor ſit in cælo. c.1.v.33. Virtus omnem timorem aufert. c.3.v.26. at conſcientia mala eſt in continuo pauore. c.13.v.21. Diffidentia in rebus perplexis cauēda eſt.c.24.v.10. Impius ſemper pauet, iuſtus eſt impauidus nixus Deo.c.28.v.1. *ſæpius* Pauor homini pauido eſt velut laqueus.c.29.v.25

IPSE VERÒ DORMIEBAT. Chriſtus hic ita ſe gerit, quaſi de tempeſtate nihil ſciret; ad eumdem modum ludit diuerſimodè in orbe terrarum cum hominibus. c.8.v.31

DORMIEBAT. Sic iuſtus eſt in medijs periculis intrepidus. c.10.v.9. eius conſtantia in aduerſis. v.25. tribulationes à Deo immiſſas forti animo tolerat. c.12.v.21. nihil ei accidit mali niſi diſponente Domino c.16.v.33. eſt fortis & robuſtus. c.14.v.26.

DORMIEBAT. Somnolentiam ſequitur egeſtas. c.20.v.13. Inter ſæculi tentationes non eſt ſecurè dormiendum. c.23.v.34

IMPERAVIT VENTIS. Qui ilicò ſubſidunt, quia dicere Dei eſt efficax. c.11.v.11

FACTA EST TRANQVILLITAS. Rector prudens imitetur nauclerum. c.1.v.5. Tranquillitas animi ſummum eſt bonum vitæ huius. c.12.v.21 Iuſti regunt ſuos affectus. c.21.v.1. in eorum corde regnat Deus quietè. ibid. Deus omnes inimicos iuſtis amicat. c.16.v.7

MARE ET VENTI. Ventos paſcunt magi. c.10 v.4. Aquilo quas res denotet. c.27.v.16

OBEDIVNT EI. Solus Deus imperat vētis.c.10.v.4. eorum gyratio & motus eius innuunt potentiam. c.30.v.4. Obedienti Deo obediunt etiam omnes animæ potentiæ.c.16.v.7. Iracundiæ motus compeſcens velut rex eſt. c.25.v.15. *Vide Indicem Rerum v.* Obediens, Obedientia, *& notata Dominica infra Octauam Epiphan.*

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

SINITE VTRAQVE CRESCERE. Impij aliquandiu tolerantur à Deo, at tandem ei dabunt pœnas. c.3.v.34.

COLLIGATE AD COMBVRENDVM. Impij tandem à Deo deprimentur & confundentur. c.3.v.35

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

SIMILE EST REGNVM. Regnum per lucernam denotatur. c.20.v.20

SEMINAVIT IN AGRO. Agricolandi præcepta. c.27.v.27. Agricultura potior eſt mercaturâ c.12.v.11. eſt ars innocentiſſima. c.13.v.23. fuit etiam olim à principibus vſurpata. c.24.v.27. Limites agrorum non ſunt trāſgrediendi. c.22.v.28

SIMILE EST REG. CÆL. FERMENTO. Fermenti qualitates competunt ſtulto. c.10.v.8

ET SINE PARABOLIS NON LOQVEBATVR. Prouerbiorum Salomonis vtilitas, in Argumento, Parabolarum dignitas & vtilitas. ibid.& c.1.v.1

quinque earum ſpecies. c.1.v.1. Omnia Chriſti Domini dicta ſunt parabolæ & ſententiæ. ibid. Parabola in ore ſtulti non conuenit. c.26.v.7. eſt in eius ore velut ſpina. v.9. *Vide Indicem Rerum v.* Parabola, Prouerbium.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Patrifamilias. Quæ familia ſit optima. c.24. v.3.

Primo mane. Laborandum in iuuentute & æſtate. c.10.v.5. manè vacandum orationi, & opera bona per diem exercenda, ſunt deſtinanda. c.11.v.26.

Condvcere. Officiales quales à regibus ſint ſeligendi. c.22.v.29

Qvid hic statis tota die otiosi? Otium imprimis fugiendum. c.6.v.11.c.10.v.4. Pigritia in rebus ſpiritualibus excutienda, quia probroſa. c.6.v.11. eius damna. c.18.v.8.c.21.v.25. corporis mala, & effectus, & ſymbola. c.19.v.15. eius emblema. v.24. Somnolentiam ſequitur egeſtas. c.20.v.13.

Otioſus eſt verè ſtultus. c.12.v.11. Piger multa cupit, ſed quia laborare detrectat, nihil obtinet. c.13.v.4. opera ſua quæ fecit deſtruit. c.18.v.9 mauult torpere quàm operari vt manducet. c.19. v.24. non vult incumbere virtutum ſtudio, ideo in die anguſtiæ mendicabit. c.20.v.4. deſideria eum necant, quia operari detrectat. c.21 v.25. mille inanes metus confingit ne cogatur laborare. c.22.v.13. in lecto voluitur vt oſtium in cardine. c.26.v.14. vt diligentiam diſcat, imitetur formicas. c.6.v.8. *Vide Indicem Rerum v.* Piger, Pigritia.

Piger in ſpiritualibus operibus mille in eis comminiſcitur difficultates. c.22.v.13

Ite et vos in vineam meam. Anima nobis colenda eſt vt vinea & ager. c.12.v.11. cultor animæ cultor eſt vineæ. c.24.v.31

Voca operarios. Labor & operatio parit omne bonum. c.19.v.15

Portavimvs pondvs diei. Labor & pœna nocentum tuetur innocentes. c.19.v.29. Nimius feruor & redundantia initio non probatur. c.29.v.11.

Qvi circa vndecimam. Feſtinandum lentè eſt. c.19.v.2

Amice non facio tibi inivriam. Iurgium cum amico amicè eſt tranſigendum. c.25.v.9

Non licet mihi qvod volo facere? Dei voluntas à nullo poteſt impediri c.19.v.21. Voluntas propria eſt inſatiabilis. c.30.v.15

An ocvlvs tvvs? Oculi ſunt maximè nobis cuſtodiendi. c.4.v.25.c.6.v.25. Sanctorum oculi & vultus ſunt ſereni. c.17.v.24

Oculi feminei quàm ſint illecebroſi. c.6.v.25 27. *Vide Indicem Rerum v.* Oculus.

Neqvam est. Inuidia quàm noxia ſit. c.14. v.30. Auarus omnis eſt inuidus. c.28.v.22. in quæ damna incidat: redigitur ad paupertatem temporalem & ſpiritualem. ibid. Inuidia quàm ſit intolerabilis & potens. c.27.v.3

Ocvlvs ſymbolum eſt intentionis. Porro recta intentio velut fuſus eſt. c.31.v.19. Intentio operis patet Deo: intentio bona in omni opere habenda. c.16.v.2. ex effectu noſtro erga alios, metiendus alienus erga nos. c.27.v.19. affectum & voluntatem in omni opere ſibi Deus inprimis depoſcit. c.23.v.26

Mvlti svnt vocati. Salutis initium eſt à gratia præueniente. c.8.v.34

Qui prædeſtinationis ſuæ nuntium accipit, habet gaudendi occaſionem. c.25.v.30

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Exiit qvi seminat. *Vide notata Dominica VI. poſt Epiphan. & Indicem Rerum v.* Agricola, Doctor in quo ſeminantem debeat imitari. c.15.v.7 Seminans mala, metet & mala. c.22.v.8

Svpra petram. Peccatum eſt lapidoſus panis. c.20.v.17. Duri & incorrigibiles fruſtra docentur. c.9.v.7

Inter spinas. Anima pigri ſcatet ſentibus, & caret fructibus bonorum operum. c.24.v.31

Vobis datvm est nosse mysterivm. Myſteria Dei incomprehenſibilia non ſunt ſcrutanda. c.23.v.14. eius iudicia ab homine penetrari nequeunt. c.25.v.2

Semen est verbvm Dei. Prædicatores verbi Dei boue denotantur. c.14.v.14. Sermo Dei cur ſit ignitus, *vide notata in feſto Pentecoſtes.* verbum Dei eſt nobis inſtar clypei. c.30.v.5

In tempore tentat. recedvnt. Impij retrogrediuntur vt cancri. c.2.v.15. Perſeuerantia in virtute neceſſaria eſt. c.3.v.3. Apoſtatantium qualitates variæ. c.6.v.14

Et a volvptatibvs vitæ. Concupiſcentia eſt velut meretrix. c.2.v.16. per ſanguiſugam denotatur. c.30.v.15. Cupiditatis proprietates deſcribuntur. c.9.v.13. & ſeqq. qui eam ſequitur, verè pauper eſt. c.13.v.7. eius initijs obſiſtendum. c.14.v.12. Voluptatis damna & illicia. c.5.v.2. initio dulcis eſt, at poſtmodum amara. c.14.v.12. cur voluptas mundana ſit mendax. c.23.v.3. melle repræſentatur. c.25. v.16. *Vide notata Domin. in Quinquageſ. & Indicem Rerum v.* Voluptas, Concupiſcentia.

Avdientes verbvm retinent. Audiendi auiditas eſt via ſapiëtiæ, ſemperq; diſcendum eſt. c.15

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Ipse verò mvlto magis clamabat. Quis ſpiritus in loquendo ſit cohibendus. c.25.v.28. Loquendi pruritus difficillimè in homine comprimitur. ibid.

Domine vt videam. Quanta peccãtium & impiorum ſit caligo. c.4.v.19

Occaſione inſtantium Bacchanalium præmoneatur auditor, ne cor grauet crapula & ebrietate, caueatque omne diſſolutionis genus. Deliciæ non decent impium. c.19.v.10. ſunt mendaces. c.23.v.3. omnia dulcia breuia ſunt, & mox nauſeam creant, ſunt & grauia, quia terrea. c.25. v.16. Corpus non eſt delicatè nimis nutriendum. c.29.v.21

Carnales ſunt velut pueri. c.1.v.22. Peccator omnis peccando dat annos ſuos diabolo. c.5. v.9. omnes quoque vires bene agendi & merendi deperdit. v.11. deuorat iniquitatem velut eſcam panis. c.19.v.28. lancinatur aſſiduo conſcientiæ remorſu. c.25.v.20

Peccatum quàm ſit dirus carnifex. c.5.v.9 Voluptas omnis initio mellea, poſtea fit abſinthium. c.14.v.12. Improbitas hominem adigit ad ſcelera ſcelerumque pœnas. c.19.v.3

Crapulæ & ebrietatis damna & probra. c.12. v.11.c.20.v.1. & ſeqq. c.43.v.30. Vinum creat luxum. c.20.v.1. tria eius damna: accendit ad iram. ibid. Epulæ redigunt ad inopiam. c.21. v.17

v.17. Gula quàm ſit exitialis. c.23.v.21. Ebrietas prodit ſecreta. c.31.v.4. accendit iram, iudicium peruertit, & eripit homini mentem. v.5. Frugalitas priſcorum patrum. c.27.v.27

Ebrij petulantia & laſciuia. c.20.v.1. eſt voluntarius dæmon, prorumpit in pugnas & cædes, oculos habet rubicundos. c.23.v.29. videtur in dolio habitare. v.30. exardeſcit in concupiſcentia mulierum. v.33. eſt quaſi nauarchus in medijs tempeſtatibus dormiens. v.34. omnium ludibrio exponitur, & eſt canibus fœdior; experrectus rurſus ad vinum aſpirat. v.35. *Vide notata Domin. I. poſt Pentecoſt. & Indicem Rerum v.* Ebrietas, Peccatum, Vinum, Voluptas.

Multitudo impiorum (qualis his diebus inualeſcit) inducit licentiam peccandi. c.29.v.16. Stultus ſe temerè conijcit in pericula animæ & corporis. c.28.v.26.

FERIA IV. CINERVM.

Exterminant facies svas. Nimiæ auſteritates non ſunt aſſumendæ. c.23.v.4

facies svas. Triſtis facies ſimilis eſt Aquiloni. c.25.v.23.

Nolite thesavrizare in terra, vbi tinea, &c. Opes auolant vt aquilæ, & ſunt aquilis ſimiles, idque per plurimas aquilarum proprietates declaratur. c.23.v.5 *Vide Indicem Rerum v.* Opes.

Thesavrizate vobis thesavros in cælo. Quæ ſint opes ſpirituales. c.8.v.18. quæ diuitiæ nobis ſint conſectandæ. c.24.v.4. Sapientia pretioſiſſimus eſt theſaurus. c.2.v.4

Ibi est et cor tvvm. Cor ſibi Deus in primis depoſcit, id eſt voluntatem. c.23.v.26. cor ſemper ſancta cogitet. c.24.v.9. Virtus ex corde procedat oportet. c.3.v.3

FERIA V. POST CINERES.

Vide notata Dominica III. poſt Epiphan. Idem eſt enim Euangelium.

FERIA VI. POST CINERES.

Odio habebis inimicvm. De publica vindicta, vtpote actu iuſtitiæ, licet gaudere. c.24.v.17.

Diligite inimicos vestros. Deus iuſtis omnes inimicos amicat. c.16.v.7. Inimici beneficijs ſunt demulcendi. c.25.v.21. Bonum pro malo ijs reddere, ſancta vindicta eſt. ibid.

Estote ergo vos perfecti. Virtus dicta à vi & viro, ipſa ornat nos, non veſtis. c.31.v.25. eius præſtantia. c.4.v.9. eſt vera animæ pulchritudo. c.2.v.10.11. eius via initio quidem eſt arcta, ſed poſtea dilatatur, nec laſſat hominem, ſed vires ei adauget. c.4.v.12. Anima ſancta domus eſt Dei. c.9.v.1. Praxis creſcendi in virtute eſt eius deſiderium. c.11.v.23. Perfectio virtutum hominem contra omnia aduerſa, vitia & dæmones tuetur. c.18.v.11. eſt ſtulto ardua. c.24.v.6. fit per Dei gratiam facilis. v.7. quæ ſit via ad perfectionem. c.31.v.11.

Iuſti per venialia commiſſa non deſinunt eſſe iuſti. c.24.v.16. nonnulli perfecti numquam peccant deliberatè. ibid. eos decet geſtuum modeſtia. c.6.v.14.

Via virtutum cardinalium ducit ad vitam æternam. c.30.v.19. hæ per quatuor generoſa animalia denotantur. v.30.

Vide notata in communi Confeſſorum, & in Indice Rerum v. Religioſus, Iuſti, Virtus.

Cornel. in Prouerb. Salom.

Te avtem faciente eleemosynam. Deus honoratur per eleemoſynam. c.3.v.9. Ipſa dantem locupletat. v.10.c.22.v.9.c.28.v.27. eſt Deo fœnus, idque fructuoſiſſimum. c.19.v.17. hoc fœnus bis ab eo ſoluitur, & pro veteri credito, nouum ſpondet debitum. ibid. Voluntas in eleemoſyna danda magis Deo placet quàm donum. c.22.v.9. quando, quibus, quoties, quomodo ea danda. ibid. vincit Deum, peccata, dæmones, auaritiam, &c. ibid.

Pauperes ſunt præoccupandi vt aliquid ijs detur.

Eleëmoſynarij in futuro ſæculo remunerationem à Deo accipient. c.18.v.16. ſint in dando hilares. c.22.v.9. at tenaci & immiſericordi omnes in cælo, terra, inferno maledicunt. c.28. v.27. *Vide Indicem Rerum v.* Eleëmoſyna, Eleëmoſynarius, Miſericors, Opes.

Pater tvvs qvi videt in abscondito. Præſentia Dei omnituentis eſt ſtimulus ad virtutem. c.7.v.6. Deus omnia intuetur & audit. c. 20.v.12. & proinde eſt rex mentium. c.21. v.1. & penetrat cordium intima. v.2. quam ſcientiam oculi Deo obſeruent. c.22.v.12 *Vide Indicem Rerum v.* Deus, Oculus.

SABBATHO POST CINERES.

Qvotqvot tangebant evm, salvi fiebant. Sanitas cordis diuerſimodè accipitur. c.14. v.30.

DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

Dvctvs est Iesvs in desertvm. Solitudinis elogia. c.17.v.1. Latêre præſtat quàm agere in turba. c.21.v.9. Eremitæ multi habuerunt angelos curatores. c.23.v.11. Silentij laus & commendatio. c.17.v.28. ipſum eſt ſignum ſapientiæ. c.10.v.19.

Vt tentaretvr. Per ſolam Dei gratiam tentationes ſuperantur. c.21.v.31. & conſilio, non violentiâ. c.24.v.6 in ijs non eſt de Dei auxilio deſperandum. v.10.

Postea esvriit. Sobrietatis elogia. c.20. v.1. eius commoda. c.23.v.30.

Tentator. Dæmones per coruum repræſentantur, cuius natura deſcribitur. c.30.v.17. item per gigantes. c.9.v.18

Vt lapides isti panes fiant. Peccatum eſt panis lapidoſus. c.20.v.17

Scriptvm est. Chriſtus patientia ſua vicit dæmonem, vt & omnis patiens. c.16.v.32.

Hæc omnia tibi dabo. Sancti ſunt domini totius mundi. c.14.v.4

Vade satana. Satanas eſt ſummus apoſtata. c.6.v.14. Angelorum & dæmonum volitiones & intentiones ſolus Deus videt. c.27.v.19.

Angeli ministrabant ei. Chriſtus homo præeſt toti mundo & angelis. c.8.v.16

FERIA II.

Oves ab hoedis. Arietis & regis ſymbola. c.30.v.31. item herois & martyris. ibid.

Vni ex his fratribvs meis minimis. *Vide notata feria VI. poſt Cineres, & Indicem Rerum v.* Eleëmoſyna, Diues, Pauper. Pauperes vexans vexat Chriſtum; & contrà eis benefaciens, Chriſto benefacit. c.22.v.16.& 23.

Svpplicivm æternvm. Damnati apud inferos in gigantibus repræſentantur. c.9.v.18. quàm atroces ſint pœnæ infernales. c.7.v.27.

Vide notata Dominicâ III. poſt Epiphan.

FERIA III.

CATHEDRAS VENDENTIVM EVERTIT. *Vide notata Dominica IX. & XIX. poſt Pentecoſt. & in Indice Rerum v.* Mercator, Pondera, Statera.

FERIA IV.

GENERATIO MALA ET ADVLTERA. Indoles bona deſcendit à parentibus. c.23.v.25
Cur ſpurij ſint vitioſi. c.30.v.11

AVDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS. Salomonis elogium: fuit verè Propheta, eius ſapientia diuina fuit, non humana in Argument. cur vocetur filius tener, & an fuerit matri vnigenitus. c.4.v.3

OMNE REGNVM DIVISVM DESOLABITVR. Regnum incolis abundat ſub benigno & clemente rege. c.14.v.28

REVERTAR IN DOMVM MEAM. Peccatum reiterans eſt velut ſus reuertens ad volutabrum. c.11.v.22. Conſuetudo peccandi quàm ſit noxia. c.18.v.3.

ET FIVNT NOVISSIMA PEIORA PRIORIB. Impius ex vna impietate in aliam prolabitur. c.18.v.3 quibus gradibus ad tartara deſcendat. ibid. Quod ſit profundum peccatorum. ibid. Deſperatio peccantium oritur ab obduratione. ibid. Obdurati peccatores ſunt indociles. c.27.v.22 Inſenſibilitas ſequitur ex peccato conſuetudine roborato. c.23.v.35. Peccatum quaſi centrum eſt. c.18.v.3. *Vide notata Domin. III. in Quadrag. & Indicem Rerum v.* Peccatum, Relapſus.

EXTENDENS MANVM IN DISCIPVL. Diuerſimodè Deus manus extendit. c.1.v.24

IPSE MEVS FRATER ET SOROR. Virtus noſtra eſt ſoror, quo ſenſu: item ſoror caſtitatis. c.7.v.4.

FERIA V.

DOMINE ADIVVA ME. Sancti à Deo dirigi orant & impetrant. c.3.v.6

DOMINICA II. IN QVADRAGESIMA.

ASSVMPSIT IESVS PETRVM ET IACOBVM. Sancti ſunt Deo familiares & ſecretarij. c.3.v.32.

TRANSFIGVRATVS EST ANTE EOS. Deliciatur Chriſtus cum ſanctis hominibus. c.8.v.31

BONVM EST NOS HIC ESSE. Deus amicos ſuos facit exſtaticos & quaſi amentes. c.8.v.31 Contemplatio Dei eſt quaſi finis rerum omnium c.16.v.4.

FERIA III.

DICVNT ET NON FACIVNT, &c. Vita mala dedecorat bonam doctrinam. c.11.v.22. Promittens & nihil præſtans, ſimilis eſt nubi non emittẽti pluuiam. c.25.v.14. Temerè nihil Deo vouendum, aut proximo promittendum. c.12.v.16

MAGNIFICANT FIMBRIAS. Quomodo Iudæi ad litteram ſeruatores ſe legis oſtenderent. c.7.v.3.

AMANT PRIMOS RECVBITVS. Contentionem de principe loco cauere oportet. c.25.v.7

SALVTATIONES IN FORO. Salutationes matutinæ ad ædes diuitum olim erant in vſu. c.27.v.14.

AMANT VOCARI RABBI. Piger putat ſe eſſe ſapientiſſimum. c.26.v.16

NOLITE VOCARI RABBI. Non eſt ſapientiæ nomen aucupandum, nec nimis ſapiendum. c.25.v.16. Adulatione & laudibus auditis plerique capiuntur. c.29.v.5

QVI SE EXALTAVERIT. Humilitas exaltat, ſuperbia infamat. c.29.v.22. *Vide notata Domin. X. poſt Pentecoſt.*

FERIA IV.

DIC VT SEDEANT. Virtus propria nobilitat, non auorum, ſecùs ac prætendebat hæc mater, nixa cognatione cum Chriſto. c.12.v.9 Ineptum ad officia ſacra vel profana promôuens, vel commendans, peccat in iuſtitiam. c.19.v.28. Contentio de primo loco vitanda eſt. c.25.v.7. Lucro dediti non ſunt ad prælaturas promouendi. c.26.v.8.

VNVS AD DEXTERAM. Dextera an potior ſit ſiniſtrâ, & quæ vtriuſque ſymbola. c.3.v.16 Dextrum vocatur id quod felix & bonum eſt. c.4.v.27.

IN REGNO TVO. Ambitio eſt ſanguiſuga inſatiabilis, eius & ignis analogiæ. c.30.v.15

NESCITIS QVID PETATIS. Quia non ſimul, ſed gradatim ad honores eſt aſcendendum. c.25.v.7. Honores non ſunt dandi inſipientibus. c.26.v.8. in quo ſint hi Mercurio ſimiles. ibid. Pauper alijs pauperibus non eſt præficiendus, cur. c.28.v.3.

DICVNT EI, POSSVMVS. Gloria dedecet ſtultum & indignum, quin & nocet. c.26.v.1

PRINCIPES GENTIVM DOMINANTVR. Rector omni hominum generi ſe accommodet. c.11.v.14 regat ſuos affectus. c.16.v.15. iram cohibeat c.19.v.12. eius ira ſimilis rugitui leonis; at hilaritas ſimilis rori. ibid. Rex ſolo ſuo intuitu è ſolio celſitudinis omnia ſcelera diſſipat, & ſceleſtos fugat. c.20.v.8. quomodo ſedeat in ſolio iudicij. ibid. ſit ſol. ibid. veritas eum cuſtodit. v.28. impuritas & impura eum dedecent. c.22.v.11. ei nemo audet refragari. c.24.v.22. magnos habet animos & conceptus. c.25 v 3. quæ ſit regis idea. v.5. non fert ſuperbos, quia omnibus vult eminere. v.6. quæ animalia debeat imitari. c.30.v.30. incedit vt leo. ibid. *Vide notata Domin. XXII. poſt Pentecoſt. & in Indice Rerum v.* Princeps, Rex.

DOMINANTVR EORVM. Familia quæ ſit optima. c.24.v.3. Regi obediendum cùm non præcipit contraria Deo. v.21.

ET QVI MAIORES SVNT. Diuites ſoli in magiſtratum cooptandi. c.28.v.3. Iuſto regnante floret reſp. v.12. Probitas requiritur in omni rectore. c.29.v.9

POTESTATEM EXERCENT. Reges ſint beneuoli, non ſeueri & tyranni. c.25.v.5. Dum regnant impij, magna fit hominum ruina. c.28.v.12. at ſub pijs regibus populus exultat. c.29.v.2

Rector omnis quid ab animalibus diſcere debeat. c.30.v.30. non ſit nimis ſeuerus. v.33. nec ſit nimius vini potator. c.31.v.4. ſit ſobrius. c.23.v.34.

FERIA V.

HOMO QVIDAM ERAT DIVES. Diuitiæ pariunt ſuperbiam & audaciam. c.10.v.15

Diues opibus ſuis ſe oblectat. c.18.v.11. multos habet amicos, pauper paucos. c.19.v.4. diues eget paupere, & pauper diuite: vterque ſit ſua ſorte contentus. c.22.v.2. quærat diues opes cæleſtes. ibid. Dei conſilio hic eſt diues, ille pauper. ibid. diuitum proſperitati non eſt inuidendum. c.23.v.18. *Vide Indicem Rerum v.* Diues, Opes.

EPVLABATVR SPLENDIDE. Quàm gula ſit exitialis c.23.v.21. *Vide notata Domin. in Quinquageſim. & in Indice Rerum v.* Epulæ Gula, Conuiuium, Vinum voluptas non in ſatie, ſed fame conſiſtit. c.27. v.7. eâ vtendum moderatè vt ſapiat. ibid. quia natura paucis eſt contenta. v.27. Qui in re domeſtica modum ſeruat, ſemper abundat. c.28.v.7

ET NEMO EI DABAT. Durus in pauperes grauiter peccat. c.14.v.21. hic excitat Dei & hominum iram. c.21.v.14. Diuites debent amare pauperes, imò eos præoccupent. c.22.v.2. Pauperes vexans vexat Chriſtum. v.23.

SEPVLTVS EST IN INFERNO. Peccator dæmones ſecutus, tandem ad eorum ſedes deducetur. c.21.v.16.

FILI RECORDARE QVIA RECEPISTI BONA. Impij labores operum ſuorum in inferno comedunt. c.1.v.30. Talionis lege punit Deus durum in pauperes. c.21.v.13

TV CRVCIARIS. Voluptas in fine vitæ ſectatorem ſuum deſerit. c.20.v.21.

FERIA VI.

LOCABIT EAM ALIIS. Impij occupant terram iniquè. c.2.v.21

AGRICOLIS. *Vide notata Dominica VI. poſt Epiphaniam, & Indicem Rerum v.* Ager, Agricola, Paſtor, Vinea.

SABBATHO.

ADOLESCENTIOR. Cur adoleſcentia ſit periculoſa. c.1.v.4. hinc indiget cuſtode. c.2.v.17. Iuuentutis emblema & ſchema. c.7.v.7. Adoleſcens viam quam inijt, ſemper retinebit, verùm per Dei gratiam ſæpè ab ea deflectit. c.22.v.6 huic dæmon maximè inſidiatur: quatuor ei ſunt commendanda. ibid. concupiſcentia ei eſt colligata. v.15. eſt mobilis & inſtabilis. c.30.v.19

Filius delinquens caſtigandus eſt, idque manè. c.13.v.24. Adoleſcens continens & temperans gaudio afficit patrem. c.29.v.3. filius doctus refrigerio eſt patri ſuo. v.17. adoleſcens bene moratus omnibus eſt admirationi. c.30.v.19

DA MIHI PORTIONEM. Libertas in adoleſcente quàm ſit noxia. c.4.v.13. fur paternorum bonorum quomodo ſit ſocius homicidæ. c.28. v.24.

In ſtatu vitæ deligendo maturè deliberandum. c.14.v.8.

VIVENDO LVXVRIOSE. Luxurioſi ægrè fiunt caſti. c.2.v.19. Iuuentus quàm ſit petulans & laſciua. c.22.v.15. Adoleſcens incontinens diſperdit opes paternas. c.29.v.3. filij ex adulterio nati cur ſint plerumque vitioſi. c.30.v.11. *Vide Indicem Rerum v.* Filius, Libido, Fornicatio, Mulier, Meretrix, *& notata Sabbato poſt Domin. III. in Quadrageſima.*

LVXVRIOSE. Meretricis mores deſcribuntur. c.9.v.13.

FAMES. Caſtigatio aperit oculos, & emundat à peccato. c.20.v.30

CECIDIT SVPER COLLVM EIVS. Amplexus quàm ſit illecebroſus. c.7.v.18

ET OSCVLATVS EST EVM. Oſculum quadruplex datur. c.24.v.26. at inimici oſcula ſunt fraudulenta. c.27.v.6

PROFERTE STOLAM PRIMAM. Stola & torques erant ſigna honoris: torques varias ſapientiæ dotes denotat. c.3.v.3

SYMPHONIAM ET CHORVM. Vti hic cantus inuidum fratrem malè habuit, ſic muſica exaſperat animum peſſimum & mœſtum. c.25.v.20

EPVLARI ET GAVDERE OPORTEBAT. Conuiuium ex amore debet inſtrui. c.15.v.17

MORTVVS ERAT ET REVIXIT. Pater hic de recepto filio ſibi gratulatur, ceu de ad vitam reſuſcitato. porro patres barbari nonnulli filios necant, licet pater nullum ius in vitam filij habeat. c.19 v.18.

DOMINICA III. IN QVADRAGESIMA.

OMNE REGNVM DIVISVM DESOLABITVR. Concordiæ quanta ſit vis. v.18.v.19. Seditioſi ſuis rixis & motibus regna diſſcindunt. c.29.v.8

REGNVM. Regnum lucernâ repræſentatur. c.20 v.20. regnum & reſp. quid ad animalibus diſcere debeat. c.30.v.25. & ſeqq.

CVM FORTIS ARMATVS CVSTODIT. In bello tamen plus valet conſilium quàm robur. c.20.v.18 *Vide Indicem Rerum v.* Bellum.

QVÆRENS REQVIEM, ET NON INVENIENS. Improbus non quieſcit, donec improbitatem expleuit. c.21.v.10

REVERTAR IN DOMVM MEAM. Relapſus in peccatum ſimilis eſt cani vomitum reſorbenti. c.26. v.11.

ET FIVNT NOVISSIMA. *Vide notata feria IV. poſt Domin. I. in Quadrageſima.* Obdurati ſunt indociles. c.27.v.22.

FERIA II.

ET REPLETI SVNT OMNES IRA. Iudæi hi, vt & iracundi omnes, iniurias animo voluentes meditantur vltionem. c.29.v.22. *Vide notata Dominica V. & XIX. poſt Pentecoſt.*

FERIA III.

CORRIPE. Corripiens eſt amandus vt medicus. c.21.v.29. Correptio eſt velut inauris aurea. c.25.v.12. correptio manifeſta melior quàm amor abſconditus. c.27.v.5. & 6. tres ſunt gradus correptionis. v.19. ea ſit lenis. c.29.v.1. correptio amanda eſt. c.12.v.2

CORRIPE EVM INTER TE ET IPSVM. Increpationes bene ſunt admittendæ. c.10.v.17. ſuſcipiens correptionem poſſidet cor. c.15.v.32 quomodo ſe impius in ea gerat. c.21.v.29. ſed qui eam ſpernit, peribit. c.29.v.1. ſtultus audiens corripientem, potior eſt garrulo & loquace. c.29.v.20.

Sapientes amant corripi. c.9.v.8. Iuſtus dum corripitur quomodo ſe gerat. c.21.v.29 Incorrigibiles fruſtra monentur. c.9.v.7 *Vide Indicem Rerum v.* Caſtigatio, Correptio, Diſciplina.

INTER TE ET IPSVM SOLVM. Vitia proximi propalat inſipiens, ſapiens celat. c.11.v.11. & 12

LVCRATVS ERIS FRATREM TVVM. Amicus amicum peccantem corripiens, verè ſe illi fratrem exhibet. c.27.v.5. amor dat ſuauia vulnera. v.6

SI DVO EX VOBIS CONSENSERINT. Cum iracundo agens fiet iracundus, & animæ ſuæ nocet. c.22 v.24. Iracundi non ſunt apti ad amicitiam. ibid. Vitæ ſocialis commoda. c.27.v.17. concordiam nos docet locuſta. c.30.v.27

Rixæ ſe immiſcens eſt velut tenens canem aure c.26.v.17. Rixa cauenda eſt. ibid. eam ſuſcitat ſuſurro. v.20. *Conſule Indicem Rerum verbo* Amicus, Concordia, Coniux, Lis, Rixa, Vicinus, Vxor.

FERIA IV.

TRANSGREDIVNTVR TRADITIONES. ergo illæ ſeruandæ ſunt præter verbum Dei ſcriptum, quomodo igitur nihil ei addi queat. c.30.v.6.

HONORA PATREM TVVM, ET MATREM TVAM. Prima lex iubet parentes honorari. c.1.v.8. Parentum proborum filij ſunt beati. c.20.v.7. Vita à parentibus deſcendit, anima creatur à Deo. c.20.v.20.

Filius ſapiens patrem lætificat, ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ. c.10.v.1.

QVI MALEDIXERIT PATRI. Filius affligens patrem, & matrem fugere compellens, eſt ignominioſus. c.19.v.26. & hæc afflictio portendit ei infelicitatem. ibid. *Vide Indicem Rerum* v. Filius, Parentes, Mater, Pater.

QVÆ PROCEDVNT DE ORE, COINQVINANT HOMINEM. Os impiorum eſt quaſi ſtagnum putiſceus. c.10.v.11. Quod multiloquium ſit vetitum, quia multiloqui facilè in peccatum labuntur. v.19. Sermo eſt ſpeculum mentis c.12.v.8. Stultus effutit quidquid in buccam venit, tum in litigando, tum in ſcientia oſtentanda. c.29.v.11. *Vide Indicem Rerum v* Lingua, Verbum, *& notata Dominica XI. poſt Pentecoſt.*

DE CORDE EXEVNT COGITATIONES MALÆ. Impij ſemper malum cogitant & machinantur. c.4.v.16. idcirco cor quam maximè eſt cuſtodiendum, quia eſt principium multiplicis vitæ. v.23. ipſum eſt ſymbolum mentis, ſapientiæ, amoris c.16.v.23.

COGITATIONES MALÆ. Cogitatio turpis eſt velut ignis in ſinu. c.6.v.27. ipſa Deo eſt abominabilis. c.15.v.26. at bona mirè animæ conducit. c.8 v.12. *Vide Indicem Rerum v.* Cogitatio Cor.

FORNICATIONES. Fornicationis turpitudo. c.6.v.33.

FVRTA. Cur furtiua omnia ſint ſapidiora & ſuauiora. c.9.v.17.

FALSA TESTIMONIA. Suſurro ſuſcitat rixas. c.26.v.20. Suſurratio quomodo ſit peior homicidio. c.6.v.19. Teſtis mendax tandem pateſcit, nonniſi trepidans teſtimonium dicit. c.19.v.5. deridet iudicium. v.28. famam & opes proximi inſtar gladij diſſecat. c.25.v.18. punietur à Deo hîc & in futuro. v.29. peribit, at verus non confundetur. c.21.v.28.

Detractor tres occidit vno ictu. c.18.v.21. edit carnes proximi ſui. c.23.v.21. eſt auſtero vultu retundendus. c.25.v.23. Detractio vitanda eſt. ibid.

Lites oriuntur à lingua nō refrænata. c.17.v.14 linguæ incontinentis octo cruciatus. c.21.v.23.

Mendacium pernicioſum abominatur Dominus. c.6.v.17.19. mendacium eſt vento ſimile. c.10.v.4. ipſum turpe eſt, nec vmquam licitum. c.13.v.5. dedecet principes. c.17.v.7. opes eo partæ citò diſſlantur. c.21.v.6.7.

Mendax lingua ſextuplex eſt. c.21.v.6. *Vide Indicem Rerum v.* Lingua, Detractio, Mendacium, Teſtis.

BLASPHEMIÆ. Inter quas ſumma eſt hæreſis, cuius mores deſcribuntur ſub ſchemate meretricis. c.9.v.13. & ſeqq. c.22.v.14. Conuicians conuicijs excipitur ab alio. c.11.v.12. Maledicentia eſt velut ſanguiſuga. c.30.v.15. *Vide Indicem Rerum v.* Conuicium, Maledictio.

FERIA V.

QVIA, ET ALIIS CIVITATIBVS OPORTET ME EVANGELIZARE. Chriſtus per pagos, vicos, & oppida diſcurrit docendo. c.1.v.21.

FERIA VI.

QVI BIBERIT EX AQVA HAC, SITIET ITERVM. Artes vetitæ ſunt velut aquæ furtiuæ. c.9. v.17.

FIET IN EO FONS AQVÆ SALIENTIS. Fontes myſtici varij. c.5.v.15.

IN VITAM ÆTERNAM. Tria pharmaca ad diu viuendum. c.17.v.21.

DA MIHI HANC AQVAM. Sancti ſitiunt Deum. c.11.v.23. *Vide notata in Feſto omnium Sanctorum.*

SABBATHO.

MVLIEREM DEPREHENSAM IN ADVLTERIO. Adulterij damna. c.2.v.17. eſt id velut ignis in ſinu. c.6.v.27. Peccator ſpirituale adulterium committit. v.35. *Vide Indicem Rerum v.* Adulter, Adultera, Fornicatio, Libido, Mœchus, Meretrix.

Adulter mentem quodammodo perdidit. c.6. v.32. Adulteram vxorem vir abs ſe dimittat. c.18.v.12. adultera ſemper celat ſuam turpitudinem. c.30.v.20.

Libido vires exhaurit. c.5.v.11. ſapientiæ maximè contraria eſt. c.2.v.16. Fornicationis varia damna. c.5.v.4.9. eius ardorem exſtinxerunt Sancti igne corporeo. c.6.v.27. eius turpitudo. v.33. eſt pœna hæreſeos & ſuperbiæ. c.22.v.14. eſt ſanguiſuga. c.30.v.15. cur furtiua libido magis ſapiat quàm licita. c.9.v.17.

MVLIEREM. Mulieris fallaciæ non attendendum. c.5.v.2. eius deſcriptio. ibid. quàm ſit eius familiaritas noxia, ideoque cauenda eſt. c.6. v.27. eius epitheta. c.7.v.13. Pulchritudo non quadrat mulieri ſtultæ. c.11.v.22. Concupiſcentia mulierum eſt inſatiabilis. c.30.v.16.

Meretrix cur dicatur crudelis. c.5.v.9. eius vilitas. c.6.v.26. quamobrem anima pretioſa non eſt ei tradenda. ibid. quàm ſit voluptas, quam dat, breuis. ibid. eius illecebræ variæ. c.7.c.10. & ſeqq. eſt velut ſphinx. v.21. eius mores deſcribuntur. c.9.v.13. eſt ſimilis porco. c.11.v.22. eius illecebræ ſunt fouea profunda. c.22.v.14. eſt foſſa, mors, ſepulcrum, ſordes, puteus, eſt voraciſſima, & congeries omnium ferarum. c.23.v.27. inſidiatur vt latro. ibid. cur ſpurij ſint plerumque malæ indolis. c.30.v.11.

DOMINICA IV. IN QVADRAGESIMA.

ERAT AVTEM FOENVM MVLTVM. Nullo labore paratur herba & gramen gregibus. c.27.v.25.

ET IMPLETI SVNT. Cur iuſtus ſaturetur eo quod comedit. c.13.v.25.

COLLEGERVNT QVÆ SVPERFVERVNT. Vt hic reliquiæ plures fuere panibus, ita beneficus in pauperes ſemper abundat. c.11.v.15. *Vide notata Dominica VI. poſt Pentecoſt.*

CVM VIDISSENT SIGNVM, &c. Liberalitas & munera omnium animos euincunt. c.21.v.14.

QVIA HIC EST VERE PROPHETA. Prophetæ fuere boni nuntij. c.25.v.25.

FVGIT IN MONTEM IPSE SOLVS. Chriſtus regnum fugiens docet vitam priuatam eſſe vitam beatam. c.25.v.6.

FVGIT. Sapientes celant ſuam ſapientiam & dotes. c.10.v.14. *Vide notata Dominica I. in Quadrageſima.*

FE-

FERIA II.

ZELVS DOMVS TVÆ. Zelus per ignem denotatur. c.27.v.4. *Vide reliqua in Dominica Pentecoſt. & Indicem Rerum v.* Ignis, Zelus.

EIECIT DE TEMPLO. *Vide notata Dominica IX. poſt Pentecoſten.*

FERIA III.

QVOMODO HIC LITTERAS SCIT, CVM NON DIDICERIT? Scientia animæ quæ dicatur. c.19.v.2 ea potiſſimùm, quæ futura & præterita circumluſtrat. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Doctrina, Scientia. *& notata Dominica infra octau. Epiphaniæ.*

NOLITE IVDICARE SECVNDVM FACIEM. Iuſtus non condemnandus præ iniuſto. c.17.v.15 Improbi non curant rei æquitatem, ſtudent tantùm cupiditati. c.28.v.5

RECTVM IVDICIVM IVDICATE. Iudicem corrumpunt munera: eorum viſcerales iudices ſunt infames. c.17.v.23. Iudices non opprimant pauperem. c.22.v.22. *Vide Indicem Rerum v.* Iudex, Iudicium.

Pij ſemper intuentur Dei iudicia tum futura, tum præſentia. c.28.v.5

FERIA IV.

QVIS PECCAVIT, VT HIC CÆC. NASCERETVR? Caſtigatio emundat peccata. c.20.v.30

ME OPORTET OPERARI. Qui ſpiritualia opera facere detrectant, fingunt mille difficultates in ijs. c.22.v.13.

LVX SVM MVNDI. Anima duplicem habet lucem, naturalem & ſupernaturalem. c.20.v.27 animæ lux eſt gratia. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Lucerna, Lux.

DA GLORIAM DEO. Iuramentum quando & quos deceat. c.14.v.5

SCIMVS QVIA PECCATORES DEVS NON AVDIT. Cur impij à Deo non exaudiantur. c.1.v.30 Legem non audiens, vt eſt peccator, non audietur à Deo. c.28.v.9. *Vide Indicem Rerum v.* Peccator, Impij.

IN PECCATIS NATVS ES TOTVS. Fomes peccati & concupiſcentiæ cuiuis inhæret. c.20.v.9

FERIA V.

MISERICORDIA MOTVS. *Vide notata Dominica VI. & XV. poſt Pentecoſt. & Indicem Rerum v.* Eleëmoſyna, Miſericordia.

FERIA VI.

LAZARVS AMICVS NOSTER DORMIT. Deus amicos ſuos caſtigat, & quare. c.3.v.12. Caſtigationis bonum. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Correptio, Diſciplina, Virga.

INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM. Proſpera magis nocent quàm aduerſa, morbi minus quàm bona valetudo. c.1.v.32. *Vide Indice Rerum v.* Proſperitas.

SOLVITE EVM. Qui funes peccatorum peccatorem ligent. c.5.v.22. Iuſtum liberat Deus à morte. c.11.v.3

SABBATHO.

EGO SVM LVX MVNDI. Modeſtiâ morum lucere debent Sancti. c.6.v.14. Virtus ſimilis eſt luci magnæ. c.13.v.9

SVM LVX. Quæ lux iuſtum lætificet. c.13.v.9 *Vide notata Feria IV. huius hebdomadæ.*

ET NEMO APPREHENDIT EVM. Sermo mollis frangit iram, ſermo durus excitat furorem. c.15. v.1. *Vide Indicem Rerum v.* Sermo, Verbum.

DOMINICA DE PASSIONE.

QVIS ARGVET ME DE PECCATO? Peccatum quaſi centrum eſt. c.18.v.3. Nemo mundus à peccato eſt, quo ſenſu. c.20.v.9. *Vide Indicem Rerum v.* Peccatum, Vitium. *& notata Dominica in Quinquageſima.*

QVIS ARGVET ME? Innocentia tutiſſimum aſylum eſt. c.22.v.23

EGO NON QVÆRO GLORIAM, EST QVI QVÆRAT. Gloria dedecet ſtultum & indignum. c.26. v.1.

SI VERITATEM DICO. Veritas vendi nequit. c.23.v.23. *Conſule Indicem Rerum v.* Verax, Veritas.

IESVS AVTEM ABSCONDIT SE. Vt lites euitentur, cedendum. c.17.v.14. Sapiens pericula declinat, quod & animalia faciunt. c.22.v.3. *Vide Indicem Rerum v.* Fuga.

FERIA III.

ME ODIT, QVIA TESTIMON. PERHIB. Odiens diſplinam ſtultus eſt. c.12.v.1

FERIA IV.

OPERA QVÆ EGO FACIO. Deus operatur propter gloriam ſuam increatam, non creatam. c.16. v.4.

Operi ſuo ſeriò attendens, nec id temerè ſuſcipiens, ipſum ſapienter conficiet. c.16.v.20. *Vide Indicem Rerum v.* Operarius, Opus. *& notata Dominica in Septuageſima.*

FERIA VI.

QVIA HIC HOMO MVLTA SIGNA FACIT. Laudatio ab hoſte vera eſt, non fucata. c.27.v.2

DOMINICA IN PALMIS.

SEDIT SVPER ASINAM. Nobis quidem aſinus vile eſt animal, ſed in Palæſtina pares ſunt equis. c.26.v.3.

OSANNA FILIO DAVID. Gloria Deo immenſa debetur. c.8.v.18

Quia hodie Paſſionis Dominicæ Eccleſia facit mentionem, hinc eius materia hic ſuggeritur.

Chriſti hodiernus triumphus mox tranſit in crucem c.14.v.13. eius patientia in aduerſis & paſſione. c.19.v.11. Quàm victima Chriſti in cruce fuerit ſufficiens. c.9.v.2. Chriſtus in cruce eſt arbor optimos fructus proferens. c.11.v.28 *Vide Indicem Rerum v.* Ieſus, Gaudium, Mundus.

SI IN VIRIDI HÆC FAC. IN ARIDO QVID FIET? Si pij etiam luant, quàm ergo grauiter caſtigabuntur impij. c.12.v.13

DABANT EI VINVM BIBERE. Cur reis morituris daretur vinum. c.31.v.6

DOMINICA RESVRRECT. DOMINI.

VALDE MANE VNA SABBAT. Manè vacandum orationi, & deſtinanda per diem exercenda. c.11. v.26.

RESVRREXIT. B. Virgo vti nec ſub filij cruce diffiſa eſt, ſed conſtans permanſit: ita nec de eiuſdem reſurrectione dubitauit, vnde lucerna fidei eius neutiquam extincta eſt. c.31.v.18. *Vide Indicem Rerum v.* Ieſus, Reſurrectio.

FERIA II. POST PASCHA.

NOS AVTEM SPERABAMVS. Spes nos locat in cura Dei. c.28.v.25. hinc tota in eum transferenda eſt. c.3.v.5. Spes dilata animum ſperantis cruciat. c.13.v.12. Pij propriè ſperant, impij deſperant,

ſperant, idq; tum præſentia, tum futura. c.23.v.18 Spes inſida eſt pes laſſus, & dens putridus. c.25. v.19. ſpes in tribulatione eſt velut lucerna lucens in tenebris. c.31.v.18. *Vide Indicem Rerum v.* Spes.

Interpret. illis in omn. Script. Sententiæ ſacræ Script. vtiliter addiſcuntur & in tempore depromuntur. c.22.v.18. Scripturæ ſenſus allegoricus melle deſignatur. c.24.v.13. *Conſule Indicem Rerum verbo* Scriptura.

Nonne cor noſtr. ard. er. cum loqueretur? Verbum opportunè prolatum ſimile eſt pomo aureo in theca argentea. c.25.v.11. verbum ſuas habet rotas, quin & ipſa opportunitas ſimilis eſt rotæ. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Sermo, Verbum.

FERIA III. POST PASCHA.

Conturbati et conterriti. Iuſtus nullis rebus perturbatur. c.12.v.21

Favum mellis. Apes ſunt ſymbolum virginum, quas in re eas imitari debeamus. c.6.v.8 fauus mellis eſt ſapientia mellita. c.24.v.13.

Mellis. Mel eſt ſymbolum virtutis & ſanctitatis. c.24.v.13. Spiritus conſolationes ſunt inſtar mellis. ibid. c.25.v.16. quid mel denotet ſymbolicè. c.25.v.16. laus humana ipſo repræſentatur. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Apes, Mel. *& notata Feria IV. Quatuor tempor. Aduentus.*

DOMINICA IN ALBIS.

Thomas, qui dicitur Didymus. Vnde Thomas dictus ſit Didymus. c.26.v.20

Quorum remiſeritis peccata. Confeſſio Sacramentalis & à pœna & à culpa liberat, eſtque à Deo prædeſtinata ante omnes homines. c.18. v.17. *Vide Indicem Rerum v.* Confeſſio, Peccatum.

Infer digitum tuum huc. Vt hic Chriſtus Thomæ ob abſentiam priorem dedit occaſionem in fide proficiendi, ſic Superiores dent ſubditis interdum occaſionem actus virtutum exercendi. c.9. v.9.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum paſtor bonus. Paſtor ſit vigilans. c.6.v.1. Paſtoritia ars eſt antiqua & innocens. c.27.v.23. Paſtorum princeps (qualis eſt Chriſtus) olim coronabatur. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Epiſcopus, Paſtor, Prælatus, Princeps, Superior.

Et cognoſcunt me meæ. tam è vultu quàm voce. Nam omnes homines diuerſum habent vultum & vocem. c.27.v.19

Ponit animam pro ovib. Pro amici vita & caſtitate licet morti ſe exponere. c.12.v.27

Animam pono pro ovibus meis. Paſtores ſunt ſponſores pro animabus ſubditorum. c.6.v.1 pecus ſuum curent & inſpiciant. c.27.v.23

Mercenarius autem fugit. Hypocrita fugit tempore periculi, at verus paſtor manet. c.22. v.3.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Plorabitis et flebitis, mund. autem gaudebit. Impij proſperantur, pij affliguntur. c.3. v.31. & 33. Cordis triſtitia quàm ex ſe ſit mala. c.15.v.13. c.25.v.20. macerat & exedit corpus c.17.v.22. eſt ſimilis tineis, lenitur à ſermone leni. c.25.v.20. eius remedium eſt cogitare cæleſtia. ibid.

Mundus autem gaudebit. Riſus frequens eſt cauſa diſſolutionis. c.10.v.23. Impij pios & iuſtos deridet. c.14.v.2. Riſus peccantium tranſit in luctum. v.13. Gaudia mundi miſta ſunt dolori, & cur. ibid.

Tristitia veſtra vertetur in gaud. Iuſtus moriens bene ſperat, & iubilat in morte. c.14. v.32.

Mulier cum parit. Virtutis difficultates ſunt perſtringendæ, vt eius dulcedo percipiatur. c.15. v.19. Fortius eſt dura pati quàm agere. c.16. v.32.

Gaudium veſt. nemo tollet a vobis. Conſcientiæ bonæ quantum ſit gaudium. c.15.v.15. animi gaudium etiam in corpus & vultum ſe transfundit. v.13. c.17.v.21. Gaudebit iuſtus ob opera virtutis, quæ agit contra impios mouetur. c.21.v.15 Virtus ſola affert verum gaudium. ibid. c.23.v.16 *Vide in Indice Rerum v.* Gaudium, Mœror, Triſtitia, Tribulatio, *& notata in Feſto omnium Sanctorum.*

DOMINICA IV. POST PASCHA.

De iuſtitia et iudicio. Iudicium, iuſtitia, æquitas qui differant. c.1.v.3

De iudicio. Iudicia Dei ſunt multa. c.16.v.11 eaque ſunt incomprehenſibilia. c.25.v.2

Sed non poteſtis portare modò. Magiſter ſe accommodet capacitati diſcipulorum. c.18 v.2. Myſteria Dei imperueſtigabilia non ſunt ſcrutanda. c.23.v.4. Multa fidei myſteria captum hominum ſuperant. c.25.v.2. Deus omnia ſua ſecreta non pandit, quædam ſibi reſeruat. ibid.

Docebit vos omnem verit. Doctrina facit tardum ad iram c.19.v.11.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Proverbium nullum dicis. Parabola in ore ſtulti non conuenit. c.26.v.7. eſt in eius ore velut ſpina. v.9. *Vide notata Dominica VI. poſt Epiphaniam, & in Indice Rerum v.* Prouerbium, Parabola.

IN LITANIIS MAIORIBVS.

Amicus meus venit. Amicitiæ bonum, & quæ eius ineundæ ratio. c.17.v.17. Amicus eſt alter ego. c.18.v.24. eſt magis amandus quàm frater. ibid. c.27.v.10. Chriſtus eſt nobis ſummus amicus. c.18.v.24. *Conſule Indicem Rerum v.* Amicitia, Amicus. Quæ ſint ſigna ficti amici. c.26 v.24. ei non eſt credendum. v.25. eius pœna. v.26. Amicus vetus non dimittendus ob nouum. c.27.v.10.

Non poſſum ſurgere. Beneficium porro ſtatim dandum eſt. c.3.v.28

Propter improbitatem tamen eius. Amici domus non eſt plus æquo frequentanda. c.25. v.17.

Qui petit accipit. Inuocatio Dei tutum in aduerſis aſylum eſt. c.18.v.10. Pij ſuis precibus expugnant vrbes hoſtium. c.21.v.22

Noſtis bona data dare filiis. Bona ſpiritualia promiſſa Chriſtianis, terrena Iudæis. c.1.v.33

Quanto magis pater veſter. Victoria à ſolo Deo petenda, & datur. c.21.v.31

DOMINICA PENTECOSTES.

Spiritus ſanctus fons eſt. c.5.v.15. Triſtitia pellit Spiritum ſanctum. c.15.v.15

Quis dicatur ſpiritus viri infirmitatem ſuſtentans. c.18.v.14. *Vide Indicem Rerum v.* Spiritus ſanctus, Conſilium, Doctrina, Sapientia, Scientia, Fortitudo, Timor, Timens.

Pacem

PACEM MEAM DO VOBIS. Triplex datur pax, cum Deo, hominibus, ſecum. c.17.v.1

DISPERTITÆ LINGVÆ TAMQ. IGNIS. Quo igne Deus corda probet. c.17.v.3. Lingua primum moriens, vltimum viuens. c.17.v.21. Zelus eſt inſtar ignis. c.27.v.4. cur ſermo Dei ſit ignitus. c.30.v.5. Ignis eſt ſymbolum verborum Dei. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Ignis, Lingua.

Deus promiſit bona temporalia Iudæis, Chriſtianis verò chariſmata Spiritus ſancti. c.1.v.33 hæc vt & virtutes ſunt velut angeli è cælo miſſi. c.3.v.3. inter quæ vnum eſt SAPIENTIA. Quomodo hæc differat à diſciplina. c.1.v.3. hæc reddit infirmos validos. c.24.v.5

SCIENTIA. Lac ſymbolum eſt doctrinæ & ſcientiæ. c.1.v.10

CONSILIVM. Conſilium ſimile aromati. c.27.v.9. Conſilio regenda reſp. c.11.v.14. conſultandum maturè, quia præcipitantia omnis eſt noxia. c.20.v.21. velocitas ſit in executione, tarditas in conſilio. c.22.v.29

Reges debent habere bonos conſiliarios. c.14.v.35.

FORTITVDO. Spiritus ſanctus dat ſuis fortes animos. c.18.v.14. ſapiens eſt tripliciter fortis, eius ſymbolum eſt aſinus. c.24.v.5

TIMOR DOMINI. Hic timor eſt principium ſapientiæ. c.1.v.27.c.9.v.1. timor eſt duplex, filialis & ſeruilis. c.2.v.5. timor Domini præſtat opibus. c.15.v.16. quatuor eius effectus. c.19.v.23 eſt vera pulchritudo animæ. c.31.v.30

Timentes Deum ſunt fortes & robuſti. c.14.v.26.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

SIC DEVS DILEXIT MVNDVM. Amoris paradoxa & axiomata. c.8.v.7. Deliciatur Deus ex amore cum hominibus. v.31. qui fuit quaſi amore ebrius. v.34. *Vide Indicem Rerum v.* Amor, Chriſtus.

ODIT LVCEM. Lux eſt lucerna varijs de cauſis. c.6.v.23. *Vide Indicem Rerum v.* Lucerna, Lux.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

FVR NON VENIT NISI VT FVRETVR. Paterna bona quatenus liceat filio furari. c.28.v.24. Furti ſocietas multipliciter admittitur. c.29.v.24. *Conſule Indicem Rerum verbo* Fur.

DOMINICA I. POST PENTECOST.

ESTOTE MISERICORDES. Miſericordia & veritas quid in Scriptura denotent. c.3.v.3. miſericordiam præfert Deus victimis. c.21.v.3

Miſericors eſt beatiſſimus. c.14.v.21. *Vide Indicem Rerum v.* Miſericordia, Eleēmoſyna.

DATE, ET DABITVR VOBIS. Miſericordes oculi à Deo benedicuntur. c.22.v.8

MENSVRAM BONAM. Deus odit menſuras duplices. c.20.v.10

SVPEREFFLVENTEM. Benefico ſemper aliquid ſuperredundabit. c.11.v.25

PERFECTVS AVTEM ERIT. Quomodo domus perfectionis ædificetur. c.24.v.3. Chriſtus ſua humilitate & paupertate auctorauit humilitatem, paupertatem, crucem, paſſiones, & omnem perfectionem. c.31.v.30. *Vide notata Feria VI. poſt Cineres, & Indicem Rerum v.* Iuſti, Perfectio, Virtus.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Deo opt. max. proprium eſt ſe communicare alteri. c.20.v.6. eius ſapientia & potentia eſt inenarrabilis. c.30.v.4. quin & ipſe eſt ineffabilis. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Deus, Trinitas.

IN NOM. PATR. ET FIL. ET SP. SANCTI. Ternarius numerus Hebræis eſt numerus multitudinis. c.22.v.20. SS. Trinitatis ſymbolum quod ſit. c.30.v.1. priſci Iudæi eam non cognouerunt. v.4. non eſt in ea quaternitas. v.21. Dei filius fuit Hebræis incognitus. v.4. *Vide Indicem Rerum v.* Pater, Filius, Spiritus ſanctus.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

CARO MEA VERE EST CIBVS. Ven. Euchariſtia eſt menſa Eccleſiæ. c.9.v.2. ipſa Deo per ſe placet. c.15.v.8. eſt dignior quàm omnia vetera ſacrificia & epulæ mundi. c.17.v.1. decem eius miracula recenſentur. c.23.v.2. eſt velut ficus. c.27.v.18. *Vide Indicem Rerum v.* Euchariſtia, Communio.

Altare eſt velut menſa ſapientiæ. c.9.v.2. ad hoſtiam gratam tria requiruntur. c.21.v.27

NISI MANDVCAVERITIS. Dignè ad communionem accedens domus fit Dei. c.9.v.2

VIVET IN ÆTERNVM. Longæuitatis tria pharmaca. c.17.v.21

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

IVGA BOVM EMI. Contentus ſuis, eſt feliciſſimus. c.12.v.9

Auaritia cur ſit cordis dilatatio. c.21.v.4. eſt ſanguiſuga inſatiabilis. c.30.v.15. *ſæpiùs*, inferno aſſimilatur. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Auaritia, Auarus.

VXOREM DVXI. Res vxoria maximè ſapientiæ aduerſatur. c.2.v.16. In concupiſcentia carnali maximè elucet fomes peccati & naturæ corruptio. c.20.v.9. Oculi auertendi ab aſpectu mulierum. c.23.v.33

Mulieris deſcriptio. c.5.v.2. & epitheta. c.7.v.13. mulier rixoſa virum continuò excruciat. c.19.v.13. cur mulier in rixas prona ſit. ibid. talis omnes cæli tempeſtates exprimit. c.21.v.9 deterior eſt deſerto. v.19. *Vide notata Dominica I. poſt Epiphaniam, & Sabbato poſt Dominic. III. in Quadrageſ. & indicem Rerum v.* Adulter, Libido, Meretrix, Vxor.

Vxor bona res rara & inuentu difficilis. c.18.v.22. quæ bona talis in familiam inuehat. ibid. Vxor viro congrua ingens Dei donum eſt. c.19.c.14. quæratur prudens & compoſita, conueniat cum viro in religione, in obſequio, conditione, affectibus, concordia: talis à Deo datur: ibid. mulier fortis & virago deſcribitur. c.31. à v.10. *vſque ad finem.* Modeſtia decorat feminas & morum honeſtas. c.31.v.25. vxor ſit in domo vigilans. v.27. Feminæ multæ ſe deformarunt ſtudio caſtitatis. v.30.

DVXI. Zelotypia in maritis quàm ſit vehemens v.27.v.4. Zelus eſt inſtar ignis. ibid. vxoris propriæ & ceruæ analogia. c.15.v.19

COMPELLE INTRARE. An hæretici poſſint violenter ad fidem cogi? c.27.v.6

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

ERANT APPROPINQ. AD IESVM PECCATORES. Sancti ſuſcipiunt animas omnes, etiam peccatores c.11.v.30. *Vide Indicem Rerum v.* Miſericors. Benignus.

Con-

CONVOCAT AMICOS ET VICINOS. Vicini proſunt præ amicis & conſanguineis. c.27.v.10 quæ bonus vicinus adferat bona. ibid. *Vide Indicem Rerum* v. Vicinus.

ACCENDIT LVCERNAM. Quid lucerna ſymbolicè denotet, maximè vitam repræſentat. c.20. v.20.& 27. *Conſule Indicem Rerum* v. Lucerna, Lux.

GAVDIVM ERIT IN CÆLO SVP. VNO PECCAT. POENIT. AGENTE. Compunctio continet cæleſte gaudium. c.14.v.10. pœnitens ea paſcitur, & quæ compunctionis ſit materia.ibid. *Vide notata in Feſto S. Mariæ Magdalenæ.*

DOMINICA IV. POST PENTECOST.

CVM TVRBÆ IRRVERENT. Turba enim nimia obeſt potiùs quàm proſit. c.14.v.28

NAVIM QVÆ ERAT SIMONIS. Vt hic in naui Petri docuit Redemptor turbas, ſic in Eccleſia quæ domus eſt ſapientiæ, docet omnes omnino homines. c.9.v.1. *Vide Indicem Rerum v.* Eccleſia, S. Petrus.

Nauis & hominis ſimilitudo.c.23.v.34. nauis item & mulieris ſtrenuæ.

PER TOTAM NOCTEM LABORANTES. Noctu vigilandum & laborandum. c.31.v.18. *Vide notas Dominica in Septuageſima.*

ANNVERVNT SOCIIS. Varijs de cauſis annuunt homines oculis. c.10.v.10

EXI A ME QVIA HOMO PECCATOR SVM. Quomodo Sancti ſe vocent maximos peccatores.c.30 v.2. *Vide notata Dominica X. poſt Pentecoſt. & in Indice Rerum v.* Humilis, Humilitas.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

NON OCCIDES. Homicida omnibus exoſus eſt, etiam beſtijs. c.28.v.7

QVI IRASCITVR FRATRI SVO. Ira ſtulti & ſapientis quomodo differant. c.12.v.16. iræ ſedandæ modus efficax. ibid. alia eiuſdem remedia. c.15.v.1. Ira eſt præoccupanda antequam hominem occupet. c.16.v.22. doctrina facit tardum ad iram. c.19.v.11. ira leonem redolet. v.12. eſt homini laqueus. c.22.v.28. ira ſtulti eſt intolerabilis. c.27.v.3. ira eſt ſanguiſuga inſatiabilis & furia. c.30.v.15. *Vide Indicem Rerum v.* Ira, Iratus, Iracundi.

QVI DICIT FRATRI SVO RACA. Quare fratrum odia acerbiora ſint. c.18.v.19

RACA. Conuicia monent nos noſtrorum vitiorum. c.24.v.18

QVÒD FRATER TVVS HAB. ALIQV. ADVERSVM TE. Lites, quoad poſſunt fugiendæ ſunt. c.20.v.3 lis cum amico amicè tranſigenda eſt. c.25.v.9.imò amici ſunt multiplicandi. v.10. lites plerumque oriuntur ex ſtultorum dicacitate. c.26.v.10. eas ſuſcitat ſuſurro. v.20

VADE PRIVS RECONCIL. FRATRI TVO. Quærens in offenſa reconciliationem, edit opus heroicæ virtutis. c.20.v.5. Iniuriam acceptam non vlciſci, ſancta eſt vltio. c.19.v.11. Ira patientiæ & charitatis ſinu ſuffocanda eſt. c.29.v.11. *Vide notata Feria III. poſt Dominicam III. in Quadrageſ. & Indicem Rerum v.* Lis, Rixa, Iurgium.

DOMINICA VI. POST PENTECOST.

MANDVCAVERVNT ET SATVRATI SVNT. Sancti paſcuntur ſpiritualiter & temporaliter. c.10. v.3. Solus Deus, eiuſque timor mentem ſatiare poteſt. c.19.v.23

ET SVSTVLERVNT QVÆ SVPERAV. Deus facit locupletes & abundantes. c.10.v.22

Vide notata Domin. IV. in Quadrageſ. eſt enim idem Euangelium.

DOMINICA VII. POST PENTECOST.

ATTENDE A FALSIS PROPHETIS. Quales ſunt hæretici, qui commodè per gigantes denotantur. c.21.v.16. an cogi poſſint ad fidem ſuſcipiendam. c.27.v.6. *Vide Indicem Rerum v.* Hæreſis, Hæreticus, Impij, Socij.

Societas malorum quàm ſit noxia. c.4.v.15. c.22.v.24. Maximè dum ſpe prædæ allicit. c.1.v.14.

NVMQVID COLLIGVNT DE SPINIS VVAS? Iniquitas ſimilis eſt vuæ acerbæ & fumo. c.10. v.26.

NON POTEST ARBOR BONA MALOS FRVCT. FAC. Chriſtus in cruce eſt arbor fructifera. c.11. v.28.

A FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS. Sermones & actus produnt interiorem hominis animum. c.27.v.19

NON OMNIS QVI DICIT MIHI, DOMINE, &c. Deuorare verba in Sanctorum inuocatione diſplicet Deo. c.20.v.25

DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

QVASI DISSIPASSET. Epulæ redigunt ad inopiam, parſimonia ditat. c.21.v.17

QVID HOC AVDIO DE TE? Infamia velut putredo eſt. c.10.v.7. Fama præſtat opibus: bonæ famæ quantum ſit bonum. c.22.v.1. *Vide Indicem Rerum v.* Fama, Infamia.

FODERE NON VALEO, MENDIC. ERVB. Multi ſe fingunt diuites, cùm verè ſint pauperes. c.13.v.7

FILII HVIVS SÆC. PRVDENT. FILIIS LVCIS. Malum faciliùs addiſcitur quàm bonum. c.13.v.20

FACITE VOBIS AMICOS. Amici ſunt multiplicandi. c.25.v.10

DE MAMMONA INIQVITATIS. Cur mammona & opes dicantur iniuſtæ. c.10.v.2. ducunt ad atheiſmum, ſunt ſcelerum occaſio, aliaque homini damna adferunt. c.30.v.9. ſunt vanæ. c.18. v.11. obſtant ſapientiæ. c.20.v.11. opes iniquæ citò auolant. v.4.c.21.v.6.7. ſunt panis mendacij. c.20.v.17. opes feſtinatæ non ſunt diuturnæ. c.13.v.11.c.20.v.21. opes ornant pium, non impium. c.14.v.24. modicæ præſtant magnis iniuſtis. c.16.v.8. ſine virtute non proſunt, ſed ſapientiæ ſubſeruire debent. c.17. v.16. opes auari ad liberalem deriuantur. c.28. v.8. *Vide Indicem Rerum v.* Diues, Auarus, Impij, opes. Deus ſolus facit diuites. c.10.v.22 mundus totus diuitiarum eſt hominis Deo fidentis, eique ille ſeruit. c.17.v.4

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

ET QVIDEM IN HAC DIE. Opportunitas verborum & temporis ſimilis eſt rotæ. c.25.v.11

NON MANEBIT IN TE LAPIS SVP. LAPID. Deus irridet ſui irriſores, & graui clade & ruina eos opprimet. c.1.v.27. *Vide Indicem Rerum v.* Ira, Princeps, Rex.

COANGVSTABVNT TE VNDIQVE. Iudæo-Chriſtianis vrbe euertenda egreſſis, ſoli perfidi Iudæi obſeſſi ſunt & afflicti: ſic impius ſæpè luit pœnas, pio manente indemni. c.21.v.18

ET EIECIT VENDENTES ET EMENTES. Iuſtitia in emptione & venditione ſeruanda eſt, quæ alioqui hîc periclitatur. c.11.v.1. Emptor & venditor quas fraudes in mercando committant. c.20.v.14

Men-

Menſuras iniquas odit Deus. c.20.v.10.
Vide notata Feria III. poſt Domin. I. in Quadrageſ.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

QVI IN SE CONFIDEBANT. Cur ſtulti ſibi præfidant. c.12.v.15. Superbi erigunt præ arrogantia oculos ſuos. c.21.v.4. ſunt ſtolidi. v.24. Qui ſibi ſapiens videtur, peior eſt ſtulto, & facilè à dæmone decipitur. c.26.v.12.

NON SVM SICVT CETERI. Doctrinam ſuam iactantes tandem cadunt in ignominiam. v.27. v.16. Diues ſuperbè Deum rogat. c.18.v.23. Improbus peccatum ſuum non vult agnoſcere. c.19.v.3. Oſtentationis veſania. c.25.v.14. Laus ſui ipſius ſordet. c.27.v.2. Arrogans omnibus exoſus eſt. c.16.v.5.

PVBLICANVS A LONGE STANS. Humilis tamen eſt Deo vicinus. c.11.v.2.

PROPITIVS ESTO MIHI PECCATORI. Iuſtus prior ſe accuſat, antequam alios. c.18.v.17. Confeſſio ſit prima apud Deum & homines. ibid.

QVI SE EXALTAT, HVMILIABITVR. Superbiam ſequitur ignominia, & ſuperbus alios deſpicit. c.11.v.2. Superbia eſt cauſa omnium malorum. c.16.v.18. Gloria dedecet ſtultum & indignum, eique nocet. c.26.v.1

QVI SE HVMILIAT, EXALTABITVR. Humilitas vera eſt aſtutia. c.1.v.4. eius elogium. c.15.v.33. parit timorem Domini. c.22.v.4. ipſa exaltat, ſuperbia probro afficit. c.29.v.22.

Humiles à Deo exaltantur. c.16.v.18. planè obtinent ſapientiam. c.30.v.28. *vide indicem rerum v.* Humilis, Humilitas, Superbus, Superbia,

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

ET DEPRECABANTVR EVM. Inuocatio Dei tutum in morbis & aduerſis aſylum eſt. c.18.v.10.

ADAPERIRE. Os diuerſa habet clauſtra tum à natura, tum myſtica. c.25.v.28.

SOLVTVM EST VINCVLVM LINGVÆ EIVS. Sermones eloquentis Deus diſponit. c.16.v.1 regitque linguam eius, quæ eſt velut auriga. ibid. in lingua conſiſtit vita & mors. c.18.v.21. Velox ad loquendum citò impingit, & ſtulta profert, illo potior eſt ſtultus audiens correptionem, c.29.v.20.

LOQVEBATVR RECTE. Pauciloquium quàm ſit laudabile. c.10.v.14. Pauciloqui ſunt prudentes & ſapientes. v.19. c.17.v.2. Eloquentiæ gratia vana eſt. c.15.v.2. Silentij laus & commendatio. c.17.v.18. quæ contrà ſint damna loquacitatis. c.19.v.8. quia laquax prodit ſecreta. c.20.v.19. Loquacitatis remedium. c.29.v.20.

Lingua iuſti eſt inſtar argenti. c.10.v.20. Sermo ſit lenis, quia aſper turbat animum audientis. c.12.v.25. Lingua ſapientis ornat ſcientiam. c.15.v.2. Lingua placida eſt velut arbor vitæ. v.4. In quo ſitus ſit dulcis ſermo. c.16.v.21. ipſe eſt quaſi fauus mellis. v.24. ſermo bonus quos pariat fructus. c.18.v.20. ſermo lenis in rege conciliat animos ſubditorum. c.30.v.33. *Vide notata Feria IV. poſt Domin. III. in Quadrag. & Indicem Rerum v.* Lingua.

TANTO MAGIS PLVS PRÆDICABANT. Lites oriuntur à lingua non refrænata. c.17.v.14. Deuorare verba in Sanctorum precatione Deo diſplicet. c.20.v.25. *Vide indicem rerum v.* Lis, Rixa.

BENE OMNIA FECIT. Mundi terræque creatio ſcitè peracta eſt. c.3.v.19. creata omnia ſunt propter hominem. c.16.v.4.

Benefaciens alijs ſibi benefacit. c.11.v.17.

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

IN LEGE QVID SCRIPTVM EST? Lex eſt cuſtodienda vt pupilla oculi. c.7.v.2. idque ob ſex cauſas. c.19.v.16.

DILIGES DOMINVM DEVM TVVM. Charitatis encomium. c.4.v.23. eſt regina omnium virtutum. c.24.v.3. *Vide indicem rerum v.* Amor, Charitas.

EX TOTO CORDE. Nihil tamen Deo temerè vouendum. c.12.v.16.

ET PROXIMVM SICVT TEIPSVM. Proximo nihil temerè promittendum. c.12.v.16. Amor vnus prouocat alterum. c.18.v.16. Boni ſoli ſe amant, mali inuicem oderunt. c.19.v.8. Amoris pretium eſt amor. c.21.v.12. Amor, quo diligitur proximus, pendet ab amore Dei. c.17.v.17.

QVIS EST MEVS PROXIMVS? Cum extraneo commercia ineunda non ſunt. c.20.v.16.

INFVNDENS OLEVM. Olei & blanditiarum analogiæ. c.5.v.3. olei vſus quadruplex, eiuſque varia ſymbola. c.21.v.20.

OLEVM ET VINVM. Hoc amaricat, illud lenit. Sic Superiores ſubinde miſceant rigorem dulcedini. c.10.v.17. *Vide de vino notata Dominica I. poſt Epiphan. & Indicem Rerum v.* Vinum, Oleum.

VADE ET TV FAC SIMILITER. Exempla ſancta ſunt velut menſa Eccleſiæ. c.9.v.2.

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

OSTENDITE VOS SACERDOTIBVS. Confeſſio ſacramentalis & à culpa, & à pœna liberat. c.18.v.17. eſt à Deo prædeſtinata ante omnes homines. ibid. De peccatorum venia numquam eſt deſperandum. c.24.v.10. Confeſſio ſacramentalis an à Salomone ſit præuiſa. c.28.v.13. eius dignitas. ibid. *Vide indicem rerum v.* Confeſſio, Sacerdos.

DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

NON POTESTIS DEO SERVIRE ET MAMMONÆ. Quis diues ſit Deo. c.22.v.7. Mediocritas opum petenda à Deo, non abundantia. c.30.v.8. *Vide notata Dominica VIII. poſt Pentecoſten.*

NE SOLLICITI SITIS. Nimium diteſcendi ſtudium reprehenditur. c.23.v.7. de craſtino non eſt laborandum, quia tempus parit futura. c.27.v.1. Deo fidens totum poſſidet mundum. c.17.v.4

RESPICITE VOLATILIA. Fruſtra iacitur rete auibus pennatis. c.1.v.17. Quæ ſit formicarum ſapientia: quid nos doceant. c.30.v.25. *Vide notata de apibus Feria III. poſt Paſcha.* Animalia docent nos ethicam, politicam, œconomicam. c.30.v.24. & ſeqq.

CONSIDERATE LILIA AGRI. Dei ſapientia elucet in minimis. c.30.v.24. *bis.*

IN OMNI GLORIA SVA SIC COOPERTVS EST. Pulchritudinis epithera. c.31.v.30. pulchritudo animæ è corporali colligitur. ibid.

SI FOENVM AGRI DEVS SIC VESTIT. Pulchritudo vera ſita eſt in virtute. c.2.v.10. & 11. Virtus verè hominem ornat, non veſtis. c.31.v.25. Pulchritudo corporis in tribus ſita eſt, cur vana & fallax ſit. c.31.v.30. *vide indicem rerum v.* Forma, Pulchritudo.

QVÆRITE PRIMVM REGNVM DEI. Auari caducis inhiantes amittunt æterna. c.20.v.21. Pulchritudo vera eſt timor Dei. c.31.v.30. Feminæ

multæ ſe deformarunt ſtudio caſtitatis. ibid.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

Filivs vnicvs matri svæ. Peccator (vt hic adoleſcens) ſemper ſibi longam vitam promittit. c.5.v.23.

Vnicvs. Pupillorum iura non ſunt inuadenda. c.23.v.10. eos tuetur Deus. v.11.

Et hæc vidva. viduæ Deo ſunt curæ. c.15 v.25. *vide indicem rerum* v. Pupillus, Paruulus, Vidua.

DOMINICA XVI. POST PENTECOST

Cvivs vestrvm asinvs. Iuſtus nouit iumentorum ſuorum animas, ijs ſedulò proſpicit, & in ea miſericors eſt. c.12.v.10. Animalia docent nos politicam, ethicam, œconomicam. c.30. v.24. & ſeqq. *Vide Indicem Rerum* v. Animal, Iuſti.

Et non continvò extrahet illvm? Iuſtus ſemper cogitat de alijs à perditione auocandis. c.21.v.12.

Primos accvbitvs. *Vide notata Feria III. poſt Dominicam I. in Quadrageſima.*

Qvi se exaltat, &c. *Vide notata Dominica X. poſt Pentecoſt.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

Qvod est mandatvm magnvm? Mandata Dei ſunt via homini ad Deum, vitam, ſalutem. c.19.v.16.

Diliges. *Vide notata Domin. XII. poſt Pentecoſt.*

Videns fidem illorvm, dixit, Confide. Vota iuſtorum Deus audit, hinc in eo ſemper ſperant. c.10.v.24.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST

Cvm vidisset cogitationes. Dei oculus omnia rimatur & penetrat. c.15.v.3. cogitationes bonæ quantum animæ proſint. v.26. cogitationes quælibet Deo patent. c.16.v.2. à cogitationibus primis pendet diei totius operatio. c.21.v.5.

Secreta cordis ſcire eſt facilius quàm inferni. c.15.v.11. Mens ipſa ſibi ſpeculum eſt. c.27.v.19. Solus Deus hominum, angelorum, dæmonum volitiones & intentiones præuidet. ibid. *Vide Indicem rerum* v. Cogitatio, *& notata Feria IV. poſt Domin. IV. in Quadrageſima.*

Vt qvid cogitatis mala? Cogitationes peruerſæ Deo ſunt abominabiles. c.15.v.26. Impius ſemper cogitat malum, idque in ruinam alterius. c.16.v.27. & 30. Cogitantes malum, id faciliùs exequuntur, quàm qui bonum. c.24.v.8. Cor ſemper cogitet bona. v.9. cogitationes ſuas ſequitur impius & equus effrænis. ibid.

Tolle lectvm tvvm. Lecti mollities eſt puluinar diaboli. c.7.v.16. Stragulum in vſu lecti quid propriè ſit. c.31.v.22.

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

Homini regi. Mens rectè agens rex eſt. c.20. v.8. verè rex eſt qui ſe ipſum regit. c.30.v.22.

Fecit nvptias filio svo. Quæ ſit ſapientiæ domus & conuiuium. c.9.v.1. Secura mens quaſi iuge conuiuium. c.15.v.15. Menſa myſtica Eccleſiæ, Euchariſtiæ, incarnationis. c.23.v.2

Misit servos svos. Prædicatores ſunt velut ancillæ miſſæ ad inuitandos homines. c.9.v.3 *Vide indicem rerum* v. Concionatores, *& notata Dominica in Sexageſima.*

Ecce prandivm mevm paravi. Conuiuium ex amore inſtituatur. c.15.v.17. *Vide Indicem Rerum* v. Conuiuium, Menſa.

Ad negotiationem. Virtutis mercatura præſtantiſſima eſt. c.3.v.14. Vendentes & ementes quas fraudes committant. c.20.v.14. *Vide Indicem Rerum* v. Mercurius, Mercator.

Contvmeliis affectos occidervnt. Homicidam omnes perſequuntur, etiam beſtiæ. c.28. v.17.

Rex iratvs. Iram cohibeat rex, eius ira ſimilis rugitui leonis, at hilaritas rori. c.19.v.12. Ira eſt quaſi furia. ibid. Regis iram nemo prouocet, quia eſt terribilis. c.20.v.2. regis dotes quæ ſint. v.8. ne ſit præceps ad vltionem. c.15.v.15. *Vide Indicem Rerum* v. Ira, Iracundi, Iratus, Princeps, Rex.

Amice qvomodo hvc intrasti? Conuiuæ principum gerant ſe circumſpectè. c.23.v.1.

At ille obmvtvit. Silentij laus & commendatio. c.17.v.28.

DOMINICA XX. POST PENTECOST.

Erat qvidam regvlvs. *Vide notata Domin. III. poſt Epiphan. & Indicem Rerum* v. Princeps, Rex. Seruus.

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

Patientiam habe in me. Quomodo patiens ab impatiente differat. c.14.v.29. Reſponſio mollis frangit iram Domini. c.15.c.1. Impatiens ſibi eſt tortor. c.19.v.19. *vide indicem rerum* v. Patiens, Patientia, Impatiens, Seruus.

Misertvs avtem Dominvs. Clementia & iuſtitia reges cuſtodit. c.20.v.28.

Tenens svffocabat evm. Seruus non debet dominari. c.19.v.10. Impatiens multa ſibi mala acceſſit. v.19.

Serve neqvam. Sermo durus excitat furorem. c.15.v.1. Seruo non eſt nimis familiariter vtendum. c.29.v.21.

Oportvit misereri conservi tvi? Commiſeratio homini à natura eſt inſita. c.19.v.22.

Ivssit evm venvndari. Prudens verbo corrigitur, ſtultus virga. c.17.v.10. Pauperem opprimens, opprimetur à ditiore, vt hic contingit. c.22. v.16. quin imò tributis regijs grauatur, eò quòd pauperem expilauit: quia quod non habet Chriſtus, hoc capit fiſcus. ibid.

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

Consilivm inievnt. Non eſt conſilium contra Dei voluntatem. c.21.v.30.

Vt caperent evm in sermone. Odium abſconditum eſt nocentius aperto. c.10.v.18. c.26. v.18. Laquei fraudulentorum varij. c.21.v.6. Fraus perdit peruerſos. c.11.v.3 c.26.v.26. *Vide Indicem Rerum* v. Odium, Fraus, Vultus ſæpè prodit animum. c.17.v.22. & 24.

Scimvs qvia verax es, et viam Dei in veritate doces. Chriſtus eſt prima veritas, eiuſque dicta ſunt velut oracula. c.16.v.10. Doctor bona docens adfert vitam, ſecùs mortem. c.18.v.21. Veritas regi ſit curæ. c.29.v.14.

Adulatores ſunt peruerſi corde & verſuti. c.17. v.20. c.18.v.8. decipere volunt eum cui blandiuntur. c.29.v.5.

Et non est tibi cvra de aliqvo. Acceptio perſonarum quàm graue ſit ſcelus. c.18 v.6. Rex non ſit perſonarum acceptor. c.24.v.23. Acceptio perſonarum in iudicio, & corruptio iudicij per munera, Deo odibilis eſt. c.28.v.21. *vide indicem rerum* v. Acceptio, Perſona.

Iuſtitia

Iuſtitia eſt regnorum centrum. c.29.v.4.

LICETNE TRIBVTVM DARE CÆSARI? Iuſti regis edicta ſuſcipienda ſunt vt Dei oracula. c.16. v.10. Tyranni populum tributis opprimentes ſimiles leoni & vrſo. c.28.v.15. qui propriè ſint tyranni. v.16. Rex pauper verè ſycophanta eſt. ibid.

COGNITA NEQVITIA. Intentio operis patet Deo. c.16.v.2. Maledicta recidunt in maledicentes. c.26.v.2. & decipietur decipiens. c.28.v.10. Fruſtra fraus paratur homini ſapienti, & rete iacitur pennatis. c.1.v.17.

QVID ME TENTATIS HYPOCRITÆ? Deriſores rerum ſacrarum & ſanctarum ſummè ſunt noxij. c.19.v.25. Vitio alicui addictus, ipſum mox in alio ſuſpicatur. c.26.v.6. Reſpondendum ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, & aliquando non reſpondendum. c.26.v.5. *vide indicem rerum v.* Hypocrita, Simulatio.

NVMISMA CENSVS. Numiſma & numus vnde dicta ſint. c.10.v.2.

DATE CÆSARI. Rex moderari tributa debet. c.28.v.16. tributorum nimietas turbat & enecat ſubditos. c.30.v.33. quia vehementer emungens, elicit ſanguinem. ibid. Tributa noua excogitantibus iraſcitur populus. c.24.v.21. Regi obediendum quando Deo contraria non præcipit. ibid.

CÆSARIS. Sub clemente & bono rege abundat regnum incolis. c.14.v.28. reges Deo nitantur, ab eoque regi debent. c.16.v.10. ne dent regni opes & vires mulieribus. c.31.v.3. regnant per ſapientiam. c.8.v.16. decet eos clementia. c.16. v.15.c.20.v.28. item fidelitas; dedecet verò mendacium. c.17.v.7.c.29.v.14. non ſint perſonarum acceptores. c.24.v.23. ſint beneuoli, non ſeueri & tyranni. c.25.v.15.c.30.v.33. ſint iuſti & benefici. c.29.v.4. *Vide notata Feria IV. poſt I. Dominic. in Quadrageſ. & in Indice Rerum v.* Princeps, Rex.

DOMIN. XXIII. POST PENTECOST.

FILIA MEA MODÒ DEFVNCTA EST. Mors ſpiritualis à proximo auertenda eſt. c.24.v.11. *vide indicem rerum v.* Mors, Mortuus.

CVM VIDISSET TIBICINES. Muſica exaſperat animum triſtem & mœſtum. c.25.v.20.

TVRBAM TVMVLTVANTEM. Turba nimia obeſt potiùs quàm proſit. c.14.v.28. contrà Sancti in morte rident. c.31.v.25.

ET SVRREXIT PVELLA. A morte alium non liberans, eamdem incurrit. c.24.v.11.

EXIIT FAMA IN VNIV. TERR. Fama præſtat opibus. c.22.v.1.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOST.

QVI IN IVDÆA SVNT, FVGIANT AD MON. Iuſti ſubducunt ſe regnantibus impijs. c.28.v.28.

VIDEB. FIL. HOM. VEN. CVM POTESTATE. Chriſtus in vltimo iudicio futurus terribilis vt leo. c.19. v.12. Iudicij extremi cogitatio auocat hominem à malo. c.28.v.14. cur id maximè ſit metuendum. c.29.v.26. Ira Chriſti iudicis erit mortis nuntius. c.16.v.14. Diuinorum iudiciorum timor non debet eſſe nimius, ſed moderatus. c.28.v.14. *Vide indicem rerum v.* Iudicium.

SCITIS QVIA PROPE EST ÆSTAS. Æſtas eſt ſymbolum iuuentutis & commodæ occaſionis. c.10. v.5.

IN FESTO S. ANDREÆ.

ET VOCAVIT EOS. Deus hominem diuerſimodè vocat. c.1.v.24.

IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII.

vide indicem rerum v. S. Franciſcus Xauerius.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

VNICVIQVE SECVNDVM PROPRIAM VIRTVTEM. Officia ſtatui incongrua non ſunt aſſumenda, ſed quiſque ſtatu ſuo ſit contentus. c.23.v.5. Officium ſuum & dignitas vnicuique à Domino aſſignatur. c.29.v.26. Quiſque pro ſtatu ſuo decorè operetur. c.31.v.19.

EVGE SERVE BONE ET FIDELIS. Fidelitas in omni miniſtro requiritur. c.20.v.6

Vide notata in Communi Confeſſorum.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRG.

LIBER GENERATIONIS. Ex hoc libro B. Virginis nobis proſapia patet. Porrò mundana nobilitas inflat. c.30.v.11. Virtus vera eſt nobilitas. ib.

EX EA QVÆ FVIT VRIÆ. Hæc mulier nomine Bethſabee, fuit propheteſſa & pœnitentiæ ſpeculum. c.31.v.1. & ſeqq.

B. Virgo eſt principium operum Dei. c.8.v.22. maximè ſupernaturalium. v.25. fuit ab æterno ordinata. v.23. *Vide Indicem Rerum v.* B. Maria Virgo, *& notata in Feſto Aſſumptionis B. Virginis.*

IN FESTO PVRIFICATIONIS.

NVNC DIMITTIS. Occaſione Simeonis pij ſenis agi poterit de canitie & ſenio. Corona ſenum multiplex eſt. c.16 v.31. Senes valent conſilio. ibid. *Vide notata Dominica infra Octauam Epiphaniæ.*

POSTQVAM IMPLETI SVNT DIES PVRIFICATIONIS. Deiparam non neceſſe fuit purificari, nihilominus legi obediuit. Eius virginitas & charitas. c.31.v.22. Puritatis eius cauſa duplex eſt. ibid. præſes eſt virginitatis. v.24. eius modeſtia. v.25.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

ECCLESIAM MEAM. Eccleſia habet menſam ſacram, & quæ ſit illa. c.9.v.2.c.23.v.2. Eccleſia eſt mulier fortis. c.31.v.10. in ea confidit cor Dei & Chriſti. v.11. aliæ eius dotes eodem cap. in ſeqq. verſib. deducuntur.

ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT. Fides antiqua non eſt temerè immutanda. c.22. v.28. Eccleſia eſt velut arx inexpugnabilis. c.9.v.3. *Vide Indicem rerum v.* Eccleſia, S. Petrus.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOST.

ET SVSPENSVS IVDAS. Deſperans de peccati venia Iudas, ad laqueum confugit. Porro deſperatio oritur ab obduratione. c.18.v.3. de peccati venia numquam eſt deſperandum. c.24.v.10.

OSTENDE QVEM ELEGERIS. In fortuitis Dei auxilium & aſſiſtentia imploranda eſt. c.16.v.33. vnicuique ſua dignitas & ſtatus à Deo aſſignatur. c.29.v.26.

SORS CECIDIT SVPER MATTHIAM. Sortes hominum à Deo temperantur. c.16.v.33. nihil bonis accidit, niſi diſponente Deo. ibid. Sortes peculiari cura à Deo curantur. ibid. *Vide Indicem Rerum v.* Sors.

IN FESTO ANNVNTIAT. B. VIRG.

MISSVS EST ANGELVS GABRIEL. Fuit hic fidelis Dei nuntius. c.13.v.17. Nuntij quoque boni ſunt qui Chriſti aduentum nuntiarunt. c.15. v.30. vt Prophetæ. c.2.v.25. Legatus fidelis eſt ſimilis niui æſtiuæ. v.3. tales plurimi recenſentur. ibid. Nuntium hunc Dei-

para accepit de nocte. c.31.v.15.

Nomen virginis Maria Mariæ nominis etymon & deriuatio. c.8.v.29.

Ave gratia plena. B. Virginis gratia & pulchritudo. c.31.v.30. ſua vita ſancta virtutes omnes auctorauit. ibid. pulchritudo animæ eius, item corporis, vt ob eam penè habita ſit dea. ibid. eſt microcoſmus gratiarum. c.8.v.22. plus habuit gratiæ quàm omnes angeli & homines ſimul. c.31.v.20.& 29. *Vide notata Domin. XIV. poſt Pentecoſt.*

Tvrbata est. E pudore haud dubiè, qui comes eſt virtutis. c.13.v.28.

Ecce concipies. B. Virgo fuit aurora & lucis initium. c.4.v.18. eius vterus domus eſt Dei. c.9.v.1. pariendo filium præparauit nobis menſam. v.2. eſt thronus Verbi. c.30.v.19. eſt nauis ferens panem de longè in Eccleſiam. c.31.v.14.

Dabit illi Dominvs sed. David pat. eivs. Sub rege Chriſto abundabit iuſtitia & pax. c.29. v.2.

Spiritvs S. svperveniet in te. Quia B. Virgine confiſus eſt. c.31.v.11.

Verbum Dei per incarnationem non fuit immutatum. c.8.v.23. quomodo ante incarnationem in orbe luſerit. v.31. humanitas eſt eius domus. c.9.v.1. fuit hæc ei velut corona carnea. c.12.v.4. Chriſti in carnem aduentum auidè expectarunt animæ Patrum in limbo. c.13.v.12. Rectè Chriſtus dictus eſt Emmanuel. c.30.v.3.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi. B. Virgo incarnationis nuntio aſſentiendo, per actum illum fidei & obedientiæ plus meruit quàm omnes angeli & Sancti ſimul. c.31.v.29. hæc Dei maternitas quantæ in ea ſit dignitatis. ibid. Eſt ſalutis noſtræ auctrix. c.8.v.19.

Deo proprium eſt ſe homini communicare. c.20.v.6.

Incarnationis Chriſti menſa quæ. c.23.v.2. Incarnatio in Virgine fuit à Salomone prædicta. c.30.v.19. eadem repræſentatur per viam aquilæ, colubri & nauis. ibid. quin & Chriſtus propterea eſt aquila, coluber, nauis. ibid. item formica, lepus, locuſta, ſtellio. v.24. item leo, aries, gallus. v.31.

IN FESTO S. MARCI EVANGEL.

Misit illos binos. *Vide notata Feria III. poſt Domin. III. Quadrageſ.* Amicitiæ bonum, & quæ ſit ratio eius ineundæ. c.17.v.17. Concordiæ quanta ſit vis. c.18.v.17. Religioſæ communitatis bona. ibid.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

Vide notata in Feſto Cathedræ S. Petri.

IN FESTO VISITAT. B. MARIÆ VIRG.

Abiit in montana cvm festinatione. Deipara eſt verè mulier fortis. c.31.v.10. eius fortitudo in quo eluxerit. v.17. eius fortitudo virilis & modeſtia. v.25. opera heroica virtutum patrauit. v.19.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

In civitate peccatrix. Muliebris illecebra inſeſcat iuuenes. c.7.v.22.& ſeqq. amantium corda transfiguntur amore & dolore. v.23. meretrix rectà ad inferos deducit. v.27.

Lachrymis coepit rigare pedes eivs. Compunctio continet cæleſte gaudium, eaque paſcitur pœnitens, & quæ eius materia. c.14.v.10.

Dvo debitores erant cvidam foeneratori. Fœneratarius fit ſeruus fœneratoris. c.22 v.7. Quanta debitorum ſit miſeria. ibid.

Vides hanc mvlierem. Vt Chriſtus hanc peccatricem, ſic iuſti defendunt cauſas pauperum c.29.v.7. Deus protegit timentes ſe. c.19.v.23.

Oleo capvt mevm non vnxisti. Vnguenta odorata emolliunt. c.7.v.17. quod ſit vnguentum pudicitiæ. ibid

Oscvlvm. *Vide notata Sabbatho poſt Domin. II. in Quadrageſ.*

Remittvntvr ei peccata. De peccati venia numquam eſt deſperandum. c.24.v.10. *Vide notata Dominica XIII. poſt Pentecoſt. & Indicem Rerum* v. Peccatum, Compunctio, Confeſſio.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Vide notata Feria IV. poſt Domin. II. in Quadrageſima: nam idem eſt Euangelium.

IN FESTO S. IGNATII DE LOYOLA.

vide indicem rerum v. S. Ignatius,

IN FESTO S. MARIÆ AD NIVES.

Rei hiſtoria narratur. c.8.v.3. miracula B. Mariæ maioris. ibid.

IN FESTO S. DOMINICI.

Vide indicem rerum v. S. Dominicus.

IN FESTO ASSVMPT. B. MARIÆ VIRG.

B. Virgo odit ſuperbos. c.8.v.13, eſt regina mundi, hinc & varia regna ei ſunt dedicata. v.16. mirè nos amat, & cur. v.17. quanta eius ſit gloria etiam è bello pro Chriſtianis ſuſcepto. ibid. noſtra eſt mediatrix. v.19. eſt princeps operum Dei. v.22. eſt omnium mater. v.23. eſt cælum animatum, aliaque eius encomia & tituli. v.27. adeſt ipſam inuocantibus. v.35. eſt ager & vinea. c.31.v.16. eſt negotium omnium ſæculorum. v.18. eius miſericordia erga fideles. v.20. eius charitas erga Deum & proximum. v.21. an viuens meritum per ſingulos virtutum actus duplicarit. ibid. eſt terror dæmonum. v.25. eſt mortua præ gaudio & deſiderio filij. ibid. celebratur ab omnibus beatiſſima. v.28. eius excellentia & dignitas. v.29. gratia & gloria ſuperauit omnes angelos & Sanctos. ibid. eius preces efficaciores ſunt precibus omnium Sanctorum. v.29. eſt materfamilias Eccleſiæ, regina angelorum, fidelium mediatrix: fidelibus ſingulis ſuas dotes & gratias diſtribuit. ibid. omnes cælites eam laudant. v.30. an fuerit angelorum mediatrix. v.29. *vide indicem rerum* v. B. Maria Virgo.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Misericordiam volo. Clementia eſt effectus ſapientiæ. c.31.v.16. miſericordia & veritas quid ſint in S. Scriptura. c.3.v.3. placet Deo miſericordia præ victimis. c.21.v.3.

Et non sacrificivm. Sacrificia impiorum abominatur Dominus. c.22.v.27. ad hoſtiam gratam tria requiruntur. ibid. *Vide notata infrà in Communi Apoſtolorum.*

IN FESTO S. MICHAELIS.

Nisi efficiamini sicvt parvvli. Parua ſunt aſtutiora magnis. c.1.v.4. Paruulorum iura non ſunt inuadenda. c.23.v.10. eorum tutor eſt Deus. v.11. *vide indicem rerum* v. Puer, Simplex, Iuſti.

Sicvt parvvli. Simpliciter inſtar pueri ambulans, ambulat confidenter. c.10.v.9. eritque in periculis & detractionibus incolumis. c.28. v.18. Humilis & ſimplex diuina myſteria ſcrutari poteſt. c.25.v.27.

SI QVIS SCANDALIZAVERIT VNVM EX PVSILLIS ISTIS. Puſillanimes potiùs ſunt laudandi vt animos concipiant. c.27.v.21.

Quia S. Michael cum ſtatera pingitur, agi poterit de ſtateris & ponderibus. Stateræ myſticæ quæ ſint.

Angeli tripliciter mouentur. c.1.v.9. an angelorum mediatrix Virgo Deipara fuerit. c.31.v.29. *Vide indicem rerum v.* Angeli.

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESS.

Vide indicem rerum v. S. Franciſcus, Humilitas, Paupertas.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

BEATI PAVPERES SPIRITV. Pauper ſpiritu verè diues eſt, & ſimilis Deo. c.14.v.31. Pauper rectè viuens melior eſt diuite improbo. c.28.v.6. pauper etſi patiatur incommoda, nihilominus beatus. c.30.v.9.

Paupertas ſincera præſtat iniquis opibus. c.19. v.1.c.27.v.7. Paupertatem Ordinum mendicantium non ſigillat Salomon. c.30.v.8. *Vide Indicem Rerum v.* Pauper, Paupertas.

BEATI QVI SITIVNT. Sancti ſitiunt Deum. c.11. v.23.

QVIA SATVRABVNTVR. Cur Iuſtus ſaturetur eo quod comedit. c.13.v.25. Sancti paſcuntur ſpiritualiter & corporaliter. c.10.v.3.

BEATI MISERICORDES. Miſericors eſt verè beatus. c.14.v.22.

BEATI MVNDO CORDE. Quæ cordis munditiés regem amicum reddat. c.22.v.11. Mundus corde etiam Deo eſt amicus. ibid. item mundus ore. ibid. Quid ſit cor mundum, & eius mundandi ratio. ibid.

Mundus corde eſt qui eſt in Dei gratia: hæc autem animæ lux eſt, eiuſque reſpiratio. c.20.v.27. eſt ſummum bonum. c.22.v.1.

BEATI QVI PERSECVTION. PATIVNTVR. Iuſtorum in aduerſis conſtantia. c.10.v.25. deridentur ab impijs. c.14.v.2. Patiens melior eſt viro forti. c.16.v.32. Patientia vincit ipſos dæmones ibid. Nihil accidit iuſtis, niſi annuente Deo. v.33. Solus ſapiens patiens eſt. c.19.v.11. Iniuriam non vlciſci ſancta eſt vltio. ibid. hoc Deo reddit ſimilem. ibid. Iniuriam paſſi panoplia & victoria quintuplex. c.20.v.22. Iuſtus quomodo cadat coram impio. c.25.v.26. Tribulationis ignis corda expurgat. c.30.v.3. *Vide indicem Rerum v.* Afflictio, Patientia, Tribulatio.

Vita beata æſtati, hæc biemi comparatur. c.20. v.4.

An in cælo ſit timor & qualis. c.1.v.33. cælum eſt vrbs fortitudinis & fortium. c.10.v.15. *vide indicem rerum v.* Cælum.

Corona & aureola quid denotet. c.12.v.4. Sancti dum moriuntur bene ſperant, & in morte rident, & iubilant. c.14.v.32.c.13.v.25. ſunt velut aues pennatæ. c.1.v.17. in cælo quintuplicem habent coronam. c.4.v.9. per formicas repræſentantur. c.6.v.8. ſunt domini totius mundi. c.17.v.4. eorum vultus & oculi ſunt ſereni. v.24. ſunt velut aquilæ. c.23.v.5. cogitant modos nouos Deo placendi. c.24.v.8. quomodo ſeſe maximos peccatores vocent. c.30.v.2. opera eos in cælo laudant, qua ratione. c.31.v.31. quin imò ipſi ob eadem ibi laudant Deum, ſeruantque ibi ſuas cicatrices & vibices. ibid. *Vide IndicemRerum v.* Iuſti, Sancti.

IN DIE FIDELIVM ANIMARVM.

Animæ in limbo auidè Christi aduentum expectarunt. c.13.v.12.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS. B. VIRGINIS.

Tractauit B. Virgo in templo, & poſtea, lanam & linum. c.31.v.13. Ioſepho coniugata attulit ei omne bonum. v.12. vnde ipſe in ea confidit. v.11. an viuens meritum per ſingulos virtutum actus duplicarit. v.21. eius virginitas & charitas, v.12. puritatis eius cauſa eſt triplex. ibid. fuit vitæ auſteræ. v.27. eius mores ſancti & modeſti. c.8.v.13. eſt noſtra Pallas, nendi, ſtudendi & bellandi mater. v.19. *Vide Indicem rerum v.* B. Virgo Maria.

IN COMMVNI APOSTOLORVM ET EVANGELISTARVM.

Apoſtoli & doctores ſunt ingenioſi ad animas Deo lucrandas. c.20.v.12. eorum fortitudo leonina. c.28.v.1. *ſæpiùs.* Virorum qui fortitudinem leoninam habuere exempla. ibid. eorum charitas eſt inſatiabilis. c.30.v.15. eorum ſymbolum eſt bos. c.14.v.14. *Vide Indicem Rerum v.* Apoſtoli, Doctor, Sapiens.

IVGVM MEVM LEVE EST. Via virtutis leuis eſt tribus de cauſis. c.2.v.20.

IN COMMVNI MARTYRVM.

Martyres nonnulli caput reciſum manibus aliquouſque geſtarunt. c.1.v.9. Plerumque in rota torquebantur & trochlea. c.20.v.26. fiunt inter cruciatus valentiores. c.24.c.16. per arietem repræſentantur. c.30.v.31.

Sanctè viuens etiam Martyr eſt. c.14.v.5. Quin & omnis ſtatus ſuum habet martyrium. c.23.v.2. *Vide indicem rerum v.* Martyr, Martyrium.

IN COMMVNI CONFESSORVM.

SINT LVMBI ACCINCTI. Renes & lumbi diuerſa ſignificant. c.23.v.10.

ESTOTE PRVD. SICVT SERPENTES. Serpentis qui Euam decepit, aſtutia. c.1.v.4.

SIMPLICES SICVT COLVMBÆ. Ambulans ſimpliciter, ambulat confidenter. c.10.v.9. erit in periculis & detractionibus incolumis. c.28.v.18. Simplicitas dirigit iuſtos. c.11.v.3.

ARCTA EST VIA. Virtutis via eſt ſemita ob quatuor analogias. c.2.v.9. nihilominus ipſa in ſe leuis eſt. c.2.v.20. Via virtutis initio arcta, poſtea dilatatur. c.4.v.12. eſt adhæc ardua, vnde magno conatu capeſſenda. c.23.v.12. Virtus in hominem, & homo in virtutem ingreditur. ibid.

QVOD PRÆCINGET SE. Priſci Palæſtini vtebantur zona ad veſtes præcingendas, & quid illa denotet. c.31.v.24.

Religioſi connubium ineunt cum Deo. c.5.v.19. formicas imitari debent, hinc eorum monaſteria ſunt formicaria. c.6.v.8. gaudent vera animi tranquillitate. c.12.v.21. præponant animarum ſalutem propriæ deuotioni. c.14.v.4. ſi quando Superiori ſuo rebelles ſunt, merentur à Deo caſtigari. c.30.v.17. Religioſæ obedientiæ multiplex corona. c.1.v.9. varias refert & loquitur vir obediens victorias, & de quibus. c.21, v.28.

Religioſorum Ordinum fundatores ſunt initium operum Dei in ſua Religione. c.8.v.22.

Ordinũ mendicantium paupertas à Salomone non

non taxatur. c.30.v.8. Religio velut arx eſt. c.9.v.3.

Vide notata Feria VI. poſt Cineres & Indicem Rerum v. Doctor, Doctrina, Religioſi.

IN COMMVNI PONTIFICVM ET EPISCOP.

Heroum & virorum illuſtrium ſymbolum eſt aries. c.30.v.31.

Eccleſiaſtici & Epiſcopi non ſectentur nimias opes aut beneficia. c.15.v.17.

Paſtor pecus ſuum inſpiciat & curet. c.27.v.23. Olim paſtorum princeps coronabatur, vt modo Pontifex Romanus. ibid. excubet in Eccleſia. c.31.v.27. curet in eâdem diſciplinam ſeruari. ibid. *vide indicem rerum* v. Paſtor, Prælatus, Epiſcopus.

QVIS EX VOBIS VOLENS ÆDIFICARE? Domus ædificatur arte, prudentia, virtute. c.24.v.3.

QVIS REX ITVRVS COMMITTERE BELLVM. In bello triplex requiritur diſpoſitio. c.24.v.6. in eo plus valet prudentia quàm copia & robur militum. ibid.

DATE ILLI QVI DECEM MNAS HABET. Bona fraudulentorum tranſeunt in rectos, idque probatur exemplis. c.28.v.10. ad iuſtos ſæpè deuoluuntur opes iniquorum. c.13.v.22.

IN COMMVNI DOCTORVM.

QVI DOCVERIT SIC HOMINES. Doctores coronantur. c.1.v.9. Doctor ſit in veritate docenda conſtans. v.23.

Concionatores in vitia publica detonantes ſunt veri amici. c.27.v.6 Prophetæ veteres erant velut concionatores à Deo miſſi. c.29.v.18. illis deficientibus populus ruit in peccata ibid. Doctor vera docens, adfert vitam; ſecùs mortem. c.18.v.21.

IN COMMVNI VIRGINVM.

Mulieres fortes & virgines *deſcribuntur in muliere forti c.31. à v.10. vſque ad finem.* Multæ mulieres fuere viris ſuis pietatis magiſtræ. v.23. Nauis & mulieris ſtrenuæ variæ analogiæ. v.14. Virginum ſymbolum ſunt apes. c.6 v.8. Puella indiget cuſtode. c.2.v.17. *Vide indicem rerum* v. Virgo. Virginitas, Vxor, Maritus, *& notata Dominica I. poſt Epiphan. & Dominica II. poſt Pentecoſt.*

HOMINI NEGOTIATORI. Virtus eſt præſtantiſſima mercatura. c.3.v.14.

INVENTA VNA PRETIOSA MARGARITA. Virtus eſt pretioſiſſimus adamas. c.3.v.25. vitam prolongat multipliciter. v.16. quis dicatur pretioſus ſpiritu. c.17.v.27.

VNA. Rara ſunt ſemper pretioſa. c.25.v.17.

MARGARITA. Gemmarum nonnullarum vires c.17.v.18.

VIGILATE ITAQVE. Materfamilias ſit vigilans. c.31.v.15. & 27. de nocte ad lucernam cum puellis vacet linificio. v.18. linificium decet virgines & mulieres. v.13. Vigiliæ nocturnæ ſymbolum gallus, cuius vigilia & natura deſcribitur. c.30.v.31.

ACCIPIENTES LAMPADES. Lucernæ ſymbola. c.20.v.20. maximè ſymbolum eſt vitæ. v.27. Lampas olim præferebatur Imperatori & Patriarchis. c.6.v.23.

F I N I S.

618525

Digitized by Google

C 10.

Digitized by Google

Digitized by Google